Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

zed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4.556.

Digitized by Google

526. n. 1

Digitized by Google

CAROLI RENALDINII OPERA PHILOSOPHICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Digitized by Google

Digitized by Google

K. Rinaldini [C.]

CAROLI RENALDINI

PHILOSOPHIA RATIONALIS;

NATVRALIS, ATQVE MORALIS

OPVS

IN QVO PRÆSERTIM PHYSICA VNIVERSA EX ACCVRATIS Naturalium effectuum observationibus deducta, & ubi rei Natura patitur Geometricè demonstrata exhibetur.

TOMVS PRIMVS

Rationalem Philosophiam distributam in Dialecticam, Rhetoricam, atq; Poeticam complectens.

PARS PRIMA.

AD MAGNVM, AC SEMPER INVICTVM

LVDOVICVM XIV.

FRANCORVM

REGEM CHRISTIANISSIMVM.

PATAVII, MDCLXXXI.

Sumptibus Petri Mariæ Frambotti Bibliop. *Superiorum permissu.*

18

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Digitized by Google

MAGNO
AC SEMPER INVICTO
LVDOVICO
DECIMOQVARTO
FRANCORVM
REGI
CHRISTIANISSIMO,

Carolus Renaldinius Perpetuos Triumphos, Immortalemque Gloriam P.

IAmdiù, Magne Ludouice Christianissime Rex, aureum hoc sæculum, Te regnante, futurum animo præsenseram, cum eius constantem expectationem haberi minimè dubitanter affirmarem, idque priuatis, publicisque sermonibus quàm frequentissimè usurpare, meas omninò partes esse cognoscerem: quòd majores mei adeò essent Regiæ Prosapiæ tuæ Maiestatis addicti, ut eius gratiâ parui ducerent vitam profundere, rati, ut opinor, indè lucis diuturnioris usuram esse pensandam, undè sempiterna laus immortali cum gloria dimanat. At non modò stimulis naturà inditis concitatus, sed Heroicæ quoque virtutis illius honestate compulsus, quam velut è specula prospiciebam, tanquam singulare decus, ac ornamentum impendens ex-

Digitized by Google

celso animo Maiestatis tuæ, meæ mentis consilia, penitioraque sensa, quodammodo percitus cęlesti quodam afflatu promebam; eòque certiùs, quò Te veluti fulgentissimo nascente Sole, Christiani Orbis cœlum sacrilegæ quidem impietatis, ac innúmerarum calamitatum stygià caligine obtectum, undequaque clarescerementis oculis intuebar; Teque breui, tanquam inuictum Herculem, horrenda, & infesta Hæresecon monstra debellaturum videbam. Euentu hæc porrò nemo comprobata non vidit: Enim verò non solùm à tuis validissimis classibus, ferocissimisque legionibus eorum pagos, oppida, urbes, integrasque prouincias obsidione cinctas, & oppugnatas, sed etiam summa cùm gloria expugnatas sæpesæpiùs aduertimus: gentes itidem fortissimas atque bellicosissimas multitudine penè innumerabiles, lociscque remotissimas celerrimè magnis atque cruentis cladibus affectas, & nunquam hostem æquè ferro, ac prudentià non superatum, (quo nihil sanè in humanis rebus glorioslius) aspectu percepimus; quasi nulla terrarum pars Gallicis Trophæis vacare conspecta sit. Tanti refert à subiectis populis belli, gloriæque studio flagrantem Regem præ oculis habitum perpetuò fuisse. Te propterea lætabundo, gestientique animo nunc aspicio, qualem utique fore multis abhinc annis ominabar; videlicet, ut erepta luce nomini eorum, quos ob egregia facinora, eximiaque gesta Deorum loco superstitiosa venerabatur Antiquitas, Tui solius nomen ubique terrarum inclytæ diuinæque virtutis claritate fulgeret, eorundemque Famæ canora tuba fortiter extorta, vehemens idem ipsum ubique resonaret, non secus ac si ubique præsens esse videreris. Quocirca ne-

minem

Digitized by Google

Digitized by Google

minem admiratio ſubeat, ſi longè latèque ſentiens animus immortalem gloriam, ſummam felicitatem, ac præclariſsima geſta celebrari, tam dulci lętitia exultet, tanque blanda hilaritate perfundatur; quandoquidem percipit ſe non vanum Augurem aliquando fuiſſe, atque adeò prænoſcit fore, ut proſperitas tua in dies, magis magiſque floreſcat: ſtrenuis enim laboribus Te conſecuturum putat, ne qua vetuſtas obruere, aut obliuio delere tui nominis amplitudinem poſsit: Haud nanque cenſet gloriam illam intermorituram, quæ non lubricæ Fortunę partus, ſed conſtantis virtutis eſt filia, ut in Te verè proprièque cadat illud,

Famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Quamobrem tuorum illud maiorum decus, utpotè generoſę Virtutis nobile germen, pace dixerim tua, longè ſplendidius viueret, eorum lumini tuæ lucis nimio fulgore, obducens tenebras, ſi Tu non viueres. Hinc nulla gens tam barbara, nulla tam longinqua, terriſque diſsita remotiſsimis, quę de tuis eximijs laudibus, Heroiciſque geſtis conticeſcat, quęque vitam tranſigere ſub tua Ditione non ardeat. Eſt enim Oris tui celſa Maieſtas, eſt Regia corporis dignitas, ac elegantia, quòd eius partes mirando lepore conſentiant, eaque mortalium neminem prętcrit, cum omnium oculos maximè moueat, maximèque delectet. Corpus quidem pulcherrima domus, at eius pulchrior incola, animus. Quis enim adeò rerum æſtimator iniquus, cui ſummâ natus humanitate, ſuauiſsimiſque moribus conformatus, nec unquam aliquem acerba quapiam animaduerſionis ſeueritate proſecutus, quin

inſi-

Digitized by Google

insigni potius clementia, præcipuaque lenitate sic omnia pijs, iustisque legibus prudentissimè moderatus, ut omnes Te colere, venerarique cogantur, non videaris? Quis adeò rudis, ac indisertus, quis tam hebeti ingenio, aggrestique indole, cui tantarum rerum administratione in Te vno probitas, vigilantia, singularisquè prudentia, atque tandem virtutum omnium cumulus probè non constet, summæque admirationi non sit? Quæ quanuis magna, præclaraque sint, non in his tamen sunt omnia, cum adhuc de Te plura, atque maiora suppetant; quandoquidem Tibi haud indecorum putasti ad immortalem bellicæ tuæ virtutis gloriam, id quoque laudis, quasi pro coronide pacatæ indolis accedere, nimirum inter armiorum sonitus, tubarumque clangores, æquè literas, ac arma tractantibus, multa & non vulgaria studia quamlibentissimè præstitisse. Tanta scilicet Christianissime Rex illius est Sacra Principis Maiestas, qui notus est omnibus famæ celebritate, quique in omnium ore versatur, ut, quasi dixerim, volentes ducat, nolentes trahat. Vis profectò cælitùs orta, cum nempe corporis, tum animi dotibus insita. Eapropter quammaxima submissione Te supplex rogo, ut ad Regium Solium amplitudinis tuæ, me prouolutum admittere ne dedigneris; vi siquidem arcana quadam attractus, ingentique fulgore tuæ Maiestatis accedo; propterea mihi quamsuppliciter hisce literis tecum agenti, ut serena fronte excipias, quæ summis vigilijs, laboribus improbis, quæque diuturna mentis agitatione, contentioneque sum assecutus, clementer ignoscas. Præstantissimum, atque adeò Te dignum est argumentum; omnia enim

uni-

Digitized by Google

uniuerſo Orbe comprehenſa, & præſertim res natura conſtantes incedens tutiori, quam hucuſque via, ſedula meditatione perſequor, Naturæ arcana perquiro, eorundemque cauſas perſcrutor: Gratum proindè, atque iucundum Tibi futurum ſpero; quòd ſi non ſatis pro dignitate illud à me tractatum intellexeris, pro tua, qua excellis clementia id impertias gratiæ, ut aliquid rei difficultati ſimul, & ingenij tenuitati condonandum velis, honeſtumque laborem Mineruæ cultu ſuſceptum haud contemnendum putes. Viue Chriſtianiſsime Rex Neſtoreos annos incolumis, Viue, ut munificentia conſtanti literarum ſtudia foueas, atque ſuſtentes, & bonis Artibus, ac Diſciplinis validiſsimo præſidio ſis, & ornamento; præclaraque opera felicibus iam incæpta auſpicijs Deus Optimus Maximus benè fortunet, Tuique nominis memoriam geſtarum, gerendarumq; rerum magnitudine, ſacram eſſe dignetur æternitati.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI DELLO Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, *Caroli Renaldinij Philosophia Rationalis, Naturalis, atque Moralis*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto, che possa stamparsi, osseruandosi gl'ordeni, &c.
Data li 20. Luglio 1681.

{ Girolamo Basadonna Reform.
{ Nicolò Venier Proc. Reform.
{ Giouanni Morosini Cau. Proc. Reform.

Gio: Battista Nicolosi Segret.

Digitized by Google

CAROLI RENALDINII
In Vniuersam Philosophiam
PRÆFATIO.

VEtus opinio est, iam vsque ab antiquis mundi nascentis ducta temporibus, eaque & populi sagacioris & omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines inexplebilem cuncta sciendi cupiditatem, quòd eorum animos ad veritatis præclaram æquè, ac arduam indagationem solers Natura vehementer adegerit, & ad rerum omnium perspicientiam, quàm acriter inflammarit.

Omnes homines naturâ scire desiderant.

Cuiuscunque tamen eruditioris atque celebrioris intelligentiæ ratio, numeris quidem omnibus absoluta, qua nimirum humanus animus haud mediocriter nitet, principiorum causarumque notione continetur, atque perficitur. Quamobrem cuicunque mortalium, qui vel eximiæ virtutis generoso quodam ardore, vel vnius veritatis ingenti, maximoque desiderio ad res cognoscendas, ac intropiscendas flagrat, illud planè sustinendum onus, nempè rerum primordia, causasque solerti meditatione persequi, in ijs plurimùm insudare, ac omnes ingenij neruos contendere.

Omnes perfecta scientia causarum, principiorúmque cognitione, comparantur.

Quod profectò nec illi tam studiosè curandum foret, nisi (cœnosi corporis, etsi compagibus quammaximè præpeditus, intimioribus tamen sensibus ad excelsa experrectus, commotus, ac inflammatus) diuinam qua fruitur partem, inquinamentis eiusdem corporis obsitam, ad rerum contemplationem dum erigit, mortalis vitæ felicitatem, causarum ignoratione, veluti caligine quadam discussa, iucundissimè consequeretur. Tunc enim longè cæteris, vtpote diuinum quidpiam, nempè virtutem immortalis animi decus, ac ornamentum assecutus atque adeò felix, antecellit, cum ad celebriora Mineruæ studia, excelsa nobilique mente, perquam alacriter erecta, principia, causasque rerum abundè perspexerit.

Homini laborandum etiàm in principiorum, & causarum indagatione, quoniam, hunc in modum felicitatem assequitur.

Humanam verò sic felicitatem comparari, facilè cuique perspectum fiet, si rerum omnium principem hominem seria meditatione perpendat. Quid enim homine infeliciùs, quid calamitosius, quid miserabilius? Hic imbecilli-

Miserabilis admodum Hominis vita, vnde istarum effundi-

Cur eius felicitas ex indagatione veritatis.

cillitatis exemplum; hic fortunæ ludibrium; hic inconstantiæ species; hic tandem lachrymabilis calamitatum myrias; beatissima tamen felicissimaque tum denique fruitur vita, cum supra mortalium deplorabilem conditionem euectus, in solius veritatis indagatione versatur. Animus enim libertatem quodammodo nactus, velut è carceribus eductus, excelsum felicitatis gradum attingit.

Ardua virtutis via.

Ardua profectò est, nec parùm salebrosa via calcanda mortalibus, quæ ad inclytæ Virtutis templum perducit; atqui felicitatem omninò comitatur voluptas, dummodò probitatem, ac honestatem habeat adiunctam: Non equidem inficior; nulla siquidem absque voluptate felicitas; cum ille felicissimus, qui perpetua lætitia gestit, nec vllo vnquam dolore cruciatur, vel infensa tristitia laborat. Sed quæ maior, quæ dulcior, quæ blandior animi lætitia, quàm secretioris veritatis cultus, ac indagatio? Hac ipse quammaximè recreatur, fouetur, atque nutritur. Vtque illi nihil veritate iucundius, ac dulcius: ita quidem eiusdem contemptu nihil acerbius, ac amarius. Idcirco Sacerdotes apud Ægyptios mira sagacitate, veritatis hieroglyphicum per mel & ficum, res planè dulcissimas constituendum, atque Mercurij sacra vocibus clamoribusque prosequenda, summam veritatis dulcedinem significantibus, existimabant. Et quemadmodum est summopere detestabile in sempiterna quadam ignorationis nocte sordescere; sic in præclarissima bonarum artium, ac disciplinarum luce versari, & in omnium oculis habitare communi prudentum consensione mirum in modum laudabile. Quòd si credatur perquam iucundum quicquid naturæ est hominis apprimè consentaneum, nihil profectò magis, quàm candidæ veritatis inquisitio, ac rerum omnium non intermissa, ne dicam pertinax contemplatio, cùm ad hanc præcipuè natus videatur. Quamobrem Anaxagoram eximię sapientiæ luminibus illustrem, omnique virtutum genere præclarum, dicere solitum accepimus, se natum; εἰς θεωρίαν ἡλίου καὶ σελήνης καὶ οὐρανοῦ. Hoc est *ad contemplationem Solis, & Lunæ, & cæli*. Hominem enim ad meditandum in hanc vitam ingressum arbitrabatur, quasi, vt ad volatum aues, ad cursum equi, ad sæuitias feræ gignuntur, ita nos ad mentis agitationem, atque solertiam.

Veritatis indagatio maxima humani animi voluptas.

Homo ex Anaxagora natus ad meditandũ.

Homo diuinæ naturæ particeps.

Humanus animus naturam adeò diuinam redolet, ut Lyricus aliquando cecinerit.

corpus onustum.
Hesternis vitijs, animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam aurę.

Horatius Satyra 2. lib. 2.

Veritas expressa diuinitatis imago, vnde homini redolenti diuinam naturam maximè consentanea.

At si veritas cælestis est indolis, ac expressa diuinitatis imago, vt à maioribus quondam, veluti supremum numen coleretur; Hercle sine dubio sic erit hominis propria, vt non mirum, si de illa tentantium differere, non penitus, vel omni ex parte quisque decipiatur, τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; *quis aberret à ianua?* & ita propria, vt illi nihil veritatis indagatione, cultuque possit esse gratius, nihilque iucundius.

Homo hunc in modum cognoscit se esse diuinũ.

Quinimo in hac præclarissimarum rerum vniuersa compage, non tam ad mirandum, quàm ad venerandum solertis naturæ concentum, eximiam formam, ac pulchritudinem, velut infinitæ sapientiæ præstantissimum opus excelsi

celsi Numinis ineffabili beneficentia constitutus, agitatione mentis facilè se natum ad æternitatem, seque diuinum esse cognoscit; sibi propterea minimè caduca, sed immortalia prosequenda, comprehendit. Dum enim rerum omnium primordia scrutatur, sui cognitionem assecutus, nullo ferè labore, se veluti finitorem æternitatis, ac temporis, intelligibilis corporeæque naturæ vinculum, atque confinium, suique mediam esse naturam superioris imaginem, inferioris exemplar, imò totius mundi summam intelligit; atque adeo non rebus fluxis, atque caducis eam esse concretam, sed æternis, diuinisque constantem aduertit; ob id sibi non mortalitati obnoxia, sed, quæ coniuncta sunt æternitati, sectanda perspectum habet; vt nempè vita naturæ reddita, cælorum incola factus, beatitudinem nullis coercendam, seu designandam edacis temporis finibus, assequatur.

Natis puritatis principem.

Trismegistus in Asclepio.

Homo ratione animi, medius inter æterna & caduca.

Ex his quisque conijciat, quàm excelsæ sit indolis ea, quam nunc aggredimur contemplatio, Philosophiæ nomine nuncupata; siue studium virtutis, mentisque corrigendæ; siue operatio rationis rectæ, ac vitæ lex; siue rerum diuinarum, humanarumque scientia; siue habitus intellectus, sapientia, prudentiaque constans, omnia complectens, ac humanas gubernans operationes, tibi tandem appellanda videatur. Ea nihil profecto sublimius, cùm in aperienda veritate sit occupata; nihil præclarius, cùm honestissimum humanæ naturæ bonum persequatur; nihil optabilius, cùm in hac vita felicem hominem reddat, imò & ad æternam quoque beatitudinem ducat.

Ex his quisque comprehendit quid sit Philosophia, & quanta eius sit dignitas.

Hæc porro cum in exploranda, perscrutandaque tantummodo veritate, suam exercet industriam, Contemplatrix; quemadmodum, quæ mortalium vitam gubernat, rectam viuendi normam, agendarum scilicet rerum optimam ob oculos constituendo rationem, præscribit, Operatiua dici consueuit; illius præsidio verum attingimus: huius opitulatione, quod bonum est, assequimur.

Philosophia duplex contemplatiua, & practica. Contemplatricis finis veritas Practica autem opus.

Quatenus tamen in solius veritatis disquisitionem incumbit, tripartitam diuisionem subit in Physicam, Metaphysicam, atque Mathesin; vt autem in humanarum actionum temperatione versatur in Ethicam, Oeconomicam, atque Politicam, quibus tanquam commune quoddam instrumentum, notæ melioris artifices, validissima ratione compulsi, Dialecticam adiungendam, existimarunt.

Contemplatiuæ Philosophiæ diuisio, itemque practicæ.

Quamuis autem Philosophiæ commemorata partitio sit commendatione plausuque dignissima, altera tamen non negligenda, qua videlicet Philosophia vniuersa in Rationalem, Naturalem, atque Moralem, distribuitur; Si tamen Naturalem amplo naturæ significatu, vnde nomen habet, intelligas, quæ non modò Physiologiam, sed Metaphysicam, atque Mathesin comprehendit.

Alia Philosophiæ partitio.

Hanc verò diuisionem Platoni summoperè placuisse, & ab eodem fuisse commendatam accepimus, nec immeritò; Philosophia siquidem, vel ad humanam dirigitur felicitatem, vel in ea magna quidem ex parte humanæ vitæ felicitas, siue beatitudo posita est; quandoquidem hæc partim in actione virtuti consentanea, partim in veritatis meditatione consistit. Quamobrem erat operæ pretium aliquam esse disciplinam, quæ, & honesti rationem

A Platone commendata.

Supradictæ partitionis ratio.

Digitized by Google

contineret, & ad virtutem, morumque probitatem humanum animum erudiret, cuiusmodi Moralis est Philosophia, in primis expetenda, cùm sapientiæ non postrema sit pars sibi, rebusque suis posse consulere; eò siquidem tendit omne mentis lumen, vt nos per vitæ nostræ semitas ducat inoffensè, alioquin *Frustra sapit, qui sibi non sapit*. Aliam quoque dari necesse erat, quæ secretiora naturæ mysteria perscrutaretur, solamque veritatem spectaret, quæ Naturalis, sensu tamen iam explicato, dici consueuit, itaut hæc iterum tripartitò in Physiologiam, Metaphysicam, atque Mathesin distribuenda sit.

Naturalis Philosophia distributio in Physiologiam Metaphysicam atque Mathesin.

Quoniam verò disciplinarum prædictarum adeptio ac vsus, humanæ mentis ratiocinationem exposcit, mens autem ratiocinando, differendoque non rarò decepta in varios, atque diuersos errores labitur, quasi ad splendidissimum veritatis iubar cœcutiat; quadam ob id erat opus arte, cuius præsidio falsitatem declinaret, & exoptatam veritatem assequeretur, vt aliàs quodammodo suapte natura diuinitatis particeps, tribus his gradibus, supremi Numinis aspirante aura, summa petens, ad illam propiùs accedere potuisset. Hæc de nomine, dignitate, ac partitione: nunc de eiusdem ortu, ac incremento.

Philosophiæ ortus.

Philosophiam, hoc est sapientiam, à Mundi primis incunabulis ortam, neminem iturum inficias crediderim; propterea quòd supremi Numinis, ac rerum omnium primi Conditoris maiestatem decebat, vt in ipso mundi nascentis exordio, primis humani generis Parentibus inter cætera præclarissimum hoc ornamentum impertiretur, ne ex infinitæ potentiæ gremio, quod omnium numerorum complexionem habere debet, præclarè quidem inchoatum, non planè tamen perfectum exiret.

Primorum Parentum animi scientiarum ornatus diuina munificentia sunt ditescunt.

Primorum igitur Parentum animos, excelsi Numinis manu varijs ornatibus, & intelligibilium rerum imaginibus, & scientiarum omnium luminibus excultos, ac illustratos ad omnem pulchritudinis elegantiam, varietatemque fuisse; indè verò easdem animi dotes ad eorum posteros promanasse, longaque deinceps annorum serie ad illos, quos Græcia, vel præ nimia sui cultus ambitione, vel quòd reipsa difficulter, asperè, duriterque loquerentur, barbaros appellabat; atque adeo ad Thraces Phœnices, Aegyptios, Persas, Scythas, Syros, tandem ad Græcos, cuique fatendum peruenisse. Proinde apud Gallos Druidæ, apud Babylonios Chaldæi, apud Aegyptios Sacerdotes, apud Persas Magi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Hebræos Prophetæ, sapientes credebantur. Quinimò inter barbaros præclarè adeò floruit Philosophia, vt olim cùm hanc infantem, & balbutientem in Græcia veneraretur antiquitas, apud illos, & nominatim apud Hebræos, non modò adulta, verum etiam decrepita mortalium animos erudiret.

Philosophiæ ortus quatenùs humana comparatur industria.

Philosophia tamen, quatenus humana comparatur industria, summisque laboribus, curis, atque vigilijs acquiritur, vndenam suam originem traxerit, Plato nos quamelegantissimè docuit. Μάλα γὰρ Φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ Φιλοσοφίας ἢ αὕτη, καὶ ἔοικεν ὁ τὰς Ἶριν Θαύμαντος ἐκγόνους φήσας, οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. *Plato in Theæteto.* *Id enim maximè Philosophi proprium, admirari; neque enim aliud præter hoc est Philosophiæ principium, & qui Irim Thaumantis, ideſt admirationis filiam esse*

esse tradidit, non absurdè originem eius explicuit. Tanti refert hominem in admirationem traduci. O præclaram admirationem! cui tam excelsum, tamque diuinum bonum acceptum referrj debet. Et certè si verum quærimus, ex accurata vniuersi Orbis meditatione summam admirationem mortalium in animos irrepere fatendum omninò, cùm singula fœcundissimæ naturæ finibus concluſa sint spectatu dignissima. Principio enim terra sedem totius mundi mediam sortita, *Vniuersi descriptio.*

Ponderibus librata suis immobilis hærens,

globosæque molis formam, seu figurationem suis in sese nutibus affectans hominum animis admirationem ingerit; præsertim verò cum florum, frugum, herbarum, ac arborum infinita propemodum multitudine, quæ insatiabili varietate distinguitur, exornata conspicitur. In hac cernis gelidas fontium perennitates, amnium pellucidos liquores constantissimè decurrentes in mare, eorundemque ripas viridissimo habitu conuestitas, cauas speluncarum altitudines, saxorum asperitates, immensos campos, fœcundissimas auri, & argenti, cæterorumque metallorum venas. In hac cernis lapidum, atque relucentium gemmarum admirabilem copiam. In hac cernis bestiarum, tum eicurum, tum syluestrium, & ferarum innumerabilia genera, ijsdemque omnibus præsidem hominem, quo nihil in natura præstantius, vtpotè mundi totius imagine, cùm in eo cuncta rerum genera mortalium & immortalium, cælestium atque terrestrium diuinitùs illigentur, adeò ut vitam arborum, sensus animalium, rationem beatarum mentium, & omnia, quibus vniuersa natura constat, complexu deuinciat suo. In hac cernis maris immensitatem, insularum multitudinem, ac varietatem, amœnitates orarum, ac littorum, marique finitimum aërem, die noctequc distinctum (in quo effusus halitus, & extenuatus sublimè fertur, concretus autem & in nubes coactus imbres præcipites parit, quibus fœcunda redditur terra; quique excurrens, atque huc illuc sese effundens, ventos luctantes progignit; vnde frigoris, caloriſq; varietas emergit) aerem inquam, qui animantium spiritus recreat, auiumque volatus opitulatione sustentat. Quòd si forsan oculos terrestrium rerum spectaculo satis abundè saturatos in sublimia tollas, longè maiora conspicies, extremam scilicet oram, mundique finitionem, regionemque sublimem, & à nobis quamremotissimam, omnia complexu cingentem, & coercentem suo, vbi formæ illæ igneæ, syderaque micantia cursus ordinatos definiunt, siue sint quæ semper infixa, & cohærentia, perpetua semelque capta sede collucent; siue quæ toto expansa cælo, vagos cursus certis dimetiuntur erroribus; vbi etiam, & Sol, qui medius inter hæc ipsa sydera cietur in orbem, & ampliſſima magnitudine, & præclariſſimo lumine, quo cuncta lustrat, & complet, & summa, inexplicabilique potestate, qua nec temporum modo, sed etiam terrarum, syderum, cælique Rector, omnia moderatur, atque gubernat. Luna ijsdem vagatur spatijs Solis radijs accensa, cuius annuos consequitur cursus, tum cum eodem congrediens, tum digrediens, & lucem ab ipso mutuatam transmittit in terras, & prout vario eundem respicit modo, varias etiam mutationes subit. Multa prætereo, ne nimius videar. Hæc autem homines non mirantur, nisi quoniam quotidiana assiduitate, & consuetu- *Lib. 2. de Nat. Deor.*

suetudine oculorum absciscant animi, dicebat Tullius, nec admirantur, nec requirunt rationes earum rerum, quas perpetuò vident, quasi nouitate, non autem magnitudine rerum, ad exquirendas causas, excitentur. Causarum enim ignoratio, ut idem dicebat, in re noua mirationem facit: eadem ignoratio in rebus vsitatis est, non miramur.

Ante 540. & septuagesimum annos ante Christum Quando Philosophia in Italiam à Pythagora traducta fuerit.

Deinde cum inter sexagesimam, & septuagesimam Olympiadem Pythagora duce Philosophia in Italiam migrasset, ab huius inclytæ regionis incolis hospitio quambenignissimè excepta, in adeò magna veneratione habita fuit, vt nihil à supremo rerum omnium Moderatore vberius, nihil florentius, præstabilius nihil hominum vitæ datum esse crederetur; idcirco non amplius errabunda, seu peregrina neglecta hic pedem fixit. Vtq; penè innumerabilium assectarum plausu, acclamationeq; sedem augustam primò feliciter sortita, exeulit caput, orbem vniuersum erudiens, tam finitimis, quàm exteris gentibus, & naturæ penitiora mysteria detexit, & rectam viuendi normam præscripsit.

Varia Philosophorum secta.

Dum autem veteres ingenuarum artium eximiæq; sapientiæ studijs acriter operam nauarent, veritatem exploraturi non vna omnes viam eandem instituerunt, quin potius multiplici partium contentione distracti, in varia, diuersaque placita penitùs abeuntes, diuersas Sectas, variasque familias à rebus varijs appellatione desumpta, peperierunt; vt à gymnasio dicti sunt Academici, & Stoici, à peculiari quadam actione, velut ab ambulatione Peripatetici, à magistro, vt Pythagorici à Pythagora, vel ab italica regione, Italici; à patria, vt Cyrenaici à Cyrene patria Aristippi; à vitæ genere Cynici, sic appellati, quòd essent in canillis instar canum mordaces aduersus vitia, & quòd sordidam vitam traducerent; à Philosophiæ fine Hedonici, hoc est Voluptarij, vt Epicuræi; à Philosophandi, iudicandique modo Ephectici, Sceptici, quibus se adiunxerunt Pyrrhonij hoc est Inhibitores, Quæsitores, ac Ambigentes. Hi namque de rebus omnibus inhibebant iudicium, nihilque constituere audebant, sed in quærendo, considerandoq; perpetuò versabantur, deque omnibus hæsitabant, ambigebant.

Duæ Philosophorum præcipuæ sectæ. Pythagorica, & Ionica.

Duas præcipuas veterum Philosophantium Sectas extitisse, à quibus deinde cæteræ sint propagatæ, communi sapientum calculo receptum est, Italicam vnam, cuius Princeps Pythagoras Ionicam, alteram, cuius auctor Thales Milesius. Pythagoras namque est ille Samius, quo nihil nobilius illa peperit ætas; Virtam excelsæ virtutis, vt nec cætera, & quidem multa commemorem, eius domum Cereris templum: vicum autem, in quo sita erat, Musæum appellare consueuerint; & apud Romanos tantum sapientia, ac omnibus animi dotibus valuit, vt cum in bello Samniti consultus ab illis Pythius Apollo iussisset duobus Græcæ nationis viri sapientissimo, ac sagacissimo, alteri autem strenuo ad res gerendas prompto, atque fortissimo in Vrbe statuas celebri loco dicari, vnam Pythagoræ, alteram Alcibiadi consecrasse veterum monumenta testentur. Hic Postquam Pherecydi Syro inter sapientes sui temporis, nec exigui nominis, nec vulgaris auctoritatis Philosopho, operam dedisset, magna discendi cupiditate mari, terraque, longinquas peregrinationes instituit, donec omnibus ferè tam barbaris, quàm græcis mysterijs initiatus, regnante Superbo, in eam Italiæ partem deuenit, quæ ma-

Plin. natur. histor. lib. 34. cap. 6.

gna-

gna Græcia nuncupatur, vbi apud Crotoniatas delecta sede, maxima auditorum frequentia Philosophiam professus est, cuius assectatores memorantur, Telauges filius, Empedocles, Epicharmus, Archytas Tarentinus, Alcmæon Crotoniates, Hippasus Metapontinus, Philolaus, Eudoxus, & alij. Pythagoreæ autem sapientiæ præiudicata opinio tantum apud eius auditores valuit, vt, cùm quid affirmarent, si quæreretur ex ipsis cur ita esset? nil aliud responderent, quàm, αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*; ipse autem erat Pythagoras. Multa sęcula posteà sic viguit Pythagoreorum nomen, vt nulli alij docti viderentur.

Pythagoreæ Sectæ continuatio.

Istius verò Sectæ continuatio hæc perhibetur. Pythagoræ successit Telauges filius, huic Xenophanes, cui Parmenides, huic Zeno Eleates, Zenoni Leucippus, & Democritus, cui alij plures, inter quos Nausiphanes, & Naucides, quibus tandem Epicurus; propterea quòd Telauges familiam in Græciam transtulit.

Alia Sectarum tripartita diuisio in Poeticam, Ionicam, & Eleaticam.

Alij tripartitam philosophandi rationem apud Græcos floruisse contendunt, videlicet Poeticam, Ionicam, & Eleaticam. Priorem excoluerunt Poetæ Musæus, Linus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, è quibus plurimùm postremus excelluit, quippè qui solus naturæ conscius habitus est. Secundam Thales origine Phœnix, domicilio Milesius. Tertiam denique Xenophanes, indito ei nomine ab Elia, seu Velia, Lucaniæ oppido, ubi natale recognouit suum. Cæteris prætermissis, nonnulla de Ionica secta dicemus.

Thales natus anno 640. obijt anno 570. vel 550. vel 545. ante Christum.

Huius auctor Thales fuit primus è septem Græcæ sapientiæ magistris Philosophiæ naturalis inuentor, natus anno primo tricesimæ quintæ Olympiadis, mortuus annorum septuaginta, vel vt alijs placet ætatis anno nonagesimo, vel nonagesimo quinto. Huic ordine successerunt Anaximander, Anaximenes, vterq; Milesius, Anaxagoras Clazomenius, qui natus Olympiade septuagesima, obijt octogesima octaua, quem aliqui putant ex Ionia scholam traduxisse Athenas, quod rectiùs alij adscribunt Archelao, qui & eius auditor, & Socratis præceptor fuit. Hunc appellatum Physicum dicunt, cùm in eum naturalis desierit Philosophia; siquidem ipsi Socrates successit, qui primus Ethicen inuenit. Socrates Auditorum frequentia, plausuque claruit, quem etiam, vt fertur, Pythiæ oracula sapientissimum acclamarunt: hic natus anno quarto Olympiadis septuagesimæ septimæ, obijt septuagenarius. Idem animaduertens, vel potius existimans naturalis contemplationis fructum nullum esse, moralem Philosophiam adinuenit, ad quam transiens dixisse fertur. τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, *Quæ supra nos, nihil ad nos*. Ex Socratis varijs in omnem partem diffusis disputationibus, plures fluxere discipuli, cùmque alius aliud apprehenderet, proseminatæ sunt, quasi familiæ dissentientes inter se, quamuis omnes se philosophos Socraticos, & dici vellent, & esse arbitrarentur. Eius auditores commemorantur Aristippus auctor sectæ Cyrenaicæ: Antisthenes Cynicæ, Plato Academicæ, Xenophon militia, & politica clarus. Inde Sectarum celebris illa tripartita diuisio in Academicam, cuius Princeps Plato, Stoicam, cuius Antesignanus Zeno Citticus, Peripateticam, cuius auctor Aristoteles.

Qui ordine successerint Thaleti.

Anaxag. natus anno 500 obijt 428. ante Christum.

Socrates natus anno 469. vel 471. obijt 399. vel 401. ante Christum.

Plato Academicæ Sectæ

Plato academicæ Sectæ clarissimus institutor, ingenij solertia, præstantia, subli-

sublimitateque tantum inter veteres ætatis suæ præstantissimos viros eminuit, tantum auctoritate valuit, ut omnium communi ore diuinus appellaretur. In lucem hic editus Olympiade octogesima octaua, obijt octogenarius; totoq; ut ita dixerim, vitę curriculo enituit. Idem, & ob orationis copiam, & dicendi suauitatem apud omnes gentes tantam promeruit gratiam, vt communi plausu receptum foret, Iouem Platonico sermone locuturum, si græco idiomate vti voluisset, quod ab apibus in eiusdem infantis ore considentibus aliquando prænunciatum fuisse, memoriæ, literisque proditum est. Tametsi autem eius ætate viri omni laude insignes, omnique virtutum genere præclari lucis vsura fruerentur, vt in historia Xenophon, in dicendi Arte Isocrates, in Astrologia Eudoxus, in Pythagorica disciplina Archytas Tarentinus, in Cynica Diogenes; tamen ut Sol nimio splendore cælestium aliorum corporum claritatem obtenebrat: sic & ille cæterorum lumen ingenti fulgore virtutis obscurabat. Erat locus quidam nemorosus ab Athenis mille passibus distans Academia, ab Academo heroe nuncupatus, ubi Plato introiuit in vitam, & Philosophiam magna discipulorum frequentia professus est; unde & sectatores ipsius Academici sunt appellati. Reliquit successorem Speusippum, ex sorore nepotem, qui Scholæ præfuit annos octo. Inde Xenocrates annos vigintiquinque tenuit Academiam; mox Polemon, Crates, & Crantor morum egregius institutor, quibus successit Arcesilas circa centesimam vigesimam Olympiadem mediæ Academiæ inuentor, huic Lacydes, qui nouæ Academiæ auctor fuisse traditur; inde Carneades circa centesimam sexagesimam secundam floruit. Eiusdem familiæ commemorant Xenocratem, Palemonem, Crantorem, Cratetem, quibus placuit, ut fertur, omnem dissimulare scientiam, nullique rei pugnaciter inter disputandum adhærere. Secundæ Academiæ auctorem, ignorantiæ magistrum appellarunt, quòd palam nihil à nobis sciri posse profiteretur. Alia tamen Academiæ distributio consueuit celebrari, itaut una dicatur Attica, altera verò Peregrina, quam in quinque distribuerunt, è quibus primas Platoni, Arcesilæ, Carneadi, & Antiocho; alias Ægyptiam, Romanam, Lyciam, Ammonio, Plotino, ac Proclo, tribuerunt.

Anno 421. ante Christum; vixit annos 80; vel ut alijs placet 81.

Circa annum 300. ante Christum.

Circa annũ 132. ante Christum.

Iacobus Mazonius sect. 3.

Zeno à Cittio Cypri Oppido Citticus appellatus, Sectæ Stoicæ auctor fuit ab Στοὰ, *Stoa*, quod significat porticum, quò conuenire ad differendum solebant; erat enim Athenis porticus dicta Ποικίλη *Pœcile* ex picturæ varietate, in qua Zeno primùm abdita naturæ mysteria detexit. Hunc ferunt obijsse Olympiade centesima vigesima nona, à quo Stoica secta, Stoicique Philosophi nomenclaturam sortiti sunt, cùm alioquin priùs Zenonij à Zenone ipso dicerentur. Porticum hanc à Polygnoto pingendi arte clarissimo gratis fuisse depictam accepimus. Hic octo, & quinquaginta annos publicum docendi munus exercuit, tanta quidem apud Athenienses auctoritate, vt ab ijs, & auream coronam, & æneam statuam obtinuerit. Harum Sectarum alumni perpetuò dissidebant. Academici sic erant in disputando versatiles, ut in sola inconstantia, se quam maximè constantes exhiberent; Stoici contra quicquid paradoxum videri posset, mordicùs propugnare consueuerunt.

Zeno auctor sectæ Stoicæ, quando in lucem exierit.

Anno 264. ante Christum.

Zenonis successores;

Zenoni successerunt plerique, omnium virtutum genere præclari, proximè

Digitized by Google

mè quidem Cleanthes, deinceps alijs quibus Diogenes Babylonius, quem ferunt ab Athenienſibus Romam cum Carneade miſſum fuiſſe; eiuſdem Sectæ fuerunt Chryſippus Apolonij filius Solenſis, ſeu Tarſenſis, Zenonis, & Cleanthis auditor, differendi arte celebris, & infinita multitudine librorum illuſtris, in Philoſophia non mediocris, ingenioſus & acutiſſimus in omni orationis genere, adeòut in pleriſque diſſentiret à Zenone, & à Cleanthe ipſo, cui ſæpe numero eum dicere ſolitum memoriæ proditum eſt, ſolùm ſe dogmatum doctrina indigere, alioquin probationes ſe reperturum. Hic Stoicorum porticum humeris ſuſtinere dicebatur. Ex eadem Secta fuit Panætius pluribus commendatus à Tullio, quanuis Stoicorum acerbitatem, & aſſerendi ſpinas non probaret. Poſtmodum Seneca, & Epictetus viri toto quidem orbe terrarum celebres, atque præclari.

Ariſtoteles Peripateticæ Sectæ inſtitutor. Anno 384. ante Chriſtum.

Ariſtoteles Peripateticæ Sectæ Princeps, atque adeo Peripateticorum dux Nichomachi Pheſtiadiſque filius ex Stagira Macedoniæ Oppido, unde Stagirites eſt nuncupatus, in lucem exijt anno primo Olympiadis nonageſimæ nonæ, atque adeo trecenteſimo octogeſimo quarto circiter ante reparatam ſalutem; Socratem ſpatio trium annorum præceptorem audiuit; annum ætatis decimum ſeptimum agens in Platonis diſciplinam ſe dedit, eiuſque gymnaſium viginti circiter annos frequentauit; ſic ingenij viribus excelluit, ut de condiſcipulis omnibus triumphum ageret. A Platone tamen adhuc vitam agente receſſit, unde ipſe dixiſſe fertur, Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισεν, καθαπερεὶ τὰ πωλάρια γονέντα, τὴν μητέρα. *Ariſtoteles in nos recalcitrauit, non ſecus ac in matrem pulli.* cumque ad Regem Philippum ab Athenienſibus legatus miſſus fuiſſet, tandem reuerſus Academicæ ſcholæ Xenocratem eſſe præfectum aduertens, iuxta Athenas locum, puta Lyceum elegit, in quo magna auditorum frequentia Philoſophiam deambulando una cum diſcipulis profiteretur; quamuis alij vocatum ſic illum affirment, quòd ex ægritudine conualeſcenti, ac deambulanti Alexandro, cui in præceptorem à Rege Philippo illius patre traditus erat, adſiſtens, differere quædam ſoleret; at ubi iam diſcipulorum numerus creuiſſet, ſedens cœpit profiteri dicens: Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ξενοκράτη δ' ἰᾶν λέγειν, hoc eſt *Silere turpe: & Xenocratem ſinere loqui.*

Lartius in vita Ariſtotelis.

Celebris hic uniuerſo terrarum orbe vir, quàm alacri, quàm præſtanti quàm feraci fuerit ingenio, ſic eius monumenta demonſtrant, ut nobis omnem laudandi locum eripiant, quod cuique non minus exploratum, atque perſpectum reddi poteſt ex ornatiſſimis ac eximijs, quibus plerique non obſcuri nominis eum ſunt laudibus proſecuti. Quidam enim ſingulari virum ingenio penèque diuino iudicarunt. Tullius de eo ita ſentit, ut apud ipſum Ariſtoteles acie mentis omnium rerum vim, naturaſque viderit; & de eodem pariter loquens, *quis* inquit *omnium doctior, quis acutior, quibus in rebus, vel inueniendis, vel iudicandis aptior Ariſtotele*, Et D. Hieronymus eundem honorificè proſecutus. *Et tu* inquit, *fatuorum, ideſt Ethnicorum ſapientum princeps, etſi fueris abſque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota natura, cui pene videtur infuſum, quicquid eſt capax humanum genus.* Laudationum tamen fuit omnium florentiſſima, qua Philippus Macedonum Rex illum extulit, dicens non magis ſe lætari ortu Alexandri filij, quàm Ariſtotelem amabile tunc lumen

Laudes Ariſtoteli debitæ.

Tullius lib. 2. de Orat. De reg. mon. cap. 11.

auræ vitalis haurire, cui puerum tradere posset instituendum. Ex Gellio hæc sunt Philippi verba Φίλιππος Ἀριστοτέλει χαίρειν. ἴσθι μοι γεγονότα υἱόν, πολλῶν ἕνεκα τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ ὅτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὸν σὸν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι. ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς. Epistola ex Gellio ad hanc fermè sententiam exponenda. *Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito, quòd equidem dijs habeo gratiam: non proinde quia natus est, quàm pro eo quòd eum nasci contingit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore vt educatus, eruditusque abs te dignus existat, & nobis, & rerum istarum successione.* Fertur septem annos apud Alexandrum fuisse, & in Peripato tresdecim annos docuisse Philosophiam. Huic successerunt Theophrastus, Strato Lampsacenus cognomento Physicus, & Demetrius Phalereus, qui, ob præclara in Rempublicam Athenienſem merita, trecentis sexaginta æreis statuis honoratus est. Alij deinceps plurimi eiusdem doctrinæ Peripateticæ sequaces, floruerunt usque ad Alexandrum Aphrodiseum, qui explanando libros penè omnes Aristotelis id laudis est consecutus, ut nemo suo tempore, ac etiam multo post haberetur Philosophus, & Aristotelicus, qui non esset Alexandreus. De huius autem Sectę continuatione, quæ multa discrimina subijt, longaque annorum serie ad hæc usque tempora variè admodum interpolata fuit, pleraque mihi dicenda suppeterent, à quibus, breuitati studens, libenter abstineo.

Secta peripatetica cõtinuatio.

Varię philosophandi rationes.

Vt autem hactenus variæ Philosophorum extitere Sectæ, ita in præsentia, variæ diuersæque sunt philosophandi rationes, quarum alia alijs magis arridet.

Prima.

Prima eorum, qui alicuius auctoritate contenti, curam omnem, omneque studium in verbis perpendendis interpretandisque constituentes, nihil frequentiùs vsurpant, quàm Pythagoricum illud *Ipse dixit*, solisque textibus, vt vocant, arguentes, ratione sensuque potissimis ad explorandam veritatem naturalibus instrumentis omissis, vnicam hominis auctoritatem, vt aptissimum instrumentum, recipiunt. Quos tamen cum Tullio dicam, primùm adstrictos teneri quàm quid sit optimum iudicare possint, eosdemque infirmissimo ætatis tempore, aut obsecutos cuidam amico, aut vna alicuius, quem primum audierunt, oratione captos, de rebus incognitis iudicium ferre; & ad quamcumq; disciplinam, quasi tempestate delatos, ad eam, tanquam ad saxum adhærescere, quos tamen idem Tullius acutè admodum redarguit; *Nam* inquit, *quod dicunt omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem, probarem si id ipsum rudes, & indocti iudicare potuissent. Statuere enim, qui sit sapiens, vel maximè videtur esse sapientis*; Et reuera qui requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosiùs id faciunt, quam necesse sit, cùm non tam auctoritas in disputando, quàm rationis momenta quærenda sint: quin auctoritas docentium non parùm addiscentibus obest, eo nomine, quòd neglecto proprio iudicio, ratum id habent, quod ab eo, quem probant, iudicatum videant. Cur igitur res ita sit, instituta quæstione Pythagoreorum mos improbandus, apud quos tantum poterat præiudicata opinio, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Hi sunt, de quibus Tullius. *Sed nescio*, inquit, *quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamauerunt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia, quod*

Tullius in Lucullo.

Tullius in Lucullo.

Tullius in Lucullo.

Digitized by Google

quod constantissimè dicatur, exquirere.

Perperam igitur in detegendis feracis naturæ mysterijs contemplatricem hanc disciplinam aggressi, tantummodo monumenta veterum adeundo, se veritatem assecuturos existimant; in his ob id euoluendis tantum temporis insumunt, ut sacræ Mineruæ studijs graue vulnus infligant, cùm tamen nihil literariæ Reipublicæ sit perniciosius; vnde Cleanthes dicere consuenit, inter veteres etsi multi non extiterint Philosophi, longè plures tamen, quàm hac tempestate claros euasisse, quoniam res tunc exercebatur, nunc de verbis tantùm omnis est disceptatio, atque contentio; qui propterea frequenter has nugas aspernans dicebat, vetustissimos philosophantium minimè ad contendendum, differendumque ferri solitos fuisse, sed recentes apud Græcos ambitione vana, & inutili compulsos, reprehendere, pugnare, & ad meras ineptias nugasque prolabi.

Vitium hoc vexat illos in primis, quorum sapientia potius accerrimum disputatorem, quàm doctum efficit Philosophum; neque tam solidam doctrinam, quàm inanem gloriam sectatur. O quantum temporis cauillationes ipsis eripiunt, captiosæque disputationes, quibus acumen irritum redditur. O quantum detrimenti afferunt, eoque maius, quò in minutioribus occupantur; Quamuis enim hæc aliquam vtilitatem afferant, quatenus memoriam firmant, ingenium acuunt, spiritusq; torpidos excitant; non in his tamen sunt omnia; ea namque non in postremis habenda, quibus erudimur, atque sapientes euadimus, ne de nobis dicatur,

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos. Lucanus;

Quod si ab his penitùs abstinendum, multò profectò magis ab altercationibus illis, *De eo, quod esse potest*. Furor enim, dicebat ille, de mundo egredi, & tanquam interna eius cuncta planè nota iam sint, ita scrutari extera, quasi mensuram eorum agere possit, qui sui nesciat, aut hominis mens videat, quæ mundus ipse non videt. Plinius;

O curas hominum! ò quantum est in rebus inane! Persius in Prologo;

Vt cum Satyrico exclamem. Hi cùm exilem admodum de hoc, quem incolimus, Mundo notitiam assequantur, adeout innumera ipsis cognoscenda supersint, eorum desiderio flagrant, quæ huius Vniuersi finibus concludi non possunt. Sic Alexander edoctus ab Anaxagora infinitos extra hunc esse mundos, eorum desiderio impatiens æstuabat, quamuis ex hoc, in quo domicilium habebat, plurimum subigendum supereset. Inde tamen eorum nugæ, vt opinor, quoniam non multum in naturæ adyta penetrare valent, proinde eum veritatem adipisci non possint, vel potius desperent, ad verba, & inanes disputationes, ut vulgi admirationem, & plausus aucupentur, animum conuertunt: ut non immeritò dictum fuerit, Philosophorum doctrinam esse *verba otiosorum hominum ad imperitos Iuuenes*.

Induxi non semel animum, induxi, inquam, ad credendum fore, ut nunquam horum consilium, ac institutum alicui, & si versato leuiter in erudito puluere, probaretur. Veteres enim illos eximiæ sapientiæ Antistites, utpotè fidelissimos naturæ penitioris interpretes, diuinis ornare laudibus decens, ac æquum est; eorundemque memoriam immortalem extinctæ virtu- Æquum est veteres sapientiæ Antistites honestissimis ornare laudibus;

tis iusta quadam significatione cultus, prosequi glorioſum; quòd animi præſtantiſſima bona, vigilijs, curis, laboribuſque congeſta quamliberaliſſimè poſſidenda nobis iure quodam hæreditario reliquerint; ſimulque par eſt, vt ijs præeuntibus, ſalebroſam admodum ſummiſq; difficultatibus prępeditam viam ad auguſtiſſimam ſapientiæ Regiam ineamus. Nam illis non modo gratiæ, quorum placitis animus acquieſcit, ſed etiam illis, qui etſi ſuperficietenus locuti, non parum tamen, ingenij noſtri vim exercentes, ad mentes excitandas, contulerunt. Nulla enim melodia foret, ſi Timotheus non fuiſſet, & ſi non Phrynis, ne Timotheus quidem. Non propterea tamen auctoritas hominum tanti facienda, vt ſpreta ratione ſenſuque, nos auctoritate debeamus eſſe contenti. Non enim naturæ contemplatio vnius, vel alterius viri lucubrationibus monumentiſve tota continetur: vt præteream aſſenſum ab auctoritate petitum, non ſcientiam, ſed fidem eſſe; & eum qui ſic aſſentitur, non proprijs, ſed potius alienis oculis videre. Et certè, cùm mens præſtantior ſit hominis pars, quæ natura fertur in verum, quid moleſtius, quid intolerabilius quàm illam à contemplatione violenter auertere, ſenſuum omnem vſum abdicare, excelſæque rationi ſeruitutis iugum imponere? O quanto melius Pictorem illum æmulari, qui interogatus quem præteritorum ſequeretur? naturam dixit, non artificem imitandum. Multa cognouit antiquitas, non tamen omnem veritatis campum occupauit; Natura ſiquidem ſacratiora ſua, non ſimul, neque promiſcuè omnibus oſtendit; ſed ex ijs aliud hæc, aliud, quæ poſt ſubibit ætas, accipiet. Neque eſt, cur hanc, qua fruimur, ætatem, tam inclementer improbes, quòd ex tanta rerum ubertate nihil valeat attingere; vel tanti ſtuporis eandem crimineris, quòd nihil noui cudere penitus queat. Nam quicunque mentis pollet acumine, non torpet inertiâ, ſed ad res cognoſcendas tempus impendit, laborem ſuſtinet, ſudat, & alget, vt eandem cum veteribus orbitam terat, & in eiuſdem induſtriæ curriculo verſans, eorum tamen præceptionibus adiutus, noua condat, ac inuentis artibus, magna atque præclara, quæ poteſt, pro viribus incrementa tandem adiungat: hunc enim in modum alia ex alijs trahi ſolent, & ex anguſtis fontibus perampla flumina deriuari. Tanta quidem eſt bonarum artium, atque diſciplinarum ſeries, vt apta ex ſeſe omnia, validoque vinculo connexa, tanquam catenæ anuli, videantur. Nemo enim cui perſpectum non ſit quot, & quanta temporis decurſu in omni rerum genere innotuerint; adeout, dum quiſque aliquid de natura dicit, & ſinguli quidem parum ei addunt, ex omnibus tamen collectis aliqua magnitudo fiat; à ſingulis enim modicum, è modicis autem multum. Quòd ſi Stagiritæ ætate, multa quidem errata veterum induſtria detexit; cur nobis, quæ deinceps enata pandere non licebit? quod dum facimus, etſi non modo veritas, ſed errores itidem enaſcantur, non ob id à nouarum rerum inquiſitione deſiſtendum. Non enim agrorum cultus, quo certè nihil melius, nihil vberius, nihil homine libero dignius, tanquam inutilis damnandus, quòd dum noua promit, inter

nitentia culta,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Quanto igitur conſultiùs egiſſent, qui iurarunt alioquin in verba Magiſtri, ſi

in

Ariſtoteles ſecundo Diuinorum textu 2.

Virgilius Geor. lib. 1.

Digitized by Google

in naturæ perſcrutandis arcanis vnicam veritatem præ oculis habere operæ pretium duxiſſent; veritatis enim theſauro longè maiori cum fœnore, recluſo, beatiorem vitam tranſigere potuiſſent. Hæc igitur indigna Philoſopho, penitus deſerenda via.

Secunda philoſophandi ratio minimè commendabilis eorum eſt, qui ſibi nimium arrogantes, nullo prorſus duce, ſe contemplationum oceano audent committere, quaſi clauſis oculis ratiocinandum putent, non ſecus ac è veterum ſapientum familia, celebris ille, quem, veritatis inquirendæ gratia, fama eſt ſibi oculos eruiſſe. Nimium enim audax ille, qui viribus ingenij tantummodo ſcopulòs hinc illincq; circumiacentes euitare, & è ſcrupuloſis cotibus enauigare ſe poſſe confidit. Veritas enim tametſi perſpicua, tamen difficultatum nubibus obuoluta, errorumque tenebris immerſa, niſi longo meditandi labore detecta, veluti diuturni temporis filia, non affulget. Veritatis campum perluſtrare difficile olim, ac operoſum Platoni, moleſtiſſimum, ac difficillimum omnibus; non certè mortalium culpa, ſed naturæ, quæ in profundo veritatem abſtruſit, ac rebus omnibus caliginem offudit, ut propterea nemo pro dignitate, plenèque de illa locutus ſit. *Omnis enim cognitio*, vt ait Tullius, *multis eſt obruta difficultatibus, eaque eſt, & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas, vt non ſine cauſa antiquiſſimi, & doctiſſimi inuenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint.* Tanta eius eſt amplitudo ac difficultas! Dum enim ipſam, etſi quamdiligentiſſimè, venamur, rarò tamen offendimus; ſed velut inter vepres hinc, illinc implicati, nec mediocriter præpediti, ſæpiſſimè progredi cohibemur; hanc autem adipiſci longè feliciùs eorum opitulatione contingit, qui ex ignorantiæ denſiſſimis tenebris educti, oneroſæ indagationi veritatis aſſueti, dogmatibus ſuis ad penitiores naturæ latebras perducendo, ſacratiora eius myſteria ob oculos mira facilitate conſtituent. Tantoque minus proprijs cogitationibus fidendum, & clauſis oculis philoſofandum, quanto nullum vitium vel intimius, vel amabilius nobis. *Vitia enim noſtra, quia amamus, defendimus.* Non minus intellectum, quàm voluntatem vexat ambitio, eoque vehementiùs, quò cæteris bonis præſtantius à nobis exiſtimatur ingenium; nam,

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Omnes enim, vt lingua Platonis utar, natiuis igniculis, tanquam præclariſſimarum virtutum ſeminarijs, mirificè gloriamur.

Fouet hanc meditandi libidinem communis quidam plauſus, inde proueniens, quantum conijcere mihi licet, quoniam ut plurimùm cuique mortalium longè magis arrident abſtruſiores, longoque gyro ductæ ſententiæ, quàm clariores & faciles; vel eò quòd in illis alterius ingenium admiretur, vel quòd non adeò rem obviam ſibi videatur addiſcere, vel quod in ijs percipiendis, aliquid etiam ipſe propriæ ſubtilitatis, & acuminis impendere ſibi videatur; oblitus ni fallor, ſimplicem eſſe nudæ veritatis ſermonem, opinioneſque ſubtiles nimiùm eſſe ſuſpectas; nec acumine ſuo quicquam confeciſſe Zenonem conantem ſcilicet, acutis argumentis motum de medio tollere; aut Anaxagoram ſubtilioribus rationibus albam eſſe niuem inficiari. Communis hæc acclamatio, communiſque plauſus argumento veritatis no-

bis

Tertiæ cius contemplandi via.

Tullius in Lucullo.

Seneca Epiſtola 116.

Martialis lib. 8. Epigram.

bis esse non posset; cum longè maiori voluptate mortalium animi ex amœnissimis Fabulis, ingenioso tamen ductu contextis, quàm ex verissimis Historijs, etsi summa elegantia conscriptis, perfundantur; quasi nihil interfit inter Philosophum, & Pictorem atque Poetam, quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Horatius in Poetica.

Cùm tamen ille naturæ opera non comminisci, sed intueri debeat; ac eius sit, quicquid natura molitur, animo diligenter euoluere, non autem

Ægri somnia, vanasque fingere species.

Aristoteles 1. de Ortu.

Non tantum esse tribuendum ingenij subtilitati nouit etiam sapientissimus ille, qui propterea veteres sapientiæ proceres, præsertim verò Platonem, non immeritò carpit, quòd solis contemplationibus dediti, experientias nimium aspernarentur, & rationibus quibusdam Dialecticis acquiescerent; imò etiam, & Parmenidem, atque Melissum insectatur, quòd suo acumine ex non manifestis sensui, passim auferant manifesta. Nec assentiendum Pythagoricis, qui de rebus natura constantibus disputantes, imperitè admodum suis eas rationibus, non eis suas dissertationes accommodabant.

Præstat aliquem ad philosophandũ habere ducem.

Præstabit igitur aliquem ad philosophandum habere ducem, quem tamen errare, ac decipi quàmsæpissimè potuisse, non inficiandum. Quod cùm ille disertissimus olim aduerteret, Oraculi ferè loco ducebat, non omnia, quæ magni nominis viri posteritati commendarunt, omni ex parte fuisse perfecta, quin potius non semel ipsos oneri succubuisse. Quamobrem non veluti filo deducti, eorum vestigijs, ne latum quidem vnguem, vt aiunt, discedentes iubemur insistere. *Defendat enim*, dicebat Tullius, *quod quisque sentit, cùm iudicia sint libera, illudque tenendum institutum, nullis vnius disciplinæ legibus adstringi, quibus in Philosophia necessariò obtemperet, sed quid in vnaquaque re sit maximè probabile, requirendum.*

Tullius lib. 4. Tusculanarum quæstionum.

Quòd si hoc rationi dissentaneum est, longè profectò magis se vni addicere, à quo, velut ab Apolline responsa petantur; nam veritatem exploraturus, nihil detestabilius existimat, quàm alterius consilio duci. Vt enim ingenui Philosophi, generosique hominis est, ad excolendam virtutem, quodcumque seruitutis iugum excutere: ita quidem ignaui, abiectique tanquam mancipium ab alterius ore pendere. Cùm enim antiquitas non omnia naturæ arcana detexerit, ob id valdè præclarum, ac opportunum ad immortalitatem nominis & honoris, æternitatem famæ, perennitatem gloriæ, nemini antea comperta, proprio marte parare. Primus enim labor vniuersum, vel sibi vendicat honorem, vel secundo magna quidem ex parte imminutum relinquit; vel quòd laborem omnem exhauriat, vel quòd saltem emolliat, vel quòd alacrius, atque feracius ingenium ostentet. Sic primi rerum inventores, excelsi nominis famam propria virtute, nunquam intermorituram, sibi peperere; quod nobis, eorum imitatione constantem laborem subeuntibus, firmissimè quoque sperandum.

Quid Stagirites Philosophiam ineũ de respiceret.

Huc spectabat egregius, diuinisque laudibus efferendus Peripateticorum Antesignanus, vel Pythij Apollinis testimonio ad meditandum aptissimus, quandoquidem illi, cùm nihil minus arrideret, quàm aliorum inhærere vestigijs, à certo, veroque sensu dijudicans, vtpote ad abstrusiora naturæ admissus,

missus, nouis inventis apud posteros nomen, ac famam æternitati commendauit. Hic igitur cùm naturam ipsam fortasse magis, quàm aliorum lucubrationes consuleret, nobis ad contemplandum expeditam dictauit viam, simulq; parauit ad gloriam. In his porrò si præstat spectabilem, maiestateque plenum habere ducem, cuius vestigijs debeamus insistere, seligendus ille profectò, qui, & ingenij solertia, & eruditionis copia tantum inter cæteros eminet, atq; tantum, immortalitate nominis, dignitate famæ, celebritate virtutis, communi prudentum consensione cæteris antecellit, quantum ad literatorum familiam ducendam opus esse iudicetur; cuius decreta tamen eo sunt usurpanda consilio, vt vnam feramus veritatem in oculis, vna sit nobis veritas in delicijs.

A communi philosophandi via præstat recedere.

Quòd si non inuitis Musis ab vnius, vel alterius consilio abire licet, multò magis ab vniuersa quadam contemplandi ratione, cùm longè difficilius sit in pluribus, quàm in vnico singularique placito rectè sentire. Vtcumque res habeat, nulli dubium, quin ad explorandam veritatem monumenta veterum summo nobis auxilio sint. Qua tamen in re non exiguus labor, cùm ipsi de natura loquentes, quid sibi voluerint haud facile dictu. Pyrrhonica enim Secta dicendo se nihil scire, sed habere, quod vt probabile sequatur, non tenendum tamen, vt verum, nihil sanè posteros erudiuit. Nec plaudendum illis, cùm diffidentis sit animi scire se nihil posse, non minus quàm sensibus omnem abrogare fidem, mentisque notiones primas omnino conuellere: vtque rudis, ac indisertus, qui ab omni spe quidpiam cognoscendi animum abducit: sic temeritatis consilio peccat, qui se comprehensurum omnia solius propriæ mentis agitatione profitetur.

Democriti laudes.

Democritum Abderitam æternis laudibus ætas omnis est prosecuta. Ita quidem Hippocrates eum naturæ mundique totius optimum appellat interpretem; Moralis, antiquorum omnium subtilissimum, literarum antistitem, sapientiæ caput, naturæque linguam; Anaxagoras eundem dicebat similem esse quinque certaminum victori, qui πένταθλος à Græcis appellabatur, idest, *quinquertio* ob eam causam, quòd Naturalia, Moralia, Mathematica, Liberaliũm disciplinarum artiumque omnium peritiam calleret; quare Laertius ipsum appellat Omniscium. Quin & Stagirites de eodem honorificè locutus dixit ipsum videri omnia curasse, & principia supposuisse, quæ ad omnia accommodari possunt. Et alibi Ὅλως δὲ παρὰ τὸ δόκιμος περὶ ἑδενὸς ἑδεὶς ἐπέσησεν, ἔξω Δημοκρίτυ. ἔοικε δ' ἔοικε περὶ ἁπάντων φροντίσαι. *Ad summum de nulla mutatione, nisi superficientenus quidpiam ab alio definitum fuit, præter quam à Democrito. qui omnia videtur sedulò curasse.*

Seneca.

Lib. 1. de Orto cap. 2. text. 5.

Plato ad diuina potius assurgens, naturalia despexit. Quamobrem posteritati haud magno in his præsidio fuit.

Plato naturalia despexit.

Præstantissimus autem naturæ Genius ex Academia in Lyceum, velut ex ludo in aciem, pugnamque deuenit; cùm enim aduerteret Platonicos esse verbis grandes, sententijs crebros, magis ad pompam, quàm ad victoriam certantes, ijs ob id multa dicta salute, satius duxit subtiliter definire, acutè concludere, & intimiora naturæ longè diligentiùs perscrutari, atque perpugnacem in disputando non tam palæstra & oleo, quàm armis instructum, argumentationibusque concisis illigatum in arenam descendere. Hic toto terrarum

Stagirita imitatores.

rarum orbe clarissimus, vt pote in quouis doctrinæ genere apprimè versatus, ad humanitatem egregiè posteros in omnibus informauit; ad veritatis autem inquisitionem viam longè opportuniorem elegit, quam etsi plerique suis figmentorum sordibus plurimum inquinauerint, constanti pertinacique tamen labore sperandum ad pristinam munditiem redactum iri, quam cuique sequi licerat in posterum, itaut non inter asperos tribulos inanium difficultatum, sed inter amœna vireta solidarum contemplationum datum sit Mineruæ templum adire. Et quamuis ipse quandoque dormitans non collimauerit, non inficiandum tamen ei plurimum dignitatis, ac maiestatis ex scribendi subtilitate, disputandi alacritate, philosophandi solertia, ordinandi peritia in tam multiplici varietate rerum, accessisse.

Sed cùm sit longè tutius adhærere nemini, solertis erunt ingenij partes ex singulorum placitis, quod magis rationi consentaneum est, seligere; ut enim apes dulcissimum, suauissimumque mel è floribus industriè quidem exsugunt: ita quicquid præbet specimen veritatis, ex aliorum lucubrationibus delibandum; sic enim nos locupletiores facti, vectigalia multò facilius Mineruæ persoluemus, lento tamen gressu, Mercurij nimirum alis, non sine eiusdem pondere instructi, quod senilem decet sapientiam. Idcirco rectè doctissimus ille dicebat, sapientiæ Philosophos mercatores esse, inter quos omnium celeberrimas officinas à Platone, & Aristotele apertas fuisse, ad quas præstet diuertere, vt si quid in Platonica commodum utileque sit, accipiamus, si quid melius apud Aristotelem inueniatur, quantum quoquo modo videtur, assumamus; at si in utraque plerumque inutilia, & vana vendantur, nihil à nobis emendum, iuxta Lyrici monitum.

Mazzonius sect. 1.

Quid verum, atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc sum:
Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter
Nullius addictus iurare in verba Magistri.
Quo mecumque rapit tempestas, deferor hospes:
Nunc agilis fio, & mersor ciuilibus undis,
Virtutis veræ custos, rigidusque satelles:
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor:
Et mihi res, non me rebus summittere conor.

Horatius lib. 1. Epist. 1. ad Mæcenatem.

Secta electrix.

Ita Potamon Alexandrinus, qui cum ex qualibet Secta, ea quæ sibi probarentur, eligeret, illius Sectæ princeps habitus est, quæ Electrix fuit appellata. Hunc igitur seriò præstabit æmulari.

Tertia philosophandi via.

Tertia meditandi ratio eorum est, qui aliqua constituta hypothesi naturæ penitiores recessus tandem se peruasisse existimant, cum Phænomena hypotheseos decretis adamussim respondere demonstrauerint.

Tametsi autem hæc è quorundam neotericorum consilio, cæteris præferenda sit philosophandi ratio, re tamen diligentiùs introspectâ, illis non assentiendum; cùm hac via incedentes non tam primordia naturalium rerum venentur, quàm potius quædam comminiscantur, quibus ipsa principia accommodent, quo nihil detestabilius. Philosophi namque munus est, naturæ opera sedula meditatione perpendere, & in eorum studium, quamdiligenter incumbere, non autem demonstrandi prouinciam suscipere, quicquid naturæ moli-

mòlitur, proprijs figmentis apprimè respondere. Nam intellectus humanus notitiam omnem à sensibus hauriens, non à verisimili causa ad effectum, sed contra à certo effectu ad causam; non ex obscuris, ac nutantibus, sed ex manifestis, ac certis ad non manifesta gressum faciat, oportet.

Ne commemorem eos ita posse perstringi: Aut quod supponitur cum veritate consentit, vel ab eadem penitus abhorret; si primum, cur tanquam verum non assumitur? si secundum, cur concedendum, vt verum? Nec hypotheseos perspicua veritas quòd commode per ipsam explicentur Phænomena, & vera sint inde deducta, cùm ex vero quidem verum, & ex falso, ex quo plerumque verum procedit, falsum deducatur. Neque est, cur in hoc de summa facilitate se iactent, eaque glorientur; quod enim maximum est argumentum illa non subtiliter, sed crassa Minerua dici, facilè nimirum addisci, & ab indoctis probari, id suæ disciplinæ firmissimum esse fundamentum existimant.

Quarta via calcanda ad veritatem assequendã.

Quarta igitur terenda via ad veritatem in naturalibus rebus assequendam, est inquisitione principiorum substructa, ex his enim, vel naturæ lumine perceptis, vel experimentorum vsu comprobatis, distinctam effectuum notitiam adipiscimur. In omni enim disciplina, cùm hæc ex quorundam prænotione fiat, prænouisse quædam oportet. At in his non abeundum in infinitum, sed ad ea perueniendum, quorum veritas, vel perceptione terminorum obuia, vel experimentis redditur explorata. Prioris generis sunt, quibus Arithmetica præsertim, & Geometria: posterioris verò, quibus Physiologia, ac Medicina innituntur; obid omne studium in eo collocandum, vt huiusmodi principia, testimonio sensuum comprobemus. Propterea Philosophus aliquando pronunciauit; ἀποβαίνει δ' ὁτὲ μὲν καὶ τέχνη διὰ τὴς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. ἦμεν γὰρ ἐμπειρία τὸ εὖ ποιῆσαι, ὡς φησι Πῶλος, ὀρθῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τύχη. *Per experientiam autem ars, & scientia hominibus proueniunt. Experientia enim, vt rectè Polus ait, artem genuit, inexperientia fortunam.*

1. Diuin. c. 1

Hoc Stagiritæ sic arrisit, vt aliquando veritus proferre non sit. Τὸ μὲν ὅλον πάντα ἠρεμεῖν, καὶ τοὐτῳ ζητεῖν λόγον ἀφέντας τῷ αἴσθησιν, ἀῤῥωστία τίς ἐστι διανοίας. *Vniuersa censere, quiescere, & huius rei quærere rationem ipso sensu posthabito, mentis quædam est imbecillitas.* Et alibi. Ἀλλ' ἐάν ποτε λαφθῇ, τότε τῇ αἰσθήσει μᾶλλον, ἢ τῷ λόγῳ πιστευτέον. καὶ τοῖς λόγοις, ἐὰν ὁμολογούμενα δείκνυωσι τοῖς φαινομένοις. *Si quando ista cognita habebuntur tunc erit magis sensui, quàm ipsi rationi credendum; Rationi fides etiam adhibenda, si quæ demonstrantur, conueniant cum ijs, quæ sensu percipiuntur, rebus.* Nec immeritò: nam iudicia sensuum adeò clara, certaque sunt, vt si optio nostræ naturæ detur, & ab eadem ter maximus Deus requirat, contenta ne sit suis integris, incorruptisque sensibus, an melius quidpiam postulet, non videam, herclè quid quærat ampliùs; quemadmodum Romanæ parens eloquentiæ dicebat. Sensus enim humanæ sunt mentis internuncij, quasique satellites, & ad veritatem duces, qui, modò integri sint nec impediti, nunquam nos fallunt; & certè qui sensibus anteferunt rationem, omni ad demonstrandum principio destituuntur. Quamobrem Epicurus πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται, πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογός ἐστιν. *Omnis enim ratio à sensibus pendet: sensus autem omnis rationis expers est.* Huc spectat illud Lucretij.

Hæc via maximè arrisit Aristoteli.

8. Phys. c. 3. text. 22.

3. de Gener. Animal. c. 10.

Tullius in Lucullo.

Quò referemus enim? quid nobis certius ipsis

Lucretius lib. 1. & 4. de rer. nat.

Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?
Quæ nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.

Et alibi.

... conuellere tota,
Fundamenta, quibus nixatur vita salusque
Non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
Concidat extemplò, nisi credere sensibus ausis
Præcipitesque locos vitare, & cætera, quæ sint.

Rectè quidem; sensus tamen nunquam à ratione seiunctus. Illum namque magnifacit Physicus: negligit Mathematicus: hanc verò commendat vterque; etsi magni ingenij videatur Tullio, reuocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere; cùm tamen omnia naturæ opera crassis occultata, & circumfusa tenebris iaceant, vt nulla humani ingenij tanta sit acies, quæ penetrare in cælum, & terram intrare possit: propterea, & sensu, & ratione duce, cuicumque meditandum, ad veritatem è tenebris eruendam; quod, cùm sit Philosophi proprium, huius ob id munus expleuisse dicetur.

Ad naturalem disciplinam rectè tractandam experimentis opus.

Naturalem igitur disciplinam aggressuro, graue, iucundum tamen, onus incumbit, nempè laboris plurimum in experiendo perferre, ne sola meditandi libidine ductus, contentus ijs, quæ subtiliter intellectus erroribus plurimùm obnoxius comminiscitur, à recto veritatis tramite deflectat. Eòque magis experimentis insistendum, quò veritati plurimum est mentis ingenijve infesta subtilitas; eius enim acies, dum verum impetit, plerumque retunditur. Ita fit, vt ex acerrima, nimiumque subtiliter dimicantium pugna de naturæ Phænomenis asserta prodierint; cùm tamen decursu temporis non erraturis, quin abstrusiora mysteria detegentis, ab omni veritate penitus aliena deprehensa sint. Neque mirum: nam Philosophia, quam anhelamus, non solius mentis, sed & huius, & mundi, hoc est experimenti proles existit. Quod eò lubentiùs agendum, ne more quorundam, oblato Problemati satisfacturus, ad asylum parum Philosopho dignum cogatur, tanquam auersus à Musis, confugere dicendo, hæc est rei indoles, hoc postulat eius natura, & id genus alia, vt proponens inde soluatur in risum.

Non modò causa, sed etiam modi, quibus illæ suo munere funguntur, debent esse perspecti.

Non solùm causas, verum etiam, & modum, quo illæ suo munere funguntur, Philosopho debere perspectum esse, nemo ibit inficias. Non igitur statim accersenda natura, vt satis Quæstioni fiat; cùm neminem prætereat acceptos illi referendos effectus. Nemo est, quem fugiat lignum in aqua demersum, nisi quid ei impedimento sit, statim ascensurum. At quærenti causam, putas ne Philosophi partes aliquem impleturum respondendo hoc ex ligni natura proficisci? Ad Vacui comprobationem Hydrargyrum in tubum vitreum, vno extremorum clauso, quantumuis longitudinis supra brachij Florentini cum quadrante mensuram, infundi solet; & occluso orificio altero, per quod facta est infusio, aut digito, aut alia ratione; tubo deinde conuerso, eodemque orificio demerso, in Hydrargyrum vase quouis contentum; mox cuiusvis adhibiti obturamenti subductione recluso, statim Hydrargyrum effluit, ea lege descendens, vt cum peruenerit ad altitudinem brachij prædicti cùm quadrante à descensu desistat, & veluti consideat in otio; experimento

rimento tamen in locis depressioribus facto, cùm alioquin in editioribus consistat humilius. At huius Phænomeni, cui nam probabitur explicatio, qua totum id, ab Hydrargiri natura dicitur prouenire?

Experimentis igitur plurimum indulgendum, atque constanter inuigilandum; non enim satis vnum, vel alterum expedijsse, deinceps verò ignauiæ succumbere; & quidem grauiter illis insistendum: Seriò enim rem affectanti, seriò moliendus effectus; proinde sapienti nihil tam necessarium, quàm studio, & labore indefessum esse. Nam rectè ille, vt Rosa flos omnium longè gratissimus, non nisi de spinis nascitur: ita ex laboribus, quantumuis asperis, fructus carpitur iucundissimus. Et in his eò pertinaciùs laborandum, quoniam, vt in catena anulus anulum excipit; sic in experimentis, successus successum prouocat, trahit, & firmat. Vt in hoc videatur admittendum, quod aliquibus probari supra dicebam, nouitate magis, quàm magnitudine rerum ad exquirendas causas nos excitari, ac detineri. Experimentis tamen sagax Philosophus non acquiescat, sed inde potius ad altissimas causas indagandas, quamdiligentissimè gressum faciat. Tametsi enim experimentorum vsus in postremis haberi non debeat ad confirmanda principia, quæ simpliciter talia non sunt; nullis tamen experimentis est opus, ad veritatem eorum explorandam, quæ prima absolutè dicuntur. Ijs, quæ prioris generis sunt, tantummodo principij nomen inditum est, quatenus vt vera sumuntur, quamvis eorum causæ, quæ certè non desunt, ignorentur. Horum igitur veritas experimentis inquirenda, causarum autem perquisitio solertis Philosophi labori peruigili, industriæque committtenda.

Experimentis conciliatur indulgendum esse.

Nec experimentis instructa damnanda via, quòd in ijs fallaciæ plurimum insit; cùm enim intellectus, non alijnde veram hauriat notitiam, omnis ei ad assequendam veritatem semita præcluderetur. Tametsi namq; fallax experimentum sit, quod vno tamen efficitur sensu, alterius idem attingentis: quin de eodem intellectus ratiocinantis, opitulatione corrigitur, vt inde veritas tandem eluceat. In his multum temporis insumpsimus, nec mediocriter desudauimus. Quantum autem profecerimus, aliorum sit iudicium, vtrumque certè secuti sumus. Si quis verò nos criminetur, quòd à Philosophorum vulgo plurimùm recesserimus, id nihil interest, nec magno in discrimine ponimus. Non enim Polycletus ægrè tulit, quòd opus præclarum suum adspicientium multitudini minimè probaretur, dummodo tamen à sagacioribus mereri plausum aduerteret, secutus, meo quidem animo, Lyrici consilium;

Experimentis instructa via damnanda non est.

Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint
Scripturus, neque te, vt miretur turba labores
Contentus paucis lectoribus, an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Horatius lib. 2 sermo. num ser. 10.

Et meritò, nam argumentum pessimi turba est, cum huic nihil arrideat, nisi, vel quod mentem illaqueat, vel imaginationi plurimùm blanditur. Consulendi, qui sapiunt, hi autem perpauci; faciliùs enim vnum, aut paucos inuenire, quàm multos, qui rectè sentiant; multitudo siquidem it, quà itur, non quà eundum.

Maleuolorum linguam, contumeliarum flabellum in nos irritabimus, non

inficior. Timendum ob id, ne nobis exprobrent illud: *Artium denia itinera affectare, trita relinquere, potius ostentationis est, quàm consilij*. Concedam ultrò, nisi gratia veritatis id fiat. Sed vt aliquando tandem exponam, quæ mea in huius operis tractatione futura sit ratio, illud subijciam, nempe vniuersæ Philosophiæ, me veterem illam distributionem in Rationalem, Naturalem, atque Moralem, retenturum; atque adeò Philosophiam vniuersam hoc modo tripartitam exhibiturum, quod cum præstitero, philosophandi rationem accuratam, ac religiosam pluribus commendatam polliceor. Cumque se se obtulerit occasio, quæ frequenter expertus sum, & in quibus omnem operam, curamque consumpsi, meaque se se multum exercuit industria, accersita, si opus fuerit, Geometria, qua potuero breuitate claritateque explicabo. Tutiorem enim hoc pacto speculandi viam ineuntibus, veritatem intimioribus naturæ latebris occultam, aura tamen supremi Numinis afflante, continget feliciter adipisci. Non quòd profitear etiam necessariò concludere, quæ Mathematicis demonstrationibus non patiuntur adstringi, quisnam adeò demens? non enim is sum, vt non dubitem, quin ea vera sint, quæ defendo, sed multa potius habeo, quæ sequi facilè, affirmare vix possum; nec meæ Dissertationes aliud quicquam agunt, nisi vt probabilia adducant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proximè accedat; vt Romani Oratoris ijsdem ferè vocibus vtar. In his porrò nunquam memoria excidet Plinianum illud: *Est benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris*. Vt hoc ipsum dissimulare, quo nihil fœdius, agrestis animi est, ac petulantis; nullum enim odiosius crimen ingrati animi culpa; vitium mihi adeo detestabile vt nihil supra, præsertim in illos, à quibus aliquid me didicisse intelligo. Quamobrem ijs, qui laboriosè studia tractarunt, laborisque plurimum sustinuerunt, vt lucubrationibus suis posteritatem erudirent, tantum debetur, quantum persoluere nemo potest. Etenim si nulla par gratia referri potest ijs, quorum præsidio nos inter Mineruæ asseclas annumerati virtutis semitam calcamus; infinitum profectò erit, quod quisque nostrum ipsis debere se profiteatur. Quòd si re gratias illis referre non licet; honesta saltem eorum commemoratione pro viribus enitendum, vt erga eosdem grato esse animo videamur; illud namque vitium si tam execrandum in cæteros existimatur, vt antiquitas vnguibus Hippopotami significandum duxerit, quòd ijsdem exprimatur impietas; longè detestabilius in illos, per quos profecimus, quibus si nulla ratione credatur satisfieri posse, saltem illud supereſt,

Nec laudare satis dignasque rependere grates
Sufficiam, referent Superi.

Vitius distributio Philosophiæ in Rationalē, Naturalē, & Moralē, retinetur.

Plinius in Præmio.

Ingrato esse animo in Magistros, vitium execrandum.

Stat. lib. 7. Theb.

Dicendorum autem hic ordo.

Primò Rationalem Philosophiæ partem augustissimam omnium disciplinarum Ianuam ingressi, docebimus rem in ea, quibus constat, distribuere diuidendo, latentem explicare definiendo, & obscura manifestare interpretando, ambigua statim aperire, mox verò distinguere. Denique præcepta, quibus vera, ac falsa discernuntur, & quæ ex quibusdam positis, sint, quæque non sint, optima consecutione deducta. Deinde, quæ nobis ad persuaden-

Rationalis Philosophiæ partes Dialectica, Rhetorica, atque Poetica. Dialectica Rhetorica, Poetica.

Digitized by Google

dendum præsidio sint, ac adiumento. Tandem qua ratione Poemata condere valeamus.

Secundò succedet illa, quæ primordia, causasque rerum, & qua ratione cuncta gignantur ac intereant, sedulò meditatur: nimborum, fluminum, tempestatumque rationes perscrutatur: cælestium corporum naturam, conditionem, ordinem, magnitudines, interualla, progressiones copiosè cumulatèque persequitur: animæ indolem, sentiendi modum, animantium ortum, victumque rimatur: stirpium figuras, rerumque omnium ferè in vniuersa natura mortali conditionem explorat. Imo se adhuc longè altiùs extollens ab habentibus cum materia commercium facessit, & procul hinc recedens cælum ipsum celeri æquè, ac arduo volatu transcendit, ac in latissimo rerum æternarum campo liberè peruagatur. Quorum tractatione si fortè mentis oculus nonnihil cæcutiat, aliò se conuertens, mirificè recreatur, omnia scilicet, prout numero, pondere, mensuraque constant, sedulò contemplando, atque adeò dissitas à terris cælestium corporum regiones, interualla, itemque montium altitudines, vallium profunditates, immensaque spatia metitur, omnia ad calculum redigit, & ad trutinam reuocat.

Naturalis Philosophiæ partes. Physiologia. Metaphysica. atque Mathesis. Physica.

Metaphysica.

Mathesis.

Tertiò tandem exhibebimus illam, quæ de rebus expetendis, atq; fugiendis edisserit. Quid finis, quid extremum, quid vltimum bonorum omnium, quid illud, ad quod omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referenda sint, quot vitiorum, quot virtutum genera, quibusue modis ab illis declinare, has verò liceat adipisci, cupiditates perduelles compescere, ijsdemque voluntatis imperio fortiter obnitentibus frænos inijcere. Quæ sit familiarium rerum tractandarum ratio. Et ad extremum, quibus modis institui, fundarique Ciuitates debeant; quibus augendæ, ampliandæ, moderandæque sint; & insuper, quibus locupletissimæ, beatissimæque reddi humana possint industria.

Moralis Philosophia partes Ethica, Oeconomica, & Politica. Ethica.

Oeconomica.

Politica.

Ab omni Scholasticæ elocutionis barbarie nobilissimas, ac præstantissimas has disciplinas expurgare, glorioſum non minùs quàm difficile, atque adeò amœnioris ingenij foret. Meos tamen omnes hac in re neruos contendam, hùc incumbam pro viribus & quantum in me est, tantum enitar; quibusdam vocibus tantummodo retentis, quæ etsi minus latinæ, magnoperè tamen animi conceptus exprimunt, resque ipsas significant. Quod eò lubentiùs à me factum intelligas, quoniam in perquirenda veritate, quæ disciplinarum omnium est finis, licet illud vsurpare,

Scribendi genus adhibendum, quale.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Manilius li. 3. Astron.

Vt antiquitas non immeritò Musas, ceu Virgines effinxerit, quoniam nimirum disciplinæ, tanquam virgines abditæ prorsus, ac incomptæ videntur, vtpote natiuo decore, ac ornamento contentæ. Nec id ægrè ferendum, nam admonente Tullio, in rebus inusitatis cogimur vti verbis inauditis. Enitendum profectò latinè loqui; verborum splendor, atque delectus non negligendus; in disciplinis tamen consuetudo, pro latinis, vocibus vtitur, quæ reipsà latinæ non sunt, quod omnium ferè artium Tullius idem, commune esse testatur dicens, *Aut rerum nouarum noua facienda, aut ex alijs transferenda nomina*, propterea contendit, si Græci fecerunt, qui in ijs rebus tot iam sæcu-

Lib. 1. Academicarum Quæstion.

Digitized by Google

la versati sunt; tanto magis id sibi concedendum, qui tunc hæc primùm tractare conabatur. Non igitur vitio nobis vertendum, si voces quasdam vsurpemus, quas Scholasticorum turba coacta necessitatis momento ad res explicandas perquamsolerter adinuenit. Pudet certè inornatam, & indisertam colere Philosophiam; præstat enim exornandæ orationis curam, cum rerum inuestigatione coniungere; vt eandem illam viam, quam præsertim præclarissimorum omnis memoriæ hominum signatam, ac impressam vestigijs intelligimus, nos itidem totis viribus, omnique animi contentione, non sine laude secuti videamur; ab hoc tamen non alienus prædictarum vocum vsus, sine quibus se penitùs rerum indagationi tradere, nemini permissum est. Non ob id igitur nos tanquam agrestes ac barbaros ab omnibus elegantiorum hominum cætibus repudiandos existimes. Eo vel maximè quòd Tullius idem dicebat. *Omne, quod de re bona dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est: planè autem, & perspicuè expedire posse, docti & intelligentis viri.* Nullus autem futurus est modus, qui nouis concinnandis vocibus statuatur; sed pro re nata, & licuit, semperque licebit scita compositione, recèns, & nuper exorta, signare.

3. de Finibus.

Admonitio.

Pleraque autem ex Peripateticorum fonte hauriemus, & ex eorundem explanabimus opinione; non modò, vt eorum enucleemus doctrinam, sed etiam quia nobis ab eadem quandoq; nonnihil discedentibus, aliamque ad naturæ Phænomena explicanda per longè magis consentaneam incedentibus viam, vsui non mediocri illa esse poterunt; de quo semel hìc Lectorem omninò monitum voluimus; ne quoties sese obtulerit occasio, ad nauseam vsque repetere, hoc idem cogeremur. Dum interim intelligis, aliquando me paululùm ab Aristoteleo calle declinasse, & abiecta, quam superioribus annis tuebar opinione, longè diuersam suscepisse; non est cur de hoc tibi admiratio incessat; neminem enim præterit scitè admodum ab antiquis veritatem Saturni, hoc est, temporis filiam habitam fuisse, vt aliàs dicebam, quòd licet quandoq; non adeò sit obuia, quin potius in occulto iaceat, decursu tamen temporis in lucem exit, nam Ἄγει ὁ χρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, *At veritatem tempus in lucem eruit.* Hinc dici tempus omnium sapientissimum consueuit, vt apud Pindarum in Olympiacis Ἀμέραι δ' ὕστεροι μάρτυρες σοφώτατοι. *Posteri dies sapientissimi testes.* Cùm itaque non tam meditando, quàm experiendo, sententiam, quæ multorum in animis penitus insederat parùm cum naturæ Phænomenis congruere deprehenderim, æquum sanè erat, vt ab illa tandem aliquando recederem, ne pertinax, more quorundam, id propugnandum assumerem, quod ab omni ratione prorsus alienum euincitur. Nam reuera quemadmodum Sol etsi frequenter à nubibus intercipitur: nunquam tamen funditùs comprimitur: ita veritas quandoque laborare potest, extingui tamen non potest. Et hæc præfatum fuisse satis.

Tempus ducit veritatem in lucem.

(o)

DE

DE LAVDIBVS
Rationalis Philosophiæ.
ORATIO INAVGVRALIS.

Ingularis, nec vnquam satis elata præconijs vniuerso terrarum orbe splendida virtus, quam quisque vestrum industriè sibi comparauit, Patres Amplissimi omnique virtutum genere ornatissimi; celebris eruditio laboris vestri nobilissimus partus, hodierna luce, in hoc amplissimo consessu, in hac decora Minerue palestra, mihi silentium indicit; onus tamen susceptum ad expromenda animi sensa vehementer impellit, vitium imbecillitas linguam compescit: vestra tamen vrbanitas ad expeditè dicendum me clementer inuitat. Quamobrem omnium quotquot hic adestis inficias neminem iturum crediderim, id mihi plurimum negotij facessere, minusque aptum ad eloquendum angustijs vexatum animum reddere: eòque magis, quòd hic mihi dicendum, vbi loci dignitas, ac amplitudo, perquam expoliti Rhetoris partes non modò postulat, sed flagitat; cum hactenùs plerique ex hoc præclarissimo Auditorum cœtu disertissimè, facundissimèque dicendo, sublimem eloquentiæ gloriam consecuti, nec mihi, nec alijs posthac sperandum claritatis quidpiam reliquerint. Et vt ingenuè fatear, mihi perspectum, ac exploratum esset omninò spem vniuersam abijsse, me scilicet rem eò perducturum, vt saltem qua mediocriter susceptum Oratoris munus obijsse videri possem; nisi mihi futura mox foret, oratio ijs de rebus, quarum dignitate, præstantiaque tantùm hæc ipsa nitet, quantùm sanè vel stylj exilitate, vel lucubrati sermonis, grauiorumque sententiarum defectu, remissiùs elucet. At de quo me putatis actum rumè? Id haud ego fallor, præter spem vobis eueniet, de laudibus nempè Rationalis Philosophiæ, tribus partibus, Dialectica, Rhetorica, Poeticaque constantis. Sed non ita quidlam vt singulas eius dotes, atque prærogatiuas, quamdiligentissimè recensere contendam. Nam & mihi id plurimum laboris, & vobis non parum satietatis afferret, magis ob id præcipuas, quantum potero, breuitati studens attingam. Obsecro propterea vos, vt auram beneuolentiæ mihi tantisper commodetis, atque benignissimas aures præbeatis; ab eloquentis enim oratoris munere si defecero, proindeque vobis molestus fuero, quicquid detrimenti pacatis animis vestris alioquin afferre possem, dicendi breuitate resarciam.

Quæres in omni commendatione doctrinæ plurimùm possunt, quæque ab accuratioribus dicendi magistris requiri solent, eæ, quantum conijcere mihi licet, sunt P. P. omnino quatuor: Quòd videlicet illam homines ingenij acumine, solertia, eximiaque virtute præditi excoluerint: Quòd in rei præstantissimæ consideratione versetur: Quòd firmissimis certissimísque demonstrationibus innitatur: Quòd mort alibus non vulgarem vtilitatem afferat. Enimvero disciplinam quampiam excultam impensè iam dudum ab ijs fuisse, quos egregio quidem à natura instructos ingenio, omnis ætas prædicauit, non leue, haud ego fallor, difficultatis argumentum, cum qui huiusmodi sunt, non nisi difficilia sectentur, quod autem difficile ac arduum, illud idem præclarum. At præsertim illustris disciplina, si in re nobiliori versetur, cum longè præclarior, quantulacunque sit præstantium, & remotarum à vulgi ca-

ptu

situ rerum intelligentia; quam communium, ac vilium exquisita cognitio; Nec propterea tanti facienda esset, nisi ijs, quæ illa decernit, firmiter mens adhæreret. Etenim explereri, quæ nobis insita est veritatis assequendæ cupiditas, non posset; quinimò perpetuò cruciaretur animus opinando. Neque demum tam auidè foret expetenda, nisi quantumuis præstantissima, nobis emolumento esset, atque præsidio. Hæc autem omnia præsertim Rationalem sibi vendicare Philosophiam, nullius profectò laboris erit luculenter ostendere, si cuiusmodi sint eius partes, nos paucis aperiamus. Iuuat enim eorum consilio duci, qui dum aliquod præclarum opus student exactè peruidere, non satis sibi ducunt semel in illud oculorum aciem direxisse, sed singulas etiam sibi partes diligenter perlustrandas, atque seorsum considerandas existimant. Vt autem à Dialectica, quemadmodum par est, exordium desumam, apertè dicam hanc florentissimis esse laudibus efferendam. Dignitatem autem ex ipsius vetustate desumptam vobis persuasum existimo me silentio præteriturum, quòd huic cæteras omnes facultates antiquitate præire, vnique Zenoni acceptam esse referendam, è communi sententia vos vnanimi consensu arbitremini. Secus tamen se res habet, cùm eius ortum, ac originem multo ante Zenonem extitisse mihi compertum sit. Non enim crediderim antiquiores Philosophos, antequam Zeno huius artis præcepta sua concinasset industria, & per Aristotelem ijsdem ultima manus fuisset imposita, Dialecticæ rudes penitus ac ignaros fuisse, adeò vt huic nullam tribuissent vigiliam. Nam vt ea præditi erant, quæ nobis natura inest: ita diuturno vsu, ac exercitatione eandem adeo tractarunt, sibique ratione cæterarum disciplinarum expeditam reddiderunt, vt tantum ab ea ferè subsidij obtinuerint, quantum si præceptis artis fuissent instructi. Vt præteream, etiamsi extra fines cæterarum disciplinarum illi nullam sibi Dialecticam compararint, eandem tamen in illis ipsis disciplinis, quarum studijs detinebantur, sedulò esse meditatos. Præter Zenonem, & Aristotelem, etiam Empedoclem, Parmenidem, & alios plurimos ingenio præstitisse, quibus est vilum operæ pretium in huiusmodi studijs magnopere sibi laborare, memoriæ proditum est, quos ob nimiam multitudinem percurrere non licet, quod quamlibentissimè præstarem, non quòd existimem, hinc disciplinam hanc splendoris plurimum consecuturam fuisse, sed vt intelligeres illis te plurimum, plurimumque debere. Ec quod obsecro tam præclarum, tamque magnificum gratiarum genus excogitari, fingique posse crediderit, quod aut barbarè negatum velis, quibus tam humaniter debeas, aut parcè redditum, quod satis abundè persoluere, nec pro summis illorum meritis, nec ex tua dignitate valeas? At si dignitas huius de qua loquimur facultatis, ex rei consideratæ præstantia, pensitanda sit, ò quam celebris erit existimanda! Ea enim humana mens est, cuius quanta sit excellentia vix mens ipsa comprehendit; mens ideo dicta, vel quòd animæ princeps facultas, alioquin intelligentia nuncupata, cæteras inter facultates in obeundis muneribus emineat, vel quòd ea solùm homo præditus, reliquis animantibus antecellat. Ob id Romanæ Parens eloquentiæ dicebat, homini siue naturam, siue Deum nihil præstantius fuisse largitum, cùm is huius opera res incorporeas, & ab omni materia seiunctas, formasque solus apprehendat: ut propterea quidam nec obscuri nominis, nec vulgaris existimationis humanam mentem adipicientes, diuinitatem quodammodo redolere crediderint; nec immeritò, cælestis est enim animus ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram; hinc palam, & apertum quanta sit huius disciplinæ præstantia, cùm rei ab ipsa consideratæ tanta sit dignitas; Eòque celebrior, atque perfectior habenda, quòd non hæsitanter edisserit; sed innixa primis elementis perspectis naturæ lumine progreditur, quoad certissimis demonstrationibus vtens necessariò concludat, quibus humana mens instructa tutò potest deinceps veritatem sectari.

Quanto autem emolumento mortalibus sit, non facile dictu. Mens enim humana excellæ quidem naturæ est, pluribus tamen erroribus obnoxia, siue enim apprehendat, siue iudicet, siue ratiocinetur, frequenter adeò defecit à debito cognoscendi modo, vt vix credi possit. Dialectica tamen sic illam præceptionibus instruit, vt inoffensè possit arduam calcare semitam Veritatis; ut proinde magno nobis præsidio esse, cuique fatendum sit; idque vt apertiùs constet operam dabo. Communi calculo receptum est hanc, quam nos traducimus vitam, curis, & acerbitantibus non mediocriter agitatam, nomine maris æstu feruentis appellandam. Nauta enim, dum iter hilari, gaudentique animo meditatur, soluit è portu, quasi exploratam propriæ salutis rationem habens, aduersam ventorum vim æstuantisque pelagi fluctus non pauet, hic tranquillo mari, cæloque sereno digrediens pergit lætus, pacatis

tatis fluctibus vtens, in illud verò, dum latè pandit aſpectum ipſius tranquillitate recreatur, & immenſitate exultat, eo vel maximè ſi forſan cælum vniuerſum ridens quodammodo ſerenitate adſpiciat, quòd ſe breui ad exoptatum littus peruenturum exiſtimet; At extemplò furentibus ventis, debacchantibus fluctibus, totoque pelago ſedibus imis ferè commoto, crebris procellis Africus, Notus, Euruſque fluctus volvunt ad littora, eoſque tollunt quam frequenter ad aſtra; fulgurante cælo, & aquarum, quaſi agmine quodam ex concretis nubibus effuſo, præcipitantibus nimbis, nautarum ſtridor, atque clamor inſequitur, eoque magis ſi eorum oculis, nubium diſcrimine quouis erepto, totoque cælo tenebris inuoluto

Pento nox incubat atra,

Crebris enim ignibus, dum vniuerſus emicat æther, mortem cunctis omnia minantur, intentant, geminatis interim fluctibus, fractis remis, nauique concuſſa, fit cumulus aquarum ingens, hinc vnda dehiſcens, Terram inter fluctus aperit, atque furore, vt ita dicam, æſtus exagitatur arenis, quarum aggere facto, horribilis ſonitus obſtrepit auribus. Hinc metus, ac tremor; hinc expreſſa mortis imago. Hæc hominis vita mortalis eſt P. P. etenim humana mens cùm principiò ſenſus imperio premeret, & præſto haberet ad nutum nullis voluptatis fluctibus concuſſa, nullis illecebris, nullis blanditijs, fraudibus nullis irretita, prò ſuo iure ſenſuum affectibus vtens, feliciſsimam vitam ducebat. Modò autem varijs affectibus animi, atque ſollicitudinibus voluptatum concitata, nauigationis curſum per huius vitæ pelagum voluptuoſis illecebris æſtuantem aggreſſa, dat vela, proficiſcitur aduerſis aquis, laboribus tamen fracta, rationis clauo tractando impar in ſummas anguſtias adducta, pererrat hùc, illùc grauibuſque cupiditatibus, veluti furentibus ventis correpta, miſerrimum, quaſi naufragium facit. At mœrore confecta, prope littus plena voce contendit, atque ſtridorem ad ſydera vſque tollit, cumque non procul illinc duæ quædam Mulieres, vel animi relaxandi, vel negotij ſuſcepti gratia ſimùl deambularent, clamoribus auditis, eò dirigunt obtutum, vbi naufragij periculum imminet. Nauiculam propterea conſcendunt, quanuis inhorreſcens mare longè magis attolli maioreſque in ſingula momenta cieri fluctus aduertunt; iubent eò prouehi, & in aduerſam ventorum vim æſtuantiſque maris fluctus incidunt, accurrunt tamen, & quam benigniſsimè ferunt opem iacenti. Tum hæc validiſsimo earum præſidio emergit, periculiſque defuncta, lætatur, geſtit, exultat. Earum quidem vna ſubpallido vultu, crinibus incomptis, & ad aurum diſperſis, decenti ſtatura præſtantique corpore faſciculum quendam ſuauiſsimis, iucundiſsimiſque floribus contextum dextra geſtat, cui ſcheda quædam hærebat in qua characteribus legitur expreſſum *Verum*, & *Falſum*; at ſiniſtra ſerpentem gerebat? Alia verò grauitatis plena, maieſtate aſpectus veneranda, ſiniſtra geſtat Amuſsim, dextera frænatum Leonem ſecum habenis ducit. Quas autem nuper à me deſcriptas creditis eſſe Mulieres PP? dicam ingenuè, vna quidem earum Dialectica, Moralis autem altera mihi videtur Philoſophia. Prior vtique Dialectica, quippe quæ frequentibus vigilijs, aſſiduis ſtudijs, nunquam intermiſsis lucubrationibus, vultu palleſcit, ſpernit delibutos capillos, vtpote contemplationi perſeueranter intenta: corporis omnem elegantiam omittit: floribus contextus faſciculus, nobis inditio eſt, veritatem abſconditam, humana quidem induſtria detegi, falſitatem obrui, atque peſſundari. Non ſecus ac ex herbis naturæ luxuriantis opera ſuauiores flores naſcuntur, à quibus mox ipſa natura tegitur. Serpens denique prudentiam oſtentat, qua mortalium quiſque verum, ſtuſtio laboreque detectum amplecti debet. Altera Moralis eſt Philoſophia; generoſum quandoquidem illud, ſimulque ferox animal ſecum frænatum ducit, vt oſtendat ſe voluptarijs ſenſibus dominari, ac effrænatos animi motus compeſcere. Amuſsis nil aliud enunciat, niſi quod, vt artifex eius opitulatione res æquè iacentes conſtituit, ita & hæc ad æquandos affectus animi, hoc eſt ad mores componendos, ſiue moderandos, conducit. Humanus enim animus huius Artis documentis imbutus, haud patitur ſenſus ad externa prolabi, ſed perquam exquiſita mediocritate cohibet. Ad Dialecticam redeo, cui non immeritò præclarum illud munus adſcribitur, vt humana mens, quanuis natura ſublimis, eius regimini ſuccumbat: vt enim mens in indaganda veritate poteſt à rectitudine deficere; ita par erat, vt alicuius artis præſidio rediret in viam. Cognouit hoc Plato ille diuinus, qui propterea de hac facultate loquens dicere ſolebat. Dialectica eſt, quæ mentis oculum barbarico luto obrutum, ſurſum vehit, ne ignorantiæ cæno merſus, iaceat. Cognouit etiam diſertiſsimus Tullius: nam *per omnes partes*, inquit, *ſapientia manat, & funditur, quæ quum definit, genera*

diſper-

dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera, & falsa dijudicat, differendi ratio, & scientia, ex qua cum summa vtilitas existit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna sapiente. Non insulsè igitur à sagacioribus viris Ars artium, Scientia scientiarum appellata. Et certè quis adeo rerum æstimator iniquus, si verum quærimus, qui rectè sic illam appellatam non dixerit, cùm ea silente, cæteras quoque silere disciplinas oporteat? Finge si placet animo nunquam hanc excogitatam, vel adinuentam; finge ex vnius cuiusque memoria penitùs elapsam; finge demum hanc omni ex parte de medio sublatam, & reliquas disciplinas adhuc superstites, si potes, intelligas. Quis adeò tenebris ignorationis inuolutus? quis adeò fatuus, quem præterreat tunc omne disciplinæ genus funditùs euersum iri? Vbi nam finiendi ratio? vbi partiendi norma? vbi ratiocinandi peritia? vtque rem paucis absoluam, vbi leges probè administrandi humanæ mentis functiones, si disciplinam hanc, tanquam inutilem repudies, aptissima cùm illa quidem sint instrumenta, sine quibus nullam omninò scientiam licet mortalibus comparare? Tria namque sunt intelligentiæ munera, vel enim res ità nos animo reuoluimus, agitationeque mentis persequimur, citra affirmationem, vel negationem, simplici tantùm earum perceptione contenti: vel nosmetipsos ad res easdem ità conuertimus, ut unum alteri conuenire, vel non conuenire iudicemus: vel demum ingenij aciem sic ad studium veritatis addicimus, vt ex priùs apprehensis, & iudicatis, ad ea, quæ naturæ thesauro concluduntur, industria consecutione perueniamus; quæcunque demùm sint mentis opera, quam sæpissimè in ijs contingit irritus labor, quòd non rarò mens allucinetur. Dialecticæ tamen præsidio feliciter ab erroribus reuocatur; siquidem hæc finitionis leges præscribendo, rationem enunciationis declarando; atque tandem ratiocinandi modum exhibendo, errorum omnium caligine discussa, exoptatam luci veritatem restituit. Hac igitur edoctus, cognoscis, intelligis, sapis. Finiendo siquidem confusa, ac implicata luculenter euoluis; eadem partiendo peracutè distinguis, & ex notis ignota, ac abscondita industriè deducis. Quòd si iam penitùs insederat mortalium in animis, atque magnum apud eos, qui rectè iudicant, pondus fuerat consecuta opinio, tunc demum hominem adeptum felicitatem esse, cum rectè obierit intelligentiæ munera, atque naturalem, qua cognoscendi verum exardescit, cupiditatem expleuerit. voluntatis autem opera benè, sanctèque perfecerit, nec vnquam à recto, & honesto deflexerit, quasi mens æterno vinculo coniuncta effectori, & parenti suo, consors & particeps diuinitatis ad supremum honoris gradum euecta sit; non erit per Deum immortalem, cur quispiam inficietur disceptatricem hanc æque, ac Moralem disciplinam ad beatiorem vitam traducendam conducere. Quin audacter illud adijcerem, in hoc Dialecticæ potiores, quàm Moralis esse partes, & ex illa plus, quàm ex hac felicitatis in homines deriuari; cùm hæc illius destituta præsidio, nihil honestum, vel commendabile moliri, nec præstitutum finem possit adipisci. Nisi enim appetitus honestate, ad quam est effectus; nisi illa perspicientiæ vis, veritate, in qua vna, conquiescit, penitùs expleatur, nunquam verè beatus animus haberi potest. Dum enim dogmatibus Dialecticæ instructi satis omni ex parte nos bellè habemus, ac præceptionibus Moralis disciplinæ conformati sumus, ità planè moramur in terris, vt nemo sit paratior ab ijs rebus, in quibus beatitudo posita est; & hinc neminem præterit, vt opinor, scitè admodum simulatum, ac effictum fuisse ambas illas Mulieres fidam, constantemque societatem inijsse, nimirum, vt huius ærumnosæ vitæ procellosum æquor scandentem hominem ad portum felicitatis incolumem, saluumque perducerent.

Quanta autem splendoris ex Arte dicendi ad Rationalem Philosophiam accessio fiat, obscurum profectò nemini, vel eo nomine satis est, quòd Dialecticæ quædam propago sit; quod non eo dico, quasi nihil huius Artis proprium floridioribus laudibus extollendum existimem, cùm potius innumera penè sint, quibus Eloquentia non immeritò potest gloriari. Nam si eorum fieri commemoratio debet, quibus est visum iugiter in Eloquentiam incumbere, eidemque proprias vigilias tradere, præter Antiphontem Ramusium, vt accepimus, auctorem eius, quot nam creditis ad hanc vsque floruisse diem? tot equidem, vt si contenderem illos percurrere, dies me prorsus deficeret. Quamobrem libentissimè præteribo, quamuis illustres, ac singulares viros Cephalum Athenienſem, Prodicum, Cæium, Hippiam, Diopithem, Gorgiam Leontinum; præteteribo Tisiam Siculum, Isocratem utrumque, Philiscum Milesium, Tharsymachum Carthaginienſem, Aristotelem Stagiritam; præteribo, & alios, quos ad certum reuocare numerum nimis operosum foret; & ad id me conuertam,

quod

quod in eius commendatione plurimum habet momenti, nimirum quòd dicendi consummata facultas omnes ingenii vires exhauriat. Si quispiam enim ingenio quam maximè polleat, etsi memoria non nihil duriori sit, dummodo non planè saxea, Philosophus tamen eximius fiet, cum in eo potius ingenii subtilitas, atque solertia, quàm memoriæ desideretur fœcunditas. Si quispiam non admodum ingenii viribus præstet, ac ob id minus idoneus ad interpretes naturæ sectandos, eorundemque calcanda vestigia, dummodo memoria non mediocriter valeat, qua is propterea leges, edicta, vetustatis exempla, mores, consuetudinesque locorum firmiter complecti possit, non ignobilis Iurisconsultus euadet. Si quispiam prudentia multùm abundet, quanuis minimùm in scholastico puluere versatus, & ad bonarum artium, atque disciplinarum clariorem lucem penè caliget, ad ciuilem tamen, quæ pertinent vitam, satis pro dignitate tractabit, & in Ciuitatibus dominabitur summa cum laude virtutis. Si quispiam egregiè polleat vi fabricandi rerum imagines, eminusque consecutiones prospiciat, insignis Mathematicus fiet. At nisi quispiam eiusmodi sit expeditus ingenio, vt in eo coniunctim omnia splendescant, quæ quidem in alijs disiunctim solùm elucent, nunquam ad summum Eloquentiæ fastigium ascendet. Quale autem, & quantum sit Oratoris ingenium, declarat illa rerum inuentio, quas expeditè, ac in omnem dicendi occasionem intentus Orator illico debet expromere; declarat illa celeritas mentis sese trasferentis in omnem partem, omnia perscrutantis, omnia colligentis; declarat eiusdem feracitas progignentis tam multa, tam varia, tam apta rebus, tam opportuna temporibus, tam decora personis; declarat ad extremum vis illa, qua non modo non inuito, non oppresso, non repugnanti, sed volenti etiam perlibentique de gradu, deque fortunis cedere vehementer suadet. O Præclarissimam Artem, quæ tam illustre, tamque regium in homine subsellium requirit! ò pretiosum laborem, quem quis in eius consecutionem impendit! Neque mirum, nam ita Orator egregius esse debet, vt in eo mens vigeat, quæ difficilia penetret, obscura peruadat, multumque videat in luce prudentiæ; ingenium tam alacre, tam erectum, vt nihil arduum sit adeo, quò cogitando scandere tandem non possit; tam capax, vt nulla temporum, locorum, rerumque multiplici varietate vincatur; tam firmum, tam validum, vt nullis negotijs, nullisque consilijs fatigetur; tam fœcundum, vt nulla argumenti quanuis ingentis sterilitate exaresçat. Aliæ sunt etiam ingenij vires, quibus affluere debet Orator, quas tamen paucis rem ipsam perstringens, omittam, cùm satis superque duxerim hasce paucas commemorasse, vt intelligas in Oratoris ingenio quam plurimas, & quidem eximias requiri dotes, cùm vna tamen in quouis alio sufficiat; enimuerò quod vnica ingenij vis in aliarum qualibet Artium potest: omnium ferè complexio in vna dicendi arte non potest; ex quo facilè intelliges Oratoriæ facultatis quanta sit dignitas, cùm in Oratore ingenij tanta sit gloria. Et cui non perspecta dignitas Eloquentiæ, cum hæc meritò nil aliud existimetur, quàm copiosè loquens sapientia? Quam id præsertim exornat, quòd loqui nobis communiter datum sit, ornatè loqui, sapientibus tantùm. Quod si rei difficultas, vt hoc iterum commemorem, firmissimum dignitatis est argumentum; ò quam sublimis, quam illustris Oratoria facultas! Elocutio enim, cui quantum Orator debeat, vix licet acie mentis attingere, negotij plurimum habet, & sanè tantum, vt M. Antonius apud Romanæ Principem eloquentiæ dixerit à se disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem: diserti enim satis putabat dicere: ornatè autem dicere proprium eloquentis existimabat. Quid præstabilius, aiebat sapientissimus Tullius, quàm posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò quis velit, unde autem velit, deducere? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, ac homines in Ciuitate retinere? Quid tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere vnum, qui id, quòd omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis possit efficere? Nemo sapiens, mea sententia, conferendus cum eo, qui dispositè, ornatè, copiosèque dicit, in quo omnis Eloquentiæ facultas posita est; nihil hercle tam iucundum, tam vtile, tam admirabile, quàm sapientissimis sententijs, grauissimisque verbis Oratio decenter instructa, ac perpolita; quid enim admirabilius, quàm populi motus, Iudicum religiones, totiusque senatus grauitatem vnius oratione conuerti? Quid præstantius quàm vnum ex infinita multitudine hominum dominari Magistratibus, exarmare milites, triumphare de hostibus, in audientium animis tyrannidem, vt ita dixerim, exercere? durissimas enim eorum mentes emollit, seueriſſimas

inflectit, frigidiſſimas inflammat, ardentiſſimas reſtinguit. Quid non poteſt Regina terrarum Eloquentia? Orator enim ſi exclamando ſtudeat iracundiam excitare, illicò fremere quodammodo totus Auditorum cætus, non ſecus ac mare vaſtum ſurdo murmure, minacique perſonans fragore, exauditur. Si dimittat languidiores voces, quas ad dolorem intorqueat, lachrymas ex omnium oculis exprimit, & gemitus, atque ſuſpiria ex intimis pectoribus elicit. Si medio in curſu, repentè filum orationis abrumpens taceat, ſtatim Audientium animos expectatione ſuſpendit, vtque paucis multa complectar, Oratore exclamante, Auditores ſubſilent, commiſerante, ingemiſcunt, ornate, copioſèque dicente, ſuſpiciunt, inuehente, fremunt, pollicente, ſe erigunt, comminante, horreſcunt, exprobrante, indignantur, commendante, diligunt, iraſcente, excandeſcunt, leniùs agente, conquieſcunt; verbo dicam, Audientium quò vult ingenium ducit; vt propterea Tullius non immeritò dixerit in omni libero populo, maximèque in pacatis, tranquilliſque Ciuitatibus præcipuè ſemper floruiſſe ſemperque dominatam eloquentiam fuiſſe. O quam egregiè dictum! nam Ciuitates, Regna, quin, & Religionem validiùs oratoria facultas, quàm Mars ipſe propugnat; ſiquidem homines, vel Platonis teſtimonio, ſapientia, & conſilio magis quàm armis tuentur Reſpublicas. Hinc ſemper Principibus viros eloquentia non minus, quàm ſapientia præſtantes, callidè adiunxit Antiquitas, vt Achilli Chironem, Alexandro Ariſtotelem, Antigono Zenonem, Cyro Xenophontem, Auguſto Apollodorum; propterea quòd Regnis fortunæ ſatis, ſi vel Reges ſaperent, vel regnarent Sapientes, hoc eſt, vt ego quidem interpretor, Eloquentes. Quod cum Traianus aduerteret, aureo, quo vehebatur curru, Dionem eloquentem æque, ac ſapientem excepit, vt oſtenderet, ni fallor, non magis armatæ Bellonæ, quàm ornatæ Palladi Capitolium deberi, quòd non magis Imperator, quàm Orator ipſe triumphet. Vir ille, dicebat Fabius, eſt verè ciuilis, & publicarum, priuatarumque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſilijs vrbes, fundare legibus, emendare iudicijs poſſit, is autem Orator eſt. Nemo enim tam graui dignus nomine, niſi qui rerum omnium peritus ſit, & qui quæcumque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & copioſè, & ornatè, & memoriter dicat cum quadam actionis dignitate, vt ſagaciſſimus ille volebat. Sed huius tanta Maieſtas eſt, vt malit admiratione coli, ſilentioque prædicari, cùm admiratio præconium ſit gloriæ, ſilentium verò fidus Maieſtatis interpres. Date mihi veniam, vt addam, hanc non modo ſummè dignam, ac vtilem eſſe, verum etiam perneceſſariam; tantum ſanè, quantum eſt, vt quiſque ſemper ſit paratus armis, quibus ipſe tectus vel prouocare improbos, vel ſe vlciſci laceſſitus valeat.

Poetices autem ſplendore longè magis Rationalis Philoſophiæ dignitas eluceſcit. Nam ſi vetuſtatem reſpicias, hinc præcipuam, ſingularemque commendationem aſſequitur. Palam enim, & apertum longè ante ſolutam orationem Poeticam Artem floruiſſe, cum multò priùs Orpheus, Muſeus, Linus, Homerus, à quibus excultam fuiſſe accepimus, extiterint, quàm Cadmus Mileſius, Argiuus, Acuſilaus primi ſolutæ orationis inuentores floruerint. Teſtes appello Strabonem, Maximum Tyrium, Lactantium, Iſidorum, & alios. Sed quid plura? Nonne ſcriptorum omnium antiquiſſimus Moſes, eique coetaneus Iobus metrum inter ſcribendum vlurparunt? Et certè Moſes Oden in Deum hexametro verſu compoſuit, quodquidem carminis genus omnium metrorum primum Iſidorus fuiſſe teſtatur; ait enim, *Hoc primùm Moſes in cantico Deuteronomij longè ante Pherecydem, & Homerum cecinisse, probatur.* Vnde, apparet antiquius apud Hebræos ſtudium carminum, quàm apud Gentiles fuiſſe. Siquidem & Iob Moſi temporibus adæquatus hexametro verſu dactilo, ſpondeoque decurrit. Hinc ſplendidiſſima Poeticæ Artis laus; cum enim commemorati Heroes non niſi Diuino ſpiritu affiante ſcriberent, Poeſim Dei pretioſiſsimum donum eſſe fateamur neceſſe eſt. Et ſanè non niſi à cæleſti Numine ſapiens ille furor, entheus ille, qui quos ſemel aggreditur penitùs diſiungit à ſenſibus, & ad opera preclariora compellit, ille furor magnorum operum molitor, naturæ ventilator acerrimus, vſu Poeticæ facultati coniunctus, qui vbi mentem agit, ac verſat extemplò ſapientiam in imo pectore torpentem incendit, ac eandem carminibus ad ſublimia euehit à Deo eſt, diuinus eſt. Neminem ob id admiratio ſubeat, ſi apud omnes gentes ſemper Poeſis in honore habita ſit; toto enim orbe remotiſsimis ab omni licet cultu literiſque, ne dum ab humanioribus diſciplinis, alienisſimis, modulata tamen oratione Maiorum ſuorum res præclarè geſtas decantare familiariſsimum, eſſe præterit neminem; Poeſeos enim origo cæleſtis: quam crediderim reſpexiſſe Platonem

tionem cum diceret Poetas diuino quodam furore correptos, esse Deorum Interpretes, quinimò Deorum filios. Nouerat enim egregius planè Vir, Poeseos Artem è cælo delapsam, cælitùsque mortalibus impertitam. Quinimò nec vnquam felicissimus ad omne commentum inuentus, nisi in eum illabente diuini Numinis radio, vel afflante quapiam aura diuinitatis. Feruidus enim spiritus ille sine strepitu vehemens, sine pompa conspicuus, sine vocatu præsens, agitatione cuius illustria, magnaque nobis parare concessum est, Deus quodammodo per illapsum in nobis habitus iure meritò fuit; vt non insulsè propterea Vates ille cecinerit.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic sacra semina mentis habet,

Quòd si magnum omne diuinum, quid maius vi mortalibus insita ad tam egregios Poetarum conatus, quorum Poeses non hominum inuenta, sed cælestia munera diuinus idem Plato credebat; à quo non dissentiens Aristoteles Poesim rem esse diuinam asserebat, quòd nemo etiam si vastissimum illum orbem doctrinarum, quamaccuratissimè quidem obierit, excellens Poeta vnquam euaserit, nisi cælestis ille vigor, & concitatio frequenter accesserit; Musarum enim fores sine furore, vel Democriti testimonio frustra pulsantur. O Præclarum hominum genus, quod tam firmo, tam indissolubili (da mihi veniam amabò, vt aliquid ex Platonis opinione dicam illustrius) affinitatis vinculo cum immortalibus iungitur Dijs. O præclarissimam Artem, quæ tam intimum habet cum dininitate commercium. Nam illa demùm Ars omnibus videtur absoluta numeris, quæ iudicetur genere diuina, commoditate felix, iucunditate singularis. Quamobrem Pythia sacerdos Appollinis, siue diuino, siue humano consilio sortes versibus dedit, cum ex ipso orationis genere maiestatem, auctoritatem Oraculo longe maiorem se conciliaturam videret. Nullum enim genus laudationis, quàm metro contextum, ad gratias Dijs agendas accommodatius vnquam habitum fuit. Vt autem dignissimam, ita & vtilissimam Poeticam Artem esse contendo. Cum enim hominibus multa, & ea certè præclara diuina munificentia tribuerit; nihil tamen præstantius, aut illustrius, quàm, vt ipsi benè devna quaque re sentire, ac iudicare simul, & ornatè, quæ sentirent, eloqui ac exprimere dicendo possent. Vtrumque enim præclarum, vtrumque diuinum. Quandoquidem hominem non solùm ratione, ac eius vsu, verum etiam facultate loquendi à feris immanibusque belluis dissidere perspicuum adeò, vt nihil supra; non enim cogitandum hominibus loquendi facultatem aurium oblectandarum causa tantummodo concessam à natura fuisse; neque munus tam pretiosum, tamque magnificum ad illas demulcendas adhiberi tantùm voluisse. Sed cum homines eo fuisset architectata consilio, vt singulis amica foret ineunda societas, ac ob id eosdem ad præstantissimarum rerum notitiam, etsi laboribus, curis, vigiliisque consequendam, struxisset idoneos; æquum sanè erat, vt etiam ijsdem prodiga quadam munificentia largiretur id, quo de rebus ipsis inter se differere, easque alij cum alijs conferre, atque communicare possent, vt scilicet Animus cum se rerum cognitione saturasset, haberet qua ratione posset alios ad earum communicationem vocare; vt autem hinc homo plurimùm dignitate brutis animantibus antecellit: sic cæteris hominibus longè præstantior ille, qui quidem audientium animos orationis insatiabili quadam oblectatione deuincit, quòd illa sit vrbanitatis omni sale perspersa, itemque distincta, ac illustrata doctrinæ notis, itaut ex ore ipsius velut ex quopiam perenni fonte, nunquam sistente fluxu, nouarum vsque rerum copia perquam admirabilis profluat.

Sed hoc non ita quidem Oratoris proprium, qui solutam concionem vsurpat, vt Poetæ quoque concedendum non sit, qui carminibus ludit, metriquc legibus locutionem adstrictam adhibet. Htc enim multò feliciùs genere quouis affectuum auditores concutit, eorumdemque sensus intimiores pertractans, flectit quocumque collibuit, iracundiam accendit, vel restinguit, timorem incutit, vel excutit, inuidiam conflat, vel leuat, ad misericordiam adducit, vel ab eadem abducit quoscumque velit; vt non immeritò fabulentur olim factum esse, vt quidam non modo homines ad vnam incolendam Vrbem ex agris, tectisque syluestribus dicendi copia, grauitateque deduxerint, quod Oratoris est munus; sed cantu fidibusque lapides mouerint, & ferocium immaniumque bestiarum impetus fregerint, atque perennium fluminum cursus retardauerint, quod Vatis officium est, Hinc addisce, & Poeseos vim, & quanta sit eius cum eloquentia affinitas, quam respiciens ingeniorum Censor acerrimus optimam orationem, Poesi quam simillimam esse dicebat. Imo si verum fateri li-

cet, mirum est, quantum Poetæ debeat Orator, propterea quòd hic eruditionis non modò gratia, sed etiam venustatis, leporisque carminibus vtitur Poetarum, cùm horum coloribus animus mirificè recreetur eorumdemque blanditijs aures à forensi quadam asperitate respirent, adeò vt non meliùs attrita quodammodo forensibus dissertationibus ingenia, quàm Poetarum delicijs reparentur. Dicam, & aliquid amplius, vt ostendam Poesim Oratori perutilem. Lucianus non ineptè consulit ei, qui eloquentiæ decora concupiscit, vt primùm optimos quosque Poetas adeat, se postmodum ad Oratorem conferat, intelligens, vt opinor; ex Poetarum monumentis, præter variam eruditionem, & decorem in personis, & spiritum in verbis, & magnas permotiones in affectibus hauriri; & certè à Poetis in rebus acumen, in verbis sublimitas, in affectibus motus, omnisque decor petitur, vt propterea disertissimo Tullio, soluta quidem oratio Poetices imitatio videretur, adeo nimirum, vt Rhetoricæ elocutionis, artisque dicendi fontem vberrimum Poeticam ipsam arbitraretur. Nec profectò ad eam ipse dicendi gloriam effloruisset, nisi à puero lectioni Poetarum fuisset addictus. Has ob causas mihi persuasum ab Antiquis Poeticam Artem primam sapientiam appellatam fuisse, velut illam, quæ nos ab ineunte ætate ad viuendi rationes adducit, quæ mores, quæ affectiones edocet, quæ res generosas cum iucunditate præcipit; quo mirandum nemini, si Græcorum ciuitates ab ipso primordio liberos eorum in Poetica non voluptatis, sed castæ moderationis gratia quamdiligentissimè erudirent. Quæ igitur maior vtilitas excogitari potest? At si partibus hisce Rationalis constat Philosophia, quanta nam erit huius, & dignitas, & firmitas, & vtilitas? Omnes igitur ad ipsam capessendam æquum est vt inflammentur. Superest, vt me vos excusatum habeatis, si non pluribus, & quidem clarioribus illam sim laudibus persecutus; nam ferax adeò dicendorum campus, vt assiduè dicenti noua, & ea quam eximia germinando suppeditet, ac ob id paratum etiam, ac disertissimum oratorem fatiget. Quam obrem non erit herclè cur me quispiam conuicijs vrgeat, seu quantumuis etiam exiguæ mihi culpæ notam inurat, cùm hanc proculdubio, etiam si exquisitiori modo propositum tractassem argumentum, declinare minimè potuissem. Dixi.

DIA-

Digitized by Google

DIALECTICA

Cæterarum facultatum Ianua,

PROLVSIO.

HOmo, quo nihil præstantius, nihilque sublimius diuina manus efformauit, (ad sui enim imaginem atque similitudinem illum effinxit) cùm in prima rerum origine mundum nascentem cœpisset incolere, ac in præcipua quadam eiusdem parte sedem amplissimam, fortunatamque sortitus fuisset, vbi locus præter omnes terrarum angulos ridens deliciarum, quà corporis, quà animi refertissimus, vtpote sub eiusmodi cælo, quod terræ nullo prorsus anhelitu graue, crassumue, quin potius verna quadam temperatione gratissimum, & saluberrimum reddebatur, tunc nimirum cùm ille omni culpa vacaret, felicissimè beatissimèque morabatur in terris; quamobrem omnibus bonis, ac ob id omni virtutum genere mirum in modum affluebat. Miser tamen inde, quantumuis iure quidem iectus, cum primùm agrestem, feramque traducere vitam cogeretur, nullam artem, nullamque disciplinam agnoscens, eorum tantummodo sollicitudine, studioque detinebatur, quæ persequitur impetus belluarum; proindeque deusissimis ignorationis tenebris inuolutus, vitiorum turpitudine contaminari, blanditijs voluptatum irretiri, quamfacillimè patiebatur. At statim idem ille fuit rerum omnium admiratione captus, dùm ei perexiguum veritatis lumen affulsit; vt quum totius mundi motus, conuersionesque perspexerit, viderit que nullo comprehensa numero sydera cælo inharentia cum eius ipsius motu congruere, sic certis infixa sedibus, vt nullum vnquam cursus sui vestigium inflectant; septem verò alia suos itidem tenere cursus, multum inter se altitudine aut humilitate distantia, quorum motus tametsi errantes, & vagi, certa sui tamen cursus spatia, firmissima lege definiant; adeout quamuis errantia dicta, nihil tamen errent, cùm in omni æternitate progressus & regressus atque reliquos motus constantes ratosque conseruent: tum eorundem celeritatem inexplicabilem, vicissitudines dierum, ac noctium: tum commutationes temporum quadripartitas ad maturationem frugum, ad temperationem corporum, ad regimen omnium, qua sub cælo sunt; horumque moderatorem, ac ducem Solem, omnia clarissima luce collustrantem; itemque Lunam, qua accretione, diminutioneque luminis nocturnas tenebras moderatur; & vtriusque miranda deliquia: tum cæli vniuersi speciem, candorem, nocturnamque formam vndique syderibus excultam, ac exornatam, eiusdemque tam certos motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa, vt quasi factus Musarum sacerdos, easdem alloqueretur canens,

Homo in statu innocentiæ.

In statu naturæ lapsæ.

Quando se contemplationi tradendum operæ pretium duxerit.

dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore
Accipiant, cælique vias, & sydera monstrent
Defectus Solis varios, Lunæque labores,
Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in seipsa residant
Quid tantum oceano properent se tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Virgilius lib. 2. Geor.

Hæc

Hæc igitur, & alia penè innumerabilia cùm cerneret, quibus Vniuersi pulcritudo constat, atque distinguitur, suspicans non amplius quanta sit admirabilitas cælestium rerum, atque terrestrium adegit animum ad philosophandum, vtpotè desiderio flagrans cognoscendi primordia, tanquam semina, vnde omnia orta, genita, concretaque essent, quaque generis, siue inanimi, siue animantis origo, & qua vita, quis interitus, qua ex alio in aliud vicissitudo, atque mutatio foret, quinimo hæc eadem eius animo tractanti, & noctes, & dies cogitanti se se obtulit vt ita dicam; qua postmodum à Numine Delphis præcepta cognitio, vt ipsa se mens cognosceret, hoc est intelligeret, quicquid illud est, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste quidpiam esse, atque diuinum; quantumuis autem non tantus sit animus, vt se ipsum ipse videre possit, sitque potius, vt oculus, qui se se non videns, alia cernit; non nihil tamen propriam formam intuens, vtique vim, sagacitatem, perspicientiam, memoriam, ac proinde qua magna, qua sempiterna, qua diuina videt, vt ad extremum possit aduertere se ex cælesti arce demissum particulam esse cælestis ignis, auraque diuinæ; vnde coniunctum cum diuina mente se sentiat; ex quo insatiabili gaudio compleatur.

Quando cæperit varia disciplinarum genera meditari.

Hinc originis suæ memor, atque consors diuinitatis cæpit recreare sese, & altius extollere, proindèque factus veritatis amator, multiplex artium disciplinarumque genus est meditatus, prout multiplex fuit mentis impetus, ac intentio. Humana siquidem mens ardore diuersarum rerum cognoscendarum accensa, varia quidem agitatione plures artes pluresque disciplinas inchoauit, quas longo postmodum temporis decursu constanti, pertinacique labore ita tractauit; vt ijs fere postremam manum imposuerit. Has autem hic paucis complecti, breuissimèque recensere, non erit ab instituto penitus alienum; quoniam inde cuique splendidè constabit, & dignitas, & vtilitas huius, quam aggredimur disciplinæ, cum per hanc veluti per ianuam ad illas capessendas aditus hominibus pateſiat.

Distributio disciplinarum, & artium proponitur consideranda.

Prima scientiæ distributio, in contemplatricem, & practicam.

Ignobilioribus notitijs, videlicet dubijs & incertis, cuiusmodi sunt opiniones suspicionesque prætermissis, perspicuam rei cognitionem in eas, quas habet subiectas partes, distribuam.

Quid contemplatrix.

Scientia porrò, qua rei cognitio certa, euidens, ac necessaria per causam habita perhibetur, in contemplatricem, & practicam non immeritò diuidi consueuit. Contemplatrix est quæ solùm eò collimat, vt veritatem inquirat, vnde veritas eius dicetur finis. Practica autem, quæ tametsi veritatem scrutetur, hoc enim vtriusque scientiæ proprium, non tamen in eius perquisitione sistit, sed vlteriùs progreditur, vt opus, veluti finem intentum, assequatur.

Quid practica.

Scientia contemplatrix tripertita diuisio, in Physicã Mathesin, & Methaphysicam.

Contemplatrix non inepiè fuit olim in tres partes diuisa, itaut multis iam seculis tria sint eius celebrata studia ex rerum, quas illa versant varietate prodeuntia. Iuxta veterum igitur placitum scientia contemplatricis subiectæ partes sunt Physica, Mathesis, & Metaphysica.

Physica, quæ.

Physica est, qua de rebus habentibus cum materia commercium perpetua mutationi subiectis edisserit, atque adeo de elementis, de mixtis tam inanimis, quàm anima constantibus, de fossilibus de mineralibus, & semimineralibus insuper de stirpibus, arboribus, deque corporibus cælestibus; verbo dicam, de omnibus, qua suis amplissimis finibus quamfecundissima natura concludit.

Mathesis vnde nomẽclaturam sortita sit.

Mathesis autem considerandam quantitatem assumens appellationem sortitur à Græca voce μάθημα, seu μάθησις, qua disciplinam, vel doctrinam significat. Cur autem doctrinæ generalem hanc nomenclationem præ cæteris facultatibus solæ Matematica obtinuerint, non eadem omnibus videtur causa.

Pythagoreo ſu opinio.

Pythagoræ namque, vt etiam Platonici, cùm arbitrarentur animas, quibus insitum à natura, vt vti ratione possint, certo quodam, ac determinato numero contineri, easque de corpore in corpus migrare, facultates de quibus loquimur mathematicas appellandas crediderunt, hoc est doctrinæ disciplinaue nomen obtinere, quòd ex ipsis nanciscamur recordationem, atque reminiscentiam, qua anima nostra antequam corpus informaret, pradita erat.

Eadem de re aliorum sententia.

Alijs verò placuit ipsas præ cæteris doctrinæ, disciplinaque nomen sibi vendicare, quòd solæ modum, rationemque scientiæ retineant; perpetuò namque precedunt ex principijs quibusdam præcognitis ad conclusiones demonstrandas; quod proprium munus doctrinæ est, ac disciplinæ.

Matheseos distributio in eas, quibus constat partes, non eadem apud omnes.

Matheseos autem in eas, quibus constat, partes distributio non eadem apud omnes. Pythagoreis quatuor placuit numerare partes Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astronomiam, eam ob causam, vt quidam crediderunt, quoniam vt Mathesis quantitatem perscrutatur, ita pariter iuxta quantitatis partitionem Mathesis etiam diuidenda est.

Pytagorica partitio.

Quantitatis autem distributio ea lege instituitur, vt vna sit permanens, altera successiua;

per-

permanens rursus distribuitur in continuam, seu magnitudinem, de qua Geometria sermonem instituit, & in discretam, siue numerum, de qua Arithmetica verba facit. Successiua similiter bipartitò diuiditur; alia namque continua est, vt motus, & tempus, quæ in corporibus cælestibus præcipuè cernuntur, de quibus Astronomia pertractat; tandem alia successiua, discreta tamen, quasi successiuus quidam numerus, vt sonus harmonicus in quo Musica est occupata. Celebris altera Matheseos diuisio est à Gemino antiquissimo Geometra tradita, nimirum vt harum disciplinarum quædam in intellectilibus duntaxat ab omni materia separatis; quædam verò in sensibilibus, itant materiam attingant sensibus obnoxiam, versentur. Idem autem eiusque sequaces prioris generis statuebant duas longè primas, præcipuasque scientias Arithemeticam, & Geometriam; in posteriori verò sex enumerabant Astrologiam, vel potius Astronomiam, Perspectiuam, hoc est Opticam, Geodæsiam, Canonicam, siue Musicam, Supputatricem, atque Mechanicam. Astronomiam dicebant esse facultatem illam, quæ de mundanis edisserit, de corporum cælestium magnitudinibus, figuris, & illuminationibus, à terra distantijs, deque alijs rebus huiusmodi. Huius rursus ab ipsis tres constituuntur partes, quæ in horarum dimensione, positu Gnomonis sese exercent. Metheoroscopia, quæ elevationum differentias syderumq; reperit distantias, multaque alia, & varia ad rem eandem spectantia, pertractat. Dioptrica, qua planetarum, cæterarumque stellarum distantias instrumentis assequitur. Optica de radijs visualibus disputans in tres distribuitur partes, quarum prima de radijs directis agens, Opticæ nomen retinet. Secunda de radijs reflexis, quæ Catoptrica, & Specularia dici solet. Tertia demùm de radijs refractis, quæ Dioptrica consueuit appellari. Geodæsiam dicunt eam esse Matheseos partem, quæ res quantas metitur, vt materialium rerum aceruos, tanquam conos, & puteos veluti Cylindros, quod non assequitur intellectilibus rectis lineis, vt Geometria, sed sensibilibus tantùm, interdum certioribus quodammodo, ut solaribus radijs, quandoque crassioribus, vt spartis, & perpendiculo. Rursus hæc instar Geometriæ diuiditur, in eam, quæ plana, & eam, quæ solida dimetitur. Canonica, siue Musica nuncupatur illa, quæ apparentium concentuum rationes, siue sonorum numerum considerat. Supputatrix eadem est, quæ Arithmetica practica, nimirum illa, quæ de numeris agit non vt in intellectilibus, sed in sensibilibus sunt. Mechanica tandem, quæ in cognitione rerum sensibilium materiaque coniunctarum est occupata, multiplex est; nam quædam est instrumentorum effectrix docens structuram ipsorum, quæ ὀργανοποιϊκὴ dicitur. Quædam mirabilium rerum operatrix, quæ θαυματοποιϊκὴ nuncupatur, vtpotè illa, quæ alia quidem spiritibus summo artificio construit, vt sunt ea quæ Ctesibius, atque Heron operabantur, alia autem ponderibus, quorum motus inequilibrium, status verò æquilibrium, causa est: Alia verè prædicta ad mirabilia neruis, spartisque animatas conuolutiones imitantibus præstat: Alia est etiam quæ æquilibrantia omninò, & centroponderantia nuncupata, considerat: Alia demum est, quæ molitur sphæras, vnde σφαιροποιΐα appellatur ad cælestium circumuolutionum motus exprimendos. Alias autem subdiuisiones prædictarum partium non immeritò præteribo: non enim præsentis est instituti hæc exactiùs pertractare, cum de his opportuniori loco sermo sit rediturus; de his igitur hactenus.

Distributio altera ex Gemino:

Metaphysica his ordine succedit, & ea est, quæ naturam entis perscrutatur, ac omnia prædicata communia tam rebus materiatis, quàm materia carentibus considerans, relictis Physico materiatis rebus, pergit considerando, quæ sunt ab omni materia concretione seiuncta, atque adeò contemplatur Intelligentias, Deum ipsum, vnde Theologia, naturalis tamen appellatur, cùm de Deo naturæ tantùm lumini innixa, pertractet.

Metaphysica, quæ naturalis dicitur Theologia.

Alia verò est Theologia longè præstantior, ac dignior, quæ diuina munificentia supernaturali lumine suffulta humano generi concessa est. Huic adnectitur Iuris Pontificij prudentia, vnde magna ex parte Theologia decreta è sacris literis, diuino Ecclesiæ lumine deprompta, tum ad mores, tum ad fidem spectantia, prodeunt, & in vnum corpus, quod Iuris Pontificij dicitur, redacta sunt. Huiusmodi autem Theologiæ, quanuis inter contemplatrices scientias locum in præsentia definiamus, hoc accipiendum vt obiter dictum; quòniam non huius est loci hæc accuratiùs persequi; alioquin scientia censetur eminenti modo contemplatricem, & practicam continens, adeout vtriusque conditionem transcendat; hùc vsque de contemplatricibus, nunc de practicis.

Theologia supranaturalis.

Practica autem cùm circa operationes sit occupata, iuxta partitionem operationum, diuisionem subit in Actiuam scilicet, quæ actiones immanentes & Factiuam, seu Effectiuam, quæ operationes transeuntes, & externas respicit; operationum enim alia sunt interna, ac immanentes,

Practicæ scientiæ iuxta practicas operationes diuisio.

Digitized by Google

mentes, alia verò externa, ac transeuntes; interna quidem, ac immanentes illæ sunt, quæ in operante manent, cuiusmodi sunt qualibet cognitio, & animi affectus, vt amor, odium, & id genus alia, quæ propterea proprio nomine actiones dicuntur, non effectiones, & de his quidem Actiua est scientia. Inter has præsertim sunt nostræ mentis actiones, quæ triplicis sunt generis, videlicet voluntatis, intellectus, & memoriæ. Circa voluntatis operationes moralis est occupata Philosophia, quæ propterea rectè volendi scientia non immeritò fuit appellata. In tres autem diuiditur partes, nimirum in Ethicam, quæ hominis actiones, ac mores instituit; Oeconomicam, quæ de domesticis actionibus ediserit; Politicam, siue Ciuilem scientiam, quæ publicas actiones, nempè ad Reipublicæ gubernationem spectantes, moderatur, probèque disponit, sub qua Iuris ciuilis scientia magna continetur ex parte, ac ex illa ferè tota ortum ducit; ex quo facilè intelligitur quanto Philosophia Iuris prudentia ciuili sit dignior, cùm hac illi suum esse acceptum referre debeat. At circa intellectus operationes dirigendas vniuersa Dialectica est occupata, cùm hæc nil aliud spectet, quàm rectitudinem inducendam in operationes mentis; circa autem actiones memoriæ Ars est illa, quæ rectè memorandi præcepta tradit.

Operatio externa quid & quotuplex.

Operationes autem externæ ità se habent, vt quædam non maneant in operante, sed in rem transeant externam, quæ in duplici discrimine sunt; alia namque relinquunt opus post se, vt Ædificatoria relinquens domum: hæc enim post ædificationem remanet; & aliæ sunt, quæ non relinquunt post se opus, sed hoc cum ipsis transit, vt est vox, cantus, citharizatio, saltatio, & aliæ huiusmodi. Circa vocis actionem triplex est ars occupata, nam ad congruè loquendum Grammatica; ad ornatè loquendum Rhetorica, quantum ad id, quod est eius proprium; ad idem, quatenus verisimilitudinem inuoluit, Poetica. Ad res verè gestas addi potest Historia, sic circa etiam alias operationes externas, quæ non relinquunt opus post se, aliæ quoque versantur artes: vt ars cunendi, citharizandi, saltandi &c. Circa verò illas, quæ opus post se relinquunt, pro diuersitate rerum, & operum distinguuntur, vt Agricultura, Pastoria, Militaris, Nautica, Lanifica, Fabrilis, omnesque Artes mechanicæ, quas sigillatim non est opera pretium recensere; sat adnotasse, vulgatam nempè diuisionem artium in Liberales, quales ha septem censentur Grammatica, nimirum, Logica, Rhetorica, Musica, Arithmetica, Geometria, Astrologia, seu Astronomia, ita dictæ, vel quia libero sint homine dignæ; vel quia dantes ipsis operam liberent à vilioribus curis; vel quia ordinentur ad opera per animam tantùm exercenda, & in Mechanicas siue Seruiles, eiusmodi perhibentur Lanificæ, Venatoria, Militaris, Nautica, Agricultura, Medicina, & Ars fabrilis, Seruiles dictæ, quòd hominibus è plebis genere conueniant.

Dialectica cæterarum. Facultatum ianua, & instrumentum.

Hæ porrò sunt facultates, in quarum ordine collocatam Dialecticam vides, ita tamen, vt ipsa ad cæterarum assecutionem ducat; dicaturque propterea, & earum IANVA, *cum per hanc intellectui pateſcat aditus ad illas, vocatur etiam* ὀργανικὴ Instrumentalis, *quippe quæ sit instrumentum, quo intellectus vtitur ad bonas artes, ac disciplinas comparandas: præceptionibus enim dialecticis instructus inoffensè per semitam veritatis incedit.*

Digitized by Google

IN LAVDEM AVTHORIS, & Operis.

Εἰς τὸν

ΣΟΦΩΤΑΤΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΝ ΣΥΓΓΡΑΦΕΑ

ΤΗΣ ΛΟΓΙΚΗΣ, ΦΥΣΙΚΗΣ, ΚΑΙ ΗΘΙΚΗΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ

ΚΑΡΟΛΟΝ ΡΕΝΑΛΔΙΝΙΟΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Τῆς ξιμερούς Σοφίης τόδε πάνσοφον ἔργον ἀνύσας,
Δεῖξε Ρ'εναλδίνιος πλεῖστον ἐῶν ῥαπίδων.

Ὅσσα γὰρ Ἀρχαίων νόος εὗρατο, ὅσσα καὶ αὐτὸς
Δόγματα, συντάξας, ἔνθετο τῇδε βίβλῳ.

Ἀμφὶ λόγοιτε, φύσιτε, καὶ ἤθεα, πολλὰ πονήσας,
Κόσμον ἑῆς ψυχῆς τοῖς ἑτέροις μετέδω.

Ἶσον Ἀριστοτέλῃ μοχθήσας, ἶσον ἐκείνῳ
Ἄξιος ὅστι λαβεῖν τοῦ καμάτοιο γέρας.

Ἦν δ' ἐθέλῃς καὶ μεῖζον, ἐπεὶ μέγα ἄπασε φέγγος
Ἀρχαίῃ Σοφίῃ, ἔστιν ὃς ἀντιλέγοι;

Εἰς τὴν αὐτὴν βίβλον.

Ἤθεα ῥυθμίζειν, φύσεος μυστήρια γνῶναι,
Καὶ λόγον ἰθύνειν φέγγει ἀξεκίνς,

Ἥδε Ρ'εναλδινίου βίβλος πιστοῖο διδάσκῃ.
Ὅσσον ἕλῃ ταύτην, πᾶσαν ἔχῃ σοφίην.

Ioannes Cicala in Patavino Lyceo
Philosophiæ Professor, Amicitiæ
μνημόσυνον.

Digitized by Google

IN EGREGIVM OPVS

Rationalem, Naturalem, Moralemque Philosophiam complectens.

EPIGRAMMA.

INspexit quondam Phrygio molimine iudex,
Si qua Deas inter pulchrior ulla foret.

Iuno suo renuit, renuit Tritonia vultu
Cedere, sed laudem Cypria Diua tulit.

Terna decus iactant Sophiæ quoque Numina: palmam
Omnibus antemicans, CAROLE, solus habes.

In idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

ZEnonem Ratio plaudit, Natura Thaletem;
Atque Animus Socratem, disseruisse sibi.

Nunc Natura simul, Ratioque, Animusque triumphant;
Cum triplex vnus CAROLVS egit opus.

AD LECTOREM

Parænetícon.

EPIGRAMMA.

NOscere qui mores rerum, causasque requiris;
Hoc tibi præ cunctis elige Lector opus.

Ignota hìc CAROLVS Naturæ arcana recludens
Innouat ingenio prisca, rudemque modum.

Hæc prior ipse ausus: tantis tu laudibus addas;
Hunc Sophiæ extremas imposuisse manus.

Sanctes Gomberti
Authoris Alumnus.

CARO

CAROLI RENALDINII

DISSERTATIONES DIALECTICÆ.

Rationalis Philosophiæ.

PARS PRIMA.

DISSERTATIO PRIMA

Prolegomena ad Dialecticam facultatem complectens.

SApienter admodum, vt opinor, vniuscuiusque Facultatis exordium à Prolegomenis, vt cum Græcis loquar, desumitur, in quibus de ipsa, nimirum de eius nominibus, multiplici vsurpatione, fine, re subiecta, natura, qualitate, necessitate, alüsque ad eandem spectantibus, disputatur. Sic enim principiò seipsam introspiciens, ea tractat, quibus rudis adhuc Lectoris animus instructus, atque de re vniuersa nonnihil admonitus, facilius, ac citius, ad singula percipienda conformatur. Propterea non inconsultò Philosophiæ rationali hanc partem aggressurus, ea præmittenda duxi. Prima igitur Dissertatio in ijs tota versabitur, quæ ad huius Disciplinæ conditionem, naturamque dignoscendam conducunt; proinde sit.

A prolegomenis ducendũ initium.

SECTIO PRIMA.

De varijs Dialecticæ nominibus, & acceptionibus.

Huius Facultatis nomina varia.

EA, quam tractandam suscipimus, Facultas varia nomina sortitur, nam Plato illam differendi artem appellat: Tullius veri, falsique disceptatricem, atque dijudicatricem: Augustinus artem artium, disciplinarum disciplinam. Communi tamen usu receptum est, ut duobus simplicibus nominibus appelletur, Logica videlicet, ac Dialectica, quæ paucis explicare non erit prorsus alienum ab instituto.

Logicæ nomẽ vndè sumatur, eiusque significatio.

Logica nomen est græcum à voce λόγος, deductum, quæ tametsi multiplicem habeat significationem, duo tamen præcipuè significare potest, nempè *rationem*, & *sermonem*. Quanuis autem huic facultati, utraque etymologia videri possit accommodata, magis tamen prima, ut Logica potius rationalis, quàm sermocinalis facultas dicenda sit.

Desumitur à ratione, & significat scientiam rationalẽ.

Vtramque retinendam expositionem perspicuum est. Prima quidem ei conuenit à λόγος pro ratione accepto. Ratio namque in præsenti explicatione gemino modo potest usurpari. Primò pro intellectu, qui ratio dici consueuit. Secundò pro eiusdem operatione quadam præcipua, nempè discursu. Duo igitur in causa sunt, cur ea, de qua loquimur, facultas rationalis mereatur nuncupari; & quòd versetur circa operationes, actusque rationis, & quòd speciatim circa præcipuam eius operationem occupata sit, à principaliori nimirum parte appellatione desumpta.

Desumitur quoq; à sermone scientiam que sermocinalẽ significat.

Secunda etiam consentanea illi est expositio, quatenus à græco nomine λόγος sermocinalis appellatur, prout sermonem significat. Hic porrò silentio minimè prætereundum, voces illas λόγος & *sermo* non tàm propriè sermonem vocibus exterius ore prolatis expressum, quàm mentis conceptus, quorum loco voces externæ substituuntur, significare; Cùm igitur λόγος, & *sermo* sermonem mentis, & sermonem vocibus expressum æquè significare possit; nihil obstabit, quò minus Logica sermocinalis etiam, non secus ac rationalis à sermone mentis appellatione mutuatâ, dicatur; & quoniam intellectus non modo format conceptus rerum, sed etiam vocum, quibus res ipsæ significantur, Logicam à conceptibus prioris generis suam accipere denominationem existimandum.

Quanuis autem utrinque denominationem in Logicam deriuari posse diceremus, non inconsultò aduertimus præferendam etymologiam illam à ratione desumptam, vt videlicet anceps quædam significatio declinaretur, quam subit nomen *sermo*, cùm in conceptibus mentis æquè, ac in vocibus consistentem sermonem significare possit.

Dialecticæ nomẽ differendi artem significat.

Sed ut Logica, ita etiam & Dialectica nimirùm à verbo græco διαλέγομαι, deriuatur, quod differere, disputareque significat; Quamobrem Dialectica differendi, disputandique artem indicabit. Propriè tamen nomen istud præcipuam quandam Logicæ partem insinuat, in qua de probabili discursu copiosè, cumulatèque disputatur, quæ quidem Topica nuncupatur. Tunc enim nos propriè dicimur disputare, cùm vtrinque probabiles rationes afferimus: vel ex una parte argumenta, ex alia responsiones adducimus, quod non tàm Dialecticæ proprium, vt Rhetoricæ non conueniat, quod Stagirites etiam aduertit, apud quem legimus scriptum non demonstrantis vtique, sed Dialectici esse interrogare, eam forsan ob causam, quoniam disputatio per interrogationem, ac responsionem apud antiquos perfici soleret, apud quos moris erat, vt, dum aliquis de quæstione quapiam interrogaret, alius autem responderet, interrogans satis paratus esset ad oppugnandum quidquid à respondente pronunciatum fuisset. Demonstratio autem, quippè quæ firmissimis, ac euidentissimis principijs innixa, vt omnem disputationem reiput, sic omnem interrogationem abijcit Dialectico illam relinquens, velut ei, quivt probabiles rationes ad disputandum adhibet, sic etiam interrogationes frequentat.

Speciatim significat Dialecticæ partem in qua de discursu probabili disputatur.

Traductũ fuit ad significandam vniuersam facultatem.

Nomen autem hoc idem vniuersæ Logicæ non immeritò inditum fuisse palàm inde fit, & apertum, quia tametsi διαλέγεσθαι, hoc est *differere*, probabiliter disputare significat, haud rarò tamen sermone uti, vel ignota ex notis, ac manifestis inferre denotat, quovis id discursu perficiatur. Quamobrem ad hanc facultatem uniuersam indicandam, non immeritò nomen istud traductum fuit, propterea quòd de quocumque differendi modo præcepta tradit; & in eo tota versatur, ut sermonem mentis ad veritatis normam conformet, & ad debitam rectitudinem perducat. Vndè hìc iterum inculcanda consideratio, quòd sermo, circà quem hæc est occupata facultas

Prælat illam appellare ratiocinalem.

Digitized by Google

tàm prout Logica, quàm prout Dialectica nuncupatur, geminam vsurpationem admittit, nempè & vt in conceptibus mentis, & vt in vocibus positus est, atque consistit. Quapropter Dialectica à διαλέγομαι, hoc est *dissero*, nuncupata, erit interpretanda, prout huiusmodi verbum, vti sermone mentis, non autem vocis significat.

Admittenda est Dialectica facultas.

Clarius est autem luce, facultatem hanc humanæ mentis directricem admittendam. Cùm enim operationes intellectûs humani quàm pluribus erroribus obnoxiæ sint, nec rarò à recto tramite deficiant, quod experientiâ satis est exploratum, ac eædem ad rectitudinem perduci possint; non est cur facultatem inficiemur, cuius præceptionibus illæ dirigantur. Et certè si dari possunt artes ad alias hominis operationes moderandas, dummodo varijs modis benè scilicet, vel malè possint exerceri, cur de mentis operationibus non asserendum idem?

Præoccupatio difficultatis cum solutione.

Si operationes mentis proculdubio naturales dicendæ, non nisi certo modo exerceri possent, neque contingeret benè, aut malè fieri, vt operatio videndi, audiendi, aliæque consimiles; quemadmodum benè, & malè fieri non possent, nullamque variationem subirent: ita nec ullam directionem admitterent, vt Stagirites etiam obseruat. ὅτε γὰρ τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων, ἢ γινομένων, ἢ τέχνη ἐστὶν, οὔτε τῶν κατὰ φύσιν. 6. Ethic. Cap. 4. *Neque enim eorum, quæ ex necessitate sunt aut fiunt ars est: neque eorum quæ secundum naturam sunt.* At mentis operationes non eodem semper exercentur modo, cùm benè, ac malè fieri ipsas contingat. propterea sunt artis, directionisque capaces, undè & naturales, & artificiales dici consueuere.

Affertur ratio ad ostendendam Logicæ possibilitatẽ.

Tantòque magis id affirmandum, quantò in hanc abeundi sententiam euidens admodum causa suppetit. Potest enim intellectus in seipsum reflectens se, in cognoscendo errasse, deceptum fuisse, simulque deceptionis causam notare, vndè præceptum sibi effingere, cui postmodum insistens operationes circa rem eandem ab omni prorsus erroris macula immunes exerceat. Et hic huius facultatis ortus, quæ deinceps varijs adaucta præceptis non absimili ratione adinuentis, maximum suscepit incrementum.

Logicæ facultatis ortus.

Eius Inuentor.

Quis autem tàm celebris disciplinæ Auctor primus extiterit, & cui primùm accepta referri debeat coniicere haud facile. Illud tamen nemini dubium, videlicet Aristotelem ingenij, qua pollebat solertiâ, & alacritate, si non omninò, magna saltem ex parte hunc sibi honorem, gloriamque posse vendicare. Si namque primò illam non adinuenit, tantum in ea tamen augenda temporis insumpsit, laborisque pertulit, vt præcæteris inuentoris gloriam meritus esse videatur.

Diuisio Logicæ in Naturalẽ, & Artificialem. Naturalis quid.

Celebris autem huius est disciplinæ partitio in naturalem, & artificialem, quod non semel innuit Philosophus. Naturalis utique non aliud quidpiam, quàm Intellectus, quo nimirum apprehendimus, iudicamus, atque discurrimus. Vel si mauis naturæ lumen nobis præscribens viam calcandam, ad ritè nostræ mentis operationes exercendas, ad clarè nimirum apprehendendum, verè iudicandum, & benè discurrendum.

Artificialis quid.

Artificialis verò quædam est ars, vel scientia potius, cuius præceptis imbutus intellectus, in suis obeundis muneribus errorem omnem potest abijcere, atque depellere.

Duplex eius perhibetur status. Vel enim in actibus consistit, quibus ratio cognoscit, quâ viâ sit incedendum ad rectè operandum, siue id proprio marte, siue præceptorum opitulatione consequatur. Vel consistit in habitu à commemoratis actibus relicto, quo deinceps aptior, ac promptior ad sua obeunda munera redditur.

Alia diuisio in Vniuersalem, & Peculiarem. Quid vtraque sit.

Aliam quoque diuisionem admittit in vniuersalem, & peculiarem. Prima est, quâ intellectus redditur instructus, ad benè, rectèque in vnaquaque re operationes exercendas. Secunda, quâ eruditur, ad ritè operandum in peculiari quapiam disciplina. Hic in animo nobis est, vniuersalem tradere, cùm peculiaris cuicunque facultati reliquenda peritia sit, proprio nomine παιδεία *pædia*, nuncupata. Vndè Philosophus in cuiusque facultatis genere geminum habitum recognoscendum arbitrabatur, quorum vnus in consideratione rerum, ad facultatem illam spectantium est occupatus: alter verò de procedendi modo, deque methodo adhibenda in ea præcipua edisserit facultate. Vt principiò nimirum admonitus intellectus de ijs, quæ & ordinem, & methodum respiciunt, expeditiùs, ac promptius deinceps, immò celeriùs etiam tractanda percipiat.

Diuisio altera in Docẽtem, & Vtentẽ.

Vulgaris, & satis frequens est illa quoque partitio à Græcis etiam communi calculo recepta Logicæ, scilicet in avulsam à rebus, & ipsis coniunctam, quam apud nostrates alijs vocibus expressam legimus, etsi minus eleganter in docentem, & vtentem.

Quid Logica docens.

Ea, quæ dicitur à rebus avulsa, docens itidem appellata est, nempè doctrina ipsa Logica, hoc est cognitio de dirigendis operationibus mentis, deque modo benè definiendi, diuidendi, & argumentandi, quæ varijs propterea, diuersisque præceptis continetur.

Quid vtẽs

Quæ verò adiungitur rebus, vtens nuncupata, est eadem adhibita in ipsarum intellectus operationum exercitio. Dum itaque cogitat intellectus, quâ ratione sit contexenda definitio, ad simplicem operationem, siue apprehensionem, & quodammodo cæteras dirigendas, puta, cuiusmodi esse debeat enunciatio pro directione secundæ, quoque tandem artificio sit vtendum ad directionem discursûs, tunc intellectus dicitur habere Logicam docentem. At cum in aliqua peculiari materia iuxtà præceptiones facultatis docentis definitionem, enunciationem, tandemq; discursum effingit, tunc vtentem habere Logicam dicitur.

Hæc diuisio in vniuersam cadit logicam facultatem.

Hæc porrò distributio vniuersæ Logicæ, non eius præcipuæ peculiarive parti nimirum Topicæ accommodata. Æquè enim in parte, vbi definitio, ac demonstratio consideranda suscipitur, doctrina de definitione, demonstratione que conficienda traditur, & præterea definiendi, ac demonstrandi vsus, æquè inquam datur, ac in Topica parte de probabili syllogismo. Neque mirum, nam vt usus demonstrandi ad doctrinam Logicam, in qua de demonstratione disputatur, sic vsus probabiliter disserendi ad Topicam spectat.

Quomodo inter se distinguũtur. Diuersorũ placita.

Hìc difficultas insurgit, quæ diu torsit Dialecticorum ingenia, quanta nimirum inter docentem, ac vtentem intercedat distinctio. Qua de re piget aliorum placita recensere. ne tamen ea videar penitus omisisse, paucis multa perstringens tantùm adnotabo, pleroque significasse tàm actus, quàm habitus Logicæ docentis, & vtentis re, & naturâ esse distinctos: Alios contrà nihil interesse: Nonnullos distingui re, sed non naturâ existimasse: Alios tandem non re, sed cogitatione tantùm discriminari credidisse.

Auctoris Sententia.

Vt autem quod sentio, paucis explicem, apertè dicam facile mihi fuisse in eam abire opinionem, vt arbitrarer docentem Logicam, siue prout in actibus, siue prout in habitu consistit, ab vtente longè, latèque distingui: Inter hanc tamen, & cæteras disciplinas, nihil penitus interesse discriminis: Quinimmò in materia ad Logicum spectante, & in cuius con-

sidet-

Digitized by Google

sideratione versatur, eundem actum, eundemque habitum, diuerso tamen respectu docentem, & ytentem dici posse, atque debere.

Explicatio Sententiæ. Intellectus enim cognoscit, qua ratione citra quodvis errandi periculum in aliqua debeat conclusione procedere deducenda, nimirum, ex suis principijs, & vt verbo dicam perspicit, qua via debeat; ad rectè conficiendam demonstrationem incedere. Huiusmodi autem cognitio Logica dicitur docens, quippè quę docet, ac dictat ipsum demonstrandi modum, vbi duo spectanda occurunt, & cognitio nimirum ipsa, & id, quod cognitio respicit, quodque res obiecta dicitur. Postea verò dum in aliqua peculiari materia ex. gr. physica exit in actum demonstrandi ad rem illam obiectam, tanquam prototypon, siue archetypon respiciens, physicam demonstrationem efformat. Hic autem actus duobus constat, & propriâ naturâ, & rectitudine, quam beneficiò Logicæ docentis est consecutus. Ratione quidem rectitudinis, quam induit, dicitur Logicus, qui secundùm propriam naturam, & vt aiunt, secundum substantiam Physicus dici debet.

Superioris assertionis ratio. Rem autem hunc se habere in modum id mihi persuasit, quoniam commune est cuicunque facultati directrici, cuilibet arti, vt res artefacta pro arte ipsâ vsurpetur, non modò enim ars fabrilignaria ex. gr. pro cognitione in mente artificis residente, siue vt in actu, vel in habitu spectetur, vsurpari potest; verùm etiam pro opere iuxta artis præcepta confecto: nec immeritò ob eam, quæ inter artificem ratione artis, & artefactum intercedit similitudo. Vt enim quod naturâ agit, effectum producit sibi cognatum, ac similem ratione formæ, qua constat; ità quod arte agit, scilicet artifex opus effingit intelligibili formę, siue exemplari à se concepto proportione respondens; eâ tamen lege, vt quæ naturales sunt formæ, habeant primò esse in agente in quo potestate, ac virtute continentur; mox autem in materia, in quam illud operatur, ità non absimili modo artefactorum formæ primò obtinent esse in mente artificis, quod ideale dicunt, postea in materia, quam idem artifex elaborat, perpolit, ac exornat.

Explicatur. Non dissimili igitur modo in re proposita philosophandum. Actus enim ille, quem elicit intellectus, physicus dicitur, quippè qui rem physicam attingit, illamque respicit, vndè suam, vt naturam ità quoque nomenclaturam sortitur, quia tamen opus est artefactum respectu Logici docentis, cùm rectitudinem præceptionibus docentis Logicæ, atque adeò similitudinem cum Logico exemplari, siue prototypo sit consecutus, propterea non immeritò Logicus dici potest, non quidem actus Logicæ docentis, & à rebus auulsæ, vti perspicuum est; cùm nec dictet, neque præscribat operandi modum, sed Logicæ ytentis, hoc est illius, quæ materiæ coniuncta est. Quod verò de actu, illud idem de habitu intelligendum volumus.

Logica docens, & ytens in materia Logica explicatur. Quoniam verò in subiecta Logicæ materia dari contingit operationes intellectus docentis Logicæ præceptis directas; cogitandum tunc actum illum, quem in huiusmodi materia intellectus exercet duplicem rationem subire, & vt Logicam materiam attingit operationes mentis dirigendi modum præscribens: & vt Logicis præceptionibus rectitudinem obtinet. Iuxta duplicem hanc considerationem hic actus & docens, & ytens dici poterit. Vt enim præscribit viam ad rectè operandum, docens dici debet, vt induit rationem illam rectitudinis à docente Logica sibi impertitam, ytens promeretur appellari.

Obiectio. Neque perturbet animum, quod sæpè sæpius vsu venire solet, aliquem videlicet Logicæ docentis optimè callere præcepta, ac ijsdem egregiè esse instructum, & nihilominus in eorum executione non leuem experiri segnitiem; quod non eueniet, si in hac, vel illa materia, quæ à docente Logica didicerat, se plurimùm exercuerit. hoc autem argumento esse videtur, præter habitum docentis Logicæ, cæterarumque disciplinarum alium nimirum ytentis recognoscendum, quo intellectus promptitudinem illam ad actionis exercitium consequatur.

Solutio. Sed hoc nihil negotij nobis facessit; ab eo namque, qui hunc disputat in modum, petendum in qua materia Logicæ præcepta, se illum exercuisse arbitretur, & in qua facilitatem, ac promptitudinem experiri affirmet. Si hæc physica ex. gr. dicatur, tunc occurrendum huiusmodi maiorem promptitudinem non aliundè, quàm à physico habitu prouenire.

Ratio altera ad idem. Quod adeò verum est, vt mirum sit oppositum in alicuius mentem cadere potuisse. Etenim si à distincto aliquo alio habitu, puta ytentis Logicæ prodiret, hoc indifferenti existente ad quamcunque materiam, cum intellectus physicos actus exercuisset, eandem facilitatem, ac promptitudinem experiretur, dum primùm alteri cuiuis facultati operam nauaret, quod à veritate tàm remotum est, quam quod remotissimum, vt assidua testatur experientia. Habitum igitur illum ytentis Logicæ à cæteris omnibus distinctum perperam induxerunt.

Rationis confirmatio. Quod indè magis mihi confirmatum redditur, quoniam nouus hic habitus distinctus, actus quoque distinctos sibi respondentes exposceret. At si intellectus in physica materia disputet, mihi satis est persuasum, dari quendam habitum actibus respondentem physicum appellandum; cumque huiusmodi actus debitam rectitudinem adepti fuerint dari in eodem intellectu Logicæ itidem docentis habitum, à quo rectitudinem prædictam obtinuerint, ita nimirum, vt ad eosdem actus physicos duplex concurrat habitus, nempè physicus eliciendo, & logicus docens dirigendo, vterque facilitatem præstans: distinctum autem hunc, alterum habitum superfluum omninò, cum ab eo nihil expectandum supersit.

SECTIO SECVNDA.

De vtilitate, conuenientia, ac necessitate Logicæ.

INquisitione dignissimum, & ab instituto minimè est alienum cum de re, nempè Logica ad certum finem, puta, cognitionis intellectricis directionem ordinata sit sermo, num videlicet ea, de qua loquimur, facultas, artificialis tamen à rebus auulsa, qua intellectus instruitur ad sui cognitionis rectitudinem consequendam vtilis, conueniens, ac necessaria dicenda sit.

Logica vtilis est, atque conueniens. Siquis est, cui probetur, inutilem, ac minimè conuenientem Logicam esse, is plane fatuus existimandus.

Ad sacram doctrinam intelligendam. Hæc enim ad Sacram doctrinam probè intelligendam, perspicuè interpretandam, Catholicamque fidem tuendam summoperè conducit.

Conducit ad dirigendam cognitionem intellectricem. Ac eiusdem vtilitas quammaximè splendet, quòd mirificè conferat ad intellectricem cognitionem dirigendam, idque nec Aristotelem præterit, qui Dialecticam commemorans dicebat, vtilem esse ad exercitationes, ad colloquia, & ad eas, quæ secundùm Philosophiam sunt, disciplinas; nec etiam Tullium, qui de ea loquens dicebat, inde summam 1. Top. c. 1

Digitized by Google

vtilitatem existere, maximeque delectationem ingenuam: Ait enim, ex qua cùm summa vtilitas existat ad res ponderandas, tùm maximè ingenua delectatio: Immò quosdam commendat, quòd iudicandi vias diligenter persecuti sunt eâ scientiâ, quam Dialecticam appellant.

à. Tuscul. Quæst.

Illud quoque maximè vtilitatem eius declarat, quòd hæc ad scientias reliquas comparandas præcipuè homini emolumento sit, atque præsidio.

Ad scientias comparandas.

Ad Rhetoricam summoperè, adeòut Dialecticæ propago dici soleat, vt loquitur Tullius, qui pariter asserebat, eandem esse Rhetoricæ finitimam, Oratorique necessariam, adeò, vt sine illa Rhetoricam is consequi non possit. Dialectica enim quædam constricta, & contracta Eloquentia est.

Ad Rhetoricam.

Obiectio cum Solutione.

Tametsi autem vsus obtinuerit, vt priùs Rhetoricæ, quàm Dialecticæ operam nauemus; tamen hoc nihil refert, cùm id aliunde non sit, nisi quia Rhetorica maximè sit Grammaticæ affinis, vtraque enim de loquendi modo pertractat: Vt omittam facilitatem longè maiorem ad illam, quàm ad Dialecticam capessendam, ad quod præsertim ordo doctrinæ respicit.

Ad Iuris peritiam.

Nec mediocris eius vtilitas ad Iuris peritiam consequendam apertissimo etiam Tullij testimonio, qui Seruium Sulpitium omnibus Iuris peritis illius ætatis præferendum duxit, dum de eo inquit; *nunquam ad tantam iuris peritiam peruenisset, nisi Dialecticam didicisset*:

Libro de clarisOratoribus.

Ad vniuersam Philosophiam capessendã.

Hanc autem eandem summoperè vtilem, atque conuenientem ad vniuersam assequendam Philosophiam, partim Mathesin, Physicam, & Metaphysicam complectitur, cuique perspectum, ac exploratum existimo; etsi vix commemoratas disciplinas è primo limine salutauerit; in eas enim incumbens non semel expertus erit, quanto sibi præsidio in benè definiendo, diuidendo, distinguendoque, ac argumentando Logicæ præceptiones extiterint, & quantum ad clarius, atque distinctius ad omnia percipienda ea, de qua loquimur, Disciplina profit.

Etiam Sophistica pars suam habet vtilitatem, adiunctã.

Quinimò tantæ est vtilitatis, atque conuenientiæ vt etiam eius pars, quæ alioquin haud mediocriter pernicioſa videri posset, summam habeat vtilitatem, atque conuenientiam adiunctam, cuiusmodi est Sophistica, à qua propterea non abhorrendum, quòd nos fallacia argumenta doceat, sed potius efferenda laudibus, & amplectenda cùm ad Hæreticos confutandos, & eorum argumenta, non nisi sophistica dissoluenda, ac euertenda etiam atque etiam conducat, & in quauis itidem materia ad propria animi sensa propugnanda fallaces aduersariorum argumentationes diluendo, nobis præsidio sit, & adiumento.

Insulsè ab aliquibus improbatur.

Insulsè verò non obscuri nominis viri illam detestantur eo nomine, quòd multi ex Hæreticorum agmine præceptionibus Logicis abutentes, insidiosis fallacijs suas hæreses adstruere niterentur. Non enim traditur, vt eam nos adhibeamus, sed vt dum alij contra nos eâ vtuntur, illorum argumenta prompte dirimere valeamus. Huc pertinet illud Aristotelis. *Oportet* inquit *vt contraria persuadere possimus, non vt vtraque faciamus, nam mala faciendo non sunt, sed ne nos latcant, quomodo se habeant & vt cum alij non iuste vtantur, orationes soluere possimus.*

Proponitur, an sit necessaria.

Etsi autem hucusque satis, superque Logica facultas vtilis, atque conueniens ostensa sit, nondum tamen eius necessitatem, de qua superest disputandum attigimus. Verum non vnus est necessitatis modus:

Necessarij diuisio in illud, quod est simpliciter: & illud quod est ex suppositione.

Primò necessarium dici aliquid potest simpliciter, & absolutè non habita ratione alterius, quodque nullo modo potest aliter se habere, sed omninò determinatum est ad esse, cuiusmodi solus est Deus Optimus Maximus, qui cum per se necessariò existat, à nullo pendet. Secundò ex suppositione necessarium aliquid est, ex suppositione inquam alicuius causæ, qua suppositâ determinatum est ad esse, hoc enim in creatis ex aliqua causa necessariò prouenit, ortumque ducit, quòd iuxta quadruplex causarum genus quadrifariam contingit ex materia, vt homo mortalis necessariò dicitur ratione materiæ contrarijs qualitatibus affectæ. Ex forma, vt necessarium est triangulum habere tres anglos æquales duobus rectis. Ex efficienti necessarium id est, quod ea posita non potest non produci, quod bifariam euenire potest, vel scilicet per naturalem consecutionem, vt dies comparatione Solis nostrum hemispherium adspicientis, hoc enim posito, non potest non esse dies; vel per vim, ac violentiam, vt cum sagitta ascendit, necessariò vi proijcientis: vel demum ex fine, quod videlicet ad illius consecutionem necessariò exigitur, veluti nauis ad trasmittendum mare, quod gemino modo euenit. Vel enim ità se habet, vt sine eo finis obtineri nullo modo possit, diciturque necessarium ad esse, seu simpliciter, vt cibus ad vitæ conseruationem: vel itaut eo melius, & commodius finis acquiratur, licet absque illo possit quoquomodo comparari, dicique solet necessarium ad benè esse, siue vtile, siue secundùm quid.

Diuisio necessarij ex suppositione in quatuor genera ex materia, ex forma, ex efficienti.

Ex fine.

Hùc etiam pertinet illa Dialecticæ partitio. ex Aristotele superius commemorata, dum ait *homines, aut naturâ Dialecticos & Rhetores esse, aut arte*. Naturalis porrò vel intellectus est, vt supra innuimus, perinde vt ex propria, & specifica differentia discurrendi, & ex noto ad ignotum progrediendi vim habeat; vel si mauis notitiæ quædam modorum differendi, quas ratio ipsa qualicunque ordine parit, & sua sponte in aliarum rerum adhibet cognitione; dicique potest imperfecta, & inchoata quædam Dialectica. Altera verò nempè artificialis, quæ & perfecta dici consueuit, multitudo est præceptorum ordine digesta, ac vsu comprobata.

Prima Rhetoricæ Cap. primo.

Scientiæ diuisio in integram, & ex partes.

Præterea scientia, vel integra est in multitudine quadam habituum consistens, vel eius est pars, vnica, vel altera conclusione constans.

Scientiæ duplex acceptio.

Hìc quod in re proposita magni momenti est, non præteribo, videlicet scientiæ nomine, vel intelligi posse, quod intelligi debet vocè adhibitâ cum proprietate habitum firmissimis rationibus comparatum, vel tantùm vt vulgò accipitur, vtcunque acquisitum, siue nimirum demonstrationibus, siue probabilibus argumentis, quo pacto in hac vita mortali facultates omnes, Mathematicis exceptis disciplinis, nobis licet adipisci.

Bifariam scientia dicitur perfecta, vel imperfecta.

Præterea perfectam scieantiam, vel imperfectam dici duobus modis est manifestum, vel extensione scilicet, vel intensione, priori modo imperfecta est, quæ in vnica, vel paucissimis conclusionibus consistit, vt perfecta contra in quamplurimis. Secundo modo imperfecta erit; dum quæ cognoscuntur non tantâ claritate, quantâ rei natura patitur, ab intellectu, percipiuntur, vndecunque claritas, atqe distinctio cognitionis oriri possit, perfecta autem erit si contrario se habu erit modo.

Naturalis Logica est necessaria simpliciter.

Tempus insumere, laboremque perferre in naturalis Logicæ necessitate demonstranda, quæ simpliciter ex suppositione dicitur, superuacaneum existimo; Si

Digitized by Google

Si nanque ad rectitudinem cognitionis, & ad acquisitionem cæterarum disciplinarum cuiuscunque generis, intelligendi facultas simpliciter requiritur, & quibusdam in quauis obiecta materia primis notitijs est opus, cum in omnibus his, vel in horum aliquo naturalem Dialecticam positam esse diceremus, nemini profectò dubium, quin hæc simpliciter, & ad cognitionem dirigendam intellectricem, atque adeò ad vnamquanque disciplinam capessendam necessaria dicenda sit.

Logica artificialis non est necessaria simpliciter.

Artificialem autem Dialecticam præuiam simpliciter minimè necessariam homini, ad consequendam rectitudinem propriæ cognitionis intellectricis, & ad cæterarum disciplinarum consecutionem adeò certum, ac exploratum, vt mirum sit, quosdam in contrariam sententiam penitus abijsse. Iis enim optimè fuisse perspectum crediderim antè Dialecticæ inuentionem in omni genere disciplinæ doctos extitisse, vt

Multi destitutu Logica artificiali euasserunt eximij Mathematici, ac Philosophi,

Ægyptios, Hebræos antiquiores Zenone Eleate Dialectricæ primo Inuentore, in Mathematicis, nempè plurimùm excelluisse, sic etiam Thaletem Milesium, aliosque ex Græcis in Moralibus, & Naturalibus præclarissimam laudem fuisse consecutos, monumenta testantur. Nec minus hac tempestate quamplurimos adinueniri in aliquibus disciplinis nullius Dialecticæ quidem opitulatione egregiè versatos, adeò perspicum est, vt nihil supra, ex quò facilè intelliges, vt opinor ad intellectricis notiæ directionem, & ad consecutionem cæterarum scientiarum artificialem Dialecticam haudquanquam necessariam esse dicendam.

Intellectus potest elicere plures, ac plures actus spectantes ad diuersas scientias, quamuis non instructus præceptionibus logicis.

Neque dubium sanè quin Dialecticæ artificialis etiam si expers, hoc est quamuis intellectus in se ipsum, vel in suos actus minimè reflexerit, plures, pluresque cognitionis actus rectos ad quodlibet notitiæ genus spectantes possit elicere; cùm satis experientiâ sit comprobatum sepè sæpius eum rectè apprehendere, iudicare, & quod caput est, discurrere, etsi omni prorsus artificialis Dialecticæ auxilio destitutum. Neque mirum, pleraque enim propositiones adeò sunt obuiæ, atque perspicuæ, itemque consecutiones adeò manifestæ, vt ab intellectu, quamtumuis inculto, ac indisserto, præsertim in facili subiecta materia, puta Arithmetica, Geometrica &c. statim assensum extorqueant.

Confirmatio superdictorum, eo quod, alioquin in infinitum foret abeundum.

Immò nisi id ità se haberet, foret in infinitum abeundum, à quo quantum Natura abhorreat, neminem fugit; si namque in quauis materia quædam primæ notitiæ non concedantur, quas intellectus nulla opitulante Logica artificiali suâ tantùmnacie penetrare valeat; sed potius ad earum veritatem explarandam artificialis Dialecticæ præcepta requirantur, cùm hæsint procul dubio discursu comparatæ, petendum, num ad huiusmodi discursum artificiali sit opus Logica, vel non; si secundum id est, quod intendimus atque adeò in eadem sententia versamur; Si primum iterum de illo discursu percontandum, atque adeò alterutrum omnino necesse est, aut aduersarios à nobis minimè dissentire, vel ex eorum opinione in his nullum dari terminum, & in infinitum esse abeundum. Terere igitur tempus ij profectò videntur, qui tàm studiosè præuiam Dialecticam artificialem ad intellectricis cognitionis directionem, & ad aliarum disciplinarum acquisitionem conantur ostendere.

Frustra tempus terunt, qui contendũt artificialem logicam præmittendã esse cæteris disciplinis.

Responsionis præoccuparo, & confutatio,

Neque hinc te euasurum putes, dicendo, nempè discursum, quo Artificialis Logicæ præceptiones comparantur, etsi ex primis, veris, immediatis notioribus, causisque conclusionis [Id enim negare non licet] constantem, ac ob id certum, & infallibilem demonstrandi vim tamè non habere, quòd Logica scientiæ rationem non obtineat, proindeque alio præuio artificio logico non indigere, quod tantummodo ad veram demonstrationem, seu discursum habentem demonstrationis vim, scientiamque requiri decernitur. Si namque ad huiusmodi discursum Logica requiritur, non est cur ad illum, qui ex primis, veris &c. consta t prærequiri non debeat; eâdem igitur difficultate vexaris. Insulsè tamen huiusmodi discursui de monstrandi vim denegabis.

Præoccupatio difficultatis eiusque solutio.

Et quamuis, vt quispiam scientiam dicatur adeptus, debeat habere perspectum se discurrendo non erasse, quin imò ritè hanc operationem exercuisse, id enim scientia videtur requirere. Nihilominus certò poterit ille cognoscere, & clarè etiam aduertere, se minimè deceptum fuisse, cùm ad id rationis lumen supposita præsertim rei, de qua agitur, claritate satis quidem sufficiat, nec ad scientiam aliud quidpiam desiderari debeat.

Alterius difficultatis præoccupatio, eiusdemque solutio.

Ignorabit enim ille, quippè destitutus artificiali Logica se adhibuisse discursum huius, vel alterius figuræ modo constantem, & ijs conditionibus præditum, quibus esse debet ad scientiam pariendam, quinimò continget, vt sit penitus istarum vocum ignarus, tamen cùm ad scientiæ consecutionem satis ei sit nouisse, in nullum errorem fuisse lapsum, hinc propterea desumut inefficax argumentum, ad ostendendam simplicem Dialecticæ necessitatem prò cognitionis directione, & acquisitione scientiarum.

Præoccupatio alterius difficultatis eiusdem cum superiori, eiusque solutio.

Duo quidem sunt ad veram cuiusque rei scientiam comparandam penitus necessaria, certitudo nimirum, ac immutabilitas rei obiectæ, & firmitas ex parte intellectus cognoscentis. Primum in re ipsa supponitur, nec aliud est quidpiam, quàm necessitas, vt vocant, complexa, qua nimirum prædicata in re illa tam necessariò cohærent, vt vi nulla seiungi possint; Secundum in illa certitudine positum est, qua intellectus nouit, se discurrendo non erasse. Hoc tamen quamuis in ijs, quæ obscuriora sunt, quæque maximè à primis principijs recedunt intellectus omni artificiali Logica destitutus ægrè admodum consequi possit, in ijs tamen, quæ primis principijs iunt valde coninncta, & quorum materia satis obuia est citra laborem, veritatem assequetur.

Logica artificialis est necessaria ex suppositione ad bene esse seu secundum quid.

Necessariam autem alio necessitatis genere, nimirum ex suppositione ad benè esse, seu secundum quid ad perfectam, ac integram directionem intellectricis notitiæ, & ad cæterarum disciplinarum adeptionem, vt Maiores voluerunt, ratio validissima suadet. Dicebant illi, ad omnes artes, ac scientias necessariam esse immò ad summi boni contemplationem, vt Plato, cui adstipulatus Stagirites, non semel eandem veritatem inculcans, dicere solebat, veteres ob huius Artis ignorationem in quamplurimos errores incidisse, & speciatim in omnibus mentis operationibus exercendis, in definiendo scilicet, diuidendo, ac argumentando ob eandem causam erasse. Quinimò Tullius Epicureos errores non aliunde, quàm ex Dialecticæ contemptu duxisse ortum existimat.

Cur homo pluribus artibus indigeat, atq; adeò Dialectica.

Et certè cur plurimis artibus indigeat homo, ad suas exercendas operatioes, ea est causa, quoniam in illis possunt errores contingere, & potest homo à recta operandi norma deflectere; non dissimiliter cum is in cognoscendo decipiatur, ac erret, propterea necessaria fuit aliqua Ars, cuius præceptis instructus, errata omnia declinaret, & sic perfectam, & integram directionem suæ cognitionis, scientiarumque consecutionem obtineret. Huismodi porrò Dialectica est quippè quæ in studium dirigendæ cognitionis intellectri-

Digitized by Google

lectricis incumbit.

Ostenditur eius necessitas ex suppositione ad bene esse.

Eius autem necessitatem esse, quam diximus, ex suppositione ad bene esse palam est, & apertum; eam requiri ad consecutionem integræ rectitudinis Intellectus pro adeptione totius scientiæ; vt omnino perfectæ, tàm scilicet intensione, quàm extensione, vel propriè, vel impropriè acceptæ argumento est, eam ex suppositione ad bene esse, necessariam esse.

Ratio magis explicatur discurrendo per singulas tres intellectus operationes.

Ità quidem vt Intellectus humanus, ne in sua prima operatione decipiatur, hoc est vt rem clarè, perspicuèque apprehendat, limitione indiget, quam etsi natiuo lumine quoquomodo effingeret, longè tamen meliùs illam perficiet, dum supra se reflectens ad illam elaborandam operæ pretium aduerterit exploratum habere, quid res cognoscenda commune habet cum cæteris, & id etiam per quod à cæteris secernitur, atque disiungitur; nimirum oportet intellectum ijs esse præceptis instructum, quibus optima definiendi ratio continetur, quod est artificialem Logicam ad perfectam primæ operationis rectitudinem consequendam præhabuisse.

Non dissimiliter secunda, quæ dicitur operatio nempè iudicium, cum falsum subire possit, directione indiget, vt veritatem assequatur, quam etsi intellectus sua naturali vi possit attingere, ac debito modo hanc operationem ab erroris labe immunem exerere; longè tamen facilius, ac meliùs, cùm ad se ipsum respiciens aduertit, quæ nam sit deceptionis occasio, ac vnde sit vt iudicando verum non assequatur, variâque negotiatione enunciationum præcepta efformauerit, quod est artificialis Logicæ præceptionibus esse munitum ad secundæ huius operationis rectitudinem assequendam.

Tandem discurrendo ex noto ad ignotum in plures errores incurrit, cùm nimirum ex vna, aut duabus propositionibus cognitis prauè aliam infert, atque deducit, vnde sæpè deceptio contingit, quoniam conclusionem veritati conformem arbitramur, quam ex veris propositionibus deduximus, cùm tamen à veritate penitus aliena esse possit; quòd scilicet vitiosa fuerit illatio; propterea directionem expectat, quam etsi Intellectus proprio natiuo lumini innixus quoquomodo assequi possit; multò tamen facilius, ac meliùs ad seipsum respiciens si errandi causam notauerit, eandemq; remouendi modum præscripserit, quod est artificialis Logicæ præcepta efformasse, ac ijsdem esse paratum aduersus errata illa, quæ in huiusmodi operatione possunt accidere.

Maior autem, vel minor hæc necessitas erit, prout ea; in quorum studium intellectus incumbit, clariora, vel obscuriora fuerint.

Tantâ igitur, nempè ex suppositione, necessitate humanus intellectus ad suæ cognitionis integram rectitudinem ad cæterarum disciplinarum adeptionem sibi debet artificialem Logicam adiungere.

Artificialis Logica quodammodo ad seipsam necessaria.

Estque, & aliud non sine admiratione spectandum; nimirum Logicam artificialem esse quodammodo ad seipsam necessariam:

Id ratione probatur.

Ad eum sanè modum, quo intellectus necessariò postulat artificialem Logicam pro adeptione cæterarum disciplinarum, ità etiam pro eiusdem Logicæ consecutione; hæc enim quoque scientiæ rationem sortita non secus ac aliæ scientiæ directionem intellectus supponit, quæ cùm huiusmodi Logicæ præceptis comparetur, necesse est hanc ad Logicam, non secus ac ad cæteras disciplinas prærequiri.

Explicatur ratio, magisque comprobatur.

Id porrò satis apertum, ac manifestum fiet, si facultatem hanc pluribus constare partibus obseruemus, quarum vna prærequiratur ad aliam. Ità quidem prima, quæ intellectricis cognitionis generatim acceptæ directioni dat operam, necessaria erit ad sequentes; quæque secunda est, primam operationem dirigendam assumens, necessaria erit pro aliarum directione consequenda, & ità deinceps: rursus etiam, intra singulas commemoratas partes, aliæ quoque sunt, quarum vna ad aliam necessaria erit.

Mutuò se adiuuant Logicæ partes.

Quinimò posteriores ad priores quodammodo necessariæ videntur, itaut mutuò se adiuuent; In priori namque tradenda parte, operationem in posteriori dirigendam adhibemus. Ità sanè in prima omnes tres operationes postea dirigendas exercemus, cùmque instituitur sermo de primæ operationis directione, onus incumbit intellectui enunciationes, & argumentationes efformandi, ac vbi de secunda operatione disputandum suscipitur, cogitur intellectus argumentationes efficere, quod citra vitiosum, inutilemque circulum, nempè quòd prima pars sit necessaria ad secundam, & vicissim, vnde prima sit necessaria ad seipsam, euenire compericmus, si præoculis habeamus futurum quidem circulum, quando eadem, eodem penitus modo ad seipsam necessaria diceretur. quod certè non asserimus, sed potius vt ruditer, & imperfectè traditam, ad seipsam perfectè, & exactè tradendam necessariam ducamus, vnde nec etiam vllum incommodum, si posterior pars, vtpotè imperfectè tradita, ad priorem perfecto modo tradendam necessaria esse dicatur.

Nec præterea committitur circulus.

Difficultas proponitur.

Posset autem quispiam inde sibi persuasum reddere nullius prorsus necessitatis esse facultatem hanc artificialem ad cæteras scientias capessendas; quoniam naturalis habitus, cuiusmodi foret hic, de quo loquimur, non ad simpliciter, sed ad facilius posse conceditur; Nihil obstabit propterea, quominus intellectus hoc habitu destitutus etsi difficilius, cæteras disciplinas perfectissimo modo consequatur. Nulla tamen est consecutio, quoniam etsi suppositâ claritate subiectæ materiæ solo naturæ lumine possit humanus intellectus rectè operari. hoc tamen latitudinem habet, vnde necessaria dicetur artificialis Logica ad scientias perfectiori modo comparandas, quod eius necessitatem ad bene esse, & secundum quid tantùm ostendit; Maior enim, vel minor perfectio ad scientiæ modum, non ad substantiam pertinet. Quinimò etiamsi excellenti perfectionis gradu, non citra tamen difficultatem, nulla opitulante artificiali Logica, concederemus ab intellectu scientias acquiri posse, non maior hinc necessitas, quam ad bene esse, & secundum quid probaretur; cum facilius, vel difficilius illas adipisci, non ad earum substantiam, sed ad modum pertineat. Ex quo facilè tibi persuasum erit insulsè admodum eos fuisse locutos, qui dicebant ad scientias saltem perfectè acquirendas, simpliciter artificialem Logicam requiri. Nihil enim hoc necessitatis genere necessarium dici potest, quod ad modum, & non ad substantiam finis requiritur. Vnde splendidè constat ab ijs omnino pugnantia dici; nam artificialis ista facultas, si ad modum acquirendi scientias non ad substantiam requiritur, ad bene esse, & secundum quid tantùm necessaria erit; ineptè igitur aiunt eam simpliciter necessariam esse; quandoquidem tunc non ad modum, sed ad substantiam ipsarum, veluti finis requireretur.

Propositæ difficultati occurritur.

Etiam ad Scientiam practicam eodem genere necessitatis necessaria dicenda, nempe secundum quid.

Quòd si quispiam existimet saltem, ad practicas scientias consequendas nullam penitus huius artis esse necessitatem, quòd hæ tantummodo rectitudinem operis, non veritatis indagationem respicere videantur, quasi vnâ tantùm prudentiâ indigeant; is in summo versatur errore, scientia siquidem etsi practica, adhuc

adhuc tamen veritatem respicit, licet in ea minimè fistat. Quamobrem si ex suppositione ad scientias assequendas contemplatrices dicatur necessaria, ad practicas quoque dicenda erit. Adeoque sic necessaria est modo iam explicato ad alias disciplinas perfectè comparandas, ut ad sui pariter absolutam consecutionem necessaria dicenda sit. Quæ enim agit de terminis simplicibus ad primam dirigendam operationem conducens, deseruit quamplurimùm ad partem aliam assequendam, in qua de secunda operatione dirigenda disputatur; & hæc etiam ad aliam, ubi de discursu disseritur.

Conclu. situr necessaria ad omnes alias disciplinas eodem necessitatis modo.

1. Difficultas proponitur, atque diluitur.

Neque dicas uniuscuiusque scientiæ esse in propria materia rectè procedere, atque adeò id aliundè minimè expectandum. Fatebor enim non expectandum id ab artificiali Logica, quasi hæc sit simpliciter necessaria; sed ut hæc necessaria est ad benè esse.

2. Alia difficultas proponitur, eidemque occurritur.

Tametsi autem disciplina quælibet suas definitiones, ac diuisiones habet, unde coniiciendum videatur ad earum acquisitionem nullam huius artis esse necessitatem; quoniam si quæ necessitas concedenda, maximè propter definitiones, ac diuisiones efformandas videretur. Non tamen id dicas; nam tametsi quælibet disciplina suas peculiares definitiones, ac diuisiones habeat, optimam tamen earum effectionem à Dialectica recognoscit.

3. Proponitur difficultas, & eidem fit satis.

Nec animum perturbet illa difficultas, quòd ad scientiam duo necessaria sint, principia scilicet per se nota, quibus absque medio præbeatur assensus; & ex illis certæ conclusionis deductio, cùm ad vtrumq; tamen sufficiat naturæ lumen; de primo nulli dubium; de secundo pariter, quoniam consecutionis necessitas principijs per se notis innititur; *Dici de omni*; & *Dici de nullo*. Nullius enim hæc sunt momenti, non quidem (ut ab aliquibus insulsè dicitur) eò quod ita ratiocinando probatur tantùm naturæ lumen extendi posse ad unam, vel alteram conclusionem à principijs per se notis proximè deductam, ad cæteras tamen remotiores extendi non posse nullius artis opitulatione, cum in his consecutionis necessitas absque Dialecticæ præceptis cognosci non possit. Hæc enim ineptè dicuntur, cùm satis cuique perspectum sit integram aliquam disciplinam non in postremis habendam, ut Arithmetica est, ac Geometria, nullo artificio logico comparari posse. Difficultati propterea longè melius occurritur, concedendo totum id naturæ lumine tantùm ab intellectu fieri posse, etsi huius artis præceptis destituto, non tamen adeò facilè, expeditè atque perfectè, ac si huius facultatis præceptis foret imbutus, quod est hanc ad benè esse necessariam fateri.

Dialectiæ ortus explicatur.

Hinc itaque perbellè cuiusmodi sit egregiæ huius disciplinæ ortus intelligitur, nam cuicumque mortalium aliquam Dialecticæ, Rhectoricæque partem natura largita est. Quocirca Stagirites inquit. Διο καὶ πάντες πως τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν. *Idcirco omnes homines sunt aliquo modo participes*. Et subdit πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν, καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ διαλογίζεσθαι, καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσιν. *Omnes enim aliquo vsque, & exquirere, & rationem reddere, & defendere, & accusare aggrediuntur*, ad ostendendum nimirum, ità formatos esse homines à natura, ut & Rhetoricæ, & Dialecticæ sint aliquo modo participes. Duo enim Dialectici, ut omittam Rhetoricum, officia sunt, videlicet exquirere, & rationem reddere, quorum vtrumque naturâ, vel consuetudine quisque præstare solet, cum fuerit imperitus, nullâque doctrinâ excultus, quò pertinet illud Stagiritæ. τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν τοῦτο τυχῇ ποιοῦσιν, οἱ δὲ διὰ συνήθειαν καὶ ἕξιν.

1. Rhetor. cap. 1.

2. Rhetor. cap. 1.

At, ex imperitorum numero quidam hæc temerè, casuque faciunt: quidam autem habitu quodam animi longo vsu comparato. Sed qui absque exercitatione, ipsâ tantum naturâ duce, hæc satis pro dignitate præstant. aliàs melius, aliàs deterius suo munere funguntur; quippè qui calcandam viam ignorant, vndè temerè, casuque id facere dicuntur. Si verò temerè tantùm, casuque contingeret, ut alius alio melius diceret, aut disputaret, nulla profectò de his ars statuenda videretur. Non enim res fortuitæ, quarum nulla certa causa proferri potest, artis præceptis comprehendi possunt, neque quod temerè perpetuò fit, id vllo modo fieri artificiosè potest; quòd si quodam vsu tantùm, atque consuetudine idem accideret, nec etiam sub artem caderent; non enim earum rerum, quæ tantùm vsu constant, ratio, aut causa firma apparet, quæ leges artis subire queat; cùm autem vtroque modo fieri contingat, nempè vt aliqui temerè casuque, aliqui verò ex consuetudine, atq; habitu melius, quàm alij dicant ac disputent, proculdubio de his ars statui potest; propterea quòd cùm hæc neque tantùm fortuitò, neque tantùm consuetudine fiant, potest inquiri causa, cur utrique, quod volunt, assequantur. At cùm quispiam alicuius rei causam, atque rationem exploratam habuerit, eadem quoque de re artem adeptus erit; ità quidem intellectus cæpit experiri modum benè, malèque exercendi proprias operationes, ac sæpissimè in singulis periculo facto, errandi causam aduertens, diuersa, variaque præcepta efformauit, quibus deinceps instructus, ab erratis declinaret; atque hunc in modum omnia congessit in artem, quæ artificialis Logica nuncupatur, de modo rectè procedendi in intelligendo disceptans. Exindè verò alia plura, & ex his rursus plura temporis decursu sapientum industriâ inuenta, excogitataque sunt, donec tandem absoluta fuerit.

Nec id mirum; unius enim cuiusque artis ac disciplinæ hunc esse ortum, ex Aristotele quidem addices, qui ad hæc respiciens dicebat. Ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις, γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. *Per experientiam ars, & scientia hominibus efficitur. Fit autem ars, cum ex multis experimentalibus conceptibus vna de similibus vniuersalis opinio fit*; Experiendo siquidem principia decernimus, quibus veluti iactis fundamentis, postmodum vniuersam artis, disciplinæque machinam extruimus. Quod alibi pariter inculcans ait Διπλῆς δὲ τῆς ἀρετῆς οὔσης, τῆς μὲ διανοητικῆς, τῆς δὲ ἠθικῆς, ἡ μὲ διανοητικὴ, τὸ πλεῖστον ἐκ διδασκαλίας ἔχει καὶ γίνεται καὶ τῶν ἄν ξησιν· διόπερ ἐμπειρίας δεῖται καὶ χρόνου. *Duplex autem cum virtus sit, altera quidem intellectiua, altera verò moralis, intellectiua, sanè plurimùm ex doctrina habet, & ortum, & incrementum, quapropter experientiâ indiget, & tempore*. Ex Philosophi igitur sententia virtus, quæ in intelligentia, rationeque posita est, ex parte à doctrina tum ortum, tum incrementum, ac accessionem habet, cum artes omnes, ac disciplinæ discendo, hoc est, præeunte doctore comparentur; rectè verò dixit τὸ πλεῖστον *vt plurimum, aut plerumque*; quia non semper virtus rationis acquiritur doctrinâ, hoc est discitur à docente, sed interdum inuentione propriâ comparatur, quanuis hoc rarò contingat. Vel vt alijs placet τὸ πλεῖστον. *magna ex parte*, quoniam cætera quoque adiumenta, & præsidia ad doctrinam oportet accedere, scilicet ingenij bonitatem, vsum, exercitationem, ac experimentum; quæ statim addit Philosophus affirmans inde consequens fieri, vt rationis, cogitationisque virtutes, non nisi beneficio tem-

Vniuscuiusque disciplinæ similem ortum esse docuit Arist. 2. diuin.

2. Ethic. cap. 1.

Digitized by Google

temporis, ac experimenti parari possit; διὸ περὶ ἐμπειρίας δεῖται, καὶ χρόνου. *quapropter experientiâ indiget. & tempore.* Artes enim, atq; doctrinæ omnes, cùm latentem veritatem inquirant, alienis laboribus, ac inuentis uti debent, præeunte quidem magistro, ac demum experimentis insistere, quæ tempus diuturnum exposcunt, vbi doctrinæ nomine non tantùm institutio, quæ à docente prouenit, sed etiam ipsa ratiocinatio intelligentiæ à principijs, & causis ad conclusiones, & effectus vsque deueniens intelligitur; experimenti verò nomine intelligenda propriarum actionum frequentatio, & alienarum animaduersio. Hæc igitur doctrina, quæ non aliena tantùm est institutio, sed etiam propria ratiocinatio, postulat experimentum, scilicet obseruationem alieni laboris, quæ est à docente, & propriarum actionum frequentationem, quæ in usu ac exercitatione posita est; hinc temporis iustum spatium requiritur; quod enim experimento discitur, hoc est frequentatione propriarum actionum, & ratiocinationis vsu, ortum habet à sensibus visu nimirum, auditu, & reliquis; hoc autem non nisi diuturnitate temporis potest obtineri. Tria igitur sunt, quibus rationis, & intelligentiæ virtus comparatur, natura scilicet, doctrina, & vsus, vel experimentum, siue exercitatio.

Logicæ, & cuiusque disciplinæ modus à natura, perfectio ab vsu, & exercitio.

Ex quo facilè intelliges, tam Logicæ, quàm cuiuslibet alterius artis, ac disciplinæ modum à natura incipere, vsu verò, ac exercitio deinde perfici.

Maiores laudes primis rerum inuentoribus deberi.

Et rursus etiam cognosces longè maiores laudes primis artium inuentoribus deberi, quam ijs, à quibus decursu temporis fuerunt adauctæ; principium enim ipsum summi laboris est, quò spectant Aristotelis verba. μέγιστον γὰρ ἴσως ἀρχὴ παντός. ὥσπερ λέγεται, διὸ καὶ χαλεπώτατον, ὅσῳ δὲ κράτιστον τῇ δυνάμει, τοσούτῳ μικρότατον τῷ μεγέθει, χαλεπώτατον ἔχον ὁρᾶσθαι: τοῦτος δὲ διωρισμένης; ῥᾴδιον τὸ προσθεῖναι, καὶ συνάξαι τὸ λοιπόν ἐστιν. *Maximum enim fortassè principium omnium. vt dicitur, quare & difficillimum; quanto enim potestate validissimum, tanto mole minimum difficillimum est videri: eo autem comperto facile est adijcere & coaptare reliquum.* Quod autem difficile, illud quoque præclarum. Ita fit, vt primi rerum inuentores magnas laudes consecuti sint, & plurimi etiam in Deos relati, vt Bacchus, qui primus vinum reperit, Ceres, quæ frumentum, Minerua, quæ artes: huiusmodi autem viros, quibus nimirum rei alicuius inuentio tribuenda sit, maximis, diuinisque laudibus dignos Aristoteles esse testatur, ita Cadmus apud Græcos cælebris, cùm ijs primus literas tradiderit, Nicostrata mater Euandri, quæ latinas literas adinuenit Empedocles, qui Rhetoricæ, Zeno Eleates, qui Dialecticæ initium dedit.

a. Elench cap. vltimo.

SECTIO TERTIA.

An Dialectica inter scientias annumerari debeat, & an in veritatis contemplatione sistat, an potius progrediatur ad opus.

Varię sententiæ referuntur.

SI quid parum est veritati conforme, parumque rationi consentaneum illud profectò, vel Dialecticam ad nullum ex sex vulgatis intellectûs habitibus pertinere, sed instrumentum, modumque sciendi; vel opinionem, aut artem esse dicendam.

Reijcitur eorũ opinio, qui dicunt ad nullum ex habitibus intellectus Logicam pertinere.

Quid improbabilius, & à veritate quid alienius, quàm primus ille dicendi modus? Tametsi enim hanc, de qua loquimur facultatem, cò nomine appellandam instrumentariam existimemus, quòd intellectum dirigendo, ac regulando, cæteris comparendis disciplinis inseruiat; hæc tamen inde naturam non consequitur à cæteris habitibus intellectûs ita diuersam, vt ad eorum aliquem reuocari minimè patiatur.

Reijcitur sententia dicentium esse opinionem;

Nec modus alter ordine secundus probabilitatis multum sibi conciliare post, quòd Dialectica doceat in vtramque disputatæ partem argumentis tantummodò probabilibus vtens, & quòd circa contraria probabiles tantùm adhibens rationes ipsa versetur. Nam vt præteream hoc solùm in eius præcipuam partem cadere, quæ Topica nuncupatur, non enim ista, quæ præscribit præcepta, solùm probabilibus rationibus confirmat, quin potiùs necessarijs argumentis illa demonstrat, ac in omni sui parte ad eum modum hæc facultas procedit, vt necessariò, certè, ac euidenter omnia concludat.

Obiectioni occurritur;

Nec negotij quidquam nobis facessit, quòd hæc vniuersa facultas innumeris ferè difficultatibus inuoluta, quæstionibus, disputationibusque contexta sit. Cuilibet enim arti, ac disciplinæ geminum statum concedendum; neminem præterire crediderim; vel prout secundum se tradi potest; vel prout in hac vita mortali nobis contingit eam adipisci. Quanuis igitur quælibet posteriori modo spectata, quàmplurimis, ac infinitis penè difficultatibus laboret; priori tamen modo non item. Quamobrem huius introspectâ naturâ, non obscurè constabit opinionis rationem in hanc ipsam facultatem non cadere.

Reijcitur opinio dicentium esse artẽ;

Tertius etiam sic à veritate recedit, vt nihil magis. Ars profectò sese ad singularia extendit, quanuis uniuersalia non negligat. Etsi autem facultas aliqua, vt Dialectica humanas quasdam operationes ad singularia descendens gubernet, ac moderetur; non inferendum illicò eam artis naturam sapere, cùm hoc, & arti, & prudentiæ, & scientiæ practicæ commune sit.

Commendant opinio dicentium esse scientiam.

Longè igitur accuratiùs Dialecticæ facultatis indolem assecuti sunt, quibus hæc in scientiarum ordinem cooptanda vita est.

Ratio probatur;

Facultas enim illa, quæ in omni sui parte, quidquid docet, firmissimis rationibus munit, probat, atque demonstrat, non immeritò scientia nuncupatur.

Ratio magis explicatur.

Huiusmodi porrò Dialecticam esse cuicunque perspectum fiet, si paulò diligentiùs illam tractauerit, simulque partes eiusdem, Analyticam scilicet, Topicam, & Sophisticam, percurrerit; non est igitur, cur è disciplinarum albo Dialecticam facultatem delendam existimemus. Sed hanc in suis partibus, ad eum se habere modum, quo diximus, nullo labore, nulloque negotio intelliges, si præ oculis huius præcepta, regulasque nonnihil habere velis; reperies enim, vt opinor, omnia esse cum veritate coniuncta, nihilque ab hac decerni, quod firmissimis innixa principijs demonstratione probari non possit.

a. Ethic. cap. 4.

Legimus quidem apud Aristotelem ab illo Dialecticæ naturam euerti, qui hanc non vt facultatem, sed vt scientiam tradit. At eò tendit Philosophi consilium, vt neget Dialecticam esse qualem aliqui constituebant inorganicam, alijsque scientijs minimè præmittendam existimabant. Dicebat etiam eam esse modum sciendi, non vt inficiaretur, ei scientiæ rationem conuenire, sed vt innueret, organicam eius esse naturam, quatenus sciendi modos præscribit, quibus intellectus est dirigendus. Asserebat Dialecticam non in aliqua re determinata versari, quod utique scientiæ naturæ repugnat; non quòd hinc è numero scientiarum arcendam arbitraretur, sed ut eius explicaret naturam, in eo positam, quòd inspecta secundum se circà rem determinatam, nempe cognitionem intellectiuam, tanquam rectitudinis capacem sit occupata.

Aristotelis auctoritates in oppositam aliatæ explicantur.

a. Metaph. Tex. 15.

Digitized by Google

ea; at si vsum attendas, nulla sit subiecta materies, cui accommodari non possit, & in qua eius doctrinam adhibere non liceat. Tandem diuersa numerauit problemata, scilicet actiua, quæ respiciunt electionem, & fugam; speculatiua, quæ scientiam, & veritatem inspectant, Logica quæ his omnibus inseruiunt; non vt inde Logicam distinctum habitum à scientia decerneret, sed vt eam instrumentariam scientiam declararet.

Difficultas proponitur. Est sanè Dialectica in ijs occupata, quæ interitui obnoxia sunt; non quia per se de secundis notionibus agat, cùm ex accidenti tantummodo de ijs, si quæ sunt, disceptet: sed quoniam in intellectus cognitione dirigenda ortum, ac interitum subeunte, versatur.

Diluitur. Hoc tamen eius dignitati non derogat, nec in causa est, vt scientiæ rationem non obtineat, cum ad hanc rei consideratæ non quæcunque necessitas etiam scil. incomplexa, sed quæ solùm complexa est in ijs quoque reperta, quæ maximè sunt variationi obnoxia, requiratur, in eo planè consistens, vt si vnum è duobus extremis alicuius propositionis in natura concedi debeat, aliud itidem dari necesse sit, vnde propositiones æternæ veritatis conficiuntur, quarum necessitate disciplina omnis contenta est, quamuis ijs de rebus efformentur, quæ ità quidem existunt vt existere etiam non possint. Verbo dicam, ei quod Dialecticus considerandum assumit, immò rebus omnibus, Si Deum Optimum Maximum excipias, simplex necessitas in scientijs omninò neglecta, etsi non conueniat, conuenit tamen altera, nempè complexa, qua propositiones æternæ veritatis efformantur, quæ etiam necessitas ex suppositione dici consueuit.

Alia difficultas, eiusque solutio. Docet in aliqua sui parte modum, quo probabili discursu concluditur, non nego; immò etiam alibi decipiendi artem declarat; Non tamen probabili ratione discurrendo, fallaciterque ratiocinando, sed potius veris, certis, ac euidentibus demonstrationibus concludendo.

Alterius difficultatis solutio. Et quamuis Dialectica sua præcepta demonstret, non subinde putandum imminere periculum in infinitum abeundi, quasi nimirum antè Dialecticam firmissimis demonstrationibus traditam, præhabenda sit alia, per quam huius innotescant demonstrationes, cùm satis, superque sit naturalem, vel artificialem imperfectam præcessisse.

Hæc vtique præcepta tradit, opitulatione quorum intellectus suas potest ad veritatis consecutionem operationes dirigere; videturque ratio quædam operum faciendorum, non tamen ars, quæ quidam est habitus faciendi vera cum ratione, & circa generationem, inuentionem, comtemplationemque versatur; hoc est circa contemplationem rei faciendæ; circa ipsius inuentionem in operando atque fugiendo, & circa generationem operis, quæ modum respiciunt, quo ars propriam materiam tractandam suscipit. Sed ex parte eiusdem materiæ duo sunt, & quod hæc fieri, & non fieri possit, & quod non habeat in se principium internum, videlicet artem, cum hæc non in opere, siue materia ex qua conficitur opus, sed in artifice quidem existat.

Ars igitur ab alijs intellectus habitibus sui materiâ longè latèque differt. Scientia, namque & intellectus, & sapientia, ea profectò, quæ sese aliter habere non possunt, persequuntur; ars autem in ijs, quæ possunt aliter se habere, versatur. Si igitur Dialectica suam in ijs exercet industriam, quæ penitus necessaria sunt, vt paulò antea dicebam, non satis intelligo cur in alicuius animum irrepserit opinio, Dialecticam inter artes annumerandam esse. Piget autem hìc fusiori calamo naturam artis explicare, cùm opportuniori loco sit hac de re sermo rediturus.

Num cõtemplatiua sit, an practica. Ex hùc vsque traditis Dialecticam inter scientias adscribendam liquet. Cuiusmodi verò ea sit, an contemplatrix, an practica nondum tamen liquet.

Quid scientia contemplatiua, quid practica. Bipartitum scientiæ genus vniuersa propemodum schola Philosophorum cum Aristotele decernit, quorum vtrumque commune etsi illud habeat, quod veritatem respiciat, quam de subiecto per propriam causam affectionem ostendendo consequitur; Hoc tamen inter illas discriminis intercedit, quod contemplatrix in veritate sistat, practica verò ad operandum progrediatur; & quamuis vtraque de re foret, quam cognoscenti liceat operari; quia tamen contemplatrix ità rem considerandam assumit, vt solam veritatem respiciat, ac in eius meditatione sistat; practica verò tanquam norma cognoscenti deseruit ad effectionem operis, vt non immeritò Stagirites aliquando pronunciauerit; Θεωρητικὴ μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια, πρακτικὴ δ' ἔργον. *Speculatiuæ finis veritas, practicæ autem opus* adhuc proterea differunt. 2. Metha Tex. 3.

Dialectica necessariò aut contemplatiua est, aut practica. Dialecticam neque contemplatricem, neque practicam esse, quod ineptè quibusdam est visum, tàm remotum ab omni veritate, quàm quod remotissimum. Quid enim improbabilius quàm intellectum siuè cum illatione iudicium, cuiusmodi Logica est, non sic in contemplatiuum, practicumque distribui, vt nihil sit prætermissum, quod huiusmodi partitione comprehensum non sit? perindè foret enim, ac dicere, non tàm benè animal in rationale, & irrationale distribui, vt aliquid non supersit, quod nec rationale, nec irrationale non sit. Hùc spectat illud Stagiritæ. 6. Meth. Tex. 1. *Omnis intellectus*, inquit, *aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est.* Hoc enim in intellectus iudicium, siuè simplex, siuè cum illatione, cadit. Hinc facilè intelliges alterutrum necessarium esse, Dialecticam scilicet, aut esse contemplatricem, aut practicam, cùm intellectiua cognitio rationem alterutram inuoluat.

Ratio. Neque sunt hæc inconsideratè dicta. Omnis enim intellectiua cognitio, aut simplicis iudicij, aut discursus rationem obtinens; vel de re est, quam operari, vel non operari possumus. Si de prima fuerit, aut illam considerandam sistendo in contemplatione veritatis assumit: aut non ità sistit, sed vlterius pergit ad opus. Vnam igitur, vel alteram contradictionis partem includit; Dialectica propterea quippe quæ huiusmodi est intellectiua cognitio, aut contemplatrix, aut practica dicenda.

An sit cõtemplatiua an verò practica proponitur. Cùm autem alterutrum fatendum sit, inquirendum supereſt num contemplatrix, an verò practica dici mereatur. Illud mihi pro comperto præcipuè, contemplatricem, & practicam simul non esse dicendam. Sunt enim differentiæ, quæ contradictionem inuoluunt, atque adeò eidem scientiæ minimè accommodatæ; alioquin hæc ea in re foret occupata, quam liceret nobis efficere, simulque in ea, quæ nostram operandi facultatem effugeret. Io mò rem prioris generis ità considerandam assumeret, vt non sistens in contemplatione veritatis, præcepta, regulasque traderet, quibus cognoscens ad effectionem operis dirigeretur, & simul etiam veritatis contemplatione deberet esse contentus.

Non est simul tota practica, & tota speculatiua. Id autem non eo dico, quasi mihi sit persuasum, ex parte nec esse contemplatricem, nec ex parte practicam, sed quod vniuersa nequeat simul vtramque sibi differentiam vendicare, vt tota contemplatiua, totaque practica dicenda sit.

Explicatio. Nec immeritò. Disciplina enim vniuersa vt in habitu

Digitized by Google

bitu consistentis vsurpata nil aliud profectò, quàm congeries habituum, quos singulares actus procrearunt; quorum quilibet; vel sui naturâ in veritatis contemplatione sistit, vel cognoscentem est aptus ad operandum dirigere. Quamobrem integra disciplina nonnisi singulorum eorum redolebit naturam, cuiusmodi igitur illi sunt, hæc itidem erit. Vt itaque nequeunt omnes illi simul huiusmodi esse, vt solam veritatem respiciant, & etiam tendant ad opus, ità, nec quæ ex ipsis consurgit disciplina; conditionem siquidem eandem obtineat cùm illis necesse est.

Dialectica partim cõtẽplatiua, partim verò practica, principaliter, & absolutè tanẽ practica dicẽda est. 1. Peri. sec. 2.

Dialecticam tamen ex parte contemplatricem, ex parte verò practicam arbitramur, etsi practicam in primis esse velimus; quod Aristoteli placuisse, laboriosum non est ex monumentis eius colligere, vbi disertè docuit, eam in syllogismi constructione versari.

Ratio.

In hanc autem sententiam meritò quidem adducor; etenim contemplatricem partim esse, vel ex eò facilè intelliges, quoniam in ea cognitiones non desunt, quarum qualibet solam veritatem respiciat; neque cognoscenti tanquam norma operis efficiendi præsidio esse possit ad operandum. Ità plane se habere videtur quæcunque cognitio, quæ tàm in prædicabilium, quàm in prædicamentorum libello tradi solet.

Difficultas.

Nec ineptè dictum existimes hac ratione Dialecticam contemplatricem esse, quòd omnis cognitio, quæ in ea sumitur parte, vbi de prædicabilibus, ac categorijs disputatur ad mentis perspicientiam dirigendam conducat. Vt enim cognitio aliqua practica dici debeat, quod suo loco planum fiet, haud satis; vt cognoscenti quouis modo prædio sit ad effectionem operis, sed debet ei tanquam norma sic proximè inseruire, vt ex vi ipsius valeat operari.

Quid requiratur ad cognitionẽ practicam: Diluitur.

Quòdam horatu dignum.

Quod non sic vsurpandum, quasi hîc, & nunc cognoscentem ad operandum debeat dirigere; hæc enim quoque cognitio ad operis effectionem requiritur, vt enim effectio hæc cuiusdam est singularis operis, ità cognitione quadam est opus, quæ cognoscenti ad idem indiuiduum efficiendum inseruiat; sed adhuc præter hanc, quæ maximè practica est, alia quoque naturam eandem sortitur, quæ vniuersale opus efficiendum respicit.

Quid vtrique scientiæ contẽplatiuæ, & practicæ commune sit, & quid inter illas intersit.

Neque prætereundum, & practicæ, & contemplatrici commune illud esse, vt de re subiecta per propriam causam, affectionem demonstret, hoc intercedente discrimine, quòd contemplatrix ab alijs notitijs deducitur, quarum vtraque solam veritatem respicit; practica verò, quippè quæ cognoscenti ad operis effectionem inseruit, nec sola est veritate contenta, ex alijs infertur, quarum vna saltem apta est cognoscentem ad operandum dirigere; altera verò nihil impedimento est, quominus in solius veritatis contemplatione versetur; adhuc enim ex illis illata conclusio debiliorem, velut insequens partem, non immeritò practica dici debet. Sic in re proposita; Logicus enim ad practicas suas conclusiones demonstrandas quibusdam vtitur notitijs cõtemplatricis naturæ, quas præsertim in cõmemoratis locis sua consideratione persequitur, atq; hunc in modum ille si non proximè, cùm solum veritatem respiciant, remotè saltem, & per connexionem, iam explicatam ad Logicæ finem comparandum præsidio sunt, & adiumento.

Libri de prædicabilibus & prædicamentis.

Vt non immeritò dixeris nobis hac in re philosophandum, vt in ciuili disciplina Medicinæ exemplo disputat Stagirites; nam

1. Ethic. cap. 13.

Εἰ δὴ ταῦτ' ἔστως ἔχει, δῆλον ὅτι δεῖ τὸν πολιτικὸν εἰδέναι πως τὰ περὶ ψυχῆς, ὥσπερ καὶ τὸν ἰατρεύσοντα, καὶ μᾶλλον ἐπὶ τιμιωτέρᾳ, καὶ βελτίων ὁ πολιτικὸς τοῦ ἰατρικοῦ· καὶ τῶν ἰατρῶν δ' οἱ χαριέντες πολλὰ πραγματεύονται περὶ τὸ σῶμα τοῦτο γνῶναι. θεωρητέον δὴ καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς, θεωρητέον δὲ τοῦτων χάριν, καὶ ἐφ' ὅσον ἱκανὸς ἔχει πρὸς ἃ ζητοῦμεν

perspicuum est, Ciuilem, quæ ad animam spectant, quodammodo cognoscere oportere, quemadmodum oculum, & totum corpus enim, qui curaturus est; atque eò magis quò ciuilis facultas honorabilior, meliorque Medicinâ est. Elegantes quoque Medici multa circa cognitionem corporis pertractant; contemplandum igitur etiam ciuili homini de anima est, atque id horum causa, & quantum satis est ad ea, quæ hic quæruntur. Ciuilem enim disciplinam Medicinæ quidem exemplo contemplatricem ex parte Philosophus arbitrabatur quòd ea quidem nonnullis contemplatricis naturæ cognitionibus ad suas practicas conclusiones ostendendas, vtatur.

At ex parte quoque illam ad opus ordinari palam est, & apertum, hæc enim varia, diuersaque præcepta ad idoneam definitionem, diuisionem, aliosque sciendi modos præscribit. Omnis autem disciplina præceptis, regulisque constans, velut illa quæ cognoscentis operationes moderatur, ac dirigit eius naturæ perhibetur, vt non solam veritatem respiciat, sed vlterius tendat ad opus.

Est etiàm practica, quando dirigit cognitionẽ cõtemplatricem.

Et ità practicam Dialecticam existimes velim, vt etiam si dirigat intellectum sistentem in contemplatione veritatis, practicæ cognitionis naturam retineat; Mentis enim illam agitationem, velut operationem, directionis capacem respicit, ità vt intellectus Dialecticæ vi rectè operetur, dum solam veritatem sectatur, ac in eius contemplatione sistit.

Præcipuè tamen practicam esse dicendam euidens ratio conuincit. Est enim de re, quam nobis operari licet, cuiusmodi est sciendi modus, vel intellectus cognitio, prout directionis est capax, traditque præcepta, quibus intellectus instructus, in cognitionem possit rectitudinem inducere. Non immeritò igitur eam ad opus absolutè ordinatam putamus, siquidem eius hic est præcipuus finis, ac scopus.

Et exẽplo Moralis disciplinæ comprobatur.

Et eodem planè modo de Dialectica, ac de Moralis disciplina sentiendum, hęc enim præcipuè practicam naturam sortitur, quod de actibus voluntatis, siue humanis disceptat, prout hi directionem in genere moris subire possunt, ita & Dialectica, quæ in studium dirigendæ cognitionis intellectricis incumbit. Hanc moralis conditionem Stagirites eleganter expressit

2. Ethic. cap. 2.

Ἐπεὶ οὖν ἡ παροῦσα πραγματεία οὐ θεωρίας ἕνεκά ἐστιν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι, οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἡ ἀρετή, σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα, ἐπεὶ οὐδὲν ἂν ἦν ὄφελος αὐτῆς ἀναγκαῖον ἐστι σκέψασθαι τὰ περὶ τὰς πράξεις τῶν πακτέον αὐτάς. *Quoniam, præsens tractatio non est speculationis causa, quemadmodum aliæ. Non enim sit, vt cognoscamus quid sit virtus, sed vt boni efficiamur, alioquin nulla esset vtilitas, necesse est, vt de actionibus, quo modo agendæ sint, consideremus.* Moralem igitur ille disciplinam præcipuè practicam esse dicebat, cui si Dialectica summopere credatur affinis, eam esse practicam nobis omninò fatendum.

Quorundam error detegitur.

Non sic Dialecticam partim contemplatricem, partim verò practicam, absolutè tamen practicam velim existimes, quasi hominis arbitratu plures pauciorèsue notitiæ contemplatrices in ipsam intrudi possint quibus remotis, tantummodo practicis remanentibus facultas hæc ab alijs scientijs omninò secreta consistat; Toto namque aberrares cælo, cùm in hanc tantummodo notitiæ contemplatrices inuehendæ sint, quæ vel proximius, vel remotius ad mentis dirigendam cognitionem perducunt; sic enim cum Dialectica ne-

Digitized by Google

xu tanto iunguntur; quantum vt in eam intrudi possint, requirunt.

Qua ratione notitiæ contemplatrices in practicam facultatē intrudi possint.

In eo autē huiusmodi est posita connexio, vt quę sui naturâ sunt contemplatrices notitiæ, in hac admittantur facultate; vel quoniam ex ijs notitiæ practicæ spectantes ad Logicam deducendæ sunt; vel quoniam ad claram, distinctamque perspicientiam necessariò requirun ur. Intelliges, vt aliquo vtar exemplo, ad ritè definitionem elaborandam genus esse adhibendum, ac differentiam; estque tua hæc cognitio dicenda practica Logicam redolens naturam, sed vt, quod est proprium huius sciendi modi demonstres, multis indiges contemplatricibus notitijs, cum oporteat tibi esse perspectum, in quo ratio generis, ac differentiæ consistat, & alia quamplurima ad scientiam contemplatricem spectantia tibi cognoscenda sunt, quibus de medio sublatis, vel rudis omninò, vel nulla remanebit dialectica cognitio, quippè quæ vel ad sui distinctam assecutionem illas prærequirit: vel ex illis, tanquam primordijs deriuatur.

Difficultas.

Dialectica verò mentis cognitionem, vt rectitudinis, ac directionis capacem, dirigendam suspiciens, definiendo, diuidendo, & causas inquirendo, omniaque in prima principia resoluendo, procedit.

Dilnitur.

Non hinc propterea simpliciter, & absolutè contemplatrix appellanda, cùm id & contemplatrici, & practicæ commune sit; practica propterea dicenda potius, quoniam etsi modo iam dicto procedat, cognoscentem tamen ad operis effectionem conducit.

Altera difficultas

Et quamuis operatio, in cuius directionem, Dialecticus incumbit, non sit alterius potentiæ ab intellectu; adhuc tamen praxeos rationem obtinet, ac ob id Dialectica, quæ dirigendam illam aggreditur, dicetur in opus intendere, & non in veritatis contemplatione sistere, vndè & practica nuncupanda.

Diluitur.

Respōsionis confirmatio.

Si quispiam autem mordicùs propugnandum assumeret mentis operationem praxim dici non posse, quòd hæc sit alterius ab intellectu potentiæ, eo quod intellectus extensione practicus fiat. Puerilis vtique de nomine foret contentio, suo tamen loco tractanda. Obiter hîc tamen adnotabo, adhuc intellectum dirigendo proprias operationes dici posse extendi, ne dum ad illas cognoscendas, sed etiam ad efficiendum opus à se consideratum. Vt enim extra se tendere dici possit, satis est, ipsum Logicis præceptis instructum in proprias operationes incumbere dirigendas. Idque argumento est Dialecticam absolutè practicam esse, cum eius precipuus finis sit commemorata directio.

Obiectio proponitur.

Quamuis autem rectè sancitum fuerit, hanc, de qua loquimur, facultatem, partim contemplatricem, partim verò practicam, absolutè tamen practicam esse dicendam; non exigua tamen difficultas occurrit, cùm ab omni ratione videatur alienum, vt eadem facultas, & scientia, & practica sit, etenim simul hæc duo cohærere non posse, facilis est persuasio. Scientia namque de complexo immutabili, ac æterno esse debet, itaut per eam attributum ex rei naturâ necessariò conuenire subiecto per propriam causam cognoscatur. Atsi fuerit practica, esse de re debet, quæ benè, ac malè fieri potest, atque adeo de complexo contingenti, vtpotè dependente à viribus cognoscentis, à quo potest fieri, & non fieri.

Obiectio diluitur.

Hanc difficultatem de medio tollere non huius est loci, cum eius enodatio ad tractatum de scientia pertineat. Obiter tamen hic pauca quædam subijcere non grauabor. Commune quidem est cuicunque scientiæ, quod superiùs innuimus, nempè per causam procedere ostendendo attributum de subiecto, cui necessariò insit; aliquam dari tamen cognitionem, quæ sit huiusmodi, & simul etiam practica non repugnat. Tametsi enim id, circa quod practica notitia versatur sic se habere debeat, vt benè, malèque fieri possit, atque adeò sit maximè contingens, velut id, quod in existendo ab ipso cognoscente dependet; tamen prout à facultate habente rationem scientiæ considerandum assumitur, tantam induit necessitatem, quantam scientiæ complexum obiectum exposcit. Cum enim quispiam aliquid operandum suscipit, certè id aliquâ dirigente cognitione molitur: si igitur huiusmodi cognitio per causam comparetur, demonstrando scilicet per ipsam attributum inesse subiecto, ea profectò scientiæ rationem sibi vendicabit. Hoc autem optimè fieri posse, neminem præterit, quoniam attributum illud subiecto, etsi ex rei naturâ conueniat, tamen operans potest subiectum idem, & hoc, & alijs plurimis, varijsque modis affectum efficere, quod igitur potius hoc, quàm illo modo efficiatur, à practica habetur cognitione, quæ cùm demonstrauerit per propriam causam attributum inesse subiecto, scientiæ, & quidem practicæ rationem obtinebit,

SECTIO QVARTA.

Quænam sit Dialecticę subiecta materies, declaratur.

Quo sensu hic obiectū vsurpetur.

OBiecta res hîc non accipitur pro complexo, circa quod integra demonstrationis conclusio versatur, sed pro re, de qua per propriam causam affectiones ostenduntur, quæque etiam res subiecta, non immeritò dici consueuit, quæ vel vniuersam facultatem secū adæquat, qua significatione hîc à nobis vsurpatur, vel illi tantùm ex parte respondet, de qua hic non est sermo. Adhuc sensu, quo hîc accipitur, gemina constare parte perhibetur, quarum vna physicæ materiæ, altera verò formæ proportione respondet; vt enim in physicis materia quidem indifferens est, ad omnes formas, & forma hanc tollit indifferentiam, sic in re, de qua agimus, pars vna censetur, per quam subiecta res indifferens est ad omnem considerandi modum: altera verò per quam illa tollitur indifferentia, & ad determinatum considerandi modum contrahitur.

Subiectū scientiæ duplici parte constat.

2. phys. Tex. 17.

Cuiusque facultatis necessariò danda subiecta materia.

Dialectica non secus ac quævis alia facultas, & habitus intellectus aliquid considerandum assumit, quod eius obiecta, siue subiecta res dici debet, de qua in præsentia iuxta doctrinæ ordinem nobis agendum est, atque adeo paucis explicandum id, de quo Dialectica disputet, itaut eius amplitudinem secum adæquet, quæque sint eius paulò antea commemoratæ partes.

Variæ sententiæ de subiecta materia Dialecticæ.

Hæc porrò non eadem omnibus Dialecticis visa est, cùm plerique res omnes crediderint, non vt in naturâ sunt, cum ad primum Philosophum hunc in modum pertineant, sed vt menti obijciuntur, atque adeò Dialectici esse quodammodo, minus præcipuum conceptus formales, vt vocant, cuiusmodi sunt mentis operationes quibus res percipiuntur, sua considreatione persequi; quoniam ad ipsum vt magis præcipuum obiectiuos conceptus, hoc est res, prout concipiuntur, spectet perscrutari.

Sententia dicentium esse res omnes.

Reijcitur.

Nihil tamen improbabilius. Dialectica siquidem ob eum instituta finem, vt mentis operationes dirigat, ac moderetur, & vt instrumenta tradat, quorum opitulatione mens suas ritè possit operationes exerere, potius operationes ipsas, vel instrumenta, quibus rectitudinem assequitur, quàm res, in quibus operationes versantur pro re subiecta sibi vendicabit.

Digitized by Google

Alia ratio ne reijcitur.

Illud etiam sententiam hanc à veritate penitus alienam ostendit, quoniam Dialectica quædam est reflexa cognitio, quam intellectus de suis proprijs habet operationibus dirigendis; hæ propterea ad ipsam, tanquam subiecta res, non autem ea, circa quæ operationes istæ versantur, proximè, ac immediatè pertinebunt.

Paritate aliarum facultatū idem confirmatur.

Hoc si facultatum aliarum exemplo comprobatum reddere non piget, vnam vel alteram ob oculos cōstituere iuuabit. Grammatices, vt hinc exordiar, non res, sed voces, quibus res significantur prout congruè disponi possunt, rem subiectam solemus adstruere; Rhetorices, non res ornato sermone persuasibiles, sed sermonem ipsum ornatum, vt idoneum ad persuadendum. Poetices non res, vndè iucunditas, sed iucundum sermonem certis numeris concinnatum, vt aptum ad delectandum. Moralis disciplinæ de voluntatis actibus disputantis, non res ipsas, prout honestè à voluntate appeti possunt, sed potius huius actus cum honestate coniunctos. In naturali tandem disciplina, vbi de operationibus animæ fit sermo, non res ipsas, nisi indirectè, quas nimirum anima operando quidem attingit, sed operationes ipsas, velut rem subiectam decernimus. Aliarum igitur facultatum exemplo rectè concludimus, Dialecticæ subiectam materiam non esse res ipsas, sed potius operationes, quæ huiusmodi res modo superius explicato, respiciunt.

Auctoritas Aristotelis explicatur.

Dicebat quidem Philosophus, non inficior, Dialecticum in res omnes, non autem in rem determinatam incumbere. Sed cò spectabat ille, vt nos admonitos redderet huius disciplinæ vsum non ad aliquod certum genus restringi; sed ad omnia potius extendi, quia definitiones, diuisiones, & argumentationes, in oblata materia quauis exerceri possunt. Neque Aristotelis dictum à veritate dissentit, si pro huius facultatis re subiecta mentis cognitio designetur. Huic enim hæc facultas intenta, circa res omnes meritò dicetur occupata; quoniam cognitionem ipsam nihil est, quod effugiat.

Aristotelis locus explicatur.

Nec præterit Aristotelem huic facultati determinatam materiam esse designandam, cùm de hac, & de Rhetorica loquens dicere soleret: *Sed facultates quædam sunt inueniendarum rationum, harum autem inuentio determinata res est*. Non dissimulandum tamen ab eo tunc Dialecticam vsurpatam fuisse pro parte, quæ Topica dicitur, ad quam probabiles hinc, inde rationes pertinet adinuenire, de qua propterea loquens, aiebat. *Propositum quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus proposito problemate, syllogizare.*

1 Topicorum.

Secunda difficultas eiusque solutio.

Finis itidem huius facultatis est verum à falso discernere, non inde tamen deducas circa res omnes immediatè, sed potius circa mentis cognitionem versari; veritas enim à Dialectico intenta, quam scholastici formalem appellant, cognitioni quidem inest, non rebus, quibus tantùm transcedens accommodata est, non ad Dialecticum, sed ad primum Philosophum pertineris; quod luculenter expressit Stagirites, docens in rebus fundamentum huiusmodi veritatis tantummodo adinueniri, vt propterea non semel inculcauerit, *ex eò quod res est, aut non est opinionem, & orationem esse veram, aut falsam*. Quamobrem si Logici est discernere verum à falso, cum veritas, de qua hic sermo, primò ac potissimum intelligentiæ insit, rebus verò tantùm, veluti fundamento, subiecta eius materia, non res, sed earum cognitio, ac perspicientia debebit existimari.

6. Metaph. Text. 9.

Opinio dicentium esse voces.

Nec ad veritatem propius eorum accedit opinio, quibus persuasum erat Dialecticæ subiectam materiam esse voces, quarum præsidio veri mentis conceptus exprimi possunt.

Reijcitur.

Eos autem penitùs allucinatos fuisse constabit apertè singulas Dialecticæ partes percurrendo. Tractatus de prædicabilibus inscriptus, vel si mauis de quinque vocibus, puta de genere, de specie &c. certè non in vocibus, sed in rebus, etsi per huiusmodi voces significatis versatur. Cum enim dicimus genus de speciebus prædicari, id certè de rebus, quas huiusmodi vocibus indicamus, intelligendum volumus. Ità quoque tractatus, in quo decem rerum categoriæ considerantur, profectò non voces illas substantia, quantitas, sed res hisce vocibus expressas perscrutandas assumit. Quæ namque ibi tractantur, non vocibus, sed rebus ipsis accommodata sunt, quod in reliquis itidem Dialecticæ partibus, vbi de enunciationibus, de discursu disseritur obseruare facillimum est.

Cuiusmodi esse debet subiecta materia huius facultatis.

Et certè rationalis huius facultatis ea subiecta videtur esse materia, ad quam primò, ac præcipuè instituta, & ordinata est; huiusmodi autem esse rectè dixeris mentis operationes, non voces, cùm illas, non verò has dirigere studeat, quò Dialectici quidem omnis spectat industria. Non igitur voces primò, ac præcipuè veluti subiectam materiam Dialectica ipsa respiciet.

Quomodo voces huc spectent.

At non inficiandum, minus præcipuè circa voces hanc facultatem versari; cùm enim subiecta huius materia sit aliquid ad intellectum pertinens, voces autem cùm intellectus operibus non exiguam affinitatem habeant, quippè quæ loco conceptuum, quos ille elicit, substituuntur; propterea non immeritò has quoque ad Dialecticam quodammodo pertinere dicendum.

Quod inde præsertim confirmatum redditur, quoniam rectitudo, seu veritas, quam hæc facultas intendit, etsi magis præcipuè conceptibus mentis conueniat, secundo loco tamen vocibus etiam suo modo ineest, cùm vice conceptuum substituantur. Quæ igitur de illis obscurius traduntur, de his apertius tradita possunt intelligi. Vnde sic ratiocinari licet. Cui quodammodo conueniunt, quæ in Logica traduntur, aliquo etiam modo ad subiectam eius materiam pertinent. Huiusmodi porrò sunt voces, cùm ipsis veritas, falsitas, bona, vel mala consecutio, de quibus Dialectica edisserit, suo modo conueniant; Hac itaque ratione voces ad facultatem hanc pertinebunt.

Neminem præterit initium vnius cuiusque Dialecticæ tractationis à vocibus desumi. Ità quidem liber, in quo decem rerum categoriæ considerantur ab vniuocis, & æquiuocis exorditur; libri de interpretatione à nomine, verbo, & oratione. resolutorij priores à definitione syllogismi per orationem. Hoc tamen parùm negocij nobis facessit, si considerationem vocum ad hanc facultatem pertinere modo iam explicato concedamus, addentes insuper à vocibus velut à facilioribus desumptum initium fuisse, ità tamen, vt inde fiat gradus ad mentis conceptus dirigendos.

Et quamuis definitio, diuisio, argumentatio, immò termini, enunciationes, & id genus alia, de quibus hæc edisserit facultas, voces dicendæ sint; non ita tamen, vt eadem in mentis conceptibus consistere non possint. De his propterea facultas hæc primò, ac præcipuè tractat: de illis verò minus præcipuè, prout scilicet instrumenta sunt quodammodo ad cognitionis rectitudinem comparandam, de qua sollicitus in-

pri-

Digitized by Google

primis Dialecticus esse debet.

Opinio dicentium esse ens rationis.

Neque dignum maiori plausu videtur eorum consilium, quibus hæc, de quæ loquimur facultas in aliquid efficium ab intellectu, quod ens rationis appellant, incumbere visa est. Quamuis horum sensus

Iforum non idem sensus.

non idem sit; cùm plerique quidquid ab intellectu potest effingi, ad hanc pertinere facultatem crediderint. Alij verò tantummodo quod speciatim secunda intentio nuncupatur logicis illis terminis significata, cuiusmodi sunt, genus, species, prædicatum, subiectum, definitio, diuisio &c. Et alij adhuc pressiùs loquentes, secundam illam intentionem, quam syllogismus præfert.

Primus modus tuijtur.

Primus dicendi modus eo nomine videtur intolerabilis, quoniam illud pro re subiecta disignat, quòd huius facultatis limites transcendit; Non enim ad hanc de hircocervo, de chimera ex instituto pertinet disputare. Alij verò duo dicendi modi eo nomine peccant, quoniam id pro huius facultatis re subiecta decernunt, quod alterius gratia, nempè cognitionis intellectricis dirigendæ considerandum assumitur; cuiusmodi sunt intentiones illæ secundæ, quæ sub Logicam considerationem non cadunt, nisi quatenus intellectui præsidio sunt ad propriam cognitionem dirigendam.

Duo alij modi reijciuntur.

Ratio, ob quam de secundis intentionibus à Logico disseritur.

Ea tenus enim de secundis disseritur intentionibus, quatenus quæ de primis intelligi volumus, facilius, ac expeditius de secundis traduntur, & per has facilius ea significamus, quæ nos in illis intendimus exerceri. Ità quidem Dialecticus docendo genus esse, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, insinuat naturam, quæ ità se habuerit, vt ei secunda generis intentio possit appingi, sic esse pluribus communem, vt hæc itidem pluribus, saltem indiuiduis communis cùm sit, de pluribus illis possit affirmari. Secundæ igitur intentiones non primò, ac per se sed secundaria ratione, & aliorum gratia ad Dialecticum pertinent.

Nec illud exigui momenti est, quod si huius facultatis singulas partes percurras, vera, quæ diximus, intelliges; semper enim, & vbique de mentis operationibus dirigendis, deque alijs ad hanc directionem conducentibus disputari comperies. Quod si pro rectitudinis consecutione commemoratæ iam secundæ intentiones adhibeantur, non ob id ad Dialecticam, tanquam subiecta materies præcipuè, sed modo iam explicato, pertinebunt: vt, non eòquod Dialectica vtitur vocibus ad rectitudinem in conceptus mentis inducendam, tanquam subiecta materies huius facultatis esse dicuntur.

Soluor autem in risum, animo dum euoluo sententiam dicentium posse Dialecticam gemino modo spectari; vel scilicet, vt absolutè tradi potest, vel vt ab Aristotele tradita fuit, & iuxtà vsurpationem hanc, subiectam eius materiam esse secundas intentiones; difficultatem verò suprapositam dilui, dicendo falsum in ea assumi, nimirum in singulis Dialecticæ partibus potissimum de mentis operationibus, non de secundis intentionibus disputari. Aiunt enim tractari de regulis, & præceptis quibus mentis operationes diriguntur, præcepta autem illa secundarum intentionum terminis explicari; Quid ineptius, quispiam effutiet? Insinuatur enim hoc pacto præter illas regulas, atque præcepta, quibus vniuersa Logica continetur, aliud quidpiam esse Logicam, quæ de præceptis, & regulis, veluti de re subiecta pertractet.

Solvitur difficultas 1. Arist.

Dicebat quidem Philosophus circa omne ens Dialecticam versari, quemadmodum prima Philosophia, non quasi, vt hæc pro re subiecta habet ens reale, sic & Logica, quod ab intellectu effingitur; sed vt nos monitos redderet Topicam Dialecticæ partem ad vsum, quod spectat, de rebus omnibus suppeditare modum disputandi.

Diluitur, & alia.

Dicitur scientia rationalis; non quia quod rationis opere effingitur sit eius præcipua materia subiecta; sed quoniam satagit rationis operationes dirigere.

Alia tollitur.

Datur quidem scientia, videlicet prima Philosophia, quæ ens reale considerandum assumit; Non ob id alia concedenda, nimirum Logica, quæ quidquid ab intellectu est efficium, pericrutetur. Cùm hoc ad primam ipsam Philosophiam indirectè saltem pertineat. *Eiusdem enim scientiæ est considerare, id quod est; & id, quod videtur tale.* 4. Metaph. Tex. 4.

Omnia, de quibus disputat Dialecticus videntur ab intellectu efficta, vti sunt termini, enunciationes, syllogismus, figura &c. perperam tamen inde concludes Logicæ esse de his potissimum disputare; vt enim præteream, de quo suo loco, ea omnia explicari posse per extrinsecas denominationes reales ab actibus rationis desumptas, quamuis intellectus nihil comminiscatur, adhuc tamen illis admissis, tantummodo concedendum de jis agere modo iam explicato Dialectici munus esse; quatenus ad præcepta facilius, ac expeditius tradenda conducunt, quibus Dialecticus mentis conceptus dirigat, ac moderetur.

Rei subiectæ ratio à secundis intentionibus remouetur.

Nec admittendum secundæ intentioni rei subiectæ in hac facultate conditiones conuenire, quia nimirum secunda intentio prædicari possit de omnibus quæ in hac arte tractantur, & quia ad ipsam, vel tanquam partes, vel tamquam principia, vel tanquam affectiones reduci queant. Tametsi enim illud etiam concederetur, adhuc tamen in secunda intentione desideratur aliquid ad rem subiectam requisitum, scilicet, vt sit id, quod primò, ac perse considerandum suscipitur, & non prout famulatur, atque deseruit ad id, quod potissimum est in disciplina.

Auctoris in re proposita opinio.

Tandem quid existimandum sit illud, in cuius consideratione facultas hæc vniuersa versatur, à certis ad incerta progredientes hic paucis aperiemus. Illud vtique exploratum, ac certum eò quamlibet huius facultatis industriam spectare, vt nos rectè definire, diuidere, affirmare, & negare, & tandem argumentari doceat, ac erudiat. Non quidem, vt hæc primò, ac per se vocibus, sed mentis conceptibus exercere valeamus. Verbo dicam, nos instruit, ad

Ad quid nos instruit Dialectica.

rectè exercendos actus cognitionis, distinctè, clarèque rem definiendam exprimentis, puta bonam definitionem, vt consistentem in mente nos efformare docet. Ità de diuisione cæterisque sentiendum; definitio igitur ipsa, & alia de quibus Dialecticus edisserit, prout mentis exercentur negotiatione, subiecta huius erit facultatis materia; cum ea sint, in quorum consideratione sese hæc exercet facultas: non quidem in veritatis contemplatione sistens: sed nobis inseruiens veluti norma, ad ritè omnia illa mentis agitatione perficienda.

Cognitio bifariam potest spectari.

Quoniam autem cognitio, quam Dialectica considerandam assumit, & in effectione cuius est occupata, spectari potest, vel vt exemplar, & Idea, cuius instar suos actus deinceps intellectus ad rectè operandum debet elicere, qua ratione logicum instrumentum dici potest; vel etiam vt cognitio huiusmodi Ideæ conformis elicienda. Potest in dubium reuocari, qua ratione Dialecticæ facultatis, intellectrix cognitio subiecta materia dicenda sit. Cùm enim alterutrum asseratur, mentis cognitio sit; Supereſt solum inquisitione dignum, quid congruentius quidque verisimilius dici possit.

Si

Digitized by Google

Cuiusmodi sit, quæ Dialecticę subiecta materia est.

Si cæterarum facultatum exemplo rem æstimare velis, vna sit instar omnium ars ædificatrix [nihil autem refert quòd efficiendum opus sit extra, vel intra intellectum] reperiemus autem communi omnium calculo receptum, illam circa domum ædificandam occupari & hanc subiectam eius esse materiam, non autem ideam, non exemplar, nempè domum, quatenus conceptam. Non absimili modo mentis cognitio, prout rectitudinis capax, hoc est definitio, diuisio &c. non istorum autem exemplar, videlicet definitio, diuisio &c. vt concepta, huius facultatis subiecta materia existimanda erit.

Qua ratione cognitio huius facultatis subiecta materia existimanda sit.

Sententiæ probatio.

In hanc autem sententiam adducor, quoniam vt ad cæteras operationes dirigendas, in quibus homo potest errare, & à recto tramite deflectere, fuit operæ pretium artes instituere, quarum præceptis rectè posset ille quidem instructus suas operationes exerere: ità parerat, vt aliqua institueretur disciplina, quæ de dirigendis operationibus mentis differeret, ac in eadem rectitudinem inducere conaretur; tantòque magis, quantò mentis operationes cæteris dignitate præstant, ac antecellunt. Hæc Dialectica profectò dicenda, cùm alia nulla supersit, ad quam huiusmodi operationum directio pertinere videatur. Sed reliquarum facultatum subiecta materia sunt operationes, & opera ipsa, vt artis canendi cantus, saltandi saltus, militaris disciplinæ actiones bellicæ, pingendi pictura, ædificandi ædificium; sic etiam Dialecticæ subiecta materia nil aliud erit, quàm intellectus operationes, in quarum directionem incumbit.

Confirmatur.

Quod etiam eâ ratione magis confirmatum redditur, quoniam si quid est, quod in aliqua disciplina subiecta materia, quæ secum illam exæquet, statuenda sit; illud certè communi sapientum consensu, ad quod omnia, de quibus disciplina ipsa edisserit, vel tanquam principia, & causæ, vel tanquam si quas id habet subiectæ species, vel tanquam attributa reuocari possunt. Huiusmodi autem esse mentis cognitionem, in hac, de qua loquimur facultate, facilè quidem huius percurrenti partes constabit, cùm in ipsis, quæ diximus considerari deprehenderit; non in immeritò igitur Dialecticæ materiam subiectam, quæ secum vniuersum eius ambitum adæquet, cognitionem intellectiuam astruximus. In singulis verò partibus ipsius considerari semper aliquid ad mentis cognitionem spectans, quamuis ab omni veritate videri possit alienum, cum potius Physici sit ea considerandæ suscipere, re tamen diligenter introspectâ maximè veritati consentaneum deprehendemus; quandoquidem omnia, quę in aliqua disciplina considerantur ad rem subiectam, quæ vniuersum eiusmodi disciplinæ ambitum secum adæquat, reuocari posse modo iam dicto bifariam potest intelligi; vel quòd absolutè ad rem illam reuocentur: vel secundum aliquam determinatam rationem, secundùm quam res illa in disciplina ipsa considerandæ suscipitur; iuxta priorem intelligentiam, vt falsum omnino: sic iuxtà posteriorem, verum existimandum.

Subiectæ materiæ conditiones.

Quæ considerantur in aliqua disciplina bifariã ad rem subiectam pos sunt reuocari,

Quo pacto quic. quid tractatur à Dialectico ad intellectus cognitionẽ reuocetur.

Quidquid igitur in singulis Dialecticæ partibus tractatur, ad intellectus cognitionem, non vtcunque sed vt rectitudinis capacem dicimus reuocari. Quod euidentissimum adeò, vt nihil magis; siquidem in vniuersa Logica nihil considerandum suscipitur, nisi intellectiua cognitio, eiusque species, siue subiectæ partes; nimirum simplex apprehensio, iudicium, atque discursus, & horum attributa, prout tamen in has omnes operationes rectitudo potest induci.

Ratio 2. quomodo intellectus cognitio ad Dialecticã pertineat;

Hinc facilè intelliges rationem, secundùm quam intellectiua cognitio ad Dialecticum pertinet; eamque nil aliud, nisi illa capacitas, qua cognitio dirigi potest, ità vt in huius facultatis re subiecta partes, quarum vna materiæ physicæ, alia verò formæ proportione respondeat, sit cognitio & eiusdem capacitas rectitudinis; atque adeò quod ex vtraque parte consurgit, subiecta res completa solita in aliqua disciplina nuncupari, cognitio sit, quatenus rectitudinis capax.

Quomodo de intellectus cognitione priores Dialectici egerint.

Tametsi autem, nec Aristoteles, nec alius quispiam, ex ijs quibus Dialecticæ inuentio accepta referri debeat, quidquam fortasse de intellectiua cognitione, deque speciebus eiusdem apertè pronunciasse videatur, de ipsa tamen egerunt. Ità protectò, quæ de terminis, de prædicabilibus, deque categorijs traduntur, per ordinem ad cognitionem intellectiuam, prout est rectitudinis capax, tradita censeri debent, & quæ de diuisione, definitioneque dicuntur, de prima intellectus operatione, quæ de enunciationibus, de secunda, & quæ de syllogismo, de tertia, dicta sunt existimanda.

Difficultas.

Occurrit difficultati.

Me certè non præterit in ea Physicæ parte, quæ de anima est, de humano intellectu, deque cognitione, ac operationibus eiusdem, immò de illa rectitudinis capacitate, quam habet ipsa cognitio disputandum esse. Nihil tamen prohibet, quo minus hic artifex hæc eadem pertractet. Physicus de anima quidem intelligente, ac de ipsius operationibus edisserit, prout tamen anima ista hominis est internum principium; de cognitione, prout eius est operatio: de rectitudinis capacitate, prout huiusmodi cognitionis est affectio. Dialecticus in hæc eadem, ratione longè diuersa tamen insudat. Cognitionem enim intellectiuam, nõ tanquam operationem ab anima prodeuntem in solius veritatis meditatione sistens, considerat; Nec rectitudinis capacitatem, veluti cognitionis attributum inspectat, sed potius cognitionem ipsam practico modo inspicit, prout in ea, rectitudo potest induci, rectitudinis igitur capacitas vt apud Physicum est affectio consequens cognitionis naturam, sic apud Dialecticum est ratio, secundum quam cognitio mentis consideranda practico modo suscipitur.

Discrimẽ inter Physicum & Dialecticum.

Quomodo cognitionẽ Dialecticus cõsideret.

Similis quidem est hæc, de qua loquimur facultas morali Philosophiæ, non nego, vt enim hæc ad dirigendos voluntatis actus erroribus in genere moris obnoxios: ita & illa ad intellectus operationes erroribus in genere veritatis subiectas regulandas instituta est. Illud tamen discriminis interest, quòd Moralis non in actibus voluntatis, ac eorundem rectitudine sistit, cùm actus boni ad vltimam hominis felicitatem à morali præcipuè consideratam, ordinentur; cuius proindè subiecta materia, non voluntatis operationes, prout moralis rectitudinis capaces, sed potius homo, quatenus suis actibus beatitudinem assequi potest, decernitur. Dialecticus autem in mentis operationibus, ac eorundem rectitudine sistit, nec aliò spectat, nisi eò, vt illas dirigat, ac rectas efficiat; non enim ipsas ad vlteriorem finem in eadem scientia considerandum promouet.

Difficultas cuius solutio.

Quid interest discriminis inter Moralem, & Dialecticum.

SECTIO QVINTA.

De Dialecticæ fine, deque alijs ad eius conditionem spectantibus.

Intellectus non minus quã voluntas erroribus obnoxius.

INtellectum humanum erroribus non minus ac voluntatem obnoxium vidimus, atque adeò facultatem vtramque præceptis indigere, quibus in operando dirigatur. Hinc facilè intelliges, quò spectet vtraque disciplina, quarum præceptis directio ipsa per-

Digitized by Google

perficitur, quæ namque voluntatis operationes dirigendas assumit, puta, moralis Philosophia eò certè tendit vt in voluntatis operationes, quas dirigere studet, moralem rectitudinem inducat; quamuis illas ad felicitatem, velut ad vltimum finem promoueat; At verò quæ in operationum intellectus directionem incumbit, Dialectica nempè, non ad aliud tendit quàm vt illas dirigat, ac moderetur. Moralis igitur humana felicitas: Dialecticæ verò directio operationum mentis est finis. Hæc autem directio non vnius, vel alterius, sed omnium, & singularum operationum intellectus in quacunque materia, siue probabili, siue necessaria intelligenda est.

Dialecticæ finis omnium mentis operationum directio est.

Quod enim per se primò intenditur rationem obtinet finis; huiusmodi porrò non vnius, vel alterius, sed singularum, & omnium operationum in quauis materia directio est; propterea non vnius, vel alterius, sed omnium, & singularum operationum directio in quauis materia erit omninò finis dicendus; Sed omnium operationum in quauis materia directionem hunc se habere in modum conuinces, ità ratiocinando. Id per quod intellectus immunis redditur omni prorsus errore, est quod per se primò intenditur; at ità planè se habet non vnius, vel alterius, sed omnium, & singularum operationum directio in quacunque materia. Non igitur vnius, vel alterius, sed singularum operationum in quauis materia directio per se primò erit intenta.

Probatur.

Hoc indè non mediocriter confirmatum redditur, quoniam Dialecticus pro fine sibi certè præscribit mentis operationes dirigere, quatenus hæ, vt à rectitudine possunt deflectere, ità & eiusdem capaces sunt, in quacunque materia exerceantur; At verò singulæ in materia quauis possunt ab ipsa rectitudine deficere, aptæque sunt, vt dirigantur; non igitur Dialecticus, vnam, vel alteram sed omnes, & singulas in quacunque materia dirigere, veluti sibi ipsi finem præscribet.

Cõfirmatur per quancunque materiam discurrendo.

Non inficiandum tamen, vt vna ex operationibus mentis erroribus est magis expo sita, nempè tertia magis, quàm secunda, & hæc magis quàm prima, ita vnam magis, quàm aliam directione quidem indigere; indè tamen haud benè concludes singularum omnium directionem per se primò à Dialectico non intendi; sed tantummodò vt vna maiori directione indiget, ità principaliùs vnam, quàm aliam à Dialectico spectari.

Vna ex operationibus mentis erroribus magis exposita, quã alia.

Nec in re proposita momentum habet, quod directio vnius, vt primæ ad secundam, & huius ad tertiam dirigendam conducat: vt enim cuiuslibet ex ipsis directio per se primò à Dialectico intendi dicatur, tantùm illud requirit, vt per se sine dependentia ab alia possit à rectitudine deficere, & eiusdem sit capax. At verò quælibet ex ipsis sine dependentia ab alia Dialecticam directionem requirit, & directionis est capax, obid quælibet in eadem arte primò, ac per se quidem erit intenta.

Non tamẽ principaliùs vna, quam altera à Dialectico spectatur.

At cùm de fine huius facultatis agimus, cogimur etiam illud inquirere, quod ad finem spectat, cuiusmodi videlicet sit operationum mentis directio, num finis extrinsecus, an verò intrinsecus huius artis. Communi enim consensu receptum cuiuslibet facultatis organicæ duplicem esse finem, extrinsecum vnum, quem illa scilicet non attingit; intrinsecum alterum, quem assequitur; quod exemplo Frænefactiuæ artis iuuat illustrare, huius enim finis intrinsecus; est ipsum frænum, in cuius effectionem incumbit: extrinsecus verò est directio equi, cuius gratia frænum ipsum conficit. Frænum intrinsecus finis dicitur, quoniam artis præceptis instructus operando illud attingit, directio autem equi, cùm ab illo non attingatur, non nisi externi finis rationem obtinebit, quamuis comparatione equestris, finis internus dici mereatur.

Cuiuslibet facultatis organicæ duplex finis.

Directio finis internus Dialecticæ.

Dialecticæ igitur internus finis erit illa directio, qua conceptibus mentis, seu operationibus intellectus rectitudinem inducit, præscribendo illi exemplar, & ideam, ad quam in operando debet respicere, vt rectas operationes in hac, vel illa materia exerceat; Huiusmodi autem finis, propterea quod illum attingit, comparatione Dialecticæ debet internus dici; vt eiusdem externus finis est exercitium in hac, vel illa materia operationis directæ spectantis ad illam disciplinam, quæ in huiusmodi materiæ consideratione versatur.

[Exercitiũ directionis in hac, vel illa materia finis externus.

Hoc autem sic imaginandum, ac animo concipiendum. Dialecticus definitionis leges præscribit, & cuiusmodi ea esse debeat, vt distinctè, clareque rem explicet, ostendit, ad nullam tamen peculiarem materiam descendens, sed generatim tantummodo dicendo ad rectam structuram ipsius adhibendum esse genus, & differentiam, quibus ea, veluti partibus constet, huiusmodi autem genus proximum esse debere, nec in ea quidquam omittendum, nec adhibendum superfluum, & id genus alia, quæ de contexenda definitione Dialecticis legibus continentur. Ab hac igitur arte edoctus hoc definitionis exemplar mente gerens definiturus aliquid in re e. g. physica ad illud exemplar, velut ad ideam definitionis respicit, vt quod sibi propositum est, eleganter definiat eiusque naturam clarè, perspicuèque ob oculos ponat.

Explicatur, & luadetur.

Ex quo facilè intelliges hanc, de qua loquimur, definitionem in re physica quidem à Dialectica pendere, ac proinde mentis hanc operationem inde rectitudinem consequi, propterea quod ad illam exercendam intellectus ad Logicum prototypon respexit. Quamobrem vt rectitudo illa exemplaris, & ideæ finis Dialecticæ erat internus, sic rectitudo illius actus in physica materia finis externus est. Siquidem illam, & non hanc attingit. Ita nimirum vt quemadmodum Frenefactiua franũ habet pro interno fine, pro externo autem directionem equi; ità pariter Dialecticæ finis internus sit ideæ, ac exemplaris rectitudo; cognitionis autem directio in hac, vel illa materia finis eiusdem externus dici mereatur; illum enim, & non hunc attingit, cùm hic ad peculiarem hanc, vel illam disciplinam pertineat.

Habitus Dialecticus quomodo ad actus alterius materiæ concurrat.

Hinc perspicuè constat habitum Dialecticum, non eliciendo, sed dirigendo tantùm ad actum physicum concurrere, quem elicere ad physicum habitum pertinet, sic etiam de cæteris facultatibus intelligendum quod non sic vsurpandum, quasi habitus requiratur omninò ad actus productionem, quæ tantùm potentiæ cognoscenti debet accepta referri; sed quoniam facilitatem, ac promptitudinem eidem potentiæ præbet ad operandum.

Quid præstet habitus ad productionẽ actus.

Neque putes peculiarem Dialecticæ finem à nobis perperam fuisse decretum mentis operationes dirigere, quod rectas illas efficere, & verum à falso discernere ad vnamquamque scientiam pertineat. Hoc enim admittendum tantummodo quantùm ad exercitium actus in hac, vel illa materia, ad vnam, vel aliam scientiam spectante, cùm alioquin Dialectici sit exemplar, & ideam præscribendo dirigere. Nec absimili modo dicendum de veritate, & falsitate; nam secernere verum à falso proculdubio circa subiectam materiam vniuscuiusque est disciplinæ in exercitio quidem, non autem per modum ideæ, vel exemplaris,

Diluitur difficultas.

cum

cùm solùm hoc ad Dialecticum attineat.

Nec illud omittendum, nimirum hanc facultatem dirigere quidem operationes intellectus circa materiam, in cuius consideratione versatur, citra periculum abeundi in infinitum: ijsdem enim præceptis intellectus, quibus dirigit actus ad hanc, vel illam disciplinam spectantes, dirigere quoque potest ad Logicam pertinentes: Quoniam scilicet Dialecticus præscribens ideam, & exemplar, ab omni penitus materia abstrahit: intellectus autem sic edoctus in materia, siue logica, siue physica, siue alia quacunque ad illam respiciens ideam, suas exercet operationes directas.

Præcepta præscribens Dialecticus abstrahit ab omni materia.

Neque putes dirigere tantùm operationem tertiam Dialecticæ finem, quòd hæc nimirum operatio tantùm directione indigeat; falsum enim assumeres, propterea quod prima, & secunda quoq; possunt à rectitudine deficere, & cùm eiusdem sint capaces dirigi ab ipso Dialectico possunt, ac huius est in illas rectitudinem inducere.

Quælibet intellectus operatio erroribus obnoxia.

Non me latet primam operationem directionis minimè capacem videri, quòd sit apprehensio simplex obiecti specie necessariò repræsentati; cui propterea falsitatem inesse negari solet: si non falsitas complexa, simplex tamen concedenda, vel saltem defectus quidam, quo intellectus rem concipit aliter, quàm sit, nam vel eam obscurè, ac implicitè apprehendit non introspectis omnibus, ad eius naturam spectantibus, vel indistinctè, & confusè concipit ea, quæ alioquin distingui, secernique debent; Species etiam, seu rei simulacrum necessariò rem ipsam repræsentat, idq; planè concedendum; negandum tamen rectè semper rem ab huiusmodi imagine repræsentari, cùm ex accidenti possit oppositum contingere; Vt omittam, quod hæc rudis admodum est repræsentatio, atque adeo, etsi error in ea non contingat, hoc nihil refert, cùm in distinctiori conceptu eliciendo sit erroribus intellectus expositus, totoque cælo possit aberrare.

Cõplexa facultas seu defectus quidam apprehẽsioni est concedendus.

Apprehẽsioni, quæ sit etiandi occasio.

Secunda autem operatio, nempè iudicium suis quoque defectibus laborat, propterea non exiguâ indiget directione. Iudicium enim, siue enunciatio, vel est per se nota, quippè quæ circa quidpiam naturæ lumine notum versatur. vel eius quidem obiectum est aliquod ignotum, itaut ea non nisi discursu possit innotescere; vtcumque se res habeat, pro comperto quidem habendum secundam hanc intellectus operationem, & à recto veritatis tramite posse deflectere, & logico etiam artificio dirigi posse. Non enim rarò, immò frequenter intellectus in enunciationibus allucinatur, siue connexio extremorum nota sit, vt in propositionibus per se notis, siue ignota, vt in cæteris, quibus intellectus habita significatione terminorum statim assentiri nequit; propterea quod in vtroque enunciationum genere potest inordinata terminorum accidere connexio. Quamobrem ad rectam eorum dispositionem est opus varijs præceptis, quæ Dialectica submministrat.

Et 2. intellectus operatio suis laborat defectibus.

Suadetur.

Non rarò in enunciationib. intellectus allucinatur.

Et minus benè etiam huius facultatis ab ijs fuit introspecta natura, cùm dicerent ab ea non esse dirigendam nisi tertiam intellectus operationem, & quidem in necessaria materia, quòd ipsa dicatur instrumentum sciendi, & scientia tantùm per demonstrationem, quæ fit in materia necessaria, comparetur; Nam huiusmodi operatio, vt in quauis materia est erroris capax, sic in omni quoque materia directione indiget. Neque cùm hæc fultas sciendi dicitur instrumentum tàm religiosè verbum *scire* debet vsurpari, vt solam importet cognitionem, demonstrationis vi comparatam, sed latiori quodam sensu pro cognitione, probabili quoque discursu, immò etiam sophistico, acquisita, etsi non primò, secundaria saltem ratione ad vitandos scilicet errores, accipiendum est.

Quorundam opinio refellitur.

Et 3. operatio mẽtis in quauis materia erroris capax.

Quomodo instrumentum sciendi dicatur hæc.

Ex hucusque traditis obscurum nemini futurum existimo, in quo tandem vltima ratio facultatem hanc constituens posita sit; & quæ ipsius definitio, nempè *Dialectica est scientia practica mẽtis operationes respiciens, vt in eas rectitudinem inducat*, quod adeò perspicuum, vt in hoc immorari superuacaneum existimem.

Explicatur tandem in quo Logicæ natura consistat.

Silentio minimè prætereundæ conditiones, quæ supersunt, è quibus aliquæ sunt communes omnibus scientijs, aliquæ huic peculiares, & propriæ.

Primi generis est vnitas, de qualibet enim disciplina solet illud inquisitione dignum putari, quanta sit eius vnitas. Logica vtique vna censeri debet facultas multis partibus, immò tot, quot sunt conclusiones, constans, quod omni disciplinæ commune est.

Vnitas Logicæ inquiritur.

An inter Dialecticas partes recenseri Rhetorica & Poetica debeant.

Est autem apud eruditos non exigui momenti difficultas, an inter huius partes Rhetorica, & Poetica recenseri debeant. Et quamuis id affirmandum alicui sit visum, alijs autem non item. Vnius enim, inquiunt, cuiusque disciplinæ pars totius redolet naturam, quod euidens adeò, vt facilè à cuiusque animo extorquere possit assensum; At num ità se habeant Rhetorica, & Poetica Dialecticæ comparatione non erit magni laboris intelligere singularum introspicienti naturam. Logica quidem est scientia, qualis à nobis descripta fuit, nimirum practica, mentis operationes respiciens, vt in eas rectitudinem inducat; cuius ob id internus finis est mentis operationes dirigere, quem præcepta, legesque tradendo, ac exemplar exhibendo definitionis, diuisionis, & argumentationis assequitur. His enim cautior factus intellectus errores declinat, in quos alioquin facillimè laberetur. Rhetorica autem facultas est videndi quidem in vnaquaque re quid ad persuadendum, conducat; cuius finis est persuadere dictione; vel oratione probabili, in cuiusuis animo aliquam opinionem gignere. Poetica autem etsi laxâ significatione dicatur, ars scribendi carminis, præsâ tamen dicitur ars orationem metricâ imitandi actiones, cuius finis [eius enim est fabulas, ac figmenta exponere] est fictis fabulis iucundè ea docere, quibus in hominum animis fit purgatio vitiorum. Dicebat enim Lyricus,

Finis Logicæ internus.

Rhetoricæ quid, eiusque finis.

Poeticæ quid, eiusque finis.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ:

Alterutrum autem non sufficit, cum totius operis finis esse debeat, docere pariter, ac delectare; vnde idem cecinit,

Aut simul, & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Horatius ad Pisonem.

Quò pertinet illud eiusdem.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Rhetoricæ & Poeticæ multum differunt à Dialectica.

Non igitur eadem est Rhetorica, quæ Poetica, & vtraque à Dialectica multum differt.

Contraria tamen sententia probatur quibusdam, quod ab Aristotele Rhetorica particula Dialecticæ dicta sit, quia nimirum docet rationem, qua enthymema ad ciuilem materiam applicetur, ità pariter & Logicæ partem Poeticam esse aiunt, quoniam in materia ficta aperit exempli vsum. Falluntur è quorundam sententia, ac tota quidem aberrant via. Tametsi enim Philosophus, inquiunt; pronunciauerit Rhetoricam esse Dialecticæ particulam, tamen non est propriè locutus. Subdit enim imaginem esse Dialecticæ: siquidem ità loquitur Ἔστι γὰρ μόριον τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα. *Cùm particula tantùm quædam, & imago Dialecticæ sit*, vbi quidem Philosophus inuehitur in Rhetores sui temporis, qui cùm Rhetoricam profiterentur, dicebant se ciuilem scientiam do-

Digitized by Google

docere; cum tamen Rhetorica licet habitum, formamque Ciuilis induat, eâ longè sit inferior, Mox verò subiungit περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου ἐστὶν ἑκατέρα αὐτῶν τῇ ἐπιστήμη, πῶς ἔχει ἀλλὰ δυνάμεις τινὲς τοῦ ποιῆσαι λόγους. *Neutra enim earum alicuius definitæ rei scientia est, vt quærat quomodo res ea se se habeat. sed facultates quædam sunt rationes, & argumenta comparandi*, vt nimirum doceat, quomodo Rhetorica Dialecticæ præseferat imaginem; quoniam scilicet earum neutra in alicuius certæ rei naturam iuxtà supra dicta perscrutandam incumbit, quod tamen à cæteris disciplinis fieri perspicuum est. Sed ea quærunt ambæ, quibus vnaquæque res probari, aut euerti possit. Vnde Tullius Dialecticorum scientiam Rhetoricæ vicinam, atque finitimam esse dicebat. Vtque Dialecticus non quærit rerum naturam, sed de rebus ipsis probabiliter tantùm ratiocinatur; ità etiam & Rhetor; vt non immeritò Rhetorica imago, & simulacrum Dialecticæ dicta sit, hoc nomine totius facultatis intellecta parte, quæ Topica dicitur.

Bifariam Dialectica vsurpatur.

Vt autem hæc diligentiùs, & accuratiùs à nobis tractata videantur, iuuat in memoriam reuocare Dialecticam vsurpari, vel pro vniuersa Logica, vel pro parte octo Libris Topicorum comprehensa, in qua discursu ad probabilem materiam contracto docemur probabilem veritatem concludere, vt in posterioribus analyticis ad materiam necessariam applicato, qui demonstratio dicitur, necessariam veritatem elicere.

Quomodo Rhet. & Poetica Dialecticæ partes sint dicendæ.

Vt igitur Topica vniuersæ Logicæ pars vna ex ijs, quibus illa constat, non dissimiliter Rhetorica, atque Poetica. Dialecticæ verò sumptæ pro Topica, qua ratione Philosophus non semel illam vsurpat Rhetorica non est dicenda pars, sed potius imago, ac simulacrum vt rectè Philosophus idem innuerat. Nec immeritò vniuersæ Logicæ dicitur pars, quoniam vt Topica, ità se habet, propterea quod discursu, vt est rectitudinis capax ad probabilem conclusionem deducendam considerat, sic & Rhetorica, quòd ad materiam probabilẽ, præsertim ad Ciuilẽm scientiam discursum contrahit, docetque modum probabiliter ratiocinandi, seu colligendi conclusionem probabilem ad faciendam fidem, hoc est ad aliquam opinionem in auditoris animo gignendam, quod est persuadere dictione; ita vt finis eius internus, qui cum officio

Probatur.

Finis Rhetoricæ internus.

conuertitur, sit perscrutari, & diligenter excogitare omnia quæ sint ad persuadendum accommodata, atque adeò dirigere mentis operatione ad hæc in ciuili materia præstanda, finis autem externus sit persuadere; quò dille sit in Oratore, hic in audiente, illum Orator semper attingit, hunc autem non semper. Dici autem non debet pars Dialecticæ hac accepta pro Topica, sed ei similis & eiusdem imago, & simulacrum, vt paulò antea cum Aristotele dicebatur, vel si mauis etiam cum eodem, eius pullulatio, germen, atque propago, vndè ait

Finis eius dẽ externus.

Rhetor. 1. cap. 9. text. 63.

ὅτι τὸ συμβαίνει τῶν ῥητορικῶν λόγων παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν, ἡ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. *Ità fit vt Rhetorica sit propago quædam, & quasi pullulatio Dialecticæ, & facultatis eius, quæ de moribus tractat quam certè ciuilem scientiam appellabimus.* Ex hactenus enim a se traditis Rhetoricam ex Dialectica, Ciuilique scientia conflatam, & ex vtraque proficiscì concludit eleganti metaphorâ, pullulationem, seu germen illam appellans Dialecticæ, atque Ciuilis scientiæ, ab arboribus translatione deductâ, iuxtà illud

1. Georgicorum. Poetæ.

Pullulat ab radice alijs densissima sylua.

Veteres enim virgulta, quæ ab radicibus arborum pullulant, quæque magnam cùm ijs, quibus adnascuntur affinitatem, atque similitudinem habent, eorumdemque naturam redolent, nec tàm vberes fructus ferunt, stelones appellare consueuere. Sic etiam Rhetorica quasi pullulat ab radice duarum præclarissimarum scientiarum Dialecticæ nimirum, atque Ciuilis, etsi ijsdem inferior, ac imperfectior.

Quid stelo apud veteres.

Rhetorica verò tribus nominibus similis, & æqualis, totidemque dissimilis, & inæqualis Dialecticæ esse videtur. Primò quoniam ambæ de cognitionis, & rationis actionibus disputat. Secundò quia vtraque modum argumentandi continet, quamuis non gignat in animo scientiam, sed fidem, & opinionem, quæ facilè contrarijs argumentis conuelli, atque labefactari potest. Tertiò propterea quod æquè vna, ac altera certis finibus, cancellisque destituta de quouis oblato problemate verisimiliter, & in contrariam partem disceptat.

Rhetorica Dialecticæ similis in aliquibus.

Discriminantur autem & quidem Rhetorica inferioris est notæ. Primò quia, non tàm firmas, ac stabiles conclusiones habet, quàm Dialectica, neque tàm acutè, subtiliterque disputat, sed hebetior, & magis est popularis. Secundò quoniam Dialectica syllogismo, ac inductione vtitur ad probandum; Rhetorica verò enthymemate, ac exemplo, sed enthymema syllogismus est quidam imperfectus, exemplum imperfecta quædam inductio. Tertiò quoniam Dialectica opinionem sine vlla ipsius animæ perturbatione, commotioneue gignit. Rhetorica verò id præstare nequit, nisi animum commouendo, quo præsertim viget oratoria elocutio, quæ cum vehemens, incensa, ac incitata fuerit, veluti flumen sic rapidè fertur vt nullo modo sustineri possit; quin potius audientis animum hùc, atque illùc vehementer impellit. Vides igitur, quàm rectè ob similitudinem Rhetorica ab Aristotele imago, ac simulacrum Dialecticæ nuncupata fuerit dicendo, Ἔστι γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα. *Cum particula quædam, & imago Dialecticæ sit*, & quàm egregiè, quòd ei sit partim similis, partim verò dissimilis, inferiorem tamen conditionem sortita propago fuerit his verbis appellata; *Itaque fit vt Rhetorica sit propago quædam*, nec modo absimili de Poetica philosophandum; si quidem hæc etiam ea sibi vendicat, quæ Rhetoricæ conuenire modò dicebamus.

In aliquibus eidem dissimilis.

Aristot. 1. Rhetor. cap. 9.

Nobis autem in orbem sermonis redeuntibus, breuiter aliqua de Logicæ vnitate dicenda supersunt. Vna quidem est integra scientia pluribus, distinctisque partibus constans, immò tot, quot conclusiones tradit. Hæc autem, vt in habitu spectata videri potest plerisque non magis, quàm aggregatione vna, instar vt ità dixerim, cumuli pluribus lapidibus constantis. Quantum autem hoc à veritate distet, inde facilè deprehenditur, quoniam singula, quæ sub hanc considerationem cadunt, non sic in re vniuersa conueniunt, quæ totam facultatem secum exequet, vt lapides in cumulo; quin potius omnia nexu quodam copulantur, vt singulas eius partes aduertenti, nempè libros Prædicabilium, Prædicamentorum, de Interpretatione &c. immò conclusiones omnes manifestissimum esse potest. Non igitur omnes huius facultatis partes artem vnam aggregatione constituent.

De Poetica simili modo philosophandum ac de Rhetor.

Vnitas aggregationis à Dialectica remouetur.

Nec scitè admodum videntur locuti, qui vnam specie infimâ constantem dixerunt ex pluribus habitibus vnione per se, vel physicâ, vel artificiosa connexis, non secus ac lapides, ac ligna, quæ tametsi specie diuersa, tamen domum vnam per se specie infimâ constituunt, si tamen artificiosum genus attendas.

Alia vnitas tollitur.

Ab hoc etiam veritas non mediocriter abhorret; ea

siquidem Physica vnio nequit inter qualitatis species perfectas, atque completas, cuiusmodi sunt habitus, cadere, nulla siquidem ratio suppetit, ad designandam qualitatem, vel habitum, se habentem vnum instar potentiæ, alium verò instar actus. Illudque speciatim de habitibus vrget, quòd quilibet, vel saltem maior pars eorum prius, posteriùs alter potest acquiri: nec cùm illa conclusio ab ista pendet, hæc per modum subiecti, sed efficientis se habet, quod ne dum de actibus, sed de habitibus quoque intelligendum; neque etiam hæc potest esse intensionis vnio; quamuis enim qualitas, atque adeò habitus, intensionem patiatur, non tamen per gradus alterius speciei diuersæ, cùm tamen habitus specie distinguantur. Nec demum extensionis est vnio, tùm quia hæc rei quidem incorporeæ, vti sunt scientiarum habitus, consentanea non est; tùm quia partes prout hic vsurpantur extensæ, specie conueniunt, cùm tamen habitus specie distinguantur; tùm demum, quoniam actus, quorum vestigia sunt habitus, non sunt huiusmodi nexu inter se vniti: quamobrem neque habitus. Quæ autem vniuersim de quouis habitu pronunciauimus, facilè huic, de quo loquimur quisque poterit accomodare.

Quæ vnitas aggregationis Logicæ concedatur;

Reliquum igitur est, vt diuersæ Disciplinæ atque adeò Logicæ partes scientiam vnam aggregatione tantùm, debito tamen ordine retento, constituant. Integra siquidem vna scientia est, quoniam ex illis constat habitibus debito ordine dispositis iuxtà naturam eorum, circa quæ versantur, vt domus, non vnum est artificiosum opus hominum arbitrio tantummodo constructum, sed potius respectu quodam ad conditiones partium, è quibus consurgit, vt grauiora deorsum, leuiora sursum &c. disponantur. Hæc igitur Logicæ vnitas, qua de re copiosiùs opportuniori loco tractabitur.

Quomodo Dialectica Philosophiæ pars dicenda sit.

Nonnulli potius de nomine, quàm de re contendentes inquisitione dignum existimant, an hæc, de qua loquimur, rationalis facultas Philosophiæ pars, an instrumentum dici debeat. Sumptâ Philosophiâ pro cognitione habita per causam, Logicâ proculdubio pars eius dicenda erit. Insuper admissâ Philosophiæ partitione, quam superius è sententia Platonis attulimus in Rationalem, Naturalem, atque Moralem. Rationalis in Logicam, Rhetoricam, & Poeticam. Naturalis in Physiologiam, Metaphysicam. & Mathesin. Moralis in Ethicam, Politicam, & Oeconomiam; citrà difficultatem Logica Philosophiæ pars existimanda. Si verò eadem pro scientia rerum præstantissimarum, atque sublimium accipiatur, vt apud Stagiritem 4. Diuinorum textibus 5. 7. & 8. vel pro rerum tantummodo moralium disciplina vt apud eundem 1. de part. animal. cap. 1. vel pro sola scientia, quæ in solius veritatis contemplatione sistit vt 2. Diuinor. tex. 3. vtique Logica non erit inter Philosophiæ partes recensenda.

Philosophiæ pars dicenda sit.

Quomodo non sit dicenda.

Aliunde verò satis apertè constat, eam esse dicendam instrumentum, cùm sciendi sit modus 2. Diuin. tex. 15. quandoquidem actiones mentis ad assequendam in Philosophia veritatem dirigit, ac moderatur. Hæc eadem porrò Philosophiæ pars dicebatur; non inepte propterea Philosophiæ pars redolens instrumenti naturam, appellabitur.

Non tamen mere instrumentum dicta est.

An verò Logica sit Philosophiæ subiecta, & vt vocant subalternata, indè quidem intelliges, si diligenter aduertas, vnde petendum sit, quòd scientia dicatur alteri subalternata; si namque dicas ex fine profectò hæc erit subalternata Philosophiæ, cùm ad illam præcipuè sit ordinata; si ex obiecto, & re considerata, quoniam subalternata partem assumit obiecti alterius scientiæ considerandam, etsi accidentariâ differentiâ contractam; hunc sanè in modum subalternata erit Philosophiæ parti, in qua de mentis actionibus disseritur, cùm illas Logicus dirigendas assumat; quin, & diuinæ Philosophiæ, quatenus breuiter res omnes ad quædam capita redactas, attingit, vt hinc mens erudita rectè suas actiones exerceat, quod Prædicabilium, ac decem categoriarum libris exhibetur; Demum si petendum id ex parte præmissarum, ac principiorum, hunc vtiq; in modum Logica nulli erit scientiæ subalternata, cùm propria, atque peculiaria principia quidem habeat.

Nec tamen mere Philosophiæ dicitur subalternata.

Tanguntur breuiter subalternationis ratiocinationes.

DISSERTATIO SECVNDA

De intellectiua cognitione generatim accepta.

In omni disciplina primò de re subiecta differendum.

Primò hic agendum de intellectiua cognitione.

1. Post. tex 2.

Cognitionis nomen quid significat.

Concedenda omninò intellectiua cognitio,

Citè admodum vt initio quoque dictum à nobis fuit atque prudenter sibi consuluisse videtur, disciplinam aliquam aggressurus, qui primò disserendum id operæ pretium existimat, perscrutatione cuius eadem ipsa disciplina detinetur; illud enim finis rationem obtinet; Quamobrem, vt intentione, ità & consideratione primum. sic enim ad eius consecutionem peropportuna media parare licet. Hoc autem esse commune omnibus facultatibus dirigentibus facilè cuique constabit si vnam, vel alteram aspexerit. Moralis disciplina primò de humana pertractat felicitate, Medicina de humani corporis constitutione, ac sanitate disputat; nec secus de alijs iudicandum; quod igitur primò se nobis considerandum offert, erit intellectiua cognitio, parcè tamen tractanda; cùm eius exactior, atque copiosior ad Physicum pertineat, consideratio: Huius enim, vt est mentis aciem in animam dirigere: sic eiusdem est illius naturam, attributa, operationesque longè diligentius, & accuratius perscrutari.

Nostræ igitur erunt partes intellectiuam cognitionem obiter considerandam assumere, nimirum eius nomen exponendo, eandemque concedendam in natura rerum ostendendo; quæ in re subiecta vniuscuiusque facultatis desiderari apud Stagiritem, expressum legimus. Cognitionis autem nomen, quid sibi velit, intelliges aduertendo per illud nil aliud significari, quàm rei alicuius, quod obiectum dicimus, expressam repræsentationem in anima, quod tàm intellectiuæ, quàm sensitiuæ cognitioni accommodatum est. Hoc autem repræsentationis genus concedendum adeò cuicunque perspectum vt in eius confirmatione pigeat immorari. Accipiendum igitur tanquam notum & manifestum dari cognitionem intellectiuam, cui conatur Dialecticus rectitudinem inducere.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Quid intellectiua cognitio, quod obiectum habeat, & quotuplex ea sit.

Quid sit intellectiua cognitio, explicatur.

COgnitionis, de qua fit sermo, nomine paulo antea patefacto, naturam inquiro, quam vt saltem crassa minerua delincem, cum accuratiùs hic illam tractare non liceat, sic breuiter explicabo. Nullum principium, nullaque causa, si tamen primam excipias, semper actu suo munere fungitur; sed omnis ex otio transit ad negotium, & ex non actu causæ munus exercente fit actu exercens. Non secus anima, qua homo cognoscit, & sapit; cùm enim priùs à suo opere se retrahat, post exit in exercitium operis, cùmque prius non agat, hoc est non intelligat, (non enim aliud est eius agere) incipit intelligere; Quod non sic accipiendum, quasi nimirum intelligere quædam sit actio physica, qua terminus, qui verbum dicitur mentis, producatur; cùm intelligere sit realiter intellectio, atque cognitio ad genus qualitatis, vitalis tamen, non actionis, si physicè loquamur, sed grammaticè, pertinens. Hæc profectò est, qua intellectus, præcipua, ac nobilis huiusmodi animæ pars rem sibi vnit obiectam, sibique similem repræsentando reddit; atque adeò intellectiua cognitio, quæ & intellectio dicitur, nil aliud, quàm commemorata vitalis qualitas, atque formalis actus nullum cum materia commercium habens, quo intelligenti res obiecta repræsentatur. Et rectè qualitas dicitur, vitalis tamen, incorporeæ naturæ. Sic enim animæ potentiam afficit, vt qualitatis indolem obtineat, cùmque à vitali principio suum ducat ortum, vitalis quoque dicenda. Et quoniam anima, de qua loquimur, siquidem intelligens ab omni materiæ concretione recedit, ob id etiam quidquid illam afficit, atque circumstat, vt intellectio, siue cognitio; quæ pariter actus dicenda, cùm à potentia, ac habitu secerni debeat non enim, vt potentia quidem, & habitus ad actum quoque, sed ad obiectum tantùmmodo ordinem inuoluit, ac dicit. Hucusque à voluntatis operatione cognitio, de qua fit sermo, non distinguitur, nisi pariter adiungas id esse, quo res obiecta potentiæ intelligenti repræsentatur, non virtute tantùm, sed reipsa quidem actu, vt eandem ex aliquorum sententia ab impressa imagine sciungas, vnde & rei fit obiectæ expressa quædam imago.

Nulla causa, prima excepta, re ipsa perpetuò causat.

Intellectio non est actio physicè, sed grammaticè dicta.

Intellectiua cognitio definitur.

Quamuis autem de veritate soleat illud frequenter vsurpari. *Veritas nunquam latet*, sæpè tamen intellectus ab eius recto tramite deflectit, & aberrat cognitionem eliciens rei penitus dissonem, quam aliquibus visum est hoc nomine minimè donandam, solamque sic nuncupandam rei prorsus congruentem, atque vt paucis hoc explicem, cognitionem falsam, non tàm cognitionem, quàm ignorationem esse dicendam, cùm cognitionem, vt cognitio sit, esse veram oporteat; vnde doctissimum illum dixisse accepimus; *per cognitionem veram eorum, quæ sunt, cognitionem intelligo, falsa autem cognitio, vt quæ eius rei, quæ non sit, cognitio sit, ignoratio potius, quàm cognitio censeri debet*: Vsus tamen obtinuit, communique calculo receptum fuit, vt intellectionis nomen vtrique consentaneum, atque conueniens esse diceretur.

Intellectus ab intelligendo sæpè à veritatis tramite aberrat.

Damascenus Dial. cap. 1. Cognitionis nomen eam verè, quàm falsæ cognitioni conuenit.

Ea porrò de qua loquimur cognitio, frequenter elicita, ac repetita sui, vt ità dixerim in intellectu reliquit vestigium, quod habitus nuncupatur, qui directus est, prout à cognitione directa procreatur; ità fit, vt Logicus de istius tantùm rectitudine sit solicitus, cum hinc habitus directus fiat, suamque rectitudinem assequatur.

Cognitio prout in habitu cõsistit non cadit sub Logica consideratione.

Amplissimum sanè est id circa quod se se intellectus exercet, eiusque cognitio versatur, quod adæquatum obiectum appellant, cùm nihil sit quod eius aciem effugiat; propterea quidquid est, & vt loquuntur, omne ens reale, tàm generatim, quàm particulatim acceptum negationes reales complectens, & illud quoque, si tamen datur ens, quod rationis dicitur, non aliud, sibi vendicans esse, quàm quod ab intellectu consequitur, ad hoc obiectum pertinet.

Istius cognitionis obiectum est omne ens.

Adeò etiam latè patet, intelligibilium ambitus, vt inter hæc intellectus locum pariter obtineat, cùm sui ipsius obiectum esse possit; vt enim catera directè, sic seipsum reflexè cognoscit: Quamobrem duplici munere, & intelligentis, & intelligibilis fungitur: quinimò cùm se aliquid cognouisse plerumque cognoscat; propterea cognitio quoque ipsa inter intelligibilia numeratur, & secundæ cognitionis iam dictæ obiecta res prior illa cognitio erit.

Intellectus ipse, eiusque cognitio est sui ipsius obiectum.

Tres autem sunt præcipuæ, quas intellectus exercet operationes, tres eius sunt actus, videlicet Apprehensio, Iudicium, atque Discursus, quibus Logicus rectitudinem conatur inducere, considerans nimirum illas sub nominibus termini, propositionis, & syllogismi. Rectè verò partitionem hanc primò institutam, deinceps retentam fuisse, ex eò planè comprehendes; quoniam intellectus cognoscendo, vel simpliciter aliquid concipit, & apprehendit, nullo modo affirmando, vel negando; aut vlteriùs iudicat, aliquid esse, vel non esse, quod iam apprehenderat; aut demum ex re vna iudicata, & cognita aliam deducit, ac infert, ex vno scilicet in aliud discurrendo. Harum autem operationum hic ordo, vt apprehensio sit omnium prima, sine qua aliæ esse non possunt, cui succedit iudicium, velut operatio secunda, quam subsequitur tertia, nempè discursus, necessariò secundam præsupponens.

Tres sunt actus istius cognitionis, & vel vt eiusdē gradus, apprehensio iudicium, & discursus.

Approbatur ista partitio simulq; explicatur.

E cognitionibus modo enumeratis quælibet vlteriorem patitur diuisionem: propterea quod diuidi potest apprehensio in incomplexam & complexam; in conceptum vltimatum, & non vltimatum, non secus de cæteris iuxta varias terminorum diuisiones.

Quælibet cognitionum vlteriorem subire potest diuisionem.

Secunda, quæ dicitur operatio, nempè iudicium in affirmatiuum, & negatiuum, siue in assensum, & dissensum distribuitur; affirmatio dicitur compositio, negatio autem diuisio.

Tertia tandem discursus appellata multifariam diuidi potest, præcipuè tamen iuxtà multiplicem ratiocinandi formam, ac modum.

Hæc actuum, siue cognitionum distributio, atque distinctio ità est humanæ intelligentiæ propria, ita humano intellectui accommodata vt angelico diuinoque ob vtriusque perfectissimum cognoscendi modum omninò sit deneganda. Angelicus enim, & longè magis diuinus cuncta perfectiori modo absque horum actuum distinctione cognoscit, sensui verò deneganda pariter, contrariâ tamen ratione, videlicet ob cognoscendi summam imperfectionem.

Hæc cognitionũ partitio humano tantummodo conuenit intellectui non Angelico, neq; diuino.

Nec negotij quidquam facessit, & quòd Stagirites non semel pronunciauerit, duas intellectus esse tantummodo concedendas operationes, nimirum indiuisibilium intelligentiam, itemque compositionem; & quòd etiam discursus, in compositione, vel diuisione consistens iudicij rationem obtineat. Trimembris enim illa partitio ad bimembrem reuocabitur facilè, si videlicet intellectiua cognitio primò in apprehensionem, & iudicium, mox verò iudicium in simplex, & illatiuum, vel potius illatum distribuatur.

Aristotelis auctoritas explicatur.

Digitized by Google

Ex aduerso autem suspicari quispiam posset, maiorem esse numerum operationum intellectus.

Attentio non est intellectus actus quidpiam ponens in re.

Primò siquidem occurrit *Attentio*, actus, quo animus se ipsum ad aliquid cogitandum, & apprehendendum applicat. Sed hic non est actus intellectricis potentiæ ponens quidpiam in naturâ, sed potius voluntatis intellectum ab aliarum rerum consideratione, vel penitus retrahentis, & eundem ad rem certam aliquam cogitandam omninò, vel saltem ex parte determinantis.

Dubitatio est intellectus quædam cognitio, ac actus per accidens ad Logicũ pertinet.

Secundò etiam est *Dubitatio*, quæ creditur intellectricis potentiæ actus ponens aliquid in natura. Quamuis autem hunc se habeat in modum Logicus illam, non primariâ, sed secundariâ ratione tantummodo curat, quippè qui tres commemoratas operationes dirigendo, nempè tradendo præcepta, quibus intellectus de re quacunque determinatè iudicare, & verum à falso discernere possit, dubitationem omnem è medio tollit, nec dubitatio ipsa alia ratione est directionis capax. Vt omittam quodammodo dubitandi actum ad iudicium reuocari posse.

Imperium potius voluntatis est actus, quã intellectus.

Tertiò succedit *Imperium*. Sed hoc voluntati potius, quàm intellectui deferendum; cùm illius sit & suis, & vniuscuiusque alterius potentiæ operationibus imperare: huius verò, & voluntatem, & eiusdem actiones dirigere; illius primò mouere, ac determinare potentias cæteras ad operandum: huius autem non item: Illius sic agere, vt ei cæteræ potentiæ obediant; huius verò nequaquam: illius propterea, non autem huius imperium erit. Quòd si intellectui tribuendum imperium velis; ad secundam, & tertiam operationem quodammodo poterit reuocari.

Etsi foret actus intellectus ad secundã, tertiã operationẽ reuocari posset.

Tandem si quæ sunt aliæ mentis actiones, ac intellectus operationes nihil profectò refert. Nam vt solum Logici interest, in mentis operationes, videlicet apprehensionem, iudicium, atque discursum rectitudinem inducere: ità cæteris neglectis, illas dirigendas tantùm aggreditur.

Siquæ sũt aliæ operationes ad Logicum non pertinent.

Nulla quidem ars operationes mentis dirigeret, nullaque moderatrix earum foret, nisi directionem illæ subire possent, rectitudinemque recipere valerent. Qua id autem ratione contingat nobis explicandi nunc onus incumbit. Quod præstare tamen non licet, nisi primò quid rectitudo sit, paucis declaremus.

Intellectus cognitio est rectitudinis, & directionis capax.

Quid sit cognitionis rectitudo.

Ea quidem ex parte veritas est, non illa tamen, quæ transcendens appellatur, quippè quæ communis omnibus rebus velut attributum entis existit; quamuis enim cognitioni hæc non secus ac alijs rebus omnibus insit, adeòut etiam falsæ cognitioni conueniat, cùm tàm falsa, quàm vera cognitio rationem entis obtineat, non ea tamen est, cuius in præsentia nos consideratione detinemur. Hæc enim cognitionis adeò est propria, vt eius sit perfectio summa, & in hac eiusdem rectitudo consistat. Vtque illa prior veritas in essendo, ità & hæc in repræsentando nuncupatur & vt illa rerum quædam congruentia cum supremi Numinis intellectu, quatenus nimirum vnaquæque res ità se habet, cuiusmodi ab illius intellectu esse debere cognoscitur. Ità pariter hæc cognitionis alterius cum rebus ipsis congruentia esse perhibetur, quatenus cognitio eas exhibet intellectui vti sunt, alioquin falsa cognitio, & à veritate penitus aliena dicitur. Hæc veritas est, rectitudo illa, quam in mentis cognitionem contendit Logicus inducere.

Duplex veritas, vna transcendens, altera formalis.

Logicus assumit inducendã rectitudinẽ, & veritatẽ in cõceptibus mentis.

Perperam Aliqui intellectui humano veritatem omnẽ denegarunt.

Tametsi autem nonnulli meâ sententiâ perperam, & insulsè philosophantes sibi persuasum habuerint, humanam mentem adeò miseram, ac infelicem esse, vt nullam cognoscendo veritatem assequi possit, aut nihil verum esse, aut certè mentis aciem illud effugere; quòd nihil in rebus sit ratum, ac firmum, sed omnia mutationibus obnoxia; experientiâ tamen cuique satis est exploratum humanum intellectum hanc veritatem attingere; cum non semel vsu venire soleat, vt eius cognitio sit rebus conformis, & consentanea; contrà verò non rarò, puta cùm falsa est, dissona prorsus, atque dissimilis.

Possibilè est veritas in intellectu.

Et certè nullâ ratione contrarium, ac aduersum placitum secuti, perpetuam ignorationis, falsitatisque caliginem humano intellectui conati sunt offundere. Tum quia nullius rei natura, ijs inspectis, quorum connexionem, disciplinæ quæcunque respiciunt, mutationem subire potest; Tùm quia quæ varietatem admittunt, dum existunt, ità se habent, vt nullo prorsus falsitatis periculo, de ijs enunciationes formari possint; immò & ipsarum mutatio mentis humanæ perspicientiam non fugit. Cui tamen non inficiandum operosum admodum esse, veritatem attingere, siue id à rebus ipsis oriri, siue ab ipsa humana mente, siue tandem vtrinque quod probabilius forsan putandum, existimes. Quæ namque summo labore, puta sempiternas mentes intellectus humanus attingit, magna facilitate quidem angelicus, & multò magis diuinus assequitur. Non igitur à rebus oritur difficultas. Contrà verò quædam sunt, scilicet quæ obuia sensibus, quæ facilè humanus intellectus percipit. Ex hoc igitur nulla difficultas. Quamobrem vtrinque comparatè petenda.

Difficilis tamen est veritatis assecutio.

Difficultas oritur comparatè ab intellectu & rebus.

Veritatis autem, de qua loquimur optimè Stagirites explicuit dicens, ex eò quod res est, aut non est oratio, mentisque cognitio vera, aut falsa dicitur, vnde perbellè pronunciauit. *Non propterea quod nos te verè putamus album esse, tu albus es, sed quia tu albus es nos qui dicimus, verum dicimus.* Cognitio igitur ideò vera, quoniam sicuti cognoscitur, res ipsa est; vt contra, quando res non est sicut existimatur, est falsa, quod tàm contemplatiuæ quàm & practicæ cognitioni accommodatum intelligas. Cæterum, ex eo quod res est, aut non est, oratio, seu cognitio vera, aut falsa dicitur, hoc sensu nimirum, vt connexio repræsentetur inter prædicatum, & subiectum, qualis ex parte rei, quæ cognoscitur.

Veritatis origo.

9. Diuin. cap. 21.

Huc pertinet illud Epicuri apud Empiricum Ἐστιν ἀληθὲς τὸ οὕτως ἔχον, ὡς λέγεται ἔχειν· ψεῦδος δὲ τὸ οὐχ οὕτως ἔχον, ὡς λέγεται ἔχειν. *Verum est, quod ita se habet, vt se habere dicitur; falsum quod non, vt dicitur se habere, ita se habet.* Cùm igitur res omnis, quatenus ad cognitionem intellectiuam refertur, iudicetur, enuncieturque, aut qualis secundum se est, aut qualis secundum se non est: hinc oritur, vt priori modo iudicium verum, & enunciatio vera dicatur, quatenus congruit cum ipsa re; posteriori autem iudicium, falsum, & enunciatio falsa, quatenus à re discrepat. Ita fit, vt veritas quædam concedenda sit, quæ in conformitate iudicij, enunciationisque cum re iudicata, enunciataque consistat, sicuti contra falsitas in discrepantia iudicij, enunciationisque, cum re iudicata enunciataque posita sit; & hæc est veritas de qua loquebatur Aristoteles; & de qua Epicurus verba fecit.

Lib. 1. aduersus Log.

In quonã intellectus actu veritas insit.

Cuinam ex commemoratis cognitionis actibus veritas ista conueniat, perquirere penitus est alienum ab instituto. communi sapientum consensione receptum, validissimâque ratione confirmatum tàm iudicio, quàm discursui conuenire; nec ineptè dixeris apprehensioni; si non ineptè sensitiuæ itidem cognitioni, quamuis longè admodum in perfectiori modo, concedendam existimemus.

Rectitudo à Logico intenta dici potest

Quod si nos rectitudinem arbitremur positam esse

non

modus cognoscendi debitus cuique actioni. non tàm in veritate, quàm in cognoscendi modo consentaneo, ac debito mentis cuilibet operationi certè in huiusmodi modo rectitudo à Logico intenta consistet.

SECTIO SECVNDA.

Quæ & quid illa sit congruentia, in qua cognitionis veritas consistit: Quomodo cognitioni defectus ineſſe possit; quid iste sit, & qua ratione cognitio sit rectitudinis capax, quidque sit ista capacitas.

Quid sit congruentia in qua veritas cognitionis consistit.

VEritatem inspectam à Logico quandam esse congruentiam cognitionis cum re cognita & vt alijs placet conformitatem, seu conformationem cognitionis ad rem cognitam ex nominis explicatione paulò superiùs tradita non insulsè deduximus. Quæ tamen, & quid ea sit, nostra nunc interest explicare. Trifariam videtur ipsa contingere; cùm enim primò cognitionem fateri necesse sit; secundò rem; tertiò rem quatenus cognitam; propterea cogitare licet vel inter cognitionem, & rem cognitam conformitatem, seu conformationem prædictam intercedere; itaut cognitio, rem ità repræsentet, sicut res ipsa repræsentatur; vel inter cognitionem & rem, quatenus illa sic istam repræsentat, sicut hæc ipsa est: vel inter rem ipsam, vt cognitam, & eandem vt in se est.

Tria in cognitionis veritate spectanda.

Neque putes proximè dicta ex eo falsa existimanda, quòd intellectus humanus non modo veram assequitur cognitionem eorum, quæ sunt, sed etiam eorum, quæ non sunt & vt Scholastici loquuntur, non modò eorum, quæ sunt entia positiua, sed etiam eorum quæ negationes, & non entia dicuntur; propterea veritas, de qua fit sermo, haud necessariò erit congruentia cognitionis cùm ijs, quæ sunt, prout in se ipsa sunt, siquidem vera dari potest cognitio, etiam de ijs, quæ reuera non existunt. Quamuis enim quæ ità se habent, quæque negationes dicuntur, nihil penant in naturâ, ipsum tamen non esse entium, dicitur negationum esse, penes quod, suo modo in naturâ existens, veritas atque congruentia cognitionis circa ea, quæ non sunt, seu circa negationes attendi debet. vera igitur dicenda cognitio, quæ conformis est rebus, sicuti sunt. Res autem vsurpari non debet propriè, prout ab eo, quod non est, seu à negatione distinguitur, sed pro obiecto quodcunque illud sit, quod res cognita nuncupatur.

Difficultates diluuntur.

Nec iterum vrgeas non modo ab intellectu cognosci quæcunque naturâ suo sinu complectitur, sed etiam quæ tatùm in eodem intellectu relucent, entia rationis appellata; horum igitur cognitio vera esse non poterit, quoniam conformis non est rebus prout in naturâ existunt, sed prout tantùm intellectui obijciuntur. Nam si quædam ab intellectu sic efficta concedantur, quorum totum esse sit illi obijci, non inde sit, vt eorum cognitio vera esse non possit; cùm ipsa conformis sit rei sicuti est, si non prout res ipsa est in naturâ, saltem prout in intellectu versatur; nam quatenus antecedenti cognitioni obijcitur, suum huiusmodi consequitur esse; dum enim illi reluceti in intellectu, postmodum conformis cognitio fuerit, ob huiusmodi conformitatem intellectus veritatem attigisse dicetur. Ex eo enim quod res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa, non quatenus dictio *est* rei existentiam realem; sed prout connexionem inter prædicatum, & subiectum importat, cui similis cognitio sit in repræsentando, quam ipsamet cognitio exprimit vera.

Alia difficultas proponitur simulque diluitur

Veritas non est eo.

Quilibet è prædictis dicendi modis fautorem ob-

tinuit suum; re tamen diligenter introspectâ nunquam animum ad credendum induxi, veritatem esse conformitatem, seu conformationem cognitionis ad rem cognitam; prout huiusmodi; vel vt Scholastici loquuntur, formalis cõceptus ad obiectiuum. Cùm enim inter mentis cognitionem, & rem cognitam, prout huiusmodi nunquam dissimilitudo esse possit; neminem præteribit fore, vt quælibet cognitio vera sit, & nunquam rei cognitæ dissimilis, quod tamen nemini probatum iri crediderim.

Congruentia cognitionis cum re cognita prout huiusmodi.

Præterea veritatem non esse congruentiam cognitionis cum re, naturâ, & essentiâ cognitionis inspectâ inde mihi redditur exploratum. Non ideò vera cognitio est, quoniam talis ea secundum suum esse sit, qualis res, quæ cognoscitur, seu quoniam huic, secundum esse sit similis; cùm non rarò contingat inter cognitionem, & rem cognitam, quando nimirum hæc ad substantiæ pertinet genus, cognitione retinente qualitatis naturam, congruentiam hanc, de qua loquimur non intercedere, quamuis cognitio ipsa vera sit. Potest etiam vera dici cognitio, quando res cognita corporeæ naturæ fuerit; & nihilominùs cũ eâ nequit conformitatem habere cognitio secundum esse suum, quod incorporeum esse oportet. Et quamuis cognitio plerumq; iuxtà commemoratas rationes rei sit cognitæ persimilis, vt cùm qualitatem ab omni materię concretione seiunctam in anima etiam ipsa existentem, cognoscit, immò quando cognitione reflexa prior, ac antecedens cognitio percipitur, vbi maximè secundum esse intercedit similitudo, non propterea ob huiusmodi congruentiam cum re cognita, vera dicetur ipsa cognitio; Immeritò igitur veritas quibusdam congruentia cognitionis secundum esse cum re cognita visa est.

Veritas non est congruentia cognitionis secundum esse.

Veritas est congruentia rei cognitæ prout huiusmodi, & cognitionis cum re.

Multò rectiùs igitur veritas dicetur congruentia, tùm rei, prout cognitæ, tum cognitionis cum re secundum esse repræsentationis; ità tamen, vt cognitioni primò conueniat. Veritas enim in illa congruentia consistit, quâ positâ intelligitur, & quâ remotâ non item. Hunc autem se habere in modum, simul vtranque non vnam tantummodo conformitatem mox planum fiet, in vtraque igitur veritas suam obtinet sedem. Veritatem autem vtrâque positâ congruentiâ intelligi, secus autem remotâ; inde mihi perspectum, quoniam neminem præterit illam absq; congruentia iam dicta cognitionis cum re nullo modo consistere: siquidem vera existimatur cognitio, quatenus exhibet intellectui rem, sicuti est. Congruentia verò nequit esse cognitionis cum re, quin itidem sit rei prout cognitæ cum re eadem; cognitio namque repræsentare aliquid non potest vt est, quin id prout repræsentatum, sit vt in se est: quod enim illi actiuè, huic passiuè conuenit: quamobrem veritas intelligi non poterit nisi vtraque illa interceserit congruentia atque conformitas.

Veritas primò cõuenit cognitioni

Primò tamen veritas in cognitione ineſt, siquidem res cognita, prout huiusmodi cognitionem dicit, & rem; at verò esse rei conformem, non illi conuenit, quatenus res est, hinc enim potius idem cum re, siquidem res ipsa est. Conuenit igitur, prout cognitio est, atque adeò rei cognitæ veritas merito cognitionis conueniet. Ex quo facilè intelliges veritatem primò cognitioni accommodatam esse, cùm hæc sit forma, cuius beneficio veri denominatio, rei prout cognitæ conuenit.

Difficultas proponitur, eidẽque occurritur.

Hæc forsan alicui nonnihil à veritate recedere videri possent; quoniam congruentia cognitionis cum re obiecta nulla habita ratione ad esse, sed solum ad repræsentationem sumenda est; at hæc ex parte rei cognitæ

Digitized by Google

gnitæ prout huiusmodi attendi debet; ob id veritas tantummodo congruentia rei cognitæ secundum esse cognitum cum re ipsa erit. Sed congruentiam secundum esse repræsentationis attendendam ex parte rei cognitæ &c. sic forsan ostendere tentabis. Quoniam scilicet hæc, de qua loquimur congruentia in eo videtur constituta, vt res menti obijciatur, atque repræsentetur, vt est. Congruentia igitur hæc ex parte rei cognitæ, prout huiusmodi debebit attendi.

Occurritur difficultati.

Hæc tamen non inficior, sed id solùm addendum existimo non modo attendendam ex parte rei cognitæ, quatenus cognitæ congruentiam & conformitatem secundùm esse repræsentationis, sed etiam ex parte cognitionis, cùm non tàm consistat in eo quod aliquid menti obijciatur, sicuti est, quàm quod cognitio id reipsa menti obijciat, ac repræsentet eo modo quo illud est.

Alia difficultas proponitur, simulque diluitur.

Nec quidquam momenti habet, quòd veritas in aliquo ponenda sit ad mentem spectante, quod per veram orationem vocibus expressam significatur; sed per orationem res prout cognita, non cognitio ipsa significatur; proinde veritas in re cognita prout huiusmodi ponenda erit. Hoc inquam nihil est. Nam oratio vocibus expressa rem ipsam cognitionis loco subrogata, significat, simulque vera dicenda, quoniam veræ cognitionis vicem gerit.

Qua ratione huiusmodi congruentia, in qua veritas cõsistit, explicanda.

Quamvis autem hactenus commemorata cognitionis conformatio, atque congruentia pluribus explicari modis possit, præcipuâ tamen, primariâque ratione per ordinem ad esse cognitionis, & secundariâ ratione per ordinem ad obiectum, ità se habens, sicuti cognoscitur, & vt cùm scholasticis loquar penes entitatem cognitionis, & penes connotationem obiecti, ità se habentis, sicuti cognoscitur. Et hæc erit veritas quæ re ipsa cognitioni conuenit; omni siquidem alio secluso vera cognitio dicitur; vt facilè cuique rem paulò diligentiùs introspicienti planum fiet; hæc enim veritas vtpote cognitionem dicens, vt respectum transcendentem ad obiectum importat, sic non immerito congruentia cum illo dicenda erit.

Denominatio veri partim intrinseca, & partim extrinseca.

Nec silentiò prætereundum, completam scilicet veritatis rationem præter cognitionem, connotare itidem obiectum ab illa distinctum, vt veritatis denominatio in cognitione ipsa, partim intrinseca, partim autem extrinseca dicenda sit.

Quo pacto cognitioni defectus, ac falsitas cõueniat.

Qua autem ratione, quoue pacto intellectrici cognitioni rectitudinis defectus, ac falsitas conueniat, & quid ea sit, breuiter explicare non erit alienum ab instituto.

Duplex defectus in intellectu.

Intellectum vt hinc exordiar bifariam contingit à debito cognoscendi modo, rationeque deficere; vel nimirum penitus ignorando, vel ineptè, ac prauè cognoscendo; Vtque prior ille defectus puræ negationis, sic iste posterior prauæ dispositionis ignoratio nuncupatur; & vt ille mera est intellectionis priuatio, ità hæc diformis, & indirecta cognitio.

Ad Logicam spectat, vtrũque defectum remouere.

Tametsi autem vniuscuiusque disciplinæ munus est ab intellectu priorem ignorationem depellere, cùm ad vnamquamque in ijs, quæ ignoramus pertineat animum erudire, & eidem hoc ignorationis genus adimere; Tamen ad Logicum spectat vtrumque defectum remouere, siquidem huius facultatis non modo est intellectui modum dirigendi cognitionem præscribere, atque adeò curare, ne turpiter ipse labatur & à recta cognoscendi ratione deflectat, sed etiam monstrare viam calcandam, ad prorsus ignota cognoscenda; vnius autem cuiusque disciplinæ particulatim est in ea in qua versatur, subiecta materia, Logica tamen opitulante, ac dirigente animum ipsum instruere, ac perpolire, simulque contrarios errores abijcere.

Ratio ad id confirmandum.

Hoc adeò verum, vt nunquam animum contraria sententia informare potuerim. Si namque Logicæ disciplinæ semel concesseris contractos errores in cognoscendo procul amouere, simulque præcauere, ne mens in posterum allucinetur, ac decipiatur; non est hercle, cùr inquisitionem, ac explorationem rerum ignotarum illi denegare contendas, cùm hoc illi munus conuenire necesse sit.

Nec alium in finem Logica facultas instrumenta, cognoscendique modos tradit, ac explicat, itemque cuncta ad certa quædam capita redigendo quandam rerum omnium delibatam notitiam ob oculos mentis constituit, nisi vt reliquarum disciplinarum vnaquæque præceptionibus Logicis adiuta in sibi subiecta materia, quâlibet ignoratione depulsâ, consentientem cum veritate notitiam assequatur.

Non omnem intellectionem esse perpetuò cum veritate coniunctam adeò palam est, & apertum, vt mirum omninò sit Protagoram, Anaxagoram, ac alios in contrariam aliquando sententiam abijsse, quòd videlicet ità sit vnaquæque res, quemadmodum cuique esse videtur.

Meræ sunt nugæ, & aniles ineptiæ, cum experientiâ cuique satis apertè constet, humanam intelligentiam frequenter admodum à veritatis tramite deflectere. Et certè si quælibet animi sententia, & quælibet mentis agitatio veritatem attingeret, hanc profectò concedere deberemus in apertè contradicentibus reperiri, siquidem frequenter euenit, vt non idem sit hominum sensus, & vnius opinio, cùm alterius sententia non congruat, iuxtà illud,

Mille hominum species, & rerum discolor vsus
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno,

Varius animi sensus in hominibus.

Quod enim maximè probatur vni, displicet penitus alteri.

At falsitatis defectum in intellectu plerumque contingere dicebam, non eò quòd eorum mihi probetur consilium, quibus videbatur id referendum acceptum procliuitati naturalis luminis, quo pollet intellectus in falsum. Hoc enim à veritate sic alienum, vt nemini sanæ mentis crediderim vnquam probatum iri; propterea quod naturæ lumen humano animo inditum nequit in falsum esse propensum sui maximam imperfectionis notam, cùm vnumquodque suoptè ingenio in sui absolutionem propendeat.

Vnde mẽs sæpè sæpius allucinetur.

Quamobrem extrinsecùs omnino irrepunt in mentes hominum errores, quippè qui ab externis causis originem trahunt. Quæ enim frequenter impedimenta occurrunt, sensusque fallaces, quibus humana mens etsi diuinæ auræ particula in corporis inclusa compagibus, ad sua obeunda munera indiget, falsas eidem notiones ingerunt, atque suppeditant.

Suis apprehensio laborat defectibus & qui sint.

Nemo sanè est, cui perspectum non sit, tàm iudicium, quàm discursum erroribus obnoxium esse, & in vtrumque falsitatem irrepere. De apprehensione tamen adhuc sub iudice lis. Illud vtique putandum extra omnem dubitationis aleam, apprehensionem videlicet, quibusdam laborare defectibus. Intellectus enim quam sæpissimè confusam, ac indistinctam apprehensionem exercet, vt cum obscurè apprehendit, quod alioquin clarè, dilucidèque concipiendum foret; itaut representationis obscuritas sit eius defectus, qui vt est summa imperfectio ab ipsâ tollenda, sic opposita claritas sit in eandem inducenda perfectio. Quinimò frequenter vsuenit, vt longè aliter ac est rem ipsam concipiat, vt cùm sempiternam substantiam

tiam corpore constantem apprehendit. Quamobrem vtcunque se res habeat, an videlicet in apprehensione veritas insit, an non, certè tamen ob commemoratos, quibus obnoxia est, defectus, directione indigebit. Immò illud etiam addendum, scilicet in discursu præter falsitatis notam iudicio secundæ quoque operationi communem, considerandam itidem consecutionis malitiam, ac prauitatem artificiosis præceptionibus dirigendam, quò speciatim Logici tendit industria.

Ex hactenus de veritate iam traditis, neminem præteribit, quid falsitas sit, & in quo eius natura consistat; Tametsi autem falsitatis non vna sit explicandi ratio, quod etiam de veritate notauimus, præstat tamen ita ratiocinari. Vt veritas non semel commemorata quædam est tum cognitionis, tum rei cognitæ, prout huiusmodi congruentia cum re; vel vt aiunt tum conceptus formalis, tùm obiectiui cum re in se: ità falsitas ex aduerso quædam erit huiusmodi congruentiæ negatio, atque adeò imperfectio vt eiusdem perfectio veritas erat. Quò spectat Stagiritæ dictum *Contemplatiuæ cognitionis benè, & malè esse est verum, & falsum* Ita fit vt humanæ mentis perspicientia, atque cognitio vtriusque sit capax. Cùm autem Logicus cognitionem ipsam secundum huiusmodi capacitatem respiciat, atque considerandam assumat, ob id breuiter hìc de illa quædam subijcere meas esse partes intelligo.

Quid falsitas sit.

6. Ethic. cap. 2.

Et quamuis eadem sit omnium rectè philosophantium opinio, videlicet in intellectione concedendam rectitudinis capacitatem. Animi tamen fortasse quispiam pendebit. Si namque cognitio generatim sumatur, nulli dubium quin vtriusque sit differentiæ capax, itaut per vtranque ad rectam, & indirectam contrahi, coarctarique possit, vt vnumquodque genus suarum differentiarum est capax. Nec propterea concedendum, quod omninò repugnat, cognitionem dari sic abstractam in natura rerum, cùm id minimè necesse sit. Sat enim rationem illius realem esse quamuis mente solùm abstractam. Nec putes hinc secuturum, posse per differentias contrahi, cuique cognitioni speciatim acceptæ conuenire. Non enim hoc illi, ex rei naturâ, non operante intellectu, accommodatum est; quod in re satis obuia, non absimili tamen, splendidè constat. Animal generatim sumptum suarum est differentiarum capax, per quas ad inferiora, nimirum hominem, & animantia bruta potest coarctari: non propterea tamen rectè colligeres eodem modo contrahi, subiectis eius partibus, nempè speciebus conuenire. Et hic est primus capacitatis modus.

Generatim acceptum se habet vt genus respectu veri, & falsi.

Non propterea in natura talis cognitio, sic abstracta concedenda est extra intellectū. Per differentias cōtrahi cognitioni speciatim sumptæ non cōuenit ex rei natura.

Hanc eandem in recta cognitione adinueniri non admodum operosum erit intelligere, si tamen illud fuerit in memoriam reuocatum, nempè capacitatem, atque potentiam bipartitò spectari, vel cum carentia formæ, vel absolutè. Tametsi igitur cognitio recta, dum reipsa est, huiusmodi priorem capacitatem non habeat, posteriorem certè tamen habet.

Probatur à pari.

Bifariam capacitas potest spectari.

Hìc appositè subijciam illud, nempè cognitionem spectari, & vt reipsa rectam, quam Logicus non curat, & vt rectitudinis capacem, quam ipse considerandam assumit. Hæc autem rectitudinis capacitas, in eo consistit, vt intellectui sit recta cognitio possibilis, dumque realiter exercetur cognitio debitam rectitudinem consecuta, ad actum illa capacitas dicatur esse redacta.

Quomodo cognitioni rectè capacitas comperat.

Quinimmò & cognitioni à rectitudinis tramite deflectenti prædictam esse capacitatem accommodatam inde mihi persuasum, quoniam illa cognitio retinens adhuc communem cognitionis naturam, retinet itidem rectitudinis capacitatem, quamuis vt à rectitudine deficiens, rectitudinis incapax censeri debeat, huiusmodi autem capacitas ad actum reducitur, atque adeò intellectus dum intelligendi munera obit, rectitudinem assequitur, non quasi defectentem actum à rectitudine ad ipsam rectitudinem redigat, ad eum modum, quo flexuosa virga fieri directa potest, sed quemadmodum saltandi artem addiscens incompositos, quos exercuit motus, emendat, corrigitque dum eorum loco ad numerum ludens compositos alios industriè substituit; Non dissimulandum tamen huiusmodi rectitudinis capacitatem in tali mutabilitate consistere, quatenus nihil prohibet, quominus non vtique reipsa, sed ratione idem rectus fiat actus: ex quo facilè intelliges in re proposita, non secus philosophandum, ac in humanis actibus, qui etsi mali, capaces tamen adhuc rectitudinis dicuntur, non quia ex malo bonus fieri possit, sed quia loco illius hic potest subrogari, qui etsi non sit reipsa idem cum illo, secundum tamen communem naturam, est idem.

Quam cognitionem consideret Logicus.

Quomodo cognitioni indirectæ rectitudo dicatur conuenire.

Quo pacto indirectos actus dirigat Logica edoctus intellectus,

Probatur à pari.

Quamuis autem vtriusque differentiæ, scilicet rectitudinis, & defectus mentis cognitio sit capax; quum est potius illam, quàm hanc attendere, quoniam vt illa perfectionem, sic imperfectionem hæc præsefert: in illam intellectus inclinat, ab hac autem declinat.

Cur rectitudinē potius quàm defectum cognitionis attendat Logicus.

Cùm autem explicatum sit, quò pacto rectitudinis ista capacitas, intellectus notioni conueniat, superest, vt rem paulo altius, repetendo, quid ea sit aperiamus, quod vt paucis perstringam; crediderim posse artificiosè dirigere quemadmodum intellectui accommodatum est, sic posse dirigi, cognitioni, in qua propterea nil aliud hoc erit, quàm denominatio quædam extrinseca ab intellectu præceptis artis dirigentis instructo desumpta, atque hunc in modum nequit esse ratio, secundùm quam intellectus cognitio suscipitur à Logico considerandæ; nulla siquidem huiusmodi denominatio habitus, vel potentiæ constituere potest obiectum, cum naturæ ordine vt par esset, nec habitum, nec potentiam antecedat, quod eleganter apud Aristotelem expressum legimus.

Consultò dicetur igitur, nil aliud esse, quam cognitionis natura connotans possibilem rectitudinem, vt in humanis actibus rectitudinis capacitas eorum natura connotans bonitatem possibilem, debitamque, censetur, quæ tamen longè copiosiùs, & accuratius de anima differentes persequemur.

Quid sit capacitas rectitudinis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA

De instrumentis, quibus Dialecticus vtitur ad cognitionem intellectiuam dirigendam.

Per varias vias Dialecticus incedit ad cognitionis rectitudinem assequendam.

QVoniam Dialecticus in eo curam omnem impendit, vt intellectus operationes moderetur, ac dirigat: ad id autem assequendum per diuersas vias incedit, quas Græci μεθόδους methodos Latini verò instrumenta nuncuparunt; propterea de his instituenda tractatio, vt inde cuique perspicuum fiat, qua ratione facultas hæc finem intentum assequatur. Vt autem hæc distinctè, ac ordinatè disponamus, generalem eorum disputationem præmittemus; sic enim nobis tractationis progressu distinctam eorundem licebit notitiam adipisci.

Quid instrumenti Logici nomine intelligatur.

Instrumenti autem nomine, de quo in præsentia fit sermo intelligitur id, quo Logica vtitur ad cognitionem intellectiuam dirigendam. Ex hac nominis explicatione fit adeo manifestum hæc danda instrumenta, quibus intellectiua cognitio dirigatur, vt nunquam de ijs nec mihi, nec alijs dubium esse potuerit; quamobrem ab hac inquisitione penitùs abstinendum iure, ac meritò duxi, ne laborem irritum in probando, quod satis est exploratum, suscepisse videar; ob id statim in arenam descendam.

SECTIO PRIMA.

Quot, & quæ sint hæc instrumenta, quid eorum quodlibet, & qua ratione singula dirigendæ cognitioni deseruiant.

E sententia quorũdam tria sunt commemorata instrumẽta quibus aliqui ad diderunt quartum.

NIhil tam vulgatum, quàm instrumentorum, de quibus fit sermo, ternarium numerum esse, itaut ea sint definitio, diuisio, & argumentatio, quibus ab alijs addita fuit enunciatio, adeout quatuor ea existimanda sint; nec immeritò; nam vt ab argumentatione ducam exordium, nulli dubium, quin hæc instrumentum seu sciendi modus mereatur appellari. Hoc Aristoteli placuisse non obscurè constat, cum illam non modò instrumentum, sed cæterorum præstantissimum esse crediderit, eâ forsan ratione ductus, quoniam si instrumenti nomine nuncupandum id, quod ad dirigendam intellectiuam cognitionem conducit, cùm ad hoc nihil sit aptius argumentatione, erat profectò cur hanc instrumentorum præstantissimum arbitraretur. Hunc autem se habere in modum argumentationem ex eo palam, & apertum, quoniam operationum omnium, quas intellectus exercet præstantissima quidem est ratiocinatio, cuius directioni cùm præsertim argumentatio deseruiat, ob id instrumentum, & quidem præstantissimum existimari debet.

Argumẽtatio præsertim est directiuũ.

Quod si præterea ad instrumenti naturam requiratur, vt oratio sit potens ignotum reddere manifestum; argumentatio sic instrumenti rationem sibi vendicabit, vt aliud nullum superesse patiatur; siquidem, ea tantummodo oratio est, qua ex notis ignotum aliquid aperitur. Quod si præsertim species quædam ipsius, nempè demonstratio spectetur, tanto dignius erit instrumentum, quantò demonstratio dignitate cæteris argumentationibus antecellit. Hinc tam latè Philosophus de argumentatione, & speciatim de demonstratione disputauit.

Meritò etiã enunciatio inter instrumenta debet recenseri.

Neque est cur ex hoc numero tollatur enunciatio, quin potius hæc inter instrumenta mereatur assignari, idque non modo constat Aristotelis auctoritate cum tam exactè, tam accuratè de ipsa in libris περὶ ἑρμηνείας disputauerit, plurimasque præceptiones tradiderit; sed etiam ratione.

Ratione id suadetur:

Ratio autem præcipua, quoniam, vt iudicium est erroribus obnoxium, sic directionis est capax, ad quam cõsequendam opportuno indiget instrumento, huiusmodi porrò non nisi enunciatio, cum aliud non suppetat, quod ei sit magis accommodatum, itàut quemadmodum argumentatio discursui sic enunciatio iudicio famuletur.

Definitio instrumẽti ratiõẽ sibi vendicat.

Definitio pariter instrumenti naturam obtinet Aristotele etiam fatente, cum non semel id affirmasse videatur; & certè si definitionis indolem spectemus in ea tantum vtilitatis ad rem quamlibet explicandam, & ad demonstrationes cõtexendas inesse comperiemus, vt aliquid condonandum sit ijs, quibus instrumentum eâdem ipsâ demonstratione longè quidem præstantius visum fuit.

Diuisio etiam inter instrumenta locũ habet.

Diuisio tandem inter hæc suam itidem est adepta sedem, Philosopho non dissentiente, cum inter instrumenta cognoscendi hanc vna cum demonstratione coniunxerit, Logicus propterea diuisionem, vt par est, magni faciens, præcepta tradit, quibus ipsa perfici possit.

Difficultas ad sextum de nodum enunciationẽ instrumẽtũ non esse, eiusque solutio.

Nec inter instrumenta locum enunciationi denegandum putes, eo nomine, quod ad ratiocinationem veluti pars iudicium attineat. Quamquam enim hoc inficiari non liceat, illud tamen certissimum, scilicet non modò vt huiusmodi, verum etiam sine vllo ad ratiocinationem ordine iudicium erroribus obnoxium esse, & directionis capax; vt autem rectitudinem assequatur, cùm instrumento indigeat, enunciationem illi necessarium instrumentũ esse contendimus.

Secunda difficultas ad idem, eiusque solutio.

Nec enunciatio amittit instrumenti naturam, eò quòd ipsa non sit quid à iudicio distinctum, mentalis enim enunciatio est formaliter ipsum iudicium, vt vocalis est expressio eiusdem. Eadem enim difficultas de argumentatione, cum hæc non plus à discursu, quàm enunciatio à iudicio distinguatur; si igitur hoc argumentationi non officit, nec etiam enunciationi debet officere. Quo autem pacto sit diluenda difficultas ex paulo infra dicendis perspicuè constabit.

Si præsens instrumẽti nomen sumatur ternatio continetur instrumenta numero.

Quòd si pressiùs instrumenti nomen vsurpes ad orationem tantummodo significandam, cuius est ignotum reddere manifestum, ita ratiocinandum erit. Quod in occulto iacet, estque ignorationis tenebris inuolutum, vel complexum, vel incomplexum est; Si primum, argumentationis vi statim innotescit, ac in lucem prodit; si secundum, cùm id gemino modo contingat, duo pariter erunt instrumenta, quibus explicari possit; vel enim eius ignoratur natura, tunc que præsidio est definitio; cuius est illam aperire, vel eiusdem partes delitescunt, & tunc ad illas explorandas opitulatur diuisio, cuius est partes detegere; cùm igitur nullum aliud manifestandum supersit igno-

Digitized by Google

ignotum, nec alius ignorationis modus reperiatur; ob id nec aliud suppetet dirigendæ cognitionis instrumentum.

Confirmatio. Illud porrò ternarium hunc numerum summoperè confirmat, quòd nihil addendum, nihilque subducendum instrumenti rationem habens, reliquum sit. Resolutio si quidem frequenter idem cum diuisione, aut cum demonstratione re ipsa est; propterea quòd vel diuidendo, vel ab effectu ad causam arguendo resolutionem perficimus.

Quamuis enunciatio iuuet iudicium, non ob id auget prædictũ ternarium numerũ. Nec enunciatio numerum adauget, quamuis secundam intellectus operationem iuuet, & ad eius directionem non mediocriter conferat; quam ob causam instrumenti naturam ei paulo antea consentaneam esse dicebam; quia tamen eius non est proximè, sed remotè tantùm ignotum ostendere, quatenus demonstrationem ingreditur, cum se ipsâ non nisi extrema rectè disponat, quæ intellectus iudicando attingit, ob id iuxta pressiorem hanc vsurpationem ex instrumentorum albo videtur esse delenda.

Ordo non debet inter instrumenta recenseri. Multòque minus Ordo numerum hunc accessione sui maiorem reddit; cum ordinandi actus à iudicio, discursuque non sit planè distinctus, eo siquidem intellectus decernit, aut colligit hoc prius, illud verò posterius esse tractandum; & quamuis Ordo tractationi plurimùm claritatis, atque splendoris impartiatur; quia tamen in recta dispositione consistit ad quodlibet è tribus commemoratis instrumentis necessaria, propterea non censentur quidpiam distinctum, atque seiunctum ab illis.

Argumentatio sola ineptè credit instrumentum. Vni tantùm argumentationi fortasse quispiam instrumenti nomen accommodatum existimabit, cùm à noto ad ignotum sola ipsa procedat. Ineptè meâ tamen sententiâ; nam instrumenti ratio id non exposcit, nec nomen ipsum præfefert ex sapientum consensu, communique loquendi vsu

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi

Ad instrumenti rationẽ satis vt aliquid quocumq; modo manifestet ignotum. Sat enim id esse medium, quo vtcumque siue nimirum ratiocinatione, siue alio congruenti modo manifestetur ignotum.

Nec aliquid habet momenti, quòd hæc instrumenta dicantur Logica atque adeo inspectâ vocis λόγος logos significatione discursum præseferant; tametsi enim principi animæ parti sic famulentur, vt omnibus eius functionibus dirigendis inseruiant; ab omnium tamen præstantissima, ratiocinatione scilicet, nomenclaturam suam consequuntur.

Aristoteles etiam definitionẽ, ac diuisionem instrumẽta putauit. Quòd si forte cuidam videatur Aristoteles de huiusmodi loquens instrumentis definitionem, ac diuisionem omisisse; nihil planè est, cùm non semel definitionis, & diuisionis ipse meminerit, propterea quòd illam cum demonstratione coniungens, inter sciendi modos recenset; hanc verò seorsum inter eosdem commemorat; Voces quoque simplices, quinimo, & simplices termini, prout in mente residen ad manifestandum ignotum ex parte conducunt; non proinde tamen inter sciendi modos enumerari debent, non enim distinctè manifestant, cùm tamen ad instrumentum sciendi, distincta manifestatio requiratur.

Obiectio ad ostendendũ definitionem non contenire instrumenti naturam. Ab huius conditione profectò definitio non abhorret, quòd hæc distinctè, & apertè cognoscenti rei alicuius indolem nihil manifestet; id enim tantùm ex accidenti, non quòd hæc suapte naturâ nequeat intellectui rem illam exhibere distinctam. Vt omittam hâc eâdem vexari difficultate illos, qui solam argumentationem instrumentum esse tuentur; nam de argumentatione dicere licebit, hæc non manifestat ignotum prænoscenti conclusionem illatam; & huic difficultati non dissimiliter occurrendum. Quamuis autem dicatur instrumentum à proprio fine distingui; definitio verò vtpote simplex quidam, clarus tamen, atque perspicuus eorum intuitus, quæ ad alicuius rei naturã pertinent finis sit, cùm nulla cognitio supersit vt finis, definitione præeunte vt medio, ac instrumento; non subindè concludas definitionem haud benè inter instrumenta sciendi recenseri; nam in eâdem naui versantur, qui solam argumentationem sciendi modum existimant.

Secunda obiectio ad idem.

Ad propositam difficultatem enodandam oportet in memoriam redigere quodlibet è tribus commemoratis instrumentis, sciendiue modis bifariam spectari, vt clariùs paulò infra constabit; primò prout sunt quidam mentis actus definiendi, & argumentandi; secundò prout obiecta sunt, quæ per huiusmodi actus menti obuersantur; priori modo dicuntur instrumenta formaliter accepta, secundo autem obiectiuè, vt cum scholasticis loquar; iuxta secundam hanc vsurpationem instrumenti naturam obtinent, cum sic accepta dirigant exercendam operationem mentis, quoniam concurrit tanquam prototypon, ad quod intellectus respiciens rectè potest deinceps suis muneribus fungi; obiectiuus igitur conceptus est qui dirigit actum eliciendum; licet autem definitio prout consistit in actu definiendi, quo pacto dicitur formaliter sumpta, non distinguatur à quidditatis notitia; obiectiuè tamen accepta distinguitur, saltem quoad essendi modum, quemadmodum distingui solet res obiectiuè accepta, à se ipsa, prout extra animam existit. Hæc autem sola distinctio sufficit in re proposita; nam instrumentum obiectiuè sumptum directiuum est cognitionis, quo propterea vtitur Logicus ad intellectionem dirigendam, itaut huius rectitudo sit finis ad quem prædictum instrumentum est ordinatum. Itaque definitio, diuisio, & argumentatio formaliter sumptæ, cùm sint actus definiendi, diuidendi, & argumentandi Logica sunt opera dicenda. obiectiuè autem accepta, quatenus nempè sunt obiecta, quæ per hos actus menti obuersatur, instrumenti Logici rationem habent.

Eius solutio.

Nec te commoueat, quòd hæc non aliud sint quidpiam, quàm idea definitionis &c. ac proinde ijs non conueniat instrumenti nomen, alia enim ideæ, alia instrumenti ratio. Huic difficultati quomodo sit occurrendum ex infrà dicendis perspicuum fiet.

Aduersus diuisionẽ difficultas proponitur, atque diluitur.

At ne omninò quæ aduersus diuisionem possunt adduci tacitus præterijsse videar, pauca subijciam.

Difficultas ex Aristotelis auctoritate desumpta. Eius assertur solutio.

Nonnullis aliquid negotij facessit Philosophi pronunciatum, quòd omnis oratio, vel definitio vel demonstratio sit: & quòd omnis disciplina, vel demonstratione, vel definitione comparetur; At mirùm est eos non animaduertisse Philosophum esse de cognitione locutum, quâ rei natura, vel essentia percipitur, ac de illa, quæ propriè scientia nuncupatur, de quibus in disciplinis oportet quemlibet esse sollicitum.

Secunda difficultas ex eiusdẽ auctoritate deprompta. Proposita difficultati occurritur.

Et quamuis idem Philosophus quæstionum numerum commemorans, quatuor eas esse decreuerit, neglectâ prorsus illâ, quæ diuisioni respondet, nempè *quotuplex est;* nihil sanè refert, cùm si non explicitè, vt loquuntur; certè tamen implicitè nomine definitionis illam insinuauit; vt enim ad hanc elaborandam quam maximè conducit; sic ad eandem non immeritò reuocatur; & quamuis definitioni deseruiat diuisio, adhùc tamen inter se distinguuntur, imo hinc potius earum distinctio luculenter euincitur.

Difficultas ad idẽ

Nec quidquam refert, quòd non semel idem vtriusque

à ratione petita, eiusque solutio.

que præsidio cognoscatur, nam etsi hinc distingui non possint, à modo tamen, quo illud explicant non mediocrem distinctionem consequuntur; definitio siquidem rem componendo; diuisio autem resoluendo declarat, ac manifestat.

Vt non minuendus alioquin ternarius instrumentorum numerus, ita nec augendus enunciationis accessione; tametsi enim hæc manifestet ignotũ, nam hominis naturam ignoráti hęc enunciatio homo est animal, proculdubio aliquid ignotum manifestat; Hoc tamen nihil est, non enim enunciatio hunc habet manifestandi modum, distinctè, ac explicatè nisi quatenus cum definitione, vel diuisione reipsa est idem, vel per argumentationem illata est; si quę verò supersunt, quorum beneficio intellectus possit rectitudinem propriarum operationum adipisci, latiori tantùm vsurpatione merentur instrumenti nomine nuncupari.

Proponitur inquirendum quid vnumquodq; instrumẽtorum sit.

Quid autem ipsorum vnumquodque sit reliquum est inquirere. Non vna quidem eorum est explicatio, cùm vel vt in vocibus; vel vt in actionibus mentis, vel vt in eorundem obiectis considerari possint.

Quodlibet trifariam sumitur.

Quodlibet autem è recensitis instrumentis vsurpari posse, quatenus vocibus expressum, & hunc in modum ad mentis cognitionem dirigendam conducere neminem præteribit, si paulò diligentius aduerterit Dialecticam de illis hoc modo sumptis differere, ita tamen vt non sistat in ipsis, sed ad mentis conceptus, quorum loco subsituuntur voces, progrediatur; quod opportunè admodum facit, propterea quòd longè facilius, ac expeditius de conceptibus mentis tradenda, vocibus accommodata tractantur, ità tamen, vt quæ de vocibus dicuntur, de conceptibus mentis intelligantur, adeo vt quemadmodum sphęra pluribus armillis contexta, velut instrumentum inseruit Astronomo ad intima animi sensa de cælestibus corporibus explicanda; sic etiam voces tanquam instrumenta deseruiant Dialectico ad explicandum id, quod de conceptibus mentis dirigendis tradere quidem intendit.

Quodlibet recensitis instrumẽtis sumi potest prout cõsistit in vocibus.

Prout cõsistit in actibus mentis.

Nec minus rectè prout in actibus mentis quodlibet eorum potest vsurpari, quod de duobus generibus actuum potest intelligi; Primò quidem de illis, qui diriguntur, non vt idem actus ad sui directionem sit instrumentum, sed quoniam vnus ad alterius directionem conducit. Ita quidem actus, quo intellectus definit, siue rei alicuius concipit naturam, vel quo rem in plura dissecat, atque partitur, non mediocrem ad enunciationes, & argumentationes efformandas vtilitatem affert. Secundò potest intelligi de actibus illis, quibus definiendi, diuidendi, & argumentandi modum, siue rationem attingimus; nam huiusmodi actus ad peculiares alios in materia quauis eliciendos directos, & regulatos plurimum habent vtilitatis. Non dissimulandum tamen eos non esse aliud à Logica, quin potius hanc in ijs positam esse; vt hinc non iniuriâ cæterarum disciplinarum organum, vel si manuis instrumentum appellata Dialectica fuerit.

Quo sensu Dialectica hujusmodi instrumẽtis vti dicatur.

Et quamuis hæc sciendi modos, instrumentaue tradere, ijsdemque dicatur vti; id non nisi tamen sensu, quo doctrinam benè definiendi, diuidendi, ac differendi, quemadmodum & Physiologia notitiam de rebus naturâ constantibus tradere, dici solet.

Prout consistunt in obiect cognitionum.

Possunt etiam & instrumenta accipi pro obiectis cognitionum, quas elicit intellectus; itaut instrumenta sic accepta quammaximè ad perficiendam intellectionem deseruiant; non vt obiectum cuiusque cognitionis sit instrumentum ad directionem ipsius, sed potius illud, quod itidem cognitio est, nimirum obiectum illius intellectionis, siue conceptus, quo intellectus cuiusmodi debeat esse, vel definitio, vel diuisio, vel argumentatio, cognoscit. Et vt rem paucis explicem, definitio, diuisio, argumentatio si obiectiuè sumantur, se habent tanquam ideæ, vt superiùs etiam innuimus, quas deinceps intellectus operans imitatur; Ita profectò quilibet artifex opus efficiendum prænoscit, quod vt exemplar, ac ideam operando exprimit: Vnde redit consideratio iam habita, cùm de definitione haberetur sermo, videlicet horum quodlibet instrumentorum spectari, vel formaliter, quo pacto consistit in actu, quo intellectus cognoscit, qua ratione definiendum, diuidendum, & arguendum sit; vel obiectiuè, iuxta quam vsurpationem est ipsa definitio, diuisio &c. prout cognita per prædictos actus, in quibus quodlibet instrumentorum formaliter acceptum cõsistere dicebatur. Vnumquodque igitur horum obiectiuè sumptum instrumenti, sciendique modi naturam induit, se habet enim hoc pacto tanquam idea, ad quam respiciens intellectus ritè potest deinceps operationes suas exerere.

In artibus factiuis idea non est instrumẽtũ, secus in Logica.

Horum autem quodlibet sic acceptum non immeritò dicitur instrumentum; quamuis enim in artibus factiuis, vt in ædificatoria non sit instrumentum dicendum idea, quam Artifex mente gerit, sed potius id, quod ad operis effectionem adhibet: & non parum discriminis inter ideam, & instrumentum intercedat; idea tamen in hac de qua loquimur facultate instrumenti rationem obtinet; quoniam in alijs multa sunt, quibus instrumenti nomen accommodatum est, secùs in ista, quæ mentis functiones dirigendas assumens nihil habet præter ideam, quo finem intentum assequatur.

Quæ distinctio requiratur inter idea & opus efficiendum.

Et quamquam opus imitandum non sit aliud à præconcepto, atque adeo idea in præsentia nil aliud sit quàm præconcepta cognitio directionem subitura, cum tamen inter opus dirigendum, & instrumentum cadere debeat distinctio; adhuc Logicum instrumentum optimè, modo iam dictò explicatur; non enim maior inter ideam, & opus efficiendum distinctio requiritur, quàm, quæ est inter rem, prout in mente relucet, & eandem quatenus in natura rerum versatur; & tanta pariter sufficit inter instrumentum, & id, ad quod illud operanti deseruit.

Quamuis instrumẽta Logica in cognitione intellectiua cõsistant, & hæc vt dirigibilia sit obiecta ipsius, non subindè instrumẽta rationẽ habent obiecti.

Non inde tamen deducas perinde fuisse Dialecticæ materiam subiectam esse modos, vel instrumenta sciendi, ac esse mentis conceptus, siue cognitionem intellectricem, non inde inquam, deducas; propterea quòd idea apud Logicum cum instrumenti rationem obtineat ad opus ordinatur, ad quod eiusdem tendit solertia, quod obiecto repugnat, cùm hoc in qualibet facultate, siue contemplatrici, siue practica debeat esse id, quod non ad aliud ordinatur, sed omnia ordinentur ad ipsum, atque adeo finis rationem obtineat.

Quomodo hęc instrumenta ad cognitionẽ intellectiuã conferant.

Quo autem modo hæc instrumenta ad dirigendam intellectionem cõducant, proximum est vt explicemus. Cum enim in triplici sit genere intellectiua cognitio Logicæ directioni subiecta; non erit abs re breuiter explicare, qua ratione Logica instrumenta tot cognitionum directioni deseruiant; an scilicet promiscuè ad omnes prædictas cognitiones conferant; an vnum vni, & singula singulis idonea sint.

Argumentatio non solum ad discursũ, sed etiam ad alias operationes dirigendas conducit.

Quamuis, vt hinc exordium ducam, argumentatio primò valeat ad regulandum discursum, ad reliquas tamen operationes dirigendas non parum momenti habet: nam si fortè contingat, vt in alicuius animo parùm consona veritati, vel penitùs insederit opinio, ab ea profectò solius argumentationis vi quam facillimè deduci poterit, cum alioquin ille nunquam

Digitized by Google

à se ipso dissensisset: ita fit, vt sola etiam argumentatio falsum iudicium dirigat. Non me præterit tunc futurum, vt iudicium falsum ad secundam spectans operationem per iudicium non simplex, sed illatum ad tertiam pertinens, auferatur; itaut tunc intellectus prauam, quâ tenebatur, opinionem, prauumque iudicium simplex amittat exercendo non simplex iudicium, sed ex alijs iudicijs illatum; Facilè tamen intelliges deinceps etiam fore, vt intellectus absque omni ratiocinatione eâdem penitus de re directum iudicium ferat, ac ob id secundam operationem citra quemlibet errorem ex solo elapso discursu deinceps exerceat.

Ad secundam.

Ad primã. Est etiam cur arbitremur hoc idem instrumentum primæ quidem operationi, videlicet apprehensioni plurimùm opitulari; cùm non rarò eueniat, vt eius præsidio distinctam rei naturam, ac essentiam attingamus.

Enunciatio nõ solum secũdam. sed alias etiã dirigit. Enunciatio pariter tametsi primò iudicium, nempè secundam operationem dirigat, non parùm tamen, ad aliam omnem regulandam valet, & quidem ad discursum, cùm hic ex ea pendeat; ad apprehensionem, quoniam huic iudicium non mediocriter opitulatur, quatenus intellectus iudicij legibus edoctus, dum simpliciter apprehendit, studens rei naturam distinctè percipere, connectenda connectit.

Definitio videtur omnibus operationibus famulari. Definitio videtur omnibus operationibus famulari; Primæ quidem rei naturam intellectui perspicuè, clarèque proponendo. Secundæ quatenus ad connectenda cum re, cum qua verè ea connecti debent, quammaximè confert. Tertiæ tandem propterea quòd ad inferendas affectiones rei naturam comitantes intellectui præsidio est, & adiumento.

Diuisio nõ est vlli operationi addicta. Diuisio nec etiam est vlli operationi addicta. Primæ deseruit, quoniam rem oblatam in ea, quibus constat, diuidendo clarè, perspicuèq; cognoscimus quam alioquin obscurè tamen, assequeremur. Secundæ quoniam ad cognoscendũ quid affirmandum, quidue negandum de re quapiam non exiguam vtilitatem habet. Tertiæ, quia intellectus diserendo quam sæpissimè incidit in ea, quorum veritatem distinguendo tantummodò potest adipisci.

SECTIO SECVNDA.

De Definitione.

De definitione discurrẽti ad Logicũ, quã ad Metaphysicum pertinet sed ratione diuersa. DEfinitio græcè ὁρισμὸς à verbo ὁρίζω, hoc est *definio*, consideranda sese offert; quamuis enim ad Metaphysicum, & non ad Logicum pertinere præsens videatur consideratio; vtriusque tamen esse munus de definitione disserere, non obscurè constabit; Metaphysici quidem prout definitio transcendentem quidditatis conceptum importat: Logici verò quatenus cognoscendæ quidditatis instrumentum, sciendique modus, ac medium demonstrationis est; prout autem definitio cognitioni dirigendæ inseruit, suscipitur à nobis hoc loco consideranda; quatenus autem est demonstrationis medium, alibi nostram exercebit industriam.

An definitio rerum dari possit. Primò dubitandum occurrit, an definitio rerum dari possit. Antisthenis sectatores definitionem omnem de medio tollebant. At concedendam esse rerum definitionem adeò est exploratum, vt mirũ sit, eos tam grauiter lapsos fuisse. Neminem enim latet disciplinarum initio non sine magna vtilitate definitiones præmitti, & in demonstrationibus contexendis easdem adhiberi; cùmq; definitio medium in demonstratione *sit*; proinde vt ad scientiam comparandam, necessaria est demonstratio, sic etiam definitio.

Concedẽda definitio, & à posteriori ostenditur. Et certè si nihil prohibet, quò minus intellectus rei naturam inuestigans, concipiat id, quo res ipsa cum cæteris conuenit, & simul id merito ctiũs ab ijsdem secernitur; vix animum induco, vt credam serió illos fuisse locutos, cùm omnem definitionem de medio tollere conarentur; habitâ enim ratione, quâ res inter se conueniunt, itemque perceptâ differentiâ per quam res vna ab alijs discriminatur, statim eiusdem rei fit obuia definitio.

Prima obiectio, qua datur definitionem non posse definiri. Neque hinc deducas sermonem nimiæ prolixitatis futurum, atque definitionem in infinitum omninò extensum iri, eo nomine, quòd prædicata, quibus definitio contexitur definiri debeant per alia, & hæc rursus per alia in infinitum. Hoc tamen non sequitur absurdum, quoniam vel Aristotelis testimonio nos in definiendo ad vniuersalissimos conceptus intellectui satis obuios, cuiusmodi est entis ratio, itemque vltimæ differentiæ, peruenimus.

Dilutio.

Secunda obiectio. Neque est cur quispiam existimet adhuc progressum hunc in infinitum probari, ex eo quòd non liceat quidditatem dignoscere vltimâ neglectâ differentiâ; cùmque hanc assequi nemo possit, nisi rebus cognitis propemodùm infinitis, à quibus merito iam dictæ differentiæ quidditas ipsa secernitur, propterea rei definitionẽ aggrediens cogatur in infinitum abire; Facilè tamen occurritur propositæ difficultati; ad cognoscendum enim quid inter definitum, & reliqua omnia intersit, non est opus cuncta particulatim attingere; cum satis superque sit generatim illa cognoscere, & negatiuo saltem conceptu percipere, nempè rei definitæ naturam ab ipsis non participari.

Dilutio.

Maxima definitionis dignitas, atque præstãtia. Tanta definitionis est dignitas, vt è Platonicis quidam crediderint, eam vnicum instrumentum esse ad scientiam acquirendam; demonstrationem siquidem, quæ alioquin apud Aristotelem tale instrumentum est, nomine multam, ac celebrem, re tamen nullam existimarunt, vel si quæ demonstratio detur, præferendam ei definitionem, ità ratiocinando putarunt. Demonstratio syllogismus est ἐπιστητικὸς *scire faciens*. Scientiam facit, quando per causam ostendit inesse affectionem, ac proprietatem subiecto. Definitio scientiam facit quatenus per ipsam essentia cuiuscunque rei scitur; at dignitate præstantior est essentia, quàm affectio; illa enim per se, hæc non nisi in illa existit, illa prior, hæc autem naturâ posterior. Definitio omnibus entibus: Demonstratio nullis alijs quàm affectionibus, nec his omnibus, sed subiecti proprijs inseruit. Definitio paucis verbis conficitur, atq; perficitur. Demonstratio nonnisi syllogismo operâ maiori scilicet, & eo non quolibet, sed qui difficillimis, & inuentu, & cognitu propositionibus conficiatur. His igitur rationibus definitionem Platoni celebratam, demonstrationi Aristotelis inuento præferendam esse contendunt.

Quidam Platonici vnicũ instrumẽtum sciendi esse credũt definitionem.

Si demonstratio præferenda definitioni existimant.

Eorum reiicitur opinio Aristotel. 1. posteriorum tex. 22. Demus ipsis definitionem esse magnifaciendam, non tanti tamen; vt dignitate demonstrationi præstet, cum hæc illam inuoluat. Definitio siquidem, vel est demonstrationis principium, vel demonstratio solâ terminorum positione differens, vel demonstrationis conclusio; itaque demonstratio perfectionem omnem definitionis in se se cohibet, & aliquid amplius continet; demonstratio enim beneficio definitionis, quam tanquam medium inuoluit nobis rei essentiam, declarat, sed amplius eidem rei propriam affectionem inesse ostendit. Ita fit, vt sola definitio scientiam non pariat, nisi de nomine contentio fiat; si namque appellatione scientiæ velimus cognitionem intelligi, quâ nobis perspectum fiat, qualis res ipsa sit, hoc certè

Digitized by Google

per solam definitionem non assequitur, cum hæc non ostendat rei affectionem inesse; quod si scientiæ nomen latiori quodam significatu accipiatur; non inficiandum per definitionem ipsam comparari, quod Philosophus docuisse videtur, dum ait πάσαι μὲν ἐπιστῆμαι διὰ προγινωσκομένων ἢ πάντων, ἢ τινῶν ἔστι ἡ δὲ διδασκαλικὴ, ἢ διὰ ὁρισμῶν. *Quamquam omnis disciplina, per præcognita, vel omnia, vel quædam est, atque vel per demonstrationem, vel per definitiones.* Latiori proinde significatu sumpto nomine scientiæ dum cognoscimus quid est, dicimur scire, ad quod respiciens Plato dicebat. οὐκ ἂν ὀρθῶς ἴσμεν καὶ ἐπιστάμεθα δὴ τὸ τί ἐστιν; *Non ne quod quidem scimus, dicemus etiam quid est?* Nec oppositum alibi profecto docuit, cum tantum significare velit ad scientiam de re quapiam comparandam opus esse eiusdem rei definitione, non modò quia definitio latiori significatione tamen, scientiam acceptam parit; sed quia ad eandem propriè sumptam rei definitio requiritur, cum definitio sit medium demonstrationis, per quam scientiam propriè sumptam acquirimus. Hoc ibi voluit quando ipse dicebat: *Quid ergo, inquam ego, an videtur tibi posse scire rem quamuis, an pulchra, an turpis sit, quam nesciat ab initio quod sit.* Huculque de quæstione an sit, deinde quid sit, *Nosti ergo inquam ego, quod est quidpiam philosophari? & maximè inquit; Quid ergo est?* & alibi. *Nisi enim hoc ipsum sciamus quid nam sit visus; vel quid auditus; frustra sanè consultores prælij alicuius fiemus.* Et posteâ subdit *Non ne ergo hoc esse oportet scire quid nam est virtus?* Et expressius etiam alibi hanc definitionis necessitatem inculcat ad scientiam propriè sumptam comparandam, hoc est ad cognoscendum qualis res ipsa sit, dum ait ὅτι μὴ οἶδε τὸ τί ἐστι, πῶς ἂν ποιόν τε τι εἰδείη τις ὁντινοῦν ὅτου μὴ οἶδε τὸ τί ἐστιν; τοῦτο εἶναι ὃ τὶς μέντοι μὴ γιγνώσκει τὸ παράπαν τὸ ποῖόν ἐστιν τοῦτο εἰδέναι. *Quod autè nescio quid est; quomodo quale nam sit cognoscam? an videtur tibi posse esse, qui Menonem non noui prorsus, quis nam sit; hoc scire an pulcher; siue diues; seu generosus est?*

Definitionis autem dignitas ex dictis non modò, sed etiam constat vtilitas, quam esse magnam non semel testatur Plato; qui propterea nihil magis inculcat; quàm vt definitio omnem aliam de quacunque re contemplationem antecedat; ob id in Phædro *Vt singulá*, inquit *definiens clarum faciat de qua re semper docere velit*, & in Lachete, *hoc*, inquit, *ergo primum nitamur, dicere fortitudo quidnam est*; sic etiam & alibi: quod Aristoteles quoque confirmat dicens Socratem consueuisse definitionem quærere, vt inde syllogismos eliceret ἐκεῖνος δ' εὐλόγως τὸ τί ἐστὶ ἐζήτει· συλλογίζεσθαι γὰρ ἐζήτει, ἀρχὴ δ' συλλογισμῶν τὸ τί ἐστιν. *Ille rationè rectâ; quod quid est quærebat, syllogizare enim quærebat; principium autem syllogismorum quod quid est.* ad quæ fortasse respiciens Tullius dicebat. *Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Et alibi, *Omnis autem* inquit, *in quærendo quæ viâ quadam, & ratione habetur oratio; præscribere primum debet, vt quibusdam in formulis ea res agatur; vt inter quos disseritur conueniat quid sit id, de quo disseratur.* Summa igitur definitionis vtilitas; & quòd rei naturam, ac essentiam rei explicet, & quòd inedij munere fungatur in demonstratione, qua tanquam instrumento scientiam propriè sumptam acquirimus. Quæ forsan Tullius didicerat ab Aristotele; cui principium omnium definitio; & quod est simplex videbatur.

Quòd si ad scientiæ consecutionem necessaria prosus credatur demonstratio, cum hæc nulla esse sine definitione possit, profectò non solum vtilis, sed per necessaria definitio ad comparandam scientiam existimanda erit.

Hanc vtilitatem, ac necessitatem definitionis primus cognouit Pythagoras, vt est apud Laertium ex Phauorini testimonio, nam de Pythagora loquens hæc habet. *hunc Phauorinus ait definitionibus vsum in Mathematica materia; abundantius vero Socratem, & eos qui cum illo sunt conuersati. & post hæc Aristotelem, & Stoicos.* Imò etiam hoc idem Aristoteles testatur, dum Pythagoreos, Democritum, ac Socratem definitione vsos affirmat. Sequitur explicandum quid ipsa sit definitio, quæ sumi potest, vt ab Aristotele accipitur in Rhetoricis prò quauis vocabuli explicatione, omnique rei alicuius descriptione, vbi forsan hoc sensu definitionem accipit, quoniam Oratores non ita subtiliter definitionem tractant, vt à Logicis fieri solet, sed omnem alicuius rei explicationem definitionem, vocant, siue ea vera definitio sit & naturæ explicatio, siue descriptio quædam, & apertior eiusdem rei declaratio. Sed ad indagandum quid ipsa definitio sit, præmittenda nota illa definitionis partitio in eam, quæ dicitur quid nominis, & alteram quæ nuncupatur quid rei; itaut definitio sit duplex, alia, quæ rei substantiam exhibet, & alia, quæ nomen interpretatur.

Definitio quid nominis in quo consistat, non satis conuenit inter Artifices, cùm tamen perspicuè constet illam in quadã explicatione nominis positam esse, vel scilicet per nomen clarius, vel per eiusdem etymologiam. Huiusmodi porrò est hominis definitio illa, homo dicitur ab humo, sic & illa mulieris, nempè mulier dicitur à molli aere; & ita de alijs quamplurimis. Quamobrem huiusmodi definitio nil aliud est, quàm nominis quædam interpretatio, non quasi per ipsam explicetur ipsius nominis natura, prout quædam res est, sed crassã potius mineruâ significatum ipsius exhibetur. hanc iure Themistius minimè dignam definitionis nomine existimabat; ex quo facile intelliges commemoratam definitionis partitionem haud esse vtiuoci alicuius conceptus, qui de vtraque vtiuocè possit enunciari.

Quamobrem omissa definitione quid nominis, ad definitionem quid rei nostra se conuertat oratio.

Definitio suam hanc obtinuit nomenclaturam ex metaphora quidem à terminis, ac finibus agrorum desumpta; vt enim termini, finesque definiunt, claudunt que agros, sic vt ab alijs diuidant, atque secernant: ita pariter definitio rei naturam quibusdam finibus terminans, ac circumscribens ab alijs separat, atque distinguit, quam propterea non semel Philosophus terminum appellabat; cui tamen dicenda videbatur *oratio quod quid esse rei significans*, hoc est oratio rei naturam explicans, ac patefaciens; quòd enim Aristoteli est quod quid est esse rei, Scholasticis est rei natura siue essentia. Alibi docet esse positionem, in qua neutrum accipitur, ideſt neutra enunciationis pars; siue quæ neque affirmatiua, neque negatiua sit. Ab alijs dici solet rei propositæ propria, & dilucida, & breuiter comprehensa verbis oratio, quæ constat maximè genere, & differentiâ.

Definitio non immerito dicitur *oratio*, hoc enim omnibus sciendi modis commune est, à reliquis verò per cæteras particulas distinguitur, dicitur autem oratio, cum eius sit distinctè; clarèque rei naturam, & essentiam exprimere; quod vnico termino præstare non licet, quicquid enim sub definitionem cadit duplici ratione constat, per quarum vnam id cum cæteris

in Lachete.
in amatoribus.
in Lachete.
Menonis illitio;
Definitionis vtilitas:
1. Diuinationum:
Lib. 1. de officijs.
Secundo de finib.
2. lib. posteriorum.
Definitionis necessitas;
Laertius in Pythagora.
5. Diuin. cap. 4. & 1. de partibus animalium cap. 1.
Lib. 2. Rhetoric. cap. 45.
Aristotel. post. cap. 44.
Definitio quid nominis.
Ioannes Grammaticus. 2. poster. cap. 7.
2. post. cap. 11.
Definitio quid rei vnde nomen clarum accipiat.
Topic. lib. 1. cap. 4. 2. post. cap. 10.
1. lib. post. ca. 4.
Definitionis explicatio.

Digitized by Google

teris conuenit, dicitúrque genus: per aliam verò sibi peculiarem, & propriam ab ijsdem secernitur. Cum igitur vtraque ratio per definitionem sit explicanda, consequens sit, vt definitio pluribus terminis constare debeat; siue hi in uocibus, siue in conceptibus mentis consistere dicantur, vtraque enim ratio illa vnico termino explicari non potest, cum nullus sit terminus vniuocus, cuiusmodi esse debet quicunque definitionem ingreditur, qui plures conceptus significare valeat.

Trifariam à Scholasticis definitio sumitur.

Trifariam autem definitionem vsurpant Scholastici, dum illam accipiunt formaliter, vt aiunt, prout videlicet est actus quidam intellectus definientis. Primò quidem sumitur pro sola simplici apprehensione quidditatis per se acceptæ per genus, & differentiam expressæ. Secundò pro enunciatione, in qua definitio de re definita affirmatur; Tertiò pro conclusione ex præmissis deducta; his tribus modis adamussim ista respondent. Primò quærenti quid est homo, occurrimus dicendo, animal rationis particeps. Secundò si dicamus homo est animal rationis particeps. Tertiò si hæc fiat enunciatio veluti conclusio ex premissis deducta.

Quomodo definitio dicatur oratio.

Definitio autem dum dicitur oratio non intelligenda oratio quæcumque sed imperfecta, ac diminuta; vnde ad primam intellectus pertinet operationem. Terminus enim, vt humanitas potest indistinctè, confusèque rei naturam vniuersam exprimere: distinctè tamen definitionis instar non potest. Tametsi autem vnius cuiusque rei possit vnicus efformari conceptus adæquatus definitione quidem expressus, adhuc tamen definitio est omnino dicenda oratio plures conceptus explicans conuenientiæ, ac differentiæ; propterea quod adæquatus ex pluribus inadæquatis consurgit; quorum vnus generi, alter verò differentiæ respondet; tandem etsi diuisio sit etiam oratio rei naturam suo modo explicans, quatenus exhibet partes, in quas aliquid resoluit, non ob id definitio, ac diuisio sunt re ipsa idem, quoniam quod hæc resoluendo, illa componendo præstat, alia autem est resolutionis, alia verò compositionis ratio.

Differentiæ inter definitionem, & diuisionē.

Primæ obiectio.

Quamuis autem definitio definiatur, non propterea sequitur illud absurdum, videlicet idem per se ipsum definiri, propterea quod si definitio per definitionem definiatur, nullum absurdum sequitur, non enim eodem se habet modo definitio definiens, & definitio definita; hæc enim definitionis significatum; illa verò eiusdem exercitium importat, & vt cum Scholasticis loquar, hæc est definitio in actu signato, illa verò in actu exercito.

Eiusque solutio.

Secunda obiectio.

Nec vllum incommodum secuturum putes, nempè vt idem se ipso notius sit, & ignotius, eo quòd definitio, dum sub definitionem cadit, res definita sit, ac proindè ignotior definitione, per quam definitur, si quidem definitum definitione ignotius esse debet. Nihil enim prohibet, quominus definitio collata cum eo, cuius quod quid est, declarat, definitionis naturam sibi vendicet, denominetur autem definitum ad sui definitionem relata; non hinc tamen incōmodum scilicet idem omninò se ipso esse notius, & ignotius; nam ratione quidem vnâ notius: aliâ autem ignotius erit.

Eiusque solutio.

Tertia obiectio.

Nec admissâ definitionis definitione sequitur abeundum in infinitum; definitio siquidem hic definitur accepta, vt aiunt in actu signato, non autem in actu exercito; definitiones enim hoc posteriori modo sumptæ, sub definitione priori modo accepta continentur; itaut etiam ipsius definitionis exercita definitio sub illa concipiatur, eidemque definitio tradita in actu signato conueniat, nempè, vt sit oratio quod quid erat esse rei significans.

Quarta obiectio, eiusque solutio.

Et licet definitio tradita de definitione peculiaris quædam sit definitio contenta sub ipsa definitione generatim accepta, atque adeo minus latè pateat, quam illa, quod omnino definitioni repugnat, si quidem hæc cum definito conuerti debet. Definitio tamen definitionis singularis est, vt aiunt in essendo, vniuersalis verò in significando, quoniam hæc definitionis definitio cunctis definitionibus possibilibus congruit; quamobrem definitio cum re definita reciprocatur.

Non vna definitionis ratio.

Vt autem multiplex est modus, quo rei essentia potest explicari, vel scilicet per interna principia, vel per affectiones, & externa accidentia: sic non vna est definitionis ratio. Prima igitur dicitur definitio quid rei essentialis, & quidditatiua: altera verò accidentaria, & descriptiua; quia tamen rei natura, vel essentia gemino modo potest explicari, vel scilicet per partes physicas materiam, & formam; vel per metaphysicas genus, & differentiam, ob id essentialis definitio in physicam, & metaphysicam distribuitur. physica definitio foret si homo diceretur compositum ex corpore, & anima rationali: metaphysica verò si idem diceretur animal rationis particeps: at, quæ essentialis est physica, etiam causalis intrinseca nuncupari consueuit, velut illa, quæ per internas causas manentes in re definita, perficitur. Descriptiua autem est, quæ per res quasdam externas rei naturam circumstantes exhibetur. Hæc autem tribus modis contingit. Primo per affectiones proprias, vt homo est animal risibile. Secundo per causas externas efficientem, & finem, vt homo est animal à Deo propter æternam beatitudinem creatum. Tertio per accidentia communia quidem seorsum, propria tamen coniunctim accepta, vt homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum &c. itaque definitio genere declaratur, & proprietate quadam, vt ait Tullius, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid sit eluceat.

Duplex definitio quidditatiua vna altera descriptiua.

Essentialis definitio duplex scilicet physica, & metaphysica.

Quidditatiua definitio in duplici discrimine est.

Essentialis autem, & quidditatiua definitio in duplici discrimine est; quandoquidem vna est simpliciter huiusmodi, nimirum illa, cuius partes ad definiti quidditatem pertinent: altera verò per additamentum, quoniam ad rei perfectam acquirendam notitiam aliquid in definitione assumitur, ad quod definitum, ordinem inuoluit. Priori definitionis genere definitur quicquid sui naturâ absolutum est, cuiusmodi est definitio tam physica, quàm metaphysica de homine superius tradita: Secundo autem genere definitionis omne id definitur, quod ordinem dicit ad aliud, vt est illa animæ definitio, Anima est actus corporis physici, organici potentiâ vitam habentis; ita fit, vt huiusmodi definitio mixtam ex descriptiua, & essentiali definitione redoleat naturam. Cæterum plura de definitione tractabimus, vbi de demonstratione sermonem instituemus.

In partitionibus.

De definitione iterum agēdum; vbi de demōstratione.

Est autem intellectu non facile, cur plerosque difficultas illa vexauerit, quòd scilicet vnius rei cum vnica sit natura, ac essentia, non possit multiplex esse definitio, nimirum essentialis, & accidentaria, item essentialis, physica, & metaphysica; Hæc enim nullius momenti sunt, propterea quod vnaquæque definitio, licet exprimere debeat essentiam definiti, hoc tamen pluribus modis fieri nihil prohibet; tametsi enim vnius rei, si rem ipsam respicias, non nisi vnica definitio esse possit; nihil tamen prohibet, quominus multiplex sit, si explicandi modum attendas; res enim eadem, vel per interna principia, quibus eius

Difficultas, eiusq; solutio.

natu-

Definitio nō modo ex propriis, sed etiā ex cōmunibus, coniunctim tamen acceptis perfici potest.

natura constat, vel per quædam externa potest explicari. Quamuis igitur definitio ad rem declarandam ex eius internis, proprijsque principijs contexi debeat; hinc tamen non fit, vt ex communibus non disiunctim, sed coniunctim acceptis definitio perfici non possit; complexum enim illud, etsi ex communibus constans, sic vni conuenit, vt alteri minimè possit accommodari.

Constructio definitionis vnde petenda.

Definitionis autem constructio cuiusmodi esse debeat ex indole rei definiendæ petenda est; hæc enim vel ita se habet, vt perfectè possit intelligi quolibet externo neglecto, tuncq; definitio ipsius ex ijs tantùmodo constare debet, quę naturam eiusdem constituunt: vel res definienda talis est, vt externis non accersitis, sed internis tantùm adhibitis non satis definitione explicetur, & tunc adconstructionem definitionis tam interna, quàm externa sunt vsurpanda.

Quomodo in definitione physica, & quomodo in metaphysica, sint exprimenda principia.

Ex ijs porrò, quæ ad rei definitæ naturam pertinent, vel physica, vel metaphysica primordia sunt; quæ prioris sunt generis physicam, quæ posterioris, metaphysicam definitionem constituunt; discriminis autem illud inter has definitiones adnotandum, quòd in definitione physica contexenda, principia per obliquum casum significanda sunt; at in metaphysica definitione per casum rectum sunt exprimenda. Sic se habent illæ hominis definitiones; physica definitio, homo est constans ex anima, & corpore, non autem est animal, & corpus; metaphysica verò homo est animal rationis particeps, illa per casus obliquos, hæc autem per rectos exprimitur.

Metaphy. definitio duobus modis cōficitur.

Metaphysica definitio duobus conficitur modis; Primo quidem ex genere supræmo omnibusque differentijs vsque ad vltimam, si proximum genus lateat. Secundo ex genere proximo, vltimâque differentiâ si proximum genus, & vltimę differentiæ non ignorentur; Prior definiendi modus est numeris omnibus absolutus quippè qui nihil omittit: posterior tamen elegantior, ac vsitatior, & quòd omnia comprehendat, & quòd sit expeditior. Comprehendit omnia propterea quòd genus proximum secundum omnes superiores gradus, quos in se cohibet, manifestum supponitur, quod est clarè, perspicuèque genus illud cognouisse; expeditior itidem cùm hâc ratione detestabilis in definiendo prolixitas declinetur. Alteruter definiendi modus adhibeatur, obseruandum omninò, vt quidquid in definitione sit positum aut generis, aut differentiæ locum obtineat, vel saltem ijs proportione respondeant, quod in accidentaria definitione contingit.

Dispositio partiū definitionis.

Ex his facilè quisque comprehendet definitionis partes ritè disponendas esse, vt nimirum primò genus, mox autem differentia adhibeatur, alioquin inuerso ordine genus in differentiam transmutatur, vel differentia inferior in superiorem; propterea quòd si priorem locum obtineat, tanquam aliquid contrahendum per differentiam se se offert; vnde res longè aliter explicatur, quàm eius natura deposcat. Sed de hoc infra, cùm de venanda definitione loquemur.

Definitio per additamentū.

Cùm autem res fuerit definienda per ea, ad quæ ordinem dicit, atque adeò construenda sit definitio, vt aiunt, per additamentum; hoc in primis considerandum, vt non omnia definitione comprehendantur, ad quæ res definienda ordinem inuoluit, sed ea tantummodo; quorum ignoratione anxius intellectus remanet.

In definitione non omnia collocanda &c.

Hinc perspicuum est illos grauiter peccasse, qui crediderunt in definitione omnia esse collocanda, quæ res definita respicit, cum ijs tantùm definitio constare debeat, quibus perceptis, intellectus rem distinctè cognoscit; hæc autem non omnia sunt, sed ea tantùm, quibus neglectis non nisi confusa rei definitio comparatur; Hæc porrò sic intelligas velim, vt ad rei definitionem efformandam non sit opus causis per accidens, cùm ad perfectam definitionis structuram internæ causæ sufficiant, hoc sensu nimirum, vt in peculiari quodam scientiæ genere internæ causæ tantummodo ad huiusmodi scientiam spectātes pro definitione adhibeantur. Cognitio tamen, quâ intellectus rem ipsam comprehendit non modò perceptionem causarum omnium, sed etiam effectuum, affectionum, ac virium ab eiusdem natura dimanantium, rationumque omnium, ac proinde ordinis, si quem habet ad aliqua, requirit.

Bona definitionis ratio, quibus cōditionibus continetur.

Definitio autem ritè elaborata censeri debet, quæ sequentibus conditionibus constat.

Prima conditio.

Prima conditio, *vt definitio sit clarior definito;* cùm enim ad manifestandam rei definitæ naturam adhibeatur; oportet re definita clariorem esse definitionem, ne quod est ignotum per aliquid æquè ignotum manifestari debeat. Hæc autem claritas intelligenda in ordine distinctè cognoscendi, nam in ordine cognoscendi confusè, definitum est definitione notius. Præstat igitur in definitionibus claritatem affectare, hæc enim est necessaria definitionis conditio, cùm definitio declarandæ rei gratia assignetur; quomodo enim declarare potest, si ipsa clara non sit, atque perspicua? ad hanc autem claritatem respiciens Philosophus dicebat. *Quemadmodum autem in demonstrationibus oportet ineſſe ipsum ratiocinatum esse, ita & in definitionibus perspicuitas;* quasi ita ratiocinetur; quemadmodum se habet vis illatiua in demonstratione, ita claritas in definitione; sed vis illatiua in demonstratione ita se habet, vt eâ sublatâ corruat demonstratio; ergo etiam claritas ita se habebit in definitione, vt eâ sublatâ, definitio corruat. Quomodo autem ab obscuritate, quæ claritati opponitur, declinare liceat, mox intelliges, cum de venanda definitione tractabitur.

Aristot. 2. posterior. tex. 83.

Secunda Talluri. de Orz.

Secunda hinc oritur conditio, *vt* scilicet *definitio nec diminuta, nec superflua sit;* in definitionibus enim nec abesse quicquam decet, nec redundare. Non debet definitioni quidpiam deesse, propterea quòd clarior definito non foret; nam ad claritatem assequendam non satis vnum, vel alterum contentum in definito menti exponere, sed oportet omnia, quæ ad definiti naturam pertinent, exhibere; hinc mala hæc hominis definitio, homo est rationalis substantia, cùm in ea absint intermedia genera, quæ ad hominis explicandam essentiam conducunt, Vt autē in definitione nihil desiderari debet ad rei definitæ naturam spectans, ita in ea nihil debet esse superfluum; propterea vitio laboraret hæc definitio, homo est animal rationale sentiens; sic & ista, homo est animal rationale, bipes, implume &c. accersitis nimirum ijs, quæ naturam hominis non ingrediuntur, sed solùm circumstant; quamobrem vt ad illa non pertinent, ita nec ex ipsis oritur definitionis claritas, quinimò eorum commemoratione definitio redditur obscurior.

Tertia conditio.

Tertia conditio, *vt definitio ex genere, & differentia, vel ex aliquibus vicem generis, differentiæque supplentibus, constet.* Hæc etiam ortum à prima conditione habet; ad elaborandam enim definitionem ea sunt adhibenda, ex quibus definitionis claritas obtinetur, huiusmodi porrò sunt genus, & differentia; tunc enim de re quapiam distinctam notitiam assequimur, cum attingimus id, per quod res illa cum cæteris conuenit, & id etiam ratione, cuius ab ijsdem distinguitur; sed huiusmodi sunt genus, & differentia; per genus enim aliquid cum alijs conue-

nit,

Digitized by Google

nit, per differentiam verò ab ijsdem secernitur; ergo in definitione genus, & differentia, vel aliqua eorum loco, sunt adhibenda; vnde probè definitur homo dicendo animal rationis particeps; & hæc definitio metaphysica est, quippè quæ per metaphysica principia traditur.

Quarta. Quarta *vt definitio de re definita reciprocè dicatur*, definitio enim omnis æqualis esse debet rei definitæ; itaut ab vno ad alterum optima sit consecutio, cuiusmodi est hominis definitio iamiam commemorata; animal enim rationis particeps æquè latè patet ac homo, & optima est consecutio ab homine ad animal particeps rationis, & vicissim; huius porrò conditionis ratio, quia re ipsa idem est definitum, ac definitio, solùmque differunt per minus, vel magis claram explicationem; & certè si definitio totam rei definiti naturam continet, cùm hæc soli omnique definito conueniat, sic etiam & definitio; proindeque de quo affirmatur vnum, de eodem etiam alterum poterit affirmari.

Aristotel. 1. Diuin. ap. 5. text. 6. Definitio prout res ipsa est definita clarè tamen explicata non maiori distinctione, nisi in accidentibus, ab ipsa re definita secernitur, quàm quæ in diuerso concipiendi modo consistit; prout enim aliquid obscurè concipitur, est definitum, prout autem clarè, & apertè, est definitio; vt homo, & animal rationis particeps non maiori distinctionis genere distinguuntur, cùm inter hæc non ex parte rei conceptæ, sed solius intellectus concipientis distinctio sit, non quòd actus siue conceptus mentis, qui conceptus formales dicuntur, inter se realiter non distinguantur, sed quòd ea circa quæ versantur, itemque conceptus obiectiui quatenus rem ipsam important non maiorem quàm commemoratam inter se distinctionem obtineant.

Obiectio. Sed statim obijcies hinc secuturum, dum definitio de re definita enunciatur, idem de eodem affirmari; & demonstrationem procedentem per subiecti definitionem duobus tantummodo terminis, subiecto nimirum, & affectione constare, si quidem medium, & subiectum idem penitus forent; ac tandem committi petitionem principij, cùm idem per idem demonstraretur.

Solutio. Hæc tamen non sequuntur absurda; ne enim propositio eiusmodi sit, vt in ea idem de eodem affirmari dicatur, satis omninò, vt idem clarè conceptum, de se ipso obscurè cognito affirmetur: & ne demonstratio duobus tantummodo terminis constare dicatur, hæc eadem distinctio, videlicet secundum maiorem, atque minorem rei explicationem sufficit: ne demùm petitio principij contingat in demonstrando, satis superque, vt per rem distinctè cognitam eidem confusè cognitæ probetur aliquid conuenire.

Methodus vtendæ definitionis triplex. Prima Hippocr. Secunda Platonis Tertia Aristotelis. Qua autem arte sit indaganda definitio, sequitur explicandum; manifestum autem non vnam ad id esse viam; Hippocrates enim credebat idoneam illam, quæ demonstratione substernitur: Plato quæ diuisione, Aristoteles quæ compositione paratur. Neglectâ autem illâ, per quam incedebat Hippocrates, tanquam ineptâ, qualem luculenter ostendit esse Philosophus validissimis argumentis innixus, duas alias ab eodem Philosopho commendatas inibimus.

Platonis methodus explicatur quæ diuisiua nuncupatur. Diuisiua igitur Platonis via, quam nec etiam Aristoteles improbat, licet magis compositiuam commendet, ita se habet. Si quærenda proponatur hominis definitio è Platonis sententia ante omnia, exempli grat. sumendum est genus aliquod hominis notum, veluti corpus, deinde diuidendum per oppositas differentias, scilicet animatum, & inanimatum, mox verò sumendum animatum, quod homini conuenit, reiecto inanimato: postea iterum diuidendum corpus animatum per sensibile, & insensibile, & reiecto insensibili, sumendum sensibile, vt homini competens; Deinde hoc iterum diuidendum per rationale, & irrationale, sumendum rationale, reiecto irrationali; ex harum deniq; omnium sumptarum differentiarum collectione, definitio hominis omnibus absoluta numeris colligetur. Homo est corpus animatum, sensibile, rationale, Et hæc via resolutiua Platoni familiaris erat.

Aristotelis methodus explicatus quæ compositiua dicitur. Compositiua verò ab Aristotele celebrata ad eum, qui sequitur modum se habet. Supponendum autem hanc nil aliud esse, quàm congregationem, seu compositionem essentialium prædicatorum competentium inferioribus omnibus, quæ sub aliquo communi definiendo continentur, quod videtur à Platone quoque animaduersum fuisse, cùm non semel illud vsurparet τὸ ἐπὶ πᾶσι τούτοις ταυτὸν. *Id quod in omnibus hisce idem est*, de via definiendi loquens; vt propterea definitiones συναγωγὰς nempè collectiones appellaret; vnde credendum ab eo propriam definiendi viam diuisiuam quidem non sine compositione tamen nuncupatam fuisse: hoc autem supposito, ita procedendum.

Quomodo definiēda species specialissima. Vel igitur definire volumus infimam speciem, quam specialissimam appellant, quæ nimirum ita est species, vt nequeat esse genus; vel subalternam, quæ & species, & genus est; Si species infima definienda proponatur, vt homo, consideranda sunt omnia illa, quæ omnibus indiuiduis hominibus essentialiter insunt, propterea quod ea omnia componendo definitionem hominis constituemus hunc in modum: quilibet homo nimirum est corpus, & animatum, & sensibile, & rationale. Hinc non alia quidem erit hominis essentia, & definitio, quàm corpus, animatum, sensibile, rationale, definitio scilicet illa, quam per viam diuisiuam incedentes, collegimus.

Quomodo definiendū genus. At si definiendum sit genus, vt animal, considerandæ sunt species omnes sub ipso contentæ, itemque perpendenda sunt omnia, quæ ipsis essentialiter insunt, & ex his illa sunt reijcienda, quæ singularum specierum sunt propria, nam reliqua omnia componendo definitionem animalis constituere licebit, hunc scilicet in modum dicendo, homo est corpus, & animatum, & sensibile, & rationale: sed rationale cùm alijs animalibus non competat, ob id est reijciendum; at verò equus est corpus animatum, sensibile, irrationale, hinnibile; irrationale autem, & hinnibile non conuenit omnibus alijs animalibus, non enim competit homini, ergo dimittantur, & hac lege per alias animalis species discurrendo, & propria singularum essentialia prædicata reijciendo, & illa tantummodo retinendo, quæ illis omnibus communia sunt, ac de ijs in quid prædicatur, eademque componendo, definitionem animalis colligemus; in qualibet enim animalis specie si obseruauerimus reperiri corpus, & animatum, & sensibile, facilè deprehendemus ex his omnibus eiusdem animalis generis definitionem constitui.

Aristotelis via pro venanda definitione non tā cōpositiua est, quā resolutiua. Hæc igitur via compositiua, quâ in definiendo vsus est Aristoteles, quam etsi ipse compositiuam vocauerit, reuerâ tamen, vt Eustratius obseruat resolutiua est; nam ab indiuiduis ad speciem, & à speciebus ad genus progredi, est à posterioribus procedere ad prius; huiusmodi autem processum esse resolutionem satis perspicuum est, se habet enim non secus ac inductio; vt ob id viam hanc Philosophus diuisioni prætulerit, eoquod vim illatiuam habeat, probetque hoc ex hoc, quod diuisioni non conuenit, quam tamen non in postremis habet, quin potius commendat.

Aristoteles commendat diuisionē ad venandam via compositiua definitionem.

dat tanquam vtilem ad venandam viâ compositiuâ definitionem; itaut diuisionem tum vtilem, tum inutilem ad venandam definitionem, existimet; vtilem si adhibeatur veluti comes viæ compositiuæ: inutilem verò per se ipsam.

Vt autem Philosophi hac in re consilium assequi valeamus, & vniuersam artem venandæ definitionis enucleemus, iuuabit breuiter expendere, quæ ipse tradidit secundo Analyticorum libro, vbi de indaganda definitione cumulatè disputat, sumatim autem quæ habet, exponam.

Summa doctrinæ quā Aristoteles tradit de indaganda definitione.

Ex prædicatis igitur, quæ perpetuò, ac vniuersè de subiecto quodam genere dicuntur, quædam adeò latiùs patent, quàm subiectum, suntque extra illud, vt alteri quoque generi, prædicamentoque conueniant: quædam contra latiùs quidem patent, quàm subiectum, ita tamen, vt alteri generi, prædicamentoque minimè conueniant. Exemplum primi est ens, quod sic vniuersè de ternario dicitur, vt etiam de rebus, quæ sunt extra numerum genus nempè ternarij, & extra quantitatem eiusdem ternarij prædicamentum affirmari possit. Exemplum secundi est impar, quod sic de ternario, & non ternario dicitur, vt numeri ternarij genus non egrediatur, numero si quidem impari tantummodo conuenit.

Præcepta ad indagandam definitionem speciei infimæ.

At cùm supremum genus propriam definitionem non admittat; idcircò Philosophus modum definiendi speciem aggreditur, quæ cum in duplici discrimine sit, vna siquidem infima, altera verò non infima, à prima ducens exordium, hæc præcepta tradit.

Quandocumque est definienda species infima; communiora sumenda sunt prædicata, intra latitudinem tamen eiusdem generis, ad quod species ipsa definienda pertinet; quoad licet singula seorsim alijs quidem à re definita, omnia tamen simul illi tantum conueniant; vt ad venandam ternarij definitionem, sumendum quòd ternarius sit numerus impar, sit duplici modo primus, & quia videlicet nullo numero sæpius repetito, sed vnitate solâ mensuratur: & quia ex alijs numeris non componitur.

Singula porrò hæc prædicata alteri quidem à ternario, omnia simul soli ternario conueniunt, itaut collectione ipsorum ternarij definitio fiat; numerus impar primus vtroque modo; hæc autem definitio, & ternario necessariò conuenit, & apprimè totam eius explicat naturam, propterea quòd definitio, quæ ex necessarijs rei definitæ principijs constat, necessariò etiam ei conueniat oportet; sed definitionem hanc ex huiusmodi principijs constare manifestum est, quoniam de re definita in quid coniunctim prædicantur; atque adeo cùm sint de omni per se, & quatenus ipsum vniuersalia erunt & necessaria. Quòd autem hæc definitio explicet vniuersam rei definitæ, ternarij scilicet naturam, haud est operosum ostendere; quoniam quicquid de re quapiam prædicatur in quid, vel est genus, vel definitio; sed hæc non vt genus de ternario coniunctim accepta, nam eorum complexum non latius patet, quàm ternarius; ergo vt integra definitio prædicatur. Illud accedit, quòd definitio rei naturā, & essentiam explicat vniuersam, quæ sic rei conuenit, vt illi tantùm, & solis indiuiduis sub illa contentis conueniat; huiusmodi porrò superiorem ternarij definitionem esse neminem præterit; ob id illa ternarij naturam vniuersam explicabit.

Aduertio.

Aduertendum autem à nobis cùm Aristotele prædicata illa dicta fuisse vniuersalia sic vt sint de omni per se, & quatenus ipsum: non quòd omnia, quæ in quid prædicantur sint huiusmodi, nam genus de specie prædicatur in quid, sed non quatenus ipsum, cùm genus latiùs pateat, quàm species; sed ideo prædicata illa de trinitate talia esse diximus, quoniam illa quidem accepimus, non vt diuisim, sed vt coniunctim, sic enim essentiam trinitatis declarant, suntque eiusdem definitio; quamuis enim singulum prædicatum non sit trinitatis essentia, sunt tamen omnia simul accepta.

In superiori etiam discursu supposuimus cum eodem Philosopho, omne quod de aliquo prædicatur in quid, vel eius esse genus, vel definitionem; propterea quod sola differentia non prædicatur in quid, sed potius in quale quid; addita verò differentia generi prædicatur quidem in quid; sed tunc vel definitionem constituit, vel aliquod proximius genus, hoc itaque supposito fundamento, superiorem illam ratiocinationem instruximus; quâ tamen non contendebamus ostendere collectionem illam prædicatorum inesse quidem trinitati, sic vt ei insit in quid, hoc enim probari non potest, cùm nullum suppetet demonstrandi medium, sed supponendum sit per seipsum id notificari, dum in illud mentis aciem intendimus; probari siquidem potest, quòd hoc illi insit, puta, animal homini, sed quòd insit in quid, non nisi per se ipsum innotescit, humana si quidem mens, dum id quod alicui ineſt intentè, ac sedulò considerat, percipit essentialem eorum nexum, & inhærentiam in quid.

Præcepta ad indagandā definitionē generis.

At si definienda species non sit infima, proindeque non supremi generis, cuius nulla potest esse essentialis definitio, sed subalterni rationem obtineat; tunc diuidi debet in infimas species sibi subiectas; singulis enim speciebus, non quidem omnibus, nam hoc excedit humani ingenij vires, sed aliquot, methodo iam traditâ, definitis, facilè communia earum prædicata in quid retinenda, & earundem propria reijciendo constabunt; mox autem respiciendum ad supremum genus Categoriæ, ad quam quod est definitum, spectat; communibus enim acceptis, supremoque adiectis generi, definitionem conficere licebit. Definiendum sit animal. Primò diuidendum illud in hominem, leonem, equum &c. Secundò his methodo superiùs traditâ definitis, nempè homo est corpus animatum, sensibile, rationale; leo est corpus animatum, sensibile, rugibile; equus est corpus animatum sensibile hinnibile, communia illa prædicata innotescent, corpus animatum sensibile; respiciendum mox ad supremum genus Categoriæ substantiæ, ad quam animal pertinet, sumpto namque supremo genere, puta substantia, & huic communibus iam dictis prædicatis addictis, hæc animalis definitio prodibit, substantia coporea, animata sensibilis.

Exempli.

In definitionum assignatione semper præstat claritatem affectare, cùm hæc sit necessaria definitionis conditio, vt superiùs quoque monuimus, & vt etiam translationes vitare; obscuritas enim ab ambiguitate, hæc autem ab æquiuocis, & à translationibus proficiscitur.

Conditiones, quam aliquid possitur, vt possit definiri. Prima.

Sequitur ostendendum, quibus notis insigniri debeat id, quod suscipitur definitione explicandum, hæ autem perhibentur conditiones necessariæ alicui, vt explicari definitione possit, vbi definitio sumitur non vtcumque, sed propriè, quæque essentialis appellatur.

Prima conditio est, *vt id quod definiri debet sit ens positiuum*, quoniam definitio propriè sumpta est oratio verum esse significans, vt etiam Aristoteles testatur, at verò non entia priuationes, & negationes tale esse non habent, obid propriè definiri non poterunt, vnde ipse dicebat; non entis nomen explicari quidem posse, quid autem res ipsa sit non posse, definitio

1. Topic. cap. 4.

2. Poster. tex. 37.

Digitized by Google

tio enim essentialis explicat essentiam, & naturam rei at verò essentia est entis, non autem non entis, quia tamen non entia, negationes, priuationesque per modum entis ab humano intellectu concipiuntur, habentque suo modo genus, differentiam, & speciem, aliquo proinde etiam modo definitionem recipiunt.

Secunda. Secunda est *vt sit per se vnum* siue vnitate simplicitatis, quoniam physicis partibus caret, siue vnitate compositionis ex per se actu, & per se potentia cuiusmodi est compositum physicum; nequit igitur esse aggregatum quoddam ex diuersis naturis, quæ aptæ non sint facere vnum per se; nam omne huiusmodi ens est vnum per accidens, vt homo albus, & lapidum aceruus, quod autem est tale, non vnum, sed plura sunt entia, ac proindè non possunt vnicâ explicari definitione; hæc enim rei naturam declarat, si igitur plures naturæ sunt, plures etiam esse definitiones debent; rectè tamen admonet Philosophus huiusmodi entia per accidés nominis definitione explicari posse, definitione rei non posse; hæc tamen per se vnitas non impedit, ne definitum includat aliquid tanquã terminum per se dependentiæ suæ, ad eum modum, quô accidens includit subiectum; nec impedit vt non dicat aliquid, quod simul est natura secum, vt relatiuum, quod correlatiuum importat; tametsi igitur in definitione accidentis adhibeatur subiectum tanquam terminus dependentiæ, quam accidens à subiecto habet; & in definitione vnius relatiui adhibeatur correlatiuum tanquam aliquid, cum quo est naturâ simul; hinc tamen non fit quin definitio accidentis, & relatiui quidditatiua sit; licet ea sit appellanda per additamentum; accidens enim per ordinem ad substantiam definiri debet, ac proinde definitio ipsius etsi quidditatiua per additamentum tamen dicenda, quoniam etiam si habeat proprium genus, & propriam differentiam; quamtumuis clarè hæc explicentur per definitionem, numquam tamen intellectus acquiescit, nisi attingat subiectum tanquam id, ad quod accidens ordinem inuoluit; hinc Philosophus dicebat solius substantiæ esse definitionem simpliciter quidditatiuam, hoc est sine addito alterius naturæ: accidentis verò definitionem non esse nisi modo iam dicto. Vnitas igitur commemorata solùm prohibet, ne in definitione includatur aliquid tanquam per se pars in eo, quod non se habet ad aliud, & in eadem non fit, vt per se actus ad per se potentiam, vel pars eiusdem actus, vel eiusdem potentiæ ad aliam partem.

9. Diuin. tex. 12. &c. & 8. Diuinor tex. 15.

9. Diuin. tex. 12. &c.

Tertia. Tertia conditio est *vt sit ens reale*, quæ tamen ad primam facilè reuocatur, hæc autem conditio locum habebit, si concedatur ens, quod totum esse habet in eo positum, vt intellectui obijciatur; Ratio autem quoniam definitio veram explicat essentiam, & quidditatem, qualem huiusmodi ens non haberet, etsi adhuc suo modo posset explicari definitione, in qua inueniatur genus, & differentia per quam explicetur conceptus in anima per se vnus, qua ratione potest sub definitionem cadere entis rationis alio modo sumptum, pro eo nimirum, cuius esse non est extra animam, licet non extra naturam rerum.

Quarta. Quarta est, *vt sit aliquo modo compositum* eâ nimirum compositione, qua possit in plures conceptus resolui dicentes quid, & quale: quorum enim non est conceptus, nisi simpliciter simplex, vt ens vltimæque differentiæ, propriâ definitione definiri minimè patiuntur, licet aliquam nominis explicationem admittant. Et certè si definitio censeri debet oratio, quæ rei naturam luculenter explicet, atque adeo exprimat quid, & quale; propterea quod distinctè, & per partes declarat, quod definitum implicitè quidem importat; cùm id præstare definitio non possit nisi exprimendo id; quo definitum cum cæteris conuenit, & id quo ab ijsdem secernitur, necesse erit, vt id, quod est definiendum in plures conceptus resolui possit cuiusmodi sunt conceptus generis, & differentiæ &c.

Quinta. Quinta tandem, atque postrema conditio erit, *vt quod est definiendum sit vniuersale*, ac proinde singularia excludantur, nam definitio explicat quidditatem rei, singularitas autem, ac differentia numerica, quamuis ad integritatem, substantiamque rei pertineat, est tamen extra quidditatem, & essentiam, si quidditas dicatur communicabilis pluribus, cum singularitas huiusmodi esse non possit: & nisi singularitas foret extra quidditatem, certè species non esset tota singularium quidditas, aut natura. Accedit etiam quòd si numerica differentia nouum gradum essentiæ à specie distinctum adderet, indiuidua, seu singularia interse essentialiter distinguerentur; vt præteream iuxta communem loquendi modum per singularitatem, ac numericam differentiam de aliquo singulari explicari potius quis sit, quam quid sit.

Difficultates tamen non desunt, quibus occurre necessum est; sunt autem ferè quæ sequuntur. Difficultates proponuntur simulque soluuntur.

Negatio rationem ab affirmatione cui aduersatur distinctam habet; imo priuationes sua quidem genera & species habere dicuntur; nihil igitur prohibet, quo minus definiantur. Mala tamen est consecutio; nam vt verè res dici illa non possunt, ita nec etiam propriè quid rei ipsis habere conuenit, vnde solùm analogiâ quâdam cum ijs, quæ veræ in natura rerum existunt definitionem recipiunt.

Ens itidem, quod per accidens dicitur è multorum opinione sub scientiam cadere videtur; non propterea tamen ei propriè definitio potest aptari, vt enim circa illud non tam proprie, quàm circa per se vnum scientia versatur, ita nec definitio.

Præterea definiuntur genus, species, aliæque vt vocant, intentiones secundæ; non subinde credendum tertiam conditionem è quinque recensitis perperam additam fuisse, vel quia ea non sunt intellectus negotiatione efficta, vt à quocumq; secernantur, cui in rerum natura existere non repugnet, vel si ad eum se habeant modum, definitionem adhuc recipient, si non prout re ipsa in natura sunt, saltem eo modo, quo sunt in intellectu; eorum enim definitio si non est ratio exprimens verum esse extra animam, explicat saltem conceptum vnum in anima.

Multoque minus reijcienda quæ est ordine quarta conditio, eo nomine quòd cuiuslibet rei quidditas per definitionem explicanda sit prorsus indiuisibilis; hoc enim non vtcumque vsurpandum, sed tantùm secundum intensionem graduum, quatenus quidditas non suscipit magis, & minus, non verò quòd ex partibus, vel distinctis, vel saltem ratione diuersis compositione careat.

Definitio quidem ad simplicem intellectus operationem pertinet, non propterea id circa quod versatur, ita simplex esse debet vt quauis compositione sit destitutum, mentis enim simplex intuitus nihil prohibet quo minus in rem partibus constantem feratur.

Et quamuis Deus Optimus Maximus summaque genera definiantur, in quibus nullum cernitur compositionis vestigium; nihil est; tametsi enim in ijs nulla ex rei natura, imò nec ex genere, & differentia compositio spectetur: non ita tamen sunt, vt in diuersos conceptus resolui non possint, qui prædictis partibus proportione respondeant, quibus definitio-

Digitized by Google

9. Diuinem quidditatiuam constare splendidè Philosophus insinuauit.

Difficultates proponuntur, ac diluuntur.

Docuit quidem Philosophus ideam facilius definiri singulare quàm vniuersale; vnde, & indiuiduum, & prima substantia definiri solet, ac proinde videtur insulsè constituta postrema conditio, per quam è numero eorum, quæ definiri possunt singulare excludebatur. Hæc tamen nullius momenti, singularis enim nomine Philosophus, quod minus est vniuersale intelligebat. Quòd si singulare definitionem recipit (de eo enim traditur definitio) id quidē est, quoniam tunc prout secunda quædam intentio, & in actu signato, non verò pro denominato, & in actu exercito vsurpatur, quod est singularis rationem vniuersum acceptam, prout induit speciei naturam definijsse.

Et quamuis species indiuiduo, singulariue conueniens, definiatur; non propterea dicendum singulare absolutè definiri, quoniam eâ ratione, remotè tantùm, & non proximè sub definitionem cadit.

Indiuiduum habet propriam rationem singularem non nego, eo vel maximè, quòd indiuiduis est commune quidpiam, quo ipse conueniant, simulq; alia quibus discriminentur; Sed hoc non satis ad essentialem definitionem; quod enim in hac ponitur ad rei definitæ naturam spectare debet, cuiusmodi singularis non est differentia.

Neque dicas adhuc essentialem appellandam huiusmodi definitionem, quòd constet ex essentialibus, aut substantialibus partibus; hæ siquidem intrinsicæ rei definitæ sunt; vnde etsi differentia singularis essentiam indiuidui non ingrediatur, est tamen illi gradus quidem intrinsecus; non inquam id dicas; cum essentialis ideo vocetur definitio, quoniam ex attinentibus ad rei definitæ naturam, essentiamq; conexitur.

Et hæc de definitione; quàm tandem Speusippus definiens dicebat, ὅρος, λόγος ἐκ διαφορᾶς καὶ γένους σύγκειμενος. *Definitio sermo ex differentia, & genere compositus*; ad eum, quò explicuimus, modum.

Speusippo quid definitio esset.

Superest de diuisione tractandum.

SECTIO TERTIA.

De Diuisione.

Quo sensu hic accipienda diuisio.

DIuisio, quæ græcè διαίρεσις multifariam accipitur; hìc ea tamen vsurpanda tantummodo, quæ mentis negotiatione perficitur, vel externis vocibus exercetur, speciatim nimirum accepta, pro partitione vnius in plura, quæ solius intellectus agitatione quidem absoluitur, quatenus is in vno plura considerat. Hinc nactâ occasione, pauca quædam de distinctione subijciam, eo vel maximè quòd distinctionis consideratio à tractatione à diuisione non multùm abhorret; si quidem omnis diuisio, non tamen contrà, distinctio est. Videtur autem operæ pretium de distinctione sermonem instituere; & quia distinctio ad rerum confusionem tollendam non mediocriter confert; & quia quæ, & quot sint distinctionum genera perneccessarium est illi, qui Philosophiæ operam est nauaturus; nihil enim in illa crebrius, nihil frequentius quàm distinctionis nomen.

Maxima est diuisionis præstantia, vt propterea summis laudibus Plato illam celebrarit τοῦτον δ' ἔγωγε αὐτὸς τε ἐραστὴς ὦ φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων ἡ συναγωγῶν ἵνα οἷός τ' ὦ λέγειν τε καὶ φρονεῖν· ἐάν τε τινὰ ἄλλον ἡγοῦμαι δυνατὸν εἰς ἓν καὶ πέφυκότα ὁρᾶν τέτταρα διὰ κατὰ ἴχνος ἄττα θεοῖς *Harum egomet ipse amator ò Phædre, sum diuisionum, & collectionum, vt potis sim dicere, & facere. Si verò alium quempiam putauero posse in vnum, & in multa perspicere; hunc sequor à tergo per vestigia tanquam Deum.* Vnde libellum conscripsit, cui titulum fecit *Διαιρέσεων Diuisiones*, cuius libelli Aristoteles meminit 2. de Generatione cap. 3.

Plato sūmè diuisionem cōmendauit.

In Phædro.

Plato libellum de diuisione conscripsit.

Et certè satis apertè constat huius instrumenti dignitas non modo, sed etiam vtilitas, vel ex eo quòd maximè ad definitionem conferat, vnde redditur eius vtilitas perspecta, quæ præsertim in duobus posita est, quorum. Vnum, vt per diuisionem liceat nobis ordinem in partibus definitionis seruare; diuisio enim in definitione venanda compositiuæ methodo conuenientem partium ordinem subministrat. Alterum verò, vt quæ in quid prædicantur beneficio diuisionis omnia nullo prætermisso liceat accipere; nam absque illa facilè contingit, vt non omnia huiusmodi prædicata sumantur.

2. poster. tex. 74. & 75.

Diuisionis dignitas atque vtilitas.

Qua ratione diuisio sit vtilis.

Diuisionis vtilitatem ad venandam definitionem eleganter Philosophus expressit, dum ait. *Oportet autem quando quid totum tractat aliquis diuidere genus in indiuisibilia specie prima, veluti numerum in ternarium, & binarium, atque ita illorum definitiones tentare.* Quod ex Platone desumpserat. Mox verò subdit. *Post hoc verò sumentem quid genus, veluti aliquid quantorum, qualium proprias passiones speculari per communia prima.* Imò etiam & diuisionem ad scientiā comparandam habere plurimum momenti; non obscurè declarat his verbis δῆλον δ' ὅτι ἐξομεν ἤδη λέγειν τὸ διὰ τί ὑπάρχει τὰ ἐπόμενα τοῖς ὑπὸ τὸ κοινόν· *Clarum enim, quod habebimus iam dicere, propter quid insunt sequentia ijs, quæ sub communi sunt.* At verò causam cum effectu nectere, quod per diuisionem è Philosophi sententiâ assequimur, iam scientia est.

Aristotelis diuisionis vtilitatē expressio.

Arist. 1. post. cap. 14.

Imò sic vtilis diuisio ad scientiæ consecutionem, vt summæ necessitatis existimari debeat; Si namque definitio ad id tantæ necessitatis est; cùm non opitulante diuisione; nulla quidem haberi definitio possit, propterea summæ necessitatis diuisionem ad scientiam acquirendam cuique fatendum erit. Sed iam quid sit diuisio, explicemus.

Diuisio non solùm vtilis sed etiam necessaria.

Diuisio est oratio totum in eas, quas habet partes distribuens. Dicitur autem *oratio*, quoniam diuisio, de qua in præsentia fit sermo, non quæcumque sed illa tantùm est, quæ vel negotiatione intellectus absoluitur, vel externis vocibus exercetur. Vt cùm hominem diuidimus in animal, & rationale, quibus ille tanquam partibus metaphysicis constat; aut in animam, & corpus, ex quibus ille veluti partibus physicis coalescit.

Diuisio quid sit. Est oratio.

Hæc autem oratio est imperfecta, atque adeo terminus complexus ad primam intellectus pertinens operationem; cùm intellectus ipse totum, itemque partes apprehendit, & non secus ac definitio in categorica propositione, tanquam terminus complexus prædicati rationem habere potest; vt cum dicitur animal, aut rationale est, aut irrationale. Potest etiam esse perfecta ad secundam spectans operationem, vt cum intellectus hanc, vel illam totius alicuius esse partem affirmat, vt cum dicit hominis alia pars est animal, & alia rationale; Quòd si fortè diuisionem ipsam ex præmissis quibusdam inferat, atque deducat, ad tertiam operationem pertinebit; Diuisio igitur dicitur *oratio*, quæ distribuendo manifestat multitudinem partium in toto, seu confusionem totius, cuiusmodi est actus, quo mente, vel voce diuidimus animal, vt quidpiam potentiale totum in hominem, & brutum; Dicitur *oratio* sed imperfecta, modo iam explicato vt secernatur à diuisione physica, quæ reipsa fit, & non solùm mente, vel voce quemadmodum

Sed imperfecta.

Tradita definitio declaratur.

re, de qua in præsentia fit sermo. Additur autem *distribuens totum in suas, quas habet partes*, ad significandum id, merito cuius diuisio à reliquis instrumentis, definitione, argumentationeque distinguitur; propterea quòd definitio rei substantiam, naturam, & essentiam explicat, quidque ea sit declarat; argumentatio affectionem de re demonstrans, qualis ipsa sit, ostendit. Diuisio tandem vniuersæ rei partes exhibens, quanta illa sit, hoc est, quantum sua continentia se per partes extendat ante mentis oculos ponit, ex quo perspicuum est quid inter definitionem, & diuisionem intersit; definitio enim vniendo, coniungendoque partes, ac totum componendo; diuisio autem disiungendo, ac separando fit; & quamuis hâc ratione diuisio quodammodo rei substantiam, ac essentiam patefaciat, non tamen illam, vt essentiam exprimit; sed tantummodo partium confusionem, quâ totum inuoluitur, de medio tollit. In omni autem diuisione totum, quod diuisionem patitur, appellatur diuisum: quemadmodum partes, in quas distribuitur, membra diuidentia nuncupantur. Hactenus quid sit diuisio, nunc quotuplex ipsa sit, explicandum sequitur.

Diuisio duplex nominis, & rei.

Diuisio porrò duplex esse perhibetur, vna scilicet nominis, altera autem rei. Diuisio nominis est illa, quâ vox in eas, quas habet significationes distribuitur, vt cùm vocis *canis*, multiplicem significationem designamus. Hæc autem diuisio ne dum in simplices terminos cadit, cùm videlicet illos in varias, diuersasque significationes partimur, verum etiam in integram orationem, cùm eos, quos potest recipere sensus, aperimus; vnde plurimum ad veritatem indagandam vtilitatis profluit.

Diuisio nominis quid.

Diuisio rei quid.

Diuisio rei est, quâ res in eas, quas obtinet partes diuiditur. Hæc autem non secùs ac totum in quod ipsa cadit multiplex esse dicitur; totum siquidem aliud est per se, quod videlicet partibus per se vnitis constat. Aliud per accidens, cuius nimirum partes vinculo minimè necessario iunguntur. Hinc duplex diuisio, vna per se, quæ varietatem partium per se vnitarum ostendit; altera per accidens contrario modo explicanda. Totum per se bipartitò diuiditur, nam vnum est totum vniuersale, quod potentiale appellant, illud videlicet, quod in subiectas partes distribuitur, de quibus potest enunciari: alterum quod actuale dicunt, nempe, quod re ipsa, & vt aiunt, actu continet partes, quibus constat, de quarum nulla potest affirmari, vnde similiter gemina diuisio contingit, potentialis vna, & actualis altera. Potentialis diuisio est, quæ priori toti respondet, & est illa, quâ vniuersale diuiditur in partes, quas sub se potentiâ continet, cuiusmodi est diuisio generis in species, & speciei in individua. Huc pertinet partitio generis per differentias, cùm genus continere dicatur differentias potentiâ; non ita tamen vt illas contineat veluti subiectas partes; cùm enim in ipsis non includatur, nec potest de ipsis enunciari; ob id rectè dixeris genus per differentias, non in differentias diuidi, atque genus dicendum potius esse in potentia ad differentias, quàm potentiâ differentias continere.

Totū duplex per se, & per accidens.

Totū per se duplex vnum potentiale, & alterum actuale, & quid vtrūque.

Duplex diuisio potētialis vna, actualis altera.

Potentialis quid.

Actualis quid.

Actualis autem diuisio alteri toti respondet, & ea est, quâ scinditur totum in partes, quibus hoc re ipsâ constat.

Rursus to tū actuale duplex scilicet essentiale vnum, & integrale alterum.

Rursus quod est re ipsâ totum actuale dictum, bipartitam diuisionem subit, in essentiale, & integrale. Totum actuale essentiale illud est, cuius partes ad rei naturam spectant, quæ si physicæ fuerint, totum essentiale physicum: si metaphysicæ, totum metaphysicum constituunt. Totum actuale integrale est illud, cuius partes singulæ, etsi non spectent ad rei naturam ad integritatem tamen rei materiatæ pertinent, itaut, in rebus tantummodo materia constantibus reperiatur. Si huiusmodi autem partes naturâ conueniant, fuerintque rationis eiusdem, componunt totum, quod homogeneum dicitur; quod si naturâ dissentiant, nec vnius rationis sint, totum constituunt, quod eterogeneum appellatur.

Quid totū actuale essentiale.

Quid totū actuale integrale.

Actualis diuisio essentialis, & integralis; essentialis quid.

Modo autem non absimili actualis diuisio gemina erit; vna quidem essentialis, quâ totum in partes distribuitur, quarum singulæ rei naturam constituunt, quæ si fuerint physicæ, vt corpus, & anima respectu hominis, erit essentialis physica: si metaphysicæ vt animal & rationale eiusdem hominis comparatione, erit essentialis metaphysica; Altera verò diuisio integralis dicenda, quâ totum materiâ constans in partes integrantes distribuitur; & hæc in duplici erit discrimine, iuxta geminam partium conditionem paulo antè explicatam.

Integralis, quid.

Triplex diuisio toti per accidens accōmodata

Prima subiecti in accidētia.

Triplex autem diuisio toti per accidens accommodata est; vna quidem est subiecti in accidentia, vt cùm homo in album, & nigrum diuiditur, itemque pomum in dulce, & amarum; & vniuersim hæc diuisio contingit, quandocumque aliquid in ea, quibus afficitur, accidentia diuiditur; huc spectat diuisio vocis in eas, quas potest significationes habere, cùm significatio accidat voci, non minus ac homini albedo, vel nigredo contingit, Alia est accidentis in ea, quibus inest subiecta, vt cùm diuiditur album in niuem, & lac. Alia demum est accidentis diuisio in accidentia, vt cùm diuiditur dulce in album, & flauum, cuiusmodi sunt saccharum, & mel. Non dissimulandum tamen diuisionem hanc ad priores duas facilè reuocari; vel enim diuisum ad essentiam membrorum diuidentium pertinet, tunceque ad primam diuisionem reducitur: vel non ita se habet, & tunc ad secundam reuocari potest.

Secunda accidentis in ea quib. inest subiecta.

Tertia est accidentis in accidentia.

Conditiones bonæ diuisionis.

Prima

Probè autem instituta diuisio plures conditiones requirit;

Prima conditio est, *vt singula membra sigillatim accepta minus latè pateant, quam diuisum;* hinc mala diuisio hæc, animalium aliud sensitiuum, aliud homo; si quidem sensitiuum secum diuisum animal exæquat.

Secunda

Secunda est, *vt omnia membra diuidentia simul accepta diuisum restituant;* ob id hæc mala diuisio, elementorum aliud ignis, aliud aer, aliud acqua; præter enim tria illa datur, & aliud, nimirum terra. Sic etiam mala foret diuisio animalium, aliud homo, aliud leo, aliud equus.

Tertia

Tertia, *vt diuisionis membra se inuicem non includant;* quamobrem mala hæc esset diuisio, animalium aliud brutum, & aliud leo. Huc pertinet illa conditio, vt membra diuisionis aliquo modo inter se opponantur.

Quarta

Quarta *vt diuisio quoad fieri potest, per proxima membra tradatur,* sitque si nihil prohibeat, bimembris. Hæc tamen non semper necessaria conditio, cùm potius, quando genus in species plures immediatè sibi subiectas distribuitur, diuisio perfici debeat in tot membra, quot sunt species generi subiectæ. Ita quidem bonum trimembrem diuisionem subit, in honestum, vtile, & delectabile. Quòd si species non sic se habuerint, bimembrem instituere diuisionem præstabit, adeout diuidentia membra pauciſſima sint, prout rei patitur natura; mox verò eadem illa membra sunt distribuenda in alia inferiora; proindè non benè diuideretur substantia immediatè in lapidem, lignum, & angelum, cum priùs diuidenda foret in corpoream,

Digitized by Google

& incorpoream; corpòrea verò in sentientem; & non sentientem; quod cognouit etiam Plato, qui in sophista ita loquitur: vt paulo infra dicetur. Nec putes id absolutè necessarium, cum enim species alicuius generis notæ sunt, licet illas ad numerum redigere, hoc ordine neglecto, citra quodvis errandi periculum.

Suspicabitur quispiam ineptè fuisse conditionem illam adiectam, quòd nullum è membris diuidentibus secùm exæquet, & multo minus excedat diuisum, quia forsan aduertat optimam hominis esse partitionem in animal, & rationale, quamuis animal vnum è membris diuidentibus diuisum hominem excedat. Huic tamen difficultati obuiam itur dicendo animal propositæ diuisionis membrum non esse quoddam totum, vt vocant potentiale, seu potestatiuum, qua ratione diuisum hominem excedit, sed esse partem eius metaphysicam, vt igitur hoc modo pars est, sic etiam à diuiso exceditur,

Difficultas, eiusq; solutio.

At verò num per illa membra liceat diuisionem perficere, quorum vnum sit alterius priuatio, vel negatio; vt cum diuiditur animal dicendo scilicet animal aliud homo, aliud non homo; solet in controuersiam vocari. Nullus tamen erit difficultati locus, si diligenter attendas priuationem, & negationem sumi, vel quatenus hisce terminis circumscribimus differentiam, quâ species constituitur, vt cùm dicitur animal, aliud rationale, aliud irrationale; namq; per hoc brutorum differentiam circumscribimus: vel priuatio, & negatio sumuntur quatenus huiusmodi; his igitur priori modo acceptis in totius per se instituenda diuisione vti debemus; quod si diuisio fuerit alicuius totius per accidens, per membra posteriori modo sumpta poterit absolui. Vnde licebit aerem in lucidum, & tenebrosum: hominem in videntem, & cæcum distribuere, est enim subiecti quædam in accidentia partitio.

Ars diuidendi non eadē quæ definiēdi, hæc enim coniungēdo, illa disiungendo procedit.

Diuidendi non eadem, quæ definiendi ars, imo contraria, nam hæc coniungendo, illa verò disiungendo procedit. Leges autem quibus omnis diuisionis ratio continetur eædem fermè sunt, quas exposuimus, cùm bonæ diuisionis conditiones numeraremus. Solùm igitur addam, præceptiones hucusque de diuisione traditas apud Platonē non obscure quidem insinuatas legi, dum ait. ἀλλ' ὦ φίλε λεπτουργὸν ἐκ ἀσφαλὲς δι' μέσων δ' ἀσφαλέστερον ἴέναι τέμνοντας, καὶ μᾶλλον ἰδέας ἂν τὶς προσυγχάνῃ. τοῦτο δὲ διαφέρει τὸ πᾶν πρὸς τὰς ζητήσεις. *Sed ô Amice, in minuta secare non est securum per media verò securiùs est ire secantes, & magis ideis, quis occurrat, hoc verò maximum conducit ad quæstiones.* Vbi eadem de re multa persequitur. Docet igitur generis diuisionem non instituendam in ea, quæ remotè, sed quæ proximè sub ipso genere continentur, quod etiam clariùs his, quæ subdit verbis, nos docuit. δεῖ δὲ εἰς τὸ ἐγγύτατα ὅτι μάλιστα τέμνειν κατ' ἀριθμόν εἰσι. *Oportet enim in proximum maximè numerum secare semper.* Quod si quis autem hæc, & ea, quæ superiùs fuerunt de diuisionis bonæ conditionibus tradita additis ijs, quæ mox de diuisionis vsu in venanda definitione afferemus, diligenter notauerit; nullo labore diuisionem omnem citra quemlibet errorem instituet.

In Politico,

Ibidem;

Diuisionis vsus ad indagandam definitionem declaratur.

Supereſt vt quędam de diuisionis vsu paucis aperiamus. Præsertim autem diuisio ad definitionem constituendam adhiberi solet, ad id enim plurimum habet vtilitatis; quòd nec Aristoteles infictatur, quamuis crediderit eam per se solam non sufficere, itaut Platonem reprehendat, quòd ipse crediderit solius diuisionis opitulatione, rei cuiusque definitionem comparari; immeritò tamen, nam Platò dicebat quidem, antequam ad definitionem descendamus, nominis æquiuocum discernendum esse, quod non solùm præcepto, sed opere ipso etiam exequitur, amoris, furorisque definitiones indagaturus. At verò de venandæ definitionis arte loquens ait. οὐ μέντοι ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, ἵνα ἕκαστον ὁριζόμενος δῆλον ποιῇ περὶ ὅ ἂν αἰεὶ διδάσκειν θέλῃ. ὥσπερ νῦν ἐπὶ περὶ ἔρωτος ὁ τι ἐστὶν ὁρισθέν. *In vnam verò ideam respicientem ducere; ea, quę multis in locis, sparsa sunt vt singula definiens clarum faciat, de quo semper docere velit, sicuti nunc quidem, de amore quid est, definiens.* Nec minùs clarè hoc idem ostendit alibi, dum admonet id in quo multa conueniunt seligendo, & ex multis vnum colligendo definitionem confici, vt superiùs etiam aduertimus, dum huius tractationis initio verba eius adnotaremus τὸ ἐπὶ πᾶσι ταυτὸν. *Id quod in omnibus hisce idem est.* atque definitiones in Phædro collectiones appellabat, & in Philebo ad definitionē construendam docuit opus esse, quæ in multis sparsa sunt, in vnum colligere. Perpetuò tamen præmittenda diuisio; nam nominis æquiuocum discernere, quod Plato ipse præcipiebat, antequam instituatur definitio, est vtique diuisionem præmittere; cùm vna ex diuisionis speciebus ea sit, quâ vocis in eas, quas habere potest significationes, fit distributio.

In Phædro.

In Phædro.

In Menone.

Sed vt nobis magis innotescat vsus diuisionis ad rei definitionem inuestigandam, iuuabit Aristotelem audire, copiosè hac de re secundo Posteriorum libro disputantem.

Aristotelis loca vbi de diuisione loquitur explicantur.

Primò quidem docet demonstrationem idoneum instrumentum non esse ad indagandam definitionem, eandemque de re definita demonstrandam, quamuis illam ex demonstratione quandoq; liceat colligere & definitionem alteram ostendere. His tamen prætermissis; hìc nobis tantummodò considerandum, num ad elaborandam definitionem diuisio præsidio sit. Id videtur negasse Philosophus hac ratiocinatione ductus. Via, per quam ex præmissis conclusionem inferre non licet, neutiquam idonea est ad demonstrandam definitionem de definito, propterea quòd demonstratio syllogismus est ex præmissis conclusionem deducens. Diuisionem autem sic se habere mox planum fiet; ergo diuisio ad definitionem demonstrandam de re definita minimè idonea erit. Diuisionem porrò se habere modo iam dicto, Philosophus ita colligit. Aut enim diuisio per membra inter quę cadit contradictio perficitur; vt cùm animal in rationale, & irrationale diuiditur: vel non per membra sic se habentia, vt cùm animal in rationale, rugibile, hinnibile &c. distribuitur. Priori modo committitur petitio principij, & posteriori modo quamuis hoc non eueniat, conclusio saltem ex præmissis haud necessarò deducitur. Primum sic euincitur, dum arguimus homo vel est rationalis, vel irrationalis; non irrationalis, ergo rationalis; at neminem præterit, si irrationale sumatur prout rationali contradicit, idem plane futurum non esse irrationale, ac esse rationale, cùm duæ negationes affirment, idemque esse partem vnam contradictionis tollere, ac partem alteram sub rogare; quamobrem arguendo per diuisionem ex membris, quorum vnum alteri contradicit, principium petimus, & vnam contradictionis partem per alterius negationem demonstramus, quo est idem, per idem ostendere. Secundum hæc ratio confirmat; dum ex diuisione per membra contradictoria instituitur argumentatio, nobis indè non constat omnes diuisionis partes enumeratas fuisse; ità fit, vt indè conclusio, haud necessariò deducta sit. Vt si dicatur

Prima ratio aduersus diuisionis vsum.

homo,

Digitized by Google

homo; vel est animal rationale, vel rugibile; sed non est animal rugibile, ergo rationale; nulla profectò est consecutio, cùm præmissa diuisio non omnes animalis species comprehendat; facilè enim dicere licebit, hominem per neutram ex duabus prædictis differentijs constitui, sed per vnam ex reliquis omnissis. Cùm igitur diuisione prædictâ non constet omnes differentias recensitas fuisse, ex earum negatione, perperam infertur vnius reliquæ affirmatio. Quòd si in argumentatione fuerit assumptum. 10. *Et sic de reliquis*; in apertam, ac manifestam principij petitionem incurritur. Vt si quis arguat: omne animal, vel est rationale vel hinnibile, vel rugibile, vel in aliqua alia specie; sed homo est animal non rugibile, non hinnibile, & sic de reliquis, si rationale tamen excipias, principij profectò committitur petitio; qui enim sic argumentatur petit, vt sibi concedatur hominem animal esse, & non in aliqua alia specie à rationali, quòd est petere hominem esse animal rationale, vndè fit petitio principij, cùm probetur idem per idem.

Confirmatio. Philosophus hoc idem eâ ratione confirmat, quia tametsi viâ diuisionis probari posset, hominem verè esse animal rationis particeps; tamen in hoc eius naturam positam esse non probaretur; at ad demonstrandum quid sit res, non satis ostendere, quòd ea sit hoc, sed præterea demonstrandum in hoc eius naturam esse constitutam; proindè quamuis argumentum à diuisione petitum consecutionem haberet, adhùc quid sit res, non demonstraret.

Confirmatio. Confirmat iterum ex eo, quòd ad cognoscendum quid sit res, sola, & omnia noüisse quidem oportet, quæ ad eius pertinent naturam; sed quamuis diuisionis viâ subiectum, esse hoc demonstremus, adhùc non ostendimus, nihil ex spectantibus ad rei naturam prætermissum fuisse, nihilque additum, quod ad illam non attineat.

Quorundam responsio ab Aristotele allata. Occurret quispiam dicendo, viâ diuisionis posse à supremo genere exordium duci, illudque diuidi per immediatas differentias, quibus subiectæ generis partes constituuntur, ad ultimam vsque descendendo differentiam, quæ ad rei naturam spectat, nullâ quidem omissâ, nec accersitâ quâpiam superfluâ. Vt si quis dicat: omnis substantia vel est corporea, vel incorporea; homo est substantia, & non incorporea, ergo homo est substantia corporea, siue corpus. Deindè omne corpus vel est animatum, seu viuens, vel inanime; homo autem est corpus & non inanime, ergo homo est corpus animatum, seu viuens. Præterea omne viuens vel est sentiens, vel non sentiens, sed homo est viuens & non est non sentiens; ergo homo est viuens sentiens, siue animal. Tandem omne animal vel est rationale, vel irrationale, sed homo est animal, & non irrrationale; ergo homo est animal rationale; cùmque animal rationale in animalia rationalia specie differentia nequeat vlteriùs diuidi; propterea animal rationale est tota hominis natura.

Impugnatio, qua vtitur Aristotel aduersus superiorem responsionem. Impugnat Philosophus præuisam hanc responsionem impugnat dicens; tametsi posset aliquis modo prædicto viâ diuisionis vti, descendendo nimirum ad quid sit res dignoscendum, non propterea tamen ex præmissis quid res sit, concluderet. Vt si quis inductione ex singularibus ad vniuersalis cognitionem ascendat; non ob id ex singularibus præmissis vniuersale necessariò ratiocinando concludit, sed ad demonstrandum, quid res sit, oportet ex præmissis necessariò concludere, quid res sit. Viâ igitur diuisionis, quid res sit, demonstrare non possumus.

Illius vtilitas diuisio Non propterea tamen ad rei definitionem venandam nullius prorsus vtilitatis existimanda diuisio. Geminam eius vtilitatem memorat Aristoteles, è quibus primam in eo positam existimat, quòd diuisionis præsidio rectum ordinem in definitionis partibus retinere valeamus; itaùt, dum viâ compositionis definitionem perficimus; diuisio nobis partium ordinem conuenientem subministret, nimirum, vt genus differentijs, differentiasque communiores angustioribus præponamus, eo quòd semper diuisum latiùs patet, quàm singula, in quæ diuiditur; quòd non in postremis habendum, cùm permagni referat, an genus differentijs præponatur, vel contra.

ad venandam definitionem. Gemina eius vtilitas. 2. Post. tex. 24. Prima diuisionis vtilitas.

Et rectè quidem Philosophus hæc pronunciauit; quicquid enim definiendum suscipitur, ex duabus partibus genere, differentiâque constat; tametsi enim aliqua definitio pluribus differentijs affluere videatur; omnes tamen præter vltimam, proximum genus constituunt, cui vltima, siue postrema differentia tandem aduenies, definitionem absoluit, & complet. Genus communem præfefert naturam restringendam, perficiendamque differentiâ instar actus se habentem; quamobrem ex his duobus, velut ex potentia, & actu, vel ex determinabili, & determinatiuo vnum quidpiam consurgit, vnde præponendum communius, quoniam potentia præcedit actum, & quod prius poterat determinari, posteà dicitur determinatum esse; diuisio propterea, cùm à summo incipiat genere, illudque per inferiores differentias partiatur, vt alterâ prætermissâ, alteram assumat, genus perpetuò differentiæ anteponit.

Ratio.

Secunda diuisionis vtilitas. Ad hoc etiam diuisio confert eiusdem Philosophi testimonio, nimirum vt eius beneficio nihil prætermittatur eorum; quæ prædicantur in quid, cùm alioquin ea non opitulante, vix fieri possit, vt omnia huiusmodi prædicata sumantur; primò enim accepto genere, diuisionis præsidio, sic illud partiri licebit, vt eius accipiantur differentiæ primæ, in quas quicquid sub eo est, incidere necesse sit; sunt autem generi proximæ, & immediatæ, quoniam inter genus, & illas, nullum est intermedium genus; proindè non exigua diuisionis vtilitas; quandoquidem eius opitulatione, omnia, quæ in quid prædicantur, nullo quidem prætermisso accipiuntur, quod eleganti admodùm illustrauit exemplo Philosophus, dum ait; accepto primo genere hoc nomine intelligendo genus acceptum quodcumque definiendum; si quis illud non per proprias, sed per differentias alias diuiserit, ijs vsus erit differentijs, quæ genus illud vniuersum non adimplebunt, nec necesse erit, quod omne sub illo contentum in earum aliquam incidat. Vt si sumatur animal, & illud in habens integras pennas, & habens pennas scissas diuidatur, non omne sub animali contentum in has incidet differentias, cùm dentur animalia pennis omnibus destituta, proindè non sunt hæ primæ animalis differentiæ, sed inferioris generis, videlicet animalis pennas habentis; cùm autem ad colligendam alicuius rei definitionem suscipimus aliquod genus diuidendum, ipsumque postea per oppositas differentias partimur, vt animal per rationale, & irrationale, haud necesse est res omnes cognoscere, quibus duę prædictæ differentiæ competunt, cum satis superque sit, duo nobis hæc esse perspecta, quorum vnum; vt quidquid animalis naturam habet, in duarum alterum ex necessitate incidat; alterum, vt vna determinatè sumpta rei conueniat definiendæ, sed non altera; vt homini quidem rationale, sed non irrationale; non oportet autem cognoscere, de quibusnam alijs hæ differentiæ prædicentur, & nihil refert, an aliarum rerum aliqua sub hac, vel sub illa contineatur.

Tria

Tria requiruntur ad rectè definiendum.

Tria verò sunt in diuisione necessariò adhibenda, vt diuisio ipsa ad rectè definiendum conducat. Primum vt ea tantummodò sumantur, quæ de re definienda prædicantur in quid, quoniam ex accidentibus, & extraneis definitio non constat. Secundum, vt hæc recto ordine disponantur. Tertium vt omnia, quę de re definienda prædicantur in quid, nullo prætermisso sumantur.

Primum requisitũ.

Ad primum consequendum locis topicis vti oportet, quibus aliquid esse, vel non esse alicuius genus dignoscitur, vt enim ex locis accidentis hoc huic inesse ostendimus, sic ex locis generis hoc huic inesse in quid probamus; non quasi propriè hoc huic inesse in quid demonstrare possimus, cùm huiusmodi prædicata sint prorsus indemonstrabilia; nulla enim suppetit ratio, quâ probetur hoc illius esse prædicatum in quid, vel hoc illius esse quid est; etsi dialecticè nihil prohibeat quominùs id confirmetur.

Secundũ requisitũ.

Secundum ad ritè definitionem ope diuisionis construendam, quatenus per diuisionem ipsam definitionis partes ordinatè disponuntur, paulò superius declaratum fuit: quod enim omnium latissimè patet, cæteris est præponendum: mox quod primo quidem excepto, est aliorum ampliſſimum, deindè quod cæteris sequentibus est communius, ac ità deinceps; magis autem, vel minus commune hâc lege cognosces. Quod alia sequitur, & non viciſſim, id omnium communiſſimum habeas.

Tertium requisitũ.

Tertium vt omnia sumantur, quæ de re definienda prædicantur in quid. Hoc autem assequemur diligenter adnotando, omnia, quæ in quid prædicantur, acceptæ fuisse quando sumptum sit primum genus, à quo diuisionis initium est factum, idque per primas differentias diuisum, in quarum alteram necesse sit, vt incidat, quicquid sub illo genere continetur; deinde sumptum sit quod inest, nempè differentia, quâ addita priori generi fit propinquius, iterum diuidendum, & ita deinceps. Vt ad indagandam hominis definitionem, primò statuendum corpus diuisionem subiturum per primas differentias hunc in modum. Omne corpus aut est animatum, aut inanime, & acceptâ differentiâ, quæ homini inest, nempè animato, fit corpus animatum, denuò per differentias diuidendum: & similiter alterâ oppositarum acceptâ, eidemque generi additâ, fit genus aliud proximius diuidendum, quoad peruentum sit ad differentiam vltimam, ac ob id ad vltimum aggregatum, quod per alias differentias vlteriorem subire diuisionem non potest.

Difficultas aduersus diuisionis vsum.

Summæ commoditatis, fructusue nihil eum diuisioni meâ sententiâ detraturum existimo, si hunc, qui sequitur in modum, argumentetur; Definitio est diuisione prior, cum antequam quidpiam diuidatur, oporteat quid illud sit, definitione constare, atque perspectum esse, num eius nomen quâpiam æquiuocatione laboret; non igitur diuisio ad definitionis structuram conducet. Nihil tamen aduersus vtilitatem diuisionis hoc argumento conficitur. Diuisio enim supponit quidem definitionem diuisi, non tamen omnis; quæ igitur huiusmodi fuerit, vt diuisio generis cum eodem collata, profectò ad diuisi definitionem nihil conferat; at si referatur ad speciem sub illo genere contentam, nulli dubium, quin ad eius indagandam definitionem plurimum habeat emolumenti. Vt animalis partitio nihil ad eius indagandam definitionem confert; at ad hominis definitionem contexendam non mediocrem habet vtilitatem. Vt prætereamus etiam diuisionem alicuius vsus esse relatam ad genus, quatenus per ipsam deteginus, si quæ adest, æquiuocationem; assignatio enim multiplicis significationis, quam aliquis terminus habere potest, quædam diuisio est.

Solutio.

Cæterum cùm superiùs vereremur cohordinatione prædicatorum substantiæ ad illustrandam doctrinam, ne recederemus à Veterum decretis diuisimus immediatè corpus per animatum, & inanime; nos tamen non latet præmittendam diuisionem per simplex & mixtum, itaut primò diuidatur corpus in simplex & mixtum, mox verò mixtum in animatum, & inanime.

Admonitio.

SECTIO QVARTA.

Quid, & Quotuplex sit Distinctio.

Tractationis continuatio.

Diuisioni maximè affinem esse distinctionem superiùs aduertimus, iure igitur post considerationem illius de hac tractationem instituimus; & primò quidem se considerandum offert, num distinctio in negatione quâdam consistat, an potius positiuum quidpiam præseferat. irritus tamen labor suscipitur ab illis, quibus propositum est hac de re disputationem inire: tam enim distinctio, quàm identitas hîc ampliſſimo quodam significatu accipitur, prout videlicet, tam illam, quæ est in re, quàm illam, quæ solùm in mente relucet, tam priuatiuam, quàm negatiuam complectitur, proindèque nullus inquisitioni locus, an aliqua sit vniuoca communis distinctionis, aut identitatis ratio; ita fit, vt in re proposita solâ nominis explicatione quisque debeat esse contentus.

Distinctionum numerus è quorundã opinione exhibetur.

Non idem de distinctionum numero Philosophorum est sensus, propterea quòd eorum plerique putant septem esse genera distinctionum, cuiusmodi sunt. Distinctio rationis: ex natura rei: formalis: realis: essentialis: se totis subiectiuè: se totis obiectiuè, de quibus sigillatim agere superuacaneum existimo, quamuis obiter aliqua de ipsis aduertere, non erit prorsus absre.

Principiò igitur distinctionem, ac identitatem rationis constituunt, eaſdemque duabus conclusionibus explicant; ex eorum igitur opinione.

Primum distinctionis & identitatis genus est *distinctio & identitas rationis quas duabus conclusionibus explicant, quarum.*

Primum genus identitatis & distinctionis.

Prima conclusio. *Illa sunt idem ratione, quæ conceptum prorsus indistinctum ex parte intellectus habent, vt homo est idem sibi ipsi.*

Secunda conclusio. *Illa ratione distinguuntur, quæ per solam intellectus operationem discriminantur, vt in omni propositione contingit, in qua idem de se ipso prædicatur.*

Secundũ genus.

Secundum genus distinctionis, & identitatis est *distinctio, & identitas* quæ ab ipsis dicitur *ex rei natura*, easque duabus conclusionibus illustrant, quarum.

Prima conclusio. *Illa sunt idem ex rei natura, de quibus duo prædicata opposita secluſâ quauis intellectus operatione verificari non possunt.*

Secunda conclusio. *Illa distinguuntur ex rei natura, de quibus remoto omni opere intellectus duo contradictoria verificari possunt.*

Tertium genus.

Tertium genus distinctionis, & identitatis, est *distinctio, & identitas*, quæ ab ipsis *formalis appellatur, quas duabus conclusionibus declarant, quarum.*

Alij aliter explicant.

Prima conclusio. *Illa sunt idem formaliter, quorum vnum includit alterum in sua formali ratione, ac in primo dicendi modo per se, innoluit; sic inferiora sunt suis superioribus idem, non contra,*

Secunda conclusio. *Illa formaliter distinguuntur, quæ-*

Digitized by Google

quæ aliam, & aliam formalitatem habent, quorum neutrum in sui formali ratione alterum includit, nec per se in primo dicendi modo, inuoluit.

Quartum distinctionis, & identitatis genus est *distinctio, & identitas realis*, quas itidem duabus conclusionibus manifestant, quarum.

Prima conclusio. *Illa sunt idem realiter, quæ ita se habent, vt vnum sine alio citra contradictionem esse non possit; dummodò id non proueniat ab externa causa, & quod vnum alterius comparatione non sit originans, & aliud originatum, & quod sint in pluribus rebus realiter distinctis &c.*

Secunda conclusio. *Illa distinguuntur realiter, quorum vnum sine alio potest existere, vel sunt in rebus realiter distinctis, vel vnum est producens, aliud autem productum.*

Quintum genus distinctionis, & identitatis est *distinctio, & identitas essentialis*, quas duabus conclusionibus manifestas reddunt; duobus tamen præmissis modis, quibus identitas potest vsurpari. Ex eorum igitur sententia potest identitas accipi primò quidem pro illa, quâ aliqua vni singulari essentiæ sunt idem. Ita quidem inquiunt, inter identitatem essentialem, & realem nulla erit nisi in diuinis differentia, quoniam tres diuinæ personæ sunt eædem realiter vni singulari essentiæ, vt propterea idem essentialiter esse dicantur, quamuis inter se realiter distinguantur; atque in creatis sunt vnum essentiæ singulari, sunt idem realiter. Secundò ex eorundem etiam opinione illa dicuntur esse idem essentialiter, quæ ad alicuius naturam, & essentiam pertinent, vt animal, & rationale sunt essentialiter idem, quoniam hominis essentiam constituunt, inquiunt autem se sumere identitatem in præsentia iuxta priorem explicandi modum. His præhabitis duabus conclusionibus rem ipsam declarant, quarum.

Prima conclusio. *Illa sunt idem essentialiter, quæ vni singulari essentiæ sunt idem.*

Secunda conclusio. *Illa distinguuntur essentialiter quæ vni singulari essentiæ non sunt idem.*

Sextum distinctionis genus.

Sextum distinctionis, ac identitatis genus est, *distinctio, & identitas se totis subiectiuè*, quas duplici conclusione declarare nituntur, quarum.

Prima conclusio. *Illa sunt idem se totis subiectiuè quæ quidditatiuè in aliqua realitate potentiâ determinabili per realitatem differentiæ conueniunt.*

Secunda conclusio. *Quæ in tali realitate quidditatiuè non conueniunt, se totis subiectiuè distinguuntur.*

Alia est dicendi ratio. Illa sunt idem se totis subiectiuè, quorum realitates in eadem re simul esse possunt, vel per identitatem realem, vel per modum informabilis, & informantis. Ex aduerso illa se totis subiectiuè distinguuntur, quorum realitates simul esse nequeunt in eodem numero prædictorum modorum altero, quo sensu omnia, quæ in eodem existunt individuo siue superiora sint, siue accidentia absoluta, siue respectus, sunt idem se totis subiectiuè; vt contra duo contradictoria, vel opposita relatiuè, se totis subiectiuè distinguuntur, quoniam in eodem subiecto esse non possunt.

Septimum genus.

Septimum, atque postremum distinctionis, & identitatis genus est *distinctio, & identitas se totis obiectiuè*, quas duabus conclusionibus patefaciunt, quarum.

Prima conclusio. *Illa sunt idem se totis obiectiuè, de quibus potest aliquod prædicatum quidditatiuè enunciari; siue illud sit limitatum, siue non, siue dicat realitatem potentialem, siue non.*

Secunda conclusio. *Illa distinguuntur se totis obiectiuè, de quibus nequit huiusmodi prædicatum quidditatiuè enunciari.*

Hæc porrò sunt, quæ de distinctionibus Philosophi non ignobiles acutè, subtiliterque disseruerunt, quæ quamuis sint firmissimis innixa principijs, non ea tamen sunt, quibus necessariò sit assentiendum, eoque minus, quoniam aliorum consilium videtur propiùs ad veritatem accedere, quibus est visum duo esse prima distinctionum, ac identitatum genera, quorum vnum sit ex rei natura, aliud autem ex opere mentis, ac intellectus: & quamuis plerique fuerint, qui distinctionem ex rei natura vniusmodi esse crediderint, existimantes distinctionem omnem citra negotiationem intellectus realem esse dicendam; longè tamen rectiùs philosophati sunt, qui in contrariam sententiam abierunt, propterea, quòd neminem fugit, multiplicem inter entia comparationem institui posse, adeout quædam magis, quædam verò minus distingui, dicenda sint. Hi autem diuersi, ac inæquales distinctionis gradus non insulsè per ordinem ad separationem explicari consueuere, cùm pleraque sic se habent, vt vni sine alio non repugnet existere: quædam verò, vt eorum vnum sit alteri necessitate quâdam adiunctum, quæ si quispiam attendat, facilè quidem intelliget, non vnicum esse ex rei natura distinctionis genus.

Hic distinctionis numerus nõ necessario admittẽdus.

Omnis autem distinctio, quæ non operante intellectu contingat, quodammodo realis meretur appellari, quatenùs discriminatur ab illa, quæ sola mentis negotiatione perficitur, iuxta quam vsurpationem amplissimam, realis distinctionis gradus plures recognoscuntur; vt autem nomen rei latâ significatione sumitur ad quodcumque ens denotandum, ita prælius accipitur ad significandum ens, nuncupandum, res prout à rei modo distinguitur. Hinc duo distinctionum genera ex rei natura, quorum vnum est distinctionis inter rem, & rem: alterum illius, quæ est inter modum, & rem, & inter modos eiusdem rei. Quòd si rerum diuersarum sint modi, distinguentur non secus ac res, quarum sunt modi.

Omnis distinctio, quæ non operante intellectu contingat potest quodammodo realis appellari.

Duo distinctionũ genera ex rei natura, itaut vnũ sit distinctionis realis aliud modalis.

Hic non immeritò commemorandum aliud distinctionis ex rei natura genus excogitatum ab eo, qui præ summa ingenij subtilitate Subtilissimus meruit appellari. Hic enim distinctionem vnam esse realem, alteram verò formalem asserebat: illam inter duas res: hanc verò inter duas formalitates eiusdem rei concedendam arbitrabatur, formalitatis nomine rationem quamlibet intelligendo, sub qua ex rei natura aliquid concipi potest. Hæc est illa distinctio, quam cadere inter communem naturam, differentiasque contrahentes, inter diuinam essentiam, & attributa, relationesq; & inter eadem attributa existimabat. Sed ut à clarioribus exordiar, distinctionem realem primò tractandam suscipiam. Ex rei natura distinctio, quæ prælius accepta realis nuncupatur, ea propriè dicenda, quæ cadit inter duas res positiuas, vt inter Socratem & Platonem rei nomine accepto, prout significat aliquid, quod à modo secernitur. Modus autem intelligitur id, quod aliud tam necessariò afficit, vt ab eo nullâ vi separari, seiungique possit. Res autem dicetur quicquid in natura rerum existit, ita tamen vt non actu poscat aliud afficere. Inter res igitur realis intercedit distinctio, ad quam reuocanda est illa, quæ inter modos diuersarum rerum, vt inter sessionem Socratis, & Platonis adinuenitur.

Quid distinctio realis propriè sumpta.

Quid modus.

Quid nomine rei intelligẽdum.

Huius distinctionis inditia, hæc perhibentur.

Inditia distinctionis realis è quorumdam opinione.

Primum quandocumque sit vnum realiter producens alterum, inter producens, & productum hæc intercedit distinctio.

Secundum quæ in diuersis locis, & subiectis existunt

sunt hoc etiam distinctionis genere distinguuntur, ac proindè existere in diuersis locis, & subiectis, censetur huius distinctionis inditium.

Tertium eiusdem distinctionis inditium est produci, & corrumpi actione diuersâ, itaut quæ actione diuersâ producuntur, & corrumpuntur, hoc distinctionis genere distinguantur.

Quartum inditium existimatur posse vnum corrumpi, altero manente, atque adeo, quæ sic se habent, vt vnum, alterò manente, perire possit, huiusmodi distinctione distinguantur.

Breuius res expeditur. Alij breuiùs rem sic expediunt. Ea inquiunt, realiter distinguuntur, quorum vnum vel est, vel esse potest separatum ab alio; vel saltem se habent vt illa, quæ vel separata sunt, vel separari possunt.

Improbatur superiorum inditium. Tametsi autem hæc primâ facie subtiliter, & acutè dicta existimari possunt, re tamen probè consideratâ, ac diligenter introspectâ deprehendentur plurimùm à veritate recedere. Dum enim aliquid se ipsum mouet, puta, dum animal progreditur, vel graue descendit; nulli dubium quin idem sit mobile, mouens & producens sui motus terminum; non idcircò nec ab ipsis etiam allatæ sententiæ fautoribus, terminus à mobili hoc distinctionis genere distinguitur; præsentia enim localis modus etiam ab ipsis perhibetur, vnde est, vt à mobili ex rei quidem natura, solâ tamè distinctione modali distinguatur; ex ratione igitur producentis, & producti, hæc, de qua loquimur, realis distinctio ineptè colligitur.

Tertium illud inditium ex actionum diuersitate deductum ineficax est. Dum enim aliquid mouetur ad certum locum, ibique præsentiam adipiscitur, deindè fertur aliò, vbi nouam præsentiam assequitur, alia profectò est actio, quâ prior acquisita præsentia fuit; ab ea, quâ fuit producta secunda, & nihilominus ex eorum etiam opinione huiusmodi præsentiæ prima, & secunda, quippè quæ modi sunt eiusdem rei non nisi modaliter distinguuntur.

Nec maioris efficacitatis quartum inditium est; nam perseuerante mobili fieri sine dubio potest, vt non perseueret motus ad locum, vel eius terminus in præsentia consistens, & tamen hæc à mobili solâ modali distinctione secernitur.

Secundum vtile quidem, sed ad aliud reuocatur; nam si quædam in diuersis locis, vel subiectis existunt, proculdubio realiter distinguuntur; hoc tamen ideo, quia aut res, aut diuersarum rerum sunt modi.

Quò deducta res sit ad cognoscendã distinctionem realẽ. Eò igitur deducta res est, vt huiusmodi distinctionis cognoscendæ ratio petenda sit ex natura eorum, quæ distinguuntur, quando scilicet fuerint res; aut modi diuersarum rerum; vel non ita se habuerint, cum enim deprehensum fuerint duo quædam sic se habere, vt vtrumque rés dici mereatur, iure concludetur hoc inter illa distinctionis genus intercedere; quòd si eorum vnum res quidem fuerit, aliud verò modus eiusdem, distinguentur sanè ex rei natura, minimè tamen reali distinctione, de qua fit sermo,

Et certè si distinctionis realis nomine nos illam intelligendam velimus, quæ inter rem, & rem cadit, ad illam inferendam proculdubio satis superque erit nouisse distinctionem inter extrema versari, quorum vtrumque (idem intellige, si plura fuerint) res nuncupari potest.

Distinctio realis, latiori significatu cadit etiam inter positiuum & negatiuũ. Propriâ significatione distinctionem realem hactenus vsurpantes, diximus inter res positiuas exerceri; non propterea tamen inficiamur latiori significatu illam acceptam, inter ens & non ens, vt inter materiam, & priuationem, aut inter non entia, vt inter duas priuationes eandem cadere. Solùm illud adnotandum occurrit distinctionem realem hanc inter ens & non ens, aut inter non entia negatiuam dici; at inter entia, positiuam appellari.

Hæc realis positiua distinctio bipartitam diuisionem subit, videlicet in essentialem & accidentalem. Distinctio realis essentialis est inter extrema ex eorum essentialibus principijs orta. Quæ igitur sub diuersis generibus, vel speciebus velut habentibus naturas, & essentias alterius rationis continentur, hunc distinguuntur in modum. At realis accidentalis est illa distinctio, quæ ab accidentarijs principijs ortum ducit; sic homo albus à nigro secernitur. Huc pertinet numerica distinctio ab indiuidua numericaue differentia prouenies. Tametsi enim huiusmodi differentia ad indiuidui substantiam pertineat, tamen cùm essentiam non ingrediatur, accidere quidem illi perhibetur; materialis etiam solet nuncupari, propterea quòd singularis differentia, vnde hæc prouenit distinctio, totius materia reputatur.

Distinctio essentialis quid. Accidentalis distinctio quid. Distinctio numerica.

Distinctio verò cadens inter totum, & singulas partes sigillatim acceptas pro conditione totius ad hoc, vel ad aliud distinctionis genus reuocanda; quamobrem si totum physicum sit, illudque cum suis partibus, quibus constat, sigillatim acceptis conferatur, illud ab his tanquam includens ab inclusis reali distinctione dicetur esse distinctum: sic totum metaphysicum à suis, quibus constat, partibus sigillatim sumptis distinctione rationis distinctum existimari debet.

Distinctio totius à partibus sigillatim sumptis.

SECTIO QVINTA.

Distinctionem formalem ex rei natura non omninò necessariam videri.

NVnc de formali distinctione tractandum; hanc paulò superius sic ab eius fauctoribus explicari tradidimus, vt ea dicenda sit intercedere inter plures eiusdẽ rei formalitates in eadem physica entitate existentes. At formalitatis nomine ratio quidem obiectiua intelligenda, scilicet illa, quæ secundum se concipi potest. Hanc propterea distinctionem ea subire dicuntur, quæ aliam, ac aliam formalitatem, conceptibilemque rationem habent, quæque propterea finitione discriminantur. Contra verò formaliter idem aliqua esse dicuntur, quorum eadem formalitas, & eadem est conceptibilis ratio.

Distinctio formalis ex rei natura.

Hic minimè silentio prætereundum ab ipsis gemnam decerni formalem distinctionem, quarum vna actualem, alteram virtualem appellant. Illa censetur, quæ plures inter formalitates reperitur eiusdem rei, & quidem inter illas, quæ actu, & non virtute tantùm in eâdem ipsa re existunt; hæ namque ex rei natura nullo cogitante intellectu sunt variæ diuersæque rationes cognoscibiles; Ita quidem animæ potentias, facultatesue, itemque metaphysicos gradus, ac attributa diuina, distinctionis hoc genere discriminari putant, eâ ratione ducti, quoniam huiusmodi perfectiones inquiunt, non virtute tantùm, sed actu quidem, in rebus ipsis existunt; vndè, & eorum distinctio actu re ipsa esse debet. Altera ex eorundem opinione formalis est distinctio, sed virtualis appellata, velut illa, quæ inter plures eiusdem rei formalitates non actu, sed virtute tantùm in ea contentas adinuenitur; quatenus eadem simplicissima res, vel realitas vt aiunt, ob sui eminentiam varijs, pluribusque realitatibus æquipollet, vndè intellectus nacta occasione plures inadequatos conceptus obiectiuos de eodem obiecto adæquato potest efformare, quibus reddit actu

Diuisio distinctionis formalis.

Altera distinctio formalis, cuiusmodi sit, explicatur.

Digitized by Google

actu formalitates illas distinctas, quæ solùm virtute antè opus mentis inadæquatè concipientis distinguebantur. Hanc autem distinctionem rationis ratiocinatæ nuncupandam existimant, cum solius intellectus negotiatione, ac opere, actu fiat, quæ alioquin virtute tantùm esse dici poterat. Ita quidem in Sole geminam virtutem distinguunt, adeò vt vnius sit exsiccare; alterius autem calefacere, cum hæ quidem in Sole non actu, sed virtute tantùm, eminentique modo existant, quatenus Sol facultate, virtuteque constat, quæ duabus exsiccandi, calefaciendique viribus æquipollet; hinc enim intellectus occasione arreptà commemoratas in Sole virtutes secernit, cùm in eo tamen vnica quidem, ac simplicissima sit.

Rationes ad trutinâ reuocâdæ; quibus formalis ex rei natura distinctio ab eius fautorib. probari solet.

Formalem hanc distinctionem celebriores Philosophi propugnarunt non infirmis rationibus suffulti, quas ad trutinam reuocare consequendæ veritatis gratia iuuabit. Ipsi autem sequentibus, similibusque rationibus innixi, formalem hanc distinctionem ex rei natura minorem, vt aiunt, distinctione reali, maiorem distinctione rationis persuadere conantur, quas breuiter infra persequemur, cumulatiùs de ipsis suis peculiaribus locis verba facturi.

Ratio quæ hęc sententia falsitatis suspecta suadetur.

Præmittendum tamen sententiam hanc; nonnihil à veritate videri posse alienam eo nomine, quòd si quæ ratio est, quâ illam conantur ostendere, non omnibus est absoluta numeris quia vel non conuincit, vel indè sequitur absurdum, etenim ita præsertim ratiocinantur; Homo, & equus conueniunt in ratione animalis, discrepant autem per rationalitatem, & hinnibilitatem, ne igitur contradicentia de eodem secundum idem affirmentur, necesse est inter animalitatem, & rationalitatem in homine: inter animalitatem, & hinnibilitatem in equo ex rei natura distinctionem intercedere; alioquin de eodem secundum idem enunciari posset conuenire, & non conuenire; Quantum autem sit huius rationis momentum, paucis explicabo, in cuius gratiam suppono ex eorum sententia formalitatem esse rationem ex rei natura conceptibilem, adeò vt formalitas habeat suum esse ante omne opus intellectus, & huiusmodi dicunt esse rationalitatem, & hinnibilitatem, quò suppositò, hunc argumentor in modum. Rationalitas est formalitas: hinnibilitas est formalitas, ac proinde conueniunt in hac ipsa formalitatis ratione, differunt tamen, quoniam rationalitas non est hinnibilitas; aut igitur putant intercedere distinctionem formalem ex rei natura inter rationem formalitatis, & rationalitatis, & inter rationem formalitatis, & hinnibilitatis, vel non; Si primum coguntur processum in infinitum concedere; Si secundum tenentur asserere ad hanc vitandam contradictionem conuenientiæ, & non conuenientiæ haud necessariam esse distinctionem formalem ex rei natura.

Ratio magis explicatur.

Ità pariter dum huiusmodi distinctionem astruunt, eâ ratione ducti, quoniam quædam competunt alicui prædicata secundum vnam rationem, quæ ei non competunt secundum alteram, vt exem. gra. homini quędam competunt secundum rationem animalitatis, quæ non competunt secundum rationem rationalitatis; ne igitur sequatur contradictio, fatendum erit inter animalitatem, & rationalitatem in homine, & sic etiam de reliquis consimilibus, dandam esse distinctionem ex rei natura.

Sed quanta sit huius rationis vis ex solutione argumentorum mox secutura, constabit.

Cæterum si nobis etiam obijciant hunc eundem processum in infinitum; nihil refert; cùm nullum sit inconueniens, si tamen admittatur secuturum, in conceptibus mentis maximum tamen absurdum in ijs, quæ à parte rei & extra animam existunt; Sic autē arguunt.

Primum argumentum.

Primò. Ratio entis eadem est in re, quæ mente concipitur, sed quæ est in mente concepta non includit substantiæ, vel accidentis modum, ergo nec etiam in re ipsa; sed rationes substantiæ, vel accidentis, suos includunt modos, ergo ratio entis re ipsâ ab illis distinguitur non vt res à re, ergo ex rei natura formaliter. Maiorem illam tanquam per se notam supponunt, eo nomine, quod intellectus in huiusmodi conceptu rem ipsam, vel rationem conceptam non fingit; ob id eandem concipit, quæ re ipsa est.

Adnotatio.

Hic arguendi modus à ratione obiectiua, vt ab intellectu præcisa, ad illam prout est in re, magnam æquiuocationem inuoluit, nam attribuitur rebus secundum se sumptis, quòd solùm conuenit ipsis, prout sunt sub tali consideratione, præcisioneque mentis; huius enim conceptus etiamsi veri, non semper tamen sunt rebus ipsis adæquati, & quoniam de rebus loquimur, prout stant sub conceptibus mentis, quibus commensurantur voces, propterea sæpe vsuuenit, vt ad res ipsas nostrum concipiendi modum transferamus, & ob diuersum modum loquendi distinctionem rebus inuehamus, vbi nulla est ex rei natura distinctio. Vt autem argumento fiat satis, distinguenda maior assumpta, quâ dicebatur in re rationem entis eandem esse, quæ mente concipitur, id enim concedendum, quatenus est eadem realiter, non autem ratione, nam intellectus inadæquatè concipit ens, & si non perfectè, saltem imperfectè rationem eius præscindit à modo substantiæ, & accidentis; quamuis igitur in re eadem sit entis ratio, quæ mente concipitur, vt mente tamen concepta non includit modum substantiæ, vel accidentis.

Responsio.

Secundū argumentum.

Secundò. Quæ separantur realiter, debent re ipsa esse inter se distincta; sed ratio entis separatur à ratione substantiæ, siquidem seruatur in accidente, & separatur à ratione accidentis, cùm seruetur in sola substantia, ergo ratio entis ex rei natura distinguetur ab illis. Hoc idem argumentum transferri potest ad quodlibet genus respectu cuiuslibet differentiæ.

Responsio indirecta.

Hæc tamen ratio nimis probat, siquidem non modo formalem, sed etiam realem distinctionem euincit; quæ enim realiter separari possunt, realiter etiam distinguuntur.

Responsio directa.

Directè tamen occurritur dicendo, rationem entis, quæ est in substantia, non esse separabilem ab ipsa, ac ob id ex rei natura à substantiæ modo non distingui; concedendum autem eam, quæ est in substantia separari à modo accidentis, vnde fit, vt ab eo realiter distinguatur.

Similiter idem asserendum de accidenti, nempè rationem entis in accidenti non esse separabilem ab ipso &c.

Impugnatio superioris responsionis, quæ ab aduersarijs fieri solet.

Hanc responsionem impugnant, sic arguendo; Ad distinctionem ex rei natura sufficit prædictis modis rationem vnam ab alia esse separabilem, nempè vt alicubi possit esse vna sine alia: si nanque sint omninò idem, videtur consequens fieri, vt se perpetuò comitentur; nam quæ omninò sunt idem, vbique sunt idem; at in accidenti exem. gra. iuxta responsionem allatam ratio entis, & ratio substantiæ non sunt idem, ergo secundum se, & absolutè nec idem erunt.

Responsio.

Obuiam itur dicendo rationem entis, quæ reperitur in substantia, & eam quæ in accidenti non eandem esse reipsâ, tunc enim ratio conuinceret; sed tantùm ratione hoc tamen sensu, nempè, vt in re sit quædam vnitas formalis, quâ ratio entis dicitur vna in substantia, & accidenti, nam vnumquodque dicitur vnum

& sensu, quò est indiuisum, cùm igitur entis ratio sit indiuisa secundum formalia principia, propterea iuxta hanc indiuisionem vna, & eadem dicetur in inferioribus suis substantia, & accidenti.

Quæ autem de ratione entis dico, de qualibet ratione genericâ vel specificâ intelligenda volo, vt ob id ratio animalis, hoc sensu dicenda sit vna & eadem in homine, leone &c.

Tertium argumentum.

Tertio. Substantia à parte rei non ex eodem est substantia, ex quo est ens, idem de accidenti dicendum; ergo aliqua debet esse ex rei natura distinctio inter obiectiuum conceptum entis, & substantiæ, etiam prout re ipsâ huiusmodi rationes sunt in eadem substantia; assumptum probant, quoniam substantia ex eodem habet, vt sit ens, ex quo accidens, cùm in ratione entis sint vnum; substantia igitur non erit substantia ex eo, quòd ens, alioquin quicquid participaret rationem entis, nimirùm accidens, participaret rationem substantiæ, cùm ab eodem habeat accidens vt sit ens, à quo habet substantia, ac proindè haberet à quo esset substantia, cùm ab eo substantia dicatur habere, vt substantia sit; Prior autem consecutio inde probata videtur, quoniam ex rei natura distinctio probè colligitur ex formalibus effectibus, seu constitutiuis distinctis; ergo &c. Hoc idem argumentum transferri potest ad quodlibet genus relatum ad differentias, quibus contrahitur.

Responsio.

Solutio patet ex initio dictis; Si namq; sumatur substantia, vt in re ipsa est, ex eodem profectò habet, vt sit ens, ex quo substantia, & vicissim, & ex eodem habet homo vt sit animal, ex quo est homo, nempè ex sua intrinseca natura, At si non sumatur secundum rem, sed prout stat sub conceptibus mentis, sic substantia non ex eodem habet, vt sit substantia, ex quo habet, vt sit ens; sic nec homo ex eodem habet, vt sit animal, ex quo habet, vt sit homo; per conceptus enim præcisos distinguitur id, à quo habet substantia vt sit ens, ab eo à quo habet, vt sit substantia, & id, à quo habet homo, vt sit animal ab eo, à quo habet vt sit homo; in conceptu enim præciso, quò attingitur ratio entis non relucet saltem explicitè id nempè esse per se, per quod constituitur substantia, & in conceptu, quò attingitur ratio animalis, nullo modo relucet id, per quod constituitur homo, videlicet intelligendi principium.

Hinc igitur tantum inferenda distinctio, quæ mentis operatione perficitur, cum fundamento tamen in re alibi explicando.

Non absimili modo licebit difficultatem diluere, propositatem de specie in ordine ad indiuidua. Vt si quis argueret: non eodem constituitur Socrates, vt Socrates, & vt homo &c.

Quartum argumentum.

Quartò. Impossibile videtur, vt res eadem secundum idem cum alia conueniat, & ab eadem differat; at verò substantia nullo intellectu cogitante similis est accidenti ratione entis; dissimilis autem ratione substantiæ; ergo hæc duo inter se ex rei natura aliquo modo in ipsamet substantia distinguentur; alioquin substantia ratione eiusdem foret similis & dissimilis accidenti. Item homo ante quodlibet opus intellectus similis est equo per animalitatem & dissimilis per rationalitatem. Sed non potest eadem res per idem esse similis, & dissimilis alteri, ergo animalitas, & rationalitas ex rei natura in homine aliquo modo distinguentur,

Hæc ratio, quæ ab aduersarijs magni fieri solet, non multum habet momenti, nec tanti ab ijs fieri deberet, propterea quòd eâdem ipsâ difficultate vexantur, nam ipsos licet hunc in modum perstringere. Substantia per modum essendi per se est similis, & dissimilis accidenti, vndè ratio essendi per se à se ipsa formaliter ex rei natura distingueretur; item homo per rationalitatem est similis, & dissimilis equo, vndè rationalitas à se ipsa formaliter ex rei natura deberet esse distincta. Assumptum ità colliges, & maioris claritatis gratiâ omisso priori exemplo; persistamus in secundo, eo vel maximè quòd eadem militat ratio. Rationalitas est similis equo, propterea quòd est ens quomodocumque dicatur ab illa rationem entis participari: dissimilis verò quoniam non idem cum equo; eadem itaque rationalitas equo similis, & dissimilis erit. Hinc igitur si formalis ex natura rei distinctio colligenda foret; procul dubio rationalitas à se ipsa deberet ex rei natura distingui, cùm eam duplici formalitate constare & rectè quidem mnon admittant.

Responsio indirecta.

Quorundam responsio.

Occurunt aliqui dicendo nullum secuturum absurdum, si quidpiam dicatur alteri simile, & dissimile, dummodò de imperfecta similitudine, dissimilitudineque sermo fiat. Hoc tamen explicare operosum adeò, vt ijs nunquam contigerit id satis pro dignitate præstare.

Responsio directa.

Tutius igitur meâ sententiâ occurritur dicendo; nihil obstare quominùs aliquid simile, dissimileq; sit alteri per idem; si tamen hoc, ratione cuius habetur similitudo, vt in re de qua agitur, virtute sit multiplex; Ità quidem homo, cum sortiatur esse æquipollens ijs, quæ sunt in diuersis, varijsque rebus dispersa; vt sunt vegetandi principium in plantis; sentiendi ratio in brutis; & in eodem homine principium intelligendi, ob id similis, ac dissimilis per idem alijs homo esse poterit. Et hæc habentur in re. Dum autem accesserit intellectus habetur id, vndè ipse cognoscit ea esse similia. Nam quando intellectus cognoscit hominem, & equum exem. gra. eo quòd vterque ob sui perfectionem sit virtute multiplex, præscindit rationem animalitatis, quatenus illos attingit inadæquatis conceptibus, in quibus non relucet rationalitas, & hinnibilitas; animalitas igitur est ratio merito cuius homo, & equus similes esse dicuntur, cùm alioquin per rationalitatem, & hinnibilitatem distinguantur; sintque dissimiles, in animalitate autem dicuntur similes, quatenus per illam in vnum conueniunt, quod ad similitudinem requiritur; hæc enim non postulat maximam vnitatem, quâ aliquid dicitur vnum cum se ipso, nam hæc similitudini repugnat, cum nihil sibi ipsi simile esse possit, sed requirit vnitatem iam explicatam, quæ diuersitatem habet adiunctam, itaut vnitas habeatur ab illa ratione, quæ ab intellectu præscindi potest per conceptum scilicet inadæquatum, in quo nulla relucet discrepantia, quæ alioquin per differentias obtinetur, quas, propterea cùm intellectus percipit, cognoscit ea esse dissimilia, quæ alioquin absque dissimilitudine, atque adeò, vt similia cognouerat.

Altera difficultas proponitur.

Est adhuc difficultas: si homo à parte rei sit similis equo, eidemque dissimilis non concessâ distinctione formali ex rei natura inter rationem, à qua habetur similitudo, & rationem à qua & dissimilitudo, puta inter animalitatem, & rationalitatem, sequeretur esse similem illi per rationalitatem, nam rationalitas, & animalitas in homine iuxta nostrâ sententiâ sunt re ipsâ idem; si igitur homo similis est equo per animalitatẽ, ergo & per rationalitatem; imò cum irrationalitas in equo sit re ipsa idem cum animalitate, per quam homo est similis equo, & rationalitas in homine est idẽ re ipsa cum animalitate, sequeretur hominẽ & equum similes esse per rationalitatem, & hinnibilitatem, quæ omnia sunt absurda.

Propositæ difficultati fit satis.

Facilè occurritur dicendo, si proponatur difficultas

Digitized by Google

tas iuxta sensum realem, ex eorum omnium concessione nullum absurdum sequi, cùm à parte rei in homine idem sint animalitas, & rationalitas, & in equo animalitas, & irrationalitas, seu hinnibilitas.

At iuxta sensum formalem secùs se res habet; falsa enim hæc est propositio *homo est similis equo per rationalitatem*, sensus enim redderetur; ratio formalis discrepantiæ est formalis ratio conuenientiæ, ex quo non infertur illa ex rei natura distinctio inter animalitatem, & rationalitatem in homine, sed solùm simplicem eius naturam esse virtute multiplicem; inde enim est, vt quantumuis simplex, hoc est expers compositionis, quæ sit in re possit alteri esse similis, & dissimilis, iuxta superius tradita; falsa igitur est illa propositio *homo est similis equo per rationalitatem*, quoniam hic rationalitas sumitur, prout stat sub conceptu mentis præscindentis, quô pactô rationalitas non est in re, & hic est sensus formalis, quem dicebam; vnde sic accepta rationalitas esset ratio discrepantiæ, atque dissimilitudinis, vt propterea non mirum, si propositio verificari non possit. Cæterum hæc intelligendo in sensu reali, & vt loquuntur materialiter, & à parte rei, siue identicè, non maiorem habent absurditatem, quàm eandem entitatem simplicem esse simul animal, & rationale, seu habere prædicata in se, quæ re ipsa sunt idem.

Quintum argumentum. Quintò. Plerumque contingit, vt sint plures perfectiones in inferioribus dispersæ, quæ reperiuntur in re quapiam superioris notæ, altiorisque ordinis ob eiusdem eminentiam realiter vnitæ, cùm in inferioribus essent realiter distinctæ; quoniam autem secundum se sunt perfectiones simpliciter, manent adhuc in ea re secundum suas proprias formalitates, vnde continentur in ea formaliter, & non virtute tantùm, ac eminentèr; ergo huiusmodi perfectiones, vt sic in re superioris ordinis contentæ, nequeunt realiter distingui; quoniam in ea per identitatem realem continentur, nec solùm virtute sed actu secundum proprium esse formale vniuscuiusq; ipsarum ergo &c. Probant assumptum, quia ita continentur in Deo attributa puta iustitia, misericordia &c. quæ cùm in nobis sint perfectiones accidentariæ ab inuicem realiter distinctæ, in Deo sunt realiter vnitæ; cùmque ex se sint perfectiones simpliciter, in eo non virtutè tantùm, sed formaliter existunt; eodem modo de animalitate, & rationalitate in homine ratiocinantur &c.

Responsio. Concedendum huiusmodi formalitates, actu, & realiter in re ipsa reperiri, vt iustitiam, & misericordiam in Deo, animalitem, & rationalitem in homine; non subinde licet inferre, illas ex rei natura actu distingui; non enim rectè ex earum existentia, quam actu quidem habent in re benè deducitur, eas actu ex rei natura in eadem re destingui.

Aduersatiorum tenet. Hanc responsionem refellunt; eo quòd distinctio formalitatum eiusdem rei fundatur in modo, quo ibi reperiuntur; cùm igitur ibi sint actu ex rei natura, eodem etiam modo erunt ibi distinctæ. Assumptum probant ex eo quia, quo res est, eo formalissimè est vna, vnitate, quæ sit consentanea eidem rei; ac proinde formalissimè, vt aiunt, est indistincta à se, & distincta ab omni alia secundum formalitatem vnitatis.

Eo modo Confirmant hoc illi ex eo; quòd identitas fundatur supra vnitatem: distinctio super multitudinem; quamobrem si formalitates, vt iustitia, & misericordia in Deo actu existunt: vel sunt formalissimè vnamet perfectio, quod non admittendum, quia tunc nulla esset in eo secundum suam formalem rationem, secundum quam dicit perfectionem simpliciter; vel sunt plures, & tunc necessariò deducitur ex rei natura distinctio, quæ actu sit inter commemoratas formalitates, quoniam huiusmodi distinctio multitudinem, seu vt loquuntur, pluralitatem consequitur.

Responsio ad argumentum præcipuum. Rectè tamen occursum propositæ difficultati fuit; & quamuis hæc in Deo, & in homine, non virtute, vel eminentèr, sed reipsa, & actu reperiantur, & quidem inter se coniuncta, cum in alijs sint omnino disiuncta, ac separata; non idcircò attributa in Deo animalitas, & rationalitas in homine ex rei natura formaliter distinguentur. De his enim non secùs ac de vi Solis eadem calefaciente exsiccanteque, prout ab ipsis explicari solet, ratiocinandum est. Sol ex eorum opinione exsiccat aliquid, quatenus in illud siccitatem producit, quo nihil absurdius, cum id calefaciendo præstet, quatenus hâc ratione, humorem attenuat, & eundem resoluit, quo cum aliquid destitutum est, siccum dicitur; Sed hac de re alibi disserendum.

Responsio indirecta, Hoc interim tamen admisso, vt eorum armis vtamur, ita ratiocinabimur.

Sol est virtute multiplex, vnde calorem, & siccitatem potest efficere; non ob id tamen ex eorum placito vis illa calefaciendi, exsiccandique in Sole ex rei natura formaliter distinguuntur.

Aduersatiorum responsio. Non me præterit illicò te responsurum disparem esse rationem, quoniam iustitia, & misericordia in Deo, animalitas, & rationalitas in homine non tantùm virtute, ac eminentèr, sed actu quidem existunt: secùs calefaciendi facultas & facultas exsiccandi in Sole, cùm hæ virtute tantùm, ac eminentèr in eo reperiantur.

Confirmatio. Caue tamen ne decipiaris: non enim hic sermo fit de distinctione caloris à siccitate, deque distinctione calefactionis ab exsiccatione, quæ solum virtute, ac eminentèr in sole iuxta eorum placitum continentur; sed sermo est de virtute calefaciendi, & exsiccandi in Sole actu existentibus, itaut hæc proportione respondeant, vt sol ad vim calefaciendi, & exsiccandi: sic homo ad vim vegetandi, sentiendi, & intelligendi; vtque Sol ad operationes calefaciendi & exsiccandi; sic homo ad operationes vegetandi, sentiendi, ac intelligendi se habent. Solùm discriminis illud adnotandum, etsi nullius momenti in re proposita, quòd solis operationes transeunt in externum subiectum, hominis autem non item. Vt igitur inter virtutes, quamuis actu existentes in Sole perperam formalis ex rei natura distinctio: sic inter iustitiam, & misericordiam in Deo, inter animalitatem, & rationalitatem in homine admitteretur.

Satisfit difficultati, quæ per impugnationem affertur. Et quoniam superiorem à nobis allatam responsionem confutabant dicendo, distinctionem formalitatũ eiusdem rei fundari in modo, quo hę in re ipsa reperiuntur, siquidem quo res est, eodem itidem vnitate cõsentanea eidem rei est vna. Ob id nostrum est, huic impugnationi occurrere.

Responsio indirecta. Et primò quidem adnotabo hoc idem argumentum fieri posse de calefaciendi, exsiccandique viribus Solis, in quibus si nihil concludit, nec etiam in ijs, de quibus agitur.

Occurritur directè difficultati. Directè tamen respondendum formalitates eiusdem rei fundari quidem in modo, quo in ea reperiuntur; cum autem dicunt formalitates esse in re actu ex rei natura; Respondendũ id posse gemino modo intelligi; primò vt vna detur formalitas præcisè, vt in homine animalitas, & præcisè etiam in eodem altera, nempè rationalitas, seu præcisè animal, & præcisè rationale, & hunc in modum dici potest ex rei natura

animalitas, vt animalitas non est rationalitas, & animal, vt animal non est rationale, & iuxta hunc sensum neganda est illa propositio. Secundò vt ex rei natura detur animalitas, quæ re ipsâ sit rationalitas, seu quod eadem entitas simplicissima sit animalitas, & rationalitas, hoc est, sit principium sentiendi & intelligendi: vel loquendo in concreto, quod ex rei natura detur animal tale, nempè rationale, iuxta quem sensum concedenda est propositio, neganda tamen est consecutio.

Altera diffic. Hinc etiam solutio illius difficultatis, quæ afferri solet; dum ità disputant; A parte rei animal, vt animal non est rationale, ergo animal à rationali à parte rei distingui debet.

Eius solutio. Eodem modo occurrendum, nam animal, vt animal præcisè non datur, licet detur animal tale, quod rationale est: reduplicationes enim illæ formaliter designant actus intellectus, quibus distinguitur gradus vnus ab altero, quatenus concipitur vnus, altero non concepto, vt propterea distinctio, quæ actu sit, habeatur per intellectum, & à parte rei sit tantùm distinctionis fundamentum. Hoc autem in quo consistat in Metaphysicis dissertationibus explicabimus, aliqua etiam dicturi eâdem de re, cùm de distinctione generis, & differentiæ sermonem instituerimus.

Sextum argumentum. 3. Divin. tex. 10. Sexto. Quæ habent diuersas rationes formales, seu definitiones, differunt ex rei natura; sed animalitas, & rationalitas exem. grat. in homine ita se habent, alia enim est ratio sensitiui, & alia rationalis, sic etiam eadem in re, alia est ratio actionis, & alia passionis, 3. Phy. tex. 22. vt Philosophus etiam testatur, ergo animalitas, & rationalitas in homine actio, & passio in eadem entitate ex natura rei distinguentur.

Respõsio. Diluitur difficultas dicendo à parte rei dari quidem in homine animalitatem, & rationalitatem actu, darique rationem sensitiui, & rationem intellectiui, sed à parte rei non est alia, & alia, sed hoc habetur per actus præscindentis intellectus, qui suis actibus inadæquatis partitur quodammodo simplicissimam hominis naturam, propterea quòd nullus ipsorum actuum adæquatè attingit illam, ac proindè non exhaurit totam eius cognoscibilitatem.

Et quoniam definitiones de ijs traduntur, prout per huiusmodi actus præscindentes repræsentantur; propterea mirandum non est, si rationes illæ ex rei natura non distinguantur, quamuis definitiones sint diuersæ. Ex diuersitate igitur definitionum solam inter huiusmodi formalitates distinctionem rationis licebit inferre.

Impugnatio superioris responsionis ab aduersarijs fieri solita. Dices; Definitio rei naturam exprimit prout est, resque variè definiuntur, quoniam varias in se ipsis naturas habent, non autem quia variè ab intellectu concipiantur; & per definitionem esse rei quidditatiuum, formaleque, non autem esse, quod accipit per apprehensionem intellectus, exprimitur; falsum igitur per definitionem non explicari esse subiectum rei, quod habet extra, sed tantum obiectiuum quod habet in intellectu; & quamuis definitio per actum intellectus perficiatur; non indè sequitur intentionale quidpiam per ipsam explicari, sed potiùs exprimi aliquid à parte rei, in quorum gratiam hoc vtuntur exemplo; licèt hæc propositio. *Sol est lucidus*: fiat per operationem intellectus enunciantis lucem de Sole, exprimit tamen rem sicuti se habet ex rei natura, nullo etiam cogitante intellectu; subdunt hoc vniuersè contingere, quotiescumque definitio rem per adæquatum conceptum exprimit, cui nempè respondet totum id, quod in re est exprimendum; possunt autem sic exprimi formalitates omnes, quæ actu multiplicatæ in vna, & eâdem re physicâ reperiuntur; vt intellectus, & voluntas in anima; animalitas, & rationalitas in homine; bonitas & sapientia in Deo; formalitates verò, quæ virtute solùm in re quapiam continentur, ob eius eminentiam inadæquatè solùm exprimi possunt, quoniam à parte rei nulla quidem in eius ordine realitas adæquatè explicabilis correspondet; vt propterea hoc genere definitionum, quæ scilicet per conceptus tantùm inadæquatos traduntur, res exprimi non possit, nisi vt apprehenditur, cum fundamento tamen in re, vnde est vt intellectus minimè fallatur.

Tametsi autem hæc acutè, subtiliterque dicta sint, Respõsio; non propterea tamen superiorem nostram responsionem eneruant. Non enim eo quòd intellectus rationem definiat, quæ est in re, à se tamen præcisam, vt animalitatem à rationalitate seiunctam, intentionale quidpiam definit; nihil enim præscindendo comminiscitur; sed præcisis tantummodò conceptibus rem alioquin simplicissimam partitur, definitque id quod in re est, licet non re ipsâ, sed solùm præcisione distinctum ab alio: nec intellectus in hoc obeundo munere decipitur, propterea quòd abstrahendo non mentitur, siquidem *abstrahentium non est mendacium*. Itaque dum definit animalitatem, profectò quod est in homine definit, licèt solùm explicet id, quod relucet in præcisiuo conceptu, quò tunc hominis natura solùm inadæquatè percipitur, ob eam causam, quoniam intellectui tunc res ob sui eminentiam pluribus æquipollens, proindèque virtute multiplex obuersatur, iuxta cuius maiorem, minoremque perfectionem præcisio perfecta, vel imperfecta contingit, vnde est vt intellectus perfectiori, vel imperfectiori modo finiendi munus obire possit.

Septimò. Contradictio semper distinctionem infert, cum fieri non possit, vt de eodem secundum idem contradictoria verificentur; vnde sic arguunt. Animalitati exem. grat. aliqua prædicata conueniunt, quæ rationalitati consentanea non sunt, vnde de homine quatenus animal est, quædam enunciari possunt, quæ de ipso quatenus est rationalis nequeunt enunciari, itaut illi conueniant aliqua ratione animalitatis, quæ non conueniunt ratione rationalitatis; ergo necesse est animal, et rationale; animalitatem, & rationalitatem et vicissim: in homine ex rei natura distingui. Sed aliqua prædicata homini conuenire ratione vnius formalitatis, non ratione alterius, puta ratione animalitatis, & non ratione rationalitatis, & vicissim, satis euidens est; nam homini ratione animalitatis conuenit sentire, non autem ratiocinari, & contra ratione rationalitatis conuenit ratiocinari, non sentire. Septimi argumentum.

Sed hinc inferendam distinctionem ex rei natura inter animalitatem & rationalitatē conuincit, vt dicebatur, contradictio; nam sentire, & non sentire, ratiocinari, & non ratiocinari contradicunt; si igitur fuerit homo naturæ simplicissimæ, itaut nulla intercederet distinctio inter animalitatem, & rationalitatem ex rei natura, sequitur de eodem secundum idem enunciari contradictoria posse; non absimilis est altera contradictio, quando dicimus hominem cum equo conuenire; etenim per animalitatem conuenit, & non conuenit per rationalitatem, & sic de alijs penè innumeris contradictionibus, quæ in medium afferri possent. Respõsio, & responsionis impugnatio ab aduersarijs adhibita.

Quòd si dicas ad euitandam contradictionem rationis distinctionem sufficere. Statim insurgunt hunc in modum. Contradictio pro sui conditione distinctionem infert, itaut qualis ipsa est, talis etiam esse de-

debeat distinctio, itaut contradictio rationis inferat distinctionem secundum diuersum esse rationis, vt cùm de Socrate ex parte subiecti constituto in identica propositione affirmamus esse subiectum, & de eodem negamus esse prædicatum, adeo vt de eodem Socrate dicamus esse subiectum, & non esse subiectum, quæ contradicunt; affirmamus enim quatenus se tenet ex parte subiecti, & negamus prout se tenet ex parte prædicati; nulla tamen contradictio, quoniam ad hanc euitandam sufficit sola rationis distinctio.

At contradictio secundum esse reale infert distinctionem realem, vt si dicamus exempli gratia Socrates est; Plato non est: huiusmodi contradictio distinctionem realem infert inter Socratem, & Platonem. Atsi est contradictio secundum esse formale infert distinctionem formalem, non realem, quoniam multæ sunt propositiones veræ in sensu reali, & identico, quæ non sunt admittendæ in sensu formali: Idque declarant exemplo desumpto ex diuinis, in quibus verum est in sensu identico essentiam esse incommunicabilem, quatenùs essentia eadem res est cùm paternitate incommunicabili: falsa autem in sensu formali, qui explicat rationem præcisam rei, quæ per se primò significatur, dum per essentiam in diuinis per se primò communicabilis entitas importatur.

Ex aduersariorum sententia duplex cō tradictio formalis.

Amplius ex eorum sententia contradictio secundum esse formale, & ex natura rei duplex est, alia actualiter, formaliter, vt loquuntur, vera citra quodcumque opus intellectus; vt cùm dicimus hominem per animalitatem actu à parte rei conuenire cum equo, & per rationalitatem ab eodem actu à parte rei differre nullo intellectu cogitante. Altera est contradictio secundum esse formale, & ex natura rei solùm virtualiter, & fundamentaliter, vt aiunt; afferunt exemplum de Sole, vt si diceremus in Sole esse idem principium proximum calefactionis, & disiccationis, & non esse idem; ex eorum igitur opinione hæc contradictio non verificatur actu à parte rei, quoniam ex rei natura est vnicum, & proprium principium vtriusque, sed tantùm virtualiter, & fundamentaliter, quatenus vnica virtus illa duplici virtuti æquipollet; cùm igitur contradictio qualis ipsa est, talem inferat distinctionem, non dabitur tantùm distinctio formalis virtualis, sed etiam formalis actualis.

Quamuis hac de re copiosè differere non huius sit loci; non nulla tamen subijcere iuuabit, vt propositæ difficultati breuiter satisfieri possit.

Respõso. Contradictoria bifariam sumuntur.

Contradictoria gemino modo possunt vsurpari. Primò prout inuoluunt operationes intellectus efformantis de re quâpiam propositiones contradicentes, cuiusmodi sunt istæ, *homo conuenit cum equo; homo non conuenit cum equo*. Secundò prout important, quod est in re, vt in eodem exemplo est esse conuenientiæ, & non esse conuenientiæ; hæc autem ab illis præsupponuntur, vt manifestum est. Meum igitur est ostendere non necessariam esse formalem distinctionem ex rei natura ad euitandum, ne contradictoria de eodem secundum idem verificentur, quod non aliâ ratione demonstrabo, nisi quia superflua est ad hoc ex natura rei distinctio; quod indè mihi redditur exploratum, quoniam si in homine exem. grat. non admittatur hæc ex natura rei distinctio inter animalitatem, & rationalitatem, quamuis dicamus, hominem conuenire cum equo, & etiam non conuenire, non sequitur eidem secundum idem conuenire esse conuenientiæ, & non esse conuenientiæ, & de eodem secundum idem enunciari esse conuenientiæ, & non esse conuenientiæ; propterea quòd homini cum equo esse conuenientiæ competit ratione animalitatis; & non esse conuenientiæ competit ratione rationalitatis, ac proinde non competit eidem secundum idem; quia ratio animalitatis, & ratio rationalitatis, quamuis in homine sint idem re ipsâ, hoc est quamuis sit eadem res, quæ vtramque rationem formaliter, & actu sibi vendicat, non tamen actu, sed virtute tantùm ob sui eminentiam sibi distinctas assumit.

Superior responsio suadetur.

Hoc autem sufficere ex eo probatur, quoniam in multis, ac penè innumeris contingunt hæc eadem citra periculum contradictionis, etiam nullâ intercedente distinctione ex rei natura. Nam idem intellectus est potens elicere actum affirmationis, & actum negationis, eadem voluntas actum volitionis & actum nolitionis; rectèque dicimus intellectus quatenus potens affirmare, non est potens negare, & viceversim; insuper voluntas quatenus est potens velle, non est potens nolle; vnde eidem intellectui conuenit duplex ratio, itaut secundum vnam sit potens affirmare, & secundum alteram potens negare; & eidem conueniat posse affirmare, & non posse affirmare: item posse negare, & non posse negare; sic de voluntate &c. At ne contradictio sequatur, haud opus est distinctione formali ex rei natura inter illam rationem; quâ potens est affirmare, & alteram, quâ est potens negare, aduersarijs etiam ipsis fatentibus; ad quid igitur in medium afferre distinctionem ex rei natura formalem inter animalitatem, & rationalitatem in homine? Si quæ enim demonstratio hanc in homine suaderet distinctionem inter animalitatem, & rationalitatem, conuinceret etiam inter commemoratas rationes in intellectu.

Sat igitur, ne vlla contradictio contingat, vt simplex hominis natura sit virtute multiplex, indè enim fit, vt intellectus, eâ, quâ pollet præscindendi vi, suis actibus, siue conceptibus inadæquatis illam quodammodò partiatur; itaut iuxta plures rationes eidē homini diuersa possint attribui, citra quamlibet contradictionis notam.

Aduersariorum impugnatio.

At statim vrgebis dicendo, hoc in diuinis non sufficere propterea quòd diuina natura à parte rei nullâ accedente humani intellectus præcisione est communicabilis secundum se, persona autem incommunicabilis; vndè essentia diuina, quæ est in patre communicatur filio, est enim vtrique communis; paternitas verò non communicatur filio; nam in hoc essentia realiter quidem est, non autem paternitas; & multa alia sunt opposita & cotradictoria, quæ de essentia, relationeq; diuina verificantur, nempè, quòd pater generat, essentia non generat, & quòd essentia sit ens absolutum, non relatiuum &c. & quamuis illa distinctio rationis, cum fundamento tamen in re, videatur sufficere ad has propositiones verificandas, siquidem non enunciantur à nobis, nisi de re prout subsistat nostris conceptibus inadæquatis, atque distinctis; adhuc tamen est difficultas, quia huiusmodi propositiones veræ sunt, non solùm de re, prout à nobis conceptâ, sed etiam prout est in se ipsa à parte rei; nam realiter verum est diuinam essentiam esse communem patri, & filio, paternitatem verò in filio non esse; nec minus hæc vera forent, etiam si implicaret humanus intellectus distinctionem illam efformans.

Eadem responsio etiā in diuinis locum habet, & impugnationi occurritur.

Occurrendum tamen dicendo, non ob id necessariam esse distinctionem ex rei natura formalem in diuinis, puta inter paternitatem, & diuinam essentiam, cùm ad tollendam contradictionem sufficiat illa virtualis distinctio, quæ reperitur in re, quâ nimirum distinctione vna simplicissima entitas in Deo, huiusmodi est, vt præstet totum id, quod in rebus creatis res præstant distinctæ. Et reuerà quid est essentiam di-

diuinam communicari filio, non autem paternitatem; nil aliud profectò, quàm quòd diuina essentia secundum se, & absolutè possit reddi subsistens non solùm subsistentiâ patris; sed etiam filij, cùm tamen prout subsistit subsistentiâ patris, ac proindè relatè sumpta, nequeat subsistens fieri subsistentiâ filij.

Respõsio illustratur exemplo.

Nec mirùm hoc videri debet; nam anima intellectiua spiritualis naturæ tota existens in toto corpore & tota in qualibet eius parte potest pedem sistere, & manum mouere, atque adeo quiescere in pede, & moueri in manu, proindeque gemina debet in ea esse ratio, per quarum vnam potẽs dicatur pedem sistere & in eodem quiescere, & per alteram potens mouere manum, & in eâdem moueri; itaut quatenus potest mouere pedem, & in eodem quiescere, non sit potens mouere manum, & in eadem moueri, & nihilominus ad tollendam contradictionem haud necessaria est ex natura rei formalis distinctio inter prædictas rationes, & animæ vim, & inter rationes ipsas adinuicem cùm solùm sufficiat ad id eminens animæ natura.

Aduersariorum impugnatio.

Cùm autem dicebatur talem esse debere distinctionem, qualis est contradictio, itaut si hæc sit formaliter, & actu in re, eodem modo etiam in re distinctio esse debeat, eo quòd contradictio est causa distinctionis, ac distinctionem arguit; ac proindè quando contradictio est formaliter, & actu in re, eodem modo debet esse distinctio, quoniam causa in actu, & effectus in actu simul sunt; vnde non sufficit virtualis distinctio.

Occurritur.

Huic impugnationi obuiam itur dicendo contradictionem esse in re ad eum modum, quo hæc eiusdem rei eminentiæ proportione respondet. Vt præteream hoc ipsis quoque molestum esse, in ijs, quæ nos exemplis declarauimus.

Octauum argumentum.

Octauò tandem. Inter ea datur distinctio ante opus intellectus, inter quæ datur compositio, sed inter genus & differentiam exempli gratia, datur compositio, quæ dicitur metaphysica, ergo inter genus, & differentiam danda erit distinctio ante opus intellectus, quæ cùm esse non possit realis inter rem, & rem, erit saltem formalis ex rei natura, de qua fit sermo.

Respõsio.

Facilè tamen diluitur difficultas proposita dicendo, compositionem distinctioni proportione respondere, vt autem distinctio inter genus, & differentiam non est in re, nisi sensu iam explicato; ita nec etiam compositio; cùm enim intellectus suis actibus inadæquatis in simplicissima natura rationes distinxerit cum fundamento in re ipsa, postmodùm eosdem componit; & hæc compositio est, quæ metaphysica nuncupatur.

Aduersarij commendantur.

Cæterum de his alia plura in peculiaribus locis afferemus. Quamuis autem conati simus ostendere minimè necessariam esse formalem ex rei natura distinctionem, non propterea tamen in animo est quidpiam detrahere de dignitate doctrinæ eorum, qui distinctionem prædictam recognoscendam profitentur, sed potiùs fatemur eos summis laudibus efferendos, velut illos, qui tam accuratè, subtiliterque naturæ penitiora quidem arcana perscrutati sunt.

SECTIO SEXTA.

De Distinctione modali, deque duplici distinctione rationis.

Distinctio Modalis.

QVamquam nulla sit formalis ex rei natura distinctio, adhuc tamen præter distinctionem realem superiùs iam explicatam, alia erit ex rei natura concedenda quæ modalis nuncupatur. Rectè siquidem ens siue substantialis, siue accidentariæ naturæ in rem, & modum distribui paulò ante breuiter explicuimus, rei nomine intelligendo id, quod non vt modus postulat actu necessariò quidpiam afficere; cùm modus contra tam necessariò est ei quod afficit addictus, vt illud actu ex sui naturâ, & essentiâ debeat afficere. Ita quidem homo secundum substantiam res dicitur; cùmque ipse duplici parte constet materiâ nimirum, & formâ, hæ quoque partes res dici debent, quemadmodum etiam & alia quædam quæ eius substantiam circumstant, quæque accidentia dicuntur. At verò vnio, quâ nectuntur partes ipsius, puta materia, & forma modus ad substantiæ genus pertinens existimatur; vt etiam vnio, quâ accidentia cum substantia iunguntur, modus accidentariæ naturæ esse perhibetur. Sic etiam præsentiam localis; præsentia per quam aliquid potius in vno, quàm in alio loco versatur, modus erit ad accidentis pertinens genus. *Distinctio modalis igitur est, quæ inter rem, & modum, & inter modos eiusdem rei exercetur.* At inter quæ speciatim hæc intercedat distinctio, proprijs explicandum in locis.

Distinctio rationis.

Distinctio rationis est, quæ solius intellectus operatione perficitur. ac proindè non existit in rebus prout sunt in se, sed solùm prout subsunt conceptibus mentis.

Distinctio rationis duplex.

Hæc porrò distinctio rationis duplex est, vna quæ nullum habet fundamentum in re, dicitur quæ rationis ratiocinantis, quæ quidem contingit, cùm aliquid ab intellectu diuerso concipitur modo; itaut tota sit penitùs ex parte modi concipiendi, non autem rationis conceptibilis distinctio, vnde nomenclaturam accepit rationis ratiocinantis, quoniam solius est opus rationis, cùm ad illam obiectum ei nullum fundamentum præbeat; ita planè se habet distinctio inter Socratem ex parte subiecti, & eundem ex parte prædicati in propositione identica *Socrates est Socrates*. Et vniuersè contingit, quotiescunque diuerso penitùs modo idem obiectum concipitur.

Distinctio rationis ratiocinatis.

Distinctio rationis ratiocinatæ.

Alia verò est *distinctio rationis ratiocinatæ, quæ nimirum in ijs fundamentum habet, quæ distinguuntur*; dicitur autem *rationis* quoniam actu non existit in rebus, sed rationis tantùm operatione perficitur; dicitur *ratiocinatæ*, quoniam à parte rei quoddam rudimentum habet, quò supposito rationis operatione completur, quatenus nempè res eminentiâ propriæ naturæ fundamentum præbet rationi ad hanc distinctionem efformandam; quia nimirum ratio inadæquatis conceptibus concepit rem ipsam; conceptus autem inadæquati sunt, eo quòd nullus eorum totam rei obiectæ cognoscibilitatem exhaurit, etsi quilibet aliquid illius attingat. Ita planè hoc distinctionis genere metaphysici gradus, quemadmodum, & attributa in Deo distinguuntur &c.

Nè planè constat apud Philosophos quid sit fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ. Obimperfectũ cognoscendi modum.

Non conuenit inter sapientes, quid huius sit distinctionis fundamentum; num obiecti quædam eminentia complectens, ac vniens perfectiones, rationesue diuersas, quod virtualis distinctio nuncupari consueuit, quoniam virtute multiplex cùm sit, se solo præstare potest ea, quæ à diuersis expectanda forent; an potiùs nullum sit fundamentum in obiecto, sed solæ quædam extrinseca connotata sint, ad quæ ratio, dum respicit, distinctis conceptibus obiectum ipsum attingat; iuxta quem dicendi modum distinctionis rationis ratiocinatæ fundamentum non in eo positum est, vt obiectum habeat aliquam eminentiam ratione cuius sibi vnat diuersas perfectiones, seu formalitates

tes in quo virtualis distinctio consistit, eam ob causam quoniam eadem forma virtute facit sola, quicquid diuersæ præstarent; sed potiùs fundamentum, de quo loquimur sola quidem exstrinseca sunt connotata absque intrinseco fundamento distinctionis in obiecto, adeout hæc sufficiant ad constituenda inter aliqua distinctionem rationis ratiocinatæ, quatenus intellectus ob suum imperfectum cognoscendi modum solâ connotatorum in spectione rem prorsus eandem, in qua nulla sit actualis, aut virtualis instrinseca distinctio, concipiat, pluribus conceptibus inadæquatis diuidendo illam in plures rationes conceptas.

Priorem explicant modi leriq; & ueriùs complexiuntur, & ni innixiuntur.

Plerique validâ ratione ducti priorem dicendi modum amplectuntur, hunc enim in modum ratiocinantur. Vel in obiecto, quod distinguitur est aliqua proportio, seu fundamentum, vt instar connotatorum realiter distinctorum concipiatur; vel non; Si primum, ergo distinctionis intrinsecum fundamentum in obiecto præcedit, vnde consequens fit, vt tota distinguendi ratio ex parte connotatorum extrinsecorum non desumatur. Si secundum cùm absque omni fundamento ex parte rei, quam distinguimus cõcipiamus eandem in ordine ad illa, quæ sunt distincta, sequitur vnumquemque suo quidem arbitratu, nullâque ratione ductum posse rem obiectam distinguere, quod est rationis ratiocinantis distinctionem efficere, non secus ac vsu venit, dum quispiam concipiendo aliquid in ordine ad res diuersas, illud ab eodem ipso distinguit.

Quodnã in fundamentum rationis ratiocinatæ cõcluditur.

Quamobrem fundamentum, quod rationis ratiocinatæ distinctio habet ex parte obiecti, est eminentia rei conceptæ atque adeò virtualis aliqua distinctio; res enim ipsa ob sui excellentiam vnica quidem existens plures rationes actu in se se cohibet, quamuis non actu distinctas; quanto enim res aliqua sublimioris est naturæ, tanto plures perfectiones in se vnit, ac proindè, quæ altioris est ordinis plures perfectiones quàm quæ inferioris in se inuoluit; vnde fit, vt in illis simpliciori modo quàm in his inueniantur; quæ enim in rebus inferioris notæ sunt dispersa, in re sublimioris naturæ vniuntur; vtrobique tamen actu, & re ipsâ; solùm hoc intercedente discrimine, quòd in rebus imperfectioribus pro earum distinctione realiter etiam distinguantur; at in eo quod perfectius est virtute tantum in re, actu verò per intellectum.

Error quorundam.

Et hic iterùm notare licet grauiter peccasse plerosq; eorum, qui formalem distinctionem ex rei natura concedendam arbitrabantur, dicebant enim in re superioris ordinis rationes illas actu contentas ex rei natura formali distinctione secerni, quòd in re illa secundum proprias formalitates existant, licet cùm eadem realiter, & vt aiunt, entitatiuè sint idem, cùm secundum proprias rationes in ea vniantur; secùs si virtute, ac eminentèr in ipsa re tantùm existant, vt virtus, inquiunt, calefaciendi, & exsiccandi in Sole.

Sic autem philosophando solùm id agunt, vt verborum ambagibus grauissimos errores occultent. Et primò quidem gratis aliquid interesse putant inter rationes formales, & formalitates, cùm re vera nihil intersit, ac proindè quæ illarum, & harum quoque causâ contingent.

Reijcitur.

Demus tamen ipsis, quod volunt; satis tamen mirari non possum eos non aduertere solemnem à se committi petitionem principij, cùm idem per idem ostendant. Docent enim spiritum, & vitam intellectiuam in Deo contineri secundum proprias formales rationes; non propterea tamen actu ex rei natura distingui, sed virtute tantùm in re, actu verò per intellectum, atque adeò distingui distinctione rationis ratiocinatæ: constanter tamen affirmant iustitiam, misericordiam, cæteraque attributa distingui actu ex rei natura formaliter: quoniam secundum suas formalitates in Deo continentur; formalitatis autẽ nomine rationem obiectiuam, & secundum se conceptibilem intelligunt: & simul addunt ex rei natura formaliter illa distingui, quæ aliam, & aliam formalitatem seu rationem conceptibilem habent; itaut vtramque definiendo intellectus non habeat eundem adæquatum conceptum obiectiuum vtriusque. Vt omittam, nunc ab ipsis formalẽ rationem cum formalitate confundi; Petendum, num per esse aliam, & aliam formalitatem aliud quidpiam, quàm habere aliam, & aliam rationem obiectiuam intelligant; nam hoc concesso, cùm ex eorum sententia spiritus, & vita intellectiua in Deo, aliam, & aliam formalem rationem obiectiuam habeant formaliter ex rei natura distingui, vel inuiti fateantur oportet. At si per habere aliam & aliam formalitatem intelligant quòd illæ sint in Deo rationes formales actu distinctæ, si rectè attendas, in principij petitionem euidentem incurrunt; sic enim ratiocinantur.

Iustitia, & misericordia ex rei natura formaliter distinguuntur; nam tametsi reipsa sint idem cum essentia, naturaue diuina, quòd actu in ea secundum formales rationes contineantur; actu tamen, & formaliter ex rei natura distinguuntur; quoniam actu quidem in ea secundum suas formalitates existunt, quarum vna non est re ipsâ alia; Sed hoc perinde est, ac dicere ex rei natura distingui, quoniam ex rei natura distinguuntur, quod est principium petere.

Adnexa tio.

Nec prætermittam iterùm adnotare, quod superiùs etiam aduerti, nimirùm ab ipsis ineptè Solis exsiccandi, calefaciendique virtutem ad propriam sententiam illustrandam vsurpari; dicunt enim in Sole, virtute, ac eminenter commemoratas vires contineri; cùm tamen calor, & siccitas calefactio, & exsiccatio virtute, quidem in Sole contineantur, tanquam affectus, & rationes ab eo prodeuntes: non tamen vires, quippe quæ actu Solem afficiunt, si tamen Sol effectus illos producit ad eum modum, quo ab ipsis solet explicari.

Animad uersio.

Et hic iterum inculcandum, quod superiùs adnotaui; calefaciendi, exsiccandique vires in Sole iuxta aduersariorum sententiam admissas, non plus, quàm ratione distingui, etiam si actu & formaliter in Sole reperiantur; ac proinde idem quoque de attributis in Deo, & de gradibus metaphysicis dici posse.

Adnotanda circa distinctionẽ rationis ratiocinantis.

Cùm autem diceremus distinctionem rationis ratiocinantis accidere quando aliquid variè, diuersèque conciptur: id non sic accipiendum, vt in repetitione conceptus eiusdem ea, de qua loquimur distinctio consistat; siquidem hæc propriè non habetur, cùm idem obiectum eodem modo semel, ac iterum concipitur, ac nominatur, vt cum dicimus Socrates, est Socrates, atque iterum Socrates, tertiò tandem Socrates; sed quando idem vtiq; obiectum à nobis concipitur, sed non eodem modo, quoniam dicendo Socrates, est Socrates, primò Socrates concipitur vt subiectum, deinde vt prædicatum, vnde non solum pluribus vicibus concipitur Socrates, sed etiam, & plures; propterea quod intentionaliter geminatur, quatenus subsistat diuersis intentionibus subiecti, & prædicati. Hinc ad habendam distinctionem rationis ratiocinantis, opus est, vt intellectus comparet idem cum eodem, vel apprehendat in obiecto respectum, quo accipiat obiectum ipsum geminatum seu tãquam

duo,

Digitized by Google

uno, non quidem secundum diuersas rationes in ipso obiecto intrinsecas, ac ex eius parte fundatas; sed ex prædicta extrinseca mentis comparatione resultantes.

Hæc distinctio nõ cadit supra cõceptus formales &c.

Neque hæc distinctio, quæ fit ab intellectu per actũ; quo comparat idem cum eodem cadit supra formales conceptus, quoniam tunc foret distinctio realis non rationis, nec etiam propriè supra secundas ipsas intentiones, sed supra rem ipsam conceptam, quatenus habet esse obiectiuum in intellectu, itaut idem propriè dicatur à se ipso distingui, non secundum esse reale, sed obiectiuum, ac intentionale, quoniam idem prorsus obiectum à parte rei, realiter, & formaliter, cum intellectus propositionem facit identicam, ipsum quasi intentionaliter geminat, itaut huiusmodi distinctio rationis fundetur supra pluralitatem, vt aiunt esse obiectiui, & cogniti, quod intellectus per suum comparationis actum in idem reale obiectum deriuat; Vt contra rationis identitas fundetur super vnitatem eiusdem esse cogniti, quando scilicet obiectum non substat pluribus secundis intentionibus, sed vni tantum, sic enim consideratum, vt vni & eidem substat secundæ intentioni dicitur esse idem ratione cum se ipso.

DISSERTATIO QVARTA
De Ente Rationis.

Metaphysici, seu primi Philosophi munus esse de ente rationis tractationem instituere, communi Sapientum consensu receptum est: tametsi enim prima philosophia contemplatur, ens reale nuncupatum vt propterea Philosophus diceret ἐστὶν ἐπιστήμη τις, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό. Est scientia quædam, quæ contemplatur ens, vt ens, & ea, quæ huic per se insunt. *Nomine entis intelligendo omne id ὃ ἔστι,;* quòd est *sensu, quo etiam Plato nomen ens vsurpabat in Phedone, dum ait οἷς ἐπιφραγιζόμεθα τοῦτο ὅ ἐστι* quibus adsigillamus hoc quod est: *Ens tamen rationis vmbram quædam est entis realis, & videtur potius ens, quàm re ipsa sit ens; eiusdem autem est disciplinæ considerare id quod est simpliciter tale, & quod videtur tale. Vsus autem, & meritò quidem obtinuit, vt Dialecticus etiam in huiusmodi contemplationem incumberet, tum quoniam hoc ad intellectum pertinet, in cuius operationes sibi proponit rectitudinem inducere; tum quia in hac disciplina huius entis haud rarò habetur vsus; tum quia tandem non semel in vniuersa Philosophia de huiusmodi ente fit commemoratio, vt propterea videatur operæ pretium initio illud nouisse, ne ipsius nomine, naturâque penitus ingnoratâ, quæ deinceps tractanda sunt, minus clarè percipiantur.*

Ens rationis est vmbra entis realis.

Eiusdem disciplinæ est considerare id, quod est simpliciter tale, & id, quod videtur tale.

SECTIO PRIMA.

Quid, Quotuplex sit Ens rationis.

Deus primò sibi vendicat rationem entis.

CVm de ente instituitur sermo, videtur solertis esse diligenter aduertere rationem entis primùm Deo conuenire: is enim præstantissimum ens, imò ens entium non immeritò dicitur; & iure quoque reliquorum omnium mensura nuncupatur, cùm primum in vnoquoq; genere cæterorũ sit metrum; huiusmodi porrò est, cùm per accessum, vel recessum ab ipsius perfectione quidpiam perfectius vel imperfectius esse dicatur; Ens autem entium cùm sit ens per essentiam siquidem existit à se nullam habens dependentiam ab alio, cæteris largitur esse, ac proindè cum hæc ab eo suum esse mutuentur, entia per participationem dicuntur; itæ fit, vt reliqua omnia à primo ente etiam si actu existant, illius vmbræ dicantur, quod ab illo pendeant, sintque finitis limitibus circumscripta; quò spectat illud Platonicorum asserentium Deum non esse ens, quia nimirum est supra ens, eique maximè è sententia Pythagoræ, atque Parmenidis ratio entis debetur, siquidem semper est, solum autem quod tale est, entis nomine dignum existimabant, vt genitum omnia corpora nuncupabant; licet ampliori significatu nomen illud extensum sit ad denotandum id, cui debetur esse, siue hoc actu quidem existat, siue non, dummodò tamen in natura rerum esse possit.

Primum in vnoquoq; genere est mensura cæterorũ.

Aliud entis genus quod rationis, & entis realis vmbra dici consueuit.

Aliud autem recognoscitur entis genus, quod vmbram realis entis esse dicebamus ad eum modum, quo cætera à primò ente eiusdem vmbras esse nuper asseruimus. Hoc autem rationis ens censetur illud, quod vi solius rationis suum esse consequitur, vt propterea ens rationis nuncupatum fuerit, dicitur que opus intellectus, cùm huic etiam rationis nomen accommodatum sit.

Entis rationis vna significatio.

Huiusmodi autem entis non vna est notio, siquidem nomen istud per locutionem, vt aiunt, *intransituam* ad intellectum denotandum vsurpatur, itaut per ens rationis id quod est ratio intelligatur, ad significandum itidem, quod in intellectu velut in subiecto recipitur: imò & quicquid intellectus molitur, iuxta quam vsurpationem, ne dum quos is elicit actus, sed etiam opera artificiosa, quæ quidem exstrinsecus eodem itidem dirigente fiunt, ac demum id, quòd eidem obijcitur, seu quod ab ipso cognoscitur; sed hoc geminam explicationem recipit; Vel enim entis nomine intelligitur id, quod re ipsâ quidem est, vel saltem esse non repugnat, ita tamen, vt præterea obijciatur intellectui; Vel quod habeat tantum esse quatenus ab intellectu cognoscitur, ac eidem obijcitur, cum tamen re ipsa esse non possit.

Duplex ens rationis vnum cum fundamento aliud sine fundamento &c.

Sic autem ens rationis acceptum bipartitò contingit, propterea quòd vnum cum fundamento in re; aliud verò sine fundamento esse dicitur, quod Chimæricum, & Metaphysicum appellant. Primum tunc accidit, cum intellectus concipit aliquid, quod etsi nullo modo sit in natura, in re tamen fundamentum est aliquod, cui mens innixa obiectum hoc, vel illo modo concipiat; vt cum concipit animal tanquam genus, ac ob id velut rationem vnam de pluribus enunciabilem; animal enim non ita est ex rei natura, cùm non reperiatur nisi ad singularia, contractum; quia tamen animalis ratio per sui diuisionem reperitur in pluribus, hinc intellectus nactâ occasione concipit illam tanquam vnam, atque communem pluribus, vt propterea intellectus ipse dicatur habere fun-

Digitized by Google

fundamentum in re; aut sic obiectum concipiat; obiectum autem ita cognitum cum fundamento quidem in re, ens rationis nuncupatur. Quod autem Chimæricum, ac sine fundamento dicitur, tunc planè contingit, cùm intellectus nullo quidem in re fundamento reperto concipit aliquid, quod neque est, nec esse potest in natura rerum; illud autem non inconsultò Logicum appellarunt; quoniam hic artifex in suis præceptionibus tradendis adhibere illud consueuit. Hoc autem nempè Chimæricum cùm gratis illud intellectus effingat, sic appellatum fuit; cætera, quorum meminimus, ad hanc etiam disputationem pertinent.

Ens rationis iuxta posterioremvlurpationem bifariam accipitur.

Sed ens rationis iuxta postremam vsurpationem geminò modo potest explicari, primò ut illud esse dicatur, quod nullum aliud esse habeat, quàm rationi obijci: secundò quod insuper habet, vel habere potest esse in rerum natura; Primum quidem est exem. grat. Chimæra compactum animal quoddam ex natura draconis, capræ, & leonis, quod à Bellerophonte occisum fuisse lepidè fabulantur poetæ; totum siquidem esse ipsius in eo positum est, vt rationi obijciatur.

Mons enim est Lyciæ igniuomus in cuius cacumine leones habitant, in medio autem vbi pascuis abundat, capræ, in radicibus verò serpentes. Hinc locus factus est fabulæ, Chimæram esse monstrum, quod

6. Æneid. flammis euomat, vnde Poeta, *flammisque armata Chimæra*, caput pectusque leonis habens, ventrem autem capræ, & caudam serpentis, puta, draconis, iuxta illud Lucretij.

Lib. 5. de rerum natura. Teog.

Priora leo, postrema draco, media ipsa Chimæra.
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam.

Ex Hesiodo Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δ' δράκων, μέση δ' χίμαιρα; Cùm autem Bellerophontes montem hunc habitabilem reddidisset Chimæram occidisse fingitur. Hinc tibi perspectum quo pacto intellectus, siue ratio negotiando circa diuersa, quæ extra animam existunt, componit vnum, quod solum in anima est. Intelligit enim leonem, capram, & draconem eo quidem in monte commorantes, & hinc nactâ occasione comminiscitur ex ijs vnum consurgens, quod cùm solùm ratione partium re ipsâ sit, vt vnum autem nõ item, sed solùm illud habens esse, quod per rationis operationem consequitur, ob id ens rationis appellatur, ratione enim non operante nullum esse habet. Secundum vt cùm ratio concipit exem. grat. leonem; hic enim præter illud esse, quod per repræsentationem consequitur quatenus menti, rationique obijcitur, habet vel habere potest reale quidem esse in rerum natura.

Quò hæc disputatio spectet.

Præsens autem contentio eò tantùm collimat, vt inquirat, an dari possit hoc genus entis, quod rationis dicitur solùm esse habens, quatenus rationi obijcitur distinctum ab omni ente reali tam in anima, quàm extra animam, vel existente actu, vel quòd ei saltem non repugnet existere.

SECTIO SECVNDA.

Auctoris opinio de ente rationis proponitur, explicatur atque defenditur.

Nullum aliud dari ens rationis, quam quod in intellectu existit.

NVllum aliud ens rationis concedendum, quàm quòd in ratione velut in subiecto recipitur, facile mihi persuasi, cùm nihil minus veritati consonum existimarim quàm illud ens effictum ab intellectu concedere, quod aliud esse non habeat, quàm esse obiectum ipsius.

Quicquid in ratione inest, reiicitur ens rationis.

Ens autem rationis rectè dici, quidquid in ipsa ratione inest, vt sunt mentis operationes, satis indè perspicuum, quòd accidentia sunt, proindeque subiecto indigeant, extra quod existere minimè possunt; quod etè adeò verum, vt etiam quæcunque per actus rationis repræsentantur quodammodo in illa, atque adeo aliquid illius esse dicantur, quatenus medijs actibus, quos exercet, quosque recipit aliquo modo vtpotè repræsentata, in eadem esse dici possunt. Ita quidem dum intellectus hominem concipit, quoniam hic redditur conceptus, & repræsentatus, in eodem intellectu tanquam in subiecto mediâ cognitione esse perhibetur. Ad se igitur omnia intellectus attrahit, quo pertinet illud Aristotelis *intellectus intelligendo fit omnia*; potentiæ siquidem cognoscentis & appetentis non eadem circa obiectum est ratio; appetens enim, vt ita dicam exit, & in suum obiectum se se quidem effundit, iuxta illud, *anima magis est vbi amat, quàm vbi animat*; at cognoscens res externas ad se quodammodò trahit, vt ob id res cognita in cognitione tanquam in imagine esse dicatur, & cognitio ipsa tanquam imago rei, quam repræsentat, res ipsa communi sapientum consensione habita est.

Assumitur ostendendũ repugnare illud ens rationis, quod solũ habet esse obiectiuè in intellectu distinctum ab omni ente existente in tota latitudine rerum.

At illud ens rationis habens esse tantùm prout intellectui obijcitur, velut aliquid repugnans, validissimis rationibus conabor ostendere; dummodo prius aduerterim, à me non negari; posse quidpiam ab intellectu concipi, itaut illi repugnet omninò in natura rerum existere; nulla enim de hoc potest esse contentio, cùm potius fatendum vltrò sit, hoc frequenter accidere; Nam sæpe sepius Chimæram paulò antea descriptam, Deum corporeum, alterum Deum, & id genus alia, humanus intellectus concipit, quæ nec re ipsâ sunt, nec esse possunt. Non subindè tamen omnis de medio sublata difficultas, adhuc enim supererit inquisitione dignum, num hactenus recensita, & alia generis eiusdem, entia realia, vel rationis dicenda sint.

Nullo modo admittendũ ens rationis siue Logicum, siue Metaphysicũ, vel si mauis chimæricũ.

Vt autem candidè loquar, nunquam animum câ potui informare sententiâ, vt crederem ens rationis, siue Logicum, siue Metaphysicum, vel si mauis Chimæricum admittendum, cùm potiùs pro comperto mihi semper fuerit, eorum vtrumque reale quidpiam existimandum esse, quamuis aliquo sensu nomenclaturam entis rationis obtinuerit.

Chimæræ effectio perpenditur.

Hac vt apertè constent, iuuabit animo paulisper euoluere singula, quæ ad Chimæræ cognitionem efformationemue concurrunt; siquidem hinc facilè quidem exploratum fiet id, quod nostra respicit perquisitio. Et sanè præter intelligendi facultatem, præter imaginem, & vt vocant, speciem intelligibilem, actio quoque concurrit, quâ intellectus agere, ac vitaliter dicitur operari, interuenit etiam cognitio, quæ quidem è quorundam opinione, re ipsâ ab actione distinguitur, adeout sit imago quædam repræsentans obiectum, sitque species expressa, vel vt aiunt, verbum mentis, cùm intellectionem velint actionem appellandam esse ad qualitatem, scilicet verbum mentis terminatam, itaut intellectio sit quædam actio, & cùm omnis actio ad aliquem terminum tendat, ob id etiam, & intellectio huiusmodi esse debeat, cuius terminus sit qualitas, quæ verbum mentis nuncupetur. Ex aliorum autem consilio intellectio ab imagine reipsà non distinguitur, adeout imago sit ad genus qualitatis pertinens per actionem tamen distinctam producta; Vel vt alijs magis arridet, intellectio est actio idem re ipsâ cum imagine, seu verbo mentis, quod sui natura ab intellectu pendet citra quamlibet actionem distinctam, ac proindè in hoc intellectio posita est. Hæc autem ad Chimæræ cognitionem nihil præterea concurrit, cum autem horum quodlibet entis realis natu-

Digitized by Google

rem redoleat; consequens sit, vt ad cognitionem, efformationemque Chimærę nihil interueniat quod reale non sit.

In chimæra non licet ens rationis &c. inferre.

Et quamuis in cognitione Chimæræ, Chimæram cognitam atque repræsentatam, naturas scilicet mutuò inter se pugnates conuinctas tamen, & vnitas esse concedam; non subinde licebit ens rationis inferre; cùm horum nihil planè sit vtcunque intellectio fieri dicatur, quod ens reale dici non mereatur, nullum igitur ens rationis ab aduersarijs intentum.

Nec aliquid negotij faceſſit, quod dici solet, nempè Chimæram cognitam veluti cognitionis terminũ, atque adeò tanquam ens rationis, concurrere. Reffellitur enim facilè, propterea quòd, si de actione sit sermo ad verbum mentis terminata, insulsè admodùm eius terminus ens rationis esse diceretur.

Et quamuis hìc terminationem vsurpari contendas pro ea, quâ speciem expræſſam ad rem expressam terminari dicimus; nihil planè conficies; sic enim terminari, nihil aliud, quàm ordinem ad obiectum dicere, illudque repræsentare. Sed cognitionem repræsentare obiectum; hoc repræsentari à cognitione, in hac habere esse expressum, & in eadem relucere; sunt penitùs idem quorum vnumquodque realis entis naturam sibi vendicat: nec esse chimæræ distinctum est quidpiam ab iis; proinde, & esse chimæræ ad quod velut in terminum cognitio dicitur tendere, non nisi quidpiam reale dicendum.

Præcipua ratio qua Auctor ductus ens rationis obiectiuè tantum in mente existens inficiatur.

Sed me præsertim in hanc opinionem trhaxit, quòd ens rationis ex aduersariorum sententia procul dubio foret illud existimandum, cuius nullum aliud est esse, quàm obiectiuum in mente; sed hoc apertè perspicuèq; repugnat, cùm hoc perindè sit, ac esse expressum in cognitione; esseque id cuius totum esse in eo positum, vt per cognitionem exprimatur, quod cùm à cognitione neutiquam distinguatur, idem planè cum illa erit; cognitionem autem reale quidpiam esse, nemini dubium, cum in intellectu velut in subiecto resideat; quamobrem illud expressum esse per cognitionem, esseque tanquam obiectum in intellectu, reale quid erit in eodem existens; non igitur concedendum aliquid cuius totum esse sit intellectui obiici.

Alia ratio affertur, ac explicatur.

Illud etiam accedit, quòd me Chimæram cognoscere, & hanc à me cognitam esse, re idem planè sunt, actiuè siquidem, vel passiuè exprimi, nullam rei distinctionem importat. At neminem præterit, me chimæram cognoscere, nihil aliud esse, quàm habere cognitionem exprimentem, repugnantes, mutuò tamè nexu coniunctas, naturas; Chimæra igitur cognita non aliud quidpiam ab eius cognitione importabit. Quod si res ita est, cùm cognitio realem obtineat naturam, fatendum omninò, Chimæram cognitam in se nullum ens rationis quo hìc accipitur sensu quidem inuoluere.

Responsio quorundã reijcitur.

Tametsi autem alicui videri potest, me chimæram cognoscere, præter cognitionem obliquo casu chimæram connotatam præferre, ac importare; vt cum dicitur cognitio chimæræ, cognitionemque ipsam reale quid esse; chimæram tamen obuersam non item, sed potiùs ens esse rationis. Nihil hoc tamen refert; quoniam chimæræ cognitio nil aliud supra cognitionem addit, quàm esse talem cognitionem; sed hoc tale esse, cùm sit cognitionis natura, aliquid reale erit; vnde me chimæram cognoscere, nihil profectò, quod reale non sit, inuoluet. Quòd si probandum velis, chimæræ cognitionem nil aliud esse, quàm talem cognitionem; Concipiat intellectus dari talem cognitionis naturam, nihil tamen de obiecto resultante à cognitione distincto concipiat; tunc ita ratiocinari licebit. Vel intellectus ità concipiendo prædictam cognitionem nihil cogitando de obiecto resultante obiectiuè tantùm existente, apprehendit cognitionem chimæræ, vel non. Si primum, id planè contendo, cognitio enim chimæræ nihil aliud erit formaliter, quàm talis natura cognitionis. Si secundum sequitur contra hypoterin, quòd intellectus non attingat intelligendo, talem cognitionem cùm talis esse non possit, nisi quatenus est cognitio chimæræ.

Præterea dùm intellectus chimeram percipit, considerandа cognitio, qua hæc repræsentatur. Vel igitur in huiusmodi cognitionis essentia pugnantium naturarum prædicata relucent, vel non. Si primum; dum intellectus hanc elicit cognitionem citra quamcunque fictionem, siue ens fictum formaliter chimæram intelligens dici debebit; vnde chimæræ cognitio, nil aliud quàm talis cognitio. Si verò secundum; magnum sequitur inconueniens, quòd nimirum illa cognitio non foret imago obiecti.

Quomodò explicatio rei ijcitur.

Sunt, qui dicendum existimant illa prædicata relucere quidem in cognitione, sed hæc ipsa ens rationis tantùm quoad vnionem esse.

Sed hoc, vt opinor in considerate dicitur, quandoquidem pugnantium naturarum prædicata propterea quod in ipsa cognitione reduleeant, non habent aliquod esse à cognitione distinctum, sed redditur tantummodo sensus, quòd in intellectu detur pugnantium prædicatorum cognitio. Nihilque refert, quòd in his chimæra consistens sit à parte rei impossibilis; cùm inde chimæra fictum illud ens non euadat.

Dices fortè, prædicata iam dicta vtpotè realium naturerum realia esse; illam tamen, quam intellectus cominiscitur vnionem, esse quid fictum à cognitione distinctum, quamobrem huiusmodi prædicata absq; ente ficto in cognitione haud relucebunt.

Hoc tamen nihil; siquidem ea præsertim vnio fictum ens dicenda foret, quia eius totum esse in hoc, quod est obiici intellectui, cõsistat quòd est, esse expressum per cognitionem, quod cum eâdem cognitione est idem; quamobrem vnio commemorata non erit ens fictum, vt aduersarij contendunt, alioquin fictum aliquid cognitio pariter dicenda esset.

Aliquid de vnione difficultas.

Non dissimulandum hìc autem de vnione iam dicta nonnihil esse difficultatis; propterea quòd aut illa ab ipsa cognitione distinguitur, aut non. Si primum, cùm aliud esse non habeat, quàm obiectiuum in cognitione, nulloque modo in re; videtur sanè dicendum, eam esse illud ens fictum, de quo contenditur. Si secundum, falsum omninò erit vnionem prædictam impossibilem esse, cùm ipsa cognitio haud impossibilis dici possit.

Difficultas in æquiuocatione posita est.

Vis tamen omnis propositæ difficultatis, si diligenter attendas, in æquiuocatione posita est; cùm enim dicis, vnionem prædictam impossibilem esse, vel eo sensu propositionem pronuncias, quòd extra cognitionem illa sit impossibilis: benè habet; & propositio cum veritate consentit, siquidem huiusmodi vnio per cognitionem expressa nequit extra cognitionem ipsam existere; at si alio sensu propositionem enuncies, ad significandum scilicet, vnionem illam impossibilem esse, quatenus nec etiam secundum illud esse, a quod habet expressum per cognitionem, cum eâdem cognitione sit idem, falsa penitus est propositio.

Sed ad hæc illustranda frequenter in exemplum rei alicuius, puta, Cæsaris, picturatam imaginem vsurpari aduerti; itaut hunc in modum ratiocinentur. Imago illa Cæsarem ob oculos ponit, ac repræsentat; hic autem quatenus repræsentatus non est quidpiam di-

Digitized by Google

distinctum secundum illud esse repræsentatiuum, & ab ipsomet Cæsare, & ab imagine; sed est prorsus cum imagine idem; nec imago illa dicitur alicuius imago respectu istius esse repræsentatiui, sed potiùs alicuius imago est sine vllo respectu ad Cæsarem secundum esse repræsentatiuum.

Explicatio aduersariorum difficultatis. Ineptè tamen rem propositam illustrant; Vltrò siquidem admittam, Cæsarem secundum esse repræsentatiuum non esse quidpiam ab imagine, & ab eodem Cæsare distinctum, adhuc tamen alicuius imago nimirum Cæsaris existentis in natura rerum, vel saltem possibilis dici potest; Ob id rei alicuius impossibilis & multò minùs actu existentis in exemplum picturatam imaginem præstat adhibere; cuiusmodi sunt picturæ, quibus cubiculorum lacunaria, vel parietum illa concludentium superiores margines exornantur; illæ siquidem repræsentant, quod ab ijs non distinguitur secundum esse repræsentatiuum, quod in picturis habet nec ab aliquo repræsentato, quod re ipsâ sit in natura. Non dissimiliter intellectus, dum repugnantes percipit naturas, vinculo quodam vnitas, atque connexas; hæ namque secundum esse repræsentatiuum, quod habent, nec à cognitione, nec ab aliquo existente à parte rei distinguuntur; hoc enim sunt repugnantes naturæ, prout nexu quodam coniunctæ, quæ re ipsâ non existunt.

Eadem est difficultas de repræsentato per cognitionem & de pictura. Quòd si à me scisciteris de repræsentato, cuius illa cognitio dici possit imago; Et ipse à te vicissim de repræsentato, cuius illa pictura dici possit imago; eadem siquidem vtrumque nostrum præmit, ac vrget difficultas. Nec ob id paritas corruit, quod pictura sit imago, *quæ*, nempè quæ priùs cognita ducit nos in cognitionem alterius; at verò cognitio sit imago, *qua*, nimirum qua formaliter intellectus euadit cognoscens; paritas enim adhuc viget, atque subsistit. Vt autem illa pictura repræsentat se ipsam, sic talis cognitio.

Aduersariorum responsio obtenditur. Quoniam tamen satis obuia potest esse responsio, quòd scilicet illa pictura, si non alicuius re, saltem obiectiuè quidem existentis in mente, imago sit, atque adeò illius, quod ab ipsa pictura tanquam ens fictum ab ente reali distinguitur; Cogitandum propterea rei cognitionem alicuius imaginem esse, in eo consistere, quòd cognitio aliquid repræsentet; ad eum igitur modum, quò difficultati fit satis, de repræsentato distincto à repræsentante; modo non dissimili occurrendum in re proposita, de qua mox sermo redibit.

Materiale repræsentatum per cognitionem sunt naturæ repugnantes. Occurram igitur dicendo, repræsentari tanquam obiectum materiale naturas repugnantes, & hoc à cognitione distingui; quod autem se habet velut id cuius totum esse in ipso esse repræsentatiuo consistit, quædam est ipsius cognitionis ratio.

Repræsentatum igitur concretum quidpiam, non secus, ac album ex. gr. duo nimirum, & formam repræsentantem, & id quod per ipsam repræsentatur, vt album albedinem habens importat. Ita quidem chimæra saltem implicitè formam repræsentantem, & id quod per cognitionem repræsentatur, puta, repugnantes naturas, & realem vnionē indeterminatè tamen acceptam. Repræsentatum igitur sunt prædictæ naturæ &c. quæ dicuntur repræsentatum vt quod, cognitio autem vt quo; vt lac dicitur album vt quod, albedo autem vt quo, hoc intercedente discrimine, quòd denominatio albi intrinseca; cogniti, & repræsentati extrinseca est. Quamuis autem in concretis se habens vt quod à forma distingui debeat: se habens tamen vt quo non debet. Hinc facilè intelliges occurrendi modum propositæ paulò anteà difficultati.

Difficultas proponitur eiusque solutio. Tametsi autem hactenùs dicta summoperè cum veritate consentiant, difficultates tamen non desunt, quibus eadem laborare videntur.

Obiectio prima. Dices proinde, cognitum obiectum sola nequit esse cognitio, siquidem præter cognitionem id, quod per cognitionem expressum est, importat. Quando igitur intellectus concipit quidpiam, quod re ipsâ non est, præter cognitionem aliquid concedendum, quod repræsentatum, & cognitum denominetur.

Difficultati fit satis. Hæc non inficior, sed quod cognitum denominatur, dum intellectus quidpiam comminiscitur, ac fingit, sunt repugnantes naturæ cum vnione, ac nexu. Totum igitur hoc cognitum, & expressum dicitur, in quo tamen nihil inuoluitur, veluti fictum ab omni ente reali distinctum; si quidpiam enim foret, maximè quidem vnio, quę quidem nō est nisi realis, indeterminatè tamen accepta, quemadmodùm & repugnantes naturæ, quibus intellectus illam appingit reales sunt; & quamuis huiusmodi vnio realis sit naturis realibus applicata; non subindè tamen conflatum illud est aliquid in re; propterea quòd realis illa vnio indeterminatè tamen sumpta non re ipsâ inter repugnantes naturas, sed tantum repræsentatiuo modo intercedit, quatenùs per cognitionem cadens inter naturas illas exprimitur, quæ à parte rei repugnant vniri.

Nec præteribo, quod in re proposita multum habet momenti, nempè chimæram cognitam esse quidpiam à cognitione à naturis repugnantibus, à nihilo à parte rei inadæquatè distinctum, cùm præter cognitionem reliqua itidem importet, non tamen adæquatè, cùm in ijs omnibus collectim tamen acceptis consistat. Ex quo facilè intelliges, immeritò ibi rationis ens fictum ab aduersarijs intrudi.

Obiectio Secunda proponitur, atque diluitur. Amplius obijciet quispiam. Chimæra tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, ergo verè est ens rationis. Sed quis ex hactenùs dictis adeò rudis cui perspectum non sit, chimæram secundum id, quod materiale est, vt sunt repugnantes naturæ, realis vnio &c. non esse obiectiuè tantùm in mente, licet secundum quod formale dicitur, puta, secundum esse repræsentatiuum, ita se habeat. Et hoc quidem modo dicetur ens rationis, non quatenùs ab omni ente reali distinguitur, sed quatenùs habet tantummodò esse expressum per cognitionem, à qua non distinguitur, quæ in ipsa ratione residet.

Nec expressum illud esse per cognitionem, quod veluti formale habendum dicebamus, esse aliquid debet à cognitione distinctum, ita nimirum vt, cùm re ipsa non sit in rerum natura, aliquid fictum ab aduersarijs intentum esse debeat? Quod enim materiale est, debet à cognitione distingui, non nego, vt sunt repugnantes naturę, realis vnio, nihil à parte rei; quod autem formale, non debet; propterea quòd hoc non est id, quod repræsentatur, sed quo aliud repræsentatur, sicuti est, cùm cognitio fuerit vera, aliter ac est, cùm fuerit falsa, quæ ita dicitur, quoniam exprimit res aliter ac sunt in se ipsis. Ità planè, cùm intellectus cognoscit chimæram appingens rationem vnionis realis naturis leonis, draconis, & capræ re ipsâ minimè aptis vniri, decipitur, & cognitionem elicit falsam, quippè quæ exhibet intellectui realem vnionem cadere inter naturas illas, quæ à parte rei vniri minimè patiuntur.

Qua ratione chimæra ens fictum dicatur. Hinc etiam perspicuum fit, quâ ratione chimæra ens fictum dicatur, cùm tamen cognitio sic appellari non possit; chimæra siquidem ità dicitur, quatenùs ens fictum opponitur enti extra intellectum, non quatenùs cuicunque enti reali aduersatur.

Sic etiam chimæra dicitur impossibilis, quamuis cognitio talis dici non possit, propterea quòd chimæra non solam cognitionem, sed alia itidem inuoluit. Di-

Digitized by Google

citur etiam eõtradictoria inuoluere, non sic cognitio, eo quòd chimæra contradictoria inuoluit ad esse in statu reali, non autem intentionali. At cognitionem inuoluere quidẽ illa ad essendum in statu reali, falsum omninò; vt ex aduerso verissimum, in statu quidem intentionali. Neque hæc in admirationẽ nos trahant; nam duo contradictoria repugnant esse in statu reali, non intentionali; vt repugnat rugibile, & hinnibile realiter idem esse extra intellectum; non repugnat autem, vt eodem intellectus actu attingantur; ità fit, vt cognitio non euadat impossibilis; nam etsi exprimat, & in se contineat huiusmodi contradicentia, non ea tamen includit secundum esse reale in quo repugnant, sed secundum esse intentionale, in quo se compatiuntur, nec illam repugnantiam inuoluunt.

Difficultas alia proponitur, simulque diluitur.

Quòd si vrgeas. Chimæra secundum id, quod est formale, nempè secundum esse repræsentatiuum, non est impossibilis, cùm hoc idem sit cum cognitione, quæ nullo modo impossibilis. Neque secundum id, quod materiale est, dici impossibilis potest, cùm sint reales illæ naturæ &c. ergo secundum neutrum istorũ impossibilis erit, si igitur vtrinque possibilis, ergo pariter & ipsa possibilis. Non inficiandum, cognitionem esse quid possibile, itemque omnia, quibus chimæra constat, sunt tamen possibilia, atque adeo chimæra possibilis in vniuerso rerum genere, non autem rerum existentium extra intellectum, secundum quod genus *chimæra* dicitur impossibilis, quatenus illæ repugnantes naturæ non possunt esse extra intellectum, prout per cognitionem repræsentantur, quod est esse possibile in vniuerso rerum genere; impossibile tamen in eorum ordine, quæ extra intellectum existunt.

Quid particula sicut sibi velit.

Si quærendum autem operæ pretium existimes, quid particula *sicut* sibi velit, cùm naturas repugnantes haud esse extra intellectum dicimus, sicut per cognitionem exprimitur. Non vnio est, cùm hæc supponatur realis, atque adeò possibilis, fictum igitur quidpiam per modum obiecti tantùmmodò existentis in mente. Mala tamen hæc consecutio; duobus enim modis cogitandum repugnantes illas naturas velut vnitas, atque connexas per cognitionem exprimi, ac repræsentari. Primò quidem negatiuè, quatenus non repræsentantur disiunctæ, vel distinctæ. Secundò positiuè, prout intellectus vnionem alioquin realem apprehendit velut intercedentem inter repugnantes naturas; non quòd hæc intercessio quidpiam ex parte obiecti præseferat omnino fictum, sed quoniam intellectus vnionem prædictam falsò ijs accommodat, quibus applicanda non est; quod in omni cognitione falsa contingere cuique perspectum, ac exploratum.

Alia difficultas proponitur, eidemque fit satis.

Præterea non nullis ea familiaris est difficultas. Illa cognitio, in qua vniuntur naturæ repugnantes ad aliquid terminatur, quod, cùm in re non sit, siquidem cognitio est falsa, necessariò fatendum rationis ens ab aduersarijs intentum. Hoc tamen nullius momenti; nam cognosci repugnantes naturas, vel si mauis chimæram, nihil continet, præter cognitionem falsam, cùm chimæram dari, nihil aliud sit, quàm dari naturam cognitionis sic exprimentis; cùmq; huiusmodi expressio non aliud sit quidpiam à cognitione, reale quid erit; nullus igitur erit alius terminus à cognitione distinctus, quàm materiale quidem obiectum, quodque in re proposita sunt repugnantes naturæ, nexu quodam coniunctæ, quibus non est conformis cognitio chimæram exprimens, ac repræsentans, siquidem re ipsâ non sunt huiusmodi vinculo connexæ.

Ineptè autem existimant plerique naturas illas repugnantes nullo modo cognosci, propterea que non esse cognitionis terminum; Tametsi enim non exprimantur, vt sunt, nimirùm sine vnione vel nexu; exprimuntur tamen aliter ac sunt, nempè cùm huiusmodi vnione, atque adeò inter se connexæ.

Quòd si quispiam obijciat. Quod formaliter per cognitionem repræsentatur, debet à cognitione distingui, siue vera, siue falsa cognitio sit; at formale obiectum cognitionis est, quod repræsentatur, ob id illud erit à cognitione distinctùm. Facilè tamen obuiam itur, quod enim formaliter repræsentatur, non formaliter, vt aiunt, & prout repræsentatum, sed materialiter, & specificatiuè sumptum esse debet à cognitione distinctum. Alia ratio obiectio proponitur simul & euertitur.

Cæterùm id minimè prætereundum, nempe cognitionis materiale quidem obiectum, cui dicitur conformis, si vera est, secus autem, falsa, à cognitione re ipsa distingui; at quod formale est obiectum, nequaquam; ita planè chimeræ cognitio materiale suum habet obiectum à se distinctum, vt sunt repugnantes naturæ &c. non autem formale, quod in illo esse expresso per cognitionem consistit. Materiale obiectum à cognitione re ipsa distinguitur, sic non formale.

Neque dicas, chimæram esse quid distinctum à cognitione, quoniam si quis cognoscat huiusmodi cognitionem falsam, nedum cognitionem, sed etiam chimæram expressam per cognitionem cognoscit; Non inquam, id dicas, tunc enim chimæra non secundum se, sed in imagine eius cognoscitur; quamobrem inscitè deducitur, ac ineptè concluditur. Difficultas proponitur, atque diluitur.

Illud etiam addendum, nimirùm, quod non habet esse, nisi formaliter actu cognoscatur vt chimæra, insulsè admodum dici sic se habere, vt nec sit cognitio, nec habeat esse à parte rei, non enim ob id censendum extra ambitum entis realis, est enim idem cum cognitione, quæ intra limites realis entis coercetur. Difficultas alia proponitur, eidemque fit satis.

Maiorem difficultatem ingerunt ita ratiocinantes. Dum quispiam negat dari ens rationis; vel illud cognoscit, vel non; si secundum, perperam negat, cùm non cognoscat. Si primum, fateatur ens rationis oportet, quoniam illud dari, nil aliud profectò, quam cognosci. Maior difficultas affertur, & eidem occurritur.

Quamuis huic difficultati vis aliqua inesse videatur; nullius tamen ponderis deprehendes aduertens, ens rationis negari sensu ab aduersarijs intento bifariam intelligi; vel ita vt intellectus primò illud apprehendat, mox verò neget; atque hunc in modum difficultas aliquid momenti habet, neque hoc sensu illud negari existimandum. Intelligi deinde potest, illud non concedi, quatenus ab intellectu concipi non potest, & sic negari illud, est vsurpandum; atque percontanti, num illud cognoscatur, vel non, respondendum, non cognosci. Instanti autem, si non cognoscitur, qua ratione negatur? respondendum, negari modo iam explicato, quatenus idem est, quod non cognosci.

SECTIO TERTIA.

Per quam intellectus operationem ens rationis fiat: & num ab alijs animæ potentijs cognoscentibus, & appetentibus fieri possit.

Est operatio precisiua inquirere, per quam intellectus operationem fiat ens rationis, quo concedendum adstruximus; subinde verò, num sic ab intellectu fiat, vt à nulla alia animæ potentia fieri possit.

NEgligenda quidem ea non est inquisitio, per quam scilicet intellectus operationem fiat ens rationis, modo quo concedendum adstruximus; subinde verò, num sic ab intellectu fiat, vt à nulla alia animæ potentia fieri possit.

Hæc autem, vt probè tractentur, primò considerandum, an veritas & falsitas adeo sit propria cognitionis intellectiuę, vt nulli alii potentiæ cognoscenti possit accommodari. Si placet naturæ genium, Aristoti- Nũquid

flotilem scilicet audire. Eum splendidè admodùm significasse videbimus, indiuisibilium intellectionem in ijs esse, circa quæ falsum non contingit. Omnis igitur simplex, quam exercet intellectus, apprehensio vera est. Quoniam autem verum, & falsum contraria sunt, circa idem proinde fieri debent; si igitur apprehensio simplex vera esse potest; non est profectò cur ei falsitas denegetur. Sed quo id pacto sit vsurpandum, vt paucis perstringam, breuiter adnotabo; veritatis geminam esse acceptionem, vel nimirum pro illa congruentia cognitionis cum re cognita, itaut affirmationem, vel negationem inuoluat: & hæc profectò simplici intellectus apprehensioni conuenire non potest. Altera est, quæ in cohærentia cum re cognita consistit, nullam affirmationem, vel negationem importans; & hanc simplex intellectus apprehensio potest sibi vendicare.

Non absimili modo de falsitate ratiocinandum; hæc enim affirmationem aut negationem habens adinuctam soli potest enunciationi conuenire, atque adeo in apprehensionem simplicem non cadit. At sine affirmatione, & negatione, profectò nihil obstat, quo minus ea simplici intellectus apprehensioni conueniat. Non dissimulandum tamen, falsitatem hanc potiùs ignorationem appellari; vnde Philosophus, *& est quidem*, inquit, *verum attingere, atque repræsentare, non attingere autem, est ignorare*. Quando intellectus enim obiectum attingit suum, quamuis nec affirmet, neque neget quidquam, verus dicitur; quando autem non attingit, tunc non falsus, sed ignorans appellatur. Vtcunque se res habeat, palam est, & apertum, aliquod falsitatis genus simplici mentis apprehensioni conuenire, Hinc facilè intelliges, per hanc fieri ens rationis posse, cùm hoc per illam operationem fieri possit, quæ falsum subire valet.

Cùm autem sensus cognitio maximè sit intellectus apprehensioni similis, & affinis, non secus de cognitione sensus, & intellectus apprehensione sentiendum. Concludendum igitur, & per simplicem intellectus operationem, & sensuum quoque functiones ens illud rationis fieri.

De appetitu autem tam rationali, quàm sentiente ex hucusque traditis quidnam dicendum, non obscurè constabit; nam ens rationis, si pro materiali parte repugnantes naturas, pro formali verò cognosci, esseque per cognitionem expressum, nec aliud quidpiam importet, non dissimiliter de voluntate ratiocinandum, erit in ea siquidem ens rationis dicendum, quod pro materiali parte pugnantia pro formali verò esse appetitum, & amatum, minimè ab actu amoris distinctum importabit.

Sed age, quale fuerit Epicuri consilium in re proposita, queq; sententia paucis explicemus. De sensu, quem primũ Criterium faciebat, sic opinabatur. Is geminam cognitionem agnoscens, vnam esse dicebat nudam quandam rei perceptionem, simplicemque apprehensionem: altera verò opinionem, siue iudicium, cùm de re quapiam aliquid affirmatur, vel negatur. Illi falsitatem negabat; huic concedebat. Quamobrem dum oculus ex. gr. remum alioquin cùm reipsa sit rectus, curuum videt, aut turrim rotundam, teretemue, quæ quadrata est, huiusmodi visionem sic re ipsa se habere, & visum sic affici dicebat; quin imò veras esse causas, quibus positis necesse sit huiusmodi visionem fieri, neque aut visus non tali possit affici modo, aut res non talis apparere. Idq; quicquid mens postea iudicet; ad eum planè modum, quo spectante orichalcum oculo, elicitur reuerâ visio orichalci, neque potest visus non recipere orichalci speciem, quicquid deinceps mens de orichalco pronunciet, hoc est esse orichalcum, aurumne, aut aliud. Contendit igitur modo iam explicato sensum non falli. His alij addunt & illud, quoniam visus tunc illa quidem apprehendit obiecta, si non vt sunt, saltem vt ex rei natura per species repræsentantur. Itaque visus tantùm apprehendit colorum illam apparentiam, vt in collo columbæ, in quibus falsitas nulla, quoniam ex rei natura sic per species fit repræsentatio, & si quis contingit error, hic potiùs imaginanti vel intelligenti facultati adscribendus. In exemplum afferunt vuas Zeuxi industriè depictas, quas aues deceptæ veras existimarunt, itemque linteum à Parrhasio affabrè coloribus expressum, quod Zeuxim eundem decepit. In hisce igitur casibus facultatem videntem haud esse deceptam existimant, propterea quod visio ad vuas pictas; & ad linteum pictum verè terminatur; sed æstimantem, vel intelligentem facultatem ob accidentia similia fuisse deceptam arbitrantur; quinimò neque has falli, si iudicium non supra existentiam, sed supra solam eiusdem apparentiam feratur, quoniam tunc iudicaret, quod verè ex rei natura apparet.

O quantum de veritate loquentes à veritate recedunt! Dum visus remum percipit fractum, siue curuum, propterea quod partim sit immersus in aquam, partim verò exstet, certè decipitur, eiusque cognitio falsa est. Non enim vera euadit, quoniam sic ob radiorum fractionẽ, ob medij conditionem esse debeat; adhuc enim est falsa, quippe quæ rei in se spectatæ minimè conformis, id vndecunque proueniat. Et quamuis in huiusmodi cognitione iudicium nullum occurrat, adhuc tamen falsa, cùm remum non exprimat, vt in se est, sed variatum, prout eius imago requirit; ad cognitionem siquidem, & facultas cognoscens, & obiectum cognitum, & imago eiusdem concurrit. Facultas obiectum percipit, prout illi per imaginem exhibetur. Si igitur hæc illi prauè repræsentat obiectum, facultas cognitionem eliciet etiã iuxta exigentiam imaginis, obiecto tamen dissimilem. Proxima igitur deceptionis causa praua est imaginis conditio, prauitas hæc à refractione radiorum ortum ducit, hæc ipsa refractio à medij diuersitate; falsa igitur illa cognitio; proindeque non repugnabit ens rationis, à sentiente fieri facultate.

Improbatur Epicuri sententia.

Neque refert ex orichalco desumptum exemplum attulisse; tunc enim, quod oculis vsurpatur, idem penitus est, quod per imaginem exprimitur; quæ ei similis vndequaque sic videntem facultatem immutat, vt hęc illud prout est, percipiat. Secus autem in visione remi contingit; videndi siquidem facultas per deprauatam imaginem decepta nequit illum vt re ipsa est, attingere.

Respõdetur ad exẽplum de orichalco.

SECTIO QVARTA.

Quotuplex sit ens rationis.

Vulgata entis rationis partitio in Logicum, & Metaphysicum.

VVlgata, satisque frequens est entis rationis illa partitio, qua in id quod habet, & quod non habet in re fundamentum, atque adeo in Logicum, & Metaphysicum distribuitur. Metaphysicum est, cùm nulla quidem occasione vrgente falsam cognitionem elicit intellectus, vt dum chimæram hircocerui, & id genus alia percipit. Hoc autem in negatiuum, priuatiuum, relatiuum communi calculo distribuitur.

Ens rationis Metaphysicum in negatiuum, priuatiuũ, & relatiuũ. Negatiuũ.

Primum cognitionem falsam importat, qua negatio formæ positiuæ instar concipitur, cùm tamen vt nihil concipi deberet. Sic illa cognitio, qua in lapide me-

neram negationem visionis tanquam positiuam formâ apprehendimus, ens rationis negatiuum constituit.

Primum. Secundum, cognitionem falsam præsefert, quâ intellectus tenebras in aëre, velut obscuriorem formam apprehendit, cùm tamen sint lucis carentia.

Tertium. Tertium est illud, quod falsam cognitionem inuoluit, quâ intellectus aliquam relationem apprehendit, quæ ex rei natura non sit; vt dum visi denominationem exstrinsecam in pariete, tanquam intrinsecam, à forma positiua prodeuntem, per quam paries visionem respiciat, apprehendit.

Secundò ens rationis Logicum. Secundum ens rationis Logicum erat, tunc sanè contingens, cùm intellectus arreptâ occasione, vrgentique motiuo concipit quidpiam longè aliter, ac in natura est; ita videlicet, vt hæc occasio fundamentum sit intellectui ad huiusmodi ens rationis efformandum. Occasionem verò hanc ex proprietatibus, conditionibusque rerũ intellectus desumit, qui proinde non gratis, nec ad libitum illud valet effingere; cùm iuxta rerũ proprietates, conditionesue debeat illud elaborari. Vt si natura quæpiam aliquibus sit communicabilis, occasio est intellectui ad vniuersale efformandum; hinc igitur vniuersalis; & quo pluribus illa communicabilis eò magis vniuersalis, & si nullis indiuidui ratio desumitur.

Quomodo falsam notitiam involuat. Hoc idem ens rationis falsam notitiam, non vtcunque tamen, inuoluit; sed illam, quæ ex inadæquata repræsentatione, vel si mauis, ex præcisione contingit; vt cùm intellectus esse animalis cognoscens, illud concipit velut sentiendi principium, in quo non decipitur, nec in falsitatem incurrit; quia tamen animalis esse non concipit, vt re ipsa est in inferioribus diuisum, proinde ab hac diuisione præscindens falsitatem offendit; tametsi enim abstrahentium non sit mendacium in affirmatione, vel negatione consistens, falsitas tamen est, prout hæc in ignoratione posita est. Animalis enim esse re ipsâ in plures species ac indiuidua distribuitur, quod intellectus præscindendo efficit vnum, proindeque cùm à diuisione præscindendo cognoscendum quidpiam omittat, hinc ob id ignorationis quæ falsitas, dicebatur.

Peculiaris quædam species entis rationis quæ 2. intentio nuncupatur. Hic potrò non prætereunda species peculiaris entis rationis, quę secunda intentio nuncupatur; de hac igitur disserendum. Etsi autem in re proposita non idem sit Philosophorum sensus; mihi tamen eorum summoperè consilium arridet, qui secundam, de qua loquimur, intentionem sic explicandam existimant; vt putent, eam esse relationem quandam conceptam ab intellectu, rationis appellatam; non tamen omnem, sed illam tantummodo, quæ priorem aliquam cognitionem, intentionemue tanquam fundamentum supponit, ita tamen, vt per ipsam relationem res exprimatur extra suum ordinem.

Non omnes relationes rationis in priori cognitione consistere. Non omnes igitur relationes rationis etiam in priori cognitione, vel obiecto quatenus cognito fundatæ debent secundæ intentiones existimari; sed illæ tantummodo, quæ cadunt in obiectis comparatis, pro vt in aliquo attributo rationis comparata sunt, eo sensu nimirum, vt comparatio passiua duorum obiectorum in aliquo rationis attributo concepta ab intellectu inter illa instar respectus inter duo illa versantis, secunda sit intentio, quatenus tamen per illam obiecta collata referuntur ad inuicem, non autem ad intellectum conferentem: non enim est idem esse comparatum, quod habent in ordine ad intellectum comparantem; & esse comparatum, quod inter se habent ex negotiatione intellectus, proindeque aliud est concipere illud esse comparatum, & hoc; dum enim illud concipimus, puta, esse comparatum obiecti in ordine ad intellectum comparantem, sistimus intra limites primi conceptus, primæque intentionis; hoc enim modo ordinem exprimimus tantummodo, conceptus ad obiectum. Tunc autem egredimur limites primi conceptus, cùm illud esse comparatum concipimus, quod inter se habent obiecta ex intellectus negotiatione. Magni igitur interest, vtro modo conceptus contingat, an videlicet talis, quo concipitur aliquid, puta homo, habere esse cognitum, vel comparatum in ordine ad intellectum concipientem, & comparantem; an verò talis, quo homo comparatus cum Socrate, & Platone intelligitur, prædicabilis habere rationem &c. Postremus enim iste conceptus est is, ex quo nec rem, nec ordinem realem eius ad aliud, aut alterius ad ipsam exprimit intellectus, sed potius exprimit hominem, & Socratem, non vt in suo sunt ordine, sed secundum illud additum ab intellectu ea comparante in attributo rationis. At prior ille conceptus primus est, cùm exprimat realem terminationem, qua obiectum realem actum comparantis intellectus terminat exprimentem rem, vt in suo ordine est.

Prima & secunda intentionis natura coniicitur. Ex his facilè intelliges tam primæ, quàm secundæ intentionis naturam. Prima enim intentio dicetur *Obiectum actu cognitum, vel absolutè per actum rectum, aut reflexum, vel in ordine ad aliud, per actum, cuius sit comparare secundum aliquod attributum illi conueniens ex rei natura ante intellectus negotiationem.* At verò secunda intentio dicetur *Comparatio passiua, quæ reperitur inter duo, vel plura obiecta ad inuicem comparata in aliquo attributo rationis concepto ab intellectu per modum mutuæ relationis inter illa.*

Prima intentionis explicatur. Declaratur secunda. Explicatio definitionis prædictæ. Quarum definitionum intellectus hic est. Ad primam quod spectat; neminem præterit, tam per actum rectum, quàm reflexum res in suo ordine cognosci, quin etiam per actum comparatiuum, cùm res secundum aliquod attributum independens ab opere rationis conferuntur. Vt si quispiam hominem, & animal directis actibus concipiat vtriusque naturam perlustrando, vel etiam reflexis, intelligendo se illa intelligere, seu vt à se cognita, imò etiam actu comparatiuo hominem puta cum animali comparando; at intelligendo hominem in se quidem animalis naturam inuoluere; non autem vicissim rationem hominis in animali includi; hinc omnibus modis intellectus concipit, quod homini, animalique in suo conuenit ordine. Quamuis igitur actus comparatiuus fuerit, nihil planè refert, cùm illa comparatio fiat in attributo existente extra intellectum, vt illud, in homine animalis rationem inuolut. At si intellectus conferat animal cum homine, simulque concipiat illud veluti genus comparatione istius, quoniam hominem cognoscendo participare animalis naturam, sumpsit occasionem prædicandi animal, subijciendique hominem, dicendo homo est animal; hominem ob id conuenire cum animali in hoc rationis attributo, quod est, hominem animali subijci, & hoc vicissim de illo prædicari; tunc; in obiectis hac ratione inuicem collatis, passiuæ habentur comparationes diuersæ, quæ ex parte extremorum iuxta varias eorum proprietates, varias itidem nomenclaturas, veluti per relationes concepta ab intellectu, sortiuntur; hæ autem sunt, quæ dicuntur secundæ intentiones prædicati, subiecti &c.

Hactenus primæ intentionis explicatâ definitione, superesset admouere manum ad definitionem secundæ intentionis enucleandam; verum ati id nulla cogit necessitas, cùm ex hucusque traditis perspicuè satis ipsa constare possit.

S E.

SECTIO QVINTA.

Secundæ intentiones cum primis, & inter se conferuntur.

SEcundæ, quas dicimus intentiones, & cum primis, & inter se non sine magna solent vtilitate conferri cum hinc plurimarum enunciationum sensus eluceant.

Prima autem collatio sit, qua intentiones secundæ cum primis tanquam earum imagines conferuntur. Ita fit, vt quicquid secundis intentionibus tribuitur, primis quoque tributum intelligi debeat, aliquibus tamen exceptis, cùm prædicata nimirum sunt, quibus intentiones secundæ à primis discriminantur, vnde non sic licet ratiocinari. Genus est ens rationis, siue secunda intentio, sed animal est genus, ergo animal est ens rationis, siue secunda intentio; nam ens rationis, & secunda intentio ea sunt prædicata, quibus genus, species, & reliquæ secundæ intentiones à primis distinguuntur; quod etiam in imagine picturata comparatione prototypi contingit; multa siquidem vtrique conueniunt ac tribuuntur, vt quod facies sit hisce coloribus perfusa, hoc lineamentorum genere constructa &c. quæ nimirum imagini non sui, sed prototypi ratione conueniunt. At si prædicata huiusmodi sint, quæ sui ratione sibi vendicet imago, non eodem modo se res habet; proinde nos de imagine dicimus esse figuram tabulæ consignatam, coloribus depictam, vitæ quouis genere destitutam, quæ prototypo accommodari non possunt.

Bifariam hæc autem contingunt, prout gemmino modo possunt intentiones secundæ primis applicari; hæc enim applicatio vel fit per prædicationem exercitam, vel per signatam. Prima est, quæ per est verbum substantiuum perficitur, vt cùm dicimus, homo est animal; altera verò est, quæ per terminos secundarum intentionum, & per verba *dici*, & *prædicari*, absolnitur; vt cùm dicimus, genus prædicatur de pluribus specie differentibus. Hanc autem sunt qui putant, non tam prædicationem, quàm prædicationis signum existimandum esse, eam ob causam, quia ponendum ex parte subiecti constituitur ex parte prædicati. Non inficiandum tamen, etsi minùs propriè etiam huic prædicationis rationem conuenire.

Quando autem exercitâ prædicatione secundæ quidem intentiones primis applicantur, prædicari non possunt, nisi accidentaliter, actu, & denominatiuè, non secus ac accidentia de subiectis suis prædicantur, cùm videlicet accidentia realia sunt, hæc enim in concreto, non in abstracto sumpta de subiectis suis denominatiuè dicuntur; ita quidem dicimus homo est albus, est coloratus, non autem est albedo, est color. At intentiones secundæ, non sunt, nisi quædam relationes rationis, vt paulò antea dicebatur, quas intellectus velut accidentia quædam primis intentionibus tribuit. Ita quidem dicimus animal est genus; non genereitas, vt ita loquar, homo est species, non specieitas. Nec modo absimili sentiendum de reliquis; hic enim proprius est modus, quo accidentia de suis subiectis, nimirum vt concreta de concretis prædicentur.

Cùm autem applicatio secundarum intentionum ad primas fiat per prædicationem signatam per verbum *prædicari*, *dici* &c. secus se res habet, quandoquidem essentialis fieri prædicatio potest, vt cùm dicimus, genus prædicatur de pluribus speciebus. Species prædicatur de pluribus indiuiduis; sic enim denotamus prædicationem hanc in primis intentionibus exerceri; hæc enim prædicatio generis de speciebus exercetur, cùm dicimus, homo ex. gr. est animal; atque adeo exercitium in terminis primarum intentionum contingit.

Non dissimulandum tamen hoc exercitium etiam in secundis intentionibus cadere, cùm hæ tanquam superius & inferius comparantur, vt si dicamus, Vniuersale prædicatur de genere, ergo genus est vniuersale.

Hoc exercitium etiam in secundis intentionibus cadit.

Prædicationem autem signatam in secundis intentionibus exerceri quidem in primis, ea ratio suadet; quia secundæ intentiones præcipue quando copulantur per verbum *prædicari*, supponunt pro fundamentis, atque adeo huiusmodi prædicationes per terminos primarum intentionum verificari debent.

Prædicatio signata in secundis, exercetur in primis.

Vt ritè secundarum intentionum ad primas præsertim per exercitam prædicationem applicatio fiat, fundamentum attendi debet; ex huius enim animaduersione non erit operosum applicationis modum percipere, si nanque illa de quibus aliquid prædicari potest, essentiâ, naturâque dissiderant; tunc illi generis quidem est applicanda intentio; si autem numero, speciei intentio aptari debet. Cum igitur obseruatum fuerit, sic se habere animal, vt eæ quibus inest species, homo nimirũ, leo, equus &c. naturâ inuicem discriminentur; proculdubio generis intentio illi debebit applicari. Quoniam autem hominis naturã ab ijs tantum participari aduertimus, quę numero seeernuntur, ob id ei speciei intentio accommodari poterit; quamobrem animal rectè dicetur genus, homo autem species.

Quid attendendũ vt applicatio secundarũ intentionum per exercitam prædicationẽ fiat ad primas.

Nec grande aliquid, quod pulmo animę prælargus anhelet dicet ille, qui secundas intentiones de primis haud prædicari posse contendit, dum sic effatur. Secunda intentio velut ens rationis aliquid importat extra intellectum, materiale nuncupatum, cognitionem verò tanquam aliquid formale inuoluit. Quod autem his duobus constat, de eo, quod est extra animam videtur prædicari non posse. Hoc tamen nihil est, cùm nihil obstet, quo minus de ente iam dicto tanquam modus atque adeò denominatiuè secunda intentio prædicetur.

Secunda intentio velut ens rationis aliquid importat extra intellectum materiale nuncupatum.

Quod si hoc tibi minus arrideat, nimirum secundas intentiones de primis accidentaliter prædicari; propterea quod in accidentibus constat, quæ verè de inferioribus enunciantur, verè itidem de superioribus enunciari, atque etiam viciſſim. Vt si de Socrate prædicatur cursus, de homine & animali prædicari quoq; illum necesse est. Et si enuntiatur de homine, etiam de aliquo homine enuntiari oportet. At secundæ intentiones, quę de inferioribus prædicantur, de superioribus non item. Vt hęc secunda intentio indiuidui prædicari quidem potest de Socrate, non autem de homine, & animali, nec quę de superioribus enunciantur, de inferioribus quoque possunt prædicari; de homine siquidem dicitur species, de animali genus; non tamen de Socrate.

Difficultas proponitur, atque diluitur.

Facilè autem his obuiam itur dicendo, non eodem modo de accidentibus existentibus extra intellectum, ac de accidentibus rationis philosophandum; illa siquidem conueniunt rebus absolutè spectatis, vt sunt in re; at hęc conueniunt naturis vt tali modo ab intellectu conceptis. Hinc intentio indiuidui Socrati conueniens non dicitur de homine, & animali; quoniam illi accommodata est, quatenus concipitur indiuisibilis in subiectas partes; quę quidem conceptio, & homini & animali repugnat; contra verò species dicitur de homine non de Socrate; genus de animali, non de homine, cùm intentiones huiusmodi naturis illis conueniant, quatenus in subiectas partes diuisibiles

Saluio difficultatis propositæ.

sunt,

sunt, quæ in individuo repugnant, quin etiam & speciei, si plus quàm numero subiectæ partes inuicem discriminentur.

Difficultas altera.

Contendet forte quispiam, secundas intentiones, nedum accidentaliter, sed etiam essentialiter de primis enunciari, sic à definitione ad definitum argumentando. Homo per se de pluribus differentibus numero prædicatur; quamobrem homo per se est species. Si autem assumptum neges, quoniam prædicari conueniat per se intentionibus, rebus verò tantùm per accidens; insurget ille dicendo, si res ita se habet, consequens est vt Socrates per accidens tantum, & non per se sit homo; propterea quod Socrates est homo, quoniam de suis inferioribus homo prædicatur, & ad eum modum is est homo, quo de inferioribus homo prædicatur, cùmq; optima à signata prædicatione ad exercitam sit consecutio; ideirco si prædicatio signata non est per se, nec exercita poterit esse talis.

Solutio difficultati allatæ.

Rectè tamen negabatur assumptum, si particula *per se* inhærentiam determinet, cùm admittendum sit tantummodo, si determinet inhærens. Nec impugnatio benè deducit, eiusque probatio nulla; admittenda siquidem consecutio à signata ad exercitam prædicationem, quoties in terminis secundarum intentionũ fiat &c. cùm tunc propriè signata sit prædicatio virtute continens exercitam; non autem cùm in terminis primarum intentionum fiat, vt in allato exemplo.

Si secundæ intentiones inter se conferantur, potest alteri applicari & tã exercitè quam signatè prædicari.

At si secundæ intentiones inter se conferantur, perspicuè constat, vnam alteri applicari, & de illa, tam exercitè, quàm signatè prædicari. Sic dicimus, genus est species vniuersalis, & uniuersale de genere prędicatur; potest enim intellectus intentionem vnam secundam super aliam fundare, ac de illa prædicare; ea siquidem, qua is pollet reflectendi vi secundam potest intentionem cognoscere, illamque cum alia in attributo rationis conferre; atque hunc in modum cognoscendo, comparandoque vnam cùm alia super ipsam fundare secundam aliam intentionem, vt generis intentio animali tributa, fundat intentionẽ speciei dum ab intellectu cùm vniuersali confertur tanquam inferius cum eius superiori; tunc autem secunda intentio fundata priorem fundantem denominat; ita fit vt genus ex. gr. formaliter genus dicatur, denominatiuè autem species; intentio proinde fundans accipitur vt quid, fundata verò vt modus. Sed illud obseruatione dignum occurrit, quòd intentionem sumere fundantem vt quid, est illam accipere secundum eius essentiam, atque naturam; vel si mauis, est illam intelligere vt quod; at verò sumere intentionem fundatam vt modum, est illam vt determinationem, & modum considerandi aliam, accipere. Sic dum dicimus genus est species, genus accipitur vt id, quod intelligitur; species autem vt modus, sub quo intelligitur; nullum autem est inconueniens, quòd intentio secunda de alia & signatè, & exercitè prædicetur; quin & eadem de se ipsa, vt cùm dicitur species est species. Nec propterea tamen eadem est intentio numero, qua intelligitur, & sub qua intelligitur, quasi eadem sui ipsius sit modus, cùm potiùs eadem sit specie intentio, quarum vna numero sit vt quid, alia vt modus, atque adeo eadem specie sit modus sui ipsius; proindeque cùm dicitur species, est species, tunc species accepta vt modus, prædicati munere fungens, non eadem est numero cum ea, quæ sumitur vt quid, subiectique rationem obtinet. Idem, siquidem numero applicari sibi non potest vt additum, quilibet autem modus est aliquid additum.

Magna discrimen inter applicationes secundarum intentionum.

Hic meritò subijciam illud silentio minimè prætereundum, videlicet multum interesse discriminis inter applicationes, quarum vna est, per quam secundæ intentiones applicantur ad primas, altera verò, per quam applicantur ad se inuicem; proterea quod ad primas semper applicantur vt modi accidentales, quoniam semper applicantur vt accidentia ad subiecta; ideo prædicationes exercitas accidentales tantum, atque denominatiuas constituunt. Secus, cùm vna secunda intentio ad aliam secundam applicatur; potest enim tam vt modus accidentalis, quàm essentialis applicari; propterea quod si intentio, quæ ad illam applicatur vt modus, sit illi superior, vt cùm dicimus, genus est vniuersale, est secunda intentio, est ens rationis, tunc applicatio contingit vt modus, utq; determinatio essentialis; & quidditatiuam superioris de inferiori prædicationem constituit. At si viciſſim intentio ad aliam applicata sit inferior, vt cùm dicimus vniuersale est genus, vel etiam sit disparata, vt cùm dicimus genus est species, tunc applicatur vt modus, & determinatio accidentalis: quoniam inferiora superioribus accidunt, & disparatum vnum alteri disparato.

Aliæ difficultates propositæ, earumque solutio. Prima difficultas.

Tametsi autem summâ ratione diceretur secundam intentionem ad secundam applicari, deque illa tam exercitè, quàm signatè prædicari, tamen difficultates aliquot diluendæ superſunt; è quibus prima occurrit illa. Repugnat dari modum modi; cùm itaque secunda intentio sit modus, sub quo intelligitur prima, non poterit per aliam, veluti per modum denominari. Sed in æquiuocis laborant, non enim modus essendi idem est, quod modus intelligendi; in illo enim repugnat; in hoc, cuius ordinis secundæ sunt intentiones, non item; dari siquidem potest modus modi, dummodo sumatur alter vt quid, & vt determinabile, alter autem vt modus, atque determinans. Sic in re proposita contingit; intentio siquidem secunda fundans accipitur vt quid: altera verò fundata sumitur vt modus.

Secunda difficultas.

Secunda etiam ea est difficultas. Ideo intentio dicitur secunda, propterea quod priori aduenit, quod si alij secunda potest aduenire, dabitur tertia, & ita deinceps. Si rectè tamen attendas, facilè tibi constabit falsum assumi; non enim intentio dicitur secunda, quòd primæ adueniat, sed quoniam comparationem importat in attributo rationis. Hoc enim est ad secundum statum pertinere.

Tertia difficultas.

Tertia. sequitur abeundum in infinitum; hoc tamen in actibus rationis concesso nullum sequitur inconueniens.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QVINTA

De vocibus, quibus mentis conceptus exprimuntur, quæque dirigendis eiusdem operationibus deseruiunt.

De vocib. disserendum ad Physicum tum ad Dialecticum pertinet.

VOcem considerandam assumere cùm Physici, tùm Dialectici munus est, ratione tamen diuersâ; illius profectò, quoniam vox est insignis quædam animalis affectio: istius verò propterea quòd ad intellectricis cognitionis directionem haud mediocriter confert. Est porrò consideratio hæc longè dignissima; siquidem vox præsertim hominis, mira planè res est, cùm cæterorum animantium voci multis nominibus, videlicet magnitudine, varietate, suauitate, teneritate ac mollitudine præstet; indeque magis humanæ vocis dignitas constat, quòd summus rerum Opifex vim, facultatemque loquendi velut excelsæ mentis arcanorum explicatricem, rationis interpretem, humanæque societatis conciliatricem in ore potissimùm tanquam in animi vestibulo residentem, quam benignissimè nobis inseruit; vim scilicet illam, quæ linguæ, dentiumque percussione aërem, à pulmonibus assiduè quidem attractum, ac redditum perbellè format, ac fingit in voces modulatis flexionibus varias, expressas literis, ac syllabis, coagmentatas vocabulis, notasque rerum earum, quæ in intimioribus animi recessibus delitescunt, pro arbitrio loquentium, ex pactione tamen conuentuque nationum. Sunt enim

Arist. 1. de Interpretatione.

ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in animo passionum notæ: & ea, quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce: & quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eædem voces; Signa nimirùm sunt animi conceptuum, quorum directioni summoperè deseruiunt. Iurè propterea de vocibus Dialecticus edisserit, considerando quid ipsa sit vox, quænam communes affectiones ipsius, proindèque de æquiuocatione, vniuocatione, analogia subtiliter, accuratèque pertractat, Physico relinquens ea, quæ cum cognitionis intellectricis rectitudine nihil commune prorsus habere existimantur. In his igitur tota præsens hæc dissertatio versabitur.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Vox, & quanta sit Vocum necessitas.

Vocis definitio traditur ac explicatur.

VOcis, quæ græcè dicitur φωνὴ rectè quidem explicatur natura, si dicatur *Sonus ab animalis ore prolatus naturalibus instrumentis formatus*. Soni autem nomine debet intelligi, quod auditu percipitur, cùm omne id sonus esse dicatur; non tamen sonus omnis est vox, sed ille tantummodo, qui animalis ore profertur. Sonus enim ex corporum, aërisque percussione multifariâ efficitur; sonus tamen ille dumtaxat, qui ab animali efficitur, non modo quocunque, sed oris prolatione, vox nuncupatur; & iure quidem per naturalia dicitur instrumenta formatus, tum explicationis maioris gratiâ, tum etiam sonum excludendi causâ, qui etsi forsan ore ab animali prolatus, non tamen per vocis instrumenta formatus sit.

Multa sit instrumenta ad vocis efformationē.

Multa porrò sunt ad vocem efformandam instrumenta naturæ; pulmones videlicet, guttur, dentes, lingua, labia &c. è quibus lingua præsertim est, quæ variâ sui flexione, motioneque, & ad palatum, dentesque coniunctione, aërem ex pectore in os vitali facultate, siue virtute, atq; pulmonis agitatione deductum varietate mira frangit, percutit, atque componit. Ita planè vocem modulatur, ac tantas vocum, verborumq; varietates efformat. Hinc mirabilis illa verborum copia; hinc magnus eloquentiæ thesaurus.

Vocis diuisio in significatiuam & non significatiuam.

Vox autem variam, atque multiplicem subit partitionem; cùm primò diuidatur in illam, quę nihil significat; vt *Blitri*; & illam, que aliquid est apta significare; vt nomen, *Socrates*, talem hominem designat; & gemitus dolorem enunciat. Secundò rursus aliam recipit diuisionem; in illam scilicet, quæ significat affectiones sensus, siue cognitiones animæ sentientis, vt sunt voces, quibus vtuntur bruta, quemadmodum & gemitus dolorem significans; & in eam, quæ mentis conceptiones demonstrat, cuiusmodi sunt voces modulatæ, ac articulatæ sic homini propriæ, vt cæteris conuenire non possint. Ita quidem Philosophus *Voces*, inquit, *sunt notæ*, nimirum signa, *earum passionum, quæ sunt in animo*, per passiones intelligens mentis conceptus. Hæc autem vox, quam homo, quatenus rationis particeps sibi vendicat propriam, rectè dicetur, quæ mentis conceptus potest manifestare. Ex his quidem intelliges, quid interfit discriminis inter sermonem, sonum, & vocem; nam sermo quidem est hominis, vox animalis, sonus autem corporis.

Vtilitas vocum traditur.

Agè nunc, quanta sit vocum vtilitas, quanta necessitas, paucis aperiamus. Heraclitus, eiusque sectatores, è quorum numero Cratylus, putabant verbis nihil exprimendum, sed horum loco digitis, gestibusque manuum ad mentis conceptus manifestandos vtendum; non quod voces aliquo haberent odio, sed quoniam nihil stabile, nihilque firmum arbitrabantur, quin omnia in continuo esse fluxu dicebant, proindeque dum vox profertur, quod exprimendum erat, transiisse putabant.

Homines ad intimiores animi sensus qui busdam indigent signis.

Non inficiandum sanè quibusdam signis hominem ad intimiores animi sensus ex promendos indigere, cùm nihil possit interiùs latens, ac in mente repostum notificari, nisi alicuius rei sensibilis opitulatione, siue præsidio. Hinc *signum est illud, quod præter sui cognitionem, quam ingerit sensibus, facit nos venire in cognitionem alterius*. Vt vox ista, *homo*, præter speciem, quam imprimit in auditu, tanquam sonus, nos in alterius, puta in humanæ naturæ cognitionem deducit. Huiusmodi proinde signum esse debet, vt, eo per sensus cognito deueniamus in cognitionem rei, cùm qua signum habet connexionem. Ita fit, vt significare non sit aliud quidpiam, quàm aliquid aliud à se distinctum potentiæ cognoscenti repræsentare. Quamobrem signum, & ad cognoscentem potentiam cui repræsentat, & ad rem significatam, quam repræsentat, ordinem, siue respectum importat.

Omnium signorum aptissimū est vox.

Tametsi autem multa signorum genera possint excogitari, quibus vnusquisque mortalium internum ani-

enimi conceptum alteri demonſtret, atque ſignificet, vt ſunt oculi, manus, & id genus alia, tamen inter omnia verbis princeps debetur locus, cùm his, quicquid humana mens perceperit, longè meliùs, atque commodiùs, quàm cæteris ſignis exprimi, declararique poſſit.

Voces ad res manifeſtandas omninò neceſſariæ non ſunt.

Voces ad res manifeſtandas omninò neceſſariæ non ſunt, cùm ad id non mediocritèr opportuna ſigna reperiantur; nemini tamen inficiandum, idonea præſertim ad hoc munus eſſe inſtrumenta, & forſan etiam aptiſſima; cùm longè quidem facilius atque commodius, quæcunque concipimus, animoque gerimus, per voces, quàm per alia ſigna nobis liceat explicare.

Vox multũ habet momenti, plurimũque cõducit, ad ciuilem vitam degẽdam.

Quantum autem in vocibus momenti ſit ad ciuilem vitam ducendam, neminem præterit, ſi nonnihil aduerterit, non parùm oblectamenti quemlibet ex vocali ſermone deſumere; itemque ad amicitiam ſocietatemque exercendam conducere, ad docendum, ad interrogandum, ad dicendum, ad præcipiendum, ad præbenda ſimul, & ad petenda conſilia conferre.

Mirabilis humanæ vocis cõditio.

Mirabilis denique vocis potiſſimùm humanæ, quæ cæterorum animantium voci multis nominibus antecellit, videtur indoles, atque natura. Hęc enim maxima, ſi corpuſculi molem exiguam reſpicias; hęc varia admodùm pro varietate ſingulorum; hęc ſuauis in primis, hęc denique ſummę teneritatis, ac mollitudinis: maximè enim fingitur, frangitur, ac flectitur, nihilque pluribus flexionibus præcipuè in cantu commutatur; nunc in longum trahitur continuato ſpiritu, nunc variatur inflexo, nunc conciſo diſtinguitur, modo falſis vocibus mollitur, modo certis atque ſeueris intenditur, quandoque deorſùm à ſumma, vel ſaltu, vel per gradus præceps ruit; non rarò ſurſùm ab imo pariter attollitur.

Nedum autem vtilitas, verum etiam neceſſitas vocum eſt explorata; ſine ipſis enim haud fieri poteſt, vt animi ſenſa, atque conceptus hominibus loco quidem abſentibus tractuque temporis futuris manifeſtentur, quod ſcribendo verba, literiſque conſignando aſſequimur; at id ſine vocibus obtineri non poteſt; quid enim literis conſignaremus?

SECTIO SECVNDA.

Quânam ratione Vocibus ſignificatio conueniat.

E' veterib. quidã dixerunt nomina rebus à natura fuiſſe impoſita.

TAnta Veteres illos philoſophantes Heraclitum Cratylum, & Pythagoreos omnes dementia cępit, vt dicerent, nomina fuiſſe rebus à natura impoſita, & rem vnamquamque pro ſui conditione ſortitam fuiſſe nomen, vim, & efficaciam habens ad illam exprimendam, atque repręſentandam, vt ſapientis munus videretur, haud noua rebus imponere nomina, ſed cuique naturâ tributum peculiare, & proprium inquirere. Hermogenes contra ſignificandi vim omnem in vocibus hominum voluntati penitus referebat acceptam, nihil in hoc tribuendum naturæ putans, cùm fortuitò ſingulis rebus nomina quoque ſingula fuerint impoſita.

Voces nõ omnes vniuſmodi ſunt.

Voces non omnes vniuſmodi ſunt; propterea quòd aliquæ, vt ſuſpiria, gemitus &c. quæ nimirum articulatæ non ſunt, non ex hominum impoſitione, arbitratuue, ſed ſui naturâ ſignificant. Articulatæ autem, quę ſunt, non item, ſed ex hominum impoſitione, ac placito, quod Ariſtoteles eleganter expreſſit dicens, *Nomen ſignificat ſecundum placitum, quoniam natura nominum nulla eſt.* Et alibi, *Omnis oratio eſt ſignificatiua non ſicut inſtrumentum, ſed ſecundum placitum;* In quo ducem habuit Platonem, apud quem in Cratylo hæc eadem expreſſa legimus. Ab his nec ſacræ Paginæ diſſentiunt, in ijs enim eſt ſcriptum; *Adduxit Deus cuncta animantia ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius, appellauitque Adam nominibus ſuis* &c. Satis igitur exploratum ab ipſa natura ſingulis animantibus non fuiſſe propria indita nomina humano arbitratu potiùs impondenda. Nec obſcurè nobis experientia ſuffragatur, cùm hâc perſpicuè conſtet, nos, quæ placuerint nomina rebus imponere. Et certè, ſi res quælibet ab ipſa natura ſuum obtinuiſſet nomẽ, nulli dubium, quin omnes populi, nationeſq; omnes eodem nomine res illas appellare debuiſſent.

Quod à veritate quantum ſit alienum, cuicunque certè perſpectum animaduertenti rem aliquam diuerſis nominibus apud diuerſas gentes, atque nationes exprimi; eandem itidem vocem vel in diuerſis linguarum generibus diuerſa penitus denotare; vel in vna quidem aliquid, in alia verò nihil ſignificare. In eodem etiam Idiomate frequenter aquiuocæ voces occurrunt, quæ abſque omni proportionis fundamento diuerſa ſignificant; ſic etiam voces ſynonimæ, nempè ſignificationis eiuſdem, quamuis vocis ſubſtantiâ differant.

Multa nomina rebus ſignificandis opportuna.

Tametſi autem res ita ſe habeat, non inficiandum tamen, multa quidem eſſe nomina determinatis rebus ſignificandis impoſita, non temerè atque fortuitò, ſed datâ operâ, & ex inſtituto, quod arriſiſſe Platoni, memoriæ, literiſque traditum eſt; idque ſic vſurpaudum multa ſcilicet nomina talem, ac tantam cùm rebus conuenientiam, ac proportionem obtinere, vt ad exprimendas illas præ cæteris idonea ſint; Neque hinc aliquem admiratio ſubeat; nam etſi liberâ voluntate nomina rebus poſſint imponi; cognitis tamen rerum naturis, & proprietatibus congruum, ac idoneum nomen ſcitè quidem ſingulis imponere, datum erit; & certè hoc ſapientis, ac prudentis eſt munus; is enim cùm rerum naturas probè cognouerit, conſentanea, congruentiaque nomina ad illas denotandas prudenter ſeliget. Sic profectò nomen iſtud *Iehouah* apud Hebræos Deo Optimo Maximo congruit apprimè, cùm quod eſt à ſe ipſo, & per ſuam eſſentiam, quodque nec eſſe cæpit, nec vnquam deſinet, & eſt fons, ac origo totius eſſe, cuiuſmodi Deus eſt, ſignificat.

Nominis ad rem iſta proportio contingit vel per etymologiam in eo conſiſtentem, vt cum priùs fuerit nomen impoſitum ad quidpiam ſignificandum, ſimile deinde nomen ad rem itidem ſimilem denotandam adhibeatur; quamuis eo tandem deueniendum, vt nomen citra quamlibet etymologiam ad rem ſignificandam vſurpetur. Ita quidem Logica dicitur à *logos*, Phyſica à *phyſis*, homo ab *humo*, & id genus alia. Eſt itidem aliud vnde proportionis ratio, nempè nominum cum rebus ſignificandis cognatio quædam, quæ penès ſonum attenditur, propterea quòd multæ ſunt voces humiles atque ſuaues ad res quaſdam præcipuè ſignificandas talis conditionis, idoneæ. Aliæ verò aſperiores naturâ ſunt, quæ ad res repreſentandas in quibus aſperitas, maximè conuenientes ſunt, ac opportunæ.

Nominis ad rem proportio contingit per Etymologiã.

SECTIO TERTIA.

Quid ſignificatio vocis, cui, & quid ſignificet.

Tria de voce conſideranda quid ſignificari ipſa, quid

TRia igitur in præſentia ſunt conſideratu digniſſima. Et quid ſit vocis ſignificatio, & cui ſignificet, & quid per ipſam ſignificetur.

Vt exordiar à primò; ineptè admodùm quidam è vete-

cui fi-nificet.

Quid sit gnifica-o vocis.

veteribus philosophantibus animum ad credendum induxerunt, hanc, de qua loquimur significationem realem esse quandam formam voci quidem intrinsecam, quasi vim, atque virtutem eidem inexistentem: vel quendam respectum esse realem voci superuenientem: vel actionem esse quandam re ipsâ, qua vox notitiam rei significatæ in alterius mentem inducit; itaut vox quadam sensibili vi ab omni materiæ concretione seiunctâ polleat, ad humanum intellectum excitandum idoneâ.

Potentia ocis ad nifican. li aliquid

Si vocis potentiam, accommodationemue respicias, qua possit ad aliquid significandum assumi, facilè mihi suasi, non aliud esse quidpiam, quàm extrinsecam denominationem à voluntate assumere potente, desumptam, propterea quòd posse vocem ad aliquid significandum assumi, nihil aliud profectò, quàm posse velle, vt hoc nomine res aliqua significetur. Vt autē id voluntati quidpiam intrinsecum, sic extrinsecū voci. Superfluus autē realis aliquis respectus, quem si ab intellectu falsò concipi contendas, non inuitus fatebor.

is vocis d signifi-ndū nō t quid-iam in-rinsecum lli,

Vi autem spectatâ, quam vox ad hoc vel illud significandum per impositionem sortitur; fatendum præterea, nihil intrinsecum in voce significationem esse; non enim existimanda vocis naturalis quædam proprietas; nec etiam imponentis interna voluntas quidpiam in re volita producit, nec in voce imposita, nec in re significata. Ad realem aliquem respectum confugere nulla cogit necessitas, nihil igitur intimum in voce.

ignifica-o vocis t extrin-ca deno-inatio à oluntatis ctu de-umpta.

Hinc facilè intelliges realem esse denominationem extrinsecam à voluntatis actu desumptam.

Quòd enim vox hoc, illudue significare queat, extrinsecùs ab hominum consensu quidem habet, vimq; ad rei significatæ conceptum ingerendum obtinet, vt deinceps dicere perpetuò liceat, hominum fuisse decreto sancitū, vt quando quispiam aliquid sibi denotādum alicui proponat; hanc vel illam proferat vocem, quâ itidem auditâ, quilibet illud idem intelligat, quod est significationem vocis realem esse denominationem ab actu voluntatis extrinsecùs deriuatam.

Nihil pro ibet fi-nificatio em eam lem per quendam espectū actionis xplicari.

Nihil tamen prohibet significationem eandem per quendam rationis respectum explicari, cùm quasi virtus quædam intrinseca concipi soleat in voce relationis instar ad notitiam in audientis animo gignendam. Hoc tamen in præsentia negligendum, cùm in eo nostra versetur industria, vt quid re ipsâ sit vox, explicet, atque declaret.

Verum quia vox sub eam potest considerationem cadere, prout cuipiam rei significatæ notitiam, cognitionemue re ipsâ ingerit; addendum propterea in voce non esse quidpiam, quo ipsa physicè cognitionem producat, cùm hæc ab omni concretione materiæ remota ab accidenti in materiam immerso, vti vox est, causari non possit. Iure propterea tantùm ei concedendum, quod veluti moralis causa mentem audientis commoueat ac excitet; hic enim ob vocis impositionem, & ex sua, quam de ipsâ, cognitione habet, audita voce statim rei cognitionem assequitur.

oce on est uidpiam uo ipsa hysicè gnitio-em pro-ucat.

Explica ut cuius odi sit ox.

Atque sic rem se habere concipiendum, vt vox id sit, ad cuius præsentiam mens propriæ cognitionis actum eliciat; ut vocem re ipsâ significare, excitareque cognitionem in mente, aliud quidpiam non sit, quàm extrinseca denominatio quædam ab ipsa cognitione in in mente ad præsentiam auditæ vocis producta, quod planè quid extrinsecum voci, cùm nihil aliud, quàm ab intellectu eâ auditâ rei cognitionem elici.

x cui nificet.

Ex his, quod erat in partitione secundum, facilè admodum intelliges, vocem per se audienti significare, qui alius esse debet à proferente, quod inde palàm est, & apertum, quoniam significare est aliquid in alterius notitiam deducere; quamobrem illi significatur, cui aliquid notum redditur; at proferens, & loquens nequit quidpiam sibi significare, cùm nullius rei per suam locutionem nouam cognitionem assequatur; siquidem hæc in eo supponatur oportet, vt rem cognitam significare queat audienti; ei proinde in quo rei significatę notitia vocis opitulatione progignitur, ac excitatur vox, aliquid significare potest. Ideoq; verba proferimus, non ut nos ipsi cognoscamus, sed ut à nobis cognita cæteris manifestemus. Non inficiandum tamen, vsu venire posse, ut re ipsâ proferens, & audiens sit idem; cùm possit quispiam ea, quæ mente gerit, characteribus consignare, quibus lectis deinde nouam rei notitiam elicere, quam præuouerat, quamque forsan oblitus erat. Tunc autem scriptor quodammodo sibi loquitur scripto, cuius vi in cognitionem eius deducitur, quod forsan ex eius animo exciderat. Nec idem de proferente existimandum; dum enim hic actu loquitur, re ipsâ datur cognitio locutioni præuia; qui autem scribit, quamuis tunc actu notitiam habeat, hâc præteritâ, nouiter potest in eiusdem rei notitiam deduci.

Sermo nullus vocibus absolui potest, quin & notiam in mente loquentis, & rem expressam per illam non supponat; cùm quisque de re cognita se loqui experientiâ cognoscat; quo non immeritò Philosophantium animos dubitatio subijt de re significata per vocem.

Sermo nullus vocibus absolui potest, quin & notiam in mente loquentis & rem expressā per illam non supponat.

Insulsè quibusdam est visum per voces primò mentis conceptus, secundò res ipsas significari; cùm potiùs primò res conceptas significari existimandum; quod eleganter apud Aristotelem expressum legimus.

Quia, inquit, *fieri non potest, vt res ipsas ferentes disputemus, nominibus vtimur signis*. Putabat enim assumi nomina ad res conceptas denotandas, quòd comprobatum inde pariter intelliges; quòd primus humani generis parens animalibus nomina quidem imposuit, nominibusque suis animantia cuncta nuncupauit, ex quo facilè intelliges, nominibus res ipsas significari.

1. Elench. cap. 1.

In hanc autem sententiam adducor; quoniam id vox primò significat, ad quod primò denotandum institutione hominum fuit imposita. Primò sunt autem uoces impositæ ad res significandas; has igitur primò significant.

Ratio affertur qua Auctor in suprapositam opinionē adducitur. Alia adducitur ratio.

Et certè uocibus id primò significari putandum, in cuius notitiam, immediatè, primoque nos illæ deducunt. Id porrò sunt res ipsæ, hæ proinde primò significantur.

Quod adeò verum, ut etiam uoces animi conceptus denotantes, directè res significare dicendæ sint; dum enim cognitiones conceptusue cognoscimus, vocibus utimur ad illos significandos, itaut non secus, ac reliquæ res cognitæ se habeant; atque adeo cognitio quatenus res cognita est, per proprium significatur nomen.

Voces etiam significantes animi cōceptus directè res significare dicendæ sunt.

Tametsi autem uocibus res cognitas significari diceremus, tamen id non sic usurpandum, quasi rem unâ & cognitionem significari dicendum sit; sed quòd præhabere oporteat cognitionem de re significanda per uocem, cùm non liceat uocibus audientem in alicuius rei notitiam deducere, nisi res nobis explorata sit, atque perspecta. Non inficiabor tamen ex prolatis uocibus cognitionem argui; quoniam si uocibus res significantur, necesse est, de his in loquente præcessisse notitiam, quod est illam non vt directè uocibus expressam, sed arguendo, differendoque cognouisse.

Quo sensu vocibus res cognita significari dici debet.

Alia ratione primò ac proximè cognitiones rerum vocibus significari dici debent.

Aliâ tamen ratione primò, ac proximè formales conceptus, cognitionesue rerum uocibus significantur, quatenus nimirum eorum loco subſtitutæ ad obiecta ſignificanda aſſumuntur; ea ſiquidem eſt humanæ intelligentiæ conditio, vt nihil aſlequatur opitulatione ſenſuum deſtituta, cùm omnis perſpicentia ſenſibus adminiſtrantibus comparetur. Quod igitur in alterius eſt animo haud licet nobis percipere, niſi quibuſdam ſenſibilibus, præſertim uocibus fuerit expreſſum. Hunc igitur in modum conceptus mentis uocibus ſignificari dicuntur; & hoc ſenſu ea ſunt uſurpanda, quæ de uocibus dici ſolent, nempe quòd mentis conceptus exprimant, eorundemque notæ ſint, ac ſigna; non ad eum modum, quo ſigna rerum eſſe dicuntur, ſed quatenus conceptuum loco ſubrogantur. Hinc auditâ uoce benè licet arguere cognitionem loquentis. Hinc etiam diuerſis conceptibus, voces diuerſæ variéque reſpondent; ita videlicet ut eâdem in re, ſi plures inueniantur rationes, ſecundum quas & plures conceptus formari queant; voces itidem plures extent, cum ijs proportionem habentes. Nec propterea ſynonimæ reputandæ: huiuſmodi enim ut ſint, ne dum rem eandem, ſed ſecundum eandem rationem, eundemque conceptum ſignificare debent.

Alius eſt conceptus ex quo ſumitur vox & alius ad quem aſſumitur.

Hîc non prætereundum, quod frequenter uſu venire ſolet, ut alius ſit conceptus ex quo ſumitur vox, & alius, ad quem aſſumitur. Primus enim nominis inſtitutor ad rationem quandam reſpexit, ex qua ſecundum quandam etymologiam anſam certum imponendi nomen deſumpſit, non ad rationem illam, ſed potius ad rem ipſam ſignificandam. Ita ille quidem aduertens Numen ſupremum proſpicere, ac prouidere, Dei proinde nomine dignum exiſtimauit, non quòd hoc proſpicientiam, ac prouidentiam, ſed Numen ipſum, cuius eſt proſpicere ac prouidere, ſignificare vellet.

Vt voces conceptuum loco ſubrogantur ita pro eorũ diſtinctione conditioneq; diſtinguuntur.

Illud etiam libenter adijciam, quòd, ut voces conceptuum loco ſubrogantur, ita pro eorum diſtinctione, conditioneque voces diſtinguuntur. Aliæ igitur ſunt voces ſimplices, incomplexæque, primæ intellectus operationi reſpondentes. Aliæ ſunt voces, quæ ſecundæ operationi reſpondent, quæ propterea complexæ, ac enunciatiuæ ſunt; Aliæ denique tertiæ deſeruiunt, eidemque conſentaneæ ſunt, in quibus nimirum vnum ex alio deducitur, quod tertiæ operationis expoſcit natura.

SECTIO QVARTA.

De ijs, quæ voces ad ſignificandum requirunt, deque earum veritate, & falſitate.

Magna hac de re apud Philoſophus eſt altercatio.

HAc de re non leuis apud ſapientiæ Proceres altercatio, non niſi dirimenda paulò diligentiori inſpectione rei propoſitę: eâ ſiquidem facilè conſtabit in loquente, & audiente ſimul aliquam cognitionem requiri, quę cuiuſmodi ſit, explicandum ſupereſt. Vt autem à manifeſtis ad minus perſpicua greſſum facere videamur, non pigebit in memoriam redigere, cognitionem, ſiue conceptum mentis in non vltimatum, & ultimatũ diſtribui; ille ſonum vocis tantum, hic rem ſignificatam attingit; illum omninò neceſſarium tam ex parte loquentis, quàm audientis, cuique palam eſt, & apertum; non enim licet quidquam alijs voce ſignificare, niſi & vocem ipſam nos loquentes, & audientes itidem intelligamus; quod nemini debet admirationem ingerere, vox enim ex ijs vnum, quæ ſub ſenſum cadunt; vt igitur intellectus cognoſcens aſlequitur id in quo viſus figit obtutum ſic etiam & id, cuiuſmodi eſt vox, quod auditus attingit. Quamobrem loquens, vt ſine huiuſmodi conceptu nequit alteri quidquam ſignificare: ſic audiens ſine illo percipere.

Duplex mentis conceptus vltimatus, & non vltimatus.

Ex parte autem loquentis præter commemoratum conceptum alia itidem notitia, ſiue conceptus, quem vltimatum appellant, requiritur. Niſi enim quiſpiam probè tenuerit, quod concepit anima, linguâ proſequente id certè declarare non poterit; nec mirum, voces enim loco conceptuum ſubrogantur; conceptus ob id rerum, quæcunque ſint vocibus ſignificandę, ſupponuntur in mente.

Quod adeo verum, vt ſatis ad loquendum non ſit de re aliqua præhabuiſſe notitiam, ſed oportet, ut actu res illa, de qua fit ſermo cognoſcatur. Niſi fortè quiſpiam caſu, fortuitòque rem vociſq; ſignificationem ignorans, certum aliquod vocabulum proferat quod apud alios determinatæ ſignificationis ſit, tunc autem vox non velut ad ſignificandum apta, ſed ut ſonus quidem profetur; ut auibus quibuſdam contingit, dum voces quaſdam emittunt, quibus nihil planè ſignificant, cùm nihil concipiant, etſi articulatas voces pronuncient, quò materialiter tantùm voces proferre dicuntur.

At in audiente nullum conceptum, nullamue notiam, vel in actu, uel in habitu conſtitutam prærequiri, ſunt quibus arridet; idque certè de cognitionis actu ſuadere nituntur; quoniam hæc potiùs miniſterio vocis in audientis mente gigni procrearique debet: non igitur hæc prærequiſita notitia, quippe, quæ vocis eſt ſignificantis effectus. De illa verò quæ in habitu conſiſtit, idem probare contendunt; quoniam non ſemel uſu venire ſolet, ut unus ex locutione, ac doctrina alterius addiſcat, quæ nunquam ſciuerat; atq; adeo ad hoc etiam uocis ſe extendat ſignificatio, ut nedum vox poſſit in mentem reducere, quæ alioquin is qui audit aliquando cognouiſſe ſopponitur, ſed etiam hactenus prorſus incognita manifeſtare, atq; notificare poſſit.

Eorum ſententia, vt vera ſit, quomodo intelligenda.

Hæc tamen niſi rectè interpretemur facilè nos in errorem deducent. Et certè ſi abſolutè hæc intelligantur maximè ſunt à veritate remota, cùm haud fieri poſſit, ut audiendo quiſpiam intelligat, uocum ignorata ſignificatione; ſi namq; pronunciet aliquis *Aſtra ſunt paria numero;* audientis animus totius orationis ſignificatum percipere non poterit, ſingularum vocum ſignificatione ignoratâ; oportet enim de hac voce *aſtra* notitiam præhabuiſſe, & ita de reliquis, ut rem intelligat expreſſam per integram orationem. Non enim tunc addiſcendum, quid *aſtra* ſignificet, quid *ſunt* ſibi velit, nec diſſimiliter de cæteris. At de his in mente debet præceſſiſſe notitia, quod non ſic uſurpandum, quaſi abſolutè eam præceſſiſſe ſufficiat, quę tamen nullo modo tunc in mente reſideat, hoc enim cum veritate nullum habet commercium, cùm ſi præfuerit, quam tamen obliuio deleuerit, non ſufficiat; ſed oporteat, ſic illarum uocum ſignificata nouiſſe, ut vocibus auditis vocum in memoriam ſignificatio reccurrat, quod eſt eorum in habitu notitiam habere. Quamobrem dum quis audit proferentem integram de re quapiam enunciationem, licet nunquam eius ſignificationem nouerit, nec etiam actu de re illa notitiam habeat, quę potiùs à uocibus proferentis tunc expectanda, non debet illam ob id in mente præhabuiſſe. Modo tamẽ abſimili de ſimplicibus terminis, uocibuſque ratiocinandum, propterea quod earum ſignificata oportet habitu cognoſcere: quod exemplo ſatis appoſitè illuſtrabitur. Vt quis integras dictiones legere poſſit, debet prænouiſſe ſingulas literas

Digitized by Google

ras ac syllabas; hinc enim integrę dictiones omnes oblatæ, quamuis nunquam hactenus perspectæ ab eo legi poterunt.

Cuiusmodi sit actualis cognitio, ministerio vocis in audientis animo gignenda, ad quam etsi, quæ in habitu est, si de integra propositione loquamur prærequisita non sit, quæ tamen non ut ea, quæ in actu, officeret; non sic de significatis singularum vocum, quæ habitu cognoscere audientem oportet. Ita pariter sæpè quispiam ex locutione, doctrinaque alterius addiscit, quæ nunquam sciuerat; quoniam etsi præhabere notitiam oportet de singularum vocum significatis, quod est hæc habitu cognoscere, non tamen necesse est, integræ propositionis significatum nouisse.

Quando quispiam aliquod Idioma nouiter addiscit.

Quando autem quispiam aliquod Idioma nouiter addiscit, singularum vocum significata penitus ignorat, unde nec actu, nec habitu illa cognoscit; nulla tamen ex illis vocibus apud eum significandi vim obtinet, nisi vocibus, quarum significatio illi perspecta est, aut alijs indicijs sub sensum cadentibus significata vocum ad ignotum Idioma spectantium constauerint. Quoniam re ipsâ vox nullam significandi vim obtinet, nisi loquentis, & audientis animi ita conueniant, ut hac prolatâ voce, hoc intelligendum sit.

Actualis cognitio rei impedit significationis actum.

E his intelliges, ut opinor, quid de cognitionis actu dicendum; hæc enim cognitio, nedùm prærequisita non est, sed si adsit, actum, & exercitium significationis impedit; est enim significare aliquid in alicuius notitiam deducere, at si quis actu rei cognitionem habeat, non licet rem in notitiam eius deducere nec facere, ut eam cognoscat, cùm fieri non possit, quod factum supponitur. Loquentis igitur sermo tunc erit tantummodo ad significandum accommodatus, habebitque significandi vim, absque tamen significandi exercitio.

Non sic impedimento erat, in habitu notitia consistens, hac enim habitâ, vox adhuc potest audientis animum in actum cognoscendi rem tantum habitu perceptam deducere; hæc autem significatio rectè dicetur ea, quæ reuocat in mentem, quod alias notum, atque perspectum fuerat.

Latius patet loqui, quam significare.

Hinc facilè quidem intelliges, latiùs quidpiam esse loqui, quàm significare; cùm illud verba solùm proferre, vel ore, vel mente præseferat; hoc autem addat incognitæ rei audientis animo cognitionem ingerere; quò ad Deum loquimur, cui tamen nihil significare licet, ei cùm omnia perspecta sint, ac explorata.

Vtrum voces possint eum perfectius significare audienti quàm loquenti. Difficultas vtrumque.

Sed hîc non insulsè quispiam reuocabit in dubium, num usu venire possit, ut aliquis utendo uocibus, & vel imponendo, vel tantùm proferendo illas, quæ significare possunt, rem perfectius significet, quàm ipsemet cognoscat.

Celebris quidem difficultas, magna tamen ex parte ortum ducens ex diuerso modo accipiendi perfectionem cognitionis; & ex diuerso causandi modo, quo vox rei significatę notitiam præbere potest; etsi autem rationes utrinque suppetant, & ad ostendendam sententiam affirmantem, & ad demonstrandam negantem; tamen controuersiam dirimi non melius posse crediderim, quàm primò vocis significationem, eiusque perfectionem considerando; ex proferentis enim & audientis notitia, nedum significatio vocis, sed etiam perfectio significationis dependet; siquidem iuxta maiorem, minoremue rei significatæ notitiam vox magis, minusue rem ipsam perfectè significare dicitur. Bipartita verò est illa perfectio, quæ in cognitione, significationeque potest attendi, nempe claritas, atque distinctio dum clarius, distinctiusue res cognoscitur; proprietas itidem conceptus, dum proprio, quidditatiuoque conceptu res, prout est in se, cognoscitur.

Perfectio significationis in quo consistat.

Facilè autem illud certum, ac exploratum existimo perfectionem significationis non in eo consistere, quòd voces ab eo proferantur, qui perfectam notitiam obtinet, sed potiùs in eo, quod rei perfectam cognitionem in audientis animum inducant.

Quid sentiendum, & ratio affertur.

Id in hanc me sententiam adduxit, quòd vocem significare, hoc tantum sibi vult, nimirum in audientis animum cognitionem inducere; quamobrem perfectè significare, est eidem perfectam rei cognitionem ingerere: ut clarè, quidditatiuèque significare, est rei claram, & quidditatiuam in eiusdem animo notitiam procreare.

Alia ratio adducitur.

Hinc etiam magis elucet veritas; quòd si quis perfectè, clarè, distinctèque cognoscendo rem assequatur, vocem tamen proferat, quæ claram, perfectamue cognitionem non præbeat, profectò rem is perfectè, clarèque significare minimè dicetur. Vt contra, si quis rem minùs perfectè, minusque clarè cognoscat, vocibus tamen utens, quibus audientis animus perfectam, claramque notitiam assequatur; ille procul dubio perfectè, distinctèque rem significasse dicetur.

Voces nè possunt perfectius rem audienti, quàm sit nota loquenti significare.

Voces tamen non possunt perfectius rem audienti, quàm sit nota loquenti, significare; atque adeò præbendo nouam rei notitiam cùm audienti res aliunde perspecta non fuerit, præstare id minimè poterit.

Nec inconsultò particulam adiectam existimes, puta *cùm audienti res aliunde perspecta non fuerit*; bifariam contingit enim ea, de qua loquimur, significatio; vel scilicet per modum nouæ notitiæ rei antea ignotæ, de qua hîc est sermo: vel per modum excitantis animum audientis ad cogitandum de re aliàs ei manifesta, de qua hic non agendum.

Ratio affertur.

Quod autem dixi, satis manifestum est, quoniam vox omnis rem prout conceptam significat, non igitur perfectiùs, quàm ipsa concepta fuerit, significare poterit; quamobrem ut voce, quod non concepimus, significare non licet; ita nec perfectiùs significare minùs perfectè conceptum, significare licebit. Voces enim sequuntur conceptus, ijsdemque proportione respondent; cuiusmodi igitur hi sunt, eas quoque esse oportet.

Secunda ratio.

Et certè si voces conceptuum loco subrogantur, nō satis intelligo, cur his illæ perfectionis mensurâ respondere non debeant; loco siquidem conceptus imperfectè repræsentantis substituta vox imperfectè significabit. Quemadmodum loco conceptus rem perfectè repræsentantis vox itidem substituta perfectè significabit. Neque mirum, nam voces omnem significandi vim habere dicuntur, quatenus loco conceptuum substituuntur, quibus naturâ manifestare, ac repræsentare conuenit.

Tertia ratio.

Id pariter hanc ueritatem summopere confirmat. Si quis rei conceptum immediatè quidem alteri posset ostendere; certè is, cui manifestatio fieret, maiorem, perfectioremue notitiam rei conceptæ ex ui manifestati conceptus assequi non posset, quàm sit idem conceptus. Hoc magis autem de uoce dicendum, cui non naturâ, sed hominum arbitratu conuenit significare.

Et mirum utique foret, quod in audientis animum uox perfectiorem, quàm in loquente notitiam inducere posset: similem autem in loquente non posset.

Et ut ingenuè fatear, hoc tantum abest, ut frequenter uenire usu soleat, uocibus nō tam perfectam notitiam in audientis animum induci, quàm in loquente sit. Quod Platoni fuisse perspectum, ac exploratum accepimus, cùm de Deo loquens dicere consueuisset, difficile esse, Deum intellectu percipere, eloqui uerò impossibile.

Id

Supradicta magis declarantur, ac cõfirmatur.

Id autem passim contingere nobis compertum est; siquis enim quidpiam oculis vsurpet, atque adeò intueatur, haud poterit emissis vocibus rei notitiam alteri patefacere, qui rem eandem ante oculos non habuerit, suæque visionis vt æquè claram notitiam non fuerit consecutus; quoniam, ut hoc paucis perstringam, nequittam perfectè res uocibus exprimi, alijsq; significari, quàm à loquente cognoscitur. Nec inde alicuius animum subeat admiratio, quandoquidem utriusque non idem cognoscendi modus. Loquens enim videndo claram atque distinctam rei notitiam assequitur; audiens autem attestatione loquentis, animum ad præbendum assensum inducit. Ille igitur visus opitulatione cognitionem adipiscitur: alter attestationis, medijs vocibus factæ, præsidio, rei notitiam acquirit. Igitur qui loquitur ministerio vocum nequit audienti tam perfectam notitiam ingerere, quoniam hic non eodem utitur cognoscendi modo, scilicet propriæ visionis, quo ille suam sibi notitiam comparauerat.

Sæpè contingit, vt voces perfectiùs rẽ audienti significẽt quàm nota sit loquenti.

Sed hîc aliam veritatem occultare non licet, nimirum sæpe contingere, ut voces perfectiùs rem audienti significent, quàm nota sit loquenti, excitando scilicet in audiente cognitionem in habitu constitutam; Siquis enim rei alicuius claram, distinctamue notitiam fuerit adeptus, postmodum eâ de re nihil cogitans, dum de ipsa loquentem audit, quamuis indisertum, velut illum, in quo eiusdem rei notitia admodum imperfecta est, & obscura; experietur utique cognitionem in se claritatis eiusdem cum ea, quam priùs obtinuerat; quamobrem hinc non obscurè constabit, ab ipso loquente in audientis animum longè clariorem notitiam, quàm in se habeat, induci.

Assertio ratio.

Hoc plausibile, hoc maximè rationi consentaneum, quoniam nedum voci concedenda vis illa ingerendi audientis animo nouam ignotæ rei notitiam, sed præexistentem itidem excitandi positam in habitu, quæ si perfectione uincat, ac superet illam, quâ loquentis animus informatur, cùm ea ipsa sit, quæ nouiter excitatur, nulli dubium, quin perfectior futura sit cognitio animo quidem audientis ingesta, quàm ea, quæ residet in loquente. Voces igitur priorem excitando notitiam, in audiente perfectiùs, clariùsque rem significare possunt &c.

Animad uersio.

Hîc porrò minimè dissimulandum, perfectiorem istam notitiam non ex vi vocis, significationisue ad notitiam rei aliàs ignotæ nouiter procreandam: sed potius ad rei præcognitæ veterem excitandam haberi.

Non enim hæc significandi vis ad tam perfectam rei notitiam gignendam determinata est, sed penitus indifferens ad quamcunque positam in habitu cognitionem excitandam.

Et sanè in audientis animo nullâ rei significatæ cognitione nouiter genitâ, sed pristinâ tantùm excitatâ, uox adhuc significationis effectum obtinuisse, & in mentem audientis cognitionem induxisse dicetur.

Hîc libenter subijciam aliquid notatu dignissimum; nempe, si quempiam accidat, cui perfectus sit rei conceptus, uti uocibus minus perfectè rem illam significantibus, imperfectè rem quoque significaturum; & contra habentem imperfectum conceptum si contingat, proferre uoces perfectiùs significantes materialiter, ut aiunt, saltem perfectè rem significaturum; adeo ut, etiamsi loquens nullum rei conceptum habuerit, casu tamen uerba protulerit, uocibus adhuc alteri quidpiam significaturus sit; cùm conceptus attendi debeat, cuius loco apud homines huiusmodi sermo substitui solet; quamobrem si duo sint, qui habeant inæquales conceptus, ijsdem tamen vocibus utantur, eundemque sermonem adhibeant, æqualiter significabunt. Vt enim eadem de re conceptus haberi possunt diuersi; sic etiam variè diuersæque voces impositæ sunt, ac eorum loco substituuntur.

Non eo tamen id dico, quasi tam diuersas adinueniri voces existimem, quàm varij diuersique esse possunt conceptus mentis; sed tantùm assero, diuersas institutas fuisse voces ob notabilem diuersitatem conceptuum. Non negandum tamen voces conceptibus eâ proportione respondere, ut quò clariores, ac distinctiores quis de re quapiam illos habuerit, eo etiam clariùs, distinctiùs, & apertiùs rem ipsam vocibus explicare soleat.

Quæ autem veritas in humanæ mentis conceptibus inest, eadem ipsa ad externas voces transfunditur; ut enim cognitio verè vel falsò repræsentat obiectum: ita vox cognitionem exprimens rem illam verè vel falsò significat. Neque mirum vox enim ideò rem significat quoniam conceptus loco eadem de re substituitur, ita verè significat propterea quòd loco veri conceptus: falsò autem, quoniam falsi conceptus loco subrogatur.

Quid veritas & falsitas sit in vocibus inquiritur.

Proximum est, ut quid veritas, quidque falsitas sit in vocibus, aperiamus. Eam porrò denominationem extrinsecam rectè dixeris ab intellectus vera, falsaque cognitione prodeuntem, cuius loco vocalis sermo subrogatur. Quòd voces enim ueræ, falsæque sint, à significatione proficiscitur, quæ cùm ex hactenus disputatis in extrinseca quadam denominatione consistat, huiusmodi quoque ueritatem, ac falsitatem in vocibus esse, putandum. Proinde si homines nollent ampliùs uocem in aliqua significatione usurpare, nullâ eius intrinsecâ mutatione factâ, sed per solas extrinsecas denominationes ueritatem, aut falsitatem amitteret. Vt contra, si uox nihil significans ad aliquid significandum assumeretur.

Denominatio extrinseca in qua prædicta veritas consistit quomodo ex intellectus cognitione sit desumenda.

Hæc autem denominatio sic ex intellectus cognitione desumitur, ut per connotationem ipsarum rerum significatarum in se, certa uocum posita significatione ex hominum impositione possit explicari; Vel supposita ueritate, falsitateque cognitionis, cuius loco voces subrogantur, denominatio veritatis, ac falsitatis in vocibus ex vera, falsaque cognitione dicetur esse desumpta.

Falsum autem vocibus exprimi potest; vel quia quis habet in mente falsam notitiam, ac illud exterius enunciat se uerum dicere existimans; vel quia gerit in mente cognitionem ueram, oppositum tamen externis uocibus affirmat, itaut externa locutio interno conceptui non congruat. Priori modo uocalis falsa locutio à falsa mentis notitia denominatur. Secundo modo, non quoniam sermo vocibus expressus mentis conceptui, quem verum supponimus, congruit, hinc enim falsa esse nequit; sed à cognitione falsa, cuius loco substitui deberet.

Voces itidem ad cognitionem dirigendam conducunt.

Voces itidem ad cognitionem dirigendam conducunt, quatenus de ipsis longè facilius illa præcepta traduntur, quæ de mentis conceptibus, quorum loco substitutæ sunt, intelligenda volumus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SEXTA

De Vniuersali in communi.

VNiuersalis nomen propriè id præsefert, quod vnum cùm sit, commune tamen est pluribus; quamobrem varijs, diuersisque rebus communitatem cum vnitate iunctam habentibus applicari, tribuiq; solet; prout autem variè contingit, communitatem cùm vnitate iungi, multiplex quoque vniuersale existit.

Vniuersalis nomen quid præseferat.

Primò quidem occurrit vniuersalis illa partitio in Vniuersale complexum, & incomplexum. Complexum est uniuersalis enunciatio, vt cùm dicimus, omnis homo est animal, iuxta quam vsurpationem, & scientiarum principia, & conclusiones vniuersalia dicuntur; quoniam cùm illa, tum hæ quedam vniuersales enunciationes esse debent. Incomplexum autem uniuersale est res quędam simplex incomplexo termino significata, vt quodlibet categoriæ genus, Substantia, Quantitas, Qualitas &c. ac tandem quidquid est simplex commune pluribus, simplici termino significatum. Prout autem vario modo plura, diuersaque respicit, sic vniuersale multifariam contingit; si plura causando respicit, vniuersale dicitur in causando, estque ipsa causa uniuersalis, ita dicta, quoniam ad plures, ac plures se extendit effectus, iuxta multitudinem quorum, prout nimirum plures paucioresque sunt, causa magis minusue dici solet vniuersalis. Vniuersalissima omnium est causa prima cùm nullus existet effectus in natura vim, & actionem eius effugiens. Astra quoque minùs tamen vniuersales causæ dicuntur, cùm ad effectus omnes mortalium, rerum suas vires transfundant. Aliud est vniuersale etiam in representando nuncupatum, quod plura representat; vt imago hominis omnes homines, leonis omnes leones &c. sic etiam species tam impressa, quàm expressa rei communis, puta hominis &c. cùm quodammodo plura repræsentet. Aliud est vniuersale in significando, quod plura nimirum significat, vt hic terminus animal, homo &c. aliud est vniuersale in essendo, quod unum cùm sit, inexistit in pluribus, vt animalis natura, quæ in omnibus animalibus & hominibus omnibus &c. adinuenitur; hoc idem dicitur etiam vniuersale in prædicando, quoniam quod in multis est, de multis quoque prædicari potest. Est autem in significando, & in essendo seu prædicando vniuersale illud, in cuius considerationem Logicus incumbit. Nec immeritò, cùm huius Artificis omnis eò collimet industria, vt intellectus cognitionem dirigat, ac rectitudinem in illam inducat; quod præsertim vniuersalium hâc mediâ tractatione consequitur; Tum quia ad prædicamentorum notitiam intellectionis rectitudini summoperè conferentem, nedum vtilis ista tractatio, sed necessaria est; prædicamenta siquidem horum quinque vniuersalium siue prædicabilium sunt ordinationes, cùm eorum quodlibet à summis generibus, in species per differentias vsque ad vltima indiuidua diuidatur, & proprietates, ac attributa ijs adnectantur, ita vt in eorũ ordinatione nihil frequentius, quàm hæc, de quibus loquimur vniuersalia, vsurpentur. Tum quia ad singula instrumenta logica hæc magnoperè conducit notitia, & quidem ad definitiones, quoniam vnius cuiusq; rei definitio per genus, & differentiam: descriptio per proprium, vel per multa etiam accidentia simul sumpta tradendá est. Ad diuisionem itidem, propterea quòd in essentialibus diuisionibus genus in differentias; in accidentalibus subiectum in accidentia distribuitur vt suo loco vidimus, ac explicuimus. Ad demonstrationes, in quibus medium est definitio, vel differentia, ac ob id ad affectiones de subiecto demonstrandas; sic etiam ad alia. Præcipua tamen vtilitas, ob quam erat operæ pretium hanc tractationem instituere, ea planè censenda, quoniam vt de prædicamentis disceptatio ad intellectionem dirigendam conducit, quatenus ante mentis oculos rerum omnium genera, species, differentiasque constituit, vt subindè longè meliùs, atque facilius in disciplinis cuncta possit mens ipsa percipere: sic hæc contemplatio, quatenus magis tamen abstractè omnia ad hæc quinq; capita redigit, intellectum docendo, quid sit genus, quid species &c. ut ille ritè suas exercere possit operationes ob id insigni eidem præsidio est, & adiumento.

Vniuersalis partitio

Multiplex vniuersale cõplexum.

Vniuersale incomplexum.

Vniuersale in causando.

Vniuersale in representando.

Vniuersale in significando.

Vniuersale in essendo.

Vniuersale in prædicando.

De quo vniuersali Logicus pertractet.

Tractationis vtilitas de vniuersalibus.

SECTIO PRIMA.

Num Vniuersale concedendum in rebus.

VEterum philosophantium eò deuenit insciti, ut cùm de uniuersali tam in essendo, quàm prædicando tractationem instituerent, in extremas sententias abierint, quarum neutra cùm veritate consentit. Heraclitus enim, atque Cratylus nullum, de quo loquimur, uniuersale recognoscendum existimantes quidquid est in natura rerum, singulare dicendum crediderunt.

Eos autem ineptè fuisse locutos, Aristoteles existimabat, dum acriter in illos inuehitur, quòd singularia tantùm in uniuerso rerum ordine recognoscenda putarent, diserte docens, tam definitiones, quàm scientias de uniuersalibus existentibus in singularibus tradi; cùm autem scientiæ, reales dum fuerint, hęc tractanda suscipiant, quæ in natura rerum existunt, ob id ex Aristotelis consilio, uniuersalia aliquo modo à parte rei existere, ac reperiri, asserendum erit.

Et dum ipse quoque dicebat singularia sensu, uniuersalia autem intellectu cognosci; si quod potentiam cognoscentem mouet, ut uniuersale comparatione mentis debet illam anteire, quodq; ita se habet, si in natura rerum existit, facilè constabit Aristotelem credidisse, illud, de quo loquimur, uniuersale aliquo modo in rerum natura versari.

Et hoc mihi quidem non obscurè compertum, quoniam hic uniuersalis nomine in essendo dicti solùm communem intelligimus naturam, per quam inter se singularia conueniunt, sed hanc inficiari, rudis est, ac indiserti, cùm ex. gr. satis obuia sit humanitas, per quam Socrates, & Plato inter se conueniunt, cum Bucephalo non item, per animalitatem cùm hoc, non cum lapide.

Hoc idem pariter clarum fiet, si quis aduertat, quòd Intellectus, dum concipit naturam tanquam verè, & positiuè unam in multis de quibus prædicat, & enunciat, atque adeò uniuersale ipsum effingit, temerè id certè non facit, sed à rebus occasione desumptâ, quoniam in ijs fundamentum adest, quod uniuersale dicitur incompletum, & inchoatum, cuiusmodi est ipsa communis natura; sed hoc planè, quod uniuersalis in essendo appellatione hic intelligitur; ex rei natura proinde concedatur illud, necesse est.

Dicebat quidem Philosophus *Species valeant, figmenta enim sunt, & si sunt, nihil ad sermonem sunt.* Sed is de formis, Ideisque Platonicis, non de uniuersalibus sensu, vniuersalia intellectu cognosci, non negabat vniuersale aliquo modo esse in rerum natura.

Vniuersalis in essendo nomine quid intelligendum.

Locus Aristotelis explicatur.

Digitized by Google

salibus, de quibus in præsentia sit sermo, loquebatur, iure autem Platonis opinionem aspernabatur, ut suo loco planum fiet. Dicebat itidem, *Vniuersale, aut nihil est, aut posterius est*. Sed uniuersale in actu, seu Logicum respiciebat, quod solùm cogitante intellectu comparatur; admittens tamen tum ibi, tum alibi sæpè remotum illud concedendum in rebus; Nec rectè concludunt hoc ab uniuerso rerum ordine ablegandum, quoniam, quidquid in eo est, vel Deus est maximè singularis: vel aliquid ab eo productum itidem singulare, cùm actionis sit terminus; Quod enim primò, ac immediatè producendi vim, actionemque terminat sic esse profectò debet; at si per concomitantiam ad illius productionem suum esse consequatur, non itè; nec enim hoc intrinsecùs singulare esse debet, cùm hunc in modum actiones etiam circa uniuersalia possint exerceri. Nec quidquid existit singulare dicendum, omni uniuersali secluso, propterea quòd existentia sit rei singularis actus; Hoc enim admittendum tantummodo, si perfecta, ac ultima sit existentia, cuiusmodi est rei immediatè per se existentis; non sic autem existentia naturæ, quæ tantùm ratione singularium existit; quamobrem haud benè, quicquid existit, singulare esse deducunt. Et quamuis illud communi sit consensione receptum, *Omne quod est ideo est, quia singulare est;* nihil tamen inde concluditur, cùm id sit admittendum uniuersè, quoniam etiam communes naturę propterea existunt, quia in singularibus sunt: unde singulares & ipsæ non per se, & intrinsecùs, sed per accidens, & denominatiuè, ob adiunctam indiuiduam differentiam dicuntur. Duo illa primâ fronte pugnare uidentur, unitas, & communitas in esse ndo, non nego; communitas enim quædam est multiplicatio; at multitudo opponitur unitati; vnum est indiuisum in se, commune autem diuisum in multa; si hæc autem repugnant, & uniuersale, de quo fit sermo, repugnabit, cùm hoc eius indolis esse debeat, ut simul unitatem, & communitatem exposcat. Nulla tamen in his repugnantia, nihil enim prohibet, simul unitatem, & multitudinem eâdem in re adinueniri, si tamen diuerso modo sumantur; Vt repugnat quidem unitas numerica, & numerica multitudo; modo tamen diuerso, puta unitas formalis, ac uniuersalis, & realis, ac numerica multiplicatio non repugnat. Repugnat itidem, quod est realiter indiuisum, esse realiter diuisum in plura; nõ tamen formaliter indiuisum, realiter esse diuisum repugnabit. Et ut verbo dicam, repugnat aliquid esse unum simul, & multa, cùm ad idem genus, & unitas & multitudo pertineat; ut fieri non potest, hominem unum numero, & plures numero, item unum specie, & plures specie esse; at unum ratione, pluresque numero esse non repugnat; ad uniuersale requiritur utique unitas, & multitudo, non tamen eodem modo.

Quomodo intelligendum vniuersale in essendo ex rei natura esse.

Sic enim de hoc uniuersali sentiendum; quod illud sit communis natura in singularibus existens, non ita ut hoc modo sit completum, & in actu; sed remotè, prout per intellectus operationem actu fieri potest; Metaphysicum sanè per actum præscindentem, & abstrahentem: at verò Logicum, ut aiunt, per actum comparantem, concipientemque respectum, quo natura quidem respiciat inferiora sua; ex quo facilè intelliges, unitatem uniuersalis in actu esse per mentis operationem; incompleti autem, puta unitatem formalem, & multitudinem esse in re; quamobrem cùm non eodem usurpentur modo unitas, & multitudo, simul utramque cohærere, minimè repugnabit.

Nominales vniuersalia sa

Illi autem Nominales dicti, qui, quicquid aliorum solertia perquirit in rebus, immeritò uocibus, atque nominibus deferendum existimant, non multum à suprapositа sententia recedentes, uniuersalis rationem in uocibus, atque conceptibus tantummodo concedendo, solùm uniuersale in significando, ac repræsentando, secluso, quod in essendo, recognoscunt.

tionem vocibus atq; conceptibus positi ri sturiũt. Eorum sententia reijcitur.

Mirum tamẽ, quòd à veritatis tramite tam longè deflexerint; nedum enim voces, conceptusque formales, sed illis & veræ, & communes naturæ respondentes, velut obiectæ res concedendę sunt, quod planè cõpertum cuiq; fieri potest ex illa prædicatione, in qua communis natura de singulari quodam enunciatur; ut cùm dicitur, Socrates est homo; tunc enim uniuersale de singulari affirmatur, essentialisque connexio prędicati cùm subiecto ostenditur, certè non inter illas voces Socrates; & homo, nec inter formales conceptus, quorum loco voces illæ subrogantur: falsa enim tunc foret enunciatio; sed potius inter illas res vocibus significatas, mentisque conceptibus expressas. Cùm igitur vniuersalis de particulari fit prædicatio, præter singularia, ac uniuersalia in significando, communes oportebit naturas admittere, quæ uniuersalia in essendo dicuntur, mentisque formalibus conceptibus obuersantur.

Neque occurras, propositi argumenti consecutionem negando; quod nimirum formalis conceptus hominis ut sic naturam quandam communem in indiuiduis immediatè non exprimat, sed immediatè singularia omnia indistinctè, confusèque repræsentata; & quòd non dissimiliter vox illa homo non significet immediatè naturam quandam communem singularibus, sed immediatè omnia hæc confusè, ac indistinctè repræsentata designet.

Sic autem hęc insulsè dicta deprehendes. Terminus ille, homo, vel illa singularia copulatim, vel disiunctim significat. Non primum, cùm enim totum, quod ex parte prædicati concipitur, affirmari de subiecto debeat, si per illud prædicatum, homo, copulatim omnia significantur humanæ naturæ indiuidua, omnia pariter, & singula de Socrate affirmari debebunt, unde falsa penitus enunciatio.

Alia ratio adducta illos refellitur.

Dices tametsi omnes naturę singularium de Socrate videantur affirmari, per illam tamen enunciationem re ipsâ non nisi propria eius affirmatur natura, cùm hoc interest inter actum copulatiuum confusum, per quem commemorata fit enunciatio, & copulatiuũ distinctum; quòd hic affirmat totum id, quod ex parte prædicati attingit; confusus non nisi subiecti partem affirmat.

Respõ quorum proponitur difficultas.

His, atque similibus non tollitur proposita difficultas; propterea quòd ad veritatem propositionis copulatiuæ, si tamen absolutè sumatur, siue clara, siue confusa sit, requiritur omninò, ut totum prædicatum & quælibet eius pars de subiecto verificetur; nec satis quod pars aliqua tantùm illi conueniat, per hoc enim à disiunctiua propositione secernitur; Nec etiã ille terminus disiunctim significat singularia, quod erat secundũ; propositio siquidem illa, Socrates est homo resoluta hunc redderet sensum, Socrates est hic, vel ille homo; at huiusmodi prædicatio non est uniuersalis de singulari, sed indiuidui vagi, non secus ac si diceretur, Socrates est aliquis homo; resoluta siquidem eum reddit sensum, quòd sit hic, vel ille homo.

Refellitur.

Nec omittam, quòd uniuersale de pluribus per modum unius debet prædicari, sic enim unum dicitur in multis, & de multis, unde nequit in prædicatione plura significare disiunctim.

Aliam obiectionem solutio.

Dices iterum humanam naturam indistinctè, confusèque conceptam de quolibet indiuiduo inadæquatè prędicabilem esse, videlicet vnam de uno, & aliam

Respõsio ob

de

de alio, atque hoc sufficere, ut absolutè de pluribus sit prædicabilis, prout uniuersalis conditio requirit.

Reijcitur. Sed hoc etiam ineptè dicitur, non enim vitatur, secuturum incommodum, quòd in quauis propositione propria natura de proprio indiuiduo prædicaretur, unde prædicatio superioris de inferiori, & uniuersalis de singulari non foret, sed eiusdem potiùs de se ipso.

Eadem hinc pariter magis elucet veritas, quoniam uniuersalis cognitio nõ respicit omnia singularia sub illo contenta; actus etenim ille ab indiuiduis differẽtijs omninò præscindit, cùm eius vi indiuidua conueniant, minimèq; distinguantur; obiectum igitur immediatum huiusmodi actus una quæpiam erit natura, sic à parte rei communis omnibus illis, ut in ea penitus conueniant, atque similitudinem obtineant.

Alia confutatur responsio. Satis mihi perspectum, haud ego fallor, te responsurum per actum illum confusum ex parte obiecti plura quidem cognosci, quanuis ex parte modi attingantur, ut unum, quatenus per confusionem illa plura non distinguuntur.

Ineptè tamen, ut opinor, propterea quòd actus ille, ob sui confusionem, indiuiduorum omnium singularitates non attingit, atq; adeo nec plura ut plura ex parte obiecti, cùm numerica multitudo solum differentijs illis accepta referri debeat. Nedum igitur ex parte modi, verùm etiam ex parte obiecti plura quidem ut unum ille actus attingit; cognitio siquidem tantùm id repræsentat, quod se tenet ex parte obiecti, quamobrem si intellectui multitudinem, ac distinctionem non exhibet; nec obiectum prout illius cognitionis terminus, distinctionem habebit.

Dum intellectus plura ut plura attingit, cognitio nequit illa in distincta repræsentare. Nec prætereundum, quòd si ex parte obiecti plura ut plura intellectus attingit, non poterit illa veluti indistincta, & per modum unius repræsentare, propterea quòd totum illud attingit, quod repræsentat; cùm itaque non repræsentet plura, sed unum, consequens est, ut non plura, sed unum attingat.

Obiecto ex Aristotelis Auctoritate desumpta diluitur. Huius verò sententiæ fautores perperàm ad aures Aristotelis se locutos existimant; quoniam hic ait, genera, & species substantiarum non esse substantias. Et alibi, secundas substantias, quale quid significare. Non enim inde rectè deducent hæc esse voces, atque conceptus, quòd significare sit proprium nominum, atque conceptuum; priori siquidem loco solum id inficiatur, nimirum genera, & species substantiarum separatas, esse substantias sensu, quo illas Plato fertur adstruxisse. Secundò autem utitur re pro nomine, ut perinde sit, ac si dixerit: secundarum substantiarum nomina quale quid significant; etenim eodem modo ibi primam substantiam hoc aliquid significare dicebat, cùm tamen hæc etiam ex aduersariorum placito nomen purum non sit. Dantur quidem termini uniuersales, & particulares, non propterea tamen in terminis uniuersale, particulareque consistunt; sic enim termini distinguuntur, geminamque partitionem suscipiunt, ratione illorum, quæ ipsi significant. Vnde hinc potiùs illud, de quo loquimur, uniuersale colligitur, quoniam in tantùm vocalis terminus dicitur quidem uniuersalis, quatenus uniuersalem significat naturam.

Nec admittendum, scientiam esse de vocibus, atq; conceptibus, quòd de ijs sit, quæ intellectus iungit, ac separat, cuiusmodi non sunt res, sed voces, atque conceptus. Intellectus enim in ijs, quas efformat, enuciationibus res ipsas, non voces, non conceptus iungit, vel separat: non quidem res, ut in se sunt, sed prout menti obijciuntur, ac obuersantur.

Inter quosdam deliramenta profectò non in po-

stremis illud, quòd uniuersale in actu re ipsâ sit; siue ad aures Platonis explicetur, cui, ut accepimus, separatum illud à singularibus videbatur, quasi daretur ex. gr. homo, vel eius natura in communi, de qua singuli homines participent, non secùs ac ex eodem lumine, veluti fonte, plures, pluresque flammulæ scaturiunt; siue illud ex aliorum placito intelligatur, quòd nimirum sit à parte rei seiunctum à singularibus, sed in ijs realiter inclusum, quoniam in pluribus indiuiduis communis adinuenta natura, verè proprièque meretur uniuersale dici, cùm ad huius rationem nihil ei deesse videatur. ipsa non est, sed solũ per mẽtis operationem.

Platonis consilium ab omni veritate penitus alienum, & ab eadem tam remotum, quàm quod remotissimum Aristoteles passim inculcat, dicens. Nulla uniuersalia existunt præter singularia separatim: uniuersalia non sunt præter multa: domus non est præter has domos, & lateres præter hos lateres: corruptis primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum remanere, hoc est, destructis singularibus, uniuersalia debent pariter euanescere. Aristoteles meritò consilium Platonis de uniuersali in re reijcit, ac improbat. 7. Metaphys.

Nec immeritò quidem; nam uniuersale, de quo fit sermo, nimirum in essendo, est illud, quod est in multis, videlicet in singularibus suis; non itaque separatum ab illis. Est natura, & essentia vel essentiæ pars ipsorum; insulsè propterea dicetur separatum, ac seiunctum ab illis; nulla siquidem natura, ac essentia, vel essentialis pars separata esse potest ab eo, cuius comparatione, vel essentia, vel essentiæ pars dici meretur. Prædicatur de singularibus; hoc autem coniunctionem requirit, cui separatio repugnat; fieri igitur non poterit, ut uniuersale sit à singularibus seiunctum, ac separatum. Accedit & illud, quòd quicquid reale separatum à singularibus foret, iam in se ipso singulare quoddam esset ab alijs realiter distinctum, ut Socrates, Plato &c. iuxta illud effatum, *Omne quod est, ideo est, quia unum numero est*. Vnde si illud ens separatum idea foret, hæc certè singulare quoddam esset ens, solùmque dici posset uniuersalis in causando comparatione singularium, quæ ab illa deriuari dicerentur. Nec satis constat, ubi nam à singularibus uniuersales illæ naturæ separatæ existerent, nec quâ ratione ad ea concurrerent, nec quonam modo hæc illas participarent; nec tandem quis earum usus, cùm tamen, quicquid excogitari posset, egregiè satis per naturam coniunctam, & in singularibus inclusam possit obtineri.

Soluitur argumentum Platonis. Platonis tamen explosis ideis, ac uniuersali sublato, disciplinæ non corruunt, quòd hæ de uniuersalibus, & æternis esse debeant, quemadmodum uniuersales naturæ, nisi à singularibus abstractæ, ac separatæ esse non possunt. Non enim id, circa quod scientia versatur, necessitatis illud genus exposcit, ut necessariò debeat existere, debeatque necessarium esse necessitate existentiæ, quæ simplex appellari consueuit, cuiusmodi foret illa, quam Plato suis adscripserat ideis; sed aliud est genus necessitatis, quod sibi vendicat scibile, nimirum illa, quæ complexa dicitur, quæque inter subiectum, & prædicatum enunciationis exercetur, diciturque connexionis necessitas inter ista, quæ profectò Platonis ideis de medio sublatis adhuc haberi potest. Et quanuis essentiæ rerum immortales, ac æternæ dicantur, non ob id extra singularia statim deducas, quòd sic in his esse non possint. Æternæ siquidem, hoc est incorruptibiles, & necessariæ sensu iam explicato dicuntur; sic autem de ipsis propositiones æternæ veritatis licet efformare.

Alia difficultas Platone proposita diluitur. Et quamuis simile à simili debeat procreari; non propterea tamen Platonis ideæ tanquam uniuersales

Digitized by Google

cauſæ, quæ ſuam impertiant ſimilitudinem, concedendæ. Fatendum ultrò, quod aſſumitur, ſed vel formaliter, vel virtute: non enim perpetuò formalis eſt requirenda ſimilitudo, quæ certè in cauſis æquiuocis non inuenitur, cùm virtualis ſufficiat: nec ad formalem, ut in cauſis uniuocis, eſt opus ideis, quas comminiſcitur Plato; communis enim in ſingularibus adinuenta natura hanc ſimilitudinem præſtat. Nec abſurdum imminet, quòd nempè ſingulare ab ea, quam in ſe uniuerſali natura inuoluerat, reddi deberet uniuerſale, ad eum modum, quo ſubiectum albedinem recipiendo, redditur album. Non enim uniuerſalis natura ſic exiſtit in ſingulari, quemadmodum in ſubiecto reſidet albedo, ſed potius ut ſuperius in inferiori ſuo, naturæque ſupponenti ſimpliciter, non autem perſonaliter communitas accommodata eſt. Neque negotij aliquid faceſſit, quòd nullo exiſtente ſingulari adhuc de homine ex. gr. ſcientia dari poſſit, quæ cum de re communi, ac uniuerſali eſſe debeat, hominem itidem in communi dari neceſſe erit. Ineptè deducitur intentum, cùm nulla ſcientia rei, de qua agit, exiſtentiam requirat, ſatis enim, ſuperque eſt, ut exiſtat in mente; re ipſâ verò poſſit exiſtere, cùm ſcientia realis extiterit. Nec tandem ſequitur, intellectum falli: quoniam abſtrahit, & abſtrahentium non eſt mendacium.

Conclu ditur uniuerſale in eſſendo explican dum eſſe, ut ſupra.

Ex hactenus diſcuſſis, & ad veritatis trutinam caſtigatis, palam fit, & apertum, uniuerſale, de quo loquimur, explicandum, ut ſupra dicebatur; concedendum ſcilicet uniuerſale in eſſendo, puta communes in ſingularibus exiſtentes naturas, non veluti completum & in actu: ſed velut incomplectum, remotum, ac in potentia, quatenus inde occaſione intellectus arrepta illud perficit, & abſoluit, metaphyſicum abſtrahendo, præſcindendoque naturam à contrahentibus differentijs, Logicum verò concipiendo reſpectum, per quem abſtracta illa natura relata ad inferiora concipitur.

Difficultas eſt explicandi quomodo cõmunis natura in inferioribus exiſtat.

Tametſi autem res hunc in modum ſe habeat, non tamen conuenit inter Philoſophos, quâ ratione communis natura in inferioribus ſuis exiſtat, & uniuerſale, de quo fit ſermo, concedendum ſit. Sunt qui naturam exiſtimant, ſic in ſingulari adinueniri, ut quamuis re ipſâ ſit idem cum illo, & cùm eius differentia, maneat, tamen adhuc ex rei natura formaliter ab ipſa differentia ſingularitatis diſtincta, ob diuerſitatem rationum, quas etiam ſeruant penitus impermixtas. Natura ſiquidem, inquiunt, ex ſua formali ratione ſemper eſt apta pluribus communicari: ſingularitas autem non item; atque adeò natura, cum ſingularitatis differentiâ fuerit affecta denominatiuè tantummodo ſingularis dicitur. Hoc idem diſtinctionis genus inter Metaphyſicos omnes gradus recognoſcunt.

Quorundam opiniones proponuntur.

In re tamen explicanda non idem eorum ſenſus; cùm quidam communem eſſe naturam per inexiſtentiam, arbitrentur, itaut una, & eadem, in omnibus reperiatur, non quidem numerica, ſed formali, ac eſſentiali unitate, quæ per eſſentialia principia negationem diuiſionis importat. Hæc minor unitate numerica, maior unitate uniuerſale. Alij communem admittunt naturam, non per inexiſtentiam, ſed per indifferentiam; itaut ſingulare quodlibet naturam propriam cum unitate ſua formali ſibi vendicet, unde alia ex. gr. natura ſit humana Socratis, & alia Platonis, etiam ante differentias indiuiduantes, dicatur tamen unaquæque communis natura, quia quamuis contracta ſit extrinſecus per differentiam ad hoc, vel illud indiuiduum, intrinſecus tamen ſemper indifferens maneat, ut in hoc ſit, vel illo; ita videlicet, ut ſicut modò Socratem conſtituit, potuiſſet etiam ex ſe conſtituere Platonem, ſi nimirum illi à generante communicata fuiſſet.

De uniuerſali in prædicando inſtitutur ſermo. 1. de anim. tex. 5.

Hactenus de uniuerſali in eſſendo, nunc de eodem in prædicando. Hoc, cui propriè conuenit uniuerſalis ratio, non in rebus quidem, ſed in mente tantummodo concedendum elegãter Philoſophus expreſſit, dicens, illud *aut nihil eſſe*, videlicet in rebus, *aut poſterius eſſe*, quoniam ex ijs mentis abſtractione, præciſioneque fieri debet; ut ob id alibi pronunciauerit, uniuerſale ſolum in intelligentia eſſe. Nec immeritò, propterea quòd uniuerſale in actu perhibetur illud, quod indifferentem habet unitatem, ſecundum quam idem ipſum eſt in potentia proxima, ut de quolibet ſuppoſito, ſeu ſingulari dicatur, prædicatione dicente, hoc eſt hoc, cum uniuerſale, docente Philoſopho, ſit, quod eſt unum in multis, & de multis; nihil autem ſecundum quamlibet unitatem in re taie eſt, quod ſecundum ipſam unitatem præciſam ad huiuſmodi prædicationem in proxima potentia ſit; nulla igitur natura re ipſa dici poteſt uniuerſalis, hoc nomine, ſecundum propriam ſignificationem uſurpato. Nihil tamen ſecundum unitatem in re huiuſmodi eſſe, inde cuique perſpectum, ut opinor; quoniam etſi alicui exiſtenti in re non repugnet affici aliâ ſingularitate, ab illa, qua afficitur, non tamen illud verè de quolibet inferiori, dici affirmarique poteſt, quod quolibet ſit ipſum; quoniam actu non niſi in uno indiuiduo reperitur; nec re ipſâ niſi illud conſtituit, itaut de eo tantummodo poſſit enunciari.

1. Poſt. cap. 10.

Doctrina de cõmuni natura explicatur.

Sed in horum gratiam paucis nonnulla perſtringam. Natura, de qua loquimur, ea ſanè dicitur, quę, vel eſt communicabilis, vel actu pluribus communicata, atque diuiſa eſt in plura. Ex ſe ad nullum ſingulare determinatur, ſed ſi in uno exiſtit, intrinſecus ei non repugnat eſſe in alio; quamobrem communitatem, indeterminationem, aptitudinem, & indifferentiam quandam habet.

Hanc porrò geminam eſſe volunt, una ſiquidem priuatiua, ſeu negatiua: altera poſitiua dici ſolet. Illa in quadam non repugnantia naturæ ad recipiendam determinationem conſiſtit, quam adhuc in ſe retinet, quando contracta, determinataque eſt; dum enim ita ſe habet, quandam retinet adhuc non repugnantiam ab eius formali ratione prodeuntem, ad hoc ut poſſit eſſe ſub alia ſingularitate, ab ea ſub qua eſt. Dicitur priuatiua, vel negatiua, propterea quòd cum huiu modi indifferentia determinatio quidem extrinſeca per aliquam differentiam ſingularitatis cohæret. Nec diſſimili modo natura ab hoc ut uniuerſalis ſit, indeterminata, ac indifferens eſſe dicetur. Ex quo intelligimus, naturę quidem accidere utrumque & quod ſingularis, & quod uniuerſalis ſit. Indeterminatio autem, ſeu indifferentia poſitiua illa eſt, ſecundum quam natura concipitur in ſe indiuiſa, ab omnibus differentijs indiuiduantibus abſtracta, æquè omnes reſpiciens. Hæc indeterminatio, ſeu indifferentia contraria ſolet itidem appellari, quatenus poſitiuè aduerſatur determinationi, quæ re ipſâ per differentiam obtinetur, eandemque penitus excludit. Si namque ſecum illam admitteret, iam non foret ab omnibus ſingularitatibus abſtracta, nec æquè omnia reſpiceret. Quæ ſub aptitudinis nomine velis exprimere; rectè dixeris naturæ duplicem aptitudinem eſſe ad hoc ut ſit uniuerſalis, unam proximam, alteram verò remotam; illa eſt potentia expedita, hæc impedita, quo minus ad actum reduci poſſit.

Ad uniuerſale duo requiruntur.

Illud itidem addendum, ad uniuerſale duo quidem requiri, nimirum, & quòd ſit unum, & quod vel actu vel

vel aptitudine pluribus communicetur, quod intelligendum de vnitate indifferenti, ut explicatum fuit, & de proxima communicatione; itaut æquè omnia respiciat inferiora, nec magis unum, quàm aliud. At natura non operante intellectu nequit hunc se habere in modum; cùm huius operationem requirat, per quam præscindatur à differentia singularitatis, sub qua actu reperitur; quoniam in uno tantùm indiuiduo re ipsâ vna adinuenitur, cùm in multis sit multiplex, & ab vna è differentijs determinata est, & extrinsecùs impedita, ne omnia æquè respiciat inferiora, omnibusque coniunctim commuicari quæat, itaut in re non nisi indifferens negatiuè dici natura possit: huiusmodi autem impedimentum opitulatione mentis abstrahentis, ac præscindentis aufertur, dum videlicet ab indiuidua differentia præscinditur, communisque positiuè redditur, dum pluribus actu communicata, vel saltem communicabilis intelligitur. Fatendum propterea vniuersale in actu ante intellectus operationem haberi non posse; atque adeò naturam vniuersalis propriam per intellectum tantummodo fieri.

Aristotelis hac de differentia explicat.

Obiectio.

Solutio.

Nullâ forsitan intellectus cogitatione sed re ipsâ naturam prorsus vniuersalem esse iuxta Philosophi consilium cuidam videri posset, dum ait, ê rebus quasdam singulares, quasdam vniuersales esse; non enim hæc subsisteret distributio, si quicquid est in naturâ rerum singulare, nullum vniuersale foret. Sed Aristotelis testimonio non benè in rebus uniuersale conuincitur, cùm ibi consilium ipsius eò tendat, ut solùm doceat, res vel singulares, vel uniuersales esse, itaut re ipsâ sint singulares, simulque præbeant intellectui occasionem, quâ illas vniuersales reddat, non quod duplex sit rerum status, vterque realis, sintque res quædam singulares, & quædam actu vniuersales. Et quamuis natura ex se realis propriam unitatem formalem obtineat etiam, ut sit pluribus communicabilis. Insulsè tamen hinc propriè vniuersalem esse deduces: ad uniuersale siquidem propriè sumptum, & maior vnitas, & maior communitas, seu indifferentia, ac indeterminatio requiritur; de quo paulò infra sermo redibit. Vniuersale itidem in re contendes, hinc suadere, quod ab intellectu attingitur, eidemque obijcitur, atque adeò re ipsâ debet eius operationem anteire, & non ab ea pendere. Nihil tamen conficies; quod enim in vniuersali materiale est, puta realis natura, negatiuè vna, satest, ut mentis operationem antecedat; quod verò formale, comitetur eandem. Multa etiam attributa sunt realia, quæ uniuersali conueniunt, quæque de eo, quod comminiscitur intellectus, verificari non possunt, cuiusmodi sunt hæc. Vniuersale est quid intrinsecum singularibus: est de eorum essentia, eademque constituit: de uniuersali dantur scientiæ, definitiones &c. hæc porrò cuique argumento esse possunt, naturam vniuersalem actu re ipsâ esse. Attributa commemorata naturis vniuersalibus conuenire, non inficiandum, materialiter tamen, ut aiunt, remotèque sumptis, quoniam hæc ipsâ attributa naturę communis essentiam tatummodo comitantur, & ab indiuiduis differentijs minimè pendent; at communem ipsam naturam in rebus concedendam, iam superiùs admisimus. Et quamuis in rebus actu sit singulare, & quoad naturam, & quoad singularitatem; non subinde hoc idem de uniuersali concludas, etsi concedantur, uniuersale, & singulare opposita esse, quorum conditio vt posito uno, ponatur & alterum: vel etiam admittantur esse relatiua, quæ simul naturâ sunt; Eorum enim utrumque videlicet uniuersale, & singulare geminam considerationem admittit, & quatenus superioris, & inferioris intentionem importat: & quatenus ea dicit, quæ hisce intentionibus substernuntur; prout igitur in secundis intentionibus consistunt, simul sunt per intellectum prædicantem, & subijcientem: quatenus verò substrata illis, re ipsâ quoque sunt simul; ita igitur se habent, si uniformi significatione sumantur. Nec in re putes vniuersalis vnitatem colligere, quòd hæc penes unitatem formalis conceptus attendi non possit, ne sequatur, numero multiplicatis conceptibus in pluribus intellectibus naturas esse multiplicandas. Vltrò fatendum siquidem, vniuersalis vnitatem attendi præsertim debere penes vnitatem formalem, quam re ipsâ natura habet, & in qua illa fundatur; adhuc tamen admittendum, vniuersalem naturam ab actu cognitionis vnitatem numericam obiecti per extrinsecam denominationem suscipere, prout vnum est ex intelligibilium numero; hinc tamen vniuersalia numero minimè distinguuntur, propterea quòd concretum, præsertim accidentarium ex multiplicatione formarum eodem existente subiecto multiplicari non debet; ut in re proposita contingit; eadem siquidem natura est vna quidem tua propria formali vnitate pluribus existentibus intentionibus uniuersalitatis. Quod mouet sensum debet in rebus adinueniri, huiusmodi autem uniuersalem actu naturam esse perspicuum est, non enim singularitas, actu igitur vniuersalis natura erit admittenda. Admittendum quidem sic se habere naturam, sed non nisi quatenus singularitate affectam cùm hæc sit mouentis conditio, quod si res ita se habet, non licebit inferre, naturam actu vniuersalem in rebus. Decem illæ celebres categoriæ, ad quas omnia naturæ opera reuocantur, & ijs constant, quæ extra animam existunt, vniuersales naturas requirunt; has igitur in rebus oportebit agnoscere. Mala tamen est consecutio, hæ siquidem non ratione vniuersalitatis formaliter sumptæ in ipsis categorijs locum obtinent, sed ratione sui ad eum modum, quo ipsas in rebus concedendas notauimus. In re nedum datur distinctio numerica, sed etiam specifica, & generica; ergo nedum numerica, sed etiam specifica, & generica in rebus unitas concedenda; vnum enim & multa, idem, & diuersum aduersantur; at oppositorum conditio ea quidem, vt posito vno in natura, alterũ itidem ponatur necesse est. Sed hoc argumento nihil planè conficitur; cùm eo tantùm probetur, dandum in rebus fundamentum genericæ, & specificæ vnitatis, non tamen has formaliter acceptas, cùm hunc in modum non nisi per intellectum habeantur. Neque dicas, intellectus concipit vniuersalem naturam, eam igitur oportet in rebus agnoscere, cùm ille rem obiectam non immutet, neque huic tribuat, quod non habet. Mala siquidem consecutio, tametsi enim per intellectum res obiecta secundum id, quod habet in re nullam subire mutationem possit, rectè tamen secundum id, quod acquirit in mente; quod enim incompletum, & inchoatum est vniuersale, ut in rebus communis est natura, secundum istud esse non immutatur, benè tamen secundum illud, quod vel intellectus abstractione, vt vniuersale Metaphysicum, vel comparatione, vt Logicum vniuersale, consequitur. Natura tandem vniuersalis inde videtur in re, propterea quòd intrinsecùs ea reperitur in singularibus solum extrinsecùs per differentias multiplicata; in illis enim formali, ac essentiali diuisione caret, cùm indiuidua non differant in natura, & essentia; quamobrem, vt in pluribus est formaliter vna, atque adeò formalis vnitas in omnibus vna, nec multiplicata ad multiplicationem indiuiduorum, quoniam vnitas est diuisionis carentia, quæq; diuisione carent ad eum modum, quo carent illâ, ad eum itidem modum vnum esse dicuntur. Nulla tamen

Digitized by Google

hæc ratio; dum enim dicimus, vnam & eandem esse naturam in omnibus indiuiduis eiusdem speciei; non sic usurpandum, quasi aliquid quod est in vno indiuiduo, in alio pariter existat, proindeque natura ipsa sit in omnibus indiuiduis vna per inexistentiam eius vnitate minimè multiplicatâ; & quæ in vno est indiuiduo non distinguatur ab ea, quæ est in alio; sed alio quidem sensu, & iuxta veritatem id intelligendum, quòd natura dicatur vna formaliter in omnibus indiuiduis, quatenus eiusdem est rationis in omnibus quod intelligendum sensu in diuina explicando Philosophia.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit Vniuersale.

Non vna est vniuersalis notio.

INitio se considerandum offert, haud vnam esse vniuersalis notionem; tripartitò siquidem illud vsurpari consueuit. Vnum dicitur Physicum, natura scilicet in singularibus existens differentijs indiuiduantibus implicata. Aliud verò Metaphysicum, nempè natura per intellectum ab ijsdem differentijs præcisa; quod subinde dicunt vniuersale esse in actu proximè prædicabile de inferioribus suis; atque hunc in modum affirmant, concipi tantùm in ordine ad essentialia sua prædicata, itaut hic sit naturæ status, iuxta quem Auicennas dicere consueuit, *equinitas est tantum equinitas*. Aliud denique est vniuersale, Logicum appellatum, per quod naturam eandem secundũ vniuersalitatis rationem intelligendam volunt, ut per hanc eandem rationem ad inferiora secundum esse superioris, & prædicabilis referatur.

Multorũ errata de vniuersali reijciuntur.

Hi tamen falsa quædam etsi permixta veris, enunciant. Vniuersale siquidem physicum Aristoteli potiùs prima materia est. Hoc tamen admisso, illud profectò intolerabile, quod de metaphysico vniuersali affirmant; nam perperam illud vniuersale in actu, & proximè prædicabile arbitrantur, cùm huiusmodi non nisi potentiâ sit, & velut vniuersalis in actu fundamentum; quod enim Metaphysicum dicitur, cùm potiùs rationem partis potentialis, per differentiam contrahibilis ad totum essentiale Metaphysicum constituendum obtineat, quàm totius, vt aiunt potestatiui diuisibilis in plures subiectas partes, de quibus enunciari, prædicarique possit, cuiusmodi Logicum est vniuersale, ineptè propterea vniuersale in actu, proximèque prædicabile dicetur.

Veræ sententiæ explicatio.

Res igitur sic explicanda. Communis, vniuersalisque natura, prout in re est, per differentias indiuiduantes contracta spectari potest, quem in modum, vniuersalitatis, etsi remotum, est fundamentum. Vel etiam considerari potest, quatenus per intellectum, à differentijs indiuiduantibus abstracta, sicque fundamentum est proximum vniuersalis in actu, & Metaphysicum dicitur vniuersale. Vel tandem natura inspici potest, quatenus secundâ est intentione vniuersalitatis affecta, per quam ad inferiora secundum rationem superioris, & prædicabilis refertur, & hoc est vniuersale in actu, quod Logicum pariter appellari consueuit. Huius fundamentum remotum est in rebus existens natura per differentias contracta: proximum est eadem, vt per intellectum ab ijsdem differentijs præcisa, ac exuta, quæ Metaphysicum vniuersale dicebatur; hoc autem est veluti potentialis pars per differentias contrahibilis ad Metaphysicum totum cum illis constituendum: vel habet se tanquam totum quoddam actu in ordine ad attributa illa, quæ actu continet. At neutro modo inferiora respicit, de quibus proximè prædicari queat, vnde haud proximè prædicabilis meretur dici, atque adeò nec vniuersale in actu, quod id omnino requirit; adhuc tamen vniuersale dicitur, quoniam per intellectum præcisionis unitatem habet; & re ipsa pariter habet, vt sit in multis.

Vniuersale definitum ab Aristotele fuit τὸτο γὰρ λέγεται καθόλυ, ὁ πλείοσιν ἐπαρχὲι πέφυκε. *Id enim vniuersale dicitur, quod in pluribus naturâ aptum est ineſſe*. Et alibi quod aptum est prędicari de pluribus. Vniuersale autem dicitur *aliquid*; nam tametsi non sit inficiandum, inter non entia, ac negationes ipsas formari posse communes, particulareſque conceptus, uniuersalium, & singularium instar, cùm negatio sit huic, vel illi negationi communis; uniuersale tamen propriè sumendum pro aliquo positiuo seu pro positiua natura, quæ vniuersalis dicatur, propterea quòd rectè Philosophus dicebat, non ens non esse genus, quia non entis nullæ sunt species. Et alibi priuationis nullam esse differentiam, cùm non entis nullæ sint species.

1. Pol. Ter. 8. 7 Diam. Ter. 45. 1. Peri. cap. 5.

4. Topic. fine. 1. de hæ. An. cap. 1. Peri.

Vniuersale pariter vnum est. Ad quod respiciens Philosophus, *Oportet*, inquit, *aliquod vnum, & idem in pluribus esse, & non æquiuoce*. Quamuis hoc alibi neglexerit. Et certè, si vniuersale debet aliquid esse commune multis, non potest non esse unum; nam si multa sint in multis, nihil est, quod multis commune sit.

Aptum etiam est inesse multis, quod primo, & prædicari etiam de multis, quod secundo sibi vendicat loco. Primum ad essentiam: secundum ad attributum pertinet. Necesse est autem, vt vniuersale re ipsâ nec tantùm per intellectum, esse possit in multis. In hoc grauiter peccarunt illi, quibus ad vniuersale sufficere videbatur, si natura intelligatur in multis, quamuis ita re ipsâ singularis sit, vt ei repugnet in multis adinueniri. Quod Aristoteles eleganter admodum expressit dicendo, uniuersale sui naturâ aptum est, ut sit in multis, quod certè de illo, cui ex sui natura multiplicatio repugnat, dici nullo modo potest. Nec immeritò, nam alioquin singulare dici posset uniuersale, quoniam ei posset intellectus multiplicationẽ appingere. Est pariter id rationi quammaximè consentaneum, velut apprimè conueniens vniuersalis naturæ, vsurpãdum enim hoc sensu, quod vniuersale sit aptum inesse multis, nimirum per veram, atq; realem inexistentiam; sic enim habet quòd aptum sit prædicari de multis predicatione vera affirmante naturam prędicabilem de illis, quibus verè conueniat. Hæc autem intelligenda de vniuersali habente fundamentum in re, cùm alioquin nihil prohibeat, quo minùs intellectus per suam fictionem debitum cognoscendi modum perturbet. Non dissimulandum tamen, satis, superque esse, vt per quamcunq; potentiam reperiri possit innultis.

4. Top. Cap. 5. Diuinor. Ter. 45.

Vniuersale autem si quâdam amplâ sumatur vsurpatione, communes omnes complectitur naturas, etsi presius acceptum solùm directè constitutas in categorijs comprehendat. Idem autem vniuersale tantummodo in rebus creatis admittendum.

Vniuersale ita significans ac sumptum omnia creata complectens naturas.

Sed vniuersale concretum est quoddam ex natura, & vniuersalitate, quæ duo quidem importat, vnitatem scilicet, ac aptitudinem; tria propterea sunt, quibus idem constituitur, natura scilicet, vnitas, & aptitudo, de quibus hìc sigillatim disserendum.

Non comminiscitur profectò, nec fingit intellectus intra se communem naturam pluribus, intentione similem reali naturæ singularium, adeò ut natura realis non sit, licet realis instar conficta. Neque ipsa est Platonis idea per se existens à sensibilibus rebus abiuncta ad genus substantiæ pertinens incorporea, atque

Cõmunis natura est etiã ab intellectu.

lique mente intelligibilis, sed entium realium vniuersalis natura verè proprieque realis meretur appellari; quamuis in entibus rationis excogitari possit, quæ pariter ens rationis dici debebit ad eum modum, quo ens rationis admittendum existimauimus. Hoc adeò verum, ut omnino mihi uideantur desipere, quibus contrarium arrisit.

Quicquid enim in natura rerum existit, nihil in se potest inuoluere, quod reale quoque non sit; at uniuscuiusque rei natura in ipsa re præsertim includitur; naturas igitur rerum, quæ reales dicuntur, reales itidem esse necesse est. Quod etiam asserendum, si naturæ de quibus loquimur, secundum quamlibet communitatem, uniuersalitatemue fuerint acceptæ. Nullus enim communior afferri potest conceptus, quàm realis entis, de quo certè nihil uerius, quàm quòd ens reale sit, potest enunciari.

Quidquid enim in natura rerum existit nihil potest in se inuolere, quod reale non sit.

Cùm autem realium rerum naturæ dicantur reales, oportet ut eædem realiter possint existere, quandoquidem ens reale esse, hoc sibi vult. Et eædem pariter existent re ipsâ, quando singularia, in quibus inclusæ sunt, re ipsâ itidem existunt. Vt enim à singularibus abiunctæ, separatæque nequeunt existere, ita viciſſim singularia absque ipsis esse non possunt.

Naturæ quæ dicuntur reales oportet vt realiter possint existere.

Et quoniam ex ijs, quæ in uniuersa rerum natura possunt existere, vel actu etiam extant, quædam substantiæ, quædam accidentis rationem participant, propterea naturas eorum hanc eandem subire distributionem existimandum; adeo ut quædam substantiales, quædam accidentariæ dicendæ sint. Non enim in accidentibus substantialis natura: nec viciſſim in substantijs accidentaria potest adinueniri, citra contradictionis periculum; res enim quælibet à propria natura conditionem sortitur; si igitur substantialis in accidentibus esse posset, certè etiam accidens dici substantia deberet: & si accidentaria in substantijs, utique substantia deberet itidem accidens appellari. Cùm autem accidens, & substantia in entis communi ratione conueniant, quæ ab illis aliquo modo præscindit, ut nec substantialis, nec accidentaria sit; realibus existentibus substantiali, & accidentaria naturis, necesse est, rationem prædictam entis velut in illis inclusam realem quoque esse, nulloque modo ab intellectus operationibus pendere.

Ex ijs, quæ in natura extant quædam à substantiæ, accidentis ratione participant.

Silentio id minimè prætereundum existimo, quod in alicuius animum posset non leuem difficultatem inducere. Cùm enim diximus realium entium naturas esse reales, entium autem rationis non item, etsi quodammodo ens rationis, ut vulgo sumitur, concedere videamur; nihil tamen est, à quo magis animus abhorreat. Semper igitur hæc accipienda volumus, sensu, quo ens rationis explicuimus, quoque concedendum duximus.

Quo sensu intelligendum entium rationis esse naturam.

Nec me redarguas amabò, quod nimirum à Peripatetico tramite vniuersalia in substantijs concedendo deflexerim, cùm alioquin id Philosophus negasse videatur; non enim is in substantijs uniuersalia negandа duxit, sed eo tantum spectabat, ut uniuersalia per se naturas, & in se consistentes à singularibus seiunctas, à Platone longè, latèque dissentiens inficiaretur.

Auctoris ac vsatio. 1. Diuin. Tex. 10. & 7. Diu. Tex. 10.

Quoniam autem natura constantium quædam materiata sunt, & mole-constant; quædam autem non item; propterea nobis fatendum, naturas quasdam corporeas quasdam incorporeas esse, isdemq; communes quasdam naturas esse dicendas.

Ex ijs, quæ natura cõstant quædam materiata sũt, quædam non item. Ex naturis eũ quæ-dam sen-sibus attin-guntur quædam autẽ minime.

Hinc proinde quasdam sensibus attingi, quasdam verò esse, quæ cuiusque sensus aciem effugiunt. Quod sic intelligendum, non quasi sentiendi vis circa communem naturam sese possit exercere; non enim vitus colorem generatim sumptum, nec saporem uniuersim acceptum gustatus attingit, sed quoniam communi conuenit naturæ, ut in suis singularibus sentiri possit.

Aristotelis locus de vniuersali explicatur.

Neque perturbet, quod Stagirites quandoque pronunciauerit, vniuersalia nullum cum materia habere cõmercium, ac proinde incorporea esse; cùm tantummodo materiam singularem in communibus naturis inficietur.

Quomodo naturæ cõmunes sint generabiles & corruptibiles.

Deinde naturę sunt pariter generabiles, & corruptibiles, nõ quòd in ijs generationis, & corruptionis exercitium cõtingat abstractis à singularibus, sed quoniam in his inclusæ possunt ortum, & interitum subire, quod Stagirites expressit dicens, omnes actiones, omnesque generationes circa singularia exerceri; non enim Medicus hominem, nisi per accidens sanat, sed Calliam, aut Socratẽ; docere volens, ut opinor actiones circa naturas communes, ac uniuersales occupatas esse, non quidem in se, sed prout in singularibus inclusas. Nec immerito per accidens illas corrumpi dicebat, propterea quòd naturæ in se spectatæ accidit, ut in hoc, vel in illo existat singulari; quo spectat illud, *Sublatis primis substantijs auferentur omnia*, atque adeò secundæ substantiæ, quæ in ipsis sunt. Sunt enim uniuersalia in singularibus inclusa; his proinde corruptis, ea remanere non possunt; quoniam à singularibus nequeunt uniuersalia separata in natura rerum existere.

Singularia verò omnia, si contingat, corrumpi, secundum totum etiam & species dicetur interitum subire. At verò si vnum vel alterum singulare corrumpatur, ex parte species dicetur corrumpi, propterea conseruari perpetuò dici solet; quoniam etsi ad vnius, vel alterius singularis corruptionem intereat; in alijs tamen eorum loco succedentibus, in quibus realiter itidem existit, conseruari dicitur.

Quamuis res hunc se habeat in modum, tamen adhuc naturæ in se spectatæ, quæ ad corruptionem singularium corrumpuntur; generabiles, & corruptibiles dicendæ. Ita quidem passionem corporis naturâ constantis posse ortum, ac interitum subire nos esse contendimus, eo tamen sensu, quòd illa communis natura, etsi in statu abstractionis generari, corrumpique non possit; tamen in singularibus inclusa possit. Ita planè aptitudo ad ortum, ac interitum subeundum naturæ conuenit, cui tamen exercitium generationis, & corruptionis non nisi in singularibus conuenit. Sic aptitudo ad ridendum humanam consequitur naturam, & ab ea, velut à fonte dimanat; ridendi tamen exercitium ei tantummodo in singularibus existenti contingit. Singularitas igitur conditio est, quam causa ad propij numeris exercitium requirit.

Quomodo Aristoteles dixerit quod vniuersalia sint ingenerabilia, & incorruptibilia.

Dicebat quidem Stagirites, uniuersalia esse ingenerabilia, & incorruptibilia, non nego; sed eo tamen sensu, quatenus à singularibus abstracta nequeunt per se generari, & corrumpi; negatiuè tamen ingenerabilia dici possunt, quoniam non nisi à singularibus ad generationis, & corruptionis exercitium conditiones, inter quas est singularitas, habent. Non enim positiuè ingenerabilia dicenda, alioquin singularibus generabilibus communicari non possent &c.

Quomodo generabile & corruptibile accipiatur, quatenus idem est ac posse incipere ac desinere.

Hic tamen non omittendum, quod est consideratu dignum, videlicet generabile, & corruptibile eo sensu usurpari, vt perinde sit, ac dicere, posse vtcunq; incipere & desinere. Hac autem ratione, quicquid à primo ente pendet, generabile, corruptibileque dicetur. Accipitur etiam, ut idem sit, ac incipere, & desinere concurrente subiecto, prout id naturalium agentium virtute contingit; atque hunc in modum, ut non omnia generabilia, & corruptibilia sunt, ita nec omnes

naturæ

naturæ generabiles, & corruptibiles erunt; quò fatendũ, nobis quasdam esse generabiles, corruptibilesq; naturas, & quasdam non item: ac demum quasdam neutro modo se habentes, nimirum eas, in quibus commemoratæ conueniunt.

SECTIO QVARTA.

De Vnitate naturæ vniuersalis.

Multiplex est naturæ status.

VT in re proposita nobis ad veritatem aditus patefiat; in memoriam est operæ pretium, reducere, non vnum esse naturæ statum: simulque multiplicem vnitatis modum. Sagacioribus Philosophiæ Magistris triplex naturæ status probari solet, prout hæc trifariam considerari potest. Primò secundum se, & absolutè in sua propria ratione, diciturque status essentiæ. Secundò, prout in singularibus realiter existit, & realis existentiæ status appellatur. Tertiò prout intellectui obijcitur, & status existentiæ obiectiuæ nuncupatur. Iuxta hæc, diuersa quidem naturæ prædicata conueniunt. In statu essentiæ conueniunt naturæ omnia, quæ quidem in ipsius includuntur essentia, & quæ ab eadem profluunt, atque dimanant. In statu realis existentiæ omnia conueniunt attributa, omnesque denominationes, quæ singularibus, in quibus ipsa existit, realiter insunt. Vt omnia sunt realia accidentia quæ contingentia dicuntur, omnes operationes, generatio, corruptio, & id genus alia; In statu tandem existentiæ obiectiuæ denominationes, proprietatesque conueniunt, quæ ab intellectu ipsi attribuuntur, atque dicuntur denominationes, proprietatesque rationis, vt cognosci, abstrahi, referri, esse vniuersale, genus, speciem &c.

Quotmodi sint ipsi naturæ status.

Hi porrò naturæ status inter se collati ita se habent, vt quæ naturæ conueniunt prædicata in statu essentiæ, perpetuò, atque adeò in vtroque alio statu illi conueniant, ac de eadem dicantur; at verò quæ naturæ conueniunt in alijs duobus statibus, eidem in essentiæ statu conuenire non possunt; quamobrem esse singulare, quod naturæ conuenit in statu existentiæ realis, in statu essentiæ conuenire non potest; item esse abstractum, esse vniuersale, quæ illi in statu existentiæ obiectiuæ conueniunt, in statu essentiæ nequeunt conuenire, in hoc enim tantum ea sibi vendicat natura, quæ vel essentialia sunt, vel essentiam ipsam consequuntur.

Vnitas attributum est entis, in diuisionis negatione consistens, res enim dicitur vna, quatenus in plures diuisa non est, ad quod Stagirites respiciens dicebat, *Quæ non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur. Vtpotè si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo; si prout animal, vnum animal, si prout magnitudo, vna magnitudo.* Secundum igitur ipsam vnitatem res à se dicitur indistincta, distincta verò, atque diuisa à quocunque alio. Illud igitur est magis vnum, quod secundum esse suum, minùs est diuisibile; atque adeò species magis est vna, quàm genus, quoniam illa minùs, quàm hoc, diuisibilis est. Species enim in sola indiuidua, genus autem & in indiuidua, & in plures species sub se continentes indiuidua diuiditur. Singulare verò, ac indiuiduum maximè vnum est, cùm illi quælibet repugnet diuisio, vnitas igitur numeralis, quippè quæ nullam patitur diuisionem, ac multitudinem, omnium est maxima; hâc autem est minor specifica, & hâc rursus minor generica.

S. Diuin. Tex. 11.

Iuxta plures diuisionis modos plures assignandi sunt vnitatis gradus.

Iuxta plures igitur diuisionis modos, plures assignandi sunt vnitatis gradus, præsertim autem; cùm duplex occurrat diuisio, duplex itidem erit gradus vnitatis. Duplex diuisio quidem, cùm vna sit materialis dicta per indiuiduantia principia: altera verò formalis per principia essentialia; hanc porrò latitudinem habere dictum est, cùm quędam sit per essentialia principia propria, & quædam per cõmunia, quæ iterum latitudinem habet, prout principia magis, minusue communia sunt. Ita quidem inter Socratem, & Platonem est diuisio, seu distinctio numerica, non tamen formalis, cùm non per essentialia, sed per per indiuiduantia principia fiat. Inter hominem, & leonem formalis est diuisio per essentialia principia propria, vtpotè per vltimas differentias. Inter hominem autem, & lapidem maior est adhuc diuisio, utpotè per communia principia animatum, & inanime, itaut semper ascendẽdo formalis augeatur diuisio. Recensitis autem diuisionibus vnitates respondent. Vnitas enim in duplici discrimine est, cùm quædam numerica, quædam autem formalis dicenda sit. Numerica quidem vnitas penes priuationem numericæ diuisionis attenditur, cuiusmodi est vnitas indiuidui. Vnitas verò formalis penes priuationem diuisionis formalis attendi debet, quæ latitudinem habet. Formalium vnitatum maxima quidem infimæ speciei conueniens, quippè quæ nullatenus diuisionem per formalia principia secum patitur. Minor autem est vnitas generi consentanea; licet enim illud sit formaliter vnum, vt ex. gr. est animal, quatenus per sensibile, & insensibile diuisionem subire non potest; non tamen absolutè formalem obtinet vnitatem, quoniam diuisionem per essentialia principia secum admittit, quibus species contentæ sub illo in suis formalibus vnitatibus simpliciter constituuntur; quod de prędicatis vniuersalioribus etiam intelligendum. Diuisio, & vnitas materialis, propterea quòd numerum fundat, numeralis non immeritò solet nuncupari; at verò formalis dici essentialis consueuit, quoniam in essentialibus prædicatis fundatur. Illa materialis dicitur, quoniam indiuidua in infimo gradu se habent veluti materia respectu prædicatorum essentialium: alia dicitur formalis, quoniam essentialia prædicata habent se veluti forma respectu indiuiduorum,

Nemo autem tam fatuus exstitit vnquam, vt suasum habere sibi potuerit, naturam vniuersalem in suis indiuiduis esse materialiter, & realiter vnam, quin potiùs hoc modo penitus multiplicem, atque diuisam esse, videtur apud omnes exploratum. Quis enim insulsus adeò, vt affirmet essentiam, siue naturam Socratis ei realiter esse communem, atque Platoni; ita ut re ipsâ idem esse, sit penitus in vtroque? & certè repugnat omnino finitæ, limitatæque naturæ, cuiusmodi est omnis, si Diuinam excipias; vt; & eadem indiuisa pluribus indiuiduis communis sit. Quælibet enim in indiuiduo suo ita determinatur, vt ea, quæ in ipso est, realiter alteri eadem communicari non possit.

Nemo vniuersalis à nemine creditur in eius indiuiduis materialiter vna.

Inde verò præsertim hæc veritas elucet, quoniam naturales operationes rei naturam, & essentiam consequuntur. Proinde vbi eædem prædictæ sunt operationes, eandem ibi quoque naturam esse testantur. Ita planè quoniam in tribus personis diuinis eadem existit natura, propterea ijs eędem naturales operationes communes sunt. At satis est exploratum diuersas, & oppositas operationes ab indiuiduis eiusdem speciei exerceri, non igitur vna, & eadem indiuisa poterit in singularibus esse natura. Quod inde quoque clariùs ac euidentiùs euincitur, quoniam communis natura si foret eadẽ realiter in indiuiduis, certè non communis, seu vniuersalis, sed maximè sin-

Ratio id adducetur.

Digitized by Google

singularis esset; propterea quòd uniuersalis natura id sibi vendicat, ut sit in pluribus naturis singularibus, seu, ut diuidatur in plures se ipsas. Ita quidem homo in pluribus est hominibus, humanitas est in plures humanitates diuisa; ideoque singulare dicitur individuum, quoniam non diuiditur in plura: uniuersalis igitur natura in suis individuis una realiter esse non potest. Et mirum est, in alicuius animum oppositum aliquando cadere potuisse, cùm vnitas, de qua fit sermo, uniuersalis rationi repugnet: Et tantum abest, ut ad illam conducat, ut eam potius destruat, ac funditus euertat.

Id porrò non eò dico, quasi nullam unitatem realem naturæ concedendam existimem, cum potius, ut mox planum fiet, oppositum mihi compertum sit, ac exploratum; sed quoniam natura ipsa, unitate, quam sibi realem vendicat, sic in singularibus existit, ut una, & eadem natura sine sui multiplicatione haud possit in ipsis adinueniri. Cuiusmodi autem sit realis unitas naturæ conueniens, proximum est, ut explicetur. Quoniam tamen hoc sub inquisitionem cadere non potest, nisi paululum inspectis diuersis naturæ statibus, de quibus nonnulla supra tetigimus; ob id iuvabit primum, quæ nunc subijciuntur, inquirere.

SECTIO QVARTA.

Quenam unitas conueniat Naturæ in statu Essentiæ.

runita us una maior ia.

EX paulò antea traditis sic unitates inter se conferuntur, ut una sit maior alia; ea quidem maior, quæ minorem secum patitur diuisionem; numericam ob id maximam omnium dicebamus, propterea quòd nullam diuisionem secum adiunctam habere potest. Sed formalis unitas, aut specifica, aut generica dicebatur; specifica per differentias individuantes diuisiones admittit; itaut unum specie, numero multiplicatum esse possit; minorque sit unitate numerica, maior autem unitate formali generica, cùm hæc nedum diuisionem per materialia principia, sed per formalia, & essentialia pariter admittat, unde omnium minima dicitur, quippè quæ diuisionem per essentiales differentias non respuit; Sed quanam ratione, formalis iam explicata unitas naturæ consentiat; nunc declarandum aggredimur.

laturę in xu essen æ forma s ut itas ositiua uenit.

Illud primò veritati summoperè consentaneum, quod plerisque non obscuri nominis probatur, scilicet naturam absolutè sumptam, & in statu quidem essentiæ vendicare sibi propriam unitatem positiuam velut affectionem inseparabilem.

In hanc autem sententiam adducor, quoniam unitas adæquatum est entis attributum, itaut unumquodque ens acceptum in quouis gradu sit ex sua essentia unum unitate sibi contentanea, atque conuenienti; sed natura, de qua hic habetur sermo, propriam habet essentiam, & ut Scholastici loquuntur, entitatem, siue distinctam, siue non, à singularitate citra mentis operationem; proinde non immeritò ei propria unitas concedenda.

Iatura Smanis Status et ciæ nõ nè dici r nega tè una.

Nec rectè dicitur natura sic accepta, in statu scilicet essentiæ negatiuè una; quatenus nempè diuisa non est, itaut in se spectata, nec positiuè una, nec multiplex dici possit. Siquidem passiones entis, & reales, & positiuæ dicendæ, quamuis per negationes explicari possint; quamobrem unitas nullo positiuo præsuppositio, negatione quidem circumscripto explicari negatiuè non poterit. Hoc tamen prætermisso aduersariorum principijs innixus ex eorum animis falsam opinionem conuellere operosum non erit. Ipsis enim tacentibus unitas formaliter in diuisionis negatione consistit; nihil igitur apud ipsos formaliter unum, sed negatiuè tantum. Si igitur natura negationem diuisionis per formalia principia habet, una dicenda erit, non secus, ac quodlibet aliud ens, cùm nullum ens per ipsos possit unum esse formaliter nisi per diuisionis negationem.

Quod si positiuè nihil potest unum dici, nisi ratione fundamenti, cui ex se, & intrinsecus diuisionis negatio conuenit; profectò cum natura in se spectata, prout suo modo ab individuationis differentia secernitur, entitas positiua sit per formalia principia negationem diuisionis habens adiunctam, rectè inferetur in illa perfecta unitas, quandoquidem hæc ex eorum placito in entitate habêt diuisionis negationem consistit, atque adeò natura positiuè una dicenda, quatenus hoc ei fundamenti ratione potest conuenire.

Idem quoque satis perspicuè constat, quoniam natura in statu essentiæ spectata, utque singularitatem suo modo antecedit; est rei essentia, est per se obiectum intellectus; per se sumitur à primo Philosopho consideranda; hæc etiam per definitionem exprimitur. Vnam itaque re ipsâ naturam esse, cuique fatendum, eo vel maximè, quòd ad id non satis, ut una sit, quatenus non dicit essentialiter diuisionem; vel quatenus ab intellectu potest ut una concipi. Quod enim unum habet nomen, unamq; definitionem, uniuocum est, quod unitatem positiuam præsefert; atque adeo quod definitione debet explicari, positiuam, & non tantum negatiuam unitatem habeat, oportet. Nec rectè occurritur dicendo satis superq; esse, ut ab intellectu possit velut una concipi; hinc enim potius intentum colligitur. Ideò namque potest ut una iuxta definitionis indigentiam ab intellectu concipi, quoniam positiuam induit unitatem, quâ cùm ens per accidens destitutum sit, propterea nequit ut unum concipi, itaut definiri possit definitione naturam eius exprimente; non quidem accepto ente per accidens in actu signato; hoc enim sub definitionem cadit; sed in actu exercito, quod non patitur definiri.

Natura in statu essentiæ spectata utque singularitatem suo modo antecedit est per se obiectum intellectus.

Hinc etiam veritas longè clariùs, & apertiùs elucet. Quoniam ubi diuisionis negatio, ibi quidem unitas positiua; huic siquidem illa prorsus innititur, & prout huiusmodi fuerit negatio, sic & unitas positiua cum igitur in natura sit negatio diuisionis, fatendum etiam aduersarijs per formalia principia, in eadem itidem erit formalis unitas positiua.

Vbi diuisionis negatio, ibi vnitas positiua.

Et ineptè admodum ad unitatem negatiuè sumptam confugiunt, quòd videlicet una, ac indiuisa dicatur natura, quatenus ex se diuisionem ipsam non dicit. Hoc enim cum necessariò positiuam unitatem supponat; si semel admiseris, naturam ex se, & in essentiæ statu formalis diuisionis negationem non dicere, eidem formalem quoque positiuam unitatem, velut affectionem concedas, necesse est.

Ineptè ad vnitatem negatiuè confugiunt.

Et parum appositè philosophantur, dum in re proposita sentiendum penitus idem existimant, quod vel de superficie, vel de humana natura respectu albedinis, & negationis eiusdem. Quòd rectè dicamus, albedinem non esse de essentia hominis, quemadmodum nec negationem ipsius, adeò ut homo in sua essentia spectatus nec albedinem, nec eiusdem negationem importet; propterea que dici possit negatiuè alba, hoc est nõ habens essentialiter negationem albedinis; non absimili modo natura humana in statu essentiæ dici poterit negatiuè una, quatenus non sit essentialiter diuisa, seu quatenus diuisione per essentialia principia non dicat. Magna nanque disparitas; ideo enim rectè dicimus hominem inspectum secundum essentiam, nec

In re proposita nõ idem sentiendũ ac de superficie & humana natura respectu albedinis.

Digitized by Google

nec albedinem, nec negationem eiusdem importare; quoniam ad horum utrumque penitus est indifferens, & ipsorum neutrum illi repugnat; si nanque repugnaret ei negatio albedinis in statu essentiæ, eidem in eodem statu conueniret albedo, atque vicissim. Non sic humana natura respectu diuisionis penes formalia principia, & respectu negationis huiusmodi diuisionis, seu respectu unitatis. Diuisio nanque secundum formalia principia illi repugnat, unde non est indifferens ad utrumque. Non igitur eodem modo philosophari licet. Quod cò magis mihi fit persuasum, quoniam passio, vel affectio per se primò naturæ, non singularibus conuenit; unius autem passionis unum positiuè debet esse subiectum; quamobrem natura prout à singularibus præcisa, positiuam unitatem requirit, quoniam unius passionis subiectum est.

Proponitur, simulque diluitur difficultas.

Neque perturbet animum, quod in essentiæ statu, naturæ non conueniant, nisi quæ ad primum, vel ad secundum dicendi modum per se pertinent. Tametsi enim unitas quæcunque non ita sit; ea tamen, de qua loquimur, formalis, naturam ipsam tanquam affectio consequitur. Nec ob id naturæ quidpiam oppositum ijs conuenire dicetur, quæ secundum essentiam eidem accommodata sunt; propterea quòd in singularibus ei conueniat diuisio; non enim hoc formali, sed numericæ opponitur unitati. Hæc etiam unitas naturæ conueniens cum illa simul ad inferiora descendit. Nullum hinc tamen incommodum, quoniam hæc unitas cum multitudine, seu pluralitate indiuidua cohæret; adeò ut illi pariter in statu realis existentiæ conuenire dicatur. Et falsum omninò, quòd quælibet unitas positiua omni ex parte subiectum indiuisum requirat; Id enim summæ, ac maximè vnitati debetur, cuiusmodi numerica est: formalis alioquin, de qua fit sermo, diuisionem in singularibus per materialia principia recipit, & admittit.

In essentiæ statu naturæ cõcedenda formalis unitas, negãda tamen numerica.

Tametsi autem necessariò formalem unitatem in essentiæ statu naturę concedendum, enunciatum fuerit, numericam tamen, vel ex utraque mixtam penitus denegandam arbitramur.

Ratione numericã unitatem in statu essentiæ non conuenire probatur.

Et certè nihil excogitari potest à veritate magis alienum, quàm naturæ in statu quidem essentiæ numericam unitatem conuenire. Hæc enim diuisionem in alias subiectas partes omninò respuit, at eam, ut vidimus, naturæ quidem unitas admittit. Vnitas numerica pluribus communicari non potest; naturæ tamen formalis unitas potest. Numerica unitas à singularitatis differentia penitus expectanda: at natura in essentię statu nullam singularitatem inuoluit. Ergò nec numericam unitatem, quæ naturæ non nisi in statu realis existentiæ potest conuenire.

Vnitas naturæ conueniens etsi numerica videri potest, re tamen vere non ita se habet.

Quamuis autem hæc unitas naturæ conueniens alicui numerica videri posset, quoniam pluribus communicari nequeat, velut in ipsa natura sistens; Re tamen diligentius introspectâ facilè deprehendet, à se falsum assumi, cùm formalem unitatem aliquo modo pluribus communicari fatendum sit.

Nec cò quod naturæ numerantur, ob id numericæ unitates illi conueniant.

Nec propterea quòd naturæ quoque numerantur, unitates illis conuenientes numericæ dicendæ. Quamuis enim numerus, quem predicamentalem appellant, singularibus unitatibus constet; transcendens tamen formalibus potest esse contentus.

Hæc unitas non Et insulsè prorsus hæc unitas quibusdam videtur mixta; huiusmodi siquidem mixtio, quippè quæ rationes mutuò se destruentes inuoluit, omninò repugnat. Numerica siquidem nullam diuisionem subire potest, formalis autem potest. Illi repugnat omnino pluribus communicari, huic autem non item.

Cæterum formalis hæc, de qua loquimur, unitas naturæ conueniens realis omninò dicenda, minor tamen numericâ; à qua solâ ratione distinguitur. Realis profectò; nam, ut re ipsa penes essentialia principia dicitur indiuisa, sic etiam modo non absimili una; quandoquidem diuisionis negatio, ut in re est, sic & in re positiuam unitatem supponit; minor autem numericâ, quoniam hæc nullam, at formalis, diuisionem aliquam patitur.

beat dicitur una. *Formalis unitas naturæ conueniens realis dicendã.*

Verumenimverò cùm formalem hanc unitatem re ipsâ concedendam asserimus, non sic id usurpandum, ut nobis in animo sit affirmare, naturam unius indiuidui, secundum suam entitatem physicè sumptam, reperiri in alijs, quasi una, & eadem naturæ entitas sit in omnibus, quo nihil absurdius; sed quoniam unaquæque formaliter in se indiuisa, potest disiunctim esse secundum se in pluribus indiuiduis, & hoc vel illud indiscriminatim constituere in eodem esse specifico. Ideò natura in se una dicenda unitate quadam minori, quàm sit unitas numerica. Atque hinc etiam duo indiuidua eiusdem speciei unum in natura dicuntur, quoniam unius natura ex se potest aliud constituere, & vicissim; non autem quia utriusque una & eadem indiuisa sit entitas.

Formalis unitas naturæ conueniens realis dicendã. *Formalis unitas quamuis re ipsa naturæ conueniens, naturam tamen propriam unius indiuidui secundum se in pluribus indiuiduis constituere est in alio.*

Alia ratio ad idẽ adducitur.

Hic alia itidem ratio; quoniam generans uniuocè re ipsâ conuenit in natura cum genito, non quidem numero, sed formaliter eâdem; ita ut formalis in utroque sit conuenientiæ ratio. Neque dicas, generans, & genitum uniuocè in natura conuenire, intelligendum de unitate conformitatis, adeò ut naturæ sint similes, non autem de unitate indiuisionis, quasi in utroque eadem re ipsâ sit natura; huiusmodi siquidem conformitas, sine formali unitate iam explicata haberi minimè potest. Non propterea tamen in diuisionis unitatem sic explicamus, quasi in utroque indiuiduo eadem re ipsâ sit natura, iuxta aduersariorum commentum, distincta à differentijs contrahentibus ante quamuis intellectus operationem; sed quoniam ex se non est hæc, eidemque singularitatis; accidit differentia.

Difficultas affertur, simulque diluitur.

Nec adstruentibus nobis formalem iam dictam unitatem quidpiam difficultatis facessit, quòd, quidquid extra intellectum existit, singulare est, unde formalis unitas commentitia dicenda; ut enim res ad entitatem, sic ad unitatem. Hæc nanque difficultas æquiuocationibus laborat. Tripartiam enim contingit aliquid singulare dici. Vel primo, & per se, ut differentia indiuidualis. Vel per se, & non primò, ut ipsum indiuiduum. Vel tandem per accidens, atque denominatiuè, ut communis ipsa natura existens in indiuiduo secundum se spectata, & secundum propriam essentiam; quatenus ab indiuiduatione distincta, ex se non est hæc, sed communis per indifferentiam, quoniam illi non repugnat alia singularitas, atque hunc in modum unitatem habet minorem unitate numerali. Siquidem rei, quæ per se est una unitate numericâ, repugnat omnino sub alia esse singularitatis.

Difficultas alterius proponitur, ac solutur.

Hic porrò difficultas insurgit. Particula: *secundum se*, vel dicit naturam solitarie spectatam, atq; ita non est in re, sed tantùm per intellectum, proindeque per eundem habet unitatem: vel particula: secundum se non negat societatem cum indiuiduis; proindeq; non dicit solitudinem, quem in modum singularis erit. Occurrendum tamen interroganti dicendo, particulam, secundum se, non accipiendam negatiuè, ut idem sit; quod solitariè, sic enim non existit natura extra animam; sed accipi positiuè debet, prout essentialia prædicata, tam ad primum, quàm ad secundum per se dicendi modum spectantia importat, quem in modum ei debetur esse; quin etiam per coniunctionem cum sin-

singularitate actu quidem existitit. Et quamuis generica etiam natura congruam habere suam vnitatem dicatur; non ob id Philosophus inculpandus, dicens in genere plures æquiuocationes latere: non enim absolutè, sed comparatione factâ cum specie intelligendus. Hæc siquidem, cùm per solas differentias vltimas diuidatur, longè maiorem vnitatem habet, quàm genus. Neque hâc admissâ vnitate, quæ sit communis pluribus, ita ut etiam natura secundum hanc vnitatem, pluribus communicari possit, ullum sequitur inconueniens: non enim una dicitur communis pluribus per inexistentiam, sed per indifferentiam.

Rursus addu-ir ac de dio tol-ir.

Quod si quis etiam vrgeat dicendo: dum ponitur aliqua vnitas realis minor vnitate numericâ, aut est alicuius in eodem vno numero; aut in aliquo alio. Non primum, cùm quicquid est in eodem numero, sit vnum numero. Nec secundum quoniam in pluribus nihil numero vnum. Facilè occurritur dicendo: Natura suo modo est prior, quàm hæc natura, & vnitas propriè consequens ipsam naturam, prior est unitate, quâ hæc est natura. Itaque in eodem, quod est idem numero, aliqua est entitas, quam consequitur vnitas realis, minor vnitate numerali, & illud, cuius est talis vnitas formaliter, ex se non est vnum unitate numericâ, atque adeo unitas ista realis non est alicuius existentis in duobus indiuiduis, sed in vno, itaut non sit vna eius unitas in pluribus indiuiduis, sed in singulis multiplicata. Vrgebis forsàn dicendo: Quicquid est in eodem indiuiduo, est unum numero. Fit satis respondendo, esse vnum numero trifariàm; vel primò ut differentia indiuidualis, & numerica differentia; vel per se, sed non primò, ut est indiuiduum ipsum; vel tandem per accidens, atque denominatiuè, ut ipsa natura. Falsum autem à quibusdam ostendendum assumitur, dari scilicet non posse formalem unitatem mediam, inter vnitatem singularem, & uniuersalem; vt non datur natura statum habens medium inter singularem, & vniuersalem. Inquiunt enim: Vel spectatur ut singularis, atque hunc in modum datur in re cum sola tamen vnitate singulari. Vel concipitur confusè, & ut vniuersalis; & sic habet quidem unitatem uniuersalem, sed tantùm per operationem intellectus. Concedenda siquidem naturæ communitas nullo operante intellectu, quæ nec est confundenda cum vniuersalitate, quæ solius est opus rationis. Vnitas igitur formalis, media quodammodo est inter unitatem uniuersalem, & singularem. Formalis ei conuenit intrinsecùs; altera verò extrinsecùs, nimirum unitas singularis per superadditam differentiam indiuiduantem: & vnitas uniuersalis per opus intellectus, concipientis eam, ut vnam in omnibus per inexistentiam. Licet enim inueniri non possit, nisi vel in statu singularitatis extra intellectum: vel vniuersalitatis intra eundem; quia tamen in vtroque statu suam retinet essentiam, quæ ex se nec uniuersalis, nec particularis est, sed ad utrumque indifferens; hoc sanè modo dici natura potest secundum suam essentiam quendam obtinere statum inter uniuersale, & singulare, quoniam neutrum istorum illi essentiale est; & in huiusmodi statu ei conuenit formalis vnitas, quæ sensu eodem media inter uniuersalem, & singularem dici potest.

Quamuis ormalis ic vnitas uæ cõ ens ir ex ſi nitate

Tametsi autem formalem hanc vnitatem, naturæ conuenientem, realem esse diceremus, minorem unitate numericâ; non subinde actu, & formaliter illam, sed ratione tantùm à numerica unitate distinguendam existimes; non enim maiori distinctione, formalis, de qua loquimur, unitas ab vnitate numerica secerni debet, quàm communis natura à singularitatis differentia; at inter hæc distinctionem rationis intercedere tantùm, paulò infra constabit; non maiori propterea distinctione formalis vnitas ab vnitate numerica distinguetur.

numerica ab ea hac tamen is sola ratione ne distin-gui.

SECTIO QVINTA.

Num formalis vnitas, naturæ in statu realis existentiæ conueniat.

EAdem ipsa natura, cui in statu essentiæ formalem vnitatem adscribendam non immeritò duximus, contracta quidem ad indiuidua, eandem omninò retinet vnitatem.

Natura, contracta ad indiuidua eamdem reti net forma lem vnita-tem.

Et certè formalis hæc vnitas, si velut affectio naturam ipsam necessariò consequitur, in quocunque statu ei conueniat oportet. At hunc se habere in modum vnitatem prædictam naturæ comparatione, satis superque ex hactenus disputatis cuique perspectum esse potest; proinde non inconsideratè dictum à nobis existimandum, naturæ, in statu etiam realis existentiæ, sæpius commemoratam vnitatem formalem conuenire, quod adeò verum, vt oppositum intelligi minimè possit.

Ratio ad id adduci-tur.

Deinde formalis vnitas, alioquin naturæ in statu essentiæ conueniens, non conueniret in statu realis existentiæ, quatenus in hoc per numericam vnitatem deberet illam amittere. Secùs autem res se habet; numerica siquidem vnitas, quippè quæ cùm formali non pugnat, non remouet illam ab indiuiduis; Sed cum formali non repugnare facilè intelligitur: nulla siquidem vnitas realis in aliquibus alteri repugnat, nisi in ijs aliqua ratio inuoluatur, quæ cùm huiusmodi vnitate cohærere non possit; huiusmodi autem rationem in indiuiduis obseruare non licet; non igitur vnitas numerica formali repugnabit vnitati; quamobrem pro comperto habendum, naturæ formalem vnitatem in statu realis existentiæ conuenire.

Altera ra-tio.

Laborant plerique ad ostendendum, nos grauiter fuisse deceptos, existimantes naturam in statu quoque realis existentiæ, & ad indiuidua contractam, suam retinere vnitatem. Quoniam, inquiunt: unitas dari non potest, quæ sit indiuisio, nisi ratione entitatis indiuisæ; hæc tamen in indiuiduis non datur, cùm potiùs in ijs multiplicata sit; nulla igitur formalis vnitas re ipsâ in pluribus indiuiduis.

Quorun-dam obiec-tio pro-ponitur.

Si quis porrò dixerit, naturam in indiuiduis materialiter, & realiter quidem, non tamen formaliter distingui, sic insurgunt. Suppositâ diuisione reali nequit intelligi cuiusmodi sit hæc indiuisio, & unitas formalis in re, nec satis perspectum qui fieri possit, ut natura modo aliquo sit diuisa, alio autem realiter etiam indiuisa, dum cùm reali diuisione, conuenientia, atque similitudo cohærere optimè possit. Idque inde confirmant, quòd aliqua esse formaliter, atque essentialiter unum, est unam habere formam, unam essentiam; at uerò forma, & essentia, quæ est natura, non una sed multiplex, non indiuisa, sed diuisa penitus est; nequit igitur in indiuiduis formalis hæc unitas adinueniri. Confirmant præterea; Quicquid est in uno indiuiduo, diuisum, atque discretum est realiter ab eo, quod est in alio, adeò ut etiam essentialia prædicata superiora sint in illis diuisa; quamobrem, quæ adæquatè sunt hoc modo realiter diuisa, atque discreta, nequunt aliquam unitatem, atque indiuisionem obtinere; ita nimirum, ut secundum aliquam rationem diuisa, & secundum aliam indiuisa dicenda sint.

Digitized by Google

Propositæ difficultati fit satis.

His tamen operosum non erit occurrere. Negandum siquidem dari non posse realiter aliquam indiuisionem, quæ physica, & entitatiua non sit. Vnitas enim, de qua hic sermo, sequitur essentiam, prout ab existentia præscindentem, atque adeò non fundatur in indiuisione alicuius entitatis, quæ essentiam, cùm existentia inuolutam importat; sed cohærere cùm plurium entitatum diuisione optimè potest, quæ sint prorsus rationis eiusdem in indiuiduis varijs, atq; diuersis, itaut, quæ in esse specifico constituit unum, ex se sit prorsus indifferens ad aliud in eodem esse constituendum, ut unitas indifferentiæ non immeritò nuncupetur. Ità fit, ut rectè occurreretur dicendo, naturam in indiuiduis materialiter, atque realiter, non formaliter tamen distingui. Et hoc minus rectè improbabant dicendo. Reali positâ diuisione, haud satis intelligitur, quænam sit hæc indiuisio, & vnitas formalis in re &c. Natura siquidem unius indiuidui, tametsi ab alterius natura numero diuersa, adhuc tamen essentialiter est indiuisa. Hæc autem vnitas per indifferentiam dicenda; vnde non mirum, si naturæ multiplicationem, ac diuisionem entitatiuam patiatur. Neque multum vrget prior ab ipsis allata confirmatio, propterea quòd aliqua esse formaliter, & essentialiter vnum, non est vnam habere formam, & unam essentiam unitate inexistentiæ, sed indifferentiæ. Nec maior est vis in ea, quæ secundo loco posita est, confirmatione; assumptum enim physicè quidem, sed non metaphysicè concedendum; vnde prædicata illa physicè discreta, atque diuisa, vnum quidem esse metaphysicè possunt, quatenus in ijs una est per indifferentiam natura; eodemque modo consequens inde deductum oportet distinguere; nempè, quæ sic adæquatè sunt realiter diuisa, atque discreta, nequeunt physicam aliquam unitatem entitatiuam, & per inexistentiam habere: benè tamen metaphysicam, per indifferentiam, itaut quæ in re sunt physicè diuisa, eadem quoque metaphysicè indiuisa sint, & quæ plura sunt per inexistentiam, unum per indifferentiam esse possint.

Obiectio altera.

Occurritur.

Nec negotij quidquam facessit, quod dici solet. Vnum existimatur illud, quod indiuisum est in se, & à quouis alio diuisum; atqui natura in indiuiduis existens, quippè quæ diuisa est in plura eiusdem rationis, sic indiuisa esse non potest; in huiusmodi igitur statu nullam sibi potest unitatem uendicare. Negandum tamen naturam in indiuiduis ad eum modum indiuisam, & à quocunque alio diuisam esse non posse, cùm secundum formalia principia quidem indiuisa, per materialia tamen diuisa sit.

Akeræ difficultas.

Præterea. Positâ singularitate nedum remouetur cõmunitas positiua, quam per intellectum natura consequitur, sed etiam communitas negatiua; Tum quoniam non manet una negatio in illis naturis per singularitates contractis, quin potiùs multiplicata; Tum quia esse communem negatiuè, est non esse diuisam in multis, quod positâ singularitate nequit subsistere, statim in multis enim diuisa manet, cùm verè positiuèque natura multiplicata sit, quod est habere oppositum illius negationis, qua negatiuè communis est, nempè non diuisa; in statu proinde existentiæ realis, nec una manet natura, nec negatiuè communis.

Diluitur.

Falsum tamen assumunt posità naturâ in statu singularitatis, ab ea negatiuam unitatem remoueri; siquidem ei singularitas accidit, unde sub hac communis adhuc re ipsa negatiuè remanet, quatenus verũ est adhuc dicere, quod natura nõ est ex se hæc, nec ex suis essentialibus principijs determinata. Nec ab ipsis id rectè probatum fuit; quamuis enim natura in indiuiduis communem vnam negationem diuisionis formalis non habeat, sed singula suam habeant negationem importatam per unitatem formalem; quia tamen indiuidua meritò huius negationis, vel unitatis inter se dicuntur eiusdem speciei, & realiter conuenire & similitudinem habere; proinde huiusmodi negatio, siue unitas licet in singulis multiplicata, communis per indifferentiam dici potest. Hæc enim communitas per indifferentiam multiplicitatem in singulis indiuiduis non excludit. Nec id, quod secundo addebatur loco, quidpiam habet momenti; propterea quòd naturam esse negatiuè communem, est non esse ex se, hanc, nec ex intrinsecis principijs numericam unitatem, vel multiplicitatem habere, sed penitùs ab extrinsecis; ita fit, ut adhuc in singularitatis quidem statu communis una negatiuè maneat, & illi formalis vnitas negatiuè quoque communis conueniat, quoniam illi status accidit singularitatis. Hic non præteribo, quod aliud est dicere naturam non esse singularem, & aliud non esse ex se singularem. Vt aliud est dicere hominem non esse album, & aliud ex se non esse album. Primum homine existente singulari, ut etiam homine existente albo, verificari non potest; secundum autem potest. Quamuis enim homo actu sit albus, adhuc tamen verè dicere licet, hominem ex se, hoc est ex intrinsecis principijs non esse album; sic etiam, quamuis actu singularitate sit affectus, verè adhuc dici potest, hominem ex suis intrinsecis principijs singularitatem non habere, ac eidem singularitatem accidere.

Hanc autem unitatem non priuatiuam, vt quibusdam est visum, sed esse positiuam, omninò contendo. Si nanque huiusmodi singularis est vnitas, & ea, de qua loquimur, profectò non absimilis erit. Neque commouere debeat, si quis ita disputat. Nullum diuisum in aliqua plura secundum quandam eius vnitatem, remanet peractâ diuisione vnum illâ unitate, secundum quam diuisum est, cùm omnis diuisio aliquam à diuisis tollat unitatem; specifica autem natura diuiditur in indiuidua secundum specificam unitatem; proinde specifica ipsa natura in indiuiduis diuisa haud una specie in eis remanebit. Minor autem propositio facilè constat; species enim nullam aliam, quam specificam habet vnitatem, secundum quam diuidi possit. Hoc autem inde præcipuè confirmant, quoniam fieri non potest, vt generica natura diuidatur aliter, quàm per specificas differentias, & natura specifica, quàm per differentias indiuiduantes. At per diuisionem scinditur diuisum, nec amplius remanet vnum ut ante diuisionem, ergo diuisio per differentias indiuiduntes specificam tollit vnitatem; nec alio modo tolli potest, cùm per differentias essentiales diuidi minimè possit.

Diffi cultas dis.

Admittendum profectò, non posse diuisum quidpiam in aliqua plura secundum suam vnitatem remanere peractâ diuisione, vnum illâ unitate, secundum quam diuisum est, si diuidatur didiuisione oppositâ illi vnitati, secus diuisione non oppositâ; diuisio quidem omnis aliquam tollit unitatem, nimirum sibi oppositam, atque contrariam, sed unitas formalis diuisioni numericæ non aduersatur, ideòque per hanc non tollitur; quia tamen diuisio est, ob id aliquam vnitatem debet remouere, sed hęc remouenda prout rei diuisæ conuenit. Numerica vnitas numericæ diuisioni contraria tollenda quidem, ad eum tamen modum, quo conuenit naturæ; huic autem negatiuè conuenit, proinde vt ei negatiuè conueniens per ipsam numericam tollitur diuisionem. Ex quo facile intelliges à veritate penitùs alienum, quod naturæ sola vnitas formalis conueniat; & erat argumenti assumptio, quando-

Solutio.

Digitized by Google

doquidem naturæ conuenit numerica unitas, negatiuè verò, ut explicatum fuit per numericam diuisionem, tollenda. Et ex hucusque traditis operosum non erit allatæ confirmationi satisfacere.

Quo pacto intelligendū sit formalem unitatem naturæ concedi

Dum autem formalem unitatem naturæ concedimus, sic illam intelligendam omninò contendimus, ut dum natura multiplicatur in singularibus, non vna maneat formalis vnitas in omnibus indiuisa, quin potiùs multiplicata, prout ipsa multiplicatur natura. Vt enim est communitas naturæ, sic & vnitatis illam consequentis. Ostensum est autem naturam communem esse tantummodo per indifferentiam, non autem per inexistentiam, quasi eadem physica entitas sub diuersis sit differentijs indiuiduantibus; adeò ut solum per indifferentiam cōmunis dici possit, prout natura, quæ unum constituit indiuiduum in esse specifico, ex se potuisset aliud constituere. Hoc idem de formali pariter unitate dicendum, itaut formalis vnitas, non vna, & indiuisa in omnibus maneat, quin potiùs multiplicata. Et certè si hæc vna in omnibus constitueretur, profectò id non contingeret, nisi ratione entitatis naturæ, quę vna & eadem non multiplicata foret in indiuiduis, quæ cùm non ita sit, nec vnitas vna in ijs esse poterit.

Obiectio.

Plerisq; tamen aduersa probatur opinio, eam ob causam, quoniam natura in indiuiduis existens secundum se, & secundum propriam essentiam spectata, verè diuisione caret; proinde necesse est, vt realem vnitatem sibi propriam in omnibus indiuiduis adæquatè pariter habeat. Assumptum probant, propterea quòd natura in se spectata non est in plures ac diuersas essentias diuisa, & ab omni tamen alia essentia distinguitur, tum quoniam natura communis secundùm se est ens reale, proinde realem vnitatem sibi consentaneam vendicabit, cùm vnitas attributum sit entis. tùm quia natura ex. gra. humana, & equina plures sunt realiter, & essentialiter distinctæ; ob id illarum vtraque ex se vna formaliter erit; multitudo siquidem vnitates præsupponit. tum demùm quia communis natura, vel vna est, vel plures. At plures esse non possunt, cùm id solùm per differentias indiuiduantes, quas ex se non habet, consequi valeat. Vna igitur ex se formaliter erit vnitate iam dictâ.

Responsio ad obiectionis rationes.

His tamen arduum non est occurrere; siquidem ad eum modum tantummodò probatur naturam etiā in indiuiduis formalem suam vnitatem retinere per indifferentiam, non tamen vnam in omnibus indiuiduis, quæ ad naturæ multiplicationem in ijs multiplicata non sit. Non admittendum igitur, carentiam diuisionis essentialis esse vnam acceptam pro indiuisione physica, & vt aiunt, entitatiua naturæ, quâ ratione potiùs ad existentiam, quàm ad essentiam pertinet: concedendum verò, si sumatur pro indiuisione essentiali, consistente in essentialium prædicatorum connexione; propterea mala est ea consecutio; cum huiusmodi siquidem indiuisione, naturæ essentiali, optimè quidem physica, & entitatiua cohæret eius diuisio, atque adeò multiplicatio formalis vnitatis numerica, simul cùm ipsa natura.

Assumpti verò probationibus iuxta sensum negatum sit satis, dicendo, spectatam essentiam prout ab existentia præscindit, vtiq; importare prædicatorū rei connexionem, nec dicere diuisionem in plures essentias: spectatam verò prout inuoluitur cùm existentia sub entitatis nomine, vtique in plures numero essentias diuidi, eodemque modo formalem eius vnitatem in singulis indiuiduis multiplicari. Et ad id, quod secundò addebatur loco, dicendum, quòd communis natura secundum se inspecta, & sub essentiæ nomine sumpta, est quidem nomine tertius reale ens, nullam existentiam inuoluens, habetque vnitatem essentialem, sibi respondentem absque physica, & entitatiua diuisione, quæ non nisi in statu existentiæ ob indiuiduantes differentias naturam ipsam comitatur; vnde in huiusmodi statu, naturæ vnitas solùm est vna, communisque per indifferentiam, non per inexistentiam, cùm in singulis indiuiduis numero multiplicata sit. Tertia probatio nulla redditur dicendo, solùm inde concludi naturam vtramque scilicet humanam, & equinam secundùm se spectatam, suam habere propriam, essentialem unitatem, non tamen existentiam inuoluere, vnamque physicè, ac entitatiuè esse in omnibus, quoniam ob indiuiduantes differentias in singulis indiuiduis vna cum formali vnitate numero multiplicatur. Postremæ autem probationi occurritur dicendo, naturam secundùm se formaliter vnam esse, sed per singularitates extrinsecùs aduenientes eam plura numero fieri, & cùm ipsâ eandem hanc vnitatem formalē multiplicari; hæc enim cùm sit vnitas per indifferentiam, optimè cohæret cum multitudine numerica. Itaque natura, prout à singularitate præscindit, formaliter, & essentialiter vna est, & per huiusmodi vnitatem ab alijs naturis secernitur, atque distinguitur.

Alia difficultas proponitur, simulque diluitur.

Nec propterea sequitur, tot species esse naturæ, quot eiusdem sunt indiuidua, propterea quòd in indiuduo quolibet alia, & alia cùm sua formali, atque specifica vnitate reperiatur. Non sequitur; natura siquidem vnaquæque in indiuiduo suo, ratione propriæ formalis vnitatis, apta est ex se singulis indiuiduis eiusdem speciei conuenire; hinc in singulis indiuiduis diuersę naturæ specificæ non sunt, sed potius omnes eiusdem rationis, aptæ quidem secundam intentionem eiusdem speciei specialissimę fundare. Nec itidem sequitur duo indiuidua eiusdem speciei inter se specie distingui; quoniam in quolibet indiuiduo nedum vnitas numerica, sed etiam specifica diuersa sit. ut nec etiam sequitur distingui genere, quoniam eâdem ratione, quâ in ipsis indiuiduis geminatur formalis vnitas speciei, geminetur quoque vnitas generis generalissimi, & subalterni. Hæc non sequuntur absurda, nam aliquid vnitatem habere formalem, ab alteriùs vnitate formali distinctam, bipartitò contingit. Primò quidem intrinsecùs, cùm videlicet per essentialia principia distinguuntur, ut naturæ formalis vnitas in homine, ab unitate formali naturæ in leone; Secundò extrinsecùs, & per accidens, ut formalis unitas in Socrate à formali naturæ unitate in Platone. Quamobrem multitudo formalium unitatum distinctionem specificam arguens ea tantūmodo est, quæ naturis intrinsecùs, non autem extrinsecùs conuenit. Ita quidem Socrates, & Bucefalus specie inter se distinguuntur: Socrates autem & Plato non item; quamobrem inter indiuidua, sub eadem specie contenta distinctio quidem essentiarum, non tamen essentialis adinuenitur. Nec sequitur naturam priùs in se diuidi, quàm per differentias indiuiduantes; quoniam formalis vnitas in naturâ numericam unitatem præcedat, atque adeò, si distinctę formales vnitates naturæ sint in singulis indiuiduis, intelligi natura debeat diuisa ante singularitates; absurdum planè, cùm immediata speciei diuisio per indiuiduantes differentias fieri debeat. Non sequitur, quandoquidem unitas formalis unius indiuidui, quamuis ab alterius unitate formali distincta sit, nihil sanè refert, cùm huiusmodi distinctio non nisi extrinsecùs illi per indiuiduantes differentias conueniat, quas propterea nequit anteire, quod planè contingeret, si formales vnitates intrinsecùs distinguerentur.

Aliquid vnitatem habere formalem ab alterius vnitate distinctā bifariam contingit. Primo intrinsecus per essentialia principia. Secundo extrinsecùs per principia indiuiduantia.

Digitized by Google

Quòmodo formalis vnitas minor sit vnitate numerica.

Et immeritò persuasum tibi foret, hanc formalem vnitatem numericâ minorem dici non posse; quoniam hoc exposcere videatur, ut simul cũ vnitate numerica possit cohærere, quod non admittendum, si ad indiuiduorum multitudinem ponatur multiplicata, verè tamen si vna constituatur communis pluribus. Immeritò, inquam, hoc tibi persuasum foret, quoniam etsi formalis vnitas naturæ multiplicetur in indiuiduis vna cùm vnitate numerica, adhuc tamen eâ minor dici potest, quoniam cùm vnitas saltem communis per indifferentiam dicatur, ex se in alio esse poterit indiuiduo, atque adeò aptitudine saltem potest cùm numerica stare multitudine, velut indifferens ad plura numero disiunctim constituenda.

Obiectio.

Vrgebunt præterea. Quod est extrinsecum alicui, nequit in eo multitudinem constituere, diuisio autem per differentias indiuiduantes est prorsus extrinseca vnitati formali naturæ, sicut & ipsemet differentiæ eidem sunt extrinsecæ; proinde huiusmodi diuisio tollere nequibit formalem unitatem ex se naturæ conuenientem, quamuis hęc in pluribus constituatur, sed vna erit formalis vnitas in omnibus. Ineptè tamen ita ratiocinantur. Si quid enim probarent, etiam & illud, per diuisionem scilicet numericam in indiuiduis haud multiplicari naturam, quod ipsis tamen

Diluitur.

non probatur. Sic igitur occurrendum. Indiuiduationem, diuisionemque numericam velut extrinsecam, & naturæ, & eius vnitati formali, non ponere in ipsâ multitudinem essentialem, quamobrem in indiuiduis adhuc remanet, cùm in sola prædicatorum essentialium connexione consistat, quibus indiuidua minimè distinguuntur; sed ponere multitudinem entitatiuam, vt aiunt, cùm indiuidualis differentia re ipsa sit idem cùm natura, vnde ad multiplicationem ipsius debet entitatiuè, ac physicè natura, eiusque formalis vnitas multiplicari.

Obiectio altera.

Vlteriùs. Natura in indiuiduis est penitus eadem in se, non secùs ac indiuiduatione præcisâ, solùmque indiuiduale esse superaddit; sed hoc solam naturæ diuisionem indiuidualem exposcit, ipsius esse intrinsecum non immutans; cùm hoc igitur esse indiuiduali, natura suam formalem vnitatẽ communitatis vnam prorsus in omnibus retinebit. Obuia tamen respon-

Soluitur.

sio. Differentiæ quidem indiuiduantes non immutant naturæ essentialem vnitatem, quam in connexione prædicatorum essentialium consistere, & essentiæ competere dictum fuit, propterea quòd natura siue existat, siue non, illi conuenit; non subinde tamen colligendum fieri non posse, quin realem, ac entitatiuam multitudinem in ipsa constituat, siquidem re ipsâ est idem cùm illa; quamobrem est necesse ad multiplicationem differentiarum indiuiduantium naturam quoque & cum ipsa formalem unitatem ad eum sanè modum multiplicari, quo nimirum entitatiuè, atque realiter non autem essentialiter, formaliterque multiplicatur natura.

Obiectio eiusdemque solutio.

Tandem ita quispiam potest obijcere. Vel natura est vna, & eadem in omnibus indiuiduis seclusis quibuscunque differentijs indiuiduantibus, itaut unam solam adæquatam vnitatem sibi vendicet, vel non. Si primum, id planè intenditur. Si secundum, natura quidem ante singularitates erit diuisionem sortita, nec primò ac immediatè per differentias indiuiduantes diuidetur; quin potius hæ viderentur superfluæ, quoniam indiuidua, per naturas ipsas satis superque distingui possent. Neque hoc negotij multum facessit; natura siquidem vna dicenda in omnibus unitate essentiali, ac per indifferentiam seclusis singularitatibus, quibus adiunctis formalis vnitas profectò intrinsecùs, ac formaliter variationem non subit, licet realiter, & extrinsecùs, quoniam scilicet extrinsecùs ad multiplicationem singularitatum, cum quibus idem re ipsâ est, hoc accidere inficiandum non sit.

Obiectio altera.

Ante igitur differentias aduenientes natura non intelligitur diuisa, non subinde tamen illæ differentiæ superfluæ, quin potiùs omninò necessariæ, ut ijs nimirum naturæ, ac indiuidua inter se realiter, ac entitatiuè distinguantur.

Quæ notanda.

Ob id hîc non omittendum, quod est summopere consideratione dignum, siue natura à differentijs contrahentibus ante intellectus operationẽ distinguatur, siue non; naturam adhuc unius indiuidui posse conferri, compararique alijs, quo nimirum pacto naturæ cùm suis formalibus unitatibus multiplicatis ad indiuiduorum multitudinem inter se distinguantur. Et quidem ex hactenus disputatis palam est, & apertum naturas ipsas numero minimè distingui, cùm hoc ante differentias commemoratas haberi non possit; per differentiam enim indiuiduantem extrinsecùs tamen sic affecta natura redditur, vt non sit amplius indifferens ad quodlibet indiuiduum, quam tamen indifferentiam ante singularitatem habet; solùm igitur dicere licebit naturam unam non esse quidem eandem cum natura alterius, non propterea tamen numero distinctam, cùm hoc aliquid ampliùs exposcat.

Natura ante differentias contrahentes habet dici posse diuisa.

Cæterùm ante differentias contrahentes natura diuisa dici non potest; in eo siquidem statu prædicatorum essentialium tantummodo connexionem importat, imò secundum formalem unitatem non diuisibilis, sed perfectibilis tantùm dicenda, diuisibilis enim solùm est secundum unitatem vniuersalem; quoniam hoc modo ueluti totum potestatiuum, siue vniuersale in partes eiusdem rationis diuisibilis intelligitur; at secundum vnitatem formalem potiùs contrahi, determinarique dicitur, quoniam sic non habet rationem totius, sed potiùs partis potentialis indifferentis ad plura numero disiunctim constituenda.

Explicatur natura formalis vnitas fixa.

Si rectè autem formalis hæc naturæ unitas explicetur; constabit facilè, non in similitudine quadam inter indiuidua consistere, sed in unitate indifferentiæ, quæ similitudinis est vtique fundamentum.

Propterea quòd similitudo, atque conformitas essentialis inter indiuidua in indifferentiæ vnitate fundatur. Ideo enim Socrates & Plato similes in specie dicuntur; quoniam eadem est per indifferentiam in vtroque communis hominis natura, nempè communis per indifferentiam prædicatorum essentialium connexio; atque vt hinc Socrates, & Plato similes, ita à differentijs dissimiles.

SECTIO SEXTA.

Vnitas præcisionis, & in quo statu naturæ conueniat, explicatur.

Præter vnitatem formalem maximè communem præcisionis etiam vnitas concedenda.

PRæter formalem unitatem naturæ conuenientem, & consentaneam, alia itidem eidem tribuitur, quam præcisionis appellant. Hæc porrò in eo posita est, vt secundum ipsam natura quidem abstrahat à differentia quauis indiuiduante, dicaturque communis, & indeterminata positiuè quidem ad plura. Hanc enim communitatem, & indifferentiam natura ab indiuiduantibus differentijs per abstractionem indeterminata ad plura consequitur indiuidua, itaut eadem sit proximè potens de ipsis enunciari prædicatione dicente, hoc est hoc. Quemadmodum ea dicitur negatiua communitas, quam obtinet natura, cùm re ipsâ est per differentiam contracta, ei siquidem sic se

Ha-

habenti prædictum communitatis genus conueniret; etsi enim absolutè, ac positiuè communis, & indifferens dici minimè patiatur, quippè quæ ad indiuiduum vnum contracta sit; adhuc tamen negatiuè talis dici potest, eo nomine, quòd etsi sit hæc, & singularis, hoc tamen ex se, vel ex internis non habet principijs suis, quin ei potius extinsecùs contingit, atque hunc in modum in huiusmodi statu ex se non est hæc, non singularis, quod negatiuè est esse commune.

Vnderetur natio naturæ ontratia ci solet.

Hæc eadem indeterminatio consueuit contraria nuncupari, quòd positiuę determinationi re ipsâ per differentiam existenti aduersetur, eandemque penitus excludat; Non enim æquè si aliquam admitteret, ab omnibus præcisa dici posset. Quamobrem præcisionis vnitas eadem est ac vnitas indeterminationis positiuę.

nitas ir termi ionis b apti dinis omine adi so r.

Hæc verò sub aptitudinis nomine tradi solet, itaut vna sit naturæ aptitudo ad hoc, vt esse possit in multis vna quidem proxima, altera verò remota. Illa porrò est naturæ capacitas ad hanc, vel illam differentiam sibi coniungendam omni impedimento seclusо, quod naturæ conuenit in statu abstractionis; remota verò est eadem capacitas, impedita tamen per contractionem vnius differentiæ, ne sit ad aliam expedita, vnde nequit ad actum reduci.

Natura ibens in beus ex cum quâ tum hæc for abem, iatem.

Ex hucusque traditis cuique perspectum, vt opinor naturam existentem in rebus ex se quandam habere formalem vnitatem, cùm nec in se, nec in indiuiduis per essentialia principia diuisionem subeat. Hæc autem vnitas est quæ & simul cum aptitudine ad hoc vt coniunctim existat in multis, & cum quadam communitate cohæret, quæque negatiua nuncupatur. Natura verò sic ab indiuiduis abstracta, & hunc in modum indeterminata actu quidem est vniuersalis, vel saltem proximum vniuersalitatis fundamentum, cùm sic se habens in proxima sit potentia, vt de supposito quolibet prædicetur prædicatione dicente, hoc est hoc.

præciso & in ermi ionis ıstitiæ itas nõ enit ræ, si dam r intel ctum est ndiui is ab acta.

An communi naturæ, hæc explicata vnitas præcisionis, vel si mauis indeterminationis positiuæ antè quamlibet intellectus operationem conueniat, maximè controuersum est. Cæteris prætermissis dicendi modis apertè dicam, mihi semper, quàm maximè cõsilium eorum arrisisse, qui extra animam existenti naturæ non nisi formalem vnitatem cùm reali cõmunitate negatiua tribuendam duxerunt; itaut præcisionis, & indeterminationis positiuæ vnitas non conueniat naturę, nisi dum per intellectum est ab indiuiduis abstracta, atque hunc in modum penitùs indeterminata positiuè redditur ad illa.

tio ad citur.

Hâc autem ratione ductus, opinionem hanc veritati maximè consentaneam sum arbitratus, quoniam præcisionis vnitas idem est, ac vnitas indeterminationis positiuæ, secundum quam natura quidem redditur expedita, simulque constituitur proximè potens de pluribus enunciari prædicatione dicente, hoc est hoc. Hæc autem vnitas extra animam existenti naturæ haud potest accommodari, cùm nihil secundum quamlibet vnitatem in re ita se habeat, vt secundum vnitatem præcisionis sit proximè potens de quolibet suppositо dici; hoc enim intellectu negotiante illi contingit. Non immeritò itaque dixeris extra animam existenti naturæ solam formalem vnitatem conuenire.

namuis tura dif entiam linidua aliquo do præ dat non mede

Communis quidem natura differentiam indiuiduantem aliquo modo præcedit; non subinde tamen inferendum in priori naturæ eam ipsam esse adhuc non existente, vel saltem non intellectâ differentiâ, itaut tunc natura in illo priori præcisionis vnitatem habeat. Mala siquidem consecutio, cùm esse naturâ prius durationis antecessionem non importet, itaut in aliquo signo, durationis natura existat, vel saltè possit intelligi absque numerica differentia; non enim naturæ sed durationis instantia sunt, quibus rerum existentiæ mensurantur. Sed ut aliàs adnotatum fuit, sola est independentiæ, vel naturalis præsuppositionis, vel præintelligentiæ cũ fundamento tamen in re prioritas. Vt itaque natura nunquam re ipsâ est, vel esse potest hisce differentijs destituta, ita nec etiam præcisionis hanc vnitatem realem re ipsâ sibi poterit vendicare.

inferendũ in priori naturæ eã ipsam esse adhuc nõ existente, vel saltem non intellecta differentia.

Neque dicas. Si natura existeret in re sine vlla contractione ad indiuidua, hanc vnitatem haberet, ergo pariter cùm ante quamlibet intellectus negotiationem in huiusmodi antecessionis statu indiuidua præcedat, prædictam vnitatem obtinebit. Non inquam, id dicas, mala cùm sit consecutio, propterea quòd natura differentijs omnibus exuta sic se haberet, vt has nedum naturæ prioritate, sed etiam durationis anteiret. Quod in contractionis statu non contingit, siquidem natura differentias non nisi naturæ, vel rationis prioritate antecedit.

Obiectio proponitur, eidęque satisfit.

Hoc adeò verum, vt etiam si communis ipsa natura, vt quibusdam placuit, à contrahentibus differentijs antè quamlibet intellectus operationem distingueretur; non propterea præcisionis vnitate foret vna dicenda; quoniam præcisionis unitas non est contenta distinctione naturæ à differentia, sed negationem omninò coniunctionis huius cum illa requirit.

Tametsi natura à contrahẽtibus differentijs ante quãlibet intellectus operationem distingueretur, non ob id præcisionis vnitate foret vna.

SECTIO SEPTIMA.

De communitate, ac aptitudine secundum quam natura potest esse in multis.

QVâ ratione dici vna possit natura, ex hucusque traditis neminem præterire crediderim; quia tamen cum unitate habet quoque communitatem adiunctam cum vna ita sit, ut communis quoque sit pluribus; ob id ordo doctrinæ postulat, ut hic de naturæ communitate disseratur; ita procedendo, ut primò, quid hæc naturæ communitas sit; deinde in quo ipsa consistat; tandem iuxta quem statum illi conueniat, num scilicet prout existit in indiuiduis, an tantummodo per mentis operationes, breuiter explicetur.

Proponitur inquirendum quid sit naturæ cõmunitas & aptitudo secundum quã natura potest esse in multis.

Communitatem, aptitudinemue remotam, vel si mauis negatiuam indifferentiam naturæ conuenire, prout etiam in indiuiduis existenti ex hactenus dictis de duplici communitate, indifferentia, uel indeterminatione naturæ, vt in multis esse possit (vna siquidem positiua, & alia priuatiua dicebatur) perspicuum est. Priuatiua erat illa secundum, quam natura sic est ad indiuidua plura indeterminata per abstractionem à differentijs indiuiduantibus, ut eadem sit proximè potens de ipsis prædicari. Negatiua verò sit, quam habet natura, dum re ipsâ est per differentiam contracta, quoniam tunc dici non potest absolutè positiuèque communis, ac indifferens cùm ad vnum sit indiuiduum applicata; adhuc tamen indifferens negatiuè dici poterit, quia licet sit hæc, & singularis, id tamen non intrinsecùs, sed extrinsecùs illi conuenit, in quo negatiua vnitas, ac indifferentia consistit.

Hæc aptitudo non conuenit naturę tãquam potentia, vel tanquã repugnantię negatio.

Non existimandum tamen aptitudinem hanc naturæ conuenire, aut veluti potentiam, aut veluti negationem quandam repugnantiæ. Non primum, quoniam siue natura spectetur ut in causis, & vt potẽtia, siue extra causas, & ut re ipsâ actuq; existit, nunquã hanc aptitudinem illi conuenire veluti potentiam reperies; Non quidem prout in causis, quoniam sic nihil entita-

tis

tis importat, secundùm quam huiusmodi potentiæ fundamentum esse possit; sic enim non dicit reale esse, nisi eiusdem causæ. Neque prout extra causas, quoniam sic idem est re ipsâ cum differentia iudiuiduante, proindèque nunquam eueniet, vt, eâ omissâ, aliam induat, atque suscipiat. Perperam autem crederetur pura quædam repugnantiæ negatio. Cùm enim naturæ quædam affectio sit ab internis principijs profluens, haud poterit in pura negatione consistere vt omittam, quòd vnaquæque negatio, præsertim cum subiecto non accidit, itaut illi variabili nexu conueniat, positiuum quidpiam supponit.

Ad id ratio affertur.

Ad probandum autem intentum ea mihi ratio plurimi videtur esse momenti, quoniam naturam esse pluribus indiuiduis communem solùm id sibi vult, quòd hęc non diuidatur in illa, hoc est, quòd indiuidua non distinguantur per essentialia principia, sed solùm per differentias indiuiduantes, principia nimirum extrinsecùs aduenientia. Naturam autem in indiuiduis, hunc se habere in modum ex hucusque traditis cuique palam, & apertum est; Non inficiandum igitur naturam sensu iam explicato realiter esse communem. Nec minoris efficacitatis alia suppetit ratio, quoniam natura quidem re ipsâ in aliquo indiuiduo adinuenta, ex se, & ab interno principio, vel communicari potest alteri ab illo, in quo est; vel hoc modo communicari non patitur. Si primum; id planè est, quod contendo. Si secundum, dum igitur conciperetur, tanquam communicabilis alteri, ut cùm sub ratione intelligitur vniuersalis, certè sub ratione illi repugnante conciperetur.

Quod non cò dico, quasi dissentiam ab ijs, qui concedunt neutrum istorum in essentiali conceptu inuolui; quique positiuam indifferentiam, præcipuè illam, qua natura simul in pluribus, non vagè tantùm in hoc, aut illo esse potest, naturæ duntaxàt per intellectum cõuenire affirmant, cùm per positiuam hanc indifferentiam fiat vniuersalis actu; sed tantùm id planè contendo naturæ conuenire, tanquam affectionem, ac proprietatem, intelligi posse sub non repugnantiâ, ut in pluribus multiplicetur, atque communicetur, idque ex internis principijs naturæ conuenire. Ex quo facilè intelligo in ea communitatem quandam præcedere negatiuam, & veluti vniuersalitatis rudimentum. Nec perperàm quidpiam assumebam; natura enim aliqua, ideò concipi non posset sub non repugnantia, vt pluribus hoc modo communicetur, quoniam ex internis principijs foret hęc: quòd igitur concipi natura possit sub non repugnantia communicabilitatis, ex eo proueniet, quòd nõ sit ex se hæc. Ea igitur non repugnantia quandam in natura communitatem supponit.

Illud etiam non abs re subijciam nimirum, intelligi non posse naturam vnius indiuidui similem alteri, quæ sit in alio, nisi ex se sit intrinsecùs ad nullum determinata, quin potius disiunctim cuique communicabilis, hæc namque similitudo formalem vnitatem supponit, quæ sine communitate haberi nequit.

Obiectio affertur cũ solutione.

Nec est suspicandum parùm esse veritati consonum, quod in re proposita decernendum existimauimus eo nomine, quòd nullum particulare, commune dicendum videatur, siquidem illud proprium sit, hoc autem nequaquam, quod autem in natura existit, particulare est, nihil ergo commune. Non enim repugnat in eodem vtrumque reperiri, dummodo ratione diuersâ, videlicet intrinsecùs, & extrinsecùs id ei contingere dicatur. Hunc itaquein modum se natura habet; intrinsecùs namque communis, extrinsecùs verò per differentiam singularitatis adiunctam singularis est; ita fit vt simul cohærere possint, quamuis opposita videantur, quoniam re ipsâ non opponuntur. Nulla siquidem oppositio inter ea, quæ, etsi circà idem, non tamen eodem modo, eademq; ratione sunt; natura siquidem communis est intrinsecùs, atque per se, sed eadem singularis extrinsecùs, & per accidens. Et quamuis oppositorum vnum, nempè communitas per se naturæ conueniat, non ob id repugnat per accidens oppositorum alterum, puta, singulare, cùm hæc oppositio absolutè non sit, quo oppositionis genere aduersarentur commune per se, & intrinsecùs, ac singulare eodem modo acceptum; est itaque oppositio secundùm quid, nimirum commune per se intrinsecùs: singulare per accidens, & extrinsecùs. Naturam autem ita communem non sic intelligendam volumus; quasi à differentijs indiuiduantibus separatam, sed velut excludentem à suo formali conceptu differentias prædictas, quod satis, superque est, vt commune quidpiam, negatiuè tamen dicatur. Aptitudo autem naturæ in aliquo indiuiduo, ut in alio esse queat, non proxima, sed remota est. Et repugnantia, quam habet natura in indiuiduo vno, ne sit in alio non intrinseca, sed extrinseca profectò velut ab externo principio proficiscens, dicenda erit. Et quamuis aptitudinem sæpè commemoratam naturæ per se conuenire, velut affectionem diceremus, non inferendum subindè singulis indiuiduis eodem modo conuenire, eam ob causam, quoniam superiori conuenit. Ne enim admittendum foret, quandò aliquid superiori supponenti absolutè, vel personaliter, non autem simpliciter conueniret. At verò communitas naturæ supponenti simpliciter tantummodò conuenit. Hinc formalis vnitas, ad inferiora descendnes conuenit indiuiduis, itaut Socrates ex. gr. dicatur formaliter vnus, non tamen communitas, quoniam illa naturæ conuenit, ut supponenti absolutè, hęc ut supponenti simpliciter. Et quamuis non admittatur communis ipsa natura citrà intellectus operationem ab indiuiduantibus differentijs distingui, adhuc tamen indifferens, eademque per differentias, si non reipsâ, & physicè, virtute saltem, ac metaphysicè contrahi, dici potest; quo distinctionis genere communis gradus à differentijs supponitur distingui. Tametsi autem, hâc solâ distinctione intercedente, nullus detur status, in quo natura possit à differentia separari, cùm qua semel producta est, quia tamen est in statu possibilitatis, nullam determinatè singularitatem respicit, sed vagè tantùm acceptam. Hæc autem, de qua loquimur, indifferentia naturę ad singularitates, cùm physica non sit, & subiectiua, sed metaphysica, ac obiectiua tantùm, explicanda quidem non per possibilem separationem naturę à differentia, sed per exclusionem differentiæ ab essentiali conceptu ipsius; itaut etiam, cùm affecta sit aliquâ differentiâ singularitatis, adhuc indifferentiam retineat suam, non quidem positiuam, & expeditam, sed negatiuam, ac impeditam. Communitas quidem ista, indiuiduali differentiæ minimè conueniens, naturæ tamen potest conuenire citra periculum, ne contradictoria de eodem verificentur, etsi natura, ac differentia, nullo intellectu negotiante, minimè distinguantur. Ne contradictoria enim de eodem verificari dicantur, non est opus distinctione extra animam, quęque re ipsâ sit, sed sufficit ea tantùm, quæ dicitur esse virtute. Et ante intellectus negotiationem non datur natura non singularis simpliciter, ac absolutè, nec negatiuè, nec præcisiuè: datur tamen non de se singularis, non de se hæc, quod est negatiuè communem esse, quatenus in sua formali ratione singularitatem non inuoluit; ut autem in re natura communis sit, haud intelligenda

carere

carere singularitate, in quo diuisio, non præcisio consistit, sed requiritur, quòd etsi cognoscatur singularis in re, intelligatur tamen ex se singularem non esse. Et quamuis in his terminis videatur posita contradictio, natura nullo cogitante intellectu non est singularis ex se, sed ratione differentiarum, cùm quibus est idem; quoniam antè intellectus operationem nihil magis ex se rei potest conuenire, quàm quod conuenit ratione formalitatis cum qua est idem; si nanque ratione differentiarum naturę conuenit esse singularem, quandoquidem hæ idem sunt cùm natura, hoc eidem quoque naturæ conueniet; quòd si naturæ ex se singularem esse non conuenit, nec etiam ratione differentię conueniet, quandoquidem hæc idem est cùm illa. Quamuis, inquam in his terminis contradictio videatur, nulla tamen reuerâ est; magis enim aliquid ex se formalitati conuenit ratione eiusdem formalitatis, quàm, quod ei conueniat ratione alterius formalitatis, cum qua est idem. Vt magis conuenit animali, quod in homine idem est cùm rationali, magis inquã conuenit esse principium sentiendi, quod conuenit ratione eiusdem formalitatis animalis, quàm esse ratiocinandi principium quod illi non ratione formalitatis animalis, sed ratione formalitatis rationalis, quę idem est cùm formalitate animalis, conuenit. Nec ob id immaginatio decipitur, dum in re nimirum hanc, & illam concipit formalitatem, cùm id potiùs intellectui præscindenti acceptum referri debeat; tametsi enim antè quamlibet intellectus operationem formalitates plures eiusdem rei actu distinctæ concedendæ non sint, virtute tamen illas distinctas inficiari non licet. De his tamen cumulatiùs in suprema disputandum Philosophia.

SECTIO OCTAVA.

Quo pacto natura sit in re ipsa communis, an per inexistentiam, an per solam indifferentiam.

Duplex modus excogitatus Scholasticis quo natura cõmunis diposſit in uribus peiri, us per xiſten- m aker : indif- entiã. Primus inexi- ntiam. cundus indif- tiã.

BIpartitum modum, quo communis in pluribus esse natura possit, excogitarunt Scholastici, unum per inexistentiam, alterum per indifferentiam; Priorem sic interpretantur, vt natura dicatur communis pluribus, quatenus vna, & eadem simul reperitur in omnibus indiuiduis, in quibus natura secundum esse suum non multiplicetur, nec quæ in vno est indiuiduo, alia sit ab eo, quæ est in alio; non quòd eadem vnitate numericâ, sed formali, & essentiali sit in pluribus, coniunctim etiam acceptis. Hanc autem naturæ communitatem per inexistentiam appellant. Alter est modus, quo communis censetur natura, quatenus hæc reuerâ multiplicatur in indiuiduis, adeòut verè dici possit, aliam esse humanitatem in Socrate, & aliam in Platone, & quamuis hoc cogitari nõ possit per modum realis distinctionis inter illas, nisi prout coniunctę cùm singularitatibus suis intelligantur; adhuc tamen quælibet naturarum ipsarum communis dicatur, quoniam quantumuis determinata sit extrinsecùs per differentiam ad hoc, vel illud indiuiduum, perpetuò tamen remanet indifferens ex se ad vnum, vel alterum; nam quamuis modò constituat vnum, id non habet à suis principijs internis, merito quorum aliud constituere potuisset, si illi à producente communicata fuisset. Hanc verò communitatem per indifferentiam dixerunt.

mmu- s per iſten- reij- =

Communitatem per inexistentiam improbabilem penitùs non immeritò quidam, quibus, & ipse assentior, existimarunt, quòd intellectus conatu quouis adhibito, nunquam eam possit attingere; quò subjt animum suspicio, nec immeritò, huiusmodi communitatis Fautores, non tàm mentis conceptibus, quam verbis rem ipsam tractasse. Et quamuis perdifficile sit hunc dicendi modum refellere; ea tamen non spernenda ratio, quoniam apertè constat, naturam secundum suum esse formale, ac entitatiuum in Socrate quidem incipere, vel desinere non incipiente, vel desinente in Platone. Non igitur vna, & eadem naturæ entitas positiuè per inexistentiam in vtroque, propterea quod communi Philosophorum calculo receptum, separationem realem vnius ab altero inditio esse debere, eadem illa reali distinctione secerni.

Occurrunt aliqui dicendo, quòd natura ex intrinseca sui ratione petit esse in indiuiduis, prout idem cùm illis; quamobrem possibilis tantùm est cùm entitatiua, materialiq; distinctione, hinc benè potest in vno produci, vel corrumpi natura, non autem in alio, nimirum beneficio huius distinctionis, quam in indiuiduis diuersis secundum esse indiuiduale quidem habet. Tunc autem inadequatè, non autem adęquatè incipit, & desinit, quoniam secundum totam latitudinem suam, totam indiuiduorum respicit collectionem. Aduersariorũ responsio.

Hæc porrò, quàm ineptè sint dicta, hinc planè intelliges. Materialis ac entitatiuæ naturæ distinctio in Socrate, & Platone aut solùm versatur inter differentias eorundem indiuiduantes, aut etiam inter ipsas naturas, adeòut humanitas vnius, & alterius non sit quędam communis physica entitas, sed duę. Si secundum, proculdubio fatentur à nobis intentum; quod videlicet non vna, & eadem natura sit per inexistentiam. Si primum eadem redit difficultas; nempè qui fieri possit, vt eadem naturæ entitas in vtroque sit indiuiduo, & vno corrupto, alterius natura non corrumpatur; & quomodo etiam re ipsâ possit esse cum differentia Socratis, non autem cum differentia Platonis, quamuis idem sit cum vtrâque. Confutatio.

Conantur obuiam ire dicendo, formalem, vel si mauis essentialem vnitatem naturæ haud concipiendam esse per modum indiuisionis entitatiuę, sed essentialis, non enim vna est entitatiuè in omnibus natura, sed solùm secundum essentialia, nec ut una sit hoc modo, vnitatem entitatiuam exposcit, quoniam autem inadequatè tantùm in hoc, vel illo conseruatur indiuiduo; ob hanc igitur illimitationem potest in vno corrumpi, & non in alio, esseque sine differentia Platonis, non sine differentia Socratis. Aduersariorum responsio.

His tamen animus non acquiescit. Cùm enim ex eorum sententia, natura sit in omnibus vna per inexistentiam, profectò fateri coguntur essentiam, quæ idem est cùm natura, vnam in ipsis indiuiduis existentem esse, atque adeò physicam vnam entitatem in ipsis, cum essentia existens sit. Quod si natura unius indiuidui entitatiuè, ut aiunt, distinguatur ab alterius natura; certè communis vna non erit positiuè in ipsis per inexistentiam: sed per indifferentiam; quo pacto natura vna potest communis esse, & simul etiam diuisa, atque multiplicata in indiuiduis, nedum secundum esse indiuiduale, sed etiam secundum esse reale, & intrinsecum in ratione naturæ, quod iuxta communitatem per inexistentiam haud potest intelligi, nempè quòd eadem physica naturæ entitas communis in omnibus, & singulis indiuiduis inexistat, itaut entitas vnius naturæ ab entitate alterius in indiuiduis non sit diuisa, solùmque affecta differentijs indiuiduantibus, vnde contingit indiuiduorum multitudo, censeri debeat. Plura tamen de his in diuina Philosophia dicenda supersunt. Reicitur.

At si communis in omnibus indiuiduis debet esse natura, ut paulò supra sancitum fuit, & per inexistentiam esse non possit; supereſt, ut per indifferentiam esse dicatur. Erit.

Digitized by Google

Obiectio. Erit fortasse quispiam, cui hucusque videar inconsideratè locutus, quòd hæc simul cohærere non possint, nempè communem naturam re ipsâ non distingui ab afficientibus differentijs, indifferentem tamen adhuc esse dicendam; nec ex se esse hanc, quin potùs ex internis principijs ei non repugnare aliâ affici differentiâ, siue specificâ, siuè indiuiduante, prout natura, vel generica, vel specifica exstiterit. Hæc tamen si diligentiùs introspexeris, haud esse pugnantia cognosces; ut enim indifferens, & ex se non determinata ad vnam, vel aliam differentiam dicatur natura, nullam distinctionem in re actu requirit, cùm perinde sit, ac si dicatur, naturam esse hanc non ex principijs, quibus ea constat, prouenire, quod adeò verum, ut nihil verius. Ita quidem id passim vsurpari solet. Animal ex se rationale non est, sed potiùs indifferens, ut rationalitatem, vel aliam subeat differentiam. Non enim cogitandum naturam ipsam communem per modum physicæ potentiæ indifferentem, & aptam esse, ut vnam, vel aliam differentiam suscipiat; non secùs ac materia communis omnium rerum naturâ constantium indifferens est, ut vnam vel aliam formam recipiat. Indifferentia materiæ ad formas physica est, & per modum subiecti præexistentis ad res realiter distinctas recipienda, at indifferentia naturę ad differentias, siue specificas, siue indiuiduantes, metaphysica est; quare illa etiam naturæ viribus ab vna ad aliam formâ transire potest: hæc autem non potest. Quod non sic accipiendum, quasi communis ipsa natura, si non indifferens sit ad formas realiter distinctas, saltem ad aliquas formales rationes minori distinctione, ex rei tamen natura distinctas indifferens esse dicatur. Id nanque minimè necessarium; Sed intelligendum, ut paulò antea monui, quòd nim irùm communis natura uel vnâ, vel aliâ differentiâ sit affecta, non ab internis principijs habet. Et obuia quidem est ratio; quoniam natura non posset, nisi eâ, affici differentiâ, quam ex internis principijs sibi vendicaret. Vt animalitas non nisi ex. gr. sub rationalitate, & humanitas sub differentia vnius indiuidui, puta Socratis, posset existere; quod à veritatis tramite quantum deflectat, cuique perspectum, ac exploratum. Ad hoc autem virtualis distinctio sufficit, quæ subinde mentis agitatione perficitur.

Dilutio.

Aduersariorũ ratio ad probandũ naturam esse cõmunem per inexistentiam.

Sed ut probes, atque suadeas naturam unam communemque per inexistentiam esse, forsan hunc in modum argumentaberis. Natura existens in pluribus indiuiduis re ipsâ formali diuisione caret. Et quia duo indiuidua in natura & essentia non distinguuntur, nec vnius natura formaliter ab alterius natura secernitur. Et quia ex. gr. Socrates, & Plato in ratione hominis non sunt re ipsâ plures. Et quia vtrique eadem conuenit definitio, atque adeò eadem essentia, & natura definita. Et quia si Socrates re ipsâ non est idem cum Platone, non magis differet ab indiuiduo alterius speciei, quàm ab ipso Platone, quamobrem, ut est in pluribus, una dicitur formaliter, & communis per inexistentiam, cùm eo nomine res vnaquæque dicatur vna, quatenus diuisionis est expers.

Respõsio.

Hinc reuera tamen, iurè tantùm inferre licet vnitatem communis naturę per indifferentiam sensu iam explicato. Naturę igitur, in Socrate, & Platone, formali, ac essentiali carere diuisione, non ineptè dicuntur, quoniam eiusdem sunt rationis; est autem vna, & eadem per indifferentiam, non subinde tamen dicendum carere diuisione, quasi una, & eadem naturæ entitas in utroque sit, & per inexistentiam.

Quid sibi velit natu.

Adhuc tamen explicandum supereſt, quid sibi velit utramque naturam eiusdem esse rationis, eadem enim recurrit difficultas; perinde siquidem est, ac si dicatur, eandem naturæ rationem in utroque esse indiuiduo. Hoc, ut candidè loquar, non exiguæ difficultatis, prætermisse quidem ab ijs, qui summo conatu in hanc contemplationem incumbere professi sunt. Sic tamen in re proposita meâ sententiâ philosophandum, ut naturam eiusdem esse rationis in omnibus indiuiduis sic vsurpemus, quòd ex se, & ex internis principijs non sibi vendicet magis vnius, quàm alterius indiuidui singularitatem, ac differentiam indiuiduantem; quod autem de natura specifica relata ad indiuidua, de generica pariter in ordine ad species intelligendum. Nec allatis rationibus obuiam ire difficile. Duo enim indiuidua in natura, & essentia, non distingui dicuntur, quatenus eorum naturæ sunt eiusdem rationis: non quod ipsæ non sint entitatiuè diuersæ. Socrates, & Plato in ratione hominis potiùs re ipsâ sunt plures; quia non est vna, & eadem humanitatis entitas in utroque; licet participatione speciei, ut Porphyrius loquitur, hoc est, participatione humanæ naturæ dicantur vnus homo, quoniam natura humana in utroque eiusdem rationis est, sensu iam explicato. Vtrique indiuiduo eadem conuenit definitio, non quòd eadem in utroque sit naturæ entitas, sed quoniam in utroq; est rationis eiusdem. Et quamuis Socrates re ipsâ non idem sit cum Platone, sed potiùs illius natura, à natura illius distincta sit, atque diuisa; adhuc tamen magis Socrates ab indiuiduo alterius speciei, quàm à Platone differt, quoniam quæ in Socrate, & quæ in vno indiuiduo alterius speciei natura est, nedum sunt plures, sed etiam sunt rationis diuersæ.

Superioribus dificultatibus fit satis.

SECTIO NONA.

Vniuersale in actu, quod Logicum appellant; explicatur.

AD vniuersale siue Metaphysicum, siue Logicum, & naturæ vnitas, & eiusdem communitas indifferentia, & aptitudo, qua esse possit in pluribus, requiritur. De his paulò antea locuti solùm ea persecuti sumus, quæ ad constituendum vniuersale Metaphysicum conducunt; nunc de ijdem quatenus ad vniuersalis Logici constitutionem faciunt, acuratè disputandum. Quid autem discriminis inter vniuersale Logicum, & Metaphysicum intersit, facilè quidem intelliges, si diligenter attendas, vniuersale, de quo habetur sermo esse vniuersale in actu, atque formaliter, quod verè proprièque rationem vniuersalis obtinet; cùm alioquin Metaphysicum vniuersale tantùm in potentia dici mereatur. De hoc Aristoteles locutus affirmauit esse illud, quod est *vnum in multis, & de multis*, idque sic vsurpandum, vt vniuersale propriè dicatur, quod vel actu, vel proximâ saltem potentiâ sit in multis, eodemque modo de multis dici possit. Ad explicandum vniuersale in actu definitionem traditam operæ pretium est, diligenter aduertere, cuiusmodi sit vnitas, indifferentia, ac aptitudo, quorum meminit definitio. Et quidem primò differendum de vnitate foret, quia tamen communitas facilior est explicatu, de hac ob id primò nobis agendum.

Hanc communitatem etsi nonnulli sententiam oppositam probarint nos tamen haud realem esse decerni mus, sed intellectus negotiatione comparari.

In hanc opinionem ea me ratio deduxit, quoniam communitas, & indifferentia requisita in natura, vt hæc actu, completèque dicatur vniuersalis, ita esse debet,

Rationes quibus dictus est Auctor adstruendū communitatem vniuersalis Logici nō esse realē.

debet; in proxima sit potentia, quod secundum ipsam de quolibet supposito prædicetur prædicatione dicente, hoc est hoc; nihil tamen in re pluribus commune est huiusmodi communitatis genere. Tametsi enim alicui existenti in rebus ex internis principijs non repugnet, aliâ affici singularitate, non propterea tamen illud verè dici potest de quouis inferiori, quod nimirum quodlibet saltem potentiâ proximâ sit ipsum; prædicationis enim veritas in eo planè fundatur, vt natura modo quodam sit idem cùm subiecto, de quo prædicatur. At vnius indiuidui natura, etsi in re idem sit cùm differentia ipsius, cùm differentijs tamen cæterorum non item; nequit igitur de omnibus, & singulis prædicari natura quidem prædicatione dicente, hoc est hoc. Nec illud omittam, quòd natura, de quâ loquimur, tantummodò communis est per indifferentiam, sensu paulò antea explicato, non autem per inexistentiam, ita nimirum, vt eadem, etsi non multiplicata in esse naturæ, versetur in pluribus, quod vniuersale in actu prorsus exposcit. Communitas igitur naturæ in statu vniuersalitatis, rationis tantùm est opus. Præterea natura cum sua communitate per indifferentiam, habere dicitur indifferentiam negatiuam, vel priuatiuam, quod ad vniuersale, de quo fit sermo, non sufficit, cùm positiua & expedita, seu denudata differentijs contrahentibus esse debeat.

Tandem etsi natura positiuè indifferens admitteretur dicenda, quod tamen non admittendum, quatenus si non coniunctim, saltem disiunctim succedentèque in pluribus esse possit; non ob id vniuersalis in actu dicenda foret, cùm hoc indifferentiam naturæ ad plura simul, atque coniunctim exposcat, quemadmodum de pluribus coniunctim enunciari posse requirit.

niuersa-, verè oprièq; odq; in n dici, , Logi- n est. iuersa- malogū ad Phy ū, Me- hysicū, Logicū mò ta- n de gico uar.

Hucusque nos vniuersale tractauimus, quod Logicum appellant, definitionemque tradidimus huic accommodatam. Vniuersale siquidem verè propriè; quodque in actu dicitur, Logicum est. Tametsi enim vniuersale tanquam analogum de Logico, Physico, & Metaphysico dicatur, Logicum tamen est, quod primò sui conceptum ingerit menti, velut illud, quod ad inferiora refertur in ratione superioris, proximèque prædicabilis. Accedit etiam, quòd vniuersale, quod proximè potest prædicari de pluribus, cuiusmodi est vniuersale in actu, quale descripsimus, Logicum est, (Logicus enim hanc vniuersalis affectionem ac proprietatem attendit); non autem Metaphysicum, cùm hoc inferiora non respiciat, nec se habeat veluti totum potentiale, sed vt pars perfectibilis per differentias.

finitio rius ita, rime uenit uersali gico.

Sed huio accommodatam esse traditam paulò supra definitionem, hinc nullo ferè labore intelliges, quoniam vniuersale, quod proximè de pluribus potest prædicari, non Metaphysicum, sed Logicum est, cùm id illi tantùm remotè conueniat. Vniuersale siquidem ut proximè de suis prædicari queat, vel secundam vniuersalitatis intentionem cui tanquam signo conuenit prædicari, secum habet adiunctam: vel inferiora quidem respicit. Horum autem neutrum in vniuersale Metaphysicum cadit, vt cuique perspectum, ac exploratum. Superior igitur definitio cùm esse in multis, pariterque de multis enunciari posse importet, vniuersali quidem Logico contentanea, & accommodata erit. Quod profectò non minus euidens fiet; quoniam si alicui congruere dicenda videretur, id præcipuè censeri posset vniuersale Metaphysicum, in quod non cadere ex modo dictis, etsi apertè constet; magis tamen hinc, quoniam vniuersale Metaphysicum, nihil aliud, quàm natura per mentis operationem à differentijs contrahentibus præcisa, cui nec ratio vniuersalis in actu, nec de multis proximè prædicari posse videtur accommodatum, eo nomine, quòd natura sic accepta totius potentialis rationem non obtineat; non enim inferiora respicit, sed est veluti pars per differentias perfectibilis, vel actu totum dici potest respectu prædicatorum, ac attributorum, quæ re ipsâ complectitur. Et hæc de naturæ communitate, deque indifferentiâ ad vniuersale in actu, atque Logicum requisitâ.

Proponitur de eiusdē vniuersalis Logici vnitate differendum.

Proximum est, vt vniuersalis eiusdem vnitatem paucis prosequamur. Et quamuis plerique naturæ communitatem rationis opus vltrò fateantur; vnitatem eiusdem adhuc realem, atque adeò non rationis opus esse contendunt, nisi prout communitati substernitur; ità nimirum, vt naturam vniuersalem in re non vnitatis, sed communitatis ad plura defectu inficientur. Quamobrem de re proposita non ita sentiunt, ut putent, vnitatem, quam habet natura abstracta, & relata ad multa, esse vnitatem rationis, unitatem autem, quam habet ex se realem esse, ut frequens est explicandi modus; sed potiùs in ea opinione versantur, ut arbitrentur, unitatem eandem, quam in re natura habet, per intellectum quoque, solum variatis accidentibus, habere; propterea quòd communitas ad plura, & singularitas illius unitatis accidentia sunt. Atque adeò, inquiunt, in re unitas illa stat cum singularitate, in intellectu verò concipiente ipsam in ordine ad multa cùm communitate, indifferentiâque cohæret.

Non nulli vnitatē de qua fit sermo, realem esse credidērunt.

Aliorum opinio.

Aliorum consilium est, qui non unitatem formalem, sed præcisionis existimant esse, quâ vniuersale actu constituitur, siue hoc intellectu abstrahente naturam ab inferioribus, siue comparante ipsam cum ijsdem fieri dicatur. Quæ ut clariùs intelligas, reuoca in mentem, vniuersale intellectus negotiatione fieri, bifariam intelligi posse; vel quòd intellectus naturam, actu, vel potentiâ existentem in multis per varias diuersasque differentias contractam absq; contractione diuisioneque concipiat, adeò ut sic indiuisa relucens in mente cum aptitudine, quam habet in re, uniuersalis dicatur; vel fieri etiam potest intelligi per operationem mentis comparantem, quatenus natura facta vna per abstractionem, & ab indiuiduantibus conditionibus denudata, postmodum intellectu comparante cogitatur in pluribus inesse cùm huiusmodi unitate, vel apta saltem intelligitur ad hoc, ut sit in multis, itaut unitatem ab abstrahente actu, & à comparante communitatem, ac indifferentiam consequatur. Aiunt enim uniuersalem unitatem completam, ac absolutam non esse, nisi quoad intellectus communem naturam cum inferioribus eius contulerit, quatenus nimirum, sic illam cōferendo, naturam ipsam apprehendit secundum illam unitatem, siue rationem unicam, quam habet, posse in multis inesse, ac de multis prędicari; adeò ut, quamuis in præcisione, abstractioneque liceat unitatem concipere, nondum tamen ut uniuersalem unitatem liceat, cùm nondùm respectus ad multa concipiatur, merito cuius unitas illa fit uniuersalis, & uniuersale ipsum absoluitur.

Vniuersale intellectus negotiatione fieri bifariam intelligi posse.

Quid in hac re sentiendum sit.

Re tamen paulò diligentiùs introspectâ longè proplus ad ueritatem uidentur accessisse, quibus unitas, quâ uniuersale in actu constituitur, rationis opus visa est, cùm fundamento tamen in re.

Id auctoritate cōprobatur. 1 de Anim. Tex. 8.

Hoc autem Aristoteli placuisse, ex eo planè deprehendes, quòd is aliquando pronunciauerit, uniuersale singularibus esse posterius, quatenus per mentem ab ijsdem abstrahitur, atque præscinditur. Et alibi dum varios unitatis gradus recenset, illum, qui rationis

est, vniuersali quidem adscribit.

Idem rationibus comprobatur.

Auctoritatibus tamen neglectis, momenta rationis ad trutinam reuocemus; ea verò summoperè confirmat intentum, quòd unitas uniuersalis, naturæ debet conuenire, vel in statu essentiæ, quod minimè tolerabile, cùm esse vnum hoc unitatis genere nec ad naturæ constitutionem faciat, nec illam velut attributum comitetur: vel in statu existentiæ, quod bifariam contingit iuxta geminam existentiam, realem scilicet, & obiectiuam. Non in statu existentiæ realis; nihil enim à veritate magis alienum, quàm in rebus uniuersale actu adinueniri; in statu igitur existentiæ tantùm obiectiuæ unitas uniuersalis naturę conueniet. Opus igitur eam esse rationis, nemini licebit inficias ire.

Ineptè diceretur vniuersalis vnitatẽ naturæ in statu realis existẽtiæ conuenire, quòd hęc vnitas idẽ dici posse cum vnitate numerica.

Perperàm autem quispiam comminiscitur, vniuersalis vnitatem naturæ in statu realis existentiæ conuenire, quòd re ipsâ cum unitate numerica idem sit, nihil enim minùs veritati consonum.

Vnitas formalis hactenus explicata, vnitas vniuersalis dici non potest.

Numerica siquidem unitas propria est indiuidui, quod uniuersali aduersatur; Nec ut vnitas uniuersalis numericã diuisionem siue actu, siue potentiâ admittit. Nec etiam unitas formalis hactenùs explicata, uniuersalis unitas dici potest; propterea quòd etsi tanquam fundamentum vniuersalitatis actu prærequiratur, uniuersale tamen maiorem adhuc unitatem exposcit.

Ratio ad id probãdum adducitur.

Hoc autem inde mihi perspectum fit, quoniam natura fit uniuersalis in actu, non ex eo quòd negatiuè, sed positiuè contrarièque indeterminata sit. Propterea quòd uniuersale opponitur singulari, non negatiuè, vel priuatiuè, sed contrariè.

Natura secundum vnitatem formalem negatiuè tantùm, non autẽ positiuè & contrariè indifferẽs est.

At natura secundum unitatem formalem negatiuè tantùm, non autem positiuè, & contrariè indifferens est: tametsi enim vi formalis unitatis determinationem non habeat, tamen illam extrinsecùs habet per coniunctionem cùm differentijs, quod positiuæ indifferentiæ repugnat. Nec omittam id, unde magis hæc veritas nitet; quoniam natura per unitatem formalem singularitem non respuit. Nequit tamen esse simul singularis, & uniuersalis in actu; propterea quòd hæc uniuersalitas omnem prorsùs tam intrinsecam, quàm extrinsecam determinationem excludit.

Reijcitur aduersariorũ responsio.

Nec rectè dixeris, ut occuras, coniunctionem singularitatis haud repugnare unitati uniuersalis, ut hęc unitas formalis est, sed quatenus uniuersalitatem habet adiunctam, cùm utrobique sit una, & eadem realis unitas, solis accidentibus uariatis. Non, inquam, hæc rectè dixeris, id enim ipsi repugnat unitati pariter ex ratione ipsius vnitatis, quæ vniuersalis dicitur. Formalis enim unitas, minor numericâ re ipsâ naturæ conueniens, est in inferioribus singulis diuisa, & in singulis multiplicata; unde formalis unitas dicitur per indifferentiam; at unitas vniuersalis, naturæ intellectus negotiatione conueniens cùm natura ipsa reditaest uniuersalis in actu, non est diuisa, neque multiplicata in singulis indiuiduis, sed una, & eadem indiuisa concipitur in omnibus, unde dicitur unitas formalis naturæ per inexistentiam, cùm alioquin alia, quæ conuenit naturæ ante quamlibet intellectus operationem, una dicatur in omnibus per indifferentiam. Illa cùm numerica multiplicatione cohæret, quòd una quidem in omnibus concipiatur inexistens: hæc autem non itẽ; cùm in indiuiduis multiplicetur.

Vniuersalis vnitas habet fundamentũ in re.

Vniuersalis hæc vnitas, quamuis rationis opus, fundamentum habet in re, vnde communis fit, alioquin uniuersale Logicum quidpiam omninò fictum ab intellectu foret, nec ulla suppeteret ratio, cur intellectus non posset indiuiduum, ac singulare, uelut uniuersale concipere; huius autem quærenda ratio ac fundamentum remotum, existens in rè. Hoc non est similitudinis unitas, cùm adhuc inquirendum supersit huiusmodi similitudinis fundamentum, quod utique erit remotum fundamentum uniuersalitatis; quod naturæ non est unitas in indiuiduis, prout formalis diuisionis unius ab alio negationem importat, non communem omnibus, sed in singulis multiplicatam. Illa enim realis, & positiua cùm sit, reale, positiuumque fundamentum exposcit. Neque formales sunt unitates indiuiduæ, quatenus inter se similes, & in singulis indiuiduis contractæ. Quoniam formalis unitas indiuidua, atque contracta est, sicut ipsa natura numericâ differentiâ quidem affecta: ut igitur naturę singulari repugnat esse in pluribus; sic etiam unitati formali cõtractę ut sic repugnabit esse fundamentum aptitudinis ad hoc, ut sit in multis, quod uniuersalitas requirit; per singularitatem enim natura fit incommunicabilis multis; quod autem unius oppositi est fundamentum, alterius oppositi fundamentum esse non potest. Nec est unitas formalis præcisè sumpta; hæc enim præcisio, naturæ non conuenit in re, sed beneficio tantùm intellectus; & ipsa quamuis proximum uniuersalitatis fundamentum esse queat, remotum tamen, de quo hîc sermo, esse non potest. Non omittam, quod unitas in re uniuersalitatis fundamentum sic esse debet, ut aliquo modo re ipsâ sit verum dicere, hoc unum esse cùm illo, vel non essentialiter esse diuersum; huiusmodi porrò non est formalis unitas, quam ipsi concedunt in re, cùm eius beneficio solùm indiuiduum unum dici possit formaliter, & indiuisum in se.

Remotum igitur uniuersalitatis fundamentum erit formalis vnitas re ipsâ conueniens naturæ; itaut merito ipsius hæc pluribus communis per indifferentiam dicatur, quatenus ex internis principijs non magis uni, quàm alteri indiuiduo addicta est, quęque fundamentum est similitudinis, & essentialis conuenientiæ plurium indiuiduorum; hanc enim intellectus aduertens, naturam concipit differentijs contrahentibus neglectis, proindeque nedum essentiali, verùm etiam numericâ diuisione destitutam illam intelligit; & quamuis re ipsâ singularis sit, quia tamen id ei non intrinsecùs conuenit, sed extrinsecùs accidit; ob id intellectus naturam separat, atque seiungit à differentijs, quibus reiectis, illam veluti positiuè communem pluribus concipit; atque adeò uniuersalem non facit illam temerè, casuque, sed occasione desumptâ ex re ipsâ, uti perspicuum est.

Remoti vniuersalitatis fundamenti erit formalis vnitas re ipsi cõueniens naturæ.

Difficultas proponitur ad probandã vnitatem vniuersalis ad esse opus rationis.

Plerisque verò aliquid negotij facessit, quòd uniuersalis unitas non sit rationis opus; hæc enim huiusmodi esse debet, vt merito ipsius natura de pluribus prædicari possit prædicatione dicente, hoc est hoc; Non igitur erit opus rationis; alioquin sic verè de pluribus natura prædicari non posset. Mala tamen consecutio; cùm non vnitas, nec natura quatenus hoc modo vna sit id, quod prædicatur, sed natura ipsa præsuppositâ conditione huiusmodi unitatis, ut proximè de pluribus prædicari possit.

Diluitur.

Difficultas alia proponitur ad id.

Nec alia difficultas multum habet momenti; cùm dicitur dum natura concipitur ab indiuiduis abstracta, intelligitur una, quoniam se habet vt indiuisa in suo esse, atque adeò secundum suum esse est vna; vnitas autem non distinguitur ab eo, quod vnum est; quamobrem, si secundum suum esse est vna, dum secundùm istud esse non est opus rationis, ita nec etiam prout vna est. Hæc, inquam, difficultas non multum habet momenti; propterea quòd natura vt non est rationis opus secundum esse suum, ita nec secundum vnitatem, non quamcunque, sed illam, quæ ei

Solutio

ante

ante operationem intellectus potest conuenire, cuiusmodi est formalis vnitas; at unitas præcisionis, & uniuersalis intellectu non cogitante naturę conuenire non potest.

occu- tio al- ius dif. ikatis.

Nec dicas velim naturam non esse capacem alterius unitatis præter illam formalem, quæ velut affectio naturam ipsam consequitur. Concedendum enim incapacem alterius unitatis intrinsecùs dimanantis, non tamen extrinsecùs aduenientis, ut ea quæ ipsi intellectus negotiatione contingit. Hanc, pręter formalem vnitatem, ad uniuersale constituendum requiri, ex hactenus dictis perspicuum est. Quamuis formalis unitas non sit incommunicabilis, quippè quæ numerica non est, sed cùm multitudine vel actu, vel potentiâ, cohæret; adhuc tamen ad uniuersalitatem ipsam non sufficit: nam, illa formalis unitas, naturæ conueniens in re negatiuè tantum communicabilis est, & apta tantùm remotè ad hoc, ut sit in multis, non autem proximè, quod ad uniuersale Logicum requiritur; si tamen eorum admittatur consilium, quibus videtur vniuersale posse cohærere cùm eo, quod est, esse actu in multis: alioquin si vniuersalis dicatur natura per solam proximam potentiam ad hoc, ut sit in multis; negandumque sit, vniuersalitatem cùm exercitio, actuque essendi in multis cohærere posse; obuiam ire difficultati licebit, dicendo, formalem vnitatem admittere secum posse aptitudinem essendi in multis, sed cùm diuisione sui; at vniuersalis Logici propriam admittere illam sine sui diuisione. Neque, propterea quòd natura secundùm esse intrinsecum suum pluribus communicatur, & cũ differentijs contrahentibus plura constituit, vniuersalis Logici rationem sibi vendicat; quoniam natura secundum esse suum intrinsecum, velut impedita differentijs quibus afficitur, remotè tantùm pluribus dicitur communicabilis, quod ad vniuersale Logicum non sufficit, cùm proximè pluribus communicari posse requirat.

ormalis itas ad- tit sect itudi- essendi multis cum isione d iuersa- autem e sui isione.

Vniuersalem vnitatem non esse illam, quæ præcisionis appellatur, quamuis rationis opus esse dicatur, adeò palam, & apertum, vt nihil supra; propterea quòd vnitas, per quam uniuersale actu constituitur, non ea, quâ natura in se vna est, sed per quam vna est in multis, vt ex vniuersalis difinitione perspicuum; at unitas præcisionis constituit naturam in se præcisè vnam, non in multis, nec in ordine ad multa; non igitur vniuersalis. Quod inde clariùs itidem innotescit, quoniam præcisionis vnitas repugnantem reddit naturam ad hoc, ut sit in multis, cùm illam in statu solitudinis constituat, in quo differentias contrahentes non patitur; ex aduerso vnitas vniuersalis ponit actu, vel potentiâ saltem naturam ipsam in multis, tollitque solitudinis statum; vnitas igitur præcisionis haud uniuersalis dicenda.

iuersa- Logici n esse tatem ecisio- . Ratio.

tio ab a,

Præterea: dum abstractam naturam à singularibus intellectus cùm inferioribus confert, ut in ipsis esse dicatur, ac de ijsdem per modum vniuersalis, superiorisque prædicetur, utique præcisionis unitatem illam amittit; hæc enim ad plura contractionem non patitur; vniuersalis igitur unitas perperàm unitas præcisionis dicetur. Nec existimes velim, nos itidem ijsdem difficultatis aculeis confodi, quatenus unitatem præcisionis, etsi vniuersalis in actu nos unitatem esse nolimus, eius tamen proximum fundamentum existimamus, proindèque simul cùm vnitate ipsius vniuersalis, eam, quæ præcisionis est, pariter cohærere nobis fatendum sit. Hæc enim insulsè dicuntur, non enim præcisionis unitatem, cùm asserimus, esse proximum vniuersalis fundamentum, hoc strictâ, sed latâ significatione quâdam vsurpandum volumus, itaut perinde sit, ac si præuiam dispositionem diceremus requisitam in natura, ut hæc per mentis operationem uniuersalis actu, atque adeò aliâ vnitate, quæ huius est propria, vna fieri possit; difficultatem igitur cùm illis non offendimus, cùm sic diluta sit, quod ab ipsis fieri non posse, inde quidem intelliges, quoniam præcisionis unitas, non quid pręuium, sed uniuersale apud ipsos constituit; cumq; huius unitas actum, quo sit in multis, patiatur, vt mox intelliges, etiam cum hoc pręcisionis unitas deberet cohærere, quod omninò repugnat.

Difficul- tatis præ- cupa- o.

olutio.

Nec insuper existimandum, difficultati satisfieri, dicendo cum præcisionis unitate simul esse non posse actum, quo natura sit in multis, posse tamen potentiam, ac aptitudinem, eo quòd non repugnet, naturam esse præcisam à pluribus, & retinere simul aptitudinem ad hoc, vt sit in multis. Vniuersalis enim unitatem ne dum simul esse cùm aptitudine, sed etiam cum actu, si non realiter, saltem per opus rationis haud operosum erit intelligere, si animaduertatur, eatenus vnum de alio dici posse, quatenus in eo, vel est, siue inexistit, vel inesse illi concipitur; adeò ut quemadmodum prædicatio, quæ, actu fit, actu inexistere in subiecto prædicatum, ita etiam prędicatio possibilis illud inexistere posse supponat. At vniuersale in actu nedum aptitudine, sed etiam actu de multis prædicatur unde necesse est, ut in illis nedum aptitudine, sed etiam actu inesse præconcipiatur, illæsâ penitus remanente formali unitate, quæ comitatur naturam. Vt omittam, quòd hæc uniuersalis natura, cùm in plura nominis eiusdem, & eiusdem rationis per intellectum diuiditur, solùm diuisio contingit secundùm esse materiale, & numericum, non autem secundum proprium esse formale; propterea quòd, licèt eum diuidatur in modum, tamen cùm huiusmodi diuisione adhuc vnam eandemque retinet formalem vnitatem, ut in omnibus inferioribus existat, atque adeò unitas per inexistentiam vna, non per indifferentiâ dicatur, ut esse re ipsâ dici solet in multis. Vniuersalis igitur vnitas nedum cohęret cum aptitudine, sed etiam cum actu, cùm sit in pluribus saltem per mentis operationem, quod prorsus vnitati præcisionis aduersatur. Hoc igitur aliud vnitatis genus, itaut hęc nec sit numerica, nec formalis, nec præcisionis, sed ab his planè distincta, quamuis magis affinis unitati formali. Intellectus enim formalem vnitatem aduertens re ipsa pluribus communem esse per indifferentiam, eandem communem concipit per inexistentiam: dumque illam adinuenit realiter multiplicatam in indiuiduis, eandem concipit ut vnam, ac indiuisam in omnibus, non velut unam vnitate numerica, sed essentiali, atque formali.

Reijcitur aduersariorum responsio.

Hinc apertè cuicunq; constabit, vt natura cum vnitate cõcipiatur vniuersalis reddita, haud satis esse, eam intelligere vnam formalitèr in omnibus per indifferentiam; non enim sic intelligitur vna, & eadem natura, inadæquatè cum singulis, ut aiunt, identificata, quemadmodum ad vniuersale in actu, & ut proximè de singulis prædicari queat prædicatione dicente, hoc est hoc, requiritur; sed vna concipi debet in omnibus per inexistentiam, itaut eadem naturæ entitas, omnibus communicata, & cùm ijsdem eadem facta sit; non quasi hęc sit vnitas numerica, cùm hâc sit minor, sed maior vnitate formali, quam naturæ conuenire quidem ante quamlibet intellectus operationem, astruximus. Maior, inquam, propterea quòd vnitas formalis, naturæ conueniens realiter in indiuiduis, non secùs, ac ipsa natura, multiplicata est: dum autem vniuersalis redditur per mentis operationem, illa

Consecta- rium.

Digitized by Google

formalis unitas haud intelligitur multiplicata, sed vna, ac eadem sine diuisione concipitur.

Difficultas ad ostendendũ vniuersalẽ vnitatem non esse aliam ab vnitate præcisionis.

Suspicabitur fortasse quispiam, vniuersalem vnitatem non aliam esse ab vnitate præcisionis, propterea quòd illa nihil aliud sit, quàm negatio diuisionis in plura, nominis, atque rationis eiusdem, habens quidem hanc aptitudinem ad huiusmodi diuisionem sibi coniunctam; siquidem à diuisionis negatione videtur simpliciter habere esse vnitatis, quod ab vnitate formali expectari non potest: per hanc enim quamuis unum essentiâ, atque ratione fiat, ipsa tamen naturam relinquit multiplicem; prout autem aptitudinem importat, ab unitate numerica secernitur, cùm ipsa singularibus repugnet; propterea quòd, etsi singulare unitatem habeat, quâ in plura similia non diuiditur; ea tamen negatiua, non priuatiua censenda, cùm nec diuisionem importet; sed uniuersalis vnitas hanc aptitudinem dicit, vnde & priuatiua nuncupatur.

Solutio.

Hæc tamen nullius momenti existimabis aduertens, unitatem vniuersalem nedum cùm aptitudine, sed etiam cùm actu existendi in multis adinueniri, itaut non dicat essentialiter indiuisionem eiusdem nominis, & rationis, quandoquidem uniuersale Logicum diuisum in subiectas partes suum totum esse retinet, secundùm quòd de singulis, licet inadæquatè, prædicatur; atque unitas ipsius vniuersalis Logici indiuisa concipitur in omnibus, quemadmodum vna concipitur in singulis natura per inexistentiam, quò differt ab unitate formali re ipsâ conueniente naturæ; ea multiplicatur siquidem multiplicatis indiuiduis, & una, communisq; per indifferentiam tantummodo dicitur, vt non semel hactenus inculcatum fuit.

Præoccupatio alterius difficultatis, eiusdem quæ soluitur.

Nec dicas velim, vnitatem vniuersalis propriam, eam esse censendam, quæ negationem vnitatis numericæ importat, nedum negatiuè, sed etiam contrariè, quod non habet, nisi præcisionis ratione, cùm præcisionis vi natura reddatur abstracta à singularibus. Non, inquam, id dicas velim; quamuis enim non negandum vniuersali vnitate statum coniunctionis cùm differencijs excludi, per contractionem enim natura quidem indifferentiam positiuam amittit, redditurq; sic vni indiuiduo addicta, ut aliud constituere minimè possit; non tamen dicendum excludi statum contractionis per intellectum, per hanc enim proxima indifferentia, ac aptitudo, quâ in multis esse possit, non tollitur; quin potius huiusmodi potentia proxima ad exercitij actum redigitur, & in actu secundo exerceatur in indiuiduis, sigillatim quidem acceptis inadæquatè, ut in omnibus collectim sumptis adæquatè. A nobis autem rectè dictum intelliges, naturæ quidem indifferentiam positiuam per huiusmodi contractionem non tolli; hunc enim in modum vna concipitur natura per inexistentiam ad omnia simul contrahi, itaut, dum in vno concipitur indiuiduo, non ita sit illi facta propria, vt eadem illa in alio concipi non possit vna formaliter in omnibus existens. Tametsi enim repugnet naturæ in omnibus re ipsâ esse indiuiduis per inexistentiam, non repugnet tamen, sic eam concipi, cogitarique per intellectum.

Alia difficultas.

Tandem alicui videbitur forsan vniuersalis vnitas in præcisionis vnitate propriè consistere, eo nomine, quòd vnitas vniuersalis in actu, de quo hîc sermo, totum est quoddam potestatiuum, vnde in indiuisione quidem in subiectas partes consistit, & hâc diuisione factâ destruitur, ac amittur; in ea igitur vnitate vniuersalis vnitas erit constituta, quæ nimirum toti potestatiuo accommodata sit, quæque per contractionem destruitur. Hunc porro se habere in modum præcisionis vnitatem, cuique perspectum; in hac igitur vniuersalis vnitas in actu posita erit,

Quòd si occuras: contractione factâ per intellectum, concipitur adhuc vna, & eadem natura in omnibus per inexistentiam formalis vnitatis manere, quatenus indiuiduorum quodlibet eadem essentialia prædicata inuoluit. Non propterea difficultatem diluies, cùm id ad esse totius actu, non potestate quidem attineat; vniuersale tamen in actu totum quoddam potestate est.

Obuiam tamen itur adnotando geminam esse prædicationem: signatam videlicèt, vt cùm dicitur: genus est, quod de pluribus specie differentibus prædicatur: species, quæ de pluribus differentibus numero. Alterâ exercitam, vt cùm dicitur: homo est animal, Socrates est homo, quæ simul cohærere nihil prohibet. Dum enim aliquid veluti totum potestatiuum concipitur, non subindè totius actualis rationem amittit; ut enim potestatiuum totum adhuc essentialia continet prædicata, secundùm quæ de inferioribus potest enunciari prædicatione propriâ vniuersalis in actu, utpotè dicente, hoc est hoc. Logicus autem vniuersale suum, præsertim in ordine ad prædicationem exercitam attendit, cùm apud ipsum vniuersale sit id, quod proximè de pluribus potest enunciari, prædicatiue prædicatione dicente, hoc est hoc; quamobrem eius vnitas cùm penes hanc prædicationem attendi debeat; proinde per vnitatem potiùs inexistentiæ, & per indiuisionem secundum essentialia prædicata, quàm per vnitatem totius potestatiui, & per indiuisionem in subiectas partes explicanda. Cùm igitur vniuersale idem duplicem rationem totius vendicare sibi possit, si vna ex prædicationibus non illi conueniat secundùm rationem vnam, nempè totius potestatiui, quoniam hæc amittitur factâ contractione per intellectum; conuenit tamen secundum alteram, nempè totius actualis, quæ cùm contractione per intellectum simul cohærere potest.

SECTIO DECIMA.

In quo Logici vniuersalis essentia posita sit.

TAndem eò peruentum est, quò nostra collimabat omnis industria, nimirum ut Vniuersalis Logici naturam explicaremus, quæ tamen paucis perstringere iuuat, ne in his plus æquo nos moram trahere videamur.

Non defuerunt, quibus placuerit, in absoluto quodam illam constituere. Nobis tamen longè magis eorum probatur opinio, quibus in respectu velut superioris ad inferiora consistere visa est.

Et certè, si vniuersalis Logici definitionem attendas, quâ dicitur vnum in multis, & de multis, facilè intelliges respectum illum vnius naturæ ad plura, adinueniri, quem in hoc vniuersali intendimus, & per quem illud idem absolui, complerique existimamus.

Et hinc etiam hæc veritas elucebit, quoniam duo sunt, quæ ad huius vniuersalis constitutionem conducunt, nimirum vnitas, & communitas, seu indifferentia, ac aptitudo positiua, proxima, & expedita, vt hactenus explicatum fuit. Non enim vniuersalis ratio subsistit, nisi aliquam vnitatem inuoluat; alioquin si multiplex, haud vniuersale, sed multorum collectio, ac multitudo foret; nec etiam subsisteret, si non sit communicata, vel saltem communicabilis pluribus; alioquin ei vniuersalis ratio repugnaret, cùm potiùs ei conueniat, quæ singularis est, ac indiuidui. Hunc autem

autem in modum explicatum uniuersale, respectum quendam importat ad plura, atque adeò respectu quidem absoluitur, itaut hic ad eius essentiam pertineat.

Id etiam hanc veritatem summoperè confirmat, quòd de pluribus prædicari posse, vtcumque illi necessariò conueniat, vel quia illud constituat, vel quoniam illud, velut, affectio consequatur, respectum quendam præsefert; si nanque per id constitui dicatur, nulla profectò difficultas; si velut affectio, nulla pariter erit.

A vero quispiam hucusque dicta recedere putabit, vniuersaleque Logicum absolutum quidpiam sibi persuadebit, eoquòd natura per differentias ad singularia contrahitur, atq; adeò respectus ad hæc eam vniuersalẽ non reddet, quin potiùs singularem constituet. Hæc tamen minus rectè dicuntur; contractio siquidem realis vtique re ipsâ singularia constituit, vnde nequit cùm vnitate vniuersalis Logici cohærere. Quod etiam de contractione per intellectum est æquum existimare; secus de respectu, de quo fit sermo, qui à contractione secernitur. Hanc enim intellectus efficit, dum singularitate naturam affectam, atque adeò incommunicabilem alijs intelligit; sed respectum ad indiuidua concipit, dum naturam à differentijs præcisam apprehendit, atque adeò facit illam positiuè vnam, eandemque cum indiuiduis comparat, tanquam aliquod unum inexistens in illis, quibus communicari, & de quibus prædicari potest prædicatione dicente, hoc est hoc; sic enim natura constituitur vna in multis; ut enim per unitatem præcisionis, quæ unitas absoluta dicitur, una constituitur in se, sic per illum respectum vna constituitur ad alterum, diciturque unitas relatiua, quâ natura inferiora respicit, & de ipsis proximè prædicari potest; & quamuis quod de intellectu dicitur ut præcisum à differentijs contrahentibus uniuersale dici mereatur; non propterea tamen Logicum, sed Metaphysicum appellandum. Quinimò si intellectus reflectens in se cognosceret obiectum illud, diceretur quidem uniuersale quoddam attingere; negatiuum tamen, quatenus intuendo illud non cognosceret singulare, non propterea diceretur vniuersale Logicum concipere, cùm illud non attingeret velut communicabile pluribus, quod ad huiusmodi uniuersale requiritur, non enim hoc ab intellectu potest per modum absoluti concipi;

Videbitur fortasse mirum, quòd per relationem rationis uniuersalem rationem constitui existimemus, & quoniam ea secunda quædam est singularis intentio, & quoniam nequit de inferioribus enunciari. Hæc tamen non officiunt, nam ipsa quidem vniuersalis est, non ut *quod*, & in esse exercito, sed ut *quo*, & in esse signato, neque ipsa est, quæ prædicatur. Sed potiùs est conditio, qua aliquid prædicari possit.

Quoniam autem naturæ duplex excogitari potest respectus ad inferiora, unus per quem illa concipitur inesse in illis: alter verò, per quem concipitur posse de illis prædicari. Quamuis autem hactenus ambiguum sit visum, in quo essentia uniuersalis Logici consistat, eò vel maximè, quòd Stagirites modò per unum, modò per alium respectum definitum illud reliquerit; aliquando enim dicebat, esse illud, quod potest de pluribus prædicari, quandoque verò illud esse quod potest inesse in multis.

Rectè tamen hac de re videntur sensisse, quibus uniuersale visum est per esse *in*, constitui; itaut dici *de*, passio quædam sit consequens essentiam eiusdem.

Hoc non obscurè videtur insinuatum ab Aristotele, qui utranque rationem attribuens uniuersali Logico, *præmisit* esse *in*, ipsi dici *de*, dicens uniuersale esse unum in multis, & de multis.

Et certè uniuersale in actu quandam unitatem indifferentem non utcunque, sed positiuam exposcit, meritò cuius est in proxima potentia, ut de supposito quolibet prædicetur. Hoc re ipsa naturæ conuenire non potest, cui tametsi ex internis principijs non repugnet in alio esse singulari, quia tamen in uno reperitur, nequit simul in alijs adinueniri; quamobrem vel de uno tantùm, vel de omnibus disiunctim prædicari potest, non autem coniunctim, quod solùm naturæ conuenit conceptæ, veluti denudatæ ab omnibus differentijs, ac proinde sub indifferentia positiua existenti, qua possit esse in pluribus, facta nimirum comparatione inter ipsam, & plura; hoc igitur modo sic indifferentem habet uniuersale in actu suam unitatẽ, ut eâ sit proximè potens de pluribus prædicari, quod positiuam illam indifferentiam supponit, quâ possit esse in multis; cùm igitur essentia uniuscuiusque rei in primò eius esse consistat, & attributum sit, quod ad illud esse consequitur; nemini profectò dubitandum, quin essentia uniuersalis Logici *esse in*, inuoluat; & *dici de* sit eius attributum ac affectio; quod adeò verum, vtmirum sit, alios in contrariam sententiam abire potuisse,

Ratio, qua hæc suadetur.

Nec rectè occurrunt adnotando *esse in*, gemino spectari modo, vel prout re ipsa est, vel prout menti obijcitur; illud quidem ad ipsum *dici de*, non istud presupponi; illud ad Metaphysicum, non ad Logicum, nisi remotè quidem sufficere; vnde aiunt, *esse in*, prout menti obijcitur, consequi ad *dici de*; & uniuersale unum in multis esse, quoniam de multis dicitur, vel saltem inter se non distingui, cùm prædicatio non aliud sit, quàm per actionem mentis prædicatum fieri cùm subiecto idem. Et Aristotelem loquendo de *esse in*, quòd in re sit, non Logicum, sed Metaphysicum uniuersale definijsse. Hæc tamen, quàm sint insulsè dicta, facilè hinc intelliges, quoniam falsum omninò, quod *esse in*, prout mente fit, sit idem quod *dici de*; non enim prædicari vnum de alio est unum per intellectum idem formaliter cùm alio fieri; vel idem est, ac esse in alio; sed est ostendere per actum prædicandi, vel quod unum sit in alio, vel idem cùm illo, itaut unum idem esse cùm alio, sit quid præsuppositum ad hoc, ut vnum de alio verè prædicetur.

Aduersariorũ responsio.

Reicitur

Et hinc etiam longè magis, ac euidentiùs veritas elucet, quoniam uniuersale prædicari, vel prædicari posse de pluribus intelligendum contingere, eo quòd sit in illis tanquam superius in inferioribus inclusum, hoc enim argumento est, *esse in*, prout mente fit presupponi ad *dici de*, hac ratione, ut si illud sit potentia, seu aptitudine, hoc etiam, modo eodem; si illud sit actu, hoc itidem actu sit atque adeò hac mutuâ sibi proportione respondeant.

Superiorũ confirmatio.

Parumque refert, quòd uniuersalium sufficiens diuisio per *dici de*, comprobetur; quin & nonnulla ex ijs itidem per *dici de*, & non per *esse in*, sint definita, nam id factum, ut nos faciliùs uniuersalia illa cognosceremus; de uniuersalibus enim Tractatio eò tendit, ut nos per illam eruditi cognoscamus terminos simplices citra errorem adinuicem connectere per modum subiecti, ac prædicati, & ritè uniuersalium de inferioribus enunciationem efformare. Nec propterea quòd uniuersale cognsci necessariò debet multis conuenire, prædicationem inuoluit. Primò enim naturam intellectus abstrahit à differentijs contrahentibus, factumque sic est uniuersale Metaphysicum, ad quod satis superque, quod non semel inculcauimus, indiuisam relucere naturam aptitudine suâ retentâ negatiuâ, quâ esse possit in multis, nondum tamen una

Obiectio.

Solutio.

est

est in multis, ut mox euadit negotiatione intellectus illam cum inferioribus comparantis, quod sanè per simplicicem apprehensionem contingit, atque adeò nulla intercedente affirmatione, vel negatione. Non igitur uniuersale in actu, cuiusmodi est tunc ipsa natura, prædicationem, seu *dici de*, inuoluit, quod ad illud velut affectio consequitur. Et adhuc etiam optimè potest explicari discrimen inter uniuersale Metaphysicum, & Logicum, illud enim uniuersale dicitur in essendo, hoc autem in prædicando; sed *esse in*, bipartitò contingit; vel prout in re, quod uniuersale Metaphysicum; vel prout mente fit, quod uniuersale Logicum constituit; cui tametsi conueniat istud *esse in*, distinctum ab eo, quod uniuersali Metaphysico conuenit; placuit tamen hæc uniuersalia secernere per *dici de*, quod ad uniuersale Metaphysicum saltem proximè non pertinet, atque hunc in modum omnis tollitur æquiuocatio, quâ particula illa *esse in*, videtur laborare.

Aliqua alia subijcienda. De esse in, & dici de.

Quoniam verò nobis propositum, in ista contemplatione nihil omittere ex ijs, quę ad uniuersale pertinent; ob id non erit alienum ab instituto, quædam alia subijcere ad ipsum *esse in*, ac *dici de*, spectantia.

Esse in, & dici de bifariam potest usurpari.

Vtrumque, & aptitudine, & actu quidem usurpari palam est, & apertum; & certè *esse in*, prout aptitudine, non autem actu acceptum ad uniuersalis essentiam constituendam, facere semper nobis est visum; proximam enim illam, quâ coniunctim uniuersale possit in multis esse, ad id, quod vniuersale est actu, constituendum sufficere, nos Aristoteles docuit 7. Diuin. Tex. 45. definiens uniuersale dicendo illud esse, quod aptum est, ut pluribus insit. Quod non de Metaphysico, sed Logico uniuersali utique usurpandum.

Ratio, qua suadetur ad vniuersale in actu sufficere aptitudinē ad essendum in multis.

Ea autem est ratio, quoniam uniuersalis in actu, seu Logici appellatione nobis illud intelligendum, quod commune, vel saltem communicabile est multis, cum quadam sui diuisione retinens aliquam unitatem; at illa proxima aptitudo, indifferentiaque positiua naturam sic reddit, cuiusmodi non est in re; ita enim ei non repugnat ex internis principijs aliâ esse affecta singularitate ab ea, quâ afficitur disiunctim, non tamen coniunctim. Ad uniuersale igitur actu constituendum, solùm in multis aptitudine esse posse, sufficiens.

Ratio alterа.

Quod inde mihi quoque perspectum, exploratumque redditur: quoniam ut natura dicatur uniuersalis in actu, habeatque rationem uniuersalis Logici, solùm requiritur, ut ipsa differentijs contrahentibus denudetur: sic enim positiuè redditur una, sinulque velut aptitudinem habens indifferentem si cum indiuiduis comparetur, siue ad eadem referatur, in quibus coniunctim possit existere, quod est, eam esse in multis ad Logicum uniuersale sufficiens. Sed hoc tantùm est *esse in*, aptitudine sumptum; hoc igitur solùm ad uniuersale actu constituendum requiritur.

Consectarium.

Ex his facilè quidem intelliges, ineptè admodum eos esse locutos, ad huius uniuersalis constitutionem actu *esse in*, acceptum requiri. Detestabilis profectò sententia, detestabilior ratio.

Ratio alia.

Nec omittendum & istud. Dum intellectus concipit actu naturam esse in pluribus, vnamque per inexistentiam communicari multis per solam numericam diuisionem, tunc uniuersale in actu, siue Logicum, velut in exercitio propriæ uniuersalitatis, & quodammodo in actu secundo esse dicitur; illudque esse huic accommodatum, quod est esse velut in actu primo, est in quo uniuersalis essentia consistit; hoc autem præsuppositum esse, nihil aliud, quàm *esse in*, prout aptitudine sumptum, ergo in hoc uniuersalis Logici essentia posita erit.

Quanquam quispiam suspicari posset, vniuersalis Logici essentiam, naturamue non inuoluere *esse in*, prout aptitudine sumptum, quoniam hæc nulla sit aptitudo, antequam actu natura ad inferiora, à quibus est abstracta, referatur, cùm tunc nihil aliud quidpiam esse videatur, nisi naturæ entitas, & extrinseca denominatio à cognitione abstrahente, quorum neutrum hęc aptitudo, quam esse contendimus: non primum, quoniam id re ipsâ est ante quamuis intellectus operationem, non igitur aptitudo ab intellectu efficta: non secundum, cùm id non sit, quo natura apta dicatur inesse multis. Neque hinc natura ipsa hoc modo apta denominari potest, sed tantùm abstracta, denudataque differentijs, uti perspicuum est.

Hæc atque similia parui facienda sunt, quippè quæ suprapositas rationes non euertunt. Tametsi enim ante intellectus operationem, quâ natura sic refertur ad plura, concipiendo illam actu, ut unam in multis, præcedere videatur tantùm illa non repugnantia, naturęque potentia re ipsâ existens; præcedit tamen aptitudo, quam comminiscitur intellectus, concipiendo non repugnantiam ab internis principijs eiusdem naturæ prodeuntem, quatenus impedita non esse differenti js contrahentibus; quoniam tunc intellectus indifferentiam illam concipit per modum positiuæ proximæque indifferentiæ, quâ natura sit apta inesse multis.

Grauitèr autem peccarunt existimantes *esse in*, prout actu sumptum ad Logici uniuersalis essentiam pertinere; si semel enim per aptitudinem illam uniuersalis essentiam constitutam existiment, insulsè admodum & actum ipsum ad eandem essentiam accersunt.

Eòque grauius errasse uidentur, quoniam nullâ ratione compulsi id affirmarunt. Aiunt enim, id ità esse, quoniam actu multis ineſse cùm ipsa uniuersalitate coheret; mala siquidem consecutio, idque lucuntèr in re simili concipitur; non enim propterea quòd actu ratiocinari, atque discurrere simul cùm ipsâ rationalitate cohæret, subinde colligendum, hoc ad essentiam hominis pertinere. Et uniuersim loquendo nunquam actus secundus pertinet ad essentiam actus primi; at, ipsis fatentibus, actu esse in multis est velut exercitium, actusque secundus ipsius uniuersalis; malè igitur ad eius essentiam pertinere credidetunt.

Quæ hactenus enunciata, nimirum *esse in*, aptitudine, non actu sumptum ad uniuersalis Logici constitutionem facere, paulò diligentiùs expendisse videbimur, si unam vel alteram difficultatem attulerimus, eidemque satisfecerimus. Videtur quidem uniuersale Logicum per *esse in actu* multis explicandum, argumento desumpto ab uniuersali Metaphysico. Hoc enim intelligitur constitutum ex eo, quod communis, natura non potentiâ, sed actu sit à differentijs contrahentibus abstracta; sic uniuersale Logicum videtur dicendum constitui ex eo, quod natura communis non potentiâ, sed actu relata sit ad plura. Vtque Metaphysicum uniuersale definiendum, exprimendo naturam esse, non potentiâ, sed actu à differentijs contrahentibus præcisam; sic uniuersale Logicum non per hoc, quòd potentiâ sed actu sit relatum ad plura per operationem mentis.

Vt omittam, quòd respectus ille, quem intellectus inter naturam, & inferiora comminiscitur, est veluti forma, per quam actu natura uniuersalis, sicut calor per quem subiectum actu calidum constituitur. Vt igitur

Posset quispiam suspicari uniuersalis Logici essentiam, naturamue non inuoluere esse in, prout aptitudine sumptum, quoniam hæc nulla sit aptitudo, antequam actu natura ad inferiora, à quibus est abstracta, referatur, cùm tunc nihil aliud quidpiam esse videatur, nisi naturæ entitas, & extrinseca denominatio à cognitione abstrahente, quorum neutrum hęc aptitudo, quam esse contendimus: non primum, quoniam id re ipsâ est ante quamuis intellectus operationem, non igitur aptitudo ab intellectu efficta: non secundum, cùm id non sit, quo natura apta dicatur inesse multis. Neque hinc natura ipsa hoc modo apta denominari potest, sed tantùm abstracta, denudataque differentijs, uti perspicuum est.

Caro Picus de mo cio ra tur.

Non b aliqu xeran se in p ut ac tum Logi vniuer lis ess tiam p tinere.

Reijc corū o nio co mine quod ne la ratio cōpulsi affirma runt.

Difficultates proponuntur aduersus dicta.

Igitur caliduma per hoc definiendum quod actu calore sit affectum, sic etiam natura illa, ut logicè universalis definienda, quatenùs respectu quidem actu affecta est ad multa.

Solutio. In his nulla difficultas; si quæ nanque videtur, facilè diluitur æquiuocatione detectà, quâ supraposita laborat argumentatio. Non inficiandum, ad vniuersale Logicum conficiendum, efformandumue requiri, vt intellectus communem naturam cum inferioribus comparet; hoc tamen bipartitò contingit. Vel quòd intellectus sic actu communis naturæ comparationem instituat, ut in ijs itidem actu concipiat inclusam, quod minimè necessarium existimo: vel vt in ijsdē actu cogitet potentiâ aut actu inclusam, quod planè concedo. Quamobrem semper actu requiritur comparatio, non tamen semper actu requiritur in pluribus inclusio, vt enim detur respectus superioris ad inferiora, satis superq; vt priusquam actu detur inclusio ex parte inferiorum, sic se res habeat, vt ipsa, prout inferiora sunt, possint includere; ex parte verò superioris sit potens includi; sic enim superioris, vel vniuersalis respectus ad inferiora contingit, priusquam intellectus actu naturam in inferioribus includi meditetur.

Inferiora qua ratione dicantur talia. Nec inferiora dicuntur, nisi quoniam vniuersale actu consideratur inclusum in illis, itaut respectum superioris terminare nequeant, nisi per illud esse, quod actu habeant inclusum. Nam aliquid potest superius, & vniuersale actu esse, nedum quando actu in inferioribus includitur, sed etiam cùm sic se habet potentiâ; nam ad superioris formalem rationem non est opus, vt actu includatur in illis; sed satis, vt sit potentiâ huiusmodi. Nec dissimili modo de inferioribus collatis ad superius nobis philosophandum. Hæc enim actu inferiora dicuntur, nedum, quando actu superius ipsum includunt, sed etiam, quando consideratur, quod ijs actu conuenit, posse superius includere, atque contrahere.

Alia difficultas. In eo rursus difficultas. Vniuersalitas conceptus est quidam respectus rationis ad plura inferiora, in quibus inest vniuersalis natura, & de quibus hæc potest prædicari; proinde si re ipsâ non sunt illa plura, saltem necesse est, vt per intellectum sint plura, cùm respectus nullus esse, vel concipi queat, sine extremis, itaut plura, quæ alioquin re ipsâ sunt possibilia, dum vniuersale fit actu, actu etiam & ipsa per intellectum fiant.

Solutio facet. His autem occurrere ex hactenus dictis non difficile.

Obiectio probans, actu esse in multis nō esse cum vniuersalitate conuenire. Illud quoque apud nonnullos multum habet momenti; quòd status repugnantes in naturam cadere non possunt, ut natura simul, atque coniunctim in singularibus existat; atque adeò siue re ipsâ, siue per intellectum & contracta sit & etiam vniuersalis; quamuis enim disiunctim hæc ei non repugnent, coniunctim tamen non item; non igitur esse in multis siue re ipsâ, siue per intellectum, naturæ, quæ sit vniuersalis actu, poterit conuenire.

Difficultas alia. Insuper vniuersale sic ad plura videtur indifferens, vt ei repugnet determinatio ad vnum; at verò natura, dum est per differentiam contracta, sic ad vnum determinata est, vt ei prorsus ad plura indeterminatio repugnet; ob id ita contracta non poterit esse vniuersalis; proindeque repugnabit, eam vniuersalem esse & simul actu, vel re ipsâ vel per intellectum esse in multis, sed hoc aptitudine tantùm ei poterit conuenire.

Solutio. His atque similibus nihil planè conficitur. Eos enim decepit ignoratio discriminis inter contractionem re ipsâ factam, & eam, quę per intellectum perficitur; non enim de vtraque sentiendum idem, cùm multum interst, vtra earum sit, de qua fiat sermo; contractio siquidem facta re ipsâ determinat ad vnum, quoniam vna, & eadem simul in pluribus esse non potest; vnde non mirum, si vniuersalis ratio ipsi repugnet: eadem tamen natura prout obijcitur intellectui, dum per eundem contrahitur, ita se habet, vt ei non repugnet, vnam, & eandem in pluribus numero tantùm distinctis adinueniri; tunc enim non sumitur, vt ad vnum tantummodo contracta, sed ad omnia, & quidem coniunctim; quamuis enim hoc, & illud indiuiduum constituat, non subinde ad vnum determinata, non vnius est propria, cùm indiscriminatim omnia respiciat; quamobrem licet priori modo, scilicet per contractionem realem natura positiua indifferentiam amittat, non tamen secundo modo, puta per intellectum; cùm sic æquè ad omnia eadem formali vnitate retentâ contrahatur.

Magna differentia inter cōtractionem, quę re ipsa fit & eā quæ fit per intellectum.

Nec animum perturbet aliquis dicendo. Vt vniuersalis dicatur natura, debet vt indifferens, ac indeterminata prædicari, cuiusmodi non est vt contracta: sic enim, vt vni indiuiduo applicata, & cùm quo re ipsâ est idem, ita de ipso solo prædicatur, aliàs prædicatio vera non foret; quamobrem contracta ad inferiora, quippè, quæ indifferentiam amittit, vniuersalis remanere non poterit.

Alia difficultas.

Hîc paululùm hærendum, cùm inde sensus prædicationis innotescat. Dum actu fit prædicatio vniuersalis de inferioribus; tametsi hoc ad vnum reddatur applicatum, non ob id tamen amittit vniuersalitatem suam; quoniam retinet adhuc aptitudinem, quâ esse possit in multis; quamobrem necesse est, illud itidem vniuersale remanere. Ita quidem cùm dicimus, Socrates est homo, se res habet; tunc enim, cùm actu hominem de Socrate enunciamus, hominem ipsum actu determinamus ad vnum; sed per hanc determinationem potentiam illam, vel si mauis aptitudinem, quâ esse possit in multis, non tollimus. Vera igitur prædicatio, quoniam licet inadæquatè ratio hominis idem re ipsâ sit cùm Socrate, adhuc est tamen vniuersalis de singulari prædicatio; quoniam applicatio illa actu facta per intellectum, non tollit, quin homo suaptè naturâ possit in multis esse, quod ad rationem vniuersalis sufficere ex hucusque traditis, cuique perspectum.

Quædam notatu digna.

Difficultas aduersus dicta. Suspicabitur quispiam fortassis, contrariam sententiam propiùs ad veritatem accedere, quoniam dum actu vniuersalis natura de indiuiduis enunciatur, actu hæc ipsa supponit, vt Dialectici loquuntur, personalitèr, non simplicitèr; cùm tamen ad vniuersalis rationem simplex desideretur suppositio.

Solutio. Neque hoc modo quidquā conficitur. Omnis enim tollitur difficultas, aduertendo naturam indifferentem esse ad vtramque commemoratam suppositionem non secus, ac ad statum vniuersalitatis, & singularitatis est indifferens. Licet igitur natura, dum per intellectum ad singularia contrahitur, positiuam indifferentiam, simplicemque supositionem amittere videatur; secus tamen se res habet, cùm illa contractio non sit ad omnia disiunctim, sed coniunctim; non enim fit alicuius singularis propria; propterea vt suam vniuersalitatem, sic itidem simplicem suppositionem retinet; qua propter dum natura actu de indiuiduo prædicatur, licèt nō nisi vt personaliter ita supponens verè de indiuiduo prædicetur, non inde tamen simplicem suppositionem amittit, quamuis huic prædicationis veritas non innitatur. Atque hunc in modum vt opinor, omnis de medio sublata est difficultas.

Dici de multis sic.

Ad eiusdem autem vniuersalis affectionem, seu pro-

proprietà vniuersalis.

proprietatem dum oculos mentis conuertimus, facilè cernimus, inter eas *dici de multis*, recenseri, prout tamen potentiâ, vel si mauis aptitudine, non autem actu sumptum.

Ratio ad suadendum.

Hoc inde mihi persuasum habeo, quoniam dici de multis, vniuersale velut affectio consequitur, non quidem vt actu sumptum, quoniam uniuersali sic accidit, non secus ac cuicunque prædicato actu de subiecto enunciari; ergo vt aptitudine acceptum *dici de multis*, uniuersalis affectio dicenda. Sed illud uniuersali accidere hinc facilè intelliges, quoniam quando natura de singulari actu prædicatur, supponitur potens prædicari; atqui actu dici de multis habet se velut actus secundus, & posse de multis dici est velut actus primus; vt igitur omnis secundus actus, est accidentarium quidpiam, ob id dici de multis actu respectu aptitudinis, quâ vniuersale potest de multis dici, hunc se habere in modum cuique fatendum.

Obiectio.

Nec te commoueat, quod aptitudo, quâ natura dicitur posse de multis pradicari, re ipsâ videatur eidem conuenire, atque adeò non possit uniuersalis Logici affectio existimari, cùm hæc nimirùm actu dici de multis quemadmodũ vniuersale sit rationis opus; propterea quòd naturam posse de multis prædicari, potest intelligi vel remotè quod illi re ipsâ conuenit nullo cogitãte intellectu, vel proximè, quod est rationis opus.

Diluitio.

Obiectio.

Et quamuis respectus, quem dici de multis, præfert, actu, prout tamen obijcitur menti, esse videatur, cùm extremorum utrumque saltem eodem modo, prout menti scilicet obijcitur, actu esse debeat. Hoc nihil est, nam aptitudo pariter opus rationis esse potest in respectu consistens, quem scilicet intellectus effingit, quo nimirum aliquid, velut superius, cùm alijs tanquam inferioribus actu conferatur in ratione prædicabilis, & subijcibilis, etsi non in ratione actu prædicati & subiecti; ex quo facilè intelliges, conferentiam, seu comparationem actu quidem exerceri; respectum tamen in aptitudine positum esse.

Occurritur superiori obiectioni.

SECTIO DECIMA PRIMA.

Vniuersalis Logici definitio concluditur, & quâ intellectus operatione illud efformetur, ostenditur.

HActenus uniuersalis Logici essentiam prosecuti sumus, ut ad extremum, eâ detectâ, ac explorata, definitionem conficeremus. Ea porrò satis eleganter Logicum uniuersale videtur exprimere, quâ dicitur: *vniuersale Logicum est vnum ratione proximè aptum per sui diuisionem coniunctim inesse multis*. Debet quidem unum esse, quicquid uniuersale dicendum, ut potè commune pluribus; nisi enim foret unum, potius multitudo plurium, quam aliquid commune pluribus diceretur. Debet autem ratione unum esse, & non unitate reali, siue ea sit formalis, naturam concomitans, cùm hæc non sufficiat, siue numerica, cùm huic uniuersalitas repugnet. Non sic autem unitate rationis uniuersale Logicum intelligendum unum, prout in præcisione consistit, quatenùs intellectus abstrahendo naturam à differentijs cõtrahentibus eam reddit indiuisam, atque adeò unam, quod ad uniuersale Metaphysicum sufficit; sed uniuersale Logicum, uel, si mauis, uniuersale in actu (sunt enim idem) debet esse unum unitate rationis, prout hæc quendam respectum importat, quem naturæ intellectus appingit, ut per hunc ipsa sit una in multis, cùm alioquin per illam præcisionem factâ fuisset una tantùm in se. Debet etiam aptum esse proximè inesse multis; aptum quidem, quoniam *esse in*, aptitudine, non actu sumptum ad huius uniuersalis essentiam pertinere superius est explicatum: proximè autem, nam aliequin etiã aptitudo, remota tamen, conuenit Metaphysico; proxima verò Logici est uniuersalis propria, estque opus rationis, ut superiùs est adnotatum, per ipsam enim habet natura, ut in multis esse possit per inexistentiam, atque coniunctim, unde sit quoq; proximè de pluribus prædicabilis prædicatione dicente, hoc est hoc, quod certè naturæ non conuenit, nisi quatenùs induit respectum ad plura, quem illi tribuit intellectus, merito cuius natura dicatur apta coniunctim inesse multis. Ex quo facilè constabit, non ineptè particulam illam, *coniunctim*, adiectam fuisse; nam tametsi uniuersali Metaphysico aptitudinem proximam, qua in multis inesse possit, concederemus; id tamen non nisi disiunctim, non autem coniunctim concedi posset. Additur, *per sui diuisionem*, nam inesse multis hoc modo ad hoc uniuersale requiritur, quoniam etsi vnum sit, non tamen unitate numericâ, sed communi, vt paulò ante dicebam, in eo constituta, ut quod vnum ità dicitur, possit pluribus cùm sui diuisione communicari; sic enim Diuinam excludimus naturam, quæ tametsi pluribus personis communicari possit; quia tamen id sine vlla ipsius diuisione contingit (eadem enim numero tribus Personis communicatur) ob id vniuersalis rationem sibi vendicare non potest. Hæc diuisio, si vniuersale fuerit species, immediatè per differentias numericas; si genus, immediatè per specificas, mediatè per numericas absoluitur.

Definitio vniuersalis Logici cuiusmodi sit.

Vniuersale debet esse vnum

Ad vniuersale Logicum non sufficit vnitas præcisionis, licet ad Metaphysicũ vniuersale sufficiat.

Debet aptum esse

Ex hucusque traditis neminem latebit, vniuersale materialitèr acceptum, pro naturâ nimirum, cui intellectus vniuersalitatem appingit, in rebus existere, si tamen ex earum numero ipsa fuerit, quæ ab intellectu suum esse non recognoscunt; alioquin hoc itidem modo, non secus, ac untiuersalitas erit opus rationis. Itaque vniuersale formalitèr sumptum hunc se habet in modum: sed materialitèr acceptum erit alterutrum. Quemadmodum etiam hoc modo sumptum præscindit ab esse corporeo, & incorporeo: non secus ac natura, cui ab intellectu vniuersalitatis ratio potest attribui; formalitèr autem vniuersalitatis naturam, conditionemque sortitur. Hoc ipsum vniuersale tandem materialitèr acceptum, erit in singularibus, formalitèr verò quodammodo separatum ab illis, quatenùs habet esse, vt obijcitur intellectui, quod est esse separatum à singularibus, in quibus tamen adhuc habere esse dicitur, quatenùs sic intellectui obijcitur, vt inesse in illis, vel actu, vel aptitudine saltem cognoscitur.

Sed ad absolutam hanc contemplationem adhuc nonnulla supersunt; nimirum à quo vniuersale Logicum fiat, quâque perficiatur operatione. De his igitur disserendum.

Addubitabit fortassè quispiam de facultate sentiendi, quòd ei conficiendi vniuersale sit concedenda vis; quia tamen ea est corpori affixa, ac alligata, nequit rei naturam, nisi conditionibus indiuiduantibus implicatam, attingere, cùm tamen ab his vniuersalitatis ratio prorsus abhorreat, ob id nulla dubitandi ratio; quo non mirum, si supra decretum fuerit vniuersale censendum opus intellectus. Quia tamen hic duabus partibus constat, siue re ipsâ, siue ratione tantùm distinctis, quarum vna intellectus agens, altera verò possibilis nuncupatur; propterea adhuc inquisitione dignum, cuinam vniuersale suum esse referat acceptum; an intellectui agenti, an possibili.

Intellectum hunc duplicem concedendum assumpsimus, & quod id communi omnium consensione sit,

proxime inesse multis.

Ratio aptitudinis.

Vniuersale Logicum proprium & est rationis opus.

Conclusio.

Vniuersale praecisum debet inesse in multis per sui diuisionem.

Natura cui intellectus vniuersalitatem appingit, est in rebus.

Vniuersale materialiter sumptum est singularibus formaliter verò quodammodo separati ab illis.

Quædam alia explicantur ad vniuersale Logicum pertinentia.

An facultati sentiendi sit concedenda vis conficiendi ipsũ vniuersale.

Vniuersale concluditur esse opus intellectus.

Dubitatur an sit opus intellectus agentis, an possibilis.

sit, & quòd firmissima ratio suadeat. Cognitio enim omnis obiecti, potentiæque soboles est, quia tamen hæc non nisi vtriusque nexu, ac unione contingit, obiectumque re ipsâ potentiæ nequit vniri secundum illud esse, quod habet in re; propterea necesse erat, vt solers natura suppeditaret aliquid, cuius præsidio vnio illa haberetur. Hoc autem est obiecti simulachrum, ac species. Hanc profectò necessariam cuique potentiæ cognoscenti opportuno loco constabit Interim perspicuum illud est, & manifestum, sensus, & obiectum facilè per speciem vniri, nam obiectum immittit imaginem sui in sensus omnes, immediatè quidem in externos, mediatè autem in internos, vtrique enim materialis naturæ cùm sint, materialem speciem, cuiusmodi est à sensibili obiecto immissa, possunt in se recipere.

Intellectus quippè qui ab omni materiæ concretione seiunctus incapax est imaginis materiæ.

Non sic intellectus, quippe qui ab omni materiæ concretione seiunctus, est incapax omnino materialis speciei, cuiusmodi omnis ea est, quam obiectum sub sensum cadens effundit, quò necesse est, aliam produci sine materiæ commercio idem tamen prorsus repræsentantem, quod per materialem exprimebatur, quod intellectus agentis est munus, cuius est omnia facere; eademque in anima recipi debet, quod ad possibilem intellectum pertinet, cuius est omnia fieri. Quâ autem ratione hæc omnia fiant opportuniori loco tractandum: sufficiat interim geminum intellectum insinuasse, vt subinde liceat inquirere, si intelligentis animæ est ipsum vniuersale effingere, quâ id ratione contingat, an quia intellectus agentis, an possibilis vi, facultateque anima polleat.

Vniuersale Logicũ efficere non esse munus intellectus agentis, sed possibilis.

Vnus intellectus possibilis. Ratio, qua redditur non esse munus intellectus agentis vniuersale Logicũ efficere.

Non esse munus intellectus agentis, sed possibilis vniuersale Logicum effingere, eâ ratione ductus existimo, quoniam intellectus agentis est speciem producere, quâ repræsentatur natura conditionibus indiuiduantibus adhuc implicata, non secus ac in phantasmate relucebat: intellectus verò possibilis est eandem à prædictis conditionibus abstrahere; intellectus enim agens ad phantasma conuersus imaginem, speciemue producit, quæ ratione rei repræsentatæ à phantasmate non secernitur; cum totum discrimen in eo positum sit, quod phantasma corporeum, atque materiale existat: secus imago, ac species ab agente intellectu producta; non igitur vniuersalis Logici effectio intellectui agenti tribuenda, cùm ad efformandum vniuersale requiratur imago, in qua natura penitus exuta differentijs contrahentibus reluceat. Vt omittam, quòd etiamsi vis hæc intellectui agenti concederetur, non subinde tribuenda ei foret Logici vniuersalis effectio, cùm hæc aliud quidpiam exposcat, nempè quòd intellectus naturam cognoscat, quod certè non fit per actionem, quâ producitur species; neque hoc satis, cùm insuper oporteat naturam cognosci differentijs contrahentibus denudatam. Imò, nec etiam hoc satis, cùm requiratur adhuc, ut ea cognoscatur velut vna per inexistentiam in multis, vt superius explicui, & mox iterum explicabo.

Intellectui agenti concedenda solùm præparatio ad efformandum vniuersale Logicum.

Officium intellectus possibilis.

Proinde solùm intellectui agenti præparatio quædam ad efformandum vniuersale, de quo loquimur, concedenda, quòd ad eum spectet, quædam præmittere, quæ vniuersalis elaboratio supponit, nempè res obiectas de ordine non quidem singularium ad ordinem vniuersalium, sed de ordine eorum, quæ sunt in materiam immersa, ad aliorum ordinem, quæ nullum habent cùm materia commercium, transferre, quatenus producit imagines, speciesue immateriales, earum loco, quæ materiales sunt.

Erit igitur officium intellectus possibilis, vniuersale Logicum effingere, non quia producat imaginem immaterialem, in quo conueniat cùm intellectu agente, sed talem, quâ repræsentetur natura destituta prorsus conditionibus indiuiduantibus, per quod ab illo distinguitur. Hoc enim vel non fit ab intellectu possibili, cùm hoc necessarium non sit ad naturam abstractam perspiciendam, videtur enim sufficere, species, & imago, quæ & naturam, & conditiones indiuiduantes repræsentet. Vel si fit, hoc non est intelligere, ac ob id nec vniuersale ipsum effingere, cùm hæc effectio non nisi intelligendo habeatur. Sed munus intellectus possibilis censeri debet, quoniam eius est intelligere, atque adeò etiam naturam exutam indiuiduantibus conditionibus repræsentare. Meritò igitur vniuersalis Logici effectio ei tribuenda erit.

Intellectus possibilis erit effingere vniuersale Logicum, & quare.

Vniuersale Logicũ non fit per actum absolutum. Vniuersale Metaphysicum fit per actum absolutum. Ratio qua vniuersale in actu seu Logicum non fieri per actum absolutum.

Addendum vlterius, hoc idem uniuersale non fieri per actum absolutum, seu præscindentem, sed potiùs per comparantem, seu conferentem vnum cum alio. Non enim hoc, de quo fit sermo, vniuersale est vt Metaphysicum, quod solùm naturam præcisam à differentijs contrahentibus, ijsdemque denudatam importat, quod actu fit absoluto; sed inuoluit respectum, qui comparantem actum requirit. Deinde uniuersale in actu est proximè de pluribus prædicabile, quod per cognitionem præscindentem, vel abstrahentem obtineri non potest, siquidem natura sic abstracta de alio nequit prædicari; non enim licet dicere ex. gr. Socrates est humanitas; sed proximè prædicabilis est, cùm per absolutum actum abstracta à differentia indiuiduante, atque adeo determinante illam ad unum, contracta redditur per respectum ad inferiora, quod per solum actum, cuius est comparare, potest obtineri; non igitur per actum absolutum intellectus possibilis, sed per illum, quo vnum cum alio confertur, Logicum vniuersale perficitur.

Difficultas.

Erit autem, cui proximè dicta minùs arrideant, quòd existimet, vniuersale Metaphysicum, ac proinde multo magis Logicum non à possibili, sed ab agente intellectu fieri; Quoniam intellectus possibilis obiecta res non nisi vniuersalis esse potest, cùm ad eum vniuersale, vt ad sensum singulare, pertineat. Huiusmodi igitur esse debet ante quamlibet eius operationem, obiectum enim quodcunque & potentiam, & operationem eius antecedit: sed non ab alio vniuersalis res illa reddi potest, nisi ab intellectu agente, eius igitur erit vniuersale ipsum effingere. Quod inde confirmabit, quoniam possibilis intellectus nequit vniuersalem attingere naturam, nisi per speciem, & imaginem, quâ ipsa repræsentetur; sed hanc habere nequit, nisi per operationẽ intellectus agentis à phantasmatibus illam abstrahentis; propterea non erit opus intellectus possibilis huius vniuersalis effectio; cumque nulla alia suppetat facultas, quàm intellectus agens, cui hoc tribui possit, huius igitur potiùs vniuersale videtur opus dicendum.

Confirmatio.

Superior difficultas diluitur.

His tamen nihil conficitur; falsum enim assumitur, quòd intellectus possibilis obiecta res tantummodo sit vniuersalis, cùm singularem quoque percipiat. Sed hoc etiam admisso; nihil adhuc concluditur, nam speciem producere, qua repræsentetur natura spoliata differentijs indiuiduantibus, non est vniuersale conficere, sed præmittere tantum ad eius effectionem requisita; vniuersale autem fit, cùm intellectus huiusmodi specie instructus, siue informatus communem attingit naturam &c. illud est opus partim intellectus agentis, partim possibilis, sensu iam explicato: hoc autem solius possibilis. Solùm igitur eâ ratione convincitur, quod vltro fatendum, ut vniuersale fiat ab intellectu possibili prærequiri opus intellectus agentis;

sis; vtque dicatur, obiectum à potentia, & operatione presupponi, sat est, vt vniuersalis fundamentum supponatur, cuiusmodi est communis natura vna per præcisionem negatiuam, quæ ei re ipsâ conuenit, quatenus ex internis principijs non est hæc, sic enim antecedit actum intellectus possibilis, quo vniuersale fit Metaphysicum, quod deinde antecedit actum comparationis, quo vniuersale fit Logicum. Nec confirmatio aliquid habet momenti, eodem enim occurritur modo, scilicet admittendo speciem, imaginemue prærequiri, & huius effectionem esse opus & intellectus agentis, & forsan etiam possibilis, vt suo loco declaratum fuit; hoc tamen non est vniuersale conficere, sed præmittere tantùm, quæ ad conficiendum vniuersale requiruntur.

Cõfirmationi occurritur.

Nec putes velim, ritè aliquem obijcere dicendo. Per illum actum fit vniuersale, per quem natura redditur vna; sed hoc per actum abstractionis contingit, per hunc enim denudata fit differentijs indiuiduantibus, non autem per actum comparationis, cùm per hunc concipiatur in multis, proindeque multiplicata. Vniuersalis igitur effectio per abstractionis actum perficitur. Hoc nihil planè; ad efformandum siquidem vniuersale non satis, naturam esse vtcunq; vnam, nimirum in se, sed oportet, vt vna reddatur in multis, quod per actum fit comparationis, vt illud per actum abstractionis; nec propterea quòd per comparationis actum natura concipitur in multis, eius coruit vniuersalitas, cùm hac enim contractio re ipsâ facta cohærere non potest, vt superiùs monuimus, facta tamen per intellectum, potest; vt omittam, hoc aliquid momenti habere aduersus illos, qui *esse in* existimant constituere vniuersale, prout actu tantùm, non autem aptitudine sumptum, quod nobis non probatur. Quatenus tamen sententiam nostram oppugnat, quâ dicimus, actu inesse multis cohærere saltem cùm vniuersalitate, & ei non repugnare, quamuis ad eius essentiam non pertineat, superiùs iam factum est satis.

Obiectio proponitur.

Occurritur superiori obiectioni.

Et quamuis abstractionis actus ad vniuersale sit necessarius, non subinde concludendum, per illum absolui, sed tantùm prærequiri. Fuit enim iam adnotatum, vniuersale Logicum fieri, quatenus intellectus naturam reddit positiuè vnam, cùm ante operationem ipsius negatiuè tantum sit vna; huiusmodi autem redditur, cùm à differentijs contrahentibus abstrahitur, atque adeò fit vniuersale Metaphysicum, & quidem per absolutum actum abstractionis; mox autem sic abstractam naturam intellectus comparando cum ijs, à quibus abstracta est, concipit illam tanquam vnum quidpiam, vel potentiâ, vel etiam actu existens in multis; realis enim contractio cum vniuersalis vnitate, quoniam sic determinatur ad vnum, repugnat; per intellectum non item. Ad uniuersale igitur Logicum abstractionis actus prærequiritur: non tamen per hunc, sed per actum comparationis absoluitur. Tametsi autem natura positiuè reddatur vna indifferens, & communis per actum abstractionis, imò habeat aptitudinem re ipsâ, licet impeditam à differentijs indiuiduantibus, quâ esse possit in multis, & per actum abstractionis eundem hoc tollatur impedimentum; non propterea factum est vniuersale Logicum, quoniam nondum, quod ad hoc vniuersale requiritur, apta est coniunctim inesse multis, sed tantum disiunctim, quod soli Metaphysico sufficit vniuersali; tunc autem consumitur vniuersale Logicum, cùm intellectus quendam respectum effingit, quo affecta natura coniunctim in multis insit, quod solius est opus rationis, cùm hęc potentia, ac aptitudo re ipsa naturæ conuenire non possit; & quoniam hoc non nisi per actum comparationis efficitur, ob id non immeritò uniuersale Logicum per huiusmodi actum absolui existimamus. Licet autem per actum abstractionis uniuersale fiat posterius singularibus, non subinde huiusmodi actu quodlibet uniuersale perficitur; Vniuersale siquidem Metaphysicum sic absoluitur; uniuersale autem in actu, siue Logicum ulterius addit, ut quod singularibus factum est posterius per abstractionem intellectus, coniunctim in multis insit, cùm alioquin illius abstractionis operetur fuisset unum disiunctim in multis; & quidem positiuè; cùm alioquin id negatiuè re ipsâ naturæ conueniat. Per differentiam contrahentem communis natura fit singularis, & per abstractionem fit uniuersalis, non utcunque, sed metaphysicè, non autem logicè, quod non semel inculcatum fuit. Vniuersale igitur Logicum ad sui absolutionem comparationis actum exposcit.

Vniuersale per abstractionẽ fit posterius singularibus.

Verùmenimuerò sæpè commemoratus actus comparationis bipartitò contingit, vel ita ut, per ipsum conferamus naturam cùm inferioribus, vel tanquam aptam inesse, vel tanquam actu existentem in illis.

Actus cõparationis bipartito contingit, quatenus per ipsum conferimus naturam cum inferioribus, vel prout apta existere in illis, vel prout actu existens in illis.

Addendum igitur ulteriùs iuxta prædicta, uniuersale, de quo fit sermo, comparatione actus primi generis, non autem secundi absolui. Quod inde mihi redditur exploratum, quoniam *esse in* aptitudine sumptum, ad uniuersalis essentiam facere, non immeritò dictum fuit; id igitur comparationis actus respiciat necesse est; utque *actu inesse* accidentarium quidpiam uniuersali esse dicebamus, sic & ipsum actum cõparationis id respicientẽ se habere dicendum erit.

Et quoniam rursus actus comparationis est geminus, nimirum simplex unus ad primam intellectus operationem pertinens; compositus alter spectans ad secundam.

Actus cõparationis est duplex, quorum vnus ad primam, alter ad secundã intellectus operationem pertinet.

Non propterea quòd intellectus comparando naturam eandem in eis esse cognoscit, eisdemque percipit conuenire, subinde concludendum, hoc prædicatione fieri, ac ob id uniuersalis per compositum actum comparationis absolui. Cùm intellectus simplici actu comparationis possit cognoscere, naturam pluribus conuenire, & quidem coniunctim, quod ad uniuersale requiritur. Mala igitur consecutio. Nec etiam perturbat, quòd intellectus comparationis actu, quo uniuersale fieri dictum est, naturam attingendo vel potentiâ, vel actu inesse in multis, prædicationem exercet, cùm simplex apprehensio sufficiat, quâ sine affirmatione, vel negatione obiecta inter se comparantur.

Huiusmodi comparationis actus gemino modo contingit; vel enim ille directè tendit in obiectũ suum, in quo inde resultat extrinseca denominatio cogniti; vel ille est, quo intellectus reflectit supra naturam comparatam. Per utrumque actum uniuersale fieri statuendum; quod sic usurpes uelim, ut per priorem materiale: per posteriorem formale eius esse conficiatur; non secus ac de secundis intentionibus dictum fuit.

Comparationis actus dupliciter modis contingit.

Dum enim natura cum inferioribus in quodam rationis attributo confertur; in obiectis comparatis ex terminatione actus comparantis, quædam extrinseca denominatio relinquitur, atque tunc uniuersale tantum habet esse materiale, & velut uniuersalitatis fundamentum: facta siquidem est comparatio siue collatio in aliquo attributo rationis pura secundum esse per modum unius inexistentis in multis, & inde relicta est passiua comparatio quædam in obiectis. Nondum tamen uniuersale in actu; hoc enim suum esse

sor-

Digitized by Google

sortitur, cùm postmodum intellectus huiusmodi comparationem passiuam concipit in obiectis comparatis ad modum veræ relationis inter illa, nimirum superioris ad inferiora, & viciſſim inferiorum ad superius.

Quomodo fiat vniuersale in actu agis explicatur.

Intellectus igitur reflectendo supra se cognoscentẽ vniuersale in actu, siue Logicum effingit, ut hactenus explicatum fuit. Primò siquidem, vel singularia quidem apprehendit, ijsdemque inter se collatis conueniendi rationem, nempè naturam, differentijs contrahentibus neglectis, abstrahit: vel cognoscendo vnicum singulare, omissâ differentiâ, quâ singulare sit, tantummodo naturam attingit, præscindendo saltem explicitè à differentia; deinde naturam prædicto modo præcisam, cum singularibus secundum aliquod reale attributum, confert, puta, quod ipsa sit pluribus communicabilis, hoc enim reale est, cùm ipsi quoq; re ipsâ conueniat, dum est differentijs affecta, licet remotè, ob proueniens impedimentum à contrahentibus differentijs. Eandem quoque naturam, cùm singularibus, tanquam coniunctim illis communicabilem per modum vnius inexistentis in ipsis, comparat; quod est vniuersale, de quo fit sermo, in actu primo efformasse; quod verò potentiâ illi conuenire conceperat, idem actu eidem attribuit, cognoscens videlicet actu naturam ipsam conuenire multis, per modum vnius inexistentis in illis, quod est idem vniuersale, sed in actu secundo perfeciſſe. Vtrumque verò simplici actu comparationis obtinetur. Tandem actu composito comparationis, intellectus iam conceptam naturam de multis enunciat, enunciationem efformans, in qua vniuersale de singulari prædicatur, ex. gr. dicendo, Socrates est homo, Socrates est animal.

Hæc est vniuersalis effectio, quod actu tale est, Logicumque nuncupatur; hoc autem non temerè ab intellectu fit, sed suppolito fundamento in re, de quo tametsi aliqua possit esse contentio, nobis tamen probatur, non requiri naturam esse actu pluribus communicatam, sed satis id fieri posse, siue naturæ, siue altioris ordinis viribus contingat. Cùm enim vniuersalis essentiam in eo positam dictum fuerit, vt sit id, quod aptum inesse multis effingitur, aptitudo tantùm, quâ natura possit multis communicari, pro vniuersalis fundamento requiretur. Vt enim, actu multis inesse, accidentarium vniuersali dictum fuit; sic etiam naturam, actu multis esse communicatam, vniuersalis fundamento accidentarium erit.

Et reuerâ si intellectus concipiendo Socratem ex. gr. non attingit expresè id, per quod singulare quid est, potest vniuersale conficere; inconsideratè igitur dicitur ad vniuersalis fundamentum requiri, vt natura sit actu multis communicata. Inde non temerè quidem intellectus conficiet vniuersale cognoscendo Solem; nam omissâ differentiâ, quâ is est aliquid singulare, naturam cognoscendo, quamuis actu minimè participatam à multis, participari tamen aptam, vniuersale potest effingere. Quod adeò verum, ut etiamsi nullum naturæ indiuiduum extaret, posset adhuc vniuersale ab intellectu effici.

Scitè quoque dictum fuit, nihil referre, quòd hoc vno, vel alio modo, siue nempè naturæ, siue alterius ordinis viribus contingat. Hoc enim penitus accidentarium est; per se nanque desideratur, quòd per se naturæ conuenit; nimirum, quod ei ex internis Principijs absolutè non repugnet; siue nanque hoc ab vno, siue ab alio agente fiat, accidit prorsus rei, de qua agitur.

Mirumque est, quòd plerique philosophantium vltro fateantur, e.g. ab intellectu vniuersale fieri posse considerando Solis naturam, numericâ ipsius differentiâ neglectâ: postmodum verò addunt, ad vniuersalis fundamentum requiri, ut natura physicè multiplicari possit, non aduertentes, naturæ viribus denegatum esse, stellam illam multiplicari, atque adeò naturam eius à pluribus participari posse. Tanti refert ad pauca respiciendo facilè pronunciare. dam error detegitur.

Ad vniuersale Logicum efformandum videbitur forsan haud necessarium, naturam re ipsâ posse multiplicari. Nam in ijs, quibus esse tantummodò negotiatione intellectus conuenit, vt sunt chimæræ, & id genus alia, vniuersalis Logici rationem concipimus, siquidem in ijs assignatur quoque genus, species &c. nõ igitur opus, ut cui vniuersalis ratio applicatur, id re ipsâ multiplicari possit. Hoc tamen nullius momenti; ut enim reales naturas potest intellectus ab inferioribus præscindere, easdemque in ratione Logici vniuersalis comparare; ita potest proportione seruatâ ens rationis ab inferioribus abstrahere, & vniuersale idem effingere, hoc solo intercedente discrimine, quòd, ut Logicum vniuersale, cuius fundamentum realis est natura, proprie sic nuncupatur, quoniam inferiorà respicit, quæ realiter esse possunt; sic illud, cuius fundamentum est ens rationis, minus propriè, proportioneque tantùm sic appellabitur, quoniam ea, de quibus enunciari potest, sub ipso dumtaxat negotiatione mentis esse possunt. Difficultas ad probandũ nõ requiri, vt natura possit multiplicari. Solutio.

Rursus vniuersale, de quo loquimur, per respectum rationis absoluitur, unde videtur ad illud tantummodo necessarium, ut inferiora sint plura, prout intellectu apprehensa, quamuis ijs esse repugnet, cùm respectus ab intellectu effictus termino sit contentus illo, qui solùm habet esse, prout intellectui obijcitur. Secus tamen omninò philosophandum: vniuersale nanque tametsi formaliter respectum rationis inuoluat; fundamentum tamen ipsius esse debet in re, ut intellectus inde rationem vniuersalis citra temeritatem alicui possit appingere; nisi quispiam insulsè velit admittere, promiscuè cuilibet naturæ, quamlibet secundam intentionem applicari posse. Vt omittam, illud vniuersale, plura ficta respiciens, haud propriè Logicum nuncupari; cùm hoc verè de multis prædicari possit, illud autem non item; respiceret enim plura, non tamen, ut ea, in quibus inesse, & de quibus enunciari posset; sed potius in quibus esse non posset, cùm de pluribus temerè fictis nullo præsupposito fundamento, non nisi ficta prædicatio esse queat. Vniuersale de quo fit sermo, per respectum rationis absoluitur. Fundamentum tamen debet esse in re.

Insuper, posse coniunctim inesse in multis, re ipsâ naturæ non conuenit, sed prout solùm obijcitur menti; proinde non attendenda conditio, illi re ipsâ conueniens, sed potiùs ea, quam per intellectum assequitur. Quod planè fatendum, si de proxima aptitudine sermo sit, hæc enim naturæ non nisi negotiante intellectu contingit, non sine tamen fundamento in re, quod in illâ non repugnantiâ, vel, si mauis, aptitudine remotâ, qua possit in multis esse, consistit. Quædam explicantur notatu digna.

Ex aduerso non admodum scitè quispiam argueret, probare contendens, vniuersalis fundamentum in eo positum esse, ut natura sit actu multis communicata; hæc enim vniuersalis abstractione redditur; nulla tamen abstractio, singularibus non existentibus, nihil enim supperet à quo aliquid abstrahi posset. Veris tamen hic falsa permiscentur; nullum profectò fiet vniuersale, nisi intercesserit abstractio; inficiandum tamen, hanc fieri non posse singularibus non existentibus; cùm solùm exposcat, ut intellectus unum cognoscat, alio, siue existente, siue non existente, neglecto; sufficit enim, ut reluceat in mente. Et quamuis natura non sit re ipsâ in multis, poterit tamen Difficultas ad ostendendũ requiri naturam actu communicatã. Difficultatis dilutio.

adhuc de multis prædicari, atque adeo vniuersalis reddi, quoniam non actum, sed aptitudinem, quâ natura possit in multis reperiri, ad vniuersale, de quo loquimur, constituendum requiri, paulò superiùs docuimus.

Ratio ad probandũ physicam debere esse potentiam, qua natura sit in multis.

Hanc porrò naturæ potentiam, Physicam ut probes, hunc forsan in modum argumentaberis. Ea est naturæ potentia vsurpanda in vniuersalis definitione, quæ fuit Aristoteli perspecta; sed hæc sola Physica; sola igitur hæc vniuersalis fundamentum. Sed falsa quidem assumptio, cùm Philosophum non præterierit aliud potentiæ genus, quod logicum appellant, cuius meminit definiens continuum sexto Physicorum libro, itemque secundo de anima affirmans, ignis incrementum abiturum in infinitum ex paboli appositione factâ itidem in infinitum. Neque perturbet, quod *vniuersale definitum sit, id quod aptum est inesse multis*, hoc est, cui non repugnat, per positiuam, & physicam potentiam, non autem logicam. Verùm nihil refert, vtro explicetur modo aptitudo, quâ natura esse queat in multis, dummodò per eam significari vel physicam, vel saltem logicam intelligamus. Nec Physicam potentiam argues ex eo, quòd potentiæ, cuicunque passiuæ naturali, atque adeò illi, quâ natura potest inesse in multis, naturalis pertinens ad agens debeat respondere. Assumptum etenim vltrò concedendum, naturæ nomine intellectâ rerum omnium vniuersitate, quâ & eiusdem naturæ auctor comprehenditur.

Solutio.

Alia difficultas.

Solutio.

Difficultas alia.

Dilutio.

Ex hucusque traditis intelligas velim id cuiusmodi sit, cui vniuersalitatis ratio possit appingi; scilicet natura, quæ ex se non sit hæc; proindeque siue physicâ, siue logicâ potentiâ multis, pluribusue communicari possit. Quamobrem ineptè quorundam consilio ex horum numero excluduntur illa, quæ in categorijs indirectè constituuntur, vt entia incompleta, differentiæ. Itemque perperàm excluduntur transcendentia, his enim omnibus vniuersalitatis ratio aptari potest. Id porrò me in hanc sententiam duxit, quoniam eorum cuilibet conuenit ex se non esse hoc, quod ad vniuersale fundandum sufficere paulò antea admonui. Vt omittam in eo vniuersale positum esse, vt vnum sit potens inesse in multis, & quidem, per modum unius inexistentis in illis, si de vniuersali in actu Logicoue, sit sermo. Neminem tamen præterit, vnamquamque naturam, siue directè, siue indirectè ad vnam ex categorijs pertinentem; quodlibet itidem ex transcendentibus hunc se habere in modum: proinde mihi non satis exploratum, cur aliquibus contraria sententia arriserit. Eo vel maxime quòd si inter se plures conferantur incompletæ naturæ vt materia, forma, itemque plura entia, plura bona & id genus alia. Nullo negotio hæc intelliges in communi quadam ratione conuenire, nempè formas in ratione formæ: materias in ratione materiæ &c. & hęc eadem suis proprijs differentijs secerni, non secus ac naturæ completæ inter se collatæ, uti palam est, distinguuntur. In his porrò si locum vniuersalis ratio obtinet, cur non in illis? Non dissimulandum tamen hac in re cautè procedendum esse; proindeque distinguendum vniuersale in illud, quod sic absolutè dicendum: & in illud, quod limitatum est; quodque prædicamentale nuncupatur. Hoc in categorijs completam exposcit naturam, itaut nec naturæ incompletæ, nec transcendentibus applicari possit.

Cuiusmodi sit id, cui vniuersalitatis ratio possit appingi.

Vniuersale vnũ absolutè dicitur tale alterũ autem dicitur limitatum.

Subit animũ admiratio, quòd neotericus quidam in re proposita nobiscum sentiens, unum addit à veritate prorsus alienum, nimirum transcendens ex. gr. ens absolutè genus non esse, quamuis vniuersale illud admittat. Dicat quæso, si ens nullo modo est genus, & vniuersale tamen dicendum, quodnam erit ex vniuersalibus. Si non genus, multò minus unum ex reliquis. Hinc planè inferendum vniuersalis rationem ei nullatenus conuenire; ut si quidpiam foret ad nullam speciem animalis pertinens, animal nullatenus dici posset. Rectè igitur dixeris, quodcunque transcendens, ut ens, verum &c. non limitatum seu prædicamentale, sed transcendentale genus esse dicendum, ut non multò antea dictum fuit. Nec Stagiritæ auctoritas te commoueat, qui 1. Ethic. cap. 6. & alibi videtur aliter sensisse, in hanc enim sententiam propensus deprehenditur 3. Diuin. Tex. 10. ubi etsi inficietur transcendentibus conuenire rationem vniuersalis limitati, atque prædicamentalis, absolutè tamen eam ipsis concedit, quæ est vniuersalis latior quadam usurpatione sumpti.

Error quorundã detegitur.

Intellectus igitur non temerè commemoratis omnibus naturis rationem vniuersalitatis appingit, inspectâ tamen indole fundamenti, pro cuius varietate, variam quoque ijs vniuersalitatem applicat. Fundamenti autem conditio est, quòd natura sit pluribus communicabilis immediatè, vel mediatè indiuiduis; atque adeò plurium conuenientia; pro cuius diuersitate aut similitudine, diuersa vel similis est vniuersalitatis intentio, quò cum æquè conueniant plures singulares homines in hominis natura, & hæc illis æquè communicata sit: ita plures singulares equi in equi natura, atque adeò hæc ab illis æquè participetur immediatè; proinde utriq; similem vniuersalitatis intentionem intellectus tribuit tam hominem, quàm equum, speciem, appellans. At si natura non immediatè, sed mediatè pluribus communicetur, atq; conueniant singularia in illa minus quàm conuenirent in ratione alia immediatè participata; tunc dissimilis est vniuersalitatis intentio, diciturque genus, & hoc sanè contingit, dum concipitur animal ex. gr. in quo minùs cõueniunt homo, & equus, quàm plures singulares homines in hominis natura: & plures singulares equi in natura equi; illi enim rationem generis à ratione speciei longè latèq; diuersam intellectus accommodat.

Ad vniuersale fundandũ nõ necessariò pertinuum aliquid quid requiritur.

Cæterùm religiosè nimis hat in re philosophati sunt ij, quibus est visum ad vniuersale fundandum positiuum quidpiam requiri, cùm frequenter vsu venire soleat, vt intellectus ex pluribus priuationibus conceptum priuationis: ex pluribus negationibus negationis conceptum præscindat, ac abstrahat; quod argumento est non repugnare id quod dicebatur, atq; hunc in modum uni, vel alteri tribuit rationem vniuersalis, & quidem uniuocam uniuocè dictam, licet minùs propriè, quàm dum ipsa natura positiua est, sicut minus propriè quoque priuatio, vel negatio dicitur existere.

Quoniam verò vniuersale, de quo hucusque locuti sumus, vnum est ratione proximâ aptum per sui diuisionem coniunctim inesse multis; aduertendum occurrit diuisionem hanc esse communis naturæ, eamque per differentias veluti superioris in inferiora fieri, non tanquam totius actualis in suas partes, sed potentialis in partes sibi subiectas; vnde quodlibet inferiorum dici idem cum ipso atq; totam e.g. animalis naturã posse de equo prædicari, & simul etiam de homine; quia diuiditur superius dumtaxat secundum totalitatem potentialem, non autem actualem, & essentialem; atq; hoc modo tota, & adęquatè est in quolibet inferiori quoad essentialem totalitatem, quatenus omnibus, & singulis secundum omnia sua prædicata intrinseca, & essentialia conuenit, sed non est tota, & adæquatè in singulis quoad totalitatem potentialem; propterea-

Adeoque cuiusmodi sit id cui vniuersalitatis ratio possit appingi.

quòd

quòd nullum inferiorum totalitatem eius potentialem secum adæquat.

Tripartita vniuersalis diuisio recensetur.

Explicuimus hactenus vniuersale Metaphysicum, itemque Logicum; quia tamen meminimus quoque vniuersale Physicum; non omittam aduertere hoc nomine à quibusdam intelligi naturam in singularibus existentem suâ quidem affectam vnitate formali. Veteribus autem vniuersale, & genus Physicum prima erat materia; De his tamen plura in Metaphysica.

SECTIO DECIMA SECVNDA.

De vniuersalibus speciatim acceptis: & num quinarius eorum numerus sit approbandus.

Quinarius vniuersalium numerus approbatur.

TAmetsi veterum philosophantium consilio ea tantùm vniuersalia dicenda, quæ de rebus essentialiter enunciantur; ex his autem præcipuè, quæ prædicantur in quid. Alij verò prædicabilium numerum auxerint, addendo scilicet indiuiduum vagum, & definitionem, utpotè quæ de pluribus quoque possunt enunciari; nihil tamen è sententiâ præclarissimorum virorum conformius veritati, quàm quinarius vniuersalium numerus. Si tamen non quod materiale, sed quod formale est, in vniuersali attendas. Hunc numerum ex duplici fonte, nimirum & vniuersalitatis, & prædicabilitatis licet haurire.

Vnde vniuersalium numerus colligi possit.

Ex vniuersalitate hunc ferè in modum. Natura, quæ vniuersalis dicitur, vel in multis est essentialiter, vel ex accidenti. Si primum, vel ut tota essentia, & sic est species; vel ut pars essentiæ, & id bipartitò contingit. Vel tanquam aliquid perfectibile, & sic est genus, vel ut perficiens, & est differentia. Si secundum, nimirum ex accidenti; vel id, quod pluribus conuenit dimanat intrinsecus ab ijs, quibus conuenit, & est proprium, vel ijs extrinsecùs conuenit, & est accidens.

Quantum vt ijs dici in debet contrahibile, sed secùs.

Hic silentio non præteribo, quod superiùs aduerti, nempè genus acceptum veluti partem non benè contrahibile dici, cùm hoc toti potestatiuo conueniat; cuiusmodi non est genus acceptum ut pars, propriè nanque dicitur contrahi, quod habet rationem totius indifferentis ad inferiora plura veluti subiectas partes, quarum comparatione illud dicitur totum potestatiuum, atque adeò vniuersale aptum inesse in multis, & de multis prædicari. Dicendum potiùs sic esse quoddam perfectibile, genus respectu differentiæ, hoc accepto tanquam parte essentialiter constituente non secus ac materia comparatione formæ.

Adæquatam hanc diuisionem intelliges aduertens, per eam omnem modum, quo aliquid potest inesse in multis, omnemque modum quo de multis prædicari queat, exhauriri. De primo iam dictum: de secundo dicendum. Omne enim quod prædicatur, vel prædicatur in quid, vel in quale: priori modo, vel totam dicit essentiam, & est species: vel essentiæ partem & est genus. Si in quale, vel est essentiale, & est differentia: vel est accidentarium, & hoc bifariam. Vel enim prædicatur accidens eggrediens è principijs subiecti, cum quo reciprocatur, & est accidens proprium; vel prædicatur, quod cùm subiecto non conuertitur, & est accidens commune. Prædicari in quid est essentiam prædicari per modum subsistentis: prædicari autem in quale, est prædicari per modum denominantis.

Adæquatam hanc diuisionem intelliges.

Nec ægrè ferendum, si species tota singularium essentia dicatur; tametsi enim essentia in indiuiduo videatur instar materialis partis respectu differentiæ numericæ, non secus ac genus comparatione differentiæ specificæ; Plausibilis adhuc vniuersalis illa partitio in genus, & speciem, ex eo desumpta, quod species totam dicit essentiam: genus autem essentiæ partem; gradus enim singularitatis, naturæ aduenit specificæ, cùm qua singulare constituit, non ob id ad quidditatem, sed ad indiuidui, seu singularis integritatem pertinet; essentia siquidem, & quiddditas est, per quam occurritur quæstioni *quid est*, cui, dum de indiuiduo proponitur, per essentiam fit satis; ut si quæras quid est Socrates, respondetur, homo; at per differentiam numericam satisfit quæstioni *quis est*, ut quærenti quis est ille, respondetur, est Socrates, est Plato &c. Quamobrem non ineptè species tota quidem essentia, & si non tota entitas indiuidui dicenda. Alia autem est ratio generis comparatione specierum; quærenti siquidem, quid est homo, haud benè responderetur dicendo, est animal; hominis enim essentia obscurè sic explicatur; addendum ob id rationale; non igitur genus totam quidditatem speciei, sed partem importat aliâ existente expressâ per differentiam, itaut ex hisce duobus tota quidditas efflorescat.

Alacriùs fortasse quispiam sic argueret. Ad vniuersalia, distinguenda, eorundemque numerum decernendum attendere modum oportet, quo vniuersalia dicuntur; vniuersalia nanque si prout huiusmodi secerni debent, necesse est vniuersalitatis modum respicere; sed genus distinguendo ex. gr. à differentia eo nomine, quòd illud sit essentiæ pars, seque habeat per modum perfectibilis, & contrahibilis: differentia verò per modum partis perficientis, & contrahentis, vniuersalitatis modum non attingimus; hic enim concernit esse in multis potentiâ, vel actu; perperàm igitur generis, & differentiæ petebatur inde distinctio. Obiectio.

Difficultas hæc non exigui momenti nobis infra tractanda, vbi de genere; interim pauca subijciam. Genus vtpotè vniuersale, quamuis totum quoddam potentiale, & vt huiusmodi solùm essentiæ partem importet, quia tamen id præstat insinuando speciem per modum habentis, genus autem per modum habiti, ob id vera prædicatio, quæ alioquin falsa foret. Id porrò confirmatum inde sum arbitratus, quoniam cuiusq; prædicationis veritas in hoc fundatur, ut prædicatum aliquo sit modo idem cum subiecto; dum autem genus de specie prædicatur, sic se res habet, nempè ut prædicatum aliquo sit modo idem cùm subiecto, videlicet in ratione habentis, vnde vera est prædicatio. Ita planè rectè dicimus homo est animal, quoniam animal aliquo modo est idem cùm homine, nimirum in ratione habentis; hic enim redditur sensus, habens rationalitatem, est habens animalitatem; quod non contingit in partibus essentialibus physicis, siue integrantibus, puta cùm dicimus, homo est materia, homo est caput; hoc enim loquendi genere non importatur veritatis fundamentum, nempè prædicatum aliquo modo idem esse cùm subiecto, saltem in ratione habentis, cuius defectu prædicationes illæ sunt falsæ. Sed id ad veritatis prædicationem sufficere inde deprehendes, quòd eadem prædicationes redactæ ad formam insinuantem veritatis fundamentum, verè sunt; ut si dicatur, homo est materiatus, homo est capitatus; perinde enim, ac si diceremus habens rationalitatem, est habens materiam, habens rationalitatem, est habens caput. Difficultas tractanda proponitur. Dilutio. Prædicatio generis de specie quomodo se habeat.

Videtur incò fultò genus à differentia distingui, quòd genus nempè se habeat materiæ instar, differentia verò formæ; propterea quòd vniuersalis ratio per ordinem ad illa plura sumenda sit, quorum comparatione vniuersalis est, itemque sumenda ex modo, quo esse Non benè ab aliquibus assignatur discrimen inter ge-

nus, & differentiam in ratione vniuersalis.

esse natura possit in multis; nam etsi differentia respectu generis, quod contrahit, comparationeque speciei, quam constituit, sic se habeat; ad inferiora tamen relata, per ordinem ad quæ vniuersalis dicitur, non secus, ac genus materialis partis munere fungitur. Si quis tamen ita philosophetur, is in summa rerum ignoratione versatur; non enim differentia eo sensu accepta, quo hic vsurpandam volumus, ut ab alijs prædicabile distinctum constituat, materiæ rationem obtinet; non enim inficiari licet, collatam cùm inferioribus, de quibus dici possit in quid, se habere vel tanquam genus, vel tanquam speciem; rectè enim dicimus, rugibilitatem, hinnibilitatem &c. rationem esse sentiendi; sed tunc sentiendi ratio, differentia nimirum est veluti genus, nec hoc modo sumpta, vniuersale, seu prædicabile de quo est sermo, constituit. Non dissimiliter specifica differentia relata ad numericas, speciei, non differentiæ rationem obtinet; sic rectè dicitur hæc rationalitas, nempè Socratis est rationalitas; at accipitur tunc veluti species, non tanquam differentia, quæ respicit plura, de quibus dici debeat in quale quid; sic enim est velut actus simplex, cuius est perficere, non perfici, nec differentia generis dicenda contrahi per differentias specificas, nisi quatenus genus, cui re ipsâ idem est differentia, contrahitur. Ad eum igitur modum differentia sumenda, prout ad hoc vniuersale pertinet, videlicet vt in quale quid prædicetur de inferioribus suis. Nec omittam, præ oculis habendum, de duobus differentiam dici, & immediatè de subiecto, quod ipsa constituit, & mediatè de inferioribus eius, perpetuò tamen eundem retinens prædicationis modum, videlicet in quale quid; hoc intercedente discrimine, quòd ad subiectum relata vniuersalis rationem non habet; in ordine verò ad eiusdem inferiora, habet.

Id ostenditur.

Quomodo sumenda sit differentia, vt habeat rationem Vniuersalis distincti ab alijs.

Nec multum arridet eorum consilium, quibus videbatur augendus vniuersalium numerus, eam ob causam, quoniam, præter quinque iam inculcata, definitio superfit inter vniuersalia meritò recensenda, quippè quæ de pluribus potest enunciari. Tametsi enim non negandum, definitionem de pluribus posse prædicari, non subinde vniuersalis ratio à cæteris distincta statim ei concedenda; quoniam in decernendo vniuersalium numero, diuersus modus, & quo aliquid potest in multis esse, & quo potest de multis prædicari, est respiciendus. Manifectum autem, peculiarem aliquem modum, quo definitio de pluribus prædicari queat, admittendum non esse; ut enim ipsa genere, differentiaque constat, sic vtriusque prædicandi modum participat, nec alium habet â cæteris distinctum. Nec quidquam refert, quod etiam in specie ex hac vtraque parte compositio recognoscenda sit; hinc enim deducendum tantummodo definitionem non aliud esse vniuersale, vel prædicabile, quàm definitum. Et quamuis genus in generalissimum, & subalternum: differentia in genericam, & specificam partitionem subeat; hinc non proinde prædicabilibus fit accessio, quoniam tam ex parte generis, quam ex parte differentiæ, prædicationis idem retineatur modus, penes quem vis est augendi prædicabilium multitudinem. Nec dicas velim, hoc admisso, adhuc secuturum, insufficientem esse prædicabilium diuisionem, cùm ex parte differentiæ debeat ei fieri incrementum, quòd alius sit modus prædicationis differētiæ specificæ de pluribus numero tantùm, & alius genericæ de pluribus specie differentibus. Falsum enim assumitur, cùm idem sit penitùs prædicationis modus, quamuis diuersa sint ea, de quibus fit prædicatio, sed in re, de qua agimus, non attendendum. Et quamuis vniuersale, & singulare sibi inuicem aduersentur, quòtquè vnum oppositorum dicitur modis, tot etiam & reliquum; quamobrem singularibus existentibus infinitis, sic & vniuersalia; inepta tamen consecutio, innixa effato explicando; illud enim admittendum eo sensu, vt quot sunt significata vnius oppositi, tot etiam & reliqui; negandum tamen, si de suppositorum numero sit sermo. Præterea vniuersale hic definitum est aliquid vniuersale, cùm ipsi vniuersalis definitio conueniat, nullum tamen ex hisce recensitis; aliud igitur ab illis: hinc maior vniuersalium numerus. Aduertendum tamen vniuersale hic definitum esse vnum ex ipsis, siquidem est genus ad illa, denominatiuè tamen, & non formaliter, vt aiunt.

Redarguuntur illi, qui putant augendi vniuersalium numerum.

Definitio non aliud est vniuersale, quam definitum.

Difficultatis præoccupatio.

Solutio.

Dificultas alia.

Perperam autem deducunt esse decem prædicabilia seu vniuersalia, quòd prædicamenta sint decem, non enim idem vniuersale, ac prædicamentum: hoc enim plurium coordinatio prædicatorum: illud quod aptum est inesse in multis; imò nec prædicatum & vniuersale sunt idem.

Pauciora fortasse videbuntur, Aristotelis testimonio dicentis, quatuor esse tantummodo prædicata, genus nempè, definitionem, proprium, & accidens. Alia siquidem prædicati, & alia prædicabilis ratio, quamuis re ipsâ idem; prædicabile nanq; illud, quod de pluribus potest prædicari, itaut respiciat plura, de quibus potest enunciari; sed prædicatum præsefert modum conueniendi subiecto, penes quem Problematis solutio attenditur. Hinc Stagirites modum ibi soluendi propositas quæstiones tradit, in cuius gratiam explicat, qua ratione quidpiam nobis esse genus innotescat, itemque definitionem &c. quæ prædicata esse in quid affirmat, propterea quòd cuilibet quæstioni per istorum aliquid fit satis, vel per aliquid, quod ad illa potest reduci. Nec eo nomine pauciora dicenda, quod genus, & accidens idem re ipsâ videantur, cùm qualitas, & accidens, & genus vna sit. Qualitas enim denominatiuè genus per ordinem ad inferiora sua non secùs ac substantia, quantitas &c. genus dici potest; dicendum tamen accidens prout à substantia secernitur, eidemque inest; & non vt unum ex quinque uniuersalibus. Genus quidem, & differentia in specie inuoluuntur; non subinde mala uniuersalis diuisio, quasi tradita non sit iuxta leges bonæ diuisionis, cum tradatur, per membra quorum unum aliud inuoluit, atque adeò neque hinc pauciora concludendum. Quod enim assumitur, concedere æquum est, si de fundamento sit sermo, ut gradus speciem componentes, metaphysici nuncupati, sunt existimandi; non ita tamen prout suas formales rationes important, vna sic enim ab alia secernitur, cùm alia sit generis, alia speciei, & alia cæterorum ratio itaut nec vna ad alterius formalitatem pertineat; vnde sic inter se discriminantur, ut una non inuoluatur in alia, quò necessariò fatendum, diuisionem ritè traditam fuisse. Tametsi autem communi calculo recepta Porphyriana diuisio ad bimembrem reuocari posse videatur, ut nempè aliud sit prædicabile, quod essentialiter; & aliud, quod accidentaliter dicitur; Satiùs tamen fuit illam retinere, nisi quis insulsè admodum generalibus illis rationibus velit esse contentus. Nec sanè expedebat protrahere diuisionem illam vlteriùs, diuidendo genus in supremum & subalternum: differentiam pariter in genericam, & specificam; sic de proprio, & accidenti. Si partitio nanque tradenda penes speciales modos; quibus uniuersale pluribus inesse potest, non alia erit profectò instituenda diuisio, penitus deficiente institutionis ratione.

Solutio.

Non omnia prædicabilium prædicamenta. Prædicatū & vniuersale idē sunt. 1. Top. Cap. 5. Nec pauciora sunt vniuersalia, quamquam tanta Aristotelis auctoritas. Alia prædicati, alia prædicabilis ratio.

Alia difficultas.

Solutio.

SE-

SECTIO DECIMA TERTIA.

Cuiusmodi sit Vniuersalis in quinque Vniuersalia Partitio.

Opinio ex stultitia inuersa non est quinq; uniuersalibus quidpiam commune, sed tantummodo per quandam analogiam omni prorsus æquiuocatione secluſâ. Nobis tamen oppoſitum probatur, eâ ratione, quod uniuersale collatum cùm illis quinque sic se habet, ut nihil ad generis naturam spectantium desiderandum superſit. De ipſis enim, in quid, secundum idem nomen eandemq; rationem prædicatur; propterea quòd de quolibet eorum enunciari poteſt, esse id, quod aptum est ineſſe in multis, deque multis prædicari, cumque singulorum rationes specie discriminentur, ob id uniuersale comparatione ipſorum, veluti genus habendum.

Sic planè genus existimandum, ut etſi vniuocè de ipſis dicatur, quod ratio generis expoſcit, ei tamen analogia quædam non repugnet, imò conueniat, quæ tamen cùm vniuocatione cohæreat, deſumpta nimirum à perfectionis inæqualitate participata à pluribus, quibus commune est genus; quamuis hoc extrinſecùs ei contingat, ſcilicet à differentijs inæqualis perfectionis contrahentibus. Ita quidem ens, quamuis vniuocè dictum de inferioribus ſuis, hanc ſubit analogiam, cùm perfectiùs ad ſubſtantiam, quàm ad accidens deſcendat; perfectior enim est differentia quâ fit ad illam, quam ad iſtud contractio. Sic itidem animal hâc eâdem laborat analogiâ, quoniam ad hominem perfectiùs, quàm ad animalia bruta deſcendit ob differentias inæqualis perfectionis. Cùm igitur non abſimili modo nobis in re propoſita philoſophari liceat; perfectiùs enim uniuersalis ratio participatur ab ijs, quæ prædicantur in quid, quàm ab alijs, quæ prædicantur in quale, & in his pariter aliqua intercedit inæqualitas; nullius proinde animum ſubeat admiratio, ſi nos hanc illi tribuimus analogiam.

Sed vniuerſale quidpiam vniuocum esse veluti genus ad illa quinque non obſcurè conſtat, inde profectò, quoniam rationes illæ, quibus ea conſtituuntur, nihil vetat, quo minùs in aliquo communi conueniant, non ſecùs ac duo colores ſpecie inuicem diſſidentes in communi ratione coloris; vt igitur ijs genus id foret, in quo conuenirent, ſic & illud in quo prædictæ rationes conuenire dicerentur. At id in quo prædictæ rationes conueniunt est vniuerſalis ratio; hæc igitur erit veluti ratio generis comparatione ipſorum. Vniuerſale proinde ad illa quinque non ineptè dicendum aliquid commune vniuocum veluti genus. Analogia pariter hinc innoteſcit; vt enim id in quo colores conuenirent ſpecie diſcrepantes, ad illos diceretur analogum; propterea quòd per differentias perfectionis inæqualis ad ipſos contraheretur; ſic in re propoſita ratiocinandum. Idque etiam hinc confirmatum exiſtimo, nam ſi formæ quædam reales accidentariæ naturæ conſtituerent uniuerſalia, vtiq; conuenirent in communi vniuerſalis ratione, quòd ſi earum non æqua eſſet perfectio, certè huiuſmodi conuenientia non ſine quadam foret analogia. Cur igitur idem de formis ab intellectu effictis vtpote illis, quibus vniuerſalia conſtituuntur, dicere non licebit? Ratum igitur eſto, quod oſtendendum aſſumpſimus.

Nonnullas tamen difficultates tetigiſſe iuuat. Nihil ſuperius, & inferius eiuſdem comparatione dicendum, vniuerſale autem ut ſic ſi genus foret ad quinque vniuerſalia, id certè contingeret; ſuperius enim eſſet, utpotè genus: foret etiam inferius, quoniam ſub ipſo vniuerſali genus contineretur; generis itaque ratio vniuerſali perperàm adſcribitur. Non inficiandum (& hunc in modum difficultati fit ſatis) idem ſecundum eandem conſiderationem ſuperius, & inferius eiuſdem comparatione vtique eſſe non poſſe: nihil tamen impedimento est, quo minus id variâ, diuerſâque ratione contingat. Diſſimilitudo autem conſiderationum in eo poſita, quod aliquid genus eſſe bifariam accidit; vel denominatiuè, tuncque ratio generis vt modus vſurpatur, atque ita vniuerſale dicitur genus; vniuerſale nanque cùm dicitur genus, accipitur vt quid, quoniam accipitur veluti id, quod intelligitur; genus autem ſumitur vt modus, quoniam accipitur tanquam ratio, ſub qua illud intelligitur. Vel genus ſub vniuerſali contentum dicitur eſſentialiter genus, quod denominatiuè, ſiue vt modus dicitur ſpecies, cùm alioquin ſit genus ut quid.

Reſpõſio.

Si verò arguas, hinc ſecuturum inferius conſtitui ſupra ſuperius, dicendo enim vniuerſale, est genus tunc profectò vniuerſale, quod est ſuperius, ponitur infra genus, quod illi est inferius. Hoc tamen diluere per facile; vniuerſale nanque continet genus eſſentialiter, & viciſſim vniuerſale ex accidenti ſub genere continetur; quatenus poteſt affici modo generalitatis, atque adeò genus vt quid, etſi inferius ſit ad vniuerſale, vt tamen modus poteſt eſſe ſuperius. Vel ſi mauis vniuerſale continet ſub ſe genus, quod est formaliter, & eſſentialiter tale, diciturque ſumptum vt quid, ſed viciſſim vniuerſale continetur ſub genere denominatiuè, genere nimirum exiſtente vt modo.

Secunda difficultas.

Reſpõſio.

Nec vrgeas velim dicendo. Genus non poſſe accidentariâ prædicatione de inferioribus ſuis, nempè ſpeciebus prædicari. At vniuerſale ſic de illis quinq; prædicari, fit inde manifeſtum, quoniam, cùm ſecunda quædam intentio alteri applicatur vt modus; tunc denominatiua, ac accidentaria fit prædicatio; ſed cùm dicimus genus est uniuerſale, tunc vniuerſalitas generi applicatur vt modus; ſiquidem ratio est, ſub qua genus conſideratur. Vniuerſale igitur accidentariâ prædicatione de illis quinque prædicatur vniuerſalibus; vniuerſale proinde minimè genus, comparatione quinque vniuerſalium, exiſtimandum. His tamen nihil conficitur; tametſi enim vniuerſale de illis quinque vniuerſalibus accidentariâ prædicatione dicatur; obſeruandum tamen, cùm vna ſecunda intentio applicatur alteri vt modus, effici prædicationem vtique denominatiuam & accidentariam, dum intentio alteri applicata vt modus inferior ſit, aut diſparata, non autem ſuperior vt cùm dicitur genus est vniuerſale. Et quamuis poſſet quiſpiam ſibi ſuadere, hinc ſecuturum inconueniens, videlicet ſpeciem directè prædicatum iri de ſuo genere; verè ſiquidem diceretur vniuerſale genus est ad illa quinque, inter quæ genus ipſum velut vniuerſalis quædam ſpecies recenſetur. Hinc tamen nullum incommodum, ſi id rectè explicetur; genus enim ſpecies vniuerſalis acceptum vt modus de vniuerſali ſumpto vt quid prædicatur; ſiue genus, quod ſpecies denominatiuè dicitur, de vniuerſali prædicatur. Hic planè illius propoſitionis ſenſus, quâ dicitur, vniuerſale est genus; vniuerſale nanque ſumitur ut quid, genus autem vt modus. Non enim ſecus de vniuerſali, ac de animali prædicatur genus, cùm dicitur animal est genus, denominatiuè ſiquidem admittenda propoſitio, ut reddatur ſenſus, animal denominatur genus. Ita pariter cùm dicitur vniuerſale est genus. Nec abſimili modo occurrendum dicenti ſecuturum ſpeciem vnam diſparatam poſſe

Præoccupatio difficultatis.

Reſpõſio.

Difficultas alia.

Reſpõſio.

Alia difficultas.

posse de alia prædicari; dicere enim liceret; genus est quædam vniuersalis species, hoc idem de differentia, ac cæteris uniuersalibus; cùm igitur species, quædam sit species uniuersalis, quemadmodum etiam, & genus; & verè species de genere prædicetur, propterea quod genus dicitur species vniuersalis; utique species disparata de disparata posset enunciari. His tamen, ac similibus, quâ ratione fieri satis debeat, non obscurum. Cùm enim dicimus genus est species tunc genus accipitur ut quid, species autem ut modus. Species enim de genere denominatiuè tantummodo prædicatur, non secus ac, cùm dicimus homo est species. Nec ob id oppositum de oppositio prędicari dicendum, quoniam de genere species enuncietur, & genus ac species relatiuâ oppositione aduersentur. Tunc enim inter hæc commemorata exercetur oppositio, cùm utrumque eodem modo fuerit vsurpatum, nimirum vel utrumque ut quid, siue essentialiter, vel utrumq; ut modus, siue denominatiuè. Secus si unum uno, aliud autem alio modo fuerit acceptum.

Solutio.

Alia difficultas.

Solutio.

Verumenimuerò diuisionem prędictam in membra non esse proximè sub diuiso contenta, hinc facilè intelliges, propterea quod uniuersale primò eam subit partitionem, videlicet in illud, quod essentialiter, & in aliud, quod accidentariò dicitur, ac prædicatur. Membrum vtrumque denuo partitionem recipit; quod enim essentialiter dicitur, vel in quid, vel in quale, si primum, est differentia; si secundum, rursus bifariam; vel enim dicit essentiæ partem, & est genus, vel totam essentiam, & est species; Si autem accidentariò, iterum diuiditur &c. Nihil igitur, cur quispiam vniuersalis partitionem traditam per membra proximè sub vniuersali contenta suspicetur.

Diuisio vniuersalis in quinque non est proxima vel immediata.

Qua ratione illa

Non dissimulandum tamen à Porphyrio fuisse neglectum accuratiorem hunc diuidendi modum, statim aggressum alterum in illa quinq; Non enim iniuriâ id factum ab eo esse intelliges, quoniam eò collimabat, ut clariùs formalem effectum innueret, quem suis vniuersalitas præbet subiectis, quod certè consequi non potuisset exactiorem hanc partitionem amplexus; cùm communiores illæ, quibus vniuersale diuiditur rationes in essentiale, & accidentarium, obscuriorem præseferat modum, quo huiusmodi intentiones secundæ primis applicentur.

Diuisio

Porph.

Nec propterea plura quàm quinque hinc deducenda, quòd diuidendo vniuersale per generaliores differentias duobus generibus intermedijs constitutis, & postmodum per alias differentias diuisis, eorum augeatur numerus quia uniuersale inter, & quinque iam recensita alia supperterent intermedia. Ijs enim hinc nulla quidem accessio; cùm diuisio sic per membra tradatur, ut quędam superiora sint: interiora quędam atque superiora in inferioribus inclusa numerum cum his augere non possint. Vt essentialiter siue in quid prædicabile cùm genere, & specie ternarium numerum non efficit; quoniam in his illud inuoluitur. Adhuc proinde quinarius uniuersalium siue prędicabilium numerus institutâ diuisione modo iam dicto, retinetur.

Vnius

Quinque autem toties inculcata prædicabilia infimas, siue athomas esse species, palam est. Propterea quod hæc vel illa ratio generis applicata nimirum substantiæ, quantitati &c. itemque species homini, leoni, equo &c. applicata, numericè tantummodo differentiâ secernuntur, quamuis naturæ, quibus applicantur, & genere, & specie inuicem discriminentur.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Singulari, siue Indiuiduo.

Tractatio de singulari ad Dialecticũ etiam pertinet. Eadẽ res diuersa consideratione ad diuersas disciplinas potest pertinere. Ratio cur tractatis de singulari ad Dialecticum pertineat. Cur ad Metaph. Cur ad Dialecticum.

QVamuis Metaphysici partes esse videantur hoc tractandum suscipere, non propterea de hoc in præsentia disserentes Dialeticæ fines præterire dicendi sumus; cùm huiusmodi consideratio non sit ab hac facultate penitus aliena. Sæpè enim vsuvenire solet, vt eadem res consideratione tamen diuersâ ad diuersas Disciplinas pertineat. Vel eo saltem nomine tractationem hanc in præsentia præterire non licet, quoniam tam magna inter vniuersale, & singulare intercedit connexio, vt illud hoc ignorato, clarè atque distinctè cognosci non possit. Quamobrem exantlatis laboribus circa contemplationem de vniuersali; non absre videbimur de singulari tractationem inistituisse.

Sed quâ ratione ad vnum, & quâ ad alium de singulari contemplatio pertineat, etsi huius loci non sit perquirere; non pigebit tamen aliqua breuiter innuere; pluribus tamen omissis, id solùm adijciam, quod eâ ratione, quâ pertinet ad vnum de vniuersali sermonem instituere: eádem quoque de singulari cùm eiusdem artificis de vtroque sit omninò diserere. Ad Metaphysicum quidem de vniuersali, quod Metaphysicum dicitur, pertinet disputatio; quandoquidem eius est substantiam, & accidens meditari, quæ per varias categorias distribuuntur, in quibus linea seriei ex varijs entium vniuersalibus gradibus contexitur; proinde nequit de vniuersali tractationem omittere, cuius perfecta cognitio cùm singularis cognitionem exposcat, de hoc itidem sermonem instituit. Ad Dialecticum pariter logici vniuersalis contemplatio spectat, cùm præceptatradat secundas intentiones adhibendo, inter quas præcipuum obtinet locum vniuersale prædictum; proinde considerandum illud assumit; quia tamen, vt hoc itidem distinctè perspiciatur, singulare considerandum est, ob id in huius etiam considerationem incumbit.

SECTIO PRIMA.

An Quicquid in natura existit, singulare, siue indiuiduum dici debet.

ILlud notandum primùm occurrit, nimirùm voces, *singulare*, & *indiuiduum*, quamuis alioquin synonimas, aliquâ tamen ratione secus se habere; cùm res eadem per ipsas significata, potiùs vnam ex ipsis, quàm alteram sortitiatur, propterea quòd singulare, & indiuiduum dicitur, prout vniuersali opponitur; inde verò oppositionis ortus, quoniam vniuersale pluribus commune est, singulare autem non item; nomine igitur singularis, huiusmodi communitatis innuitur negatio. Sed aliunde pariter singulare opponitur vni-

vniuersali; quatenus vniuersale diuidi potest in plura; quod autem singulare est, diuisionem subire non potest, hinc quod singulare dicitur, indiuidum pariter nuncupatur.

Sed num quicquid est, re ipsâ singulare sit, & indiuiduum, solet in controuersiam vocari. Quid autem de re propositâ sentiendum, paucis ut explicemus, iuuat singularis, & indiuidui multiplicem usurpationem aduertere; Si nanq; sumatur formaliter, vt Scholastici loquuntur, pro eo videlicet, quod ad speciem refertur, sub qua continetur, siue ad vniuersale, cui subijcitur, quodque in categorijs locum habere dicitur; quicquid est, non erit indiuiduum, cùm aliquid in natura existat, quod sub specie minimè continetur, vt Deus.

Verùm si ad vnitatem, & materiam, & quantitatem requiras, ut Stagiritæ placuisse legimus, dum ait *vnum dicuntur, quæ continua sunt*, & paulò post, *est quidem, vt quodcunque dicamus continuatione vnum, esse*. Profectò quicquid est in naturâ, haud vnum numero, seu singulare erit, cùm non pauca supperant, quæ ut ab omni materiæ concretione remota sunt, sic nec mole, nec quantitate constant.

Quòd si forsan indiuidui nomine intelligendum existimes, quod nulli diuisioni sit obnoxium, certè nullum quantum erit indiuiduum, atque adeò hæc indiuidui ratio solùm in ijs locum obtinebit, in quibus nulla materia, nulla quantitas.

Si præterea ad singulare desideretur, vt omnibus sit modis incommunicabile alteri, adhuc nec omne id, quod in uniuerso extat, singulare dicendum, cùm Deus tribus personis communicari possit.

Si tandem pro singulari sit usurpandum id, quod sic unum est, ut commune multis non sit per sui realem diuisionem in plura, quorum quodlibet sit ipsum; hoc utique sensu quicquid in natura existit, singulare est, & vniuersali opponitur.

Hoc inductio suadet. Si nanque Deum respicias, singularissimum reperies; sic pariter quemlibet angelum, quemlibet hominem, quemlibet leonem singulare adinuenies; non enim Deus in plures Deos diuidi potest, nec Raphael in plures Angelos; nec Socrates in plures homines.

Potest aliquod totum homogeneum in similares, quibus constat, partes vtique diuidi, ut aqua in plures partes, de quarum qualibet, ipsa possit prædicari dicendo, hæc est aqua; diuisio tamen hæc totius integralis in integrantes partes, non vniuersalis in singularia.

Nec diuisio est in plura, quorum vnumquodque sit illud primum, quod de omnibus possit affirmari; nulla siquidem aquæ diuisæ pars erit aqua illa, quæ diuisionem subijt; sed comparatione illius perpetuò dicenda pars.

Et ratio quoque suppetit ad id confirmandum; quoniam, quælibet participata natura vel ab internis principijs est singularis, quod ineptè quibusdam probatur: vel de se communis est multis; quod communi sapientum calculo recipitur. Alterutrum dicas concludetur intentum. Si primum nulli dubium: si secundum: æquè etiam clarum; tametsi enim communes naturæ concedendæ sint, quia tamen hæ non sunt à singularibus seiunctæ, sed in ipsis inclusæ, ob id etsi singulares intrinsecùs non sint: extrinsecùs tamen sunt. Quod tam de ijs, quæ re ipsâ: quàm de ijs, quę potentiâ tantùm existunt, æquum est intelligere.

Putabit fortasse quispiam, non esse singulare quidquid in uniuerso existit, cùm aliqua sint, quorum naturis nulla sit singularitatis accessio, unde numerica prouenit multitudo, cuiusmodi sunt remota ab omni concretione mortali, materiæque commercio; hinc enim numerica differentia. Si tamen rem diligentiùs inspicias, longè alitèr philosophandum. Vt enim naturis materiatis: ita & ab omni materiæ compositione seiunctis, singularitatis aduenit differentia; siquidem in vtroq; rerum genere communes dantur naturæ, quæ tantummodo differentijs indiuiduantibus singulares fiunt; nam in carentibus materiâ, communis quoque concedenda natura, penitùs indifferens indifferentiâ priuatiuâ ad singularia plura, & ad numericas differentias, quibus ad indiuidua contrahitur. Et ineptè admodùm concederetur, differentiam numericam à materia desumi. Sed hoc etiam admisso, non subindè contendas, singularia non esse ea, quibus materia deest, siue actu, siue potentiâ in rerum natura versentur; existere siquidem singularium est. Potius igitur singularia essentialitèr forent, itaut in ijs non darentur communes naturę, sed se ipsis singularia essent, quod cùm soli supremo Numini conueniat; impium, vt opinor, alijs ab ipso tribuere. Et quamuis natura quædam communis, in rebus materiâ constantibus de se singularis non sit, cùm id ei non intrinsecùs sed merito differentię adiunctæ conueniat; adhuc vnumquodq; in vniuerso existens singulare dicendum; quoniam etsi natura illa ex principijs internis, & intrinsecùs dici singularis minimè possit, singularis adhuc extrinsecùs est; quod satis superque, ut quicquid in vniuerso est, singulare dicatur. Hoc enim non uniusmodi, sed bipartitò contingit, vel quod se ipsâ res singularis sit, solius Dei proprium, vel ratione adiunctæ differentiæ, quod cæteris omnibus accommodatum est.

Solutio.

Nec aliud in re propositâ præ oculis habendum omittam cùm dicitur; quicquid in uniuerso exstit re ipsâ singulare esse; id enim intelligendum non de singulari prout rationis quendam respectum ad superius importat; singulare nanque sic vsurpatum, haud est in re, cùm huiusmodi respectus sit rationis opus, sed intelligendum pro eo, quod re ipsâ est vnum, cui multiplicari penitùs repugnat.

Verumenimuerò num res omnis existens sit singularis, itaut se ipsâ non sit huiusmodi, sed à principio quodam numericam suam differentiam mutuetur, contentio celebris, in diuina potiùs Philosophia, quàm hic discutienda.

Num res omnis existens sit singularis itaut se ipsa non sit huiusmodi in Metaphysica discutiendum.

Satis interim tamen mirari non possum, quòd in quorundam animos irrepserit opinio, docens numericam differentiam nihil esse præter essentiam naturæ; quasi, ut hęc ex se formaliter est talis, non absimili modo ex se singularis sit, vniuersalisque tantùm per intellectum fiat: assignandumque potius principium communitatis, quàm singularitatis naturæ videatur.

Quorundam error detegitur dicentiũ numericã differentiam nihil esse pręter essentiam naturæ.

Licet enim quicquid in uniuerso singulare sit; nulla tamen creata natura ex principijs internis dici singularis meretur, proindeque singulare, utcunque à naturâ distinctum quidpiam ipsi superaddit; quod indè mihi fit exploratum; quoniam etsi natura determinata sit ad essentialia sui prædicata, non tamen ad indiuidua; ut humanitas determinata quidem est ad rationem sentiendi, & ratiocinandi, non tamen ad Socratem magis, quam ad Platonem. Quod cum ita se res habeat, neminem præteribit, quidpiam esse recognoscendum, unde natura ad hoc, vel illud indiuiduum sui determinationem consequatur. Hac enim de re sentiendum idem, quod de natura generis in ordine ad species dici solet; ita ut paritas hinc optimè desumi possit. Quemadmodum aduertentes genericam naturam indifferentem omninò ad plures variasq; species, cogimur differentias agnoscere, quibus ad

Ratio aduersus illos affertur à paritate desumpta.

Digitized by Google

illas determinetur; sic de natura specifica relata ad individua ratiocinandum.

Ratio altera. Hoc itidem perspicuum inde, quia si differentia numerica naturæ quidpiam superadditum non foret, quinimò in eius essentiali conceptu inuolueretur; profectò ut natura ipsa communis est omnibus, & singulis individuis, itaut de ipsis possit enunciari: non absimili modo natura vniuscuiusque individui sic cæterorum comparatione foret, vt ijs commutis esset; ac de ijsdem posset prædicari.

Ratio altera. Et ut paucis hæc omnia perstringam, ad id ostendendum assumam, quod iturum neminem inficias crediderim, singularia nimirum omnia in aliquo conceptu conuenire; & per aliqua pariter differre. Quod si res ita se habet, quis adeò fatuus, vt præter illam conueniendi rationem, aliam differendi vtcunque ab illa distinctam, vnde singularia inter se discriminentur, non agnoscat? Ratum igitur esto; concedendum quidpiam, atque adeò individuationis principium, vnde natura numero multiplicetur, ac in singularia omnia diuidatur.

Quomodo intelligendum se habere id, quod superadditur naturæ, vt singularis fiat. Id porrò non eò dico, quasi animum ad credendum inducam, per singularitatem physicè aliquid naturæ superaddi. Si hoc enim affirmem, amens sim. Sed quia præter essentialia naturæ principia concedendum aliquid illi superadditum, perfectâ vel imperfectâ mentis præcisione distinctum; vnde eidem in plura numero multiplicatio contingat.

Difficultatis præoccupatio. Quod si fortè quispiam hoc insulsè, ac inconsideratè reuocari putet in controuersiam, cùm per inde videatur, idem ac in dubium vertere per quid res sit res, eo enim quo res est, singularis est, quicquid enim est extra animam, ideò est, quia vnum numero est.

Dilutio difficultatis. Hoc libenter fatebor, dummodo non prætermittatur aduertere duobus id modis contingere, vel intrinsecùs, vel extrinsecùs; priori modo est individuum, posteriori autem, natura, quæ tametsi differentiam numericam in suo formali conceptu non inuoluat, ab ea denominatur singularis, quandoquidem idem re ipsa est cum illa, licet ab eadem, distinctione formali, distinguatur.

Controuersio proposita falsum minime supponit vnde difficultas inde desumpta, diluitur. Neque controuersiam ineptè propositam existimes, eo nomine, quòd falsum supponat, nimirum aliquid indifferens ad hoc, & illud concedi debere per numericas differentias contrahendum; nam hoc vtique falsum, si de positiua indifferentia sit sermo; non tamen à veritate alienum, si de priuatiua id intelligendum velimus; huiusmodi porrò naturam ipsam communem esse, cùm superiùs fuerit luculenter ostensum, non est, cur hic in eiusdem probatione desudem.

Difficultas altera. Eidemq; fit satis. Nec est, cur quis suspicetur secuturum in diuisione per se abeundum esse in infinitum, à quo natura abhorret; cùm rationes per se, ac essentiales in infinitum non abeant: si namque species distribuatur in individua, non per se, sed per accidens, diuisio fit, quandoquidem per essentialia non traditur; ad quod respiciens Stagirites docuit vltimam diuisionem per se, & essentialem fieri per differentias specificas, cùm alioquin vltrò concederet diuisionem per differentias numericas; quia tamen hanc aduertebat esse per accidens, quatenus diuidens est extra rationem diuisi, nec pertinet ad essentiam rei à se constitutæ; propterea diuisionem vltimam appellat illam, quæ fit per differentias specificas.

Difficultas alia. Et quamuis natura dicenda sit vna vnitate reali; malè subinde deducitur esse vnam per se vnitate numericâ, & non per aliquid superadditum. Præter enim vnitatem numericam, alia quoque realis est formalis nuncupata. Mala itidem consecutio, cùm dicitur;

Solutio. Natura per se est formaliter ens, ergo per se itidem diuisa, & vna, & non per aliquid additum, siquidem unitas est passio consequens naturam entis; Licet enim unitas huiusmodi sit, id vtcumque tamen non vsurpandum, sed distributione factâ ex parte vtriusque extremi, itaut talis unitas, tali enti conueniat; satis igitur superque, ut naturæ prout à differentia præcisæ, formalis unitas conuenire dicatur, quamuis numerica unitas intrinsecùs illi consentanea non sit.

Si rursus hoc superadditum videatur de medio tollendum, quoniam illud vel essentiale est, quod planè intolerabile, cùm hinc sequeretur, speciem diuidi per essentiales differentias, atque adeò individua essentialiter differre; vel accidentarium, hoc non minus intolerabile, quoniam individuum foret ens per accidens, atque adeò species nec de illo per se prædicari posset: nec accidens individuo subiecto aduenire, sed potiùs illud constitueret.

Solutio. Illud naturæ additum accidentarium quidpiam profectò, si tamen hoc intelligas nomine id, quod est extra quidditatem naturæ; nec ob id individuum est quid vnum per accidens; nam ex natura & ex eo, quod hoc modo accidentarium tantummodò dicitur, nihil prohibet, quo minùs aliquid per se vnum consurgat. Illud idem additum essentiale aliquid dici potest, hoc nomine id intelligendo, quod intrinsecum est individuo; non proinde tamen naturæ diuisio facta per illud additum essentialis dicenda, cùm illud ad quidditatem specificæ naturæ non pertineat, siquidem hæc tota est individuorum quidditas. Nec immeritò; nam tametsi natura specifica per differentias, individuantes vlteriorem diuisionem subire *possit*; adhuc tamen ipsa tota est individuorum quidditas, & essentia; quoniam huiusmodi diuisio non fit per differentias essentiales ad rei quidditatem spectantes; sed per differentias ad singularium integritatem pertinentes. Cur autem numerica differentia non sit essentialis dicenda, paucis explicabo. Differentia specifica diuidens genus essentialis dicitur speciei, quam constituit; quoniam in eius essentiali conceptu inuoluitur; non propterea dicendum, numericam differentiam essentialem esse quoniam & ipsa pariter essentialem individui conceptum ingreditur; quandoquidem essentiæ nomine præsertim intelligitur cõmunicabilis natura; quamobrem si differentia diuidens genus, speciem constituat, non est, cur quispiam capiatur admiratione, si essentialis dicatur, cùm species adhuc communicabilis sit, differentia autem numerica speciem diuidens individuum incommunicabile prorsus constituit.

Puerile autem illud, ut opinor, quod plerisque aliquid negotij facessit, nempè secuturum, speciem nullam fore specialissimam; vel athomam ut aiunt; quoniam species quælibet esset adhuc diuisibilis. Insulsum quidem profectò; non enim athoma, quia penitus indiuisibilis, sed quoniam in alias species vlteriorem diuisionem non patitur.

Alia solutio. Longè acriùs vrgeretur dicendo; si additum illud concederetur, quò & natura diuideretur in singularia & singulare quodlibet constitueretur, profectò haud inficiandum foret differentiam, quâ constituitur individuum vnum, conuenire cùm differentia, quâ constitueretur aliud; communis igitur illa conueniendi ratio; proinde si quælibet communis ratio aliquo indiget superaddito, quo singularis fiat, etiam & illa ratio communis differentiæ numericæ superadditum quidpiam postulabit, quo ad hanc vel illam numericam differentiam contrahatur, atque determinetur. In infinitum igitur abeundum.

Mi-

Mirum sanè, quò confugerit subtilis quorundam loquacitas, ut propositam difficultatem viderentur dirimere. Nihil tamen facilius, si paulò seriùs in huius contemplationem incumbas. Intelliges enim haud futurum incommodum, si conceptibus mentis nullus præfigatur terminus; tametsi enim intellectui limitatæ naturæ sit: potest tamen nouos eliciendo conceptus in infinitum abire; temerè quidem nulla vrgente occasione, non temerè tamen vrgente.

Singulare, vel indiuiduum bifariam sumi posse perspicuum adeò, vt apud Scholasticos nihil frequentius vsurpatum reperias. Primò prout secundam intentionem importat; secundò pro eo, quod ab hac denominatur. Priori modo sumitur pro secunda intentione attributa illi, cui repugnat, in plura se ipsa, seu in plura eiusdem rationis inferiora diuidi: quorum quodlibet sit ipsum; non secus ac vniuersale diuisionem subire potest. Secundo modo sumitur pro prima intentione; & pro denominato à secunda intentione, quæ in quodam respectu rationis consistit. Iuxta priorem accipiendi modum geminam considerationem admittit; vel nimirum prout habet subijci posse speciei: vel prout habet de se ipso tantùm posse prædicari. Vt autem multiplex est eius acceptio: sic multiplex eius definitio; quæ proinde vna erit, prout indiuiduum in prima, altera prout in secunda intentione consistit; quod & rursus bifariam, iuxta duplicem considerandi modum; nempè prout est inspectum, quatenus speciei subijci potest: vel prout de se ipso tantùm potest prædicari. Ad hæc Porphyrius respiciens tres definitiones protulit, quibus indiuiduum explicari posse putauit. Prima est Ἄτομα δὲ λέγεται τοιαῦτα, ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ἂν τὸ ἄθροισμα, ἐν ᾧ ἐν ἄλλῳ τινὶ οὐκ ἔστι τὸ αὐτὸ γενέσθαι. *Quæ indiuidua nominantur ex eo, quod ex proprietatibus suis, quidque constat, quæ omnes in alio eædem esse nullo modo possint.* Vel vt communiter dici solet. *Indiuiduum est, cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit.* Huiusmodi siquidem definitione quid sit indiuiduum exprimitur, prout in prima tamen intentione consistit. Tales autem proprietates Artificum industriâ, ac diligentiâ carminibus hisce duobus fuerunt comprehensæ

Forma, Figura, Locus, Tempus cum Nomine Sanguis,
Patria sunt septem, quæ non habet vnus & alter

Aliæ autem sunt duæ definitiones, quid indiuiduum sit, prout secundam intentionem inuoluit, exprimentes, è quibus prima explicat illud quatenus prædicabile, hunc in modum τὸ δὲ ἄτομον ἐφ' ὑποκειμένου τοῦ κατὰ μέρος sup. κατηγορεῖται. *Indiuiduum est illud, quod de vno singulorum prædicatur.* Vel vt dici solet: *Indiuiduum est illud, quod de vno solo prædicatur.* Altera exprimit idem prout subijcibile, dicendo περιέχεται μὲν ὑπὸ τὸ μὴν ἄτομον ὑπὸ τοῦ εἴδους. *Continetur igitur indiuiduum quidem sub specie;* & vt dici consueuit. *Indiuiduum est illud, quod continetur sub specie.*

Ex his intelligis, quid indiuiduum sit, modis omnibus vsurpatum; quod clariùs vt innotescat, non piget, discriminis quid intersit inter Indiuiduum, Suppositum, & Personam, afferre. Indiuiduum, quod singulare, vnumque numero dicitur, tale est, quale descripsimus, nimirum illud, cui repugnat in plura inferiora diuidi, quorum quodlibet sit ipsum; siue substantia, siue accidens illud sit. At verò suppositum est indiuiduum substantiæ, non quæcunque tamen substantia indiuidua, seu singularis suppositum est, sed illud tantummodò indiuiduum substantiæ, quod est incommunicabile alteri tam ut quo, videlicet tanquam forma subiecto: quàm ut quod, scilicet ut superius inferiori suo. At verò persona suppositio aliquid addit, nempè quod sit suppositum naturæ, cuius est intelligere. Quamobrem hæc secundum maiorem, aut minorem amplitudinem differunt.

Laborant Interpretes in inquirendo, num per traditas definitiones communis quædam indiuidui ratio explicata dicenda sit; ita videlicet, vt ea, quæ numero differunt præter conuenientiam, quam habent in specifica natura, habeant etiam in ratione indiuidui. Tametsi autem plerique negarint indiuiduum hîc sub aliqua communi ratione describi posse; eam ob causam, quoniam indiuidua prout huiusmodi sunt inter se primò diuersa, vnde contendunt indiuiduum confusè sumptum hîc definiri, videlicet omnia indiuidua immediatè, nullum tamen determinatè; quemadmodum de indiuiduo vago dici solet, non significare rem vnam communem, sed singularem, indeterminatè tamen acceptam.

Quæri solet vtrum per traditas definitiones cõmunis quædam indiuidui ratio explicata dicenda sit.

Nobis propiùs ad veritatem eorum accedere sententia videtur, qui docent, per has definitiones indiuidui singularisue rationem vniuocè communem omnibus indiuiduis, & de singulis prædicabilem in quid explicari.

Auctoris opinio est per has descriptiones exprimi cõmunem indiuidui rationem.

Ea autem ratio, quæ nobis hanc sententiam suasit; quoniam indiuidui generatim sumpti definitio communis est omnibus indiuiduis, commune igitur aliquid vniuocè per ipsam exprimitur. Optima consecutio; non enim aliqua potest definitio pluribus aptari, nisi prout hæc in aliquo communi expresso per ipsam definitionem, conueniant.

Ratio.

Deinde optima illa ratiocinatio, quâ concludimus, Socratem esse incommunicabilem alteri tanquam inferiori suo dicendo, omne indiuiduum est incommunicabile alteri velut inferiori suo, Socrates autem ita se habet, ergo Socrates alteri est incommunicabilis tanquam inferiori suo. Huiusmodi, inquam, ratiocinatio rectè procedit, optimamque continet illationem. At si nihil indiuiduis prout huiusmodi cõmune foret, vitiosa vtiq; hæc dicenda esset argumentatio velut æquiuocatione laborans; fatendum igitur, indiuiduis prout huiusmodi, aliquid cõmune vniuocũ esse.

Et sanè quotiescunque in memoriam redit, indiuiduo vt sic præfigi notas illas quantitatis, *omnis*, *nullus*, *aliquis*; satis mirari non possum, quosdam extitisse, quibus opposita sententia probaretur. Huiusmodi autem notarum appositionem fieri, neminem præterire crediderim, cum cuique perspectum sit, passim hæc vsurpari, *omne indiuiduum*, *nullum indiuiduum*, *aliquod indiuiduum*. Vtque propositum paucis absoluam, ita disputo. Quotiescunque aliqua inter se conueniunt, itaut aliquo modo similia dicantur, fatendum aliquid ijs vniuocè commune esse in quo conueniant, ac similitudinem habeant. Dari autem aliquid, in quo indiuidua conuenire dicenda sint, perspicuum est aduerteti, in eo singula conuenire, quod nullum ipsorum in plura inferiora est diuisibile. Non est igitur, cur quidpiam commune aliquid indiuidui inducatur.

Non dissimulandum tamen, hinc non exiguas difficultates oriri. Si nanque per commemoratas definitiones communem indiuidui rationem explicari affirmemus; haud facilè est dictu, quambenè à Porphyrio definitum indiuiduum fuisse dicendo; illud esse, quod de vno tantum prædicatur, & cuius proprietatum connexio in alio esse non potest. Si quidpiam enim commune est, fatendum quoque de pluribus posse prædicari.

Hæc in re non exiguæ difficultates occurrunt.

Cuiusdã Peripatetici opinio de indiuidui definitione.

Non obscuri nominis Peripateticus putabat, se difficultati satisfacturum aduertendo, indiuiduum spectari posse, vel prout secundam intentionem importat: vel quatenus in prima intentione consistit; priorique modo rursus considerari posse vel secundum prædicationem signatam, vel exercitam. Dicebat igitur indiuiduum, quatenus secundam intentionem inuoluit, de pluribus numero differentibus exercitâ prædicatione posse ad modum speciei prædicari; nimirum de hoc, & illo indiuiduo; at prædicatione signatâ de vno tantùm. Difficultas tamen nondum sublata. Propterea quòd indiuiduum, si rationem habet speciei, sibi vendicabit de pluribus numero differentibus & exercitâ, & signatâ prædicatione prædicari; in hoc enim speciei ratio consistit.

Reijcitur.

Aliorum opinio.

Alij porrò, quibus hæc responsio parùm arrisit, satiùs duxerunt respondere dicendo, quod sicut talis ratio communis indiuiduorum, vt indiuidua sunt, tantummodo communis est vt modus; singularis autem ut quid; ita pariter vni soli conuenit, ac de uno solo prædicatur vt quid, sed de pluribus ut modus tam exercitâ, quàm signatâ prædicatione. Addunt insuper, non repugnare indiuiduum confusè, & inadæquatè cognitum prædicari de pluribus; repugnare tamen prout clarè, & adæquatè cognitum.

Breuius res expeditur.

Breuiùs tamen occurritur aduertendo, indiuiduum sumi posse, vel prout supponit simpliciter, quâ ratione aliquid commune est pluribus: vel prout supponit personaliter, quo pacto non est commune quidpiam. Tametsi autem indiuiduum definiatur in cõmuni, ea tamen definitio intelligenda est illi conuenire, secundum quod personaliter supponit. Vt si quispiam hominem currentem definiendum assumeret; vtcunque hæc definitio foret, illi profectò personaliter supponenti pro hoc, vel illo homine conueniret, prout exercitium cursus huic, vel illi homini conuenit.

Aliæ difficultates supersunt.

Superiori autem difficultate de medio sublatâ, supersunt aliæ; propterea quòd explicandum præterea, qui fieri possit, vt ab indiuiduantibus differentijs communem hîc definitam rationem liceat abstrahere. Si nanque differentiæ sunt vltimæ: necesse est, eas esse primò diuersas; at si commune quidpiam quidditatiuum illis concedatur, in quo proinde conueniant, non erunt certè primò diuersæ, cùm ea tantummodò sic se habeant, quibus vt nihil commune est, sic nihil extat, in quo conueniant. Hinc & earum conceptus simpliciter simplex, ac vltimò determinans non foret; quandoquidem in conceptum communem rursus, & proprium resolui posset. Vt omittam, quòd in infinitum abire cogeremur; differentiæ siquidem vltimæ si in aliquo conueniunt, oportet, vt per aliquid inter se discriminentur, vnde fatendum dari differentias differentiarum; cùmque idem de hisce differentijs vlterioribus dici possit, his propterea nullus præfixus terminus.

Difficultatis. Solutio.

His autem vt occurras, diligenter aduerte, quonam pacto indiuidua in communi indiuidui ratione conuenire dicenda sint, id nanque bifariam contingere; satis exploratum aduertenti, gemino modo dici aliquid posse commune pluribus, atque id etiam in quo plura conueniunt. Vel enim hoc perfectè, vel imperfectè ab ijs, quibus commune, præcisum est. Geminam hanc præcisionem pluribus hîc explicare superuacaneum omninò; hâc enim de re fusiori calamo alibi scripsimus. Indiuiduum igitur commune quidem est omnibus indiuiduis, & hæc in communi quâdam indiuidui ratione conueniunt, sed ita, vt indiuidui ratio ab omnibus differentijs imperfectè præscisa esse dicatur. Hinc tibi perspectum fiet, vt opinor, differentias vltimas esse primò diuersas, earumque conceptum esse simpliciter simplicem, nec vllam suspicionem esse processus in infinitum, itaut hoc inde sequatur absurdum; propterea quòd illa communis ratio haud est perfectè præcisa; adhuc tamen formalem quandam rationem importat, in qua differentiæ ipsæ, à quibus fit abstractio, conueniunt.

Superiori doctrinæ exempla illustrantur.

Quamobrem cogitandum, huiusmodi conceptum abstractum, in quo indiuidua conueniunt, in eum se habere modum, ut indiuidua, sub illa ratione contenta, non per alias differentias indiuiduantes distinguantur; sed quòd clarè ac explicitè concipiantur illa, quæ alioquin implicitè per indiuidui conceptum intellecta fuere. Quamobrem ratiocinandum in re proposita non secus, ac in ente relato ad modos intrinsecos, & proprietates, quibus afficitur, atque etiam ad differentias, quibus contrahitur.

Satis autem exploratum, entis rationem non fieri à modis, proprietatibus, & differentijs secerni, quasi hæc illi quidpiam superaddant, quod per entis conceptum quodammodo saltem implicitè non importetur; dumque omnia illa intelliguntur, noui aliquid intelligatur, quod aliquo modò per entis conceptum non exprimeretur; solum enim ab illis entis ratio præcisione imperfectâ præcisa est, itaut intellectus, dum entis rationem attingit, etiam quidquid sub ente continetur, implicitè quidem intelligat; & dum hæc pariter ipse percipit, clarè, & explicitè solùm intelligat, quod implicitè tantùm attigerat. Idem de re propositâ iudicium esto.

Dubitabit forsan aliquis processum secuturum in infinitum, nimirum in conceptibus; propterea quòd si semel admissum fuerit ab hac, & illâ numericâ differentiâ rationem abstrahi differentiæ numericæ vt sic, in qua illæ conueniant; cùm has necesse sit inter se differre; atque adeò numericæ differentiæ communem rationem per alias differentias contrahi: & rursus ex his differentijs communem differentiæ numericæ conceptum abstrahi, atque sic perpetuò procedendo; quamuis id imperfectâ præcisione contingat, sitque distinctio penes implicitum, & explicitum, vtique sequitur abeundum in infinitum.

Dubitas proponitur.

Hæc tamen acuratè tractando licebit aduertere huiusmodi processum esse tantùm in conceptibus formalibus, non obiectiuis; factâ siquidem illâ præcisione differentiæ numericæ ab hac, & illa numericâ differentia, non inficiandum adhuc in illis conueniendi rationem permansuram. Sed hinc non subinde putandum secuturum incommodum, nempè processum infinitum in abstractionionibus, seu conceptibus obiectiuis; propterea quòd conueniendi ratio perseuerans in illis eadem omninò, quæ semel abstracta fuit; quamobrem si deinceps pluribus vicibus intellectus reflectendo redeat ad illam abstrahendam; in formalibus conceptibus, nullus vtique terminus erit; secus in obiectiuis; quoniam ratio, quæ per subsequentes actus abstrahitur, eadem est, quæ initiò fuit abstracta. At, vt aliàs aduerti, nullum incommodum, si in formalibus conceptibus abeamus in infinitum, siquidem intellectui debet hoc acceptum referri, cui hæc infiniti ratio consentanea est, atque conueniens. Intolerabile quidem hoc in conceptibus obiectiuis, quandoquidem in quouis indiuiduo formales infinitæ rationes admittere cogeremur.

Dubitas proponitur.

Nec illud præteribo, videlicet indiuiduationem dici posse formalem rationem differendi, simulque conueniendi, modo tamen diuerso; nam generatim confusèque cognita, & vt modus, est conueniendi ratio; clarè tamen, ac explicitè perspecta, & vt quid, est

est ratio differendi. Ex quo te non præteribit nullius esse momenti difficultatem, quam plerique inculcant, dum aiunt, formalem rationem differendi haud posse esse rationem conueniendi: indiuiduationem autem esse formalem differendi rationem, ob id per eam non posse conuenientiam haberi. Quid autem sit respondendum, quâque ratione diluenda sit difficultas, ex proximè dictis non obscurum.

Videbitur forsan hæc, de qua loquimur, communis singularis ratio penitus impossibilis; quoniam simul communis, singularisque dicenda foret; communis quidem, quippè quæ omnibus indiuiduis conuenit; singularis autem, quoniam est ipsa singularitas. Neminem tamen admiratio subeat, si vtrumque singularitati concedendum velimus; ipsam certè communem, & singularem, diuerso tamen modo, esse contendimus; est enim singularis vt quid, est communis ut modus. Cogitandum enim singularitatem ab intellectu concipi, & ab hac, & illa singularitate imperfectè præscindi, itaut, quod concipitur, sit singularitas: at concipiendi modus vniuersalitas sit, atque communitas. Vtrumque igitur illi conuenit, ratione tamen diuersâ.

Tametsi autem hæc eadem de pluribus speciebus inter se collatis, quantum ad specificas differentias dici possint; itaut, quemadmodum indiuidua p'ura, quatenus huiusmodi in communi ratione indiuidui, & singularitates in communi ratione singularitatis conuenire dicantur: non dissimili modo plures species, quatenus huiusmodi, quantum videlicet ad differentias specificas, genere quidem neglecto, quod ab ipsis diuiditur, communem habeant rationem, in qua conueniant; nullum hinc tamen absurdum, quòd scilicet id, in quo conueniunt, sit medium quid inter proximum genus, & species; siquidem id, in quo differentiæ conueniunt, non est illis commune ut quid, sed tantùm vt modus.

Hinc etiam alia difficultas diluta; communis enim numericæ differentiæ ratio quamuis per differentias numericas contrahibilis dicatur; non subinde putandum, ei propriè speciei rationem accomodatam esse, singularitatis enim communis ratio, quemadmodum communis vt modus, sic & contrahibilis, & species quoque dicetur vt modus. At species propriè dici non meretur, propterea quòd hæc est species vt quid, atque adeò etiam contrahibilis vt quid esse debet.

Quamuis autem communem illam indiuidui rationem concedendam non immeritò diceremus; non propterea tamen prædicationem hanc, *Socrates est homo*, cogimur esse mediatam affirmare; tunc sanè quando singularitatem, gradum quendam, non gradus modum esse diceremus. Considerandum enim numericam differentiam eandem esse, quæ vniuersim, & quæ determinatè cognoscitur. Communitas igitur modus est, quo res cognoscitur; at mediatio prædicationis, graduum realitatem exposcit. Nec subinde concludas hoc idem de hac prædicatione *Socrates est animal*, quòd ratio hominis, à Socrate, Platoneque non nisi imperfectâ præcisione præscindat. Hominis enim ratio non modus est, sed gradus cui extrinsecus numericâ differentia aduenit, quâuis importans quidpiam implicitè saltem in hominis conceptu inuolutum. Secus autem numericæ differentiæ ratio vt sic, quippè quæ non importat nisi modum, quo numerica differentia concipitur. Vnde enim etiam dicimus Socrates est homo, enunciatur homo de Socrate, non vtcumque sumptus, sed prout numericam differentiam inuolvit; quamobrem nequit prædicatio esse mediata, cum nihil inter hominem ex parte prædicati, & Socratem ex parte subiecti medium existat.

Quòd si forsan adhuc à veritate remotum videatur dari communem illam indiuidui rationem, quoniam inde sit consequens, concipi naturam specificam posse cùm illa communi indiuiduatione; hæc porrò cum natura compositum faceret, quod magnum absurdum; non enim illud commune foret, siquidem natura numerici differentiâ esset affecta; non singulare, propterea quòd indiuiduationis ratio non communis, sed propria esset.

Alia difficultas.

Difficultas hæc diluenda illius neglecto consilio, qui dicendum existimat, naturam conceptam cum illa communi singularitate non efficere vnum quoddam compositum in intellectu, quoniam indiuiduatio non concipitur in huiusmodi statu per modum contrahibilis, atque determinabilis; secus si conciperetur adquatè, atque distinctè, tunc enim vnum quidpiam efficeret, quoniam tunc singularis conciperetur, vt verè in se est. In eo tamen is peccat, quoniam ad compositionem requirit, eam se habere per modum contrahibilis, à quo veritas abhorret. Præstat ob id affirmare, compositum illud commune quidem futurum, & singulare, ratione tamen diuersâ; commune nanq; diceretur, prout supponit simpliciter: singulare verò prout supponit personaliter.

Solutio.

SECTIO SECVNDA.

De Indiuiduationis Principio.

COncedendum aliquod indiuiduationis principium hactenus demonstratum adeo, vt in hoc amplius immorari superuacaneum existimem. Superest itaque tantummodo declarandum id, quod veluti principium indiuiduationis habendum.

Proponitur declarandũ id quod veluti principium indiuiduationis habendum.

Explosâ Nominalium sententiâ dicentium, res omnes esse se ipsis indiuiduas, nõ autem per aliquod superadditũ; constanter affirmandum ab indiuiduo naturæ quidpiam adiungi, cuius merito indiuiduum fiat. Nostrum igitur erit in præsentia, diligenter inquirere, num id in negatione, an in aliquo positiuo consistat; hoc autem concesso, deinceps, quo distinctionis genere id à natura distinctum dici debeat; mox verò & alia, de quibus paulò post differendum.

Aliquid affirmandum indiuidui naturæ adjungi vt indiuiduũ fiat.

Ineptè admodum philosophati sunt, quibus est visum per negationem singulare constitui; & hanc solam naturæ specificæ superaddi, per quam in indiuiduo natura determinetur, duplicem assignando negationem, vnam nempè, quæ est negatio diuisionis in se, vel si mauis, in plura entia: alteram verò, quæ est negatio identitatis cùm alio quolibet ente; nec aliud esse positiuum, à quo indiuiduum sit, quàm efficiens principium, à quo res ipsa producitur.

Quorundam opinio nempè dicentium per negationẽ singulare constitui.

Principium autem de quo loquimur, qui positiuum inficiatur, à Nominalium sententia non recedit; propterea quòd in indiuiduo negationem diuisionis, asserendo indiuiduationis principium esse naturam, ipsam, non improbat. Diuersus igitur tantummodò loquendi modus. At si negare contendit positiuum principium à natura distinctum, solamque negationem esse; dissentit ab illis, insulsè tamen philosophatur.

Sententia eorum eadem est ac Nominalium. Reijcitur.

Concedenda quidem negatio est in indiuiduo, hoc enim non est diuisum in se, nec in plura se ipsa diuidi potest; estque indiuiduum vnum, non est aliud, nec cùm alio indiuiduo est idem.

Concedẽda est negatio in indiuiduo.

Huic tamen negationi positiuum quidpiam supponi Stagirites existimauit, propterea quòd in substantiæ categoriâ docuit, primam substantiam maximè quidem esse substantiam, imò magis, quàm secundam, è

Sed negationi aliquid positiuũ supponitur.

quod

quod certè solius negationis accessione minimè contingit; numericam igitur differentiam communi naturæ superaddere quid positivum arbitrabatur.

Ratio ad id probandum. Nec desunt rationum momenta; negatio siquidem omnis positivum quidpiam supponit. Et certè singulare quodcunque positivum aliquid re ipsâ est, nedum enim importat, quòd non sit plura individua, & quòd non sit vnum ex alijs, sed quòd hoc determinatum sit, vnde quidem est, quod non sit plura, nec sit vnum ex alijs; quòd si res ita se habet, etiam & individuatio, quâ individuum constituitur positivum aliquid erit. Deinde sumendum aliquod determinatum individuum, huic certè ad in plura se ipsa dividi repugnantia conueniet, quę prout negationem divisionis importat; formaliter negatio est; petendum tamen, an hæc repugnantia merito alicuius positivi conueniat, vel non. Si secundum dixeris, illud tibi quoque dicendum, totum esse individui amissâ divisionis negatione, posse divisionem subire, quod prorsus illi repugnat. At si primum; inficiandum non erit positivum illud, quod contendimus. Insuper inspecta natura secundum se, communicabilis est; individuum autem & quidem per singularitatem nequaquam; sed hoc à sola negatione, quæ nihil est, expectari non potest. Incommunicabilitas enim negatio quædam est, quam ineptè proinde dixeris à negatione proficisci. Efficacius etiam sic vrgeo. Communis natura ex se huiusmodi negationem non exposcit, quæ tamen illi re ipsâ, & vt facta est hæc, per se, & intrinsecus conuenit. Additum igitur ei necesse est aliquid fuisse, ratione cuius nunc ei conueniat illa negatio, quæ prius illi minimè conueniebat. Idque inde mihi redditur confirmatum, quoniam nullus fit transitus à contrario in contrarium, nec re, nec ratione, nisi per mutationem aliquam in transeunte factam intrinsecus, vel extrinsecus, merito cuius aliter se habere dicatur nunc quàm prius; quamobrem cum natura accedente individuatione dicatur incommunicabilis, & minimè potens multiplicari, non autem antea; fatendum erit per individuationem aliquid illi superadditum fuisse, à quo hæc ipsa denominatio proueniat; numericam igitur differentiam oportet aliquid positivum esse. Et certè si nullum aliud est negationis fundamentum, quàm ipsa natura; cur, quæso, ante differentiam numericam hæc negatio illi non conuenit? hoc est, cur posito esse naturæ, hęc non habetur negatio? Accedit quòd individua ratione naturæ inter se conueniunt, atque similia sunt; positivum igitur aliquid addendum, beneficio cuius individua discriminentur, cùm hoc per solam negationem haberi non possit, hæc enim in omnibus eiusdem rationis est. Hæc euidentiùs intelliges, si ad animi conceptus eadem traduxeris. Si namque individua inter se comparemus, ac in ijs solam naturam concipiamus, inter se illa conuenire, esseque similia percipiemus; si deinde singularitatem intelligamus, ea inter se differre comperiemus. Dicendum igitur numericam differentiam superaddere aliquid positivum naturæ peculiare, & proprium, & quòd negatio eiusdem sit rationis in omnibus, & quòd hâc de medio sublatâ nulla suppetat ratio, cur individua prius cognoscerentur similia, postmodum autem nequaquam. Præterea cùm dicimus Socrates est homo; nulli dubium quin subiectum in hac propositione aliquid amplius, quàm prædicatum importet; alioquin nihil foret in causa, cur Socrates vt homo de cæteris individuis enunciari non posset, id enim à sola negatione non prouenit, quippè quæ nulla est, nullo fundamento supposito. Nec prętereo, quòd nihil simpliciter alicui conuenit per solam negationem in eo positam: sed potiùs per aliquid ad quod illa consequitur negatio; quod inductio confirmat, nam brutalitatis, vt ita dixerim, negatio homini quidem ob rationalitatem conuenit, cui directè opposita affirmatio, nempè brutalitas obuersatur; sic itidem negatio corporeitatis intelligentijs conuenit per formalitatem quandam, puta; spiritualitatem, cui corporeum esse repugnat; at singulari, nimirum huic homini in plures singulares homines diuisio repugnat, qui huiusmodi sint, cuiusmodi est homo, in quo supponitur diuisio; positivum igitur quidpiam agnoscendum, cuius beneficio radicitus hæc repugnantia conueniat. Nec existimes velim, te hinc euasurum dicendo, per solam negationem posse subiecto repugnare oppositam affirmationem, vt cæco merito cæcitatis repugnat visus. Tametsi enim negatio, siue priuatio potentiam neget proximam, non tamen simpliciter ponit repugnantiam ad actum. At verò diuisionis, vel diuisibilitatis negatio in plura similia simpliciter individuo repugnat, cùm nedum proximam, sed etiam omnem potentiam tollat, ac neget. Et certè ratiocinandum de re proposita non secus, ac de natura specifica, cui repugnat in plures species diuisionem subire; cùmque huiusmodi repugnantia illi conueniat simpliciter, ob id illi non per simplicem negationem, sed per positivum aliquid, hoc est per vltimam essentialem differentiam, quâ constituitur, iure dicitur conuenire. Sic pariter de individuo, propterea quòd illi repugnat diuidi in plura similia simpliciter, & absolutè; hoc enim ab eo remoueri non patitur; proinde huiusmodi repugnantia illi profectò non per puram negationem, sed per positiuam quandam differentiam vltimam, & incommunicabilem conuenit, per quam constituitur, & quam negatio illa consequitur.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Responsio aduersariorum refellitur.

Sexta doctrina magis explicatur.

Nec satis ad id confugere; negationem scilicet hanc diuisionis individuo quidem per aliquid positiuum conuenire; hoc tamen haud esse naturæ quidpiam superadditum, sed naturam ipsam, cui vt in vno est singulari, communicari alteri repugnat. Quis enim non aduertit hoc maximè detestabile; natura siquidem non tam hanc exigit negationem, quàm potius affirmationem oppositam, videlicet communicari pluribus, & in pluribus similibus multiplicari posse? ipsa siquidem, vt in vno est individuo, negatiuè, ac priuatiuè indifferens dicenda, quatenus de se non est hæc. Non igitur huiusmodi negatio pro sui fundamento formale esse naturæ recognoscit. Proinde alia formalitas addenda ex se incommunicabilis, tanquam huius negationis fundamentū. Insuper haud facile dictu, cur individua per aliquid positiuum non seruantur vt species. Quod inde confirmo, quoniam diuidi non posse in inferiora plura eiusdem rationis, est & in Socrate, & in Platone, & in reliquis. Assignandum igitur, vnde negationum istarum, vna sit negatio Socratis, alia Platonis, & reliquorum, quod nunquam decernes, nisi aliquid agnoscas entitatis, quæ se ipsâ sit primò hæc, & ab alia existente in alio, alioque individuo, primò diuersa. Nec omittam, quod species athoma, si per quid positivum, multò magis & individuum constituitur; siquidem vnitas numerica individui propria, longè perfectior specificâ censeri debet. Denique percontanti, cur individuo gemina illa conueniat negatio; vel si mauis, cur ei sic diuidi repugnet; si respondeas ob duplicem illam negationem; non ne vides perinde esse, ac si dicas, non potest diuidi, quia diuidi non potest, quod est principium petere.

Alia aduersariorum ratio ponitur.

Reijcitur.

Septima ratio.

Octaua ratio.

Incon-

Digitized by Google

Prima difficultas soluta.

Inconsideratè autem quispiam animum inducet ad credendum, indiuiduationis principium non aliud à negatione; quod non satis, quid illud sit, intelligat. Illud enim ex paulò infra dicendis non obscurè constabit. Et ineptè adhuc sic arguendo, concludet.

Secunda difficultas.

Quoniam vnitas transcendens adæquatè conuenit enti, solùm addens diuisionis negationem in se, & identitatis cùm alio; quamobrem vnitas quoque numerica negatio videtur diuisionis in plura indiuidua, & identitatis cùm quolibet alio; si igitur indiuiduum formaliter non aliud quàm numericam vnitatem importat, cùm hæc in duplici negatione consistat, vt paulò antea dicebam; consequens est, vt indiuiduum hâc geminâ negatione constitui dicendum sit.

Solutio.

Tametsi autem falsum, quod in argumento assumitur, libenter admitteretur; mala tamen est consecutio, siquidem eodem admisso, non ob id inficiari licet positiuam rationem, quâ species constituatur, quamuis hęc geminam negationem præseferat. Vt omittam, quod iniuriâ quidem asseritur, indiuiduum formaliter per numericam vnitatem constitui, dum hæc per geminam negationem explicatur; rectè quidem per positiuam differentiam, quam vtraque illa negatio comitatur.

Tertia difficultas.

Neque perturbet, quòd specifica natura conceptum habeat obiectiuum realem omninò, proindeque singularitatem inuoluat, cùm nihil reale sit, quod singulare non sit; vnde se ipsâ singularis, non indigebit positiuo quopiam superaddito, quo singularis fiat; sed geminam illam tantummodò negationem habebit adiunctam.

Solutio.

Non, inquam, perturbet; admittendus enim vltrò conceptus realis obiectiuus naturæ singularitatem inuoluens, quatenus illa cùm hac re ipsâ est idem, ac ob id singularis extrinsecùs, non autem intrinsecùs vt indiuiduum. Quod non existimandum per negationem constitui, propterea quòd indiuisio, quâ dicitur tale nil aliud sit, quàm diuisionis negatio.

Tametsi enim illud geminam negationem præseferat, per hanc tamen non constituitur, sed per positiuum illud, quod negatione prædictâ solet explicari.

Quarta difficultas.

Nec tandem positiuum hoc à te negatum velim, tanquam absurdum, quòd absurdum sit geminam entitatem in indiuiduo admittere, naturæ quidem vnam, singularitatis alteram; iniuriâ enim absurdum dicitur, non quod singularitas formaliter ens non inuoluat; sed quod gemina ratio in indiuiduo nobis non probetur, vna quarum ab alia perfectè præcisa sit, scilicet naturæ à singularitatè, imperfecto tamen modo paulò infra explicando.

SECTIO TERTIA.

Quid sit hoc positiuum, quod indiuiduationis principium existimari debeat.

Proponit inquirendum positiuum quod sit indiuiduationis principium.

POsitiuum hoc existentiam non esse, quâ nimirum essentia singularis fiat, siue vtraque actu, siue potentiâ sumatur, hinc tibi persuasum velim, quoniam vtriusque formalis effectus non idem; siquidem indiuiduationis est naturam determinare ad infimum entis gradum, itaut hinc ipsa sit incommunicabilis alteri tanquam inferiori, sitque hæc numero designabilis; at formalis effectus existentiæ, siuè hæc actu siue potentiâ sumatur, communi sapientum calculo perhibetur, vt per ipsam natura reddatur extra causas, actu quidem. si actu est existentia, potestate verò, si eadem potentiâ sit. Ineptè igitur existentia creditur indiuiduationis principium. Efficaciùs etiam sic arguo.

Non ex existentia probatur.

Probatur.

Nequit natura per id singularis fieri, quod singularitatem supponit; at existentia singularitatem ipsam supponit, quod sic ostendo. Existentia est vltimus quidam actus rem extra suas causas, non vtcunque, sed vltimò terminatam ac absolutam, quoad omnem, vltimum quoque categoriæ gradum constituens: non sic autem res absoluitur, nisi per numericam differentiam, hanc igitur existentia suppetit. Vt præteream, asserendo existentiam esse positiuum illud, de quo fit sermo, non fieri quin in eadem naui versemur, cùm adhuc inquirendum supersit, per quid existentiæ ratio tanquam aliquid commune pluribus fiat hæc, & singularis.

Existentia quid.

Difficultas proponitur.

Putabit fortasse quispiam, ob id indiuiduationis existentiam esse principium, quoniam id ita se habere censendum, per quod indiuiduum est generationis terminus; generatio enim ad indiuiduum prout indiuidum terminatur; hoc autem generationem existentiæ ratione terminat; propterea quòd eò generatio tendit, vt communicet existentiam effectui, idcirco existentia indiuiduationis principium rectè dicetur. Siquis ita ratiocinetur, in eo meâ sententiâ peccat, quòd arbitratur, existentiam esse generationis terminum, cùm hic potiùs sit indiuiduum existens, quod duo quidem dicit, & naturam vltimò completam, ac absolutam per singularitatem, hoc est indiuiduum: & existentiam iam indiuiduum constitutum comitantem.

Proposita difficultas diluitur.

Quod si rursus in ea sententia persistens dicat, Id sibi vendicat rationem differentiæ numericæ, per quod indiuiduum ab indiuiduo re ipsâ distinguitur; at existentiam sic se habere perspicuum est, propterea quòd hoc distinctionis genus inter actu quidem existentia exercetur. Redigendum id in memoriam, de quo cumulatiùs in primâ disserendum Philosophia; videlicet principium distinguendi indiuiduum vnum ab alio reali distinctione, quæ entitatiua dici mereatur, numericam esse differentiam, existentiâ tamen affectam; non enim existentia distinguit, sed distinctionem comitatur, itaut ex diuersis existentijs realem distinctionem liceat arguere.

Difficultas alia.

Diluitur.

Ampliùs nec id suaderi potest ex eo, quòd existentia re ipsâ cùm vna fuerit res vna est indiuidua: eâdemque multiplicatâ, res ipsa multiplicatur. Non enim hoc vtcunque sufficit, sed opus est ad formale indiuiduationis principium, vt eo quidem vnico existente res primò sit vna, & eo itidem primò multiplicato, res primò multiplex fiat, quod existentiæ minimè accommodatum est, siquidem hæc rem tantummodò comitatur.

Tertia difficultas.

Soluitur.

Et ineptè quoque concludes intentum hoc modo; Oppositorum oppositæ sunt rationes: vniuersale autem, & singulare inter se opponuntur; eorum igitur rationes erunt oppositæ, sed vniuersale fit ex eo, quod natura in intellectu seiuncta quidem ab existentia reluceat; eadem igitur singularis fiet, quatenus existentiâ redditur affecta.

Quarta difficultas.

Occurritur.

Hoc tamen nihil est: non enim vniuersale, & singulare eâ tantùm ratione opponuntur, sed aliâ, & quidem ex parte singularis, si cùm hoc re ipsâ fuerit: existentia quoque re ipsa comitetur id, per quod singulare constituitur. Quòd si præterea tibi videatur indiuiduum per existentiam constitui, quoniam vltimus actus est, qui distinguit; atque adeò constituit, vt rectè Stagirites dicebat; Aduerte actum bifariam vltimum dici; vel quia vltimum locum in serie graduum ad integram categoriam spectantium obtineat, cuiusmodi est numerica differentia: vel ita, vt absolutè sit vltimus, atque postremus, vt existentia; Verumenimuero non hic, sed ille constituit, atque distinguit.

Vltima difficultas. 7. Diuin. Tex. 49.

Propositæ difficultati fit satis.

Existimantes indiuiduationis principium esse existentiam, modo loquuntur diuerso; siquidem pleri-

Digitized by Google

duationis principij existentiæ esse non eodem modo loquuntur.

plerique crediderunt illud esse formale principium: alij autem se habere tanquam radicem, ex qua numerica differentia proficiscatur; hucusq; difficultatibus de medio sublatis circa priorem explicandi modum. Nunc ad secundum deuenio. Indiuiduatio non ingreditur esse rei, cùm potiùs illud consequatur; existentia ingreditur, ac illud vltimò complet; vt ob id res vnaquæque merito possibilis existentiæ agentis viribus substernatur, & beneficio existentiæ actualis terminus illius constituatur; indiuiduationis igitur existentia radix immediata censeri debet, adeò vt indiuiduatio possibilis rem potentem existere: & quæ actu est rem actu positam consequatur. Tametsi autem indiuiduatio dicenda sit extra indiuidui quidditatem in solis prædicatis specificis consistentem: pertinet tamen ad illam veluti differentia constituens indiuiduum cum specifica natura in vltimo esse determinabili intra seriem graduum ad categoriam integram pertinentium. Secus existentia, quâ singulare non constituitur, nec ad intrinsecum eius conceptum pertinet, cùm sit veluti modus quidam intrinsecùs spectans ad esse rei: non autem quoniam illi nouum quendam gradum è spectantibus ad esse rei conferat; sed quoniam illud esse reddit in actu, facitq; re ipsâ esse, quod erat potentiâ. Nec tibi suadeas intentum, quia natura solum inspecta secundum essentialia principia neglectâ existentiâ, apta inesse multis, atque adeò ab indiuiduatione redditur præcisa: positâ autem existentiâ redditur incommunicabilis, & in se sic indiuisa, vt à quouis alio diuisa sit. Falsum enim assumitur puta naturam inspectam secundum essentialia principia ab indiuiduatione omninò præcisam esse, cùm nihil prohibeat, quo minùs præscindatur natura ab existentia, nullâ factâ præcisione ab indiuiduatione; eo vel maximè si existentia re ipsâ sit. Non inficiandum quidem naturam inspectam secundum essentialia principia non inuoluere numericam differentiam, atque adeò ab hac sic illam esse præcisam; non inde tamen necessariò fit, vt intellectus concipiendo naturam secundum principia essentialia, non possit etiam concipere numericam differentiam; sic itaque distinguendum; Inspecta natura secundum essentialia principia tantùm, vtique à differentia numerica præcisa est, quoniam hæc inter illa locum non obtinet. Absolutè tamen si id intelligatur, negandum omnino, cùm nihil prohibeat naturam cognosci simul secundum essentialia principia, & secundum numericam differentiam. Nec multum habet momenti, quod à quibusdam obijcitur, nimirum quicquid existit indiuiduum est; & quod non est indiuiduum, nequit existere: tuncque productio communicans actu esse, facit existens, cùm esse indiuiduum communicat, non aliam ob causam, nisi quoniam, dum res ad existentiam, ad esse pariter indiuiduum determinatur; quod certè non contingeret, nisi proxima indiuiduationis radix existentia foret. Hoc tamen ex hactenus dictis, quàm sit inefficax, petendum; nihil enim potest existere, nisi sit indiuiduum; non quod existentia indiuiduum formaliter constituat, sed quòd veluti modus illud necessariò comitetur. Si tamen opinionem aduersam eâ ratione concludas; quoniam vnitatis numericæ fundamentum est vltima ratio, quæ rem in esse constituit, huiusmodi autem existentiam esse, non leuis est coniectura; hæc igitur eius fundamentum, & radix. Falsis autem principijs innixa consecutio mala; falsum enim, existentiam esse numericæ differentiæ fundamentum, cùm hoc potiùs sit esse indiuidui: falsum itidem rem in esse suo per existentiam constitui, quasi hæc gradum aliquem è spectantibus ad integram categoriam largiatur, cùm potiùs sit modus quidam vt superius est explicatum, quo nimirum aliquid re est, cùm ea actualis fuerit: redditurque possibile, cùm eadem possibilis exstiterit.

Prior explicandi modus hucusque reprobatus.

Secundus assumitur reprobandus.

Prima ratio aduersariorum.

Propositæ difficultati fit satis.

Secunda difficultas.

Dilutio difficultatis.

Tertia difficultas.

Dilutio difficultatis.

Quarta difficultas

Difficultatis dilutio.

Ex aliorum sententia indiuiduationis principium sunt accidentia, quod bifariam intelligunt. Primò quidem vt accidentium tota collectio vniuersè, quæ singulis substantijs insunt, cui pariter extrinseca quædam adnectuntur, formale sit eius, in quo reperitur, indiuiduationis principium; quod nedum de materiatis substantijs, verùm etiam de illis, quæ cum materia nullum commercium habent, intelligendum volunt; siquidem ijs accidentia pariter insunt, consentanea tamen earum naturis; quod adeò verum, vt etiam accidentium indiuidua ad hanc controuersiam pertineant; non enim desunt, quibus placuerit, omnia quidem, accidentibus quoq; comprehensis, vt sunt qualitates, insuper, & intellectus, & voluntatis operationes, indiuidua reddi per ordinem ad has numero causas, loci, temporisque circumstantias, in quibus primò producuntur. Secundò itidem licet disputationem inire de peculiari quodam accidente, nimirum de quantitate, quam plerique principium indiuiduæ substantiæ omnino esse contendunt. Quod certè de substantijs tantummodò materiatis, velut illis, in quibus quantitas suam habet sedem, disputatio tractari potest.

Ex quorundam opinione principium indiuiduationis sit accidentia, quod duobus modis intelligunt.

Nobis porrò nec accidentium collectionem, nec ordinem ad extrinsecas circumstantias indiuiduationis esse principium, hæ rationes suadent. Substantia à toto genere naturâ prior est quouis accidente; rectè propterea hinc deducitur substantiam indiuiduam præire cuilibet accidenti, atque adeò per nullum accidens inuiduam reddi posse, nisi admittendum putes, idem eiusdem comparatione prius, atque posterius esse posse.

Nec accidentium collectionem, nec ordinem ad extrinsecas circumstantias indiuiduationis esse principia.

Quòd si fortè confugias ad illam substantiæ partitionem in secundam, & primam, simulque dicas substantiam secundam, vel quod in idem recidit, communem substantiam esse priorem quouis accidente, primam tamen non item. In hanc profectò difficultatem incurres, quod substantia, vt paulò antea monuimus, à toto genere accidens quodlibet antecedit, vnde singularis quoque substantia quodcunque debebit accidens anteire; adeò nimirum, vt substantia communis, accidens commune: substantia verò singularis quodlibet accidens antecedat. Aliud pariter accedit, quod quandocunque aliquid est prius altero, maximè primum illius, est prius ipso; at maximè substantiæ primum est prima substantia, ergo simpliciter hæc omni accidente prior erit.

Prima ratio, qua ostenditur nullum accidens indiuiduationis circumstantiæ principij esse.

Aduersariorum responsio.

Reijcitur.

Confutationis confirmatio.

Nec te facturum satis existimes dicendo substantiam esse priorem accidente in essendo, vt aiunt, non tamen in eo quod est indiuiduum reddere. Hoc enim modo, toto quidem aberras cælo; si prima enim substantia naturâ prior est quolibet accidente; prima enim nempè hæc, esse non poterit per vllum ex accidentibus, cùm hæc ad illam consequantur. Nec omittam, quòd omnis causa naturâ præcedit effectum; atqui substantia subiectum, & causa est accidentium, & certè substantia singularis accidentium singularium subiectum, & causa est; quamobrem singularis etiam substantia singularia debet accidentia natura quidem anteire; nequit igitur singularis per accidentia reddi.

Alia aduersariorum responsio.

Reijcitur.

Confutationis confirmatio.

Quidam his intellectis mordicùs tamen adhuc propriam sententiam tuentes occurrere conati sunt dicendo. Tametsi, quod est in substantiæ categoria sit prius simpliciter, alijs quibusdam spectantibus ad cæteras categorias, præsertim autem in genere materialis

Quædam responsio.

causæ,

Digitized by Google

causæ, propterea quòd substantia est primum subiectum accidentium; aliqua tamen conditio, sine qua individuum simpliciter in categoria non est, potest prior esse substantiâ, vt redditâ singulari in genere formalis causæ, etsi sit alterius categoriæ. Ita quidem inquiunt, signata materia causa est quantitatis in genere materialis causæ, ac individuationis ipsius; quantitas verò causa est materiæ signatæ, eiusdemque individuationis in genere causæ formalis; addunt insuper, nullum inconueniens esse putandum, causam in suo obeundo munere ab effectu, non vt huiusmodi se habente, sed vt à causa secundum aliud causæ genus pendere; cùm nihil prohibeat, quo minus effectus sit causa suæ causæ, dummodò id in diuerso genere causæ contingat. Hæc frequenter, insulsè tamen, vsurpant; singularitas enim non est sola conditio, sed vera, ac propria ratio, per quam prima substantia veluti per differentiam constituentem ad substantiæ genus dicitur pertinere. Et quamuis hoc vltrò concederetur, non ob id difficultas de medio sublata foret; nunquam enim effectus largitur alicui conditionem penitus requisitam ad hoc, vt is ab eo pendeat; alioquin idem à se ipso penderet, esset que prius, posteriusque se ipso. Cùm igitur accidens pro sui materiali causa substantiam recognoscat; profectò non poterit huic ad munus obeundum, conditionem, vt singularitas est, præstare. Et intolerabile prorsus in exercitio suo causam ab effectu pendere, vtcunq; id explicetur; quoniam tunc perpetuò concedendum futurum idem realiter, ac essentialiter prius, itemque posterius eiusdem comparatione.

Adjicitur.

Hoc idem hinc mihi quoque confirmatum redditur. Substantia prior naturâ est quouis accidente; non igitur intrinsecus illi repugnabit, accidente quocunque destitui; proinde, si foret singularis per aliquod ex accidentibus, vel si mauis per collectionem omnium; individuum substantiæ, ex non hoc, fieret hoc, citra quanlibet substantialem mutationem, quod quam ineptè sit dictum, neminem, arbitror, præterire.

Secunda ratio ad conclusionem ostendendam.

Nec aliud omittam summoperè considerandum, quòd dum affirmatur individuam substantiam fieri per accidentia; intelligi id profectò haud potest de accidentibus proprijs naturam omninò, ac necessariò comitantibus, hæc enim primò naturæ insunt; vtque potest natura pluribus communicari, sic & accidens proprium; de communibus igitur accidentibus id vsurpandum, quæ primò singularibus insunt; per hæc autem communibus naturis. Quòd si res ita se habet, quis adeò insipiens, vt eum prætereat, rem singularem à communibus accidentibus, siue absolutis, siue relatiuis præsupponi? Et parùm admodùm refert accidentium huiusmodi collectionem sic alicui naturæ singulari addictam esse, vt absque illa nequeat hæc subsistere: vel vt in pluribus singularibus naturis adinueniri non possit; hoc enim necessario nexu concesso, non inferendum subinde naturam ipsam per huiusmodi accidentia, vel eorundem collectionem fieri singularem; propterea quòd hæc omninò illi supponitur.

Tertia ratio.

Obiectio.

Et quamuis individua substantiæ, non accidentibus, sed potiùs differentijs ad ipsum substantiæ genus attinentibus inter se differe, sancitum à nobis fuerit; nullâ tamen necessitate coacti decernimus hæc eadem individua inter se essentialiter discriminari. Satis enim est exploratum, substantiam spectari posse, & vt ipsa quidditatem substantialis naturæ secundum communem rationem importat; & prout differentiam individualem inuoluit, quæ quidem extra rationem eius formalem esse perhibetur. Acceptâ autem substantiali differentiâ, prout dicitur à substantia iuxta priorem vsurpationem; fatendum quæcunque differunt differentia substantiali, essentialiter differre; sic porrò differentiâ numerica substantialis non erit; sumptâ autem differentiâ substantiali à substantia secundo modo accepta, numerica differentia substantialis erit. Non admittendum tamen, quęcunque differunt differentiâ substantiali, essentialiter itidem differre; & quidem essentiæ nomine constat, intelligendam naturam pluribus communicabilem, ac ob id, essentialem differentiam esse non posse, nisi illam, quâ huiusmodi natura constituitur. Ex his non obscurè constabit numericam differentiam haud essentialem esse dicendam; propterea quòd communicabilem naturam non constituit, quinimò incommunicabilem reddit; atque adeò individua non essentialiter, sed materialiter tantùm, vt aiunt, inuicem secerni, quòd natura singularitate affecta, materia consueuerit nuncupari; nec immeritò, nam vt hæc formis omnibus substernitur, sic & illa superioribus omnibus prædicatis subiacet.

Consectarium.

Prima ratio.

Supereſt ostendendum paucis, rem per ordinem ad has numero circumstantias extrinsecas, agentis, subiecti, loci, temporis &c. individuam reddi non posse. Quodlibet enim ipsorum indifferens omninò est, vt agens est indifferens adhoc vel illud individuum producendum. Non absimilem indifferentiam in subiecto, loco, tempore &c. adinuenies; eorum igitur nullum, penès quod huiusmodi determinatio effectus numerica attendi possit.

Aduersariorũ responsio, eiusque confutatio.

Occurres, ni fallor, de omnibus illis disiunctim, non tamen collectim acceptis, ita sentiendum. Inanis planè responsio. Vel enim sunt singulares per proprias differentias, ita vt ab ijs collectim acceptis rem individuam fieri arbitreris: vel singulares euadunt ob illam collectionem, combinationemue mutuam inter se.

Secundum ne dicas, propterea quòd vt singulæ circumstantiæ ante combinationem, sic post eandem cõmunes forent; non enim per combinationem singulares fierent.

Tum quia formalis combinationis effectus haud est singulare, sed combinatum reddere; tum quia commune quidpiam nequit aliud determinare; & ob eandem rationem huiusmodi conditiones etiam vt combinatę non poterunt id, cui aduenium, reddere singulare: quoniam nullum commune alteri communi additum, potest id, cui additur, singularitatem præstare. Quod si primum admiseris, factus est, id de re ipsâ, quàm de circumstantijs dicere.

Aduersariorũ ratio affertur.

Perperàm autem aliquis in eam sententiam abiret vt vnumquodque per ordinem ad has numero causas, circumstantias, temporis, & loci, in quibus id primò producitur, singulare fieri existimaret, eâ ratione, quoniam alioquin nulla supperetet causa, cur naturæ viribus forma corrupta denuò produci non possit; supperet autem, si per ordinem commemoratum id fieri dicatur, quia dum fuerit huic numero tempori alligata, non potest eadem naturæ viribus iterum produci, cùm huiusmodi viribus nequeat illud instans iterum reparari. Ratio hæc certè nulla, non enim intrinsecus ei repugnat viribus naturæ denuo produci, sed extrinsecùs tantùm, quatenus naturæ auctor ob singularium varietatem in Vniuerso consequendam decreuit, semel tantùm ad eundem numero quidem effectum præstare concursum suum. Et certè sic esse philosophandum intelliges aduertens, futurum, vt si illi repugnaret intrinsecus iterum produci, nec etiam superioris ordinis viribus id fieri posset.

Eidem fit satis.

Suspicio forsan de quantitate per se accepta supe-

Quantitas nequit el-

Digitized by Google

se individuationis principiū.

esset, quæ videri posset individuationis principium. Hoc tamen ex hucusque traditis ab omni veritate penitus alienum cuique satis perspectum, ac exploratum. Cum enim superius ostentum fuerit nullum accidens vniuersè idoneum esse principium individuationis substantiæ, nec etiam per quamlibet collectionem accidentium substantiam individuam reddi posse, consequens fit, vt neque quantitas ipsa tale principium esse possit.

Prima ratio.

Et loquendo de substantiali natura, facilè conuincitur per nullum ex accidentibus, individuam reddi posse, ac proinde neque per quantitatem. Differentia enim numerica, individuo substantiæ, vt potè Socrati, substantialis est; nam species, puta homo, sub qua Socrates continetur, substantialis est, ac proindè contrahi non potest ad individuum sub ipsa contentum per aliquod accidens, ac ob id non per quantitatem.

Secunda ratio.

Hoc etiam suaderi potest ex eo, quòd substantia prima non habet entitatem suam individuam à quantitate, ergo nec etiam vnitatem, quæ ipsam comitatur; optima consecutio; assumptum verò probatur indè, quoniam infimus gradus substantiæ cuiusmodi est singularitas, est substantialis, idcirco quantitas illum præstare non potest, cùm accidentariæ naturæ sit.

Aduersarioꝝ respōsio.

Tuentes autem quantitatem aliquo modo ad substantiæ individuationem concurrere, adnotare solent ad individui rationem duo desiderari, quorum primum atque præcipuum, quod nempè sit incommunicabile multis: secundum verò, quod sit ab alijs numero distinctum; inquiunt ergo quantitatem esse principium individuationis, quatenus individuum esse distinctum ab alijs habet à quantitate; atque adeò cùm dicitur eam esse principium individuationis substantiæ, dicunt id non sic intelligendum, quasi quantitas tribuat illi esse intrinsecum individuale, cùm hoc substantia habet ex vi proprij esse: sed quia quantitas individua distinguit ea, quæ existunt; cùm enim omnia eiusdem rationis sint, non nisi merito quantitatis distingui possunt.

Confutatio.

Temerè autem difficultati occurrunt; dicentes enim individuum per aliquid spectans ad substantiæ genus in suo esse, nimirum individuali constitui, non erit cur inficientur individuum substantiæ per illud idem à qualibet alia individua substantia numero distingui, cùm eadem principia sint, quibus res constituitur, & quibus ab alijs distinguitur; à quo enim res habet, vt constituatur in suo esse, habet etiam, vt à cæteris distinguatur, quod vniuersè in omnibus locum habet.

Tertia ratio.

Substantiæ individuum, substantialiter differt ab alio individuo substantiæ, vt notum est; ergo non per quantitatem, à qua tantùm accidentaria differentia potest oriri.

Quarta ratio.

Considerentur duo individua substantiæ; certum est esse substantiale vtriusque naturâ præcedere quodlibet accidens, ac proindè quantitatem; aut igitur esse substantiale vnius in illo priori naturæ, atque adeò ante quantitatem numero distinguitur ab esse sustantiali alterius, & sic habeo, quod volo; aut dicitur non distingui, ac ob id illud esse substantiale non esse vnum numero siue singulare; cùm autem illud sit, quod recipit, & sustentat quantitatem, sequeretur quod non est vnum numero, & idcirco singulare posse recipere, & sustentare, quod est absurdum; siquidem vt singularis est agere, ita singularis est recipere, & sustentare.

Quinta ratio.

Id etiam veritatem hanc summoperè demonstrat, quia generans prout huiusmodi quouis alio proscripto distinguitur numero quidem à genito, cùm nihil possit se ipsum gignere; at generans quatenus tale non includit quantitatem, tanquam proprium principium generatiuum: nec etiam genitum quatenus tale quantitatem inuoluit, veluti per se formalem generationis terminum; ergo vtrâque secluså quantitate, nimirum generantis, & geniti, substantia vnius numero distinguitur à substantia alterius. Hoc autem abundè redditur confirmatum, ex eo quia substantialis generationis terminus omninò substantia est; at si substantiale individuum in suo esse per quantitatem constitueretur, substantialis generationis terminus non foret substantia; sed formalis terminus esset quantitas, adæquatus verò id, quod ex quantitate, & substantia coalesceret, quorum neutrum substantia, cùm primum accidens sit, secundum verò aggregatum ex accidente, & substantia. Et hinc altera confirmatio, quoniam substantialis generationis terminus est aliquid per se vnum, cuiusmodi non est illud constans ex substantia, & accidente, siquidem ex his vnum quidpiam per accidens efficitur.

Confirmatio.

Altera confirmatio.

Præterea sic licebit arguere. Individuationis principium id esse debet, quod facit distinctionem numericam plurium sub eadem specie, dividendo communem naturam in plures eius subiectas partes, hoc est in individua. Ad hoc autem inepta quantitas esse videtur; quantitas igitur haud esse poterit individuationis principium. Sed ad id minimè quantitatem idoneam esse tibi persuasum erit, si diligenter attendas: quod est alicui diuisibilitatis ratio, eidem inesse veluti huiusmodi diuisione diuisibili; quod adeò perspicuum vt non sit opus in eius probationem incumbere. Neminem autem fugit quantitatem haud inesse formaliter speciei, seu toti vniuersali, quatenus hoc est diuisibile in sibi subiectas partes, siue inferiora; non est igitur quantitas ratio illa, à qua huiusmodi totum habeat, vt in commemoratas partes, seu inferiora diuidi possit. Assumptionem porro facillimum est suadere; quoniam totum vniuersale, quod in subiectas diuiditur partes, vtique prædicatur de qualibet earum prædicatione dicente hoc est hoc, itaut ipsarum, quælibet sit totum ipsum; at partes à quantitatis diuisibilitate prodeuntes, nimirum illæ, in quas fit diuisio totius quantitatis continuæ, non ita se habent; nulla enim ipsarum est totum diuisum.

Sexta ratio.

Neque dicas velim, totum homogeneum prædicari de singulis partibus, vnde si totum sit aqua, diuidaturque in hanc, & illam aquam, vtique totum scilicet aqua de hac, & illa prædicatur aqua; cùm liceat dicere hæc aqua est aqua, & illa aqua est aqua; nullum igitur discrimen inter partes quanti, saltem homogenei, & partes subiectas vniuersalis. Non inquam id dicas velim, quoniam frequenter euenit, vt geminatio totius sit in eas, quibus constat, partes diuisio, itaut vna sit totius quanti in partes integrales: altera verò totius communis, & vniuersalis in partes subiectas. In prima autem diuisione diuisum est totum ipsum quantum integrale prout huiusmodi: proindèque de partibus diuidentibus enunciari nequit in recto; non enim pars totius integralis est totum illud, quod diuisionem subijt, vt hæc aqua non est tota illa aqua, quæ supponitur fuisse diuisa. At in posteriori diuisione diuisum est totum commune, ac vniuersale; membra verò dividentia sunt subiectæ partes, seu inferiora, in quibus tota diuisi natura continetur; vnde est, vt de ipsis possit in recto enunciari. Ita quidem hoc diuisionis genere dividitur animal in hominem, & brutum, quorum vtrumque animal est. Ita philosophatur naturæ subtilissimus Interpres, qui pariter

Aduersarioꝝ respōsio.

ex

ex dictis infert diuisionem totius quanti in eas, quibus constat partes integrales alterius esse rationis à diuisione totius vniuersalis in partes sibi subiectas; proindèque diuisum primæ diuisionis quatenus huiusmodi, alterius esse naturæ à diuiso secundæ diuisionis, quod etiam de partibus diuidentibus licet intelligere.

Septima ratio.

Alia etiam accedat ratio in eo quidem posita, quòd conditio, quæ simpliciter necessaria est in terminante, realem dependentiam alicuius, nequit esse ab ipso dependente: at verò quantitas est ens reale dependens realiter, & essentialiter à materiali substantia; ergo non poterit esse conditio, quâ substantia terminet dependentiam quantitatis ab eadem ipsa substantia; ergo non poterit esse singularitatis ratio; siquidem hæc est conditio, quâ substantia terminat dependentiam quantitatis à se ipsa. Maiorem propositionem indè mihi suadeò; quoniam dependens alioquin esset causa, quâ terminans, dependentiam eius terminaret, ac ob id dependens à se ipso penderet; secunda verò consecutio rectè probata fuit, quia singularitatis ratio conditio est, quâ substantia terminat quantitatis dependentiam à se ipsa; propterea quòd terminare dependentiam nihil potest, nisi singulare sit; id enim causa supponit in exercitio, hoc autem ex parte causæ singularitatem prærequirit.

Octaua ratio.

Tandem non omittam, quod in re, de qua agitur, non exigui roboris est, quia nimirum si quantitas substantiæ foret indiuiduationis principium, deberet primò esse ex se hæc, & indiuidua, numeroque distincta ab alia quantitate, cùm quod est vnum specie, alteri nequeat esse ratio, vt vnum sit numero; at verò quantitas non est ex se hæc, & vna numero; propterea non poterit substantiæ esse ratio, vt vna numero sit; quantitatem autem ex se non esse hanc & vnam numero cuique perspectum; cùm non minus in quantitate, quàm in cæteris rebus concedenda communis natura sit contrahenda per differentias numericas.

Obiectio.

Non me fugit quod frequenter ab aduersarijs dici solet, nempè quantitatem esse quidem hanc, & vnam numero; si prout habet situm aliquem determinatum, spectetur, licet huiusmodi non sit, si absolutè sumatur.

Eijcitur.

In eo tamen peccarunt, quòd non aduerterint nullum alium superesse situm, quàm vel qui propriam constituit categoriam: vel qui creditur quantitatis differentia, prout quantitas constare dicitur ex partibus positionem habentibus: quorum neuter satisfacit; non primus eoquòd est quantitate posterior; non secundus quoniam de huiusmodi situ redit eadem, quæ de quantitate difficultas, quantum ad distinctionem, vndè fit principij petitio; cùm assignetur idem pro ratione sui ipsius; non enim notius partes permanentes, atque continuas in ipso toto se ipsis distingui à permanentibus partibus, ijsdemque continuatis in illo toto, cùm dicitur positio continuationem, & permanentiam includere, vt differentia est quantitatis, quàm quod hæc quantitas se ipsa à positione differat; Accedit etiam quòd non maior est ratio, cur in quantitate, quàm in substantia, & in alijs generibus entis assignetur indiuiduationis principium.

Responsio quædam.

Hæc cùm aduerteret solertis ingenij vir vltrò fatebatur, substantiam proximè, ac immediatè per quantitatem reddi quidem indiuiduam non posse, per signationem tamen à quantitate prodeuntem in substantiam, eique re ipsa, vt ait, identificatam posse.

Eijcitur.

Hæc tamen parum considerate dicuntur; quoniam si quantitas, quæ naturâ prior est effectu suo, re ipsa distinguitur à substantia, seu non est idem cùm ipsa, nec etiam id, quod à quantitate prouenit, idem esse poterit cùm ipsa substantia.

Difficultates tamen occurrunt diluendæ. nam Aristoteles non semel docuit indiuiduum per quantitatem vnum esse, præsertim cùm ait. ἓν δὲ τὸ ἀδιαίρετον, ἀδιαίρετον δ' ἁπλῶς ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ κατὰ τὸ εἶδος. *Vnum est quod indiuisibile est, omne verò indiuisibile, aut secundum quantum, aut secundum speciem.* Vbi per indiuisibile secundum speciem intelligit speciem ipsam, & per indiuisibile secundum quantum, intelligit indiuiduum, quod in sua quantitate minimè diuisum est, imò etiam, & alibi, vbi habet. *Item est quidem vt quodcumque dicamus continuitate vnum esse modo quantum, & continuum sit &c.* Quasi significare velit numericam vnitatem constituendam esse in vnitate continuatiua per quantitatem; distinctionem verò in distinctione per quantitatem, si de rebus materialibus sermo fiat.

Tert. Diu. Tex 11. Difficultates proponuntur. Prima difficultas ex Philosophi auctoritate, desumpta. 5. Diu. Tex. 11.

At hæc Aristotelis auctoritas non multùm aduersarijs fauere videtur; cùm ijs in locis Philosophus docere tantùm voluerit interdum vnitatem, & distinctionem entitatiuam materialium rerum per vnitatem, & distinctionem quantitatiuâ tradi consueuisse, cum hæc nobis notior sit; quando enim aquæ partes sunt abinuicem disiunctę, optimè quidem ex distinctione earum quantitatiua, distinctionem pariter entitatiuam, substantialemque deprehendimus, quam profecto non tam benè assequimur, cum partes ipsæ vnitæ sunt, atq; continuitatis nexu coniunctæ; non propterea tamen Philosophus in rebus materialibus negandam vnitatem, & distinctionem entitatiuam vltra quantitatem existimat; nec distinctionem numericam inter substantias materiales haberi dumtaxat per dictinctionem quantitatis arbitratur.

Philosophi auctoritati occurritur.

Secunda difficultas.

Insuper nonnulli sic argumentantur; si diuidatur aqua in quatuor partes; nemini dubium, quin huiusmodi partes indiuiduæ sint eiusdem speciei, propterea quòd sunt quatuor aquæ; nemini itidem dubium partes illas non per aliud ab inuicem distingui, quàm per proprias quantitates; hinc planè consequens fit, vt reuerâ principium indiuiduationis, ac numericæ distinctionis in substantijs materialibus quantitas haberi debeat.

Confirmatio.

Confirmant hoc idem ex eo quòd numeralis multitudo, quantitatis est multiplicatio; quandoquidem numerus ex diuisione continuæ quantitatis resultat, vt auctor Philosophus etiam est in ijs, quos de Physica auscultatione libris scripsit; at quantitatis ista multiplicatio est numeralis distinctio, hæc igitur à quantitate erit.

Lib. 6. physicor.

Difficultatis dilutio.

Propositæ tamen difficultati fiet satis, aduertendo geminam esse diuisionem recognoscendam, cùm aliquod totum integrale, puta aqua in integrales partes diuiditur; siquidem alia est aquæ diuisio, tanquam totius integralis in partes, quibus constat, integrantes, siue quantitatiuas; & alia est veluti totius vniuersalis in subiectas partes, quarum quælibet est ipsum totum, seu de quarum vnaquaque totum ipsum potest enunciari. Quamuis autem prior diuisio per quantitatem fiat; secunda tamen non item; cùm hæc per proprias differentias numericas cuiuscunque partis totius diuisi, puta aquæ obtineatur; & licet quantitas vnius partis ab alterius partis quantitate distinguatur, itaut alia sit quantitas numero, quæ est in vna parte aquæ, ab ea, quæ est in alia; substantia tamen vnius partis à substantia alterius prius naturâ distinguitur, & quidem per differentias numericas ad substantiæ genus spectantes; adeout etiam remotâ quantitate commemoratæ partes numero distinctæ forent; ita fit, vt in substantijs materiatis, etsi duæ diuisiones interse sint

Digitized by Google

connexę, quarum vna quantitatiua, altera verò entitatiua nuncupata, vna tamen non est altera. Nec ita connectuntur illæ, de quibus loquimur, diuisiones, vt vna separari ab altera non possit. Aqua enim, vt persistamus in eodem exemplo, si in quatuor partes diuidatur, vna quidem ex illis ab alia erit tàm entitatiuè, quàm quantitatiuè distincta; si tamen illæ rursus vniantur amissâ distinctione quantitatiuâ factâ per separationem vnius partis ab alia (amittitur autem tunc quantitatiua distinctio, cùm singulares illæ aquæ fiant aqua vna quantitatiuè, siquidem quantum vnum integrale fit ex ipsis vnitate continuitatis) non propterea tamen vna aqua fiunt entitatiuè, cùm adhuc etsi continuatæ, suas indiuiduales retineant differentias, quibus re ipsâ interse distinguuntur, itaut reuera sint plures aquæ partes. Nec confirmatio alicuius est roboris; non quia, vt quibusdam placuit, in rebus materiatis, & quantis, quantitas in substantia ad quantitatis genus non pertineat, sed ad genus substantiæ spectet; sed quia vt distinctio entitatiua in huiusmodi rebus à quantitatiua longè diuersa est, sic vnitas entitatiua à quantitatiua secernitur; illa enim substantialis est, consistens in indiuisione alicuius substantialis naturæ in plura se ipsa, hæc autem in indiuisione rei quantæ in plures partes, vel si mauis, in continuitate partium omnium ad inuicem, quemadmodum oppositæ multitudo in earundem diuisione, atque separatione consistit; vnde numerus, quem prædicamentalem appellant, resultans ex diuisione continui, constat ex pluribus vnitatibus numeralibus quantitatiuis; at verò transcendens nuncupatus, ex pluribus entitatiuis; ita fit, vt singularis substantia, ad vnitatem quantitatiuam, quod spectat, per quantitatem dici possit indiuiduum reddi, eo quòd quantitates sunt, quæ constituunt vnitates, ex quibus prædicamentalis numerus consurgit; secùs tamen vnitatem entitatiuam quod attinet, quam indiuiduum substantiæ non à quantitate, sed à differentia numerali, quæ substantialis est, consequitur, ex quibus vnitatibus numerus transcendens consurgit. In rebus igitur materiatis prædicamentalis numerus, atque distinctio numerica quantitatiua, quæ substantiæ extrinseca est, à multiplicitate, vel diuisione quantitatis proficiscitur; at quę intrinseca, & entitatiua est eidem, non item.

Auctor suponit exẽpli causa continuã aquam etsi nõ ita sit.

Confirmationi occurritur.

Imò hæc eadem distinctio numerica entitatiua considerari in eadem ipsa quantitate potest: duæ enim quantitates conuenientes alioquin in communi ratione differunt inter se per differentias numericas; quantitas enim non minus ac substantia, & reliqua entia per indiuidualem, numericamue differentiam fit hæc, itaut plurium singularium quantitatum multitudo transcendens numerus dici mereatur; quòd enim numerus prædicamentalis appelletur, aliundè non est, nisi quia multitudo illa sic appellari consueuit, quæ est in rebus per quantitatem extensis, quibus vt quantitas accidit, sic etiam numerica distinctio per quantitatem.

Adnotatio.

Præterea. Quod primò, & perse alicui competit, cuilibet alij competit ratione ipsius: atqui diuisio in partes rationis eiusdem per se primò competit quantitati, ergo cuilibet alij merito quantitatis conueniet, ergo itidem & ipsi substantiæ, cum huic etiam diuisio, nimirum speciei in indiuidua conueniat; Quoniam igitur quantitas est ratio distinguendi plura indiuidua etiam substantiæ sub eadem specie, consequens fit, vt ipsa sit indiuiduationis principium.

Tertia difficultas.

Sed quâ ratione sit huic faciendum satis difficultati, ex hucusque traditis non obscurè constabit. Fuit enim superius adnotatum, geminam esse diuisionem prout ad præsens attinet institutum; quarum vna totius est vniuersalis in suas partes, quarum quælibet est ipsum; altera verò totius integralis in eas, quibus constat partes, quarum quælibet est hoc aliquid, non tamen totum ipsum diuisum; hoc secundum diuisionis genus etsi alicui per quantitatem conueniat, primum tamen non item, cùm ex hac diuisione oriatur multitudo eorum, quæ numero differunt sub eadem communi ratione, contenta.

Solutio.

Ampliùs hæc aqua non differt ab illa aqua, nisi quia forma differt à forma: sed forma non differt à forma nisi quoniam recipitur in alia, & alia pars materiæ, at non est alia, & alia materię pars, nisi quia reperitur sub alia, & alia quantitatis parte, tota igitur huius aquæ distinctio ab alia, videtur à quantitate prodire.

Quarta difficultas.

Nihil tamen concluditur; propterea quòd tota hæc ratiocinatio falsis principijs innititur; forma enim hæc substantialis ab hac forma substantiali differt, quod etiam de qualibet accidentaria forma intelligendum, per proprias differentias indiuiduantes; sic etiam de hac, & illa materia; perperàm ob id confugiunt ad quantitatem; eo vel maximè quòd vt materia est prior naturâ formâ substantiali, & hæc prior naturâ quantitate, ita pariter, & multiplicatio partium materiæ naturâ præire debet, tam multiplicationi formarum substantialium, quàm accidentalium, ac ob id multiplicationi partium quantitatis; vnde consequens fit vt numerica distinctio partium materiæ præcedat numericam distinctionem formarum substantialium, & vtraque distinctionem partium quantitatis.

Solutio.

SECTIO QVARTA.

Materiam neque nudè sumptam, neque signatam indiuiduationis esse principium.

Hic sermo fit de materia & substantia.

PErspicuum est in præsentia dumtaxat sermonem esse de substantijs materialibus, atque corporeis, in quibus quantitas inest ratione materiæ. Et quoniam materia spectari potest, vel nudè citra quantitatem, & quamlibet sigillationem ab eadem prodeuntem; vel prout est quantitate affecta, & per eandem sigillata, quomodocunque hæc sigillatio explicetur; propterea de vtraque sermo nobis instituendus.

Materia nudè spectata non est indiuiduationis principium. Aristotelis auctoritate firmatur.

Et primò quidem videtur nobis materia nudè spectata substantiæ materialis principium indiuiduationis non esse. Hoc planè constat Aristotelis testimonio, cùm is non semel docuerit, materiam de se non esse primò indiuiduam, sed potiùs in vniuersalem, & particularem, non secus ac formam, compositumque distingui. Ad aures igitur Philosophi, materia quædam est communis natura contrahibilis ad hanc, & illam singularem materiam per differentias indiuiduales; quòd si res ita se habet, materia profectò principium indiuiduationis esse non poterit, cùm hoc per se primò incommunicabile esse debeat, vt indiuiduum pariter incommunicabile reddat. Neq; dicant materiam non quomodocunque sumptam, sed prout est hæc, & vna numero rationem esse, quâ materiata substantia redditur indiuidua; eâdem enim ratione forma prout hæc, & vna numero posset id esse, quo compositum substantiale redditur indiuiduum; quibus admissis, cùm huiusmodi compositum, iuxta veriorem sententiam, non dicat aliquid præter materiam, & formam vnitas, collectim tamen acceptas; compositum ipsum, profectò non erit hoc, & indiuiduum, nisi quia ex hac materia, & ex hac forma constat; ac ob id indiuiduatio-

Aduersus notã repudio.

Digitized by Google

tionis principium; vnde substantiale compositum habet, vt sit vnum numero, non erit aliud à differentia per quam materia, & à differentia per quam forma constituitur hæc; non igitur materia ratione propriæ essentiæ, vt à fautoribus huius opinionis dici solet, sed merito singularitatis, quâ materia sit hæc, indiuiduationis principium existimari potest; Vt præterea non modò à materia, verum etiam à forma compositi quidem indiuiduationem, vt nuper dicebam, petendam esse. Neque dicant materiam esse principium indiuiduationis prout ipsa est hæc; cùm enim profiteantur materiam huiusmodi esse principium, dareque esse incommunicabile, vt est primum irreceptibile, quod formæ non conuenit, & huiusmodi rationem irreceptibilitatis in sua essentia inuoluat; coguntur asserere materiam ratione propriæ essentiæ compositi indiuiduationis esse principium. Illud etiam accedat quòd hęc irreceptibilitas, materiæ quoque conuenit in communi, proindèque communicabilis est pluribus, etiam quatenus irreceptibilitatem inuoluit, vnde consequens fit, vt nec etiam quatenus huiusmodi possit id esse, à quo substantiale compositum habet, vt sit indiuiduum, ac vnum numero.

Nec illa spernenda ratio; quoniam materia ad speciei pertinet essentiam, quod autem huiusmodi est nequit esse indiuiduationis causa, quia tunc species foret indiuidua, & hæc; non igitur materia indiuiduationis causa dicenda. Et hoc inde confirmari potest quia semper quod est aptum contrahere, est extra rationem eius, quod contrahitur, at verò materia non est extra rationem specificę naturæ, ergo non poterit esse apta contrahere naturam specificam ad indiuiduationem, siue reddere illam indiuiduam; vel, & in idem recidit.

Materia pars est quidditatis compositi, quod autem huiusmodi est, nequit esse singularitatis ratio, cùm hæc sit extra quidditatem, & essentiam specificæ naturæ. Multa comminiscuntur, vt huic rationi satis faciant, à quorum confutatione libenter abstineo, tum quia leuioris momenti sunt, tum quia de his cumulatiùs in Metaphysicis disputandum.

Alia etiam non minoris efficacitatis est ratio in eo consistens, quia quod est ex se indistinctum, confusumque nequit indiuiduationis esse principium, cùm huius sit indiuiduum vnum ab alio distinguere; At confusum quidpiam materiam esse nemini dubium, cùm ea sit naturę fundamentum, in quo nihil distinctum, actus enim est, qui distinguit, materia verò non est actus; ergò materia &c.

Occurrunt dicendo in indiuiduo duo esse spectanda, quorum primum, quod sit indiuisum in se vltimâ diuisione, vel quod in idem recidit, quod sit incommunicabile alteri tanquam superius inferiori suo; Alterum est quod sit diuisum à quolibet alio, quod non est ipsum; ex eorum igitur sententia primum à materia prouenit ratione irreceptibilitatis, quam ipsa habet, siquidem indiuiduum nequit in alio recipi, illique communicari, in quo essentialis indiuidui ratio consistit; Secundum autem à quantitate proficiscitur, quod indiuidui affectio est; vnde fit iuxta hunc dicendi modum, vt materia nudè spectata non sit indiuiduationis principium, quoad omnem rationem, sed solùm quoad rationem incommunicabilitatis.

Quantum autem sit hæc insufficiens responsio, perspicuè satis ex supra traditis constare potest: cùm enim ostensum fuerit materiam non esse de se hanc, quemadmodum neque formam, sed vtriusq; concedendam esse communem naturam participatam ab hac, & illa materia, ab hac, & illa forma; necessariò dicendum sequitur, neque materiam, neque formam, de qua speciatim rediturus est sermo, posse principium esse indiuiduationis quoad incommunicabilitatem, & indiuisionem in se, quasi nimirum indiuiduum, singulareque compositæ substantiæ, id per materiam præcisè consequatur.

In quorum confirmationem id præcipuè adduci potest, quòd singularitatis ratio non repugnat receptibilitati in subiecto, quin potius optimè inter se cohærent; accidenti siquidem quamuis indiuiduo, non repugnat in subiecto recipi, & formæ substantiali, nominatim verò animæ intellectrici, non repugnat recipi in materia. communicabilitas autem singularitati opposita non repugnat irreceptibilitati, propterea quòd primæ materiæ ratio, vt superiùs ostensum fuit, non est de se hęc, sed est communicabilis pluribus, nimirùm huic, & alteri materiæ; sed irreceptibilitas ad eius rationem pertinet, cum ipsa sit primum omnium subiectum, ergo communicabilis erit pluribus scilicet huic, & alteri materiæ secundum ipsam irreceptibilitatem, proindè communicabilitas singularitati oppositæ irreceptibilitatem non respuit, sed cum illa cohęret; Insulsè igitur affirmant materiam ratione irreceptibilitatis, quam primò, & essentialiter sibi vendicat, esse primam radicem incommunicabilitatis. Confirmatio.

Et hinc etiam magis veritas confirmata manebit, quoniam incommunicabilitas indiuidui propria, & per quam ipsum in suo esse constituitur, non est quæcumque, nempè non illâ ratione cuius alicui repugnat non posse alteri communicari tanquam subiecto, aut per vnionem aliquo modo secundum esse proprię entitatis; sed illa duntaxat, merito cuius nequit alteri communicari, tanquam superius inferiori suo; vnde est vt indiuiduum dicatur incommunicabile, vt quod quamuis ei non repugnet esse communicabile vt quo, ideo forma, licet indiuidua, est communicabilis materiæ tanquam recipienti. Tametsi igitur materia sit irreceptibilitatis radix, ac ob id incommunicabilitatis illius, vnde habet aliquid, vt sit incommunicabile alteri tanquam subiecto, non tamen alterius, quâ aliquid habet, vt sit incommunicabile alteri tanquam superius inferiori; ac proinde non poterit esse indiuiduationis ratio, cùm huiusmodi incommunicabilitas ab hac sit expectanda; Sed hanc esse indiuidui propriam, ex eo licet deprehendere, quoniam incommunicabilitas propria quidem indiuidui ea est, quæ naturæ communis, ac vniuersalis communicabilitati penitùs aduersatur; huiusmodi autem communicabilitas plura vt inferiora, non vt subiecta respicit, & ita respicit, vt ipsis communis natura per identitatem realem, essentialemque, non autem per quendam alium vnionis modum magis extraneum communicatur; incommunicabilitas igitur indiuidui propria illa est, quâ ipsum pluribus, vt superius inferioribus suis incommunicabile redditur. Confirmatio altera.

Nec aliæ rationes desunt; si nanque materia credatur indiuiduationis causa, vbi eadem materia, ibi erit idem indiuiduum, sed eadem est materia in genito, & corrupto, ergo genitum, & corruptum erit idem indiuiduum, quod quàm sit à veritate remotum, præterire neminem existimo. Hoc autem inde confirmatum redditur, quoniam si primò ex aliquo generetur aliud; secundò autem generetur quidpiam idem specie cùm illo, ex quo genitum aliud fuisse supponimus, manifestum tanè primò corruptum, & secundò genitum eiusdem speciei materiam eandem habere, quamobrem primò corruptum, & secundò genitum forent idem numero, quod admitti certè non potest, alioquin naturæ viribus corruptum posset idem redire numero. Aliæ rationes afferuntur ad suadendum intentum.

Non

Obiectiones proponuntur, quarum prima ex Aristotelis auctoritate desumitur. 5. Diuin. Tex 12. 2. de Cælo Tex. 92. 93. & 94.

Non me præterit Aristotelis testimonia plura quidē in contrarium afferri posse; præsertim vbi habet, vnum ea esse numero, quorum materia est vna. Insuper cēsum esse formam, hoc autem cælum esse formam in materia; itemque non plures esse mundos, quia nequeunt per materiam multiplicari. Hæc tamen loca parum aduersarijs fauere perspicuum est, cùm in primo Philosophus sermonem non habeat de materia, quæ est pars compositi physici, vt aduersarij contendunt, sed de indiuiduali differentia, quam nomine materiæ non semel ipse nuncupauit, eoquòd essentiam, & quidditatem appellauerit formam, nempè totius, ad differentiam formæ, quæ est altera compositi pars; propterea par erat id, quod habet rationem vltimi contrahentis, atque determinantis ipsam quidditatem, cuiusmodi est indiuidualis differentia, beneficio cuius indiuiduum ipsum superioribus omnibus gradibus substernitur, vt materiæ nomine nuncuparet, ob analogiam, quam habet cum materia, quæ est compositi pars. Materia enim, & forma relatiuè opponuntur, & quot modis vnum dicitur oppositorum, tot modis dicitur & reliquum; forma autem, vt ad præsens attinet institutum, gemino sumitur modo, nimirum, & pro forma partis, quæ est altera compositi pars, & pro forma totius; sic gemina est materiæ acceptio cùm quædam sit materia, quę opponitur formæ partis, nempè illa, quę est per se potentia, & vt huiusmodi, pars est compositi physici; altera est materia, quæ opponitur formæ totius, videlicet quidditati, vnde est extra rationem quidditatis rei formaliter, & hæc est differentia indiuidualis, ac indiuiduationis principium, quod propriè materia vocatur, quatenus constituit rem in esse vltimo subijcibili; non autem in esse formali cùm ad formalem quidditatem rei formaliter non pertineat. Hoc autem docebat Philosophus dicens. Ἔτι δὲ τὰ μὲν κατ' ἀριθμὸν ἕν ἐστιν· τὰ δὲ κατ' εἶδος· τὰ δὲ κατὰ γένος· τὰ δὲ κατ' ἀναλογίαν. ἀριθμῷ μὲν οὖν ἡ ὕλη μία. εἴδει δὲ ὧν λόγος ἕν· γένει δὲ ὧν τὸ αὐτὸ σχῆμα τῆς κατηγορίας· κατ' ἀναλογίαν δὲ, ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο. *Amplius autem alia secundum numerum, sunt vnum, alia secundum speciem, alia secundum genus; alia secundum analogiam: numero quidem, quorum materia vna: specie quorum ratio vna; genere quorum eadem figura prædicationis secundum proportionem: quæcunque se habent vt vnum ad aliud.* Vbi logicā diuisionem instituit docens differentiam, proprietatemque indiuidualem causam esse propriam indiuiduationis, specie verò vnum esse, quorum ratio, id est definitio est vna. Sic locus alter explicandus, vbi εἰ δὲ τῶν καθ' ἕκαστον ἕτερον ἄν εἴη τοῦδε τοῦ ἱματίου καὶ ἱματίου καὶ τῶν ἀπλῶς ἕτερον ἄρα ὁδὶ ὁ οὐρανὸς καὶ οὐρανὸς ἁπλῶς, καὶ τὸ μὲν ὡς εἶδος καὶ μορφή, τὸ δ' ὡς τῇ ὕλῃ μεμιγμένον. *Si singulare autem est, aliud esse huius cæli, & cæli simpliciter erit. Alterum igitur est hoc cælum, & cælum simpliciter, & hoc quidem vt species, & forma, illud autem vt cum materia;* Cùm enim ipse Philosophus ibi loquatur de mundo, quærens an vnus sit, adeout plures esse non possint, cæli nomine intelligebat, quod Veteres intelligendum, voluerunt; id autem siue cælum sit acceptum pro prima sphæra, siue pro aggregato ex omnibus corporibus cælestibus, siue pro vniuerso omnia complectente, quid quid illud sit, nihil interest; sat enim est percipere, quid sibi vellent dicendo, aliud est cælum simpliciter, & aliud hoc cælum; hæc enim est propositio veterum ab Aristotele relata, quam ipse pariter amplectitur; huiusmodi autem propositionis hic sensus; vt per cælum simpliciter, & absolutè dictum cæli quidditas, atque natura velut in abstracto intelligenda sit, per hoc verò cælum, eadem natura velut in concreto, nempè contracta per indiuidualem differentiam debeat intelligi, quæ expositio consona est verbis antecedentibus cùm diceret. ἕτερόν ἐστιν αὐτὸ τὸ καθ' αὑτὸν ἢ μορφὴ, ἢ μεμιγμένη μετὰ τῆς ὕλης, ἢ τὰ ἐξ ἧς. *Aliud est ipsa secundum se forma & ea mixta cum materia &c.* Vbi per formam absolutè vniuersale quidem intelligit, nempe quidditatem, quę est forma totius, per formam materię iunctam, singularitatem denotat.

Explicantur Aristotelis loca, ab aduersarijs adducta. 5. Diu. Tex. 12. 1. de Cælo Tex. 92.

Nec etiam ex loco altero aduersarij rectè deducunt intentum; nam ibi probat Philosophus alium mundum esse non posse, eò quòd, licet ineptè, crediderit ex tota materia tam, quæ actu est, quàm quæ possit esse, constare; quasi ita disputet, quemadmodum dari non potest compositum Physicum, quod ex sua materia non constet; ita nec potest dari alius mundus, si alia esse materia non potest. Hinc non rectè deducitur materiam esse indiuiduationis principium, sed tantùm, quòd requiratur necessariaquè sit pro alterius mundi constitutione. Cæteras auctoritates prætermittam veluti expendendas in Metaphysica; quibus autem rationibus vtantur, in quibus aliqua possit esse difficultas; breuiter hic adnotabo. 1. de Cæl. Tex. 93. 94. Cæteræ auctoritates vtrinque expendendæ in metaphysica omittuntur.

Inter cæteras ea ratio ab aduersarijs magni fieri solet, quæ hunc se habet in modum. Illud est indiuiduationis principium, vnde multiplicatio, atque distinctio prouenit, siquidem omnia ijsdem principijs constituuntur, quibus multiplicantur; atqui materia huiusmodi multiplicationis, ac distinctionis principium est, eoquòd generans non aliud generat, vnde prouenit multiplicatio, nisi ratione materiæ; tum quia numerica multiplicatio sine materia non contingit; vt propterea Philosophus substantias ab omni materiæ concretione remotas posuerit solùm specie, non autem numero differre. Primadificultas.

Confirmant hoc idem ex eo quia, quādo negatio est negationis causa, etiam affirmatio est causa affirmationis; cùm igitur materiæ negatio causa sit ne habeatur multiplicitas, & distinctio numerica: affirmatio, seu positio materiæ causa erit huiusmodi multiplicitatis, ac distinctionis. Confirmatio.

Sed quis non videt quanta sit huius argumentationis infirmitas? cùm enim dicunt illud est principium indiuiduationis, à quo indiuiduorum multiplicatio, atque distinctio proficiscitur, id non intelligendum de quocunque principio, sed de formali proximo, ac primo, itaut ad aliud prius reuocari non possit; at iuxta hanc principij vsurpationem neganda quidem assumptio, quoniam materia non est principium formale, proximum, ac primum multiplicitatis ac distinctionis numeralis; & ad eius primam probationem quod spectat, palam est, generans à genito tam per formam, quàm per materiam distingui, cùm vtrumque habeat aliam materiam, & aliam formam; generans tamen à genito potius per materiam, quàm per formam distingui dicitur, quoniam à forma, ne dum habetur distinctio, sed etiam similitudo inter genitum & generans; à materia autem non item, cùm ab hac solum habeatur distinctio; hinc tamen non fit, vt materia simpliciter, & absolutè sit primum omninò indiuiduationis principium, de quo hic habetur sermo, cum adhuc quærendum supersit per quid materia sit alia, & alia, sicut per quid sit hæc, vel hæc; tametsi ergo concedendum sit ad indiuiduationem materialis substantiæ, velut intrinsecam causam ipsius materiam concurrere, non propterea tamen formale proximum, ac primum principium indiuiduationis prædictæ substantiæ dici debet. Ad id verò quod addebatur ab Aristotele de substantijs abstractis quid dicendum, Propositio difficultatis fit sam.

non

sim obiectrè constabit, si aduertamus Philosophi consilium eò tendere, vt solùm doceat non proximè, ac immediatè, & præcipuè ex solius materiæ defectu arguendum esse, substantias illas numero non distingui; sed potius per quandam consecutionem ex multis alijs; quia videlicet cùm ipsis materia desit, necessaria sunt & sub nulla specie potest indiuiduorum esse infinita multitudo; & in necessarijs idem est esse, & posse, seu actus à potentia non distinguitur, ex quibus tandem, substantias abstractas ponendas esse de se singulares deducit.

nstr-oni mi- Confirmationi verò licebit obuiam ire dicendo, propositionem illam, nempè quando negatio est causa negationis, etiam affirmatio &c. tunc admittendam, quando sit sermo de causis præcipuis, & vt aiunt præcisis, quo sensu materiæ negatio non est causa ne habeatur numeralis multiplicitas, atque distinctio, cum ad hoc ex Philosophi sententia, alia quoque concurrant; etsi absolute loquendo, falsum sit absentiam materię, quæ est altera substantialis compositi pars, eam esse, ne multiplicitas numeralis habeatur; siquidem iuxta veriorem sententiam, substantiæ abstractæ ab omni materiæ commercio remotæ, sub eadem specie numero multiplicantur, ac distinguuntur.

unda akas. Præterea sic obijciunt. Forma est principium naturæ vniuersalis, ergo materia erit principium naturæ particularis, ac indiuiduæ. optima consecutio, nam materia, & forma inter se opponuntur, oppositorum autem opposita principia sunt. Et in huius confirmationem illud addunt, quod distinctio numeralis, seu indiuidualis non formalis, sed solùm materialis est, ob id rectè dicetur à materia desumi.

nfir- ni s. Mirum est aduersarios huiusmodi rationibus vti ad propriam tuendam sententiam, cùm nullius momenti sint; neminem enim præterit, si materia, & forma physica generatim spectetur secundum essentiam sic se habere, vt vtraque possit esse & physicum principium substantialis compositi generatim etiam acceptum; & indiuiduum quoque principium indiuidui compositi esse possit; vnde non est cur minus formæ tribuatur esse principium vniuersalis naturæ, quàm materiæ, & huic magis esse principium indiuidui, quàm formæ; ac proinde hinc nulla est oppositio inter materiam, & formam, qua alioquin relatiuè opponi fatendum est, cum materia totum suum esse habeat in ordine ad formam, & vicissim forma in ordine ad materiam; non autem aduersantur eo nomine, quòd forma sit principium rei vniuersalis; materia verò rei particularis; nisi nomine formæ intelligatur forma totius, nempè quidditas per numericam differentiam contrahibilis; & appellatione materiæ intelligatur indiuidualis differentia contrahens, sic enim secundum rationem superioris, & inferioris opponuntur; Neque confirmando quidquam conficiunt; nam indiuidualis differentia materialis, non dicitur appellatione desumptâ à materia, quæ est altera substantialis compositi pars, sed vt superiùs etiam adnotatum fuit, ideo sic nuncupatur; quoniam est ratio, vnde habet indiuiduum, vt sit vltimum subijcibile; quod enim ita est, rationem habet materiæ, vt contra id, cui hoc subijcitur, rationem obtinet formæ, cuiusmodi est quidditas specifica, quæ per differentias indiuiduales ad inferiora descendit; imò vniuersè quicquid constituit in esse subijcibilis, materiæ munere fungitur compassatione constituentis in esse prædicabilis, quod formæ rationem obtinet.

ia. Iras. Amplius principium indiuiduationis illud existimandum; ratione cuius indiuiduo conuenit subijci omnibus sui generis, & repugnat communicari tanquam superius inferiori, vt satis perspicuum est; sed huiusmodi materiam esse, nemo ibit inficias; ergo materia erit indiuiduationis principium. Assumptio constat, cùm materia sit primum omnium subiectum aptum ad omnes formas recipiendas, eidemque repugnet in alio recipi; ob id indiuiduum à materia habet, vt possit subijci omnibus prædicatis superioribus; & nequeat alteri communicari, tanquam superius inferiori, cùm tam forma, quàm compositum à materia habeat, vt non possit in alio recipi, ac ob id alteri communicari; est enim primum in vno quoque genere cæterorum causa; ac proindè cùm materia sit primum in genere eorum, quæ subijci possunt, & quæ recipi in alio non possunt, vbicumque ipsa fuerit, hoc sibi vendicabit; atque adeò quidquid materiam habet, quòd in alio recipi nequeat, & alijs subijciatur, ab ipsa materia habebit.

Solutio eiusdem. Sic autem arguendo nihil concludunt; siquidem argumentationis assumptio est à veritate penitùs aliena, eiusque probatio insufficiens, quippè quæ æquiuotione laborat; non enim eodem modo materiæ, & indiuiduo conuenit subijci omnibus sui generis; quandoquidem indiuiduo id conuenit respectu superiorum graduum, quos in se essentialiter inuoluit; ijs enim dicitur subijci tanquam inferius superioribus, quæ vt in ipso sunt, sic de ipsis possunt prædicari; at materiæ conuenit comparatione formarum, quibus subijcitur tanquam actuantibus, & perficientibus; Eodem etiam vitio laborat illa probatio quantum ad incommunicabilitatem indiuidui, nam hoc illam habet ab indiuiduationis principio, cuius non est excludere omnem incommunicabilitatem, cuiusmodi est ad modum formæ subiecto per informationem, aut alium vnionis modum, sed solùm ad modum superioris inferiori per realem & essentialem, vt aiunt, identitatem. Nec vltimæ consecutionis probatio desumpta ex eo, quòd primum in vno quoque genere sit causa cæterorum &c. alicuius est momenti, cùm falsum assumat, videlicet materiam esse primum simpliciter irreceptibile, ac ob id causam cur alia nequeant in subiecto recipi: hoc enim absque materia contingit, cùm abstractæ substantiæ, quibus nulla materia conuenit, in subiecto minimè recipiantur; hoc autem ideo, quoniam aliquid in subiecto non recipi aliundè oritur, scilicet ex eo quod sit per se subsistens, vt propterea id cuicunque substantiæ conueniat.

Quæstio difficultas. Deniq; propositum ostendere nituntur, ex eo quòd principium indiuiduationis dicendum videatur quod indiuiduo impedimento est ne possit definiri; sed huiusmodi materiam esse probare conantur Aristotelis testimonio dicentis materiales partes ad definitionem non spectare. Maiorem probant, quoniam indiuiduum prout huiusmodi, & quâ indiuiduum est, definiri non patitur, ac proindè illud erit indiuiduationis principium, à quo indiuiduum habet ne possit definiri. Non quæcunque materia est, à qua aliquid habet, vt sub definitionem cadere non possit: nam materia, quæ est altera substantialis compositi pars, vt est eius pars essentialis, & idcirco ad eiusdè pertinens quidditatem explicandam per definitionem, sic etiam esse debet eiusdem definitionis pars: sola igitur materia est sumpta pro indiuiduali differentia, seu pro materia, quæ est altera compositi pars, contracta ad indiuiduum, hoc enim ex huiusmodi materia habet gemino scilicet modo explicata, vt definiri non possit; hoc igitur sensu dumtaxat concedenda assumptio, quę alioquin superiori sensu falsa est. Nec aliud sibi voluit Philosophus dicendo materiales partes ad definitionem non spectare, respexit enim ad differentiam,

Solutio.

7. Diu

à qua

à qua habet indiuiduum, vt definiri non possit; cur autem indiuiduum definire nobis non liceat, alibi declarandum.

Materia nec etiam signata, per quantitatẽ potest esse indiuiduationis principium. Multiplex materiæ signatæ acceptio. Primus explicandi modus. Secundus. Tertius.

Non solùm materia nudè sumpta, sed nec etiam per quantitatem signata potest esse indiuiduationis principium; at quoniam signationem hanc varijs modis interpretantur, ob id erit operæ pretium breuiter illos percurrere, vt singulos liceat euidenter, velut inutiles reijcere. Quidam igitur materiæ signatæ nomine nil aliud, quàm materiam ipsam quantitate quidem affectam, intellexerunt. Alij dixerunt esse materiam prout quantitatem includit, hoc sensu tamen, quatenus dicit capacitatem huius, & non alterius quantitatis; licet enim, inquiunt, materia sit indeferens ad omnem quantitatem, per præuias tamen dispositiones ab agente productas potius ad vnam, quàm ad alteram determinata redditur; itaut hinc propria fiat huius quantitatis, vt alterius non sit proximè capax. Alij materiam gemino modo cum quantitatẽ conferri posse contendunt, primo prout est causa materialis, & receptiua illius; secundo prout est principium, atque radix eiusdem; quasi ipsam quantitatem virtute contineat; posteriori igitur modo contendunt materiam indiuiduationis esse principium. Alij

Quartus.

tandem per materiam signatam intelligunt materiam ipsam determinatam, peculiaremque redditam, & veluti sigillatam ad hanc, vel illam substantialem formam suscipiendam.

Materia signata, iuxta primum explicandi modum nequit esse principium indiuiduationis.

Primò autem materiam signatam; hoc nomine intelligendo ipsam prout quantitate affectam, indiuiduationis principium esse non posse, ex eo mihi videtur luculentèr ostendi, quoniam vel sermo fit ab ipsis de principio quopiam externo, per quod secundariâ ratione, & quidem accidentariâ indiuiduum vnum substantiæ compositæ ab alio distinguitur; & hoc non est ad rem, cùm de interno principio instituta sit disputatio; vel de principio quodam interno per se, ac primo, ratione cuius materialis substantia sic redditur indiuidua, vt per se, & substantialiter, vt aiunt; ab alia indiuidua substantia distinguatur; & hoc de materia dici non potest prout quantitate affecta est. Quod enim est naturâ posterius, nequit esse aptum ad constituendum id, quod est naturâ prius; vt enim hoc, ita etiam, & id, per quod constituitur naturâ debet anteire; at materia etsi non secundum se, prout tamen est quantitate affecta, est quid posterius indiuiduo substantiæ; siquidem hæc secundum omnem gradum debet accidens, & quod est accidente affectum prout sic affectum, naturâ præcedere; ergo materia, prout quantitate affecta, apta non erit ad indiuiduum substantiæ compositæ constituendum.

Aduersariorũ responsio. Reijcitur.

Quòd si fortè dicant, etsi materia, prout quantitate affecta, non possit indiuiduum compositæ substantiæ constituere, posse tamen tanquam conditionem sine qua non, concurrere. Hoc certè inconsideratè dicunt; quoniam eatenus affirmant quantitatem concurrere vnâ cum materia ad reddendam indiuiduam compositam substantiam; quoniam duo ad indiuidui rationem requirunt, & rectè quidem, nimirum, quòd illud sit incommunicabile tanquam superius inferiori, & quòd distinguatur à quocunque alio; quia tamen hoc secundum requisitum à materia, vt loquuntur haberi non potest, necessariam esse dicunt quantitatem; at si res ita se habet, quis non videt quantitatem non vt solam conditionem sine qua non, sed vt rationem per se ad substantiæ compositæ constituendum indiuiduum concurrere? Vt præteream hoc eo nomine dici non posse, quia gemino modo potest intelligi ad id, de quo agimus, quantitatem veluti conditionem prædictam descendere; vel vt præuiam ad indiuiduum compositæ substantię constituendum; & hoc ab ipsis minimè dici potest, cùm ex eorum sententia omnium accidentium, atque adeò quantitatis proximum ac immediatum subiectum, non prima materia, sed compositum substantiale statui debeat; vel vt per conditionem sine qua non, intelligendam velint naturalem illam dispositionem, quæ materialem substantiam indiuiduam comitatur; hoc non minus intolerabile, cùm huiusmodi dispositio, quippè quæ concomitans ab ipsis existimatur, compositæ substantię indiuiduum, cui insit, præsupponit; nullum autem præsupponens, vtpotè naturâ posterius, ad præsuppositi constitutionem facit, quod est naturâ prius. Illud etiam accedit, quòd materia indiuidui compositæ substantiæ nequit tanquam conditio concurrere; sola igitur quantitas erit, cui conditionis ratio accommodata sit; cùm igitur hæc, vtpotè accidens, sit quidpiam extra constitutionem indiuiduæ compositæ substantiæ, est enim illi aliquid externum; consequens fit, vt materia secundum se, & nudè spectata sit principium primum, à quo substantia composita reddatur indiuidua, quod superiùs non admittendum ostendimus; nec etiam concedendum existimant, qui materiam prout quantitate affectam indiuiduationis principium, de quo loquimur, esse profitentur; Perperam quoque dixerunt huiusmodi principium esse materiam, prout quantitatem includit eo sensu, quatenus dicit capacitatem huius, & non alterius quantitatis; quia etsi materia sit indifferens ad omnem quantitatem, per præuias tamen dispositiones redditur potius determinata ad vnam, quàm ad alteram; Isdem enim præmuntur difficultatibus, quas nuper attigimus, cùm indiuiduationis principium nullum esse accidens diceremus; quandoquidem dispositiones, quas ipsi comminiscuntur ad genus accidentis pertinent.

Secundus modus explicandi reijcitur.

Et insulsè quoque videntur philosophati, qui rem sic explicare nituntur, vt materia dicatur quatenus affecta quantitate principium indiuiduationis, prout quantitatis est radix. Hoc enim est ludere verbis, propterea quòd materiam esse quantitatis radicem, nil aliud sibi vult, quàm eius esse subiectum ex cuius potentia talis quantitas educi possit; vel habere capacitatem ad hanc numero quantitatem; hoc autem, vel nihil, vel dispositiones addit materiæ; quamobrem si hæc nudè sumpta, vel vt dispositа nequit tale esse principium, vt copiosè fuit superiùs ostensum; nec etiam prout quantitatis radix.

Tertius explicandi modus reijcitur.

Tandem minus appositè rem explicarunt, qui per materiam signatam intellexerunt materiam per quantitatem veluti sigillatam; siquidem vel id de quantitate nullis concluſa terminis, vel proprijs finibus circumscripta intelligunt. Primum non rectè dicunt, nam huiusmodi quantitate admissâ, de quâ tamen grauis est disceptatio, haud facilè intelligo ab ea sigillatam materiam reddi, cùm hoc perinde sit ac materiam fieri determinatam; quæ autem determinatio expectanda ab eo, quod omni prorsus termino destitutum supponitur? Neque secundum; terminata siquidem quantitas, vel in prima materia veluti in subiecto recipitur, vel in composito; si secundum quod ipsi passim affirmant, profectò suis prædita terminis non poterit esse principium, vnde substantia composita habeat, vt singularis sit, cùm huiusmodi quantitas non secus ac quodlibet aliud accidens omninò singularem substantiam compositam supponat; omne enim naturâ posterius supponit id, quod est naturâ prius; at ex eorum sententia, substantia composita etiam sin-

singularis est naturâ prior quantitate sicut quolibet alio accidente, cùm omne accidens putent à composita substantia, tanquam à subiecto pendere; ob id consequens sit, vt quantitas, & quodlibet accidens singularem compositam substantiam iuxta eorum principia supponat, necessariò. Quod si dicatur proximè, ac immediatè quantitatem in prima materia velut in subiecto recipi; nec etiam difficultati fit satis; quoniam inde materia sigillata, propriaque reddi non potest vnius compositi, vt alteri deseruire nequeat; cùm frequenter contingat vt materia eâdem affecta quantitate post corruptam substantialem formam, cùm qua compositum constituebat, compositum aliud conconstituat, itaut eadem portio materiæ quæ erat in vno composito tanta cùm quantitate successiuè, cùm eadem quantitate in alio composito reperiatur.

Aduersarij obiectionem reiiciunt.

Quòd si per quantitatem terminatam, quâ redditur sigillata materia, velint intelligendam solam quantitatem certis dispositionibus affectam, quibus materia ad hanc potius formam, quàm ad illam determinetur; difficultates paulò superius allatæ de accidentibus redeunt, & præsertim quòd indiuiduum substantiæ est ens per se, ac proindè non potest nec per quantitatem, nec per vllum aliud accidens, nec per materiam, prout quantitate, aut aliquo alio accidente affectam in suo esse constitui.

Recipua quo ad ea, ex ob uersarij dicitur.

Non me latet responsio dicentium, indiuiduum non ob id ens per accidens futurum, quoniam hoc dicitur solum id, quod res diuersorum generum ex æquo, & æquè principaliter importat, quod in re de qua agimus non contingit, nam indiuiduum inquiunt, substantiæ non includit accidens in recto, sed in obliquo, nec tanquam partem suæ essentiæ; sed vt determinatiuum eiusdem, neque primariâ, sed secundariâ ratione; Et alij addunt quantitatem, vel dispositiones non pertinere ad indiuiduationem substantiæ, vt propriam rationem determinatiuam eius, sed vt conditionem sine qua non. Hâc solutione prætermissâ, velut iam superius confutatâ, ad primam accedo, quam insufficientem, ex eo deprehendo, quoniam indiuidualis differentia, sic pertinet ad indiuidui constitutionem, & ad conceptum intrinsecum eiusdem proportione seruatâ, quemadmodum differentia specifica ad constitutionem, & conceptum intrinsecum speciei; atqui differentia specifica non in obliquo, & secundariâ ratione, sed æquè primò, & principaliter, quemadmodum genus, pertinet, & tam genus, quàm differentia ex æquo ad vnum per se constituendum descendunt; ergo idem de differentia indiuiduali proportione seruatâ in ordine ad indiuiduum asserendum est; nullo igitur modo accidens quodcunque siue quantitas, siue aliud quidpiam accidentarię naturæ potest ad indiuidui constitutionem, conceptumque pertinere. Est quidem aliqua disparitas inter differentiam indiuidualem, & specificam, quòd illa incommunicabilis sit, hęc autem communicabilis; sed negligenda prorsùs, quippequæ non sit ad rem, cùm ad id, de quo agimus nihil referat differentiam, esse communicabilem, & non communicabilem, vt cuique perspectum esse potest.

Difficultas proponitur.

Nonnullæ difficultates supersunt diluendæ, quas tamen paucis perstringam, cùm hac de re sit iterùm in Metaphysica rediturus sermo.

Prima ratio

Illud est indiuiduationis principium, quo posito, aliisque sublatis, ponitur indiuiduum, & quo sublato, aliisque positis indiuiduum non habetur, quod adeò certum, vt nullâ sit opus confirmatione; sed huiusmodi materia est signata, nam si à materiali indiuiduo, cuiusmodi est indiuiduum substantiæ composita præter materiam signatam, omne aliud remoueatur, adhuc ipsa composita substantia incommunicabilis remanebit, secùs autem si materia signata de medio sublata fuerit. Mirum est quòd non aduerterint à se perperàm confundi principium physicum, cùm principio metaphysico indiuiduationis. Nullâ dubium quin ablatâ materiâ signatâ, vel potius materiâ indiuiduâ non amplius sit substantia illa composita incommunicabilis, vel quod idem est, indiuidua, quod non tam proprium est materiæ, quin etiam conueniat formæ: nam formâ quoque indiuiduâ sublatâ, non potest indiuidua substantia composita suum habere esse incommunicabile; hinc tamen inferendum dumtaxat indiuiduam materiam, itemque formam esse physica principia, à quibus composita substantia habet, vt indiuidua, & incommunicabilis sit; sed hoc non satis ad id, de quo agitur, cùm in præsentia propositum sit inquirere formale, proximumque principium, vnde hæc de qua loquimur, indiuiduatio proueniat, quod non esse materiam quomodocunque explicatam asserimus, sed potius id, de quo paulò post futurus est sermo.

Dilutio.

Secunda difficultas.

Præterea. Illud rectè dicitur indiuiduationis principium, cui per se primò repugnat communicari pluribus ad eum modum, quo vniuersale communicatur inferioribus; at materiam signatam sic se habere perspicuum adeo, vt nemini ambigendum, cùm ita sit vnius compositi substantialis propria, vt ob ipsam signationem alterius esse non possit; ad quod respiciens Philosopus dicebat. *Omnium naturâ constantium determinata est ratio magnitudinis, & augumenti*. Rectè proindè concluditur materiam signatam esse indiuiduationis principium. Quamuis autem hæc difficultas apud aduersarios plurimum habeat momenti, nullo tamen negotio diluitur negando signatam materiam esse primam rationem, vnde compositum habeat, vt sit alteri incommunicabile, vt assumptio dicebat; & meritò quidem negabitur, quia materia ipsa signata singularis est, & indiuidua, *vt quod*, vnde supereſt adhuc inquirendum quonam ipsa facta sit incommunicabilis, ac indiuidua; ita fit vt ab aduersarijs non assignetur principium illud indiuiduationis, de quo suscepta est disputatio; non inficiandum quidem, quod superius etiam innuimus, ad indiuiduum compositæ substantiæ constituendum requiri singularem materiam, singularemque substantialem formam tanquam principia physica; non dum tamen detectum, quod initio propositum quærendum fuit, nempè formale principium, quo primo, & per se compositæ substantiæ natura fiat hæc, & indiuidua, quæ certè redditur talis per indiuidualem differentiam desumptam ex differentia indiuiduali vtriusque partis materiæ, & formæ; vt enim ex his constituitur vna per se natura composita; sic ex hac materia, & ex hac forma constituitur hoc vnum per se compositum, quod est indiuiduum esse. Parum autem ipsis fauet auctoritas Aristotelis, cùm dumtaxat eò tendat Philosophi consilium, vt doceat viuentia determinare sibi certam quantitatis mensuram toti speciei debitam, itaut ijs fines natura præfixerit, quos vltra, citraque nesciat eorundem conditio, siue ratio consistere.

a. de Anima Tex. 41.

Diluitur.

Nec ex eo quia, materiam signatam concipi repugnet vt vniuersalem, rectè deducitur per se primò singularem, ac ob id indiuiduationis esse principium. Nam repugnat etiam concipi Socratem vt vniuersalem, & communicabilem pluribus, non propterea tamen licet inde colligere eum esse quidpiam per se primò singulare, ac indiuiduationis principium, scilicet esse rationem illam, per quam humana natura

Tertia difficultas eiusque solutio.

contrahitur, redditurque singularis; non enim reipsa sunt idem, ratio, cuiusmodi est differentia individualis, & id quod per huiusmodi rationem singulare constituitur; ratio enim illa singularis dicitur *vt quo*, constitutum verò per ipsam, singulare *vt quod*; ita fit vt materia signata, cui repugnat concipi tanquam vniuersalem, dicenda sit singularis, non singularitatis ratio, vel individuationis principium, hoc metaphysicè sumpto pro formali, primaque ratione, qua communis natura redditur singularis; cùm alioquin vt superiùs aduertimus, singularis materia physicum principium dici possit, quemadmodum, & singularis forma, vt composita substantia singularis fiat.

Difficultas. Nec tandem quidquam concludunt afferendo difficultatem ex eo desumptam, quia id per quod prima substantia in suo esse constituitur, videtur individuationis principium: huiusmodi autem esse primam materiam quantitate signatam, satis lucu'enter euinci putant, ex eo quia prima substantia ea est, quæ nec in subiecto recipitur, nec de subiecto dicitur, quod certè primò, & per se materiæ signatæ conuenit, cùm quatenus huiusmodi, nec possit in subiecto esse, nec de subiecto dici; nam secundum se vt habet indifferentiam ad hoc vt sit in pluribus compositis, licet possit de hac, & de illa materia prædicari, vt tamen signata est, nequaquam: ergo materia signata principium in-

Solutio. dividuationis erit; Quâ autem arte sit huic occurrendum difficultati, ex paulo anteà traditis non obscurè constat; falsa enim assumptio, nam datur etiam substantia spiritualis naturarę, in qua nulla materia, & tamen individua; eiusque probatio nullius momenti, quamuis enim materię signatæ primò, & per se conueniat, quemadmodum etiam, & substantiali formæ respectu compositi nec esse in subiecto, nec de subiecto dici; perperàm tamen inde concluditur vnam, vel alteram ex ipsis esse individuationis principium de quo fit sermo, cùm solum inde liceat inferre, partem vtramque physicum esse tale principium comparatione compositi, itaut hoc individuum compositæ substantiæ per hanc numerò materiam, & per hanc numero formam constituatur; & licet materiæ (formam omitto, cùm de hac sit paulo post sermo futurus) primò dicatur conuenire non esse in subiecto, nec de subiecto dici; hoc tamen non ideo, quoniam ipsa sit principium individuationis compositę substantiæ, sed quoniam pariter est substantia prima, licet incompleta, cui propterea necesse est, vt huiusmodi conueniat affectio.

Aduersariorum error. Cęterum ineptè dicunt materiam ob indifferentiam quam habet, vt esse possit sub hac, & illa forma in hoc, & illo composito, posse de hac, & illa materia prædicari; physicam enim indifferentiam cùm metaphysica confundunt, cùm tamen sint longè diuersæ: Prima conuenit materiæ in ordine ad formas recipiendas, adeout ratione ipsius materia possit successiuè diuersas, variasque formas recipere, & hæc nihil commune habet cùm vniuersali, vnde etiam individuæ materiæ conuenit. Secunda eidem materiæ competit inspectæ secundum se, cùm quatenus huiusmodi abstrahat à qualibet differentia individuali, proindèque dicat indifferentiam ad hoc, vt per differentias contrahatur, & de hac, vel illa materia prædicari possit. Hęc autem est indifferentia ad vniuersalitatem requisita, quæ longè distat ab illa, quam materia sibi vendicat, vtcunque sumatur, in ordine ad formas recipiendas.

Adnotatio difficultatem continens. Satis intelligo futurum, vt aliquis admiretur, quòd materiam dixerim individuam contractâ scilicet eius natura per differentiam individualem, cum hoc soli videatur adscribendum compositæ substantiæ, vel illi, quæ in recta categoriæ linea per differentias ad inferiora descendit vsque ad individua. Non est tamen cur is admiretur; quamuis enim materia, quemadmodum etiam & substantialis forma sint essentiales compositæ substantiæ partes, ac ob id non nisi ratione totius ad categoriam pertinent; hoc tamen ideo, quia categoria ipsa quidem attenditur, itaut est, cuius apex genusque summum non statuitur substantia prout complectitur completam, & incomplectam; tunc enim materia, vtpote species incompletæ substantiæ, secundum rectam lineam ad inferiora descenderet contracta per differentias, vsque ad hanc, & illam, materiam, ac proinde ad individua propriæ naturæ. Solutio.

SECTIO QVINTA.

An forma per se sumpta, vel saltem cum materia sit individuationis principium.

QVi formam individuationis esse principium crediderunt, non eodem modo loquuti sunt, cùm plerique eorum crediderint formam absolutè sumptam in rebus materialibus individuationis principium esse; Alij verò solam quidem formam materiæ tamen per accidens concurrente, quatenus subiectum est formæ, quæ per se causa individuationis est, Alij tandem ex forma, & materia integrum fieri principium individuationis, licet forma principium dici debeat præcipuum, materia verò minus præcipuum, & veluti conditio sine qua non: hic igitur de compositi substantialis individuatione disputarunt, vt non idem eorum sit sensus de modo, quo forma dicenda sit individuationis principium. Silentio non præteribo non nullos formæ tantum detulisse, vt crediderint non modo compositum, sed etiam materiam ab ipsa habere, vt sit individua. Varij eorum modi.

Nobis tamen magis arridet consilium dicentium nec formam per se sumptam, nec etiam cum materia principium individuationis esse. Nec sic nec cum

Non per se sumptam individuationis esse principium, eadem rationes ostendunt, quibus paulo antea probatum fuit, materiam non esse principium, de quo loquimur, vnde licet sic etiam argumentari. Quod tacit ad essentiam speciei: nequit esse individuationis causa, quoniam tunc species foret individua, & hęc; sed huiusmodi formam esse nemini dubium, cum & quidem præcipua sit speciei pars; non poterit igitur forma esse individuationis causa. Primum.

Accedit, quòd forma diuinitus est in vniuersalem, & particularem, nec primò est incommunicabilis, qua forma est, sed communicabilis potius huic, & illi formæ; ergo non potest esse individua substantiæ compositæ cuius ipsa est pars, proximum formaleque principium, cum adhuc assignandum sit, à quo eadem ipsa singularis fiat, ac individua. Neque dicas, licet forma vniuersè sumpta nequeat tale esse principium, particularitam tamen accepta, & individua, potest huiusmodi principium esse: propterea quòd etsi forma singularis, & vna numero sit in communicabilis; tamen non ita se habet vt quo, sed vt quod, & per aliquid superadditum; at individuationis principium debet esse aliquid primò incommunicabile, & vt quo. Secundum. Responsionis occurrentio.

Nec prætermittam, quòd vt non sola forma est internum substantiæ compositæ principium, sed etiam materia, cùm hæc pariter faciat ad constitutionem ipsius: ita pariter non sola individua forma, sed etiam Tertia.

indi-

Digitized by Google

indiuidua materia singularis substantiæ compositæ principium internum est; malè dicitur ergo sola forma indiuiduæ substantiæ compositę principium, cùm huiusmodi quoque materia sit, licet neutra principium, de quo loquimur, esse possit; quoniam etsi vtrique physica singularitatis ratio conueniat, vt superius aduertimus; metaphysica tamen non item, de qua in præsentia fit sermo; cùm nec forma, nec materia sit primum formaleque principium, à quo habet composita substantia, vt sit indiuidua, sed formalis ratio per quam, & forma, & materia redditur indiuidua, ex his enim haberi singularitatem compositæ substantiæ, superiùs adnotatum fuit.

Aduersarij cùm hæc intelligerent difficultatis momento pressi, eò confugerunt, vt dicerent formam non modo esse principium, à quo composita substantia, sed etiam materia ipsa redditur indiuidua, proindeque formam absolutè principium indiuiduationis compositæ substantiæ dici posse; Imo quidam non obscuri nominis ex ipsis in eam creditur opinionem abijsse, vt concederet materiam generatim sumptam ad essentiam compositi, generatim etiam accepti pertinere, negaret tamen indiuiduam materiam ad essentiam indiuidui compositi substantialis spectare. Sed quanta sit eorum inscitia ex eo præsertim deprehendes, quòd si materia suum essentiale esse mutuaretur à forma, itaut hæc illi communicaret esse intrinsecum, ac essentiale, non secus ac composito, non posset ex eius potentia educi, ac ab eadem pendere tanquam à causa, ac ob id eandem supponere priorem saltem prioritate naturæ, cùm tamen exceptâ animâ intellectrice, omnis forma siue substantialis, siue accidentariæ naturæ hunc se habeat in modum; quæ profectò intelligenda sunt de materia, & forma iuxta duplicem statum, scilicet tam communitatis, quàm singularitatis; Et quid à veritate remotius, quàm dicere materiam quidem sumptam in vniuersum ad essentiam facere compositæ substantiæ, vniuersè pariter acceptæ non sic autem in statu singularitatis? non igitur materia per formam potest indiuidua constitui.

Illud etiam improbat hunc dicendi modum, quòd materia terminauit peculiarem quandam productionem, videlicet ex nullo præsuppositio subiecto à productione formæ distinctam, cùm hoc productionis genus exerceri non possit, nisi præiacente subiecto; at vtriusque productionis terminus singulare quidpiam certum ac determinatum esse neminem fugit; consequens propterea fit, vt materia, quippè quæ commemoratæ productionis citra subiectum, atque adeò distinctæ à productione formæ singularitatem ab ipsa forma non habeat; non enim productionem illam distinctam terminare posset, nisi singularis foret, itaut singularitatem à forma non reciperet; Quod ex eo etiam confirmatum redditur, quia produci materiam prius naturâ est, quàm produci formam, vnde si non potest esse productionis terminus nisi singularis, ergo etiam prius naturâ singularis erit, quàm forma, & idcirco non poterit à forma singularitatem recipere.

His autem, qui putant satisfieri dicendo, materiam vtique indiuiduam per formam inspectam secundum se reddi non posse, benè tamen per ordinem ad certam, peculiaremque formam posse; eo quòd sicuti materia secundum sui communem rationem respicit formam generatim pariter acceptam, sic & materia singularis, formam particulatim sumptam; his, qui putant, inquam ita dicendo satisfieri, toto quidem aberrant cælo; nam si materia particularis formam sibi particularem determinaret, profectò commune subiectum esse non posset omnium naturalium transmutationum, ad quas est opus, vt idem numero subiectum permaneat sub vtroque cuiusque mutationis termino; nec eadem materia in genito, atque corrupto esse posset. Vt præteream quòd non solum materia generaliter sumpta respicit indiscriminatim quamlibet formam; sed etiam singularis ad singulas formas eandem habet indifferentiam, itaut disiunctim singulas possit recipere, eo quod primum communeque subiectum formarum omnium existit.

Amplius vel physica forma, (de hac enim loquuntur,) est res quædam communis, ac vniuersalis, vel particularis, vel indifferens ad vtrumque. Priori modo perspicuum est, indiuiduationis principium esse non posse; singularitati nanque communitas aduersatur, & eadem forma nequit oppositos essendi modos vniuersalitatis & singularitatis tribuere, quando vniuersalitas illi repugnat. Secundo autem modo nec etiam; sequeretur enim formam non esse principium constituens essentiam specificam, cùm hæc per aliquid particulare constitui non possit; quod eos magis vrget, cùm ijs forma tota substantiæ compositę quidditas videatur, ac ob id multo minus poterit forma esse particularis. Superet Tertius cùm veritate consentiens, at si ita est, vt nimirum forma sit ad vniuersalitatem, & singularitatem indifferens, subindè licet inferre non esse formam indiuiduationis principium, de quo loquimur, videlicet primum, & formale, quod metaphysicum dicitur; sed potius eam indigere aliquo alio, quo tollatur indifferentia ad vniuersalitatem, & singularitatem, proindeque reddatur indiuidua. Quarta ratio.

Multa comminiscuntur, vt huic occurrant difficultati. Quidam enim existimant geminam esse formam recognoscendam, quarum vna vniuersalis constituens speciem, altera particularis constituens indiuiduum. Hæc tamen sunt delirantium somnia, nam vt superiùs ostensum abundè fuit, in omnibus indiuiduis, ac proindè in singularibus quoque formis dantur communes naturæ, vnde sequitur, vt forma singularis tribuere possit etiam gradus superiores, quos in se includit. Aduersariorum responsio. Confutatio.

Alij se difficultatem euasuros arbitrati sunt dicendo, formæ geminam esse notionem quatenus considerari potest prout dat esse essentiæ, atque hunc in modum vniuersalem esse, tribuereque esse specificum, vel prout dat esse existentiæ, & sic esse particularem, ac indiuiduationis principium. Hæc tamen solutio ex eo corruit, quoniam si forma est indiuiduationis principium ad eum, quem explicant modum, materia deberet existentiam à forma mutuari, quod quantùm à veritate distet, in Physicis planum fiet. Ne dicam hinc secuturum ab ipsis propositum non obtineri; contendunt enim singularitatem materiæ haberi per solam formam; deindè addunt id ab eiusdem existentia oriri, & non à formę natura; hoc tamen omisso id solum adnotabo difficultates illas redire in quas incurrunt dicentes existentiam esse indiuiduationis principium; aduersus quos paulò superius disputauimus. Alia aduersariorum responsio. Refellitur. Confirmatio.

Quidam alium dicendi modum proponunt; Hi porrò audiendi non sunt, cùm mordicus hanc opinionem tuentes arbitrentur eam posse sic explicari, vt veritati consona existimetur; dicunt enim formam pluribus realitatibus constare, itaut per aliquas sit communicabilis pluribus, per alias verò non item; sed potius per ipsas indiuidua constitui, ac proinde ex eorum sententia, realitas vltima formæ est principium indiuiduationis compositę substantiæ, itemque materiæ; hoc enim quantum à veritate abhorreat, hinc licebit aduertere; quoniam forma secundum quamlibet etiam realitatem, realiter à materia, & etiam per se sumpta à Reijcitur

De hoc in. fra. compositò distinguitur; At indiuiduationis principium nequit ita distingui ab eo, cuius tale principium est. non igitur materia reddi poterit indiuidua per formam quomodocunque sumptam; Vt præteream quòd illa realitas si formam reddit indiuiduam, certè non poterit indiuiduam quoque materiam constituere, quoniam alterutrum sequatur necesse est; aut nimirum indiuiduationis principium esse commune pluribus, quod eius aduersatur naturæ; aut illa non esse plura, sed indiuiduum vnum.

Hinc nec etiam vltima ista realitas formæ poterit esse principium, vndè substantiale compositum habeat, vt sit indiuiduum; nam hoc non aliud à materia, & forma colectim acceptis & vnitis; quod igitur non est principium indiuiduationis, nisi solius formæ, non poterit esse principium adæquatum vnde composita substantia habeat, vt sit indiuidua.

Difficultates. Primæ ex auctoritate Aristotelis desumptæ. 1. Phys. Tex. 69.

Quæ autem aduersus dicta videntur aliquod habere momentum, paucis perstringam; sunt autem Aristotelis testimonia nonnulla, quibus opposita sententiam probare nituntur, is enim dicebat comparando materiam cùm forma πρὶν λαβεῖν τὴν μορφὴν, οὕτως αὕτη πρὸς οὐσίαν ἔχει, ἢ τὸ τόδε τι, ἢ τὸ ὄν, *antequam formam accipiat sic eadem ipsa ad substantiam, & id quod est hoc aliquid, atque ens,* se *habet*. Vbi per substantiam, & hoc aliquid videtur formam intellexisse.

Respõdeo. Nihil tamen minus in animo Philosophus ibi habuit, quàm formam per illa verba significare, cùm potius compositum ipse intelligendum velit: nam de artefactis loquens, materiam artificialem ad compositum artificiale referebat, inquiens, *vt æs ad statuam*, aut *lignum ad lectum*; vt igitur in eadem persistat analogia debet in naturalibus primam quoque materiam ad naturale compositum referre, quod rectè dicitur *hoc aliquid*, cùm aliquid completum sit, itaut quasi digito possit ostendi, & de hoc propriè dici potest *id quod est*. Nec multùm ijs fauet auctoritas altera, vbi

2. de Anima Text. 1. ille habet λέγομεν δὴ ἓν τριῶν τῶν ὄντων, τὴν οὐσίαν. τούτων δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ καθ' αὑτὸ μὲν οὐκ ἴσως τόδε τι, ἕτερον δὲ, μορφὴν καὶ εἶδος, καθ' ἣν ἤδη λέγεται τόδε τι καὶ χωριστόν, τὸ ἐκ τούτων. *dicimus itaque vnumquodque genus eorum quæ sunt, substantiam. Huius autem aliud quidem sicut materiam, quod secundum se quidem non est hoc aliquid, aliud autem formam, & speciem, secundum quam iam dicitur hoc aliquid; & tertium quod ex his*. Huiusmodi enim verbis ibi minimè significauit singularitatis differentiam, nam cùm ait secundum quam est hoc aliquid, denotare tantùm intendit per formam, quod de materia dici non potest, constitui compositum in determinata specie; siquidem materia ob sui indifferentiam præstare id minimè valet; ac proinde per hoc aliquid non indiuiduum, sed determinatam speciem significare voluit; cùm enim sibi proposuisset substantiam diuidere, atque significare quotuplex ipsa sit, ita loquutus est, vt perinde sit ac si dixisset; ex substantijs vna quidem est indifferens, ac indeterminata, à qua non habetur esse completum determinatæ speciei, & ea quidem materia est; alia verò quæ huiusmodi esse determinatum tribuit, & hæc est forma; & alia demum, quæ ex his duabus consurgit, & hęc est compositum. Et certè mirum quod aduersarijs visus sit Philosophus ibi de indiuiduo locutus, cùm non esset ad rem eo loci de indiuiduo sermonem instituere; quid enim indiuiduum cùm illa substantiæ partitione commune habet? & eodem modo alijs auctoritatibus, quibus vti solent, occurrendum erit.

Difficultates à rationibus petitæ.

Nunc autem si quæ difficultates afferuntur à rationibus deductæ, videamus. Composita substantia vel habet à materia vt sit indiuidua, vel à forma, hæc enim principia sunt, ex quibus illa constat; non à materia, quoniam hæc nequit composito tribuere vnitatem, vel distinctionem specificam; siquidem composita, quæ specie differunt eandem specie materiam habent; proindè nec tribuere poterit vnitatem, vel distinctionem indiuidualem; quod enim vnitatis specificę principium esse non potest, nec etiam numericæ, cum hæc maior vnitas sit. Prima difficultas.

Hæc porrò difficultas multa continet discutienda; breuiter ei tamen occurram dicendo, vt materia facit ad cõstitutionem rei corporeæ, itaut pertineat ad eius essentiam, sic etiam principium esse potest, per quod ab incorporeis, quod est corporeum, distinguatur, adeout non solùm constituto tribuat vnitatem, quatenus facit speciem in se indiuisam, sed etiam quatenus reddit speciem ab alia diuersam; at factâ collatione inter res corporeas, aliter ratiocinandum; nam materia cùm sit pars speciei, & quidditatis rei corporeæ necessariò ad specificam vnitatem eiusdem constituendam concurrit; quia tamen potentialis, ac indeterminatæ partis munere fungitur; ob id ad distinctionem vnius speciei ab alia minimè concurrit, atque adeò tribuit vnitatem dumtaxat eo nomine, quia reddit speciem in se indiuisam, non autem diuersam à quacunque alia; & hæc quantum ad materiam, compositamque substantiam generatim acceptam; si tamen spectetur vt affecta est suâ singularitate, quemadmodum etiam, & forma, nulli dubium quin possit esse principium, ratione cuius composita substantia numero distinguatur ab alia, licet hoc potiori iure forma sibi vendicet, quoniam materia quantumuis singularis existens potest pluribus successiuè compositis substantijs deseruire; hoc tamen modo vtraque pars principium est indiuiduationis Physicum, non Metaphysicum, de quo fit sermo, & hoc certè dissimulare non licet. Perperàm tamen argumentatio concludebat absolutè inferendo, materiam tribuere non posse vnitatem, ac distinctionem numericam compositæ substantię; quia etiam si concedatur id de materia inspectâ secundum se, prout præcisa ab indiuiduali differentia; si tamen consideretur, prout huiusmodi differentiâ affecta, per quam materiæ natura contrahitur ad hanc, & illam materiam singularem, profectò negari non poterit eam compositæ substantiæ Metaphysicum indiuiduationis esse principium, licet ex parte, cùm non sufficiat sola materiæ singularitas, sed requiratur etiam singularitas formæ, itaut substantiæ compositæ differentia ex his duabus singularitatibus consurgat, quemadmodum ex huiusmodi duabus partibus compositio perficitur, ac totum ipsum efflorescit; non igitur sola forma indiuiduationis principium haberi debet, cùm etiam materia huiusmodi sit, sensu tamen iam explicato, nempe ratione suæ indiuidualis differentiæ. Secunda difficultas.

Amplius hunc obijciunt in modum. Quod non potest reddere actu terminatam, vltimòque absolutam naturam, non videtur indiuiduationis principium, cùm huius id sit præstare; at huiusmodi materia est, non enim actu, ac vltimò absolutam reddere naturam potest, cùm ipsa non sit quidpiam actu existens, quippè quæ per se potentia est; materia igitur non poterit indiuiduationis esse principium. At si res ita se habet, proculdubio forma tale principium erit, cùm hęc sit per se actus, cuius est perficere, & absoluere, proindèque naturam terminatam reddere. Tertia difficultas.

Ex dictis huius difficultatis constat solutio; quoniam formam esse id, quod reddit naturam vltimò terminatam, bifariam potest intelligi, vel quòd forma

Digitized by Google

ma sit huiusmodi quatenus principium Physicum, & hoc vltrò fatendum, de quo tamen in præsentia nulla contentio. Vel quatenus principium Metaphysicum, & hoc omninò negandum, si attendatur simpliciter formæ natura; nam alioquin huiusmodi principium esse, licet ex parte, indiuidualem eius differentiam, nemini quidem inficiandum.

Præterea, quo aliquid est terminus generationis, eodem est etiam, & indiuiduum, cùm generationis terminus sit indiuiduũ; sed terminus generationis est forma, siquidem eò natura per generationem tendit, vt formam in materiam inducat; ergo forma indiuiduationis principium erit.

Duplex est generationis terminus, nam vt cùm Scholasticis loquar, vnus dicitur *vt quod* & est compositum; alter verò *vt quo*, & est forma, quæ cùm non fit ex se hæc, sed fiat hæc per propriam differentiam indiuiduationis; ob id non poterit esse vltimus terminus generationis, nisi ratione huiusmodi indiuiduationis differentię, quam ex parte principium esse à quo habet composita substantia, vt indiuidua sit, vltrò concedimus.

Iterum etiam arguunt. Illud est singularitatis principium compositę substantiæ, quod eidem existentiam impertitur, eo quòd nihil existit, nisi singulare sit; sed huiusmodi esse substantialem formam, itaut hæc compositæ substantiæ tribuat existentiam, tanquam certum supponunt; ergo forma principium erit indiuiduationis &c. Facilis tamen responsio, propterea quòd præmissarum vtraque plurimùm à veritate recedit; concedendum sanè nihil posse existere, quin singulare sit; perperàm tamen inde deducitur eodem substantiale compositum fieri singulare, & existens; singularitas nanque existentiam præcedit præcessione naturæ; itaut compositum substantiale prius naturâ sit singulare, quàm existens, ob id falsa maior; & etiam minor si arbitrentur solam formam substantialē composito existentiam tribuere, cùm etiam materia hanc eidem præstet; vtraque enim pars propriâ est prædita existentiâ, quam vtraque etiam composito impertitur; imo existentia istius non alia est ab existentia vtriusq; partis, siquidem ipsum non aliud quidpiam ab illis vnionis nexu coniunctis, & collectim acceptis.

Inde quoque rationem desumunt, quia nisi dicatur sola forma principium, de quo loquimur, concedendum erit ante, & post nutritionem non idem substantialis compositi futurum indiuiduum, quoniam materia fluit, solaque forma numero eadem perfistit; si igitur hinc compositum ipsum non habet, vt sit idem numero, cùm non aliud suppetat à quo id habere possit, certè non idem numero perseuerabit; solam igitur formam principium esse, à quo substantiale compositum habet, vt sit indiuiduum, fatendum erit. Hæc tamen ratio, quam sit ineficax ex eo perspicuum, quoniam supponit omnem formam immunem mortalitate, cùm tamen nulla sit huiusmodi præter animam intellectricem; vt omittam, de more ab ipsis indiuiduationis principium Physicum, cùm Metaphysico confundi, cum tamen de hoc, non autem de illo in præsentia sit sermo. Alienum autem est ab instituto hic in controuersiam vocare, num idem viuens quoad viuit, totoque vitæ cursu idem numero perseueret, hac enim de re alibi disputandum; interim illud omninò certum eandem esse difficultatem de indiuiduationis principio, tam Physico, quàm Metaphysico; nec etiam minus certum ex aduersariorum argumentatione ineptè admodum concludi solam formam esse Physicum principium, & ex ea dumtaxat haberi principium Metaphysicum, quo substanti a composita redditur indiuidua.

Libenter autem rationes alias prætermitto, quibus passim vtuntur; tum quia semper illæ procedunt de indiuiduationis Physico principio, de quo in præsentia non est sermo; tum quia ex paulo anteà disputatis nullius laboris erit illas diluere.

Cùm autem ostensum fuerit, neque materiam solam, neq; solam formam indiuiduationis esse principium; proximè sequitur demonstrandum, nec formam cum materia tale principium esse; Hoc autem indè mihi persuasum, quoniam hîc sermo est non de principio Physico, sed Metaphysico, vt sæpè fuit à nobis inculcatum; itaut propositum sit decernere, quodnam sit formale principium proximum, ac primum, à quo habeat composita substantia, vt sit indiuidua, cuiusmodi nec materiam, nec formam figillatim acceptas principium indiuiduationis esse concluſimus; Nunc autem ijsdem ferè rationibus demonstrabimus formam cùm materia, vel quod in idem recidit, easdem coniunctim sumptas tale principium esse non posse; Nam quod alio indiget, quô tanquam principio primo, ac proximo vt indiuiduum fiat, nequit huiusmodi principium esse, quô substantiale compositum indiuiduum reddatur, quod ex ratione principij de quo quæritur, cuique potest esse perspectum; at commemoratæ partes, vtcunque sumantur, aut videlicet seorsùm, aut coniunctim huiusmodi esse non possunt; non seorsùm, vt superiùs ostensum fuit; nec etiam coniunctim; seorsùm enim non possunt; ergo neq; coniunctim principij de quo fit sermo, poterunt sibi rationem vendicare; proptereaquòd ex huiusmodi coniunctione haud fit, quin forma, & materia indigeat principio, ratione cuius vtraque singularis fiat; proindè forma cum materia non poterit indiuiduationis esse principium, eo sensu, quo hîc illud vsurpandum. Quod autem per coniunctionem non habeatur, quin vtraque alio indigeat, ratione cuius reddatur indiuidua, ex eo planè constat, quoniam per huiusmodi coniunctionem, vtraque deberet aliquid acquirere, merito cuius ambæ essent extra essentiam compositi, hoc enim postulat indiuiduationis ratio; at prædictæ partes tantùm abest, vt per huiusmodi coniunctionem illud acquirant, vt potius dum coniunctę sunt, maximè ad essentiam compositi pertineant; ex coniunctione igitur, neutra acquirit quidpiam, itaut alio non indigeat, ratione cuius indiuidua, singularisque reddatur.

Nec forma cum materia est indiuiduationis principiũ.

Si quæ autem difficultates occurrunt, ex hactenus traditis facilè diluentur, itaut nulla sit, cui citra laborem obuiam ire nequeamus.

SECTIO SEXTA.

An accidentaria forma per subiectum: substantialis verò per materiam reddatur indiuidua.

APpositè formam accidentariam ad subiectum, & substantialem ad materiam, disputationem ineuntes retulimus, quoniam illud interest inter formam accidentariam, & substantialem, quòd illa in materia recipitur, velut in subiecto, hæc autem non item; tametsi nanque materia vtramque substentet, tamen cum forma accidentaria secundarium vnum quidpiam, cum substantiali verò primarium in natura constituit; vnde est, vt respectu illius munere subiecti fungatur, non autem comparatione istius.

Citra quæstionem proposità quædã notantur.

Plerisque visum fuit, sic de re proposita ratiocinandum, vt quemadmodum accidens suum habet esse in subiecto, ita etiam ex hoc, vnitatem, ac multitudinem

Opinio quorundã assumens.

Digitized by Google

nem suscipiat, hæc tamen animaduersione, quòd accidens reddatur indiuiduum, non per id, per quod substantialis forma, quoniam inquiunt, hæc in materia, ac ob id in eo quod est potentiâ ens; illud autem in eo, quod est ens actu, quo nomine substantiale compositum intelligunt, recipitur; quantitatem tamen excipiunt, cùm hanc arbitrentur se ipsâ indiuiduam reddi; ita fit, vt hoc excepto accidente reliqua omnia cuiuscunque ordinis siue nimirùm sint in materiam immersa, siue à materiæ commercio remota, per subiectum indiuidua reddantur.

Opinio negans approbatur. Prima ratio.

Longè tamen lubentius eorum sententiam amplector, qui nullum prorsus accidens per subiectum, nullamque substantialem formam per materiam fieri singularem crediderunt; propterea quòd accidens in subiecto non modo recipitur, sed etiam ab eodem sustentatur; vnde sic mihi licet arguere. Quod recipit, imo etiam sustentat, singulare est: ergo etiam quod recipitur, & sustentatur; vt enim recipiendi, sustentandique munus singularitatem in recipiente, ac sustentante supponit, quod superius etiam aduerti, cùm hinc per formam non posse materiam indiuiduam, singularemque fieri deducebam; sic etiam recipi, & sustentari in ipso recepto, sustentatoque singularitatem supponit. Par enim est ratio; siquidem vtrunque munus naturâ est singularitate posterius; non igitur accidens cuiuscunque sit ordinis per subiectum potest singulare fieri.

Secunda ratio.

Eâ quoque ratione in hanc sententiam adducor; quoniam quandocunq; aliquid non pertinet ad idem genus, ad quod spectat natura contrahenda, non potest esse differentia contrahens comparatione illius; nam ad quod genus pertinet natura contrahenda, ad idem quoque spectat omnis differentia contrahens vsque ad singularitatem; subiectum autem non ita se habet comparatione accidentis, genere siquidem differunt, ac ob id illud respectu istius contrahens differentia esse non potest; sed quod est principium indiuiduationis, prout hoc in præsentia sumitur, contrahens est differentia; ergo subiectum non poterit esse principium, vnde accidens habeat, vt singulare sit, ac indiuiduum.

Confirmatio.

Hoc inde confirmationem desumit, quoniam accidens indiuiduum, puta hæc qualitas, hæc quantitas, hæc præsentia &c. in suo genere est quid per se vnum; quod igitur nequit cùm accidentis natura quidpiam vnum per se constituere, non poterit esse id, per quod ipsa redditur indiuidua; sed nequit subiectum cùm natura accidentis constituere vnum quidpiam per se; ergo subiectum esse non poterit id, per quod accidentis natura constituitur indiuidua. Vt præteream, &

Confirmatio altera.

est altera confirmatio, quòd natura à nulla differentia contrahente potest realiter distingui; quoniam hoc distinctionis genus non intercedit, nisi inter extrema, quorum vtrumque re ipsâ quidem existit; repugnat autem naturæ existere, nisi sit indiuidua; hinc rectè deducitur subiectum haud esse id, per quod accidentis natura redditur indiuidua, cùm accidens saltem quod est res, à subiecto realiter distinguatur. Et eò minus hoc ab aduersarijs dicendum, quoniam ipsis est persuasum, accidentia, quæ res dicuntur, viribus altioris ordinis posse à subiecto seiungi; quod si res ita se habet, non poterit natura huiusmodi accidentis indiuidua per subiectum reddi, cum nulla vi fieri possit, vt communis natura conseruetur existens absque indiuiduali differentia.

Aduersariorum responsio.

Hæc autem cùm oppositæ sententiæ fautores intelligerent, plenè se crediderunt satis facturos dicendo, non sic vsurpandum, cùm aiunt, accidens indiuiduum reddi per subiectum, substantialemque formam per materiam, quasi subiectum sit principium internum, quo accidens, & materia sit, quo substantialis forma redditur indiuidua; sed potius huiusmodi principium esse ordinem accidentis ad subiectum, & formæ substantialis ad materiam, itaut extrinsecùs per subiectum, & materiam; intrinsecùs autem per ordinem prædictum indiuiduatio fiat; proindèque contendunt indiuiduationis principium à se non dici quidpiam spectans ad aliud genus, ab eo, ad quod natura pertinet; nec esse aliquid cùm natura faciens vnum per accidens, nec aliquid realiter ab ipsa natura distinctum.

Hæc porrò quàm sint inconsideratè dicta, nemini quidem obscurum erit, si diligenter aduertat duobus modis eorum assertum intelligi posse, quorum vterq; plurimùm à veritate deflectit, atque recedit. Primo quidem potest intelligi de ordine, siue respectu, qui actu intercedit inter accidens, & subiectum, quem actualem appellant, quique nil aliud, quàm vnio, quâ accidens re ipsa, & actu cùm subiecto iungitur; & hoc minimè dicendum; cùm enim huiusmodi vnio ex rei natura ab accidente distinguatur, eadem prorsus, quas nuper attulimus, difficultates recurrunt; Accedit quòd adhuc assignandum superest per quid hæc vnio debeat indiuidua reddi. Secundo itidem modo potest assertum intelligi de ordine, siue respectu, quem aptitudinalem dicunt, & quia ad accidentis essentiam ex eorum etiam opinione pertinet, & modus hic pariter multùm à veritate abhorret; talis enim ordo cùm reuera non sit distinctus ab accidentis natura, neque ad indiuiduum subiecti sit determinatus; quemadmodum natura accidentis requirit aliquid, ratione cuius indiuidua fiat, sic etiam, & ordo.

Alias autem rationes non minoris efficacitatis, vtpotè afferendas in Metaphysicis, silentio præteribo.

Ex hactenùs traditis non modo constat accidentariæ formæ principium indiuiduationis non esse subiectum; sed nec etiâm materiam formæ, aut modi substantialis tale principium esse, qua de re alibi quoque disputandum. Interim non nullas difficultates in aduersariorum gratiam iuuabit afferre.

Prima autem, & præcipua difficultas, quæ apud aduersarios magni momenti est, ex eo desumitur; quoniam omnis accidentaria forma à substantia suum esse recognoscit: ergo etiam ab eadem habebit, vt sit indiuidua; à quo enim res habet esse, ab eodem etiam habet vt sit indiuidua; Et hoc inde confirmare nituntur, quoniam à quo res habet, vt aiunt entitatem, habet etiam & vnitatem; at verò accidens suam habet à subiecto entitatem, propterea quòd est entis ens; ergo, & vnitatem ab eodem habeat necesse est; itaut qualis est subiecti vnitas, talis quoque sit accidentis.

Si contrariæ tamen opinionis fautores animaduertissent, aliquam dari formam indiuiduam, cuiusmodi est rationalis anima in hominis corpus de cælo delapsa, nullatenus à materia pendens, non tanti fecissent difficultatem allatam; cui tamen obuiam ire facillimum est, propterea quòd argumentationis assumptum concedendum quidem, si illud intelligatur eo sensu, vt accidens à substantia pendere dicatur tanquam ab externa causa, nimirum, vel efficiente, vel materiali, siue subiecto, non autem velut à principio formali, & interno, & quidem proximo, ac primo, de quo in præsentia fit sermo; cùm autem infertur ergo à substantia quoque habet accidens, vt sit indiuiduum; id concedendum velut à principio physico, non metaphysico, vt non semel dictum fuit; tametsi enim, quot sunt rei alicuius causæ, totidem etiam dici possint physica esse principia, à quibus res illa redditur

ditur individua: nulla tamen ex commemoratis causis principium est, de quo loquimur, nimirum quod intrinsecus, & formaliter rem ipsam reddat incommunicabilem pluribus; non enim ad id sufficit accidenti, vt à substantia, subiectoue dependeat, itaut per illud, vel per ordinem ad ipsum reddatur accidens individuum; quandoquidem nihil prohibet ab eodem efficiente, plures numero effectus prodire, & in eodem subiecto si non simul plura accidentia solum numero distincta, vnum saltem post aliud recipi; quod profectò sufficit, nam insulsum foret, existimare hoc accidens individuum reddi per id, ratione cuius individuum reddebatur accidens, quod interitum subijt, hic enim singularitatem intereuntis attingit; Nec satis intelligo quidpiam perire eius individuationis proximo, formalique principio non pereunte.

Quòd si dicant non sat esse accidentia numero distincta simul in eodem subiecto non recipi; sed ne diceretur accidens individuum per subiectum reddi, opus esse, vt simul accidentia dumtaxat numero distincta in eodem subiecto forent. Libenter ab huiusmodi contentione desistam, cùm satis sit, accidentia specie distincta simul in eodem subiecto recipi, quod certè iuxta eorum principia contingere minimè posset; quandoquidem à quo res habet esse, non modo habet vnitatem numericam, sed etiam specificam; quamobrem aduersariorum ratio si quicquam concluderet, certè probaret, non solum accidens individualem differentiam, sed specificam pariter à subiecto recognoscere; & idcircò fieri non posse vt non solum numero, sed nec etiam specie plura accidentia distincta simul in eodem recipiantur subiecto. Hinc palàm est, quâ ratione sit cnnfirmationi occurrendum, ei siquidem non absimili modo fit satis.

Et ex his etiam efficax desumitur ratio à paritate specificæ differentiæ cùm individuali; nam specificam differentiam ac vnitatem, fatentibus etiam aduersarijs, accidens habet ex se ipso, vel per quandam formalem rationem, quæ reuera ipsi est idem; ergo etiam eodem modo differentiam individualem habebit; & ipsis incumbit onus docendi quid in causa sit, cur allata paritas non subsistat. Dicere enim, vt ipsi solent, non idem de vtraque differentia, ac vnitate sentiendum, quoniam accidentia specie distincta, itaut sunt, in subiecto versantur; non sic autem quæ dumtaxat numero discriminantur; non est disparem esse rationem ostendere; dicam enim id ob eam causam contingere, quoniam aliundè prouenit, de quo alibi differendum, vt plura accidentia dumtaxat numero distincta nequeant in eodem subiecta existere.

Arguunt etiam hunc ferè in modum. Nulla forma apta sui naturâ in subiecto recipi ex se individua est, & singularis, sed redditur talis per ordinem ad subiectum recipiens; quoniam omnis forma communicabilis est, nisi à subiecto impediatur, ac limitetur, sic vt in alio subiecto recipi non possit; ergo redditur individua per subiectum.

Diluitur porrò difficultas hæc ad memoriam reuocando, non quamlibet incommunicabilitatem esse individui propriam, sed eam tantummodò quâ ipsum habet, vt alteri communicari non possit tanquam superius inferiori suo; nam alioquin singularitas non excludit communicabilitatem, quâ aliquid est alteri communicabile per modum formæ subiecto, vel materiæ; ita quidem singularis forma substantialis communicatur materiæ, idemque dicendum de accidente respecta subiecti; vnde est, vt aliquid in alio recipi non possit, cùm tamen adhuc individuum non sit; ita quidem materia inspecta simpliciter habet, vt in subiecto, vel in materia minimè recipi possit, nec subinde concludere licet, eam esse individuam. Negandum igitur assumptum, & ad eius probationem respondendum, verum quidem esse, quod omnis forma sit communicabilis alteri tanquam subiecto, nisi ab hoc ipsa limitetur, ac impediatur quo minus in alio subiecto recipiatur; falsum tamen omnem formam huiusmodi esse respectu inferioris, nempè vt illi communicari possit, nisi à subiecto impediatur; quoniam habet non à subiecto id, sed à realitate quapiam, in qua individualem differentiam consistere, & metaphysicum principium individuationis positum esse, paulo infra dicturi sumus.

Tertia difficultatis.

Id, à quo habet accidens vt sit materiale, est etiam à quo habet vt sit individuum, siquidem individualis differentia non formalis, sed materialis perpetuò dici consueuit; at verò subiectum est id, à quo accidens habet vt sit materiale, reddaturque incommunicabile alteri per modum formæ; ergo accidens à subiecto habet vt individuum sit. Hoc etiam ex eo confirmant, quoniam contractio per individualem differentiam summa quidem est limitatio, quam communis natura habere possit; sed hanc accidentaria natura non nisi per subiectum consequitur; quoniam omnis actus, qualis est forma accidentaria, limitari formaliter debet in ratione actus per potentiam, in qua recipitur, talique actui potentia respondens, est potentia subiecti; ergo accidentaria forma singularitatem, seu differentiam individualem à subiecto recipit.

Confirmatio.

Superioris argumenti vim infringere licebit aduertendo gemino modo posse accidens materiale dici, vel quatenus non potest alteri subiecto communicari per modum formæ, & hoc vtique à subiecto habet; vel quatenus nequit communicari tanquam superius inferiori, & hoc non à subiecto, sed ab individuali obtinet differentia, quam materialem esse dicendam superius aduertimus; argumenti igitur assumptio iuxta priorem sensum concedenda; iuxta posteriorem autem neganda, quantum ad primam partem è duabus, quibus illa constat, qua dicitur accidens à subiecto habere, vt materiale sit; de secunda verò nulla difficultas.

Difficultatis solutio.

Eâdem facilitate confirmationi fit satis; negatâ siquidem eius propositione minori, ad eius probationem dicendum vtique limitationem accidentariæ formæ in ratione actus informantis haberi per potentiam subiecti, in quo recipitur; non tamen in ratione communis, vniuersalisue naturæ, cùm huius limitatio ab individuali differentia proueniat.

Confirmationi occurritur.

Præterea duo sunt, quorum alterutrum necesse est recognoscere tanquam primum principium, à quo proueniat singularitas accidentis; quorum vnum est ipsamet accidentaria forma, alterum verò subiectum; at primum dici non potest; ergo secundum est asserendum; sed primum dici non posse ex eo liqueat, quoniam individui, singularisque ratio postulat, vt nec sit in subiecto, nec de subiecto prædicetur, quod cùm ab huiusmodi forma expectari non possit, eo quòd sui naturâ petat in subiecto esse, & de eodem prædicari; superest vt solùm petendum id sit à subiecto, velut à primo principio, itaut hinc habeat accidens vt non sit in subiecto, nec de subiecto quopiam prædicetur, cùm accidens per subiectum reddatur incommunicabile cuicunque alteri subiecto tum in essendo, tum in prædicando.

Quarta difficultas.

Diluitur autem superior difficultas negando minorem propositionem, & ad eius probationem dicendo, propositionem maiorem esse veram de subiecto prædicationis non inhæsionis, eodemque modo di-

Dilutio.

stin

stinguenda minor ciusque probatio. Falsum enim ab huiusmodi forma secundum vltimam realitatem inspecta expectari non posse, vt ipsa nec sit in subiecto, nec de subiecto dicatur, loquendo de subiecto prædicationis, etsi de subiecto inhæsionis negari minimè possit.

Quinta difficultas. Quidam autem ex aduersarijs cùm aduerterent optimè dilui difficultates quibus alij credebant sufficienter ostendi singularitatem accidentis, vel à subiecto vel ab ordine ad ipsum desumi, quando tamen accidens fuerit realiter à subiecto distinctum, cuiusmodi est accidens, quod dicitur res; proinde concedentes opinionem illam esse falsam quantum ad hoc accidentis genus; ad aliud tamen quod spectat, quodque non res, sed modus rei, veram esse propugnarunt, eâ ratione ducti, quoniam huiusmodi accidens, vt ipsi dicunt non ita distinguitur à subiecto, vt aliud sit esse accidentis, & aliud esse subiecti; cùm igitur non habeat esse proprium distinctum ab esse subiecti; consequens sit, vt non habeat singularitatem propriam distinctam à singularitate subiecti; optima quidem deductio, cùm eatenus credendum sit accidens propriam singularitatem sibi vendicare, quatenus accidens entitatem habet distinctam ab entitate subiecti; at verò huiusmodi accidens non habere esse proprium distinctum ab esse subiecti, quod erat argumentationis assumptum, ex eo probare nituntur; quoniam tale accidens quando haberet esse distinctum ab esse subiecti non modus rei, sed potius res dici deberet, ac ob id inter ipsum, & subiectum realis intercederet distinctio, cùm tamen sola modalis esse supponatur; nec necessariò peteret affixum esse rei, cuius est modus, cùm tamen eius naturam in hoc positam esse supponendum sit.

Solutio. Mirùm sanè quòd hâc solâ ratione moti contrariam sententiam amplexi sint, modus enim etsi necessariò sit affixus rei, cuius est modus, non propterea destitutus est propriâ essentiâ, & existentiâ, itaut essentia, & existentia ipsius non alia sit ab essentia, & existentia rei, cuius est modus; alioquin non foret rei modus, sed res ipsa, vnde idem foret modus sui ipsius, quod quam ineptè sit dictum neminem fugit; vnde alia est entitas præsentiæ per quam res est alicubi, & alia entitas eiusdem rei; quamobrem falsum assumunt; nec assumpti probatio alicuius est momenti, propterea quòd modum rei non dici rem, non ex eo proficiscitur, quia modus non habeat entitatem distinctam ab entitate rei cuius est modus; sed quoniam, cùm modus accipitur prout à re distinguitur, sumitur rei nomen strictâ quadam vsurpatione, ad significandum id quod vt existat in natura rerum nõ indiget alio, cui necessariò sit affixum, cuiusmodi certè non est modus, cui tamen rei nomen accommodatum erit, si hoc accipiatur ampliori quadam significatione, videlicet ad denotandum quicquid propriam habet entitatem, siue se solo in natura possit existere, siue non. Et certè huius entitatem esse distinctam ab entitate rei cuius est modus deprehendere facilè potuissent, vnicâ tantùm animaduersione, scilicet considerando, quòd si modus necessariò est affixus rei, cuius est modus, itaut sine ipsa minimè possit consistere, res tamen ipsa potest sine illo modo existere; hoc enim argumento est aliam esse entitatem modi, & aliam rei, alioquin res posset esse sine se ipsa; quod autem modus nequeat esse sine re provenit ex imperfectione ipsius, non autem ex eo, quod entitas eius alia non sit ab entitate rei;

Relationes, quas prædicamentales appellant, nulle sunt. Quòd autem de accidentibus respectiuis hoc idem affirment, nimirum hæc indiuidua reddi per subiecta, quibus insunt, molestum mihi non est; cùm huiusmodi accidentia, qualia ipsi putant relationes, quas prædicamentales appellant, commentitia penitus existimem, qua de re suo loco disputandum.

Nec audiendi sunt, qui putant affectionem, seu proprietatem cuiusmodi est risibilitas in homine, & habere tres angulos æquales duobus rectis in triangulo, tale esse accidens, quod per subiectum, vel per ordinem ad ipsum singularitatem aequirat; perperàm enim existimant rei proprietatem esse formam accidentalem eidem superadditam, itaut inter proprietatem & id, cuius est proprietas, realis intercedat distinctio, cùm inter hæc solùm distinctio rationis cadat, licet cùm fundamento in re, vt propterea dicenda sit rationis ratiocinatæ; quæ cùm in duplici possit esse discrimine, quarum vna perfecta, altera auctem imperfecta, de quibus paulo infra verba facturi sumus; cogitandum proprietatem perfectâ distinctione rationis à subiecto suo distingui; quoniam si explicetur subiecti natura, in eius essentiali conceptu proprietatis ratio non inuoluitur; quòd si proprietas definienda sit per subiectum, nihil refet, cùm huiusmodi definitio quidditatiua non sit, sed per additamentum tradita tanquam per aliquid non inclusum in essentiali proprietatis conceptu; non maior igitur distinctio, quàm rationis inter proprietatem, & subiectum. Quòd si res ita se habet, non est laborandum in inquirendo principio formali proximo, ac primo, de hoc enim sermo est, merito cuius proprietas indiuidua redditur, cùm illud non aliud ab eo, quo subiectum constituitur indiuiduum.

SECTIO SEPTIMA.

Quid nam reuera existimandum principium, ratione cuius quælibet res creata redditur indiuidua.

EX hactenus dictis facilè constat non aliter assignandum esse proximum formaleque principium indiuiduationis, nisi vno eodemque modo de rebus omnibus creatis dicendo, omne singulare indiuiduum reddi per sibi positiuam intrinsecam differentiam, per quam formaliter constituatur indiuisibile in plura numero distincta, tanquam in partes subiectas, de quibus prædicari possit prædicatione dicente hoc est hoc. Cogitandum enim, vt natura generica per specificas differentias ad species contrahitur, sic specificam per differentias numericas ad indiuidua cõtrahi; vtque differentia specifica naturæ genericæ, sic specificæ naturæ differentiam numericam quid reale positiuum superaddere; hæc igitur realitas positiua, addita naturæ dicitur indiuidualis differentia contrahens naturam ipsam ad hanc, & illam; adeò nimirum vt hæc sit, quæ constituit rem singularem indiuisam in se, & diuisam à quouis alio; non aliud igitur indiuiduationis principium, quàm commemorata differentia indiuidualis, quę communi nomine solet apud omnes singularitas, vel indiuiduatio nuncupari, quæ græcè μόνωσις diceretur, quatenus rem, in qua est singularem, indiuiduam, & incommunicabilem reddit. In vnaquaque re creata recognoscenda est metaphysica compositio ex gradibus genericis, specificis, ac differentijs contrahentibus, vt propterea concedendæ sint in re quacunque metaphysicæ quædam realitates, quæ etsi non distinguantur actu ex rei natura, vt aliquibus visum est, saltem virtute in re, & actu per intellectum distinguuntur; ex ijs porrò quædam magis, quædam minus communes sunt, aliæ verò ita sunt alicuius naturæ, quam constituunt, peculiares, ac propriæ, vt alij conuenire minimè possint. Quæ prioris

tunt

sunt generis essentiales, & quidditatiuæ dicuntur, & prout magis, & minus communes, sunt genericæ, vel specificæ nuncupatur; posterioris autem generis indiuiduales, ac vltimò determinantes appellantur; quidditatiuæ, ac essentiales vlteriorem determinationem per aduenientes differentias patiuntur, vt propterea determinabiles appellari consueuerint; at verò indiuiduales sic vltimò determinant naturas, quibus aduenium, vt vlteriorem determinationem non admittant; ex quo vltima realitas, quæ scilicet vltimò contrahit omnes gradus in recta categoriæ linea contentos, nempè generícos, & specificos, quæque cum illis omnibus indiuiduum, singulareque constituit, indiuidualis dicitur differentia primò, & per se prorsus incommunicabilis, hoc est tanquam superius inferiori, ac ob id indiuiduationis principium; quæ de re quacunque debent intelligi, ita nimirum vt vltima formalitas vniuscuiusq; rei sit principiũ indiuiduationis eiusdem, siue re ipsâ fuerit simplex, siue composita siue completa, siue incompleta, siue substantialis, siue accidentariæ naturæ.

Hæc forsan per comparationem cum differentia specifica, vt initiò etiam innuimus, clariùs intelligentur. Vt enim differentia specifica potest ad tria referri, nimirum ad id, quod infra se, ad id quod supra se, & ad id, quod iuxta se habet; hoc est ad superius, ad inferius, & ad æquale; sic indiuidualis quoque differentia.

Si autem differentia specifica referatur ad inferius, sic illi per se primò diuidi repugnat in plura, quę essentialiter, & specie distinguantur, vt per ipsam repugnet speciei in plura specie distincta diuidi posse; non absimili modo si indiuidualis differentia referatur ad inferius, sic illi per se primò repugnat in plura diuidi, quæ numero differant, vt per ipsam quoque repugnet indiuiduo in plura numero distincta diuisionem subirę. Hæc igitur paritas inter differentiam specificam, & indiuidualem; disparitas tamen in eo quòd specificæ differentiæ non repugnat simpliciter omnis diuisio, cùm numericam admittat; huic autem omnis aduersatur diuisio, omnemque diuisionem respuit, vt propterea vnitas numerica dicenda sit maxima omnium vnitatum; specifica autem non item. Præterea si differentia specifica referatur ad superius, nimirum ad genus; tunc habet rationem actus perficientis; genus verò potentiæ perfectibilis; realitas enim, à qua sumitur genus potentialis est ad illam, à qua differentia specifica desumitur, ex his enim duabus formalitatibus metaphysica fit compositio, in qua genus se habet vt potentia; differentia verò, vt actus: illud vt perfectibile: hęc autem vt perfectiuum, speciem hoc est compositum metaphysicum constituunt; & ita quidem, vt si genus fuerit stricta significatione sumptum, non inuoluatur in ratione differentiæ, nec vicissim hæc in ratione illius. Eodem itidem modo indiuidualis differentia, si referatur ad superius, nimirum ad naturam specificam, quam contrahit ad esse indiuiduum, tunc se habet ad eam vt actus determinans, atque perficiens ad entitatem potentialem, atque determinabilem; quemadmodum enim specifica differentia contrahit, determinatque generis formalitatem ad speciem: ita pariter indiuidualis differentia specificam naturam ad indiuiduum contrahit, atque determinat. Et hæc alia paritas inter specificam, & indiuidualem differentiam, non sine tamen disparitate; quoniam differentia specifica in esse specifico, & quidditiuo; indiuidualis autem in esse numerico, materialique constituit. Neque mirum, quoniam formalitas, à qua differentia specifica desumitur communis est, atque compositum in esse quidditatiuo constituit, sed formalitas à qua indiuidualis differentia sumitur, est extra quidditatem, cũ ex se sit singularis; quidditatis enim, ac essentiæ nomine ratio quidem intelligitur, quæ pluribus communicari potest. Ad extremum si specifica differentia referatur ad æquale, nimirum ad differentiam specificam oppositam sic se habet, vt ab illa primò diuersa sit; ita pariter, si indiuidualis differentia ad aliam pariter referatur sic se habet, vt ab ea sit primò diuersa. Hoc autem quâ ratione sit vsurpandum, alibi docebimus; sat enim hic adnotasse, dum differentiæ suo funguntur munere constituendi faciendique differre, perinde esse, ac si in nullo conuenirent, ex quo dicendæ sunt primò diuersę ad id enim conuenientia, vel eius negatio nihil conducit.

Rectè sic fuisse explicatum indiuiduationis principiũ pluribus rationibus ostenditur

Rectè autem sic explicatum fuisse principium indiuiduationis, de quo fuit initiò suscepta disputatio, ex eo mihi suadeo; quoniam singularis natura positiuum quidpiam naturę specificæ superaddit, vt sit re minimè distinctum, quod cùm naturam contrahat ad esse hanc, & illam, scilicet ad hoc, & illud indiuiduum procul dubio debet indiuiduationis principium appellari, paritate desumptâ à differentia specifica relata ad genus, quod contrahit, & ad speciem, quam constituit; quemadmodum enim specifica differentia eo quòd genus determinat ad certam speciem, quam ipsa constituit, specificationis principium appellatur: eodem itidem modo, quoniam indiuidualis differentia, propterea quòd contrahit specificam naturam ad certum indiuiduum, quod constituit, principium indiuiduationis mereretur nuncupari, itaque ratio in eo posita est. Differentia specifica dicitur specificationis principium, ergo etiam indiuidualis differentia debet indiuiduationis principium appellari. Accedit quod hæc naturam vltimò determinat, redditq; penitus incommunicabilem; Hæc est ratio, quâ indiuiduum vnum extrinsecùs ab alio distinguitur, cùm per ipsam intrinsecùs quoque constituatur, idemque sit principium constitutionis, ac distinctionis. Hæc est itidem ratio, quâ indiuiduum naturam excedit seu quâ abundat à specie. Hæc tandem ratio, quam vnitas numerica consequitur; non immeritò igitur differentia indiuidualis principium indiuiduationis dicetur.

Vnde in diuidualis differentia sumatur

Hæc autem vnde sumatur differentia maximè controuersum, cùm quidam dixerint à materia desumi saltem signata, quod superiùs reiecimus; & quidam à veritate alienum ostendimus cùm indiuidualis differentia, sit etiam in ijs agnoscenda, in quibus nulla est ex hisce partibus compositio. Admittendum tamen à forma desumi, hoc nomine intelligendo totam indiuiduí naturam, cùm hæc per quandam eius vltimam formalitatẽ indiuidua reddatur; Vt enim in specie duas formalitates agnoscimus, potentialem vnam, & actualem alteram, dicimusq; à tota specifica natura rationem generis differentiæque desumi, secundum tamen diuersas eius formalitates, videlicet rationẽ generis à formalitate potentiali, differentiæ verò ab actuali; non dissimili modo nobis dicendum à tota natura indiuiduata sumi rationem speciei, ac indiuidualis differentiæ, in ea quidem agnoscendo geminam formalitatem, scilicet potentialem vnam, & actualem alteram, à quarum prima speciei ratio, ab altera verò ratio indiuidualis differentiæ sumatur. In hoc tamen cautè philosophandum, cùm non planè constet, quomodo huiusmodi rationes inuicem comparatæ se habeant, an scilicet speciei ratio perfectâ vel imperfectâ præcisione ab indiuiduali differentia distinguatur, de quo paulò post rediturus est sermo; solùm interim adnotabo non leues esse coniecturas, quibus colligi potest

Quædam notata dignã.

inter commemoratas rationes præcisionem dumtaxat imperfectam cadere, itaut cùm intellectus concipit individuum puta Socratem, non concipiat quidpiam nullo modo conceptum, cùm hominem intelligeret, sed solùm clarè cognoscat, quod prius confuso modo conceperat. Adhuc tamen superior doctrina subsistit, cùm realitates illas in eadem natura inueniri gemino modo possit intelligi, vel actu distinctas, vel virtute tantùm in re, & formaliter per intellectum, & hoc rursus bifariam, vel perfectâ, vel imperfectâ præcisione distinctas.

Difficultates aduersus dicta proponuntur.

Difficultates, quibus ex aduersarioriorum opinione laborat sententia, quam propugnandam de principio individuationis assumpsimus, sunt magna ex parte sequentes.

Prima difficultas.

Hæc individualis differentia aut est quidpiam diuersum à materia, & forma signatis, aut non; si secundum id planè est, quod volunt; si primum aut substantia, aut accidens, aut nihil; si nihil pro nihilo habendum; si substantia, aut materia, aut forma, aut compositum, cùm hæc sit adæquata substantiæ in eas, quas habet subiectas partes, distributio; non materia, vel forma ex hactenus disputatis; ergo compositum; proindè compositum erit se ipso individuum, quod non admittimus. Si accidens aut respectiuum, aut absolutum; non primum quoniam est naturâ posterius quolibet absoluto; ergo secundum. At si ita res est, cùm inter accidentia absoluta nullum appareat, quod potiori iure dici possit individuationis principium, quàm quantitas; consequens fit, vt quantitati huiusmodi principij ratio tribui debeat; vnde concludunt aut opinionem à nobis propugnatã inanem esse, aut nos ita philosophantes ab ipsis non dissentire, sed potius aliquem ex nuper confutatis dicendi modis amplecti.

Quorundam responsio.

Qui dicunt ens formaliter in individuali differentia non includi, eo quòd hæc conceptũ habeat simpliciter simplicem, affirmant etiam individualem differentiam non includere formaliter partes subiectas entis, proindè neque substantiam, neq; accidens; adhuc tamen realiter, ac identicè vnum, vel alterum esse, ac proinde quæ differentia individualis determinat substantiam ad esse individuale, realiter, & identicè substantiam esse; & illam, quæ determinat accidens, esse realiter, ac identicè accidens, adeout individualis differentia talis identicè sit, qualis est natura, quam contrahit, atque determinat; ac obid in accidentibus relatiuis identicè relatiuam, in absolutis absolutam esse; quamobrem ex eorum opinione in substantiæ categoria si accipiatur substantia non vt natura, & quidditas, hoc enim modo nullam inuoluit singularitatem, sed vt ens vltimam actualitatem importans; differentia individualis est identicè substantia, quę est forma, & substantia, quæ est materia, & substantia tandem, quæ est compositum; ita quæ cùm istorum quodlibet, naturâ determinabile sit per aliquas vltimas realitates actuales, quæ sunt realiter eædem determinabili naturæ; consequens fit, vt individualis differentia, quæ talis est realitas vltima, sit identicè, & forma, & materia, & compositum, quod quidem realiter individuum esse concedunt, non tamen se ipso formaliter, & per suam essentiam, sed per aliquam realitatem illi superadditam per se primò incommunicabilem.

Refellitur.

Hæc tamen responsio, meâ sententiâ, continet falsa permixta veris, ex quo partim ab ipsis dissentio; partim verò ijsdem assentio. Quatenus enim dicunt nec rationem entis, nec alicuius ex subiectis partibus eiusdem in individuali, numericaque differentia includi, eo quòd differentiæ individualis conceptus sit simpliciter simplex, ineptè mihi videntur ratiocinati; nam etsi concedendum id sit de conceptu, vt loquuntur, explicito, non tamen de quocunque conceptu concedi debet; qua de re postmodùm est disputandum, ac simul aperiendum, quo sensu vltimæ differentiæ conceptus simpliciter simplex dici debeat; quatenus autem affirmant individualem differentiam ad idem spectare genus, ad quod pertinet natura, quam contrahit, optimam sententiam secuti, atque adeò propiùs ad veritatem accessisse mihi videntur. Itaque differentia individualis substantialem contrahens naturam, substantialis est, quoniam reuerà idem est ac ipsa natura siue ab illa dicatur distincta formaliter citra quodlibet opus intellectus, siue virtute tantùm in re, formaliter autem per intellectum: quòd si ita dicatur distingui; rursus siue perfectâ siue imperfectâ præcisione credatur esse distincta, prout suo loco, quid de huiusmodi distinctione dicendum sit, decretum à nobis fuerit. Hæc de individuali etiam accidentis differentia intelligenda volumus. Itaque singularitas materiæ dicenda est realitas eiusdem, ac ob id substantialem redolens naturam, idem de singularitate substantialis formę dicendum; singularitas autem compositi non alia à singularitatibus partium. Eodem modo singularitas quantitatis eiusdem naturam sapit.

Secunda difficultas.

Quidam ex aduersarijs nostram sententiam eo nomine detestantur; quoniam ex ea magnum deducatur absurdum, videlicet in composito physico tres esse singularitates, materiæ, formæ, atque compositi; ac ob id tria individua; hoc autem absurdum esse ex eo probare nituntur, quoniam inde sequeretur in composito plures esse concedendas existentias, cùm quodlibet individuum propria sit existentia præditum: Sequeretur etiam formam remotè, ac mediatè vniri materiæ, medio scilicet illius realitatis, quæ singularitas à nobis dicitur; cùm hæc intimior sit formæ, quàm vnio; Sequeretur denique materiam spoliatam omni formâ ne dum esse in actu entitatiuo, sed etiam formali, quoniam materia separata ab omni forma suam haberet singularitatem, quæ illam determinaret; determinare autem munus est actus formalis.

Difficultatis solutio.

Nullum tamen absurdum sequitur ex ea, quam tuemur, opinione; nam quemadmodum compositum constat ex partibus componentibus, à quibus vnitis, atq; collectum acceptis non distinguitur, ita necesse est singularitatem ipsius, vt non semel aduertimus, à singularitatibus partium non esse distinctam: itaut singularitas eius non aliud sit quidpiam à singularitatibus istarum, dummodo tamen hæ vnitæ atque coniunctim acceptæ sint. Vtque totum est quid completum quælibet verò partium aliquid incompletum; ita singularitas illius completa erit, vt quælibet autem singularitas partium incompleta; inde fit vt in substantiali composito tria sint individua, è quibus duo quidem incompleta, videlicet singularis materia, singularisque forma, aliud autem completum, ac absolutum ex duobus illis incompletis consurgens, cuiusmodi est compositum ipsum. Neque hoc mirum videri debet, nam si compositum generatim sumptum constat ex partibus itidem generatim acceptis, ita tamen, vt non sit aliud ab his vnitis, & collectim sumptis, ac proinde quod est re verâ compositum, ita se habeat, vt in eo detur esse totius, & esse ambarum partium, illud idem constituentium his omnibus acceptis in vniuersum; ita par est, vt compositum singulare, & individuum ex partibus efflorescat, quarum vtraque individua sit, ac singularis; neque hinc vllum sequitur absurdum; non enim illud, quod ipsi primo loco

nobis

nobis exprobrant, scilicet plures esse concedendas existentias eadem in re composita; si tamen huiusmodi existentiæ incompletæ dicantur; cùm enim vtraque partium propriam habeat essentiam, & existentiam incompletam, & vtraq; in composito debeat existere, quid mirum si in eodem composito gemina sit existentia partium, quarum vtraque incompleta sit, è quibus vnica totius completa quidem resultet? Imo foret absurdum oppositum; quid enim absurdius, quàm compositum existens ex non existentibus coalescere? Nec etiam absurdum aliud secundo loco allatum; adhuc enim forma nullo intercedente medio, præter vnionem, dicitur vnire materiæ, & vicissim, etsi vtraque propriâ prædita sit singularitate; quoniam hæc non est res quædam ab essentia formæ, vel materiæ distincta, sed potius realitas, & formalitas, quæ vel non distinguitur ex rei natura ab essentia, vt nobis magis probatur, vel si distingueretur minor foret distinctione reali; Nec demum sequitur tertium absurdum, quoniam indiuidualis differentia non physicus, sed metaphysicus actus est, cuius est quidem determinare; at determinatio ab actu proueniens duplex est, vt duplex actus; vna enim est determinatio physica ab actu physico proueniens, cuius est determinare materiam indifferentem ad plura composita physica, quorum quodlibet ab huiusmodi actu, nimirum à forma habet specificum esse distinctum ab esse reliquorum; physicè quidem, quâ pars est physica; metaphysicè verò quatenus pluribus formalitatibus constat, è quibus cùm aliquæ communes sint, alia verò nequaquam, hæc planè illa, quę vt indiuiduum, ex partè, præcipue tamen constituit componitque metaphysicâ compositione, sic etiam metaphysicè determinat atque distinguit.

Solutionis pugnantia. Nec ægrè tibi ferendum plures à nobis indiuiduales differentias in composito recognosci, quòd existimes totius vnicam sufficere; propterea quòd vbi sunt plures & entitates physicæ, quarum quælibet suam habet quidditatem pluribus communicabilem; ibi quoque plures singularitates adesse, quibus illæ quidditates contrahantur, necesse est; si igitur in composito physico plures sunt entitates, quarum quælibet suam habet quidditatem pluribus communicabilem; in eodem quoque fatendum erit plures singularitates reperiri; sed hac de re non vnus potest esse ratiocinandi modus. Si nanque compositum physicum, præsertim substantiale, quidpiam importaret distinctum à partibus componentibus quantumuis vnitis, & collectim acceptis; vt in eo daretur & totius, & vtriusque partis materiæ, & formæ quidditas, sic etiam concedenda foret, & singularitas totius, & partis vtriusque singularitas, ita tamen vt totius singularitas esset completa, partis autem vtriusque singularitas incompleta. Nec mirum existimandum; cuilibet enim quidditati communicabili singularitas debet respondere; Neque hinc vllum incommodum, nam vt vna foret communicabilis natura totius completa quidem, ac absoluta; sic etiam vna completa singularitas; vtque gemina pars, ac ob id gemina quoque natura communicabilis, & quidem incompleta, sic etiam duplex incompleta singularitas. At si quod longè magis rationi consentaneum existimo, totum compositum physicum etiam substantiale, nam de reliquis nulla ferè difficultas, non est aliquid realiter à partibus vnitis, & collectim acceptis; proculdubio singularitas totius eadem erit, quæ singularitas partium; itaut ex his illa consurgat, & coalescat.

Nec ex his deducas velim singularitates quoque multiplicandas iuxta multitudinem formalitatum vniuscuiusque rei, veluti sunt gradus, quos metaphysicos appellant; de his enim non idem ac de physicis entitatibus ferendum iudicium; quandoquidem singularitas, siue indiuidualis differentia proximè debet afficere gradum, naturamue determinatam, vltimòque completam essentialiter, cuiusmodi est gradus specificus, eo quòd ipsa materialiter tantùm perficere apta est, itaut natura specifica sit illud perfectibile, cui tanquam actus proximè perficiens differentia indiuidualis accommodata sit; vtque gradum specificum proximè, ita superiores remotè quidem afficit; inde est, vt pro multitudine formalitatum, ac graduum singularitas multiplicanda non sit, sed vna sufficiat; quæ cùm de physicis entitatibus dici non possint, ob id de ipsis non eodem modo sentiendum; quælibet enim entitas physica suam habet essentiam, & existentiam; itaut vnam entitatem ab alia separari non repugnet; ac proinde consequens sit, vt cuique ipsarum propria conueniat singularitas.

Tertia difficultas. Sic etiam in aduersariorum gratiam argumentor. Vel indiuidualis differentia realiter à natura distinguitur, vel non; primum à nobis dici non potest, cùm nuper oppositum fuerit inculcatum; ergo secundum; at si ita est, sequitur naturam se ipsâ quidem indiuiduam reddi, & idcirco eam esse essentialiter hanc, quod non admittendum sæpe sæpius asseruimus. Facilè tamen fit satis concedendo naturam dici posse se ipsâ indiuiduam fieri, dummodo reddatur sensus, id non contingere per aliquid realiter ab ipsa natura distinctum; secus si intelligatur, non per aliquid formaliter distinctum ab illa; sat autem ipsam non dici redditam indiuiduam, per suam rationem formalem, ne dicatur se ipsâ indiuiduam fieri. Vt natura humana fit in Socrate indiuidua non per quidpiam re ab ipsa natura distinctum, ex quo dici potest illam se ipsâ singularem fieri: redditur autem indiuidua per aliquid formaliter tantùm distinctum ab ipsa, quo pacto dici potest eam se ipsâ indiuiduam non fieri.

Responsio difficultatis.

Quarta difficultas. At quanta sit huiusmodi distinctio inter naturam, & singularitatem intercedens, paulò infra explicandum. Interea pro comperto habendum distinctionem hanc virtute dumtaxat in re: actu verò per intellectum esse.

Amplius admissâ hâc peculiari singularitatis entitate; sequeretur aliquo corpore diuiso in partes, vtpote aqui in plures, pluresque guttas, tot entitates nouas enasci, quot guttæ extiterint, totidem etiam interire, quot ipsæ fuerint, dum ex ijsdem vnitis integra consurgit aqua, quod alienum à veritate quisque fateatur necesse est, cùm per huiusmodi diuisionem vel coniunctionem creditu difficile sit aquam generari, & corrumpi; quod tamen asserendum foret; nisi quis existimet eandem aquam, neque corruptam, nec ad nihilum redactam posse, modò eandem differentiam indiuidualem accipere, modò autem amittere; quod quàm ineptè sit dictum ex eo planè constat, quoniam inde sequeretur absurdum, scilicet rem eandem persistentem in esse suo, modò esse hanc, modò non item. Nullius autem laboris hisce nugis occurrere; nec enim ex diuisione totius in plures partes, plures acquiruntur indiuiduales differentiæ, nec ex earundem coniunctione plures intereunt; eadem enim differentia indiuidualis constituit partem alijs vnitam, & ab ijsdem seiunctam; partes enim illæ diuisæ eædem sunt, quæ prius erant vnitæ; vtcunque enim modo se habeant, perpetuò suam vnitatem, ac distinctionem entitatiuam seruant; proindeque suas differentias indiuiduales retinent; solùmque variatio quædam vnitatis, vel distinctionis quantitatiuę contingit, non ab aliqua singularitatum variatione, sed aliundè proueniens; ex eo nimirum, quia dum partes vnionis nexu copulantur, dicuntur totum integrale constituere, secus autem

Solutio.

disiunctæ ac separatæ; adhuc enim vnitæ sunt entitatiuè distinctę, licet quantitatiuè, & vt integrantes, vnum constituant totum; separatæ autem eædem remanent, quæ priùs in toto; neque tunc nouas singularitates acquirunt entitatiuas, sed dumtaxat quantitatiuas, quatenus destitutæ nexu cum reliquis, non sunt amplius actu partes integrantes.

Adnotatio. Cæterum vsus sum exemplo ex aqua desumpto, non quia mihi sit persuasum aquam esse continuum quidpiam, cùm potius ab hac opinione dissentiam: quæ de re in Physicis futura est disputatio; sed ne à communi vsu recedam; eo vel maxime quòd in exemplis non veritas, sed claritas, attendi debet, quod non multò ante pariter insinuaui.

Quinta difficultas. Alij verò minus rationi consentaneam nostram sententiam existimant, quoniam indiuiduales differentię creduntur à nobis intrinsecæ quidem indiuiduis; at quæ per huiusmodi differentias distinguuntur, essentialitèr differunt; ob id sequeretur dicendum, indiuidua eiusdem speciei inter se essentialiter differre.

Prima cõfirmatio. Tum quia, quæ differunt plus quam proprijs, & specialibus accidentibus, differunt essentiali, atque specificâ differentiâ; at si indiuidua eiusdem speciei differunt singularitatibus explicatis iuxta prædicta, differunt pluſquam proprijs, & specialibus accidentibus; ergo indiuidua eiusdem speciei differant essentialiter, oportet; Maiorem probant ex doctrina Porphyrij distinguentis differentiam in communem desumptam scilicet ex accidentibus communibus; propriam desumptam ex proprijs ad secundum per se dicendi modũ spectantibus; & proprijssimam desumptam ex prædicatis internis ad primum modum dicendi per se attinentibus, ac ob id ex prædicatis essentialibus, ac specificis at indiuidualis differentia iuxta nostrum dicendi modum explicata, non ad primum, nec ad secundum è tribus generibus differentiæ commemoratis referri potest, cùm vtrumque è nostra sententia præcedat; ergo referatur ad tertium necesse est; vndè consequens fit, vt indiuidua eiusdem speciei essentialiter inuicem discriminentur; Tum quia si de qua loquimur, indiuidualis differentia, ad indiuidui constitutionem facit, vel illud per se constituit, itaut ei per se conueniat, aut per accidens; si secundum dixeris, sequeretur differentiam indiuidualem adhuc ipso indiuiduo remanente separari posse, quod non est admittendum; Quod si dixeris primum, scilicet indiuidualem differentiam indiuiduo competere per se; bifariam id potest intelligi, aut per se primo, aut secundo modo; non quidem secundo, quoniam huiusmodi differentia non constitueret indiuiduum, cùm eius foret affectio; necesse igitur, vt ei competat primo per se dicendi modo; quòd si ita est; subinde licebit concludere, prædictam differentiam essentialiter, & quidditatiuè de indiuiduo prædicari, ac proinde hoc ab omni alio eiusdem speciei indiuiduo per ipsam essentialiter distingui.

Secunda confirmatio.

Primę cõfirmationis occurritur. His autem sic occurrendum; concedenda quidem assumptio quandocunque differentiæ sint formales, ac ob id pertinentes ad quidditates rerum; secus autem si materiales sint, & extra quidditates, cuiusmodi sunt differentiæ indiuiduales, quippè quæ aduenient naturæ, totius quidditatis complementum per specificam differentiam, habenti. Ad primam confirmationem quod spectat, dicendum, indiuidualem differentiam ad nullum è tribus illis generibus referri; quoniam cuilibet illorum aptari potest vniuersalitatis ratio, differentiæ autem indiuiduali non item. Neque Porphyrius negligentiæ redarguendus, quòd suâ differentiæ partitione complexus non fuerit etiam indiuidualem, propterea quòd ei propositum non erat, nisi differentias illas commemorare, quarum quælibet esse potest vniuersalitatis fundamentum. Secunda confirmatio facilè solutionem recipit; primus enim modus, quo prædicatum subiecto conuenit, bipartitò contingit; vel quòd prædicatum ad subiecti quidditatem pertineat, quo pacto differentia indiuiduahs indiuiduo non conuenit primo per se conueniendi modo, vtpotè illa, quæ est extra subiecti quidditatem; vel quòd prædicatum sit intrinsecum subiecto, itaut non sit res ab illo distincta, sed formalitas naturam eiusdem afficiens; iuxta quam explicationem indiuidualis differentia dici potest indiuiduo conuenire primò per se conueniendi modo. Quòd si Philosophus priorem dumtaxat per se conuenientiam meminerit; hoc ideo putandum ab eo factum, quoniam ipsi tantùm in animo erat, illam per se conuenientiam respicere, quæ conducit ad scientiam, quæ singularibus neglectis, vniuersales tantummodo rationes attingit.

Secunda confirmationi fit facta.

Si indiuidua singularitatibus, indiuidualibusue differentijs discriminari concedamus, sequeretur duo indiuidua vnius speciei æquè differre, ac duo indiuidua duarum specierum; hoc autem non admittendum cùm sit absurdum; ergo nec etiam, &c. Sequuturum absurdum, inde suadere nituntur; quoniam huiusmodi differentiæ sunt primò diuersæ, vtpotè illę quæ in nullo quidditatiuè conueniunt, ne sit abeundum in infinitum; sed quę huiusmodi differentijs inuicem discriminantur æque inter se differunt, eo quòd maximè distent; æquè igitur differrent duo indiuidua vnius speciei, ac duarum specierum. Verum enim verò concedendum esse quidem absurdum vnius speciei indiuidua æquè differre absolutè, ac duo indiuidua duarum specierum; non tamen absurdum esse æquè differre in ratione indiuidui, prout huiusmodi; imo hoc necessariò fatendum, cùm indiuiduationis ratio in indiuisibili consistat. At absolutè æquè differre dici non possunt, eo quòd indiuiduum præter singularitatem, naturam etiam specificam inuoluit, quæ etsi eadem sit vna vnitate formali in indiuiduis eiusdẽ speciei; non tamen in indiuiduis speciei differentibus.

Solutio.

Nihil commune poterit reddere naturam indiuiduam, sed indiuidualis differentia est quid commune, cùm omnes differentię indiuiduales in cõmuni ratione differentiæ conueniant, ergo differentia indiuidualis nequit naturam reddere indiuiduam. Quamuis autem hæc difficultas ab aliquibus magni fiat, nulla tamen est, quoniam indiuidualis differentia dicitur communis *vt modus*, quo pacto non constituit naturam indiuiduam; est tamen singularis, *vt quid*, quâ ratione indiuiduam naturam constituit; quo autem pacto sit hoc intelligendum superius explicuimus: sumi nanque differentiam indiuidualem, vel singularitatem, ac indiuiduationem (in idem enim recidunt) sumi inquam vt modum, est accipi secundum rationem vniuersalitatis; at verò vt quid, est sumi pro re, cui huiusmodi vniuersalitatis ratio appingitur.

Septima difficultas.

Solutio.

Sic etiam solent obijcere; actus singularis ex Aristotele potentiam sibi respondentem singularem supponit; sed indiuiduatio actus quidam est singularis; ergo indiuiduatio potentiam singularem sibi respondentem supponit; at verò potentia respondens indiuiduationi non alia esse potest ab ea, quam habet natura ad hoc vt reddatur indiuidua; ergo indiuiduatio à nobis explicata supponit naturam singularem; non igitur illam constituit. Hæc difficultas vrget etiam quotquot à nobis de indiuiduationis principio dissentiunt; quicquid enim ab ipsis pro huiusmodi principio

Octaua difficultas. 2. Phy. Tex. 36.

pio designetur singularis quidam actus esse debebit. Obuiam tamen itur difficultati concedendo propositionem maiorem illam de actu physico, non autem metaphysico, cuiusmodi est singularis differentia, siue indiuiduatio. Nec aliud sibi voluit Philosophus, cuius auctoritate suffulti, propriam opinionem se tueri profitetur; habet enim Ἔτι, τὰ μὲν ἧττον καὶ μᾶλλον, τόδε τι καθ' ἕκαστα καὶ καθ' ἕκαστα, οὔτω ἀνδριαντοποιὸς μὲν ἀνδριάντος, ὁ δὲ τοῦδε. *Præterea oportet generum* quærere *genera: singularium autem, singularia, vt statuarius* est causa *statuæ: hic autem* statuarius, *huius* statuæ; vnde colligitur Aristotelem ad hæc physicè, non metaphysicè sumpta respexisse; & rectè quidem; nam physicus actus à potentia physica realiter distinguitur; vt propterea mirandum non sit si actus singularis potentiam singularem supponat; at verò actus metaphysicus re non differt à potentia sibi respondente; propterea singularis actus non debet singularem potentiam supponere. Est autem indiuiduatio, quam defendimus, actus metaphysicus respectu naturæ, quam veluti potentiam afficit, ob id inter hæc non cadit realis distinctio; proindè singularis actus, nimirum indiuiduatio non debet naturam tanquam potentiam singularem supponere, quin potius illam reddere singularem ac indiuiduam.

Multa quoque supererent dicenda, à quibus tamen datâ operâ abstineo, cùm de his cumulatiùs in Metaphysicis verba sim habiturus.

SECTIO OCTAVA.

Nam concedendus sit communis indiuiduationis conceptus.

prima ratio dilucidatur.

TAmetsi de hoc etiam superius quædam attulerim, quia tamen id obiter à me factum intelligo, propterea hic iterum eadem de re sermonem instituere operæ pretium duxi.

Licèt autem plerique negatiuam opinionem amplexi crediderint, minimè concedendum communem indiuiduationis conceptum participatum à singulis; nobis tamen videtur opposita retinenda sententia, veluti firmissimis rationibus innixa, è quibus;

Potissima videtur illa, quam præcitato loco tetigimus, nimirum quia omnes indiuiduationes, seu indiuiduales differentiæ, nõ modo conueniunt in communi nomine, sed etiam in ipsa indiuiduationis ratione, ita ut non solùm indiuiduationis nomen ab hac, & illa indiuiduatione participetur; sed etiam communis quædam ratio per nomen illud expressa, adeout indiuiduatio secundum idem nomen, & secundum eandem rationem de singulis dici possit; concedendus igitur communis indiuiduationis conceptus; assumptum autem ex eo mihi constat; quoniam hæc, & illa indiuiduatio, non solùm conueniunt in communi nomine indiuiduationis, sed etiam in ipsa communi ratione faciendi vltimò differre, non minus quàm Socrates, & Plato in communi humanitatis ratione conueniunt.

Quidam conantes rationis allatæ vim declinare, eò confugerunt, vt dicerent à nobis falsum assumi, videlicet singularitates non modo conuenire in nomine, sed etiam in communi quadam singularitatis ratione per nomen illud expressa; cùmque id probaremus eoquòd hæc, & illæ indiuiduatio non solùm conueniunt in communi nomine indiuiduationis, sed etiam in ipsa communi ratione faciendi vltimò differre. Obuiam ire se posse confidunt respondendo, conuenientiam illam inter singularitates dumtaxat analogam esse, quæ propterea non importet conceptum quendam communem præcisum; sed solam proportionem, quam singularitates in se constituendi, faciendique vltimò differre, seruant. Ex eorum igitur sententia non maior est conuenientia inter indiuiduales differentias, quàm quæ reperitur inter analogæ proportionalitatis, quasi vt sunt risus hominis, & prati. At cùm ratio superiùs allata eadem sit, ac illa, quâ vtimur ad ostendendum, rationem entis communem omnibus esse vniuocè ab ipsis participatam; rationem animalis, rationem hominis, & sic de alijs penè innumerabilibus; quando illi aduersariorum allatâ responsione in re proposita satisfiat; fatendum erit, nullum super esse nobis modum ostendendi nomine entis, animalis, hominis &c. communes rationes significari à pluribus vniuocè participatas; licebi enim dicere inter illa plura, quæ alioquin arbitramur in quadam communi ratione vniuoca conuenire, vt omnia entia in ratione entis, omnes animalis species in ratione animalis omnesque singulares homines in ratione hominis, solam esse concedendam quandam conuenientiam analogam proportionalitatis; proindeque de medio sublata foret omnis obiectiua præcisio. Refellitur.

Aliorum responsio.

Hæc autem cùm quidam intelligerent esse à veritate penitùs aliena, tutiùs crediderunt satisfieri posse dicendo per communem illum conceptum singularitatis non exprimi quandam communem singularitatis rationem, sed potius, vt aiunt immediatè, ac indeterminatè omnes; in quorum gratiam aduertunt per aliquem conceptum plerumque rationem vnam obiectiuam explicari, vt gratia exempli, cùm dicimus homo est animal rationale, tunc profectò quædam communis ratio vniuoca explicatur expressa per nomen *homo*; non rarò tamen, inquiunt, vsu venit, vt plura etiam apertè, & vt aiunt explicitè, sed indeterminatè per conceptum aliquem explicentur; vt si quis explicandum assumeret conceptum hunc, quem de aliquo haberet animali, quod esse deberet vel rationale, vel irrationale dicendo quòd deberet esse vel potens, vel impotens ratiocinari. His prænotatis, inquiunt, conuenientia in primi generis conceptu infert vniuocationem siue conuenientiam vniuocam inter plura, eoquòd ille conceptus in vna determinataque ratione fundetur, non tamen conuenientia in conceptu secundi generis, quoniam hic non in vna, ac in determinata ratione, sed in pluribus immediatè, ac indeterminatè fundatur; tametsi enim tanquam verum sit admittendum, quòd hoc animal assignando hominem sit rationale, vel irrationale, & illud alterum animal assignando Bucephalum sit etiam rationale, vel irrationale; satis tamen exploratum hæc animalia non conuenire in aliquo conceptu vno positiuo, atque determinato, qui per illud prædicatum *rationale*, vel *irrationale* significetur.

Responsionis Confutatio.

Nec etiam ita respondendo, superiorem difficultatem diluunt; nam etsi concedendum sit ipsis, quando in explicatione ponitur disiunctiua coniunctio, *vel* siue *aut* explicari plura indeterminatè; quando tamen in explicatione huiusmodi non apponitur particula, videtur per talem conceptum exprimi vnum determinatum significatum immediatè, non autem plura immediatè, ac indeterminatè; at verò talis est conceptus, quo explicatur indiuiduum, vel indiuiduatio simpliciter, ergo talis conceptus exprimit vnum quidpiam determinatum significatum. Accedit quòd ex hoc dicendi modo non minus ac ex superiori sequitur de medio tollendas præcisiones obiectiuas, quas cum fateri necesse sit, vt suo loco manifestum fiet, consequens fit, vt istorum responsio minimè sit amplectenda.

Alij

Aliorum in responsio. Alij verò concedunt singularitates, ac indiuidua omnia, quà talia, esse conceptibilia conceptu non minus determinato, quàm illo, quo homines quatenus huiusmodi concipi possunt; & esse etiam inter se tam similia atque definibilia vnâ quidem definitione, quæ ipsis vniuocè conueniat, cùm quoad hoc in in omnibus eadem sit ratio; his tamen concessis negant consecutionem inde deductam, quòd scilicet conueniant in aliqua ratione ab ipsis abstracta atq; præcisa; quemadmodum inquiunt, nec omnes humanitates, prout sunt à singularitatibus abstractæ, conueniunt in aliqua vna humanitate abstracta ab ipsis, in cuius opinionem abierunt, eâ ratione ducti, quia quandocunque detur vna ratio abstracta, atque precisa ab aliquibus, danda quoque est alia ratio distincta, merito cuius abstractio fit, & per quam eadem illa contrahatur ad ea, à quibus abstracta fuit; sed in humanitatibus prout sunt à singularitatibus præcisè non datur aliqua ratio per quam ad ipsas contrahatur humanitas simpliciter, vt abstracta ab illis, idemque aiunt esse de singularibus dicendum; vnde concludunt quemadmodum de humanitatibus, *vt sic* melius diceretur, quòd omnes, *vt sic*, sunt vna ratio, quàm quòd in vna ratione conueniant; ita pariter de singularitatibus, siue indiuidualibus differentijs.

Superioris responsionis confutatio. Nec etiam huic responsioni potest animus assentire, & eo minus, quòd in pluribus grauiter peccat, à quorum confutatione præstat abstinere, ne tempus terere videamur; illud certum adhuc eandem difficultatem recurrere etiam ex ijs, quæ ab ipsis conceduntur; dum enim admittunt omnes indiuiduationes, ac omnia indiuidua, quà talia concipi posse conceptu tam determinato, quàm omnes homines in ratione hominis, & quòd sint tam similes interse, ac definibiles vnicâ definitione, quæ ipsis vniuocè conueniat, quemadmodum omnes humanitates prout à singularibus præcisæ sunt; coguntur etiam fateri, quòd nos contendimus, nimirum indiuiduationes conuenire in quadam communi ratione ab ipsis abstracta, atque præcisa; propterea quòd vniuocatio in vnitate rationis abstractæ, atque præcisæ ab vniuocatis fundatur; ob id si concedant indiuiduationes omnes vniuocâ esse definitione definibiles, & definitionem ijs vniuocè conuenire; quis est, qui non videat per hanc definitionem exprimi rationem vnam ab ipsis abstractam, & præcisam? Si quis enim hanc præcisionis vnitatem inficietur, cogitur etiam de medio vniuocationem auferre, cum hæc in illa vnitate rationis fundetur, cætera prætermitto, de quibus in Metaphysica.

Aliorum responsio. Alij verò rem sic explicare conati sunt. Dicunt enim duorum indiuiduorum eiusdem speciei indiuiduationes conuenire magis ad inuicem, quàm indiuiduationes duorum indiuiduorum vnius, & alterius speciei; quia tamen inquiunt huiusmodi conuenientia non contingit, nisi per concomitantiam, & per reductionem, ratione scilicet identitatis realis, quam habent cum natura contracta, quæ rationis eiusdem est in indiuiduis, per ipsas constitutis; ob id existimant inferri non posse ex huiusmodi conuenientia, quòd indiuiduationes quidditatiuè, & vniuocè in aliquo commmuni conceptu conueniant, eo quòd ratio quidem naturæ, quam illæ contrahunt non in ipsis quidditatiuè, & formaliter, sed in indiuiduis per ipsas constitutis includitur; vt propterea dumtaxat de ipsis indiuiduis dicere possimus non esse primò diuersa, sed in aliquo quidditatiuè conuenientia; de vltimis autem differentijs non item; cùm adhuc hæ primò diuersæ remaneant, ad quod sat est vt, quæ sic dicuntur in nullo quidditatiuè directèque conueniant licet nihil prohibeat quominus concomitanter conueniant ratione scilicet alterius, cui illæ re ipsa sunt idem.

Ineptè tamen respondent, siquidem absre comparationem inter naturam, & singularitates instituunt, cùm non esset hic locus; nam argumentum, quo vti sumus, confert singularitates cùm communi singularitatis ratione; Huiusmodi enim indiuiduales differentiæ, vel referri possunt ad naturam specificam, quam contrahunt, & contrahendo constituunt indiuidua; vel referri possunt ad aliquid, tanquam commune quidpiam in ipsis essentialiter inuolutum, cuiusmodi est communis indiuiduationis ratio; differentia indiuiduales relatæ ad specificam naturam, quam contrahunt, sic ad illam se habent, vt eam non inuoluant, nec includant formaliter, nec quidditatiuè; ita enim se habet contrahens respectu contracti, atq; determinans comparatione determinati, hoc enim semper extra rationem illius, & viciſſim; quando tamen sit perfecta contractio, quę contingit quotiescunque inter contrahens, & contractum perfecta intercedit præcisio; nam alioquin dum inter hæc sola cadit præcisio imperfecta, vt inter singularitatem & hanc & illam singularitatem etsi vna, aliam non inuoluat apertè, & explicitè, clam tamen, & implicitè inuoluit; sed de hoc alibi. At si indiuiduales differentiæ referantur ad differentiam indiuidualem simpliciter, tanquam ad communem rationem, sub qua ipsæ contineantur, vtique poterunt, imo debebunt illam quidditatiuè, & formaliter implicitè saltem includere.

Alij autem existimant conuenientiam illam, quâ indiuiduatio vna cum alia in ratione indiuiduationis conuenit, ad eum se habere modum, vt eius fundamentum non sit quædam communis ratio, ac proindè sit dumtaxat conuenientia quædam æquiualentiæ, quatenus vnaquęque indiuiduatio per æquiualentiam est eiusdem rationis cùm alia, eoquòd vnaquæque habet sui naturâ quod constituat tale numero.

Sed nec etiam hi suâ possunt responsione gloriari, hęc enim æquiualentia idē est, ac proportionalitas iam superius reiecta, vnde vt illa precludit viam probandi præcisiones obiectiuas, sic etiam & ista. Vt præteream quòd immeritò hanc æquiualentiam inter singularitates astruunt, cùm facilè constet, eas eiusdem esse rationis specificæ, nec tantùm æquiualenter, sed etiam formaliter vt loquuntur. Singularitatum enim effectus, videlicet vltima naturæ contractio, ac numerica distinctio, eiusdem rationis sunt, & vtpotè formales, vniuocè à causis procedunt suis; hoc autem inditio est eorum causas, nempè singularitates eiusdem esse rationis, ne dum virtualiter, & æquiualenter, vt aiunt, sed etiam formaliter, & quoad vnitatem specificam; proinde conuenientia illa per æquiualentiam, velut insufficiens explodenda.

Alij porrò, quibus prædicta minus rationi consentanea visa sunt, vt initio propositam difficultatem diluerent per aliam viam incedendum putarunt; proindeque dixerunt indiuiduationes adeò esse simpliciter simplices, vt non habeant alias differentias ratione distinctas ab illo conceptu, in quo ipsæ conueniunt; sed potiùs in se ipsis determinari non per nouam aliquam additionem, sed per maiorem dumtaxat expressionem illius conceptus, in quo conueniunt, itaut intellectus concipere communem indiuiduationis rationem, ab hac, & illa præcisa non possit; communem tamen absque præcisione possit.

Hic tamen dicendi modus intolerabilis omnino, & vel eo nomine reicijendus, quòd implicationis vitio laborat. Quis enim adeò rudis, ac indisertus, quem

præ-

præterea fieri non posse, vt detur aliquis communis conceptus nulla opitulante præcisione?

Alij propterea crediderunt esse concedendum communem illum indiuiduationis conceptum, & quidem perfectè vnum atque præcisum ab indiuiduationibus singulis, eumque esse perfectè quidem vniuocum, non tamen vniuocè dictum de illis, sed tantùm ex accidenti, atque denominatiuè; suamque doctrinam exemplo desumpto ex ente, illustrare nituntur; dicunt enim ens respectu suarum passionum, atque modorum contrahentium esse quidem vniuocum; quoniam de illis secundum idem nomen, eandemque rationem prædicatur; non tamen vniuocè dictum, quoniam in ijs non includitur essentialiter, & quidditatiuè; ac ob id contendunt prædicationes illas, hæc singularitas est singularitas, & hæc alia singularitas est singularitas &c. non esse prædicationes essentiales, & quidditatiuas, sed identicas, vt aiunt, & denominatiuas, ad eum modum, quo prædictę differentiæ ex eorum sententia ens esse dicuntur.

Hæc tamen responsio, vtpotè imbecilis amplectenda non est, ex eo autem imbecilitas eius deprehenditur; quoniam initio proposita à nobis ratio conuincit apertè, singularitates in communi singularitatis conceptu non minus conuenire, ac Socrates, & Plato in communi hominis conceptu; si itaque ratio hominis essentialiter, & quidditatiuè dicitur, itaut non solùm sit prædicatum vniuocum, sed etiam vniuocè dictum de Socrate, & Platone; non dissimiliter singularitatis ratio includetur in hac, & illa singularitate essentialiter, & quidditatiuè, ita nempè ut non solùm tanquam prædicatum vniuocum, sed etiam, vt vniuocè dictum de ipsis possit enunciari. Hæc tamen dicta sint admissâ eorum doctrinâ de distinctione inter prædicatum, quod sit tantùm vniuocum, & illud quod sit etiam vniuocè dictum, quæ quanti fieri debeat, potius in Metaphysica disputandum; interim id adnotabo, eos ita respondendo, solùm admittere conuenientiam huius, & illius singularitatis in ipsa natura, quam contrahunt, cùm nil aliud sit quàm hoc, conuenire concomitanter, & per identitatem; non autem quidditatiuè. Quod quantum à veritate recedat, ex eo facilè intelliges, quoniam singularitates in communi singularitatis ratione non minus quidditatiuè, & directè conueniunt, quàm quæcunque alia inferiora in suo superiori, sicut hæc, & illa natura in communi naturæ conceptu; hæc & illa humanitas in conceptu humanitatis; nec minus quidditatiuè, & directè singularitas Socratis dicitur singularitas, quam Socrates dicatur homo; vnde singularitas non solùm erit prædicatum vniuocum respectu omnium singularitatum: sed etiam vniuocè dictum. Nec ipsis fauet illa paritas desumpta ex conceptu entis, nam etiam admissâ eorum doctrinâ, quæ tamen non admittenda, scilicet ens respectu suarum passionum, modorumque contrahentium esse quidem vniuocum, quia prædicatur de illis secundum vnitatem nominis, & rationis; non tamen vniuocè dictum, quia non includitur in illis essentialiter, & quidditatiuè. Dispar tamen est ratio: nam dum referuntur indiuiduales differentiæ ad conceptum entis, fit comparatio inter vltimò contrahentia, & primum contrahibile, quo pacto fieri potest prædicatio denominatiua, quæ planè contingit, quando contrahibile de contrahente enunciatur, vt cùm dicimus rationale est animal. At quando referuntur singularitates ad singularitatem simpliciter; tunc fit comparatio inter inferiora, & superius, proindeque paritas nulla.

Tametsi iure meritoque velimus initio proposita, firmissimâq; ratione ducti concedendum esse communem indiuiduationis conceptum, vt superiùs explicuimus, itaut existimemus ab indiuidualibus differentijs præcidi posse communem illam rationem indiuiduationis, in qua conueniant; non propterea tamen in præsentia quanta hęc sit præcisio decernimus; de hoc enim sequenti sectione disputandum, vbi nobis propositum erit inquirere, quonam distinctionis genere indiuidualis differentia ab indiuidui natura distinguatur. Superest igitur tantum, vt hìc præcipuas quasdam difficultates aduersus ea, quæ docuimus, breuiter afferamus, vt ex earum solutione veritas nostrę sententię magis eluceat.

Sic igitur obijciunt. Contrahibile, & contractiuum diuersas formalitates præseferunt, vnumque debet esse extra formalem rationem alterius, quod satis perspicuum est; ergo nequit dari conceptus indiuiduationis simpliciter, & vt aiunt, vt sic, communis; quoniam contractiua illius habere non possunt rationem indiuiduationis; sed quod non habet hiusmodi rationem nequit esse determinatiuum alicuius, nempè specificæ naturæ; ergo dari non potest conceptus indiuiduationis, vt sic. Vt autem huic difficultati fiat satis; aduertendum cùm dicimus dari communem indiuiduationis conceptum simpliciter & vt sic id intelligendum, non tanquam in aliqua communi formalitate fundatum, quæ sit per aliam formalitatem contrahibilis, & quæ per ipsum adæquatè exprimatur ad eum modum, quo per animalis conceptum adæquatè exprimitur formalitas vna, quæ per aliam sit contrahibilis; sed quod conceptus indiuiduationis, vel in pluribus differentijs indiuidualibus confusè conceptis, vel in vna tantùm confusè pariter concepta fundetur, adeò scilicet, vt conceptus explicitus alicuius indiuiduationis simplex vtique sit quoad formalitates, compositus tamen apud intellectum penès majorem, & minorem expressionem eiusdem conceptus. Contrahibile igitur, & contractiuum dicunt formalitates, diuersas, eo modo, quo fit contractio, si sit virtute quidem in re, formaliter per intellectum secundum formalitates, inter quas cadit perfecta præcisio; dicunt itidem formalitates virtute diuersas in re, & actu per intellectum perfecta præcisione distinctas, quæ se mutuò ab essentia excludunt; Si autem est contractio virtute in re, actu per intellectum secundum formalitates imperfectè dumtaxat præcisione distinctas; dicunt formalitates eodem modo distinctas, nempè, vt aiunt penès implicitum, & explicitum, seu penès maiorem, & minorem expressionem conceptus eiusdem; itaut si non detur fundamentum in re distinguendi præcisione perfectè, saltem detur distinguendi præcisione imperfectâ; Itaque intellectus dum concipit hanc singularitatem partitur illam; si non in duas formalitates obiectiuas, quarum vna essentialiter non includatur in alia, saltem vna nempè singularitas simpliciter non dicit explicitè aliam, licet implicitè illam importet, adeout sit alia, & alia solum per maiorem explicationem eiusdem conceptus.

Prima difficultas.

Solutio.

Præterea. In aliqua particulari indiuiduatione, & vt aiunt in hæceitate distinguere non licet rationem contrahibilis, & contractiui; ergo dari non potest conceptus indiuiduationis simpliciter, & vt sic qui postea per contractiua descendat ad hanc, & illam indiuiduationem; consecutionem optimam esse supponunt; assumptum autem ex eo probant, quia indiuiduatio secundum suam formalem rationem est quidpiam essentialiter contractiuum; ac proinde quatenus huiusmodi contrahi non potest. Huius difficultatis dilutio ex supra traditis facilè constat, cùm enim dici-

Secunda difficultas.

Dilutio.

Digitized by Google

dicitur indiuiduationem esse essentialiter contractiuum, hac adhibitâ distinctione satis fiet dicendo, nimirum, indiuidualem differentiam esse quidpiam contractiuum, si sumatur, vt quid, & pro denominato si tamen accipiatur, vt modus, & pro perse significato, potest habere rationem contrahibilis, quoniam tunc induit naturam vniuersalis, cuius est posse contrahi, licet huiusmodi contractio non fiat nisi per rationem imperfectâ præcisione distinctam, solumque per maiorem explicationem conceptus eiusdem.

Tertia difficultas. De ratione indiuiduationis est, vt sit hæc, & vna numero; ergo repugnabit directè dari conceptum communem indiuiduationis, qui tanquam commune aliquid ad hanc, & illam indiuiduationem descendat; assumptum vt notum supponunt, consequentiam ostendunt; quia tunc conciperetur huiusmodi obiectum sub modo ei repugnanti, atque contrario ex rei natura. Quòd si dicas assumptum admittendum esse de indiuiduatione tantummodo signata, prout scilicet est hæc, & vna numero, non autem de indiuiduatione vt sic. Statim insurgunt hanc responsionem refellendo; dicunt enim per eam committi petitionem principiij, cùm ipsa assumatur indiuiduatio vt sic tanquam aliquid, quod ita concipi possit, quod hîc modò ponitur in controuersiam. Addunt nullam aliam videri posse rationem formalem indiuiduationis, nisi quòd sit ratio per se primò hæc, & incommunicabilis, & apta reddere naturam, quam contrahit, hoc modo incommunicabilem.

Difficultatis solutio. Occurrendum huic difficultati, non secus ac præcedenti, dicendo scilicet, indiuiduationem, vt sic, & simpliciter communem, ac vniuersalem essentialiter, & vt quid dici non posse; benè tamen concipi posse sub ratione vniuersalis, atque communis, itaut si non sit talis, vt quid, sit tamen denominatiuè, & vt modus; quod mirum nemini videri debet; nam nihil prohibet, quo minus vnum oppositorum ab altero per aduenientem intentionem denominetur: vnde genus dicitur species vniuersalis, quoniam genus tale est, vt quid, denominatiuè autem species per aduenientem secundam intentionem speciei.

Nec vlla principij committitur petitio; nam in controuersiam vocatur, num concedendus sit communis indiuiduationis conceptus, vt in hac responsione dicitur, etsi indiuiduatio vt sic dici non possit vniuersalis, & communis essentialiter, & vt quid; concipi tamen potest sub ratione vniuersalis denominatiuè, & vt modus; quia non est contra eius naturam, quemadmodum non est contra naturam generis vt concipiatur tanquam species denominatiuè, & vt modus, licet aduersetur naturæ ipsius concipi veluti speciem, vt quid.

Quinta difficultas. Hic tamen grauissima difficultas insurgit, quia ideo quælibet quidditas potest intelligi sub ratione vniuersalis absque contradictione, quoniam ipsa non est de se hæc, alioquin si foret de se hæc, non posset intelligi sub ratione vniuersalis, vt cuique perspectum de Diuina natura, quæ ideo nequit intelligi sub ratione vniuersalis, quia est de se hæc; ratio enim intelligendi repugnat prorsùs obiecto suo; sed indiuiduatio est de se hæc; ergo repugnabit illi concipi sub ratione vniuersalis; quod autem indiuiduatio sit de se hæc, constat ex eius essentiali conceptu, hic enim in eo consistit, vt sit ratio vltimò faciendi differre; sitque propterea incommunicabilis omninò.

Eiusque Solutio. Ad hanc difficultatem tollendam, oportet præ oculis habere, quamlibet rei quidditatem posse sub ratione vniuersalis sine contradictione intelligi, quando ipsa non sit de se hæc; non posse autem quando contrario modo se habeat, si ei repugnat omninò habere simile; at indiuiduationi quamuis ipsa sit de se hæc, ideest non sit hæc per aliquam formalitatem superadditam, in qua non inuoluatur implicitè indiuiduatio, tamen ei non repugnat habere similem, cum omnes indiuiduationes in eo conueniant, vt quælibet vltimò determinet naturam, eamque penitùs reddat incommunicabilem alteri tanquam superius inferiori; inde enim fit, vt intellectus possit abstrahere rationem indiuiduationis, eandemque reddere, si non perfectâ, saltem imperfectâ præcisione distinctam ab hac, & illa indiuiduatione. Secus de Diuina natura, cui cùm repugnet similis, nullum intellectui suppetit abstractionis fundamentum; vnde fit, vt illam is non possit sub vniuersalitatis ratione concipere.

Indiuidua secundum totum esse indiuiduale distinguuntur, solumque conueniunt in ratione naturæ; ergo dari non poterit indiuiduationis communis conceptus, in quo omnes indiuiduationes conueniant; assumptum perspicuè constat; consecutio autem inde probatur, quoniam si in ratione quoque indiuiduationis ipsamet indiuidua conuenirent; sequeretur illa non distingui secundum totum esse indiuiduale; & indiuiduationem, ne dum esse distinguendi, sed etiam conueniendi rationem. Facilis tamen solutio, si consequentia negetur, eam ob causam, quoniam non dicimus indiuidua alicuius naturæ specificæ conuenire in communi ratione indiuiduationis simpliciter, & vt sic, sed potius hanc, & illam eorum indiuiduationem; Cumque dicebatur secuturum indiuiduationem ne dum esse distinguendi, sed etiam conueniendi rationem; concedendum id modo tamen diuerso, propterea quòd indiuiduatio re ipsa & explicitè est ratio distinguendi; at verò confusè cognita est conueniendi ratio.

Indiuiduatio importat vltimum gradum entis, quo natura, & omnes gradus in ipsa inclusi vltimò terminantur; ergo dari non poterit communis indiuiduationis ratio, vt sic, quæ ad indiuiduationes omnes, ac singulas descendat; alioquin ipsa non foret vltimum complementum: sed adhuc compleri posset ab alijs, quibus contrahitur; Illud etiam in huius confirmationem accedit, quoniam cùm indiuiduatio sit vltimus gradus in omnium graduum serie, sequitur etiam esse vltimum distinctiuum ex quo vna indiuiduatio cum alia conuenire non poterit; non enim esset vltimum distinctiuum. His autem sic obuiam ire licebit dicendo videlicet, indiuiduationem re ipsâ, & secundum explicitum conceptum esse vltimum constitutiuum rerum; ab intellectu tamen confuso modo concepta eadem ipsa potest fieri conueniendi ratio contrahibilis vlterius, non per aliquam formalitatem ex rei natura; imo nec perfectâ, sed tantum imperfectâ præcisione per explicationem scilicet conceptus distinctam. Distinguendum igitur consequens, concedendo nimirum dari non posse communem indiuiduationis rationem perfectâ præcisione, & negando imperfectâ non posse dari præcisam; nec sequitur non esse vltimum complementum, nam adhuc tale est secundum conceptum explicitum, licet non secundum implicitum. Et eodem modo confirmationi fit satis.

Indiuiduatio ex vi propriæ formalis rationis habet vt distinguat, atque multiplicet; at si indiuiduationes in communi quidem indiuiduationis conceptu conuenirent, vtique non distinguerent, sed vnitatem præstarent, & conuenientiam afferrent; quod inde redditur confirmatum, quoniam differentiæ rationem quampiam communem diuidentes, quatenus diuidunt, vt de specificis differentijs perspicuum est, nequunt in-

fer

ter se conuenire, vnde sic licebit arguere. Specificæ differentiæ quatenus genericam rationem diuidunt nequeunt inter se conuenire; ergo nec etiam differentiæ indiuiduales; assumptum constat ex nuper allatis, & optima consecutio velut à paritate deducta. Occurritur distinguendo propositionem maiorem; si nanque sit sensus illius, de differentijs indiuiduantibus acceptis vt quid, & explicitè conceptis, vtique concedenda; si autem sumantur vt modus, vtque confusè cognitę, neganda; Eodem modo confirmationi fit satis.

Dilatio.

Ampliùs si indiuiduatio ratio quædam esse posset communis omnibus indiuiduationibus, sequeretur constitutum per ipsam non esse quidpiam indiuiduum ac singulare; hoc autem non admittendum; ergo nec etiam concedendum posse dari communem indiuiduationis rationem. Prætermissâ tanquam minus idoneâ solutione quorundam, præstat respondere dicendo, constitutum per indiuiduationem non fore hoc, & illud indiuiduum, sed indiuiduum simpliciter; ad eum enim modum, quo sumitur indiuiduatio, sumendum etiam, & indiuiduum; si nanque accipiatur illa simpliciter, & vt sic; eodem etiam modo sumendum indiuiduum, per ipsam constitutum; si autem accipiatur pro hac, & illa indiuiduatione, sic etiam accipiendum indiuiduum pro hoc, & illo indiuiduo; verbo dicam, indiuiduatio sumpta, vt supponit simpliciter, constituit indiuiduum eodem modo supponens; accepta verò vt supponit personaliter, constituit indiuiduum, personaliter itidem supponens. Vnde communis indiuiduationis ratio dicenda est vniuersale metaphysicum non perfectâ, sed imperfectâ præcisione abstractum, non secus ac quælibet alia communis ratio, quæ fit huiusmodi præcisione abstracta, vt ratio entis &c. Quod si dicas illa ratio indiuiduationis præcisa & abstracta deberet per alias differentias ad hanc, & illam differentiam contrahi, cùmque illa ratio indiuiduationis simpliciter sumpta sit differentia; sequeretur differentias indiuiduales non esse primò diuersas, quoniam in aliquo quidditatiuè conuenirent; sequeretur non habere conceptum simpliciter simplicem, & vltimò determinantem, quoniam adhuc resolui possent in conceptum communem, & proprium; atque tandem sequeretur dandum processum in infinitum, quoniam si differentijs vltimis assignari potest id, in quo conueniunt, & id, per quod differunt; eadem, quoque ratio erit de istis differentijs, per quas differunt &c. ob id abeundum in infinitum.

Hìs tamen occurritur dicendo differentias vltimas adhuc esse primò diuersas, si sumantur prout faciunt primò differre, quod illis conuenit secundum conceptum explicitum, non autem prout conueniunt, quod habent à conceptu confuso; habent etiam conceptum simpliciter simplicem, quoniam non fit resolutio secundum formales rationes conceptas, sed solùm secundum eiusdem rationis formalis maiorem, vel minorem explicationem; nec sequitur processus in infinitum; adhuc enim dandus est status in prima abstractione obiectiua, quoniam ratio conueniendi, & differendi solùm diuersa est ratione maioris, & minoris explicationis; vnde si intellectus secundò, ac tertiò per varias reflexiones redeat ad illam, sequitur tantùm processus in infinitum quantum ad conceptus formales, non autem obiectiuos; nam ratio, quę per secundum, & tertium actum abstrahitur eadem est, quæ per primum; vndè solùm in conceptibus mentis contingit processus in infinitum, quod nullum incommodum.

Solutio.

Hinc etiam alterius difficultatis solutio liquet. Dices enim, nequit assignari quanam sit ista natura indiuiduationis, quam nos tuemur, veluti communem; quis sit eius effectus in natura rerum, & cuius gratia sit; quod eius munus physicum exerceat; hæc enim necessariò ab ea expectanda viderentur, quemadmodũ ab animalis natura sentiendi functiones, & à natura hominis intelligendi munus. Neotericus quidam non ignobilis, concedit assignari non posse quendam effectum, vel operationem realem, cuius indiuiduatio vniuersè accepta principium sit, eo quòd non sit aliqua communis natura vera, & realis à parte rei, sicut est humanitas, & animalitas; sed solùm per intellectum habeat communitatem, effectumque formalem ei correspondentem in huiusmodi statu esse reddere naturas communes, reales, singulares, & indiuiduas; non quidem in esse exercito, quoniam tale munus gerit à parte rei, sed veluti in esse signato. Mirum est, quòd non aduerterit se principijs, fundamentisque iactis non insistere; vt enim communem indiuiduationis conceptum astruendum ostenderet, asserebat de hoc esse ratiocinandum non secus ac de natura specifica, sicut quemadmodum in hac, sic indiuidua conueniunt, vt illa de his secundum idem nomen, eandemq; rationem vniuocè possit prædicari; ita pariter indiuiduationes in communi quidem indiuiduationis conceptu conueniant; adeout hic secundum idem nomẽ, & secundum rationem eandem vniuocè possit de singularitatibus enunciari; Modo autem quasi iam traditæ doctrinæ oblitus, concedit non posse assignari aliquem effectum, vel operationem realem, cuius indiuiduatio generatim sumpta principium sit; eo quòd non sit aliqua natura communis vera, & realis à parte rei, sicut est humanitas, & animalitas, sed communitatem dumtaxat habeat per intellectum; Præstat igitur iuxta prædicta respondere non posse quidem assignari communem indiuiduationis naturam, veluti perfectè præcisam ab inferioribus, bene tamen, vt imperfectè præcisam ab ipsis, eiusque effectum, ac munus esse reddere naturam indiuiduam diuerso modo, iuxta suppositionem diuersam; propterea quòd indiuiduatio si supponat simpliciter, reddit naturam indiuiduam eodem modo supponentem; si autem supponat personaliter, naturam etiam personaliter supponentem reddit indiuiduam; & iuxta priorem usurpationem suo fungitur munere in actu signato, iuxta posteriorem in actu exercito; quæ non tam propriæ sunt indiuidualis differentiæ, vt differentijs specificis, ac genericis accommodata non sint.

Vltimæ difficultatis.

Postrema difficultas ex eo depromitur, quoniam si vltimæ differentiæ indiuiduales in indiuiduationis conceptu vt sic quidditatiuè conueniant; non erit cur etiam in communi entis conceptu conuenire non possint, quod tamen admittendum non videtur, quoniam ratio entis communis non est quidditatiuè vltimis differentijs. Sed de hoc vbi de ente.

SECTIO NONA.

Quo distinctionis genere indiuidualis differentia ab indiuidui natura distinguatur.

OPortet in memoriam redigere, quæ de distinctionum generibus attulimus, vt quid de re, proposita sentiendum sit decernere valeamus. Realis ac entitatiua distinctio propriè dicta cùm versetur inter rem, & rem, & attendatur penes distinctas rerum existentias, natura autem, ante indiuiduationis principium existentiam habere non possit, siquidem omne existens extra intellectum singulare est; ob id,

Nemo dixit inter indiuidui naturam, & indiuidualem differentiam intercedere distinctionem realem

hoc nomine intelligendo illam, qui res à re distinguitur; non defuit tamen, qui dixerit distinctionem hanc esse ex rei natura etiã minorem reali, quæ sit inter rem, & rem, maiorem verò distinctione rationis, eamque formalem appellandam, quâ formalitates eiusdem rei interse distinguantur, & hoc totum esse ante quamlibet intellectus negotiationem; qua de re nos in præcitato loco verba fecimus, ostendentes huiusmodi distinctionis genus minimè retinendum esse.

Indiuidua tio ab indiuidui natura nõ distinguitur à parte rei.

Speciatim autem in re proposita dicendum, indiuidualem differentiam non distingui actu ab indiuidui natura ante mentis operationem; sed potius naturam, atque singularitatem indiuidui esse re ipsa idem.

Piget autem hoc loco plura quidem argumenta congerere, quibus hanc assertionem veritati consentaneam ostendam; vnum igitur, vel alterum dumtaxat in medium afferam maioris efficacitatis, cum reliqua sim alibi traditurus.

Prima ratio.

Illud autem hac in re plurimum habet momenti; quòd si indiuidualis differentia à parte rei dicatur à natura distingui, necessariò fatendum naturam quatenus ita distinctam reuerà singularem esse; hoc autem absurdum; cùm in natura daretur effectus indiuidualis differentiæ, nempè singulare esse, absque indiuiduali differentia, seu singularitate; ergo differentia indiuidualis à parte rei nequit à natura distingui. Secuturum autem naturam, prout ita distinctam à singularitate, indiuidualiue differentia, singularem esse debere, inde mihi persuadeo, quoniam omne distinctionis genus ex rei natura debet inter extrema exerceri, quæ re ipsa sint; quæ autem sunt huiusmodi, profectò singularia sunt, cum nihil in natura rerum, nisi singulare sit, iuxta illud, omne quod est, ideo est, quoniam vnum numero est.

Aduersariorum sagacitas probè cognoscens difficultatis vim, conata est eidem obuiam ire negando secuturum illud incommodum, ad quod argumentatio deducebat, videlicet naturam, prout à singularitate distinctam debere singularem esse: Et insuper ab ijsdem aduersarijs id addi solet, nempè illud solum singulare existimandum, quod in suo esse ita est constitutum, perfectum, ac absolutum, vt amplius determinari minimè patiatur; at verò, inquiunt, communis natura, cui indiuiduatio aduenit, licet in esse naturæ sit perfectè constituta quantum ad essentialia prædicata, non tamen vltimò determinata, proindèque non singularis, sed verè communicabilis est atque determinabilis per singularitatem ad hoc indiuiduum.

Aduersariorum responsio.

Confutatio.

Sed ita respondendo difficultatem non diluunt, sed verbis eludunt; ipsis enim incumbit onus respondendi ad id, quod de existentia dictum, vt probaretur secuturum illud absurdum, naturam scilicet prout à singularitate distinctam, singularem esse debere, eoquòd omne distinctionis genus ex rei natura versatur inter ea, quæ re ipsa sunt; nihil autem refert dicere, naturam ipsam non esse vltimò absolutam, prout à singularitate distinctam; nam ideò, quia absoluta non est, nequit vnum ex extremis esse, distinctionis ex rei natura.

Secunda ratio.

Præterea si indiuidualis differentia aduenit naturæ, vt cum ipsa reuerà componat indiuiduum; certum omninò communem naturam habere rationem potentiæ: differentiam autem rationem actus: & quidem realiter, eoquòd inter hæc supponitur cadere distinctionis genus à parte rei, itaut vnum habeat rationem perfectibilis, alterum autem rationem perfectiui; sed actus singularis potentiam singularem supponit; communis ergo natura ante aduentum differentiæ indiuidualis necessariò singularis erit.

Aduersariorũ responsio præcopata.

Dices minorem propositionem veram esse physicè, quo pacto actus, & potentia realiter distinguuntur vt in composito physico, propterea quòd tunc realis potentia recipit actum; non autem veram esse metaphysicè, cùm hoc modo actus non distinguatur realiter à potentia.

Reijcitur.

Sed hæc responsio non admodùm plausibilis; quoniam supponunt dari actum ex natura rei distinctum à potentia, ita, vt neque actus physicus, neque potentia physica sit, quod ab ipsis non sufficienter ostenditur, vtpotè suffulti rationibus dumtaxat illis, quibus formalem distinctionem minorem distinctione reali concedendam suadere nituntur, quas tamen non magni esse momenti, ijs faciendo satis, ostendimus, cum hac de re disputaremus. Quando igitur actus distinguitur ex rei natura à potentia, physicus erit; quemadmodum, & potentia erit physica; si itaque concedunt propositionem illam videlicet, ab actu physico singulari supponi potentiam physicam singularem, cum differentia indiuidualis quando ab ipsa natura à parte rei distinguatur, ita se habeat, vt ipse sit actus physicus, natura autem potentia physica; consequens sit, vt differentia indiuidualis, vtpote actus singularis supponat potentiam, nempè naturam singularem. Non inficiamur actum metaphysicum, vt & metaphysicam potentiam illi respondentem, sed id solum contendimus inter hæc non cadere distinctionem aliquam ex rei natura, itaut actu sit in re. Insuper tamen dicunt à nobis pariter hanc diluendam esse difficultatem, eoquòd per distinctionem rationis cum fundamento in re profiteamur tueri compositionem metaphysicam in indiuiduis ex per se actu, & per se potentia metaphysica, quasi superius, vt explicemus quo pacto differentia concepta per modum actus determinantis communem potentiam, qua singularis reddi possit, & adhuc indiuiduatio sit actus huiusmodi potentiæ proportione respondens; insulsè inquam; nam cùm dicitur, quod actus singularis supponit potentiam singularem, asserimus eam intelligendam esse de actu, & potentia physica, proinde nobis non incumbit onus huius diluendæ difficultatis.

Nec recte ab ipsis falsa censetur illa propositio, actus singularis supponit potentiam singularem, eoquòd non sit absolutè vera, cùm non sequatur tantam esse vnitatem in actu, quanta est in potentia, quæ per ipsum perficitur; alioquin genus tantam habere deberet vnitatem, quantam habet differentia diuidens illud, cùm tamen hoc sit manifestè falsum; quoniam contrahibile, & determinabile semper maioris est latitudinis, quàm contrahens, atque determinans. Nec etiam rectè aiunt à nobis explicandum esse, quonam pacto differentia tantummodo ratione distincta ab ipsa natura tanquam actus & potentia, sint æqualis mensuræ. Supponunt enim propositionis veritatem ortum ducere ab æqualitate proportionis inter actum, & potentiam, cum tamen hoc à veritate sit alienum: nam proportio inter potentiam, & actum solum in eo consistit, vt potentia apta sit perfici per talem actum, & vicissim hic possit illam explere, atque perficere, cum quo nihil commune habet singularitas, cum hæc dumtaxat ex parte vtriusque conditio sit; vt enim singularis est agere, sic etiam eiusdem est recipere, & perfici? & contra, perficere, ac absoluere; quando hæc nisi a exerceantur ad quod requiritur ex rei natura distinctio inter perficiens, & perfectibile, non autem si hoc totum absoluatur per mentis operationes etiam cum fundamento in re. Itaque propositio absolutè vera est, quando actus re ipsa debet potentiam perficere,

quod

quod vtique ex eorum opinione contingeret, cùm arbitrentur actum ex rei natura à potentia distingui, nempè singularitatem à natura, quam perficere, explereque debet.

Tertia ratio. Illud etiam ipsis non parum negotij facessit, quoniam indiuiduatio non solùm indiuiduum vnum realiter ab alio distingnit sed etiam naturam vnius à natura alterius; propterea quod distinguit indiuiduum vnum ab alio adæquatè secundum totum esse reale; ac ob id secundum esse entitatis naturæ; cùm hæc in vno indiuiduo munero & realiter distinguatur ab ea quæ est in alio; idq; cùm habere non possit nisi à singularitate, alioquin foret de se hæc; ob id nequit singularitas ex natura rei formaliter distingui à natura, adeout sit extra esse ipsius naturæ formaliter; optima consecutio, propterea quòd nihil distinguitur realiter, & secundum esse suum ab alio per id, quod ei sit extrinsecum, & extra constitutionem ipsius; eadem enim principia sunt, quibus res constituuntur, ac distinguuntur.

Aduersiorum responsio. Concesso quidem assumpto, nempè tam singularitates, quam naturas ipsas contractas in indiuiduis inter se distingui realiter; consequentiam tamen inficiantur, nam inquiunt, licet indiuiduatio in Socrate formaliter distinguatur à natura; tamen in eodem realiter idem est, ac natura, ac proindè singularitas ratione huiusmodi identitatis potest realiter distinguere naturam Socratis à natura Platonis; cùm realis distinctio non attendatur penès formalitates, sed secundum entitates pro vt sunt existentiæ capaces; cùmque in Socrate sit vna tantum physica entitas ex illis duabus formalitatibus Metaphysicis constituta, atque adeo vna tantum existentia; ob id totus Socrates secundum totum esse physicum ratione indiuiduationis identificatæ cum natura, distinguitur à Platone; nec ob id natura Socratis dicitur à natura Platonis per aliquid sibi prorsus extrinsecum distingui; quoniam etsi distinguatur indiuiduatio à natura formaliter, adhuc tamen sunt realiter idem, & hoc sensu per aliquid sibi intrinsecum distingui dicitur. Imò addunt. Indiuiduatio dici debet pertinere ad intrinsecum esse naturæ quatenus realiter distinctæ, vel distinguibilis ab alia natura; quoniam cùm nequeant realiter distingui, nisi quæ diuersas habent existentias, & existentia singularitatis comitetur; non potest natura Socratis fundare realem distinctionem à natura Platonis, nisi prout coniuncta, vel coniungibilis cùm indiuiduatione Socratis, & vt aiunt cum Socreitate. Hanc solutionem confirmant; quoniam Socratis natura non distinguitur realiter à natura Platonis secundum suum esse formale; quasi talis distinctio in eius formalitate fundetur, secundum quam ab indiuiduatione distinguitur; sed secundum esse reale physicum, ac entitatiuum, in quo realiter inbibitur etiam indiuiduatio; ergo distinguitur realiter natura Socratis, à natura Platonis per indiuidoationem, vt sibi quidem intrinsecam, quatenus realiter distinguibilis; licet extrinseca sit, quatenus distinguibilis formaliter, & secundum esse formale considerata.

Confirmatio.

Ejicitur. Aduersus autem hanc responsionem multa dicenda suppeterent, de quibus in Metaphysica; paucis tamen quædam perstringam, quibus constare possit solutionem minimè sufficientem esse. Indiuiduatio enim quamuis re verâ idem, ac ipsa natura, non facit ad constitutionem eiusdem; ergo nec etiam ad distinctionem; quod enim dici non potest principium constitutiuum, nec etiam distinctiuum dici meretur.

Aduersus præpara tionis. Neque dicas assumptum concedendum metaphysicè, non physicè; propterea quòd, si indiuiduatio formalitas quædam est, vt volunt, constitutiua, natura verò physicè constituta, oportebit in formalitate naturæ aliud quidpiam agnoscere, quod cùm singularitate ad illius constitutionem physicè concurrat; constitutum enim aliquid amplius præter vnum è constituentibus importat, quod quàm sit à veritate remotum, nemo est qui non videat. Vt præteream ineptè admodum in medium inuehi, hoc nouum physicè constitutionis genus præter illud quod habetur ex materia, formaque substantiali, & ex accidenti & substantia. Nec prætermittam in ea responsione contineri aliquid difficile creditu, nimirum in Socrate vnicam esse physicam entitatem ex duabus illis formalitatibus metaphysicis constitutam, ac ob id vnicam existentiam; si nanque putant formalitatibus non deberi existentiam, qui fieri poterit vt vnica illa entitas physica constituatur ex metaphysicis formalitatibus, quarum neutra dici possit existere, constitutum tamen existere dici debeat? Quòd verò addunt adhuc naturam Socratis dicendam à natura Platonis per aliquid sibi intrinsecum distingui, quia licet distinguatur indiuiduatio à natura formaliter, adhuc tamen sunt idem realiter; difficile est intellectu; Nam si vt ipsi volunt, tota illa physica entitas constituitur ex metaphysicis formalitatibus, quarum vna sit differentia, altera verò natura; erit quidem differentia quidpiam intrinsecum huic constituto, nullo tamen modo dici poterit intrinsecum naturæ constituenti. Ex his enim facile reijciuntur, quæ continet Confirmatio; de his autem plura quidem alibi. Superuacaneum autem existimo rationes eorum afferre, ijsdemque satisfacere, cùm hoc præstitum à nobis fuerit, dum aduersus distinctionem formalem ex rei natura disputaremus. Superesset igitur determinandum quo genere distinctionis rationis indiuidualis differentia ab indiuidui natura distinguatur, in cuius gratiam prænotandum occurrit geminam esse vnitatem, & præcisionem rationis, quarum vna dicitur perfecta, altera verò imperfecta.

Duplex præcisio rationis perfecta, & imperfecta.

Perfecta vnitas, & præcisio rationis contingit, quando in illis rebus, à quibus abstrahitur natura duplex inuenitur ratio intrinseca, è quibus vna est ipsa natura in qua res conueniunt inter se; altera verò est differentia propria per quam res vna ab alia differt; vt propterea possit intellectus duos efformare conceptus, vnum quidem de natura, alterum autem de differentia, itaut nec talis differentia inuoluatur in conceptu naturæ, nec vicissim natura in conceptu differentiæ, non inuoluatur inquam, nec explicitè, nec implicitè, sed quantumuis explicetur vterque conceptus, vnus ut reperiatur in alio, quod exemplo potest hunc in modum illustrari. Homo & est animal, & est rationalis, si spectetur animalitas per quam homo conuenit cum bruto, estque essentialiter sentiendi, principium; certè ipsa non includit explicitè rationalitatem acceptam pro essentiali principio intelligendi; nec etiam implicitè, quoniam etsi explicetur principium sentiendi, nunquam intelligendi principium inuoluit; ita pariter & rationalitas, quæ est differentia, quâ homo à bruto secernitur, se habet, vt non includat animalitatem, quia quantumuis explicetur principium intelligendi, non includit principium sentiendi; vnde principium intelligendi reperitur in substantijs abstractis, in quibus nullum est sentiendi principium.

Imperfecta vnitas & præcisio rationis.

Imperfecta autem vnitas, & præcisio rationis accidit, quando in illis rebus, à quibus abstrahitur communis natura, non inuenitur alia ratio, quæ intrinsecus, & essentialiter eandem ipsam naturam non includat; quin potius totum quod est in ipsis rebus, & quecumque formalitas in illis inuenta, semper inuoluit,

includitque conceptum illum naturæ communis, itaut non possit penitus ab illo separari. Ita fit vt ipse communis naturæ conceptus in se contineat, & inuoluat quidquid prorsus est, & omnem formalitatem inuentam in inferioribus suis, minimè reliquens in illis aliquas differentias, quas secum non trahat; eòque solùm dicatur abstrahi imperfectâ præcisione, quia videlicet solùm datur præcisio à conceptu explicito, non autem ab omni inferiorum conceptu. Hoc explicari solet exemplo desumpto ab ente accepto quidem adæquatè pro omni eo, quod non est in re nihil. Intellectus enim naturam entis communem substantiæ, & accidenti concipit, nec tamen in substantia, vel accidente potest aliqua ratio, vel formalitas adinueniri, quæ non sit essentialiter ens; dicimus quidem substantiam esse ens per se: accidens autem in alio; proindèq; diuidimus illud per differentias perfeitatis, vt loquuntur, & inaeitatis; ipsa tamen perfeitas, & quicquid in ea concipi potest, semper est essentialiter ens; sic de inaeitate; Primus igitur ille conceptus obiectiuus entis non inuoluebat, nec dicebat partes dumtaxat substantiæ, partem autem reliquens; sed penitus inuoluebat quidquid est in substantia, quoniam in hac nihil est, quod non habeat rationem entis, quod pariter de accidente intelligendum. Non me præterit apud plerosq; prę nimiimia subtilitate subtiles nuncupatos, dari quoque respectu entis contractiuas differentias, in quibus ens quidditatiuè non inuoluatur. Sed de hoc alibi.

Hæc distinctio secundum imperfectam præcisionem rationis consueuit etiam distinctio rationis ratiocinantis appellari, cum solùm in concipiendi modo consistat, sitque dumtaxat distinctio penès explicitum, & implicitum, seu penes maiorem, & minorem explicationem eiusdem conceptus, sicut se habent definitio & definitum; cùm alioquin rationis ratiocinatæ distinctio, vt suo loco dicebamus, contingat quando plures formantur conceptus in mente, quibus obiectum in plures formalitates diuidatur, itaut non vno concipiatur actu adæquatè quidquid est in obiecto reali, sed tantùm inadęquatè certa quædam ratio, & alio quidem actu, alia ratio concipiatur; licet huiusmodi rationes sic diuisim conceptæ sint à parte rei vna simplex entitas ad eum modum, quo Diuinæ perfectiones iuxta communiorem sententiam, essentialesque gradus eâdem in re distingui perhibentur; Re tamen verâ distinctio rationis ratiocinantis intelligenda est illa, quæ fit ab intellectu eâ quidem ratione, quam hac de re differentes explicuimus; nempè vt idem vtique obiectum à nobis concipiatur, sed non eodem modo, vt cùm dicimus Socrates est Socrates, quoniam tunc primò Socrates concipitur vt subiectum, deinde vt prædicatum, geminaturque Socrates intentionaliter, quatenus subsitat diuersis intentionibus subiecti, & prædicati; ad habendam igitur hanc distinctionem rationis ratiocinantis, opus est, vt intellectus comparet idem cùm eodem, vel apprehendat in obiecto respectum, quo accipiat subiectum ipsum geminatum, seu tanquam duo, non quidem secundum diuersas rationes in ipso obiecto intrinsecas, ac ex eius parte fundatas, sed ex prædicta extrinseca mentis operatione resultantes. At verò distinctio, de qua loquimur, quę nimirum contingit per imperfectam præcisionem rationis, videtur aliquod habere fundamentum in re; quod certè non habet superior explicata rationis ratiocinantis, quippè quæ tota consistit in operibus mentis; ac proinde distinctio secundum imperfectam præcisionem rationis, non inconsultè penitus diceretur maior distinctione rationis ratiocinantis; & certè maior videtur distinctio inter rationem entis, & rationem substantiæ, vel accidentis, quàm inter Socratem ex parte subiecti, & eundem ex parte prædicati in enunciatione; quamuis vtraque diuersa sit ab ea distinctione rationis, quæ perfectâ præcisione contingit. Ex his igitur concludendum videtur aliquod exiguum saltem esse fundamentum in re, distinctionis, quæ imperfectâ præcisione rationis perficitur: secus de distinctione rationis ratiocinantis, cuius nullum in re fundamentum extat, cùm tota sit opus rationis maximum verò fundamentum esse à parte rei distinctionis illius, quæ perfectâ præcisione rationis absoluitur. Fundamentum autem præcisionis imperfectæ quantumcunque sit, quod certè exiguum est, videtur in rei conceptæ perfectione positum esse; quo enim res perfectior est, eò etiam difficilius clarâ cognitione percipitur, & quò imperfectior, eò facilius clarâ cognitione attingitur; quòd igitur res magis, vel minus clarâ cognitione percipiatur ab humano intellectu, partim prouenit ex imperfectione intellectus concipientis, partim verò ex perfectione, vel imperfectione rei conceptæ; in re igitur videtur aliquod esse fundamentum non solùm prœcisionis perfectæ, cuius certè maximum est, sed etiam imperfectę cuius exiguum: Non dissimulandum tamen posse quæstionem fieri de nomine, prout scilicet distinctio rationis ratiocinantis latiori, vel minus latâ significatione accipitur, itaut iuxta significationem amplam, etiam imperfecta præcisio dici possit distinctio rationis ratiocinantis, secus autem si præsse ratiocinantis distinctio sumatur, cuius nullum in re fundamentum, seu virtualis distinctio extet, cùm tamen præcisionis imperfectæ fundamentum aliquod, virtualisque distinctio in re esse videatur. De his tamen vberius in Diuina tractabimus Philosophia. His præhabitis.

Differtat. Tertia Sectiom. Sexta.

Quid propositi sit inquirendum.

Propositum in præsentia est nobis inquirere quonam genere distinctionis per operationem mentis indiuidualis differentia ab indiuidui natura distinguatur; an scilicet præcisione perfectâ, an solùm imperfectâ cenferi debeat differentia indiuidualis ab indiuidui natura distingui.

Prima opinio de distinctione naturæ specificæ à singularitate.

Nonnulli, quibus non placuit inter hæc formalem ex rei naturam distinctionem intercedere, crediderunt eam esse dumtaxat per intellectum cùm fundamento in re; ita tamen vt ipsa sit cum perfecta præcisione rationis; quamobrem ex horum opinione natura, & singularitas indiuidui dici debent à parte rei distingui tantummodò virtute; actu verò & formaliter per intellectum; iuxta quem dicendi modum singularitas non includit in suo conceptu præciso naturam, neque natura differentiam indiuidualem, siue singularitatem inuoluit.

Secunda opinio.

Alij verò existimarunt indiuidualem differentiam, nec etiam per intellectum perfectâ rationis præcisione ab indiuidui natura distingui, quasi nec explicitè, nec implicitè singularitas naturam, & natura singularitates includat.

Qui hanc opinionem secuti sint.

In hanc sententiam abijsse videntur, qui non aliud indiuiduationis principium assignandum crediderunt præter ipsas res singulares, & indiuiduas; eò enim collimasse videntur, vt dicendum velint, non esse necessarium aliquod indiuiduationis principium ab indiuidui natura nec re, nec ratione destitutum, si tamen rationis distinctio intelligatur, quę perfectâ præcisione quidem absoluitur. Res valde dubia; sed vt ab euidentioribus exordiar.

Certum, apud quosdam, indiuidualem differentiam addere

addere aliquid naturæ ab eadem ratione distinctum, & quamuis hoc ex hactenus disputatis cuique suasum esse possit.

Ex eo tamen apparet magis, quia natura de se est indifferens ad plura; individuatio de se determinata ad vnum, ac ob id illa concipitur vt determinabilis, hæc autem vt determinans; individualis igitur differentia addit aliquid naturæ saltem ratione, aliquo modo distinctum, siquidem determinatiuum in ipso determinabili nequit omninò includi, itaut aliquo modo ab ipso non distinguatur, saltem ratione quantacunque sit hæc ipsa rationis distinctio. Tum quia natura est ratio ex se communicabilis; individuatio autem incommunicabilis, itaut natura ipsa alioquin de se communicabilis, per individualem differentiam consequatur esse incommunicabile; proindeque necesse est, vt individualis differentia addat aliquid naturæ, saltem ratione distinctum, quantacunque sit ista distinctio. Tum quia cùm dicimus Socrates est homo subiectum in hac enunciatione dicit aliquid amplius, quàm prædicatum nam quod importatur per prædicatum de cæteris etiam individuis poterit enunciari, non autem quod importatur per subiectum; at verò Socrates præter humanitatem non importat nisi differentiam individualem; ergo hæc aliquid addit naturæ saltem ratione distinctum. Tum etiam quoniam si nos individua conferamus eiusdem speciei, concipimus in ipsis præcisè naturam, atque deprehendimus ratione ipsius inter se conuenire; si deinde concipiamus singularitatem, deprehendimus esse non similia; necesse est igitur, vt singularitas addat aliquid naturæ saltem ratione distinctum. Alijs etiam rationibus hoc idem persuaderi posset, superiores tamen attulisse sufficiat.

Celebris est adhuc controuersia in Metaphysicam potius differenda, quanta sit huiusmodi rationis distinctio, quod enim differentia individualis addat aliquid naturæ quodammodo ratione distincti, bene habet, sed num natura ab eo, quod illi additur perfecti, an imperfecta solùm præcisione rationis distinguatur, operosum adeo decernere, vt iuuet alibi hac de re disputationem inire; solùm id addendum à quibusdam dici naturam à singularitate distingui distinctione rationis ratiocinantis, quando creditur esse distincta imperfecta præcisione rationis; propterea quòd illa imperfecta præcisio dicit eundem conceptum ad eum ferè modum, quo dicit distinctio rationis ratiocinantis, vt nuper explicuimus.

Vtcunque se res habeat, satis in præsentia sit, non leuibus rationibus ostendisse distinctionem inter naturam specificam, individualemque differentiam ex rei natura non esse, quod autem distinctionis rationis genus existimari debeat inter hæc intercedere, præcitato loco demonstrabimus, prius etiam aliquid dicturi, cùm de distinctione inter naturam genericam, & specificam differentiam disputandi se se obtulerit occasio.

SECTIO DECIMA.

Vtrum individuales differentiæ, & individua ratione ipsarum in sua intrinseca perfectione & sub eadem specie sint æqualia, vel inæqualia. Et num sint prorsus similia.

QVod hic vniuersè reuocatur in dubium solebat olim de animabus rationalibus discutiendum proponi; an scilicet omnes sint in individuali perfectione æquales, vel inæquales, supposito tamen eiusdem esse speciei; sed quia hæc communis est difficultas, ut de individuis cuiusque speciei etiam institui possit unanimæ, ob id etiam in vniuersum hoc loco proponitur tractanda, de omnibus enim eadem est ratio, ac de animabus de quibus ob eam causam proposita fuerat disputatio, quoniam videmus animam vnam longè melius, quàm aliam suis muneribus fungi; at hoc idem in cæterarum rerum individuis cernere cuique licet: ob id non immeritò hoc ad communem disputationem traductum fuit. Huius disputationis occasio.

Difficultas autem duplici constat parte, primò enim quæritur num inter individua eiusdem speciei detur inæqualitas perfectionis: secundò an quæ sub certa specie continentur individua, præter hoc, quod est vnum non esse aliud, aliqua etiam alia dissimilitudo reperiatur. Disputatio duplici parte constat.

Vt autem exordiar à prima difficultatis parte; initiò adnotandum occurrit, non esse quæstionem de æqualitate, vel inæqualitate in perfectione accidentaria, & extrinseca: nec etiam de intensiua, & extensiua individuorum, cùm satis cuique sit exploratum, individuum vnum esse perfectius alio; propterea quòd sit perfectioribus accidentibus præditum. Ita vnus, aut corporis viribus, aut oris dignitate, aut ingenij acumine alteri quidem antecellit, quod eam in individuis quantitatis, vel qualitatis extensionem, aut intensionem admittentibus obseruare licet: vnde linea vna est longior altera, & qualitas vna est altera intensior, ac ob id perfectionis inæqualis sub eadem specie. Nec etiam difficultas vlla de æqualitate in essentiali, quidditatiuaque perfectione, cùm neminem fugiat, individua cuiuscunque speciei hunc in modum esse perfectione prorsus æqualia; quandoquidem individuales differentiæ, quippè quæ formales non sunt, ad quidditatem non spectant. Superest ergo, vt solum contentio sit de perfectione intrinseca, vt aiunt, entitatiua, quæ præcisè in individualibus differentijs, quibus constituuntur individua, consistit. Explicatur sensus difficultatis primæ partis.

Ad secundam difficultatis partem quod spectat de dissimilitudine individuorum sub eadem specie; considerandum occurrit nemini dubium esse, quin individuales differentiæ tale discrimen inter individua constituant, vt vnum non sit aliud; oritur tamen difficultas, an à differentijs individualibus intra eandem speciem adhuc maior aliqua discrepantia proueniat; Nulla tamen est quæstio de accidentaria dissimilitudine, cùm hanc omnes inter individua eiusdem speciei vnanimi consensu fateantur; sed potius contentio est de intrinseca, & entitatiua discrepantia spectante ad esse intrinsecum, individualeque rei. In hac celebri controuersia tres sunt Philosophorum classes, quarum prima eorum est, qui putant rationem individualis differentiæ non solùm hoc individuum non esse illud, sed etiam perfectius illo, ad esse entitatiuum, quod spectat; ex horum igitur opinione à differentijs individualibus non solùm prouenit individuorum distinctio, sed etiam entitatiuæ perfectionis inæqualitas. Cum autem possit rursus esse difficultas; an individualis differentia semper habeat hanc inæqualitatem perfectionis adiunctam in omnibus individuis; an dumtaxat in aliquibus; ob id apud Philosophos huius primæ classis, hoc etiam in controuersia positum est, adeo ut quidam affirmatiuam: alij verò negatiuam sententiam amplectantur. Secunda pars. Prima opinio.

Iuxta hæc ad secundam quæsiti partem quod spectat, respondent dari posse, imò etiam dari actu differentiam individualem, quæ præter esse hoc, & esse illud importet quoq; maiorem aliquam discrepantiam inter individua eiusdem speciei. Secunda opinio.

Secunda classis eorum est, qui perfectionis inæqua-

lita-

litatem hanc inter individua eiusdem speciei ab individualibus differentijs prodeuntem inficiantur; existimant enim totum munus individualis differentiæ in eo positum esse, vt inde habeatur, hoc esse hoc, & illud esse illud.

Et quòd attinet ad secundam quæsiti partem, existimant ab individualibus differentijs nullam maiorem discrepantiam, atque dissimilitudinem induci inter individua eiusdem speciei, præter illam, quod vnum non sit aliud.

Tertia opinio.

Tertio tandem classis eorum est, qui adhibitâ distinctione propositam controuersiam dirimere conati sunt. Dicunt igitur gemino modo speciem vsurpari posse, videlicet logicè, & physicè. Ex eorum autem sententia, species logicè sumpta est species infima prædicabilis, quæ sic de pluribus numero differentibus prædicatur, vt sit primum, proximumque prædicatum intrinsecum, in quo individua ipsa conueniunt; adeout non dentur alia prædicata media inter huiusmodi speciem, & vltima quidem individua; at verò species physica est, quæ pro vna aliqua specie solet vsurpari, quamuis reuerâ non importet aliquod prædicatum vnum, quod proximum sit individuis, ad eum modum, quo de specie logica dicebatur; sed potiùs inter huiusmodi prædicatum, & individua, quædam alia prædicata sint intercepta. Hâc igitur distinctione, huius sententiæ fautores, duas extremas opiniones relatas componere nituntur; inquiunt enim, si sermo fiat de specie logica, verissimum esse individua huiusmodi speciei non esse perfectionis inæqualis, atque hâc ratione secundam sententiam amplectuntur. Et ad secundam partem quæsiti respondent in individuis eiusdem speciei non admitti posse maiorem dissimilitudinem, quàm hanc, quòd vnum non sit aliud; adeout in omnibus prædicatis intrinsecis prorsus, vnâ quidem exceptâ individuali differentiâ conueniant. At verò specie physicè acceptâ, ratione illius prædicari intermedij fieri posse vt individua in perfectione intrinseca, ac substantiali sic inæqualia sint, vt differant pluſquam per esse hoc, & esse illud.

Postrema sententia reijcitur.

Tres igitur sunt, quas retulimus, hâc de re philosophorum sententiæ; è quibus postrema eo nomine reijcienda, quòd species, quam inuehit in medium physica, non est ad rem, cùm non tam species, quàm genus dici debeat; propterea quòd ex eorum opinione, prædicatum, quod ipsi physicam speciem appellant, non proximè, ac immediatè contrahitur per individualem differentiam, sed per prædicatum aliud intermedium; non igitur species atoma, de qua disputatio est instituta, sed subalterna; proindeque genus, de quo in præsentia nulla contentio; Foret autem genus respectu individuorum, quoniam omne prædicatum inter genus, & individuales differentias essentiale est, faciens ad naturæ specificæ constitutionem, proindeque individua, quæ huiusmodi prædicatum participarent specie, non autem numero tantùm distinguerentur, sed pluſquam numero intra speciem eandem, ab individuis illis, quæ huiusmodi prædicatum non participarent; verbo dicam; quandocunque inter prædicatum aliquod essentiale, & individua intercipitur aliquod itidem prædicatum in quo essentialiter individua conueniant, profectò prædicatum illud non rationem speciei atomæ, sed subalternæ, & generis sibi vendicat; sed huiusmodi foret species ab ipsis physica nuncupata; idcircò hæc non foret species atoma, sed subalterna, & genus; Licet autem horum doctrina admittenda sit in Moralibus, in Physicis tamen nullum potest habere locum; tum ob rationem allatam; tum etiam quia exemplo, quo ipsi vtuntur facilè refelli potest. Inquiunt enim anima rationalis accipitur physicè tanquam vna species, & facilè intelligitur intra hanc speciem esse possibilem aliam animam maioris virtutis in operando ex vi sua intrinseca, quæ melius vti possit organis corporeis, speciebus intentionalibus, ac etiam separata à corpore melius, quàm aliæ, possit operari; atque hunc in modum varij sint gradus inæquales animæ, & in quolibet ex his gradibus plures animæ inter se prorsus similes, & æquales multiplicari possint; at hoc idem exemplum adhibentes, quo ipsi vtuntur, facilè deprehendemus eos in errorem lapsos fuisse. Supponamus duos esse gradus rationalis animæ, & ad primum gradum spectare animas individuas participantes tantam suî gradus perfectionem, in qua plures, ac plures individuæ animæ sint prorsus æquales. Sint etiam, & aliæ animæ individuæ pertinentes ad secundum gradum, cuius itidem æquè participent perfectionem, itaut in hac sint prorsus æquales. Tametsi autem hæ omnes animæ individuæ in communi animæ rationalis natura conueniant; nihilominus animæ spectantes, ad primum gradum conuenient in aliqua ratione, videlicet illa, merito cuius dicuntur prorsus æquales, in qua non conueniunt animæ individuæ spectantes ad secundum gradum; alioquin omnes animæ individuæ vtriusque gradus perfectione forent prorsus æquales, contra hypothesin. At verò si spectemus, id ratione cuius animæ individuæ primi gradus dicuntur æqualis omninò perfectionis; comperiemus id habere rationem speciei, & quidem atomæ, propterea quòd animæ individuæ proximè continentur sub illo, quod de ipsis essentialiter potest enunciari, quod etiam dicendum de secundo gradu &c. Hinc planè constat rationalem animam simpliciter sumptam habere rationem speciei subalternæ, & generis; nam inter ipsam, & animas individuas vtriusque gradus duo sunt essentialia prædicata, sub quorum primo, proximè continentur animæ individuæ primi gradus, & sub secundo, continentur itidem proximè animæ individuæ secundi gradus, ac proinde animæ individuæ primi gradus relatæ ad animas secundi gradus sic se habebunt, vt inter se specie differant. Inanis igitur illa distinctio speciei in logicam, & physicam hac in re, de qua agimus; propterea quòd animæ individuæ vtriusque gradus differunt inter se pluſquam numero, quippe quæ differunt specie; at id quod in controuersiam vocatur est; an individua sint in sua perfectione intrinseca intra eandem speciem æqualia, vel inæqualia; non autem, quæ specie differunt sumtque duntaxat sub eodem genere; Vt omittam, quòd ineptè colligunt maiorem perfectionem singularitatis ex operationibus, cùm singularitas non sit agendi, operandive principium, sed operantis conditio. His autem prætermissis, non enim nobis in animo est cæterorum placita refellere, sed tantùm, quæ videantur rationi maximè consentanea proponere, in arenam descendam.

Dicendum propterea crediderim non esse concedendam inæqualitatem perfectionis entitatiuæ inter plura individua eiusdem speciei atomæ.

Hoc autem ex eo mihi probatum redditur, quoniam formalis effectus individuationis est terminare naturam, eandemque reddere incommunicabilem, & individuum quidpiam certum, atque determinatum constituere; vnde sic licet argumentari. Formalis effectus individuationis est equalis perfectionis in omnibus individuis; ergo æqualis etiam erit perfectionis formalis causa ipsius, cuiusmodi est individuatio. Optima autem est consequentia, eaque constat ex proportione formalis effectus cum causa sua; quo enim causa forma-

formalis est perfectior, eo quoque perfectior erit effectus, formalis eiusdem, & vicissim. Assumptum autem cum veritate consentit; non enim maiorem terminationem, ac incommunicabilitatem natura per vnam individuationem, quàm per aliam consequitur; nec per vnam redditur quid magis certum, ac determinatum, quàm per aliam; ergo formalis effectus individuationis est æqualis perfectionis in omnibus individuis.

Secunda ratio. Eatenus individuum vnum secundum esse individuale foret alio perfectius, quatenus per individuationem suam magis compleretur; magisque redderetur incommunicabile, quàm aliud per individuationem suam, in hoc enim consistit esse perfectius secundum esse individuale; id autem ab individuali differentia haberi non potest, quoniam per ipsam vnum quodque individuum est æquè completum, æquè terminatum, atque incommunicabile; propterea nequit individuum vnum esse perfectius alio secundum esse individuale.

Aduersariorum instantia præoccupata. Dices fortasse ex eo quia individuum vnum incommunicabilius alio non sit, non rectè inferri perfectionis æqualitatem, quemadmodum contra ex eo quod species sint æquè communicabiles; non rectè deducitur easelle perfectione essentiali æquales.

Responsio. Dispar tamen est ratio de differentia specifica in ordine ad speciem, deque individuali in ordine ad individuum; nam illa ne dum dat speciei esse communicabile, sed preterea dat gradum essentiæ, qui potest esse perfectior essentiæ gradu habito per aliam differentiam specificam; at verò hæc, nempè individualis differentia dat præcisè tantùm esse vltimò terminatum, & incommunicabile, in quo nulla potest esse perfectionis inæqualitas, cum in indiuisibili consistat.

Accedit etiam ratio non exigui momenti superius tacta, quæ præsertim vexat eos, qui ex operationibus perfectioribus, quas anima posset exercere, conabantur ostendere perfectionis inæqualitatem inter individuas animas rationales; estque argumentum ad hominem. Individuatio non est operandi principium, sed potius conditio quædam operantis, siquidem operatio accepta referri debet naturæ, licet hæc in operandi actum exire nequeat, nisi sit singularis, ac individua; ergo ex perfectione maiori, minoriue operationis non rectè colligitur maior, vel minor individuationis perfectio; cùm autem nil aliud supperat ex eorum sententia, vnde perfectionis inæqualitas in individuis colligatur; consequens sit, vt gratis illa prorsus *ab ipsis* admittatur.

Tertia ratio. *Illa* differentia, quæ solùm individuis potest numericam distinctionem tribuere, nequit intrinsecæ perfectionis inæqualitatem afferre; hæc enim maiorem distinctionem exposcit, quàm esse hoc, & esse illud, in quo numerica distinctio consistit; sed individualis differentia solum potest individuis tribuere distinctionem numericam, cùm eius sit dare dumtaxat esse hoc, & esse illud; ergo differentia numerica non poterit inæqualitatem intrinsecæ perfectionis individuis tribuere.

Aduersariorum responsio. Respondent ex vi individuationis vt sic haberi solam in individuis distinctionem numericam, quæ faciat esse hoc, & illud; sed ex vi talis, ac talis individuationis maiorem aliquam distinctionem haberi posse.

Confutatio. Nulla tamen responsio talis enim, ac talis individuatio non differt ab individuatione vt sic, nisi per maiorem explicationem conceptus, vt superius ostendimus; nam conceptus individuationis generatim ab *hac*, & illa individuatione solum imperfectè præcisione *distinguitur*.

Neque dicas fore, vt intrinsecæ perfectionis excessus haberetur à prædicato quodam communi, participato ab aliquibus individuis, non autem ab alijs eiusdem speciei; quoniam tunc foret inæqualitas perfectionis, vt superius itidem adnotatum fuit, non individualis, sed specifica; nam præsupposita specie ratione generis sibi vendicaret, & individua licet eiusdem generis, non tamen essent eiusdem speciei. Accedit quòd nihil obstaret, quo minus individuum vnum sigillatim acceptum excelleret alteri intrinsecâ perfectione; quo admisso nullus huic responsioni locus, quoniam non excederet ratione alicuius prædicati sibi communis cum alijs, sed præcisè tantum ratione propriæ singularitatis.

Ad secundam quæstionis partem quod spectat, ex hactenus disputatis perspicuè constare quid asserendum crediderim, individua nimirum sub hac specie contenta ratione individuationis maiorem discrepantiam, seu diuersitatem substantialem habere non posse, quàm quòd vnum non sit aliud, seu quàm quod hoc non sit illud, licet non repugnet haberi maiorem diuersitatem accidentariam, ratione scilicet alicuius accidentis, vt intensionis, extensionis &c. Secunda assertio.

Prima ratio. Hanc assertionem sic ostendo; Si daretur inter individua eiusdem speciei maior discrepantia, ac dissimilitudo quàm quæ consistit in eo, vt hoc non sit illud, non alia profectò foret, quàm quæ ab intrinsecæ perfectionis inæqualitate inter individua prouenire; at hæc admitti non potest, cùm paulo antea probatum fuerit in individuis eiusdem speciei talem inæqualitatem intrinsecæ perfectionis dari non posse; ergo maior dissimilitudo, vel discrepantia nequit inter individua eiusdem speciei adinueniri, quàm quod vnum non sit aliud, seu quàm quod hoc non sit illud.

Secunda ratio. Ampliùs ad eum modum, quo individualis differentia constituit, debet etiam distinguere, cum eadem sint constituentia, ac distinguentia principia, & quâ ratione constituunt, eâdem quoque distinguunt, adeout si specificè constituant specificè pariter distinguant; at verò differentia individualis numericè, ac individualiter tantummodo constituit; ergo individualis differentia numericè, ac individualiter solùm distinguit. Ab individualibus igitur differentijs, individua eiusdem speciei maiorem diuersitatem habere non possunt, quàm quod vnum non sit aliud, siue, hoc non sit illud. Neque dicas id admittendum tantummodo de individuali differentia simpliciter, & vt sic, non autem de tali, & tali, à quibus discrepantia major haberi potest. Inutilis enasio vtpotè paulo antea reiecta. Aduersariorum enasio reiecta.

Vt præteream, quòd si differentia individualis generatim accepta maiorem hanc, de qua loquimur discrepantiam, præstare non potest; multo minus talis, ac talis individuatio; cùm maior à superiori ratione quàm ab inferiori sit expectanda diuersitas.

Tertia ratio. Tandem illud accedat, quod hic admitti maiori dissimilitudine proueniente ab individualibus differentijs, quàm esse hoc, & illud, cum esset penès intrinseca & substantialia prædicata quæ individua eiusdem speciei supponuntur; specie differrent, siquidem plusquam numero.

Prima difficultas. Tametsi autem hactenus dicta primò quidem de æqualitate intrinsecæ perfectionis inter individua eiusdem speciei firmissimis rationibus munita sint, quibusdam tamen difficultatibus laborant, quibus occurrere non pigebit.

Et primò quidem occurrit Salemon inæqualitatem intrinsecæ perfectionis inter animas individuas eiusdem speciei, vtpotè rationales luculenter inferuum, Deo referendo gratias, quod animam bonam com-

para-

paratione cæterorum hominum, quam feliciter sortitus fuisset. *Puer quidem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Sed is intelligendus non de substantiali, sed de accidentaria perfectione, nempè ratione corporis tam benè dispositi, vt inde promptus ad amplectendum bonum redderetur. Est etiam Aristotelis celebris auctoritas, quæ contrariam sententiam tuentibus fauere, videtur; ait enim οὐδὲν διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτως οὐ τοιαύτη διαφορὰ ἐστίν. *Veriam prout nobilitate, ignobilitateue animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt.* Sed obscura non est Philosophi sententia, cum splendidè constet eum non aliò tendere, nisi vt doceat, animas specie diuersas, iure sibi vendicare corpora magis, minusue perfecta, pro maiori, minorique sui perfectione; itaut corporis perfectio animæ perfectioni proportione respondeat; & sanè id æquum erat, propterea quòd corpus est animæ domicilium, cuius eadem est architectatrix, vnde qualis hæc, tale illud.

Lib sapient. cap. 8. num. 19. Solutio. 1. Lib. de gen. animalium cap. 3.

Deinde se offert illa vulgata satis, sed non spernenda difficultas, vtpotè desumpta à paritate cùm differentijs specificis contrahentibus naturam genericam: Hæc enim per differentias inæqualis perfectionis ad species descendit; ergo etiam, & natura specifica ad indiuidua per differentias indiuiduales inæqualis perfectionis ad indiuidua descendat oportet, cùm de illis non maior, quàm de his ratio esse videatur. Paritas tamen neganda cum obuia disparitas sit; propterea quòd differentiæ specificæ; quippè quæ constituunt essentias rerum, possunt inæqualitatem perfectionis admittere, itaut genus vniuocum sit, & analogum simul, hâc solâ tamen analogiâ, quæ in quadam inæqualitate perfectionis intrinsecæ consistit, atque hunc in modum ad species descendat per differentias non æquè perfectas; non sic autem species ad indiuidua; nam inæqualitas perfectionis intrinsecæ potest esse tam parua, vt non maiorem distinctionem inducat, quàm specificam; at non potest esse tam exigua vt distinctionem maiorem, quàm numericam non afferat.

Secunda difficultas. Solutio.

Indiuidua eiusdem speciei, quæ differunt pluſquam numero, sunt inæqualis perfectionis intrinsecæ; dantur autem indiuidua eiusdem speciei, quæ differunt pluſquam numero; ergo dantur indiuidua eiusdem speciei, quæ sunt inæqualis perfectionis intrinsecæ; maiorem probo, ex eo quod pluſqam numero differre non aliunde, quàm ab intrinsecæ perfectionis inæqualitate potest oriri; inde verò perspicua fit assumptio, quia Socrates, & Plato, exempli gratia, sunt indiuidua eiusdem speciei, & nihilominus pluſquam numero differunt. Huius propositionis prima pars nemini dubia; secunda verò sic ostenditur. Illa indiuidua ad quorum compositionem faciunt ea, quæ differunt pluſquam numero, etiam & ipsa eodem modo differant necesse est; Compositorum enim differentia analoga est differentiæ componentium; sed ad compositionem Socratis, Platonisque faciunt ea, quæ pluſquam numero discriminantur; ergo Socrates, & Plato pluſquam numero differant oportet; minor autem inde mihi perspecta, quoniam ad compositionem ipsorũ faciunt vniones inter animas, & corpora; sed hæ pluſquam numero distinguuntur; ergo ad compositionem Socratis & Platonis faciunt ea, quæ pluſquam numero differunt. Quod autem vniones prædictæ pluſquam numero distinguantur, inde palam, quoniam vnio inter animam Socratis, & corpus eiusdem, numero differt ab omnibus possibilibus inter eandem animam, & idem corpus: sic & vnio inter animam, & corpus Platonis differt ab omnibus possibilibus inter eandem animam, idemque corpus; sed vnio quâ anima Socratis vnitur eiusdem corpori, sic est his vniendis partibus addicta, vt penitùs inepta sit ad Platonis animam cum eiusdem corpore nectendam: & viciſſim vnio, quâ Platonis anima iungitur cum eiusdem corpore; sic est hisce partibus addicta, vt iungere non valeat animam Socratis cum corpore quidem eiusdem; ergo huiusmodi vniones pluſquam numero differunt inter se.

Tertia difficultas.

Diluendæ propositæ difficultatis gratia multa dicenda forent, à quibus tamen lubens, ac libens abstineo, ne Dialecticum agens, Metaphysico habitu plus æquo videar indutus. Sufficiat hic animaduertisse difficultatis enodationem variam esse, pro varietate modi explicandi naturam vnionis, aliorumque similium; si nanque credatur vniones commemoratas, quarum videlicet vna facit ad constitutionem Socratis, alia verò ad constitutionem Platonis, specie inter se non differre; dicendum erit, diuersitatem illam, quam maiorem numericâ præseferunt, non ab earum principio intrinseco proficiſci, sed potius ab extrinseco, nempè ab indiuiduali differentia, quę naturæ specificæ extrinseca est; Vnio enim illa, qua Socratis essentiales partes nectuntur, non habet ab interno principio, vt nequeat iungere partes, ex quibus essentialiter Plato componitur, sed coquòd vna hæc: altera verò est alia vnio. Quod si credatur tanta diuersitas inter vniones prædictas, vt vna quidem specie discriminetur ab alia, non subinde concludas maiorem esse distinctionem inter Socratem, & Platonem, quàm numericam; hæc enim attendi debet penes essentiali principia, quibus Socrates, & Plato constant, itaut si illa sint eiusdem rationis, vt reuera sunt, ita pariter, & ipsi specie naturâq; conueniant; at vnio ad compositionem totius non tanquam essentiale principium, sed tanquam nexus essentialium principiorum pertinet; propterea ex vnionum varia natura non oritur diuersitas tanta inter composita, vt hęc essentiâ, naturâue debeant etiam inter se discriminari; Inanis forsan hæc solutio videbitur, eoquòd admittat vniones prædictas esse rationis diuersæ: vel saltem pluſquam numero differre, simulque dicat esse nexum, proindeque conditionem requisitam ad constitutionem totius, quo posito sic licet arguere; Quęcunque suâ naturâ supponunt conditiones diuersę rationis, sunt etiam rationis diuersæ; sed ex conceſſis commemorata indiuidua, Socrates, & Plato sui naturâ supponunt conditiones, nempè vniones rationis diuersę, vel saltem pluſquam numero differentes; ergo non abſimili modo ipsa debebunt indiuidua secerni. Falsa tamen assumptio; acciderent enim indiuiduis, vt vniones illæ pluſquam numero differant; ac proinde huiusmodi diuersitatem in vnionibus sui naturâ minimè præsupponerent. Tandem etiam admisso ad essentiam componi, ne dum partes componentes, sed etiam vnionem spectare: non obid si vniones plusquam numero differant, eodem etiam modo compoſita differre dicendum erit: nam ad constitutionem, distinctionemque quod spectat, non tam nexus componentium, quàm eadem ipsa componentia attendi debent; si igitur horum ratione, eoquòd in indiuiduis eiuldem naturæ sint, non habeatur in ipsis maior distinctio, quàm numerica; nec etiam habebitur ex vnionibus maiori diuersitate distinctis.

Resp.

Postrema sit illa difficultas, quæ præ cæteris æstimanda, videlicet præsentia, quâ Socrates constituitur Patauij magis differt ab ea, qui ponitur Venetijs, quàm ab altera præsentia, quâ constitueretur itidem Patauij: maior igitur erit differentia inter præsentiam patauinam, & venetam, quàm inter plures patauinas.

Qu

tas; sed hæ dumtaxat numero differunt; ergo illæ plusquam numero, cùm tamen eiusdem sint speciei. Simile quidem argumentum desumi solet ex actionibus; nempè duæ sint actiones, quibus possunt ignis A, & ignis B, duos producere calores, hæ magis inter se distinguuntur, quàm duæ actiones, quibus posset ignis A, vel B, producere calorem eundem numero disiunctim; sed hæ numero tantummodo differunt; ergo illæ plusquam numero, & tamen sunt eiusdem speciei; ergo sub eadem specie dari possunt indiuidua plusquam numero differentia, ac ob id inæqualis perfectionis intrinsecæ &c. Sumitur etiam argumentum ex actionibus vitalibus præsertim ex visione; nam visio vnius albedinis A, magis distinguitur à visione alterius albedinis B, quàm ab alia visione eiusdem albedinis A; ergo habet aliquam diuersitatem à visione alterius albedinis B, plusquam numericam, sunt tamen eiusdem speciei; ergo sub eadem specie dari possunt indiuidua plusquam numero differentia, ac ob id inæqualis perfectionis intrinsecæ.

Solutio. His omnibus vnicâ responsione fit satis, nam si credantur hæc indiuidua eiusdem esse speciei, vt præsentiæ Patauina & Veneta, & calefactiones, per quarum vnam producitur calor in subiecto A; per alteram in subiecto B, & visiones, è quibus vna attingit albedinem A, altera autem albedinem B; Negandum inter indiuidua eiusdem speciei dari maiorem distinctionem, quàm numericam à principijs internis ortam, ac proinde inter huiusmodi indiuidua contenta sub eadem specie esse intrinsecæ perfectionis inæqualitatem; Quòd autem plusquam numero dicantur differre, id ideò, quoniam inter indiuidua prædicta datur inæqualitas accidentariæ perfectionis, penès quam dicimus magis differre præsentiam in loco A, à præsentia in loco B, quàm ab alia itidem præsentia in eodem loco A, & ita de reliquis; at si illa indiuidua non credantur eiusdem speciei, nulla amplius controuersia supereſt; quoniam communi omnium consensione receptum, indiuidua diuersarum specierum inæqualis esse perfectionis intrinsecæ.

Quæ autem dici possent aduersus assertionem alteram de similitudine, ac dissimilitudine indiuiduorum, quæ sub eadem continentur specie, facilem quidem ex disputatis hucusque solutionem recipient.

DISSERTATIO OCTAVA

De Vniuersalibus particulatim, & primò de Genere.

HVcusque de Vniuersali generatim accepto, deque singulari disputatum fuit; nunc speciatim de singulis vniuersalibus disserendum. Vtilissima contemplatio; & primò quidem ad definiendum, cùm essentialis definitio ex genere, differentiaque constet: vel per communium accidentium combinationem tradatur, accidentaria si forsan exstiteris. Secundò non minùs ad diuidendum, cùm in essentialibus diuisionibus, genus per differentias in species: in accidentarijs verò subiectum per accidentia propria, vel communia diuidatur: Tertiò tandem ad demonstrandum, cùm potissimæ demonstrationis medium sit, vel subiecti, vel attributi definitio; & hæc ex genere, ac differentia constet; quodque demonstratur, attributum sit, siue affectio. Ex his autem intelliges, quantùm ad operationes intellectus dirigendas præsens tractatio, etsi ad vnam proximiùs, ad alias autem remotiùs conducat. At ex quinque vniuersalibus, siue prædicabilibus (promisi namque sic nuncupari posse censemus) primò se se genus considerandum offert. Præsens tractatus quam maximè vtilis. Ad quæ sit vtilis. Ad primam intellectus operationem proximè; ad alias remotè conducit.

De singulis autem vniuersalibus disputaturi, à Generis consideratione desumemus exordium, cùm enim hoc essentialiter, & in quid de pluribus specie differentibus dicatur; proculdubio præcedere duobus alijs debet, quæ quidem accidentaliter dicuntur, itemque differentiæ, quæ dicitur in quale; atque demum speciei, quæ dicitur dumtaxat de individuis. Cæterum hæc de Generis multiplici vsurpatione sermonem instituere superuacaneum existimo, cùm satis hæc de re fuerit in Institutionibus tractatum.

SECTIO PRIMA.

De Genere, & primo num definiri possit, quid nam sit, & quo sensu definitum intelligi debeat.

Quid præsens sectio inquirat. IN eo primò nostra se exerceat industria, vt inquiramus, an Genus definiri possit, & quonam sensu definitum hoc loco sit intelligendum. In memoriam est operæ pretium reuocare, de re quapiam definitionem aliquam tradi, bifariam intelligi; vel ita, vt illa definitio sit iuxta benè, scitèque definiendi leges elaborata, atque adeò ex genere, ac differentia constet; vel saltem aliquibus eorum gerentibus vices; aut latiori quâdam vsurpatione, quatenus vtcunque rei quidditatem, & essentiam exprimit, etiamsi hæc duplici ratione generis, differentiæque non constet.

De qua definitione sit sermo.

Dum autem hic proponitur dubitatio, videlicet, num genus sui definitionem admittat, non de quauis, sed de propria definitione loquendum.

Genus posse propria definitione definiri. Prima ratio.

Hanc ei meritò nos adscribendam existimamus ea ratione ducti; quoniam vt aliquid propriè definiri patiatur, solum id exposcit, vt geminâ ratione constet, nimirum generis, ac differentiæ; genus autem ita esse non obscurum, propterea quòd in ipso datur vniuersalis ratio, nempè esse commune pluribus, ac de ijsdem prædicari posse, quâ conuenit cum cæteris vniuersalibus; datur que differentiæ ratio, quâ potens in pluribus esse, naturâ, specieque diuersis constituitur.

Secunda ratio.

Vt omittam, quòd genus, prout definiendum assumitur, nempè veluti dicens secundam intentionem, atque connotans primam, vel contra, quoddam est ens per se vnum; proindeque nihil obstabit, quo minus proprijssimâ definitione explicetur.

Prima difficultas.

At si quis hoc ægrè ferat eo fortasse nomine, quòd genus primum prædicabile, generibus sit omnibus commune: atque adeò non aliud habeat genus, per quod possit definitione explicari. Illi magnoperè considerandum, bifariam aliquid genus, vel speciem dici; vel essentialiter, vel accidentariò, atque de-

Solutio.

Digitized by Google

ominatiuè; vltrò fatendum, non dari generis aliud enus priori modo sumptum, secundo tamen modo non inficiandum; cuiusmodi est vniuersale, cui ex. gr. non secus ac animali genereitatis (vt cum Scholasticis loquar) ratio quidem appingitur.

Secunda difficultas. In hoc etiam difficultatis aliquid apparet, quòd vt genus propriam sui definitionem recipiat, indiget quoque genere, cùm iuxta benè definiendi leges adhibendum sit genus, vnà cùm differentia ad ipsam definitionem perficiendam: hoc autem videri posset absurdum, cùm hinc timendum, ne sit abeundum in infinitum; Sed nihil minùs; tametsi enim genus non nisi per genus, & differentiam propriè definiri possit; nullum hinc tamen absurdum; quod enim sumitur definiendum est essentialiter genus: sed quod in definitione adhibetur, accidentaliter solùm est tale; hinc propterea nullus processus in infinitum, quoniam in eo sistimus, quod alio est modo genus ab eo, quod definitur:

Solutio.

Tertia difficultas. Docuit quidem Philosophus definitionem solius esse speciei; cùm igitur genus nequeat esse species: relatiuè siquidem hæc opponuntur, atque adeò vnum nequit esse aliud, propterea nullam videbitur genus definitionem admittere. Sed hîc considerandum, genus non posse quidem esse speciem essentialiter sumptam relatiuè siquidem sic inter se opponuntur, accidentaliter tamen, atque denominatiuè posse.

Solutio.

Isagoge cap. 2o His præhabitis asserenda vulgata satis generis definitio ex Porphyrio desumpta, cùm ait ὅτι τοῦ γένους τοῖς εἴδεσι διδομένου, πρὸς ὃ τὸ λεγόμενον, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον, οἷον τὸ ζῶον. *Quod etiam descriptione explicarunt dicentes. Genus, quod pluribus, & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est, velut animal.* Eadem legitur apud Aristotelem Γένος δέ ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. *Genus autem est quod pluribus, & differentibus specie attribuitur* inquæstione *quid est*, quam pariter alibi non semel inculcat. Scholastici verò sic allatam definitionem interpretantur, vt putent his verbis reddi posse. *Genus est quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid.* Et quamuis plerique crediderint ob eas, quibus laborat difficultatibus definitionem generis allatam rejiciendam; legitimam tamen, ac ob id retinendam deprehendemus, si paulo diligentiùs in eius explanationem incumbamus; multaque perscrutemur, ex quorum intellectu splendidè constabit, allatam definitionem esse numeris omnibus absolutam.

Ex Aristotele 1. Top. cap. 5.

Quid explicetur definitione generis inquiritur. Quid verò sit, quod explicatur generis definitione, primum est assignandum. Ea porrò dubitandi ratio, quoniam genus concretum quidpiam cùm sit, vt aliud quodcunque, sic & ipsum duo quidem inuoluit, scilicet formam, & subiectum; vel æquè vtrumque in recto, vel vnum quidem in recto: alterum autem in obliquo; prout importatur vnum connotando tamen aliud; vel vt subiectum connotet formam, vel potius contrà, de quo suo loco disserendum.

Genus duo, & naturam, & genereitatem inuoluit. Genus igitur, cuius definitio nobis enucleanda proponitur, & naturam, & genereitatem, veluti formam inuoluit, itaut hæc illam afficiat; at cuique satis apertum, ac exploratum, non solam intentionem genereitatis, nec puram naturam eius capacem definiri: sed vel vtrumque æquè, vel vnum in ordine ad aliud.

Triplex hac de re opinio. Hinc tripartita sententia, quarum prima docet, in recto, & vt *quod* naturam quatenus tamen connotat

Prima. secundam intentionem, atque adeò, vt *quo* eandem

Secunda. intentionem, definiri. Secunda, quæ asserit, directè secundam intentionem in concreto, prout quam affi-

cit, connotat naturam, explicari: itaut secunda intentio sit res definita; natura verò ex modo definiendi sit res connotata. Tertia tandem aggregatum, siue compositum ex natura, atque secunda intentione esse definitum affirmat, itaut vtrumque directè, natura scilicet vt materiale, intentio autem, vt formale sub ipsa cadat definitione, quod à se non inepte dictum existimant, cùm ex illis duobus vnum per se ens consurgere videatur; propterea quòd natura ex. gr. genereitatis capax, ad eandem dicit ordinem, veluti potentia ad actum suum; at ex his sic ordinatis per se vnum fieri, satis perspicuum, ac manifestum.

Aggregatum illud ex re, ac intentione, itaut vtrumque primò importetur, non esse definitum, hinc vniuique patebit, quoniam si quidpiam iure dicendum sub definitionem cadere, oportet illud vnius per se esse naturæ, vel ipso Philosopho non semel inculcante; alioquin vna haud poterit definitio tradi, cùm huius vnitas ab vnitate rei definitæ pendeat; at aggregatum illud velut ens verè per accidens est simpliciter plura; quamobrem vnicâ definitione haud poterit explicari.

Et parùm scitè, meâ sententiâ, nonnulli aggregatum illud ens esse per se vnum credidere, dicentes, substantiale quidem non esse, sed accidentarium per physicam vnionem ex subiecto, & accidentaria forma consurgens. At quid magis à Peripatetica doctrina, quinimò ab omni veritate remotum? quis indisertus adeò, quem prætereat, ab Aristotele frequentius nihil vsurpari, quàm ens per se vnum, non nisi ex per se potentia, & per se actu, cuiusmodi non sunt subiectum, & accidentaria forma, fieri? Vt hoc vnum consurgat, vnio quidem requiritur, nedum physica, sed pariter, quæ ad substantiæ genus pertineat. Quòd si quis illud velit admittere, physicam scilicet vnionem, quamuis accidentariam sufficere; non satis intelligo, quænam inter genereitatem, subiectamque naturam physica possit vnio reperiri, cùm potiùs ea tantummodo fit, quam intellectus hæc inter extrema comminiscitur.

Quòd si contendas, nullâ ratione concludi, quod sub definitionem cadit vnius esse per se naturæ; Vt omittam, quòd id inuisè dicitur, ad illud nisi contingias, quod est abs re, nimirum ens per accidens in actu signato acceptum definiri posse, non tamen in actu exercito. Hoc vt dicebam, est abs re, non enim asserimus, explicari non posse, quid sit vnum per accidens; sed illud solùm contendimus, si quidpiam est, quod ens per accidens dici mereatur, vnicâ definitione quidem explicari non posse.

Non me præterit, id etiam, quod ens per accidens dici solet, posse vnicâ definitione explicari, dummodo partes illæ, quibus constat, nempè subiectum, & forma non æquè primò, sed vnum primariò, alterum secundariò importetur. At illud propriè dicendum ens per accidens: hoc autem impropriè, cùm potius ens connotatiuum sit appellandum, quod vnicâ definitione, etsi per additamentum traditâ, explicari posse, ex eo quidem intelliges, quòd connotatum non pertinet, velut pars ad conceptum principalis significati, sed potius vt quidpiam terminans respectum ipsius, vnde adhuc absq; propriâ vnitate per se patitur definiri, suique definitionem admittit.

At si aggregatum illud ex natura, & secunda intentione, vtroque directè importato, sub definitionem cadere non possit, quamuis natura se habere vt materiale: intentio autem vt formale dicatur, alterutrum necesse est, vel rem ipsam definiri, vt intentioni substantè, vel intentionem vt applicatam rei, itaut vnum eorum directè, ac primò: aliud autem veluti connotatum,

&

& ad definitionem pertinens per additamentum dici debeat.

Geminæ prædicationis.

Ad suadendum hoc autem cogor geminam prædicationem in memoriam redigere, quarum vnam exercitam, alteram autem signatam appellant: illa quidem ad primas: hæc autem ad secundas pertinet intentiones; cùm quicquid in primis exercetur per exercitam prædicationem, signetur in secundis per prædicationem signatam, itaut, quę primis exercitè conueniunt, etiam secundis, quæ tamen illis possint applicari, signatè quidem attribuuntur.

Superior doctrina ratior explicatione addatur. Declaratur 1 quid alicui conuenire signatè 2 exercitè.

Quæ clariùs vt explicentur, non pigebit aduertere, tunc aliquid alicui exercitè conuenire dici, quando illi re ipsâ inest; vt cùm ex. gr. dicimus triangulum tres habere angulos æquales duobus rectis, tunc prædicatum de subiecto enunciamus, itaut illud huic exercitè conueniat, sic enim affectio illa triangulo conuenit, ei siquidem re verâ inest. At signatè aliquid alicui conuenire tunc dicitur, cùm illi tantùm vt signo conuenit, per quod innuimus affectionem illam verè, & exercitè conuenire ei, cuius est signum; quod passim de pictis imaginibus, vel sculptis rerum simulacris loquentes vsurpamus. Sic per familiare nobis est dicere Alexandri pictam imaginem ab Apelle, virum esse magnanimum; equum à Phydia sculptum esse generosum. At nobis tunc haud est in animo significare imaginibus illis exercitè prædicta conuenire attributa, sed potiùs signatè, prout nobis indicant, quòd Alexander magnanimus, & equus sculptus sit generosus, exercitè. Hîc non absimili modo ratiocinandum. Cùm enim de secundis intentionibus fit sermo, multa quidem ipsis adscribimus, quæ non exercitè, sed signatè tantùm accommodari possunt. Ita cùm dicimus vniuersale est, quod de multis potest prædicari, & id genus alia, non sic intelligendum, vt secunda vniuersalis intentio per verbum *est* de multis illis prædicetur, nihil enim à veritate magis alienum; sed id secundæ intentioni, tanquam signo conuenire putandum, propterea quòd ea signum est, quo innuitur, quòd id, cui huiusmodi applicatur intentio, verè & exercitè de multis prædicatur. Nec dissimili modo si dicatur, genus est, quod de pluribus specie differentibus, & species de pluribus differentibus numero prædicatur in quid; hæc non sic vsurpanda, vt secunda generis intentio de specie, & intentio secunda speciei de individuo per verbum *est* prædicetur; nihil enim à veritate remotius, quàm quòd species sit essentialiter genus, & individuum sit essentialiter species; sed hæc secundis intentionibus veluti signis conueniunt propterea quòd signa sunt, quibus innuimus, quòd ea, quibus huiusmodi intentiones applicantur, verè ac exercitè de individuo prædicantur.

Addenda.

Si tu autem inter actam vtrumque, exercitum scilicet, & signatum cupias quid interfit, addiscere, Doctorem subtilem, eiusdemque sequaces adeas, à quibus disertè admodum loquentes intelliges, id hunc in modum explicari posse. Spectemus, inquiunt, negativam dictionem *non*, per quam exercetur negatio, quæ per verbum *nego* signatur; si quispiam enim dixerit, *negatio negat*, hic exercitè affirmat, cùm affirmativa sit propositio, signatè tamen negat: quamobrem prædicatum istud *negat*, secundæ intentioni negationis tantummodo signatè adscribitur, negationis autem exercitium fit per negationem *non*, vt cùm dicimus, *homo non est lapis*, proindeque negatio in actu signato negat; dictio autem *non* negat in actu exercito, atque adeò illud idem exercitè præstat.

Nec modo absimili per dictionem *tantùm* exercetur exclusio, & per verbum *excludo* signatur, sine illud idem signatè præstatur.

Exercita prædicatio conuenit naturę signata vero generatim.

Hæc porro si diligenter attendas, nullo labore intelliges, quàm rectè à nobis fuerit pronunciatum de genere, modo iam dicto philosophandum esse; si namque fiat de exercita prædicatione sermo, nulli dubium, quin hæc naturæ, non intentioni conueniat; proindeque definitio generis de huiusmodi prædicatione intellecta, naturæ quidem, non autem intentioni accommodata erit, quod eâ ratione perspectum sit, quoniam illi generis definitio conuenit, in qua exercita prædicatio adhibetur, cui hæc ipsa prædicatio potest conuenire: at exercita prædicatio non intentioni, sed naturæ conuenit, ob id generis definitio sic intellecta, non intentioni sed naturæ conuenit.

Admonitio.

Sed hîc te admonitum volo, in communi naturâ, quæ sit vniuersalis dicenda, spectari posse, & naturam ipsam, quæ prædicari debet de pluribus, & formalem rationem, per quam possit prædicari, & cognitionem præuiam ad hoc necessariò requisitam. Natura est, cui quædam alia contingunt, formalis ratio eidem debetur sic, vt hanc ipsa per se sibi vendicet; conditio autem est gemina, remotior vna, atque naturâ prior, nimirum abstractio, sine qua prædicabilis nunquam poterit natura dici; altera autem proximior, atque posterior, nempè intentio generis, quam intellectus naturę quidem appingit, quâ natura ipsa proximè, quemadmodum abstractione remotè prædicabilis redditur.

Intentio generica naturæ præuia est conditio.

Intentio igitur præuia est conditio ad naturam constituendam proximè de multis prædicabilem, quoniam non ita est, nisi sit actu sub relatione vniuersalitatis, habeatque indeterminationem positiuam ad plura; siquidem in proxima non est potentia, vt actu dicatur de illis, nisi per huiusmodi respectum, ac indeterminationem positiuam, quâ natura sit actu vniuersalis logicè, quâq; vniuersale sit logicum. Dum igitur prædicatio pro exercita quidem accipitur, sic intelligendum naturam definiri, prout hæc intentioni subsstat, adeò vt intentio veluti conditio habenda sit.

Intentio non prædicatur, quod, nec vtquo.

Hinc facilè tibi perspectum, intentionem non prædicari *vt quod*, non enim dicimus homo est genus, nec *vt quo*, quasi secunda intentio sit naturæ formalis prædicandi ratio; quod enim de pluribus inferioribus essentialiter prædicatur, ita se habet, vt ex prædicationis vi nedum secundum id, quod prædicatur, sed etiam secundum formalem rationem, cuius merito ei prædicatio conuenit, ad inferiora descendat; at generis intentio descensum hunc sibi vendicare non potest, non igitur vt quo vel vt formalis habenda ratio. Ne commemorem, genus definiri id, quod, non, quo prædicatur de pluribus.

Quòd si fortè contendas, ex se naturam habere modum essentialiter prædicandi; intentionem autem dici rationem formalem, quatenus est forma, à qua natura proximè denominatur prædicabilis, rectè habet, & tantum sub iudice lis erit, an intentio sit appellanda conditio, qua de re sollicitum esse haud operæ pretium. Si generis autem definitio de prædicatione signata intelligatur, intentioni profectò conueniet; propterea quòd illi generis definitio conuenit, in qua signata prædicatio adhibetur, cui huiusmodi prædicatio accommodata est; at signata prædicatio non naturæ, sed intentioni conuenit; ergo definitio, in qua signata prædicatio adhibetur, non naturæ, sed intentioni conueniet.

Quando generis definitio tradita secundæ intentioni conuenit.

Quamuis autem illâ generis definitio sensu iam tradito intellecta possit intentioni secundæ accommodata esse; rectius tamen est hæc de re sentire, vt intentioni non absolutè, sed vt concernit naturam, cuius est conueniat.

signum, conuenire dicatur. Secunda enim intentio signum est prima, hanc propterea respicit; quamobrem cùm dicitur, genus est id, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid, perinde est, ac si dicatur, quod genus est secunda intentio apta naturæ illi applicari, quæ in actu exercito de pluribus specie differentibus in quid potest enunciari. At quæ de genere fuerunt hactenus dicta, cæteris vniuersalibus aptari posse, perspicuum est.

Quæ de genere dicta sunt, cæteris vniuersalibus aptari possunt.

Hæc porrò tametsi egregiè cùm veritate consentiant, non deest tamen dubitandi locus. Turbabit enim quempiam fortasse, quod in re, de qua agimus, definitum omnibus vniuocum est, quibus denominatio generis conuenit, siue reale id, siue rationis ens, siue substantia, siue accidens esse dicatur; nihil tamen his vniuocum licet assignare; non igitur rem, sed intentionem eâ definitione explicari dicendum. Hoc nihil tamen, si nanque rationis ens è nostra sententia explicetur, difficultas profectò nulla, cùm omnia in communi formali ratione entis vniuocè conueniant; nobis enim ens rationis nullum sanè, quod sic obijcitur menti, vt nullatenus in natura versetur: eo tamen admisso, haud nos torquet superaposita difficultas; etsi nanque concederetur, nihil illis vnum vnitate vniuocationis esse commune, sed vnitate tantummodo proportionis; modus tamen, quo id sub definitionem cadit, vniuocè communis est omnibus, cunctisque generibus; pari siquidem ratione naturæ omnes conueniunt in modo, quo de inferioribus suis enuncientur. Nec æquum est, in re definita maiorem vnitatem requirere, cùm satis, superque sit vnum esse modum, sub quo res definiatur. Nec propterea Logicus dicendus artifex realis; nam etsi res ipsas definiat, cùm tamen sub modo, qui rationis est opus, sensu à nobis explicato, quo concedendum ens rationis dicebatur, adhuc rationalis artifex appellandus.

Prima difficultas.

Difficultatis solutio.

Quòd si forsan obijcias, formaliter importatum in est formale itidem definitum; atqui per genus vt potè concretum formale quidem importatum secunda est intentio, non subiectum, quod potius connotatum dicendum; intentio igitur est, cui hæc definitio conuenit. Verumenimuerò sic ratiocinando nihil conficies, non enim intentio formalis est ratio, merito cuius naturæ definitio conueniet; non enim vt albedo comparatione parietis, cui albi definitio ratione albedinis conuenit, sed veluti conditio habenda, sine qua naturæ haud hæc definitio posset conuenire; propterea quòd prædicari de pluribus posse, nequit naturæ competere non accedente intentione secunda veluti conditione; vniuersalis enim generatim accepti hoc proprium, cui alioquin, atque adeò & generi, & speciei de pluribus essentialiter prædicari ratione naturæ conuenit; proindeque formale importatum illius concreti nomine, prout formale à conditione secernitur, non intentio, sed natura dicenda.

Secunda difficultas.

Solutio.

Videbitur etiam definitione generis primum, ac præcipuum definitum rem esse non posse: quicquid enim conuenit superiori, conuenit etiam inferiori; proindeque prædicari de pluribus differentibus specie cum re ipsa, puta, cum animali, ad inferiora, videlicet ad hominem, ad æquum &c. descenderet, vnde homo diceretur posse de pluribus specie differentibus prædicari, quod falsum omninò. Ille tamen descensus non sequitur, & quicquid conuenit superiori conuenit etiam inferiori, dummodò id superiori conueniat secundum suppositionem absolutam, non autem secundum suppositionem simplicem; at prædicari de pluribus specie differentibus rei, scilicet naturæ conuenit, prout supponenti simpliciter, non absolutè.

Tertia difficultas.

Solutio.

SECTIO SECVNDA.

Num probè generis definitio tradita sit.

Genus naturam explicare.

SVperioribus præceptis, quæ veritati consentanea demonstrauimus, nimirum generis definitionem de re quantum ad exercitam prædicationem, deque intentione, quantum ad signatam intelligi posse; sic de generis definitione ratiocinandum. Genus est concretum ex natura, ac intentione (vt cùm Scholasticis loquar) genereitatis, non quòd intentio formalis quædam sit ratio, cuius merito posse de pluribus specie differentibus in quid prædicari, naturæ conueniat; sed quoniam conditio quædam est, cui prout natura substat, sic ei definitio potest aptari; quamobrem si definitio tradita secundum prædicationem exercitam intelligatur, proindeque naturæ conueniat, intelligenda quidem tradita per subiectum, itaut per particulam *quod* insinuetur natura, prout secundæ intentioni substat; materialis enim huius concreti pars est natura: formalis autem intentionis conditio; quæ in ordine ad id, nempè naturam de pluribus enunciari, non secus se habet, ac propinquitas ad comburendum, quæ tametsi non sit formalis ratio comburendi, dici tamen potest forma constituens ignem propinquum. Non absimili modo generis intentio, quamuis non sit formalis ratio, sed potius conditio, merito cuius natura de pluribus specie differentibus in quid prædicari possit, est tamen veluti forma, quâ constituitur proximè potens prædicari; quamobrem natura materiale quidpiam rei definitæ putandum, cuius formale sensu iam explicato, sit intentio.

Gen definit secund exercit prædicationē intellect.

Quòd si generis definitio secundum exercitam prædicationem intelligatur; itaut non res, sed intentio sub definitionem cadat, duplicem explicationem admittit; vel nimirum prout materialem, vel prout formalem sensum reddere valet. Priori modo per subiectum tradita est, adeò vt per particulam *quod* fundamentum illius respectus insinuetur, quem genereitatem appellant, ac ob id generica natura; itaut definitionis sensus hic haberi debeat. *Genus est id, quod prædicatur*, nimirum genus est intentio, cuius fundamentum est natura, quæ prædicatur.

Qua attend forma sensu finitio

Atsi definitionis formalem sensum attendendum existimes, ea certè per concretum aliquod superius ad genus intelligenda tradita, quod in ipsius definitione, munere quidem generis fungatur.

Que do e quod finiti

Illud porrò non immeritò perhibetur prædicabile de pluribus, radicitus tamen acceptum, quod est vniuersale; & quamuis per prædicari de pluribus ab individuo secernatur, adhuc tamen generis proximi quidem rationem obtinet, per quod ab ijs distinguitur, quæ sub eodem genere, re definita, non continentur, vt individuum sic per animal homo distinguitur à lapide.

Prim ficul

Generis tamen natura clarius elucebit, si per particulam *quod* intelligatur vniuersale, itaut sensus definitionis reddatur. *Genus est illud vniuersale, quod potest de pluribus specie differentibus in quid prædicari.*

Prim ficul finit expl

His porrò sic explicatis plurimum inesse difficultatis hinc, vt opinor, intelliges. Si nanque per particulam *id* à nobis intelligatur vniuersale, superflua redditur altera, *prædicari de pluribus*, cùm hæc per particulam *vniuersale* insinuetur, siquidem hoc ex sui natura, vniuersale sibi vendicat. Deinde superflua etiam redditur, si adhibeatur ad distinguendum genus ab individuo, cùm ab hoc genus abundè secerni, ex eo, quòd vniuersale sit, cognoscatur.

So

Superflua non est prædicta particula, propterea quòd

quòd adhibetur ad propriam rationem generis determinandam per superadditam particulam *differentibus specie*, quæ absque intermedijs collocari, & cum particula *vniuersali* connecti non potest. Nec ex alio capite superfluæ, nisi ob eum finem intelligatur adhibita, vt genus abinde iniduo distinguatur; cùm tamen in alterius gratiam in definitione locum obtineat, vt modo dicebatur, videlicet, vt posteriores superadditæ particulæ, cùm particula vniuersali connecti possint; alioquin genus ex eo, quòd vniuersale sit, ab eo, quod est vnum numero discriminatur, quamobrem sic definitio generis intelligenda, vt per particulam *vniuersale* distinguatur ab individuo, per cæteras verò mox explicandas à reliquis vniuersalibus.

Duæ igitur reliquæ particulæ, nempè *differentibus specie*, & *in quid* differentiæ locum obtinere dicuntur; per illas enim optimè genus ab alijs vniuersalibus, atque prædicabilibus, cùm quibus conuenit in eo, quod est, esse in multis, & prædicari de multis, quandoquidem per *differentibus specie*, distinguitur à specie secundo prædicabili, quod solùm de pluribus numero differentibus prædicatur.

Sed in re tam graui non nihil hærendum ad accuratiùs generis naturam explicandam, præsertim vtà specie secernitur. Grauiter admodum peccaret, si cui videretur id discriminis intercedere, quòd ea, de quibus genus prædicatur, specie quidem, & ea, de quibus species, numero tantùm distinguantur, quasi maior vel minor inferiorum multitudo ad hanc distinctionem sola sufficiat; propterea quòd differentia quoque generica, atque specifica diuersam hanc multitudinem subijcibilium respiciant, & ad idem tamen vniuersale pertinent, quod differentia nuncupatur. Præterea differentia generica: itemque proprium genericum, & differentia specifica, quemadmodum proprium specificum, quamuis multitudinem subijcibilium eandem respiciant, diuersa tamen penitus constituunt prædicabilia. Hinc igitur ineptè diuersitas prædicabilium desumitur. Quamobrem non inficiandum, vniuersalia per ordinem, atque respectum ad multa constitui; si tamen addatur prædicationis, atque communicationis ad illa natura, conditio. Hinc enim vniuersalium formalis varietas, atque distinctio. Sic genus à specie secernitur, quoniam illud non in, in multis est, quasi tota penitus eorum essentia sit; species autem speciem, ac incompletè de inferioribus suis prædicari, cùm non totam essentiam, sed essentiæ partem importet; at speciem veluti totam essentiam completèque de suis inferioribus enunciari, propterea quòd tota eorum essentia est. Hîc tamen aduerte, formalem terminum generis in inferioribus, quæ sub se habet, essentialem esse diuersitatem; speciei verò materialem, atque numericam. Hoc attendendum profectò, veluti per se faciens ad formalem rationem terminiprædicationis, quâ genus de inferioribus suis enunciatur. Negligendum autem, quòd his accidit, nempè differentias, quibus natura contrahitur, vlteriùs esse communicabiles; & quibus natura specifica, non item. Vnde autem species habeat, vt tota inferiorum sit essentia, sed genus essentiæ pars, vt splendidè constet, tibi præ oculis habendum, quòd etsi in individuis numericè dentur differentiæ ipsis intrinsecæ, vt speciebus differentiæ specificæ; hoc tamen interest, quòd numerica differentia materialis, non essentialis est, cum essentiæ nomine sit intelligenda natura vlteriùs communicabilis, cuiusmodi est, quæ per specificas differentias contrahitur, non sic per differentias numericas.

Hinc ne colligas velim, formalem genericæ prædicationis terminum esse diuersitatem multorum, nempè plura specie diuersa, & plura numero differentia. Si nanque foret natura quæpiam ad individuum contracta, vt numero multiplicari non posset; adhuc ratio generis diuersa foret à ratione speciei; id verò non aliundè, nisi quia diuersa est communicationis ratio, quâ natura ipsa inferiori suo communicatur, scilicet per modum partis, & per modum totius essentiæ &c. Adnotatio.

Tandem per particulam illam *in quid* genus à differentia, proprio, & communi accidente distinguitur; propterea quòd quæ prium, & accidens commune de pluribus in quale accidentario modo prædicantur: Differentia verò in quale quid, cùm genus prædicetur in quid. Ea porro discriminis ratio, quoniam genus, & differentia sunt essentiæ partes; illud tamen ad modum est per se stantis, atque determinabilis per differentiam, vnde substantiuo nomine enunciatur: Differentia verò per modum qualificantis, atque determinantis, vnde adiectiuo nomini significatur. Genus est, quod primùm inest, quodque subiecti munere fungitur; differentia verò ipsius veluti qualitas; hinc rectè genus in quid prædicari secundum rem, & modum: differentiam verò secundum rem in quid, secundum modum in quale, dici consueuit. Quòd sic vsurpandum, scilicet vtramque partem ad rei naturam spectare, proindeque commune vtrique esse prædicari in quid secundum rem; quia tamen non idem vtriusque modus, quo ad essentiam pertineat, cùm genus sit primum essentiæ fundamentum præbere, differentia autem reddere illud quale; propterea genus in quid etiam secundum modum, at differentia in quale prædicatur. Vltima particula definitionis explicatur.

Deindè non leuis difficultas. Si definiatur species eam esse dicendo, quæ sub assignato genere continetur, hoc est, quæ directè formaliter, & immediatè sub determinato ponitur genere, sequitur genus per speciem, & speciem per genus definiri, atque adeò circulum in definiendo committi. Tametsi de hoc infrà, vbi de specie sermo rediturus; non præterimus tamen difficultas ab instituto neutiquam aliena; dum enim genus definitur per prædicari de pluribus speciebus differentibus, perinde est, ac si dicatur prædicari de pluribus sub genere contentis; proindeque dum inferimus communem aliquam rationem genus esse dicendam, ex eo quòd de pluribus specie differentibus prædicetur, plura autem differre specie ex eo, quòd sub eodem genere continentur, in circulum adhuc incurrimus, quoniam specie differre ex eo deducimus, quòd sub eodem sint genere, & genus esse dicimus, quoniam speciebus commune est. Diluitur hæc difficultas aduertendo, nunc prædicari de pluribus speciebus differentibus sic intelligendum, vt species materialiter, vt sumuntur, & non formaliter accepta sit, adeò vt differentia horum, quæ sub genere continentur, penes essentiarum diuersitatem attendi debeat, neglecto respectu, quem acceptæ formaliter species inuoluunt ad genus idem, sub quo contineri dicuntur. De hoc tamen copiosiùs infrà. Secunda difficultas. Solutio.

Nec te commoueat, quòd hæc definitio per ignota tradita videatur, cùm per speciem tradatur, quæ nondum innotuit, cùm nondum sit definita. Modo enim non absimili fit satis, non enim innotuit adhuc formaliter sumpta, siquidem non adhuc definita, etsi definienda posteriùs; perspecta tamen materialiter accepta, per quam genus definitum esse dicendum, cùm modò plura differre specie idem penitus sit, ac plures, diuersasque naturas esse pluribus adhuc communicabiles, quod explicatione terminorum cuilibet innotescit. Tertia difficultas. Dilutio.

Insul-

Quarta difficultas. Insulsè creditur inepta definitio ob particulam *id* indefinitam, quasi hinc eâ non possit notificari natura definiti; nam per alias particulas finita redditur determinatè, vel prædicabile, vel vniuersale, significans.

Solutio.

Quinta difficultas. Videtur etiam genus non benè dici prædicari de specie, quoniam omne prædicabile dicit formam totius, eiusmodi certè genus, vtpotè speciei pars, esse non potest.

Solutio. Tametsi enim genus acceptum prout per differentiam est contractum, sit speciei pars, tamen spectatum ante contractionem, est quoddam totum, quod potestatiuum appellant; sed de hoc infrà. Inepte quoque videtur adhibita dictio illa *prædicari*, cùm hoc accidat vniuersali, vt ob id laudabilis non sit definitio; vt omittam ex vi actualis prædicationis potiùs destrui respectum vniuersalis, quàm haberi. Verùm si dictio illa ritè explicetur, non immeritò adhibita est; sumi enim debet, prout aptitudinem importat. Vel dicendum, quòd vt vniuersalis ratio generatim seruatur in relatione, siue respectu accepta, tam in potentia, quàm in actu; sic non absimili modo respectus prædicandi, sumptâ tamen prædicatione pro ea, quæ signata dicitur, per quam semper fit applicatio ad plura, quod est adnotandum. Licet autem prædicatio exercita vniuersali officiat, signata tamen non item. Quod si ægrè feras, genus definiri per proprietatem, cuiusmodi est illa aptitudo ad prædicationem, cùm tamen definitio hæc essentialis existimanda videatur. Reuocandum in mentem, proprietatem illam radicitùs explicatam, non proprietatem esse, sed ad naturam, & essentiam vniuersalis pertinere.

Sexta difficultas.

Solutio.

Septima difficultas. Et quamuis detestabilis definitio videatur, eo quòd in ea constituatur particula illa *plura*, de quibus dicitur genus, quæ ad rei definitæ naturam non spectant, non enim ad eius quidditatem pertinent.

Solutio. Si tamen ad rei definitæ naturam respicias, facilè intelliges, non insulsè definitionem illam fuisse confectam. Ponitur quidem, nec iniuriâ, particula illa de pluribus *differentibus specie* Sed plura ponuntur in definitione obliquè tantùm, & connotatiuè; nam respectus perpetuò definitur in ordine ad terminum, terminusque ponitur in eius definitione vt additum; Et

Octaua difficultas. quamuis videatur genus prædicari posse etiam de pluribus differentibus genere; substantia enim, quæ est genus, prædicatur de corpore, & spiritu, quæ pariter sunt genera; & prædicatur etiam de pluribus numero

Solutio. differentibus. Nihilominus genus de pluribus genere differentibus prædicatur, non quatenus hæc genera sunt, sed quatenus subalterna, atque adeò vt species sunt subijcibiles; de genere nanque prout huiusmodi, nulla prædicatio. Quomodo autem de indiuiduis

Nona difficultas. genus prædicetur, paulò infra explicabitur. Genus est vna è speciebus vniuersalis, & quidem atoma, non benè igitur videtur de pluribus specie differentibus dici prædicabile; cùm potiùs dicendum foret, posse

Solutio. prædicari de pluribus differentibus numero. Aduertendum tamen, genus dici speciem vniuersalis denominatiuè tantùm, non essentialiter; cùm igitur sit essentialiter genus, sibi vendicat posse prædicari de pluribus differentibus specie sensu, quo generis definitio fuerit explicata; quatenus autè denominatiuè species, habet vt possit in actu exercito prædicari de hoc vel illo genere numero differentibus. Et licet genus, &

Decima difficultas Solutio. species sint vniuersalis species disparatæ, atque adeò vna non possit per aliam definiri; præoculis tamen habendum inconueniens hoc nullum esse, quando definitio tradita est per additamentum; sic anima definitur

Decima prima difficultas. per corpus. Ex hac autem particula *differentibus specie* non sequitur, hominem esse genus, equum esse genus, eo quòd hæc specie differant, de quibus genus potest prædicari; Si nanque particula prædicari sumatur in actu exercito, definitio non conuenit generis intentioni, sed naturæ intentionis fundamento; vnde rectè dicetur homo est animal, equus est animal; si autem sumatur in actu signato, conuenit intentioni, vt superiùs explicatum fuit. Non licet igitur dicere homo est genus, equus est genus, sed benè, quòd genus prædicari potest de illis, vtpotè differentibus specie, itaut exercitium prædicationis cadat inter primas intentiones, dicendo homo est animal, equus est animal; & non inter primas, & secundas, dicendo homo est genus, equus est genus.

Solu.

Insuper minus appositè videtur adhibita particula *in quid*, cùm tamen substantia quædam secunda sit genus, quæ Aristoteli significat *quale quid*, prima verò substantia significet *hoc aliquid*. Sed huiusmodi termini non eo sensu accipiuntur, quo dici consueuit, quædam vniuersalia prædicari in quid; quædam autem in quale; sed significare *hoc aliquid*, est significare naturam incommunicabilem; significare *quale quid* est significare naturam multis communicabilem aut numero, aut etiam specie differentibus. Nec id proprium secundæ substantiæ, nam etiam vniuersalibus accidentibus respectu suorum inferiorum conuenit; superiora siquidem per suas differentias ad inferiora contrahuntur, non secus, ac substantia.

Præterea animal, quod est in Socrate, vel in Bucephalo nequit prædicari quidditatiuè, nisi de solo Socrate vel Bucephalo, cùm solùm de eorum sit quidditate; animalitas enim Socratis solùm constituit Socratem, & Bucephali solum Bucephalum non autem alia animalia constituit; non igitur benè definitum fuit genus dicendo, quod prædicetur de pluribus.

Occurritur dicendo, quantumuis animalitas contracta per differentiam à parte rei ad constituendum indiuiduum alicuius speciei nequeat à parte rei prædicari, nisi de illo solo; quia tamen adhuc natura remanet indifferens intrinsecus ad constituenda specierum aliarum indiuidua; propterea est etiam remotè prædicabilis de illis, quando autem ab intellectu abstrahitur, itaut reddatur præcisa ab illa differentia per quam fuerat contracta, &c. indeterminationem potiùs acquirit, tuncque proximè redditur prædicabilis.

Definitionis auctor forsan redarguendus videbitur, quòd definiendi leges trangressus, generis definitionem tradiderit non omnibus generibus accommodatam; non enim generi in definitione adhibito, cùm hoc latiùs pateat genere definito, illud enim quodlibet genus in definitione positum comprehendit. Sed ex supra traditis non operosum occurrere; quod enim in generis definitione, generis locum obtinet, non essentialiter, sic enim genus definitum se habet, sed denominatiuè genus est, quod latiùs patere genere definito, nullum incommodum; quemadmodum idem accidentaliter sub genere definito contineri, quatenus quicquid conuenit generi, vt genus est, conuenit etiam generi, hoc est vniuersali prout ab huiusmodi intentione denominatur, nullum est inconueniens.

Et contra decipitur ille, qui definitionem hanc alijs à re definita conuenire putet, quoniam enti quidem aptari possit, siquidem hoc de pluribus specie differentibus in quid prædicetur; cùm tamen genus dicendum non sit. Decipitur, inquam, nedum enim generis ratio de pluribus specie differentibus in quid prædicari expoſcit; sed præterea in nullis differentijs quidditatiuè inuolui requirit; quandoquidem potentiale quidpiam esse debet ad illas, ac ob id ab ijsdem

debet

sed esse præcisum. Hoc autem intelligendum prout ens & primum, & aliud quodcunque transcendit, de quo fortè Stagirites locutus, ens non esse genus pronunciauit. Genus enim commune est pluribus specie differentibus, cuiusmodi non est ens primum, vtpotè essentialiter indiuiduum. Quòd si forsan sumatur genus prout transcendens tantummodo substantiam, & accidens, cùm à differentijs etsi non perfectâ, saltem imperfectâ præcisione distinguatur, nihil erit, cur enti generis ratio denegetur. Quòd si ad genus perfectam præcisionem requiras, vltrò fatendum, ens non esse genus; de nomine tamen contentio.

Dicimus ens esse genus.

Etsi rursus idem hinc deducatur, quoniam animæ conuenit vniuersim acceptæ, siquidem animabus specie differentibus communis est, & tamen ei generis ratio deneganda, propterea quòd ad rectam categoriæ lineam non pertineat. Hoc ineptè concluditur; non enim naturæ lege, vt suo loco traditum est; sed humanâ industriâ categoria omnis est ordinata, eâ ratione quidem, vt ad eius rectam lineam anima non spectet; nihil tamen prohibet, quominus alia series instituatur, in cuius linea recta, anima locum obtineat; substantia siquidem finita generatim sumpta, primò diuidi potest per completam, & incompletam, quæ tunc ad rectam pertinens lineam diuisionem subiret in varias, diuersasque substantias incompletas, inter quas anima recensita ad rectam lineam spectaret. Retenti tamen antiquâ categoriæ structurâ, sequeretur tantummodò animam non esse genus completum, naturæ quidem defectu, cùm incompleta sit, veluti pars totius ad rectam lineam spectantis, non tamen vniuersalitatis culpâ.

Solutio.

Caterum hæc definitio num descriptiua, an verò quidditatiua sit non leuis difficultas. Facilè tamen quid hac de re sentiendum deprehendemus, ita ratiocinando. Si genus fuerit acceptum non quatenus vniuersale, sed vt prædicabile, quando definitur per dici de pluribus, vtique definitio quidditatiua erit, & non descriptio. Tametsi enim *dici de* sit vniuersalis affectio, seu proprietas; nihilominus ad essentiam prædicabilis pertinet. At si genus accipiatur vt vniuersale, tunc distinguendum, propterea quòd si *dici de*, seu prædicari sumatur formaliter, definitio erit descriptiua existimanda, quippè quæ per proprietatem traditur; at si *dici de* sumatur radicitus, definitio erit quidditatiua, quia tunc *dici de* coincidit cùm esse in.

Definitio generis ab additis simplex erat, sed per additamenta.

Hæc tamen definitio quidditatiua non simpliciter, quæ ex genere & differentia constat, sed quidditatiua per additamentum, in qua vltra proprium genus, ac differentiam, inuoluitur etiam aliquid aliud ab essentia definiti diuersum propter ordinem aliquem, quem definitum habet ad illud, sine quo tradita definitio quicquam non redderet intellectum, quin potius hic maius foret cognoscendi magis id, de quo tradita definitio fuit.

Ex dictis autem constat traditam generis definitionem legitimam esse cùm in ea nihil sit superuacuum, nihilq; prætermissum; Præter hanc attulit etiam aliam Porphyrius, cùm dixit ἄλλως δὲ πάλιν λέγεται, ὃ ὑποτασσόμενον τοῖς εἴδεσι. *Alio quoque modo iterum dicitur genus, cui subijcitur species*, quod Scholastici isidem fere verbis dixerunt *Genus est id, cui supponitur species*. Et iterum definitio potest, tum essentialis, tum accidentaria dici iuxta duplicem sensum, quo ipsa potest intelligi.

Alia generis definitio.

SECTIO TERTIA.

Quæ supersunt de genere, considerantur.

EX iis porrò, quæ de genere supersunt, primum occurrit, quânam ratione genus de indiuiduis prædicari possit. Satis enim vulgatum, id non nisi medio aliquo contingere, quatenus genus proximè ac immediatè de specie, & huius interuentu de indiuiduis dicatur. Hoc tamen quidam accuratius perscrutantes non insulsè dixerunt, indiuiduum gemino spectari modo. Vel prout re ipsa est, sic autem nullum est indiuiduum immediatè sub genere, cum hâc ratione sub infima specie contineatur: vel prout ab intellectu concipitur sub gradu superioris naturæ, gradu specifico neglecto, quem tamen in se se cohibet, ita vt sine ipso nequeat realiter existere. Indiuiduum iuxta priorem vsurpandi modum est ex. gr. Socrates, Plato &c. iuxta posteriorem est ex. gr. hoc animal, & indiuiduum incompletum, itemque genericum, & quidem incompletum; propterea quòd non representatur secundum totum illud esse, quod habet; genericum verò, quoniam genericam dumtaxat exprimit naturam. Neque hinc est, cur quisque admiratione capiatur, cùm in singularitatibus vniuersalium ordo seruari possit. Prius enim quodlibet vniuersale potest intelligi ad singulare suum descendere, quàm ad aliquod inferius per differentiam contrahatur. Ita quidem intelligi potest viuens affectum singularitate suâ; vt fiat hoc viuens, antequam per sentiendi differentiam ad animal contrahatur. Quod sic vsurpandum, vt incompletum, ac genericum indiuiduum intellectui possit offerri, cùm alioquin re ipsa in natura rerum existere non possit; ad id enim vitium specici gradum requirit, sub quo immediatè quidem existit.

Primò quæritur qua ratione genus de indiuiduis prædicetur. Indiuiduum gemino modo spectari potest.

Hîc igitur nobis dubitandum proponitur; an ex. gr. animal de hoc animali immediatè prædicetur, dicendo scilicet hoc animal est animal: an potius tunc intelligendus sit intermedius speciei infimæ gradus, puta homo; & num dum animal de Socrate enunciatur dicendo Socrates est animal, immediata sit prædicatio: an media species intercedat, videlicet homo.

An animal de hoc & illo animali immediatè prædicetur.

Sed vt ingenuè fatear, vix est dubitandi locus; res enim adeò perspicua, vt ansam omnem alterandi subripiat; cum enim indiuiduum specificum, completumque fuerit, ac de ipso generis puta animalis instituitur prædicatio, dicendo Socrates est animal, tunc procul dubio genus de indiuiduo non nisi intermediâ specie prædicatur.

Quid dicendũ in repropositã aperitur.

At si genericum, incompletumque fuerit indiuiduum vt hoc animal, de ipso quidem genus, videlicet animal censendum est immediatè prædicari, dicendo hoc animal est animal nullo intercedente gradu intermedio.

Genus de indiuiduo incompleto immediatè prædicatur.

Ad ita hæc de re sentiendum non leuis me compulit ratio; tunc enim aliquid immediatè prædicatur de alio, quando cognoscitur, illud alteri conuenire, nullo cognito tertio. Et contra tunc mediatè, quando non cognoscitur aliquid alteri, nisi aliquo tertio intercedente conuenire; at inter cognitionem indiuidui specifici, completique; & cognitionem naturæ genericæ, intercedit cognitio speciei; inter cognitionem verò indiuidui incompleti, naturæque genericæ cognitionem, non item; hinc igitur consequens, vt genus de indiuiduo completo, vel adæquatè cognito, mediatè hoc est intermedia specie; & immediatè, hoc est nullo intermedio de incompleto, vel inadæquatè cognito prædicetur. Maior propositio nullam difficultatem

Ratio.

tatem patitur; ideò enim de Socrate, hoc est de indiuiduo completo nos animal affirmamus, quoniam ipsum esse hominem cognoscimus; nam propterea quòd Socrates est homo, nos eum esse animal pronunciamus; vel quod in idem recidit, quoniam naturam genericam animalis, per specificam participat. Assumptionis autem probationem si quo ad secundam partem desideres, illam à longè venie nte desumas, nam si ex motu, vel animalis quapiam proprietate cognoueris illud esse aliquod animal indiuiduum, non tamen distinctè leonem, vel equum esse deprehenderis; tunc certè dicêris indiuiduum inadequatè, ac incompletè cognoscere: quod iuxta hanc acceptionem dicendo *hoc animal* significatur; & tunc inter cognitionem naturæ genericæ, ac indiuidui nihil est medium, sed generica cognoscitur natura, videlicet animalis, affecta singularitate, nempè hoc animal. Id porrò palam inde fit, & apertum, quoniam, cùm de re quapiam, quid sit distinctè, nos ignoramus, cuius tamen distinctam cognitionem anhelamus, quærimus dicendo, quid est hoc? tunc autem dictio *hoc* non supponit pro singulari quopiam infimæ speciei, videlicet pro hoc homine, pro hoc equo, alioquin nos quid sit, quod per huiusmodi nomen quæritur, non præteriret; non enim de eodem simul est suppositio, & quæstio; tunc ob id dictio *hoc* supponit pro singulari entis, & ad quam speciem pertineat, inquiritur.

Videbitur forsan non admittenda progressio ab extremo in extremum immediata, proindeque fieri eam non posse à gradu generico ad indiuiduum, cùm inter vtrumque specificus gradus medium locum obtineat. Concedendum id sanè, cùm extrema immediata non fuerint; secus si immediata sint, vt est gradus generic us comparatione indiuidui incompleti. Nec medium esse quidpiam inter hos gradus te probaturum existimes, quoniam genericus gradus est superior, indiuiduus autem inferior. Hoc enim non ideò, quòniam inter vtrumque aliquid intercedat; sed eo quòd indiuiduus gradus inferior est, superiori existente generico. Tametsi autem ea sit omnis categoriæ dispositio, vt inter gradum genericum, & indiuiduum, specificus medium obtineat locum, & iuxta hanc prædicatio debeat institui, atque adeò gradus genericus de indiuiduo nõ possit, nisi per intermediam speciem prædicari; Obseruandum tamen cuiuslibet categoriæ structurã esse contextam in ordine distinctè cognoscendi, vsq; ad indiuidua completa, seu adequatè cognita, inter quæ, genericumque gradum specificus gradus intercedit, ob id genericus gradus intermedio specifico de indiuiduo illo, scilicet completo, prædicatur. Sed hoc non inficior, solùm id omninò contendo, genericum gradum de indiuiduo cognito inadæquatè, nullo intermedio tertio, prædicari.

Sunt autem, qui à tradita veritate deflectunt, considerando generis indiuiduum à specifico minimè dari distinctum; propterea genus prædicari de indiuiduo generico non posse concludunt. Sed non aduertunt, à se falsum assumi, si absolutè loquantur; tametsi nanque nec detur, nec dari possit vniuersalis indiuiduum distinctum ab indiuiduo infimæ speciei ex rei natura; nihil tamen impedit, id per intellectum contingere; prius enim hic potest singulare magis vniuersalis, quàm minùs vniuersalis concipere, prius nempè coniungendo genericam rationem cum singularitate, quàm cum differentia specifica, nullâque necessitate cogitur intellectus inter conceptum rei singularis, conceptumque generis medium speciei conceptum elicere. Eos autem forsan decepit existimasse, cùm genus de indiuiduo incompleto, ac generico enunciamus, dicendo scilicet hoc animal est animal perinde esse ac si dicamus, Socrates est animal, hoc autem à veritate prorsus alienum; Idque ineptè concludunt, ita ratiocinando: pronomen illud demonstratiuum determinat, siue designat singulare aliquod in natura existens; hoc autem esse nequit, nisi indiuiduum determinatæ speciei; quamobrem hoc animal non genericum, sed specificum indiuiduum præsefert. In eo enim falluntur, quòd non aduerterint, pronomine illo, aliisque similibus infimæ speciei singulare demonstrari quidem, cùm singulare vniuersalis re vera nisi in singulari alicuius infimæ speciei esse non possit, supponere tamen pro singulari rei magis vniuersalis, quinimò vniuersalissimi conceptus entis, propterea quod infimæ speciei singulare tantummodo demonstrat. Neque perturbet, quod genus multiplicari verè non possit, nisi per differentias specificas contrahentes, atque adeò dari nequeat indiuiduum generis, nisi quatenus species sub eo contenta numericâ differentiâ fuerit affecta; secus enim per intellectum inadæquatè concipientem.

Si autem hoc intellectui negandum velis, eâ ratione ductus, quoniam genus in se spectatum indifferens est, & velut in essentiali potentia, vt per differentiam specificam determinetur, incapax ob id numericæ differentiæ, quoad intelligatur affectum differentiâ specifica. Nihil tamen concludes, vltrò siquidem incapacitatem prædictam concedam in ordine ad indiuiduationem speciei, non tamen generis. Quamuis autem vnica, simplexque differentia numerica videatur sufficiens ad naturam determinandam, ac essentiam vniuersam in singulari prout includentem omnia superiora prædicata ex rei natura; hinc tamen intellectui facultas non adimitur concipiendi numericas alias differentias pro singulis gradibus superioribus contrahendis.

Secundum in re proposita considerandum se offert, quòd cùm genus prædicari possit tam de indiuiduis completis dicendo nempè Socrates est animal, quàm de incomplectis dicendo, hoc animal est animal, itaut de illis mediata: de his immediata fit prædicatio; an in hisce prædicationibus generis vniuersalitatem; an potiùs speciei modum genus ipsum retineat.

Clarior tamen res est, quàm quòd contentiosam inquisitionem exposcat. Genus enim si referatur ad indiuidua completa, siue eiusdem, siue diuersæ speciei perpetuò generis mõdum in prædicationibus obtinet: at si comparetur cùm indiuiduis incompletis speciei rationem, atque naturam induit.

His ad memoriam reuocatis, quæ de discrimine inter genus, & speciem tradita sunt, non obscurè constabunt. Dictum est enim vniuersalia hæc duo non eo esse nomine distincta, quòd species de differentibus numero, genus de differentibus specie materialiter sumptis, sed formaliter acceptis, secundum diuersum prædicandi modum de illis, vel per modum partis, vt genus, vel per modum totius, vt species, vel si mauis, incompletè, & completè, inter se distinguantur. Vnde quandocunque genus de indiuiduis prædicetur incompletè, ac per modum partis materialis essentiæ, dicendum prædicari per modum generis de illis: at genus relatum ad indiuidua completa eiusdem speciei hunc prædicatur in modum; ergo genus relatum ad prædicta indiuidua ita se habet, vt per modum generis prædicetur. Assumptionem probare facillimum, quoniam de illis ratione speciei, hoc est, veluti contrahendum ad illa interiectâ quidẽ specificâ differentiâ, ac proinde tanquam descensurum ad eadem per modum

Prima difficultas.

Solutio.

Secunda difficultas.

Diluitio.

dum partis materialis essentiæ prædicatur. Iniuriâ tamen hinc admiraberis; nam tametsi genus re ipsâ factâ prædicatione restringatur ad sola numero differentia: adhuc tamen proximè aptum remanet de indiuiduis aliarum specierum enunciari, quod generi sufficit; nō secus enim se res habet, ac cum species de vnico prædicatur indiuiduo; tunc enim licet species ad vnicum indiuiduum coarctetur; non tamen ob id potentiam amittit, quâ ad plura numero possit extendi.

Genus de indiuiduis incompletis non vt genus, sed vt species prædicatur.

Hinc facilè, quod secundo loco dicebatur, intelliges, vt opinor, genus nimirum de indiuiduis incompletis non veluti genus, sed vti speciem prædicari; deipsis enim immediatè tanquam totum, speciei instar prædicatur; vt enim hæc de indiuiduis enunciata totam horum naturam importat, cùm ad essentiam numerica differentia, quippè quæ naturæ potiùs determinatio est, non pertineat: non absimili modo cùm genus de indiuiduo quidem incompleto prædicatur; differentia enim numerica vtpote determinatio naturæ extra naturam est.

Indiuiduum incompletum pro relucet in mente specificam differentiã non offendit.

Indiuiduum hoc, etsi re verâ specificam differentiam aliquo modo inuoluat; prout tamen in mente relucet, quod in re proposita attendi debet, minimè illam ostentat; vnde genericum gradum veluti totam essentiam contractam per differentiam numericam proindeque materialem, & non vt essentiæ partem contractam per specificam, ac ob id per formalem differentiam, includit.

Prima Dificultas.

Nec de genericis indiuiduis prædicari genus incompletè, ac veluti partem existimes, quòd eius natura sit apta specificis differentijs affici, atque determinari; Hoc enim neglecto, mens id solùm attendit, nempè naturam posse numericis affici differentijs; quod est ei generis, non autem speciei rationem accommodatam esse.

Solutio.

Secunda Dificultas.

Causa forsan est secus existimandi, cùm ab indiuiduis specie differentibus ignoratis differentijs specificis abstrahi natura possit apta immediatè de ipsis prædicari per modum generis, vtpotè specie differentibus, communis; cùmque indiuidua illa forent incompleta, quod specificæ differentiæ perspectæ non sint, difficile propterea est intellectu, cur genus de incompletis indiuiduis per modum generis non prædicetur.

Solutio.

Hoc nihil sanè, propterea quòd abstracta ratio non generica tunc, sed specifica dicenda, quamuis communis specie diuersis indiuiduis; non enim refert, ea re ipsâ esse specie diuersa, si eorum instar relucent in mente, quæ differre numero solùm mens ipsa deprehendit; vnde perinde est, quantùm ad cognoscendi modum, ac si numero tantummodò different; atque adeò communis ijs huiusmodi natura speciei prædicabilis, si non subijcibilis, rationem obtinet; illud enim naturæ ordo, non autem cognoscendi modus exposcit.

Quando genus prædicatur per modum partis, videlicet de completis indiuiduis, ad duo refertur, proximè quidem ad speciem, remotè ad indiuidua, scilicet per intermediam speciem; quando autem prædicatur per modum totius, proximè, nulloque intercedente medio ad indiuidua. Priori modo formalis terminus respectus, est species; indiuiduum autem materialis; priori modo species se ipsâ, indiuiduum verò ratione speciei respectum terminat; quod ita contingit, vt eodem respectu genus, & speciem, & indiuiduum respiciat. Nam ex parte generis eadem est semper prædicandi ratio.

Tertium consideratu dignissimum est, quâ ratione genus possit in quid prædicari exercitâ prædicatione recto adhibito quidem casu, de suis inferioribus, dicendo ex. gr. viuens est corpus, animal est viuens, homo est animal. Hoc diu vexauit Philosophorum ingenia; propterea quòd iam est communi calculo receptum, genus partem esse speciei; pars autem quamuis de toto possit enunciari, vt cùm dicimus, compositum naturale, materiâ formâque constat, vel compositum ex partibus integrantibus efflorescit; perperâm tamen per casum rectum fieret enunciatio dicendo, compositum est materia, compositum est forma, itemq; compositum est hæc vel illa è partibus integrantibus.

Quomodo genus speciei dicetur.

Dubitandi ratio.

Neque mirum, nam prædicatum, vt pars in subiecto dicit tantummodo suum proprium esse, cùm tamen subiectum aliam itidem partem inuoluat; vt cùm dicimus; homo est animal; si nanque animal est veluti pars, nihil aliud, quàm sentiendi gradum importat & præterea nihil; Facta igitur hâc predicatione, sensus planè hic erit, quòd homo nihil aliud dicat, quàm sentiendi gradum, in quo animalis ratio consistit. Hinc quibusdam suspicio fuit, prædicatum propositionis, dum per casum rectum fit prædicatio, totum id prorsus dicere, quod dicit subiectum, itemque dicere formam totius, de quo prædicatur. Et certè dum ex. gr. ea fit enunciatio, homo est animal; vel sumitur animal pro solo sentiendi gradu, tuncque perinde erit, ac si dicatur, hominem esse id, quod habet solùm gradum sentiendi; si verò sumatur, prout rationalitatem habet adiunctam, vera tunc certè prædicatio, at non genus de specie, sed potiùs integra definitio de re definita prædicatur. Si autem accipiatur veluti præcisum ab eo, quod est dicere, vel non dicere duntaxat gradum sentiendi: sumendo *dicere duntaxat*, prout æquipollet ei, quod est esse vnitum cùm alio (alioquin ineptè quidem id enunciaretur, propterea quòd animal in sua essentia constituitur per gradum sentiendi) falsa erit prædicatio; perinde enim est, ac si dicatur, hominem esse animal, nihil habens adnexum, cùm tamen animal in homine sit habens rationalitatem adiunctam.

Primo quorundam opinio.

Plerique eò confugerunt, vt assererent, partem physicam per casum rectum de toto non prædicari, cùm dicere non liceat, homo est materia, homo est anima rationalis, prædicari tamen partem metaphysicam, cùm rectè dicamus, homo est animal; quoniam inquiunt metaphysicæ partes ab vniuersa rei entitate sumuntur, vt animal, & rationale ab integra humanitate, etsi sub diuersis concepta gradibus; proinde cùm etiam vt partes totum esse speciei, cuius sunt partes, importent, ob id etiam vt partes de toto possunt enunciari, de partibus autem physicis non item. At sive pars sit physica, sive metaphysica, difficultas in suo adhuc est robore; superiùs enim est adnotatum prædicationem hanc, homo est animal, falsam esse, cùm significetur animal esse totum id, quod est homo, hoc enim sibi vult copula est, & tamen animal est pars metaphysica. Vtque rem paucis perstringam, idem penitus de partibus metaphysicis, ac physicis iudicium ferendum eâdem existente ratione, nempè quòd pars non dicit, quicquid dicit totum, quod tamen per copulam est adhibitam in propositione facta secundum casum rectum, significari videtur. Nec refert genus desumi à tota rei entitate, non enim à metaphysica, de qua fit sermo, sed à physica tantùm desumitur.

Reijcitur.

Secunda opinio.

Quæ cùm alij intelligerent, multa commenti sunt; Primò siquidem nonnulli effatum illud, *Pars nequit de toto prædicari*, concedendum dixerunt, de parte metaphysica non vt actu, sed vt potentiâ componente. Non aduerterunt tamen huiusmodi partem vtcunque spectatam haud posse continere, quicquid compositum

Reijcitur.

Digitized by Google

Tertia opinio.

tum in seſe cohibet. Secundò alij ad effati veritatem sufficere sunt arbitrati, prædicatum in subiecto includi, nec amplius quicquam desiderari. At ad

Reijcitur.

pauca respicientes facilè pronunciarunt; non enim aduerterunt, physicam quoque partem in toto includi, & tamen per casum rectum de toto prædicari non

Quarta opinio.

posse. Tertiò sic alij. Genus tametsi speciei sit pars, quæ ab alia, videlicet à differentia, sit præcisione distincta, & vt huiusmodi nequeat per casum rectum de specie prædicari; nihil tamen obstat, quo minus vt totum potestatiuum de ipsa prædicetur; sic enim implicitè confusèque differentias, atque adeò speciei naturam continet, quod duntaxat ad prædicationem per casum rectum veritate comprobandam sufficere contendunt, proprium existimantes identicæ prædicationis, vt prædicatum actu quidem dicat, quicquid subiectum inuoluit.

Reijcitur.

Nondum tamen soluta difficultas, quoniam etsi genus admittatur totam speciei naturam continere, propterea quòd actu, etsi confusè, ac indeterminatè, nec magis vnam, quàm aliam, sed omnes promiscuè differentias contineat; Id tamen intolerabile siquidem genus nullo modo actu, sed potentiâ tantùm illas continere dicendum. Quòd si forsan existimetur genus non continere actu differentias, significare tamen adhuc totam speciei naturam, quatenus superiorem gradum præsefert. Hoc nihil tamen cùm genus adhuc speciei pars hâc ratione dici debeat.

Quinta opinio Doctoris subtilis approbatur.

Fatendum igitur, Doctorem Subtilem hac de re diserte admodum, & acutè locutum, difficultatem omnem diluisse, aduertendo propositionis veritatem oriri ex eo, quòd prædicatum sit aliquo modo idem subiecto, scilicet in ratione habentis, quod planè contingit, dum genus de specie prædicatur; hic enim redditur sensus, e. g. habens humanitatem est habens animalitatem; tunc siquidē genus non per modum partis, sed totius prædicatur; tametsi enim genus primò importet materiam, differentia verò formam, connotando tamen totum, secundariò illud idem importat, velut habens prędicatum; verè igitur genus de specie prædicatur, quia quamuis genus vt potentiale totum, essentiæ partem duntaxat significet; tamen illam non significat se habens per modum partis, sed totius, quatenus genus est prædicatum in concreto significans totum, id, quod per subiectum in ratione habentis importatur; primò enim significat genericam naturam, & ex modo significandi per casum rectum, tanquam concretum, insinuat id, quod illam, & naturam specificam habet.

1. Post. Cap: 4. Superior opinio Arist. auctoritate comprobatur.

Nec ab hoc Philosophus dissentit significans definitionis partes de definito prędicari; non enim ait prędicari per modū partis, sed totius, modo iam explicato.

Quarta dubitatio quomodo genus dicendū sit continere differentias.

Quartò etiam id considerandum se offert, quâ ratione genus dicendum sit differentias continere. Et certè re diligenter introspectâ non actu, sed potestate tantùm differentias in genere contineri dicendum.

Hoc non obscurè nos Porphyrius docuit de genere locutus, dicens, *potestate quidem habet omnes, quę sub eo sunt, differentias, actu verò nullam*; & Philosophus *supponatur*, inquit, *tale esse genus, vt sit secundum potentiam in plus*. Eoque magis ad id sentiendum adducor, quoniam non aliunde genus dicitur potentiale totum, nisi quia non actu includit species, vel differentias, sed potestate duntaxat. Accedit, quòd genus superiorem gradum præsefert abstractum à specie, & differentijs, non igitur actu illas includit.

Quòd si dicendum tibi videatur, genus abstractum esse quidem à speciebus secundum conceptum explicitum duntaxat, non implicitum, cùm secundum hunc differentias, totamq; speciei naturam importet. Adhuc fatearis necesse est, præcisionem hanc tantam esse, quanta sat est, ne genus actu species, ac differentias includere dicendum sit; non enim intellectus ea secum trahit imperfectè abstrahendo, à quibus abstrahit, nulla tunc enim præcisio contingeret, cùm per hanc aliquo modo differentias relinqui necesse sit, et ita quidē relinqui, vt nedum explicitè, verùm etiā implicitè relinqui dici debeant; Genus enim, prout in mente relucet, nihil aliud profectò, nisi quod vi huiusmodi cognitionis exprimitur, in eo autem differentiam inuolui penitùs est intolerabile, cùm inde genus nedum implicitè, sed etiam explicitè differentiam vtpotè vi illius cognitionis expressam, includeret; non igitur genus differentiam actu præsefert. Nec refert, quòd genus actu species respiciat; Non enim subinde & species, & differentias actu debebit inuoluere, cùm illas non tanquam partes intrinsecùs constituentes, sed veluti terminum respiciat. Genus quidem de specie verè prædicatur; At prædicationis veritas non exposcit vt prædicatum actu contineat omne id, quod subiectum importat; satis enim superque, vt illud atque hoc aliquo modo, scilicet in ratione habentis, sint idē, etsi non idem in ratione totius, & partis. Videbitur forsan explicatu non facilè, quâ ratione genus totius naturam induat, nisi actu & species, & differentias veluti partes includat; Hoc tamen nihil, nam totum actu potentiale est, quod est actu totum esse, quoniam actu huiusmodi est, vt suas, quas habet partes, potentiâ contineat, hinc enim potentiale totum, non quia sit potentiâ totum; quamuis autem huiusmodi sit, non ob id actuale totum, nec actualis pars dici potest.

Tandem genus Vniuersalis respectu infimæ speciei naturam induit, nam genereitates, vt ita loquar, quæ in diuersis naturis, vt substantia, qualitate, quantitate &c. suum fundamentum recognoscunt, adeò sunt rationis eiusdem, vt quantum ad modum denominandi illas, ac de ijsdem pariter prædicandi nullatenus inter se distinguantur, si quid enim discriminis intercedit, in ijs tantummodo cadit, quę denominantur, queque connotata dicuntur. Omnis igitur distinctio penes naturas, quibus generum intentiones adscribuntur. Et in hanc sententiam eò sum procliuior, quoniam aduerto, genera omnia, quæ animo licet comprehendere, siue nimirum suprema, siue subalterna, siue vni, siue alteri naturæ adscripta, eodem penitùs modo sunt in multis, ac de multis prædicantur, vt non immeritò hæc omnia genera veluti numero differentia sub genere in communi, veluti sub infima specie dixeris contineri. Nec ex diuersitate eorum, quibus generis rationem tribuimus, veluti fundamentis diuersitatem respectuum, quemadmodū nec ex diuersitate terminorum licet colligere. Non enim à fundamento quouis, sed à proximo, rationeque fundandi: non à termino quocunque, sed à terminandi ratione respectuum petenda distinctio. Tametsi igitur in his, quæ remota sunt, vt commemoratæ naturæ substantia, quantitas &c. quæque itidem ex parte terminorum maximâ differentiâ dissideant. Hoc nihil tamen, cùm perpetuò fundandi, ac terminandi rationes similes omninò sint. Fundandi autem ratio ea est, quâ natura sit apta in multis esse per modum essentialis partis essentiæ, terminandique ratio in eo posita, nimirum vt sint plura quidem essentiâ, natuârque diuersa.

At non eodem modo genus continet differentias, ac species; nam illas continet tanquam aliqua sui perfectiua, vnde respectu illarum non totum, sed pars est potentialis perfectibilis per illas; sed has continet tanquam subiectas partes, de quibus ob id

pre-

prædicari potest in quid; itaut earum comparatione, sensu iam explicato, potentiale sit totum, quod non ita est, quasi componatur ex illis, sed quoniam illas continet, vt dictum est, ad earum concurrens compositionem. Ex quo facilè intelliges, totum dici, quatenus in eo subiectæ partes confunduntur in vnum, omnesque simul sumptæ illud restituunt; proinde, proprie totum non esse, sed per metaphoram, vt non immeritò Philosophus illud appellandum voluerit potiùs totum quoddam, quàm absolutè totum.

1. Phys. Tex. 4.

Quinta obseruatio.

Postremum illud consideratione dignum, an genus & quomodo plures species requirat: an potius in vnica possit conseruari. Hac in re præ oculis illud habendum, tam genus, quàm speciem, de qua mox etiam futurus sermo, gemino modo considerari posse; & vt quoddam est totum actuale, atque adeò secundum essentialia prædicata, quibus constat: vel vt potentiale totum secundum eas, quas sibi subiectas habet partes, vtrumque verò metaphysicè, ac logicè.

Resolutio de genere logico.

Genus priori modo spectatum communi omnium consensu in vnica specie potest conseruari; propterea quòd secundum totum esse quod habet, inferiori suo communicatur: hinc rectè dicitur totum animal in humana specie reperiri, licet (vt Scholastici loquuntur) non totaliter. Deuoluitur itaque difficultas ad genus prout totum potentiale tam metaphysicè, quàm logicè sumptum; num scilicet prout hanc totius rationem obtinet, plures species exposcat, an in vnica tantùm conseruari queat.

Genus formaliter sumptum, quantum ad logicam vniuersalitatem, etsi plures species re ipsâ existentes non requirat; illas tamen exposcit in mente, adeò vt intellectui obijciantur, & quamuis in natura non sint esse tamen ijs repugnare non debet.

Resolutio quæstionis.

Sciendum sic existimo, quandoquidem genus vniuersale est essentiale, quod proinde de suis inferioribus essentialiter prædicatur; hoc autem prædicationis genus vt cùm veritate consentiat nec subiecti, nec prædicati existentiam requirit; huiusmodi siquidem prædicatione insinuatur necessarius nexus inter extrema, necessarius tamen ex hypotesi, quatenus videlicet, si debet subiectum existere, etiam & prædicatum illud adiunctum sibi habeat oportet.

Difficultas.

Nec propterea species plures existentes actu requiri dicendum, quoniam genus vtpotè vniuersale per abstractionem à pluribus, nempè speciebus, fieri debeat; Non enim id sic vsurpandum, vt re ipsâ species in natura rerum debeant existere; Tùm quia ratio illa generica æquè benè per intellectum ab vnica tantùm abstrahitur specie; Tum quia, si plures desiderentur, sat illas esse posse.

Quia tamen genus per quendam respectum effictum naturæque adscriptum ab intellectu conficitur, cuius terminus inferiora sunt, nempè species, cùm genus sit vniuersale quoddam; nequit ob id intellectus huiusmodi respectum in re, occasione nactâ quidem effingere, communique naturæ tribuere, nisi concipiat respectum ipsum terminatum ad species; quod his non apprehensis, cùm ab eo fieri non possit, consequens est, vt relucere debeant in mente species, de quibus genus possit prædicari.

Neque hinc aliquem admiratio subeat; genus enim logicum non aliam habet existentiam, quàm obiectiuam, atqui adeò non maior est actualitas respectus eâ quam habent species, terminus eius; nec maior etiam specierum, cùm terminus respectus non maiorem existentiam exposcat, quàm idem respectus, eiusque fundamentum. At si non debeant necessariò species plures re ipsâ existere, in mente tamen existant oportet. Imaginandum enim genus tunc logicum fieri, cùm intellectus vel concipit naturam illam actu pluribus inesse speciebus, vel saltem potentiâ proximâ; alterutro autem constituto, species plures in mente relucere necesse est.

Has porrò, etsi actu non existant, posse tamen existere fatendum omninò, cùm alioquin vniuersalitas generis commentitia foret.

Hæc de genere logicè sumpto, quæ de metaphysicè accepto suo modo pariter intelligenda.

Resolutio de genere metaphy. Resolutionis ratio.

Vniuersalitas enim generis metaphysica non in eo sanè consistit, quòd plures habeat subiectas partes, nimirum species actu existentes, sed quòd eas tantùm, quibus inesse possit; cùm hæc igitur vniuersalitas in aptitudinis quodam respectu posita sit; satis est vt opinor, eius terminum esse posse.

Hinc eadem veritas nitet, nam vt natura quædam vniuersalis metaphysicè dicatur, capax esse debet vniuersalitatis logicæ, cùm huius illa sit fundamentum; atqui generica natura in vnica existens specie cæteris repugnantibus, incapax est vniuersalitatis logicæ, quamobrem & metaphysicæ. Quòd si res hunc se habet in modum, ad genus metaphysicum omninò requiretur, vt plures species existere non repugnet.

DISSERTATIO NONA

De Specie.

ABsolutâ iam de Genere doctrinâ, statim de Specie differendum. Tum quia vniuersalia, quæ prædicantur in quid, cuiusmodi sunt Genus, & Species præire debent ijs, quæ prædicantur in quale, vt reliqua tria sunt Differentia, Proprium, & Accidens. Tum quia quæ se mutuò respiciunt, ac ad inuicem referuntur, vt Genus, & Species simul naturâ sunt, & cognitione, proindeque debent tractatione coniungi. Tum quia Genus ad Species per differentias descendit, vnde post Genus de Specie disputandum. Tum ad extremum, quia hic ordo longè quidem opportunior, atque commodior est ad hanc de vniuersalibus tradendam doctrinam. Tametsi autem Differentia sit altera Speciei pars, quæ cùm Genere Speciem ipsam constituit, & cognitio totius à cognitione partium dependeat; non propterea tamen habitâ cognitione Generis de Differentia statim ineunda tractatio; nihil enim hoc refert, cùm in præsentia sermo non sit de vniuersalibus metaphysicè, sed logicè sumptis, iuxta quem vsurpandi modum, Species prius refertur ad Genus tanquam ad sui correlatiuum, quàm ad Differentiam, vt partem. Species autem dicitur à spectando, cùm supra Genus quidpiam informe differentiæ perfectionem, ac pulcritudinem addat.

Tractationis ordo.

Digitized by Google

Species bipartitò considerari potest, vel vt subijcibilis, vel vt prædicabilis.

Species autem bipartitò considerari potest; primò quidem per respectum ad genus, sub quo continetur, sic homo, & brutum ex. gr. species animalis dicuntur, iuxta quam considerationem species appellatur subijcibilis. Secundò per respectum ad indiuidua, quo pacto homo dicitur species comparatione Socratis, Platonis, & cæterorum indiuiduorum; & iuxta considerationem hanc, appellatur species prædicabilis. De specie verò tam prædicabili, quam subijcibili nobis est disputandum; de ipsa quidem vt prædicabili cùm hac ratione sit vnum è quinque vniuersalibus, seu prædicabilibus; De eadem quatenus subijcibili, propterea quòd hinc hactenus de genere tradita doctrina, magis eluceſcet.

SECTIO PRIMA.

Quid sit species.

Speciei respectus ad genus & ad indiuidua, essentialiter differunt.

QVoniam species vt nuper dicebatur, referri potest ad genus, cui subijcitur, & ad indiuidua, quæ sub se continet; propterea iuxta hunc duplicem respectum considerari potest. Huiusmodi autem respectus essentialiter differunt, quinimo, & oppositi, non secus ac respectus Domini ad seruum, & serui ad Dominum sunt. Nihil autem prohibet, quominus in eodem subiecto reperiantur oppositi respectus dummodò ad diuersa terminentur. At verò terminus prædicabilitatis, inferiora sunt de quibus natura potest prædicari; fundamentum autem communitas est naturæ, in qua inferiora conueniunt. Terminus verò subijcibilitatis est ipsum superius, cui natura eadem subijcitur; sed fundamentum est inferioritas, vel si mauis, dependentia ab eodem superiori.

Idem de infima specie dicendum.

Hoc idem de infima specie concedendum, etsi quidam arbitrentur vnicum esse respectum simul attingentem, & genus, cui species subijcitur, & indiuidua eiden, speciei subiecta. Hoc tamen non inficiandum, si de nominis vnitate velint id intelligendum, prout in huiusmodi, specie nomen vnicum est vtriusq; respectus. Non prætereundum tamen, quod est consideratione dignum, nempè speciei nomen æquiuocum esse, velut illud, quo nulla significatur communis ratio, in qua commemorati respectus conueniant; adeout speciei, vt subijcibili, & vt prædicabili formaliter, nulla communis ratio possit assignari. Vt ob id Porphyrius iuxta duplicem respectum, geminam quoque speciei definitionem attulerit.

Speciei nomen æquiuocum est.

Porphyrius igitur speciem definiens, ait, λέγεται εἶδος, ᾧ τὸ κατὰ τὸ ἀνθρωπίνην γένος. καθ' ὃ εἶδος ἄνθρωπος λέγεται, τὸν μὲν ἄνθρωπον εἶδος τοῦ ζώου, γένους ὄντος τοῦ ζώου. τὸ δὲ λευκὸν, τοῦ χρώματος εἶδος. τὸ δὲ τρίγωνον, τοῦ σχήματος εἶδος. *Dicitur quoque species, quæ sub explicato genere ponitur, qua significatione consueuimus dicere hominem esse speciem animalis, cùm animal sit genus; album autem speciem coloris: triangulum verò speciem figuræ;* & paulo post; Εἶδός ἐστι τὸ παθόλου κατὰ τὸ γένος. ᾧ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται. *Species est, quæ collocatur sub genere, & cui genus attribuitur* inquæstione *quid est*. Sic igitur ipse definiendam speciem, vt subijcibilem existimauit, quem imitati Scholastici; *Species*, inquiunt, *quæ subijcitur generi, & de qua genus in quid prædicatur*. At idem considerans eandem speciem vt prædicabilem, ita loquitur Εἶδός ἐστι τὸ κατὰ πλείονα καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. *Species est, quæ pluribus, & differentibus numero attribuitur* in quæstione *quid est*. Hoc igitur modo credidit Porphyrius speciem vt prædicabilem rectè definiri; nec immeritò, nam illam diligenter perscrutando, comperiemus absolutissimam esse. Scholastici autem sic. *Species est, quæ de pluribus numero differentibus in quid prædicatur*. Hinc facilè constat non dari quampiam rationem communem speciei vt subijcibili, & vt prædicabili; nam ad speciei naturam explicandam fuit opus geminâ definitione, iuxta geminum respectum ad superius nimirum, & ad inferiora, cùm vnica definitio tradi non possit, eoquòd non detur communis ratio speciei subijcibili, & prædicabili, vt paulò antea dicebatur.

Definitio autem explicans speciei naturam, prout hæc prædicabilis est, constat particulis quibusdam in definitione generis adhibitis; earum propterea petenda inde est explicatio; Supereſt igitur duntaxat enucleanda particula, per quam species à genere secernitur, cuiusmodi est illa *de pluribus numero differentibus*. Hæc porrò sic intelligenda vt exprimat differentiam, per quam species constituitur in esse suo, quod in eo consistit, vt species prædicetur, per modum totius essentiæ indiuiduorum; numerica enim differentia materialis quidem dici potest, essentialis autem non potest. Hic autem numericæ differentiæ nomine intelligenda illa, per quam natura communis pluribus, adeoque communicabilis, redditur incommunicabilis; atque adeo multitudo numerus transcendens, & vt aiunt, entitatiuus existimandus resultans ex multitudine, quarumcunque rerum, non autem quantitatiuus ex continui diuisione proueniens.

Putabit quispiam haud probè definitam speciem vt prædicabilem fuisse, quòd huiusmodi definitio, vel non soli, vel non omni definito conueniat. Non soli & quia conueniat Differentiæ, Proprio, & Accidenti, siquidem hæc in quid, & per modum totius essentiæ de inferioribus suis prædicantur, vt rationale admirationo, & album de hoc rationali, de hoc admirationo, & de hoc albo; & quia conueniat generi, quoniam animal ex. gr. genus est, & de pluribus differentibus numero prædicatur. Perperàm tamen quispiã adducitur his argumentis ad credendum, definitionem tradiam alteri à re definita conuenire; quandoquidem differentia, proprium, & accidens ad eum modum spectata, speciei naturam induunt, quo non mirum, si ijs hæc definitio conueniat; si autem sumantur velut vniuersalia essentialiter à specie distincta, vti sunt, si ad propria subiecta referentur, non ita sunt, vt ijs hæc possit aptari definitio. Si igitur ex. gr. rationalitas ad hanc & illam rationalitatem referatur, speciei naturam obtinet, siquidem de ipsis in quid per modum totius essentiæ prædicatur, ac proinde ipsi definitio speciei conuenit; Si autem comparetur cùm Socrate, Platone cæterisque naturæ humanæ singularibus, prædicatur in quale quid, atque adeò vt hunc in modum non redolet speciei naturam: ita nec ei speciei definitio est consentanea: vtq; retinet differentiæ indolem, ita & huius definitionem sibi vendicat; sic de proprio, & accidenti. Quamuis autem genus de pluribus numero differentibus prædicetur completum si fuerit indiuiduum; aduertendum, id per intermediam speciem contingere, atque adeò nedum de pluribus numero, sed etiam specie differentibus prædicari, quod speciei non conuenit, cùm hæc de pluribus numero differentibus duntaxat prædicetur. At si indiuiduum fuerit incompletum, tunc genus de indiuiduis, deque tantummodò differentibus numero, quod est proprium speciei, prædicatur; tunc tamen genus speciei naturam sapit. At quod punctum de hoc vel illo puncto, materia de hac vel illa materia; de-

de hac, vel illa materia; anima de hac & illa anima prædicetur; non subinde concludas, definitionem hanc conuenire ijs, quibus speciei ratio non conuenit.

Solutio. Æquus enim rerum iudex decernet commemorata iam, species omnino esse; etsi enim huiusmodi iuxta retentam categoriarum structurã dici non possint; nihil tamen obstat, quo minus quælibet è categorijs ita disponatur, vt ad ipsa hæc tanquam species pertineant. Ablegantur igitur, quæ diximus è specierum numero non ex vniuersalitatis defectu, sed ex eo, quòd incompletum est eorum esse, itaut ad ea, quæ completa sunt, & quorum sunt complementa, reduci debeant; Ad rationem autem prædicabilis hoc nihil refert, cùm duntaxat modus, quo inferioribus communicatur, & de ipsis possit prædicari, sit respiciendus.

Quarta difficultas. Quòd autem non omni contento sub definito conueniat, si tu inde suadeas, quia Sol, & Luna ex. gr. sunt species cùm tamen non prædicentur de pluribus differentibus numero; Nihil certè concludes, nam Sol &

Solutio. Luna, & id genus alia, sunt quidem species, atque adeò per se conuenit ipsis de pluribus numero differentibus posse prædicari, cùm eorum naturis non repugnet communicari pluribus; quod autem re ipsâ non ita sint, id ex accidenti est.

Quinta difficultas. Neque est, cur te commoneat illud. Species prædicatur de pluribus differentibus specie, siquidem dicitur homo est species, leo est species; Adhuc enim

Solutio. species est, quæ duntaxat de pluribus differentibus numero prædicatur; propterea quòd dum dicitur homo est species, leo est species, redditur sensus, quòd species denominatiuè de homine, de leone tantummodò prædicetur, non autè quidditatiuè ad eum modum, quo prædicari est vsurpatum, cùm dicitur, species est id, quod de pluribus differentibus numero duntaxat prædicatur. Quod si forsan vrgeas, genus & species

Sexta difficultas. correlatiua sunt, ob id vnum in alterius definitione ponendum; cùm autem dicitur species id esse, quod de pluribus differentibus numero prædicatur, non adhibitur genus; At non inde redarguenda speciei de-

Solutio. finitio, hæc enim non traditur de specie sumpta in ordine ad genus, sed in ordine ad indiuidua, atque adeò non de specie vt subijcibili, sed vt prædicabili, secundum quam rationem non refertur ad genus, vnde non mirum, si in definitione ipsius hoc modo sumpta, nulla fiat generis commemoratio. Superest definitio speciei vt subijcibilis, enucleanda: Erat autem huiusmodi. *Species est, quæ subijcitur generi*; cuius è sententia quorundam hic est intellectus. *Species est id, quod immediatè subijcitur generi*. In eo tamen videntur peccasse, quòd addendo nouam particulam, *immediatè* ad indiuiduum excludendum, veterem definitionem non retineant. Vt omittam, quòd ex. gr. homo non esset substantia, vel corporis animati species, siquidem sub nullo istorum immediatè continetur. Præstat igitur illam sic interpretari. *Species est vniuersale, quod generi subijcitur*; vniuersale autem per particulam *id* designatur; hoc enim modo excluditur indiuiduum, quod generi quidem; sed non vt vniuersale subijcitur.

Enucleatur speciei vt subijcibilis definitio.

Prima difficultas. Verumenimuerò difficultatis nonnihil aduersus superiorem definitionem insurgit; propterea quòd vnius rei vnica est definitio, cùm igitur species res vna sit;

Solutio. operosum est intelligere de ipsa duas tradi definitiones posse; Tametsi autem vnius rei vnico modo sumptæ plures definitiones eius quidditatem exprimentes esse non possint; nihil tamen prohibet, eiusdem rei diuerso modo sumptæ, diuersas definitiones tradi saltem per additamentum, præsertim verò secundum diuersos respectus eiusdem ad plura. Deinde si quis arguat. Repugnat magis commune sub minùs commune constitui; species autem communior est, quàm genus, quoniam plures sunt species, quàm genera: ac ob id hæ de pluribus prædicantur, quàm illud, quare sub genere species constitui non potest; ineptè propterea dicitur species id, quod sub assignato genere continetur. Ex dictis tamen sic occurres; de quibus prædicantur species, prædicatur etiam & genus; quod ideo communius, quoniam de speciebus itidem prædicatur. Molestior est illa forsan superius tacta difficultas; quòd in hisce definitionibus circulus comittatur, cùm species per genus, & contra genus per speciem definiatur, quod in relatiuis, cuiusmodi sunt genus, & species, non minùs, quàm in absolutis absurdum, cùm in relatiuis sit pariter seruanda recta definiendi lex, vt videlicet per clariora definitio tradatur, quod profectò negligitur relatiuum per correlatiuum definiendo; Rectius proinde dixeris relatiuum vnum non per correlatiuum, sed per eius fundamentum esse definiendum; Atque hunc in modum licet declinare circulum, intelligendum enim speciem per genus non formaliter sumptum, sed prout fundamentum importat, definiri. Amplius datur aliqua species prædicabilis, nulli subiecta generi, vt prima materies, quæ infima species est de hac & illa materia prædicabilis, & tamen generi substantiæ subiecta non est, cùm ad compositum reuocetur, cuius est pars, quod directè sub substantiæ genere continetur; Non continetur quidem materia directè sub genere substantiæ iuxta veterem categoriæ structuram; ad speciem tamen secundum prædicabile hoc satis superque, hinc igitur tantùm, quod nihil refert, concludes materiam haud esse speciem prædicamentalem. Quòd si de puncto, aliisq; similibus eadem difficultas afferatur, non absimili modo occurrendum. Si rursus vrgeas. Generalissimum substantiæ genus nulli generi subiectum est, & tamen respectu indiuiduorum incomplectorum, scilicet huius, & illius substantiæ naturam induit speciei; Hoc itidem nihil; cùm enim dicimus speciem omnem prædicabilem esse pariter subijcibilem, id intelligendum de specie prout prædicabili de completis indiuiduis naturæ ordine seruato, vt videlicet gradus non omittantur intermedij; at inter hanc substantiam, eandemque generatim acceptam multi sunt intercepti gradus minimè negligendi. Nec aliud silencio præteribo, quod plerisque nonnihil negotij facessit, nimirum quòd hæc definitio pariter indiuiduo conueniat, siquidem huic immediatè sub genere constitui non repugnat, quod in speciebus, si quæ dantur, quæ numero multiplicari non possint, palam, est. Hoc tamen nullius momenti; dum enim dicimus, speciem esse, quæ immediatè sub genere continetur, indiuiduum excludimus, quoniam etsi huic conueniet, immediatè generi subijci, non tamen instar speciei, quæ quamuis vniuersale, generi subijcitur.

Secunda difficultas.

Solutio.

Tertia difficultas.

Solutio.

Quarta difficultas.

Solutio.

Quinta difficultas.

Solutio.

Sexta difficultas.

Solutio.

Cæterum species diuiditur in subalternam, & specialissimam. Subalterna quidem est, quæ ita est species, vt simul etiam sit genus, eoquòd aliam sub se speciem itidem habeat, vt propterea de indiuiduis, solumque numero differentibus non nisi per speciem intermediã possit prædicari. At verò species specialissima, siue atoma illa est, quæ sub se aliam non habet speciem, vt propterea proximè, & immediatè de indiuiduis possit prædicari; nam inter ipsam, & indiuidua nulla communicabilis ratio interijcitur. Dicitur autem atoma nempè indiuisibilis, quoniam etsi per differentias numericas diuisibilis sit, per alias tamen non item; sed hæc in Institutionibus declarauimus.

Speciei diuisio in subalternam & atomam.

SCE-

SECTIO SECVNDA.

Quæ sit ratio, per quam species constituatur vniuersalis an prout generi subijci potest: an prout de indiuiduis potest prædicari.

Species nõ consequitur rationẽ vniuersalis per respectum ad superius.

MIrum sanè, quòd aliquibus persuasum esse potuerit, speciem consequi rationem vniuersalis, ex eò quòd generi subijciatur, cùm eius comparatione superioris rationem, ad vniuersale requisitam, non obtineat, sed inferioris potius adipiscatur. Rectiùs ob id hac de re locuti, qui contrariam sententiam amplexi, speciem in esse vniuersalis constitui dixerunt non per ordinem ad superius, cui subijcitur, sed ad inferiora, de quibus numero tantummodo differentibus prædicatur.

Ratio. Id porrò hinc mihi suasum, quoniam species ob eam causam vniuersale dicendum; quoniam rationem vniuersalis generatim accepti participat; vniuersale autem generatim constituitur per ordinem ad inferiora; proinde etiam & species directè sub huiusmodi vniuersali contenta. Idque nullo negotio à paritate intelliges, homo ex. gr. animal quoddam dici potest quatenus communem animalis rationem participat; at animal in suo esse per sentiendi principium constituitur; ita pariter & homo sub animali directè contentus, in esse animalis per idem sentiendi principium constitui debet. Quod vt clariùs percipias, simulque confirmatum habeas, attende. Vniuersale generatim sumptum per respectum ad inferiora constitui debet; ergo etiam & tale vniuersale, quemadmodum est species, & quodlibet aliud è reliquis, non igitur per respectum ad superius, cùm illi sit hic oppositus; si nanque genus, vt est vniuersale, per aliquem respectum constituitur; nulla species ipsius, vt quodlibet è quinque vniuersalibus, per respectum oppositum constitui poterit.

Confirmatio.

Prima difficultas. Nec te commoueat inefficax, meâ sententiâ, argumentum, quoniam ratio speciei respectum ad genus inuoluit, cùm sit quidpiam correlatiuum comparatione illius; non sic autem se habet per ordinem ad inferiora, de quibus tãquam de sibi subiectis, prædicatur; Si nanque consideretur species secundum propriam rationem formalem, ordinem dicit ad genus, tanquam ad primum sui correlatiuum; vt inspecta secundum rationem sui generis, nimirum vniuersalis, ad inferiora itidem, de quibus prædicatur, respectum importat. Duo igitur sunt ad quæ species refertur, & genus, & inferiora indiuidua; ad illud per se primò, quia secundum propriam rationem; ad hæc secundò quoniam ratione sui generis, videlicet ratione vniuersalis. Quamobrem non inficiandum, speciei definitionem prout subijcibilis traditam in ordine ad genus, propriam esse ipsius, vtpotè contextam per eius primum correlatiuum, alteram autem per ordinem ad inferiora veluti per posterius correlatiuum non negligendam; quoniam hæc etsi propria eius non sit, prout ipsa species est, propria tamen, eiusdem est, prout ipsa est particeps rationis genericæ, nimirum vniuersalis.

Solutio.

Secunda difficultas. Species vt generi subijciatur, abstrahi debet ab indiuiduis; ineptè tamen hinc infertur, etiam vt subijcibilem vniuersalem esse; quamuis enim sit vniuersalis, tamen non vt subijcibilis, sed vt abstracta. Non dissimulandum tamen vniuersalitatem hanc metaphysicam, non logicam esse, de qua fit sermo; at hoc etiam admisso potius abstractionis vi, & non ex eo, quòd generi subijcitur, vniuersalis rationem obtinebit. Quamuis autem species subijcibilis semper sit vniuersalis; non tamen vt huiusmodi, sed vt prædicabilis; ita vicissim species, quæ est prædicabilis, est etiam subijcibilis, sed non vt prædicabilis. Species etiam subiicibilis prædicatur de hac & illa specie subijcibili; Non ob id formaliter vt subijcibilis est vniuersalis; est enim subijcibilis essentialiter, & *vt quid*, & est prædicabilis denominatiuè, atque *vt modus*; induit enim modum speciei. Quod etiam immediatè subijcitur generi, cuiusmodi est species, videtur vniuersale: Non propterea vt subijcibile vniuersale dicendum, si formaliter id vsurpetur, licet materialiter concedi possit; Et quamuis vt species vniuersale dicatur, debeat sub vniuersali generatim accepto contineri; non propterea quatenus vniuersali subijcitur, vniuersalis rationem obtinet, sed potiùs ita se habet, quoniam de pluribus potest prædicari, vnde sub vniuersali debet constitui. Tametsi autem genus subalternum videatur per subijcibilitatem constitui, vnde etiam & species infima non absimili modo; Secus tamen se res habet, nam genus commemoratum duplici ratione constat, quarum vna per quam potest de pluribus prædicari, vnde habet vt sit vniuersale: altera, per quam superiori subijcitur generi, subalterniq; conditionem sortitur; vt igitur genus subalternum haud vniuersale est, quoniam alteri subijcitur; sic etiam & infima species vniuersale est, non quia subijcitur, sed quia prædicatur; In qualibet igitur specie dupliceem commemoratam rationem subijcibilitatis, & prædicabilitatis, sic oportet agnoscere, vt nobis dicendum, eas necessario nexu coniungi; non ita tamen, vt vna pendeat ab altera, sed potiùs, vt vtraque à communi fonte scaturiat. Quod adeò verum, vt vix animum ad credendum inducam; secus aliquos existimasse; naturæ siquidem ordinem attendens, nullo negotio intelliges, speciem nullam reperiri prædicabilem, quæ simul non sit subijcibilis. Necessariò enim si ex genere, differentiaque debet ipsa consurgere, non inficiandum genus, cui ipsa subijcitur; cùmque species, necessariò de differentibus numero debeat prædicari, necesse pariter eam esse prædicabilem; quamobrem non insulsè dictum, geminam illam rationem in specie necessario vinculo connecti. Non ita tamen, vt vna proueniat ab altera, cum oppositi sint respectus; oppositorum autem vnum per se ab alio minimè potest oriri.

Quòd verò à communi fonte, scilicet à differentia specifica sub ratione tamen diuersa vtraque dimanet, ex eo palam, quòd differentia duplici fungitur munere; contrahit enim generis naturam constituendo speciem generi subijectam, & simul speciem constituendo reddit adhuc aliis communicabilem, cùm illam in vltimo esse subijcibili nequeat constituere, hoc enim differentiæ numericæ munus.

Num autem species plura actu indiuidua requirat an in vnico possit conseruari, controuersum non minùs, ac de genere dictum, inde ob id difficultatis petenda solutio. Species enim, vt innuimus, commemorato loco, spectari potest & vt quoddam actuale totum, prout essentialia quibus constat, principia dicit; & vt quoddam totum potentiale sibi subiectas partes, inferioraque indiuidua continet. Priori modo spectata nulli dubium, quin in vnico possit indiuiduo seruari, propterea quòd secundum totam essentiam suam cuilibet indiuiduo communicatur; vnde rectè dicimus in Socrate totam humanitatem adinueniri. De specie igitur tam metaphysicè, quàm logicè sumpta iuxta secundam vsurpationem, remanet difficultas; num scilicet quatenus huius induit rationem totius plura actu requirat indiuidua; an potiùs vt hæc existere possit, sufficiat vnicum tantùm indiuiduum.

Non

Non secus de specie, ac de genere dicendum: quòd nimirum species formaliter sumpta, quantum ad logicam vniuersalitatem, etsi plura indiuidua re ipsâ existentia non expoſcat; eadem tamen in mente relucere actu requirit, & quòd ijs extra animam existere non repugnet.

Hoc satis euidens ex hactenus de genere dictis. Quæ verò de specie logicè sumpta, de eadem metaphysicè accepta intelligenda, ad hanc enim non requiritur, vt re ipsâ plura existant indiuidua.

SECTIO TERTIA.

Num species diuersæ inæqualis omninò sint perfectionis essentialis.

CVm duplex sit perfectio rebus accommodata, essentialis vna, accidentaria altera; illa quidem in attinentibus ad essentiam consistit: hæc in accidentarijs formis rei naturam circumstantibus. De secunda perfectione nulla dubitandi occasio; de prima tantùm est, cur in controuersiam vocetur, quomodo se res habeat, vt non immeritò sagaciores Philosophiæ Magistri in diuersas opiniones abierint.

Nobis tamen summoperè probatur, vt plurimùm species sub eodem genere constitutas inæqualis esse perfectionis essentialis.

Hoc frequens inductio confirmat; nam sub animalis genere longè perfectior est essentiali perfectione animal rationis particeps, quàm animal irrationale; præterea substantia ab omni concretione materiæ separata, longè perfectior est eodem perfectionis genere, substantiâ, quæ materiâ constat.

Quod si rationem desideres, primò quidem occurrit non repugnantia; siquidem in vniuersa varietate rerum nihil extat, vnde perfectionis essentialis inæqualitas repugnet; adeò vt res vna in sua quidem essentia, essentialibusque principijs nequeat alteri antecellere. Si quid enim foret, id præsertim, quòd species in communi quadam ratione similes esse debeant, vt in ea dicantur conuenire, quasi in vnum venire. In hoc tamen nullius momenti vis, cùm hæc inæqualitas ab illa similitudine non abhorreat, siquidem in differentijs potest consistere, quibus species constituuntur, nec adeò concipi communis natura potest secundum essentialem conuenientiam, prætermissis, neglectisque differentijs, quæ perpetuò diuersæ sunt, siue æqualis, siue inæqualis sint perfectionis; vnde si diuersitas illa non officit differentiæ in communi ratione generica, profectò nec similitudini, hæc, de qua loquimur, inæqualitas officiet.

Meritò quidem id plerùmque contingere dictum est; non enim tantâ necessitate euenit, species vt omnes inæqualis, de qua loquimur, perfectionis esse debeant; quin potiùs frequenter oppositum accidit, plurimæque re verâ extant, quæ diuersæ cùm sint, essentialiter tamen æquales sunt, adeò nimirum, vt vna secundum essentiam perfectior aliâ non sit.

Si quæ namque necessitas cogeret, ea præsertim, quæ ex diuersitate specierum desumitur; Hinc nulla tamen, vt opinor, cùm specierum diuersitas haud secum habeat adiunctam perfectionis inæqualitatem.

Re ipsâ tamen dari species æquè perfectas secundum essentiam, satis est exploratum; præsentia siquidem, per quam res hoc in loco constituitur, tametsi ab ea, per quam res eadem alibi locum obtinet, specie distingui existimetur; nulla tamen suppetit ratio demonstrans ex illis vnam secundum essentiam perfectiorem aliâ.

Suspicabitur quispiam Aristotelem contrariam sententiam amplexum, cùm protulerit, differentiarum vnam habere se veluti formam, alteram verò vt priuationem, quam pro quadam ignobilitate, minoriue perfectione videtur accepisse, atque adeò species hisce differentijs constantes inæqualis esse perfectionis secundum essentiam putasse. Sed eò non spectabat Philosophus vt id de contrarijs doceret, solùm contendens, in contrarietate quauis, contrarium vnum habere priuationem alterius; quod ex eius verbis colligitur, ait enim Πᾶσα γὰρ ἐναντίωσις ἔχει στέρησιν θατέρου θατέρου τῶν· ἀλλ' οὐχ ὁμοίως πάντα ἀνισότης μὲν γὰρ ἰσότητος, ἀνομοιότης δὲ ὁμοιότητος, καὶ κακία δὲ ἀρετῆς. *Omnis nanque contrarietas habet alterius contrariorum priuationem, verùm non omnia similiter. Inæqualitas enim æqualitatis: dissimilitudo verò, similitudinis: vitium autem, virtutis.* Sed non eodem modo, putat omnem formam contrariam alterius priuationem inducere, propterea quòd in quibusdam magis consideratur priuatio quidem ex parte vnius formæ, quàm alterius; idque vel ex eo contingit, quòd forma vna per modum rei positiuæ, altera per modum priuationis explicatur. Non negandum tamen id sæpe sæpius oriri, ex eo, quòd vna forma sit alterâ deterior, ac ignobilior, vt propterea Philosophus non dixerit, priuationem in omni contrarietate perpetuò sic adinueniri, cùm peculiari modo reperiatur in aliqua contrarietate, in qua vna forma est aliâ perfectior.

Prima difficultas ex Aristotelis auctoritatibus.

Solutio.

10. Metaphys. Tex. 16.

Et idem quoque Philosophus ordinem prioris, & posterioris, melioris, & deterioris in vniuersa specierum multitudine, imo etiam rerum species esse veluti numeros, atque adeò cùm horum species necessariò sint inæquales, sic etiam, & cæterarum rerum species inæquales esse dicebat.

3. Metaphys. Tex. 11.

8. Met. Tex. 10.

Solutio.

Verum is non eò collimabat, quò aduersarij arbitrantur, cùm enim docuit in speciebus dari prius, & posterius, est indefinitè locutus, sic enim ait ἔστι δ' ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ ὕστερον ἔστιν, οὐκ οἷόν τε τὸ ὅτι τούτων εἶναί τι παρὰ ταῦτα. οἷον ἐπεὶ φύσει ἐστὶν ἀριθμῶν ἡ δυάς· ἐνδέχεται τις ἀριθμὸς παρὰ τὰ εἴδη εἶναι ἢ ἀριθμῶν ὁμοίως δὲ καὶ σχήματα παρὰ τὰ εἴδη ἢ σχημάτων. *Item in quibus prius & posterius, est, non est possibile, quod de his dicitur, aliquid præter hæc esse. Vt puta si dualitas numerorum est prima, non erit aliquis numerus præter species numerorum: similiter neque figuræ præter species figurarum.* Ac ob id parui facienda sententia, siquidem ad veritatem indefinitæ propositionis satis superque, vt in aliquibus veritate cõprobetur, pleræq; autẽ species extant, in quibus prioris ordinem licet obseruare; non sic in indiuiduis, quod etiam Philosophus aduertit ibidem dum ait ἐν δὲ τοῖς ἀτόμοις οὐκ ἔστι τὸ μὲν πρότερον, τὸ δ' ὕστερον. *In indiuiduis verò non est hoc quidem prius, illud verò posterius.* Et rectè quidem, nam indiuidua secundum essentiam, æquè perfecta sunt.

3. Metaphys. Tex. 11.

8 Metaph. Tex 10

Nec altera auctoritas aliquid habet momenti, docet enim ὡσαύτως δὲ καὶ ἀριθμὸν ἀφαιρεθέντος ἢ τινὸς προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκέτι ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς ἔσται, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τοὐλάχιστον ἀφαιρεθῇ ἢ προστεθῇ. ἕτως δὲ ὁ ὁρισμός. εἰδὲ τὸ τί ἦν εἶναι, οὐκέτι ἔσται, ἀφαιρεθέντος, τινὸς ἢ προστεθέντος. *Et quemadmodum de numero ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur: ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius ablato aliquo, aut additto.* In eo igitur similitudo, vt quemadmodum per additionem, vel ablationem vnitatis, numerus varietatem subit: sic species quælibet per additionem, vel ablationem alicuius prædicati, eadem amplius remanere non potest. Non negandum plerùmque cùm inæqualitate perfectionis essentialis id euenire, at non necessariò, ac semper. Hinc ob id non inferas, perpetuò species inæqualis perfe-

Secunda difficultas ex ratione desumpta, & Solutio.

perfectionis essentialis, cùm à numero differentibus hoc etiam nomine secerni videantur. Sat enim earum differentias esse penitus diuersas, atque dissimiles, quamuis cùm hac dissimilitudine quandoque connectatur inæqualitas perfectionis. Quæ autem numero differunt, hanc dissimilitudinem non exposcunt, solùm enim penes proprias entitates, distinctionem requirunt.

Tertia difficultas. Videbitur forsan explicatu difficilæ, quâ ratione species, etsi æquè perfectæ, differre possint. Si nanque sic se habent etiam & differentiæ, quæ cùm æquales fuerint, æquè à primo ente, & non ente distabunt; vnde non diuersæ, propterea nec species quarum illæ sunt differentiæ. Tametsi autem & differentiæ, & species æquè distent à primo ente, & non ente, adhuc tamen possunt esse diuersæ, cùm non tota diuersitas, ab illa distantia, sed ab intrinseca cuiusque natura petenda sit. Nec propterea specierum tollitur omnis dissimilitudo: Hæc enim cum æqualitate perfectionis essentialis quam optimè cohæret; dissimilitudo siquidem ab essentialibus rationibus ortum ducit, quibus æqualitas perfectionis non repugnat, quamuis inter se distinguantur.

Solutio.

Licet autem diuersam rationem in speciebus, cogamur agnoscere, quinimò diuersam perfectionis quantitatem; non subinde concludenda inæqualitas; cùm enim dicitur perfectio diuersa, perinde est, ac si dicatur alia perfectio; at quamuis alia, non ob id inæqualis.

Qu. difficul. Sol.

DISSERTATIO DECIMA
De Differentia.

POst Genus, & Speciem de Differentia tractandum. Consideratis enim Vniuersalibus, quæ prædicantur in quid, cuiusmodi sunt Genus, & Species., disputandum sequitur de ijs quæ prædicantur in quale, è quibus Differentia primò quidem occurrit, velut illud vniuersale, quod etsi prædicetur in quale secundum modum, prædicatur tamen in quid secundum rem, cùm reliqua duo Proprium, & Accidens secundum rem, & secundum modum prædicentur; idcircò de Differentia nunc instituenda tractatio; propterea sit.

SECTIO PRIMA.

Quid Differentiæ nomine significetur; an & quotuplex ea sit; & in quo eius natura consistat.

Quid differentiæ nomine significetur ac multiplex eius significatio.

DE differentiæ nomine primò dicendum. Sumitur autem illud ad rationem, siue gradum significandum, quo vnum ab alio secernitur; propterea quòd sic vni conuenit, vt alteri non conueniat. Si vim autem nominis attendas, differentiam reperies nihil aliud esse quàm formalè rationè facientem differre. Hìc notarunt non idem esse differens, ac diuersum; inquiunt enim, illa differentia dici, quæ prius cùm in aliquo communi conueniant, deinde per aliquid eidem communi superadditum, differunt; Diuersa autem quæ non per quidpiam superadditum, sed seipsis, & vt aiunt, se totis secernuntur; de quo infrà.

Quid interfit inter differens, & diuersa.

Trifariam differentia spectari potest.

Dari autem differentiam nemini dubium, & ex infra dicendis constabit. Trifariam differentia spectari potest, primò prout est differendi ratio; Secundò quatenus diuidendo genus, constituit speciem, Tertiò quatenus de pluribus potest prædicari.

Triplex differentia Cõmunis Propria, & Proprijssima.

At differentia triplex Communis, Propria, & Proprijssima. Communis est accidens aliquod separabile, per quod subiectum vel à se ipso, vel ab alio differt, vt Socrates stans differt à se ipso sedente, vel etiam à Platone sedente. Propria est accidens inseparabile, vt oculorum cæcitas, vel nasi curuitas, aut cicatrix ex vulnere relicta. Proprijssima est intrinseca, essentialisque ratio, per quam species vna differt ab alia, vt rationalitas, per quam homo differt à bruto.

Tametsi diuisio hæc bimẽbris nõ sit ad bimembrem tamen facilè reuocatur.

Tametsi autem hæc diuisio bimembris non sit, ad bimembrem tamen reuocare non difficile. Primò quidem hunc in modum. Differentia duplex, alia separabilis, alia inseparabilis. Separabilis porrò idem ac differentia communis. Inseparabilis verò duplex: vel quæ ex accidenti separari non potest, & à propria differentia non distinguitur: vel quæ per se separari non potest, estque differentia proprijssima. Secundò sic. Differentia vel facit aliud, vel alterum, siue alteratum, hoc est, vel facit differre essentialiter, vel accidentaliter; prima est differentia proprijssima; atque hunc in modum hominem à bruto dicimus rationalitate distingui. Secundò modo bipartitò contingit, vel per accidens proprium, & inseparabile, diciturque differentia propria; ita quidem Socratem per nasum simum dicimus à Platone differre, dum hic nasum habet aquilinum. Vel denique per accidens cnmmune, ac separabile, & sic Socrates sedens differt à Platone stante, estque differentia communis, sic nuncupata, quoniam attenditur penès accidentia rei prorsus extrinseca, atque separabilia: vt contra proprijssima quidem dicitur, propterea quòd facit essentialiter differre. At inter has differentia Propria medium obtinet locum.

Hanc quatenus diuisio est Primi ficul Pili

Hinc porrò diuisionem hanc adæquatam intelliges; quoniam datur per membra, quibus totum diuisum exhauritur. Omnis enim differentia vel essentialiter, vel accidentaliter facit differre.

Inadæquatam hanc diuisionem suspicantur nonnulli, quoniam non comprehendit numericam differentiam. In eo tamen peccarunt, quoniam non aduerterunt, hanc acceptam pro accidentium collectione ad accidentariam reduci; acceptam verò pro ratione intrinseca, per quam natura contrahitur ad esse hoc, ad eandem reuocari, cùm ratio sit, cur individua citra essentiam, atque adeò vt aiunt, accidentalitate prædicabili, si non prædicamentali distinguntur; sed eo nomine ad propriã differentiam pertinere dicendum, quoniam in quale extra essentiam, necessariò tamen, prædicatur, Non inficiandum tamen, si differentia diuidenda suscipiatur, prout vniuersale quoddam de pluribus prædicabile, tunc certè numericam differentiam non esse hâc diuisione comprehensam.

Videtur etiam inadæquata partitio, vtpotè genus, etsi differentiæ rationem obtineat, nullo modo comprehendens; genus autem huiusmodi esse inde perspicuum, quoniam est id, per quod vnum ab alio differt, ita

ita quidem animal distinguit hominem ab omnibus ijs, quibus deest sentiendi principium: non dissimiliter substantia secernit eundem ab accidente. Sed hoc haud magni faciendum; nam etsi sumpta latâ quâdam vsurpatione, pro quouis, vnde aliqua differre possint, genus differentia dici mereatur, & ad differentiam propriam reduci possit, prout est id, vnde aliqua essentiâ naturâque differunt: propriâ tamen significatione acceptæ genus differentię rationem non obtinet; differentia siquidem hunc in modum accepta ea est ratio, quæ rei superuenire concipitur, prout conuenienti cùm alia per quandam rationem priùs conceptam, quo pacto sic est differendi, vt nequeat esse conueniendi ratio; vnde supremum si fuerit genus, quatenus non permittit priorem rationem, in qua plura conueniant, differentia esse non potest; quod si genus intermedium extiterit, eo quòd non sit ratio concepta alteri aduenies, vnde aliqua discriminentur, ob id differentia dici non meretur.

Obiectio.

Proprietates etiam ab essentia dimanantes inditio sunt inadæquatę diuisionis, per ipsas enim res inuicem distinguuntur, sic risibile secernit hominem à brutis, & hâc diuisione non comprehenduntur; imò nec etiam ad vllum ex diuisionis membris reduci posse videntur. Non ad differentiam communem, cùm accidentia separabilia non sint: nec ad propriam, cùm non sint accidentia, quæ separari possint; non enim re ipsâ ab eo distinguuntur, vnde dimanant: Nec tandem ad proprijssimam, cùm hinc essentiale discrimen non desumatur. Verumenimuerò ad aliquod ex partitionis membris reuocari intelliges, ad Propriam differentiam aduertens facilè reduci; quanuis enim quibusdam hoc non probetur ob eam, quam attulimus, causam; adhuc tamen ita sentiendum, etiam si intensionem, & remissionem non subeant, nec sint per accidens, sed per se inseparabiles, satis enim superque proprietates esse eorum, quibus conueniunt. Tandem non omittam substantiales formas hác diuisione minimè comprehensas, earum enim non est genus diuidere, quamuis inde rerum discrimina petantur. Has tamen ad proprijssimam differentiam reuocari non ineptè dixeris, cùm inde res essentialiter differant; quòd si hinc nulla sit generis diuisio, id non ex eo, quòd differentiæ munere fungi non possint; sed quoniam huiusmodi diuisio non physicus, sed metaphysicis formis accepta referri debet.

Tertia difficultas.

Solutio.

Quæstio.

Dilutio.

Indagandum etiam & allud ab instituto non penitus alienum; quidnam diuisum sit, an reale quidpiam, an potius rationis opus.

Quid per hanc diuisionem intelligendum.

Diuisum est quidpiam reale.

Placet eorum consilium, qui reale aliquid diuisum esse contendunt. Nec ineficax ad hoc nos ducit argumentum; nam citra quamuis operationem intellectus tres illi differendi modi extant in natura; non enim vt statio faciat differre Socratem à se ipso sedente; vel vt nasi simitas Socratem à Platone, vel vt rationale hominem à rugibili rationis opus requiritur. Accedit, quòd hic de differentijs fit sermo, prout ea sunt, quibus re ipsâ omnia distinguuntur, cuiusmodi profectò non sunt intentiones, quas intellectus effingit, sed reales omninò rationes, de quo nemini dubitandum; quamobrem, si de huiusmodi differentijs instituitur consideratio, fatendum prorsus, reale quidpiam esse, non rationis opus, quod suscipitur diuidendum. Nec ob id proprios fines transilire Logicus hanc de differentijs tractationem instituens, dicetur, quasi nimirum in alterius messem, nempè Metaphysici, falcem ponere audeat, is enim non ex instituto de differentijs sic acceptis edisserit; sed obiter tantùm hanc partitionem præmittit, vt commodiùs ad considerandam proprijssimam differentiam sub vniuersali ratione se conferat. Nec ab hac veritate recedendum, quòd proprijssima differentia ad hoc tertium prædicabile spectans accipienda non sit in ordine ad munus distinguendi, sed ad prædicationem de pluribus, nimirum ijs, quæ per differentiam inuicem distinguuntur. In differentia enim quauis cùm separatio sit quædam, atque adeò duo necessariò concernens, & id quod, & id à quo separat, duplex recognoscendus respectus; iuxta priorem, cùm prædicabilis differentia fiat, de illis quæ separat atque distinguit, ad Dialecticum: iuxta posteriorem ad Metaphysicum pertinet, cuius est considerare differentiam quantum ad munus separandi vnum ab altero. Nec tandem vllum absurdum, si diuisum reale aliquid esse dicatur, quòd diuisionis membra coinciderent, cùm vna eademque res communis, propria, & proprijssima differentia esse queat; Re nanque coincidere quidem possunt, ratione tamen non possunt.

Secunda difficultas.

Solutio.

Tertia difficultas.

Solutio.

Postremus tandem in re proposita sit nobis labor, huius partitionis conditionem expendere, num videlicet æquiuoci, an analogi, an verò vniuoci in sua vniuocata partitio censeri debeat. Vniuoci in vniuocata esse nobis probatur, adiunctâ tamen quâdam analogiâ. Validissima suppetit ratio, nam intellectus quotiescunque de aliquo conceptu potest esse certus, de alijs autem dubius, ille profectò cui firmiter adhæret, est alius ab ijs, de quibus est anceps; atqui potest intellectus esse certus de differentia quadam, quod videlicet differre faciat, anceps tamen de modo, quo id ipsa præstet, an essentialiter, an accidentaliter; ob id fatendum, vniuocam rationem esse diuisam. At si quis hoc ægrè ferat, quoniam si diuisum reale quidpiam extiterit, membra in quæ fit diuisio, communem aliquam rationem habere non poterunt, cùm essentialis differentia differre simpliciter faciat: accidentaria verò secundum quid, quibus nihil commune vniuocum. Hoc planè nihil, cum vtrique absolutè differentię ratio conueniat, etsi per ordinem ad differentiam essentialem accidentariæ conuenire dicatur; illæsa igitur vniuocatio remanet, alioquin intolerabilis, si distinguendi munus vni simpliciter, alteri secundum quid conueniret; hæc enim illa, quibus vniuocum commune nihil, vt enti positiuo, & negationibus eiusdem.

Verum sit partitio æquiuoci, analogi, & vniuoci &c.

Diuisio est vniuoci cum quadam analogia.

Ratio.

Difficultas.

Solutio.

Hæc autem, quam astruximus, vniuocatio non ab omni penitùs abhorret analogia, ab ea videlicet, quæ dicitur inæqualitatis, quæ cùm vniuocatione consentit; alioquin nullum genus vniuocum foret, vtpotè semper hanc ferè habens analogiam admixtam, ob differentias, quibus contrahitur, inæqualis perfectionis; ita quidem, vt familiari vtar exemplo, animal ad species descendit suas; perfectiori enim modo ad hominem, imperfectiori autem ad reliqua.

Hæc vniuocatio analogiâ habet adiunctam.

Quamobrem primum ex analogatis essentialis censenda differentia. Hæc enim proprijssimè differentiæ rationem sibi vendicat tertium vniuersale, siue prædicabile constituens, cum alioquin communis & propria ad reliqua duo prædicabilia pertinent. Ad explicandam verò differentiæ naturam diligenter oportet aduertere, quatuor, quibus potest considerari modos, vel si mauis munera, quibus ipsa fungitur. Ex his autem prima est considerandi ratio, moduque, prout ipsa genus diuidit, ac idem ad inferiora contrahit, hoc enim eius primum censetur munus, nempè genus diuidere. Secundum prout speciem constituit, eandemque perficit. Tertium prout speciem

Primum analogatũ est differentia proprijssima, Quatuor differentię munera considerandum.

Primum munus genus diuidere.

Secundũ munus

Digitized by Google

Secundum munus speciem constituere.

constitutam, ab alijs diuidit, secernitque, vnde propriè differentiæ nomen sortitur. Quartum atque postremum provt ad inferiora referitur speciei à se constitutæ, posse de ipsis prædicari, iuxta quam considerationem vniuersalis, prædicabilisque rationem obtinet. Hæc igitur differentiæ munera diuidit genus, constituit speciem, constitutam à quouis alio distinguit, ac tandem de specie constituta, deque omnibus sub illa contentis prædicatur.

Tertium diuidere speciem vnam ab alia.

Quartum posse de inferioribus speciei a se constitutæ prædicari.

Quatuor à Porphyrio de differentia definitiones traditæ.

Iuxta hæc Porphyrius quatuor de differentia definitiones tradidit; quibus apertè splendidèque natura ipsius declaratur, in quarum explicatione se nostra in præsentia labor exercebit. Tametsi autem tres priores considerandi modi ad Metaphysicum attinere videantur, veluti occupatum circa differentiam provt in prima intentione consistit, cùm eandem quatenus secundam intentionem inuoluit, & rationem vniuersalis obtinet, Logici sit considerare cuius est secundas intentiones, & omnia, provt ijs substrata persecutari; quia tamen commemorati modi non parùm ad quartum ritè percipiendum conducunt, ob id haud est alienum ab instituto logico illos expendere.

Differentiæ iuxta priorem considerandi modum apprimè videtur definitio congruere, quam tertio loco Porphyrius expressit Διαφορά ἐστι τὸ χωριζικὸν τοῦ αὐτοῦ μέρος. *Differentia est* id, *quod naturalem vim habet separandi, quæ sub eadem genere collocantur. Differentia*, inquit, *est id, quod suaptè naturâ ea, quæ sub eodem genere separat.* Vel clarius; *Differentia est, quæ apta est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt.*

Non dissimulandum hanc definitionem videri non distinctam à quarta dicente Διαφορά ἐστιν ὅτῳ διαφέρει ἕκαστον. *Differentia est* id, *quo quidque differt*, quam clarius Scholastici, hunc in modum enunciarunt. *Differentia est id, quo singula differunt*: Ab ea tamen longè quidem secernitur, propterea quòd in hac sit generis commemoratio, quæ in illa quidem omittitur; vtque igitur ab illa secreta sit, intelligenda est tradita de differentia provt diuidente genus in eas, quas habet species, itaut explicet differentiam, prout exercet munus diuidendi genus, quod primum esse dicebatur, non autem quatenus fungitur tertio, quod est species ad inuicem distinguere.

Superioris definitionis hic intellectus. Differentia separando ea, quæ sub eodem sunt genere, est speciei multiplicandi ratio, itaut huius multiplicationis beneficio genus essentialem diuisionem subeat, atque adeò constituatur in pluribus essentiâ, naturâque diuisis.

Cur dicatur per differentiam diuidi ea, quæ sub genere sunt.

Neque perturbet, quòd dictum fuerit, per differentiam ea potius diuidi, quæ sub eodem sunt genere, nimirum species, quàm genus ipsum; id enim factum existimes ad ostendendum, generi diuisionem in species extrinsecùs aduenire; hæ nanque propriè diuiduntur, cùm genus in illis formalem adhuc suam vnitatem retineat, illam tamen, quam suo loco concedendam explicamus.

An diuidere genus sit reale quid piam a differentia proueniés.

Qui autem differentiæ naturam, & conditionem accuratius inquirere operæ pretium duxerunt, non immeritò exstitere solliciti de hoc primo differentiæ munere in controuersiam vocando, num scilicet diuidere genus sit reale quidpiam, an verò rationis opus, quod perinde est ac dicere, cuiusmodi sit hoc diuidendi munus inspectâ naturâ, cui generis ratio potest appingi.

Iuxta duplicem na-

Cùm autem natura duplicem statum obtineat, vel nimirum in speciebus dispersa, ac ob id re verâ existens, vel prout obijcitur menti, veluti totum quoddam vniuersale, multa sub se inferiora continens, proinde, iuxta geminam existentiam cuique perspectum, bipartitam esse considerationem instituendam. Prout enim re ipsâ existit, non inficiandum, hoc differentiæ munus reale quid esse, quemadmodum re ipsâ natura generica diuisa est; quod non sic vsurpandum, vt per quandam scissionem, sed per limitationem, determinationemque contingat. Naturæ siquidem illa contractio per differentias nihil aliud sanè, quàm diuisio modo iam explicato, atque multiplicatio ipsius in re, quæ cùm quodlibet rationis opus antecedat, nequit in hoc consistere, proindeque reale quid esse oportet. Concedendam autem in rebus multiplicationem prædictam perspicuum est; siquidem generis natura alia quidem re ipsâ vna est in vna specie, & alia in altera, vt alia in homine, & alia in equo citra quamlibet mentis operationem est animalis natura; non quidem continui instar in partes, quibus constat diuisa; non enim vt illud totius rationem obtinet; nec etiam vt vnum reale quidpiam ante differentiarum accessum existens per differentias ita scindatur, vt vnitatem realem amittat suam; vel illam ex aduerso retinendo per adiunctas differentias extrinsecus diuidatur, cùm natura in inferioribus suis vna per inexistentiam non existat; nisi prout induit vniuersalitatem logicam, accipiatur. Reliquum ergo, vt eâ solùm ratione diuisionem subire dicenda sit, quatenus per differentias contrahitur, & ad species constituendas limitatur, sic vt eadem ex se disiunctim tamen, etsi contracta ad vnam speciem, possit itidem ad aliam contrahi, limitarique, cum hoc ei ex internis principijs non repugnet. In hoc igitur primum differentiæ munus constituendum. Pariterque genus dicendum extrinsecùs illam diuisionem subire, prout in vna specie per differentiam, quâ afficitur, à se ipso secernitur existente quidem in alia, per differentiam ipsius.

Haud facilè tamen intellectu genus in vna specie per differentiam constitutum sic existere, vt in ea totam naturam retineat suam; totum enim aliquod in partes diuisionem subeundo ita se habet, vt in ipsarum nulla suum esse integrum possit retinere, alioquin nulla facta fuisset diuisio; at si respiciamus genus, videlicet animal, per differentias ad species, hominem scilicet, equum &c. ita contrahitur, vt integrum quod habebat esse, non amittat in homine, non in equo, non in reliquis, sed illud idem retineat. Accedit, quòd si vnum est in speciebus, cùm eiusdem hæ dicantur generis, haud est facile captu, vt diuisionem subierit per differentias, siquidem hinc suam vnitatem amittit. Hæc tamen non tanti momenti, vt ab aliquo sanæ mentis facilè possint assensum extorquere; non enim sic genus per differentias diuiditur, vt continui instar in partes, quibus constat, diuisionem subeat. Sed totius potentialis plura sub se continentis diuisio est, quatenus nimirum per contrahentes limitantesque differentias potest ipsum fieri plura, in quibus totum esse retineat suum. Ita quidem animal specierum suarum comparatione se habet, ipsum enim alioquin indifferens, ac indeterminatum ex internis principijs, vt hâc, aut illâ differentiâ afficiatur, dum his fuerit affectum, euadit plura, quæ partes illi subiectæ dicuntur. Cùm igitur vnum fuerit, & per affectionem hanc multiplicatum reddatur, non immeritò diuisionem, partitionemue subijsse dicendum; Vnum enim suo est modo diuisum in plura. Nec secundo loco momenti quicquam habet, quod in oppositum addebatur;

non

non enim genus in suis, quibus inest inferioribus vnum est per inexistentiam, sed per indifferentiam naturæ ab internis principijs, vt ad plura possit limitari.

Difficultas. Solutio.

Nec subinde deducas ante differentiarum accessum reapsè naturam fore multiplicatam, atque diuisam, ineptè proinde munus diuidendi genus, differentiæ adscriptum fuisse. Hæc enim inconsideratè dici facilè hinc intelliges, quoniam ante differentiarum aduentum natura nec vna quidem in multis, nec multiplicata dicenda, cùm hoc à differentijs expectet. Dicenda tamen per differentias diuidi, quoniam ipsarum comparatione est quidpiam determinabile, ac perfectibile; Vt omittam, quòd differentiæ aduenientes extrinsecùs naturam genericam si afficiunt, vt in speciebus extrinsecùs tamen illam differre faciant, quamuis intrinsecùs eadem omnino sit, secundum essentialia principia sua; nec mirum sic hoc extrinsecùs contingere dicatur; differentia si quidem naturæ genericæ extrinseca est, illique accidit, quamuis intrinsecùs cum ea speciem constituat.

Confideratur natura prout obijcitur intellectui.

Hucusque de generica natura locuti prout re verâ hæc existit; proximum est, vt eandem prout menti obiectam spectemus. Hanc porrò cuique sit exploratum non diuidi ad modum totius in sibi subiectas partes, nisi operatione intellectus. Hoc enim modo genus obijcitur menti tanquam vniuersale quoddam, atque adeò veluti potentiale quidpiam in subiectas partes, nimirum species per differentias concipitur diuisionem pati; vtque propriè tunc habet huius totius rationem; ita etiam tunc propriè dicitur per differentias diuidi.

Hoc autem rationis opus; quoniam hæc, quam diximus diuisio supponit abstractam fuisse naturam per intellectum, factamque fuisse vnam per positiuam indifferentiam; ita vt concipiatur subire diuisionem per differentias in plures species vna remanens in illis per inexistentiam, quod cùm intellectûs tantummodo beneficio contingat; palam ob id diuisionem hanc esse opus rationis.

Explicatur magis diuisio generica natura per differentias.

Nunc desudandum superest in eorum explicatione quæ possunt aliquam difficultatem ingerere. Primum è quibus occurit repugnantia, quam hæc habent ad inuicem; & quod generis natura per differentias fit in singulas species diuisa: & quòd in singulis quoque tota sit essentialiter, non autem per diuersas partes in ipsis distracta. Quicquid enim diuiditur, in partes vtique diuiditur; quodquè totum est in singulis, nequit esse diuisum, sed in omnibus vnum, ac idem. Nulla tamen hæc repugnantia; cùm optimè liceat animo comprehendere, hæc duo cohærere simul, & quòd genus totum remaneat, simulque diuisionem per differentiam recipiat; Genus enim gemino respectu intelligi potest affectum, & quatenus eorum vno ad essentialia prædicata, quibus actu formaliter constat, totumque dicitur essentiale, refertur: & altero pariter, quo inferiora respicit, quoque potentiâ hæc continere dicitur, cùm alioquin in suo formali conceptu ea non inuoluat, & quo potentiale totum nuncupatur. Genus itaque quemadmodum, & species diuisionem per differentias non patitur, prout essentiale totum est, quasi permanat diuisionem in plures essentiæ partes, quarum ma ad hoc, altera verò ad aliud ex inferioribus contrahatur, sed potiùs diuisionem admittit veluti potentiale totum in plures sibi subiectas partes, hoc est inferiora plura; sic enim nihil prohibet vniuersalem naturam simul totam esse secundum essentiam, & simul etiam diuisam in singulis inferioribus suis, huiusmodi siquidem diuisio destruit indiuisionem in plures species, hinc enim specierum multitudo, non tamen indiuisionem, quâ genus vnum est, secundum essentialia principia.

Explicationis cõtinuatio.

Et quamuis natura generis (quod etiam de specie respectu singularium dicendum) concipiatur vna per inexistentiam in inferioribus, adhuc tamen concipi potest diuisa, atque multiplicata per differentias in illis: nihil enim refert, quòd vnitas multitudinem destruat, & multitudo vnitati aduersetur; non enim quælibet vnitas diuisionem, ac multitudinem quamlibet, sed sibi tantùm aduersam, & oppositam interimit; diuisio autem, & multitudo prouenies à differentijs non aduersatur vnitati, quâ aliquid vnum dicitur vniuersale, puta genus, vel species. Quamobrem vniuersale, puta genus, contractum per differentias non vnum ita remanet, vt prius erat in abstractionis statu. Fatendum quidem, quod profectò dissimulare non licet, aliquam vnitatem destrui; aduertendum tamen, diuisionem illam per differentias haud super vnitatem cadere, quam vniuersale retinet; vt si de genere infimo sermo fiat, non cadit diuisio super vnitatem, quâ ipsum dicitur vnum indiuisibile, & quidem indiuisibile cùm ea vnitas tolli non posset, nisi per subalternas differentias, secundum quas est penitus indiuisibile; sed super vnitatem, ac proinde super indiuisionem secundum species, quam est intellectus negotiatione consecutum, cùm à speciebus abiunctum, abstractumque fuerit, deinde enim intellectus illud differentijs affectum apprehendit, proindeque diuiso vnitatem adimit quam eidem abstrahendo tribuerat. Tametsi autem hucusque negotiatione intellectus tantummodo metaphysicum vniuersale sit factum, & in potentia remota prædicabile de pluribus; sit tamen logicum, ac ob id proximè enunciabile, dum ab intellectu cum inferioribus confertur, afficiturque secundâ vniuersalitatis intentione sic, vt illi obijciatur tanquam vnum per inexistentiam in multis.

Nec existimes velim, hanc non esse naturæ diuisionem in multis, aut contractionem ad multa; sed potiùs eiusdem applicationem quandam ad subiecta plura, dum scilicet eadem natura per inexistentiam in speciebus pluribus concipitur, ad eum modum, quo si calor idem in subiectis pluribus constitutus foret. Res enim tunc longè aliter se haberet; dum enim vniuersalis illa natura concipitur vna in pluribus speciebus, vel indiuiduis, præ oculis habendum, vnam eandemque posse intelligi diuisionem subire in plura se ipsa per differentias; propterea quòd cùm ipsa non sit numericâ differentiâ affecta, nec vna sit numericâ vnitate, quemadmodum caloris vnitas foret, sed vna dicatur, quatenus differentijs, quibus affici potest, non intelligitur affecta, ob id eâ vnitate sic vna est ipsa natura, vt hanc diuisionem subire optimè possit.

Secunda differentiæ definitio a Porphyrio tradita.

Nunc altera à Porphyrio speciei tradita definitio accuratè expendenda sequitur; est autem huiusmodi Διαφορὰ ἐστιν, ᾗ ὑπερέχει τὸ εἶδος τὸ γένους. *Differentia est, quâ species superat genus*, siue abundat à genere. Hæc definitio differentiam explicat prout aptam constituere speciem; eius enim hic est intellectus, quòd differentia sit, quæ cum genere speciem constituit, adeò vt species sit veluti differentiæ correlatiuũ, quatenus species est constituta; differentia verò constituens. Hæc porrò constitutio perparticulam illam *excedit*, vel *abundat*, insinuatur, cum ijs nil aliud quàm prædicta constitutio significetur, quamobrem

Digitized by Google

hæc definitio per istud constituendi munus tradita censeri debet.

Quo pacto differentia ad constitutionem speciei facere dicenda sit.

Quia tamen non tam est explicatu facilè, quâ ratione differentia suo hoc fungatur munere, vt peculiarem non mereatur considerationem; propterea de hoc nunc diligenter nobis disserendum, ac explicandum, quo pacto nimirum differentia ad speciei constitutionem faciat, cùm alioquin sit exploratum satis, eam cum genere ad speciei constitutionem concurrere; Solùm igitur nobis nunc explicandum, quomodo id differentia præstet, an ex rei naturâ, itaut cum asserimus differentiam addi generi ad speciem constituendam, intelligendum sit, additionem ex rei naturâ fieri, proindeque realem esse dicendam: an potiùs existimanda sit additio negotiantis intellectus opere facta, quatenus hic rationem aliquam concipit aduenire genericæ naturæ, quæ ab illâ, vel perfectè præcisa sit, itaut additio fiat ex parte obiectiuorum conceptuum; vel saltem generica natura solùm imperfectâ præcisione à differentiâ sit præcisa, vnde per differentiam non intelligatur addita ratio quædam, nullo modo importata per naturam genericam, quin potius hæc eadem sit, expressiùs tamen exhibita.

Vt autem de re propositâ quid sentiendum aperire liceat, aduertendum occurrit, sermonem hìc non institui de speciebus prout secundas intentiones inuoluunt, cùm satis sit manifestum intentionem secundam consistentem in despectu, quem intellectus effingit, non constitui ex relatione genereitatis ac differentiæ, siquidem hæ sunt longè disiunctæ, atque adeò ad diuersa pertinentes prædicabilia, sed sermonem fieri de speciebus vt aiunt, materialiter acceptis, vel, quod in idem recidit, de realibus naturis.

Tametsi autem hac de re non idem sit Philosophorum sensus, eorum opinio tamen arridet magis, quibus hæc compositio ex genere, & differentia visa est non ex re, & re, atque adeò non physica; neque compositio formalis ex rei naturâ, scilicet ex realitate, & realitate eiusdem rei, quæ à parte rei licet minori distinctione, quàm reali, distinguantur; sed ex conceptibus obiectiuis perfectâ, vel imperfectâ præcisione distinctis, ac proindè metaphysica compositio existimanda sit.

Celebris difficultas proponitur.

At celebris nunc in eo posita difficultas explicanda, quòd si dicatur per differentiam genericæ naturæ quidpiam non superaddi à parte rei aliquo modo distinctum, nihil erit in causa, cur in Deo metaphysica compositio, nimirum ex genere, differentiâque recognosci non possit, non enim eius officeret simplicitati. Quamuis hac in re Scholastici plurimum laborarint, tamen si primam diuisionem entis existimemus per finitum, & infinitum, citra laborem licebit aduertere compositionem hanc in Deo reperiri non posse. Vt enim aliquid propriè genus dici mereatur, exposcit, vt à differentia perfectâ præcisione distinguatur, itaut quantumuis eius conceptus explicetur, in ipsa differentia non inuoluatur, & ne de nomine contentio sit; quicquid generis rationem sibi vendicat, debet ab eo perfectâ præcisione distingui, quod contrahentis induit naturam, siue propriè differentia sit, siue modus, vt loquuntur, intrinsecus; cùm autem ens per infinitum contrahitur ad Deum, modus infinitatis rationem entis non subterfugit, si hoc intelligendum nomine velimus, quicquid in natura suum esse sortitur; non mirum ob id, si ex infinitate, rationeque entis fieri metaphysica compositio non possit, cùm hæc ab illâ haud perfectâ sit præcisione distincta. Ad id porrò confugere, quod plerisque familiare admodum est, videlicet infinitatem quidditatiuè, vt aiunt, non participare rationem entis, sed ens eatenus dici quatenus idem est realiter ac ens; ad id inquam confugere potiùs est menti ignorationis tenebras offundere, quàm rem ipsam explicare, de quo tamen infra.

Definitio altera, quam Porphyrius quarto loco tradidit, ea est. Διαφορά ἐστιν, ὅτῳ διαφέρει ἕκαστον. *Differentia est*, id, *quo quidque differt*. Scholastici autem sic illam interpretati sunt. *Differentia est id, quo differunt essentialiter inter se singula*; nempe singulæ species, vel singula indiuidua vnius speciei à singulis alterius. Hæc autem differentiæ definitio per tertium ipsius munus, quod est speciem vnam essentialiter ab alia distinguere, tradita censetur. Optimè quidem, nondum tamen innotuit, quid ipsa sit, prout nempè ratione vniuersalis induit, iuxta quam à Porphyrio alia traditur definitio, nempe. Διαφορὰ ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ὄτι τί ἐστι κατηγορούμενον. *Differentia est, quæ pluribus & differentibus specie attribuitur in quæstione quale quid est*. Scholastici autem eandem sic reddiderunt. *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*. Inficiandum tamen non est, definitionem prædictam tantummodo competere genericis, non autem infimis differentijs, cùm sola generica sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, vt ex: gr: sensitiuum, differentia constituens animal, de homine, leone, cæterisque speciebus animalis prædicatur; huiusmodi autem definitio huic differentiæ consentanea est, rationali autem, nempe differentiæ specificæ, non item, cùm non de pluribus specie, sed numero tantummodo differentibus prædicetur. Si quis autem vtrique differentiæ accommodatam definitionem velit, sic poterit illam contexere. *Differentia est id, quod prædicatur de pluribus in quale quid, specie, vel numero differentibus*.

SECTIO SECVNDA.

Reliqua tractantur ad magis differentiæ naturam explicandam.

INitio considerandus modus, quo genus, & differentia in cuiusque speciei constitutione designari debeant. Certum, & exploratum illud existimo, scilicet in omni specie designandum esse genus, & differentiam; siue de substantiâ completâ, vel incompletâ, siue de accidente sit sermo; quod facilè, vt opinor, persuasum erit aduertenti, speciem omnem, sub aliquo genere communi, & sibi, & alijs contineri; alioquin sibi speciei rationem vendicare non posset; quod si res hunc se habet in modum, differentia pariter assignanda, cùm genus non nisi per differentias diuidi, determinarique possit ad certas species, & species per aliquod essentiale suum prædicatum ab alijs secernatur speciebus, cum quibus aliàs in genericâ ratione conueniunt. Meritò igitur in specie quacunque genus ac differentiam agnoscendam censuimus; quod sic vsurpandum, vt speciei nomine, non quælibet accipiatur essentia, cum hæc alicuius prædicati esse possit, adeò supremi vt speciebus omnibus commune sit.

Neque hoc tibi irrationabile videatur eo nomine, quòd differentia prædicari debet in quale, & non in quid, cùm tamen nullum essentiale prædicatum in rebus simplicis naturæ prædicetur in quale. Siquidem illud ita prædicatur, vt partem, & non vt vniuersam essentiam importet, in simplicibus verò non

sunt

sunt partes. Hoc tamen inde roboris nullius intelliges, si diligenter aduertas, in simplicibus essentiales esse gradus, qui metaphysicæ, si non physicæ, partes dici possunt. Quin etiam in Physicis compositis non ob eam causam differentia dicitur in quale, quia physicam partem præseferat. Satis igitur superq; differentiam dici adiectiuo modo, sic enim aliquid significatur per modum actuantis, & perficientis, vt differentia est. Quod si rursus vrgeas; simplicia se ipsis constituuntur, & secernuntur ab alijs; quamobrem in ipsis differentiæ desunt, cùm differentiæ sit munus, constituere speciem, eandemque distinguere; Hic tamen aduertendum, ideo simplicia constitui, atque distingui se ipsis pronunciari, vt id fieri per metaphysicos essentiales gradus, & non per physicas partes intelligamus. Quòd si rursus suprapositum assertum ægrè feras, propterea quòd in rebus simplicibus tibi videatur distingui non posse speciei, differentiæque conceptus, cùm non differant vt totum, & pars, sintque æquè determinati; Statim occurram aduertendo, posse illa differre, vel vt totum & partem metaphysicam, quando nimirum species ex duplici ratione, generis videlicet, & differentiæ constat, quarum vna est perfectè præcisa ab alia; vel vt conceptum implicitum, & explicitum, vtcunque eorum, vel æqualis, vel inæqualis determinatio sit.

Secunda difficul.

Solutio.

Tertia difficultas.

Solutio.

Non vnus est modus, quo genus, ac differentia debeant in specie designari; cùm vnum, vel aliud essentiale aliquod prædicatum pro genere proximo; & similiter vnum, vel aliud pro differentia possit designari. Ità quidem in homine solet animal pro genere, rationale verò pro differentia stabiliri; Non minùs tamen generis locum obtinebit substantia intelligens comparatione hominis, ac intelligentiarum; differentiæ discursiuum, vel corporeum esse.

Non vnus est modus, quo genus, & differentia debeant in specie designari.

Explicatio.

Et sanè hac de re non secus, ac de diuisione generis opinandum, quæ non vna, sed multiplex, ita quidem substantia partitionem subit in corpoream, & in incorpoream; quemadmodum etiam in viuentem, & non viuentem; itemque in corruptibilem, & in incorruptibilem.

Ratio.

Quod inde mihi perspectum, quoniam vna, ac eadem species potest essentialiter in vna, vel in alia ratione cum speciebus alijs conuenire, vnde iuxta conueniendi modos varios vnius rei cum alia, & iuxta varias distinctiones ab alia, varij quoque sunt modi, quibus genera differentiæque possunt assignari, hoc est, varia possunt assentialia prædicata pro generibus, ac differentijs singularum specierum constitui. Ita quidem homini cum brutis conueniendi ratio, sentiendi, & cùm intelligentijs est intelligendi facultas. Sic ex animalibus quædam inter se conueniunt, quibus omnes sentiendi vires; alia autem, quibus non omnes natura largita est: Quod si humana mens rationem aliquam concipiat, in qua plures, diuersæque species conueniunt, poterit itidem rationes aduertere, quibus discriminantur. Id porrò, in quo conueniunt, generis locum obtinebit, ea verò, quibus secernuntur, erunt differentiæ. Non igitur vnus est modus, quo genus, & differentia possunt in specie designari.

Categoriæ tamen eodem fere ordine disponique debent.

Et quo facilè intelliges, ni fallor, omnium rerum categorias, vt aliàs aduerti, multifariam ordinari, disponique posse.

Non inficiandum tamen, in hoc maiorem esse facilitatem attendendam; hinc enim ordinandi petenda ratio, ad quam fortè respiciens Porphyrius, generum, atque specierum, vel notiores, ac frequentiores, vel aptiores cõceptus adhibuit ad distinctã rerum notitiam animis ingerendam. Quòd si pronunciauerit speciei genus vnum esse, differentias autem plures; non ob id arbitrabatur, vnicum esse modum, quo genus, & differentia possint in specie designari, cùm eò tantùm respexerit, vt insinuaret, quotiescunque nos essentialia rei principia coniungimus, vnum substantiuo nomine, aliud autem adiectiuo debere significare, ità vt è prædicatis illis vnum sit genus, reliqua differentiæ: vnum *in quid*, cætera autem *in quale quid* prædicentur. Mihi tamen hìc laborandum, vt vnam, vel alteram difficultatem de medio tollam.

Facilitas attendenda est.

Prima difficultas desumpta ex Auctoritate Porphyrij.

Solutio.

Vnicum certum, atque determinatum videtur in specie, genus; ob id, vnica pariter differentia, nàm alioquin in illa perturbatam congeriem prædicatorum essentialium cogeremur admittere, proindeque speciem quamlibet vnum quoddam per accidens esse. Insulsè tamen ex nostrâ, quam tuemur sententiâ, hoc infertur absurdum, cùm essentialia prædicata non sint quædam rationes in specie re verâ, sed intellectus duntaxat negotiatione distinctæ diuersisq; actibus designatæ, prout speciei natura in ratione quadam vni, vel alteri rei similis est, & ab ijsdem secundum vnam, vel aliam rationem secernitur; vnde plures efformari possunt conceptus, in quibus huiusmodi conuenientia ac discrepantia exprimatur.

Secunda difficultas a ratione desumpta.

Solutio.

Num autem hoc modis innumeris, ac infinitis variari queat, est inquisitione dignissimum.

Non dissimulandum profectò, si veritati consonum est, Aristotelis assertum sub vno genere species innumeras reperiri posse, eâdem in re infinitas esse differentias; proindeque modis innumeris posse essentialia prædicata variari; quod vtique non decestatur idem Philosophus, etsi alibi videatur oppositum docuisse; ibi enim tantummodo infinitum processum in subordinatis prædicatis reijcit, quorum vnum sub alio directè contineatur; nec immeritò, nam in huiusmodi prædicatis summum, atque supremum, pariterque infimam speciem oportet recognoscere. Vel forsan etiam ad species respexit, actu quidem extantes in natura.

§. Diui. ex. 10. Difficultas ex Aristotelis auctoritate deducta. 2. Diui. capit. 2. Diluitur.

Nec perfectionis infinitæ in re creata vlla suspicio; nisi illius, quæ in potentia dicitur; vnde nullum absurdum, cùm hic infinitatis modus ille non sit, à quo natura abhorret, imò illum admittit; cognoscendi enim, appetendique facultas hoc modo infinita censeri debet, non enim tot sunt actus, quos potest elicere, quin plures esse queant. Non omittendum tamen aliud à proposito minimè alienum; num videlicet genus, & differentia debeant à diuersis partibus, an potiùs à totâ speciei naturâ desumi.

Secunda difficultas a ratione desumpta Solutio.

Num genus, & differentia debeant à diuersis eius partibus desumi.

Non repugnat sanè ex diuersis physicis partibus rei compositæ prædicata desumi; ita nimirum, vt de re vniuersâ per modum generis, differentiæque possint affirmari; propterea quòd diuersis physicis partibus rei compositæ propria, & essentialia prædicata conueniunt. Hæc porrò duplicis esse generis cuique perspectum; nam aliqua sunt, quæ de toto pariter enunciari possunt: aliqua autem nequaquam. Illa sunt ex: gr: esse aptum dimensionibus, ac cæteris accidentibus per se affici, quod materiæ conuenit, deque ipsa prædicatur, ita tamen, vt toti pariter accommodatum sit; non dissimiliter esse intellectiuum est prædicatum conueniens animę rationali; sed idem quoque toti potest adscribi; propterea quòd hominem intellectiuum rectè dicimus. At ex aduerso prædicata sunt alia, quæ sic partibus conueniunt, vt toti accommodari non possint, cuiusmodi sunt hæc

Non repugnat ex diuersis physicis partibus rei compositæ prædicata desumi. Prædicata in duplici differentia sunt.

ipsa

ipsa prædicata, incompletum, per se potentia, per se actus, & id genus alia; quæ expresse rationem partis, vel oppositionem quandam cum toto declarant.

Ratio, qua probatur non repugnare a diuersis partibus varia prædicata desumi.

Hinc perspicuum assertum, quoniam ex ijs prædicatis, quæ partibus ita conueniunt, vt conuenire toti non possint, nihil erit in causa, cur quis in dubium reuocet, quin vnum loco generis, aliud autem loco differentiæ statui possit; vt aptum suscipere quantitatem pro genere decerni potest, in quo cum cæteris rebus materiatis homo conueniat; intellectiuum autem pro differentia, quâ discriminetur ab illis. Vel pariter intellectiuum tanquam genus haberi potest, in quo homo cum substantijs abstractis ab omni materiæ concretione seiunctis conueniat, à quibus per aptum esse dimensionibus extendi, distinguatur.

Non semper a diuersis partibus physicis hæc desumuntur prædicata,

Quod non sic vsurpandum, quasi necessitas cogat, semper à diuersis partibus physicis hæc prædicata desumere; quod adeò verum, vt vix animum inducam ad credendum, secùs alios existimare potuisse. Non enim desunt ea, quibus nulla conuenit ex partibus compositio, & tamen rectè genus, & differentia solent adscribi. Ita quidem in substantijs nullum habentibus cum materia commercium, has metaphysicas partes recognoscimus, quas itidem accidentibus tribuimus à quibus longè abest hæc compositio. Nulla igitur necessitas cogit ex commemoratis partibus semper hæc prædicata desumere.

Nec etiã quando res physicis partibus constat.

Quinimo etiam in rebus, quibus ex hisce partibus compositio inest, hoc concedendum; nam etsi materiâ, formâque constent, non ob id inde genus, illinc differentia desumenda; nam præter supremum genus, intimamque speciem dantur intermedia genera; vel igitur hæc desumuntur à forma, & hoc penitus intolerabile, quandoquidem supremum genus s tantummodo à materia desumi posset, intermedia verò à forma, quod tamen aduersam opinionem tuentibus non probatur, quibus est visum, perpetuò genu à materia desumi; quòd si credatur à materia desumenda sola differentia; supereſt vltima petenda quidem à forma superioribus omnibus alijs prædicatis desumptis à materia, in quibus cùm differentiæ contineantur intermediæ; necessum erit has à materia peti, cùm tamen hinc tantummodo genus desumi posse contendant.

Quid aliquibus hac in re fuerit errandi causa.

Id autem plerosque decepit, & in contrariam sententiam adduxit, quòd materiæ genus, vt formæ differentia proportione respondeat, vt nõ immeritò Stagirites materiæ genus, formæque differentiam aptauerit. In eo autem proportionalitas, atque similitudo videtur posita, quod vt materia est per se quidpiam existens, in quo forma recipitur: non absimili modo genus intelligitur velut existens per se, quod afficiatur differentiâ; vtque materia est in potentia ad formas, sic itidem genus intelligitur in potentia ad differentias, quibus contrahi, determinarique aptum est, vtque materia plures formas, sic genus plures differentias respicit; & vt denique materia vna ad essentias diuersas per varias aduenientes formas; sic genus vnum vnitate suo loco explicatâ ad species diuersas per varias differentias traducitur.

Modus, quo differentia ad speciei constitutionem concurrit declaratur.

Vt autem modum, quo differentia in speciei constitutione se habeat, paucis hìc explicemus; aduertam, non omnes differentias eodem se habere modo, quin potius aliquas proprias, & adæquatas esse speciebus, quas constituunt, generibus itidem, quæ diuidunt: quasdam verò magis amplas, & in pluribus quidem generibus adinueniri.

Ita sensitiuum sic est differentia propria animalis, quod constituit, vt alteri speciei conuenire non possit; & vt non in alia specie, ita nec in alio genere, sub quo animal continetur, adinuenias, quod in alijs etiam speciebus, atque generibus tibi persuadeas velim. Nam in genere magnitudinis, longitudo sine latitudine est differentia propria, & adæquata lineæ; longitudo cum latitudine, sine profunditate est propria superficiei &c. Plerumque secus se res habet, vt cum substantiale corpus diuiditur in viuens, & non viuens, propterea quòd viuentis differentia amplioris, quam corpus substantiale, est ambitus, vnde in alia specie extra corporis genus, vt in substantijs à materia abiunctis reperitur. Itq; quoq; continua quantitas diuiditur in permanentem, & successiuam, & per has differentias constituuntur duæ species, scilicet magnitudo & tempus; hæ autem differentiæ reperiuntur itidem in genere quantitatis discretæ, in qua duas alias constituunt species numerum, & orationem &c.

Et ratio suadet

Hoc inde mihi perspectum, & exploratum, quoniam aduerti, nihil impedimento esse intellectui, quo minus ad speciem vnam secernendam ab alijs rebus talem efformet conceptum, qui quidem ei sit adeò proprius, & adæquatus, vt nulli alteri possit accommodari; & quamuis iste conceptus vniuersam speciei naturam, & essentiam diceret, quatenus tamen clarius apertiusq; dicens, differentia foret, vtpote prædicatum, quod essentialiter de re ipsa posset affirmari, tanquam aduenies generi per modum afficientis, atque adeò prædicetur in quale. Nec pariter vlla extat rupugnantia, quin in vnica specie plura intelligantur prædicata, è quibus quodlibet per se sumptum latius pateat, quam species, eorum tamen aggregatum cum ipsa conuertatur, atque reciprocetur.

Hinc differentiæ communis ad speciem per genus determinari non repugnat: Neque mirum, nam quamuis differentiæ munus sit determinare, atque contrahere genus: tamen differentiam ab hoc determinari posse non formaliter sumptam asserendum, videlicet merito illius exigentiæ, quam differentia habet erga aliquod genus, hinc enim ipsa restringitur, nec amplius communis existit, velut in ordine ad illud genus assumpta.

Quando autem differentia perfectâ præcisione distinguitur, cùm in conceptu suo genus non inuoluat, propria non est illius speciei, quam sub illo genere constituit: secùs cùm à generis natura non perfectâ præcisione distinguitur. Hæc autem infra constabunt. Videbitur per complexum plurium prædicatorum communium speciem constitui non posse; siquidem differentia omnis creditur propria speciei, propterea quòd species vltimò compleatur, & ab omnibus alijs distinguatur per ipsam; & vt species specialissima non possit in plures diuidi species. Non negandum vltimò constitui speciem per differentiam, non eâ tamen lege, vt per solam ipsam ab omnibus alijs secernatur, sed ita, vt per eam ab alijs sub eodem genere contentis, per ipsam combinationem generis, differentiæque distinguatur ab omnibus alijs speciebus, & per eandem combinationem species specialissima constituatur indiuisibilis in plures alias species, quamuis singula prædicata essentialia eius sint communia ipsis, & alijs speciebus. Est autem intellectu difficile, à genere contrahi differentiam, alioquin contrahentem; propterea quòd si differentia non est speciei, quam constituit, propria, determinari, contrahique debet, & quidem per genus, cum nihil aliud suppetat; at non generis, cuius est contrahi.

frahi, sed differentiæ potius est contrahere; ne quis admittere velit idem eiusdem comparatione simul esse contrahens, atque contractum. Quamuis autem hoc videatur difficile, attamen nihil minus; non enim repugnat duo prædicata communia se mutuò determinare, cùm huiusmodi determinatio, quippè quæ in quodam mentis conceptu consistit, ab aliquo actu extra animam non proueniat. Est autem à mentis conceptu orta, vt dicebatur, sic vt ex vtraque parte optimè non sine fundamento possit exerceri, adeo vt vnum sit magis, aut minus vniuersale secundum diuersarum rerum comparationem; & mutuò itidem vnum, vel alterum concipi prius quidem possit per modum potentiæ, seu materiæ, alterum verò per modum formæ, & actus.

Obiectio.

Tertia difficultas.

Nec propterea quòd ex multiplici forma constitui nequit essentia vna, deducendum subinde ex multiplici differentia speciei naturam vnicam constitui non posse. Vt enim omittam quando formæ sunt essentialiter subordinatæ, quod viuentibus accidit, falsum assumi, dispar est admodùm ratio, materia siquidem, & forma re ipsâ sunt partes realiter distinctæ, at essentialia prædicata concipiuntur ab intellectu cum fundamento tamen in re ex conuenientia, differentiaque rerum desumpta.

Solutio.

Quarta difficultas. Solutio.

Nec existimes futurum, vt essentia constituta ex duplici subalterna differentia, potiùs dicenda coniunctio generum subalterna speciei, quàm species vna. Secus enim se res habet; nam species adhuc vna ex pluribus illis gradibus efflorescit; Et licet cuiuslibet speciei naturam vnica, & peculiaris quædam affectio consequatur, hoc tamen non arguit adæquatam, & vnicam differentiam; cùm attributum ipsum à plurium essentialium prædicatorum combinatione proficisci nihil prohibeat.

Quando est imperfecta præcisio inter genus, & differentiam quid dicendum.

Quia tamen fuit pronunciatum, haud rarò contingere, vt differentia genus essentialiter inuoluat, quando nimirum inter hæc perfecta non exercetur præcisio; posset quispiam nos eo nomine redarguere, quòd differentia concipi debeat veluti quidpiam generi superadditum, cuiusmodi non foret illa, quâ tantummodo magis explicaretur, quod confusius per genus fuit intellectum.

Adeuratio.

Verum enim verò dissimulare non licet, si differentiæ nomen præsâ quadam significatione sumatur, quod generi superadditur, nullo modo genus ipsum includere. At ex aduerso nec dissimulandum posse differentiam accipi latiori quadam significatione, prout ipsa quidem importat id, quod prædicatur in quale, quodque concipitur contrahere genus, speciemque distinguere ab alijs, non penitus ab ipso genere distinctam, nimirum non ex parte obiecti, sed ex parte maioris, vel minoris expressionis, clarioris, vel obscurioris perspicientiæ: aut si mauis penes implicitum, & explicitum, verbo dicam, ex parte modi tantummodò cognoscendi.

SECTIO TERTIA.

Quomodo Genus, & Differentia in speciei constitutione distinguantur.

Varię hęc de re existere sententiæ.

Gradus metaphysicos non solo distinctionis discrimine distingui.

Mirum sanè, quàm alacriter naturæ sagaciores Interpretes in re proposita contrarias sententias propugnauerint; & quamuis rationes magni momenti non desint; quibus distingui, metaphysicos gradus ex rei natura, aut reali, aut formali distinctione probetur; ea tamen, quæ docet solâ mentis negotiatione distingui, sic certitudine firmitate-

que cæteris antecellit, vt non immeritò amplectenda videatur. Sic inter animalitatem, & rationalitatem in homine non maiorem esse distinctionem, quàm quæ ab intellectu cum fundamento tamen in re effingitur existimandum.

Prima ratio.

In hanc sententiam adducor, quoniam in vno aliquo individuo vna est, ac simplicissima numerica differentia, quæ proximè, ac immediatè contrahens vltimam speciem, determinat omnes superiores gradus in ipsa; non igitur hi magis inter se distingui possunt, quàm vnusquisque à sua numerica differentia; sed nullus eorum ab hac ex rei natura distinguitur, vt suo loco de differentia numerica tractantes ostendimus; ergo metaphysici gradus solâ ratione distinguuntur. Differentiam autem vnam, ac simplicissimam esse, quæ immediatè contrahens vltimam speciem contrahat omnes superiores gradus, inde mihi perspectum, quoniam generica ratio in se quidem inspecta indifferens omninò est, vt per differentiam specificam determinetur; qui proinde non accedente haud est proximè capax differentiæ numericæ, vnde nequit hæc superiorem gradum genericum determinare, nisi per differentiam specificam; differentia igitur numerica vna, & simplicissima contrahens speciem contrahit omnes superiores gradus in illa contentos.

Secunda ratio.

Nec sunt entia multiplicanda citra necessitatem; quæ nulla cogit ad secus philosophandum, quoniam differentia numerica solâ quidem existens contrahere determinareque potest in individuo totam, & integram rei naturam, prout omnia superiora prædicata, quæ in ea excogitare, & ab eadem abstrahere licet, siue specifica, siue generica sint; nulla igitur suppetit causa, cur hæ multiplicentur differentiæ ex rei natura distinctæ.

Tertia ratio.

Adiungam aliud, vnde superior veritas magis elucet, num in Socrate, hoc esse animal, & hunc esse hominem ab eodem physico principio, nimirum ab hac anima, & ab hac materia proueniunt.

Aduersariorum responsio. Reijcitur.

Nec dicas velim in eadem anima gradus re ipsâ distingui, vnde compositum habet vt sit hoc viuens, hoc animal, & hic homo; planiorem enim hoc modo sternis mihi viam ad suprapositum assertum confirmandum, atque adeo ad hanc distinctionem inter metaphysicos gradus ex rei natura tollendam. Propterea quòd anima, cuius est intelligere, ac sapere, siue horum graduum distinctione, quinimò simplicissima radix omnium illorum graduum esse potest, inter quos distinctionem ex rei naturâ comminiscuntur; si nanque spectetur anima illa in ordine ad functiones, ac operationes vegetandi, gradum præbet vegetatiuum, in ordine ad operationes sentiendi, sensitiuum, ac tandem in ordine ad operationes intelligendi, intelligentiæ gradum; quamobrem intelligens anima per simplicissimum esse, principium & radix omnium operationum citra quamlibet ex rei natura distinctionem existit. Non inficiandum tamen, per inadæquatos conceptus illum à nobis multifariam intelligi, atque adeò per ordinem ad varias, atque diuersas operationes in ea distinctiones effingi; non secus ac eadem anima, quatenus materiam perficit, eiusque potentiam explet absque distinctione in re, sed suâ simplicissimâ naturâ hominis quidem commemoratos gradus omnes viuentis, animalis, & hominis imperitur; quandoquidem anima prout vnius, vel alterius numere fungitur varias habere rationes dicitur. Proinde si vt efficiens hæc omnia cum summa simplicitate præstat. sic etiam vt formalis eâdem simplicitate retentâ, suos potest effectus com-

communicare. Ab eadem igitur simplicissima animæ natura homo habet, vt sit viuens, animal, & homo.

Aduersariorum responsio. Reijcitur.

Neque dicas, hinc tantummodò graduum distinctionem commentitiam deduci, cùm de gradibus illis fit sermo, qui in ordine ad operationes diuersas sumuntur. Si nanque in his ex rei natura distinctio superuacanea censeri debet; multò magis in alijs superioribus, & inferioribus generibus, ac differentijs.

Quarta ratio.

Accedit, quòd eatenus videretur in re hæc astruenda distinctio, quatenus hâc de medio sublatâ nullum intellectui fundamentum suppeteret, cui posset inixus vniuersales rationes & generis à speciebus, & speciei ab indiuiduis abstrahere; sed hâc etiam distinctione sublatâ fundamentum adest prædictum; non est igitur cur hæc admittatur distinctio. Propositio maior euidens inde, quoniam tota, ac potissima ratio distinctionem illam ex rei natura concedendi fuit ex nostro intelligendi, ac proinde loquendi modo desumpta; ob hanc igitur causam ea si non est recognoscenda distinctio, superuacanea penitùs illa credenda. Eiusdem autem argumenti minor ex eo cuique manifesta, quoniam vt intellectus effermet illos conceptus, ac ob id vniuersalia effingat, satis, superque, vt in re detur communis natura, vna quidem vnitate formali suo loco explicata: ex parte autem intellectus sat est, vt is inadæquatis suis actibus possit rem ipsam ita concipere, vt illam cognoscendo, totum id, quod in ipsa reperitur, non exhauriat.

Difficultas.

Molesta satis nunc remouenda difficultas; in specie siquidem fatendum, dari compositionem ex genere ac differentia metaphysicam nuncupatam, non merè quidem effictam ab intellectu, sed adinuentam in re; nam alioquin non repugnaret diuinæ simplicitati; quomobrem huiusmodi gradus genus, & differentia ex rei quidem natura, & non tantùm ratione, siue conceptibus mentis distinguantur, oportet, cùm qualis compositio, talis debeat esse distinctio &c.

Quod si dicatur, compositionem rationis diuinæ simplicitati repugnare; propterea quòd fundamentum ipsius, nempe virtualis distinctio illi repugnat. Vrgeri potest dicendo hanc virtualem distinctionem non repugnare simplicitati diuinæ, cùm illi potius conueniat; propterea compositio rationis, de qua fit sermo, nequit ei ratione fundamenti aduersari. Tum etiam quia rationis ista distinctio, quamvis in virtualis rei distinctione, vel eminentia fundetur, veram tamen rei compositionem non infert; hâc igitur admissâ inter genus, & differentiam distinctione, nihil obstabit, quo minus in Deo huiusmodi distinctio, & subindè compositio recognoscatur.

Difficultatis. Solutio.

His tamen sit satis respondendo, compositionem ex genere differentiaque, veluti rationis opus haud extra animam esse, cùm nec etiam distinctio; siquidem compositio nihil aliud, quàm distinctorum vnio. Non ob id ex genere ac differentia dicenda penitùs ab intellectu conficta; non quasi hæc in re antecedat, & extra animam existat; sed quoniam eius fundamentum, virtualis nempè distinctio, ac rei quidem eminentia extra animam est. Et abundè copiosèq; difficultas illa de summa diuinæ naturæ simplicitate diluita fuit; tametsi enim detur in Deo virtualis distinctio, hoc est summa ac infinita eminentia naturæ, vt attributorum, & aliorum, si quæ sunt, quæ consequantur illam, non tamen in ordine ad genus & differentiam; non quòd Deus cum creaturâ vniuocè non conueniat, quod plerosque decepit; sed quoniam in eo ratio nulla reperitur, quæ sic perfectè possit ab alia esse præcisa, ita vt in hac nullatenus inuoluatur. Ratio enim entis vniuocè de finito, ac infinito dicitur, à quibus haud perfectâ præcisione distinguitur, vnde fit, vt generis ei ratio non debeatur, cùm ad hanc requiri perfectam precisionem adnotatum iam fuerit; non mirum ob id si hæc repugnet compositio, nempè ex genere, & differentia simplicitati diuinæ. Quòd si generis appellatione putes intelligendum quicquid est commune pluribus speciebus: quemadmodum hoc cum illimitatione summâque simplicitate diuinæ naturæ potest optimè cohærere, ita & compositio, de qua fit sermo.

Genus etiam, & differentia, inquiunt, sunt definitionis partes, quæ ad partes rei definitæ ita se habent, quemadmodum tota definitio ad vniuersam rem definitam, vt Philosophus loquitur; sed rei partes non solâ intellectus negotiatione distinguuntur, proinde nec etiam definitionis partes, genus nimirum, & differentia. Satis autem diluitur hæc difficultas aduertendo partes definitionis haud propriè dici significare partes rei, sed cum his tantummodo quandam obtinere proportionem, quoniam genus, & differentia, definitionis nimirum partes, instar materiæ ac formæ, quæ rei sunt partes, habere se dicuntur.

Est etiam aliud non minoris momenti; quoniam genus, & differentia non vniusmodi sunt, sed re ipsâ diuersas rationes obtinent, vnde & eodem modo distingui necesse est. Assumptum videtur traditum à Philosopho docente apertè differentiam esse extra rationem generis, & vicissim, & alibi affirmante differentias in ratione generis non poni, sed hoc ad illas veluti potentiam ad essentialem actum comparari, proindeque per se vnum ex illis fieri ob eam fortasse causam, quoniam differentiæ genus diuidentes inuicem aduersantur; nequeunt igitur ambæ generis essentiam constituere, atque adeò neutra potest ad essentiam ipsius pertinere, cùm nulla suppetat ratio, cur id vni magis, quàm alteri concedatur. Vt omittam, quòd si vna inuoluereturin essentia generis, ab ea foret inseparabilis, ac ob id altera nunquam ei posset conuenire, cùm opposita simul eidem inesse non possint. Hinc plerisque ratum generis essentiam à differentijs esse ex rei natura distinctam, adeò vt hæ in illa non includantur. Vicissim quoque differentiam suam habere essentiam, in qua genus non inuoluatur, alioquin differentia totum id includeret, quod species in sese cohibet, quod summum absurdum est.

At quis apertè non videt, in eo peccasse, qui contrariam sententiam tuentur, quòd, quæ generi, differentiæque conueniunt, prout mentis conceptibus repræsentantur, ijsdem adscribant, non secùs, ac si re verâ ita forent. Imaginandum enim genus extra differentiæ rationem, & vicissim dici, quatenus vtriusque ratio sic in mente relucet, vt neutra formaliter inuoluatur in altera; non subinde tamen inferendum, re ipsâ distingui in vna eademque re, cùm ex parte generis satis superque sit, quòd prout conceptui mentis respondet, differentiam non inuoluat, atque adeò, vt ei non repugnet, ex rei natura dari absque huiusmodi differentia, ex parte cuius etiam fat est, vt genus extra rationem eius esse dicatur, quòd in eius obiectiuo conceptu, siue in eius ratione generis obiectiuus conceptus non includatur.

Nec aliud quidpiam desiderari credendum, vt genus & differentia conferantur ad inuicem velut potentia, & actus; id enim non re ipsâ, sed ratione tantùm sic esse putandum. Ex quo facilè intelliges, quo sensu sit id vsurpandum, cùm dicitur, ex genere

diffe-

differentiaque fieri per se unum. A quo non abhorret Philosophus, cum ibi considerauerit genus prout reverâ existit, cui conuenire differentias oppositas non repugnat. Sic enim in pluribus rebus existit, in quibus eius natura non est una, nisi formali unitate multiplicatâ ad multiplicationem inferiorum; ac ob id oppositas differentias admittens in diuersis speciebus existens; quò pertinet illud. *In genere plures latent æquiuocationes*. Et idem genus prout in una specie existens diuersum est à se ipso prout in alia. Quòd si quandoque dicitur hoc illi non conuenire; intelligendum id sanè, prout ipsum & differentia sumitur, quatenus subsistat præcisionibus mentis; sic enim id solùm dicitur ad alicuius essentiam pertinere, quod per se necessarium est, ad formalem rationem constitutionemque ipsius, prout hunc in modum obijcitur menti; ita quidem differentiæ, quibus conuenit genus ipsum diuidere, haud pertinent ad essentiam generis; nec viciſſim; solùm ob id hinc inferenda distinctio rationis inter genus, ac differentiam, cum totum id intellectûs negotiatione tantùm perficiatur. Quòd hinc intelliges. Dum in homine sentiendi ratio concipitur, quæ alioquin à rationalitate minimè reverà distinguitur, quinimò una ac eadem est simplicissima entitas; distingui tamen, itemque non inuoluere rationalitatem in suo conceptu dicitur, eo quòd simplicissimum illud esse hominis, si spectetur, prout per illum actum abstrahentem in intellectu relucet, profectò rationalitatem non includit; quandoquidem rationalitas, quatenus per mentis actum repræsentatur sentiendi principium non includit; propterea quòd mens tunc illud esse non attingit.

Quòd si quis adhuc oppositum sentiat eâ ratione ductus, quoniam quæ in re separari possunt re aliter quoque distingui videantur; separari autem superiorem generis gradum ab inferiori differentia palam, & apertum, cùm alicubi reperiatur ille ubi hæc non inuenitur. Ita quidem animalis ratio, ubi rationalitas nulla. Hoc certè nihil est, genus enim prout in re cum sua differentia coniunctum, ut ab ea re ipsâ non distinguitur, ita nec re ipsâ potest ab eadem separari. Secus prout in una specie existens ab alterius speciei differentia. Ineptè tamen hinc infertur, genus in una eademque specie à differentia ex rei natura distingui, quoniam genus inspectum prout in una specie, non est re verâ idem pariter in alia, nisi forma i unitate, quæ ad specierum multitudinem itidem multiplicatur, ut non mirum, si genus à differentia separari queat, nempe ut distributiuè sine hac vel illa esse possit. Nec te commoueat, quòd species in communi generis natura, ac ratione re vera conueniant, quemadmodum per differentias eodem modo discriminantur; non enim inter has duas rationes distinctionem extra animam licet inferre eo nomine, quòd nequeat idem esse principium conuenientiæ, ac discrepantiæ. Conuenientia siquidem hæc fit usurpanda, ut species in genere conuenire, scilicet in unum venire dicantur, (hoc enim conuenientiæ nomen præfert) quatenus in ipsis una quædam est ratio unitate formali suo loco iam explicata, realiter tamen in ipsis multiplicata, itaut in specie una sit idem re vera cum differentia, in alia verò cum alia differentia. Intellectus enim aduertens illud esse quammnis simplicissimum speciei, sic illud inadæquatè concipit, ut solùm rationem attingat, quæ una est formali unitate in omnibus cunctisque speciebus, unde species unum genere mentis negotiatione dicuntur, rationes autem aliæ, quibus discriminantur, cum menti non obseruentur, nec in illa reluceant, quoniam inadæquata fuit illa conceptio velut non attingens totum id, quod erat in re; ob id solùm inter hæc rationis distinctio; quæ sufficiens omnino ad locutionis alium explicandi modum in speciebus, ac differentijs, nempè cùm dicimus, genus per differentiam contrahi, atque determinari. Dum enim ratio generica, modo iam explicato, concipitur nullam profectò differentiam inuoluit, quam illi dum intelligimus aduenire, tunc genus per differentiam contrahi, determinarique dicitur.

Maior fortassis in eo posita difficultas, quòd gradum unum de altero nobis enunciare non liceat abstractis terminis adhibitis; ut falsa illa est enunciatio, animalitas est rationalitas, vel contra; hoc enim alicui posse indicio esse distinctionis inter hæc ex rei natura. Sexta difficultas.

Nullum tamen indicium; gemina siquidem abstractio physica una, quâ albedo, color &c. metaphysica altera, quâ animalitas, rationalitas abstracta dicuntur. De abstractis abstractione physica nulli dubium, quin unum de alio verè possit enunciari, sic de albedine prædicatur color, de colore qualitas, de qualitate accidens. At de abstractis abstractione metaphysica secus se res habet, non quod inter illa cadat ex rei natura distinctio, quâ certè non est opus; sed quoniam veræ prædicationi distinctio rationis sufficit; propterea quòd dum una formalis ratio præcisè concepta de alia prædicatur, ut animalitas de rationalitate, significatur unam esse aliam nedum secundum rem, sed etiam secundum præcisionem mentis, & secundum rationem, quod à veritate penitus est alienum. Non enim ratio una prout relucet in mente per conceptum præcidentem inuoluit aliam, à qua fit præcisio. Vt præterea quòd ratio illa sic præcisa induit modum partis, quæ nec de toto, nec de alia parte verè potest enunciari. De hoc tamen infra. Solutio.

Tametsi autem commemorati metaphysici gradus ex rei natura non distinguantur: tamen inter illos rationis distinctionem astruendam censuimus. Quia tamen hæc gemino modo potest intelligi, propterea nobis hîc enitendum, ut explicemus hanc rationis præcisionem, quam bipartitam fecerunt, quarum una perfecta, altera verò imperfecta dici consueuit. Inquirendum igitur, cuiusmodi sit præcisio rationis inter genus, & differentiam, quod nobis obtinere non licet, nisi præmittatur diligens perquisitio de præcisionis natura, ob id esto. Quamuis gradus metaphysici ex rei natura dicantur nõ distingui aliquo tamẽ modo nempe distinctione rationis distinguuntur.

SECTIO QVARTA.

Expenditur rationis præcisio, & in controuersiam vocatur, num præcisiones obiectiuæ sint concedendæ.

NVlla celebrior, quàm de præcisionibus, disputatio: nulla maiori vel difficultatum apparatu, vel animorum contentione disputata censeri potest. Sed quid hac in re nobis probetur, paucis explicabimus. Celebris de præcisionibus propositi disputatio.

Gemina quidem præcisio rationis decantatur in scholis, quarum una perfecta, altera autem imperfecta nuncupatur. Duplex præcisio perfecta & imperfecta.

Perfecta quidem rationis præcisio, & imperfecta ut explicetur, supponendum veluti demonstratum metaphysica prædicata, ut substantia, corpus, viuens, animal, atque rationale, non à parte rei, sed ratione tantùm distingui. Quo autem id pacto contingat,

est controuersum.

Opinio quorundã. Plerique Philosophantium ita sentiunt, ut hæc inter prædictam distinctionem inficientur: dicunt enim, dum animal ex. gr. quis cognoscit, ac dum sentiendi principium ejus objicitur menti, sed totus homo, videlicet animal, & rationale in ordine ad sensationes cognitus; dumque pariter concipit rationale, totus inquiunt idem homo menti in ordine ad operationes rationis expressus obseruatur. Idem igitur omnino, iuxta hunc dicendi modum, in utroque conceptu intellectui objicitur, unde tota diuersitas ex parte conceptuum existat, necesse est.

Aliorum opinio. Secus alij sagaciores naturæ interpretes philosophati sunt; ex eorum enim sententia cum quis animal, vel rationale considerat, eius menti non totus objicitur homo, sed eius simplicissimum esse in duos obiectiuos conceptus, inadæquatos tamen, ratione diuisum, itaut dum quis animal cogitat, menteque reuoluit, solum sentiendi principium; dum rationale, solum principium ratiocinandi ei obuersetur; adeo ut in distinctione rationis non solum detur duplex conceptus rem eandem in ordine ad diuersas operationes, & connotata exprimens (quauis hoc subinde fieri nihil prohibeat) sed amplius, existimant intellectum duas perfectiones etsi re verâ idem, suis inadæquatis actibus partiri repræsentando videlicet unam, alterâ per illum actum nullatenus repræsentatâ. Hæc ipsis est distinctio rationis ratiocinatæ, cùm prior rationis ratiocinantis plerumque soleat appellari; vel si utraque rationis ratiocinatæ dicenda, posterior erit perfecta, prior aut imperfecta.

Perfecta præcisio, quam alibi explicuimus. Dissert. 8. Section. 9. Perfecta autem rationis distinctio & præcisio, ac unitas tunc planè contingit, cùm in illis rebus, à quibus abstrahitur natura, duplex est intrinseca ratio, quarum una est, in qua aliquid cum alijs conuenit, & altera est propria ipsius differentiæ, per quam distinguitur ab alijs, unde potest intellectus duos efformare conceptus, unum de natura, alterum de differentia, itaut nec ipsa differentia inuoluatur in conceptu naturæ, neque hæc in conceptu illius; non inquam inuoluatur, nec explicitè, nec implicitè, sed potius uterque conceptus quantumuis explicetur unus non reperiatur in altero, quod exemplo si lubet demonstrare, sumatur homo considerandus, in quo ratio quidem animalitatis, & rationalitatis adinuenitur; animalitas est ratio, in qua homo conuenit cum animantibus brutis, estque sentiendi principium nullo modo rationalitatem includens, prout hæc est principium intelligendi, non includens inquam, nec explicitè nec implicitè. Non explicitè ut patet, propterea quòd sentiendi principium non importat principium intelligendi; nec etiam implicitè, quia quantumuis explicetur principium sentiendi, nunquam intelligendi principium includet. Non absimili modo si spectetur proprissima differentia, quâ homo secernitur ab animantibus brutis, nempè rationalitas, hæc non includit animalitatem: quantumuis enim intelligendi principium explicetur, nunquam in eo sentiendi principium inuoluitur.

Exemplo declaratur hactenus dicta.

Imperfecta præcisio, ac unitas. Imperfecta rationis distinctio, præcisio ac unitas tunc demum accidit, quando in illis rebus, à quibus abstrahitur communis natura, non alia reperitur ratio, quæ naturam ipsam intrinsecus, & essentialiter non inuoluat; quin potius, quicquid est in rebus ipsis, & quæcunque in illis adinuenitur ratio, perpetuò communem illum conceptum includit, nec potest ab illo penitus, & omninò abstrahi, unde communis ille conceptus naturæ continet, & inuoluit in se quidquid penitus est in inferioribus, omnemque formalitatem inuentam in ipsis, in quibus nullam omninò rationem relinquit, itaut solum abstrahi ob eam causam dicatur, quoniam abstrahit ab explicito inferiorum conceptu, quæ tamen aliquatenus implicitè contineat, ac ob id imperfecta præcisione dicatur ab illis distingui, quoniam ab explicito tantum, non autem ab omni inferiorum conceptu præcisus sit.

Illustratur exemplum. Ad huius autem declarationem aptissimum est exemplum exempè desumptum, cuius ratio communis est substantiæ, & accidenti, quam non immeritò dixeris imperfectè præcisam ab inferiorum differentijs, dummodo per illam intelligas, quicquid habet esse in natura, propterea quòd in ipsis nequit aliqua ratio adinueniri, in qua essentialiter ratio entis non sit inclusa; siue enim differentiam substantiæ, vel accidentis attendas, quibus hæc in proprio esse constituuntur, utraque entis rationem inuoluit.

Quæ ab aliquibus differentias, quibus substantia, & accidens constituuntur, solum. Non me præterit aliquem dicturum prædictas differentias, quibus substantia, & accidens constituuntur, ac inter se distinguuntur, entis rationem essentialiter non inuoluere, utramque tamen ens dici posse, quoniam re ipsa sunt idem, ac ens. Hoc tamen, eorum pace dixerim, est confugere ad id, quod consensione sapientum humani ingenij captum effugit. Cùm igitur ita se res habeat, ut nimirum intellectus concipiendo substantiam, vel accidens non attingat quidpiam rationem entis effugiens; consequens est, ut concipiendo ens intelligat, quicquid in substantia vel accidente reperitur, proindeque tunc imperfecto modo abstrahat, solumque abstrahere dicatur, quatenus explicitè non concipit percipiendo rationem entis, quod tamen attingit concipiendo substantiam, vel accidens.

Hinc exploratum mihi, è prædicatis essentialibus quædam esse, quæ perfectâ præcisione rationis inter se distinguuntur, quæque per modum generis differentiæque possunt assignari. Hæc porrò sunt, quorum utrumque potest alterum sine altero inueniri, & differentia potest in alia specie existere, ut vicissim differentia non est huiusmodi generi propria, & addicta certæ speciei sub tali genere, ut in alio itidem genere reperiri non possit.

Ita quidem sentiendi, ac intelligendi principia sunt, quorum utrumque in homine reperitur; illud pro genere, hoc pro differentia designari posset, & utrumque mutuò alterum sine altero reperiri percipiuum; sentiendi enim principium veluti genus in alijs speciebus ab homine sine intelligendi principio reperitur; & hoc non est huiusmodi generi, sic addictum, & adæquatum homini veluti speciei sub illo contentæ, quin etiam in alio genere nequeat adinueniri. Principium enim sentiendi reperiri potest in brutis, quibus nulla intelligendi vis, & hæc in substantijs abstractis, quibus nulla sentiendi facultas.

Hoc inde mihi suadeo, quoniam cùm differentia possit in alio itidem genere reperiri, nequit essentialiter illud in suo conceptu inuoluere; quemadmodum contra, cum illud genus in alijs etiam speciebus possit existere, nequit unam, vel aliam differentiam in suo conceptu includere.

Sed hîc etiam alia commemoranda distinctio precisionis in formalem & obiectiuam. Illam appellant ex parte actus, ex vi cuius intellectus media cognitione attingit totam rationem realem adæquatam in obiecto adinuentam secundum formalitates omnes, quas in se claudit, cum ordine ad operationes se tenentes ex parte obiecti indirecti, & in obliquo terminan-

minantes hanc cognitionem, & non cum ordine ad alias; quas eadem virtus intrinsecùs potest producere, & in ordine ad quas posset cognosci, vt reuerâ per aliam cognitionem cognoscitur. Hæc autem cognitio non dicitur præcisiua ex parte obiecti, quoniam attingit omnes formalitates intrinsecas obiecto; diciturq; præcisiua ex parte actus, quia omnes illas attingit non secùs ac si solùm attingeret formalitatem quandam respicientem illas tantùm operationes; quę se tenent ex parte obiecti indirecti, & neque ipsam, neque aliam respicientem alias, quæquidem non se tenuerint ex parte obiecti indirecti, ad quas neque in obliquo cognitio terminatur. Hæc autem exemplo sic illustrant. Homo habet vim producendi operationes sentiendi, & ratiocinãdi; quę quidem omnes ab eadem virtute physica prouenient, siue hæc in eo dicatur formalis, siue radicalis, vt aiunt.

Exemplo illustratur

Dum igitur intellectus apprehendit totum hominem, vel si mauis, totam prædictam virtutem eandem ac hominem, tanquam obiectum directum, & tanquam obiectum indirectum, operationes tantummodo sentiendi; tunc totum obiectum directum apprehensum, ex parte sui terminans cognitionem est totus homo: totumque ratiocinandi, sentiendique principium, dicitur tantùm principium sentiendi, quoniam solùm apprehenditur connotatis sensationibus; atque adeo tunc ex parte actus dicitur abstrahi principium sentiendi, à principio ratiocinandi, siue animal à rationali, atque illud sine hoc apprehendi; Si autem eadem entitas, siue idem principium apprehenderetur secundum se totum, & idem omnino ex parte obiecti directi, cum alio obiecto indirecto, connotatis nempe ratiocinandi operationibus, non autem sentiendi, illud principium, quod in re, & ex parte obiecti foret principium sentiendi, & ratiocinandi, diceretur tantùm ex parte actus principium ratiocinandi, atque tunc ex parte actus diceretur apprehendi rationale non apprehenso animali, & ab hoc illud seiungi diceretur; Si denique principium idem apprehenderetur connotatis sensationibus, & ratiocinationibus, diceretur homo, & principium sentiendi, & ratiocinandi, absque vlla ipsorum præcisione per modum vnius principij indiuisibilis apprehendi. Vnde ita philosophantur; Animal præcisè cognitum absque rationali, & rationale præcisè cognitum absque animali, & homo in quo est animal per rationale contractum, dicunt ex parte obiecti indiuisibilem formalitatem, quæ connotatis tantummodo sensationibus dicitur animal, connotatis tantummodo ratiocinationibus dicitur rationale; denique connotatis simul sensationibus, & ratiocinationibus dicitur homo, & hæc est illa præcisio, quam formalem appellant.

Obiectiua questio.

Obiectiuam præcisionem vocant illam, ex vi cuius non solùm connotata obliquè cognita sunt distincta, sed etiam ex ipsis formalitatibus obiecti directi realiter identificatis intellectus vnam ab alia separat atque distinguit, hanc attingit, & non illam; vel saltem hanc attingit expresè, & illam non eâdem attingit expressione. Iuxta hunc dicendi modum cognitio illa, cuius vi animal separatur à rationali attingit principium sentiendi connotatis sensationibus, & non attingit principium ratiocinandi, quod non est tantùm non attingere ratiocinationes, sed non attingere in obiecto directo formalitatem illam, cui respondent ratiocinationes, quæ quidem formalitas est ratiocinandi principium. Vnde inquiunt, quòd secundum vtrunque præcisionis modum diuersa connota quidem attinguntur quando concipitur animal sine rationali, & quando viciſſim concipitur rationale sine animali, hoc tamen intercedente discrimine, quòd præcisio ex parte actus non sistit in diuersis connotatis obliquè cognitis, ex vi quorum cognitâ semper eâdem formalitate ex parte obiecti directi, modò dicitur his connotatis cognosci animal non cognito rationali, modò alijs connotatis cognosci rationale sine animali. Præcisio verò altera, quæ obiectiua nuncupatur ex diuersitate connotatorum procedit ad formalitates diuersas in obiecto primario attingendas, & cognitio connotans tantummodo sensationes, vt obiectum indirectum pertingit in obiecto primario præcisè, principium earundem sensationum, non autem principium ratiocinandi, quanuis idem sit realiter, ac ipsum.

Si decernendum quidpiam in re proposita, certè videtur ex eorum sententia, quibus est visum dari distinctionem illam rationis ratiocinatæ, atque adeò præcisiones obiectiuas, vt aiunt, nempe dari actus siue conceptus intellectus sic inadæquatos, vt obiectum alioquin à parte rei indiuisum, diuidant in prædicata plura mutuò se non includentia, ita vt vnum ex parte obiecti prædicatum repræsentetur, alio penitus per eundem actum omisso, nulloque modo repræsentato, ita nimirum, vt animal ex parte obiecti cognoscatur, rationali penitùs ignorato; sic etiam naturæ hominis sine differentijs indiuiduantibus.

Concedẽdas præcisiones obiectiuas ostenditur.

Hoc ad aures Aristotelis inde mihi perspectum, quoniam passim affirmat, differentias esse extra conceptum generis, & viciſſim; Ἀδύνατον δὲ κατηγορεῖσθαι ἢ τὰ εἴδη τῶν γένους τῶν οἰκείων διαφορῶν, ἢ τὸ γένος ἄνευ τῶν αὐτῶ εἰδῶν. *Impossibile verò est, aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus esse absque suis speciebus*; Atque etiam docet compositionem metaphysicam fieri hunc in modum ex partibus distinctis, veluti physicam ex partibus, quarum vna realiter distinguitur ab altera; hinc ob id ambigendum nemini de Stagiritæ sententia, quòd inter animal, & rationale dandam ex parte obiecti distinctionem aliquam crediderit. Siquidem compositio distinctorum est vnio; vt igitur compositionis, sic etiam distinctionis est modus.

Ratio ab auctoritate desumpta. 3. Dinid. tex 10. & al. bi.

Suspicabitur quispiam eò tendere Philosophi consilium, vt doceat compositionem illam de actibus intellectus genus, ac differentiam repræsentantibus intelligi, seu, vt aiunt de genere, differentiaque formalibus. Hæc tamen ineptè dicuntur; tum quia Philosophus docet hominem ex metaphysicis partibus, genere, ac differentia componi; necesse igitur est, has non in actibus intellectus consistere, ex quibus nemo vnquam dicet hominem consurgere; tum quia prorsus à veritate foret aliena propositio, quâ dicitur homo est animal rationis particeps, cum ex actibus intellectus, vnus non sit alius; tum ad extremum quoniam genus dicitur id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, quod profectò non de conceptibus mentis, sed de prædicato metaphysico obiectiuè sumpto intelligendum.

Aduersatiorũ responsio. Confutatur.

Deteriùs etiam in re proposita se gesserunt, qui arbitrati sunt hominem, vt ad sentiendi operationes relatum secum componere, pro vt ad rationis operationes refertur. Deteriùs inquam, nam genus, nempè animal est solùm hominis pars; quemadmodum differentia; proindeque genus nequit esse totus homo; tum etiam quia illa relatio hominis ad operationes, metaphysicæ compositioni non sufficit; tum denique, quoniam operationes non ingrediuntur, vel genus, vel differentiam hominis; genus enim tunc ac differentia realiter distinguerentur. Quod si

Aliorum responsio. Confutatio.

Digitized by Google

Aduersariorum responsio. Reijcitur.

dicas hic sermonem non esse de operationibus secundum suas entitates acceptis; sed de ipsis inspectis secundum id vnde proficiscuntur. At nulla tunc foret distinctio inter genus, & differentiam.

Secunda ratio.

Ratio autem efficacitatis non exiguæ videtur illa. Datur actus, quo intellectus cognoscit animal nullatenus cognito rationali: propterea per hunc actum inter animal, & rationale, fit aliqua ex parte obiecti distinctio. Assumptum inde fit manifestum, quoniam dum quis aliquid, quod verè est homo, à longinquo aspicit, ipsi nullum inditium suppetit in eo, quod videt ratiocinandi principium reperiri; is igitur per notitiam à sensibus haustam (necessariò autem inde hauriri perspicuum, cum omnem perspicientiam intellectus à sensibus desumat) non poterit rationale, scilicet intelligendi, sed animal tantùm, nempè sentiendi principium, cognoscere.

Iterũ probatur superius assumptum.

Idem etiam assumptum inde verum intelliges, quoniam aspiciens sentiendi tantummodo intuetur operationes, quæ solam imaginem principij sensationis possunt ingerere; ita vt perindè sit, ac si in re obiecta nullum foret ratiocinandi principium, siuè nimirum esset leo, vel equus, vel simile quidpiam; consequens igitur, vt ille tantummodo possit animal, siuè sentiendi, non autem rationale, siuè ratiocinandi principium cognoscere. Fatendum igitur per illum actum sic duas rationes in re visa distingui, vt vna in altera nullatenus inuoluatur.

Aduersariorum responsio.

Non me præterit te dicturum, propterea quòd ratiocinãdi principium est idem re verâ ac principium sentiendi; cognoscendo clarè, & explicitè principium sentiendi, cognosci obscurè, & implicitè principium ratiocinandi. Hoc tamen insulsè dixeris; non vt aliqui putant, quoniam eâdem præmeteris difficultate, nempè quòd idem cognosceretur, & non cognosceretur, ac proinde contradictoria de eodem simul, & eiusdem comparatione verè enunciari possent; non ob id inquam; quoniam nulla contradictio cùm non idem sit cognoscendi modus clarè scilicet, & obscurè cognoscere, vnde non est idem ac cognoscere, & non cognoscere. Sed ob aliam causam ineptè id dictum existimandum, quoniam principium sentiendi nec explicitè, nec implicitè ratiocinandi principium includit, vt nec vicissim principium ratiocinandi vllo modo inuoluit principium sentiendi. Quamvis igitur animal, & rationale re ipsâ sint idem, nihil prohibet quo minus cognito vno, non cognoscatur & alterum.

Refellitur.

Competebatio.

Accedit etiam, quòd nullum tunc intellectus cernit vestigium principij ratiocinandi, non est igitur cur hoc cognoscat. Quòd si res hunc se habet in modum, intellectus tantummodo tunc sentiendi principium cognoscet, atque adeo seiunget.

Quorundam responsio.

Sunt qui putant, hinc minimè deducendam obiectiuam præcisionem dicentes haud inferri posse animal à rationali distingui, eo quod intellectus nequeat discernere sentiendi principium in obiecto viso esse principium ratiocinandi, inquiunt enim, rusticus nouit aliquem esse hominem, quem tamen non nouit esse animal rationis participeps, & nihilominus è nostra sententia homo ab animali rationali non distinguitur; Sic tamen haud fit satis ei, quo vsi sumus argumento, rectè siquidem ex eo deducitur animal à rationali distingui ex parte obiecti, quòd intellectus discernere nequeat in obiecto viso sentiendi principium esse principium ratiocinandi; nec exemplum quicquam concludit; nam rusticus &si non nouerit quo ad vocem hominem esse animal rationale, nouit tamen quo ad conceptum, etsi enim nesciat quid significet, quid que sibi addat animal per rationale cognoscit tamen quid nos hisce vocibus *animal rationale* significare intendimus.

Refellitur.

Tertia ratio.

Præterea hinc etiam intenta veritas constat, in hoc enim actu cum dicimus *homo, vt animal est principium sentiendi*, petendum quisnam sit huius propositionis sensus.

Aduersariorum responsi Confutatio.

Respondent hominem vt relatum ad operationes sentiendi esse animal. Hoc tamen ineptè dicitur, relatio siquidem illa, seu comparatio est actus intellectus referentis hominem ad operationes; at verò per actum, quo intellectus propositionem illam efformat, supra se non reflectit; non igitur hic illius erit propositionis sensus, cum dicitur homo vt animal est sentiendi principium. Accedit, quòd eodem modo ea est intelligenda propositio, quo, & ista, *Ignis vt calidus calefacit; paries vt albus disgregat visum*; in his porrò nulla fit relatio ad operationes, ita vt Ignis referatur ad operationem calefaciendi, & vt sic relatus dicatur esse principium calefactionis, adeo vt reduplicetur actus intellectus referentis, sed potius igni quidpiam intrinsecum est.

Quarta ratio.

Et hinc vlterior desumitur probatio; nam quando quis dicit ignem, vt calidum calorem progignere, solùm cognoscit ordinem, quem ignis dicit ad productionem caloris, reduplicando enim calorem solùm hunc ordinem, nec vllum aliũm, nimirum ad productionem ignis, vel ad productionem lucis attingit, tunc igitur intellectus perfectâ præcisione distinguit.

Aduersariorum responsio. Reijcitur.

Nec est cur dicas intellectum cognoscere quidem ordinem ad productionem ignis, vel lucis, non tamen illum exprimere. Non est inquam cur id dicas: si nanque cognitio illa exprimit ordinem ignis ad productionem caloris, cum ad lucem, & ignem sit idem ordo, consequens est, vt eundem ordinem exprimat, & non exprimat, quæ non minus contradictoria sunt, ac cognoscere, & non cognoscere, quòd si hoc intolerabile, etiam & illud.

Quorundam responsio.

Si quis autem occurrat dicens exprimere, & non exprimere eodem modo contradicere; non tamen modo diuerso, vt in re proposita; si nanque expressio pro cognitione sumatur, eandem subit diuisionem superiùs factam, nimirum impliciti, & expliciti; vnde non absimili modo hic ratiocinandum; quòd si sumatur pro ipsâ explicita cognitione, cum dicitur non exprimi perinde est ac si dicatur explicitè non cognosci, vnde redit eadem distinctio, quâ de medio tollitur difficultas.

Confutatio.

Benè habet; sed quantumuis explicetur ordo ad lucem in eo non inuoluitur ordo ad calorem, & vicissim, proinde cum detur duplex ratio, quarum vna in suo conceptu aliam non inuoluit; consequens fit vt perfecta detur præcisio, quam intendimus. Ratum igitur esto præcisiones obiectiuas concedendas esse. Non tamen est facile explicatu, qua id ratione contingat.

Explicatur modo cedens sint præcisiones obiectiuæ.

Primus explicandi modus eorum est, qui obiectum respectu diuersæ cognitionis aiunt esse virtute duplex, adeo vt sub hac duplici ratione cognosci, & non cognosci possit, atque adeo propositiones specietenus contradictorias terminare, quæ tamen hic, & hunc contradictoriæ non sunt, cùm non ferantur in idem prorsus obiectum, sed in illud, quod cum virtute sit duplex, duobus equipollet, re tamen ipsâ idem perpetuò cognoscitur obiectum.

Reijcitur.

Hic dicendi modus in eo peccat, quòd totum obiectum cognosci affirmet, proinde haud satis obiectiuam separationem declarat, quæ prorsus exposcit, vt

vt perfectio, attributum, prædicatumque repræsentetur altero relicto, ita vt per intellectum intentionaliter fiat, quod Plato, ac Platonici physicè contingere arbitrabantur. Naturas enim existimabant à singularibus, genus à differentia, perfectionem vnam ab alia physicè separatam esse; sed qui astruunt præcisiones obiectiuas id fieri per intellectum existimant.

Secundus explicandi modus

Secundus explicandi modus eorum est, quibus prædicata omnia, gradus Metaphysicos, perfectiones, & attributa in rebus inuenta distingui visum est ante intellectus operationem per ordinem ad intellectus actum possibilem. At si res sic se haberet, procul dubio ex rei natura distingui ea dicenda forent.

Tertius explicandi modus oppugnatur.

Iunat igitur illos audire, qui putant ante intellectus operationes, ac præcisiones actu nullam in obiecto distinctionem nisi virtualem præfuisse, quâ suppositâ, intellectus prædicata, alioquin re ipsa idem cogitatione separat atque distinguit; adeo vt vno repræsentato non repræsentetur aliud, perindeque se habeat, ac si illud aliud in obiecto nullo modo involueretur, non quidem abstractione negatiua, quæ falsa esset, sed præcisiua, quia scilicet cognoscitur vnum altero non cognito.

Duo sunt, quibus hæc inuicta sententia cæteris veritate præstat, ac antecellit, nimirum obiecti fœcunditas, & intellectus, vel subtilitas, vel apud alios imbecillitas; Res enim, quæ menti cognoscenda obijcitur, quo præstantior, ac excellentior, eò plures in se perfectiones vnitas inuoluit, quæ in alijs disperse cernuntur. Ita quidem stirps perfectior lapide, cum huic superaddat viuentis gradum; stirpe verò perfectius animal, velut id quod cæteris eius gradibus, quos in se continet, sensitiuum adiungit: homo tandem animali perfectior, quoniam præter sensitiuum rationalitatis gradum includit. Hinc intellectus occasionem nanciscitur eadem inre distinguendi, quæ alioquin in vnum veluti nodum collecta sunt, siquidem alijs in rebus illa dispersa intuetur. Huius autem veritatis indicium præcipuum est illud, quòd si quidpiam sic imperfectum fuerit, vt vnicum in se prædicatum contineat, cuiusmodi est ens, & numerica differentia, certè distinctionem hanc non admittit. Tametsi enim ens ab inferioribus abstrahi possit, in eo tamen vlterior abstractio fieri ab intellectu non potest, siquidem in eo non datur alia, & alia virtute ratio distincta, ita vt intellectui liceat vnam cognoscere aliâ non cognitâ, ac ob id vnam cogitatione ab alia separare. Hæc igitur illa rei obiectæ fœcunditas, vnde intellectus occasione desumpta, in re simplicissima distinguit illa, quæ sunt penitùs idem, in alijs tamen diuersa.

Intellectus autem subtilitas, vel fortè rectiùs imbecillitas, plurimùm ad hoc idem conducit; eius enim actus geminâ ratione constat, siquidem forma quædam naturalis est, & simul etiam intentionalis; pro vt priorem induit rationem subiecto inest, & inhæret, petitque sibi consentaneum subiectum, nimirum ab omni materiæ concretione remotum, atque ceruis quibusdam terminis, limitibusque circumscriptum. Vt autem posteriorem rationem habet, repræsentat, & cum obiecto non sic determinatam proportionem exposcit, vt indiscriminatim nequeat ad omnia tendere; nullis terminis continetur, nullisque loci, ac temporis circumstantijs illigatur, vnde tam præsens, quàm absens, tàm præteritum, quàm futurum obiectum attingit.

Intellectionis, seu perspicientiæ longè maior est vis pro vt intentionalis est qualitas, quàm pro vt naturalis est forma; vnde quod re ipsâ est indiuisum intentionaliter ab eo diuidi potest, atque adeo inadæquatè repræsentari sic vt in plures rationes quodammodo simplicissima res diuisa sit. Tanta est intelligendi vis vt per hanc vnita diuidi, & diuisa vniri facillimè possint.

maior est vis prout ipsa est intentionalis qualitas, quam prout naturalis est forma.

Intellectus igitur noster rem omninò simplicem in varios diuidere potest conceptus obiectiuos, atque adeo simplicissimam rem nullis partibus constantem, nobis quasi per partes obijcere, & ea, quæ naturâ sunt coniuncta potest disiunctim accipere, quandò eorum in alterius rationem non cadit; vnde in ternario: e: g: potest solùm binarium considerare, sic in animali rationali solum id, quod est sentiendi principium.

Intellectus noster rem omnino simplicem in varios diuidere potes cõceptus obiectiuos.

Hoc adeò proprium intellectui, vt sensui nullo modo conueniat, ad quod respiciens Thomas Angelicus dicebat. *Anima nostra duas habet virtutes cognoscitiuas, vnam quæ est actus alicuius corporei organici, & huic connaturale est cognoscere res secundum quod, sunt in materia indiuiduali, vnde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia verò virtus cognoscitiua eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis; vnde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ quidem non habent esse, nisi in materia indiuiduali, non tamen secundum quod sunt in materia indiuiduali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus.* Atque hunc in modum supra sensum extollens intellectum ita concludit. *Vnde secundum intellectum possumus cognoscere huiusmodi res in vniuersali, quod est supra facultatem sensus.*

Hoc ita proprium intellectus vt sensui nõ cõueniat. 1. part q. 12. a. 4.

Hæc porrò non ineptè dicta hinc facilè intelliges, nimirum cuicunque intellectioni, seu perspicientiæ geminam rationem accommodatam esse, pro vt nempe spectari potest, & vt quædam naturalis est forma, & speciatim qualitas; & vt est intentionalis naturæ; priori modo cum cæteris qualitatibus eandem indolem, conditionemque sortitur; secundo autem modo longè diuersa est, sic enim habet repræsentandi vim quâ & adunata diuidere: & quod re ipsâ est indiuisum separatim repræsentando potest varia prædicata distinguere.

Hæc vt clariùs intelligas, attende. Humanus animus eâ, quâ perspicientiæ facultate pollet se ipsum inadæquatè intelligit, attingendo communiorem naturam numericâ differentiâ relictâ. Hic intellectionis actus in solam animę rationem neglectâ numericâ differentiâ tendens, in anima ipsa geminam rationem distinguit naturæ scilicet, & differentiæ. Idem verò actus vt naturalis est qualitas nullam distinctionem affert, nec rationem vnam ab alia secernit, distinguitq; sed vtrique re verâ in vnum coeunti veluti subiecto inhæret, non secus ac calor tui comparatione subiecti, cui certè nullam distinctionem, communi scilicet naturæ ipsius à numerica differentia affert.

Suprà dictorum explicatio.

Nec propterea mirandum; naturalis enim forma si distinctionem vllam induceret, hac vtique foret re verâ talis; ob id communis ratio subiecti à differentia numerica realiter distingueretur; vndè anima perspicientiæ subiectum, non vnum, & idem simplicissimum foret, sed potius constans duabus rationibus realiter distinctis.

Ratione, probatur qualitê vt naturalem formam distinctionem subiecto afferre non posse

Hæc profectò ab vniuscuiusque mente, & si veritatis perduelli posset assensum extorquere, nisi falsum tueri mordicùs velit, nec absurdum existimet in eadem anima geminam illam rationem inesse cum mutua distinctione ex rei natura, à quo tamen plurimum veritas abhorret.

Et

Cur in re detur fundamentū ad cognosci, & non ad produci cognosci, & nō produci.

Et hinc etiam cuique perspectum discrimen, vndè nimirùm sit, quòd in re aliqua dari possit virtualis distinctio, nempè fundamentum distinctionis in ordine ad cognosci, & non cognosci, seù non repræsentari; puta vt ratio quædam repræsentetur aliâ non repræsentatâ, & si re verâ sint idem, non tamen detur in ordine ad existere, & non existere, destrui, & non destrui, currere, & non currere. Hæc enim vt re ipsâ sunt extra animam, sic itidem re ipsâ distinguerent, quodque simplicissimum est, geminum redderent.

Vnde est vt per hāc distinctionem virtualem & formalem per intellectū omnis de medio tollatur contradictio.

Satis hinc etiam constat, cur per hanc distinctionem omnis de medio tollatur contradictio, nec de eodem contradictoria affirmentur: propterea quod, contradictoria non sunt quidpiam esse re ipsâ idem, ac inuisum, cogitatione tamen distinctum, atque diuisum: cogitatione si quidem distingui nil aliud, quàm aliquid inadæquatè cognosci ex parte obiecti, siuè repræsentari secundum diuersas rationes, quæ tametsi re sint idem, intellectus tamen eâ, quâ pollet vi quodammodo partitur, illud nempè non repræsentando adæquatè, sed inadæquatè; sic enim illud attingendo cogitatione, vel vt loquuntur intentionaliter in plura distrahit.

Hunc in modum obiecto extrinsecùs distinctionem aduenire, explicatur.

Sed cùm obiter dictum fuerit hunc in modum extrinsecùs obiecto distinctionem aduenire, non erit abs re, si hoc paulò diligentiùs explicemus.

Illud sanè certum, de quo nulla potest esse contentio, per obiectiuas huiusmodi præcisiones nullam in re mutationem fieri. Videndum igitur num obiectum intrinsecùs, an extrinsecùs, per hanc distinctionem diuidi liceat asserere.

Insulsum autem eorum consilium, quibus est visum per huiusmodi distinctionem in obiecto quidpiam intrinsecum produci, per quod dicatur distingui, propterea quòd ante cognitionem distinctum, vel diuisum non esset. Quandoquidem in eo distinctionis fundamentum erat, nimirum illa perfectio, merito cuius poterat distinctionem, ac diuisionem ab intellectu recipere. Non sub inde tamen concludas nullam omninò distinctionem esse ex parte obiecti, eo nomine quòd nec ante cognitionem erat; nec per cognitionem in ipso producitur. Tametsi enim non fiat per actum intellectûs quasi ponentem aliquid in obiecto, fit tamen quasi per aliquid tollentem; vel vt alij loquuntur non fit per actum positiuum, fit tamen præcisiuè. Vt cum intellectus in homine sentiendi principium concipit, rationali minimè concepto, præcisiuè ratiocinandi principium remouet à principio sentiendi, quod in ordine ad hunc actum per indè est, ac si nullum ibi foret principium ratiocinandi re ipsâ idem ac principium sentiendi; vndè per hunc actum præscindere dicitur intellectus, quatenus hic per illum cognoscit non concipiendo id, cum quo ex rei natura coniungitur, non quòd ex: gr: rationale concipiat non esse vnitum, hoc est non idem re verâ esse ac animal, tunc enim deciperetur, sed cognoscit animal concipiendo, rationali minimè concepto; hinc non mentitur, vt non immeritò de sic cognoscentibus pronuncietur effatum. *Abstrahentium non est mendacium;* secus si priori modo cognosceret.

Perperam autem aliqui crediderunt quidpiam intrinsecū in obiecto produci.

Per supradictam distinctionē dici potest obiectum & intrinsecùs & extrinsecùs diuisum.

Per huiusmodi autem distinctionem dici potest obiectum, & intrinsecùs, & extrinsecùs diuisum. Intrinsecùs dicetur si referatur ad cognitionis actum veluti causam dividentem; propterea quòd hoc fit per actum intellectûs in genere causæ formalis deficientis; siquidem hic ita repræsentando duo quidem inuoluit, & repræsentationem vnius prædicati, & negationem repræsentationis tendentis in aliud, vt repræsentationem animalis, & negationem repræsentationis tendentis in rationale, quorum vtrumque extrinsecum est obiecto, scilicet actus tendens in animal, & negatio actus tendentis in rationale. At si referatur ad extrema diuisa, per eam dici potest obiectum intrinsecùs diuisum, atque distinctum, cum ab eo remoueatur aliquid intrinsecum; puta si referatur ad animal, & rationale, quæ sunt extrema, quibus homo constat verè tollitur aliquid intrinsecùs, nempè rationale, quo animal afficitur, & quod idem re ipsâ est ac animal in homine.

Videbitur alicui forsan mirabile dictu, quod intrinsecùs mutari dicatur obiectum absque omni physica mutatione. Nulla tamen admiratio si diligenter attendas, quâ id ratione contingat. Intellectus concipiat lignum exutum omni qualitate primâ, quanuis re verâ sit huiusmodi qualitate affectum; deinde concipiat illud idem calidum, nimirum repræsentando calorem existentem in illo. Tunc profectò lignum se habet aliter intrinsecùs respectu intellectus, quàm antea; siquidem de ipso potest modò propositiones efformare, quas antea non poterat; non secus contingit de obiecto in ordine ad gradus metaphysicos; quando siquidem intellectus concipit animal destitutum omni differentiâ, postea verò in eo aliquam differentiam, puta rationale attingit, in ipso mutatio quædam intrinsecùs fit, in ordine ad intellectum nulla intercedente physica mutatione, modo iam explicato.

Quod autem de adiunctione diximus, de separatione quoque dicendum. Mens nanque si concipiat lignum calore quidem affectum, deindè illud idem omni primâ qualitate destitutum intelligat; in ordine ad intellectum intrinseca mutatio, ac separatio fit; aliterque intrinsecùs se habet, cum efformare propositiones de illo possit, quas priùs non poterat; ita quòd cum concipit animal rationalitate affectum, post modum verò concipit idem differentia quacumque destitutum, respectu intellectus aliter se habet animal intrinsecùs, cum propositiones tunc efformare possit, quas priùs non poterat.

Et quanuis intelligentiæ actus obiecto sit extrinsecùs, adhuc potest in eo diuersitatem intrinsecam efficere; si non immediatè, & per se, mediatè saltem, & per aliud, videlicet per terminum, quem appingit, vel tollit à re cognita; vt actus ille extrinsecùs quidem animali repræsentato, vnde nequit in eo per se mutationem intrinsecam efficere, sed per rationale quod repræsentat illi vnitum, potest illam efficere.

Tametsi autem hæc cum veritate consentiant, difficultates tamen non desunt; ob id non pigebit iterum in eorum probationem incumbere, vnde sic paucis disputationem prosequar.

Dum animalitatem concipit intellectus nullo modo nec explicitè, nec implicitè concipit differentias de specificas animalium omnium, quæ re ipsâ sunt, vel esse possunt. Sed animalitas idem est re ac differentiæ specificæ omnium animalium, ergo aliquid intellectus in obiecto concipit alio nullatenus concepto. Præmissarum assumptio perspicua, maior autem inde constat; quia nihil intellectus confusè concipit cuius specie non informetur, at intellectus non habet species omnium animalium quæ esse possunt; imo nec omnium quæ actu sunt; ergo dum intellectus concipit animalitatem nullo modo nec explicitè, nec implicitè concipit differentias; ac ob id aliquid in obiecto attingit, alio nulla ratione concepto.

Præ-

Secunda impro-batio.

Præterea dum intellectus concipit substantiam medijs accidentibus, videlicet mediâ quantitate, profectò substantiam concipit secundum gradum existendi per se, nullo modo, nec explicitè nec implicitè cognitis eius differentijs; ergo reuerà gradum unum ab altero præcedit. Assumptum inde mihi perspectum, quoniam intellectus, nequit concipere, nisi id, quod sibi per speciem impressam repræsentatur; at impressa species substantiæ mediâ quantitate nequit ullo modo repræsentare substantię differentias; non enim repræsentare potest species quantitatis, nisi id cum quo quantitas necessariò connectitur; hoc porrò non una vel alia substantia speciatim accepta, sed generatim corporea; proinde corporea substantia sic ab intellectu cognoscitur, ut à differentijs contrahentibus præcidatur.

Tertia improbatio.

Hoc idem quoque validissimè sic euincitur. Negatis præcisionibus obiectiuis euertitur Dialecticum illud principium *Dici de omni*, & *dici de nullo*; propterea quòd huiusmodi principium id sibi vult, quòd quidquid conuenit superiori, & inferiori quoque conueniat, quod falsum profectò foret hisce de medio sublatis præcisionibus; nam ex: gr: animali saltem confusè conuenit hinnire posse, vel ut loquuntur hinnibilitas, quæ tamen homini nullo modo conuenit, quanuis hic sit quid inferius ad animal; falsum ob id quòd quidquid superiori conuenit, etiam inferiori conueniat.

Quarta improbatio.

Quod etiam efficacius inde concluditur, quoniam huiusmodi principium exposcit omninò, ut quod superioris conceptum ingreditur, inferioris itidem conceptum ingrediatur; quod certè non eueniret obiectiuis præcisionibus negatis; nam animalis conceptum, confusè saltem, ingrederetur hinnibilitas, quæ nullo modo ad hominis conceptum pertinet.

Aduersariorum responsio.

Nec tutum Asylum illud, quò confugiunt dicendo, totum id, quod clarè conuenit superiori, conuenire etiam inferiori; non tamen quod conuenit confusè; quò non mirum si hinnibilitas non conueniat homini, quoniam animali confusè quidem, non tamen clarè distinctèque repræsentato conuenit.

Reijcitur.

Nulla tamen responsio, sequeretur enim hinc malam esse consecutionem illam, Socrates est animal ergo viuens; Cum enim dicimus eum esse viuentem non intelligimus certè esse confusè talem, cuiusmodi tamen esse deberet, quoniam ad eum modum viuens is dici deberet, quo animal diceretur viuens; at confusè quidem viuens, utpote confusè cognitum, confusè igitur Socrates diceretur viuens, quod est absurdum, cum adeò viuentus rationem participet.

Aliorum responsio.

Reijcitur.

Et in eo grauiter peccant, quòd dicant, cùm intellectus concipit animal confusè, concipere hinnibile; nam cum dicimus animal prout huiusmodi non est hinnibile, verum enunciamus.

Ob id falsum quòd in animalis conceptu inuoluatur ullo modo, nec etiam confusè hinnibilitas, non enim licet de alio quodpiam negare, quod saltem confusè in illius inuoluatur essentia. Nec ad illud confugias velim dicendo, conuenire quidem inferiori disiunctim, quod superiori conuenit; debet enim re ipsâ conuenire, at disiunctim conuenire ab intellectu pendet, cum sit rationis opus.

Aduersariorum responsio.

Rejicitur.

Eorum tamen occursus non omittendus, hinc enim veritas longè magis elucebit.

Rectum superiori sensu intelligitur, nempè eò modo

Cum ipsis obijcitur. Dum intellectus concipit animal, concipit id sanè quod non attingit concipiendo rationale; fatendum igitur dari quidpiam quod concipitur, & quod non concipitur. Negant assumptum dicendo, nimirum dum ab intellectu concipitur animal, concipi etiam, etsi confusè rationale.

Non conuenit tamen inter ipsos, in quo nam huiusmodi confusio posita sit, varijs proinde modis illam explicare nituntur.

Confusa cognitio quomodo à quibusdam explicetur.

Ex aliquorum sententia cognitio illa nuncupatur confusa eo nomine quòd, etsi totam entitatem attingat, non tamen in ordine ad omnia connotata, siue ad omnes effectus; proindè cognitio, quæ repræsentat animal, etiam, & rationale re ipsâ idem ac illud, dicitur attingere, quatenus entitatem exprimit, quæ simul animal est, ac rationale; exprimit inquam in ordine ad sensationes, non autem ad ratiocinationem; ob id ita philosophantibus, cognitio confusa est, propterea quòd, etsi totum esse obiecti attingat, id tamen non facit in ordine ad omnes effectus, ac omnia connotata, quæ à tali respiciuntur obiecto, à quo cum realiter distinguantur, fundare præcisionem obiectiuam non possunt.

Reijcitur.

Mirum sanè, quòd dum obiectiuas præcisiones euertere nituntur, in easdem impingant. Hæc enim cognitio ideo confusa est, quoniam non attingit obiectum in ordine ad omnia prorsus connotata, quòd si ita est, rationem quandam non attingit existentem in obiecto; quoniam obiectum concipere in ordine ad aliqua tantummodò connotata, est non attingere ordinem, quem obiectum ad omnia connotata importat; huiusmodi autem ordo, siue tendentia, quædam est intrinseca ratio formaliter existens in obiecto; huiusmodi proindè cognitio confusa, aliquid in obiecto quidem attingit; aliud verò non; quamobrem ex parte obiecti præcisio contingit.

Alia confusæ cognitionis explicatio

Confusam autem cognitionem alij sic explicant; dicunt enim ex eo confusam appellari, quòd plura confundat; hoc est non distinguat obiectum suum ab omnibus ijs à quibus secernitur; ac proinde cùm intellectus concipit animal, huius cognitionem confusam dicunt attingere, etsi confusè, rationale, & confusionem in eo positam esse, quòd per illam intellectus non distinguat ab irrationalibus, sed à non animalibus tantum, atque adeò per illam concipiat, non tamen distinguat.

Verum id est abstrahere, & rationem unam ab altera præcidere cùm sic cognitio distinguat obiectum suum ab aliquibus tantum, quod est non concipere distinctionem, quam ob omnibus rebus obiectum habet, hæc autem distinctio & res ipsa existens idem sunt, proinde si concipitur entitas, non autem distinctio; aliquid concipitur, & aliquid non, quòd est præcidere, & ut aiunt præscindere.

Reijcitur.

Et mirum est quòd respondeant concipi etiam distinctionem ab omnibus, sed confusè, & concipi ordinem ad omnia connotata itidem confusè; Non aduertunt se in euidentissimam principij petitionem incurrere; si nanque scisciteris quid sit animal concipi confusè; respondent esse concipi animal non distinguendo illud ab omnibus, vel non concipiendo ordinem ad omnia connotata; at dum id impugnas, quoniam hinc infertur obiectiua præcisio, iterum respondent distinctionem ab omnibus ordinemque ad omnia connotata concipi, sed confusè, quod aque in obscuro positum est, quid nimirum sit distinctionem, ac ordinem illum confusè concipi.

Hactenus dicta magis explicantur.

Dum autem admittimus sæpè commemoratas præcisiones obiectiuas, non negamus subinde posse totum obiectum per intellectum ad aliquas operationes, & connotata referri, imò uno conceptu alterum non inficiamur. Et quanquis plerumque con-

contingat, non ita fieri distinctionem rationis, ut in actu signato repræsentetur in obiecto diuersitas aliqua, sic enim supponeretur in illo distinctio quidem ante actum distinguentem; hoc tamen non obstat quo minus per actum inadæquatè cognoscentem in actu exercito distinctio fiat. Sed quod superius etiam aduertimus, hic iterum inculcandum, duplicem esse præcisionis obiectiuæ modum nam obiectiua præcisio una est, quâ unum negatur esse aliud, quod tamen in re est illud, & hæc falsa est; ut cùm nos animal de homine negamus; tunc enim hic præcisionis modus contingeret de quo hîc non fit sermo: Altera verò præcisio, quâ non negamus unum de altero, sed solùm intelligimus unum altero non intellecto, & hæc abstractio illa, de qua celebre effactum *Abstrahentium non est mendacium*. Et hęc illa cuius ignoratione Plato ut superiùs fuit adnotatum, naturas rerum separatas secundum rem potuisse fertur; per intellectum enim fit, quod physicè ille fieri arbitrabatur; ac proinde fateri necesse est, naturas à singularibus per actum intellectûs obiectiuè distingui posse. Imaginandum enim iuxta hunc abstractionis modum uniuersale abstrahi, præcidive ab inferiori suo, ut animal ab homine, & in hac abstractione non remanere id, in quo fit abstractio, remotâ enim ex: gr: ab homine differentiâ rationali, non remanet in intellectu homo, sed solùm animal. Et ita quidem per hujusmodi cognitionem multipliciter, atque distinctè ac distributiue intellectus cognoscit id, quod in Deo est unum & potest bonitatem, atque sapientiam diuinam intelligere, non intellectâ paternitate, vel filiatione; unde fit; ut abstractâ personalitate per intellectum, adhuc naturam ipsam intelligere possimus; Hæc enim intellectûs vis, ut possit diuisa adunare, & adunata diuidere, possitque abstrahere, atque præcidere, quæ in re actu præcisa, aut distincta non sunt; tanta est humanæ mentis acies, ut ea, quæ coniuncta re ipsâ sunt, possit disiungere, quando unum eorum in alterius rationem non cadit, ut ob id in ternario binarium tantummodo, & in animali rationali id, quod est sensibile duntaxat possit cognoscere. Cognitio enim, est qualitas in intellectu expressa, quæ tantâ vi pollet, ut licet non attingat rem ipsam extrinsecam, intus tamen facit illam præsentem, sic ut diuerso modo appareat; itaut sæpe sæpius repræsentatione diuidat, atque distinguat, quod indiuisum re ipsâ penitus est.

SECTIO QVINTA.

Præcipuis obiectionibus occurritur, quæ aduersus obiectiuas præcisiones fieri frequentissimè solent.

Prima difficultas aduersus præcisiones obiectiuas

Admissis huiusmodi præcisionibus eadem entitas cognosceretur, & non cognosceretur, quæ contradictio est; nullæ proindè præcisiones obiectiuæ; Contradictio autem sic euincitur; ut enim contradictio est eandem entitatem produci, & non produci, sic eandem cognosci, & non cognosci. Sed admissis huiusmodi præcisionibus hoc secuturum incommodum, palam hinc, & apertum, quoniam ijs concessis, animalitas cognoscitur, non tamen rationalitas; at animalitas, & rationalitas eadem est simplicissima entitas; ob id eadem entitas cognosceretur, & non cognosceretur, undè ex parte rei cognitæ contradictio admittenda, quemadmodum ex parte intellectus cognoscentis.

Illud tamen aduersus primum explicandi modum retorqueo. Admissis præcisionibus formalibus ordo quidem attingitur ad sensationes, dum concipitur animal, ordine ad discursum minimè concepto, quod est iuxta modum illum dicendi cognitionem esse confusam; at ordo ad sensationes, & ordo ad discursum sunt re ipsâ idem, ob id idem omninò cognosceretur, & non cognosceretur.

Aduersus etiam secundum sic. Præcisionibus hisce concessis attingeretur distinctio animalis à non animalibus, & non attingeretur distinctio ab omnibus animalibus, quod ex eorum placito cognitionem esse confusam; sed distinctio à non animalibus, & ab omnibus animalibus idem re ipsâ est; ergo idem cognosceretur, & non cognosceretur; unde fatendum præcisiuam dari cognitionem.

Imò aduersus omnem explicandi modum rationes non deessent, dummodo sermo sit de cognitione rei, in qua duplex ratio elucet, quarum una in alterius conceptu non inuoluatur, nec explicitè, nec implicitè; tunc enim suppositis formalibus præcisionibus sic liceret arguere; non minus foret contradictio inter cognosci, & non cognosci, quàm inter prædicari, & non prædicari; sed his suppositis præcisionibus tantummodò formalibus, sequeretur eandem indiuisibilem entitatem prædicari, & non prædicari; vel igitur inter hæc contradictio nulla, ac proinde nobis difficultas negotij nihil facessit; vel contradictione admissâ, ipsi eâdem difficultate præmuntur. Sed illud secuturum incommodum inde perspicuum quoniam animalitas, & rationalitas idem re ipsâ sunt, & tamen prædicatur animalitas, non rationalitas; quamobrem idem prædicatur, & non prædicatur; prædicari autem animalitatem, non rationalitatem cuique perspectum, & manifestum ex eo planè redditur, quoniam cum dicimus Socrates est animal; certè non dicimus Socrates est rationalis, falsa nanque prædicatio foret, tam sensu quidem illatiuo, quàm formali; priori modo, propterea quòd mala est consecutio Socrates est animal; ergo est rationalis; quòd si hoc sensu est mala, multo magis formali sensu; sed animalitas, & rationalitas sunt re verâ idem; ergo prædicatur idem, & non prædicatur.

Supereſt solùm proposita de medio tollenda difficultas.

Respondendum itaque contradictionem esse inter cognosci, & non cognosci simpliciter, itemque inter cognosci, & non cognosci adæquatè; non inter cognosci, & non cognosci inadæquatè; quin etiam dicendum cognosci inadæquatè necessariò penitusque conclamare non cognosci inadæquatè. Dire diffi Solu

Neque molestum videatur, quòd in re non sit hæc inadæquatio, seu membra hæc inadæquata, cùm nec re ipsâ sint partes, sed unum simplicissimum esse. Non enim sunt partes secundum esse formale partis, & secundũ esse formale inadæquationis; sed solùm secundum materiale esse; nimirum in re non est distinctio, quæ formale constitutivum est partis in esse partis; est tamen secundum esse materiale, scilicet illud, quod denominatur, & quod ab intellectu abstrahente partis denominationem accipit. Quanuis enim animalitas, & rationalitas sit simplicissimum esse; hoc realiter tamen est animalitas, & rationalitas; ut igitur entitas illa prorsus concipi diceretur, animalitas, & rationalitas concipi deberet; quòd si non concipiatur omninò, ac adæquatè, consequens necessariò sit, ut inadæquatè concipiatur.

Neque est quod illud commoueat. Produci, & pos

non produci sic inter se contradicunt, vt non possit idem nec adæquatè, nec inadæquatè produci, & non produci; vnde cùm animalitas, & rationalitas sint re ipsâ idem, nequit vnum produci altero non producto. Sic pariter, nec adæquatè, nec inadæquatè poterit idem cognosci, & non cognosci.

At si diligenter attendas, dispar est penitus ratio; nàm eam ob causam nequit re ipsâ produci animalitas rationalitate non productâ, quoniam si quid animalitatem attingit, necessariò etiam rationalitatem attingat oportet. Proinde rectè dicebam contradictionem esse inter cognosci, & non cognosci simpliciter, & inter cognosci, & non cognosci adæquatè, sed non inter cognosci, & non cognosci inadæquatè.

Deindè sic arguunt. Si per actum inadæquatè repræsentantem vnum ab alio præciditur, & vicissim istud ab illo præcidi deberet; secùs autem se res habet; cum enim istud non cognoscatur haùd poterit dici præcidi. Hoc tamen nullius momenti, nam vicissim istud præciditur, quatenùs non cognoscitur vnitum alteri; dicturque negatiuè præcidi. Præterea, quod re ipsâ est obiectum terminans actum repræsentantem, id vti est, ita terminat; sed est indiuisibile; ergo totum terminat; quod enim non habet aliud, & aliud totum terminat; sed quod est indiuisibile, non habet aliud, & aliud; ergo quod est indiuisibile totum terminat. Sed hoc minimè molestum: dum enim dicitur obiectum esse indiuisibile, concedendum physicè, sed negandum, prout in mente relucet; vt enim intellectus velut agens intentionale, respiciens obiectum potest illud diuidere, ità vicissim obiectum eodem modo respiciens intellectum, sui imaginem inadæquatam producit. Insuper esse obiecti non diuiditur, atque adeò est indiuisum; sed esse obiecti est quod terminat; ergò quod terminat indiuisum est; ergò totum cognoscitur, nullaque fit diuisio ex parte obiecti. Occurram tamen dicendo totum esse obiecti inadæquatè terminare, non autem adæquatè, & secundum totum suum esse; Obiectum enim terminat prò exigentia actus, non vt physica, sed vt intentionalis qualitas est, vndè diuersus est modus iuxtà duplicem hanc rationem, quâ intelligentiæ actus tendit in obiectum; cum verò dicitur esse obiecti non diuidi, concedendum physicè, negandum intentionaliter. Neque putes hinc duas ex rei natura inferri realitates siue formalitates in obiecto distinctas, quarum vna sit cognita, altera non cognita, cùm eadem sit, quæ inadæquatè cognoscitur, & in duas formalitates, seù prædicatâ per intellectum diuiditur, quæ proindè formaliter distinctæ dicuntur; vndè si quis ita arguat. Tota realitas, quæ est in re, vel terminat cognitionis actum, quâ ex. g. representatur animal, vel non; si primum, ergò nulla distinctio; si secundum aliqua igitur realitas cognoscenda remanet; ergò duæ realitates, cognita scilicet, & non cognita. Sic autem respondendum; nempè si realitatis nomine nil aliud intelligatur, quàm prædicatum reale, concedendum duas intentionaliter esse realitates: quod si intelligatur aliquid in re distinctum ab alio, nimirùm duo esse realiter distincta, negandum.

Amplius hoc modo; Si animal cogitatione diuidi potest à rationali, quæ re non distinguuntur; poterit etiam animal à se ipso, itemque & rationale à se ipso præcidi, cum æquè rationale sit animali, & animal sibi intrinsecum. Hoc tamen ineptè deducitur cùm non idem sit vtrobique fundamentum, ad quod respiciens Philosophus distinctionem inter metaphysicos gradus admittit, puta inter genus, & differentiam, ob illud, suo loco, fundamentum explicandum; differentiam tamen inferiùs diuidi posse non admittit, fundamentum igitur non idem, quod est ipsa rei cognitæ fœcunditas, atque perfectio, quâ rebus distinctis æquipollet, & in alijs alioquin dispersa, vnit.

Silentio nec prætereundum illud, quod videtur esse difficile, nimirum, si id non ex parte rei cognitæ, quod iam suprà declaratum fuit, saltem ex parte cognoscentis intellectus, secuturum de eodem contradictoria enunciari; Propterea quòd, tametsi actus præcidens obiecto sit extrinsecus, intellectui tamen est intrinsecus, atque adeò ab ipso intrinsecus denominatur contradictoriâ denominatione, nimirum intrinsecùs cognoscentis & non cognoscentis idem obiectum; Vndè dicere licebit: intellectus intrinsecùs dicitur cognoscens animal, & non cognoscens, nàm rationale idem re ipsâ est, ac animal; quamobrem si intellectus cognoscendo hominem, dicitur attingere animal, & non rationale, iam cognoscet & non cognoscet; vndè dicetur intrinsecus cognoscens, & non cognoscens respectu eiusdem. Sed nec etiam hâc ratione quidquam conficitur, quod enim de intrinseca denominatione dicitur ex parte intellectus cognoscentis; illud etiam de extrinseca dici poterit; non igitur noua difficultas. Occurram tamen dicendo, non satis ad contradictionem, quòd ferantur actus in idem obiectum quomodocunquè, sed in idem secundum idem; non sic autem præcidi actus; nam datur denominatio inadæquatè, non autem adæquatè cognoscentis. Intellectus enim, inadæquatè cognoscendo hominem, dicitur animal cognoscere, & non cognoscere rationale; nàm qui cognoscit inadæquatè obiectum, necessariò dicitur cognoscens, & non cognoscens; dicitur enim cognoscens, quoniam re verâ aliquid attingit; dicitur autem non cognoscens, quoniam cognoscendo, ita cognoscit, vt aliquid omittat, hoc est, non repræsentet. Itaque sunt contradictoria cognosci; & non cognosci simplicitèr & adæquatè, non autem cognosci, & non cognosci inadæquatè; imò cognosci inadæquatè necessariò conclamat, non cognosci inadæquatè. In homine igitur eadem re ipsâ est entitas, animalitas, & rationalitas, ac ob id repugnat, vt adæquatè cognoscatur vtraque; ex eo tamen quòd inadæquatè concipitur hæc entitas, nempe secundum animalitatem, consequens est, vt concipi non debeat secundum rationalitatem.

Obiectiuæ igitur præcisiones sunt admittendæ; id tamen eo consilio vsurpandum velim, nimirum, vt primò dicendum sit, aliqua essentialia prædicata, quæ perfectâ præcisione rationis ad inuicem distinguuntur, per modum generis, differentiæque posse designari; idque certè fuit perspectum in prædicatis illis, quorum vtrumque mutuò potest vnum absque altero reperiri; & quemadmodum genus in alia species sine tali differentia, sic etiam contra differentia sine huiusmodi genere potest adinueniri.

De his porrò ità sentiendum, quoniam cum differentia in alio possit genere adinueniri, nequit in essentiali conceptu suo primum genus illud inuoluere, quemadmodum genus, quia potest in speciebus pluribus reperiri, nequit essentialiter vnam, vel aliam speciem includere. Hoc in homine luculenter inspicitur, in quo nimirum licet sensitiuum, & intellectiuum reperire, quorum vtrumque ad eius naturam, & essentiam pertinet, & vnum pro genere, aliud verò prò differentia potest assignari, vnumquæ sic ab alio præcisione distinguitur, vt illud nullomodo in essentiali suo conceptu hoc aliud includat; non

Quarta difficultas.

Solutio.

Quo sensu obiectiuæ præcisiones admittendæ. Quid primò hac de re sentiendum.

Ratio.

enim sensitiuum inuoluit intellectiuum, cùm illud sine hoc possit adinueniri; animalia siquidem bruta sentiendi facultate pollent, cùm tamen ijs nulla competat intelligendi vis; Neque etiam intellectiuum in essentiali suo conceptu sensitiuum includit, cùm illud sine hoc possit reperiri; vt de substantijs abstractis perspicuum est, in quibus intelligendi vis, sine sentiendi principio reperitur; sic igitur huiusmodi se habent prædicata, vt vnum ab alio perfectè præcisum esse dicendum sit, quod erat primum.

Quid secundo dicendum.

Secundum non minus certum, nempe quòd quandocumque differentia certæ cuidam communi naturæ, seu generi est propria, non distinguatur perfectâ rationis præcisione ab ipso genere; quinimò illud in essentiali suo conceptu quidem inuoluat.

Quod veritati consentaneum esse & auctoritas, & ratio confirmat; auctoritas quidem Philosophi, qui regulam hanc proferens; Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ; vtque alij legunt, diuersæ sunt specie differentiæ; vt animalis & scientiæ, Græcus enim codex habet. Τῶν ἑτεροφύων καὶ μὴ ὑπάλληλα τεταγμένων, ἕτεραι τῷ εἴδει καὶ αἱ διαφοραί, οἷον ζῴου, καὶ ἐπιστήμης· ζῴου μὲν γὰρ διαφοραὶ, τὸ πεζὸν, καὶ τὸ δίπουν, καὶ τὸ πτηνὸν, καὶ τὸ ἔνυδρον ἐπιστήμης δὲ οὐδεμία τούτων. ἐν γὰρ διαφορᾷ ἐπιστήμη ἐπιστήμης τῇ δίπουν εἶναι. *Heterogeneorum, quorum alterum sub altero non collocatur, diuersæ specie sunt etiam differentiæ: vt animalis, & scientiæ; animalis enim differentiæ sunt terrestre, & bipes, & volucre, & aquatile: quarum nulla est differentia scientiæ: non enim scientia à scientia differt eo quòd bipes sit*, ita vt subalternorum nihil prohibeat, quin eædem sint differentiæ, nam superiora de inferioribus dicuntur, quia nimirum superiora semper de inferioribus prædicantur.

7. Physic. text. 32.

Hoc pariter docuisse alibi videtur, vbi habet, Καὶ σημαίνει γὰρ ὁ λόγος ἔτος, ὅτι τὸ ἓν οὐκ ἔν τι, ἀλλὰ παρὰ τοῦτο λανθάνει πολλά. *Atque hic sermo indicat genus non esse vnum quid, sed propter hoc multa latere*. Genus igitur non est vnum quid, sed in eo latent multa, quibus innuit genus comparatione differentiarum, quæ ipsius sunt propriæ ab ipsis haud perfectâ præcisione distingui; nempè non esse vnum perfectè præcisum à multis, quin potiùs implicitè continens multas species, multasque differentias. Quod etiam in

9. Diuin. nom. 43.

Libris Diuinorum inculcat, vbi habet, genera & differentias communiores diuidi per speciales alias differentias, non debere tamen diuidi per differentias alias, veluti disparatas, nisi quando diuisio secùs instituì non potest, sed potiùs diuisionem fieri debere per differentias consentaneas, & proprias, includentes communem naturam diuisam; vt si diuidatur animal, ait ipse, per differentias habentis pedes, & non habentis pedes, posteà quidem habens pedes non esse diuidendum per plumiferum & implume; sed per habens pedes fissos & non fissos, quod hisce verbis eleganter expressit; εἰ γὰρ χιζοποδία, ποδότης τὶς ἔστιν. *Fissio nanque pedum aliqua peditas est*. Ex quo intelliges diuisiuam differentiam superioris naturæ ad eum se habere modum, vt naturam diuisam

Aduersarioſi Responſio.

includat, ità nimirum, vt hæc essentialiter etiam in abstracto de illa prædicetur. Nec te à proposita difficultate euasurum putes explicatione satis illâ vulgatâ, quòd Philosophus velit huiusmodi verbis nil aliud significare, quàm aliquam peditatem esse differentiam peditatis; non tamen quòd illa communis peditatis ratio in differentia, fissione scilicet essentialiter inuoluatur, propterea quòd proprium consilium aperiens ait. *Hæ pedis differentiæ sunt, quia fissio pedum aliqua peditas est*; reddit rationem cur hæ sint differentiæ diuisiuæ, propriæ tamen generis, quoniam in ipsis ratio generis inuoluitur.

Confutatio.

Quinimo videtur hinc deducendum ex Philosophi sententia hunc esse optimum modum diuidendi, ac designandi differentias, eundemque seruandum quandocunque fieri poterit; nec disparatis differentijs vtendum in huiusmodi diuisione, nisi quando aliter fieri non permittitur. Illud etiam accedit, quòd ex his Philosophus deducit vltimam differentiam esse rei substantiam, atque definitionem, esseque speciem ipsam, atque substantiam; vnde consequens fit, vt ipse voluerit superiora prædicata essentialiter in vltima differentia includi; quòd si ita est; dicendum sequitur differentiam vltimam importare totam essentiam speciei constitutæ, ac ob id vltimam differentiam non esse perfectâ præcisione distinctam à superioribus gradibus, quò spectant Angelici Doctoris verba, cum ait. *Vnde cum differentia additur generi, non additur quasi aliqua diuersa essentia à genere, sed quasi in genere implicitè contenta, sicut determinatum continetur in indeterminato, vt album in colorato*.

Lib. 7 uinor. t. 4. 12.

Neque putes cùm à Philosopho dicitur, fissionem pedis quandam esse pedalitatem, non esse intelligendum locutum de prædicatione per se primo modo; itaut docere velit superiorem differentiam in inferiori includi, sed superiorem tantum modo, prout huiusmodi ab inferiori diuidi; Hoc enim inconsideratè dicitur, nam explicita diuisio ab implicita inclusione non abhorret.

Resp. quor. Reij

Frustrà quoque non minùs laborant existimantes se posse difficultatem diluere, ac de medio tollere dicendo, differentias superiores non diuidi per inferiores propriè, atque formaliter, quasi quòd superior differentia per inferiores oppositas differentias diuidatur; sed materialitèr & identicè ratione generis, quod ipsa differentia constituit; hoc enim, inquiunt, propriè diuiditur, non quidem in differentias oppositas, sed in species per ipsas; vndè aiunt è membris diuidentibus, alia esse in quæ, & in his includi: alia esse perquæ, & in his diuisum non includi; cumque ibi prædicatur superius de inferiori, prædicationem, aiunt illam formalem non esse & propriam, ita vt vnum in alio formalitèr inuoluatur; ob id dixisse non absolutè, fissio est pedalitas, sed fissio est quædam pedalitas, vbi particula, *quædam*, est

adu rio pon

ic

imminuens, quâ philosophus denotat fissionem pedis esse differentiam per se diuisiuam pedalitatis, identicè tamen & ratione generis quod constituit. Sed hoc iam superiùs reiectum est.

At hoc idem exemplis illustrare nullius laboris est. Si nanque spectemus ea, quæ transcendentia de prædicata dicuntur, in ijs facillimum erit aduertere, non dari perfectam à differentijs contrahentibus ill præcisionem. Ens enim acceptum prout à nihilo secretum, in omnibus inferioribus, eorumdemque differentijs intrinsecùs inuoluitur; nihil enim est, nec esse potest; quod non sit essentialitèr ens, de quo secùs opinantes nullo sunt digni plausu.

Quinimò licet hoc idem in alijs generibus, ac differentijs, ex quibus Categoriæ contexuntur, quæque proindè transcendentia non sunt, aduertere.

Cernes hoc vtique in Categoria substantiæ, cuius supremum genus substantia est; quæ primò in spiritualem, & corpoream diuiditur; at neminem latet quòd vtraque hæc ratio sapit, redoletq; substantiæ naturam; quis enim adeò incultus, adeoque parum in philosophico puluere versatus, cui perspectum non

sit

sit substantiæ species, nisi per substantiales differentias, & accidentis, nisi per accidentales constitui.

Aduersariorum responsio

Nec difficultatem se putent diluere respondendo, commoratas differentias ad substantiæ genus non sic pertinere, vt essentialiter substantiales dici debeant, sed præcisione distingui, cùm etiam in accidentibus reperiantur, in quibus est corporei, spiritualisque ratio. Si nanque sumantur pro vt etiam accidentibus communes, non inficiandum sic eas se habere vt substantialis entis rationem non includant; si autem vsurpentur vt propriæ substantiæ, quatenus hæc per ipsas diuiditur, eiusdemque species constituuntur; sic vtique substantiæ rationem essentialiter inuoluunt; quod autem de substantiæ categoria dicitur, cæteris quoque facilè potest accommodari.

Confutatio.

Nam hoc in quantitate perspicuum, cuius distributio est in continuam quantitatem, & discretam; continua verò in permanentem, & successiuam; manifestum autem in ipsius quantitatis differentijs proprijs, genus essentialiter inuolui; sic in permanentia, successioneque continuum ipsum includi; quòd si præcisione fuerint seiunctæ, non erunt huic generi adictæ, quin potiùs alteri communes; & hoc cuidens admodum in illa distributione magnitudinis vulgata satis in lineam, superficiem, & corpus; differentiæ siquidem longitudo, latitudo, & profunditas sunt, quibus illa perficitur; in his porrò genus essentialitèr inuolui nemini dubium, cum istud magnitudo, atque adeò extensio sit, cuius ratio in ipsis est essentialitèr inclusa.

Ratio.

Superioris autem doctrinæ ratio potissima videtur, quoniam in huiusmodi prædicatis vniuersalibus, atque communibus, eatenus eorum aliquod potest ratione præcidi à subiecto, de quo dicitur, quatenus de alio etiam subiecto præter illud, dici potest, vt propterea sumi possit sub communi conceptu prædicabili de vtroque subiecto. At si sumatur prædicatum ita determinatum, vt non possit de alio, quàm de certo quodam subiecto dici, ita planè se habebit, vt ab illo non possit præcisione distingui; quin potius in suo essentiali conceptu dicet rationem propriam talis subiecti, vt ob id alteri subiecto conuenire non possit. Ex quo facile intelliges nunquam futurum, vt prædicatum aliquod ab vna specie dici possit, vt aiunt, præscindere, vel ab ea habere esse præcisum, si illi soli essentiale exstiterit.

In vniuersum igitur quodcunque prædicatum fuerit acceptum pro differentia generis diuisiua, simulque constitutiua certæ speciei; si est tam proprium huiusmodi generis, & speciei, vt de nullo alio dici possit, illud profectò dicendum non erit præcisione distingui, quin potius in suo essentiali conceptu genus ipsum includere, cùm alioquin posset alteri itidem generi conuenire. Tunc autem poterit dici perfectâ præcisione seiungi, quando tum illi, tum alteri etiam generi commune fuerit.

Exemplis exterioribus confirmatur superior doctrina.

Hæc autem ex dictis euidens doctrina superioribus exemplis facilè potest illustrari. Substantia diuiditur in spiritualem, & corpoream, rationes autem corporei, & spiritualis dici substantiales debent, quoniam species substantiæ non possunt, nisi substantialibus differentijs, quemadmodum accidentis accidentalibus constitui, vt superius etiam fuit adnotatum; sumptis tamen differentijs, vt proprijs substantiæ; alioquin si sumantur, vt communes etiam accidentibus, in quibus pariter huiusmodi differentiæ reperiuntur, cùm ex ipsis, quædam sint spiritualia, alia verò corporea, vtique hæ differentiæ substantiæ rationem non includent; sed ab ea dicentur esse præcisæ. Hinc igitur manifestum, quod superiùs dicebatur. Cum enim ratio corporei, & spiritualis, vt sunt diuisiuæ substantiæ redoleant substantiæ naturam, atque adeo sint ita propriæ huiusmodi generis, quod per ipsas diuiditur, & specierum, quas constituunt, vt nec in alio genere reperiantur, nec alterius generis speciebus possint esse communes; consequens fit, vt in suo essentiali conceptu genus suum includant, & ab eo minimè possint præcisione separari.

Declaratur superior doctrina exemplo desumpto ex substantia.

Hoc idem declarari potest exemplo desumpto ex substantia corporea, dum per eius differentias in species diuiditur. In ea enim quædam genera reperies, quæ diuidi minimè possunt, nisi per differentias genùs includentes. Vt viuens diuiditur in intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum. At si viuentis ratio explicetur, vtique reperietur in eo consistere, vt viuens dicatur esse id, quod potest immanenter operari ad acquirendam perfectionem sibi non debitam ex vi generationis suæ. At intellectiuum est quod potest talem operationem immanentem, videlicet intellectionem exercere, sic de sensitiuo, & vegetatiuo; huiusmodi autem differentiæ includunt essentialiter ipsam rationem viuentis diuisam; vt propterea nequeant ab ipsa dici perfectâ præcisione distingui.

Declaratur exemplo ex quantitate desumpto.

Exemplum liceat etiam desumere ex quantitate, dum ipsa diuiditur in continuam, & discretam; contiua verò in permanentem, & successiuam; sumptis enim differentijs tanquam proprijs ipsius quantitatis, comperiemus in ipsis genus inuolui, nimirum in permanentia, & successione continuitatem includi; dicebam autem differentijs acceptis tanquam proprijs quantitatis; quæ alioquin præcisione seiunctæ conuenient alteri etiam generi à quantitate. Hoc idem luculentèr cernitur, cum diuiditur magnitudo in lineam, superficiem, & corpus, hæc enim distributio non aliâ ratione perficitur, nisi designando differentias hunc in modum, videlicet vt magnitudo dicatur diuisa per longitudinem sine latitudine, pro linea, cum latitudine pro superficie, cum profunditate, pro corpore; atqui longitudo, latitudo, & profunditas essentialiter extensionis, ac magnitudinis rationem inuoluunt, ac ob id diuisum genus includunt. At verò quando prædicatum sumptum pro differentia diuisiua generis, & constitutiua speciei, tùm tali generi, tùm alteri etiam ab illo, commune fuerit; tunc inter huiusmodi genus, & differentiam perfectam cadere præcisionem exemplo desumpto ex homine, manifestum fit; in eo enim sensitiuum, & intellectiuum reperiuntur, quæ ambo sunt prædicata essentialia ipsius, & potest alterum pro genere; alterum autem pro differentia recognosci; vnum autem ab altero tam perfectâ psæcisione distinguitur, vt neutrum includat alterum in suo essentiali conceptu; quandoquidem sensitiuum reperiri potest etiam in brutis, in quibus nulla est intelligendi ratio; & intellectiuum in substantijs abstractis, in quibus nullum est sentiendi principium.

Adnotatio.

Adnotandum tamen, cùm dicitur intellectiuum, seu rationale (pro eodem enim vsurpatur,) commune esse substantijs pariter abstractis, illud accipiendum esse quatenus principium est cognoscendi ea, quæ non modò sensibus cognoscuntur, verum etiam & illa, quę cuiùsque sensus aciem effugiunt; alioquin intellectiuum, seu rationale, si accipiatur prout est intelligendi principium per conuersionem ad phanta-

tasmata, & per species ministerio sensuum acquisitas, ac ob id cum dependentia à sensibus, sic homini conuenit, vt eius differentia propria dici mereatur.

Genus, & differentiæ quandoq; imperfecta præcisione distinguuntur.

Genus autem, ac differentias, de quibus fit sermo, nimirùm proprias certæ communi naturæ, seu generi, præcisione distingui imperfectâ, mihi persuasum est adeò, vt facilè animum inducam ad credendum, id neminem iturum inficias, si aduerterit genus, ac differentiam necessariò distinctionem rationis subire; cùm autem huius duo sint distinctionis modi, si vno eorum non distinguantur, consequens fit, vt altero distingui debeant; ij autem erant præcisionis perfectę, & imperfectę; sed ostensum perfecta præcisione non distingui, consequens indè, vt imperfectâ distinguantur. Hæc vt clariùs intelligas, vnum è generibus expende, & viuens esto, quod certè non sic putandum ab intellectiuo præcidi, vt perfectè præcisum dici possit, sed imperfectè tantùm, quatenùs intellectiuum viuentis rationem essentialiter ineludit; tametsi enim viuens apertè non dicat intellectiuum, implicitè tamen, confusoque modo illud importat.

Aristotelis auctoritas explicatur 3. Diuin. text. 10.

Neque commoueat, quòd aliquando Philosophus pronunciauerit genus non prædicari de differentijs, ac ob id ens non esse genus, quia non habet differentias, in quibus non insit; Vel enim de differentijs, quæ non sunt propriæ generis, vel non ex propria sententia locutus est; vel aliò spectabat disputans aduersus dicentes, genera esse rerum principia, contra quos velut ad hominem argumentans ait, maximè secuturum ens, & vnum esse principia, tanquam suprema omnium generum; aut hęc non esse genera aut principia, quoniam ab illis genera existimata principia rerum, elementa ponebantur, ex quibus res ipsæ tanquam ex partibus constarent; vnde necesse erat præter huiusmodi genera, differentias itidem recognoscere, de quibus illa prædicari non possent, cum tamen ens & vnum de differentijs enuncientur; adeo vt ex defectu distinctionis à differentijs intulerit, atque concluserit ens & vnum non ea esse genera, quæ rerum primordia sint ad eum, quo ipsi, modum, arbitrabantur.

Secunda difficultas Solutio.

Multòque minus molestum id existimandum, quòd veteres differentiam definiendo pronunciauerint eam esse quâ species abundat à genere; Non enim subindè perfectam, absolutamque præcisionem inter genus & differentiam concludas, si de differentijs, quæ propiæ sunt generis, sermo fiat, quanuis de non proprijs inficiandum non sit.

7. Diuin. text. 42.

Et quanuis Philosophus aliquando protulerit genus non esse differentiarum particeps; Hoc nihil est, cum tantùm intelligat doceatque differentias ad generis naturam haud pertinere, quasi de quocunque subiecto dicatur genus, de eodem quoq; dici debeant omnes differentiæ talis generis; non negauit tamen aliquando genus implicitè differentias inuoluere; nõ enim eo quod viuens imperfecto modo & imperfectâ præcisione ab intellectiuo distinguatur consequens fit vt hoc in suo essentiali conceptu inuoluat; tametsi enim viuens differentias omnes confuso modo quodam importet, indè non est, vt aliqua ex differentijs in eius inuoluatur essentia, non enim inclusio mutua est.

Nec ob eam causam, quòd commune illud imperfectè solum à differentijs, speciebusque præcisum sit vniuocatione destitutum existimes, ac ob id genus minimè dici posse, quòd hoc vniuocationem requirat; Non enim imperfecta præcisio omnem vniuocationem excludit.

Postrema difficultas Solutio.

Solùm aliquid negotij faceſſit, quòd nihil obstaret quo minus ens genus dici deberet, si perfectâ præcisione genus non indigeret; imperfectâ contentum. Nihil enim prohibet ens dici genus, nisi hoc religiosiùs explicetur sic, ut ad illud præcisionem requiri perfectam dicamus; quo sensu intelligendum ens non esse genus, dum ei generis ratio denegatur.

Tametsi autem huiusmodi præcisiones admittendas existimemus, non tamen in omnibus, imitatione quorundam eas recognoscendas volumus, de quo suis locis agendum.

Hoc itaque prætermisso, quod operæ pretium duximus, accuratiùs prosequentes, pauca quædam in aduersariorum gratiam ad magis veritatem illustrandam attulimus.

SECTIO SEXTA.

Compositio speciei ex genere, & differentia declaratur.

Quomodo quis pro tur

CViusmodi sit ex genere, differentiaque speciei constitutio, ex hucusque traditis non obscurum, cum ea talis dicenda, qualis distinctio esse perhibetur.

Generis differentiæ partes

Non prætermittendum tamen, quod in re proposita summoperè considerandum; genus nimirum, ac differentiam vsurpari posse trifariam. Primò pro vt in secundis intentionibus consistunt, ac ob id relationes rationis important. Secundò pro rationibus realibus, ac intentionibus primis. Tertiò pro formalibus conceptibus mentis, & pro conceptibus obiectiuis. Rectè autem adnotarunt speciei compositionem nullam esse penes illam secundam intentionem, respectumque rationis, quem species importat; non enim huiusmodi secunda intentio ex secundis intentionibus generis, differentiæque consurgit; quandoquidem compositio prædicta, sic specificæ naturæ attribuitur, vt nihil commune habeat, cùm relationibus generis ac differentiæ. Neq; compositio contingit inter reales rationes secundum se spectatas, cùm nulla in ijs, ex rei natura concedatur distinctio. Superest igitur, vt solùm esse queat inter conceptus formales, non secundum rationem entis, sed repræsentationis, ac ob id inter conceptus obiectiuos; quomodo autem se res habeat; attende.

Quomodo differentiæ

Eorum summoperè consilium arridet, quibus est visum, constitutionem speciei ex genere, differentiaque non semper existimandam per modum compositionis velut ex partibus; sed plerumque sic; non rarò tamen per modum explicationis.

Sæpè contingere compositionem hanc non esse nisi per modum explicationis, perspicuum satis ex hucusque traditis; differentiæ enim si propriæ sint generis, ità videlicet vt huius natura ab ijs perfectâ præcisione distingui non possit, id neminem præterire crediderim; non enim tunc genus ac differentia duæ sunt veluti partes, quarum vna addatur alteri; quoniam genus si non explicitè, saltem implicitè differentiam inuoluit; atque dum ista concipitur, certè non intelligitur quidpiam nullo modo priùs conceptum generis cognitione; sed potiùs tunc explicatur magis, quod confusè ac implicitè priùs conceptum erat; ex quo splendidè constat compositionem tunc haud esse per modum partium, quarum vna nullatenus aliam inuoluat, itaut vna quidem alteri adiecta sit; quamobrem non existimandum, tunc speciem constitui ex genere, differentiaque velut ex partibus se excludentibus mutuò, sed solùm per

diffe-

differentiæ conceptum explicari, atque determinari, quod in conceptu generis, implicitè ac indeterminatè continebatur. Ità quidem substantiæ compositionem arbitrandum fieri ex ratione entis, ratione quæ altera, per quam ab accidente seiungitur, quę modus essendi per se dici solet; hæc enim ratio essentialiter inuoluit illam, modus enim essendi per se rationem entis non effugit; & illa, nimirum ratio entis modum hunc inuoluit implicitè; dumque hic concipitur non intelligitur quidpiam priùs nullo modo conceptum; sed explicatur magis tantummodo, ac determinatè cognoscitur, quod implicitè confusèque per conceptum entis repræsentabatur.

Difficultas. Dicitur quidem genus esse velut differentiæ subiectum, quemadmodum hæc instar formæ comparatione illius; non propterea existimandum secundum suas formales rationes se inuicem excludere, ac vnam alteri aduenire; sat enim vt genus explicitè sit extra differentiam, quamuis implicitè illam inuoluat; quòd sic vsurpandum, nempè rationem generis implicitè quidem inuolui in ratione differentiæ ne dum pro vt inre est, sed etiam vt obijcitur menti; Nec indè consequens vt intelligatur explicitè; quamuis enim differentia per generis cognitionem attingatur, atque repræsentetur; non ob id explicitè cognoscitur; vt enim confuso modo atque implicitè attingitur sic eodem modo repræsentari dicitur, ac intellectui obijci; quod enim sic attingitur à cognitione, ac per ipsam repræsentatur, vt explicetur ac expandatur clarè esse dicitur in intellectu, ac in eius obiectiuo conceptu explicitè relucere; seu quando attingitur ex plicitè à cognitione, eodem quoque modo per ipsam repræsentari dicitur; secùs autem si non nisi implicitè, atque confusè attingatur.

Quædam tamen consideranda supersunt, quæ cum aliquid difficultatis ingerant, diluenda sunt.

Topic. lib. 4. p. 3. Philosophus docere videtur genus non facere ad essentiam differentiarum, & quod inde consequens est, vt differentia superiorum ad inferioris essentiam

Prima Obiectio. non pertineat. Imo, & alibi, vbi splendidè pronunciauit genus de differentijs minimè prædicari.

Secunda Obiectio. Sed hæc superiùs sunt explicata. Nec illud molestum, quod hinc sequeretur nullum futurum discrimen inter speciem, ac differentiam, nam hæc idem

Solutio. inuolueret genus, ac illa. Adhuc tamen discrimen; species enim dici potest ex genere differentiaque constituti, non sic differentia; si nanque genus & differentia sint rationes distinctæ præcisione perfectâ, species propriè dicetur ex genere differentiaque constare: Si autem imperfectâ præcisione distingui dicantur; quamuis non tàm propriè dicatur species ex genere differentiaque constituti, quoniam constitutio non est per modum compositionis; sed per modum explicationis; adhuc tamen species dici debet ex genere, & differentia per ordinem ad nostrum intelligendi modum constitui; cùm speciem definiamus per genus ac differentiam, & definitio in nostro conceptu ex vtroque constet. Nec ad explicandam speciem absolutè dicendum solam differentiam sufficere; Quoniam tametsi sufficiat ad explicandum conceptum proprium speciei prout differentis ab alijs, non tamen ad explicandum conceptum eiusdem prout conuenit cum alijs. Et quamuis alicui videri possit inutilis quædam repetitio, ac proinde nugatio, eo quòd idem videatur bis poni in definitione, quando ratio generis essentialiter in ratione differentiæ includatur; Secùs tamen se res habet; non enim idem eodem modo bis ponitur, siquidem dicitur idem bis, priùs in communi, postea verò speciatim, vndè nugatio nulla, cùm diuersis verbis diuerso modo bis idem repetatur.

Compositionem hanc rationis opus quisque putabit aduertens non ex rei natura distinctionem esse inter partes, quibus speciem constare dicimus; non enim inter genus & differentiam maior cadit distinctio, quàm, quæ beneficio rationis absoluitur. Nulla enim est prædicatorum essentialium re verâ distinctio, quin omnia sunt vna simplex entitas, vndè nequit hæc esse in re compositio, hæc enim dicit partes, totumque dicit plura componentia & vnum compositum. Vbi autem nulla distinctio: ibi esse nequeunt plura, & vnum; partes, & totum. Sola igitur ratio est, quæ genus ac differentiam distinguit; ob id in specie tantùm huiusmodi compositio admittenda pro vt intellectus in ea distinguens duo prædicata, concipit hęc veluti duas partes & speciem tanquam totum consurgens ex partibus intelligit. Compositio ex genere, & differentia est opus rationis.

Perperàm tamen quispiam hinc inferet secuturum compositionem hanc in diuina natura admitti posse, cum eius simplicitati, veluti rationis opus, non officiat; Sed hoc iam superius tactum, itemque solutum. Difficultas superius tacta, & soluta.

Neque hinc infertur compositum ipsum, nimirum speciem, & eius similiter componentia aliquid esse rationis: quoniam compositio ex hisce partibus rationis opus à nobis existimetur. Verum enim verò tametsi rationis compositio huiusmodi sit, qualem esse descripsimus, tamen inter ea, quę sunt realia entia nos exerceri contendimus; non propterea realis est compositio, nam hæc ne dum extrema realia, sed etiam realem distinctionem, vnionemque requirit. Secunda difficultas. Solutio.

Supereſt iterum inculcandum quod initiò dicebatur compositionem hanc non inter secundas intentiones; nec inter reales rationes secundum se spectatas; nec inter conceptus formales, sed inter conceptus obiectiuos exerceri. Compositio ex genere, & differentia inter conceptus obiectiuos exercetur.

Non quidem inter secundas intentiones; non enim secunda intentio speciei componitur ex secundis intentionibus generis, & differentiæ; sed potius relatio quædam est ab intellectu specificę naturę cuidam attributa. Nec inter reales rationes secundum se spectatas cùm nulla in ijs ex rei natura sit distinctio. Nec etiam inter formales conceptus propriè sumptos pro actibus intellectus, quoniam quilibet actus simplex omninò est, neque compositus ex alijs actibus, & alius est actus quo apprehenditur genus, alius quo cognoscitur differentia, & alius tandem, quo attingitur species; vt omittam, quòd hæc si concederetur compositio ex formalibus conceptibus non ea profectò foret, de qua fit sermo, nempè ex prædicatis essentialibus speciem constituentibus; sed potius compositio foret cognitionis speciei ex cognitionibus ipsorum prædicatorum.

Ex quo facilè intelliges compositionem hanc inter obiectiuos exerceri conceptus; nam speciei natura cõstat ex genere & differentia, quæ cum re ipsâ distincta non sint, sed solùm pro vt in mente relucent; proindè speciem quoque constituunt, pro vt menti obijciuntur, ac ob id quatenus existunt in mente, vnde constitutio per cognitionem inter obiectiuos conceptus exerectur; tametsi enim ea, inter quæ concipitur hæc compositio re verâ sint, non tamen re verâ compositionem exercent, quemadmodum nec distinguuntur. Quæ sunt intelligenda modo nuper explicato.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Differentia, quâ ratione dicenda sit de pluribus prædicari.

CVm quatuor differentiæ traditæ sint à Porphyrio definitiones; secunda quidem in ordine est, quâ dicitur. *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.* Definitio hæc porrò differentiæ conuenit prout induit vniuersalis naturam, propterea quòd in ordine ad ea, de quibus prædicatur, vniuersalis rationem obtinet.

Secunda differentiæ distinctio tradita à Porphyrio conuenit differentiæ genericæ.

Nemini tamen dubium, quin huiusmodi definitio vni differentiæ genericæ conueniat, cùm hæc sola sit, quæ dè pluribus specie differentibus in quale quid prædicetur, vndè specificè differentiæ accommodari non potest; cur autem ab eo factum, non satis conuenit inter interpretes, de quo tamen haud operę pretium esse sollicitum.

Non est tamen concedendum non dari simplices vltimas differentias, cum has inficiari non liceat; siquidem specificæ differentiæ dantur vnius infimæ speciei propriæ, & quidem non compositæ ex pluribus, quarum singulæ speciebus alijs communes sint, sed potiùs omninò simplices, quæ de pluribus numero differentibus in quale quid possint prædicari; cùm itaque superior tradita definitio non sit his etiam communis, consequens indè, vt ea non sit definitio differentiæ, prout tertium prædicabile constituit, siquidem hoc tam subalternam, quam infimam comprehendit. Vndè supereſt indagandum, quâ ratione differentia sit tertium prædicabile, quod commune est vtrique, & quânam comparatione vniuersalis naturam sortiatur; num vniuersalis rationem obtineat per ordinem ad speciem, cuius est pars, an potiùs per ordinem ad inferiora eiusdem speciei.

Hic autem considerandum pluribus modis differentiam spectari posse, pro vt ad plura potest referri.

Primo ad quæ differentia referri possit.

Primò quidem referri potest ad genus, quod differentia diuidit, vt rationale potest ad animal referri; Splendidè tamen constat differentiam per hunc ordinem haud vniuersale fieri, quod inter cætera tertium obtinet locum; quanuis enim de illo prædicetur in quale, non tamen in quale quid, adeò vt potiùs sit prædicatio quinti vniuersalis, nimirum accidentis; differentia siquidem accidit generi, quod diuidit, & ad inferiora contrahit.

Secundò ad quæ differentia referri possit.

Secundò referri potest ad alias differentias inferiores, vt corporeum ad animatum, & inanime; & quanvis differentia superior in inferioribus plerumque inuoluatur, Hinc tamen tertij prædicabilis, siue vniuersalis rationem non obtinet; vnde de ipsis non prædicatur in quale quid; sed eâ inclusione admissâ, quam profectò sæpè sæpiùs concedendam ostendimus, differentia tunc ipsarum comparatione potius obtinet rationem generis, vel speciei si ad modum per sestantis sumatur.

Tertiò ad quæ differentia possit referri.

Tertiò referri potest ad inferiora propria, rationale scilicet ad hoc, & illud rationale. Neque hinc tertij prædicabilis obtinet rationem; propterea quòd de illis non prædicatur in quale, sed in quid, & per modum per se stantis, adeo vt etiam prædicetur in abstracto, & veluti tota essentia, vt cùm dicitur hæc rationalitas est rationalitas.

Quarto ad quæ differentia

Quartò referri potest ad id, quod constituit, & cuius formalis est pars, vt sentiens ad animal, & rationale ad hominem, sic etiam ad inferiora illius speciei, vt sentiens ad hominem & equum; & rationale ad Socratem, & Platonem. Cum itaque tam de constituto, quàm de inferioribus eius, puta, sentiens, tam de animali, quàm de homine, & equo prædicetur in quale quid, ac ob id in ordine ad constitutum, & ad inferiora eius eundem prædicationis modum obtineat; inquirendum propterea, num differentia per ordinem ad illud, quod constituit: an per ordinem ad inferiora ipsius, inter prædicabilia tertium sibi vendicet locum.

Vt autem explicetur magis differentia prout vniuersalis induit naturam, ac ob id per ordinem ad quid talis constituatur; præmittenda nunc eius definitio provt genericam, specificamque complectitur. Optima eius est definitio. *Differentia est id quod prædicatur de pluribus in quale quid, siue specie, siue numero differentibus.* Sic autem adæquatè comprehendit tam genericam, & subalternam, quàm infimam differentiam. Satis perspicuum autem huiusmodi definitione, differentiæ naturam, ac essentiam optimè declarari, prout hæc inter vniuersalia tertium obtinet locum. Inspecta siquidem secundum rationem vniuersalis in eo planè consistit, vt in pluribus sit veluti formalis essentiæ pars, quod explicatum splendidè admodum videtur per voces illas *in quale quid*; ex eo enim quòd dicitur *in quid prædicari*, innuitur ad essentiam rei pertinere; altera autem adiuncta particula *in quale*, declarat esse formalem essentiæ partem, nempè qualificantem, cùm in quale prædicari sit prædicari per modum informantis, & alteri adiacentis.

Vt porrò, sic rectè fuisse differentiam explicatam comprobetur, non erit abs re adnotare illam ex genere, differentiâque constare; hinc enim cuique perspectum erit definitionem esse contextam iuxtà definiendi leges. Dum itaque dicitur differentia est id, quod prędicatur, per particulam *id*, significatur genus, nimirum vniuersale, in quo differentia cum cęteris conuenit; cęterę autem adiectę particulę denotant id, per quod differentia à cæteris vniuersalibus secernitur.

Quanvis autem prædicari in quid, sit prædicari vt quid essentiale, atque quidditatiuè, quemadmodum prædicari in quale, est prædicari in quid extra essentiam atque, vt aiunt, denominatiuè; hæc tamen inuicem non repugnant nihilque negotij facessunt, si diligenter expendatur differentiæ natura; duplicem enim hæc sibi vendicat prædicationis modum; sinanque cum genere conferatur, vtiq; contrahit eius essentiam, eidemque adiacet; relata autem ad speciem profectò non est extra eius essentiam, quoniam speciei adiacet parti, nimirum generi; vndè quatenus est intra essentiam speciei, de ipsa prædicatur in quid; pro vt autem illi accidit ratione alterius partis, nempè generis, prædicatur in quale; ac ob id de specie predicatur in quale quid. Vnde palam, non eodem modo differentiam in quale prædicari de genere, ac de specie; nam de genere propriè secundum rem prædicatur in quale, cum re ipsâ sit extra eius essentiam; de specie verò, ac eius inferioribus in quale tantummodò secundum modum prædicatur.

Nec è prædicabilium, vel vniuersalium numero, excludenda differentia quemadmodum definitio ob prędicandi modum in quid, & in quale. Dispar est enim ratio, quoniam definitio explicitè continet genus, & differentiam, veluti partes, quas secundum proprias habitudines importat; vt vna sit per modum informantis, altera per modum subsistentis, vndè sibi vendicat duplicis vniuersalis prędicationem,

tionem, nimirum in quid ratione generis, in quale autem ratione differentiæ. Secùs differentia, quæ non prædicatur, nisi per vnicum terminum significantem id, quod simul vtroque prædicatur modo.

Per ordinem ad differentia habent rationem vniuersalis. His porrò consideratis, neminem præteribit, ni fallor, differentiam non obtinere rationem vniuersalis per ordinem ad id, quod constituit, sed potiùs per ordinem ad inferiora illius.

Facile veritas hæc euidens eâ ratione fit, quia differentia comparatione illius, quod constituit, non superior, sed æqualis est; At æquale respectu æqualis conditionem vniuersalis non induit; consequens igitur fit, vt differentia sit vniuersalis dicenda per ordinem ad inferiora illius, quod constituit, quorum respectu rationem superioris prædicabilis in qualequid obtinet.

Illud autem constitutum est genus, vel species, ac ob id inferiora illius species erunt, vel indiuidua, prò vt nimirum sit sermo de differentia, aut generica, aut specifica, vndè illa collata cum genere, seu specie subaltema, quam constituit, vniuersalis rationem non obtinet; quemadmodum nec per ordinem ad speciem infimam, quam itidem constituit, sed potiùs per ordinem ad inferiora generis, vti sunt species, atque speciei, vti sunt indiuidua. Quod autem æquale vniuersale non sit respectu æqualis, satis indè perspicuum; quoniam superius non conuertitur cum inferioribus à subsistendi consequentia, benè tamen æquale cum æquali.

Æquale respectu æqualis nõ habet rationem vniuersalis.

Differentia nec ob id rationem vniuersalis obtinebit per ordinem ad speciem & quòd in hac virtute continentur plura, ità vt prædicatio de specie pluribus prædicationibus de indiuiduis æquipolleat; Propterea quòd vniuersale suum esse per ordinem ad inferiora, formaliter plura, consequitur, in quibus nimirum vel actu sit multiplicatum, vel multiplicari possit, vndè simpliciter multa respicit; at indiuidua, prout continentur in specie non sunt simpliciter multa, sed potiùs simpliciter vnum, vt non immeritò dictum fuerit, *Participatione speciei plures homines sunt vnus homo*: vt omittam, quòd solum hinc ad summum concludi posset, differentiam comparatione speciei ad eum modum vniuersalem esse, quo species multa continet; qualis nanque multitudo vniuersalitatem specificans, talis etiam vniuersalitas; si igitur multitudo virtute dicatur in specie contineri, sic etiam differentia, virtute tantùm, non autem actu, siue formaliter vniuersalis dicenda. Nec immeritò, propterea quòd specificatiuum alicuius, actu debet, & non virtute tantùm rationem illam participare, secundum quam specificatiuum est eiusdem; re ipsâ igitur multitudo, & non virtute tantùm esse debet.

Opinio quorundã reiicitur.

Tertia difficultas.

Non me latet futurum, vt oppositum alicui probetur eâ ratione, quoniam differentia de specie prædicatur, vti perspicuum est, vndè dicimus, homo est rationalis; vel igitur tunc tanquam singulare, vel tanquam vniuersale prædicatur; primum vtique intolerabile; secundum ergo dicendum, ergo differentia respectu speciei rationem obtinet vniuersalis.

Solutio. Hic tamen adnotandum pro difficultate proposita diluenda, nempè differentiam vt vniuersalem de specie prædicari, bifariam intelligi, vel specificatiuè vt aiunt, sensusque reddatur, differentia, quæ prædicatur de specie, est vniuersalis, non tamen illius, sed eiusdem inferiorum comparatione; non autem reduplicatiuè, quia non per ordinem ad speciem vniuersalis obtinet rationem, redderetur enim sensus, quòd differentia quatenus vniuersalis de specie prædicetur; à quo veritas abhorret.

Aliud etiam opponi solet, nimirum quòd eodem prædicationis genere differentia prædicatur de specie, ac de inferioribus eius; vndè si de his prædicatur vt quoddam vniuersale, eodem itidem modo de specie prædicari videtur esse dicendum; Verùm non inficiandum differentiam eodem prædicationis genere prædicari; nimirum in quale quid, non sub eadem tamen habitudine, de specie nanque prædicatur velut æquale de æquali, secùs de inferioribus sub illa contentis. Quod si dicas; Per ordinem ad ea constituitur vniuersale, de quibus primò ac immediatè prædicatur, vt differentia de specie, per quam de indiuiduis prædicatur; at ex hoc deducendum videtur per ordinem ad speciem vniuersalis rationem differentiæ conuenire. Ineptè tamen concluditur; non enim vniuersale per quamuis immediatam prædicationem constituitur; addendum enim, vt ea sit superioris de inferiori; quod profectò differentiæ non conuenit in ordine ad speciem, sed in ordine ad inferiora ipsius; vndè tametsi Socrates, & Plato rationales sint, quippè qui sunt homines; ratiõnale tamen vniuersalis non induit naturam eo quòd hominem; sed quoniam Socratem, Platonemque respicit. Molestius tamen fortasse illud, quod differentia comparatione speciei proprium exercet prædicationis modum in quale quid; imò præcipuè magis, quàm inferiorum respectu, cum in ordine ad hæc materialis potiùs, quàm formalis partis rationem obtineat, ad illa siquidem multa, videtur per vlteriores differentias contrahi. In eo tamen peccarunt ex opinione quorundam, quod crediderint differentiam contrahi veluti materialem partem per inferiores differentias; hoc enim non admittendum putant, nisi concomitantèr, & identicè ratione generis; cum alioquin, tàm respectu speciei, quàm inferiorum eius, formalis pars differentia dicatur.

Quarta difficultas.

Solutio.

Quinta difficultas.

Dilutio.

Sexta difficultas.

Dilutio ex quorũdam sententia.

Præstat tamen occurrere difficultati iuxta superiùs tradita dicendo, differentiam perpetuò se habere veluti formalem partem, quando proprio fungatur munere constituendi, faciendique differre, vel se habeat per modum adiacentis, cuiusmodi est respectu illius, quod constituit, vel eorum, quæ sub ipso continentur; alioquin respectu suorum inferiorum se habet veluti materialis pars; hoc autem nullum incommodum; induit enimtunc rationem generis, vel speciei.

Solutio.

Septima difficultas.

Turbare quempiam posset consideratio de multis differentijs, nullius speciei proprijs, cum pluribus conueniant, inter quas continui ratio, quæ tam quantitati permanenti, quàm successiuæ conuenit, vnde videtur concedenda quæpiam differentia, quæ comparatione specierum, quas constituit, de pluribus prædicetur, atque adeo rationem habeat vniuersalis.

De hoc tamen supra multa diximus; interim exploratum sit, nullum hinc incommodum proficisci; nam superius aduertimus alias esse differentias, quæ per se de pluribus speciebus prædicantur, vt ratio continui de quantitate permanenti, & successiua, & ratio successionis de quantitate continua, & discreta; est enim differentia quantitatis continuæ, cùm hæc diuidatur in permanentem, & successiuam; est etiam differentia quantitatis discretæ, cum hæc eandem subeat diuisionem in permanentem, & successiuam, adeò vt hæ differentiæ de pluribus speciebus sub diuersis generibus prædicentur. Hoc idem cernitur in genere substantiæ, in quo duo sumi possunt genera, puta viuens, & non viuens, & vtrumque diuidi per differentias corporei, & incorporei, nec

alia

alia desunt exempla. Aliæ autem sunt differentiæ, quæ ita sunt adæquatæ, & adictæ vni speciei, vt alteri conuenire non possint, vt sensituum adiectiuè sumptum comparatione animalis, & discursiuum respectu hominis. Priores igitur differentiæ dici possunt vniuersales respectu ipsarum specierum, & quidem formaliter, cùm dicantur de pluribus speciebus. At verò posteriores differentiæ dici non debent formaliter vniuersales respectu speciei, sed virtute tantùm. Quoniam enim differentia non de pluribus speciebus, sed de vna tantùm dicitur, ob id vniuersalis formaliter dici non potest comparatione specierum; quia tamen ipsa vna species continet sub se plura, propterea differentia pariter huiusmodi speciei hoc sibi vendicat, vt dicatur de pluribus, habeatque rationem vniuersalis comparatione eiusdem speciei non formaliter, sed virtute tantùm, quatenus dum prædicatur de subiecto vniuersali, prædicatur etiam de contentis sub ipso; quod paulo antea etiam innuimus.

Dubitatio

Quoniam verò datur differentia, & infima, & subalterna; suspicari quis posset, huiusmodi differentias etiam in ratione prædicabilis inter se discriminari. Illas tamen tanquàm certum haberi debet haud inter se specie differre; differentia siquidem, vt tertium prædicabile, hoc sibi vendicat, vt de pluribus prædicetur in quale quid, & per hoc à cæteris vniuersalibus secernitur, quod cum vtrique differentiæ, tam scilicet infimæ, quàm subalternæ conueniat; consequens est, vt comemoratæ differentiæ inter se specie minimè distinguantur.

Dubitatio

Neque perturbet, quòd videatur tanta diuersitas in ratione vniuersalis inter differentiam genericam, atque specificam, quanta est inter genus, & speciem, sic enim quidam ratiocinatur; Eatenus species est tota essentia, genus autem pars, quatenus speciei singulares adduntur differentiæ, quæ non sunt gradus essentiales; generi verò adduntur differentiæ specificæ, quæ sunt essentiales gradus; non secus autem differentia infima, subalternaq; etiam in ordine ad inferiora; cùm differentijs subalternis aliæ addantur differentiæ, quæ sunt essentiales gradus; infimæ autem adduntur aliæ, quæ non sunt gradus essentiales. At eo quòd infimæ differentiæ addantur aliæ, quæ gradus essentiales non sunt; non ob id ea dicit totam individuorum essentiam, quemadmodum contingit de specie infima, eo quòd illi adduntur differentiæ, quæ non sunt gradus essentiales ipsius; Dispar enim est ratio, cùm speciei conceptus completus sit, differentiæ autem incompletus.

Instans

Resp.

DISSERTATIO VNDECIMA
De Proprio.

Hucusque de vniuersalibus essentialibus: nunc de accidentarijs disputandum, è quibus cum duo sint Proprium, & Accidens, primò considerandum illud occurrit, quoniam cum essentialibus magis est affine.

SECTIO VNICA.

Quid nomine proprij sit intelligendum, & in quo eius natura consistat.

Proprij nomen explicatur

PRoprij autem nomen ne fortè videar neglexisse geminam eius vsurpationem adnotabo; Primò enim accipitur prò eo, quod alicui sinè metaphora conuenit: Secundò passim vsurpatur prout aduersatur communi, quâ ratione significat id, quod sic vni conuenit, vt alijs conuenire non possit; hunc sanè in modum differentia speciei propria dicitur, quam constituit, sic definitio rei definitæ, sic atributum rei, à cuius natura proficiscitur.

Hoc exemplis perspicuum redditur; Rationalis differentia est, constituens hominem, eius autem sic propria, vt alteri ab eo conuenire non possit. Animal rationale, est eiusdem definitio, sic illi conueniens vt alteri minimè sit accommodata; Risibilitas tandem est eiusdem affectio sic propria, vt nihil sit, à quo possit participari.

Cui nomen proprij sit attribuendum.

Tametsi autem differentia, itemque definitio proprij nomen sibi vendicent, vsus tamen obtinuit, vt affectioni potiùs atribuatur; cùm duo priora nominibus proprijs denotentur.

Proprium dupliciter vsurpari potest, vel

Proprium gemino modo spectari potest, primò vt quidpiam profluens re ipsâ ab alicuius natura, cum qua reciprocatur, vt habere tres angulos æquales duobus rectis comparatione trianguli; vel prout vniuersalis naturam induit, atque secundam intentionem vniuersalitatis inuoluit inferiorum comparatione, de quibus potest prædicari; verbo dicam, vel pro prima, vel pro secunda sumitur intentione, illa est metaphysica, hæc autem logica consideratio; iuuabit tamen vtroque modo proprium considerandum sumere, cum ex priori considerationis modo perspectum huius vniuersalitatis fundamentum reddatur.

Nemini autem dubium, vt hinc exordiar, quin proprietates affectionesue, realibus naturis conuenientes dicendę reales sint; proprietas enim omnis proportione respondet ei, cuius naturam consequitur.

Quanuis autem natura, cui proprietas adscribitur, non nisi per operationem intellectus vniuersalis sit, adhuc tamen realis est secundum esse suum, cui proprietas respondet; quę propterea dum naturę vniuersali dicitur conuenire, non ob id rationis opus existimãda, nisi etiam & ipsa quantùm ad esse vniuersale. Hęc igitur proprietas realis huic indiuiduæ naturæ reali conuenit: & eadem ipsa vniuersalis reddita per operationem intellectus, naturę conuenit vniuersali itidem per intellectum. Vt igitur hęc secundum esse suum reale quidpiam censetur; sic etiam & illa, quanuis vtriusque vniuersalitas operatione mentis perficiatur.

At verò de entibus rationis concessis ad eum modum, quem explicuimus, ita sentiendum, vt ijs quoque proprietates, affectionesue respondeant, vt proprietas eandem cum natura, cuius est proprietas, conditionem sortiatur.

Proprium tamen vt proprium est, non eodem modo,

proprium do, ac vt vniuersale definiendum. Vt enim vniuersale, plura, vt proprium, non nisi vnum respicit, ac proindè definiendum per ordinem ad vnum, quod aduertens Philosophus sic illud censuit definiendum. Proprium est, quod non indicat quid rei, sed si autem ineſt & conuertitur prædicatur. Sic enim loquitur Ἴδιον δὲ ἐστιν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δὲ ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος. οἷον ἴδιον ἀνθρώπου, τὸ γραμματικῆς εἶναι δεκτικόν. εἰ γὰρ ἄνθρωπός ἐστι γραμματικῆς δεκτικὸς ἐστι· καὶ εἰ γραμματικῆς δεκτικός ἐστιν, ἄνθρωπός ἐστιν. *Proprium autem est, quod quid sit res non declarat, sed soli ineſt, & vicissim de re dicitur, velut hominis proprium est natum esse ad percipiendam Gramaticam. Si enim homo sit, vim habet ad percipiendam Grammaticam, & si quid sit, quod vim ad percipiendam grammaticam habeat, homo est.* Non indicat per causam, sed per effectum, proindè accidentia dicuntur magnam conferre partem ad cognoscendum quid est. Quanuis igitur nexum habeat cum natura ac essentia, non tamen illam ingreditur, *soli autem ineſt*, in definitione dicitur, vt proprij conditio prout proprium est, significetur; sic enim opponitur communi; vndè quemadmodum commune est essentialiter aptum conuenire multis, ac ob id respectum conuenientiæ ad multa quidem in uoluit: ità proprium, quatenus huiusmodi, conuenientiæ respectu ad vnum cum exclusione conuenientiæ ad extraneum importat: dum deinde additur & *vicissim dicitur seu prædicatur*, innuitur mutua connexio inter subiectum & proprietatem, ac propterea se inuicem inferunt & à subsistendi consequentia licet arguere; ad quod Philosophus respiciens aiebat. Nemo enim proprium dicit, quod contingit alij inesse, vt homini dormire, neque si forsitan in aliquo tempore ineſt soli; eius verba sunt, οὐδεὶς δὲ ἴδιον λέγει τὸ ἐν ὁτῳοῦν χρόνῳ ἄλλῳ ὑπάρχειν. οἷον, τὸ καθεύδειν ἀνθρώπῳ ἐὰν τύχῃ τινὰ χρόνον μόνῳ ὑπάρχον. *Nemo enim proprium appellat, id quod potest alij in esse, vt dormire homini, ne quidem si accidat aliquo tempore, vt soli insit.* Et subdit εἰ δ' ἄρα τι καὶ λέγοιτο τῶν τοιούτων ἴδιον. οὐχ ἁπλῶς δ' ἀλλά ποτε, ἢ πρός τι ἴδιον ἐρεῖ τις. *Si quis itaque, etiam tale quidpiam vocaverit proprium non simpliciter, sed aliquando, aut per relationem ad aliquem, vocatur proprium.*

Trin ad proprium meritò requirunt

Hinc tria ad **proprium** meritò requirunt, & quòd non sit prædicatum **rei** naturam, ac essentiam ingrediens, alioquin **non** proprium dimanans ab essentia, sed potius **prædicatum** ad illam pertinens diceretur; & quòd soli **conueniat**; alteri, nanque si posset aptari, non proprium, sed **commune** quidem accidens foret; & quòd denique **necessarium** habeat nexum cum eo, cuius est **proprium**, adeo vt vbicumque reperitur vnum, reperiatur & alterum, & quandocunque vnum, etiam & **alterum** existat.

Nec proprium **vllum** reperies, quod alijs conueniat ab eo, cuius **pro**prium esse censetur, & de quo reciprocè non di**catur**, si tamen collatio fiat cum eo, quod subiectum **est** primum, & adæquatum; nam de non primo, & non **ad**æquato secus dicendum; vt calor quamuis vulgò **cre**datur proprium ignis, non ita tamen, cum alijs **ab** igne conueniat, propriumque existimari debeat **cor**poris mixti generatim accepti, ab forte spectetur **in** quodam certo gradu, secundum quem alteri **ab** igne conuenire non possit; sic enim proprium **ipsius** diceretur. Nec absimilis est ratio cur risibile **mutuò** non dicatur de Socrate, vel Platone; non **enim** est proprium huius, vel alterius individui, sed **hominis**, sub quo individua illa continentur; vicissim enim proprium de subiecto adæquato, ac primo, à cuius natura profluit, prædicatur: non autem de inferioribus sub illo contentis.

Quòd si forsan proprij definitionem superiùs allatam ineptam putes, quòd superfluam contineat particulam, *vicissim prædicari*, id enim significatum videtur per particulam illam *soli autem ineſt*. Scias definitionem hoc vitio minimè laborare; non enim idem vtriusque particulæ sensus; soli nanque conuenire, non denotat necessarium nexum, quem præfert, vicissim prædicari. Dsficultas. Solutio.

Non quodcumque proprium definitum hic existimandum; cùm enim quadrifariam illud vsurpetur; Primò quod conuenit soli, non tamen omni, vt homini esse Geometram; Secundò quod conuenit omni, sed non soli, vt homini esse bipedem; Tertiò quod conuenit omni, soli, sed non semper; vt homini canescere. Quartò quod conuenit omni, soli, & semper, vt homini esse risibile. Posteriori modo vsurpatum definiri, ex eo cuique perspectum esse potest, quòd conditiones, quarum meminit definitio soli huic proprio sint accommodatæ; iuxtà priorem enim acceptionem, etsi conueniat soli, non tamen semper, si nanque sumantur esse Geometram pro vt actum importat, certè non semper homini conuenit cùm vsuueniat, vt nemo in huiusmodi studium incumbat; vndè ab homine potest separari; sic etiam tertio modo, pro vt dicit actum, potest non conuenire vt homini canescere; Proprium etiam secundo modo si prout dicit actum, accipiatur, non semper conuenit, vt homini esse bipedem; non enim repugnat hoc ab ipso separari; quòd si dicatur sumendum pro vt in aptitudine consistit, adhuc ei deficit conditio proprij, de quo fit sermo; non enim soli homini conuenit. Sed ad quantum modum primus, & tertius secundum aptitudinem accepti reduci possunt. Ad eundem pariter, amplè tamen sumptum, vt scilicet complectentem, tam proprium genericum, quàm specificum tertius reduci potest. Proprium quarto modo sūptum explicatur.

Hoc autem contingit prout attributum secundum aptitudinem, vel secundum actum necessariam cum suo subiecto connexionem habeat. Plerumque enim solùm necessariò connectitur pro vt in aptitudine consistit, vt attractio ferri in magnete, cuius est proprium, de quo hìc sermo fit, aptum esse non autem actu ferrum atrahere. Aliquandò autem proprium cum subiecto suo necessarium habet nexum prout dicit actum; & tunc in actu consistit, vt habere tres angulos æquales duobus rectis comparatione trianguli; hoc enim est proprium in actu consistens, non enim se habet vt magnetismus commemoratus, nec vt esse risibile respectu hominis, quorum vtrumque proprium est prout in aptitudine positum est; sed habere tres angulos actu æquales duobus rectis est trianguli proprium. Ità pariter est ratiocinandum de proprietatibus disiunctis, vt esse curuum, & rectum respectu lineæ: esse parem, & imparem comparatione numeri, vtrumque enim prout in actu consistens proprij rationem obtinet. Proprietates disiunctæ.

Quanta autem sit necessitas, quâ proprium iungitur subiecto suo, satis perspicuum est, nimirum summam esse omniumq; maximam; triplex enim est necessitatis genus; Prima necessitas moralis est omnium minima, quo genere necessitatis necessarium esse dicimus aliquid, quod vir probatæ fidei testatur. Secunda est mediocris necessitas quâ aliquid dicitur necessariò euenire, dum euenit secundum naturæ cursum, potest tamen impediri vndè summa non est; Tertia necessitas omnium maxima est penitus Quanta sit necessitas qua proprium subiecto iungitur. Triplex necessitatis genus Prima necessitas.

Digitized by Google

Secunda. Tertia. immutabilis, vt nulla vi possit impediri, & hoc genere necessitatis à suis subiectis attributa prosiuunt.

Explicatur singula. Hæc autem sic illustrabo. Si vir probatæ fidei pronunciauerit aliquid Romæ fieri, necessarium id necessitate morali dicendum: infimum hoc necessitatis genus, cùm sit absolutè contingens, vt ex collatione cum cæteris necessitatis modis perspicuum fit. Quòd verò Sol cras sit oriturus necessarium est physicâ necessitate, quatenus secundum communem naturæ cursum id euenire debeat; mediocris tamen necessitas est; sed maior morali, quoniam id naturæ lege sancitum, nec naturæ viribus potest oppositum contingere; summa tamen non est, cum saltem à prima causa possit impediri. Quòd denique triangulum tres angulos habeat æquales duobus rectis, necessarium est metaphysicâ, & summâ quidem necessitate, cum nulla vi possit aliter fieri. His porrò solet adiungi necessitas logica, secundum quam sic aliquid adnectitur alteri, vt nec etiam intelligi possit illud sinè hoc existere.

Necessitas Logica.

Attributum igitur, & metaphysicâ, & logicâ necessitate subiecto iunctum asserendum; nàm tanta est necessitas ad scientiam requisita; demonstrationis enim conclusio, in qua subiecto demonstratur inhærere attributum, sic vera est, vt nunquam, nullâque vi falsa reddi possit, quod inditio est summæ necessitatis, quâ affectio subiecto inest.

Quorundam explicatio necessitatis. Reijcitur.

Nec rectè fit satis dicendo, conclusionem immutabilis esse veritatis, eo quòd in subiecto semper maneat proprietatis radix, atque primordium; non autem formaliter. Hoc enim perindè est, ac apertè fateri demonstrationis conclusionem in se contingentem esse, necessariâ tantùm existente præmissâ, in qua essentiale prædicatum subiecto iungitur.

Aliorum explicatio Reijcitur.

Haud benè alij confugiunt eò, vt affirment conclusionem formaliter dici veram, propterea quòd semper in subiecto sit affectio secundum connexionem per se cum subiecto, non secundum existentiam, quam actu habeat. Huiusmodi enim connexio necessaria esse non potest, nisi affectio necessariò subiecto insit. Nec ad hanc necessitatem requiras, vt extrema necessariò re ipsâ existant; nisi sub conditione, ac proindè necessitate, vt aiunt hypotetica, nimirum quod si subiectum fuit, est, vel erit, proprietas illud necessario nexu comitetur.

Non requiritur, vt extrema necessariò existant.

Perperàm autem quispiam ad hæc sufficere physicam necessitatem arbitraretur, quatenus nempè subiectum secundum naturæ cursum exigit attributum. Hoc enim prorsus intolerabile cùm inter accidens proprium, de quo fit sermo, & quod communè dicitur, inseparabile, huiusmodi necessitate iunctum subiecto suo, nullum discrimen foret; atque adeo perindè esset risibile, respectu hominis, ac nigrum comparatione corui. Et insulsè discrimen censeretur eò quòd seiuncta proprietate à subiecto, in hoc illius exigentia remaneat; propterea quod idem de accidente communi, inseparabili tamen, dici potest in ordine ad proprium subiectum, in quo non inficiandum principium illud quodcumque sit, quod certè eius complexio est, vndè hoc profluit, atque dimanat.

Physica necessitas à quibusdam explicata reijcitur.

Aliorum explicatio Reijcitur.

Et ineptè itidem dicitur id esse discriminis, quod à subiecto separata affectio adhuc subiecto conueniret secundum naturalem virtutem, quâ posset eandem recuperare. Hoc nanque de communibus accidentibus inseparabilibus dici posset; vt omittam, quòd etiam de plerisque, quæ naturali vi possunt seiungi, non minus hoc idem licet enunciare.

Metaphysicam hanc necessitatem nedum, sed logicam esse contendimus, apertèque pronunciamus. Tametsi enim subiectum possimus non intelligere cum attributo, siquidem *abstrahentium non est mendacium*; sinè ipso tamen, vel sub eius oppositio citrà præiudicium essentiæ ipsius non possumus. Vt enim ex proprietate, velut ex effectu, rectè subiecti natura infertur: sic etiam ex eiusdem negatione optimè subiecti negatio deducitur; vndè consequens fit, vt logica necessitas etiam inter attributa, & subiectum intersit.

Hanc cessio non do n physi esse logi

Si forsan oppositum arrideat eo nomine, quòd subiectum est naturâ prius affectione, siue proprietate, ac ob id ab ea separabile, cùm omne naturâ prius separabile sit à posteriori suo. Hoc tamen non admittendum nisi cum prius realiter à posteriori distinguitur; quod si vniuersè id verùm existimatur; tunc certè sumitur propositio, prout particula, *quatenus*, sensum reduplicat; nam prius, quatenus huiusmodi à posteriori non pendet, atque adeò sine hoc esse potest; vndè non inficiandum, subiectum, vt passione prius, ab ipsa non pendere, ac proindè ab ea posse separari; aliundè tamen oritur, vt ab ipsa separari non possit, nimirum ab eo, quòd sint re ipsâ idem, nec maior inter hæc intercedat distinctio, quàm rationis, etsi cum fundamento in re. Et quanuis subiectum nulla vi possit ab affectione seiungi; adhuc tamen naturâ prius est ipsâ, si tamen naturæ priorítas intelligatur illa, quæ dicitur intelligendi cum fundamento in re, explicata per posse vnum absque alio, vel prius alio intelligi, quoniam illud in suo conceptu non inuoluit; hoc enim sensu subiectum dicendum naturâ prius proprietate, non autem sumptâ, explicatâque prioritate naturæ per posse esse prius, posseque separari à suo posteriori; Sic enim subiectum, haud prius naturâ affectione dicendum.

Pr diff Sol

Quòd si fortè dicas, si subiectum nequit sine proprietate existere, consequens est, vt ab illa pendeat atque adeo sit posterius illâ; vnde insulsè dicebatur prius, quòd si pendere neges; profectò nihil erit in causa cur ab illa seiungi non possit. Negandum certè pendere; quanuis enim subiectum nequeat ab attributo separari, non subindè concludendum ab ipso pendere, cùm non ob dependentiam, sed ob aliam causam separari non possit, vnde necessarius hic nexus non dependentiam arguit, sed quòd subiectum, alioquin idem re ipsâ atque passio, eandem exigit. Quòd si forsan id ægrè feras, quoniam idem exigere diceretur se ipsum; aduertas oportet, dum sic de subiecto, proprietateq; fit sermo, non hæc accipi prout sunt penitus idem, sed prout, si non re, saltem ratione distincta; perindè sic enim est dicere, ac subiectum provt ratione distinctum à proprietate, hanc non inuoluere, eandem tamen sibi vendicare. Ità sanè dicere consueuimus triangulum exigere tres habere angulos æquales duobus rectis, quanuis hoc à trianguli natura re minimè distinguatur; nec maior inter ea, quàm rationis, cadere distinctio possit.

Sec diff Sol Tec diff Sol

Molestum fortasse illud longè magis, quòd subiectum proprietatis causa dici solet, nam siue ità se habeat vt efficiens, siue vt subiectum, ac materia, siuè vtroque modo, non insulsè concluditur illud ab attributo posse seiungi; nam & efficiens omne, si tamen primam causam excipias, ab aliquo potest impediri, nè suam actionem effundat, ac effectum attingat; Materia etiam causa est maximè contingens effectus sui, quippè quæ potentia contradictionis est, vndè maximè contingens formæ nexus cum illa. Quod si neutrum est, causa summè necessaria, ac absoluta, nec

Qua diff

etiam

etiam vtrumque simul. Nulla tamen difficultatis via si aduertatur modus, quo subiectum causa proprietatis esse dicitur; non enim physicus est per positiuum influxum, siue illud materiæ, siue efficientis erga proprietatem fungi munere dicatur, sed vt aiunt metaphysicus, vnde effectrix per emanationem dici solet, in eo consistens, vt subiecto, quodammodo, distincto affectio, passioue ipsa debeatur, ac natura illius hanc omninò exigat, atque requirat.

Hinc palam & apertum, ex eo quòd subiectum causa dicatur affectionis non rectè deduci realem distinctionem inter ipsa; non enim causa, nisi modo iam explicato, scilicet metaphysica, dicenda est, quæ realem distinctionem ab effectu non exposcit.

Nec realem distinctionem inter subiectum proprietatemque concludes eâ, quâ aliqui vtuntur ratione, quia nimirum actus, & potentia ad idem prædicamentum pertineant; vnde actus affectionis, quæ debetur substantiæ, vt actus ridendi respectu risibilitatis, accidens cùm sit, etiam, & proprietas huiusmodi esse debebit, ac proindè à subiecto distingui velut accidens ipsum à substantia necesse erit. Hac tamen argumentatione nihil conficitur, illud enim effatum, scilicet actus, & potentia eiusdem sunt generis Philosopho adscriptum sic intelligendum, vt non abhorreat ab ijs, quæ alibi ipse inculcat, nimirum in vnoquoq; genere dari rationem potentiæ, & actus: Δῆλον δὲ καθ' ἕκαστον γένος, τοῦτ' ἐν τοῖς γένεσι τὸ δυνάμει. *Cum autem in vno quoq; genere distincta sint, quod est actu, & quod est potestate.* Quibus tantum significare voluit in quouis genere, siue prædicamento geminam reperiri rationem, & penes has dari quoque contrarietatem; ait igitur dari communem rationem generis per modum potentiæ, si non physicæ, saltem metaphysicæ, itemque rationem differentiæ per modum actus pariter si non physici, saltem metaphysici; Hoc sensu perspicuum est eiusdem generis esse potentiam, & actum; at non hoc sensu accipitur potentia, & actus dum attributum cum eiusdem actu confertur, ac ob id effatum illud fatendum ad rem non esse.

Caterum proprietatem ad illud reduci genus, vel si mauis prædicamentum, ad quod pertinet subiectum, manifestum est, cùm ab illo re ipsâ non distinguatur.

Explicatum hucusque cum fuerit, quid proprium re verâ sit, ac proindè, quid provt vniuersalitatis fundamentum, dici debeat; proximum est, vt quid illud sit, quatenus induit vniuersalis naturam, declaretur, & per quid inter vniuersalia quartum obtineat locum, quod eius definitionem afferendo, consequemur, quæ est huiusmodi. *Proprium est illud vniuersale, quod est de pluribus prædicabile in quale accidentale, necessariò & intrasmutabiliter.*

Primò dicitur, vniuersale, ad significandum id, in quo proprium cum cæteris vniuersalibus conuenit.

Deindè verò dicitur, *prædicabile de pluribus*, vt denotetur proprium non esse quidem vniuersale comparatione illius, cuius est proprium, & eum quo reciprocatur; propterea quòd vniuersale plura respicit, subiectum autem, cuius est proprium, est vnum quidpiam, vt homo respectu risibilis, ob id proprium comparatione illius non sortitur vniuersalis naturam, sed pro vt relatum ad inferiora ipsius, siue hæc numero, siue specie distinguantur, proprium fuerit, vel specificum, vel genericum; vnde cum dicitur prædicari de pluribus, intelligendum quod plura sint, vel numero, vel specie distincta; hâc enim ratione definitio, tam genericum, quam specificum proprium complectitur.

Tertia.

Additur deinde, *in quale accidentale*; ad proprium distinguendum à tribus superioribus vniuersalibus genere, specie, & differentia, quæ essentialia dicuntur, quippè quæ ad rei naturam, & essentiam pertinent; Additur etiam hoc idem ad significandum quænam illa sint, de quibus proprium tanquam quartum vniuersale prædicatur, quæque subijcibilia dicuntur; nam dicendo prædicari in quale, innuimus illa, de quibus proprium prædicatur, inferiora, non esse, de quibus quidditatiuè dicitur, de ipsis enim non predicatur in quale, sed in quid ad modum generis, vel speciei; non enim ex: gr: inferiora risibilis de quibus veluti quartum prædicabile debet enunciari, sunt hoc risibile, & illud risibile, nec inferiora sensitiui sunt sensitiuum hominis, sensitiuum leonis neque hoc sensitiuum & illud sensitiuum, sed potius sunt inferiora illius naturæ communis, cui proprietas conuenit sic, vt cum ea reciprocetur. Hæc enim sunt de quibus prædicatur in quale accidentale; dicimus enim Socrates est risibilis, Plato est risibilis: homo est sensitiuus, leo est sensitiuus.

Quarta.

Additur particula alia, *necessariò, & intransmutabiliter*, ad distinguendum proprium quartum prædicabile ab accidenti quinto prædicabili; propterea quòd proprium sic de suis inferioribus prædicatur, vt necessariò, & intrasmutabiliter prædicetur; quod sic intelligendum, nempè de illis ita prædicari, vt de ijsdem citra præiudicium essentiæ negari non possit; Quamvis enim possimus non intelligere hominem, atque adeo Socratem, & Platonem cum risibilitate, quoniam abstrahentium non est mendacium, non possumus tamen risibilitatem ipsam negare de homine, vel Socrate &c. absque præiudicio essentiæ ipsius hominis, vel Socratis.

Adnotatio.

Hoc igitur propriù pro vt vniuersalis induit naturam; quod vt clarius eluceat, iuuat aduertere, proprium inspectum vt proprium, de eo, cuius est proprium, prædicari velut æquale de æquali, vnde valet arguere à subsistendi consequentia; non sic autem vt vniuersale, nam vt huiusmodi, quidpiam est commune pluribus, ac proindè nequit de illis velut æquale de æquali prædicari, cum hoc vniuersali repugnet, siquidem eorum comparatione, de quibus prædicatur, superius est; inferiora autem illa, de quibus etiam seorsum potest enunciari, ex quo facile intelliges proprium, provt naturam quampiam consequitur, vnum tantum respicere; sed vt vniuersale, plura; quamobrem proprium per huiusmodi prædicationis modum, nempè æqualis de æquali à communi accidenti, quatenus idem proprium vniuersale est non distingui.

Prima difficultas.

Tametsi autem hucusque dicta cum veritate consentiant, molestum illud videri posset, quòd proprium, atque commune sic inuicem aduersantur, vt se mutuò destruant, simulque cohærere non possint; si nanque proprium alicui, non erit commune pluribus: quòd si commune pluribus, non erit proprium.

Solutio.

Cogitandum tamen proprium & commune diuersâ ratione sumpta non aduersari; dicitur enim proprium respectu naturæ, quam consequitur, & de qua vicissim prædicatur, comparatione cuius vniuersale non est, neque commune prout hoc cum vniuersali confunditur, cuius est plura respicere. Vniuersale autem, itemque commune erit in ordine ad inferiora illius naturæ, cum qua proprium reciprocatur, quâ existente generica, proprium dicetur commune, & vniuersale respectu specierum, quæ sub illa

natura continentur; existente autem specificâ, commune & vniuersale per ordinem ad indiuidua sub huiusmodi natura contenta dicetur; vndè proprium & vniuersale inter cætera quartum obtinens locum, idem secundum materiam, non secundum formalem rationem dicendum.

Secunda difficultas. Nec ei vniuersalis conditio deficit, nimirum de pluribus immediatè prædicari, à quo proprium abhorret, cum de inferioribus non nisi per intermediam naturâ, cuius est proprium prædicetur. Vt enim omittam non satis exploratum id ad vniuersale requiri, cum adhuc genus respectu indiuiduorum vniuersale dicatur, de quibus tamen non nisi intermediâ specie propriè fit prædicatio; Occurrendum tamen alicuius de alijs prædicationem gemino modo immediatam dici, vel ratione subiecti; vel ratione modi prædicandi; Hoc, non illud requiritur, quod sic intelligas velim, proprium scilicet mediatè prædicari de pluribus, nempè per intermediam naturam, veluti per subiectum, cuius illud est proprium; immediatè tamen ac proximè quantum ad modum prædicandi, cùm nihil inter ipsum, & inferiora medium sit retinens eius prædicandi modum; Communis enim illa natura, quâ proprium de inferioribus prædicatur, non eundem habet cum natura modum prædicandi; hæc enim essentialiter & in quid, proprium autem in quale, quamuis necessariò, prædicatur.

Solutio.

Tertia difficultas. Videbitur etiam alicui, proprium haud benè distinctum à communi accidente fuisse, eo nomine, quòd essentialiter in quale prædicari vnicum constituat prædicabile, differentia nuncupatum: ergo etiam prædicari in quale accidentale sic se habere dicendum.

Solutio. Dispar tamen est ratio, non enim vnicus prædicandi modus in quale accidentale, vt vnicus modus prædicandi in quale essentiale; illud nanque bipartitò contingit; vel quia necessariò & intrainutabiliter prædicatur; vel quia contingenter, atqu tratinutabiliter; geminum hinc vniuersale, quorum vnum est proprium: aliud accidens commune.

Quarta difficultas. Quòd si rursus hæc improbetur distinctio; quoniam si quidpiam esset, vndè desumenda foret, certè videretur, separari posse, & non posse separari; hinc tamen nulla videtur distinctio, quoniam accidens quintum prædicabile comprehendit id, quod est, & inseparabile, & separabile. Accedit quòd in vtroque videtur idem prædicandi modus, quòd enim res, quæ prædicatur necessarium, vel contingentem habeat nexum cum subiecto suo, ad prædicationem quod spectat, per accidens omninò, cum in ipsâ prædicatione huiusmodi nexus non explicetur, nec illius meritò vnum alio modo, quàm alterum prædicetur. Nec tamen hæc vrgent; nam accidens inseparabile bipartitò diuiditur, vel quòd ita sit cum subiecto connexum, vt huic ni non physicè, saltem logicè non repugnet absque tali accidente existere, quoniam ab eius essentia necessariò non profluit, vt nigredo in coruo: & hoc illud accidens, quod sub quinto prædicabili comprehenditur; vel quòd ita sit cum subiecto connexum, vt hoc sub eius opposito minimè possit intelligi, quod est accidens proprium inter vniuersalia quartum obtinens locum; vt enim superius quoque monuimus, potest e gr. non intelligi homo risibilis cum abstrahentium non sit mendacium; at sub eius opposito, nempè quòd non sit risibilis intelligi non potest. Et id, quòd addebatur de prædicandi modo, nempè quòd idem sit in proprio, & accidente; & quod id per accidens sit; ad prædicationem quòd spectat, nempè quòd res, quæ prædicatur, sit vel non sit cum subiecto connexa, negandum omninò, propterea quòd ex vario prædicandi modo prouenit essentialis varietas prædicabilium; quòd autem dum exercetur prædicatio, modus prædicandi non exprimatur, nihil referre, ex eo palam, & apertum, quoniam differentia, & proprium, vniuersalia sunt distincta, quamuis in eorum prædicationibus non exprimatur, nisi quod vtrique commune est, nimirum in quale, & per modum adiecti nominis prædicari.

Potius non spernenda difficultas illa ex ijs desumpta, quæ subijciuntur proprio: cùm enim hæc sint eadem ac illa, quæ subijciuntur generi, atque speciei; nam proprio quatenus vniuersali subiecta sunt indiuidua generis vel speciei, prout proprium fuerit genericum, vel specificum, ob id proprium non erit vniuersale distinctum à genere, aut specie; siquidem vniuersalia videntur inter se distingui, prout ea, quæ ipsis subiecta sunt, distinguuntur; cum igitur hæc sint eadem, ergo eiam & illa. Hæc nullius tamen momenti; concedendum enim, quæ subijciuntur commemoratis vniuersalibus eadem re ipsâ esse, sed non secundum rationem eandem; diuersa est enim terminandæ prædicationis ratio; indiuidua enim subijciuntur generi & speciei, quatenus hæc de ipsis prædicantur in quid; proprio autem quatenus hoc de ipsis prædicatur in quale.

Si quis autem existimet à nobis haud benè statutum fuisse proprium vniuersalis rationem obtinere in ordine tantùm ad inferiora illius naturæ, cuius est proprium, & de qua vicissim prædicatur, eo quòd natura illa, cuius est proprium verè vniuersalis est; ob id & proprium ipsum, quod de illa tanquam de quali enunciatur, etiam in ordine ad naturam ipsam vniuersale erit. Qui tamen ita philosophatur toto quidem aberrat cælo; tametsi enim proprium communem naturali concomitantia vniuersale sit quidpiam, non tamen in ordine ad ipsam naturam quarti prædicabilis induit conditionem, cum hoc expoſcat prædicari de pluribus in quale accidentale necessariò, & intrasinutabiliter, cui usmodi non est proprium in ordine ad communem ipsam naturam.

Potest acrius vrgere quispiam; Nam proprium cum inferioribus collatum, haud proprij quarto modo sumpti rationem obtinere videtur, quòd nimirum conueniat omni, oli, & semper: sed potius secundo modo, quod omnibus accidit indiuiduis, non soli tamen eorũ speciei, vt homini bipedem esse; consequens igitur, vt proprium vniuersale non sit inter cætera quartum obtinens locum, nisi in ordine ad ipsam naturam, de qua reciprocè prædicatur. Sed hoc nullius difficultatis, nam proprium adhuc vniuersale quidem in ordine ad inferiora, quibus commune est, non pro vt proprium à communi distinguitur, sed prout ab extraneo secernitur, nempè quatenus non conuenit nisi inferioribus illius naturæ, cuius est proprium.

DIS

Digitized by Google

DISSERTATIO DVODECIMA.

De Accidente quinto Prædicabili.

Superest vt ad extremum hîc de Accidente prout vniuersali sermonem instituamus, vt enim hoc erat ordine postremum; ita postremo loco tractandum.

SECTIO VNICA.

Quid accidentis nomine prout quintum est prædicabile, intelligendum, & in quo eius natura consistat.

PRimò illud se considerandum offert, nimirum, accidens ad duo referri posse, vel ad sibi subiecta: vel ad inferiora communis naturæ, cuius est accidens. Iuxta priorem considerationem accidens non constituit quintum hoc vniuersale, quin potius generis, vel speciei rationem obtinet, cum de inferioribus suis prædicetur in quid, vel per modum partis essentiæ vt genus, vel per modum totius vt species; ità quidem color ad albedinem relatus rationem generis sortitur; albedo autem in ordine ad hanc & illam albedinem se habet vt species. Quod si spectetur accidens in ordine ad inferiora illius, cui nexu quidem inconstanti, contingentique iungitur, dicitur accidens ad hoc pertinens vniuersale; vt albedo si referatur ad niuem, & lac dicitur accidens quintum vniuersale constituens, cum de ipsis tanquam commune quidpiam de pluribus contingenter prædicetur; & hâc ratione quintum hoc vniuersale distinctum à cæteris constituit.

Accidens à duo re- ri posse

Qua ra- tione ac- dens uniuersa- le ratio- nem obti- neat.

Hoc euidens adeò vt nemini dubium; sic enim accidens acceptum vniuersale est, cuius natura postulat, vt sit vnum multiplicatum in multis cum præcisione ab eo, quod sit in illis essentialiter, vel ex accidenti; at accidens in concreto sumptum est vnum quidpiam in pluribus subiectis, dicere cùm liceat, & Socratem, & Platonem esse album, quod sanè cum albi multiplicatione contingit; non enim Socrates, & Plato idem esse album ex rei natura habent; consequens igitur est, vt accidens vniuersale sit.

Et ità quidem, vt dici non mereatur essentiale, cùm accidentario modo inferioribus tantummodo conueniat, vt album conuenit Socrati, Platoni, & reliquis; accidit enim Socrati, accidit Platoni album esse. Tametsi autem ità se res habeat, adhuc tamen essentialiter vniuersale dicendum, cùm vnum sit multiplicatum in pluribus, quod ad vniuersalis rationem requiritur, & sufficit.

Aliqua explicantur.

Sed hic paululùm hærendum; cùm enim dicimus accidens, de quo loquimur, sic vnum esse, quemadmodum vniuersale requirit, vt fuerpandum id eo sensu, quo vniuersali vnitatem deberi iam explicuimus, nimirum, quæ sit fundamentum intellectui, vt hic abstrahendo reddat illud actu ad eum modum, quo gemina consurgat vnitas, vna quidem ex parte subiecti, altera autem ex parte formæ, quod etiam de proprio intelligendum; neque mirum, nam & proprium & accidens prout vniuersalia à cæteris distincta, concreta sunt; vndè vtrumque dicit formam connotando subiectum; ità quidem risibile, quod proprium est, ne dum dicit risibilitatis naturam abstrahendo ab hac, & illa risibilitate, sed etiam connotat hominem vniuersè acceptum cum præcisione ab omnibus, ac singulis indiuiduis humanæ naturæ. Sic album acceptum vniuersè, vt ad hoc pertinet vniuersale, ne dum albedinis naturam ab hac, & illa albedine abstrahendo dicit, sed connotat etiam subiectum generatim sumptum à singulis subiectis particularibus præcisum, ac ob id in huiusmodi vniuersalibus gemina occurrit vnitas subiecti nimirum, & formæ; ut & naturæ, & vniuersalitatis, quæ gemina quoque est, nempè fundamentalis, vt aiunt, in re, formalis per intellectum; datur enim re ipsa vnitas naturæ lactis, vt hoc vtar exemplo, quæ est fundamentum intellectui, vt ab hoc, & illo lacte communem illâm rationem præcidat, in qua lac illud, & istud conueniunt, quæque actu redditur vna per intellectum; datur etiam vnitas naturæ albedinis, quæ fundamentum est intellectui, vt communem illam abstrahat rationem, in qua hæc, & illa albedo conueniunt; concretum igitur album, cum subiectum, & formam albedinis importet, sumptum vniuersè geminam hanc vnitatem inuoluit; & cùm huiusmodi concretum ad quintum hoc vniuersale pertineat; ob id ad hoc duplex hæc vnitas requiritur.

Istud autem vniuersale commune sic est, vt vnum sit in pluribus; concretum enim illud, nimirum album sic abstractum ad plura intelligitur contrahi, & in plura diuidi; album enim generatim acceptum concipitur ad inferiora contrahi, scilicet ad hoc, & illud quidem album, quatenus subiectum eius ad hoc & illud subiectum, nempè ad hoc & illud lac; & eius forma, puta albedo, ad hanc & illam albedinem intelligitur contrahi; ità tamen, vt commune illud concretum album relatum intelligatur ad hoc & illud album; hâc enim ratione quinti vniuersalis prædicabilisque naturam sortitur.

Prima difficultas

Hâc tamen in re primum illud occurrit, in quo difficultas; Rationem vniuersalis vnumquodque sortitur per ordinem ad ea, à quibus abstrahitur; sic genus per ordinem ad species, à quibus eius fit abstractio, sic species ab indiuiduis, à quibus itidem præcisio fit, vnde animal constituitur genus per ordinem ad hominem, leonem &c. à quibus cogitatione seiungitur; & homo per ordinem ad indiuidua Socratem, & Platonem, à quibus abstrahitur; Sed abstractio albi ex. g. non fit à singularibus humanæ naturæ secundum se sumptis, sed prout albedine affectis; quamobrem vniuersale istud constituetur per ordinem ad illa formaliter sumpta; ergo consequens, fit vt in ordine ad hæc non habeat vniuersalitatem accidentariam, cum his essentialiter insit; vt enim albedo in hac & illa albedine; sic album in hoc, & illo albo essentialiter inest.

Solutio.

Itur tamen obuiam dicendo, album non abstrahi à Socrate, & Platone vt inferioribus humanæ naturæ, nec vt formaliter albis, cum ita sint inferiora albe-

albedinis, in concreto quidem acceptæ, abstrahi tamen ab ipsis vt denominatiuè albis, & vt subiecta sunt, quæ possunt ab albedine denominari: sic enim in albo denominatiuè conueniunt, vndè huius conuenientiæ ratione præcidi potest album ab ipsis, ad hoc, de quo fit sermo, constituendum vniuersale.

Secunda difficultas. Deinde videtur etiam hoc aliquid habere momenti, quòd vniuersale, antequam actu quidem existat in multis, potest de multis prædicari; quod autem secus se habet, nequit vniuersalis rationem obtinere. Huiusmodi porrò accidens esse perspicuum inde, quoniam accidens de subiecto prædicari non potest, nisi re ipsâ existat, & hinc ab alijs secernitur vniuersalibus, quod reliqua abstracta, & ab omni existentia, & ab omni temporis differentia prædicari, ac enunciari possunt; Fit satis tamen dicendo ad vniuersale satis superque, vt aptum sit inesse multis, nec requiri vt actu insit; Sic in re proposita; spectari nanque potest accidens quantum ad exercitium accidentariæ prædicationis de pluribus, quæ certè fieri non potest absque existentia subiectorum quibus re ipsâ insit. Considerari etiam potest quatenus aptum de pluribus subiectis prædicari, ad quod non requiritur, vt plura existant subiecta, quibus insit, sed sufficit ea esse posse, quibus etsi actu non insit accidens, aptum tamen sit inesse. Vndè gemina prædicatio, vna quæ in exercitio consistit, & hæc in accidenti nullum obtinet locum, nisi pluribus actu subiectis existentibus; non sic vniuersalia cætera altera est prædicatio in aptitudine consistens, & hæc in omnibus vniuersalibus, atque adeò etiam in accidenti locum habet.

Solutio.

Adnotatio. Hic tamen non præteribo, quòd in prædicationibus spectantibus ad quintum hoc prædicabile, non prædicatur possibilitas, aut possibilis existentia de subiectis non existentibus, alioquin, quæ non existunt subiecta, cum non nisi tanquam possibilia possint ab accidente respici, in quibus nimirum est possibile hoc reperiri, existentia erò possibilis necessariò prædicetur (vndè hæc propositio Socratem possibile est esse album, est necessaria) consequens foret, vt vniuersalitas huius prædicabilis esse non posset nisi in ordine ad subiecta actu existentia, non autem possibilia tantum: non igitur possibilitas, vel possibilis existentia, de subiectis non existentibus prædicatur; sed sola accidentaria forma, quæ illis inesse potest contingenter; vndè etsi necessariò sic apta ad existendum in illis, non tamen ad existendum necessariò, sed contingenter.

Tertia difficultas. Videtur etiam accidens minimè dicendum vniuersale per ordinem ad subiecta, vt dictum est, cum in ipsis non sit essentialiter inclusum, nec idem illis, quod ad vniuersale requiritur; liquidem naturæ prædicatio de inferioribus, vel esse rationem naturam vnam, eandem pluribus importat, vel id re ipsâ supponit.

Solutio. Nulla tamen in hoc difficultas, talium enim assumitur, nimirum vniuersale quodlibet debere de pluribus in quid, & essentialiter prædicari; tat enim, vt ipsi prædicari denominatiuè conueniat, dummodò ratio, qua prædicatur, vna & eadem sit quidem pluribus, siue re ipsâ sit in illis essentialiter inclusa; siue quodammodo sit illis adiuncta, ac vnita.

Proximum est vt accidentis communis ab omnibus recepta definitio explicetur, *Accidens est, quod potest adesse & abesse sinè subiecti corruptione: vel quod potest eidem inesse, & non inesse.* Tametsi autem huiusmodi definitione vtidetur accidens, vt re ipsa est, explicari; si tamen ipsa paulò diligentius expendatur, non obscurè constabit, accidens vt vniuersale per hanc exprimi definitionem.

Accidentis definitio.

Non inficiandum dari geminam accidentis vsurpationem. Prima prout idem est ac inhærens, vel alteri adiacens. Secunda prout secundam intentionem inuoluit, quæ alicui tribuitur, quod absque repugnantia potest affirmari, negarique de subiecto, & iuxtà hanc acceptionem accidens intentionem secundam inuoluit, quemadmodum iuxtà priorem, in prima quidem intentione consistit.

His adnotatis facilè cuique perspectum erit, supra positam definitionem traditam de accidente fuisse prout secundam intentionem inuoluit, vniuersalisque naturam induit, si tamen eius hic sit intellectus, vt subiecti nomine non subiectum inhæsionis, sed prædicationis intelligatur, & verba illa, *abesse, & adesse*, non idem sonent, quod inhæret, & non inhæret, afficit, & non afficit illud, præter ipsius corruptionem: sed potius intelligenda prout secundam intentionem important, vt reddatur sensus, cuius affirmatio, & negatio nihil essentiæ, naturæque subiecti derogat, ita vt essentia ipsius subiecti ex huiusmodi affirmatione, aut negatione non destruatur.

Vndè sic intellecta definitione, verba illa, *adest, & abest præter subiecti corruptionem*, genus, ac differentiam important, nimirum prædicari in quale, quod est genus, & accidentale transmutabiliter, quod est differentia; per hoc enim commune accidens à proprio secernitur, quandoquidem eius de inferioribus ut accidentaria prædicatio sensu iam explicato, vt perinde sit, ac si dicatur affirmari, vel negari posse de subiecto, citrà lasionem essentiæ ipsius. Vnde accidentis prout vniuersalis definitio erit: *Accidens est illud vniuersale, quod est de pluribus prædicabile in quale accidentale contingenter, & transmutabiliter.* Quod in Institutionibus etiam Dialecticis declaramus.

Hic porrò consideratione dignum, quòd quamuis accidens definiatur prout habet rationem prædicabilis, tamen id solum implicitè fit per ordinem ad subiectum in communi, dù per hoc intelligenda subiecta plura, quibus potest accidens contingenter vniri, ac ob id non explicitè, cum inferiora subiecta per definitionem non exprimantur.

Huiusmodi autem accidentis considerationem prout vniuersalis naturam induit, huius esse loci, atque adeo sic accidens in præsentia definiri, mihi perspicuum inde, quoniam considerare illud prout subiectum afficit, vel non afficit, eidemque inest, vel non inest, primi Philosophi, non autem Logici munus est.

Et certè sic acceptum accidens definiendum, vt partitionem illam non subeat in separabile, & non separabile, cum accidens quodcumque iuxtà definitionem hanc separabile sit; sed accidens prout vniuersale quidpiam, vtpote secundam vniuersalitatis intentionem dicit hunc se habet in modum, non autem prout est in re; nam si quid obstaret, foret accidens inseparabile, sed nihil istidem conuenit separari posse, à subiecto quidem intrinsecus, atque adeo per intellectum; non enim repugnat subiectum absque tali accidente, proindeque suo opponio intelligi, vt Corvus sine nigredine, imò & sub albedine, illasâ eius natura, atque adeo separari separatione hic requisitâ; proindè accidens hoc loco definitum est illud, quod rationem obtinet vniuersalis. Accidens autem inseparabile dicetur, quod re ipsâ est tale.

Cæterum hac in definitione particulæ, & sensus est geminus prout *adest*, & *abest* gemino sensu po-

Digitized by Google

est vsurpari. His enim acceptis pro actu affirmandi, vel negandi, distinctionis est nota; sumptis autem pro vt potentiam dicunt, copulationem præ se ferunt. Tametsi enim affirmari, negarique sint opposita, prout in actu consistunt, non tamen prout in potentia posita sunt.

Prima difficultas. Quæ quanuis apprimè cum veritate consentiant, difficultates tamen non desunt, quibus iuxta superiorum definitionis declarationem occurrere non operosum; Quædam enim sunt accidentia, quæ quidem suo aduentu, præsentiâque subiectum destruunt, vt summus calor aquam, putredo mixtum, mors viuentia; vel etiam absentiâ suâ, vt viuere, naturalis calor, debita primarum qualitatum temperies in animalibus, quæ propterea non sic se habent, vt possint adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, quanuis accidentia sint; perperam igitur dictum videtur, id accidens esse, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. Difficultati tamen fit obuiam dicendo definitionem respicere quidem essentiam, non autem existentiam rei definitæ, sic vt perindè sit ac accidens affirmari, negarique posse de subiecto citrà præiudicium essentiæ ipsius, cùm non pertineat ad ipsam; nec enim vita, nec eius oppositum ad hominis (e.g. naturam pertinet, cui, & vita, & mors omninò accidit;

Solutio. Neque perturbet illud, quòd ratio vitæ sit essentiale prædicatum ipsius, vndè mors oppositum eius haud poterit affirmari de homine citrà præiudicium essentiæ; quoniam mors, dum de ipso affirmatur, destruit essentiam eiusdem, quippè quæ tollit prædicatum ipsius; sed nihil est; dum enim asseritur vita esse prædicatum hominis essentiale, sumitur vita prout dicit aptitudinem, & ipsi non opponitur mors, nec per affirmationem istius, essentiale tollitur prædicatum, nec infertur eius essentiæ naturæue præiudicium; sed tollitur vita prout dicit actum, ac exercitium viuendi, quod per mortem aufertur velut illi contrariam, & per huiusmodi remotionem non infertur præiudicium essentiæ; quoniam vita sic accepta non spectat ad essentiam, quin potiùs est extrà ipsam; ea sic enim habet accidentis naturam, ità vt affirmari, negarique possit absque præiudicio essentiæ; quod accidens prædicabile requirit.

Secunda difficultas. Putabit quispiam à prædictis eo nomine recedendum, quòd hæc accidentis definitio proprio sit etiam accommodata, cùm hoc itidem à subiecto possit intellectus opere separari. Hoc tamen nullius momenti; tametsi enim proprium à subiecto seiungi, ac separari possit actu abstrahente, negante tamen non potest. Nam intellectus potest quidem non cognoscere hominem risibilem, nempè cognoscere hominem, neglecta risibilitate: non potest tamen illum cognoscere non esse risibilem, atque adeò negare de ipso risibilitatem; non sic accidens commune, imò & accidens inseparabile; possumus enim hominem cognoscere nedum non cognoscendo illum esse album, sed possumus itidem negare ipsum album, esse; Superior igitur accidentis definitio proprio minimè consentanea est.

Tertia difficultas. Neque putes aquè negari posse accidens inseparabile, ac proprium quartum prædicabile de subiecto; quasi aquè falsa sit vtraque propositio, in quarum vna negatur illud, in altera autem istud; vt cùm de coruo nigredo, de homine autem risibilitas negatur; vndenihil differat inter quartum & quintum prædicabile. Secus enim se res habet; cùm enim accidens inseparabile de subiecto, nigredo scilicet de coruo negatur, falsa quidem est propositio absque tamen repugnantia; cum autem proprium quartum prædicabile negatur, id planè cum repugnantia contingit; quanuis enim nunquam coruus absque nigredine sit, non tamen eo quòd nigredo ab essentia corui, sed à temperamento, ac elementorum admixtione proueniat; ita fit vt eius naturæ neque negatio nigredinis, neq; eius opposita albedo repugnet; At verò nedum homo nequit esse sinè risibilitate, sed eius negatio illi repugnat; propterea quòd risibilitas ab eius profluit essentia; hæc duo igitur vniuersalia differunt.

Quarta difficultas. Quanuis autem intellectâ separatione, pro illa, quæ intellectus negotiatione fit, asserendum videatur nullum esse accidens inseparabile, cùm nullum extet, quod intellectus ope separari non possit; Non ita tamen existimandum, si de reali separabilitate sit sermo; dabitur enim accidens adhuc inseparabile, velut illud, quod re ipsâ separari non potest, quanuis nullum sit, cui per intellectum separatio repugnet, vndè adhuc accidentis illa partitio in id, quod est separabile, & quod est non separabile, subsistet, cùm tunc de reali separabilitate sit sermo.

Solutio.

Quinta difficultas Nec propterea dicendum, definitum hic accidens fuisse prout in prima, non autem in secunda intentione consistit, eam ob causam, quòd de accidente dicta conueniant paritèr indiuiduis, ad quæ non descendit id, quod conuenit accidenti generatim sumpto prout secundam intentionem vniuersalitatis induit; Quæ nanq; conueniunt accidenti sic accepto, conueniunt etiam eius indiuiduis, si tamen hæc sumantur prout secundam intentionem important, quatenus nimirum hæc, & illa accidentis intentio, huic, & illi accidenti applicata, sunt indiuidua accidentalitatis generatim sumptæ, quâ ratione vniuersalitatis intentio potest ad inferiora descendere. Postremum consideratione dignum superest indagandum, quid sit id, cui quinti prædicabilis vniuersalitas accommodari possit.

Solutio.

Quid vltimò indagandum,

Tametsi autem in re proposita non conueniat inter Philosophos, ijs tamen assentiendum, qui nedum accidenti communi, sed etiam habenti rationem substantiæ huius quinti prædicabilis vniuersalitatem conuenire sunt arbitrati.

Quid hac de re dicendum.

Ad hanc opinionem ea me ratio compellit; quòd huius prædicabilis vniuersalitas aptari potest cuicunque sic se habenti, vt possit de pluribus in quale accidentale transmutabiliter prædicari; sed hunc in modum se habet nedum commune accidens, verùm etiam quod participat rationem substantiæ; vniuersalitas ob id prædicta nedum communi accidenti, sed etiam participanti rationem substantiæ conueniet. Sed hunc etiam se habere in modum, quod participat substantiæ rationem, perspicuum satis, & apertum, nempè substantiam de pluribus per accidens posse prædicari; Hoc enim est accidens de quo loquitur, prædicabile, quod substantiam quoque complectitur, non autem prædicamentale, quod à substantia secernitur; quòd si res ita se habet, consequens est, vt substantia quoque possit accidentaliter prædicari; alioquin nulla foret illa distinctio accidentis in accidens prædicabile, & accidens prædicamentale; & certè neminem præterit vestibus substantiæ rationem conuenire; & tamen de pluribus accidentaliter possunt prædicari; sic vtique vestitum de hoc vestito, de illo vestito prædicari perspicuum est; Sic etiam substantialis forma in quale accidentale transmutabiliter prædicatur, cum dicimus materia est informata.

Ratio, qua probatur assertio.

Quinimò commemoratæ ne dum prædicationes

fiunt

fiunt in quibus forma de materia denominatiuè ac per accidens prædicatur; sed materia quoque de forma, vnde vas aureum, statuam argenteam dicimus, propterea quòd materia tunc formæ rationem induit contrahentis differentiam figuræ vasis, vel statuæ, vt illud aureum, hæc autem argentea appelletur; ex quo facilè intelliges hoc prædicationis genus ad hoc, de quo loquimur, prædicabile quintum attinere,

Insulsè autem quibusdam est visum, tunc non auri de vase, argenti de statua, sed respectum quendam vasis ad aurum, statuæ ad argentum, ex quibus constant, prædicari, huiusmodi tamen respectum ad habitus prædicamentum attinere; Hinc enim consequens foret nullum accidens de subiecto prædicari, sed solum illum respectum spectantem ad habitus prædicamentum; si enim album esse, est habere albedinem, & aureum esse, est habere aurum, & hoc importat respectum, qui prædicetur, perspicuum est id, quod innuimus, secuturum.

In supradictis prædicationibus sunt, qui dicunt quod formaliter prædicatur, illa esse accidentia, quoniam in concreto sumuntur, scilicet album, calidũ &c. at quando resoluuntur in illas, corpus est habens albedinem, est habens calorem, quod formaliter prædicatur esse respectum illum, vt loquuntur habitionis, non accidentia, quoniam hæc non in recto, sed in obliquo, & in abstracto sumuntur.

Hinc tamen perperàm dicta comprehendes, quòd nobis asserere licebit, cum dicitur homo est vestitus, statua est argentea, quod formaliter prædicatur esse vestem, & argentum adiectiuè sumpta, & per modum accidentariæ formæ; in alijs prædicationibus, in quas illæ propositiones resoluuntur, quod formaliter prædicatur, habitionis esse respectum, scilicet cùm dicimus homo est habens vestem.

Quòd si dixeris huiusmodi prædicationes vltrò fatendum accidentales esse, non tamen ad quintum prædicabile spectare, quoniam aureum esse, vel argenteum, artificialis compositi materialem partem importat; cùm tamen ad illud, de quo loquimur, prædicabile sit opus, vt aliquo modo totum compositum dicat.

Hoc tamen inconsideratè pronunciatur, cùm illa pars per modum totius in concreto adiectiuè, & contingenter prædicetur; ac ob id ad istud prædicabile spectent huiusmodi prædicationes, vt earum, sit sensus, vas factum est ex auri materia, statua ex materia argenti; quod accidentarium est.

Prima difficultas Non inficiandum commune illud effatum, *modus prædicandi*, sequetur modum essendi, & alium esse modum essendi substantiæ, & alium accidentis; Non subindè concludas non vniusmodi esse vtriusque

Solutio. prædicandi modum. Nam effatum illud non absolutè vsurpandum, sed quòd modus prædicandi essendi modum consequatur, prout hoc stat sub conceptibus mentis; hinc enim varia prædicationis ratio.

Secunda difficultas Quod si putes substantiæ minimè vniuersalitatem hanc aptari posse, quòd hæc requirat vt id, cui appingitur, sit actu, vel potentiâ inhærens, cuiusmodi substantia non est. Toto quidem aberras cœlo,

Solutio. non enim id quinti prædicabilis vniuersalitas exposcit.

Tertia difficultas Si tandem hac in re molestum id esse credatur, quia quod verè est, cuiusmodi est substantia, nulli accidit, ac proindè ad accidens prædicabile pertinere

Solutio. non poterit; Aduertendum quod verè est nempè substantiam nulli quidem accidere ita, vt alteri insit, vt cum eo, quod afficit vnum per accidens constituat; rectè tamen accidere dicetur, quatenus accidentaliter de subiectis potest prædicari.

Cæterum cùm non semel inculcatum fuerit, accidens, vt quintum prædicabile, inferiora respicere, Aduertendum hæc non vnius esse generis; alia siquidem sunt ea, quibus accidens essentialiter inest, vt hæc, & illa albedo, quibus inest albedo; alia subiecta sunt, quibus hæc, & illa albedo inest, quæque sub subiecto generarim sumpto albedine affecto continentur. Hæc porrò inferiora sunt, de quibus accidens, vt quintum constituit prædicabile, dicitur prædicari,

Difficultas tamen non exigui momenti, num hæc subiecta respectu quorum constituitur quintum vniuersale, debeant esse solo numero differentia, adeout comparatione plurium specierum dari minime possit genericum accidens, sed dumtaxat respectu quidem indiuiduorum specificum accidens constituendum sit; ac ob id album ex: gr: dici nequeat quintum vniuersale respectu niuis, & lactis, & cygni, sed propriè respectu huius niuis, huius lactis, & huius cygni;

Rectè tamen philosophati sunt, qui crediderunt quintum vniuersale constitui posse sumendo accidens in ordine ad subiecta non solùm numero, sed etiam specie diuersa, adeout accidens genericum, & specificum fateri necesse sit.

Huius assertionis veritas ex eo planè deprehenditur, quoniam dantur accidentia nonnulla, quæ non modò pluribus indiuiduis, sed etiam pluribus generibus, & speciebus communia sunt, adeout de ipsis generibus, atque speciebus accidens commune prædicetur modò ab omnibus alijs prædicabilibus, siue vniuersalibus diuersò, & eodem etiam modò de ijsdem videlicet in quale accidentale transmutabiliter prædicetur: accidens igitur quintum vniuersale in ordine ad subiecta, ne dum numero, verum etiam specie diuersa constituendum est, itaut accidens genericum, atque specificum concedere debeamus.

Tametsi autem hæc ratio sit admodum euidens, quibusdam tamen videtur eam dilui posse dicendo; etsi eodem modo prædicetur accidens hoc sensu de indiuiduis, atque speciebus, de illis tamen solùm immediatè, de his vera mediatè, scilicet per indiuidua, quæ sunt propria accidentium subiecta. Hinc Philosophus dicebat, indiuidua magis substare, quàm genera, & species; propterea quòd substant ipsis generibus, speciebus, & accidentibus, cùm accidentibus non substent genera, & species, nisi quatenus in ipsis indiuiduis existunt; vnde homo eatenus dicitur albus, quatenus hic, vel ille homo est albus; Cum itaque accidens non proximè, vel immediatè prædicetur de pluribus speciebus, haud poterit earum comparatione dici quintum vniuersale, seu prædicabile.

Ineptè tamen hinc deducunt accidens, vt quintum vniuersale constitui non posse per ordinem ad species, tum quia licet indiuiduum sit propriè subiectum inhæsionis realium accidentium, vnde superiora habent, vt possint ab huiusmodi accidentibus denominari, itaut accidentia primariò in indiuiduis conueniant, secundariò autem superioribus gradibus, iuxta illud Porphyrij. καὶ τὰ μὲν συμβεβηκότα ἐστὶ τῶν ἀτόμων πρωτογενέστατα οὐσιῶν, τὰ δὲ γένη, καὶ τὰ εἴδη, φύσει πρότερα τῶν ἀτόμων οὐσιῶν. *Et accidentia primum sunt in indiuiduis: genera verò, & species naturâ priora sunt indiuiduis substantijs.* Nihilominus inde non fit, quin species prædicationis accidentariæ subiectum esse possit, & vt hoc quintum vniuersa-

uersale speciem quoque tanquam sibi subijcibile non respiciat; Tum quia vniuersalis ratio non postulat de pluribus immediatè prædicari, quomodocunque dicatur vniuersale de inferioribus dici, siue nimirum immediatè, siue per intermedia, quibus idem prædicationis modus conueniat. Vt si sit genus aliquod, quod certè de omnibus inferioribus in quid per modum partis essentiæ prædicatur, quamvis inter ipsum, & aliquod ex inferioribus, quædam intercipiantur, quibus idem prædicationis modus conueniat, adhuc illud habet rationem vniuersalis comparatione illius, de quo prædicatur; Vt substantia rationem habet vniuersalis, & quidem generis, etsi non proximi respectu hominis, itaut de hoc prædicetur in quid per modum partis essentiæ; at hæc prædicatio fit per intermedia genera subalterna, videlicet corpus, mixtum, viuens, animal, quibus eundem conuenire prædicationis modum in quid, velut essentiæ partibus, nemini dubium, cùm tamen substantia habeat adhuc rationem vniuersalis & generis respectu hominis. Quanuis igitur accidens, vt quintum vniuersale prædicaretur de specie per aliquod intermedium, cui modus idem prædicationis conueniret, non subinde concludendum foret accidens non habere rationem vniuersalis, de quo fit sermo respectu eorum, de quibus per intermedia commemorata prædicaretur. Quòd autem hæc prædicatio eatenus fiat, quatenus accidens reuerâ insit individuis speciei, & species, ac genus denominentur ab ipso accidente, quoniam hoc individuis speciei insit, nihil planè est; quandoquidem hoc in prædicatione minimè debet attendi, sed duntaxat, vt hæc denominatio generi conueniat, quæcunque sit eius causa; vt quoniam album tali conuenit corpori mixto, sub quo continentur nix, lac, cygnus &c. propterea fit vt quemadmodum album dicitur vniuersale respectu huius niuis, huius lactis, huius cygni &c. eò quòd hæc continentur sub corpore mixto, cui conuenit denominatio albi; ita pariter eandem rationem vniuersalis retineat respectu istarum specierum, nempe niuis, lactis, cygni &c. quoniam hæc sub illo corpore mixto continentur, cui potest denominatio albi conuenire. Ita euenit si album conueniat mixto non quidem, vt proprietas, qualis foret si tale mixtum esset subiectum albedinis, vt ei esse album velut affectio propria conueniret; de hoc enim non fit sermo; nam ad quartum vniuersale pertineret; sed accepto mixto, prout ei non repugnat esse album, ea enim, quæ sub huiusmodi corpore mixto continentur sunt illa plura, respectu quorum album rationem induit quinti vniuersalis, adeout ea sint, de quibus album prædicari dicatur in quale accidentale, contingenter, & transmutabiliter; siue illa plura specie, siue numero differant, nihil hoc enim refert. Itaque individua dici poterunt proximus terminus huius prædicabilis, non autem adæquatus, itaut subijcibile adæquatum sit quodcunque inferius, siue illud individuum sit, siue species atoma, vel subalterna, dummodò contineatur sub illo &, cum quo accidens contingentem habet connexionem, differentiæ enim illorum subijcibilium materialiter prorsus se habent, quòd spectat ad prædicandi modum, quem accidens respectu prædictorum subijcibilium exercet.

Accedit etiam, quòd aliqua sunt accidentia rationis, quæ proximè ac immediatè de communibus naturis prædicantur, vt cum dicimus homo est species, animal est genus; hæ nanque prædicationes, & similes ad quintum prædicabile spectant, hominique & animali non tanquam naturis singularibus, sed vt communibus aliquo modo distinctis ab individuis competunt. Secunda ratio.

DISSERTATIO DECIMATERTIA

De ijs, quæ ad vberiorem vniuersalium notitiam conducunt.

Consideratis ijs, quæ ad vniuersalis naturam, & essentiam cùm generatim, tùm speciatim accepti pertinent; reliquum est, vt nostrâ contemplatione persequamur ea, quæ ad eorundem vniuersalium pleniorem notitiam conducunt: Hoc autem assequemur, si quæ vniuersali generatim sumpto adscribi solent, paulò diligentius perscrutemur: inde nanque constabunt, quæ de singulis vniuersalibus dicenda sint.

SECTIO PRIMA.

De ijs, quæ vniuersali generatim accepto solent adscribi. Et primò quòd etsi vniuersale physicum non sit totum potestate, benè tamen metaphysicum.

PRimum, quod vniuersali solet in vniuersum adscribi tanquam proprietas, est vt sit totum potestate; hoc est, sit quoddam totum potestate continens inferiora sua, vel uti partes. Licet autem hoc eximium proprium vniuersalis; videtur tamen potius ad eius essentiam pertinere; cùm enim vniuersale nil aliud sit, quàm vnum aptum inesse multis, & hoc idem reuerâ sit, ac totum esse potestate multa continens, propterea videtur potius in hoc vniuersalis natura constituta. Vtcunque tamen se res habeat, explicandum est, quâ ratione vniuersale totum potestate dicendum sit. Hoc vt assequamur, oportebit in memoriam redigere totius multiplicem vsurpationem; deinde verò & vniuersalis acceptionem variam. Vniuersalis essentiam pertinere videtur.

Totum ita diuiditur, vt aliud dicatur vnum per se; aliud verò per accidens. Totum perse est, quod constat partibus per se vnitis, nec accidentario quodam vinculo coniunctis, vt alibi magis explicabitur; Aliud verò totum per accidens, cuius scilicet partes ex accidenti sunt vnitæ, & hoc etiam in multiplici discrimine est; propteaquòd est vel per informationem, cùm scilicet subiectum accidentariâ affingitur formâ, vt homo sapiens, iustus &c. vel per aggregationem, & hoc bifariam, vel cum ordine, vt exercitus, vel sine ordine, vt aceruus lapidum. Multiplex totius acceptio. Totum per se. Totum per accidens multiplex.

Totū per se duplex.

Totum potentiale

Totum actuale.

Totum actuale duplex. Integrale: Essentiale:

Totum essentiale Essentiale duplex. Physicum & Metaphysicum

Totum essentiale, vnde dicatur & per quid ab actuali distinguatur.

Apud veteres duplex vniuersale metaphysicum, & logicum.

Vniuersale physicum prima materia consueuit appellari.

Apud recentiores vniuersalis distributio in physicum metaphysicum, & logicum, Vniuersale physicū quid.

Totum autem per se duplex; aliud enim potentiale; sinę potestatiuum, quod scilicet non includit actu, sed potestate duntaxat partes, quas ipsum continere dicitur, subiectaq; partes nominantur; huiusmodi siquidem totum est vniuersale, respectu inferiorum, quæ propterea subiectæ partes illius appellantur, de quibus totum ipsum potest prædicari; aliud autem est totum actuale, & est illud, quod actu continet partes, ex quibus componitur, nec est prædicabile de qualibet illarum. Rursus totum actuale diuiditur in integrale, & essentiale; illud ex partibus integrantibus; hoc ex essentialibus constat; integrale ita se habet, vt eius singulæ partes, etsi non spectent ad essentiam rei, pertinent tamen ad rei materialis integritatem; vnde solùm in materialibus rebus adinuenitur; quæ si fuerint similares eiusdemque rationis, totum homogeneum, si dissimilares diuerseque rationis totum heterogeneum constituunt. At verò totum essentiale, ita se habet, vt singulæ eius partes ad rei naturam, & essentiam pertineant; essentiale autem duplex physicum vnum, alterum metaphysicum, prout videlicet ex partibus physicis, materiâ, & formâ; vel metaphysicis genere, & differentiâ consurgit.

Redeamus ad totum potentiale, de quo futura est disputatio. Hoc autem dicebatur illud, quod in inferiora, tanquam in subiectas partes diuiditur; at verò dicitur potentiale ad differentiam totius actualis; potentiale siquidem est, quod non continet actu partes, scilicet inferiora; hæc enim intrinsecùs illud non constituunt; sed actuale continet actu partes, ex quibus componitur; illud est prædicabile de sui qualibet parte; hoc autem non item. Totum autem potentiale non dicitur comparatione differentiarum, respectu quarum se habet, vt perfectibile; vnde continet differentias potentiâ quidem, non tamen vt partes sibi subiectas, saltem quando communis natura præcisione perfectâ à differentijs contrahentibus distinguitur; Hinc dicitur per differentias, non autem in differentias diuidi; de his tamen latius in Metaphysica.

Antiquiores Philosophi duplex agnouerunt vniuersale; metaphysicum scilicet, & logicum; Hoc appellabant vniuersale formale: illud verò fundamentale; quod rursus distinxerunt in fundamentum uniuersalitatis proximum, & remotum; & quidem remotum appellabant naturam in statu contractionis per differentias à parte rei; proximum autem naturam eandem esse dicebant in statu abstractionis per intellectum à conditionibus indiuiduantibus. Et quoniam datur etiam uniuersale physicum, ob id illud sub uniuersali metaphysico, quod quidem solet remotum dici, comprehenderunt. Idem autem uniuersale, genusque physicum, prima consueuit materia nuncupari.

A recentioribus autem universalis distributio fit in physicum, metaphysicum, & logicum; per uniuersale physicum naturam intelligunt in singularibus existentem, siue in statu realis existentiæ, proindeque differentijs complicatam cum sua vnitate formali, quæ minor est numerali; per metaphysicum intelligendum volunt naturam negotiatione mentis abstractam, & exutam differentijs, ac ob id affectam vnitate præcisionis; tandem per vniuersale logicum eandem existimant intelligendam esse naturam indutam secundâ vniuersalitatis intentione, per quam ad inferiora secundum rationem superioris, & prædicabilis referatur.

Vniuersale autem totum potestate dicendum communi philosophorum calculo receptum est; vnde Aristoteles dicebat, τοῦ καθόλου ὅλον τι τὸ καθόλου δ' ὀνομάζω ὃ ἂν κατὰ παντὸς λέγηται. *Vniuersale autem totum quoddam est: multa enim comprehendit vt partes, vniuersale*; Adhibendo autem particulam illam *quoddam*, cuius est significationem frequenter extenuare, declarauit vniuersale, non nisi per quandam analogiam totum esse dicendum, quam in verbis illis; *multa enim comprehendit vt partes, vniuersale*; luculenter expressit; vt enim totum integrale suam nomenclaturam fortitur, eo quòd propriè contineat partes; ita pariter vniuersale totum dicetur, eo nomine, quod nimirum inferiora, sibi subiecta, veluti partes contineat. Et reuerà totum est quid analogum, dicitur que de multis, vt superius vidimus; per quandam analogiam; itaut primum analogatum, vel Aristotelis testimonio sit totum integrale.

Vel per particulam, quoddam, insinuauit analogiam à nobis intentam, cùm totum multifariam dicatur, cuius communis ratio non nisi cùm analogia ad inferiora descendit. Vniuersale igitur totum est potestate, imò etiam, & totum essentiale; cùm enim hoc dicatur vnumquodque respectu suorum prædicatorum essentialium, quæ formaliter, & intrinsecùs in sui constitutione quidditateque contineat, vniuersale autem huiusmodi sit, propterea totum etiam essentiale dicetur; itaque homo ex. gr. respectu Socratis, Platonis, & cæterorum, totum est potentiale; at verò totum est essentiale, quatenus animalitatem, & rationalitatem complectitur, seu totam suam quidditatem dicit.

Celebris tamen controuersia est, cui nam è commemoratis vniuersalibus ad aures Aristotelis, & iuxta veritatem esse totum potestate conueniat. Si spectemus vniuersale physicum, reperiemus illud, quale descripsimus; Est enim communis natura affecta vnitate formali existens in singularibus contracta per differentias indiuiduantes, diciturque communis, quemadmodum, & eius formalis vnitas per indifferentiam, non autem per inexistentiam. Communis autem per indifferentiam eoquòd natura, quæ est in aliquo indiuiduo, quatenus est de se, & ex internis principijs posset esse in alio, vt humanitas, quæ est in Socrate, quantum est de se, & ex principijs internis æquè bene posset constituere Platonem in esse hominis; ideoque dicitur vtrique communis, & vnicuique propria; communis quidem per indifferentiam; propria verò per inexistentiam; Huic autem vniuersali ratio totius potestatiui proculdubio deneganda videtur; nam totum potestate debet esse quid vnum, in quo aliquo modo scilicet potentiâ contineantur partes, cùm cuiuscunque totius ratio id sibi vendicet, vt vnum sit continens partes; at vniuersali physico deest illa vnitas, ratione cuius totum dici posset; propterea quòd natura, communis solùm est per indifferentiam; estque reipsâ diuisa, quemadmodum, & eius formalis vnitas, quæ tanquam affectio naturam comitatur; hoc igitur vniuersale, minimè totum potestate dicendum.

Sequitur considerandum vniuersale metaphysicum; quod erat in partitione secundum. Hoc autem vniuersale, vt superius innuimus, est communis natura in statu præcisionis obiectiuæ, est porrò in huiusmodi statu, quando per opus intellectus abstrahitur, & exuitur differentijs indiuiduantibus; natura igitur sic abstracta est vniuersale metaphysicum, dicique etiam solet vniuersale in essendo ad differentiam vniuersalis logici, quod dicitur vniuersale in prædicando; vniuersale logicum dici solet vnum in mul-

Metaphysicum. Logicum Vniuersale totum potestate dicitur. Phys. tex. Vniuersale dicitur quasi analogum integrale Totum integrale primum analogatum

Vniuersale essentiale

Vniuersale quid

multis, vt ipsa dicetur; at metaphysicum vnum extra multa, non enim multa concernit nisi vt terminum à quo; scilicet à quo abstrahitur in quibus tamen reuera est. Cuius fundamentum est ipsum vniuersale in essendo, quod absolutè loquendo sub nomine vniuersalis intelligitur ad differentiam singularis; & indiuidui, quod pluribus communicari non potest. Natura verò de se, neque est vniuersalis, neque particularis; sed ad vtrunque indifferens; vnde natura prout à singularitate distinguitur, rectius dicitur communis, quàm vniuersalis; communitas enim quemadmodum vnitas formalis minor numerali, illi conuenit à parte rei; vniuersalitas autem non item; natura siquidem communis vt est à parte rei, propriam vnitatem, atque communitatem habet nullo intellectu considerante; hæc autem communitas, vel quod in idem recidit, indifferentia, vel indeterminatio naturæ, quâ natura potest inesse multis, duplex assignari solet; earum enim vna dicitur positiua, altera verò priuatiua, vel negatiua; Communitas positiua dicitur illa, secundum quam natura concipitur in se indiuisa, & ab omnibus differentijs indiuiduantibus abstracta æquè respiciens omnes & singulas; vnde solet etiam indifferentia, seu indeterminatio contraria nuncupari, quatenus aduersatur actuali determinationi per differentiam, & hanc determinationem penitus excludit; Communitas seu indifferentia priuatiua, vel negatiua est illa, quam adhuc in se natura retinet, quando per differentias est contracta, quia etiam si contracta sit, hoc illi accidit, adhuc enim ex internis principijs habet non repugnantiam, vt possit esse quantum est de se, sub alia singularitate ab ea, sub qua est; diciturque priuatiua, vel negatiua, quoniam cum huiusmodi indifferentia naturæ cohæret etiam extrinseca determinatio eiusdem per aliquam numeralem differentiam; Vtque paucis rem ipsam perstringam; Indifferencia communitasque naturæ tunc positiua dicenda, quando ipsa per abstractionem à differentijs indiuiduantibus redditur indeterminata ad plura indiuidua, proximèque capax vniuersalitatis logicæ consistentis in quodam respectu, per quem ad inferiora refertur ipsa natura in ratione superioris, & prædicabilis; hic autem respectus secunda quædam intentio est, quam intellectus naturæ quidem appingit cum fundamento tamen in re, quod est ipsa natura vna vnitate formali à parte rei abstracta tamen à differentijs per intellectum; Communitas autem priuatiua seu negatiua dicetur illa, quam etiam natura habet, quando est à parte rei per differentiam contracta; quoniam in huiusmodi statu, etsi dici non possit absolutè, & positiuè communis, ac indifferens; propterea quòd ad vnum indiuiduum etsi sit per differentiam applicata, adhuc tamen negatiuè dici potest indifferens, atque communis, quatenus etiamsi ipsa sit hæc, & singularis, id tamen non habet ex se, & ex internis principijs, sed id ei aduenit per differentiam indiuidualem, ac ob id adhuc in huiusmodi statu non est de se hæc, nec ex se singularis, quod est esse negatiuè commune.

Hac eadem communitatis distinctio tradi etiam solet sub aptitudinis nomine adcout duplex sit aptitudo, quâ natura potest inesse in multis, vna quidem proxima, altera autem remota; proxima est capacitas naturæ ad hanc, vel illam differentiam sibi coniungendam, vel vt aiunt, identificandam sine vllo impedimento; conuenitque naturæ in statu abstractionis; remota verò est eadem naturæ capacitas impedita tamen per contractionem vnius differentiæ, ne libera sit nec expedita ad aliam; itaut per huiusmodi impedimentum talis potentia nequeat ad actum reduci, quod explicari solet exemplo primæ materiæ, de quo alibi. proxima, & remota

Hæc autem aptitudo, quâ natura potest in pluribus esse, duobus modis potest intelligi, in pluribus coniunctim, vel disiunctim; natura quidem non est apta inesse pluribus coniunctim à parte rei, cum in rerum creaturum ordine reperiri non possit vna, & eadem physica entitas reuerâ in pluribus indiuiduis, vel suppositis realiter distinctis; est igitur aptitudo, quâ natura potens est inesse multis disiunctim, quatenus natura, quæ est ex. gr. in Socrate, ita se habet, vt quantum est de se potuisset Platonem constituere, & cum eo fieri idem; vnde est, vt appelletur communitas non quidem per inexistentiam, quasi eadem prorsùs entitas naturæ extra causas productæ sit in Socrate, & Platone; sed per indifferentiam ad eum modum, quem superiùs explicauimus; est autem ita quidem in multis, vt in ipsis multiplicetur in ratione naturæ. Vnde cum dicimus vniuersale esse vnum in multis, idem est, ac si dicamus esse vnum, & multa. Cuiusmodi autem sit huius aptitudinis exercitium, breuiter declarandum superest; In cuius gratiam oportet aduertere, hanc aptitudinem ita conuenire naturæ vt modus, quo illa exercetur, sit vt aiunt, per identificationem cum singularitate, & singulari, quod constituit ob id exercitium huiusmodi aptitudinis, vel indifferentiæ, quam sibi vendicat natura, determinationem semper habet adnexam, quâ videlicet ipsa natura sic determinatur, vt quatenus in vno est, nequeat in alio esse indiuiduo; propterea quòd ineſt illi per realem identitatem; quoniam tamen natura de se non est indiuidua, vel singularis; sed potius per extrinsecam differentiam, quæ vel ab ipsa formaliter à parte rei distinguitur, vt quibusdam placuit, vel virtute quidem in re, formaliter verò per intellectum, vt alijs magis arridet; ob id ita se habet quantum est de se, vt absolutè loquendo potuerit esse cum hac, vel illa singularitate. Dicebam autem siue formaliter à parte rei singularitas à natura distinguatur, siue virtute tantùm in re, formaliter verò per intellectum; quoniam perinde, est in re, de qua agitur, vtrouis modo hanc distinctionem existimes. Aptitudo qua natura esse potest in multis dupliciter potest intelligi vel disiunctim, vel coniunctim.

Declaratur huiusmodi aptitudinis exercitium

Natura ineſt indiuiduo per identitatem cum numerica differentia.

Adnotatio.

Aptitudinem autem remotam, ac indifferentiam negatiuam conuenire naturæ in statu etiam realis existentiæ non quidem reduplicatiuè, sed specificatiuè, alibi fuit adnotatum, quod non erit operosum intelligere, si consideremus in natura duo reperiri, videlicet essentialia principia, & singularitatem cum existentia; tametsi autem ratione singularitatis, & existentiæ sit ad vnum determinata, proindeque nequeat esse in pluribus; secundum tamen essentialia principia sua determinationem non habet, propterea natura, quæ est singularis, & existens, cùm singularitatem non inuoluat, si specificatiuè loquamur, indeterminata dici potest, itaut illi conueniat aptitudo remota, ac indifferentia negatiua sensuiam explicato, in statu etiam realis existentiæ, non quidem reduplicatiuè, sed specificatiuè loquendo. Aptitudo remota ad esse in multis cõuenit naturæ etiã in statu realis existentiæ. Disert. 6. sect. 7.

Non prætereundum tamen, quod est notatu dignum, sic aliquando nos de naturæ indifferentia communitateque positiua loquutos esse, vt talem appelleremus illam, quam habet natura indeterminata ita ad plura indiuidua per abstractionem à differentijs indiuiduantibus, vt eadem sit proximè potens de illis prædicari; at respectiuè hoc intelligendum Animaduersio.

dum volumus; propterea quòd natura illa abstracta per intellectum absolutè dici non debet proximè prædicabilis, cuiusmodi est eadem natura affecta secundâ intentione logicæ vniuersalitatis; solùm igitur proximè dicetur prædicabilis habito respectu ad eandem naturam in statu realis existentiæ.

Vniuersale metaphysicum totum potestate dicendum.

His autem præhabitis, non obscurè constabit, vniuersale metaphysicum esse totum potestate dicendum. Illud enim totum, quod non actu, sed potestate duntaxat suas continet partes, totum potestate dici debet; sed huiusmodi esse vniuersale metaphysicum mox intelliges: ergo vniuersale metaphysicum totum potestate dicendum erit. At metaphysicum vniuersale totum esse, quod solùm potestate suas contineat partes, hinc mihi suadeo; quoniam vniuersale metaphysicum totum quidpiam est, propterea quòd plura continet; natura siquidem abstracta à pluribus per opus rationis, cuiusmodi est metaphysicum vniuersale, continet illa plura, scilicet inferiora, à quibus abstractione præcisa fuit; hinc propterea totius rationem consequitur; quòd autem illa contineat perspicuum est; nam ex pluribus illis facta est per abstractionem vna; quamobrem in vno continentur plura, quorum multitudo per contractionem habetur à parte rei, sicut per mentis abstractionem vnitas comparatur. Vniuersale igitur, de quo in præsentia fit sermo, totum est, sed potestate, cùm non actu, sed potestate, vnum existens plura contineat. Quemadmodum enim iuxta sententiam existimantium, continuum esse vnum quidpiam simplex, potestate tamen plura continens, continuum ipsum rationem habet totius, de quo loquimur, quoniam per designationem in eo possunt haberi partes, (quamuis in ipso hæ actu minimè contineantur) adeo ut per designationem simplicitatis vnitas destruatur; Ita etiam communis natura per operationem mentis à pluribus, hoc est ab inferioribus abstracta, totum eodem modo dicetur, quia plura actu in illa non sunt inclusa, cùm tamen ex illis, quæ reipsâ sunt plura, per opus rationis possit quid vnum fieri, cuius vnitas per contractionem, quæ est in re, destruitur. Nihil autem refert ad potentialem continentiam, de qua verba facimus, quòd ex vno possint fieri plura, vel ex pluribus, vnum; vtroque siquidem modo plura in vno, non actu, sed potestate contineri dici possunt.

Prima difficultas ex Aristotelis auctoritatibus desumpta 7. Ph. text. 32.

Ineptè autem nonnulli Aristotelis testimonio concludunt vniuersale totum esse, non quod potestate, sed quod actu inferiora contineat, eoquòd ipse dixerit. Καὶ σημαίνει γὲ ὁ λόγος ἕνος ὅτι τὸ ἓν ὁμώνυμον οὐκ ἔστι, ἀλλὰ παρὰ τοῦτο λανθάνει πολλά. *Et significat sermo iste, quòd genus non vnum quid est, sed ob hoc latent multa.* Vndè fluxit vulgatissimum illud, cuius quoque superiùs meminimus. *In genere plures latent æquiuocationes;* Et alibi ἀναγκη ἄρα ἐν γένει τῷ αὐτῷ εἶναι τὰ ἕτερα τῷ ἤδει. *Necesse est igitur in eodem genere esse, vt quæ specie diuersa sunt.* Neutro tamen loco Philosophus affirmat genus, atque adeò vniuersale continere actu inferiora; solùm enim loquitur de continentia, quæ citra difficultatem, pro illa potest intelligi, quâ vnum potestate plura contineat.

10. Diuin. text. 24.

Solutio.

Secunda difficultas.

Nec malam totius potentialis rationem à nobis explicatam existimes, eòquòd hæc etiam materiæ, quæ vniuersale physicum appellari consueuit, apprimè conuenire videatur, cùm ipsa quoque formas potentiâ contineat, & nihilominus totum potestate dici non potest. Etenim continentia conueniens materiæ non est illa, quâ totum potestate, scilicet vniuersalis natura præcisione ab inferioribus seiuncta; proindèque metaphysicum vniuersale sibi subiectas continet partes; sed alteri proportione respondet, quâ idem vniuersale continet differentias; vt enim materia continet formas, sic etiam prædictum vniuersale continet differentias, nimirùm potentiâ; vnde est, vt genus persimile dicatur materiæ, vt enim hæc est in potentia ad formas tanquam ad sui perfectionem; ita genus ad differentias. Cum itaque materia non contineat formas tanquam sibi partes subiectas, & veluti inferiora sui, propterea comparatione ipsarum totius potentialis rationem obtinere non potest; secùs autem vniuersale metaphysicum, licet enim relatum ad differentias persimile sit materiæ, nec totum potestate dici possit: relatum tamen ad inferiora, sibique subiectas partes, optimè dici potest.

Dices, materia saltem respectu compositorum, ad quæ per formas determinatur, totum potestate dici debebit. Hoc tamen non concedendum, cùm dispar sit ratio; nam communis naturæ contractio per differentias ad indiuidua, fit per identitatem cum ipsis differentijs indiuiduantibus, vt superiùs etiam aduertimus; at materiæ determinatio per formas ad composita non fit per identitatem cum formis, si quidem realiter ab ipsis distinguitur.

Dicebam relatum ad differentias, vniuersale metaphysicum totum potestate dici non posse, quoniam totum non ideo potestate dicitur tale, quia in suo essentiali conceptu non inuoluat aliqua respectu quorum habeat rationem totius, vt perperam Neotericus quidam existimat; hoc enim concesso, vniuersale metaphysicum comparatione differentiarum, vtique totum potestate diceretur, cum illas in suo essentiali conceptu non includat.

SECTIO SECVNDA.

Quòd vniuersale in actu, seu logicum non sit formaliter totum potestate.

SEquitur inquirendum, num vniuersali logico, & atque adeo in actu, ratio totius potentialis concedi debeat. Vt autem quid hac de re sentiendum, assequamur, operæ pretium erit ad memoriam reuocare, quid sit vniuersale logicum, seu in actu, & formaliter, quod apud omnes est vniuersale verè, ac propriè dictum, de hoc planè Philosophum esse locutum interpretes existimant, dum ille ait δεῖ ἄρα τι εἶν ἓν τὸ αὐτὸ ἐπὶ πολλῶν εἶναι μὴ ὁμώνυμον. *Oportet igitur aliquid vnum, & idem in pluribus esse, non homonymum.* Et alibi τοῦτο γὰρ λέγεται καθόλου ὃ ἂν πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε. *Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus naturâ aptum est ineße.* Et iterum λέγω δὲ καθόλου μὲν, ὃ ἐπὶ πλείονα πέφυκε κατηγορεῖσθαι. *Vniuersale appello, quod suâpte naturâ multis attribuitur.* Ex Philosophi igitur sententia, vniuersale definiendum erit bifariam; vel per essentialia dicendo, *aliquid vnum aptum ineße multis*; vel per proprietatem, *quod aptum est prædicari de pluribus*; an verò vniuersale metaphysicum sit, an logicum, cui tam superior definitio, quàm descriptio consentanea sit, videndum superest; quòd vt probè constet, paucis oportebit adnotare progressum, quo vtitur intellectus ad efformandum vniuersale, quod logicum, & in actu dici solet.

Primò enim intellectus vt naturam vniuersalè formaliter reddat, singularia, ac realem eorum conuenientiam apprehendit; Secundò naturam illam, quæ erat

erat ratio conuenientiæ, abstrahit, quod etsi, vt plurimùm ita abstractio contingat; nihil tamen obstat, quo minus intellectus eandem ab vnico singulari abstrahere possit; considerando scilicet naturam, singulari non considerato, prout singulare est. Tertiò comparat naturam ita præcisam ad indiuidua in aliquo attributo reali, quatenus nouit illam æquè participabilem ab omnibus disiunctim, hæc enim aptitudo, quâ natura disiunctim potest inesse multis, realis est, cùm esset in natura paritèr ante præcisionem, quamuis non proxima, & expedita propter impedimentum indiuidualis differentiæ; Sed hucusque solùm habetur vniuersale metaphysicum. Quartò vlterius progreditur, comparat eandem naturam cum indiuiduis, velut omnibus communicabilem coniunctim, & habetur vniuersale formale constitutum in actu primo absolutum per huiusmodi comparationem, quæ longè diuersa est à priori, cùm illa esset in aliquo attributo reali, propterea quòd aptitudo illa, quâ poterat natura ab omnibus disiunctim participari, realis erat; at verò aptitudo proxima, quâ ipsa communis natura coniunctim possit inesse multis, non est realis, sed opus rationis. Quintò rursus naturam comparat ad indiuidua comparatione tamen simplici, concipiendo scilicet illam, vt vnam formaliter in omnibus per inexistentiam, solùmque numericè diuisam, & hunc in modum constituitur vniuersale formale in actu absolutum per huiusmodi comparationem tertiam in ordine, eiusdem conditionis cum secunda, cum sit in quodam attributo rationis; naturam siquidem esse vnam in omnibus per inexistentiam solius rationis est opus. Sextò tandem, quoniam in tali statu est proximè prædicabilis de omnibus, quibus inesse concipitur; propterea intellectus talem vniuersalitatem constituit in exercitio per comparationem compositam, dum illam naturam vnam ita mente conceptam de singulis enunciat prædicatione dicente, hoc est hoc.

Ex huiusmodi autem progressu, quo intellectus vtitur in effectione vniuersalis, multa quidem innotescunt, ex quorum cognitione perspicuè constat, quo sensu intelligendum vniuersale in actu esse vnum aptum inesse multis, ac proindè definitionem illam à philosopho traditam egregiè huic vniuersali congruere, quæ vt meliùs, & clariùs intelligantur, pauca quædam memoriâ repetam ab instituto minimè aliena.

Duo sunt, quæ ad adæquatum vniuersalis conceptum constituendum omninò concurrunt, scilicet vnitas, & communitas, ita tamen vt alia sit vnitas, & communitas vniuersalis metaphysici, & incompleti; alia verò vnitas, & communitas vniuersalis in actu seu formalis, & completi; vnitas illius, vt superiùs etiam perpendimus, ea duntaxat est, quæ dicitur præcisionis, & in abstractione per opus mentis consistit; communitas verò naturæ conuenit, licet postea fiat per abstractionem eandem; at communitas vniuersalis in actu est illa, per quam natura redditur proximè potens de quolibet prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc; nihil tamen reperitur ita commune pluribus à parte rei; ergo consequens est, vt communitas, quam vniuersale in actu requirit, sit opus rationis; maior constat ex conceptu vniuersalis in actu; minor ex eo redditur manifesta, quoniam est alicui existenti in re, non repugnet esse sub alia singularitate ab ea, sub qua est; non potest tamen illud verè dici de quolibet inferiori; quod quodlibet sit ipsum, saltem in potentia proxima; & quidem prædicationis veritas fundatur in identitate naturæ cum subiecto, de quo prædicatur; at verò humanitas exempli gratia Socratis à parte rei tantummodò cum Socrate, non autem cum Platone, vel aliquo alio indiuiduo identitatem habet; propterea non poterit de omnibus, & singulis prædicari natura à parte rei prædicatione dicente, hoc est hoc.

Secunda ratio.

Præterea natura quidem communis est extra animam per indifferentiam, itaut quòdlibet suppositum propriam habeat naturam cum sua vnitate formali, vnde alia sit humanitas Socratis, alia Platonis etiam in illo priori ante differentias indiuiduantes; alia tamen, & alia non formaliter, cùm non sit diuisa per formalia principia, sed numericè, non secundum se, quia nondum accesserunt differentiæ numericæ, sed prout natura fundat identitatem cum differentijs numericis; dicatur tamen vnaquæque natura communis, quoniam etsi sit extrinsecus contracta per differentiam ad hoc, vel illud indiuiduum: intrinsecus tamen semper remanet indifferens, vt sit in hoc, vel in illo, vt enim modò constituit Socratem, ita quantum est de se, & ex internis principijs potuisset constituere Platonem, si illi à generante communicata fuisset; at per hanc communitatem natura non est proximè prædicabilis de pluribus, vt ad vniuersale in actu requiritur; sed remotè tantum; proindè communitas ad vniuersale in actu requisita non erit in re, nec extra animam; ergo erit opus rationis. At quòd huiusmodi communitas non ea sit, per quam natura dici possit proximè prædicabilis de pluribus, inde constat, quoniam etsi illa admitti possit indifferentia quædam, ea tamen non est, nisi negatiua, vel priuatiua; sed ad proximam prædicationem requiritur positiua, expedita & à quocunque impedimento contrahentis differentiæ libera; ergo communitas, quæ est in re, non est illa, per quam natura est proximè prædicabilis de pluribus.

Communitatem esse rationis opus bifariam potest intelligi. Primò. Secundò,

Quia tamen communitatem esse rationis opus gemino modo potest intelligi; primo quatenus idem est, ac ipsius naturæ communitas prout abstractionem, præcisionemque per opus rationis inuoluit; Secundo prout hâc suppositâ præcisione respectum quendam importat effectum ab intellectu, dum hic confert naturam abstractam ad indiuidua in aliquo attributo reali, quatenus illam nouit æquè participabilem ab omnibus; deinde comparat eandem cum ipsis indiuiduis, velut omnibus communicabilem coniunctim, atque adeo per inexistentiam. Suspicari quispiam igitur posset ad vniuersale in actu requiri communitatem, indifferentiam, & aptitudinem, quæ sit opus rationis priori, non tamen posteriori modo.

Quomodo communitas sit opus rationis ad vniuersale in actu requisita.

Asserendum tamen communitatem requisitam ad vniuersale in actu esse opus rationis etiam secundo modo sumptum; itaut non sufficiat, vt sit opus rationis priori modo explicatum, sed requiratur, vt sit secundo modo acceptum.

Ratio probans communitatem iuxta secundam vsurpationem.

Hanc assertionem hunc in modum suadeo. Illa communitas per quam natura non habet, vt sit in pluribus coniunctim, nec vt sit communis per inexistentiam non sufficit ad vniuersale in actu; sed communitas naturæ prout est opus rationis priori modo sumptum ita se habet, vt per ipsam nequeat natura de pluribus coniunctim enunciari, communisque dici per inexistentiam; communitas ergo naturæ prout est opus rationis priori modo sumptum non sufficit ad vniuersale in actu; maiorem propositionem

tionem

tionem sic ostendo. Communitas, vnde natura habere non potest, vt sit proximè prædicabilis de pluribus, non sufficit ad vniuersale in actu, siquidem hoc omninò requirit, vt proximè de pluribus possit enunciari; sed illa communitas, vnde natura non habet, vt possit prædicari de pluribus coniunctim, dicique communis per inexistentiam, ita se habet, vt per ipsam nequeat esse natura proximè prædicabilis de pluribus; ergo illa communitas per quam natura non habet, vt sit in pluribus coniunctim, neque communis sit per inexistentiam, non sufficit ad vniuersale in actu. Minor autem principalis argumenti rectè probari potest ex eo, quia aptitudo prout est opus rationis priori modo sumptum ea est, per quam constituitur vniuersale metaphysicum, & per quam tantummodò natura prædicari potest de pluribus disiunctim solùmque per indifferentiam communis dici potest. Et quoniam, quæ haberi non possunt, per aptitudinem prout est opus rationis iuxta priorem vsurpationem, habentur per aptitudinem prout rationis est opus iuxta secundam acceptionem; propterea concludere licebit ad vniuersale in actu non sufficere communitatem, indifferentiam, ac aptitudinem prout est opus rationis iuxta primam, sed requiri iuxta secundam vsurpationem.

Aduersariorũ Responsio.

Confutatio.

Non me præterit à quibusdam negari ad vniuersale in actu requiri, vt sit proximè prædicabile de multis. Id tamen ab ipsis inconsideratè fit, nemine siquidem vniuersalis in actu debet illud intelligi, quod vltimò completum est, adeout ad constitutionem ipsius nihil desiderandum supersit, ex quo proximè habeat, vt prædicari possit; alioquin aliquid illi deesset, proindèque completum non foret; vnde completum esset ex hypothesi, sed non completum alicuius defectu, quæ contradictionem inuoluunt.

Confutationis confirmatio.

Confirmatur; nam vniuersale in actu, vltimòque completum si non exposcit, vt proximè de multis prædicari possit, sat igitur erit, vt hoc ei remotè conueniat; cùm autem aliquando actu ab intellectu prædicetur, necesse tandem, vt factum illud sit proximè prædicabile; actu nanque prædicari supponit, proximè posse prædicari; aliquid igitur amplius ad huiusmodi vniuersale requiritur, vt proximè prædicari queat; quod si ita est, vniuersale, de quo fit sermo, non erit vltimò completum, cùm ad sui constitutionem aliquid amplius exposcat; & tamen completum supponitur.

Aliorum Responsio

Confutatio;

Quæ cum quidam intelligerent veritati maximè consentanea; propterea his concessis; existimarunt potius negandum communitatem per inexistentiam in pluribus simul, & coniunctim ad vniuersale in actu desiderari. Sed hoc planè deterius; nam vt paulò ante dicebam, vniuersale, de quo fit sermo, debet proximè de pluribus esse prædicabile; licet enim alicui existenti in re non repugnet esse ex internis principijs sub alia singularitate ab ea, sub qua est, non tamen illud uerè dici potest de quolibet inferiori, quòd quodlibet sit ipsum, cùm hoc tantummodò dici possit, de obiecto considerato quidem eodem indifferenti actu; non igitur sufficit illa communitas, uel indifferentia, quæ conuenit naturæ extra animam, sed requiritur maior, in eo sanè consistens, vt natura in intellectu reluceat apta simul & coniunctim ineſse pluribus; quòd enim possit in pluribus esse disiunctim, illi conuenit etiam à parte rei, si secundum rationem eius, unitatemque formalem, quam habet in re minorem unitate numerali, spectetur, licet eius aptitudo prout est in statu realis existentiæ negatiua, seu priuatiua sit, proindèque remota, proximior in statu existentiæ obiectiuæ vtpotè positiua; non tamen absolutè proxima, itaut coniunctim in pluribus esse queat, vt vniuersale in actu, de quo habetur sermo, requirit; & ita præcluditur via respondentibus ad vniuersale in actu sufficere communitatem, & indifferentiam, ac aptitudinem, quam in statu existentiæ obiectiuæ natura consequitur.

Vniuersale completum præter communitatem iam explicatam, vnitatem pariter efflagitat; Hæc autem vnitas cuiusmodi sit, paucis ad memoriam reuocabo.

Vnitas vniuersalis in actu profectò non existimanda vnitas realis, sed rationis, vtpotè procreata per operationem intellectus cum fundamento tamen in re; quod Aristoteli placuisse, vel ex eo planè constat, quòd aliquando protulerit. Ἔτι ἡ τὸ καθόλου μή ἐστί τι παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα. *Præterea si vniuersale non est quidpiam præter singularia.* Hoc enim loquendi genere videtur apertè significasse vnitatem vniuersalis in re non esse, cùm, quæ reipsâ sunt, singularia esse dicat, præter quæ, vniuersale ex rei natura nihil, quod etiam expressius apud eundem legimus ita loquentem. τὸ δὲ ζῶον τὸ καθόλου ἤτοι οὐδὲν ἔστιν ἢ ὕστερον. *Animal autem, quod est vniuersale, aut nihil est, aut posterius.* Etenim si vniuersale posterius est singularibus, vt Philosophus loquitur, certè non aliam ob causam, nisi quoniam ab eis per intellectum abstrahitur; quod si ita est, nemini licebit inficias ire, vniuersale in actu, de quo verba facimus, opus esse rationis. Imò clarius, & apertius hanc ibi veritatem expressit, vbi hæc habet. λέγεται δ' ἓν, καὶ ὧν τὸ γένος ἓν διαφορὰς εἰς ἀντικειμένας διαφορᾶς ἢ ταῦτα· λέγεται πάντα ἓν ὅτι τὸ γένος ἓν τὸ ὑποκείμενον τὰς διαφορὰς οἷον ἵππος, ἄνθρωπος, κύων· ἓν τε ὅτι πάντα ζῶα, ἢ πρότερον δὴ τινὰ παραπλήσιον ἄσωμα ἢ ὕλη. *Dicuntur autem vnũ, & quorũ genus vnum differens oppositis differentijs. Et sunt ita hæc vnũ dicuntur, quoniam vnũ est genus subiectum differentijs, vt homo, equus, canis, vnum quid, quoniam omnia animalia, & quoniam simili modo sicuti materia vna.* Plura autem illa non nisi rationis ope vnum dici possunt; quod etiam inferius, & alibi pariter exprimit, vbi varios vnitatis modos commemorans, ratione quidem vnum recenset, atque talem vnitatem vniuersali tribuit.

Sed hoc idem ratione persuadere licebit, ex eo quia vnitas ad naturæ vniuersalitatem requisita in aliquo ei statu conuenire debet, in quo videlicet natura vniuersalis est; existentię autem communis naturæ duplicem aliàs statum adscripsimus, quorum vnus dicitur existentiæ realis; alter verò obiectiuæ, quemadmodum etiam duplex realis vnitas, scilicet numeralis, & formalis, quoniam omnis diuisio, aut materialis est, aut formalis; cùm igitur vnitas vniuersalis non competat naturæ in statu existentiæ realis; siquidem natura non est vniuersalis in re, formaliter, & actu; propterea conueniet ei tantummodò in statu existentiæ obiectiuæ, & quia talis vnitas neque numerica, neque formalis esse potest, vt mox constabit; ob id consequens fit, vt vniuersalis vnitas non sit realis, sed rationis; at verò vnitatem vniuersalis numeralem esse non posse perspicuum satis; numerica siquidem vnitas rerum singularium est propria, nec cohærere cum numerali multitudine tum actu, tum aptitudine potest, velut illa, quâ natura redditur prorsus indiuisibilis in inferiora.

Accedit etiam, quòd eâ vnitate vna dici debet vniuersalis natura, quæ obiectiuæ existentiæ, quam per opus rationis natura consequitur, accommoda-

ta

ut est; sed huiusmodi certè non est vnitas in re, non enim numeralis, neque formalis (de alijs enim vnitatibus realibus, vt continuitatis, subiecti, &c. nulla suspicio) ergo erit vnitas rationis. De numerali constat ex dictis; de formali mox planum fiet.

Vnitas vniuersalis non est formalis.

Vnitatem vniuersalis haud esse naturæ formalem vnitatem, minorem vnitate numerali, ex eo mihi persuadeo, quoniam etsi huiusmodi vnitas omninò necessaria sit, veluti præcipuum actualis vniuersalitatis fundamentum; tamen non sufficit ad vniuersale formaliter constituendum, sed opus est vnitate maiori, cuiusmodi est illa, quæ per mentis operationem obtinetur. Potissima autem ratio, quoniam vt natura sit vniuersalis in actu, præter vnitatem formalem, duæ aliæ vnitates requiruntur, quarum vna ex parte fundamenti proximi necessaria est, eaque dicitur præcisionis; altera uero ex parte complementi vniuersalitatis, vnde habet natura, ut sit una in multis per inexistentiam.

Vnitas præcisionis est sufficiens ad fundamentum proximum vniuersalis in actu, non tamen ad complementum.

Ex parte autem proximi fundamenti præter unitatem formalem, requiri vnitatem aliam ex eo constat; quoniam ad fundandum vniuersale in actu non satis, vt sit indeterminata negatiuè, sed etiam positiuè, & contrariè; nam vniuersalis in actu proximum fundamentum est etiam vniuersale, quod metaphysicum appellant; quod certè opponitur singulari non negatiuè tantum, seu priuatiuè, sed contrariè; ita ut huiusmodi status oppositas in natura conditiones exposcant, nempè ut singulare dicat unitatem, cui potissimè multiplicatio aduersetur; uniuersale uerò dicat unitatem, cum qua cohæreat aptitudo, qua ipsum esse possit in multis, siue disiunctim, ut uniuersale metaphysicum, quod est fundamentum proximum uniuersalis in actu, siue coniunctim, ut est ipsum uniuersale in actu; at uerò natura prout in re, quatenus stat sub unitate formali, non est indeterminata positiuè, & contrariè, cuiusmodi est, prout stat sub unitate præcisionis, estque fundamentum proximum uniuersalis in actu: sed tantùm negatiuè, ut ex supra disputatis perspicuum est; ergo præter unitatem formalem ad proximum fundamentum uniuersalis in actu ulterior unitas requiritur.

Vnitas præcisionis est sufficiens ad fundamentum proximum vniuersalis in actu non sufficit tamen ad illud constituendum.

Hanc uerò unitatem præcisionis, quanuis sufficientem ad constituendum fundamentum proximum uniuersalis in actu, non sufficere tamen, sed ulteriorem requiri ad istud constituendum, ex eo planè conijcitur, quoniam unitas constitutiua uniuersalis in actu, non est illa, quâ natura est in se una, sed per quam est una & quidem coniunctim in multis, vt ex vniuersalis, de quo loquimur, definitione perspicuum est; sed vnitas præcisionis ita se habet, vt per ipsam natura constituatur in se vna, non autem in multis; ergo vnitas præcisionis non sufficit, sed vlterior requiritur ad constituendum uiuersale in actu, atque completum.

Quidam existimant superiori rationi satisfieri posse respondendo præcisionis unitatem bifariam usurpari. Primò, inquiunt, prout incompleta est, & hanc esse illam, per quam natura est una inse, non autem respectu aliorum, nec est una in multis. Secundò prout completa est per actum intellectus comparantis naturam communem cum inferioribus, itaut vnitas præcisionis in ratione unitatis uniuersalis per comparationem huiusmodi compleatur; & hunc in modum, inquit, præcisionis unitatem eam esse, per quam una una est in multis.

Hæc tamen responsio non satisfacit, nam etiam admissa illa comparatione communis naturæ cum inferioribus, per quam unitatem præcisionis completi dicunt, quanque non inficior, utpotè necessariam pro fundamento primo vniuersalitatis in actu; non propterea tamen per talem comparationem præcisionis vnitas ita completur, vt unitas uniuersalis in actu dici possit; Nam unitas præcisionis quantumuis per comparationem completa, talis non est, ut per ipsam natura sit una in multis coniunctim, sed disiunctim, neque una in multis per inexistentiam, sed per indifferentiam. At unitas uniuersalis in actu tanta est, ut per ipsam natura actu, uel aptitudine coniunctim, & per inexistentiam sit una in multis. Deinde natura per præcisionis unitatem quantumuis completam comparatione iam explicatâ, non est una in multis, nisi cum multiplicitate in ratione naturæ; non sic autem una est natura per unitatem uniuersalis in actu; nam licet sit in multis cum sui diuisione extrinsecus scilicet proueniente à differentijs contrahentibus, non tamen cum multiplicitate in ratione naturæ. Hoc autem magnam habet analogiam cum Diuina natura existente in tribus personis; ut enim hæc una, & eadem simul, eòquòd affecta sit multiplici personalitate, ita se habet, ut quanuis una sit in illis, tres tamen personæ sint; eodem modo communis natura quatenus affecta est simul pluribus singularitatibus, ita se habet, ut per contractionem singularitatum fiant plura indiuidua; hoc tamen interest, quòd natura Diuina in tribus personis est una numero: at communis natura non una numero, sed una unitate rationis in indiuiduis, per quam uidelicet natura coniunctim, & per inexistentiam est una in illis. Itaque ut communis natura concipiatur una eâ unitate, quâ reddatur uniuersalis in actu, non satis, ut concipiatur una formaliter in omnibus per indifferentiam, quia sic non conciperetur una, & eadem natura communis inadæquatè identificata cum singulis, quod uniuersalitas in actu requirit, & ut proximè potens de singulis prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc; sed concipi debet una in omnibus per inexistentiam, hoc est una, & eadem naturæ entitas omnibus communicata, & identificata, scilicet affecta simul, & coniunctim pluribus singularitatibus, itaut solùm extrinsecùs multiplicetur numero, & nullo pacto in ratione naturæ, adeo nimirùm ut in tali statu uniuersalitatis, plura indiuidua talis naturæ dici possint unum quidpiam in ratione eiusdem naturæ, ut exempli gratia: dum natura humana fit uniuersalis in actu per intellectum, & intentionaliter ad indiuidua plura contrahitur, solùm extrinsecùs multiplicatur numero, & nullo pacto in ratione naturæ; ita scilicet ut in tali statu uniuersalisatis plura humana indiuidua dici possint unus homo in ratione naturæ, iuxta illud; *Plures homines participatione speciei sit vnus homo.*

Analogia inter communem naturam vt vniuersalem in actu & naturam Diuinam.

Sunt tamen, quibus hæc minus arrideant, eòquòd his admissis, sequeretur dicendum intellectum decipi, si quidem natura reuerâ non est una per inexistentiam in pluribus; sequeretur etiam naturam habere simul aptitudinem, & repugnantiam ad esse in pluribus; nam foret apta ex hypothesi, sed haberet repugnantiam, quoniam repugnat eam esse per inexistentiam in multis. Hæc tamen non sequuntur incommoda; non enim asserimus naturam esse de se hanc, postea uerò concipi sub ratione uniuersalis, quo posito sequerentur absurda, quandoquidem natura conciperetur tunc sub opposita ratione, atque adeo intellectus deciperetur; sed potius affirmamus naturam non esse de se hanc, proindèque non repugnare, quominus ipsa sub uniuersalis ratione concipiatur; uniuersalitas enim naturæ non repugnat,

Difficultates.

Solutiones.

cum

cùm hæc de se non sit uniuersalis, nec singularis, sed indifferens ad utrumque iuxta illud Auicennæ *equinitas est tantùm equinitas*.

Differentia inter vnitatem vniuersalis logici, & metaphysici.

Hinc perspicuum est, unitatem hanc uniuersalis in actu longè differre ab unitate, quâ uniuersale metaphysicum dicitur unum; hoc enim unum est unitate præcisionis, itaut natura sit vna communis pluribus per indifferentiam, & plurificetur intrinsecùs aliquo modo in ratione naturæ in indiuiduis per identitatem, quam habet cum differentijs indiuiduantibus, adeout exem: gra: à parte rei tot homines dici debeant, quot sunt indiuidua, neque verè dici possint vnus homo, vt in Diuinis tres personæ dicuntur vnus Deus: non sic autem vnitas vniuersalis in actu. Natura siquidem dum fit vniuersalis in actu per intellectum, & intentionaliter ad indiuidua plura contrahitur, solùm extrinsecùs multiplicatur, nulloque pacto in ratione naturæ; vnde est, vt in tali statu vniuersalitatis, plura humana indiuidua exempligratia, dici possint vnus homo in ratione naturæ; & ideo formalis vnitas quam per opus rationis consequitur natura, maior sit vnitate formali, quam habet in re. Cur autem Diuina natura in tribus diuinis suppositis non dicatur diuidi, nec numero multiplicari, quantumuis diuinis personalitatibus terminetur, ijsdemque affecta sit, benè tamen humana natura in Socrate, & Platone, eò ipsò quòd ab eorum indiuidualibus differentijs contracta redditur, adeout verè dici possint duo homines, non sic pater, & filius duo Dij; non facile est explicatu. Ratio autem illa quibusdam videtur, quoniam in diuinis personalitates ita identificantur cum Diuina natura, vt tamen ex vi talis identitatis non fiat multiplex natura in ratione naturæ, sed personaliter tantùm; at increatis ita identificantur singularitates cum natura, vt natura per ipsas multiplicetur etiam in ratione naturæ, vnde quoniam in Socrate, & Platone reipsâ non solùm reperiuntur plures singularitates, sed etiam plures humanitates, ideò plures homines dicuntur: non sic autem pater, & filius ob contrariam rationem plures Dij. Sed rectius quia aliud est identificari cum personalitatibus, & aliud cum singularitatibus; dum enim cum his identificatur natura, multiplicari debet in ratione naturæ, non sic autem cum illis; quatenus tamen natura communis est vniuersalis in actu, ita conuenit pluribus, vt plura dicantur vnum, atque adeo plures homines, nempe Socrates, Plato &c. sint vnus homo; & hoc quia contractio per intellectum non multiplicat naturam, vt facit contractio in re, qualis est contractio per quam contrahitur natura vniuersalis, vniuersalitate metaphysica, ut superiùs innuimus, & iterum infra magis explicabitur; & hinc affinitas vniuersalis in actu cum Diuina natura.

Grauis propositus difficultas.

Difficultati fit satis.

Validissimè probari etiam assertio potest, quia præcisionis vnitas ponit repugnantiam in natura ne fit in multis, cùm illam constituat in statu solitudinis, cui repugnat consortium differentiarum contrahentium; sed vnitas vniuersalis in actu constituit naturam in multis coniunctim actu, vel saltem aptitudine, tollitque statum solitudinis; Vnitas ergo præcisionis non est formaliter vnitas vniuersalis in actu, nec ad huiusmodi vniuersalitatem sufficiens. Maior propositio manifesta est ex abstractionis officio, quod est spoliare naturam differentijs; vnde nequit admittere consortium illarum; minor autem, in qua aliqua esse potest difficultas, ex eo probata manet; quoniam vnitas vniuersalis in actu talis esse debet, ut cùm per ipsam natura fuerit una, possit proxime prædicari de multis coniunctim; at non potest de multis ita prædicari, nisi intelligatur actu, uel aptitudine esse coniunctim in illis; nam *dici de* supponit *esse in*; ideo enim hoc de illo prædicatur, quoniam illi inexistit, vel concipitur in esse, quod sic intelligendum, vt prædicatio actualis inexistentiam actualem; aptitudinalis aptitudinalem supponat; ergo unitas uniuersalis in actu constituit naturam in multis coniunctim &c.

Tertia ratio.

Superior etiam ratio confirmatur; quoniam natura cùm fuerit à singularitatibus præcisa, postea uerò per simplicem actum comparationis conferatur cum inferioribus, ut dicatur esse in ipsis, atque de ipsis per modum superioris, & uniuersalis; utique præcisionis, & solitudinis unitatem actu abstractionis iam acquisitam amittit, & adhuc una remanet unitate uniuersali, itaut fit proximè apta de pluribus prædicari, atque adeo uniuersalis in actu; ad hanc igitur uniuersalitatem unitas præcisionis non sufficit.

Conf tio.

Neque dicas cum unitate præcisionis cohærere non posse actum, bene tamen aptitudinem, quâ natura sit in multis. Vnitas enim uniuersalis non solùm aptitudinem, sed etiam actum secum patitur, quo natura sit in multis, non quidem actum realem, sed rationis; hic autem actus omninò præcisioni repugnat. Quòd autem hæc unitas uniuersalis, de quo loquimur cohæreat cum actu, quo natura sit (per intellectum tamen) in multis ex paulò antea dictis euidens est; nam alioquin non foret proximè prædicabilis.

Qu resp Rei

Difficultas tamen insurgit, nam ut natura sit uniuersalis, requiritur indeterminatio positiua, seu contraria; hanc autem indeterminationem natura quidem amittit eò ipsò, quòd ponitur contracta, siue id fit à parte rei, siue per intellectum; uniuersalitas ergo repugnat actui, quo natura sit in multis, cùm hic sit contractionis status.

Dif tas

Aduerte tamen contractionem, quæ est in rediuersam esse ab ea, quæ fit per intellectum; quando enim natura contrahitur à parte rei, cùm vna, & eadem nequeat esse simul, & coniunctim in pluribus determinatur ad vnum, sitque illi propria; proindeque in huiusmodi statu realis contractionis uniuersalitas illi repugnat; quando autem contrahitur per intellectum, cum hoc modo obiectiuè spectata, nihil prohibeat, quominus una, & eadem sit in pluribus cum sola diuersitate numerica, tunc non consideratur, ut contracta ab uno tantùm, sed ab omnibus inferioribus simul, & coniunctim; itaut licet hoc, & illud constituat, nequit tamen dici ad unum determinata, quoniam indiscriminatim omnia respicit, & omnia constituit.

Sol

Neque dicas vnitatem præcisionis perseuerare saltem ex parte fundamenti, & cohærere cum actu, quo uniuersale sit in multis; falsum enim perseuerare præcisionis unitatem, quoniam hæc ex parte fundamenti requiritur solùm, ut conditio prœuia, quâ non præsuppositâ non posset intellectus appingere naturæ secundam intentionem uniuersalitatis in actu; non tamen requiritur, ut conditio perseuerans.

A resp ad t vnit præ nis vni le Rei Vn le ne con ces for tes in se h

His autem habitis, dico uniuersale in actu formaliter non esse totum potestate. Illud enim totum, in quo plura potestate non continentur vtiq; totum potestate dici non debet; sed tale est uniuersale in actu; ergo huiusmodi uniuersale formaliter totum potestate dici non potest; Sic autem assumptionem ostendo. Vniuersale in actu ex non multo antea explicatis, est communis natura provt affecta unitate,

& com-

Digitized by Google

& communitate per inexistentiam in multis, de quibus coniunctim proximè possit prædicari, itaut contractio proueniens à differentijs indiuiduantibus non fiat per multiplicationem naturæ in ratione naturæ, sed solum extrinsecùs per huiusmodi differentias, ita naturam ipsam contrahentes, vt hæc per contractionem non amittat commemoratam vnitatem, quin potius vnitatem cum ipsa contractione retineat; vnde sic licet arguere. Vniuersale in actu est quale descripsimus; sed quod ita se habet non est totum, in quo plura potestate contineantur; ergo vniuersale in actu non est totum, in quo plura potestate contineantur; minorem sic ostendo; Si enim aliqua in eo dicerentur potestate contineri, maximè forent inferiora, ad quæ per contractionem illud descendit; sed hæc dici non possunt, cùm potius actu in eo contineri dicenda sint; siquidem contractio non destruit vnitatem huiusmodi vniuersalis; præmisimus enim eius vnitatem cum contractione cohærere; hinc perspicuum igitur vniuersale in actu non esse formaliter totum potestate.

Hoc eleganter explicari potest exemplo continui, iuxta sententiam dicentium in ipso contineri partes actu distinctas; hæ nanque non dicuntur in continuo potestate contineri, quoniam per distinctionem partium non destruitur vnitas totius continui, licet quatenus diuisæ, atque seiunctæ dici possint in eo potestate contineri, eoquòd separatio, siue disiunctio totius continui destruit vnitatem; verùm enim verò distinctio partium proportione respondet contractioni vniuersalis in actu, eoquòd quemadmodum distinctio partium stat simul cum vnitate totius continui; ita etiam contractio cum vnitate vniuersalis in actu.

Cum igitur ex hactenus disputatis perspicuum sit vniuersale in actu simpliciter dici non posse totum potestate, sequitur tale dicendum ratione fundamenti; hoc enim cùm sit vniuersale metaphysicum, & huic, vt superiùs ostendimus, concedenda sit ratio totius potentialis, consequens fit, vt vniuersale in actu ratione fundamenti totum potestate dici mereatur. Posset etiam aliâ ratione tale dici, videlicet per comparationem ad illa, quorum multitudo vnitati per inexistentiam aduersatur; nam vnum & multa inuicem opponuntur; atque adeo vnum per inexistentiam in multis opponitur multis per inexistentiam in multis; horum tamen multitudo non habetur per contractionem factam ab intellectu, sed eadem est, ac illa contractio, quæ conuenit vniuersali metaphysico, estque extra animam, cùm nil aliud sit, quàm diuisio communis naturæ, ea nimirum, quæ re ipsâ est nullo cogitante intellectu.

SECTIO TERTIA.

De contractione naturæ vniuersalis ad esse in multis.

QVoniam eatenus vnum de multis potest prædicari, quatenus est in illis; nam *dicide* supponit *esse in*; propterea vniuersale de multis potest prædicari eam ob causam, quoniam in multis est; sed quia vniuersale est in multis per contractionem, ob id antequam prædicabilitatem tractemus, iuuabit quædam præmittere de contractione naturæ vniuersalis ad esse in multis.

Contractio quidem abstractioni opponitur, vt enim per abstractionem natura veluti separatur à multis, sic e contra per contractionem determinatur ad esse in multis.

opponitur.

Contractio communis naturæ quid sit.

Communis naturæ contractionem vt explicemus præ oculis habendum quòd contractio naturæ nihil aliud est, quàm eiusdem diuisio, quæ gemino modo potest explicari; primò prout est in re, cuiusmodi est diuisio, & multiplicatio eiusdem naturæ præcedens omnem abstractionem ab intellectu factam, hoc autem pacto non est opus rationis, cuiusmodi est ipsa abstractio. Vniuersale metaphysicum, proindèque logicum, cuius illud est fundamentum contractionem hanc exerceri posse per realem diuisionem multiplicationemque supponit, non modo rerum in quibus est natura, sed etiam ipsiusmet naturæ, quæ nimirum diuidi, multiplicarique reipsâ possit. Si nanque simplex natura realiter in pluribus existeret, vt reuerâ est natura Diuina in tribus personis, vel vna numero forma foret in tribus subiectis constituta; tunc non contingeret illa contractio naturæ, quam possibilem vniuersale supponit, cum sine multiplicatione ipsius naturæ cueniret. Necesse est igitur vt plura reipsâ esse possint, quæ deinde cogitatione mentis fiant vnum, quod vniuersale metaphysicum est; quod propterea dici consueuit vnum, & multa, scilicet vnum cognitione, & re quidem plura; diciq; etiam solet diuidi in plura se ipsa, nempe naturam in plures singulares naturas, vt alias etiam aduertimus, cùm diceremus vniuersale metaphysicum communicari pluribus quidem posse cum diuisione tamen naturæ in ratione naturæ.

Qualis sit communis naturæ diuisio.

Hæc autem contractio, atque diuisio, quæ fit in re ita se habet, vt natura ipsa, quæ per hanc diuisionem diuiditur, totam & integram suam essentiam retineat in singulis, & in vno quoque eorum, in quæ diuiditur. Vt exempli gratia; humana natura diuisa in Socrate, & Platone ita se habet, vt tota, quidem hominis essentia sit in Socrate, & tota pariter in Platone, siquidem vterque perfectè, ac essentialiter homo est; nec vni, nec alteri quicquam deest eorum, quæ pertinent ad essentialem hominis conceptum; alioquin si quicquam deesset vni, vel alteri ipsorum, neuter simpliciter homo dicendus esset, quoniam sublato aliquo ex prædicatis essentialibus hominis, aufertur etiam, & hominis essentia; ad quod respiciens Philosophus dicebat, species esse veluti numeros, eoquòd quemadmodum numerus variationem subit, per accretionem, vel detractionem cuiuslibet vnitatis; ita pariter per additionem, aut detractionem cuiuslibet prædicati, quælibet essentia variatur. Cogitandum igitur communis naturæ contractionem non ita fieri, vt veluti natura distrahatur in partes, itaut vna descendat ad vnum; alia autem ad aliud indiuiduum, seu quod in idem recidit, prædicatum vnum essentiale vni: aliud autem alteri communicetur, quin potius secundum partes suas, & quidditatiua prædicata descendat in singula.

Species esse veluti numeros quo sensu intelligi possit.

Neque repugnat naturam esse diuisam in singulis, & non vnam in omnibus, simulque totam essentialiter, & non per partes distractam in singulis, hoc enim contingit iuxta duplicem rationem totius. Non multo antea fuit enim explicatum vniuersale metaphysicum, & ratione ipsius etiam logicum totum esse potestate, & illud idem esse totum actu scilicet essentiale; diuiditur igitur, atque contrahitur natura ad inferiora, non quatenus totum essentiale est, sed quatenus totum est potestate; non priori modo quasi ipsum totum in plures partes suæ essentiæ, quarum vna ad vnum: altera verò ad alterum contrahatur indiuiduum; itaut ex: gra: homo diuidatur in animal, & rationale, & animalis contractio fiat ad Socratem:

Quomodo natura possit esse diuisa in singulis & tota essentialiter in omnibus.

rationalis autem ad Platonem, quin potius tota hominis essentia secundum vtramque rationem vtrique communicatur. Diuiditur igitur quatenus totum potestate scilicet in partes subiectas cuiusmodi inferiora sunt, quâ ratione non omnes partes subiectæ reperiuntur in quolibet singulari, quinimo in vno nequit esse nisi vna ex illis partibus subiectis, nempè proprium esse singulare ipsius; hinc igitur palam naturam vniuersalem esse diuisam in singulis, & tamen secundum totam essentiam in singulis esse, quoniam diuisio naturæ fit prout ipsa totius potentialis, non autem essentialis rationem induit; hoc autem non sic intelligendum, quasi necesse sit, plura prædicata essentialia, tanquam partes in ipsa quidem essentia inuolui, sed negatiuè debet intelligi, nempè quòd nulla essentiæ pars, seu nullum essentiale prædicatum desit, vbicunque talis adinuenitur essentia, siue in illa plures partes, seu prædicata essentialia includantur, siue non. Ita fit vt ens etiam communissimè sumptum dici hoc modo possit totum essentiale, atque totum essentialiter, & secundum totam entis essentiam in singulis entibus reperiri quatenus nihil pertinet ad entis essentialem conceptum, quod in singulis entibus non includatur. Quæ autem de prædicatis formaliter essentialibus diximus, intelligenda pariter sunt de proprietatibus, vel affectionibus; hæ nanque reperiri omnes debent in quolibet communem naturam participante, itaut ea, quæ communem naturam participant, etiam & affectiones eiusdem naturæ participare debeant.

Quæ de prædicatis formaliter essentialibus dicitur de proprietatibus pariter intelligenda.

Ex eo autem quòd modo iam explicato tota, & integra natura secundum essentiam, seu quatenus est totum essentiale communicatur per contractionem inferioribus, non quatenus totum potestate, sequitur prædicari de ipsis eodem modo, nempe secundum totalitatem essentialem, non potestatiuam, vt loquuntur.

Contractio quæ fit per intellectum consentanea vniuersali in actu suscipitur explicanda.

Huc vsque de contractione naturæ prout est in re, estque vniuersali metaphysico consentanea. Nunc de contractione altera, quæ fit per intellectum, estque logico vniuersali accommodata. Omnis enim contractio communis naturæ fit per differentias, quæ gemino modo potest intelligi. Vel prout extra animam, quo pacto nil aliud, quàm ipsa diuisio naturæ citra quodlibet opus intellectus, quæ tametsi fiat per differentias extrinsecùs aduenientes, fit tamen cum multiplicatione naturæ in ratione naturæ per identitatem, quam hæc habet cum differentijs contrahentibus. Vel contractio fit per intellectum estq; longe diuersa. Mens enim dum concipit naturam denudatam differentijs contrahentibus, & eidem appingit secundam intentionem vniuersalitatis in actu, quæ in quodam respectu rationis consistit, vt alias fuit explicatum, vnde habet natura, vt sit vnum commune quidpiam: per inexistentiam in multis, adeout tam vnitas, quàm communitas sit opus rationis, vt paulo antea notauimus, illud idem vnum commune concipit mens itidem vel actu, vel aptitudine pluribus singularitatibus coniunctim affectum, per quas communis naturæ contractio ad singula fieri intelligitur; hinc apparet quanta diuersitas inter has duas contractiones; prior enim illa minimè cohærebat, cum vnitate, secùs autem hæc, quippè quæ simul cum vnitate existit. Et quanuis sit res intellectu difficilis ipsam tamen assequemur ad memoriam reuocando, quæ superiùs de vniuersali in actu tradidimus. Si quis enim concipiat naturam quampiam communem ex: gr: humanam tanquam aliquod commune aptum inesse multis per

Quid differat inter contractionem vniuersalis metaphysici, & logici.

inexistentiam, & non tantum per indifferentiam, itaut eadem ipsa natura coniunctim sit in multis, & coniunctim de multis proximè possit enunciari; facilè etiam aduertet hoc ideo contingere; quoniam eadem illa natura intelligitur vel actu, vel aptitudine coniunctim affecta pluribus differentijs indiuiduantibus, itaut fiat extrinsecus tantùm contractio, ac diuisio naturæ absque multiplicatione naturæ in ratione naturæ, ac proinde & vnitas, & communitas, & contractio vniuersalis in actu sit opus rationis.

Sed vt clariùs etiam communis naturæ contractio per intellectum explicetur adnotandum occurrit, quod quamuis à nobis dictum fuerit *esse in* aptitudine sumptum spectare ad essentiam vniuersalis in actu, non autem *esse in* prout in actu consistit, non propterea negauimus vniuersalitatem hanc, de qua loquimur cohærere cum actuali communicatione, seu contractionis eiusdem vniuersalis; non enim idem est aliquid ad alicuius essentiam pertinere, & cum essentia cohærere posse, vt actu ratiocinari cohæret cum aptitudine, quam habet homo ad ratiocinandum, quæ certè ad essentiam hominis pertinet, at actu ratiocinari non item; vnde quando dicitur vniuersale in actu esse illud, quod est proximè aptum prædicari de multis simul, non insinuatur esse de essentia ipsius, quod concipiatur actu inesse multis, coniunctim, sed solùm significatur poni in exercitio potentia, ac aptitudo, quâ ipsum potest inesse multis, quando nanque actu concipitur vnum in multis certè concipitur exercitium illius potentiæ, ac aptitudinis, quæ ad vniuersalis essentiam pertinet. Nec quicquam refert, quod fieri non possit talis prædicatio, nisi priùs natura concipiatur, ne dum apta sed etiam actu existens in pluribus. Hinc enim duntaxat licet colligere hoc ad exercitium essentiæ, non ad essentiam vniuersalis pertinere.

Quod autem in re proposita plurimi faciendum videtur illud sane est, quia dum intellectus concipit naturam tanquam aliquod vnum commune aptum inesse multis per inexistentiam, aut fecit vniuersale in actu, vel non. Secundum dici non potest, quoniam illud profectò aliquod vniuersale est, cum sit vnum commune multis, non metaphysicum, vt ex huius natura constat, ergo primum, nempè logicum seu in actu, quod si iam illud constitutum est semel in suo esse, nihil superest addendum ad essentiam ipsius; proinde actu illud inesse multis ab intellectu concipi non pertinebit ad essentiam vniuersalis in actu, sed potius ad actum secundum spectabit.

Ad contractionem redeo. Contractio facta per intellectum ita se habet, vt natura solùm diuidatur secundum esse materiale, & numericum, non autem secundum proprium esse formale, quandoquidem vna, & eadem ei correspondet formalis vnitas, prout est in omnibus inferioribus adæquatè, vnde fit, vt valdè diuersa sit contractio naturæ, vt re ipsa est in indiuiduis diffusa; atque adeo contractio, quâ destruitur præcisionis vnitas, per quam vniuersale metaphysicum constituitur, valde inquam diuersa sit ab ea, quâ concipitur in eisdem per intellectum, propterea quòd per priorem illam contractionem ita diuiditur natura, vt diuisio etiam in ipsam formalem naturæ vnitatem redundet, adeout etsi natura in statu realis contractionis, suam habeat formalem vnitatem, non tamen quæ sit eadem in omnibus indiuiduis, sed propria vniuscuiusque eo quod in ipsis multiplicatur natura, & consequenter

vni-

tuitis eiusdem, vnde est, vt posità hâc contractione *Socrates, & Plato non sint vnus homo*, sed plures *homines propter humanitatum pluralitatem*. At in altero *statu contractionis* per intellectum diuisio non redundat *in vnitatem formalem naturæ*, quin potius intra *latitudinem* singularitatum sistit; proindeque natura in huiusmodi statu contractionis vna quidem formaliter in omnibus remanet indiuiduis, & extrinsecùs duntaxat numero multiplicata; itaut in huiusmodi statu ob eandem vnitatem, quam natura habet in omnibus indiuiduis Socrates, & Plato dici possint *vnus homo*, vnde dicere possimus omnes homines *participatione* speciei esse vnum hominem.

Diuersæ contractionis ratio est; quoniam aptitudini naturæ ad esse in multis accommodata esse debet etiam contractio; cum igitur aptitudo, quam habet natura in re ad esse in multis remota sit ad plura disiunctim, & prout etiam in præcisionis statu proximior quidem adhuc tamen ad plura disiunctim, propterea contractio illi proportione respondens talis esse debet vt natura à parte rei in vno tantùm sit indiuiduo cum sua vnitate formali, non autem in alijs; cum autem aptitudo, quam natura habet in statu vniuersalitatis ad esse in multis proxima quidem sit, non vtcunque, sed ad plura coniunctim; propterea contractio illi proportione respondens talis esse debet vt per ipsam contrahatur vna, & eadem natura per inexistentiam in omnibus, & singulis, ac ob id vnitas formalis ipsius huiusmodi contractioni respondeat, prout adæquatè in omnibus est indiuiduis.

SECTIO QVARTA

De Prædicabilitate vniuersalis.

PRædicabilitas est adeò insignis proprietas vniuersalis, vt plerique crediderint potius ad illius essentiam spectare, quàm eius esse proprietatem, quod tamen minimè concedendum diximus, cùm de vniuersalis essentia disputaremus, vbi aduertimus eam existimandam esse talem, vt vniuersalis essentiam comitetur. Vniuersale siquidem, vt non semel explicuimus, constituitur per hoc, quod vnum sit aptum inesse multis; hinc autem profluit prædicabilitatis affectio, ac ob id vt ipsum sit aptum de multis prædicari. Is autem errandi occasio fuit animaduertisse à *Philosopho* definitum vniuersale fuisse quandoque per *prædicari* de multis, & à Porphyrio etiam in definiendis vniuersalibus speciatim acceptis, puta genere, specie, eandem definiendi legem seruatam fuisse; illa nanque per prædicari definiuit; Hinc tamen ineptè colligerunt vniuersalis essentiam in eo positam esse, vt ipsum possit de multis prædicari; propterea quod tam Aristoteles, quàm Porphyrius ideo in suis definitionibus prædicationis particulâ vsi sunt, quoniam vterque Logici personam agebat, cuius est considerare potius vniuersale, quatenus prædicabile, quàm prout vniuersale est secundum essentiam, intra quam considerationem ad Metaphysicum pertinet; prædicari quidem secundarum est intentionum, de quibus disserere Logici munus est. Cùmque dicitur vniuersale esse id, quod est de pluribus prædicable, potius illud describitur per affectionem, seu proprietatem, quàm per essentialia principia. Sed esse prædicabile de multis, vniuersalis attributum, seu proprietatem existimandam, inferius ostendam; esse dictam autem de multis cum alioquin prædicabile simpliciter non sit proprium vniuersalis, quandoquidem alijs etiam ab vniuersali conuenit, de quo infra.

Prædico græcè dicitur Κατηγορῶ; seu Κατηγόρω accuso, reprehendo, & aduersus aliquem loquor, hæc enim est eius propria significatio; in alia tamen vsurpatur à Philosophis, itaut idem sonet ac prædico hoc de illo, quemadmodum etiam in passiua significatione Κατηγορίωμαι idem est ac prædicor de, vel dicor de. Itaque prædicabile deducitur à prædicari de alio; atque adeò idem est, ac posse de alio prædicari, seu dici; vniuersale igitur dicetur prædicabile de multis, eoquòd de multis dici potest; hoc autem inductione manifestum est, nam discurrendo per singula vniuersalia, facilè comperiemus conuenire singulis posse de multis prædicari; Perspicuum est etiam ex ratione ipsius vniuersalis, quod enim est actu, vel aptitudine in multis, potest vtique de illis prædicari; quandoquidem prædicari sequitur ipsum inesse; hoc autem intelligendum de prædicatione affirmatiua vera, quare cum dicimus vniuersale posse de multis prædicari, perinde est, acsi dicamus vniuersale verè de multis affirmari posse.

Prædicari quid significet.

Omne vniuersale est de pluribus prædicabile.

Quid sibi velit vniuersale posse de multis prædicari.

In prædicatione autem vniuersalis non prædicatur formalis ipsa vniuersalitas, vel constitutum ex natura, & vniuersalitate de rebus vniuersali subiectis; falsæ nanque forent hæ prædicationes, Socrates est species humana, est speciei tas; homo est genus animal, est generitas, & ita de reliquis. Sed natura ipsa realis, quæ vniuersalis dicitur, est quæ prædicatur; vt cùm dicimus Socrates est homo; homo est animal; animal est viuens, & ita de alijs; quamobrem asserendum vniuersale prædicari quo ad naturam vniuersalitati subiectam, non autem quoad ipsam vniuersalitatem. Hoc autem inde perspicuum fit, quoniam illud prædicatur de alijs, quod est in illis; at nec vniuersalitas, nec totum aggregatum ex natura, & vniuersalitate, sed natura duntaxat est in rebus vniuersali subiectis; Ergo quod prædicatur de rebus vniuersali subiectis erit tantummodò ipsa natura; huic enim conuenit prædicatio in actu exercito de qua hic loquimur, cùm in actu signato conueniat secundæ intentioni vniuersalitatis; quæ enim signantur in secundis, exercentur in primis intentionibus.

Non prædicatur formaliter secundum vniuersalitatem.

Nec necessarium existimandum prædicari naturam quatenus singularem, seu quoad singularitatem ipsam formaliter, quæ constituit indiuiduum, de quo natura prædicatur. Alia enim prædicatio est cùm dicitur Socrates est homo, est animal; & alia cùm dicitur Socrates est hic homo, qui appellatur Socrates, est hoc animal &c. longè enim diuersa est significatio in prædicato vnius, vel alterius propositionis; quando igitur prædicatur vniuersale de singularibus, dicendo Socrates est homo, Plato est homo non est existimandum importari ex parte prædicati determinatam singularitatem Socratis, & Platonis; nulla tunc enim foret vniuersalis de singularibus; hoc est vnius de multis prædicatio, sed solum prædicatio fieret singularis de singulari, proindeque omnis euerteretur vniuersalis prædicatio. Tametsi igitur propositio veritate comprobetur propter illam naturam, quæ est in Socrate, id tamen vi, significationeque illius propositionis non exprimitur, seu in obiectiuo conceptu, quem intellectus efformat ex parte prædicati non exprimitur, neque determinatur singularitas Socratis, de quo fit prædicatio.

Neque secundum singularitatem signatam

Reliquum igitur est, vt solùm natura dicatur prædicari secundum suam essentiam, in qua non includatur nec vniuersalitas, nec talis singularitas, sed

Vniuersale prædicatur se-

solùm essentialia prædicata naturæ, vt cùm dicimus Socrates est homo, humana prædicatur natura secundùm humanitatis essentiam. Terminus enim idem prædicat, quod significat; at verò homo simpliciter hominem quoad humanam essentiam, non quoad vniuersalitatem, nec quoad hanc, vel illam singularitatem significat; ergo in hac etiam significatione prædicatur, cùm dicimus Socrates est homo, Plato est homo.

Vniuersali secundæ intentioni conuenit esse prædicabile in actu signato; primintentionaliter in actu exercito.

Esse igitur prædicabile prædicatione signatâ conuenit secundæ intentioni vniuersalitatis, at verò esse prædicabile prædicatione exercitâ, conuenit primæ intentioni, videlicet naturæ, quæ est vniuersalitati substrata.

Prædicabilis denominatio à prædicatione affirmatiua, & vera desumitur Fundamento verę prædicationis assignatur

Et quoniam cùm dicitur vniuersale esse de multis prædicabile, vt superiùs notauimus, intelligendum est prædicabilis denominationem ab affirmatiua prædicatione desumi; ob id non prætermittendum veræ prædicationis fundamentum adnotare; illud autem est identitas quædam inter subiectum, & prædicatum. Idem igitur debet esse prædicatum. & subiectum, alio tamen, & alio modo conceptum. Vt in hac propositione *Socrates est doctus*, affirmatur id, quod continetur sub voce *Socrates* cum eo identificari, quod continetur sub voce *doctus*; sensusque redditur *habens Socrateitatem, est habens doctrinam*. Quamobrem ratione tantùm differunt prædicatum, & subiectum; sed in subiecto consideratur id, quod est Socrates, vt substans talibus lineamentis, temperaturæ, colori &c. in prædicato verò, vt substans doctrinæ. Eodem modo cum dicimus, Socrates est homo, ideo vera est hæc prædicatio affirmatiua, quoniam inter Socratem, & hominem aliqua intercedit identitas, quatenus illud idem, quod est habens Socrateitatem, est etiam habens humanitatem.

In propositione negatiua contrarium euenit ei quod in affirmatiua.

In propositione autem negatiua contrarium euenit: vt enim in affirmatiua prædicatum identificatum dicitur cum subiecto, ita in negatiua per additionem particulæ *non*, vnum de altero negatur, itaut inuicem mente, vel voce separentur; prædicatumque remoueatur à subiecto.

Dum natura prædicatur de pluribus, retinet vnitatem vniuersalis in actu.

Dum autem natura prædicatur de pluribus, adhuc prædicatur secundum vnum conceptum obiectiuum; itaut dicere liceat prædicari vnum de multis, non quidem vnum reuerà, sed vnum ratione, quod bifariam potest intelligi, iuxta duplicem sententiam de vniuersalis essentia; Qui enim putant vniuersale in actu constitui per vnitatem præcisionis, affirmant, quod prædicatur de multis, esse vnum hoc vnitatis genere. Rem autem sic explicant. Cùm intellectus affirmat, Socrates est homo, Plato est homo, idem obiectiuus conceptus, & idem etiam formalis, siue eadem formalis apprehensio prædicati, scilicet idem ipse actus intellectus, quo apprehenditur absolutè homo, deseruire potest vtrique illi propositioni, variatione factâ ex parte subiecti, non ex parte prædicati, & sic de aliis similibus propositionibus ratiocinandum.

Quorundam explicatio,

Reijcitur.

Hæc tamen prorsus intolerabilis doctrina; nihil enim à veritate remotius, quàm eundem intellectus actum vtrique propositioni deseruire, variatione factâ ex parte subiecti, non ex parte prædicati; simplex enim vnus est actus, quo intellectus fertur in illud complexum, Socrates est homo; adeout factâ variatione ex parte subiecti, varietur etiam & actus, nec possit idem perseuerare; vnde actus, quo intellectus fertur in aliud complexum, Plato est homo, est ab illo priori reipsâ distinctus; & quidem non solùm numero, sed forsan etiam specie; sed hæc missa faciamus, de quibus alibi.

Qui autem putant, quibus nos adstipulati sumus, vnitatem præcisionis ad vniuersale in actu non sufficere, longe aliter philosophantur; ex eorum igitur sententia res hunc in modum declaranda. Quando intellectus in vniuersalis efformatione progressus eò fuerit, vt naturam ipsam communem cum individuis comparauerit, atque conceperit illam omnibus communicabilem coniunctim, ac ob id formauerit vniuersale in actu primo; rursùs comparat naturam eandè cum indiuiduis comparatione simplici concipiendo illam, vt vnam formaliter in omnibus per inexistentiam, solùmque numericè diuisam, & hunc in modum constituit vniuersale formale, seu logicum in actu secundo; & quoniam in tali statu natura est proximè prædicabilis de omnibus, quibus inesse concipitur; intellectus exercet talem vniuersalitatem comparatione compositâ, dum illam vnam naturam mente conceptam enunciat de singulis prædicatione dicente, hoc est hoc; itaut quod prædicatur sit ipsa natura communis reddita vna vnitate iam explicatâ, & per prædicationem tribuatur singulis, de quibus potest verè prædicari propter identitatem, quam natura secundum suam essentiam habet cum illis.

Neque putandum per actualem prædicationem de pluribus destrui vniuersale in mente, eòquòd per prædicationem natura diuidatur in plura; atque adeò destruatur vnitas, quam illa per opus rationis fuerat consecuta. Adhuc enim remanet natura vna, quod gemino modo potest explicari; ex eorum enim sententia, qui ad vniuersale in actu præcisionis vnitatem sufficere arbitrantur, considerare oportet tam conceptus se tenentes ex parte subiecti, nempè conceptum de Socrate, & Platone; cæterisque singularibus, quàm acceptum se tenentem ex parte prædicati, nempè conceptum de homine absolutè sumpto. Iuxta hunc dicendi modum in conceptibus quidem ex parte subiecti datur diuisio, & non vnitas; vt propterea huiusmodi conceptus sint singulares non vniuersales. At in conceptu ex parte prædicati adhuc saluatur vnitas; quoniam non dissoluitur conceptus, sed permanens vnus etiam obiectiuè in mente, applicatur singulis, & conceptus vnus prædicatur de multis, vnumq; obiectiuè prædicatum de multis, dicitur subiectis. Hoc itaque modo huius sententiæ fautores putant vniuersale dicendum esse prædicabile de multis, sine destructione propriæ vniuersalitatis, hoc est sine destructione suæ vnitatis metalis.

Hi tamen eo sunt redarguendi nomine, quod existimant non dissolui conceptum ex parte prædicati, sed permanere vnum etiam obiectiuè in mente applicarique singulis, de quibus fit prædicatio; siue enim per mentis conceptum intelligatur simplex apprehensio, quæ reliquis conceptibus anteire debet, siue iudicium, quod illam subsequitur, quodque comparatio composita dicitur, quemadmodum prior spectans ad apprehensionem, comparatio simplex nuncupatur, fit variatio integri conceptus: nam ille conceptus, quo intellectus apprehendit Socratem esse hominem, non idem est, ac ille, quo apprehendit Platonem esse hominem, siue sermo sit de conceptu formali, siue obiectiuo, quod etiam de iudicio intelligendum; vt cùm intellectus iudicat Socratem esse hominem, habet conceptum tam formalem, quàm obiectiuum diuersum penitùs ab eo, quo iudicat Platonem esse hominem. Non fatisigi-

tur

ur intelligo, quâ ratione dici possit eundem remanere conceptum ex parte prædicati, eumque minimè dissolui, quando siquidem intellectus apprehendit, vel indicat Socratem esse hominem, non datur duplex conceptus in mente, quorum vnus sit de homine, alter vero de Socrate; quin potius vnus est simplex conceptus, quo intellectus totum illud complexum, Socrates est homo, apprehendit, quod etiam de iudicio sentiendum, vt suo loco manifestum fiet; Tametsi enim iudicium dicatur actus, siue conceptus compositus, hoc non ideo, quia physicè componatur ex duobus actibus, seu duobus conceptibus; sed quoniam intellectus per illum actum, etsi physicè simplicem attingit obiectum complexum compositivo modo, nimirum assentiendo prædicatum vniri subiecto, quando nempè iudicium affirmatiuum est; contrarium autem accidit cùm est negatiuum.

Aliter, meâ sententiâ, res explicanda, & quidem iuxta doctrinam superiùs traditam, dicendo scilicet, cùm intellectus comparauerit naturam cum indiuiduis comparatione simplici, conceperitque illam, vt vnam formaliter in omnibus per inexistentiam solùmque numericè diuisam, (cùm in tali statu sit illa proximè prædicabilis de omnibus, quibus inesse concipitur,) talem vniuersalitatem exercet comparatione compositâ, dum naturam illam vnam mente conceptam de singulis enunciat, eòquòd illam conceperat vnam inexistentem in illis, hoc est affectam singularitatibus coniunctim; ac proinde iudicat in indiuiduis inesse, quod est, naturam de indiuiduis prædicare eiusdem naturæ vnitate retentâ.

Quâ autem ratione vniuersale dicendum sit prædicabile, itavt prædicabilitas eius proprietas dici possit, reliquum est, vt explicemus.

Prædicabilitas simpliciter, amplâque significatione sumpta non soli competit vniuersali, nec propterea eius est proprietas: si tamen per quasdam conditiones restringatur, ac designetur ita se habebit, vt omninò propria sit vniuersalis reddita; hoc autem explicatur, & suadetur. Primò quidem accipi potest prædicabilitas tam amplâ significatione, vt conueniat etiam alijs ab vniuersali; quandoquidem non solùm superiora de inferioribus, sed etiam vicissim inferiora de superioribus possunt prædicari; dicimus enim non solùm homo est animal, sed etiam animal, vel aliquod animal est homo, licet prior prædicatio sit directa, & naturalis; secunda verò indirecta, & non naturalis; quamobrem oportebit prædicabilitatem coarctare ad prædicationem directam cùm de prædicabilitate vniuersalis sit sermo. Praterea non solùm potest vnum prædicari de pluribus, sed etiam de vno tantùm: vnde Porphyrius definiendo indiuiduum, dicebat esse illud, quod de vno solo prædicatur. Imò etiam tam differentia, quàm proprietas adæquata propriæ naturæ, de illa solùm prædicatur, & non de alijs speciebus, ac ob id prædicabilis est de sua specie, cùm tamen vniuersalis rationem non obtineat comparatione plurium specierum, vt est rationalitas respectu hominis, cuius est differentia; dicimus enim homo est rationalis, sit etiam risibilitas, quæ est eiusdem hominis affectio, de eodem quoque prædicatur cùm dicere liceat homo est risibilis; alia igitur contractione est opus pro prædicabilitate vniuersalis, vnde addendum, *prædicabile de pluribus*; Amplius potest etiam aliquod vnum esse de pluribus prædicabile, quod tamen vniuersale non sit, quin potius singulare. Ita planè diuina natura maximè singularis prædicatur de tribus personis, cùm dicere liceat Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus. Addendum igitur illud vnum, quod de multis debet esse prædicabile, vt vniuersale sit, non debere esse vnum numero, nec vnum reipsâ, sed tantùm ratione.

Prædicabilitas igitur his omnibus prædita conditionibus erit vniuersalis proprietas, cùm soli vniuersali, & omni, & semper conueniat; hæc enim est illa prædicabilitas, quâ vniuersale dicitur prædicabile de multis ad eum modum, quo ipsum est in multis; atque adeo conuertitur cum ipso, vt propterea non immeritò dicatur eius affectio.

In quo prædicabilitas consistat sequitur explicandum.

Sequitur explicandum in quo prædicabilitas ipsa consistat. Vt autem, quid sit hac de re sentiendum, aperiamus, aduertere debebimus prædicationem nil aliud esse, quàm actum intellectus affirmantis prædicatum de subiecto (cùm de prædicatione affirmatiua sit sermo) proindèque prædicabilitatem esse potentiam, siue capacitatem, veluti passiuam, vt aliquid affirmari de subiecto possit; Duplex enim agnoscenda potentia; quarum vna actiua ex parte intellectus potentis affirmare; altera verò passiua ex parte obiecti potentis affirmari. Prædicabilitas autem, quæ est propria vniuersalis affectio sumpta prout in passiua potentia ex parte obiecti posita est, debet intelligi ijs conditionibus, quas supra recensuimus, instructa; Bipartitò etiam hæc prædicabilitas accipitur; Primò pro ipsa re obiecta, & extrinseca denominatione à potentia intellectiua, ad eum modum, quo visibile accipi solet pro entitate coloris, & extrinseca denominatione, à potentia visiua; & iuxta hanc vsurpationem prædicabilitas formaliter accepta in reali extrinseca denominatione ab intellectiua potentia consistit. Secundò sumi potest prout in secunda intentione posita est, quatenus illam intellectus comminiscitur tanquam formam positiuam instar relationis cuiusdam intrinsecùs afficientis obiectum, hoc est vniuersalem naturam; itavt per huiusmodi relationem referatur ad prædicationem possibilem, quâ vniuersalis natura potest de pluribus affirmari, seu prædicatione affirmatiua prædicari.

Prædicatio affirmatiua.

Bipartitò accipitur prædicabilitas.

Ex his apertè constabit, quid sit subijcibilitas, quidque subijcibile, quod prædicabili respondet. Cùm enim prædicatio debeat omninò de aliquo subiecto fieri, propterea si datur prædicatum, dari quoque subiectum necesse est; hoc autem quatenus aptum est esse prædicationis subiectum, de quo nimirum affirmatio prædicati fieri potest, subijcibile, dicendum erit. Ipsa autem subijcibilitas geminò modo potest explicari; primò quidem, vt ipsa dicatur consistere in extrinseca denominatione ab intellectu desumpta, quatenus potente subijcere; secundo prout relatio quædam rationis sit opposita relatione alteri relationi, quæ prædicabilitatis dicebatur, & ex dictis hæc omnia perspicua sunt.

Subijcibilitas quid.

Subijcibilitas bifariam potest sumpari.

Sequitur explicandum, quo pacto prædicabilitas sit vniuersalis proprietas. Hac in re non leuis difficultas, cùm plerisque visum sit prædicabilitatem esse formaliter vniuersalitatem, & prædicabile idem formaliter, ac vniuersale; Huius tamen opinionis fautores dissentiunt, cùm eorum plerique arbitrentur, non distingui in communi natura duplicem aptitudinem, vnam ad esse, alteram ad prædicari de multis, quin potius vnam esse aptitudinem, quæ dicatur vniuersalitas, & prædicabilitas. Alij verò contra geminam aptitudinem recognoscunt, è quibus aptitudinem ad prædicari de multis vniuersalitatem esse contendunt. Aliorum autem sententia est, prædicabilitatem ab vniuersalitate, & prædicabile

Proponitur explicandum quomodo prædicabilitas sit vniuersalis proprietas.

Variæ quorundam sententiæ.

le formaliter ab vniuersali distingui.

Auctoris assertio tuta. Asserendum tamen existimo, prædicabilitatem ab vniuersali distingui. Assertionis autem ratio ea est, quoniam in communi naturæ aptitudo ad esse in multis distinguitur ab aptitudine ad prædicari de multis; illa pertinet ad vniuersalis essentiam: hæc autem ad eiusdem proprietatem; fatendum est igitur vniuersalitatem à prædicabilitate distingui; nisi enim distinguere rentur, nec etiam illæ aptitudines distinctæ forent.

Confirmatio. Confirmatur, quoniam aptitudo ad prædicari de multis supponit aptitudinem ad esse in multis, & non viciſſim; sed aptitudo ad esse in multis pertinet ad vniuersalitatem: aptitudo verò ad prædicari de multis pertinet ad prædicabilitatem; ergo prædicabilitas supponit vniuersalitatem, & non viciſſim; ergo distinguuntur; præsupponens enim, & præsuppositum idem esse non possunt,

Nullo modo prædicabilitas dici debet vniuersalitas. Et ita distinguuntur, prædicabilitas, & vniuersalitas, vt prædicabilitas nullo modo dici possit vniuersalitas; sunt enim rationes omnino diuersæ.

Quorundam ratio ad oppositum sustendum. Perperam autem quidam crediderunt oppositum suaderi posse hunc in modum ratiocinando. Prædicatio etiam de multis est quoddam esse in multis; esse scilicet obiectiuè; ergo dum vniuersale definitur aptum esse in multis, & vniuersalitas, aptitudo ad esse in multis, si quis sumere velit, *esse*, pro esse obiectiuè; sic ipsa prædicabilitas, quædam erit vniuersalitas ab alia prima vniuersalitate distincta; Addunt hoc esse maxime consonum communi modo loquendi, iuxta quem distinctis nominibus assignari solet vniuersale in essendo, & vniuersale in prædicando. Falsum tamen assumunt, nempè prædicationem de multis esse quoddam esse in multis, scilicet obiectiuè; quandoquidem non modò prædicatio de multis quę in actu quodam intellectus consistit, sed etiam prædicabilitas, quam in quodam respectu rationis in vniuersali natura ad prædicationem possibilem consistere dictum fuit (sermo autem est de vniuersali logico, non metaphysico) omninò ab esse in multis distinguitur. Primò enim intellectus concipit ipsam naturam communem, tanquam aliquod vnum per inexistentiam in multis, & quidem redditum vnum per quendam respectum, quem illi appingit intellectus ad multa; postea verò in eodem vno comminiscitur respectum alterum, per quem concipit illud aptum prædicari de multis, quatenus talem respectum apprehendit terminatum ad prædicationem possibilem.

Quomodo prædicabilitas dicenda sit vniuersalitatis proprietas. Est autem inquisitione dignum, quomodo prædicabilitas dicenda sit vniuersalitatis proprietas. Dubia sanè res est; quandoquidem si prædicabilitas explicetur, prout in reali extrinseca denominatione consistit, non videtur profectò dici posse proprietas vniuersalitatis formaliter acceptæ pro aptitudine videlicet, quam intellectus appingit naturæ ad esse in multis, quo pacto illam respectum esse rationis dictum fuit, cùm non videatur necessarium, vt respectus ad prædicari fingatur ab intellectu ex respectu ad esse in multis; non enim repugnare videtur, vt immediatè post abstractionem naturæ, & post prædicabilitatem, fingatur respectus ad esse in multis; hoc autem posito prædicabilitas æquè primò, ac vniuersalitas naturæ conueniret. Accedit quòd proprietas necessariò consequitur essentiam; vnde est, vt ipsi perpetuò conuenire dicatur; at nihil prohibet quominus intellectus vniuersalitatem effingat, etiam si de prædicabilitate nihil cogitet.

Assertio; Dicendum tamen prædicabilitatem esse proprietatem vniuersalis; Hoc autem apertè constabit, aduertendo solùm vniuersale in actu, seu logicum esse proximè prædicabile; siquidem vniuersale metaphysicum remotè duntaxat prædicabile dici potest; at vniuersale in actu constituitur per respectum ad esse in multis; ob id prædicabilitas explicata quomodocunque supponit ipsum esse in multis; non igitur æquè primò prædicabilitas, & vniuersalitas possunt naturæ conuenire; vnde negandum non uideri necessarium, vt respectus ad prædicari fingatur ab intellectu ex respectu ad esse in multis; & immediatè post abstractionem naturæ, & post prædicabilitatem fingi posse respectum ad esse in multis.

Sed prædicabilitatem vniuersalis attributum esse facilè demonstrabitur, animaduertendo vniuersale prædicari, vel prædicabile esse de pluribus nil aliud esse, quàm illud, vt superius enunciari, vel enunciabile esse de pluribus tanquam inferioribus, & inferiora non esse, nisi per inclusionem superioris in ipsis; ita fit vt *esse in*, semper præcedat *dici de*, quæ sunt vniformi quadam ratione sumenda, nimirum, vel vtrunque in actu, vel vtrunque in potentia, siue aptitudine; itaut *esse in* aptitudine, vel potentiâ sumptum, præcedat *dici de* aptitudine, vel potentiâ pariter acceptum; Et illud actu præcedat hoc etiam actu sumptum; hinc *dici de*, siue esse prædicabile est vniuersalis de quo fit sermo, proprietas. Quandocunque enim aliqua duo eidem conueniunt, itavt vnum eorum alterius sit causa, nequit id, quod est causa, proprietas esse consequens illud, cuius est causa; quin potius contrario modo se res habet; at esse in multis, & prædicari de multis conueniunt vniuersali; estque primum causa secundi; nam ideo vniuersale prædicatur de multis, quoniam est in illis; secunda siquidem operatio, per quam illa fit prædicatio primam supponit, quâ vnum in alio apprehenditur nullâ intercedente affirmatione; ergo *esse in* multis erit vniuersalis essentia, sicut *dici de* multis eiusdem erit affectio.

Hoc inde confirmatum redditur, quia quod supponit essentiam rei adæquatam, ita tamen vt eandem necessariò comitetur, eiusdem est proprietas; at posse de multis prædicari supponit adæquatam vniuersalis essentiam constitutam per *esse in* rationis, quando vniuersale logicum, siue in actu fuerit (hoc enim etiam est vniuersale in essendo, loquendo de *esse in* rationis, quemadmodum vniuersale metaphysicum sumpto *esse in* pro *esse in* reali) eaque necessariò comitatur; ergo posse de multis prædicari est vniuersalis proprietas.

In huius assertionis confirmationem id plurimum habet momenti, quia quod primò intelligimus de aliquo, dicimus eius essentiam esse; at quod primò de vniuersali logico, siue in actu, nos intelligimus est esse in multis; ergo hoc spectabit ad eius essentiam; maior certa; minor autem apud Aristotelem expressam legimus; isenim vtrunq; vniuersali logico adscribens, prius tribuit *esse in*; in hoc igitur huiusmodi vniuersalis essentia ex ipsius opinione consistet. Eiusdem etiam propositionis veritas experientiâ constat. Quod si res ita se habet; quoniam *dici de* necessariò comitatur ipsum *esse in*; vt propterea Philosophus cùm *esse in* primò quidem vniuersali tribuisset, postea *dici de* subnectit; consequens fit, vt *dici de*; seu esse prædicabile sit vniuersalis proprietas.

Reliquum est, vt superiori difficultati fiat satis. Erat autem in eo posita, quia proprietas tam necessario nexu iungitur illi, hoc est essentiæ cuius est proprie-

prietas; vt essentia ipsa nequeat sine proprietate reperiri; non sic autem prædicabilitas respectu vniuersalis, siquidem hoc potest sine prædicabilitate ab intellectu fieri; cùm enim hic abstraxerit naturam, eidemque appinxerit vniuersalitatem in actu, nempè concipiendo illam tanquam affectam respectu quodam, per quem ipsa velut vnum inexistens concipitur inesse multis, facit vniuersale in actu, cùm tamen nulla prædicabilitas intersit, quanvis postea liberum intellectui sit illam effingere.

Difficultas sic satis.

Sed vt hæc difficultas omninò diluatur, oportet aduertere, cum dicitur prædicabilitas esse vniuersalis affectio, non sic intelligendum, vt affectio in illo respectu prædicabilitatis consistat; sed in eiusdem fundamento. Respondeandum igitur, vt cùm Scholasticis loquar, prædicabilitatem non formaliter, sed fundamentaliter acceptam vniuersalis esse proprietatem.

SECTIO QVINTA.

De reliquis vniuersalis proprietatibus.

Secunda vniuersalis proprietas est posterius singularibus. 2. de Anim. text. 8.

POst prædicabilitatem, quam diximus primam esse vniuersalis Proprietatem, succedit alia, nimirum *esse quodammodò posterius singularibus*. Huius autem meminit Philosophus dicens, τὸ δ' ζῶον τὸ καθόλου, ἢ τοι οὐδὲν ἔστιν, ἢ ὕστερον· ὁμοίως δὲ κἂν εἴ τι ἄλλο κατηγορεῖτο. *Animal autem vniuersale*, aut nihil est, *aut posterius similiter autem, etsi quod commune aliud prædicetur*.

Vniuersale dicitur posterius singularibus quoad realem existentiã.

Vniuersale dicitur posterius singularibus quoad realem existentiam, & primò quoad existentiam realem, quoniam eatenus vniuersalis natura quoad suum esse reale existit, quatenus singularia existunt; non enim à singularibus separata potest existere. Hęc autem posterioritas in eo planè consistit; quoniam cùm exercitium existentię prædicatum essentiale, vel necessarium non sit, sed potius maximè contingens, atque dependens ex actione, quę primariò circa vniuersalia versatur; ideo primariò dicitur existentia singularibus conuenire, & consequenter vniuersali naturę quoad suum esse reale; hanc igitur ob causam natura vniuersalis quoad existentiam realem dicitur posterior singularibus; ac ob id vniuersale hoc modo sumptum posterius dicitur singularibus; quę tamen intelligenda secundum quendam explicandi modum; alioquin rigorosè loquendo, vniuersale realiter acceptum, & prout primam intentionem importat in re est ipsum singulare; proindeque dari nequit ordo realis existentię, siue realis dependentię in existendo, naturę vniuersalis à singularibus; Hactenus igitur dicta sunt ad significandum vniuersale separatum à singularibus existere minimè posse, hinc enim dicitur non existere, nisi ratione singularium: cùm contra dicere liceat etiam ipsa singularia existere non posse separata à sua essentiali natura, & non nisi cum illa existere quidem posse.

Vniuersale quatenus dicit præcisionem in ratione.

Si autem sumatur vniuersale prout dicit præcisionem, quam per opus rationis consequitur, cum nimirum intellectus abstrahendo naturam ab indiuiduis, reddit eam vnam vnitate præcisionis, facitque vniuersale metaphysicum, proculdubio vniuersale singularibus posterius erit, siquidem illud abstrahitur ab his, in quibus realiter esse supponitur; nam realiter natura cum sua vnitate formali existit in singularibus, estque fundamentum abstractionis, & vniuersalitatis. Neque perturbet, quòd potentia ad aliquem actum, vt illa, quam habet natura in statu vniuersalitatis ad esse in multis, est prior actu; non enim hinc sequitur statum vniuersalitatis, singularium statu priorem esse; quandoquidem hîc non est sermo de potentia reali & physica, quæ reipsâ sit causa sui actus, quo pacto concedendum foret assumptum nempè potentiam ad aliquem actum esse priorem ipso actu; sed hîc sermo est de potentia quàdam metaphysicâ, iuxta quam dicimus naturam humanam ex: gr; in Socrate talem esse, vt sit apta esse in Socrate &c.

Vniuersale sumptũ prout in actu posterius est singularibus.

Quòd si rursus vniuersale sumatur prout secundam intentionem vniuersalitatis inuoluit, diciturque vniuersale in actu, siue logicum, multo magis posterius erit singularibus; nam vniuersale metaphysicum vt nuper dicebatur, posterius est singularibus; sed logicum vniuersale posterius est metaphysico; ergo vniuersale logicum multo magis posterius erit singularibus.

Difficultas.

Videbitur forsan hæc proprietas non adscribenda quidem vniuersali; nam vniuersale, & singulare se mutuo respiciunt, vnde est vt simul esse debeant, cùm hoc sit relatiuorum proprium, ac ob id vniuersale posterius singulari esse non poterit. Fit satis tamen difficultati dicendo vniuersale, & singulare formaliter sumpta, se mutuò respicere iuxta quam vsurpationem vniuersale nequit esse posterius singulari, non tamen inter hæc materialiter accepta mutuum illum dari respectum, nec inter singulare materialiter & vniuersale formaliter sumptum, quo sensu vniuersale posterius esse potest singulari.

Solutio.

Et certè si vniuersale spectetur secundum naturam, cui vniuersalitas appingitur quandoquidem prout est in re non distinguitur à singularitate; propterea inter hanc, & illud nequit intercedere quicunque ordo prioris & posterioris, sed ille tantùm, qui dicitur inconuertibilitatis, vt Philosophus loquitur, vel præsuppositionis, quatenus singularitas in indiuiduo supponit rationem naturæ, & non vicissim; hoc autem modo vniuersale sumptum pro reali natura non posterius, sed prius erit singularibus, & quidem gemino modo. Primo secundum essentiam, quia videlicet natura vniuersalis est, quæ essentialiter singularia constituit, at prædicata essentialia concipiuntur quodammodo prius, quàm res, quæ per illa constituitur, atque completur. Secundo, quoad illationem existendi, iuxta quam id dicitur prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt non semel Philosophus memoriæ, literisque prodidit. Etenim ex eo quòd hoc detur singulare; benè quidem infertur in eo dari vniuersalem naturam; sed non vicissim ex eo quòd detur natura vniuersalis, inferri potest dari hoc singulare, propterea quòd dari potest natura sine hoc singulari, non tamen reciprocè hoc singulare sine natura; Ad quæ Porphyrius respiciens dicebat, genus esse hoc modo prius suis differentijs, & speciebus; eius enim sunt verba. Ἔτι, τὰ μὲν γένη, πρότερα τῶν ὑπ' αὐτὰ διαφορῶν. *Præterea genera sunt priora differentijs sub se positis*. Intelligendum tamen comparationem institui non inter hanc naturam, & hoc indiuiduum; sed inter naturam absolutè in tota amplitudine acceptam, & hoc indiuiduum. Hæc tamen prioritas, nil aliud est, quàm maior amplitudo ipsius naturæ communis, quatenus hæc ad plura, quam quodlibet singulare, vt genus magis, quàm species, & adæquatè omne vniuersale, quod certè in multis est, magis quàm vnum aliquod ex ipsis multis sese extendit; Itaq; iuxta considerationem hanc vniuersale singularibus prius esse dicetur.

Isagoge cap. 6.

Quar-

Quarta proprietas vniuersale esse principium rerum. Cap. de Genere. lib. 3. Diu. text. 10.

Quarta proprietas est, quod vniuersale sit principium rerum, quas subsè continet, iuxta illud Porphyrij. Καὶ γὰρ ἀρχὴ τὰς ἐπὶ τὸ τοῦτον γένος τῶν ὑφ' αὐτὸ, καὶ δοκεῖ καὶ τὸ πᾶσιν ἐπικεῖσθαι τῶν ὑφ' αὐτό. *Etenim huiusmodi genus est principium quoddam eorum, quæ ei subiecta sunt, & videtur etiam vniuersam multitudinem, quæ ipsi subiecta est, continere.*

Hac autem dere probabilibus rationibus vtens Philosophus ex vtraque parte disputauit quærens num, & quâ ratione vniuersalia dici rerum principia possint, vtrum scilicet principia rerum sint genera, quæ de pluribus prædicantur, vel sint ea, ex quibus vnum quodque est, sicut ex partibus. Et primò quidem probat non esse principia; secundò argumentatur ad oppositum ostendendum. Hæc proprietas vniuersali concedenda est, si tamen eò sensu vsurpetur, vt vniuersalia in essendo non dicantur esse principia, quasi per modum causæ eorum, quæ sub se continent, cùm enim ab ipsis non distinguantur reipsâ, nequeunt hoc modo eorum esse principia: sed talia dici possunt, iuxta nostrum intelligendi modum, quatenus inferiora suum esse habent, còquòd communes naturas in se includunt contractas per differentias indiuiduantes, cum quibus identitatem habent, ratione cuius multiplicantur in indiuiduis.

Quinta proprietas vt vniuersale secundum vnationem dicatur imperfectius, secundum alteram perfectius singulari.

Quinta est uniuersalis proprietas, vt *secundum aliquam rationem dicatur imperfectius, secundum alteram perfectius singulari*. Neque de hoc potest vlla esse dubitatio, propterea quòd si sermo fiat de vniuersali logico, siue metaphysico, proculdubio existimari debet imperfectius singulari, quatenus hoc addit naturæ differentiam, quod si ab ipsa natura perfectâ præcisione non credatur esse distincta, saltem præcisione imperfectâ distingui necesse est; proindèque singulare, quatenus importat id explicitè, quod implicè tantum in conceptu communis naturæ continebatur, perfectius erit, non quia nouam perfectionem addat nullatenus in vniuersali inclusam: sed quoniam per singulare exprimitur perfectio, per vniuersale non expressa. Vniuersale autem ex aduerso, quatenus sua amplitudine complectitur omnia, quæ sub se habet, perfectius erit quolibet eorum seorsum accepto.

Sexta proprietas vt sit intelligibile. 1. Post. text. 182.

Sexta proprietas vniuersalis est, vt sit intelligibile, & scibile quod expressit Philosophus dicens. *Τὸ δὲ καθόλου καὶ ἅπασιν, ἀδιάφθορον ἀεὶ δ' τόδε, οὐδὲ γιγνώσκειν. Quod autem est vniuersale, & in omnibus sentiri nequit, non enim est hoc, neq; nunc.* Quasi discriminis id inter intellectum, & sensum intercedere existimet, quòd sensus duntaxat singulare, intellectus verò vniuersale attingat, atque percipiat. Inficiari tamen non licet etiam singulare posse ab intellectu percipi. Non igitur hoc sensu Philosophi verba intelligenda sunt; sed potius vt ipse docere voluerit vniuersalis hanc proprietatem esse, intelligibile, hoc est ita cadare sub intellectum, vt sensu percipi nullo modo possit, cuius est tantum singulare cognoscere, cum tamen hoc ab intellectu pariter cognosci possit.

Ibidem vniuersale dicitur scibile.

Quod si præterea assignetur vniuersalis proprietas esse scibile iuxta illud *Οὐ δὲ ἐπίσταμαι, τοῦ τὸ καθ' ὅλου γνωρίζειν ἐστί. Scientia verò est in cognoscendo vniuersali.* Magis distinguitur vniuersale à singulari, non enim omnis intellectiua cognitia est scientia propriè dicta, vt ex Posterioribus Analyticis cuique potest esse perspectum; scientia autem hoc modo sumpta de vniuersalibus non autem de singularibus est, ob causas, opportuno loco explicandas; ob id *οὐ δὲ αἰσθάνεται ἔστιν ἐπίστασθαι. nec per sensum sit vt sciamus.* Quia nimirum sensus tantummodò singularia attingit. Ait enim *Ἐπεὶ αἱ μὲν ἀποδείξεις, καθόλου τὰ δ' οὐκ ἔστιν αἰσθάνεσθαι, φανερὸν ὅτι οὐδὲν ἐπίστασθαι ἔστιν. Quoniam igitur demonstrationes sunt vniuersales, vniuersalia verò non licet sentire; perspicuum est non fieri per sensum, vt sciamus.* De vniuersalibus autem scientiam consequimur, hoc igitur differt inter singulare, & vniuersale, proindèque vniuersalis existimanda proprietas vt scibile sit. Ibidem

Septima est etiam vniuersalis affectio, vt vniuersale *sit semper, & vbique*, quam Philosophus hisce verbis commemorat *τὸ δ' ἀεὶ καὶ πανταχοῦ, καθόλου φαμέν. Quod enim semper, & vbique, dicimus esse vniuersale.*

Hæc autem proprietas bifariam potest intelligi. Primò quidem positiuè, vt vniuersale positiue sit in omni tempore, & loco ad eum modum, quo Deus semper, & vbique dicitur esse, itaut nullum liceat imaginari tempus, vel locum, in quo Deus ipse non sit. Et hoc modo non est intelligenda proprietas, de qua fit sermo, cum vniuersale dici non possit semper, & vbique esse; nam ipsum non est, nisi quatenus eius indiuidua sunt; hæc autem esse non possunt omni tempore, & loco, propterea nec etiam vniuersale. Secundò potest etiam intelligi negatiuè, quia nimirum non repugnat vniuersali semper, & vbique esse, adeovt non licet assignare tempus, vel locum, in quo ipsum non sit, si secundum se spectetur, & si quæ sit repugnantia, ea sit ratione alterius, nempè singularium, è quibus nullum est (creati tamen ordinis) cui non repugnet, semper & vbiq; esse. Etsi enim foret aliquod singulare, quod posset esse semper, coquòd incorruptibile esset, illud tamen non esset vbique, cùm hoc solius Dei sit proprium. Sic intellectum esse semper, & vbique, erit proprietas vniuersali conueniens; quanvis etiam alio modo liceat illam interpretari, itaut vniuersali positiuè quoque conueniat, quatenus vniuersale dicatur non esse absolutè, & simpliciter in omni tempore, & loco; sed solum in omni tempore, & loco esse dicatur, quatenus quandocunque, & vbicunque sint eius singularia, etiam & ipsum esse debeat.

Octaua proprietas est vniuersalis, vt *ipsum æternum, & incorruptibile sit*. Hæc autem videtur desumpta ex Aristotele, cùm illam non semel commoret, præsertim autem dum ait.

Ἔτι, εἰ μή ἐστιν ἐν τοῖς λόγοις οὗτος, ᾧ μὴ ὁμωνυμία τὸ καθόλου, ἐὰν μὴ ἐνδέχηται ἄλλον τῶν κατὰ μέρος, ἀλλὰ τῷ μᾶλλον· ὥσπερ τὸ ἄφθαρτον, ἐν ἐκείνοις ἔστι· τὰ δὲ κατὰ μέρος, φθαρτὰ μᾶλλον. Præterea si sit vna quædam definitio, nec sit homonymia: vniuersale non minus erit, quàm nonnulla particularia: imò magis, quatenus incorruptibilia in illis sunt, particularia vero sunt magis corruptibilia. Quasi Philosophus dixerit, iam verò si genus vniuersum vnâ quâpiam ratione, non autem solâ nominis communione continetur: non minus in rerum natura vniuersale erit, quàm rerum singularum nonnullæ, quin etiam multo magis, quandoquidem quæ immutabilia sunt; nec interitum agnoscunt, in rebus vniuersis cernuntur, res verò singulæ maxima ex parte caducæ sunt, atque mortales. At vniuersalia æterna, & incorruptibilia esse tribus modis potest intelligi. Primò quidem, eoquòd semper aliqua sint indiuidua, ratione quorum omni tempore esse dicantur. Secundò quoniam in se habeant principium aliquod, ratione cuius vniuersalia sint æterna, & incorruptibilia; neutro tamen sensu huiusmodi

di

dicise vniuersalia dici possunt; si tamen de vniuersalibus prout talia sunt sermo fiat; quandoquidem neque sunt, neque semper aliqua fuerunt indiuidua cuiuslibet vniuersalis; cùm igitur singularia æterna non sint; ergo nec etiam vniuersale, cùm hoc præter illa nihil sit. Tertius remanet igitur sensus, quo vniuersalia dici possint æterna, & incorruptibilia, nimirum priuatiuè, seu negatiuè, quatenus vniuersalia ex se corruptionis non habent principium, itaut tota corruptio, defectusque in singularibus sit, & vniuersalibus prout huiusmodi non repugnet æternitas; hoc igitur modo vniuersalia dici possunt æterna, & incorruptibilia. 1. Post. tex. 162.

Ipsa enim nihil aliud dicunt, quàm quidditatiua, & essentialia prædicata, nullam autem existentiam, penes quam ortus, & interitus contingit; cùm igitur semper vniuersalibus eadem debeantur quidditatiua prædicata, itavt his variatis, nequeant vniuersalia esse in indiuiduis; propterea dicuntur semper manere, ac ob id æterna esse. Quando igitur Philosophus dixit vniuersalia esse ingenerabilia, & incorruptibilia, solùm docere voluit, ea non posse per se generari, & corrumpi abstracta à singularibus; proindèque duntaxat esse negatiuè ingenerabilia, ideſt non habere quidem gradum positiuum essentialem ingenerabilitatis, nam hoc modo communicari certè non possent singularibus generabilibus; sed negatiuè, eòquòd non nisi in singularibus requisitas conditiones ad exercitium generationis, & corruptionis habeant. Vbi aduerte, vniuersalis nomine hoc loco intelligendum illud, quod est incomplexum, itemque communem naturam cum sua vnitate formali, quæ etsi reipsâ sit in indiuiduis per differentias numericas contracta; hoc tamen ipsum non habet ab internis principijs, sed extrinsecus illi accidit; quomodò autem vniuersalia complexa, quæ per integras propositiones significantur, necessaria, & æterna dici debeant, vnde propositiones æternæ veritatis fiant, quibus duntaxat vtuntur disciplinæ, suo loco declarabitur. Sufficiat interim hanc esse necessitatem complexam ex hypothesi, quia nimirum si esse debet subiectum, de quo prædicatum enunciatur, debet hoc prædicato præditum esse, vt homo nequit esse in rerum natura, quin sit rationalis, quin admiratiuus, quin risibilis &c. Aristo explicatur.

De Vniuersalis proprietatibus hactenus.

SECTIO SEXTA

De Communitatibus, & differentijs quinque vniuersalium.

EX similium, dissimiliumque consideratione magnam in disciplinis vtilitatem percipi; testis est Aristoteles; ob id Porphyrius quinque prædicabilium ac vniuersalium naturam sedulâ contemplatione persecutus, quatenus tamen introductionis ratio postulabat, opportunum duxit, eadem inter se conferre, vt ea nimirum, in quibus consentiunt, itemque discrepant, sub vnum quasi aspectum subijceret. Horum autem vniuersalium scitè admodùm comparationes denario numero complexus est, cùm nec plures, nec pauciores esse potuissent, si singula omnia conferenda forent. Cùm enim quinque sint numero, quæ conferenda sunt; primum necesse erat eum quatuor sequentibus conferri; secundum cum tribus tantum; non enim cum primo, ne prorsus inanis repetitio fieret; tertium cum duobus; quartum cum vltimo; quod cùm vltra se nullum habeat, & ad priora iam fuerit comparatum, nulli remanet conferendum; hinc denarius comparationum numerus. Prima est, quæ instituitur inter genus, & differentiam assignando ea, in quibus conueniunt, & ea pariter, quibus inter se discriminantur. Secunda, quâ confertur genus cum specie. Tertia, quâ genus cum proprio; Quarta, quâ genus cum accidente; Quinta, quâ differentia cum specie. Sexta, quâ differentia cum accidente; Octaua, quâ species cum proprio. Nona, quâ, species cum accidente. Decima, atque postrema, quâ proprium cum accidente: Vt autem hæc ordine tractemus, primò quidem omnia vniuersalia inter se comparabimus; ex hac enim communi omnium vniuersalium comparatione, longè commodius atque facilius ad particulares eorundem comparationes gradum facere poterimus. Similitudo dissimilium consideratio magnam vtilitatem percipi. Denarius numerus comparationum. Comparatur inuicem omnia vniuersalia.

Illud est omnibus vniuersalibus commune, vt omnia sint in multis, ac de omnibus prædicentur. Genus enim prædicatur de pluribus speciebus, ac de pluribus indiuiduis, quæ sub ipsis speciebus continentur. Differentia pariter eodem modo se habet. Species prædicatur de pluribus indiuiduis sub ipsa contentis. Proprium prædicatur de genere, cuius est proprium; itemque de specie cuius proprium est, & de inferioribus quæ sub ipsa continentur. Denique accidens prædicatur de genere, & specie, ac de inferioribus, quæ continentur sub illis. Hæc autem inductione per omnia genera, species, differentias, propria, & accidentia explicari, confirmarique possunt. Et vt summatim dicam, omnibus his vniuersalibus, vt commune est posse de pluribus prædicari, quod est præcipuum, & primum vniuersalis attributum ac proprium, ita etiam ijsdem commune est quodlibet aliud ex attributis, de quibus ante locuti sumus. Imò & ipsis quoque commune, esse totum potestate, quod vniuersali metaphysico, & aliquo etiam modo logico esse consentaneum, ostendimus. Quo autem pacto genus de indiuiduis prædicetur, suo loco fuit explicatum. Porphyrius autem assignat differentiam quandam inter accidens, & alia prædicabilia, quòd accidens primò, & principaliter prædicetur de indiuiduis, & speciebus, vel generibus, sub quibus illa indiuidua continentur. Et in hoc accidens differre censetur ab alijs prædicabilibus; nam hæc si prædicantur de speciebus, & indiuiduis prius prædicantur de speciebus; deinde verò de indiuiduis, seu proximè, & nullo intermedio de speciebus, remotè autem, & non nisi intermedijs speciebus de indiuiduis; vt in genere, ac differentia licet obseruare; præcipuè autem differt accidens à proprio, quòd hoc etsi sit accidens, primò prædicatur de specie, deinde verò de indiuiduis sub specie contentis. Secus accidens commune quod ad eum se habet, quem diximus, modum; & hoc Philosophus cognouit, cum propterea dixerit. Differentia inter accidens, & alia prædicabilia.

Ἄνθρωπος ἐστι λευκὸς, ἀνὴρ Σωκράτης ἐστι λευκὸς. homo est albus, quia Socratès est albus.

Cuius rationem afferunt, quoniam vnumquodque proprium siue genericum, siue specificum proximè, ac immediatè ex principijs speciei, vel generis, cuius est proprium tanquam ex causa profluit; huiusmodi autem principia primò quidem speciei, vel generi, & horum ratione conueniunt indiuiduis; ob id eadem ratione proprium primò speciei, vel generi, & horum ratione conuenit indiuiduis. Contra verò communia se habent accidentia: cùm enim hæc ex principijs indiuidui quatenus tale est, tanquam ex causa proueniant, vel aliundè, puta, ab aliqua externa causa influente in ipsum indiuiduum; propter- Ratio.

rea fit, vt primò quidem indiuiduo; & ratione illius speciei, vel generi conueniant. Hoc autem ideo, quoniam omne proprium communem, siue genericam, siue specificam consequitur naturam.

Num omni, naturę communi proprietas conueniat Vt plurimum conuenit.

Celebris quidem est controuersia, num omni naturæ communi (quo nomine intelligo, tam genericam, quam specificam) proprietas conueniat, adeo vt quælibet communis natura sibi peculiarem vendicet proprietatem; vt plurimùm quidem ita se res habet, & sæpe sæpius saltem per negationem, aut per rectam rationis in ipsa re fundatam, proprietas assignatur. Imò rerum essentiæ consueuerunt explicari, designarique per rationem principij, quod sui naturâ talem, ac talem exigat proprietatem. Non propterea tamen existimandum omni communi naturæ positiuam proprietatem conuenire. Si nanque spectemus proprietatem ipsam, hæc pariter suam habet rationem, cui non alia proprietas est adscribenda. De proprio autem multa disputat Philosophus in Topicis. Quot scilicet modis dicatur proprium, & num benè illud sit assignatum &c.

Lib. 5. Topic per totum.

Num singularibus concedendæ sint peculiares proprietates præter illas, quæ ijs conueniunt ratione communis naturæ. Sententia negans approbatur.

Est etiam inquisitione dignum, num singularibus quoque concedendæ sint peculiares proprietates ab indiuidualibus differentijs dimanantes. Tametsi non desint, qui id affirmarint; propiùs tamen ad veritatem accessisse videntur, qui singularibus peculiares proprietates denegandas existimarunt. Ex horum igitur sententia proprietates communis naturæ conueniunt quidem singularibus determinatæ, atque contractæ per differentias indiuiduantes, præter has autem, illis non aliæ peculiares conueniunt. Ad hoc asserendum ea me ratio compellit; quoniam quæcunque proprietas alicui singulari conueniat, non ita illi conuenit, vt prorsùs similis, solùmq; diuersa numero alij, & alij singulari conuenire non possit; quin potius existimandum, proprietatem non secùs se habere, ac naturam ipsam communem; itavt quemadmodum hæc diuiditur, & multiplicatur in singularibus, sic etiam, & eius proprietas, eo vel maximè quòd hæc iuxta superius dicta reipsâ non distinguitur à natura, cuius est proprietas.

Ratio, qua superior opinio suadetur.

Sed præter naturæ communis proprietatem hoc, vel illud indiuiduum ex internis principijs indiuiduationis peculiarem aliquam sibi vendicare non posse ex eo planè conuincitur; quoniam proprietas consequens communem naturam ita se habet, vt ab essentialibus eius principijs profluat, hinc propterea (illa enim principia talis naturæ sunt propria) quæ conuenit vni naturæ, alteri conuenire non potest. At, quæ conuenit alicui indiuiduo, vtpotè proueniens ab eius peculiari temperamento, vt propensio ad arma tractanda in vno, in alio ad scientias, & magis ad hanc, quàm ad illam &c. potest in alio etiam indiuiduo prorsus similis adinueniri, eòquòd non repugnat dari indiuiduum aliud, quod simili temperamento præditum sit. De his tamen latius in Metaphysica.

De particularibus comparationibus.

Absolutâ comparatione omnium vniuersalium inter se, sequitur agendum de particularibus comparationibus, & primò de comparatione generis, & differentiæ, inter quæ tres conuenientias, sex autem differentias, seu discrepantias inuenies. Supponendum autem cum Porphyrio sermonem hic haberi de differentia generica.

Prima cõparatio est generis, & differẽtiæ 1.

Conueniunt. Primò, genus & differentia in eo, quòd sicuti genus prædicatur de pluribus speciebus differentibus; ita pariter differentia, etsi differentiæ nõ omnes illas species, quas continet genus, subsè contineat. Secundò quemadmodum quicquid prædicatur de genere essentialiter, prædicatur etiam de speciebus sub illo contentis; ita quicquid prædicatur de differentia essentialiter, prædicatur etiam de speciebus sub illa contentis. Tertiò sicut ablato genere, auferuntur omnes species illius; ita ablatâ differentiâ, illius etiam species auferuntur.

Con nientia 1.

Differunt, & primò quidem, eòquòd genus prædicatur de pluribus, quàm prædicetur differentia; genus enim prædicatur de differentijs, & speciebus oppositis, quæ diuisiuæ sunt illius generis; at verò illa de se inuicem non prædicantur. Secundò genus suas continet differentias potestate: at verò differentia non ita continet genus. Tertiò genus est priùs naturâ differentijs; vnde est, vt sublato genere, omnes illius auferantur differentiæ; sublatis autem differentijs etiam omnibus diuisiuis generis non aufertur necessariò genus; sed integra remanet natura ipsius. Quartò differunt penes modum prædicandi, propterea quòd genus prædicatur in quid; differentia autem in quale quid. Quintò vnius speciei vnum quidem est genus immediatum, multæ tamen sunt differentiæ; vt in homine genus est animal; at verò differentiæ sunt rationale, mortale &c. Sextò tandem genus est persimile materiæ; at verò differentiæ sunt similes formæ.

1. Dif parti

Si autem comparetur genus cum specie specialissima, tria reperientur in quibus conueniant, septem autem in quibus differunt.

Se con ratio

Conueniunt. Primò, quoniam tam genus, quàm species prædicantur de pluribus. Secundò sicuti genus est prius naturâ suis speciebus; ita species est naturâ prior suis indiuiduis. Tertiò sicut genus est totum quoddam continens sub se species; ita species est totum quoddam continens sub se sua indiuidua.

pe g cum cie

Differunt autem. Primò, quia genus continet potestate suas species; species autem quanuis in se naturam generis contineat, non continet tamen potestate genus, cùm non omnia contineat, quæ sub genere continentur, sicut genus omnia continet, quę continentur sub specie; ideoque genus de pluribus prædicatur, quàm species. Secundò, differunt nam genus est veluti materia, quæ præcedit ante speciem, & informata à differentia facit speciem, quod de specie dici non potest vt perspicuum est. Tertiò, & ex proximè dictis oritur; genus est specie naturâ prius. Quartò hinc illud prouenit, quòd ablato genere per intellectum, auferuntur species omnes illius, sed ablatis speciebus, haud necessariò genus aufertur, cum per intellectum adhuc generis integra remaneat natura. Quintò, genus uniuocè prædicatur de speciebus; at verò species hoc modo non prædicatur de genere. Sextò, genus quantum ad potestatem excedit species singulas per se sumptas; quoniam genus omnes suas species potestate continet; una autem species in alia non continetur. Contra verò ad actum quod spectat, quælibet species unam addit differentiam actu, quam genus actu non habet. Septimò tandem, nullum genus fieri, potest species specialissima, sicut nulla species specialissima potest fieri genus, vel sicut nulla species potest genus generalissimum fieri.

Te pa &c ris

Si autem conferatur genus cum proprio, tres reperientur conuenientiæ, & quinque discrepantiæ, seu differentiæ.

pr

Conueniunt. Primò, quoniam sicut in bona consequentia ex specie infertur genus; adeout à specie quamoptimè liceat ad genus argumentari; sic in eadem ex specie infertur proprium. Secundò sicut genus non suscipit magis, & minus; ita

nec

Digitized by Google

nec etiam proprium. Tertiò sicut genus prædicatur vniuocè de suis speciebus; ita proprium prædicatur vniuocè de illis, quibus est proprium.

Differunt autem. Primò, quia genus est prius naturâ specie, de qua prædicatur; proprium verò est posterius; tum quia genus est principium specierum; proprium autem non est principium, sed potius est principiatum; tum quia species est principium proprij; cùm proprium fluat ab essentia, & natura speciei. Secundò genus prædicatur de pluribus speciebus: proprium autem de vna tantùm specie. Tertiò, genus non conuertitur cum singulis speciebus: sed proprium conuertitur cum illa specie, cuius est proprium. Quartò, proprium inest omni, soli, & semper speciei, cuius est proprium; genus autem inest suæ speciei omni, & semper, sed non soli. Quintò tandem ablato proprio non auferetur genus; sed ablato genere auferetur proprium; quoniam ablato genere, auferetur species, & ablatâ specie auferetur proprium, quod ex illa profluit.

Circa tertiam conuenientiam aduerte prædicationem vniuocam duobus modis vsurpari. Primò enim prædicatio vniuoca propriè illa est, quâ aliquid essentiale prædicatur de re, cui est essentiale; Secundò accipitur prout significat omnem illam prædicationem, quâ aliquid ita prædicatur de altero, vt & nomen, & ratio per nomen significata prædicetur, siue prædicetur essentialiter, siue non. Cùm igitur dicitur genus, & proprium vniuocè prædicari, id intelligendum iuxta secundam vsurpationem; quoniam tam genus, quàm proprium ita prædicantur, vt prædicetur non solum nomen; sed etiam ratio significata per nomen. Tametsi genus ita prædicetur, vt ratio per illud significata sit essentialis ijs, de quibus prædicatur, adhuc tamen proprium dicitur vniuocè prædicari modo nuper explicato.

Circa secundam discrepantiam in eo posicam, quòd genus prædicetur de pluribus speciebus; proprium verò de vna tantùm specie, cuius est proprium, aduertendum occurrit, hinc à quibusdam colligi nullum dari proprium, nisi specificum; propria verò generica non esse verè propria. Allucinantur tamen, cùm generica quoque propria concedenda sint; quamvis Porphyrius de specifico tantùm sit locutus; vel quia ipse egerit de proprio specifico, de quo etiam Capite de proprio disputauerat, nullâ mentione factâ de generico, quandoquidem hoc ad illud facile reduci sibi non immeritò persuasum habuerat; Vel quia animaduerterit genus à proprio distingui eò quòd genus perpetuò, ac necessariò quatenus tale est, prædicari debeat de pluribus speciebus; proprium autem quantumvis possit etiam & ipsum de pluribus speciebus prædicari, hoc tamen ipsum non habet, quatenus proprium est; adeovt ad eius essentiam pertineat hoc modo prædicari, sed possit de vna sola specie, quale est proprium specificum, prædicari.

Si autem conferamus genus cùm accidente; deprehendemus vnum in quo conueniunt, & quatuor in quibus discriminantur.

Conueniunt genus, & accidens in eo, quòd vtrumque de pluribus prædicatur, quod non solum accidenti separabili, sed etiam inseparabili conuenit.

Differunt autem. Primò, quoniam genus est prius specie; accidens verò siue separabile, siue inseparabile posterius est; propterea quòd prius est id, cui accidit, quàm sit ipsum accidens. Secundò, genus non prædicatur secundum magis, & minus; omnia enim inferiora illius æquè illud participant; accidens verò prædicatur secundum magis, & minus. Tertiò accidentia primo, & principaliter sunt in indiuiduis; genera verò sunt prius naturâ in se ipsis, quàm sint in speciebus, vel indiuiduis. Quartò genus prædicatur in quid; accidens autem in quale; vel in quomodo.

Si conferamus differentiam cum specie, reperiemus duo, in quibus conueniunt; & quatuor in quibus differunt.

Conueniunt. Primò, quoniam vtraque æqualiter à suis inferioribus participatur, eaque suscipiunt magis, & minus. Secundò, quemadmodum species semper inest suis inferioribus, de quibus prædicatur, ita differentia; vt enim indiuiduum sine sua specie esse non potest; ita nec etiam species sine sua differentia constitutiua.

Differunt autem. Primò, quoniam species prædicatur in quid: differentia verò in quale quid. Secundò quia differentiæ sæpè de pluribus speciebus prædicantur; species verò, nempe specialissima (de hac enim in præsentia fit sermo) prædicatur solum de indiuiduis. Tertiò differentia est prior naturâ specie, cùm sit vniuersalior illâ, vt propterea ablatâ differentiâ auferatur species; ablatâ autem vnâ specie, non auferatur differentia. Quartò differentia simul cum alia differentia componit, constituitque speciem; vna autem species nihil cum alia specie componit.

Cum autem dicimus differentiam esse vniuersaliorem specie, id non intelligendum de differentia, quæ est propria speciei; sed de differentia constitutiua generis. Deinde cùm dicimus speciem cum specie nihil componere, intelligendum, vt ipsæ non concurrant tanquam se ipsis formaliter communicando se ipsas; nihil tamen prohibet, quominus effectiuè sicut vt Asinus, & Equa ad generandum Mulum concurrant.

Si comparemus differentiam cum proprio, deprehendemus in duobus conuenire, & in duobus itidem differre.

Conueniunt. Primò, quia sicut differentia prædicatur æqualiter de suis speciebus, & non secundum magis, & minus; ita etiam proprium. Secundo sicut differentia prædicatur vniuersaliter; hoc est de omnibus suis speciebus; ita etiam proprium vniuersaliter de illis prædicatur.

Differunt autem primò, quia differentia sæpe prædicatur de pluribus speciebus; proprium verò de vna tantùm. Secundò, differentia non conuertitur cum eo, cuius est differentia; quoniam est quid vniuersalius illo; proprium verò conuertitur.

Cum autem dicimus differentiam sæpe prædicari de pluribus Speciebus; proprium autem de vna tantùm, id intelligendum volumus ex Porphyrij sententia, habitò nempe sermone de differentia constituente genus, & proprio speciei atomæ.

Si comparemus differentiam cum accidente; deprehendemus in duobus conuenire, differre autem in tribus.

Conueniunt. Primò, quoniam vtrumq; prædicatur de pluribus. Secundò, quia quemadmodum differentia semper inest illis, quorum est differentia; ita etiam accidens inseparabile semper inest ei, cuius est accidens.

Differunt autem. Primò, quoniam differentia semper prædicatur vniuersaliter de speciebus, & de omnibus indiuiduis. Accidens verò non prædicatur vniuersaliter de omnibus, vt album de homine, sed

Quinta comparatio, & est differentiæ cum specie. 1. 2.

2. 2.

3.

4.

Animaduersio.

Sexta comparatio & est differentiæ cum proprio. 1. 2.

2.

Animaduersio.

Septima comparatio & est differentiæ cum accidente. 1. 2.

2.

non de omni homine prædicatur. Secundò differentia non suscipit magis, & minus, accidens verò suscipit. Tertiò contrariæ differentiæ, non simul miscentur vt rationale, & irrationale; sed contraria accidentia miscentur; ex albo enim, & nigro colores medij, puta rubrum, pallidum &c. fieri possunt.

Octaua comparatio & est speciei cũ proprio.

Si comparemus speciem cum proprio, reperiemus conuenire in duobus, & in quatuor differre.

1. Conueniunt; Primò quia species, & proprium conuertuntur, & de se inuicem prædicantur; dicimus enim omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo; sumitur autem risibile prout dicit aptitudinem, non actum ridendi; nam actu ridere, non est proprium hominis, sed accidens eiusdem. Secundò conueniunt; quia sicuti species æqualiter participatur ab omnibus eius individuis; ita proprium æqualiter participatur ab omnibus illis, quorum est proprium.

2. Differunt autem; Primò quia species potest esse genus aliorum, si nempe fuerit species subalterna. Proprium verò stricte sumptum, nequit esse proprium, nisi vnius speciei, nimirum atomæ. Secundò, species est prior naturâ proprio, propterea quòd proprium sequitur naturam speciei; ideoque prius naturâ est species, quàm proprium ipsius. Tertiò species semper dicit actum, qui debet adesse illi, cuius est species; proprium verò duntaxat aptitudinem dicit; ita fit vt Socrates semper actu sit homo, non semper tamen actu rideat, etsi semper sit risibilis, siue aptus adridere. Quartò alia est definitio proprij à definitione speciei; proprium enim definitur esse id, quod adest omni, soli, & semper; Species verò definitur esse id, quod est sub genere, & prædicatur de pluribus numero differentibus in eo, quod quid.

Animaduersio.

Cæterùm hoc loco Porphyrius sumpsit speciem alio modo, quàm in antecedentibus acceperit; hactenùs enim sumpsit illam pro specialissima; nunc autem pro subalterna. Imò quando communitates affert inter speciem, & proprium, sumit itidem speciem pro specialissima; quando autem affert primam differentiam inter illa, sumit speciem pro subalterna; quando verò vltimam differentiam affert, tunc sumit pro specialissima; non propterea tamen reprehendendus; quâ de re adeas interpretes.

Nona cõparatio est speciei cum accidente.

Si comparemus speciem cum accidente; deprehendemus conuenire in vno, scilicet in eo, quod vtrique conuenit prædicari de pluribus, & comperiemus differre in quatuor.

1. Differunt autem; Primò quoniam species prædicatur in eo, quod quid; accidens verò in eo, quod quale, vel quomodo se habet. Secundò vna substantia individua, vnam tantummodò speciem habet; cùm tamen multa habeat accidentia non solum separabilia, sed etiam inseparabilia. Tertiò species est prior accidente etiam inseparabili; prius enim intelligendum subiectum, quàm accidens, quod est in illo. Accidens enim quidpiam rei aduentitium est. Quartò species æqualiter participatur ab inferioribus suis, & non secundum magis, & minus; accidens autem non participatur æqualiter, etiamsi inseparabile sit.

Decima atque postrema cõparatio, & est proprij cum accidente.

Denique si comparemus proprium cum accidente; reperiemus in duobus conuenire, & in tribus differre.

1. Conueniunt; Primò quoniam proprium, & accidens inseparabile ita se habent, vt subiectum nunquam sit in rerum natura sine illis; ideoque conuenit omni, & semper. Secundò conueniunt, quoniam vtrumque prædicatur in quale.

2. Differunt autem; Primò quia proprium conuenit soli, quod non habet accidens quantumuis inseparabile; Secundò proprium conuertitur cum eo, cuius est proprium; non sic autem accidens. Tertiò proprium non suscipit magis, & minus; accidens verò suscipit.

SECTIO SEPTIMA.

Quomodo quæstionibus à Porphyrio propositis satisfiat.

RElinquum est, vt ad huius tractationis de Vniuersalibus calcem quæstionibus initio iam à Porphyrio propositis satisfaciamus. Tres autem illæ fuerunt; è quibus Prima est an vniuersalia per se sola subsistant; an verò sint in nudis, & puris intellectibus. Secunda an vniuersalia sint corporea, an incorporea. Tertia an sint substantia, vel accidens.

Tametsi autem Porphyrius primam Quæstionem generatim proposuerit, tam de vniuersalibus substantiarum, quàm accidentium, reuerâ tamen instituta videtur ab Aristotele specialim de vniuersalibus substantiarum, cum ipse disputationem init aduersus Platonem in re de qua agitur; ibi nanque de solis generibus, & speciebus substantiarum edisserit. Inficiari tamen non licet hoc idem de accidentibus inquiri posse; proindeque non inconsultò Porphyrius vniuersè quæstionem proposuit.

Heraclitus, Antistenes, Democritus, Epicurei, referente Platone, imò etiam, & Aristotele existimarunt vniuersalia, de quibus in præsentia fit sermo in solis esse nudis intellectibus, atque conceptibus. In eandem sententiam abierunt illi, qui Nominales appelati fuerunt. Plato ex aduerso credebat vniuersalia quidem existere in re, & extra animam non solùm ratione rerum quas dicunt, sed etiam ratione ipsius communitatis, & vniuersalitatis per suas illas ideas, in quas passim Aristoteles inuehitur; præsertim in libris Diuinorum, vbi datâ operâ de Platonis ideis tractationem instituit. Ex hactenus tamen disputatis facilè quid ad Porphyrii quæstionem primo loco propositam respondendum constabit; Vniuersalia enim si sumantur pro naturis, quæ denominantur vniuersales, nulli dubium, quin dici possint in rebus esse, siue extra animam. Si autem accipiantur secundum ipsam vniuersalitatem, dicenda sunt entia in anima, itaut extra ipsam nullum esse habeant; quod duobus modis potest intelligi iuxta duplicem de ente rationis opinionem; hoc enim si dicamus concedendum extra lineam omnis entis realis, itaut solùm habeat esse obiectiuè in mente distinctum ab omni ente reali; vniuersalia secundum vniuersalitatem erunt entia rationis iuxta hanc vsurpationem accepta. Vbi aduertendum iuxta hunc dicendi modum vniuersale sumptum pro natura, & vt aiunt, materialiter acceptum, interdum esse ens rationis; cùm enim vna secunda intentio possit supra aliam fundari; poterit etiam vniuersalitas entibus rationis applicari, quemadmodum contingit, quando entia rationis instar realium à suis inferioribus abstrahuntur, & iterum ad ipsa comparantur; sic ex horum sententia vniuersale dicitur genus ad quinque vniuersalia, sumpto vniuersali pro ente rationis modo iam explicato. At si ens rationis non aliud esse concedatur, quàm illud à nobis suo loco explicatum, quatenus scilicet non habet esse extra animam, licet suum esse habeat intra latitudinem entis realis; vniuersalia erunt entia rationis secundum ipsam vniuersa-

Digitized by Google

uersalitatem; quatenus secundum naturam sunt in re, at secundum vniuersalitatem non nisi in anima, eò quòd vniuersalitas consistit in illo respectu superioris ad inferiora, qui solùm habet esse, quatenus intellectus illum comminiscitur, licet hoc reuerâ sit in anima tanquam in subiecto, dicaturque rationis opus, quatenus extra animam non est; qua de re, vide quæ scripsi in Dissertatione de ente rationis. In huiusmodi autem entibus rationis dari etiam potest vniuersale quantum ad naturam; itaut natura ipsa sit ens rationis modo iam explicato, & vniuersalitas eodem modo sit rationis opus; itaut suo modo detur quoque secunda intentio supra primam fundata.

Erat autem secunda Quæstio; an vniuersalia sint corporea; an incorporea. Plato arbitrabatur genera, & species esse formas quasdam omnis materiæ, & mutationis expertes, etiam si sint ideæ rerum corporearum.

Ex aduerso Aristoteles vniuersalia putabat materiam includere dummodo vniuersalia sint rerum corporearum, & materialium. Sed quæstionis sensus manifestus est; intelligi siquidem dubitatio potest de vniuersali quoad vtramque rationem, quibus ipsum constat; cum enim vniuersale dicat naturam substratam vniuersalitati, & vniuersalitatem ipsam, dubitari profectò potest de vtraque vniuersalis parte, an scilicet rationem corporei, vel incorporei obtineat.

Ad vniuersalitatem, ac eòlà ad formalem partem, quod spectat, nullus videtur dubitandi locus, cùm illa sit ens rationis; hoc autem vtcunque explicetur nunquam corporeum dici potest. Qui ens rationis ab omni ente reali distinctum tuericonantur, vniuersalitatem prædictam, vtpotè ens rationis ab ipsis intentum, aiunt, neque corpoream esse neque incorpoream; itaut dicat aliquid ab vtraque ratione præcisum; accepto tamen ente rationis iuxta nostrum explicandi modum, petenda responsio ex iis, quæ hac de re suo loco disputauimus. Atsi spectetur natura substrata, quam vniuersale inuoluit, quoniam vniuersalis ratio non limitatur ad naturas corporeas, vel incorporeas; propterea vniuersalia & corporea, & incorporea esse possunt; quandoque etiam dicere possunt ab his conceptum præcisum saltem per indifferentiam; Quando siquidem communis natura denominata vniuersalis est corporea; tunc vniuersale corporeum est, vt homo respectu Socratis, & Platonis; at quando est natura spiritualis, tunc vniuersale illam inuoluens est incorporeum, vt Angelus respectu huius, & alterius Angeli; quando autem communis illa natura dicit conceptum præcisum ab vtraque ratione, scilicet corporei, & incorporei; tunc vniuersale illam includens, vt substantia dicit conceptum indifferentem ad rationem vtramque, quemadmodum etiam, & accidens, si quidem hoc dicit conceptum præcisum ab vtraque ratione, & indifferentem ad vtramque.

Hactenus autem dicta ex eo constant, quoniam huiusmodi vniuersalia, vel abstrahuntur à singularibus rebus corporeis, atque materialibus, & ita dici possunt corporea, propterea quòd in quocunque extant, corporea sunt, & identitatem habent cum individuis corporeis, atque materialibus. Vel à rebus spiritualibus, ac immaterialibus abstrahuntur, & tunc incorporea, atque spiritualia dici possunt, quoniam in spiritualibus individuis existunt, & cum illis identitatem habent. Si tandem abstrahantur à quibusdam corporeis & ab aliis incorporeis, & spiritualibus, qualis est ratio substantiæ communis Angelis, & rebus corporeis; & tunc vniuersalia dicentur importare conceptum præcisum à ratione corporei, & incorporei; nam in rebus corporeis vniuersale erit corporeum, & in incorporeis erit incorporeum, vnde dicit conceptum indifferentem ad vtranque rationem; quemadmodum animal, eò quòd commune est rationali, & irrationali, propterea dicit conceptum indifferentem ad vtrumque.

Difficultas proponitur, & eidem occurritur.

Quanquam autem dicamus vniuersalia esse corporea, quando à singularibus corporeis abstrahuntur; non ob id in illud incidimus absurdum, quòd simul in eodem plura sint corpora; vt in homine sit vniuersale, quod est animal, & aliud quod est viuens, & aliud quod est corpus, quæ omnia sunt corpora; non enim hæc corpora sunt distincta realiter, quo pacto nequeunt plura esse corpora simul; sed diuersi sunt tantummodò gradus eiusdem rei, qui quidem omnes eadem in re conueniunt; gradus enim corporis in homine realiter non destinguitur à gradu viuentis; nec gradus viuentis à gradu animalis, nec gradus animalis à gradu hominis; sed solum virtute in re, formaliter per intellectum ipsos distingui alibi demonstrauimus. Sed hoc nullum incommodum.

Cùm autem nulla natura spiritualis sit sensibilis, hoc est sensu perceptibilis, sed proprium sit rebus corporeis, posse sentiri; ob id pariter dicendum naturas quasdam esse sensibiles, quasdam insensibiles, & quasdam neutras; ita tamen vt nunquam exerceri sensatio possit circa ipsam vniuersalem naturam; non enim visus ex. gr. potest colorem generatim sumptum, aut albedinem in vniuersum acceptam videre; neque gustari potest sapor communiter sumptus, cùm sensationis actus nonnisi circa aliquod singulare possit exerceri; hoc igitur sensu id vitandum, vt naturæ sensibili in vniuersum competat, in suis singularibus sentiri posse; quod de natura spirituali asserere minimè licet. Nec à superiori veritate recessit Philosophus dicendo, vniuersalia esse sine materia ac proinde incorporea, itaut omnia vniuersalia crediderit incorporea esse; non enim negauit vniuersalia quædam materiam ipsam includere; sed solum docere voluit illam non inuoluere singulariter sumptam; sed tantum in vniuersum acceptam.

7 Diuin à tex. 45. Arist. locus explicatur.

Erat autem tertia, & postrema Quæstio an vniuersalia sint in singularibus, an potius ab ijsdem separata. Plato dicebat genera & species rerum sensibilium esse ab illis separata, vt mox explicabo. Aristoteles oppositum asserebat; Sed huic quæstioni satisfiet respondendo vniuersalia materialiter accepta esse in singularibus, formaliter verò sumpta, posse aliquo modo ab eis dici separata, quatenus vniuersalitas, est quoddam opus rationis, licet etiam in huiusmodi statu dici possint cum singularibus per intellectum coniuncta, quoniam per esse in illis, actu vel aptitudine constituuntur. Hoc planè videtur docuisse Aristoteles, cùm vbique dixerit vniuersalia non esse à rebus separata, sed in ipsis singularibus existentia, quoniam cum illis realiter identificantur, in quo à Platone dissentit, siquidem ille dicebat genera, & species rerum sensibilium esse ab illis separata, eoquòd vniuersalia crederet esse quasdam ideas omnis mutationis, & corruptionis expertes; inde enim fit, vt illæ nequeant esse in singularibus, & cum ijsdem identificatas, cum singularia variabilia sint, atque corruptibilia, quod ideis ipsis repugnat.

Tertia quæstio à Porphyrio proposita. Quæstioni fit satis.

Et hâc occasione quæri solet; an vniuersalia sint substantia, vel accidens; nec absimili distinctione respondendum de duplici vniuersalis parte, nempè for-

Alia quæstio proponitur.

formali, cuiusmodi est vniuersalitas, & materiali, qualis est natura substrata; prætermissa autem formali parte, cùm de illa sentiendum sit iuxta vnum, vel alterum modum explicandi ens rationis, de materiali parte dicendum, quam substratam esse naturam asseruimus.

Ex naturis vniuersalibus quædam substantiales, & quædam accidentales

Ex naturis porrò vniuersalibus quædam sunt substantiales, quædam accidentales, quædam autem neutræ. Explicatur, & suadetur assertio, in cuius gratiam oportet aduertere substantiale duobus modis vsurpari posse, primò prout significat idem, accessentiale, siue pertinens ad essentiam rei, quo pacto ab accidentale distinguitur, cum hoc id, quod est extra essentiam, significet. Ita quidem aliquæ sunt naturæ essentiales; aliæ autem accidentales subiectis, de quibus dicuntur. Vt homo substantialis, hoc est essentialis est Socrati, & animal homini; at verò album, & Socrati, & homini accidentale est. Et vniuersè Genus, Species, & Differentia essentialia, Proprium verò, & Accidens accidentalia esse dicuntur. Hinc naturæ vniuersales in accidentibus substantiales dicuntur inferioribus suis, quoniam substantiale sumitur pro essentiali; at in accidentibus superiores gradus inferioribus essentiales esse cuique perspectum est. Secundò substantiale accipitur pro eo, quod per se existit; & accidentale pro eo, quod subiecto inhæret; & hoc iuxta partitionem entis in substantiam, & accidens. Hoc autem sensu naturæ vniuersales in substantijs sunt substantiales, siue substantiæ: in accidentibus verò sunt accidentales, siue accidentia; hæc autem inductione constat discurrendo per substantias, & accidentia. Potissima autem ratio ea est, quoniam de essentia substantiæ nequit esse natura accidentalis; nec de essentia accidentis substantialis natura; vnde tota natura, quæ est in aliqua substantia singulari est prorsus independens ab omni inhæsionis subiecto: eodem modo tota natura, quæ in singulari est accidente, subiecto quidem inhæret; ex naturis igitur vniuersalibus quædam accidentales sunt.

Sed quoniam datur ratio entis realis, quæ essentialiter tam in substantia, quàm in accidente inuoluitur; propterea fatendum est ex vniuersalibus naturis aliquas esse neutras, cum talis esse debeat ratio entis, & omnis alia, quæ tam in substantia, quàm in in accidenti inuoluitur. Talem autem esse debere rationem entis, & alias similes inde probatur, quoniam si ratio entis foret essentialiter substantia, certè non competeret accidenti; et si foret essentialiter accidens, non competeret substantiæ; est ergo ratio quædam neutra, quippequæ neutro modo se habet, dicitque conceptum imperfectâ saltem præcisione præcisum à ratione substantiæ, & accidentis.

Nec oppositum docuit Philosophus, quando videtur dixisse vniuersalia non esse substantias; solum enim negare voluit vniuersalia esse naturas per se, & in se consistentes separatas à singularibus; vnde sumpsit substantiam pro natura existente per se extra singularia. De his tamen hactenus.

DISSERTATIO XIV.

De Vniuersalibus in significando, Vniuocis æquiuocis, atque denominatiuis.

Tractationis ordo

Diuisio in tres partes.

Ecte hoc loco philosophi de vniuersalibus in significando tractationem aggrediuntur; cùm enim huiusque de vniuersalibus in essendo disputarint; & hæc ab vniuersalibus in significando præsupponantur; ob id non incorsultò post eorum considerationem, de his disputationem instituunt. Hæc porrò sunt, de quibus in Antepræd icamentis edisserunt. Vniuersam hanc tractationem in tres partes distribuunt, quarum primam, quam præ manibus habemus, de Antepræd icamentis appellant, in qua tres definitiones Vniuocorum scilicet, Æquiuocorum, atque Denominatiuorum assignant; quibus non inepte recentiorum sagacitate fuerunt Analogorum definitiones adiunctæ, quas tamen Aristoteles neglexit, quoniam Analoga æquiuocorum nomine forsan complexus est. Duas etiam diuisiones, duasque regulas afferunt. Secunda est, in qua de Prædicamentis edisserunt. Tertia qua Postprædicamenta complectuntur; nimirum quosdam modos, qui vel omnia, vel aliqua saltem prædicamenta, consequuntur. Erat autem cur primam hanc partem præmitterent, tum in hac tractentur ea, quæ ad collocationem, ordinemque rerum in prædicamentis apprimè conducunt si namque prædicamentis fuissent permixta, non exiguam confusionem peperissent.

SECTIO PRIMA,

De Æquiuocis, & Vniuocis.

Cur priùs de æquiuocis,

INitio tractanda videntur æquiuoca, quippè quæ simpliciora sunt, solius enim nominis communitatem habent, cùm Vniuoca præter hanc naturæ quoque significatæ per nomen communitatem obtineant. Alij autem opportunius existimant, ab Vniuocis exordium desumere, velut ab ijs, quæ cum vniuersali in essendo longè maiorem sortiantur affinitatem. Res tamen nullius momenti, cùm nihil referat vndè sumatur exordium, dummodò ambo considerentur, vt propterea non nulli coniunctim de vtrisque disputarint.

Præmittendum autem tàm vocem, quàm mentis formalem conceptum res significare, atque repræsentare, modo tamen diuerso. Formalis nanque conceptus, quippè qui cognitio est, rem cuius est imago suâ naturâ significat, vox autem non naturaliter, sed ad placitum, & ad libitum rem ipsam significat; Hinc porrò fit, vt formalis conceptus vnius rei secundum speciem sit vnus: rerum autem plurium specie differentium sint plures; vnius rei secundum speciem, vnus est formalis conceptus, vt dicebam, non repugnat tamen plures numero diuersos, vnum scilicet post alium, in eodem intellectu reperiri, vt formalis est vnus conceptus humanæ naturæ secundum

Digitized by Google

dum speciem, cùm plures formales conceptus specie diuersi de eodem homine repugnent; nec idem conceptus formalis potest esse de rebus naturâ diuersis, quoniam huiusmodi conceptus speciem sortitur ab obiecto suo; si enim est idem obiectum: idem pariter specie conceptus erit; & si idem est specie conceptus, idem etiam specie obiectum esse oportebit, cum ille huius imago sit: nihil tamen prohibet numero plures esse, at non eodem modo de nominibus ratiocinandum; idem siquidem nomen, & vniuersè eadem vox ad diuersa penitùs significanda potest adhiberi; vt vox ista *canis*, quæ imposita est ad significandum canem terrestrem, piscem marinum, & sydus cæleste.

Nomen equiuocũ

Nomen res adeò diuersas vnicâ voce significans solet æquiuocum apellari, quasi videlicet res plures eâdem voce appellans.

nius rei plura nomina & ge dicũtur Multiuoca siue synonyma uersa quæ æquiuoca.

Contingit etiam vt contra vnius rei plura sint nomina, vt ensis, & gladius, & hæc multiuoca, siue synonima dicuntur.

Vsu quoque venire solet, vt res plures diuersis conceptibus repræsentatæ diuersis itidem vocibus significentur; vt homo, leo, quæ propterea diuersiuoca vocantur.

Accidit etiam, vt res plures quatenùs communem rationem participant eodem nomine significentur, & ea dicuntur vniuoca, vt homo, leo, quatenùs communem rationem animalis participant, & animalis nomen merentur & animalia nuncupantur.

himasio.

Hic porrò non est silentio prætereundum, quòd æquiuocatio, & vniuocatio tam rebus, quàm vocibus per intellectum conueniunt. Hæc enim nominum vnitas, vel diuersitas rebus ex sola hominum institutione conuenit; res propterea se ipsis nec vniuocæ, nec æquiuocæ, sed tales dicuntur, quatenus à nobis his, vel illis nominibus significantur. Primò tamen non inficiandum conuenire vocibus; secundò autem rebus; quoniam hæ non dicuntur tales, nisi in ordine ad uoces vniuocas, vel æquiuocas.

Nominũ vnitas, & rerũ rebus, & ola hominũ, ũitatio ne conue- e. es se ip- nec vni oces nec æquiuoce, æquiuo- a, & vni oca in- Res, & ũitas fi ũficatio

Quo factum est, vt æquiuoca, & vniuoca in actiua, & passiua distingui consueuerint. Illa quidem sunt nomina equiuocè, vel vniuocè significantia: Ista sunt res ipsæ nominibus significatę, vndè nomina dicuntur vniuoca vniuocantia, & æquiuoca æquiuocantia, quia vocant, & appellant, seu res ipsas significant. Res verò dici solent æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata, quòniam nominibus vocantur, ac appellantur.

oca, nerſino Syno ma & uoca ũnẽ ma.

Quæ autem in nomine, conceptuque, per nomen illud expresso, conueniunt, *vniuoca* passiuè dicuntur, vt nomen ipsum actiuè *vniuocum* nuncupatur; quæ in vtroque differunt, appellantur *diuersiuoca*; quæ in conceptu conueniunt, & in nomine differunt; nuncupantur *synonyma*, siuè *multiuoca*; Quæ denique conueniunt in nomine, sed in conceptibus differunt, *æquiuoca* dicuntur.

Stagirites autem neglectis multiuocis, & diuersiuocis, vtpotè minùs ad rem facientibus, dè vniuocis, & æquiuocis sermonem instituturus, eorum definitiones tradit dicens, Ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. *Homonyma dicuntur, quorum nomen solum est commune, ad illud verò nomen accommodata definitio est diuersa* Hoc est Æquiuoca dicuntur, quorum solùm nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa. Subdit exemplum dicens. οἷον ζῷον, ὅ, τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον. τούτων γὰρ ὄνομα μόνον, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας, ἕτερος. ἐὰν γὰρ ἀποδιδῷ τις τὸν ἑκατέρου λόγον, τί ἐστιν ἑκατέρῳ αὐτῶν τὸ ζῴῳ εἶναι. τὸν αὐτὸν ἀποδώσει λόγον, *Vt animal id quod homo est, & id quod est bos. Nam & animal communi nomine eorum vtrumque appellatur, & eadem est, quæ essentiam explicat, definitio; Etenim siquis tradat definitionem, quæ quid vtrumque quatenus animalia sunt, explicet, certè eandem attribuet vtriq;* Hinc propterea Scholastici sic vniuoca definiunt. *Vniuoca dicuntur quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem ratio substantiæ*, vt animal, homo, atq; bos, quæ vt ipse declaret, subdit, *communi enim nomine vtraque animalia nuncupantur, & est substantiæ ratio eadem.* Si quis enim assignet vtriusq; rationem quid vtrumque sit, quâ sint animalia, eandem assignabit rationem.

Quæ vt rectè perspicuèque constent, singula iuuabit percurrere, & quidem primò consideranda occurrit vox *nomen* cum dicitur *quorum solùm nomen commune est*; nomen enim accipiendum, vt est omnium rerum per vocem significatio, nimirum omne vocabulum, non proprium solum, aut appellatiuum, quod ad illud tantummodo nomen pertinet, quod casibus inflecti potest, sed ad omnem rerum significationem, quatenus res per imposita vocabula prædicamus, verbo dicam, non pressâ, sed laxâ quâdam significatione summitur *nomen*, pro vt comprehendit; verbum, participium, & quamlibet aliam orationis partem, cùm in his omnibus vniuocatio, & æquiuocatio, contingat. Ità quidèm *canis* nomen æquiuocum est, cùm significet canem cælestem, terrestrem, aquatilem; & verbum *lego* in prima persona æquiuocum est, significat enim *colligo*, & significat etiam *Nuncium* seu *oratorem mitto*. Quod etiam in alijs orationis partibus operosum non est adnotare.

Definitionis traditæ diligẽter explicantur.

Explicatur particula, nomen.

Secundò dicitur *solùm* quod duobus modis accipitur, semèl cum aliquid vnum esse dicimus, vt si dicamus *solus est Deus*, idest vnus; aliâ vice cum dicimus, ad quandam ab altero diuisionem, vt siquis dicat, *solum me habeve panem* idest non etiam obsonium. Philosophus autem hoc sensu loquitur dicens *solum nomen commune est*; quasi nempè voluisset intelligi, *non etiam definitio*; æquiuoca nanque iunguntur nomine, sed definitione dissentiunt.

Explicatur particula, solũ.

Tertiò dicitur *commune*, quòd etsi multifariam sumatur, hìc tamen accipitur tantùm pro eo, quod etsi nullis sit diuisum partibus, totum tamen vno tempore venit in singula ad significandum tale nomen debere esse omninò vnum, & idem; vbi obseruandum quamlibet diuersitatem siue literarum, siuè pronunciatio-

Explicatur particula commune.

Digitized by Google

ciationis, & accentus; siuè quantitatis syllabarum æquiuocationem tollere; penes hæc omnia seruanda igitur vnitas; secùs autem in æquiuoca voce contingit: Vt *leporem* cum media correpta, & *leporem* cum eadem producta, quæ potius dicuntur nomina diuersa, etsi literis similia.

Explicatur particula ratio

Quartò dicitur *ratio*, quæ quamuis multifariam dicatur, hic tamen pro conceptu obiectiuo sumitur, qui per definitionem, vel aliam quampiam orationem exprimitur.

Explicatur particula substantiæ.

Quintò dicitur *substantiæ*, quo nomine non intelligitur id quod ab accidente distinguitur, siquidem in accidentibus propriè & vniuocatio, & æquiuocatio reperitur; sed accipitur, pro essentia & quidditate; quæ in omnibus tam scilicet in substantia propriè dicta, quàm in accidentibus reperitur. Sic Philosophus alibi substantiam accepit dicens *quod quid erat esse, cuius ratio definitio est vnius cuiusque substantiæ dicitur*.

7. Divin. Text. 15.

Explicatur particula secundam nomen.

Additur *secundum nomen*, siue importata per nomen, ad significandum penes illud nomen, quod æquiuocum, vel vniuocum dicitur, attendendum esse, quod æquiuocum, vel vniuocum dicitur; aliquin, quæ nomen æquiuocum vnum habent, in aliqua communi ratione, iungi possunt, quæ per nomen illud non denotetur. Vt nomen canis æquiuocum est; & quanvis aliqua in huiusmodi nomine sint æquiuoca; possunt tamen in alio vniuoca esse nomine, quatenus in alia quapiam communi ratione per nomen hoc aliud, significata, vniuocè conueniunt.

Tres æquiuocorum conditiones.

Itaque tres æquiuocorum conditiones perhibentur. Prima vt habeant commune nomen. Secunda, vt habeant rationem substantiæ diuersam. Tertia, vt ratio illa diuersa sit secundum illud nomen; Hæc autem omnia ex tradita definitione constant.

Philosophus definit æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata, & vniuoca sumpta.

Ex his facilè intelliges à Philosopho definita fuisse æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata; & vt alij loquuntur, æquiuoca & vniuoca passiuè sumpta; hoc est res ipsas haud nudè quidem acceptas, sed quatenus nominibus significatas, & vt substratas secundis intentionibus, & æquiuocationis, & vniuocationis, quæ immediatum fundamentum habent in vocibus; ita vt quod his definitionibus explicatur secunda sit intentio, quâ æquiuoca, & vniuoca in concreto sumpta constituuntur; iuxtà quam vsurpationem secunda prædicta intentio pro rebus ipsis æquiuocatis, & vniuocatis acceptis in actu signato supponit.

Hinc stagirites definiens æquiuoca, & vniuoca vsus est verbo *dicuntur*, quod præsertim accipitur cùm de secundis intentionibus fit sermo, non autem verbo *sunt*, cuius vsus in primis intentionibus est.

Æquiuocum duplex à casu, & à consilio.

Non pigebit aduertere partitionem æquiuoci in illud quod dicitur *à casu, & aliud à consilio*. Primum cum vox imponitur ad plura significanda penitus inconsideratè, vt si quis Venetijs imponat filio nomen Alexandri, quod alteri etiam Romæ impositum fuit. Æquiuocum à consilio est quandò consideratione, & ratione quâdam ad plura significanda imponitur; quod duplex est, vnum quod à consilio purè æquiuocum dicitur, quando vox plura significat, non ob ordinem, aut similitudinem aliquam inter se eorum, quæ significantur, sed ob aliquid ex parte imponentis; vt si quis filio Alexandri nomen imponat, in memoriam parentum, qui tali nomine vocati sunt; tuncq; nomen istud æquiuocum est ad parentes, & ad filium consilio, purè tamen æquiuocum, cùm non significet significata sua propter ipsorum ordinem, vel similitudinem; quod varium faciunt, pro varietate eorum, quæ ad nomen imponendum mouent: puta à memoria, modo iam dicto, & à spe, quod imponitur ad significanda plura propter aliquam boni expectationem; vt si quis imponat filio nomen Platonis, quoniam expectat Philosophum futurum. At verò æquiuocum quod Analogum est, dicitur illud quod plura significat, propter aliquem ordinem, vel similitudinem; quod trifariam contingit, vel à similitudine, vel à causa, vel à proportionalitate.

Amplius igitur vt æquiuocum à consilio magis explicemus Æquiuoca à consilio in multiplici sunt differentia. Primò enim aliqua sunt à memoria, vt quando aliquis, exempli gratia, vocat filium nomine aui, vel alterius maioris, vt illius memoriam renouet. Secundò alia dicuntur à spe, vt si quis nominet aliquem, nomine alicuius insignis viri, quòd speret talem virum ab eo imitandum. Tertiò alia sunt à spe, & memoria simul, quoniam in impositione nominis vtriusque ratio habetur. Quartò alia sunt ab analogia, vel proportione, vt cùm quis nominat aliquid nomine alterius, cum quo proportionem, vel similitudinem, & analogiam habet; quo pacto pedem montis, pedem lecti &c. nominare consueuimus, ob similitudinem quandam cum pede hominis, vel alterius animalis. Quintò alia sunt æquiuoca ab vno, quando ab vno, incipientes alia, quæ ab illo deducuntur, illius nomine appellamus, sicuti vocamus sanum animal, & sanum pulsum, vel medicum pharmacum, & medicum volumen. Sextò alia sunt æquiuoca ad vnum, quæ nimirum ad vnum finem ordinantur, vt exercitatio dicitur sana & potio sana, quoniam ad sanitatem, tanquam ad finem ordinantur. Hæc autem duo postrema differunt inter se, quia æquiuoca ab vno, ordinem habent ad vnum principium à quo procedunt. Quæ autem sunt ad vnum ordinem habent ad vnum finem, ad quem ordinantur. Æquiuoca autem quæ sunt ab vno, vel sunt ab illo, vt ab exemplari, quomodo imago Regis, & Rex eodem modo nominantur. Vel ab efficienti, quomodo volumen medicum dicimus, quia à medico factum est; & lyram quoque dicimus musicam, quia fit ab arte musica. Vnde hæc summatim exhibetur æquiuocorum partitio.

Ex æquiuocis, quædam sunt à fortuna, alia à consilio. Æquiuocorum à consilio, alia sunt à memoria, alia à spe, alia ab vtraque, alia sunt à proportione, alia ab vno, & hoc vel ab exemplari, vel ab efficiente, vel ad vnum.

Interim vt exactiùs hucusque tradita explicentur, quædam occurrunt notatu digna.

Primum, quâ ratione nomen æquiuocum plura significet, num scilicet actu, an verò potentiâ; & rursùs an sub disiunctione, an potiùs sub copulatione omnia sua significata simul contineat.

Difficultates tamen non desunt; quod enim est vnitate destitutum, cuiusmodi sunt æquiuoca, nequit sub definitionem cadere. Hoc tamen non perturbet, tametsi enim æquiuoca sint essentialiter multa, accidentariâ tamen ratione, nimirum prout secundam intentionem inuoluunt, vnum quid dici possunt, tantâ vnitate, quantâ quidem est opus, vt explicari vnicâ definitione possint. Ita fit vt essentialiter & secundum rem æquiuoca dicantur, accidentariâ ratione tamen, & secundum modum dicantur vniuoca, eâdemque ratione, commune quidpiam importare dicuntur, ac proindè nihil desiderari, vt definitione possint comprehendi, ac explicari. Nec subindè deducas secuturum non æquiuoca vt sic, sed potius quatenus vniuocorum rationem induunt, definiri

Digitized by Google

finiti. Negandum enim id occursurum, si particula quatenus reduplicet rem definitam; concedendum verò si conditionem definiti, in eo positam, vt definitum, vel essentiale, vel saltem accidentariâ ratione sit vniuocum.

Sed hic considerandа quædam occurrunt non exigui momenti, è quibus. Primum in quæstione positum, est significatum vocis æquiuocæ; videtur enim nomen æquiuocum nudè, simpliciterque prolatum ex se, & sui vi non gignere actu quidem in mente audientis, nisi sui ipsius non vltimatum conceptum; at quantum ad rem significatam relinquere suspensum, ac dubium audientem de significatione, quam loquens intendit; aptum tamen esse, vt per appositionem alterius nominis determinatè significet vnum è pluribus nimirum, quibus ipsum aptari potest.

In hoc tamen difficultas, propterea quòd significatio vocis exercetur, cùm actu profertur in ordine ad res, quibus est imposita; quamobrem cùm ipsa profertur per se ipsam, debet aliquid actu significare vt vox illa, *canis*, debet significare quidpiam præter se; ipsam, cum imposita sit ad significandum canem terrestrem, cælestem, atque marinum; vndè cum profertur, est opus, vt eius significatio in ordine ad res, quibus est imposita, exerceatur.

Accedit & illud, quòd si vox æquiuoca non significaret aliquid, nisi per alterius vocis appositionem determinantem; sequeretur, quòd nunquam actu significare posset æquiuocè, cùm semper vi nominis adiuncti determinatè aliquid significaret.

Quæ cum à quibusdam fuisset animaduersum, eò confugerunt, vt dicerent nomen æquiuocum plura quidem actu, sub disiunctione tamen significare, vt cum dicitur *canis mouetur*, sensus reddatur, quòd canis, vel marinus vel cælestis, vel terrestris moueatur.

Eo tamen nomine hæc improbanda sententia, quoniam hæc propositio simpliciter absolutèque vera esse deberet, cùm ad veritatem disiunctiuæ propositionis sufficiat, quòd altera eius pars vera sit.

Præstabit igitur dicere nomen æquiuocum plura quidem actu significare copulatim, ita tamen, vt copulatio non super res ipsas significatas cadat, sed super actum significandi, proindèque nomen æquiuocum actu plura, indeterminate tamen, significare.

Itaque nomen *canis* non significat copulatim cælestem, terrestrem, & marinum, cùm hoc potiùs foret significare vnum, quàm plura; siquidem totum illud copulatum vnam habere potest intelligendi rationem.

Vt omittam, quòd propositio per terminum æquiuocum foret, vel simpliciter vera, vel simpliciter falsa: vera quidem cum prædicatum significatis omnibus conueniret; falsa autem si vni soli non conueniret: ad propositionis enim copulatiuæ falsitatem satest alteram eius partem esse falsam.

Dicendum itaque, vt superiùs monuimus, copulationem prædictam cadere super actum significandi, ac hunc in modum, æquiuocum nomen plura actu indeterminatè significare.

Neque commoueat, quòd copulationem cadere videatur non posse super actum significandi, quin cadat super res significatas; id enim admittendum eo sensu, nimirum, quin cadat super res indeterminatè significatas.

Secundum etiam id inquisitione dignum, an æquiuocum nomen absolutè nomen vnum, an plura nomina dici mereatur. Ea porrò dubitandi ratio, quoniam nomen per significationem constituitur, vt igitur significatio multiplex, sic etiam multiplex nomen.

Occurrendum autem dicendo, æquiuocum nomen vnum esse. Quamobrem non insulsè Philosophus dicebat, æquiuoca vnum habere commune nomen, & re verâ nomen canis vnicum est. Id autem sic vsurpandum, quòd nomen dicatur vnum materialiter, quatenus vnus est sonus, vnica vox; multiplex tamen formaliter. Absolutè tamen rectè dixeris, vnicum nomen, quoniam concretum accidentale non redditur multiplex iuxta formarum multitudinem vno existente subiecto. Quid respondè ſū. Concretū accidentale non reddit multiplex iuxta formarum multitudinem sed iuxta multitudinem ſubiectorū.

Nam idem lac dulce est, & album; non enim duo concreta sunt, quia duæ sunt formæ; nimirum albedo, & dulcedo, sed potiùs vnum, eò quòd subiectum vnum; non absimili modo vox quatenus significans quoddam concretum est, vndè quanvis significationes sint plures, se habentes tanquam plures formæ in eadem voce, veluti in eodem subiecto, concretum est tamen vnum.

Tertium non omittendum; an in mente, atque adeo in eius formali conceptu non secùs, ac in voce possit æquiuocatio contingere. Tertium inquisitione dignū.

Dicendum esse geminum formalem conceptum, scilicet non vltimatum, qui tantummodò vocem, non autem rem attingit, & in hoc aliquam æquiuocationem accidere non inficiandum; & alterum vltimatum esse, & in eo nullam æquiuocationem cadere constanter asserendum. Hæc de æquiuocis.

De Vniuocis.

EX hucusque traditis de Æquiuocis facilè cuiq; perspectum erit Aristotelis consilium in definiendis Vniuocis. Quo sensu nimirum sit vsurpandum nomen commune pluribus, quo etiam sensu intelligi debeat substantiæ ratio. Quo sensu in definitione vniuocorum ac vsurpandum nomen, & ratione ſubſtantiæ.

Solùm hic adnotandum id, per quod æquiuoca, ab vniuocis secernuntur, quòd nimirum vniuocorum ratio dicitur vna, æquiuocorum verò diuersa, secundum idem nomen. Vniuocorum ratio dicitur vna, non quidem vnitate reali, sed vnitate rationis, & præcisionis. Æquiuocorum autem ratio dicitur diuersa, quia neque ratione, nec præcisione est vna. Additum fuit *secundum nomen* sensu iam explicato, cùm de æquiuocis ageretur. Per quid vniuoca ab æquiuocis ſecernuntur.

Non omittendum autem definitionem vniuocorum traditam eo nomine à quibusdam improbari, quòd etiam æquiuocis accommodata videatur; nam his quoque commune est æquiuocationis nomen, & secundum illud nomen ratio eadem. Imò etiam & denominatiuis, quoniam album ex: gr: secundum idem nomen & secundum rationem eandem de niue, & lacte dicitur, cùm hæc nedum alba dicantur, sed etiam re ipsâ sint talia, vndè nomen, & rationem nomine significatam participant. Difficultas.

Fit tamen satis in memoriam reuocando superiùs dicta; nimirum æquiuoca aliquo modo inducere vniuocorum naturam; ipsa enim provt in prima intentione consistunt, suntque vt quid, & in esse exercito æquiuoca sunt; dici tamen possunt vniuoca, vt modus, & veluti in esse signato ob secundam, quam possunt vniuocationis intentionem, undare; ad eum igitur modum, quo æquiuoca dici possunt vniuoca, ad eundem itidem modum ijsdem vniuocorum definitio conueniet, Difficultatis dilutio

Neque perturbet, quòd vniuoca, & æquiuoca cum sint opposita, non ita se habeat, vt vnum de altero etiam accidentariâ prædicatione possit prædicari, ita-

Digitized by Google

vt æquiuoca possint aliquo modo vniuoca dici, & hâc ratione possint definiri; tametsi enim eodem modo sumpta inuicem opponantur, diuerso tamen non item; itaque æquiuoca, & vniuoca vt quid accepta, & in esse exercito, quemadmodum ambo vt modus, & in esse signato opponuntur; Sed æquiuoca sumpta vt quid, vniuoca autem, vt modus non aduersantur; Sic etiam vicissim. Ad denominatiua quòd spectat, ijs materialiter sumptis vniuocorum definitionem aptari, nullum incommodum, quod certè foret si definitio ipsis formaliter acceptis, diceretur conuenire.

Cæterum vniuocorum tres numerantur conditiones. Prima est, vt vniuoca habeant idem nomen; intelligendo per nomen, vocem illam, siue sit nomen, siue verbum &c. Secunda est, vt habeant eandem rationem substantiæ, hoc est eandem definitionem, seu descriptionem. Tertia est, vt ratio illa eadem sit in ordine ad illud idem nomen; & hæc ex allata vniuocorum definitione constant.

Dubitatio proponitur dupli ci parte constans.

Solet autem in controuersiam vocari, num ad vniuocationem sufficiat vnitas formalis conceptûs, quo intellectus inferiora omnia immediatè concipiat: an requiratur vnitas obiectiui conceptûs, nimirum termini, qui per formalem conceptum attingitur.

Dubitationis solutio quo ad primã partem. Differe 8.

Res porrò sic explicanda; cum duplex præcisio sit, quæ potest ab intellectu fieri, quarum vna perfecta, altera autem imperfecta, ob id iuxta duplicem hanc præcisionem ratiocinandum est, Vtramq; præcisionem iam explicuimus.

Secunda dubitationis pars.

Secundum in quæstione positum. An obiectiui conceptûs vnitas, necessariò debeat esse realis ita videlicet, vt reipsâ reale quidpiam illi respondeat, vel realitas, ac natura communis adæquatè per ipsum concepta, ac explicata, ratione cuius inter illa distinctio ex rei natura intercedat: an potiùs sufficiat vnitas rationis & præcisionis per intellectum inadæquatè concipientem, cum fundamento in re.

Solutio.

Quanvis autem in re proposita non idem sit Philosophorum sensus, maximè tamen eorum arridet consilium, quibus probatur vnitatem rationis, ac præcisionis per intellectum inadæquatè concipientem cum fundamento in re, sufficere, nec aliquid ampliùs desiderari.

Tertia dubitatio.

Tertium etiam solet in dubium reuocari num conceptus vniuocus debeat omninò, ac necessariò perfectè præscindere tam à suis inferioribus, quàm à differentijs, vel modis contrahentibus; ita nimirum vt in ipso rationes inferiorum, seu contrahentium, nec implicitè nec explicitè inuoluantur.

Solutio.

Facilè tamen cuique perspectum, ad vniuocationem latiori quadam significatione sumptam, prout nimirum æquiuocationem excludit, præcisionem imperfectam sufficere. Quòd si de perfectissima vniuocatione loquamur, perfectam ad eam itidem præcisionem requiri.

Ens etiam dicitur aliquo sensu vniuocũ.

Per priorem illam vniuocationem ens etiam dicitur vniuocum ad inferiora, proindèque non sic esse præcisum pro vt comune est Deo & creaturis, ut generis rationem obtineat; at quicquid debet propriè genus esse, illud quoque per posteriorem præcisionem debet esse præcisum.

Quarta dubitatio.

Quartum etiam sollicitauit illud Philosophantium animos. Num necesse sit rationem significatam per nomen vniuocum, essentialiter vniuocatis conuenire. An satis superque, vt ijs accidentaliter conueniat.

Solutio.

Sed eâdem distinctione fit satis. Si namque fit sermo de nomine vniuoco propriâ significatione sumpto, nulli dubium, quin requirat, vt ratio significata per nomen essentialiter vniuocatis conueniat. Sic se habent genus & species; hęc enim essentialia prędicata dicuntur. Quòd si nomen vniuocum latiori quâdam vsurpatione sumatur, non vtique requirit aliquod significatum commune quidem essentialiter inferioribus suis; ita planè proprium, & accidens.

Quintum atque postremum est illudque plurimis molestum, an necesse sit rationem significatam per nomen vniuocum æquè primò, ac præcipuè omnibus vniuocatis conuenire: an potius vni primo, ac præcipuè conuenire possit, alteri verò secundò, minusque præcipuè, siue vni cum dependentia, alteri verò sine dependentia ab illo.

Qu dub

Sed hoc ab vniuoci acceptione diuersa pendet &c. Sol

SECTIO SECVNDA.

De Analogis.

HVius loci esset, de ijs differere, quæ Denominatiua nuncupantur; hunc enim ordinem nobis præscripsit Stagirites; quia tamen analoga cum vniuocis, & æquiuocis non exiguam habent affinitatem, ob id in præsentia iuuat de ipsis tractationem instituere & quanvis hæc Stagirites prætermiserit, operæ tamen est pretium in eorum considerationem incumbere. Quid igitur analogum, quid, & quotuplex analogia proximum est vt inquiramus.

Ca de gis qui den nos

Si analogiæ nomen attendas, comperies Græcis idem significare, quod Latinis proportio, comparatio, & proportionalitas. Hæc porrò commemorata nomina conueneintiam quandam cum adiuncta differentia, & inæqualitate significant. Analogia proindè ex nominis vi, diuersitatem quandam cum aliqua tamen similitudine mixtam præsefert. Analogorum autem hæc decantata est definitio.

Qu nal nos sig

Analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio autem significata per illud nomen partim est eadem, partim verò diuersa.

Hinc perspicuum, ac manifestum analogiam in nominibus aliquam obiectiuam rationem importare; nomine significatam, quæ simul vnitatem, simul etiam diuersitatem habeat adiunctam, vt non immeritò dictum fuerit, esse maiorem vnitate æquiuocationis, & minorem vnitate vniuocationis, ita vt inter vniuoca, & æquiuoca medium locum obtineant.

Analogiæ igitur ratio videtur in proportione plurium rerum consistere, quatenus hæ proportionem habent inuicem secundum rationes diuersas.

Rationes autem diuersæ esse debent; quoniam si vna & eadem extiterit, prout huiusmodi nequeunt esse analoga, sed vniuoca. Tametsi autem, quandoque contingat, cum vniuocatione cohærere etiam analogiam, vt patet de animali, quòd simul vniuocum, & analogum est, analogiâ quidem inæqualitatis, hoc nihil planè, propterea quod vniuocum erit, non prout aliquam dicit rationum diuersitatem nempe diuersitatem inæqualitatis, nec erit analogum, quatenus vnitatem rationis importat. Defectu igitur commemoratæ diuersitatis, homo exempli gratia, non est analogum quidpiam respectu Socratis, Platonis &c. Quoniam hi proportionem habere minimè dicuntur, cùm non comparentur inuicem secundum rationes diuersas; sed dicuntur potius assimilari.

Hinc obiectiuus conceptus per analogiam importatur partim idem, partim verò diuersus; propterea

terei quòd diuersus est, prout dicit obiectiuas rationes diuersas, est autem idem secundum proportionem, quoniam proportio cum ex intrinseca ratione sua similitudinem aliquam præseferat, ob id etiam aliquam vnitatem.

Hinc perspicuum, ac manifestum analoga quidem ab vniuocis, & æquiuocis distingui; propterea quod vniuoca dicuntur conuenire secundum vnitatem simpliciter, quoniam similia sunt in aliqua natura; At analoga conuenire dicuntur secundum proportionalem vnitatem, quoniam ipsa non habent absolutam similitudinem in aliqua natura, sed proportionalem tantummodo, hoc est solùm habent conuenientiam relatiuam iuxtà proportionem, atque commensurationem. Exempli gratia homò, leo, equus &c. vniuocè conueniunt in ratione animalis; eòquòd perfectè in huiusmodi ratione assimilantur; Ita quidem Socrates, Plato &c. vniuocè ob eandem tantam in hominis natura conueniunt: At verò analoga tantam non habent similitudinem; vt animal sanum, medicina sana; & cibus sanus; non enim sic ista conueniunt, vt perfectam similitudinem habeant, sed ita vt habeant commune nomen, rationem verò substantiæ secundum illud nomen eandem secundum terminum diuersam secundum habitudines, atque respectus. Æquiuoca verò nec absolutam, nec relatiuam habent similitudinem, nomineque tantummodo conueniunt, vt canis cœlestis, terrestris, atque marinus.

Hinc facile intelliges, analoga inter vniuoca, & æquiuoca medium obtinere locum, vt propterea quædam analoga magis ad æquiuoca, quædam verò magis ad vniuoca dicantur accedere.

Concludendum igitur optimè quidem explicari analoga dicendo.

Analoga dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum idem nomen ratio significata diuersa est, cum aliquo tamen ordine, seu respectu inter se.

De Speciebus Analogiæ.

TRes assignari solent analogiæ species. Prima dicitur inæqualitatis. Secunda attributionis: Tertia, proportionalitatis.

Analogia Inæqualitatis, sic in concreto definitur.

Analoga inæqualitatis illa dicuntur, quorum nomen commune est, ratio verò secundum illud nomen omninò eadem; non æquè tamen participata, quoad ordinem, vel essentialem formam.

Hoc sensisse videtur Philosophus non vno in loco; nam Physicorum tertio infiniti naturam ait non esse vnam, & eandem; ideſt vniuocam in pluribus, quia dicitur secundum priùs, & posteriùs. Et septimo libro eiusdem operis docet, in generibus latere analogiam; insuper Diuinorum tertio, innuit prius, & posterius constare cum vniuocatione perfecta, ad cuius rationem requiritur, seu, vt aiunt, de cuius ratione est, quòd natura participetur ab inferioribus, cum omnimoda æqualitate quoad ordinem, & perfectionem essentialem, ad eum modum, quo specifica natura se habet ad indiuidua.

Iam autem ob causam hæc admittenda est analogia, quoniam ex vi commemoratæ inæqualitatis communis illa ratio partim in inferioribus est eadem, partim verò diuersa, in quo analogiæ ratio consistit. Ita quidem animal ad hominem & brutum analogum est; siquidem in nomine, & ratione animalis conueniunt, sed homo participat contractam animalis naturam per rationalitatem, quæ differentia multo perfectior est irrationalitate contrahente animal ad brutum; vnde consequens est, vt animalis natura in homine longe perfectiori modo sit, quàm in bruto, non quidem per essentiam ipsius animalis præcisè, sed per differentiam rationalitatis adiunctam.

Et hìc adnotandum, ad inferendam analogiam non requiri inæqualitatem perfectionis, & ordinis prouenientem ex ipsa communi ratione, quæ ex se priùs, & absolutè postulet in vna esse specie, deinde in alijs per habitudinem ad primam, adeò vt inæqualitas hæc essentialis dependentiæ dici possit; vt exempli gratia ens, dum per intrinsecos diuiditur modos, scilicet per finitum, & infinitum &c. sed sufficit inæqualitas extrinseca ortum ducens à differentijs. Adnotatio.

Hinc intelliges analogiam hanc optimè cum vniuocatione cohærere, vt animal est maximè vniuocum, cum hac tamen vniuocatione stat simul analogia: itafit; vt vniuocatio sine huiusmodi analogia non sit, nisi in natura specifica respectù indiuiduorum, quando concedantur hæc æqualis esse perfectionis; Et si aliquæ species censeantur æqualis perfectionis, genus illis commune, hæc analogia, vniuocum erit. Hæc analogia cum vniuocatione potest cohærere.

Hæc etiam analogia sic explicari potest, vt *Inæqualitatis analoga dicantur, illa quæ conueniunt in communi natura non æquè tamen illam participando; non quidem per quamvis inæqualitatem perfectionis, sed per essentialem dependentiam vnius analogati ab alio.* Huiusmodi analogiæ explicatio.

Hunc in modum huiusmodi analoga erunt vniuoca, si adæquatè fuerint accepta. Distinguentur tamen ab omnibus ijs vniuocis, quæ æquè primò, ac præcipuè communem participant naturam, licet vnum sit perfectius alio. Ita quidem ens commune substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis, dicitur analogum; quoniam accidens à substantia, & creatura à Deo dependet. Vnde dici poterit haud vniuocum esse, sumpto vniuoco, pro eò, quod sic est commune suis inferioribus, vt vnum non habeat essentialem dependentiam ab alio.

Analogia verò attributionis in concreto hunc explicabitur in modum.

Analoga attributionis dicuntur illa, quorum nomen commune est, ratio autem secundum illud nomen est eadem quantum ad terminum, diuersa tamen secundum habitudinem ad illum. Analogiæ attributionis definitio.

Vel clarius hoc modo.

Nomen analogum per attributionem est, quod dicitur de pluribus per ordinem vnius, ad aliud. Clarior definitio.

Huius definitionis hic intellectus; vt huiusmodi analoga dicantur illa, quæ cum communi nomine significentur, vnum tamen ad aliud ordinem, & attributionem habent in aliquo communi participando, vel ambo habent ad tertium.

Hæc analoga ob attributionem, ac ordinem prædictum ab Aristotele primo Ethicorum appellantur *ab vno, & ad vnum*, quatenus enim omnia denominantur ab vna forma, dicuntur ab vno; quatenus verò minus præcipua analogata dicuntur talia per ordinem ad vnum terminum; appellantur ad vnum. Capit. 6. Hæ dicuntur Analoga ab vno, ad vnum; & quare.

Rectè autem sic explicari attributionis analogia satis ex huius analogiæ definitione constat; *Hæc enim dicitur illa, secundum quam aliqua habent commune nomen, rationem verò substantiæ secundum illud nomen eandem secundum terminum, diuersam verò secundum habitudines.*

Ita quidem sanum huiusmodi analogiæ species dicitur

citur analogum, quoniam hoc nomen conuenit animali, in quo reperitur sanitatis forma, quam illud nomen perse primò significat, itemque animal habens ipsam sanitatem; deindè verò ad medicinam, pulsumque significandum extenditur; medicinæ autem, & pulsui conuenit sanum, respectu eiusdem termini, puta sanitatis existentis in animali, & respectus diuersi sunt; nam pulsus ordinem habet signi, medicina verò causæ efficientis.

Hæc Analogia bifariam potest contingere.

Hæc analogia bifariam potest contigere, vel ita vt analogata sic se habeant, vt primum tantummodo analogatum intrinsecùs tale denominetur per sibi formam inhærentem. Reliqua verò extrinsecùs ratione tantùm illius respectus, ac ordinis, quem habent ad illud primum, & impropriè dicuntur talia. Vel itaut omnia analogata formam illam propriè, ac intrinsecùs includant, quanvis adhuc cum subordinatione, vnius ad aliud, vel amborum ad tertium, vel cum dependentia vnius ab alio &c.

Iuxta priorem modum, sanitas atque adeò sanum analogicè dicitur, de animali, cibo, & vrina, propterea quòd formalis ratio sanitatis in debita quadam humorum copia, ac symetria consistit, quæ intrinsecùs, & formaliter in solo reperitur animali, in medicina verò, cibo, & vrina tantùm extrinsecùs, velut in terminis respectus, ac ordinis, quem ad sanitatem animalis dicunt; nimirum in cibo, tanquam in conseruante sanitatem, in medicina, tanquam in efficienti causa, in vrina tanquam in signo sanitatis eiusdem.

Ens iuxta secundi huius analogiæ modum dicitur analogicè de Deo, & creatura.

Iuxta secundum modum, ens analogicè dicitur de Deo, & creatura, de substantia, & accidente.

Hic porrò differentiæ sunt adnotandæ, quibus analoga primi modi ab analogis secundi modi distinguuntur.

Prima differentia inter hæ Analoga.

In analogis prioris modi ordo, & respectus ille ad primum analogatum, quod est id, in qu foorma datur intrinsecùs, à qua denominatur, est formalis atque præcisa ratio, cur talia dicantur, vt ille ordo, ac respectus quem medicina habet tanquam causa, pulsus tanquam signum ad sanitatem animalis, est ratio præcisa, cur medicina dicatur sana, pulsusque dicatur sanus; non sic in analogis secundi modi, non enim creatura dicitur ens, quatenus ordinem, siue respectum inuoluit ad Deum, in quo intrinsecùs sit ratio entis, quæ in creatura non sit, sed ens denominetur, quatenus terminat respectum formalis rationis entis existentis in Deo; sed creatura dicitur ens propterea quòd intrinsecùs participat rationem eius.

Secunda differentia.

Secunda differentia est, quoniam analoga primi modi si definiantur, per ordinem ad primum analogatum definiri debent, quoniam hic ordo præcisa est ratio, cur talia dicantur, secus se habent analoga secundi modi, cùm hæc à propria forma dicantur talia.

Tertia differentia.

Tertia est differentia, quòd in analogis prioris modi nomen propriè solùm tribuitur primo analogato, vt sanum propriè tribuitur tantùm animali; reliquis autem, vt medicinæ, cibo, pulsui, solùm impropriè adscribitur.

Quarta differentia.

Quarta differentia est, quod analogis prioris modi non respondet in mente conceptus vnus obiectivus, qui sit communis omnibus, eoquòd forma vnde sumitur analogia in solo primo analogato intrinsecùs est, in reliquis autem extrinsecùs; vnde nomen illùd non est Vniuocum communem rationem importans à pluribus intrinsecus participatam; vt non datur conceptus vnus communis animali sano, medicinæ sanæ, cibo sano, pulsuique sano; Eo quòd sanitatis ratio haud intrinsecùs reperitur in omnibus, sed in solo animali. Ita fit vt nomen sanum nequeat vniuocum esse; atque adeo hæc analogia non habet vniuocationem, sed æquiuocationem adiunctam; secùs de analogis secundi modi, quibus respondet in mente conceptus vnus, quem intrinsecùs omnia participant, eò quòd in omnibus datur forma, à qua denominati oipsa desumitur. Hinc nomen analogum prioris modi, nec in definitionibus, nec in demonstrationibus, nec in vlla disciplinæ parte locum obtinet; secùs nomen analogum secundi modi.

Hæc attributionis analogia secundum quatuor genera causarum exercetur, loquendo tamen de analogis prioris modi, vt est exempli gratia sanum &c. cum quadruplex sit dependentia cæterorum analogatorum ad primum, iuxta quatuor predicta causarum genera.

Propterea alia sunt attributionis analoga ex efficiente, vt exempligratia, omnia, quæ ad medicum pertinent, vel tanquam præceptum, vel tanquam instrumentum, vel aliquâ aliâ ratione, quatenus in communi hoc nomine conueniunt cum Medico, ad quem velut ad efficientem causam, cui illa inseruiunt, ordinem, dicunt.

Alia sunt analoga attributionis ex fine, vt medicina dicitur sana; quemadmodum deambulatio post cænam, sanus etiam dicitur cibus, vt & pulsus quatenus in communi nomine conueniunt sani, propter respectum, quem habent ad sanitatem animalis, vt ad suum finem.

Alia dicuntur analoga attributionis ex forma, sic homo viuus, homo sculptus, & homo pictus, quatenus conueniunt in nomine hominis ob ordinem ad formam, ac effigiem hominis viui, quam imitatur.

Alia denique dicuntur analoga attributionis ex materia, vt statua ex auro confecta, & eadem picturâ, quidem expressa, sic ut illam secundum materiam repræsentet.

At si habeatur sermo de analogis secundi modi, vt est ens &c, prout in illis est ordo triplex in participando formam, atque rationem eandem, ita tribus generibus continentur.

Primò enim prouenit huiusmodi ordo præcisè ex varietate graduum perfectionis essentialis, eorum, in quibus adinuenitur; Ita quidem se habent variæ, diuersæque species sub eodem genere, quarum vna est essentialiter aliâ perfectior ob differentiam, quâ constituitur. Ita quidem homo est essentialiter perfectior quovis ex animalibus brutis.

Secundò prouenit hic ordo ab essentiali respectu, quem illa ratio seruat in descendendo ad inferiora, hoc explicari solet exemplo numeri, cuius ratio prius ad binarium, quàm ad ternarium descendit.

Tertiò non solùm ob prædictas rationes, sed etiam ob essendi modum diuersum, vt perspicuum est de ente respectu Dei, & creaturæ, itemque comparatione substantiæ, & accidentis. Ens enim intrinsecus inuoluitur in Deo, & creatura; hoc tamen intercedente discrimine, quòd Deus participat rationem entis à se, & per essentiam: creatura ab alio, & per participationem. Sic ens etiam respectu substantiæ, & accidentis, nam substantia participat rationem entis sine dependentia ab alio, tanquam à substentante. Accidens autem oppositò modo se habet.

Nunc explicanda analogia proportionalitatis vel ut alij loquuntur, proportionis.

Ana-

Definitio analogiæ proportionalitatis.

Analoga proportionalitatis illa dicuntur, quæ tametsi rationes habent simpliciter diuersas, quia tamen sunt proportionali modo similes, ob id commune participant nomen.

Huius Analogiæ exempla. 2. Post. text. 16.

Huius analogiæ plura quidem extant exempla, hæc censetur dari in spina, & osse; vt enim spina est in pisce, ita quidem os in alijs animalibus. Hoc eodem exemplo vsus est Aristoteles. Et eadem pariter analogia datur in visu, & intellectu; nam intellectus quoque dicitur suo modo videre; quod etiam Aristoteles obseruauit; nec minùs frequens est illud de risu, qui de homine, pratoque florente dicitur.

1. Ethic. cap. 6.

Quando hæc intercedit Analogia. Tunc porrò hæc interuenit analogia, cum aliquid nuncupamus eodem nomine, ac proportione, quam ad rem aliam habet.

Hæc autem analogia bifariam contingit.

Primus modus.

Primo itaut membrum vnum tale sit absolutè per suam formam; aliud verò, vt stat sub comparatione ad illud, ratione cuius per methaphoram absolutè eo nomine significatur, proprie tamen conueniente alteri membro; Ita quidem se habet risus hominis, pratique comparatione; propriè siquidem de homine, de prato autem secundum quandam comparationem, proportionemque dicitur; Itaut dicere liceat. Sicut risus in homine ab interna quadam eius hilaritate proficiscitur, cum benè se habet, & re quapiam oblectatur iucundâ; non absimili modo pratum ridere dicitur, quoniam bene se habet, & ob suam amœnitatem quodammodo lasciuire, siue luxuriare videtur.

Secundus modus.

Secundo modo contingit hæc analogia per intrinsecam denominationem omnium analogatorum, cum videlicet in vno quoq; verum, & intrinsecum fundamentum est proportionalis conuenientiæ, & vnumquodque commune participat nomen, quoniam etsi rationes habeant diuersas, cum hac tamen ipsa diuersitate, quandam seruant inter se proportionem, quę quoniam cuicunque intrinseca est, obid re ipsa, ac propriè vnumquodque participat illud nomen, quod huiusmodi indicat proportionem. Huius analogiæ exemplum est nomen gubernator, quod de eo dicitur, qui ciuitatem regit, de eo, qui regit nauem, & de eo, qui regit domum, de quibus nomen istud non secundum metaphoricè dicitur, sicut risus de risu hominis, & risu prati; Aliud etiam extat exemplum de nomine principij, quod dicitur de patre respectu filij, de fonte respectu riuoli, de corde respectu vitæ, de fundamento respectu domus, de puncto respectu lineæ, de præmissis respectu conclusionis. Et rectè quidem analogia hæc in proportione, & comparatione quadam consistere dicitur, Sicut enim se habet risus ad hominem, ita floriditas ad pratum; vtque se habet pater ad filium, ita fons ad riuolum, punctum ad lineam, cor ad vitam &c. Sed hîc aduertendum plerumque nomen in hac analogia primò, ac propriè dici de re quapiam, deindè per metaphoram ad rem aliam extendi. Hoc tamen necessarium non est, propterea quòd nomen analogum huius generis propriè de pluribus significatis dici potest, ut in allatis exemplis gubernatoris, & principij dictum fuit. Cęterum hæc, de quâ loquimur analogia potius dici debet proportionalitatis, quàm proportionis. *Proportio enim est quidam respectus vnius rei ad aliam*, vt unitas ad sex. *At proportionalitas duarum est proportionum ad inuicem conuenientium respectus.* Vt si dicamus, quemadmodum se habent tria ad sex, ita quatuor ad octo. Quoniam autem hæc analogiæ species in huius modi comparatione consistit; dicimus enim, vt se habet risus ad hominem, sic floriditas ad pratum, adeòut inter quatuor terminos exerceatur; ob id analogia potius proportionalitatis, quàm proportionis, quæ inter duos versatur terminos, dicenda erit.

Proportio quid. Proportionalitas quid.

Quem conceptũ ex parte obiecti hoc habeat Analogum.

Supereſt inquirendum quem nam conceptum dicat analogum, de quo fit sermo, seu quisnam sit conceptus obiectiuus, itemque formalis in mente analogo nomini respondens, quæque sit analogi nominis significatio.

Respondendum hic sermonem esse de utroque conceptu, tam obiectiuo, quàm formali, de utroque enim est difficultas; quod autem de vno dicitur, de alio pariter dicendum.

Vt autem hac in re veritatem assequi valeamus, oportet in memoriam reuocare, hactenus de analogis explicata, cùm diceremus ex illis, quædam esse, quorum significatum non reperitur formaliter, & intrinsecus, nisi in primo analogato, in reliquis verò non nisi per denominationem extrinsecam. Hunc in modum se habent attributionis, & proportionalitatis analoga ad primum modum spectantia; ut sanum respectu animalis, medicinæ, & pulsus. Risus comparatione hominis, & prati, quædam verò esse quorum significatum reperitur formaliter, & intrinsecus in omnibus analogatis; primo tamen, & præcipuè in vno, in quo est sine dependentia, in aliis verò cum dependentia ab illo, cuiusmodi sunt analoga attributionis, & proportionalitatis ad secundum modum pertinentia, ut ens respectu Dei, & creaturæ, respectu substantiæ, & accidentis; & principium respectu fontis, cordis &c. his præhabitis.

Sic in re proposita philosophandum, vt analoga attributionis, & proportionalitatis ad primum modum spectantia, dicantur non habere conceptum vnum communem, nec obiectivum, nec formalem, sed potius plures, cum quadam tamen vnitate, quæ in comparatione, connotationeque consistit, unde à puris æquiuocis distinguuntur.

Analoga attributionis, & proportionalitatis ad primum modum spectantia non habent conceptum vnum, nec obiectivum, nec formalem.

Sic prædicta se habent analoga. Vbi obseruandum inter purè æquiuoca, & vniuoca in medio loco constitui; propterea quod æquiuocis quædam vnitas conuenit; sed nominis tantùm. Vniuocis autem conuenit maior vnitas, cum præter vnitatem nominis, ijs quoque conueniat, tam vnitas conceptus obiectiui, quam formalis; ità fit, ut æquiuoca dicantur, quorum nomen tantummodo commune est, ratio autem diuersa, hoc est non eadem. Vniuoca verò, quorum nomen est commune, ac idem, & insuper ratio vna, & eadem. Inter hæc autem, analoga prædicta medium obtinent locum, cum ea dicantur, quorum nomen commune est, & in hoc cum vniuocis, & æquiuocis conueniunt; ab iisdem verò secernuntur: quoniam æquiuoca solam habent nominis vnitatem; At analoga præter hanc habent etiam vnitatem comparationis, & proportionis. Secernuntur etiam ab vniuocis, quoniam hæc maiorem vnitatem important, nimirum vnitatem formalem naturæ, ut suo loco iam explicatum fuit; non sic analoga, de quibus loquimur.

Hoc ita se habere inde mihi perspectum, quoniam istorum analogorum vnitas non in aliqua ratione consistit, quæ reperiatur intrinsecus in omnibus, sed in ordine vnius ad plures, vel ad vnum terminum, à quo denominationem sortiuntur, quoniam ad illum connotationem, siue respectum habent. Hac igitur analoga ad quemdam vnum conceptum reduci minimè possunt. Optima consecutio, propterea quòd hæc non est, nisi quædam vnitas ordinis, & respectus vnius, vel plurium ad aliud; vndè necesse est, plures huius-

huiusmodi esse conceptus tali ordini respondentes, & prout illa connotatio requirit.

Quòd ex eo etiam palam, & apertum, quoniam analogum perse sumptum stat pro famosiori significato, vt Dialectici loquuntur, quod ideò, quoniam ab huiusmodi analogis nequit communis quidam abstrahi conceptus, quem scilicet abstrahere pro eo, certè nomen analogum absolutè sumptum supponeret.

Ratio potissima. Ratio autem præcipua, quoniam quod est tale per denominationem intrinsecam, dicitur simpliciter tale, & quod est tale per denominationem extrinsecam dicitur tale secundum quid; at ei, quod simpliciter tale, & ei, quod est secundum quid tale, vna quædam communis ratio dari minimè potest. At verò analoga, de quibus in præsentia fit sermo, hunc se habent in modum; primum enim analogatum dicitur simpliciter tale, cum tale dicatur per denominationem intrinsecam, vt animal sanum. Reliqua verò talia dicuntur secundum quid, cum talia dicantur per extrinsecam denominationem, ut medicina sana, pulsus sanus &c. deindè non propterea quòd analoga ita sint, vt talia dicantur per denominationem intrinsecam, sequitur eorum dari communem quendam conceptum præcisum, qui solum conueniat ijs analogis attributionis, quæ ad horum secundum analogorum genus pertinent; vt exempli gratia est ens respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, alioquin alia sunt analoga, quæ talia dicuntur per denominationem intrinsecam; & tamen non habent communem quendam conceptum, vt sunt analoga proportionalitatis ad secundum genus spectantia, quemadmodum principium, quod dicitur de patre, de corde, & de præmissis. Hæc enim ita sunt, vt talia dicantur per intrinsecam denominationem, quoniam vnum quodque verè dicitur tale, & non metaphoricè tantum; & nihilominus non habent communem quendam conceptum; propterea quòd, vt hæc intelligantur analoga, quatenus talia proprias eorum rationes, in quibus fundantur proportiones diuersæ, cum proportionalitate, hoc est cum similitudine, oportet intelligere, quod est vnum conceptum obiectiuum, vnamque rationem vnitate, nisi proportionis, non habere. Non igitur omnia analoga quantumuis per intrinsecam denominationem talia dicuntur, existimanda sunt conceptum vnum, vnamque rationem obtinere.

obseruanda. Hoc inde autem proficiscitur, quoniam huiusmodi analoga, tametsi dicantur talia per intrinsecam denominationem, non tamen propterea talia dicuntur, per quandam communem, vnamque rationem ab ipsis participatam, sed per rationes diuersas solùm similitudinis vnitatem habentes. Vt exempli gratia pater verum filij principium est, & fons est principium riuulorum; sed alia est principij ratio, per quam pater intrinsecus denominatur principium, ab ea, per quam fons principium intrinsecus denominatur, non enim vna est, nisi vnitate similitudinis, quando quidem, vt se habet pater ad filium, ita fons ad riuulos. Hæc autem vnitas similitudinis tanta quidem non est, vthæc inde analoga conceptum vnum obiectiuum consequantur, cui formalis in mente conceptus vnus respondeat.

obseruanda. Secus se habent illa attributionis analoga, quæ ad secundum modum istius analogiæ pertinere dicebantur, vt ens respectu Dei, & creaturæ; item respectu substantiæ, & accidentis; hæc enim habere possunt conceptum vnum, si non perfectâ, saltem imperfectâ præcisione, præcisum. Quoniam hæc propriè, ac intrinsecus ab vna denominantur forma, quæ in omnibus, ac singulis, veluti communis natura quædam reperitur, in qua cum propriè conueniant, inde habent, vt ab ipsis ratio quædam communis abstrahi possit; eadem nimirum illa, in qua ipsa conueniunt.

Hoc autem ipsis non competit meritò quidem analogiæ, sed potius vniuocationis, cui analogia adiuncta est; hæc n. est huiusmodi vt ab ea non abhorreat vniuocatio, quin potius ambò simul possint cohærere.

Hæc analoga si cum vniuocis, & æquiuocis conferantur, ità se habent, vt medium locum obtineant inter illa.

Hic tamen paululum hærendum est; propterea quòd analogum geminam vsurpationem admittit; aut enim sumitur pro prædicato, quod analogum denominatur: vel prout analogiæ rationem ipsam importat, à qua analogi denominatio proficiscitur.

His præhabitis, sic in re proposita ratiocinandum; dicendum enim analogum posteriori significatione sumptum, sic ad æquiuoca, & vniuoca se habere, vt inter illa medium locum obtineat, & cum alterutrò nunquam coincidat, at iuxta priorem significationem contrario se habere modò, vt mox perspicuum fiet. Itaque nunquam reperire licet prædicatum analogum, quod simul non habeat æquiuocationem, vel vniuocationem adiunctam; adeò vt analogiæ ratio nunquam in aliquo prædicato possit adinueniri sine admixtione alterutrius, vel vniuocationis, vel æquiuocationis; atque hunc in modum se habet analogum iuxta priorem vsurpationem; sed iuxta posteriorem remanet semper impermixtum, quatenus formalis analogiæ ratio nunquam coincidit cum formali ratione vniuocationis, & æquiuocationis, vnde analogiæ vnitas, vtpote maior vnitate æquiuocationis, & minor vnitate vniuocationis ab vtraque diuersa est; & inter vtramque medium locum sortitur.

Dari autem non posse prædicatum aliquod sic analogum, vt nunquam coincidat cum vniuoco, & æquiuoco, inde quidem intelliges, quoniam analogiæ vnitas est quædam vnitas proportionis, ordinis, & attributionis vnius ad aliud, vel plurimum ad tertium in participanda ratione, iuxta quam fit analogia secundum prius, & posterius; hæc tamen ordinis, & attributionis vnitas semper est admixta vnitati æquiuocationis, vt varia analoga intuenti perspicuum est; ex his enim quædam erunt æquiuoca, vt ens respectu Dei, & creaturæ.

At prædicatum prout rationem dicit analogiæ cohærere non posse cum vniuocis, & æquiuocis adeò perspicuum, vt nihil magis; rationes enim sunt longè, latèque diuersæ.

SECTIO TERTIA.

De Denominatiuis.

QVoniam Prædicamenta trifariam spectari possunt. Primò videlicet, vt relata ad ens, comparatione cuius membra sunt diuidentia suo modo analogata; vnde, & ipsum respectu illorum; etsi vniuocum; adhuc analogum tamen est; Secundò singula ad sua propria inferiora comparatione quorum sunt vniuoca, quatuis aliquam admixtam habeant analogiam; & illa vicissim ipsorum sunt membra vniuocata &c. Tertiò tandem ad se inuicem, præsertim verò nouem prædicamenta, ad primum, scilicet ad substantiam referri possunt, respectu

pectu cuius denominatiua sunt. Propterea iam explicatis vniuocis, & æquiuocis, proximum est, vt de Denominatiuis pertractemus.

Denominatiua quid.

Denominatiua proprie sumpta, prout concreta quædam accidentaria sunt, Philosophus in anteprædicamentis definit dicens. παρώνυμα δὲ λέγεται, ὅσα ἀπό τινος, διαφορὰ τὴν πτῶσιν ἔχοντα τοῦ ὀνόματος, προσηγορίαν ἔχει οἷον ἀπὸ τῆς γραμματικῆς ὁ γραμματικὸς, καὶ ἀπὸ τῆς ἀνδρείας ὁ ἀνδρεῖος. *Denominata verò dicuntur, quæcunque ab aliquo, itaut differant casu, nominis appellationem habent, vt à Grammatica dicitur grammaticus, & à fortitudine fortis.* Hinc Scholastici hanc definitionem deducunt.

Denominatiua dicuntur illa, quæcunque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem, vt à Grammatica gramamticus, à fortitudine fortis.

Definitionis ex quorumdam sententia explicatio.

Definitionem hanc sic aliqui sunt interpretati, quòd videlicet denominatiua, quæ semper concreta sunt, cum forma denominante, quæ semper est abstracta, conueniant in principio nominis, idque significari aiunt per illa verba *secundum nomen habent appellationem*, differant autem in fine, atque terminatione, vel si mauis desinentiâ eiusdem, quod significari dicunt per particulam illam definitionis *solo casu*, id est cadentiâ nominis.

Et hac de re ità sentiunt, vt existiment operæ pretium esse denominatiua in tria genera distinguere, itaut denominatiua quædam voce tantummodo dicantur, vt studiosus à studio; quædam re tantùm, vt studiosus à virtute; quædam re, voceque simul, vt à Grammatica, grammaticus.

Superiorum explicatio non philosophica.

Hæc tamen denominatiuorum explicatio potius grammatica, quàm philosophica est. Si placet igitur illa philosophicè explicare, aduertendum concretionem formæ, naturæque alicuius suppositi geminam esse; alia enim est ad suppositum eiusdem naturæ, vt homo, & altera ad suppositum alterius naturæ, vel subiectum, vt dulce, calidum, album, &c. Non dissimili modo casus, siue cadentia formæ ad aliud esse potest, vel sicut accidentis ad subiectum, vel sicuti formæ ad suppositum eiusdem naturæ; vnde in allata definitione per casum, intelligenda est haud nominis desidentia, sed potius cadentia formæ ad subiectum, siue suppositum alterius, non autem propriæ naturæ; alioquin denominatiuum foret essentialiter ad vniuoca pertinens, non autem aliquid ab illis distinctum.

Dicuntur secundum nomen eandem appellationem habere, non per nominis deriuationem ab alio, sed quoniam secundum nomen tantummodo de re denominata prædicantur; hoc est prædicantur secundum nomen tantùm, & non secundum rationem, seu prædicantur accidentaliter, & non essentialiter. Ita quidem accidentia de suis subiectis, vt album de nive, vel lacte prædicantur.

Aduertio

Illud tamen animaduersione dignum, nempè cum dicitur formam denominantem esse debere quidpiam accidentarium, accidentis nomine non intelligendum id esse, quod à substantia re ipsâ distinguitur; sed potius quicquid est extra essentiam alicuius, quamuis ad substantiæ genus pertineat; vnde quemadmodum hæc accidentaria est prædicatio, lac est album, lac est dulce; sic etiam accidentaria est ista; forma est mea; homo est vestitus. Proindè denominatiua sunt illa concreta nomina, quæ à suis abstractis differunt in modo significandi, scilicet per modum adiecti, & secundum illud nomen adiectiuum, habet virtutem denominandi, nempè denominatiuè prædicandi de subiecto.

Adnotatio altera.

Non omittendum, & illud, scilicet allatam definitionem posse denominatiuis essentialibus aptari, quoniam hæc eadem prout à suis abstractis distinguuntur, cadunt ad aliud, & aliud concernunt, videlicet proprium suppositum; quamobrem à suis abstractis meritò dicentur solo casu differentia distingui; dicunturque ab illis appellationem habere secundum nomen, si huiusmodi appellatio, vel solam nominis deriuationem, vel prædicationem in quale significet. sic homo ab humanitate denominatiuum est.

Duæ conditiones ad denominatiua requiruntur.

Duas autem ad ipsa denominatiua conditiones requirunt, è quibus.

Prima.

Prima est, vt conueniant cum forma denominante in præcipua, ac prima significatione.

Secunda.

Secunda conditio, quòd differant in modo significandi. Propterea quòd accidentaria quælibet forma considerari potest in abstracto, quo pacto dicitur sumpta secundum se ipsam; spectari etiam potest prout informat subiectum, diciturque sumpta in concreto denominans illud, quâ ratione subiectum nobis insinuat, non quòd hoc per se ad ipsius formæ conceptum pertineat, sed velut id, ad quod intellectus debet respicere, dum formam ita concipit in concreto, nimirum, vt existens in ipso subiecto; vnde conueniunt in præcipuo significatu formæ, quemmadmodum album, & albedo, nam albedo formam albedinis significat; album verò significat eandem formam, hoc tamen intercedente discrimine, quòd albedo, hoc est forma per se sumpta abstrahit à subiecto, sed album nempè concretum, concernit illud.

Adnotatio nempe denominatiua esse in duplici discrimine.

Sed obseruandum denominatiua in duplici esse discrimine; propterea quod ex ijs, alia denominatiua sunt per intrinsecam denominationem, velut illa, quæ talia dicuntur per formam ipsis inhærentem, vt lac dicitur album, per albedinem existentem in ipso; & alia dicuntur denominatiua per denominationem extrinsecam, exempli gratia, paries denominatur visus, non à visione existente in ipso, sed in oculo.

Quomodo denominatiua se habeant ad vniuoca & æquiuoca.

Quomodo autem denominatiua prædicentur, seque habeant ad vniuoca, & æquiuoca videndum superest.

Adnotatio

In cuius gratiam aduerte, prædicatum vniuocum sumi, vel strictâ significatione, quo pacto denotat rationem eandem essentialem pluribus communem, ac in ijs essentialiter inclusam. Et hæc dicuntur prædicata vniuoca essentialia, cuiusmodi denominatiua non sunt. Vel amplâ significatione accipitur vniuocum, prout significat rationem pluribus communem, siue essentialem, siue accidentariam, quemadmodum sunt denominatiua, de quibus in præsentia fit sermo.

Est autem inquisitione dignissimum, quod nam sit primum significatum accidentarij concreti, atque adeo an denominatiua, quæ accidentaria concreta sunt, principaliùs formam significent, an subiectum; quod itidem de substantiali concreto in ordine ad suppositum propriæ naturæ potest inquiri.

Concretum accidentarium quodammodo formam, & subiectum significat. Abstractum verò formam.

Vt autem à certis desumatur exordium, cuique perspectum, concretum accidentarium, quodammodo simul formam, subiectumque significare: abstractum verò significare formam. Concretum itidem substantiale substantiuo nomine significatum, vt homo, lapis &c. simul cum natura suppositum quoque significare. Non tamen apertè constat quomodo concretum duo illa importet, an æqueprimò, an vnum primariò, alterum verò secundariò significet; & quod nam ex illis sit primarium significatum, & quod secundarium, siue connotatum.

Aduer-

Digitized by Google

Concretum bifariam spectari potest.

Aduertendum porrò concretum posse gemino modo spectari, primo prout propositionem ingreditur, quo pacto dum ex parte subiecti constituitur iuxta communem loquendi vsum, significat subiectum, simulque connotat formam; vt contra positum ex parte prædicati significat formam, & connotat subiectum.

Penes quid attendi debeat prima nominis significatio.

Hoc sanè perspicuum, nam primò aliquid significari, seu prima nominis significatio, attendi debet, non penes id, quod primum est secundum rem, sed penes id, quod est primum impositionis nominis; cum significare, sit aliquid impositione nominis repræsentare; quatenus nomen ex intentione primi instituentis ad id significandum impositum fuit; quemadmodum connotare est aliud insinuare ex modo significandi præcipuum significatum, vt opportuno loco perspicuum fiet. Quando autem concretum in propositione se ex parte prædicati tenet, vt cum dicitur, homo est sapiens, paries est albus, nix est frigida: intelligitur formam de subiecto, non autem subiectum de forma prædicari; alioquin inepta foret enunciatio, sensusque redderetur, homo est homo sapiens; paries est paries albus; nix est nix frigida.

Ad euitandam superiorem difficultatem, quid ab aliquibus dici solcat.

Ad hanc vitandam difficultatem dici ab aliquo posset, hunc reddi sensum: Homo est res, siue ens habens sapientiam; sed tunc propositio non amplius foret per accidens, vt reuerâ esse debet, cum dicitur, homo est sapiens; propositio siquidem esset per se, quoniam essentialis prædicatio fieret; non enim sapientia de homine enunciaretur, sed entitas, quæ planè de essentia ipsius est; at verò contra cum ponitur ex parte subiecti, vt cum dicimus Medicus ædificat, album est calidum, intendimus prædicare actum ædificandi, caloremque de subiectis Medicinę, & albedinis; non autem de formis, cum enim dicimus Medicus ædificat, intelligimus enunciare exercitium ædificandi de homine Medicinam habente.

Illud tamen inficiari non licet, siue fiat sermo de accidentario concreto, siue de concreto substantiali, tum etiam se tenet ex parte subiecti ex vi alicuius particulæ, aut prædicati alicuius adiuncti, posse ad significandam formam determinari; vt cum dicimus album est per se disgregatiuum visus, per particulam illam *per se* denotatur forma, quoniam huic, & non subiecto conuenit disgregare visum. Cum etiam dicimus homo est risibilis, homo est admirativus, huiusmodi prædicata determinant subiectum, quod supponendum pro forma, & natura, non autem pro supposito, quoniam hæ sunt naturæ, & non suppositi proprietates.

Subiectum in quacunque propositione tale significatum habet, quale aliud extremum exposcit.

Concludendum igitur subiectum in quacunque propositione tale significatum habere, quale aliud extremum exposcit.

Si autem sermo fiat de concretis absolutè sumptis, & non prout in propositionibus adhibentur.

Dicendum est concretum significare formam, connotare autem subiectum; vt ex Philosopho col igitur, qui capite de Denominatiuis docet, denominatiua ab abstractis solo tantummodo casu differre. At, Si res hunc se habet in modum, consequens fit vt ex eius opinione hæc in præcipuo significato non differant. Quod etiam ex Posteriorum primo colligitur, vbi perspicuè docet propositionem hanc; album est lignum, esse per accidens, quod non ità foret, si album primò significaret subiectum; esset enim propositio per se. Accedit, quod ipse in qualitatis categoria, constituit formæ concretum, nempe calidum, frigidum &c. Atsi concretum primò directèque significaret subiectum, potius collocandum foret in prædicamento substantiæ, quàm qualitatis.

Quid si significare.

Ea porrò videtur ratio, quoniam significare nil aliud est, quàm animo rei alicuius conceptum ingerere; itaut primò, & præcipuè significare, sit primo, præcipuèque rei conceptum in alterius animum inducere; vnde id primò significatur, cuius conceptus primò in audientis animo excitatur; sed forma, non autem subiecti per concretum importati conceptus animo quidem audientis ingeritur; ergò forma primò, directèque, non subiectum concreti nomine significatur.

DISSERTATIO XV.

De Prædicamentis, siue Categoriis generatim.

Quid dicamenta (seu categoriæ) nomine Denominationem prædicamentorum numeri. Ex quibus patet duo aliquot aliud

Prædicamentorum, non autem Categoriarum inscriptio huic Tractationi ab Aristotele præfixa fuit, vt Simplicius testatur, vtcunque tamen se res habeat; Prædicamenti, vel si mauis Categoriæ nomine intelligenda est prædicatorum essentialium series; est enim coordinatio prædicatorum, prout alijs quædam subijciuntur: & alia de alijs prædicantur. Sunt porrò numero decem, ad quæ velut ad decem classes, summaque rerum genera, rerum omnium naturæ, gradus, & essentialia prædicata reducuntur.

Ex his autem tria prima, nempè Substantia, Quantitas, & Qualitas dicuntur ad se, siuè absoluta. Reliqua verò septem, nempè Relatio, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habitus sunt respectiua.

Denarius prædicamentorum numerus non necessarius, sed solùm ob eius celebritatem retinendus.

Non dissimulandum tamen, denarium hunc numerum non sic necessarium esse, vt nec augeri, nec minui pro varia rerum diuisione possit, quam quispiam sibi præfigeret; sed ob eius celebritatem retinendus. Hæc eadem de prædicamentis tractatio ad Metaphysicum quoque pertinet, etsi ratione diuersâ. Hic enim, quippèqui de ente, deque speciebus eius ediserit, debet itidem commemoratas naturas ad decem capita redactas perserutari. Vt propterea quidam ex antiquioribus huic tractationi titulum, auctore Simplicio, præfixerint. περὶ γενῶν τῶν ὄντων. De generibus entis. *Respexerunt enim res ipsas secundum se, quâ ratione ad Metaphysicum pertinent; qui propterea ex rebus hunc in modum inspectis categorias ipsas constituit; dum enim ens ipsum diuidit, dumque substantiam, in eas, quas habet species, partitur, omnesque proprietates assignat, & hoc idem in categorijs quantitatis, qualitatis, ad aliquid, cæteriſque prosequitur, non nomina, non conceptus mentis, sed res ipsas per se diuidit, aut assignat. Sed ad Logicum quoque hoc idem spectat, quatenus superiora de inferioribus prædicantur, & inferiora superioribus subijciuntur, atque adeò pro vt secundis intentionibus prædicabilitatis, subijcibilitatisque substant.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De prædicamentorum structura, distinctione, deque alijs ad hæc spectantibus.

HÆc porrò, quæ diximus, prædicamenta ita se habent, vt ipsorum vnumquodque à supremo genere, quod generalissimum dicitur, suam consequatur nomenclaturam. Quamobrem series, & coordinatio substantialium omnium graduum, substantia nuncupatur, diciturque prædicamentum substantiæ. Non absimili modo series, & coordinatio graduum essentialium quantitatis, dicitur quantitas, itemque prædicamentum qualitatis, atque ita de reliquis.

Vnum quodque ens sortitur nomenclaturam à supremo genere.

Hâc autem lege prædicamentorum vnumquodque contexitur, tres vt in eo lineæ vna quidem media, duæ reliquæ laterales statuantur. In media genera, species, ac individua collocantur, eâ dispositione, vt superiora de inferioribus suis, atque adeò genera de speciebus, & species de individuis prædicentur.

Quodlibet prædicamentum constat lineis tribus, media genera & species, ac individua collocantur.

In lineis autem collateralibus differentiæ, vt plurimùm per accidentia propria circumscriptæ, ob earum ignorationem constituuntur.

Hinc verò non prætereundum quod ibet genus per duas diuidi differentias ad duas inferiores species constituendas, vt Ex. g. generalissimum genus in prædicamento substantiæ; substantia est, quæ primâ diuisione per corporeum, & incorporeum diuiditur. At incorporeum suam constituit speciem, quæ dicitur Spiritus. Corporeum vero constituit corpus, vel substantiam potius habentem esse rursus diuisibile in substantiam corpoream simplicem, & compositam; illa verò simplex rursus in perse potentiam, & per se actum diuiditur. Mox verò corpus iterum diuisionem subit, vt paulò infra constabit.

Linea laterales differentias constituunt. Quodlibet genus duas habet differentias.

Aduertendum porrò differentias constitutas in linea laterali superiores de inferioribus plerunque non per se prædicari: sed de speciebus inferioribus, deque individuis, quæ in media constituuntur linea. De his enim per se prædicari dicuntur; ita quidem Ex. g. sensibile per se non prædicatur de subiecta sibi differentia, nempè de rationali, sed de homine collocato in media linea, qui per rationale constituitur. Vide quæ diximus alibi.

Aduertendum denique, cum primò ens per finitum, & infinitum diuiditur, dum hæ decem ordinantur series, ens quidem infinitum, proindèque Deum excludi; finito ente retento vtpotè communi omnibus decem seriebus.

Neminem præterit in eo summoperè tam veteres, quàm recentiores Philosophiæ Magistros laborasse, vt exploratum redderet, quanta foret inter prædicamenta distinctio. Sed vt hoc probè intelligatur, in memoriam redigendum prædicamenta sumpta formaliter, & pro vt secundam intentionem præseferunt numericâ distinctione rationis inter se discrimari. At ijsdem acceptis materialiter, & pro vt in prima intentione consistunt, non satis euidens eorum distinctio, cum plerisque sit visum eam realem, alijs formalem ex rei natura, alijs tandem distinctionem esse rationis.

Tametsi autem hoc vniuersè decernere de variarum rerum speciebus non huius sit loci; non alienum tamen ab instituto definire, quo distinctionis genere prædicamenta secernantur vniuersè sumpta, rerum inspecta vi, atque adeo quanta sit opus distinctione ad plura constituenda prædicamenta; num necesse non sit ea ex rei natura, multoque minus realiter distingui, sed sufficiat intercedere distinctionem rationis inter illa.

Sufficit distinctio rationis.

Stagirites videtur in hoc postremum esse propensus, dum perspicuè docet actionem, passionemque minimè ex rei natura distingui, sed potius vnum, eundemq; re ipsâ motum esse, qui duo tamen eorum prædicamenta constituat. Ex quo facilè intelliges, non requiri distinctionem in re ad plura prædicamenta contexenda.

Aristotelis auctoritate probatur.

Parùm autem scitè Neotericus quidam nititur Auctoritati propositæ satisfacere dicendo, Philosophum vsurpasse actionem passionemque materialiter pro re acta, sic enim possunt esse vnum, ac idem, non tamen formaliter pro respectibus, qui ex rei natura distinguntur. Philosophi tamen consilium non aliundè, quam ex eius verbis colligendum. Ὅλως δ' εἰπεῖν, οὐδ' ἡ διδαξις τῇ μαθήσει, οὐδ' ἡ ποίησις τῇ παθῇ οὐ τὸ αὐτὸ κυρίως, ἀλλ' ᾧ ὑπάρχει ταῦτα, ἡ κίνησις τὸ δὲ τῦδε, ἐντῶδε, καὶ τὸ τῦδε νῦν τῦδε ἐνέργειαν εἶναι, ἕτερον τῶν λόγῳ. *Omninò, verò, dicere est, quod neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus. Nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersum est.* Hinc palam, & apertum ab eo doceri, non sic eundem esse motum; dictionem, hoc est actionem, & disciplinam, hoc est passionem, vt nullo modo distinguantur; reddens enim rationem, *nam huius in hoc*, puta respectum passionis, hoc est passionem in respectu consistentem huius in hoc, & præterea *huius ab hoc* puta respectum actionis, siuè actionis in huiusmodi respectu positam, actum ratione diuersum esse contendit. Vbi passionem, & actionem non pro re acta, nempè pro effectu, sed pro actione, & passione accipit, quas distingui ratione luculenter affirmat.

Cuiusdam interpretatio.

3. Physicor. text. 22.

Reijcitur.

Nec insulsè quidem, propterea quòd in vna, eademque re plures considerari possunt rationes, quæ quanvis ante negotiationem intellectus distinctæ non sint, nec vlla prædicatorum series, atq; adeò nec prædicamentum possit ordinari; quatenus tamen stat sub diuersis conceptibus mentis, vt plures in his rationes distingui possunt; ita hæ possunt inter se ordinari.

Neotericis cuiusdam responsio.

Nec scitè admodum Neotericus idem hanc est conatus rationem diluere, nempè dicendo prædicamenta formaliter sumpta coordinationesque factas ab intellectu materialiter esse naturas reales per differentias contractas, & in inferioribus contentas, & hunc in modum non esse opus rationis. Verùm hoc impugnare exigui laboris est; nam tametsi prædicamenta dicantur esse reales naturæ, non propterea dicenda sunt re ipsâ distinctæ. Vt actio, & passio sunt eadem realis natura motus, non ob id actio, & passio pro vt diuersa prædicamenta constituunt, reales naturæ sunt re ipsâ distinctæ.

Reijcitur.

Quæ sic intelligenda volumus vt sufficiat rationis distinctio, non tamen vt dari non possit inter aliqua prædicamenta realis distinctio, veluti rei à re, vel saltem velutt modi à re, cuius est modus.

Ratio, quâ nonnulli probant prædicamenta esse reipsa distincta.

Quoniam verò diuersa prædicamenta diuersas habent essentias, naturas, atque realitates, vt aiunt diuersa genera, diuersas differentias, sunt ob id, qui subindè concludant eadem esse re ipsa distincta. Sed quam sit hoc insulsè dictum, indè perspicuum, quòd non aduertunt argumentationis assumptum intelligendum sic esse, nempè, vel re ipsâ, vel ratione prædicamenta secerni. Nec rem eandem secundum eandem rationem ad prædicamenta diuersa pertinere, habereque diuersas, non subordinatas differentias;

Reijcitur.

Be nihil

nihil tamen obstare, quominus secundum rationes, quamuis solius mentis cogitatione diuersas, ad diuersa prædicamenta pertineant.

Alia ratio. Neque realis distinctio inde colligitur, quia quæ genere, numero quoque distinguntur; cum igitur spectantia ad prædicamenta diuersa, genere differant; consequens vtique est, vt eadem numero quoque distinguantur; sed quæ ita se habent realiter inter se distinguntur; hunc igitur in modum prædicamenta distingui necesse est.

Reijcitur. Nihil tamen huiusmodi ratiocinatione conficitur; numerica enim rationis distinctio concedenda, quâ intellectus singularem hanc rationem ab hac singulari ratione distinguat; at inde non fit, vt ex numerica distinctione absolutè; simpliciterque liceat realem distinctionem naturarum arguere, nisi numerica ista distinctio realis extiterit.

Res in prædicamentis cõstituũtur. Quæ autem in prædicamentis obtinent sedem explicandum. Huiusmodi porrò perspicuum est, res esse, non autem voces; res inquam prout subsunt conceptibus mentis secundum rationem superioris, & inferioris.

Voces multifariam spectari possunt. Quia tamen voces spectari possunt, & prout sunt rerum signa, & prout quendam entis gradum participant; iuxta priorem vsurpationem ad prædicamenta secundum quid spectare; prout signa nimirum sunt eorum, quæ per se ipsa in ijs constituuntur, at iuxta posteriorem significationem ad qualitatis determinatum genus pertinere dicuntur.

Res in prædicamẽtis cõstitui trifariã potest intelligi. Quia tamen ad prædicamentum spectare; & in eo constitui trifariam potest intelligi; nempe directè, indirectè, & per reductionem; ob id cum hac de re fit sermo, præ oculis hæc est habenda diuisio.

Quæ igitur in prædicamentis consuetis; de quibus hic agitur quomodocunque ad illa pertinere dicantur, debent realia esse entia. Hic enim est huius tractationis finis, ob oculos nimirum intellectus ponere omnia, quæ naturâ suo complectitur sinu. Excludũtur propterea; quæ intellectus noster comminiscitur.

Neque perturbet, quòd prædicamentum per se consletur ex generibus, speciebus alijsque similibus, quæ sunt entia rationis. Propterea quòd non ex ijs constant quatenus entia rationis inuoluunt; sed potius ex realium rerum naturis, quibus intellectus ea, quæ comminiscitur; vel prout huiusmodi sunt, iuxta duplicem de ente rationis dicendi modum appingit. Vnde recte Dialectici notarunt; quòd in prædicamento ponitur esse rem; quo autem ponitur, esse rationis opus, quòd secunda dicitur intentio. Dubitabit quispiam propterea quòd substantia sit prior corpore; & hoc prius viuente &c. quod non re ipsâ, sed intellectus negotiatione obtinetur, quatenus prius in substantiam; quàm in corpus tendit; & vniuersè prædicatorum illa series, non ex rei natura; sed opere solius intellectus obtinetur; prædicamentum autem in his planè consistit; ob id erit opus rationis, ac proinde huiusmodi esse debebit quidquid ad ipsum pertinet. Non inficiandum ordinationem illam ab intellectu fieri; vt non in consultò dictum fuerit res ad prædicamentum attinere prout subsunt conceptibus mentis, cuius est ordinationem illam perficere; fundamento tamen inspecto, quod est in re, cuiusmodi sunt reales ipsæ naturæ, è quibus vna fundamentum maioris; alia minoris vniuersalitatis esse potest; ex realibus ergo naturis prædicamenta sunt.

Difficultas. Solutio.

Vt in entibus realibus, sic in entibus Vtrò tamen fatendum; vt in entibus realibus; sic in entibus rationis prædicamenta posse constitui; ita vt in ijs quoque series prædicatorum; ac ob id prædicamenta possint ordinari iuxta veterum sententiam ente rationis accepto.

Realia igitur entia tantùm in prædicamentis locum habent, hoc nomine intelligendo, cui non repugnat propriè in rerum natura existere, cùm non sit opus, vt actu sint, sed satis superque, vt propriè esse possint, quod est aliquid in natura ponere, cuius defectu negationes, & priuationes reales, quippe quæ impropriè esse dicuntur, ad prædicamenta non possunt pertinere.

Hæc autem entia debent esse per se, hoc nomine intelligendo id, quod vnius est essentiæ, quodque est essentialiter vnum, ac proinde simpliciter, & absque addito vnum dici potest, vt homo, leo, albedo, calor &c. huiusmodi porrò non est ens per accidens, cùm hoc sit essentialiter multiplex, vel potius plura entia, vt lapidum aceruus, domus &c. sic entia accidentalia concreta, vt album, calidum, frigidum si istorum quodlibet æquè subiectum, & formam importet, nam tametsi vnum, non tamen vnum essentialiter faciunt, quod nimirum vnum simpliciter dicatur; sed tantùm essentialiter vnum ex duabus essentijs simul coniunctis; quarum vna non est per se potentia, nec altera per se actus.

Sunt, quibus videtur ens per accidens ad prædicamentum attinere, eo quòd inquiunt, quantitas discreta suum in prædicamento locum sortitur, cùm tamen ens per accidens sit. Addunt etiam in eiusdem confirmationem, cuiuslibet facultatis, siue scientiæ, siue artis, habitus ad qualitatis prædicamentum pertinet, cùm tamẽ ex pluribus habitibus sit aggregatione quidpiam vnum. Verùm in eo decepti sunt, quòd crediderint quantitatem discretam veram esse quantitatis speciem, cùm secus se res habeat, siquidem est quidam specialis status continuæ quantitatis. Et insuper in eo pariter sunt allucinati, quòd arbitrati sint ad qualitatis prædicamentum pertinere habitum scientiæ, vel artis prout aggregatum illud importat, cùm potius in prædicamento sedem obtineat, quatenus habitus per se quidpiam vnum est.

Ea autem est ratio, quoniam ens per accidens, vt propriè nequit vnum dici, sed potius plura entia; nec vnius, sed multiplicis est essentiæ, atque naturæ; ita nec potest in vno, sed debet in pluribus collocari; vt sapiens ratione subiecti, nempè substantiæ ad eiusdem substantiæ categoriam; ratione autem formæ ad categoriam qualitatis pertinet.

Hinc perspicuum artificialia à prædicamentis excludi, cùm sint entia per accidens.

Amplius incomplexa esse debent, quæ in prædicamentis sedem obtinent. Hæc enim contemplatio eò tendit præsertim, vt prima rerum cognoscendarum elementa, primosque conceptus, atque adeò simplices inueniat eosdemque mentis oculis exponat, quò necesse est ex incomplexis prædicamenta constare.

Dum autem, quæ secundum nullam complexionem dicuntur in prædicamentis esse contendimus, non mentimur eò quòd oratio in prædicamento quantitatis sit constituta, cùm tamen quidpiam complexum sit. Etenim oratio impropriè admodum quantitas dici solet; ac ob id in prædicamento quantitatis minimè collocanda.

Omnia quidem complexa excludimus secundum rem; quæ nanque sunt huiusmodi secundum vocem, nullam ingerunt difficultatem. De complexis secundum modum significandi, cuiusmodi est definitio, non satis constat. Hæc tametsi sit quidpiam incomplexum secundum rem, tamen secundum significandi modum complexionem inuoluit, cùm totum in eas, quibus constat partes, diuidat. Res tamen facilis.

rationis prædicamenta cõstituí posse.

Solummodò entia realia locum in prædicamẽtis habent.

Debẽt ea esse entia per se.

Difficultas.

Solutio.

Ratio ad probandũ ens per accidens ad prædicamentum non pertinere.

Incomplexa esse debent, quæ in prædicamẽtis collocantur.

Definitio in prædicamentis non collocatur, quia secundũ significandi modum cõplexionem inuoluit.

lis, prout enim totum metaphysicum est resultans ex partibus habens prædicandi modum in quid speciei instar, à prædicamentis non reijcienda.

Quæ in prædicamentis collocantur entia completa sunt.

Sunt autem in prædicamentis entia collocanda completa; partes enim retinentes modum partis ad prædicamentum directè non spectant; si tamen habeant modum totius, directè poterunt pertinere. Ita quidem essentiales partes physicæ retinentes modum partis, nequeunt in prædicamento directè constitui, quod etiam de partibus metaphysicis, modum partis habentibus, ut animalitas, rationalitas, corporeitas, & alia huiusmodi in abstracto, à prædicamentis arceri debent. In concreto tamen prout induunt rationem totius, ac proinde possunt de inferioribus prædicari, directè quidem ad prædicamentum spectant.

Partes metaphysicæ in concreto, non in abstracto ponuntur in prædicamentis.

Prima difficultas.

Solutio.

Sceus alicui forsan videbitur esse philosophandum, eo nomine, quòd accidentia in abstracto induunt naturam partis, & tamen prædicamenta constituunt. Non inficiandum accidentia in abstracto se habere per modum partis; si nanque fuerint mediâ abstractione abstracta, sunt re ipsâ partes concretorum in ordine ad subiecta, habent tamen rationem totius in ordine ad ea, quæ sibi subiecta, scilicet inferiora sunt, ut paulò infra planum fiet.

Secunda difficultas.

Solutio.

Dubitabit etiam quispiam eò quòd, si totum non est sine partibus, dum illud per se ad prædicamentum pertinet, eodem modo partes ipsius ad idem pertinere necesse est. Sed hoc nullius momenti, cùm inde solùm probetur ad idem prædicamentum attinere partes indirectè, siue ad illud reduci quatenus ratione totius in prædicamento sunt.

Tertia difficultas.

Præterea sic etiam licet arguere; physicæ partes essentiales sua habent genera, species, & differentias; nihil igitur obstabit quo minus ad prædicamentum directè pertineant.

Solutio.

Verum enim verò si sermo sit de prædicamento, quod modo supponitur constitutum, cuius nimirum apex non est aliquid habens rationem partis, negandæ est consecutio, quæ utique concedenda cum de prædicamento sermo fuerit, quod posset institui secundum aliam prædicatorum seriem, inter quæ partes commemoratæ recenserentur, ita ut ad mediam lineam pertinerent. Præterea genus, ac differentia utcunque sumpta æquè in completa sunt, sed genus directè ad prædicamentum pertinet, ergo etiam, & differentia. Neque hoc modo quicquam conficitur; nam genus incompletum quidem est secundum rem, est tamen completum secundum modum in ratione *habentis*, quod satis, ut possit de inferioribus prædicari; cunque directè possit superiorum graduum essentialem prædicationem suscipere, consequens est,

Quarta difficultas.

Solutio.

Adnotatio.

ut directè, hoc est ad mediam lineam prædicamentalem attineat. In cuius gratiam aduertere non præteribo, quòd ut aliquid directè ad prædicamentum spectet, non satis, ut possit de inferioribus enunciari alioquin etiam differentiæ ad prædicamentum directè pertinerent; sed amplius est opus, ut possit suscipere prædicationem superiorum graduum, quod differentijs, quandoque saltem non conuenit, cum essentialiter illos non includant. Hoc autem impedimento est quo minus partes ad prædicamentum directè pertineant; non enim superiorum graduum essentialem prædicationem possunt recipere. Cæterum differentiam de pluribus prædicari, nemini dubium; est enim uniuersale quidpiam, cuius est de pluribus enunciari posse.

Partes homogeneæ quæ proprietates dicantur.

Partes autem eiusdem naturæ, hoc est redolentes naturam totius homogeneæ nuncupatæ, æquè prædicationem essentialem superiorum graduum recipiunt, ut totum ipsum integrale; cuius sunt partes; ut enim uniuersa aqua; ita qualibet eius pars essentialiter aqua dicitur; nec partes istæ dicuntur cum aliqua dependentia à toto, imò citra quamlibet dependentiam, quod hæterogeneis partibus minimè conuenit; non enim ipsæ redolent naturam totius, nec eandem possunt denominationem suscipere, unde hominis caput, nequit appellari homo, nec brachium, nec manus &c. ita fit, ut homogeneæ partes ad prædicamentum directè pertineant; non sic hæterogeneæ; nec mirum, nam homogeneis accidit, ut sint partes actu, id enim per diuisionem fit; sunt tamen indiuidua essentialis naturæ, quæ ut paulo infra intelliges, ad prædicamentum directè spectant.

Dictionis essentialis superiorum gradum recipiunt.

Addendum illud quoque requiri ex aliquorum sententia, ut finitæ naturæ sit, quod in prædicamento constitui debet, quod inde ipsis perspectum, quoniam quidquid ad prædicamentum directè pertinet, vel genus, vel species, vel indiuiduum est; at si fuerit aliquid infinitæ naturæ nequit esse genus, quoniam hoc à differentia perfectionem ulteriorem recipit; quod enti infinito repugnat, cui nulla potest perfectionis additio fieri, non species quoniam hæc ex genere, & differentia consurgit, quibus si infiniti ratio repugnat non poterunt infinitum aliquid constituere; nec demum indiuiduum propriè sumptum, cum hoc sub specie debeat esse constitutum, addens illi differentiam, quod enti infinito repugnat, uti perspicuum est. Hæc alibi cumulatè tractauimus.

Quod ponitur in prædicamento debet aliquid finitum esse, ex sententia quorundam.

Postremum erat indiuidua ad prædicamentum spectare. Id autem Aristotelem non præterijsse, ex eo facilè intelliges, quia ipse substantiam ad prædicamentum pertinentem in primam, & secundam, nimirum in singularem, siue indiuiduam, & uniuersalem partitus est. Et certè ineptè admodum totius prædicamenti basis, ac fundamentum, cuiusmodi sunt indiuidua, ab ipso prædicamento arceretur. Vt omittam quòd in indiuiduo omnis elucet conditio, requisita ab eo, quod in prædicamento sedem habere debet; siquidem est ens per se unum, incomplexum, finitæ naturæ; atque completum suscipiens essentialem prædicationem omnium superiorum graduum, quod intelligendum, non ita, ut omnia numerari debeant.

Indiuidua quoque ad prædicamentum spectant.

Difficultas.

Solutio.

Neque molestum sit; quod indiuidua dicantur entia per accidens. Tametsi enim huiusmodi sint pro ut proprietatibus, alijsque constant extraneis, non tamen pro ut naturam, numericamque differentiam includunt, quâ ratione ad prædicamentum pertinent. Eo etiam nomine à prædicamentis videntur excludi, quoniam qua ita se habent, sub scientiam cadunt; non sic autem indiuidua, de quibus nulla scientia.

Difficultas.

Solutio.

Hoc etiam nihil concludit; non enim indiuidua ad prædicamentum per se pertinent, quatenus de ijs scientiæ disputet, sed pro ut sunt ea, ex quibus omnis hauritur natura circa quàm scientia versatur. Et quamuis prædicamentum dici soleat coordinatio plurium prædicabilium secundum sub, & supra, non ob id à prædicamentis arcenda sunt indiuidua, quibus si prædicabilis ratio non conuenit, subijcibilis tamen accommodata est.

Modus quo res in prædicamentis constituendæ sint.

Modus autem, quo res in prædicamenti, constituendæ sint, hic est; ut in categoria substantiæ, naturæ in concreto sumptæ disponantur, ut ex antiqua eius structura compertum est, in eo enim genera, ac species nominibus concretis disponuntur Substantia, Corpus, Viuens, Animal, Homo.

Id porrò videtur indè constare, quoniam quæ in prædicamentis disponuntur ad eum se habere modum debent, ut superior gradus de inferioribus prædicetur

dicetur essentialiter; inferior verò essentialem hanc prædicationem susciepiat; at non ita se habent, quæ ad substantiæ prædicamentum spectant in abstracto sumpta, sed in concreto accepta; sic enim habent modum totius, & de inferioribus prædicari essentialiter possunt; quoniam cum ipsis sunt idem in ratione habentis, non sic in abstracto, non enim corporeitas de animalitate, animalitas de humanitate potest enunciari, cùm in his enunciationibus non interueniat quidpiam, merito cuius prædicatum idem sit cum subiecto.

Accidentium geminam abstractionem esse.

Ad accidentia, quod spectat; iuvat ad memoriam reuocare geminam abstractionem esse, quarum una ultima, altera vero media dici solet. Media est, quæ abstrahit à subiecto, quod in concreto concernit, non tamen ab inferioribus, ut albedo abstrahit quidem à subiecto, non tamen ab hac, & illa albedine; at verò ultima abstractio ab inferioribus itidem abstrahit, ut albedeneitas ab hac, & illa albedine. His animaduersis.

Accidentia media tantùm abstractione abstracta in prædicamentis collocantur.

Cuique sit exploratum accidentia mediâ tantùm abstractione abstracta in prædicamentis sedem obtinere, quod ab Aristotele obseruatum fuisse, dum prædicamenta contexeret, obscurum non est, cùm genera, ac species in ipsis sub nominibus hoc abstractionis genere abstractis colocauerit. Ea porrò videtur ratio, quia prædicamentum nil aliud, quàm coordinatio plurium in tali statu, & conditione, ut possint de inferioribus essentialiter prædicari, & inferiora essentialem prædicationem superiorum graduum recipere. Ita autem se habere accidentia mediâ abstractione abstracta, perspicuum est; formas enim accidentarias, velut per se stantes, habentesque completam naturam significant, idem existentes cum inferioribus suis in ratione habentis, ut suo loco declaratum fuit, quod de abstractis ultimatâ abstractione dici non potest; ob id accidentia modo iam dicto in prædicamentis locum obtinent. Id autem de ultima abstractione abstractis perspicuum est; etenim quæ sic abstracta sunt, ut albedeneitas, coloreitas, & id genus alia, nullo modo sunt idem, ut de albedine, de colore, possint enunciari.

Et certè si accidentia debent in prædicamentis disponi, vel in concreto, vel in abstracto sumpta; non in concreto; nisi sensu infra explicando, quoniam sunt entia per accidens; ergo in abstracto. At non, ut ultimâ abstractione abstracta, ob eam quam innuimus causam; ergo ut media abstractione abstracta.

Prima difficultas.

Videri forsan alicui posset accidens, ut abstractum, ad prædicamentum non attinere, eò quòd habeat rationem partis, quæ non nisi per reductionem, non autem directè ad prædicamentum spectat.

Solutio.

Quanuis autem re ipsâ accidentaria forma sit pars apta cum subiecto constituere unum per accidens: induit tamen modum totius, ita ut in ratione habentis idem dicatur cum inferioribus suis, de quibus debet prædicari, non secus ac de prædicatis spectantibus ad substantiæ categoriam adnotaui.

Secunda difficultas

Neque dicas, accidens debere in prædicamento constitui eo modo, quo significatur inherentia eius ad subiectum, ut enim est inhærens, sic etiam, & ut huiusmodi disponi in prædicamento debet; sed, ut inhærens significatur termino concreto, non abstracto, unde etiam, ut concretum disponendum in prædicamento erit. Occurritur tamen dicendo non opus esse ordinem illum aperte quidem exprimere, satis cum sit, ut accidens disponatur in categoria absque expressione huiusmodi ordinis ad subiectum, cum ipsum hîc non consideretur nisi logicè secundum rationem superioris,

Solutio.

& inferioris; alia enim consideratio accidentis cum ordine ad subiectum Metaphysico relinquenda. Hinc etiam diluta manet alia difficultas, nempe quòd sit connaturalius accidenti in subiecto esse, quàm ab illo præcisum esse, quod si hoc attendum in categoriæ structura, debebit potius accidens, ut concretum, cum hunc in modum prædictam inhærentiam exprimat, in prædicamento disponi. Diluta inquam remanet non enim Logici munus est, accidens considerandum assumere, prout aptum inhærere subiecto; hoc enim ad primum Philosophum pertinet, sed tantummodò secundum rationem subijcibilis, & prædicabilis, ad quod impertinens omninò, ut accidenti sit connaturalius inhærere, quàm ab illo esse præcisum. Quibusdam verò molestum id fuit, quod accidentaria natura, prout est præcisa ab inhærentia, videtur quid incompletum, multò magis quam substantialis, prout à subsistentia abstracta, unde locum sibi non poterit in prædicamento vendicare, cum ad illud, quod incompletum est, minimè pertineat. Hoc tamen parum habet momenti; non inficiandum quidem substantialem naturam per subsistentiam compleri: accidentariam autem per inhærentiam, quanuis essentialior sit habitudo naturæ substantialis ad proprium suppositum, cum hoc ad eiusdem prædicamentum attineat, quàm accidentariæ ab subiectum, quod est genere diuersum; hoc tamen incompletum esse, non officit; quoniam impertinens est ad rationem subijcibilis, & prædicabilis.

Tametsi autem assertum fuerit, accidens ut abstractum in prædicamentis locandum; non absolutè tamen concretum excludendum duximus, cùm hoc ea ratione possit usurpari, ut in prædicamentis locum mereatur. Gemino enim modo licet concretum accipere; nimirùm, & pro aggregato æquè ex subiecto, & forma, secundum quam rationem est ens per accidens nullam in prædicamentis obtinens sedem; & etiam ut formam importat subiectum connotans, quâ ratione, ut ens non est per accidens, ita nec ei repugnat in prædicamentis constitui. Eoque lubentius hanc sententiam amplector; quoniam ei, & subijci, & prædicari conuenit; in concretis enim accidentarijs essentiales dantur prædicationes superiorum de inferioribus; ita quidem enunciationes fiunt; album est coloratum; dulce est sapidum.

Excludendum concretum accidentale à prædicamento, sumptum etiam ut innuimus, facilè quispiam existimabit, eo nomine, quòd ei desit unitas, quam requirit, quod est in prædicamento constituendum. Falsum is tamen assumit, non enim accidentis unitas per dependentiam actualem à subiecto tollitur, cum hoc ad eius conceptum, non ut pars, sed ut terminus tantùm pertineat; ita fit, ut hinc ei non desit unitas requisita. Videtur quidem Philosophus in oppositam sententiam propensus dicens; iustitiam non iustum in prædicamento esse. Sed Philosophus concretum accepit, pro ut ex æquo subiectum, & formam importat, cui nulla quidem sedes in prædicamentis est, ut superiùs innuimus.

Tertia difficultas.

Solutio.

Quarta difficultas

Solutio.

Concretum accidentale quomodo ad prædicamenti pertineat.

Difficultas.

Solutio.

Aristotelis auctoritas explicata 3. Top. Cap. 1.

SECTIO SECVNDA.

De Diuisionibus, deque regulis, quæ prædicamentis sunt præmittendæ.

Prima diuisio.

DIuisiones quasdam præmittit Philosophus non mediocriter ad prædicamentorum notitiam conducentes, è quibus prima illa est. *Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, ut homo albus, homo deambulat; alia*

In quo prædicamento

Digitized by Google

ctus: alia sunt complexione, ut homo, leo, equus dicuntur. Hoc est, ê rebus aliæ simplicibus vocibus, & aliæ complexis significantur.

Huius primæ diuisionis vtilitas.

Hæc diuisio confert ad cognoscendam conditionem eorum, quæ in prædicamentis constitui debent, ad id enim incomplexio requiritur; unde Philosophus in decem Categorias incomplexa partitur.

Secunda diuisio.

Secunda autem diuisio hunc se habet in modum. *Eorum quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, & in subiecto non sunt, quemadmodum uniuersales substantiæ, ut homo, animal &c. Alia in subiecto sunt, sed de subiecto nullo dicuntur, ut particularia accidentia, hæc albedo, hæc quantitas &c. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, ut accidentia uniuersalia, color, albedo, nigredo &c. Alia denique nec sunt in subiecto, nec de subiecto dicuntur, ut sunt singulares substantiæ puta Socrates, Plato &c.*

Ibidem.

In subiecto esse diciq; de subiecto non vno usurpari modo.

Hic silentio minimè prætereundum, esse in subiecto, dicique de subiecto non uno usurpari modo; nam esse in subiecto accipitur pro vera realique inhæsione, quod accidentium est proprium; sed de subiecto dici sumitur, ut significat prædicari de inferioribus essentialiter.

Suprædictorum declaratio.

Dicebatur illud esse proprium accidentium, nimirum in subiecto esse; quoniam tunc sumitur esse in subiecto pro inhærere; undè adnotandum id posse bifariam contingere, vel modo prædicto, quem esse proprium accidentium asseruimus, quoniam hæc sic in subiecto sunt, ut in eo insint, quod in eo positum est, ut accidens cum subiecto, in quo est, non faciat unum simpliciter, non unum per se in natura. Alio autem modo, sic aliquid in subiecto esse potest, ut cum eo faciat unum simpliciter, unum per se, quemadmodum substantialis forma, quæ tametsi dicatur esse in subiecto, non tamen per inhærentiam, ita ut illi dicatur inesse.

Quò sensu accipiatur hoc dici de subiecto.

Dici autem de subiecto hoc loco sumitur eo sensu, ut significet de aliquo, veluti de inferiori essentialiter, & quidditatiuè prædicari.

Superior partitio quam utilitatem afferat.

Superior partitio summoperè conducit ad cognoscendum discrimen eorum, quę in substantię prędicamento constituuntur, ab iis, quæ in prædicamentis accidentium sedem obtinent. Conducit etiam ad constitutionem dignoscendam categoriæ tam substantiæ, quam accidentium; quoniam substantiæ prædicamentum ex substantiis uniuersalibus, & particularibus componitur, quemadmodum, & accidentium prædicamenta ex accidentibus uniuersalibus, atque particularibus contexuntur.

Duæ regulæ à Philosopho propositę. Prima.

Duæ porrò sunt Regulæ, quarum meminit Philosophus, ex quibus ea prima est.

Quando alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, hoc est ut de quidditatiuè inferiori, quæcunque de prædicato dicuntur, etiam de subiecto dicantur necesse est.

Primæ regulæ declaratio.

Quòd sic intelligendum. Si superior gradus essentialiter de inferiori prædicetur, quicquid superiori gradui conueniet, etiam inferiori conueniet; ut si animal prædicetur de homine, animali autem conueniat aliquod prædicatum, puta sensitivum; hoc idem conueniet etiam, & homini.

Ad quid superioris regula conducat.

Hæc autem regula conducit ad cognoscendum ordinem eorum, quæ in prædicamento constituuntur; quæ enim in recta linea suam obtinent sedem, subordinata essentialiter esse debent, ita ut superiora in inferioribus includantur, ac de ipsis essentialiter prædicentur.

Ratio superioris regulæ.

Superioris autem regulæ ea videtur ratio; quia superius actu quidem includitur in inferiori suo; ita fit ut quicquid superiori inhæret, ac essentialiter conuenerit, actu etiam in inferiori esse debeat, ac de eodem possit prædicari. Quod primò quidem de prædicatione essentiali intelligendum, ita tamen ut ad accidentariam possit extendi.

Duæ conditiones requiruntur. Quarum prima. Secunda.

Duæ autem conditiones requiruntur. Prima, quòd prima propositio directa sit, ac ordinata, siuè sit prædicatio essentialis, siuè accidentaria; necesse est enim in ea aliquod superius essentialiter prædicari de suo inferiori. Secunda conditio, quod in secunda enunciatione fiat prædicatio essentialis, & directa, huius autem deffectu non licet sic ratiocinari, homo est animal, animal est leo, ergo homo est leo; cum enim prædicatur leo de animali, quod in secunda fit enunciatione, non fit prædicatio essentialis directa, non enim inferius essentialiter de superiori prædicatur.

Adnotatio.

Aduertendum autem regulam intelligendam esse de iis, quæ prædicato conueniunt, non ut supponit simpliciter: nec de iis, quibus differunt prædicatum, & subiectum.

Prima difficultas. Solutio.

Hinc difficultates diluuntur. Vnde si quis obijceret. Non licet arguere Socrates est homo, homo est species, ergo Socrates est species; ergo falsa regula assignata. Facile occurritur dicendo, esse speciem non conuenire homini, pro ut supponit absolutè, quod ad regulam requiri dicebamus, sed pro ut supponit simpliciter. Si quis iterum insurgeret dicendo. Non licet arguere, homo est albus, album est accidens; ergo homo est accidens; ergo regula non est idonea. Hoc sanè puerile est; etenim non eodem tensu accipitur album utrobique, cùm enim dicitur homo est albus; album accipitur pro ut dicit albedinem connotato subiecto; at verò cum dicitur album est accidens, tunc album sumitur pro ut solam formam importat; unde tam in superiori ratiocinatione, quàm in hac committitur accidentis fallacia, ut suo loco planum fiet. Nec etiam alicuius momenti est, si quis dicat, non sequitur homo est animal, animal diuiditur per rationale, & irrationale; ergo homo diuiditur per rationale, & irrationale. Non enim animal utrobique eodem supponit modo, cùm enim dicitur homo est animal; tunc animal supponit pro eo, quod est contractum per differentiam rationalitatis; quando autem dicitur animal diuiditur per rationale, & irrationale; tunc summitur animal pro ut dicit conceptum præcisum ab omni differentia. Et hìc etiam idem fallatiæ genus committitur.

Secunda difficultas. Solutio. Tertia difficultas.

Non omittendum autem, quod suo loco fuit adnotatum; quando in his prædicationibus secundæ intentiones intercesserint; illud præ oculis habendum, scilicet in secundis intentionibus fieri per actum signatum, & non exerceri nisi in intentionibus primis, undè si fiat prædicatio ista signata. Species prædicatur in quid de pluribus differentibus numero, seu indiuiduis Socrate, Platone &c. non potest in secundis intentionibus exerceri dicendo, indiuiduum est species, vel Socrates est species, sed exerceri debet in primis, dicendo Socrates est homo, Plato est homo.

Adnotatio.

Secunda regula ab Aristotele tradita ita se habet. *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ, ut animalis, & scientiæ.* Hoc enim exemplo utitur; *sub alternorum verò nihil prohibet eadem esse differentias superiora enim de inferioribus dicuntur.*

Secunda regula.

Hæc regula conducit ad cognoscendum quomodo sub diuersis prędicamenti diuersę species ordinari debeant, & quo pacto prędicamentorum essentiæ sunt supermixtę.

Secundæ regulæ utilitas.

Vt huius regulæ ratio constet, primò decernendum quid *per genera subalternatim, & non subalternatim posita*

Huius regulæ ratio

posita Philosophus intelligat. Certum enim, & exploratum genera in duplici esse discrimine, quædam enim in nullo superiori conuenium genere, quemadmodum sunt genera diuersorum prædicamentorum, ut Substantia, Quantitas, Qualitas &c. Alia verò, quę sub aliquo genere, inter se tamen disparata sunt, dicunturque subalterna, quatenus sub tertio quodam genere continentur; ita planè se habent animal, & planta, quæ conueniunt in conimuni ratione viuentis, & corporis; inter se tamen sunt disparata, quoniam unum non includitur in alio, siue unum sub alio non continetur. Denique alia dicuntur subalterna, quorum unum sub alio continetur, ut animal, & viuens; vel planta, & viuens.

Quid per genera subalterna intelligendum. Quid per nõ subalterna.

Hac in re placet eorum consilium, qui dicunt per genera subalterna intelligenda, quæ in uno tertio conueniunt, ac sub tertio continentur; quantum ad illas differentias, quas possunt habere communes; per non subalterna verò illa, quorum unum non est sub altero, siue sint sub tertio, siue non, interpretando regulam allatam de generibus sub tertio contentis, quantum ad illas differentias, quas nequeunt habere communes. Itaque per subalterna genera intelligi poterunt animal, & planta, quantum ad illas differentias, viuentis, corporis, quas habent communes; & per non subalterna intelligi poterunt ea, quorum unum non est sub altero, siue sint sub tertio, ut animal, & planta in ordine ad differentiam intellectiui, siue non sub tertio continentur, ut animal, & scientia.

Adnotatio.

Verùm non exigua difficultas est de generibus sub tertio contentis, num videlicet differentiæ diuisiuæ communis generis (de constitutiuis enim nihil dicendum; cùm nullum relinquant dubitandi locum) conuenire possint indiscriminatim generibus sub illo contentis. Vt à certis exordiar; nemini dubium, quin diuersorum prædicamentorum genera nullam habere possint communem differentiam constitutiuam, aut diuisiuam, neque communes species. Hoc porrò sic euidens, ut probationem non indigeat. Prædicamenta enim ad eum se habent modum, ut unum essentialiter naturam alterius participare non possit, sintque proindè impermixta, species autem, ac differentiæ alicuius generis dicunt eandem essentiam cum ipso; si igitur diuersa genera essentialiter differunt; consequens est, ut species, & differentiæ diuersorum illorum generum essentias includentes, diuersæ omninò sint, atque adeò, & in idem recidit, quæ sub ipsis continentur, nullam differentiam communem, neque constitutiuam, neque diuisiuam habeant.

Difficultas.

Non me latet dicturum quempiam, corpus ad genus substantiæ, itemque quantitates pertinere; figuram ad genus quantitatis, & qualitatis; simile, & dissimile ad genus qualitatis, & relationis; duplum, & dimidium ad genus, quantitatis; itidem, & relationis, motum ad tres categorias: perperam igitur videtur à nobis oppositum cum Aristotele enunciatum. His tamen sic occurritur, ut nulla supersit difficultas; non enim corpus de illo; quod ad substantiæ genus pertinet, & de alio spectante ad genus quantitatis secundum idem nomen, eandemque rationem dicitur; nihil enim utrique substantiæ nimirum, & quantitati commune præter ens, non quidem ut genus, sed ut transcendens.

Solutio.

Figura autem vulgò creditur ad qualitatem pertinere, & etiam ad quantitatem; cum tamen non sit re ipsâ quidpiam quantitati superadditum, ut suo loco manifestum fiet. Simile, & dissimile relatiuæ sunt denominationes, non importantes aliquid positiuum superadditum qualitati, quemadmodum uniuersè relationis illud prædicamentum se habet; undè quantum ad illam denominationem simile, & dissimile, spectant ad categoriam relationis in huiusmodi denominationibus consistentis; nulla tamen hinc difficultas, quoniam sermo fit de generibus ponentibus aliquid in natura.

Sic de duplo, ac dimidio. Quod autem de motu postremo loco additum est, obuiam itur dicendo; hic sermonem esse de ijs, quæ per se, non autem per reductionem ad prædicamenta pertinent.

Quid de generibus subordinatis dicendum.

Deindè perspicuum non minus est genera inter se subordinata, siue quorum unum sub alio continetur, siue, quæ continentur sub tertio, communes habere differentias omnes, quibus superiores gradus constituuntur. Et certè si rem diligenter attendas, ita philosophandum existimabis. Animal enim, ut familiari hoc utar exemplo, differentias omnes includit; nimirùm corporeum, quo constituitur corpus, & animatum, quo constituitur viuens, & sensibile, quod proprium est animalis. De generibus igitur, quorum unum sub alio continetur; nemini dubium. Æquè etiam est manifestum animal, & plantam habere communes differentias, quibus constituuntur corpus, & viuens.

Hoc autem cuique deberet esse perspectum, propterea quòd cum dicimus horum generum eadem esse constitutiuas differentias, nil aliud in animo est, quàm innuere rationem generis superioris in inferioribus reperiri, non tamen differentiam, quâ superius genus constituitur, esse ultimam, quâ constituitur genus inferius, ita ut hoc per illam ultimo constituti dicendum sit.

Genera subalterna quas differentias participare possint.

Illud etiam addendum commemorata genera subalterna participare quasdam differentias, quibus superiora genera diuiduntur. Vt animal ex differentijs, quibus diuiditur substantia; habet corporeum, & ex diuidentibus corpus, habet animatum, & ex diuidentibus viuens, habet sensitivum, itaque satis hoc euidens in ijs generibus, quorum unum sub alio continetur. Nec minus euidens de generibus illis, quæ subalterna dicuntur, quatenus sub communi tertio continentur; hæc enim habent communes differentias, ut loquuntur, diuisiuas, quibus genera constituuntur in ipsis inclusa, si tamen excipias illas, quibus immediatum superius genus diuiditur; utque in eodem persistamus exemplo, animal, & planta communes habent differentias, quibus diuiduntur substantia, & corpus, cuiusmodi sunt corporeum, & animatum, hæ nanque sunt utrique communes, animal enim corporeum est, & animatum: planta itidem corporea est, & animata.

Non quælibet differentia habet sibi determinatum genus.

Addendum præterea, non quamlibet differentiam sibi determinatum genus vendicare, quin potius differentiâ, quâ aliquod genus diuiditur, etiam & aliud genus diuidi posse.

Datur differentia alicuius generis propria, ut aliud diuidere non possit.

Dari differentiam aliquam, sic alicuius generis propriam, ut aliud diuidere non possit, ac proindè illi adæquatam esse, quemadmodum speciei, quam constituit, inde mihi fit exploratum; quoniam viuens, veluti genus diuiditur per sensitivum, cum è viuentibus aliud sensitivum, & aliud non sensitivum sit. At sensitiui differentia sic est addicta viuenti, ut diuidere aliud genus non possit, & eadem pariter propria sic est animalis, quod tanquam speciem contentam sub genere viuentis constituit, ut speciem aliam constituere minimè possit. Datur igitur differentia quæpiam sic propria generis, quod diuidit, simulque speciei, quam constituit, ut nec genus aliud diuidere, nec speciem aliam constituere valeat.

Hoc

Hoc idem in magnitudine cernitur, quæ genus est aptum diuidi per longitudinem sine latitudine, veluti per differentiam, sic huiusmodi generis propriam, ut nullum aliud diuidere genus possit, & sic etiam est propria lineæ, tanquam speciei sub huiusmodi genere contentæ, ut nullam aliam possit speciem constituere.

Non omnis tamen sic se habet differentia.

At ex aduerso non omnem differentiam huiusmodi esse suspicabitur quispiam, eò quòd corpus substantialis naturæ diuiditur in viuens, & non viuens; hæc porrò differentia, nempè viuentis ratio, non sic est propria corporis, tanquam generis, quod diuidit, nec adeò propria speciei, quam constituit, nimirùm corpus operari potens ab interno principio ad acquirendam perfectionem sibi non debitam ex vi generationis, ut non possit aliud genus afficere, & speciem extra genus corporis constituere; reperitur enim differentia viuentis in substantiis ab omni materiæ concretione seiunctis, ita ut hæc eadem differentia diuidere aliud genus possit, nempè substantiam completam, & sub ea constituere substantiam nullum habentem cum materia commercium.

Neoterici eiusdam responsio.

Rationem allatam euertere Neotericus quidam arbitratur dicendo, viuens tunc non usurpandum amplè, ut substantijs etiam abstractis conuenit, sed præstiori quâdam usurpatione pro ut idem est ac animatum, proindèq; quidpiam corpore contractius.

Responsio suspecta redditur.

Sed hanc doctrinam suspectam intelliges ex eò quòd ille non aduertit difficultatem adhuc urgere; sic enim respondendo non tollit, quin ratio viuentis latiùs pateat, quàm corpus, quodque ipse pro huiusmodi ratione sumendum decernit, non tàm differentia, quàm species constituta per adiunctionem rationis viuentis, veluti differentiæ ad corpus tanquam ad genus, est; nam corpus animatum idem est, ac corpus ratione viuentis affectum.

Ratio, qua ille utitur.

Nec oppositum suadebit dicendo, si eadem differentia, siue ultima, siue non ultima pluribus aduenire generibus, sequeretur idem specie, vel genere inferiori, esse in diuersis generibus non subalternis, quod intolerabile omninò, quoniam idem specie, vel genere inferiori debent unam essentiam efficere, genera autem non subalterna, sed disparata etiam eiusdem prædicamenti non faciunt unam essentiam, ut de animali, & planta manifestum est. Sequelam verò sic probat; quorum est una differentia, unum est esse specificum, cùm unitas specifica non nisi à differentia possit oriri; hâc verò datâ hypothesi una tantùm est differentia.

Responsio.

Sed occurritur dicendo, ideò constituta non esse eiusdem speciei, quoniam eorum genera diuersa sunt, ut genus, nempè corpus, cui aduenit viuentis ratio, differt à substantia, cui aduenies ratio viuentis substantiam abstractam constituit.

Impugnatio, à neoterico adhibita.

Quam responsionem impugnat dicens, genera esse conueniendi rationes in speciebus: differentias verò distinguendi, ut ob id genus dicatur à differentia contrahi, esseque magis uniuersale, differentiam minus uniuersalem proindeque genus per differentiam accedere magis ad esse indiuidui, propterea quòd eius communitas per differentiam restringitur, undè genus dicitur in quid prædicari, differentia autem in quale quid proindè ab illis generibus haud poterit oriri specifica differentia, imò si hoc dicatur, sequeretur dicendum potius differentiam illam euasuram genus, cùm omnia ipsi generis attributa conueniant, genera verò se habere ut differentiam.

Responsioni suprapositæ occurritur.

His tamen exigui laboris foret occurrere; non enim sic usurpandum, cum dicimus, genus contrahi per differentiam maioris ambitus, quæque latius patet, quàm ipsum, non sic inquam usurpandum, ut differentia id præstet, eò quòd minoris sit amplitudinis, sed potius, quoniam aduenies generi tanquam actus, eius tollit indifferentiam; quod in allato superiori luculenter conspicitur exemplo; ratio enim viuentis tametsi latius pateat, quàm corpus, quoniam tamen aduenies illi tollit eius indifferentiam, ob id dicit illud contrahere.

Quomodo genus patere possit latius, quàm differentia.

Non dissimulandum tamen ab aliquo dici posse, genus, cui aduenit viuentis ratio, completam esse substantiam; quæ diuiditur in viuentem, & non viuentem; at verò substantiam viuentem diuidi in eam, quæ est viuens absque consortio materiæ, & aliam, quæ viuens est in materiã immersa; & hunc in modum perpetuò genus patere latius, quàm differentiam; substantia enim completa communior est, quàm viuentis ratio, & substantia viuens latius patet, quàm & ea, quæ huiusmodi est cum concretione materiæ, & quàm & illa, quæ ab omni materiæ commercio seiuncta est. Hinc non obscurè constat sententiam oppositam à veritate non penitus abhorrere.

DISSERTATIO XVI.

De Prædicamentis speciatim, & primò de Prædicamento substantiæ.

Tractationis ordo.

Hactenus cùm de ijs, quæ prædicamentis præmittuntur, deque prædicamentis ipsis generatim disputatum fuerit, proximum est, ut de ijsdem speciatim disseramus; & primò de prædicamento substantiæ, cum hoc sit reliquorum primum; est enim substantia omnium accidentium basis, fundamentum, & causa, ac ob id accidentia tempore, naturâ, cognitioneque præcedit, ut propterea reliquis omnibus prædicamentis, substantiæ prædicamentum præmitti debeat; ideo sit.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Quid sit substantia.

Vnde desumatur substantiæ nomen.

SVbstantiæ nomen deducitur à subsistendo, seu in se, & per se existendo; & à substando alijs, scilicet prædicatis superioribus, & accidentibus, quorum primum subsistentia, seu in se, & per se existentia dicitur; secundum substentificatio nuncupari potest; utrumque substantiæ conuenit non sine ordine; quod enim substantia dicitur, primò concipiendum subsistens, hoc est in se, & per se existens; secundò verò substans alijs, hoc est substentificans prædicata superiora, & accidentia sibi consentanea. Ita fit, ut substantia concipi nequeat sine ratione subsistendi; hoc enim illi omninò intrinsecum est, sed benè sine ratione substandi accidentibus, cùm hoc illi extrinsecum, & accidentarium sit, hoc est extra rationem, & quidditatem substantiæ. Non sic tamen accidentarium, quasi possit à substantia seiungi; sed quoniam est extra essentiam, quidditatemque substantiæ, ita tamen, ut naturam, & essentiam substantiæ finitæ, & limitatæ, tanquam affectio comitetur.

Nomen substantiæ apud Aristotelem non vnam habet significationem. 7. de Republica.

Cæterum substantia græcè dicitur οὐσία ousia, cuius significatio apud Aristotelem non una est; modò siquidem substantiam significat, eam scilicet, quę in nullo est, & reliquis omnibus, veluti fundamentum habetur; modo verò significat idem, ac essentia, siue ratio; ut etiam apud Platonem, & eundem Aristotelem. Hâc autem usurpatione non solum prior significatio comprehensa est, sed essentia qualiscunque decem contenta Categorijs; ut cum Philosophus Deum, atque motrices cælorum essentias οὐσίας; nempe substantias appellat, quas cùm fortasse nullis accidentibus subiectas faciat, certè substantiæ nomen non priori, sed posteriori sumit significatione, iuxta quam, & quantum bis οὐσίαν, ousian siue substantiam vocat; ait enim τῶν δὲ καθ' αὐτὰ, τὰ μὲν, κατ' οὐσίαν ἐστὶν οἷον γραμμὴ, ποσόν τι. Eorum verò, quæ per se quædam sunt, secundum usian, veluti linea, quantum quid. Sic etiam dum ait τὰ δὲ πάθη καὶ αἱ ἕξεις τῆς τοιαύτης ἐστὶν οὐσίας, οἷον τὸ πολὺ καὶ τὸ ὀλίγον. Passiones verò, & habitus talis usiæ sunt, veluti multum, & parum. Et alibi hoc idem inculcans ait σημεῖον δ' ὅτι μάλιστα οὐσία τὸ, τῷ ὄντι τὸ πρός τι. Signum verò, quòd minimè usia quædam, & ens quoddam id, quod ad aliquid. Vbi perspicuum est nomen usiæ, siue substantiæ, vel essentiæ & entis pro eodem sumi. Geminâ igitur, prout in præsentia, est vocis usiæ, siue substantiæ significatio, prestior pro substantia accidentibus subiecta; universalior, pro essentia quilibet. Explicat autem cur quantum dicatur usia; dum ita loquitur ἐν δὲ τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι, ποσόν τι ὑπάρχει. In sermone enim quid est dicente, quantum-quid existit. Et alibi pro ente accipiens τὸ τί ἐστι quod quid est usiæ nomen usurpauit ἀλλ' ἐχὶ περὶ ὄντος ἁπλῶς, ἃ δ' ἦν, ὅτι τὸ τί ἐστιν ἕδρα λόγον ποιοῦντα. Sed non de ente simpliciter, neque ut ens, neque ipsius quid est ullum sermonem faciunt. Statim autem addit διόπερ φανερὸν ὅτι οὐκ ἐστὶν ἀπόδειξις οὐσίας, ἃ δ' τὸ τί ἐστιν. Quare manifestum, quòd non est demonstratio usiæ, neque ipsius quid est. Vbi vox usia pro ente, & pro re quacunque, quæ sermone quod quid est, hoc est definitione potest explicari, fuit à Philosopho usurpata; quamobrem usia sumitur aliquando pro essentia, & pro omni eo, quod definitione explicatur; neque semper pro substantia quatenus hæc à accidente distinguitur, cùm omne ens ad quodvis pertinens prædicamentum, definitione possit explicari. Hinc palam illos allucinatos fuisse, quibus est visum ad aures Aristotelis solius substantiæ definitionem esse, eorumque error clarius colligitur ex alibi à Philosopho dictis ἐκεῖνο δὲ φανερὸν, ὅτι ὁ πρῶτος, καὶ ἁπλῶς ὁρισμὸς, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῶν οὐσιῶν ἐστὶν, ἃ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως ἔστι, πλὴν ἀλλ' οὐ πρώτως. Illud verò clarum, quòd prima & simpliciter definitio, & quod quid erat esse, substantiarum est. Sed & aliorum similiter, præter quam quòd non primò. Non igitur solius substantiæ, sed cuiusque alterius entis Philosophus docet esse definitionem, quia nimirum, quod definitione expenditur, rei dicitur substantia, non accepta, quatenus ab accidente distinguitur, sed quatenus, idem sonat ac essentia, quę non solùm in substantia prout ab accidente distincta, sed in quouis accidente adinueniri ex hactenus traditis perspicuum est. 5. Diuin. cap. 4.

Quatuor autem modos Philosophus recenset, quibus substantia dicitur; quos breuiter subijciam. Primo modo substantiam dici, ait, simplicia corpora, terram, ignem, aquam, & quæcunque talia, & universè corpora quæcunque siue simplicia, siue mixta, & etiam animalia ex his constantia corporibus simplicibus, vel mixtis &c. ubi per hunc primum modum intelligit primam substantiam, ut superiùs aduertimus. Secundo modo asserit substantiam dici, quamcunque causam essendi, inexistentem in talibus scilicet substantijs primis, quæ non dicuntur de subiecto. Tertio modo docet iuxta Pythagoreos puncta esse substantiam linea, lineam superficiei, & superficiem corporis. Quarto modo affirmat, substantiam dici τὸ τί ἦν εἶναι quod quid erat esse; id est quidditatem rei cuius ratio est definitio. Nec omittendum ab eodem non semel substantiam appellatam fuisse τὸ ὑπερ τί, id, quod est, vel id quod verè est. Sed de his alibi. Interea ut rem paucis absoluam, adnotabo, substantiam quatuor modis à Philosophis usurpari. Primo substantia sumitur, pro essentia alicuius rei, quo pacto sumitur in definitione univocorum, & æquivocorum, cùm dicitur, & ratio substantiæ, hoc est essentia. Secundo prout distinguitur ab accidente, iuxta quam significationem omne id quod non est accidens substantia est; & hoc sensu sumitur, cum diuiditur ens finitum in substantiam, & accidens. Ita quidem Philosophus substantiam usurpat, quando ait, differentias substantiarum, & materiam, & formam esse substantias. Tertio pro substantia completa, hoc est pro omni eo, quod directè ponitur in prædicamento substantiæ. Hoc sensu genera species & individua dicuntur substantiæ. Quarto tandem sumitur pro prima substantia, hoc est, pro omnibus individuis prædicamenti substantiæ. Iuxta hanc acceptionem Philosophus aliquando negauit genera, & species prædicamenti substantiæ esse substantias secundum quam usurpationem substantia, ut etiam essentia, per omnia vagatur, nullum sibi vendicans determinatum genus entis; ac proinde in accidentibus quoque locum obtinet; unde dici consueuit, accidentia, & specialiter quantitatem, qualitatem &c. suam habere substantiæ rationem; nec immeritò, cùm hoc perinde sit ac dicere, suam habere rationem essentiæ. 2. Diuin. cap. 13. & 14. 5. Diuin. cap. 8. Ibidem cap. 13. lib. 4. Diu. cap. 8.

Quo sensu hoc loco substantiæ nomen accipiatur.

Hoc idem nomen, ut nuper dicebam, præsertim accipitur ad determinatè significandum id, quod in natura secernitur ab accidenti; iuxta quam significationem à nobis accipitur in præsentia; & quanuis hac de re disserere huius loci non sit, cùm ad primum Philosophum pertineat; non est tamen ab hac facultate penitùs alienum, de ipsa substantia disputare, si tamen spe-

spectetur secundum rationem superioris, & inferioris, seù prædicabilitatis, & subiicibilitatis, quin etiam secundum essentiam, cùm de ipsius proprietatibus, ac attributis hic disseratur.

Substantiæ ratio gemino modo potest explicari. Primo.

Primò autem occurit considerandum substantiæ rationem explicari gemino modo posse; vel quòd ita dicatur à substando, quod est subesse, & alteri supponi, quâ ratione substantia dicitur, quæ subest accidentibus, quorum subiectum est. Ad hanc substantiæ significationem respexit Philosophus dicens, *substantiam esse, quæ propriè, & principaliter substare dicitur*, & paulò post, *substantiam primam, nempè singularem esse magis substantiam*; quia ne dum subest accidentibus, sed etiam superioribus gradibus; hoc tamen intercedente discrimine, quòd comparatione illorum, inhæsionis, istorum verò prædicationis subiectum appellatur. Hinc igitur primò substantia suam accipit nomenclaturam.

Secundo.

Secundò etiam substantia dicitur à subsistendo, sumendo subsistere pro ut idem est, ac per se existere, & non in subiecto.

Gemina substantiæ ratio.

Hinc gemina substantiæ ratio, iuxta duplicem explicationem traditam, una quidem substandi accidentibus, altera verò existendi per se. Ad explicandam autem substantiæ naturam, est operæ pretium inquirere, utra istarum sit prima ratio substantiæ.

Quænam sit prima substantiæ ratio.

Si diligenter attendas, facilè intelliges adæquatam substantiæ rationem in per se existendo positam esse, post quod secundò consequitur aliud, quod est accidentibus subesse. Hoc non operosum ostendere, si per, per se subsistere intelligamus esse simpliciter, ut mox explicabo.

Per se subsistere est id in quo substantia ratio constitit.

Primam substantiæ rationem non in eo positam esse, quod est accidentibus subesse, indè perspicuum ac euidens, quoniam ut Stagirites etiam aduertit, unum ex attributis substantiæ, est posse contraria suscipere; hoc autem est posse accidentibus substare, inter quæ contrarietas exercetur; subesse igitur accidentibus, substantiæ est attributum, atque proprietas, quæ, ut communi Philosophorum calculo receptum est, nequit prima esse ratio constituens rem, cuius est proprietas, cùm potius eius esse supponat.

Prima ratio.

Secunda.

Quod euidentius etiam indè conspicitur, quoniam si substantiæ natura, primaque eius ratio in hoc posita esset, quod est accidentibus subiici; nulla substantia dari posset, quin ita foret, quod quantum à veritate distet, neminem præterit, cùm cuicunque perspectum sit, ac exploratum Deum O. M. perfectissimam esse substantiam, cùm tamen nullis accidentibus subsit.

Prima substantiæ ratio, ut sit per se.

Fatendum igitur, quod paulò ante dictum fuit, nempè *Rationem primam substantiæ in eo positam esse, quòd per se sit*; nimirum quòd sit simpliciter, quod ut euidentius fiat, reuocandum est ad memoriam hîc inquiri substantiæ naturam, pro ut ab accidente distinguitur; Sed ad hoc explicandum ea est enodanda difficultas, quæ à substantiali forma ortum ducit; cùm enim hæc in subiecto sit, eidemque innitatur, & hoc etiam accidenti conueniat, nullum videtur superesse discrimen inter substantialem, & accidentalem formam.

Substantia dicitur ens simpliciter; accidens verò secundum quid.

Introspectâ tamen utriusque naturâ, non obscurè constabit inter utramque discrimen; substantialis etenim forma dat esse simpliciter, accidentalis verò secundum quid; quod si res ita se habet, statim in lucem prodit, & substantiæ, & accidentis natura, ea nimirum dicetur ens simpliciter; hoc autem secundum quid. Sed hæc explicanda supersunt. Per ens simpliciter *intelligimus* id, quod est primum sui naturâ, & de quo licet enunciare, *quod sit* absolutè, & sine addito, quod geminum est, nempè compositum, & simplex, & hoc est bipartitum in per se potentiam, & per se actum, hoc est in materiam, & formam. Hæc igitur substantiæ indoles; de ipsa etenim enunciamus esse sine addito; ita quidem dicimus terram esse, aquam esse &c. at ens secundum quid habet esse sui naturâ posterius, & de quo non licet enunciare esse absolutè, & sine addito, sed esse tantùm de ipso dicimus, quatenus est aliquid entis simpliciter, quod circumstat, quodque consequitur. Ita quidem dicimus calorem huius, vel illius subiecti esse, quoniam istud esse accidentis, supponit aliud esse, quod simpliciter est tale, nimirum substantiæ, siuè hæc simplex sit, siuè composita; de quo latiùs in prima disputandum Philosophia: solùm id adnotabo, superiorem à nobis traditam substantiæ descriptionem Aristoteli quàm maximè placuisse; is enim substantiæ naturam explicare contendens, ad id quod est substantiæ proprium, confugit, quod est non esse in subiecto Κοινὸν δὲ πάσης οὐσίας, τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι. *Commune autem omni substantiæ non esse in subiecto*. At non esse in subiecto, siue in alio, prout non esse in subiecto hoc loco sumitur, est esse simpliciter, & habere esse primarium in natura, in quo positam esse substantiæ rationem dicebamus.

Per esse simpliciter quid intelligendum.

Quid autem per esse secundum quid.

Non prætereunda tamen cuiusdam inscitia, qui satis explicatam putat substantiæ naturam dicendo, ipsam esse ens simpliciter & accidens secundum quid; ens verò simpliciter dici, quod habet suum esse fixum, ac ratum, non sic accidens, cùm tale esse non habeat, sed esse tantùm secundum quid, & cum addito, nimirum in alio.

Quorundam opinio reijcitur.

Aduertens porrò de substantiali forma materiali difficultatem esse, cùm de ipsa dici possit habere esse fixum in alio, & non in se, proindeque dici non posse ens simpliciter, & propriè substantiam, sed potius accidens. Occurrit consecutionem negando; quoniam etsi quampiam à materia dependentiam habeat; tamen illa non est ab alio alterius generis, sicut est accidens, quod in esse suo à substantia, quæ est alterius generis, dependet, & ideo præcipuè dicitur ens in alio. Hinc verò colligit quam ob causam substantialis forma materialis dicta, quanuis à materia pendeat in suo esse nimirum fieri, & conseruari, adhuc, ut ipsi loquuntur, perfectatem, & ratitudinem, quantum sufficit, ut sit substantia, habere dicatur.

Responsio.

Vide quæsò quot verborum nugis sit hoc implicatum commentum. Vt omitam non satis explicari, in quo ratum istud esse consistat. Quantitas enim materiæ, fortasse coæua est; non ne igitur ratum habebit esse?

Confutatio.

Sed eo dissuor in risum, quòd ipse contendit inquirere quomodo substantia, & accidens sint diuersi generis, præsertim substantialis forma, quæ habet suum esse in materia, ab eademque pendet, cum è sinu ipsius est educta, quemadmodum, & accidens, & occurrens difficultati respondet discrimen esse, quia substantialis forma, non quemadmodum accidens ab eo pendet, quod alterius est generis. Sed hoc est quod in controuersiam vocatur, cur accidens sit alterius generis à subiecta materia, substantialis autem forma non item, quanuis hæc, ut illud à materia ipsa pendeat.

Vera sententia tenenda.

Præstat igitur dicere, ut superiùs notauimus, substantiam esse ens sine addito, ob id esse distinctum ab accidente, quod ens cum addito dicitur, nempè in alio, cum quo unũ nõ simpliciter, sed quodammodo faciat.

Ad substantialem formam, quod spectat, hæc materialis cùm fuerit pendet in fieri, conseruarique à

materia, & est in illa, non ob id tamen substantiæ rationem amittit; quoniam per esse simpliciter, & sine addito, intelligendum id, quod habet esse primum, quod cætera consequuntur, quodque cætera omnia circumstant, idque ne dum materiæ, sed etiam substantiali conuenit formæ; quæ tametsi supponat accidentariam formam in materia, adhuc tamen dicitur habere esse primum, & simplex, & constituere primum esse compositum in natura, quoniam accidentia illa inseruiunt toti composito, & esse illius, quod ex materia, & forma substantiali consurgit.

Ratio substantiæ non est negatio essendi in alio.

Quid verò sit hæc substantiæ ratio, nempè, quòd per se sit, considerare non omittendum. Non est autem negatio essendi in alio, ut immeritò quibusdam est visum, sed positivum quidpiam; negatio enim illa potius inter substantiæ proprietates cum Aristotele recenseri debet, cum ait commune est omni substantiæ in subiecto non esse, supponens negationem hanc haud esse primam substantiæ rationem.

Ratione probatur. Primo.

Et primò videtur ita sentiendum, propterea quòd substantia quoddam est ens positivum, atque reale, estq; re ipsâ, & essentialiter ab accidente diuersa; consequens igitur, ut in se constituatur, & ab accidente discriminetur per aliquid positivum.

Secundo.

Secundò illud accedit, quòd hæc negatio essendi in alio, debet in aliquo positiuo substantiæ fundari, quod ab accidentis natura sit penitùs alienum, cùm accidenti negatio illa consentanea non sit; ergo positivum illud, commemoratæ negationis fundamentum, id erit, per quod substantiæ ratio constituitur.

Tertio.

Præterea esse in alio, per quod accidens constituitur, vel positivum est aliquid, vel solùm dicit negationem essendi per se. Si primum, sequitur accidens esse substantiâ perfectius, tantoque perfectius, quanto ens est perfectius non ente; si secundum, sequitur esse per se dici debere negationem negationis essendi per se. Et esse in alio, negationem negationis essendi in alio, in quibus insulsam nugationem, atque circulationem inuolui, perspicuum est.

Non inficiandum tamen per huiusmodi negationem substantiæ rationem explicari, ut non immeritò Stagirites illam inter substantiæ proprietates recensuerit. Id autem plerùmque contingere, neminem præterit; passim enim usu venire solet, ut ratio, quâ aliquid constituitur, per negationem exprimatur. Neque perturbet, quòd quibusdam aliquid negotii facessit, scilicet substandi rationem non posse in aliquo positiuo consistere, eò quòd substantia nequit addere supra ens rationem aliquam positiuam, cum in omni huiusmodi ratione inuoluatur ratio entis, undè fit, ut solùm negationem superaddat. Occurritur enim dicendo substantiam non propriè constitui per illam rationem essendi per se, cùm propria hæc constitutio requirat, ut differentia superioris gradus rationem non includat, quod in re proposita non contingit, cùm ratio essendi per se rationem realis entis inuoluat. Itaque per hanc rationem essendi per se tantummodò magis exprimitur, ac explicatur, quod entis nomine significatur; vndè magis elucet veritas, quòd ratio, in qua substantiæ natura posita est, sit positivum quidpiam, cùm tale sit reale ens confusè, ac implicitè substantiæ naturam importans.

Difficultas.

Solutio.

Additur insuper subsistentiæ modus, per quem substantialis natura formaliter dicatur subsistens, ex quo simul cum natura suppositum constituitur, sed hæc de re opportuniori loco disserendum.

Per se quadrifariam dicitur.

Cæterùm per se quadrifariam dicitur. Primò ut idem significat, ac à se, cuius significato opponitur esse ab alio, soliqué Deo conuenit. Secundò; vt significat non per aliud, adeo ut esse, aut fieri per aliud, opponatur ei, quod est esse, siue fieri per se. At verò per aliud adhuc geminum est, vnum tale, cum dicimus anima mouet pedes per musculos. Alterum cum dicimus aliquid est, aut fit præter intentionem agentis, vt cum quis fodit terram, aquam vt inueniat, & reperiat thesaurum. Tertiò per se opponitur ei, quod est per accidens, quod quatuor modis contingere ex 1. Post. palàm est, & apertum. Quartò tandem per se opponitur ei, quod est in alio, ita vt esse per se iuxta significationem hanc, sit non esse in alio; cùm igitur esse per se tot modis dicatur, substantiæ rationem iuxta quartam hanc vsurpationem, diceb amus consistere in eo, quod est esse per se.

Difficultas.

Verùm in hoc videtur illud sub esse difficultatis. Stagirites enim concludit substantiam primam esse magis substantiam, quàm secundam, eo nomine, quòd pluribus subsstet; eius igitur essentia in eo, quod est substare consistet, alioquin collatione factâ inter primam, secundamque substantiam, ineptè concluderetur, siquidem ad rectè concludendum, supponendum substantiæ rationem in eo positam esse, quòd alijs subsstet, sic enim licebit inferre è duabus substantijs, vnam esse magis substantiam, quàm alteram, eò quòd magis subsstet. Si tamen diligenter attendas facilè intelliges ritè Philosophum esse ratiocinatum, eò quòd ab effectu desumat argumentum; colligit enim è duabus substantijs, illam perfectiori modo participare rationem essendi per se, cui conuenit pluribus subesse. Sed multo plura de substantiæ natura nos in Metaphysica differemus, vbi longè quidem accuratius, in quo eius posita sit essentia, perscrutabimur.

Solutio.

SECTIO SECVNDA.

Quidnam sit genus generalissimum huius categoriæ, quæque substantiæ pertineant ad ipsam.

Prædicamenti substantiæ genus generalissimum inquiritur; illudque statui potest cõmunissimus substantiæ conceptus.

QVanuis in re proposita non idem sit Philosophorum sensus; quid tamen sentiendum, non operosum decernere.

Ratione probatur.

Nulli dubium, quin series prædicatorum substantiæ potuisset sic institui, ut substantiam cuiuscumque naturæ, ac ordinis complecteretur suppositâ primâ diuisione entis in substantiam, & accidens.

Hoc inde mihi persuadeo, quoniam substantiæ nomen conceptum vnum importat in intellectu, tam obiectiuum, quàm formalem, omni substantiæ communem, in eo positum, quòd sit per se subsistens. Nihil prohibet igitur prædicatorum vnam constitui seriem initio facto ab hoc substantiæ communissimo conceptu, qui de substantijs omnibus essentialiter prædicetur, & hæc erit substantiæ categoria.

Hunc autem in modum substantiam usurpari posse satis perspicuum est; ens enim in uniuersa latitudine sumptum, cum in substantiam, & accidens adequatè primò diuideretur, procul dubio substantia iuxta hanc vsurpationem acciperetur.

Æquè pariter est manifestum, substantiam sic acceptam genus appellari posse, ac præterea etiam sub genere latè sumpto contineri; propterea quòd genus amplâ significatione sumi potest pro quouis prædicato, quod ne dum nomine, sed ratione quoque significatâ prædicatur in quid de pluribus, quod tamen species non est. Quod si res ita se habet, non satis intelligo, cur plerique hanc prædicamenti structuram inficientur.

Contendunt hoc alienum à veritate ostendere ex sum-

Prima difficultas desumpta ex diuina simplicitate.

summa Dei simplicitate ex infinitate, & ex necessitate. Ex simplicitate sic arguunt. Si Deus foret sub genere, utique ex hoc eodem constitueretur per additionem differentiæ, ac propterea in Deo danda esset metaphysica compositio, quæ cum eius simplicitate cohærere non potest. Hoc tamen nihil prorsus; non quòd compositio rationis, vt quibusdam placet, habens fundamentum in re, atque supponens præcisionem perfectam obstet diuinæ simplicitati, quoniam si fictitia non est, supponit in re veluti fundamentum quidpiam aduersum eius simplicitati, scilicet, esse contrahibile per differentias oppositas, quod enti essentialiter infinito, cuiusmodi est Deus, repugnat. Sed quoniam vt propriè substantia genus non esset, quippe quæ solùm à differentijs imperfectâ præcisione distingueretur, ita nec etiam propria compositio foret metaphysica perfectam præcisionem supponens; solùm enim esset per maiorem expressionem conceptuum. Quòd si substantia vniuersè sumpta dicatur, à differentijs non maiori, quàm imperfectâ præcisione distingui, quatenus huius prædicamenti prout ab Aristotele contexti, supremum obtinet gradum, Deo vtique repugnabit in ipso constitui, quoniam est ens essentialiter infinitum. Ens enim si primò diuidatur in finitum, & infinitum, certè Deus sub infinito comprehendetur; at hoc non est illud, quod diuiditur in substantiam, & accidens, cùm tale sit ens finitum, sub quo continetur substantia, quæ propterea finita est, ad hoc pertinens prædicamentum, in quo proinde Deus collocari non permittit. Hoc autem ex eo splendidè constat, quia quæ ponuntur in his prædicamentis debent esse genera, species, vel eorum individua sub ente finito contenta; nullum ex his Deum esse neminem fugit; idcircò Deus ab hoc remouendus prædicamento, si huius apex substantia finita dicatur; hanc igitur ob causam & non ab metaphysicam compositionem Deo repugnat in hoc, de quo loquimur, prædicamento constitui.

Secunda difficultas ex infinitate.

Deindè ex infinitate sic argumentantur. Realitas generis semper potentialis est ad realitatem differentiæ; huiusmodi autem realitas reperiri nequit in Deo, in quo quælibet realitas infinita est, propterea quòd infinita realitas quantumcumque præcisè sumpta nequit in potentia esse ad aliam realitatem, cùm id infinitum sit, cui nihil deest, eo modo, quo illud in

Solutio.

aliquo vno haberi potest. Obuiam tamen itur concedendo id in realitatibus perfectâ præcisione, & multo magis formaliter ex rei natura distinctis; non tamen quando non intercedit, nisi imperfecta præcisio, neque propria compositio metaphysica; sed impropria tantùm per maiorem conceptuum explicationem. Hinc ob id non repugnaret Deo esse in hoc prædicamento, si prima diuisio entis fieret in substantiam & accidens.

Tertia difficultas ex necessitate.

Arguunt ad extremum ex Dei necessitate. Quoniam nullum genus necesse est esse, cùm omne tale in vltima sit actualitate, nempè quod necessariò est; at verò genus formaliter in potentia est ad ultimam actualitatem; quod autem necesse est esse, constitui nequit ex aliquo, quod non est, necesse esse, non potest igitur Deus sub genere constitui. Nec etiam hoc pacto quicquam conficiunt; ratio enim illa generica conceptum præcisum dicit ab ipsa essendi necessitate.

Solutio.

Si tamen substantiæ categoriam respicias ab Aristotele traditam, satis est exploratum in ea tantùm contineri substantias alias à Deo, qui propterea nullatenus ad ipsam pertineat, & ex substantijs alijs ab ipso, quæ completæ sunt directè, quæ autem incompletæ, solùm indirectè, in ea locum obtinere.

Ex re verâ si diligenter attendas, nihil rationabilius

iuxta hos prædi-

inuenies. Completa namque substantia par est; vt ad camenti structurã Aristotelẽ Deus non comprehenditur. tur. prædicamentum istud pertineat; at illa continet partes, proindèque substantias incompletas; hæ igitur meritò illius ad hoc prædicamentum spectabunt, quod est has per reductionem ad ipsum attinere; quod satis, superque, vt illæ dicantur in hoc prædicamento suam habere sedem; ad hoc enim si foret opus, vt directè, & non ratione totius ad ipsum attineret; necesse foret in ipso bis collocari. Quæ ut clarius intelligas, paucis nonnulla de substantia perstringam.

Substãtia tripartiam accipitur. Prima acceptio.

Substantia prout in præsentia sumitur, non vnius est notionis, cùm tripartiam vsurpari possit. Primò enim substantia dicitur quicquid per se existit, & non in alio per inhærentiam siue actu, siue aptitudine; vtcunque hunc essendi modum, vel nimirum à se, vel ab alio quidem obtineat, quo sensu Deum, & substantias creatas tam simplices, quàm compositas earumdemque partes, tam essentiales, quàm integrales comprehendit; iuxta quam vsurpationem substantia dici nequit à substando, Deus enim hoc sensu substantia est, cùm tamen nulli rei subsit, vnde dicitur potius à subsistendo, idest à per se stando, & non in alio, instar accidentis, sensu tam explicato, & magis alibi explicando. Secundò substantia dicitur quicquid pariter in se est, & per se existens, non in alio instar accidentis, non tamen à se, sed ab alio, quo sensu substantia simul cum accidente diuidit ens finitum, & limitatum, omnemque substantiam creatam, tam completam, quàm incompletam, tam simplicem, quàm compositam, earumdemque partes tam substantiales, quàm integrales comprehendit. Hoc autem sensu non modò substantia dicitur à subsistendo, verum etiam à substando, cùm omnis creata substantia alicui accidenti substare possit; ita tamen, vt sola subsistendi, vel per se existendi ratio sit essentialis, atque primaria; ratio autem substandi secundaria sit, atque concomitans, quoniam subiici accidentibus non est primum in substantia repertum, cùm prius sit, rem in se esse, quàm subesse alijs, & non ideo substantia per se existit, atque consistit, quoniam accidentibus subsit, sed contrario modo se res habet, vt propterea Stagirites substandi rationem inter affectiones, proprietatesve recensuerit, cùm eam dixit esse contrariorum susceptricem, hoc enim est accidentibus posse substare, cùm inter hęc contrarietas exerceatur. Tertiò substantia dicitur omne ens in se, & per se existens, licet non à se, prout per se esse non solum excludit inhærere, & in alio per modum accidentis esse, sed etiam ut excludit esse in alio, veluti partem in toto, vel in alia comparte per modum informantis. Hoc autem sensu substantia comprehendit duntaxàt substantias creatas completas, tam simplices, quàm compositas excludendo partes earum tam essentiales, quàm integrales, quo sensu substantia diuidit ens finitum descendens in decem prædicamenta, diciturque substantia tam à subsistendo, quàm à substando potiori quodam iure, quàm substantia latissimâ significatione sumpta: propterea quòd completa substantia magis per se subsistere, quàm incompleta dicitur, quatenus excellentiori quodam modo in se, & per se existit, quàm illa, magis etiam quàm illa substare dicitur; quoniam etsi subiectum inhasionis accidentium non sit substantia completa, quippè quæ non dicit quidpiam ex rei natura distinctum à partibus componentibus collectim, simulque sumptis, ac vnitis; sed potius sit & materia, & forma vt suo loco planum fiet; partes tamen ipsius prædictæ sunt, quibus accidentia insunt. His præhabitis.

Secunda acceptio.

Tertia acceptio.

Manifestum est ex initio dictis, huius prædicamenti prout

Substãtia iuxta prio

Item vsurpationem summum genus esse nequit prædicamenti prout ab Aristotele traditi, neque iuxta secundã.

prout ab Aristotele traditi, substantiam iuxta priorem vsurpationem summum genus esse non posse. Dubium tamen de eadem iuxta secundam; sed nec etiam substantiam hoc modo suptam ad aures Aristotelis summum esse genus, inde mihi perspicuum, quoniam capite de substantia ait primam, atque præcipuam substantiæ affectionem, scilicet non esse in subiecto, conuenire non solùm substantijs, sed etiam substantiarum differentijs, quibus tamen videretur non conuenire, cò quòd in alio sunt; adhuc tamen ijs conuenire decernit, quoniam non sunt in alio tanquam in subiecto, sed tanquam essentiales partes in toto, quòd si ita est, substantiarum differentiæ erunt quidem substantię absolutè; quoniam ex non substantijs substantia non componitur; non erunt autem substantię prout substantia pertinet ad rectam prædicamenti lineam.

1. Physic. text. 32. Et quoniam hæc attendi debet in decernendo summo prædicamenti genere; propterea hoc statuendum illud, quod directè comprehendit ea, quæ in prædicamento constituuntur. Quod autem hæc comprehendit iuxta Aristotelem prædicamenti substantiæ structuram, non etiã substantia finita generatim sumpta, prout comprehendit substantias completas, & incompletas, vt apertè constat ex modo dictis, idcircò summum genus huius prædicamenti ex Aristotelis sententia non erit substantia, quam diximus. Hoc

2. De anima text. 2 idem confirmatum redditur ex eodem Philosopho, qui alibi loquens de partibus essentialibus physicis ait, materiam secundum se non esse hoc aliquid; formam autem, & speciem secundum quam iam dicitur hoc aliquid, & tertium quod ex his, vbi compositum ipsum vult esse hoc aliquid, hoc est substantiam completam habens esse in determinata specie, & consequenter etiam substantiam primam, quæ pertinet ad rectam prædicamenti lineam; propterea etiam voluisse videtur materiam, & formam ad hoc prædicamentum directè non pertinere, sed per reductionem. quatenus sunt completæ, & primæ substantiæ partes. Tandem hoc idem colligitur ex eodem dicente;

7. Diuin. text. 36. corum, quæ substantiæ videntur, multas esse substantiarum partes, scilicet pedes, manus, caput; vbi secreuit substantiam ab integralibus partibus, heterogeneis tamen, nam de homogeneis non idem sentiendum. Hoc autem ideo, quoniam substantiæ, partes heterogeneæ à recta prædicamenti linea arcendę sunt, vnde est, vt summum genus huius prædicamenti ex sententia Philosophi statui non possit, substantia, quam diximus iuxta secundam vsurpationem, sub qua commemoratæ partes directè continentur.

Quid sit supremũ genus prædicamenti substantiæ prout ab Aristotele traditi.

Dicendum, quod superius innuimus, supremum genus prædicamenti substantiæ ad aures Aristotelis esse substantiam iuxta tertiam vsurpationem, scilicet substantiam finitam, & completam, contrahibilem per differentias ad omnes finitas substantias completas tam corporeas, quàm incorporeas, adeo vt ad hoc prædicamentum pertineant etiam substantiæ abstractæ nullum habentes cum materia commercium, exceptâ primâ, qualis est Deus, itemque corpora cęlestia

5. Diuin. text. 15. Aristotelis auctoritate comprobatur. Assertionem hanc docuisse Philosophum nemini dubium, vbi inter substantię species enumerat simplicia corpora, cuiusmodi sunt terra, & ignis, & aqua, & quęcunque talia, & vniuersaliter corpora; & ex his constantia, & animalia & dęmonia, & partes horum omnium: hęc autem dicuntur omnia substantia, quia non de subiecto dicuntur, sed de his alia, vbi Philosophus ita loquens, etsi primam substantiam describat, quę tamen pertinet ad substantię genus, declarat; quę vult esse siue simplicia corpora, siue mixta, atque etiam animalia constantia ex his, scilicet corporibus simplicibus, vel mixtis, quę homogenea sunt; recensset etiam dęmonia, & partes horum, aitque omnia hęc substantiam dici, quia non dicuntur de subiecto, sed alia de his; atque hunc in modum particularem, siue primam substantiam describit, ita tamen ut simul explicet, quę ad substantię genus perineant; Hinc ineptè quidam colligit, Aristotelem posuisse substantias immateriales in prędicamento substantię, eò quod dęmonia commemoret. Nam dęmoniorum nomine vel intelligit animalia quędam rationalia, quę Platonici, vt eis imponitur, duo esse ponebant hominibus specie similia, quę Apuleius definit, *Dæmones sunt animalia corpore aëreo, mente rationalia, animo passiua, tempore æterna.* Potius alibi videtur Philosophus entia immaterialia ad substantię genus retulisse, vbi substantię diuisionem instituit, & inter ipsas substantiã immobilem commemorat; & clariùs alibi, ubi habet, ἔτι τοίνυν ταύτας δεῖ οὐσίας εἶναι ἀΐδιους ὑλης· ἀΐδιους γὰρ δεῖ, εἴπερ γε ἢ ἄλλό τι ἀΐδιον. ἐνεργείᾳ ἄρα. *Item has oportet esse substantias absque materia; sempiternas enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est, actu igitur sunt.* Docet enim ampliùs ex antea dictis sequi huiusmodi substantias, quæ sunt principia motus sempiterni debere esse sine materia: concluserat nanq; paulo antea æternam substantiam debere esse actum; quoniam si non foret essentialiter talis, motus non esset æternus, nam si esset in potentia, contingeret ipsam non esse, cùm omnis potentia materiæ sit contradictionis, ac proinde non moueret, vnde motus non foret æternus; modo autem sic ratiocinatur. Illa substantia, nempè sempiterna; vel illæ si plures sunt, vtique sunt essentialiter actus; ergo immateriales; antecedens patet ex modo dictis; consecutio optima; quoniam materia est ens in potentia; quod ergo non est in potentia, sed est actus, materiâ careat necesse est; Quæ etsi vera sint, Philosophi tamen ratiocinatio falsis innititur rationibus, utpotè deductis ex temporis ac motus æternitate.

Dęmonis ex Apuleio descriptio. 12. Diui. text. 5.

12. Diui. text. 30.

Non dissimulandum tamen ex prędictis Aristotelis locis colligi quandam esse concedendam substantiam ab omni materię concretione seiunctam, non tamen hanc existimasse ad prędicamentum substantię pertinere; nam nos quoque concedimus maximè substantiam esse Deum, non propterea tamen ipsum ad hoc prędicamentum, prout ab Aristotele traditum, spectare existimamus.

Adnotatio.

Ratione autem facilè suadebitur huius categorię summum genus esse substantiam finitam, & completam contrahibilem per differentias &c. ut superiùs innuimus, si tamen prędicamenti structuram, prout ab Aristotele traditam retinendam velimus. Quoniam scilicet intelligentię, cęlestiaque corpora ijs conditionibus prędita sunt, quas ens constituendum in hoc prædicamento requirit; quandoquidem sunt entia realia, completa, incomplexa, finita, & eiusmodi sunt, ut uniuocè cum alijs substantijs inferioribus in ratione communi substantię abstractę à corporea, & incorporea, ęterna, & incorruptibili conueniant. Tum quia ipsis consentanea est formalis ratio substantię, quę summum huius prędicamenti genus constituitur, nam talis substantię ratio, ut supremum est genus huius prędicamenti est per se esse, ut excludit esse in alio, ne dum per modum accidentis, verum etiam per modum partis in toto, præsertim essentialis; alioquin non omnes integrales excluduntur, cuiusmodi sunt homogeneę, licet heterogeneę excludantur. Conueniunt etiam & affectiones, è quibus præcipua est subsistere accidentibus. Hęc autem omnia intelligentijs, & substantijs cęlestibus conuenire perspicuum,

Ratione, superior assertio probatur.

spicuum est; nam intelligentię, substantię completę sunt, nec in alterius compositionem per modum partis venire possunt; substant etiam accidentibus non quidem corruptiuis, sed perfectiuis, nimirum intellectionibus, & volitionibus; itemque presentię, motuique locali. Corpora etiam celestia completę substantię sunt, & substant quantitati, alijsque accidentibus, ut suo loco manifestum fiet. Imò intelligentię contraria pariter admittunt, cùm contrariorum affectuum sint capaces, quemadmodum & corpora celestia contraria subeunt, qua de re alibi disputabimus. Tum etiam quia immateriales illę substantię, etsi physicâ compositione careant, ijs tamen non deest metaphysica compositio, vel propria, & absoluta, quę tunc contingit, cum perfecta præcisio cadit inter partes componentes, cuius fundamentum est virtualis illa distinctio alibi explicata. Vel minus propria, quę tunc euenit, cum solùm imperfecta precisio inter gradum contrahibilem, & contrahentem cadit. Tum ad extremum, quoniam si spiritualitas non obstat quominus ex Aristotelis sententia, habitus tam intellectuales, quàm morales in predicamento qualitatis constituantur; nec etiam obstabit quo minus substantijs abstractis in hoc predicamento sedes concedatur.

Difficultas ex auctoritatibus desumpta. 20. Diui. tex. 16.

Videtur tamen difficultas, quoniam immateriales illę substantię sunt incorruptibiles (de corporibus celestibus nihil dico, cùm non satis id constet, quin potius oppositum quibusdam non immeritò placeat) at verò corruptibile, & incorruptibile eiusdem Aristotelis testimonio, differunt genere; ergo nequeunt commemoratę substantię genere conuenire cum caducis, ac proinde in hoc predicamento sedem non habebunt. Accedit etiam, quòd idem ait, ea differre genere, predicationisque figurâ, hoc est predicamento, at verò substantię illę abstractę nequeunt communem habere materiam cum caducis, cùm immateriales Philosophus illas demonstrauerit; ergo nec etiam commune genus cum ijsdem mortalibus rebus habebunt.

3. Diui. tex. 33. & 10. Diuin. tex. 12.

Fit satis.

Ad primam auctoritatem quòd spectat, non obscurè constat, Philosophum loqui de genere physico, hoc est materia, quam ipse non rarò nomine generis appellat, non autem de genere logico; at si de hoc intelligendum velis, certè non de supremo, sed intermedio, quod cum specie subalterna coincidit.

Difficultas altera ex Aristotelis doctrina.

Fit satis.

Grauior tamen difficultas est, quoniam Philosophus videtur posuisse intelligentias actus puros, & simplices, accidentium prorsùs incapaces; non igitur videntur ex eius sententia genere cum cæteris substantijs conuenire. Sed ipse uocat illas actus puros, & simplices eo solùm nomine, quoniam carent compositione physicâ ex materia, & forma; unde negat ipsis potentiam contradictionis ad esse, & non esse; non autem compositionem metaphysicam, & physicam etiam ex substantijs, & accidentibus non quidem corruptiuis, sed perfectiuis, licet intelligentiarum primam, sic purum actum agnouerit, ut etiam hanc compositionem, & metaphysicam, & accidentariam denegauerit, sed de his alibi.

SECTIO TERTIA.

De diuisione substantiæ in Primam, & Secundam.

De quo sit agendum.

CElebris admodùm est illa substantię partitio in Prinam, & Secundam, quam Philosophus in præsentia affert, vtramque definiens, & vnam cum altera conferens, de quibus hîc nobis agendum.

Varię Philosophorũ opiniones

Varia sunt Philosophorum placita. Sunt enim, qui putant nullam fieri diuisionem, sed solùm enumerationem quandam rerum illarum, quę in substantiæ prædicamento constituuntur, itaut perindè sit, ac si dicatur. Eorum, quæ in hoc prædicamento ponuntur, quædam primo loco, vt indiuidua: quędam autem secundo loco, vt genera, & species sedem habent, licet hic dicendi modus ad meliorem sensum reduci possit, ut inferiùs ostendam. Alijs verò placuit hanc esse diuisionem accidentis in accidentia; siquidem arbitrantur non diuidi substantiam essentialiter in primam, & secundam; sed accidens quoddam substantiæ proprium, scilicet substare accidentibus, prędicatisque superioribus, vt reddatur sensus. Eorum, quæ alijs substant, quædam sunt singularia, dicunturque primæ substantiæ: quædam autem vniuersalia, & secundæ substantiæ nuncupantur. Aliorum opinio est dicentium, hanc esse diuisionem subiecti in accidentia rationis, siue secundas intentiones; non secùs ac si quis diceret, viuentium aliud vniuersale, & aliud particulare. In hac enim diuisione vniuersale, & particulare viuentis accidentia sunt, cùm sint secundæ intentiones ab intellectu fundatæ super diuersitatem viuentium. Alij verò crediderunt esse diuisionem analogi in sua analogata; eò quòd substantia completa, quæ in primam, secundamque diuiditur, de ipsis analogicè dicatur, quoniam per prius de prima substantia, quæ maximè substantia est, dicitur; per posterius autem de secunda, quæ minus substantia est, dicitur-que per attributionem ad primam. Alij verò sunt, quibus illa probatur opinio, quæ docet hic non diuidi substantiam pro prima, sed pro secunda quidem intentione sumptam, esseque diuisionem vniuocam, utpotè generis in species. Addunt uerò, quod si diuisio fieret substantiæ pro prima intentione sumptæ; tunc non foret diuisio vniuoca, sed æquiuoca, nimirum subiecti in accidentia rationis; hoc est in secundas intentiones. Plerique tandem in eam opinionem abierunt, vt arbitrarentur diuisionem hanc esse substantiæ primo intentionaliter acceptæ, non per se, sed per accidens, videlicet subiecti in accidentia rationis.

Prima opinio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Ex his autem sententijs, quæ magis ad veritatem accedat, ut videamus, oportebit quædam aduertere, & primò quidem geminam esse diuisionem, ut aliàs notauimus, nimirùm per se, & per accidens, & vtramque multiplicem. Iuxta autem diuersum hac de re sentiendi modum, vtraque diuisio posset vsurpari; propterea quòd si substantia diuidi pro secunda intentione diceretur, vtique diuisio per se, & vniuoca dicenda foret, eò quòd generis supremi diuisio esset in suas, quas habet, species subalternas. At si diuidi substantia pro prima intentione crederetur, nulli dubium, quin diuisio foret per accidens existimanda, eò quòd diuisio esset subiecti in accidentia rationis, quandoquidem prima, & secunda substantia, secundæ forent intentiones attributæ substantiæ communicabili, & incommunicabili pluribus.

Adnotatione quorundam sternitur via ad veritatem indaganda.

Diuisio per se & per accidens.

Et quoniam non semel dictum fuit substantiam tam primam, quàm secundam vsurpari pro prima, & secunda intentione posse; ob id non erit alienum ab instituto breuiter hæc explicare. Prima substantia pro prima intentione est quidquid ponitur directè in prædicamento substantiæ, ita tamen ut non sit pluribus communicabile, ut Socrates, Plato, hic leo, hic equus, hic lapis, hoc lignum, & id genus alia. Sed pro secunda intentione, est secunda intentio indiuidui attributa Socrati, Platoni, huic leoni, huic equo, huic lapidi, huic ligno, cæterisque cognitis in ordine ad sua superiora, quorum naturam incommunicabili modo participant. Secunda substantia pro prima inten-

Substantia tã prima, quàm secunda quomodò pro prima, & secunda intentione possit usurpari.

Digitized by Google

intentione est quodlibet communicabile pluribus directè positum in prædicamento substantiæ, vt corpus, corpus animatum, seu viuens, animal, homo, leo equus, & alia huiusmodi. At verò pro secunda intentione, est intentio secunda vniuersalis, puta generis, vel speciei, attributa corpori, corpori animato, seu viuenti, animali, homini, leoni, equo &c. ab intellectu, cognitis in ordine ad primam substantiam pariter pro secunda intentione, de qua vniuocè prædicatur.

Substantia etiam generatim atque simpliciter sumpta, sumi potest pro prima, & secunda intentione.

Ex his porrò cuique licebit aduertere, quæ sequuntur, è quibus. Primum quòd etiam substantia generatim, atque simpliciter accepta sumi potest pro prima, & pro secunda intentione. Priori autem modo adhuc bifariam, scilicet pro supremo genere substantialis coordinationis, cuiusmodi est substantia finita, atque completa; & pro tota etiam coordinatione substantiali, videlicet substantia, corpore, corpore animato, seu viuente, animali, & homine. Pro secunda autem intentione substantia simpliciter est intentio generis supremi, & ut aiunt, generalissimi, attributa substantiæ finitæ, atque completæ in ordine ad inferiora ipsius. At sumpta pro tota coordinatione, & secundo intentionaliter accepta, est intentio vniuersalis attributa corpori, corpori animato, seu viuenti, animali, & homini & intentio indiuidui attributa Socrati, Platoni, cæterisque cognitis tamen cum ordine ad supremam substantiam, quam participant. Manifestum est etiam ex hactenus traditis, quod si quis dicat, hanc esse diuisionem subiecti in accidentia rationis, dicere minimè debeat, diuisum per hanc diuisionem esse substantiam primò intentionaliter sumptam, tanquam supremum genus, cùm nequeat esse subiectum primæ substantiæ secundò intentionaliter sumptæ; nempè non ea est, cui possit secunda intentio primæ substantiæ appingi; nihil enim magis est à veritate alienum, quàm finitam, completamque substantiam generatim acceptam, esse indiuiduam, cùm illa sit essentialiter communicabilis pluribus. Sed, qui diuisionem hanc dicit esse subiecti in accidentia rationis, pro diuiso debet recognoscere substantiam acceptam pro tota ipsa coordinatione iam explicata, & pro membris diuidentibus primam, secundamque substantiam secundò intentionaliter sumptam, ut perinde sit, ac si dicatur. Eorum, quæ directè in substantiæ prædicamento constituuntur, quædam vniuersalia sunt, cuiusmodi sunt secundæ substantiæ, quædam autem indiuidua, ut sunt substantiæ primæ. Hoc enim modo non obscurè constat diuisionem commemoratam esse quidem subiecti in accidentia; quandoquidem ea, quæ directè ad hoc prædicamentum pertinent, vel subiecta vniuersalia, & ea denominantur à substantijs secundis, vel sunt indiuidua, & hęc à primis denominationem recipiunt. Si quis autem existimet diuisionem hanc esse generis in species, debet etiam pro diuiso recognoscere genus generalissimum attributum substantiæ finitæ, & completæ, simpliciter, generatimq; sumptæ, & pro membris diuidentibus debet statuere vniuersale, quod est secunda substantia, & indiuiduum, quod est substantia prima. Illud etiam addendum, quod iuxta hunc dicendi modum diuisio per prædicationem signatam, non exercitam fieri debet, scilicet dicendo, generalissimum substantiæ genus prædicatur prędicatione signatâ de vniuersali, & singulari, quæ sunt secunda, & prima substantia; postmodum autem exerceri debet in terminis primæ intentionis, quoniam quæ signantur in secundis intentionibus, exercentur in primis, ut Dialectici norunt, adeoùt dicendum sit, Socrates, qui est prima substantia, & homo, qui est substantia secunda, sunt substantię finitæ, & completæ. Hunc autem in modum substantiæ distributio in primam, & secundam non per accidens, sed per se vniuoca existimanda, quandoquidem per huiusmodi diuisionem diuiditur supremum genus, in suas, quas habet, species, de quibus vniuocè, & in quid potest prædicari. Reuocatis autem in memoriam, quæ de substantiæ nomine ad initium primæ sectionis attulimus, perspicuum erit quo sensu diuidatur substantia in primam, & secundam ab ijs, qui dicunt hanc diuisionem esse accidentis in accidentia: ipsi nanque fateantur necesse est non diuidi substantiam essentialiter, videlicet secundum rationem subsistendi: sed potius accidentaliter, nempè secundum rationem substandi; nec ab ipsis institui diuisionem substantiæ completæ prout est supremum genus prędicamenti substantiæ; sed substantiæ acceptæ pro tota coordinatione huius prædicamenti, quatenus quodlibet eorum, quę in ipso reponuntur, substare dicitur accidentibus, prędicatisque superioribus, adeout membra diuidentia sint ratio primi, & ratio secundi, quarum utraque accidentaria est ordinis differentia; quamobrem prima substantia dicitur, quę primò: secunda verò, quę secundò substat accidentibus. Ita fit ut huiusmodi diuisio per accidens dicenda sit, quippè quę accidentis est in accidentia; hic enim redditur diuisionis sensus, vt substantiarum, hoc est substantium accidentibus, quędam primò substant, primęque substantię dicuntur, quędam autem secundò substant, & secundę substantię nuncupantur.

Quando dicatur esse diuisio subiecti in accidentia, quomodo explicanda.

Quando dicatur esse diuisio generis in species, quomodo explicanda, s. pro secunda intentione.

Quę signantur in secundis intentionibus, exercentur in primis.

Vt autem in re tam dubia liceat nobis decernere, quod videatur maximè cum veritate consentire, prętermittendum, satis exploratum esse totam difficultatem in eo positam existimari, quid nam sit diuisum per hanc diuisionem, & quomodò illud sit vsurpandum. Dum autem diuisum quærimus, statim occurrit substantia, hęc enim est, quę in primam, & secundam diuiditur. Superest tamen inquisitione dignum, qualis nam sit huiusmodi substantia.

In quo tota difficultas posita videatur.

Asserendum videtur substantiam, quę diuiditur in primam, & secundam esse quidem substantiam finitam, completam, & limitatam, non tamen prout est supremum genus huius categorię pro prima intentione acceptum vt ex secunda huius sectione constat. Sed quodlibet esse contentum in tota coordinatione rectaque linea ipsius.

In hanc sententiam adducor, quoniam substantia suprema accepta pro prima intentione, vt sic vtique significat naturam communem, non autem singularem, ac indiuiduam qualis per primam substantiã importatur. Vndè sic arguo, si genus supremum substantię acceptum, vt dixi, foret diuisum, in primam, & secundam tanquam in suas species, quemadmodum cum diuiditur quantitas in continuam, & discretam, vtique deberet recipere prędicationem à membris diuidentibus, cùm entia sint positiua; at verò substantia completa, finita, ac limitata generatim sumpta nequit recipere prędicationem à prima, & secunda substantia, benè tamen accepta pro tota coordinatione; ergo substantia completa, finita, ac limitata non diuiditur in primam, & secundam substantiam; sed accepta tantummodò, pro coordinatione totius prędicamenti, siue pro quocunque spectante directè ad hoc prędicamentum. Maior inde constare videtur, quoniam differentię diuidentes aliquid, de illo prędicantur saltem disiunctim, vt patet, cùm diuiditur animal per rationale, & irrationale; dicimus enim animal vel est rationale, vel irrationale; Minorem propositionem ostendo, quoniam substantia finita, com-

completa, ac limitata; quemadmodum substantia simpliciter, generatim accepta, semper est communicabilis; at verò prima substantia, præsertim primò intentionaliter sumpta, est incommunicabilis; ergo saltem substantia prima nequit prædicari de substantia illa completa, finita ac limitata generatim accepta.

Dicebatur autem secundo loco, diuisum esse coordinationem, & seriem totius categoriæ. Omnis enim substantia completa, quę in hoc prędicamento possit constitui, vel est secunda substantia, ut genus, species, vel prima, vt indiuidua; tota igitur prędicamenti series est, quę distribuitur; membra autem, in quę fit distributio, sunt prima, & secunda substantia; quomodo autem accipienda sint hęc diuisionis membra, puta prima, & secunda substantia, an primò, an secundò intentionaliter, infra dicetur.

Interim illud certum substantiam acceptam, ut indifferentem ad statum primę, & secundę substantię, esse, quæ per hanc diuisionem diuiditur. Explicandum autem, quâ id ratione contingat; an uidelicet substantia, quę diuiditur, eiusque membra diuidentia sumi debeant prout in prima, an verò prout in secunda intentione consistunt; atque adeò intelligenda sit diuisio penès primas, vel secundas intentiones tam ex parte totius diuisi, quàm membrorum diuidentium.

Diuisio fieri potest tam quoad primam, quâ quoad secundam intentionem.

Vtroque modo rem explicari posse contendo. Ad primam intentionem, quod attinet. Cogitandum substantiam secundum se inspectam solum inuoluere sua quidditatiua prędicata, ipsumque per se subsistere, siue per se existere, hoc est esse simpliciter; dicturque sumpta in statu essentiæ, in quo neque dicit esse præcisum à differentijs, neque esse contractum, nec dicit negationem differentiarum, nec ipsas differentias; *ita fit* ut diuidere substantiam in primam, & secundam, nil aliud sit, quàm assignare duplicem statum, abstractionis nimirum per intellectum, contractionis autem in re, quorum vterque prædicto esse simpliciter, potest accidere; in huiusmodi autem statuum assignatione, ac ob id substantię diuisione in primam & secundam, nulla quidem interuenit secunda intentio, ut satis est exploratum, licet non sine aliqua extrinseca denominatione ab intellectu abstrahente: propterea diuisio, de qua loquimur, fieri poterit, nullâ intercedente intentione secundâ, nec ex parte diuisi, nec ex parte membrorum diuidentium.

Videtur institui posse pernes duplicem statum;

Hæc etiam diuisio institui potest secundum rationem subsistendi, & substandi aliis primariò, & secundariò, veluti per varios modos, ut reddatur sensus diuisionis. E substantijs alia est, cui primò, & perse conuenit subsistere, & accidentibus substare & hæc prima substantia dicitur. Alia verò, cui conuenit subsistere, & aliis substare secundariò, & mediatè, ut aiunt, & hæc secundâ substantia nuncupatur; sed hæc est instituta diuisio ad eum modum, quo possit per primas intentiones explicari, licet etiam per secundas, ut infrà dicam; nihil igitur prohibet, quo minus commemorata diuisio penès primas intentiones instituatur.

Difficultas.

Non leuis tamen emollienda remanet difficultas. posset enim quispiam sic arguere. Diuisio sic instituta videlicet penès primas intentiones, non traditur per membra opposita diuidentia; siquidem hæc prout in primis intentionibus consistunt, non opponuntur, cum unum de altero prædicetur; substantia enim secunda, de prima, ut homo, vel animal &c. de Socrate prædicatur, & quidem prædicatione etiam exercitâ; dicimus enim Socrates est homo &c. duorum autem oppositorum unum de altero non prædicatur; mala igitur diuisio, utpotè non tradita iuxta leges benè diuidendi, ipsis enim iubemur diuisionem per opposita membra perficere. Tollitur tamen difficultas aduertendo inter primam substantiam, & secundam, quoddam oppositionis genus intercedere, cuiusmodi est, quod reperitur inter naturam, prout denudatam differentiis singularitatis, & eandem quatenus hâc eâdem differentiâ affectam; cum hac autem oppositione secundæ substantiæ de prima, cohæret prædicatio, quoniam secunda substantia non prædicatur de prima, prout dicit illam carentiam singularitatis, quo pacto illi aduersatur; sed prout dicit tantùm suum esse quidditatiuum, iuxta quam usurpationem secunda substantia, cum prima nullam oppositionem habet: & quoniam uterque status abstractionis scilicet, & contractionis substantię accidit, propterea hęc diuisio dici potest subiecti in accidentia; licèt impropriè; propterea quòd ad propriam diuisionem requiritur, ut quotiescunq; subiectum in accidentia, vel proprietates diuiditur, subiectũ ipsum in diuisis multiplicetur. Non enim hoc diuisionis genere diceretur diuisum hoc lac, ex eò quòd haberet accidentia diuersa, nimirum albedinem, atque dulcedinem, in album, & dulce; tametsi enim dici possit hoc lac esse album, & dulce, & quod existente illo, substantia quædam detur alba, itidemque dulcis; non tamen benè diuideretur substantia in albam, & dulcem, nisi duæ darentur substantiæ, quarum una quidem alba: altera verò dulcis esset, quod in re proposita minimè contingit.

Solutio.

Substãtia ex parte diuisi sumi potest pro prima intentione, ex parte membrorum diuidentium pro secunda.

Potest etiam aliter explicari diuisio, sic ut diuisum sit primò intentionaliter sumptum. Accipi siquidem potest substantia completa, finita &c. pro omni eo, quod directè in hoc prædicamento constitui potest, iuxta quam significationem substantia diciur prædicamentalis, comprehenditque supremam, intermediam, & infimam; & ita diuidi in primam, & secundam, videlicet in illa, quæ ponitur infimo loco, estque prima substantia, & in illam, quæ ponitur in aliquo superiori loco; vel in illam, quæ ponitur solùm in prædicamento, ut subijcibilis, & est prima, & in eam, quæ ponitur ut prædicabilis, & est secunda; cùm autem in hac diuisione prædicamentalis substantia supponatur accepta pro prima intentione; hoc est pro natura, & essentia reali quatenus apta est affici secundis intentionibus uniuersalitatis, & singularitatis; itaut diuisum sit acceptum pro prima intentione, membra verò diuidentia pro secundis; diuisio erit subiecti in accidentia rationis. Hoc autem manifestum facere poterimus ita ratiocinando. Diuisio subiecti in accidentia dicitur illa, in qua diuisum est subiectum, & membra diuidentia sunt accidentia ipsum denominantia, ut apertè constat ex ijs, quæ de diuisione scripsi. Sed talis est ista diuisio, quoniam substantia, quæ hic diuiditur, substantia est accepta pro tota coordinatione prædicamenti, seu pro quocunque directè ad hoc prædicamentum spectante. At verò prima, & secunda substantia sumuntur hìc pro secunda intentione, quo pacto in eadem substantia accepta pro prima intentione, tanquam in subiecto subiectantur, ut aiunt; nam secunda substantia est genus, vel species; prima verò est indiuiduum, vel singulare; at verò hæ secundæ intentiones pro subiecto habent ipsam substantiam acceptam pro tota coordinatione, seu pro quocunque directè spectante ad hoc prædicamentum; propterea quòd genus, & species attribuuntur corpori, corpori animato, animali, & homini; indiuiduum autem huic, vel illi homini, Socrati scilicet, vel Platoni, huic, vel illi equo, cæteriique indiuiduis determinatis; prima igitur, & secunda substantia, quæ huius sunt diuisionis membra in substantia pro prima intentione, sumpta tamen pro tota prædicamenti

Digitized by Google

camenti structura, tanquam in subiecto sunt, ac illud afficiunt.

Alio modo idem explicatur.

Hoc idem dicere licebit de diuisione superiùs allata, cùm diuideretur substantia in primam, & secundam, secundum rationem subsistendi, & substandi aliis, primariò, & secundariò, veluti per varios modos &c. explicari siquidem potest per terminos secundarum intentionum, quatenus substantia potest accidentibus comparari, nè dum per modum subiecti inhasionis, sed etiam prædicationis, quod utique secundam intentionem involuit.

Sumi etiã potest substantia tã ex parte diuisi, quã ex parte membrorum diuidentium pro secunda intentione.

Sumi etiam potest substantia pro secunda intentione, & quidem tam ex parte diuisi, quàm ex parte membrorum diuidentium, itaut substantia completa, finita &c. importet secundam intentionem attributam cuicunque directè spectanti ad prædicamentum substantiæ; diuidaturque in primam, & secundam his acceptis secundointentionaliter, siue pro secundis intentionibus. Sic autem diuisionem institutam generis in species esse contendo. Hoc autem sic ostendam. Diuisio generis in species tunc planè contingit, cum diuisum est genus, & membra diuidentia sunt species sub ipso contentæ; at verò sumptâ substantiâ tam primâ, quàm secundâ pro secundis intentionibus, diuisum est genus; membra verò diuidentia sunt species; ergo erit diuisio generis in species. De maiori nulla difficultas; minorem autem sic ostendo. Substantia, quæ diuiditur, supponitur accepta pro secunda intentione, supponiturque genus generalissimum; substantia itidem prima, & secunda, tanquam membra diuidentia, supponuntur accepta pro secundis intentionibus; at verò sic accepta, nempè secundointentionaliter, sunt species ipsius substantiæ sumptæ pariter secundointentionaliter se habentis ut genus generalissimum; propterea quòd secunda substantia secundointentionaliter sumpta est uniuersale; prima verò est indiuiduum, seu singulare, quæ duæ sunt species contentæ sub ipso genere generalissimo, nempè sub substantia sumpta secundoin entionaliter, saltem in prædicatione signata; ergo sic instituta diuisio erit generis in species.

Difficultas propo nitur.

Difficultas tamen occurrit non exigui momenti. Si nanque diuidi substantia dicatur in primam, & secundam, tanquam in suas species; substantiâ, quæ diuiditur secundò intentionaliter acceptâ, sequeretur substantiam ut sic sub altero quidem è membris diuidentibus contineri; nimirum sub substantia secunda, cùm tamen diuisum debeat indifferens esse ad membra diuidentia. Verum enim verò nihil prohibet, quominus aliquod diuisum aliquo modo, videlicet accidentaliter sub aliquo ex membris diuidentibus contineatur; hoc de uniuersali perspicuum est; cùm sub uno ex membris diuidentibus, nimirum genere, contineatur; uniuersale nanque dicitur genus, licet non ut quid, sed ut modus, seu denominatiuè. Cogitandum igitur substantiæ finitæ &c. generatim sumptæ tribui secundam intentionem, quæ dicat esse præcisum ab uniuersalitate secundæ substantiæ, & singularitate primæ, unde ipsa dicatur secundòintentionaliter accepta; hoc enim modo substantia illa secundointentionaliter sumpta, importat esse præcisum, ut quid à secundis intentionibus uniuersalitatis, & singularitatis, velut à suis speciebus, solùmque concipitur uniuersalis, & secunda substantia, ut modus; proindèque talis denominatiuè dicetur. Ita fit, ut substantia, quæ diuiditur, accepta pro secunda intentione, quidditatiuè, & prædicatione exercitâ de substantiis secunda, & prima secundòintentionaliter sumptis tanquam de speciebus suis prædicetur. Et quoniam concipitur ad modum uniuersalis, adeout uniuersalitas sit modus ipsius, hoc est ratio secundum quam concipitur; ob id etiam prædicatione signatâ, de ijsdem, eodem modo, scilicet pro secunda intentione sumptis, prædicabitur.

Alio modo hæc diuisio generis in species potest explicari.

Potest etiam hæc diuisio tanquam generis in species explicari, si substantia, quæ diuiditur, sumatur prout præfert secundam illam intentionem, ordinabilitatis in prædicamento; hoc enim modo erit diuisio generis in species, quoniam hâc diuisione diuiditur ordinabile in prædicamento, tanquam genus, in prædicabile, & ultimum subijcibile, velut in species sub illo contentas.

Diuisio quomodo uniuoca dici possit.

Cæterùm cum diuiditur substantia pro secunda intentione, modo iam explicato, uniuoca diuisio existimanda est, cum talis sit quælibet diuisio in suas species, licèt aliqua possit intercedere analogia, puta inæqualitatis, quæ tamen ab uniuocatione non abhorret, quin potius cum ipsa cohæret.

Adnotatio.

Hic non prætereundum aduertere, cum dicitur homo ex. gr. est secunda substantia, prædicationem esse denominatiuam, videlicet secundæ intentionis determino primæ intentionis; quandoquidem secunda substantia de significato formali secundam importat intentionem attributam generibus, & speciebus prædicamenti substantiæ. Quemadmodum etiam quando dicitur, Socrates est prima substantia, prædicatio est denominatiua, non secùs ac cum dicitur, Socrates est indiuiduum; propterea quòd prima substantia de significato formali secundam intentionem importat, attributam indiuiduis spectantibus qd substantiæ prædicamentum; de significato autem materiali eadem illa importat indiuidua, utputa Socratem, vel Platonem &c. pro quibus reuerâ supponit.

Prima obiectio.

Sed quoniam dictum fuit, posse substantiam diuisam accipi pro prima intentione, membris verò diuidentibus primâ scilicet, & secundâ substantia pro secunda intentione sumptis, obijciet aliquis sic arguendo. Eo modo hic accipitur prima, & secunda substantia, quo ab Aristotele ambæ substantiæ definiuntur, ut satis est manifestum; sed ut hic ab ipso definiuntur, sunt pro prima intentione sumptæ; ergo etiam ut sunt diuisionis membra pro intentione prima debent usurpari. Suadetur assumptio ex eo, quia primam substantiam definiens, ait, eam esse, quæ propriè, & principaliter, & maximè substare dicitur & quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur; at hæc definitio conuenire nequit substantiæ pro secunda intentione acceptæ. Tum quia non magis illa substat, quàm secunda; Tum quia est in subiecto, videlicet in substantia sumpta pro prima intentione, & etiam dicitur de subiecto, quia prædicatur de hac, & illa substantia pro secunda & pro prima intentione; ergo definitio ab Aristotele tradita conuenire nequit primæ substantiæ pro secunda intentione. Modo non absimili de secundæ substantiæ definitione posset quispiam ratiocinari. Neganda tamen assumptio ad cuius probationem dicendum, eius etiam assumptionem falsam esse, cùm definitio tradita applicetur primæ substantiæ pro secunda intentione. Substantia enim, quæ propriè, & principaliter, & quæ maximè substantia dicitur, secunda quidem intentio indiuidualis esse potest, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est. Ad probationem autem dicendum, primam substantiam pro secunda intentione substare magis, quàm secundam substantiam; quatenus applicatur indiuiduo substantiali pro prima intentione, quod maximè substat accidentibus. Ad probationem alteram respondendum, quòd prima substantia pro secunda intentione bifariam potest usurpari, videlicet ut quid, & ut modus. Iuxta priorem

Responsio.

Digitized by Google

tem acceptionem prima substantia indiuidualis non dicitur de subiecto, sed tantùm de se ipsa. Iuxta secundam usurpationem dicitur de subiecto, nempe de hac & illa prima substantia pro secunda intentione, tunc autem eadem ipsa prima substantia se habet ut secunda, cùm concipiatur admodum speciei, diciturque species modalis: licèt enim prima substantia secundo-intentionaliter sit singularis, ut quid, siue essentialiter, est tamen uniuersalis, & species, ut modus, quatenus nimirùm concipitur sub ratione speciei, vel ad modum speciei, dum de hac & illa prima substantia secundointentionaliter sumpta, concipitur prædicari posse. Prædicatur etiam de hac, & illa prima substantia sumpta pro prima intentione; at verò tunc eadem ipsa prima substantia sumpta pro secunda intentione, respectu huius, & illius primæ substantiæ primò intentionaliter acceptę, dicitur accidens quintum prædicabile, ut modus, quia nimirum concipitur sub ratione talis prædicabilis. In his autem casibus prima substantia pro secunda intentione se habet tanquam fundamentum alterius secundæ intentionis puta, vel specietatis, vel accidentaitatis, ut aiunt. At verò eadem prima substantia pro secunda intentione, dicitur esse in subiecto; hoc autem gemino modo potest intelligi, Primò factâ comparatione inter ipsam, eiusque subiectum, seu fundamentum secundum prædicationem signatam; Secundò potest hoc idem intelligi secundum prædicationem exercitam. Priori modo prima substantia non est in subiecto, sed de illo tantummodò dicitur, quo pacto dicitur prima substantia. Secundo verò modo est quidem in subiecto, nempe in Socrate, vel Platone cognitis; hoc autem modo non est prima substantia; sed accidens tantùm ut modus, quoniam concipitur ad modum accidentariæ formæ.

Secunda obiectio. Secundò etiam obiici potest hunc in modum. Philosophus comparationem instituens inter primam, & secundam substantiam, ait, primam esse maximè substantiam, & magis, quàm secundam; quia maximè substat; at verò substare est actus realis; ergo tam prima, quàm secunda substantia sunt entia realia, non autem intentiones secundæ. Occurram dicendo, substare bifariam accipi, scilicet pro prima, & secunda intentione. Substare priori modo, dicit substentare accidens, & prædicata superiora: at verò secundo modo esse subiectum in propositione quidem importat. Quemadmodum igitur id, quod realiter plura substentat, dicitur magis realiter substare, quàm quod pauciora; non dissimiliter quod plurium prædicatorum subiectum esse potest secundum prædicationem signatam, magis substare secundo intentionaliter dicitur, quàm id, quod tot prædicatorum subiectum esse non potest; cum itaque dicitur, substare, est actus realis, id admittendum si substare sumatur pro prima, non pro secunda intentione; ita fit ut prima substantia pro secunda intentione magis substare dicatur, quàm secunda accepta itidem pro secunda intentione, cum secundum prędicationem signatam possit esse subiectum plurium prædicatorum, quàm secunda.

Respon. **Substare bifariam accipitur.**

Tertia obiectio. Est etiam obiectio altera. Dictum est enim supra diuisionem hanc explicari posse, ita ut sit veluti generis in species. At hoc non videtur ad aures Aristotelis; hinc enim sequeretur primam substantiam dici non posse magis substantiam, quàm secundam; quoniam ex ipso Philosopho species una dici nequit magis substantia, quam altera, cùm tamen ipse velit primam esse magis substantiam, quàm secundam. Huic obiectioni sit satis respondendo, Philosophum esse locutum de speciebus atomis, non subalternis; in his enim cùm detur ordo superioris, & inferioris, consequens fit, ut inæqualiter superiora, participent, & ab inferioribus participentur. At verò genus supremum non diuiditur in primam, secundamque substantiam, velut in species atomas, sed subalternas, cùm substantiæ secundæ genera quidem, & species esse possint; primæ autem species tantummodò, & quidem ut modus.

Respon.

Quòd si quispiam de mente Philosophi sollicitus quærat, quo nimirum sensu diuisionem hanc usurpauerit. Dicendum videtur ab eo sumptam fuisse diuisionem hanc, prout secundas intentiones inuoluit; sic enim ad Logicum prædicamenta spectant. Hoc inde mihi persuadeo, quoniam ipse non modo contemplatur substantiam in præsentia, quoad rationem subsistendi; substandique pariter accidentibus, ut scilicet illam ab accidente distinguat; præcipuè tamen substantiam ipsam considerandam assumit, quatenus hæc est in prædicamento ordinabilis, quoniam huiusmodi consideratio logico instituto consentanea est. Nec ipse tantum substantiam in primam, secundamq; distinxit per modos illos primariò, aut secundariò subsistendi, aut substandi; sed magis præcipuè per *non dici*, *vel dici de subiecto* partitionem instituit. Quod euidentius etiam ex eo colligitur, quoniam ipse primam substantiam secreuit à secundis, eò quòd subijciatur omnibus aliis, etiam ipsis secundis substantijs. At hęc subiectio secundam intentionem in prima substantia inuoluit, quemadmodum *dici de* intentionem ponit oppositam in substantiis secundis, & in primis itidem, accidentibus; propterea quòd in ordine ad illa, ne dum hoc loco, ut subiectum inhæsionis; sed etiam prædicationis sumuntur. Ex quo facilè intelliges hanc, de qua loquimur, diuisionem, potius per secundas, quàm per primas intentiones explicandam esse, ut superius etiam notauimus, ita tamen, ut superioribus omnibus modis iam traditis, diuisio possit usurpari. **Quo sensu ab Aristotele fuerit accepta diuisio.**

Prima difficultas. Aduersus tamen substantiæ diuisionem in primam, & secundam, sequentes difficultates se offerunt. Vbi æqualitas, ibi nullus ordo, proindèque nec primi, & secundi: at in substantia summa quidem æqualitas, cùm æquè de quacunque substantia dicatur *esse per se*; in substantia igitur non erit ordo primi, & secundi, atque adeo mala erit diuisio substantiæ in primam, & secundam. Verum enim verò considerandum in substantia esse rationem in eo positam, quòd est esse per se, in quo eius natura consistit, & iuxta rationem hanc concedendum nullam dari inæqualitatem; at in eadem substantia recognoscenda est ratio substandi, in qua potest inæqualitas esse, cùm iuxta hanc magis, hoc est, pluribus substare possit prima, quàm secunda substantia, quod quædam inæqualitas est.

Solutio.

Secunda difficultas. Amplius diuisio illa, cuius membrum unum è diuidentibus in alio includitur, ac de alio prædicatur, mala est, cùm oppositum bonæ diuisionis leges præscribant; huius autem diuisionis membra ita se habent, siquidem membrum unum includitur in altero, nempe substantia secunda in prima, & de hac illa prædicatur, ut homo includitur in Socrate, & de eodem prædicatur; mala igitur erit allata partitio substantiæ in primam, & secundam. Tametsi autem secunda substantia secundum sui rationem includatur in prima, & de eadem prædicetur; tamen secundum rationem illam, quà substantia secunda est in multis, ac de multis potest enunciari, non includitur in prima, cùm huic illud planè repugnet.

Solutio.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Quid sit prima, & quid secunda Substantia.

EXplicatâ substantiæ diuisione in primam, & secundam, quid utraque sit declarandum remanet. Primam substantiam Philosophus definiens ait, Οὐσία δέ ἐστιν, ἡ κυριωτάτη τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινός λέγεται μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινὶ ἐστὶν, οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος, ἢ ὁ τὶς ἵππος. *Substantia autem, quæ maximè propriè, & primum, & maximè dicitur ea est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, ut quidam homo, quidam Equus.* Primæ substantiæ ex Aristotele definitio. Vult igitur primam substantiam esse illam, *quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur.* Statim autem sequentibus verbis, aggrediens secundæ substantiæ definitionem ita loquitur Δεύτεραι δὲ οὐσίαι λέγονται τὰ εἴδη, ἐν οἷς ἐνδύεται αἱ πρώτως οὐσίαι λεγόμεναι ὑπάρχουσι, ταῦτά τε καὶ τὰ τούτων γένη. οἷον, ὁ τὶς ἄνθρωπος, ἐν εἴδει μὲν ὑπάρχει τῷ ἀνθρώπῳ, γένος δὲ τοῦ εἴδους ἐστὶ, τὸ ζῷον. δεύτεραι οὖν αὗται λέγονται, οἷον ὅ τε ἄνθρωπος, καὶ ζῷον. *Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus speciebus insunt, quæ primæ substantiæ dicuntur, & harum specierum genera, ut quidam homo est* tanquam *in specie in homine: genus verò speciei est animal, hæ igitur secundæ substantiæ dicuntur, ut homo, & animal.* Secundæ substantiæ ex eodem definitio. Hinc substantiæ secundæ definitio effluxit. *Secunda substantia est, quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto.* Vbi subiecti nomine, & subiectum inhæsionis, & subiectum prædicationis intelligendum est. Quando enim utraque dicitur *non esse in subiecto*, de inhæsionis subiecto fit sermo, per hoc enim substantia ab accidente secernitur; itaut per illam negationem modus essendi per se insinuetur, quo substantia ab accidente distincta constituitur; quando autem de prima substantia negatur *dici de subiecto*, secundæque tribuitur, tunc sermo fit de prædicationis subiecto; hinc enim prima substantia à secunda distinguitur; prima nanque substantia, quippè quæ singularis nihil infra se habet, de quo dici possit: benè tamen secunda utpotè uniuersalis. Hinc autem intelliges negationem in definitione primæ substantiæ, cum negatur de subiecto dici, positam esse ad positiuam singularitatis differentiam, quâ ipsi de subiecto, hoc est de inferiori, dici repugnat; Cæterum hæc eadem Archytas docuerat dicens. Hæc eadem Archytas docuerat. *Prima quidem ordinata est substantia, eo quia sola hæc subijcitur alijs, & ipsa per se ipsam potest cogitari; alia verò non sine hac; vel enim de ipsa, vel in ipsis subijacentia prædicantur.* Ocellus Lucanus eadem tradiderat. In eandem sententiam Ocellus hæc etiam scripserat; *& sanè prima ratio substantia res per se existens, & subsistens non indiga alterius ad constitutionem in generatione subijcitur, quatenus generata est.*

Vtraque definitio tam scilicet primæ, quàm secundæ substantiæ per negationes traditur tanquam per indicantes tamen quid positivum. Quomodo utraque definitio per negationes tradatur. Primæ autem substantiæ definitio per geminam negationem absoluitur; *quod non sit in subiecto, nec de subiecto dicatur*, ad duplicem positiuam rationem insinuandam, per quarum unam significatur substantia tanquam commune quippiam primæ, & secundæ, unde habet utraque, ut ab accidente distinguatur, per alteram verò nempè de subiecto, hoc est de inferiori, non dici significatur id, per quod substantia prima, à secunda secernitur.

Adnotatio. Aduertendum tamen definitionem utriusque tam pro prima, quàm pro secunda intentione posse explicari; propterea quòd esse in subiecto, dicique de subiecto, ne dum pro prima, verum etiam pro secunda intentione potest usurpari, adeo ut esse in subiecto, perinde sit, ac instar accidentium prædicari, scilicet accidentaliter; atque denominativè, non secùs ac cum dicitur homo est albus; dici verò de subiecto, hoc est de inferiori, sit essentialiter, & quidditativè prædicari, atque adeo commemoratæ definitiones secundo-intentionaliter possunt explicari; unde primæ substantiæ definitio, nempe *quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur*; sic intelligenda erit; scilicet quod non prædicetur de alio accidentaliter, nec essentialiter, ac ob id omnem prædicabilitatem excludit, quam ommimoda subijcibilitas indiuidui propria renuit. Secundæ autem substantiæ definitio *non est in subiecto, sed dicitur de subiecto*, reddit hunc sensum, quod secunda substantia non accidentaliter, sed essentialiter de prima prædicatur.

Quæ de indiuiduo etiam de prima substantia tractantur. De prima substantia, eadem, quæ de indiuiduo sese considerauda offerunt; de quo multa suo loco disserui, in gratiam tamen primæ substantiæ, non exigui momenti alia iterum, de eodem in præsentia tractare operæ pretium duxi: Hinc enim apertè constabit quomodo sit primæ substantiæ definitio intelligenda, & quâ ratione difficultatibus aduersus illam possit satisfieri.

Indiuiduum duo complectitur, & naturâ & differentiam indiuidualem. Indiuiduum ut hinc exordiar, duo in se complectitur, nempè naturam communem, & differentiam indiuidualem, per quam natura fit hęc; ut Socrates complectitur esse hominis, & huius hominis determinatè; primum habet à natura humana, quæ dicitur esse quidditativum ipsius, cùm species dicat totũ esse indiuiduorum; secundum habet à differentia indiuiduali per quam redditur hic homo, fitq; indiuiduum determinatum & constituitur in esse formali, ut indiuiduum est. Amplius indiuiduũ gemino modo potest usurpari, nempè determinatè, & indeterminatè; hinc illa indiuidui partitio in signatum, & vagum. Primum notatur per signum demonstrativum, ut hic homo, hic equus; vel per terminum discretum, seu singularem, Socrates, Bucephalus, & alia huiusmodi; & quemadmodum tale indiuiduum importat tantummodò rem determinatè; ita dicitur tantùm de uno solo, nimirum de se ipso, ut Socrates est Socrates, Bucephalus est Bucephalus, & ita de reliquis. Indiuiduum autem vagum exprimitur per terminum communem, & signũ particulare, ut quidam homo, quidam equus &c. huiusmodi autem indiuiduum non significat quid unum, sed immediatè plura sub disiunctione; nam exgr. aliquis homo, idem sonat, quod hic, vel ille homo; & licet plerunque in enunciatione significatum ipsius ad suppositionem determinatam iuxta prædicati, vel subiecti exigentiam restringatur, eò quòd subiectum ipsum restrictionem illam requirat, aut ex intentione proferentis, ut cum quis dicit *quidam homo fuit vulneratus*. Ex intentione enim sic loquentis το quidam determinatè supponit; absolutè tamen, & ex natura sua plura semper indeterminatè significat; Addi etiam solet indiuiduum ex suppositione de quo alibi.

Indiuiduũ signatum ab intellectu duobus modis concipi potest. Præterea indiuiduum signatum, siue determinatum duobus modis ab intellectu concipi potest, itaut de ipso duplex conceptus haberi possit, quorum unus dicitur adæquatus; alter verò inadæquatus. Adæquatus indiuidui conceptus duo quidem inuoluit, nempè communem naturam contractam per indiuidualem differentiam, & hanc ipsam differentiam, per quam contrahitur ad unum tantùm, illudque facit differre à quocunque non est ipsum. Conceptus autem inadæquatus indiuidui terminatur duntaxàt ad differentiam indiuiduantem, cum præcisione, qualiscunque sit ista præcisio, ab ipsa natura. Iuxta huiusmodi conceptum Dissertatione de indiuiduo dictum à nobis fuit,

ab

ab indiuiduis posse quidpiam abstrahi commune, scilicet prædicari de uno tantùm, itaut secundum illud, prædicetur de omnibus indiuiduis. Cùm enim prædicari de uno tantùm, indiuidui sit definitio, prout indiuiduum ab uniuersali secernitur; talemque definitionem omnia indiuidua participent, veræ nanque sunt hæ prædicationes, Socrates prædicatur de uno tantùm, Plato prædicatur de uno tantùm, & ita de reliquis; consequens sit, ut dari debeat indiuiduum commune per talem definitionem explicabile, in quo omnia indiuidua particularia conueniant; itaut non æquiuocè, sed uniuocè dicere liceat Socrates est indiuiduum, Bucephalus est indiuiduum, hoc album est indiuiduum, & sic de reliquis, nam definitio, & definitum se essentialiter comitantur, seque mutuò respiciunt, unoque dato, aliud dari necesse est.

Indiuiduum iam explicatum, & iuxta sensum, quo illud vsurpandum diximus, duobus modis accipi potest, nempè pro prima, & pro secunda intentione. Indiuiduum priori modo sumptum, est commune quidpiam positivum ab omnibus indiuiduis particularibus abstractum, ut est actu recto cognitum ab intellectu, diciturque indiuiduum primo intentionaliter acceptum. Indiuiduum secundo modo est secunda intentio fundata super indiuiduo pro prima intentione cognito comparatiuè in ordine ad obiectum commune, & prout sibi diuidi repugnat in plura inferiora, pluribusque communicari, quo pacto prædicari dicitur tantùm de uno solo, videlicet de se ipso. Hæc autem secunda intentio gemino modo, quemadmodum quælibet alia sumi potest, nimirùm in concreto, & in abstracto. Tametsi autem utroque modo in præsentia fiat sermo de indiuiduo, præcipuè tamen instituitur consideratio de indiuiduo secundointentionaliter sumpto, & quidem in concreto, cùm tale sit illud, quod per prædicari de uno tantùm definitur.

Iam superiùs docuimus, ab indiuiduis formaliter acceptis, prout scilicet important differentiam singularitatis, communem quandam abstrahi rationem posse, in qua uniuocè conueniant omnia indiuidua, & eam esse singularem, & positiuam prout singulare ab uniuersali distinguitur. Vtrumque autem multis rationibus probare conati sumus, & iterum hìc breuiter suadere tentabimus. Primum autem ex eo constat, quoniam datur una definitio communis uniuocè omnibus indiuiduis, nempè de uno tantùm prædicari; ergo necesse est dari unicum quoque definitum commune omnibus indiuiduis, siquidem definitio, & definitum se mutuò respiciunt; assumptum est manifestum, & inductio illud confirmat, siquidem Socrates dicitur de uno tantùm, videlicet de se ipso; Plato itidem dicitur de uno tantùm, & sic de cæteris; omnia igitur indiuidua in illa definitione scilicet de uno tantùm prædicari, conueniunt. Hanc eandem veritatem hunc in modum solent ostendere, qui sententiam, quam tuemur, amplexi sunt. Aiunt enim hic syllogismus in Darij rectè concludit; omne indiuiduum est incommunicabile, saltem ut quod, hoc est pluribus inferioribus; sed Socrates est indiuiduum, Plato est indiuiduum, & sic de reliquis; ergo Socrates, & Plato, & sic de cæteris sunt incommunicabiles ut quod; at inquunt, non rectè concluderet argumentatio, nisi daretur indiuiduum commune omnibus indiuiduis, cùm medij termini distributio ad extremitates fieri non posset; consequens igitur est, ut indiuiduum detur, quod commune sit vniuocum omnibus indiuiduis. Et confirmatur; nam etsi hoc loco definiatur indiuiduum signatum, non propterea tamen definitur, prout particulariter sumptum, scilicet pro Socrate, & Platone, eo quòd hoc modo non est definitum, scilicet pro Socrate, & Platone, quoniam hoc pacto non est definitionis capax; sed potius sumptum uniuersè pro conceptu indiuidui generatim accepti; fatendum igitur dari communem illam indiuidui rationem abstractam à particularibus indiuiduis, quæ uniuocè in illa conueniant; assumptum ostendo, quoniam, ut mox intelliges, indiuiduum, quod definitur, secundam intentionem inuoluit, cùm per prædicari definiatur; At secunda intentio ad indiuidui definitionem requisita, non est illa, quam intellectus tribuit uni, vel alteri ex singularibus particulatim acceptis, cùm nullum ex illis definiendum assumatur; sed potius est indiuidui secunda intentio ab illis secundis intentionibus, tanquam superius ab inferioribus abstracta, quę certè aliquod fundamentum habere debet in prima intentione consistens; quod cùm aliud esse non possit, quàm indiuiduum, ut sic pro prima intentione sumptum; concedenda proindè communis illa indiuidui ratio, primointentionaliter accepti, in qua particularia indiuidua sumpta pro prima intentione conueniant.

Dices fortasse definiri hoc, vel illud indiuiduum disiunctim. Sed hoc intolerabile, quoniam nomen indiuiduum æquiuocum foret, quemadmodum nomen canis, cùm tamen uniuocum sit, quod sic ostendo. Quandocunque intellectus audito aliquo nomine non cogitur ad plura distrahi, sed unum potest efformare conceptum, tunc nomen illud uniuocum est; sed audito hoc nomine *indiuiduum*, intellectus non cogitur ad plura distrahi, quemadmodum cogitur audito nomine *canis*, qui in potius, unum potest efformare conceptum, in eo positum, quod est prædicari de uno tantùm; ergo indiuidui nomen non æquiuocum, sed uniuocum erit. Hinc iterum confirmata manet assertio, quoniam uniuocum nomen commune pluribus dari non potest, quin detur communis ratio per nomen illud importata. Fatendum igitur ab indiuiduis formaliter sumptis, abstrahi posse communem illam rationem, in qua singula indiuidua conueniant.

Quod autem erat in partitione secundum, ex eo manifestum fiet, quia quod de uno dicitur, ut unum opponitur multis, siue pluribus, utique singulare est; at verò ratio illa sic abstracta ab indiuiduis formaliter acceptis, hunc se habet in modum, ob id illa singularis censeri debet.

Aduersus tamen hactenus dicta sic licebit arguere. Si daretur aliqua communis ratio à singularibus abstracta, talis certè non esset singularis, & indiuidua, sed uniuersalis; quandoquidem foret communis illis, itaut esset in potentia proxima de ijsdem prædicandi; sed hoc pugnat cum indiuidui natura, quæ essentialiter ab uniuersali distinguitur; ergo dari non poterit illa communis indiuidui ratio abstracta &c. è Scholasticis quidam, optimè satisfaciunt negando sequelam, & ad probationem dicendo, consequens esse verum, si accipiatur commune, & uniuersale ut modus; falsum autem si sumatur ut quid, cuius distinctionis explicatio hæc est. Indiuiduum esse commune, & uniuersale ut modum nil aliud est, quàm ipsum induere modum uniuersalitatis, nimirum speciei. Intellectus enim à particularibus, singularibusque pluribus abstrahit communem singularis rationem, cui tribuit secundam intentionem indiuidui abstractam ab intentionibus, quas ipse singulis tribuerat, numero differentibus; at verò indiuiduum sic affectum secundâ intentione indiuidualitatis, confert cum inferioribus eius, eidemque speciei secundam intentionem appingit; quod est illud concipere ad modum speciei; ob

Quorundam responsio, sit satis.

Hinc alia elicitur ratio.

Secunda assertionis pars.

Prima difficultas.

Solutio. Explicatur scholasticorũ distinctio ut quid, & ut modus.

Digitized by Google

id indiuiduum ita conceptum, dicitur species, ac proinde uniuersale ut modus, eò quòd concipiatur secundum rationem speciei, & uniuersalis; & quoniam ab illa secunda intentione speciei, denominatur species; ob id indiuiduum ita conceptum denominatiuè species dici consueuit. At verò indiuiduum esse commune, & uniuersale ut quid, est esse essentialiter tale, quod illi repugnat, cùm sit essentialiter indiuiduum, nempe indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio itaut alijs à se communicari non possit, solùmque potens prædicari de se ipso; proindè indiuiduum conceptum ad modum speciei, dicetur ut quid, hoc est essentialiter indiuiduum; at verò idem dicetur species, ut modus, siue denominatiuè. Ratio enim sic abstracta cùm secundum esse obiectivum, & præcisum sit singularis, eò quòd de uno tantùm dici possit incommunicabiliter, ut quid; sequitur solùm esse in potentia proxima, prædicabile de pluribus, ut modum; quandoquidem induit modum speciei specialissimæ, & idcirco est uniuersale, ut modus; singulare autem ut quid, nec ullum est inconueniens, idem esse singulare & commune, ac uniuersale, dummodò sint ratione diuersa; ut in præsentia contingit; nam illud idem, quod est singulare ut quid, & essentialiter, est commune, ac uniuersale ut modus, atque denominatiuè; hoc autem ideo, quoniam intentiones etiam disparatæ possunt eidem competere secundum diuersas comparationes ab intellectu factas.

Secunda difficultas.

Grauior tamen est difficultas in eo posita; quoniam à primo diuersis, nequit abstrahi communis aliqua ratio, in qua conueniant; alioquin non forent primo diuersa; sed indiuidua formaliter sumpta sunt primo diuersa; ergo ab ipsis communis ratio indiuidui abstrahi non poterit; minor ex eo constat, quoniam si indiuiduales differentiæ primo diuersæ non forent; in aliquo deberent conuenire, & per aliqua deberent quoque differre; hoc autem posito, petendum, num ea, per quæ differunt, sint primò diuersa, vel non; Si primum ab ipsis non poterit abstrahi communis ratio, quod de differentiis indiuiduantibus initio dicere præstabat; si secundum, sequitur abeundum in infinitum, quod non est admittendum. Hæc tamen difficultas tacta fuit à nobis, Dissertatione septima, cum de indiuiduo disputaremus simulque diluta; consulenda propterea, quæ ibi scripsimus; docuimus enim ibi communem illam rationem indiuidui non distingui ab ijs, hoc est à singulis indiuiduis formaliter acceptis, præcisione perfectâ, sed imperfectâ tantùm; & explicuimus etiam, quâ ratione differentiæ indiuiduantes, à quibus fuit facta præcisio, dici adhuc possint primo diuersæ.

Solutio petẽda ex Dissertatione septima sectione 1.

Tertia difficultas.

Amplius non nulli sic arguunt. Si daretur aliqua ratio communis indiuiduis formaliter acceptis, quæ tamen esset indiuidua, daretur etiam natura quædam, siue ratio una communis omnibus indiuidualis naturæ; hoc autem absurdum; ergo etiam & id unde sequitur. Maioris propositionis sequelam sic ostendunt. Indiuiduum communem naturam dicit materialiter, indiuidualem differentiam formaliter; ergo indiuiduum ut sic naturam aliquam materialiter dicit; sed non dicit naturam quampiam determinatam, puta, humanitatem, vel brutalitatem; ergo naturam aliquam communem omnibus naturis indiuiduatis. Minorem probant, quia non posset assignari, quænam esset illa communis natura, & quos nam effectus in uniuersitate rerum haberet, & cui nam fini deseruiret.

Solutio.

Neganda est assumptio, & ad eius probationem dicendum, absurdum esse concedere indiuiduationem illam sic abstractam à singularitatibus, & naturam, seu rationem unam communem omnibus naturis indiuiduatis, vel re ipsâ, vel perfectâ præcisione distinctam ab hac, & illa natura indiuidua; nullum tamen inconueniens esse totum id concedere, loquendo de præcisione imperfecta. Cogitandum enim rem ita contingere, nimirum, ut intellectus concipiat rationem quandam communem in eo positam, quod est esse indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, esseque incommunicabile alteri tanquam superius inferiori, solùmque aptum prædicari de se ipso prædicatione dicente, hoc est hoc, puta Socrates est Socrates, Plato est Plato, itaut sit prædicatio identica, & in huiusmodi ratione singularia omnia conueniant. Et quoniam singularia dicunt, & naturam, & singularitatem, formaliter enim accepta singularitatem, materialiter verò naturam ipsam important; propterea intellectus cogitat rationem illam communem, quatenus pro materiali dicit naturam, pro formali verò singularitatem, itaut totum illud abstractum sit id, quod est esse in diuisum in se, & diuisum à quolibet alio, sitque incommunicabile alteri, tanquam inferiori &c. cuius materiale sit naturæ, formale verò singularitatis ratio. Hîc non interuenit quædam natura distincta à naturis specificis indiuiduorum; sed est quædam ratio reperta in ipsis, in eo consistens, ut se habeat tanquam aliquid materiale importatum per indiuidua uniuscuiusque speciei, quæ quidem ratio fit una per præcisionem imperfectam tantummodò, itaut non solùm non distinguatur re, sed nec etiam præcisione perfectâ à specificis naturis indiuiduorum; eodem modo de ratione singularitatis ratiocinandum; totumque constans ex materiali, & formali sic abstractum est singulare ut sic, primò intentionaliter sumptum, cui intellectus tribuit secundam intentionem indiuidui, quatenus confert illud cum communi obiecto; atque considerat illi repugnare diuisionem in plura inferiora; & sic habetur indiuiduum secundo intentionaliter sumptum, cuius fundamentum est illud singulare primò intentionaliter acceptum. Huiusmodi autem secunda intentio indiuidui est fundamentum alterius secundæ intentionis, nimirum speciei. Intellectus enim tribuit huic, vel alteri singulari hanc, vel illam secundam indiuidui intentionem, ex quibus abstrahit indiuidui secundam intentionem speciei, quam tribuit indiuiduo ut sic secundo intentionaliter sumpto, quatenus scilicèt illud contulit cum hoc, & illo indiuiduo secundo intentionaliter accepto, unde est, ut indiuiduum illud generatim secundo intentionaliter sumptum, per secundam illam intentionem speciei dicatur species ut modus, atque denominatiuè. In hac tota negotiatione intellectus non interuenit illa natura, vt perspicuum est, quam aduersarij suâ ratiocinatione contendunt probare concedendam, quando à nobis dicatur admittendam esse communem illam singularis rationem, in qua omnia singularia conueniant. Hinc patet alterius difficultatis solutio, eaque est huiusmodi.

Quam difficil

Illud hic definitur, quod prædicatur de uno *solo* tantùm; atsi daretur indiuiduum commune abstractum ab indiuiduis, non prædicaretur de uno solo tantùm, sed de pluribus: unde sic possunt argumentum conficere. Quod non prædicatur de uno solo tantùm, sed de pluribus, non est indiuiduum, ut ex indiuidui definitione constat; at si daretur indiuiduum commune quidem abstractum à pluribus indiuiduis, non prædicaretur de uno solo tantùm, sed de pluribus; ergo si daretur indiuiduum commune abstractum à pluribus indiuiduis, non esset indiuiduum. Minor ex eo constat, quoniam indiuiduum illud abstractum

Solutio. fractum fundaret secundam intentionem uniuersalis, nempè speciei. Ex nuper traditis non obscurè constat huius difficultatis solutio, respondendum enim negando minorem, si intelligatur de prædicatione, ut quid & essentialiter; concedenda autem de prædicatione, ut modus. Indiuiduum enim sic abstractum eo pacto prædicari potest de pluribus, quo pacto est commune pluribus; est autem commune pluribus solùm ut modus, quatenus concipitur ad modum speciei; unde dicitur species, ac proindè uniuersale denominatiuè, ut sæpè dictum fuit; est tamen singulare, & indiuiduum, ut quid, & essentialiter; propterea ut modus, atque denominatiuè potest de pluribus prædicari; at verò, ut quid, & essentialiter, non nisi de uno tantùm.

Assertio quomodo indiuiduũ secundo intentionaliter sumptum se habeat.

Dicendum præterea indiuiduum pro secunda intentione in concreto sumptum tale esse, ut importet aliquid commune prædicabile tantùm de uno; ut modus verò sit prædicabile de pluribus, siue in actu signato, siue in actu exercito ad modum speciei de omnibus indiuiduis. Hæc assertio duplici parte constat, quarum primam sic suadebimus. Id quod generatim, & pro secunda intentione & in concreto sumptum definitur per prædicari de uno tantùm, importat aliquid commune prædicabile de uno duntaxàt ut quid, siue essentialiter; sed indiuiduum hoc loco definitum ita se habet; ergo indiuiduum hoc loco definitum importat aliquid prædicabile de uno duntaxàt ut quid, siue essentialiter; maior propositio ex eo constat; quoniam per hoc indiuiduum uniuersali aduersatur & ab illo secernitur; minor autem probatur ex eo quia, indiuiduum, quod definitur, est pro secunda intentione, sed in concreto acceptum. Assertionis altera pars inde probata manet, quia quod prædicatur ad modum speciei *est modus*, ut patet per locum à definitione ad definitum, sed indiuiduum pro secunda intentione sumptum ita se habet; ergo indiuiduum pro secunda intentione sumptum est species ut modus, atque denominatiuè; assumptio constat quoniam indiuiduum secundò intentionaliter sumptum ut sic, prædicatur de differentibus numero immediatè, nempe de intentione secunda applicata Socrati, & applicata Platoni, & sic de reliquis; ergo prædicatur ad modum speciei; optima consecutio, nam quod non est species ut quid, & essentialiter, & tamen prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero; certè prædicatur ad modum speciei. In huius confirmationem illud accedit, quod huiusmodi prędicationes quidditatiuę sunt, nimirùm hoc indiuiduum est indiuiduum, illud indiuiduum *est* indiuiduum; sed hoc, & illud indiuiduum diuersas secundas intentiones applicatas indiuiduis pro prima intentione significant; ergo indiuiduum prædicatur in quid de differentibus numero; ergo indiuiduum prædicatur ad modum speciei, cùm generatim illud acceptum fuerit. Et hinc manifestum est, quod addebatur, nempè sic indiuiduum esse prædicabile ad modum speciei, ut prædicari possit tam prædicatione signatâ, quàm exercitâ; primum satis est manifestum cùm dicere liceat indiuiduum ut sic prædicari potest de hoc, & illo indiuiduo; hoc enim est prædicari prædicatione signatâ, cùm prædicatio fiat per verbum *prædicari* secundum itidem perspicuè constat, quoniam hæ sunt admittendæ prædicationes, hoc indiuiduum est indiuiduum; illud indiuiduum est indiuiduum; hoc autem est indiuiduum ut sic prædicari de hoc, & illo indiuiduo prædicatione exercitâ, cùm prædicatio fiat per verbum *est*.

Prima assertionis pars. Ratio.

Secunda assertionis pars.

Confirmatio.

Collecta dicta. *Ex his* licebit colligere. Primum quod hæc sit concedenda propositio, indiuiduum est species, quemadmodum hęc, homo est species; vel equus est species &c. propterea quòd indiuiduum secundo intentionaliter in concreto acceptum, habet sub se hoc, & illud indiuiduum, de quibus potest in quid prædicari; sed hoc intelligendum denominatiuè; cum enim dicitur homo est species, id intelligi debet denominatiuè, itaut homo denominatiuè species dicatur; quemadmodum animal denominatiuè dicitur genus; sic etiam uniuersale, respectu quinque uniuersalium, genus denominatiuè dicitur. Non dissimili modo indiuiduum ut sic secundointentionaliter sumptum, denominatiuè dicitur species, eò quòd illi secundam intentionem speciei intellectus attribuit, ac ob id eodem modo dicitur uniuersale. Nec propterea plura erunt uniuersalia, quam quinque; quoniam indiuiduum non est uniuersale prædicatione quidditatiua, sed solum denominatiua, ut cum dicitur homo est vniuersale. Alterum verò est, quod ut indiuiduum dicitur denominatiuè species, itaut hæc sit denominatiua, indiuiduum est species; sic etiam & ista, indiuiduum prædicatur de pluribus differentibus numero; quemadmodum enim definitum de aliquo dicitur, ita etiam, & definitio; Cum autem dicitur indiuiduum est, quod prædicatur de uno solo, definitio est quidditatiua saltem per additamentum, & per particulam *quod* innuitur ens rationis, nimirum secunda intentio.

Prædicationes quędam explicantur.

Amplius hæ prædicationes diuersæ sunt, *Socrates est Socrates*; *Socrates est indiuiduum*; *hoc indiuiduum est indiuiduum*; *singulare est indiuiduum*. Prima enim propriè est prædicatio exercita, singularis de singulari, hoc est eiusdem de se ipso. Secunda est prædicatio exercita accidentis, ut quinti prædicabilis; Socrates enim continetur sub singulari ut sic, cui per intellectum attribuitur secunda intentio indiuidui. Tertia est prædicatio speciei, cum hoc indiuiduum, sub indiuiduo ut sic, tanquam sub sui specie immediatè contineatur. Quarta est prædicatio denominatiua, cum secunda intentio indiuidui sit forma quædam rationis, attributa singulari ut sic, quod ab illa denominatur, ut cum dicitur corpus est coloratum.

Assertio. Assererendum præterea definitionem illam traditam de indiuiduo per prædicari de uno solo, quamoptimè indiuiduo conuenire, eiusque naturam explicare. Hæc enim definitio sufficienter explicat in quo indiuidui ratio consistat, prout hoc ab uniuersali, & à quocunque alio distinguitur; sufficiens igitur existimanda, cùm definitio nil aliud sit, quàm oratio rei definitæ naturam exprimens; assumptum verò sic ostendo; singulare, seu indiuiduum, & uniuersale in eo conueniunt, quòd ambo prædicabilia sunt, differunt autem, ex eo quia uniuersale de pluribus; indiuiduum verò de uno tantùm potest prædicari; hæc igitur descriptio naturam explicat indiuidui, prout hoc ab uniuersali, & ab alio quocunque, quod non est ipsum, distinguitur. Amplius hæc definitio facit indiuiduum à specie specialissima, siue atoma, tanquam à suo correlatiuo differre; ergo conueniens existimanda est. Consequutio optima; quoniam definitio alicuius relatiui probè tradita existimari debet, quando facit definitum à correlatiuo differre; huiusmodi autem est indiuidui definitio comparatione speciei; nam indiuiduum ad duo referri potest, scilicet ad uniuersale, & ad speciem specialissimam; à priori differt per prædicari de uno tantùm; à posteriori verò per non habere inferiora numero differentia; at utrumque hæc præstat definitio; ergo hæc definitio facit indiuiduum ab uniuersali, & specie specialissima differre; assumptio ex eo constat, quia per prædicationem de uno tantùm; excluditur prædicari de pluribus, quod conuenit uniuersali, &

Prima ratio.

Secunda.

Digitized by Google

si, & excluditur prædicatio de differentibus numero, immediatè tamen, quod conuenit speciei specialissimæ; nam prædicari de uno tantùm, scilicet numero, est prædicari de non differentibus numero.

Aduersus indiuidui signati definitionem multa quidem se offerunt consideratu digna, præter ea, quæ Dissertatione septima tractauimus & primò videtur indiuiduum definiri nõ posse. Quod enim est singulare sub definitionem non cadit; at indiuiduum quomodocunque, siue pro prima, siue pro secunda intentione sumatur, est quidpiam singulare; ergo indiuiduum quomodocunque fuerit acceptum, definiri non poterit; maior videtur ad aures Aristotelis, cùm illam pluribus in locis expresserit. Et ratio eandem quoque suadet; tum quia definitio debet constare ex genere, & differentia, vel ex aliquibus se habentibus ut genus, & differentia; sed ex his singulare constare non potest, cùm illa communia sint, non enim singulare potest ex communibus coalescere, alioquin singulare non foret; tum quia definitio est rei habentis quidditatem, cùm hanc debeat exprimere; at singulare ut singulare quidditatem non habet, cum hæc sit communicabilis pluribus. Minor autem principalis argumenti euidens est, nec probatione indiget. Confirmatur hæc ratio, quia quod non est commune, non potest definiri; at indiuiduum non est quid piam commune, ut satis notum est; ergo non poterit indiuiduum definiri; maior inde patet, quoniam definitio debet esse communis, utpotè constans ex communi conceptu generis, & ex differentia, quæ pariter est communis pluribus, cum ex uniuersalibus unum fit.

Prima difficultas.

5. post t. 1. 7. Diu. t. 5. 7. text. 73.

Confirmatio.

Fit satis respondendo, etsi singulare prout est in re admittatur propriè definiri non posse; non propterea concedendum sub definitionem illud non cadere, quatenus acceptum secundum conceptum præcisum ab hoc, & illo singulari dicens secundam intentionem indiuidui; hoc enim pacto etsi sit indiuiduum ut quid, & essentialiter; est tamen commune & uniuersale ut modus, siuè denominatiuè, unde dicitur denominatiuè species, ut superiùs explicuimus. Nec absimili modo confirmationi est occurrendum; sic enim acceptum indiuiduum constare potest ex genere, cuius loco stat secunda intentio, & differentia, quæ circumscribitur per prædicari de uno tantùm. Vt præteream posse etiam definiri singulare pro prima intentione sumptum, generatim tamen acceptum definitione, quæ si non constet ex partibus perfectâ præcisione distinctis; poterit tamen definitio tradi per maiorem expressionem conceptus, iuxta dicta suo loco de indiuiduo, ubi docuimus per definitiones indiuidui, ac singularis rationem uniuocè communem omnibus indiuiduis, & de singulis prædicabilem in quid explicari.

Solutio.

Confirmationis solutio.

Disp. 7. sect. prima.

Præterea & coincidit ferè cum præcedenti; quod non est commune, nequit definiri; sed indiuiduum quomodocunq; sumatur, nequit esse aliquid commune; ergo non poterit definiri; maior patet ex dictis in gratiam superioris argumenti; minor ex eo etiam probari potest, quia quodcunque est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, ut non sit communicabile alteri tanquam superius inferiori, nequit esse commune; quod enim tale est, certè distinctum non est à quolibet alio; sed est in multis; at indiuiduum ita se habet; ergo non erit commune pluribus.

Secunda difficultas.

Solutio patet ex proximè traditis; nam quod per hanc definitionem definitur est indiuiduum, atque adeò indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, & alteri incommunicabile &c. quo pacto non refertur, nisi ad unum tantùm, de quo prædicatur; accidentaliter tamen, atque denominatiuè est species, estque commune multis.

Solutio.

Tertia difficultas.

Posset etiam quispiam obijcere hunc in modum. Indiuiduum secundointentionaliter sumptum est species ad omnia indiuidua; hæc enim est prædicatio speciei de indiuiduo; hoc indiuiduum est indiuiduum, & hoc aliud &c. ergo quod hîc definitur est species, & non indiuiduum. Dices per definitionem hanc definiri id, quod est essentialiter indiuiduum, denominatiuè tamen est species. Contra; nam essentialiter indiuiduum est quod prædicatur de uno tantùm; sed indiuiduum generatim acceptum, non prædicatur de uno tantùm, cùm hoc modo sit commune multis, habeatque rationem speciei; ergo non definitur, quod est essentialiter indiuiduum. Respondendum allatam solutionem optimam esse; & ad replicam dicendum; Indiuiduum acceptum generatim prædicari de uno tantùm essentialiter, prædicari autem de multis accidentaliter, & denominatiuè.

Responsio.

Confutatio.

Solutio, & superior approbatur responsio.

Quarta difficultas.

Aliqui verò sic obijciunt. Socrates de hoc, & illo Socrate uniuocè prædicatur propterea quòd, prædicatur uno nomine, unâque ratione de ipsis, cùm eadem sit utriusque definitio; ergo indiuiduum non prædicatur de uno solo. Sed hæc ratiocinatio nihil concludit; tametsi enim hic, & ille homo eandem habeant suæ speciei definitionem; non tamen habent unam definitionem communem ut in Socratis nomine conueniunt; idcirco Socrates dicitur de illis secundum idem nomen, non tamen prædicatur de ipsis secundum unam eandemque rationem per nomen illud importatam, quod ad uniuocam prædicationem unius de pluribus requiritur.

Solutio.

Quinta difficultas.

Obijci etiam potest ad probandum definitionem saltem traditam non esse prout à Logico tradi debet. Indiuiduum enim est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, itaut sit incommunicabile alteri; ergo indiuidui definitio debet exprimere aliquid reale, cùm esse indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio &c. sit reale quidpiam; ergo indiuidui definitio non traditur prout à logico tradi debet; propterea quòd hic non versatur nisi in consideratione entis, quod habet esse tantùm in anima. Hæc diluta manet difficultas ex dictis, cum probatum fuerit indiuiduum spectari bifariam, prout scilicet in prima, & in secunda intentione consistit; posteriorique modo considerandum à Dialectico quidem assumi; qui propterea definit indiuiduum, quod sit indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio sitq; incommunicabile alteri &c. prout tamen secundam intentionem inuoluit.

Solutio.

Sexta difficultas.

Grauior est difficultas de diuina natura, quæ maximè quidem indiuidua & singularis est, cùm tamen prædicetur de multis, scilicet de patre, filio, & spiritu sancto; rectè siquidèm dicitur pater est Deus, filius est Deus, & spiritus sanctus est Deus; hinc propterea consequens sit, ut hæc definitio non omni conueniat definito. Nulla tamen est consecutio, cùm enim dicitur indiuiduum esse, quod prædicatur de uno tantùm, quodque propterea non prædicatur de pluribus, non intelligendum excludi quamcunque prædicationem unius de pluribus; sed illam duntaxat, quæ propria est uniuersalis, qualis profectò dici non potest, quæ Deo conuenit respectu trium personarum quod ex ijs, quæ de uniuersali tractauimus, cuique potest esse perspicuum; requiritur enim ad prædicationem uniuersalis, ut quod prædicatur, sit in pluribus cum diuisione naturæ, non quoad esse essentiæ, sed quoad esse physicum, quod certè in Diuinam naturam non cadit, cum hæc eadem numero sit in tribus personis.

Solutio.

Septima difficultas.

Difficultates aliæ non desunt. Obijciet enim aliquis

quis hunc in modum. Socrates est indiuiduum, & tamen de nullo potest prædicari; non ergo illa definitio benè de indiuiduo tradita est, cùm non cuicunque possit indiuiduo accõmodari. Secunda pars assumpti colligitur ex Aristotele dicente, à prima substantia nullam esse prædicationem; at verò Socrates est prima Solutio. substantia; ergo de nullo poterit prædicari. At si sermo sit de prædicatione formali, ad quam requiritur ut prædicatum aliquo modo debeat esse à subiecto distinctum, concedendum profectò Socratem de nullo prædicari posse; si verò sermo fiat de quacunq; prædicatione complectente scilicet tam formalem, quàm identicam, negandum Socratem de nullo posse prædicari; propterea quòd prædicatione identicâ prædicari potest de se ipso, quod est prædicari de uno tantùm; ad hanc enim prædicationem sufficit inter subiectum, & prædicatum distinctio rationis ratiocinantis, quæ certè inter Socratem ex parte prædicati, & eundem ex parte subiecti intercedit. Philosophus autem de sola prædicatione formali sermonem habet.

Decima difficultas Præterea indiuiduum entis, & quodlibet genericum indiuiduum prædicabile est de multis; tradita igitur definitio non omnibus indiuiduis potest accommodari, mala igitur definitio censeri debet. Assumptum sic ostendo. Hoc ens, & hoc animal indiuidua sunt, sed *hæc* prædicari possunt de Socrate, & Platone, cùm veræ sunt *hę* prædicationes, Socrates est hoc ens, & hoc *animal*; Plato est hoc ens, & hoc animal; ergo indiuiduum entis, & quodlibet genericum indiuiduum de multis poterit prædicari; Negandum assumptum, & ad eius probationem negandum indiuiduum genericum de multis prædicari, cùm tantùm de uno solo prædicetur, cum enim dicitur Socrates est hoc ens, & hoc animal, & Plato est hoc ens, & hoc animal, certè hoc ens, & *hoc animal*, quod prædicatur de Socrate, numero distinguitur ab eo, quod prædicatur de Platone, quod igitur de Socrate prædicatur, utique de solo prædicatur Socrate, & quod prædicatur de Platone, de solo Platone prædicatur. Vbi aduertendum has prædicationes esse identicas, si prædicatum sumatur signatè, & particulariter, non autem pro conceptu communi singulis indiuiduis; nempè cum dicimus Socrates est ex. gr. hic homo; sumi debet *hic homo* signatè, & particulariter, non autem pro conceptu communi singulis indiuiduis humanis, quatenus Socrates est hic homo, & Plato est hic homo; sic enim *hic homo* non habet rationem indiuidui; sed uniuersalis non quidem ut quid, & essentialiter, sed ut modus, atque denominatiuè. Hoc idem dicendum de alijs illis prædicationibus, Socrates est *hoc ens*; est hoc animal &c.

Cum autem in definitione dicitur indiuiduum prædicari de uno solo, innuitur prædicatio identica, quia scilicet indiuiduum prædicatur de se ipso; hæc tamen prædicatio non sic est indiuidui propria, ut uniuersali conuenire non possit; nam rectè dicimus, homo est homo; animal est animal; sed illud interest, quòd indiuiduo sola competat identica prædicatio; at uniuersali præter hanc, competit etiam prædicatio de pluribus; utrumque igitur prædicabile est; sed indiuiduum solà identicâ, uniuersale verò & identicâ, & formali prędicatione potest prędicari. Cæterùm huiusmodi prędicatio, quæ identica dicitur inartificiosa est, & ad disciplinas inutilis, cùm per ipsam nihil notificetur ignotum, omnium tamen veritissima, nulla enim verior prędicatio, quàm eiusdem de se ipso.

Nona difficultas. Præterea difficultas est de indiuiduo vago, propterea quòd ipsum est indiuiduum, cùm tamen prædicetur de pluribus; *hæ* nanque veræ sunt prædicationes, Socrates est *aliquis homo*, Plato est aliquis homo, & ita de reliquis; falsum igitur indiuiduum non de pluribus, sed de uno tantùm prędicari. Huius difficultatis solutio petenda est ex ijs, quę de indiuiduo vago docuimus; diximus enim indiuiduum vagum non significare quidpiam commune pluribus; sed immediatè significare plura sub disiunctione, ut infra magis patebit, nam ex. gr. aliquis homo, idem sonat, quod hic, vel ille homo; non est igitur indiuiduum, de quo in præsentia fit sermo; dum de ipso traditur definitio; siquidem definitur indiuiduum signatum, hoc enim propriè dicitur de uno solo prædicari, quia illud determinatè significat. Solutio.

Amplius illud etiam aliquid negotii facessit, quòd oppositæ definitiones, nec per se, nec per accidens eidem conuenire possunt, quoniam unius rei, ut unica quidditas; sic unica definitio, at verò indiuiduum secundointentionaliter acceptum, ut superiùs statuimus, potest de pluribus prædicari; malè igitur dictum fuit indiuiduum de uno tantùm prędicari. Ex dictis tamen facile constat quid respondendum sit; quandoquidem indiuiduum acceptum ut quid, & essentialiter, prædicatur de uno tantùm, illique repugnat prædicari de pluribus; sumptum autem ut modus, hoc est sub ratione speciei, potest de pluribus prædicari, ut superiùs declaratum fuit; quæ ut clarius intelligantur, animaduertendum maiorem propositionem esse veram de absolutis; itemque intellectam, ut quid; falsam autem de relatiuis, & intellectam ut modum, quandoquidem relatiua, ita se habent, ut uni eorum plures definitiones relatiuæ oppositæ; quoniam relatiua possunt plures habere terminos, per quorum fundamenta debent definiri. At verò indiuiduum est quoddam rationis relativum, formarique potest ab intellectu per comparationem ad omnia particularia indiuidua, & per ordinem etiam ad se ipsum, quatenus habet esse incommunicabile pluribus; unde est ut indiuiduum sit de uno solo prædicabile ut quid, ac essentialiter; de pluribus autem ut modus, atque denominatiuè. Et in horum maiorem declarationem illud etiam addendum, quòd indiuiduum secundo intentionaliter, & in concreto sumptum, simpliciter, & ut sic, potest prædicari de pluribus ad modum speciei prædicatione exercitâ, & prædicatione signatâ; & quidem prædicatione exercitâ; quoniam secunda intentio speciei, quam illi intellectus apprehendit, est conditio, quâ positâ indiuiduum ipsum prædicari potest, adeout quatenus affectum huiusmodi secundâ intentione speciei, sit prędicabile de pluribus indiuiduis prædicatione signatâ. Indiuiduum verò secundo intentionaliter acceptum, cui intentio speciei tribuitur, sit prędicabile prædicatione exercitâ, quâ dicimus hoc indiuiduum est indiuiduum. Solutio.

Tandem id mihi videtur apprimè cum veritate consentire, quod hæc indiuidui definitio competat perse indiuiduo secundointentionaliter, & in concreto accepto; per accidens verò, atque denominatiuè indiuiduo quoque primointentionaliter sumpto. Vtrumque dictum probatur, & quidem primum ex eo, quòd definitio datur per prædicari, & non per esse; at verò prędicari per se conuenit secũdis intentionibus, per accidens autem, & denominatiuè primis, ut apud Dialecticos satis vulgatum est; ergo definitio competit per se indiuiduo secundointentionaliter, & in concreto, accepto. Secundum etiam euidens est, quoniam quod conuenit per se secundis intentionibus, per accidens, & denominatiuè conuenit primis; quod enim conuenit secundis intentionibus ad eum modum primis conuenire debet, quo eædem secundæ intentiones primis conueniunt, ac de primis dicuntur, sed secundæ intentiones primis conueniunt denominatiuè, Assertio duplici parte constat. Ratio pro prima parte. Ratio pro secunda.

Digitized by Google

tiuè, & hoc etiam modo de primis dicuntur; ergo quod per se conuenit secundis intentionibus, per accidens, & denominatiuè conueniet primis; sed prædicari de uno tantùm, ac proinde definitio indiuidui tradita per prædicari, per se conuenit indiuiduo secundointentionaliter, & in concreto accepto; ergo eadem definitio conueniet per accidens, & denominatiuè indiuiduo primointentionaliter sumpto. Hinc rectè dicimus, Socrates est Socrates, Plato est Plato; itaut prædicatio identica, signata tamen, competat indiuiduo secundo intentionaliter accepto; eadem verò exercita competat indiuiduo primo intentionaliter sumpto. Quæ sic intelligenda, ut indiuiduum bifariam spectetur, vel quantum ad essentiam, & ut quid, quo pacto est de se solo prædicabile, & est essentialiter indiuiduum; vel in ordine ad inferiora, à quibus abstractum fuit, secundum quam usurpationem induit modum speciei atque adeo uniuersalis; & iuxta considerationem utramque vel primo, vel secundointentionaliter accipitur. Secundum priorem considerandi modum, tam primo, quàm secundointentionaliter inspecto conuenit tradita definitio, iuxta duplicem prædicationem exercitam scilicet, & signatam. At iuxta posteriorem eidem consentaneum est prædicari de pluribus, habereque rationem speciei, ad eum sanè modum, quo de uniuersalibus, & speciatim de genere disceptantes asseruimus.

De indiuiduo tradita primæ substantiæ possunt ac commodari.

Ex hactenus disputatis de indiuiduo, non obscurè constabit, quid de prima substantia dicendum, cùm hæc nil aliud sit, quàm indiuiduum spectans ad substantiæ genus; quæ igitur de indiuiduo diximus in uniuersum; huic etiam scilicet indiuiduo substantiæ, proinde substantiæ primæ possunt accommodari. Vnde primæ substantiæ definito tradita per prædicari, competet per se primæ substantiæ, in concreto sumptæ pro secunda intentione; per accidens, verò, atque denominatè primæ substantiæ pro prima intentione acceptæ; nempe quo ad prædicationem signatam conueniet primæ substantiæ in concreto acceptæ pro secunda intentione, quoad prædicationem exercitam, eidem pro prima intentione sumptæ, sensu quo de indiuiduo dicebatur &c.

Enucleatur magis secundæ substantiæ definitio.

Supereſt enucleanda magis definitio secundæ substantiæ, cum diceremus eam non esse in subiecto; sed de subiecto dici, ubi per subiectum intelligitur subiectum inhæsionis, & prædicationis, ut superiùs etiam adnotauimus; quando nanque tam prima, quàm secunda substantia dicitur non esse in subiecto; sermo fit de subiecto inhæsionis: per hoc enim substantia ab accidente distinguitur; ita fit ut per illam negationem circumscribatur positivus modus, ut aiunt perfeitatis, substantiam constituens, & ab accidente distinguens; quando verò de prima substantia negatur dici de subiecto, & de secunda affirmatur; tunc sermo fit de subiecto prædicationis, & penès hoc prima, & secunda substantia inuicem distinguuntur; quoniam prima substantia nullum habet inferius, de quo prædicetur, benè tamen secunda; propterea quòd hæc est uniuersalis; illa verò singularis, ac indiuidua; in cuius definitione altera negatio, quâ negatur dici de subiecto, circumscribit positiuam differentiam indiuidualem, per quam ei repugnat dici de subiecto, ideſt de inferiori. Et quanuis hæ definitiones per negationes tradantur, benè tamen rem explicant, quoniam traduntur per negationes positivum quidpiam indicantes; Tametsi autem ambæ definitiones pro prima intentione possint explicari, commodè tamen pro secunda intentione accipi possunt; propterea quòd *esse in subiecto, & dici de subiecto*; non solùm primointentionaliter, sed etiam secundointentionaliter possunt usurpari, adeout *esse in subiecto*, idem sit ac accidentaliter, & denominatiuè prædicari, qui est modus proprius, quo accidentia prædicantur; & dici de subiecto, hoc est de inferiori sit essentialiter, & quidditatiuè prædicari; unde si definitiones explicentur pro secunda intentione; secunda substantia dicetur illa, *quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto*, hoc est, quæ non accidentaliter, sed essentialiter prædicatur de prima. At verò prima substantia dicetur illa, *quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto*, hoc est quæ neque prædicatur de alio accidentaliter; nec essentialiter, adeout duplex ista negatio denotet oppositam intentionem omnimodæ subijcibilitatis; per quam omnis excluditur prædicabilitas. Quò spectant illa Stagiritæ verba, *quæ propriè, principaliter, & maximè substare dicitur*, quibus circumscribere fortasse conatus est omnimodam primæ substantiæ subijcibilitatem, in quacunque tam essentiali, quàm accidentali prædicatione, ne videlicet negationes in primæ substantiæ definitione adhibitæ purè, negationes crederentur, ut hunc in modum definitionem prædictam magis enucleatam reliquisset. Non inficior tamen eadem verba dici posse aliis in definitione usurpatis adiungenda; itaut ex omnibus, primæ substantiæ integra definitio consurgat, quæ quamoptimè per secundas intentiones, quemadmodum, & secundæ substantiæ definitio, potest explicari, sitque prima substantia definita per oppositum ad secundam; hæc enim definita fuit per prædicari, prima autem per subijci.

Difficultas circa prædicta.

Videbitur alicui forsan hoc minus ad Aristotelis mentem, ex eo quòd illud intulerit *Destructis primis substantijs, impossibile esse aliquid aliorum remanere*; nõ aliundè, quàm quia prima substatia omnibus alijs substat, nimirum & accidentibus, & ijsdem secundis substantijs; hinc autem illud deduxisse intelligi non potest, nisi quoad esse actualis existentiæ; cùm enim tam accidentia, quàm communes naturæ in se quidem immediatè non existant, sed in indiuiduis, his de medio sublatis, ea omnia pariter interire necesse est; etsi quantum ad esse obiectivum, & essentiæ secus se res habeat, ut propterea dictum fuerit *sublatis, indiuiduis, nõ tolli species, vel genera*, quantum nimirum ad esse obiectivum, & essentiæ; ne igitur Philosophum ineptè ratiocinatum esse dicamus, certè fatendum quòd, quemadmodum deductum consequens, nempe *destructis primis substantijs &c.* pro prima sumpsit intentione; sic etiam & illud, unde deduxit, nempe *est, quæ propriè, principaliter* &c. ut ob id hoc intelligatur de substare, substentareq; realiter respectu accidentium, deque reali inclusione communis naturæ, quæ est secunda substantia; non autem de substare pro secunda intentione, seu quod in idem recidit, de subijci in ipsa prædicatione. *Solutio.* His tamen occurritur respondendo, utrumque dictum posse pro prima, & pro secunda intentione usurpari. Primum scilicet, quòd prima substantia principaliter, & maximè substat tam pro prima, quàm pro secunda intentione potest explicari, nempè tam de reali, quàm intentionali subiectione in ea, quæ fit, prædicatione. Sic etiam, & secundum, a quod hinc illatum fuit, nimirum *destructis primis substantijs impossibile est* &c. utroque modo sumptum potest intelligi; prout igitur primum dictum sumitur pro prima, vel secunda intentione: sic etiam, & secundum illatum ex illo; unde si pronunciatum illud, *quæ propriè principaliter, & maximè substare dicitur*, intelligendum velimus de substare realiter; etiam, & alterum, scilicet *destructis primis substantijs, destruuntur alia omnia*, puta communes naturæ, & accidentia, quæ

ad

ad esse actualis existentiæ, intelligendum erit. Atsi primum illud pronunciatum pro secunda intentione intelligendum arbitremur; ut etiam, secundum, & quidem sic explicandum, ut cùm hîc spectetur prima substantia in ordine ad secundas, & ad accidentia in ratione subijcibilis, ut superiùs anima diuersum fuit; hęc autem omnia in ordine ad primam substantiam secundum rationem essentialiter, vel accidentaliter prędicabilis, cum relatiua posita se ponant, & perempta se perimant; consequens sit, ut sublatis primis substantijs, etiam secundę, & accidentia penitùs auferantur.

Quoniam autem secunda substantia nil aliud est, quàm substantia uniuersalis; ob id huic aptari poterunt, quę de uniuersali tractauimus; unde ad prędicationem, quod attinet, cùm dicitur secunda substantia prędicari de prima, reuocanda sunt ad memoriam quę de prędicatione uniuersalis attulimus; quare dicendum secundam substantiam sub ratione relationis ad primam, per se prędicari de illa, non quatenus est ens per accidens ex natura secundæ substantię, & relatione rationis constitutum, sed tantùm per rationem naturę, quę est unum ens per se, quę prędicari tamen non potest de prima substantia, nisi actu sit sub tali relatione rationis; itaut natura ipsa substantię prędicetur, ut substat intentioni, non quidem tanquam rationi formali prędicandi; sed veluti conditioni eam ponenti in statu uniuersalitatis, unde habeat, ut de prima substantia possit prędicari; ita fit ut tradita definitio secundę substantię non conueniat aggregato ex re, & intentione; sed potius definiatur substantiæ natura ut subest intentioni; vel intentio ut applicata eidem naturæ; adeout unum eorum directè, & principaliter sit definitum; aliud autem ut connotatum ingrediens definitionem per additamentum.

Quomodo substantia secunda dicatur prædicari de prima.

Cum autem dicitur, secunda substantia prædicari de prima, explicandum, quomodo id intelligendum sit, iuxta duplicem prædicationem exercitam scilicet, & signatam. Prædicatione quidem signatâ non est propriè substantiæ natura, quæ prædicatur de prima substantia, sed est uniuersalitas ipsa in concreto sumpta, hoc est, ut applicata substantiali naturæ, cuiusmodi est prædicari de pluribus, quia talis prædicatio fit per terminos secundæ intentionis, ut applicatos primis; loquendo tamen de prædicatione exercita, quæ fit per terminos primæ intentionis, substantialis natura est, quæ propriè de prima substantia prædicatur, non intentio. Illud enim exercitè prædicatur de subiecto, illud inquam, quod est in ipso; at verò substantialis natura propriè est in primis substantijs, non intentio; ergo natura erit, quæ propriè prædicatur de illis, & uniuersalitatis intentio erit duntaxàt conditio, quæ facit naturam substantialem in potentia proxima de primis substantijs prædicabilem. Sic igitur intelligendum secundam substantiam prædicari de primis, natura siquidem substantialis est in illis, in quibus multiplicatur, etsi non secundum esse essentiale naturæ; multiplicatur tamen secundum esse reale physicum, quod recipit à parte rei; proindèque de ipsis prædicari potest signatâ scilicet, & exercitâ prædicatione, sensu nuper explicato.

SECTIO QVINTA.

Difficultates quædam circa primam substantiam expenduntur.

Prima difficultas

VIdetur Philosophus ineptè substantiam primam sumpsisse definiendam. Nam vel quod per *hanc definitionem* explicatur est aliquid singulare, vel quidpiam commune. Non primum, quoniam singulare non est definitionis capax, unde Plato, ut accepimus, singularia dicebat esse ab arte reijcienda. Neque secundum, quia definitio, definito repugnaret; hæc enim inuicem aduersantur, videlicet esse commune, siue uniuersale, & non dici de subiecto; si nanque de subiecto non dicitur, singulare, & non commune esse debet. Hanc eandem difficultatem de indiuiduo disputantes attulimus; eodemque modo soluenda. Dicendum igitur per hanc definitionem explicari aliquid, quod est singulare, ut quid, est tamen commune ut modus, vel singulare essentialiter, at verò commune, ac uniuersale denominatiuè; vel ut alij loquuntur, est singulare, ut quod, sed uniuersale ut quo; quanuis igitur non dici de subiecto repugnet communi ut quid, & contra; non tamen repugnat ei, quod est commune ut modus; potest enim incommunicabilitas, communis denominari, & ex ea tamen oriri, ut nullum eorum, in quibus est, communicari possit; quia scilicet illud est incommunicabile ut quid & essentialiter, communicabile autem ut modus, siue denominatiuè. Solutio.

Secunda difficultas

Erat primæ substantiæ definitio, quòd *non sit in subiecto, nec de subiecto dicatur*, videtur tamen haud benè exprimere definiti naturam. Essentia enim primæ substantiæ, utcunque fuerit accepta, vel scilicet pro substrato, vel pro formali, est aliquid positivum; non benè igitur per negationem explicatur. Assumptum probatur ex eo, quia indiuiduum substantiæ est quid positivum, cùm talis sit substantia materialiter sumpta, & relatio etiam, quâ refertur ad ea, quæ substentat; consecutio autem optima, quia quod positivum est, non benè per negationem explicatur, cùm hæc illi contraria sit. Et in huius confirmationem illud facit, quòd substantia formaliter relatio est; proindèque debuit per suum terminum definiri; non ergo per negationem, cùm hæc talis terminus non sit. Fit satis respondendo per geminam illam negationem in primę substantiæ definitione positam, circumscribi positivum illud, per quod prima substantia constituitur, prior enim negatio circumscribit modum positivum perfectatis, quo substantia constituitur ab accidente distincta; negatio verò altera positiuam indiuiduationis differentiam circumscribit; per quam ei de subiecto, hoc est de inferiori dici repugnat; quæ superiùs etiam adnotauimus, ubi pariter addidimus definitionem tam primæ, quàm secundæ substantiæ tam pro prima, quàm pro secunda intentione posse explicari: ad confirmationem verò dicendum primam substantiam pro prima intentione sumptam, haud relationem dici posse, benè tamen pro secunda in abstracto tamen accepta, nam in concreto quid relativum dici debet, relatione rationis sic enim est respectus rationis; at hunc in modum accepta definitur, ut patet, per suum correlativum fundamentaliter acceptum. Confirmatio. Solutio.

Tertia difficultas

Obijci etiam & illud solet. Hæc definitio conuenit alijs à definito; ergo mala. Assumptum inde constat, quia conuenit Deo, siquidem ipse non est in subiecto, nec de subiecto dicitur; & tamen nec prima, nec secunda substantia dici potest; non secunda, quia non est uniuersalis; non prima, quoniam alijs non subest, scilicet accidentibus. Occurritur negando assumptum, & ad probationem ipsius, dicendo per geminam illam negationem id insinuari, quod Deo non conuenit, nempè esse per se subsistens, ita tamen ut accidentibus subsitet; talis enim est prima substantia spectans ad rectam prædicamenti lineam. Solutio.

Quarta difficultas

Amplius. Prima substantia dicitur de hac, & de il-

Solutio. la prima substantia; ergo prima substantia dicitur de subiecto, hoc est de inferiori. Huius difficultatis solutio constat ex dictis hactenus de indiuiduo; prima nanque substantia, ut modus, siue denominatiuè communis est pluribus, ac proinde de pluribus potest prædicari; unde hâc ratione dicitur de subiecto, hoc est de inferiori; sumpta tamen ut quid, & essentialiter, ut non est communis pluribus, ita nec etiam poterit de pluribus prædicari, quâ ratione de subiecto, hoc est de inferiori, non dicitur.

Quinta difficultas. Nec multum habet momenti, & est alia difficultas, quòd aliqua dentur, quæ non sunt in subiecto, nec de subiecto dicuntur, ut hæc materia, hæc forma, cùm tamen non sint prima substantia.

Solutio. Respondendum enim per definitionem primæ substantię insinuatam illam intelligi, quæ esse completum habet, utpotè spectans ad rectam prædicamenti lineam.

Quoniam verò substare dicebatur attributum esse, quod priùs, & principaliùs primæ substantiæ conueniat; est cur dubitetur de huius propositionis veritate.

Sexta difficultas. Omne enim attributum pluribus singularibus conuenit, merito cuiusdam communis rationis ab ipsis participatæ; substare autem est attributum commune omnibus substantijs primis; oportet igitur, ut ipsis conueniat merito cuiusdam rationis ab ijsdem participatę; talis autem ratio nequit esse, nisi secunda substantia; ergo huiusmodi attributum priùs, & principaliùs secundæ, quàm primæ substantiæ accomodatum erit.

Solutio. Respondendum dicendo, etsi substare priùs, & principaliùs concedi debeat secundæ substantiæ, tanquam rationi formali, unde profluit; non tamen tanquam subiecto, in quo sit affectionis, ac attributi exercitium; actus enim substandi priùs exerceretur in primis, quàm in secundis.

Adnotatio Adnotandum autem singulare, siue primam substantiam relatam ad uniuersalem, siue secundam dici magis substantiam, eò quòd prima rationem substantiæ prius prioritate perfectionis participat, quod ut intelligatur. Supponendum substantiam, suam hanc sortiri nomenclaturam, vel à substando, vel à subsistendo, priori modo denominatio est relatiua; posteriori autem absoluta. Illa quidem respectum præfert, quoniam substare, nil aliud, quàm sub alio stare, aut subesse alteri, vel ut inferius superiori, vel ut subiectum accidenti. Altera verò ratio penitus est absoluta, propterea quòd subsistere, nil aliud sibi vult, quàm per se stare, in quo substantiæ natura consistit, & quam prior illa ratio consequitur. Si hanc autem essentialem rationem attendas, æquè omnibus substantijs conuenire fatearis necesse est, cùm æquè omnibus *per se esse* prout hoc excludit inhærere, conueniat. Et inspecta subsistendi ratione, nulla erit illa substantiæ partitio in primam, & secundam, neque singularis magis erit substantia, quàm uniuersalis.

Quorundã instantia. Dices cum quibusdam, ni fallor, secundum quoque subsistendi rationem, substantiam primam magis esse substantiam, quàm secundam, quia prima substantia perfectiori modo subsistentiam, quam secunda, prima nimirum immediatè, secunda verò mediatè, participat, eo nomine, quòd suppositi ratio primò quidem, immediatèq; indiuiduis; at communibus naturis non

Responsio nisi per indiuidua, conuenit. Hæc tamen insulsa ratiocinatio, quandoquidem subsistere non unius notionis est; primò nanque sumitur pro perse esse, quo pacto excludit inhærere; secundò prout idem sonat ac incommunicabiliter, ut quo, & ut quod per se existere, quod suppositi, personæque proprium est; cum autem inter huiusmodi substantias hæc, de qua loquimur, instituitur comparatio, penès id institui profectò debet, quod non uni proprium, atque peculiare, sed utrique commune est; huiusmodi autem est subsistere sumptum pro per se esse, prout inhærere quidem excludit, non autem acceptum pro incommunicabiliter, ut quo, & ut quod per se existere.

Sed contra, nam secunda substantia est species, ut homo, exemp. gratia, & prima substantia est indiuiduum, ut Socrates; sed species perfectior est indiuiduo; ergo secunda substantia perfectior est primâ, ideoque magis erit substantia etiam quantum ad essentiam, & per se esse. minor inde probatur, quia essentialis perfectio rei, ex prædicatis essentialibus sumitur, sed prædicata essentialia primò speciei & per eius participationem indiuiduo conueniunt. Argumenti solutio ex hac animaduersione, petenda quòd substantia bifariam accipitur. Primò, quantum ad essentiam abstractam ab actuali existentia, & subsistentia, quæ propterea solùm essentialia prædicata respicit. Secundò, sumitur pro essentia in ordine ad actualem entitatem, quam habet extra causas per actualem existentiam, & completam adhuc per subsistentiam; substantiam autem sic acceptam, ratio substandi accidẽtibus, prædicatisque superioribus consequitur; ex eo enim, quòd substantia per se subsistit, omnia substentare valet. Si igitur substantia priori modo sumatur, perfectiùs conuenit secundæ substantiæ, quàm primæ; secundo modo, & quatenus illi conuenit substandi proprietas, prima substantia perfectior quàm secunda dici potest, quoniam, ut paulo antea notaui, propriâ virtute substat; secunda verò non nisi virtute primæ.

Impugnatio.

Responsio atq; solutio.

Ex eo autem quòd Philosophus dixerit *Primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam, & inter secundas, speciem magis substantiam, quàm genus* non subinde redarguendus inconstantiæ, cum paulo post dicturus sit substantiam non suscipere magis, & minus, ut ex infra dicendis manifestum fiet.

Quod igitur substantia prima sit magis substantia, quàm secunda, debet penès relatiuam substandi denominationem attendi, cùm hæc ab una substantia perfectiùs, quàm ab altera participari possit, quatenus una potest substare pluribus prædicatis, & cum minori dependentia quàm altera; unde est, ut etiam collatis secundis substantijs inter se, species dicenda sit magis substantia, quàm genus. Maximè autem hoc primæ substantiæ consentaneum est, quoniam hæc magis adhuc substat, quàm species, nimirùm, & ijs, quibus species, & ipsi etiam speciei substat, quin etiam, & accidentibus; & perfectiori modo, ut non immeritò collata cum uniuersalibus substantijs, magis esse substantia dicatur.

Quod prima substantia sit magis substantia, quàm secunda, penès quid attendi debet.

Hoc tamen bifariam potest intelligi pro prima scilicet, & pro secunda intentione. Primò singularis substantia magis substantia dicitur, quoniam physicæ existentiæ, quam habet prima substantia, omnia innituntur; communes enim naturæ omnes, & accidentia omnia in ipsa, tanquam in ima basi fundantur; ipsâque de medio sublatâ, omnia corruant necesse est, quemadmodum ad existentiam eiusdem omnia quidem existunt. Quò celebre illud spectat Aristotelis effatum. Μὴ οὐσῶν ἄν τῆς πρώτων οὐσιῶν, ἀδύνατον τῶν ἄλλων τι εἶναι. *Destructis primis substantijs, impossibile est aliorum quidpiam esse*; propterea quòd prima substantia est veluti fundamentum, cui ad existentiam quod attinet, cætera omnia innituntur; unde est, ut eâ non existente, nihil possit existere; Et idcirco nulla substantia sit, destructisque primis substantijs, nihil possit remanere. Falsum tamen hoc existimandum quoad esse obiectivum, & essentiæ, nullo enim singulari existente, quidditas adhuc intelligi potest, formarique

Substantiam primam magis esse substantiã bifariam posse intelligi.

Primò, pro prima intentione.

de

de illa propositiones veræ, ac necessariæ possunt in ordine ad essentialia prædicata; ut ob id Porphyrius aliquando dixerit, *sublatis individuis, non propterea tolli species, vel genera*, & quia prima substantia, primò & immediatè existit, communes autem naturæ, secundariò & mediatè ad existentiam primarum, ob id secundæ substantiæ nuncupantur. Sic etiam substantia prima relata ad secundam dicitur magis esse substantia (eo scilicet modo, quo hæc denominatio iuxta prædicta ei potest conuenire) non quantum ad rationem perse essendi, quæ æquè est in prima, & secunda; sed quantum ad rationem substandi, quoniam substantia prima reipsâ pluribus substat, quàm communes naturæ, propterea quòd has essentialiter includit, & accidentaliter suscipit accidentia, quæ secundis substantijs non nisi intermediâ primâ conueniunt, & idcirco ab ipsis denominantur; ut Socrates substat essentialiter superioribus omnibus gradibus in substantiæ categoria contentis, qui secundæ substantiæ dicuntur; substat etiam, & accidentibus, & ut superiores illos gradus essentialiter includit, sic & accidentia accidentaliter recipit; quæ deindè secundis substantijs, nimirum homini, animali, viuenti &c. conueniunt, & ab huiusmodi accidentibus secundæ substantiæ per primam denominantur; non enim homo dicitur albus, vel niger &c. nisi quia Socrates, & Plato albus, vel niger est. Imo substandi ratio, quantumuis subsistendi rationem consequatur, quam æquè in secunda, & prima substantia reperiri fuit adnotatum; secundis substantijs per primam conuenit; si tamen prout in exercitio, non autem in aptitudine, quæ eius est affectio, sumatur. Secundo verò pro secunda intentione singularis, & prima substantia magis substantia dicitur, quàm uniuersalis, atque secunda, quoniam pluribus prædicatis, tam essentialibus, quàm accidentalibus substat; & hæc prima dicitur, quoniam in accidentalibus prædicationibus, puta esse album, esse nigrum &c. immediatè subijcitur; secundæ verò substantiæ hoc conuenit per primam ut dicebatur, cùm homo denominetur albus, eò quòd Socrates sit albus, adeout primariò hæc denominatio primæ substantiæ conueniat, secundariò autem secundæ.

At verò substantiæ denominationem, quod magis, vel minus substantia dicatur, attendendam esse penès accidentarias prædicationes ostendi potest, quoniam penès id hæc substantiæ denominatio debet attendi, quod ei sic proprium est, ut accidentibus consentaneum non sit; hoc autem est accidentibus, non autem superioribus essentialibus gradibus subijci, cùm his accidentia pariter subiecta sint; ergo hęc denominatio penès accidentarias prędicationes attendi debet maior certa, minor autem probatur; nam hæc albedo, hic calor suis essentialibus gradibus subijciuntur; subijci autem accidentibus & accidentarijs prædicationibus, sic est substantiæ proprium, ut accidentibus saltem ad eum modum scilicet per se primò, quo substantiæ conuenit, aptari minimè possit. Hinc autem singularis substantia eò quòd primò independenter ac immediatè his prædicationibus substat, prima substantia nuncupatur & magis substantia, quàm uniuersalis, sensu intra magis declarando.

Ad explicandam primam substantiam Philosophus his exemplis est usus *aliquis homo*, *aliquis equus*. Hoc tamen difficultate non caret, cùm neuter eorum, prima substantia videatur esse dicenda. Prima namque substantia est, quæ non dicitur de subiecto, hoc est, *quæ non potest de pluribus predicari*; at aliquis homo de pluribus potest enunciari, licet enim dicere, Socrates est *aliquis* homo, Plato est aliquis homo, & ita de reliquis; ob id aliquis homo dicetur de subiecto, proindèque prima substantia non erit.

Maximè controuersum est, num *aliquis homo*, *aliquis equus* &c. sit prima substantia, ut autem quid nobis hac de re sentiendum videatur, aperire possimus, quędam de individuo vago breuiter subijciemus, copiosiùs eadem in Metaphysica tractaturi; & ut hinc exordiar. Individuum vagum nil aliud est, quàm res singularis, sed incerta, sensu mox explicando, dicitur vagum ab intellectu, non ex eó, quòd obiectum inse tale sit, cùm omnia potius, quę à parte rei existunt, reipsâ determinata sint; sed quoniam vitalis actus vagè fertur in illud, & quantum est ex se, non magis ad hoc, quàm ad illud terminatur; itaut non sistat intellectus in aliquo certo singulari, sed per plura disiunctiuè vagetur, ut propterea hoc sit nomine insignitum; unde est, ut vagum formaliter non rem connotet, sed modum, quo confusè à potentia cognoscitur, & attingitur, quod ab intellectus imperfecto cognoscendi modo profiscitur; ut propterea huiusmodi cognitio in intellectum diuinum cadere minimè possit; hæc autem ad voces translata longè clariora fient. Terminus enim vocalis cùm diuiditur in ordine ad res significatas, partitionem subit in terminum communem, & singularem, prętermisso communi, utpotè minus ad rem faciente; singularis subdiuiditur in determinatum, collectivum, & vagum. Determinatus est, qui per proprium nomen, vel per commune cum nomine demonstratiuo rem ipsam singularem determinatè significat, ut Socrates, hic homo, ille homo &c. Vagus qui rem singularem indeterminatè tamen significat, nimirum per terminum communem, & signum particulare, ut quidam homo, aliquis homo; collectiuo neglecto, cùm de hoc in prętentia sermo futurus non sit; de vago dicendum. Terminus igitur vagus in voce consistens, ut *quidam homo*, *aliquis homo*, mihi videtur rem determinatam significare; quoniam aliquis homo, nil aliud utiq; sibi vult, quàm vel Socratem, vel Platonem, hunc hominem, vel illum hominem, quibus terminis rem singularem significamus; hoc tamen interest, quòd cum nos dicimus *Socrates*, vel, *hic homo*, significamus rem determinatam non solùm, sed etiam determinatè; at cum dicimus *aliquis homo*, significamus rem determinatam, sed indeterminatè; unde cùm asserimus terminum vagum significare rem singularem indeterminatam, intelligendum est indeterminationem se tenere ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ. Et hoc ex eo euidens, quia terminus vocalis substituitur loco termini mentalis, siue conceptus formalis, quem elicit intellectus; at huiusmodi conceptus dum fertur in individuum vagum, confusus est, seu confusè repræsentat, esseque vagum dicit in recto singulare cognitum, connotat tamen in obliquo confusum modum, quo cognoscitur, hoc est connotat illam indeterminationem cognitionis; huius enim confusa repræsentatio, quædam indeterminatio est. Itaque individuum vagum erit aliquid singulare determinatum, sed per terminum vocalem indeterminatè significatum, & per mentalem indeterminatè repræsentatum.

Quod ex eo quoque confirmatum redditur, quia cùm dicimus *aliquis homo*, nil aliud ex communi omnium consensu dicimus, quàm vel Socratem, vel Platonem, vel hunc, vel illum hominem, ac proindè individua determinata, sed sub disiunctione, quod est individua determinata, sed indeterminatè significari. Hoc autem consentaneum est modo loquendi; Individuum enim vagum componitur ex hoc termino *quidam*, *vel aliquis*, & ex termino communi, *homo*, *ani-*

Nùn aliquis homo, aliquis equus &c. sit prima substantia.

Vnde individuum dicatur vagum.

Terminus duplex cõmunis, & singularis.

Singularis rursùs ex determinatus, collectivus, & vagus.

Terminus vagus rem determinatam, sed indeterminatè significat.

Confirmatio.

Digitized by Google

mal &c. At terminus *quidam* duobus modis potest usurpari. Primò prout denotat idem ac terminus *singulare*, unde idem est dicere, *quidam homo*, ac *singularis homo*, *quoddam animal*, ac *singulare animal*, quo sensu nil aliud est, quàm complexum quoddam ex duabus rationibus, constans, nimirùm ex ratione indiuiduali, rationeque communi. Secundò ijdem termini *aliquis*, *quidam* sumi possunt syncategorematicè, itaut per se nihil significent, sed tantùm denotent, categorematicum terminum, cui coniunguntur, sumi pro al quo singulari sub disiunctione. Difficultas tamen est de huiusmodi singulari; Nam quibusdam placuit, per prædictos terminos non significari aliquod singulare & indiuiduum in particulari, sed importari multa singularia disiunctim. His tamen non assentior, cum potius credam significari determinata indiuidua, sed indeterminatè, ut dicebam; disiunctio enim illa indeterminationem importat, non ex parte rei significatæ, & representatæ, sed ex parte modi significandi, & repræsentandi. Et iuxta prædicta intelligi debet indiuidui vagi definitio, quæ gemina est, prout duobus modis indiuiduum vagum sumi potest, videlicet vel pro prima, vel pro secunda intentione.

Superiora clarius explicantur.

Sed ut clarius intelligas, reuoca ad memoriam, quę de indiuiduo signato dicta sunt; hoc enim duobus hisce modis posse usurpari, superius adnotatum fuit. Indiuiduum enim signatum pro prima intentione est aliquid incommunicabile alijs à se ipso, & significatur per terminum discretum, vel communem cum pronomine demonstratiuo, ut Socrates, Plato, hic homo, hic lapis &c. Idem autem acceptum pro secunda intentione, est secunda quædam intentio fundata super indiuiduo pro prima intentione, cognito comparatiuè in ordine ad obiectum commune, prout sibi repugnat diuidi in plura inferiora, diciturque prædicari de uno solo, scilicet de se ipso, quæ quidem secunda intentio sumitur vel in abstracto, vel in concreto, ut alijs aduerti. Eodem modo indiuiduum vagum, spectari potest pro prima, & pro secunda intentione. Sumptum pro prima intentione est, quod significatur per terminum communem, cum signo particulari, ut quidam homo, aliquis lapis, aliquod animal &c. At idem acceptum pro secunda intentione, est quædam secunda intentio fundata super eodem indiuiduo pro prima intentione, cognito comparatiuè per ordinem ad obiectum commune, prout sibi repugnat indeterminatè diuidi in plura, quâ ratione dicitur indeterminatè prædicari de uno solo, sic aliquis homo est indiuiduum vagum primò intentionaliter acceptum, cùm sit id, quod significatur per terminum communem homo, cum signo particulari *quidam* unde hic terminus, *quidam homo*, est terminus vagus, quia etsi significet singulare, quod reipsâ est determinatum, cuiusmodi est Socrates, Plato, hic, vel ille homo; significat tamen indeterminatè; itaut indeterminatio non se teneat ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi.

Indiuiduum signatum, pro prima, & pro secunda intentione sumitur.

Indiuiduum vagum, pro prima, & pro secunda intentione sumitur.

Quomodo detur conceptus communis indiuidui vagi.

Vt autem ex eo quod esse indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio sic, ut non sit communicabile pluribus, tanquam superius inferioribus, nec proindè alijs à se communicari possit, commune est omnibus indiuiduis signatis, dandum esse conceptum indiuidui signati simpliciter, & uniuersè, dicebamus; ita pariter ex eo quòd esse indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio sic, ut non sit pluribus commune nec alijs à se communicari possit &c. indeterminatè significatum, & repræsentatum commune est vagis omnibus indiuiduis, dandum esse conceptum indiuidui vagi simpliciter & generatim, fateamur oportet. Hoc tamen nil aliud, quàm quòd indiuiduum signatum universè non sit commune ut quid, sed ut modus, non propterea tamen concedendum, quòd aliquis homo sit quid commune pluribus, cùm potius dicendum sit aliquod singulare determinatum, licet indeterminatè significatum, & repræsentatum, quod est significari plura sub disiunctione, ut sæpè dictum à nobis fuit.

Ad nouæ Disert. I. Sect. 1.

Vt ad extremum quid de prima substantia dicendum sit, præter ea, quæ alibi tradidimus, notanda sunt, quæ sequuntur, nempè quòd sex isti termini, seu voces, unum numero, singulare, indiuiduum, suppositum, hypostasis, & persona ex parte conueniunt, & ex parte differunt. Conuenientia in eo posita est, quoniam omnes *hoc aliquid*, & rem incommunicabilem videlicet Socratem, hunc equum, hanc quantitatem &c. significant. Discrepantia verò in eo sita est, quoniam unum numero, singulare, & indiuiduum, singularibus rebus cuiuscunque prædicamenti, siue nimirum substantiæ, siue accidentium conueniunt; At suppositum, hypostasis, & persona, rebus singularibus prædicamenti substantiæ conuueniunt, quorum ratio ex eorum significatione peti debet. Vnum enim numero ideo dicitur, quia non facit diuersum numerum, sed unum duntaxat significat. Singulare autem dicitur, eò quòd sibi repugnet in plura sibi subiecta diuidi, ac inferioribus communicari, in neutro aliqua secunda intentio quidem occurrit. Indiuiduum dicitur tandem, quoniam de uno solo duntaxat potest prædicari; vel quia & in idem recidit, de nullo alio à se dici potest & secundam intentionem inuoluit, quæ cùm in omnibus prædicamentis locum habeat, ob id unum numero, singulare, & indiuiduum, de singularibus rebus, cuiusque prædicamenti dici possunt. At verò suppositum, hypostasis, atque persona, cùm alioquin in eo conueniant ut solum in substantię prædicamento sedem obtineant, eiusque rebus singularibus conueniant, in eo tamen differunt, quòd suppositum, & hypostasis, rebus omnibus singularibus siue animatis, siue inanimis, siue intelligendi facultate præditis, siue carentibus ad substantiæ prædicamentum spectantibus conueniunt; at verò persona conuenit tantùm singularibus intellectualis naturæ. Ad suppositum, aut hypostasin redeo. Hoc sanè dicitur, quod est subsistens, & quidem trifariam, prout totidem modis dicitur etiam subsistere. Primò prout idem sonat quòd per se esse, & non in alio ad modum accidentis, quo sensu conuenit omni substantiæ, tam completæ, quàm incompletæ; & per istud subsistere substantia differt ab accidente. Secundò subsistens dicitur illud ens, quod perse existit independenter ab alio, tanquam à subiecto, & substentante, quo pacto materiales formæ subsistentia carent. Tertiò tandè maximè propriè dicitur illud subsistens, quod ita est per se existens, ut habeat ultimâ actualitatem, adeout perse ordinabile non sit ad aliquem actum simpliciter, ultra illum, quem habet, nec alteri esse possit essendi ratio; sed omninò incommunicabile sit ut quo, & ut quod. Et hoc est illud subsistens quod cum supposito conuertitur, solumque primæ substantiæ conuenit, unde iuxta primam usurpationem, forma substantialis cesetur subsistere; iuxta secundam etiam materia, non autem forma, excepta anima intellectrice; iuxta tertiam neque forma, neque materia; sed substantia completa, singularis tamen directè spectans ad prædicamentum substantiæ; hæc enim excludit omnem incommunicabilitatem, tam respectu subiecti per modum formæ, quàm respectu totius per modum partis constituentis, quàm respectu suppositi alieni per modum naturæ.

Subsistere trifariam dicitur.

Vt ad primam substantiam reuertar, hæc planè sic

Re-

tur consideratio de prima substantia.

se habet, ut eius ratio nequeat indiuiduis, vel singulis tantùm conuenire? ut ex dictis cuique potest exploratum esse; sed amplius requiritur, ut huiusmodi singularia sint suppositua, vel personæ. Num autem suppositum, vel persona significetur per terminum communem cum signo particulari, controuersum est.

Assertio.

At iuxta dicta de indiuiduo vago crediderim affirmandum, itaut aliquis homo ex. gr. sit prima substantia, cùm enim sit indiuiduum vagum, & hoc, ut superius ostendimus, etsi indeterminatè, significat tamen indiuiduum signatum, quod suppositum, & prima substantia dici potest, consequens sit, ut aliquis homo, prima substantia dici mereatur.

Initio proposite difficultatis septimæ solutio.

Difficultatem autem initio propositam diluere ex hactenus disputatis operosum non erit. Respondendum est enim, cum dicimus Socrates est aliquis homo; Plato est aliquis homo, non fieri prædicationem alicuius de subiecto, nimirum superioris de inferioribus, ad hoc enim requiritur prædicatio formalis, quâ, quod est commune pluribus, de pluribus prædicetur, quod in hac prædicatione minimè contingit, cùm per ipsam prædicetur idem indeterminatè significatiùm, de eodem determinatè significato, itaut identica sit prædicatio, quantum ad rem significatam, etsi non eadem quantum ad modum significandi; dumque fit illa prædicatio Socrates est aliquis homo; tollatur indeterminatio, quâ vagum indiuiduum laborat.

Adnotatio

Cæterùm non præteribo illud aduertere per hos terminos *Suppositum*, & *Hypostasis* idem significari; nam Τροσωπον *hypostasis*, plures significationes habet, præsertim autem Græcis idem sonat, quod Latinis subsistentia, seu naturæ subsistentia, res subsistens, res natura, & reuerâ subsistens, cui opponitur ἰυσασις *emphasis*, unde significatu non differt à suppositio, quamobrem, ut *quidam homo* ex dictis prima substantia, proindè quia suppositum est, ita & hypostasis dici potest.

Quo sensu prima substantia pri mo, principaliter, & maximè substare dicitur.

Est autem consideratu dignum, quâ ratione prima substantia dicatur, quæ *propriè*, & *principaliter*, & *maximè substare dicitur*. Optimè autem id enunciatum fuisse dicendum. Ponitur enim *propriè* ad differentiam accidentium, quanuis enim accidens dici possit accidentis subiectum, non ita tamen ut accidentis, cui subijcitur, ultimò, quemadmodum substantia dependentiam terminet. Dicitur etiam *principaliter*, ad differentiam secundarum substantiarum, quæ non substant accidentibus, nisi prout in primis existunt, non enim homo dicitur iustus, vel iniustus, nisi quatenus Socrates, vel Plato aut iustus, aut iniustus existit; Additur *maximè* ad ostendendum primas substantias pluribus substare, quàm secundas; non solùm enim prima substantia substat omnibus alijs, quibus secundæ; sed insuper etiam ipsis secundis, & pluribus modis &c.

1. Dict. ex 1. Aristotelis locus explicatur.

Nec existimandum minus hoc Aristotelis doctrinæ consentaneum, quòd aliquando pronunciauerit, *uniuersalia magis esse substantias, quàm singularia*. Non enim ex propria, sed ex Platonis opinione locutus est, qui constituebat ideas singularibus separatas, easque magis esse substantias asserebat.

Nona difficultas.

Ex hactenus disputatis diluta manet illa, quæ plerosque vexauit difficultas. Homo enim ex. gr. substantia secunda, pluribus subsistat accidentibus, quàm Socrates, cùm & huius, & aliorum itidem indiuiduorum simul accidentibus subijciatur; consequens igitur, ut potius secunda substantia magis subsistet, proindèque magis substantia sit, quàm prima. Neganda tamen est consecutio, adhuc enim Socrates, magis substantia, quàm homo in ratione substandi dici debet; tum quia pluribus prædicatis loquendo, etiam de essentialibus, subsistat; tum quia tametsi habito sermone de accidentalibus tantùm, paucioribus subsistet, adhuc tamen magis substare dicendus Socrates, proindèque prima substantia, quia pluribus modis præstantiori; ratione, scilicet virtute propriâ, immediatè, ac sine dependentia ab alio, subsistat. Secunda verò substantia, nimirum homo, iisdem subsistat cum dependentia tamen ab indiuiduis. Vbi aduertendum substandi actum debere quidem attendi, qui tamen prius in primis, quàm in secundis substantijs exercetur, quibus non conuenit, nisi mediatè, & cum dependentia à primis, unde aptitudo substandi prius secundis, actus tamen prius conuenit primis; quod intelligendum tam in ordine ad accidentia communia, quàm propria; quin etiam ad essentiales gradus, si de actu substandi sermo fiat.

Solutio.

Adnotatio

Decima difficultas.

Dices substare accidentibus, est affectio consequens substantiæ rationem constitutem in eo, quod est subsistere; ergo cui prius huiusmodi ratio conuenit, eidem quoque prius talis proprietas conueniet; sed ipsa subsistendi ratio prius communibus, uniuersalibusque substantijs conuenit; ergo iisdem prius quoque substare accidentibus conueniet. Obuiam itur, negando minorem subillatam, quandoquidem substantiæ ratio simpliciter, ac uniuersè, prout ab accidente distinguitur, vel æquè omnibus competit substantiis primis, atque secundis, quatenus omnibus, æquè repugnat inhærere alteri; vel si sit admittenda quædam analogia, dicendum perfectiori modo conuenire primis, quàm secundis, cùm primæ secundarum uniuersam perfectionem, & aliquid amplius includant.

Solutio.

Difficultas decima prima.

Ex his tamen dubitandi occasio; propterea quòd si iisque conuenit communis subsistendi ratio, consequens sit, ut substandi proprietas ab ipsa communi subsistendi ratione proueniens, æquè pariter iisdem conuenire debet. Mala tamen hæc consecutio; proindèque neganda, tametsi nanque subsistendi aptitudo æquè hisce substantiis, imo etiam prius secundis substantiis conueniret, adhuc tamen substandi actum, primis substantiis prius conuenire dicendum foret, cùm talis actus prius quidem in primis, quàm in secundis substantiis exerceatur, quandoquidem in secundis, nisi per primas exerceri non potest. Quod autem dicebatur de communibus accidentibus, quibus substantia substat; aptari commodissimè potest accidentibus propriis, seu proprietatibus, ut nuper adnotatum fuit; nam hæc accidentia, quanuis ad existentiam necessariamque connexionem, & aptitudinem quod attinet, prius naturis conueniant, posterius autem indiuiduis, primisque substantiis; ad actum tamen, & exercitium quod spectat, contrario modo se res habet, propterea quòd aptitudo ad ridendum, prius homini conuenit, quàm Socrati, & huic eò quòd homo est; sed actu ridere, prius conuenit Socrati, quàm homi-

Nam difficultas

Solutio.

homini, & huic eò quòd Socrati eius individuo, conuenit.

Ex primis substantijs una non est magis substantia quàm alia.

Et quoniam substandi actus omnibus æquè conuenit primis substantiis, ob id ex ipsis una non est magis substantia, quàm alia. Philosophus tamen comparans primas substantias cum secundis, ut primas esse magis substantias concluderet; ita ratiocinatus est. Cetera omnia quę in prędicamentis locum habent, aut de primis substantiis dicuntur, aut in illis existunt ut in subiectis; ergo consequens fit, ut primæ maximè substantię sint; assumptum quoad utramque partem exemplis ostendit. Quoad priorem hunc in modum. Animal prædicatur de homine ut de subiecto; ergo & de aliquo ex singulis hominibus; si nanque de nullo singulari diceretur, nec etiam de homine, ut de subiecto posset affirmari, quod in cæteris substantiarum generibus intelligendum iubet. Quoad posteriorem hoc pacto. Color est in corpore ut in subiecto; ergo & in aliquo corpore singulari, nam si in nullo ex singularibus esset, nec in corpore esse posset; unde deduxit illud pronunciatum, cuius supra quoque meminimus; sublatis primis substantiis nihil posse remanere, cum omnia aut in illis sint, aut de illis prędicentur. Adnersus quæ videtur quibusdam difficultas, quoniam ratio substantię non in eo, quod est substare alijs, sed in perse esse consistit; tametsi igitur primę substantiæ pluribus subsint, quàm reliquæ, non continuò deducendum eas esse maximè substantias. Aliorum solutione prætermissâ, quid respondendum ex dictis apertè constat; quanuis enim quantum ad perse essendi rationem, nulla sit inæqualitas admittenda inter primas, & secundas substantias, ea tamen concedenda quoad rationem substandi.

Dubitatio

Fit satis.

Videtur etiam prima substantia, non esse magis substantia, quàm secunda; eò quòd secunda substantia est species, ut homo; & prima substantia est individuum, ut Socrates: sed species perfectior est individuo; ergo secunda substantia erit perfectior primâ, proindeque magis substantia. Assumptio constat, ex eo quia essentialis perfectio rei alicuius sumitur ex essentialibus prædicatis; sed prædicata essentialia primò conueniunt speciei, & per participationem eius individuo; ergo species perfectior erit. Hæc difficultas, ab alijs tacta, & soluta, aduertendo substantiam bifariam usurpari. Primò quantum ad essentiam abstractam ab actuali existentia, & subsistentia, ac proinde, quæ solùm essentialia respicit prædicata. Secundò pro essentia, in ordine ad actualem entitatem, quam habet extra causas per actualem existentiam, & completam quidem per subsistentiam. Substantiam autem hoc modo sumptam sequitur proprietas substandi accidentibus, & superioribus prædicatis; quoniam ex eo quòd substantia per se subsistat, potest omnia substentare. Respondent igitur si substantia priori modo sumatur, perfectius conuenit secundæ substantię quàm primæ; hâc tamen significatione in præsentia non sumitur; si autem accipiatur in secunda significatione, quatenus illi conuenit substandi proprietas; hoc significatu, concedendum primam substantiam esse perfectiorem secundâ cùm propria virtute subsistet; at verò secunda non nisi virtute ipsius &c.

Difficultas decima secunda.

Solutio.

Molestum forta sse videbitur, quod prima substantia magis substantia dicatur, quàm secunda, & species, quam genus. De hac tamen difficultate paulo infrà sermo redibit.

Difficultas infra discutienda.

SECTIO SEXTA.

Difficultates nonnullæ circa secundam substantiam perpenduntur.

De secundis substantijs. Prima difficultas.

VErum enim verò ex antea traditis futurũ neminẽ existimo, qui non intelligat, quantum in secundis explicandis substantiis difficultatis; & quantum laboris sim habiturus, in primo siquidem limine considerandum occurrit, qui fieri possit, ut omnis substantia communis, ac uniuersalis, etsi pertinens ad rectam prædicamenti lineam, dici secunda substantia valeat, ut Philosophus enixè contendit. Difficultatis enim vis non exigua; propterea quòd substantiam in uniuersum diuisionem subiisse in primam, & secundam tanquam genus in species intelligi posse cùm hac in re versaremur tam diuiso, quàm membris diuidentibus secundo intentionaliter acceptis, ostendimus; quo admisso fatendum erit inferius constitui supra superius; enimverò dicendo secundam substantiam esse genus ad primam, & secundam, si quæ diuiditur tanquam genus dicatur secunda substantia, nulli dubium quin substantia, quæ est superior, si secunda dicatur, infra secundam constituatur, quæ comparatione illius inferior est; ne igitur hoc sequatur incommodum, negandum erit, substantiam illam uniuersalem, diuisam in primam, & secundam esse secundam substantiam; ac ob id asserendum non cuicunque substantiæ uniuersali secundæ substantiæ rationem conuenire.

Solutio.

Hæc eadem difficultas proponi solet ad ostendendum uniuersale non esse genus ad quinque uniuersalia; propterea modo non absimili diluenda. De uniuersali autem sic proponitur difficultas. Si uniuersale foret genus ad illa quinque, sequeretur inferius constitui supra superius, dicendo siquidem quòd uniuersale est genus, constituitur uniuersale, quod est superius, infra genus quod est eius inferius; ne igitur hoc sequatur absurdum, inficiandum est uniuersale esse genus ad illa quinque. Obuiam itur dicendo quòd uniuersale continet subse genus essentialiter, & vicissim accidentaliter continetur sub genere, quatenus affici potest genereitatis modo; unde genus ut quid, est inferior ad uniuersale, quod ut modus esse potest superius. Sic de secunda substantia philosophandum; nempè substantia prædicamentalis, continet sub se substantiam secundam essentialiter, & vicissim sub eadem accidentaliter continetur, quatenus affici potest eo, quo secunda substãtia secundo intentionaliter constituitur, Scholastici dicerent, modò secundeitatis substantiæ, unde substantia secunda ut quid, est inferior ad substantiam prædicamentalem, & est superior ut modus; neque mirum, nam rectè potest aliquod diuisum accidentaliter contineri sub aliquo ex membris diuidentibus, ut de uniuersali perspicuum est, quod, sub altero ex membris diuidentibus, nempè sub genere accidentaliter continetur. Quibus assentiendum, admissâ doctrinâ superius traditâ, nimirum quòd quanuis substantia suprema capta pro prima intentione diuidi non patiatur in primam, & secundam, quoniam ut sic naturam communem, non autem singularem, ac individuam significat, qualis per primam substantiam importatur; sumpta tamen pro secunda intentione potest in eas, veluti suas species, diuidi; hunc enim in modum *ut quid* conceptum dicit præcisum à secundis intentionibus uniuersalitatis, & individualitatis, velut à suis speciebus; solumque concipitur uniuersalis *ut modus*.

Secunda difficultas

Hic tamen adhuc paululùm hærendum est, cùm alia

alia suppetat dubitandi ratio; substantia siquidem illa suprema, quæ diuiditur, accidentaliter prædicaretur de substantiis secunda, & prima, quod non admittendum, quando concedatur huiusmodi diuisio esse veluti generis in species; nullum enim genus de suis speciebus accidentaliter potest prædicari; assumptum indè probationem desumit, quoniam intentio una alteri applicata, ut modus denominatiuam, & accidentariam prædicationem efficit; at cum dicimus, substantia secunda est prędicamentalis substantia; tunc illa intentio substantiæ prædicamentalis applicatur secundæ substantiæ, ut modus; quoniam est ratio, sub qua secunda substantia consideranda suscipitur; suprema igitur illa prædicamentalis substantiæ ratio accidentaliter de substantia secunda prædicabitur. Sed hæc difficultas eadem est, ac illa quæ de uniuersali fieri solet, ad ostendendum ei generis rationem, respectu quinque uniuersalium esse denegandam. Sic enim argumentatio conficitur. Vniuersale accidentaliter de illis quinque prædicatur; perperàm igitur ei ratio generis respectu quinque uniuersalium tribuitur, cùm nullum genus accidentaliter de suis speciebus possit prædicari. His fit obuiam negando quidem assumptum, & ad eius probationem dicendo, maiorem tantummodò concedendam esse, quando intentio alteri applicata, ut modus, est inferior, vel disparata: non autem quando est superior, ut in hac propositione, genus est uniuersale. Similis in re proposita est adhibenda solutio; qualis enim est illa propositio, genus est uniuersale, talis est hæc nimirum, substantia secunda est substantia prædicamentalis, ea enim, quæ secundæ substantiæ applicatur intentio substantiæ prædicamentalis, communior est, atque superior. Rectè propterea *Philosophus* asserebat, uniuersalem omnem substantiam esse substantiam secundam, & viciſſim.

Soluțio.

Tertia difficultas.

Substantijs uniuersalibus, proindèque secundis veram substantiæ rationem fortasse quispiam denegabit, eò quòd solùm indiuidua substent accidentibus, cùm hæc ab eorum principijs profluant, non autem uniuersalia, cuiusmodi secundæ censentur substantiæ; his igitur deneganda substantiæ ratio, cùm hæc à substando desumi debeat. Immeritò tamen uniuersalibus substantijs vera ratio substantiæ adimitur, prout hęc à substando suam accipit nomenclationem, quamuis enim illæ primariò, & perse non substent accidentibus; substant tamen secundariò, quatenus in primis existunt substantijs; accidens enim, quod primis immediatè ineſt, consecutione quâdam secundis inesse dici debent.

Solutio.

Quarta difficultas.

Sed acriùs hunc in modum argumentantur. Communes, uniuersalesque substantiæ singularibus priores sunt, ac ob id naturâ prius ijs substantiæ ratio, nimirum esse perse, quàm indiuiduis conuenit; potius igitur uniuersales substantiæ dicendæ primæ, & singulares secundæ. Satis tamen est obuia responsio; quamuis enim uniuersales substantiæ priores dicendæ sint, secundum esse essentiæ, tam quoad esse perse, quàm quoad aptitudinem substentandi; non propterea tamen, quoad actum, & exercitium, utriusque, ut superius monuimus.

Solutio.

Quinta difficultas.

Amplius obijciunt. Genus generalissimum de subiecto, hoc est de inferioribus dicitur, & nihilominus non prædicatur nomine, & ratione, hoc est definitione de inferiori, cùm definitionem non habeat; non enim supra se genus admittit, ex quo eius definitio contexi possit; perperam igitur Stagirites enunciauit, secundas substantias de subiectis speciebus, & indiuiduis univocâ prædicatione, hoc est nomine, & ratione, siue definitione prædicari. Respondendum quòd quamuis genus generalissimum propriam definitionem quidditatiuam non habeat, secundum quam de subiectis inferioribus prædicetur, eò quòd omninò sit genere destitutum, in inferioribus tamen essentialiter inuoluitur, & eius qualiscunque definitio, seu potius descriptio fuerit, ijsdem conuenit, ut propterea nomine, rationeque dici possit de inferioribus prædicari.

Solutio.

Aristotelis locus affectur explicandus.

Dum autem pergeret Philosophus dicebat. Τῶν δὲ ἐν ὑποκειμένῳ ὄντων, ἂν μὲν ὄνομα μὴ ἐνδέχηται, οὐδὲ τοὔνομα, οὔτε ὁ λόγος κατηγορεῖται τοῦ ὑποκειμένου. ἐπ' ἐνίων δὲ τοῦ ὄνομα μὲν οὐδὲν κωλύει, κατηγορεῖσθαι· ὁ δὲ λόγος, ἀδύνατον. οἷον, τὸ λευκὸν, ἐν ὑποκειμένῳ ὂν τῷ σώματι, κατηγορεῖται τοῦ ὑποκειμένου. λευκὸν γὰρ τὸ σῶμα λέγεται. ὁ δὲ λόγος ὁ τοῦ λευκοῦ, οὐδέποτε κατὰ τοῦ σώματος, κατηγορηθήσεται. *Eorum verò, quæ in subiecto insunt permulta sunt, quorum neque nomen, neque definitio de re subiecta dicitur: nonnullorum nomen nihil prohibet, interdum de subiecto dici; etiamsi non possit definitio, veluti candidum, cùm sit in subiecto corpore, de subiecto dicitur. Candidum enim corpus dicitur, at candidi definitio nunquam de corpore dicetur.* Docet autem ex ijs, quæ in subiecto sunt, quædam interdum nomine, quædam verò neque nomine, neque ratione de subiecto prædicari. Vt album cùm sit in subiecto nimirum corpore, prædicatur nomine de subiecto, quoniam corpus dicitur album; ratio tamen albi nunquam de corpore dicitur; enimverò Philosopho consilium erat probare solas secundas substantias esse genera, & species primarum, in cuius gratiam ob id cum primis substantijs secundas, & accidentia contulerat, quibus illæ subsunt, atque dixerat, ex hactenus disputatis manifestum esse, quod eorum, quę de subiecto dicuntur, necesse est, & nomen, & rationem de subiecto prædicari, ut homo de subiecto quodam homine dicitur; prædicatur enim, & nomen, siquidem homo de quodam homine dicitur, & ratio, seu definitio quoque hominis de quodam homine prædicatur, cum rectè dicatur, homo est homo, & est animal rationis particeps; nunc se ad accidentia conuertit, & ait, hæc collata cum prima substantia non eodem se habere modo, cùm multa nec secundum nomen, nec secundum rationem, ideſt definitionem; aliqua verò secundum nomen, nulla tamen secundum rationem, prædicentur. Cùm igitur docuisset secundas substantias de primis quidditatiuè prædicari, nunc docet accidentibus hoc minimè conuenire; propterea quòd ex his quædam sunt, quæ solo nomine de subiecto prædicantur, ut Grammaticum de Aristarcho, & album de cygno; quædam autem ne quidem nomine, quod interpretes de accidentibus in abstracto intelligendum volunt, eò quòd ex. gr. albedo nec nomine, nec ratione de cygno prædicatur, siquidem hæc non est admittenda prædicatio, cygnus est albedo. Vel forsan hoc ideo à Philosopho fuit pronunciatum, nimirum ex accidentibus quædam esse, quæ nec nominetenus de substantia prædicari possunt, quoniam pleraque sunt, quibus nullum est impositum nomen concretum, saltem communi usu receptum, quod subiectum ipsum denominet; cuiusmodi perhibetur virtus, cuius concretum, virtuosum communi eruditorum calculo rejicitur. Alia verò sunt, quorum concreta licèt usurpari soleant, in subiecta tamen non cadunt, sed potius in ipsamet accidentia, qualia sunt inhærens, & disponens, prout à dispositionibus deriuantur.

Sexta difficultas.

Difficultas autem est, quoniam Philosophus dicit, sæpè nomen ipsum accidentis, non autem definitionem de subiecto prædicari, ut cum dicitur, corpus est album, quoniam album nomine quidem de corpore prædicatur, eò quòd corpus appellatur album, non tamen

Digitized by Google

men definitione; propterea quòd albi definitio non licet ad corpus deducere; non enim album, & corpus unâ ratione possunt definiri. Hoc tamen à veritate, quam maximè distare censetur, cùm non solùm nomen, sed etiam definitio accidentis secundùm illud nomen prædicari rectè videatur; siquidem dicitur, corpus est album, quod est accidens nomine de subiecto prædicari; est corpus coloratum disgregativum visus, quod est idem accidens definitione de subiecto prædicari. Soluitur difficultas aduertendo, cum dicitur definitio de subiecto non prædicari, non negari definitionem concreti accidentis, quocunque modo de subiecto affirmari, ut enim de homine prædicamus album dicendo, ipsum album esse; non dissimiliter de eodem enunciamus esse coloratum disgregativum visus, quod est albi definitio; sed non prædicari, itaut definitio accidentis concreti, ita sit definitio primæ substantiæ, ut de ipsa non secùs ac definitio secundæ substantiæ possit affirmari; definitio igitur accidentis concreti de subiecto prædicatur, non tamen ut definitio, quasi hæc explicet subiecti naturam, quod est de aliquo prædicari secundum rationem nimirum, ut definitio sit essentialis ei, de quo dicitur. At verò definitio albi ex. gr. æquè extrinsecùs, ac nomen ipsum de corpore prædicatur, ut mirandum propterea non sit, si æquè definitio, ac accidens denominativè; non tamen essentialiter de subiecto prædicetur, quod est nomine, rationeque prædicari. Hinc diluta manet huic affinis altera difficultas, nempè quòd de quocunque prædicatur definitum, etiam definitio prædicari debet; at verò accidens concretum de subiecto prædicatur; ergo, & definitio eiusdem, ac ob id nomine, rationeque de subiecto prædicari debebit. Solutio ex proximè dictis petenda.

Illatio.

Septima difficultas.

Alicui forsan videbitur nullum dari accidens, in subiecto existens, quod nomine de subiecto ipso non prædicetur; propterea quòd omnis forma dans esse alteri, dat etiam nomen illi, proindèque nomine de eodem prædicatur; at verò accidens abstractum est forma dans esse subiecto; propterea secundùm nomen de subiecto prædicetur oportet. Hæc tamen ratio non infringit Philosophi dictum, is enim tantummodò contendebat, ex accidentibus aliquod esse, cui nullum est impositum nomen concretum, saltem usu receptum, nomen inquam, quod subiectum denominet, ad rem ipsam tamen quod attinet, dicendum gemino modo formam spectari posse, vel per modum totius, ut est concretum, quo pacto ei nomine de subiecto prædicari non repugnat: vel per modum partis, ut est accidens in abstracto sumptum, secundum quam acceptionem ei nomine de subiecto prædicari non conuenit.

Solutio.

Octaua difficultas.

Circa secundas substantias non leues difficultates supersunt. Dicebat enim Philosophus, secundas substantias esse uniuersalia; primas autem singularia; est tamen de hoc cur dubitetur, propterea quòd uniuersali naturæ videtur quædam unitas numeralis tribuenda, dum enim intellectus meus concipit naturam quandam, puta humanam abstrahendo illam ab indiuiduis, ut sic præcisa, numero videtur distincta ab animalis natura, quatenus hæc etiam ab inferioribus præcisa est. Non solùm igitur substantiæ primæ; sed etiam secundæ videntur singularia dicendæ. Hâc tamen argumentatione nihil conficitur; propterea quod numeralis unitas in duplici discrimine est, quarum una realis; altera verò obiectiua dici consueuit; hæc enim dicitur unitas in ratione obiecti intellecti, quatenus sicut formalis conceptus naturæ est unus numero; ita pariter obiectum eius in ratione obiecti per denominationem extrinsecam, à conceptu mentis dici potest, quia natura illa ut sic cum tota sua communitate est unum de numero intelligibilium.

Nona difficultas.

Quidam autem ut probent ea, quæ secundæ substantiæ dicuntur, non esse substantias, hunc argumentantur in modum. Quæcunque sunt in subiecto, & de subiecto dicuntur, sunt accidentia; at quæ appellantur secundæ substantiæ sunt, in alio; nimirum in primis, & de alio dicuntur, puta de iisdem primis; ergo quæ appellantur secundæ substantiæ, sunt accidentia; non ergo substantiæ. Non inficiandum secundas substantias in primis, ac proindè in alio esse; hoc tamen gemino modo contingit, vel ut superius in inferiori suo, vel ut accidens in subiecto; cum igitur dicuntur secundæ substantiæ in alio esse, & de alio prædicari, concedendum iuxta priorem, & negandum iuxta posteriorem modum, quo aliquid dici potest esse in alio, & de alio prædicari.

1. post. c. 17.

Solutio.

Ad idem etiam sic obijci solet. Nullum commune substantia dici potest; at secundæ substantiæ sunt quædam communia; ergo substantiæ censeri non debent. Et in huius confirmationem addunt. Quod est uniuersale non est substantia; sed secundæ substantiæ sunt uniuersalia, propterea quòd prædicantur de primis; ergo non erunt substantia. Eo tamen sensu illæ sunt admittendæ propositiones, nempè quòd quæ sunt communia, & quæ sunt uniuersalia, non sunt substantiæ, ut nemini datum sit inde colligere ijs, quæ secundæ substantiæ nuncupantur, denegandam esse substantiæ rationem; illarum enim propositionum hic intellectus, nimirum, ut quæ communia & uniuersalia sunt accepta pro secunda intentione, nunquam possint esse substantiæ; secùs autem pro prima, nam communes, uniuersalesque naturæ, quæ in primis existunt substantijs; meritò sibi substantię rationem possunt vendicare.

7. Diuis. rex. 17.

Decima difficultas.

7. Diuis. 6.

Confirmatio.

Solutio tã difficultatis, quàm confirmationis.

Stagirites autem primas substantias cum secundis, & secundas interse conferens, nonnulla dicit, de quibus est dubitandi occasio. Dicit enim, primam substantiam propriè, & principaliter, & maximè dici, & ita disputat; Quod non eget alijs, sed alia indigent illo, perfectius est illis; at primæ substantiæ non egent alijs, & cætera omnia egent ipsis, vel in essendo, vel in prædicando; ergo primæ substantiæ sunt perfectiores, nobilioresque cæteris alijs.

Aristotelis locus.

Dubitatio tamen occurrit, quoniam idem Philosophus primam laudibus extollit philosophiam, eòquòd de rebus præstantissimis, hoc est uniuersalioribus edisserat, & uniuersales demonstrationes particularibus præfert; quoniam de rebus dignioribus, videlicet uniuersalibus contextæ sint; uniuersalia igitur particularibus dignitate putat antecellere; at secundæ substantiæ sunt uniuersales; primæ verò substantiæ sunt particulares; fatendum igitur erit secundas substantias primis dignores, ac præstantiores esse. Et hoc eò lubentius videtur dicendum, quoniam ex eo confirmatum redditur quòd æterna nobiliora sunt corruptibilibus; at secundæ substantiæ sunt æternæ; propterea non ineptè concluditur, secundas substantias primis dignitate præire. Antequam autem difficultatem propositam diluas, aduerte, propositionem illam, quod non eget aliis, sed alia egent ipso, simpliciter non admittendum, sed duntaxàt de causa principe; nam in instrumentalibus locum non habet; at prima substantia secundis princeps est causa eorum, quę eiisdem tribuuntur, ut propterea Philosophus probaturus intentum rectè propositionem illam assumpsisse dici debeat. Ad difficultates quod attinet, non inficiandum uniuersaliora dignitate minus uniuersalibus aliquo modo præire; aliâ autem ratione non item, eorum

Decima prima difficultas.

Solutio.

Digitized by Google

rum enim æternitate inspectâ; itemque communitate, quâ se possunt pluribus communicare, nulli dubium quin præstantiora singularibus dicenda sint; at si existentiæ, & actualitatis ratio spectetur, contrario modo se res habet.

Aristotelis doctrina perpenditur. Et quoniam Philosophus in eadem collatione secundarum substantiarum cum primis persistens confert cum illis & secundas substantias, & accidentia, universalem propositionem enunciat dicens; alia omnia, nempe substantias secundas, & alia scilicet accidentia dici de substantijs primis, & in ijs esse; propterea conatur id exemplis illustrare, è quibus unum desumit a substantia dicens, ut animal prædicatur de homine; ergo de quodam homine. Alterum desumit ex accidentibus dicens, color est in corpore; ergo in quodam corpore; unde concludit destructis primis substantijs impossibile esse aliquid aliorum remanere.

Decima secunda difficultas Sed in his grauis est difficultas, circa illam, quâ utitur, argumentationem; propterea quòd à superiori ad inferius affirmando; & ab inferiori ad superius negando ex Dialecticorum doctrina progredi non licet; malè igitur Stagirites intulit, animal prædicari de aliquo singulari homine; & vicissim, si non prædicatur de aliquo singulari; nec etiam de homine prædicari.

Solutio. Respondendum Dialecticorum doctrinam sic intelligendam esse, ut argumentum affirmativum à superiori ad inferius, & negativum ab inferiori ad superius non valeat, quando ut progressus ad inferius determinatum, & ab inferiori determinato; ut si quis argueret homo est iustus; ergo Socrates, & Plato est iustus; Socrates non est iniustus; ergo homo non est iniustus, illationes fallaces committeret; secùs autem si affirmando descenderet ad inferius indeterminatum; ut homo est iustus; vel descenderet negando non quidem ab aliquo inferiori certo, vel incerto; sed ab omnibus simul acceptis; tunc enim utraque illatio admitti potest. Prima enim initiatur regulæ priori è duabus positis in Anteprædicamẽtis; nempè; Quando aliquid affirmatur de aliquo, ut de subiecto, quæ affirmantur de prædicato, affirmantur etiam de subiecto, quæ etsi tradatur de prædicatis essentialibus absolutè, ut suo loco monuimus, ad accidentalia pariter cum supradicta limitatione potest extendi. Secunda autem fundatur in lege arguendi à sufficienti partium enumeratione, quam Philosophus in præsentia quidem usurpat; unde optima est consecutio, nullæ sunt primæ substantiæ; ergo nec etiam secundæ. Nec vicissim hoc dici potest, quoniam sit sermo in ordine ad existentiam, quæ primò conueniunt indiuiduis, & per hęc omnibus naturis; ac proindè primis substantijs, & per has secundis.

Decima tertia difficultas Quidam autem superius Aristotelis effatum, *Destructis primis substantijs impossibile* &c. ex eo improbant, quia destructo singulari homine, atque adeo primâ substantiâ, remanet anima intellectiua; imo etiam, & corpus pro altera parte cum suis accidentibus. falsum igitur destructis primis substantiis non posse aliquid aliorum remanere. Hoc tamen non magis de homine, quàm de omnibus mixtis; quinimò, & simplicibus corporibus, scilicet elementis; si hęc corruptibilia dicantur & accidentia in materia recipi existimentur, horum enim omnium destructis primis substantiis eorum aliquid remanet; nam destructâ primâ substantia viuentis, remanet corpus pro altera parte cum accidentibus suis; destructa primâ substantiâ mixti inanimis, remanent elementa cum suis accidentibus, & *destructâ* primâ substantiâ elementi, remanet materia, quibusdam antiquis accidentibus retentis. Prætermissis varijs respondendi modis, difficultati credidi occurrendum, dicendo destructis primis substantijs, nihil remanere, sic intelligendum esse, ut non remaneant communes naturæ, proindèque secundæ substantiæ in ipsis inclusæ; nec remaneant accidentia, prout ad ipsas substantias pertinebant, hoc est quatenus ipsas denominabant.

Solutio. Cùm autem Philosophus primæ substantiæ summam perfectionem ostendisset cæterisque omnibus dignitate præire demonstrasset; operæ pretium duxit, inter secundas substantias comparationem instituere; de quibus ita sentit, ut ex ipsis cum quędam sint species, & quędam genera, speciem genere perfectiorem esse contendat: quod ut probet geminâ ratiocinatione concludit, è quibus, prima est huiusmodi. Quod est propinquius perfectissimo enti, est perfectius eo, quod est remotius; at species est propinquior primæ substantiæ, hoc est magis significans eius naturam, quàm genus; percontanti enim de aliqua prima substantia quid sit, longè quidem euidentius assignabit speciem, quàm genus; hoc est magis primæ substantiæ naturam per speciem, quàm per genus explicabit; ergo species est magis substantia, quàm genus. Secunda, quâ utitur, ratio est, quia quæ magis substant, sunt magis substantiæ; at verò species magis substant, quàm genera; siquidem & iisdem generibus subijciuntur.

Decima quarta difficultas In his tamen difficultates non desunt, è quibus prima in eo posita est, quòd Philosophus non videtur sibi constare; dicendo nanque secundarum substantiarum speciem magis esse substantiam, quàm genus, videtur admittere substantiam suscipere magis & minus, quod tamen in sequentibus apertè negat. Hęc difficultas, quę alioquin de prima substantia fieri etiam poterat, commodius tractabitur, cùm de quinta substantiæ proprietate nobis differendum fuerit.

Solutio. Secunda est etiam difficultas aduersus eam, quâ primo loco est usus, probationem. Dicebat enim, speciem esse magis substantiam, eo quia primæ substantiæ propinquior sit, quod videtur tamen à veritate penitus abhorrere, propterea quòd genus prius conuenit primæ substantiæ, quàm species; Socrates enim prius est animal, quàm homo; ergo animal propinquius est primæ substantiæ, quàm homo; at verò animal est genus, homo verò est species; ergo genus propinquius est primæ substantiæ, quam species. Decima quinta difficultas

Solutio. Ad hanc difficultatem explicandam, aduerte, genus propinquius esse primæ substantiæ, quàm speciē bifariam intelligi posse; primò viâ generationis, quatenus prius quàm species ad esse primæ substantiæ concurrit, quo pacto non inficiandum genus esse primæ substantiæ propinquius, quàm speciem. Secundò quantum ad modum essendi eiusdem primæ substantiæ, quâ ratione minimè concedendum genus esse primæ substantiæ propinquius, cùm potius speciem hunc se habere in modum fatendum sit.

Decima sexta difficultas. Amplius quod magis cum prima substantia conuenit, atque maiorem habet affinitatem, illi propinquius existimari debet; genus autem huiusmodi est, cum utrumque indeterminatum quidpiam, & quodammodo infinitum sit, quoniam substantia prima, quippè quę singularis est, in infinitum potest multiplicari; genus autem ratione confusionis suę, dicitur aliquid indeterminatum, ob id genus propinquius primæ substantiæ, quàm species erit; at si quod propinquius est primæ substantiæ, magis etiam substat, consequens fit ut genus magis substantia sit, quàm species. Sed hinc nec etiam quidquam aduersus Aristotelis doctrinam concluditur; quandoquidem indiuiduum secundum accidentarias conditiones, quanuis indefinitum sit, quantum tamen ad esse substantiale, secus se res

Solutio.

Digitized by Google

habet; at verò genus secundum tale esse, aliquid indeterminatum est.

Decima septima difficultas.

Tertio loco alia difficultas occurrit contra secundam Aristotelis probationem: dicebat enim speciem magis esse substantiam, quàm genus, quoniam species magis substat; hoc tamen à veritate plurimum distare videtur; propterea quòd genus pluribus substat accidentibus, quàm species; substat enim accidentibus plurium specierum; species autem unius speciei tantùm; ergo genus magis substantia, quàm species ipsa dici debebit.

Solutio.

Explicatio difficultatis hæc erit, quòd licet genus pluribus substet accidentibus quo ad numerum accidentium, quàm species; non tamen quo ad plures substandi modos, quoniam species, substat alteri, ut subiectum accidentibus; alteri verò ut superius inferiori suo.

Dum progreditur, comparationem instituit inter infimas substantiarum species, contendens eas esse æquè substantias, eâ ratione ductus; quoniam æquè declarant naturam primarum substantiarum; nam si quis, inquit, petat quid sit quidam homo, æquè benè respondetur per hominem, ac quærenti quid sit quidam equus per equum; amplius comparat primas substantias interse, simulque docet omnes æquales esse perfectionis substantias, quod exemplo tantummodò confirmat. Nihil enim, inquit, magis quidam homo substantia est, quàm quidam bos.

Decima octaua difficultas.

Dubitatio tamen occurrit; nam homo ex. gr. & leo sunt duæ species earum, de quibus Philosophus sermonem habet, nimirum atomæ, & nihilominus homo est perfectior leone, cæterisque speciebus animalis; falsum igitur, quod ipse contendit, speciem unam atomam, non esse magis substantiam, quàm alteram.

Solutio.

Rectè tamen ipse locutus est; tametsi nanque ex atomis speciebus una dici possit magis substantia, simulque perfectior alterâ, inspecto perfectionis gradu naturæ, vel essentiæ; non tamen quantum ad rationem substandi prædicatis, secundum hanc enim rationem ex atomis speciebus, nequit una esse magis substantia, quàm alia, nam una non pluribus quàm alia substat.

Solutionis impugnatio.

Sed contra sic licet arguere, ex hac enim responsione habetur illam esse magis substantiam, quæ pluribus substat; sed species una pluribus substat, quàm alia; ergo magis una, quam alia dici substantia debebit; nulla igitur allata responsio. Minor inde conuincitur, quia cygnus substat pluribus prædicatis, quàm homo, quia substat omnibus, quibus substat homo, & duobus aliis, nempè bruto, & aui, quæ quidem genera inferiora sunt animali; imò, & inter primas substantias, hoc idem euenire necessum est, siquidem cygnus iste singularis, substat eisdem generibus commemoratis, quibus quemadmodum non substat homo, ita nec etiam Socrates; hic igitur cygnus magis erit substantia, quàm Socrates.

Respõsio, impugnationiq; satisfit.

Rectè tamen ab aliis etiam adnotatum fuit, substare, duobus modis usurpari, videlicet intensiuè, & extensiuè. Intensiuè quidem accipitur in ordine ad virtutem substandi & hunc in modum, illud dicitur magis substare, quod propriâ virtute substat; & illud minus, quod virtute alterius. Extensiuè autem in ordine ad plura, vel pauciora. Ex his difficultatis enodatio perspicuè constat, imò, & aliorum, quæ hac de re fieri solent. Cum enim dicebatur primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam, intelligendum tam extensiuè, quàm intensiuè, nam prima substantia pluribus substat, quàm secunda, & etiam propriâ virtute substat; secunda verò non nisi virtute primæ; reliquæ autem comparationes intensiuè, non extensiuè debent intelligi; unde est, ut una species non sit magis substantia, quàm alia, quia nulla est, quæ alterius virtute substet. Ad argumentum quod attinet, eo tantùm probatur speciem unam magis, quàm aliam extensiuè, hoc est pluribus substare. Sed è primis substantiis, una non magis substat, quàm alia intensiuè, quoniam nulla est, quæ alterius virtute substet: sed quælibet virtute propriâ. At verò species magis substantia dicitur quàm genus utroque modo; extensiuè quidem, propterea quòd pluribus substat, cùm & ipsi generi, & cæteris quoque substet; & intensiuè pariter, quoniam etsi non substet virtute propriâ, quemadmodum nec etiam genus, propinquius tamen accedit ad id, quod propriâ virtute substat, nimirùm ad primam substantiam; unde est, ut species magis substare intensiuè dici possit. In idem recidit, quod alii dicunt; nam extensiuè magis substare, est substare multitudine pluribus; sed intensiuè, est pluribus modis substare, &c.

Deindè conferens primas substantias inter se, docet omnes æquè esse substantias, quod etsi tantùm exemplo confirmatum voluerit: ratio tamen non deëst, quoniam omnes primæ substantiæ æquè se habent in ordine ad ea, penès quæ unum habere potest, ut sit magis substantia, quàm aliud.

Decima nona difficultas.

Est autem cur dubitetur; nam si substantia una magis substantia dicitur, quàm altera, satis perspectum est hanc inæqualitatem in substando primis conuenire substantiis; imò etiam & speciebus infimis sub quibus illæ continentur; hinc enim habent substantiæ primæ commemoratam inæqualitatem in substando. Ita planè prima substantia speciei humanæ, & species ipsa magis substat, quàm prima substantia alterius speciei; prout homo pluribus accidentibus substat, quàm alia species substantiæ. Hæc autem difficultas æquè urget in speciebus atomis, ac earum indiuiduis, eodem igitur modo soluenda, dicendo nempè, & speciem infimam, & eius indiuidua substare quidem posse pluribus accidentibus, quàm speciem aliam & eiusdem indiuidua; hinc tamen concludi non posse ex speciebus infimis unam magis esse substantiam, quàm aliam, nec indiuidua unius, quàm indiuidua alterius, & primas substantias sic se habere, ut una sit magis substantia, quàm alia; propterea quòd in re, de qua agitur, non multitudo accidentium; sed modus, quo substantia illis substat, attendi debet; cùm igitur modus sit idem substandi tam in speciebus infimis, quàm in earumdem indiuiduis, primisque substantijs; propterea consequens fit, ut ex speciebus infimis una non sit magis substantia, quàm alia; nec indiuidua, siue primæ substantiæ unius, quàm indiuidua, primæque substantiæ alterius. Et ut concluderet ex dictis, cur ex omnibus, quæ de primis substantijs dicuntur, sola earum genera, & species secundas substantias appellauerit, duplici utitur argumento. Quorum primum in eo positum est, quoniam hæc tantùm primarum substantiarum naturam declarant, cùm alioquin cætera extranea sint; per quæ prædicata quidem intelligit completa, quæ ad rectam seriem alicuius prædicamenti spectant, aliàs non diceret reliqua omnia extranea esse, quia substantiales differentiæ sunt de ratione primarum substantiarum. Secundum ita se habet, quemadmodum substantiæ primæ reliquis omnibus substant, ita earum genera, & species omnibus aliis subiiciuntur; propterea quòd omnia realia accidentia, quæ in primis substantiis existunt, de illarum generibus, speciebusque prædicantur. realia autem dicebam accidentia; quoniam necesse non est, ut si quæ sunt intentionalia, eaque in primis existunt, de secundis itidem prædicentur.

Circa rationem utranque dubitatio contingit; primò

Vigesima difficultas

nò contra primam, quâ dicebatur, quicquid prædicatur de primis substantiis; si genus, & speciem excipias, extraneè prædicari, itaut quod non extraneè prædicatur debeat esse genus, vel species, quandoquidem differentia de prima substantia, ut rationale de Socrate, non extraneè prædicatur, & nihilominus nec generis, nec speciei rationem habet; perperàm igitur concludit solùm genera, & species primarum substantiarum dicendas esse secundas substantias, eò quòd non prædicentur extraneè; cùm aliqua sint huiusmodi, puta differentiæ, quæ tamen nec genera, nec species dici possunt. Solutio patet ex dictis, quia nimirum Philosophus sermonem habet de iis, quæ directè pertinent ad *prædicamenti* lineam; alioquin si spectent ad latera, *nihil* obstat, quo minus non prædicentur extraneè, & nihilominùs nec generis, nec speciei rationem obtineant.

Solutio.

Vigesima sexta difficultas.

Contra secundam rationem etiam dubitandum occurrit; quoniam dicebat accidentia substantiæ rationem sibi vendicare non posse, eò quòd nulli subsint, vel subijciantur; sed hoc saltem quibusdam falsum videtur, eo nomine, quòd, ut aiunt, animæ potentiæ sunt accidentia, quemadmodum etiam virtutes, & tamen his illæ subsant, & subijciuntur. Addunt præterea, color est accidens, superficies est accidens, & tamen superficies colori subsat, atq; subiicitur; sic diaphaneitas, quæ accidens est, subiicitur lumini itidem accidenti. Huic occurrere difficultati satis prodignitate intra Dialecticos limites non licet, cùm difficultas quædam attingat à Physico tractanda. Ne penitùs tamen solutionem præteriisse videar, nonnulla paucis comprehendam. Dicam igitur nullius roboris esse difficultatem desumptam ex animæ potentiis, moralibusque virtutibus, cùm non planè constet, potentias ab animæ substantia, tanquam accidentia reuerâ distingui, quin potius contrario modo rem se habere magni nominis Philosophiæ magistris non immeritò visum est; qua de re nobis in Physicis disputandum. Iuxta hunc igitur dicendi modum difficultas corruit; propterea quòd virtutes in animæ substantia recipi asserendum est. Difficilior est explicatio difficultatis eiusdem, prout à coloribus, & superficie desumptæ cùm de re agatur, quæ diù torsit Philosophorum ingenia; nihil enim difficilius, quàm aliquid decernere de quantitate, & coloribus, quod à veritate non abhorreat. Tametsi enim philosophorum vulgo nihil frequentius, quàm asserere concedendam triplicem speciem quantitatis, nempe lineam, superficiem, & corpus; itaut quælibet realiter à substantia distinguatur; itemque colorem accidentariam esse formam spectantem ad genus qualitatis, eamque realiter à substantia distingui; utcunque tamen se res habeat, de qua paulo post nobis futurus est sermo, cuique certum, atque perspectum, hinc nihil prorsùs concludi, cùm satis obuia responsio sit, colorem non in quantitate, sed in substantia recipi. Vt præterea longè propiùs ad veritatem accedere sententiam dicentium, colorem omnem nil aliud esse, quàm lumen, vel reflexum, vel refractum; & lumen nil aliud quàm effluvium lucidæ substantiæ; quod si ita est, quis adeò hæbeti est ingenio, qui non intelligat de medio sublatam difficultatem esse, cùm color non sit illa accidentaria forma, cui vel quantitas, vel substantia substerni debeat? Ad id autẽ quod de diaphaneitate addebatur, responsio facilis; propterea quòd diaphaneitatem in Physicis ostendam, accidentariam non esse formam spectantem ad genus qualitatis substantiæ superadditam; sed potius sic explicandam esse. Vel quod corpus diaphanum sit quia propter suam subtilitatem, magnamque fluviditatem aptum est concedere lumini, tanquam corpori subtilissimo, maximèque fluido ingressum, illudque intra se admittere, itaut inuicem citra tamen confusionem, & omnimodam partium discontinuationem permisceantur; atque hunc in modum lumini cœptum iter per lineam, si non geometricè, saltem physicè rectam prosequi liceat. Vel corpus diaphanum dicatur, quatenus ita porosum sit, ut per ipsius minutissimos, ac frequentissimos poros lumen statim possit diffundi, veluti per viam ad sensum omninò rectam, undecunque illud veniat, & quocunque proiectum, directumve intelligatur; dummodò commemorati pori materiâ quâpiam non repleantur, quæ lumini impedimento sit, quominus diffundi possit; de his tamen opportuno loco disserendum. Ratum interim sit, nullam esse difficultatẽ desumptam ex diaphaneitate, & lumine; vel quia res explicari potest, ut nuper dicebam; vel quia etiamsi lumen qualitas foret, facilè potest intelligi, ipsam nullo intermedio in substantia recipi materiatæ naturæ: itaut hæc proximè, ac nullo itidem intermedio illi subijciatur.

modis explicatur.

Explicatio prima.

Explicatio secunda.

SECTIO SEPTIMA.

De substantiæ proprietatibus, seu attributis.

Sex proprietates substantiæ. Arist. Cap. de substantia.

SEx numero substantiæ proprietates Philosophus recenset, de quibus hic disserendum. Ex his, quædam ei pro prima, quædam pro secunda, quædam pro utraque conueniunt, quatenus utroque modo possunt explicari.

Prima proprietas. Capite de substantia

Prima substantiæ proprietas est, quam ipse hisce verbis describit, Κοινὸν δὲ πάσης οὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι. *Commune omni substantiæ in subiecto non esse*. De his autem proprietatibus verba facturus ab ea ducit exordium, quæ tanquam præcipua in substantiæ descriptione usurpatur, nimirum *non esse in subiecto*, quod bifariam ostendit. Primò per inductionem, quoniam primæ substantiæ non sunt in subiecto, ut ex primæ substantiæ definitione perspicuè constat, quâ dictum est, primam substantiam nec de subiecto aliquo dici, nec in subiecto aliquo esse; præterea secundæ substantiæ nec in subiecto sunt, siue species sint ut homo, siue genera ut animal: hæc enim etsi de subiecto dicantur, hoc est de substantia prima, in ea tamen non sunt ut in subiecto; nam quæ in subiecto sunt, nomine duntaxat de illo prædicantur; at verò secundæ substantiæ & nomine, & ratione de primis dicuntur.

Hoc non est attributum proprii quarto modo.

Hoc eodem argumento demonstrat substantiarum differentijs hanc proprietatem conuenire; quoniam scilicet nomine, & ratione de primis dicuntur. Hinc tamen colligit proprietatem hanc rigorosam non esse comparatione substantiæ; hoc est non conuenire illi quarto, sed secundo proprietatis modo, siquidem conuenit omni, sed non soli, cum differentijs partibusque substantiarum conueniat. Quæ cùm alicui videri possent in subiecto esse, eò quòd in toto sint, proindèque ijs non deberi substantiæ rationem, ob id occurrens dicit reuerâ in subiecto non esse; quia quæ ita se habent non sunt subiectorum partes; nam esse in toto, quod partibus conuenit, non est esse in subiecto, prout in subiecto esse, in præsentia sumitur.

Prima difficultas. Solutio.

Quæret aliquis, nec immeritò dubitabit, cùm hoc sit proprium substantijs, quare vocetur commune. Sed hoc mirum esse non debet, quandoquidem proprium ad duo referri potest, & ad id cum quo reciprocatur, quâ ratione dicitur uni soli conuenire, & ad ea, de quibus tanquam uniuersale prædicatur, & hoc pacto dicitur esse commune pluribus. Ita quidem risi-

bilitas collatâ cum homine dicitur ei propria; at relata ad indiuidua sub homine contenta, communis quidpiam dicitur.

Secunda difficultas. Grauior est dubitandi occasio, quia nimirum videtur Philosophus asserere differentias non esse substantias; ait enim, non solùm hoc substantiæ proprium esse, verum etiam differentijs; hoc autem loquendi genere videtur differentijs substantiæ rationem adimere, quod in uniuersum à veritate tam remotum est, quàm quod remotissimum. Aliquas enim differentias accidentariæ naturæ concedendas non nego; non tamen omnes, cùm ijs, quæ ad substantiæ genus pertinent, substantiæ ratio debeatur. Hic locus diù torsit interpretes, meâ tamen sententiâ nullo labore difficultati fit satis; propterea quòd Philosophus non denegat differentijs simpliciter substantiæ rationem, cùm ipsum non præteriret, eas dici debere substantias, quæ adhoc pertinent genus, sed solùm docere voluit hanc proprietatem, de qua fit sermo, non solùm conuenire ijs, quæ & re, & modo substantia sunt, ut genus, species, & prima substantia, omnia scilicet, quæ in recta prædicamenti linea constituuntur, sed etiam alijs, nempe differentijs, quæ ad latera huius prædicamenti spectant, quæque etsi reipsâ substantiæ rationem participent, habent tamen modum qualitatis, ac ob id accidentis; unde re substantia sunt, modo tamen non item, velut illæ, quæ qualificant genus, cui aduenium; unde saltem non ita substantiæ sunt, ut quodammodò conditionem, atque naturam accidentis non emulentur.

Solutio. Adnotatio. Cæterum prima hęc affectio, scilicet in subiecto non esse, hoc est in nullo inhærere subiecto, duobus modis potest explicari, pro prima nimirum, & pro secunda intentione; priori modo idem est ac non inesse subiecto; secundo modo idem, ac aptum non esse de aliquo accidentaliter prædicari.

Tertia difficultas. Dubitandum amplius occurrit, quoniam negatio nequit alicuius rei proprietas esse; atqui non esse in subiecto negatio quædam est; ob id non esse in subiecto haud benè inter substantiæ proprietates recensetur.

Solutio. Sed iam superius fuit adnotatum huiusmodi negationes non accipi simpliciter, prout negationes sunt; sed potius quatenus his negationibus positivum quidpiam circumscribimus.

Quarta difficultas. 2. de Anima t. 2. 1. Phys. t. 82. Quorundã solutio. Solet etiam, & illud obiici, quòd hæc proprietas non cuicunque substantiæ conueniat, quandoquidem inter substantias forma itidem, substãtialis nuncupata, recensetur, & nihilominus est in subiecto, siquidem in materia recipitur, quæ quidem subiectum est. Sunt qui diluendam propositam difficultatem existimant dicendo, materiam in qua substantialis forma recipitur non absolutè subiectum, sed subiectum primum appellari, ut inde cuique liceat intelligere tale subiectum non esse illud, in quo recipitur forma accidentariæ naturæ, scilicet ens in actu; sed potius ens esse in potentia, ut si in eo fuerit recepta forma, possit hæc esse substantia; unde iam usus obtinuit, ut substantialis forma dicatur quidem in subiecto esse, non per inhæsionem, sed per substantialem informationem; cum autem dicitur in subiecto non esse, proprium esse substantiæ, intelligendum volunt, non esse per inhæsionem.

Vera solutio. Rectius tamen iuxta doctrinam superius traditam licet difficultati occurrere dicendo nimirum, substantialem formam in materia esse, tanquam in subiecto, ita tamen ut cum ea faciat unum simpliciter, unumq; primarium in natura constituat, accidentariam verò formam in eodem pariter esse subiecto, ita tamen, ut cum eo faciat unum quodammodò, & non simpliciter, proindèque secundarium unum quidpiam in natura constituat.

Quinta difficultas. Est etiam de elementis difficultas, propterea quòd hæc sunt quidem substantiæ, siquidem ex ipsis substantia mixti componitur, substantia verò ex non substantiis efflorescere certè non potest.

Solutio. Non inficiandum elementa reperiri in mixto, non tamen ad eum modum, quo aliquid in alio esse debet, puta per inhæsionem in subiecto, ut accidens dici possit; sed tanquam partes ex quibus illud consurgit. Foret autem mittere falcem in alienam messem in præsentia decernere, quonam pacto elementa in mixto, an scilicet virtute, an verò actu reperiantur; hoc enim Physici munus, cuius piget nunc personam gerere; sat igitur sit adnotasse quomodocunque elementa in mixto dicantur remanere, nihil referre, cùm nunquam in mixto sint dicenda ad eum modum, quo esse deberent, ut accidentia dici possent, ac ob id non esse substantias.

Sexta difficultas. Solutio. Sunt autem qui proprietatem hanc secundis substantijs conuenire negent, eò quòd secundæ substantiæ in primis sunt. Ineptè tamen, propterea quod secundæ substantiæ, velut uniuersalia in singularibus sunt, tanquam in inferioribus suis, non tanquam in subiecto, quod accidentis exposcit natura.

Solutionis impugnatio. Contra autem sic argues. Quæ sunt in singularibus per modum formæ qualificantis, sunt in illis tanquam in subiecto; at verò secundæ substantiæ hunc se habent modum; propterea quòd significant quale quid; ob id in singularibus tanquam in subiecto erunt.

Impugnationis confirmatio. In cuius confirmationem illud adijcies, nimirùm. Quod est in ente completo existente in actu, dicitur instar accidentis in subiecto esse; atqui secundæ substantiæ sunt in ente existente in actu; sunt enim in primis substantijs; quæ quidem entia completa sunt, & in actu; secundæ igitur substantiæ in subiecto erunt.

Impugnationi fit satis. Respondendum, ut paulò infra dicetur, vel quòd secunda substantia significet quale quid, quatenus importat substantiam uniuersalem non per se primò, & immediatè subsistentem, in quo videtur habere modum qualitatis, quæ non per se, sed per aliud existit; vel quòd secunda substantia significat quale quid, non actiuè ut differentia; sed passiuè, quatenus significat naturam ulterius communicabilem, & ut ita dicam, qualificabilem per ulteriores differentias.

Confirmationi occurritur. Et ad confirmationem admittendum quidem substantiam secundam in prima esse, tanquam eius principium, non tamen ita ut ei aduenial post eius esse completum; unde fit ut in ipsa non sit, velut accidens in subiecto.

Septima difficultas. Quoniam autem Philosophus dicebat, proprietatem hanc etiam differentijs consentaneam esse, à quibusdam eo nomine reprehenditur, quia omne qualificans aliud, in eo, quod qualificat, velut in subiecto est; at verò substantialis differentia qualificat aliud, nempè genus; ergo differentia in subiecto erit, quamobrem hæc affectio non bene differentijs adscribitur.

Solutio. Respondendum substantialem differentiam non aduenire generi tanquam constituto in esse completo, & non in via ad ulteriorem substantialem perfectionem, propterea qualificare illud, non instar accidentis; sed intra substantiæ lineam.

Adnotatio. Hæc prior affectio, de qua hactenus, non est prædicamentalis substantiæ propria, quarto proprietatis modo cum omni prorsùs substantiæ, tam scilicet infinitæ quàm finitæ, tam completæ, quàm incompletæ, tam primis, quàm secundis conueniat; quanuis enim, ut superiùs vidimus, secundæ substantiæ dicantur de subiecto, non tamen in subiecto sunt, quia natura non inhæret in inferioribus suis, quin potius illa, quidem in esse quidditatiuo constituit; conuenit etiam substantiali formæ licet; enim hæc in materia recipiatur & ab ea in esse, & fieri dependeat, si materialis fuerit, nunquam tamen

Digitized by Google

tamen illi dici potest inhærere, ut paulo antea notauimus. Tametsi autem hæc affectio non sit propria prædicamentalis substantiæ quarto proprietatis modo, est tamen ita propria substantiæ secundum totam latitudinem acceptæ, prout scilicet ab accidente secernitur.

Secunda proprietas. Arist. cap. de Substantia.

Secunda proprietas, quæ determinatè conuenit secundis substantiis, & ad earum extenditur differentias, ea est, quam describit Philosophus dicens, Τάρχει δ' ταῖς οὐσίαις καὶ ταῖς διαφοραῖς τὸ πάντα συνωνύμως ἀπ' αὐτῶν λέγεσθαι. *Ineſt autem ſubſtantijs, & differentijs omnia ſynonymus ab eis dici.* Vel ut Scholastici dixerunt, *proprium est secundæ substantiæ, uniuocè prædicari de primis*, hoc est, secundum idem nomen, & rationem *in illis* essentialiter inclusam. Manifestum est autem affectionem hanc penitùs intentionalem esse, quoniam prædicari secundarum est intentionum; perspicuum etiam intelligi debere de signata prædicatione, ut infra dicam.

Aristoteles autem hunc ferè disputat in modum; docet nimirum inesse substantijs, ac differentijs uniuocè prædicari; subdit deindè hoc non cuicumque conuenire substantiæ, cùm non conueniat primæ, nam, ut ipse loquitur, à prima substantia nulla fit prædicatio; postea verò declarat, quomodo secundæ substantiæ, differentiæque prædicentur, ut inde concludat species, ac differentias uniuocè prædicari; ait ergo secundarum substantiarum speciem de indiuiduis, & genus de specie, ac indiuiduis prædicari, quod etiam de differentiis intelligendum præcipit; intentam autem proprietatem ita concludit. Omnis prædicatio, aut speciei de indiuiduo, aut generis, vel differentiæ de speciebus est uniuoca; sed omnis prædicatio à substantiis deducta, ita se habet; ergo omnis prædicatio à substantiis deducta erit uniuoca. Maiorem probat, quia omnis prædicatio facta nomine, & ratione eorum, quę prædicantur, est uniuoca, sed omnis prædicatio speciei de indiuiduis, vel generis, aut differentiarum de speciebus, & indiuiduis ita se habet, fit enim nomine, & ratione eorum, quæ prædicantur; ergo omnis prædicatio speciei, aut generis &c. erit uniuoca; minorem primi argumenti ex eo probat, quia prima substantia de nullo dicitur; secundę autem, & differentiæ non prędicantur de aliis, quàm de inferioribus, quę vel sunt species, vel indiuidua. In progressu autem ostendit, si genus dicitur de speciebus, dici quoque de indiuiduis, suffultus regulâ illa in Antepredicamentis tradita, nempe; quando alterum de altero prędicatur, ut de subiecto, quęcumque de eo, quod prędicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicantur necesse est. Quod verò differentię uniuocè prędicentur, probat, eò quòd ratio differentię prędicatur de speciebus, & indiuiduis. Propositionem verò illam, quę nomine, & ratione prędicantur, uniuocè prędicari dici debent, ex uniuocorum definitione probatam intelligit.

Aristotelis sententia explicatur.

Adnotatio.

Interim adnotabo, prædicationem uniuocam in duplici esse discrimine, vel ita ut unum dicatur uniuocè prædicari essentialiter: vel dicatur prædicari uniuocè accidentaliter, vel ut aliis placet, aliud est uniuocè prædicari, & aliud esse uniuocum prædicatum. Primum importat, ut id, quod prædicatur, essentialiter includatur in iis, de quibus prædicatur. Secundum ut quod prędicatur, accidat iis, de quibus prędicatur, & de ipsis dici possit secundum idem nomen, eandemque rationem; Rem declaret exemplum; cum animal prædicatur de homine, leone &c. dicitur de ipsis essentialiter prædicari, propterea quòd in ipsis essentialiter includitur; sic etiam dum albedo prædicatur de hac, & illa albedine; color de albedine, & nigredine &c. Quando autem prædicatur album de niue, & lacte, dicitur uniuocè prædicari accidentaliter; seu album dicitur uniuocum prædicatum, eo quòd de ipsis dici potest secundum idem nomen, & rationem; non dicitur tamen absolutè prędicari uniuocè; quoniam in illis essentialiter non includitur.

Ex quo facile intelliges, ut hæc affectio solùm substantiis conueniat, accipiendam esse primam, & secundam substantiam propriè, prout pertinent ad hanc categoriam; alioquin si sumerentur pro quacunque natura uniuersali, vel particulari, poterit hæc proprietas & iam ad accidentium uniuersalia extendi, cum ipsa quoque de suis inferioribus uniuocè prædicentur, ut exemplo nuper explicui. Priori igitur modo nedum secunda substantia prædicatur de primis, sed etiam accidens commune de singularibus suis; non solùm enim homo prædicatur uniuocè essentialiter de Socrate, & Platone; sed etiam albedo de hac, & illa albedine, in quibus essentialiter includitur. Vnde fit ut hæc non sit proprietas quarto proprietatis modo substantię conueniens, nisi per prædicari uniuocè essentialiter, intelligatur prædicari secundum idem nomen, & secundum eandem substantialem rationem; *substantiali* accepto, prout deriuato à substantia, quatenus hæc ab accidente distinguitur.

Hoc attributum nõ est proprium quarto modo, nisi quodã sensu.

At si quæ se offerunt difficultates diluamus. Vtque hinc exordiar. Prima substantia uniuocè prædicatur de se ipsa; non igitur hoc secundæ substantiæ proprium, cùm primæ quoque conueniat. Difficultatis solutio in eo posita est, quòd cùm prædicari uniuocè dicitur attributum secundæ substantiæ; intelligendum de prædicatione propria, non de impropria, materiali, & identica, qualis est, quâ prima substantia prædicatur de se ipsa.

Prima difficultas

Solutio.

Amplius falsa hæc est prædicatio, Socrates est secunda substantia; perperam ergo dicitur secundis substantiis conuenire uniuocè prædicari de primis. Verùm enimverò substantia duobus modis accipitur, uno quidem pro secunda intentione, quo pacto nequit de primis prædicari, nisi prædicatione signatâ, dicendo, secunda substantia prædicatur de prima; alio modo sumitur, prout in prima intentione consistit, iuxta quam usurpationem secunda substantia de primis exercitè prædicatione potest prædicari. Ita fit, ut in terminis secundarum intentionum dicere non liceat, substantia prima est secunda; rectè tamen in terminis primarum; Socrates est homo, est animal, est rationalis.

Secunda difficultas

Solutio.

Reprehenditur etiam Philosophus, eò quòd proprium substantiæ dixerit esse quidem uniuocè prædicari, quoniam conuenit etiam accidentibus; nam accidentia non solum abstracta de suis inferioribus, ut dictum fuit, sed concreta quoque secundum nomen, & secundum definitionem de subiecto prædicantur, rectè siquidem dicimus, corpus est album, & est coloratum colore disgregatiuo visus. Respondendum prædicari uniuocè bifariam usurpari; primò sumitur uniuersè, & latâ quâdam significatione, prout idem est, ac prædicari uno nomine, & unâ ratione, siue prædicatum explicet, vel non explicet eius, de quo prædicatur, naturam; & hunc in modum accidentia dicuntur de prima substantia prædicari; vel potius uniuoca prædicata nuncupantur, quæ de aliis dicuntur. Secundò accipitur prout est idem ac prædicari uno nomine, & ratione; ita tamen ut eius, de quo fit prædicatio, explicetur essentia, atque natura; hoc autem pacto secundæ substantiæ duntaxat, earundemque differentiæ de primis prædicantur.

Tertia difficultas

Solutio.

Neque dicas, substantiam quoque de aliis accidentaliter prædicari; proindeque non admittendam superiorem doctrinam; assumptum patet ex iis, quæ de acci-

Quarta difficultas

dente

dente tractauimus, prædicamus enim substantialem formam de materia, dicimus nanq; materia est informata, prædicamus aurum de vase, siquidem dicimus vas est aureum &c. Respondendum enim substantiam itidem accidentaliter prædicari, sumendo accidentaliter prædicari per modum accidentis prædicabilis; cum autem hic asserimus, secundas substantias, & differentias de primis accidentaliter non prædicari; sumimus prædicari accidentaliter per modum prædicamentalis accidentis, quoniam huius prædicationis fundamentum est vera, ac propria inhærentia formæ, quæ prædicatur in subiecto, de quo prædicatur; huiusmodi autem inhærentia substantiæ omninò repugnat; ob id eidem cum Aristotele huiusmodi prædicationem dicimus repugnare.

Dissertat. 2. Solutio.

Et quia dictum fuit, substantiales differentias nomine, & ratione, hoc est definitione de primis substantiis prædicari; est cur dubitetur, differentia siquidem definiri non patitur, eò quòd definitio constare debet ex genere, & differentia; at verò differentiæ non potest dari differentia, per quam eius conficiatur definitio, alioquin foret abeundum in infinitum; vt igitur ex differentia non constat, ita nec etiam patitur definiri. Tametsi differentia non admittat propriam, & rigorosam definitionem; non propterea tamen fit, quin possit describi, explicarique magis eius natura, quàm per nomen importetur. Concedendum igitur non posse definiri definitione quidditatiua constante ex genere, & differentia perfectâ præcisione distinctis: negandum tamen descriptione magis explicari non posse, quàm per simplex nomen significetur. Vt præteream, quòd quando dicitur prædicari nomine, & ratione, non sumitur *prædicari ratione* prout idem est, ac prædicari definitione, sed prout idem significat, ac *prædicari essentialiter*; hoc autem non exposcit, ut quod prædicatur, genere, & differentia constet.

Quinta difficultas

Solutio.

Tertia substantiæ proprietas.

Tertia proprietas primis substantijs determinatè conueniens ea est, quam Stagirites his verbis expressit πᾶσα δ' οὐσία δοκεῖ τὸ δέ τι σημαίνειν. *Omnis verò substantia videtur hoc aliquid significare*; ideſt aliquod determinatum, & singulare, non ulteriùs communicabile, quod secundis substantijs non conuenit, cùm hæ significent quale quid, hoc est aliquod indeterminatum, uniuersale, & communicabile pluribus. Vbi aduertendum in præsentia *quale quid* non accipi ad eum modum, quo sumebatur, cum de uniuersalibus ageretur; ubi negatum fuit, genera, & species in quale quid prædicari; hoc enim loco sumitur, prout distinguitur ab *hoc aliquid*, quod significat substantiam, ita per se existentem, ut possit digito demostrari dicendo, hoc est aliquid: contra verò *quale quid* substantiam significat uniuersalem non perse primò, & immediatè subsistentem, sed per primam substantiam, quâ ratione videtur modum qualitatis habere, quæ scilicet non perse, sed per aliud existit. Alijs verò placet hoc attributum sic interpretari, ut secunda substantia dicatur significare *quale quid* non actiuè, ut differentia; sed passiuè, quatenus naturam ulterius communicabilem significat, & qualificabilem per essentiales differentias denotat.

Adnotatio

Animad uerſio.

Vt autem hæc affectio singularibus tantummodò consentanea sit, præ oculis habendum, cum dicitur, prima substantia *hoc aliquid* significare, non sic usurpandum, ut significet aliquid determinatum, ac unum numero, alteri inferiori ulterius non communicabile, quoniam iuxta significationem hanc, singularibus etiam accidentium aptari posset; sed amplius desideratur, ut illud determinatum, unumque numero significatum, ita sit incommunicabile, ut alteri nequeat communicari, nec ut superius inferiori, quod est esse incommunicabile *ut quod*, nec ut forma subiecto, siue substantialis, siue accidentalis, quod est esse incommunicabile *ut quo*. Nec omittendum, quòd cùm dicimus, primam substantiam hoc aliquid significare, & secundam quale quid, sumitur prima, & secunda substantia pro secunda intentione, cùm non solum nominibus, sed etiam intentionibus conueniat esse rerum signa, siue res ipsas significare; alioquin si pro prima sumantur intentione, dicendum erit actum signatum accipi pro actu exercito, ut cum dicitur, prima substantia significat *hoc aliquid*; perinde sit, ac si dicatur, *est hoc aliquid*. Itaque hoc, de quo loquimur, attributum ut proponitur, non substantijs, sed earum nominibus; & secundis etiam intentionibus accommodatur, etsi facile possit in res cadere, si pro *significare* intelligas *esse hoc aliquid*. Conuenit autem solis primis substantiis, ut nuper dicebam; nam secundæ, etsi videantur *hoc aliquid esse*, ideſt perse ultimò existere, ut Academicis placuit; potius tamen sunt *quale quid*; hoc est substantiæ sunt per modum qualitatis, siue formæ; nihil autem refert, quòd nomina secundarum substantiarum sæpe sæpius hoc aliquid significare dicantur, id enim, ut Philosophus loquitur, ob figuram appellationis contingit; vel quia non rarò primas substantias nominibus secundarum vocamus, ut Socrates quandoque vocatur sub nomine Socratis, quandoque sub nomine hominis; sic etiam ad significandam primam aliquam substantiam humanæ speciei, dicimus noui hominem; vel cùm sint nomina absoluta, significant secundam substantiam per se, quasi in nullo existeret. Hæc autem proprietas, siue ad nomina, & secundas intentiones comparetur, rationem habet proprij iuxta primam eiusdem usurpationem cùm solis substantijs, non omnibus tamen conueniat. Cùm autem Stagirites animaduerteret se dixisse, secundas substantias esse quale quid, ne quispiam in errorem labatur, huiusmodi substantias à qualitatibus non distinguens; ob id opportunum duxit, quid inter illas discriminis intersit, decernere; quod in eo positum esse contendit, nimirum ut qualitates sint formæ substantijs extrancæ, quibus earum naturæ minimè definiuntur; at verò secundæ substantiæ ita sint formæ suorum inferiorum, ut eorum essentias constituant, atque definiant. Ad *hoc aliquid* tria requiri solent. Primum quod sit indiuiduum, unde est, ut uniuersale nec significet, nec sit hoc aliquid; Secundum quod per se subsistet, cuius defectu nulla accidentia significant, vel sunt hoc aliquid; nec etiam secundæ substantiæ, quia non per se substant, sed quatenus sunt in primis; propterea quòd subsistere est suâ propriâ virtute stare. Tertium, quod huiusmodi indiuiduum sit in specie completum; hinc si quædam substantialis forma, ut anima rationalis separetur à corpore, prima dici substantia non potest, eò quòd etsi per se subsistens, utpotè substantia, sitque singularis, non tamen est indiuiduum in specie completum. Ex his cuique licebit aduertere, quam appositè Philosophus protulerit, primam substantiam significare, siue esse hoc aliquid. Nam hoc aliquid est indiuiduum subsistens habens esse in specie completum, unde id quod significat indiuiduum subsistens, significat hoc aliquid, sed omnis prima substantia hunc se habet in modum, significat enim indiuiduum perse subsistens, habens esse completum in specie; propterea rectè dicitur, prima substantia significare, vel esse hoc aliquid. Hoc idem tamen rectè concluditur ex incommunicabilitate superius explicata; nam quod singulare est, & est incommunicabile ut *quo*, & ut *quod* significat, vel est hoc aliquid; & ita est prima substantia, proindè &c.

Adnotatio.

Ad hoc aliquid tria requiri solent.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Circa

Prima difficultas. Circa superiùs dicta non nullæ se offerunt dubitationes, in quarum explicationem clarioris doctrinæ gratiâ iuvabit incumbere. Quod enim non habet rationem termini, non potest quicquam significare, propterea quòd ex Dialecticorum sententia, termini est significare; at verò nec prima, nec secunda substantia termini rationem habet; ergo nec prima, nec secunda substantia, quicqam significare potest; ergo nec illa, quidem *hoc aliquid*: nec ista *quale quid* significabit. Ex dictis tamen solutio constat, cùm enim asseritur, substantiam primam significare *hoc aliquid*, secundam verò *quale quid*; aduertendum substantias accipi, secundo-intentionaliter; hoc est pro secundis intentionibus, quibus quemadmodum, & vocibus significare, seu esse rerum signa conuenit; quòd si pro primis intentionibus usurpentur, patet etiam ex antea traditis, actum signatum accipi pro actu exercito, ut cum dicitur, prima substantia significat *hoc aliquid*; perinde sit, ac si dicatur, est *hoc aliquid*, quod etiam superiùs animaduersum fuit. Sed hæc egregiè pronunciata fuisse non obscurè constat, quoniam primæ substantiæ duntaxàt digito possunt ostendi, dicique hæc, vel hoc, ut hoc individuum hominis, hic lapis. Accedit, quod vox ista *hoc*, in quacunque naturali prædicatione subiectum denotat; prima autem substantia, semper in huiusmodi prædicatione subiecti munere fungitur; ob id substantia prima, *hoc aliquid* significat; secundæ autem in dicta prædicatione, prædicati locum obtinent; at verò prædicatum qualificantis formæ rationem sortitur; quamobrem secundæ substantiæ rectè *quale quid* significare dicuntur.

Solutio.

Secunda difficultas. Illud etiam accedit, quòd idem nequit significare seipsum; cùm igitur prima substantia sit *hoc aliquid*; profectò non poterit *hoc aliquid* significare. Hoc nihil planè, quanuis enim substantia sumpta pro re subiecta intentioni, sit *hoc aliquid*, nec possit *hoc aliquid*, significare; sumpta tamen pro secunda intentione rei concreta, nihil prohibet quominus *hoc aliquid* significet. Vt omittam satisfieri posse dicendo, quod etiam superiùs aduerti, videlicet actum signatum pro actu exercito usurpari, ut cum dicitur prima substantia significat *hoc aliquid*; perinde sit, ac si dicatur, prima substantia est *hoc aliquid*.

Solutio.

Tertia difficultas. Nec præteribo difficultatem desumptam ex particulari concreto accidentario; sic enim obiici solet. Hoc album significat *hoc aliquid*, & nihilominus prima substantia non est; significare igitur *hoc aliquid* non est primæ substantiæ proprium. Difficultatis solutio ex eo petenda, quòd *aliquid* sumi potest, vel prout cum ente conuertitur, quo sensu hoc album significat *hoc aliquid*; vel accipi etiam potest, ut dicit quidpiam determinatum per se unum nullo modo alteri communicabile, quâ significatione album non significat *hoc aliquid*.

Solutio.

Quarta difficultas. Præterea idem significatur per primam substantiam, quod per secundam; sunt enim reipsâ idem; sed prima significat *hoc aliquid*; ergo etiam, & secunda *hoc aliquid* significabit. Cùm autem secunda significet *quale quid*, etiam & prima *quale quid* significabit; promiscuè igitur huiusmodi prædicationes utrique substantiæ conueniunt. Tametsi autem, & est difficultatis solutio, prima substantia, & secunda dicant idem secundum essentiam; hoc tamen est sub diuersis essendi modis, quia secunda dicit illud sub esse communi; prima verò sub esse particulari; quanuis igitur prima significet *hoc aliquid*, non sequitur idem à secunda significari, cùm huiusmodi significandi modi, à diuersis essendi modis desumantur.

Solutio.

Quarta substantiæ proprietas. Quarta proprietas conueniens omni substantiæ, ne dum directè, sed etiam indirectè ad eius prædicamentum spectanti est, quam illi Philosophus adscribit dicendo Ἔτι δὲ τοῖς οὐσίαις, ὑπάρχειν δοκεῖ τὸ μηδὲν ἐναντίον εἶναι. *Substantijs quoque inest, nihil eis contrarium esse*; vel ut dici solet, *non habere contrarium*. Quod intelligendum de contrarietate propriè sumpta, quæ versatur inter formas positiuas inuicem oppositas, & ab eodem subiecto se mutuo expellentes; id autem in omnibus substantijs inductione probat. Et ratione quoque suaderi potest, quoniam quæ ita se habent, ut unum aliud non expellat ab eodem subiecto, non contrariantur eo contrarietatis genere, de quo in præsentia fit sermo; at verò substantiæ hunc se habent in modum, & ob id non erunt inuicem contrariæ. Tales autem esse substantias ex eo perspectum fiet, quoniam si quæ viderentur se mutuò expellere ab eodem subiecto, maximè forent substantiales formæ, quibus tamen hoc minimè conuenit; quanuis enim una non patiatur simul aliam in eadem materia, non idcirco se mutuo expellentes censeri debent; quandoquidem hæc repugnantia species est oppositionis, at verò inter substantiales formas non repugnantia opposita, sed disparata duntaxàt exercetur; nam absolutè, & simpliciter forma substantialis, nec determinatam formam, nec magis hanc, quàm illam excludit, quod ad oppositionem requiri ex infra dicendis perspicuum fiet; sed omnem disparatam æqualiter excludit, & eodem modo, cum quacunque repugnantiam habens, non magis unam, quàm aliam respuit, si tamen illas excipias, quarum una alteri essentialiter subordinata est, ut in viuentibus ex aliquorum opinione contingit. Itaque substantiales formæ disparatæ dici possunt, contrariæ tamen non possunt.

Aristot. cap. de substantia.

Cum autem docuisset substantiæ nec primæ, nec secundæ quicquam contrarium esse, addit hoc non solis substantijs, sed quantitatibus etiam conuenire, cum his nihil sit contrarium; ut enim homini, animali, Socrati nihil est contrarium; ita quoque ternario, & bicubito nihil contrarium est; & quia posset quis obiicere, magnum, & parvum sunt quantitates, & nihilominus unum alteri aduersatur. Respondet dicens admisso magnum, & parvum quantitates esse, de quo in eius prædicamento differendum; hoc tamen est saltem exploratum quantitatibus determinatis nihil esse contrarium; quantitates autem determinatas appellat ipsas quantitatis species, ut ternarium, quaternarium, lineâ, corpus, quæ contrarium non habent; at verò magnum, & parvum sunt indeterminata, cùm modo uni speciei, modo alteri insit; & quod magnum est, alterius est collatione parvum, nec certa quædam est ratio, in qua magnitudo, vel paruitas resideat. Ex his planè constat hoc attributum esse proprium secundo modo respectu substantiarum, cùm omnibus substantijs conueniat, non tamen solis; siquidem, ut ait Philosophus, hoc non est substantiæ, sed multorum etiam aliorum proprium.

Hoc est substantiæ proprium secundo modo.

Prima difficultas.

Hac tamen de re non leuis dubitandi occasio, apud illos, qui de elementis vulgatam opinionem sectantur, quoniam inquiunt, ignis, & aqua inuicem aduersantur, quanuis utrique substantiæ ratio conueniat; non inficiandum igitur quidpiam substantiæ contrarium esse. Elementa porrò substantias esse, itidemque contraria Aristotelis testimonio confirmant. Peripateticæ doctrinæ addicti, difficultatem propositam diluunt respondendo, elementa, atque adeò ignem, & aquam contraria esse, non ratione substantiæ, sed qualitatum, quibus affecta sunt; hîc autem, inquiunt, sermo est de contrarietate per se, seu ratione sui, & non alterius, vel quod in idem recidit, de contrarietate per se, & non per accidens. Contra tamen est, quòd huiusmodi qualitates ab eorundem elementorum substantia proce-

§. Diuin. cap. 9. & 2. de ortu cap. 3.

dunt;

Digitized by Google

dunt; ergo ab eadem contrarietatem recipiunt; quare contrarietas primò substantiæ, per participationem verò ab ipsa, conuenit pariter accidentibus. Hanc autem doctrinam pluribus difficultatibus inuolutam, expendere non huius est loci; non assumptâ siquidem Physici personâ, certè rem satis pro dignitate tractare non licet; satius propterea duximus propositæ difficultatis enodationem eò differre, ubi de elementis futurus nobis est sermo; interim unum vel alterum adnotabo, nimirum haud satis constare qualitates elementorum ad eum modum quo ipsi contendunt esse concedendas; nec etiam contrarietatem, quam ipsi mordicùs propugnant; quid enim sint singulæ qualitates, quas primas appellant, nuper commemorato loco, pluribus explicabo; & quod nam contrarietatis genus inter illas admittendum ostendam.

Secunda difficultas.

Neque contrarietatem conuenire substantiæ rectè concludunt, ita ratiocinando. Quod nouiter fit contrarium habet, unde Præceptor eximius illud inculcat;

Primò Phys. tex. 47.

Omne quod per se fit, ex suo contrario fit, ut album fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro aut medijs, ut musicum ex immusico: sic etiam quidquid corrumpitur contrarium habet, ut idem testatur dicens; *Quidquid corrumpitur à suo contrario corrumpitur*; at verò substantia nouiter, & de integro fit; verè igitur substantia contrarium habet. Fit à quibusdam satis ad memoriam reuocando, contraria in duplici esse discrimine; enim verò quædam positiua, & alia priuatiua, illa quidem propriè, hæc autem impropriè contraria dicuntur, cùm sub eodem communi genere minimè contineantur. Omne igitur, quod nouiter fit, quodque corrumpitur utrumque contrarium habet; priuatiuum quidem, ut homo fit ex non homine, & musicum ex immusico; positiuum quoque, vel non ratione sui, sed primarum qualitatum, quibus mortalis omnis substantia induta est; vel si ratione sui contrarium non habet formaliter, sed virtute; ut enim unum corrumpat aliud; sat est illi ratione qualitatum, quibus afficitur, aduersari, cum de contrarietate formali, & ea, quę est per accidens, sermo fuerit; si autem de alia, quę sit per se rationeque sui, & quæ formalis dici non potest, satis superque, ut illi virtute duntaxat aduersetur. Hæc autem contrarietas nil aliud, quàm posse contraria producere.

Solutio.

Peripateticorum doctrina proponitur.

Interim adnotabo, quatuor oppositiones perhiberi. Vna dicitur oppositio priuatiua, inter formam, & priuationem, qualis creditur inter lumen, & tenebras. Alia contradictoria inter affirmationem & negationem: ut inter hominem, & non hominem, seu inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam. Tertia relatiua, ut inter patrem, & filium. Quarta tandem contraria, qualis existimatur inter calidum, & frigidum. Sunt quibus placet contrarietatem duobus modis usurpari. Primò lata quadam usurpatione, quo contrarietatis genere, contraria dicuntur, quæ quocunque modo opponuntur. Secundo propriè pro ultimo tantum oppositionis genere ex quatuor enumeratis.

Huius contrarietatis definitio ex Aristotele colligitur *Contraria sunt, quæ sub eodem genere, maximè distant & ab eodem subiecto, mutuo se expellunt.* Vulgo creduntur talia calidum, & frigidum sub genere qualitatis, itaut hæc sub qualitatis genere maximè distent, & extrema sint, & è corpore, in quo unum inhæret, expellatur aliud. Vnde ad hoc oppositionis genus, duplicem conditionem requiunt; quarum prima est ut formæ sint positiuæ, quia sunt species eiusdem generis; secunda, quòd respiciant idem subiectum, in quo utraque potest inhærere & aliam ab eodem expellere.

Hinc autem colligunt ex quatuor oppositionis generibus, tria reperiri in substantia, quarum prima priuatiua, eo quod substantia dum generatur, fit ex sui priuatione, ut homo ex non homine. Secunda contradictoria ut inter hominem, & non hominem, tertia relatiua, ut inter patrem, & filium, quatenus sunt eiusdem speciei. Contendunt igitur solam oppositionem contrariam substantiæ repugnare propter perfectionem propriæ naturæ; quia cum substantia tam perfectæ naturæ sit, ut ei per se subsistentia debeatur, repugnat ei, formam inhærentem esse subiecto, & ab hoc aliam formam expellere. Hinc deducunt, quâ ratione substantiæ conueniat, & qua ratione repugnet habere contrarium; quandoquidem contrarietatem impropriè sumptam, substantiæ conuenire non inficiandum, secus autem si de propria sermo fiat; impropriam autem, ut substantiæ conuenire probent, ita ratiocinantur. Inter oppositiones, prima, & quasi cæterarum fundamentum est priuatiua, quæ in quocunque genere, prædicamentoque reperitur; ex duabus enim differentijs oppositis, per quas genus diuiditur, una comparatione alterius, se tanquam priuatio habet, eo quòd sit imperfectior illâ; atque adeo priuatur quodammodo perfectione alterius. Quòd autem sit aliarum fundamentum ostendunt, quia substantia est fundamentum aliarum rerum, inter quas aliæ reperiuntur oppositiones, sed priuatiua oppositio adinuenitur in prima generatione eiusdem substantiæ, quoniam quælibet substantia generatur ex sui priuatione in materia, ut homo ex non homine, calidum ex non calido, nempe ex priuatione caloris in subiecto in quo, & ex quo fit. Inde est, inquiunt, ut quemadmodum priuatiua oppositiuo est prima, & aliarum fundamentum; ita substantia in qua primò reperitur, sit veluti radix, à qua omnes oppositiones procedunt, quę propterea in ea primò formaliter reperiuntur quidem priuatiua, contradictoria, & relatiua; at verò contraria, non formaliter sed solum virtute, cum formalis perfectioni substantię aduersetur. Ex his propositę difficultatis explicationem eliciunt, dicunt enim Aristotilem de contrarietate sub communi ratione, & impropria, præsertim verò de oppositione priuatiua locutum esse, de qua intelligitur, quòd principia generationis substantię sint contraria, & quòd prima contrarietas sit in substantia, nimirum prima oppositio, quę priuatiua dicitur. dum autem in præsentia asserit substantiam non habere contrarium, loqui de contrarietate propria. Vnde ad argumentum respondent, elementa ratione substantię, non esse formaliter nec propriè contraria, sed ratione qualitatum. Et ad id quod addebatur; Qualitates procedere à substantia, concedendum aiunt, sed consequens distinguendum esse, contendunt, quòd in substantia primò vera contrarietas reperiatur; inquiunt enim reperitur virtualiter tanquam in prima radice, à qua procedit, sed non formaliter; at cum Aristoteles ait substantię nihil esse contrarium, dicunt eum de formali, non autem virtuali contrarietate sermonem habuisse.

Superior doctrina pluribus difficultatibus laborat, de quibus in Physica disputandum.

Superior doctrina quanti fieri debeat, in præsentia non curo, cum quędam attingat, dubia; & præsertim, quod maximè controuersum, de qualitatibus primis, de quibus in Physiologia nobis acriter disputandum. Non prætereundum tamen, cum dicitur, *quod per se fit ex suo contrario fit, & omne quod corrumpitur, a suo contrario corrumpitur, per fieri & corrumpi* illud idem, quod per *mutari* intelligendum esse; Philosophus enim ibi naturalem generationem, non prout hęc productionis, sed mutationis rationem induit, sua contemplatione persequitur. Generationis enim naturalis hunc in modum accepte, tria illa, subiectum, terminus à quo, & termi-

nus

tus ad quem, tot seculis decantata principia, sunt de quibus copiosè, rerum natura constantium primordia scrutantes disseremus.

Tertia difficultas. Huic affinis altera difficultas; Principia substantiâ sunt substantia, unde Stagirites dicebat ex non substantijs, quomodo erit substantia? sed principia substantiâ sunt contraria; ut idē splendidè testatur dicens, omnes, contraria principia faciunt; fatendum igitur aliquid substantię contrarium esse. Sed neminem prēterit propositionem illam communi Philosophorum calculo receptam, nempè quod principia contraria sint, indefinitam esse, quę in contingenti materia ex Dialecticorum decreto, particulari equipollet, ac ob id, ut veritate comprobetur, sat est, aliqua duntaxàt principia esse contraria. Admissâ igitur contrarietate, priuatiua tamen inter principia generationis, prout hęc induit mutationis naturam, de quo in Physicis differendum; neganda contrarietas est inter principia rei genitę, quę duo tantummodò sunt, quorum utrumque materia scilicet, & forma substantia est; illa verò tria mutationis principia sic se habent, ut eorum duo substantię sint, è quibus unum aduersatur alteri, quod substantia non est; ita quidem se habet forma, & priuatio. Hęc etiam difficultatis enodatio continet id, quod plurimum negotij facessit, nimirum priuationem esse perse principium generationis; per accidens tamen rei genitę; quod quantum cum veritate commercium habeat, alibi discutiendum; non diffido me probaturum per accidens omninò esse non modo rei genitę; sed etiam naturalis generationis principium; nihilque referre, quod responderi solet de naturali generatione, prout habente mutationis rationem; hoc enim ipsum demonstrare tentabo, per accidens ad generationem se habere; de his tamen in præsentia satis.

Solutio.

Superior expenditur solutio.

Quarta difficultas. *Illud* etiam addi solet differentiæ genus diuidentes, simulque constituentes speciem ad substantiæ prædicamentum spectantem, utique substantiæ sunt, cum species ipsæ, quæ per differentias constituuntur, substantiæ rationem sibi vendicent; nequit autem substantia ex non substantijs constare; at verò differentias diuidentes genus contrarias esse luculentèr Philosophus expressit dicens, differentias esse contrarias, quibus genus differt; substantiæ propterea quidpiam esse contrarium fateamur oportet. Impropriè tamen ille dicebat, contrarias esse differentias substantialis naturæ; sic enim illas appellauit, ut innueret eas esse primò diuersas; nec inter illas propriè de qua loquimur, contrarietatem exerceri; siquidem una determinatè non respuit aliam; sed indiscriminatim omnes, ut de substantialibus formis enunciatum fuit, natura enim generis, materiæ instar indifferens omninò ad omnes est differentias; ita tamen, ut dum esse reale ipsius aliquâ re ipsâ afficitur differentiâ, quâ diuiditur, quâque constituitur species, non possit aliâ eiusdem ordinis affici.

7. Diuin. cap. 42.

Solutio.

Quinta proprietas Aristotelis cap. de substantia. Quinta proprietas omni substantiæ conueniens est, quam Philosophus declarauit, dicens. Δοκεῖ δ' οὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. *Videtur autem substantia non recipere intensionem, & remissionem*; vel ut alij loquuntur, *non suscipere magis, & minus*. Quod ut intelligas memoriâ repete, duplicem illam rationem, quam in substantia recognoscendam censuimus, quarum una substandi; altera verò substistendi dicitur. Illa substantiæ accidit: hæc necessariò conuenit. Si priorem attendas, proculdubio substantiæ conuenit suscipere magis, & minus; una siquidem à substando magis, quàm alia substantia dicitur; at si posteriorem respicias, prout videlicet substantia suam à substistendo nomenclationem sortitur, una profectò nequit magis substantia dici, quàm alia, ac proindè nequit suscipere magis, & minus; nec una eademque substantia secundum se inspecta, modo magis, modo minus dici substantia potest; non secùs, ac album unum, dicitur magis album, quàm aliud.

Proprietatem hanc non aliter, quàm ex rei de qua nunc agitur perspicuitate, philosophorumque usu demonstrandam operæ pretium duxit. Non enim idem homo dicitur nunc magis homo, quàm antea, nec quàm alius homo. Hoc egregiè per oppositа declarat, videlicet per ea, quæ magis, minusque suscipiunt, dicens, *perinde atque album aliud alio magis, ac minus est album magis album nunc, quàm prius, & calidum magis nunc calidum, ac minus dicitur esse*, quæ de substantia dici non possunt; unde ait. *Substantia verò non magis dicitur nec minus, neque homo magis nunc homo, quàm prius dicitur esse; neque cæterorum quidquam omnino, quæ substantiæ subeunt rationem*; unde tandem concludit. *Quare patet, substantiam gradus suscipere non posse, ut magis sit unquam id, quod est, atque minus*. Hoc autem est attributum substantiæ secundo modo proprium.

Quid sit formam suscipere magis vel minus. Sed in horum gratiam, non pigebit aduertere, quid sit formam suscipere magis, & minus; hoc autem nil aliud, quàm ipsam habere latitudinem quandam, quæ magnitudo formæ non immeritò dici potest. Gemina est autem formæ magnitudo; una secundum quam plures subiecti partes informat, diciturque magnitudo extensionis, originem ducens ex entitatiua latitudine formæ: altera secundum quam plus, minusue dicitur esse de entitate formæ, in eadem subiecti parte, & secundum quam forma maior est, aut minor in se ipsa, ac in eadem parte subiecti, diciturque magnitudo intensionis, prouenions ex latitudine graduum eiusdem formæ. At verò formæ gradus in duplici esse discrimine perhibetur, quorum unus quidditativus dicitur in indiuisibili consistens; esse enim unius cuiusque rei, secundum huiusmodi gradum in indiuisibili positum est; nam penès hunc additione, subtractioneque factâ, species mutatur, cùm aliud quidpiam non sit, quàm specifica differentia, speciem in esse indiuisibili constituens; quò factum est, ut rerum essentiæ numerorum instar se habere dicantur; nam ut his additâ, vel substractâ unitate, statim numerus quantum ad essentiam variatur; sic etiam rerum essentijs addito, vel substracto uno ex prædicatis essentialibus, in ipsis fit variatio. Alter autem est gradus perfectionis indiuiduæ, quæ nil aliud, quam formæ realitas uniri postulans cum alia eiusdem formæ realitate ad unam integram formam constituendam.

Essentia cuiusque rei in indiuisibili consistit.

Ex his non obscurè constabit eò Philosophi consilium tendere, ut neget substantiam suscipere magis, & minus, ne dum secundum gradum specificum, quod etiam qualitatibus conuenit, habitus enim iustitiæ, ut quatuor, non magis est iustitia secundum essentiam, quàm habitus ut unum; sed etiam secundum perfectionem indiuiduam, itaut in eadem parte subiecti possit plus, minusue de entitate ipsius adinueniri.

Prima difficultas. Non me prætерit futurum, ut quispiam dissentiat aduertens, ignem esse substantiam; & nihilominus unum esse magis ignem, quam alterum, cùm unus magis quàm alius, experientiâ teste, comburat. Hinc tamen inceptè concluditur, substantiam suscipere magis, & minus; etsi nanque ignis unus magis, quàm alius comburat, quatenus vel celeriùs, vel acriùs in passum operatur; non ob id existimandum substantiam suscipere magis, & minus, cum id non ex indiuidua substantiali perfectione proueniat; sed ex accidentaria, quatenus nimirum agens magis, vel minus densâ materiâ constat. Hinc enim ignis accensus in quercu, ratione densitatis materiæ, celeriùs, & in maiorem distantiam, quàm accensus

Solutio.

Digitized by Google

in stuppa suam actionem effundit.

Suppositæ solutio difficultatis expenditur.

Hactenus tam in argumento, quàm in solutione dictæ sunt intelligenda, præsertim iuxta vulgatam opinionem de igne, nempè quòd hic per calorem in passum operetur, veluti per accidentariam formam qualitatis, quam è materiæ sinu educat, itaut cùm materiam ipsam hunc in modum calefaciendo præparauerit, in eandem quoque substantialem formam inducat, quatenus ex eiusdem materiæ potentia, eandem ipsam, ut de accidentaria qualitatis forma dictum est, educit. Vtcunque tamen se res habeat, de quo in præsentia differendum non est; solùm id adnotabo, nimirum ex aliorum sententia, ignem acriùs, & celeriùs in passum operari, nil aliud esse, quàm ab ipso communicari passo, cæteris paribus, maiorem copiam effluvii propriæ substantiæ, itemque celeriùs, ut hinc non propterea concludi possit substantiam suscipere magis, & minus, eo sensu, quo substantiæ in præsentia à Philosopho denegatur.

Secunda difficultas

Præterea rationalitas, etsi substantia, videtur magis, & minus suscipere; cùm ex hominibus, quidam sint magis rationales, ac ingeniosi; neminem enim præterit unum alteri plurimùm ingenii viribus antecellere. Sed

Solutio.

hinc nec etiam concludunt intentum; propiùs enim ad veritatem eorum accedit opinio, quibus animæ rationales æquè perfectæ, essentiali perfectione, visæ sunt; quòd si quis magis, quàm alius ingenio polleat; meliori

Tertia difficultas.

profectò corporis dispositioni acceptum referri debet.

Amplius species, & genera ad hoc prædicamentum spectantia substantiæ completæ sunt, & nihilominus magis, & minus suscipiunt, si Philosopho credendum dicenti, species magis esse substantiam, quàm genera; consequens igitur, ut substantia suscipiat magis, & minus.

Solutio.

Quid autem respondendum ex non multo antea traditis, colligi potest; maioris tamen doctrinæ gratia libenter illud adijciam: *Magis, & Minus* duobus modis usurpari posse: *propriè, & impropriè*, ut ab alijs itidem usurpatum fuit. Sumitur autem propriè pro intensione graduali, nuper explicata, qualitatis, secundùm quam iustum ut quatuor, magis iustum dicitur propriè, quàm iustum ut duo, quoniam plures habet gradus intensionis eiusdem iustitiæ; Impropriè autem accipitur magis & minus, pro magis, & minus perfecto sub quacunque consideratione siue essentiali, siue accidentali, siue intensiua, siue extensiua, iuxta quam acceptionem, homo dicitur magis substantia, quàm leo, & leo quàm musca, hoc est essentialiter perfectior. Cum autem dicitur substantiam non suscipere magis, & minus, intelligendum id iuxta primam usurpationem; sed cum pronunciatum fuit, primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam, & inter secundas, speciem esse magis substantiam, quàm genus, iuxta posteriorem intelligendum, secundum quam unum non dicitur esse magis substantia, quàm aliud, eò quòd plus minusve de entitate ipsius in eadem materiæ parte reperiri possit; sed quoniam pluribus modis substat, quàm aliud, quo sensu species magis substantia, quam genus, & prima substantia maximè substantia dicitur.

Quarta difficultas

Difficultatis loco solet etiam, id usurpari, quòd elementa, ut ignis, & aqua substantiæ sunt, & nihilominus in mixtione intenduntur, & remittuntur; ergo substantia

Solutio.

suscipiet magis, & minus. Solutio frequens in eo posita, quòd etsi elementa in mixto secundum suas qualitates intendantur, ac remittuntur (supponuntur autem, & iurè quidem elementa remanere, non tantum virtute, sed actu in mixto) non tamen secundum proprium esse substantiale; ut propterea hinc deduci non possit substantiam suscipere magis, & minus.

Superior expedirur solutio.

Sed ut argumentum sic etiam solutio, primas qualitates tanquam accidentarias formas supponit; iis tamen de medio sublatis, elementa quidem analogicè intendi, remittique dicerentur, quatenus plus, minusve de substantia unius, in mixto quàm alterius reperitur; eodem propterea modo substantia magis, & minus suscipere diceretur.

Quinta difficultas

Addunt quòd ignis lux, magis est substantia, quàm ignis flamma, & ignis flamma, quàm ignis carbo; cùm itaque ignis sit substantia completa, consequens sit, ut substantia suscipiat magis, & minus. Occurrunt re-

Solutio.

spondendo ignem lucem, quantum ad esse substantiale, non esse magis ignem, quàm ignem flammam, sed solùm, quantum ad esse accidentale, ut sunt claritas, puritas, luciditas, & id genus alia, ob id secundum proprium esse dicunt ignem, atque adeo substantiam non suscipere magis, & minus.

Superior solutio perpenditur.

Diluta non ineptè difficultas est; quia reuerà ea omnia substantiæ naturam ita participant, ut eorum ratione substantia dici non debeat propriè, sed analogicè tantùm suscipere magis, & minus, quatenus omnis differentia, est penes maiorem, minoremue igneæ substantiæ copiam, itaut ex maiori, minoriue permixtione cùm aliis alterius rationis, ignis dicatur purior, vel impurior.

Sexta substantiæ proprietas. Aristoteles capite de substantia. Hoc est proprium quarto modo.

Sexta, atque postrema substantiæ proprietas est à Philosopho sequentibus verbis expressa. Μάλιστα δ' ἴδιον τῆς οὐσίας δοκεῖ εἶναι τὸ, ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν, τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν. *Sed maximè proprium substantiæ videtur esse, cùm unum & idem numero sit, contraria suscipere posse; siue, quòd substantia una, & eadem numero successiue contraria possit suscipere.* Sextum, atque postremum hoc attributum, quod Philosophus maximè proprium, hoc est proprium quarto modo appellat, est, ut substantia una numero permanens, contrariorum sit susceptiua. Id porrò solis substantiis conuenire, suadere conatur exemplis, propterea quòd idem homo nunc est calidus, nunc verò frigidus; modò albus modò niger; & reuerà sic licet argumentari. Illud est maximè proprium alicuius, quod omni, soli & semper competit; sed huiusmodi esse proprium, de quo loquimur, mox planum fiet; hoc igitur maximè proprium esse substantiæ concludendum erit. Assumptio sic ostendetur, & quidem quòd soli competat substantiæ (nam quòd conueniat semper, nulla difficultas, & quòd conueniat omni ex obiectionum solutione constabit) fit ex eo manifestum; quia nihil eorum, quæ substantia non sunt, ita se habet, ut unum numero existens, diuersa contraria suscipiat; color enim, qui est unus, & idem numero non dicitur albus, & niger, neque eadem actio, & una numero, praua, & studiosa dicitur, sic etiam in aliis, quibus substantiæ ratio non conuenit; sed benè aliquis homo cùm unus sit, atque idem numero, quandoque dicitur albus, quandoque niger, calidus, frigidus, pravus, & studiosus; solùm igitur substantiæ videtur hæc proprietas conuenire. Animaduertens autem Stagirites aliquam sibi difficultatem, de quibusdam accidentibus fieri posse, adeout ipsis hæc etiam proprietas conueniat; ob id illam proponit, ac diluit. Difficultas porrò est de oratione, & opinione, quæ contraria videntur suscipere; una siquidem, & eadem oratio numero vera, & falsa videtur esse, veluti si vera sit oratio, sedere quendam, eo surgente, ipsa eadem falsa erit; similiter autem, & de opinione: si quis enim verum putet aliquem sedere, surgente eo, falsò putabit, eandem de ipso opinionem habens. Ut obuiam huic difficultati ex quorundam interpretum sententia, duobus modis; primò scilicet responsionem, ut aiunt, fiduciariam afferendo, quasi dicat dato, & non concesso, quòd oratio, & opinio suscipiant contraria, non eodem tamen modo, quo substantia; hæc

enim

enim eum sui mutatione, ideſt alteratione, contraria recipi; at verò oratio, & opinio vera fit, vel falsa citra sui mutationem, ac alterationem. Secundò per instantiam satisfacit, negando scilicet orationem, & opinionem contraria susciperè: nam quod susciput contraria necessariò patitur; at in his nulla fit perpessio, sed in alio; ergo oratio, & opinio dici minimè possunt contraria susciperè. Cæterùm his interpretibus fiduciaria responsio est, quando non negatur, quod est negandum; per instantiam autem, negatur, quod est negandum.

Eaque videtur ratio, proprietatem, ac affectionem hanc substantiæ conuenire demonstrans, quoniam quidquid est indifferens subiectum ad opposita, potest contraria susciperè; at verò substantia una, & eadem numero secundum se quidem inspecta, subiectum est indifferens ad opposita, ut lapis ad calorem, & frigiditatem; homo ad virtutem, & vitium; substantia igitur apta re ipsâ est contraria susciperè.

ima dif- ultas. Ex Philosophi tamen verbis aliquæ dubitationes emergunt. Deus est substantia, cum maximè sit ens perse, & nihilominus haud est susceptivus contrariorum, cum in illo nullum sit accidens; non igitur omnis substantia contrariorum est susceptiua. Prætermissis responsionibus aliorum, respondendum erit, hanc proprietatem non esse substantiæ simpliciter acceptæ; quâ significatione comprehenditur etiam substantia infinita, cuiusmodi est Deus, sed affectionem esse substantiæ finitæ, ac limitatæ. Cùm enim infinita substantia, ratione infinitatis, omnem respuat potentialitatem, nec ullam potentiam passiuam admittat, eò quòd ei nihil desit, nihil potest recipere, ac proindè contraria susciperè non potest; secùs autem substantia finita, quæ ratione finitatis, ac limitationis, cum dicat priuationem multorum, propterea dicit etiam potentiam passiuam, quâ illa possit recipere. Aduersus hanc responsionem posset esse difficultas de substantijs abstractis, alijs à prima, de qua nuper sermonem habuimus; nam huiusmodi substantiæ etsi finitæ, veluti simplicissimæ formæ, ac purissimi actus, contraria susciperè non possunt; non igitur hæc affectio quamlibet substantiam finitam comitatur. Hoc summoperè vexat peripateticæ familiæ Ducem, cum ei mentes illæ quidem æternæ, ex multorum interpretum sententia viderentur immobiles; Quod si ita esset, non aliâ ratione satisfieri posset, quàm dicendo, proprietatem hanc esse substantiæ corruptibilis; at forsan aliò ille spectabat, nimirum ut innueret nulli ex illis substantijs accommodatum esse moueri motu alterationis tendentis ad interitum, cùm alioquin arbitraretur ijs non esse denegandam alterationem alteram, scilicet cuius est duntaxàt perficere; unde est, ut ijs quoque conueniat, posse contraria susciperè. Et reuerâ contrarietatem subire possunt, tàm in ordine ad actus voluntatis, quàm intellectus; de his tamen alibi.

lutio. Secunda ifficultas

lutio.

Solet etiam difficultas fieri de substantia cæleſti, quam nonnulli credunt talis esse naturæ, ut ei repugnet contraria susciperè; quod si ita esset, hæc affectio non omni substantiæ finitæ conueniret; Ii, quibus cæleſtis substantia videtur non obnoxia generationi, & corruptioni, occurrunt dicendo; huiusmodi substantiæ conuenire proprietatem hanc, quantum ad contraria, quorum est tantummodò substantiam perficere, non destruere, ut paulò anteà de substantiis abstractis dicebatur. Verumenimverò de hac receptione contrariorum multa dicenda suppeterent, à quorum tractatione tamen abstinendum, ne dialecticos cancellos transilire videamur; quia tamen hæc facultas cæterarum est disciplinarum ianua, propterea iuvabit in eius primo limine, quædam ex parte saltem ammouere, quæ liberum nobis gressum possunt quammaximè remorari, quinimo impedimento esse, quo minus in ipsis disciplinis optatam veritatem assequi valeamus. Ideo præ oculis habendum, & summoperè considerandum hactenus tradita, præsertim intelligenda esse iuxta satis vulgatam de qualitatibus doctrinam, quòd nimirum accidentariæ sint formæ substantiam afficientes; his enim sic acceptis, dicimus consentaneum esse, quod substantiæ denegamus, videlicet susciperè magis, & minus, cum iisdem intensionem, & remissionem propriè conuenire affirmemus. Ita pariter substantiæ nihil contrarium esse positivum asserimus, & huiusmodi contrarietatem inter primas qualitates, calorem frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, insuper inter secundas, & speciatim inter colores albedinem, & nigredinem astruimus; ut hinc propterea desumptis exemplis frequenter usi simus. Amplius substantiam comparatione huiusmodi qualitatum diximus esse contrariorum susceptiuam, quatenus homo ex. gr. modò albus; modò niger; modò calidus, & modò frigidus est. At si quispiam non inuitis Musis arbitretur qualitates primas longè aliter explicandas esse; proindèq; contrarietatem positiuam, penès illas attendi non posse, tota illa doctrina de substantiæ proprietatibus, si non corruit, saltem ex parte corruet. Enim verò calor, ut hinc exordiar, explicari potest hunc in modum videlicet, quòd corpus calidum, puta ignis calefaciat passum, non educendo è potentia materiæ, quâ istud constat, accidentariam formam, quæ calor dicatur spectans ad qualitatis genus; sed immittendo effluvium propriæ substantiæ, innumeris ferè minimis particulis constans; itaut dum hæ passum ipsum percellunt, atque peruadunt, intrusione sui calidum reddant, quatenus illud replent ijs particulis, quæ perenni motione huc, atque illuc cientur. Deinde frigiditas intelligi potest in priuatione talium particularum consistere. Hoc autem admisso dicendi modo, funditùs euertitur positiua contrarietas inter calorem, & frigiditatem. Sic etiam de reliquis duabus ita philosophari licet, ut ipsæ dici non debeant accidentariæ formæ spectantes ad qualitatis genus, propriè tamen acceptum.

Quædam considera tu digna

Vnde hactenus dicta de elementorum contrarietate, itemque substantiæ proprietatibus &c. in ordine ad illas qualitates, quarum in exemplis meminibus, intelligenda sunt, suppositis qualitatibus primis, iuxta vulgatam de elementis opinionem, ut paulo antea dicebam, nempe calorem, & siccitatem in igne, quasdam accidentarias esse formas, in eiusdem substantia insidentes, & eandem afficientes. Ita pariter frigiditatem, & humiditatem in aqua. At longe diuersa fortassis est ineunda philosophandi via, huiusmodi nimirum formis accidentarijs explosis, deque medio sublatis, dicendo videlicet aliquid ab igne calefieri, non quatenus ignis in illud agendo, caloris qualitatem, tanquam formam accidentariæ naturæ concurrente materia producat, ex cuius potentia per talem actionem calor ipse educatur; sed potius quoniam ab igne quidem exiguæ quædam effluunt particulæ eiusdem substantiæ igneæ, quæ dum corpus aliquod percellunt, illud idem peruadendo, pro maiori, vel minori sui copia, magis, vel minus calidum reddant; itaut calefieri, non sit produci qualitatem de nouo, sed excipere ipsa corpuscula ignea ab ardenti corpore expirata; sic etiam particulas illas calidas non esse censendas, quia sint accidentariâ formâ caloris affectæ, sed quoniam, tali, vel tali figurâ constant, adeout dum quaquaversum celerrimè mouentur, & in magna copia feruntur, quę ex corpore cõburente expirant corpuscula tenuissima, quæq; se in-

Digitized by Google

sinuant in corpora comburenda, ut illa quasi terebrando dissolvant, demoliantur, atque deuastent, comburere dicantur; animal verò calorem percipere, ac experiri ab igne productum, sit excipere particulas illas effluentes ab igne in sensiterio tactus; in huius enim tenuissimis fibris, cùm earum appulsu fiat quædam motio, hæc ipsa percipiatur, & in huiusmodi perceptione caloris sensatio cõsistat; cum alioquin corpus calidum reddi, nil aliud sit, quàm quod illud prædictas particulas in se excipiat, de quibus cùm plures, vel pauciores participauerit, plus vel minus caloris participasse dicatur. Frigiditatem autem in negatione, vel priuatione caloris explicati iuxta prædicta, consistere. Siccitatem verò in quadam particularum inimarum cohæsione positam esse, unde corpus quandam consistentiam adipiscatur. Humiditatem denique in laxa quadam commemoratarum particularum coaptatione inanibus spatiolis intermixtis esse constitutam, unde corpus habeat, ut sit diffluens, & labens, quod est humidum esse. Si quis igitur hunc philosophetur in modum, certè respuet elementorum illam contrarietatem, cuius in argumento facta est commemoratio, penès qualitates primas, ac ob id non admittet substantiam esse contrariorum susceptiuam, eò quòd primas elementorum qualitates possit in se recipere, nec elementa ipsa ratione huiusmodi qualitatum dicenda esse contraria, quæ tamen per transennam dicta sint, copiosiùs enim hæc alibi sunt à nobis tractanda.

Approbãtur superiores solutiones.

Non absimili modo vulgari doctrinæ de coloribus graue vulnus infligitur, si dicamus colorẽ nil aliud esse quàm lumen vel reflexum, vel refractum ad eum modum, quo sumus in sequentibus explicaturi. His sic se habentibus, manifestum est allatas difficultatum solutiones idoneas existimandas iuxta vulgatam de qualitatibus earundemque contrarietate, intensione, remissioneque sententiam. Ad substantiam cælestem

Quarta difficultas

quod spectat, nobis videtur de ipsa, non secùs ac de sublunari ratiocinandum esse. Insuper ad ostendendum hanc substantiæ veram affectionem non esse, plerique conantur ostendere, quoniam videtur etiam accidentibus conuenire; quandoquidem virtutes, & vitia sunt in eadem animæ potentia; at vero quælibet potentia animæ, accidens est; cùm igitur virtutes, & vitia contraria sint, & recipiantur in eadem animæ potentia redolente naturam accidentis; consequens fit, ut accidens quoque sit contrariorum susceptiuum; non igitur substantiæ maximè proprium, cum aliis ab ipsa conueniat.

Solutio.

Rectè tamen ab aliquibus occursum fuit, in uniuersum negando facultates animæ esse accidentia; vel hoc etiam concesso, commodè dici potest, quod etsi virtutes, & vitia in eadem animæ potentia fundentur, tamen hæc omnia quidem in anima tanquam in substantia sunt; ita nimirum, ut illa potentia non sit, ut aiunt, ultimatum contrariorum subiectum, sed potius anima. Prior tamen responsio procul dubio præferenda; nam reuera facultates ab anima realiter non distinguuntur, ut opportuno loco me demonstraturum polliceor.

Quinta difficultas

Supereſt etiam altera diluenda, ac explicanda difficultas, in eo posita, quòd hæc affectio non videatur omni substantiæ conuenire; nam substantiæ secundæ non sunt una numero; at vero ex Philosophi sententia, proprietas, de qua loquimur, conuenit substantiæ, quæ una est, eademque numero; secundas autem substantias non esse tales ex eo deprehendes, quoniam

Solutio.

sunt unę quidem specie, aut genere. Fit satis dicendo, proprium esse substantiæ, ut eadem, quam habet, unitate seruata, contraria possit suscipere; & idcirco hoc bipartito contingat, per se primariò, & per se secundariò, priori modo primæ, ac individuæ substantiæ, posteriori modo secundæ substantiæ conuenit; quod adeo verum, ut mirum videatur quosdam id in dubium reuocare potuisse; de hac enim susceptione non secùs ac de ijs, quę suscipiuntur, philosophandum; at verò hæc substantiæ, prædictis modis conueniunt; iustitia nanque primariò conuenit Socrati, secundario autem homini, prout in illo.

Secunda difficultas

Nec etiam conuincitur hoc non esse proprium substantiæ, ut alteri non conueniat; quoniam oratio, & opinio, quanuis accidentia sint, nihilominùs contrarietatẽ subeunt, cùm eadem oratio numero, & eadem superficies ad quantitatis pertinens genus, modo alba, & modo nigra sit. Non inquam conuincitur; nam ad orationem, & opinionem quod attinet, rectè dicebat Philosophus, id absq; orationis mutatione contingere, quod de substantia minime dicendum, cum ei tribuitur successiuè posse contraria suscipere; id enim cum ipsius mutatione euenit. Et certè nulla fit in oratione, vel opinione mutatio, cum ex vera fit falsa, aut

Soluitur.

viciſſim; propterea quòd veritas, ut suo loco fuit explicatum, in quadam orationis, vel opinionis conformatione cum re quidem expressa, ac repræsentata, consistit, ut propterea mirum non sit, si re duntaxat variatâ, oratio, & opinio desinat esse vera, vel falsa; nam ad illam conformitatem tollendam, sat est alterutrum extremorum variari, orationẽ ipsam igitur sufficit mutari; ut si imago Cæsaris expressa egregiè adeo fuerit, ut ei sit persimilis, ne deinceps similitudinem retineat. Cęsarem sat est mutationem subiisse, quanuis in imagine nulla contigerit mutatio. Quod autem de superficie, & colore addebatur, physicam disquisitionem requirit; si nanque color dicatur nil aliud, quàm lumen reflexum, aut refractum, siue superficies à substantia reipsâ distinguatur, vel non; *nulla sit* receptio, de qua in præsentia habetur sermo, quando lumen dicatur effluvium substantiæ lucidæ, proindeque corpus. Si autem color existimetur qualitas, ac ob id forma accidentariæ naturæ, utcunque se habeat superficies comparatione substantiæ; respondendum erit non secùs, ac superiùs dicebatur de virtutibus, & vitiis in animæ facultate; adhuc enim substantia coloris subiectum erit, saltem ultimatum, ut aiunt, vel rectius, ut ibi dictum fuit, substantia subiectum adhuc erit, ut quod; nam etsi superficies intercedat, non tamen ut subiectum, sed ut conditio, & ut quo.

Cæterum hæc eadem attributa substantiæ iamdudum antiquioribus philosophantibus ante Aristotelem, fuisse perspecta, nemini dubium; siquidem substantiæ nihil esse contrarium, eamque magis, & minus non suscipere, itemque in subiecto non esse, paucis verbis Archytas perstrinxit dicens. *Dico verò communia substantiæ non suscipere magis, & minus. Non enim potest magis & minus esse homo, neque Deus, vel planta: & nihil habere contrarium, nec Deo Deus, nec alijs substantijs. Et per se esse, sed non alteri cuidam coexistere sicut glaucitatem, cæcitatem oculis substantiæ proprium; omnis enim substantia per se ipsam est;* Quin etiam Ocellus Lucanus nouit substantiam non suscipere magis, & minus, & eandem esse contrariorum susceptiuam. *Substantiæ igitur*, inquit, *proprium non suscipere magis, & minus, non magis animal, homo, quàm equus. Inest substantijs etiam illud contrariorum susceptivum esse.* Quod etiam Archytas nouerat dicens. *Substantiæ quidem inest, ut eadem & una numero permanens contrariorum sit susceptiua.* Et quod Aristotelis substantiæ adscripsit dicens, *neque in subiecto est*; certè non præteriit Ocellum quandoquidem dixerat. *Ens vel in subiecto est, vel non in subiecto, & non in subiecto*

facit

facit substantiam. Hæc autem maioris eruditionis gratia accipias velim; ut intelligas Aristotelis decreta maiorum itidem auctoritate firmari, quod inditio est, ea summum habere cum veritate commercium.

DISSERTATIO XVII.

De Quantitate.

Quanuis in vniuersitate rerum arcanum ferè sit nullum, quod longâ quidem annorum serie, temporisque diuturnitate saltem ex parte non se det in conspectum, ac prodeat in lucem; nihilominus quantitas & si maximè sensibus obuia, humanæ mentis aciem præterit adeo, ut nec etiam ad hanc usque diem exactè patiatur attingi; si igitur unquam, nunc longè magis de quantitate disputationem nobis inituris, omnes ingenij neruos opus erit intendere, ut quoad fieri poterit, eius naturam, atque compositionem exploremus. Licet autem quibusdam probetur habitâ tractatione de substantia, qualitatem considerandam assumere, ab iis tamen dissentio. Tum quia quantitas cum substantia longè maiorem affinitatem habet, adeunt affectiones quasdam utrique communes quisque fateatur oportet. Tum quia quantitas proximè substantiam comitatur eidemque semper quodammodo iungitur; si nanque corporea substantia sit, nihil euidentius, quam ei quantitatem adsecti; si verò longè absit à materiæ commercio, quanuis non ratione sui, saltem ratione motus, vel quem subit, vel quem potest efficere, quantitatem ipsam concernit.

Difficilis quantitatis considera. tio.

Tractatio nis ordo.

SECTIO PRIMA.

De quantitatis nomine.

Maximè iuvat quantitatis nomen explicare.

SI aliquando præstat nominis explicationem præmittere, nunquam profectò magis, quàm in re proposita, cùm quantitatis nomen ambiguitate laboret; rei siquidem cuiusque perfectio quantitatis nomine consueuit appellari; frequenter ob id solet illud usurpari. Quanta est unius, vel alterius rei perfectio. Hæc autem quantitas est, quam virtutis, seu perfectionis appellant, & quæ denominationes finiti, & infiniti; tanti, & quanti, æqualis, & inæqualis, maioris, minorisque suscipit. Alia pariter eiusdem est nominis acceptio, nimirum ad significandam quantitatem molis, seu dimensionis; sed ut virtutis quantitas ad res omnes potest extendi; ita quantitas molis, seu dimensionis ad res materiatas tantummodò traduci potest. Illa per omnia rerum genera vagatur; hæc ad quantitatis categoriam adstringitur. Non ita tamen ut adæquatè totam ipsam absoluat, quantitatemque complectatur omnem, quæ in hoc prædicamento distribuitur. Hinc propterea fit, ut huius etiam nominis alia sit usurpatio, videlicet ad significandam quantitatem propriam, & adæquatam huius, de quo loquimur, prædicamenti; quæque proinde prædicamentalis quantitas appellari consueuit. Quæ cùm animaduertisset Philosophus; propterea non est ausus quantitatem in universum definendam suscipere, satiùs ducens illam initio distribuere in continuam, & discretam, alibi tamen quantum definitum reliquit ποσὸν λέγεται τὸν διαιρετὸν εἰς ἐνυπαρχοντα, ὧν ἑκάτερον, ἢ ἕκαστον ἕν τι, ἢ τοιόνδε τι σημαίνειν ἐθ). *Quantum dicitur, quod in insita diuisibile, quorum utrumque; aut singula unum quid, & quod quid apta sunt esse.* Cuius definitionis ea est explicatio, ut quantum dicatur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, ideſt partes suas proprias, & inexistentes; quorum utrumque, aut singulum aptum est sui naturâ esse unum aliquid, ideſt eiusdem rationis, *& esse hoc aliquid*, ideſt indiuiduum quantitatis. In hac porrò definitione aliquæ sunt adnotandæ particulæ; Quantum dicitur *diuisibile*, ad significandum ipsum habere partes, ex quibus constat; alioquin diuisionem subire non posset, & hunc in modum simplicia omnia partibus omninò carentia, excluduntur. Interpretes autem obseruant, diuisibilitatem intelligendam esse in ordine ad naturales vires. Deinde cum additur *in ea, quæ insunt*, inquiunt, significari partes, in quas diuiditur quantum, in ipso formaliter extitisse, & hoc modo mixtum ex elementis excludi; hæc enim si actu non contineantur in illo, splendidè constat exclusio; quòd si contineantur actu; mixtum adhuc excluditur cùm elementa non tam eius integrales, quàm essentiales, physicæque partes haberi debeant. Cum additur, *quorum singula apta sunt esse unum quid*, insinuatur utranque partem, aut singulas, in quas diuiditur quantum esse unum aliquid, ideſt eiusdem rationis in totò, & in partibus; & per hoc differre à diuisione corporis heterogenei; nam quantum, ut quantum, est totum homogeneum, quælibet enim pars quanti est quanta; additur ad extremum quòd, *utraque pars sit apta sui natura esse hoc aliquid*, ad significandum diuisionem quanti longè differre à diuisione compositi in partes essentiales, scilicet materiam & formam; nec enim materia nec forma apta est sui naturâ esse hoc aliquid; sic igitur excluditur compositum ex hisce partibus; itemque compositio, quæ formaliter quantitas non est; licet enim materia, & forma diuidi, separariq; possint, ut in hominis contingit interitu, nec materia tamen, nec forma separata est aliquod totum & hoc aliquid. At in diuisione, ut aiunt, quantitatiua, rem euenire secùs, perspicuum est; quandoquidem, quæ separantur post separationem permanent, & singula totum quidpiam integrale, & aliquid actu sunt. Hinc satis apertè constat hanc solius esse quanti definitionem, cùm per hanc illud ab omni alio secernatur.

§. Diu. cap. 13. Quanti definitio.

Definitionis explicatio.

Quantitas autem in abstracto sic definiri solet. *Quantitas est accidentaria forma reddens res diuisibiles in ea, quæ sibi insunt, quorum singula apta sunt esse unum quid, & hoc aliquid.* Cuius explicatio constat ex dictis vtranque definitionem tam scilicet in concreto, quàm in abstracto, utrique conuenire quantitati contendunt; & primò quidem continuæ, cuius partes reipsà sunt unitæ, atque coniunctæ; separari tamen, atque diuiungi ipsis non repugnat.

Quantitatis in abstracto definitio.

Difficultatem esse de quantitate discreta non inficiantur, eò quòd eius partes communi nexu minimè sint copulatæ; unde est, ut non tam enunciare liceat, eam esse diuisibilem, quàm potius esse diuisam; Occurrūt tamen dicendo hinc nullum incommodum sequi. Tum quia sumitur in præsentia diuisibile, non ad excludendum, quod reipsà diuisum est, sed quod nec actu, nec potestate diuisionem admittit. Tum quia si sumatur prout solum dicit potentiam ad diuisionem subeun-

Digitized by Google

subeundam discreta quantitas potest ulteriùs hunc in modum secari. Vt denarius numerus utique in se cohibet, & aggregatione decem unitates includit; dividique potest in duos quinarios, ut binarius in duas unitates &c. quem in modum existimant ad Aristotelis aures philosophari, cùm ille dicat λέγεται δὲ πλῆθος μὲν τὸ διαιρετὸν δυνάμει εἰς ἀεὶ συνεχῆ. *Dicitur autem multitudo quidem, quæ potentiâ divisibilis est in non continua.* Eandem definitionem conuenire quantitati continuæ permanenti ad mentem Aristotelis existimant, quæ scilicet tota simul existit, eiusque partes tam separatæ, quàm coniunctæ simul existere possunt; cum enim ille descripsisset quantitatem discretam, modo nuper explicato, de continua loquens permanenti subdit μέγεθος δὲ, τὸ δὲ συνεχῆ. *Magnitudo verò, quæ in continua.* Hæc enim verba cum ad superiora referantur, sic intelligenda sunt, ut sensus reddatur; magnitudo dicitur, quæ potentiâ divisibilis est in continua. Imo addunt conuenire etiam quantitati continuæ successiuæ, temporis nimirum, & motui; quoniam hæc etsi tota simul secundum suas partes non existat, successiuè tamen quodammodò partes coniunguntur, quatenus post partem unam, sequitur alia; itaut de huiusmodi quantitate liceat enunciare, quòd subire diuisionem possit, eiusque partes separari valeant; & existimantes, ineptè tamen, quædam reperiri corpora, quæ nulli corruptioni obnoxia sint, addunt propterea definitionem traditam, aptari quantitati, tam corporum, quæ corruptionem subire, quàm quæ subire non possunt. Tandem eandem hanc definitionem tam finitæ, quàm infinitæ quantitati consentaneam arbitrantur.

5. Diu. cap. 13.

Etsi autem hactenus ab ipsis tradita proximè admodum ad veritatem accedere videri possent, si quantitas discreta vera quantitatis species, & realiter distincta à quantitate continua foret existimanda; quia tamen res non exiguam habet dubitationem, estque difficultatibus plena; propterea eorum doctrina hucusque tradita, non tantæ soliditatis est, ut citra quanuis hæsitationem liceat illam rueri; de his tamen hactenus.

Philosophus autem non inconsultò quantitatis definitionem in præsentia prætereundam silentio duxit, quia nimirum logici instituti non est rerum naturas perscrutari, sed in seriem disponere, ad quem usum statim initio quanti partitionem aggreditur, de qua diuisione mox nobis futurus est sermo. Fatendum tamen haud benè quantitatem explicari posse, nisi priùs in quo eius formalis ratio consistat, declaretur.

Difficultas. Contra tamen suprapositam descriptionem se difficultas offert, quòd tot illa conuenire alicui qualitati videatur; si nanque spectemus calorem nulli dubium, quin dici possit diuisibilis in ea, quæ insunt, quorum unumquodque est unum quid, & hoc aliquid. Calor enim est diuisibilis in partes integrales caloris, quæ sunt extra se inuicem, & quarum unaqueque pars est ens completum, & per se potens existere tàm benè, quàm partes quantitatis.

Solutio. Admisso calorem esse qualitatem, iuxta vulgarem explicandi modum, adeo ut sit accidentaria forma, substantiam afficiens, tribuens eidem denominationem per modum qualis; difficultas diluetur dicendo diuisibilitatem, non eodem modo conuenire quantitati ac reliquis ab ipsa, nam quantitati per se, reliquis per accidens conuenit; cogitandum enim, tam calorem, quàm alias eiusdem ordinis qualitates, à quantitate diuisibilitatem recipere, itaut quicquid aliud est à quantitate diuisibile, tale sit merito quantitatis, cui primò diuisibilitas insit. Ita quoque substantia materiata se habet, nam diuisibilis est, quoniam est quantitatis dimensionibus affecta, siquidem citra quantitatem, ut foret penetrabilis, ita pariter diuisionis incapax, ac proinde indiuisibilis.

SECTIO SECVNDA.

De Diuisione quantitatis in discretam, & continuam & primò de discreta.

Diuisio quantitatis in continuam & discretã. *5. Diuin. cap. 13.* Altera quantitatis diuisio

Vnus omnium philosophorum est sensus, rectè primam institui quantitatis partitionem in discretam atque continuam; ut propterea Stagirites initio præsentis capitis quantitatis hanc distributionem amplexus, dixerit; Τῶν δὲ ποσῶν τὸ μὲν ἔστι διωρισμένον τὸ δὲ, συνεχές. *Quanti autem, aliud est discretum, aliud est continuum.* Statim verò alteram quanti diuisionem adnectit, in illud, quod constat ex partibus habentibus positionem, & alterum huiusmodi partibus non constans, de qua paulo post verba facit. Primæ diuisionis membra per diuisibilitatem alibi declarauit, ut præcedenti sectione fuit adnotatum. Dixit enim *Multitudo est, quæ diuisibilis in non continua; Magnitudo verò, quæ in continua.* Vbi ab horum uberiori explanatione abstinuit, memor se id in præsenti libello de prædicamentis præstitisse dicendo, quantum discretum esse, cuius partes communi termino minimè copulantur, ut numerus & sermo, nam affert, exemplum dicens, Ἔστι δὴ διωρισμένον μὲν, οἷον Ἀριθμὸς, καὶ λόγος. *Discretum verò est, ut numerus, & sermo,* harum enim partes nullo sunt nexu coniunctæ, muneri siquidem nullus est communis terminus, quo eius partes coniungantur. *Terminus enim communis est, qui unus, & idem principium unius partis, & finis alterius existit,* quo numeri partes profecto carent; ut denarij duæ sunt partes, quinarij, qui nullo communi termino iunguntur, quinque enim, & quinque nullo communi nexu coniuncta, sed disiuncta, atque secreta sunt; tria quoque, & septem nullo communi termino coniunguntur, & omninò, ut Philosophus loquitur, haud possis in numero communem terminum partium accipere; sed semper secretæ sunt, quare numerus est in ijs, quæ sunt discreta. Idem de oratione, vel sermone ex eiusdem sententia dicendum; ait enim, sermonem esse quantum, quoniam eum metimur syllabâ breui, & longâ, quod intelligendum vult de sermone voce prolato, quem ob eandem causam discretum esse contendit, quia scilicet nullo communi termino partes eius conjunguntur, cum nullus sit terminus communis, quo syllabæ coniungantur; sed per se quæque secreta est. Quantitas autem continuum, ait esse, cuius partes communi termino copulantur quod exemplis illustrans, ait, Συνεχῆ δὲ; οἷον γραμμὴ, ἐπιφάνεια, σῶμα, ἔτι δὲ παράτασις, τόπος, καὶ χρόνος. *Continuũ verò, ut linea, superficies, corpus, ac præterea locus, & tempus.* Quod exemplis declarans ait Ἡ μὲν γραμμὴ, συνεχὴς ἔστιν. *At verò linea est continua.* Quoniam, ut ipse loquitur, communem terminum sumere licet, quo partes eius coniunguntur, nempè punctum. Addit etiam hoc idem asserendum de superficie; quoniam eius quoque communem terminum licet accipere lineam; siquidem plani partes, communi quopiam termino coniunguntur. Non dissimiliter in corpore licet accipere communem terminum, lineam, vel superficiem, quâ ipsius partes nectuntur. Insuper eiusmodi esse etiam tempus, & locum affirmat; eo quòd præsens tempus cum præterito, atque futuro coniungitur. Rursus & locum eiusdem facit naturæ, atque continuum esse decernit, quia locum aliquem continent corporis partes, quæ communi aliquo termino copulantur, ac proinde loci partes, quas continent singulæ corporis partes,

Termini quid.

tes, eodem termino; quo partes corporis coniunguntur; quamobrem concludit, locum quoque continuum esse, quoniam uno communi termino partes eius copulantur.

Hęc videtur adæquata partitio quãtitatis.

Hæc videtur quantitatis adæquata partitio, veluti per modum contradictionis tradita, cùm dicatur, cuius partes *sunt*, vel *non sunt* inter se coniunctæ, atque connexæ. Num autem ritè sit instituta, solet in dubium reuocari, & quanuis de quantitate continua, difficultatis quidpiam subesse possit, qua de re infra sermo futurus; satis tamen est exploratum, communique calculo receptum, eam esse veram quantitatis speciem, eidemque synceram talis accidentis rationem adeo consentaneam esse, ut omnis difficultas ad ipsam quantitatem discretam omninò deuoluta videatur. Solet ob id in controuersiam vocari, num quantitas sit genus ad continuam, & discretam, & quâ id ratione contingat. Res plena difficultatibus est, proindèque determinatu non facilis; si nanque diuisiones traditas

Varij dicẽdi modi.

attendas, reperies de illis non unum esse dicendi modum, quandoquidem non ignobilis interpres, arbitratur, quantitatem, quoddam esse genus diuisibile per continuum, & discretum, tanquam per differentias adæquatè diuidentes, & iterum illud diuidi posse per habere partes positionem habentes, & non habentes, tanquam per alias duas differentias pariter adæquatas, itaut ratione diuersâ, gemina diuisio sit, ut eum animal primò per rationale, & irrationale, & iterum per mortale, & immortale diuiditur; proindeque diuisio sit generis in species. Hunc dicendi modum, ad primam diuisionem quod spectat, ut plerique philosophorum illam amplexi sunt; ita ex aduerso secundam improbarunt, existimantes eam esse velut subiecti in accidentia, non secùs ac si quis diuisionem instituere animalium, dicendo, aliud album, aliud nigrum, aliud medio modo se habens. Sed iuvat hoc reliquum facere, quod maioris videtur esse momenti, seriò discutiendum.

An superior diuisio retinẽda sit quãti in continuum, & discretũ.

Est igitur summoperè consideratione dignum, an illa prima quanti diuisio in discretum, & continuum subsistat, & quomodo quantitas ad continuam, & discretam genus dici possit; Hoc autem perinde est, ac quærere; an quòd quantitas discreta dici consueuit, quantitatis rationem sibi vendicare possit; & præsertim an numerus species quantitatis distincta re ipsâ à continua quantitate existimari debeat. Vel supposito summum huius prædicamenti genus esse reale quidpiam in natura reuerâ distinctum ab aliis generibus entis; an ad ipsum numerus, & oratio pertineant, sintque veræ quantitatis species.

Sed mirùm sanè quanta hac de re sit opinionum varietas; præstat tamen de numero sermonem instituere; cùm inde futurum, ut splendidè constet, quid nobis de oratione dicendum; sequentes autem opiniones recenseri solent.

Prima sententia.

Prima quidem opinio statuentium est, numerum esse veram, realemque speciem quantitatis; ac ob id unum ens per se ex rei natura. In hac tamen explicanda summoperè dissentiunt. Quidam enim ex fautoribus eius arbitrantur numerum secundum essentiam suam haud intrinsecùs unitates multas includere; sed potius illas supponere; intrinsecùs tamen accidentariam quandam rationem inuoluere, unitatibus superadditam, quæ necessariò, ac immediatè ex unitatibus ipsis resultet. Sunt autem, qui alio modo sententiam interpretantur.

Prima quorumdam explicatio.

Secunda,

Alii propterea sunt, qui putant hoc accidens superadditum esse quidpiam respectivum coalescens ex unitatibus componentibus numerum, unde inquiunt sicut similitudo dicit vnam albedinem connotatâ aliâ; ita binarius dicit unam unitatem aliâ connotatâ.

Tertia.

Alij verò credunt hoc accidens esse formam absolutam, inter quos tamen discrimen est, cùm quidam existiment, hanc formam aggregationem esse plurium unitatum; quoniam numerus est multitudo ex unitatibus aggregata; At verò alij putant hanc formam esse ultimam unitatem non ut ultima est, sed ut determinatam habet distantiam ab unitate prima, & ex illa numeros specie discriminari.

Quarta.

Alii autem affirmant numerum esse formaliter unum ex se ipso; quoniam idem est principium entitatis rei, & unitatis; at verò numerus est ens per suam formam; hinc propterea concludunt unum per suam esse formam.

Quinta.

Alii quidem negant ultimam esse formam numeri, quemadmodum & alias unitates, eò quòd omnes materiæ rationem habeant, cùm numerus non minus ex prima, quàm media, vel ultima componatur: affirmant autem numeri formam esse structuram, atque compositionem unitatum.

Sexta.

Alii verò numerum distinguentes in avulsum, & coniunctum, decernunt in avulso formam, eiusdem esse ultimam unitatem, ut in quaternario, quartam, quoniam illa est terminus, & actus aliarum: at in numero applicato rebus, ut in quaternario hominum, iuxta hunc dicendi modum, ultima, nimirum quartus homo, non est forma, quia non habet aliquem ordinem essentialem ratione alicuius prioritatis, vel temporis, vel naturæ ad tres alios homines, sed esse structuram, & compositionem unitatum; unitates autem habere rationem materiæ. Ad hunc dicendi modum quidam accedens docet, numerum numerantem, quem mathematicum appellat, non esse ens reale, numerum verò formalem, quem numeratum vocat, esse quidem ens reale, quoniam est à parte rei, ut dualitas in duobus hominibus, præciso omni opere intellectus; ac eius unitatem affirmat in plurium collectione consistere.

Septima.

Alii demùm geminam formam recognoscendam autumant, videlicet partis, & totius. Prior forma dicitur, quę una cum materia totum constituit, ut anima quidem hominis, dicitur forma. Posterior verò censetur, quæ ex unione formæ cum materia resultat; ut in homine, humanitas totius forma perhibetur, quoniam illa resultat ex unione animæ cum corpore. His præhabitis, inquiunt, partialem numeri formam esse ultimam unitatem, quoniam hæc cæteras determinat ad constitutionem certi, determinatique numeri, proindèque determinatæ speciei, unde unitates reliquæ, ei tanquam materia, præsupponuntur; formam autem totalem aiunt, non ultimam unitatem esse, nec omnes, sed ipsam numeri naturam, quæ ex unitatum structurâ, compositioneque resultat; ut in ternario ternitas, & in quaternario quaternitas; propterea quòd, ut ipsi dicunt, illa totius est forma, quæ ex unione partium resultat; at ex unione plurium unitatum inter se, hæc resultat compositio, & structura numeri, ut ex unione ternarii, compositio trium unitatum, & ex compositione quaternarii, compositio quatuor unitatum; ergo hæc erit forma totius. nam forma totius dicitur illa, quæ abstracto nomine exprimitur, ut in homine, totius forma est humanitas; sed eodem modo forma in numero, est certa eiusdem compositio & structura, quemadmodum in quaternario quaternitas, compositio est quatuor unitatum abstracto nomine expressa; hæc ob id erit forma totius.

Secunda opinio.

Secunda autem sententia dicentium est, numerum esse veram speciem quantitatis discretæ, atque adeò esse

esse ens per se unum; non quidem unitate, quæ conuenit entibus naturalibus compositis, per continuitatis, vel informationis unionem, vel alio simili modo, sed unitate per se, quæ conuenit rebus artificiosis, & entibus moralibus, quæque propria est quantitatis discretæ, numero quidem ex vi formæ conueniens. Hanc autem affirmant haud esse ultimam unitatem, nec omnes simul, cùm talis species formâ physicâ careat, sed habere unitatem à forma metaphysica, quæ est differentia accepta ab omnibus unitatibus ordinabilibus secundum prius, & posterius, determinatis autem per ultimam.

Tertia opinio.

Tertia sententia eorum est, qui dicunt, numerum formaliter non esse ens reale, sed ens rationis, eò quòd eatenùs species numeri constituitur, quatenus intellectus colligit unitates; imò addunt, non esse nisi ens per accidens, quoniam plura dicit per aggregationem sine ulla coniunctione per se; materialiter verò esse ens reale; siue quia res, quas consequuntur unitates, realia sunt entia; unde pariter argumentum desumitur, quod sit ens per accidens, eò quòd huiusmodi entia, & eorum unitates sunt entia totalia, proindèque non possunt unum per se constituere.

Quarta opinio.

Quarta censetur opinio dicentium, numerum esse quidem ens reale, sed non esse unum ens per se, sed per aggregationem, quemadmodum accervus lapidum. Ex his autem quidam existimant unitates in rebus existentes, non habere rationem numeri sine intellectu, quia non nisi ab hoc aggregationem habent. Alii autem affirmant illam aggregationem habere unitates à parte rei, quoniam siue considerentur unitates secundum rationem formalem, siue secundum materialem, vim sufficientem non habent ad vnum per se constituendum. Vix tamen hæc à superiori videtur opinio differre.

Duæ expendendæ sententiæ proponuntur.

Sed quoniam tot sententiarum varietate, mens quodammodò obruitur; proindèque minus commodè potest sese ad veritatem intuendam extollere, iuvabit propterea tot alijs dicendi modis neglectis, duos tantùm expendere, duasque sententias principes ad trutinam reuocare; dum seriò discutiendum assumimus, num probè sit instituta partitio quanti in discretum, atque continuum, tanquam generis in species, & ut terminis utamur abstractis; num quæ dici quantitas discreta consueuit, numerum, orationemque complectens, vera sit species quantitatis, quæ summum genus huius prædicamenti statuitur.

Prima.

Quorundam enim opinio fuit, quantitatem discretam esse veram supremæ quantitatis speciem, quæ pariter in species dividatur, numerum scilicet, & orationem; sententiam hanc, & præcipua quædam, quæ fautores eius tradiderunt, breuiter iuvabit expendere, vt facilius nobis liceat aduertere quantum hic dicendi modus à veritate deflectat, simulque cognoscere tutiorem sententiam, in quam præstet abire.

Vnitas est principiũ numeri. Numerus duplex transcendentalis, & prædicamẽtalis. Vnitas duplex transcendentalis, & prædicamentalis.

Quod autem initio se considerandum offert, est vnitatem numeri principium esse, cum numerus multitudo sit ex vnitatibus consurgens, quod apud omnes in confesso est. Numerus autem duplex assignari consueuit, transcendentalis vnus, prædicamentalis alter; hinc duplex itidem vnitas transcendentalis nimirum, & prædicamentalis. Transcendentalem vnitatem appellant illam secundum quam vnumquodque ens dicitur vnum, & non multa; hæc autem est entis affectio; proindeque cùm ens in omnibus, velut superius in inferioribus reperiatur, in iisdem pariter unitas prædicta, veluti consequens entis naturam, reperiatur necesse est; hæc porrò, quam diximus, unitas transcendentalis est numeri transcendentalis principium.

Quid vnitas transcendentalis. Quid prædicamentalis vnitas.

Vnitas verò prædicamentalis censetur illa, quæ reperitur in unaquaque parte diuisi, secundum quam unaquæque ipsarum dicitur una in se, & discreta ab alia; hæc autem unitas censetur principium numeri prædicamentalis; ita fit ut quemadmodùm numerus transcendentalis, unitatum transcendentalium, sic etiam numerus prædicamentalis, unitatum prædicamentalium, vel ut aiunt, quantitatiuarum, sit multitudo. Hanc geminam unitatem, ut declarent, iubent intelligendum continuum quoddam diuisum in partes, in quarum, inquiunt, unaquaque duæ reperiuntur unitates, quarum priorem quælibet pars eo nomine participat, quoniam unaquæque sibi vendicat rationem entis, ac ob id etiam affectiones indè prodeuntes; & hæc transcendentalis est unitas: posteriorem verò quatenus est quoddam ens incompletum, ordinatum ad constitutionem alicuius totius integralis per coniunctionem cum alia parte. Vt verò transcendentalis unitas est numeri transcendentalis principium; sic unitas prædicamentalis, seu quantitatiua, prædicamentalis numeri principium est. Ex horum autem doctrina res omnes numero transcendentali, at verò prædicamentali non nisi res quantas, aptas communi termino copulari, coniungique numeramus. Est autem maximè controuersum, num unitas transcendẽtalis, enti quidpiam positivum, & prædicamentalis, seu quantitatiua, quantitati materiali superaddat; an potius utraque in negatione diuisionis, seu rectiùs multitudinis, posita sit, quâ de re quædam in sequentibus, & longè plura in prima tractabimus Philosophia. Solùm hic prætereundum non est unum, vel alterum ad melius confutandam aduersariorum sententiam, nimirum ab ipsis existimari, tam unitatem transcendentalem, quàm prædicamentalem, & quantitatiuam enti, & quantitati materiali positivum quidpiam superaddere; itaut transcendentalis realiter eadem sit cum ente, & quolibet ente, solùmque formaliter ab ipsis distincta ex rei natura; unitas verò quantitatiua distinguatur realiter à rebus materialibus ad substantiæ genus pertinentibus; unde est, ut apud ipsos unitas transcendentalis, formalitas quædam positiua sit, inseparabilis quidem ab ente; at verò unitas quantitatiua, seu prædicamentalis sit quædam res positiua separabilis à re materiali, in qua tanquam in subiecto existat, & utramque diuisionis, distinctionisque negatio comitatur; ex eo enim quòd, inquiunt, hæc tabula est una priori unitate, est ens indiuisum in se, atque distinctum à quolibet alio; & quoniam est una posteriori unitate, dicitur esse indiuisa in se, & segregata ab alia parte tabulæ, cum qua erat continua, per copulationem ad unum, & eundem terminum communem; unde contendunt numerum repertum in substantiis abstractis, hominibus, cæterisque rebus completum esse habentibus, exceptis continuis diuisis, transcendentalem, non autem prædicamentalem esse; adeout prædicamentalis numerus, necessariò exigat unitates materiales ortas ex diuisione quantitatis continuę.

Vtrum vnitas tũ transcendentalis, quàm prædicamentalis positivum aliquid importet. Quædam adnotantur in aduersariorum gratiam.

Quæstio proposita. Duplex opinio. Prima.

His autem prænotatis, quærunt, an prædicamentalis numerus sit verè discretę quantitatis species; quâ de re geminam opinionem recognoscunt, quarum una sit dicentium, numerum nil aliud esse, quàm continuorum multitudinem, proindèque non esse unum perse; sed tantùm unum per accidens; ac ob id speciem alicuius generis esse non posse. Altera verò sit huic penitùs aduersa, quam tanquam veriorem profitentur, in cuius declarationem dicunt, numerum quinarium haud esse quinque unitates aggregatas ad eum modum, quo est lapidum acervus, sed unitatem esse perse resultantem ex illis quinque unitatibus accidentalibus,

Secunda, quam plerique sequuntur. Quædam in eorum gratiam adnotãtur.

bus; quam totius numeri formam appellant. In assignanda tamen ratione, atque formalitate huiusmodi unitatis, dissentiunt. Plerique enim affirmant numerum suam habere unitatem, quâ sit per se unum, partim ab unitatibus realibus, & partim ab intellectu; ab illis materialiter, à quibus dicitur esse, habere quidem esse reale; ab hoc verò formaliter, & ut loquuntur, complectiuè, quatenus numerat illas unitates secundum ordinem prioris, & posterioris; ex eo enim, quòd numerat tertiam unitatem post duas, & quartam post tres, & quintam post quatuor; idcircò tribuit illis unitatem numeri ternarii, quaternarii &c.

Aliorum explicatio

Alijs placuit numerum ab ultima unitate formaliter, à cæteris verò materialiter specificam unitatem habere, ut ternarium accipere esse formaliter à tertia unitate, à reliquis duabus materialiter tantùm, eò quòd hæ determinentur ad constituendum ternarium numerum ab unitate tertia, quemadmodum prima, unitas à secunda ad præstandam specificam unitatem numero binario, & sic de cæteris; ut propterea apud hos unitas ultima cæteras priores determinans, sit forma partis comparatione numeri; unitas autem ex illis resultans respectu eiusdem numeri, totius forma dicatur.

Aliorum etiam explicatio.

Alij verò sic rem explicare consueuerunt dicendo videlicet, quòd quemadmodum continua quantitas, nempè linea suam unitatem à continuitate partium in uniuersa linea consequitur; sic etiam quantitas discreta, puta numerus, à discretione partium, seu unitatum in toto numero suam habere debet unitatem; nam secundum aliam, & aliam, inquiunt, unitatem; videlicet per puncta, per lineas, & superficies; linea, superficies, & corpus, aliam, & aliam specificam unitatem consequitur; ita pariter secundum aliam, & aliam discretionem, idest secundum additionem, vel remotionem unitatum ab unitate, ternarius numerus, aliam unitatem à quaternario, & hic à quinario habet.

Aliorum philosophandi ratio, è quorum sententia tria consideranda.

Alij tandem, quibus recensiti explicationis modi minus arriserunt, per aliam viam incedentes, ita philosophati sunt, ut crederent, tria esse notatu digna, è quibus. **Primum**; quòd numerus inspectus secundum esse reale ab unitatibus realibus, quibus constat, reale quidem esse habeat. **Secundum**, quòd consideratus quantum ad rationem totius, seu prout est quid per se unum, rationem hanc habeat ab intellectu, unitates ipsas actu numerante secundum prius, & posterius, aptitudine verò à numerabilitate fundata in illis unitatibus, ratione cuius hæ sunt ab intellectu ordinatè numerabiles; hinc prouenit, ut numerus adhuc sit quidpiam reale, quia quantumuis quoad actualem numerationem ab intellectu pendeat, tamen quoad aptitudinem, secundum quam est quid per se unum, non item. **Tertium**. Tertium quòd numerus gemino modo spectari potest. Primò prout totum quoddam est integrale, quo pacto unitatem totius ab ultima unitate consequitur, velut ab ea, quæ alias, sicuti forma materiam suam determinat. Secundo prout discretæ quantitatis est species, quâ ratione est per se unum à quantitate discreta in illis unitatibus reperta, velut à suo genere, & ab extensione tanta, vel tanta pariter in ijsdem unitatibus adinuenta, tanquam à sua differentia. Vnde ex ipsis quidam rem sic declarat, ut arbitretur quemlibet numerum habere formam specificam propriam, per quam specificè ab alio numero discriminetur, quæ tamen est nobis innominata, & hanc docet resultare ex unitatibus accidentalibus, quæ materiales dicuntur in ordine ad illam formam, quam formalis unitas, tanquam propria affectio suum subiectum consequitur, & hanc ait, non poni in numero cum alijs unitatibus, eò quòd alterius rationis sit.

Superioris sententiæ fautores, quæ considerãda iubeãt Primum.

Qui autem sententiam hanc patrocinantur multa consideranda præmittunt, quæ paucis perstringere iuvabit.

Primo quidem ipsis familiaris est numeri partitio, cuius supra meminimus in numerum numerantem, numerum numeratum, & numerum, quo numeramus; Numeri partitionem hanc apud Aristotelem etiam reperio, cui propterea Scholastici acceptam referre debent; is enim ait ὁ δὲ χρόνος ἀριθμός ἐστιν, οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν, ἀλλ' ὁ ἀριθμούμενος. *Tempus autem numerus est non quo numeramus, sed qui numeratur*, Huc usque numerus numeratus & quo numeratur; at verò numeri numerantis commemoratio fit alibi, dum idem ait. πότερον δὲ μὴ ὄντος τῆς ψυχῆς, ἢ οὐκ ἂν ὁ χρόνος ἦ ὄν, ἐπορήσειέν τις. *Vtrum autem cum non sit anima, erit tempus an non, dubitauerit aliquis*. Et ecce numerus numerans, qualis est anima. Numerus numerans, ut ibi quoque notauimus, anima est, seu intellectus, aut mens, eius enim est numerare; ut propterea mens, siue intellectus dicatur numerum in rebus facere, quatenus actu res ipsas numerat; numerus numeratus sunt res numeratæ, ut duo homines, tres lapides &c. numerus verò, quo numeramus est ille, quo res numeratæ dicuntur numerari, ut binarius, ternarius &c. Hic etiam à rebus dicitur avulsus, qui apud huius sententiæ fautores in duplici discrimine est, ut paulo antea insinuauimus, transcendentalis nimirum, & prædicamentalis; transcendentalis est, qui ex unitatibus transcendentalibus coalescit, & quo omnia entia numeramus; ita quidem duę intelligentię, ex horum opinione, binarium numerum, tres homines, ternarium, decem prædicamenta, denarium &c. facere dicuntur; at verò numerus prædicamentalis est, qui componitur ex unitatibus accidentalibus fundatis in rebus inuicem separatis ex diuisione continui; factâque diuisione alicuius rei quantę in quatuor, vel quinque partes; iuxta hunc dicendi modum, huiusmodi partes prædicamentalem numerum constituerent; non sic materialiter sumptę; sed quatenus fundant accidentales unitates distinctas realiter à substantia, & ab omni alia re, ex quarum aggregatione quaternarius, vel quinarius numerus resultat. Addunt priorem numerum in omnibus entibus, siue realibus, siue rationis, posteriorem verò duntaxat in continuis, quatenus diuisionem subeuntibus in partes reperiri posse. Hunc autem numerum mathematicum appellant, eò quòd de hoc Arithmeticus edisserat; & eumdem affirmant realiter, & formaliter à rebus numeratis distingui; priorem autem illum asserunt essentialem dici, cùm non distinguatur realiter à rebus per ipsum numeratis.

Primum.

Secundum.

Secundo loco duplicem unitatem recognoscunt in numero, quem prædicamentalem, seu quantitativum appellant, quarum una ab ipsis antecedens, altera verò consequens numerum appellatur. Rursus antecedens duplex, una, quę immediatè numerum antecedit, & continui unitas nuncupatur, seu potius dicitur continuitas, quę in plures diuiditur partes, numero inuicem discretas; altera verò, quę proximè, ac immediatè numerum antecedit, cuius modi sunt omnes unitates quantitatiuę, quibus continui partes diuisę denominantur unę, seu in se inditisse formaliter; & ex ambabus numerus componitur, diuerso tamen modo, nam ex continui unitate per accidens tantummodò componitur, quatenus videlicet ad sui corruptionem gignuntur unitates discretę, ex quibus per se, ac immediatè prædicamentalis numerus coalescit. Vnitas autem consequens numerum in suo esse constitutum, formalis est unitas, quę cuiuslibet numeri speciem

formam consequitur, nobis ignotam ac innominatam tanquam affectio subiectum proprium, solumque distincta ab illa unitate, quę se habet per modum formę distinctione formali, aut ex rei natura, aut per intellectum cum fundamento in re, non secùs ac de distinctione inter proprietatem, & subiectum ratiocinari placet, ut inter risibilitatem, & humanitatem. Hinc ex eorum sententia, quemadmodum unitates ex quibus componitur numerus, sunt entitates positiuę, & reales: numerus itidem positiua, ac realis entitas erit, independens ab anima, seu mente, ac numero numerante.

Tertium. Tertiò ulteriùs aduertunt prędicamentalem numerum ex quantitatiuis unitatibus compositum, duobus modis accipi, primo ut est totum integrale; secundo ut est totum essentiale, siue ut est species discretę quantitatis. Priori modo numerus aliquis puta ternarius ex tribus unitatibus resultat absque ullo ordine actus, & potentię, itaut duę priores unitates non se habeant, ut potentia, tertia verò ut actus, siue ut forma informans, cùm talis ordo non requiratur in compositione totius integralis, sed tantummodo in essentialis totius compositione; ut enim aliquod corpus sit totum integrale, sat est eius partes ordinari secundum prius, & posterius; hoc idem ajunt esse dicendum de quouis numero, nempè ternario, quaternario &c. cùm in ternario ex. gr. tres illę unitates secundum prius, & posterius inuicem ordinentur, quoniam ex illis statim numerus resultat. Posteriori autem modo cùm sit species quantitatis discretę, quę ex genere differentiaque constat, fieri unum per se debet constitutum ex genere, nimirum ex quantitate discreta, propriaque differentia nobis ignota, quæ tamen per extensionem suppletur secundù multitudinem tantam, vel tantam; ut in ternario erit extensio ad tres unitates tantùm, in quaternario ad quatuor, & ita de reliquis; hunc autem in modum numerus constitutus dicetur totum essentiale metaphysicum, nõ tamen physicum, eò quòd accidentia dici nõ possunt composita essentialia physicè, cùm materiâ, formâque physicâ careant; sed tantùm dici possunt integralia, cùm coalescant ex unitatibus illis accidentalibus repertis in partibus materialibus ortis ex continui diuisione, & ex illis formaliter resultent totius integralis formæ, quas postea consequuntur unitates, tanquam affectiones propria subiecta sua.

Quartũ. Quartò de numerorum speciebus, non secus ac de speciebus reliquis philosophantur. Dicunt igitur in qualibet numerorum specie dari formam totius, & partis; ut in specie humana in qua forma partis, metaphysica tamen, est rationalitas, & forma totius, quæ est tertia entitas resolutans ab animali, & rationali, & est humanitas. Eodem modo cuiuslibet numeri formam partis dicunt esse extensionem secundum multitudinem tantam, vel tantam, ut in ternario secundum tres unitates, in quaternario secundum quatuor unitates tantùm. At verò forma totius est natura, seu quidditas cuiuslibet numeri specifica, nobis tamen ignota, ac innominata; ut natura ternarij vel quaternarij, resolutans ex quantitate discreta, & extensione ad tres, vel quatuor unitates, varijs nominibus appellata, scilicet nomine discretionis, aggregationis, multitudinis, assumptionis, ut nempe numeri natura circumscribatur; hanc autem formam numeri, ex horum opinione consequitur unitas specifica, siue formalis, tanquam eius propria affectio secundum quam numerus habet propriam unitatem per se, ut distinguitur ab unitate per accidens, siue per aggregationem. Addunt & illud, quòd hæc forma totius si resultet ab illis unitatibus, tanquam ex partibus materialibus, distinguitur ab illis realiter, cum totum integrale putent realiter à suis partibus distingui. Si autem resultet ex quantitate discreta, & extensione tantâ, vel tantâ, solùm ex rei natura distinguitur ab illis partibus metaphysicis. Ex his autem deducunt, numerum inspectum ut totum integrale, & secundum esse physicum sic esse definiendum. *Numerus est forma simplex accidentalis resultans, ex unitatibus quantitatiuis, ortis ex diuisione continui, & ab eisdem realiter distincta.* Inferunt etiam si definiatur numerus metaphysicè, seu ut totum essentiale per genus, & differentiam, sic esse definiendum. *Numerus est quantitas discreta, extensa secundum tantam, vel tantam multitudinem unitatum accidentalium.* Vnde tandem cùm numerus utroque modo definiatur, & definitio sit tantùm entis per se unius; colligunt numerum quoque esse per se unum, tam physicè, quàm metaphysicè inspectum. His autem præmissis multa concludunt. Primò, numerum prædicamentalem dicere aliquam entitatem positiuam realem independentem ab intellectu. Secundò numerum eundem tantummodo reperiri in unitatibus ortis ex diuisione continui. Tertiò, non esse unum per accidens, sed præter illas unitates materiales aggregatas, importare etiam unitatem formalem, quæ consequatur quamlibet naturam specificam numeri, tãquam affectio subiectum suum. Quartò numerum prædicamentalem iam dictum hanc per se unitatem non habere ab intellectu per se ordinante unitates illas materiales ad unitatem formalem; nec ab ultima unitate materiali, cæteras priores determinante, uti forma materiam determinãte, nec à discretione unitatum; sed illam habere consecutiuè ad formam specificam numeri, siue talis resultet ab unitatibus materialibus, ut totum integrale à suis partibus, siue proueniat, ortumque ducat à quantitate discreta, & tanta, vel tanta extensione, tanquam à genere, & differentia. Quintò formam numeri, quam specificam unitas consequitur, inspectam, ut totum integrale, distingui dicunt realiter ab unitatibus materialibus; si autem ut totum essentiale metaphysicum, seu ut speciem quantitatis discretæ, distingui tantùm formaliter, ex rei natura, à genere & differentia. Sextò formam numeri de quo loquimur utroque modo consideratam, esse quandam entitatem absolutam, non autem respectiuam. Septimò eundem numerum toties decantatum prædicamentalem, seu quantitativum veram esse speciem quantitatis discretæ.

Hæc sunt quantum memoriâ reperio, quæ à fautoribus commemoratæ sententiæ afferri solent. Quæ si quispiam non oscitãter meditatus fuerit, haud poterit non exclamare. *O quantum est in rebus inane!* & non fateri probè dictum à sapientissimo illo, *Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas, & quàm infesta sit veritati.* Hęc planè sunt, ad quę respiciens Dionysius Siracusanũ Rex dixit, philosophorum doctrinam, *verba otiosorum senum ad imperitos iuuenes.* Et certè quis hebeti adeo ingenio, qui non aduertat huiusmodi speculationum inanitatem? quæ profectò neminem prætereibit, si nonnihil aduerterit, quæ temporis longinquitate pertinax humanæ mentis labor è naturæ latebris deprompsit, & quas industriè veritates detexerit. Ad me quod attinet, satis mirari certè non possum, eos ita deliraſse, ut animum induxerint ad credendum futurum, ut his nugijs fides habeatur; quis non intelligit commentitium esse continuum illud physicæ diuisioni obnoxium, quod tam frequenter inculcant? Si nanque naturæ minima excipias, quibus natura ipsa in suis moliendis utitur operibus, nullum continuum reperies, cùm-

Seneca ad Lucilium Ep. 88.

cuique illâ partitionem subire non possint, non erit cur quispiam confugiat ad continui diuisionem, ut inde numerum prædicamentalem, seu quantitativum deducat. Quòd autem ipsi in exemplum afferant pro diuisibili continuo tabulam, vel id genus alia, eorum pace, dicam ab ipsis non intelligi quid sit id, quod in exemplum adducunt; quid enim lignum, nisi cuiusdam viuentis, hoc est arboris cadauer? at hoc minimè continuum esse potuissent aduertere, si prę manibus habuissent Aristotelis librum tertium de Physico auditu, ubi habet. Εἰ δ' ἀνόμοιον τὸ πᾶν, ἀνόμοιοι καὶ οἱ τόποι, καὶ πρῶτον μὲν οὐχ ἓν τὸ σῶμα τοῦ παντὸς, ἀλλ' ἢ τῇ ἁπτῷ ἅπτεσθαι. *Siverò dissimile sit ipsum totum, dissimilia & loca erunt. Et primum quidem non unum corpus uniuersi est, nisi tangendo.* Ibi nanque Philosophus disertè admodum docet, quod constat partibus naturâ diuersis, minimè continuum, sed unum duntaxat esse tangendo, clariùs dixisset contiguum; at quis non intelligit corpus quod est, vel fuit subiectum animæ, cuiusmodi est cadauer; proindèque lignum partibus naturâ diffidentibus constare? nullo enim id labore ex animæ definitione colligitur, qua anima dicitur actus primus physici corporis, organici, potestate vitâ habentis; at corpus organicum esse, nil aliud, quàm ipsum partibus natura constare diuersis; & ut pręteream Aristotelis auctoritatem, quam perpetuò venerabor, nisi ratio contrarium suadeat, conabor hanc veritatem ostendere sic ratiocinando. Quæcunque proprijs terminis constant, coniunctione non possunt continuum quidpiam componere; cùm enim singula proprijs terminis contineantur, nequeunt communem habere terminum, quo copulentur, quod ad continuum, prout vulgò explicari solet, omninò requiritur; at quæ essentiâ differunt, proprijs terminis contineri necesse est, cùm id cuiusque rei natura exposcat; quæ igitur essentiâ dissident, nequeunt continuum unum constituere; at ea, ex quibus coalescit lignum, & alia huiusmodi naturâ differunt, ut ex paulo antea dictis perspicuum est, non igitur unum continuum poterunt constituere; insulsè proindè ad lignum, & id genus alia confugiunt, ut id inueniant, quod continuum sit, ex cuius physica diuisione prædicamentalis & quantitativus numerus oriatur. Non solùm autem ita, quod est, vel fuit subiectum animę discrepantibus natura partibus; verum etiam, & omne mixtum constare debet, velut illud, quod præter elementa proxima, & remota per iuxtapositionem tantummodò coniuncta, nihil habet, de quo in Physicis disputandum; ut propterea nec etiam mixtum inanime tutum aduersarijs esse possit asylum; imò nec etiam elementa, cum his non aliud unitatis, quàm contiguitatis genus conueniat, ut suo loco, me demonstraturum polliceor. Quod si res ita se habet, ex diuisione cuiusq; corporis oriretur numerus transcendentalis, qualis profectò ex eorum sententia foret is, qui ex diuisione alicuius acerui contingeret; nihil enim refert ad rem de qua agimus, componentia sic inuicem esse connexa, eoque modo disposita, ut ex ipsis, vel quoddam corpus consistens, vel fluidum consurgat, qualis non est acceruus, prout vulgò solet usurpari. His tamen sic se habentibus nihil obstat, quo minus intellectus possit concipere continuum tanquam id, cuius partes communi termino copulentur, illudque diuisibile sit in semper diuisibilia. Sed præter minima, quibus continuitatem adscribimus, modo tamen in Physicis explicando, aliis etiam admissis in natura continuis, quis adeo rubusti pectoris Rhetor, vel tantæ subtilitatis Philosophus, qui *nobis* suadere possit ex diuisione alicuius corporis in partes aliquid aliud, præter terminos, quibus partes ipsæ finiantur, præter nouam dispositionem, ac ordinem procreari? quod si ita est prædicamentalis, seu quantitatiua unitas ex continui diuisione proueniens, tanquam accidentaria forma superaddita partibus, quarum quęlibet ab illa denominetur una prædicamentali unitate, commentitia prorsus, ac inanis, quæ copiosius mox prosequemur. Satis hucusque sit superiorem sententiam attulisse, ac explicasse; nam quantum à veritate recedat ex infra dicendis perspicuum fiet. Interim succedat.

Tertio physicor. tex. 49.

SECTIO TERTIA.

Vera sententia proponitur; quòd nullus numerus, importat accidentariam formam rebus numeratis superadditam, & ab ijsdem reipsâ distinctam.

SEcunda sententia docet quantitatem discretam non esse veram speciem quantitatis, proindèque nec numerum, nec orationem ullatenus posse quantitatis rationem sibi vendicare; atque adeo numerum non esse verum accidens per se unum unitatibus quantitativis ex quibus componitur, realiter superadditum. Secunda sententia amplectenda.

Hanc sententiam amplectendam existimo, & auctoritate, & ratione suffultus; nam ut ab auctoritate ducam exordium, splendidè videtur eius veritatem Philosophus docuisse. Ἔστι δ' ὁ ἀριθμὸς, ἕν μὲν καὶ ὁ αὐτὸς, ὁ τῶν ἑκατὸν ἵππων, καὶ τῶν ἑκατὸν ἀνθρώπων, ὧν δ' ἀριθμὸς, ἕτερα, οἱ ἵπποι τῶν ἀνθρώπων. *Est autem numerus, unus quidem, & idem centum equorum, & centum hominum, quorum autem numerus est, altera sunt. Equi scilicet ab hominibus.* Quòd si idem est numerus centum equorum, & centum hominum (nihil refert quod idem specie non idem numero dicatur) ut ipse loquitur; utique numerus erit opus animæ, si nanque suum haberet esse extra animam, non idem posset numerus esse: quod eodem libro, pariter inculcat dicendo. Πότερον δὲ μὴ ὄντος τῆς ψυχῆς, ἔσται ἂν ὁ χρόνος, ἢ οὔ, διορίσαι ἄν τις. Ἀδύνατον γὰρ ὄντος ἑνὸς τοῦ ἀριθμητοῦ τοῦ ἀριθμοῦντος, ἀδύνατον καὶ ἀριθμητόν τι εἶναι. ὥστε δῆλον ὅτι οὐδὲ ἀριθμὸς. ἀριθμὸς γὰρ τὸ ἠριθμημένον, ἢ τὸ ἀριθμητόν. *Vtrum autem cum non sit anima, erit tempus, an non, dubitauerit aliquis. Cum enim impossibile sit numeraturum esse, impossibile est numerabile aliquod esse. Quare est manifestum, quod neque numerus est, numerus enim est, aut numeratum, aut ipsum numerabile.* Iuxta hæc igitur numerus rectè dicitur opus animæ, ac proindè absque anima esse non posse. Quòd si numerus ex Philosophi sententia non nisi rationis est opus, quis non intelliget ad aures ipsius, haud numerum veram esse speciem quantitatis, adeò ut sit forma quædam accidentaria reuerà iis, quæ numerantur, superaddita? Auctoritate suadetur assertio. 4. Phys. tex. 110. 4 Phys. tex. 131.

His autem auctoritatibus satisfacere se dicendo putant, Philosophum nil aliud docuisse, quàm effectiuè numerare ab anima esse; formaliter autem non item, cùm hoc modo potius sit extra animam, cumque numerus sit, quo fit numeratio, propterea numerum extra animam esse; ac ob id veram accidentariam formam prædicamentalis quantitatis speciem. Aduersariorum responsio.

Insulsa tamen interpretatio, proindèque vana responsio; propterea quòd sicut ex parte eorum, quæ numerantur, ex continui diuisione non orta, haud requiritur numerus tanquam accidens iis superadditum nec unitates, velut accidentia, ex quibus numerus oriatur, quo eadem numerentur; sed solum subijcit, ut numerus sit opus rationis; sic pariter videtur omninò dicendum de rebus, quarum multitudo ex continui diuisione proficiscitur. Confutatio.

Neque dicant ea, quorum multitudo non oritur ex

Digitized by Google

diuisione cõtinui, numerari numero transcendentali, qui certè non est existimandus accidens superadditum rebus numeratis; at verò illa, quorum multitudo ex continui prouenit diuisione, numerari numero prædicamentali; qui superadditum esse debet accidens rebus numeratis; non inquam id dicant; alioquin tenentur significare à quonam numeri partitionem illam didicerint in transcendentalem, & prædicamentalem, quod certè cùm præstare non possint, cogentur fateri commentitiam, & inanem penitus esse partitionem illam, quam adeò frequentèr inculcant.

Prima ratio ad superiorem assertionẽ ostendendam:

Ratione quoque veritatem hanc suadere non difficile, si numeri naturam diligenter attendamus, eâ siquidem inspectâ sic licebit arguere. Quod est unum per accidens, vel quod in idem recidit, non habens unã perse naturã, haud potest esse species sub aliquo genere contenta, eiusdemque rationem participare; at verò numerum hunc se habere in modum mox ostendemus; non igitur numerus sub aliquo genere constitui potest, eiusdemque rationem participare; quod si ita est; numerus constitui non poterit sub genere quantitatis; nec eius rationem sibi poterit vendicare. At verò numerum ad eum se habere modum, primò quidem nos Aristoteles docuit, αἴτιον δ', ὅτι τὸ ἓν ἔστιν ἀδιαίρετον, ὅσπερ ἂν ἓν ᾖ, οἷον ἄνθρωπος, εἷς ἄνθρωπος, καὶ οὐ πολλοί; *causa autem est, quoniam unum est indiuisibile, quodcunque unum sit, ut homo, unus homo, & non multi.* Subdit autem, ὁ δ' ἀριθμὸς ἔστιν ἕνα, καὶ ποσὰ ἄττα, *numerus autem est una plura, & quanta quædam;* Si igitur numerus est una plura, ut Aristoteles loquitur, necesse est unum quoque esse per accidens, nec ex eiusdem philosophi consilio, unius esse per se naturæ. Et alibi, ubi docet numerum non esse per se unum, sed sicut cumulum; & rursus alio loco affirmat numerum esse multitudinem unitatum.

3. Phys. tex. 68.

8. Diuin. tex. 10.

12. Diu. t. 4.

Respondent ad primam, & tertiam auctoritatem, Philosophum loqui de numero non formaliter, de quo in præsentia fit sermo; sed materialiter accepto, cuius consideratio aliena est ab instituto. Ad secundam auctoritatem respondent ab Aristotele non dici numerum absolutè esse sicut acervum, sed si unus est, aut unum esse, sicut accervum; vel explicandum quid sit.

Interpretatio tamen ad primam auctoritatem quod attinet, non admodum Aristotelis doctrinæ consentanea. Non enim inficiandum ibi loqui de numero materialiter accepto; sed ipse non alium in re numerum agnoscit; numerum enim, quo numeramus, docet habere esse tantum in anima quem alibi ipse unitatum multitudinem vocat; idem dicendum ad interpretationem auctoritatis secundæ; sed quod spectat ad tertiam auctoritatem luculentèr ibi Philosophus ait, numerum esse velut acervum; quòd si quis non ita sentiat, & credat numerum esse unum simpliciter, & per se ipsum, ei incumbit onus explicandi, quid numerum faciat unum ex pluribus unitatibus; quod cum assignare non liceat, fatendum erit numerum non esse unum simpliciter, sed unitates, quæ aggregantur in eo per modum coacervationis, quæ non facit simpliciter unum; proindèque numerum nec esse ens in aliqua specie constitutum, seu non esse aliquam speciem entis, quod nos contendimus.

4. Physic. tex. 13.

8. Diuin. tex. 10.

Secunda ratio.

Sed assertionem eandem validissimâ ratione suadere licebit. Si numerus aliquam perse unitatem sibi vendicat, vel talis est unitas simplicitatis, vel compositionis; at istarum neutra dici potest; ergo non importat aliquam unitatem per se; maior à sufficienti unitatis per se diuisione, satis probata manet; minor autem ostenditur, propterea quòd numerus dici nequit unus unitate simplicitatis; alioquin eadem simplex, realisque forma posset in diuersis subiectis inuicem disiunctis, locoque diffitis existere, quod quantum formæ non modo substantiali, sed etiam accidentali, qualem numerum contendunt esse, repugnet, nemo est, qui non videat. Nec unus esse potest numerus unitate per se compositionis in re, quoniam huiusmodi unitas, vel est continuitatis, vel per se potentiæ & per se actus &c. prius unitatis genus certè nequit numero conuenire, cùm ei penitus aduersetur; neque secundum, cùm ex unitatibus numerum constituentibus, nulla sit, quæ possit se habere per modum per se actus, aliis existentibus per modum perse potentiæ.

Aduersariorum responsio.

Mirum est, quò confugerit aduersariorum subtilitas; Respondent enim, numerum dicere naturam quandam perse unam formaliter, tam unitate simplicitatis, prout simplicitas opponitur physicæ compositioni ex materia, & forma physica, quàm unitate compositionis metaphysicæ, siquidem ex corum opinione, numeri natura dicitur una unitate simplicitatis; quia cùm sit accidentalis forma, caret materiâ & formâ physicâ, sed ex illis materialibus unitatibus tanquam totum integrale à suis partibus resultat. Rursus est una unitate compositionis metaphysicæ, quoniam ex genere differentiaque componitur. Ad primam verò probationem minoris; respondent quòd sicuti numeri natura est forma totius, non autem partis; ita quoque nullum incommodum existimandum in omnibus illis unitatibus, ut integrale totum in suis, quibus constat, partibus simul sumptis reperiri. Ad secundam dicunt, tales unitates habere rationem actus, & potentiæ quatenus ab illis accipitur ratio generis, cuiusmodi est quantitas discreta respectu numeri, & ratio differentiæ ad numerum spectantis, videlicet tanta, vel tanta extensio, in quibus actus, & potentia formaliter reperitur. Sed quàm hæc insulsè dicta sint, non erit operosum ostendere, si non nihil in eorum dictis explicandis immoremur.

Confutatio.

Respondent igitur numerum esse formam accidentariam, proindèque carere materiâ & formâ physicâ, resultare tamen ex illis unitatibus materialibus ut integrale totũ à partibus suis, & hoc modo numerum dicere aliquam naturam perse unam simplicitatis unitate. O præclarum commentum! dicant quæsò, quid sit delirare, si hoc est philosophari? ecquod obsecro delirium maius, quàm comminisci formam quandam accidentariæ naturæ positiuam, in qua, numeri ratio consistat? hac si talis est, proculdubio debebit alicui inesse subiecto; hoc autem assignent, si possunt. Dicere autem eam in omnibus illis unitatibus, veluti totum integrale in suis, quibus constat, partibus simul sumptis reperiri, difficultatem non diluit; adhuc enim tenentur assignare subiectum, cui hæc simplex accidentalis forma insit, quod cum nihil suppetat, præter res numeratas, vel distributiuè, vel collectim acceptas, & hæ neutro modo esse possint, ut liquet, necessariò sequitur nullum esse subiectum huiusmodi accidentis. Quod autem addunt unitatibus conuenire rationem perse actus, & perse potentiæ, planè ridiculum est; ad id enim non sufficit, recognosci posse rationem generis, & differentiæ in aliquo, in quo gemina illa ratio sit adstruenda, eo vel maximè, quòd hic non fit comparatio inter superiorem gradum discretæ quantitatis, & contrahentes differentias; sed potius inter unitates ipsas prædicamentales, quas aduersarii formas accidentales rebus numeratis superadditas, & ab iisdem, & inter se realiter distinctas esse contendunt.

Præ-

Tertia ratio.

Prætereà sic arguo, Vnum in duplici discrimine est, nimirum per se, & per accidens, & utrumque multifariam accipitur, de quibus alibi disputandum. Hoc supposito argumentationem conficio. Ex ipsis unitatis gradibus, si quis est, qui possit numero à parte rei adscribi, maximè videtur unitas aggregationis; vel ad summum unitas ordinis, quatenus reipsâ datur aliquis ordo inter res numeratas, quando nimirum res ipsæ connexionem inter se habent, vel subordinationem quandam, quantum ad locum, vel tempus, vel dignitatem, vel causalitatem, vel aliquo alio modo: sed unitas aggregationis, vel ordinis tanta non est, quantam requirit id quod sub aliquo genere constituendum, ut eius naturam participet, & in prædicamento collocetur; propterea numerus non sic unus erit, ut dici possit sub genere constitutus, eiusque naturam participare, & in prædicamento constitui. Numerus igitur non erit sub genere quantitatis tanquam species constituendus, nec in eius prædicamento collocandus. Minorem probo, alioquin acervus lapidum, respublica &c. dici possent species sub genere contentæ, & in prædicamento constitui.

Aduersariorum responsio.

Occurrunt maiorem negando, scilicet numero maximè conuenire unitatem aggregationis, & ad summum unitatem ordinis; quin potius, inquiunt, numerum dici per se unum unitate compositionis metaphysicæ, quatenus nempè constat ex genere, & differentia, videlicet ex quantitate discreta, & tanta, vel tanta extensione secundum multitudinem, & etiam in genere physico, quatenus resultat ab illis unitatibus materialibus forma totius, quam postea consequitur unitas specifica à qua denominatur numerus unus specie. Addunt autem si quæ ratio est, quæ propositionem illam suadeat, eâ tantum probari numerum in genere physico non habere per se unitatem totius essentialis, quod utique concedendum, sed negandum postea non habere unitatem totius integralis, à quo sumitur unitas totius essentialis metaphysici, seu unitas specifica, secundum quam in prædicamento quantitatis, tanquam species quantitatis discretæ collocatur.

Confutatio.

Hæc tamen responsio tanquam inanis facilè reiicietur, ut enim entitas metaphysica reipsâ non distinguitur ab entitate physica eiusdem rei, ita illa sine hac cohærere non potest, adeout unitas per se metaphysica entis realis fundetur in unitate per se physica rei, vel compositionis, ut in corporibus, vel simplicitatis ut in substantiis abstractis; ideo enim homo est quid compositum ex per se actu, & per se potentia metaphysica, adeout sit unum unitate metaphysica compositionis ex genere, & differentia, quia in eo datur unitas per se physica compositionis, sic in substantiis abstractis, quoniam in ipsis datur per se physica unitas simplicitatis; at in quantitate discreta, nulla est huiusmodi unitas physica compositionis, vel simplicitatis; propterea haud poterit illi adscribi, cum fundamento in re, unitas per se metaphysica sufficiens ad constituendam illam tanquam speciem sub genere.

Aduersariorum responsio.

Respondent in quantitate discreta dari unitatem totius integralis, à quo sumi potest unitas totius essentialis metaphysici.

Confutatio.

Sed quam sit hoc inconsideratè dictum, ex eo planè conuincitur, quoniam quemadmodum numerus, utcunque explicetur, non est quid unum nisi aggregatione, adiuncto etiam si placet, ordine; ita non est totum unum, nisi eodem modo integrale, ac ob id nequit inde desumi metaphysica unitas compositionis. Quæ autem de numero dico, de quantitate discreta in uniuersum, prout etiam orationem complectitur, intelligendum volo.

Aduersariorum responsa afferuntur.

Sed quoniam ad suadendum quantitatem discretam non esse veram speciem quantitatis; proindèque nec numerum, nec orationem ullatenus posse quantitatis naturam sibi vendicare, atque adeo speciatim numerum quantitativum non esse verum accidens per se unum unitatibus quantitatiuis, ex quibus componitur realiter superadditum, rationis momentum in eo positum erat; quoniam quantitas discreta, & speciatim numerus (quod enim de hoc dicitur, orationi potest accommodari) non est nisi quoddam unum per accidens unitate aggregationis, vel ad summum unitate ordinis: si tamen hæc ei concedenda unitas. Ob id sunt qui conantur ei per se quandam unitatem tribuere, atque adeo superiori rationi à nobis allatæ satisfacere; non pigebit igitur eorum doctrinam expendere.

Quidam concedũt numèro unitate per se.

Sunt igitur, qui nituntur numero assignare unitatem per se compositionis; unde inquiunt in numero concedendas unitates materiales, quæ potentiæ materialis rationem habent, & unitatem formalem, quæ illis aduenies per modum formæ cum iisdem constituit ens per se unum, licet in assignanda hac formali unitate dissentiant. Eorum enim plerique formalem hanc unitatem existimant esse ultimam, atque postremam unitatem, quæ cæteris aduenies, ut actus potentiæ, reddat numerum per se unum. Alii autem arbitrati sunt esse potius aliam quandam unitatem transcendentalem omnibus superuenientem, quæ sit illius numeri forma specifica in omnibus unitatibus materialibus illius numeri residens, veluti in sua materia.

Primus explicandi modus.

Secundus explicandi modus

Primus modus explicandi reijcitur.

Prior tamen explicandi modus non admodùm plausibilis est; per ultimam enim unitatem superuenientem, priores nullatenus à parte rei uniuntur inuicem ad unum quidpiam per se constituendum, dum enim sex unitates numeramus, non satis intelligi potest, quam unionem consequantur inuicem, ex eo quòd postremò illis quinque adijcitur sexta, & quânam ratione hæc & postrema unitas cæteris aduenies easdem informet, & actuet. Nec tutò ad ordinem prioris, & posterioris confugiunt, ratione cuius habeatur ratio potentiæ & actus; tametsi enim in rebus numeratis assignari possit prima, secunda, tertia &c. & ultima unitas ratione loci, vel temporis, vel dignitatis, vel alterius accidentis; huiusmodi tamen ordo in numero secundum se inspecto non habetur; itaut unitas una ex rei natura sit prima; altera autem secunda, & ita de reliquis; hoc enim ad libitum est, nec naturâ determinatum hanc unitatem esse priorem; alteram autem posteriorem.

Quorundam responsio refellitur.

Quorundam explicatio prioris dicendi modi.

Quæ cum quidam intelligerent, in eam opinionem abierunt, ut dicerent hisce rationibus probari quidem numerum non esse aliquod unum physicè compositum ex per se potentia, & per se actu, per veram, & intrinsecam unionem partium, receptionemque formæ in materia; cum enim, inquiunt, compositio numeri fiat per partes discretas, non potest in eo talis esse compositio, ut unitates inuicem iungantur; non tamen probari in numero non esse unionem ordinis, & unam extrinsecus non recipi in aliis, nimirum ultimam in præcedentibus earum incompletionem, ut loquuntur, extrinsecus terminando, qui modus est informationis, & actuationis naturæ entis discreti accommodatus; & quamuis ex rei natura designata non sit prima, vel ultima unitas; nihilominus ex rei natura unaquæque ex eorum opinione, ita se habet, ut alias determinare possit, si postremo loco fuerit accepta vel ab alio determinari si antecedentèr accepta fuerit, ac ob id unitatem

Digitized by Google

tem numeri, tandem concludunt esse unitatem ordinis, non qualem inter partes reipublicæ, vel exercitus cum in his nulla sit realis, vel physica entitas per aliam determinabilis; sed aliam unitatem ordinis in numero, quoniam in hoc unitates antecedentes sunt per ultimam extrinsecùs determinabiles, ac perfectibiles.

Refellitur

Hæc tamen responsio pluribus difficultatibus laborat, ac ob id multis nominibus refellenda. Tum quia concedit ex rei natura unam, & eandem unitatem quantitatiuam, esse posse perse actum, vel perse potentiam respectu alterius eiusdem rationis; cùm tamen non sit cur una habeat rationem actus: altera vero potentiæ. Tum quia admittit unitatẽ ordinis, cuius supra memini, tanquam unitatem per se actus, & per se potentiæ, quod est à veritate remotum, cùm unitas ordinis non penès actum, & potentiam, sed penès prius, & posterius attendi debeat. Tum quia ultima unitas antecedentibus est penitùs extrinseca; at ex sic se habentibus, non consurgit unum, tanquam ex perse actu, & per se potentia; forma siquidem extrinseca non constituit unum per se cum eo, cuius est forma; dicere autem extrinsecam determinationem, quæ fit à forma per se ordinata per modum partis, ad alterius actuationem, sufficere ad unum perse constituendum, & in numero tantùm adinueniri, est principium petere, ut ab aliis etiam animaduersum fuit. Tum quia haud satis potest intelligi complementum numeri per ultimam unitatem obtineri, cum non magis quælibet aliarum ad huiusmodi complementum faciat; sicut enim numerus aliquis ex. gr. senarius, destruitur per remotionem ultimæ unitatis; ita pariter per remotionem cujuslibet alterius; non absimili modo, quemadmodum completur per ultimam; ita per quamlibet aliarum.

Secundus initio positus explicandi modus reijcitur.

Nec eorum responsio, vel explicandi modus satisfacit, qui dicebant concedendam quandam unitatem aliam transcendentalem omnibus superuenientem, quæ sit illius numeri specifica forma, & in omnibus unitatibus materialibus illius numeri residens, velut in sua propria materia; non inquam satisfacit, propterea quòd aduersus hunc dicendi modum id præsertim facit, quòd transcendentalis unitas illa materialibus unitatibus aduenies, vocata ab ipsis forma specifica numeri, residens in omnibus illis, ut in sua propria, & adæquata materia, vel est forma diuisibilis, atque diuisibiliter existens secundum plures partes in illis materialibus unitatibus: vel indiuisibilis, proindeque tota existens in quacunque materiali unitate; primum dici non potest, quoniam illa unitas ita diuisa in partes, & in singulis unitatibus materialibus dispersa, non potest illis tribuere quandam unionem perse. Vt prætereamde his partibus redire difficultatem eandem, quæ de materialibus unitatibus, ut enim ex his, etiam ipsis fatentibus aduersariis, nequit unum quidpiam perse consurgere: ita nec etiam ex partibus illius unitatis transcendentis. Secundum etiam intolerabile prorsùs, quoniam repugnat idem accidens, cuiusmodi unitatem hanc transcendentatem esse contendunt, indiuisibiliter esse simul in diuersis subiectis realiter distinctis, locoque diffitis, etsi quodlibet illorum dicatur inadæquatum subiectum, cum tale accidens debeat esse materialis naturæ. Vt omittam ineptè admodum quantitati indiuisibilitatem adscribi; hoc enim eius naturæ quidem aduersum, cùm eius proprium sit posse diuidi.

Quorundam responsio.

Non me præterit superiores rationes quibusdam videri validas ad ostendendum quantitatem discretam non sic unam esse, quemadmodum continua est, non tamen sufficientes ad suadendum ei non conuenire quandam unitatem, quæ discretæ quantitati sit consentanea; unde etsi partes numeri ob sui diuisionem ineptæ penitùs sint ad unum constituendum unitate continuitatis, nihil obstat tamen, quo minus unum constituere possint in ratione discreti; quin reuerà quæ multa sunt secundum quandam rationem, possunt vnum esse secundum alteram; ut lapides inspecti secundum suum esse proprium, atque peculiare, sunt multi; at in ratione edificij sunt unum.

Refellitur

Hæc tamen responsio, etsi aliquid veritatis attingat, non propterea tamen allatis rationibus satisfacit; quanuis enim ipsis concedatur, quę aliquâ ratione sunt multa, posse unum aliâ ratione esse, non subindè licet inferre, aliâ ratione esse unum per se, nisi quando, quæ multa sunt, apta sint tale unum constituere, talisque nexus physicus intercesserit, qualem hoc unitatis genus expoſcit; ut materia, & forma sunt quidem duo entia, & tamen ex ipsis potest fieri unum per se, propterea quòd eorum unum habet rationem per se potentiæ, alterum verò per se actus, & physicus nexus potest intercedere, sic inter illa, ut ex ipsis unum per se consurgat, quod in re proposita non contingit; nam commemoratæ unitates quantitatiuæ sunt ex aduersariorum placito, quædam accidentia rebus superaddita, ut inter se nequeant habere rationem per se actus, & per se potentiæ, quod cumulatè suprà ostensum fuit; concedendum igitur, etsi ratione quâdam sint multa, ratione alterâ posse esse unum, non tamen per se, nec ratione per se potentiæ, & actus, ut vidimus, nec ratione continuitatis, cum hoc discreto repugnet; sed ratione aggregationis, quæ est discreti propria. Ex illis igitur unitatibus nequit quidpiam consurgere, nisi aggregatione unum, ac ob id unum per accidens; quod suo modo dici posse unum non inficiandum.

Alius explicandi modus.

Hæc cum probè reiecta sint, propterea nonnulli cautius philosophantes fassi sunt numero tribui non posse quampiam unitatem per se compositi, sed ordinis unitatem tantummodò, quam habeant unitates quantitatiuæ à parte rei, ut numerari queant una priùs, & altera posteriùs absque ulla ratione actus & potentiæ, & absque aptitudine ad constituendum unum continuum, undè inquiunt, constitui numerum ex unitatibus secundum aptitudinem, quâ numerari, ordinarique possint, & hinc putant distingui compositionem cumuli ex una parte, & numeri ex altera, quoniam ad utramque compositionem unitates concurrunt, modo tamen diuerso; nam ad componendum cumulum, nullus requiritur ordo; secùs ad numerum componendum.

Refellitur.

Hic tamen dicendi modus claudicat non minus quàm alii supra relati, propterea quòd huiusmodi ordo prioris, & posterioris non est in re, nisi ex accidenti, scilicet vel ratione loci, vel temporis, vel dignitatis vel alterius alicuius rei. Tum etiam quia tametsi ordo poneret quidpiam in re, non subindè numerus dici deberet ab eo quidem habere talem unitatem, ratione cuius in genere quantitatis ipse constitueretur ens per se unum; quandoquidem entia dimensionibus destituta, realia sunt, habentque talem numerabilitatem; nec ob id numerus ex ipsis constitutus, quem aduersarij transcendentalem appellant, ex eorum sententia est ens per se distinctum à rebus numeratis. Tum quia unitas ordinis, utcunque explicata, non constituit unum per se ad eum modum, quo aliquid debet esse unum, ut sub aliquo genere constituatur, eiusque naturam participet, tanquam species directè sub ipso contenta. Tum etiam quia ordo prioris, & posterioris, non pertinet ad quantitatis naturam.

Cum

Alius explicandi modus.

Cum autem alii cognoscerent ex hucusque traditis apertè constare quantitati discretæ nullam prorsus physicam unionem conuenire, penès quam eius unitas attendi possit; adhuc tamen eidem discretæ quantitati adscribendam putant unitatem aliam satis idoneam ad illam reddendam sic unam, ut species vera sub quantitatis genere constituta dici possit. Hanc autem unitatem appellant metaphysicam, videlicet compositionis ex genere, & differentia; quatenus discreta quantitas habet partes extra partes non unitas, seu copulatas communi termino, per quod à continua quantitate distinguitur. Hæc tamen solutio superiùs reiecta, iterum deprehenditur insufficiens, quia unitas metaphysica entis realis supponit unitatem physicam; entitas enim metaphysica reipsâ ab entitate physica non distinguitur. Supponit autem unitatem physicam, vel compositionis, ut in corporibus naturâ constantibus; vel simplicitatis, ut in substantiis abstractis. Cum igitur in quantitate discreta, nulla talis sit unitas physica, proinde neque metaphysica unitas compositionis ex genere, & differentia esse potest.

Reflitur

Quarta ratio ad assertionem suadendã.

Amplius ad eandem assertionem suadendam sic argumentor. Multitudo unitatum transcendentalium non constituunt aliquam speciem quantitatis in entibus per se unam, tanquam formam accidentariam rebus numeratis superadditam; ergo nec etiam & altera, quæ dicitur quantitatiua. Assumptum præterquam quòd ab Aduersariis etiam admittitur, ex eo quoque, manifestum redditur, quia multitudo entium non est ens, sed entia, ut rectè Philosophus adnotauit, dicens unum, & multa inuicem opponi oppositione relatiuâ tanquam numerum, & numeratum; unum enim est, quo mensuratur multitudo; multa igitur nequeunt esse unum; nam unum oppositorum alterum esse non potest. Principalis autem argumenti consecutio optima; nam sicuti multitudo transcendens ex unitatibus transcendentalibus, sic etiam quantitatiua ex quantitatiuis constat.

1o. Diui. cap. 27.

Superioris rationis confirmatio.

Imo illud addendum quòd numero accidit habere unitates huius, vel illius rationis, sufficit enim, ut habeat unitates, & ex illis coalescat, siue ex his, siue ex illis. Vnde ex una numero essentia hominis & ex quinque lapidibus fit numerus senarius & tamen illa unitas essentiæ hominis ab aduersariis appellatur transcendentalis, & hæ resultantes ex alicuius continui diuisione; prædicamentales dicuntur, vel saltem non transcendentales; si igitur ex una transcendentali, & ex quinque non transcendentalibus, exurgit verus numerus senarius; cur non etiam ex sex transcendentalibus consurget? ex unitatibus igitur transcendentalibus, verus numerus efflorescit; sed hic fatentibus etiam contrariæ sententiæ fautoribus, non importat aliquam per se unam formam accidentariam realiter à rebus numeratis distinctam, ijsdemque superadditam; ergo nec etiam numerus, quem quantitativum, seu prædicamentalem appellare consueuerunt.

Respondent consequentiam negando principalis argumenti, & ad probationem dicunt paritatem illam non sufficere ad constituendam, vel remouendam ab utraque multitudine rationem speciei, sed requiri, ut utraque sit ad aliquod prædicamentum limitata, & sub genere uno immediatè constituta; cum igitur multitudo transcendens illimitata sit, nec sub aliquo determinato genere posita, ad eum modum, quo multitudo quantitatiua, quæ sub genere discretæ quantitatis constituitur; hinc propterea fit, ut per istam habeatur una per se species, videlicet prædicamentalis numerus, non autem per illam.

Confirmatio.

O egregiam petitionem principij! hoc utique in controuersia positum, num scilicet quantitas discreta sub genere possit constitui, & tamen ab ipsis in responsionem adducitur. Hoc prætermisso, satis est manifestum, nihil prorsùs referre, quòd multitudo transcendens sit illimitata, quantitatiua verò limitata; Si nanque fuerit semel admissum, quod certè admittendum, neutram dicere per se naturam unam; solùm inde sequitur, multitudinem, quæ quantitatiua nuncupatur, multitudinem esse talium entium, adeout totum discrimen sit penès ea, quæ numerantur, & quantitatiua multitudo dicatur, quatenus est rerum quantarum orta ex diuisione continui non ita tamen, ut differentia sit in ratione multitudinis; adeout multitudo transcendens non importet accidentariam formam per se unam rebus numeratis superadditam; secùs autem multitudo quantitatiua; quin potius, ut numerus transcendens non est ens per se unum, nec una species entis, ut Aduersarii quoque concedunt, sed sunt plura ipsa entia numerata; ita neque numerus quantitativus, sit una per se quantitas, aut una species quantitatis, sed plures quantitates; nulla siquidem, uti dicebam, potest afferri disparitatis ratio. Eodem enim modo numerus transcendentalis unitatum transcendentalium, quo numerus quantitativus est quantitatiuarum unitatum multitudo.

Adnotatio.

Neque prætereundum, quòd sicut unitas transcendens essentialiter prædicatur de unitate quantitatiua, sic numerus transcendens de quantitatiuo; sed numerus transcendens duarum quantitatum non est unum ens, sicuti neque numerus duarum substantiarum &c. ergo neque una quantitas, & una species ipsius; quod enim repugnat superiori, repugnat etiam cuicunque directè contento sub illo; ut quod repugnat animali, repugnat etiam homini; eodem modo, si numerus transcendens, nequit esse unum ens, nec etiam numerus quantitativus esse poterit unum ens, cum ille de hoc essentialiter dicatur.

Quod colligatur ex dictis.

Reliquum igitur est, ut fateamur egregiè dictum ab aliquibus fuisse, cùm numerus quantitativus, & continuum, non differant, nisi, ut unum, & plura una; quoniam huiusmodi numerus, ut aiunt, fit ex diuisione continui, non plus consequenter differre, quàm unum album, & plura alba; cùm igitur unum album, & plura alba specie non differant; ita nec numerus, & continuum, specie different. Quicunque igitur numerus, siue transcendens, siue quantitativus, nil aliud, quàm ipsa plura numerata. Transcendens enim ut non est ens per se unum distinctum à rebus numeratis; ita nec etiam quantitativus est una per se quantitas distincta ex rei natura à rebus, hoc est quantitatibus, seu rebus quantis numeratis, quæ multæ sint ex diuisione continui.

SECTIO QVARTA.

Difficultatibus aduersus dicta superiori sectione, fit satis.

Prima difficultas ex auctoritate petita.

ARistoteles diuidit quantum in discretum & continuum; tanquam genus in suas species, & pro prima specie numerum, de quo in præsentia fit sermo (nam de oratione postea dicetur) recognoscendum decernit; ex Aristotelis igitur sententia numerus est vera species quantitatis, proindeque forma accidentalis rebus numeratis superaddita, & ab ijsdem reipsâ distincta.

Solutio indirecta.

Hæc auctoritas plus probat, quàm aduersarij contendunt; concludit enim de numero in uniuersum, cùm tamen ipsi nolint quid unum per se, tanquam acciden-

Solutio directa.

videntariam formam esse numerum, nisi quantitativum ortum ex diuisione continui. Quia tamen possunt occurrere dicendo, se quidem sermonem habere de numero quantitativo, & de hoc Aristotelem intelligendum esse; propterea fit satis propositæ auctoritati respondendo, cùm Philosophus quanti partitionem illam instituit in discretum, & continuum, noluisse, quantitatem generatim acceptam in duas propriè species diuidere; sed potius continuæ quantitatis geminum statum assignare voluisse, nempè statum continuitatis importantis unionem partium; unde quantitas continua dicitur: & statum discretionis importantis disiunctionem partium; unde quantitas discreta nuncupatur. Erat nihilominus operæ pretium in hoc prædicamento numerum collocare, si non, ut species propriè reipsâ distincta à quantitate continua, saltem ut quidpiam ab eadem, rationis ope diuersum, quatenus ab intellectu concipitur per modum unius, non quidem continui, sed discreti; erat inquam operæ pretium, propterea quod si solus quantitativus numerus ad hoc prædicamentum pertinere dicatur hic non est aggregatum quoddam per accidens ex rebus genere diuersis, sed ex rebus eiusdem prædicamenti, nimirum ex diuersis quantitatibus continuis inuicem diuisis, atque secretis; imò est ipsa continua quantitas in plures partes diuisa. Quòd si quilibet numerus in hoc prædicamento sedem habere dicatur, erat cur adhuc in ipso collocaretur discreta quantitas, propter maximam affinitatem, quam habet cum quantitate continua in ratione quantitatis. Nam prædicamentum sumi potest amplè prout non continet, nisi entia realia ab aliis realiter distincta; vel latè pro structura quapiam habentium conuenientiam, ratione cuius explicantur: quamuis igitur quantitas discreta non sit accidens realiter distinctum realiter ab aliis; adhuc tamen in prædicamento constituere decebat, ut melius explicaretur, si non tanquam vera, saltem ut spuria quantitatis species.

Secunda difficultas

Discreta quantitas ob eam causam diceretur non esse vera species quantitatis tanquam accidentaria forma rebus supraddita, proindèque ab hoc prædicamento eliminanda, propterea quòd ei deest vnitas perse; hoc tamen videtur falsum, præsertim ad aures

5. Diuin. tex. 19.

Aristotelis dicentis numerum senarium non esse bis tria, sed semel sex, vt videlicet innueret numerum habere suam per se vnitatem, nec esse quidpiam aggregatione vnum.

8. Diuin. tex. 10.

Imò & alibi volens innuere, à quo numerus dicatur per se vnum quidpiam, ait, in singulis numerorum speciebus, vltimam vnitatem esse numeri formam, seu differentiam dantem numero speciem, non secus ac vltimus gradus essentialis rei, dicitur eius forma, ac differentia.

Comprobatio difficultatis.

Et augetur difficultas; quoniam accidentaria concreta sedem in prædicamento solùm èx eo consequuntur, quoniam aliquam rationem perfectitatis habent, licèt absolutè, & simpliciter sit entia per accidens, cùm accidens, & subiectum includant.

Prioris auctoritatis interpretatio prima.

Plerique Philosophi sententiam priori loco allatam interpretantur dicendo, significare ipsum voluisse bis tria separata, non esse vnum numerum sex; Si quis modò numeret tria, posteà verò alia tria, neque hæc cum illis coniungat, non dicetur profectò numerasse vsque ad sex; sed bis vsque ad tria, cum inter duos ternarios ad senarium conficiendum collectionis vnitas requiratur. Re tamen verâ è quorundam interpretum sententia aliò spectabat Aristoteles; propterea quòd quantitatis multiplicatio ad eius qualitatem pertinet; nam substantia, siue essentia cuiuslibet numeri est id, quod semel dicitur, vt substantia senarii, est quod dicitur semel sex, non quod dicitur bis tria, vel ter duo, hoc enim ad eius qualitatem pertinet; dicere nanque superficialem vel solidum esse numerum, esse quadratum, vel esse cubicum, significat esse qualem.

Interpretatio secunda.

Secundæ auctoritatis explicatio.

Ad auctoritatem alteram quòd attinet, dicebat quidem in singulis numerorum speciebus ultimam unitatem esse numeri formam, differentiamue dantem numero speciem, unde pronunciauit rerum essentias esse veluti numeros; ita ut quemadmodum ultimus essentialis rei gradus, dicitur eius forma, ac differentia; eò quòd per illum in suo esse ultimò constituitur; sic ultima unitas comparatione numeri. At eo loci nil aliud sibi voluit Stagirites, quàm ultimam unitatem, non quidem propriè formam, vel differentiam esse, sed instar formæ, aut differentiæ se habere; nec immeritò; quemadmodum enim forma, ac differentia ultima, est illa, quæ ultimò complet, atque specificat essentiam rei, facitque rem à cæteris omnibus differre, sic ultima unitas, quæ numerum complet, & absoluit.

Comprobationi difficultatis fit satis

Ad confirmationem respondendum concreta, quę in prædicamento ponuntur, non esse entia per accidens, sed connotatiua, quia non æque primò utramque partem significant, sed primariò formam, secundariò subiectum; unde in prædicamento, & sub genere tanquam species, ratione formæ duntaxàt continentur. Quod de numero dici minime potest, cum reipsâ dari non possit forma quædam accidentalis, quæ connotet plura, atque distincta subiecta, etiam inadæquata, quibus inhæreant.

Tertia difficultas.

Fortiùs urgent hunc in modum. Scientiæ quidem obiectum debet esse aliquid per se unum, nam ut commune est effatum. *De ente per accidens non datur scientia*; at numerus est proprium & per se obiectum scientiæ, puta Arithmeticæ; ergo numerus debet esse unum per se, non igitur aggregatione unum.

Solutio indirecta.

Non video, cur aduersarii difficultatem hanc tanti faciant, cùm ipsi non minus teneantur illam diluere; nam Arithmetica non est alligata numero quantitativo; siquidem numerorum affectiones indiscriminatim de quocunque numero, proindeque de transcendenti, quem tamen ipsi non distinguunt à rebus numeratis, nec existimant speciem per se unam esse in genere entis, æquè benè possint ostendi. Vt autem difficultati fiat satis, aduertendum iuxta duplicem dicendi modum responderi posse; si nanque credatur de ente per accidens nihil obstare, quo minus detur scientia, de quo suo loco disserendum, neganda erit maior propositio. Quòd si placet contrariam sententiam tueri, proindèque concedere, de ente per accidens scientiam dari non posse; dicendum non dissimili modo philosophandum de Arithmetica, ac de scientia Militari, ac de Morali etiam ex ea parte, quâ agit de publico, deque domestico regimine, quarum illa dicitur Πολιτικὴ *Politia*, seu reipublicæ administratio; hæc Οἰκονομία *Oeconomia* nuncupatur. Cogitandũ enim ab Arithmetica considerari proprietates, affectionesue numerorum, quæ non conueniunt numero quatenus dicit aliquam unitatẽ per se, ut si sit propositio. *Minimi numeri omnium eandem cum eis rationem habentium, primi inter se sunt*. Insuper *Si duo numeri primi inter se fuerint, qui unum eorum metitur, numerus ad reliquum primus erit*. Præterea *Si tres numeri deinceps sint, proportionales; primus autẽ sit quadratus, & tertius quadratus erit*; Amplius. *Si quatuor numeri deinceps sint proportionales; primus autem sit cubus, & quartus cubus erit*; & aliæ penè innumeræ propositiones ex Arithmetica huc trans-

Solutio directa.

7. Elem. prop. 24. Prop. 25. Octauus lib. Elementorũ prop. 22. 23.

transferri possent; ex quarum animaduersione, cuique perspectum fiet affectiones ab Arithmetico consideratas, conuenire numero, prout habenti duntaxàt unitatem aggregationis, & quatenus est quidpiam discretum. Non inficiandum tamen aliquas esse proprietates, quæ discretionem non necessariò requirunt; sed æquè benè de quantitate continua possunt ostendi, ut ex his propositionibus liquet. *Si fuerit ut totus ad totum, ita ablatus ad ablatum: & reliquus ad reliquum erit, ut totus ad totum.* Insuper. *Si sint quotcunque numeri proportionales; erit quemadmodum unus antecedentium, ad unum consequentium, ita omnes antecedentes, ad omnes consequentes.* Præterea. *Si quatuor numeri proportionales sint, & vicissim proportionales erunt.* Amplius. *Si sint quotcunque numeri, & alij illis æquales multitudine, qui bini sumantur, & in eadem ratione: etiam ex æqualitate in eadem ratione erunt.* Quòd etsi ita sit; nihilominus, in demonstrando Arithmeticus discretam quantitatem usurpat, ad eandem proprietatibus ipsis contractis. Non prætereundum Arithmeticæ pariter obiecto, quandam unitatem per se conuenire, quauis à mentis negotiatione deriuatam; siquidem mens concipit id, quod est aggregatione unum, tanquam id, quod tali, vel tali nomine significatur, quod est illud, ut cum Scholasticis loquar, in actu signato sumere, de quo possunt affectiones ostendi; ad eum modum, quo de ipso ente per accidens ratiocinamur, & multa concludimus in uniuersum. Ita quidem de ipso in prima differitur Philosophia, prout ab ente per se distinguitur; unde inquirimus quid illud sit, quæque eidem consentanea sint attributa; quæ certè nequeunt ipsi accepto in actu exercito conuenire; ut ob id de ipso sic usurpato, nequeamus affectiones ostendere, cum solum, quid huiusmodi nomine significetur, datum sit explicare. Non dissimulandum tamen sic numerum acceptum, nõ habere esse extra animam; hoc tamen nihil; cum Arithmetica id penitùs negligat, & æquè benè subsistat, siue plurium multitudo reipsâ detur, siue non, extra animam; qua de re commodius agens de scientiarum natura disputabo.

7. Elem. prop. 11. Eiusdem prop. 12. & 13. Eiusdem prop. 14.

Quarta difficultas

Deinde omne quod habet partes essentialiter ordinatas, est ens per se; numerus autem est huiusmodi; proinde numerus ens per se dici debebit. Maior certa; minor inde manifesta, quia partes numeri essentialiter ordinantur inter se ad componendum aliquod totum; tres enim unitates exempli gratia, coordinationem habent inuicem ad numerum ternarium componendum. Sed hæc ratio si quid probaret, utique concluderet etiam de numero transcendentali, quem tamen aduersarii negant habere per se naturam unam. Neganda tamen minor, eiusque probatio; non enim satis intelligi potest, quæ sit ex rei natura illa toties ab aduersariis decantata coordinatio essentialis ad componendum re ipsâ totum.

Solutio.

Quinta difficultas

Maior fortasse difficultas in eo, quòd genera, & species sunt entia per se, habentq; per se quidem unitatem; at verò in numeris verè dantur genera, & species; numerus enim ut sic, genus est ad binarium, ternarium &c. & hi sunt species illius; & aliæ plurimæ sunt etiam diuisiones, per quas constat, numeros esse species sub numero per se contentas. Diuiditur enim numerus in parem, & imparem; in primum, & compositum &c. Sic etiam binarius rationem habet speciei, ad hunc, & illum binarium, &c. de quibus prædicari potest; & ita de aliis.

Solutio.

Occurram dicendo; ut numerus non habet unitatem, nisi ad eum, quem explicuimus modum, ita non habet, ut sit genus vel species propriè, sed impropriè; quo pacto licet genus, & species etiam aggregatis per accidens assignare; dicitur enim aggregatum de tali; ac tali aggregato, & tale, ac tale aggregatum de hoc, & illo aggregato. Ad hoc autem, si quæ maior unitas desideretur, summoperè conducit illa, quam numero superiùs adscripsimus, quatenus in actu signato sumi eum posse, quemadmodum quodlibet ens per accidens, & speciatim, quod est aggregatione unum, dicebamus.

Sexta difficultas.

Solet etiam, & illud obiici. Quod definitur est ens per se unum; at numerum definiri satis vulgatum est; ob id numerus quid per se unum esse oportebit; Assumptio neganda, quando sermo fiat de vera, & quidditatiua definitione, cuius est per se naturam unam exprimere, licet concedi de descriptione possit; & certè si rectè attendas cùm definitur numerus, reperies, non tam definiri, quàm describi, quid enim sibi vult; *Numerus est duarum, vel plurium unitatum aggregatio?* Nil aliud profectò, quam descriptionem explicantem, quid per nomen *numerus* importatur. Amplius. Partes unâ formâ informatæ, unum per se quidem efficiunt; at unitates, quæ sunt numeri partes, unâ formâ informantur; siue sit ultima unitas, siue aliud quidpiam; ergo unitates unum per se, videlicet numerum efficient. Facilis tamen solutio, nam maior concedenda, cum forma fuerit extra animam, non autem cum ab anima pendet.

Solutio.

Septima difficultas

Octaua difficultas

Præterea. Ideo numerus transcendens non est accidens superadditum rebus numeratis, quia nec unitates transcendentales, ex quibus constituitur, illis accidunt; unde sicuti quælibet res seipsâ est transcendentaliter una, ita collectim sumptæ se ipsis sunt multæ; ergo ex aduerso, quia unitates quantitatiuæ accidunt rebus corporeis, quoniam continuum diuiditur; ob id numerus ex illis consurgens statui debet accidens rebus corporeis superadditum. Hanc rationem confirmant, ex eo quia, res nunquam per se esse possunt absq; numero transcendentali, propterea quòd earum una, nequit in aliam facessere; benè tamen absq; quantitatiuo; unde inquiunt, duæ guttæ aquæ alioquin separatæ, si inuicem continuitatis nexu iunguntur, prædicamentalem, & quantitatiuam dualitatem amittunt, quoniam non amplius duæ sunt quantitates; sed una per continuitatem, adhuc tamen transcendentalem unitatem retinent, quoniam adhuc sunt duæ res, non una per identitatem, sed per coniunctionem duntaxàt; numerus igitur quantitativus est accidens superadditum.

Confirmatio difficultatis.

Solutio.

Cùm huius difficultatis enodatio pendeat ex explicatione continui, non licebit in præsentia satis illam, pro dignitate tractare. Solùm adnotabo nihil minus esse veritati consonum, admissâ continui diuisione, de qua postea disputandum, quàm unitatem quantitatiuam reale quidpiam superaddere quantitati ab alia diuisę, præter indiuisibilia terminantia, si tamẽ hęc sint concedenda, de quibus suo loco redibit sermo. Admisso igitur continuum posse physicam diuisionem subire, & indiuisibilibus etiam concessis, respondendum per diuisionem quantitatis continuæ in partibus diuisis, præter indiuisibilia terminantia, nihil prorsùs de nouo generari; unde unitas quantitatiua præter commemorata indiuisibilia, nihil dicit, nisi puram continuitatis negationem; & quando partes illę iterum uniuntur, ita ut ex ipsis fiat quoddam continuum, præter indiuisibilia, nil aliud amittunt, quàm illam negationem, quo sensu dualitatem amittere dicuntur, quoniam, ut continua quantitas intelligitur una esse præcisè ex indiuisione: ita quantitas discreta intelligitur esse numerus præcisè, ex diuisione continuæ quantitatis; unde non sequitur numerum de quo fit sermo, positiuum

Digitized by Google

sitivum aliquid superaddere partibus diuisis, nec etiam unitates quantitatiuas sensu iam explicato. At si forsan intelligant, ut intelligere videntur, illud additum partibus diuisis per quantitatiuam unitatem, esse indiuisibile terminans; indiuisibilibus concessis, foret illis assentiendum; quanuis in eo peccarint, quòd subindè deducant, illud, scilicet, indiuisibile additum parti diuisę, eandem reddere essentialiter incompletam, & constituere essentialiter ordinatam ad prædicamentalem numerum componendum; cùm indè potius pars compleatur, utpotè proprios terminos adipiscens, ac ob id reddatur ens in se subsistens, completum, & hoc aliquid. Vtcunque se res habeat, num scilicet unitas illa quantitatiua, positivum quidpiam quantitati superaddat, an solam unionis carentiam: adhuc inquirendum superest, alterutrum dicatur, quâ ratione sit propositæ difficultati occurrendum; admisso nanque singulis diuisis partibus aliquid reale positivum superaddi; superest adhuc explicandum, quâ ratione partes illæ, quarum quælibet una dicitur, possint ad constituendum numerum, veluti quidpiam per se vnum, concurrere.

Indicatur alius dicendi modus.

Sed hucusque ex hypothesi, quòd continuum possit physicam diuisionem subire, & quòd in natura dentur quantitatis indiuisibilia, philosophati sumus. At his omnibus de medio sublatis, alia erit ineunda contemplationis via. Si nanque reipsâ solùm naturæ minimum continuum sit, illudque physicæ diuisioni minimè obnoxium; & in indiuisibilia quantitatis, punctum, linea, superficies, inania figmenta, physicè loquendo, existimentur; non erit, cur in his difficultatibus emolliendis laboremus; non enim erit amplius suspicandum, num doctrina sit admittenda, docens ex diuisione continui, numerum prędicamentalē consurgere, tanquam accidentariam formam rebus numeratis superadditam, cùm nulla talis diuisio sit, ac proinde vana prorsus illa partitio unitatum, & numerorum in transcendentales, & prædicamentales, quamuis etiam admissâ continui diuisione, vanam esse partitionem eandem ostenderimus, sensu tamen, quo ab aduersarijs accipitur. Tota igitur difficultas iuxta hunc dicendi modum ad contigui diuisionem deuoluetur; nullius tamen, aduersarijs etiam fatentibus, momenti erit, quoniam ipsi quoque per illam negant numerum, tanquam formam accidentariam rebus numeratis adiungi. Non inconsultò dicebam numeri partionem illam in transcendentalem & prædicamentalem, prout ab ipsis explicatam, inanem esse; quando quidem prædicamentalem, seu quantitativum numerum, dicunt esse accidens superadditum rebus numeratis; non sic autem transcendentalem, quod à veritate penitus alienum ostendimus. Alio igitur modo res explicanda, ut Sectione sequenti constabit.

SECTIO QVINTA.

Numerus formaliter acceptus explicatur.

HVcusque cumulatè satis, ni fallor, ostendimus nullum esse numerum, qui dici mereatur accidentaria forma reipsâ distincta à rebus numeratis, eisdemque superaddita; proximum est, ut explicemus quid sit numerus formaliter sumptus, quo numeramus, dicimusque duo, tria, quatuor &c.

Assertio.

Dicendum autem existimo numerum abstractum & sic acceptum, formaliterq; sumptum esse tantum in anima.

Auctoritate Phi-

Hanc assertionem, & auctoritate, & ratione suadeti posse, nullo negotio comprehendes, si memoriâ te-

losophi comprobatur.

neas, quæ superiori Sectione tradidimus; allata siquidem ibi Philosophi testimonia, conuincunt, apud ipsum nil aliud esse numerum, de quo fit sermo, quàm opus animę; hoc enim sibi volebat, dicens numerum sine anima non esse, & eundem esse numerum centum equorum, & centum hominum; dum enim negabat numerum veram esse quantitatis speciem, proculdubio mentis opus esse putabat. Piget autem referre, aduersariorum responsa; cùm nullo sint digna plausu; quid enim ineptius, quàm dicere, priori loco Philosophum de numero numerante locutum fuisse? quid ab ipsius mente remotius, quàm dicere ibidem loqui de numero quatenus significat rem numeratam, & cognitam ut sic ab intellectu, non autem de numero formaliter sumpto? Quid etiam stultius, quàm respondere secundo loco dixisse numerum eundem specie, non autem numero esse; cùm ut ibi notauimus, nihil referat utro modo numerus idem esse dicatur?

Prima ratio.

Rationes autem non desunt; nam ex diuisione continui, nihil reale consurgit in iis, quæ ex diuisione sunt multa, præter indiuisibilia terminantia, quando hæc tamen concedantur, ob id numerus eorum, quæ ex diuisione multa sunt, nil aliud, quàm opus animæ. Ex eo autem redditur assumptum euidens, quoniam corpus productum cuidem alteri unitum, tantam realitatem habet, quantam cum est ab alio seiunctum productum; ut igitur cum est unitum alteri, non habetur numerus, veluti forma realis accidentariæ naturæ, sed tantum ex distinctione entitatum in toto; ita pariter cum unum est separatum ab alio, itaut hæc multitudo separatorum eadem sit, ac unitorum multitudo; proindèque si transcendentalis est hæc, sic etiam & illa. Negant minorem, & ad probationem respondent afferendo disparitatem, quam sic illustrant; quando duo simul cantant, melodia quædam resultat, quæ certè non resultaret, si unus tantummodò caneret; non absimili modo quando corpus est alteri unitum, dualitatem non facit; quæ tamen resultat, si unum ab altero fuerit disiunctum. At quis non videt, quàm hæc sint ineptè dicta; exemplum enim de melodia contra superiorem rationem nihil planè concludit; melodia siquidem duorum canentium, non est realitas aliqua distincta à vocibus illorum duorum canentium; ob id nec etiam numerus erit aliqua entitas superaddita duobus illis corporibus.

Aduersariorum responsio.

Reijcitur.

Nec propterea quòd duo sunt in cubiculo ante opus intellectus, licet itidem ante opus intellectus asserere ibidem esse numerum binarium, nisi materialiter, non autem formaliter; numerus enim hoc modo sumptus mentis tantummodo negotiatione perficitur.

Præoccupatio.

Dices. Vel in cubiculo est numerus binarius, vel ternarius, vel aliquis alius; non ternarius, nec aliquis alius; ergo binarius. Respondeo nec binarium, nec ternarium, nec aliquem alium numerum ibi formaliter sumptum, & in abstracto reperiri, benè tamen binarium materialiter acceptum. Sed in horum gratiam non pigebit aduertere, geminam posse materialitatem in numero spectari; propterea quòd alia est materialitas numeri abstracti; alia verò concreti, ut si sint sex homines in cubiculo, senarius ille numerus sumi potest in concreto, & in abstracto; huiusmodi autem numeri concreti materialitas, sunt sex illi homines, qui ab intellectu possunt numerari: at materialitas eiusdem senarij numeri abstracti sunt ipsæ unitates, scilicet duæ illæ unitates abstractæ à sex hominibus, à sex equis &c. sunt materiale illius senarii abstracte sumpti, ut sex homines erant materiale numeri concreti, cuius numeri forma est senarius numerus formalis.

Instantia.

Responsio.

Digitized by Google

malis, & abstractus. Numerus autem abstractus tam secundum esse materiale, quàm formale opus est mentis.

Secunda ratio. Sequitur alia ratio non minoris momenti. Si numerus est aliqua realitas, ut aduersarii profitentur, vel una est, vel multiplex; non una, nam cùm unitas sit principium numeri, sequeretur numerum esse principium numeri, quo nihil absurdius: non multiplex, alioquin numerus unus formaliter, plures numeri formaliter dicendi forent.

Quorundam responsio. Confutatio. Dices numerum esse unum, non unum quidem, quod est numeri principium, sed unum transcendens, & quod cum ente conuertitur. Hoc tamen non satisfacit; nam & illa transcendens unitas ad numeri compositionem facit, propterea quòd duæ unitates per te numerum efficiunt; sed numerus binarius ex. gr. est unus numerus binarius, quemadmodum, & ternarius verè numerus ternarius est: duo igitur illi numeri verè numerum binarium efficiunt.

Aliorum responsio. Confutatio. Neque dicas ex illis duobus numeris effici numerum transcendentalem, non autem prædicamentalem ortum ex diuisione continui. Non inquam id dicas. Tum quia splendidè constat ex hactenus traditis inanem esse numeri partitionem illam in transcendentalem, & prædicamentalem. Tum quia illâ, quidem admissâ, licet hunc in modum urgere. Vnitas, quâ sex ligni segmenta, sunt unus numerus senarius, ex cõtinui diuisione resultat: insuper unitas, quâ sex lapidis segmenta sunt unus numerus senarius ex continui diuisione ortum ducit. Vt igitur ex sex segmentis ligni fit unus numerus senarius prædicamentalis, & ex sex segmentis lapidis numerus unus senarius prædicamentalis, sic etiam ex illis duobus numeris resultabit binarius, qui verè prædicamentalis erit: Quod si binarius ille, vera sit aliqua realitas, erit una, quoniam numerus ille est unus; proinde ex illa realitate, atque duabus, ex quibus binarius ille constabat, ternarius itidem resultabit; quòd si rursus formalitas illius ternarii sit vera quædam realitas, sequitur ex ea, & ex tribus illis unitatibus, ex quibus iam constabat, quaternarium fieri.

Tertia ratio. Præterea nulla forma realis habens esse præter opus mentis, communis est enti, & non enti, unde forma, quæ communis est enti, & non enti haud potest habere esse præter opus mentis; at verò numerus ita se habet, nam ex. gr. numerus senarius tam benè cadit in sex homines, quàm in sex priuationes; ergo numerus nequit esse realis forma, habens esse præter opus mentis.

Quarta ratio. Amplius forma numeri in unitatis connexione consistit; at huiusmodi connexio solùm est opus rationis; ergo & forma numeri, tale opus erit. Maior satis euidens ex communi conceptu, quem omnes de numero habent; nemo enim est, cui numerus non videatur coaceruatio, seu connexio quædam unitatum; non quidem connexio faciens unum unitate continuitatis, hæc enim destruit discreti naturam, sed faciens aggregatione unum; minor autem probatur quia unitates nullam inter se connexionem ante mentis opus habere dici possunt; nam lapis, & pomum in aliquo vase constituta dici possunt duo, itaut asserere liceat, ibi esse binarium; sed quænam connexio quæsò potest inter lapidem, & pomum excogitari?

Quorundam responsio. Negant illam connexionem haberi ab anima, propterea quòd positis tribus hominibus, tribus lapidibus &c. quantumuis de illis nihil intellectus cogitet, non propterea desinent habere inter se numerabilitatis connexionem, numerumque ternarium efficere.

Confutatio. Non sit tamen satis difficultati, negando connexionem illam unitatum ab anima esse, cùm assignari non possit, quænam sit ista connexio, si in re esse dicatur.

Quinta ratio. Amplius quod non est in aliquo subiecto reali, nequit esse accidens reale, cùm omne accidens reale in aliquo reali subiecto esse debeat; sed numerus quicunque sit quantumuis etiam prædicamentalis in aliquo reali subiecto esse non potest; quoniam vel esset in omnibus unitatibus subiectiuè, vel in aliquibus tantùm: non in omnibus alioquin idem accidens foret in diuersis subiectis, quod naturæ viribus repugnat; non in aliquibus duntaxàt unitatibus; propter quòd aliæ forent superfluæ, & sub illo numero minimè comprehensæ, ut enim materia alicuius entis ad illud pertinere dicatur, debet à forma eiusdem informari.

Quorundam responsio. Respondent esse subiectiuè in omnibus unitatibus, omnesque se habere per modum unius subiecti, ut de sono dici debet, quod etsi unum sit accidens, subiectiuè tamen sit in aëre, & in campana; itaut hæc duo corpora unius subiecti munere fungantur; unde inquiunt, illæ plures unitates se habent quidem per modum plurium in ratione unitatum: per modum tamen unius in ratione subiecti.

Confutatio. Inanis tamen responsio, & exemplum allatum parum ipsis fauet; quælibet enim unitas denominaretur numerus, ut utrumque corporum sono denominatur affectum; quod intelligas velim exemplo admisso, de quo hîc non est disputandum, cùm alioquin sonus aliter explicari debeat, ut suo loco demonstrabo.

Sexta ratio. Tandem si numerus foret quædam realitas, vel illa esset à rebus numeratis distincta, vel non; si non esset distincta, sequeretur senarium numerum hominum esse senarium numerum equorum, quod est absurdum.

Quorundam responsio. Confutatio. Dices secutorum esse numerum eundem specie, non numero. Hæc tamen responsio facilè refellitur, nam senarius equorum numerus nil aliud per te, quàm ipsi sex equi; sed ille senarius est idem specie cum senario hominum; ergo sex equi idem specie erunt, ac sex homines; iuxta vulgatum illud effatum. *Quæ sunt eadem uni tertio identificato, sunt eadem reipsâ inter se.* Quod si dixeris numerum esse quandam realitatem distinctam à rebus numeratis; non satisfacies, quoniam sic ratiocinari licebit. Supponamus numerum esse senarium, tunc illa realitas senarij à te distincta erit à sex illis vnitatibus, realitas igitur illa senarij una cum sex illis vnitatibus faciet septenarium; & illa realitas septenarij cum septem illis vnitatibus realibus faciet octenarium.

Alia responsio. Confutatio. Secunda ratio. Ad vlteriorem hac de re tractationem, illud etiam pertinet, num ratio numeri spiritualibus rebus conueniat; Et quanuis non defuerint, qui negatiuam partem defendendam crediderint; re tamen diligenter considerata.

Assertio. Dicendum videtur numerum etiam proprijssimè sumptum aliquo modo ad quantitatis prædicamentum spectantem, non solùm in rebus corporeis, sed etiam spiritualibus reperiri.

Prima ratio. Hoc, ut opinor, sic euidens, ut nihil supra; quandoquidem ibi verus numerus, ubi locum habet interrogatio per quot, & responsio per tot; sed in rebus abjunctis à materia locum habet huiusmodi interrogatio, & responsio; ergo in talibus rebus verus est concedendus numerus.

Quorundam responsio. Putant se satisfacere dicendo, quemadmodum datur interrogatio per quot in numero quantitatiuo, dari etiam interrogationem eandem in numero rerum, quæ nullum habent cum materia commercium.

Confutatio. Secunda ratio. Inepta tamen difficultatis enodatio, cùm vtrobique sit eadem interrogationis, responsionisque ratio.

Præterea. Vbi plures sunt unitates, ibi verus exi-

ſtimandus numerus; at in multitudine rerum incorporearum plures dantur unitates; ergo in iſdem verum dari numerum neceſſe eſt.

Quorundam reſponſio.

Confutatio.

Neque dicas ad numerum, de quo fit ſermo, non ſufficere quaslibet unitates, ſed quantitatiuas requiri; unitates autem incorporearum rerum tranſcendentales eſſe. Non inquam id dicas, niſi velis principium petere; hoc enim eſt, quod quæritur; num ſcilicet ad verum numerum conſtituendum aliquo modo ad quãtitatis prædicamentum ſpectantem, unitates requirantur, quas ipſi contendunt. Vt omittam nihil ad numeri formam, rationemque referre, quòd his, vel illis rebus applicetur, cùm ex huiuſmodi applicatione, nullam variationem ſubeat. Siue igitur unitatibus tranſcendentalibus, ſiue quantitatiuis numerus applicetur, eandem perpetuò naturam omninò retinere fatendum eſt.

Explicatio.

Non me prꝛterit, dari poſſe differentiam in numeris ex rebus numeratis deſumptam, ut differentiam inter numerum hominum, equorum, lapidum &c. Sed hæc accidentaria penitùs eſt, ad eſſentialem numeri variationem impertinens; unde cum dicunt, verum numerum in rebus immateriatis non eſſe concedendum; ſi nil aliud ſibi volunt, quàm numerum in illis longè diuerſum eſſe à numero prodeunte ex diuiſione continui vel rerum corporearum diuerſitate prædictâ, ultrò concedam, quis enim protervus adeò, ut audeat id inficiari? at quod nos affirmamus, eſt, in ratione numeri, diuerſarum rerum numeros non differre; nec argumentum ſuppetere, quo probetur ad verum numerum requiri, ut ſit multitudo ex continui diuiſione prouenies, aut ſaltem corporearum rerum; quòd ſi nihilominus aliquis id propugnare contendat, iniuriâ quidem, nullâque ratione ductus, id faciet.

Tertia ratio.

Amplius ille videtur dicendus verus numerus ad genus quantitatis pertinens, quo poſito, omnique alio remoto, Arithmetica adhuc ſubſiſteret; at hunc in modum ſe habet numerus eorum, quæ ab omni concretione materiæ ſeiuncta ſunt; propterea talium rerum numerus, de quo loquimur iudicandus. Si quis autem exiſtimet remoto numero rerum corporearum Arithmeticam funditùs euerſum iri, is meâ ſententia, deſipiet; non enim Arithmeticus harum, vel illarum numero alligatur, ſed abſtrahit.

Quinta ratio.

Tandem illa multitudo rerum, veram numeri, de quo fit ſermo, rationem poteſt ſibi vendicare, cui proprietates veriſſimi numeri conueniunt; ſed huiuſmodi eſſe multitudinem rerum incorporearum, nemo ſanæ mentis ibit inficias; ergo huiuſmodi multitudini veram numeri, de quo loquimur, rationem deberi, fatearis, oportet. Sed piget in re tam clara diutiùs immorari; hæc enim pluſquam ſatis; ſolum illud inuoluere ſilentio non poſſum, quod in re poſita multum habet momenti, nempè quòd numerus rerum incorporearum additus numero, quem ipſi prædicamentalem vocant, facit numerum maiorem, eiuſdem rationis cum partibus componentibus, quas propterea neceſſe eſt eiuſdem eſſe naturæ; non igitur unus numerus prædicamentalis; alius autem non item. Quod ut clarius intelligas, exemplo rem illuſtrabo. Sit quaternarius numerus Angelorum, & ſenarius numerus ortus, ut ipſi volunt, ex diuiſione continui; manifeſtũ eſt, ex his duobus numeris denarium fieri, qui in ratione numeri non differt à numeris componentibus quaternario, & ſenario, imò & eiuſdem naturæ eſt cum alio denario, quibuſcunque rebus applicato; ut igitur numerus ortus ex diuiſione continui aliquo modo ad prædicamentum quantitatis pertinet; ſic etiam & numerus aliarum quaruncunque rerum, ac proindè rerum ſpiritualium, de quibus in præſentia ſit ſermo. Quod de additione, de ſubtractione quoq; dicendum.

SECTIO SEXTA.

Solvuntur obiectiones.

Prima difficultas

VEra ſpecies quantitatis eſt ens extra animam; ſed numerum eſſe huiuſmodi docuit nos Ariſtoteles, diuidendo quantum in diſcretum, & continuum, tanquam in ſubiectas ſpecies; numerus igitur erit ens extra animam.

Soluti.

Reſponſio colligitur ex antea traditis, ubi docuimus ab Ariſtotele non tam aſſignari diſcretum, & continuum, tanquam ſpecies quantitatis, quàm potius duplicem ſtatum quantitatis, nempè ſub diſiunctione, & coniunctione partium.

Secunda difficultas

Deindè ſic obijci ſolet. Omne per ſe ſenſibile eſt aliquid extra animam; at verò numerus eſt quidpiam per ſe ſenſibile, vel Ariſtotelis teſtimonio, qui numerum aſſignat inter ſenſibilia per ſe communia; numerus igitur erit aliquid extra animam.

Solutio.

Vt huic occurras difficultati, aduerte, numerum in duplici eſſe diſcrimine, ut ſuperiùs etiam fuit adnotatum. Primò enim accipitur pro multitudine rerum, diciturque numerus numeratus. Secundò pro numero in abſtracto, quo ſcilicet numeramus. Cum autem dicitur numerus eſſe aliquid per ſe ſenſibile, intelligitur de numero iuxta priorem, non autem ſecundam uſurpationem. Et reuerà quod cadit ſub ſenſum, eſt ipſa rerum multitudo accepta pro rebus ipſis; quod enim videt oculus, non eſt ex. gr. denarius numerus hominum formaliter, & abſtractè ſumptus; ſed ſunt ipſimet homines, ex quibus conſurgit multitudo denaria. Ratio autem potiſſima, quoniam quod non mouet ſenſum, non cadit ſub ipſum; at verò numerus abſtractè ſumptus ſenſum non mouet; ergo non cadit ſub ipſum. Aſſumptionis probatio, nam de maiori nulla difficultas, ex eo petenda, quòd motio fit per imagines obiectorum; at imagines eorum, quæ numerantur, ſunt, quæ mouent viſum; non autem imago numeri abſtracti, cuius nulla eſt.

Tertia difficultas

Maior difficultas ex eo deſumpta, cuius etiam ſuperiùs meminimus, quoniam Arithmetica ſcientia realis eſt una quidem, cuius ſubiecta materia eſt numerus ergo hic, debet eſſe aliquid extra animam. Optima conſecutio, nam ſcientia Arithmetica eſt realis; proindèque non de operibus mentis, alioquin non ſecùs ac Dialectica, foret rationalis dicenda.

Solutio directa.

Hæc difficultas non tanti ponderis eſt, quanti ab aduerſarijs eſſe creditur; nam ſi vim faciant pro numero quantitatiuo, profectò decipiuntur; quandoquidem huic numero Arithmetica non alligatur, cùm quidquid Arithmetica docet, indiſcriminatim locum habeat in quocunque numero, ſiue prædicamentali, atq; quantitatiuo, nimirum orto ex diuiſione continui; ſiue alio, quem tranſcendentalem appellant; at verò ſi de quocunque numero loquantur, comprehendentes etiam numerum, quem tranſcendentalem dicunt, ſibi non conſtant; propterea quòd hunc affirmant non eſſe quidpiam præter res numeratas, talemque numerum formaliter acceptum nõ aliud eſſe, quàm mentis opus; modò autem contendunt aliquid eſſe in re, & extra animam. Directè tamen difficultati iuvabit occurrere dicendo, Arithmeticam verſari circa numerum abſtractè ſumptum, cuius totum eſſe ab anima pendet; numerus enim hoc modo ſolùm in mente reluceat, extra quam nullum habet eſſe. Neque hoc eſt Arithmeticæ proprium, cùm idem quoque de Geometria

Solutio directa.

ſit

sit asserendum; nam Geometria considerat proculdubiò quantitatem continuam; hæc tamen quatenus sub huiusmodi disciplinam cadit, non est in re; nunquam enim in natura rerum adinuenies triangulum, quadratum, cubum, sphæram, & alia innumera, in quorum considerationem huiusmodi facultas incumbit; sed de his agit prout, vel in diuina, vel humana mente relucent; Itaque si quæ difficultas est, ea non magis aduersus Arithmeticam, quàm Geometriam vim habet; eodem igitur modo faciendum satis, respondendo nimirum, quemadmodum hoc impedimento non est Geometriæ, sic etiam nec Arithmeticæ, quominus scientia dicatur, & quidem una, & realis; nec mirum videri debet, eò quòd scientia rationalis non dicitur, quia consideret rem, quæ tantùm habet esse prout relucet in mente; sed quoniam de rationis, seu mentis operationibus dirigendis edisserit, cuiusmodi est Dialectica, Rhetorica, & Poetica, quarum quælibet operationes mentis dirigit in actu signato; nam in actu exercito, id cuilibet disciplinæ conuenit.

Quarta difficultas. In eo etiam plerique vim faciunt, quòd nullo intellectu considerante, tot sunt elementa, tot stellæ &c. Ergo numerus secundum esse formale censeri debet in re, & extra animam.

Confirmatio. In huius confirmationem sic arguunt. Tam benè numerus realis est extra animam, quàm figura; sed figura est realis, & extra animam; ergo etiam, & numerus; minorem tanquam manifestam supponentes, maiorem hunc in modum ostendunt. Omne quod supponitur à reali, & in eo fundatur, est ens reale; sed numerus à figura supponitur; propterea quòd figura ex.gr. triangularis supponit tres angulos, hoc est ternarium *angulorum* numerum, triangulumque in *huiusmodi numero* fundatur; ergo tam benè numerus *realis est*, quàm figura.

Solutio. *Propositæ* difficultatis solutio satis ex antea traditis euidens est; neganda siquidem probationis, minor propositio intellecta de numero formali, cùm solùm ex rei natura detur materiale numeri; nempè res illæ numerabiles, quæ ab intellectu in unum colligi possunt, proindèque numeri unitatem non nisi ab intellectu habent. Neque dicas intellectus non facit numerum, sed illum cognoscit; ergo numerus secundum suam formalitatem præcedit opus rationis; Non inquam id dicas; nam licet ex usu loquendi, quod materiale est in numero, dici numerus consueuerit; quoniam à parte rei est quid numerabile, & in ipsa numerabilitate non pendet ab anima actu numerante, iuxta *quam significationem* numerus dicitur esse in rebus actu, quando non numeramus; reuerâ tamen numerus formaliter non est, nisi quando actu mens numerat. Neque putes saltem huiusmodi numerabilitatem ponere in ipsis unitatibus, formalitatem quandam, ratione cuius dici numerus possit, habere in rebus realem unitatem, & quidem per se absque ullo ordine ad animam numerantem. Secùs enim se res habet; propterea quòd numerabilitas illa reuerâ nil aliud est, quàm denominatio quædam extrinseca rebus ipsis aduenies ab intellectu potente colligere unitates in unum, vel multitudinem ipsarum mensurare; itaut ablato intellectu numerante, rectè dictum sit, non remanere quidpiam numerabile, eam ob càusam, quoniam numerabilitas attenditur secundum prius, & posterius, quod unitatibus ex rei natura nõ conuenit.

Aduersariorum responsio. Confutatio. Alia responsio. Confutatio. Solutio eõdem ratio. Ex *his* non obscurè constat confirmationis solutio; *eodem enim* modo illi est occurrendum, dicendo nimirum, angulorum numerum materialiter, non formaliter acceptum re ipsâ esse.

Est etiam difficultas ex relatione desumpta, quia scilicet omnis relatio realis supponit reale fundamentum; at relatio dupli, & dimidij, realis est; ergo reale fundamentum supponit; sed fundamentum est numerus binarius, & unum, ergo numerus binarius est extra animam.

Solutio. Quicquid sit de relationibus, de quibus suo loco disputandum: pro difficultatis solutione, respondendum ad illam relatiuam denominationem non requiri in re numerum formaliter, sed materialiter acceptum, nil enim aliud binarium esse duplum unius, quàm duas unitates ad unam referri, & in duobus, bis unum contineri.

Sexta difficultas. Nec absimili modo fiet satis alteri difficultati, quâ dicitur illud est reale quidpiam, de quo reales affectiones ostenduntur; sed ita se habet numerus, de ipso nanque reales proprietates demonstrantur, ut *Si numerus numeri pars fuerit, qualis ablatus ablati, & reliquus reliqui eadem pars erit, qualis totus totius.* Sic etiã. *Si numerus numeri æquè fuerit multiplex ac ablatus ablati, etiam reliquus reliqui, ita multiplex erit, ut totus totius.* In his enim propositionibus, & alijs omnibus, de quibus Arithmeticus edisserit, reales affectiones de numero demonstrantur.

Solutio. At quis non videt nihil interesse Arithmetici, an numerus formaliter acceptus sit aliquid extra animã, cùm ei satis superque sit reipsâ dari posse numerum materialitèr, formaliter autem per intellectum; nam ut paulò antea dicebam, quemadmodum Geometra non considerat magnitudinem, nisi prout in mente relucet; sic nec Arithmeticus numerum considerandum assumit, nisi quatenus objicitur menti; quod autem de magnitudine, & numero dicitur, intelligendum etiam de affectionibus utriusque.

Septima difficultas. Est etiam difficultas lepida potius, quàm ardua, quæ inter cæteras afferri solet, eaque talis est. Si numerus ab anima formaliter esset, sequeretur animâ cessante ab operatione, diuitem non habere plus aureorum, quàm pauperem, cùm enim plus, ac minus importent numerum, si non sit numerus, nisi per animam; utique diues non plures aureos haberet animâ cessante ab operatione, ut omnibus dormientibus, cum scilicet nullus de illis cogitat, quàm pauperrimus.

Solutio. Abundè fit satis respondendo, neminem esse diuitem per numerum formaliter, sed materialiter sumptum; quod enim quis plus, vel minus affluat pecunijs, ex eo est, quia ijs abundat plus, vel minus materialiter acceptis, ad quod opus rationis nihil planè conducit; unde neganda est argumenti sequela, cùm ineptè inferatur, animâ cessante ab operatione, diuitem non habere plus aureorum, quàm pauperem.

Octaua difficultas. Vrgeri etiam solet hunc in modum. Quod realibus partibus constat, reale est, & extra animam; huiusmodi autem numerum esse perspicuum est, cum unitatibus constet, quæ reales sunt; consequens igitur fit, ut numerus sit aliquid reale, & non rationis opus.

Solutio. Parùm sanè molesta difficultas est, eò quòd numeri partes ad eum modum intelligendæ sunt esse, quo & ipse numerus; hic igitur acceptus formaliter, prout relucet in mente; partes etiam eodem modo habebit, quatenus menti paritèr objiciuntur; at verò sumptus materialiter, eodem itidem modo suas habebit partes.

Nona difficultas. Quod consistit in habitudine unius unitatis ad aliam, habet esse reale extra animam; sed huiusmodi esse numeri formam, manifestum est ex communi conceptu, quem omnes de ipsa habent, nihil enim superest in quo forma numeri posita dici possit, præter habitudinem commemoratam unius unitatis ad aliam; ergo fatendum est numeri formam esse reale quid-

piam

Digitized by Google

Solutio. piam extra animam.

Neganda tamen maior est propositio; habitudo siquidem illa ab intellectu est ordinante unitatem unam ad aliam, adeout vel in extrinseca denominatione deriuata ab actu intellectus ordinantis in obiectum consistat: vel ordo sit quidam effectus ab intellectu, nimirum ille, quem intellectus ipse comminiscitur, & unitatibus appingit.

Decima difficultas. Est etiam difficultas aliqua ex eo deducta; quoniam quod ingreditur definitionem alicuius entis realis habentis esse extra animam, tale ipsum pariter esse debet; sed numerus ingreditur definitionem rei habentis esse extra animam, scilicet temporis; ergo numerus non erit opus animæ. Propositio minor ex temporis definitione constat; quandoquidem *Tempus dicitur numerus motus secundum prius, & posterius.*

Solutio. Occurritur dicendo numerum in definitione temporis adhibitum non esse abstractum, de quo loquimur, sed in concreto sumptum, videlicet numerum motus; ut præteream ibi numerum usurpari pro mensura, ut perinde sit, ac si dicatur, tempus est mensura motus.

Decima prima difficultas. Tandem quandocunque dentur à parte rei præter opus rationis, denominata, necesse est etiam eodem modo dari formam denominantem; sed dantur à parte rei denominata à numero, nempè res numeratæ; ergo non absimili modo forma denominans, videlicet numerus dari debebit.

Solutio. Neganda est minor reduplicatiuè sumpta; non enim dantur res numeratæ reduplicatiuè, scilicet ut numeratę nisi per opus mentis.

3. Phys. tex. 131. Prima difficultas. Aduersus conclusionem alteram, videtur Philosophi auctoritas, cùm aliquando pronunciauerit numerum oriri ex diuisione continui. Si præter naturæ minima, alia concedantur continua permanentia quæ certè diuisione forent obnoxia, concedendum numerum aliquem ex continui diuisione prouenire; sed non omnem; neque hoc Philosophus voluit, cùm propositionem non uniuersalem, sed indefinitam protulerit.

Solutio.

Secunda difficultas Quod nullo modo est quantitas, nullatenus est numerus ad quantitatis prædicamentum aliquo modo spectans; sed numerus rerum incorporearum nullo modo est quantitas; ergo huiusmodi numerus nullo modo ad quantitatis prædicamentum spectabit.

Solutio. Si minor propositio intelligatur de vera quantitate, ultrò concedam numerum rerum immaterialium, non esse quantitatem, cùm nullum numerum, nullamque quantitatem discretam, veram esse quantitatem docuerim; si autem intelligatur de quantitate saltem quantitati propriæ, nempe continuæ aliquo modo respondens; neganda est propositio; quoniam, ut superiori sectione dicebam, quamuis numerus, non sit propriè species quantitatis; adhuc tamen ad huius prædicamentum reduci debet.

Tertia difficultas. Vbi diuersæ unitates, ibi diuersus numerus; sed in rebus immateriatis unitates diuersæ sunt ab ijs, quas sibi vendicant res materiâ constantes; ergo numerus illarum rerum ab istarum numero diuersus erit; sed harum numerus est prædicamentalis; dummodò tamen ex continui diuisione proueniat; ergo illarum numerus prædicamentalis non erit.

Solutio. Fiet satis respondendo argumentum procedere ex termino non supponente. Supponit enim dari unitates diuersæ rationis, ex quibus numeri componantur, cùm tamen omnes eiusdem naturæ sint, quod cuidens ex eo fit, quia unitates quaruncunque rerum indiscriminatim possunt numerum efficere; quoniam ad hunc efformandum concurrit unitas, quâ talis est, nimirum ut quidpiam indiuisibile, & quo, quidquid illud sit, dicitur unum, quod etiam superiùs sectione quinta tetigimus; cùm de numero rerum spiritalium ageremus. Et certè sint quatuor unitates, quas ipsi transcendentales appellant, quibus nimirùm quatuor numeramus rerum naturas; itaut earum quælibet à sua transcendentali unitate dicatur una; ut una natura humana, una equina &c. his quatuor unitatibus intelligantur additæ sex unitates, ex eorum sententia prædicamentales, & quantitatiuæ; cuiusmodi sunt, quæ proueniunt ex diuisione continui. Manifestum autem has omnes unitates eiusdem esse rationis, nam ex illis quatuor prioribus, & sex posterioribus fit numerus denarius, non minus ac fieret ex decem unitatibus transcendentalibus, ut ipsi dicunt, vel ex decem alijs, quas prædicamentales appellant.

Quæstio difficilis. Maior forsan est difficultas in eo, quoniam ille numerus prædicamentalis non videtur esse dicendus, qui per omnium rerum genera vagatur, ac in omnibus prædicamentis reperitur; sed numerus, quem nos spiritualibus rebus adscribimus ita se habet; eo enim modo, quo reperitur in rebus spiritualis naturæ, adinuenitur etiam in alijs rebus, eo enim sensu, quo nos dicimus, quatuor mentes abstractas, eodem quoque dicimus, quatuor albedines, quatuor calores & sic de reliquis; ergo numerus conueniens rebus spiritualis naturæ prædicamentalis non erit; potius ob id transcendentalis appellandus.

Solutio. Hic non nihil immorandum, ut penitius liceat numeri naturam explicare, simulque difficultatem propositam diluere. Expendenda igitur minor illa propositio, quâ dicebatur numerum, quem rebus immateriatis adscribimus, ad eum se habere modum, quo numerus, qui per omnia rerum genera vagatur, proindèque transcendentalem esse, minimèque spectantem ad quantitatis genus. Aduertendum igitur transcendentalem numerum nil aliud esse, quàm res ipsas numeratas; proindeque nullum formaliter acceptum, cuiusmodi esse debet, qui ad hoc prædicamentum suo modo pertinet. Itaque tres homines, tres albedines, tres calores (suppono albedinem, & calorem ex loco qualitates esse substantiæ superadditas, ut vulgò creditur) si spectentur secundum proprias entitates ad quantitatis prædicamentum non pertinent; secùs autem si considerentur secundum extensionem discretam, iuxta quam usurpationem etsi numerus sit opus animæ, adhuc tamen censetur ad hoc prædicamentum reuocandus ob eam, quam superiùs attulimus, causam; cùm diceremus operæ pretium esse, numero sedem in hoc prædicamento tribuere. Neganda igitur est superioris argumenti assumptio; si nimirum intelligatur de numero formaliter accepto, quia talis nullus est transcendentalis. Concedenda verò de materialiter sumpto.

Quinta difficultas. Dices talem esse numerum, quales sunt unitates; ex quibus componitur; sed unitates conuenientes rebus prædictis transcendentales sunt; ergo numerus ex illis consurgens transcendentalis erit.

Solutio. Respondeo, unitates illas, quæ cum ente conuertuntur, inspectas secundum se, & in ordine ad ens, utique transcendentales esse; at in ordine ad numerum, quo pacto discretam extensionem important, verè prædicamentales esse, ac ex illis prædicamentalem numerum consurgere.

Sexta difficultas. In hoc etiam aliqua difficultas, quandoquidem in eodem prædicamento est unitas homogeneæ substantiæ, & numerus talium substantiarum; ac ad idem prædicamentum spectant; sed singulæ substantiæ immateriales, & earum numerus sunt in prædicamento substantiæ; ergo & eorum numerus in eodem prædica-

mento

mento statuendus erit.

Solutio. Solutio patet ex paulo antea dictis; nam duæ immateriales substantiæ ratione suæ entitatis in substantiæ prædicamento locum habent: at ratione discretæ extensionis suæ, in prædicamento quantitatis sedem obtinent.

Instantia, & septima difficultas Dices. Vt repugnat componi substantiam ex accidentibus; sic etiam accidens ex substantiis; sed numerus est quoddam accidens; ergo nequit ex substantiis consurgere.

Solutio. Respondeo numerum non componi ex substantijs, quatenus substantiæ sunt, sed quatenus discretam extensionem habent; quæ cum illis accidat, propterea fit, ut accidens ex substantijs minimè componatur. Nequit igitur numerus ex substantijs, quatenus huiusmodi coalescere; benè tamen quatenus discretam extensionem importantibus. Hæc tamen discreta extensio materialiter sumpta, re non differt à rebus numeratis extrinsecam denominationem tribuens.

Octava difficultas Tandem quod non est unum per se sensibile, è communibus sensibilibus, nequit esse numerus ad hoc prædicamentum spectans Aristotele docente numerum esse unum ex per se sensibilibus communibus; at immaterialium rerum numerus ita se habet; ergo earum numerus in hoc prædicamento minimè reponendus.

Solutio. Neganda tamen maior propositio, utpotè falsa, non enim omnis prædicamentalis numerus debet sub sensum per se cadere, tanquam unum ex per se sensibilibus communibus; cum sufficiat eum esse talem, qui rerum est corporearum, de quo Philosophus locutus est, qui propterea propositionem non uniuersalem, sed indefinitam protulit.

SECTIO SEPTIMA.

De Oratione.

Duo de oratione tractanda. DVo se offerunt de oratione tractanda. Primum quid orationis nomine in præsentia sit intelligendum. Secundum Num oratio sit vera species quantitatis. Vt autem à primo ducam exordium, breuiter adnotabo, quod ab alijs quoque fuit animaduersum,

Adnotatio scilicet orationis nomen à Philosophis varijs modis usurpatum obseruari; quandoquidem primo apud Theologos; oratio sumitur prout ad religionis virtutem pertinet iuxta illud. *Exaudi Deus orationem meam.*

Dauid. psal. 65. Secundo apud Rhetores, Oratio sumitur pro artificiosa quadam ratiocinatione ad persuadendum idonea, cuius tria esse genera decernunt, deliberatiuum, demonstratiuum, & iudiciale. Tertio tandem accipitur prout à Dialecticis definitur, cum dicitur, *Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes significant aliquid separatim.*

Oratio tnfariam apud Dialecticos sumpta. Hanc autem tripartitam fecerunt mentalem scilicet, vocalem, & scriptam. Mentalis in conceptibus mentis consistit, ut cum mens concipit, Deum esse largitorem omnium bonorum, itaut eliciat conceptum, per quem repræsentetur Deus bonorum omnium largitor. At Oratio vocalis consistit in vocibus ore prolatis, & per naturalia instrumenta formatis ad exprimenda animi sensa, idoneis. Voces enim, seu ea, quę sunt in voce, sunt signa, & notæ passionum, quæ sunt in anima. Oratio autem scripta in ipsa scriptura posita est, adeout ea, quæ scribuntur signa sint eorum, quæ sunt in voce. Propterea Philosophus dicebat. Ἐστὶ μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. *Quæ igitur sunt in voce, sunt notæ passionum, quæ sunt in anima; & quæ scribuntur, sunt notæ eorum, quæ sunt in voce.* Vnde voces internos animi conceptus exprimunt, & scripturæ voces ipsas significant. Hic autem cum Philosophus orationis meminit, de vocali intelligendus, in qua sex reperiri adnotarunt interpretes, è quibus. Primum est ipse sonus, qui communiter creditur ad qualitatis prædicamentum spectare. Secundum est syllabarum multitudo; quæ existimatur pertinere ad numerum; Tertium est syllabarum prolatio, tarditatem, aut velocitatem importans, quæ motus quidam esse perhibetur. Quartum est syllabarum duratio, quæ propterea censetur tempus. Quintum est quædam vocis proprietas, nempè quod sit acuta, grauis &c. quam ad qualitatis prædicamentum spectare arbitrantur. Sextum, atque postremum quędam est in oratione vocis extensio, quæ veluti quædam est vocis corpulentia, iuxta quam syllaba dicitur habere longum, vel breue tempus; unde si huiusmodi corpulentia fuerit cum debita syllabarum proportione secundum longitudinem, breuitatem, debitumque syllabarum numerum, quædam enascitur consonantia. In præsentia autem Oratio sumitur quatenus nil aliud est, quàm ordinatio quædam syllabarum, secundum longitudinem, & brenitatem in ordine ad consonantiam, dicique potest. *Oratio est quantitas, quæ syllabâ longâ, breuique mensuratur.* Sub qua propterea continentur quæ ad Musicam, & Poeticam pertinent. Ad Musicam quidem ut diapason, diapente &c. nempè septem interualla consona, & id genus alia; ad Poeticam verò spondæus, dactylus &c. ita fit ut lepòris, & leporis orationes diuersæ dici debeant; nam productâ mediâ urbanitatem: correpta verò, animalis speciem significat; sic apud Græcos Φώσις producta primâ syllabâ, natiuitatē significat; at verò correptâ, significat principium, in quo, & ex quo nascuntur ea, quæ nascuntur.

In oratione vocali sex reperiri censentur.

Oratio quomodo hic accipiatur.

His porrò consideratis, inquirendum superest, an oratio posteriori modo sumpta sit vera quantitatis species. Rationes pro utraque parte non desunt, potiores tamen pro negatiua, quam ob id amplectendam existimo.

Quid propositum sit inquirere.

Assertio. Dicendum igitur orationem non esse veram, propriamque speciem quantitatis.

Hanc assertionem existimo ijsdem argumentis probari, quibus ostendimus numero veram quantitatis rationem denegandam esse; nam sic ratiocinari possumus; Nullum ens per accidens est vera species alicuius prædicamenti; sed oratio est ens per accidens; ergo oratio nequit esse species alicuius prædicamenti, proindeque nec vera species in prædicamento quantitatis; maior autem nemini dubia, & nihilominus ita conuincitur. Quod enim non habet naturam unam, unitate formali, de qua suo loco disputauimus, non potest esse species sub genere contenta, proindèque ad aliquod prædicamentum spectans; sed huiusmodi esse ens per accidens, prout tale, ex communi conceptu entis per accidens perspicuum est; proinde nullum ens per accidens species esse potest ad aliquod prędicamentum spectans; erat autem assumptio, seu minor propositio, quòd oratio sit ens per accidens, prout in præsentia sumitur, hæc autem ex eo probatur, quoniam oratio vocem importat, & eiusdem extensionem, quæ planè variabilis est; at quod ex his consurgit, ens quoddam per accidens esse neminem præterit. Cæterum hic non inquiro, nec inanimo mihi est, vocis naturam perscrutari, quicquid enim illa sit, de quo in Physiologia disputandum, mihi satis in præsentia vocem extensam, extensione paulò antea declaratâ, prout huiusmodi, ens esse per accidens, & non unius naturæ; oratio igitur vera species quantitatis minimè debet existimari.

Prima ratio.

Secunda ratio. Amplius, quod variari potest ad hominum libitum,

Digitized by Google

hæc ex rei naturâ hoc vel illo modo se habet, in nullo prædicamento, tanquam species constitui potest; at orationem pro hominum voluntate quoad extensionem variari posse, cuique perspectum, orationem siquidem corripi, vel produci ab hominum voluntate pendet; proindè oratio haud poterit in aliquo prædicamento, tanquam species constitui; unde consequens fit, ut nec etiam in prædicamento quantitatis propriè, veluti species locum obtineat; dicebam autem *propriè*, nec immeritò, nam quemadmodum numerus, ex antea dictis, ad quantitatis categoriam quodammodo pertinet: sic & oratio.

Tertia ratio. Et hinc ulteriùs probatur assertio, quoniam longè minor est ratio, cur oratio sit vera quantitas, quàm numerus; sed ut superiùs ostendi, numerus impropriè quantitas dicitur, sic & multò magis oratio. Concludendum igitur orationem non esse propriè speciem quantitatis; operæ tamen esse pretium ad huius prædicamentum illam reuocare, ob eam, quam de numero, causam attulimus.

Prima difficultas Est tamen aliqua difficultas; quod enim verè extensionem habet, verè etiam quantitatis naturam participat, & sub ea tanquam sub genere continetur; at huiusmodi oratio est, si quidem habet syllabam longam, breuem, & communem; non inficiandum igitur orationem sibi vendicare quantitatis naturam, & sub hac tanquam speciem sub genere contineri.

Solutio. Respondendum distinguendo minorem: concedendo quidem orationem extensam esse, itaut quatenus huiusmodi sit unum quidpiam per accidens; nam reuerâ ex hominum placito illi accidit extensio, proindèque variabilis; negando autem esse quid per se unum, itaut oratio sic extensa, unius per se naturæ sit.

Secunda difficultas Solet etiam sic obijci; quod habet veram rationem mensuræ, tam actiuæ quàm passiuæ, vera quantitas dici potest; at verò oratio veram habet rationem mensuræ tam actiuæ, quàm passiuæ; ergo oratio vera quantitas dici potest. Maior euidens; minor indè probatur, quoniam tota illa orationis extensio verè syllabarum prolationem mensurat, ipsaque oratio suis partibus, videlicet syllabâ longâ, & breui, non secùs ac numerus, unitatibus mensuratur.

Solutio. Admissâ maiori propositione, de eo quod habet per se rationem mensuræ, negandа est minor; propterea quòd in oratione non peculiaris quædam mensuræ ratio, sed hæc per accidens tantummodo reperitur. Orationis enim mensura, iungitur mensuræ temporis, & numeri, cum ordine ab hominibus determinato ad orationem ipsam mensurandam; unde est ut potius aggregatio sit mensurarum habentium ordinem inter se, non ex rei natura, sed per mentis operationem.

Instantia. Instabit tamen aliquis dicendo partes orationis sibi re ipsâ correspondere secundum concentum, & consonantiam; ergo illa mensurarum aggregatio, est rerum habentium inter se ordinem ex rei natura.

Responsio Falletur tamen. Propterea quòd falsum omninò partes orationis habere ex rei natura concentum, atque consonantiam, quam ipsi profitentur, cùm totum id sit ab hominum dispositione, ac voluntate; quod ex eo planè fit manifestum, quoniam huius modi concentus, & consonantiæ variationem subeunt, pro vario hominum arbitrio.

Tertia difficultas Quod habet veras quantitatis proprietates, vera quantitas censeri debet; at oratio veras habet quantitatis proprietates; ergo oratio vera quantitas est existimanda. Maior nemini dubia; minor inde conuincitur, quoniam si quæ verè sunt quantitatis proprietates, maximè sunt secundum ipsam, longum, & breue, æquale, & inæquale &c. dici; sed hæc orationi conueniunt, cùm ipsa dicatur longa, vel breuis, æqualis, & inæqualis; ergo orationi quantitatis proprietates veræ conueniunt.

Solutio. Nullo tamen negotio diluitur proposita difficultas respondendo orationem dici longam, & breuem &c. non ob peculiarem mensuram; sed ob maiorem, vel minorem temporis durationem, quatenus in eius prolatione, plus, minusve temporis impenditur.

SECTIO OCTAVA.

De speciebus quantitatis discretæ, quædam adnotantur.

Quid hic agendum. NOn est laborandum hîc in explicanda quantitate discreta, cùm id abundè superius præstitum sit; de speciebus igitur tantùm discretæ quantitatis in præsentia nobis disputandum, ut præter allata superius, maioris doctrinæ gratia, nonnulla eadem de re; breuiter tamen, afferamus in medium.

Duæ species discretæ quantitatis. Discretæ quantitatis, cui quantitatis rationem impropriè concedi posse docuimus; duę perhibetur quodammodo species, numerus, & oratio; illa censetur quantitas discreta permanens; hæc autem successiua. Quoniam autè numerus, ut superiori Sectione abundè satis declarauimus, bifariam accipi solet. Primò pro multitudine resultante ex diuisione *continui*, hoc præter minima quidem in natura admisso; atque adeo talium rerum incorporearum, quæ alioquin continuum possunt constituere; vel ut aliis placet, pro multitudine rerum materia constantium, siue multitudo ipsa ex continui diuisione proueniat, siue non, & hic est numerus, qui communiter ad hoc prædicamentum spectare creditur. Secundò numerus accipitur pro multitudine rerum aliarum, quæ sunt *ab* omni materiæ concretione remotæ; vel ut aliis *placet*, pro multitudine comprehendente non solùm res immateriatas, ut dixi; sed etiam in materiam immersas, dummodò tamen earum multitudo ex continui diuisione minimè proueniat, & hic numerus ille, quem diximus transcendentalem appellari, & ex quantitatis prædicamento remoueri. Hac tamen in re non multum sanè desudandum; cùm enim nullus numerus sit accidens unius naturæ per se, realiter à rebus numeratis distinctum, de utroque profectò iudicium ferendum idem. Si tamen aliquid consuetudini putemus esse condonandum; procul ex hoc prædicamento reiecto numero rerum spiritalium, retinendus corporearum; hoc nomine intelligendo illas, non modò, quæ actu sunt quantitate præditæ; sed etiam quæ cùm materiâ constent, aptæ sunt per quantitatē extendi, quod non minus de corporeis qualitatibus intelligendum.

Ratio. Ratio autem inde petenda, quoniam ea tantummodò multitudo numerum huius prædicamenti constituit, quæ accidentario modo dicitur de rebus numeratis; huiusmodi porrò videtur prædicamentalis numerus iam explicatus; multitudo siquidem rerum corporearum de ipsis accidentaliter dicitur, cùm ipsis accidat diuisio, atque disiunctio, propterea quòd ex sui natura possunt continuari, accepto tamen numero pro multitdine orta ex continui diuisione. Secùs autem se habet multitudo rerum, quatenus unaquæque est transcendentaliter una; propterea numerus acceptus pro multitudine rerum incorporearum, iuxta iam explicatam usurpationem, non videtur in hoc prædicamento reponendus. Neque refert, quòd res incorporeæ sint inter se diuisæ, atque disiunctæ; nam continuitatis nexu coniungi non possunt.

Et quoniam discretio, atque disiunctio iam explica-

ta

ue substantiæ, quemadmodum & materialis qualitatis etiam quantitate seclusâ, accidit omnino illis, cùm sui naturâ possent inuicem continuari, tam enim materialis substantia, quam quodlibet corporeorum accidentium, prius natura quantitate suos habent nexus, quibus eorum partes, copulentur; numerus ob id rerum corporearum quantitate præcisâ, videtur ad hoc prædicamentum spectare.

Diuisio quantitatis discretæ in permanentem & successiuam.

Diuiditur autem quantitas discreta, ut dictum fuit, in permanentem, & successiuam. Permanens dicitur multitudo rerum, siue unitatum numerabilium permanentium: successiua verò rerum successiuarum. Ita quidem multitudo hominum, lapidum, & similium ne dum actu simul existentium, sed etiam si aliæ post alias existant; dummodò singulæ quæque in suo esse permanentiam habeant, permanens multitudo dicetur; at verò multitudo motuum erit successiua, siue motus ipsi sic se habeãt ut unus sit post alium, siue simul exerceantur, adeout in quantitate discreta permanentia, & successio penes permanentiam, vel successionem potius unius cuiusque rei, siue unitatis numerabilis in se, quàm penes coexistentiam, vel successionem unius rei post aliam, attendi debeat.

Non solùm numerus ad hoc prædicamentum pertinens rerum est corporearum permanentium, ut paulo antea dicebam, sed etiam successiuarum; æquè enim benè dicimus decem homines, decem lapides &c. ac decem dies, decem menses &c.

Habitatio Respondeo

Est autem de numero non exigua difficultas, an videlicet subire diuisionem possit in plures species. Affirmatiuam partem amplector; propterea quòd si numeri tantummodò singularitatis differentiâ distinguerentur, ijs profectò haud diuersa conuenirent attributa; unde sic licet ratiocinari. Ea, quibus diuersa conueniunt attributa, differunt maiori differentiâ, quàm indiuiduali; at verò numeros sic se habere, neminem præterit; propterea numeros differre maiori differentiâ indiuiduali existimandum est. Maiorem ex eo propositionem ostendo, quoniam attributorum diuersitas à naturarum diuersitate proficiscitur; unde est, ut ea, quorum attributa diuersa sunt, naturâ, atque adeo maiori differentia, quàm indiuiduali differre debeant. Minor autem propositio probatione non indiget, cùm satis exploratum cuique sit; numeris diuersis; diuersas omninò proprietates conuenire.

Prima difficultas

Illud tamen pleroſque vexat, quod numerus minor pars sit numeri maioris; non igitur species ab eo distincta; quemadmodum exempli causa, nec anima species est distincta ab homine, sed speciei pars. Eadem tamen difficultas de quantitate continua redibit; linea, nanque superficies, & corpus species continuæ quantitatis esse perhibentur, & nihilominus lineæ continentur in superficie, & superficies in corpore. Sed hoc mirum videri non debet in quantitate, siue discreta, siue continua, quæ propriè quantitas est, quoniam in alio genere, nimirùm substantiæ, hoc idem euenire manifestum est; quandoquidem elementa constituunt mixtum, & nihilominus ab eo specie distinguuntur; ex quo facilè intelliges inclusionem prædictam impedimento non esse, quominus inclusum ab includente distinguatur specie. Illud etiam percommodè videtur addendum, quod etsi iuxta antiquam prædicamenti structuram, anima pertinens ad illud tanquam pars speciei, nequeat tanquam species pertinere; nihil tamen obstat quominus idem substantiæ prædicamentum instituatur, ut in ipso anima tanquam species locum obtineat.

Solutio.

Illud etiam accedit, quod quemadmodum numerus à re-

que conditionibus requisitis omninò deficit; ita pariter numerorum species dicentur ab illa distinctione, ac impermixtione deficere, quæ inter alias species adinuenitur; & numeri speciem unam in alia quidem includi, non secùs ac de continua quantitate dicitur, cuius species ita se habent, ut una includatur in alia. Vt præteream posse numerum accipi determinatè ut numerans in eo sistat, nec ulteriùs numerando progrediatur; vel etiam sumi potest contrario modo, ita ut numerans ulteriùs numerando pergat. Priori modo numerus determinatæ speciei naturam induit, se habet enim ut totum: secundo modo non item; sed habet se veluti quidpiam incompletum, & ad maioris numeri constitutionem ordinatum.

Tertia difficultas ex auctoritate desumpta.

Nec aliquid negotij facessit Aristotelis auctoritas, ubi habet, sex secundum speciem, & substantiam suam non esse bis tria, aut ter duo; sed esse tantùm semel sex; non enim hic inficiatur numeri speciem unam in alia includi, cum tantùm docere voluerit senarium non esse duos ternarios, si ternarij distinctè sumantur: numerans enim modò tria, postmodùm alia tria, nisi illa coniungat, dicetur quidem bis usque ad tria numerasse, non tamen ad sex peruenisse, cùm hoc inter duos ternarios colectionis unitatem requirat; & ut superiùs etiam notauimus, eo loci Philosophus nil aliud sibi voluit, quàm docere substantiam, & essentiam numeri in eiusdem integritate positam esse, reliquis per modum qualitatum se habentibus.

Solutio.

Numerus dicitur unus unitate formali.

Numerus porrò dicitur unus unitate formali, quæ materiales unitates simul sumptas consequitur, quæque non est reale quidpiam in rebus, sed potius rationis unitas dicẽda, cùm hanc rebus intellectus tribuat, dum actu numerando singulas in unùm colligit; unde rectè nullum numerum speciem esse re ipsâ, sed tantum per opus mentis affirmant. Huc pertinet, quod supra dixi in singulis numerorum speciebus ultimam unitatem esse numeri formam, seu differentiam, quæ det numero speciem; quod non sic usurpandum, quasi ultima unitas propriè sit forma, vel differentia; sed quod instar formæ, vel differentiæ se habeat, in eo similitudine constitutâ, quòd quemadmodum forma, vel differentia est illa, quæ ultimò complet rei naturam, & essentiam, facitque ipsam à cæteris differre: sic etiam postrema unitas, cùm hæc, idem numero præstet, & eandem cum ipso, quem complet, denominationem sortiatur; unde postrema unitas ternarij, dicitur tertia; denarij, decima &c. utque forma est, quæ superuenit materiæ; differentia autem generi, & eadem differentia in resolutione speciei, ita pariter ultima se habet unitas in numero; nec aliud quidpiam sibi voluit Philosophus dicens, Quomodo unitas ultima sit numeri forma.

8. Diuers. tex. 10.

καὶ ὥσπερ ὑδ' ἀπ' ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος τινός, ἢ προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκ, ἔτι ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς ἔσται, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τοῦ. λάχιστον ἀφαιρεθῇ, ἢ προστεθῇ, ὥστε οὐδ' ὁ ἀριθμὸς οὐδὲ τὸ τέ λῶς ἔν), οὐκ ἔτι ἔσαι, ἀφαιρεθέντος τινός, ἢ προστεθέντος. *Et quemadmodum de numero, ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur: ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius, ablato aliquo, aut addito.* Docere siquidem voluit rerum essentias esse veluti numeros.

De speciebus quantitatis discretæ successiuæ.

Nunc de speciebus quantitatis discretæ, quæ successiua est, pauca quædam subijciam. Discreta quantitas successionem habens censetur oratio, quinimò Philosophus hanc solam assignasse videtur. Placet tamen eorum sententia, qui multitudinem omnem motuum habentium debitam successionem, ad speciem hanc quantitatis pertinere voluerunt. Hoc autem sic accipiendum, ut quemadmodum numerus

quantitas discreta permanens ab absoluta speciei ratione deficit: sic etiam discreta quantitas successiua.

Successiua quantitas discreta.

Successiuam hanc quantitatem discretam, quodammodò speciem esse quantitatis, ex eo mihi redditur exploratum, quoniam si numerus intelligatur duntaxàt multitudo magnitudinum, siue rerum corporearum, in quibus est continuitatis unitas, cùm probatum sit successionem motus veram esse quantitatem, cui fortasse de quo suo loco, verè continuitatis unitas conuenit; consequens fit, ut multitudo huiusmodi motuum, ac unitatum, discretæ quantitatis rationem sibi vendicet. Multitudo igitur motuum discreta quantitas successiua dicenda.

Oratio hic pro quocunque vocabulo sumitur, etsi nihil significet discreta quantitas dicetur.

Oratio autem, quæ hîc pro quocunque vocabulo sumitur, quanuis sit terminus incomplexus, dummodò pluribus syllabis constet; imò etiam si nihil significet, cùm ad rem, de qua agitur, nihil penitus significatio referat; non immeritò discreta quantitas dicetur; quoniam pluribus constat syllabis successione quâdam prolatis; prolatio autem syllabæ sumi potest, vel pro motu ad locum, qui soni est causa, vel pro sono ipso; in alterutro autem spectetur successio; nulli dubium, quin oratio sit rerum successiuarum multitudo, quam cum discretam quantitatem esse diceremus; necessariò sequitur, ut oratio discreta quantitas successiua dici possit. Et quanuis oratio dicatur quanta; seu longa, & breuis, ratione syllabarum; hoc nihil facit ad probandum orationem plus de ratione quantitatis, quàm numerum aliarum rerum esse participem; Nam vel intelligitur quatenus, aliqua syllaba in pronunciatione protrahitur; vel corripitur; & hoc nil aliud, quàm orationem constare ex aliquo motu longiori, vel breuiori; quemadmodum si in numero linearum, una sit longior aliâ: vel intelligitur prout plures, paucioresve in una possunt esse dictione; & hoc etiam nihil refert cùm perinde sit, ac numerum aliarum rerum ex pluribus, aut paucioribus unitatibus constare; proindeque maiorem, vel minorem esse. Concludendum igitur orationem, & multitudinem rerum, præsertim habentium motus debitam successionem, ad quantitatem discretam reuocari. Hæc autem successio motuum tam in rebus spiritalibus, quàm corporeis intelligenda. Quantitas enim successiua reperitur etiam in motibus rerum spiritalium; non enim ut his repugnat extensio in ordine ad locum, sic etiam ad tempus; ut igitur discreta quantitas successiua dicatur, eum nil aliud requirat, quàm, ut sit multitudo rerum successiuarum, & hæc in rebus spiritalibus reperiatur; consequens fit, ut in ijsdem discreta quantitas successiua locum obtineat. Quod intelligendum de rebus ab omni materiæ concretione seiunctis, in quibus sit vera successio; ut enim in his sunt veræ quantitates successiuæ, sic earundem quoque multitudo; proindeque successiua quantitas ad hoc prædicamentum pertinens. Vnde Philosophus assignans pro specie huius quantitatis successiuæ orationem, eandemque à numero distinguens, clarè testatur se de vocali oratione sermonem habere, ut videlicet mentalem excludat. Tum quia mentis actus non sunt instar motus, qui successione perficitur; sed vel singuli in instanti fiunt, statimque transeunt; vel pro aliquo tempore permanenter durant, ac in suo esse persistunt. Tum quia non eodem modo se habet actus mentis orationi vocali respondens, quo ipsa vocalis oratio se habet; dum enim vocabulum ore profertur, in eoque plures syllabæ fiunt; plures etiam motus exercentur, quod ratio discretę quantitatis exposcit; huiusmodi autem vocabulo actus unus respondet in mente non tamen syllabarum instar in plures partes dissectus.

Dubitatur an si huius quantitatis species sit oratio, longa, & breuis.

Putabit fortasse quispiam assignandas esse huius quantitatis species, nimirum orationem longam, & breuem: quoniam diuersus admodùm est orationis breuis, & longæ in loquendo usus; unde iuxta Poeticam artem ad carmina construenda, varij distinguuntur pedes; at quanuis orationes, seu syllabę prout menti obuersantur, breuitate, longitudineque non differant, quippè quę indifferentes sunt, nec magis unam, quàm aliam pronunciandi formam requirant, cum hoc ex hominum voluntate pendeat; si tamen formalis pronunciatio spectetur, videlicet sonus, & motus correptus, aut productus; inficiandum profectò non est differentiam breuitatis, & longitudinis omninò realem in rebus esse, adhuc etiam dum eadem syllaba modo breuis, modo verò longa profertur; quia tamen omnis hęc differentia in maiori, aut minori extensione successiua consistit, & hęc specie differre non facit, ob id orationem breuem, & longam specie minimè distingui dicemus.

Syllabæ longa vel breuis specie non differunt.

SECTIO NONA.

De Quantitate continua.

NVnc verę quantitatis tractationem aggredimur, cum hucusque de illa, quę nominetenùs quantitas dici potest, verba fecerimus. Talis erat quantitas discreta, defectu unitatis per se, ut explicuimus; cum ei duntaxat unitatem ordinis tribuendam diceremus Aristotelis prœceptis edocti; cùm enim docuisset, nec numerum constare partibus inter se aliquam positionem habentibus, vel alicubi existentibus, vel inter se coniunctis; nec tempus huiusmodi constare partibus, quia nulla pars temporis permanet; sed solum aliquem habere ordinem, eò quòd temporis alia pars est prior; alia verò posterior, ad numerum reuertens, ait, Καὶ ὅτι τῷ ἀριθμοῦ ἡ ὁμοίως· τὸ γὰρ πρότερον ἀριθμεῖται τῶν δύο, καὶ τὰ δύο τῶν τριῶν, καὶ οὕτω τάξιν τινὰ ἂν ἔχοι, δῆλον ἐκ τῶν λόβοις ἄν. *Et in numero similiter res se habet, quia unum prius numeratur, quàm duo, & duo quàm tria; atque ita ordinem quendam habere potest, positionem verò non utique accipies.* At quantitas continua longe maiorem unitatem habet, ut ob id verę quantitatis rationem sibi vendicare dixerimus; & iterum hîc inculcare non veremur; quanuis laboris Herculei sit, ipsius naturam exploratam reddere, & ea de ipsa decernere, quorum ignoratione, quid ipsa sit, perpetuò dilitescat, necesse est.

Cap. de quantitate

Quod in primo limine se considerandum offert, valdè celebris est dubitatio, de distinctione quantitatis continuę, tam à substantia, quàm à cęteris generibus entis; quanuis autem hæc perquisitio potius ad primum Philosophum pertineat; nihilominus hac de re breuiter aliquid attingere, intra dialecticos tamen cancellos, haud penitus ab instituto abhorrebit.

Dubitatur de distinctione quantitatis continuę à substantia, cęterisque generibus entis.

Hac de re prima est opinio dicentium quantitatem continuam permanentem, (de hac enim in præsentia fit sermo, nam de successiua postea dicetur) nullo modo distingui ex rei natura à substantia, cæterisque generibus entis corporeis, quin potius eandem entitatem corporeæ substantiæ, & sic de cæteris esse quantitatem.

Prima opinio nullo modo distingui ex rei natura.

Secunda est extremè contraria sententia docens inter quantitatem, substantiam &c. distinctionem quidem ex rei natura intercedere. Huius tamen opinionis fautores diuisi sunt, nec unus eorum est dicendi modus, quandoquidem plerisque eorum distinctio visa est realis, quæ nimirum inter rem, & rem exercetur. Aliis autem distinctio modalis, quæ videlicet inter

Secunda opinio extremè contraria cuius sectores duo sunt. Qui parant

distinctio-nem realem ut inter rem, & rem; quidam vero modalem esse.

rioris opinionis explicatio prima.

xplicatio runda.

inter rem, eiusdemque modum cadit.

Quanuis autem hac de re sit uberiùs in prima Philosophia disputandum; iuvabit nihilominus relatas opiniones non nihil expendere, ut nobis liceat aliquid in re tam difficili decernere, quod à recta ratione penitùs non abhorreat. Eorum consilium, qui primam sententiam tuentur, in eo planè consistit, ut quantitas molis non sit præcipuum accidens distinctum à substantia, & cæteris accidentibus; sed ut tum substantia, tum accidentia per se ipsa sint quanta, habeantque partes distinctas, ratione quarum postulent extendi loco, ponique unam extra aliam; unde ex horum opinione substantia panis per se ipsam est quanta, & per se ipsam habet partes distinctas, & postulat, ut ipsæ loco non penetrentur; sed una sit extra aliam; sic etiam calor panis, color, sapor &c. accidentia per se ipsa sunt quanta; unde inferunt in composito tot esse quantitates, quot materiales entitates, & plures etiam quantitates inuicem penetrari. Ita quidam ex huius sectæ Alumnis rem explicant, eòquòd arbitrentur extensionem localem, seu in ordine ad locum, esse quantitatis naturam. Alij autem rem hunc in modum declarant, dicunt enim omnia accidentia, quanuis ex se quanta sint, attamen de se loco non extendi, sed ratione sui subiecti; quandoquidem effectus, inquiunt, est idem quantitatis subiecti, & quantitatis accidentium, videlicet occupatio eiusdem loci, non secùs ac si duæ albedines in eodẽ subiecto constituerentur, unũ enim album duntaxàt efficerent; sic autem ratiocinantur, cò quòd existimant quantitatis naturam in extensione partium consistere. Hæc igitur Nominalium opinio duobus modis explicata, quorum uterque difficultatibus non exigui momenti laborat, cum quædam supponat, de quibus est, cur dubitetur; & hoc ratione venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, quæ inferiùs attingam. Interim explicata maneat superior opinio dicentium substantiam corpoream de se quantam esse, seu extensionem habere, sibi identificatam, eodemque modo se habere qualitatem, & alia accidentia, adeout quantitas non sit præcipuum accidens à substantia corporea, & cæteris accidentibus distinctum; quin potius huiusmodi substantia sit de se quanta; sic etiam sapor, color, & id genus alia, ubi saporem, colorem supponunt esse formas accidentarias spectantes ad qualitatis genus, de quibus in Physiologia nobis disputandum. Quàm proximè autem ad veritatem accesserint huius sententiæ fautores, ut probè constet, iuvabit eorum rationes ad examen breviter reuocare.

Primò autem sic arguunt. Sicut se habet intensio, ad qualitatem intensam, sic extensio ad substantiam extensam; sed intensio non distinguitur à qualitate intensa; ergo nec extensio, quæ nihil est aliud, quàm quantitas, à re extensa, hoc est corporea substantia, distinguetur.

Ratio tamen hæc nihil planè concludit, cùm haud benè sit paritas instituta; ea siquidem sic esse deberet. Vt est intensio ad qualitatem intensam, sic extensio ad quantitatem; & rectè quidem; nam supposito extensionem à quantitate prouenire, itaut esse extensum sit formalis eius effectus, sic se habebit extensio ad quantitatem, ut ad qualitatem intensio; enim verò intensio qualitati, ut intrinsecùs conuenit, sic etiam & extensio quantitati; ubi extensionis nomine intelligitur in ordine ad locum; itaut extendi loco, sit formalis effectus quantitatis; alioquin extensio in ordine ad se, prius naturâ substantiæ, quàm quantitas conuenit. Hunc autem in modum paritate institutâ, concludere licebit duntaxàt extensionem à quantitate non distingui, quod ultrò concedendum.

Deinde si quantitas realiter à substantia distingueretur, hæc utique ex se non foret extensa: est autem extensa; non igitur quantitas realiter à substantia distinguitur; maior ex terminis videtur nota; nam substantia si ex se foret extensa, certè superueniente quantitate non indigeret; ob id quantitas esset superflua; minor inde constat; quoniam nisi ex se foret extensa, non esset corporea; cum tamen hîc de corporea substantia sit sermo.

Secunda ratio ad idem.

Hæc etiam ratio nullo negotio refellitur, & quidem bifariam iuxta duplicem modum explicandi quantitatis naturam; hæc enim si dicatur in eo consistere, ut tribuat substantiæ esse loco extensam, substantia ex se, etsi fuerit extensa in ordine ad se, non erit tamen extensa in ordine ad locum: Si autem dicatur quantitatis natura in eo consistere, ut impenetrabilitatem tribuat substantiæ, hæc utique ex se loco erit extensa; at impenetrabilis non erit; utpotè quantitatis dimensionibus destituta, à quibus habet, ut sit impenetrabilis. Cum itaque dicitur, substantia ex se est extensa, respondendum vel non esse extensam in ordine ad locum, etsi extensam in ordine ad se; vel esse quidem loco extensam, sed penetrabilem; alterutrum autem dicatur; quantitas adhuc requiritur, velut illa, à qua, substantia corporea inextensa loco, extensionem huiusmodi, penitùs expectat; vel etsi loco extensa, impenetrabilitatem ab ipsa expectat quantitate. Cum autem dicitur eam debere esse extensam, de qua loquimur, utpotè corpoream; concedendum id vel actu, vel aptitudine, si nanque substantia corporea à quantitate impenetrabilitatem habeat, loco quidem actu ex se erit extensa; at si à quantitate habeat extensionem, ex se non actu, sed aptitudine tantùm loco extensa erit.

Confutatio.

Præterea. Quod est ex se contrariorum susceptivum, necessariò est quantum; cùm enim contraria sint quanta, & extensa, non possunt recipi, nisi in subiecto quanto, & extenso; at verò substantia ex se, contrariorum est susceptiua, cum eius hoc sit attributum; ergo substantia ex se erit quanta; non itaque superadditâ indiget quantitate, tanquam accidente ex rei natura à se distincto.

Tertia ratio ad idẽ.

Nec etiam alicuius efficacitatis hæc ratio, cùm operosum non sit illi occurrere; respondendo substantiam ex se esse contrariorum susceptiuam *ut quod*; at verò quantitatem talem esse *ut quo*; quia nimirum id, quod contraria susçipit, substantia est; at id, quo in substantia contraria recipiuntur, est quantitas, quod intelligendum admissis contrarijs, iuxta vulgarem explicandi modum, ut suo loco monuimus; alioquin contrarijs illis de medio sublatis, nullus est huic rationi locus. Plures etiam rationes sunt, quibus hanc opinionem plerique tueri nituntur, quibus ut superioribus allatis, facillimum est occurrere, quod in Metaphysica præstabimus, ne nimium hæc in Dialectica tractando, licentiâ quidem abuti videamur.

Reijcitur.

Disp 16. sec. 7.

Interim igitur constat partim ex dictis, partim ex suo loco tractandis, nullam rationem suppetere, quâ probare liceat, quantitatem permanentem nullo modo reipsâ, vel à substantia corporea, vel cæteris generibus entis distingui. Consequens igitur fit, ut inter quantitatem, de qua fit sermo, & reliqua omnia, quæ in uniuersitate rerum existunt, aliqua ex rei natura intercedat distinctio; quæ quanta sit, nunc explicare nobis enitendum; sed ad probandam sententiam veritati magis consentaneam, ne videamur fuisse contenti aduersariorum probationes reijcisse, duximus opportunum, & auctoritate, & rationibus ostendere quan-

Infertur quantitatem ex rei natura à substantia & à reliquis accidentibus distingui.

titatem continuam permanentem esse peculiare quoddam accidens, & à substantia, & ab accidentibus distinctum, unicum quidem in quolibet indiuiduo, ne dum substantiam, scilicet materiam, & formam, sed etiam reliqua omnia in eodem adinuenta simul extendens.

Assertio. Assertio igitur sit, continuam quantitatem permanentem accidens esse, quale nuper descripsimus, nimirum ex rei natura, tam à substantia corporea, quàm ab omni corporeo accidente distinctum, in quolibet indiuiduo unicum tantùm existens. In hanc autem sententiam Aristotelem abijsse, non obscurè constat ex ijs, quæ ipse habet, dicens. *Εἰ μὲν οὖν ἔστιν οὐσία, ἢ ποσὸν, ἢ ποιὸν, ἢ ταῦτα ἅμα ἐστὶ χωριζόμενα ἀπ' ἀλλήλων, ἔστι μὴ, πολλὰ τὰ ὄντα.* Prima Phyl. tex. 39. *Etenim si sit & substantia, & quantum, & quale: siue hæc multa sint à se inuicem seiuncta, siue non* sint sejuncta: *certè multa entia* sunt. Nonne igitur Philosophus, disertis verbis docet, quantitatem esse quidpiam re distinctum à substantia, & qualitate? quod etiam de cæteris intelligendum. Sed adhuc euidentiùs, ex ijs, quæ postea subdit, ita loquens. *Μᾶλλον δὲ φησὶ τὸ ὂν ἄπειρον εἶναι ἢ ποσὸν ἄρα τι τὸ ὄν. τὸ μὲν ἄπειρον ἐν τῷ ποσῷ. οὐσίαν δὲ εἶναι ἄπειρον, ἢ ποιόν τι τὸ πάθος, οὐκ ἐνδέχεται, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκός; εἰ ἅμα καὶ ποσὰ ἄπειρα εἴη, ὁ γὰρ τοῦ ἀπείρου λόγος τῷ ποσῷ πρός τι ἐστὶν, ἀλλ' οὐκ οὐσίᾳ οὐδὲ τῷ ποιῷ. Εἰ μὲν τοίνυν καὶ οὐσία ἐστὶ, καὶ ποσὸν, δύο, καὶ οὐχὲν τὸ ὄν. Melissus autem, quod est, infinitum esse dicit, quantum itaque aliquid est, quod est: infinitum enim in quanto est, substantiam autem infinitam, aut qualitatem, aut passionem esse non contingit, nisi secundum accidens, si simul, & quanta aliqua sint. infiniti enim ratio quanto utitur, sed non substantia, neque quali. Si igitur, & substantia est, & quantum, duo, & non unum est, quod est.* Deinde subdit, ut rem clariùs declaret *εἰ δ' οὐσία μόνον οὐκ ἄπειρον, οὐδὲ μέγεθος ἕξει οὐδέν, ποσὸν γάρ τι ἔσται. Si verò substantia solùm sit, non infinitum est, neque magnitudinem habebit ullam. quantum enim quoddam erit.* Philosophus ergo Melissum adoriens, ad eum, qui sequitur, modum argumentatur. Supponendum autem Melissi opinionem in eo fuisse positam, ut affirmaret rerum naturâ constantium unicum esse principium, & illud esse infinitum, seu omnia esse unum ens, & illud infinitum. Dum Melissus ait omnia esse unum ens, si putat, illud esse substantiam tantùm; sequitur non posse illud esse infinitum, quia infinitum nequit dari sine quantitate, ratio enim finiti & infiniti, quanti affectio est; ob id ubi deest quantitas, utraque ratio deest. Vnde qui ponit ens esse infinitum cogitur etiam admittere illud esse quantum, quoniam infinitum per se loquendo non est, nisi in quantitate. At verò substantia, & qualitas, & id genus alia, non dicuntur infinita, nisi per accidens, quatenus nimirum sunt simul cum quantitate. At Melissus dicendo illud unum ens infinitum, substantiam esse tantummodo, certè quantitatem excludebat, ac ob id dicere non poterat ens illud unum infinitum esse, cum hoc sine quantitate nequeat existere; cum igitur ponat ens infinitum, nequit asserere illud esse substantiam sine quantitate. At si est substantia, & quantitas simul, sequitur non unum tantùm esse ens, sed duo. Si autem solùm substantia sit, nequit infinitum esse, cùm quantitate careat. Nullatenus igitur admitti potest, quod affirmabat Melissus, ens unum esse; ex Aristotelis igitur opinione, fatendum omninò quantitatem esse quidpiam re ipsâ distinctum à substantia, ac cæteris entis generibus, alioquin ratiocinatio, quâ ipse usus est in præsentia, Melissi opinionem non euerteret.

Vidit difficultatem Ochamus, ob id Aristotelis auctoritati sategit occurrere dicendo, Philosophi consilium eò tendere, ut probet aduersus Parmenidem, & Melissum fieri non posse, ut aliquid sit quantum, nisi multa sint; quoniam illud quantum continet multitudinem partium, proindeque si substantia, & quantum sunt, necessariò sunt multa. Addit autem si quandoque Aristotelem reperitur dixisse substantiam materialem non esse quantam, aut quidpiam simile, intelligendum ab Aristotele propositiones illas dici, non esse per se, quoniam nomen *quantitas* connotat partes distare loco, & situ, quod non connotat hoc nomen *substantia*, nec *qualitas*.

Ochami interpretatio reijcitur. Quam insulsè tamen Ochamus Aristotelis verba fuerit interpretatus nullius laboris erit deprehendere, si Philosophi sententiam expendamus, comperiemus enim non dixisse impossibile esse aliquid reperiri quantum, nisi multa sint, quoniam illud quantum continet multitudinem partiũ, eius enim hæc verba *εἰ μὲν τοίνυν καὶ οὐσία ἐστὶ, καὶ ποσὸν, δύο καὶ οὐχὲν τὸ ὄν. Si igitur, & substantia est, & quantum, duo, & non unum est, quod est.* Dicendo igitur duo, non ait multa esse entia, quemadmodum Ochamus interpretatur, sed potius, unum genus entis esse substantiam; alterum à substantia reipsâ distinctum, quod quantitas nuncupatur, quod ex illis verbis *δύο καὶ οὐχὲν τὸ ὄν, Duo, & nõ unum est quod est*, euidenter colligitur. Et eo minus multitudo entium ex quãti diuisione orta in præsentia potest usurpari; quoniam non est ad rem; non enim Melissum ea dementia cęperat, ut arbitraretur omnia in hoc uniuerso esse quoddam unum quantum, cùm potius ipse suspicaretur omnia esse eiusdem naturæ & essentiæ; illud tamen infinitum esse; aduersus autem hunc dicendi modum Philosophus inuehitur demonstrare contendens cohærere simul non posse, quòd scilicet unum sit ens; & quòd illud sit infinitum; quoniam ex infinitate colligitur dandam esse quantitatem præter substantiam, cui meritò quantitatis infiniti affectio conueniat.

Aliorum interpretatio reijcitur. Nec etiam admittenda eorum interpretatio, qui dicunt ex Aristotelis verbis non colligi, nisi distinctionem quandam rationis inter quantitatem, & substantiam, cum fundamento in re, ad eum modum, quo distingui existimantur in homine animalitas, & rationalitas; susceptâ enim disputatione cum Melisso non intendit aduersus ipsum aliam esse formalem rationem quantitatis, & aliam substantiæ demonstrare; non enim erat operæ pretium hanc prouinciam suscipere; sed potius dandum esse in natura ens unum, quod dicitur substantia, aliud quod dicitur quantitas, non curans an illa dicantur esse coniuncta, vel sejuncta, cùm satis habeat ostendere inter hæc ex rei natura distinctionem intercedere. Hoc autem splendidè constat ex ea, quâ utitur, argumentationis forma ut aduertenti perspicuum satis esse potest. Et ex eo vel maximè reijcienda hæc interpretatio, quòd Philosophus ait, ut nuper aduerti, *δύο καὶ οὐχὲν τὸ ὄν, Duo, & non unum est, quod est*. His enim verbis uti minimè ille potuisset, si de distinctione per intellectum, etsi cum fundamento in re, sermonem habere voluisset; quid enim ineptius foret, quàm dicere, animalitas, & rationalitas in homine, duo & non unum sunt entia? longè quidem accommodatius diceretur, duæ sunt formales rationes unius entis, nimirum hominis; quæ si Ochamus animaduertisset, meâ sententiâ, interpretationes illas non adhibuisset, sed accuratiùs Philosophi mentem perscrutatus, veriorem opinionem amplexus fuisset, eam scilicet, quam nos in præsentia tuemur. Veritatem eandem expressit alibi, ita loquens 7. Diss. tex. 6. *τὸ δὲ μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος, ποσότητες, ἀλλ' οὐκ οὐσίαι.*

Lon-

Longitudo verò, latitudo, & profunditas, quantitates quædam, sed non substantiæ sunt. Mox verò subdit τὸ δ' ποσὸν οὐκ οὐσία, ἀλλὰ μᾶλλον ᾧ ὑπάρχει ταῦτα αὐτὰ φύσει, ἐκεῖνό ἐστιν ἡ οὐσία. *Quantitas etenim non est substantia, sed magis cui, hæc ipsa primò insunt, illud est substantia.* Nec scitè admodum Ochamus ad connotationem confugit, quasi Philosophus non maiorem distinctionem inter quantitatem & substantiam, quam penès connotata, recognoscendam velit; cùm nihil euidentius ab eo prolatum fuisse, quam distinctionem prædictam ex rei natura esse, cuique fatendum omninò sit.

Haud facilè tamen principiis naturæ lumine perspectis iam expositam veritatem licet ostendere; non tamen desperandum.

rima ratio desumpta ex non pugnantia.

Et primò quidem accedat ratio desumpta ex non repugnantia. Substantia siquidem secundum essentiam, naturamque suam, dicit duntaxat, ut sit per se, siue ut per se existat; accidentia autem, suas habent peculiares, atque determinatas naturas, à ratione substantiæ distinctas, intellectûs quacunque negotiatione seclusâ, ut alia est quantitatis, alia qualitatis ratio &c. à ratione substantiæ; hæc autem quantitatis, hoc est extensionis, vel impenetrabilitatis &c. ratio, eadem prorsus est, eodemque modo se habet, tam respectu substantiæ, quàm respectu aliarum rerum. Cum igitur quantitatis, & aliarum rerum sint rationes omninò diuersæ, non repugnabit dari unam sine aliis; itaut extensionis ratio, nimirum quantitas, accidentaria quædam sit forma, cuius effectus formalis sit extensum esse loco, vel esse impenetrabile, prout eius natura in uno, vel in alio posita iudicatur.

esponsio s præoc patio uidemq; onfutatio

Non me præterit quempiam dicturum, allatâ ratione quantitatis conceptum, tum à substantia generatim accepta, tum ab accidentibus reliquis aliquo modo distingui probatum reddi, non tamen intentum ostendi, cum ab aliquo dici possit, accipiendam esse rationem substantiæ corporeæ, & diuisibilis; hæc enim ratio differentia est determinans in uniuersum substantiam; itemque sumendam esse rationem accidentis corporei, prout communem omnibus, & singulis accidentibus corporeis; vel breuius accipiendam esse rationem entis corporei, & quanti; & hanc esse formaliter, & essentialiter extensionem citra quamlibet accidentariam formam superadditam.

tima con tatio.

Quam autem hæc inconsideratè dicantur, ex eo licet intelligere, quod etsi tantummodò spectetur substantia corporea, & quodlibet ex accidentibus in materiam immersis; nihilominus cogitandum optimè quidem intelligi posse corporeæ substantiæ rationem in eo constitutam, ut substantia hæc postulet per aliquid superadditum extendi; ac impenetrabilis reddi; itaut eius partes extra se inuicem per aliquid extrinsecus adueniens constituantur, eademque reddatur penitùs impenetrabilis, quod etiam de cæteris accidentibus potest intelligi. Nulla igitur repugnantia, quominus quantitas continua permanens (de hac enim in præsentia loquor) accidentaria quædam sit forma, quæ substantiam afficiendo, eandem extensam loco, ac impenetrabilem reddat.

Secunda tio.

Deinde substantia ex se penetrabilis est, quemadmodum, & quodlibet ex materialibus accidentibus, quantitate exceptâ; consequens propterea fit, ut quantitas ab omnibus his ex rei natura distinguatur. Assumptum mihi probatum redditur, ex eo quòd materia, & forma tam substantialis, quàm accidentalis per intimam penetrationem uniuntur: formæ siquidem omnes materiales, non modo extrinsecus materiæ adueniunt, sed eandem intimè quoque penetrant, atque peruadunt; non igitur quantitas potest, cum his omnibus idem re ipsâ esse; quandoquidem impenetrabilitas quantitatem ipsam comitatur; inde siquidem est, ut duæ quantitates, duæque res quantæ nequeant se inuicem penetrare, seque mutuò peruadere, ac eodem in loco simul constitui.

Quid Ochami sectatores respõdeãt.

Ex Ochami sectatoribus sunt, qui respondent quantitatem tribuere impenetrabilitatem subiecto secundum illam rationem, quâ subiectum est, vel & in idem recidit secundum rationem illius, cuius dicitur quantitas; adeout materia quanta fit impenetrabilis cum alia materia, & substantialis forma cum forma substantiali, & accidentaria cum accidentaria; collatis videlicet huiusmodi formis, quæ sint eiusdem speciei.

Confutatio.

Hi tamen decipiuntur ignoratione conceptus quantitatis, qui in eo planè consistit, ut extensionem rei, quam afficit quantitas præbeat saltem in actu primo inde autem profluit impenetrabilitas, quæ nullâ vi potest auferri in eodem saltem actu, quo quantitas extensionem tribuit; vel supponens substantiam corpoream extensam quantitas afficiendo illam reddit impenetrabilem; siue igitur quantitatis ratio sit in materia, siue in forma tam substantiali, quam accidentali, impenetrabilitatem tribuit ei, quod afficit; quamobrem nulla forma posset materiam peruadere, quod à veritate tam remotum, quam quod remotissimum.

Aliorum responsio.

Alij verò difficultatem existimant diluere respondendo hactenùs tradita posse quidem admitti de quãtatibus rationis eiusdem, non autem diuersæ. Hoc autem insulsè dicitur, quandoquidem iuxta formalem quantitatis rationem nulla diuersitas, cùm omnis differentia penès ea, quæ quanta dicuntur, attẽdi debeat. Diuersitas enim est in ratione materiæ, & formæ; at si quantitas idem reipsâ est, cum utraque, non propterea diuersitas foret in ratione extensionis, & impenetrabilitatis tam in actu primo, quàm in actu secundo; proindè actualis impenetrabilitatis effectus idem utrique scilicet materiæ & formæ deberet conuenire; unde non possent se mutuò peruadere. Interea tamen non dissimulandum rei propositæ determinationem ex quantitatis natura petendam esse; hæc enim si in eo credatur posita, ut impenetrabilitatem corporeæ substantiæ, & eius ratione cæteris accidentibus tribuat in actu primo, vel si mauis in illa potentia, ac aptitudine, remota tamen, unuscuiusque rei corporeæ adhoc, ut cum fuerit extensa fit impenetrabilis; haud facilè demonstrare licebit quãtitatem à rebus quantis distinguì; quin potius oppositum citra laborem ostendi poterit; quandoquidem eadem materiæ entitas sub ratione diuersa, & substantialis, & quantitatiua dici poterit; substantialis quidem inspecta, prout per se existit, & subsistit, quod ipsi conuenit absque dependentia à reliquis, quæ per ipsam existunt; ut omnes materiales formæ, quæ videlicet ex materiæ sinu educuntur; dicetur autem quantitatiua, quatenus eadem considerata secundum molem, secundum quam ipsi conuenit aptitudinalis extensio in ordine ad locum, & impenetrabilitas non cum quacunque alia entitate, sed cum alia materia; cum accidentibus verò se ipsis molem non habentibus, penetrabilitas; adeout mole ipsius, hæc omnia loco quidem extendantur. Videsis igitur hunc in modum nullam esse quantitatem a materia distinctam; sed potius distinctionem cadere inter materiam, & id, à quo potestate proxima, vel actu res loco extenduntur, & impenetratio perficitur.

Quamobrem si quantitatis natura sic explicetur, ut dicatur consistere non quidem in ratione mensuræ, vel diuisibilitatis, nec in extensitate partium, ut plu-

ra-

ralitatem, ac distinctionem earum importat; nec ut dicit ordinem ac dispositionem earum in toto, nec in actuali, vel aptitudinali extensione ad locum; sed in principio, cui proximè debeatur extensio impenetrabilis in loco, rectè dicetur quantitas accidentaria forma ex rei natura à rebus quantis distincta.

Prima difficultas ex Arist. auctoritate deprõpta. Primo de Gen. tex. 41.

Nonnulli tamen obijciunt Aristotelis auctoritatem, ubi habet. Ἡ μὲν οὖν δυνάμει τὸ συναμφότερον, οἷον σὰρξ, ταύτῃ μὲν αὔξει, καὶ δι' ὃ πόσιν δεῖ βρώσεως καὶ σαρκὸς καὶ ἁπλῶς τροφῆς· ἡ δὲ μόνον σὰρξ, τρέφεται ταύτῃ, διὸ διαφέρει τροφὴ καὶ αὔξησις, καὶ λέγω. *Secundum igitur quod potentiâ compositum ex utroque est, ut quanta caro, sic quidem auget; etenim quantum oportet generari, & carnem: secundum autem quod solum caro est, nutrit. Etenim sic differunt nutrimentum, & augumentatio, ratione.* Hinc ex Philosophi sententia concludunt, nutrimentum & augumentum esse reipsâ idem, ratione tamen differre; ac ob id ad aures ipsius quantitatem à substantia minimè ex rei natura distingui. At eo loci Philosophus nihil minus in animo habuit, cum ibi tantum sibi demonstrandum proposuerit semper viuens dicendum nutriri, non tamen augeri; nisi dum plus acquirit, quàm prius haberet; docuit igitur viuens dum nutritur simul, & augetur augumentum, & nutrimentum sic se habere, ut illud ab hoc ratione differat; Quoniam prout aliquid recèns simpliciter viuenti acquiritur; dicitur ipsum nutriri; quatenus autem plus illi acquiritur, quàm anteà haberet augeri.

Solutio, & auctoritas explicatur.

Secunda difficultas

Præterea sic arguunt. Tam substantia corporea, quàm omne corporeum accidens sui naturâ partibus integrantibus constat; superflua igitur quantitas, à qua tam corporea substantia, quàm corporeum accidens id expectare debeat.

Solutio.

Sed è duobus, quibus constat assumptum, unum profectò concedendum, videlicet rem unamquanque corpoream integrantibus constare partibus, cum hinc à spiritualibus rebus discriminetur: alterum autem vel negandum, nempè rem corpoream habere actu partes loco dislitas, itaut una sit extra aliam in ordine ad locum; hoc enim materiata substantia remotissimè quidem habet ex se, proximè autem à quantitate, & actu ab alia entitate superaddita, expectat. Vel admisso rem corpoream ex se habere, ut sit actu extensa loco, quantitate nihilominus indiget, ut ab ea reddatur impenetrabilis; quid autem sit constare partibus integrantibus, unde res corporea discrimen ab incorporeis consequitur, Sectione sequenti explicabimus.

Tertia difficultas superius tacta, & etiã soluta, hic iterum expenditur.

Quoniam autem vel loco extendi, sensu iam explicato; vel extensum impenetrabile reddi, à quantitate proficisci contendimus; aliquid negotij posset illa difficultas facessere, superius tacta; quòd ita se habet extensio ad rem extensam, quemadmodum intensio ad rem intensam, videlicet ad qualitatem; sed intensio non est accidens rei intensę, nempè qualitati superadditum; ergo nec etiam extensio, atque adeo nec quantitas erit accidens rei extensę adiunctum.

Solutio.

Hęc difficultas diluta superius fuit, admisso extensionem in ordine ad locum rei corporeę merito quantitatis conuenire; ubi fuit adnotatum disparem esse rationem, & ibi dictis hoc amplius adijciam disparitatis; quoniam nulla suppetit causa distinguendi intensionem à qualitate, quemadmodum extensionem à re extensa; & amplius paritatem hoc potius modo instituendam. quemadmodum qualitas, cuius est intensio, se habet ad subiectum, ita quantitas cuius est extensio ad subiectum, quod afficit; sed qualitas ita se habet, ut non sit reipsâ identificata subiecto, sic etiam & quantitas, de qua in præsentia instituitur sermo. Sed admisso rem corpoream, & præcipuè materiæ substantiam habere ex se, ut suo loco sit extensa; adhuc tamen concedenda illi quantitas superaddita, tanquam id, à quo debet illa impenetrabilitatem recipere.

Quarta difficultas.

Cum autem quantitatem diuisibilitas consequatur; propterea nonnulli sic nostram sententiam conantur euertere. Dum quantitas substantię aduenit, vel illam indiuisibilem, vel diuisibilem supponit; si primum dixeris, illud tibi quoque dicendum, nempè substantiam totam, sub tota quantitate, totamque sub qualibet eiusdem parte existere, quod ab omni ratione videtur alienum. Si secundum, nihil erit in causa, cur quantitas aduenerit, cum substantia iam haberet, quod alioquin à quantitate sibi foret expectandum.

Solutio.

Facilè tamen obuiam itur, quandoquidem substantia naturæ ordine quantitatem præcedit, non ita quidem, ut positiuè sit indiuisibilis, quasi dicens positivum indiuisibilitatis gradum, quem perpetuò quantitati subiecta substantia sibi vendicaret; sed indiuisibilis dicenda negatiuè, quatenus ex se non est formaliter diuisibilis, qualis est apta reddi per quantitatem, sensu iam explicato, qua de re copiosiùs alibi.

Hactenus distinctio tradita ex rei natura est; quanta verò sit, lis adhuc sub iudice; de quo partim in naturali, partim in diuina tractandum Philosophia; Id videtur addendum interea, quòd ut ex rei natura quantitas permanens à re quanta; sic etiam successiua nempe tempus, ab eo cuius est mensura, videtur distingui. Res autem, quæ quantitati continuæ successiuæ subijcitur, quælibet res est successiuè durans in tempore per partes post partes, cuiusmodi est propriè motus. Cogitandum igitur, quemadmodum continua quantitas permanens accidentaria quædam est forma, quæ vel res extendendo permanentes facit illas habere loco partes extra partes, sensu iam explicato; vel extensas hoc modo, reddit quidè impenetrabiles; sic etiam dari formam quandam accidentariam, quâ motus successiuè per partes post partes extendatur in tempore; hoc solùm intercedente discrimine; quòd quantitas permanens; vel id potentiâ proximâ tantummodò præstat; vel nullo modo; ut paulo antea dicebam; at verò continua successiua, id actu tribuit.

Hucusque de quantitate continua permanente; idè de continua successiua concluditur.

Quantitatem reipsa non distingui à materiæ substantia aliquis dicere posset.

Non dissimulabo tamen ab aliquo dici posse quantitatem reipsâ non distingui à materiæ substantia, adeòut res materiâ constantes, ab ipsa materia habeant, ut sint loco quidem extensæ, & impenetrabiles; hinc enim absurditatis nullum periculum imminet; propterea quòd forma quælibet, tam substantialis, quàm accidentalis poterit materiam ipsam peruadere; unum enim nequit cum alio penetrari loco, quando utrumque sit quantum; at si alterutrum duntaxat quantum sit, nihil obstat, quominus ab alio, utpotè non quanto, penetretur. Et ita reuerâ contingit, nam anima intellectiua, veluti dimensionibus destituta, materiam quantam peruadit. Neque dicas hoc euenire quoniam anima intellectiua non modo est dimensionibus exuta, sed etiam spoliata partibus entitatiuis; Ad rem enim de qua agitur, nihil refert; quoniam non posse unum cum alio penetrari loco, non oritur ex eo, quòd utrumq; partes entitatiuas habeat, sed quoniam constat partibus, non solùm entitatiuis, sed etiam talibus, ut ijs conueniat impenetrabilitatis ratio; itaque iuxta hunc dicendi modum tam materia, quàm substantialis forma, animam intellectricem excipio, substantia corporea esset, quatenus utraque partibus entitatiuis constaret; hoc tamen discrimine intercedente, quòd materia haberet rationem impenetrabilitatis, meritò cuius non posset ipsa cum alia materia compenetrari; subindeque compositum cum

Declaratur superior dicendi modus.

com-

composito; substantialis autem forma non item, quod de accidentaria quoque potest intelligi. Neque ab hac philosophandi ratione Stagirites dissentiet, cum ei tantùm in animo foret aduersus Melissum ostendere, præter genus entis, quod substantia dicitur, aliud concedendum esse nomine quantitatis appellandum, eò quòd finitum, & infinitum affectiones sint quantitatis; nam adhuc duplex hoc genus entis recognoscendum foret; nempè, substantia præcisè dicat rationem per se subsistendi conuenientem substantiæ quantæ, & non quantæ; deturq; substantia extensionem, & impenetrabilitatem inuoluens, puta materiæ substantia quæ sit quanta, & extensionis ratio præcisa sit quantitas, atque detur substantia non quanta.

rima difficultas. Aduersus tamen hæc illud est, quod ex ineffabili Eucharistiæ Sacramento frequenter à Theologis obijci solet. Primò enim, inquiunt; si materia ante opus mentis à sua quantitate, per quam est extensa, & impenetrabilis, non distinguitur; ipsa sibi erit vi propriæ entitatis adæquata ratio, totumque fundamentum extensionis, & impenetrationis; ac ob id nunquam esse poterit materia secundum entitatem, quin sit extensa & impenetrata, ac impenetrabilis; quod tamen euidenter est falsum, quoniam Christi Domini materia in Sacramento Eucharistiæ inextensa est, & penetrata, quippè qua, est tota in toto, & tota in qualibet loci parte.

Solutio directa. Mirum tamen quòd non aduertant, se quoque teneri huic difficultati occurrere; argumentum enim sic licet aduersus ipsos retorquere. Si quæ est ratio ponendi quantitatem, quæ apud ipsos realiter à materia distinguitur, est, ut illi sit adæquatum fundamentum extensionis, & impenetrationis, seu ut sit id, unde materia suam extensionem, ac impenetrationem habeat; proindèque nunquam esse poterit materia cum sua à se distincta quantitate, quin sit hoc ipso extensa, & impenetrata; at hoc falsum omninò; quoniam Christi Domini materia in Eucharistia est cum suâ à se distincta quantitate, ut ipsi contendunt, & nihilominus est inextensa & penetrata; ergo dicendo quantitatem à materiæ substantia distingui, in eandem difficultatem incurritur; quod autem ipsi pro difficultatis enodatione, ut distinctionem quantitatis à materiæ substantia tueantur, in medium afferent; licebit usurpare ad defendendum quantitatem nullatenus ex rei natura à materiæ substantia discriminari. Si igitur respondeant Christi materiam in Eucharistia per quantitatem à se distinctam extendi, non quidem in ordine ad locum, sed solùm in ordine ad se: idem responderi poterit de quantitate indistincta à materia, ita ut, quod ex eorum sententia quantitati à materia distinctæ acceptum referri debet; quantitati indistinctæ tribuendum sit. Quod si respondeant, quantitatem sic esse sibi fundamentum adæquatum suæ extensionis, & impenetrationis, ut non possit esse non extensa, ac non impenetrata impenetratione in actu primo, non tamen in actu secundo; nempè ut possit quidem carere actuali impenetratione, sed non exigentiâ, siue appetitu naturali impenetrationis actualis; hoc idem de quantitate indistincta à materiæ substantia respondebitur.

Actualis penetratio, unde oriatur. Vnde autem habeatur actualis impenetratio, non facile explicatu. Illud mihi certum, non esse præsentiam localem, ut nebulones quidam existimant, decepti, ni fallor, inscitiâ conceptûs, in quo localis præsentiæ ratio consistat; quod enim corpus cum alio penetrari non possit, naturâ quidem localem præsentiam antecedit; sed de hoc infra.

Secunda difficultas. Secundum, quod obijciunt, est, à separabilitate deductum; realis enim mutua duorum separabilitas firmissimum est argumentum realis distinctionis inter illa; at verò quantitas in Eucharistiæ Sacramento realiter à materia seiungitur; ergo quantitatè re à materia distingui necesse est; minorem ostendunt, quia materiâ panis ibi non existente, quantitas existit, cum idem maneat eius formalis effectus, videlicet eædem, quæ prius dimensiones cum pristina impenetrabilitate, aliisque accidentibus, puta figurâ, colore, sapore, grauitate &c. at sine quantitate existente, implicat existere dimensiones, extensionemque localem, ac impenetrabilitatem, cùm implicet effectum formalem sine sua formali causa existere; quòd verò eædem maneant dimensiones locales, extensiones, ac impenetrabilitates, sensus testimonio confirmant.

Solutio indirecta. At si rectè attendas, facilè reperies ab aduersarijs quædam assumi, quæ non satis cum veritate consentiunt. Nam figura, ut hinc exordiar, non est quædam entitas positiua subiecto aduenies distincta à locali præsentia, ut opportuno loco demonstrabo. Color non est, ut aliàs adnotaui, forma quædam accidentariæ naturæ, ducens ortum à permixtione primarum qualitatum, ut vulgò creditur; sed fit per reflexum, vel retractum lumen, quod proprio loco manifestè constabit. Nec etiam grauitas est accidentaria forma substantiæ aduenies, cum potius sit ipsissima materiæ substantia, sic de sapore ἀναλογῶς, *analogòs* philosophandum. Dimensiones ergo duntaxat superfunt, quæ iuxta hunc dicendi modum à materia non distinguuntur, quam tamen ibi deesse Conciliorum factiones decernunt.

Solutio directa. Fateor utriusque difficultatis vim. Illud mihi certum ibi Christi corpus existere dicendum, eo sensu, iuxta quem vera sit ab eo propositio enunciata, *Hoc est corpus meum*, cum is mentiri non possit; quo autem pacto ibi sit, minimè declaratum reliquit. Qui autem existimant quantitatem reipsâ non distingui à materiæ substantia, ut à prima se expediant difficultate, dicunt sibi certum, & exploratum esse, quod nuper dicebam, scilicet ibi Christi corpus præsens esse sub speciebus sacramentalibus sensu, iuxta quem propositio ab eo enunciata, potest veritate comprobari; eoquòd mentiri nequeat; se autem ignorare quo id pacto contingat. Sed hoc non est difficultatem diluere, nisi hoc loquendi genere subobscurè dicant eadem reipsâ, quæ prius accidentia ibi quidem adesse; propterea quòd eorundem, quæ prius itidem subiecta substantia adsit, à quo summoperè catholica fides abhorret.

Vera Solutio. Confugiendum igitur ad superius tradita, dicendo videlicet extensionem in ordine ad locum, & impenetrationem in actu secundo, oriri ab entitate superaddita materiæ, seu à quantitate ab ea, ex rei natura distincta; materiæ verò sit illud idem in actu primo tribuere.

Secũda difficultas; quomodo quidam decurant. Facilius secundæ difficultati occurrunt, dicendo ex huius mysterij fide minimè constare quid in pane, quidque in vino substantiale sit, & quid accidentale, solumque de fide tenendum panis, vinique substantiam ibidem deesse, & loco eorum Christi Domini corpus, ac sanguinem realiter esse sub speciebus panis, & vini; specierum nomine intelligendo non accidentia, prout à Peripateticis usurpantur destituta subiecto; sed eadem secundum apparentiam. Itaque ex eorum placito in Eucharistiæ Sacramento non remanet reale principium impenetrabilitatis conuenientis pani, quod substantiale est, utpotè ipsa substantia panis; sed remanet eius principij species; ideſt apparentia; seu, quod in idem recidit, remanet ipsum principium

cipium apparentèr, Deo id prouidente ad occultandum miraculum, sicut ob rationem eandem supplet substantiam panis reproducendo, vel alitèr, in eo, qui panem consecratum ederit. At hæc enunciant obliti eorum, quæ soluendæ prioris difficultatis gratiâ dixerunt. Nam fatebantur quantitatem indistinctam à materiæ substantia, principium non esse formale, à quo sit expectanda actualis extensio, & impenetratio; sed tantum in actu primo: nam in actu secundo ab alia entitate superaddita utrumque effectum recognoscendum arbitrabantur; ut igitur sibi constent, hoc idem in præsentia dicere tenentur; proindèque in Eucharistiæ Sacramento, substantiam panis, & vini deesse, remanere tamen actualem extensionem, quam dicebant à substantia re verâ distingui; itaut inibi sit Christi corpus sub panis, vinique speciebus, quæcunque illæ sint: nihil enim refert, cum satis superque sit, ut præseferant ea, quibus, & panis, & vini corpora iuxta naturæ statum videbantur affecta.

Compendio res explicatur. Vt autem hucusque tradita paucis complectar, rem sic explicabo. Si non foret difficultas ex Eucharistiæ Sacramento deprompta, quantitas nullo modo à materiæ substantia distingui dicenda foret; nec alia esset agnoscenda superaddita entitas, cui actualis extensio, & impenetratio deberet accepta referri; sed totum id ab ipsa materia prodiret; à materia autem compositum, omnisque forma tam substantialis, quàm accidentalis extensionem localem, & quidem actualem quoque, recognosceret. At admisso, quod de Sacramento traditur, materia quidem, quemadmodum, & omnis forma corporea, dicenda constare partibus entitatiuis; ita tamen ut præter hoc, materia id sibi vendicet; nempè rationem quandam, quâ per se ipsam postulet extendi loco; fierique impenetrabilem; quod est esse tale in actu primo; per aliam verò superadditam entitatem, quæ sit quantitas, habeat, ut sit actu extensa, & impenetrabilis, quod est esse tale in actu secundo; cùm hoc formis corporeis, alioquin entitatiuas partes habentibus, beneficio materiæ, cui iunguntur, ex eius potentia eductæ, conueniat. Non licet autem decernere, quanta sit hæc ex rei natura distinctio, nisi determinetur, quo pacto ibi accidentia remaneant; nam si diceretur secundum apparentiam, sufficeret distinctio modalis; itaut actualis extensio, & impenetratio, non res, sed rei modus existimari debeat. At si reuerâ ibi remaneat; actualis extensio, ac impenetratio, res iudicanda erit.

Proponitur difficultas. Illud tamen in hac sententia difficultatis occurrit, quod materiam constituit principium à quo proueniat extensio, & impenetratio in actu primo, cùm alioquin in actu secundo ob Eucharistiæ Sacramentum alia sit opus entitate superadditâ. At hoc videtur non minus de corporeis omnibus formis dicendum, cùm id à ratione quadam communi, & materiæ, & formis corporeis proueniat; qualis est constare partibus entitatiuis. Ex dictis tamen difficultati fit satis; nam exigere actualem extensionem, & impenetrationem duobus modis contingit; nempè ratione sui, vel rationè alterius. Exigentia simpliciter fundatur in eo, quod est entitatiuis partibus constare; at exigentia ratione sui, materiæ est propria; ratione verò alterius, peculiaris est formis corporeis, tanquam è materiæ potentia eductis.

Solutio.

Secunda difficultas Illud etiam obiici posset, quòd corpus Christi Domini existens totum in toto, & totum in qualibet parte loci, præditum est quantitate; ergo hæc non poterit substantiam actu extensam reddere in ordine ad locum.

Solutio. Hoc tamen non perturbet, quoniam si corpus illud à quantitate nil aliud habet, quàm ut aptitudine sit extensum, cùm hoc à materiali substantia habere possit, superflua est illa entitas superaddita; Neque fit satis respondendo à superaddita entitate, quantitateque, proximam, à materiali substantia, remotam aptitudinem haberi. Nullo si quidem fundamento datur ista distinctio. Neque dicant quantitatem requiri tanquam subiectum proximum cæterorum accidentium, quibus corporea substantia afficitur; nam iuxta naturę vires, requiritur quantitas, hoc est actualis extensio tanquam subiectum *quo*, cum subiectum *quod* sit substantia corporea, præsertim materia; at hoc per vires supra naturæ ordinem suppletur.

Quorundam responsio. Reſponſionis impugnatio. Aliorum reſponſio. Reſponſionis impugnatio. Adnectitio. Cæterum cùm dixi grauitatem non esse quidpiam distinctum à substantia corporea, & nominatim forsan à materia, non est, cur me redarguas, eòquòd in Eucharistiæ Sacramento adsit grauitas, etsi panis, & vini substantia absit. Supplet enim Deus, tanquam efficiens supra naturæ ordinem ad occultandum miraculum, quemadmodum cum ex Sacramentalibus speciebus nutritio contingit; & ex ijsdem antiquatis vermium accidit generatio. Quod cùm inter disputandum aliquando respondissem, audiui Theologum iratè responsum impugnantem dicendo miracula non occultanda, sed potius manifestanda à Deo, ob maiorem sui gloriam. Tum ab ipso pacato quidem animo, & subridens petij, cur Deus Christi Domini corpus sub sacramentalium specierum velamine latens, non manifestet; obticuit, unde mihi visus est se pœnituisse, in tam promptam oppugnationem fuisse prolapsum.

SECTIO DECIMA.

Quid sit quantitas continua, quæque species ipsius.

Quæritur etsi essentia non in eo consistit, ut ceteris rebus partes entitatiuas tribuat. Quanuis in re tam dubia vix datum sit aliquid decernere. Primò tamen ille dicendi modus amplectendus videtur, qui quantitatis naturam affirmat non in eo consistere, ut rebus corporeis, præsertim substantię, integrantes partes impertiatur. Hoc mihi tam euidens, ut vix animum ad credendum inducam, oppositum alicui persuasum esse potuisse; substantia enim, quemadmodum, & omnis alia res corporea, suis est per se ipsam instructa partibus, naturâ prius, quàm dimensionibus affecta sit; non enim tota substantia est sub qualibet quantitatis parte, sed substantiæ partes, aliæ alijs quantitatis partibus subijciuntur; non ergo quantitatis natura in eo videtur posita, ut huiusmodi partes cæteris rebus attribuat. Prima ratio.

Explicatur ratio partis entitatiuæ & essentialis. Operæ tamen hìc pretium est, non nihil in huiusmodi partibus explicandis immorari, cùm ex earum notitia plurimum pendeat quid nobis de re proposita dicendum sit; sunt autem commemoratæ partes illæ, quas entitatiuas appellant, quibus unaquæque res corporeæ naturæ, siue sit substantia, siue accidens, omninò constare debet, cùm hoc præcipuum sit, quo distinguitur à rebus illis, quæ ab omni materiæ concretione seiunctæ, consueuerunt spirituales appellari. Hæ itidem partes integrantes dicuntur, quas ut probè nos explicare valeamus, præ oculis habere cogimur, longè diuersam esse rationem partis essentialis, ab entitatiua, ac integrali, licet eidem rei partis utriusque ratio plerunque contingat. Integralis pars, physica perpetuò est; essentialis, non item, cùm alia sit physica alia autem metaphysica; illa diuiditur in per se potentiam, & per se actum, nimirum in materiam, & formam; hæc verò in genus, & differentiam. Partes essentiales physicæ duntaxàt in substantia compositæ repe-

Digitized by Google

reperiuntur, at integrantes, siue entitatiuæ, tam in substantia simplici corporea, puta materia, & forma substantiali, excepta animâ intellectrice, quàm in accidentibus corporeis inueniuntur.

Hactenus dicta magis explicantur.

At in horum gratiam consideremus materiam; hæc enim deprehendemus geminam sibi partis rationem vendicare; nam ut est res habens per se potentiam ad formam suscipiendam, tanquam ad sui perfectiuum, se habens per modum per se actus, est pars essentialis, quemadmodùm & forma, quoniam ex ambabus se habentibus, ut dixi, essentia totius efflorescit; nimirum ex his consurgit totum habens determinatam essentiam, ac ob id distinctum ab omni alio; eadem quoque materia, pars entitatiua, & integralis est, si referatur ad uniuersam materiam, tanquam ad totum homogeneum, quoniam res est distincta ab alia materiæ parte; ita tamen ut una vel sit actu, vel saltem aptitudine extra aliam in ordine ad locum; quâ ratione materia collata cum forma, à qua perficitur; & cum toto, quod utraque componit, non habet rationem partis integrantis, eòquòd mutuò se peruadunt, adeout non sint res, quarum una postulet vel actu, vel aptitudine saltem loco ab alia disiungi.

Colligitur in quo ratio utriusque partis consistat.

Hæc porrò de corporeis etiam accidentibus intelligenda. Ex his satis apertè constat, quod nobis in animo erat explicare, videlicet, quæ sit ratio tam integralis, quam essentialis partis. Neglectâ igitur parte, tanquam spectante ad constitutionem essentiæ; & inspectâ duntaxat in ordine ad totum integrale (nam de parte iuxta priorem considerationem, nulla videtur suppetere difficultas) pronunciatum à nobis fuit quantitatis non esse rebus corporeis entitatiuas, seu integrales partes tribuere ob rationem paulo superius traditam, quia scilicet substantia quemadmodum, & res omnis alia corporea, suas per se ipsam habet *partes* naturâ prius, quàm dimensionibus quantitatis affecta sit.

Confirmatio.

Idem ex eo quoque confirmatum redditur; quoniam si quantitatis esset munus cæteris rebus corporeis commemoratas partes tribuere; vel id præstaret, quoniam illas efficeret; & hoc intolerabile prorsùs, cùm quantitatis non sit agere, & multo minus agendo substantiam producere. Vel eueniret eò quòd quantitas formaliter illas tribueret, quod etiam intolerabilius, quandoquidem formalis causa, quemadmodum tunc supponeretur quantitas, nequit aliud quidpiam præstare, quàm se ipsam communicare subiecto, atque illud vel actu, vel aptitudine extendere, & eidem impenetrabilitatem impertiri; non autem ipsi communicare partes. Vt præteream huiusmodi partes integrantes tam corpoream substantiam, quàm accidentia corporea, esse à quantitate diuersas; proindèque non posse à quantitate ipsa prodire, tanquam formales effectus à causa sua. Quantitas utique potest subiecto suas præstare partes formaliter; non tamen subiecti partes integrantes, cùm illud has habeat ex se, ut superiùs explicuimus, itaut substantia corporea ex se suas habeat partes substantiales, quemadmodum, & res quælibet alia corporea; unde est, ut ijs commemoratas partes quantitas tribuere minimè possit.

Secunda ratio.

Prætera in substantiæ partibus datur & earum esse, & formalis ratio partis. Ipsum esse proculdubiò substantialis naturæ est, quod à quantitate nequit prosiciscì; & ratio partis non aliud quidpiam addit, quàm constitutionem totius. Verumeninverò omni de medio quantitate sublatâ, substantiæ partes ita se habent, *ut ex ipsis* verè substantiale totum consurgat, & constitutio substantialis est, quippè quæ nil aliud, quàm quòd detur substantia secundum suum esse, quod est esse partium earundem; non igitur à quantitate prouenit, ut commemoratæ partes totum suum constituant, rationemque partis obtineant.

Confirmatio.

Accedit, & illud, quòd substantia naturâ prior est quouis accidente; ac ob id etiam quantitate; naturâ prius igitur habet quidquid ad esse suum pertinet, quod cùm sit corporeum, necesse est constare partibus, & quidem substantialis naturæ; quamobrem illas à quantitate non expectabit.

Essentia quantitatis in extensione partium in ordine ad se non consistit.

Nec rectius ratiocinantur dicentes quantitatis naturam in illa extensione substantiæ in ordine ad se, siue partium in toto consistere. Ad hoc autem ea me ratio compellit; quoniam tria numero sunt, quæ dici possunt hoc extensionis nomine significari eaque addi entitati substantiæ, & rei quantæ; nimirum distinctio partium, unio, & ordo; primum certè nequit ab alia accidentaria forma, proindèque à quantitate superaddita proficisci; cum huiusmodi distinctio in eo consistat, ut quælibet pars peculiare suum habeat esse distinctum ab esse alterius partis; hoc autem unaquæque res habet ex se, sicut ex se habet suum proprium esse, itaut illud à nullo quidem extrinseco mutuetur; Nec etiam secundum; unio enim sequitur conditionem partium unitarum; ut igitur hæ suum habent esse ante quantitatem; sic & ante eandem uniuntur; alioquin totum substantiale non anteiret naturâ quantitatem, quemadmodum reipsâ debet anteire. Nequè tertium, videlicet ordo, qui proculdubio inter illas partes ante quantitatem reperitur; cum enim verus, ac realis sit nexus inter illas; necesse est quamlibet certam partem immediatè alteri certæ parti, & non omnibus uniri; itaut aliæ sint extremæ, & aliæ mediæ in ordine ad se, quanuis quoad locum forent omnes immediatè coniunctæ; hoc est in eodem loci puncto simul existentes, ad quod profectò non est opus ulteriori formâ accidentariæ naturæ; quinimò fieri nullo modo potest, ut huiusmodi ordo in substantia prouenìat ab illa; ut enim partes earundemque nexus, sic ipsarum ordo quantitatem naturâ præcedit. Hoc autem inde suaderi potest; quoniam naturâ prius debent partes uniri, quam quantitatem recipiant; cùmque nequeat una immediatè omnibus uniri; necesse est id ordine quodam contingere, ac ob id quantitatem ipsam etsi non tempore, saltem naturâ antecedere.

Ratio.

Quantitatis essentia non in ratione mensuræ consistit.

Prætereà dissentiendum ab illis, qui quantitatis essentiam, vel in ratione mensuræ, vel diuisibilitatis, vel impenetrabilitatis constituunt; cum hæc omnia potius ex prima essentialique ratione quantitatis emanent. Et certè inspectâ ratione mensuræ, perspicuum fit, quod nuper dicebam, cùm hæc formaliter respectu nostræ cognitionis dicatur, quatenus nos dimetiendo, rem dicimus tantam esse, aut tantam, quantitate, ad quantitatem mensurandam utentes.

Mensura duplex.

Duplex autem mensura consueuit assignari, quarum una passiua, altera verò actiua dicitur. Si diligenter autem aduertas, facilè reperies neutram esse, in qua essentialis ratio quantitatis consistat. Passiua nanque in eo posita est, ut res quanta per eam possit actiuæ beneficio cognosci. Actiua verò in eo consistit, ut cognitione ipsius deuenire valeamus in cognitionem alterius quantitatis. Perpetuò igitur per mensuram connotatur notitia, vel extrinseca quædam importatur denominatio; cum hoc igitur non contingat, nisi præsuppositâ extensione in ordine ad locum; sine hac enim repugnat mensura vel actiua, vel passiua (si sermo fiat de mensura quoad magnitudinem) consequens est, ut quantitatis essentia nequeat in mensura utcunque sumpta,

consistere.

Essentia quantitatis in diuisibilitate non consistit.

Sequitur diuisibilitas, in qua nec etiam quantitatis naturam positam esse dicebam. Gemino enim modo licet illam usurpare. Primò formaliter, quo pacto respectum ad potentiam aptam dividere, præsefert, vel connotationem, aut denominationem extrinsecam insinuat. Secundo virtute, dicens multitudinem extensionemque partium; unde res habent, ut diuisionem subire possint. Priori modo accepta diuisibilitas, ad quantitatis naturam profectò non pertinet. Secundo modo, si rem animo nonnihil euoluas, citra laborem intelliges diuisibilitatem idem reipsâ esse, ac extensionem partium, in qua quantitatis ratio sita est; si tamen illam non amplè sumas, prout cuicunque toti constanti ex partibus conuenit, quantitate neglectâ, itaut idem sit, ac extensio partium in ordine ad se; sed potius illam accipias pro extensione partium in ordine ad locum; prout igitur diuisibilitas ab huiusmodi extensione distinguitur, non erit id, in quo quantitatis natura posita sit.

Quantitatis essentia non consistit in impenetrabilitate.

Sic etiam improbare licebit, quod erat in partitione postremum, videlicet impenetrabilitatem. Recte nanque conijcimus rei, alicuius naturam in aliquo constitutam esse non posse, quando in re proposita ratio quædam adinuenitur, unde id proficiscitur; prima siquidem radix est ipsa rei essentia, nihil in ea supponens. Quod si ita est; cum impenetrabilitas partium, ex eo proueniat, quoniam illæ sint loco extra se positæ; ac ob id res ipsa sit loco extensa, unde non possit cum alijs eodem modo se habentibus, neque pars cum parte penetrari; propterea quantitatis ratio non in ipsa impenetrabilitate constituta erit.

In quo natura quantitatis posita sit.

Reliquum igitur est, quantitatis naturam in eo positam esse, ut per ipsam unaquæque res corporea loco actu, vel aptitudine saltem reddatur extensa.

Ratio.

Hoc ex eo mihi persuasum habeo, quoniam in eo quantitatis ratio posita censeri debet, à quo aliquid habet, ut quantum dicatur; sed hoc non contingit nisi quatenus loco quidem actu extensum est &c. proindè in huiusmodi extensione quantitatis ratio consistet.

Secunda ratio.

Illud etiam accedit, quod continuæ quantitatis permanentis natura existimanda est illa, secundum quam ad Geometram quantitas pertinet, cum eius sit huiusmodi quantitatis genus perscrutari; sed ad Geometram non pertinet quantitas, nisi prout extensionem iam explicatam importat, iuxta quam in lineam, superficiem, & corpus tanquam in species ab ipso diuiditur; ergo quantitatis continuæ permanentis ratio in prædicta locali extensione posita erit.

Explicatio.

Cogitandum autem rem sic se habere, nimirum in re corporea, ne dum quantitatem, ac extensionem adinueniri; sed præsentiam quoque circumscriptiuam in loco, quâ res in certo, definitoque loco per partes extra partes existat; quamobrem in substantia corporea putandum extensionem dari, quæ sit reipsâ extra positio partium in loco, de se tamen indifferens ad hunc, vel illum locum; præsentiam autem adiungi, quæ non res, sed rei modus sit, substantiam determinans in hoc, vel illo certo loco, itaut per huiusmodi extensionem substantia id consequatur, ut una eius pars actu &c. sit extra aliam in loco; per præsentiam verò secundum singulas partes sit hic, vel ibi; præterea extensio perseueret eadem; præsentia autem in omni motu varietur.

Diuisio quantitatis in permanentem, & successiuam.

Celebris est continuæ quantitatis partitio in permanentem, & successiuam. Permanens est, quæ simul habet omnes partes, uti sunt omnes res permanentes, ut omnia elementa, mixta tam inanimata, quàm animâ constantia; itemque corpora cœlestia. Successiua porrò dicitur, quæ partes habet in continuo fluxu, alijs abeuntibus, & alijs aduenientibus partibus, ut sunt motus, ac tempus. Quantitatis enim ratio præcipuè in extrapositione partium consistit. Hæc autem bifariam contingit; vel per ordinem ad spatium loci, ut est quam habent omnia corpora, & hæc permanens quantitas: vel per ordinem ad spatium temporis, ut est tempus ipsum intrinsecum uniuscuiusque motus, & hæc est quantitas successiua.

Præter quantitatem permanentem dandam successiuam.

Tametsi autem quantitas permanens præcipuè quãtitatis rationem sibi vendicet; non negandum tamen dari quantitatem continuam successiuam, quæ non minus sit veræ quantitatis species, quàm permanens. Quemadmodum enim datur res habens partes, & partes extensas, vel extrapositas in ordine ad locum, quod à quantitate continua permanenti dicebam oriri; sic etiam datur res habens partes, & partes extensas in ordine ad spatium temporis, quod quantitati continuæ successiuæ acceptum referri debet.

Species quantitatis continuæ permanentis.

Quantitatis autem permanentis continuæ species perhibentur linea, superficies, & corpus. *Linea est magnitudo diuisibilis ad unum. Superficies ad duo. Corpus ad tria.* Vel clarius. *Linea est longitudo sine latitudine. Superficies est longitudo cum latitudine, sine profunditate. Corpus est longitudo cum latitudine, una cum profunditate.* Hæc eadem expresse legimus apud Aristotelem non uno in loco; cum autem dicitur linea, magnitudo ad unum, superficies ad duo, corpus ad tria; perinde est, ac si dicatur; linea est magnitudo unius dimensionis, superficies duplicis, corpus autem triplicis. Quorum ea videtur ratio, quoniam quantitatis naturam in eo positam vidimus, ut sit localis extensio, vel extrapositio partium. Hoc autem trifariam contingit; vel ut habeat partes extra partes, ab uno puncto ad aliud, ad latera existente indiuisibili; & hæc longitudo est, ac linea. Vel habet partes extra partes, ne dum hoc modo, sed etiam ad latera, existente indiuisibili secundum altitudinem, seu profunditatem & hæc est superficies. Vel tandem habet partes extra partes quaquauersum, nimirum in longum, latus, & profundum, & hoc est corpus. Hæc autem trium esse duntaxat quantitatum genera, quamuis Aristoteles, probabilibus rationibus ostendere conatus sit: non deest tamen apud Mathematicos demonstratio firmissimis innixa principijs, quâ Ptolemæus usus est in libello, quem de Analemmate conscripsit. Supponendum autem à Mathematicis omnia perpendiculari lineâ mensurari; adeout tam longa qualibet magnitudo dicatur, quanta est perpendicularis ducta ab uno extremo figuræ ad aliud extremum; ut in parallelogrammo, recta ducta ab aliquo puncto unius lateris, ad latus oppositum. Eodem modo latitudinem alicuius quantitatis tantam esse dicimus, quanta est perpendicularis educta ab unius lateris puncto, ad latus oppositum. Profunditas tandem siue crassities, vel altitudo cuiusque corporis, tanta esse perhibetur, quanta est perpendicularis educta ab una parte, ad aliam &c.

1. de Cœlo tex. 2. & 3. Diuin. tex. 18.

Cur Mathematici lineas rectas utantur ad dimetiendas

Causa, cur Mathematici lineâ perpendiculari in mensurationibus utantur, ea est, quam Ptolomæus præcitato loco pereleganter explicuit; quoniam videlicet, uniuscuiusque rei mensura debet esse stata, determinata, & non indefinita: at inter omnes lineas rectas, penes quas omnis sumitur mensura, sola linea perpendicularis est certæ, determinatæque longitudinis; aliæ autem omnes indeterminatæ sunt, & incertæ; & quoniam mensura debet esse minima, omnium linearum, quę ab alicuius lineę puncto, ad aliam lineam duci possunt, breuissima quidem est, quæ perpendicula-

Digitized by Google

culariter, super lineam illam cadit à prædicto puncto educta; quod cùm ita sit, non inepte factum est, ut mensuræ quantitatum, per lineas perpendiculares capiantur penès lineas perpendiculares, quæ solæ terminatæ sunt, ac inuariabiles; non autem secundum alias, quæ infinitis modis, modo breuiores, modo longiores etiam inter eadem puncta duci possunt. His autem prælibatis nullo labore demonstrabimus tres tantùm esse dimensiones ex rei natura in unaquaque re corporea; unam scilicet secundum longitudinem, aliam secundum latitudinem, tertiam denique secundum profunditatem. Huius autem rei causa est, quoniam ad quoduis punctum in aliquo corpore susceptum, solum tres lineæ perpendiculares, itaut quælibet illarum ad reliquas duas sit ad angulos rectos, constitui possunt, & non plures, quarum duæ quomodolibet sumptæ existant in una, eademque superficie, reliqua verò in alia diuersa. Itaque penes unam harum linearum accipitur longitudo corporis; penes aliam latitudo, penes tertiam altitudo, seu profunditas. Ex his perspicuè constat, cur nam corpori tres tantummodò dimensiones insint. Vnde est ut corpus definiri consueuerit. *Corpus, siue solidum est magnitudo, in qua tres lineæ rectæ se inuicem intersecantes ad rectos angulos in uno, eodemque puncto, protrahi possunt:* cùm alioquin in superficie duæ tantùm duci queant. Ad quoduis autem punctum tres lineas duci posse, itaut quælibet ad reliquas duas sit perpendicularis, Geometræ demonstrant hunc in modum. Sint duæ rectæ sese secantes ad rectos angulos in aliquo puncto, & ex huiusmodi puncto intelligatur ad planum, in quo rectæ existunt (nam semper duæ rectæ se intersecantes, in uno sunt plano) excitari recta linea ad angulos rectos; hæc utique ad utranque perpendicularis erit, ac ob id, & utraque vicissim ad hanc perpendicularis erit; unde est, ut quælibet ad reliquas duas sit perpendicularis. Sed nullam aliam ad has tres posse perpendicularem esse, ex eo concluditur, quia si fieri potest, sit quarta linea illis perpendicularis ex puncto, in quo se intersecant, quæ necessariò ad planum, in quo illæ sunt rectæ, perpendicularis erit; cum igitur iam ex illo puncto erecta perpendicularis esset, modo autem ex eodem puncto perpendicularis altera, sequitur ex puncto eodem ad idem planum, duas rectas perpendiculares ad easdem partes fieri, quod est impossibile.

Ex his intelliges allatam partitionem magnitudinum sufficientem esse, ac adæquatam, nihilque superesse quantitatis rationem habens; quanuis aliqui non deesse credatur ad ipsam pertinens, uti punctum, cuiusque dimensionis expers; quod proindè quantitatis naturam sibi vendicare non potest; solùmque dicitur ad quantitatem spectare, eòquod includatur in linea, vel quoniam per ipsum eiusdem partes nectuntur, vel quia denique punctis terminatur.

Aduertendum tamen corporis nomen trifariam usurpari. Primò vel ad significandum compositum substantiale ex materia, & forma tanquam ex per se potentia, & per se actu, ut ob id metaphysicum appellari consueuerit: vel ad significandam corpoream substantiam, quæ non sit ordinata essentialiter ad constitutionem alterius, itaut ei non repugnet se ipsâ existere in natura; latius enim patet substantia corporea, *quàm corpus substantiale*; imo & corporeum quàm *corpus; multa* nanque sunt, quibus inest ratio corporei, *non tamen* corporis, ut materia quæ primum est *naturalis* transmutationis subiectū, & forma tam substantialis, quàm accidentalis ex eius potentia educta corporea est, *non tamen corpus*. Secundò pro subiecta parte viuentium, corpus etiam accipitur, quâ ratione hæc ex corpore, & animâ constare dicuntur, physicumque corpus appellatur. Tertiò pro trina dimensione iam explicata, & hoc est corpus mathematicum ad hanc pertinens categoriam.

Tria discutienda.

Sed in re proposita, tria sese discutienda offerunt. Primum an reipsâ dentur lineæ, superficies, & puncta, quæ communi nomine quantitatis indiuisibilia nuncupantur, à quorum consideratione penitùs hic abstinendum, cùm de his in naturali Philosophia meritò sit instituenda disputatio; solùm id adnotabo, cum incontrouersiam vocatur, num hæc dentur indiuisibilia, reddi sensum, num punctum sit quidpiam positivum in natura, reuerâ distinctum à linea, & linea à superficie, & superficies à corpore; nam alioquin dari mente præsertim lineas & superficies, concedendum omninò, cum in corpore negari non possit illa ratio extensionis secundum longitudinem, quæ præcisa per intellectum ab extensione in latus, & profundum dicitur linea, sic etiam de superficie. Secundum propterea succedit inquirendum, an linea, superficies, & corpus sint reuerâ species quantitatis essentialiter inuicem distinctæ. Tertium an ad hoc prædicamentum directè pertineant. Et quoniam, ut dixi, de primo non est hic ineunda tractatio; propterea de duobus reliquis differendum.

Assertio.

Dicendum autem existimo lineam, superficiem, & corpus veras esse species quantitatis continuæ permanentis.

Probatur auctoritate.

Hoc autem Aristoteli placuisse nulli dubium, cum non semel species commemoratas assignauerit, easdemque descripserit.

Ratio ad idem.

Ratio satis euidens suppetit; quoniam hæc omnia communem quantitatis rationem, quam in extensione positam dicebam, essentialiter sibi vendicant, eidemque differentias essentiales superaddunt, itaut per illas essentialiter distinguantur; non inficiandum igitur lineam superficiem, & corpus quantitatis continuæ permanentis esse species, essentiâ, naturâque inuicem dissidentes. Quod autem assumebatur euidens adeo, ut euidentiùs nihil; prædicta siquidem omnia sunt extensiones, adeout habeant partes extra partes, modo iam explicato; differunt tamen inuicem, eò quòd linea extensio sit ad unum tantùm; superficies ad duo; corpus autem ad tria; sed ut has essentiales esse differentias intelligas, aduerte, superficiem reuerâ dicere longitudinem cum latitudine, & corpus longitudinem, & latitudinem cum profunditate, diuersæ tamen rationis esse longitudinem lineæ à longitudine superficiei, & latitudinem superficiei à latitudine corporis; longitudo siquidem bifariam accipitur. Primò ut latitudinem excludit, diciturque longitudo sola; & hæc est, quæ lineam constituit. Secundò, ut latitudinem admittit, quæ non ineptè longitudo lata dici potest; & hæc essentialis, & propria superficiei est; ita ut profunditatem excludat. Tertiò sumi potest longitudo cum latitudine, profunditatem pariter admittens, & hæc est propria corporis; per quam videlicet corpus constituitur.

Adnotario

Adnotandum tamen, per solam longitudinem non denotari duntaxàt negationem addi supra longitudinem generatim acceptam, & hunc in modum constitui lineam, sed cum dicitur longi udo lata, differentiam addi positiuam; natura enim generis, quæ ad speciem unam contrahitur per positiuam differentiam, ad aliam non contrahitur per solam negationem, sed in alia etiam specie positiuam differentiam inuoluit. Intelligenda igitur longitudo, latitudinem excludens, nimirum longitudo talis, per talem

Digitized by Google

differentiam positiuam determinata, quæ latitudinem excludat, non secùs ac cum animal in rationale, & irrationale diuiditur.

Prima difficultas. Hinc illa difficultas enodata, quæ plerosque vexauit. Inquiunt enim, species propriâ significatione sumptæ per aliquid positivum distinguuntur; at verò linea distinguitur à superficie per latitudinis defectum; superficies à corpore per defectum profunditatis non igitur veræ sunt quantitatis species.

Solutio. Responsio satis obuia; species enim quælibet commemoratę quantitatis continuę, ut per peculiarem positiuam extentionem constituitur: ita per eandem essentialiter ab alia secernitur, quanuis illa per negationem explicetur.

Secunda difficultas Sed quidam urgent, ita ratiocinando; præcipua quantitatis, de qua loquimur, affectio, est impenetrabilitas; unde cui hęc non conuenit, nec etiam quantitatis ratio poterit accommodata esse; at verò lineam, & superficiem tales esse, ut ijs impenetrabilitas non conueniat, perspicuum satis, dum enim duo corpora plana se tangunt, amborum extremę superficies atque adeo lineę in eodem existunt spatio; quoniam indiuisibile non habet, quo aliud tangat indiuisibile, & quo non tangat, sed tangit secundum se totum.

Solutio. Occurritur; concedendo quidem penetrari lineas, & superficies eâ parte, quâ indiuisibiles sunt; non quâ diuisibiles. Non enim linea cum alia linea secundum longitudinem; nec superficies cum alia superficie potest secundum latitudinem penetrari; ubi aduertendum, cum duo corpora se tangunt, rectiùs dici superficies eorum simul in eodem esse loco, quàm penetrari; propterea quòd penetratio, & impenetratio debet in rebus corporeis attendi ex ea parte, quâ diuisibiles sunt.

Tertia difficultas. Obijciunt præterea. Quod nomine adiectiuo denominatiuè, atque adeo accidentariâ prædicatione de aliquibus prædicatur; ut respectu illorum non habet rationem generis, ita nec illa habent rationem specierum; quoniam genus essentialiter, quidditatiuè nomineque substantiuo de speciebus prædicatur; at verò quantitas denominatiuâ, & accidentariâ prędicatione enunciatur de linea, superficie, & corpore; dicimus enim linea est quanta, superficies est quanta, corpus est quantum, quę accidentariæ sunt prædicationes non secùs ac illæ, quas efficimus dicendo, paries est albus, est quantus &c. propterea linea, superficies, & corpus quantitatis species esse non poterunt.

Solutio. Ad hanc explicandam difficultatem aduerte, lineâ, superficiem, & corpus pro trina dimensione sumptum, duobus modis usurpari. Primo prout substantiam afficiunt, quâ ratione concretum est quoddam, primariò dicens lineam, superficiem, & corpus, secundariò autem connotans substantiam veluti subiectũ; Et hunc in modum rectè fit prædicatio quanti de illis, dicendo linea est quanta; superficies est quanta &c. non secùs ac cum pariete albo prædicamus coloratum, & sic de alijs; Secundo sumptis lineâ, superficie, & corpore nullo habito respectu ad subiectum, haud benè fit illa prædicatio dicendo, linea est quanta, superficies est quanta &c. sed potius dicendum, linea est quantitas, superficies est quantitas &c. quemadmodum incepta prædicatio foret, si albedo, quæ alioquin est in pariete, diceretur colorata, ubi albedinem, & colorem accipio iuxta communem explicationem pro accidentaria forma spectante ad qualitatis genus, cum hic solùm in animo sit rem exemplo declarare; de quo superius admonui, & in sequentibus intelligendum volo. Adnotandum est etiam quando dicitur paries est quantus, prædicationem fieri respondentem illi, quâ dicitur, paries est coloratus; ut enim color ad albedinem, nigredinem &c. ita quantitas ad lineam, superficiem &c.

Quæstio difficilis. Amplius; quod est essentialiter inclusum in alio, nequit esse species ab illo distincta; non enim species una in alia essentialiter inuoluitur; sed linea essentialiter includitur in superficie, non solùm eâ ratione, quâ indiuisibilis; sed prout etiam diuisibilis, & quædam extensio est, quemadmodum superficies in corpore; ergo linea, superficies, & corpus nequeunt esse species essentialiter inter se distinctæ. At si hâc ratione quidpiam concluderetur, utique etiam elementa non esse species naturalis corporis à mixto distinctas. Si nanque per essentialiter includi, nil aliud intelligatur, quàm unum ad alterius essentiam spectare, procul dubiò non minus linea ad essentiam superficiei; linea, & superficies ad essentiam corporis pertinerent, quam elementa ad essentiam mixti. Neganda igitur illa propositio, quâ dicitur; quod essentialiter in alio includitur, species esse nequit ab illo distincta. Imo ne dum elementa respectu mixti, sed etiam materia, & forma comparatione compositi. Sunt enim principia speciei, & non sunt species ab illo distinctæ, solùm iuxta substantiæ categoriam antiquitùs institutam; nihil tamen obstat quominus aliâ ratione instituatur sumptâ pro generè summo substantiâ abstractâ quidem ab incompleta, & completa; quo pacto materia, & forma species forent à substantia composita distinctę.

Solutio.

SECTIO DECIMAPRIMA.

De Proprietatibus, seu attributis quantitatis.

EXplicatâ quantitatis naturâ, doctrinę ordo postulat, ut de proprietatibus eiusdem habeatur oratio. Ex proprietatibus autem quantitatis.

Prima quantitatis proprietas. Prima quidem occurrit illa, quæ & quantitati, & substantiæ communis est, quanque Philosophus hisce verbis est persecutus. Ἔστι, τὸ ποσὸν οὐκ ἔστιν ἐναντίον. *Præterea quanto nihil est contrarium.* Hæc igitur ex Aristotele prima quanti proprietas in eo consistens, quod est non habere contrarium. Cum autem quantitati adscribitur, intelligendum de contrarietate propriè sumpta, quam habere dicuntur qualitates ab eodem subiecto se inuicem expellentes. Hoc igitur modo contrarietas quantitati repugnat, nam inter quantitates neque formalis intercedat repugnantia; nec etiam virtualis, cum quantitati nulla insit agendi vis. Huius proprietatis ratio in eo videtur posita, quòd quantitas, de qua fit sermo, naturâ contrarietatem quanlibet antecedit; propterea necesse est, nihil illi contrarium esse; alioquin deberet anteire seipsam. Illud etiam accedit, quod quantitas una in subiecto, in quo est, non respuit determinatè aliam, quod ad contrarietatem propriam requiri; opportuno loco demonstrabo; sed indiscriminatim omnes, quæ ratio etiam viget, suppositâ distinctione ex rei natura inter substantiam, & quantitatem. Hæc substantiæ possunt accommodari &c.

Difficultates. Non leues tamen difficultates explicandæ se obtulerunt, è quibus unam, vel alteram Aristoteles tetigit. Dum itaque pronunciauit, quanto nihil esse contrarium, scilicet per se, ac propriè, nam per accidens & impropriè nihil obstat, quominus quantitati contrarietas conueniat; statim ut id probet manifestum esse, ait, *in quantitatibus definitis*, hoc est determinatis, adeout inductione utens, ita ratiocinetur. Linea, & superficies, ut bicubitum, tricubitum & id genus

alia

alia nullum contrarium habent; ergo quantum omne determinatum, seu definitum contrario caret. Eius enim sunt verba. *In definitis enim manifestum est, quod nihil est contrarium, ut bicubito, vel tricubito, vel superficiei, vel alicui talium, nihil enim illis est contrarium.* Dubitatione tamen non caret, quid per definitam quantitatem intelligat. Aptior tamen interpretatio videtur, quæ docet per quantum definitum, seu determinatum intelligendam esse quantitatem secundum se, absque ordine ad aliud, & alicuius determinatæ mensuræ. Dum autem pergit, videtur dicere; quanuis æquè certum sit quantitatibus indeterminatis nihil esse contrarium, ut nihilominus hoc manifestius reddatur, præstat geminam difficultatem expendere, quarum prima est huiusmodi. Magnum & parvum, multum, & paucum sunt quantitates & sunt contrariæ; quantitatibus igitur incertis, ac indefinitis aliquid contrarium est. Bifariam occurrit Philosophus; & primò quidem negatione maioris, geminâ ratione concludens, magnum, & parvum non esse contraria, sed relata. Prima autem ratio sic se habet. Ea, quæ alicui non conueniunt absolutè & in se, sed comparatione ad aliud, non sunt quantitates, sed relationes; nulla autem res dicitur magna, vel parua secundum se, sed comparatione aliorum; ergo magnum, & parvum non erunt quantitates &c. Maiorē propositionem ex eo veram supponit; quoniam quantitas est ens absolutum. Minorem autem, ut probet, variis exemplis utitur; nam mons inquit, dicitur parvus, & milij granum dicitur magnum; quod certè nunquam cum veritate consentiet, nisi per comparationem ad aliud; unde subdit; *Propterea quòd hoc maius, ille minor hisce, quæ generis eiusdem sunt, existat. Ad aliud igitur est ipsorum relatio: nam si parvum quidpiam, magnum per se diceretur; nunquam mons quidem parvus, milium verò magnum utique dicatur.* Affert etiam & alia exempla. *Rursus*, inquit, *in pago quidem multos homines, Athenis autem paucos dicimus esse, qui tamen longè sunt illis, plures: & in domo quidem multos; in Theatro verò paucos, qui quidem & ipsi multò sunt illis, plures.* Alia, quâ utitur, ratio est, quoniam id, cuius vocabulum relationem præsefert, non quantum, sed relatum est; at verò vocabula magnum, & parvum, multum, & paucum, relationes excessus, & defectus in magnitudine, & numero significant; ergo hæc non quanta, sed relata erunt.

In prædicamento quantitatis.

Quid intelligendum per quantum definitū.

Prima difficultas ex Aristotele.

Prima solutio.

Prima ratio, qua Philosophus utitur.

Secunda ratio.

At si quis obiiceret magnitudinem, & multitudinem esse quantitates; ergo idem esse dicendum de magno, & multo, siquidem concretum, & abstractum in formali significato non differunt. Respondendum magnitudinem, & multitudinem modò sumi prout quantitatem significant, quatenus illa continuam permanentem, hæc autem discretam: modò autem excessum in quantitate insinuare; iuxta priorem usurpandi modum, non dantur magnum, & parvum, quę illis opponantur, cùm huiusmodi sensu quæuis minima quantitas dicatur magnitudo, & quilibet numerus exiguus multitudo: iuxta posteriorem significationis modum relationes denotant, ita ut concreta indè resultantia sint relata; cum autem Philosophus magno, & multo, dicit opponi parvum, & paucum, sumpsit hæc iuxta posteriorem usurpationem, & prout à relationibus deducta.

Obiectio.

Respōsio.

Secunda solutio.

Secundò respondet, negando minorem, nimirum hæc esse contraria, siuè sint quantitates, siuè non, quasi ipse dicat, dato, & non concesso, quòd illa sint quanta, non subindè concludendum esse contraria, quod trifariam ostendit. Primò ex contrariorum natura; contrarium enim est naturæ absolutæ, nec à

existendum requirit contrarium suum, ut album non requirit nigrum: sed magnum nequit existere, quin existat parvum, si illud sumatur formaliter, quoniam magnum dicitur comparatione parui, ut hoc sublato, auferatur & illud; ergo magnum, & parvum non aduersantur, quod etiam de multo, & pauco potest intelligi. Secundò si magnum, & parvum sunt contraria; sequitur duo contraria eodem tempore simul in eodem esse subiecto, quod est impossibile; optima consecutio, quoniam idem diuersorum comparatione simul est magnum, & parvum; si magnum igitur paruo contrariatur, duo simul contraria erunt in eodem subiecto. Sed impossibile esse contraria eidem simul & eodem tempore inesse, ex eo planè constat, quia si quid est, cui maximè conueniat contraria suscipere, illud certè substantia est; & nihilominus hæc nequit simul habere contraria, non enim eodem tempore est alba, & nigra, sana, & ægra; quod de multo, & pauco debet etiam intelligi. De his enim eadē est ratio. Tertiò, si magnum & parvum, contraria inuicem forent, sequeretur idem sibi ipsi contrarium esse; quod fieri non potest; consecutio, ex eo patet, quia idem homo exempli gratia, potest comparatione diuersorum esse simul magnus, & parvus; si igitur contraria sunt, necesse est idem sibi ipsi contrarium esse: hoc autem à veritate penitus alienum; ergo magnum, & parvum, multum, & paucum contraria esse nequeunt. Concesso igitur hæc esse quanta, non idcirco debet in quanto contrarietas admitti; quoniam reuerâ non contraria, sed opposita relatiuè duntaxat dici debent, cùm ad relatiuorum categoriam pertineant.

Circa dicta tangitur difficultas.

Nonnihil tamen animo difficultatis ingerit, quòd magnitudo, & paruitas, quemadmodum multitudo, & paucitas videantur esse contraria; eodem igitur modo magnum, & parvum, multum, & paucum; cum sint ut abstracta, & concreta; proindèque de ipsis ad contrarietatem, quod spectat, iudicium ferendum sit idem. Negandum, quod assumitur; nempè magnitudinem, & paruitatem, itemque multitudinem, & paucitatem absolutè sumpta inuicem aduersari; magnitudo siquidem absolutè spectata, idem est, atque continua quantitas, & multitudo re non differt à quantitate discreta; hunc autem in modum magnitudo non opponitur paruitati; nec multitudo paucitati, hæc verò eadem respectiuè sumpta; quippè quæ sunt ad aliquid, oppositione relatiuâ opponuntur; perperàm subindè concludebatur, quantitati contrarium inesse.

Explicatio difficultatis.

His autem peractis affert secundam dubitationem Philosophus ex loco desumptam, sic enim habet. Locus supremus, & infimus sunt quantitates, & nihilominus mutuâ contrarietate pugnant; aliquid igitur quantitati contrarium fateamur oportet. Primam antecedentis partem ex hoc ipso capite Philosophus supponit probatam. Secundam probat. Tum communi Philosophorum consensu, dicentium contrarietatem esse inter locum sursum, & deorsum. Explicat autem quid per sursum, & deorsum veteres intellexerint, & ait, locum, qui in medio est, hoc est in centro terræ, apud ipsos esse locum deorsum, qui verò in extrema parte, hoc est in circuli peripheria, dicunt esse sursum, eaque contraria esse, eò quòd inter ipsa scilicet medium, & extremum mundi, maxima intercedat distantia; in qua contrarietas posita est. Tum ex contrariorum definitione sic argumentatur, contraria sunt ea, quæ maximè sub eodem genere distant, locus autem infimus, qui est in medio mundi maximè quidem à supremo distat, qui est in Cœlo; adeo videlicet ut, maxima distantia in definitione contrariorum

Secunda difficultas ibidem ex Aristotele.

ex

ex analogia quadam ad localem distantiam dicta videatur. Philosophus dubitationis propositæ solutionem omisit, ea de causa fortasse, quia non dum loci naturam explicuerat. Responderi tamen nullo labore potest dicendo, locum sursum, & deorsum, duobus modis usurpari; vel materialiter prout sunt quædam locales extensiones, in longum, & latum, quo pacto sunt superficies, & hoc modo non habent contrariũ; Vel formaliter, quâ supremus, & infimus dicuntur; & hoc modo respectum important: nam supremum, relatiuè apponitur infimo; Hunc autem in modum dici possunt relatiuè opponi; sed cum iuxta considerationem hanc, rationem quantitatis non habeant; hinc propterea non sequitur, quantitati aliquid esse contrarium. Cæterùm distantia, cuius in contrariorum definitione mentio fit, localis non est, sed formalis, quanuis ex analogia ad illam, distantia vocari consueuerit.

Difficultati fit satis.

Superioris respõsionis confutatio.

Hæc tametsi rectè sint dicta, non omni tamen dubitatione carent, propterea quòd de loco ad locum est motus, etiam si loca inuicem collata non habeant rationem superioris, & inferioris; at verò motus est inter contraria; ut non semel Philosophus inculcat; propterea loco, neglectâ consideratione superioris & & inferioris, conuenit habere contrarium; cunque locus hoc modo sumptus nil aliud, quàm superficies, atque adeo species quantitatis esse videatur; propterea loco quantitatiq; contrarium aliquid esse fatearis, necesse est: Hanc difficultatem paulo infra solutam reperies, quemadmodum & alias, quæ nobis visæ sunt commemoratu dignæ.

Tertia difficultas Solutio.

In his porrò alia difficultas; nam quantitates, vel potius quanta ab eodem loco se mutuò expellunt; ob id videntur esse contrariæ, cùm hæc expulsio, inditio sit, formas inuicem aduersari. Hâc tamen argumentatione nihil planè concluditur, repugnantia siquidem non quæcunque contraria est; proindèque nec illa, quæ in ordine ad eundem locum, sed ad idem subiectum; quantitates autem duorum corporum non utique locum, veluti commune subiectum, respiciunt.

Quarta difficultas 5. Phys. tex. 19.

Solutio.

Maior tamen dubitandi ratio ex eo deducta, quoniam id, ad quod est per se motus, contrarium habet, cùm motus sit de contrario in contrarium; at nihil certius, quàm ad quantitatem esse per se motum, cum hic ad quantitatem, ad qualitatem, ad ubi, propriè tamen acceptus, per se tantummodò terminetur. Ad hanc difficultatem explicandam, aduertendum, contrarietatem motui generatim accepto priuatiuam sufficere, quo pacto generationi ad substantiam quoque terminatæ conuenit. Fatendum tamen motum speciatim acceptum inter propriè contraria versari, quod etiam motui ad quantitatem conuenire deprehendes, uti sunt accretio, & decretio; ad quantitatem porrò secundum se non est motus; sed ad illam est, ut naturalitati subest, quâ ratione conuenit illi contrarietatem habere; ita quidem imperfecta quantitas aduersatur perfectæ, ad quas, & de quibus sunt accretio, & decretio; perfectio autem, & imperfectio quantitatis secundum se inspectæ, differentiæ non sunt, sed naturalis quantitatis; imperfecta siquidem dicitur, quæ non est speciei debita secundum naturalem formam; perfecta verò modo quidem oppositio; nec ulla est absolutè quantitas imperfecta, sed cum respectu ad hoc, vel illud ens naturale; tali enim, vel tali enti naturali imperfecta dicitur, quatenus non est debita speciei secundum suam naturalem formam; perfecta verò ex aduerso; *Omnium enim naturâ constantium, determinata est magnitudinis, & augumenti ratio*; itaut nulla quantitas in genere quantitatis sit absolutè imperfecta; sed huiusmodi est respectu talis entis naturalis, ut nuper dicebam; atque hunc in modum aliquid ab imperfecta quantitate ad perfectam, & viciſſim motum subire potest. Licet autem hoc modo quantitas accepta sit ens per accidens, ad quod nullus est motus; nihilominus ad quantitatem, eo sensu motus dici potest, quatenus est id, quod per motum, tanquam terminus acquiritur, & ad quantitatis genus per se pertinet, quod tamen non acquiritur, ut quantitas; sed ut talem habet essendi modum, iuxta quem contrarium habet. Non oportet autem formæ, quæ per motum acquiritur, ut propriè aliquid aduersetur, cum satis superque sit, ut illi, quatenus per motum acquiritur, aliquid contrarium existat, ad eum modum, quo perfectum & imperfectum contraria esse dicuntur. Quantitas igitur, prout accepta sub tali modo essendi iam explicato, ens per accidens minimè dicenda; proindèque ad ipsam potest motus per se terminari; licet alio sensu, prout compositum quoddam importat ex duobus, quorum unum alteri accidit; quemadmodum quantitas sub esse naturali, ad quam propterea hoc modo sumptam, motus non terminatur, ens quidem per accidens dici possit.

2. de Anim. tex. 41.

Alia difficultatis solutio.

Tametsi hæc sint subtiliter dicta, difficultati tamen occurrere iuvabit respondendo, motum non exerceri inter ea, quæ maximè sunt propriè contraria; enimverò duo motus requirit; primum, quod inter contraria versetur; secundum, quod sit successivus; quod igitur motum terminare debet, duas conditiones exposcit, quarum prima est contrarietas: secunda est latitudo percurrenda per motum, adeout in indiuisibili non consistat; sed latitudinem intensionis, vel extensionis habeat. Quâ propter asserendum nec ad motus rationem sufficere, ut termini positiui, utcunque sint oppositi, nec requiritur, ut propriè oppositi sint; sed satis est terminos inter se oppositos & aliquo modo contrarios esse, sic ut determinatè repugnent, nec unus simul compatiatur alterum, & acquirendus terminus successiuè acquiratur. Hæc autem determinata repugnantia in eo posita est, ut terminus unus ita per se ex certo alio sibi oppositio fiat; ut non æquè, & indiscriminatim ex alio quocunque generis eiusdem, fieri possit; unde unus determinatè secum in eodem subiecto non admittit alium, & qui acquiritur, successiuè acquiritur. Ita quidem calidum non nisi ex frigido, album nonnisi ex nigro, aliove colore medio, quatenus participante nigredinem fit; si qualitates primæ, itemq; secundæ, puta colores, iuxta vulgarem sententiam explicentur; & in motu ad locum quanuis localis præsentia respuat omnes indifferenter, mobile tamen ut mouetur ad aliquam Mundi plagam, iuxta tantam distantiam inter terminum utrumque, præsentia una determinata, repugnantiam habeat cum alia; & in omnibus hisce motibus hoc totum cum successione fit. Vides igitur in quantitate dari tantam oppositionem, quanta requiritur, ut ad ipsam terminetur motus; ita tamen, ut ei propria non conueniat contrarietas illa, quam Philosophus quantitati denegauit.

Quomodo quanti taci conueniat quantitatem habere.

Præterea arguunt hunc in modum, Linea est quantitas, & nihilominus illi contrarietas conuenit, quandoquidem lineæ rectæ contrariatur curua. At quanuis inter rectitudinem, & curuitatem, contrarietas aliqua concedatur; non subindè concludendum lineam habere contrarium; siquidem rectitudo, & curuitas sunt accidentia lineæ, unde contrarietas erit inter hæc accidentia, non tamen inter lineam, & lineam secundum se sumptas, quibus contrarietas denegatur; Nec modo absimili obuiam itur difficultati desumptæ ex

Quinta difficultas Solutio.

con-

conuexo, & concauo lineæ, quantis enim inter hæc contrarietas intercedat, nihil refert, cum hæc accidant lineæ, cui non ob id contrarietatem conuenire dicendum, cùm potius inter huiusmodi lineæ accidentia contrarietas intercedat.

xta difficultas.

Vlterius etiam sic arguunt. Cui conuenit æqualitas, & inæqualitas, conuenit etiam contrarietas; æquale siquidem, & inæquale contraria sunt, eòquòd maximè sub eodem genere distent; at quantitati conuenit æqualitas, & inæqualitas, cum maximè sit quantitatis proprium secundum ipsam æquale, & inæquale dici; ergo quantitati conuenit contrarietas.

olutio.

Inepte tamen dicitur, cui conuenit æqualitas, & inæqualitas, contrarietatem etiam conuenire, eòquòd hæc sint contraria; non enim hæc contraria sunt, prout de ipsis in præsentia fit sermo; talia enim esse debent, ut eidem simul conuenire non possint; admittendum igitur quantitati contrarietatem hanc, quæ relatiua est, conuenire; non tamen alteram, quæ distinctam speciem contrarietatis constituit. Eodem etiam modo altera difficultas enodatur ex pondere desumpta; pondus enim dicitur etiam maius, & minus & æquale; unde videtur ei contrarietas accommodata; tametsi nanque pondus per se non pertineat ad quantitatis genus; non inficiandum tamen induere quantitatis naturam; de qua potest esse proposita difficultas.

ptima fficultas

olutio.

Concessâ igitur ponderi, quatenus habenti quantitatis rationem contrarietate relatiuâ, qualis est nuper explicata, de qua in præsentia sermo non fit; negandum ei conuenire contrarietatem alteram, de qua hîc verba facimus, cuiusmodi nimirum est illa, quæ inter qualitates exercetur.

)ctaua ifficultas . Phyſ. ex. 18. & ſ. Diuin. ex. 18. 5. Phyſ. c 19. & cap. le oppoſi ns.

Solutio.

Amplius illud obijci potest. Motus est quantitas, ut non semel docuit Philosophus; at verò motui conuenit habere contrarium, quod etiam idem expressit, præsertim cum ait; est autem simpliciter motui quidem quies contrarium, ut augmentationi contrariatur diminutio; aliquid igitur quantitati contrarium est. Ex hucusque traditis non obscurè constat solutio. Primo tamen adnotabo non rectè motum dici quantitatem, cum potius quantus dici debeat; est enim motus, qui per tempus, tanquam per quantitatem successiuè quidem extenditur. Vt igitur probetur quantitati aliquid esse contrarium, non sat est motui utcunque sumpto, demonstrare aliquid aduersari; sed oportet ostendere, vel tempori, vel motui quatenus extenso per tempus, aliquid contrarium esse, quod certè superior argumentatio non conuincit; cum ipsâ tantummodo probetur, quantitati conuenire contrarium, ex duplici tamen falso supposito, nempè quod motus sit quantitas, & quod motui contrarietas conueniat, quatenus extenso per tempus, cum tamen illa contrarietas, quam ei Philosophus adscribit non sit huiusmodi, quippè quæ conuenit motui ratione termini, nullo habito respectu ad tempus, quantitatem ipsius. Si quæ autem aliæ circa primam hanc quantitatis proprietatem difficultates extant, nullo negotio poterunt ex dictis enodari. Solùm id adnotandum scilicet attributum hoc esse proprium secundo modo, quia conuenit omni quantitati, non tamen soli, cum etiam substantijs competat.

ristoteles cap. de uanto.

ecunda uantitatis proprietas.

Secunda quantitatis affectio est, quam Aristoteles hisce verbis explicuit. Οὐ δοκεῖ δὲ τὸ ποσὸν ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Οἷον τὸ δίπηχυ. οὐ γὰρ ἔστιν ἕτερον ἑτέρου μᾶλλον δίπηχυ. *Non videtur autem quantum recipere intensionem, & remissionem; Vt bicubitum: neque enim alterum altero magis est bicubitum.* Quanti proprium igitur non suscipere magis, & minus, hoc est non posse intendi, & remitti; nam per intensionem plus, per remissionem minus, de entitate formæ in eodem situ, eademque subiecti parte obtinetur, ut suo loco dicemus, substantia disputans explicui. Quantitatis continuæ ratio in extensione seu diffusione partium posita est, adeout partes in diuersis loci partibus diffusæ sint; Hinc nequit esse capax intensionis, & remissionis; propterea quòd intensio, & remissio, ut ex eius essentiali conceptu constat, non conuenit alicui, nisi quatenus plus, vel minus de entitate ipsius in eadem subiecti parte potest acquiri; hoc autem extensioni non conuenit in qua essentialis ratio quantitatis continuæ posita est; propterea nec illi poterit intensio, & remissio conuenire. Quæ substantiæ pariter aptari possunt. De quantitate discreta nihil dicam, cum illi minimè conueniat quantitatis ratio, si quantitas propriè sumpta fuerit accepta, ei tamen adhuc hæc potest affectio accommodari per analogiam ad quantitatem continuam: quantitas ergo cùm sit ratio, quâ partes extendantur loco, ac ob id in diuersis loci partibus constituantur, proindè non erit intensionis, & remissionis capax. Suscipit tamen maius, & minus, nam datur linea maior, & minor; quod etiam numero conuenit; numerus enim unus est maior vel minor altero. Suscipere autem maius, & minus in quantitate continua est plus, vel minus extendi; in numero autem pluribus, vel paucioribus unitatibus constare.

Prima difficultas.

Est nihilominus cur dubitetur; nam æquale & inæquale suscipit magis, & minus, non secus, ac simile, & dissimile, idque ratione fundamenti contingit; prout enim aliquid qualitatem, vel quantitatem alteri conuenientem participat, dicitur magis, vel minus simile, magis vel minus æquale: quantitas igitur quæ fundamentum est æqualitatis, recipit magis vel minus.

Solutio.

Mala tamen est consecutio, enimverò ut æqualitas suscipiat magis, & minus sat est, fundamentum ipsius suscipere maius, & minus; nam secundum maiorem, vel minorem differentiam quantitatis, dicitur maior vel minor æqualitas.

Linea, & superficies ad quantitatis categoriam directè spectant.

Ex his manifestum fit lineam, & superficiem ad quantitatis categoriam directè spectare. Tametsi enim utraque includatur in corpore, hoc tamen nihil est; nam utraque considerari potest, vel secundum propriam naturam, quâ ratione nec linea dicit ordinem ad superficiem, nec linea, vel superficies ad corpus; & hunc in modum directè ad prædicamentum pertinent. Spectari quoque possunt ambæ, prout principii constituentis munere funguntur, linea quidem superficiei, & superficies corporis; & hunc in modum indirectè ad idem prædicamentum pertinent. Nec incommodum est, idem bis in prædicamento constitui, dummodò id geminâ ratione contingat.

Locus etiã inter species quantitatis recenseri solet.

Præter tres commemoratas species quantitatis, locus etiam addi solet, ita ut plerique contendant hanc speciem ab alijs esse distinctam. Verumenimverò locus non uno sumitur modo; accipi siquidem potest pro spatio, vel interuallo, quod occupari concipimus à re existente in loco. De hoc autem gemina difficultas, quarum prima est, an huiusmodi spatium reale quidpiam existimari debeat; secunda num hoc admisso, quædam sit species quantitatis. Secunda difficultate, utpotè puerili neglecta, ad primam quod spectat, respondendum breuiter, spatium illud non esse reale positiuum, realem tamen esse negationem connotantem corpus, quod in eo esse potest, qua de re nobis alibi futurus est sermo.

Locus duobus modis sumitur.

Locus superficies corporis continens.

Locus etiam accipitur materialiter, ut aiunt, pro superficie corporis continentis, & hunc in modum utique species est quantitatis, non tamen à superficie, distincta, cum superficiei, nullam peculiarem extensionem,

Digitized by Google

tis species est quantitatis, nō tamen distincta à superficie

sionem; sed solam continentiam addat, vel ad summum figuram, puta superficiei concauitatem; unde nequit esse species distincta à superficie; alioquin superficies pro diuersitate qualitatum, quibus eius subiectum afficeretur, diuersas quantitatis species constitueret. Sumitur etiam locus pro ipsa continentia, vel circumscriptione corporis locantis; diciturque locus formaliter acceptus, qui certè non est species quantitatis, cum aliud non sit, quàm quidam respectus transcendentalis, fundatus in superficie concaua corporis locantis, ac terminatus ad conuexam locati, pertinens ad prædicamentum Vbi.

Aristotelis auctoritati fit satis.

Neque perturbet Aristotelis auctoritas, eò quòd ipse locum, tanquam speciem continuæ quantitatis à superficie, & reliquis distinctam recensuerit. Nam ex vulgi sententia locutus est, & ex opinione illorum, qui dicebant locum esse spatium dimensum inter latera corporis continentis interceptum, quod postmodum in Physicis refellit; alibi verò species quantitatis ex propria sententia enumerans, locum prætermisit.

Difficultas eiusq; solutio.

Neque illud molestum est, quòd loco, quantitatis affectiones, puta mensuratio, æqualitas, diuisibilitas, conueniant. Nam subinde tantummodò colligere licebit, locum materialiter acceptum ad prædicamentum quantitatis pertinere; non tamen ut quidpiam à superficie distinctum.

Commemoratæ species dicendæ infimę Difficultatis præoccupatio. Solutio.

Suprapositæ species quantitatis non ineptè censentur infimæ; quandoquidem etsi linea ex. gr. diuidatur in simplicem, & mixtam; simplex in rectam, & circularem; mixta verò innumeras diuisiones admittat; sic etiam de superficie, & corpore. Hinc tamen haud rectè infertur essentialis distinctio; hæ nanque differentiæ omninò accidentariæ sunt; rectitudo siquidem, & curuitas, lineæ quidem essentiæ accidunt; ut enim se habet par, & impar ad numerum, sic rectitudo, & curuitas ad magnitudinem, atque adeo, ad lineam.

An quantitates inæquales specie differmentur. Dubitandi ratio. Dubitationi fit satis.

Solet in dubium reuocari num continuæ quantitates inæquales inuicem specie discriminentur. Dubitandi ratio non leuis, quoniam inter quantitates discretas inæquales, ut inter binarium & ternarium, specifica differentia cadit; eadem propterea videtur inter lineam bipalmarem, ac tripalmarem intercedere. Secùs tamen se res habet; nam extensionis ratio secundum idem nomen, eandemque rationem specificam de linea bipalmari, & tripalmari dicitur, quod de numero asserere non licet: cùm enim ipse ex antea traditis non sit unum quidpiam per se, sed potius in plurium unitatum collectione consistat; mirum ob id esse non debet, si prout maior, vel minor collectio fuerit; specifica differentia concedatur in ipsis.

De quantitate successiua differendum proponitur. Variorum sententiæ.

Hucusq; de quantitate continua permanenti: nunc de successiua differendum. Non defuerunt, qui uniuersè quantitatem successiuam negarint, dicentes motum, & tempus non esse veras quantitatis species. Aliis autem placuit illas in unam speciem quantitatis confundere. Alii rectius existimarunt tempus esse propriè quantitatem, motum verò quantum esse per accidens.

Motus cōsideratio duplex.

In motu tamen spectari potest entitas eius consistens in acquisitione termini, qui producitur: itemque successio, atque continuitas; siue hæc reipsâ distinguantur, vel non; utrumvis dicatur, eodem modo ratiocinandum, utraque motus extensio dici potest per ordinem ad spatium temporis. Si motum spectes secundum esse suum, facilè deprehendes ad termini, & non ad quantitatis prædicamentum spectare; proindeque per varia prædicamenta vagari vel ad summum in prædicamentis Actionis, & Passionis locum obtinere. At si consideretur successio, continuitasque motus; Hęc dici potest aut reuerà idem cum motu, eidemque essentialis, aut distincta, & accidentaria. Si primum dixeris, idem de ipsa sentiendum, ac de entitate motus; adeoque ad idem termini prædicamentum utraque pertineat. Si secundum, erit species continuæ quantitatis, eritque continua quantitas successiua. Vbi adnotandum non requiri distinctionem successionis, & continuitatis à motu, quæ sit ex rei natura, vel realis, vel modalis: cum satis superque sit formaliter, seu ratione ratiocinatâ distingui; nam hâc tantummodò distinctione actio à passione discriminatur; sunt enim reipsâ idem, & tamen duo prædicamenta constituunt; per hanc enim distinctionem redditur successio, & continuitas extra essentiam motus; itaut illi dici possint accidere.

A motu

Aristoteles 3. phys. cex. 21.

Ratio suadetur.

Nec deest ratio ad id efficaciter suadendum; nam quod est indistinctum & essentiale, ponendum utique in eo ipso prædicamento ad quod pertinet id, cui illud est essentiale; quod autem accidentarium, in prædicamento distincto constituendum. Ita planè si localis extensio foret essentialis substantiæ non in alio, quam in prædicamento substantiæ constituenda esset; sed quoniam illi accidentaria est, quinimò ab ea reipsâ distincta; ob id ad quantitatis prædicamentum longe diuersum à substantiæ prædicamento pertinet.

Nū inter motum, & eius extensionem ali qua cadat ex rei natura distinctio.

Num autem inter motum, & successionem, atque continuitatem, vel si mauis inter motum & extensionem in ordine ad tempus imaginarium, ut vocant, aliqua ex rei natura intercedat distinctio, disputandum alibi. Ex his planè constat motum esse rem quantam, ac ob id quantum per accidens: non autem quantitatis speciem. Tempus autem, quod alioquin species quantitatis perhibetur, gemino sumitur modo; Primo pro eo, quod imaginarium dicitur, imaginario spatio rei permanentis proportionę respondens. Secundo pro reali extensione motus. Hoc autem est in duplici discrimine; propterea quòd unum extrinsecum dicitur: alterum autem intrinsecum. Tempus extrinsecum est, quod passim familiari sermone solet usurpari, quotiescunque temporis fit commemoratio; præsertim autem in cœlestis motus durationę constitit; illudque est, quod in annos, menses, hebdomadas, dies, horas &c. distribuimus. Tempus autem intrinsecum est propria duratio uniuscuiusque rei successiuæ, videlicet motus.

Tempus duplicitèr sumitur.

Tempus duplex, extrinsecū, & intrinsecum.

Si de extrinseco tempore sermo fiat, perspicuum satis ab eo non constitui nouam quantitatis speciem comparatione rerum, siue motuum quibus extrinsecum est, cum non præstet illis partium extensionem in ordine ad tempus imaginarium, sed potius hanc in ipsis præsupponat. Tametsi nanque ipsis tanquam mensura deseruiat; non subindè constituenda distincta quantitatis species; unde cogitandum rem sic se habere, ut videlicet factâ collatione inter permanentia, & successiua, spatio imaginario tempus imaginarium: loco sumpto pro superficie corporis continentis, tempus extrinsecum: & quantitati, quâ res permanentes corporeæ loco quidem extenduntur, tempus intrinsecum proportione respondeant; Hoc autem intrinsecum tempus uniuscuiusque motus, est eiusdem successio, & continuitas, ac extensio, estque species quantitatis.

Tempus extrinsecū nō est species distincta.

Neque putandum motum, atque tempus esse propriè duas species distinctas quantitatis successiuæ, eòquòd videantur opponi; quo enim maior est successio motus, eò minor est successio temporis; & quo minor est successio motus, eo maior est successio temporis; nam in motu veloci, multa est successio motus in

Tempus & motus non sunt duæ species distinctæ, quantitatis successiuæ.

Digitized by Google

in minori tempore; sed hæc de extrinseco tempore tantummodò sunt admittenda; nam ad intrinsecum quod attinet; quanta est successio motus, tanta quidem est successio temporis; quamobrem non erit motus, distincta species quantitatis à tempore.

§. Diuin. ex. 18. Videtur Aristoteles aliquando dixisse motum esse quantum per accidens, nimirum per tempus, & vicissim tempus esse quantum per motum, quod interpretibus non parum difficultatis ingerit. Eò tamen Aristotelis locus explicatur. Philosophi consilium tendit, ut doceat motum, & tempus esse quanta, ac diuisibilia propter aliud, non propter mobile, quod mouetur; hæc enim aliqua est ratio quantitatis in motu communis cuicunque formæ generabili, & corruptibili; sed propter spatium in quo motus exercetur; nam per spatium motus est quantus, si de motu ad locum sermo fiat; & per motum pariter quantum est tempus in genere scilicet materialis causæ; quoniam motus per suas, quibus constat, partes, successiuæ quidem extensionis est capax; ita tamen ut motus formaliter sit quantus, & extensus per tempus.

Prima difficultas. Circa Philosophi dicta non leuis etiam difficultas se offert, siquidem apud ipsum expressum legimus, sub continuorum genere motum contineri, quasi docere voluerit, motum esse potius quantitatem: tempus verò quantum esse per motum. Hoc nihil tamen, cum Philosophus ibi tantùm docere voluerit motum esse continuum quidpiam successivum, supponens nihilominus esse formaliter talem per tempus, quod non propterea negat esse continuum, & speciem continuæ quantitatis, dicendo tempus esse numerum motûs; perinde enim est, ac si dixisset, tempus esse motûs mensuram. Nec etiam id alibi negat, dum tempus docet esse opus rationis, eòquòd numerus sit, & hic ab anima pendeat; enim verò ibi tantùm voluit innuere, tempus prout mensuram, quâ ratione pendet ab anima, cum nos per operationem animæ dimetiamur, esse opus ipsius animæ.

Dubitatur cum quantitas successiua in alias species diuidatur. Solet etiam in dubium reuocari; an hæc successiua quantitas, de qua hucusque locuti sumus, partitionem subeat in alias species. Nulla tamen alia videtur suppetere diuisio, quam quæ à motu est, itaut pro diuersitate motuum sit etiam diuersitas temporum, ac ob id accidentaria prorsus, velut illa, quæ solùm ratione subiecti contingit.

An tempora inæqualia differant specie. Posset quispiam dubitare, num tempora inæqualia, puta, annus, & dies &c. specie inuicem differant. Sed quid respondendum, patet ex antea traditis de quantitate continua permanenti.

Quædam prætermissa infra tractanda. Ne mireris, me nihil dixisse de ordine, quo Philosophus in hac tractatione usus est; nimirum initio ducto à quantitate discreta; itemque silentio præterijsse illam, quæ afferri solet sufficientia specierum quantitatis; in his enim multa, tanquam certa solent assumi, quæ tamen plurimis difficultatibus scatent, quæque cautius philosophantibus, facillimum est ostendere non admodum veritati consentanea; propterea satius duxi hæc missa facere, & si quid videretur dicendum, ad huius sectionis calcem differre.

Secunda difficultas. Aduersus hanc proprietatem sic etiam obijcitur. Suscipere magis & minus conuenit quanto; ergo etiam quantitati; consequentia optima; Antecedens sic ostenditur. Vinum dolij, & cyathi, quanta profectò sunt; & nihilominus suscipiunt magis, & minus; cùm magis vinum videatur vinum dolij quàm cyathi. Fit satis aduertendo, non idem esse maius tale, ac magis tale; primum rei molem, secundum entitatem respicit; inde est, ut vinum dolij sit maius, hoc est maioribus dimensionibus præditum, quàm vinum cyathi non tamen magis vinum. Vnde rectè dici consueuit quantitatem suscipere magis, & minus per extensionem, non tamen per intensionem.

Non possum hic non admirari eorum insciitiam, qui ut propositæ difficultati satisfaciant, aiunt, *maius tale*, respicere molem; at *magis tale* ad essentiam spectare. Primùm ultrò ipsis concesserim, non tamen secundum; nam essentia uniuscuiusque rei in indiuisibili consistit, & idcircò nullam latitudinem admittit, ac ob id nequit magis, & minus suscipere; nam ut aliàs aduerti, hoc formæ conuenit, quam suscipere magis, & minus aliud non est, quàm ipsam habere latitudinem quandam; hæc autem latitudo nil aliud, quàm magnitudo formæ; at formæ magnitudo duplex est, una secundum quam plures subiecti partes informat, diciturque magnitudo extensionis, proueniens ex latitudine quantitatiua formæ: altera verò est, ratione cuius forma ipsa maior, aut minor est in se ipsa & in eadem subiecti parte, & dicitur magnitudo intensionis ortum ducens ex graduali latitudine formæ. At verò formæ gradus in duplici discrimine est, alius enim quidditativus dicitur, secundum quem esse rerum in indiuisibili consistit, eòquòd per additionem, vel subtractionem huiusmodi gradus, mutatur species, cùm nil aliud sit, quàm ipsamet specifica differentia, quæ indiuisibili modo speciem constituit; ut propterea Stagirites rerum essentias se habere veluti numeros affirmaret; quoniam numero additâ, vel subtractâ unitate, statim essentialiter mutatur; altera autem est gradus perfectionis indiuidualis, quæ formæ quædam est realitas suâpte naturâ postulans copulari cum alia realitate eiusdem formæ ad integram formam complendam, sic, vel sic intensam. Vide igitur rectiùs dici magis tale ad entitatem formæ, quàm ad essentiam respicere.

Dissertatione 16. Sect. septima.

Formam suscipere magis, & minus in quo consistat.

Tertia difficultas. Amplius. Quantitas magis, & minus perficitur secundum esse quantitatis; ergo quantitas magis, & minus suscipit; consequentia est nota; antecedens redditur manifestum ex eo quia, quantitas continua permanens, ut linea habet esse perfectius in linea quadripalmari, quàm in bipalmari; sic de quantitate continua successiua; perfectius enim esse habet huiusmodi quantitas in anno, quàm in mense &c. Quod extendi potest ad minus propriè dictam quantitatem, tam permanentem, quàm successiuam nam numerus secundum rationem suam habet esse perfectius in quaternario, quàm in binario &c.

Solutio. Respondendum, quantitatem non magis, nec minus perfici secundum suum esse; & ad probationem dicendum quantitatem continuam permanentem puta lineam, non magis perfici secundum intensionem, siuè intensiuè in linea quadripalmari, quàm in bipalmari; benè tamen secundum extensionem, siue extensiuè; hinc propterea non rectè deducitur, quantitatem suscipere magis, & minus, cùm hoc ad intensionem, non ad extensionem pertineat.

Quarta difficultas. Præterea. Inæquale suscipit magis, & minus; sed inæquale pertinet ad quantitatem; ergo quantitas suscipiet magis, & minus: maior probatur, eò quòd aliquid dicitur magis, vel minus inæquale alterius comparatione, ut linea quadripalmaris, est magis inæqualis respectu bipalmaris, quàm tripalmaris.

Solutio. Respondendum, nos passim hisce vocibus *magis & minus* abuti, ut in præsentia; nam unum non est dicendum magis inæquale, quàm alterum respectu tertij; sed potius, è duobus, quod est maius, maiorem habere rationem ad idem, quàm habeat minus; itaut maioris, maior quàm minoris, sit recessus ab æqualitate cum tertio. *Nam inæqualium magnitudinum*

Digitized by Google

maior ad eandem, maiorem rationem habet, quàm minor: & eadem ad minorem; maiorem rationem habet, quàm ad maiorem. Et quoniam Philosophus hoc attributum inesse quantitati demonstrabat, quia nullum quantum, respectu alterius dicitur magis, aut minus quantum, quod per singula discurrenti notum esse supponit; quæ verò magis, & minus suscipiunt, cũ his aduerbijs prædicantur; ob id concludendum quantitati haud consentaneũ esse, magis, & minus suscipere.

Quinta difficultas

Aduersus hanc autem doctrinam, simulque rationem, quidam sic obijciunt. In rarefactione, & condensatione ceræ, eius quantitas, acquirit magis, & minus, ipsaque cera dicitur in rarefactione magis extensa: in condensatione minus; ergo quantitati conuenit suscipere magis, & minus.

Solutio.

Mirum est, quid aliqui pro huius difficultatis solutione commenti sint; Rectè quidem occurrunt negando primam partem antecedentis, eo quòd suscipere magis, & minus idem est, ac admittere plures, & pauciores partes eiusdem formæ in eadem subiecti parte, ut nos quoque non semel monuimus. At quod addunt de rarefactione, & condensatione parum arridet, cùm in illis dicant nec produci, nec destrui nouas quantitatis partes; sed easdem amplius dilatari, vel contrahi; non enim hoc modo rarefactio, & condensatio fiunt, cùm raritas potius eueniat interceptione plurimi inanis, occasione cuius materiæ partes prius adunatæ, à se inuicem distrahuntur, corpusque tanto rarius fit, quanto plura, ampliorave spatiola inania fuerint intercepta. Contra verò densitas exclusione eiusdem inanis, cuius occasione materiæ partes prius distractæ, adunentur; corpusque tanto euadat densius, quantò pauciora, minorave spatiola eadem extiterint. De his tamen in Physicis. Appositè autem negant secundam partem antecedentis, nempè ceram dici cum aduerbijs *magis & minus* propriè acceptis; sed impropriè, pro eo videlicet, quod est majus, vel minus.

Rarefactionis, & condensationis modus.

Cæterùm hoc attributum non quarto, sed secundo modo est quantitatis proprium, nam conuenit omni quantitati, sed non soli, cum substantiæ pariter competat.

Tertia quantitatis proprietas.

Tertia quantitatis affectio ea est, quam Aristoteles explicuit dicens. Ἴδιον δὲ μάλιστα τῶ ποσοῦ, τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι. *Sed maximè proprium quanti dici æquale, & inæquale.* Docet igitur esse maximè proprium quantitatis secundum eam æquale, vel inæquale dici; quod non sic intelligendum, quasi quantitatis affectio sit æqualitas, vel inæqualitas, prout conuenientiæ, vel discrepantiæ respectus duorum, in quantitate præseferunt; sed quatenus quantitates æquales, vel inæquales esse possunt, quod in eorum gratiam animaduertisse iuvat, qui respectus huiusmodi, tanquam reipsâ distinctos à fundamentis suis agnoscunt, quæ de re nobis paulò post ineunda erit disputatio.

Ita quidem linea æqualis est, vel inæqualis alteri lineæ; superficies superficiei, & corpus corpori. Insuper, & tempus æquale, aut inæquale dicitur alteri tempori. Hoc idem attributum ad quantitatem minus propriè sumptam, discretam scilicet transfertur; unde numerus, numero æqualis, aut inæqualis dici potest; hoc tamen sic intelligendum, ut veræ quantitatis attributa, discretæ quantitati conueniant, ad eum modum, quo illi rationem quantitatis dictum fuit, scilicet analogos conuenire.

Huius porrò affectionis causa ex eo petenda, quoniam æqualitas, & inæqualitas attenditur penès carentiam excessus, & penès ipsum excessum; utrumque autem rationem supponit mensuræ, hæc verò propriè sumpta extensionem, seu extrapositionem veram partium vel in ordine ad locum, vel in ordine ad tempus consequitur, prout quantitas continua fuerit permanens, vel successiua, ut ob id æqualitas, & inæqualitas sit quantitatis proprietas.

Prima difficultas.

Hæc tamen proprietas difficultatibus pluribus urgeri potest; unde sic arguo. Quod est unius proprium, nequit alteri conuenire; atq; adeo quod est proprium relationis, nequit esse proprium quantitatis; at æquale, & inæquale esse proprium relationis, voces ipsæ declarant; æquale nanque necessariò alteri æquale est, sic de inæquali; ergo æquale & inæquale non erit quantitatis proprium.

Solutio.

Nihil tamen ineptius obijci potest; quanuis enim æquale, & inæquale sumpta formaliter ad relationem pertinere dici possint; fundamentaliter tamen accepta ad quantitatem spectare dicenda sunt. Vides igitur non rectè concludi superiori, quam attulimus, argumentatione, proprietatem hanc alteri à quantitate conuenire.

Secunda difficultas

Hoc idem conantur ostendere instituendo argumentationem pro substantia, hoc nimirum pacto; Species rerum naturâ constantium, sunt substantiæ; sed his conuenit æquale, & inæquale; hoc igitur attributum substantiæ pariter accommodatum erit; quod si ita est, maximè proprium quantitatis dici non debet æquale, & inæquale esse. Speciebus autem rerum naturâ constantium æqualitatem, & inæqualitatem competere, disertè nos docuit Philosophus dicendo, species rerum esse veluti numeros, quibus cùm æqualitas, & inæqualitas conueniat; nec esse pariter est, speciebus commemoratis æqualitatem, & inæqualitatem accommodatam esse.

Solutio.

Fit satis respondendo æqualitatem, & inæqualitatem primò, ac per se quantitati molis conuenire; secundariò autem quantitati virtutis, quam cùm rerum essentiæ sibi assumant; consequens fit, ut ipsis quoque conueniat æqualitas, & inæqualitas. At virtutis quantitas ratione perfectionis speciebus inest, ut enim in ipsis maior, vel minor potest esse perfectio; sic huius ratione rerum essentiæ quantitatem inducere dicuntur.

Tertia difficultas

Vlterius, quibus conuenit magnum, & parvum, conuenit etiam æquale, & inæquale; sed alijs à quantitate conuenit magnum, & parvum; ergo alijs à quantitate conuenit æquale, & inæquale; non igitur hoc est attributum maximè proprium quantitatis; maior inde perspicua, propterea quòd æquale dicitur quasi per negationem maioris, & minoris; minor itidem clara, quoniam substantiæ, & qualitati conuenit æquale, & inæquale; de substantia patet ex paulo antea dictis, cùm substantiæ dicantur æquales, & inæquales perfectione; de qualitate pariter; tum quia qualitates dicuntur æquales, vel inæquales perfectione; tum quia dicuntur æquales, vel inæquales intensionis gradu.

Solutio.

Responsio ex dictis splendidè constat; nam æquale, & inæquale, primariò conuenit quantitati; cæteris autem rebus per analogiam ad ipsam; itaut alijs à quantitate conueniat æquale, & inæquale, quatenus aliquo modo induunt quantitatis naturam; vel ratione perfectionis, quæ virtualis quantitas dici consueuit; vel ratione intensionis; quæ aliquo modo quantitatis particeps existimatur.

Quarta difficultas

Præterea, cui non conuenit magis, & minus, nec etiam æquale, & inæquale potest conuenire; propterea quòd esse æquale, & inæquale in eo videtur consistere, ut unum magis, quàm aliud, vel magis, vel minus formam quandam participet; de quantitate porrò haud licet enunciare magis, & minus, cùm hoc sit eius attributum; proindè æquale, & inæquale non erit quan-

quantitatis proprietas.

Respondendum non in eo consistere æquale, & inæquale esse; sed potius in hoc, quod tantundem, vel plus extensionis participet, vel in ordine ad spatium, si quantitas continua est permanens; vel in ordine ad tempus imaginarium, si quantitas continua fuerit successiua. Hoc etiam quantitati discretæ potest aptari; nam numeri dicuntur æquales, vel inæquales: enimverò æquales dicuntur, quatenus unus tot unitatibus, quot alius, & inæquales, quatenus unus pluribus vel paucioribus, quàm alius constat, unitatibus. Superioribus tribus quãtitatis proprietatibus, alię tres addi solent, ut omnes sint numero sex; nempè *Non habere contrarium. Non suscipere magis, & minus. Per quantitatem dici æquale, & inæquale. Posse diuidi in partes integrantes. Posse mensurare, & mensurari. Esse finitum, & infinitum.* His addi solet impenetrabilitas &c. Affectiones hę proprijssimè continuę quãtitati conueniunt, minus propriè quantitati discretę, ut superiùs innuimus.

Diuisibilitas autem in partes integrantes adeo propria existimatur quantitatis affectio; ut per hanc illa soleat explicari. Duplex autem assignari consueuit diuisibilitas in partes integrantes, quarum una solam distinctionem partium entitatiuam, unà cum separabilitate unius ab alia importat; hæc autem non ita conuenit quantitati, ut alteri ab ea conuenire non possit; siquidem, & substantię, & alijs à quantitate materialibus, atque corporeis accidentibus accommodata est. Altera est diuisibilitas in partes integrantes, quâ pars una ab alia, corporeo nimirùm instrumento separante partem unam ab alia, distinguitur; & hoc existimatur attributum quantitatis proprium. Si nanque substantia quantitate destitueretur, haud posset huiusmodi diuisionem subire; propterea quòd instrumentum cum ipsa substantia penetratum, eodem existeret in loco cum ipsa; proindeque nulla partium separatio contingeret. At quando substantia induta est quantitate; pars eius quanta cogitur alteri quanto locum cedere, videlicet instrumento corporeo locum eius occupanti, beneficio impulsûs quem illi agens impertitur. Quòd si hoc idem substantię, & cęteris à quantitate corporeis accidentibus conuenit; id per accidens est, cum ijs merito quãtitatis eueniat. Hęc quantitatiua diuisibilitas appellari consueuit, ad differentiam alterius diuisibilitatis, quam entitatiuam vocant. Eadem est proprijssima quantitatis affectio; utpotè conueniens omni continuę quantitati, soli, & semper; omni profectò, cùm nulla sit huiusmodi quantitas, cui hęc non conueniat affectio; quamuis ex accidenti, plerumque nequeat ad actum reduci. Suoque modo etiam discretę est accommodata, quatenus quod factum est unum per intellectum, aptum per eundem est in partes diuidi. Conuenit etiam soli quantitati, ut ex proximè dictis perspicuum est. Conuenit semper, propterea quòd nunquam ad talem statum quantitas redigi potest, quin hoc diuisibilitatis genus ipsam comitetur; est enim in infinitum diuisibilis; nec potest in indiuisibilia resolui.

Alia erat quantitatis proprietas finitam, & infinitam esse. finita est magnitudo, quę diuidi non potest, nisi in partes eiusdem mensurę certo, determinatoque numero comprehensas; quemadmodum finita multitudo, quę tot, & non pluribus unitatibus constat. Quantitas autem infinita duobus modis potest intelligi; *vel itaut* infinita sit actu, quę si continua fuerit, sic explicari solet; nempè quod tanta sit actu, ut maior eâ dari non possit. Vel quod tot actu partes æquales habeat certę determinateque mensurę, ut alias habere non possit. Si autem discreta fuerit, cuiusmodi est multitudo; tunc infinita dicetur, quando tanta erit, ut maxima dici possit; vel quando tot habeat unitates, ut alias habere nequeat. Alia est quantitas potestate tantùm infinita, quę siue continua, siue discreta sit, indefinita dici potest. Continua siquidem nullum habet prefixum terminum diuisionis per partes proportionales, quemadmodum numerus in infinitum potest augeri; per additionem unitatum, ex continui diuisione resultantium. Adnotandum autem quid differat inter utrumque genus quantitatis, quod videlicet continua quantitas per diuisionem in partes proportionales infinita dicitur, quatenus diuidendo licet in infinitum abire; quod discretę quantitati non conuenit cum in diuisione ipsius ad unitates deueniatur; sed infinita dicitur; quoniam quęcumque data multitudo ex continui diuisione orta, potest in infinitum augeri. Hoc idem etiam continuę quantitati consentaneum est, quatenus ei potest in infinitum additio fieri; itaut duplici nomine infinita dici potestate valeat.

Potentia infinitum quid medium inter simpliciter finitum & simpliciter infinitum.

Ex his cuique manifestum redditur, hoc infiniti genus, medium quid esse inter simpliciter finitum, & simpliciter infinitum. Multitudo simpliciter finita est, quę tot unitatibus constat; & non pluribus. Simpliciter infinita multitudo dicenda, quę tot continet unitates, ut plures continere non possit; adeout dici valeat multitudo maxima, quâ proinde maior dari nequeat, cui conuenit intrinsecùs infinitatem attingere. Sed multitudo infinita duntaxàt potestate perhibetur illa, de qua dicere tantummodò licet, non tot sunt eius unitates, quin plures esse possint; solùmque ei conuenit extrinsecùs infinitatem attingere.

Infinitum potentia ad hoc prædicamentum spectat.

Vt summa autem est difficultas de existentia infiniti in actu; ita nulla est de existentia infiniti in potentia. Infinitum igitur potestate satis euidens quantitati conuenire; non sic autem infinitum in actu, de quo ita sentiendum, ut si daretur ad hoc idem genus pertineret, ad quod potestate infinitum spectat. Ratio autem suppetit non inefica x, quoniam scilicet finitas, & infinitas modi sunt, & quidem intrinseci, quibus rei natura cuius sunt modi, nullam variationem subit.

Difficultas.

Difficultas tamen insurgit, quoniam attributa quędam sunt quantitatis, quę cum infinitate videntur cohærere minimè posse; cuiusmodi sunt secundum quantitatem dici æquale, vel inæquale, posse esse mensuram tam actiuam, quam passiuam; non igitur videtur infinitas quantitati competere, cum eius destruat naturam.

Solutio.

Respondendum huiusmodi attributa non esse quantitatis simpliciter, sed finitę; proindèque difficultatem corruere.

Si autem conferantur linea finita, & infinita inter se, iure dicentur eiusdem speciei. Tametsi nanque infinita linea diceretur quidpiam infinitum in certo genere, nimirum quantitatis; non tamen absolutè in genere entis; nam quanuis infinita quantitas; non ob id infinitum ens, cum ex summo inferiori, non sequatur summum in superiori, nisi inferius sit nobilissimum sub illo superiori contentum; ut non sequitur est perfectissima musca; ergo perfectissimum animal; benè tamen est perfectissimus homo; ergo perfectissimum animal. Ratio autem inde sumitur; quoniam homo est animalium omnium perfectissimum; cum autem nihil sit sub ente, pręter primum ens; quod perfectissimum dici possit; idcirco nihil pręter primum ens dici potest ens perfectissimum; unde non sequitur est infinita quantitas; ergo infinitum ens.

Explicatur mensurę ratio.

Erat etiam quantitatis affectio ratio mensurę tam acti-

actiuę, quàm passiuę, hęc autem sumenda pro aptitudine, quâ quantitas, vel potest mensurari, vel mensurare; quod intelligendum de quantitatibus eiusdem generis; linea enim mensurat lineam, & vicissim mensuratur à linea: sic de superficie, & corpore; sic etiam de tempore. *Est autem mensura, quantitas nota, præsidio cuius alia quantitas nobis innotescit.* Et ideo quãtitates eiusdem generis ita se habẽt, ut possint se mutuò dimetiri; nam una vel est æqualis alij, vel inæqualis; si fuerit æqualis erit mensura per superpositionem; si autem inæqualis, & quidem minor, per repetitionem; at si fuerit maior, totum id fiet per maiorem accessum ad illam, vel per minorem recessum ab eadem. Re tamen verâ mensura debet esse minor; & quidem minima; de ratione siquidem mensurę est, ut sit notior mensurato; propterea quòd ducit in cognitionem ipsius; nam mensurari unum per aliud, est quantitatem unius cognosci per quantitatem alterius; deindè debet esse certa, & infallibilis, utrumque autem minimę quantitati congruit; est enim notior, quoniam & sensus, & intellectus faciliùs illam assequitur; est etiam & certior, atque determinatior; propterea quòd in quantitate magna, longè magis latet modicum quidpiam additum, vel subtractum, quàm in quantitate minoris unde quanto minor erit, tanto certior, atque determinatior est mensura; ob id omnes accipiunt id pro mẽsura, quod primò inuenitur tale, ut ab eo nequeat aliquid auferri, vel addi, quod sensum lateat; existimantes certò se rei quantitatem cognoscere, quando ipsam per huiusmodi minimam mensuram percipiũt. Propterea dicunt, mensuram esse aliquid indiuisibile, vel simpliciter, ut unitas in numero; vel quoad nos, cuiusmodi est minimum, quod ob allatam causam indiuisibile dici potest, quatenus scilicet incrementum, vel decrementum illi factum, latere cognoscentem non potest; quamobrem si simpliciter indiuisibile non est; illud saltem imitatur.

Quid mẽsura.

Mensura debet esse minima; & quomodo id intelligendum.

Hæc tamen accuratiùs, atque copiosiùs alibi sunt à nobis tractanda, ubi multa de mensura, deque spectantibus ad ipsam, nostrâ contemplatione persequemur.

In Dissertationibus Metaphysicis.

Hucusq; tamen disputata velim accipias tanquam dimanantia à Peripatetico fonte, cum alioquin multa se se hìc consideranda offerrent, in quibus non leues difficultates discutiendæ occurrunt. E quibus unam vel alteram obiter attingemus, reliquis omissis, velut illis, de quibus in naturali Philosophia inunda nobis est consideratio.

Liceat igitur mihi Physici personam assumere, ut nonnulla de continuo, deque diuisibilitate ipsius in medium afferre valeam; quod commodiùs præstare non possum, quàm initiò quidem adnotando, de his veterem opinionem, quæ diù in hominum animis insederat, sic esse vetustate collapsam, ut nec datum sit illam aliquo modò fulcire; propterea quòd naturæ sagaciores interpretes, partim diligentiâ, partim progrediente ætate, multa sunt consecuti; quorum perceptione decernere tandem potuerunt, nihil reuerâ continuum esse, præter atomum, quæ nil aliud, quàm corpus exile adeo, ut cuiusque sensus aciem effugiat; præter hæc autem corpuscula, si quidpiam continuum dicitur, certè non nisi, quatenus partes copulatas, cohærentes, indivulsas inter se habet, nullusque sensus existit, qui, tametsi illæ tantummodò contiguæ inter se sint, earum comissuras discernere possit; adeo nimirum, ut continua quantitas in eo à multitudine, seu discreta quantitate secernatur, quòd partes illius separari quidem possint, separatæ tamen non sint: partes verò huius sint actu, siue reipsâ separatæ, quod non eò dicunt, ut putent multitudinis partes non posse se mutuò tangere; cùm hoc passim usu venire soleat; lapides enim multi in uno acceruo se mutuò contingunt; sed quòd non credant sic se habere, ut non sese mutuò apprehendant, coarctent, proprijsque flexibus, hamulisve detineant. Secundũ hanc continui usurpationem, si non lapidum accervus, saltem pilorum in panno scilicet eximiè contexto, quidpiam continuum euadit, quanuis pili mutuò solùm sese contingant; proindèque contigui sint. Non absimili modo lutum continuum quidpiam existimatur, cum tamen mixtum quoddam tantummodò dici possit ex granulis terreis, & aqueis se mutuò tangentibus; quæ propterea non nisi contigua sunt. Sic, exceptis atomis, reliqua omnia se habent corpora; quæ tum demum continuitatem amittunt, quando calor, vel aliqua alia vis partes eorum à contactu mutuo, arctoque dimouet; non enim aliâ ratione continuitas eorum abrumpitur. Quæ itaque iuxta vulgi sententiam continua sunt, non aliam à prædicta, continuitatem habent; quæ potius contiguitas est appellanda. Si quæratur autem continuum aliquod, ita ut nullâ ratione ex contiguis constet; solùm naturæ minimum, sola atomus poterit assignari, de qua forsan intelligendum aureum Democriti dictum apud Aristotelem. Ἀδύνατον γὰρ εἶναι φησὶν ἐκ δύο ἓν, ἢ ἐξ ἑνὸς δύο ποιῆσαι. τὰ γὰρ μεγέθη τὰ ἄτομα, τὰς οὐσίας ποιεῖ: *Impossibile enim, ait, esse ex duobus unum, aut ex uno duo fieri: magnitudines nanque indiuisibiles, substantias facit.* Vbi indiuisibilium magnitudinum nomine, insectilia corpuscula intelligit, quibus naturam in suis moliendis operibus uti, Sapiens ille, iure meritoque credebat. At verò nec ex uno duo, nec ex duobus unum, posse fieri existimabat, eo quòd neque una atomus sectilis est, adeout ex una duæ possint emergere; nec duæ ita se habent inuicem, ut communi termino copulatæ possint unum continuitatis unitate constituere, ad eum modum quo atomus ipsa continua dicitur; quin potius ex illis duabus contiguum quidpiam efflorescit; quod autem Stagirites in præsentia continuum ita consideret, ut partes ipsius communi termino copulari decernat; nihil est. Nam fortassis eò mente tendebat, ut inuaueret physicè sic rem intelligendam esse; nullas videlicet assignabiles esse partes, quæ non inter se copulentur intermediâ quâpiam, aut sensibili, ut in magnitudine trium palmorum, duo extremi palmi cum medio; aut insensibili, ut in magnitudine duorum palmorum ipsi duo palmi cum interiacente particula, quæ sensum omnem effugiat. Alioquin si per terminum communem intelligendum velit, indiuisibile mathematicum, cuiusmodi punctum in linea; & linea in superficie; & superficies in corpore, quæ vulgò creduntur; adeout lineæ partes puncto, partes superficiei lineâ, partes corporis lineâ, aut superficie, dici debeant copulari; physicè non concedendum, cùm hæc inania figmenta sint, ut opportuno loco demonstrabo.

7. Metaph. phys. cap. 13. text.

De continuo, & eius diuisibilitate quædam ex Physicis deliban-tur.

Ex his intelliges, quantum physicè non esse diuisibile in infinitum, instituta nanque diuisio, tunc demum absoluta reddetur, cùm ad insectilia corpuscula deuentum fuerit: Vnde Epicuro continuum physicè non erat diuisibile in infinitum, sed ad indiuisibilia, non mathematica, sed physica, ut nuper dicebam, ex eius opinione, deueniendum.

Quant physicè nõ sit diuisibile in infinitum.

His autem sic se habentibus, non facile explicatu, quo nam pacto quanti attributum possit esse physica diuisibilitas. Rectè quidem intelligitur, illi nihil esse contrarium, etsi quantitas reipsâ dicatur à materia non distingui; insuper non suscipere magis, & minus; imò hoc illi tunc maximè conueniet. Amplius secundum

Quid cendum de diuisibilitate

cundum quantitatem æquale, & inæquale dici; illique conuenire rationem mensuræ, tam actiuæ, quàm passiuæ; esse finitum, & infinitum &c. at diuisibilitas physica, ei, quod seuerè continuum est, cuiusmodi est atomus, repugnabit: ut superiùs dicebam. Vnde fit, ut minimum non indigeat nexu, quo eius partes physicè copulentur; hic enim agnoscendus tantummodò inter ea, quæ sic unita sunt, ut separari possint; at repugnante separatione, repugnabit etiam, & ille nexus: ut propterea fatendum sit, ab aliquibus rectè fuisse explosa illa indiuisibilia mathematica, tanquam impossibilia, solùmque retenta, tanquam ea, quæ intellectus apprehendit. Cum enim reuerâ, detur quantum, longum, latum, & profundum. Intellectus, apprehendendo duntaxàt longitudinem, cæteris dimensionibus non apprehensis, habet lineam; sic de superficie, de punctis. Quid verò de quantitate continua successiua dicendum, opportuniori loco dabitur disserendi occasio.

DISSERTATIO XVIII.

De Qualitate.

ABsoluto de quantitate tractatu, proximum est, ut in contemplatione qualitatis noster sese labor exerceat; hoc enim modo videbimur Philosophum imitati, qui tametsi in Dialectica contrarium ordinem quæcunque sit causa, tenuerit; in diuina tamen Philosophia, rem exquisitius, ac diligentius edisserens; à consideratione quantitatis explicandam qualitatem assumpsit; itaut primò de substantia, deindè verò de quantitate: mox de qualitate disputationem instituerit, eâ forsan ratione ductus, quoniam hæc omnia suum habent esse absolutum, quæ autem supersunt, in respectu quodam consistunt. At verò nemo tam rudis, tamque parum in erudito puluere versatus, cui non planè constet, absolutum, naturæ doctrinæque ordine præstare iis, quæ ad aliud quomodocumque sunt. Ineunda nunc igitur nobis de qualitate tractatio, in qua forsitan, utpotè non parum à vulgari sententia recedentes, videbimur nimis audacter philosophati; ab ijs tamen veniam speramus, qui veritatem unicam præ oculis habendam non immeritò putant, ut ea nimirum, quæ de uniuerso hoc genere sentimus, accuratè, subtiliterque persequi valeamus. Primò itaque vulgatam de qualitate doctrinam pro viribus enucleare tentabo; subinde verò, quod propiùs mihi videtur ad veritatem accedere, quam breuissimè subijciam.

Tractationis ordo.

Absoluta naturæ doctrinæque ordine præire debent ijs, quæ sunt ad aliud.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Qualitas?

Qualitatis nomen primùm à Tullio inuentum. Lib. 1. Academ. quæstionum.

QValitatis nomen primò quidem in latinum sermonem Tullius inuexit, dicens, qualitates appellari, quas ποιότητας, *piotitas* Græci vocant, subdens apud Græcos non esse vulgi verbum, sed Philosophorum. Huius autem verbi primum usum à Tullio recognoscendum in latino sermone, inditio sunt ea, quæ paulo post ipse subdit, dicens. *Sed subiectam putant omnibus fine ulla specie, atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum, & tritius) materiam quandam &c.*

Qualitas quadrifariam accipitur.

Ex communi Peripateticorum sententia, qualitas quatrifariam accipitur. Primò latâ quâdam significatione sumitur, videlicet pro omni forma actuante, vel afficiente; vel rem constituente; iuxta quam acceptionem asserebat Philosophus secundas substantias in quale de primis dici, quod hunc reddit sensum, nempè secundas substantias esse veluti primarum qualitates, hoc est ad modum qualitatis de prima substantia dici. Imo & alibi de qualitate disputans, talem eius acceptionem assignat, ut secundùm ipsam essentiales, atq; substantiales differentiæ, qualitates dicantur; unde Porphyrius etiam asserebat differentiam de pluribus in quale quid prædicari. Certum est autè hoc modo sumptam qualitatem non esse illam, quæ hoc prædicamentum constituit; propterea quòd sic accepta per omnia rerum genera vagatur, itaut à quibusdam rectè prædicamentum transcendens appellatum fuerit. Secundo qualitatis nomen sumitur minus amplâ significatione, pro sola, ac omni accidentaria forma circumstante, siue afficiente subiectum, iuxta quam acceptionem accidens in quale prædicari dicitur. Nec etiam hoc sensu qualitas in præsentia sumitur, cùm qualitatis nomen sic acceptum omnibus accidentibus conueniat, siue sint absoluta, siue respectiua, quo sensu Porphyrius dicere solebat, accidens omne in quale prædicari. Tertiò longe pressius qualitas usurpatur, aut pro solis sensibilibus qualitatibus, aut pro ijs, inter quas est contrarietas motûs, quem subiectum subit. Ita quidem calor, & frigus, humiditas, & siccitas; unde solet assignari alteratio ad qualitatem terminata, non tamen ad qualitates omnes sed ad sensibiles tantùm, quæ ad substantiæ generationem, corruptionemque disponunt. Huc etiam qualitates pertinent secundum bonitatem, & malitiam; penès quas benè, vel malè agunt, aut patiuntur ea, quę mouentur. Neque hæc est qualitatis acceptio iuxta quam debeat qualitas hoc prædicamentum constituere. Quartò qualitatis nomen est in præsentia sumendum ad significandum certum quoddam genus entis, accidentariæq; formæ ab alijs omnibus prædicamentis distinctum, adæquatè complectens omne id, quod in alijs prædicamentis non reperitur, illudque sit, quo nos quales dicimur, iuxta quam significationem qualitatis nomen Aristoteles in præsentia sumpsit, dum qualitatem describendo dixit esse formam illam accidentalem, quâ nos quales denominamur. Huius autem descriptionis redditur sensus, ut per particulam *quales* excludantur, primò quidem differentia essentialis; per quam aliquid dicitur quale quid; deinde accidentia reliqua, à quibus subiectum haud propriè quale, sed quantum, vel relatum, vel modo quopiam alio denominatur. Nihil autem refert, Porphyrium dixisse omne accidens in quale prædicari, nam *quale* non pressâ, ut hìc accipitur, sed latâ quâdam acceptione sumpsit, quatenus nimirum in quale prædicari, secernitur à modo prædicandi essentiali, & quidditatiuo.

Qualitas quomodo accepta sit huius

Qualitas igitur sic accepta, supremum huius est categoriæ genus, cuius naturam explicatam definitione reddere, proculdubio non facile. Si Stagiritem attendas, expositam ab eo non aliâ ratione fuisse comperies,

prædicamenti summum genus.

periès, quàm dicendo. Ποιότητα δὲ λέγω, καθ' ἣν ποιοί τινες τὶ λέγονται. *Qualitatem autem voco, ex qua quales nominamur; seu ex qua aliqui dicuntur esse quales.* Conantur quidam tueri definitionem hanc quidditatiuam, & essentialem esse. Neminem tamen sanæ mentis præterit, oleum, & operam ipsos perdidisse; tametsi nanque per effectum formalem; proindèque per aliquid nonnihil notius, commemorata descriptio tradita sit, magis est enim obuium quale, quàm qualitas, omneque formæ concretum, quàm abstractum, ut quantum, quàm quantitas; non subinde tamen inferendum, orationem illam esse definitionem essentialem: cùm potius descriptio censeri debeat: non magni tamen facienda, cùm per ipsam nonnisi confusè qualitatis essentia explicetur; quemadmodum confusè quantitatis explicaretur essentia, dicendo illam esse formam, à qua denominamur quanti; & licet formalis effectus, per quem definitur, sit ipsâ notior; adhuc tamen notitia per huiusmodi effectum habita, confusa est, ut idcirco definitio minimè dici mereatur.

Qualitatis definitis ab Aristotele tradita non definitio, sed descriptio, & quidem subobscura dicenda. Ratione id suadetur.

Quorundam responsio præoccupatur simulque retunditur.

Neque contendas bonam esse censendam definitionem, eò quòd detur per effectum formalem, quem subiecto confert, quemadmodum permittitur definiri quancunque formam accidentariæ naturæ; siquidem à reliquis accidentibus substantia denominatur quanta, relata, agens, patiens &c. à qualitate autem simpliciter qualis denominatur. Non inquam id dicas, nam omnes hæ descriptiones accidentium eodem vitio confusionis laborant, quo qualitatis descriptio; siquidem per nimis generalia traduntur; neque mens hisce descriptionibus adiuta, potest prædictorum accidentium naturam introspicere. Nec propterea Philosophus redarguendus; quoniam orationem illam, *qualitas est, ex qua aliqui dicuntur quales*, non tanquam definitionem venditat; sed potius tradit veluti terminum complexum magis exprimentem id, quod qualitatis nomine significatur. Nec etiam eo nomine accusandus quòd circulum committat, initio scilicet definiendo qualitatem per quale, postmodum verò quale vicissim per qualitatem; nam descriptio, qualiscunque illa sit, qualitatis, datur per quale, tanquam per aliquid notius nobis, sed quale definitur per qualitatem, veluti per aliquid naturâ notius; at verò circulus propriè non est, nisi quando unum definitur per aliud, quo aliud definitur per ipsum, quod in præsenti minimè contingit. Sed regressus est. Nec ex eo quòd qualitas definitur, *à qua quales denominamur*, sequitur in definitione, seu potius descriptione adhiberi id, quod describitur; nam quod assumitur describendum, qualitas est; & per illa verba *à qua quales denominamur*, circumloquimur effectum ipsius, unde descriptio per effectum contexta censeri debet.

6. Topic. cap. 3.

Non igitur improbanda penitus descriptio, definitionis loco tradita; nam rectè Philosophus admonet, definitiones, alias quidem tradi per priora, & notiora naturâ; alias per notiora, & priora nobis. Οὐ γὰρ ταὐτὰ ἡμῖν τε γνώριμα, καὶ ἁπλῶς. *Non enim eadem* sunt *& nobis nota, & simpliciter.* Vt punctum censetur notius lineâ, & linea plano, seu superficie, & planum solido, seu corpore; ut unum est notius numero, & elementum, ut litera, est notius syllabâ; siquidem unum est principium numeri, & litera syllabæ. Vnde fit, ut unum sit simpliciter prius naturâ, & notius numero, & litera syllaba. Sed priora, & notiora nobis contrario modo se habent. Solidum enim, siue corpus, est nobis notius, quàm superficies, & superficies est notior quàm linea, & hæc notior, quàm punctum. Nam quod solidum est, magis sub sensum cadit, quàm quod planum est: & quod est planum, magis quàm linea, & linea, quàm punctum. Si quis igitur, iuxta vulgatam doctrinam in his ita philosophetur, ut definiens lineam dicat esse quantitatem continuam ortam ex ductu, fluxue puncti, tradet definitionem per priora, & notiora naturâ. Quantitas enim, est genus, ductus verò puncti est differentia. At si definiat punctum dicendo, punctum esse extremum lineæ, punctum definiet per prius, & notius nobis. Vtroque modo ex Philosophi sententia definire licet; hoc tamen discrimine, quòd priori modo melius, & exactiùs definimus, quando propriè & subtiliter ad consumatos artifices loquimur; posteriori autem melius definimus, cum ad tyrones, vel ad rudiores homines sermonem habemus, quod probè factum Philosophus inculcat, dicens. *Simpliciter igitur melius per priora, posteriora tentare cognoscere: nam magis scientificum tale est. Verùm ad eos, qui impotentes sunt cognoscere per talia, necessarium fortè per ea, quæ illis cognita sunt, facere orationem.* Manifestum autem, qualitatem esse priorem, & notiorem naturâ; quale verò prius & notius nobis. Cùm igitur hîc ad tyrones habeatur sermo, non iniurià qualitas per quale, utpotè per notius illis ab Aristotele definita fuit. Sed quale notius esse nobis, ex eo palam, quòd ad cognoscendam qualitatem, ducimur ab eius effectu, nimirum quale, velut illo, quod magis sub sensum cadit; non enim sensus qualitatem, sed quale potius attingit. 6. Topic. cap. 1.

Varia hac de re interpretum placita referre supervacaneam puto; nam tametsi non semper, plerunque tamen, ut in præsentia, hanc prouinciam suscipere, labor est, ex quo nihil fructùs percipitur; idque conanti, non ineptè illud obijcies Ἄνεμος γεωργοῖς *Ventos colis*, quamobrem varijs interpretum dicendi modis prætermissis quid rationabilius videatur, paucis complectar.

Quando differentia essentialis inter, ad proprietatem confugiendum,

Illud mihi quidem est exploratum, quando in elaboranda rei alicuius definitione, non occurrit essentialis differentia; loco illius, adhibendam præcipuam proprietatem; ob id in præsentia nobis confugiendum ad unam ex affectionibus quantitatis, ad illam videlicet, quæ maximè eius est propria; cuiusmodi est suscipere magis & minus; huius enim usu, definitionem optatam assequemur; quæ si reuerâ definitio non fuerit, saltem erit descriptio complexionem omnium numerorum habens; quandoquidem, haud meliùs vel accommodatiùs licet rem aliquam describere, ut Dialecticis notũ, quàm in describendo, rei proprietatem adhibere, cuius naturam explicatam reddere conamur. Hoc fert misera nostra mortalitatis conditio; cùm enim rerum ultimæ differentiæ nos lateant; cogimur, ad proprietates confugere. Maximè autem qualitatis proprium est intendi, & remitti, proindeque suscipere magis & minus; hæc enim soli conuenit qualitati, ut paulo post dicturi sumus; conuenit enim omni, quia nulla est qualitas, quæ sit intensionis, & remissionis incapax; conuenit semper; proinde affectio est maximè idonea, quæ loco differentiæ adhibeatur. Vnde est ut qualitatis definitio siue descriptio talis esse possit. *Qualitas est accidens absolutivum capax intensionis, & remissionis;* Hinc propterea dici potest, qualitatem esse accidens absolutum, ratione cuius subiectum eius potest intendi, & remitti. Hoc autem modo, cùm optimè distinguatur qualitas à quocunque alio accidente; propterea non inconsultò dicetur qualitatem probè sic definitam fuisse.

Qualitatis germana descriptio.

Si quæ verò difficultas posset adduci, nullius laboris erit illam diluere; eoque magis, quia non definitionem, sed descriptionem tantummodo nos attulisse pro-

Si qua difficultas superest, facile ea

profiteamur, ut propterea seueris definiendi legibus soluti esse velimus.

SECTIO SECVNDA.

Traditur qualitatis diuisio.

Qualitas multifariã dicitur.

RECTÈ Philosophus dicebat. Ἔστι δὲ ἡ ποιότης τῶν πλειοναχῶς λεγομένων. *Qualitas autem in eorum numero est, quæ multifariam dicuntur.* Nam reuerâ qualitatis nomen, unius non est notionis, sed pluribus accommodari potest; eius porrò diuisio, quæcunque sit, siue uniuoci in sua uniuocata; siue æquiuoci in æquiuocata; de hoc in præsentia non sum sollicitus, sed postea sermo de re eadem redibit, quadrimembris perhibetur; & quidem Philosophus videtur ad id respexisse; nimirum, ut essentia, formalisque ratio qualitatis sit esse id, quo substantia afficitur, disponitur, & ut barbarè dicam, qualificatur; ut ob id qualitas, modus quidam substantiæ sit appellata, quasi Philosophus ita ratiocinatus sit; quemadmodum essentia, & ratio formalis quantitatis est esse id, quo substantia fit quanta, & extensa; & essentia relationis est esse id, quo substantia refertur ad aliud; sic ratio formalis qualitatis est esse id, quo substantia afficitur, disponitur &c. Et ut interroganti, cur substantia est tanta, siue extensa, respondetur quia quantitatem habet; & interroganti cur substantia referatur ad aliud, respõdetur, quoniam habet relationem: sic pariter interroganti, cur substantia sit talis, vel qualis, puta calida, aut frigida, alba aut nigra &c. rectè occurritur respondendo, quia habet qualitatem; & ut ex diuerso modo extendendi substantiam, licet colligere diuersas qualitatis species; sic ex diuerso modo afficiendi, modificandi, seu qualificandi substantiam, liceat colligere species qualitatis, numerumque specierum.

Sufficientia diuisionis qualitatis.

Substantia autem considerari potest, quoad suum esse, & ita modificatur, ut benè, aut malè se habeat. Hinc autem sequitur ut benè, aut malè operetur; cum res unaquæque agat sicuti est, & propter hoc dici solet, ponendam esse primam speciem qualitatis, quæ est habitus, & dispositio, quæ disponunt, modificant substantiam. Tum in se ipsa, ut benè, aut malè sit, atque se habeat; quo pacto qui sanitatem habet, benè dicitur se habere, & qui ægritudinem habet, malè se habere dici solet ut constat. Tum etiam, ut res benè, aut malè operetur, cùm omnis habitus sit propter operationem; ita quidem sanus benè agit: æger autem malè; ut ob id Aristoteli habitus videretur dispositio secundum quam benè, vel malè disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud. Hinc igitur prima qualitatis species, habitus & dispositio colligitur.

§. Diuin Spac.

de Cœlo lect. 18.

Et quoniam unaquæque substantia, aliquo debet esse prædita operandi principio, cùm unumquodque sit propter suam operationem; alioquin frustra esset; hoc operandi principium est secunda species qualitatis, appellata naturalis potentia, & impotentia. Hæc autem species quomodo à prima distinguatur, infra dicetur.

Et quia omnis substantia tum in suo esse qualificata; tum vi, atque principio agendi prædita, operatur; operatio autem terminum habet; hinc terminus tertia qualitatis est species, nimirum passio, & patibilis qualitas; ita quidem ignis calorem, verecundia ruborem progignit.

Tandem substantia, ut agat, debet esse hæc, & certo, ac determinatâ quantitate prædita; hinc quarta species qualitatis, forma, & figura, quæ sunt idem re, & numero quoad essentiam; ratione tamen differunt bifariam, ut paulo infra dicetur.

Probè autem superiori modo collectum fuisse numerum specierum qualitatis; ex eo mihi fit cuidens, quoniam ex conditionibus qualitati magis internis, & in eadem specie longè manifestiùs repugnantibus procedat, ut alterius cuiusque modi vitia declineti ad quod assequendum à qualitatis descriptione, qualiscunque illa sit, initium duxit. Cùm enim dictum fuerit, qualitatis naturam in eo positam esse, ut sit modus, perfectio, & complementum substantiæ, tam in essendo, quàm in operando; necesse est substantiæ qualitatem omnem aduenire, aut propter eius esse; aut propter operationem; si propter operationem, aut aduenit ut principium, aut ut eius terminus; si deinde ut principium (quo nomine intelligendum proximum, cùm remotum substantia sit) aut est primum, & ut plurimum ab ipsa natura insitum, aut secundum & extrinsecùs aduenies, seu acquisitum; si naturâ insitum secundam speciem, scilicet naturalem potentiam, & impotentiam constituit. Si ab extrinseco prouenies, constituit primam speciem præsertim ex parte quo ad habitum. Si autem qualitas substantiæ aduenit propter eius esse complendum, perficiendum; vel est terminus habito respectu ad eiusdem substantiale esse specificum, & est forma; vel habito respectu ad eius extensionem præcisè, & est figura. Si autem aduenit propter operationem, sed ut eius terminus, habetur tertia species, scilicet passio, & patibilis qualitas. Superior igitur colligendi ratio est, quæ Peripateticis melioris notæ probatur; eò quòd ex conditionibus, qualitati maximè internis, videlicet ordinari adesse, vel ad operationem, procedat.

Comendatur superior colligendi ratio.

Obiectio.

Fortasse quispiam superiorem colligendi rationem improbabit velut innixam definitioni qualitatis, parum idoneæ; sed iam fuit adnotatum, illam non tam definitionem, quàm descriptionem existimandam, quæ quodammodò qualitatis naturam explicat; nam etsi omne accidens prædicetur in quale de subiecto, cùm non prædicetur in quid, ac ob id secundum omne accidens, subiectum dicatur quale; id tamen intelligendum uniuersè, non autem speciatim, prout conuenit qualitati, quæ non ut cætera accidentia denominat, quale; nam reliquorum quodlibet alium habet proprium, peculiaremque denominandi modum; sed qualitas non alium; & quanuis essentialis differentia denominet quale; cùm tamen non sit qualitas; unde haud benè videatur descripta qualitas; re tamen verâ, differentia essentialis, puta, rationalitas, non tam denominat quale, quàm quale quid. Et licet etiam proprietas, iuxta veriorem sententiam, non sit qualitas, & tamen denominat quale; unde homo denominatur risibilis; nihilominus se habet ad modum qualitatis; de quo in sequentibus multa dicemus.

Solutio.

Circa superiorem tamen rationem colligendi numerum specierum qualitatis, posset aliquis obijcere nonnullas difficultates, quibus non operosum ex antea traditis, occurrere. Aristoteles autem qualitatem, seu combinationes partitus est; sic, ut primam expresserit dicens. Ἓν μὲν οὖν εἶδος ποιότητος, ἕξις ἢ διάθεσις λεγόμενον. *Vna igitur species qualitatis habitus, & affectio nuncupetur:* Vbi obseruandum ab Aristotele hoc primum diuisionis membrum appellari speciem, ab eo siquidem dicitur εἶδος; hoc est species; utcunque tamen vocetur, manifestum satis, esse combinationem in habitum & dispositionem, itaut per habitum intelligatur qualitas subiectum disponens ad operandum, vel patiendum extrinsecùs illi prouenies,

Prima species qualitatis & combinatio est habitus, & dispositio.

niens, quæ tamen à subiecto non nisi cum difficultate possit remoueri, hoc undecunque proueniat. Per dispositionem autem intelligatur qualitas omnis extrinsecùs aduenies subiecto, ad operandum vel patiendum, ita tamen, ut ab eo facilè remoueri possit, hoc undecunque originem ducat, siue ex defectu frequentationis actuum, siue ex modica tenacitate subiecti. Hoc planè ad Aristotelis mentem, apud quem habitus ab affectione differt, quoniam est res diuturnior & permanentior; cuiusmodi sunt scientiæ & virtutes; enimuerò & scientia videtur in ijs esse, quæ sunt diuturna & difficulter amouentur, etsi quis vel mediocriter scientiam adeptus fuerit: nisi magna mutatio fiat à morbo, vel aliquo alio huiusmodi. Sic etiam virtus, ut iustitia, & temperantia, & id genus cetera, non videtur facilè ammoueri, aut mutari posse. Affectiones autem dicuntur, quæ facile moueri possunt, & citò mutantur, ut calor, & frigus, nec non morbus, & sanitas, & alia huiusmodi; quandoquidem his homo est aliquo modo affectus: sed citò mutatur, dum ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinem incidit; quod de cæteris affectionibus intelligendum. Nisi harum aliqua, diuturnitate temporis, quasi naturalis euaserit, & tolli nequeat sit, vel difficillimè amoueri queat; quam utpotè iam habitum, effectam, non immeritò habitum licet appellare. Reddit causam Stagirites dicendo perspicuum esse, hæc debere habitus vocari, quæ sunt diuturniora, ac difficiliùs amouentur; *nam* inquit, *qui scientiarum dogmata non admodum tenent, sed facilè dimoueri possunt, eos non aiunt, habere habitum, quanquam affecti sunt aliquo modo secundum scientiam, vel deteriùs, vel meliùs*. His porrò splendidè traditis, tandem differentiam inter habitum, & affectionem, seu dispositionem, paucis perstringens ait, *ὅτι διαφέρει ἕξις διαθέσεως. τῷ τὴν μὲν, διαμονητικὴν εἶναι. τὴν δὲ, πολυχρονιωτέραν τε καὶ δυσκινητοτέραν. Quamobrem differt habitus ab affectione; quia hæc facilè amoueri potest, ille est diuturnior, nec facilè mutatur.* Subdit mox docens habitus esse etiam affectiones: at contra non necessariò affectiones esse habitus; quoniam qui habent habitus, sunt etiam ij aliquo modo affecti: qui verò affecti sunt, non omnino etiam habitum habent.

Aristot. cap. de Qualitate.

Differentia inter habitum, & dispositionem.

Hic autem tria se considerauda offerunt. Primum ne dum qualitates ordinatas ad agendum, sed etiam ad patiendum esse, quæ ad hanc combinationem pertinent. Secundum non innatas, & ex naturali constitutione subiecto debitas, ad hanc pertinere combinationem, cùm potius ad secundam speciem spectent, sed extrinsecùs tantùm aduenientes, illas esse, quas hęc combinatio complectitur. Tertium est etiam illud obseruatione dignum, non solùm qualitates illas, quę extrinsecùs aduenientes subiecto afferunt maiorem, vel minorem facilitatem operandi, ut sunt omnes habitus naturæ viribus acquisiti; sed etiam, quæ dant simpliciter agere, ut calor in lapide, itemque species intelligibilis, quæ tametsi inde non habeat intellectus, ut in suo ordine possit operari, ea est, quâ indiget, tanquam concausâ ad operandum, hoc est ad producendam intellectionem. Non absimili modo habitus supra naturæ ordinem, qui non conferunt facilitatem, hoc est faciliter operari, sed simpliciter operari posse. Quod autem de actione, de perpessione itidem intelligendum, si de dispositione, sermo fiat.

Tria considerauda proponuntur.

Huius combinationis membra non essentiali, sed accidentariâ differentiâ tantummodo distinguuntur; itaut utrique membro, communis sit ratio qualitatis, extrinsecùs aduenientis, ordinantis, ac præparantis subiectum ad operandum, siue agendum, vel patiendum; & hoc bifariam, vel ad facilè, aut difficilè; vel ad simpliciter agendum, atque patiendum, quæ clarius ex infra dicendis constabunt. Vnde habitus est qualitas firmiter adhærens subiecto, siue id proueniat ex actuum frequentatione, ut in habitibus acquisitis contingit; siue diuturnitate temporis, unde habeat qualitas, ut altiùs radices in subiecto egerit, quemadmodum in febre contingit, quæ alioquin initiò leuiter subiecto adhærens, longinquitate temporis sic illud inuadit, ut ex eo nequeat euelli; sine ex præcipua quadam subiecti conditione, quod scilicet ob sui tenacitatem, haud facilè, imo summa cum difficultate formam sibi communicatam, ab aliquo seiungi permittit. Ita quidem species, ac imagines rerum in intellectu receptæ, habitus rationem habere dicuntur, ut non immeritò ijs indutus intellectus à Philosopho nuncupetur in habitu, dum ait. *Ὅταν δ' οὕτως ἔχων γένηται, ὡς ὄντως λέγεται, ἤδη κατ' ἐνέργειαν. τοῦτο δὲ συμβαίνει, ὅταν δύνηται ἐνεργεῖν ἐξ αὑτοῦ. Cum autem sic singula factus est, ut sciens dicitur, qui secundum actum; hoc autem tum accidit, cum potest operari per se ipsum.*

talis differentia distinguitur.

Habitus quid.

3. de Anim. text. 6.

Dispositio verò est qualitas facilè mobilis à subiecto, siue id proueniat ex defectu frequentationis actuum; siue ex breuitate temporis, ut in febre ephemera contingit; siue ex quadam conditione subiecti destituti tenacitate illâ, merito cuius qualitas eadem subiecto firmiter adhæret. Eadem igitur qualitatis natura, iuxta duplicem modum afficiendi subiectum, est habitus, & dispositio. Ex quo licet colligere superiorem qualitatis diuisionem non esse veluti generis in species; sed potius alicuius communis in suos, quibus afficitur, modos; adeo nimirum, ut quatuor sint combinationes penès diuersos modos, desumptos ex totidem respectibus ad subiectum. Quòd autem species non differant, satis euidens; quoniam eadem species qualitas in aliquo subiecto dicitur habitus, *in alio* autem dispositio; imò in eodem subiecto, qualitas eadem modò habitus, modò dispositio; quæ nanque dispositio erat, si in subiecto magis inualescat, habitus appellatur; ut de febre nuper dicebatur; quod etiam de scientia perspicuum est, quæ quidem in tyronibus dispositio dici solet, in proiectis habitus nuncupatur. Quamobrem habitus, & dispositio differunt tantùm ratione maioris, vel minoris perfectionis; vel si mauis penès perfectum, & imperfectum, quæ differre specie non faciunt.

Dispositio quid.

Ad hanc autem qualitatis speciem omnes pertinent qualitates, quæ subiectum suum aliquo modo præparant; atque disponunt ad operandum, vel patiendum, siue corporeæ, siue spiritales sint; unde habitus dici potest eo nomine dispositio, quòd ad operandum disponit; ac proindè ad hanc speciem omnes habitus reuocantur, tam corporis, quàm animæ ex actibus comparati; quemadmodum species omnes impressę tam sensibiles, quàm intelligibiles; quanuis enim hæ rationem habitus propriè non obtineant, sunt tamen habitui, quammaximè quidem affines, quatenus per ipsas excitamur, & ad operationis exercitium disponimur. Quæ dicta intelligas iuxta communem philosophandi rationem; alioquin doctrina multis est implicata dubitationibus, quas postea Sectione quarta, veritatis gratia, proferemus in medium; ut inde liceat colligere, quid rationi magis consentaneum, de his dicere debeamus. Interim illud certum, ex antiquitus traditis multa temporis decursu, & accuratâ meditatione fuisse detecta, penitùs à recto veritatis tramite detorta, ut propterea sit operæ pretium paulo diligentiùs in eorum perquisitionem incumbere.

Quæ qualitates ad hanc speciem reuocantur.

At quoniam Stagirites dicebat, è speciebus qualitatis

Prima difficultas.

Hæc combinationis membra, solùm accidentariâ differentiâ distinguuntur.

Digitized by Google

tatis unam habitum, atque dispositionem esse, de hoc est, cur dubitetur; non enim videntur eiusdem esse speciei, cùm non eundem habeant essendi modum; unius enim speciei, unus est modus essendi. Sed habitum, & dispositionem non eundem habere modum essendi, itaut diuersitas sit essentialis, omninò inficiandum; vel ut sit accidentalis, & hoc utique concedendum; nam reuerâ inter habitum, atque dispositionem aliquid accidentarium interest, non secùs ac inter magis, & minus qualitatem intensam; eiusdem enim naturæ sunt, solùmque ex accidenti differunt.

In eo etiam aliquid difficultatis, quoniam habitus est unum prædicamentum ab alijs distinctum; non igitur qualitatis est species, cùm prædicamentum unũ nequeat esse species alterius, alioquin prædicamenta permiscerentur. Nihilominus rectè quidem habitus species qualitatis censetur, sumptus tamen prout in præsentia sumendus. Trifariam enim habitus accipitur. Primò ut opponitur priuationi, quemadmodum visus cęcitati aduersatur, quo pacto quælibet forma sibi priuationem habens oppositam, siue substantialis, siue accidentalis dicitur habitus. Secundò pro denominatione, quâ res aliquid habere dicitur, quod ad eius constitutionem non pertinet; nec forma est illi intrinsecùs inhęrens, sed instar formæ se habet. Sic homo dicitur habere vestes, arma, ornamenta; dicitur vestitus, armatus, ornatus &c. Tertiò sumitur prout est qualitas sui naturâ perfectè disponens subiectum ad operandum; qui in duplici esse discrimine perhibetur; itaut unus dicatur animæ, alter autem corporis, primum dicunt habere sedem in anima, ut sunt scientiæ, & artes; secundum in corpore; vel uniuerso, ut sunt sanitas, & ægritudo; vel in parte, ut habitus pulsandi in manu, & saltandi in pedibus; & rursus prędictos habitus ad animam spectantes diuidunt in eos, qui proprijs naturæ viribus acquiruntur, quique acquisiti nuncupantur, & qui extrinsecùs à Deo in animam infunduntur. Acquisitos verò dicunt in duplici esse discrimine; cùm quidam in intellectu, quidam autem in voluntate sedem habeant. Et rursus alias diuisiones instituunt, quas hic nostra non interest considerare. Ad difficultatem redeo, cuius enodatio facilè ex proximè dictis elici potest; habitus enim prout ad hanc spectat categoriam, longè diuersus est ab eo, qui prædicamentum à reliquis distinctum constituit. Ille nanque est iuxta secundam acceptionem; hic verò, de quo in præsentia fit sermo, iuxta tertiam; quatenus est accidentalis forma, non ingenita subiecto à natura, sed proprijs operationibus, labore, studioque acquisita; quæ si firmiter subiecto adhæret, dicitur habitus; sin autem, dispositio; hæc enim debili nexum cum subiecto iungitur suo.

Amplius illud occurrit, quòd definitio habitûs videtur alteri à definito conuenire; nam alicuius rei proprietas, ut risibilitas respectu hominis, qualitas difficilè mobilis à subiecto perhibetur: & nihilominus nequit habitus appellari; ineptè propterea dicebatur habitus, qualitas difficilè mobilis à subiecto. Sunt qui concedunt proprietates rerum ad qualitatis genus pertinere. Sed aliàs monuimus eas non esse dicendas qualitates seuerè qualitatis nomine sumpto, cùm potius qualitates dicantur, quatenus præbent denominationem per modum qualis, & qualitatibus propriè sumptis proportione respondent.

Vrgent etiam, & alij sic arguendo. Diuersa nomina, diuersas formas important, cum in impositione nominis forma debeat attendi; sed habitus, & dispositio sunt nomina diuersa; ergo diuersas formas denotabunt, non igitur una erunt qualitatis species. Nihil tamen sic arguendo conficiunt; non enim diuersa nomina semper diuersas formas, sed quandoque diuersos eiusdem formæ modos, significant, ut in re, de qua agitur; nam huiusmodi nomina habitûs, & dispositio, etsi formam eandem, eiusdem tamen modos diuersos important: quatenus habitus nomen, significat qualitatem non ingenitam à natura subiecto, sed ab hoc proprijs operationibus acquisitam, firmiter tamen inhærentem: nomen verò dispositionis eandem qualitatem, prout tamen ab ipso subiecto facilè mobile significat. Solutio.

Sed hic difficultas insurgit, propterea quòd naturalis inclinatio intellectûs dispositio dicitur; & nihilominus haud facilè potest à subiecto remoueri; perperàm igitur dicebatur dispositio, qualitas facilè mobilis à subiecto, cui inest. Huius difficultatis solutio ab alijs tradita silentio prætereunda, velut insufficiens; eò vel maximè quòd ex nuper explicatis quid respondendum, cuique perspectum esse possit; nam naturalis illa intellectûs propensio, & inclinatio ad scientias, dispositio dicitur, non eo tamen sensu, quo hic dispositionis nomen usurpatur; enimverò innata est animæ intellectrici huiusmodi propensio, neque hanc illa proprijs actibus, ac operationibus assequitur; quod ad hanc, de qua loquimur, qualitatem requiri non semel adnotatum fuit. Quinta difficultas. Solutio.

Prætereà non lęuis dubitandi occasio, siquidem opinio verè habitus est, & nihilominus haud facilè mobilis ex proprijs principijs, proindèque nec essentialiter, est; immeritò igitur habitus difficilè mobilis à subiecto dicebatur. Opinionem verò non esse difficilè mobilem ex proprijs principijs ex eo palam; quoniam innititur syllogismo probabili, qui non ad eum modum, quo demonstrativus, intellectum conuincit; Scientia igitur si sui naturâ difficile potest à subiecto remoueri, quoniam demonstratione tanquam causâ, principioque fulcitur; necesse est opinionem ob contrariam rationem esse essentialiter talem, ut à subiecto facilè possit remoueri. Neganda tamen est minor, ad cuius probationem dicendum, opinionem inniti syllogismo probabili, non conuincenti intellectum de certitudinis euidentia: conuincenti tamen de euidentia probabilitatis, unde habet opinio, ut non sit facilè mobilis à subiecto. Hoc igitur modo probationis antecedente distincto difficultati fit satis. Sexta difficultas. Solutio.

Insuper vitia veri sunt habitus, nec tamen facilè à subiecto possunt remoueri; non igitur habitus ille dicendus, qui difficilè est mobilis à subiecto. Minorem propositionem sic licebit ostendere. Ideo virtus non potest facilè à subiecto remoueri, quoniam bono honesto, rationique consono innititur; ex aduerso igitur, quod non innititur bono honesto, atque consono, sed potius dissono, facilè poterit à subiecto remoueri; huiusmodi autem est vitium; vitia igitur facilè à subiecto remoueri poterunt. Neganda est minor, & ad probationem respondendum hâc adhibitâ distinctione; si virtus ideo difficilè mobilis dicatur, quoniam innititur bono honesto præcisè, neganda est propositio, quæ ultrò concedenda si ideo dicatur difficilè mobilis, quoniam innititur bono honesto; quatenus motiuo firmo, & immobili ex sui naturâ. Ad minorem autem dico vitium non inniti bono rationi dissono prout præcisè huiusmodi, sed ut delectabili & prout motiuo firmo, & immobili comparatione, respectuve corruptæ, vitiatæque naturæ. Septima difficultas. Solutio.

Nec dispositio difficultate caret, ipsa nanque Aristoteli est, *ordo partes habentis*; at ordo partium ad quantitatis, aut situs prædicamentum pertinet; proinde dispositio, species nequit esse qualitatis. 5. Diuin. cap. 19.

Solutio.

Ad hanc difficultatem soluendam, memoriâ repete, paulo antea dicta de habitu, & hunc amplius aduerte, vel Aristotelis testimonio, multifariam dici, cum à verbo *habere* deriuetur, cuius non una est significatio, ut propterea is aliquando ecto habendi modos recensuerit. Hinc dispositio non unius notionis est, propterea quòd ordo, quem ipsa significat, aut est secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum formam; ut idem quoque Philosophus adnotauit; non mirum igitur, si habitus prædicamentum proprium constituat, & simul etiam in prædicamento qualitatis locum obtineat; id enim iuxta diuersam acceptionem contingit. Hoc idem de dispositione dicendum; nam hæc verè est ordo partes habentis; sed non unus est partes habendi modus, cùm alius sit ratione loci, quo pacto ad prædicamentum situs, aut ratione formæ, siue figuræ ad prædicamentum quantitatis, sub ratione mensuræ, & mensurabilis, aut ratione potentiæ, & virtutis ad prædicamentum qualitatis pertinet.

5. Diuin. Cap. 20. in post prædi.

5. Diuis. Cap. 29.

Dubitatio circa Aristotelis verba.

Circa Philosophi verba difficultas occurrit, siquidem ait. Εἰσὶ δὲ αἱ μὲν ἕξεις, καὶ διαθέσεις· αἱ δὲ διαθέσεις οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἕξεις. οἱμὲν γὰρ ἕξεις ἔχοντες, καὶ διάκεινταί πως κατ' αὐτὰς οἱ δὲ διακείμενοι, οὐ πάντως καὶ ἕξιν ἔχουσιν. *At verò habitus* sunt *etiam affectiones*, contra *verò affectiones non necessariò* sunt *habitus; nam qui habent habitus*, sunt *etiam ijs aliquo modo affecti: qui verò affecti sunt, non omninò etiam habitum habent.* Videtur igitur sibi penitùs inconstans; nam paulo antea distinxerat habitum, ab affectione, siue dispositione; modò autem ait, habitum esse dispositionem. Latinorum interpretum responsio in eo posita, quòd habitus duobus modis contingit, vel itaut aliquam, vel nullam dispositionem præsupponat; cùm itaque Philosophus ait habitum esse dispositionem, intelligendus locutus de habitu, iuxta primam acceptionem, qui quatenus dispositionem præsupponit, dispositio dicitur. Rectiùs cum Græcis dixeris, illum usurpasse dispositionis nomen, latiori quâdam significatione, scilicet pro qualitate, quæ comprehendit, tam illam, quæ facilè, quàm, quæ difficilè potest à subiecto remoueri; itaut perinde sit, ac si dixisset, habitum pariter subiectum afficere, atque disponere, qui tamen distinguitur à dispositione prestiùs accepta.

Secunda qualitatis species est naturalis potentia, vel impotentia.

Secunda qualitatis species est, quam Philosophus nomine generis appellans, hisce verbis expressit. Ἕτερον δὲ εἶδος ποιότητος, καθ' ὃ φυσικοὺς, ἢ δρομικοὺς; ἢ ὑγιεινοὺς, ἢ νοσώδεις λέγομεν, ἢ ἁπλῶς ὅσα πρὸς δύναμιν φυσικὴν, ἢ ἀδυναμίαν λέγεται. *Alterum genus qualitatis est, ex quo ad pugillatum, cursumve aptos, aut ad sanitatem, morbumve proclines* esse *dicimus, & omninò quæcunque secundum naturalem vim, aut imbecillitatem dicuntur.* Quasi Philosophus dicere velit, secundam speciem qualitatis esse naturalem potentiam, vel impotentiam; at verò naturalem potentiam esse facultatem à natura insitam, quâ quis facilè operari potest; impotentiam verò, quâ quis caret hâc facilitate operandi; Vt, qui ex natura facilem habent currendi, vel pugnandi facultatem, potentes ita dicuntur, & cursores, & pugiles; quare iuxta Philosophi mentem, facultas, quæ per usum, vel artem acquiritur; ad hoc genus non pertinet. Salubres pariter dicuntur, qui naturalem habent potentiam, ut nihil facilè à quibusdam patiantur; contra verò qui facilè patiuntur impotentes, & infalubres nominantur; similiter durum dicitur quod habet naturalem potentiam, ut non facilè secetur; molle, quod impotentiam hanc habet. Itaque numerat secundam qualitatis speciem, quæ naturalem potentiam, & impotentiam comprehendit. Hæc generatim accepta carere vocabulo censetur, nisi ei tribuatur illud, quod apud veteres in usu fuisse accepimus, videlicet. Aptitudo, quam sic definiunt. *Aptitudo est qualitas à natura insita, quâ res agit, vel resistit.* Dicitur *naturalis* ad distinctionem habitus, qui potentia quoque est ad agendum, ut patet in artifice, sed acquisita est, neque concessa à natura. *Naturalis potentia est qualitas insita à natura, quâ facilè unaquæque res agit, aut resistit.* Vt vis luctandi, currendique animalis, & duritiei lapidis, ferri, &c. *Naturalis autem impotentia, est qualitas à naturâ insita, quâ difficilè quæque res agit, aut resistit,* Vt habitudo ingenij, & mollitudo butyri, aut alterius rei similis.

Aristotelis verba perpendit.

Obseruandus Philosophi loquendi modus. οὐ γὰρ πᾶν διακεῖσθαί πως, ἕκαστον τῶν τοιούτων λέγεται, ἀλλὰ τὸ δυσμεν ἔχειν φυσικὴν ἢ ἀδυναμίαν τοῦ ποιεῖσθαί ῥᾳδίως, ἢ μὴ ῥᾳδίως. *Non enim singula hæc dicuntur, quia sint aliquo modo affecta: sed quia naturalem vim aut imbecillitatem habent ad facilè aliquid faciendum, aut nihil patiendum.* Vult igitur non utcunque affectos, sed tales esse debere, quales ipse descripserat, cuiusmodi, ait, pugillares, & cursores dici, non quia sint affecti aliquo modo; sed quoniam naturalem facultatem habent ad aliquid facilè efficiendum. Mox verò subdit, valentes, seu salubri corpore dici, quia naturalem vim habent, ne quid facilè à quibuslibet patiantur. Valetudinarios autem, quia naturalem imbecillitatem habent, ne quid à quibuslibet facilè patiantur. Quibus similia, ait, esse durum, & mole, & ex eius sententia durum dicitur, quia naturalem vim habet, ne facilè secetur. Molle autem: quoniam ad hoc ipsum imbecillitatem habet.

Hactenus dicta diuinius explicantur.

Secunda igitur qualitatis species, ut hucusque dicta clariùs explicem, omnes continet facilitates, vel difficultates naturales ad agendum, vel patiendum. Diuiditur autem in naturalem potentiam, vel impotentiam, quæ sunt qualitates essentialiter inter se distinctæ, nullis operationibus acquisitæ, sed à natura ipsa congenitæ; unde naturalis potentia, quædam est congenita qualitas naturaliter insita, & ex naturali complexione proueniens, per quam subiectum redditur naturaliter potens ad aliquid agendum, vel ad alicui resistendum; Vt potentia, ac promptitudo, quam quis habet ad cursum, ad luctam, ad palestram &c. Itemque durities, quâ durum est naturaliter potens resistere secanti, ne facilè diuidatur. Vtraque igitur est naturalis potentia, una quidem ad agendum; altera verò ad alicui resistendum.

Naturalis autem impotentia est quædam congenita qualitas à naturali complexione proueniens, quâ aliquid difficulter agit, & redditur naturaliter impotens ad agendum, aut alicui resistendum, qualis in aliquibus est quædam desidia, & ineptitudo ad pugillandum, ad saltandum, vel ad aliquid aliud agendum; & qualis est mollities, quâ molle est impotens ad sectioni resistendum.

Aduertio.

Hîc aduertendum occurrit, quod in re proposita multum habet momenti, videlicet per naturalem potentiâ hoc loco intelligi debere qualitates absolutas, facultatesque subiecto innatas, eique ex sua naturali dispositione debitas, ita tamen, ut non solùm illæ qualitates intelligantur, quæ subiecto naturaliter debitæ atque congenitæ, conferunt eidem sic agere, facilè scilicet, vel difficilè, ut Philosophus apertè testatur, sed etiam quæ dant simpliciter agere, ut in igne calor, in aqua frigus &c. Quod sic intelligendum, ut non omnes facultates innatæ, & à natura datæ ad simpliciter agendum in hoc prædicamento locum obtineat,

Non solùm quæ

non

non enim animæ potentiæ nec rerum affectiones ad hanc pertinent categoriam. Sed virtutes tantùm actiuæ, quæ à suis subiectis realiter distinguuntur. At verò habilitates, vel inhabilitates ad utendum huiusmodi facultatibus à natura datis, siue reipsâ distinguantur à subiectis, siue non, ad hanc speciem reuocari possunt. Per naturalem igitur potentiam intelligi qualitas debet innata, quâ, subiectum eâ præditum facilè, vel difficilè, aut simpliciter operatur, ac agit, vel contrario resistit. Per naturalem verò impotentiam, non defectus, & priuatio potentiæ, sed naturalis qualitatis modus intelligendus, ut paulo infra in Solutione quintæ difficultatis dicetur. Neque perturbet, quòd supradictæ qualitates, calor, frigus &c. ad aliam speciem, scilicet ad tertiam, pertinere dicantur; nam hoc ratione diuersâ contingit; quatenus enim sunt agendi principium, ad hanc, & quatenus in sensibus passionem efficiunt, ad tertiam speciem reuocantur.

Amplius id etiam adnotatione dignum, hoc scilicet esse discriminis inter hanc secundam, & primam speciem qualitatis, quòd secunda facilitates naturales, & ingenitas, ad operandum complectitur; prima verò facilitates acquisitas, cuiusmodi sunt habitus, & dispositio; ab utraque igitur specie, cum hoc tamen discrimine, facilitas. In hac autem secunda specie reponunt vires rerum omnium sublunarium, ut plantarum, lapidum, metallorum, & mineralium omniũ; huiusmodi siquidem virtutes censentur reddere ea, quibus insunt, ingenitæque sunt, valida, atque potentia ad aliquid agendum, vel alicui resistendum. Ad hanc itidem speciem cœlorum influentias reuocant.

Nonnullæ tamen difficultates se offerunt; nam primò Philosophum quidam redarguunt, quòd præpostero ordine sit usus, quandoquidem naturalis potentia, vel impotentia, quippè quę naturam sequitur, naturâ prior est habitu, atque dispositione, ob id primò tractanda, cùm tamen Aristoteles primò de habitu, dispositioneque sermonem instituerit. Sed non propterea Philosophus reprehendendus; nam is perfectionis, non generationis ordinem seruandum operę pretium est arbitratus; ordine autem perfectionis habitus, vel dispositio prior est naturali potentiâ, vel impotentiâ, licet ad generationis ordinem, quod attinet, opposito modo se res habeat.

Præterea naturalis potentia, & impotentia essentialiter differunt; non igitur una species qualitatis dici debent, quin potius diuersæ. Non negandum naturalem potentiam, & impotentiam inuicem relatas essentiâ, specieque differre, secùs tamen cum superiori suo, quod circumscribunt, collatas; sic enim acceptæ, speciem unam constituere dici possunt.

Videtur etiam naturalis potentia ad qualitatis genus minimè pertinere, eòquòd ens respectiuum sit, potentia siquidem actum respicit. Nihilominus potentia naturalis non ineptè qualitas dicitur, eòquòd respectus, quem inuoluit, transcendens est, cui propterea non repugnat in illa esse categoria, ad quam pertinet id, cuius naturam ingreditur.

Solet, & illud obijci; quòd materiæ potentia ad formam, naturalis potentia dici debeat, cùm tamen non sit qualitas; non ergo dicendum potentiam naturalem speciem esse qualitatis. Obuia tamen solutio ex paulo antea traditis; non enim hìc sermo est de quacunque naturali potentia; sed de illa nuper à nobis descripta, cuiusmodi non est materiæ potentia ad formam; eatenus enim ipsa dicitur potentia naturalis, quatenus per eam materia alioquin eandem in sua essentia inuoluens, habet, ut suâpte naturâ possit formas recipere; non tamen aliquid operari; at naturalis potentia, de qua in præsentia disseritur, est ad operandum, vel resistendum.

Amplius nulla species qualitatis, sicut in uniuersum nullum ens positivum, cuiusmodi est qualitas, potest in suo esse per priuationem constitui; ineptè igitur naturalis impotentia censetur qualitatis species per priuationem naturalis potentiæ constituta. Quinta difficultas. Solutio. Respondendum haud novum esse differentiam positiuam per priuationem circumscribi; nam per naturalem potentiam intelligitur qualitas innata, quâ, simpliciter, vel facilè subiectum, eâ præditum, agit, vel resistit contrario: per naturalem verò impotentiam non intelligendus defectus, vel priuatio potentiæ; hoc enim modo qualitas non foret; sed intelligi debet qualitatis modus, quatenus nimirum qualitas ipsa principium est, cum difficultate agendi, vel facilitate patiendi, adeout non tam sumi debeat pro facultate debili, ac imbecilli agendi, & resistendi, sed etiam pro qualitate positiuè retardante, & impediente subiectum ab actione. Hoc ex Aristotele planè desumptum, in exemplum enim insalubritatem adducit, quæ subiecto potentiam resistendi contrarijs nullatenus confert, quin potius formaliter præstat oppositum; reddit enim subiectum facile ad perpessionem subeundam à contrario; quemadmodum neque mollities potentia est resistendi diuisioni, neque perfecta, nec imperfecta; sed potius qualitas est positiuè, & facile reddens subiectum, ut diuisionem admittat. Id porrò inter hos duos modos naturalis impotentiæ videtur interesse, quòd si primo modo sumatur, non distinguitur à naturali potentia secundum speciem, & essentiam, cum iuxta hanc acceptionem significet virtutem debilem, ac imbecillem ad agendum, vel resistendum; ubi naturalis potentia validam, fortemque virtutem significat; itaut differant duntaxàt ratione maioris, vel minoris perfectionis sub eadem specie. Si autem secundo sumatur modo, scilicet pro facultate patiendi aliquid facilè, vel retardandi subiectum ab actione, cuiusmodi est in aliquibus naturalis quædam desidia & inertia; vel omninò impediente ab aliqua actione, quo pacto noxius quidam humor in organo alicuius sensus, naturalis dicitur impotentia ad exercitium eiusdem; profectò naturalis impotentia specie, & essentiâ à naturali potentia distinguitur.

SECTIO TERTIA.

Tertia, & quarta qualitatis species explicantur.

Tractatio nis ordo.

COnsideratis primâ, & secunda specie qualitatis, ad tertiam, & quartam tractandas gradum facio.

Tertia species qualitatis à Philosopho describitur dicendo. Τρίτον δὲ γένος ποιότητος, παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη, ἔστι δὲ τοιαῦτα, οἷον γλυκύτης τε καὶ πικρότης καὶ στυφότης, καὶ πάντα τὰ τούτοις συγγενῆ, ἔτι δὲ θερμότης, καὶ ψυχρότης, καὶ λευκότης, καὶ μελανία. Tertium genus qualitatis sunt *passibiles qualitates, & passiones, ut dulcedo, amaror, acerbitas, & quæcunque sunt in eodem genere; item calor, frigus, albor, nigror.* Tertium qualitatis genus proponit, quod interpretes in partem qualitatis, speciemque conuertunt, patibiles qualitates, & passiones; quæ ex eorum sententia plurimùm distant, cùm tamen utraque qualitates sint; utramque prius docet, post verò, quæ eorum distantia esse videatur, ediserit, prius autem hæc exemplis illustrat. Docens enim quid sint patibiles qualitates, ait, ut dulcedo, & amaritudo, calor, & frigus, nigredo & albedo, & alia his cognata. Hæc porrò, quæ superius

Tertia qualitatis species passio, & patibilis qualitas.

Digitized by Google

rius comprehensa sunt, qualitates esse, illâ ratione confirmat, quam disputationis initio ad ostendendam qualitatis naturam, reddiderat, ait enim. Ὅτι μὲν οὖν αὗται ποιότητες εἰσὶ φανερόν. τὰ δὲ δεδεγμένα αὐτὰ λέγεται κατ' ἄλλας οἷον τὸ μέλι, τῷ γλυκύτητα δέχεσθαι, λέγεται γλυκὺ καὶ τὶ σῶμα, λευκὸν, τῷ λευκότητα δέχεσθαι ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἕξεων. *Has igitur esse qualitates perspicuum est, nam quæ eas recipiunt, ab eis dicuntur qualia, ut mel, quia suscipit dulcedinem, dicitur dulce, & corpus* dicitur *album, quia recipit alborem, itidemque in alijs res se habet.* Definitionem qualitatis esse prædixerat, secundum quam res quales dicuntur. Quòd si secundum qualitates, res quales vocantur, ab amaritudine verò, vel à dulcedine, amarum, vel dulce dicitur; à nigredine, atque albedine nigrum, & album; nemo ambiget has esse qualitates, quibus qualitatis conuenit definitio. Enimverò illa semper eiusdem esse naturæ creduntur, quæcunque eiusdem descriptionis finibus terminantur; quocirca si hæ, quas Philosophus patibiles qualitates, vel passiones dixerat, qualitatis definitionem recipiunt, eo quòd, qualia dicuntur, quæ illis affecta fuerint, has quoque constat esse qualitates. Παθητικαὶ δὲ ποιότητες λέγονται, ὑπὸ αὐτὰ τὰ δεδεγμένα τὰς ποιότητας. πεπονθέναι τί. Οὔτε γὰρ τὸ μέλι, τῷ πεπονθέναι τί, λέγεται γλυκύ, οὔτε ὅλως τῶν τοιούτων ἐστίν, ὁμοίως δὲ τούτοις καὶ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν, παθητικαὶ ποιότητες λέγονται, ὑπὸ αὐτὰ τὰ δεδεγμένα πεπονθέναι τι· διὸ καὶ τὰς αἰσθήσεις ἑκάστοις ὑπὸ ἰδίων παθῶν εἶναι ποιητικὰς παθητικαὶ ποιότητες λέγονται. ἥ τε γὰρ γλυκύ τι τὴν γεῦσιν ἐποίησε, καὶ τὸ θερμὸν τὴν ἁφὴν ὁμοίως καὶ τἄλλα. *Patibiles autem qualitates dicuntur, non quòd ipsa* subiecta *qualitates recipientia, quicquam patiantur, nec enim mel, eò quòd aliquid patiatur, dicitur dulce: nec aliud quidpiam tale, similiter calor & frigus, patibiles qualitates dicuntur, non quòd ipsa* subiecta *à quibus recipiuntur, aliquid patiantur: verùm quia in sensibus omnes dictæ qualitates sunt passionis effectrices, idcirco patibiles qualitates dicuntur; nam dulcedo passione quâdam afficit gustum, & calor tactum, & similiter aliæ.* Declarat unde qualitates dicantur patibiles, vel ut alij vertunt, passibiles, ad cuius rei claram notitiam, supponendum, patibile dici à passione, ut satis est manifestum; passionem autem apud Aristotelem quadrifariam usurpari. Primò pro aliqua subiecti proprietate, seu affectione. Secundò pro receptione cuiuscunque formæ in subiecto; sine huiusmodi forma noceat, siue subiecto conducat, quâ significatione Passionis prædicamentum constituitur. Tertiò magis vulgariter pro receptione formæ incommodũ aliquod afferentis, ut qualitatis, quæ dolorem parit, vel abiectionem alterius formæ consentaneę subiecto. Quartò tandem pro qualitate, quæ ex passione secundo modo sumpta prouenit, nomine videlicet causæ effectui eiusdem accommodato, iuxta quam usurpationem Stagirites passionem accepit. Ex passione autem iuxta secundam usurpationem nomen patibilis, etiam in formam, seu qualitatem resultat. In subiectum unico quidem modo, cum patibile solùm denominetur, quia recipere qualitatem potest; at in qualitatem trifariam; & primò, quando qualitas introducitur cum passione ad eum modum, quo calor in aquam, vel in aliud quidpiam inducitur. Secundò quando accidens passionem efficit in subiecto, ut idem calor, dum actionem in manum effundit. Tertiò dicitur accidens patibile, quando ex passione, siue motu oritur, ut candor, nigror, vel alius color ex primatum qualitatum motu, scilicet alteratione, in subiecto enascitur. Docet itaque Philosophus non eádem ratione qualitates appellari patibiles, sed quasdam secundo, quasdam verò tertio modo: nam primò etsi omnes patibiles dici possint, quoniam perpetuo cum passione in subiecto recipiuntur, id tamen peculiare non est qualitatibus, sed commune potius alijs accidentibus. Cùm autem patibilium qualitatum exempla constituisset dulcedinem, & amaritudinem, frigus, atque calorem; albedinem, & nigredinem; ait longè distantes esse rationes, quibus hæc omnia patibiles qualitates appellantur; nam dulcedo, & amaritudo, calor, & frigus, ex eius sententia, patibiles qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ sunt dulcia &c. aliquid extrinsecùs patiantur; non enim mel, quòd aliquid passum sit, dulce est in natura; sed quod ex his, passiones quædam in sensibus dimitantur, quoniam scilicet in his realem motum efficiant; nam tactus, & gustus, cum agunt; hoc est cum sentiunt, realiter alterantur. Quocirca dulcedo, & amaritudo, calor, & frigus, ideo patibiles qualitates appellantur, quoniam secundum sensuum cognitionem in nobis aliquam passionem efficiunt, non autem ex eò, quòd aliquid extrinsecùs patiantur. Dulcedo namque passione quâdam afficit gustum, & calor tactum, & similiter aliæ, sensu iam explicato.

Aristotelis constitua declaratur.

Pergit Aristotiles dicens. Λευκότης δὲ καὶ μελανία, καὶ αἱ ἄλλαι χροιαὶ, οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς εἰρημένοις παθητικαὶ ποιότητες λέγονται, ἀλλ' ὑπὸ αὐτὰς δὲν πάθος γεγονέναι. *Alber verò, & nigror, & ceteri colores, non eodem modo, quo ea quæ dicta sunt, patibiles qualitates dicuntur, sed quia à passionibus producti sunt.* Quoniam autem patibiles qualitates, colores esse dicuntur, ut albedo, & nigredo; non autem eodem modo, quo dulcedo & amaritudo; calor, & frigus; nunc differentiam eorundem exponit. Dulcedo, & amaritudo, non quòd aliquid extrinsecùs paterent ur, sed quòd ipsæ passiones efficerent, patibiles qualitates vocabantur; Albedo verò, & nigredo contrariè; non enim quòd ipsæ aliquas sensibus passiones importent, sed quòd ex alijs quibusdam passionibus innascantur, patibiles qualitates dicuntur; passiones autem à quibus albor, & nigror suum ortum ducunt, sunt illæ, quæ penès qualitates primas, iuxta communem philosophandi viam, exercentur; ut opportuno loco declarare tentabo. Itaque de qualitatibus hoc tantùm absolutè dici potest, eas, quæ in sensu passionem realem efficiunt, ut est dulcedo, & amaritudo, calor, & frigus, dici qualitates patibiles; quia motionem realem efficiunt: quæ verò solam intentionalem, quia motu efficiuntur. Dum autem progreditur, ita loquitur, ut dicat. Ὅτι μὲν οὖν γίνονται διὰ πάθος πολλαὶ μεταβολαὶ χρωμάτων δῆλον. διέχωθεὶς γάρ τις, ἐρυθρὸς ἐγένετο, καὶ φοβηθεὶς, ὠχρὸς, καὶ ἕκαστον τῶν τοιούτων. *Multas igitur propter passionem mutationes colorum fieri, manifestum est, nam pudore affectus, ruber factus est, & pauefactus, pallidus, & cetera huiusmodi.* Omnibus suprà traditis. Declarat quomodo aliæ suprà commemoratæ qualitates, puta colores, patibiles qualitates dicantur, aitque tales, eo nomine appellari, quoniam sunt passionum effectus: unde sic arguit. Colores qui à natura sunt, similes sunt ijs, qui fiunt ex accidenti; sed hi, cuiusmodi sunt, qui proueniunt ex verecundia, & timore, ex aliqua passione fiunt; ergo ferendum iudicium idem de illis etiam, qui à natura fiunt; nimirum hos itidem ex aliqua passione ortum duxisse. Et hunc in modum sternit nobis viam ad naturales causas indagandas, quam ipse calcauit alibi, naturam melancholicorum inquirens, eos enim ebrijs similes obseruat; unde quod his ex accidenti euenit: melancholicis naturâ contingere, decernit. Ex non longi tem-

Aristotelis sententia explicatur.

Sect. 11. Prob. Probl. 1

Patibile unde dicatur. Qualitas patibilis unde dicta. Passio quatuor modis dicitur.

temporis igitur passionibus in præsentia, ad patibiles qualitates, & diutissimè permanentes, acutissimâ consideratione, rationeque progreditur; ostendit enim colorum qualitates ex passionibus nasci; quia cùm verecundia passio quedam sit, ex ea rubor exoritur, cumque timor loco passionis habeatur, ab eo pallor metuentis vultum, ac ora defigit. Quoniam igitur hi colores ex quadam passione videntur innasci, etiam in naturali colore, eâdem verisimile est euenisse ratione; ut enim cùm ex verecundia in os omnis sanguis egreditur, & veluti delictum tecturus effunditur: ita pariter ex sanguinis, in apertum effusione fit rubor. Si igitur hoc ex naturali passione contigerit, naturali rubore perfundi faciem oportet. De pallore quoque non absimili modo ratiocinandum. Pallor enim euenit quoties à facie sanguis ad præcordiorum interiora regreditur; quod si ex naturali passione oriatur; verisimile est eodem colore faciem infectum iri. Quamobrem siue per ægritudinem pallor fiat, quod naturale non est; siue per aliquem naturalem passionis euentum accidat, cæteraque ad eundem modum, qualitates patibiles dicuntur.

Quæ igitur in coloribus sunt, eam ob causam patibiles qualitates dicuntur, non quòd ipsæ aliquid patiantur, sed quod ex aliquibus passionibus, in cuiusque corpus proueniunt.

Dum ulteriùs pergit, quoddam nos docet signum, quo perspecto cognoscere possimus, quas harum omnium, quæ supra commemoratæ sunt qualitates, appellari oporteat. Sententia porrò hæc est. Si ita vel casu aliquo, vel naturâ hæ qualitates euenerint, ut earum fit tardus exitus, & permutatio difficilis, qualitates vocantur. Vt si quis, vel per ægritudinem, vel per naturam pallidus fiat, & in eius corpore, diu pallor ipse permaneat, pallor ille qualitas dicetur; sic de nigredine, alijsque coloribus; Adeo ut in uniuersum, quæcunque talia symptomata principium sumpserunt ab aliquibus passionibus, quæ non facilè amoueri possunt, sed permanent, patibiles qualitates dicantur; siue enim ex naturali rei constitutione pallor, aut nigror eueniat: qualitates dicuntur; reddit autem rationem dicens, ποιοὶ γὰρ κ' τούτους λεγόμεθα. *Quales enim ex eis appellamur:* siue ob longum morbum, aut æstum eidem accidat, pallor, vel nigror, nec facilè emendentur, aut per vitam uniuersam permaneant; qualitates hæ pariter dicuntur, ob eandem causam, quia ex eis quales appellamur. Quæcunque autem ab ijs fiunt, quæ facilè dissolvuntur, neque diu possunt persistere, citòque corriguntur, πάθη λέγεται, ποιότητες δ' οὔ: *passiones nominantur, non qualitates*; ob contrariam rationem, quia scilicet ab eis quales quidam non dicuntur; non enim erubescens, quia pudefit, ruber dicitur: neque pallescens quia timet, pallidus: ἀλλὰ μᾶλλον πεπονθέναι τί. *Sed potius* dicitur *aliquid passus esse.* Quamobrem, quæ huiusmodi sunt ὥστε πάθη μὲν τὰ τοιαῦτα λέγεται, ποιότητες δ' οὔ. *passiones quidem dicuntur, non tamen qualitates.* Hoc idem de ijs, quæ ad animam spectant iudicium esse ferendum ait, adeo ut eâdem ratione vel patibiles qualitates, vel passiones dicantur. Nam quæcunque in ipso ortu, statim à quibusdam passionibus, quæ non facilè possunt amoueri, effecta sunt; qualitates dici debent, ut amentia, & ira, & id genus alia, nam ab his quales, videlicet iracundi, & amentes dicuntur.

Hactenus dicta summatim exponam.

Affectiones igitur illæ (ut hactenus tradita summatim exponam) quæ ex aliquibus passionibus gignuntur, ita tamen, ut in subiecto immutabiliter permaneant, patibiles qualitates dicuntur. Nempè si ita vel casu aliquo, vel naturâ illæ quidem euenerint, ut earum sit tardus exitus, ac permutatio difficilis, qualitates dicuntur. Hoc planè accidit, quando quis per ægritudinem, vel naturam pallidus fiat, & in eius corpore pallor ille persistat; pallor enim tunc qualitas dici debet, eòquòd subiecto firmius inhærens, quale, hoc est pallidum illud denominat. Quod non solum locum obtinet in ijs, quæ ad corpus, sed in ijs etiam, quæ ad animum pertinent. Ita cùm quis vel naturâ, vel casu, commessationibus assiduis indulget, & hoc quodammodo in ipsa mentis dissolutione permaneat, ut inde haud facilè dimoueri possit, qualitas in eo patibilis effecta dici debet; eo quòd secundum ipsam ille dicitur qualis. Quemadmodum igitur niger ille, cui pertinax nigror inhæret: sic, & commessator, quem perpetua commessandi voluptas afflictat. His probè declaratis, ad affectiones alias progreditur explicandas, quæ ita sunt in subiectis, ut citò prætereant, quas proindè non qualitates, sed passiones appellandas decernit, eo quòd ab ipsis aliquis non qualis, sed aliquid passus dici soleat. Vt si quis propter verecundiam erubescat, non propterea rubeus, sed aliquid passus nimirum erubuisse potius, quàm rubeus dicitur, eo quòd rubor non permaneat, nec firmiter inhæreat subiecto suo; hinc propterea huiusmodi rubor, qualitas dici non meretur, cùm ea sit qualitatis indoles, ut quale denominat; qualitas enim est, à qua dicimur quales. Quod autem de rubore dixi, pallori potest accommodari; ut cùm quis ex timore sic afficitur, ut ei pallor efflorescat in vultu. Eadem autem est in animi affectibus ratio; Si quis enim ad momentum iracscatur, non idcircò iracundus vocandus, sed aliquid passus dicendus. Benè tamen si tale vitium in alicuius animo constanter inhæserit, quod euenit, quando quis vel per naturam, vel per ægritudinem sit corpore læsus, itaut vel perpetuam dementiam, vel immobilem iracundiam incurrat; tunc enim ille vel demens, vel iracundus dicetur. Et in uniuersum, quæcunque alienationes, seu aliæ amentiæ, non naturales. Sic enim legendum, nam ait, ὁμοίως δὲ καὶ ὅσαι ἄλλαι ἐκστάσεις μὴ φυσικαί. *Similiter autem quæcunque aliæ sunt amentiæ non naturales.* Sed quibusdam alijs casibus effectæ, itaut non facilè mutari, aut nullo modo amoueri possint: qualitates vocantur, quia quales, ab ijs dicuntur. Quæ verò ab ijs fiunt, quæ facilè, & citò corriguntur, non qualitates, sed passiones appellantur.

Passiones quæ.

Hîc tamen non præteribo, quod notatione dignum pleriſque non obscuri nominis visum est, nempè tertiam hanc speciem qualitatis constitui per comparationem qualitatis ad subiectum sui naturâ quidem aptum alterari secundum eam; vel ad sensum, cui passionem infert. Ad hanc speciem, iuxta priorem designationis modum, existimant spectare dispositiones materiam præparantes, pro receptione substantialis formæ. Eâdem verò sumptâ posteriori modo; dispositiones materiam prępparantes ad primam speciem redigendas arbitrantur, cùm se adnotasse dicant; quibus de ipsa tractantes adstipulati sumus, speciem illam constitui per qualitatem non solum disponentem subiectum ad agendum, sed etiam ad patiendum, & recipiendum; unde est, ut hæc species per ordinem ad sensum designari debeat, quatenus omnis qualitas huius speciei; vel intentionalem passionem efficit in sensu, propterea quòd color visum, sapor gustum, sonus auditum, calor, & frigus tactum; odor olfactum mouent, & afficiunt; itaut hoc loco qualitates actiuę, nõnisi in ordine ad intentionalem actionẽ constituantur. Vel quia ex aliqua passione, seu intentionali immutatione sensûs oriuntur; ut rubor ex verecundia,

Adnotanda quædã ex interpretum melioris notæ sententia.

Qualitates patibiles quæ.

&

Digitized by Google

& ex timore pallor: Vel ad extremum, quia per se est passio animam afficiens, ut sunt omnes affectus, qui passiones, appetitus sensitiui, ira, amor, odium &c. dicuntur; has enim passiones ad hanc speciem pertinere, affirmant, quibus etiam addunt passiones, appetitus intellectiui: cùm non ad aliam speciem reduci posse videantur. Hæc autem ad aures Aristotelis dicta fuisse, ex ipsius doctrina paulo superiùs explicata, cuique potest esse perspectum.

Huius cõbinationis membra non nisi accidentario discrimine distinguuntur.

His autem sic intellectis, itaut patibilis qualitas dicatur illa, quæ firmiter diùque subiecto inhæret, seu quæ in subiecto se habet per modum permanentis, ut rubor ex naturali complexione proueniens; per pallorem verò illam, quæ facilè transit, ut idem rubor ex verecundia procedens; palam est huius combinationis membra, non nisi accidentario discrimine seiungi, quod Aristoteli placuisse, perspicuum satis, cum significauerit passionem in patibilem qualitatem facessere, si ex aliquo accidenti, vel aliquo alio modo firmiter in subiecto persistat.

Ratione suadetur.

Accedit etiam & ratio; quoniam effectus præsertim formalis, idem specie, nequit in materia haberi, nisi ab ijsdem specie qualitatibus; cùm igitur rubeum esse ex verecundia, & ex naturali complexione, quod de pallore quoque potest intelligi, idem sint specie formales effectus; necesse est ruborem ex verecundia, & ex naturali complexione, eiusdem esse speciei. Et reuerâ quis non videt, discrimen illud accidentarium esse, cùm in eo totum positum sit, ut rubor facilè, vel difficilè à subiecto possit remoueri? Hoc enim rubori penitùs accidit, nec ullatenùs eius naturam attingit, quin potius in eius causam refunditur.

Prima difficultas.

Aduersus dicta, tractanda quædam occurrunt. Passio est unum prædicamentum à quantitate distinctum;

Solutio.

non igitur species esse potest qualitatis. Non negandum passionem esse prædicamentum distinctum, si tamen passio sumatur ut effectus, & actionis illatio, quo pacto non est qualitatis species; negandum tamen acceptâ passione, pro sensibili qualitate habente esse imperfectum, & citò transiens.

Secunda difficultas

Deinde omnis qualitas denominat substantiam qualem, & quę non denominat, haud potest sibi qualitatis naturam arrogare; at verò passio non denominat substantiam qualem, ut superiùs cum Aristotele adnotauimus; malè igitur passio censetur species qualitatis.

Solutio.

Difficultatis solutio in eo planè consistit, ut qualitas duobus modis possit intelligi, denominationem *qualis* tribuere; vel simpliciter, vel quodammodò; priori modo qualitas secundum essentiam, & esse perfectum, denominationem tribuit: posteriori modo secundum essentiam, esse tamen imperfectum, suam tribuit denominationem; itaut subiectum non denominetur quale; sed aliquid esse passum.

Tertia difficultas.

Amplius obijcies; non rectè id dicitur patibile, quod sui naturâ non est aptum aliquid pati; at verò qualitas ita se habet; ergo nulla qualitas dici potest

Solutio.

patibilis. Occurritur aduertendo, patibile non unius esse notionis; uno si quidem modo aliquid patibile dicitur, quatenus est passionis subiectum, & tale dicitur sui naturâ aptum aliquid pati, quo sensu qualitas nulla dicitur patibilis. Secundo modo dicitur aliquid patibile à causa, vel ab effectu ipsius, quia nimirum, vel est causa passionis, vel effectus eiusdem; hoc autem modo non requirit, ut sui naturâ sit aliquid aptum pati; & iuxta significationem hanc qualitas quędam, dici potest patibilis.

Quarta difficultas

Item; quę non sunt eiusdem essentialis perfectionis, nequeunt esse eiusdem speciei; seu sub una specie constitui; at verò patibilis qualitas, & passio sunt essentialis perfectionis inęqualis; non igitur sub eadem specie possunt contineri. Fit satis dicendo passionem & patibilem qualitatem quantum ad essentiam equalis esse perfectionis, inęqualis tamen quantum ad modum essendi; hinc verò non rectè infertur, sic inter se differre, ut sub eadem specie contineri non possint.

Solutio.

Quinta difficultas

Quibusdam etiam videtur insulsè dictum ab Aristotele, patibiles qualitates appellari, eo, quòd sensibus aliquam passionem inferant; nam albedo, & nigredo, inquiunt, sunt qualitates patibiles, & tamen non inferunt passionem sensibus, ut puta visui, eò quòd ipsum non tangunt; ac ob id non agunt in ipsum, nec in eo possunt esse causæ passionum; perperàm igitur dicuntur patibiles qualitates, sensibus passiones inferre. Quidam respondent colores, si non corporalem, saltem spiritalem, & perfectiuam passionem inferre sensibus, quatenus in his intentionaliter agunt. Hoc tamẽ inconsideratè proferunt, cùm splendidè constet ab Aristotele dictum fuisse, colores patibiles qualitates dici, non eò quòd passionem aliquam sensibus inferant; sed quoniam à passionibus oriuntur. *Albor verò, & nigror, inquit, cæterique colores non eodem modo, quo ea, quæ dicta sunt*, ut dulcedo, amaror, acerbitas, *patibiles qualitates dicuntur; sed quoniam à passionibus producti sunt*. Rectè igitur dici possunt colores patibiles qualitates, quanuis sensibus passionem non inferant, cùm aliunde videlicet ex eo, quòd sint à passionibus producti, nomenclationem patibilitatis recipiant.

Quorundam responsio.

Reijcitur.

Solutio.

Quarta qualitatis species forma, & figura.

Quarta est, quam Aristoteles his verbis est persecutus; nomine generis illam appellans. Τέταρτον δ' ἆρα τοιότητος, σχῆμα τε καὶ ἡ περὶ ἕκαστον ὑπάρχουσα μορφή. οἷον τρίγωνον, καὶ τετράγωνον, ἔτι δ' εἴ τις τοιοῦτον ἄλλο ἐστὶ, καὶ γραμμικὸς, καὶ εἰ τι τούτοις ὅμοιον ἐστί. *Quartum verò genus qualitatis est figura, & circa quamque rem consistens forma, ut triangulum, & quadratum, præterea rectitudo, & obliquitas: & si quid his simile est*. Reddit rationem, καθ' ἕκαστον γὰρ τούτων τοιόν τι λέγεται. *quia secundum singula hæc quale quidpiam dicitur*. Τὸ γὰρ τρίγωνον ἢ τετράγωνον εἶναι, ποιόν τι λέγεται. *Nam triangulum aut quadratum esse, quale quidpiam dicitur*. Hoc idem de rectitudine, & obliquitate, καὶ τὸ ὀρθὸν ἢ τὸ καμπύλον: *nec non rectum, & obliquum*. Idem de forma, καὶ κατὰ τὴν μορφὴν δ' ἕκαστον ποιόν λέγεται. *Sed & secundum formam unumquodque dicitur quale*. Hæc igitur quarta qualitatis species, forma, & figura; quam Aristotelem eâdem ratione, qualitatis esse speciem, concludere putandum, quâ reliquas antea demonstrare tentauerat; si nanque illæ sunt qualitates, secundum quas aliquid dicitur quale, non erit qui dubitet formam, figuramque dici qualitates posse, cùm quæ has participant, ab ijsdem qualia denominentur; unde superficies à figura circulari denominatur circularis, & sic de alijs; Sed ut hæc exactiùs tractentur, iuvabit exponere, quæ interpretes maioris nominis animaduersione digna crediderunt. Ex horum autem sententia, forma trifariam accipitur; primò pro forma substantiali, quæ certè non ad hoc; sed ad prædicamentum substantiæ pertinet. Secundò pro omni re, quæ reipsa est accidens dans esse subiecto, iam per substantialem formam constituto, itaut sit posterior, vel naturâ, vel tempore; prout accidens fuerit proprium, vel commune; quàm substantialis forma; sic autem accepta forma, non est huius prædicamenti propria, cum in omnibus reliquis à primo, quod est prædicamentum substantiæ, possit adinueniri. Tertiò pro accidentaria forma, quæ procedit ex quantitate sic, vel sic terminata lineis, aut superficiebus, iuxta rei naturam, sic autem acceptam formam spe-

speciem esse qualitatis existimant, quam ita definiunt. *Forma est terminatio, seu clausura linearum, & superficierum in corpore naturali, siue animato, siue inanime, prout substantialis forma requirit.* Hinc inquiunt, neminem fugit, aliam esse terminationem quantitatis debitam homini; aliam equo, pro diuersitate naturæ unius, à natura alterius; quod etiam in indiuiduis eiusdem speciei potest aduerti. *Figura verò est ordinatio, siue terminatio, aut clausura linearum, & superficierum, quæ non ut respicit formam substantialem, consentanea est, sed prout respicit quantitatem debitam corpori, cuius est figura.* Addunt, quod superiùs notauimus formam, & figuram idem reipsâ esse, bifariam tamen distingui; propterea quòd. Primò dicitur forma quatenus respicit corpus naturale, siue formam substantialem, quæ talem linearum, & superficierum delineationem requirit; dicitur autem figura, quatenus debitam corporis quantitatem respicit. Secundò differunt quia forma propriè dicitur esse in rebus naturalibus, tam animâ constantibus, quàm inanimis; figura verò in rebus artificiatis. Obseruandum ab Aristotele dici τὸ τί ἦν ἑκάστου ὑπάρχουσα μορφή, *circa quamque rem consistens forma*, forsan, ne quis nomine formæ intelligeret formam internam, quæ substantialis est, & rei pars.

Forma quid.

Figura quid.

Cum de huius diuisionis sufficientia agetur.

Sunt, qui putant per formam non intelligendum quidpiam ab ipsa figura distinctum; vel si distinctum fuerit; distinctionem accidentariam esse; itaut forma sit accidens quoddam figuræ quidem adiunctum, quod figuram ipsam pulchram, vel deformem reddat, adeout figura quantitatem afficiat: forma verò sit eius pulchritudo, vel deformitas; pulchritudo autem per colorum quandam concomitantiam sit explicanda; de hoc tamen infra. Vel dicuntur accidentaliter esse distincta ex subiectorum diuersitate, ut figura dicatur in artificialibus, forma verò in naturalibus; vel figura tribuatur rebus anima carentibus; forma autem animâ constantibus; Vtcunque tamen res explicetur inter formam, & figuram perpetuò discrimen accidentarium est.

Quorundam opinio de forma & figura.

Sectione sequente.

Inter formam & figuram, accidentarium discrimen.

Qui autem ita sentiunt, arbitrantur etiam quartam hanc speciem qualitatis ex ordine constitui, quem inuicem, & ad locum eiusdem corporis partes important; itaut figura dicatur ex horum sententia, modus quantitatem, quatenus certo modo terminatam, afficiens; unde alia est circularis, alia triangularis figura; eòquòd partes figuræ triangularis longè discrepant situ à partibus figuræ circularis; unde in re figurata tria esse consideranda iubent; Primùm rem ipsam figuratam, ut aurum, ferrum, lignum &c. Secundùm quantitatem eiusdem hoc, vel illo modo terminatam secundum lineas, & superficies. Tertium tandem terminationem, vel dispositionem quantitatis, cuiusmodi est rectitudo, curuitas, triangulatio, & hæc ipsis forma, & figura est, quartam hanc speciem qualitatis constituens. Alijs verò placuit ex qualitatum albo, quartam hanc speciem esse delendam, cùm potius quid relativum esse videatur; nam ut ipsi dicunt, figura ultra quantitatem, non nisi relationem importat terminorum includentium partes inter se; qualitates tamen dicuntur, quoniam modum denominandi, vel prædicandi qualitatis habent, quatenus modo quodam absoluto, non insinuante ordinem ad aliud, prædicantur; nam eo ipso quòd aliquid dicitur simile, æquale &c. statim, inquiunt, insinuatur ordo ad aliud; dum verò quidpiam dicitur rectum, curvum, triangulatum, nullus exprimitur ordo ad aliud, qua etiam de causa sanitas, & ægritudo, deformitas, & pulchritudo iuxta eorum placitum, qualitates dicuntur, quia videlicet modum prædicandi, atque denominandi qualitatis habent, cùm tamen in se relationem, vel relationes importent: & ita quidem hac de re sentiunt, ut putent figuram propriè ad situs prædicamentum pertinere, positiuè tamen acceptam; nam priuatiuè sumpta, aiunt, non aliud esse quàm terminationem quandam intrinsecam magnitudinis, quæ nihil positivum addit magnitudini, sed priuationem tantummodò ulterioris extensionis; adeo ut incisionis figura non fiat aliquid addendo, sed remouendo, quo pacto figuram, dicũt non distingui re ipsâ à re figurata, nec ab hac separari posse, nec in alio esse prædicamento, ab eo, in quo res ipsa figurata, locum obtinet. Adhuc tamen de figura positiuè sumpta distinguunt, nam ex eorum consilio, una est intrinseca fundata in positione de genere quantitatis, & in ordine, quem seruant inuicem partes in se; alia extrinseca fundata in positione de genere situs, & in ordine, quem seruant inuicem partes in loco. Prior autem figura in eo consistit, iuxtà hunc dicendi modum, ut exempli gratia caput hominis non immediatè, sed medijs alijs partibus, unitum sit pedibus; secunda verò dicit partium dispositionem in ordine ad spatium imaginarium; de quo in Physicis disserendum.

An autem figura sit modus solius quantitatis, an etiam alijs rebus materialibus conueniat, in controuersia positum est. Qui rebus materialibus ante quantitatem omnem pluralitatem partium, ac omnem extensionem denegandam existimant, consequenter loquendo, figuram, aiunt solius quantitatis esse modum. Qui contrariam sententiam de pluralitate partium, deque extensione materialis substantiæ tuentur; etiam oppositum de figura dicendum arbitrantur; ac proindè constanter affirmant, aliquam figuram huiusmodi substantiæ ante quantitatem esse designandam, eâ ratione ducti, quia ex eo in quantitate figura resultat, quatenus partes quantitatis sunt extensæ, ordinatæ, proprijsque terminis circumscriptæ; cum in hoc figuræ ratio posita videatur: si igitur etiam substantiæ materialis & cuiuslibet accidentis materialis partes omni seclusâ quantitate, habent ordinationem partium, extensionem, terminationemque propriam; necesse est etiam ut aliquâ figurâ constent saltem intrinsecâ; Imò aliqui ulteriùs extrinsecam materiali substantiæ conuenire contendunt, eòquòd illam existiment esse capacem modi situs citra quantitatem. Alij ex aduerso quanuis figuram intrinsecam cuicunque rei materiali concedant; intrinsecam tamen inficiantur, existimantes hunc esse modum quantitatis proprium; quoniam etsi materialis substantia, possit esse in loco diuisibiliter omni remotâ quantitate, proindèque fundare in suis partibus positionem de genere situs; adhuc tamen illæ partes possunt inuicem naturaliter penetrari; at figuratio extrinseca, & situalis, ut aiunt, partium impenetrationem exposcit, & in ipsa fundatur; factâ siquidem huiusmodi penetratione, confunduntur, & commiscentur inuicem partes, quantum ad locum, ac ob id situalis figura, & extrinseca euanescit, solâ intrinsecâ remanente, cùm ex commixtione, confusioneque partium in loco, non destruatur earundem ordo inter ipsas; ubi autem est quantitas, ibi necessariò partium impenetratio esse debet; si non actu, saltem aptitudine; ut propterea suâpte naturâ res materialis quantitate cum fuerit affecta, debeat figuram extrinsecam sibi vendicare.

An figura sit solus quantitatis modus

Hæc Peripateticorum celebrior doctrina, quæ multa continet falsa permixta veris: de quibus paulò infra sermonem instituemus; parcè tamen, ut par est, ne dialecticos cancellos transilire videamur, eo vel maximè

Peripateticorũ superior doctrina paulo infra expendenda.

Digitized by Google

ximè quòd in Physicis his de rebus copiosa sit à nobis instituenda tractatio.

Rarum, & Densum, Asperum, & Læue ex Aristotele explicantur.

Dum pergit Philosophus, docet Rarum, & Densum, & Asperum, & Læue, videri posse, quale quid significare; subdit tamen hæc apparere aliena à qualis diuisione, cùm situm quendam partium illa importare videantur; ait enim. Θέσιν γὰρ τινα μᾶλλον φαίνεται τῶν μορίων ἑκάτερον δηλοῦν. *Situm enim quendam partium videtur potius utrumque declarare.* Vtitur voce ἑκάτερον, quanuis, quatuor membra commemorauerit, cùm tamen vox illa sit adhibenda, quando sermo fit de duobus: ἑκάτερος enim exponitur *alteruter, alter ex duobus, uterlibet, uteruis, & uterque*: Sed hoc non perturbet, nam redigit partitionem quadrimembrem ad bimembrem; binis illis acceptis, itaut membrum unum sit rarum, & densum; alterum verò asperum, & læue, & ait utrumque ad situm spectare. Ostendit autem quod assumit, nam *densum*, ut ipse loquitur, *dicitur, quia partes sibi inuicem propinquæ sunt*, hoc est, quoniam eius partes inter se propè cohærent. *Rarum autem, quia distant à se inuicem*, hoc est, quia eius partes inter se disiunctæ sunt. *Læue quidem, quia partes in rectum quodammodo positæ sunt. Asperum verò, quia aliæ eminent, & aliæ superantur.* Subdit verba nonnulla postmodum expendenda. Deinde docet qualitates esse, quas dixit; qualia verò esse, quæ ab eis denominantur, vel quouis alio modo ab eis dicuntur. Addit pleraque esse, ac ferè omnia, quæ denominantur, ut ab albore albus, à Grammatica, grammaticus, & à Iustitia, iustus; sed quædam, quia non sunt impositæ qualitatibus nomina, non posse ab eis denominari. Affert exemplum, & ait, ut cursor, aut pugillator, qui secundum naturalem potestatem dicitur, à nulla qualitate denominatur, quia nomina non sunt imposita qualitatibus; secundum quas hi dicuntur quales, quemadmodum imposita sunt scientijs, secundum quas pugiles, vel palæstrici ob affectionem, seu dispositionem dicuntur; propterea quòd pugillaris scientia dicitur; itemque palæstrica, à quibus denominantur, qui ijs affecti sunt.

Quid densum.

Quid rarum.

Quid læue, quidue Asperum.

Sectione sequenti.

Quæ ad hanc speciem reuocentur.

Ad tertiam hanc speciem interpretes reuocant omnes tum corporis, tum animæ passiones, amorem, odium, gaudium, tristitiam, dolorem, iram, timorem, spem &c. omnes itidem actus, siue operationes facultatum organicarum, siue inorganicarum, ut sensationes, imaginationes, appetitiones, intellectiones, & volitiones, eò quòd actus sint ultimi non ordinantes potentiam ad operandum, ut propterea videantur potius ad hanc, quàm ad primam speciem pertinere; at aiunt, Aristotelem in exemplum adduxisse tantummodò qualitates sensibiles, tanquam notiores, ac omnibus magis obuias.

SECTIO QVARTA.

Expenditur superior qualitatis diuisio, & num hactenus dicta probè cum veritate consentiant.

Superior qualitatis diuisio quadrimembris expenditur.

DVo hîc apud interpretes moris est in controuersiam vocari; Primum an præfata diuisio tanquam sufficiens retinenda sit. Secundum an vera sit partitio generis in species. Diuisionis tamdiù decantatæ sufficientiam, paucis non multo antea perstrinximus, ut illam aliqua saltem ex parte plausu dignam, nec temerè prorsus institutam esse demonstraremus; solùm hic adnotandum, eo vel maxime partitionem illam retinendam esse Peripateticis insistendo vestigijs, quia ampliatis speciebus ab ipso assignatis, nullo ferè labore, omnes qualitates ad illas reuocari possint; non autem, quòd in animo sit illius diuisionis necessitatem ostendere, cùm re verâ talis necessitas non tàm facilè se det in conspectum; nihilque sit, quod nos omninò cogat illam amplecti, simulque demonstret, aliam instituere, piaculum esse. Omnes autem qualitates, ad commemoratam diuisionem posse reuocari, non melius ostendi potest, quàm recensendo illas, de quibus maior videtur difficultas, & ostendendo, nihil obesse, quo minus huiusmodi possint diuisione comprehendi.

Cuiusmodi verò sit instituta ab Aristotele qualitatis partitio, non exigui laboris est decernere. Communis opinio docet, eam esse tanquam generis in species. Re tamen diligenter consideratâ, videtur adhærendum ijs, qui contrariam sententiam tuentur, vel saltem affirmant non esse re verâ diuisionem generis in species per differẽtias, sed potius per quosdam modos diuersos, qui eidem prorsùs qualitati competere minimè possunt; atque adeo potius diuisionem esse subiecti in accidentia. In hanc sententiam mihi videtur Aristoteles valde propensus; quandoquidem post traditam diuisionem, in quatuor species, siue potius combinationes, ait, illos esse diuersos qualitatis modos; non dissimulabo tamen Philosophum intelligi posse de specie, cùm usus sit voce τρόπος, quæ significat *modum*, speciem, rationem, formam, imo etiam & genus

Cuiusmodi sit instituta diuisio tanquam.

Hęc videtur diuisio tanquã generis in species.

Auctoritate suadetur.

Rectè tamen id à nobis assertum fuisse, ratio non obscurè conuincit; enim verò, quonia m res unius speciei nequit secundum essentiam in aliam speciem facessere, nec simul sub pluribus speciebus essentialiter contineri; at eadem qualitas ad plures, variasque classes pertinet; quandoquidem calor exempli gratia constitutus in aqua, ad primam speciem, at in igne positus tanquam virtus naturalis ipsius ad secundam spectat, & idem ut sensui tactus passionem infert, tanquam patibilis qualitas, ad tertiam speciem reuocatur; sunt igitur modi diuersi accidentarij qualitatis, non autem essentiales differentiæ; proindèque fatendum diuisionem prædictam qualitatis non esse tanquam generis in species, per essentiales differentias institutam.

Ratione probatur.

Sunt, qui difficultatem propositam arbitrantur emollire, concedendo eidem qualitati conuenire posse rationes omnes formales illarum specierum, negando tamen subindè sequi species essentialiter diuersas non constitui, cùm rectè possit res eadem ad species diuersas sub formalibus rationibus diuersis, quas habet, pertinere; quinimo ad prædicamenta distincta, ut de actione, passioneque cuique satis perspicuum est; res enim eadem, videlicet motus, ob diuersas formales rationes, quas in se cohibet, diuersa prædicamenta constituit.

Quorundam responsio.

Eo tamen nomine à quibusdam refellitur allata responsio, quia prædicamenta realiter inuicem distinguuntur, proindeque species habent realiter distinctas, atque adeo non sufficit distinctio formalis ex rei natura, & multo minus distinctio rationis, etsi cum fundamento in re; unde si quadrimembris præfata diuisio existimetur esse veluti generis in species, consequens necessariò fit, ut huiusmodi species non tantùm formaliter, seu ratione, sed realiter debeant esse distinctæ.

Quorundam confutatio.

Sed hæc responsionis impugnatio in eo planè videtur deficiens, quòd distinctionem realem inter prædicamenta requirat, sed in eo commendabilis, quod inter species realem distinctionem adstruat, & simul addat eandem rei alicuius, puta caloris, entitatem in speciebus diuersis essentialiter constitui non posse; nam

Reijcitur.

tiam reuerâ nequit res una ad plures species essentialiter diuersas pertinere; sed una cùm fuerit, sub unica tantùm essentiali specie constitui debet, quod ex eo mihi perspectum, quoniam unius rei, unica est essentia; si igitur penès hanc speciei constitutio debet attendi, profectò nonnisi unica species esse debebit, ad quam res illa pertineat. Nec quicquam refert, quòd res illa pluribus formalitatibus sit instructa; proindèque beneficio ipsarum possit ad species essentialiter diuersas attinere; nam formalitates unius rei naturam consequuntur, & pro diuersitate rerum, diuersæ quoque sunt formalitates; imò formalitatum combinationes; itaut alia alijs consentanea sit; inde fit, ut specierum diuersitas non penès ipsas formalitates, sed penès naturas, quas formalitates consequuntur attendi debeat, & idcirco fieri non poterit, ut eadem res sub eodem genere simul, & semel sub speciebus essentialiter diuersis cõstituatur, cùm unius rei una tantùm sub eodem genere essentialis sit constitutio; Ineptè autem eos ad prædicamentorum distinctionem respexisse, perspicuè constabit aduertenti, distinctionem prædictam haberi posse instituendo prædicamenta ex ijs, ex quibus aduersarijs non viderentur instituenda; siquidem nihil prohibet, duo prædicamenta statuere, ad quorum unum substantiarum; ad aliud verò accidentium proprietates, affectionesve reuocentur, cùm tamen etiam aduersarijs fatentibus non præstat, in medium hanc prædicamentorum structuram inuehere, quandoquidem proprietates ad prædicamenta pertinent rerum, quas ipsæ consequuntur. Et ex aduerso, quædam specie, naturâque differunt, quæ tamen non in peculiari quodam prædicamento locum obtinent, sub cuius summo genere, tanquam subiectæ partes, speciesve contineantur. Ita se habet motus, cuius variæ sunt species, cùm tamen nunquam fuerit peculiare prædicamentum institutum solius gratiâ motûs, cum hic ad prædicamentum sui termini reuocetur; hæc autem dicta sint, ut hinc intelligas, eos parùm tutam calcasse viam ad colligendam essentialem distinctionem specificam inter membra diuisionis, de qua fit sermo, & partitionem hanc qualitatis esse, veluti generis in species essentialiter inter se distinctas.

Aliorum responsio. Nec etiam placet eorum consilium, qui respondent rem unam reuerâ nonnisi in una essentiali specie constitui posse; nihil tamen obstare, quominus in alijs constituatur accidentaliter, & ita quidem in re proposita euenire contendunt; itaut una qualitas sit in una tantùm specierum essentialiter; possit tamen in alijs accidentaliter esse, si nimirum illi secundariò, & per accidens aliarum specierum munera exercere contingat. Non leuis tamen ipsis perferendus est labor ad explicandum, quænam sit illa formalitas, unde habeat res, ut sit in specie essentiali, & quæ sit, à qua habeat, ut sit in accidentali, qua de re multa dicunt, præsertim id iudicandum esse; vel ex effectibus qualitatis, nempè si rem videamus per unam formalitatem in una qualitate inueniri, ut in calore terminum alterationis esse; per aliam non semper; hanc enim secundam, dicunt, speciem accidentalem præbere; vel ex principijs, à quibus oritur qualitas, si videlicèt ex illis ad actionem, vel perpessionem, conuenientiam, vel discrepantiam naturæ, vel ad aliquid aliud ordinetur; *Aliorum responsio.* tunc inquiunt, id erit essentiale. Alij verò docent, qualitatem esse per se ordinatam ad aliquem effectum substantiæ tribuendum, qualis est illam perficere, itaut *vel* perficiatur in se ipsa, vel in ordine ad operationem, non ordinari tamen ad duos effectus æquè primò tribuendos, sed ad unum duntaxàt, & non nisi secundariò, & concomitanter ad alterum, & idcircò, ex primario effectu speciem essentialem, & ex secundario accidentalem attendendam esse. Hic autem dicendi modus alioquin commendabilis, eò vitio laborat, quòd formalitates ab ipsis assignatæ eidem qualitati æquè primò videntur conuenire, quod si non in omnibus; in aliquibus saltem usu venire facilè deprehendemus, si unam vel alteram qualitatem expendendam sumamus, eaque sit calor, ne ab illa, quam in exemplum ipsi attulerunt, recedamus. Calor enim ita se habet, ut illi semper conueniat esse immutativum sensûs, tactûs, esse naturale principium calefaciendi; & esse id, quod malè, vel benè disponit subiectum, prout in aqua, vel in igne exiterit; Quòd si res ita se habet, fatearis oportet, calorem in omnibus illis tribus speciebus esse, ac essentialiter reperiri. Ita pariter calor per se, & æquè primò ad calefaciendum, & ad immutandum sensum tactûs ordinatur; vel saltem à natura non ordinatur per accidens ad hunc effectum præstandum; unde consequens est, ut essentialiter, in secunda, tertiaque specie qualitatis esse debeat. Tandem idem calor siue in aqua, siue in igne constitutus æquè per se, ac primò ad calefaciendum ordinatur, licet illi accidat in aqua esse, per se autem in igne; priori enim nomine ad primam; secundo verò ad secundam speciem qualitatis essentialiter pertinebit. *Confutatio utriusque responsionis.*

Quæ cùm ita sint, asserere necesse est, formalitates, à quibus illæ qualitatum classes constitui censentur, esse potius accidentarios modos diuersos, quàm veras, ac essentiales differentias, quibus species qualitatis constituantur, ac distinguantur, proindèque, quod etiam superius innuimus, perpetuò decantatam hanc qualitatis diuisionem, esse potius subiecti in accidentia, quàm generis in species. Quæ tamen accipias velim, tanquam propiùs ad veritatem accedentia, & non tanquam sic firmiter demonstrata, ut oppositum ab aliquo ingeniosè sustineri non posset.

Momenti non exigui tamen enodanda difficultas; nam inficiari nemini licet, prædicamentum qualitatis adstruendum esse; At omne prædicamentum intelligendum ordinatum sic, ut habeat supremum genus, sub quo subiectæ species constitutæ, ac ordinatæ sint illi subiectæ ad eum modum, ut de his illud essentialiter prædicetur; sic igitur se habere debet qualitatis prædicamentum, itaut supremum genus ipsius per differentias diuidatur in species; quæ ut paucis complectar, sic argumentor. Omnis diuisio, per quam ordinatur aliquod prædicamentum, debet esse generis in species essentialiter differentes; sed diuisio, de qua loquimur, est ea, per quam aliquod prædicamentum, puta, qualitatis, constituitur; ergo debet esse diuisio generis in species essentialiter differentes. Cùm autem diuisio sit per habitum, & dispositionem; per naturalem potentiam, & impotentiam; per passionem, & patibilem qualitatem; per formam, & figuram; consequens est, ut hæc quadrimembris diuisio (bina autem accepta, bimembrem diuisionem constituunt) fit veluti generis, in species. Quod ex eo confirmatum redditur, quia qualitas, de his quatuor membris essentialiter prædicatur, & nonnisi ut superius quidpiam; ergo membra illa sunt veræ qualitatis species. *Difficultas proponitur.*

Vt propositæ difficultati fiat satis; illud summoperè considerandum, nempè Philosophum hanc diuisionem iuxta communem, vulgaremque sententiam, instituisse; ac proindè non tam religiosè, ut qualitatem diuiserit in species essentialiter diuersas, quin potius diuisione per varios modos contentũ, categoriam hanc ordinasse, exactiùs alibi eadem de re verba *Solutio.*

facturum. Neq; confirmatio quicquam concludit, cùm genus de indiuiduis essentialiter prædicetur, quamuis indiuidua species non sint. Vt præteream, quòd etsi veras species huius generis assignauerit, ut sunt prima, secunda, & tertia: saltem proprias differentias generis diuisiuas, & earundem specierum constitutiuas neglexit; assignans potius aliquos modos, quibus species illas distingui posse cognouit. Alioquin si diuisionem seriò instituere voluisset, imitando substantiæ partitionem, qualitatem diuisisset in spiritualem & corporalem, in sensibilem, & insensibilem, sensibilem in visibilem, & inuisibilem; visibilem in colorem disgregativum & congregativum visûs, ut sunt albedo & nigredo; & hæc rursus in subiecta indiuidua. Neque perturbet, quòd hæ sint differentiæ substantiæ; non enim sequitur qualitati minimè consentaneas esse, eò quòd diuersorum generum diuersæ sint differentiæ; quandoquidem hæ differentiæ non sunt eædem, ac illæ, quanuis ipsis proportione respondeant; cùm alioquin huiusmodi loquendi modis, qualitatis veras differentias circumscribere studeamus.

In his tamen non est operæ pretium immorari, cùm præstet, ad id, quod erat in partitione secundum, omnes ingenij neruos, ac mentis aciem conuertere.

Hæc tractatio summi momenti est.

Grauis planè res est, cùm hinc uniuersa pendeat Physiologia; quid autem de hactenus explicatis ad qualitatem spectantibus, asserendum, non facile dictu; & quanuis à teneris annis salebrosam philosophandi viam calcauerim, ac animum Peripateticę doctrinæ studijs mirum in modum imbuerim; me tamen nunquam veritatis amor deseruit, quin potius ille factus ardentior, me coegit, omnem auctoritatem negligere; solidasque rationes inquirere, ut ijs denique suffultus, quod magis rationi consentaneum est, amplecti possem.

Expenditur prima qualitatis species, habitus & dispositio.

Vt autem quod tandem mihi propositum est exordiar; primò illud considerandum aggrediar, quod initio Philosophus dicebat, nempè qualitatis primam esse speciem, habitum, atque dispositionem, de quibus aliqua difficultas occurrit; nam si per habitum intelligi debet accidentaria forma substantiæ inhærens, adeò ut è materiæ sinu educta, id, cui inest, afficiat, tanquam res ab illo distincta, quando habitus, materialem naturam redoleat; (cęteroquin, ille, qui animæ intellectrici, ipsiusve potentiæ inest, qualitas quædam sit habitus, substantiam eiusdem afficiens, tanquam res ab animæ substantia, realiter distincta) si inquam per habitum res huiusmodi debet usurpari; non satis intelligo, quâ ratione habitum in manibus, ad scitè fidibus canendum, in pedibus ad saltandum, possint inuehere; cùm reuerâ manus promptiùs suo munere fungatur, quatenus usu consumitur humor ille, qui articulos digitorum imbuens, impedimento est, quominus manus possit suam operationem exerere, præstoque esse ad voluntatis nutum.

Expenditur secunda qualitatis species potentia, & impotentia.

Fictitiam igitur qualitatem hanc per modum habitûs adiunctam potentiæ motrici, & in manibus, & in pedibus quisque sanę mentis existimabit; solùmque reuerâ concedendam in anima sentiente, & intelligente sibi persuasum habebit, quatenus ex actuum frequentatione illam sibi comparat, unde maiorem facilitatem, ac promptitudinem ad exercendos cùm similes actus experitur. Quod autem de habitu, de dispositione pariter intelligendum. Erat secunda species, naturalis potentia, & impotentia, in quibus illud molestum est, quòd pro naturali potentia, constituitur qualitas innata, quâ simpliciter, vel facilè subiectum eâ præditum agit, vel contrario resistit: per naturalem impotentiam qualitatis modus, ratione cuius illa est principium difficulter agendi, vel faciliter patiendi; & in exemplum adducitur aliquis, quatenus habet naturalem potentiam, & promptitudinem ad currendum, & pugillator ad luctam, ad palęstram &c. In hoc autem summa difficultas; enimverò, quòd quispiam fit promptus ad cursum, non ex eo est, quoniam sit præcipuâ quâdam qualitate præditus naturaliter insitâ; unde facilitatem consequatur ad exercitium cursûs; sed potius id à naturali constitutione obtinet, quatenus sit corpore minimè quidem obeso, & musculis benè compactis, spirituumque copiâ refertis, instructo. Idem quoque de pugillatore dicendum, in quo tamen non omnem qualitatem inficiabor, cum in eo sit concedenda ars pugillandi, quam cùm probè tenuerit, strenuè se potest in palęstra luctando exhibere. Sed hæc non est qualitas, de qua ipsi loquuntur; nam aliam longè diuersam intelligunt, quâ pugillator cumulatus, benè potest pugillandi munera obire; hæc autem est, quam commentitiam putamus, ob eam, quam de cursore, causam attulimus. Et ad hanc speciem reuocant vires omnium rerum sublunarium, ut plantarum, lapidum, metallorum, & mineralium omnium, eò quòd tales virtutes reddunt ea, quibus sunt ingenitæ, potentia ad aliquid agendum, aut alicui resistendum, quemadmodum cęlorum omnium influętias. Sed in eo videntur peccare, quoniam hæc omnia tanquam formas accidentarias venditant, creduntque ijs materialem substantiam affici, cùm rectius fortasse dixerint, esse varia substantiarum effluvia; & ita planè se habere plantarum, metallorum, lapidum, ac mineralium omnium vires, quod de cęlestibus influxibus asserebat Simplicius non inelegans Aristotelis interpres; unde qui naturæ secretiora quidem arcana diligentiùs perscrutari conantur, herbarum virtutes ad sanitatem conferendam in eo positam esse contendunt, ut particulæ minimæ, quibus earum constant effluvia, vel ratione figuræ, positionis, & ordinis; vel ratione substantiæ, incolumnitati unius, vel alterius viuentis, & præsertim animalis conducunt, eòquòd corporum, quibus illa constant, texturæ, consentaneæ sint; ex aduerso nocendi facultatem contrariâ ratione explicant. Ita quidem nappellum homini noxium, turdo autem proficuum existimant, quoniam huiusmodi herba ijs particulis constat, quæ ut hominis temperamento officiunt, sic turdi temperamento conferunt, nec aliâ ratione ex eorum sententia

Dira venena gerit, subitò perimitque Napellus
Calefacit; & scabiem cum viteligine tollit.

Sic aliarum rerum, ad eundem ordinem spectantium, vires declarant; unde Saturni exempli gratia, influxũ, quem in hęc inferiora effundit, nil aliud putant, quàm substantiæ quidem effluvium, ex eius corpore egrediens; sic etiam Magnetis vim explicant, quâ lapis ille ferrum trahit, ut velint, per effluvium magneticæ substantiæ attractionem perfici; de hoc enim lapide, varię ratiocinantur, itaut alijs, alius magis arriserit dicendi modus; diuersis tamen placitis omissis, de quibus in Physicis agendũ, solùm paucis in præsentia perstringam eorum consilium, qui rem per effluvium, seu minimas substantiæ particulas, declarant. Hi autem explosâ prorsus opinione admittentium solùm defluxum accidentalem qualitatis illius, nempe, quam in præsentia Peripatetici recognoscunt, quâ alteratum ferrum trahatur. Itemque reiectâ sententiâ dicentium, vim ferri tractricem, quæ est in magnete, referendam ad animam, quâ magnetem præditum volunt; utcunque vis hæc explicetur, siue per appetitum quendam nutritionis, quò magnes ferrum arripiat, eòquòd magnes incolumis in illius scobe seruetur, quod Poeta ille

Hæc ad hanc tractationem spectant.

Lib. 2. de Cœlo tex. 42. apud Simp. 29.

Qua ratione napellus noceat homini, & turdo profit.

Magnetica virtus variè explicatur.

ille cecinerat:

Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur: has dulces epulas, hæc pabula nouit.

Claudianus de Magnete.

Siue per humiditatem existentem in ferro, quam magnes siccior depascatur; se esse procliues ostendũt. Vel in opinionem Empedoclis existimantis defluxus quosdam, nempè corpusculorum, tum ex magnete, tum ex ferro fieri, & esse in utroque poros apprimè sibi mutuò commensuratos: euenire autem, ut magnetis defluxibus abigentibus aërem, qui in poris ferri, is fiat è ferro defluxus, quasi exitu patefacto, ut ipsum quoque ferri corpus versus magnetem unà sequatur. Vel in sententiam Democriti phenomenon hoc referentis ad effluxiones atomorum, quæ in magnete similes quidem, tenuiores tamen ijs, quæ in ferro sint, ac ob id ferri meatus subeuntes, eius atomos stimulent ac urgeant; ipsis autem versus magnetem effluentibus, tum, ob similitudinem, tum ob copiosius in ipso vacuum, tota ferri massa effluvio cohærens unà transferatur. Vel tandem in Epicuri opinionem, qui forsan duobus modis rem explicabat; præsertim ad eum modum, in cuius gratiam quatuor præmittit, quorum Primum, effluere continuò corpuscula quędam ex omnibus rebus. Secundum in ordine, nullum esse corpus adeo solidum, quod non inania spatiola intercepta contineat. Tertium emissa corpuscula non omnibus rebus eâdem ratione congruere. Quartum inania spatiola non uniusmodi circumscriptionis in rebus omnibus esse, nec propterea quibuslibet corpusculis eadem accommodari. Cum autem gemina sit magnetis virtus; altera, quâ ferrum ad se allicit; altera, quâ & se, & ferrum versus mundi polos dirigit; priorem quatuor iam præmissis explicare aggredientes, aiunt, modum, quo magnes ferrum attrahit, ferrumve ad magnetem fertur, in eo consistere, ut tam ex magnete, quàm ex ferro corpuscula quidem effluant, sed plura tamen potentioraque ex magnete, ex quo proueniat, ut aër semper longè magis, circa magnetem, quàm circa ferrum discutiatur; ac ob id plura circa ipsum, quàm circa ferrum inania spatiola procreentur. Quoniam autem collocato ferro intra discussi aëris sphæram, multum inanis inter ipsum, & magnetem intercipitur, tunc fit, ut in eam partem corpuscula ferri liberiùs prosiliant, ac ob id versus magnetem ferantur; non possint autem maiori quàdam, insolitâque copia eò contendere, quin simul cohærentia pelliceant, & idcircò totam ferri massam, quæ ex cohærentibus constat; ubi vacui nomine non inane quoddam ingens, sensibileq; spatium, sed insensilia quædam spatiola corpusculis aëris superstitibus intermista intelligunt; Non huius autem est loci sententiam hanc pluribus explicare, sed nobis id alibi præstandum. Interim intelligis naturalem potentiam non eodem modo ab his, ac à Peripateticis hîc usurpari, quandoquidem ex eorum sententia non est quædam accidentaria forma substantiam afficiens è materiæ potentia, educta, vi naturalis agentis in materiam ipsam operantis; sed potius magneticæ substantiæ quoddam effluvium, ut non multo antea dicebam. Ab hoc autem explicandi modo nequicquam discrepat ille, quo ijdem Philosophi stellarum influxus explicare solent, quandoquidem asserunt non in accidentarijs formis vi stellarum productis; sed in substantialibus effluvijs ab unaquaque ipsarum dimanantibus consistere; itaut quædam per se ipsa profluant à Sole; alia verò à cæteris Stellis, quatenus ex ipsis solarium radiorum viribus excussa quaquauersum effunduntur, & idcirco in hunc sublunarem orbem decidunt. Apud hos igitur stellarum vires exercentur, quatenus ab ipsis minimæ particulæ effluunt, quæ rebus alijs admixtæ, varias concretiones efficiunt; atque omnia à stellis ipsis pendent, quatenus huiusmodi particulas sui ortus momento consecuta sunt.

Virtus magnetis duplex.

quomodo à quorundam sentẽtia magnetica virtus explicanda.

Naturalis potentia non eodẽ modo ab aliis, ac à Peripateticis explicatur.

Stellarum fluxus, quomodo iisdem explicentur.

Tertia species qualitatis erat passio, & patibilis qualitas; Ad hanc autem speciem pertinere dicebat Philosophus dulcedinem, & amaritudinem, calorem, & frigiditatem, & insuper colores, puta albedinem, & nigredinem &c. De his tamen non leuis est dubitandi occasio, quandoquidem ipse credebat his omnibus conuenire qualitatis rationem sic explicatam, ut qualitas sit accidentaria forma substantiam afficiens, quæ ideo dicatur qualitas, eòquòd subiectum per ipsam dicatur quale. Sed non tam certum huiusmodi esse sapores, & qualitates, quæ primæ dicuntur, itemque colores, ut aliâ ratione fortassis naturis rerum consentaneâ magis, declarari non possint. Enim verò non ineptè dicet aliquis, saporem in re sapida nil aliud esse, quàm corpuscula quædam exilia tali figuratione constantia, quæ cum in linguam, palatumve subeunt, sic alterutrius contexturæ applicantur, & mouent, ut inde sensatio fiat, quæ gustatio nuncupatur. Non minoris momenti de primis qualitatibus difficultas, non enim insulsè dicunt, ut alibi etiam aduertimus, calorem non accidentariam esse formam substantiæ adiunctam, sed effluvium calidæ substantiæ, quæ non ideo calida dicatur, eòquòd sit affecta prædictâ formâ accidentariâ, sed quoniam ex ea effluunt particulæ minimæ, præcipuâ quâdam figuratione prædita, quæ dum quaquauersum celerrimè quidem effunduntur, quidquid obuium fuerit, percellunt, ac inuadunt, quod est calefacere; calefactionem autem subsequatur combustio, quan do eædem particulæ confertim adeo combustibile inuaserint, ut illud idem demoliantur, atque deuastent, adeout hoc sit comburere. De frigiditate non improbabilis opinio docens illam, non quid positivum esse; sed potius in caloris priuatione consistere; nam reuerâ tunc aliquod corpus videtur frigescere, quando destituitur particulis calidis, hoc est aptis sese quaquauersum mouere, modo nuper explicato. Nec à veritate penitùs abhorret sententia dicentium humiditatem non accidentariam formam, prout à Peripateticis explicatam, existimandam esse, cùm potius videatur consistere in laxa quadam textura particularum, quæ tali sint figurâ donatæ, ut laxo modo contextæ reddere possint corpus diffluens, & labens, quod est humidum esse, undecunque laxitas illa proueniat. Siccitas verò contrariâ ratione poterit expediri, dicendo nimirum illam in eo consistere, ut corpus dicatur siccum, quatenus constat particulis ad eum modum figuratis, ut cùm arctè fuerint connexæ, corpus efformet consistens, impotens diffluere, atq; dilabi, quod est siccum esse. Ad colores quod attinet, nullus mihi perferendus labor in ostendendo colores non aliâ ratione procreari, quàm reflexione, refractioneve luminis, cùm euidentibus experimentis huic erudito seculo innotuerit, manem esse partitionem antiquitùs institutam colorum in apparentes, & reales, adeout illi ex reflexione, vel refractione luminis; hi autem ex permixtione primarum qualitatum oriantur, cùm potius omnes uniusmodi sint à lumine ortum ducentes. Pleroſque verò qualitatibus more Peripateticorum explicatis, abusos fuisse, non obscurè meâ sententiâ declarant opacitas & diaphaneitas; enim verò, ut in Physicis ostendam, utraque in quadam ordinatione particularum posita est, & pro varia ordinatione ipsarum, corpus habet, ut sit imperuium, vel peruium lumini, & ob id opacum, vel diaphanum; non autem

Quomodo ex eorundem opinione, passio, & patibilis qualitas explicentur.

Calor in quo ex horum opinione consistat.

Combustio quid.

Frigiditas quid.

Humiditas quid.

Siccitas quid.

Colores quomodo procreentur.

Pleriq; qualitatibus Peripateticis abusi sunt.

Digitized by Google

ab accidentaria forma, quæ dicatur opacitas, vel diaphaneitas, ut placuit illis, qui ad nauseam usque tales formas multiplicare conati sunt.

Non spernenda dubitatio de pulchritudine, & deformitate; ægritudine, & sanitate, nam reuerâ non est, cur huius diuisionis quadrimembris adeo quispiam satagat, ut ad unum ex illis membris commemorata velit reuocare, cùm singula sint aggregata ex pluribus omninò diuersis, & ut à pulchritudine ducam exordium. Pulchritudo quidem à Græcis dicitur Καλλονή, siue Κάλλος, Tullio verò sic describenda videtur. *Pulchritudo corporis quædam est apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate.* Hæc sanè, forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultûs maiestas, fulgor, vigor, & oculorum lumen, quæ spectantes mouet, ac tenet, & velut admonet, quænam species primi à summo Artifice, initio rerum hominis fuerit. Cuius venustas magnam vim ad conciliandam aspicientium beneuolentiam habet. Quam etiam barbaricæ manus verentur, & ad cuius aspectum immanis itidem oculus mansuescit. Nec sanè mirum, acutiùs enim telo vulnerat, & per oculos in animam desluit. Hæc autem si rectè aduertas; non quidpiam simplex, unumque genere inuenies; sed potius aggregatione unum, cùm autem in his pulchritudo consistat; hæc ob id ineptè fuit tanquam simplex accidentaria forma ad qualitatis genus reuocata, sub quo speciei locum obtineat. Quæ autem de pulchritudine dixi, de turpitudine, seu deformitate intelligi posse, nemo ibit inficias, si contrario modo explicentur; nam contrariorum contraria primordia sunt. Ægritudo etiam, & sanitas insulsè creduntur simplices qualitates; nam cùm omnes homines se tum sanos existiment, cum naturales vitæque necessarias actiones rectè possint obire, sanitas propterea definita fuit à Medicis hunc in modum. *Sanitas est corporis humani, eas, quæ secundum naturam sunt, actiones exercendi potentia, à partium omnium naturali constitutione prouenientes.* Quam definitionem sic oportet intelligas, ut non solùm is sanus esse dicatur, qui actiones naturales obit, sed etiam qui eas non obit, dummodò tamen obire possit; unde Galenus dicebat ἐ τὸ ἐνεργεῖν ἐστι τὸ ὑγιάζειν, ἀλλὰ τὸ δύνασθαι. *Non operari, sed posse, est sanum esse*; nec alibi aliud sibi voluit, dum ait sanitatem esse διάθεσιν κατὰ φύσιν ἐνεργείας ποιητικὴν. *Dispositionem secundum naturam, actionis auctorem.* Quis autem dixerit, his admissis, sanitatem esse quandam simplicem formam accidentariam? si talis enim est sanitatis natura, nemo non intelligit in symmetria quadâ esse constitutam, quorû autem symmetria sit declarare, penitùs ab instituto videtur alienum. Si verò contrariâ ratione rem explicemus, quid de ægritudine dicendum, non obscurè constabit. Superfunt forma, & figura, quæ profectò difficultatibus non vacant, nam præter superiùs dicta, illud etiam occurrit, quòd figura reuerâ ad situs prædicamentum pertinet; si tamen ipsa, tanquam præseferens aliquid positivum accipiatur; alioquin, ut in priuatione consistens terminationem duntaxât magnitudinis intrinsecam importat, quæ profectò nil ultra magnitudinem positivum addit, sed priuationem tantummodò ulterioris extensionis dicit; unde vulgatum illud. *Artifex incisionis figuram nihil addendo, sed potius removendo, facit*; qua significatione figura à re figurata ex rei natura minimè distinguitur, nec alibi, quàm in prædicamento quantitatis, collocanda.

In uniuersum autem de his ita sentio, ut credam geminam esse qualitatem recognoscendam, quarum una propriè qualitas dicatur, videlicet illa, quæ Peripateticis arrisit, cuiusmodi sunt habitus insidentes in anima, sic etiam & impulsus à proijciente communicatus proiecto, unde hoc habet, ut etiam seiunctum, ac separatum à manu proijcientis, feratur per medium, & id genus alia, quæ nimirum ad primam qualitatis speciem possunt reuocari. Alia verò sit qualitas minus propriè dicta, & iam explicatæ proportione respondens, itaut ab utroque genere aliqua dicantur qualia; hoc tamen discrimine, quòd à qualitate prioris generis, qualis nomenclationem consequantur, tanquam ab accidentaria forma sibi inhærente. A qualitate autem posterioris generis, tanquam ab aliquo adhærente, vel saltem non inherente, sed sic se habente, ut inde possit denominatio qualis in aliud deriuari. Nec forsan hoc alienum penitùs ab Aristotelis mente; cùm enim ipse rarum, & densum, asperum & læue dixisset aliena esse à qualis diuisione, subdit Ἴσως μὲν οὖν καὶ ἄλλος ἄν τις φανείη τρόπος ποιότητος. *Fortassis autem, & quidam alius qualitatis modus* esse *videbitur*. Non me præterit interpretibus videri Philosophi consilium eò tendere, ut doceat aliam esse speciem qualitatis; sed hanc ægrè vulgatam interpretationem recipio, quoniam ille dixerat densum, & rarum; asperum, & læue, videri aliena à supra posita *qualis* diuisione; quanuis denominentur, per modum qualis; quasi dicere voluerit, se quidem paulò antea docuisse, qualitatem esse, à qua aliquid dicitur quale; illud sibi tamen superesse difficultatis, quòd denlitas, & raritas, asperitas, & læuitas tribuunt denominationem *qualis*, cùm tamen qualitates non sint, sensu à se antea explicato, sed potius ad situm spectantia; ideo addit, alium fortassis esse qualitatis modum; quia nimirum aliunde haberi potest, *qualis* denominatio, quàm ab accidentaria forma, quæ propriè *qualitas* dicitur, velut illa, quæ non alium habet modum afficiendi subsstantiam, quàm per modum *qualificantis*; cùm alioquin alia sic de subsstantia per modum qualis dicantur, ut etiam hoc ipsis aliis peculiari ratione conueniat; nempe quantitas, ita qualificat, ut specialim denominet subsstantiam quantam, & ita de cæteris, quod superiùs etiam aduerti. Non igitur alienum penitùs ab Aristotelis consilio, dari qualitatem ἀναλόγως, ideſt proportione respondentem, qualitati propriî significatione sumptæ. Atque hunc in modum calor, humiditas; siccitas, opacitas, diaphanicitas &c. qualitates dicentur; Vt enim de his duabus postremis pauca quædam subijciam; satis euidens opacitatem non aliud esse, quàm ordinationem quandam particularum minimarum, quæ ad corporis texturam faciunt; unde est, ut aliquod corpus alioquin diaphanum factâ duntaxât mutatione ordinationis prædictæ opacum euadat; hoc autem plurimis modis assecuti sumus, præsertim in aquam rosaceam per alembicum, seu vas destillatorium plumbeum destillatam, tantùm olei ex tartaro infundendo, quantum aquæ copia videbatur requirere; inde siquidem aqua alioquin perspicua, statim opaca, & lacti persimilis non solum candore, sed etiam opacitate reddita est. Et quod mirum, superinfusis aliquot guttis spiritûs vitrioli, vel sulphuris pro ratione copiæ eiusdem aquæ, statim ad pristinam diaphaneitatem rediit, cum autem ambientis, ac ob id, & eiusdem aquæ perseueraſset constitutio penès qualitates primas, non erit cur subeat animum suspicio, aquæ diaphaneitatem, & opacitatem, veluti formas accidentarias de genere qualitatis, à qualitatibus primis mutuâ pugnâ ad talem, vel talem temperaturæ gradum redactis, prouenisse; sed potius à vario particularum ordine in Physicis explicando; adeout corpus non aliunde peruium

vel

Pulchritudo quid.

P. Æmil. lib. 2.

P. Iouius hist. lib. 4. & 5.

Leucippus apud Ant. à max. ser mone de pulchritudine.

Ægritudo & sanitas quid.

Sanitatis definitio.

De differ. morb. cap. 2.

De differ. Sympt. cap. 2.

Forma, & figura quo modo explicandæ.

Duplex qualitas recognoscenda.

ex Aristotelis sententia.

Aristotelis auctoritas ad probandũ alium esse qualitatis modum.

Digitized by Google

vel imperuium lumini; proindèque diaphanum, vel opacum reddatur; Et ut paucis rem uniuersam complectar, etsi qualitatem à Peripateticis explicatam inficiari minimè liceat; non propterea tamen existimandum quidquid præbet denominationem per modum qualis, talem esse, qualis illa perhibetur, nimirum accidentaria quædam forma educta è potentia subiecti, cùm aliud, & etiam substantialis naturæ possit id esse, à quo huiusmodi denominatio deriuetur. Silentio nec illud inuoluendum, quòd si qualitates primæ explicentur ad eum modum, quo explicari posse nuper dicebam, dispositiones materiam præparantes ad substantialem formam suscipiendam longè diuersâ ratione se habebunt, ac vulgò dicuntur, quorum consideratio, non est cur nos hìc magis detineat, cùm ad Physicum potius ipsa pertinere videatur.

SECTIO QVINTA.

De Proprietatibus, seu affectionibus Qualitatis.

rima, litatis prietas habere trariũ.

PRima qualitatis proprietas fuit ab Aristotele quidem expressa dicendo. Τπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν, οἷον ἡ δικαιοσύνη, ἀδικίᾳ ἐναντίον, καὶ λευκότης μελανίᾳ, καὶ τἆλλα ὡσαύτως καὶ τὰ κατ' ἐνέργειας δὲ λεγόμενα ποιά, οἷον, τὸ ἄδικον τῷ δικαίῳ, καὶ τὸ λευκὸν τῷ μέλανι. *Ineſt autem contrarietas in qualitate, ut iuſtitia, iniuſtitiæ contraria eſt, & albor nigrori, & itidem cætera. quin etiam, quæ ab eis qualia dicuntur, ut iniuſtum iuſto, & album nigro.* Ex Aristotele igitur prima qualitatis affectio, est habere contrarium, quæ illi tam in concreto, quàm in abstracto conuenit; calidum enim frigido, & caliditas frigiditati; album nigro, & albe-

ideratio

do nigredini aduersatur. Aduertendum tamen seuerè non usurpandam hoc loco contrarietatem; hoc enim sensu primis tantummodò qualitatibus conuenit, velut actione propriâ se mutuò expellentibus ab eodem subiecto; sed absolutè sumendam pro repugnantia duarum formarum magis inter se, quàm cum tertio pugnantium, & ab eodem subiecto communi se formaliter expellentium; siue id fiat actione propriâ, siue actione alterius; alioquin iustitia, & iniustitia: albedo, & nigredo contraria dici non possent, cùm non actione propriâ, sed causarum suarum à communi se expellant subiecto.

ficultas

Hinc tamen difficultas emergit, nam si rem sic se habere diceremus, posset quispiam obijcere perperàm ab Aristotele dictum fuisse, proprium qualitatis esse habere contrarium, cum superiori modo explicata contrarietas substantialibus quoque formis conueniat, hæ siquidem actione propriâ se inuicem ab eodem subiecto formaliter expellunt. Ad hanc autem difficultatem emolliendam, iuvat memoriâ quidem repetere, quæ nos alibi de formarum contrarietate

Solutio.

tractauimus; diximus enim ad veram contrarietatem, determinatam repugnantiam requiri, nec satis esse ut aliqua forma æquè omnem excludat, quin potius esse opus, ut forma à subiecto determinatam formam expellat; quod cùm ita sit, non sequitur contrarietatem, quæ tanquam proprietas, & affectio qualitati adscribitur, substantialibus etiam formis competere; nam forma substantialis non excludit simpliciter determinatam eiusdem ordinis formam à subiecto, neque hanc magis, quàm illam, sed æquè potius omnem disparatam expellit, & cum quacunque indiscriminatim, nisi una sit alteri essentialiter subordinata, repugnantiam habet; unde est, ut contrarietas accepta pro determinata repugnantia inter duas formas circa idem subiectum, sit adeo qualitati propria, ut illi soli conueniat. Neque dicas hoc etiam actioni, passionique consentaneum esse, nimirum habere contrarium, non enim eodem modo id certè contingit: enim verò qualitati non ratione alterius conuenit habere contrarium; secùs autem actioni, & passioni, quibus non competit, nisi ratione qualitatum, ad quas terminantur.

Præcentio diffi cultatis eiusdemq; solutio.

Cùm verò dictum superiùs fuerit mutuam hanc expulsionem gemino modo contingere, vel actione propriâ, vel alterius; satis euidens, contrarietatem iuxta priorem expulsionis modum, solis primis quatuor qualitatibus conuenire. Dubium autem num sumptâ expulsione, posteriori acceptione, contrarietas omnibus qualitatibus conueniat. Philosophus videtur negatiuam sententiam amplexus; nam ait. Οὐκ ἔστι παντων δὲ τὸ τοιοῦτον συμβαινειν· τῷ γὰρ πυῤῥῷ, ἢ ὠχρῷ, ἢ ταῖς τοιαύταις χροιαῖς, οὐδὲν ἔστιν ἐναντίον, ποιοῖς οὖσι *Sed non in omnibus hoc contingit, nam flauo, aut pallido, aut huiusmodi coloribus nihil eſt contrarium, cùm sint qualia.* Potest nihilominus hæc affectio sic intelligi, ac explicari, ut omni competat qualitati; hoc autem contingit, si τὸ *omni* distribuat, ut Dialectici loquuntur, pro generibus singulorum; non autem pro singulis generum; propterea quod contrarietas hæc reperiri potest inter species primæ qualitatis, videlicet inter plurimos habitus, & dispositiones; sic etiã inter qualitates secundæ speciei sumptâ præsertim naturali impotentiâ pro positiua quadam ineptitudine ad aliquam actionem exercendam, quo pacto quę in oculo facilem reddit usum potentię visiuę, contraria erit humori, qui suâ prauitate positiuè impedit usum eiusdem potentiæ. Reperitur autem maximè inter qualitates tertiæ speciei, de quibus nulla potest esse difficultas. Potest denique hæc eadem contrarietas esse inter qualitates quartæ speciei, prout huic in qualitatis prædicamento sedes conceditur; ita quidem inter sanitatem, & ægritudinem, insuper inter formositatem, & deformitatem, aliquam intercedere contrarietatem, nemini dubium esse potest. Cæterùm cum Philosophus dixit, coloribus medijs contrarietatem non conuenire, docere tantùm voluit, inter illos non esse contrarietatem talem, qualis est inter colores extremos; nam alioquin ex maiori, vel minori extremorum participatione, benè potest medius color extremo esse contrarius; quo pacto fuscum, quatenus aliquid nigroris includit, albo non insulsè contrarium dicitur, quod non alienum ab Aristotelis doctrina, cum is aliquando protulerit, καὶ τὸ φαιὸν λευκὸν πρὸς τὸ μέλαν, καὶ μέλαν πρὸς τὸ λευκόν. *Et fuscum* comparatum *ad nigrum*, est *album*, & comparatum *ad album est nigrum*. quod ideo dixit, quoniam colores medij si non ratione sui, saltem ratione extremorum, quæ aliquo modo scilicet vel formaliter, vel virtute continent, proprietatem hanc sibi vendicare possunt.

5. Phyſ. cap. 1.

Eâ autem ratione ductus qualitati Philosophus hanc proprietatem adscripsit, quoniam omnes formæ repugnantes, quæ se mutuò ab eodem subiecto expellunt, modo iam declarato, contrariæ sunt; cùm igitur aliquas qualitates obseruasset, sic se habere, nimirum iustitiam, & iniustitiam spectantes ad primam speciem, calorem, & frigiditatem ad secundam vel tertiam speciem pertinentes; propterea qualitati proprietatem hanc concedendam decreuit, eo modo, quo superiùs innuimus.

Ratio qua ostenditur hanc proprietatem qualitati conuenire

Hìc porrò cum Aristotele adnotandum occurrit, videlicet, quòd si contrariorum alterum sit quale, etiam & reliquum esse quale; quod ait, ex singulis alias percurrenti categorias, perspicuum esse; ut si iustitia est iniustitiæ contraria, iustitia verò sit qualitas: certè & iniu-

Adnotatio

iniustitia qualitas erit, eòquòd nulla alia categoria iniustitiæ conueniat, nimirum nec quantitas, nec ad aliquid, nec ubi, nec omninò eiusmodi quidpiam præter qualitatem. Eodemque modo rem se habere docet in aliis, quę in qualitate contraria sunt. Veritas hæc ex eo planè splendescit, quia contraria sub eodem genere posita sunt, ut ex eorum definitione constat, cùm contraria dicantur, quæ sub eodem genere maximè distant; sub quo ergo genere, unum sub eodem contrariorum alterum contineatur oportet; quare si unum contrariorum sub genere qualitatis, sub eodem quoq; & alterum contineri necesse est; proindèque si unum contrariorum fuerit quale, reliquum erit quale, & si unum fuerit qualitas, & reliquum etiam qualitas erit.

Prima difficultas. Non videtur tamen qualitas habere contrarium. Quod enim sub nullo ponitur genere, nec potest contrarium habere, cùm contraria sint, quæ sub eodem genere ponuntur; at verò cuique manifestum est, qualitatem sub nullo genere poni, cùm ipsa sit genus generalissimum; ob id habere contrarium qualitati repugnabit.

Solutio. Hâc tamen argumentatione haud cogimur qualitati denegare attributũ, quod illi Philosophus scitè admodum adscripsit. Qualitas enim, quanuis in uniuersum sub aliquo genere constitui non possit, & hunc in modum contrarium non habeat; ut in suis tamen speciebus existit, contrarium habere potest, eò quòd ex ipsis, utpotè sub genere contentis, quædam esse possunt, quæ sub eodem genere maximè inter se distent, quod est eas esse contrarias. Non ineptè igitur hoc attributum qualitati Stagirites adscripsit.

Secunda difficultas. Quoniam verò Philosophus dicebat, nullum colorem medium habere contrarium; propterea sunt, quibus videatur culpâ dignus, eò quòd sit id plurimum à veritate alienum; nam inquiunt, potest fieri motus à medio ad extremorum utrumque, videlicet à rubeo ad album, & ad nigrum; motus autem inter contraria exercetur; rubeum igitur, & albo, & nigro contrarium erit; sed rubeum est color medius, album, & nigrum colores extremi; propterea color medius coloribus extremis aduersatur.

Solutio. Difficultatis tamen solutio ex eo petenda, quoniam contrariorum medium spectari potest, prout medium est & ratione sui; hoc autem modo nequit extremis esse contrarium; considerari etiam potest, quatenus est extremorum particeps, & hunc in modum extremis aduersatur, quatenus scilicet ratione unius dici potest contrarium alteri ex extremis; ita quidem rubeum quatenus nigrorem participat, aduersatur albo, & quatenus est albedinis particeps, opponitur nigro. Medium igitur colorem Stagirites accipiens, iuxta priorem usurpationem asserebat extremis contrarium non esse; nec immeritò, propterea quòd sic acceptum haud maximè distat ab extremis.

Tertia difficultas. Aduersus etiam id, quod paulò post Aristoteles dicebat, nempe si alterum contrariorum fuerit quale, & reliquum debere esse quale, difficultas insurgit; quoniam contraria maximè distant; non ergo conueniunt in aliquo; proindè nec etiam in genere. **Solutio.** Clarè tamen solutio constat; quandoquidem contraria maximè distare, non intelligendum simpliciter, sed quodammodò, nempe sub eodem genere; imò tantum abest, ut huic maximè distantiæ repugnet conuenientia in genere, ut potius illam requirat.

Secunda qualitatis proprietas est suscipere magis, & minus. Secunda qualitatis affectio est, quam Stagirites ita nempè descripsit. Ἐπιδέχεται δὲ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά. λευκὸν γὰρ μᾶλλον καὶ ἧττον ἕτερον ἑτέρου λέγεται, καὶ δίκαιον ἕτερον μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ αὐτὸ δὲ ἐπίδοσιν λαμβάνει. λευκὸν γάρ ἐστι, ἐπιδέχεται λευκότερον γίνεσθαι. *Recipiunt autem qualia intensionem, & remissionem, album enim, magis, & minus alterum altero dicitur. Et ipsum alterum altero magis & minus, quin etiam* unum & *idem recipit incrementum, quod enim candidum est, candidius fieri potest.* Hoc est, ut Scholastici dicunt, proprium est qualis recipere *magis*, & *minus*; rectè quidem ita vertunt, quandoquidem græcus codex habet τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον; at verò μᾶλλον, & ἧττον idem sonant Græcis, ac Latinis *magis*, & *minus*. Proprium itaque dicendum qualitatis intendi, & remitti, nam qualitas una, est intensior alterâ; calidum nempe unum est calidius altero, quia nimirum habet plures caloris gradus, quàm illud: Ita idem, tempore diuerso contingit, ut modò magis, modò verò minus calidum sit; quæ splendidis verbis Aristoteles explicuit. Hæc autem intensio, & remissio intelligenda est secundum gradus indiuiduales formæ, quo pacto sic est qualitati adæquata, ut illi soli competat & omni, & semper. Soli quidem qualitati competit; nam etsi quædam relationes, item, actio, & passio, magis, & minus suscipere dicantur; adhuc tamen affectio hæc dicenda soli qualitati conuenire; quoniam cæteris commemoratis conuenit merito qualitatis, relationibus enim, quatenus super qualitatem fundantur; actioni, & passioni, quatenus ad qualitatem plerunque terminantur; at verò qualitati intensio, & remissio conuenit sine dependentia ab alio, adeo ut qualitas hanc affectionem sibi vendicet ratione sui, non autem alterius. Conuenit etiam omni qualitati.

An hæc proprietas conueniat in abstracto. Subdit autem Philosophus ab aliquo dubitari posse, an hæc affectio qualitati in abstracto conueniat; an scilicet iustitia magis, & minus, quàm alia iustitia dicatur; similiter de affectionibus alijs; unde ait ex opinione quorundam iustitiam iustitiâ, minorem maioremve, aut sanitate sanitatem dici non debere, quanuis alium quidem alio, & saniorem dicant, & iustiorem, quod etiam in Grammatica, & cæteris affectionibus omnibus contingere arbitrantur, nam minus alterum altero sanitatis, & iustitiæ minus alterum altero habere dicunt: itidemque minus Grammaticæ & aliarum affectionum. Quæ autem ab ipsis dicuntur, qualia, apud omnes intensionem, & remissionem recipiunt; nam magis Grammaticus alter altero dicitur, & iustior, & sanior, & in alijs itidem se res habet. *Philosophi hac de re sententia qualis videatur.* Videtur autem Philosopho placuisse non abstracta, sed concreta magis, & minus suscipere; itaque omni qualitati in concreto acceptæ, seu omni qualitatis concreto, hæc affectio conueniet; sed de hac difficultate mox verba redibunt. Dubium tamen est de mathematicis figuris, nam ijs, quæ à figuris dicuntur, videtur hanc proprietatem Philosophus denegasse. *Triangulum verò*, inquit, & *quadratum non videntur recipere intensionem, & remissionem, neque ulla alia figura; nam quæ recipiunt trianguli, & circuli definitionem, omnia æquè trianguli sunt, circuli sunt; ex ijs verò, quæ non recipiunt eandem definitionem, non dicetur alterum altero magis tale; nihilo enim magis quadratum, quàm altera parte longius est circulus: cum neutrum recipiat circuli definitionem. Simpliciter autem, nisi ambo recipiant rei propositæ definitionem, non dicetur alterum altero magis tale. Itaque non omnia qualia recipiunt intensionem, & remissionem.* Sed hęc forsan eâ ratione ductus protulit; quoniam earum esse in indiuisibili consistit; figuræ nanque circulum esse, vel non esse absolutè conuenit, cùm non dicatur figura aliqua magis, vel minus circulus, quàm altera; nec quadrangulum unum, magis quadrangulum altero, sic etiam de cæteris.

Hoc tamen non perturbat interpretes; tum quia inquiunt

quiunt, quæ in quarta specie ponuntur qualitatis, verè qualitates non sunt; tum quia nec etiam Stagirites omnibus qualitatibus quartæ speciei proprietatem hanc denegauit, cùm eam pulchritudini, & deformitati; sanitati, & ægritudini ultrò concesserit. Addunt etiam hanc proprietatem supradictis figuris quodammodo conuenire, cùm lineam unam dicamus esse magis rectam, vel magis curuam, quàm aliam. Conuenit etiam semper qualitati proprietas de qua loquimur. Dubium tamen est superius tactum de qualitate in abstracto accepta, cui nos ex Aristotele dicebamus hanc affectionem denegandam. Sed huius difficultatis enodatio, & simul etiam verborum, quæ Philosophus protulit, interpretatio ex nominis acceptione pendet, propterea quòd, si qualitatis nomen in abstracto sumptæ, nos usurpemus ad significandam essentiam, & quidditatem qualitatis, proculdubio, qualitati non conueniet suscipere magis, & minus; cùm essentia uniuscuiusque rei in indiuisibili consistens, nullam latitudinem habeat, sine qua nequit magis, & minus suscipere. At si qualitatis nomen usurpetur ad significandam rem ipsam, quæ qualitas est, nulli dubium, quin ei conueniat suscipere magis, & minus; hoc tamen sensu, quòd exercitium intensionis, & remissionis, subiectum requirat, aptitudo verò formę, etsi cum ordine ad subiectum, conueniat, hoc tamen actu minimè requirens; nam ut reipsâ forma possit secundum gradus indiuiduales intendi, & remitti, postulat subiectum; cùm intensio, vel remissio in eo consistat, ut plus, vel minus de entitate formæ in eadem subiecti parte acquiratur; unde sine subiecto exerceri non potest; aptitudo tamen, in qua proprietas consistit, subiectum actu non exposcit, sed ordinem ad ipsum importat. Adeo verò hæc affectio *qualitati* conuenit, ut etiam in abstracto dici soleat qualitatem esse magis, vel minus intensam; habitum iustitiæ, magis, vel minus intensum; calorem &c. itaut magis vel minus supra latitudinem graduum individualium non supra quidditatem in abstracto sumptam, cadat.

Difficultas. Cùm autem quis obiecerit. Albedo una non magis albedo dicitur, quàm alia, neque nigredo est magis qualitas, quàm albedo, & ita de cæteris qualitatibus, proindè nulla qualitas videtur suscipere magis, & minus.

Solutio. Respondendum ut paulo antea dicebam, qualitatem in abstracto proprietatem hanc sibi vendicare, prout proprietas aptitudinem dicit; alioquin ut exercitium importat, eam sibi arrogare non potest; cum ad id subiectum exigat.

Tertia qualitatis proprietas est simile, vel dissimile secundùm eam dici. Tertia proprietas qualitatis est sic ab Aristotele descripta. Ὅμοια ἢ ἀνόμοια λέγεται κατὰ μίαν τὴν ποιότητας. ὅμοιον δὲ ἕτερον ἑτέρῳ ἐν ἔστι κατ' ἄλλο εἶδος, ἢ καθ' ὃ ποιόν ἐστιν. ὅτι ἴδιον ἐν εἶναι τῆς ποιότητος, τὸ ὅμοιον ἢ ἀνόμοιον λέγεσθαι, κατ' αὐτὰ. *Similia verò, aut dissimilia secundum solas qualitates dicuntur. Simile enim alterum alteri, non est aliâ ratione, quàm quâ est quale. Quare proprium qualitatis fuerit, simile vel dissimile secundum eam dici.* Hæc igitur postrema qualitatis affectio est, ut secundum eam aliquid simile, vel dissimile dicatur; quemadmodum secundum quantitatem dicitur æquale, vel inæquale.

Cum autem asseritur, qualitatem esse, secundum quam aliquid simile, vel dissimile dicitur; id intelligendum quantum ad fundamentum, adeo ut *tò secundum* rationem fundamentalem, non formalem importet; simile verò vel dissimile, accipienda sunt prout aptitudinem, non actum præseferunt, ut paulo antea de secunda proprietate adnotauimus.

Adnotatio. Non prætereundum similitudinem, atque dissimilitudinem amplè, & absolutè acceptas, per omnia rerum genera vagari, sic enim similitudo quamlibet conuenientiam, & dissimilitudo discrepantiam importat; hoc autem pacto non est qualitati proprium, secundum eam aliquid simile, vel dissimile dici; nam & duæ relationes similes, vel dissimiles dici possunt; sic etiam & alia; at verò presâ quâdam usurpatione similitudine & dissimilitudine sumptis, est qualitatis proprium secundum ipsam aliquid simile, vel dissimile dici.

Quid postremo loco Philosophus doceat & difficultates ab eo propositæ itemque solutæ. Ad extremum. Stagirites quandam obiectionem soluit, quæ nimirum ex collatione eorum, quæ modo dixit, cum superioribus emergit: Docuerat enim habitus, & dispositiones esse ad aliquid; nunc asserit esse qualitates; quæ pugnantia planè videntur, & indigna Philosopho. Huic difficultati duas adhibet solutiones; ait enim habitus, & dispositiones, quoad genera ad aliquid pertinere; quoad singularia autem; hoc est, quoad species ad qualitatem spectare. Idque confirmat, ex eo quia nos rectè dicimus scientiam esse alicuius rei scientiam; sed grammaticam alicuius rei grammaticam non asserimus; quemadmodum neque musicam alicuius musicam, & ita de reliquis. Secunda verò solutio in eo posita scilicet nullum incommodum esse, rem eadem ad prædicamenta diuersa pertinere, inspecta tamen secundum varias, quibus prædita est, rationes, atque formalitates, quibus naturas diuersarum generum participat.

Solutiones ab aliquibus reijciuntur. Hæ tamen solutiones non omnibus constare numeris existimantur; unde plerique Philosophum culpant in primis eo nomine, quòd impossibile sit superius ad unum prædicamentum, & inferiora ad aliud spectare, cum prædicamentum totam superiorum, & inferiorum seriem includat, & illorum essentia in istorum ratione includatur.

Prima obiectio. Deinde, inquiunt, quemadmodum se habent scientiæ & habitus in communi ad obiectum commune, ita etiam scientia, & habitus specialis ad propria obiecta; si igitur illa propter huiusmodi respectum sunt relata, hæc etiam esse relata oportebit.

Secunda obiectio. Tertiò arguunt. In prædicamento sedem non habet, nisi id, quod eius rationem participat; fieri autem nequit, ut eadem res simul plures habeat essentias; idcirco, nec in pluribus prædicamentis possit collocari.

Tertia obiectio. Iniuriâ tamen his rationibus adducti Philosophum carpunt; quandoquidem ipse primam solutionem afferens, non affirmat scientiam, & habitum esse vera relata de prædicamento ad aliquid, sed potius ex eorum numero, quæ ipse appellat secundum dici, ut sequenti Dissertatione videbimus; huiusmodi autem relata ex eius sententia reipsâ sunt absoluta, proindeque ad prædicamentum relationis minimè spectantia.

Obiectionibus fit satis; & primæ & secundæ obiectioni occurritur. Discrimen porrò inter communia, & particularia, illud esse videtur, quòd communia nomina, scientia videlicet, & habitus, significant etiam habitudinem illam secum dici, quam particularia nomina non exprimunt.

Tertiæ obiectioni fit satis. Ad tertiam obiectionem, aduersus secundam solutionem, quòd spectat; non obscurè constat Philosophum esse locutum ex hypothesi, nimirum, si eadem res plures formales rationes participet, posse quoque ad plura prædicamenta spectare; quod nos etiam non multo ante aduertimus; & reuerâ hoc in actione, passioneque contingere dicebam, cum eadem entitas motûs, secundum rationem formalem unam, prædicamentum, actionis, secundum alteram, prædicamentum passionis constituit; eadem enim entitas motus, quatenus est actus entis existentis in potentia, prout in potentia, habet rationem motûs, & reducitur ad

Digitized by Google

prædicamentum sui termini; quatenus est actus, quo agens inducit terminum in subiectum, seu dat esse effectui, qua de re alibi disputandum, dicitur actio, & pertinet ad prædicamentum actionis; quatenus verò est actus, quo subiectum patitur ab agente, recipiendo terminum actionis ab ipso productum, dicitur passio, & ad passionis prædicamentum spectat.

Hactenus tamen explicata, tanquam ex Peripatetico penu desumpta cum audieris, proximum est, ut etiam, quæ ex aliorum sententia dici possunt, leuiter, patientique animo intelligas. Prima erat affectio, consequens qualitatis naturam *habere contrarium*; sumptâ contrarietate modo superius explicato; Nullidubium, quin hoc sit attributum qualitati, iuxta propriam usurpationem conueniens; unde virtutes, & in uniuersum habitus animæ insidentes, hoc modo contrarij sunt, quippè qui mutuò se possunt ab eodem subiecto expellere, ad eum modum, quo esse opus ad veram contrarietatem dicebam. Sed ut ἀναλόγως, hoc est proportione respondens qualitas dici potest, ita etiam illi, per analogiam superior affectio potest accommodari, quod in opinionem dicentium calorem, æquè, ac frigiditatem in effluvij corpusculorum consistere, quàm appositè cadit; enim verò, ad intrusionem calidorum corpusculorum, fit frigidorum extrusio, adeo ut extrusio sit mutua, cum victoria ex parte prævalentium, quemadmodum in qualitatibus propriè, seuerèque sumptis, usu venire solet. At si frigus non aliud quàm priuatio sit; contrarietas cum calore ad alium oppositionis genus reuocanda. Si humiditas, & siccitas explicentur, quemadmodum explicari posse dicebam; contrarietas, de qua loquimur, seuerè quidem accepta in ipsis locum non habebit; quandoquidem humiditatem dicebamus eam esse, per quam corpus habet, ut sit diffluens, & labens; tale autem esse corpus ob texturam particularum laxam adeo, ut exiles particulæ, utpotè malè cohærentes nequeant corpus consistens hoc est siccum componere; itaque ut qualitates dicuntur humiditas, & siccitas, per quandam analogiam, quatenus ἀναλόγως, *analogos*; denominationem per modum qualis præbent; ita pariter existimandum eidem hanc proprietatem conuenire per analogiam ad synceram contrarietatem, consentaneam qualitati propriâ significatione sumptæ. Eodem modo de coloribus ratiocinandum, quando per lumen reflexum, vel refractum procreari dicantur.

Expenditur prima qualitatis affectio.

Secunda erat qualitatis affectio *suscipere magis, & minus*, quæ, ut de superiori prima quidem affectione dicebam, explicari potest, vel quatenus conuenit qualitati propriâ significatione sumptæ, vel etiam alteri, quæ illi proportione respondet; si frigus positivum quidpiam importaret, in effluvio corpusculorum talis, talisve figuræ consistens; attributum hoc egregiè utrique conueniret, per analogiam tamen ad attributum propriâ, seuerâque significatione acceptum; alioquin, dicetur non remitti calor per admixtionem frigoris, sed per effluxum particularum calidarum, sicut per intrusionem intendi: sic enim corpus pro minori, maiorive particularum illarum, quas excipit, sinuque complectitur, minus, vel magis calidum redditur. At si frigus in priuatione caloris constitutum dicatur, neminem præterit, *suscipere magis, & minus* attributum esse, alio modo expediendum; ut paulo antea dicebam. Cæterum hactenus dicta de qualitatibus primis, coloribus quoque accommodare licebit.

Da qualitatis affectio.

Tertia tandem affectio in eo consistens, ut per qualitatem aliquid alteri dicatur *simile*; similitudine pro fundamento. At hoc admittendum ab ijs, quibus similitudo videtur quadã forma superaddita rebus absolutis; ceteroquin album unum alteri simile esse, nullo labore potest intelligi, quatenus tot sunt gradus albedinis in uno, quot in altero; ad id enim breuiter explicandum, sapientum virorum solertia, nomen *simile* excogitauit, ad insinuandum id nempè, quod pluribus verbis explicandum foret, qua de re proximè nobis disserendum.

Tertia est pendens qualitatis affectio.

Cæterum ægrè ferrem alicui mirum videri, me sententiam commendasse dicentium, frigiditatem non esse quid positivum; sed potius in caloris priuatione consistere, eòquòd existimari posset oppositum asserendum, cùm non maior appareat ratio, cur hoc potius de frigiditate, quàm de calore affirmetur. Non sic tamen se res habet; enim verò, quod inditio est, frigiditatem in priuatione positam esse, non conuincit eodem modo de calore nobis esse ratiocinandum. Inditium porrò in eo positum, quòd per speculum concauum reflexis radijs calor in passo appositè applicato, potest intendi, ut constat, cum illud solaribus radijs exponitur; eòusq; calor enim intenditur, ut ignis etiam procreetur; at eiusdem speculi expositione factâ ad frigidissimum corpus, cuiusmodi est glacies, in passo quantumuis, ut par est, applicato, frigiditatis nunquam incrementum experti sumus; quod si fuisset animaduersum ab ijs; qui contrariam sententiam profitentur, omnem admirationem deponerent, nec tam facilè nos redarguendos arbitrarentur.

Adnotatio

DISSERTATIO XIX.

De Relatiuis.

Tractationis ordo.

Hucusque Stagiritæ vestigijs insistentes, absoluta prædicamenta tractauimus, quædam tamen ex neotericorum placito, seu potius ex veterum rediuiua sententia, non omittentes; nunc proximum est, ut de relatiuis disseramus, quorum naturam, ut infra dicam, Plato etiam perspexerat. Tametsi autem Metaphysici munus videatur hàc de re tractationem instituere; hic tamen non omittenda penitùs disputatio de relatiuis; mihi nanque cum his ipsis vix: his autem neglectis, ne vix quidem naturalis Philosophia videtur tractari posse. Quantumuis autem relationis nomen hic apud Stagiritam non habeatur, cùm is potius à relatiuis tractationis nomenclaturam desumpserit, forsan commodius hoc, & conformius appellationibus aliorum prædicamentorum existimans; communis tamen usus obtinuit, ut hæc disputatio de relationibus, scilicet, concretis in abstracta commutatis, inscriberetur. Res tamen leuioris momenti est, quàm ut in eius consideratione oporteat immorari. Ad id potius deueniendum, quod præ manibus considerandum habemus; Et ut in arenam descendam, circa nomen iuuat perpendere,

Quid sibi velit relationis nomen.

Digitized by Google

pendere, nempè relationem dici, rationem quandam, quâ unum refertur ad aliud; dicitur etiam ordo, quo unum ordinatur ad aliud; dicitur respectus, quo unum respicit aliud; & ad extremum, consueuit relatio appellari ad aliud, quoniam refertur; dicitur que per ordinem ad aliud.

Pertractatio plena difficultatibus est.

At si unquam est opus ingenij neruos intendere, profectò nunc; res enim adeo difficultatibus est implicata, ut exigui laboris non sit, ab ipsis sese expedire, si dicendum aliquid rationi consonum, & quod à veritate minime videri possit alienum; dabimus tamen operam, ut rem saltem non oscitanter tractasse videamur, quod libenter præstabo, nam Ὅσῳ πλείων ὁ πόνος, τοσῷ μείζων ἡ ἡδονή. *Vbi maior labor, illic maior voluptas. Quid igitur verius de relatiuis dici possit, nostrum erit in sequentibus aperire.*

SECTIO PRIMA.

An, & quid sit Relatio realis.

Quid propositum sit considerare.

EX Antiquis plerique relationes reales inficiabantur, existimantes eas esse entia rationis, per hoc intelligendo id quod non habet esse extra animam.

Prima quorundam opinio.

Hos autem, iuniores non pauci secuti sunt, dicendo relationes prædicamentales habere tantùm esse per mentis operationem, & idcircò reales non esse; & addunt ad quædam prædicamenta sufficere, ut potestate duntaxat extra animam sint, & eorum actus, mentis operatione compleantur.

Secunda Zenonis sententia.

Fertur Zenonem in eam opinionem abijsse, ut crederet reales esse relationes concedendas, ex ijs tamen non constitui unum quoddam prædicamentum, nec aliquod esse certum genus entis, quin potius per omnia prædicamenta, ac entis genera vagari, quò autem ipsius consilium tenderet, longè facilius explicare paulo infra licebit, sat in præsentia sit, eius placitum innuisse.

Tertia opinio.

Aliorum opinio est dicentium quamplurimas reales esse relationes, omnesque ad hoc prædicamentum spectare; propterea quòd respectum omnem ad terminum, etiam in aliorum prædicamentorum accidentibus inclusum, etsi minus præcipuè, ad prædicamentum hoc pertinere arbitrabatur. Ab hac sententia Philosophum non abhorrere contendunt, cùm is de relatiuis edisserens, habitus, atque dispositiones, sensum, scientiam, positionem, & alia id genus inter illa recenseat; neminem autem fugit positiones ad situs categoriam pertinere, reliqua verò commemorata sub qualitatis genere contineri. Addunt difficultatem hanc ab Aristotele tactam fuisse, cùm de qualitate disputaret, & ab eodem sic fuisse solutam, ut assereret ea, quæ ipse prædixerat ad aliquid esse, talia quidem existimanda generatim accepta, particulatim autem ad qualitatem, ut paulò post explicabo.

Duplex relationum genus.

Redeat autem unde huc fluxit oratio. Relationum duplex genus est; quædam enim sunt, quæ in quibusdam communibus prædicatis consistunt, qualia perhibentur, quę vel sunt prędicata communia si non omnibus, saltem pluribus prædicamentis; vel essentialiter in rebus aliorum prædicamentorum includuntur. Aliæ porrò sunt relationes, quæ cùm non ita sint communia prædicata, nec essentialiter in aliis prædicamentis inuoluantur; in hoc præcipuo, & ab aliis prædicamentis penitùs distincto sedem obtinent. Duo igitur sunt relationum genera, ad quorum primum pertinet ordo, quem essentialiter accidens ad suum subiectum inuoluit; hoc enim secundum suam essentialem rationem respicit subiectum, cui aptum est inhærere. Respectus itidē, quem creatura dicit essentialiter ad Creatorem, seu primam causam; hic enim ordo est essentialis dependentia ab illa; hæc autem prædicata pluribus prædicamentis communia sunt. Sub hoc eodē genere cōstituitur ordo, quem actio essentialiter dicit ab agente ad terminum, qui producitur; passio verò à subiecto ad formam, quæ recipitur; ordo etiam, quem dicunt vitales actus ad obiecta sua, ut visio ad colorem, auditio ad sonum, & in uniuersum omnis cognitio ad rem cognitam; sic etiam & ordo habitus ad suos actus, & obiecta; quandoquidem actio, & passio sibi peculiares arrogant categorias; actus autem vitales, itemque potentiæ, seu facultates & habitus in qualitatis prædicamento collocantur, & alia sunt huiusmodi quoque relatiua ad primum iam explicatum relationis genus pertinentia.

Quæ ad secundum relationis genus.

Relationes primi generis transcendentales appellari consueuerunt.

Relationes autem secundi generis, sunt æqualitas, & inæqualitas, similitudo & dissimilitudo; paternitas, & filiatio, quibus non alibi, quàm in præsenti categoria sedes concedi solet. Relationes autem ad primum genus attinentes, consueuerunt transcendentales appellari, quoniam transcendentium prædicatorum instar, sunt pluribus prædicamentis communes, vel per plura prædicamenta vagantur. De hoc tamen non idem Philosophorum sensus, cùm plerisque visum sit relationes duntaxat transcendentes nuncupandas esse, quæ sic generatim sumuntur, ut de pluribus possint prædicamentis enunciari, cuiusmodi ex eorum sententia est ordo accidentium ad substantiam: reliquas autem, quæ in aliis prædicamenis involuuntur, ut actionis ordo ad terminum, & actus vitalis ad obiectum, relationes secundum dici vocandas arbitrantur. Relationes autem secundi generis communi Sapientum calculo receptum est, ut prædicamentales nuncupentur, eò quòd peculiare ac certum hoc relationis prædicamentum constituant.

Relationes secundi generis prædicamentales dicuntur.

Ex Ocello Lucano relationum diuisio.

Partitionem aliam afferebat Ocellus dicens, τῶν πρός τι γενικώτερον διαίρεσις τετραχῶς διαιρεῖται, φύσει, τύχῃ, τέχνῃ, προαιρέσει. φύσει μὲν ὡς πατὴρ πρὸς τὸν υἱόν. τύχῃ δ' ὡς μαθητὴς πρὸς τὸν διδάσκαλον, τύχῃ δ' ὡς δοῦλος πρὸς δεσπότην, προαιρέσει ὡς φίλος πρὸς φίλον. *Eorum, quæ sunt ad aliquid, generalius diuisio quadrupliciter distinguitur, naturâ, arte, fortunâ, & electione. Naturâ quidem, ut pater ad filium, arte verò, ut discipuli ad doctorem, fortunâ autem ut seruus ad dominum; electione denique ut amicus ad amicum.*

Quid autem in re tam ardua dicendum, ut paucis complectar, crediderim omninò quædam relatiua proindeque quasdam relationes esse recognoscendas in natura; & certè non spernenda præstantissimorum Philosophorum in re proposita auctoritas; præcipua verò Platonis est; qui Ἆρ' οὐ κατὰ φύσιν δοκεῖ σοὶ τὸ μεῖζον μηδενὸς ἑτέρου δεῖν μεῖζον λέγειν, ἢ τὸ ἐλάττονος, καὶ ἐλάττονος αὖ τοῦ μείζονος ἔλαττον, ἄλλου δὲ μηδενός. *An non secundum naturam videtur tibi, maius nullius alterius oportere maius dicere, quàm minoris, & minus itidem, maioris minus, alius verò nullius?* Et alibi. Ἆρ' ὁ πατὴρ ἔστι πατὴρ τινός ἢ οὔ; ὅτι ἐσὶν υἱοσγε, ἢ θυγατρὸς πατὴρ οὔ; πατήρ; *Vtrum verò pater est, pater alterius, vel non?* Et respondet. *Quòd est, filij nempè, vel filiæ pater, pater est.* Imo alibi relatiuorum definitionem insinuauit, ut paulo post apertum faciam. Aristotelem prætereo, cùm nemo sit, qui frequentius, relatiuorum meminerit. Cuiusmodi autem sint relatiua, quæ memini liceat inficiari, non facile dictu.

In lib. Politic.

In Sympos.

Mihi certum relatiua, atque adeo relationes primi generis transcendentales appellatas, quæ propterea certum quoddam relationis prædicamentum non constituunt,

Relationes primi generis omninò con-

cedenda; nempè trã scendẽtales relationes, quæ in hoc prædicamento constitui non possunt.

stituunt, concedendas esse.

In hanc opinionem abire me illa compulit ratio, quia accidens reuerâ, & essentialiter est ens aptum inhærere subsantiæ, ut habitus iustitiæ aptus est sui natura inhærere animæ; sic & virtus impressa proiecto à proijciente; ergo dicit ordinem ad substantiam, cui aptum est inesse, & ita quidem, ut non possit explicari, nec intelligi sine huiusmodi ordine; quod ex ipso accidentis nomine leui opere deprehenditur, quandoquidem illud huiusmodi ordinem præsefert; ideò nanque dicitur accidens, quoniam alteri, hoc est substantiæ, accidit, ut propterea accidens entis ens dici consueuerit; nec existimandus hic ordo forma quædam accidenti superaddita, ut nullâ ratione quibusdam est visum, quin potius essentialis quædam ratio accidentis, communis omnibus accidentibus in plura prædicamenta distributis; unde est, ut huiusmodi ordo nequeat unico prædicamento concludi, nec adhoc relationis prædicamentum spectare. Amplius ens creatum dependentiæ ordinem ad causam creantem dicit, qui, non ut placuit aliquibus, forma quędam est accidentaria rei creatæ superaddita, quin potius ratio essentialis est entis creati, itaut hoc per illam essentialiter ab increato ente distinguatur. Hic autem ordo cùm omnibus entibus creatis communis sit, nequit in unico prædicamento sedem habere, sed potius veluti prædicatum transcendens debet per omnia prædicamenta vagari; proindèque talis ordo ad relationis prædicamentum distinctum à cæteris prædicamentis, attinere minimè poterit.

Rationes suadetur assertio.

Accidens entis ens.

Ex quæ in alijs prædicamẽtis constituuntur.

Hoc idem paritèr de aliis quibusdam transcendentalibus respectibus asserendum, satis est manifestum, cùm res plures sint in aliis prædicamentis constitutæ, quæ essentialem ordinem ad quempiam terminum inuoluunt, cuiusmodi est ordo, quem actio quidem ab agente ad productum terminum includit; itemque passio à subiecto ad formam, quam recipit; insuper ordo, quem vitales actus ad sua dicunt obiecta; huiusmodi autem ordo, quippè qui rebus ipsis essentialis est, in iis debet prædicamentis constitui, ad quæ res illæ pertinent, se habens per modum gradûs essentialis, siue generis, siue differentiæ, ut cuique potest esse perfectum, ac exploratum; quod ut exemplo res illustretur, inspiciendus actionis ordo ad terminum productum, constabit enim eum esse rationem essentialem actionis, in eiusdem prædicamento constituendus. Quod pariter in ordine habitûs, potentiæque ad actus, & obiectum obseruare licet, huiusmodi siquidem ordo ratio est essentialis habitûs, atque potentiæ, & cum ijsdem in qualitatis prædicamento reponendus.

Actionis exemplo res declaratur.

Prædictorum explicatio.

Quod sic intelligendum, ut ordines illos generatim acceptos, cum rebus, quibus essentiales sunt, uniuersè pariter sumptis usque ad indiuidua in singulis prædicamentis rerum earundem constitui dicamus. Non enim superiores gradus ad prædicamentum unum; inferiores verò ac indiuidua ad aliud prædicamentum referri possunt. Prædicamentum siquidem series est superiorum, & inferiorum graduum usque ad indiuidua, ac proindè omnia debent ad idem prædicamentum spectare. Huiusmodi igitur ordines, hoc, de quo loquimur, prædicamentum, suo nequit ambitu complecti.

Res transcendentaliter relatiuę etiam secundum formalem rationem in alijs

Quin potius existimandum, res ipsas in aliis categoriis etiam secundum formalem ordinis rationem constitui. In ipsis enim poni debent secundum suam essentialem rationem, cuiusmodi est ordinis ratio comparatione rerum, quæ sedem in ipsis prædicamentis obtinent. Ita quidem ordo potentiæ ad actum, & obiectum, essentialis est, prout etiam ad speciem qualitatis pertinet, similiter ordo actionis ad terminum essentialis est actioni, prout hæc proprium prædicamentum constituit.

prædicamentis constituendæ.

Et mirum est aliquibus oppositum placuisse; quandoquidem prædicamenta sunt rerum coordinationes, non in alium finem contextæ, nisi ut inde mens distinctam rerũ naturã assequi possit. At si res eędem generatim sumptę ad hoc prædicamentum spectarent, singulatim autem ad reliqua. Vel secundum formalem rationem ordinis, & relationis in hoc prędicamento: in ceteris verò secundum esse materiale spectarent; profectò huiusmodi rerum coordinationes menti non tam distinctionem, quàm confusionem afferent.

Hactenus dicta ratio ne suadeatur ex prædicamentorum structura.

Illud itidem accedit, quòd hoc solùm foret accidentis prędicamentum; nam accidens generatim acceptum, secundum formalem rationem ordinis ad subiectum, in hoc prędicamento constitueretur: omnia autem inferiora ad idem prędicamentum superioris pertinent: ob id accidentia omnia, utpote communem illam rationem participantia, in hoc eodem prędicamento collocanda forent; proindeque non nouem, sed unicum esset accidentium prędicamentum.

Studeant ratione deducta ab inconuenienti.

Nec tutum asylum, quò nonnulli confugiunt, dicere nimirum hunc ordinem non esse ad terminum intrinsecum, sed ad subiectum; nam reuerâ utcunque se res habeat, ordo est, proindèque respectus. Quòd si adhuc requiratur, ut ordo sit ad terminum extrinsecum, longè maius sequeretur absurdum, videlicet omne ens creatum secundum rationem ordinis ad causam creantem, in hoc prędicamento constituendum esse, cùm hic ordo planè sit ad terminum extrinsecum.

Quorundam refellitur.

Ex hucusque disputatis rectè concluseris, non quidquid habet esse ad aliud, in hoc prędicamento sedem nanciscì, proindèque relationis prędicamentum hoc, quod à Stagirita vocatur *ad aliquid haud* institutũ esse pro omni eo, quod ad aliquid dicitur, seu pro omni relatione, quin potius relationem in universum acceptam, quoddam esse prędicatum transcendens, quod commune est pluribus, imò prædicamentis omnibus, & per varia prædicamenta distribuitur.

Non quid quid habet esse ad aliud in hoc prædicamento esse constituendum.

Exhibet aliquid negotij Aristotelis auctoritas; nam ipse quandam relatiuorum definitionem attulit initio capitis de Relatiuis, ut videatur omnia relatiua complexus; proindèque credens ad hoc prædicamentum omnia relatiua spectare. Nam capite de Relatiuis, habitus, dispositiones, sensum, scientiam, positionem, & id genus alia inter relationes enumerat. Positiones autem sunt de genere situs; illa alia ad prædicamentum qualitatis, & alia ad alia prædicamenta pertinent; & ibidem Philosophus hanc ipsam difficultatem tangens, priùs respondet, illa, quæ dicta erant ad aliquid, huiusmodi generatim esse; particulatim autem accepta, non item, sed ad prædicamentum qualitatis pertinere; postea verò respondet. Ἔτι, ἐὰν τυγχάνοι τὸ αὐτὸ, καὶ ποιόν τι ὂν καὶ πρός τι ἐστίν. οὐδὲν ἄτοπον, ἐν ἀμφοτέροις αὐτὸ τοῖς γένεσι κατατετάξεται. *Præterea si idem sit quale & ad aliquid: nihil absurditatis* est, in utri que *generibus adnumerari*. Hinc superiori Dissertatione dicendum nobis videbatur, nullum incommodum esse rem eandem ratione tamen diuersâ ad diuersas referri categorias; ubi speciatim huiusmodi esse motum asseruimus, qui ut motus, ad categoriam proprii termini spectat, at secundum aliam duplicem rationem, duo determinata genera, actionis videlicet, & passionis constituit.

Difficultas ex Aristotelis auctoritate.

Non obscurè tamen constat auctoritatem hanc nullius esse momenti, cum Philosophus definitionem attulerit eorum, quæ ad aliquid, non ex propria sententia,

Solutio.

tia, sed ex aliorum consilio, quibus relatiua sic definienda videbantur. Id autem ex eo palam, quoniam postmodum ad finem Capitis, loco illius definitionis aliam substituit, ut à veteribus definitionem traditam corrigeret, & aliam exhiberet, quâ perbellè relatiuorum naturam explicaret. Priori tamen definitione multa comprehenduntur, quæ iuxta sensum illius in hoc prædicamento collocanda forent, quæ tamen ex eodem abiiciuntur, itaut eâ definitione Philosophus illa complexus sit relatiua, quæ in aliis prædicamentis sibi arrogant locum, unde inter relationes, habitus, dispositiones, sensum, scientiam, positionem, & id genus alia recensuit; manifestum autem positiones ad situs prædicamentum spectare, reliqua verò partim ad qualitatis prædicamentum, partim ad alias pertinent categorias. Cum autem respondet in prædicamento qualitatis, de hac difficultate sermonem instituens, illa quæ dicta erant ad aliquid, esse huiusmodi generatim accepta, singulatim verò sumpta, qualitates esse, non ad aliquid; deindèque subdit verba superiùs relata &c. solùm id agit, ut primâ responsione nobis faueat, quatenus dicit scientiam, & habitum esse relata prioris, non autem secundi generis, paulo antea explicati, atque adeo ad hoc prædicamentum non spectantia; dum autem secundam responsionem affert, ex hypothesi loquitur, docens nempè, si res aliqua pluribus rationibus constat, ad plura etiam prædicamenta posse reuocari.

Præter commemoratas relationes, quas transcendentales appellauimus, peculiares quasdam esse concedendas, quæ prædicamentum hoc ab alijs distinctum constituant, quæque propriè relationes prædicamentales appellantur, mihi certum est adeo, ut nihil magis, cùm summa Philosophorum auctoritas & rationes non exigui ponderis hanc veritatem suadeant. Nam ad auctoritatem quod spectat, Plato ut superiùs innuimus, dum relationes concedendas affirmabat, profectò de ijs, quæ ad hoc pertinent prædicamentum loquebatur; siquidem dicebat ἆρ' οὐ κατὰ φύσιν δοκεῖ σοὶ τὸ μεῖζον μηδενὸς ἑτέρου δεῖν μεῖζον λέγειν, ἢ τὸ ἐλάττονος τῷ ἔλαττον εἶναι μείζονος; ἔλαττον, ἄλλου δὲ μηδενός; *An non secundum naturam videtur tibi, maius nullius alterius oportere maius dicere, quàm minoris, & minus itidem maioris minus, alius verò nullius?* Hisce verbis videtur planè locutus de relationibus prædicamentalibus, cùm ex earum numero sit relatio maioris ad minus, & viciſſim minoris ad maius. Hoc idem alibi testatur dicens, ut superiùs etiam notauimus, ἆρ' ὁ πατὴρ τοῦ πατρὸς τινός ἐστι; ὅτι ἔστιν υἱέσγε ὁ δυναρὸς πατὴρ ὁ πατήρ; *Vtrum verò pater, est pater alterius, vel non? quòd est filij nempè, vel filiæ pater, pater est.* Cùm igitur commemoret relationem patris ad filium, & viciſſim filij ad patrem, relationem prædicamentalem, de qua fit sermo, proculdubio recognoscit, quandoquidem huiusmodi relatio inter prædicamentales recensetur. Ex his igitur Platonis consilium satis exploratum. De Aristotelis auctoritate dubitandi nulla suppetit occasio, cùm relationes ad hoc prædicamentum spectantes is maximè omnium recognouerit. Hos autem tam Philosophi, quàm Theologi melioris notæ secuti sunt, unanimi consensu existimantes hujus prædicamenti concedendas esse relationes, licet in illis constituendis non idem sit eorum consilium, quin potius maximè discrepent, de quo nunc solicitum esse non oportet, cum nobis tantummodò propositum sit ostendere, non insulsè constructum fuisse peculiare quoddam relatiuorum prædicamentum, quod hucusque auctoritate firmauimus; sequitur igitur ratione demonstrandum.

Ratio autem primò ex diuinis relationibus desumi solet; qua probatur dari quidem in humanis relationes paternitatis, & filiationis, & hinc ulteriùs in rebus omnibus creatis ex diuinis relationibus, quæ inter diuinas personas cadunt. Nam Pater, qui generat Filium, relationem paternitatis habet; Filius verò, qui generatur, relationem habet filiationis: Pater, & Filius relationem spirationis actiuæ Spiritus Sanctus relationem spirationis passiuæ. Hinc in humanis, & in rebus creatis huiusmodi relationes enituntur colligere, hoc ferè modo ratiocinando. Dantur in diuinis commemoratæ relationes, scilicet paternitatis, & filiationis; itemque principij, & principiati; pariter igitur in creatis huiusmodi relationes oportebit agnoscere. *Prima ratio ex diuinis desumpta relationibus.*

Si quis autem dicat nullius esse momenti, ac nullius efficacitatis argumentum allatum, còquòd relationes diuinæ substantiales sunt; proindèque non licet ex ipsis relationes creatas inferre, cùm hæ accidentarię sint. Hoc nihil esse contendunt, quicunque relationes creatas ex diuinis colligere nituntur; quoniam inquiunt, diuinæ relationes sunt substantiales, eò quòd in Deo nihil accidentarium est, eędemque constituunt, atque distinguunt personas. Res autem creatæ subiectę sunt accidentibus; unde quod in diuinis ad substantię genus, in creatis ad genus accidentis pertinet; & idcircò paternitas, & filiatio in creatis accidentarię sunt, cùm in diuinis substantiales sint; illud etiam discriminis, quod paternitas, & filiatio in diuinis constituunt personas, in humanis autem non item, sed personas iam constitutas per suas entitates absolutas supponunt. Ex substantialibus igitur diuinis relationibus, in creatis conantur accidentarias inferre. Sed ut ut se res habeat; certum hâc argumentatione non probari, quod alioquin illam adhibentibus in animo est ostendere, cùm fallax sit arguendi genus. Vt pręteream relationes diuinas à productionibus ipsis non esse distinctas; productiones autem in Deo actiuę scilicet, & passiuę, distinctę sunt; non esse autem à productionibus distinctas Theologi docent, apud quos paternitas est generatio actiua, filiatio est generatio passiua: sic etiam spiratio actiua, & passiua, hinc tamen haud licet inferre dandas in creatis relationes paternitatis, & filiationis distinctas ab ipsis rebus, & ab actione generationis, cùm ad summum inferri tantummodò possit, dandas esse relatiuas quasdam denominationes desumptas à rebus ipsis, actioneque generandi. Rectè autem dicebam colligi non posse ex relationibus diuinis distinctionem ex rei natura relationum in creatis à rebus ipsis; quandoquidem, etsi in diuinis relatio unius personę, à relatione alterius, putà, paternitas à filiatione, realiter distinguatur, quemadmodum processio & origo, seu generatio actiua, à generatione passiua distinguitur; nihilominus ut neque processiones & origines ab essentia, ita neque relationes ab eadem, sed tantùm constituta, nempè personę per ipsas relationes, inuicem distinctione reali distinguuntur; Hęc tamen uberiùs fortasse, quàm ut locus requirat. Prętermissis igitur ijs, de quibus in Sacra Theologia nostrum erit disputare, alia quidem nobis calcanda via ad probandum intentum. *Expenditur.*

Naturales igitur rationes expendendæ, quæ ut non suppetunt ad suadendas huiusmodi relationes tanquam accidentarias formas rebus superadditas, & ab iisdem reipsâ distinctas: sic ex aduerso sunt admodum obuiæ ad easdem ostendendas, tanquam denominationes relatiuas, quibus res ipsæ mutuò se respicere dicantur, quicquid illud sit, unde huiusmodi denomina- *Secunda ratio ex naturalibus excepta.*

minationes contingant. Sed hoc sensu relationes concedendas, cuiusmodi sunt relationes similitudinis, æqualitatis, & aliæ ad secundum antea genus explicatum, spectantes, cuique perspectum fiet, aduertendo reuerâ hoc album esse alteri albo simile, & dissimile nigro; insuper palmarem quantitatem, æqualem esse alteri palmari, & maiorem semipalmari, minorem autem bipalmari. Neque enim fictitium quid est, album unum alteri albo simile esse, vel dissimile nigro; neque palmarem quantitatem esse alteri palmari æqualem, & semipalmari maiorem, bipalmari verò minorem, mens comminiscitur, sed re ipsâ hæc omnia hisce modis se habent: quòd enim hoc album sit huic alteri albo simile, est tot albedinis gradus in uno, quot in alio reperiri; sed hoc non effingitur ab intellectu, quin potius re ipsâ est. Sic de æqualitate, vel inæqualitate quantitatis; quòd enim quantitas palmaris, sit alteri palmari æqualis, vel maior semipalmari, aut minor bipalmari; nil aliud quàm quòd habeat, aut æqualem extensionem, aut maiorem, aut minorem; sed hoc certè non effingitur ab intellectu, cum in re sit; proinde illæ denominationes æqualis, minoris, & maioris, citra quodlibet mentis opus habendæ. Concedere igitur oportet huiusmodi relationes, seu potius denominatiuas relationes in rebus, nullo intellectu cogitante.

Ex relationibus huius ordinis prædicamentū extruendum.

Ex his porrò, quas diximus relationes constituendum peculiare quoddam prædicamentum, neque in aliis prædicamentis esse distribuendas, nullo ferè labore demonstrabimus, ex eo quia quantitatem unam alteri æqualem, vel inæqualem esse, adeo ut maior, vel minor sit, non est aliquid essentiale quantitati, quin potius accidentarium omninò, siquidem accidentariam quandam ipsi quantitati denominationē importat, cum de quantitatis essentia tantummodò sit extensio, ut suo loco docuimus; quòd autem alteri sit æqualis &c. & quòd hoc modo denominetur, accidit illi: quòd si ita est, huiusmodi denominatio non poterit ad quantitatis prædicamentum spectare; & quoniam aliæ quamplurimæ sunt huiusmodi denominationes; & ad alia prædicamenta reuocari non possunt; propterea fatendum ad aliquod unum prædicamentum pertinere, eo quòd omnes eiusdem naturæ sint; hoc autem est illud prædicamentum, quod extruendum asserimus, quodque dicimus ex relationibus prædicamentalibus contextum; tale igitur prædicamentum inter cætera recognoscendum erit. nimirum illud, de quo præsens consideratio instituitur, accersitis etiam relationibus transcendentalibus, cùm harum naturam exploratam redere, permagni philosophorum interfit; nihil enim frequentius in eorum scholis usurpatur, quàm relatio transcendens, quippè quæ per omnia prædicamenta vagatur.

SECTIO SECVNDA.

Transcendentales relationes concedendas esse, & quid inter has, & prædicamentales intersit.

Concedendę transcēdentales relationes

QVemadmodum ex antea traditis prædicamentales relationes, sic transcendentales concedi debent. Quia tamen hoc relationum genus admittendum haud licet asserere, priùs quàm earum natura teneatur, hæc verò perspecta reddi non potest, ignorato discrimine, quo à prædicamentalibus ipsę distinguuntur, cùm eadem sint constitutionis, distinctionisque principia, idcirco iuvabit inquirere, quid inter has differat relationes; hoc enim obtento, statim relationum transcendentalium natura prodibit in lucem.

Prima sententia de discrimine relationum transcendentalium à prædicamentalibus.

Hæc autem de re varia sunt Philosophorum placita, cùm plerisque visum sit discriminis id agnoscendum, quòd relationes transcendentales illę dicantur, quibus res una respicit aliam, non purè tanquam terminum; sed potius tanquam sui causam, vel receptiuam, vel effectiuam, vel alio modo; relationes autem prędicamentales esse illas, quibus res una respicit aliam, merè ut terminum habitudinis suę, citra quamlibet causalitatis dependentiam. Nec huius opinionis fautores perturbat dari vitales actus, in quibus inuoluitur transcendentalis respectus ad obiectum; nam obiectum ipsum, inquiunt, tanquam formalem causam respiciunt; siquidem obiectum ad formalis causę, licet externę, genus reuocatur.

Hic dicendi modus reijcitur.

Pluribus tamen nominibus videtur hęc refellenda sententia. Primò quidem illud occurrit, quòd transcendentalis relatio non solùm est effectus ad causam; sed etiam vicissim causę ad effectum; potentia siquidem actiua essentialem ordinē ad producibilem effectum prę se fert; sic etiam & potētia passiua ad formam, quam ut effectum in genere causę materialis respicit.

Prima refutatio.

Responsionis præoccupatio.

Refellitur.

Sentio te respōsurum allatá ratione nihil concludi, eò quòd eędem res, quę sunt effectus in genere causę effectiuę, aut subiectiuę; causę itidem sunt in genere causę finalis; quoniam potentia est propter actus. Hęc tamen responsio facilè refellitur, cùm nulla suppetat ratio, cur potentia transcendentaliter actum respicere dicatur, solùm ut causam finalem, & non ut effectum in alio genere causę; quin potius contrarium euincitur, quia potentia effectiua, prout huius modi, & receptiua etiam quatenus talis, ordinem causę ad effectum formaliter exprimit; idcircò potentia transcendentaliter dici debet effectum respicere.

Confirmatio.

Quod indè mihi planè confirmatum redditur, quoniam causa quæcunque sit, alicuius causa est; sed id, comparatione cuius dicitur causa, respicitur non solùm ut causa in diuerso genere, sed etiam, ut effectus; non inquam solùm tanquam causa, quanuis in alio genere causæ; potentia igitur causæ respicit effectum formaliter quoque ut effectum. Et ut res de qua agitur, apertiùs constet, iuvat ad exemplum confugere. Potentia actiua caloris, dum calefactione calorem producit, & calefactio ipsa transcendentaliter respicit calorem à se productum, ut effectum; tametsi nanq; productus calor induat rationem finis; non tamen hoc nomine respectum illum terminat; sed potius prout effectus rationem habet, eòquòd potentia actiua non alicuius causæ, sed effectus actiua est; sic & actio, quâ non causa formaliter, sed effectus producitur, & quanuis idem utrâque ratione constet, & causæ, & effectûs; nihilominus respectum illum non sub ratione causæ, sed effectus terminat. Hoc etiam cuidens in potentia passiua, quâ materia respicit formam, etiam Aristotile docente, quandoquidem ait. Ἔτι δὲ φησί τι ἡ ὕλη, ἄλλο γὰρ εἶδος, ἄλλο ὕλη. *Præterea materia ex eorum numero est, quæ ad aliquid referuntur; nam alia formæ, alia materia conuenit.* Materia igitur refertur ad formam; hæc autem comparatione illius, rationem habet effectûs, & causæ; induit rationem effectûs, quatenus ex eius potentia educitur, & in illa recipitur; materia nanque erga formam ex sui potentia eductam exercet concursum receptivum, & substentativum. Habet etiam rationem causæ, quatenus materiam complet, ac perficit, qua de re alibi; sed forma respectum potentiæ passiuæ terminat sub ratione effectûs; & quod de ipsa potentia, de causalitate, hoc est, unione dicendum; nam unio, quâ materia præstat esse formæ, illam recipiendo, & substentando, transcen-

2. Phys. 26.

den-

dentaliter respicit ipsam, prout habet rationem effectûs, quamuis eandem pariter sub ratione causæ possit respicere.

Secunda ratio. Amplius. Pleræque ex aduerso relationes, quæ communi sapientum calculo prædicamentales nuncupantur, sunt relationes effectûs ad causam, ut relatio filij ad patrem, & in uniuersum, cuiuslibet effectus ad causam suam; perperàm ergo ex eo prædicamentalis relatio à transcendentali distinguitur, quia transcendentalis terminum tanquã causam respiciat, prædicamentalis autem non item, cùm prædicamentales non desint, quæ terminum sub ratione causæ respiciant.

Cuiusdam responsio. Hæc cùm non in postremis habendus Aristotelis interpres aduerteret, respondendum putauit, huiusmodi relationes non esse ad causas formaliter, hoc est sub ratione causæ, quasi talium relationum termini ratione suarummet relationum, causæ sint relationum in alijs rebus ad se relatis; unde, ait pater non est causa filij, per suam paternitatis relationem, nec aliæ causę suo munere funguntur per suas formales relationes. Nulla tamen responsio, cùm hoc idem de relationibus transcendentalibus dici possit; nemo enim est, quem prætereat, relationem transcendentalem non respicere causam formaliter, quasi exercentem causæ munus per suam formalem relationem, cùm non rarò usu veniat, ut desit relatio ex parte termini; itaut relatio mutua non sit; quod ut apertiùs declarem, utar visionis exemplo; hęc utique vitalis est actus qui obiectum respicit visibile; hoc tamen non est causa illius, in nullo genere causæ, ratione alicuius relationis, quam habeat ad illum. Quod autem hoc de vitali actu dicebam, de alijs itidem omnibus actibus vitalibus, cæterisque rerum quamplurimis intelligendum volo.

Refellitur. Tertia ratio. Tandem. Quando dicitur transcendentalis relatio terminum tanquam causam: prædicamentalis, ut purè terminum respicere; vel redditur sensus formalis, vel materialis, ut Scholastici loquuntur, nempè quòd relatio respiciat terminum tanquam causam sui, vel potius rei, quæ est subiectum relationis. Si dicatur primum, profectò negari non potest terminum esse relationis etiam prædicamentalis causam, in genere tamen causæ formalis externæ, siue obiectiuæ, præsertim iuxta placitum asserentium relationem de nouo fieri, resultareque in subiecto ex positione termini; ut posito albo resultare relationem similitudinis ad positionem alterius. At si dicatur secundum videlicet terminum esse causam illius rei, quæ subiectum est relationis; illud molestum occurrit, quòd nec in relatione transcendentali terminus esse debet causa rei, quę est relationis subiectum; idque satis euidens fit ex eo quia, obiectum, quod actum, vel potentiam terminat, dicitur quidem utriusque causa, non tamen subiecti, in quo talis actus vel potentia adinuenitur; ut obiectum, quod est causa actus visionis, vel potentię visiuę, eo causę genere, quo obiectum causa utriusque dici potest; non propterea causa est subiecti, in quo visionis actus, aut potentia visiua reperitur. Ex hactenus igitur disputatis, cuique potest esse perspectum haud benè discrimen inter relationes transcendentales, & prędicamentales ab ijs assignatum fuisse, qui superiorem sententiam enixè tueri conati sunt.

Secunda sententia. Secunda est aliorum opinio, quibus probatur illas esse prædicamentales relationes, quæ sic rem unam ad aliam, tanquam ad terminum referre debent, ut circa illum nil aliud exerceant, quod similitudinis exemplo declarandum suscipiunt; similitudo, inquiunt, nil aliud præstat, quam unum ad aliud referre, puta album ad album; at relationes transcendentales sunt, quæ aliquod aliud munus circa terminum exercent: ita quidem potentia elicit, siue efficit actum; actus autem quippè qui est obiecti formalis imago, illud idem formaliter exprimit, ac repræsentat. Insuper actio ita refertur ad terminum, ac effectum, ut illi det esse; sic etiam unio prętęr respectum, quem importat unius ad aliud ex iis, quæ uniuntur, unire uniendo debet.

Refellitur. Hic dicendi modus, etsi non spernendus, non tamen omninò commendabilis; aduersus enim ipsum id sanè facit, quòd æquè ille relationibus utriusque generis aptari potest; nam quemadmodum prædicamentalis relatio dicitur illa, quæ ita debet referre aliquid ad aliud, tanquam ad terminum, ut nihil prætęr hoc, circa terminum ipsum exerceat: sic etiam relatio transcendentalis, cùm de hac dici quoque possit nil aliud præstare, quàm respicere terminum, licet tali, vel tali modo, quod etiam de prædicamentalibus asserendum; ipsæ nanque prout diuersæ sunt, diuersis etiam, specialibusque modis suos respiciunt terminos. Itaque similitudo, etsi nil aliud præstet, quàm referre album unum ad aliud; in ea tamen negari non potest specialis quidam referendi modus, & planè diuersus ab eo, quo æqualitas suum terminum respicit; sed eodem modo se habent transcendentales relationes; nam ex.g. cognitionis respectus ad obiectum nil aliud præstat, quàm referre cognitionem ipsam ad illud, licet tali modo, videlicet illud idem exprimendo, & exhibendo potentiæ cognoscitrici; similiter respectus materiæ ad formam, huiusmodi est, nam refert materiam ipsam ad formam, sed tali modo, nempè ut per ipsum materia referatur per modum perfectibilis; itaut perficiatur à forma, quatenus illam recipit, vel etiam substentat, proindèque expletur potentia passiua, quâ prædita est.

Tertia sententia. Tertia quorundam est sententia distinguens duos relationum ordines, quarum aliquæ intrinsecus: aliæ verò extrinsecùs aduenientes nuncupentur. Ex horum autem placito intrinsecùs aduenientes dicuntur, quæ ita se habent, ut positis extremis, videlicet fundamento, & termino statim resultent. Huiusmodi sunt relationes æqualitatis, & inæqualitatis: similitudinis, & dissimilitudinis: propinquitatis, & distantiæ inter duo habentia suas præsentias certis in locis: insuper paternitatis, & filiationis, supposito generante, & genito, & aliæ huiusmodi. Eas autem intrinsecùs aduenientes appellant, quoniam positis duntaxàt fundamento, & termino, nullo alio accedente, huiusmodi relationes in natura consurgunt. Relationes verò extrinsecùs aduenientes affirmant esse, quæ non statim positis extremis, fundamento videlicet, & termino consequuntur, sed aliquo alio indigent influxu. Sic se habere dicunt unionem inter aliqua duo, quæ possunt existere secundum totum suum esse absolutum sine unione, adeout illis nil aliud desit, quàm unio. Sic etiam actio, & passio ex eorum sententia se habent; nam positis agente, & passo non statim sequitur actio, & passio; sed quædam conditiones requiruntur, sine quibus nequeunt respectus illi consurgere. Imò ijsdem conditionibus positis naturę Auctor quâ pollet infinitâ virtute, creditur impedire posse huiusmodi relationum solitam resultantiam. Iuxta hunc igitur loquendi modum relationes prædicamentales à transcendentalibus, tanquam intrinsecùs aduenientes ab aduenientibus extrinsecus, distinguuntur.

Refellitur. Hæc explicationis ratio eo nomine peccat, quòd non videatur omnibus relationibus adæquata, nec distinctioni quæsitę satisfaciens. Vt enim hęc distinctio

stinctio sufficiens dici posset, necesse foret nullam, esse relationem à prædicamentali, quę positis extremis, nullo alio accedente, non consurgeret; secùs tamen se res habet; nam suppetunt relationes, quę prædicamentales non sunt, & nihilominus ita se habent: ut positis extremis, nequeat relatio, non consurgere; imò nec etiam actu requiratur consortium utriusque extremi, cùm dari non possit extremum unum, quin habeat respectum ad alterum. Hoc se habere modo materiam, & formam perspicuum est; nam siue potentia materię dicatur eius affectio, quomodocunque distincta ab eadem, siue inuoluatur in essentia ipsius; certum ac exploratum, materiam haud dari posse, quin formam respiciat, nec etiam formam dari posse, quin ordinem ad materiam importet; hoc idem de accidente in uniuersum licet asserere; non enim potest accidens reperiri in natura, quin substantiam respiciat; sic & creatura respectu Creatoris; nequit enim illa existere, quin ordinem ad hunc inuoluat; & nihilominùs nec respectus materię ad formam, vel formę ad materiam, nec accidentis ad substantiam, nec creaturę ad Creatorem, iuxta veriorem dicendi modum, prædicamentalis est, sed transcendentalis potius habendus. Non igitur illa distinctionis ratio inter duo hęc relationum genera sufficiens existimanda; sed aliquid amplius addendum, ut huiusmodi relationum habeatur adęquata, omnibusque numeris absoluta distinctio; quod in eo forsan videri potest consistens, ut duplex esse dicatur relationum genus, quorum primum earum sit, quę non adueniunt rebus, sed illis tanquam primò constituentes intrinsecùs insunt; secundum autem earum, quę extrinsecùs adueniunt; quę rursus in duplici discrimine sint, adeout quędam sic adueniant, ut statim positis fundamento, & termino, nullo alio accedente, resultent; alię verò sint, quę sic adueniunt extrinsecùs, ut nequeant statim positis extremis fundamento nempè, terminoque consurgere. Hęc tamen admittenda duntaxàt concessis relationibus tanquam formis positiuis accidentarię naturę, res absolutas afficientibus; de quo paulo infra futurus est sermo.

Quarta sententia.

Quarta succedit opinio dicentium hoc esse discriminis inter hęc duo relationum genera, quod primum sit earum, quę ad hoc prædicamentum pertinent, & eę sint, quę per accidens tantummodò ponuntur, ex positione terminorum, & cum illis necessariò ponuntur. Secundum autem sit earum, quę per se, ac proprio agentis influxu fiunt, seu in rerum natura suum esse sortiuntur, & quę vel non prærequirunt extrema, ex quibus consequantur; vel si prærequirunt; tunc dicere liceat, ex ijs haud necessariò consequi, cùm etiam sequi non possint, ideoque nouo quidem influxu indigere, quo per se in natura ponantur, & has ad reliqua prædicamenta spectare. In quorum declarationem unum, vel alterum afferamus exemplum. Relationes prioris ordinis, quas ad hoc prædicamentum spectare dictum fuit, ita se habent, ut esse non possint sine extremorum existentia, nec unquam existunt, quin in illis relatio sit, cuiusmodi sunt relationes æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, paternitatis, & filiationis &c. Non enim duo alba possunt existere, quin inter ea relatio similitudinis cadat, & ita de reliquis &c. Alia verò secundi ordinis sunt ex. gr. actio, passio, situs, seu localis præsentia, quæ per se, & proprio agentis influxu fiunt, vel in rerum natura ponuntur; seque habent, ut supra dicebatur; actio enim etsi non per aliam actionem fiat, nihilominus per se quidem ab agente exercetur, ac in rerum natura ponitur; nec ex agentis terminique, vel passi positione resultat; eo modo, quo æqualitas inter duas quantitates; similitudo inter duo alba; paternitas, & filiatio inter generantem, & genitum, sed potius ipsa actio in nouo agentis influxu consistit; & eo magis ea, quæ fiunt, tanquam termini producti, cuiusmodi sunt substantia, & accidentia, quæ aliquem ordinem dicunt, seu respectum ad aliud. Hæc ex Aristotelis verbis deducunt, quando ipse ait. Εἰ οὖν αἱ κατηγορίαι διηρῶνται εἰσὶν, ἢ ποιότητι, ἢ τῷ ποιῷ, ἢ τῷ ποτὲ, ἢ πρός τι, ἢ τῷ ποσῷ, ἢ τῷ ποιεῖν, ἢ πάσχειν, ἀναγκαῖον πᾶσιν ἢ κίνησις, ἢ τινὸς τὸ ποσοῦ, ἢ τινὸς τὸ ποιεῖν, ἢ τινὸς τόπου. *Si igitur categoriæ diuiduntur substantiâ, & qualitate, & ipso ubi, & eò quòd est ad aliquid, & quantitate, & actione, vel passione: necesse est tres esse motus*, nempè *eum, qui est quanti, & eum, qui est qualis, & eum, qui est secundum locum*. Docet ad quę sit motus dicens esse ad quantum, ad quale, & ad locum; subdit autem. Κατ' οὐσίαν δ' οὐκ ἔστι κίνησις, διὰ τὸ μηδὲν εἶναι τῶν ὄντων οὐσίᾳ ἐναντίον. *In substantia verò non est motus: quia nulla res substantiæ est contraria*. Prosequitur dicens. Οὐδὲ δὴ πρός τι ἐνδέχεται κατὰ ταύτην μεταβάλλοντος, ἀναγκαῖον θάτερον, μηδὲν μεταβάλλον ὅτε κατὰ συμβεβηκὸς ἡ κίνησις αὐτῷ. *Sed neque in eo, quod est ad aliquid: quia fieri potest, ut altero mutato, alterum verè dicatur*, quanquam *nihil mutatum, quapropter ex accidenti est horum motus*. Itaque ad genus ad aliquid apertè docet non per se, sed tantum ex accidenti dari motum, cùm relatio non per se, sed per accidens, scilicet ex positione extremorum ponatur; & nihilominus affirmat dari per se motum ad locum, hoc est, ad ubi, seu ad præsentiam localem, quę essentialiter ordinem importat rei locatę ad locum; est autem Vbi unum ex prædicamentis, & ad alia accidentia, quæ utique inuoluunt essentialiter ordinem ad subiectum. Manifestum ergo Philosophum voluisse, dari quoddam relatiuorum genus, ad quod *non datur* motus; aliud autem esse, quod per diuersa prædicamenta vagatur, & etiam aliquod unum, vel aliud prædicamentum constituit. Ex eius igitur sententia relationes diuidi possunt, ut superiùs dicebam; quæ tamen ut antea monuimus, intelligenda sunt ex hypothesi, quòd relationes dentur, quæ sint formæ distinctæ à rebus, & ab ijsdem reipsâ distinctæ; quæque ad positionem extremorum in ipsis resultent.

5. Phys. tex. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Quid hac de re sentiendum.

Non potest autem hac de re quicquam decerni veritati conientaneum, nisi determinato, quid sentiendum de relationibus; an videlicet aliquæ dentur, quæ sint formæ simplices distinctæ à rebus, & ex iisdem resultantes, cuiusmodi esse creduntur relatio æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis &c. his enim admissis, existimo discriminis aptissimam esse rationem inter relationes prædicamentales, & transcendentales, quòd prædicamentales illæ dicendæ sint, quæ rebus accidunt relatiuis, seu quæ de suis relatiuis accidentaliter dicuntur: at relationes transcendentales esse, quæ rebus essentiales sunt, & easdem intrinsecùs constituunt. His autem relationibus non admissis, obuium satis discrimen erit in eo consistens, quòd relationes prædicamentales non sint formę quędam simplices rebus superadditæ ab ijsdemque distinctæ, sed tantummodò denominationes ex collectione, seu combinatione rerum desumptæ. Relationes autem transcendentales sint illæ, quæ sint veræ res, seu rerum modi, aut formæ secundum essentialem rationem respectus, & habitudinis ad terminum.

Assertio duplici.

Assertio duplici constat parte, quarum utranque suadere nullius laboris erit, cùm sola declaratio sufficere videatur. Nam ad priorem partem quod spectat, luce clarius est huic albo accidentarium omninò esse,

Prima assertionis pars probatur.

us

ut alteri albo sit similè; & huic homini, ut alterius sit pater; nec dissimiliter de cæteris relationibus, quę simplices quædam formæ à rebus distinctæ, quæque prædicamentales existimantur. Ex aduerso materiæ essentialis est ordo ad formam; unioni ad extrema unita; actui vitali ad obiectum, potentiæ ad actus, quos potest elicere, & ad obiecta, quæ ipsis actibus potest attingere, & sic de relationibus alijs, quibus in hoc prædicamento sedes denegatur. Neque hoc à veritate alienum videri potest; nam solæ illæ relationes, quas accidentarias diximus, constituere hoc possunt prædicamentum, eò quòd cùm accidant rebus, peculiare quoddam genus accidentis debent constituere. Aliæ verò, quæ sunt rebus essentiales nequeunt ad aliquod determinatum genus pertinere, cùm in ijs prædicamentis constituendæ sint, ad quæ res pertinent, quibus huiusmodi relationes essentiales esse dicuntur.

Difficultas. Aduertsus tamen superiorem explicationem difficultas occurrit, quia vel intelligendum est, transcendentalem respectum esse de essentia ipsius relationis, vel de essentia subiecti. Primum dici non potest, cùm id commune sit etiam prędicamentali relationi, nam huic etiam essentialis est respectus ad terminum, ut similitudini unius albi essentialis est respectus ad aliud album; hinc propterea nequit desumi inter hęc duo relationum genera discrimen. Nec etiam secundum, cum id verum in uniuersum non sit, nam transcendentalis ordo, quem cognitio dicit ad obiectum, non spectet ad essentiam subiecti, cui cognitio inest.

Solutio. Ad propositam difficultatem enodandam, aduerte esse considerandum id, quod per relationem proximè, nulloque intermedio denominatur ad aliud, & insuper an denominatio relatiua essentialis, vel accidentaria illi sit. Nempè cognitio est, quę denominatur essentialiter ad obiectum referri, nullâ habitâ consideratione alterius subiecti, adeout perinde sit, ac si omni subiecto careret, & ad obiectum referatur non secùs ac materia ad formam, ubi materia nullum subiectum habet; quemadmodum etiam, & accidens transcendentaliter proprium respicit subiectum, quod certè relationis est terminus, & non id, quod refertur. In his commemoratis euidens utique est ipsam denominationem relatiuam, non sic se habere, ut illis accidat ratione alicuius extrinsecùs aduenientis, cùm potius denominatio desumatur à ratione quadam ipsis intrinseca, & in iisdem essentialiter inuoluta. Non sic autem se habent relationes prędicamentales, in quibus id, quod proximè denominatur relatum, est aliquod ens absolutum, cui ratione alicuius formę resultantis, relatiua conuenit denominatio; sic quantum per æqualitatem denominatur æquale, & album per similitudinem denominatur simile. Ad argumentum igitur respondendū, admissis relationibus prędicamentalibus, tanquam simplicibus formis resultantibus ex positione extremorum, utique respectum ad terminum huiusmodi relationibus essentialem esse, in quo cum transcendentalibus conueniunt; hoc tamen discrimine, quòd relatio transcendentalis denominat relatum id, in cuius essentia inuoluitur: at verò prędicamentalis denominat relatum id, cui accidit, & à quo reipsâ distinguitur.

Secunda assertionis pars suadetur. Secunda verò assertionis pars adeò euidens est, ut probatione non indigeat, nullum enim maius discrimen afferri potest, quàm quòd ibi designatum fuit. Nam relatio prędicamentalis erit forma quędam accidentaria, à qua desumitur denominatio relatiua unius ad alterum; cùmque forma accidat rei, quę refertur, ut similitudo albo, ita denominatio ab huiusmodi forma, eidem accidat oportet. At relatio transcendentalis, erit quędam ratio constituens intrinsecùs rem, quæ denominatur referri; ut relatio materiæ ad formam, erit quædam ratio in eadem materia intrinsecùs existens, à qua materia ipsa relata ad formam denominabitur. Vnde inter utrunque relatiuorum, & relationum genus, lata quidem differentia erit, in eo consistens, quod nuper dicebam. Hinc autem fit, ut id quod prædicamentali relatione, accidentaliter, at quod transcendentali refertur, essentialiter referatur; quod enim prædicamentale relativum est, per accidentariam sibi formam; at quod est transcendentale, per rationem intrinsecam, ad aliud refertur. Ita quidem album per accidentariam similitudinis formam, refertur ad aliud album; at materia per rationem sibi intrinsecam ad formam refertur.

SECTIO TERTIA.

An Relatio prædicamentalis sit accidentaria quædam forma suis extremis superaddita, & ab iis, & a rebus aliis re ipsâ distincta.

Tractatio hæc valde difficilis. SI quod difficile, ac arduum, illud idem præclarum, Tullio etiam docente, nulla quidem illustrior tractatio, quàm illa, in qua de relatiuis disputandum suscipitur; cùm tot sit difficultatibus inuoluta, ut ab omnibus se expedire, sit impossibile: à magis præcipuis non facile; ita ut ad id Δαιδάλεον ποίημα requiratur; ut ut se res habeat, cùm nunquam animum, eâ potuerim informare sententiâ, ut crederem, prędicamentales relationes accidentarias esse formas iis, quæ dicuntur referri, superadditas; ob id in eadem prorsus opinione persistens, apertè dicam, commemoratas relationes, haud esse res, formasque reales à suis terminis, subiecto, fundamentoue re ipsâ distinctas.

Relationes prædicamentales non esse formas accidentarias rebus absolutis superadditas.

Vt hoc autem ostendam, non possum non prælibare quædam paulò infra tractanda. Contrariæ sententiæ fautores existimantes relationem prędicamentalem esse quoddam accidens superadditum rebus absolutis constans ex *esse ad*, & *esse in*, dicunt eius concedendum esse fundamentum, illudque subiectum appellari, quatenus huiusmodi accidens ei per inhærentiam inest; duplex autem subiectum, seu fundamentum distinguunt, proximum, scilicet & remotum; proximum dicunt illud, in quo immediatè est relatio; remotum, in quo tantùm mediatè, remque sic explicant; relatio æqualitatis proximè est in quantitate, remotè autem in substantia: relatio similitudinis proximè in qualitate, remotè in quantitate, & remotissimè in substantia. Adduntque alii solùm fundamentum proximum absolutè dicendum fundamentum; remotum autem nuncupandum subiectum relationis. Addunt ulteriùs præter hæc, assignandam esse rationem fundandi relationem, & frequentèr conditionem aliquam, sine qua fundamentum non sequeretur relatio. Ità quidem in relatione paternitatis, inquiunt, fundandi rationem esse potentiam generatiuam patris, conditionem verò, pręuiâ actionem generatiuam eiusdem, quæ statim transit; undè non propriè causam, sed conditionem tantummodò præuiam, sine qua relatio non resultaret, appellandam existimant. Distinguunt autem rationem fundandi proximam, à proximo fundamento, quanuis hæc plerumque, inquiunt, confundi soleant, quandò prętertim fundamentum proximum cùm remoto confertur, tunc enim ratio fundandi dici solet; ut albedo, quæ inter duo, ratio fundandi similitudinem dicitur; distinguunt inquam dicendo, fundamentum relationis proximum non ità esse *quo*, quin possit esse *quod*; potest enim suscipere denominationem

Quædam præmittuntur.

Relationis fundamentum proximū, & remotum.

Ratio fundandi.

Conditio.

nem relationis, cùm quantitas dicatur æqualis; & qualitas similis; at ratio fundandi, est ità *quo*, ut nequeat esse *quod*; tametsi enim duas quantitates dicamus æquales, & duas albedines similes; non ob id unitas, quæ est proxima ratio fundandi huiusmodi relationes equiparantię, ut ipsi aiunt, denominatur æqualis, & similis, nec patris generatiua potentia dicitur pater. His breuiter explicatis; perspicuum sanè fit, quod adstruximus dicentes, relationem haud esse formam accidentariam realiter distinctam à fundamento suo.

Quorundam ratio ad superiorem assertionem ostendendam.

Hoc plerique nituntur ostendere, quoniam illa distinguuntur realiter, ut aiunt, quorum utrumque separari, & separatum ab alio potest existere, quod de relatione dicere non licet, cùm dari non possit paternitas ex. gr. sine patre, qui generauit filium; nec similitudo sine re simili, nec distinctio sine re, quæ ab alia distinguatur; non igitur dicendam relationem accidentariam esse formam realiter à fundamento distinctam.

Refelliter.

Ratio tamen hęc nullius est roboris, quandoquidem aduersæ sententię fautores occurrunt, dicendo rectè quidem ex mutua separabilitate duorum argui distinctionem realem inter illa, non tamen ex inseparabilitate concludi oppositam identitatem, nempè realem; quoniam ad realem illam distinctionem inferendam sat est, aliqua sic se habere, ut eorum unum sit, vel esse possit separatum ab alio; vel saltem talia sint, quæ sic inuicem se habent, ut illa, quæ separata, vel separabilia sunt; dicunt igitur tametsi relatio nequeat separata existere, tamen relatio, & fundamentum proportione respondent ijs, quæ separari possunt; relatio enim se habet vt quidpiam profluens, & pullulans à fundamento ad positionem termini.

Vera ratio asserter.

Potius indè petenda ratio, vndè sumitur etiam ad probandum, ne dum non esse formam realiter tanquam rem à re distinctam à fundamento, sed nec etiam esse modum, atque adeò non esse quidpiam intrinsecùs residens in subiecto, quod ab eo vllo pacto re ipsâ distinguatur. Rationem autem innuit Philosophus

5. Phys. t. 20.

dicens. Οὐδὲ δὴ τὸ πρός τι ἐνδέχεται δ' ἕτερον μεταβάλλον, ἀλλ' ἑτέρου, μηδὲν μεταβάλλοντος ὅτε καὶ συμβαίνει ἡ κίνησις αὐτῶν. *Sed neque in eo, quod est ad aliquid: quia fieri potest, ut altero mutato, alterum verè dicatur*, quanquam *nihil mutatum, quapropter ex accidenti est horum motus*. Hoc est contingit altero mutationem patiente, verè dici alterum nihil mutationis subire; Hinc enim desumitur argumentum; Quandocunque extremum unum ponitur, vel auferetur, etsi aliud incipiat, aut definat denominari relatiuè in ordine ad alterum, non idcircò acquirit, vel deperdit quidpiam; ergo relatio non solùm non est accidentaria forma distincta à fundamento, sed nec etiã reuerâ modus ipsius. Quòd verò sine aliquo superaddito contingat varietas denominationis relatiuæ, hinc mihi perspicuum, ac exploratum; quoniam si unum sit album, hoc certè non dicetur simile, si tamen aliud album consurgat, incipiet simile dici, quanuis in se nihil nouiter acquisiuerit; propterea quòd, ut duo illa alba dicantur similia, præter albedinem, nihil aliud requirunt; esse enim album unum simile alteri in albedine, nil aliud quàm unum, & alterum album esse, sed quantumvis nulla relatio distincta resultet, utrumque albedinem habet; ergo quantumvis nulla relatio resultet, tanquam forma superaddita, utrumque dicetur simile, nempè unum alteri, & viciſſim.

Declaratio superioris doctrinæ.

Declaratur hoc magis, magisque confirmatur. Duos parietes similes esse in albedine, non habent aliundè, quàm ab albedine, proindè similitudo non erit quidpiam superadditum parietibus albis.

Aduersariorum responsio.

Reijcitur.

Secunda ratio.

Responderi autem solet, ab albedine eos habere, ut fundamentaliter tantùm, & non formaliter dicantur similes. Verùm hoc gratis dicitur. Veritas tamen ex obiectionum solutione magis splendescet; interim non pigebit ulteriùs eandem impugnare sententiam hoc modo. Si nanque admittatur aduersariorum opinio adstruens relationes tanquam formas superadditas ijs, quæ referuntur, nihil obstabit quominus positis extremis, puta duobus albis naturæ Auctor deneget concursum suum ad pullulantiam relationis; ut si existente albo, dum aliud nouiter producitur, poterit naturæ Auctor non concurrere ad resultantiam similitudinis; hoc autem posito, adhuc dicere licebit album unum esse, sicut & aliud: ad quid ergò superaddenda forma extremis albis, si hæc ratione albedinis nulla alia accedente formâ similia possunt denominari? Quod si semel concesseris duo illa alba ratione tantum albedinis similia dici; semper talia dicenda erunt. Nec inficiandum ab Auctore naturæ suspendi prædictum concursum posse, liberè siquidem operatur ad extra. Nec iuvat ad id confugere, quòd relatio per necessariam quandam resultantiam, naturalemq; sequelam à fundamẽto producitur, solo quidem posito termino, veluti conditione necessariò requisitâ, cum vera efficientia fundamenti in ipsam. Hæc enim duo simul cohærere non possunt, vera efficientia scilicet, & necessaria resultantia, summâ tamen necessitate, quæ impediri non possit. Admisso enim aliquo necessitatis gradu, puta naturalis, cuiusmodi est illa, quâ graue non impeditum descendit; hæc tamen necessitas tanta non est, ut efficiens impediri non possit ab efficiendo. Posito enim termino, veluti conditione, adhuc efficientia est, quâ relatio dicitur à fundamento oriri, ac propterea concursûs diuini suspensionem admittit.

Aduersariorum responsio. Reijcitur.

Confirmatio.

Hoc etiam indè fit euidens; quoniam si res ipsæ spectentur ab omnibus relationibus præcisæ, ut duo alba nullo intellecto respectu, certè non poterit intelligi album unum alteri non esse conforme; sic etiam duobus existentibus loco dissitis, nullo intellecto respectu, non poterit unum non intelligi ab alio distans; hæc porrò inditio sunt, nullam esse formam illis extremis relatiuam superadditam, à qua illa denominationem relatiuam recipiant. Neque confugias ad illud asylum, ea dici relatiua fundamentaliter, non formaliter, & actu; Hoc enim est verbis ludere; sic enim duo alba ex. gr. dicerentur similia, ut quicquid superadditum comminiscaris, superfluum sit, à quo natura penitùs abhorret. Vt omittam, quòd quemadmodum duo illa alba actu existerent, sic actu quoque conformia, atque adeo similia forent.

Et nimius forem, nisi tacitus absurda prætericrim ab ijs relationibus prodeuntia. Nempè ad motum unius digiti, novum modum realem relativum distantiæ per uniuersum orbem fieri, imò iuxta successionẽ motûs, successiuè formam illam variari uniuerso tempore motûs, tam in re subeunte motam, quàm in omnibus alijs rebus. Quòd si harum numerum attendas, per quamcunque minimam cuiusque rei mutationem, tot accidentarię formæ relatiuæ nouiter emergerent, quot sunt res omnes in universo, & in iisdem huiusmodi mutatio realis formæ contingeret.

Aduersariorum responsio præoccupata, & simul con-

Neque occurras dicendo nullum absurdum sequi, imò necessarium esse, quòd si aliquid mutat ordinem in Vniuerso, omnia, quę sunt in ipso, mutent ordinem ad aliud; neque hoc inconueniens esse, cùm omnia, quæ sunt in Vniuerso, sint inuicem ordinata, atque connexa. Non inquam sic occurras, hæc enim non sunt

infi-

ficiabor; sed id solùm contendo, nempe omnia hæc commemorata absq; nouâ superueniente formâ obtineri posse, proindèque si quidpiam ordinem mutat in Vniuerso, omnia, quæ sunt in ipso, mutare ordinem ad illud, non per aliquam formam relatiuam superadditam ad hoc prædicamentum spectantem, præter localem præsentiam. Et adhuc omnia, quæ in Vniuerso sunt, erunt ordinata, atque connexa formaliter, & actu, quemadmodum actu in natura sunt, quanuis hanc nouam formam relatiuam adepta non sint; undè remanet absurdum ad quod argumentum deducebat; & responsi confutatio non in admirationibus, & exclamationibus consistet, nisi quatenus aduersę sententię fautores, dum mordicùs illam tueri conantur, occasionem prębent admirandi eorum inscitiam, nimiamque subtilitatem, quam obesse plurimùm indagationi veritatis, non immeritò Moralis dicebat, ac ob id etiã exclamandi *O quantum est in rebus inane!* Et quanuis in quibusdam relationibus propositę difficultatis vim declinent illi, qui relationes non multiplicant ad multiplicationem numericam terminorum, ità ut eâdem similitudine, quâ unum album respiciebat alterum, respiciat & illud, quod nouiter fit; & quando perit unum ex his, alterum non amittat similitudinem simpliciter, sed solùm ad illud; in aliis tamen relationibus quibusdam, haud potest hoc affirmari; si nanque quantitas palmaris dicatur respicere bipalmarem respectu minoris inęqualitatis, certè non eodem respectu poterit respicere tripalmarem, quadripalmarem, & sic in infinitum, semper enim ad minorem, habet respectum maioris proportionis, quam ad maiorem.

Secunda ratio itidẽ ex alio inconueniẽte desumpta.

Aliud etiam est inconueniens, quod pars foret ęqualis toti; si enim in quantitate maiori certa quędam relatio ad minorem ponatur, nimirum dupli ad *subduplum*; vel igitur relatio dupli est diuisibili modo in quantitate, ita quòd sit tota in toto, & pars in parte; vel modo indiuisibili, adeo ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte; utcunque se res habeat, perpetuò sequeretur quamlibet partem illius quantitatis duplam esse, quemadmodum tota ipsa quantitas; si nanque diuisibili modo in ea esse ponatur, profectò cùm partes duplicitatis singulę forent eiusdem rationis cum ipsa tota duplicitate (quemadmodum singulę partes caloris, eò quòd sunt eiusdem rationis, cum uniuerso calore) eandem quoque denominationem prestarent singulis partibus illius quantitatis, quam tota duplicitas prębet uniuersę quantitati, quemadmodum quælibet subiecti pars per calorem dicitur calida: Idque longè euidentius contingit, si duplicitas inesset toti, modo indiuisibili.

Aduersionum responsio.

Occurrunt dicendo duplicitatem, æqualitatem, & alias huiusmodi relationes esse diuisibiles in subiecto quidem extensas, non tamen partes subiecti eodem modo denominare; non quoniam partes illarum relationum heterogeneæ sint, sed quoniam relationes prædictæ requirunt integrum fundamentum, ut fiat denominatio. Explicant id exemplo animæ, quæ quanuis sit eiusdem rationis in omnibus partibus, non tamen quamlibet partem, sed totum duntaxat denominat; quoniam hoc solum sibi ut perfectibile adæquatum, determinat.

Confutatio.

Sic tamen difficultatem non diluunt, animalis enim nomine, nos intelligimus compositum ex anima sentiente, & corpore constante partibus heterogeneis, naturâq; diffidentibus tot, tantis, talisque conformationis, ut animę est opus ad exerendas proprias operationes; hinc propterea quælibet eius pars animal dici non potest. At secus de relatione extensa, ad extensionem subiecti, hoc enim homogeneum esset; undè si foret relatio dupli, quippè quæ extensa in uniuerso subiecto eiusdem rationis in omnibus eius partibus, eiusdem quoque rationis existentibus; quamlibet eius partem duplam denominaret; quemadmodum calor quamlibet partem calidam, & albedo albam denominat. Itaque quemadmodum quantitas bipalmaris denominaretur dupla quantitatis palmaris: sic eius dimidium, imò triens, quadrans &c. respectu quantitatis palmaris denominationem candem obtineret, quod quàm absurdum sit, neminem præterit. Imò hîc occurrit inconueniens alterum, quòd quantitas bipalmaris est dupla quidem quantitatis palmaris, sed eadem potest esse dimidium quantitatis quadripalmaris, & est triens quantitatis sex palmorum, & quadrans quantitatis octo palmorum, & sic in infinitum; imò duæ tertiæ partes trium palmorum, duæ quintæ partes quinque palmorum, & sic iterum in infinitum, & id genus alia absurda, quot enim relatiuæ formæ in eodem subiecto? ut non sit operæ pretium in eorum confutationem incumbere.

Iterum alia.

Nec maius momentum habet, quod addunt de modo subsistentiæ iuxta sententiam dicentium eam esse positivum quidpiam; dum nempè dicunt subsistentiam non denominare suppositum hanc, & illam aquæ partem, sed totam aquam, quæ alteri unita non est, quanuis hic subsistentiæ modus etiam in partibus reperiatur. Reuerà enim subsistentia denominat totam aquam, si subsistentię nomine intelligamus rationem, per quam aliquid redditur alteri incommunicabile, etiam per modum partis integrantis; hinc nulla ex partibus dici potest subsistens ob unionem, quam habet cum cæteris partibus, undè, etsi sit affecta subsistentiâ, quæ sit eiusdem rationis cum subsistentia totius; tamen non est affecta secundum id, quod requiritur ad explendum effectum eius, ac ob id penès hoc differt à subsistentia totius, ut mirum non sit, si per subsistentiam totum dicatur subsistens, pars autem non item.

Iterum alia.

Et intolerabilius est, quod addunt de accidentibus, quæ tantummodò subiectum adæquatum denominant, quanuis sint itidem in partibus; nàm longitudo palmaris, inquiunt, utique accidens est, quod nequam in toto palmo, sed omnes, & singulas eius partes attingit, quoniam autem has tantum inadæquatè respicit, totumque sibi determinat, velut adæquatum subiectum, ideò totum duntaxat palmare denominat, non verò partes. Proh Deum Immortalem! non aduertunt, eam, quâ laborant inscitiâ. Quantitas palmaris quantum ad effectum suum, quod est esse extensum, æque denominat totum, & quamlibet partem, quoniam in huiusmodi formalis effectus est quantitatis, quemadmodum effectus formalis caloris est esse calidum, albedinis esse album, & relationis duplicitatis esse duplum; ut igitur esse quantum est à quantitate in toto, sic in qualibet parte, ac proindè ut denominatio dupli est in toto, sic in qualibet parte esse deberet, hunc enim in modum paritas subsistit; at esse palmare non est à quantitate ut sic denominatio sumpta, sed à quantitate tanta, quæ cum in nulla ex partibus ipsius existat, non mirum si nulla ipsarum partium palmarem denominationem obtineat. Secus de relatione dupli, hæc enim foret eiusdem rationis, quemadmodum in toto; sic in omnibus eius partibus, nec aliundè etiam ex aduersariorum sententia, habetur dupli denominatio formalis, ac actualis.

Iterum alia.

Nec est cur dicant ad hanc habendam denominationem tantam requiri, quantitatem, nàm eadem ipsa quantitas denominari potest, & tripla, & quadrupla, & dimidium, & quarta pars respectu aliorum, & sic in

infinitum. Quòd ſi dicas requiri ad denominationem dupli tantam quantitatem comparatam cum alia, iam ſupponis relationem prærequiri ad relationem dupli, prærequiri inquam relationem, quâ quantitas illa tanta ſit comparatione alterius, ut indè reſultet relatio, quâ denominetur dupla, vel tripla &c. quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.

Ratio iterum ex abſurdo.

Proceſſus autem hic in infinitum in relationibus quoque concluditur, quoniam ſi diſtinctio, & diuerſitas inter Socratem, & Platonem ſuperaddit eis relationem realiter diſtinctam; ergò conſequens eſt, cum diſtinctio fundata in Socrate re ipsâ diſtinguatur à Socrate, ſic etiam in Platone, &c. ut relatio diſtinctionis Socratis à Platone realiter referatur ad Socratem, & iterum cùm hęc ſecunda relatio diſtinctionis diuerſa ſit realiter à prima; ergo per aliam relationem erit diuerſa, & illa quoque per aliam relationem diuerſa, & ſic in infinitum.

Aduerſariorum reſponſio.

Reſpondent dicendo non quamlibet relationem re ipsâ diſtingui à ſuo fundamento, ſed tantùm illam, ſine qua, & eius termino, fundamentum poteſt exiſtere; cum igitur, inquiunt, relatio nequeat exiſtere, ſine fundamento &c. idque ab intrinſeco ſibi repugnet; conſequens eſt, ut omnis ille reſpectus, quo ea ponitur, vel concipitur ad ſuum referri fundamentum, ſiue ad illud referatur, ut ad id, cui realiter inhæret, vel ut à quo re ipsâ diſtinguitur, vel alio quouis modo, ſit huiuſmodi relationi, re ipsâ idem; adeo ut hęc non per alium reſpectum ad fundamentum referatur, ut ab eo diſtincta, ut illi inhærens, ut illi diſſimilis, ſiuè diuerſa ab illo; Ità fit, inquiunt, ut relatio diſtinctionis Socratis à Platone, utique ſit alia realiter à Socrate; hæc tamen alietas non ſit alia relatio realiter diſtincta à relatione diuerſitatis Socratis à Platone, ſed ei ſit re ipsâ eadem, ità ut ſe ipsâ realiter talis relatio diſtinctionis Socratis à Platone diuerſa ſit à Socrate. O præclarum inuentum, de quo tantoperè gloriantur! Non ne vident, ſi quæ cauſa foret, propter quam concedenda eſſet relatio diſtinctionis inter Socratem, & Platonem, ob eandem conſtituendam aliam eſſe relationem diuerſitatis inter Socratem, & eandem relationem diuerſitatis Socratis à Platone? Et quamuis diuerſitas illa Socratis à Platone, nequeat eſſe ſine Socrate, cum eius ſit fundamentum, & ſe ipsâ ob id dici poſſet ab eo diuerſa; tamen Socrates dici nequit ſe ipſo diuerſus à diuerſitate, qua differt à Platone, quia poteſt eſſe ſine illa, quamobrem alia indigebit relatione diſtinctâ, quâ diuerſus dicatur à prima illa diuerſitate; cùmque ab iſta ſecunda diuerſitate, rurſus diferat realiter, quoniam ſine illa eſſe poteſt; iterum aliâ quoque indigebit relatione diuerſitatis, quâ dicatur ab ea diuerſus, atque hoc pacto in infinitum.

Reijcitur.

Aduerſariorum reſponſio.

Occurrunt dicendo, quòd quemadmodum ex parte relationis, datur ſtatus, cum talis eſt, ut fundamentum eſſe nequeat ſine illa, & eius termino: ità datur ſtatus ex parte fundamenti in eo genere, in quo relatio illud denominat. Afferunt inſtantiam de materia, quæ non dicitur aliâ unione unita unioni, quâ iungitur formæ, nec productio dicitur aliâ productione producta; & rationem afferunt dicendo, quod eſt *quo* in aliquo genere, non ſupponit in ſubiecto aliud *quo* in eodem genere?

Reijcitur.

Nec tamen quicquam conficiunt, quoniam eadem ratio viget conſtituendi relationes diuerſitatis in infinitum, ſi ſemel conceſſa fuerit relatio illa diuerſitatis, quâ Socrates dicatur à Platone diuerſus. Inſtantię verò non ſunt ad rem, ex iis enim colligere tantùm liceret relationē diuerſitatis, quâ Socrates dicitur à Platone diuerſus, non indigere aliâ relatione, per quam dicatur diuerſa à relatione, quæ eſt in Platone; quoniam relatio, quâ Socrates, ut diuerſus refertur ad Platonem, eſſet ſe ipsâ certè diuerſa à relatione, qua Plato diceretur diuerſus à Socrate; quemadmodū unio, quâ materia unitur formæ, & quâ eadem materia, ut unita reſpicit formam, non indiget aliâ ùnione, per quam materia unita reſpiciatur à forma, ut unita. Non ſic de relatione diuerſitatis, cùm alia ſit diuerſitas, quâ Socrates eſt diuerſus à Platone, & alia ſit diuerſitas, quâ prima diuerſitas eſt diuerſa ab eodem Socrate.

Prima difficultas.

Aduerſæ tamen ſententiæ fautores ſuis rationibus urgent. Dicunt enim hinc ſecuturum relationem ſpectantem ad hanc categoriam quoddam eſſe rationis opus; ſi nanque relatio realis diſtincta à rebus abſolutis de medio tollatur, non alia ſupereſt, quàm relatio rationis. Non inficiandum negatâ relatione reali, quæ ſit diſtincta, relationem cogitatam, veluti diſtinctam non eſſe niſi rationis opus; non concedendum tamen per hanc, prædicamentum hoc relationis conſtitui, ſed per denominationem realem deſumptum à rebus.

Soluitur.

Secunda difficultas.

Præterea ſi relatio ad hanc ſpectans categoriam denominatio foret à rebus deſumpta, ſeparata foret à rebus ipſis, quod non admittendum ſiquidem ad prędicamenta earundem rerum denominationes pertinent; ſic denominatio æqualis, ad prædicamentum quantitatis: denominatio ſimilis ad prędicamentum qualitatis ſpectare perhibentur.

Soluitur.

Sed non aduertunt in eo decipi, quòd non diſtinguunt denominationes, de omnibus indiſcriminatim loquentes, aliquæ enim ſunt intrinſecæ, ac eſſentiales rebus, & hæ diſtrahendæ non ſunt à prædicamentis earundem rerum ad aliud prædicamentum, propterea quòd eſſentialia ſunt prædicata quædam magis, vel minus uniuerſalia, ex quibus illarum rerum prædicamenta ſtruuntur; ut materiale, corporeum, animatum, & id genus alia ad ſubſtantiæ categoriam reuocantur. Aliæ ſunt denominationes rebus accidentariæ, & hæ collocandæ per modum accidentariæ formæ in alio prædicamento. Ità quidem denominatio à re ſubſtantiali deſumpta, cuiuſmodi eſt illa, quæ dicitur Habitus ad prædicamentum aliud à ſubſtantia pertinet, eam ob cauſam, quoniam accidentaria eſt denominato. Non ſecùs denominatio ſimilis, & æqualis, cum huic qualitati illa, & huic quantitati hæc accidentaria ſit; accidit enim qualitati alicui, ut alia reperiatur talis, & accidit etiam cuidam quantitati, ut alia tanta inueniatur quantitas, atque omnes hæ denominationes in communi quodam denominationis relatiuæ conceptu conueniant, qui in nullo alio certo, determinatoque prędicamento reſtringi patiebatur; ob id non inconſultò fuit hoc prædicamentum inſtitutum, ad quod omnes hæc relatiuæ denominationes accidentariæ reuocarentur.

Tertia difficultas.

Præterea ſuam ità conantur ſuadere ſententiam; dicunt enim nos diſſentire ab Ariſtotele in Philoſophicis minimè contemnendo, is enim ubique videtur ſupponere relationes eſſe vera accidentia diſtincta ab alijs rebus; & ſpeciatim alicubi oſtendit relationes non produci per ſe, ſed per accidens, nimirum conſequi ad productionem aliarum rerum; ſupponit igitur eſſe quaſdam nouas formas diſtinctas ab ipſis rebus; cùm enim hæ fiant per ſe, & non per accidens, de his profectò nequit eſſe loquutus. Deindè etiam alibi affirmat, longè diuerſa eſſe principia, & elementa relationis, ac ſubſtantiæ, per principia, & elementa eſſentialia prædicata intelligens, quod etiam de alijs prædicamentis affirmaſſe dicendum. In ea igitur ſententia erat, ut arbitraretur relationem prædicamentalem

5. Phyſ. Tex. 16

12. Met. Tex. 14

Soluit.

quod-

quoddam esse genus entis, & à substantia, & ab alijs accidentibus distinctum.

Tanti Philosophi auctoritatem negligere, insipientis est; testimonia tamen adducta nullius momenti sunt; propterea quòd pluribus in locis relationes commemorans, de transcendentalibus est locutus; ut est relatio sensus ad sensibile; scientiæ ad scibile; non de pertinentibus ad hanc, de qua loquimur, categoriam; quas relationes si aliquando ipse commemorat, non ob id recenset illas, eo quòd velut accidentariæ sint formæ ab alijs rebus distinctæ; sed quoniam denominationes quædam accidentariæ sunt, dictæ de rebus quibusdam præter earum essentiam, per aliarum rerum concomitantiam, siuè connotationem; has autem relationes non immeritò dixit per accidens produci, quoniam rei præexistenti per accidens est, ut incipiat nouiter denominari per alterius rei productionem, nec aduenit illi per formam aliquam ipsi superadditam. Et meritò etiam existimauit diuersa esse elementa, hoc est essentialia prædicata relationis, à substantia, & alijs prædicamentis, cùm hæc accidentaria denominatio, quæ de re quapiam per alterius rei consortium dicitur, à substantiali, & essentiali conceptu eiusdem rei absolutè spectatæ, discriminetur. Philosophi verba sunt, quæ sequuntur. Τὰ δ' ἄντια καὶ αἱ ἀρχαὶ ἁπλῶς μὲν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ἔστι δ' ὅσα οὐ, εἰ καθόλου λέγοι τις, ἢ κατ' ἀναλογίαν τὰ αὐτὰ πάντων. *Causæ verò, atque principia, quodam quidem modo, alia aliorum sunt, quodam verò modo non, si quis uniuersaliter dicat, & secundum analogiam, omnium eædem.* Subdit Ἐπιπόσεως γὰρ ἄν τις, πότερον ἕτεραι, ἢ αἱ αὐταὶ ἀρχαὶ, καὶ στοιχεῖα καὶ οὐσιῶν, καὶ ὡς ἕκαστόν τι καθ' ἑκάστην οὐσίαν καὶ κατηγοριῶν. *Dubitare namque quispiam possit, utrum alia, an eadem principia, & elementa substantiarum, & eorum, quæ ad aliquid sunt, & eodem modo in quolibet prædicamento.* Ἀλλ' ἄτοπον εἰ τὰ ἀπὸ πάντων τῶν αὐτῶν ἔσται πρός τι, καὶ μὴ οὐσία ὁμοίως. *At absurdum est si omnium eadem sunt ex eisdē enim erit ad aliquid & substantia.* At hinc non licet colligere eum voluisse *ad aliquid* esse quoddam genus entis à fundamento, termino, alijsque rebus reipsâ distinctum, it aut relatio, de qua hîc habetur sermo, sit quædam positiua forma rebus absolutis superaddita, per quam res una respiciat aliam & vicissim, proindèque paries albus, dicatur similis alteri albo, ratione alicuius formæ relatiuæ, redolentis accidentariam naturam; & reciprocè idem contingat, sitque istihuiusmodi formæ unicum munus, referre, scilicet, unum ad aliud. Sed tantùm ex illis verbis licet elicere, relationem spectantem ad hoc prædicamentum, esse talem, ut non constet ijsdem essentialibus prædicatis, quibus substantia constat, quod ultrò concedendum, quanuis huiusmodi prædicamentalis relatio, in sola quadam vel extrinseca, vel partim intrinseca, & partim extrinseca, non tamen simpliciter intrinseca denominatione, consistere dicatur, qua de re in sequentibus Sectionibus disputandum.

Vlteriùs. Denominationes relatiuæ reipsâ dantur, ut relatio similis, relatio Patris &c. sed hæ saluari non possunt per solas res absolutas, inter quas denominationes huiusmodi exercentur; ne dum, quia prorsùs absoluti, ac respectiui, ad se, & ad aliud, rationes sunt diuersæ; sed etiam quia non solùm dicimus, *hic paries est albus*, & *ille est albus*; sed etiam *hic paries est albus*, *sicut ille*, & *hic paries in albedine est similis illi*; sed non idem utroque modo dicimus, cùm aliud sit dicere, *hic paries est albus*, & *ille est albus*, & aliud, *hic paries in albedine est similis illi*; priori enim modo nullam, posteriori verò aliquam comparationem inuoluimus; priori modo res absolutas secundum se, posteriori autem easdem cum ordine unius ad aliam dari nos denotamus; præter igitur res ipsas absolutas, quædam respectiua forma concedenda, ijsdem superaddita.

Neque hoc pacto quicquam concludunt; cum enim dicimus *hic paries in albedine est similis illi*; perindè est, ac si dicamus hunc parietem esse albedine affectum, & illum itidem; quod hinc euidenter intelliges. Cum quis dicit, hic paries in albedine est similis illi, finge te non intelligere, quid per hunc loquendi modum velit, & compelle illum ad id explicandum aliis, diuersisque verbis; & reperies ipsum dicturum, hunc parietem habere tantum albedinis, & tantundem habere alium. Sed non aliud quidpiam dicere nos intendimus, cum enunciamus hunc parietem in albedine esse similem illi.

Conantur etiam intentum ostendere. Potest relatio à suo subiecto seiungi, ità nimirum, ut subiectū absq; relatione existat, quamuis non vicissim relatio absque subiecto; consequens igitur, ut relatio à subiecto suo, vel tanquam res, vel tanquam modus distinguatur. Quod autem assumitur satis indè perspicuum, quia subiectum non refertur, nisi termino existente; ac nouiter incipit referri, nouiter incipiente termino, quo ablato desinit referri. At verò relatio, de qua fit sermo, unum ex extremis dicat, connotans etiam, & aliud; proculdubio dicenda erit distingui ab uno extremo per se sumpto, tantâ distinctione, quantâ extremum unum ab alio distinguitur; non ita tamen, ut relatio hæc sit forma simplex intrinseca, vel inhærens subiecto suo, & ab illo distincta. Concedendum enim distingui à quolibet extremo per se accepto, negandum tamen distingui ab utroque simul, siue ab utriusque combinatione. Hoc igitur tantummodò superius argumentum concludit, nempè distingui à quolibet extremo ratione alterius extremi; ad concludendam verò distinctionem ab ipsis intentam, iis onus incumberet ostendendi, posse ambo extrema existere, absque relationibus suis.

Vlterius urgent. Dum dico, *duos parietes albos*, certè non dico, unum esse alteri similem; ergò similitudo est aliquid aliud præter duos albos parietes. Falsum assumunt, dum enim dico parietem unum in albedine similem esse alteri, certè perindè est, ac si dicerem parietem utrumque album esse, hoc enim sibi vult esse unum alteri simile in albedine; ut duo indiuidua similia esse in humana natura, idem est, ac utrunque, hominem esse.

Quod autem ipsi magni faciunt extrinitatis mysterio desumunt. Inquiunt enim; reperiuntur in diuinis personis relationes ad intra, ut vocant, Paternitatis, & Filiationis, Spirationis actiuæ, & passiuę, penes origines, & processiones personales earundem, & quidem ita ut illæ non sint extrema tantummodo coexistentia; ob id etiã in creatis, relationes, quæ conceduntur, non absimili modo concedendæ; optima consecutio, quoniam attributa communia Deo, & Creaturis, si in illo realia sunt, in his quoque debent esse realia, ut per singula discutiendo perspicuum est; hoc solùm discrimine, quòd in Deo propter summam eius simplicitatem re ipsâ non distinguantur à natura ipsius; in creatis tamen distinguantur. Ità quidem scientia, idem re ipsâ est cum natura diuina; secus autem in creatis; in quibus velut accidens est.

Ad hunc tamen nodum soluendum, est in memoriam operę pretium reuocare diuinas relationes in trinitatis mysterio, esse ipsas origines personarum, paternitas enim est generatio actiua; filiatio est generatio passiua; quod etiam de spiratione dicendum; ge-

1. Diuin. c. 19.

Perpendunt Aristot. verba.

Quarta difficultas

Solutio.

Quinta difficultas

Solutio.

Sexta difficultas.

Solutio.

Septima difficultas

Solutio.

mina enim hæc est, actiua nimirum, & passiua, neque supradictæ relationes concedendæ sunt, veluti formæ quæ consequantur commemoratas origines, ac in iisdem fundentur; hoc autem modo, ultrò fatendum dari relationes in creatis, puta relationem paternitatis, & filiationis, quæ tamen non aliud sint, quàm generatio actiua, quâ unus generat, & generatio passiua, quâ alius generatur; suoque modo de aliis. Non ità tamen in creatis relationes, diuinis relationibus similes sunt, ut multum non intersit discriminis, quorum primum est, quòd in Deo distincta est reipsâ generatio actiua patris, & passiua filij, & utraque est intrinseca suæ personæ: in humanis autem unus est, ac idem generationis actus, quo Pater generat, & Filius generatur; unde nequit utrique intrinsecus esse. Secundum, quòd in Diuinis, generationes æternæ sunt, in humanis autem non item; generatio enim est actio transiens, durans tantùm ad tempus, ita ut à præterita generatione actiua, aliquis denominetur Pater, & à præterita passiua, alius denominetur Filius.

SECTIO QVARTA.

An Relatio sit Forma quædam saltem ratione distincta à rebus; an potius denominatio tantummodò realis à rebus ipsis desumpta.

De quo sit disserendum.

SVspicari quispiam posset, relationem, quanuis non re ipsâ distinctam ab iis, quæ referuntur, adhuc formam esse quandam accidentariam iisdem inhærentem, virtute in re, actu per intellectum distinctam.

Prima opinio.

Prima ratio qua reijcitur ista sententia.

Hanc eo nomine reijciendam existimo, quoniam si relatio vera quædam esset forma insidens in subiecto suo, actu solùm ratione distincta, in re tamen virtute, semper utique daretur in subiecto, etiam ante existentiam, & post ablationem termini, quippè quæ idem re ipsâ foret cum fundamento suo; at relationes, de quibus sit sermo, ut similitudinis, æqualitatis &c. longè aliter se habere in confesso est apud omnes, pro compertò habentes, illas non extare, nisi existente termino; non igitur commemoratę relationes ad eum possunt se habere modum.

Secunda ratio.

Deindè, quandò unum existit extremum, alio non existente, vel in eo præter esse absolutum ipsius, datur adhuc forma essentialiter relatiua, etsi ab eo solâ ratione distincta, sub genere, prædicamentoque relationis contenta; vel non. Primum intolerabile prorsùs; quoniam tunc in quolibet homine ex. gr. dandus foret paternitatis respectus, etsi nunquam genuisset, nec generaturus esset filium. Si autem admittatur secundum, nec etiam adueniente termino, daretur huiusmodi forma in subiecto, cęteroquin, utpote nouiter emergens, à subiecto non ratione tantùm, sed re ipsâ potius distingueretur.

Aduersariorum responsio.

Comminiscuntur quidam, relationem in extremo uno, non existente alio, incompletam esse; compleri tamen per aduentum alterius termini, ac extremi, proindèque simpliciter tunc dicendam non esse.

Reijcitur allata responsio.

Hoc tamen, quàm ineptè dicatur, ex eo intelliges, quòd hæc relatio incompleta; vel intelligitur forma verè relatiua, ratione saltem distinctâ ab absoluto esse subiecti, & fundamenti; & hoc minimè admittendum, quoniam illa totam relationis essentiam haberet, non minus ac si à fundamento distingueretur; quod quàm sit absurdum, neminem prętcrit. Vel intelligitur huiusmodi relatio incompleta solùm esse absolutum fundamenti; & tunc profectò distinctio ista rationis euertitur, perseuerante duntaxàt esse absoluto extremorum coexistentium.

Alterius responsio.

Neque cum quibusdam dicas velim, non existente termino, relationem in subiecto esse, quanuis illud, nec actu referat, neque denominet, deffectu termini, veluti conditionis, & complementi requisiti; ad eum modum, quo causa retinet adhuc potentiam suam, postquam obierit causandi munus, quanuis non denominetur posse illũ amplius producere. Non inquam dicas id velim, cum relatio, si foret accidens distinctum ab ijs, quæ referuntur, non se haberet veluti potentia referendi subiectum ad terminum; sed ut ordo, ac respectus re ipsâ existens, cuius non foret modò referre, modò autem non referre. Et quanuis ultrò sit concedendum ad rei alicuius denominationem, extrinsecum quidpiam requiri; tamen hinc potius inferendum, quod nos in præsentia contendimus, nimirum in subiecto, seù fundamento non dari formam illam relatiuam, etsi ratione tantummodò distinctam, sed fundamentum ipsum, per coexistentiam alterius, denominationem illam recipere.

Reijcitur.

Necessariò dandi respectus transcendentales.

Non inficiandum nobis dari quoque respectus quosdam, nempè transcendentales, qui re verâ sunt idem cum ijs, quæ referuntur, imò iisdem sunt essentiales, ità ut in ipsis essentialiter inuoluantur. Sed huiusmodi respectus terminum actu existentem non requirunt; ob id non eodem modo philosophandum de iis respectibus, de quibus in præsentia fit sermo, & quos prædicamentales appellant.

Tertia ratio.

Ad hæc. Si relatio non foret re ipsâ distincta à fundamento, certè non ad aliam categoriam spectare, quàm ad illam, ad quam fundamentum spectat, dicenda foret. Ità quidem æqualitas, ad quantitatem, similitudo, ad qualitatem pertineret. Ineptè igitur constituerentur ab ipsis ad hoc prædicamentum illas pertinere, cùm hoc existiment esse quoddam accidens ab omnibus aliis rebus distinctum.

Sec. opinio. Hæc denominatio relationis non est à forma superaddita.

Non obscurè constat ex hucusque disputatis, denominationem hanc relatiuam non esse ab aliqua forma superaddita, puta denominationem æqualis in quantitate, non esse ab aliqua forma inhærente ipsi, à qua denominetur æqualis; sic etiam de denominatione similis, & aliis huiusmodi; sed à coexistente termino, ut superius innuimus; ità ut perindè sit dicere quantitatem hanc esse illi æqualem, ac dicere, hanc quantitatem tot habere partes æquales uni certę, quot habet, & illa. Similiter hoc album esse simile illi, nil aliud, quàm tot gradus albedinis in uno, quot in alio reperiri, ità ut æqualitas intensionis, dicatur similitudo.

Quid sit relatio ad hoc prædicamentum spectans, nempè denominatio &c.

Relatio igitur ad hoc prędicamentum spectans, denominatio quædam est accidentaria ex duobus extremis desumpta. Et certè si hæc denominatio sic est explicanda, ut reuerà dicatur esse, non autem per operationem mentis, nisi dicatur peculiaris quædam forma à cæteris rebus distincta, non alio modo poterit explicari, quàm dicendo eam esse desumptam à rebus, esseque concomitantiam, atque coexistentiam duorum extremorum.

Ratio fundata.

Hoc indè mihi videtur euidens, quoniam si quantitatem hanc alteri æqualem esse dicamus, certè nil aliud significamus, quàm, in una tot reperiri partes æquales uni certæ mensuræ, quot in alia, vel utranque esse alicuius determinatæ mensuræ ex. g. palmaris, bipalmaris &c. & contra unam esse inæqualem alteri. Siquidem unam esse alteri inæqualem, est in ea non tot contineri partes æquales uni certæ mensuræ, quot in alia, sed plures si fuerit maior; pauciores autem si minor, neque hæc denominatio quidpiam aliud prætęr extremorum coexistentiam requirit. Non dissimiliter,

Digitized by Google

militer, cùm dicitur hic paries est alteri parieti in albedine similis, nil aliud dicitur, quàm hunc parietem esse *album*, & illum itidem album esse: cumque dicitur dissimilis, certè nil aliud dicitur, nisi hunc esse *album*, illum verò alio colore affectum; undè hæc denominatio nil aliud, quàm duo extrema alba requirit. In hoc autem albo recognoscere peculiarem aliquam formam, à qua hæc denominatio relatiua proueniat, aut similitudinis, aut dissimilitudinis, nimia subtilitas est, & sine mentis fictione non admittenda.

Quæ colligantur ex dictis.

Hinc aliquid incipit nouiter ad aliud referri, & etiam desinere absque sui mutatione per solam scilicet alterius extremi mutationem, ita ut unum extremum alteri de nouo coexistenti incipiat denominari actu simile, vel dissimile, quatenus utrunque existit tale, ut album, vel tale non existit utrunque, sed unum tale, scilicet album, aliud autem non ità, sed nigrum. Sic etiã ablato uno ex extremis desinit actu tale aliud denominari, ut è duobus albis, uno sublato, desinit aliud denominari simile.

Quid hæc denominatio relatiua importet.

Et quanuis è duobus extremis æquè primò, ac in recto videatur utrunque per hanc denominationem importatum; re tamen verâ, unum potius ex illis hæc denominatio primò, directèque, aliud autem secundò, & in obliquo dicit. Quod intelligendum quantum ad modum loquendi, & propositionis significationem, siue modum significandi; nam in re, ut paulò antea dicebatur, hæc denominatiua relatio, cùm non importet formam superadditam ijs, quæ referuntur, certè nil aliud importat, quàm extrema ipsa; seu in re ad hanc denominationem nihil præter extrema requiritur.

Quia tamen si unum sit è duobus extremis per nouam existentiam alterius, incipit hæc esse vera propositio *hoc est tale*, & *illud est tale*, & per ablationem desinit esse tale unum ex illis; ut si unum sit album, per nouam existentiam alterius albi incipit hæc esse vera, *hoc est album*, & *illud est album*, & per ablationem unius vera esse desinit; ob id explicandus est modus loquendi, qui cum geminus esse possit, ità ut unus utrunque extremum æqueprimò significet, alter autem non ità, sed unum in recto, aliud autem in obliquo; propterea hunc secundum priori esse præferendum contendimus, eâ ratione, quoniam cùm dicimus ex. gr. *duo extrema sunt alba*, æque significamus extremum utrunque, neque hæc propositio significat extremum unum, alio modo, quàm aliud; sed cum dicimus *hoc album est simile illi* significamus certè utrunque album re ipsâ esse, sed non eodem modo, quo ptiùs, siquidem dicendo unum album esse simile alteri, per vocem *simile* denotamus album unum directè, & ex modo illud significandi innuimus alterum.

Difficultas proponitur.

Hęc forsan quispiam improbabit, eo quòd connotatiua, cum relatiuis à nobis confundantur, cum tamen multifariam videantur differre. Inquiunt enim, relativum per se primò, directèque respicit aliud, ut pater filium; connotativum verò secundariò, ac indirectè, minusque præcipuè, ut concretum accidentis, quod primò, ac præcipuè formam, secundò, minusque præcipuè concernit subiectum. Deindè relativum respicit aliud præcisè, ut terminum à quacunque alia præscindendo ratione; connotativum verò respicit aliud, per modum annexi, & accessorij præscindendo à ratione termini, nam album concernit parietem ex. g. non ut terminum, sed ut subiectum, undè fit, ut connotatio pariter in rebus absolutis locum obtineat. Differunt tandem, quoniam connotatio propriè ad modum significandi pertinet, diciturque nominibus conuenire, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi suum principale significatum, secundo loco aliud insinuant; ut de nomine cenæ, alijsque similibus perspicuum est; non sic relatio.

Solutio.

Hæc tamen, etsi subtiliter dicta, superiorem doctrinam non euertunt, eo vel maximè, quòd postremo loco illud assumunt, nempè connotationem pertinere ad modum significandi, & non ad rem ipsam, quasi hoc idem, quod nominibus connotatiuis conuenit, relatiuis accommodatum non sit. Nomen enim istud simile, idem planè significat, quod quale, sed ex modo illud significandi dat intelligere aliud quale existens. Sic æquale significat quantum, sed ex modo illud significandi, dat intelligere aliud quantum existens. De paternitate nihil dicam, cum pater, quippequi dicitur talis ob actiuam generationem, quæ transcendentalis est relatio, ad hanc non pertinet categoriam. Vndè relativum est connotativum respiciens aliud per modum annexi, siue hoc appelletur terminus, siue alio quocunque modo nuncupetur.

Explicatur magis superior doctrina.

Et eò magis hic retinendus explicandi modus, nempè relationem unum in recto, aliud in obliquo dicere, quia in relatiuis denominationibus distinctè significatur subiectum, quod referri dicitur, itemq; terminus ad quem dicitur referri, quod denotando utrunque extremum æquè primò non significamus. Quamobrem ità de relatione sentiendum, ut dictum est; ità ut extremum unum per se, & in recto denotetur, subiectum scilicet, & relativum nuncupatum; aliud autem connotetur, ac importetur in obliquo, dicaturque terminus, & correlativum.

Hæc denominatio relatiua, partim in trinseca, partim extrinseca.

Et quoniam hæc denominatio relatiua sumitur ab utroque extremo, ob id partim intrinseca, & partim extrinseca dicenda; cùm aliquid denominetur tale, non ob suum esse tantùm, sed etiam ob esse alterius, nimirum termini; quia tamen hoc minus, alterum autem magis præcipuè importat; ob id denominationem hanc relatiuam ad hoc prædicamentum spectantem magis intrinsecam, quàm extrinsecam dicendam existimo. Huiusmodi porrò sunt relationes illæ, quibus prædicamentum istud constare dicendum, nempè relatio similitudinis, & dissimilitudinis; æqnalitatis, & inæqualitatis; & id genus alia; hæ siquidem denominatiuæ relationes non à positiua quadam forma desumuntur, quæ genus sit quoddam accidentis à cæteris omnibus distinctum, sitque denominatio penitus intrinseca proueniens à forma, quæ intrinsecùs rem denominatam afficiat; sed modo iam explicato, ità tamen, ut veræ aliæ sint relationes, quæ intrinsecus rationem ordinis, atque respectùs ad certum terminum inuoluant; nempè actus vitalis ad obiectum suũ, actio ad effectum; unio inter materiam, & formam; in his enim ordo ad terminum essentialiter inuoluitur. Imò nullum est ens præter primum, quod ità sit absolutum, ut omnem huiusmodi ordinem excludat, cum ordinem aliquem saltem ad primum ens essentialiter includat. Ità fit, ut communis hæc ratio ordinis, seu relationis, non sit quoddam peculiare accidens ab accidentibus omnibus aliis distinctum; sed potius per omnia rerum genera vagetur, ac in iisdem intrinsecùs inuoluatur.

Adnotatio

Aduertendum autem ab huiusmodi relatiuis, ut ab actione, quæ essentialem dicit ordinem ad effectum, alia denominari, sic ab actione denominatur agens, undè huiusmodi denominationes non constituunt peculiare aliquod prædicamentum, sed ad illud pertinent, ad quod spectant ea, à quibus desumuntur. Quamobrem relatio agentis ad effectum, & passum, spectat ad prædicamentum actionis, undè transcendentalis relatio dicenda; hinc paternitatis relatio nil aliud

est,

est, quam relatio actionis, hoc est generationis, quâ Pater dedit esse Filio, tanquam causa effectui suo. Sic de relatione qualibet causantis ad causatum, cùm talis sit relatio paternitatis; non enim aliquis est pater alterius, nisi ex eo, quòd illum generauerit, & ob hunc generationis actum absque omni ordine, vel respectu relicto ex ipso generationis actu, velut accidentariâ formâ superadditâ dicitur pater illius; quod certè conuenit cuicunque agenti; quemadmodum enim aliquis ob actionem generationis, quâ dedit esse effectui, dicitur pater; ut effectus dicitur filius; sic etiam quodcunque aliud agens, puta ignis, dicitur pater effectûs producti, ut hic dicitur filius; dum enim dicimus aliquem esse patrem alterius, profectò nil aliud intendimus, quàm illum esse causam efficientem, à qua alius suum esse est consecutus, quod cuicunque agenti accommodari posse perspicuum est. Quod verò de relatione paternitatis, & filiationis dicimus, de relatione quoque fraternitatis, & aliis huiusmodi intelligendum. Quemadmodum enim, cum dicimus *hic est pater illius*, nil aliud intendimus, nisi quòd hic generauerit illum, absque omni ordine, vel respectu relicto ex ipso generationis actu; sic etiam cùm dicimus, *hic est frater illius*, nil aliud intendimus, nisi quòd idem, circa utrumque generationis actum exercuerit.

Hinc facilè intelliges eas denominationes tantummodò relatiuas adhoc prædicamentum attinere, quæ ex duarum rerum consortio, combinationeque desumuntur.

SECTIO QVINTA.

De subiecto fundamento, ac termino Relationis.

Quid commune omnibus relationibus.

CVicunque relationi commune illud, nimirum inter duo extrema exerceri, siuè relatio prædicamentalis sit, siue transcendens. Ex his porrò duobus, unum est, quod refertur, quodq; proprio nomine appellatur relatum, & relativum; appellatur etiam subiectum relationis, quod nõ est intelligendum per realem receptionem, informationem, aut inhæsionem relationis in illo, cum de hoc iudicium ferendum sit, iuxta varias opiniones de relationibus, & iuxta varias relationes; sed intelligendum de subiecto, quod denominatur prædicatione relatiuâ, quodque subiectum denominationis appellatur. Extremum alterum è duobus prædictis, est id, ad quod illud aliud, nempè subiectum refertur, quod proprio nomine, terminus nuncupatur; & hæc communi omnium consensu recepta sunt. Vtcunque explicetur relatio, siue dicatur forma superaddita ijs, quæ referuntur; siue denominatio ex duorum consortio desumpta, ut nobis magis arridet; si realis fuerit, necesse est, eam inter extrema realiter distincta reperiri; cùm idem re ipsâ non possit ad se ipsum referri; At si relatio rationis fuerit, nihil obstabit, quominus inter extrema versetur, quæ ratione tantùm inter se distinguuntur, quanuis non repugnet ab intellectu relationem effingi inter ea, quæ sunt inter se realiter distincta. Ità quidem intellectus comminiscitur quendam respectum in Creatore ad creaturam, cum tamen creator à creatura realiter distinguatur.

Superius dicta explicantur. Subiectũ, & terminus relationis.

Quæ verò diximus de duobus relationum extremis, longè clariùs exemplis constabunt. Si duo sint similia, id, quod alteri denominatur simile, dicitur subiectum, & id, cui simile denominatur, dicitur terminus. Non dissimiliter si quis alium genuerit, per relationem paternitatis refertur ad genitũ, & ille dicitur pater, hic autem filius: ille relatum, & relativum, subiectumque relationis: hic autem terminus relationis nuncupatur.

Ex parte autem subiecti, satis est exploratum, fundamentum quoque relationis assignari, quæ plerunque sunt inter se distincta, quandoque verò non ità. Huiusmodi verò fundamentum est id, quod est causa subiecto, ut referatur, seu id, virtute cuius subiecto relatio conuenit. Vel fortè meliùs, duplex subiectum, seu fundamentum relationis assignatur, proximum, & remotum. Proximum est illud, in quo immediatè relatio est: remotum autem, in quo mediatè tantùm. Sic relatio æqualitatis, proximè est in quantitate, remotè autem in eiusdem subiecto. Ità relatio similitudinis proximè in qualitate; remotè in qualitatis subiecto. Quod autem proximum subiectum est, propriè fundamentum nuncupatur.

Ex parte subiecti datur fundamentũ.

Præter subiecta iàm dicta, solet etiam recognosci ratio fundandi relationem, imò etiam frequenter conditio quædam, sinè qua relatio fundamentum non comitaretur. Rem ita explicant, in relatione paternitatis fundandi ratio, potentia eius est generatiua; prævia verò conditio, est actio generatiua eiusdem illicò transiens, sine qua relatio non sequeretur.

Ratio fundandi.

Obseruandum tamen, quod initio dictum est, fundamentum proximum, collatum cum remoto, fundandi rationem dici consueuisse; ità quidem albedo proximum fundamentum similitudinis inter duos parietes albos, dicitur ratio fundandi similitudinem inter illos; adhuc tamen ab ista distinguitur ratio fundandi, de qua loquimur, nam illa, quæ proximum est fundamentum relationis, non est ità *quo*, quin possit esse *quod*, potest enim denominationem relatiuam suscipere. Ità sanè quantitas denominatur æqualis, qualitas autem similis; at ratio fundandi, de qua in præsentia fit sermo, est ità *quo*, ut nequeat esse *quod*, ut potentia generatiua patris, suscipere non potest relatiuam denominationem paternitatis; & unitas, quæ est ratio proxima fundandi relationes æquiparantię, *qualitatis* inter duas quantitates, & similitudinis inter duas qualitates, nec æqualis, nec similis dici potest.

Aduertio

Quamobrem nihil refert utrum relatio sit, positiua forma iis, quæ referuntur superaddita: an potius ab eorundem consortio, denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, desumpta; perpetuò nanque vera sunt hactenùs dicta; si enim relatio positiua sit forma, subiectum eius remotum erit illud, cui tantùm ipsa mediatè inest, ut proximum, cui immediatè; at si denominatio tantummodò sit modo iàm explicato, remotum subiectum erit, quod non nisi mediatè; proximum verò, quod immediatè denominatur, sic de fundamento, rationeque fundandi ratiocinandum.

Hactenus dicta vera sunt, amplius quæ explicentur relationis natura.

Quoniam verò commemorauimus rationem fundandi, conditionemque prævianı, paululùm hic hærendum erit, ut clariùs relatiuorum natura pateſiat. Præmittendum tamen de his præsertim solicitos eos esse debere, quibus relationes visæ sunt positiuæ formæ superadditæ ijs, quæ referuntur, relationum nomine intelligendo, quæ prædicamentales dicuntur. Hi proindè, ut superiùs est adnotatum, distinguunt rationem fundandi, à conditione, quanuis ab aliquibus hæc pro eodem usurpari consueuerint. Solent autem in exemplum afferre relationem paternitatis, in qua fundandi rationem aiunt, esse potentiam generatiuam, quæ semper remanet; ut actio generandi est, quæ illicò transit; post enim hanc remanet relatio, quæ tamen sine subiecto remoto, & proximo, & sine ratione fundandi esse non potest, ex quo concludunt actionem ipsam generandi, solùm veluti conditionem concurrere. Quia tamen aduerterunt in quibusdam huiusmodi conditionem non inueniri eo modo, quo inter causam, & effectum actio intercedit;

Clarius explicatur relationum natura.

Ratio fundandi distinguitur à conditione.

ob

ob id in aliis relatiuis existimant reperiri saltem conditiones indistinctas ab ipsis rebus; puta naturalem aliquam proprietatem, atque rationem, meritò cuius apta sint fundare relationem; adeo ut etiam arbitrentur inter patrem, & filium præter actionem generandi, aliam quoque huiusmodi conditionem reperiri. Hæc tamen gratis dicuntur, nullàque necessitate urgente, cùm non appareat huiusmodi proprietatis necessitas. Vt omittam ineptè admodum huiusmodi proprietatem, conditionem vocari, dum creditur idem re ipsâ esse cum fundamento.

Opinio notanda ejicitur.

Negatiua conditio.

Alij ad negatiuam conditionem confugiunt, quam unitatem esse putant, existimantes hanc esse rationem fundandi similitudinem, æqualitatem, identitatem. In alijs verò reperiri rationem mensuræ passiuæ, quæ videtur esse ratio fundandi relationem scientiæ ad scibile, idque ab Aristotele didicisse arbitrantur.

5. diuin. ap. 15.

Sed cuiusmodi sit unitas ista communis naturæ, iam suo loco fuit à nobis explicatum; in re nanque non alia est unitas præter res ipsas, in quibus est fundamentum ut concipiantur per modum unius, præscindendo nimirum à differentijs contrahentibus; sic enim in mente relucent indiuisę, ita ut dicatur unum quidpiam per abstractionem, cum alioquin re ipsâ diuisę sint, etiam secundum unitatem formalem, quam naturæ concedendam diximus, ità ut natura humana secundum esse suum, & secundum etiam suam unitatem formalem in Socrate, diuersa sit ab ea, quæ est in Platone; undè similitudo potius unius naturę cum alia, fundamentum est intellectui, ut illam concipiat per modum unius; naturam verò Socratis similem esse naturæ Platonis, nil aliud est, quàm in eo dari rationalem naturam, itemque in isto, quod est ambos similes esse in humana natura. Et insulsè quoque comminiscuntur rationem distinctam mensuræ passiuę in scientia, & sensu, fundantem relationem ad scibile, & sensibile. In re siquidem nil aliud recognoscendum, quàm entitas cognitionis, in qua inuoluitur transcendentalis respectus ad obiectum, quod eam ob causam illius mensura dicitur, quoniam ordo ille ad obiectum essentialiter inuolutus in cognitione, constituit illam in determinata specie, quod est eam esse mensuratam ab obiecto.

Reiicitur superior explicandi modus.

Superuacaneum tamen est fundandi rationes illas, conditionesque requirere, cùm sat esse videatur, extrema poni ad relatiuam denominationem comparandam. Ita quidem positis duabus quantitatibus, haberi potest denominatio æqualitatis, si tamen in una tot sint partes æquales uni certæ, quot in alia. Quicquid autem aliud effingitur, id planè commentitium, ac inane. Nec oppositum sensisse videtur Stagirites, cùm tantùm in commemorato loco distinxerit varia relationum genera, penes rationes, & habitudines varias.

Hactenus de subiecto, nunc de termino relationis.

Hæc de subiecto relationis. Supereſt terminus, qui mutuò referri dicitur ad relativum suum; ità planè filius mutuò censetur ad patrem referri; sic etiam duo quanta, duo qualia mutuò se respicere perhibentur. Ex quo facilè intelliges unum, ac idem dici tum terminum, tum relativum; terminus quidem, prò ut aliud refertur ad ipsum: relativum verò quatenus etiam, & ipsum refertur ad aliud; atque ambo extrema correlatiua nuncupantur. Quod num perpetuò contingat, posteriùs inquirendum, cùm sit inquisitione dignum, num semper in termino, mutua detur relatio, ità ut omnis relatio sit mutua; an potius è relationibus, quædam sint mutuæ, quædam verò non mutuæ.

SECTIO SEXTA.

An prædicamentalis relatio constituatur per esse in, *an verò per esse* ad, *an per utrumque.*

Duo in omni accidenti spectari posse

IN quouis accidentium genere, perspicuum est considerari posse, tum rationem accidentis communem omnibus consistentem in eo, quòd est inesse subiecto; tum rationem propriam uniuscuiusque. Hanc in cæteris accidentibus sumendam existimant pænès hunc, vel illum modum afficiendi subiectum, ut quantitas inesse dicitur tanquam mensura, qualitas, veluti dispositio. At rationem propriam relationis dicunt, non accipi secundum comparationem ad illud, in quo inest, sed secundum comparationem ad aliquid extra, nimirum ad terminum, ad quem subiectum refertur. Hinc gemina illa ratio, nimirum *essendi in* puta in subiecto, communis omnibus accidentibus, & *essendi ad*, scilicet ad terminum, relationis propria.

Aliquorũ opinio.

Multa tamen hîc plerique nugantur, asserentes rationem *essendi ad*, prò ut precisam à ratione *essendi in* secundum se spectatam, haud realem esse, sed abstrahere ab esse reali, & rationis. Vndè supponunt rationem *essendi ad*, vel perfectì, vel saltem imperfectà præcisione, distingui à ratione *essendi in*.

Aliorum sententia,

Ex aduerso alij contendunt relationem quoque secundum rationem *essendi ad*, esse verè realem, essequę re ipsâ formalem rationem, quâ constituitur relatio ab aliis omnibus accidentibus distincta; quinimò addunt rationem *essendi in* in *ratione essendi ad*, essentialiter inuolui, cum ipsa quoque accidentaria sit, ac ob id essentialem dicant dependentiam à subiecto.

Tractatur quæstio, quæ alioquin omitti posset in Auctoris sententia.

Tametsi autem liceret nobis has difficultates negligere, cùm vigeant solùm apud existimantes prædicamentalem relationem accidentariam esse formam positiuam inhærentem subiecto, quæ respiciat alium terminum ad extra. Non pigebit tamen hac de re pauca quædam subijcere; tum ad ostendendum quid nobis dicendum videretur, si prædicamentalis relatio foret, qualem ipsi contendunt; tum etiam, quoniam hæc locum habere possunt in veris relationibus, quæ per alia vagantur prædicamenta, seu relationibus transcendentibus; tum etiam ad extremum, quia ne dùm prædicamentum istud per denominationem ab aliis rebus constituitur, sensu iam explicato, sed alia quoque suppetunt accidentium prædicamenta, non absimili modo constructa; propterea nostrum erit explicare per quid istud ab illis distinguatur, dum alioquin cùm illis in eo conueniat, ut omnia in prædicta denominatione, consistant.

Si prædicamentalis relatio foret positiua forma &c. constitueretur per *esse ad*

Si prædicamentalis relatio foret accidentaria forma adiuncta rebus, utique constitueretur essentialiter per rationem *essendi ad*, veluti per propriam differentiam. Hoc planè consonum Aristotelis doctrinæ, qui passim, & ubique rationem relatiuorum explicuit per hoc, quod est *esse ad* aliud; nec immeritò; nam relatio, ut relatio, est ad aliud, ità ut si ad aliud non sit, nec relatio sit.

Et certè, cùm relatio foret quoddam genus entis, constitui deberet per suam propriam differentiam, quâ distingueretur ab alijs, cum quibus conueniret in communi entis ratione; quemadmodum unaqueque res alia constitui perhibetur; at huiusmodi relationis differentia, nulla videretur alia, quàm ratio essendi ad aliud, actu quidem, & formaliter, & non aptitudine tantùm; siquidem relationis essentia formalis ordo foret, ac habitudo, & non potentia, siuè facultas quædam referendi; propterea censendum rationem illam

esse-

essendi ad aliud, differentiam esse, per quam relatio essentialiter constituta dicenda sit.

Quo sumenda est ratio essẽdi ad.

Dicebatur autem rationem illam essendi ad aliud sumendam prò ut actu, non autem potentiâ est, hoc est prò ut in actu, & non in aptitudine, potentiaque consistit, eo quòd relatio sit ipse formalis ordo, ac habitudo, non autem quasi potentia, facultasque referendi unum ad aliud. Nec immeritò, cùm id adeo verum sit, ut etiam in relationibus illis, quæ aptitudinales sunt, locum habeat; ipsa siquidem aptitudinalis relatio suum actu referendi munus exercet; non enim aptitudinalis dicitur, eo quòd fundamentum suum actu non referat, & actu relativum non denominet, sed quoniam terminus, ad quem actu fundamentum refert, non actu, sed aptitudine tantùm, & potentiâ est. Vndè est, ut relatio illa non actualis, sed aptitudinalis tantummodo nuncupetur; ità quidem mobilitas denominat corpus naturâ constans, actu mobile, & actu refert illud, ac ordinat ad motum, non ad motum in actu, sed in potentia tantùm.

In prædicamentali relatione, quãdo sit forma positiua, duplex ratio *essendi in*.

Et quoniam relatio, generatim accepta pro uniuersa relatione transcendenti, comprehendẽdo relationes prædicamentorum omnium, nè dum continet relationes, quæ accidentariæ sint formæ, sed etiam quæ sint veræ substantiæ; ità sanè materia refertur ad formam, forma vicissim ad materiam, & unio refertur ad utramque, & cognitio refertur ad obiectum, & ità de aliis, ita ut in fundamento relationis, quæ foret accidens alia esset ratio fundamenti, & alia subiecti; propterea fit, ut in ea duæ habitudines *essendi in* sint distinguendæ, una quidem ad fundamentum, sub ratione subiecti, quatenus est accidens, quę propriè inhærentia nuncupatur; & alia ad fundamentum formaliter sub ratione fundamenti, prò ut relatio est. Quod conijcere licet ex eo quòd relatio diuina includit rationem essendi in, velut in fundamento, non tamen in subiecto, cum accidens non sit; & aliæ sint relationes commemoratę, ut paulò antea explicuimus, quæ sunt verę substantię, ut relatio materię ad formam &c. at verò in relationibus, quę sint accidentarię formę, ratio *essendi in* relationem constituit, non minus essentialiter, quàm ratio *essendi ad*, ne dum ut generica, sed ut specifica, quod ex dictis notum esse cuiq; potest. Si nanq; *esse in* accipiatur prò ratione *essendi in*, velut in subiecto, concurrit ad constitutionem relationis prædicamentalis, veluti generica ratio, quoniam sic, vel est ipsa accidentis ratio communis ad absolutum, & respectivum; vel saltem eam nobis circumscribit; at eadem accepta prò ratione *essendi in*, veluti in fundamento, hoc sanè modo concurrit ad constitutionem relationis, veluti ratio specifica non minus, quàm *esse ad*. Primò quidem eo quòd eadem sunt principia constituendi, & distinguendi; relationes autem distinguuntur etiam penes fundamenta; ergò ratio *essendi in* constituit relationem pariter, ut relationem; Secundò quoniam relatio habitudo quędam est inter duo extrema, ęque proindè petit essentialiter fundari, ac terminari; Tertiò non minus repugnat relationem esse sine fundamento, quam sine termino; si itaque ratio *essendi ad*, est essentialis relationi, ut relationi, etiam & *ratio essendi in*, essentialis erit; Quartò tandem ad relationem constituendam in suo esse proprio, nè dum terminus, sed etiam fundamentum requiritur; ergò utraque ratio ad constitutionem relationis concurrit.

Quid contrarię sententię fautores decęperit.

Contrariæ sententię fautores illud in errorem adduxit, quoniam non aduerterunt geminam esse rationem *essendi in*, scilicet, & in subiecto, & in fundamento; illa quidem uniuersè conuenit omnibus accidentibus, cùm unumquodque ipsorum postulet inesse subiecto, undè ad relationis constitutionem, veluti generica, communisque ratio concurrit, in qua scilicet relatio cum cęteris accidentibus conuenit. At ratio altera, nimirum *essendi in*, veluti in fundamento, precisè conuenit relationi, prò ut ab omnibus aliis distinguitur; ut non immeritò fuerit à nobis dictum, eam competere relationi, ut propriam differentiam, specificamque rationem non minùs, quàm *esse ad*. Hoc autem non sic intelligendum, quasi gemina sit differentia, quarum una sit ratio *essendi in*, alia, *essendi ad*, sed una potius, & adæquata per *esse in*, & *esse ad* circumscribatur constituens genus relationum in esse suo; cùm ratio *essendi ad aliud* in relatione re ipsâ nil aliud sit, quàm certus, peculiarisque modus afficiendi subiectum suum, scilicet referendo, ac ordinando illud ad aliud. Hoc igitur modo in relationibus quæ forent accidentariæ formæ, ratio *essendi ad* eas constitueret simul cum ratione *essendi in*, nimirum in subecto per modum inhærentis, quæ est ratio essentialis communis omnibus accidentibus, nempe veluti ratio generica, cum specifica; sed ratio *essendi in fundamento* cum ratione *essendi ad terminum*, differentiam unam constitueret propriam relationis.

Et uniuersè loquendo, nimirum generatim sumpta relatione, prout etiam transcendentes, & substantiales complectitur, ratio *essendi ad*, constituit relationem simul cum ratione entis generatim accepta, præscindendo à ratione accidentaria *essendi in* subiecto per modum inhærentis, & per modum identitatis essentialis, ità ut uniuersè constituatur relatio, veluti per differentiam essentialem, per rationem *essendi ad* cum ratione *essendi in* fundamento quod perindè est, ac dicere relationem uniuersè sumptam esse quidem essentialiter ordinem unius extremi ad aliud.

Superiùs dicta probantur.

Hoc adeo euidens, ut vix probatione videatur indigere; nam etiam in relatiuis transcendentalibus verè dicimus respectum inueniri; sic in materia respectu formæ, & vicissim in forma respectu materiæ; sic in actu vitali, & in aliis huiusmodi; non utique per modum formę accidentariæ in ipsis inhærentis, sed per modum formalis rationis in ijsdem essentialiter inuolutæ, ità ut utraque ratio, & *ad*, & *in* ad omnem relationem concurrat; ad relationem prædicamentalem, veluti formam accidentariam, modo superiùs explicato, & ad transcendentalem, ut nuper dicebamus.

Difficultas.

Videtur tamen difficultas in eo posita, quòd Philosophus definierit relationem per *esse ad*, non autem per *esse in*, undè videtur deduci, hactenus tradita, minimè esse Philosophi doctrinæ consentanea. Sed ibi Philosophus ità locutus, quoniam id solùm de relationibus duxit operæ pretium explicare, quod Veteribus non innotuerat; nimirum *esse ad aliud*; nam relationem in alio esse, neminem præteribat. Vt omittam *esse in alio*, sic perspicuè constare de relatione, ut id commemorare opus non sit. Manifestum est autem; Nanque relatio est ordo ad aliud, quòd ordo sit alicuius ad aliud. Vndè præfert rationem essendi in alio, quam propterea commemorare superuacaneum est. Vlteriùs ineptè videtur à nobis antea dictum, rationem utramque essendi scilicet *in*, & *ad* concurrere ad constitutionẽ relationis; Hoc enim admisso statim infertur relationem esse quoddam ens per accidens. Tunc enim istud contingit, quando duo conspirauit ad constitutionem alicuius itaut unum eorum non sit per se actus, aliud autem per se potentia; quemadmodum duæ illæ rationes essent nempe ratio *essendi in*, ut in fundamento, & ratio *essendi ad* tanquam ad terminum; sunt enim habitudines, quarum una non respicit

Solutio.

aliam,

allam, ut actus potentiam, aut viciſſim; Sed penitus diſparatæ ſunt. Inſulsè tamen arguitur; non enim in relatione gemina eſt habitudo ad fundamentum una, altera autem ad terminum; ſed potius relatio una ſimplex eſt habitudo, quæ vt fundata eſt in fundamento, & terminata ad terminum; ità ei æquè eſſentiale eſt fundari ac terminari.

Difficul. s.

Saltem quiſpiam exiſtimabit in eo nos eſſe deceptos, quòd enunciauerimus utramque rationem æque relationi eſſentialem eſſe; nam *eſſe ad* prius naturâ conuenit relationi, velut illam conſtituens in eſſe eſſentiali, & *eſſe in* poſteriùs naturâ, veluti paſſio concomitans; Quotieſcunque enim quidpiam commune diuiditur per duas differentias, pro quocunque ſigno una conſtituit ſpeciem, etiam & alia conſtituit. At verò ens diuiditur per abſolutum, & reſpectivum cùm hæc duo immediatè aduerſentur in diuiſione entis, eiuſque totam naturam ex hauriunt; ergo pro eodem ſigno, in quo abſolutum eſt ad ſe, in eodem reſpectivum eſt ad aliud; verumenimverò abſolutum naturâ prius eſt ad ſe, quàm inſit alteri, propterea reſpectivum prius erit naturâ ad aliud, quàm in alio.

olutio.

Sed falſum, quod dicebatur, nempè ens diuidi per abſolutum, & reſpectivum; ſi nanque reſpicias ens, quod in decem diſtribuitur categorias, primò diuiditur in ens, quod eſt in ſe, & id, quod eſt in alio; quod autem in alio eſt, diuiditur in abſolutum, & relatum; vel ſi mauis in id, quod habet eſſe ad ſe, & quod habet eſſe ad aliud; deindè etiam inficiandum, & illud, nempe abſolutum prius naturâ eſſe ad ſe, quàm inſit alteri; eſſe enim in alio, radicitùs accepto in accidente abſoluto præcedit eſſe ad ſe, quemadmodum etiam in accidente reſpectiuo illud idem eſſe in alio, naturâ præcedit ipſum eſſe ad aliud, omnis enim communis ratio, hoc *præceſſionis* genere minus communem antecedit. Vt præteream difficultatem eſſe de eſſe in alio, velut in ſubiecto, cum tamen hic ſermo ſit de eſſe in alio, velut in fundamento. Neque putes relationis conceptum, pro ut dicit *eſſe ad* realem dici non poſſe, eo quòd relationi rationis quoque conueniat; nàm huic, quemadmodum conuenit ratio entis, ſic & *ratio ad*; utraque igitur æquiuocè. Relatio igitur, prout foret vera, & realis forma conſtitueretur eſſentialiter per rationem eſſendi ad aliud, quemadmodum per eſſe in alio, veluti per differentiam propriam, quâ ab aliis entibus diſtingueretur.

Ratio eſſendi ad liud rea seſt, un le non licit quid. iam præ. ipſum ab eſſe reali, & eſſe ra tionis. Prima ra io ad id nadendū.

Deindè prò comperto illud habendum, videlicet rationem eſſendi ad aliud verè, ac propriè realem eſſe, perperamque dici ab eſſe realis, & rationis quidpiam eſſe præciſum.

Hoc inde mihi fit perſuaſum, quoniam generatim differentiæ per quas contrahitur ens reale ad varia diuerſaque genera, veræ ſunt, & eſſentialiter reales. Quemadmodum etiam, & differentiæ, per quas contrahitur accidens ad varia genera omnes certè reales ſunt; hoc igitur dicendum etiam de differentia, per quam contrahitur accidens ad hanc ſpeciem accidentis.

Secunda atio.

Accedit, & illud, quòd relatio, ne dum reale quidpiam eſſet, quatenus inuolueret rationem entis, & rationem accidentis, ſed etiam prout relatio eſſet; re ipſa enim per relationem illam unum extremum referetur ad aliud, non minus ac extremum ipſum haberet re ipſâ rationem fundandi relationem, nimirum quantitatem, qualitatem &c. non igitur tantùm ratio entis, & accidentis, ſeù ratio eſſendi, & ratio eſſendi in, ſed etiam ratio eſſendi ad, qua conſtituitur relatio, dicenda realis eſt.

onfirma e.

Confirmatur autem eo nomine, quòd ut ſuperiùs fuit animaduerſum, non gemina eſt habitudo in relatione, una quidem ad fundamentum, altera verò ad terminum, ſed eadem ſimplex eſt fundata in fundamento, ac terminata ad terminum, è quibus utraque illi eſſentialis eſt; ut igitur fundari reale quid eſt, ità etiam terminari, utraque igitur ratio realis eſt. Quòd ſi ratio *eſſendi in*, quæ conuenit ipſi, ut relationi, dici realis debet, ratio etiam eſſendi in ſubiecto, quæ conuenit illi, ut accidenti, realis eſſe debebit, illa enim ex rei natura hanc præſuponit.

Ratio eſſendi ad nequit præſcindi à ratione eſſendi in &c.

Hæc autem ratio eſſendi ad, quâ conſtituitur relatio, ſi fuerit accepta, veluti propria relationibus accidentarijs, nullo modo ſic abſtrahi præſcindique à ratione eſſendi in alio, poterit, quin in ſuo conceptu eam non inuoluat. Ratio enim hæc eſſendi ad aliud, ſi ſumatur ut propria relationibus accidentarijs, ex hoc illis eſt propria, quòd nimirum ſit reſpectus, uni quidem inhærens in ordine ad aliud; ratio itaque eſſendi ad, ſic accepta, dicit omnino eſſentialiter eſſe in ſubiecto, cum inhærentia illa ſit propria accidentis ratio, ac ob id non poterit à ratione *in*, perfectè præſcindi.

Præcipua probatio.

Confirmatio.

Quod ex eo confirmatur, quoniam ratio *eſſendi in*, & *ad* non eſt gemina differentia, ſed unica, & adæquata nobis circumſcribens id, quo conſtituitur genus relationum in eſſe ſuo, quoniam ratio eſſendi ad aliud in relatione, nil aliud, quàm certus, peculiariſque modus mediante ratione fundandi, peculiaris inquam modus afficiendi realiter ſubiectum ſuum, nempè referendo, & ordinando illud ad aliud.

Superior doctrina magis declaratur.

Non inficiandum tamen rationem *eſſendi ad* tàm amplè, tàmque uniuersè uſurpari poſſe, ut communis ſit tàm ſubſtãtialibus, quàm accidentariis relationibus generatim, itaut abſtrahatur à ratione eſſendi in alio accidentario modo, non ſimpliciter tamen à ratione eſſendi in ſuo relatiuo. Extant enim relationes ſubſtantialis naturæ, quibus conuenit ratio eſſendi per ſe, non autem in alio per modum accidentis; ità fit, ut ſumi poſſit *eſſe ad* uniuersè, prò ut etiam his relationibus conuenit, quem in modum non includit tale *eſſe in*, ſed præſcindit tàm ab *eſſe in*, quàm ab *eſſe per ſe*, non ſecus ac ratio entis abſoluti, pro ut communis ad ſubſtantiam, & accidens, ea nanque nec determinatè dicit eſſe per ſe, nec eſſe in alio, ſed ab utroque præſcindit, & abſtrahit. Si tamen accipi debet hæc entis abſoluti ratio, quæ ſit accidentis differentia propria, includit penitus illud eſſe in alio, & ab eo præſcindi minimè poterit.

Comprobantur ſuperius dicta.

Rectè tamen dictum fuit non præſcindere ſimpliciter à ratione eſſendi in ſuo relatiuo, rationem ipſam eſſendi ad aliud; hæc enim quanuis generatim adeo fuerit accepta, quemadmodum nuper dictum fuit, non propterea concipi ea poteſt, niſi ratio quædam ordinis, ac habitudinis unius ad aliud; hoc tamen importat relationem in ſuo eſſe relatiuo, non quidem determinatè per modum accidentariæ inhæſionis; ſed, vel hunc in modum, vèl tànquàm eſſentiale quidpiam ei, quod refertur, undè hæc ratio *eſſendi in* hoc modo ſi uniuersè fuerit accepta, prò ut communis eſt utrique rationi *eſſendi in alio* inuoluetur penitus in ratione *eſſendi ad*, ità ut hæc quantumuis amplè fuerit accepta, abſtrahi non poſſit ab illa ratione *eſſendi in* relatiuo ſuo.

Si relatio dicatu cõ ſiſtere in denomina tione præ timi extrin ſeca &c. quid aſſe rendum.

At ſi relatio dicatur conſiſtere iuxta veriorem Philoſophandi modum in denominatione quadam deſumpta à duobus extremis, dicenda planè conſtitui per concomitantiam, atque connotationem alterius extremi, ad quod aliud denominatur referri.

Hoc adeo veritati conſonum, ut nihil magis. Si nanque ſpectetur hoc album ſecundum ſe, tunc profe-

Digitized by Google

Ratione probatur assertio.

ctò quid absolutum dicendum est; dum illi aliud album tanquam extremum alterum adnectitur; huic illud dicetur simile, quatenus illud dici potest album, & istud album, cum nihil aliud sit unum in albedine alteri simile esse, nisi quòd utrunque sit album.

Confirmatio,

Neque putes aliud quidpiam importari, dum dicimus unum alteri esse simile in albedine, ac dum dicimus utrumque album esse. Sola enim differentia, quòd priori modo extremum unum primò dicimus, & ex modo illud significandi connotamus aliud: at secundo modo utrumque æquè primò innuimus, æquè primò significamus. Et in hac etiam denominatione, proindeque relatione sic explicatâ utraque illa ratio *essendi in*, & *essendi ad*, quodãmodo cadere dici potest; nàm si denominatio hæc sit à duobus extremis desumpta, quorum unum dicitur primariò tale, aliud autem secundariò, veluti connotatum; id profectò, quod primariò tale dicitur, sic se habebit, ut in eo dicenda sit esse denominatio, aliud autem, ad id quod ipsa est denominatio. Et asserendum omnino categoriam hanc non alio modo constitui, quàm ex huiusmodi denominationibus iam explicatis.

Præsens categoria ab aliis adhuc etsi in denominationibus extrinsecis consistentibus distinguitur.

Et quanuis aliæ categoriæ sint, quæ in quibusdam extrinsecis denominationibus consistunt; adhuc tamen illa, de qua fit sermo, quæque ad hoc pertinet genus, ab alijs differt, atque secernitur.

Non videbitur ratio essendi ad, secundum se realis; sed ab ea, quæ realis, & quę rationis est, abstrahens: nam ratio essendi ad, communis est, tàm relationibus rationis, quàm realibus; realesq; tantùm per rationem in, ab ijs, quæ sunt rationis, discriminantur; undè consequens fit, ut ratio essendi ad, abstrahat ab ea quæ est realis, & ea, quæ est rationis, solùm existente reali eâ, quæ est *ratio in*, nimirum in relationibus realibus, veluti earum propria. At non inficiandum *rationem ad*, iuxta communem illam usurpationem accipi, atque hunc in modum æquiuocè dici, & nomine tantùm de ratione *essendi ad* rationis. Hoc enim cogitandum se habere, non secus, ac se habet ens respectu entis realis, & rationis; hæc enim, ut nomine tantùm conueniunt: ità non participant rationem quandam, quæ sit utrique communis; enti enim reali, & rationis, nihil commune uniuocum. Ità pariter de illa ratione essendi ad, hæc enim nequit esse communis uniuocè ei, quæ est rationis, & realis, sed nomine tantùm utrique communis est. Vndè in relatione reali *ratio ad*, realis est, propterea *ratio ad*, non ad eum modum præscindit, ut nonnulli contendunt ab ea, quę est realis, & ea quæ est rationis; hoc tamen admisso in relationibus realibus, non solùm *ratio in*, sed etiam *ratio ad*, intrinsecùs determinatur, ut verè realis sit: proindeque, ne dùm per *rationem in*, sed præcipuè *per rationem ad* relationes reales à rationis relationibus secernuntur. Vt præteream *rationem etiam in*, hanc, eandem pati difficultatem, quoniam nomen istud accipi potest ad significandam non solum *rationem in*, realem, sed etiam *rationis*.

Prima obiectio.

Sed hunc in modum obiiciunt. Relatio ideò reale est ens, quoniam re ipsâ est in subiecto, quod refert, quo pacto dicit rationem *in* hæc enim in illa essentialiter inuoluitur; ratio tamen *ad* à ratione *in* præscindit; ob id ratio *ad* determinatè realis non erit, sed ab esse reali, & rationis præscindet. Quo autem pacto huic sit occurrendum difficultati, ex nuper traditis liquet.

Solutio ex dictis petenda.

Secunda obiectio.

Deindè si ratio essendi *ad* non perfectè præscindit ab esse *in* non videtur dici posse relationem constitui ex hac duplici ratione, cum uniuscuiusque rei methaphysica compositio inter partes componentes præcisionem

Solutio.

illam requirat. At aduertendum contrariæ sententiæ fautores in eo deceptos, quòd arbitrentur ad constitutionem omnem metaphysicam præcisionem perfectam requiri; tametsi enim hæc plerumque interueniat, non rarò tamen abest, cum scilicet constitutio non fuerit per modum compositionis, sed potius expressionis conceptuum intellectûs.

Terria obiecto, quæ etiam uersus postremo loco dicta,

Sed aduersus postremo loco dicta illud occurrit, quod si relatio ad eum modum, intrinsecùs nimirum constitueretur, scilicet per connotationem, & velut inclusionem alterius extremi, foret aggregatum quoddam per accidens; ob id, vel non reponendum inter prædicamenta, vel saltem non seiungendum ab ijs, in quarum combinatione, aggregationeue dicitur consistere.

Solutio.

Vltrò concedendum relationem istam haud esse quandam accidentariam formam rebus aduenientem relatis, undè non constituendam inter vera genera, ac species accidentis propriè sumptas. Permittendum tamen illam inter prædicamenta connumerari, cum ex iis quędam sint, quæ in denominationibus considerationę dignis consistant.

SECTIO SEPTIMA.

Consideratur Relatio ex parte subiecti, seù fundamenti.

Tractandorum ratio.

CVm relatio, de qua in præsentia fit sermo ex duplici ratione constet, nimirum *in*, & *ad*, & merito prioris subiectum, seù fundamentum, beneficio posterioris terminum importet; ad introspiciendam eius naturam, oportet utrumque scilicet subiectum, & terminum perpendere, & primò quidem subiectum.

An subiectum relationis debeat esse ens reale, illudque finitum.

Occurrit autem initio querendum, an relationis subiectum debeat esse ens reale, illudque finitum.

Idoneum prædicamentalis relationis subiectum non esse nisi ens reale finitum.

Nobis autem eorum consilium arridet, quibus est visum idoneum relationis prædicamentalis subiectum non esse, nisi ens reale, & finitum. Id porrò in hanc me duxit sententiam, quoniam relatio, de qua fit sermo, si reale dicatur accidens, illudque positivum, non poterit in non ente recipi, fundarique; cùm non ens nequeat esse aptum realis entis subiectum, ac fulcimentum. Accedit, quòd si relatio suum esse reale à fundamento, velut ab efficiente cauta recognoscit; necesse est subiectum, ac fundamentum reale quidpiam esse, quoniam à non ente, nequit ens positivum effici.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Difficultas.

Hîc tamen difficultas insignis occurrit, eo quòd communi Peripateticorum consensione, priuatio potest fundare, esseque subiectum relationis principij generationis rerum naturalium. De his porrò nonnulli hoc modo philosophantur. Tres aiunt ad realem relationem requiri conditiones. Prima quarum, quòd extrema eius realia sint, ità ut in ratione fundandi, terminandique ab intellectu non pendeant. Secunda, quòd sint realiter distincta, quoniam idem ad se ipsum realiter referri non potest. Tertia tandem, quòd ab extremorum oriatur natura, & non per actum intellectûs comparantis unum ad aliud. Inquiunt igitur, si relatio realis accipiatur, non tam strictâ significatione, ità ut illas tres conditiones requirat, sed ut secernitur à relatione rationis efficta per actum intellectus, & eatenus realis non dicatur, quatenus non omnes habet illas conditiones, sed una, vel altera ei desit; utique poterit realis relatio hoc sensu in non ente ad ens fundari; & hunc in modum dici poterit priuatio fundare relationem realem principij in ordine ad generationem, concedique poterit relationes reales etiam non entibus conuenire; non ità ut huiusmodi relationes entia realia sint positiua, quoniam verum,

ac

ae teale accidens, nequit in non ente, velut in subiecto recipi; sed reales dicantur, eo sensu, quo tenebras, & cæcitatem reales negationes consueuimus appellare, quatenus dantur nullo cogitante intellectu; priuatio autem suo modo ad generationem per modum principij concurrit.

flutio su rioris fficulta-

In his tamen aliâ viâ incedendum. Præstat enim dicere priuationem solùm concurrere, tanquam id, unde mutationis denominatio aduenit naturali generationi, quæ procul dubio, ut mutatio est, supponit materiam priùs tempore priuatam formâ, penes quam mutatio contingit. Hoc autem, ut accidit naturali generationi, quæ tantùm exposcit, ut ab agente fiat naturali, subiecto præbente concursum suum; ita mutationis denominatio eidem accidit, & quidem extrinsecùs aduenies, quippè quæ non desumitur à quapiam intrinseca ratione generationis, sed à subiecta materia præeunte, quæ sit destituta formâ. Ita fit, ut ineptè admodum ei ratio principij per se in ordine ad esse, naturamque generationis dicatur, quanuis dici possit principium in ordine ad extrinsecam denominationem mutationis. Condonandum tamen aliquid Stagiritæ dicenti generationem, ut mutationem, pro uno ex suis principijs priuationem recognoscere, propterea quòd arbitrabatur ex æternitate mundum extitisse, ac proindè naturalem generationem nunquam posse contingere non præeunte subiecto. Vnde cùm naturalis generatio, suaptè id naturâ requireret, ob id etiam par erat, ut ipse ad generationem, pro ut induit mutationis naturam, siue pro ut mutatio dicitur, priuationem adsciscceret, utpotè id, ad quod illa necessariam consecutionem habet, atque adeo, ut per se principium eiusdem.

Adnotatio

Cæterùm aduertendum res omnes, atque adeo prædicamentales relationes in duplici statu spectari posse, nempè possibilitatis, vel actualis existentiæ: licet in præsentia relationes prædictæ sumantur, pro ut sunt in actuali existentiæ statu. Cum igitur aliquando Philosophus inter prædicamentales relationes, enumeret relationem calefactiui, ad calefactibile; & eius, quod fecit, ad id, quod factum est; & eius, quod est facturum ad id, quod faciendum est; non subindè concludas relationem realem fundari etiam in non ente; propterea quòd ens, reale non ideo dicitur, quia actu existat, sed quoniam ei non repugnat existere; adhuc igitur, quod actu non est, potest tamen esse, ens reale dicitur, quod subiectum potest esse relationis, non, quæ actu, est, sed cui non repugnat esse. Vnde hac in re ita philosophandum, quòd qualis est relationis status, talis quoque sit status extremorum. Si igitur relatio non sit, possit tamen esse, requiret extrema, ut actu non sint, ipsis tamen esse non repugnet. At si actu relatio sit, extrema itidem actu esse debeant. Non dissimulandum tamen, commemoratas illas relationes calefactiui ad calefactibile &c. non tàm prædicamentales, quàm transcendentales esse, de quibus non eodem modo, ac de prædicamentalibus sentiendum. Vnde fatendum omninò res etiam non existentes, quinimò, & non entia, relatiuam denominationem subire posse, quod per quasdam reales formas contingit, denominatione tamen extrinsecâ. Ita quidem finalis causa, quanuis non sit quidem existens, denominatur causans effectum, & negatio denominatur per modum obiecti cognitionem terminantis & id genus alia. Id porrò indè oritur, quoniam hæ sunt denominationes extrinsecæ prodeuntes à formis non existentibus in re denominata, sed alibi. Huiusmodi autem denominationes censendæ non sunt ad hanc pertinere categoriam, sed potius ad illam, ad quam ea pertinet forma, dicunturque relationes transcendentales, ut superiùs monuimus.

Hâc utiq; ratione priuatio, si per se principium statuenda foret generationis, quatenus hæc mutationis induit naturam, denominari posset principium, quanuis non sit ens positivum; quia non sic denominaretur per formam in se receptam, sed quoniam ad ipsam terminaretur transcendentalis respectus, quem generatio tanquam mutatio quidem inuolueret

Quomodo priuatio determinari posset principium.

Finitum, ac limitatum relationis prædicamentalis debere subiectum esse, perspicuum est. Quoniam ens infinitum, perfectum simpliciter est, itemque necessarium ex perfecta enim simplicitate illius prouenit, ut nihil in eo sit, quod non sit ipsum; unde realis relatio, velut accidentaria forma, nequit ei nouiter in tempore aduenire, siquidem cum eo compositionem faceret, quòd summè quidem eiusdem aduersatur simplicitati. Ita profectò Deo Optimo Maximo, utpote infinitè perfecto, relatio omnis ad creaturas deneganda est. Nec etiam ex æternitate hoc ei potest accommodari, cùm ex perfecta necessitate id ei omninò repugnet; perfecta siquidem eius necessitas est, ex se esse talem, ut varietatem subire non possit, quacunque data, siue possibili, siue impossibili quidem hypothesi circa aliud à se, quoniam alia non sunt prima, ac per se necessaria; unde consequens est, ut in eo nulla possit admitti realitas, nec ex æternitate, nec in tempore, quæ necessariò coexigat aliud à se; enim necessariò coexigens illa, aliud à Deo, non foret in illo, coexato non existente, ac proindè quidpiam perfectè idem cum Deo non esset, aliquo alio non existente, quod scilicet non est necessarium ex se, realis autem relatio necessariò coexigit terminum ad esse suum; quamobrem in Deo eius remanente necessitate illesâ, nequit realis relatio constitui ad aliud, quod sit ab ipso distinctum.

Subiectũ relationis prædicamẽ alis debet esse finitum, ac limitatũ. Ratione suadetur.

Nec difficile est intellectu, quâ ratione Deus sit re ipsa Creator, itemq; dominus, atque etiam distinctus à creatura, quanuis, in eo nulla sit relatio Creatoris ad creaturam, domini ad seruum, atque distincti, ab eo, à quo distinguitur. Ipse siquidem dicitur realiter Creator, dominus &c. non intrinsecùs, & per modum subiecti, sed extrinsecùs, & per modum termini, quatenus re ipsa terminat passiuam creationem in creatura existentem; unde propositio illa Deus est realiter Creator, admittenda quidem, si particula illa *realiter* determinet inhærentiam, videlicet totam propositionem, non autem si determinet inhærens, extremum prædicatum scilicet propositionis.

Quomodo Deus denominetur creator, dominus &c.

Quòd si quispiam turbetur, eo nomine, quòd, ut istæ denominationes reperiuntur in Deo relatiuæ quidem sine formis relatiuis superadditis; non abimili modo esse poterunt in creaturis absque omni forma relatiua superaddita. Res tamen longè aliter se habet. Cogitandum enim relatiuam denominationem non necessariò fieri debere per receptionem formæ relatiuæ, sed vel ita, vel per terminationem realem ipsius. Priori modo contingit, quando subiectum est formæ capax; tunc enim ab eo, velut efficienti, alio extremo posito, relatio pullulat, à qua intrinsecùs denominatur relatum. Ita quidem in rebus creatis, quibus inesse possunt accidentariæ formæ relatiuæ, denominationes comparantur. Non sic autem in primo ente, in quo hæ denominationes habentur per solam realem terminationem, adeout illud extrinsecus, relatiuam hanc denominationem, respectum scilicet, tantummodò rei creatæ terminando, obtineat.

Prima difficultas

Solutio.

Si quis verò urgeat dicendo ab oppositis relationibus, oppositas denominationes oriri, nec eandem haberi posse; atqui creatio quidem actiua, & creatio passiua,

Secunda difficultas

siua, sunt relationes oppositæ; propterea consequens est, ut oppositas denominationes relatiuas tribuant; proindèque denominatio Creatoris non à relatione, quæ creationis passiuæ, sed ab ea, quæ illi opponitur in Deo, scù primo ente haberi debet. Hoc tamen nullius momenti; tametsi enim relationes oppositæ præbeant denominationes oppositas intrinsecùs afficiendo subiectum; nullum tamen incommodum, eandem omninò relationem, denominationem unam præbere subiecto, cui inhæret, intrinsecùs, illud afficiendo: oppositam verò termino extrinsecùs, quatenus ad ipsum terminatur. Ità planè perspectum est, visionem geminam denominationem tribuere; oculo enim, cui inhæret videntis intrinsecam denominationem præbet; parieti viso, denominationem extrinsecam tribuit.

Solutio.

Tertia difficultas. Solutio.

Neque perturbet, quòd Deus denominetur realiter creator. Non enim id contingit, quoniam realiter ad creaturas referatur, sed quoniam hæ referuntur ad ipsum; quemadmodum scibile dicitur scientiâ scibile, non quoniam ipsum referatur ad scientiam, sed propterea quòd scientia refertur ad ipsum. Et quanuis Deus denominetur per relationem existentem in creatura; non ob id ipse, creatura dicendus: nàm id planè contingeret, si Deus denominaretur ad eum modum; quo creatura; secus tamen se res habet: cratura enim intrinsecùs, Deus autem extrinsecùs denominatur, ut paulò superiùs adnotatum fuit.

Quarta difficultas 5. Diu. cap. 15.

Quòd si dicas relationes, quæ fundantur in actione, & passione, quæque secundi modi relatiuorum appellantur, reales sunt, & mutuæ; huiusmodi porrò sunt relationes Dei ad creaturam, veluti causæ ad effectum. Ne dum igitur ex parte creaturæ, sed etiam ex parte Dei huiusmodi relationes agnosci debent.

Solutio.

Occurrendum, vel negando relationes Dei ad creaturam, ad secundum relatiuorum modum pertinere, cum potius ad tertium spectent, ubi uniuersè relationes non mutuæ collocantur. Vel dicendum non semper relationes secundi modi mutuas esse, cùm, quę ad tertium modum pertinent, mutuæ perpetuò sint.

Est autem difficultas non leuis de aliis quibusdam denominationibus, nimirum omnipotentis, omniscientis, quę videntur desumptæ à formis relatiuis; nam re ipsâ Deus denominatur omnipotens, omniscens, quę in Deo sunt, velut attributa dicentia perfectionem simpliciter; hæc tamen præseferunt respectum potentiæ in efficiendo, & in sciendo ad creaturam, quæ effici, cognosciq; possit; non enim licet concipere Deum omnipotentem, absque creatura possibili, & creaturis repugnantibus, Deus utique dici non posset omnipotens, quoniam nihil posset producere; fatendum igitur videtur, transcendentales huiusmodi relationes in Deo esse constituendas.

Quid re vera sentiendum de prædictis.

Re tamen verâ de his ita sentiendum, nempè, quod huiusmodi perfectiones gemino modo spectari possunt. Primò, pro ut fundamentum important, quo pacto sunt perfectiones absolutæ denominantes Deum fundamentaliter, ut aiunt, omnipotentem, & omniscientem. Alio verò modo sumi possunt formaliter, quo pacto superaddunt respectum rationis, quamobrem implicantibus creaturis, Deus adhuc diceretur omnipotens, propter absolutam perfectionem, quam in ipso omnipotentia præsefert, aptam fundare respectum rationis ad creaturas, si possibiles forent. Vnde si creatura foret impossibilis, Deus adhuc esset omnipotens, quantum ad intrinsecam perfectionem, & productricem virtutem ipsius; repugnantia enim creaturæ non ex Deo, sed ex ipsa creatura proueniret; quamobrem si Deus non posset exire in actum operandi circa ipsam, id non ex eo oriretur, quoniam Deo actiua deesset potentia ad creaturam producendam, sed quoniam creaturæ, passiua deesset potentia ad produci.

Neq; est, cur quis dicat. Omnipotentia in se spectata, virtus quædam actiua est: ergo cùm non sit actiua sui, erit alicuius alterius à se distincti; ergò necessariò transcendentali respectu fertur in aliud à se distinctum. Idque magis confirmatum redditur; quoniam huiusmodi potentia ad factibile se habet, ut potentia visiua ad visibile; ut igitur hæc absque obiecto visibili concipi non potest, ità nec illam absque termino factibili concipere licebit. Diluitur tamen respondendo omnipotentiam in Deo, utpotè perfectionem simpliciter alicuius factibilis, actiuam esse virtutem, non quòd constituatur formaliter in esse suo per transcendentalem ordinem ad illud; sed quoniam absoluta quædam est perfectio apta terminare dependentiam creaturarum possibilium ad ipsam; & potest fundamentum esse intellectui, ut ad possibiles creaturas quendam comminiscatur respectum. Neque paritas illa desumpta ex visiua potentia quicquam concludit; dispar enim est ratio, quoniam passiua potentia pendet ab obiecto, ei siquidem hæc dependentia non repugnat, imò per hoc à quauis potentia in Deo etiam secernitur, quoniam quæcunq; potentia in Deo est, ob eius summam perfectionem, incapax omninò est dependentiæ ab illo, circa quod potentia ipsa se exercet, secùs in creatura; quapropter, etsi in potentia visiua quidam inuoluatur essentialis ordo ad obiectum, non idem de omnipotentia Dei pronunciandum, sed potius ea constituenda in perfectione absoluta, apta fundare respectum rationis ad creaturas possibiles, vel realem earum dependentiam in tali possibilitatis statu terminare.

Difficultas.

Confirmatio.

Solutio.

SECTIO OCTAVA.

Quid sit id, cui subijci relationibus conuenire possit.

Quando prædicamentales relationes concedendæ sint formæ positiuæ &c. quid asserendum 5. Diuin. cap. 15.

SI prædicamentales relationes admittantur &c. inficiandum non est, imò concedendum, proximum, ac immediatum fundamentum ipsarum, ne dum accidens, verum etiam substantiam esse posse, quod sensisse Philosophus videtur dicens, unitatem in substantia identitatem facere, ut in qualitate, similitudinem, & in quantitate, æqualitatem; eâ forsan ratione ductus, quoniam ab omni veritate putabat alienum, duas qualitates, nimirum albedines, inter se conformitatem habere, quæ prædicamentalis relatio sit, dicaturque similitudo; duas verò substantias eiusdem speciei, ut duo homines, consentaneam non habere conformitatem, quæ essentialis dicatur identitas. Vt enim in qualitatibus similitudo, ac dissimilitudo accidentaria: sic in substantiis similitudo, ac dissimilitudo in natura debet attendi, quæ identitas, & diuersitas dicuntur, sintque relationes ad hanc spectantes categoriam. Vt enim destructo albo, aliud non amplius ei simile actu, sed potentiâ tantùm dicitur; sic etiam Socrate destructo, Plato non amplius ei similis actu in natura, sed potentiâ solùm dicetur.

Quid sentiendum de causis ad effectum relationibus prædicamentalibus.

Deinde, qui relationem causæ ad effectum putant esse prædicamentalem dicendam, sic arguunt. Dum ignis ignem, & homo hominem gignit, generatio priùs terminatur ad ignis substantiam, quàm ad ullum accidens; in illo igitur priori fundatur relatio effectus in substantia ignis ad ignem, & in homine ad hominem generantem, ille dicitur causa, sic etiam, & hic, speciali tamen nomine Pater, nuncupata. Quòd si quispiam ijs occurrens dicat, paternitatem, & filiationem in actione, & passione, quæ accidentia sunt, fundari;

Digitized by Google

dari. Ii hoc falsum esse contendunt, eo nomine, quòd illis transactis, maneant relationes prædictæ, quarum propterea colligunt immediatum fundamentum esse patris, filijque substantiam, vel saltem actiuam, passiuamque potentiam, quas ab eorum substantia negant re ipsâ, velut accidentia, distingui.

Auctoris opinio.

Nos tamen longè diuersâ incedentes viâ, relationem causæ ad effectum transcendentalem existimamus, quemadmodum patris ad filium. Non propterea tamen relationem identitatis, ac diuersitatis inter ea scilicet, quæ dicuntur idem, vel diuersa genere, idem, vel diuersa, specie, transcendentales arbitramur; non quoniam identitas, & diuersitas specifica, vel generica, realiter à fundamento suo distinguantur, sed quoniam non inuoluitur essentialiter in ijs, quę dicuntur referri; hoc enim transcendentalis expoſcit relatio. De hoc tamen infra.

Admissis relationibus prędicamentalibus tanquam formis &c. an relatio una possit alterius esse fundamentum. Aliqui affirmatiuè respondent

Admissis prædicamentalibus relationibus, velut accidentarijs formis superadditis, alia se difficultas offert, an videlicet relatio una possit alterius esse fundamentum. Nobis videtur cum quibusdam asserendum, eò saltem, quòd proportionalitas duarum sit proportionum similitudo; proportio autem quædam relatio est, & nihilominus subiectum est alterius relationis, nimirum proportionalitatis, quæ in similitudine quadam consistit. Accedit etiam, quòd relationes, non minus ac entia absoluta, denominationes relatiuas suscipiunt; dicimus enim duas paternitates inter se similes esse, non secùs ac duo alba similia dicuntur; & quemadmodum album unum incipit simile denominari ad positionem alterius; sic paternitas una similis incipit dici, statim ac alia surrexerit paternitas; quod argumento est huiusmodi relationes, quemadmodum denominationes, accidentarias esse relationibus denominatis, ac proindè ad præsentem attinere categoriam, ad quam dictum fuit relationes pertinere, quæ rebus accidunt relatis.

Aliqui putant duas paternitates non dici similes.

Sunt, qui putant duas paternitatis relationes non dici similes positiuè, sed negatiuè tantùm, ut loquuntur, quatenus specie non differunt. At secùs duas se habere albedines affirmant, cùm similes positiuè, scilicet per relationem superadditam dicendæ sint.

Iis incumbit onus asserèdi disparitatem.

Sed ijs incumbit onus disparitatem afferendi, si nobis assentiendum non putent; in eo tamen plurimum ipsis laborandum, & certè frustrà.

Disparitas reijcitur.

Nec ad tutum asylum confugiunt dicendo, nullam esse paritatem, eo quòd relatio, ut resultet, requirit subiectum, ac fundamentum tantæ perfectionis, ut ei, vel tanquam causæ materiali, vel tanquam efficienti suum esse acceptum referre possit. Huiusmodi autem non est, nisi ens absolutum, non relatio, quippè quæ tam exiguæ, tamque debilis naturæ est, ut alterius relationis comparatione, causæ rationem obtinere minimè possit. Hæc minus rectè dicta hinc sanè intelliges, quoniam non semper subiectum recipiens, itemque substentans perfectius esse habet, quàm receptum, & substentatum; constat enim materiam non solùm non esse perfectiorem formâ substantialis naturæ, sed nec æquè perfectam. Quo etiam admisso, relatio una, nihil obstat quominus sit aliâ perfectior, nempè fundans perfectior fundatâ; quamuis enim omnes exilis naturæ sint, adhuc in ipsis concedi potest perfectionis ordo. Nec quælibet efficiens causa tantæ debet esse perfectionis, nisi fuerit æquiuoca, & quidem physica, ut perfectione debeat excedere effectum suum; si nanque extiterit efficiens per resultantiam, cuiusmodi est subiectum, ac fundamentum erga relationem, non est opus excessu perfectionis in causa, respectu effectus; ut omittam, si in ipsis detur, ut paulò antea monuimus, perfectionis ordo, cùm, quę fundat, sit perfectior fundatâ, non repugnare illi vim efficiendi, quâ scilicet alteri relationi esse impertiatur. Et ineptiùs alij dixerunt, ex eo paritatem esse nullam existimandam, quoniam relatio rei modus est, qui propterea non alio indiget modo, nè sit abeundum in infinitum. Sic unio non indiget unione, quâ extremis, inter quæ intercedit, uniantur; nec præsentia aliâ eget præsentiâ. Non absimili modo, inquiunt, de relatione sentiendum; cùm enim hæc sit, quâ alia referuntur, non per aliam relationem, sed se ipsâ refertur; ob id paternitas se ipsâ dicitur alteri paternitati similis, quemadmodum similitudinis relatio, se ipsâ est à paternitate diuersa.

Reijcitur superior dicendi modus.

Hæc tamen insulsè dicta; tametsi enim modi non detur modus in eodem genere, quo ipse modificat, datur tamen in genere diuerso; ut Vbi non indiget alio ubi, per quod aliud constituat in loco, vel sit in loco, quoniam se ipso in loco est, & est ratio, per quam aliquid in loco constituitur; indiget tamen actione, quâ producatur, cùm ipsa non sit producendi ratio. Sic etiam unio non indiget alio unionis modo, quo, vel ipsa uniat, vel uniatur; indiget tamen actione à se distinctâ, quâ producatur, quoniam unio non est agendi ratio. Ideo autem, ubi non indiget alio ubi, nec unio aliâ unione, quoniam in quocunque genere id, quo aliquid est tale, se ipso & non per aliquid aliud est tale; at verò si modi non detur modus in eodem genere ob allatam rationem, quo ipse modificat, nihil tamen prohibet, quo minus in alio genere detur; nam, quod est *quo* in uno genere, potest esse *quod* in alio, ut Scholastici dicunt; quod cognitionis exemplo declarant; hæc enim, cùm sit id, quo repræsentatur obiectum, aliâ non indiget cognitione ad illud idem repræsentandum; ipsa tamen, ut repræsentetur, aliâ eget cognitione, quoniam sic non amplius est *quo*, sed *quod*. Non absimili modo in re, de qua agitur, relationum fautores philosophandum existimant; licet enim, inquiunt, relatio se ipsâ ad suum terminum oppositum referatur ut paternitas ad filium, nec adhoc aliâ indigeat relatione superadditâ, cùm comparatione illius sit *quo*; at ad disparatum se ipsâ non refertur, ut ad aliam paternitatem in ratione similis, vel ad absolutum quidpiam in ratione dissimilis, sed indiget nouâ relatione similitudinis, itemque diuersitatis. Paternitas enim respectu filij, habet profectò rationem relationis, at respectu albi, vel alterius paternitatis non item; cùm potius habeat rationem entis disparati, ac ob id in ordine ad illa potest esse fundamentum relationis similitudinis, aut diuersitatis.

Nullum incommodum relationis dari relationem.

Nec propterea vertendum id vitio, quòd scilicet relationis detur relatio; nullum enim incommodum, si una comparetur ad aliam, velut ad disparatum; tunc enim relatio fundans, non relationis, sed fundamenti rationem obtinet; quemadmodum si detur cognitio rei alicuius, hæc utique per cognitionem aliam, nempè reflexam, cognosci potest. Et quanuis cognitionis detur cognitio, nullum incommodum, quoniam cognitio cognita rationem habet obiecti, & non cognitionis. Neque mirum, si superadditas relationes, relationibus agnoscant. Quemadmodum enim modus alio indiget modo in diuerso genere ad habendum formalem effectum diuersum ab eo, quem ipse præstat; sic etiam paternitas ex. g. ut alteri dicatur similis paternitati, nouâ indiget similitudinis relatione, cùm esse simile sit effectus longè diuersus ab illo, quem ipsa paternitas præbet, nimirum esse patrem.

Prima difficultas.

Quędam occurrunt tamen diluendæ non exigui momenti difficultates. Si quid enim relationem fundat, illud

illud profectò esse debet, nimirum, vel unitas substantiæ, quantitatis, & qualitatis pro primo genere; actio, vel passio pro secundo; mensura tandem pro tertio, ut Aristoteles non semel expressit. At relatio nihil horum est; propterea, nec alterius relationis porerit esse fundamentum. Verumenimverò nihil hâc ratiocinatione conficitur; nam in prædicamento relationis, idoneum potest fundamentum relationum ad primum modum spectantium reperiri, cùm unitas, & pluralitas generica atque specifica, ad id planè sufficiat, super his enim, primi modi relationes fundantur; has verò unitates in relationibus itidem adinueniri, satis perspectum; una siquidem relatio collata cum alia, vel eiusdem, vel diuersæ rationis est ab illa, in quo substantiæ unitas, cuius Philosophus meminit, posita est, cùm per unitatem substantiæ, nil aliud, quàm unitatem essentiæ is intellexerit, quam in relationibus reperiri, nemo ibit inficias.

5. Diuin. cap. 15.

Solutio.

Secunda difficultas

Acriùs urgent, qui colligunt hinc processum in infinitum; si nanque semel admiseris relationem unam, posse esse fundamentum alterius, certè nihil erit in causa, cur hoc idem de relatione fundata non dicatur, quod cùm deinceps idem de cæteris dici possit, nullus erit præfixus relationibus numerus, ità ut una sit subiectum alterius, quod est agnoscere seriem infinitam ipsarum. Hoc ut clariùs intelligas; finge paternitatem fundare relationem similitudinis ad aliam paternitatem, & vicissim. Hæc similitudo fundamentum erit similitudinis ad aliam &c. Sed non admittendus processus in infinitum, in quo pleroſque deceptos existimo; quoniam difficultati potest satisfieri non secùs, ac in re simili fieri solet, nempè cùm dicitur; si distinctio, atque diuersitas inter Socratem, & Platonem superaddit ipsis relationem re ipsâ distinctam, consequens est, ut distinctio fundata in Socrate re verâ distinguatur ab ipso Socrate, & sic à Platone; proindèque relatio distinctionis Socratis à Platone realiter referatur ad Socratem, & per aliam relationem diuersitatis distinguatur ab eo; & quoniam hæc secunda relatio distinctionis diuersa est realiter à prima, ob id per aliam relationem erit diuersa, & hæc rursus erit diuersa per aliam, & sic in infinitum. Huic autem satisfit dicendo non quamlibet relationem uniuersè, distingui realiter à fundamento suo, sed tantùm illam, sine qua, & eius termino fundamentum potest existere. Cùm enim fundamentum sine illa relatione, ac eius termino poterit existere, id planè inditio est realem distinctionem intercedere; at si fundamentum nequeat sine relatione existere, idq; ab intrinseco sibi repugnet, secùs philosophandum; unde omnis illa relatio, quam dicimus ad suum referri fundamentum, siue ad illud referatur, velut ad id, cui re ipsâ inest, vel à quo realiter distinguitur, vel alio quouis modo, erit idem reuerâ cum fundamento suo, adeo ut se ipsâ realiter ad fundamentum referatur, ut ab eo distincta, ut illi inhærens, ut dissimilis. Exemplo autem res fiet illustrior. Relatio distinctionis Socratis à Platone alia utique est re ipsâ à Socrate, hæc tamen alietas, non est existimanda relatio quædam alia realiter distincta â relatione distinctionis, quâ Socrates distinguitur à Platone, sed alietas illa, idem est cum ipsa distinctione, quâ Socrates distinguitur à Platone, ità ut hæc relatio distinctionis se ipsâ fit distincta à Socrate.

Impugnatio superioris responsionis.

Quòd si urgeas, tametsi ista relatio distinctionis Socratis à Platone realiter dicatur distincta à Socrate, & non per aliam diuersitatem, eò quòd nequeat esse sine illo, cùm eius sit fundamentum. Socrates tamen nequit dici distinctus à distinctione se ipso, quâ nimirum differat à Platone; quoniam potest esse sine illa, unde indigebit alia distinctione distincta, qua diuersus à prima illa diuersitate dicatur; cùmque rursus ab hac secunda diuersitate realiter differat, quia potest sine illa esse, aliâ rursus indigebit relatione diuersitatis, quâ ab eo dicatur diuersus, atque hunc in modum licebit in infinitum abire.

Impugnationi fit satis.

Neque hunc in modum probant intentum. Vt enim ex parte relationis datur status, cum huiusmodi est, ut fundamentum nequeat esse sine illa, ac eius termino; ut relatio alietatis inter Socratem, & relationem distinctionis, quâ Socrates differt à Platone; sic etiam datur status ex parte fundamenti in eo genere, in quo relatio illud denominat. Sic productio non dicitur aliâ productione producta; nec materia dicitur aliâ unione unita unioni, quâ nectitur formæ. Quod enim est *quo* in aliquo genere, non supponit aliud *quo* in eodem genere. Sic superiori difficultati satisfiet negando processum in infinitum, dicendoque statum admittendum esse in secundis relationibus, quæ se ipsis referuntur. Itaque cum duæ paternitates similes dicuntur, utique dicentur similes per similitudinem superadditam; quando autem hæ duæ similitudines similes inter se dicuntur, id ijs non contingit per relationes similitudinis superadditas, sed se ipsis dicuntur tales, cùm una sine altera existere non possit, simul enim naturâ sunt; quando enim fundamentum nequit sine termino esse, ad quod refertur; relatio, quâ refertur, ab eo non est re ipsâ distincta.

Impugnatio superioris responsionis.

Hæc tamen responsio quibusdam non arridet, eo nomine, quòd, quanuis identitas Socratis ad Platonem, nequeat esse sine identitate vicissim Platonis ad Socratem, in his allata responsio admitti possit; tamen Socratis ad Platonem identitas potest esse sine identitate duorum aliorum indiuiduorum. Sic etiam quanuis similitudo unius paternitatis ad aliam nequeat esse sine similitudine sibi correspondente alterius paternitatis; tamen similitudo duarum paternitatum potest esse sine similitudine aliarum duarum paternitatum.

Fit satis.

Hæc tamen nullius esse momenti ex nuper traditis perspicuum satis. Vnde impugnationi sic occurrendum, videlicet inficiandum processum in infinitum, cùm dari debeat status in ea relatione, cum qua cæteræ, quæ conciperentur consurgere, conueniunt in ratione fundandi, rationeque referendi. Ità quidem duæ paternitates fundant relationem similitudinis inter se. At si hæc similitudo cum altera conferatur, quæ quidem inter duas alias paternitates adinuenitur, se ipsâ dicetur similis illi, & non aliâ superadditâ, quoniam ulterius procedendo eadem semper reperietur fundandi ratio, nimirum conuenientia, & eadem perpetuò ratio referendi, ac terminandi, scilicet in ratione similis. Eodemque modo satisfiat, si quis eodem argumento insurgat ad multiplicandas relationes dissimilitudinis.

Confirmatur hactenus dicta.

Hæc porrò eâ ratione dicuntur, quoniam in qualibet denominatione deueniendum est ad aliquid, quod in illo denominandi ordine, ità est *quo*, ut non possit esse *quod*; ità quidem quantitas nequit esse quanta, calor nequit esse calidus, albedo nequit esse alba. Sic etiam in re proposita sistendum in illis relationibus, quæ dicuntur ad aliud per denominationem eiusdem rationis cum illa, quam intrinsecùs secum afferunt; ut cum similitudo similis dicitur, diuersitas verò diuersa, nam; ut ità dicantur non indigent relatione distincta, sed se ipsis possunt esse tales, hasque denominationes suscipere nullâ aliâ aduenientè formâ.

Dubitatio circa prædictæ

Non dissimulandum tamen hunc in modum haud rectè difficultatem dilui. Quanuis enim similitudo inter duas paternitates, non indigeat aliâ similitudi-

ne, ob eam causam, quia ità est *quo*, ut nequeat esse *quod*, & in hoc doctrina illa locum habeat; non ità tamen, si similitudo cum alia similitudine conferatur; quoniam tunc similitudo illa non se habet, ut *quo*, sicuti se habere dicebatur in ordine ad paternitatem, quia est id, quo paternitas una denominatur alteri similis; at si referatur ad aliam similitudinem, tunc non est id, quo aliud per ipsam denominetur simile, sed potius id, quod tale denominatur, unde se habet ut *quod*, ob id aliud exposcit se habens ut *quo*. Sic etiam similitudo, quâ una paternitas similis denominatur alteri, etsi forsan non indigeat aliâ relatione, per quam denominetur similis similitudini fundatæ in alia paternitate, cùm similitudo hæc alia, correlatiuè illi opponatur; omnino tamen, ut similis alteri similitudini fundatæ in termino disparato dici possit, nouam similitudinem, per quam ità denominetur, requiret.

Aduersariorũ responsio.

Conantur satisfacere respondendo; quando relatio dicitur ad alium terminum per denominationem diuersæ rationis; habere quidem rationem *quod*; at sistendo in eodem genere denominandi, eam se ipsâ referri ad quemcumque terminum, quoniam in illo genere semper est ratio formalis referendi, & est ità *quo*, ut nequeat esse *quod*.

Reijcitur.

Mirum est eos non aduertere se in æquiuoco magnoperè laborare; quamuis enim albedo ex. g. non aliâ indigeat albedine, ad reddendum album, non idem de similitudine dicendum; propterea quòd videtur ipsis omninò sisti in eodem genere denominationis, cùm tamen non sistatur, nisi in eodem genere uniuersè, non tamen specificè; quod ut intelligas aduerte albedinem aptam quidem esse reddere album quodcunque subiectum, quemadmodum calorem reddere calidum indiscriminatim subiectum quodcunque; at similitudo, quæ est apta reddere similem paternitatem unam alteri, ut non est apta reddere similem unam æqualitatem alteri æqualitati, unam diuersitatem alteri diuersitati; ità nec etiam est apta reddere similem unam similitudinem alteri; quod cùm non aduerterent allucinati sunt. Similitudo igitur inter duas paternitates, quamuis non indigeat aliâ similitudine ad reddendam similem paternitatem vnam alteri, & in ordine ad hoc ità sit quo, vt nullo modo sit quod; relata tamen ad similitudinem inter duas alias paternitates, indiget aliâ similitudine, per quam similis denominetur. Quod cum arguat processum in infinitum, ob id relationes prædicamentales minimè dicendas formas accidentarias, superadditas ijs, quæ referuntur existimauimus.

Confirmatio.

Præterea illud accedit, vnde hæc eadem confirmatur difficultas, quoniam eadem vrget causa distinguendi relationes à fundamento; nam similitudo duarum paternitatum, similis dicitur similitudini aliarum duarum, quibus dè medio sublatis, similitudo illa non amplius dicitur similis; non igitur se ipsâ, sed per relationem similitudinis superadditam dicebatur antea similis.

Aduersariorũ responsio.

Respondent rationem illam valere ad distinguendas relationes à fundamentis in alijs rebus, quoniam fundamenta illa sunt ità *quòd*, ut indigeant *quo* ad suscipiendas denominationes relatiuas; non valere tamen de formis relatiuis in ordine ad formales denominationes, quas intrinsecùs secum afferunt; quoniam in illo genere denominandi sunt ità *quo*, ut nequeant esse *quod*. Vnde concludunt ad hæc, & similia argumenta, negandum esse similitudinem absolutè, & in recto posse dici similem, & diuersitatem diuersam, quemadmodum unio nequit ab alia unione denominari ita ut dicatur unita, nec præsentia ab alia præsentia adeo ut dicatur præsens.

Reijcitur.

Sed ità respondendo, nec satisfaciunt, nec sibi constant. Non primum, quoniam principium petunt, dum quod est in controuersia positum, nempè an relatio similitudinis dici debeat similis per relationem superadditam, an intrinsecùs se ipsâ. Non secundum, quoniam centies decantarunt similitudinem dici similem propriè alteri similitudini, nec immeritò ob rationes à nobis adductas; nunc autem id inficiantur.

Confutatio altera.

Et fortius etiam hoc idem confirmat alia difficultas, quam ipsi magni fatentur esse momenti. Nempè quoniam etsi commemoratæ relationes non abirent in infinitum, tamen eas, trahi posse in infinitum per denominationem semper diuersæ rationis ab ea relatione, cui attribuitur, fatendum erit: aut autem exemplo res fiat illustrior. Paternitas est similis alteri paternitati; hæc autem similitudo aliis est rebus dissimilis; hac dissimilitudo similis est alteri dissimilitudini; & ità deinceps ab una ad aliam transeundo denominationem.

Aduersariorũ responsio.

Hæc cùm aduerterent difficultate pressi, eò confugerunt, ut dicerent similitudinem, quæ denominat paternitatem similem, sufficere ad denominandam similem dissimilitudinem in ipsa fundatam.

Confutatio.

Hoc tamen insulsè dicitur, cùm relatio denominare, ac referre non possit, nisi subiectum, cui ineest; est enim modus ipsius. Vt præteream, quòd dum similitudo dicebatur dissimilis, postea verò dissimilitudo similis, nequit hæc denominari similis per eandem illam similitudinem, in illa nanque, velut in subiecto fundabatur, & unumquodque referri, denominarique debet per relationem sibi inhærentem.

Aduersariorũ responsio.

Conantur hanc impugnationem eludere dicendo, eam parui faciendam, quia non solùm forma in subiectum, sed etiam subiectum in formam potest deriuari; nè dum enim quantitatem dicimus albam, sed etiam albedinem quantam; ut igitur quantitas, quæ media est inter substantiam, & qualitatem, utramque denominat quantam; sic in proposito relatio similitudinis, quæ in coordinatione, ac serie illarum relationum est veluti media inter paternitatem, in quâ fundatur, & dissimilitudinem, quam fundat, ad utramque similem denominandam sufficit, quamlibet tamen in suo ordine, nimirum paternitatem alteri paternitati, & dissimilitudinem alteri dissimilitudini.

Reijcitur.

Sed hæc haud satisfacere perspicuum est; si namque admittatur denominationem relatiuam à subiecto in formam posse deriuari; difficile erit explicatu, cur similitudo inter duas paternitates, quæ certè in paternitate, velut in subiecto foret, ab ipsa paternitate denominationem non desumat, ac proindè similitudo illa non dicatur pater ab ipsa paternitate subiecti, quemadmodum ab eadem Socrates pater denominatur. Sed hæc puerilia sunt, & aniles nugæ, minimè commemoratu dignæ. Contra enim hæc, quæ pro responsione solent ab aduersarijs in medium adduci, faciunt nuper à nobis dicta, quòd relatio similitudinis inter duas paternitates nequit præstare, nec per modum subiecti, nec per modum formæ, denominationem similis relationi dissimilitudinis, quâ similitudo dissimilis dicitur alijs rebus; nequit inquam præstare talem denominationem, quoniam non eiusdem est specificæ rationis similitudo inter duas dissimilitudines, & inter duas paternitates; possent enim in generica ratione similitudinis conuenire, similitudo tamen inter duas dissimilitudines specie differt à similitudine inter duas paternitates, quod immeritò negant aduersarij contendentes rem oppositio se habere modo, nullâ ratione quidem suffulti; propterea quòd aduersus illos hoc magni momenti, quia à causis longè diuersis

uersis, naturâque dissimilibus, causæ munus obeuntibus per naturalem resultantiam, cuiusmodi fundamenta sunt relationum in ordine ad ipsas, prodire nequeunt effectus eiusdem naturæ, fatentibus etiam ipsis, qui contendunt passiones, seù proprietates à subiectis suis hoc modo emanare, quæ tamen non eiusdem naturæ sunt. Ità planè ex eorum sententia risibilitas, & hinnibilitas per naturalem resultantiam à natura hominis, & æqui profluunt, naturâ tamen inter se discriminantur.

Instantia de Sole &c. non diluit difficultatē.

Nec propterea diluitur difficultas afferendo instantiam de Sole, & Igne, qui tametsi naturâ differant, tamen calores, & ignes eiusdem naturæ producunt. Nam, ut omittam, haud satis exploratum Solis naturam igneam non esse, paritas nulla est; siquidem huiusmodi effectus à Sole, & igne per naturalem resultantiam non sunt producti, proindeq; de ipsis non idem ferendum iudicium, ac de fundamentis relationum in ordine ad ipsas. Non me latet hoc discriminis esse plerosque dicturos, quòd relatio realiter distinguatur à subiecto suo; non sic autem proprietas, quæ solùm formaliter ex rei natura distingui censeri debet; undè lux, quę realiter distinguitur à substantia ignis eiusdem speciei est, cum luce Solis, quæ ab ipsius substantia realiter distinguitur. Hoc autem nihil, nam relationes, quamuis realiter distinguerentur à subiectis, & fundamentis suis, à quibus naturaliter resultant, non propterea eiusdem possent esse speciei, naturâ diuersis existentibus fundamentis; ut eiusdem speciei efficeretur lux ignis, & Solis his existentibus naturâ discrepantibus, si tamen naturâ diferunt; etenim relationes, quamuis eiusdem speciei esse possent, naturâ dissidentibus subiectis ipsarum, non tamen id admittendum propter rationes fundandi, à quibus pendent, quæ cùm fuerint naturâ diuersæ, non poterunt fundare relationes naturæ eiusdem, quamuis subiecta, & fundamenta alioquin remota, possent. Ità quidem paternitas non eiusdem est naturæ cum similitudine, non ratione subiecti, sed potius ratione fundandi; nam Socrates ex. gr. est subiectum paternitatis, & est subiectum similitudinis cum Platone, in esse hominis; differunt tamen, quia ratio fundandi paternitatem est generatio actiua, ratio autem fundandi similitudinem est unitas formalis naturæ. Sic etiam relatio similitudinis inter duas paternitates, nequit esse eiusdem speciei cum similitudine inter duas æqualitates, eo quòd rationes fundandi diuersæ sunt. Vndè instantia de luce nulla est; de hoc tamen infra. Interim, ut nihil remaneat iutactum; nulla quidem est illa paritas, quâ ipsi utuntur, de denominatione desumpta à subiecto, albedinis nimirum à quantitate, ità ut albedo dicatur quanta sumptâ denominatione à quantitate, cui ineſt; nam si albedo sit qualitas, ut ipsi putant, dicetur quanta ex accidenti, quatenus inhæret substantiæ per quantitatem extensæ; neque mirum, nam substantialis forma è materiæ potentia educta, quanta dicitur, non quia in se quantitatem recipiat, cùm hæc materiæ, veluti subiecto insit; nec quia in quantitate recipiatur, quoniam quantitas, utpotè accidens nequit substantialem formam recipere, sed quoniam utraque in communi materia recipitur; non secus de albedine sentiendum. Hæc tamen de relationibus dici non possunt; non enim illa relatio similitudinis denominare potest similem relationem dissimilitudinis, eo quòd utraque paternitati, veluti communi subiecto insit; nam similitudo debet esse subiectum dissimilitudinis, quâ similitudo ipsa denominatur dissimilis aliis rebus.

Tertia difficultas.

Tandem illud aduersus relationes prædictas afferri solet, quòd ut actio nequit fieri per aliam actionem; ità nec relatio per aliam relationem. Si quis occurrat dicendo modi non posse esse modum in eodem genere, ut est actio respectu actionis, in diuerso tamen genere posse, ut unionis datur actio.

Hoc tamen cà laborat difficultate, quoniam hic semper sistimus in eodem genere modi, scilicet in eodem genere referendi; undè ut actionis non datur actio, quoniam in genere agendi ipsa est modus, quo agens agit; sic neque relationis est relatio, quoniam ipsa à toto genere est ratio referendi. **Solutio.**

Occurrunt dicendo, relationem formaliter considerata, non fundare aliam relationem, quoniam sic accipitur in ordine ad proprium terminum; at sumpta in ordine ad aliud, comparatione cuius potest se habere, ut relatum, relationem fundare posse; Vndè ad instantiam respondent actionem actionis non dari, si actio, cuius dicimus actionem dari, sumatur formaliter seque habeat, ut actio; at secundum aliam rationem, benè ipsius potest dari actio. Sic planè actionis causæ secundæ, datur actio causæ primæ; quoniam illa comparatione istius, non actionis, sed effectus rationem habet. **Aduersariorū responsio.**

Hæc tamen non satisfaciunt in re proposita; tametsi nanq; possent admitti, non imminente periculo processus in infinitum; tamen hoc urgente, non item. Nuper enim dictum est relationem in relatione fundari non posse, quoniam sic abeundum esset in infinitum. Vnde instantia non est ad rem; actionis enim causæ secundæ, non repugnat actionem dari causæ primæ; quoniam hinc non sequitur processus in infinitum; secus in relationibus &c. **Hactenus dicta ab aduersarijs non satisfaciunt.**

SECTIO NONA.

Consideratur Relatio ex parti termini, & primò quæritur, num Relatio realis, petat terminum realem actu existentem.

Proponitur quæstio ex hypothesi, quòd prædicamentalis relatio sit forma positiua &c.

PErsistentes in eadem hypothesi quòd prædicamentalis relatio sit accidentaria forma ijs, quæ referuntur, superaddita; considerandum hic assumimus, quid de ipsa sentiendum, prò ut ex parte termini inspectâ, in quem ipsa tendit; necessariò enim ad relationem terminum requiri, siue prædicamentalis, siue transcendentalis, ea sit perspicuum satis; quamuis enim terminus non videatur causa relationis, re verâ tamen negare non licet hunc erga illam causæ formalis extrinsecæ, munere fungi; relatio siquidem habitudo quædam est ad aliud, quod terminus dicitur; ità ut si hoc de medio sublatum fuerit, nulla esse possit relatio; non solùm quia, veluti conditio terminus requiratur, sed quoniam relatio cùm sit habitudo quædam ad ipsum, inde suam speciem sortitur, ità ut pro varietate ipsius, varia etiam existat relatio. Exigentia igitur termini relationi sic necessaria, ut sine termino ea nequeat existere, quod in controuersiam à nemine cunquam reuocatum fuit. **Omnis relatio necessariò terminū requirit.**

Num huiusmodi relatio requirat terminum actu existentem.

Illud solùm in dubium vertitur, num exigentia termini sit actu existentis; & num hic realis & positivus esse debeat.

Relatio transcendēs potest terminari ad terminum, nec actu existentē, nec positivum.

Cùm autem bipartitum sit relationum genus, transcendentium unum, & prædicamentalium alterum; proinde non eodem modo in re proposita philosophandum. Si nanque sit sermo de trascendentibus; sentiendum cum omnibus dicentibus has relationes ad terminum etiam non realem, & non actu existentem posse terminari.

Ratio, quia probatur.

Hoc inde mihi perspectum redditur, quoniam multæ sunt relationes transcendentales huius indolis, atque

atque naturæ. Ita quidem de iis, quæ positiua non sunt, puta de priuationibus, ac negationibus rerum cognitionem habemus, de ipsis ratiocinamur, multaq; concludimus; unde cognitio, cum ordinem dicat ad id, cuius est cognitio, consequens erit, ut ea, de qua loquimur, cognitio, ad rerum negationes, atque adeo ad id, quod non est positivum, terminetur. Insuper potentia quælibet actum respicit, non ut actu existentem, sed ut esse potest: scientia exempli gratia, ordinem dicit ad scibile, etsi actu non existens, imò ad id, quod nequit existere, cuiusmodi sunt negationes; nam si id cognitioni intellectiuæ conuenit, ut paulò ante dictum fuit, etiam scientiæ, quæ quidem illius est species, conueniat oportet.

Aduersariorũ doctrina refertur, quòd prædictę relationes nõ sint reales

Et ineptè admodum nonnulli contrariam sententiam amplexi sunt, dicentes commemoratas relationes minimè reales esse, sed potius rationis opera, eo nomine, quòd relatio realis dicit esse ad aliud, cuiusmodi non videtur esse non ens, vel ens tantùm in potentia; neutrum enim istorum videtur dicendum *aliud*. Itaque respectus istos, non reales esse putant, nisi quando termini actu ponuntur, atque potentiam existimant haud dicere realem respectum ad actum, nisi quandò hic re ipsâ fit existens in natura.

Reijcitur.

In eo tamen deceptos intelliges, diligenter aduertendo transcendentalis relationis naturam; comperies enim facilè ab ea non requiri terminum actu existentem, quoniam huiusmodi relatio tendit in essentiam ipsius, unde satis, ut ei non repugnet esse, siue propriè, ut est ens reale, siue impropriè ut negationes rerum, quanuis actu non sit; nec per particulam *aliud* significatur diuersitas rei existentis, sed essentiæ, quæcunque hæc ipsa sit: siue nimirum propriè, ut essentia rei positiuæ: siue impropriè, ut negationis, & non entis; iuxta quam usurpationem, non ens aliud quidpiam ab ente *dici* consueuit.

Quæritur de relatione prædicamẽtali, an requirat terminum actu existentẽ; & concluditur requirere,

Sola difficultas igitur de relatione ad hoc genus spectante. Nec facile est explicatu, cur relatio transcendens terminum actu existentem non requirat; hæc autem, de qua fit sermo, requirat. Ea autem videtur ratio, quoniã ad aliud tendere, relationi transcendenti conuenit, sic, ut quod refertur, essentialiter ordinetur ad aliud; secùs, quod refertur relatione prædicamentali, nam ei accidit referri; id porrò non aliundè, nisi quoniam accidit, ut eius terminus existat; fundamentum enim ipsius nequit esse sine termino possibili, benè tamen sine ipso existenti, unde ad nouam existentiam termini in fundamento, noua resultat relatio, quod ideò contingit; quoniam huiusmodi relatio terminum actu existentem requirit, alioquin, si hunc non exposceret, & ad huiusmodi relationem essentia termini præcisa ab existentia sufficeret, hæc relatio fundamento non accideret.

Aliquorũ opinio docens quasdam relationes prædicamentales, non requirere terminum actu existentẽ.

Sunt tamen, qui putant è relationibus huius categoriæ, quasdam esse, quæ ad terminum actu non existentem possint terminari, atque adeo ad non ens; ad aliquam negationem, vel priuationem, qualem esse putant distinctionis relationem, quâ forma dicitur à priuatione distingui; sic dependentia compositi naturalis in fieri à priuatione; & respectus, quem importat creatio, ad non esse rei immediatè præcedens, & respectus informationis ad non informationem immediatè præcedentem, quem mutatio ipsa importat.

Reijcitur.

Quanuis nullum sit inconueniens dari relationem realem, cuius terminus realis, & positivus non sit; quoniã relationis causa non terminus, sed fundamentũ est, termino existente solùm, ut conditione sine qua non; nec inconueniens sit negationem realem necessariam esse conditionem ad positionem alicuius effectûs positiui; hoc tamen de relationibus huius categoriæ dici non potest, quoniam ijs, quæ per has relationes referuntur, accidit referri; non accideret autem, nisi ad ipsas terminus actu quidem existens requireretur. Relationes verò commemoratæ non sunt ad rem, cùm è transcendentalium numero sint, quas iam docuimus non exposcere terminum actu existentem, sed posse tendere in terminum possibilem. Sic de relationibus, si darentur, veluti formæ accidentariæ quædam rebus superadditæ, sentiendum foret.

SECTIO DECIMA.

Vtrum una, & eadem numero Relatio plures possit terminos respicere.

Controuersię status.

CElebris admodùm, & ab antiquis ducta temporibus præsens ista contentio, ad quam diriment-am, iuvat aduertere, quid in ea propositum sit inquirere; in cuius gratiam est obseruandum, hic sermonem non esse de pluribus terminis naturâ, specieque diuersis, cùm satis sit exploratum ad plures terminos hunc in modum distinctos, plures, atque diuersas itidem relationes tendere; ita planè in eodem indiuiduo, alia relatio filiationis ad patrem, alia paternitatis ad filiũ; alia similitudinis, alia æqualitatis ad aliud &c. de terminis igitur eiusdem rationis solùm numero inter se distinctis fit in præsentia sermo.

Relationis termini, adæquati, & inadæquati.

Et quoniam hi sunt in duplici discrimine, quidam scilicet adæquati, quorum singuli per se sumpti relationem suæ speciei terminare possunt, ut plures filij comparatione ad paternitatem, quilibet enim ipsorum se solo potest relationem paternitatis terminare. Alij verò sunt inadæquati, quorum nullus per se sumptus relationem terminare valet, sed simul, atque coniunctim requiruntur, quemadmodùm partes, è quibus consurgit totum, distributiuè sumptæ, censentur inadæquati termini relationis dependentiæ totius ab ipsis, ut collectim acceptæ adæquatum terminum constituunt. Hìc porrò contentio non est de terminis inadæquatis, cùm perspicuum sit, unam relationem numero ad plures huiusmodi terminos tendere, quoniam in illos, veluti in unum quendam adæquatum terminum tendit; sed in controuersia positum est, num terminos adæquatos eiusdem speciei una, eademque numero relatio respiciat; num scilicet relativum, dum plures respicit terminos speciei eiusdem, ut pater plures filios; simile plura similia, respiciat, & attingat illos per distinctas numero relationes; an per numero unam, ac eandem ad omnes extensam.

Quid in controuersia positũ sit &c.

Relatio prædicamentalis si foret forma &c non posset una respicere plures terminos &c

Si forent relationes admittendæ sensu iam pluribus vicibus, explicato; certè non posset unica relatio plures terminos eiusdem rationis attingere, atque respicere; sed relationes deberent numero multiplicari ad numericam multiplicationem terminorum.

Ratione suadetur ex inconuenientibus desumpta

Hoc mihi satis exploratum ex incommodis, è quibus primò illud occurrit, quòd relatiua non forent simul naturâ; pater enim, non solùm est correlativum primi, sed etiam secundi filij, & ita de reliquis; cùm tamen pater, ne dum naturâ, sed etiam tempore præcedat secundum filium una cum relatione illi correspondente. Neque est, cur dicas esse naturâ simul cum primo filio secundum substantiam relationis, cum cæteris verò secundum extensionem, quam habet accidentariam. Non est in quam cur dicas. Propterea quòd respicere terminum, non accidentarium, sed essentiale quidpiam est relationi; cùm totum esse relationis sit ad aliud, unde relatiua, naturâ simul dicenda, secundum relationis substantiam, & non secundum acci-

Aduersariorũ responsio. Reijcitur.

Digitized by Google

dentariam extensionem temerè ab ipsis effictam. Deinde primo pereunte filio, relatio secundum sui substantiam debet esse naturâ simul, denominareque patrem simul naturâ cum aliquo ex filijs; nulla tamen est maior ratio de uno, quàm de alio; propterea pater per eandem illam relationem deberet simul esse naturâ cum omnibus filijs, unde illud sequeretur incomodum, ad quod argumentum deducebat. Accedit, quòd huiusmodi relatio penderet essentialiter à quolibet illorum filiorum, quos tanquam terminos respiceret; relatio enim à termino essentialiter pendet, etsi non tanquam à causa, saltem, ut à conditione; proindèque, cùm quilibet illorum filiorum foret relationis terminus, à quolibet eorum deberet essentialiter pendere. Non penderet autem, quoniam eorum quolibet sublato, relatio adhuc subsisteret in natura; penderet igitur simul, & non penderet à quolibet, quod tam absurdum est, quàm absurdum est duo de eodem simul contradictoria affirmari. Cùmque relatio essentialiter pendeat quantum ad existentiam ab existentia termini, dici non potest ab indeterminato, vagoque termino existente pendere; siquidem existere non nisi alicui determinato conuenit (non enim indeterminati est existere) non igitur occurritur rectè difficultati dicendo, relationem illam pendere ab uno quopiam ex illis terminis indeterminato. Vt omittam quòd, quemadmodum relatio generatim accepta totum suum esse habet ad terminum uniuersè sumptum; sic etiam hæc numero relatio, ad hunc determinatum numero terminum.

Prima difficultas. Secus autem sentiendum plerique putant, quoniam pluribus numero paternitatibus in eodem subiecto multiplicatis, non unus posset esse pater, sed plures; multiplicatis enim formis, multiplicantur etiam, & concreta ab ijsdem denominata. Hoc tamen sequuturum minimè admittendum; concretum enim, etsi dicat formam, dicit etiam, & subiectum eiusdem; primò enim illam significat, & ex modo illam significandi, subiectum innuit; ut cæna, quæ primò comestionem significat, & ex modo significandi illam, tempus vespertinum insinuat; ita fit, ut ad concretorum multiplicationem, subiectorum multiplicatio requiratur. Hoc planè cernitur in eo, qui pluribus est disciplinè habitibus indutus; pluribus enim illis existentibus, non propterea plures scientes, sed unus sciens constituitur, etsi pluribus vicibus sciens factus dici posset; sic in re, de qua fit sermo, dicendum: non enim plures patres, sed sæpenumero euasisse pater diceretur. Et quanuis unâ relatione numero paternitatis, quispiam diceretur pater, comparatione unius filij; non propterea aliâ numero relatione paternitatis erga alium filium, alius diceretur pater; ut enim non plures, sed unus pater, ita nec alius, & alius; sed quemadmodùm, ut plures dicantur, plura debent esse subiecta, nimirum plures singulares homines; ita aliud, & aliud requireretur subiectum. A quo ad uersæ sententiæ fautores certè non abhorrebunt, quippè qui arbitrantur non alium dici patrem eum, qui interito primo filio, alium rursus habet, quanuis nouam paternitatem acquirat, sed eundem patrem dici contendunt.

Solutio. Secunda difficultas. Nec momenti quidpiam habet ratio, quam ipsi alioquin magni faciunt, quòd nimirum iuxta nostrũ dicendi modum, foret admittendum in eodem subiecto plura esse posse accidentia numero distincta; cùm tamen hoc penitus esse falsum existimandum sit. At, quod ipsi tam alienum à veritate putant, non sic iudicandum, nimirum plura numero accidentia in eodem subiecto existere; hoc enim inconueniens esse tantummodò concedendum, quando accidentia eundem effectum formalem tribuerent; at si forent effectus formales aliquo modo diuersi, nullum existimandum incommodum, quod in re proposita contingere perspicuum satis; nam, ut hæc relatio paternitatis denominat hunc hominem patrem in ordine ad hunc numero filium, atque adeo refert ad hunc numero terminum: ita alia numero paternitatis relatio, denominaret eundem patrem in ordine ad alium numero filium, ac eundem ad alium numero terminum referret.

Tertia difficultas. Illud etiam obijci solet, quia quando plures sunt relationes numero distinctæ, certè declinare non licebit infinitas propemodùm relationes similitudinis, & dissimilitudinis, æqualitatis, & inæqualitatis, & ita de reliquis; unde quæcunque sunt in uniuerso, tot forent subiecta mutationibus; ut ex hoc unico inconuenienti opinio reddatur penitùs improbabilis. Solutio. Non propterea relationibus admissis, negandum numero plures in eodem esse posse relationes ad terminos eiusdem rationis, numero distinctos; quoniam hoc non vitetur, quod ab ipsis existimatur, incommodum; tale enim re verâ non est; propterea quòd hoc infinitum non est actu, sed potestate, quod in natura frequens admodum est; sic potentia quælibet cognoscitiua mutationibus infinitis obnoxia est; sic quælibet etiam potentia appetitiua; sic ipsa materia.

Quarta difficultas. Deinde exigui roboris est, quod in contrarium afferre solent dicendo, quando plures filij nascuntur ex eodem partu, relatio paternitatis, non nisi unica esse potest, quoniam in eadem actione fundatur; ergo non absimili modo, quando per plures actiones producuntur; accidit enim, quòd potentia generatrix per unicam, vel per plures actiones reducatur ad actum. Solutio. Sed assumunt falsum, nec illud efficaciter probant, cum à veritate sit alienum parentes unicâ actione generatiuâ gemellos illos attingere. Quo etiam admisso, non ob id probatio alicuius est efficacitatis, quia *nullum est* inconueniens super uno, eodemque fundamento, rationeque fundandi, plures, pluresque relationes, tàm successiuè, quàm simul, numero distinctas, fundari; hæc enim pluralitas à multitudine terminorum proficiscitur.

Quinta difficultas. Quòd si obijciant etiam dicendo, effectum formalem relationis iam positum esse per primam, cùm huius sit constituere hunc patrem, qui tamen constitutus est per primam; secunda proindè superflua. Solutio. Sed in hoc decipiuntur, quòd non probè sunt assecutæ formalem ipsius relationis effectum; huius enim numero relationis est referre patrem ad hunc numero terminum; ut alterius ad alium numero terminum, ità ut per unam numero relationem, dicatur quispiam unâ vice pater, per aliam autem aliâ vice, & per plures, pluribus vicibus, cùm alioquin hic pater secundum substantiam, prior sit quâcunque formâ accidentariâ superadditâ.

Sexta difficultas. Dum verò arguunt relationes illas numero multiplicari non posse, cùm fundamentum non multiplicetur. Solutio. Nihil conficiunt, ut enim unicus terminus plurium relationum esse potest; unicum enim album plurium alborum similitudines potest terminare; sic etiam unicum plurium relationum potest esse fundamentum, ac unica fundandi ratio relationibus eiusdem rationis existentibus potest deseruire, quod intelligendum de fundamentis, ac terminis adæquatis, ita ut ad multiplicandas numero relationes, sola multiplicatio, vel terminorum, vel fundamentorum, alterutra nimirum, sufficiat.

Septima difficultas. Nec propterea quòd unica potentia materiæ plures formas, & unica potentia visiua plures colores respicit, sic de similibus alijs, colligendum unicam numero rela-

relationem posse referre idem ad plures numero terminos. Relationum enim termini, de quibus fit sermo, singuli sunt adæquati; ij autem, de quibus difficultas, inadæquati sunt: sic materiæ potentia in ordine ad singulas formas; sic potentia visiua in ordine ad singulos colores.

SECTIO VNDECIMA.

An terminus sub ratione absolutâ ne, an relatiuâ terminet Relationem.

Contro-ersiæ ſta s.

CVm in relationis termino duo sint, & absolutum unum, & respectiuum alterum; potest in dubium verti, quo pacto terminus relationem terminet, an prout quidpiam est absolutum, an pro ut correllationem importat. Vt cùm pater respiciat filium; num filius paternitatis respectum terminet, pro ut esse substantiæ genitæ, an pro ut ipsam filiationem importat.

aria hæc re ex- at Phi- ſopho- m pla- ta. tima opi o. ecunda, entia.

Hac in re non unus est Philosophorum sensus. Cùm enim è relationibus, quædam sint mutuæ, quædam autem non mutuæ. Sunt qui putant in omnibus relationibus tàm mutuis, quàm non mutuis, formalem terminum, quem etiam primarium appellant, relationis, esse relationem in altero coresspondentem extremo. Alij terminum existimant id, quo absolutum dicitur terminare. Alij tandem relationes mutuas ad relatiuum; non mutuas ad absolutum terminari, arbitrantur.

rima af- rmio, & uctoris pinio quòd om- nis relatio termine- tur ad ab- ſolutum rminii. 5. Diuin. ap. 15. Ratio ad d ſuaden ium.

Nobis tamen videtur omninò ijs assentiendum, qui omnem relationem non mutuam ad absolutum terminari crediderunt.

Ita planè sensisse Philosophum, perspicuum est, de *relationibus* tertij modi loquentem, uti est scientiæ relatio ad scibile. Et certè nihil clarius, nihilque manifestius; hæc enim, cùm relatio sit non mutua, in extremo, quod dicitur terminus, nulla quidem relatio; proindeque non poterit relationem ad huiusmodi extremum terminari, pro ut hoc relationem importat, cùm nullam importet. Vtque in eodem persistamus exemplo. Scientia respicit scibile, in quo nulla relatio, nullusque respectus ad scientiam; idcirco nequit relationem scientiæ, ratione alicuius relationis, quâ ipsum afficiatur, terminare. Potest quidem intellectus comminisci quendam respectum in scibili, ita ut hoc per illum scientiæ relationem terminare dicatur; sed hic sermo est de reali terminatione, non autem de commentitia; quæritur enim quid sit in scibili, ratione cuius re ipsâ terminet relationem scientiæ; hæc igitur relatio rationis non est ad rem. Vt omittam, quòd scientia perpetuò refertur ad scibile, unde in hoc perpetuò debet esse terminandi ratio; at respectus effictus ab intellectu in scibili, perpetuò non est, sed solùm tunc, quando illum intellectus comminiscitur; nequit igitur esse ratio terminandi scientiæ relationem.

duerſa- orſi reſ- nſio xcoeta.

Nec difficultatem effugies dicendo ad huiusmodi terminationem non requiri, ut actu relatio ab intellectu in scibili effingatur, sed satis, superque esse, ut ei huiusmodi relatio conuenire possit; nec requiri, ut actu conueniat. Vt animal dicitur semper homini conuenire, quanuis nullus homo, nullum animal existeret; ut igitur veritate comprobatur secundum hanc conuenientiam, hominem esse animal; sic etiam scibile

igitur, esse terminum scientiæ. Hæc tamen, quàm insulsè sint dicta, ex eo intelliges, quoniam relatio terminum respicit secundum rationem terminandi actu existentem, non ut potentem existere; unde si in scibili ratio terminandi respectum scientiæ, foret relatio quædam, dum actu scientia existeret, deberet etiam in scibili dari actu huiusmodi relatio; nec sat esset, ut in eo dari posset; imò si in eo posset dari relatio realis, nisi daretur actu existente scientiâ, non sufficeret; multo minus si dari nequit, nisi negotiante intellectu. Hinc illud exemplum non est ad rem; quoniam inter hominem, & animal intercedit necessitas, quam ex hypothesi appellant, nimirum, quòd si detur homo in natura, necesse est eum esse animal; hinc vera esse potest propositio, quòd homo sit animal homine &c. etiã non existente; at si detur scibile etiam datâ scientiâ, non necessariò dari debet in eo relatio rationis; ob id veritate comprobari nequit, scibile terminare scientiam per hujusmodi respectum, quanuis hic non existat; propterea exemplum nullam vim habet.

Aliorum responſio.

Quòd si quispiam respondendo dicat illam relationem fundamento conuenire, non quoniam in eo actu sit ista relatio, sed eò quòd ei debeatur, cùm in ipso sit meritum, ratione cuius ab intellectu potius hæc, quàm alia relatio in eo debet effingi. Si nihil amplius addat, certè non euincet relationem scientiæ ad relationem in scibili terminari, quod is contendit; sed potius ad illud meritum, quod re ipsâ nil aliud, quàm absolutum in scibili; ac propterea consequens fit, ut nobis concedat relationem illam scientiæ, & quamlibet aliam eiusdem ordinis ad absolutum quidpiam terminari.

Reijcitur.

Aliorum reſpontio.

Inanis autem illa solutio, quòd quanuis in relatiuis non mutuis terminus ex rei natura non habeat aliquam relationem sibi inhærentem, cuius merito possit fungi munere terminandi; habet tamen relatiuam denominationem ab alterius extremi relatione prodeuntem, per quam constituatur in genere relatiuorum, & correlativum ipsius.

Reijcitur.

His quidem admissis, utique relatiua non mutua, haud forent ambo verè, ac realiter relatiua, solo hoc intercedente discrimine, quòd in mutuis, utrumque extremum relativum sit per intrinsecam sibi relationem; at in non mutuis, unum tantummodò per sibi relationem intrinsecam, aliud verò per eandem, sibi tamen extrinsecam referatur. Hæc cum ultrò admittant, se non aduertunt desipere. Quoniam referri non potest quidpiam per relationem inexistentem in alio; siquidem referri propriè est relatione affici, & sanè intrinsecùs; quam ob causam dicebat Philosophus, scientiam referri quidem ad scibile, non tamen scibile ad scientiam, & idcircò scibile, cùm non habeat in se relationem, quanuis scientia referatur ad ipsum, non dici relatiuum, nisi quatenus scientia ad ipsum refertur; quod proculdubiò non dixisset, si putasset illud quidem referri per relationem existentem in alio; unde scibile, sensibile, & id genus alia, ad genus relatiuorum pertinent tanquam termini relationum, non tanquam relatiua earundem; & relatio scientiæ terminatur ad scibile non sub denominatione relatiua scibilis; quemadmodum visus terminatur ad colorem, aut lumen, non autem ad visibile, nempè terminatur ad illud esse absolutum coloris. Priùs enim naturâ scibile terminat relationem, quàm à relatione scientiæ relatiuam denominationem accipiat; ideo enim ab illa relatione denominatur, propterea quòd illam terminat; nequit igitur esse terminus illius, per huiusmodi relatiuam denominationem, cùm hæc terminationem eius supponat.

Hactenus dicta quo modo in- telligẽda.

Hactenus tamen dicta sint ex eorum sententia, qui putant scientiam eum dicere ordinem ad scibile, qui ad hanc categoriam pertineat; quod nobis tamen non probatur, cum scientiæ relationem ad scibile transcendentalem esse velimus.

Quæ autem de relationibus non mutuis hucusque

Secũda ſe ſerme qꝫ

Digitized by Google

de relatio, nibus non mutuis, de mutuis quoque dicenda.

diximus, de mutuis itidem nunc dicenda putamus; ita ut relationes mutuæ, quanuis in alio extremo relationem aliam coresspondentem inueniant, hæc tamen non sit formalis terminandi ratio, cùm hæc sit potius id, in quo relatio ipsa fundatur.

Secunda assertionis ratio.

Illud autem in primis ea suadet ratio; quoniam relatio, ne dum fundamentum, sed etiam terminum prę exigit; cùm igitur utrumque præsupponat, unius relationis terminus, opposita relatio haud esse poterit; quoniam relatio una præsupponi alteri non potest; non enim filiatio potest paternitati præsupponi; relationes nanq; sunt naturâ simul, & in eodem signo, positis extremis, consurgunt. Deindè quemadmodum fundandi ratio ea esse perhibetur, quæ proxima est causa, propter quam res una ad aliam refertur: sic itidem terminandi ratio ea esse censetur, propter quam res alia referatur ad illam; hæc autem causa in relatiuis mutuis, quæ æquiparantiæ dicuntur, eadem est ad fundandum, ac terminandum; proindè si una est absoluta, alteram quoque absolutam esse oportet. Sed causam in relatiuis mutuis æquiparantiæ, eandem esse ad fundandam, ac terminandam relationem, hinc planè intelliges. Sit calidum calido simile, & positum sit in quæstione, cur calidum unum similitudinem fundet ad aliud: nulli dubium quin respondendum sit, calorem esse; at si quæratur, unde sit, quod aliud similitudinem terminet, rectè quidem assignabitur calor, non autem similitudo, cum in calore, non autem in ipsa similitudinis relatione, collatio fiat.

Quid aduersarios deceperit.

In contrariam verò sententiam plerosque crediderim abisse, quoniam referri, & terminare pro eodem insulsè sumpserunt. Extremum siquidem unum, relationem alterius terminare, mera est denominatio extrinseca, indè prouenies, quòd aliud sit ad ipsum, in eo tamen suppositâ terminandi ratione; & non eò quòd ipsum sit ad aliud, unde non idem terminare, ac referri: termino enim accidit referri, cùm tamen tendentia, ac terminatio non solùm non sint re ipsâ idem, sed inuicem opponantur; nec repugnet aliquid, ut paulò supra visum est, relationem alterius terminare, quamis non referatur ad ipsum; proindè formalis terminandi ratio in termino non erit mutuò referri, siue mutua relatio, sed potius id, quod est absolutum in termino.

Clariùs explicantur hactenus dicta.

Hæc etiam clariùs apparebunt, si relatiua quædam percurrantur. Album simile quidem est alteri albo, non autem similitudini alterius albi, cùm ei potius dissimile sit. Et cubitus æqualis est alteri cubito, non autem æqualitati ipsius. Quod etiam verum esset, si in relatione una, alia fundaretur; ut si in relatione æqualitatis, relatio similitudinis haberet fundamentum; hæc enim similitudo relationem aliam æqualitatis, non similitudinis ad illam, tanquam terminum respiceret.

Secunda ratio. Tertia ratio.

Postremò. Videtur etiam illud in re, de qua agitur, plurimum habere momenti, quòd relatiua sunt simul etiam cognitione, ita ut unum definiendum sit per aliud, hoc est per terminum; si igitur relativum unum terminaretur ad aliud, pro ut relationem inuoluit, quę nimirum in eo foret terminandi ratio; utique definiretur ignotum per æquè ignotum; non enim pater, ut pater, notior est filio, ut filio: nec vicissim filius ut filius est notior patre, ut patre, quod quàm sit absurdum, neminem præterit.

Aduersariorum responsio.

Non me latet plerisque visum esse difficultatibus allatis satisfieri distinctione quâdam termini, in materialem, & formalem, & ab ijsdem dici absolutum utiq; esse rationem terminandi materialem relationis; rationem autem formalem terminandi esse oppositam relationem in absoluto fundatam; & argumentis allatis solum probari absolutum illud, materialem quidem esse terminum, non formalem. Fruſtrà tamen ad hanc distinctionem confugiunt cùm enim dicimus absolutum esse terminum, non de materiali, sed de formali id intelligendum volumus; ita ut formalis terminandi ratio, non relatio, sed absolutum dici debeat; non enim dissimili modo de termino, ac de fundamento ratiocinandum; si nanque duo sint calida, quemadmodum in uno extremis calor est formalis ratio fundandi relationem similitudinis: sic in extremo altero est formalis ratio eandem similitudinem terminandi. Amplius, cùm de termino relationis hic sermo fiat, certè non loquimur, nisi de termino per se, cuiusmodi est ille, qui necessariò requiritur, & semper interuenit ad relationem terminandam, atque specificandam. Hic autem nequit esse relatio, cùm hæc non semper interueniat; dantur enim relationes non mutuæ, quę certè nequeunt pro termino relationem obtinere; alioquin mutuæ relationes forent; absolutum autem semper, & necessariò interuenit, hoc igitur relationis terminus formalis dici debet. Præterea illud dicendum formalis terminus relationis, quod habet rationem ultimi, in quod tendit relatio: hoc autem non relatio est, sed absolutum; album enim per similitudinem tendit; in album, non in similitudinem; quantum per æqualitatem tendit in quantum non in æqualitatem.

Reijcitur.

Aduersariorum responsio præoccupata.

Neque dicas in relatiuis formalitatem termini non attendendam penes id, quod utcunque relatio ipsa respicit, sed quod respicit, velut oppositum; at non ita constituitur, nec tale redditur aliquid per hoc, quod sit id, ad quod tendit relatio, sed potius per correlationem ex aduerso illi oppositam: hinc ad rationem formalis termini relationis requiritur, ut correlativum, relatiuo sit oppositum oppositione relatiuâ.

Refellitur.

Hæc tamen parum scitè dicuntur, propterea quòd terminare est respici, atque tendentiam alterius sistere ad se ipsum; unde denominationem extrinsecam præfert, ac proindè termino, pro ut huiusmodi, accidit referri, & relatiuè opponi; quoniam hæc tendentia ad aliud important; at ad aliud tendere accidentarium esse termino, pro ut huiusmodi, superiùs est adnotatum; ineptè igitur in termino id ab aduersarijs requiritur. Idque fit euidentius, in relatiuis non mutuis, in quibus ex parte unius extremi vera datur relatio, per quam illud respicit aliud, ita ut ei nihil desit eorum, quæ ad essentiam relationis pertinent; & tamen id, quod hæc relatio respicit, nequit profectò respici tanquam relatiuè oppositum, cùm nullam relationem præferat, nullam relationem inuoluat; insulsè igitur hæc relatiua oppositio in termino requiritur, cùm terminatiua sufficiat.

Superiùs eorum ratio.

Horum autem est ratio, quoniam relatio, atque adeo ens relativum, hoc ad sui rationem essentialem exposcit, ut nimirum non sistat in se, sed ad aliud tendat; ei autem, ad quod tendit, accidit, ut vicissim referatur, ac tendat ad illud.

Aduersariorum responsio præoccupata.

Nec propterea satisfacies dicendo, utique terminandi munus conuenire etiam posse absoluto, ut in non mutuis relationibus perspicuum est; quoniam terminandi munus, non relationi generatim acceptæ, sed mutuæ tantummodò conuenit; ubi nanque respectus est mutuus, ibi quoque mutua terminatio, secundum rationem illam respectus, cùm huiusmodi relatio sui naturâ relationis alterius coexistentiam in termino requirat. Quod sic etiam intelligendum volunt, ut mutua relatio non dicatur formalis terminus alterius, ut mutua, & ut eiusdem cum illa rationis est, sed ut opposita, cùm oppositio sit, quæ formaliter terminum constituat.

Refellitur.

Sed mirum est, quòd non aduertant superiùs dicta vide-

videlicet terminare non relationis, sed absoluti munus esse, cùm terminare non sit respicere aliud, sed ab alio respici: non tendere ad aliud, sed sistere tendentiam alterius ad se ipsum. Vt omittam, quòd relatio non dicitur mutua per rationem terminandi, sed referendi; ideò enim mutua dicitur, quoniam extremorum utrumque refertur ad aliud; ad relationem igitur mutuam, necessariò tantummodò pertinet, ut in utroque extremo referendi sit ratio, quod adhuc continget, si relationis terminus absolutum quidpiam dicatur.

Confirmatio. Indè quoque redditur minus rationi consentanea aduersariorum opinio, quoniam in causis præcisis, posità causâ, ponitur effectus, & vicissim posito effectu, ponitur causa; si igitur terminare relationem oriretur præcisè ex ipsa ratione mutuitatis, hâc utique ablatâ, tolleretur etiam terminatio; secùs tamen se res habet; tametsi enim non detur illa mutuitatis ratio; non propterea tollitur terminatio, ut in relationibus non mutuis perspicuum, ac exploratum.

Prima difficultas. Contra tamen, illud plurimum negotij facessere videtur, quoniam formalis atque præcisus terminus relationis meritò perhibetur ille, quo posito, relatio ponitur, & quo ablato, itidem auferetur relatio ad ipsum; at huiusmodi est extremum, prout relationem inuoluit; propterea extremum, prout relationem inuoluit, erit formalis, & præcisus terminus relationis. Huiusmodi autem esse extremum, prout relationem inuoluit, ita ut præcisa, formalisque terminandi ratio, sit ipsa relatio, videtur ab Aristotele traditum, dum relatiuorum proprietatem explicans, ait, eorum id esse proprium, quòd ad conuertentiam dicantur, quod sic intelligendum præcipit, ut conuertentia quidem habeatur, quatenus fit per relationes hinc illinc resultantes, adeo ut circumscriptis omnibus alijs, à domino, ut ipse loquitur, solùm hoc relicto, quòd dominus sit, seruus existat, & ad ipsum dominum dicatur; quòd si contrà omnia relinquantur, hoc non relicto, quòd dominus sit, seruus non existat, nec ad dominum ipsum dicatur; causa igitur præcisa, unde terminatio proueniat, & unde formalis, atque præcisa ratio terminandi proficiscitur, in extremo, quod terminus denominatur, relatiua est.

Solutio. His tamen exigui laboris occurrere; non enim re ipsâ idem esse terminum, etiam formalem relationis existentis in alio, & esse correlatiuum eiusdem; illud enim importat, quòd relatio tendat ad ipsum, atque adeo in eo habeatur extrinseca denominatio termini: hoc autem vicissim importat referri; superius autem fuit iam adnotatum non idem esse referri, ac terminare. Dici igitur ad conuertentiam non conuenit termino, prout huiusmodi, sed prout correlatiuum est. Sed ad hoc non requiritur realis relatio in termino, nisi cum relationes mutuæ quidem extiterint; non enim consistit *ad conuertentiam dici*, in mutua relatione reali sibi inuicem respondente, sed in mutua denominatione relatiua, siue ea desumatur à relatione reali, vel rationis. Aut consistit in mutua denominatione relatiua; siue utraque denominatio intrinseca sit, à forma nimirum sibi inhærente; siue una sit intrinseca ab huiusmodi forma desumpta, siue extrinseca, sumpta à forma relatiua existente in alio.

Secunda difficultas. Maior est difficultas in eo posita, quòd inter relatiua verè detur oppositio relatiua; sed relatiua sunt duo extrema, quorum unum est fundamentum, quod refertur, & aliud est terminus, ad quem refertur; ergo relatiua oppositio dari non potest inter hæc duo, nisi in utroque sit relatio; merito enim istarum relationum exercetur inter illa, oppositio; ergo in utroque extremo debet esse relatio; ac proindè in termino relatio erit. Cùmque relatiuum, nempè fundamentum, affectum relatione, eatenus oppositum relatiuè possit esse termino, quatenus ad ipsum terminatur, prout relationem importat; propterea formalis terminus relationis, non absolutum, sed relatio erit. Si huiusmodi ratiocinatione quidquam concluderetur, certè etiam, & illud, nimirum nullam dari relationem non mutuam.

Solutio: Respice re quid. Respondendum tamen, respicere utique per relationes ipsas exerceri, terminare autem per absoluta. Respicere enim importat tendentiam unius in aliud; Terminare verò est sistere prædictam tendentiam, illud est relationis, hoc autem absoluti munus. Ad argumentum autem respondendum, non posse utique dari oppositionem relatiuam, nisi in utroque extremo detur relatio, quoniam hæc oppositio in eo consistit, ut extremum unum per relationem respiciat aliud, & vicissim respiciatur ab illo; ut in relatiuis mutuis, in quibus relativum unum verè respicit aliud, scilicet terminum, & vicissim terminus respicit illud; hoc autem ita contingit, ut relativum respiciendo terminum, respiciat ipsum, prout relationem inuoluit, & vicissim terminus respicit illud, prout relationem dicit; at in termino respicere, non idem est, ac terminare; illud enim per relationem fit; hoc autem per absolutum. Terminare quid.

Hic obseruandum in eo quosdam esse deceptos, quòd crediderint, idem esse respici, ac terminare; non solùm enim respicere non est terminare, sed nec etiam respici est idem ac terminare; respicere enim dicit tendere in aliud; respici est ita terminare, ut vicissim hoc illud respiciat; terminare verò est solùm sistere tendentiam illius ad se ipsum. Hoc ut clarius intelligatur, iuvabit ad exemplum confugere. Hic homo ex. gr. per paternitatem respicit hunc alium hominem filium; in quo considerari debet, & esse hominis, & relatio filiationis; per esse hominis, terminat relationem paternitatis, cuius terminus ob id est quidpiam absolutum, secundum quod sistit illam tendentiam; at verò prout dicit relationem filiationis, respicitur ab ipso. Ex quo facilè intelliges hoc non contingere, nisi in ijs, quæ mutuâ relatione inuicem referuntur; alioquin in relatiuis non mutuis, unum dicitur ad aliud tendere, & hoc terminare, quatenus sistit illam tendentiam; sed propriè hoc non dicitur respici ab illo, quoniam vicissim non tendit in illud. Aduertatio.

Quia tamen intolerabile videri posset alicui, non dici terminum respici, quando in eo non sit mutua relatio, ut ex. g. scibile non respici à scientia. Satius ob id erit rem hic explicare; puta, cum dicitur oppositionem relatiuam verari inter relatiua, prout sunt huiusmodi. Dicendum id gemino modo intelligi posse, nempè, quòd relativum unum, scilicet terminus, quatenus respicitur ab alio, eidem relatiuè opponatur; & hoc negandum, quoniam nil aliud sibi vult, respici, quàm sistere tendentiam illius, à quo dicitur respici. Alio modo dicatur relatiuè aliquid opponi, quatenus contra, quod respicitur, respiciat etiã illud, à quo respicitur; & hoc pacto cõcedendũ, erit q; oppositio relatiua inter relatiua, ut sunt huiusmodi, nimirum inter relativum, & correlativum; quamobrem inter patrem, ut patrem, & filium, ut filium, erit oppositio relatiua; non autem inter patrem, etiam ut patrem, & Socratẽ, qui filius denominatur, relatiua esse poterit oppositio. Nec immeritò dicendum ita, quoniam si oppositio est relatiua, æquè necesse est, ut inter extrema, prout relatiua, versetur; non autem inter absoluta, nec etiam inter relativum unum, & absolutum alterum. Atque Doctrina tenenda.

hunc

hunc in modum superior allata difficultas diluetur, ut alia ei admodum affinis.

Secunda difficultas. Inter relativa formaliter sumpta, oppositio intercedit relativa; sed hæc essentialiter involuit rationes referendi, & terminandi; ergo in utroque relativo dari debet ratio referendi, ac terminandi; ergo munus referendi, ac terminandi, utrunque extremorum per ipsas relationes exercet. Maior certa, quoniam oppositio relativa non datur inter extrema, quatenus absoluta sunt; minor inde suadetur, quia oppositio mutua in eo consistit, quòd relativa mutuò se respiciant, sic ut relationes sint rationes mutuò se respiciendi; mutuò autem se respicere, est unum respicere aliud, & ab eo respici, quod est relationem ipsius terminare; ergo oppositio relativa essentialiter involuit rationem referendi, ac terminandi.

Solutio. Argumentum multis ambagibus contextum nullius roboris deprehendetur, si partes eius singulatim expendamus. Dum igitur dicimus oppositionem relativam exerceri inter relativa formaliter sumpta, benè habet: cùm autem additur oppositionem relativam essentialiter includere rationes referendi, ac terminandi; negandum quantum ad illam partem, quâ dicitur, terminandi, quoniam tota oppositio in mutua illa ratione referendi, respiciendique consistit; pater enim ideò relativè opponitur filio, quoniam per relationem paternitatis respicit filium secundum esse absolutū quidē ipsius: & vicissim per relationem filiationis ab eodem respicitur; unde filius non opponitur relativè patri, eò quòd terminet, atque sistat respectum paternitatis, sed quoniam vicissim respicit illum secundum esse absolutum eius, per propriam relationem filiationis. Hinc patet quid respondendū ad illam propositionem, quâ dicebatur, oppositionem mutuam in eo consistere, quòd relativa mutuò se respiciant, & relationes sint rationes mutuò se respiciendi; hoc enim benè habet; at cum additur, sed mutuò se respicere, est unum respicere aliud, quod est terminare relationem eius. Dicendum oppositionem relativam non attendi penès respicere, nec penès respici, sed penès mutuò respicere, & in hoc decepti sunt; in relativis enim non mutuis unum respicit aliud, atque adeo unum respicitur ab alio; non propterea tamen inter ipsa datur oppositio relativa; eam ob causam, quoniam deest respectus mutuus. Ea autem est ratio, quoniam respicere, & respici, exercetur per relationes; at terminare, & sistere respectum, per absoluta. Dices oppositio attenditur penes mutuò respicere; ergo etiam penes mutuò respici; sed hoc est mutuò sistere, ac terminare; ergo relativum opponetur termino, qui cùm non opponatur, nisi prout relationem involuit, sequitur ut prout huiusmodi, terminet. Occurritur dicendo penès mutuò respici oppositionem relativam attendi, pro ut respici relationem importat mutuam; non autem, pro ut dicit absolutum, denominatum extrinsecus à relatione alterius extremi.

Tertia difficultas. Neque dicas, in relativè oppositis illud per se primò respicitur ab alio, quod per se primò eidem opponitur; sed quod illi opponitur est correlativum formaliter, quatenus huiusmodi; propterea quatenus relativum respicitur; ergo ut sic quatenus relativum est, terminandi munus exercet. Minor certa, & maior suadetur. Quoniam relativè oppositum, quatenus huiusmodi illud per se primò respicit, quod è regione ei primò aduersatur, non autem quod materiale est, ac veluti disparatum; at illud est correlativum, prout huiusmodi; ergo ut relativum per se primò respicitur, & ut relativum exerçet munus terminandi.

Solutio. Hoc tamen solutum fuit, & hîc iterum dicendum, falsum esse in relativè oppositis, illud per se primò respici, quod per se primò illi opponitur, quatenus opponitur; sed respicitur id, quod materiale est; unde pater non respicit filium, prout dicit relationem filiationis, sed prout dicit absolutum, in quo resultat filiationis relatio; & filius opponitur patri, prout pater mutuam dicit paternitatis relationem.

Quarta difficultas. Commentitius autem est ille casus de relationibus separatis &c. nempè paternitate, & filiatione; quæ adhuc opponerentur, seque inuicem terminarent tanquam relationes oppositæ, unde colligunt munus terminandi relationibus conuenire. Inficiandum enim admissâ illâ separatione impossibili, futurum, ut relationes se inuicem terminarent, quanuis oppositæ forent, & mutuæ; propterea quòd, ut ipsis non conuenit terminare, prout sunt in subiectis suis, ita nec etiam dum forent ab ijsdem seiunctæ.

Solutio. Quinta difficultas. Nec propterea quòd relativè oppositi, prout hujusmodi solùm funguntur munere referendi, non autem terminandi; consequens fit, ut relativa oppositio sit inter ipsa relativa non formaliter sumpta, sed prout solùm fundamenta quidem important. Non inquam consequens fit, quoniam oppositio relativa penès mutuam tendentiam, ac respicientiam, non autem penès mutuam terminationem attendi debet, ut non semel inculcatum fuit.

Sexta difficultas. Quòd si dicas Relativum opponitur relativè termino, sic enim definiuntur relativè opposita. Quæcunque, ut relativa dicuntur, ea ipsa, quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ab ea; sed nequit opponi relativè termino, nisi quatenus terminus relationem importat; ergo terminus, prout huiusmodi relationem involuit. Sed hoc etiam solutum ex dictis, non quòd gemina sit oppositio relativa, quarum una formalis inter relationem unius, & relationem alterius extremi; & altera terminativa, nimirum inter relationem, & terminum, hoc est inter relationem, & absolutum termini; ut perperàm Neotericus quidam comminiscitur, cùm nulla sit hæc oppositio; sed potius dicendum relativum opponi relativè termino, non quatenus hic sistit respectus tendentiam, atque adeo terminat, unde in relativis non mutuis hæc oppositio non datur; sed quatenus terminus mutuum dicit respectum, quo pacto oppositio relativa solùm in relativis mutuis reperitur; unde non mirum, si hæc oppositio solùm in relativis mutuis inueniatur; non enim relativum opponitur termino, quatenus termino, sed quatenus correlativo.

Solutio. Septima difficultas. Et quanuis relatio dicatur non habere pro termino relationem aliam; non subindè concludas consequens fieri, ut relativa non sint simul naturâ, eò quòd, exempli gratia, paternitas terminetur ad filium, non ut relativum, sed ut absolutum, & genita substantia est, quo pacto filiationem antecedit, unde paternitas prior erit filiatione; Vt omittatur, quòd relatio, prout hujusmodi à fundamento ac termino pendet, & quantum ad esse, & quantum ad cognosci; si igitur terminus relationis oppositæ non est relatio, hanc utique in eodem non postulabit instanti, neque pendebit ab hac quantum ad sui cognitionem &c.

Solutio. Mala tamen est consecutio, & probationis utriusque nulla profectò vis. Non primæ; nam prauè concludit, paternitatem scilicet esse priorem filiatione; quanuis substantia genita terminans paternitatem, filiationem antecedat prioritate naturæ, quemadmodum substantia generans præcedit paternitatem; quoniam positâ paternitate in substantia generante, necessariò in eodem naturæ signo ponitur filiatio in substantia genita, & vicissim; unde non cogitandum paternitatem esse natu-

Digitized by Google

naturâ priorem filiatione, eo quòd terminetur ad substantiam genitam, quæ est ipsâ filiatione, naturâ prior, quoniam in eodem naturæ signo, quo paternitas resultat in substantia generante, etiam in substantia genita pullulat filiatio; itaque ambæ substantiæ naturâ antecedunt ambas relationes, hæ tamen sunt naturâ simul. Nec maius est secundæ probationis robur; tametsi enim relatio essentialiter pendeat à fundamento, & termino, quantum ad esse, & etiam cognosci; non sequitur, terminum, si relatio posita non fuerit, non postulare illâ in eodem instanti, nec esse simul cognitione; propterea quòd relatio à fundamento pendens, tum in genere materialis causæ, tum efficientis, per naturalem resultantiam pendet à termino, non tanquam à causa, sed velut à conditione, prout tamen dicente esse absolutum, quod necessariò mutua consequitur relatio in eodem naturæ signo, quo in alio extremo relatio resultauit; unde non sequitur, si terminus est ipsum absolutum, non autem relatio opposita, non sequitur inquam, relationem alterius extremi, non postulare ipsam in eodem instanti naturæ.

Quomodo relationes sint simul cognitione.

Ad cognitionem autem, quod spectat, diligenter adnotandum aliud esse relativum cognosci per suum correlativum, & aliud cognosci simul cum illo. Primum eo sensu tantum est admittendum, ut relativum cognoscatur per correlativum non formaliter, sed ut aiunt, materialiter sumptum, prout dicit absolutum, alioquin ignotum per æquè ignotum cognosceretur. Ita quidem pater, non cognoscitur per filium, prout relationem importat filiationis, sed secundum id, quod in eo est absolutum. At verò relativum cognosci simul cum suo correlatiuo hoc sibi vult, quòd, quemadmodum relationes pullulant per naturalem resultantiam, ab extremis, unde habet intellectus, ut cognoscat unam è relationibus; inde habet, ut cognoscat etiam, & reliquam, cùm non sit maior ratio de una, quàm de alia; non enim est maior ratio, cur potius intellectus paternitatem, quàm filiationem cognoscat, & à quibus causis habet, ut paternitatem cognoscat, ab ijsdem quoque habet ut filiationem attingat.

Posita una relatione necessariò ponenda altera.

Tametsi autem relatio non pendeat ab alia, nec ad aliam tendat, sed ad absolutum tanquam ad terminum; adhuc tamen posità unâ, necessariò ponenda altera; non enim earum simultas attenditur penès id, quòd una referatur ad aliam; neque sat est ad positionem relationis, fundamentum, ac eius terminum poni; naturæ enim simultas inter mutuas relationes non attenditur penès ordinationem unius ad aliam; sed potius penès necessarium nexum inter illas, ortum ex concomitantia causarum, à quibus utraque relatio pendet, atque resultat; Hinc non satis est ad positionem relationis poni fundamentum, & terminum, quoniam ab ijsdem causis in termino, resultat relatio.

Quomodo relationes resultent in extremis.

Relationes autem ipsæ per se resultant, cùm eadem extrema sint, ex quibus pullulant necessitate naturæ, eâ tamen lege, ut extremum, quod unius comparatione, veluti fundamentum concurrit, respectu alterius se habeat, ut terminus. Ita quidem, quod est fundamentum paternitatis, est terminus filiationis, & quod est fundamentum filiationis, est terminus paternitatis.

Difficultas.

Nec etiam perturbat ea difficultas, quam ita concipiunt. Id, per quod definitur relativum, est correlativum, hoc est mutuam relationem inuoluit; sed terminus formaliter ut huiusmodi est per id quod debet definiri relativum; ergo terminus formaliter, ut hujusmodi, relationem inuoluit.

6. Topicum.

Id autem, per quod relativum definiri debet esse correlativum expressit Philosophus, ubi etiam docet definiendum relativum per terminum.

Sed iam superiùs de medio sublata est difficultas, propterea quòd, dum relativum dicitur definiendum per correlativum, intelligendum hoc sumi, ut loquuntur, materialiter, cuiusmodi est terminus, unde potius hinc redditur confirmatum quod à nobis intenditur; sequitur enim relativum definiendum per absolutum, quod nos terminum esse contendimus. Solutio.

Quòd si dicas adhuc superesse difficultates. Primò, nisi terminus relationem inuoluat, atq; adeò correlativum sit formaliter sumptum, pater non diceretur habere ordinem ad filium, nec duplum ad dimidium, proindè dicere non liceret, pater est filij pater; duplum est dimidij duplum; sed potius pater diceretur pater absoluti, cui conuenit denominatio filij; sic de dimidio &c. Secundò, quoniam terminus videtur pertinere ad idem genus, ad quod spectat terminatum; si igitur hoc est relativum formaliter sumptum, terminus etiam correlativum formaliter acceptum esse debebit. Tandem relatiua omnia forent uniusmodi, cum omnia terminarentur ad absolutum; unde prorsus inanis illa partitio relatiuorum in tres modos ab Aristotele passim inculcatos. A'iæ difficultates proponuntur.

Ad primam dicendum non idem ferendum iudicium de terminatione, ac de reciprocatione relationis; hæc enim in mutua quadam denominatione relatiua consistit, siue in uno ex extremis denominatio sit intrinseca, utpotè à relatiua forma illi inhærente desumpta; in alio autem extrinseca, desumpta ex forma relatiua existente in alio extremo; siue utraque sit relatiua denominatio intrinseca; at terminatio consistit in illa sistentia, quam habet relatio unius in altero extremorum, secundum quod hoc absolutum est; negandum igitur dici non debere pater est filij pater, accepto filio etiam formaliter, ut relationem filiationis importat, quoniam hic loquendi modus ad reciprocationem, siue ad conuertentiam, non autem ad terminationem spectat; quanuis igitur paternitas terminetur ad absolutum filij, adhuc pater dici debet filij pater, accepto filio, prout relationem filiationis importat, quoniam hæc est reciprocatio consistens in intrinseca denominatione relatiua ex parte utriusque extremi; quæ adhuc reciprocatio daretur, si ex parte unius extremi foret intrinseca, ex parte verò alterius extrinseca. Ad secundam; falsum assumitur, non enim terminus eiusdem prorsùs debet esse generis cum terminato, cùm satis sit, ut reducatur ad ipsum. Sic punctum per se non spectat ad quantitatem, cùm tamen terminet lineam speciem ipsius; sed sat est, ut ad quantitatem reducatur. Ad tertiam falsum etiam secuturum relatiua omnia esse unius modi; quoniam modorum diuersitas adhuc suppeteret, propterea quòd è relatiuis quædam forent mutua, quædam autem non mutua; quanuis omnia ad absolutum terminentur. Difficultatum propositarum solutiones

Tametsi autem relationem perpetuò ad absolutum terminari dicendum sit; tamen in relatiuis mutuis non dissimulandum ex parte termini formalem rationem terminandi esse absolutum, relationem tamen esse terminum concomitanter, quatenus nimirum hæc, quod est absolutum in termino, concomitatur. Adnotatio.

SECTIO DECIMA SECVNDA.

De Distinctione Extremorum, quæ consequitur Relatio.

DVo se hîc consideranda offerunt. Primum, quanta debeat esse distinctio inter relationis extrema. Secundum quidquid sit de distinctione extremorum, admisso etiam ea debere inter se realiter distin- Quæ proponantur indagãda.

Digitized by Google

stingui, an hoc idem de ratione fundandi dicendum sit, adeo ut si duo forent parietes, in quibus una, ac eadem numero constituta esset albedo, an illi parietes deberent dici similes.

Relationis extrema realiter debere distingui.

Primum satis apertè constat, scilicet relationis extrema realiter debere esse distincta, si relatio ipsa realis extiterit, quod adeo verum, ut hæc præcipua sit conditio, quam relatio ipsa requirit.

Probatur ex Arist. 4. Diuin. Prima ratio.

Hoc non obscurè videtur à Philosopho insinuatum, dum præcipuè contendit relationem identitatis ad se ipsum, realem esse non posse. Nec immeritò; relatio siquidem inter duo, se se exercet; at idem non est re ipsâ duo, unde nequit idem ad se ipsum reali relatione referri.

Respectus eiusdem ad se ipsi opus esse rationis.

Hinc planè constat respectum eiusdem ad se ipsum opus esse rationis; ut enim idem rationis opere potest esse duo; sic eiusdem ad se ipsum non realiter, sed per intellectum potest relatio accidere.

Difficultas præoccupata.

Neque dicas nullâ intellectûs fictione aliquid dici idem sibi ipsi, proindeque nullâ fictione intellectûs, atque adeo re verâ posse quidpiam ad se ipsum referri;

Solutio.

Non enim aliquid dicitur idem sibi ipsi per realem aliquem respectum, quo quidem se ipsum respiciat; denominatio siquidem ista, quâ aliquid sibi ipsi dicitur idem, non à relativa forma desumitur, sed per modum relativi exprimitur positivum ipsius, ut affectum negatione diuersitatis.

Secunda ratio.

Illud etiam accedit, quòd extrema relationis realis ita se habere debent, ut ipsa fundare possint oppositionem realem; nequit autem unum, & idem realem oppositionem fundare; nequit realis oppositio unum, ac idem pro sui fundamento habere; propterea necessariò sequitur non posse idē reali respectu se ipsum respicere.

Extrema relationis debere esse distincta realiter, quo sensu intelligendum.

Cùm verò dictum fuerit realis relationis extrema realiter debere esse distincta, sic usurpandum; ut distinctio inter illa sit veluti inter rem, & rem, vel inter modum, & modum, vel inter rem, & modum eiusdem rei; unde si virtus impressa proiecto foret principium, & causa, ut re verâ est, motus, quem proiectum subit, & existimetur inter causam, & effectum intercedere relationem, velut accidentariam formam superadditam, ijs, quæ referuntur, atque adeo ad hoc prædicamentum spectantem; utique inter illam virtutem, quæ potius videtur habere relationem modi, quàm rei, vel si sit res, saltem inter ipsam, & effectum, qui modus utpotè motus, est, relatio realis intercedet.

Secunda quæstionis pars; num rationes fundandi debeant esse realiter distinctæ.

Erat secundo loco proposita difficultas, num in fundamentis proximis rationibusque fundandi requireretur distinctio; an potius una, ac eadem numero in duobus subiectis distinctis posità fundandi ratione resultare possit relatio; ut si in duobus parietibus albedo foret eadem numero constituta, num illi parietes euaderent similes.

Rationes fundandi non necessario debent esse reipsa distinctæ.

Affirmandum omninò, quoniam adhuc tria requisita concurrerent ad realem relationem, quanuis una numero foret ipsa fundandi ratio. Extrema enim illa realia essent, & realiter distincta, & ex eorum natura, nullo negotiante intellectu, relatio ipsa consurgeret; quòd si res ita se habet, nullus ambigendi locus, ne relatio illa consurgeret, quanuis una foret numero fundandi ratio in duobus subiectis, re ipsâ tamen distinctis.

Neque putes desiderari distinctionem, ne dum inter extrema subiecta relationum, sed inter rationes fundandi; quòd enim extrema realiter debeant esse distincta, suppetit ratio, quia nequit ad se ipsum referri, relativum enim conclamat aliud à se distinctum; at non eadem causa, cur asseratur de ratione fundandi, quoniam cùm hæc deseruiat ratione unitatis, tantum abest, ut distinctio ad id conducat, quòd oppositò modo se res habet. Relatio similitudinis ex. g. inter dua alba consurgit, eò quòd si distinctæ sunt albedines numero, specie tamen sunt una; hinc quanto minor est hæc unitas, tanto minor similitudo; unde minus similia sunt duo extrema, quorum unum est album, & aliud est nigrum, quoniam inter albedinem, & nigredinem minor est unitas, utpotè generica, in ratione coloris, quàm inter duas albedines, inter quas unitas intercedit specifica. Sic etiam minor est similitudo inter album, & calidum, quoniam minor est unitas in ratione qualitatis, utpotè magis generica, quàm inter album, & nigrum; contra autem quanto maior est unitas, atque adeo quanto minor distinctio, tanto maior erit similitudo. Perspicuum igitur obesse potius, quàm prodesse distinctionem in rationibus fundandi, cùm hæ fundent ratione unitatis. Quòd si res ita se habet, numerica unitas potius, utpote maxima, inter unitates, numericą inquam unitas rationis fundandi, maximè ad fundandam relationem conducet; unde posita eâdem numero albedine in duobus subiectis realiter distinctis, illa duo in albedine maximè dicerentur similia.

Et re verâ illa dicerentur duo alba, quanuis per unicam albedinem, quoniam concretum accidentarium, dicit formam connotando subiectum, ita ut perindè sit, ac subiectum habens formam; cùm igitur duo essent subiecta, quanuis in ijs una numero foret albedo, adhuc eorum utrunque diceretur habens albedinem, atque adeo album; quòd si duo sunt alba, non est, cur unum alteri dici non debeat realiter simile. Subiectum enim dicitur simile, non ex relatione fundata in qualitate abstractè sumptâ, sed in concreto, ut tribuente effectum formalem: non in albedine, sed in albo; ut igitur duo sunt effectus formales, nimirum *duo alba*: sic erunt duo extrema formalia relationis similitudinis in esse albi, quanuis unica sit albedo.

Neque dicas his admissis, sequeretur etiam ea similia dici per similitudinem numero unam in utroque existentem; non enim ferendum iudicium idem de forma respectiua ac de absoluta.

Et quanuis nunquam reperiatur relatio inter duo realiter distincta, quin in ipsis distincta sint proxima fundameta rationesve fundandi; hoc tamen non per se requiritur, sed per accidens euenit, cùm id non oriatur ex relationis natura, quæ distincta fundamenta proxima requirat; sed potius ex eo prouenit, quia naturæ viribus nequit una, ac eadem numero fundandi ratio in duobus realiter distinctis constitui.

Prima difficultas.

Occurrunt tamen aliqua diluenda. Proxima fundamenta sunt, quæ primò referuntur, & per quæ subiecta ipsa referuntur; non sat igitur, ut distinguantur subiecta, sed oportet etiam distingui proxima fundamenta, rationesque fundandi, cùm idem non possit ad se ipsum referri.

Solutio.

Decipiuntur autem eo nomine, quòd non aduertunt rationes formales, & fundamenta proxima non esse formas abstractè, sed in concreto sumptas, & secundum effectus formales suos; sed paulò superiùs est adnotatum, unicâ numero existente formâ in pluribus subiectis, plures esse formales effectus, ac proinde plura fundamenta proxima; toto igitur argumento concesso, negandum est, quod videtur ab aduersarijs supponi, subiecta proxima non futura distincta, quando eadem numero forma in pluribus subiectis constituta foret.

Secunda difficultas.

Maior tamen videri posset difficultas, quoniam extrema apta sunt fundare relationes oppositas; eatenus autem oppositas relationes fundare possunt, quatenus

ratio-

rationes fundandi distinctæ sunt, proinde debent hæ esse distinctæ.

Solutio. Sed ex dictis hoc itidem solutum; rationes enim fundandi sunt non formæ in abstracto, sed ut communicatæ subiectis, unde quanuis unica foret in pluribus subiectis forma numero, adhuc plura essent numero concreta, pluresque formales effectus, si non ratione formæ, saltem ratione subiectorum, quibus inesset; & ideireo huiusmodi subiecta, quatenus induta tali formâ fundare possent oppositas relationes æquiparantiæ, ad quas requiritur forma eiusdem naturæ, veluti fundandi ratio in extremis. Tota enim relationum hæc oppositio in eo consistit, ut quod est fundamentum unius, sit terminus alterius, & è contra, neque idem sit fundamentum, & terminus eiusdem; nihil tamen prohibet hoc haberi ab eadem forma pluribus communicata subiectis, quoniam ut communicata dici potest non una ratione scilicet subiectorum, quæ plura sunt, & quatenus hoc modo non una, sed multiplex potest fundare relationes oppositas, ita ut dici non possit idem esse fundamentum; & terminus respectu eiusdem.

Tertia difficultas. Neque dicas æqualitatem, sic etiam similitudinem referre extrema, ut unum, unde quando unitas extremorum foret numerica, atque adeò maxima, referret illa, ut unum numero, & ut maximè unum, unde concedenda esset relatio eiusdem ad se ipsum.

Solutio. Hoc enim nihil est; cùm aliud sit aliqua referri, & aliud id, unde habent, ut referantur, ut aliud est aliqua esse similia, vel æqualia, & aliud esse id, unde habent, ut similia sint, & æqualia, ad primum requiritur pluralitas, ad secundum non item; plura igitur debent esse, quæ dicenda sunt similia, & æqualia, sed id, unde habent, ut sint similia, & æqualia debet esse unum, & quò maior fuerit unitas, eò maior erit similitudo &c. Ratio autem ea est, quoniam similia dicuntur, quatenus in aliquo conueniunt, in eo enim dicuntur similia esse, at si conuenire debent plura esse oportet, cùm conuenire sit plura in unum venire, at id, in quo conueniunt unum esse necesse est, & quanto magis unum, tanto magis conueniunt; unde si eadem numero forma in pluribus reperiretur subiectis, non propterea idem referretur ad se ipsum, sed plura inter se. Ita quidem si plura forent affecta eâdem numero albedine, relatione similitudinis referrentur illa ut plura, non ut unum, quia quanuis foret unum id, unde haberent, ut essent similia, tamen illa referrentur ut plura, cum plura essent ea, quibus communicaretur id, unde haberent, ut similia dicerentur, atque id, in quo similia forent.

SECTIO DECIMATERTIA.

Si relatio prædicamentalis forma sit accidentaria superaddita ijs, quæ referuntur, quænam ea esset, & quod nam sit supremum genus huius prædicamenti.

SVnt, qui putant relationes ad prædicamenta spectantes distinguendas in intrinsecùs, & extrinsecus aduenientes, atque priores esse illas, quibus hoc prædicamentum contexitur; alias verò ad sex ultima prædicamenta spectare.

Relatio intrinseca & extrinsecus aduenientes. Per relationem autem intrinsecùs aduenientem intelligunt illam, quæ necessariò consurgit posito fundamento, ac termino, seù quæ ex extremorum oritur natura, & non ex aliquo eis extrinsecùs accedente. Per extrinsecùs autem aduenientem, intelligunt illam, quæ non ex extremorum naturâ, sed virtute alicuius insurgit, quod omninò ab extrinseco accidit, nec ad rationem extremorum pertinent, ut extrema sunt, hoc est, ut habent rationem fundamenti, ac termini. Ita quidem, inquiunt, dantur relationes quædam, quæ positis extremis in rerum natura, solâ eorum virtute, alio autem quocunque secluso insurgunt; huiusmodi censentur relationes similitudinis, & æqualitatis; positis enim extremis in natura rerum, etiam in quacunque distantia resultant, eò quòd ad eorum positionem nil aliud desideratur ultra ipsum esse extremorum, sic etiam relatio paternitatis, & filiationis, supposito homine generante, & genito necessariò resultat.

Intrinsecùs aduenientes relationes quæ. Aliæ verò sunt apud ipsos, quæ positis extremis non insurgunt, sed alia quædam requirunt penitùs extrinseca rationi, fundamenti, & termini. Ita ex eorum sententia relatio actionis se habet; nam positis extremis, nimirum agente, & passo, ut igne, & ligno in natura rerum, quanuis actiuo, & eodem modo se habente secundum potentiam actiuam, itemque passiuo secundum potentiam passiuam solius alicuius extrinseci defectu, nimirum debitæ approximationis non resultat relatio, & tamen positâ resultat, ita ut non ex sola extremorum oriatur natura.

Extrinsecùs aduenientes relationes quæ. Non inficiandum reliqua sex prædicamenta partim in relationibus consistere, cùm in extrinsecis denominationibus posita sint. Tamen relationes ad illa spectantes, ut Actio, Passio, Vbi, meâ sententiâ, potius transcendentales, ut viris præstantissimis placuit, existimandæ sunt.

Tametsi igitur ingeniosè admodum illi tradiderint partitionem relationum in intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientes, modo nuper à nobis explicato, tamen illud addendum, si relatio ad hoc genus pertinens foret accidentaria quædam forma ijs, quæ referuntur superaddita per hoc à cæteris relationibus, nimirum ad reliqua prædicamenta spectantibus, distingueretur, quòd relatio ad hanc spectans categoriam accideret ijs, quæ referuntur; reliquæ autem non item, cum ex. g. respectus, quem Vbi importat ad locum, non accidat ipsi, sed in eius inuoluatur essentia.

Difficile est huic prædicamento genus generalissimũ assignare. Non exigui laboris est huic prædicamento generalissimum genus adscribere; hoc enim unicum esse debet, tale autem in hoc prædicamento videtur assignari non posse, ut proinde Philosophus non per modum unius relationem, aut relatum nominauit, quemadmodum substantiam, qualitatem, & quale &c. quin potius per modum plurium dices *ea, quæ sunt ad aliquid*. Amplius hoc etiam, videtur notum ex relationis, ac relatiui natura; propterea quòd relativum est, quod ad aliud refertur; si igitur genus generalissimum refertur ad aliud, agnoscendum erit, & illud aliud tanquam generalissimum, unde duo generalissima erunt; ob id non unum. Illud etiam incommodum sequitur, quod relativum, dum ad aliud refertur, certè illud aliud, ad quod refertur, realiter debet esse distinctum ab illo; at si relatio fuerit mutua, vicissim hoc refertur ad ipsum, unde quanuis, ut terminus distingueretur ab illo, quatenus tamen ipsum quoque refertur, continebitur sub illo, nempè sub relatiuo, proindeque distingueretur, & non distingueretur, quod est inconueniens, consequens ex eo, quòd in hoc prædicamento generalissimum genus assignatur. Tandem, si statuatur supremum genus in hoc prædicamento, non secus ac in alijs, cùm relativum illud esse debeat, debebit etiam relationis generatim acceptæ terminus assignari; hoc autem fieri non posse perspicuum inde, quoniam hic, vel esset quidpiam relativum, atque ita duo erunt generalissima decernenda, vel erit quid absolutum, quod nec etiam dicendum, propterea quod cum hoc

Rationes dubitandi. Prima ratio dubitandi. Secunda ratio dubitandi.

Tertia ratio dubitandi.

necessariò sequeretur relatio, iam illud relativum foret, ac proinde, idem incommodum, nempè duo esse huius prædicamenti genera generalissima.

Vnicum esse genus generalissimum huius prædicamenti.

Nobis tamen probatur consilium asserentium genus unicum esse generalissimum, illudque assignari posse non solùm in abstracto, sed etiam in concreto; non secus ac in prædicamentis cæteris fieri consueuit.

Prima ratio ad id suadendũ.

Et ratione veritati conforme, quod asserimus videtur suaderi posse, quoniam omne prædicamentum suum habeat generalissimum genus oportet; prædicamentum enim nil aliud, quam plurium prædicatorum series in communissimo quodam prædicato, atque adeò in generalissimo genere conuenientium. At si prædicamentum est unum, etiam & unum supremum hoc genus esse oportebit, cùm unitas, & multitudo prædicamentorum inde petenda sit: non igitur absimili modo in prædicamento relationis, genus unum supremum recognoscendum.

Secunda ratio.

Præterea; Quemadmodum alia prædicamenta, tàm in abstracto, quàm in concreto disponi, ordinarique possunt, nempè quantitas, & quantum, qualitas, & quale, &c. sic etiam, & istud, puta relatio, & relatum; utroque autem modo uniuersè accipi possunt, nempe relatio, & relatum generatim; sic etiam genera intermedia; quemadmodum igitur in reliquis prædicamentis, utcunque sumantur, inferiora omnia gradatim ad uniuersaliora procedendo, tandem ad supremum genus deuenitur; sic etiam in hoc prædicamento, siue abstractè, siue concretè disposito, ad supremum genus deueniendum erit.

Fit satis rationibus dubitandi initio positis.

Neque dubitandi rationibus initio positis operosum erit occurrere. Non enim Philosophus eo genere loquendi, quo ibi est usus, commemorauit ea, quę sunt ad aliquid, quasi non sub uno conceptu, & uno generalissimo genere comprehendi arbitraretur; imò ita videtur locutus, ut non distinxerit, tanquam duo id, quod refertur, & ad quod; sed potius commemorauit omnia, quę referantur, non secus ac diceret, relatiua sunt, siue relativum est, quemadmodum si dixisset qualia sunt, quanta sunt &c. Quod autem ipse relatiuorum meminerit per modum plurium, commouere non debet, cùm frequenter usu veniat, ut quædam per modum unius, quædam per modum plurium nominentur; duxit igitur operæ pretium loquendi consuetudinem attendere; sic enim facilius ea, de quibus fit sermo, intelliguntur.

Primæ difficultati occurritur.

Secundæ difficultati fit satis.

Et quod secundo loco difficultatem afferebat; non assentiendum ijs, quibus est visum esse negandum relatum in communi respicere aliud commune, ad quod referatur; hoc enim intolerabile; & quia relatum, & relatio in communi veram habet essentiam relati, & relationis, hæc autem in ordine ad terminum consistit; ob id illi in communi respondeat terminus generatim acceptus oportet. Accedit, quòd dum de relato uniuersè sumpto nos loquimur, utique dicimus, est, quod refertur, & ordinatur ad aliud itidem uniuersè sumptum; non enim per aliud significamus terminos varios speciatim acceptos; sed quemadmodum hi conueniunt in communi quadam ratione termini, in qua nulla relucet multitudo terminorum: ita communem istam rationem termini per particulam illam *aliud* significamus. Nec propterea sequitur duo esse generalissima, quoniam generalissimum, siue supremum huius prædicamenti genus relatum esse debet; huiusmodi autem non est terminus; propterea quòd ex hucusque disputatis, perspicuum satis, relatum ad aliquid absolutum, vel ad habens modum absoluti terminari, unde consequens fit, ut unicum sit supremum genus, quoniam illud aliud, ad quod terminatur relatio, prout est terminans, relativum non est. Quod si vicissim, ut in mutuò relatis contingit, hoc idem quoque referatur, non etiam duo esse suprema genera subinde colligendum, quoniam relati nomine solùm id usurpandum, quod ad aliud refertur. Et ex hactenus dictis non obscurè constabit, quid tertiæ rationi dubitandi respondendum sit &c.

Relationum definitio ex Platone.

Sed quàm benè ab Aristotele relatiua definita fuerint abs re non erit aduertere; is porrò Capitis initio ita relatiua descripsit, ut videatur descriptionem à Platone didicisse, quandoquidem hic, præter ea, quæ superiùs ex eius sententia attulimus hæc habet in Sympolio, τὶ δὲ, ἀδελφὸς ἀυτὸ τοῦτο ὅπερ ἐστὶν ἑτέρου τινὸς ἀδελφὸς ἢ οὔ; *Quid verò frater, hoc ipsum quod est, est alicuius frater, vel ne?* Et in Sophista, ὅ τι περ ἂν ἕτερον ᾖ συμβέβηκεν ἐξ ἀνάγκης ἑτέρου τοῦτο ὅπερ ἐστὶν εἶναι. *Quidquis alterum fuerit, necessariò accidit alterius esse hoc ipsum, quod est.* & in Republica iterum, ἀλλὰ μέντοι φημί γε ἔγωγε ἔστι τοιαῦτα οἷα εἶναι αὐτὰ μὲν ποῖα ἄττα ποιοῦ τινός. *Sed enim inquam ego quæcunque talia sunt, ut sint, qualia quædam, qualis cuiusdam.* Ex his autem videtur Philosophus descriptionem illam collegisse, quam initio Capitis de ad aliquid protulit, Πρός τι δὴ τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἄπερ ἐστὶν ἑτέρων ἢ ὁπωστιοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον. *Ad aliquid ea dicuntur, quæcunque id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quacunque alio modo ad aliud referuntur.* Antiquorum autem hanc definitionem corrigere studens paulò infra aliam eius loco substituit dicens. Εἰ δὲ μὴ ἱκανῶς, ἀλλ' ἔστι τὰ πρός τι, οἷς τὸ εἶναι τοῦτο ἔστι πως πρός τι πως ἔχειν. *Si verò non satis commodè, sed ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse, est ad aliud se habere.* Ne quis autem suspicaretur, parum interesse inter suam, & ab antiquis contextam definitionem, & à se reprehensam, explicat, quatenus ambæ conueniant, & differant. Conueniunt enim in eo, quòd utraque comprehendit omnia vera relata; discrepant autem, quia prima complectitur multa, quæ relata non sunt & per aliud explicantur, ut de quibusdam substantijs fuit adnotatum. Secunda verò sola relata huius categoriæ comprehendit; hanc autem differentiam splendidè tetigit Philosophus dicens. Ὁ μὲν πρότερος ὁρισμὸς παρακολουθεῖ μὲν πᾶσι τοῖς πρός τι οὐ μὴν γε ταὐτὸν ἔστι, τὸ πρός τι αὐτοῖς εἶναι, τῷ αὐτὰ ἄπερ ἐστὶν ἑτέρων λέγεσθαι. *Prior autem definitio conuenit quidem omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid: sed non idem est eorum essentiam esse ad aliquid: &, ipsa id quod sunt ad alia referri;* hoc est, non idem est, quod ipsorum ad aliquid esse, id quod sunt aliorum esse dici. Itaque discrimen continetur in verbis *ad aliud dici, aliud se habere*, seu *ad aliud esse*.

Prima relationum definitio ab Aristotele tradita ex antiquis.

Initio capitis de ad aliquid

Secunda ex propria sententia.

In corpore capitis de ad aliquid.

Huius definitionis obscurissimus sensus, ut explicetur, singulas eius particulas oportebit expendere. Primo igitur loco dicitur *ad aliquid*; nempè relatiua. Hìc enim non definitur relatio in abstracto præcisa à subiecto, nec subiectum ipsum relationis, neque aggregatum ex subiecto, & relatione; sed potius relatio in concreto, quo pacto dicit formam, connotando subiectum; hæc enim concretorum omnium significatio est; concretus enim terminus, ut suo vidimus loco, formam significat, prout tamen afficientem subiectum, ac proinde, cùm definitur, non utrumque æquè primò significatur, quasi utrumque sit pars rei definitæ; sed forma est, quæ ut primò significatur, ita pariter definitur secundum essendi modum, quem habet, nimirum in subiecto. Dicitur *sunt*, quoniam hìc definiuntur relatiua extra animam per modum plurium, ita tamen, ut ad modum unius facilè reuocari possint; extra animam, eo quòd entibus realibus propriè conuenit esse per modum plurium, propterea quòd verbum *sunt* pluralis est numeri. Dicitur *quibus hoc ipsum esse est ad aliud*

Relationum definitio ex Aristotele traditur, & explicatur.

Digitized by Google

aliud se habere, ideſt quorum totum eſſe, ſiue tota eſſentia in eo conſiſtit, ut ad aliud referantur; unde inſinuatur in eo poſitam eſſe iſtius relationis naturam, ut accidat ijs, quæ referuntur, nec habeat aliud eſſe, quàm eſſe rationem referendi unum ad aliud. Gemino autem modo hoc poteſt explicari, prout prædicamentalis relatio dicitur conſiſtere in accidentaria forma ſuperaddita ijs, quæ referuntur: vel in extrinſeca partim, & partim intrinſeca denominatione, ut ſuperius eſt viſum. Iuxta priorem dicendi modum accidit rebus, tanquã poſitiua forma tribuens denominationem prorſus intrinſecam. Iuxta poſteriorem, accidit ſolùm tanquam denominatio deſumpta ab ijs, quæ referuntur, modo paulò ſuperiùs explicato. Vniuerſæ igitur definitionis ſenſus hic erit. Relatiua ſunt, quorum totum eſſe eſt ad terminum referri, quod intelligendum de relatiuis, quatenus huiuſmodi, atque adeò formaliter ſumptis. Ita quidem duo ſimilia in albedine, relatiua ſunt, quoniam totum eorum eſſe, ut ſimilia ſunt, eſt referri ad aliud, videlicet ad terminum; & relatio in abſtracto, ſi forma fuerit poſitiua, in eo tota conſiſtet, ut ſit ratio referendi unum ad aliud, nec ullum habeat aliud eſſe præter iſtud; puta relatio ſimilitudinis in eo conſiſtit, ut ſit ratio referendi unum ad aliud, nec præter hoc habet aliud eſſe, quoniam totum eſſe ipſius in hoc omnino conſumitur. Si autem non fuerit poſitiua forma, ſed potius partim intrinſeca, & partim extrinſeca denominatio, relatio in abſtracto in ea denominatione conſiſtet, quæ tota ſit ad aliud.

Duobus modis ſuperior definitio poteſt explicari.

Obijciet tamen aliquis aduerſus definitionem allatam ex hypotheſi, quòd relatio accidentaria ſit forma rebus ſuperaddita. Si nanque huiuſmodi fuerit, perperam videtur dici totum eius eſſe conſiſtere in eo, quod eſt eſſe ad aliud, cùm præter hoc dicat etiam *eſſe in* eo, quòd accidentaria ſit forma.

Occurritur facilè conſiderando, quid ſibi velit Philoſophus dicendo totum eſſe relationis in eo conſiſtere, ut ſit ad aliud, non enim excludit à relatione eſſe in alio, velut accidens in ſubiecto, nec etiam eſſe in alio, veluti relatio in fundamento ſuo; relatio enim ſpectari poteſt, ut accidens, & ut tale accidens; priori modo importat *eſſe in*, tanquam in ſubiecto; ſecundo modo dicit eſſe *ad aliud* tanquam ad terminum, & *eſſe in*, tanquam in fundamento, ſic, ut in ipſo non ſiſtat, ſed afficiendo ipſum ordinet ad aliud.

Et puerilis eſt Neoterici cuiuſdam impugnatio, dum ait hoc ineptè dici, eò quòd in relatione non diſtinguantur re ipsâ eſſe accidentis, & eſſe relationis, Non enim ad hoc tanta eſt neceſſaria diſtinctio, cùm formalis ſufficiat.

Deteriùs iterum impugnat dicendo, relationem prædicamentalem formaliter etiam, ut relationem eſſe accidens; ergo etiam ſecundum eſſe peculiare relationis dicit *eſſe in*. Secundò relationem etiam formaliter, ut dicit *in*, dicit rationem referendi unum ad aliud; ob id quatenus relatio debet eſſe in eo, quod refert; ergo ut relatio formaliter non ſolùm dicit *ad*, ſed etiam *in*. Ita quidem paternitas, inquit, ſecundum ſuum ultimum conceptum denominat, & afficit patrem tanquam forma illius, ob id petit eſſe in eo etiam ſecundum ultimam formalitatem ſuam. Tertiò, ſi relatio, ut huiuſmodi non diceret *eſſe in*, ſequeretur ſecundum ultimam formalitatem nihil reale fore in rerum natura; non eſſet ſubſtantia, ut conſtat, non accidens, quia non diceret *eſſe in*, nihil igitur foret. Tandem præſcindendo omninò à ratione accidentis, adhuc relatio, prout huiuſmodi, petit *eſſe in*, velut in fundamento, taliſque habitudo, non minus eſt ei eſſentialis, quam *eſſe ad*.

Ad primum conceſſo prædicamentalem relationem accidentariam eſſe formam ſpecificatiuè, ſiue materialiter acceptam, ut Dialectici loquuntur, non tamen reduplicatiuè, & formaliter; hoc enim modo præſcindit, neque enim dicit rationem eſſendi per ſe, neque rationem eſſendi in alio tanquam in ſubiecto, licet importet rationem eſſendi in alio tanquam in fundamento. Hinc patet. Solutio primæ obiectionis.

Ad ſecundum; omnibus conceſſis cùm dicitur totum eſſe relationis in eo conſiſtere, ut ſit ad aliud, certè non excluditur, imò includitur eſſe in alio tanquam in fundamento, quoniam per *eſſe ad aliud* ſignificare intendimus eſſe rationem referendi; at ſi huiuſmodi eſt, certè debet aliquid, nempè fundamentum referre. Solutio ſecundæ obiectionis.

Ad tertium, quod ſanè ridiculum eſt, dicendum, ſi quicquam probaret, utique probaret etiam multa alia debere eſſe nihil, ex. g. rationalitatem nihil eſſe, quia, ut rationalitas, puta ut principium ratiocinandi, non dicit eſſe per ſe; nec dicit eſſe in alio, velut in ſubiecto, proindeque, neque ſubſtantia foret, neque accidens. Deceptio ex eo prouenit, quia non aduertit ad inferendum eſſe nihil, non ſat eſſe, ut neutram rationem eſſendi per ſe, vel in alio dicat formaliter, ſed oportet, ut nec formaliter neque materialiter dicat; quanuis igitur relatio, ut relatio, non dicat eſſe in, materialiter tamen dicit, formaliter autem præſcindit. Neque hoc inauditum, quamuis enim præſcindat à ratione eſſendi per ſe, & à ratione eſſendi in alio, non ſequitur eſſe nihil, ſicut ens reale, quanuis præſcindat ſaltem imperfectâ præciſione à ratione eſſendi per ſe, & à ratione eſſendi in alio, non ob id ſequitur nihil eſſe. Solutio tertiæ obiectionis.

Ad quartum patet ex nuper traditis, quid reſpondendum; totum ſi quidem concedendum eſt, cum relatio, ut relatio; etſi dicatur tota conſiſtere in eo, ut ſit ad aliud, non propterea excluditur eſſe in alio, velut in fundamento. Solutio quartæ.

Hinc patet in relatione, quæ ſit accidentaria forma, dari geminam rationem *eſſendi in*, & ut in ſubiecto, & ut in fundamento; at in relatione, prout præciſa à ratione ſubſtantiæ, & accidentis, dari tantum rationem eſſendi in, tanquam in fundamento, & hoc eſſentiale eſt relationi, ut relationi, illa verò conueniunt relationi, quatenus materialiter ſumptæ, pro relatione ſcilicet accidentariæ naturæ; in hac enim gemina illa ratio eſſendi in, tanquam in ſubiecto recognoſcenda eſt. Prima communis eſt omnibus accidentarijs formis, quælibet enim ex his, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua ſibi vendicat hoc, quod eſt ſubiectum afficere, cum quo per accidens unum conſtituat. Secunda eſt relationis propria, quæ nimirum non utcumque afficit ſubiectum, in quo cum accidentibus abſolutis conuenit, ſed ita afficit, ut afficiendo illud ordinet ad aliud, & in hoc inuoluitur ratio eſſendi in alio tanquam in fundamento. At in accidentibus abſolutis ſecus ſe res habet; ratio enim illa communis contrahitur in ipſis per rationem afficiendi aliud cum ſiſtentia in illo. Nonnulla colligitur ex dictis.

Allatam improbant etiam definitionem plerique eo nomine, quòd tradita ſit per actum referendi, dicitur ſiquidem. *Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſſe eſt ad aliud ſe habere*; & tamen definitio, ut probè conſtructa dicatur, per aptitudinem potius tradenda; ſic homo per aptitudinem ratiocinandi, non autem per actum definiri conſueuit. Ita pariter definitur albedo forma apta conſtituere album, non quod actu conſtituat, quanuis formalis eius effectus ſit actu album conſtituere. Secunda difficultas

Conſiderandum, quandoque actum, rei quidem ac- Solutio.

eidere, aliquando verò esse id, quo res ipsa constituitur; sic etiam de forma; quandoque enim illi accidit præstare formalem effectum: quandoque non accidit, sed in ipsa inuoluitur. Accidit autem, quando illi non repugnat esse sine effectu formali, ut contingit de rationali, cui non repugnat esse sine actuali exercitio ratiocinandi; quin potius passim contingit, ut sit absq; huiusmodi exercitio. Ita pariter è Theologorũ sententia, non repugnat albedini existere sine formali effectu, qui est album actu constituere, quando nimirum à subiecto illa seiungitur. At verò non rarò euenit, ut actus inuoluatur in ipsa forma, ut constat ex. g. de præsentia locali, cui repugnat existere absque formali effectu, qui est rem alicubi constituere. Sic etiam unio se habet; repugnat enim ei existere, ita ut dum existit non præstet effectum suum, puta unitum reddere. Tametsi igitur prioris generis formæ non per actum, sed per aptitudinem; posterioris tamen non per aptitudinem, sed per actum definiendæ sunt: atque hunc in modum satis dilutam superiorem difficultatem existimo; relatio siquidem, si forma est accidentaria rebus, nequit existere, quin referat unum ad aliud; propterea condonandum, si per actum referendi definiatur.

Impugnatio superioris responsionis

Solùm hîc supereſt alia tollenda difficultas, quæ contra suprapositam responsionem afferri posset, nempè quòd actus, vel exercitium referendi ab existentia pendet relationis; ut igitur existentia se habet ad relationem, ita & referendi actus; existentia autem accidit omninò essentiæ relationis, idem propterea de actu referendi pronunciandum. Quod autem actus, & exercitium referendi pendeat ab existentia relationis, indè perspicuum, quia relatio, dum non actu, sed potentiâ tantùm existit, non dicitur actu, sed potentiâ tantùm referre.

Resp. 2do.

Considerandum tamen referendi munus spectari posse in actu, ut loquuntur exercito, & hunc in modum ab existentia pendet; considerari etiam potest in actu signato, iuxta quam usurpationem, relatio in suo essentiali conceptu referendi, actum inuoluit; hoc autem modo ab existentia non pendet; quando autem definitur relatio per actum referendi, intelligendum eam sumi in actu signato, non in actu exercito. Referendi autem actus hoc modo sumptus, ut ab existentia non pendet, sic relationi non accidit. Vnde cogitandum, quòd relatio potestate tantùm existens, dicitur actus referendi, non prout actus excludit potentialitatem ad existendum; sed prout excludit modum referendi consistentem in posse referre tantùm, cùm actu referre in essentia relationis inuoluatur.

Tertia difficultas.

Deinde urgebis. Si relatio est essentialiter ordo quidam unius ad aliud, consequens fit, ut in abstracto concipi non possit sine fundamento, quod refert, & sine termino, ad quem refert; hoc tamen videtur falsum; tum quia terminus abstractus formam significat per modum per se stantis, ac proinde sine ordine ad subiectum; tum quia terminus ultimâ abstractione abstractus, ab omni eo præscindit, quod non pertinet ad ipsum in primo modo dicendi per se.

Solutio.

Fit satis negando relationem concipi posse sine fundamento, & termino; & quanuis terminus abstractus dicatur significare formam per modum per se stantis, & sine ordine ad subiectum; admittendum tamen id solùm eo sensu, quatenus terminus ille non insinuat subiectum per modum recipientis denominationem à forma, quod etiam de termino relatiuo verum est; sed non inficiandum, si terminus abstractus relativus fuerit, per ipsum insinuari subiectum, tanquam fundamentum relationis. Et quanuis extrema ipsa non pertineant ad essentiam relationis in primo modo dicendi per se; pendentia tamen ab illis, pertinet.

Quæ difficultas.

Amplius. Partes substantiæ non sunt verè relativa, & tamen conuenit eis definitio ab Aristotele tradita, siquidem ipsarum esse, est ad aliud quodammodò se habere; mala igitur definitio, utpotè illa, quæ conuenit alteri à definito.

Solutio.

Difficultatis solutio ex definitionis explicatione pendet. Dicebat enim Philosophus si prior illa definitio à veteribus tradita retinenda sit, impossibile, vel difficile fore, ut saluare valeamus aliquas substantias non esse ad aliquid; at si illa definitio non recipiatur, quin potius reijciatur tanquam inepta, repertũ iri nullam substantiam esse ad aliquid; ut propterea ipse, loco illius definitionis aliam substituerit, dicendo. *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodò se habere.* Hoc est relatiua sunt, quibus hoc ipsum esse, nimirum esse essentiale eorum, est ad aliud quodammodo se habere; ideſt respicit aliud, quasi dixerit. Relatiua nullam aliam essentiam habent, quàm positam in relatione ad aliud; unde hęc definitio differt ab illa, quam vereres tradiderunt, videlicet. *Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur; vel quomodolibet aliter ad alterum.* Ac proindè veteres relatiua definiebant per *dici aliorum*; at Aristoteles definit per *esse*; unde apud illos relatiua erant quæcunque dicuntur alterius etiam si ipsa secundum se propriam essentiam habeant absolutam, & liberam ab omni respectu, de quo in præsentia fit sermo; unde est, ut multæ substantiæ qualitatesque illâ relatiuorum definitione comprehendantur, eòquòd dicuntur alterius; ut virtus secundum se est qualitas, & ens absolutum; dicitur tamen alicuius virtus. Sic etiam caput dicitur alicuius caput, quanuis sit substantia: at hæc ex Aristotelis sententia non sunt relatiua, prout hæc in præsentia sumuntur; quanuis enim dicantur esse alicuius; non propterea tamen totum suum esse habent in huiusmodi respectu positum; sed potius habent essentiam absolutam, suntque primariò entia absoluta; secundariò autem dicuntur esse alterius. Talia autem dicuntur ab iis (quibus prędicamentalis relatio visa est forma positiua superaddita iis, quæ referuntur) pater, & filius, quia pater, inquiunt, quatenus pater est, nihil est, nisi respectu filii, & totum esse ipsius, prout patris, consistit in huiusmodi respectu; nec aliud habet esse, præter esse ipsius respectus; sic de filio comparatione patris. Itaque veteres definiebant relatiua secundum dici, & definitio ab ipsis elaborata nimis uniuersalis erat; ferè enim omnia, aliorum aliquo modo esse dicuntur. Ad difficultatem quod attinet, respondendum totum esse partium substantię, non esse ad aliud, ut in hac intelligitur definitione, licet aliquem importent respectum. Sed hîc animaduertendum huiusmodi respectum inuolui in essentia substantiæ; nec imaginandum substantiam, qualitatem &c. non esse quid relativum secundum dici, eò quòd reuerâ non sit quid ordinatum ad aliud, sed solùm aliquo modo alterius esse dicatur; cùm potius reipsâ dicat respectum, & suum esse habeat in ordine ad aliud, cuiusmodi est materia respectu formæ, & vicissim, quod ab Aristotele traditum fuisse, superius notauimus. Tales autem sunt relationes, quæ transcendentales dicuntur, hæ nanque in rerum essentiis inuoluuntur; materia enim, ut in eodem persistamus exemplo, essentialiter respicit formam, & vicissim, quod expressit Aristoteles dicens. Ετι δὲ πρός τι ἡ ὕλη· ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη. *Præterea materia in eorum* numero est, *quæ ad aliquid referuntur, nam alij formæ, alia materia conuenit.* Hæ autem relationes non eius sunt indolis, qualis, quæ ad hanc pertinent

5. Phys. text. 19.

cate-

categoriam, quippè quæ, vel ex quorundam opinione, iunt accidentariæ formæ superadditæ ijs, quæ referuntur, ac ob id in eorum essentijs non inuolutæ; vel quod nobis magis arridet, in denominationibus partim intrinsecis, partim extrinsecis consistunt.

Quinta difficultas

Relatiuorum definitio ab Aristotele contexta, hâc etiam solet difficultate urgeri. Omne accidens dependentiam habet à subiecto suo; proindeque dependentiæ ordinem dicit ad ipsum subiectum; ergo esse cuiuslibet accidentis est ad aliud quodammodo se habere; ergo hæc definitio omnibus conuenit accidentibus, ac ob id alteri à definito.

Solutio.

Hæc difficultas fuit ab alijs tacta, simulque soluta iuxta tamen eorũ principia. Fit ei tamen satis respondendo, quodlibet accidens habere totum suum esse in ordine ad subiectum, ita tamen, ut huiusmodi ordo neque sit forma accidentaria superaddita illi, neque in denominatione partim intrinseca, partim extrinseca consistat; ut ob id non sit prædicamentalis relatio, nec ei conueniat relatiuorum definitio, quam industriè Philosophus elaborauit; sed potius ille ordo, transcendens relatio est in essentia cuiuslibet accidentis inbibita.

Adnotatio.

Cæterùm adnotandum entis absoluti nomine non intelligendum aliquid, quod sit ab omni respectu absolutum, cùm huiusmodi non sit, nisi Deus in uniuersa rerum natura; siquidem omne aliud à Deo transcendentalem aliquem respectum inuoluit; ut materia ad formam, & vicissim; accidens ad subiectum, & omnis creatura ad Creatorem; ens igitur absolutum dicitur quatenus à prædicamentali respectu liberum est, utcunque hic explicetur.

SECTIO DECIMA QVARTA.

Si prædicamentalis relatio foret accidentaria forma rebus superaddita, quot, & quæ censenda sint genera, & species relationum ad hoc prædicamentum spectantium.

5. Diui. cap. 15.

CVm tres relatiuorum modos Philosophus assignauerit, occasionem præbet indagandi, unde sumenda sit distinctio, vel unitas specifica relationum, ut indè relationum constituentium præsentem hanc categoriam natura prodeat; hæc enim haud meliùs potest innotescere, quàm hæc sedulò perquirendo. Vt autem unitatem, ac distinctionem specificam relationum explicemus, ita ratiocinandum.

Quorundam opinio reijcitur.

Non audiendi sunt illi, quibus placuit relationes, unitatem hanc, aut distinctionem adæquatè à fundamentis, non autem à terminis accipere. Nec etiam assentiendum ijs, qui contrario modo philosophantes crediderunt relationes, unitatem ac distinctionem specificam à terminis, non à fundamentis accipere.

Aliorum etiam sententia reijcitur.

Opinio tenenda.

Potius igitur plaudendum illis, è quorum consilio commemorata unitas, atque distinctio utrinque desumenda est. Sed cum de distinctione relationum loquimur, non ignorandum eam attendi posse, vel penes aliquod intrinsecum, & essentiale in relatione; vel penes aliquod extrinsecum, quod nimirum, etsi necessariò ad relationem concurrat, extrinsecus tamen ad eius constitutionem conducit. Prior intrinseca: secunda relationum extrinseca distinctio dicitur. Obseruandum præterea, cùm de fundamento, ac termino relationis fit sermo, gemino modo utrumque usurpari posse, puta, vel prout utrunque res ipsa est, quæ fundat relationem; vel prout fundandi rationem importat, ut ex. g. Socrates sit fundamentum paternitatis; in eo considerari potest individuum humanæ naturæ, quod est paternitatis fundamentum. Spectari itidem potest potentia generandi, quæ est fundandi ratio.

Prima adnotatio.

Secunda adnotatio

His præacceptis non erit operosum intelligere de relatione, partim ratiocinandum, non secus ac de alijs rebus: partim autem modo diuerso, quantum ad unitatem, ac distinctionem. Si igitur de specifica, intrinseca tamen, relationum distinctione sermo fiat; existimandum illam non aliundè, quàm ab intrinsecis differentijs desumi, ut in omnibus alijs rebus contingit. Si verò de extrinseca assentiendum illis, qui postremo loco dicebant eam desumi, tàm à fundamento, quàm à termino, secundum formales rationes fundandi, terminandique desumptis.

Ex præhabitis colligitur opinionis tenendę explicatio.

Quod primo loco fuit pronunciatum, eâ ratione conuincitur, quoniam idem iudicium ferendum de relationibus, ac de absolutis; quemadmodum igitur in his distinctio omnis intrinseca desumitur ab ijs, quibus constituuntur; sic etiam de relationibus dicendum. Ea porrò, quibus res omnes constituuntur, dummodo sub genere contineantur, sunt internæ differentiæ, si sermo fiat de principijs metaphysicis, cùm alioquin physica principia sint materia, & forma, qualia in relationibus, utpotè accidentibus, non cadunt; propterea distinctionem intrinsecam relationum ab internis earum differentijs ducendam perspicuum est.

Assertio duplici parte constans, qua decernitur quid hac de re sentiendũ

Prima assertionis pars ratione suadetur.

Secundum autem non minus constat; videlicet extrinsecam earum distinctionem sumi tàm à fundamento, quàm à termino; relationes enim specie diuersæ, specie quoque diuersum fundamentum, ac terminum requirunt. Et quoniam extremorum utrumque gemino modo spectari posse fuit adnotatum, nempè vel materialiter, pro rebus ipsis; vel formaliter, ut aiunt, prout important fundandi, terminandique rationes. Haud cogitandum specificam hanc distinctionem relationum ab extremis materialiter acceptis desumendam esse; quoniam nihil prohibet, quo minus super idem fundamentum materialiter sumptum, fundentur distinctæ specie relationes, & ad eundem terminum materialiter acceptum terminentur. Ita quidem in eadem albedine fundatur relatio similitudinis, cum alia albedine, atque dissimilitudinis cum nigredine; perspicuum autem relationes similitudinis, atque dissimilitudinis specie inter se differre. Non dissimili modo ratiocinandum de termino; ad eandem enim albedinem terminatur relatio similitudinis alterius albedinis, atque dissimilitudinis etiam nigredinis. Nihil igitur obstat, quo minus eadem in re fundentur, & ad eandem rem terminentur relationes specie diuersæ.

Secunda pars assertionis ratione probatur.

Tametsi autem ab extremis materialiter sumptis relationum distinctio peti minimè possit; ab ijsdem tamen, vel saltem ab eorum uno formaliter sumpto desumendam esse, perspicuum est. Hoc satis euidens, ac exploratum, si nimirum unius, vel alterius expendamus naturam. Relatio paternitatis specie differt à relatione similitudinis, vel æqualitatis, extrinsecus tamen, ut dictum est, quanuis in uno, eodemq; individuo omnes fundentur, & etiam ad eundem terminũ terminentur. Idque non aliundè, nisi quoniam, licet hæc extrema materialiter sumpta sint eadem, formaliter tamen non sunt. Sic eriã de similitudinis relatione perspicuum; albedo enim ex. g. ut dicit unitatem, fundat, vel terminat relationem similitudinis; ut autem dicit pluralitatem fundat, vel terminat dissimilitudinem; hoc autem est extrema sumere formaliter; nàm ratio fundandi similitudinem est ipsa naturæ unitas, ut ratio fundandi dissimilitudinem est naturæ multiplicitas. Ita fit, ut quanuis extrema sint materialiter eadem, vel saltem eorum unum, fundare, terminareque possint rela-

Ab extremis formaliter sumptis relationũ distinctionem desumi.

Digitized by Google

relationes specie diuersas, eò quòd formaliter distinguuntur. Ita planè eadem numero albedo fundat similitudinem cum alia itidem albedine, ob unitatem naturæ; fundat verò dissimilitudinem cum nigredine, ob multiplicitatem naturæ; quanuis igitur una, ac eadem sit, adhuc tamen relationes fundat specie diuersas, ob geminam, quam habet formalem rationem fundandi.

An ab ipsis coniunctim vel disiũctim.

Si quis autem quærat, quo sensu sit usurpandum, cùm dicimus relationes extrinsecùs specie distingui à fundamento, & termino; an sit intelligendum ab ipsis coniunctim acceptis, an verò disiunctim; seu cùm requiratur diuersitas utriusque, an sufficiat diuersitas alterutrius semper accipiendo extrema ipsa formaliter, cùm de ipsis materialiter sumptis nulla sit difficultas.

Duo dicẽdi modi.

Posterior approbatur, quòd sufficiat alterutrius diuersitas.

Posterior dicendi modus longè magis arridet, cùm sæpè contingat in eodem fundamento formali, specie diuersas fundari relationes ad diuersos formales terminos: ut contra relationes specie diuersas super diuersis fundamentis fundatas, ad eundem formalem terminum terminari. Ita quidem perspicuum est eundem effectum secundum eandem formalem terminandi rationem, terminare respectus, ac relationes diuersarum causarum; quemadmodum contra diuersas fundat dependentiæ relationes ad illas; ex parte siquidem ipsius est semper eadem ratio fundandi, terminandique dependentias specie diuersas. Vt enim quatuor causarum genera sunt, à quibus effectus pendet; ita quoque tot sunt relationes diuersę rationis non minus, quàm causæ ipsæ, & tamen huiusmodi relationes eundem effectum secundum eandem rationem terminandi respiciunt, & hic secundum rationem eandem terminat illas. Quemadmodum contra fundat secundum eandem rationem fundandi, dependentias specie diuersas.

Aliquorũ reiponũo.

Non inficiandum ab aliquo dici posse effectum illum terminare prædictas relationes diuersas, quemadmodum etiam fundare; non tamen secundum rationem eandem formalem terminandi, vel fundandi, ac proinde ad specificam distinctionem relationum, utriusque extremi formaliter sumpti, diuersitatem requiri.

Impugnatio.

Sed utcumque se res habeat, non dissimulandum ad specificam unitatem relationis, extremi utriusque unitatem requiri; cùm ad distinguendum quæcumque sufficiat distinctio, ac differentia: sed ad perfectam identitatem, non quæuis identitas.

Hęc intelligẽda ex hypothesi quòd Relatio prædicamentalis, sit forma positiua superaddita rebus &c.

Hæc tamen dicta sint, si credatur prædicamentalis relatio rebus accidentaria forma superaddita; cæteroquin sat erit dixisse terminum, ac fundamentum intrinsecam naturam posse relationi conferre tanquam partes eius essentiales per modum generis, ac differentiæ. Cùm enim relatio non sit quidpiam distinctum à relatis; quicquid generis, vel differentiæ loco fuerit in relatione sumptum, certè in extremis ipsis consistet.

Prima difficultas.

Videtur autem oppositum rationi consentaneum eâ ratione, quia relatio ab eo dicenda unitatem, ac distinctionem sortiri, à quo habet esse, cùm eadem sint principia, quibus res sunt, & quibus distinguntur. At verò fundamentum, non autem terminus inter principia, unde relationes suum esse habent, recenseri debet; propterea non à termino, sed à fundamento relationum unitas, atque distinctio petenda erit. Quod autem à solo fundamento recipiat esse, perspicuum, ac manifestum ex disputatis, quoniam fundamentum est causa, à qua relatio suum accipit esse, velut ab efficiente, posito termino tanquam conditione.

Solutio.

Tametsi autem fundamentum sit id, à quo efficienter dimanat relatio, terminus verò sit veluti conditio, huiusmodi tamen est terminus, conditio, ut reducatur ad genus causæ formalis, quatenus scilicet est id, ad quod cùm terminetur relatio, est etiam id, unde relatio specificationem consequitur; proinde hinc sumere oportet unitatem, ac distinctionem, unde terminus dicetur causa formalis extrinseca. Neque hoc novum est, nam hunc in modum potentiæ animæ ab actibus unitatem, distinctionemque desumunt, & actus ab obiectis, non aliâ ratione, nisi quia potentiæ dicunt ordinem ad actus, & actus ad obiecta; unde quanuis potentiæ habeant esse ab anima (si tamen potentiæ ab animæ substantia reipsâ distinguantur) cùm ab hac dimanent: sic actus à potentijs, à quibus efficiuntur; quia tamen commensuratio potentiarum, est penes actus, qui pariter commmensuratur cum obiectis; obid ab actibus potentiæ unitatem, ac distinctionem sumunt, quemadmodum actus ab obiectis. Modo non absimili de prædicamentalibus relationibus philosophandum; quamobrem à fundamento, & à termino, ab illo tanquam à radice ab hoc formaliter, extrinsecùs tamen, unitatem, distinctionemque consequitur.

Secunda difficultas.

Sunt etiam, qui obijciunt, non benè à fundamentis dici relationum unitatem, ac distinctionem desumi, quoniam frequenter accidit, ut fundamenta specie distinguantur eiusdem rationis relationibus existentibus. Relatio enim similitudinis inter duas albedines, naturâ non differt à relatione similitudinis inter duas nigredines, quanuis albedo, & nigredo naturâ inuicem discriminentur.

Solutio.

Non eadem est huius difficultatis solutio apud omnes, cùm quidam existiment similitudines illas eiusdem esse rationis; alii autem id inficientur. Rectiùs tamen senserunt negantes huiusmodi similitudines eiusdem esse naturæ, ut superiùs est adnotatum. In eo potius quidam decipiuntur, quòd arbitrentur fundamenta, penes quæ unitas ac distinctio relationum sumenda est, eiusdem esse rationis; non quidem remota, cuiusmodi sunt albedo, & nigredo, sed proxima, ut istorum unitates, quæ etiam fundandi rationes dici solent, attendi debeant; at ut naturæ ipsæ albedinis, & nigredinis inter se distinguuntur, sic & earundem unitates; cum igitur proxima fundamenta, à quibus unitas, atque distinctio relationum desumi debet, inter se distinguantur, etiam & relationes ipsæ inter se distinguentur; unde falsum assumunt, dari relationes eiusdem rationis, relationibus existentibus naturâ diuersis.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Quot, & quæ sint genera, speciesque Relationum ad hoc prædicamentum spectantium.

Relationũ in tres modos diuisio.

NOn aliam relatiuorum diuisionem in præsentia Philosophus attulit ab ea, qua diuiduntur in relatiua secundum dici; & secundum esse. Alibi tamen aliam partitionem instituit, dum ait. πρός τι λέγεται, τὰ μὲν ὡς διπλάσιον πρὸς τὸ ἥμισυ, καὶ τριπλάσιον πρὸς τὸ τριτημόριον, καὶ ὅλως πολλαπλάσιον πρὸς τὸ πολλοστημόριον, καὶ ὑπέρεχον πρὸς ὑπερεχόμενον. τὰ δ' ὡς θερμαντικὸν πρὸς θερμαντόν, καὶ τμητικὸν πρὸς τμητὸν, καὶ ὅλως τὸ ποιητικὸν πρὸς τὸ παθητικόν. τὰ δ' ὡς τὸ μετρητὸν πρὸς τὸ μέτρον, καὶ τὸ ἐπιστητὸν πρὸς ἐπιστήμην, καὶ αἰσθητὸν πρὸς αἴσθησιν. *Ad aliquid dicuntur, quædam ut duplum, ad dimidium, & triplum ad tertiam partem: simpliciter multiplex, ad multiplicati partem, & excedens ad excessum. Quædam ut calefactiuum ad calefactibile, & sectiuum ad secabile, & simpliciter actiuum ad passiuum. Quædam, ut mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum.* Tres igitur modos relatiuorum constituit, quorum primus sumitur penes rerum quantitatem,

5. Diuin. cap. 15. cex. 20.

Digitized by Google

tem, siue ut aiunt, numerositatem, & ideo dicit, quod *ad aliquid*, hoc est relatiua *dicuntur*, *alia quidem*, *ut duplum ad dimidium, & triplum ad tertiam partem, & totaliter multiplicatum*, hoc est multiplex, *ad multiplicati partem*, id est ad sub multiplex, *& continens ad contentum*, id est excedens ad excessum; omne enim excedens secundum quantitatem, quodammodo continet illud, quod exceditur, quoniam est tantundem, & amplius. Secundus modus relatiuorum sumitur penes rerum actionem & passionem, siue passibilitatem & actiuitatem. Propterea, subdit, quòd *alia* dicuntur ad aliquid, *vt calefactiuum ad calefactibile*, quantum ad actionem, & passionem naturalem *& sectiuum ad secabile* quantum ad actionem, & passionem artificialem, & generaliter *omne actiuum ad passiuum*. Tertius modus sumitur penes rerum perfectionem, & mensurabilitatem, unde subdit quod alia dicuntur, ad aliquid, *ut mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum*. Vbi notant interpretes, mensuram & mensurabile non accipi hoc loco secundum quantitatem propriè dictam, quæ est de genere quantitatis (hoc enim ad primum pertinet modum, ubi relatio est mutua) sed accipi secundum commensurationem esse rei, & veritatis, nam veritas scientiæ mensuratur à scibili, & veritas sensûs ab obiecto sensibili, & obiid in huiusmodi modo non est mutua relatio, qua de re paulò infra differendum. Dum autem pergit λέγεται δὲ τὰ πρός τι κ.τ.λ. *Dicuntur autẽ &c.* Tres commemoratos relatiuorum modos suâ contemplatione persequitur. Docet autem Relationes primi modi fundari super aliquid de genere quantitatis, videlicet super numerum, vel continuum, priùs tamen super numerum, & quidem dupliciter, uno modo comparando numerum ad numerum, adeo ut oporteat extremum utrunque, numerum esse; alio verò modo comparando numerum ad unum; adeout solum alterum extremorum sit numerus; & ita multiplex est proportio secundum primum modum; ab his autem discretis ad continua deducitur, ita tamen, ut aliqua reperiatur relatio in discretis, quæ in continuis adinueniri non possit. Horum autem ratio, quoniam in numeris sic reperitur mensura, ut unitas pluribus vicibus replicata reddat extremum alterum; in continuis autem non item, cùm in ipsis non rarò contingat, ut proportio sit incommensurabilis, cuiusmodi est inter diametrum & constam ex ultima propositione decimi libri Elementorum. Philosophi autem sententia talis est, nempe, quòd relatiua, prima scilicet primi modi dicuntur quidem secundum numerum, prout scilicet numerus comparatur ad numerum, vel comparatur ad ipsum unum, quorum quodlibet geminò modo contingat; quoniam vel est utrobique secundum comparationem ad aliquod determinatum, vel ad aliquod indeterminatum. Propterea docet huiusmodi prima relatiua secundum numerum dici aut simpliciter, hoc est indeterminatè, aut determinatè ad ipsos numeros. Vt quando numerus comparatur ad numerum, aut ad unum; & exempla pro utraq; parte afferens, ait, quod duplum quidem ad unum, ut numerus determinatus, nempè quod si duplum comparetur ad unum, tunc est comparatio numeri determinati: multiplex verò secundum numerum ad unum, non determinatum ad hunc, vel adhunc, scilicet quod si multiplex secundum numerum comparetur ad unum; tunc est comparatio numeri indeterminati, siquidem numerus multiplex non dicit hunc, vel illum numerum determinatum. Deinde subdit exempla prout numerus ad numerum confertur, dicens quòd si sexquialterum referatur ad subsexquialterum, fit comparatio secundum numerum ad numerum determinatum; atsi comparetur super particulare ad subsuper particulare, comparatio erit secundum numeros indeterminatos, ut cum in primis exemplis comparabatur multiplex ad unum. τὸ δὲ ὑπερέχον πρὸς τὸ ἴσον, *excedens autẽ ad &c.* Cùm autem quoddam dubium remouisset, prosequitur dicens. ἔτι τὸ ἴσον καὶ τὰ ἐξῆς *& adhuc æquale &c.* quod amplius secundum alium modum relatiua dicuntur: æquale, & simile, & idem, omnia enim hæc dicuntur secundum unum; eadem nanque dicuntur, quorum una est substantia; similia verò quorum qualitas est una; æqualia autem quorum quantitas est una. At verò unum est metrum, siue mensura, & principium numeri, quamobrem hæc omnia ad aliquid dicuntur secundum numerum; hoc est secundum aliquid pertinens ad genus numeri; non eodem tamen modo, propterea quòd primę relationes erant secundum numerum comparatum ad numerum secundum numerum, vel ad unum, ea autem simpliciter sunt secundum unum. Cum autem dubium quoddam de medio abstulisset, ad relatiua secundi modi se confert dicens. Τὰ δὲ κατὰ τὸ ποιητικὸν καὶ παθητικὸν καὶ δυνάμεις ποιητικὰς τε καὶ παθητικὰς, καὶ ἐνεργείας τὰς τῶν δυνάμεων. οἷον τὸ θερμαντικὸν πρὸς τὸ θερμαντόν, ὅτι δύναται· καὶ πάλιν τὸ θερμαῖνον πρὸς τὸ θερμανόμενον, καὶ τὸ τέμνον πρὸς τὸ τεμνόμενον, ὡς ἐνεργοῦντα. *Actiua verò & passiua, secundum actiuam & passiuam potentiam & potentiarum actiones: ut puta calefactiuum ad calefactibile, quoniam possunt: & rursus calefaciens ad id, quod calefit, & secans ad id, quod secatur, ut agentia.* Docet igitur actiua; & passiua relatiua esse; itaque ex eius sententia relatiua secundo modo dicuntur secundum potentiam actiuam, & passiuam, & secundum actiones potentiarum, vel passiones, quæ sunt agere, & pati, ut calefactiuum ad calefactibile refertur; quia potest secundum potentiam actiuam, vel passiuam; nam calefactibile dicitur, quod potest calefieri, calefactiuum verò quod potest calefacere: Iterum calefaciens dicitur ad illud quod calefit, & secans ad illud, quod secatur tanquam agentia, seu secundum actus potentiarum actiuè scilicet, & passiuè.

Secundus relatiuorũ modus.

Primus relatiuorũ modus.

Sed quoniam Philosophus ita loquendo, videtur innuere relationes secundi modi fundari super actionem, & passionem, de quo potest esse difficultas, cùm quod non est, nihil fundare possit, transactâ tamen actione, & passione remanet relatio, ut de patre, & filio perspicuum est, nam transacto actu generandi adhuc remanet paternitas, quandiu manet filius, & vicissim; ob id notarunt interpretes relationes secundi modi non fundari super actionem, & passionem; sed has se habere tanquam dispositiones previas necessariò requisitas ad huiusmodi relationes: Si potentia, inquiunt, potentiâ, si actu, actu; pater enim ad filium dicitur propterea quòd in ipso præfuit generatio actiua; filius etiam dicitur ad patrem, eòquòd in ipso passiua generatio præfuerit; proximum autem fundamentum harum relationum actiuam, passiuamque potentiam esse contendunt. τῶν δὲ κατ' ἀριθμὸν καὶ τὰ ἐξῆς. *Eorum autem quæ secundum numerum &c.* Dum autem progreditur secundum hunc relatiuorum modum à primo distinguit ex eo capite, quòd eorum relatiuorum, quæ sunt secundum numerum, quæ pertinent ad primum modum, non sunt actiones, ut alibi se explicasse ait, ubi demonstrauit quomodo entia mathematica abstracta sint à motu, unde subdit actiones, quæ sunt secundum motum, non existere nimirum in mathematicis; in quibus non sunt actiones reales, cùm à motu abstrahant, sed in ipsis actiones sunt metaphoricæ, uti sunt multiplicare, diuidere τῶν δὲ κατὰ δύναμιν καὶ τὰ ἐξῆς. *Eorum verò quæ secundum potentiam &c.* Subdiuidens autem hunc secundum modum in ordine ad tempus, dicens

a. Phys. text. 20.

Digitized by Google

dicens eorum scilicet relatiuorum, quæ ad secundum modum pertinent, dicuntur ad aliquid secundum tempus; cùm aliqua dicantur ad aliquid secundum tempus præteritum, ut quod fecit ad factum, puta pater ad filium; quoniam ille genuit & hic genitus est, & aliquid passus est: similiter aliqua dicuntur secundum tempus futurum, ut facturum, ad faciendum. ἔτι ἔνια κατὰ στέρησιν δυνάμεως· καὶ τὰ ἕξεις. *Amplius quædã secundum priuationem potentiæ &c.* Mox ad hunc modũ reducit relationes dictas secundum priuationem potentiæ, dicens, amplius relatiua dici eo modo, quæcunque secundum priuationem potentiæ, ut impossibile, & quæcunque sic dicuntur, ut inuisibile; enimverò inuisibile, & impossibile dicuntur respectu alicuius, puta impossibile, vel inuisibile huic, vel illi.

Tertius relatiuorum modus.

Tandem pergit acturus de tertio relatiuorum modo, quem sic aggreditur. Τὰ μὲν οὖν κατ' ἀριθμὸν καὶ δύναμιν λεγόμενα πρός τι, φαίνεται ἔσι πρός τι, τῷ ὑπερέχειν ἄλλου λέγεσθαι αὐτὰ ἕκαστα, ἀλλὰ μὴ τῷ ἄλλου πρὸς ἐκεῖνο. τὸ δὲ μετρητὸν καὶ τὸ ἐπιστητὸν, καὶ τὸ διανοητὸν τῷ ἄλλου πρὸς αὐτὰ λέγεσθαι, πρός τι λέγεται. τὸ, τε γὰρ διανοητὸν σημαίνει, ὅτι ἔστιν αὐτῷ διάνοια. *Quæcunque igitur secundum numerum, & potentiam, ad aliquid dicuntur, cuncta sunt ad aliquid, eò quòd ipsum quod est alterius, dicitur ipsum, quod est, sed non eò quòd aliud ad illud. Mensurabile verò, & scibile, & intelligibile, eò quòd aliud ad ipsum dicitur. Nam intelligibile significat, quòd eius est intellectus.* Ex eius igitur sententia dicta ad aliquid secundũ numerum quantum ad primum modum, & secundum potentiam, quantum ad secundum, omnia sunt ad aliquid, eò quòd ipsum, quod quidem est alterius ipsum, quod est, dicitur; sed non eò quòd aliud ad illud, nempe relatiua secundum duos primos modos, referuntur mutuò, non ex eo quòd aliud tantùm referatur, & propter hoc aliud dicatur ad ipsum referri; multiplex enim refertur ad submultiplex, & viciſſim; calefactiuum etiam ad calefactibile, & viciſſim; non sic enim in tertio relatiuorum modo contingit; unde mensurabile, & scibile, intelligibile dicuntur ad aliquid non de se; sed quod alterum dicitur ad ipsum. Nam intelligibile, videlicet obiectum, quod sub intellectum potest cadere, significat, quoniam ipsius est intellectio, similiter etiam de sensibili respectu sensûs; hæc enim quantum est de se, non referuntur nisi quatenus alia referuntur ad ipsa, puta sensus ad sensibile, & intellectus ad intelligibile. Manifesta igitur differentia tertij modi à duobus prioribus, quoniam in prioribus duobus mutua relatio, in tertio autem non item. Deindè dum subdit, οὐκ ἔστι δ' ἐπιστητὸν καὶ τὰ ἕξεις. *Non est autem intellectus &c.* remouet dubium, siquidem posset quis dicere non minus scientiam, vel intellectum referri ad scientem, vel intelligentem, quàm ad scibile, vel intelligibile. Sed id negandum, ait, eòquòd intellectus, siue actus intelligendi non dicitur ad hoc, cuius est intellectus, cùm iam ad intelligibile referatur: sequeretur enim idem bis utique dictum esse, ac ideircò idem habere duplex esse, cùm esse relatiui sit ad aliud se habere. Hoc idem de visu dicendum; similiter enim visus non est alicuius, ideſt videntis visus; quanuis vere dicere liceat visum esse videntis, non quidem ut correlativum, sed ut actum, vel accidens; cùm ut correlativum dicatur visus ad colorem, vel ad aliquod tale; supponit enim multa esse visibilia, quæ colorata non sint: at illo modo si nempe visus refertur ad videntem, bis idem diceretur, quia visus est ex alia parte ipsius visibilis, cuius est visus ut correlatiui. Ad extremum dum, ait τὰ μὲν οὖν, καὶ τὰ ἕξεις. *Eorum igitur &c.* aggreditur considerationem de relatiuis per aliud, & quasi per accidens, ponitque modos, quorum primus est, cùm aliquid refertur ratione sui generis, & hic utique modus est per se, sed non primò; secundus est, cum aliquid dicitur referri in abstracto, quoniam in concreto refertur, & hic modus est per aliud, & quasi per accidens; eòquòd relatio in abstracto, puta similitudo sic habet rationem quo, ut non habeat rationem quod. Tertius modus est propriè per accidens, cum scilicet subiectum dicitur referri ratione accidentis sibi inhærentis, ut cum homo dicitur duplex, vel similis ratione quantitatis, vel qualitatis, quibus afficitur. Ex eius igitur sententia relatiua, de quibus hucusque disputauit, dicuntur ad aliquid secundum se; at verò alia dicuntur ad aliquid, si ipsorum sunt genera talia, quæ nimirum dicantur ad aliquid, ut medicina eorum, quæ ad aliquid, qui ipsius genus scientia videatur eorum esse, quæ ad aliquid, & hic fuit primus modus. Amplius secundum quacunque habentia, dicuntur ad aliquid, hoc est aliqua abstracta ad aliquid dicuntur, quia concreta, quæ habent abstracta, dicuntur ad aliquid, ut æqualitas, & similitudo dicuntur ad aliquid, quia æquale, & simile sic dicuntur; alia verò dicuntur ad aliquid secundum accidens, ut homo dicitur ad aliquid, quia ei accidit duplum esse; hoc autem scilicet, duplum est eorum, quæ ad aliquid dicuntur, ut etiam album, quoniam accidit homini album, & duplum esse. Sicut enim homo dicitur duplus, quoniam duplum ei accidit; ita dicitur similis, quia illi accidit album. Hinc interpretes colligunt, quid differat inter fundamentum, & subiectum relationis; docent enim fundamentum dici illud, in quo relatio immediatè fundatur, ut est albedo, inquiunt, respectu similitudinis; subiectum verò dicitur id, in quo relatio fundatur mediante fundamento proximo; sic dicunt se habere hominem respectu similitudinis hæc enim in ipso intermedia albedine, tanquam fundamento proximo fundatur. Ex Metaphysica doctrinam allatam huc transtuli non inepte, cùm res, de qua agitur, sine illa satis pro dignitate tractari non possit. Sed iuvabit paucis illam perstringere. Horum autem summa hæc est; ut relationum penes proxima fundamenta, siue fundandi rationes tripartitum fit genus. Earum autem primum est genus relationum, quæ in unitate, vel pluralitate, seu numero fundantur, uti sunt relatio æqualitatis, similitudinis &c. quæ super extremorum conuenientiam fundantur; sic earum, quæ super disconuenientiam fundantur; ut relatio inæqualitatis, nempe dupli, & dimidij, dissimilitudinis &c. Secundum genus earum, quæ in actione, vel passione, siue potentia actiua, passiua fundantur; ut paternitas & filiatio & vniuersim relatio causæ ad effectum. Tertium genus earum est, quæ super mensuram, & mensurabile fundantur, vt relatio scientiæ, & scibilis; sensus & sensibilis. Hoc autem dicitur genus relationum earum, quæ mutuæ non sunt; enimverò scientia refertur ad scibile, sensus ad sensibile; non tamen viciſſim scibile ad scientiam vel sensibile ad sensum.

Sed nobis cùm propositum sit genera, speciesque relationum perpendere, videtur opportunum hactenus præmissis, considerandam assumere partitionem relatiuorum, in ea, quæ secundum dici, & secundum esse nuncupantur.

Initio capitis de ad aliquid.

Hæc relatiuorum distributio desumpta videtur ex Aristotelis verbis; paulo antea relatis, nempè, πρὸς τί δὲ τὰ τοιαῦτα λέγεται ὅσα αὐτὰ ἕτερά ἐστιν, ἑτέρων ἔδ λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον. *Ad aliquid ea dicuntur, quæcunque id, quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur;* & rursus ἀλλ' ἔστι τὰ πρός τι, οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τί πως. ἔχειν *Si verò non satis commodè, sed ad aliquid sunt, quibus*

In corpore capitis eiusdem.

hoc

hoc ipsum esse, est ad aliud se habere. Hinc facilè relatiuorum commemorata partitio deducitur; quandoquidem prioribus verbis relatiua secundum dici; posterioribus verò, quæ secundum esse relatiua dicuntur, complexus est.

Hæc relatiuorum diuisio non mediocriter interpretum ingenia vexauit: & mirum est in quot placita, eaque longè diuersa illos distraxerit. Cæteris tamen omissis; ad aures Aristotelis, & veritati consona videtur explicatio, quòd per relatiua secundum esse intelligenda sint illa, quæ tantummodo ad hanc pertinent categoriam; reliqua autem omnia sint relatiua secundum dici, cuiusmodi sunt relatiua transcendentalia amplè his relatiuis acceptis, atque transcendentali relatione sumpta. Vbi reuocandum in mentem relationum diuisionem in prædicamentalem, & transcendentalem. Prædicamentalis est, quæ accidit rebus relatis, seu quæ accidentariè de suis relatiuis dicitur: relatio verò transcendentalis est rebus essentialis, easque intrinsecùs constituit, de quibus iam superius egimus. Dicebatur autem latè sumendam esse relationem transcendentalem; propterea quòd gemino modo potest usurpari, nimirum vel strictâ significatione pro ea, quæ essentialis quidem est ijs, quæ referuntur, vagatur tamen per omnia rerum genera, ut relatio dependentiæ, quam omnis habet creatura ad Creatorem. Ampliori verò significatione sumitur pro relatione illa, quæ quidem essentialis est rebus, quæ referuntur, non tamen vagatur per omnia genera rerum; Vt relatio, quam in se inuoluit localis præsentia; hæc enim non transcendit limites unius categoriæ, transcendentalis tamen nuncupatur, eòquòd conditionem sortiatur rationis eiusdem, cum ijs, quæ per omnia rerum genera vagantur.

Nec immeritò appellantur relationes secundum dici, quia tametsi huiusmodi relatiua efferantur ad modum relatiuorum ad præsentem spectantium categoriam; non eiusdem tamen sunt conditionis cum illis; ac propterea relatiua secundum dici nuncupantur, quoniam ad modum relatiuorum huius prædicamenti dicuntur, quanuis reuerâ talia non sint.

Neque perturbet, quòd Philosophus relatiua explicans secundum dici) quibusdam sit usus exemplis; ex quibus deprehendi possit, relatiua secundum dici potius existimanda illa, quæ re verâ ad aliud non referuntur, sed voce tantùm, & secundum loquendi modum referuntur ad aliud; ut ala ad alatum; manus ad manutatum, caput ad capitatum, & temo ad temonatum, quæque neque transcendentaliter sunt relatiua. Non inquam perturbet, appellantur enim relatiua hæc secundum dici, sed Philosophus inter hæc commemorat, scibile ad scientiam; propterea de his idem ferendum iudicium, ac de illis. Scibile autem ad scientiam re verâ non refertur, sed denominatur ad modum eorum, quæ referuntur, etsi id proueniat ex eo, quòd scientia referatur ad ipsum. Sic etiam ala se habet ad alatum; manus ad manutatum; caput ad capitatum, & temo ad temonatum; nullum enim istorum realiter ad aliud refertur, neque prædicamentali relatione, cùm potius ut talia ad substantiæ genus pertineant; neque transcendentali, cum in eorum essentijs non inuoluatur ordo ad aliud, sed instar relatiuorum denominantur, quoniam se habent ut partes totius integralis, ad cuius compositionem concurrunt. Vnde est, ut ijs conueniat prior, quam Aristoteles de relatiuis tradit, definitio, non autem secunda, quippe quæ solùm ijs est accommodata, quæ realiter referuntur per accidentariam formam superadditam, cuius esse tantùm ad hoc prædicamentum pertinet, nec aliud esse habet, quanuis hæc definitio relatiuis etiam consistentibus solùm in extrinsecis denominationibus accommodari possit.

Modi verò tres illi, quos Aristoteles commemorat, sic explicandi. Primus relatiuorum erat modus, ut quædam relatiua dicerentur secundum unitatem, vel numerum, seu multitudinem, ut simile ad simile, æquale ad æquale, duplum ad dimidium &c. Hæ dicuntur fundari in unitate, vel multitudine, seu numero, ubi Philosophus unitatem, & numerum non sumit, prout ad prædicamentum pertinent pro unitate nimirum quantitatis continuæ, & pro numero prouenient ex eiusdem continui partitione, quoniã relationes istius generis non nisi in prædicamento quantitatis existunt, sed accipiuntur, prout in omnibus prædicamentis locum habere possunt, & ut aiunt, transcendentaliter. Non inficiandum exempla, quibus est Aristoteles usus, ad quantitatem pertinere, unitatem scilicet, ac multitudinem spectantem ad quantitatem, præseferre; non obscurè tamen colligitur eum voluisse, fundamentum huiusmodi relationum in alijs quoque locum obtinere, quatenus ea modum induunt quantitatis, vel pro ut in eis unitas, vel multitudo attendi potest, cùm paulò post ipse subdat; eadem esse, quorum substantia est una; similia, quorum qualitas una; æqualia, quorum quantitas una.

Cæterùm cum dicitur, relationes istas in unitate, vel multitudine iam explicata fundari, per unitatem non intelligendum quidpiam, quod re ipsâ unum sit in extremis relatis; natura siquidem hominis, & equi, Socratis, & Platonis, non dicitur una in ambobus, quasi una, & eadem sit entitas, ratione cuius inter illa extrema, relatio genericæ, vel specificæ identitatis resultet; sed per unitatem intelligitur conuenientia in aliquo communi prædicato, quod dicitur unum unitate formali, non per inexistentiam, sed per indifferentiam, iuxta quam vnitatis vsurpationem indiuidua eiusdem speciei dicuntur vnius, ac eiusdem naturæ. Hæc autem est vnitas iam superius à nobis explicata, quæ maior dicebatur vnitate rationis; minor autem vnitate numericâ, quam esse materialem dicendam, iam adnotauimus, quemadmodum hæc, de qua loquimur, formalis est appellanda.

Tres autẽ species relationis Philosophus assignauit ex parte vnitatis, & totidem ex parte multitudinis, eam ob causam, quòd extrema trifariam possunt conuenire, totidemque modis differre. Vel enim duo extrema conueniunt in essentia, & substantia, seu quidditate, & inde oritur identitas super substantialem, vel essentialem vnitatem fundata, atque hunc in modum omnia indiuidua tam substantiæ, quàm accidentis eiusdem essentiæ, naturæque dicuntur; ita quidem duæ quantitates, quatenus eiusdem naturæ sunt, & essentiæ, fundant relationem identitatis. Vel ex eo quia res conuenire possunt in quantitate, quatenus quantitas vnius non excedit quantitatem alterius, nec exceditur, atque adeò duæ quantitates, quatenus ita se habent, ut una tantæ sit extensionis, quantæ est alia; & hinc oritur æqualitas, quæ fundatur in quantitatibus prædicto modo sumptis. Vel tandem conuenire possunt in qualitate, non quoniam sint eiusdem naturæ, & essentiæ, sic enim fundant relationem identitatis; sed quatenus sunt eiusdem intensionis, adeò ut tanta sit intensio unius, quanta est intensio alterius, atque hunc in modum fundant relationem similitudinis. Iuxta igitur hunc triplicem modum participandi naturam eiusdem rationis, tres assignantur modi relatiuorum ex parte unitatis.

Hæc relatiuorum diuisio difficilis explicatu.

Relationes secundum dici, quæ.

Quare transcendentales appellentur secundum dici.

Difficultas præoccupata, & soluta.

Tres relatiuorũ modi superiùs ex Arist. traditi explicantur.

Tres species relationis ex parte unitatis; totidem ex parte multitudinis. Iuxta triplicem modum conueniendi.

Digitized by Google

Iuxta triplicē modum discrepandi.

Sic utique iuxta triplicem modum discrepandi, participando scilicet naturas alterius rationis, tres etiam species relationis oppositæ oriuntur ex parte multitudinis. Si enim aliqua duo naturas habuerint alterius rationis, dicuntur diuersa, atque fundant relationem diuersitatis; Et si habeant diuersas qualitates, vel si easdem, non tamen in eodem gradu, dissimilia dicuntur, & fundant relationem dissimilitudinis. Et si in quantitate ita se habeant, ut una quidem excedat aliam, dicuntur inæqualia, atque adeò fundant inæqualitatis relationem.

Difficultas.

Videtur tamen non leuis difficultas in eo posita, quòd relatio nequeat esse realis ex parte unitatis fundātis; siquidem unitas fundans relationem ad aliud, debet esse plurium, hæc autem rationis est opus, cùm nihil sit in natura, quod unum, & idem in pluribus re ipsâ distinctis existat.

Solutio.

Facilis tamen solutio; unitas enim, de qua fit sermo, quæque potest relationem fundare, non repugnat in natura, cùm ea non sit numerica, quæ re verâ nequit esse plurium, non enim eadem numero entitas in pluribus realiter distinctis potest existere; neque formalis per inexistentiam, qualem suo loco vidimus esse penitùs commentitiam; sed formalis per indifferentiam; hæc enim idonea est ad relationem fundandam, quæ autem, & qualis sit suo loco, declaratum fuit.

Hæc verò unitas formalis, ne dum specifica, sed etiam generica potest relationes huius primi modi fundare, imò quanuis etiam analoga foret.

Varij relationū modi sub hoc genere designari possunt.

Sub hoc relationis genere varijs modis plura, diuersaque genera, ac species distingui, designarique possunt.

Primum genus.

Primò ut unum sit, quod dicatur per modum conuenientiæ, & accessûs; aliud per modum disconuenientiæ, & recessûs; quod Aristoteles significauit dicendo *secundum unitatem, aut numerum*; non enim hoc intelligi potest secundum unitatem, aut numerum quantitativum, propriè spectantem ad prædicamentum quantitatis, neque pro transcendenti. Ita quidem similitudo dicitur secundum conuenientiam, dissimilitudo secundum disconuenientiam; sic æqualitas, & inæqualitas. Non dissimiliter coniuncta, & disiuncta; propinqua, & distantia secundum locum; hæc enim etiam dicuntur secundum conuenientiam, atque disconuenientiam, & secundum accessum, & recessum.

Hęc intelligi possunt in utraq; sententia.

Hæc intelligi possunt, tam asserendo prædicamentales relationes esse formas accidentarias rebus ipsis superadditas, quàm esse denominationes sumptas ex collectione ipsarum rerum.

Secundū.

Possunt etiam distingui, & assignari ex distinctione aliorum prædicamentorum, atque omnium generum, & specierum, quæ in ipsis existunt. Alia enim est conuenientia inter substantias, & varia substantiarum genera; & alia inter quantitates, qualitates &c. Imò distingui possunt plura genera penes identitatem secundum substantiam; penes similitudinem secundum qualitatem; & penes æqualitatem secundum quantitatem. Et quoniam conuenientia gemina esse potest, quemadmodum disconuenientia, nimirum essentialis una, & accidentalis altera, ob id institui potest ista partitio ad hoc spectans prædicamentum.

Essentialis conueniētia & differētia.

Essentialis conuenientia solet identitas nuncupari, quæ non tantùm inter substantias, sed etiam inter omnia entia, quatenus conueniunt, vel differunt in aliquo essentiali prædicato reperitur. Vnde relatio identitatis, realis est inter ea, quæ dicuntur eadem in natura generis, siue speciei; idcirco eadem dicuntur, quorum substantia est una, acceptâ substantiâ pro essentia. Huiusmodi verò identitati, opponitur diuersitas, siue disconuenientia essentialis.

Accidentalis conuenientia & discrepantia.

Conuenientia autem, atque disconuenientia accidentalis inter ea reperitur, de quibus accidentalia prædicata dicuntur, prout substant ipsis accidentibus, quæ propterea subdiuidi potest secundum varia prædicamenta accidentium, & accidentalia prædicata.

Alia diuisio.

Nec omittam subdiuidi prædicta genera posse, penes quosdam generales dicendi modos, quatenus res aliqua denominatur tanta, vel tanta; item talis, vel talis; præterea esse hic, aut ibi; & esse nunc, aut tunc. His enim loquendi modis omnis conuenientia, & disconuenientia rerum solet explicari. Ad primam denominationem spectat æqualitas, & inæqualitas. Ad secundam, similitudo, & dissimilitudo; ad tertiam, propinquitas, & distantia.

Æqualitas, & inæqualitas.

Æqualitas, & inæqualitas propriè reperitur in quantitate, & in omni eo, quod induit quantitatis modum; vt se habet intensio, & remissio qualitatis; sic qualitatem vnam, putà calorem æqualem, vel inæqualem dicimus alteri. Idque intelligendum, tam de continua, quàm discreta; tam de prædicamentali, quàm transcendentali quantitate. Atque hoc modo dictum illud vsurpandum *Æqualia sunt, quorum est quantitas vna.*

Similitudo, & dissimilitudo.

Præter relationes æqualitatis, & inæqualitatis, quas diximus ad conuenientiam, atque disconuenientiam spectare; dantur etiam relationes similitudinis, atque dissimilitudinis, quæ præcipuè in qualitate, ac omnibus eius speciebus reperitur, quin etiam in alijs rebus per quandam qualitatis imitationem. In qualitatibus dicimus enim album, albo simile esse; dissimile verò nigro; per imitationem, vt in quantitate dicimus, hanc substantiam similem esse alteri, cò quòd vtraque quanta sit; dicimus esse dissimilem, si altera quanta non fuerit. Item in prædicamento actionis, duo agentia similia esse, quando æquè possunt in agendo; vel quia eorum actiones ad eundem specie terminum tendunt. Quanuis enim ad veritatem il ius effati. *Similia sunt, quorum qualitas est vna*; similitudo propriè in qualitatis prædicamento cadat, per extensionem tamen alijs quoque potest aptari.

Propinquitas, & distantia.

Vlteriùs relationes propinquitatis, & distantiæ constituunt aliud genus, ad quod spectant relationes superioris, & inferioris, anterioris, & posterioris. Ita quidem dicimus vnum esse alteri propinquum, & vnum ab alio esse distans, quæ denominationes sunt à superioribus diuersæ. Hæc autem propinquitas, atque distantia non sic est addicta loco, ut tempori accommodari non possit; per ordinem enim ad tempus, unum dicimus esse cum alio, & unum esse ante, vel post aliū.

Relationis partitio in mutuas, & mutuas.

Supereſt, & alia relationum partitio, nimirum in mutuas, & non mutuas. Relationes mutuæ nuncupantur, quando non solum hoc relativum refertur ad illum terminum, sed vicissim terminus refertur ad ipsum relativum, ita ut ambo sint relativa, & ambo termini, quemadmodum sunt æqualia, similia; item inæqualia, & dissimilia. Non mutuæ sunt quando ex parte unius extremi tantummodò relatio datur ad aliquē terminum, at ex parte termini non alia respondet relatio. Huiusmodi relationes forsan ad hoc prædicamentum non spectant, cùm potius transcendentales sint, atque adeò spectantes ad propria prædicamenta; sic relatio scientiæ ad scibile, item creaturæ ad Creatorem; non enim vicissim scibile refertur ad scientiam, & Creator ad creaturam.

Relationes æquiparantiæ.

Rursus è relationibus mutuis, aliæ dicuntur æquiparantiæ, & eiusdem appellationis; & aliæ disquiparantiæ, & appellationis diuersæ. Relationes æquiparantiæ

rantiæ sunt, quæ ex parte utriusque correlatiui sunt eiusdem rationis, & eandem habent appellationem, ac *nomen;* ita quidem duo alba se habent in relatione similitudinis, ambo enim dicuntur similia. Sic duo quanta in ratione æqualitatis, ambo nanque dicuntur æqualia.

Relationes disquiparantiæ dicuntur, quæ sunt diuersæ rationis, & diuersis nominibus in correlatiuis appellantur. Ita planè se habent relationes maioris ad minus, minoris ad maius, agentis, & passi, causæ, & effectûs, speciatim verò paternitatis, & filiationis.

In relationibus disquiparantiæ quædam assignantur, quæ dicuntur superpositionis, aliæ verò *suppositionis*; illę quandam superioritatem, hæ autem inferioritatem important; ad priorem modum pertinent relationes causæ ad effectum, domini ad seruum, maioris ad minus; ad posteriorem relationes effectûs ad causam, serui ad dominum, minoris ad maius.

Secundus relatiuorum modus is erat, qui in actione, vel passione; potentia actiua, vel passiua, ut paternitas, & filiatio, suum fundamentum recognoscit; quo autem id pacto contingat, superest declarandum, ac explicandum, num huiusmodi relationum proximum fundamentum, siue fundandi ratio sit actio, & passio; vel potentia actiua, & passiua, proxima, atque formalis; an potius substantia ipsa, quæ primum est actionis, passionisque fundamentum.

Omnis tamen componitur controuersia aduertendo non uniusmodi causas, & effectus esse, & hoc est unum. Alterum verò, quod in re proposita diuerso modo ratiocinandum, prout de substantia non idem est sensus apud omnes, an immediatè, an potius medijs potentijs ex rei natura ab ipsa distinctis, operationes exerceat.

Redeuntibus autem ad primum, considerandum occurrit ex effectibus quosdam esse, qui à causa secunda non *solùm* pendent, dum actu fiunt, sed etiam quoad in natura existunt, ità ut ab eadem quoque conseruentur; siue hoc sit lumen respectu corporis lucidi, si lumen qualitas existimetur; siue sit sonus, qui pariter ad qualitatis genus credatur pertinere, siue sint imagines rerum sensibilium ad sensus externos, spectantes; quicquid illud fuerit inter huiusmodi effectus recensendũ, huius enim nõ est loci decernere; sat nunc est quosdam effectus huius indolis fateri, qui ne dum in primo productionis instanti, sed etiam in uniuerso propriæ durationis tempore ab eadem causa pendent. Contra verò perspicuum, ac exploratum effectus quosdam adinueniri, qui cum à causa primò suum esse receperint, deinceps non amplius ab illa pendent. Sic ignis, cùm semel ab igne producente fuerit suum esse consecutus, nullam in posterum ab eo dependentiam habet. Sic filius comparatione patris; hic enim in primo suæ productionis instanti ab eo pendet, deinceps tamen non pendet. His animaduersis.

Cùm effectus fuerint illius ordinis, ut non solùm cum primò fiunt, sed etiam deinceps à causa pendent, quoad in natura extiterint, nulli dubium, quin in primo instanti productionis suæ, ac etiam deinceps fundent ad causam relationem dependentiæ realem omnino, quemadmodum causa vicissim fundat ad ipsos.

An verò huiusmodi relationes immediatè fundentur in substantia, an in aliquo ex accidentibus; de hoc ferendum iudicium iuxta varium dicendi modum de actiua virtute substantiæ; an scilicet immediatè agat, vel potius medijs quibusdam potentijs, ac viribus ad qualitatis genus spectantibus. Si nullis potentijs medijs substantia edat effectus suos, in ea pariter immediatè huiusmodi relationes erunt fundatæ. At si substantia suos operetur effectus, saltem aliquos, medijs potentijs actiones exercendo suas; tunc certè considerandum, an ipsa attingat etiam effectum, vel non. Si primum, cùm utrumque sit agens in suo tamen ordine, principale unum, instrumentarium alterum, ob id utrunque relationem ipsam, quæ est processionis, & originis unius ab alio fundabit. Quod si non attingat effectum, potentia illa, cuius præsidio substantia ipsa operatur, prædictam relationem fundabit. Sic igitur de huiusmodi relationibus ratiocinandum, quando effectus non solùm in primo suæ productionis instanti, sed etiam deinceps à causa pendent, dicunturque ab ipsa in fieri, & in conseruari pendere.

Quando autem effectus alterius sunt ordinis, ita ut in primo solùm instanti productionis à causa pendeant, solùm in illo, & pro illo quidem instanti causa fundat relationem ad effectum, & vicissim effectus ad causam, in quo ratiocinandum non secus, ac paulò supra, si nimirum causa mediâ, vel non mediâ potentiâ caueat &c. Deinceps autem, quemadmodum effectus non amplius pendet à causa, nec amplius causa insistit in effectum, neq; causa, nec effectus fundat relationem, ac propterea non amplius inter causam, & effectum intercedit relatio, sed solùm ex illa præterita causalitate remanet denominatio, quod causa causauerit, & effectus fuerit causatus, quod generans genauerit, & genitus fuerit generatus; vel, quòd aliquid causauerit, & aliud fuerit causatum; quòd aliquid genauerit, & aliquid fuerit generatum. Huiusmodi autem denominationes reales quidem sunt, à præteritis tamen formis desumptæ. Vnde rectè Philosophus dicebat hunc dici patrem, quia fecit aliquid, nempè filium, & hic quidpiam passus est.

Ex his facilè intelliges eos grauiter decipi, qui putãt inter patrem, & filium quoad existunt in natura actu, realem relationem intercedere, à qua pater, & filius denominentur, hæc enim nulla esse potest, cùm non suppetat in extremis conditio præuia, cuiusmodi in patre est actio generatiua, quanuis in eo fundandi ratio, nempe generatiua potentia non desit; itaque pater, & filius denominantur non à relatione actu intercedente inter ipsos, sed ab ea, quæ præterijt, generationis actu transacto. Ad hunc autem relatiuorum modum pertinent omnes relationes, quæ super potentiam actiuam, & passiuam fundantur, non solùm igitur relationes causæ ad effectum, & producentis ad productum, sed agentis etiam ad passum, & actiui ad passiuum ad hunc modum pertinent.

Tertius relatiuorum modus erat illarum relationum, quæ fundantur super mensuram, & mensurabile, quod hoc sensu usurpandum, quædam scilicet relatiua dici, ut mensurabile ad mensuram, ut scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum.

Differt autem à reliquis duobus iam enarratis, quoniam relationes ad hunc modum spectantes, mutuæ non sunt, nec relatiua mutuò referuntur. Relatiua autem mutua censenda, quæ à se inuicem pendent per relationes oppositas, utrique realiter inhærentes. Illa verò non mutua, quorum unum realiter fundat relationem; aliud verò tantummodo terminat, ac proinde, non tàm relativum, quàm absolutum est. At verò extrema relationis prout ad hunc relatiuorum ordinem pertinent, sic se habent; propterea à superioribus duobus modis, præsens hic modus secernitur.

Ex quo perspicuum fit, quòd si in hoc tertio modo assignarentur extrema aliter ac assignari solent; modus iste non distingueretur à cæteris; sed ad unum, vel ad alterum eorum reduceretur.

Duobus enim modis huius ordinis relatiua possunt assi-

Relationes disquiparantiæ quæ.

Secundus relatiuorũ modus fundatus in actione, & passione, &c.

Quid hac de re proximum sit inquirere.

Considerandum quædam.

Quid hac de re sentiendum.

In huiusmodi relationes immediatè in substantia, vel fundẽ

Quãdo effectus sunt alterius ordinis. §. Diuin. cap. 15.

Quædam colliguntur.

Tertius relatiuorum modus.

Differt à reliquis duobus iam enarratis.

Corollarium.

Duobus modis huius

Jus ordinis relatiua possunt assignari.

assignari, primò scilicet uniformiter, vel ambo in actu, vel ambo in potentia, vel unum eorum in actu, alterum autem in potentia. Si ambo assignentur in actu, vel in potentia, atque adeo assignentur uniformiter; in eis erit mutua dependentia, mutuòque se respicient, ac mutuam dependentiam habebunt; & posita se ponent, ac perempta se periment; atque hunc in modum scibile est ad aliud essentialiter, videlicet ad scientiam in potentia. Idque satis perspicuum est. Non enim accidit scibili, quòd sciatur in potentia, cùm scibile non sit scibile, nisi quatenus de eo scientia dari potest; hoc enim sibi vult scibile, nempè quòd possit sciri; unde si scientia dari non posset de ipso, sequeretur contradictio, nempè quod foret scibile, & non foret scibile; primum ex hypotesi: secundum, quoniam sciri non posset. Quod autem de extremis in potentia, de extremis etiam in actu sentiendum, puta quod de scientia in potentia, & scibili: de scientia in actu, & de eo, quod actu scitur, intelligendum. Vulgò autem, quod actu scitur, dici solet scibile in actu, ut quod in potentia scitur, appellari solet scibile in potentia; re verâ tamen quod potest sciri, satius est absolutè appellare scibile; quod autem actu scitur, non tam scibile actu, quàm scitum appellandum. Hoc autem secundo modo mutuam dependentiam non habent; scibile nanque non pendet à scientia in actu; potest enim esse scibile in potentia, cuius non sit scientia in actu; & sensibile in potentia, cuius non sit sensus in actu. Sic autem assignata relatiua non sunt naturâ simul, nec posita se ponunt, nec perempta se perimunt; quando igitur relatiua hæc fuerint uniformiter assignata, longè differunt ab ijsdem difformiter acceptis.

Relatiua uniformiter assignata.

Si itaque uniformiter assignentur, mutuam habebunt dependentiam, erunt naturâ simul, posita se ponent, & perempta se periment, & ad primum, vel ad secundum relatiuorum modum pertinebunt. At si difformiter fuerint assignata, nec mutuam realem dependentiam habebunt, nec erunt naturâ simul, nec posita se ponent, nec perempta se periment, ac propterea ad hunc tertium modum spectabunt.

Difformiter assignata.

Ex Aristotele hactenus dicta colliguntur.

Hæc non obscurè colliguntur ex ijs, quæ Philosophus agens de primo, & secundo relatiuorum modo, in medium adduxit, exemplis, ea siquidem semper attulit de extremis uniformiter assignatis. Idque luculentius in ijs, quæ ad secundum pertinent modum; semper enim sumpsit extrema, vel utrumque in potentia, vel utrumque in actu, nec unquam unum in potentia, aliud autem in actu; vel unum in actu, & aliud in potentia. Ita planè ait calefactivum referri ad calefactibile; sectivum ad secabile, ut explicet relatiua sumpta in potentia. Postea calefaciens ad id, quod calefit; secans ad id, quod secatur; insuper, quod fecit ad id, quod factum est; & id, quod facturum est ad id, quod est faciendum, ut explicet relatiua in actu; hunc enim in modum ambo extrema perpetuò mutuam dependentiam realem, vel rationis in aliquibus præseferunt. Hoc autem non euenit extremis difformiter assignatis; non enim hæc mutuam dependentiam innuunt; scibile nanque potest esse sine scientia in actu, uti perspicuum est; quot enim sunt, quæ sciri possunt, cùm tamen de ipsis nunquam scientia fuerit comparata; sic etiam calefactibile potest esse sine calefactione in actu, & omne alterabile sine alteratione itidem in actu; non dissimiliter mensurabile sine mensura in actu. Quamobrem relatiua ad primum, secundumque modum spectantia, difformiter assignata, ad hunc tertium pertinebunt modum. Hæc autem ita se habent, ut quod assignatur in actu re ipsâ referatur ad id, quod assignatur in potentia; non tamen contra. Vt scientia ad scibile realiter refertur, ea siquidem ab hoc dependet, non tamen contra scibile refertur ad scientiam in actu. Relatiua igitur difformiter assignata non mutuò referuntur, & ad hunc tertium modum pertinent.

Quomodo tertius modus discriminetur ab alijs duobus.

Verùm si tertius hic modus assignetur, necesse est à duobus prioribus aliquo pacto secerni, atque discriminari; quid autem discriminis intersit non obscurè constabit, si tertium hunc modum cum duobus prioribus conferamus; deprehendemus enim accidentariam esse differentiam, non essentialem.

Accidentaria non essentiales differentia.

Hoc adeò manifestum, ut nihil magis. Relatiua enim duorum aliorum modorum ad hunc tertium pertinent modum, quando difformiter assignantur; difformis autem hæc assignatio, solam accidentariam differentiam præsefert; essentialis enim aliquid amplius requirit, nempè diuersitatem essentialem fundamentorum; hinc consequens sit, ut modus iste solùm accidentariâ differentiâ discrimineur à cæteris.

Prima ratio ad id fundendi.

Secunda ratio.

Et certè in hoc relationis genere non ponitur aliqua noua relatio intrinseca subiecto denominato, sed solùm hic habentur relatiua, quæ denominantur extrinsecâ denominatione sumptâ à relationibus aliorum generum; hoc autem est hunc relatiuorum modum solùm accidentario discrimine à cæteris secerni. Cogitandum enim in hoc prædicamento à Philosopho non constitui tantùm ea, quæ relatiuè denominantur, quoniam ipsa referuntur; sed etiam, quæ sic denominantur, quoniam alia referuntur ad ipsa; unde hic modus relatiuorum non addit novum relationis genus, sed peculiarem tantummodo denominationis modum conuenientem terminis relationum ad alia duo genera pertinentium.

Varijs modis possunt denominari relatiuè.

Proinde varij sunt modi, quibus res denominantur relatiuè, è quibus duo generales sunt, quorum unus eorum, quæ denominantur, propterea quòd ipsa referuntur. Hæc autem bipartitò diuidenda sunt, iuxta geminum fundamentum, scilicet quantitatis, & potentiæ; modus alter eorum, quæ relatiuè denominantur, non quoniam ipsa referuntur, sed quoniam alia referuntur ad ipsa.

Quando relatio prædicamentalis credatur comprehendere quasdam, quæ potius transcendentales sunt, posse unam, ac eandem ad tres commemoratos modos pertinere.

Ex his autem palam, & apertum, quando relatio prædicamentalis credatur comprehendere quasdam, quæ potius transcendentales sunt, posse unam, ac eandem ad tres commemoratos modos pertinere. Ita quidem sunt, qui putant scientiam ad tres prædictos modos attinere; ex eorum enim sententia, scientia potest obiectum respicere suum, vel sub ratione motiui, vel terminatiui, vel mensuratiui. Relatio, quam fundat ad illud, in ratione motiui spectat ad secundum modum, cùm relatio sit effectus ad causam; at ea quam fundat ad idem in ratione terminatiui, dicitur que relatio attingentiæ, atque tendentiæ in obiectum, ad tertium pertinet modum, eò quòd mutua non sit, non enim obiectum, prout terminus fundat aliquam correlationem ad actum; ea verò, quam fundat in intrinseca proportione, conuenientiaq; potentiæ ad obiectum censeri debet ad primum spectare modum. Dentur relatio illa ad obiectum, velut ad mensurativum gemina, inquiunt, esse potest, quemadmodum obiectum bifariam constitui potest scientiæ mensura; aut enim mensura dicitur scientiæ, quo ad veritatem, quatenus cognitio eatenus vera est, quatenus exprimit obiectum, sicuti est, diciturque relatio conformitatis actûs ad obiectum, quatenus actus expressa debet esse similitudo obiecti, ut verus sit; idque contingit per imitationem, quemadmodum est ideati ad ideam, non autem per com-

Digitized by Google

communicationem eiusdem formæ; ut calidi ad calidum, albi ad album. Hunc autem in modum existimant obiectum quodlibet sui actûs esse mensurativum, cùm quilibet suum obiectum, sicut ideatum ideam, imitetur. Aiunt etiam secundo, posse obiectum constitui mensuram in perfectione, quatenus actus eò perfectior est, quò est perfectioris obiecti, & ita, dicunt, hoc modo non quodlibet obiectũ sui actûs esse mensurativum, quoniam hoc pacto mensurare maiorem in mensura perfectionem supponit, quàm in mensurato, propterea quòd mensura in perfectione fit per excessum perfectionis supra rem mensuratam, unde hoc sensu, inquiunt, potest obiectum esse motivum, non tamen mensurativum; idcircò intellectio albedinis nequit per albedinem hoc sensu propriè mensurari, eò quòd albedo sit accidens imperfectius intellectione. Quamobrem colligunt relationem mensuræ ad obiectum iuxta duplicem sensum allatum, si uniformiter assignentur extrema, ad primum relatiuorum modum spectare; quoniam relatiua huiusmodi modi dicuntur secundum aliquam conuenientiam, vel disconuenientiam, vel secundum quendam accessum, vel recessum. Scientiam autem putant ab obiecto mensurari uno, vel altero modo per accessum ad illud in conformitate, scilicet, & similitudine, primo modo, & in perfectione, secundo modo. Inquiunt etiam, ad secundum relatiuorum modum reduci posse, si nimirum ex parte scientiæ spectetur ratio mensuræ passiuæ; ex parte verò obiecti, ratio mensuræ actiuæ.

Quid de hactenus dictis assentiendum infra.

Quid autem hac de re dicendum, mox intelliges; tametsi enim hucusque dicta miram subtilitatem redoleant, tamen simpliciori modo, atque fortasse veriori philosophandum, ut infra.

Difficultas proponitur circa prædicta.

Interim in eorum gratiam scrupulus quidam remouendus. Posset enim quispiam suspicari haud probè dictum fuisse tertium hunc relatiuorum modum à duobus prioribus secerni, eò quòd si difformiter extrema assignentur, non habent mutuam dependentiam, nec mutuò referuntur; solùmque distingui à duobus prioribus accidentario discrimine. Si nanque extrema relationum huius tertij modi assignentur uniformiter, non ob id realiter referuntur, ut patet de scientia, & scibile, vel utroque in potentia, vel utroque in actu; non igitur ex difformitate assignationis eorum prouenit, ut hæ relationes mutuæ non sint, cùm adhuc non sint mutuæ, quanuis uniformis fiat assignatio. Mala tamen est consecutio, propterea quòd has relationes non esse mutuas oritur ex sola difformitate assignationis extremorum, ita ut in his si assignentur uniformiter, etiam in ijsdem mutuæ sint relationes; & hoc ex ratione generica istius tertij modi; quod si aliquando contingat in quibusdam relatiuis oppositum, ita ut dum uniformiter assignantur, mutuò tamen non ob id referantur; id existimandum ex peculiari ratione specifica alicuius fundamenti; ut patet de scientia, & scibili, de sensu, & sensibili. Accedit, quod ab alijs fuit etiam animaduersum, quanuis scientia in actu, & scibile in actu, scibile non referatur ad scientiam re ipsâ per aliquam relationem sibi inhærentem; si tamen utrunque fuerit assignatum in potentia, scibile quoque refertur ad scientiam, & à scientia dependet in potentia.

Sed, ut paulò antea monuimus, de ijs longè aliter sentiendum, multas enim relationes antiquitas existimauit formas accidentarias ijs, quæ referuntur superadditas, ac ob id prædicamentales, cùm re verâ tamen transcendentales sint. Quid enim magis decantatum inter huius prædicamenti relationes, quàm paternitas, & filiatio, cùm tamen omninò transcendentales dicendæ sint. Quid enim pater? certè non nisi ille, qui alium genuit; relatio igitur paternitatis non nisi relatio generantis ad genitum, causantis ad causatum, producentis ad productum; at generans dicitur à generatione, quæ rectè inter relationes transcendentales numeratur; causans à causalitate; producens à productione, quæ non dissimiliter ad transcendentalium relationum genus pertinent; proinde non insulsè dictum in hoc prædicamento constitui relationes, quæ potius transcendentales sunt. Sic etiam scientia, hæc enim non respicit scibile per respectum quendam sibi superadditum, sed potius se ipsâ, adeo ut ille respectus, ne dum re ipsâ sit idem, cum scientia, sed in eius essentiali conceptu inuoluatur.

SECTIO DECIMASEXTA.

De Affectionibus Relatiuorum.

Quinque assignantur proprietates relatiuorum.

QVinque sunt Affectiones, Proprietates, & Attributa relationum puta. Habere contrarium; Suscipere magis, & minus; Dici ad conuertentiam; Esse simul naturâ; Esse simul cognitione, & definitione. Hanc primam proprietatem, scilicet habere contrarium, docuit Philosophus dicens. Τπάρχει δ' ἐν ἐναντίωσις ἐν τοῖς πρός τι οἷον, ἀρετὴ κακίᾳ ἐναντίον, ἑκάτερον αὐτῶν πρός τι ὄν. ἐν ἐπιστήμη δ' ἀγνοια. *Inest autem contrarietas in* his, quæ sunt *ad aliquid*; *ut virtus vitio, contrarium* est, *cùm utrumque eorum sit ad aliquid*: *& scientia ignorantiæ*. Habere autem contrarium conuenire relationibus, fit inde manifestum, quoniam virtus, & vitium, relatiua sunt, & unum alteri contrariatur; præterea scientia, & ignorantia referuntur inuicem, & tamen inuicem aduersantur. Ignorantia porrò hîc non utcunque accipitur, sed pro errore positiuo.

Prima relatiuorum proprietas. Est habere contrarium.

Non omnibus relationibus conuenit.

Hoc autem attributum non omnibus relationibus accommodatum esse, testis est Aristoteles dicens; Οὐ πᾶσι δ' ἔστι πρός τι ὑπάρχει ἐναντία τὰ δὲ πλασίῳ ἐστὶν ἓν ἐναντίον, οὐδὲ τῷ πιπλασίῳ, οὐδὲ ἄλλῳ τοιούτῳ οὐδενί. *Non tamen in omnibus* quæ sunt *ad aliquid contrarietas inest*: *nihil enim est contrarium duplo, nec triplo, nec alijs eiusmodi*. Nec immeritò, propterea quòd dupliei, aut triplici, alijsque consimilibus relationibus nulla conuenit contrarietas. Habere igitur contrarium non omnium relationum est attributum. Nec etiam solis relationibus, sed alijs quoque accidentibus, præsertim qualitatibus, conuenit. Ita quidem calor aduersatur frigori, albedo etiam nigredini, ubi calorem, & frigus; albedinem, & nigredinem sumo, prout vulgò explicari solent, nempe tanquam accidentarias formas positiuas; non enim à vulgaribus exemplis recedere, operæ pretium mihi visum fuit.

An hoc attributum conueniat solum relatiuis secundum dici, atque prædicamentalibus &c. Quorundam opinio.

Solet autem in controuersiam vocari, num ex Philosophi sententia conueniat hoc attributum solùm relatiuis secundum dici, atque transcendentalibus: an etiam relatiuis secundum esse, & prædicamentalibus; quòd si his conuenire dicatur, num solùm fundamentaliter, an etiam formaliter conueniat.

Sunt, qui contrarietatem hanc relatiuis tantùm secundum dici adscribendam existiment. Rem sic explicant, inquiunt enim, in hisce relatiuis dari quandam rationem absolutam, itemque respectum, utrunque tamen eodem nomine significari; scientiæ autem exemplo rem illustrant; dicunt enim scientiæ nomen impositum esse, ne dum ad significandam qualitatem intellectui inhærentem, verum etiam relationem ad obiectum scibile, illi quidem annexam, ac totum hoc

aggre-

Digitized by Google

aggregatum per nomen illud significari, licèt unum primariò, & aliud secundariò. Idem iudicium ferunt de nomine manûs, capitis, aliarumque partium, substantiæ, hęc enim omnia relatiua secundum dici existimant. Inquiunt igitur proprietatem hanc, nimirum habere contrarium, conuenire hisce relatiuis secundum esse absolutum, quod important, ut scientiã secundum esse absolutum suum contrariari ignorantiæ, non tamen secundum respectum, seu relationem, quam inuoluunt, ut scientiam non aduersari ignorantiæ secundum relationem, quam dicit ad scibile.

Aliorum sententia. 10. Diuin. Tex. 16.

Alij verò hanc eandem proprietatem extendunt ad relatiua quædam secundum esse, eò quòd Philosophus inter contrariorum exempla, ne dum vitium, & virtutem enumerauerit, sed etiam æqualitatem, & inæqualitatem; similitudinem, atque dissimilitudinem, quæ sunt prædicamentales relationes; asserunt tamen his relatiuis, non formaliter, sed materialiter sumptis hoc attributum conuenire, nimirum ratione fundamenti, ut simile, & dissimile contraria dici; quoniam super contrarias qualitates fundantur. Supponendum contrarietatem hanc esse propriè sumptam, atque adeò inter positiua; seu cuius utrunque extremorum positivum est.

Assertio. Decernẽs omnibus relatiuis contrarietatem.

Rectius tamen videntur loquuti, qui contrarietatem hanc relationibus quibusdam secundum esse, proindèq; prædicamentalibus quoque conuenire, sunt arbitrati. Propterea Philosophus inter contrariorum exempla non solùm vitium, & virtutem; sed etiam æqualitatem, similitudinẽ, & dissimilitudinem, relationes utiq; prædicamentales, constituit, ait enim. Πᾶσα γὰρ ἐναντίωσις ἔχει στέρησιν θατέρου μέλους ἐναντίον ἀλλ' οὐχ ὁμοίως πανταχόθι· ἀνισότητος μὲν γὰρ ἰσότητος, ἀνομοιότητος δὲ ὁμοιότητος, καὶ κακίας δὲ ἀρετῆς. *Omnis nanque contrarietas habet alterius contrariorum priuationem, verùm non omnia similiter. Inæqualitas enim, æqualitatis: dissimilitudo verò, similitudinis: vitium autem virtutis.* Constat igitur ipsum existimasse contrarietatem competere tam relationibus *secundum dici* atque transcendentalibus, uti sunt virtus, & vitium, quàm prædicamentalibus, cuiusmodi sunt inæqualitas, & æqualitas: dissimilitudo, & similitudo.

Auct. Aris. probatur. 10 Diuin. tex. 16.

Quorundam responsio reiicitur.

Neque dicas velim huiusmodi relatiua contraria esse fundamentaliter, ut aiunt. Æqualitas enim, & inæqualitas in quantitate fundantur, in qua nulla contrarietas. Imò etiam in qualitatibus non contrarijs, nam ex.g. album, ut duo, & ut quinque, dissimilia dicuntur saltem in gradu, non tamen contraria.

Ratio ad assertionẽ probandã.

Ratio autem suppetit non inefficax; quoniam contraria sunt, quæ nequeunt esse simul, quin potius ab eodem subiecto mutuò se expellunt. Perspicuum autem relationes hunc se habere in modum, & inter illas dari repugnantiam circa idem fundamentum, ut paternitas, & filiatio; similitudo, ac dissimilitudo, comparatione eiusdem termini; & potest etiam fieri talis mutatio, ut quod priùs dicebatur simile, vel æquale, postea dicatur dissimile, vel inæquale, atque adeò relatio una aliam expellat de eodem subiecto; ita ut contrarietas, ne dum sit in formis absolutis, sed formaliter etiam in ipsis relationibus, seu denominationibus relatiuis. Prædictam autem expulsionem relationibus conuenire, præsertim illud suadet, quoniam relationes sic inuicem repugnare possunt, ut non eodem modo pugnent cum alia disparata relatione, quod ad expulsionem pro oppositione satis; omnis enim repugnantia oppositionem constituit; consequens propterea sit, ut relatiuis formaliter sumptis contrarietas, vel oppositio conueniat.

Quorundã respon

Quòd si quispiam dicat, non inficiandum dari oppositionem, non eam tamen contrariam esse. Verum si diligentèr attendas id ineptè dictum comperies; in relationibus enim huiusmodi oppositio non contradictoria est, non priuatiua, ut perspicuum satis; nec etiam relatiua, cùm non sint correlatiua, inter quæ illa exerceatur, proinde contraria erit.

Ro præ cupata, Confutatio.

Dices fortasse contrarietatem hanc non ex vi relationum oriri, sed potius fundamentorum, quæ cùm in eodem subiecto esse non possint; consequens sit, ut relationes inter se repugnent.

Responsio præoccupata.

Neque hoc satisfacit, cùm plerunque relationes contrariæ sint, quanuis inter fundamenta nulla contrarietas existat, ut de æqualitate, & inæqualitate constat &c. Vt præteream inde solùm concludi contrarietatem ipsam aliquando etiam fundamentis conuenire, eamque pariter in relationes refundi, quod an cum veritate contentiat, alibi discutiendum.

Confutatio.

Maximè tamen hæc iudicari possent rationi minimè consentanea, & præsertim parum ad Aristotelis aures, cùm inficietur in relatiuis contrarietatem, cã ratione ductus, quia si magnum, & parvum, quæ relatiua sunt, contraria forent, dissimulari non posset, idem simul contraria suscipere, cùm idem simul sit magnum, & parvum, diuersorum tamen comparatione. Accedit, quòd dum ipse contrarietatem in relatiuis recognoscendam fatetur, ea tantùm commemorat relatiua, quę secundum dici appellantur; quęque ad transcendentalia pertinent.

Prima difficultas. cap. de quantit.

Confirmatio.

Solutio.

Sed his occurritur facilè. Philosophus enim sumpsit *magnum*, & *parvum* respectu diuersorum, quo pacto contraria non sunt, quemadmodum, nec etiam simile, & dissimile in ordine ad diuersa contrarietatem ullam habent; nec scientia, & ignorantia comparatione diuersarum conclusionum, contrariantur inuicem; non igitur inde rectè concluditur eidem inesse contraria. Quid autem sibi velit Philosophus, iuvabit aduertere. Cùm enim docuisset quantitati contrarietatem non conuenire, obijcit sibimet dicens. Dari magnum, & parvum, quæ contraria sunt, quanuis ad quantitatem pertineant. Occurrit dicens magnum, & parvum esse potius relationes, atque adeò non esse ad rem. Admisso tamen ea ad quantitatem pertinere, adhuc contraria non esse, & arguit ad hominem, dicens; si magnum, & parvum contraria sunt, idem simul contraria susciperet, cùm idem sit magnum, & parvum respectu diuersorum. Est autem ratio ad hominem, quoniam si quis diceret esse quantitates, ei non liceret confugere ad illud responsum, per respectum ad diuersa, quoniam quantitas hunc non importat respectum; quod si ad hoc confugeret, cogeretur fateri esse relationes. Vnde concludit. Ὥστε εἰ μὴ πρός τι ταῦτά τισιν ἐστί, ἀλλὰ τῷ ποσῷ, οὐδὲν ἐναντίον ἔσται *Quare etsi non eorũ, quæ ad aliquid, sed quãti quis hæc esse dicat, nihil contrariũ habebit.*

Aris. verba explicantur.

Quorundam interpretatio

Si autẽ rursus insistas dicendo Philosophum, docuisse magnum, & parvum, non esse contraria, eò quòd dicantur ad alterum; ait enim. Ἔτι, εἰ ἔστι τι τοιοῦτο οἷον ποσὸν &c. εἶναι τὰ τοιαῦτα, ἐάν τε μὴ τιθῇ, οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἐναντίον οὐδέν. ὃ γὰρ μὴ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ λαβεῖν, ἀλλὰ πρός ἕτερον ἀναφέρεται, πῶς ἂν εἴη τούτῳ τι ἐναντίον; *Præterea sive quis ponat eiusmodi res esse quanta, sive non ponat: nihil est eis contrarium; quod enim per se accipi nequit, sed ad alterum refertur, quomodo erit ei, quidpiam contrarium?* Recte quidem is, ex aliquorum sententia, quoniam inficiatur relatiuis contrarietatem inesse, cùm loquatur de ijs, quæ correlatiua sunt mutua, quæque mutuò inuicem referuntur, non tamen absolutè excludendo etiam relatiua transcendentia, ad quæ pertinent ea, quę appellantur secundum dici.

Cap. de quantitate

Hęc tamen inanis est interpretatio, cùm superiùs

Reiicitur

ostẽ-

ostensum fuerit ad aures Philosophi, relatiuis etiam huiusmodi accommodatum esse, habere contrarium.

Aliorum interpretatio &c. ejicitur.

Neque placet eorum interpretatio, qui dicunt, ibi tantùm negare voluisse relatiua contraria esse ratione oppositionis relatiuę precisè; nam relationibus fundatis in quantitate contrarietas inesse non potest, nisi precisè ratione relationis, cùm in fundamentis nulla possit contrarietas reperiri.

Neque refert, quod ipsi aiunt, nempè relationes quasdam oppositas simul in eodem esse posse subiecto, ut est relatio actiui, & passiui, dum aliquid agit in se ipsum; mouentis, & moti, ut cùm aliquid se ipsum mouet; In eodem enim datur pars mouens, itemque mota, & pars mouens, etsi moueatur per accidens; id planè contingit, nimirùm ad motum alterius partis, quæ mouetur. Sed quia tandem iuxta veritatem admittendum aliquid nullis partibus constans, ut animã intellectiuam separatam, se mouere; nam in statu separationis, id ei sanè concedendum, ut etiam intelligentijs, quicquid Aristot. dixerit. Præstat ob id asserere relatiuis omnibus conuenire contrarietatem, siue oppositionem relatiuam, non tamen illam, quæ ipsis conuenit merito eorum, in quibus fundantur; quod erat Philosophi intentum. Nec propterea dicas eum inconstantiæ redarguendum; cò quòd superiùs Cap. de quantitate, dixerit magnum, & parvum non esse contraria, quia sunt ad aliquid: hîc autem docet ea, quæ sunt ad aliquid esse contraria; quandoquidem loco iam laudato, negare tantùm voluit relatiuis contrarietatem illam, quæ ipsis conuenit meriro eorum, quæ pro suis fundamentis recognoscunt, quâ tamen deficiente, ex eius sententia, nihil prohibet, quo minus relatiuis contrarietas conueniat, licèt ab illa diffidens, atque diuersa.

Secunda difficultas & solutio.

Præterea si quis urgeat dicendo. Contraria respiciunt subiectum circa quod fiunt, non terminum. Facilè diluitur; relatio siquidem est ratio referendi extremum unum ad aliud, unum propterea respicit tanquam fundamentum, imò prout accidentaria forma respicit idem, ut subiectum, at respicit aliud, ut terminum.

Tertia difficultas.

Vlteriùs contrariæ formę debent actiuè se mutuò expellere ab eodem subiecto, quæ autem non ita se habent, non sunt contrariæ; at relationes similitudinis, & dissimilitudinis etiam respectu eiusdem termini non mutuò se actiuè expellunt ab eodem subiecto, nulla enim ijs actiuitas inest, propterea contrariæ non erunt; quod autem contrariæ formæ debeant actiuè se expellere ab eodem subiecto perspicuum satis aduertenti hunc expulsionis modum exerceri inter formas contrarias, calorem scilicet, & frigiditatem. Nulla tamen hæc difficultas; gemina siquidem expulsio actiua, seu effectiua una, altera verò formalis, utraque tamen certum terminum efflagitat, alioquin tanquam disparatæ formæ se habent. Ad contrarietatem igitur non actiua requiritur expulsio, sed formalis sufficit, cuiusmodi esse perhibetur inter secundas qualitates, putà inter albedinem, & nigredinem, si qualitates credantur, & non lumen, corpus tamen vario modo, vel reflexum, vel refractum &c. Nec subinde inferas sequuturum quantitati conuenire contrarietatem, eò quòd corpus unum de loco aliud expellit; hæc enim expulsio non propriè formalis dicitur, cùm non sit in ordine ad subiectum.

Quarta difficultas

Deinde si relationibus contrarietatis attributum conueniret, posset ad ipsas terminari motus, id autem esse falsum luculenter expræssit Philosophus 5. Phis. At id sequuturum inde suadetur, quoniam omnis forma contrarium habens, potest esse terminus motus. Sed admissis relationibus, tanquam formis accidentarijs, non repugnabit ijs absolutè, sed tantùm per se primò terminare motum, siquidem ut solùm resultare dicuntur, ita non per se primò fiunt, sed ad ea, quæ ita fiunt, resultare dici debent; ut omittam non eam, de qua loquimur, ad terminum motûs contrarietatem requiri, sed potius illam, quæ in terminorum distantia consistit, quæ non nisi successione temporis potest absolui. Hæc præsertim procedunt, si distinguantur prędicamentales relationes à rebus, dicanturque formæ accidentariæ nouiter ipsis aduenientes. Alioquin contrarietatis affectio relatiuis attribui tantummodò potest secundum denominationes inter se repugnantes, quarum una aliam excludit. Solutio.

Quinta difficultas

Amplius. Quod est causa alterius, nequit illi esse contrarium; quandoquidem contrarium potius destruit, quàm det esse centrario suo; sed relativum unum est causa alterius; ergo non poterit illi esse contrarium; minor ex eo euidens; quoniam ad positionem unius relatiui, ponitur & correlatiuum. Vnde illud istius causa esse videtur. Accedit, quòd inter causam, & effectum intercedit relatio; unde relatiua sunt, quorum unum est causa, aliud verò effectus; proindeque relativum unum erit causa alterius.

Solutio.

Prætermissâ solutione, velut minus idoneâ ab alijs traditâ, respondendum relativum unum, nunquam formaliter acceptum posse esse causam alterius; hoc enim modo sumpta, quæ inuicem referuntur, sunt naturâ simul; proindeque repugnat unum formaliter acceptum, nempè secundum rationem relationis esse causam alterius; sic enim foret naturâ prius. Si autem materialiter sumantur, ita se habent ut unum possit esse alterius causa; Sed contrarietas relatiuis non materialiter, sed formaliter sumptis tanquam proprietas conuenit. Quod autem ad positionem vnius relatiui ponatur, & aliud, inditio non est relativum unum esse alterius causam, relatiuis formaliter sumptis; nam si hæc prædicamentalia fuerint, & relatio dicatur forma quædam accidentaria reipsâ distincta ab ijs, quæ referuntur; hæc pro sui causa fundamentum recognoscit in suo relatiuo, termino, atque correlatiuo tantùm se habente, ut conditione sine qua non, relatio à fundamento non resultaret. Quę, reiectis relationibus huiusmodi explicatis, aptari possunt relatiuis aliâ ratione sumptis, quatenus videlicèt relatio in denominatione partim intrinseca, partim extrinseca consistere dici potest. Eadem accommodari possunt relatiuis secundum dici, & idcirco transcendentibus, quibus ex antea traditis palam contrarietatem conuenire. Vnde materia, & forma ex. gr. quæ huiusmodi genere relationis inuicem referuntur, contrariari relatiua contrarietate dici debent, si formaliter accipiantur, quamuis materia sit causa formæ; id enim secundum esse materiale contingit.

Sexta difficultas.

Præterea. Oppositio relatiua diuersa est ab oppositione contraria; ac proinde quæ opponuntur relatiuè, non opponuntur contrariè; sed relatiua opponuntur relatiuè, ut constat; ergo non opponuntur contrariè.

Quorundam solutio.

Pro huius difficultatis enodatione multa dicunt Interpretes. Sunt enim quibus placet primam hanc proprietatem attendendam esse penes definitionem primam relatiuorum, atque adeò conuenire relatiuis secundum dici, atque transcendentalibus, non autem relatiuis secundum esse; unde habere contrarium conuenit relatiuis prioris generis, cuiusmodi sunt virtus, & vitium; scientia, & ignorantia, sumpto enim vitio pro habitu positiuo malè operandi, & non pro simplici priuatione virtutis, rectè dicitur virtus vitio contraria verâ contrarietate, quæ inter extrema positiua versatur.

Digitized by Google

satur. Non dissimiliter sumptâ ignorantiâ pro habitu prauæ dispositionis, & non pro priuatione scientiæ, iurè asserimus scientiam ignorantiæ contrariam esse.

Auctoris solutio. At inter relatiua *secundum esse* oppositionem duntaxat relatiuam esse contendunt, quatenus ipsa quasi se ex directo opponant, vel è regione, conspectuve constituant; quemadmodũ, inquiunt, pater, quasi è directo respicit filium, & vicissim; ita simile respicit simile; vel etiam dicendum, aiunt, omnia extrema aliquo modo vocari opposita; & sic se habere relatiua existimant quæ appellantur secundum esse. Hæc tamen cum supra iam traditis non cohærent; propterea diluendam existimo difficultatem propositã respondendo, inter relationes ratione diuersâ dari contrarietatem, & oppositionem relatiuam; nam contrarietas datur, quatenus mutuò se expellunt ab eodem subiecto, datur autem oppositio relatiua, quatenus vna tendit ad aliam; nam relatio exemp. gratia æqualitatis expellit relationem inæqualitatis; at verò æqualitatis relatio in relatiuo, opponitur relatiuè relationi æqualitatis in suo correlatiuo, unde similitudo, non opponitur relatiuè dissimilitudini, sed contrariè. Sic de relationibus transcendentibus. Scientia contrariatur ignorantiæ positiuè acceptæ, non autem ei relatiuè apponitur, sed respicit scibile; quod cùm vicissim non referatur ad scientiam, fit, ut oppositionem relatiuam habere dici non mereantur. At materia opponitur relatiuè formæ & vicissim; sed non habent contrarietatem, eò quòd sunt substantialis naturæ, & præsertim materia non est in subiecto, quod propriè accepta contrarietas concernit, & efflagitat.

Septima difficultas. Videtur etiam quibusdam Philosophus eâ de causa reprehensione dignus; quoniam hoc loco scientiam, & virtutem collocat, cùm tamen superiùs ijsdem in categoria qualitatis sedem decreuerit.

Solutio. Sed iam monuimus inconueniens existimandum non esse, idem in diuersis prædicamentis constitui, dummodò tamen id ratione diuersâ contingat.

Secunda relationum proprietas. Secundum, quod relationibus tribui solet expressit Arist. dicens. Δοκεῖ δὲ καὶ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον ἐπιδέχεσθαι τὰ πρός τι ὅμοιον γὰρ καὶ ἀνόμοιον μᾶλλον καὶ ἧττον λέγεται. καὶ ἴσον καὶ ἄνισον μᾶλλον καὶ ἧττον λέγεται. ἕκαστον αὐτῶν πρός τι ἂν. τὸ, τε γὰρ ὅμοιον, τινὶ ὅμοιον λέγεται καὶ τὸ ἄνισον, τινὶ ἄνισον. *Videntur autem quæ sunt ad aliquid, recipere intensionem, & remissionem. nam simile, & dissimile dicitur magis, & minus: æquale quoque, & inæquale dicitur magis, & minùs: cùm utrunque eorum sit ad aliquid; nam simile, alicui simile dicitur: & inæquale alicui inæquale.* Etut Scholastici loquuntur, est suscipere magis, & minus; dicitur enim quidpiam magis, vel minus simile alteri; Archytas hoc etiam notauerat scribens: καὶ τὸ ποτ' ἄλλο δὶ πῶς ἔχον, ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον: μᾶλλον μὲν γὰρ ἴντι ἴμεν μείζον τινὸς καὶ μεῖον. *Et ad aliud quodammodo se habens suscipit magis & minus: magis enim est, maius aliquo esse, & minus.* Non tamen omnibus relationibus id commune est; quod Aristoteles aduertit dicens. Οὐ πάντα δὲ τὰ πρός τι ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. τὸ γὰρ διπλάσιον, οὐ λέγεται μᾶλλον καὶ ἧττον διπλάσιον. ἐπὶ τῶν τοιούτων οὐδέν. *Sed non omnia, quæ sunt ad aliquid, recipiunt intensionem, & remissionem: quia nec duplum dicitur magis, & minus duplum: nec tale quidpiam.* Hoc idem asserebat Archytas, dum in hanc sententiam scripsit. Πλὼ ἐκτὸς πάντων τ' ποτ' ἄλλο πῶς ἐχόντων, ἐ γὰρ ἴντι μᾶλλον πατέρα ἦμεν ἐ δὶ ἧσσον, ἐ δὲ μὰν ἀδελφὸν ἐ μᾶλλον. *Præterquamquod non in omnibus ad aliud quodammodo se habentibus, non enim est magis patrem esse, nec minus, neque quidem fratrem, aut filium.* Non enim duplum dicitur magis, aut minus duplum. Non solùm autem hoc non omnibus competit relationibus, sed nec etiam ipsis tantummodò, quin potius alijs accommodatum est: nam multo magis qualitatibus conuenit; propriè qualitatibus seuerâ significatione sumptis, alijs per analogiam &c.

Non omnibus relationibus conuenit.

Quæritur quomodo relationibus hoc tribuatur. Solet autem in controuersiam vocari, quo id pacto, relationibus conueniat, num per veram intensionem, & remissionem unius relationis, quemadmodum in qualitatibus contingit; vel quonam alio modo fiat.

Quo relatio prædicamentalis sit. Si relatio, de qua fit sermo, dicatur accidentaria, forma extremis superaddita; longè magis est veritati consonum hoc non contingere per intensionem, & remissionem, quemadmodum in qualitatibus fit, sed potius quamlibet relationem in indiuisibili positam esse, ita ut, vel inuariata permaneat, vel omninò, & alia noua succedat.

Ratio suadens. Ita planè æqualitatis relationem se habere perspicuum est; cum enim duo quanta inter se conferuntur, aut unum æquale est alteri, quod certè nullam latitudinem habet, ac ob id in indiuisibili consistit, propterea quòd, si æquale non fuerit, erit inæquale. At si fuerit inæquale, per relationem inæqualitatis id planè continget; sed hæc non una, siue maioris ad minus, siue minoris ad maius, sed in infinitum abire licet; nam alia est inæqualitas dupli ad subduplum, & alia tripli ad subtriplum; atque ita qualibet per se in indiuisibili consistit. Eodem planè modo ratiocinandum de relationibus similitudinis, atque dissimilitudinis; dum enim duo fuerint qualia, puta alba, in quorum utroque sit idem, nempè quartus gradus albedinis; in ijs insurgit relatio similitudinis in indiuisibili prorsus consistens; at si in uno eorum plus, in alio verò minus albedinis exiterit, nempè in uno quintus, in alio quartus albedinis gradus, consurget etiam relatio similitudinis, hoc discrimine, quòd illa esset summa, hæc autem non item; consistens tamen in indiuisibili, minor quidem illa; maior verò altera, quæ consurgeret, *si in uno* ex extremis foret albedo, ut sex, in altero autem perseueraret ut quatuor. Quælibet igitur se solâ existit indiuisibilis, nec ullam admittit latitudinem. Quanuis autem fundamentum variaretur, non propterea eadem relatio variationem subiret, per eos, quibus consisteret propriæ gradibus entitatis, sed una pereunte, statim noua succederet.

Neotericus cuiusdam doctrina. Nec audiendus Neotericus quidam dicens, quanuis aliquę relationes ita se habeant, non tamen omnes, cum quędam sint, quæ non consistunt in indiuisibili, sed latitudinem habent, cuiusmodi sunt inæqualitas, & dissimilitudo, quoniam hæ dicuntur cum alterum extremum ab ea deficit mensura, in qua fundatur æqualitas, & similitudo; cùm ergo hic defectus, inquit, non consistat in indiuisibili, sed possit magis, & minus crescere, idem asserendum quoque de inæqualitate, & dissimilitudine, quę in eo fundantur; ubi aduertit per huiusmodi defectum non intelligi puram negationem, sed quantitatem, aut qualitatem illam indeterminatam, in qua negatio fundatur.

Relationes singulę in indiuisibili sistunt. Rectè tamen occurritur dicendo relationes singulas in indiuisibili consistere, ac proinde quando augetur, vel minuitur quantitas, aut qualitas, non augeri, aut minui relationes, sed variari sic, ut priores deperdantur, & acquirantur nouæ.

Neotenici impugnatio. Quanuis autem facilè, ac solidè profiteatur hoc impugnare; nihil tamen conficit dum dicit, hoc interesse inter æqualitatem, & inæqualitatem, quòd illa in indiuisibili, & hæc in quantitate fundatur; ut ab indiuisibili mensura deficit, in qua fundabatur illa; huiusmodi autem quantitas latitudinem habet, quoniam quæcumque designetur, est diuisibilis, atque sufficiens ad inæqualitatem fundandam. Hæc tamen inconsideratè dici hinc

Reiicitur. Refellitur facile

Disput. gratia.

facilè quidem intelliges, propterea quòd fundamentum relationis maioris, vel minoris inæqualitatis, non est quantum utcumque, sed tale quantum, habens tantum excessum supra aliud, vel deficiens tanto defectu ab alio; dum igitur augetur, vel minuitur quantum, relationis fundamentum variatur, consequens inde fit, ut varietur etiam relatio.

Alia eiusdē ratio.

Sic etiam dum ait, cùm duo calores sunt similes intensiuè, statim ac alter incipit remitti, incipit pariter dissimilis fieri, ita ut pari passu procedant remissio, atque dissimilitudo, cùmque remissio fiat in tempore, etiam in tempore dissimilitudinis relatio acquiri debet, proindeque suo modo latitudinem gradualem habeat oportet. Vel si dicatur acquiri in instāti, cùm dissimilitudo in uniuerso motu perduret, plura quidem instantia debebunt acquiri; huiusmodi igitur relationes, quæ latitudinem habent in fundamento, habent etiam latitudinem in se illi correspondentem, ita ut iuxta intensionem, & remissionem illius, etiam ipsæ in se intendantur, ac remittantur; sic de inæqualitate.

Reijcitur.

Disput. gratia.

Hæc tamen nihil concludunt; non enim cò quòd successiuè nouæ acquirantur relationes, sequitur id per intensionem, & remissionem contingere; intensio enim, & remissio concernit idem subiectum; at non sic in præsenti; variatur enim ipsum, unde quanuis hæc variatio successiuè fiat, non propterea relatio per intensionem, vel remissionem varietatem patitur, sed potius quoniam, ut successiuè deperditur ad successiuam variationem subiecti, ita successiuè noua semper acquiritur. Hæc tamen intelligenda si relationes prædicamentales credantur accidentariæ formæ ijs, quæ referuntur superadditæ, ut paulò superiùs fuit animaduersum; ita tamen, ut quodammodo eadem aptari possint prædicamentalibus relationibus, alio modo explicatis, itaut credantur in denominatione partim intrinseca, & partim extrinseca consistere.

Sed aduersus hanc affectionem relatiuis ab Aristotele quidem & à veteribus alijs pariter adscriptam, difficultates non desunt.

Difficultas aduersus secundam proprietatē.

Difficultas autem circa dictum Aristotelis occurrit; ait enim, æquale dici magis, & minus æquale, quod falsum videtur, quoniam æquale, & inæquale fundantur in quantitate, cui non conuenire intensionem, & remissionem, seu suscipere magis, & minus, non semel inculcauimus. Et in huius confirmationem illud facere videtur, quod æqualitas in indiuisibili consistit, ita ut citra, & ultra sit inæqualitas. Ineptè igitur relationi hæc adscribitur proprietas.

Desudarunt interpretes in hac enodanda difficultate; oleum tamen, & operam perdidere, cùm nihil attigerint, quod rationi consentaneum dici possit. Equidem negare non licet hanc proprietatem relatiuis conuenire; nam ut ipse ait, simile, & dissimile, ut & æquale, ac inæquale magis, & minus dicitur, cùm vtrumque sit ad aliquid; simile nanque alicui simile; & inæquale alicui inæquale dicitur. Subdit autem non omnia, quæ sunt ad aliquid suscipere magis, & minus; cùm duplum non dicatur magis, vel minus duplum, nec aliquid talium. Si communem explicationem attendas, reperies in eo positam esse, quòd hæc proprietas quibusdam conueniat relationibus non formaliter secundum se; sed tantùm ratione fundamenti, eò quòd, inquiunt, aliquis dicitur magis, vel minus similis alteri, prout magis, vel minus qualitatem illi conuenientem participat.

Assertio tenenda duplici parte constans.

Accuratius tamen re consideratâ, videtur dicendum relationes transcendentales non solùm suscipere magis, & minus; sed etiam concessis prædicamentalibus tanquam formis superadditis &c. ex his quasdam posse magis, vel minus suscipere etiam in suis entitatibus, & non tantùm in fundamentis suis.

Prima pars ratione ostenditur.

In hanc sententiam adducor, quoniam ad primam eius partem, quod attinet, nihil certius: illæ enim intensionem, & remissionem recipiunt, ut patet de habitibus virtutum, ac vitiorum &c. quæ autem sunt huiusmodi suscipere magis, & minus apud omnes est in confesso; consequens propterea fit, ut relationes transcendentales magis, & minus suscipiant.

Secunda pars probatur.

Secunda verò pars assertionis non minus constat, quoniam etsi quædam relationes in indiuisibili consistant, ut æqualitas, duplum, triplum &c. quæ quidem in quantitate determinata fundantur, quâ proinde ut minimùm variatâ, statim concidant relationes oportet: Aliæ tamen non in indiuisibili positæ sunt; sed latitudinem habent, cuiusmodi sunt præsertim inæqualitas, & dissimilitudo, quoniam hæ dicuntur, cum extremum alterum ab illa indiuisibili mensura deficit, in qua fundatur æqualitas, atque similitudo; cùm igitur huiusmodi, defectus non consistat in indiuisibili, sed magis minusvè crescere possit; dicere subindè licet, hoc idem asserendum de inæqualitate, & dissimilitudine, quæ in huiusmodi defectu fundantur, per quæ non pura negatio, sed quantitas vel qualitas illa, indeterminata, in qua talis negatio fundatur, intelligi debet.

Quorundam responsio.

Nonnulli sunt, qui rationibus hisce, putant satisfieri dicendo, relationes omnes in indiuisibili consistere; ac proinde quando augetur, vel diminuitur quantitas, vel qualitas; non augeri, aut minui relationes, sed variari, itaut priores deperdantur, & aliæ nouiter acquirantur; quantumuis igitur quantitas, & qualitas, in quibus fundantur, latitudinem habeant, penes quam intendi, remittique possunt; non propterea tamen quatenus relationes fundant, quoniam ut sic rationem quandam indiuisibilitatis habent.

Reijcitur.

Hæc autem ex eo mihi oscitanter dicta videntur, quoniam non aduertunt se indiscriminatim de æqualitate, & inæqualitate loqui, cùm tamen illud interfit, quòd æqualitas in indiuisibili fundatur; inæqualitas autem non item, cùm hæc in quantitate fundamentum habeat, quatenus hæc ab indiuisibili mensura deficit, in qua fundabatur æqualitas; huiusmodi porrò quantitas latitudinem habet, quoniam quæcunque designetur, diuisibilis est, & ad fundandam inæqualitatem sufficiens. Amplius; cùm duæ qualitates fuerint similes, intensiuè, statim ac una incipit remitti, incipit quoque dissimilis fieri; adeout idem sit remissionis, atq; dissimilitudinis progressus, cùm autem remissio fiat in tempore, etiam in tempore dissimilitudinis relatio debet acquiri; proindeque gradualem sibi vendicat latitudinem. Quod si dicatur acquiri in instanti, cùm dissimilitudinis relatio in vniuerso motu perduret; plura erunt instantia quidem immediata inuicem concedenda; propterea huiusmodi relationes, quæ latitudinem habent in fundamento, habent etiam latitudinem in se illi correspondentem; itaut iuxta intensionem, & remissionem illius, etiam, & ipsę in se intendantur, ac remittantur, quod ostendendum assumpsi. Hæc eadem de inæqualitatis relatione dicenda, cum eadem sit ratio; hæc enim relatio fundatur in quantitate determinata, ad cuius varietatem, prout scilicet maior, vel minor fuerit, relationem variari necesse est; non quidem indiuisibiliter, sed diuisibiliter, atque continuè, quæ intelligenda sunt iuxta vulgatam de continuo sententiam, quod videlicet illud detur physicè diuisibile; hoc enim pullulantiam nouarum relationum requireret.

Difficultas eiusq; solutio.

Statim ex dictis oritur difficultas, nam hinc sequetur

retur ad relationem posse dari motum per se primò; superiùs tamen hęc dilucidata fuit difficultas; tametsi nanque relatio possit per se suscipere magis, & minus; non tamen primò, sed intermedio suo fundamento: ut igitur non acquiritur, nisi ad acquisitionem alterius: ita nec in se per magis, & minus variatur, nisi ad variationem alterius; adeout relationes quædam possint in se magis, & minus suscipere dependenter à fundamentis, non tamen, ut semper sit opus fundamentum in se suscipere magis, & minus, & variari eâdem penitùs variatione, quâ fundata relatio variatur: quandoquidem manifestè constat, quantitatem, non suscipere magis, & minus; & nihilominus inæqualitas fundata super quantitatem, suscipit. Nec dissimiliter ratiocinandum de duabus qualitatibus intensione similibus; dum altera remittitur, crescit, & intenditur dissimilitudo, cùm dici non debeat minui similitudo, quoniam hæc in indiuisibili supponitur consistere. Hæc porrò duo sunt de quorum primo sentiendum ita: nempè dicendum, ut relatio suscipiat magis, & minus, non semper requiri intensionem, & remissionem in fundamento, adeout hoc magis, & minus suscipere dici possit; cùm satis superque sit, ut maius & minus suscipiat. Ad secundum quod spectat, dicendum quandoque relativum suscipere magis cùm eius fundamentum suscipit minus, & contra. Ex his facilè intelliges, ut relatio suscipiat magis, & minus, in fundamento qualemcunque variationem mutationemve sufficere.

Tametsi autem inæqualitas, & dissimilitudo, latitudinem habere dicantur, & forsan etiam dissimilitudo, quoniam duæ qualitates dum pari progressu intenduntur, proportione seruatâ, crescit etiam similitudo inter illas; nihilominus inter inæqualitatem, & dissimilitudinem illud interest, quod inæqualitas propriè non suscipit magis, & minus. Cùm enim latitudo proprij fundamenti non sit secundum partes intensionis, sed potius extensionis; propterea consequens fit, ut etiam latitudo inde redundans in ipsam inæqualitatem, nequeat esse nisi eiusdem rationis, videlicet extensionis; non autem intensionis; proinde ex augumento, vel decremento quantitatis rectè dixeris, propriè resultare maiorem, vel minorem inæqualitatem, non autem magis, vel minus inæquale. Hæc autem dicta intelligas iuxta hypothesin, quòd relatio prædicamentalis, ut non semel aduerti, forma quædam sit positiua accidentariæ naturæ ijs, quæ referuntur, superaddita.

Tertia relatiuorum affectio, quòd dicantur ad conuertentiam.

Tertia relatiuorum affectio fuit ab Aristotele hisce verbis expressa. Πάντα δὲ τὰ πρός τι, πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται οἷον, ὁ δοῦλος, δεσπότου δοῦλος λέγεται, καὶ ὁ δεσπότης, δούλου δεσπότης· καὶ τὸ διπλάσιον, ἡμίσεως διπλάσιον, καὶ τὸ ἥμισυ διπλασίου ἥμισυ· καὶ τὸ μεῖζον ἐλάττονος μεῖζον· καὶ τὸ ἔλαττον, μείζονος ἔλαττον. *Omnia verò, quæ sunt ad aliquid referuntur ad ea, quæ reciprocantur; Vt seruus dicitur domini seruus; & dominus serui dominus; nec non duplum dimidij duplum: & dimidium dupli dimidium. Item maius minore maius, & minus maiore minus.*

Tertia igitur relatiuorum affectio est, ut relatiua dicantur ad conuertentiam, hoc est unum conuersim dicatur ad aliud. Ita quidem maius dicitur minori maius; minus maiori minus; dominus serui dominus; seruus domini seruus; pater filij pater; filius patris filius, & ita de reliquis. Non autem est opus huiusmodi conuertentiam per eundem fieri casum; sed optimè fieri potest per diuersum; ut sensus dicitur sensibilis sensus; sensibile autem dicetur sensu sensibile. Extremum autem utrunque conuenienter assignandum, ut conuertentia fieri possit. Vnde si quis diceret seruus est hominis seruus; insulsè conuerteret dicens, homo est serui homo. Sed ad conuertentiam primò dicendum, seruus est domini seruus, deinde dominus est serui dominus. Præterea si quispiam diceret, ala est auis ala, ineptè conuerteret dicendo, auis est ala auis; sed initio dicendum erat, ala est alati ala; hoc enim pacto fieri conuertentia poterit dicendo, alatum est alâ alatum. Ita fit, ut frequenter noua sint excogitanda nomina, quibus conuertentia fieri possit, quod etiam Philosophus expressit. Cùm igitur conuersio fieri non posset, initio si diceretur, temo est nauigij temo; idcircò operæ pretium erat ex temonis nomine, aliud nomen deducere, nempè temonatum; ut primò dicatur, temo est rei temonatæ temo; deinde conuertatur, res temonata est temone temonata; ideo ait. Ἐνίοτε δὲ καὶ ἀνόμασι τὸ ποιεῖν ἴσως ἀναγκαῖον. *Ac fortasse interdum nomina fingere necesse est.* Non dissimiliter ergo haud benè fieri conuersio posset, si diceremus, caput est animalis caput, sed potius dicendum, caput est capitati caput, sic enim conuertitur, capitatum est capite capitatum. Assignatio igitur conueniens, & ad conuersionem idonea tunc est, quando extremorum vtrunque, sub nomine relatiuo assignetur suo, itaut vtrunq; mutuò dicatur ad alterum: quæcunque igitur sunt ad aliquid si conuenienter adhibeantur ad ea referuntur, quæ secum reciprocantur. Vnde si aptè (dicebat Philosophus) traditum sit id, ad quod refertur, cæteris omnibus, quæ sunt accidentia demptis, ac solo hoc relicto quod aptè adhibitum est, semper ad id aliud refertur; ut seruus si referatur ad dominum, demptis omnibus alijs, quæ accidunt domino, veluti bipedem, & aptum ad discendum, & hominem esse, hoc duntaxat relicto, eum esse dominum, semper seruus ad ipsum referetur; quandoquidem seruus domini seruus dicitur.

Circa Proprietatem hanc, quæ præcipua correlatiuorum est; sunt qui putant dicere dependentiam mutuam vnius relatiui ab alio, per realem relationem in vtroque extremo fundatam, atque adeò solis relatiuis mutuis conuenire, solùmque relatiuis secundum esse, non autem relatiuis secundum dici, accommodari.

Affectio hęc omnibus relatiuis conuenit.

Existimandum tamen affectionem hanc relatiuis omnibus communem esse; imò non solùm realibus, sed etiam rationis, atque adeò mutuis, & non mutuis; secundum esse, & secundum dici, & conuertentiam ipsam conuenire etiam relatiuis, quanuis in vno tantum extremorum sit relatio realis, in alio autem rationis.

Hoc videtur expressum à Philosopho, qui inter ea, quibus vtitur, exempla, adducit illud de scientia, & scibili; scientia enim dicitur scibilis scientia; scibile verò scientiâ scibile; præterea creatura Creatoris creatura, & Creator creaturæ Creator. 5. Dia. cap. 15.

In quo conuertentia consistat.

Ea porrò videtur ratio; quoniam conuertentia non in mutua relatione reali sibi inuicem correspondente, sed in mutua tantùm denominatione consistit; siue sumatur ex relatione reali, siue rationis; siquidem per talem conuertentiam, atque reciprocationem innuimus mutuas denominationes relatiuas, quæ exerceri possunt ex parte vtriusq; extremi, non quòd in omnibus veræ, ac distinctę relationes existant, sed quòd unum dicatur in ordine ad aliud, siue hic ordo sit realis, siue rationis; ut si dicatur pater est filij pater; dici etiam possit, filius est patris filius; & si dicatur, dominus est serui dominus, dici itidem possit, seruus est domini seruus.

Quædam de cõuertentia obiectantur.

Huiusmodi autem denominationes exerceri possunt, quanuis relatio sit realis ex parte unius tantùm extremi; fieri nanque conuertentia poterit sumendo terminum sub relatione rationis, vel sub denominatione relatiuâ, relatione desumptâ ex terminatione, hoc enim, vel illo modo semper inuicem comparantur extrema, tanquam correlatiua. Vnde hæc proprietas potius

Digitized by Google

tius ad modum loquendi de relationibus, quàm ad rem, & ad modum assignandi earum extrema, pro ut sunt correlatiua, pertinet. Oportet autem utrunque extremum conuenienter assignare, ut ad conuertentiam dicantur & ad conuertentiam habendam, ut superiùs diceba tur.

Prima difficultas. Videtur tamen non omnibus relatiuis hæc affectio conueniens. Dici enim ad conuertentiam, est esse naturâ simul, vel saltem illud infert; sed hoc non omnibus relatiuis accommodatum; non enim simul naturâ sunt, quæ non mutuâ relatione, seu quæ non mutuò referuntur. Vnde Archytas dicebat. *Τὸ μὲν γὰρ τί αὐτῶν ἐκ τοῦ ἀντιστρόφου, οἷον ἐπιστήμα καὶ αἴσθασις. ἐπιστήμα μὲν γὰρ λέγεται τῷ ἐπιστατῷ καὶ αἰσθασις τῷ αἰσθατῷ, τὸ δ' ἐπιστατὸν ἐκ τοῦ τί λέγεται τᾶς ἐπιστήμας, ὁ δ' αἰσθατὸν τᾶς αἰσθασιος.* *Aliquod enim ipsorum non est conuertibile, veluti scientia, & sensus, scientia enim dicitur scibilis, & sensus sensibilis: scibile verò non amplius dicitur scientiæ, nec sensibile sensûs.*

Solutio. At relatiua quoque non mutua sunt naturâ simul, si spectentur, ut substant denominationi relatiuæ, secundum quam ad conuertentiam dicuntur.

Secunda difficultas. Ex aduerso videtur hæc affectio conuenire alijs à relatiuis; propterea quòd denominatiuis, quæ relatiua non sunt, hæc affectio conuenit; album enim dicitur albedine album, & albedo albi albedo; & calidum calore calidum, & calor calidi calor. Non conuenit tamen alijs à relatiuis, si conuertentia explicetur prout hîc usurpatur, quatenus nimirum mutua quædam est denominatio ratione cuiusdam habitudinis: non sic autem, quæ denominatiuis conuenit. Et quanuis subiectum, & passio, & propositiones quædam ad conuertentiam dici videantur; non subinde concludas affectionem hanc alijs à relatiuis accommodatam esse; Subiectum enim, & passio conuertuntur, atque adeò ijs conuenit conuertibilitas, quatenus æquè latè patent, & quanta est uniuersalitas unius, tanta est uniuersalitas alterius; quemadmodum homo, & risibile, his enim conuenit conuertibilitas, cùm æquè sit uniuersale extremorum utrumque; unde hæc est proprietas, & affectio rerum, vel terminorum inter se æqualis uniuersalitatis. Propositionibus conuenit conuersio, quâ unâ scilicet in aliam vertitur mutatâ, vel seruatâ quantitate ea, quæ diuiditur in simplicem, per accidens &c. At dici ad conuertentiâ solùm relatiuis conuenit acceptâ sensu iam explicato, quatenus mutua quædam denominatio est, ratione alicuius habitudinis atq; respectûs.

Quæ dam considera-tu digna. *Quarta* relatiuorum proprietas sic est ab Arist. declarata. *Δοκεῖ δὲ τὰ πρός τι, ἅμα τῇ φύσει εἶναι. καὶ ἐπὶ τῶν πλείστων ἀληθὲς ἔστιν* *Videntur autem, quæ sunt ad aliquid, simul naturâ esse quod sanè in plerisque verum est.*

Quarta relatiuorum proprietas, quòd sint naturâ simul. Quarta ergo relatiuorum proprietas est esse naturâ simul, itaut uno existente, aliud etiam existere necesse sit. Simul igitur naturâ dicenda sunt ea, quæ ita se habent, ut vicissim uno sublato, auferatur, & alterum, quemadmodum contra illud dicitur prius alio naturâ, quod non aufertur, altero ablato, hoc tamen aufertur ex ablatione illius. Hoc itaque sensu relatiua dicenda naturâ simul, quoniam dicere licet, si unum aufertur, auferri, & alterum. Ita planè si non sit pater, non erit filius, & si non sit filius, non erit pater: si non sit duplum, non erit dimidium, & si non sit dimidium, non erit duplum. Quòd etiam relatiua simul sint existentiâ, seu quòd simul existant, nouerat Archytas, dum dixit. *Τοῦ δὲ πρός ἕτερον πᾶς ἔχοντος, ἴδιον τοῦτο συμπάρχειν ἅμα ἀλλάλοις, καὶ ἀλλαλων δ' αἴτια εἶμεν. ἐὰν γὰρ διπλάσιον ᾖ ἀνάγκα καὶ ἥμισυ ἦμεν. εἰ δὲ καὶ ἡμίσιον ἀνάγκα καὶ διπλάσιον εἶμεν, αἴτιον τῷ ἡμισίῳ εἶμεν, καὶ τὸ ἡμίσιον τῷ διπλασίῳ εἶμεν.* *Ad aliud verò quodammodo se habentis proprium est sibi inuicem coexistere, & sibi inuicem causas esse; si enim duplex fuerit, necesse est, & dimidium esse: si verò dimidium, necesse est etiam duplex causam dimidio esse, & dimidium duplici esse.*

Hæc affectio relatiuis conuenit formaliter sumptis, nempè secundum relationes, seu denominationes relatiuas, & non secundum entitates absolutas acceptis; hoc enim sensu pater non est prior filio, sed simul naturâ cum eo; ita duplum non est prius dimidio, utroque formaliter accepto, sed naturâ simul dicitur esse cum illo. Ita pariter genus non est prius specie; tametsi nanque quoad primas intentiones non conuertantur, etenim etsi dicere possimus est homo; ergo est animal; non tamen contra, est animal ergo est homo; conuertuntur tamen quatenus substant secundis intentionibus, ac relationibus rationis, ut aiunt, generecitatis, & specieitatis. Hæc affectio relatiuis conuenit formaliter sumptis

Difficultas. Sed hîc non leuis difficultas occurrit; prius enim refertur ad posterius; est enim prius posteriore prius; si igitur relatiua sunt simul naturâ, consequens sit, ut quod est prius, simul sit cum eo, quod est posterius; ac proinde idem comparatione eiusdem dicatur prius, & non dicatur prius prioritate eodem modo sumptâ; ut enim prius refertur ad posterius, sic prius naturâ ad posterius naturâ; quod autem est prius, utique ex hypothesi erit naturâ prius; at quoniam refertur ad posterius dicetur non esse naturâ prius; sed potius naturâ simul, siquidem relatiua sunt simul naturâ; sequitur igitur, ut idem dicatur prius alio, dicaturque simul; quod quam sit absurdum, neminem præterit, cùm prioritas, & simultas sint oppositæ.

Solutio. Ingeniosa quidem difficultas, solutu tamen facilis; nihil enim obstat, quominus oppositæ de eodem prædicentur, dummodo tamen non eodem modo fuerint acceptæ. Quando enim dicimus prius est posteriori naturâ prius; accipimus prius essentialiter, & quidditatiuè; quando autem asserimus prius esse naturâ simul cum posteriori, sumimus simul denominatiuè, unde dici solet, prius *ut quid*, nempe se habet ut id, quod est prius, simul autem *ut modus*, nempè id, quod est prius, stat sub modo simultatis, eò quòd relatiua sunt.

Naturalis relatiuorũ simultas explicatur Proximum est, ut declaretur hæc naturalis relatiuorum simultas; Non unus tamen est explicandi modus, cùm plerique putent, eam per duas conditiones explanandam esse; quarum prima, quòd alterum cum altero conuertatur in subsistendi consequentia; Secunda, quòd neutrum sit alterius causa. Rem igitur sic declarant. Quandocunque duæ fuerint hæ conditiones obseruatæ, dabitur naturæ simultas; & illa duo, quæ inter se conferuntur, dicentur naturâ simul.

Hęc simultas conuenit relatiuis formaliter acceptis. Non inficiandum hanc simultatem conuenire relatiuis formaliter sumptis; unum enim cum altero conuertitur in subsistendi consequentia; cum posita se ponant, ac perempta se perimant, ut explicatum fuit; nec unum formaliter acceptum sit alterius causa; ille enim, qui est pater, quanuis sit causa, & quidem efficiens illius, qui est filius, tamen formaliter, ut pater dici causa non debet comparatione filij. Sed huiusmodi simultas non ea est, de qua loquimur; affectio, hæc enim tàm propriè conuenit relatiuis, ut alijs minimè conueniat; secus autem illa, de qua nuper dicebatur; conuenit enim alijs à relatiuis, puta duabus differentijs idem diuidentibus genus, altera enim cum altera conuertitur à subsistendi consequentia; si nanque diuidatur animal per rationale, & irrationale, utique rationale in ea diuisione infert irrationale, & vicissim hoc infert illud; neque una est causa alterius. Ita pariter intellectiuum, & volitiuum, unum enim infert

Digitized by Google

aliud, & viciſſim, neutrum eſt alterius cauſa.

Vera simultatis explicatio

Rectiùs igitur hæc explicabitur ſimultas relatiuorum dicendo in eo poſitam eſſe, ut relatiua formaliter accepta ita ſe habeant, quòd unum cum altero conuertatur in ſubſiſtendi conſequentia, ſeque mutuò inferant in exiſtendo, non utcunque, ſed ex formali propria ratione, & non ratione alicuius tertij, in quo uniantur, quemadmodum ſe habere differentias genus idem diuidentes adnotauimus; una ſiquidem exigit aliam non ex propria formali ratione, ſed potius ratione generis, quod ipſæ diuidunt. Sic etiam intellectiuum & volitiuum mutuò ſe exigunt non ex propria formali ratione, ſed potius ratione animæ, quam aſſiciunt, hæc enim dum participat intellectiuum, debet etiam participare volitiuum, & viciſſim. Et præterea, ut unum non ſit cauſa alterius, ſi tamen ut unque formaliter ſumatur, tunc enim id, quod eſſet cauſa, foret naturâ prius alio habente rationem effectûs; nihil tamen obſtat, ſi materialiter ſumantur, ut unum alterius cauſa ſit, quoniam naturalis ſimultatis affectio, non conuenit ipſis materialiter ſumptis, ſed formaliter potius acceptis.

Ratio huius affectionis.

Huius verò affectionis ratio, ea non immeritò perhibetur, quoniam ſi unum relatiuorum abſque alio ab intrinſeco eſſe poſſet ſine contradictione, certè foret ad ſe, hoc eſt abſolutum, non autem relatiuum. Hoc autem inde prouenit, quia cauſæ concurrentes ad relationem utramque, cuiuſmodi ſunt terminus, & fundamentum, ſe inuicem comitantur, cùm enim formale unius fundamentum, ſit formalis terminus alterius, & contra; propterea conſequens ſit, ut dum in uno extremorum relatio reſultat, debeat in alio ſtatim oppoſita correlatio inſurgere, ſiquidem in utroque extremo ponitur terminus, & fundamentum relationis utriuſque.

Num hæc affectio relatiuis omnibus conueniat.

Si quæras autem num hæc affectio relatiuis omnibus accommodata ſit. Oportebit diſtinguere, nam ſi relatiua diſformiter aſſignentur, nempè extremum unum in potentia, & aliud in actu, ut ſcibile in potentia, & ſcientia in actu, certè non omnibus relatiuis hæc affectio conueniet, non enim ex ſcibili in potentia ſcientiam in actu licet inferre; multa enim, quinimò plurima ſunt ſcibilia, quorum nunquam, nec data fuit, nec datur, nec dabitur ſcientia; at ſi uniformiter ſumantur, nimirum utrumq; extremorum in actu, vel utrumque in potentia; ſunt utique naturâ ſimul, mutuòque ſe inferunt, ut ſcientia in actu, & ſcitum, quod eſt ſcibile in actu, & contra; præterea ſcientia in potentia, & ſcibile, quod eſt ſcibile in potentia.

Quomodo ſuperius dicta intelligenda.

Hoc tamen intelligendum in ordine ad denominationem relatiuam, extrema nanque uniformiter aſſignata naturâ dicuntur eſſe ſimul quoad relatiuam denominationem, ſic enim aſſignata ſe inuicem relatiuè inferunt. At ſi ſimultas uſurpetur in ordine ad realem exiſtentiam, quemadmodum ſumi debet, ut hæc à præcedenti ſecernatur proprietate, *nimirum dici ad conuertentiam*, non conueniet omnibus relatiuis etiam uniformiter aſſignatis; dari enim poteſt ſcientia in actu de re quapiam actu non exiſtente, quæ tamen erit actu ſcita; unde mutuò ſe inferrent quantum ad relatiuam denominationem, non tamen quantum ad exiſtentiam, uti perſpicuum eſt.

Quomodo explicanda ut omnibus relatiuis hæc affectio conueniat.

Vt igitur uniuersè proprietas hæc ad omnia relatiua poſſit extendi; cogitandum erit ſimultatem hanc explicari poſſe pro exigentia, quam habent mutuam ſanè, quæ referuntur, quæque relatiua ſunt uniformiter tamen accepta, vel utrunque in actu, vel utrunque in potentia; non enim inficiandum à ſcientia in potentia coexigi ſcibile in potentia, & à cauſa in potentia, effectum in potentia, & contra; inſuper à ſcientia in actu coexigi ſcitum, quod eſt ſcibile in actu, & à cauſa in actu coexigi effectum in actu, & contra; ſi igitur per naturæ ſimultatem coexigentiam hanc intelligendam velimus; nulli dubium quin hæc affectio ad omnia relatiua ſe extendat; unde conuenit etiam ſcientiæ in actu de re ſcita, atque adeò ſcibili in actu, etiam actu non exiſtente; propterea quòd etſi ſcientia in actu non inferat exiſtentiam rei ſcitæ: tamen illam coexigit.

Difficultas præcedentis, ſimulque ſolutio.

Neq; dicas hoc eſſe mutuò ſe inferre quantum ad relatiuam denominationem, quod eſt dici ad conuertentiam. Nam huiuſmodi coexigentia arguit, illud inferri ſecundum relatiuam mutuam denominationem, dicique ad conuertentiam, non tamen contra; ita fit, ut dici quidem poſſint ad conuertentiam, quantumuis mutua hæc non detur coexigentia inter ipſa relatiua uniformiter aſſignata. Scientia enim, & ſcibile dicuntur ad conuertentiam, propterea quòd ſcientia, & ſcibile eſt ſcientiâ ſcibile; & nihilominus non adeſt connexio inter hæc extrema uniformiter aſſignata, quoniam ita conuertuntur, quanuis diſformiter aſſignata ſint, ſumptâ nimirum ſcientiâ in potentiâ, & ſcibili in actu; vel contra.

Aſſertio.

Aſſerendum tamen relatiua ipſa non dici naturâ ſimul, quoad relationem realem ex una parte, & etiam ex altera, vel ſaltem relatione rationis ex hac altera parte; ſed potius ſufficere, ut naturâ ſimul ſint quo ad relationem intrinſecam ex una parte, & extrinſecam realem denominationem ex altera.

Aſſertionis prooe mio.

Non requiri realem relationem ex utroque extremo perſpicuum eſt de ſcientia, & ſcibili, non enim in ſcibili realis datur relatio, & tamen ſcientia, & ſcibile ſecundum coexigentiam explicatam, dicuntur naturâ ſimul. Nec eſt opus relatione rationis, quoniam dari poteſt totum, quod reale eſt, & realis illa relatio abſq; relatione rationis actu ab intellectu effecta, nec propterea quòd intellectus ab hac relationis effectione ſe abſtineat, tollitur vera relatio realis in eo, in quo eſt, ſed eo ipſo, quòd in uno extremorum relatio datur terminum quidè reſpiciens, omninò datur denominatio, etſi extrinſeca in termino, unde ſe mutuò inferunt, ac proinde dicere valebit, ſi obiectum non datur viſum, non datur viſio; ſi non denominatur ſcitum, non datur ſcientia; & ſi non denominatur potens videri, nec dabitur potentia apta ad videndum; & ſi non denominatur potens ſciri, nec poſſibilis erit ſcientia, ſeu dari non poterit potentia apta ad ſciendum.

Prima difficultas.

Occurrit tamen illud facile ſolutu, quòd Philoſophus hanc proprietatem docet non eſſe communem relatiuis omnibus, ſed in quibuſdam unum prius eſſe naturâ altero, ut ſcibile eſſe prius ſcientiâ, & ſenſibile ſenſu; nam ablato quidem ſcibili, & ſenſibili auferetur ſcientia, & ſenſus: non tamen contra ablatâ ſcientiâ, & ſenſu, auferetur ſcibile, & ſenſibile, quin potius ſcibile præexiſtere ſolet antea ſcientiam, & ſenſibile ante ſenſum.

Solutio.

Non propterea recedendum à dictis, nimirum hanc affectionem, proprietatemve communem omnibus eſſe relatiuis; nam Philoſophus ſolùm accepit ex una parte ſcientiam, & ſenſum in actu; ex alia verò ſcibile, & ſenſibile in potentia, quod videlicet ſciri, atque ſentiri poteſt. Hanc ob cauſam pronunciauit ſcibile, & ſenſibile eſſe naturâ prius ſcientiâ, & ſenſu, non enim ſequitur ablatâ ſcientiâ, & ſenſu in actu, hoc eſt ſcientia, quam intellectus actu habet, & ſenſatione, quam actu ſenſus exercet, auferri ſcibile, & ſenſibile etiam quantum ad denominationem ſcibilis, & ſenſibilis in potentia; hæc enim adhuc ijs de medio ſublatis in rerum natura ſubſiſtunt. Hoc expreſſit Philoſophus dicens. *Si ſcientia non ſit, nihil prohibet eſſe ſcibi-*

scibile; ut *circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem eius nondum est, ipsa verò scibilis est*. Cùm igitur difformiter relationis extrema tunc assignauerit, non mirum si hæc affectio huiusmodi relatiuis accommodata non sit, nam ipsam relatiuis uniformiter acceptis consentaneam esse docuimus.

Quinta re latiuorum proprietas, ut sint simul cognitione.

Quinta, & postrema relatiuorum affectio, quam Philosophus relatiuis secundo loco à se definitis attribuit ea est. Ἐκ δὲ τούτων δῆλον ἔσται, ὅτι ἐάν τις εἰδῇ τι ὡρισμένως οὗ πρός τι, καὶ ἐκεῖνο, πρός ὃ λέγεται, ὡρισμένως εἴσεται. *Atque ex his manifestum est, si quis definitè quidpiam nouerit, quod sit aliquid, etiam id, ad quod refertur, eum definitè cognaturum esse*. Nempè ut sint simul cognitione, atque definitione, qua in re non leues difficultates occurrunt. Sunt, qui putant proprietatem hanc in simultanea intelligentia quantum ad esse relatiuum extremi utriusque consistere, quemadmodum superior affectio in simultanea existentia extremorum posita esse dicebatur. Iuxta igitur hunc explicandi modum res intelligenda sic erit; quemadmodum repugnat patrem existere quin existat filius: ita cognosci patrem ut patrem, siue secundum rationem patris, quin cognoscatur filius, ut filius, seu secundum rationem filij; hinc unum relativum debet per aliud cognosci, ac definiri. Et hoc est, quod dici solet, relatiua esse simul cognitione, atque definitione, seu non posse unum, nisi simul cum altero cognosci, ac definiri.

Quorundam explicatio.

Reijcitur.

Non dissimulandum hoc ineptè colligi ex verbis, quibus est usus Stagirites in relatiuorum categoria; dum enim ibi ait, si definitè cognoscatur unum relativum, cognosci etiam & alterum, aduerbium *definitè* sumpsit pro determinatè, nec definitionem insinuare intendebat. Fatendum tamen in 6. Top. cap. 3. docuisse relatiua per se inuicem definiri.

Proprietas tamen hæc quanuis à quibusdam dicatur non absolutè necessariò conuenire relatiuis, nec propriè relatiuis prædicamentalibus accommodata; re tamen verâ secus de ipsa sentiendum.

Assertio.

Existimandum enim affectionem hanc omnibus relatiuis conuenire; non eo tamen sensu, quo ex quorundam opinione id intelligendum retulimus, quasi relatio paternitatis distinctè cognosci non possit sine cognitione oppositæ relationis in filio, nec eum definire liceat, nisi in definitione filius ut filius assumatur. Sed potius dicendum proprietatem hanc sic explicandam esse, ut nuper innuimus.

Hoc adeò splendidè constat, ut vix probationem requirat. Perperam priori modo explicatam fuisse, inde mihi perspectum, quoniam eæ oriuntur difficultates, quas inferius intelliges.

Assertionis probatio.

Ex aduerso autem idoneam explicationem esse, quam attulimus ex eo palam, quoniam relatio, atque adeò relativum, ut explicetur, cognoscatur, atque definiatur, satis superque terminum assumi, quem relatio, ac relativum respicit; terminum autem esse absolutum quidpiam superiùs declaratũ fuit, cùm ostenderemus relativum non respicere aliud, prout hoc relatione afficitur; propterea consequens fit, ut relativum distinctè cognoscatur, probèque definiatur per id, quod est absolutum in termino.

Confirmatio.

Neque mirum, quoniam exacta relationis cognitio, quæ per definitionem comparatur à fundamento solùm, terminoque pendet secundum quod hic absolutum importat.

Hoc etiam validissima ratio confirmat; si nanque definiendum sit relatiuum per suum correlatiuum, utroque formaliter accepto, ex. gr. pater per filium, dicendo pater est, qui filium habet, nulli dubium, quin sequutura sit nugatio, imò quòd ignotum per æquè definiatur ignotum, etenim loco nominis filij, substitui definitio potest, vel etiam Philosopho docente. At filij definitio foret, qui habet patrem, unde redderetur illius definitionis sensus; pater est, qui genuit eum, qui patrem habet, unde nugatio. Accedit, quòd æquè ignotus est filius, ac pater; ac propterea definiretur ignotum per aquè ignotum, imo idem per idem reclamantibus Dialecticis, apud quos nihil magis decantatum, quàm definitionem tradendam esse per notiora, atque manifestiora, alioquin committitur circulus, quem vitiosum esse, & in demonstrando, & in definiendo, testis est Aristoteles, præsertim dum ait. *Non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profectò bis esset dictum*. Quamobrem inficiatur intellectum terminari ad intelligibile, prout huiusmodi, & quantum ad relatiuam ipsius denominationem; alioquin idem bis diceretur, & explicaretur per idem, nimirum intelligibile est, cuius est intellectus, & intellectus est eius, cuius est intellectus; propterea contingeret inutilis eiusdem repetitio, atque idem per idem definiretur, in quo circuli ratio consistit. Ita planè si pater per filium modo superius dicto susciperetur definiendus, nam circulus comitteretur; dicendo enim pater est, qui genuit eum, qui habet patrem, utique pater per se ipsum definiretur. Non igitur, cum dicitur relatiua esse simul cognitione, atque definitione, intelligendum, nisi ut à nobis explicatum fuit.

Top. 6.

5. Diuin. cap. 15.

Supradictorũ confirmatio.

Hæc non immeritò dicta quidem à nobis intelliges, quoniam fundamentum, ac terminus necessariò pariunt relationis notitiam; propterea hæc eadem extrema cuiuscunque relationis cognita, necessariò parient cognitionem utriusque relationis mutuæ; sunt enim fundamentum, ac terminus causæ omninò naturales, unde consequens, ut necessariò causent cognita cum fuerint, cognitionem relationum; ob id cognitio paternitatis pendet ã fundamenti cognitione in patre, & absoluti in filio, definitè propterea cognoscens patrem definitè quoque cognoscit rem, quæ est pater, & rem, quæ est filius, atque adeò res, quæ est pater, & res, quæ est filius causæ naturales cùm sint, necessariò causant cognitionem relationum paternitatis, & filiationis. Cùmque tota relationis notitia ex extremorum cognitione dependeat, consultò propterea Philosophus dicebat, si indeterminatè, & in uniuersali cognoscatur pater, indeterminatè quoque, & in uniuersali cognosci id, cuius est pater, & si determinatè cognoscatur talis pater, determinatè pariter cognosci terminum ipsius, nimirum talem filium, ac ob id quòd est talis pater, & quòd sit talis filij pater.

Admittendum unũ relativum per aliud relativum definiri,

Quanuis autem Philosophus dicendo, si definitè cognoscatur unum relatiuorum, debere definitè cognosci etiam & aliud, noluerit significare relativum unum per aliud esse definiendum, ut superiùs innuimus, sed potius quod nuperrimè dictum est; nihilominus adhuc illud admitti potest, unum per aliud definiri, puta relativum per correlativum fundamentaliter acceptum, hoc est per id, quod est fundamentum correlationis. Hoc profectò fuit Philosophi consilium, quando sit admittendum ipsum existimasse suis illis verbis significare voluisse, relativum per correlativum esse definiendum, quod forsan alibi ab eo pronunciatum non obscurè constat; eòq; magis est ita sentiendum, quòd ab eo id obseruatum fuisse facile est colligere pluribus ex locis; præsertim ubi ipse definit similia, ait enim, *similia esse, quorum qualitas est una*; itemque definiens æqualia, hæc ait esse, *quorum quantitas est una*. Imò contendens definire seruum ait. *Seruus secundum naturam est, qui cum sit homo*

5. Diuin. cap. 15.

1. Polit. cap. 15.

mo non est sui ipsius, eòquòd non possit se ipsum regere propter hebetudinem mentis, sed est alterius, eò quòd ab altero regi debet. Vbi luculenter cernitur, nimirum in omnibus hisce locis nunquam ab eo definitum fuisse relativum per eius correlativum formaliter acceptum, sed potius materialiter sumptum.

Quorundam responsio.

Sunt tamen, qui putant superioribus difficultatibus se sufficienter occurrere dicendo, haud necessarium in relatiuis, ut quidquid ingreditur definitionem sit prius, ac notius definito, sed tantùm in absolutis; locoq; nominis in definitione positi, adhiberi definitionem eiusdē non posse, quando illud ponitur in definitione tanquam pars definitionis intrinseca, sed non tanquam merè additum ab extrinseco, ut in re, de qua agimus, sic enim putant incommoda illa vitari. Imò addunt, quando dicitur relativum non esse definiendum per correlativum, sed per fundamentum ipsius; debere id intelligi de definitione data per prius, & notius, non autem de definitione absolutè.

Reijcitur.

Sed quàm insulsè, & quàm ineptè hæc ab ipsis dicantur facilè ex eo constabit; quoniam omnia, quæ adhibentur in definitione debent nos ducere in cognitionem rei definitæ; id autem præstare non possunt, nisi manifestiora, clarioraque sint re definitâ, siue hæc absolutum sit quidpiam, siue relativum; non enim eò quòd res definienda relatiua sit, explicari potest per id, quod obscurius, vel æquè obscurum est, propterea quòd à relatione rei definitæ non habet aliquid, ut si sit ignotius, vel æquè ignotum, quod contingit in definitione circulari, dum idem est res definita, & id, per quod definitur, ut quando definiuntur relatiua per se inuicem formaliter sumpta, non habet inquam, ut possit ducere in cognitionem rei definitæ. Idem enim esset notius, & ignotius se ipso.

Plurimum tamen negotij faceſſit, quod de relationibus diuinis dici solet, nempe quòd illæ respiciant formaliter suos terminos quoad relationes mutuas, ac proinde non posse definiri per id, quod est absolutum in termino, non enim relatio in diuinis re ipsâ distinguitur à diuina natura. Difficultas ex diuinis relationibus.

Iata tamen disparitas, quoniam relatio ibi suppositum constituit in esse personæ ab alia realiter distinctæ, nec ante relationem intelligitur in ratione personæ distincta, nec quidpiam habet, quo personalem relationem terminet; secus in creatis, in quibus prius intelligitur res absoluta secundum entitatem suam, secundum quam terminare potest relationem alterius extremi. De hoc tamen alibi. Solutio.

Superest difficultas diluenda. Quod est prius origine alio, nequit esse simul cognitione cum illo; & si simul est cognitione, nequit esse origine prius. At in relatiuis se habentibus, ut causa, & effectus, causa est prior origine effectu, ut pater respectu filij; quanuis enim sint naturâ simul, nihil refert, quoniam prioritas originis cohæret cum simultate naturæ. Quod autem si relatiua sint simul cognitione, consequens fiat, ut unum nequeat esse prius origine alio, inde fit exploratum; quoniam aliqua possunt habere ordinem in intellectu, quanuis extra intellectum habere nequeant; quæ autem nullum habere ordinem possunt in intellectu, cuiusmodi sunt ea, quæ sunt cognitione simul, nec ullum extra, eo quòd hæc simultas maxima cum sit, videtur omnem à parte rei ordinem prioris, atque posterioris destruere. Alterius difficultas.

Occurritur facilè; nam mala est consecutio, & inualida eius probatio. Esse enim simul in intellectu gemino modo contingit, vel quòd illa simultas dicit modum obiectorum prout ad actum intelligendi comparantur; vel prout dicit modum ipsorum secundum se. Solutio.

DISSERTATIO XX.

De Vltimis sex Prædicamentis.

Sex reliqua prædicamenta non negligenda.

Tametsi hæc à nonnullis omittantur prædicamenta, quæ etiam & Aristoteles ipse adeò paucis est persecutus, ut omisisse ea ferè videatur, unde Gilbertus Poretanus operæ pretium duxit eius defectum supplere; nos tamen in eorum tractationem incumbere opportunum existimamus, cùm eorum cognitio non mediocriter conducat ad mentis operationes dirigendas, siquidem ijs comprehenduntur multa, quæ passim in natura rerum occurrunt. Sunt autem, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, & Habere, de quibus nec prolixè, nec parcè differendum.

SECTIO PRIMA.

Dè Sex Prædicamentis in communi.

SVspicabitur quispiam immeritò quęri communem quandam rationem, in qua sex ista prædicamenta conueniant, eo nomine, quoniam si in aliqua communi ratione conuenirent, non forent prædicamenta distincta, sed potius unum ex his omnibus contextum.

Sex reliqua prędicamenta in communi quadā ratione conueniūt

Certè tamen hoc non officit; quemadmodum enim nouem prædicamenta solent assignari, quæ in communi ratione conueniant accidentis, ita ut huius communitas ac unitas, eorum distinctioni non officiat, nec propterea prædicamentum unum à substantia distinctum constitui debeat, quin potius nouem rectè assignata censeantur, etsi in communi accidentis ratione conueniant; ita pariter hæc sex prædicamenta rectè quoque distinguentur, neque unicum ex ipsis contextum assignandum, eò quòd in communi quoddam conceptu, qui inferior sit accidenti, conueniant. Meritò igitur, etsi detur aliquid commune illis factum est; ut plura hæc prædicamenta sint distributa, in quorum singulis dentur genera summa, & gradus intermedij.

Quanuis itaque non erat necesse communem aliquam, peculiaremque rationem his prædicamentis assignare; non tamen id ineptè factum existimandum.

Non sit necesse communem rationem his prædicamentis assignare.

Non utique necesse, quoniam nec ad coordinationem ipsorum id ullo modo conducit, cùm hæc à generibus summis ipsorum petenda sit. Nec ad eorundem distinctionem à prædicamentis reliquis, cùm satis, superque singula per proprias rationes à reliquis distingui possint. Nec ob aliam denique necessitatis causam, quasi nimirum communem hanc assignando rationem, vel denarium prædicamentorum numerum tueri liceat, ad hoc enim nihil confert; vel ad explicandum

Digitized by Google

candum cur postremo loco tractentur, cùm id aliunde petendum sit. Necessitas igitur nulla, quâ id coacti fateri debeamus.

Non ineptè tamen hoc factum fuisse, cuique perspectum erit, si diligenter attendat hinc etiam intellectum lucri aliquid ad proprias operationes dirigendas comparare.

Vt autem assignetur commune quidpiam, illud occurrit, quod assignatum fuit relatiuis prædicamentalibus, idem enim his sex prædicamentis commune erit; nam hæc cum illis in eo conueniunt, quod omnia duo quædam exigant, inter quæ dicantur, ita ut unumquodque ipsorum duo quidem importet, inter quæ repetiatur. Ita sanè relatio se exercet inter subiectum, & terminum. Actio inter agens, & effectum, siue passum. Passio inter subiectum, & formam, siue agens. Vbi inter locatum, & locum. Situs itidem inter locatum, & locum prout quidam modus concernitur. Quando inter rem, & tempus. Habere inter corpus, & vestem. Hoc igitur modo præcipuè inter se conueniunt, cùm alioquin detur id, quod est commune omnibus accidentibus, nimirum duo quidem importari, quorum unum sit accidentaria forma, aliud autem subiectum.

Illud addendum non uno, eodemque modo hæc omnia dici inter duo extrema versari, quin potius aliqua dici magis propriè ratione alicuius modi, rebus ipsis superadditi existentis in re una tanquam in subiecto, & attingentis alteram tanquam terminum: alia dici solùm per modum extrinsecæ denominationis ex rebus ipsis desumptæ, ut prædicamentum Habere, & si quæ sunt alia.

SECTIO SECVNDA

De Prædicamento Actionis.

VT à definitione ducamus exordium. Actio prout quintum prædicamentum constituit, sic ab Autore sex principiorum definitur. *Actio est, secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur.* Vnde videtur Aristotelem imitatus dum qualitatem explicare contenderet.

Aduertendum porrò, ut hæc actionis definitio omnibus actionibus conueniat, siue immanentibus; siue transeuntibus, ac ob id in subiectum ab agente distinctum, dum in definitione dicitur *in id, quod subijcitur*, non intelligendum præcisè quidpiam ab agente distinctum, sed potius vel distinctum, vel non distinctum, ita ut idem sit, quod actionem exercet, & quod actioni subijcitur; atque hunc in modum hâc definitione omnes actiones comprehenduntur, quæ in aliquo exercentur subiecto.

Difficultas tamen de creatione occurrit, quæ actio utique est, cùm in nullo tamen exerceatur subiecto. Communi tamen Philosophorum cõtentu genus istud actionis ab hoc prædicamento reijcitur, quod etiam de vitalibus actionibus sentiendum existimatur.

Plerique in ea sententia versantur, ut arbitrentur actionem esse respectum agentis ad passum, quo agens dicatur formaliter agens, & quidem formaliter, quoniam ex eorum sententia agens efficienter non dicitur agere actione, sed suâ virtute absolutâ, ut ignis effectiuè dicitur agere calore, formaliter tamen actione; aliter enim calidum apud ipsos calore calefacit, aliter calefactione, quoniam calore calefacit, ut principio effectiuo, & fundamentali, quod agendi ratio dicitur: calefactione verò, ut principio formali denominandi calidum agens, quo pacto illa definitionis particula, *secundum quam* dicit habitudinem causæ formalis, & formæ proximæ denominantis agens. Deinde explicant particulam illam *in id, quod subijcitur*. & aiunt eam positam esse ad differentiam productionis, quæ respicit pro termino non subiectum transmutatum, sed formam in illo productam, ut calorem in aqua, unde est respectus intrinsecus aduenies pertinens ad quartum prædicamentum; at verò actio, inquiunt, pro termino respicit subiectum transmutatum, estque respectus extrinsecus aduenies, quoniam ut insurgat extremorum approximationem exposcit, ut enim inter ignem, & aquam respectus calefactionis resultet, debet aqua illi approximari.

Superior explicandi modus reijcitur.

Quanuis autem hæc ingeniosè dicantur, tanta tamen respectuum multiplicatio non arridet; Præstat enim dicere quod *Actio sit entitas modalis, transcendentaliter relatiua; & rectè dicatur actus accidentalis, per quem formaliter efficiens causa suum producit effectum.* Actio enim est illa specialis dependentia, quam habet effectus, ut prodiens, & exiens à causa agente.

Actionis optima definitio.

Actus accidentalis ponitur loco generis, & intelligi debet eo sensu, ut agenti, & effectui, qui producitur, accidentalis sit extra nimirum essentiam ipsius.

Si autem creatio, itemque actio vitalis spectare dicatur ad essentiam rei, quæ producitur, neutra ipsarum ad hoc prædicamentum pertinebit, sed potius ad illud, in quo rei suam obtinet sedē. At si credatur accidentalis, non secus ac aliæ sunt actiones, extra essentiam rei scilicet productæ, tunc eas hoc prædicamento comprehendi nihil prohibebit. Dum autem dicitur *actus, per quem formaliter*, utique distinguitur à potentia agentis, & ab omni forma se habente per modum principij ad agendum, quæ propterea dicitur actus primus actioni præsuppositus, à quo causa non dicitur formaliter agere, sed potius actiua, seu potens agere. Dum præterea dicitur *per quem effectiua causa producit effectum*, actio ab omni alia causalitate, speciatim autem à passione, secernitur, quæ de subiecto dicitur recipiente formam.

Sed quanam actiones, & quâ ratione ad hanc pertineant categoriam proximum est, ut explicetur.

Actio duobus modis potest usurpari pari.

Quia tamen actio gemino potest usurpari modo; primò pro illa, quæ termini productio est, atque adeò agere pro actu efficiendi, ac producendi. Secundo prout est transmutatiua subiecti, ita ut pro termino respiciat non effectum quendam per ipsam factum, sed potius subiectum aliquod per ipsam transmutatum. Vnde rem sic explicant; dum ignis calefacit aquam, calefactio duobus modis considerari potest; primo prout respicit calorem tanquam terminum; secundo prout, respicit aquam subiectum transmutatum per calorem tanquam terminum. Respectum causæ producentis ad effectum productum ad quartum prædicamentum reijciunt, veluti respectum, ut ipsi loquuntur, intrinsecus aduenientem: respectum autem causæ transmutantis ad subiectum transmutatum, in hoc prædicamento, ut extrinsecus aduenientem, constituunt.

Vna & eadem entitas habet rationem productionis, & transmutationis.

Attamen citra necessitatem tot certè multiplicantur respectus re ipsâ distincti; sed potius existimandum unam, ac eandem entitatem transcendentaliter relatiuam esse actionem, quæ secundum diuersum considerandi modum sortitur rationem productionis, & transmutationis; prout enim est actus, quo agens dat esse effectui, dicitur productio, prout autem est actus, quo agens producit formam, & per hanc transmutat subiectum, dicitur transmutatio, & utroque modo ad hoc pertinet prædicamentum. Non inficiandum tamen definitionē allatam ab Autore sex principiorū, conuenire potius actioni, prout hæc est transmutatio; propterea quòd

quòd cum dicitur actio esse secundum quam, in id, quod subijcitur, agere dicimur, profectò id, quod subijcitur actioni agentis, non est effectus per ipsam productus, si propriè loquamur, sed potius materia, circa quam agens operatur, unde ignis dicitur calefacere aquam, & non calorem; sic etiam aqua dicitur calefieri, non calor; subiectumque dicitur passum, non autem effectus, siue forma in subiecto producta, & passio in subiecto est, non in effectu; agens igitur, ut respicit passum, non est productio, sed transmutatio.

Ratione suadetur.

Et certè hoc idem quoque conuincitur, ex eo quia loquendo de potentia agentis naturalis, dici solet, nempè *Potentia actiua principium transmutandi aliud in quantum aliud*, ob id actio huiusmodi potentiæ respondens, est propriè transmutatio alterius in quantum aliud, & hæc est actionis ratio, in quam cadit definitio ab Auctore sex principiorum tradita, ut nimirum sit actus, quo agens transmutat aliud in quantum aliud.

5. Diuin. Tex. 16.

Actio, quæ absolutè productio dicitur, ad hoc prædicamentum pertinet.

Absolutè tamen loquendo ad hoc prædicamentum spectabit etiam actio, quæ productio dicitur; unde quæ geminam rationem obtinet, & transmutationis, & productionis, non solùm ut transmutatio, sed etiam ut productio, quatenus scilicet est actus, quo agens facit aliud, ad hoc prædicamentum spectabit.

Ratione suadetur.

Nec immeritò, propterea quòd hoc loco de Actione fit sermo, quâ agens ex non actu agente fit actu agens, siue id cum transmutatione subiecti, siue absque tansmutatione contingat. Quod inde mihi persuasum est, quoniam hæc actio, siue hæc actionis ratio debet ad aliquod ex prædicamentis pertinere; licet autem quando ipsa fuerit idem re cum effectu, ad effectûs prædicamentum spectare possit, ut mox intelliges; non sic autem quando distinguitur.

Actio duplex.

Gemina autem actio solet assignari. Vna, quæ verè productio est termini, qui fit per ipsam actionem, ut calefactio in ordine ad calorem, generatio in ordine ad substantialem formam. Altera, quæ solùm attingit aliud per modum tendentiæ, etiam si illud in suo esse supponat, ut omnis actus vitalis, siue cognoscentis, siue appetentis potentiæ. Sunt, qui utrumque Actionis genus in hoc prædicamento constituant, quoniam, quæ attingunt aliud per modum tendentiæ, dicuntur etiam actiones, ut actio videndi, actio intelligendi, unde dicitur intellectio, volitio, quemadmodum calefactio, & generatio. Hoc autem enunciant Aristotelis præsertim auctoritate suffulti, qui inter species Actionis, & Passionis non solùm posuit calefacere, & frigefacere: calefieri, & frigefieri: sed etiam delectari, & tristari.

Assertio.

Nobis tamen longè magis eorum probatur consilium, qui dicunt ad præsentem categoriam solam illam actionem spectare, quæ sui termini productio est, comprehendendo tamen conseruationem quoque, cùm ea sit, veluti continuata productio. Aliam autem consistentem in actu se habente per modum tendentiæ ad aliud, hoc prædicamento minime comprehendi.

Prima ratio.

Pluribus autem modis hæc veritas innotesceret. Primò si in actibus vitalibus eliciendis censeatur distingui terminus ab actione, ita ut terminus producatur per actionem distinctam, ut speciatim plerique de intellectione sentiunt, existimantes per intellectionem produci imaginem expressam obiecti, quam verbum mentis appellant, & intellectionem ipsam, actionem seu productionem esse, per quam talis terminus fiat, ac producatur, tuncque terminus ille non ad actionis, sed qualitatis prædicamentum spectabit; actio verò ab ipso termino distincta in hoc prædicamento sedem obtinebit. At si terminus non fuerit productus per actionem distinctam, perperàm ad hoc prædicamentum reuocaretur; foret enim eiusdem rationis, cum termino producto per actionem distinctam; ut igitur hic quanuis tendentiam dicat ad obiectum in actionis prædicamento constitui non potest; sic neque terminus dicens itidem tendentiam ad obiectum non productus per actionem distinctam ad actionis, sed qualitatis pradicamentum spectabit.

Secunda ratio.

Secundò hoc idem efficaciter inde suadetur; quoniam illa tendentia ad obiectum nequit esse causa, cur huiusmodi actus ad actionis prædicamentum reducantur, alioquin & habitus, & impressa species habentes non dissimilem tendentiam ad illud idem, ad quod actus tendere dicuntur, ad prædicamentum istud pertinerent; cùm tamen communi Sapientum consensu ad prædicamentum qualitatis, attineant.

Tertia ratio.

Tertiò sola quidem actio, quæ productiua dicitur, transitus quidam est ac via ad effectum, nec est forma in se ipsa sistens in essendo; at verò actus cognitionis, & appetitûs forma quidem est in se sistens in essendo, nec via est tendens ad constituendum obiectum in rerum natura, quanuis tendentiam habeat per modum respectus, quo certè non utitur natura ad dandum esse obiecto ad quod tendit: propterea non pertinebit actus ullus ex istis ad pradicamentum actionis, quæ via est ad effectum, sed qualitatis.

Quarta ratio.

Quartò re verâ longè diuersa est actionis ratio, qua productio dicitur, ac illius, quæ productio non est; nam per illam, causa dicitur agere, seu facere id, quod est eius terminus & quod attingit; unde agens, ac efficiens denominatur, ut ignis dicitur per calefactionem agere, & efficere calorem, quem attingit; per generationem, efficere ignem, quem itidem attingit, unde sortitur agentis, ac efficientis nomenclaturam; non sic autem actio, quæ non est productio, quæque consistit in actu tendente in aliud, non enim per hanc actionem causa dicitur agere, vel facere id, ad quod tendit, sed tantùm illud dicitur attingere; ut videns non dicitur agere, vel facere obiectum, sed solùm illud visione quidem attingere. Itaque commune utrique causæ est per actionem aliquid attingere, hoc tamen discrimine, quòd causa, quæ per actionem agit, cui conuenit productionis ratio, dicatur agere, ac facere id, quod attingit: sed quæ per aliam actionem, dicatur tantùm attingere id, quod attingit.

Nec certè hæc ratio ex modo loquendi desumpta magni fieri deberet, nisi loquendi modus supponeret fundamentum in re.

Concludendum igitur Actioni, quæ in actu consistit tendente in aliud, hoc in prædicamento locum non deberi, ubi tantùm constituenda est illa, quæ verè ac propriè productio dicitur.

Actio productiua duplex.

Quia tamen productiua actio gemina esse potest, pro ut effectum à causa produci bifariam contingit, vel per actionem distinctam, ac mediam inter causam, & effectum, uti sunt ea, quæ permanent postquam suum esse à causa receperunt, etiam non perseuerante actione. Vel per actionem indistinctam. Priori modo censetur actio, quâ calidum calorem producit. Secundo modo creatio, quâ naturæ Auctor effectus producit, & actio vitalis quæcunque, qua nimirum viuens operatur.

Non utraque actio pertinet ad prædicamenti Ratio.

Non utramque actionem ad prædicamentum hoc attinere putandum, sed illam tantummodo, quæ à termino distinguitur. Hoc autem val *idissima ratio* conuincit; quoniam si quæ actio est à *rebus indistincta*, ea profectò est dependentia essentialis effectui, quemadmodum alia sunt prædicata essentialia, seque habet tanquam differentia talem essentiam constituens; propterea in eodem prædicamento, in quo & res ipsa, constitui debet.

Neque

Difficultas præoccupata frmulq; diluitur.

Neque perturbet, quòd actus vitales actiones dicantur, non enim propterea actiones, quibus producuntur ad hanc spectabunt categoriam; distinctę siquidem non sunt ab effectibus suis, imò in eorum essentijs inuoluuntur; dicuntur tamen actiones grammaticè quatenus per verbum activum significantur non physicè, & nomine quidem, sed non re.

Et quanuis Philosophus inter species actionis non solùm calefacere, & frigefacere, & inter species perpassionis calefieri, & frigefieri, sed etiam delectari, & tristari, recensuerit. Hoc nihil planè, cùm huiusmodi exempla solùm protulerit ad designandam actiuorum contrarietatem quæ certè inter actus gaudij, & tristitiæ reperitur, quam inter veras actiones admueniri contendebat. At in exemplis non spectanda veritas, sed claritas.

An sola actio transiens ad hoc prædicamentum attineat, an etiam immanens.

Est etiam inquisitione dignum, an sola actio transiens ad hoc prædicamentum attineat, an etiam immanens.

In hoc non secus philosophandum, ac supra; si nanque effectus non fuerit productus per actionem distinctam, cuiusmodi sunt vitales actus, de quibus nuperrimè verba fecimus, & de quibus etiam aliquando Philosophus est loquutus, huiusmodi actio profectò in hac, in qua sumus, categoria nullum habebit locum. At si producantur per actionem distinctam, tunc actio ad hoc prædicamentum spectabit; non solùm ut est transmutatio subiecti, sed prout etiam est termini productio. Quæ adeo patent, ut nullâ probatione opus sit.

Prima difficultas.

Neque momenti aliquid habet, ad ostendendum actionem illam, quæ à termino non distinguitur, cuiusmodi est actio immanens, à vitali principio prouenies, quòd Philosophus vitales operationes, & actiones vocauerit, uti sunt lætari, & tristari; Nam quomodo id sit usurpandum, paulò superiùs explicatum fuit. Vt omittam, ab eo sic illas appellatas fuisse ob maximam similitudinem, ac affinitatem, quam cum actionibus propriè dictis, habent, quatenus earum esse consistit in fieri cum continua dependentia ab agente. Vel forsan illas sic appellandas duxit, quoniam in actibus vitalibus semper interuenit actio propriè sumpta, dum scilicet obiectum potentiam sic immutat, ut hæc ab illo pati dicatur.

Secunda difficultas.

Suspicabitur quispiam actionem immanentem, quanuis distinctam à termino ad hoc non spectare prædicamentum, quippè quæ vera actio non sit, eo nomine quòd potentiam actiuam, ad quam actio spectat Philosophus definierit principiũ transmutandi alterũ inquantum alterũ. Si igitur potentia actiua non est in ordine ad id, in quo est, quoniam id non est alterũ, ergo nec etiam actio, quæ est actus illius. Sed hinc nihil concluditur, nam si rectè attendas, Philosophus ait, potentiam actiuam esse principium transmutandi alterũ, addit tamen prout alterum est, hoc autem nil aliud sibi vult, quàm actiuam potentiam esse principium activum secundum rationem unam, secundum quam passum non patitur, sed potius secundum aliam, in quo agens aliud esse à passo, consistit; quod eleganter expressit exemplo Medici non uno in loco; Medicus enim sanat se ipsum, qui tamen non est aliud à se ipso, sed quatenus Medicus est sanans, & est aliud à se ipso quatenus sanatur; propterea quòd quatenus infirmus, non quatenus Medicus sanatur.

An sola actio successiua, an etiam instantanea pertineat.

Solet etiam in dubium verti num ad hoc prædicamentum sola Actio successiua, an etiam instantanea pertineat.

Et quanuis plerique putarint instantaneam actionem ex hac reijciendam esse categoriam; oppositum tamen longè semper mihi probabilius est visum. dicamentum pertineat.

Actionis enim instantaneæ conuenit quidquid necessarium est, ut inter actiones huius ordinis recenseatur, cùm inter requisita non sit adnumeranda successio. Assertio.

Illud itidem addendum, quòd huiusmodi actionis genus ad aliquam reuocandum utique categoriam; at si quæ videretur, præsertim esset illa, ad quam eius terminus pertinet. At hoc admisso, haud satis potest intelligi, cur actio successiua, distincta tamen à termino, ad prædicamentum sui termini non pertineat, non enim successioni potest id acceptum referri, ergo &c. Ratione suadetur.

Et nihil interest, quòd Philosophus pronunciauerit, actionem esse motum, proindeque successiuam, cùm motus successivus sit. Nam is, vel non de omni actione sermonem habuit, vel non sumpsit motum speciatim pro illo tantùm, qui successivus est, sed generatim prout etiam complectitur illum, qui momento perficitur. 5. Phis. Tex. 19.

An sola actio accidentaria an substantialis etiam &c. Assertio.

Quæri itidem à plerisque solet, an sola Actio terminata ad accidens, quæ propterea accidentaria dicitur, an etiam terminata ad substantiam, substantialis ob id nuncupata, ad hoc prædicamentum spectet.

Ratio mihi suadet prædicamentum hoc non arctandum esse ad actionem tantùm substantialem, ita ut accidentaria ex eo sit reijcienda.

Ratione suadetur.

Substantialis enim generatio accidentariæ naturæ est, nec substantialis dicitur, nisi quia substantialem terminum habet; si igitur ad prædicamentum istud actio accidentariæ pertinet naturæ, cùm substantialis quoque huiusmodi sit, solùm per extrinsecam denominationem à termino sumptą substantialis nuncupata; consequens planè fit, ut huiusmodi etiam actio substantialis nimirum dicta, pertineat ad hoc prædicamenti genus.

Prima difficultas.

Hæc à nobis minus benè fortasse dicta putabit aliquis, eâ ratione sufultus, quòd actio non uniuocè, sed analogicè de accidentaria, & substantiali dicatur, per illam enim dicitur produci ens secundum quid, per hanc verò ens simpliciter, unde, hæc actio dicitur simpliciter, illa verò secundum quid.

Solutio.

Inanis tamen difficultas; actio nanque substantialis dicta, accidens cùm sit, non satis intelligo, cur cum actione accidentaria, quæ accidens itidem est, uniuocè non conueniat in communi ratione actionis generatim acceptæ. Et certè si ad id uniuocam conuenientiam terminorum desideres, hæc planè non deest; accidens enim, & substantia uniuocè in communi entis ratione conueniunt.

Quantumuis autem aliquam analogiam non inficiemur hic intercedere, non ea tamen est, quæ uniuocationi officiat, sed potius quæ cum hac optime cohæret; est enim, vel analogia inæqualitatis, vel ad summũ attributionis, quæ non semper ab uniuocatione abhorret.

Secunda difficultas. Solutio.

Et quanuis generatio substantialis dicatur generatio simpliciter, accidentaria verò secundum quid. Hoc nihil est, quoniam id ex eo oritur, propterea quod substantialis terminatur ad substantiam, quæ dicitur ens simpliciter: accidentaria verò, quoniam terminatur ad accidens, quod ens secundum quid, & entis ens consueuit appellari; res enim dicitur generari simpliciter, quandò substantialiter fit, & eadem ipsa res dicitur generari secundum quid, quando in ea aliquid accidens producitur. Vt aqua dicitur generari simpliciter, quando nouiter ipsa fit; quando verò ex non calida fit calida, dicitur generari secundum quid. Ocellus actionem partitus est, dicens. Τὸ δὲ ποιεῖν διαιρεῖται εἰς πρᾶξιν καὶ λόγον, καὶ διανόημα. *Agere autem diuiditur in actionem, sermonem, cogitationem.* His tamen omissis, de quibus alibi disputandum, rem ita tractabimus, ut

Variæ actionis diuisiones.

varias actionis esse diuisiones affirmemus; nam primò quidem occurrit illa diuisio in actionem, quæ fit ex præsupposito subiecto, & dicitur eductio, & in illam, quæ fit sine ulla dependentia à subiecto, diciturq; creatio. Quia tamen actio, quæ non fit ex præsupposito subiecto, quæque dicitur creatio, quippe quæ non distinguitur à suo termino, imò in eius includitur essentia, ut propterea ab hoc prædicamento excludatur; ob id præstabit primò diuidere actionem in immanentem, & transeuntem; per immanentem intelligendo illam, quæ est ad terminum manentem in agente, ut est actio, quâ graue descendit, & foret etiam illa frigefactionis, si aqua ab interno principio se ad pristinam frigiditatem restitueret. Transiens verò, quæ est ad terminum transeuntem extra agens, ut calefactio per quam ignis passum à se distinctum calefacit. Deinde diuidi etiam potest in instantaneam, & successiuam; illa momento absoluitur, hæc autem tempore perficitur. Instantanea diuidi etiam potest in accidentariam, & substantialem. Accidentaria erit ex. gr. illuminatio, quando lumen, qualitas atque adeo accidens existimetur; successiua erit, quæ ad accidens terminatur, ita tamen, ut tempori commensuretur, quemadmodum est actio, quâ corpus de loco se mouet ad locum. Et hæc actio diuidi potest iuxta varia accidentia, ad quæ terminatur. Præterea actio partitionem aliam subit in accidentariam, & substantialem; accidentaria terminatur ad accidens, substantialis verò, quantumvis reipsâ dicatur esse accidens, ad substantiam terminatur.

Actionis proprietates.

Actionis proprietates, affectionesve Philosophus tetigit dicens. Ἐπιδέχεται δὲ καὶ τὸ ποιεῖν καὶ πάσχειν ἐναντιότητα, καὶ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. *Agere, & pati recipiunt contrarietatem, & intensionem, ac remissionem.* Ex eius igitur sententia primum actionis, & passionis attributum (loquitur enim de utraque coniunctim) est habere contrarium, quod inductione probat. Τὸ γὰρ θερμαίνειν τῆς ψύξεως ἐναντίον, καὶ τὸ θερμαίνεσθαι τῆς ψύχεσθαι, καὶ τὸ ἥδεσθαι τῆς λυπεῖσθαι, ἅστε ἐπιδέχεται ἐναντιότητα. *Nam calefacere, & refrigerare, sunt contraria; necnon calefieri, & refrigerari; item lætari, ac dolere. Itaque recipiunt contrarietatem.* Dissertis igitur verbis actioni, & passioni proprietatem hanc accommodatam esse decreuit. Actionis itaque prima proprietas est habere contrarium; sed passioni conuenit.

Prima proprietas.

Secunda proprietas

Secunda verò proprietas est, quam idem Philosophus hisce verbis declarat. Καὶ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. θερμαίνει γὰρ μᾶλλον καὶ ἧττον ἕτι, καὶ θερμαίνεσθαι μᾶλλον καὶ ἧττον, καὶ λυπεῖσθαι μᾶλλον καὶ ἧττον. ἐπιδέχεται δὲ καὶ τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν. *Et intensionem, & remissionem; calefacere enim, licet magis, & minus: & calefieri magis, & minus: & dolere magis, & minus. Agere igitur, & Pati recipiunt intensionem, & remissionem.* Actioni propterea, & passioni consentaneam hanc affectionem esse contendit. Secunda itaque Actionis affectio est, suscipere magis, & minus; sed passioni pariter conuenit.

Prima actionis proprietas habere cõtrarium.

Actionis ergo attributa hæc perhibentur. Habere contrarium. Suscipere magis & minus. Hoc autem, cum actioni conueniat ratione extremorum, consequens fit, ut non cuicumque conueniat actioni, sed solùm accidentariæ, quatenus ad accidentia terminatur contraria. Sic frigefactio aduersabitur calefactioni.

Secunda proprietas suscipere magis, & minus.

Secundum attributum est recipere magis, & minus, quod ut dixi non cuicunque actioni potest conuenire, sed illi tantùm, quæ ad accidens terminatur, quod, cuiusmodi est qualitas suscipit magis, & minus. Ita quidem calefactionis actio, quippe quæ ad calorem capacem intensionis, & remissionis terminatur, magis, minusque suscipit.

Tertia proprietas.

Tertium denique attributum actioni conueniens quarto modo, est. Ex se passionem inferre, non illatione consecutionis, quatenus si actio est, inferre licet, quòd etiam sit passio; huiusmodi enim illatio conuenit etiam passioni, nam relatiua mutua, prout huiusmodi, se inferunt mutuò; sed intelligendum de illatione causationis, quo pacto causa infert effectum; non autem contra. Hoc autem est proprium actioni quarto modo; tametsi enim qualitas, aut substantia, ut agendi ratio, atque principium effectiuum inferat passionem, non tamen tanquam id, quo actu dicatur inferre.

Calefactionis exemplum duobus modis potest intelligi.

Ad explicandam actionis naturam in exemplum calefactionem attuli sumptam iuxta communem usurpationis modum; itaut sit quidam actus, quo calidum, concurrente passo producit calorem in eodem tanquam accidentariam formam, quæ ad qualitatis genus pertineat. At si calor, ut suo loco monuimus, aliâ ratione explicetur, aliter etiam & calefactio debebit explicari; itaut hæc potius in motu ad locum consistere dicenda sit, calidumque, puta ignis, calefacere dici debeat, quatenus suppeditat particulas minimas, quæ ex eo dum effluunt, & celerrimè quaquauersum feruntur, quicquid obuium fit, percellunt, illudque peruadunt, quod est illud calidum reddere. Passum enim quatenus huiusmodi, minimas particulas calidæ substantiæ excipit, dicitur calefieri; unde calefactionis actio in motu ad locum particularum exeuntium ex corpore calido consistet. Perpessio verò, siue passio earundem particularum receptio in passo existimanda erit.

SECTIO TERTIA.

De Prædicamento Passionis.

Quid passio.

PAssio quid sit, definitione quidem explicuit Auctor sex principiorum dicendo. *Passio est effectus, & illatio Actionis, secundum quam hæc quidem patiuntur magis, illa verò minus.*

Quorundam explicatio.

Hoc autem nonnulli sic explicant. Dum dicitur quòd Passio sit effectus, illatioque actionis intelligunt effectum esse, qui ab actione infertur, quæ est quædam notificatio passionis per eius proprietatem, cùm proprium sit passionis ab actione inferri. Addunt verò melius describi posse dicendo, quòd sicut actio formaliter est respectus agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum; ita contra passio sit respectus passi ad agens, seu transmutati ad transmutans; & quemadmodum actio pro formali sumpta in agente, velut in subiecto recipitur, ita passio in passo; & quemadmodum actionis duæ erant species subalternæ, actio scilicet immanens, & transiens: sic duæ erunt species passionis, nimirum passio immanens, quæ est effectus illatus ab agente, sed non extra ipsum, & passio transiens, quæ erit effectus illatus ab agente extra se ipsum. Vnde quando aliquid agit in se ipsum, dicitur pati passione immanente: Quando verò agit in aliud, illud aliud dicitur pati passione transeunte.

Ex parte reijcitur.

Hæc planè, etsi magna ex parte sint admittenda, non tamen omnia. Præstat tamen passionis naturam explicare paulò diligentiùs declarando primo loco traditam definitionem, in qua non debet intelligi passionem esse propriè effectum actionis, quemadmodum calor se habet respectu ignis, cuius dicitur effectus, vel respectu calefactionis, quâ producitur; ut enim actionis nomine non intelligitur causa, quæ agit, sed actus agendi: ita passionis nomine non intelligendus est effectus, qui producitur, sed potius formaliter actus patiendi. Solùm igitur eo nomine censeri debet effectus, quo-

Digitized by Google

quoniam infertur ex actione, tàm illatione consecutionis, quia enim si actio est, valet inferre, passionem esse, quod tamen etiam actioni conuenit; relatiua enim sunt mutua, unde mutuo se inferunt illatione consecutionis; quàm etiam illatione causationis, ut superiùs explicatum est; nam si actio infert, & passio etiam hoc modo infertur, non tamen contra, ut de actione tractantes innuimus.

Ineptè quidem, & propterea abolendum discrimen illud prædictâ definitione expressum, videlicet *magis, & minus patiendi*; nam, quemadmodum in definitione actionis illud non fuit commemoratum, ita nec in definitione passionis commemorandum.

Rectiùs igitur dicemus passionem esse, secundum quam aliquidpati dicitur; & longè clariùs. *Est actus accidentarius, quo subiectum recipit formam*. Vt autem passionis naturam magis introspiciamus, considerandum nobis apud quosdam passionem esse, quâ effectus ipse dicitur fieri, & ab agente produci, & effectum esse dicendum passum; & insuper passionem ab actione distingui mentis consideratione, quoniam idem actus consideratus ex parte agentis, est actio; & ex parte effectùs producti est passio.

Re tamen verâ non ita de passione sentiendum, quemadmodum de actione dicebatur, quam considerari posse, & ut productionem, & ut transmutationem, & utriq; propriè conuenire rationem actionis dixi; ita ut si actio spectetur quatenus actus, quo agens dat esse effectui, quem actio respicit veluti terminum, dicatur productio; si autem spectetur quatenus actus, quo agens per terminum, quem attingit productione, subiectum transmutat, dicatur transmutatio; ita ut hæ differentiæ penes extrinseca attendantur. Enimverò passio, si philosophicè loqui velimus, non sic explicari potest, ut effectus dicatur passum; effectus enim respondet agenti, quod ut actiuè dicitur ipsum attingere, ita hic passiuè ab eodem attingi. Hoc autem est produci, unde respondet agenti, ut producenti, non ut transmutanti, cui potius respondet subiectū affectum, siue formam recipiens. Proindeque sit exploratum passionem dici per ordinem ad subiectum, in quo recipitur effectus, & forma, quæ producitur.

Hoc fuisse Stagiritæ consilium tum hic, tum alibi, cuique perspectum. Nec obscurè constat, ne dum ex proprio significatu passionis, sed ex re ipsa, quoniam agens effectum producere, & effectum ab eodem produci ad vnum, ac idem debet prædicamentum pertinere; *nihil* enim refert, quod actiuè, vel passiuè dicatur. *Ad aliud* autem pertinere debet, subiectum recipere formam, & formam in subiecto recipi; nihil autem refert an actiuâ, vel passiuâ significatione dicatur.

Putabit fortasse quispiam passionem sic explicatam, non solùm intelligendam esse respectu subiecti verè formam recipientis, sed etiam respectu obiecti *actum* terminantis; ut cùm dicitur obiectum sentiri, videri, intelligi, amari, odio haberi &c. Ineptè tamen id profectò diceretur; sunt enim hæ denominationes extrinsecæ desumptæ ab illis actibus, à quibus propterea non distinguuntur, undè ad quod prædicamentum pertinent actus, ad idem spectant, & ipsæ. Rationabilius dici posset in hisce actibus passionem interuenire, non quidem ex parte obiecti, quod ab ipsis denominatur, sed ex parte subiecti, in quo recipiuntur & insunt. Neque tamen hoc asserendum; nam ut actio vitalis impropriè dicitur actio, puta grammaticè, non philosophicè, ut alias docuimus; ita impropriè dicitur passio.

Præterea; quoniam actio passionem infert, est suspicandi occasio de conseruatione. Vt enim gemina est actio, quarum una primò productiua, altera verò conseruatiua dicitur; vel saltem eadem actio duplicem hanc potest rationem obtinere; ita pariter ex parte subiecti formam recipientis, duplex respondeat passio, vel una geminam rationem obtineat ita ut ratione unius respondeat uni, & ratione alterius respondeat alteri ex actionibus, vel uni ex actionis rationibus. *Reddenda quę duplici actioni primò produ. ctiuæ & conseruati uę respondeat.*

Asserendum utique quandocunque effectus dependet à suo agente, etiam in conseruari, ita tamen, ut tota conseruatio pertineat ad prædicamentum actionis, ex parte subiecti, ne dum actioni primò productiuæ, vel quatenus habenti rationem primò productiuæ, sed etiam, ut conseruatiuæ, vel ut habenti rationem conseruatiuæ passionem esse omnino concedendam. *Assertio affirmans.*

Hoc mihi sic exploratum, ut hac in re nulla videatur subesse difficultas. Quicquid enim ad passionem requiritur, reperitur etiam in illo actu conseruationis ex parte subiecti. *Ratione suadetur assertio.*

Maior difficultas esse posset de modo inhærentiæ, quâ forma subiecto inest. Considerandum enim formam, quæ in subiecto producitur, gemino modo spectari posse, vel quatenus fit, dicitur que considerata in fieri: vel quatenus permanet in subiecto, dicitur que considerata in facto esse, quamdiù videlicet forma subiecto inhæret. Num igitur hic inhærentiæ modus ad passionis prædicamentum attineat, potest in dubium reuocari. *An modus inhærētiæ, qua forma subiecto inest, habeat rationem passionis.*

Si rectè attendas, facilè comperies inhærentiæ modum prædictum haud sibi passionis rationem vendicare. Passio enim tam arctè cum actione coniungitur, ut sine illa nunquam extet in natura; at nihil certius hunc inhærentiæ modum absque omni actione in natura rerum existere; ut cùm forma semel acceperit esse ab agente in subiecto, dum non pendet etiã in conseruari, nulla ampliùs interuenit actio; quanuis inhærentia detur, quâ forma in subiecto inest. Et quanuis detur conseruationis actio, dum scilicet forma nè dum in fieri, sed etiam in conseruari ab agente pendet, illi tamen non responderet tanquam passio inhærentia prædicta. Vnde hæc peculiare prædicamentum non constituit; sed quemadmodum hæc omni conuenit accidenti, sic etiam veluti transcendens quidpiam per accidentium prædicamenta vagatur; eo vel maximè si hæc in concreto censeantur dispositæ; inhærentia siquidem inuoluitur in ipso concreto ad eius intrinsecam faciens constitutionem. Inhærentia enim se habet ad concretum accidentale, ut unio inter materiam, & formam ad compositum ex ipsis substantiale. *Assertio negans. Ratione suadetur. Difficultas.*

Passio autem, de qua in presentia fit sermo, ita se habet, ut actus passionis intrinsecus sit in patiente, illudq; denominet, licet cum respectu ad extrinsecum, nimirum ad agens; idque exploratum satis ex passionis natura. Non solùm igitur intrinsecus passio subiectum afficit, quando videlicet per actionem producitur forma intrinseca subiecto, ut quantitas, qualitas; sed etiam quandocunque acquiritur forma extrinseca, ut locus, & dum quis sibi superficiem armorum acquirit, arma ipsa induens. *Actus passionis intrinsecus est in patiente.*

Hæc minus tamen rectè dicuntur; nunquam enim exercetur actio naturalis, nempè concurrente subiecto, quin per ipsam producatur forma intrinsecus subiectum afficiens. Ita planè cum acquiritur locus per motum; ne dum enim acquiritur superficies corporis continentis, quæ certè illi inest, atque adeo extrinseca mobili, sed etiam localis præsentia, quâ intrinsecus afficitur mobile. Et quod de armis dicebatur puerile admodum est, non enim arma induere ad Passionis, sed ad Habitus prædicamentum spectat. *Solutio.*

Illud addendum passionem, de qua fit sermo eam esse tantummodo, quæ actioni iungitur ad hoc prædicamen- *Adnotatio.*

camentum spectanti. Vnde cùm actio non distinguitur à termino, quem attingit, ut à prædicamento actionis ex hactenus traditis est reijcienda, sic etiam passio illi respondens. Itaque quotiescumque producitur forma in subiecto per actionem non prædicamentalem, tunc etiam censendum ei respondere passionem ex parte subiecti ad prædicamentum hoc non spectantem; atque adeò si actus, quo agens dat esse formæ in subiecto impropriè dicitur actio, ut sunt actiones vitales, ita etiam & actus, quo subiectum recipit formam ab agente impropriè dicetur passio.

Distinctio huius prædicamenti ab antecedenti.

Nunc ad examen reuocanda distinctio huius prædicamenti à proximè antegresso. Et certè ab eo non distingueretur, si inter prædicamenta distinctio realis tanquam rei à re deberet intercedere.

Actio enim, & Passio non re ipsâ, sed ratione tantùm inter se distinguuntur, ita ut idem actus re verâ sit, quo forma fiat ab agente, & recipiatur in passo; sed quatenus consideratur ex parte agentis, dicatur actio, quatenus ex parte subiecti, dicatur passio.

3. Phis. Tex. 18.

Hoc Aristotelis fuisse consilium in re propolita ex eius verbis luculenter colligitur, quando affert exemplum viæ, cuius instar ait actionem, & passionem se habere; eadem enim cùm sit, dicitur acclivis à parte inferiori ad superiorem, diciturque declivis à parte superiori ad inferiorem; sic igitur Actio, & Passio, eius verba sunt hac. Ὥστε ὁμοίως μία ἡ ὁμοῦ ἐπίληψις, ὥσπερ τὸ αὐτὸ διάστημα ἓν πρὸς δύο, καὶ δύο πρὸς ἕν, καὶ τὸ ἀνωτέω καὶ τὸ κατάντες. ταῦτα γὰρ ἓν ᾧ ἔστιν, ὁ μὲν τοι λόγος οὐχ εἷς. ὁμοίως δὲ καὶ ὅτι τοῦ κινοῦντος καὶ κινουμένου. *Quare similiter unus est utriusque actus. quemadmodum idem* est *interuallum, siue spectes unum ad duo, siue duo ad unum, nec non acclive, & declive. hæc enim sunt unum. sed definitio non est una. Similiter autem* res habet *etiam in mouente, & eo quod mouetur.* Et paulo post longe clarius hanc veritatem tradidit. Ὅλως δ' ἐπεὶν, οὐδ' ἡ διδαξις τῇ μαθήσει οὐδ' ἡ ποίησις τῇ παθήσει τὸ αὐτὸ κυρίως, ἀλλ' ἡ ἐπάρχει ταῦτα. ἡ κίνησις. τὸ δὲ τοῦδε ἐν τῷδε, καὶ τὸ τοῦδε ὄντος τοῦδε ἐνέργεια ἕτερον τῷ λόγῳ. *Vt autem omnino dicam, nec docendi, & discendi actus, nec effectio, & passio sunt idem propriè, sed motus, cui hæc insunt,* idem est; *nam esse actum huius in hoc, & huius ab hoc, ratione differunt.* Idem igitur est actus, qui quatenus est ille, quo agens producit formam dicitur actio, & quatenus ille est, quo subiectum recipit formam ab agente dicitur passio. Vbi obseruandum actionem dici modo iam explicato; at eandem dici transmutationem, quatenus est actus, quo agens producit formam in subiecto; & actioni sic acceptæ, passio è regione respondet.

Quæritur distinctio duorũ prædicamentorum actionis, & passionis.

Maior tamen est difficultas de distinctione duorum istorum prædicamentorum. Videntur enim ex una parte non distinguenda, cum in communi quodam conceptu conueniant, nimirum transitus, ac viæ; unde viderentur ad hoc commune genus reuocata prædicamentum unicum constituere, in quo commune illud sit genus diuidendum per differentias, quibus contrahatur ad actionem, & passionem, velut ad species sub illo contentas.

3. Phys.

Ex alia verò parte hisce duobus distinctis, videtur addendum tertium, quod dicatur motus; eò, vel maximè, quòd Philosophus cum hic, tum alibi actionem, passionem, & motum tanquam tria genera distincta commemorat. Et re verâ alia est ratio actionis, alia passionis, alia est etiam motûs, ut ex singulorum definitionibus liquet.

Ex his prædictis nec confi-

Plurimum hac in re difficultatis inesse, non infitiandum. Occurrendum tamen dicendo, neutrum illorum admittendum esse; neque enim ex his duobus prædicamentis conficiendum unum; neque his duobus addendum tertium. Considerandum enim modum eundem, qui dicitur motus, actus nimirum entis existentis in potentia, prout in potentia, rationem geminam obtinere, actionis quidem, & passionis; propterea factum est, ut cum se habeat veluti subiectum utriusque, nec duo hac ad unum genus reuocari debeant, neque ijs tertium addendum sit. ciendum unum, neque his addendum tertium.

Passionis autem diuisiones, actionis diuisionibus respondent, ac propterea cum ex illis facilè constare possint, silentio iuvabit ipsas praterire.

Affectiones, ac attributa Passionis hæ sunt. Passionis proprietates, prima proprietas habere contrarium.

Primum attributum est habere contrarium, quod illi conuenit præcipuè ratione formarum contrariarum penes quas passiones contingunt. Ita quidem calefieri, & frigefieri, nimirum actus, quibus subiectum recipit calorem, & frigiditatem ab agentibus, contrariantur, quoniam calor, & frigiditas opponuntur inter se.

Quæres dari motum tantùm passionis.

Sunt tamen, qui putant aliquo modo etiam hoc attributum per se, & non tantùm ratione terminorum illis conuenire; existimant enim actiones ita esse contrarias, ut quanuis earum termini calor, & frigus possint in gradibus remissis simul coexistere, nullatenus tamen possit idem subiectum simul calefieri, & frigefieri. Et quoniam attributum hoc actioni, & passioni commune est, propterea de passione hoc idem dicendum foret. Huius tamen loci non est diligentius hoc perscrutari, cùm potius in Physicis sit hac de re differendum.

Secunda passionis proprietas, suscipere magis, & minus.

Secundum attributum passionis, actioni, ut superius quoque, commune est, suscipere magis, & minus, quod ex dictis de actione facile cuique fit exploratum.

Tertia passionis proprietas.

Tertium attributum assignari potest semper passioni conueniens, illudque est, ex actione in ratione tamen transmutationis ipsam inferri.

Quarta passionis proprietas.

Assignari quoque potest aliud attributum tam actioni, quàm passioni conueniens, si tamen actio sumatur pro successiua, cui & successiua passio respondeat; potest, inquam, assignari velocitas, & tarditas, ita ut actio, & passio successiua atque adeò coniuncta cum motu propriè dicto, sit capax velocitatis, & tarditatis, ad eum modum, quo ab aliquibus dici solet, quantitatem esse capacem densitatis, & raritatis. Vnde tandem erit etiam attributum utriusque; coniuncto cum motu. Obseruandum tamen, si motus accipiatur ampla quadam usurpatione, scilicet pro omni actu, quo subiectum acquirit formam, atque terminum; reperi motum in omni quidem actione, atque passione; si autem tantùm modo sumatur pro fluxu successiuo, itaut ab instantanea mutatione distinguatur, solùm actionem, & passionem successiuam, motui coniunctam esse, pro ut hic successiuus est.

Motus sumitur duplici modo.

Ex hucusque de Actione, Passione que disputatis, cuicunque splendidè constabit motum trifariam posse considerari. Primò formaliter, & iuxta considerationem hanc, motus imperfecta quædam est forma, cui conuenit ratio in eo posita, ut sit *actus entis existentis in potentia, prout in potentia.* Itaut non solùm sit actus, qui ob sui imperfectionem subiecti potentialitatem uniuersam explere non potens, illud idem in potentia ad ulteriorem perfectionem relinquit; sed etiam sit via, qua natura utitur ad perfectionem ipsam acquirendam; idcòque formæ, terminique sit acquisitio. Secundò potest spectari motus quatenus actiuam dependentiam importat ab agente, seu prout est quidam actus, quo naturale agens dat esse effectui, nempe formam in subiecto producit; & iuxta usurpationem hanc motus redolet actionis naturam, diciturque actio, per quam videlicet agens naturâ constans, ex non actu agente, fit

actu

actu agens. Tertiò spectari etiam potest motus prout passiuam dependentiam importat, seu quatenus est actus, quo passum ab agente recipit formam, & hoc modo passionis rationem induit, diciturque passio, per quam scilicet patiens ex non actu patiente, fit actu patiens; ad quæ Philosophus respiciens dicebat. Ἀλλ' ἔτι ἀνάγκη ταῦτα ἡ κίνησις τὸ μὲν τόδε ἐν τῷδε, καὶ τὸ τόδε ὑπὸ τοῦδε εἶναι, ἕτερον τῷ λόγῳ. *Sed motus, cui hæc insunt*, idem est, *nam esse actum huius in hoc, & huius ab hoc ratione differunt*. Et ut motus, actio, & passio formaliter differunt; sic ex aduerso, dependentia effectûs ab agente, causalitas eiusdem, productio, emanatio, & actio, sunt formaliter idem. Aduertendum tamen hîc sermonem esse de naturali actione, quæ non est sine motu, quemadmodum motus non est sine actione; At verò quodlibet horum, ac ob id actio sumi potest latiori quâdam significatione, quo pacto non habet rationem transmutationis, nullumque dicit ordinem ad subiectum, ita ut eius ratio in eo consistat, ut sit actus quo agens dat esse effectui, & quo agens ex non actu agente fit actu agens, conuenitque agenti supra naturæ vires, cuius est aliquid ex nihilo posse producere, hoc autem pacto ratio actionis, præcisum conceptum dicit ab actione naturali, & supranaturali adeò ut ad has per proprias differentias contrahatur, qua de re in naturali Philosophia disputandum. Interim non præteribo, emanationem accipi solere, quatenus ab actione physica, secernitur, ita ut metaphysica actio dici consueuerit, quam esse putant, illam, qua passio siue affectio à subiecto profluit. Illud etiam addendum, agentis denominationem ab actione quidem, extrinsecam tamen esse; nam actio etsi ab agente exeat, non tamen per se agenti inest; dico autem per se, nam accidit, ut idem sit agens, & patiens; tuncque actio denominat agens intrinsecùs, non quatenus agens est, sed quatenus quod est agens, est etiam passum; neque ob id passum ab actione denominatur agens, eo quòd in ipso sit actio; nam in ipso recipitur, non formaliter ut actio, quæ prout huiusmodi non dicit esse in alio; sed quod sit actus, quo effectus ab agente egreditur &c.

3. Phys. tex. 22.

Emanatio propriè accepta quid

SECTIO QVARTA

De Prædicamento Vbi.

De hoc accuratè differere ad naturalem pertinet Philosophum.

NOn hîc expectanda exacta quædam tractatio de *Vbi*; de hoc enim, quemadmodum etiam de Situ exatiùs disserere, ad naturalem pertinet Philosophum. Solùm igitur in præsentia leuiter attingemus ea, quæ accuratius & uberius cum perscrutari decet; sic enim Dialectici partes expleuisse dicemur. Et quanuis de prædicamento *Quando*, prius à nonnullis fuerit institutus sermo, ad libitum tamen id est; æquè enim benè primò de Vbi suscipi consideratio potest. Vbi enim respicit locum, Quando autem tempus. Quod eò libentius à nobis factum, quoniam sic Aristotelem imitamur, cui visum est prius de Vbi disputandum; forsan eam ob causam, quoniam Vbi veram, atque realem, etsi non res, sed rei modus dicendum, importat entitatem intrinsecam subiecto; Quando autem non item.

Vbi quid.

Philosophus solùm exemplis hoc explicandum duxit. Esse in Lyceo, in Foro. Accuratius Auctor sex principiorum hæc persequutus Vbi definire contendens, ait: *Est circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenies*.

Definitionem hanc aliqui sic interpretantur. Supponunt enim ex applicatione superficiei concauæ corporis locantis, ad corpus locatum geminum consurgere respectum, quorum unus actiuæ continentiæ in superficie continente, qui dicitur Vbi activum, alter continentiæ passiuæ in corpore contento, dicaturque Vbi passivum; utrumque autem, putant, diuidi in circumscriptivum, & definitivum. Hanc autem partitionem asserunt, insinuatam fuisse à Gilberto sex principiorum auctore, dum Vbi diuisit in simplex, & compositum. Circumscriptivum est proprium corporum, quoniam est cum con mensuratione rei locatæ ad locum, & contra. Definitivum verò proprium est rerum immaterialium. Sed de his iterum redibit sermo. Interim illud obseruant, solum Vbi passivum circumscriptivum à Gilberto fuisse definitum, cum tamen Vbi generatim sumptum ut activum, & passivum, ita circumscriptivum, & definitivum complectitur; unde hoc summum huius prædicamenti genus, illa verò Vbi esse species ipsius affirmant.

Vbi quotuplex.

Fatendum tamen superiorem definitionem non omnibus esse numeris absolutam, si ad hoc prædicamentum Vbi circumscriptivum corporum pertinere dicatur. Potius definiendum Vbi dicendo, *esse formam accidentariam, quâ res in loco constituitur*.

Alia Vbi definitio prætertur.

Vbi non sic explicandum, ut sit accidens derelictum in corpore locato ex contactu alterius corporis locantis, ita tamen, ut ex hoc nihil relinquatur, unde sit aliquid rationis effictum, videlicet per intellectum.

Hic enim dicendi modus eo nomine intolerabilis, quia nullum prædicamentum constituendum in aliquo ente rationis, cum prædicamenta sint series, in quibus sola entia realia, vel reales denominationes sedem obtinent.

Vbi nõ est denominatio extrinseca.

Neque est existimandum Vbi esse denominationem extrinsecam desumptam à loco, in quo res esse dicitur, siue esse locum extrinsecus denominantem. Per accidens enim est ad hoc, ut res dicatur esse hîc, vel ibi, denominatio sumpta extrinsecus à loco reali corporis ambientis, & contingentis.

Vbi nõ st respectus consurgẽs inter superficiem locantem, & locatũ.

Nec etiam sic explicandum Vbi iuxta superiorem relatam sententiam, ita ut sit quidam respectus consurgens inter superficiem concauam locantis, & locatum, qui geminus sit, & activus, & passivus, ut paulo superius innuimus. Tum quia hæc explicatio non se extendit ad Vbi rerum immaterialium. Tum quia per accidens omninò, ut nuper dicebamus, est, corpus locans ad hoc, ut aliquid alicubi esse dicatur. Non inficiandum tamen scitè admodum explicatum fuisse Vbi dicendo, esse formam quandam respectiuam, ut nox intelliges.

Assertio.

Asserendum propterea Vbi esse quandam realem formam modalis tamen naturæ in re locata, per quam formaliter res ipsa constituatur in tali, vel tali loco, quæ etiam localis præsentia nuncupatur. Huiusmodi autem forma neque est pura relatio ad prædicamentalem relationem pertinens, nec modus omninò absolutus, sed potius forma naturæ modalis ordinem dicens essentialiter ad certum locum, unde è genere earum est relationum, quæ transcendentales dicuntur.

Locus gemino modo sumitur.

Quoniam verò hæc forma respicit locum, non est prætereundum locum ipsum gemino modo usurpari consueuisse. Primò enim sumitur locus pro superficie corporis ambientis, itaut eadem superficies quatenus intrinsecus afficit subiectum suum ad prædicamentum quantitatis, in quo etiam reponitur locus, pertineat; quatenus verò denominat corpus, quod continet, vel contingit, loci, hoc est Vbi prædicamentum constituat. Secundò etiam usurpatur locus pro spatio quod imaginarium solet appellari.

Nomine Vbi quid intelligẽdum.

Non igitur cogitandum hunc præsentiæ modum attendi in ordine ad corpus ambiens, vel ad superficiem eius-

Digitized by Google

eiusdem circa rem locatam, aut quouis modo in ordine ad corpus, vel superficiem propinquam, & contingentem, quo pacto priori modo locum usurpari posse fuit superius animaduersum: sed intelligendum summi in ordine ad spatium vicinis etiam sublatis corporibus. Et hic præsentiæ modus nomine *Vbi* intelligendus.

Hoc prædicamentum per modum Vbi constituitur.

Hoc itaque prædicamentum per huiusmodi formam constitutum intelligendum, atque nomine Vbi significatum, & ad illud reduci denominationem extrinsecam locantis, & locati prout ex huiusmodi præsentiæ forma desumitur.

Num præsentiæ modus sit necessariò concedendus,

Solet autem in controuersiam vocari, num re verâ hic præsentiæ modus sit necessariò concedendus, quo videlicet res formaliter dicatur locata, & ubicata.

Nominalium opinio.

Nominales negatiuam sententiam amplexi existimarunt Vbi non esse nisi denominationem extrinsecam desumptam à loco, in quo res esse dicitur, seu potius esse locum ipsum realem extrinsecùs denominantem. Alijs verò placuit simplicem esse indistantiam loci, & locati, quæ non est nisi negatio distantiæ.

Aliorum sententia.

At quàm oscitanter hi sint philosophati, vel ex eo intelliges quòd potest quispiam ex. gr. Socrates in rerum esse natura, quemadmodum etiam hæc superficies, seu hoc spatium, & quòd Socrates non sit hic, siue hoc in loco; ergò Socratem esse hic, siuè habere hoc Vbi, est superadditum quidpiam entitatibus loci, & Socratis.

Vtraque reijcitur opinio.

Nec ex hisce cotibus enauigant illi, qui dicunt ubicationem Socratis hîc, solam esse indistantiam ipsius ab hoc loco. Non enim novum hoc superadditum potest in simplici negatione consistere; noua siquidem negatio non datur, nisi per ablationem alicuius positiui præcedentis; at verò dum Socrates nouiter est hoc in loco, non amisit nisi existentiam in alio, & distantiam ab isto; si igitur existentia in alio loco, & distantia ab isto, sunt positivum quidpiam; consequens fit, ut positiua sit etiam, & realis indistantia, quam Socrates per motum acquisiuit in hoc loco, cum eadem sit ratio omninò de distantia & indistantia ab hoc, & illo loco.

Quorundam responsio.

Perperam, dicet quispiam ubicationem Socratis hîc nouam esse denominationem extrinsecam ab hoc loco; Tum eò quòd repugnat dari nouam denominationem realem sine noua reali mutatione; si nanque res eodem modo permanent, eædem quoque denominationes ab ipsis desumptæ manebunt; nullam siquidem variationem unquam in denominationibus reperies, nisi in positiuis aliqua varitatio contigerit. Tum quia, vel hæc denominatio in Socratem deriuatur a loco virtute alicuius nouiter superadditi, vel non; si primum id planè est, quod intenditur; si secundum; ergo quandiù Socrates, & locus iste in natura rerum existunt, semper Socrates eodem denominabitur modo.

Responsio præoccupata, simulque reiecta.

Dices ni falor, non permansuram semper denominationem eandem, quia non semper habetur debita applicatio Socratis huic loco ad illam denominationem suscipiendam. Mirum est, quòd plerisque sit visum hac ratione difficultati satisfieri; mirum inquam, propterea quòd de hac ipsa applicatione inquirendum supereſt, num sit quidpiam à Socrate distinctum, vel non. Si secundum, semper utique manebit eadem denominatio, quoniam eadem applicatio remanet. Si primum, nempè sit quid distinctum nouiter superadditum, id est, quod à nobis contenditur.

Secunda responsio præoccupata itemque reiecta.

Nec propterea satisfacies, si dicas, vbicationem Socratis duo quidem importare, & non unum, nempè Socratem, prout hîc, hoc est Socratem cum huius loci connotatione. Sic enim haud difficultas diluitur, cùm adhuc assignandum supersit, quid importet Socrates prout hîc, & quid hæc noua connotatio dicat? Aut enim est quidpiam superadditum entitatibus Socratis, & loci, & est id, quod intendimus. Vel nihil superadditum est, atque hunc in modum semper Socrates erit hîc, a quo veritas abhorret.

Difficultas.

Difficultas occurrit in eo posita, quòd si nouiter aliquid emergeret, dicendum *Vbi*, mirum esset, si sensuum aciem effugeret; at verò effugit, nullo enim ex sensibus illud attingimus; credendum igitur *Vbi* non esse quidpiam nouiter productum, quo res in loco constituatur.

Solutio.

Fatendum hoc plurimum animo difficultatis ingerere; non propterea tamen recedendum à supradictis. Antequam difficultati occurramus, præmittendum illud, nempè haud rectè argumentationem institui dicendo, hoc non percipitur sensu; ergò non est in natura; fallax enim arguendi modus, cùm non desint, quę sensibus assequi non licet, & verè tamen in natura rerum existunt. Et ut de cæteris fileam, de quibus forsan anceps animus esse posset, afferam id, quod euidens est, atque perspicuum. Si quis intra Cameram inclusus nauì feratur, profectò nullo sensu poterit percipere se moueri; & nihilominus sic exploratum est moueri, ut id negare fatui hominis esset. Dicendum tamen, ut difficultati satisfiat, non percipi sensu præsentiam localem, siue *Vbi* abstractè sumptum, quod utique commune est omnibus formis; percipi tamen eius formalem effectum, quod est esse potius hîc quàm alibi; & sic esse in uno loco, ut simul alibi esse repugnet.

Quid sit terminus, in ordine ad quem attenditur *Vbi*.

Sequitur discutiendum quidnam sit proprius terminus in ordine ad quem *Vbi*, seu præsentia debeat attendi. Sunt enim, qui putant extrinsecam esse superficiem corporis continentis, forsan Gilberti auctoritate suffulti, dicentis, *Vbi esse circumscriptionem corporis à loci circumscriptione prouenientem*; at verò locus propriè est commemorata superficies. Hic tamen dicendi modus eo nomine peccat, quoniam in vacuo si motus fieret, quemadmodum reuerà fieri posset, difficile admodum foret realem, ac positivum terminum ipsius assignare.

Prima, quorundã opinio. Reijcitur.

Aduersariorum responsio.

Conantur rem explicare confugiendo ad maiorem, vel minorem distantiam à punctis fixis Vniuersi; sed inepte quidem; non enim terminari possunt ad corporum nudam substantiam huiusmodi respectus maioris, minorisque distantiæ, nam penes substantiam nequit maior, vel minor attendi distantia, cum indifferens ipsa omninò sit, sed terminari potius debent ad ipsa corpora, quatenus alicubi sunt. Sed redit difficultas, per quid alicubi constituantur corpora, & potius uni, quam alteri loco præsentia redantur. Vt omittam adhuc id ab ipsis insulsè dici, quoniam supponunt, quod à veritate plurimum abhorret videlicet, præsentiam, de qua fit sermo, in respectu quodam mutuo inter rem locatam, & puncta fixa Vniuersi, vel alia quædam, quomodocunque ab ipsis explicata, consistere; cùm potius præsentia in transcendentali relatione posita sit, adeò ut nil aliud ea dici debeat, quàm modus essentialiter relativus, propterea addictus rei locatæ, terminum, de quo modo contendimus, respiciens.

Secunda sententia, ac modus explicandi.

Secundus est explicandi modus eorum, qui putant modum *Vbi* per se non pendere ab ullo corpore extrinseco ambiente, sed à certo, atque determinato spatio, cui per tale Vbi res dicatur intimè præsens, etiam ablato quocunque ambiente corpore.

Vera sententia.

Arduum planè est, ac operosum rem explicare, ita ut cum veritate consentire videatur. Cogitandum igitur Diuinam substantiam ubique per immensitatem esse diffusam, ac proinde habentem partes virtute, ratione quarum terminare possit præsentias, quarum quælibet constituat rem in loco determinato, cui

pro-

Præsens sit diuina substantia ratione partis ex infinitis, in quas virtute diuisibilis est. Ita fit, ut quemadmodum substantia diuina per immensitatem ubique est, hoc est in infinitis spatijs. Sic unaquæque res per propriam præsentiam fiat præsens uni ex illis, atque præsentia ipsa inadequatè respiciat diuinam substantiam, ut immensam; adeo ut præsentia finita ad immensitatem se habeat, quemadmodum finitum tempus ad æternitatē. Vt res enim duratione suâ æternitati respondet, ut virtute diuisibili; sic etiam præsentia finita respondet immensitati, ut eodem modo virtute diuisibili. Sed de tempore suo loco differendum. Interim sit exploratum, quòd, quemadmodum æternitas, eo quia habet partes virtute distinctas, potest respondere diuersis temporibus, eorundemque partibus: sic etiam immensitas, propterea quòd partibus virtute constat, diuersis præsentijs, earundemque partibus potest respondere. Hinc propterea fit, ut quanuis diuina substantia simpliciſſima sit, terminare possit diuersos præsentiæ respectus pro locorum diuersitate. Quanuis enim illa sit æquè indistans, siuè præsens omnibus in quocunque loco existentibus, non propterea fit, ut si quidpiam est in occidente, simul esse dicatur cum eo, quod est in oriente; nam ratione partium, in quas virtute, substantia illa diuisibilis est, terminare potest respectus diuersos, à quorum diuersitate prouenit, ut quod est in occidente, non dicatur esse simul cum eo, quod est in oriente.

Quibus rebus conueniat *Vbi*.

Deinde quærendum sequitur, quibusnam rebus conueniat *Vbi* ad hoc pertinens prædicamentum. Dubitari siquidem potest, an conueniat rebus immateriatis æquè ac materiatis; & si conueniat illis, an omnibus, an potius diuina substantia sit excipienda.

Assertio tenēda de diuina substantia.

Re verâ tamen dicendum potius Deum esse cum loco, quàm in loco, nam in loco contineri, limitationem præsefert. Vt præteream quòd si Vbi, de quo loquimur, forma quædam accidentaria est, certè haud poterit Deo conuenire, qui ubique dicitur esse per immensitatem suam, quæ eius est attributum, ac proinde non accidentaria forma ab ipso distincta. Hinc consequens fit, ut immensitas illa non sit *Vbi* pertinens ad hoc prædicamentum, quemadmodum nec eius scientia pertinet ad prædicamentum qualitatis, eo quòd accidentaria forma non sit.

Ratio.

Assertio de cæteris substantijs

De cæteris autem substantijs nullum habentibus cum materia commercium ita philosophandum. Si ipsis concedatur modus præsentiæ, per quem dicantur in loco constitui, utique non minus in illis, quam in corporibus *Vbi* recognoscendum erit ad hanc spectans categoriam.

Ratio.

Ea autem est ratio, quoniam *Vbi* de quo fit sermo, est præsentia illa, per quam res unaquæque ad certum locum determinatur: huiusmodi erit illa conueniens substantijs materiatis, per ipsam enim unaquæque istarum ad certum locum determinatur, seu ad certum spatium applicatur.

Esse in loco circūscriptiuè, & definitiuè.

Et quanuis diuersi sint modi, quibus res materiatæ existunt in loco, & corpora in loco versantur; hæc enim in loco esse dicuntur circumscriptiuè, nimirum cum extensione partium, atque cum commensuratione ad locum: illę autem definitiuè, siuè incircumscriptiuè citra prædictam commensurationem, possunt nihilominus in communi quadam uniuoca ratione ab illis præcisa conuenire, quæ sit realis præsentia rei locatæ ad locum, modo iam explicato, ut abstracta à præsentia circumscriptiua, & definitiua. Vnde *Vbi* conueniens substantijs immateriatis, cùm sit forma quædam inhærens illis, per quam formaliter constituuntur in loco, ad præsens hoc prædicamentum spectabit.

Illud etiam addendum, nempè considerari posse denominationem extrinsecam loci; hæc enim si tantùm dicatur per circumscriptionem, seu contactum quantitativum; certè hoc modo de rebus immateriatis dici non poterit; si autem dicatur per quamcunque præsentiam, seu coexistentiam in spatio, sic tribui substantijs omnibus immateriatis poterit Deo, etiam comprehenso.

Opinio quorundā probabilis

Hic non dissimulabo, quod à plerisque dictum fuit, nimirum probabile existimari posse præsentiam localem, respicere spatium ipsum, quod appellant imaginarium; tametsi enim negatio sit, terminare tamen respectum præsentiæ potest; nam nos ratiocinamur de negationibus, de nihilo, atque adeò, ad hæc debet cognitionis respectus terminari; ut igitur negatio, & nihil, potest terminare cognitionis tendentiam; ita etiam non repugnabit, quin imaginarium spatium, quod est negatio corporum connotans aptitudinem, quâ ipsa possunt existere, respectum præsentiæ terminet.

Species huius prædicamenti comparari possunt diuidendo *Vbi*, ita ut aliud sit Vbi corporeum, & aliud incorporeum, institutâ diuisione penes geminum modum, quo res in loco esse potest, scilicet definitè, & definitè. Indefinitè est esse in omni loco sine certa finium præscriptione, quod est Dei proprium, nec in prædicamento potest existere. At verò definite est esse in certo, ac determinato loco intra certos fines, & hoc conuenit rebus finitis, atque creatis, & ad hoc prædicamentum spectat tanquam supremum genus in duo genera subalterna diuidendum. Vnum est Vbi circumscriptivum, quod est præsentia rei extensę in loco, ita ut sit tota in toto, & pars in parte loci, unde comensuratur per suas partes partibus loci, atque hunc in modum res corporeæ existunt in loco. Alterum Vbi definitivum. Esse verò definitè, & incircūscriptè in loco in eo consistit, quòd sit præsentia rei inextensæ in loco, ita ut sit tota in toto, ac tota in qualibet parte loci, unde sic existit in loco, ut non commensuretur partibus loci per suas partes, cum has non habeat. Dici autem solet Vbi definitivum nomine diuisi applicato uni membrorum diuidentium. Hoc modo res omnes immateriatæ in loco existunt.

Species huius prædicamenti comparari possunt diuidendo Vbi

Vbi circūscriptiuū duplex, penetrabile, & impenetrabile.

Vbi autem circumscriptivum duplex, unum penetrabile ex sui naturâ conuenitque omni substantiæ, ac accidenti corporeo seclusâ quantitate; hæc enim quantitate secluſâ, manerent per locum extensa, ita tamen, ut possent ab alia re penetrari, & eiusdem præsentiam eodem in loco admittere. Aliud est Vbi impenetrabile ex sui naturâ, quod soli conuenit quantitati, quæ quidem est impenetrabilitatis radix, & per hanc cæteris rebus materiatis conuenit.

Vbi definitiuū duplex, naturale & supranaturale.

Vbi deindè incircumscriptum, seu definitivum diuiditur, nam aliud est naturale, & suaptè naturâ determinatum ad certum spatium, & locum, & hoc rebus immateriatis conuenit. Aliud est supernaturale, quod non est ex sua natura determinatum, quanuis immensum non sit, & hoc est illud Vbi, quod Deus Optimus Maximus, corpori Seruatoris communicat. Hoc enim neutro ex supradictis modis in loco est. Non circumscriptiuè, quoniam huiusmodi corpus totum, est in toto loco, & totum in qualibet loci parte. Nec definitiuè, quoniam hic modus existendi in loco requirit, ut aliquid ita in loco versetur, ut alibi non sit; at verò corpus Christi Dei sic existit in loco, ut dum in uno versatur, modo prædicto, nempè totum in toto, & totum in qualibet loci parte, modo non absimili in alijs quoque locis existat. Hinc nonnulli diuisionem præsentiæ in definitiuam, & circumscriptiuam superius traditam, & explicatam, inadæquatam putarunt.

Digitized by Google

runt. Perperam tamen diuisionem prædictam improbarunt. Vt autem adæquata sit, debet definitiua præsentia sic generatim intelligi ac explicari, ut per eam res ita sit in uno ac definito loco, ut per illam eandem non sit in ullo alio loco. Quando enim Deus rem ponit in alio, & alio loco, id certè non facit per eandem præsentiam, sed quælibet præsentia determinata est ad certum unum locum. Per hoc autem differt esse in loco definitè ab esse in loco indefinitè, quod soli Deo conuenit, qui per suam præsentiam, quæ immensitas dicitur, ubique est, & in omni loco existit. Tametsi igitur aliquid in pluribus locis existat, adhuc dicitur definitè in loco esse, propterea quod in omnibus illis locis non est per eandem præsentiam, sed per unam in uno, per aliam in alio existit loco. Circumscriptio autem præter hoc addit, ut locatum secundum suas partes, loci partibus commensuretur.

Præsentiæ diuisio in indefinitã & definitam est retinenda.

His autem prælabitis facile erit intelligere diuisionem illam præsentiæ in indefinitam, & definitam, adæquatam esse, cùm præsentia Christi Dei ad definitam reuocetur.

In ordine ad quę arrendatur ista diuisio,

Nec omittendum diuisionem illam attendi in ordine ad locum diuisibilem; aliud enim est esse per partes suas in partibus loci, aliud verò esse totum in singulis loci partibus; sed præterea suppetit alius modus existendi in loco penes locum indiuisibilem. Ita quidem punctum, si tamen punctum physicè concedi debet de quo alibi, nonnisi in loco potest esse indiuisibili. Et substantiæ abstractæ propriâ virtute in loco indiuisibili se possunt constituere.

Vbi iterũ diuiditur, in permanẽs & successiuum,

Alia etiam est diuisio, quam Vbi subire potest; propterea quòd aliud est Vbi permanens, & aliud successiuum. Permanens Vbi est, quo res in uno loco immota persistit. Successiuum, atque fluens est, quo res successiuè in loco versatur; quemadmodum enim motus secundum alias, aliasque partes succedit, ac fluit, & mobile ipsum in alijs, & alijs loci, spacijve partibus constituitur; sic etiam datur Vbi fluens, & succedens in toto motu per totum spacium.

Diuidi etiam potest *Vbi*, vel iuxta diuisionem rerum existentium in loco, vel iuxta loca diuersa.

Affectiones quæ cõueniũt Vbi.

Affectiones autem ipsius Vbi, hæ sunt.

Prima proprietas suscipere magis, & minus.

Prima non suscipere magis, & minus; non enim fieri potest, ut res aliqua sit magis, aut minus in loco, quanuis esse possit in maiori, aut minori loco, non enim Vbi intenditur, vel remittitur instar qualitatum.

Secunda proprietas, non habere cõtrarium.

Secunda proprietas est non habere contrarium. Quanuis enim aliquam contrarietatem videatur admittere, qualis est illa, quæ versatur inter terminos motus successiui, cuiusmodi est inter sursum, & deorsum; hoc tamen nihil est, quoniam unum, & idem potest esse sursum, & deorsum respectu diuersorum. Quando igitur dicimus *Vbi* non habere contrarium debet intelligi de illa contrarietate, quæ inter qualitates primas &c. existit, de qua illa, quæ propriè contrarietas dicitur, ad quam requiritur, ut unum determinatè respuat aliud. Quanuis igitur diuersæ præsentiæ locales non se compatiantur, propterea quòd nequit eadem res esse in diuersis locis: præsentia tamen vna, atque certa, non excludit aliam determinatè, sed potius omnes indiscriminatim.

Tertia proprietas immobilitas.

Tertia proprietas est, immobilitas, ita ut sit proprium Vbi esse immobile; non enim potest unum, & idem Vbi de loco ad locum transferri, sic de alijs motibus. Cæterum hæc proprietas intelligenda consideratis ijs, quæ locum habent in prædicamentis.

Quarta proprietas, ut sit fundamẽtũ relationum &c.

Quarta, & ultima proprietas est, ut sit fundamentum relationum propinquitatis, & distantiæ, omnisque proportionis, quæ pænes locum attenditur.

SECTIO QVINTA.

De Prædicamento Sitûs.

Doctrinæ ordo.

POst prædicamentum *Vbi* tractandum illud, quod dicitur *Situs*; tum quia tàm *Vbi*, quam *Situs* respicit locum; tum quia forsan ab illo minimè reipsâ distinguitur; ut autem *Vbi* dicebatur etiam *Præsentia*, sic itidem *Situs* appellatur *Positio*, imò etiam, *Dispositio*.

Situs quod.

Satis est exploratum Situm esse modum quendam, quo aliquid in loco est, siue esse ordinem, dispositionemve partium rei locatæ in loco. Vt Socrates ex. g. potest in loco esse uno, vel alio modo cum una, vel alia partium dispositione: ut potest stare, sedere, iacere: huiusmodi igitur modi existendi in loco nomine Sitûs, & Positionis intelliguntur.

Situs solùm inest corporeis.

Manifestum autem Situm non reperiri, nisi in rebus corporeis, quibus nimirum conuenit habere partes, secundum quas modis diuersis, ac variis disponi possunt. Reperitur tamen non solùm in corporibus animatis, sed etiam in alijs, in quibus nulla est anima, ut columna, vel alia quacumque res constitui potest iacens, vel erecta.

Situs duplex activus, & passivus.

Sunt, qui putant Situm, seu Positionem explicandam sic esse, quòd nimirum sit quidam partium sitûs, & generationis ordinatio. Sed insulsa hæc videtur tradita definitio, utpotè illa, in qua inuoluitur definitum. Ad maiorem tamen explicationem addunt, quòd ex applicatione partium loci ad locatam duplex consurgit mutuus respectus, unus in partibus loci terminatus ad partes locati, diciturque situs activus; alter in partibus locati terminatus ad partes loci, diciturque situs passivus, quem solum aiunt à Gilberto definitum fuisse, quanuis generalissimum huius prædicamenti sit Situs generatim sumptus. Deinde aiunt, Situm ab *Vbi* differre, eo nomine, quòd Vbi passivum tamen resultat in re locata ex habitudine ad totum locum; Situs verò ex habitudine partium rei locatæ ad determinatas partes loci, unde inquiunt, contingere, ut inuariato Vbi, possit mutari Situs; ut quando vinum agitatur in vase, manet intra superficiem eandem concauam vasis, & in eodem loco; at singulæ partes vini respondent vicissim diuersis partibus loci; uterque tamen respectus tam per Vbi, quam per Situm importatus est extrinsecùs adueniens, quoniam corpus ab hac ex. g. superficie, nec locatum, nec situatum dicitur, nisi prius ei approximetur, & fiat præsens. Addunt præterea, quòd positio huius prædicamenti differt à positione de genere quantitatis, quòd hæc significat ordinationem partium in ipso toto, sine actuali respectu ad locum: illa verò actualem ordinationem partium locati ad partes loci. Vnde inuariatâ positione de genere quantitatis, potest mutari posititio huius prædicamenti, quemadmodum euenit quando homo variis modis se componit, ut dum se erigit, incuruat, flectit ad dextram, vel sinistram, incumbit &c. tunc etenim inuariatus remanet ordo partium ipsius; semper enim caput immediatè adhæret collo, mediatè autem pectori; & sic de aliis partibus inter se, sed mutatur ordo illarum ad locum.

Hæc tamen admittenda forent concessis tantummodo ijs, quibus innituntur, nimirum relationibus mutuò resultantibus, ut explicatum fuit.

Quid hac in re quærendum,

At nobis eorum probatur consilium, quibus in re proposita sic philosophandum videtur. Primò scilicet indagandum, num situs ad relationis prædicamentum pertineat, deinde num ab Vbi discrimineturr.

Videtur enim non assignandum hoc prædicamentum

cum situs distinctum à prædicamento ad aliquid præsertim ex Aristotelis sententia, cùm in commemorato capite Situm inter relationes recenseat: ait enim. *Sunt autem, & acubitus, & statio, & sessio positiones quædam, positiones verò ad aliquid sunt.* Dumque subdit, *iacere autem, & stare, vel sedere non sunt positiones, sed denominatiuè dicuntur à positionibus*, hoc nihil est, cùm solùm contendat ab abstractis concreta distinguere, non secus ac si diceremus calidum non esse calorem, non esse qualitatem, sed concretum, atque denominativum à tali qualitate, nimirum à calore.

Accedit ratio, quoniam ordo relatio quædam est; at *Dispositio dicitur ordo partes habentis*, ut Stagirites aduertit. Hinc tamen haud licet colligere situm non distingui à prædicamentali relatione, cùm satis euidens sit ad illud prædicamentum non spectare.

Neque multum negotii facessit auctoritas nuper allata, cùm ibi Philosophus tantùm sermonem habuerit de relatione amplè sumpta, comprehendendo relationes etiam secundum dici; commemorat enim scientiam, sensum, habitum, & id genus alia, relationes nimirum, quas ab eo prædicamento nos eliminandas docuimus.

Neque plus roboris est in ea, quam attulimus ratione. Dispositio enim dicitur ordo partes habentis, at ordo relatio quidem est, sed non ex iis, quæ ad ipsum prædicamentum spectant.

Videndum superest, num Situs ab Vbi distinguatur.

Tametsi nonnulis arriserit affirmatiua sententia; tamen longè nobis probabilior negatiua visa est, ita ut Situs re ipsâ non distinguatur ab Vbi.

Hoc planè consentit cum Aristotelis doctrina, siquidem in Metaphysicis genera summa rerum enumerans, prædicamentum Situs prætermisit. Nec immeritò, nam *Situs nil aliud est, quàm tale Vbi, hoc est talis præsentia rei, atque partium eiusdem in loco*; Ex variatione enim huiusmodi præsentiæ fit, ut aliquis stet, vel iaceat, vel sedeat, aut alio modo se habeat in loco.

Et ineptè à quibusdam additur supra præsentiam, siue Vbi, modus quidam, in quo Situs consistat. Sufficienter enim res intelligitur habere Situm per ordinem partium eiusdem rei locatæ ad locum; per ipsum enim optimè intelligitur res Vbicata, stans, vel sedens absque alio modo superaddito.

Illud etiam accedit, quòd licet modi dari possit modus in diuerso genere modificandi, non tamen eodem in genere; at si sessio, statio, & id genus alia, modum importarent superadditum ipsi Vbi, certè hujusmodi modi locum concernerent, eundemque respicerent, & præsentiam importarent, non secus ac Vbi ipsum; cum itaque Vbi præsentiam importet, daretur ob id præsentia præsentiæ; quod à veritate est summoperè alienum; non igitur Situs erit quidpiam re ipsâ distinctum ab Vbi.

Ingerit tamen difficultatem non mediocrem, quòd interdum inuariato Vbi, mutatur Situs, ut si quis sedens, aut iacens curru, vel naui feratur, is certe variat Vbi, quoniam successiuè in alio, & alio est loco, non tamen variat situm, quoniam semper manet sedens eidem sessione. Imò vinum in vase agitatum, semper eundem retinet locum uniuersum, partes tamen variant loci partes, quoniam successiuè respondent diuersis partibus loci, unde retento eodem loco, contingit Situs mutatio; propterea consequens esse videtur, ut Situs ab Vbi distinguatur. Hinc tamen ineptè deducitur ista distinctio, propterea quòd Situs est forma loco quidem addicta non minus, quàm ipsum Vbi; quemadmodum igitur Situs absolutè sumptus necessariò respicit locum; sic talis Situs, talem locum, ita ut fieri non possit, ut remaneat corporis idem Situs, si locus, & Vbi varietur.

Difficultas autem proposita diluitur dicendo, dum quis sedens, aut iacens curru, vel naui fertur, itemque dum vinum agitatur in vase, mutari physicè Situm, licet moraliter idem dicendus sit, quatenus aliæ positiones succedunt illis omninò similes, siuè æquiualentes. Ratum igitur esto Situm re ipsâ non distingui ab Vbi. Solutio.

Non immeritò aliquis existimare posset ratione saltem distingui, quoniam idem modus præsentiæ quatenus consideratur præcisè in ordine ad locum, dicitur Vbi; quatenus verò spectatur in ordine ad partes corporis locati certo modo dispositas, dicatur Situs; quemadmodum Actio, & Passio distincta sunt prædicamenta per solam distinctionem rationis. Ratione distinguuntur;

Re verâ tamen Vbi dicit habitudinem, ordinemve totius circumscripti, ad totum locum circumscribentem; Situs verò habitudinem partium circumscripti ad partes loci circumscribentis, addito ordine inter se, respectuque maioris, minorisve distantiæ, vel ad aliquid extrinsecum; hæc tamen si physicè explicentur, non important nisi præsentiam totius, & partium rei locatæ; sed quia hinc intellectus occasione arreptâ, potest considerare præsentiam, in qua Vbi consistit; & potest etiam considerare eundem præsentiæ modum, secundum istas habitudines partium cum ordine maioris, minorisve distantiæ inuicem, vel ad aliquod extrinsecum (quæ non sunt aliud præter localem præsentiam) propterea tanta intercedit distinctio, quanta sufficit ad constituendum prædicamentum Situs distinctum à prædicamento Vbi. Eoque magis, quoniam conducit ad explicandos diuersos loquendi, & respondendi modos ad interrogationes ex. g. quomodo quispiam se habeat in loco, an sedeat, an stet, an iaceat. Ex dictis facilè intelligitur quo pacto concilianda sint Philosophi testimonia, dum aliquando negat, quandoque verò affirmat dari distinctionem inter Situm, & Vbi.

Queri autem solet, quænam sint genera, & species huius prædicamenti; præsertim verò an rarum, & densum ad ipsum pertineant. Genera, & species huius prædicamenti.

Sunt, qui mordicùs tueantur rarum, & densum ad prædicamentum qualitatis attinere.

Rectè tamen Philosophus de qualitate disputans dicebat, rarum, & densum, asperum, & læue, potius esse positiones, quàm qualitates; ait enim. Τὸ δὲ μανὸν καὶ τὸ πυκνὸν, καὶ τὸ τραχὺ καὶ τὸ λεῖον, δόξειε μὲν ἂν ποιόν τι σημαίνειν ἔοικε δὲ ἀλλότρια τὰ τοιαῦτα εἶναι τῆς περὶ τὰ ποιὰ διαφορᾶς· δήσειε γάρ τινα μᾶλλον φαίνεται τῆς μορίων ἑκάτερον δηλοῦν. *Rarum, & Densum & Asperum, & Læue, videri possunt, quale quiddam significare sed apparet hæc aliena esse a qualis diuisione. Situm enim quendam partium videtur potius utrunque declarare.* Rarum, & densum, &c.

Et mirum est oppositum aliquibus placuisse, non enim multiplicanda sunt entia citra necessitatem, quo compulsus Aristotiles existimauit rarum, & densum, asperum, & læue potius esse positiones, quàm qualitates, propterea quòd dicunt dispositionem partium, quæ per positionem, seu situm absque superaddita qualitate obtineri, potest.

Neque refert, quòd figura, raritas, & densitas, asperitas, & læuitas rei sint affectiones fixæ, atque stabiles; non subindè nanque concludendum hoc per qualitatem, atque adeo per accidentariam formam distinctam à positione, Situve comparari. Nam si tres, pluresve sint homines, qui mutuò prehensis manibus eâdem inter se dispositione seruatâ, omnesq; simul conse- Difficultas præoccupata simulque soluta.

direntur, totum quoddam figuratum constituent, semper idem, dum sic incedent, & quod de hominibus dico, de corporibus quibuscumque intelligi potest. At quis adeo demens, ac fatuus, qui arbitretur figurationem illam totius conglobati ex hominibus per superadditam qualitatem comparari? Hoc solùm interest inter ea, quibus fixa est dispositio, & ea, quibus facilè variabilis, quòd ea, quæ priori modo se habent, constant partibus firmissimo nexu iunctis; secus autem reliqua.

Superioris doctrinæ confirmatio.

Hoc facilè admodum intelliges, si diligenter attendas simile quidpiam in coloribus euenire, iuxta sententiam eorum, qui in reflexione, ac refractione luminis illos consistere arbitrantur. Dum enim aliquid hîc existit, constans partibus ita dispositis, reflectendo lumen, talem exhibet colorem. At dum alibi illud vel simile reflectens cõstituitur, ubi profectò non idem numero lumen, reflectit, propterea quòd lumina hîc, & ibi numero quidem differunt, colorem adhuc eiusdem rationis omninò exhibet. Non secus de situ, siue positione. Vt igitur non idem physicè, sed moraliter color, sic etiam Positio.

Num situs sit modus solius quãtitatis.

Quæres autem num Situs sit modus solius quantitatis. Hoc tamen pendet ex sententia, quam quis de materiali substantia profitetur. Si namque putetur hujusmodi substantiam exutam quantitate, adhuc extensam esse loco, licet penetrabilem: talis Situs ei concedendus erit, diceturque proprius quantitatis ille, qui impenetrabilis est, cùm penetrabilis materiali substantiæ possit conuenire; ita ut Situs eandem, quam *Vbi* diuisionem subeat in penetrabilem, & non penetrabilem.

Supereſt, videndum quæ sint positiones ad hoc prædicamentum spectantes. Gemina enim esse potest; una in qua variatur ordo, & dispositio partium corporis inter se, atque hoc pacto differunt *stare*, *sedere*, & *genuflectere*, siue Statio, Sessio, & Genuflexio. Altera est, in qua non variatur ordo partium inter se, sed tantùm in ordine ad aliquod extrinsecum; sic differunt stare, & iacere, siue in homine, siue in in columna, siue in aliquo alio; partes enim eodem semper modo se habent in rectum dispositæ. Diuidi etiam solet in positionem naturalem, ut quòd caput sit supra, & pedes infra, & in accidentariam, ut si quis pedes supra caput eleuaret; hæc tamen non tàm est diuisio generis in species, quàm potius subiecti in accidentia.

Dubitatio

Est autem cur dubitetur de re proposita, nam illa positio, in qua variatur ordo partium inter se, non videtur ad hoc attinere prædicamentum, cùm potius tunc varietur figura pertinens ad qualitatis genus. Ex aduerso ea nec videtur ad hoc prædicamentum spectare in qua non variatur ordo partium inter se, quoniam huiusmodi positio, quæ videlicet sumitur in ordine ad corpus extrinsecum, solam dicit concomitantiam extrinseci corporis; ita fit, ut ea non esset in vacuo, non enim ibi foret differentia standi, & iacendi. Imò nec etiã in pleno; nàm aliquis respectu aliquorum dici potest iacere, & decumbere, & respectu aliorum dici potest stare, uti perspicuum est.

Omnes positiones ad hoc prædicamentum pertinent.

Omnes tamen commemoratæ positiones ad hoc genus pertinent. Illæ quidem, quæ variant ordinem partium inter se. Dum enim variatur figura, variatur positio, quoniam figura nil aliud est, quam positio partium in loco, addito ordine maioris, minorisque distantiæ inter se. Illæ etiam positiones, quæ variant ordinem partium ad extrinsecum corpus in hoc resident prædicamento. Directè siquidem, & per se dicunt talem, vel talem præsentiam ad locum, connotantque habitudinem extrinseci corporis, vel potius spatij pro ut dicit præsentiam diuinæ substantiæ virtute habentis partes, & partes, atque adeo diuisibilis, ut superiùs explicatum fuit.

Situs in suas diuiditur species, nam positio alia est recta, & alia flexa; & utraque pro varijs mutationibus, quæ illis possunt contingere, diuisionem subit. *Situs in suas diuidetur species.*

Sitûs affectiones tres recenseri solent, è quibus. *Situs proprietates.*

Prima est non habere contrarium, si de contrarietate propriè dicta sit sermo, alioquin amplè sumpta illi non repugnat; ita quidem statio sessioni, & cubationi aduersatur. *Prima proprietas habere contrarium.*

Secunda proprietas non suscipere magis, & minus. Hoc autem intelligendum circa unum, & eundem situm, cum alioquin constet dici solere rem esse magis, aut minus flexam in loco, tunc tamen diuersus est situs non ita ut una, & eadem positio suscipiat magis, & minus, ut in qualitate contingit, non enim magis situatum corpus dicitur stans, quam sedens. *Secunda non suscipere magis, & minus.*

Tertia affectio est, ut substantiam materialem afficiat, quantitate tamen indutam, quòd intelligendum de positione impenetrabili. *Tertia affectio est substantiã materialem inuestire quantitate.*

SECTIO SEXTA.

De Prædicamento Quando.

MAgna est affinitas inter Vbi, & Quando quemadmodum enim res in spatio loci, sunt per Vbi; sic in spatio temporis, nimirum in hoc, vel illo tempore, per *Quando*. *Magna affinitas inter Vbi, & Quando.*

Si nomen attendas, *Quando* sonat apertè quandam accidentariam denominationem essendi in tempore, vel si mauis importat durationem rei existentis in tempore. *Quid significet nomen Quando.*

Sunt, qui putant *Quando*, ut prædicamentum constituit non per modum aduerbij, sed nominis esse significandum, quatenus esse in tempore, in concreto tamen acceptum, denotat; at inquiunt, in abstracto dicere habitudinem, respectumque rei temporaneæ ad tempus, cui res illa subijcitur. Sic aiunt à Gilberto definitum fuisse *eße id, quod ex adiacentia temporis in re temporanea relinquitur*, In cuius gratiam obseruant tempus esse mensuram durationis rerum generabilium, atque corruptibilium; unde si quæratur quantum durauerit motus, respondetur unâ, horâ, duabus, tribus horis, &c. quod quidem tempus acceptum pro mensura rerum transeuntium, rectè dicunt esse motum primi mobilis, qui quotidie conficitur ab oriente in occidentem, per huiusmodi siquidem regulatissimi motûs durationem, rerum inferiorum durationes metimur. *Quorundam opinio.* *Definitur Quando.*

Ex coexistentia rei temporaneæ ad tempus, quod est duratio motûs primi mobilis, geminum respectum mutuum consurgere affirmant, quorum unus sit in tempore ad rem temporaneam, sitque respectus mensurantis ad mensuram, dicaturque *Quandò* actiuum, alter in re temporanea ad tempus, sitque respectus mensurati ad mensuram, & dicatur *Quando* passiuum, quod à Gilberto solùm definitum esse contendunt, cùm tamen ex eorum sententia, hoc non constituat prædicamentum *Quando*, sed respectus aliquis utrique communis, quod in alijs prædicamentis Vbi, *Situ*, & *Habitu* contigisse aiunt, idque ab eo factum existimant, quoniam respectus passiui sunt nobis manifestiores, ac magis familiares. Vel forsan peccasse dicendum in eo, quod non assignauerit rationes horum prædicamentorum communes, ut assignari optimè poterant.

Vt tamen rectè nos explicemus *Quando*, cum prædi-

Digitized by Google

Eti respectus superuacanei sint, si credantur accidentaria formæ rebus superadditæ, expendendi sunt alii quidam dicendi modi.

Varij hac de re dicẽdi modi.

Primus modus.

Primus quidem eorum, qui affirmant *Quando*, modum esse quendam realem positivum inhærentem rei duranti in tempore, quo videlicet res constituatur præsens tali, vel tali tempori; quemadmodum *Vbi*, modus dicebatur positivus localis præsentiæ rem constituens in tali, talique loco. Quia tamen animaduertunt tempus non idem permanere, sed semper fluere, atque succedere, proindeque rem præsentem fieri nouo, ac nouo tempori; ob id modum hunc esse fluentem semper, ac successivũ instar ipsius temporis aiunt.

Hunc similem modum, quem appellant *Ævum* constituere quidam solent pro duratione substantiarum abstractarum, quæ Intelligentiæ dicuntur.

ejicitur.

Hic dicendi modus eo nomine peccat, quod ineptè utatur paritate desumptâ ex præsentia in loco; non enim eadem est ratio de præsentia in tempore. Hoc nanq; cùm continuò varietur, ac fluat, sat est mutatio ex parte ipsius, ut res dicatur esse in hoc, vel illo tempore, siue tempus mutare. Non sic de præsentia in loco, non enim explicare licet, quâ ratione res aliqua mutare locum dicatur, nisi per mutationem præsentiæ distinctæ tam à re, quàm à loco. Non inficiandum si daretur hic modus, benè per ipsum explicatum iri *Quando*, de quo loquimur, itaut per ipsum dici posset, hoc prædicamentum constitui; sed modus ille superfluus, à quo natura quidem abhorret.

Secundus modus.

Secundò sunt, qui putant prædicamentum hoc in quodam modo positiuo resultante ex concomitantia temporis consistere, quemadmodum dicunt *Vbi* consistere in modo resultante ex loco reali in re locata.

ijcitur.

Hic etiam modus à veritate recedit, quoniam superflua est hæc accidentaria forma, ut paulò antea dictum fuit. Accedit etiam, quòd ineptè dicitur hunc resultare modum ex re temporanea, & tempore, cùm modus nullus sit ita resultans, sed modus omnis per physicam actionem producitur.

Tertius modus.

Tertius explicandi modus eorum est, qui dicunt *Quando*, in duratione intrinseca rerum consistere, in cuius gratiam aduertunt duplicem esse durationem realem, extrinsecam vnam, intrinsecam alteram. Illa est, quæ comparatur ad rem aliam, ut eius mensura, cuiusmodi est duratio motûs horologij respectu aliorum motuum. Hæc autem, per quam res in se ipsa durat, quocunque extrinseco commensurante secluso. Existimant igitur prædicamentum istud in intrinseca rerum duratione consistere.

ijcitur.

Ineptè tamen, propterea quòd intrinseca rei duratio nil aliud quàm eiusdem rei existentia perseuerans; at existentia non habet locum in diuerso prædicamento à prædicamento rei, cuius est existentia: præsertim si non re ipsâ credatur existentia ab essentia distingui.

Ipõsio.

Dices distingui saltem à re durante, si non ita ut de ipsa prædicetur tanquam accidens physicum, prædicatur tamen tanquam accidens logicum, & hanc tantam distinctionẽ est, quanta sufficit ad constituendum prædicamentũ *Quando* distinctum ab alijs; non enim plus distinguuntur actionis, & passionis prædicamenta.

fellitur

Verum hæc minimè satisfaciunt, nam etiam existentia de creaturis prædicatur per modum accidentis prædicabilis, nec propterea tamen distinctum constituit prædicamentum ab illis. Deindè ad constituendum prædicamentum ad genus accidentis pertinens, haud satis, ut prædicetur tanquam accidens prædicabile; hoc enim admisso nulla supperet ratio, cur etiam substantia non constitueret prædicamentum accidentis, siquidem ipsi quoque huiusmodi prædicatio potest conuenire. Ita quidem prædicare licet substantialem formam de materia; quemadmodum enim albedo accidit homini, ita ut accidentariâ prædicatione de Socrate, & Platone, ac cæteris indiuiduis prædicetur: ita substantialis forma accidit materiæ, ut de hac, & illa materia accidentariâ prædicatione debeat prædicari.

Nec rectè confugies ad eorum consilium, qui dicunt durationem intrinsecam realiter à re durante distingui, ac proindè ex ea optimè posse prædicamentum istud constitui. Considerandum enim *Quando* non esse tempus, nec rem temporaneam, sed potius esse id, quod ex adiacentia temporis in re temporanea relinquitur; quod splendidè quidem expressit Auctor sex principiorum dicendo. *Quando est id, quod ex adiacentia temporis in re temporanea relinquitur*. Neque esse in tempore, atque durare sunt idem, propterea quòd rationes diuersæ admodum sunt; nam esse in tempore, ut Philosophus etiam admonet, est contineri, mensurarique tempore; durare verò est perseuerare in existendo; quanuis igitur duratio crederetur esse realiter distincta à re durante, non propterea tamen ex ea rectè prædicamentum istud constitueretur.

Respõsio.

Reijcitur.

4. Phys. Tex. 117.

Alij propterea, cum omnem relatum modum explicandi reijciendum aduerterent, rem diligentiùs introspicientes dixerunt *Quando*, non esse durationem rerum intrinsecam, sed potius coexistentiã ad aliquam extrinsecam durationem, & præsertim ad durationem motûs primi cœli; hic enim motus, cum semper sit uniformis; non immeritò sumitur eius duratio pro mensura singularum durationum. Sed animaduertendum durationem prædictam motûs primi cœli, spectari posse, & quatenus est duratio intrinseca ipsius, quo pacto dicitur duratio intrinseca, & intrinsecum tempus; hoc tamen modo non constituit hoc prædicamentum, sed pertinet ad prædicamentum quantitatis, quemadmodum duratio intrinseca unius cuiusque alterius rei. Alio modo considerari potest tanquam mensura extrinseca singularum durationum; spectata autem hoc modo, quatenus dicit adiacentiam ad alias durationes, quarum dicitur esse mensura, dicitur Quando. Eaque videtur ratio, quoniam id censeri debet Quando, per quod tanto, vel tanto tempore, scileict per diem, vel annum &c. vel esse hodie, heri, vel cras aliquid futurũ, dicitur; sed hæc habentur per coexistentiam singularũ durationum ad durationem motûs primi cœli, & contra; propterea *Quando* in huiusmodi coexistentia, vel si mauis adiacentia consistet; vel in eo, quod ex tali coexistentia, ac adiacentia, vel commensuratione relinquitur, censendum *Quando* consistere.

Aliorum atque tertius dicendi modus.

Loquitur Auctor secutus e gr uu ga tam opinionem de primo mobili deque motu ipsius

Sed quid relinquatur ex huiusmodi coexistentia, adiacentia, atque commensuratione non facile est explicatu.

Qui noua entia facile intrudunt, & nimiam fœcunditatem naturæ tribuunt, existimant esse accidens reale durationibus ipsis actiuè, & passiuè superadditum. Plerique ipsorum speciatim ad rem significandam affirmant ex adiacentia temporis ad rem temporaneam in tempore quidem resultare *Quando* activum, & in re temporanea passivum, existimantes hæc esse respectus reales extrinsecùs aduenientes. Putant enim inter *Quando*, & *Vbi* tantam affinitatem intercedere, ut quemadmodum *Vbi*, sic etiam *Quando* debeat explicari; at verò, inquiunt, quemadmodum ex extrinseca circumscriptione loci resultat in re locata *Vbi* tanquam accidens reale, per quod formaliter dicatur esse in loco: sic etiam ex adiacentia extrinseca temporis mensurantis res temporaneas, in ijs resultet *Quando* tanquam accidens rea-

Digitized by Google

Reijcitur. le, per quod formaliter dicantur esse in tempore.

Hæc tamen inania sunt figmenta, & Philosopho indigna: potius enim *Quando* putandum esse denominationem sumptam à tempore, cui res coexistunt, & in quo esse dicuntur per diem, annum &c. atque denominantur esse hodie, fuisse heri, & cras futuras esse. Hoc planè videtur ad aures Stagiritæ, quem sequutus Auctor sex principiorum dixit. *Quando esse denominationem desumptam à tempore*; Non enim credebat esse novum aliquod accidens à tempore distinctum, ab coque resultans, & intrinsecùs rebus inhærens, dum ad eum modum loquebatur ille, sed potius denominationem prædictam extrinsecam à tempore mensurante desumptam, hæc enim est, quæ ex ipsa relinquitur adiacentia.

Vera sententia interpretatio.

Ratione suadetur. Hoc mihi persuasum inde, quoniam si *Quando* realem formam importaret in re durante, ea profectò non foret, nisi relatiua, quemadmodum *Vbi*; sed nequit *Quando* spectans ad hoc prædicamentum in huiusmodi relatione consistere; ergo *Quando* non potest esse aliqua forma positiua tempori superaddita. Minor autem ex eo constat, quoniam per *Quando* nequit in re temporanea importari relatio ad tempus, siue durationem motus primi mobilis, nisi, quæ est mensurati ad mensuram, uti perspicuum est; hæc tamen relatio rationis est; versatur enim inter extrema, non ut habentia esse reale, sed cognitum, atque adeo relatio mensuræ fundamentum habet in obiecto, ut cognito, quatenus mensura concipitur, ut medium ad cognoscendum mensuratum, & relatio mensurati fundamentum habet in re mensurata, ut notificata per mensuram; vnde relatio illa importata per Quando nequit esse realis.

Responsio præoccupata simul que reiecta. Nec satisfacies dicendo relationem mensurabilis ad mensuram esse realem, & hanc à tempore extrinseco in re temporanea relinqui. Nec inquam satisfacies, quoniam hoc intrinsecùs rei conuenit temporaneæ ratione intrinsecæ suæ durationis, non autem ex vi temporis extrinseci.

Aliorum responsio. Si quis autem dicat hanc realem relationem esse coexistentiam rei temporancæ ad tempus, ut aliquid heri fuisse, est coextitisse circulationi externæ primi mobilis, & esse hodie est coexistere hodiernæ circulationi; illud occurret solutu difficile, quoniam huiusmodi coexistentia, vel solam importat amborum existentiam in rerum natura, quæ tamen non importat formam relatiuam additam existentijs; vel si importaret non esset ad rem, cùm in illa non posset prædicamentum istud consistere; Vt omittam, quòd non esset maior ratio, cur existentia una esset mensura, alia mensuratum.

Refellitur

In quo *quando* cõsistat. Concludendum igitur *Quando* consistere in extrinseca denominatione desumpta à tempore.

Disparitas inter Vbi & quando. Superest, afferenda disparitas inter *Vbi*, & *Quando*, ut superiori difficultati satisfiat. Disparitas igitur est, quoniam Vbi est terminus motûs, & actionis, quæ in motu interuenit; undè consequens fit, ut reale quidpiam positivum esse debeat. Non sic autem *Quando*, cùm nullius actionis realis, neque ullius motûs sit terminus. Vt præteream disparem esse rationem ipsorum ex oppositis conditionibus eorundem; ut enim res dicatur successiuè præsens alteri, & alteri loco, & alteri, ac alteri spatio, locus debet esse immobilis: at locatum debet perpetuò mutari, ac variari. Contra verò, ut res dicatur successiuè præsens alteri, & alteri spatio durationis, duratio ipsa debet esse fluens, ac transiens, res autem se habet tanquam eadem perseuerans durationi respondens.

Quæ sint, quibus hu Est etiam inquisitione dignum, quænam sint, quibus huius prædicamẽti denominatio possit conuenire. Sunt enim, qui putant propriè accommodari ijs tantummodo rebus, quæ cum tempore trasĕunt, eique subijciuntur; aut illi commensurantur, & coextenduntur; & alij addunt, propriè dici de illis actibus, qui tempore mensurantur, qui nimirum per partes post partes in successione consistunt. Si tamen rem diligenter attendas facilè reperies denominationem huius prædicamenti rebus omnibus conuenire.

Ius prædicamẽti de nominatio posse conuenire.

Huius prædicamenti denominatio rebus omnibus conuenit.

Et certè ita sentiendum, propterea quòd ne dum illa, quæ habent esse in continua quadam successione partis post partem, ut motus: sed etiam ea, quorum esse permanens est, totumque est simul per coexistentiam ad tempus, dicuntur in tempore esse, ac tempore mensurari. Ita ut, ne dum res illæ, quæ commensurantur, & coextenduntur loco, sed etiam, quæ indiuisibili modo sunt in omni sui loci parte, recipiunt denominationem ab *Vbi*. Non absimili modo, ne dum, quæ existunt in tempore, illique commensurantur, & coextenduntur ratione propriæ successionis; sed etiam, quæ indiuisibili modo, quantum ad successionem ita se habent, ut illis propriæ durationis desit successio, à *Quando* denominationem recipiant.

Conuenit non solùm successiuis sed etiam permanentibus.

Quinimo ne dum substantiæ mortales, puta generabiles, & corruptibiles, proindeque constantes ex materia, & forma, sed etiam, quæ sempiternæ sunt, ac immortales, ut Intelligentiæ, & Anima intellectiua denominantur ab hoc prædicamento, nimirum *Quando*; dicuntur enim esse in tempore per quandam coexistentiam cum illo. Ita sanè dicere consueuimus de Intelligentijs, deque anima rationali, non minùs ac de cæteris rebus, heri, fuisse, hodie esse, & cras futuras. Denominatio igitur ad hoc prædicamentum spectans, optimè ipsis potest accommodari.

Non solũ rebus materialibus sed etiam immaterialibus.

Præterea cùm hæc denominatio solùm extrinseca sit, non repugnabit Deo, quamuis simplicissimo: ipse enim, pariter coexistit tempori, diciturque omni tempore fuisse, esse, & esse futurum.

Conuenit Deo.

Potest etiam hæc denominatio ad res momentaneas, ac instantaneas extendi, ita ut ijs etiam si quæ dentur, quæ momento existunt, hæc tribui denominatio possit; tametsi enim videatur de ipsis interrogari non posse, quando fuerunt, vel erunt; quia tamen non inficiandum de ijs dici posse in instanti esse, non dubium quin ijs ea, de qua loquimur denominatio, tribui queat.

Conuenit rebus per instans de rantibus.

Dubitatio de primo motu cui hęc etiam denominatio conuenit.

Suspicio esse potest de motu primo, cuius duratione nos utimur ad cæteros motus mensurandos, propterea quòd non extrinsecùs, sed intrinsecùs denominatur à proprio tempore. Non tamen motus hic excipiendus, etenim considerare licet denominationem, quæ sumi potest à tempore intrinseco, itemq; successionẽ motuum aliorum, siue sit unius, vel alterius horologij, siue unius, vel alterius corporis motum subeuntis; hinc autem denominationem potest recipere, de qua loquimur. Imò motus ille potest metiri se ipsum secundum partes, nempè sumi potest motus unius partis, vel ad mensurandam aliam partem, vel ad mensurandum totum, ac uniuersum motum, ob id nec etiam primo motui hæc neganda denominatio.

Difficultas. Difficultas tamen se offert, eo quòd prædicamentum istud fuit iam à nobis in pura denominatione extrinseca constitutum; hoc enim admisso, suppetere viderentur alia prædicamenta contexenda iuxta multitudinem, ac varietatem istarum denominationum, unum ex. g. ex denominationibus, ex quibus columna dicitur dextra, & sinistra, item ante, & retro; aliud ex denominationibus, quibus obiecta à vitalibus actibus denominantur, ut esse cognitum, nempè intellectum, visum, auditum, esse amatum, desideratum &c. ut igitur ex his denominationibus non contexuntur prædicamenta diuersa,

Digitized by Google

uersa; sed potius reducuntur ad prædicamenta formarum, à quibus desumuntur, vel subiectorum, quæ denominantur; sic etiam de *Quando* philosophandum esset, si foret pura denominatio extrinseca.

Solutio. Facilè tamen occurritur, dicendo nouem hæc accidentis genera potius distincta, & enumerata esse ex speciali modo denominandi primam substantiam, quàm illi inhærendi; propterea factum est, ut prædicamentum istud per hanc extrinsecam solam denominationem sit constitutum; eo vel maximè, quòd huius denominationis frequentissimus est inter homines usus, non minus ac denominatio ab Vbi desumpta. Et quanuis *Vbi* aliquid importet positivũ, velut accidentariam formam ijs, quæ in loco sunt superadditum; non idem tamen de *Quando* sentiendum; Tum quia non ea suppetit ratio, quâ probetur de *Quando*, quod de *Vbi* conuincitur; Tum quia si quæ foret, videretur ea esse desumpta ex denario prædicamentorum numero, nam nisi *Quando* importet aliquam formam accidentariam superadditam durationi, videtur denarius numerus imminui. At hæc nulla est, non enim sentiendum cum aliquibus, omnia nouem genera esse physica, & vera accidentia rebus superaddita; ad denarium enim numerum illum tuendum, sat est prædicamentum istud per extrinsecam denominationem constitui, cum hæc frequenter inter homines usurpetur. Nec propterea idem erat agendum de aliis denominationibus extrinsecis, iam commemoratis, quoniam earum usus non adeo frequens, ac necessarius, ut fuerit operæ pretium denarium numerum augere; quod quando etiam id fieret, non esset piaculum committere. Hæc enim prædicamentorum diuisio, est ad libitum hominum, non naturæ lege sancita; quod autem ex ijs nouem generibus, hoc sit accidens, realisque forma, aliud autem extrinseca tantùm denominatio, nihil refert.

Species huius prædicamenti. Species autem huius prædicamenti à plerisque nullæ creduntur, etsi tamen existiment dari genus generalissimum; ad quod solum requiritur, ut non habeat genus supra se, non autem quod sub se habeat species. Hoc autem insulsè dicitur; nam si genus est, oportet sub eo species contineri. Rectiùs alij has species ipsius constituunt, nimirum *esse* in tempore præsenti, in præterito *fuisse*, & in futuro *fore*, quæ per *Hodie*, *Heri*, *& Cras* explicantur.

Hæ sunt Hodie, Heri, & Cras.

Non dissimulandum tamen in hoc aliquid subesse difficultatis, quoniam sicut præteritum, & futurum, utpote partes temporis: ita nec coexistentia ad hoc, & illud tempus erit specie diuersa.

Dicendum potius Quando actiuum, & Quando passiuum huius esse prædicamenti species.

Affectiones, seu proprietates duæ fuerunt assignatæ, quibus ab alijs tertia addita fuit.

Prima proprietas. Prima non habere contrarium; non enim datur una forma, vel denominatio, quæ aliam expellat ex eodem subiecto; quinimò de eadem re rectè dicimus esse nunc, fuisse prius, & permansuram in posterum. Et quanuis mane contrarietur vesperi, id non est ratione respectuum, quos important, seu ratione denominationum, sed potius ratione aliorum, nempè fundamentorum, cuiusmodi sunt lux, & tenebræ.

Secunda proprietas. Secunda, quòd non suscipiat magis, & minus; non enim dicimus rem esse magis, aut minus in tempore; suscipit tamen maius, & minus, quoniam dicimus rem esse in maiori, aut minori tempore, plus, aut minus durare, diutiùs, aut breuiùs existere.

Tertia proprietas. Tertia proprietas est fundare relationes ordinis in tempore, ut enim consideratur propinquitas, & distantia in loco, sic etiam in tempore.

SECTIO SEPTIMA.

De Prædicamento Habitûs.

Vox habitus, & habere, plures habent significationes.

POstremum prædicamentum est illud, quod & nomine Habitus, & verbo *Habere* solet appellari. Hæ autem voces non unam habent significationem. Primò enim accipiuntur amplè prout ad omnia prædicamenta suam significationem extendunt, iuxta quam unaquæque res dicitur, essentiam, & existentiam habere suam; omneque subiectum dicitur habere formam, habere sua accidentia; omneque totum suas habere partes. Hæ autem denominationes in ijsdem prædicamentis suarum rerum includuntur, neque peculiare prædicamentum constituunt. Secundò accipitur nomen habitûs pro specie qualitatis, de qua suo loco actum fuit. Latâ igitur hîc significatione sumitur pro omni eo, quod in aliquo est quomodocumque, secundum quam etiam significat denominationem, quâ res dicitur habere aliquid, quod pars non est eius constitutiua, neque intrinsecus inhærens, sed se habet quodammodo instar formæ. Ita quidem homo dicitur habere vestes, ornamenta, arma, &c. unde dicitur vestitus, ornatus, armatus &c.

Habitus lata significatione sumptus.

Quomodo hoc prædicamentũ ex quorundã opinione accipiendum.

Sunt, qui putant prædicamentum istud sic accipi, ut significet habitudinem mediam inter habentem, & rem habitam, eamque definiri à Gilberto, dum ait, *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia*, quod sic interpretantur, ut mutua quædam sit habitudo corporum, & eorum, quæ sunt circa corpus adiacentia, ita ut corpus habeat illa, & illa habeantur à corpore formaliter per illam habitudinem mediam. Aduertunt porrò ex adiacentia ex. g. vestium, armorum, vel cuiuscumque formæ ad suum subiectum geminum respectum mutuum consurgere, quorum unus in vestibus, armis, siue forma applicata, existat, & terminetur ad corpus, siue aliud subiectum, & hunc esse habitum, seu ut loquuntur, habitionem passiuam; alter verò sit in corpore, vel alio subiecto, & terminetur ad vestes, arma, vel quamlibet formam, isque dicatur habitus, siue habitio actiua; unde habitus ex istorum sententia, constituens hoc prædicamentum est habitio in communi ad actiuam, & passiuam, quæ alio nomine vocatur inhærentia, informatio, unio &c. ita ut omnis unio absoluti ad absolutum, omnisque respectus subiecti ad formam, & contra, ad hoc attineat prædicamentum; quoniam omnis huiusmodi habitudo est quodammodo, ut ipsi dicunt, derelicta ex adiacentia formæ ad subiectum, vel est ipsamet adiacentia talis. Idque confirmant auctoritate Gilberti, qui propterea in hoc prædicamento pro exemplis attulit *album esse*, & *quantum esse*, hoc est respectum subiecti ad albedinem, & quantitatem.

Adnotatio.

Quid proprie pertineat ad hoc prædicamentũ quæritur. Cap. 7.

Sed ut explicemus, quid propriè sit id, quod ad hoc pertinet prædicamentum, cum Philosophus quid de ipso senserit, haud facile sit intelligere, siquidem solum exemplis illud illustrauit, dicendo, ut calceatum esse, & armatum esse; confugiendum profectò ad Gilbertum, qui habitum definiens, ait: *Est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia, secundum quam hoc quidem habere, illa verò dicuntur haberi*. Ex quibus deprehendimus eum per adiacentiam intellexisse nil aliud, quàm appositionem, & accommodationem formæ alicuius ad corpus per quam corpus denominetur habere.

Sed hucusque nondum constat, quid sit habere, & quæ sit huius prædicamenti ratio. Sunt enim, qui existimant dari modum quendam realem distinctum à corpore

Prima opinio de Habitu.

Digitized by Google

corpore, & à veste, armis &c. resultantem ex appositione vestium, armorum &c. & inhærentem corpori vestito, armato &c. & modum hunc huius esse prædicamenti habitum. Idque Aristotelis auctoritate confirmant, dum ait. Ἕξις δὲ λέγεται, ἕνα μὲν τρόπον, οἷον ἐνέργειά τις τοῦ ἔχοντος καὶ ἐχομένου· ὥσπερ πρᾶξις τις ἡ κίνησις. ὅταν γὰρ τὸ μὲν ποιῇ, τὸ δὲ πάσχῃ, ἔστι ποίησις μεταξύ, οὕτω καὶ τοῦ ἔχοντος ἐνέργειά τις ἐστὶ καὶ τοῦ ἐχομένου ἐνέργειος, ἔστι μεταξὺ ἕξις. *Habitus autem dicitur uno modo, tanquam quidam habentis, & habiti actius: sicuti actio quædam, aut motus nam cum hoc quidem efficit, illud verò fit, est media affectio ita & habentis vestem, & vestis habitæ est medius habitus.*

5. Diuin. cap. 20.

Reijcitur superior dicendi modus.

Hæc tamen sententia intolerabilis omninò. Quis enim insipiens adeo, ut ex eo, quòd alicui apponantur vestes, aut flos ad ornatum, aut accingatur gladius, existimet in eo huiusmodi resultare modum positivum? Et eo quoque intolerabilior redditur, quoniam per solam circumpositionem vestium absque omni modo superaddito, intelligitur optimè quidem vestitus, armatus &c. solùm ex eo, quòd intercedit modus intimæ præsentiæ ad membra ipsius, qui producitur in vestibus, & in armis; non ergo in ipso agnoscendus modus quidam realis, & positivus, quo illas habere dicatur.

Secunda opinio reijcitur,

Nec meliùs de hoc prædicamento senserunt, existimantes per habitum intelligi mediam habitionem illam, quâ subiectum dici solet habere formam, ita ut ad hoc prædicamentum attineat omnis unio absoluti ad absolutum, omnis respectus subiecti ad formam, & contra, & præterea omnis realis connexio inter partes inuicem, siue essentiales, siue integrantes, adeoq; unionem, & connexionem inter arma, & corpus, inter calceamenta, & pedes ad hoc prædicamentum spectare. Nulla enim est unio inter subiectum, & formam, quę non pertineat ad idem prædicamentum, ad quod pertinet forma. Vt præteream, quòd unio nulla intercedit inter subiectum, & ea, quæ veræ formæ non sunt, quamuis instar formarum habeantur, uti sunt vestes, & arma, præter localem præsentiam, quâ intimè hæc ad subiectum se habent; & tamen habere vestes, & arma censetur ad hoc prædicamentum attinere. Non igitur in modo quodam unionis rebus superaddito poterit hoc prædicamentum consistere.

Aduersariorũ rationes.

Qui in contrariam sententiam abierunt, eâ ratione ducti videntur, quia unio eatenus diceretur ad hoc prædicamentum non spectare, quatenus informatiua cùm sit, pertinet ad prædicamentum formæ, quam unit, modus, cùm sit imperfectus. Sed hoc non admittendum, quoniam unio perfectior est actione, quæ via est ad illam, & tamen actio constituit prædicamentum per se. Accedit, ut ipsi dicunt, quod si unio ponatur in prædicamento formæ, quam unit ob connexionem, quam habet cum ea; pari etiam ratione actio non constituet speciale prædicamentum, sed reponenda erit in prædicamento formę, ad quam tendit, ob necessariam connexionem, quam habet cum illa.

Supradictis ratio-nibus occurritur.

Hæc tamen nullius momenti; dispar enim est ratio unionis, & actionis; illa siquidem induit naturam formæ longè magis, quàm actio, & cum ea multo maiorem habet affinitatem. Hinc fit satis alteri difficultati; non enim ob necessariam connexionem inter unionem, & formam, unio pertinet ad prædicamentum formæ, sed ob allatam rationem; proinde non debet actio ad prædicamentum termini reduci.

Tertia opinio reijcitur.

Neque tandem in respectu quodam extrinsecis adueniente consistet Habere, cum huiusmodi respectus superfluus omninò sit; satis enim est vestes alicui adiacere, ut quis ijs dicatur vestitus.

Affectio quod in extrinseca denominatione consistat habitus, Aristotelis auctoritate probatur.

Concludendũ igitur prædicamentum istud in extrinseca denominatione consistere, quæ nimirum ex vestibus, armis &c. desumitur, adiacentibus tamen, & indistantibus.

Et hoc Stagirites loco superiùs commemorato videtur significasse, docere enim voluit, intercedere quandam coniunctionem inter habentem, & rem habitam, quâ carent separatim consideratæ: ut enim quispiam dicatur vestitus, non satis ex una parte eum existere, & ex alia vestem, sed requiritur illa circumpositio, & adaptatio eiusdem vestis, quod fit per indistantiam, localemque præsentiam spectantem ad prædicamentum *Vbi*. Ad constituendum igitur prædicamentum hoc, sat est denominatio à vestibus, vel armis, &c. circumpositis, quâ corpus denominetur habere vestes, habere arma; non secus ac subiectum denominatur à forma, quâ per unionem informatur.

Multa quæ pote puerilia prætermittuntur.

Hîc aliqua addenda superessent de ijs, à quibus hæc denominatio sumatur, & quibus eadem conueniat; quia tamen valdè puerilia sunt, ab ijs abstinere operæ pretium duximus.

Variæ hius prædicamenti diuisiones.

Variæ autem sunt diuisiones, & genera huius prædicamenti. Alia dici possunt, quæ sunt à natura, & alia etiam ea, quæ ita sunt affixa rebus, ut facilè diuelli non possint; ut aurum in vasis, & lignis deauratis; & alia, quæ facilè auferi possunt, ut vestes, & arma. Sic etiam diuidi possunt indumenta, arma, & ornamenta; sic rursus varia indumenta, varia arma, & ornamenta varia &c.

Præcipua habitus diuisio.

Non ineptè diuideretur habitus, prout in denominatione prædicta consistit, tanquam in species, in denominationem actiuam habentis, & passiuam habiti.

Affectiones, proprietatesve sunt, quòd non habeat contrarium, non enim esse calceatum, & loricatum contraria sunt, & neutrum contrarium habet.

Prima habitus proprietas est non habere contrarium.

Prima igitur proprietas est non habere contrarium, cum contraria non sint calceatum, & armatum esse, ut dicebamus. Benè tamen considerari potest contrarietas in ijs, à quibus sumitur denominatio; sic nos denominare solemus quendam esse vestitum nigro, & quendam albo indumento.

Secunda proprietas, suscipere magis, & minus.

Secunda proprietas est suscipere magis, & minus; potest enim quis dici magis, vel minus armatus, magis, vel minus vestitus, eò quod plura, vel pauciora concurrunt, à quibus desumatur integra denominatio.

Tertia proprietas, in pluribus existere &c.

Tertia proprietas est, in pluribus existere in corpore, & in his, quæ adiacent corpori secundum partium diuersitatem.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO XXI.

De Postprædicamentis.

Cur hæc tractatio Prædicamentis postponitur.

Quemadmodum Stagirites Prædicamentis tractatum de Anteprædicamentis inscriptum præmiserat; sic eisdem alterum de Postprædicamentis appellatum postponit; unde postprædicamenta nuncupata fuerunt, certè non negligenda, cùm ad prædicamentorum cognitionem summopere conducant.

Hæc porrò sunt numero quinque. Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere. Ad prædicamentorum intelligentiam hæc plurimùm faciunt, quoniam in illis de his non semel facta est commemoratio; nam de Oppositis contrariè, & relatiuè, mentionem Aristoteles fecit in substantiæ, quantitatisque prædicamentis, dicendo nihil illis contrariè opponi; magnum, & parvum relatiuè tantùm aduertsari; & in prædicamento qualitatis, dum ait, illam habere contrarium; de Priori, & Simul mentionem fecit in relationis prædicamento dicendo, relatiua simul esse naturâ. De motu etiam Capite de Agere, & Pati, facta commemoratio fuit; nam non fit actio, nec passio sine motu: Habere tandem ad intelligentiam ultimi prædicamenti non mediocriter confert, cùm plurimos, atque diuersos habendi modos ad prædicamentum illud reducibiles, explicet. Horum autem tractatio, quanuis perneccssaria cognitioni prædicamentorum, postlabita fuit; eòquòd de ijs edisserat, quæ conueniunt rebus, non absolutè consideratis; sed in ordine ad aliud; ut de prioribus tribus perspicuum est, cùm quædam sint verum comparationes, sic enim se habent Oppositio, Prioritas, & Simultas; At respectiua rei alicuius cognitio, notitiam absolutam eiusdem supponit; speciatim verò duo illa Motus & Habere, posterius considerari debebant; cùm enim motus sit medium quidpiam inter actionem, & passionem, & utrique suo modo communis; necesse erat, ut priùs de actione, & passione institueretur tractatio, ibique tantummodo motûs aliqua mentio fieret, cùm actio, & passio sine motu haberi non possit, copiosius tamen & ex instituto de ipso non erat agendum; quoniam inde confusio suborta fuisset. De habitu etiam uberiorem tractationem inire opportunum eadem de causa non videbatur, quin potius ad præsentem locum differre præstabat. Hæc igitur tractationis ordo, cuius rationem eam esse dicunt Interpretes, quia Prædicamentum solùm importat coordinationem dicibilium, quæ tantùm sub eodem genere sunt; Postprædicamentum verò coordinationem eorum dicit, quæ in diuersis prædicamentis reponuntur; nam ex eorum sententia Postprædicamentum est coordinatio plurium dicibilium, quę ad diuersa prædicamenta reuocari possunt, ob id ad eorundum completam notitiam habendam conducit. *Ita quidem motus coordinationem dicit suarum specierum, quæ ad diuersa prædicamenta reducuntur; cumque priùs oporteat cognoscere coordinationem dicibilium sub uno genere, quàm eorum, quæ ad diuersa genera reducuntur, idcirco æquum erat, ut habitâ tractatione de Prædicamentis, de Postprædicamentis, ageretur.*

Ordinis ratio.

Postprædicamentum quid.

Postprædicamentorum sufficientia.

Postprædicamentorum autem sufficientiam plerique volunt eam esse, quia videlicet omne Postprædicamentum, ad notitiam completam prædicamentorum conferens, ad cognoscendum ea sanè, quæ sunt in prædicamento, vel quantum ad eius fieri, & sic est Motus; *vel quantum ad eius esse, ducit; & hoc trifariam; quia vel valet ad cognoscendam repugnantiam eorum, vel ordinem, vel conuenientiam; si repugnantiam, sic est* Oppositio, *per quam cognoscimus diuersitatem, & distinctionem generum, & eorum, quæ sub genere ponuntur; distinctio siquidem, & diuersitas semper in aliqua oppositione fundatur; si autem valet ad cognoscendam conuenientiam; hoc bifariam accidit, quia vel valet ad cognoscendam conuenientiam inferiorum in suis superioribus, & sic est* Simul; *vel accidentium in substantia, & sic est* Habere. *Quoniam autem oppositio conducit ad introspiciendam diuersitatem, quæ inter generalissima primò reperitur; alia verò Postprædicamenta magis conferunt ad ea cognoscenda, quæ in diuersis generibus reponuntur; ob id inter Postprædicamenta priùs de oppositione disputandum. Hæc tamen ex aliorum sententia tantùm dicta sint eruditionis gratia, cùm alioquin in ijs difficultates non desint.*

Cur priùs de oppositione.

SECTIO PRIMA.

De Oppositis.

Oppositio amplissimè sumpta cum distinctione conuertitur.

TAmetsi oppositio amplissimâ significatione, cum distinctione diuersitateque conuertatur; communiter tamen sumpta cum repugnantia coincidit; & strictius accepta, minus late patet, quàm repugnantia.

Oppositionis quadripartita diuisio.

Aristotiles oppositionem in quatuor diuidit species; ait enim. Λέγεται δὶ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς κατὰ φασις καὶ ἀπόφασις. *Dicitur autem alterum alteri opponi quadrifariam: vel ut ad aliquid: vel ut contraria, vel ut priuatio & habitus: vel ut affirmatio, & negatio.* Quæ ut exemplis illustret, ait unumquodque sic opponi; Vt ad aliquid, veluti duplum dimidio: ut contraria veluti malum bono; ut priuatio, & habitus veluti cecitas, & visus: ut affirmatio, & negatio, veluti sedet, & non sedet. Sed hæc eadem priùs Archytas, referente Simplicio, tradiderat, dicens. Καὶ κατ' νόμον καὶ κατὰ φύσιν ἀντικεῖσθαι ἄλλοις λέγεται, τὰ μὲν ἐναντία οἷον ἀγαθὸν κακῷ καὶ ὑγιὲς καμνοντι, καὶ ἀλαθὲς ψευδεῖ. τὰ δ' ὡς ἕξεις στερήσει, οἷον ζωὴ θανάτῳ καὶ ὅρασις τυφλότατι, καὶ ἔτι σάμα λάθᾳ τὰδ' ὡς ποτὸ πᾶς ἰχνεῖ τα οἷον διωλάσιον ἡμίσει, ἄρχον ἀρχομένῳ, καὶ διαπόζον διαπόζαμένῳ τὰ δὶ ὡς κατάφασις ἀπόφασις, οἷον τὸ ἄνθρωπον εἶμεν τῶ μὴ ἀνθρωπον εἶμεν, καὶ τῷ αὐδείσιον εἶμεν τὸ μὴ εἶμεν. *Et lege, & naturâ opponi inuicem dicuntur contraria, veluti bonum malo, & sanum ægro, & verum falso. Quædam ut habitus priuationi, ut vita morti, & visio cæcitati, & scien-*

Archytas etiam eâdem partitionem cognouerat.

scientia obliuioni. Quædam ut quæ ad aliquid quodammodo se habent, ut duplex dimidio; princeps subdito, & dominus seruo. Alia ut affirmatio negationi, veluti hominem esse, & hominem non esse & probum esse, & non esse.

Quadrimembris diuisionis oppositorum sufficientia.

Nonnulli autem quadrimembrem hanc diuisionem ita colligunt. Omnis oppositio est repugnantia duorũ extremorum; vel igitur est inter ens, & ens, vel inter ens, & non ens. Si inter ens, & ens, duobus modis contingit; vel enim extrema illa se expellunt ab eodem subiecto secundum actum tantùm, at se permittunt secundum potentiam, & sic est oppositio contraria; vel se expellunt secundum actum, & potentiam simul, respectu eiusdem, & sic est relatiua oppositio. Si inter ens, & non ens, hoc gemino contingit modo, vel nimirum inter ens, & non ens simpliciter, & sic est contradictoria oppositio, cuius unum extremum est non ens simpliciter; vel inter ens, & non ens secundum quid, & sic est priuatiua oppositio.

Oppositio formaliter sumpta, sed latâ quadam significatione teste Boetio idem est atque repugnantia; quæ respectum quendam præsefert. Philosophus oppositionem sub diuersitate constituit, diuersum autem etsi negationem supponat, formaliter tamen, quemadmodum etiam differens, respectum quendam importat, qualis autem respectus, siue relatio sit, ex adiuncta oppositionis definitione colligunt. *Oppositio est relatio inter duo extrema simplicia, quæ in eadem re singulari, simul, & secundum eandem partem, ac respectu eiusdem esse non possunt.* In qua definitione loco generis ponitur *relatio*, cætera verò loco differentiæ. Hanc verò definitionem omnibus esse numeris absolutam contendunt, eiusque sequentem explicationem tradunt. Primò per illam particulam *extrema simplicia* reijcitur propositionum oppositio, quam Stagirites alibi explicat. Extremorum autem simplicium nomine in præsentia intelliguntur, quæ carent complexione propositionum, & æquiuocatione à casu, etsi alioquin sint entia per accidens, vel analoga. Non minus enim opponuntur exercitus, & non exercitus, principium, & non principium, quàm quæuis alia extrema uniuscuiusque essentiæ. Secundò dicitur *in re singulari*; quoniam in subiecto communi ratione plurium inferiorum nulli dubium, quin multa repugnantia esse possint, veluti nigrum, & album in homine uniuersè accepto ratione quidem Æthiopis, & Belgæ. Tertiò additur *simul*, hoc est eodem tempore; nam diuersis temporibus nihil prohibet eidem, extrema prædicta inesse; ut temporibus diuersis idem aër lucidus, & tenebrosus existit. Quartò subijcitur *Secundum eandem partem*, quia ratione partium diuersarum non repugnat eidem extrema opposita conuenire. Vt animal unà sui parte frigidum, aliâ calidum esse. Quintò tandem adiungitur, *respectu eiusdem*, propterea quòd aliqua sunt opposita præsertim relatiua, quæ nisi ad unicum terminum comparentur, in eodem subiecto non repugnant, ut splendidè constat de patre, & filio, qui inter opppositа recensentur; cum tamen in eodem existant, si alterum, ut parentem, alterum autem, ut filium respiciat. Hanc eandem definitionem oppositis in concreto accommodant mutatione tantùm primæ partis, itaut loco illius subrogetur. *Oppositа sunt duo extrema simplicia, quæ in eadem re &c.* Aliâ definitione tradunt. *Oppositio est repugnantia duorum extremorum simplicium, quæ de eadem re singulari simul, & secundum eandem partem, ac respectu eiusdem affirmari non possunt.* Hæc differt ab antecedente; primò quia loco generis habet repugnantiam, cum illa haberet relationem; secundò quoniam hæc traditur per *prædicari*; illa autem per *inesse*.

Lib. 1. de interpræta tione capite quinto.

Nos porrò de oppositionibus tractaturi, primò explicandum existimauimus id, in quo ipsæ conueniant; hinc enim quid singulæ sint clariùs, & apertius constabit. Id autem in quo conueniunt, repugnantia videtur, non quomodocunque sumpta, prout nimirum complexam etiam oppositionem comprehendit, quæ per integras propositiones significatur; sed incomplexorum duntaxat, atque simplicium, quæ per simplices terminos denotantur, cuiusmodi sunt omnia, quæ in prædicamentis locum obtinent. Sed quid sit repugnantia, quæque ipsius ratio, videamus; in hac enim oppositiones omnes quodammodo conuenire suponimus.

Quid hac in re primo explicandum.

Repugnantia est relatio duorum extremorum simplicium, quatenus habere non possunt identitatem formalem, aut realem; vel prout eidem rei singulari, simul secundum eandem rationem, atque respectu eiusdem, inesse non possunt. Primò dicitur *relatio* quoniam repugnantia est quædam diuersitas, atque distinctio, quæ formaliter in respectu quodam consistit, habens esse iuxta conditionem extremorum; si nanque realia hæc fuerint, illa quoque realis erit. Secundò dicitur *duorum extremorum simplicium* ad differentiam repugnantiæ propositionum, quæ complexæ sunt. Tertiò dicitur, *quatenus habere nequeunt entitatem quandam formalem &c.* propterea quòd nonnulla existunt, quæ nedum non sunt idem, sed nequeunt in eodem esse subiecto, unde repugnantiam habent, ut in eodem subiecto sint. Quartò dicitur *eidem rei singulari* quoniam uniuersali potestate conuenire differentias oppositas nihil prohibet, ut animali, rationale, & irrationale & eidem homini uniuersè accepto, calidum, & frigidum, album, & nigrum &c. Quintò dicitur *simul* quoniam tempore diuerso, contraria eidem inesse possunt. Sextò dicitur *secundum eandem rationem*; si nanque res fuerit diuisibilis, nihil prohibet, quo minus in una parte sit calida, in alia verò frigida. Si autem fuerit indiuisibilis, potest secundum rationes diuersas opposita suscipere; ut intellectus prout illustrat phantasmata, proindèque species intelligibiles producit, intellectus agens appellatur; quatenus verò eadem recipit, dicitur patiens; licet còquòd intelligendo possit omnia fieri, dicatur possibilis. Septimò tandem dicitur *respectu eiusdem*; quoniam comparatione diuersorum, nihil prohibet aliquid habere contrarias differentias. Si quæ autem contra superiorem definitionem occurrit, in Metaphysica proponetur &c.

Quid repugnãtia.

Superioris definitionis explicatio.

Repugnantia verò tametsi formaliter accepta respectum quendam præseferat, qui nullam diuisionem amittit; si materialiter tamen sumatur, importat extrema inuicem relata, quæ ita diuiduntur, ut ex ijs quædam dicantur disparata, quædam verò opposita propriè nuncupentur.

Repugnantia formaliter accepta; itemq; materialiter.

Disparata autem dicuntur ea, quæ sic inter se repugnant, ut indiscriminatim eâdem ratione cum alio quouis diuerso repugnantiam habeant; ut homo, & leo extrema esse disparata dicuntur, quoniam homo determinatè non aduersatur leoni; sed ad eum modum, quo cum leone, etiam cùm alijs repugnantiam habet.

Disparata quid.

Sed hæc in duplici differentia esse perhibentur, cùm quædam sint, quæ formalem tantummodò repugnantiam habeant, quatenus unum nequit esse aliud, ut albedo, & dulcedo, quas ex. gr. hoc loco tanquam accidentarias formas de genere qualitatis substantiâ afficientes suppono; inter huiusmodi enim qualitates, hæc solum est repugnantia; nam ratio albedinis, non est ratio dulcedinis: Alia verò sunt, quæ non se compatiuntur in eodem subiecto, & ut aiunt, incompossibilitatem habent subiectiuam, ut duæ sunt substantiales formæ inter se non essentialiter subordinatæ. Hæ nanque

Oppositio bifariam.

Digitized by Google

nanque dicuntur disparatè repugnare quoniam etsi ab eodem subiecto mutuò se excludant; non se tamen excludunt determinatè, ita ut una determinatè respuat aliam, sed indeterminatè excludit omnem; nec ita speciatim excludit unam, ut aliam quamcunque pariter non excludat, dummodò tamen essentialiter subordinatæ non sint, quemadmodum substantiales formæ sunt in viuente; hæ nanque se mutuò in eodem subiecto compatiuntur; at verò oppositæ propriè dictæ sunt illæ, quorum unum determinatè repugnat alteri, ut calor exempli gratia, opponitur frigori; atque hoc discriminis est inter oppositionem propriè dictam, & oppositionem disparatam, siue inter opposita propriè dicta, & quæ disparatè tantùm repugnare dicuntur.

De Relatiua, & Contraria Oppositione.

Quę dicãtur opposita relatiuè.

ARistoteles primo loco agit de oppositis illis, quæ inter se minorem habent oppositionem, cuiusmodi sunt relatiuè opposita; quæ sic ab ipso definiuntur. Ὅσα μὲν οὖν ὡς τὰ πρός τι ἀντίκειται αὐτὰ ἅπερ ἔστι τῶν ἀντικειμένων λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς αὐτά. *Quæcunque igitur, ut ad aliquid opponuntur; id ipsum quod sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodocunque aliter ad ea,* referuntur. In quorum explicationem adducit exempla de duplo comparatione dimidij: nam duplum dimidij id ipsum quod est, alterius dicitur; alicuius enim dicitur duplum. Affert etiam exemplum de Scientia; hæc enim scibili pariter opponitur, ut ad aliquid; diciturque scientia id ipsum quod est ipsius scibilis. Et scibile quoque id ipsum, quod est ad oppositum refertur, nimirum ad scientiam; nam scibile dicitur aliquo, nempe scientiâ scibile. Hinc Scholastici vulgatam illam definitionem deduxerunt. *Ea sunt relatiuè opposita, quæ id, quod sunt oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur.*

Definitionis explicatio.

Huius definitionis hic sensus. Relatiuè opposita illa dicuntur, quæ secundum id quod opponuntur inuicem, se respiciunt. Quod alijs oppositis non conuenit: quoniam licet unum oppositorum fundans oppositionis respectum, respiciat aliud oppositum, non sic reliqua opposita; nam exempli gratia, contrariè opposita non sic se habent. Album enim dicitur opponi nigro, secundum propriam tamen entitatem non respicit, nec dicitur ad aliud referri; album enim non dicitur nigri album. At verò, quæ opponuntur relatiuè si pro fundamentis accipiantur, hoc est secundum proprium suum esse, & secundum proprias entitates, quæ fundant oppositionem, inuicem se respiciunt, quoniam sunt relatiua; non enim tantummodo dimidium, exempli gratia, opponitur duplo, sed dicitur quoque dimidij duplum, & hoc oppositionis genus omnibus relatiuis conuenit, licet quibusdam clariùs, alijs autem obscuriùs. Cum relatiuè opposita explicasset, subdit,

Opposita contrariè.

Τὰ δὲ ὡς ἐναντία, αὐτὰ μὲν ἁπλῶς οὐδαμῶς πρὸς ἄλληλα λέγεται, καίπερ μέντοι καὶ τοιαῦτα λέγεται. *Quæ verò* opponuntur *ut contraria id ipsum quod sunt, nequaquam sui inuicem dicuntur, sed contraria inter se dicuntur.* His autem addit, ὅτε μὲν τὸ ἀγαθὸν τοῦ κακοῦ λέγεται ἀγαθόν, ἀλλ' ἐναντίον, ὅτε τὸ λευκὸν, τοῦ μέλανος λευκόν, ἀλλ' ἐναντίον. *Neque enim bonum dicitur mali bonum, sed contrarium, nec album, nigri album, sed contrarium.* Ex quorundam interpretum sententia obiectioni respondet; posset enim quispiam dicere, prædictam definitionem conuenire quaque contrarijs, cum hæc etiam ad aliquid dici videantur. Ipse autem docet difficultati occurrens, bonum non dici mali bonum, sed contrarium; nam quando relatiua alterius dicuntur, unum existit ratione alterius, quod de contrarijs non dicitur. At reuerâ Philosophus in præsentia contrariorum explanationem aggreditur, licet ea primò à relatiuis separet, quòd relatorum utrunque dicitur esse alterius; at contrariorum neutrum alterius esse dicitur; quandoquidem falsum est album esse nigri album; vel nigrum esse albi nigrum: nihilominus utrumque dicitur contrarium alteri, quod ob eam causam aduertit, quoniam reliqua duo opposita, videlicet priuatiuè, & contradictoriè, non dicuntur mutuò eodem nomine, ut cæcitas dicitur, carentia visûs; at visus non dicitur carentia cæcitatis; item non sessio dicitur negatio sessionis, non tamen contra. Ex his autem Scholastici definitionem illam intulerunt. *Contraria sunt, quæ cum inuicem non dicantur; unum inuicem alteri contrarium dicitur.* Plerique notarunt descriptionem hanc duabus constare partibus, quarum prima est. *Contraria inuicem non dicuntur.* Non enim dicitur album est nigri album, & nigrum est albi nigrum. Hanc tamen particulam non sufficere aduertunt, cum in priuatiuè oppositis & in contradictoriis hoc idem contingat: non enim dicitur cæcitas est visûs cæcitas, & contra. Altera particula, inquiunt, est illa. *Et unum alteri est contrarium.* Videlicet est similis, & æqua ratio, & habitudo in utroque, secundum quam album nigro, & albo nigrum contrarium est, quod in nullis aliis oppositis præter relatiua adinuenitur; propterea relatiua excepit, cum cæcitas ex. g. dicatur priuatio visûs; sed non dicatur visus priuatio cæcitatis. Similiter non sedet dicitur negatio illius, qui sedet; at verò sedet non dicitur negatio alterius, sed affirmatio: unde, aiunt, hoc indicari per ilam particulam in contrarijs. *Alterum altero sibi inuicem contrarium dicitur.*

Prima difficultas.

Hîc tamen difficultas insurgit, nam contrarietas quædam est relatio & opposita contrariè possunt relatiuè opponi, unde dicitur, contrarius, contrarij contrarium, non secus ac similitudo, dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas &c. ergo quę opponuntur secundum contrarietatem, relatiuè pariter opponuntur.

Solutio.

Occurritur respondendo si considerentur opposita secundum communem intentionem oppositionis, vel contrarietatis, esse quidem relatiua inter se; at si spectentur quantum ad res subiectas illi intentionibus, non semper opponi relatiuè, sed quandoque contrariè, quandoque priuatiuè, vel contradictoriè. Quoniam autem oppositio in superiori partitione sumitur inter ea, quantum ad id quod sunt, & non ex parte intentionis, ob id non omnis oppositio relatiua est.

Secunda difficultas

Difficultas est etiam de exemplo detumpto ex bono, & malo. Docet enim Philosophus bonum esse contrarium malo, quod a veritate remotam esse videtur, nam bonum & malum sunt genera summa, proindeque sub genere non sunt, at quę sunt huiusmodi, nequeunt esse contraria, cum hęc ea sint quę sub eodem genere maximè distant. Respondendum non esse bonum, & malum sub eodem genere moris; sed sub eodem genere logico, de hoc tamen alibi &c. Cęterum si quę alia difficultas occurret, inferius attingam. Interim non prętermitto in memoriam redigere prędicta opposita solere sic etiam explicari. *Opposita contrariè illa sunt, nempe formæ reales, quæ sub eodem genere maximè distant, & ex eodem subiecto mutuò se expellunt, cui vicissim succedere natæ sunt inesse.*

Solutio.

Opposita contrariè quid.

Ad huius definitionis explanationem, singulas iuvabit particulas diligenter expendere. Primò dicitur, *quod sint formæ reales,* & per hanc particulam contrariè quidem opposita differunt à priuatiuis, & à contradictorijs. Hic tamen est aduertendum, sæpè sępius contrarietatem latâ quâdam significatione summi, quo pacto quamlibet oppositionem complectitur, qua-

Superioris definitionis explicatio.

Adnotatio

Digitized by Google

tenus in eodem subiecto quomodocunq; non se compatiuntur, ut duę numero quantitates, duę substantiales formę; sic etiam masculinum, & fœmeninum ex 10. Diuin. Tex. 25. contrariari dicuntur. Secundò dicitur in definitione *sub eodem genere*, quod intelligendum de genere logico; cùm enim esse debeat transmutatio mutua inter contraria; hęc non debent genere; prędicamentove differre; non enim terminus à quo positivus in motu, prędicamento differt à termino ad quem. Cęterùm huiusmodi genus potest esse, vel proximum, vel remotum. Quanuis enim Philosophus docuisse videatur genus debere proximum esse; ibi tamen non est locutus de contrarietate secundum amplam, sed pressam significationem, pro illa nimirum, quę exercetur determinatè inter formas eiusdem generis. Tertiò dicitur *maximè distans*, ubi per distantiam non intelligitur disconuenientia; homo nanque ex. g. & album discrepant, disconueniuntq; magis, quàm album, & nigrum, & tamen homo, & album non dicuntur contrariari. Proinde per distantiam illa debet intelligi repugnantia, quam habent formę ad essendum in eodem subiecto.

10. diuin. Tex. 12. 24.

Adnotatio.

Hìc porrò animaduertendum repugnantiam gemino usurpari modo. Primò pro repugnantia effectiua, quâ res una alteri repugnat, eòquòd potest contrarium eius producere; ut ignis repugnantiam habere dicitur cum glacie, quia potest producere calorem, qui contrarius est frigori; & calor in igne dicitur repugnans effectiuè frigori in glacie.

Repugnãtia effectiua.

Repugnantia formalis est, quâ duo inter se ex suis formalibus rationibus repugnant, & non possunt esse in eodem subiecto; ut calor in aqua, & frigus in eadem, repugnant formaliter, non effectiuè; propterea quòd huiusmodi repugnantia, & expulsio frigoris à calore mediâ informatione contingit, per exhibitionẽ proprij esse, ac ob id in genere formalis causæ. Hic autem, cum de repugnantia, & contrarietate fit sermo, loquimur de formali, non autem de effectiua.

Repugnãtia formalis.

Repugnantia formalis multiplex est; nam Primò aliqua dicuntur formaliter repugnare, quando simpliciter, & omnino repugnant, adeo ut nullo modo simul esse possint, non solùm in ordine ad subiectum, sed nec etiam in ordine ad tempus, nempè, quæ non se compatiuntur in eodem subiecto, nec etiam esse possunt in eodem instanti. Sic inter se repugnant contradictoria, quorũ formales rationes eò quòd consistunt in exclusione alterius oppositi (se habent enim, ut esse, & non esse) nunquam simul esse possunt in eodem instanti. Secundò formaliter repugnant, quæ ex suis formalibus rationibus nequeunt in unum per se conuenire, neque in compositionẽ alicuius tertij, etiam inspectâ quacumque potentiâ, ut sunt homo, lapis, formæque disparatæ &c. Hæc autem repugnantia minor est præcedenti; nam quæ hunc in modum repugnant, in eodem possunt esse tempore; nec ita se habent immediatè, ut statim ac aliquid ab istorum uno recedit, sit sub oppositò; non enim statim ac aliquid est non homo, sequitur necessariò esse lapidem, ut in contradictorijs euenit; in his enim si quidpiam ab alicuius esse recedit, illicò sub non esse illi oppositò contradictoriè existit; unde pleraque sunt entia in se ipsis possibilia, formaliter tamen incompossibilia, ita ut non possint esse simul unum, vel aliquod tertium ex ipsis. Hæc tamen incompossibilitas non est in ordine ad idem subiectum, sed in ordine ad constitutionem unius per se. Tertiò repugnant formaliter illa, quæ ex suis formalibus rationibus speciali modo aduersantur, imò ut non eodem modo cùm alijs repugnant, unde prouenit incompossibilitas in ordine ad idem subiectum, quatenus unum sui naturâ est aptum ab eodem subiecto aliud expellere. Ita quidem duæ qualitates, videlicet calor, & frigus, non tamen duæ dimensiones formaliter inter se repugnare dicuntur; cùm enim sint eiusdem speciei, nequit una alteri aduersari. Quartò atque postremò formalis est repugnantia, quâ duo repugnant ratione suorum effectuum formalium, siue tales effectus sint primarij, siue secundarij; siue hæc se ipsis formaliter repugnent, siue non. Ita quidem contrariæ, & dimensionis inter se formaliter opponuntur, & se expellunt, atque se inuicem inferunt tali ordine. Primus inferat alios, secundus tertium, & quartum, & tertius quartum, & non contra.

Repugnãtia formalis multiplex.

Prima repugnantia tantummodo contradictorijs conuenit. Secunda repugnantibus disparatis indeterminata repugnantia cùm sit. Quarta formalis non est repugnantia, si propriè loquamur, cum sit tantùm ratione effectuum. Tertia est, de qua hìc habetur sermo.

An ad repugnãtiã oppositorum maxima requiratur distantia.

Si autem quæras, an ad repugnantiam, oppositionemque maxima requiratur distantia. Respondendum, si de contrarietate repugnantiaque perfecta loquamur, omninò requiri maximam distantiam; si autem de imperfecta, non requiri.

Num unũ possit pluribus esse contrariũ. 10. Diuin. Tex. 14.

Quæres deinde num unum possit pluribus esse contrarium. Respondendum si de perfecta contrarietate intelligatur, unum non nisi uni contrarium esse, ut docuit Philosophus, itaut unum haud possit pluribus esse contrarium, ait enim. Τούτων δὲ ὄντων. ἐναντίον ἐπὶ πλείω ἐνδέχεται ἑνὶ ἐπὶ πλείω ἐναντία εἶναι. *His autem existentibus, patet, quòd non contingit uni plura contraria esse.*

Debitorio nis solutio.

Hoc infertur ex contrariorum natura, quæ perfectâ contrarietate sibi mutuo aduersantur, inter hæc enim maxima intercedit distantia; unum enim non nisi ab uno maximè distare potest. Ita quidem albedo ex. g. uni nigredini contrariatur contrarietate perfecta, quoniam inter albedinem, & nigredinem tantummodo potest esse maxima distantia. Quod autem hæc nequeat esse nisi inter duo, fit inde perspicuum, ac exploratum; quoniam si duo maximè ab uno distarent, sequeretur contradictio; nam duorum unum à tertio maximè distaret, quoniam sic supponitur: at non distaret maximè, quoniam etiam aliud, ut planè constat ex illis duobus ab eodem tertio æqui distaret, unde illud prius non distaret maximè, quoniam distantia maxima, nec maiorem, nec æqualem admittit, ideo nanque dicitur maxima. Secùs dicendum de contrarietate imperfecta, uni enim hoc contrarietatis genere plura esse contraria possunt. Sic medio colori ex. g. rubori, duo extremi contrariantur colores albedo, & nigredo.

Duo perfecta contrarietas inter duo tantùm.

Difficultas.

Quandoque plura extremo uni contrariari videntur, ut ex. gr. error scientiæ, & opinioni aduersatur: itemque liberalitati contrariantur prodigalitas, & auaritia. Hoc tamen nihil est, nam contrarietas ista reuocatur ad illam, quæ tantùm inter duo extrema exercetur. Prior etenim ad illam reuocatur, quæ est inter cognitionem veram, & falsam; secunda ad illam, quæ est inter virtutem, & vitium; dici etiam potest errorem aduersari opinioni, & scientiæ; liberalitatem etiam prodigalitati, & auaritiæ, contrarietate tamen imperfecta. Addi quoq; potest, quod quando oppositio est secundum eandem rationem, cadere non potest, nisi inter duo; at si fuerit secundum rationes diuersas, nihil obstabit quo minus eidem aduersentur plura.

Solutio.

Alia est particula in definitione, videlicet *ab eodẽ subiecto*, per quam explicatur formalis effectus contrariorũ, cuiusmodi est expulsio ab eodem subiecto. Vbi aduertendũ, quod præter illam particulam *ab eodem subiecto* adduntur illa verba, *cui tamen vicissim apta sunt esse*.

inesse. Nec immeritò, propterea quòd ex eo quia aliquæ formæ nequeunt reperiri simul in eodem subiecto, non statim inferre licet prædictas formas esse contrarias; nam ex. gr. calor, & intellectio, aut volitio nequeunt esse in eodem subiecto; intellectus enim, & volitio sunt in anima rationali, puta in intellectu, & voluntate, ubi nequit, nec simul, nec successiuè esse calor, cùm huius sit incapax. Quod igitur non sint in eodem subiecto, oriri potest ex incapacitate istius; requiritur proinde formalis expulsio à subiecto, supposito tamen, quòd hoc sit utriusque capax.

Adnotatio

Aduertendum verò, hanc expulsionem non esse intelligendam de quibuscunq; contrarijs acceptis secundum numerum, nec de quocunque subiecto eodem secundum numerum; nam calor hic, qui est in hoc, & hoc frigus in alio determinato subiecto, nec in hoc, nec in alio se possunt expellere, alioquin migrarent de subiecto in subiectum, & tamen contrariæ formæ dicendæ sunt. Sat igitur est de contrarijs secundum speciem acceptis verificari, quatenus nimirum aliquis calor, & aliqua frigiditas possunt sibi succedere, non quidem in quocunque subiecto, alioquin nullum subiectum sibi contrariorum unum determinaret, sed in aliquo subiecto. Et ad huiusmodi expulsionem magis declarandam, aduertendum non requiri expulsionem numeralem; propterea quòd duæ qualitates numero tantummodo distinctæ, ut duo calores, duæ albedines, duæ intellectiones, duæ volitiones solùm numero distinctæ nequeunt esse in eodem subiecto, & tamen non sunt inter se contrariæ; requiritur igitur expulsio secundum speciem, hoc est duarum formarum, quæ specie distinguantur. Propterea hæc expulsio bifariam usurpari potest; vel secundum aptitudinem, atque potentiam, quatenus contrarium quodlibet aptum est suì naturâ contrarium suum expellere, quanuis actu non expellat; vel prout actu expellit.

Quorundam opinio de expulsione.

Est quorundam opinio sustinentium hoc loco sermonem esse de expulsione actuali; at quia aduertunt in remissis, gradibus contraria esse posse in eodem subiecto, ut constat de tepore, nàm in aqua ex. g. tepida duæ qualitates contrariæ, calor nimirum, & frigiditas simul reperiuntur, propterea dicunt expulsionem ab eodem subiecto non conuenire formis contrarijs in gradibus remissis, sed in gradibus tantùm intensis, unde concludunt formas non esse contrarias ex suis formalibus rationibus, sed secundum intensionem graduum. At contra è quorundam opinione probabili, formæ repugnant inuicem non propter graduum intensionem, sed propter proprias formales rationes; calidum enim ut unum, inquiunt, frigido ut uno aduersatur.

Assertio hoc loco sermonē esse de expulsione aptitudinali.

Ob id asserendum hic sermonem esse de expulsione aptitudinali, atque hunc esse contrarietatis effectum, actualem verò expulsionem esse potius accidens separabile, non secus ac se habent risus, & risibilitas; nam aptitudo illa ad ridendum, quæ dicitur risibilitas, proprietas est consequens hominis naturam; risus autem siue actu ridere est accidens separabile. Non dissimiliter aptitudinalis expulsio est contrarietatis proprietas, sed actu expellere, siue actualis expulsio est accidens separabile ab ipsa contrarietate. Contingit autem hæc separatio, ita ut dari possit contrarietas absque actuali expulsione, contingit inquam, propter illimitationem subiecti, cùm enim hoc sit capax intensionis graduum, ut octo; proinde ad huiusmodi capacitatem subiecti possunt in eo reperiri quatuor gradus caloris, & quatuor frigiditatis, vel quinque caloris, & tres frigiditatis &c. dummodo non excedatur octauus gradus, siue numerus octo graduum; propterea istæ duæ qualitates calor, & frigiditas non habent actualem, sed aptitudinalem tantummodo repugnantiam; quæ quidem aptitudo sic explicanda est, ut si tanta non esset subiecti capacitas, vel si restringeretur, aliue gradus qualitatum in eodem subiecto accederent, in eo qualitates huiusmodi haud possent existere, quod de formis non contrarijs nemini licet enunciare.

Contrariorum ex Aristoti'e diuisio.

Contrariorum diuisionem Philosophus aggrediens docet ex contrarijs, quædam non habere medium, quedam autem habere; illa dicuntur immediata, hæc verò mediata; prioris generis sunt, quorum alterum necesse est inesse proprio subiecto, aut de eodem prædicari, ut par & impar non habent medium, quia posito numero, qui est subiectum paritatis, vel imparitatis, necesse est, numerum illum esse parem, vel imparem; idem docet Philosophus de sanitate, & morbo respectu animalis; posito enim animali, tanquam subiecto sanitatis, & ægritudinis, necesse est illud vel sanum, vel agrum esse; itaut inter sanitatem, & ægritudinem ex Aristotelis sententia nullum sit medium, quod tamen neque Galeno, nec ulli Medicorum placuit; cùm potius affirment inter sanitatem, & ægritudinem medium quid esse, nempe conualescentiam atque statum neutralitatis. At Stagirites non propterea culpandus, quoniam seuerè locutus est, eòquòd quilibet discessus à perfecta temperie, in qua sanitas consistit, morbus ab eo dicebatur; Medici autem Galenum secuti solùm à perfecta temperie sensibilem recessum appellandum morbum arbitrantur. Mox explicat, quæ medium habent, dicuntutq; contraria mediata, aitque esse, quorum neutrum necesse est proprio inesse subiecto, nisi alterum eorum insit à natura; ut album, & nigrum, medium habent, suntque mediata in ordine ad corpus; potest enim aliquod corpus utriusque esse capax & nihilominus utriusque expers; non enim necesse est illud esse album vel nigrum, cum possit esse rubrum, vel palidum, quanuis inquit, non omne medium nomen habet; ubi duplex contrariorum medium innuit, unum per participationem; alterum per negationem extremorum. Vt inferius itidem dicam. Per participationem est aliqua forma ex extremis composita, ut pallor, quæ ex albedine, atque nigredine conflatur. Per negationem verò extremorum, illud esse dicitur, quod non est aliqua forma media, vel composita ex extremis; sed aliquod subiectum particulare proprium, ex quo utrumque extremum remouetur; ut improbum, & probum, habent medium, non quidem participatione, sed subiecto, cùm detur aliquid ex proprijs subiectis, quod nec est improbum, nec probum, cuiusmodi est homo, qui non dum virtutis, aut vitij habitum est consecutus, ubi improbus, & probus sumuntur secundum habitum.

Animaduertendū.

Hic autem aduerte semper accipiendum esse subiectum proprium contrariorum; proprium autem subiectum Philosophus appellat id, circa quod apta sunt contraria fieri; ut corpus aliquod mixtum dicitur proprium albedinis, nigredinisque subiectum, cum ei albedo, vel nigredo inesse possit; alioquin nisi proprium subiectum accipias, medium in non habentibus medium, reperies; ut lapis nec sanus nec æger, nec par, nec impar est; Dicebatur igitur in utraque definitione *proprio subiecto* idest contrariorum capaci; quoniam respectu subiecti ad suscipienda contraria minimè idonei, omne contrarium habet medium. Ita quidem lapis, & sanitatis, & ægritudinis, item paritatis, & imparitatis est expers. Dicebatur in secunda descriptione *nisi alterum eorum insit à natura*; Quoniam si eorum alterum à natura insit, esto contraria secundum se sint mediata, necessarium est unum illorum subiecto inesse; ut albor, & nigror; si cum cygno conferantur. No-

Digitized by Google

tat autem Philosophus, inter quædam contraria media esse nominata, ut inter alborem, & nigrorem; quædam innominata, veluti quæ sunt inter bonum, & malum, seu inter probum, & improbum. Priora media dicuntur per participationem; quoniam aliquid habent de utroque extremo. Posteriora verò media per negationem dicuntur, eòquòd sunt negationes utriusque extremi; unde illa sunt entia positiua, hæc autem negatiua.

Oppositio duplex physica, & logica.

Addunt aliqui oppositionem geminam esse, physicam scilicet, & logicam. Oppositio physica ab ipsis dicitur, repugnantia rerum secundum se, qualis inter album, & nigrum; inter cæcum, & videns adinuenitur. Logica oppositio est repugnantia aliquorum, comparatione eiusdem subiecti, non in existendo, sed in prædicando; & sub hoc genere constituunt omnes formas abstractas, tam inter se, quàm cum subiectis collatas. Sed his de rebus cumulatiùs in Dissertationibus Metaphysicis. Vt autem hæc summatim exponam, pauca eadem iterum commemorabo, nempe contraria duplicis esse generis, cùm quædam immediata, quædam mediata dicantur; contraria quidem immediata sunt, ut ex nomine liquet, quæ medio carent, quorum alterum necessariò inest subiecto, ut sanum, & ægrum respectu animalis; at verò mediata contraria sunt, ut etiam ex nomine constat, quæ medium habent, quorum unum non necessariò inest subiecto capaci, ut calidum, & frigidum: album, & nigrum; datur enim medium, quod in subiecto potest esse, nullo ex extremis existente.

Contraria quædam immediata, quædã mediata. Cap. de oppositis.

Medium inter contraria duplex.

Medium autem inter contraria dici aliquid potest bifariam. Primò per negationem extremorum, ut infans dicitur esse quid medium inter temperatum, & intemperatum, proindeque dici nequit temperatus, nec intemperatus, sed non temperatus. Sic inter amicum, & inimicum datur medium, nempe non amicus. Secundò autem contingit per participationem extremorum, quod euenire potest vel per veram mixtionem, cum permanentia utriusque extremi, quemadmodum sunt contrariæ qualitates in gradibus remissis; hoc modo tepidum dicitur medium inter calidum, & frigidum. Vel potest euenire non per veram mixtionem, cum permanentia utriusq; extremi, sed per quandam apparentiam, quemadmodum media, quæ sunt specie distincta ab extremis; dicuntur enim de extremis participare, non quia realiter ex illis componantur, sed quoniam magis conueniunt cum extremis, quàm extrema inter se; uti sunt virtutes vitijs extremis oppositæ, quantum ad esse reale, atque physicum; quod exemplo liberalitatis explicari potest; actus enim ipsius, medium dicitur quidpiam inter auaritiam, & prodigalitatem; ut enim dicitur similis auaritiæ, quatenus prohibet sumptus superfluos; sic est similis prodigalitati quatenus præcipit sumptus necessarios. Hanc de immediata, & mediata contrarietate doctrinam, pluribus Aristoteles est persecutus, ut vidimus.

De Priuatiua, & Contradictoria Oppositione.

Priuatiuè opposita explicantur.

ARistoteles, dum priuatiuè opposita declarare studet, ita loquitur. Στέρεσις δὲ ᾗ ἕξις λέγεται μὲν περὶ ταυτόν τι οἷον, ἡ ὄψις ᾗ τυφλότης περὶ ὀφθαλμόν, καθόλου δὲ περὶ ὃ πέφυκεν ἡ ἕξις γίνεσθαι, περὶ τοῦτο λέγεται ἑκάτερον ἀνεφῶς. *Priuatio autem & habitus dicitur circa idem aliquid ut visus, & cæcitas circa oculum, & ut in uniuersum dicam, in quo natura comparatum est, ut habitus sit, circa hoc dicitur horum utrunque esse.* Priuatiuè igitur opposita sic exponit. *Sunt habitus, & priuatio circa idem.* Non solùm autem explicat quid sit priuatio, & habitus, sed dum ulteriùs pergit, explanat itidem quid sit priuari, & habitum habere. Priuatio, inquit, & habitus circa idem aliquid sunt, ut cæcitas, & visus circa oculum, quæ paulò post uberius explicabo, huiusmodi oppositionis definitionem tradendo, & eiusdem particulas accuratè perpendendo. Quoniam autem Stagirites docuerat ad priuationem necessarium esse subiectum capax formę & priuationis; quod cum forma, & priuatione subiectum efficit, ostendit esse priuatum, & priuationem: insuper habere habitum, & ipsum habitum, siue formam, quæ sunt concreta, & abstracta partim differre, partim verò conuenire. Differre autem quia non de quocunque dicitur priuatum esse, dicitur priuatio; nam homo dicitur cæcus & habens visum, non autem cæcitas, aut visus. Asserit autem conuenire quoniam, ut priuatio, & forma opponuntur, ita & illorum concreta inuicem aduersantur. *Priuatiuè igitur Opposita illa dicuntur, quorum unum est priuatio alterius, & alterum est habitus, seu forma, debetque fieri circa idem subiectum, tempore à natura determinato.* Definitionis huius est intellectus. Primò dicitur, *quorum unum est priuatio alterius, & alterum est habitus, seu forma.* Proinde visus, & surditas non opponuntur priuatiuè, quia unum non est priuatio alterius, hoc enim ad priuatiuam contrarietatem requiritur. Ita quidem contrariantur visus, & cæcitas; auditus, & surditas. Secundò dicitur, *debetque fieri circa idem subiectum.* Huius defectu non opponuntur priuatiuè visus, & surditas, cum circa subiectum idem non fiant; cæcitas enim contingit in oculis, surditas autem in auribus; ita pariter nec visus, & negatio eiusdem in lapide sunt priuatiuè opposita, nam tametsi unum sit alterius carentia, non tamen respiciunt commune subiectum, quod sit utriusque capax. Tertiò additur *tempore à natura determinato*, cuius defectu visio, & eius negatio in catello ante nonum diem, non dicuntur priuatiuè opposita; quoniam etsi subiectum ex se sit capax, deest tamen tempus determinatum à natura; nam ante nonum diem catello non debetur visio; ut igitur aliqua priuatiuè dicantur opposita, tria requiruntur.

Priuatiuè opposita quæ.

Superiora descriptionis explanatio.

Primum, quòd sit circa idem subiectum. Secundum, quòd subiectum sit utriusque capax. Tertium, quòd sit in tempore determinato à natura. Ea igitur, in quibus huiusmodi conditiones non reperiuntur, haud dicenda priuatiuè opposita.

Tria requiruntur ad oppositionem priuatiuam.

At verò à priuatiuè oppositis, contradictoria differunt ratione connotati, quod est subiectum aptum; differunt etiam, quòd inter priuatiuè opposita non repugnat dari medium in subiecto, scilicet non apto, de quo videlicet neutrum possit affirmari; sic inter videntem, & cæcum, medium nempè lapis existit, de quo dicere non licet, quòd sit cæcus, nec quòd sit videns; at inter contradictoria, nimirum inter esse, & non esse, non datur medium.

De oppositis contradictoriè Stagirites loquens, ita scribit. Οὐκ ἔστι δὲ ἀεὶ τὸ ὑπεναντίως κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν κατάφασις καὶ ἀπόφασις. ἡ μὲν γὰρ κατάφασις λόγος ἐστὶ καταφατικὸς, ἡ δὲ ἀπόφασις λόγος ἀποφατικός. ἐπὶ δὲ τῶν ὑπεναντίως κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν, ἐνδέχεται λόγος εἶναι, ἀλλὰ πρᾶγμα. *Id quoque quod sub affirmationem & negationem* cadit non est affirmatio & negatio *nam affirmatio est oratio affirmans, & negatio* est *oratio negans: ex iis verò quæ sub affirmationem & negationem* cadunt, *nihil est oratio, sed res.* Hinc Scholastici definitionem colligerunt sequentem in modum. *Opposita igitur contradictoriè, seu negatiuè sunt, quorum unum cùm sit res, aliud negatio eiusdem; vel ut alij loquuntur. Ea sunt, quæ secundum affirmationem, & negationem opponuntur*, ut homo, non homo; lapis, non lapis; sedere, non sedere. Differunt

Contradictoriè opposita quæ sint.

Digitized by Google

ferunt autem à priuatiuè oppositis; hæc enim connotant commune subiectum capax; illa verò ab ipso subiecto præcisionem important.

Contradictoria sunt in duplici differentia, quædam enim dicuntur complexa, suntque propositiones contradicentes, ut Socrates currit, Socrates non currit, de quibus contradictorijs agit Philosophus in libro de Interpretatione. Alia verò sunt incomplexa, suntque termini contradicentes, ut homo, non homo, animal, non animal, de quibus Aristoteles agit in præsentia. Vt priora illa contradictoria possint contradicere sumi debent pro eodem instanti; ista verò absolutè sumpta, contradicere possunt.

Inter species oppositorũ instituitur cõparatio.

Explicatis oppositorum generibus, ad eadem inter se conferenda orationem conuertit. At quia contraria cum relatiuis initio contulerat; nunc eadem relatiua à priuatiuis duplici ratione distinguit; quarum prima est, quòd priuatiua non dicantur aliorum esse. Secunda quòd non dicantur ad conuertentiam, quemadmodum relatiua dici, suo loco fuit explicatum.

Priuatiua à relatiuis quemodo differant.

Mox autem confert priuatiuè opposita cum contrarijs, & ea inter se discriminari, hac ratione suadere nititur. Contraria quædam sunt immediata, quædam verò mediata; Sed priuatiua ab utrisque distinguuntur; ergo priuatiua à contrarijs discriminantur. Minorem probat quoad contraria immediata, eâ quidem ratione, quoniam hæc sic affecta sunt, ut alterum eorum necessariò insit proprio subiecto: priuatiuè autem opposita, non ita se habent, quandoquidem catulus est proprium subiectum aspectûs, siue visûs, & cæcitatis, & tamen ante septimum diem, neutrum. Nec satisfacies dicendo circumstantiam deesse temporis debiti; propterea quòd in contrarijs, neque cum huiusmodi moderatione licet proprium subiectum utroque contrariorum simul destitutum, adinuenire. Eadem quoque minor, quo ad contraria mediata ex eo conuincitur, quoniam horum neutrum necessariò proprio subiecto inest, nisi tamen alterum à natura insit, ut calor igni, & candor niui; non enim necesse est omne corpus, calidum, vel frigidum: nigrum vel candidum esse, quanuis ex illis, quorum alterum inest à natura, necesse sit unum determinatè inesse, & impossibile sit reliquum inesse; non enim est possibile ignem frigidum esse, vel niuem esse nigram. At in priuatiuè oppositis aliquando necesse est alterum inesse; quod intelligendum de altero determinato, non autem de alterutro. Nam priuatiuè opposita si cũ proprio subiecto tempore à natura statuto conferantur, ita se habent, ut alterum necessariò insit, nimirum homini cæcitas, aut visus, neutrum tamen determinatè debetur; secus de contrarijs, ut supra adnotatum fuit. Secunda ratio ad idem. Inter contraria potest reciprocatio fieri in eodem subiecto, nisi eorum alterum à natura insit, frigidum enim incalescere potest, & calidum frigescere: at inter priuatiuè opposita non fit mutua commutatio; tametsi enim ex habitu procedatur ad priuationem, à priuatione tamen ad habitum non datur regressus; licet enim quispiam ex vidente fiat cæcus, non tamen contra ex cæco naturæ viribus, fieri potest videns. Hanc sententiam Philosophus hisce verbis expressit. ὧν μὲν γὰρ ἕξις ἐστὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολή, ὧν δὲ τῆς στερήσεως ἐστὶ τὴν ἕξιν. ἀδύνατον. οὔτε γὰρ τυφλὸς γεώμετρός τις, πάλιν ἀνέβλεψεν. οὔτε φαλακρὸς ὢν, πάλιν κομήτης ἐγένετο, οὔτε ἄνδρὸς ὤν, πάλιν ὀδόντας ἔφυσεν. *Nam etsi ab habitu ad priuationem mutatio fit; à priuatione tamen ad habitum fieri non potest; neque enim qui cæcus factus est, rursus aspexit: neque calvus comam recepit: nec edentulus dentes emisit.* Difficultates porrò sunt, quia Primò non videns nunc, postea fit videns. Secundò aër qui modò est tenebrosus, postea fit lucidus. Tertiò non calidum fit postea calidum. Propterea dicendum allatam doctrinam veram esse duntaxat in quibusdam præcipuis priuationibus; uniuersè tamen admittendam non esse.

Contradictoria à reliquis oppositis quomodo distinguãtur.

Progrediens distinguit contradictoria à reliquis tribus oppositis hunc ferè in modum inductione concludens, & ita ratiocinatur. Oppositio secundum affirmationem & negationem dicit veritatem, vel falsitatem: hoc est in oppositis contradictorijs necesse est, alterum esse verum, alterum autem falsum; Sed nulla alia species oppositionis veritatem, vel falsitatem inuoluit; ergo oppositio secundum affirmationem, & negationem, ac proinde contradictoria differt à quacunque alia oppositionis specie; seu opposita contradictoriè, ab alijs omnibus oppositis discriminantur. Minorem propositionem inductione Stagirites ostendit; In ijs enim, quę contrariè opponuntur, haud necesse est, ut una pars sit vera, & altera falsa; similiter, neque in relatiuè, neque priuatiuè, seu secundum habitum, & priuationem, oppositis, hoc reperitur; ut sanitas & languor, sunt quidem contraria, neutrum tamen istorum verum est, aut falsum. Ita duplum & dimidium relatiuè contraria, sunt opposita, neutrum tamen istorum est verum, aut falsum. Non dissimiliter visio, & cæcitas priuatiuè opponuntur, sed neutrum est verum, aut falsum. Deinde propositionem minorem hac ratiocinatione confirmat. Ea quæ secundum nullam complexionem dicuntur, non dicunt neque verum, neque falsum: at reliqua omnia ab oppositis secundum affirmationem, & negationem, sunt incomplexa, siue secundum nullam complexionem dicuntur; ergo reliqua omnia &c. neque verum neque falsum dicunt. Opposita igitur secundum affirmationem, & negationem, ab alijs oppositis differunt.

Sed quoniam posset quispiam dubitare de contrariè, & priuatiuè, & relatiuè oppositis, cum videantur dicere veritatem, & falsitatem, siquidem Socratem esse sanum, & Socratem ægrum esse, contraria sunt; & tamen videntur veritatem, vel falsitatem dicere; quemadmodum Socratem habere visum, & Socratem esse cæcum, sunt priuatiuè opposita, & tamen verum, vel falsum dicere videntur. Propterea Stagirites occurrit dicens, in talibus contrarijs haud necessarium esse, ut unum istorum sit verum, alterum autem falsum, Socrate enim non existente, falsò affirmatur utraque propositio ex contrarijs, ex priuatiuis, & relatiuis; Quando enim Socrates non est, ambæ falsę sunt propositiones; cùm enim animal non existit, neque sanum est, neque ægrum. Quod etiam in oppositis priuatiuè licet obseruare; nam si non sit oculus, neque priuatus visu, neque visum habere dici potest; Cùm autem sit subiectum, puta oculus, non semper alterum quidem verum erit, alterum autem falsum; quoniam si nondum determinatum tempus adest, quo visum habere debeat, neque cæcus, neque habere visum dicitur; sic de relatiuè oppositis &c. At in oppositis secundum affirmationem, & negationem atque adeo contradictorijs, semper si unum est verum, alterum est falsum, siue existat, siue non existat subiectum, puta Socrates; nam quando deest subiectum, negatio est vera, affirmatio falsa; quando verò adest subiectum, aliquando affirmatio est vera, aliquando negatio falsa. Cùm igitur hæc solùm oppositis secundum affirmationem, & negationem, seu contradictorijs, non autem alijs oppositis conueniant; ob id hæc ab alijs omnibus oppositis differunt. Hæc autem subiecisse Philosophus videtur, quoniam aduertebat contra rationem allatam instari posse, contradictoria

Adnotatio. ctoria etiam incomplexa dari, ut reliqua opposita, atque adeo incapacia veritatis, & falsitatis. Vnde aduertendum contradictoria esse in duplici discrimine, cùm quædam complexa, ut Socrates studet, Socrates non studet; quædam incomplexa sint, ut homo, non homo. Aristoteles porrò de complexis locutus est, de quibus eius dictum cum veritate consentit. De incomplexis autem non item, cùm eorum neutrum sit verum, vel falsum. Illud etiam adnotandum, hîc sermonem esse de contrarijs incomplexis; nam eorum neutrum verum est, vel falsum. Hæc porrò, si non ut incomplexa, ad veritatem inuoluendam quod spectat, non distinguuntur ab illis, ut incomplexis: quatenus tamen cõplexa, ab ijsdem complexis discriminantur, ut vidimus.

Prima dubitatio. Oritur tamen prima dubitatio, cùm contraria incomplexa videantur dicere verum, & falsum; nam ex. gr. calefio, curro, & aliæ similes voces, sunt incomplexæ, & tamen significant verum & falsum. Responsio in eo posita, quòd huiusmodi voces, prout incomplexæ nec verum, nec falsum dicunt; prout tamen complexionem induunt, quo pacto æquipollent his, ego calefio, ego curro, verum & falsum significant.

Solutio.

Secunda dubitatio. Est etiam altera dubitatio de contradictoriis, quòd non possint esse vera; nam oppositum asserendum videtur, quoniam ex nihilo nihil fit & ex nihilo aliquid fit sunt contradictoria, & tamen vtrumque verum est.

Solutio. Solutio ex eo petenda, quod illæ propositiones sunt contradictoriæ, si attendatur idem modus operandi, nempe secundum naturæ vires; secus si attendatur modus diuersus operandi, puta secundum naturæ vires, & supra vires naturæ.

His explicatis, Aristoteles quinque contrariorum affectiones suâ contemplatione persequitur, quarum

Prima cõtrariorum proprietas Prima quod bono contrarium est tantùm malum; at verò malo & bonum & malum aduersatur. Vtraque pars splendidè constat in virtutibus inter extrema vitia constitutis. Liberalitati enim opponitur vitium, siue prodigalitatis, siue auaritiæ; prodigalitati, autem & liberalitas & auaritia contrariantur. Is autem utranque partem inductione sic probat, nam sanitati aduersatur ægritudo, & iustitię iniustitia, & fortitudini timiditas, similiter autem & in alijs. Secundam partem inductione quoque confirmat; & primò quidem ostendit malo quandoque contrarium esse bonum, ut timiditati contrariatur fortitudo. Deinde probat malo aliquando contrariari malum; ut malo per defectum, contrariatur malum per exuberantiam, seu per excessum; ita quidem auaritiæ, contrariatur prodigalitas, & timiditati audacia, ac proinde malum malo; unde est quod malo aduersetur bonum, & malum. Subdit in aliquibus hoc accidere, cum tamen ut plurimum bonum aduersetur malo, atque adeò unum uni contrarietur.

Secunda contrariorum proprietas. Secunda contrariorum proprietas est, si alterum contrariorum existit, haud necesse est alterum existat; si nanque candor in rerum natura fuerit, necessarium non est nigredinem esse; hanc proprietatem Philosophus declarat exemplo, nam inquit, existentibus omnibus hominibus sanis, sanitas erit, & non ægritudo.

Prima difficultas. Est tamen difficultas; quoniam si relatiua sunt quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum sunt; & si unum eorum est in natura, necesse est & reliquum esse; cùm contraria relatiua sint (nam contrarium est contrarij contrarium) necesse est si unum contrarium fuerit, etiam & reliquum in natura esse debere.

Solutio. Diluitur proposita difficultas dicendo contraria quidem esse relatiua formaliter accepta, non autem materialiter sumpta. Philosophi autem assertum de contrarijs iuxta secundam usurpationem intelligẽdum.

Est etiam difficultas altera, quoniam Stagirites videtur sibi non constare, siquidem primo Libro de Cœlo ex eo probat hanc consecutionem; datur summum leue; ergo datur summum graue; quoniam si unum contrariorum est in natura, etiam & reliquum esse debet, quod tamen in præsentia inficiatur. Secunda difficultas.

Fiet satis respondendo *esse* bifariam usurpari, videlicet pro esse existentiæ & pro esse essentiæ. Cum alibi docet dato uno contrariorum in natura, dandum esse & reliquum, locutus est de *esse* essentiæ; cùm autem hîc inficiatur, de *esse* existentiæ sermonem habet. Contraria enim circa idem subiectum fieri debent; si igitur subiectum ad unum contrariorum, ad alterum quoque potentiam susceptiuam habeat, oportet; ne sit autem hæc frustanea, si contrariorum unum existit, necesse est alterum non repugnare: Hanc porrò non repugnantiam, per iam dictum *esse essentiæ* innuimus; hoc enim cum reale fuerit, poterit in natura dari, quod est ipsum non repugnare. Solutio.

Tertia proprietas est, non posse duo contraria in eodem subiecto simul esse; ut enim repugnat propositiones contrarias simul esse veras; ita fieri non potest, ut contraria simul eidem subiecto insint; unde si Socrates est sanus, non poterit simul esse languens. Hoc autem sic intelligendum; ut ambo contraria subiectum denominent, quod est esse in eadem subiecti parte, & in gradibus intensis; nam in partibus diuersis, vel in gradibus remissis, nullum est inconueniens in eodem subiecto contraria reperiri. Tertia proprietas.

Quarta proprietas est, Contraria recipi in subiecto eodem specie, ut virtus, & vitium in homine; vel genere, ut Sanitas, & languor in viuente, vel saltem animali. Hoc autem modo innuit discrimen aliquod inter contraria, & priuatiua; nam hæc perpetuò dicunt ordinem ad subiectum, saltem specie idem; contraria verò suâpte naturâ respicere diuersa specie subiecta possunt, ut de frigore, caloreque splendidè constat, quæ cùm inuicem aduersentur, alterum suopte ingenio postulat aquam; alterum verò ignem, quæ specie discriminantur. Quarta proprietas.

Dubitatio. Quæri autem solet quid in causa sit, cur Philosophus pronunciauerit contraria esse circa idem specie, & genere; prætermiserit autem idem numero, eo vel maxime quòd proprium primæ substantiæ est contraria suscipere.

Solutio. Multæ responsiones afferri solent, quas breuitati studens prætermittã, unam amplectens, in eo positam, quòd contraria, etsi in indiuiduo sint, in diuersis tamen subiecti partibus existunt in gradibus intensis, quod de specie, & genere affirmare non licet.

Quinta proprietas. Quinta, & ultima proprietas est, Quòd contraria aut sub eodem genere collocantur, ut albedo, & nigredo: aut sub diuersis generibus contrarijs, ut iustitia, & iniustitia sub virtute, & vitio; aut contraria sunt non sub eodem genere, non sub diuersis generibus, sed ipsa sunt genera, quæ sunt contraria, ut bonum, & malum.

Prima difficultas. Grauis tamen oritur difficultas; nam postrema contraria, puta bonum, & malum, dicebat Philosophus, esse ipsa genera; si autem ita est, illud sequitur incommodum, scilicet summa rerum genera duodecim esse, proindeque plura, quàm decem ab eodem sancita.

Solutio. Occurrendum est autem dicendo, illa non fuisse appellata summa genera, quasi addenda decem generibus; sed veluti transcendentia, quæ sortiuntur conditionem eorum, in quibus inuoluuntur; nisi dicere velis in Pythagoreorum gratiam eum esse locutum; apud quos bonum, & malum duo summa genera erant.

Nec omittenda altera difficultas in eo posita, quòd con- Secunda difficultas

contraria esse dicuntur, quæ sub eodem genere maximè distant; ineptè propterea Stagirites dicebat contraria quædam sub diuersis esse generibus. Respondendum Aristotelis dictum intelligi debere de genere proximo, sub quo contraria collocantur; non autem de remoto; ita quidem iustitia, & iniustitia sunt contraria sub diuersis generibus proximis; nempe virtute, & vitio eadem tamen sunt sub eodem genere remoto, nempe sub qualitate.

Tria porrò sunt de quibus hìc operæ pretium est esse sollicitum, quorum. Primum an inter contradictoria dandum sit medium. Secundum an hæc oppositio sit omnium maxima. Tertium an ad soluendam contradictionem virtualis, distinctio sufficiat.

Ad primum quod spectat, aduertendum occurrit, dum quæritur, an inter contradictoria detur aliquod medium, sermonem haud fieri eo sensu, quali in controuersiam vocetur, num dari possit medium susceptivum unius ex contradictorijs, vel utriusque successiuè, cum satis superque cuique perspectum esse queat, dari subiectum, de quo licet affirmare, vel negare, alterum è contradictorijs, vt de homine, quòd successiuè sit albus, vel non albus; sit niger vel non niger, proindèque affirmare quòd sit, vel non sit; sed in controuersiam vocatur, an dari medium possit inter contradictoria, cuiusmodi sunt esse, & non esse, vel per participationem utriusque, vel per utriusque negationem.

Paucis rem perstringendo dicam inter contradictoria, siue complexa, siue incomplexa medium dari non posse, nec per participationem, nec per extremorum negationem; non repugnare tamen inter incomplexa contradictoria, cum aliquo sumpta Synchategoremate, per abnegationem utriusque extremi.

Assertio duabus partibus constat, quarum prima, nempè quòd inter contradictoria absolutè sumpta medium dari non possit, nec per participationem, nec per abnegationem extremorum. Inde suadetur, & primò non per participationem, nam ut Philosophus disputat eleganter, vel istud medium participare dicitur de utroque extremo contradictorio, quoniam sit ex utroque compositum; vel quia simul potest utrumque recipere. Non primum, propterea quòd nihil potest intrinsecùs ex oppositis componi; at contradictoria ut esse, & non esse, maximè sunt opposita; ergo nihil ex ipsis intrinsecus componi poterit.

Vt omittam, quòd huiusmodi medium foret quidpiam ingenerabile, & incorruptibile, nam ex illo & in illud nulla fieri posset mutatio, cùm hæc sit inter ens, & non ens, quorum unum se habet ut terminus à quo; alterum autem ut ad quem, qui simul esse non possunt. Si itaque medium illud *esse*, & *non esse* participaret, per naturalem generationem, cui est semper adnexa mutatio, acquiri non posset: propterea quòd non haberet non ens pro termino à quo, sed pro termino ad quem, siquidem non esse in eo inuoluitur; nec posset corrumpi, quoniam corruptio non terminaretur ad non ens, sed haberet potius illud pro termino à quo, nam in eo non ens inuolueretur, atque adeò si corruptiones subire deberet, haberet illud pro termino à quo. Hæc porrò quantum à ratione distent, neminem arbitror præterire.

Quòd si quispiam occurreret, dicendo, medium illud esse quidpiam non importans contradictoria extrema actu, sed potius hæc in eo eminenti modo contineri. Non propterea difficultatem propositam euadet, cùm eadem adhuc retineat vim suam.

Nec dici potest secundum, scilicet medium illud inter contradictoria ex utroque extremo constare, seu de utroq; extremo participare, quatenus utrumq; simul posset recipere, hoc enim penitus detestabile est; sequeretur enim illud incommodum, quòd propositiones contradictoriæ simul de eodem verificari possent. Sequela inde patet, quoniam si album, & non album, exempli gratia, simul in aliquo subiecto, puta, pariete, forent; dici simul posset, paries est albus, & paries est non albus: nam *Ex eo quod res, est vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa*. Absurdum autem id esse neminem præterit, cui perspectum est hoc primum esse principium à quo cæterarum scientiarum principia pendent, quo destructo (hoc autem contingeret, quòd contradictoria simul de eodem possent verificari) scientiæ omnes destruerentur.

Illud etiam accedit, quòd nulla res determinatam haberet naturam: sed quodlibet potius foret quodlibet, si nanque de Socrate concesseris dici posse, hominem esse, & non esse, cùm non esse, negatio sit extra genus, atque adeo neget solùm esse hominem, admittens omne aliud esse, cùm quodlibet aliud ab homine sit non homo; sequeretur Socratem esse lapidem, esse equum, esse accidens &c. Propterea quòd esse lapidis, esse equi, esse accidentis importarent non esse hominis. Imò & est inconueniens alterum æquè ac superius detestabile, quòd scilicet nulla falsitas in rebus contingeret, propterea quod eatenus hæc in rebus concedenda, quatenus res non ita se habet, quemadmodum enunciatur; at si admitteretur contradictoria de eodem enunciari posse, semper atque perpetuò res ita se haberet, prout enunciaretur. Vt si admittamus de pariete dici posse, quòd simul sit albus, & non albus, dum enunciaremus esse album, res ita se haberet prout à nobis enunciaretur; & dum enunciaremus parietem non esse album, res ita se haberet, quemadmodum enunciaretur. Vnde nunquam propositio foret falsa. Res enim aliter enunciari non posset, quam in se esset.

Confirmatio superioris rationis.

Tertio loco non dari medium per abnegationem extremorum inter contradictoria, quemadmodum datur inter priuatiuè opposita, ex eo planum, ac manifestum, quia subinde liceret inferre contradictorias ambas esse falsas, quod à veritate penitus alienum; Id autem inde secuturum ex eo planè constat, quoniam falsum omninò foret de pariete album affirmari, propterea quod albedinem non haberet; idq; satis euidens. Falsum itidem esset, album de pariete negari, quoniam hoc foret tribuere parieti negationem albedinis, huiusmodi tamen negationem supponimus non habere; & si verum esset, non daretur medium per abnegationem utriusque; at illud esse inconueniens, & erat minor propositio, inde perspicuum; quoniam hæc est contradictoriorum conditio, hæc indoles, atque natura, ut unum formaliter destruat aliud; si igitur unum removeretur à subiecto, non haberet in subiecto proprium esse, sed potius esse destructum, quamobrem in eo reperiretur oppositum, quod formaliter eius destructio est.

Erat autem secundum in eo, quod attulimus assertio, nimirum non repugnare inter incomplexa contradictoria sumpta cum aliquo Synchategoremate, dari medium per abnegationem utriusque extremi, quod sic mihi persuadeo. Contradictoria incomplexa, *ut homo per se albus*, & *homo per se non albus*, certè inter se opponuntur, ex communi omnium consensu, non alia tamen oppositionis specie, quam contradictoria. Hoc autem inde maximè probatur, propterea quòd contradictoria simul ambo de aliquo prædicari non possunt, sed alterum tantum; hoc autem de complexis contradictorijs verificari non potest; quoniam complexa contradictoria sunt propositiones, quæ utiq; non prædicantur, sed potius sunt ex, in quibus

Secunda assertionis pars assumitur ostendenda.

Ratione suadetur.

Confirma.

bus exercetur prædicatio; ergo de incomplexis ut dicebatur. Nam istæ propositiones *homo per se est albus; homo per se est non albus*, sunt ambæ falsæ. Si nanque unum ipsorum homini per se conueniret, itaut de eo posset, homo per se est albus, nunquam ei posset oppositum aptari, proindeque nunquam posset esse non albus; quemadmodum ex eo quia homini conuenit per se rationalitas, nunquam contingit, ut dici possit non rationalis. Inter contradictoria igitur incomplexa cum aliquo Synchategoremate, medium ut homo inter prædicta &c. dari poterit, per abnegationem extremorum, quod erat tertio loco nobis propositũ demonstrare.

Secundũ quod fuit propositũ inquirendum.

Et tribus positis, quæ videbantur inquisitione dignissima, secundum erat, an hæc oppositio cæteras omnes superet, itaut omnium maxima existimari debeat.

4. Diuinorum Tex. 28. 10 Diui. tex. 15.

Maximam quidem omnium oppositionum contradictoriam esse ex ijs, quæ sequuntur, non erit operosum intelligere, si tamen præmittatur, quod Aristoteles docuit, ac dissertissimis verbis explicuit, ubi ait hoc perspicuè constare ex uniuersalitate huius oppositionis, quoniam de quolibet unum contradictorium necessariò affirmari, vel negari debet.

Sed illud etiam hac in re multum habet momenti; quoniam illa est maxima oppositio, quæ maximam dicit repugnantiam, & incompossibilitatem; at contradictoria oppositio hunc se habet in modum; versatur enim inter extrema, sic se habentia, ut sint non solùm incompossibilia in eodem subiecto, sed etiam in eodem tempore: unde quodcunque medium excludunt; quamobrem contradictoria oppositio erit omnium maxima.

Relatiuè opposita medium admittunt per negationem extremorũ.

Quòd autem hæc oppositio contradictoria omne medium excludat, patet; solùm enim huic oppositioni hoc conuenit; nam priuatiuè opposita admittunt medium per abnegationem extremorum, & contrariè opposita medium admittunt, immò quædam in esse remisso sic se habent, ut simul sint in eodem subiecto. Relatiuè opposita medium quidem admittunt per abnegationem extremorum; At verò priuatiuè opposita, quoniam extrema minus conueniunt, quàm contraria & relatiua, subsequuntur post contradictoria; propterea quod priuatiuè opposita se habent ut ens, & non ens, sed contrariè, & relatiuè opposita sunt duo entia positiua; calidum enim & frigidum, album, & nigrum, quæ contrariè opponuntur, sunt entia positiua ex parte utriusque extremi; sic pariter pater, & filius relatiuè opponuntur, & positiuam formam, in sententia admittentium huiusmodi relationes rebus superadditas, sine dubio præseferunt, nec simul esse possunt in eodem subiecto. At post prædicta sequuntur relatiuè opposita; nam opposita contrariè, saltem in esse remisso existere possunt in eodem subiecto, at opposita relatiuè, prout huiusmodi, nimirùm ut opposita vel quatenus respiciunt eadem extrema, in eodem subiecto, nequeunt existere; non enim idem respectu eiusdem, dici potest pater, & filius, dominus, & seruus, quanuis non repugnet respectu diuersorum.

Tertium quod erat propositũ inquirendum.

Superest, quod erat in ordine tertium, An virtualis distinctio, siue distinctio rationis ratiocinatæ ad saluandam contradictionem, sufficiat, itaut de eodem positâ hac distinctione, prædicta contradictoria verificari possint: an potius ad hoc requiratur, actualis distinctio ex rei natura.

Asserendum porrò ad id sufficere distinctionem rationis habens fundamentum in re, ut de re ipsa spectata secundum esse obiectiuum, atque adeò ut actu multiplicata per intellectum, quanuis in re extra sit formaliter una, ut duo verificentur prædicata contradictoria, etiam realia, quoniam hinc non se habent ut unum subiectum, sed ut duo propter diuersos obiectiuos conceptus inadæquatè rem ipsam exprimentes.

Ratio autem ea, quoniam hinc cessant esse contradictoria, cum non verificentur de eodem secundum idem, sed potius secundum diuersas formalitates obiectiuas, quarum una non est alia.

SECTIO SECVNDA

Hactenus de Oppositionibus ex Aristotele tradita expenduntur.

QVæ autem hucusque de oppositionibus tractauimus, ut apertius constent, opere pretium duximus quædam adnotare, & aliquas difficultates in medium afferre, & enim ex earum solutione veritas magis elucebit.

Oppositorum distributio in hunc modum considerata proponitur, an sit adæquata & an uniuoca.

Prima autem se offert consideranda oppositorum distributio, de qua duo possunt in controuersiam vocari; alterum, an sit adæquata? alterum, an sit uniuoca, vel æquiuoca?

Ad primum quod spectat; dissimulare profectò non licet Aristotelem nullo prorsus intermedio partitionem oppositi aggressum fuisse in quatuor membra, videlicet in Relativum, Contrarium Contradictorium, & Priuativum; at si latiori quadam significatione placet oppositum sumere, nulli dubium quin aliâ ratione sit oppositi instituenda distributio; primò videlicet in oppositum impropriè sumptum, quod disparatum appellant, & oppositum propriâ significatione acceptum, quod absolutè oppositum meretur nuncupari. Inter hæc porrò discriminis id esse perhibetur; quod oppositum propriè sumptum, certam atque determinatam habitudinem habet ad unum terminum, cui duntaxat aduersatur, ut singula percurrendo constabit; enimverò in contradictorijs, & priuatiuis una quædam forma definitæ negationi, vel priuationi, & non alijs repugnat. Vt homo non homini, & visus cæcitati, in contrarijs, & relatiuis itidem unum positivum *alteri* tantùm contrariatur. Disparata verò longè aliter se habent, quandoquidem unum indiscriminatim multis, multisque repugnat; & ut familiari utar exemplo, irrationale non solum rationali, sed etiam admirativo, risibili, incorruptibili &c. aduersatur.

Opposita disparata, impropriè opposita. Opposita propriè.

Itaque, ut superiori Sectione breuiter aduerti, repugnantia, tametsi formaliter accepta respectum quendam præseferat, qui nullam diuisionem admittit; si materialiter tamen sumatur, importat extrema inuicem relata, quæ ita diuiduntur, ut ex ijs, quædam disparata, quædam verò opposita propriè nuncupentur; consule quæ ibi scripsi.

Asserit docens adæquatam partitionem oppositorum esse.

Hanc probè traditam velut adæquatam partitionem eo nomine suaderi posse crediderim; quoniam omnia quæ in subiecto aliquo esse non possunt, ita se habeant necesse est, ut vel sub certa quadam habitudine repugnent & unum uni duntaxat per se opponatur; vel unum nullâ seruatâ lege repugnet multis. Quæ priori modo se habent, oppositum; quæ posteriori, disparatum constituunt. Hac bimembri diuisione præhabitâ, unum è membris, videlicet oppositum diuidere licet ad eum modum, quem superius innuimus, sufficientiam quadrimembris partionis ad bimembrem redactę asserentes; vel si placet & fortè meliùs hoc modo. Quæcunque inuicem opponuntur ita se habent, ut pugnent vel tanquam ens cum ente, vel tanquam ens cum non ente; si primo modo, vel unum dicit ordinem ad aliud, illudque respicit, & sunt opposita relatiuè; aut maximè sub eodem genere distant, eidemque subiecto vicissim inesse possunt, & sunt contraria; secundo modo,

vel

vel non ens quod enti aduersatur, sibi certum determinat subiectum, cui forma inesse debeat, & hæc priuatiuè opponuntur; aut nullum sibi determinat subiectum, & opponuntur contradictoriè; In priuatiuè oppositis, extremum unum est positivum, extremum alterum in priuatione consistit; in contradictoriè oppositis, extremum unum est positivum: extremum verò alterum in pura negatione positum est.

bjectio. Nec inadæquatam putes partitionem allatam; eo quòd ut ens cum ente pugnat, fitque duplex genus oppositionis, ita quoque non ens cum non ente collatum pugnabit, oppositionisque novum genus efficiet. Non inquam putes inadæquatam partitionem illam, quia negatio una per se, cùm alteri negationi minimè repugnet, ex collatione unius non entis, cum alio non ente, novum oppositionis genus enasci non potest. Quòd autem negatio negationi minimè aduersetur, nemini dubium; negatio siquidem tollit omne esse, quo sublato, una est totius esse negatio.

olutio. Alterum erat diuisionis membrum, nempè disparatum, quod formaliter acceptum partitionem in species, ulteriorem subire non potest, cum hoc oppositionis genere aduersentur non specie, sed solùm secundum magis, & minus discriminentur, nam omnia indeterminatè, nullâque lege inuicem opponuntur.

ectio. Ineptè autem aliquis existimabit disparatè oppositas sub oppositorum definitione minimè contineri, eòquòd simul esse possint in eodem subiecto, ut patet de differentijs idem quantitatis genus diuidentibus, & constituentibus tres eius vulgatas species, lineam, superficiem, & corpus, cum omnes in corpore existant. Ineptè inquam, nam non omnes differentiæ genus ex aduerso diuidentes, existimari oppositæ disparatè debent, sed illæ duntaxat, quæ simul esse non possunt. Sed fortasse dices, homo, & asinus simul esse non possunt, & tamen non opponuntur, cùm nullâ oppositionis specie inuicem aduersentur. Facilis tamen solutio, quoniam etsi non propriâ, cuius quatuor species recensuimus, impropriâ tamen, scilicet disparatâ opponuntur oppositione, quam superius astruximus.

rima dif ultas. Superior tamen oppositorum distributio, quibusdam laborat difficultatibus; videtur enim inadæquata, propterea quòd sic licet arguere. Medium opponitur extremis, nullo tamen ex modis recensitis oppositionis; datur igitur aliud oppositionis genus; ob id illa distributio inadæquata erit. Medium autem opponi extremis diuerso quodam oppositionis genere, fit inde perspicuum, quia non opponitur priuatiuè neque contrariè, neque contradictoriè, neque relativè, ut satis euidens est; sed neque contrariè, quoniam contraria maximè distare debent, non sic autem medium ab extremis.

nfirma Confirmatur, nam albedo, & nigredo inuicem opponuntur, nullo tamen ex modis commemoratis; Si quis enim foret, maximè videretur modus contrarietatis, sed nihil minus, cum contraria, formæ sint actiuæ, & passiuæ, cuiusmodi non sunt albedo, & nigredo.

olutio. Respondendum oppositionē medij cum extremis ad contrariam reuocari; nam extrema conueniunt in ratione quadam, cui aduersatur medium; sic auaritia, & prodigalitas conueniunt in ratione vitij, cui aduersatur liberalitas quæ comparatione illorum medij rationem obtinet. Quod autem in confirmationem addebatur nullius momenti est, propterea quòd licet contrarietas seuerè accepta requirat extrema, quæ inuicem mutuò agant, & patiantur: ampliori tamen usurpatione non item, cùm satis sit, eam esse inter formas, quarum una determinatè respuit aliam in eodem subiecto, itaut simul in eo, non se compatiantur, quod intelligendum in gradibus intensis, ut superiùs declaratum fuit; maximè enim distare debent graduali distantiâ; alioquin possunt eidem inesse subiecto, ut de tepido manifestum est: unde censeri non debent contrariari solùm ex formalibus rationibus, ut ineptè quidam arbitrati sunt. Ex quo facilè intelliges contrarietatem hanc à limitata subiecti capacitate prouenire.

Secunda difficultas Locus sursum, & deorsum opponuntur, sed non aliquâ istarum specierum; ergo datur aliqua alia species oppositionis; ob id oppositorum inadæquata partitio; Maior constat, eòquòd omnis motus est de opposito in oppositum; sed à loco superiori ad inferiorem datur motus; ergo huiusmodi loci inter se opponuntur; minor etiā clara est, nam si quę inter locum sursum, & deorsum daretur oppositio ex commemoratis, maximè foret contraria; sed hæc esse non potest, cùm locus ad quantitatis genus pertineat, cui nihil est contrarium.

Solutio. Propositę difficultatis enodatio depēdet ex dictis; ubi ad contrarietatē motuū, terminorū contrarietatē requiri solùm diximus, quæ in terminorum distantia consistit.

Disserta. tione 19. Sect 6. in Solutione 4. difficultatis. Nulla datur oppositio relativa, nullaque sunt relativè opposita: perperam igitur instituta oppositorum distributio. Antecedens constat ex eo quia, illa, quę sunt naturâ simul, & posita se ponunt, opponi inuicem non possunt. Fit satis respondendo inter relativa oppositionem esse, non quòd unum non possit existere unà cum alio, cum potius quando eorum unum est, necessariò debeat alterum in natura rerum existere; sed quia realiter distinguuntur, nec utrunque simul esse potest in eodem subiecto; nequit enim idem esse pater, & filius comparatione eiusdem.

Tertia difficultas. Solutio. At relativa duobus modis (prout ad præsens attinet institutum) spectari possunt. Primò ut collata cum suis correlatiuis, quo pacto scientia confertur cum scibili; Secundò ut collata cum alijs, quæ correlativa non sunt; ut scientia cum ignorantia. Secundo modo non sunt opposita relativè, sed vel contrariè, vel aliâ ratione; non enim, scientia relativè opponitur ignorantiæ; sed contrariè. At priori modo relativè opponuntur, quod animaduertisse abs re profectò non fuit.

Adnotatio. Amplius nulla sunt priuatiuè opposita; mala igitur distributio. Antecedens probatur; si aliqua enim essent priuatiuè opposita; maximè forent visus, & cæcitas; sed hæc non opponuntur priuatiuè, quia vel visus opponeretur priuationi, quæ non est, vel priuationi, quæ est; non primum, quia quod non est, nulli opponitur: non secundum, quia Platonis visui priuatiuè non opponitur cæcitas Socratis, cum priuatiuè oppositæ circa idem subiectum fieri debeant.

Quarta difficultas Respondendum, negando antecedens, & ad eius probationem, negandum quoque visum cæcitati priuatiuè non opponi; omnis enim habitus, suæ priuationi hoc oppositionis genere opponitur. Cum autem quęritur an visui Platonis opponatur cæcitas Socratis &c. respondendum Platonis visum, priuatiuè omni cęcitati opponi, cùm omnis cæcitas, vel sibi similis specie, apta sit fieri circa idem subiectum; non propterea tamen oportet, ut priuatio sit aliquid, cum hæc oppositio sit rationis, quemadmodum contradictoria; non dicuntur autem rationis eòquòd sint secundæ intentiones, siue entia ficta ab intellectu; hoc enim non operante visus, & cæcitas, homo & non homo opponuntur; illa priuatiuè; hæc autem contradictoriè; sed utraque oppositio rationis dicitur, eòquòd extremum alterum in utraque non est positivum quidpiam in natura.

Solutio. Succedit altera difficultas, quoniam opposita sunt relativa, cum omne oppositum semper ad suum oppositum referatur; ergo omnis oppositio erit relativa; insulsè igitur tanquam species ab alijs distincta fuit assignata. Huic difficultati superiùs factum est satis &c.

Quinta difficultas

Sexta difficultas.

Sic insuper licet obijcere. Membra huius diuisionis ita se habent, ut unum, imo duo includantur in alio; ergo distributio oppositorum assignata, minime retinenda, utpote instituta rectè diuidendi legibus neglectis. Antecedens ostendo, quoniam si duo contraria spectemus, quod assumptum fuit, nullo labore deprehendere poterimus; albedo siquidem, & nigredo inuicem opponuntur oppositione contrariâ; sed etiam aduersantur priuatiuè, nanque nigrum albedinis carentiam importat, cum aptitudine ex parte subiecti ad illam habendam; opponuntur etiam contradictoriè, siquidem nigrum dicit non album; unde nigrum & album contrariantur, ut non album, & album quod est, contradictoriè aduersari.

Solutio.

Diluitur hæc difficultas, quoniam etsi albedo, & nigredo, itemque album, & nigrum, virtute opponantur oppositione priuatiuâ, & contradictoriâ; formaliter tamen solùm oppositione contrariâ inuicem aduersantur.

An oppositio propriè sumpta uniuocè dicatur &c.

Alterum videbatur inquisitione dignum, an oppositorum allata distributio sit uniuoca. Prætermissis varijs dicendi modis, eum, qui mihi probatur, paucis perstringam.

Assertio negans de oppositionibus materialiter sumptis. Ratio.

Oppositio non est aliquid uniuocum ad quatuor oppositiones materialiter acceptas, vel quod in idem recidit, opposita materialiter sumpta non conueniunt uniuocè. Hæc assertio ex eo mihi euidens, quoniam nihil uniuocum est ad ens reale, & ens rationis; sed prædictarum oppositionum quædam sunt reales, quarum scilicet extrema sunt realia; itaut utrunque sit ens positivum, uti sunt oppositio contraria, & relatiua; aliæ verò dici possunt oppositiones rationis sensu tamen paulo superius explicato; oppositio igitur non est aliquid uniuocum ad quatuor oppositiones materialiter sumptas, siue opposita materialiter accepta, nequeunt in aliquo uniuocè conuenire. Et reuerà superior assertio nemini dubia esse potest, idcirco in eius probatione non est amplius immorandum, sed descendendum ad alia. Altera igitur assertio sit.

Assertio affirmans de oppositionibus formaliter acceptis. Prima ratio.

Oppositiones formaliter sumptæ in communi oppositionis ratione uniuocè conueniunt, itaut oppositionis ratio de ipsis uniuocè dicatur. Hæc assertio mihi non minus euidens, quàm superior, quippè quæ validissimâ ratiocinatione conuincitur; nam tunc aliquid dicitur uniuoce commune multis, eiusque nomen importare communem rationem uniuocè participatam à multis, quando nomine ipso audito, non cogitur intellectus ad plura distrahi, sed potest formare conceptum, cui nomen illud respondeat; at audito nomine *Oppositio* accepto iuxta propriam significationem, potest intellectus efformare conceptum, paulo supra per definitionem expressum, cui nomen oppositionis respondeat; ergo oppositio erit quidpiam uniuocè commune pluribus, nempè oppositionibus formaliter acceptis.

Secunda ratio.

Præterea. Quandocunque intellectus est certus de uno conceptu, dubius autem de cæteris, ille, de quo est certus, est alius ab illis, de quibus est dubius; sed intellectus potest esse certus de aliqua oppositione, dubius tamen, quæ nam sit ex illis quatuor commemoratis, quod satis euidens est; ergo conceptus oppositionis in uniuersum propriâ tamen significatione acceptæ, est alius à conceptibus quatuor oppositionum, ac ob id uniuocè participatus ab ipsis, cum de ijsdem secundum idem nomen, eandemque rationem dicatur.

Obiectio.

Obijcies tamen cum neoterico hunc in modum. Quædam ratio, quâ aliqua dicuntur opposita, est realis, & positiua, quædam ut negatiua, vel rationis; at enti reali positiuo, & negatiuo, vel rationis, nihil potest esse commune uniuocum.

Solutio.

Miror cum hac ratione ductum in contrariam abijsse sententiam, cum nullius ferè sit ponderis. Confundit enim, ita ratiocinando id, quod in oppositionibus materiale est, cum eo, quod est formale, & indiscriminatim usurpat utrunque. Oppositiones enim formaliter sumpta, non important esse reale positiuum, negatiuum, vel rationis, sed solum dicunt rationem talis, & talis oppositionis, quæ cùm conueniant in communi ratione oppositionis, hæc illis uniuocè potest esse communis. Itaque hac in re retinendus idem ratiocinationis modus, quo principium ostendimus uniuocè dici de materia, forma, & priuatione, quæ principia sunt per se generationis naturalis, prout hæc induit mutationis naturam, si mundus ex æternitate dicatur, ut forsan Aristoteli visus fuit; alioquin priuatio non solùm, respectu rei genitæ, sed etiam generationis principium per accidens erit; qua de re in Physicis disputabo. Ea igitur admissa hypothesi, tria illa principia uniuocè quidem in communi ratione principij conueniunt; ut ibi copiosè demonstrabo, & nihilominus materia, & forma sunt utique entia positiua, priuatio autem quantum ad id, quod dicit in recto, non item. Hoc autem non aliunde, nisi quia etsi prædicta tria materialiter sumpta, nequeant in communi ratione quadam uniuocè conuenire, eo quod duo ex ipsis sunt entia positiua, aliud autem negatio entis; formaliter tamen sumpta, quatenus unum est principium per modum termini à quo, aliud per modum termini ad quem, aliud denique per modum transmutabilis respectu mutationis, egregiè conuenire possunt in communi principij ratione, consistente in eo, quòd est esse id, ad quod aliud necessariam habet consecutionem &c. De his tamen uberiùs partim in Physica partim in Metaphysica. Non inconsultò autem particulam illam adieci, scilicet sumendam oppositionem esse propriâ significatione, ut oppositionem disparatam excluderem, quæ non propriè, sed per quandam analogiam ad oppositionem contrariam, oppositionis rationem obtinet. Cùm autem dicerem conceptum oppositionis uniuocum esse, non subinde putes omnem analogiam illi me denegare, sed potius concedere, quæ tamen cum uniuocatione cohærere possit, cuiusmodi analogiam inæqualitatis esse iam à me opportuno loco demonstratum fuit.

Hæc uniuocatio quandam habere potest analogiam admixtam.

Queri etiam hic solet, quid oppositio addat rebus; quæ oppositæ dicuntur. Variæ extant sententiæ, è quibus illa mihi maiori digna videtur plausu, quæ docet nihil positivum addere. Oppositio enim realis nequit esse inter duo extrema negatiua; ergo erit inter extrema positiua, vel alterum positivum, & alterum negativum. Sed ut hæc inter se mutuò pugnent, non est opus positiuo quopiam superaddito. Tametsi extremorum utrunque positivum est quidpiam, satis quidem est, si unum fundet negationem non solùm identitatis, sed coniunctionis cum alio. Tum quia formæ se ipsis formaliter excludunt alias; quibus opponuntur, itaut ratione huius negationis apud quoidam fundare possint aliquam relationem realem. Tum quia hæc oppositio aliqua species est distinctionis, at verò distinctio non addit rebus, nisi negationem, vel relationem quomodocunque explicatam.

Quid addat oppositio rebus quæ dicuntur opponi.

Cæterum negatio, quam dicit forma positiua ut opposita negationi, est negatio rationis; album enim opponitur non albo, per negationem non albi, unde id per quod à nõ albo distinguitur, negationis negatio, ac opus rationis, potiùs quàm realis negatio est.

Negatio quam dicit forma positiua ut opposita negationi.

Circa singula oppositionis genera, quædam adnotanda superfunt; & ut ab oppositis relatiuis exordiar; illud

Quædam adnotanda sunt.

illud primò tractabo; nempe quæ nam sint, quæ relativam oppositionem immediatè suscipiunt. Non unus est autem explicandi modus, prout de relationibus prædicamentalibus gemina potest esse sententia, quarum una doceat, huiusmodi relationes in denominatione partim intrinseca, & partim extrinseca consistere: altera verò formas accidentarias esse ijs, quæ referuntur, superadditas; & rursus hæc duplicem explicationem recipit, quatenus potest intelligi sic, vt affirmet unius relationis terminum, aliam esse relationem in opposito extremo respondentem. Vel ut doceat unam relationem non ad aliam, sed ad illius fundamentum terminari. Hisce formis relativis de medio sublatis, solùmque concessis denominationibus iuxta veriorem dicendi modum, ut suo loco fuit abundè explicatum, quæ de oppositione relativa dicuntur, longè faciliùs intelligi, tractarique possunt, plurimis quidem incommodis vitatis, à quibus alioquin se expedire non facile; maioris tamen eruditionis gratia commemoratis relationibus, tanquam accidentarijs formis retentis, non pigebit pauca quædam subiicere.

Quid dendum xta priū ex candi ndum. ertio. nio.

Dicendum igitur si relatio credatur ad relationem terminari, relationes oppositionis ex utraque parte fundari proximè, nulloque intermedio in relationibus ipsis.

Ad hanc sententiam tuendam ea me ratio compellit, quoniam oppositio relativa exercetur inter formas, quæ sibi ex aduerso respondent, & in eodem singulari comparatione unius, & eiusdem esse non possunt; at iuxta hunc explicationis modum de relationis terminatione, ita se habent relationes ipsæ, quandoquidem seipsis terminant, & respiciunt &c. consequens igitur, ut oppositionis relationes ex utraque parte proximè, ac nullo intermedio in ipsis relationibus fundentur.

nid iuxtā fecundum quam ur.

At iuxta secundum modum explicandi terminationem relationis, quem veriorem suo loco diximus, quid affirmandum non satis constat, cùm in controuersia positum sit; an oppositio ex parte termini proximè, ac immediatè fundetur in absoluto, an in relatione; ex utraque autem parte rationes non desunt.

imus dicendi modus.

Primò nanque videtur aliquibus oppositionis fundamentum ex parte termini dicendum absolutum, eòquòd inter relationes ea de causa datur oppositio, quoniam relatio cùm sit realis ordo, distinctionem exposcit ab eo, ad quod ordinatur, proindeque non potest simul esse cum illo in eodem subiecto; at verò relatio ordinatur ad terminum, ob id ab eo distinctionem postulat, illique opponitur: unde est, ut oppositio ex parte termini debeat in absoluto fundari. Ratio tamen hæc inefficax admodum est, cùm adhuc intercederet realis distinctio inter id, quod ordinatur, ab eo, ad quod per relationem ordinatur, etiam si relatio non ad fundamentum, sed ad relationem ex parte termini diceretur esse terminata; unde ex hoc capite colligi non poterit, oppositionem ex parte termini proximè, nulloque intermedio in absoluto; non autem in relatione fundari.

eundus endi dus.

Alijs autem placuit oppositionem fundari ex parte termini non in absoluto, sed in opposita relatione, eam ob causam, quoniam relationes oppositæ eo modo se habent, ut nequeant simul esse in eodem singulari secundum eandem partem, respectu eiusdem &c. ergo verè sunt oppositæ, non aliâ tamen oppositione, quàm relativâ; ergo inter ipsas relationes nullo intermedio oppositio exercetur.

tius di di mo

Alij demùm ad hanc dubitationem respondendum crediderunt, ex parte termini duplicem reperiri oppositionem relativam; alteram nullo intermedio, siue immediatè fundatam in absoluto; alteram in relatione, & posteriorem hanc proprijssimè relativam esse, de qua in præsenti verba fiunt; ita tamen ut utraque quasi integram oppositionem constituat.

Huius tamen controuersiæ decisio petenda ex ijs, quæ suo loco de relationibus tractantes, attulimus; ubi diximus non posse utique dari oppositionem relativam, nisi in utroque detur relatio, quoniam hæc oppositio in eo consistit, ut extremum unum per relationem respiciat aliud, & vicissim respiciatur ab illo; ut in relativis mutuis, in quibus relativum unum, verè respicit aliud, scilicet terminum, & vicissim terminus respicit illud; hoc autem diximus ita contingere, ut relativum respiciendo terminum, respiciat ipsum, prout relatione affectum, & vicissim terminus respiciat illud prout itidem affectum relatione; at in termino respicere non idem esse, ac terminare, cùm id per relationem: hoc autem per absolutum fiat; quia nimirum terminare est sistere respectum. Dissert. 19 Sect. 11. in solutione secundæ difficultatis.

Ex his non obscurè intelliges, ut opinor, postremam sententiam è tribus relatis non parum ad veritatem accedere quoad singula, quibus illa constat. Assertio. Postremā ex tribus relatis sententijs amplectens.

Ad primum quod attinet, nimirum ex parte termini, duplicem oppositionem relativam reperiri, alteram immediatè in absoluto, alteram in relatione fundatam, satis cuique potest ex hactenus disputatis esse manifestum. At verò secundum, scilicet posteriorem illam oppositionem propriè relativam esse, de qua in præsenti disputatur, suaderi potest. Primò quidem Aristotelis testimonio, qui definiendo opposita relativa ait, *esse illa quæcunque id ipsum quod sunt oppositorum esse dicuntur, aut quomodocunque aliter ad ea*, scilicet referuntur; cum alioquin alibi relativa definiens dixerit, *esse illa quæcunque quod sunt, aliorum esse dicuntur*; at Aristotelis dictum, ac relatorum definitio, ex utraque parte per se primò in relationem cadit, in terminum verò non nisi secundariò, & in obliquo. Ratione quoad singulas partes probatur. Prima pars huius. Secunda pars. Prima ratio. Cap. de ad aliquid

Secundo accedit, quòd propria oppositio inter eas exercetur formas, quæ circa subiectum idem repugnant; at id longè magis, & magis propriè in relationibus, quàm in relatione, & termino absolutè cernitur; còquòd terminus cùm sit subiectum, nequit comparari, ut forma ad subiectum eius relationis à qua respicitur; unde fatendum oppositionem fundatam in relatione ex parte utriusque extremi, proprijssimè relativam esse, de qua in præsenti sit sermo. Secunda ratio.

Tandem repugnantia, quæ est inter relationem, & terminum, ex ea proficiscitur distinctione, quam relatio sibi vendicat ab eo, ad quod refertur; at ea, quæ conspicitur in relationibus, ortum ducit ex diuersis, ac repugnantibus conditionibus, quas utraque postulat in proprio subiecto; sed oppositio quæ oritur ex conditionum repugnantia, magis est precipua, magisque formalis, quàm ea, quæ ducit ortum à distinctione; propterea consequens fit, ut oppositio, quæ in relatione fundatur, sit proprijssimè relativa. Tertia ratio.

Denique, quod erat tertium, inde perspicuum fit; quoniam hæ duæ oppositiones necessario vinculo connectuntur, & quodammodo una alteri subordinatur, cùm ea, quæ ex parte termini, cernitur relatio, terminationem, ac ob id oppositionem absoluti termini supponat; Admissis igitur prædicamentalibus relationibus, velut accidentarijs formis superadditis &c. ut hactenus, de relativa oppositione ratiocinandum videtur. Tertia assertionis pars.

Solet in controuersiam vocari, num oppositionis relatio realis sit, an verò rationis. Qui realem esse contendunt, eâ se ratione compulsos asseuerant; quoniam oppositio relativa, quæ scilicet inter duas relationes proximè exercetur, tres illas habet conditiones ad rea- An oppositionis relatio realis sit, an opus rationis.

lem relationem requisitas; primò enim duæ illæ relationes, inter quas oppositio proxima versatur, sunt entia realia; secundò sunt realiter distincte; tertiò sunt actu existentes. At ex aduerso, qui rationis opus relationem oppositionis esse profitentur, eâ ratione nituntur, quoniam in relationibus abeundum foret in infinitum: inquiunt enim, si pater, & filius per relationes reales opponuntur, cùm hæ pariter inter se opponantur, id habeant per relationes reales necesse est, & hæ rursus per alias, & sic infinitum.

Si unquam prædicamentales relationes negandæ sint tanquam accidentariæ formæ ijs, quæ referuntur, superadditæ; præsertim eòquòd luculentiùs hic cernitur processus in infinitum: ut propterea crediderim.

Assertio. Dicendum relationem oppositionis nullatenus esse formam positiuam, sed potius denominationem realem partim intrinsecam, & partim extrinsecam, ut in uniuersum de huiusmodi relationibus suo loco demonstratum fuit.

Ratione fundatur. Ratio autem non alia, quam quia si semel admittatur, unam relationem realem in alia fundari posse, vitari nequit processus in infinitum, à quo natura summopere quidem abhorret.

Aduersariorum responsio. Hoc incommodum effugere nituntur contrariam sententiam tuentes, dicendo non sequi relationes oppositionis per alias relationes opponi; quoniam cùm ipsæ sint formales oppositionis rationes, se ipsis absque aliâ relatione superadditâ opponuntur; rem exemplo actionis illustrant, siquidem actio hoc ipso quòd est ratio, quâ res aliæ producuntur, non aliâ indiget actione, quâ ipsa producatur, sed per se ipsam accipit esse.

Reijcitur. Sic tamen respondendo nihil conficitur; tametsi enim hoc modo declinare liceat incommodum prædictum in oppositionibus, proindeque in hac parte argumenti vis infringatur, absolutè tamen non vitatur processus prædictus in relationibus, ut mox intelliges; nam si duę illæ relationes oppositionis inuicem conferantur, velut in ratione oppositionis similes; certè eodem modo per alias relationes similitudinis, vel identitatis referentur, quæ cùm formales oppositiones non sint, relationibus à se distinctis indigebunt, quibus inuicem opponantur; quæ deinde per alias relationes identitatis inter se referantur oportet; unde sic procedendum erit in infinitum, dum relationes oppositionis alijs indigent relationibus identitatis, sibique vendicant alias relationes oppositionis absque termino. Vt præteream in Diuinis fatendum esse relationum numerum auctum iri; quando oppositio realis dicatur esse relatio.

Aliquibus non obscurè videtur constare quomodo aduersariorum fundamento sit occurrendum, cùm satis putent respondere tres illas conditiones in entitate quacunque non sufficere ad relationem suscipiendam, sed in absoluta duntaxat. Hoc tamen gratis dictum videtur, nec tam est difficultati occurrere, quàm illam verborum apparatu subterfugere. Præstat igitur dicere, nec illas conditiones, nec quicquam aliud sufficere, ut in re quapiam huiusmodi relationes, tanquam positiuæ formæ resultent, cùm potius denominationes quædam sint reales ad eum, quem suo loco nos explicuimus, modum; nam si darentur tanquam formæ positiuæ superadditæ ijs, quæ referuntur, incommodum illud declinare non liceret, scilicet in relationibus abeundum in infinitum; quia nihil obstaret quo minus una relatio subiectum alterius esset relationis: enimuerò si in cæteris rebus dari possent relationes tanquam formæ accidentariæ ijs, quæ referuntur superadditæ, dissimulari non posset hoc idem fore dicendum de relationibus, adeo ut in ipsis fundari posse alias relationes, oppositionis, similitudinis &c. dicendum esset.

Aduertio. Non prætereundum cum aliquibus aduertere oppositionem relatiuam, utpotè minimam participare de contradictoria, quæ prima est, & summa; proindeq; relatiuè opposita duobus modis posse considerari: primò quatenus opponuntur oppositione participatâ; secundò, quatenus opponuntur oppositione sibi propriâ, nempe relatiua; hoc secundo modo duas sibi vendicat proprias differentias, quibus ab alijs oppositis discriminantur. Prima est in eo constituta, quòd alia opposita eam ob causam opposita sunt, quoniam unum quodammodo negationem dicit alterius. In contradictorijs, & priuatiuis, unum est alterius negatio; in contrarijs unum secum trahit negationem alterius; at opposita relatiuè, quatenus huiusmodi, negationem hanc non important, quin potius ex eo, quòd relatiuè opponuntur; mutuò se ponunt in rerum natura. Pater enim ex. gr. non ex eo opponitur filio, quia pater non possit esse filius, sed ex eo, quòd contraponitur filio, unde est, ut filium ponat in natura rerum. Secunda differentia est, quia in alijs oppositis unum semper est imperfectius altero, quod in contradictorijs, & priuatiuis est euidens, cùm unum sit ens positivum, alterum autem negatio; in contrarijs etiam cum semper unum sit imperfectius altero; in relatiuis verò hoc necessarium non est; si tamen formaliter fuerint accepta.

Prima difficultas. Aduersus tamen hactenus dicta de relatiuis oppositis est aliqua difficultas; nam quæ se inuicem consequuntur, nequeunt opposita dici, cùm hæc ita se habeant, ut unum destruat aliud; sed relatiua se mutuò consequuntur, siquidem ad esse unius sequitur esse alterius, & secundum existentiam inter se conuertuntur; ergo relatiua non sunt dicenda opposita.

Solutio. Occurritur dicendo maiorem esse veram de cæteris oppositis, non de relatiuis. Illud etiam addi potest, quòd etsi relatiua quantum ad esse in diuersis subiectis dici possint se habere, quemadmodum propositio minor affirmat, non tamen quantum ad esse in eodem subiecto, cùm potius respectu subiecti eiusdem opponantur; non enim idem potest esse pater, & filius eiusdem comparatione. Præterea; quæ non habent oppositionem secundum respectum unius ad alterum non opponuntur; sed relatiua ita se habent, quandoquidem unius ad alterum est relationis forma; ergo nulla relatiua opponuntur.

Secunda difficultas.

Solutio. Obuiam itur respondendo inter relatiua positivum esse quendam respectum, qui est relationis forma, in qua relatiua conueniunt, & secundum huiusmodi respectum, non opponuntur; alium verò est respectum repugnantiæ correlatiuorum, ad simul esse in eodem subiecto; & secundum huiusmodi respectum oppositionem habent.

Quædam de contrarietate oppositione tractantur 10. Diuin. tex. 14. Nunc aliqua de contraria oppositione subijcienda, de qua Philosophus præsertim loquens, ait. *Ἐστὶ δὲ διαφορὰ ἐνδέχεται ἀλλήλων τὰ διαφέροντα πλεῖον καὶ ἔλαττον εἰ δέ τις καὶ μεγίστη διαφορά, καὶ ταύτην λέγω ἐναντίωσιν.* *Cum autem contingat inuicem differre, quæ differunt, & plus, & minus, est quædam maxima differentia: & hanc dico contrarietatem.* Paulò post concludit. *Τὸ δὲ ἔσχατον διάστημα, μέγιστον· ὅθεν καὶ τὸ ἐξ ἐναντίων.* *Distantia verò ultimorum, maxima est, quare etiam contrariorum.* Vnde Scholastici definitionem deduxerunt. *Contraria sunt; quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt, cui vicissim successiuè natæ sunt ineſse.* Vnde *Contrarietas* dici potest *maxima distantia eorum, quæ sub eodem genere sunt.* Primò dicitur *distantia* loco generis, sumptâ metaphorâ à locis diuersis, quantitatiique terminis, qui distare dicuntur. Secundò dicitur *sub eodem genere* loco differentiæ uniuersæ seu generalis, nam quæ distant, seu sunt diuersa

in

in diuersis generibus, non dicuntur contraria. Tertiò, dicitur *maxima* hoc est perfecta, nam quæ sub eodem quidem genere distant, sed non maximè, non sunt perfectè contraria, ut colores medij inter se, & ab extremis, quod superiori Sectione quoq; notaui, nec virtus ab extremis vitijs, ut liberalitas, ab auaritia, & prodigalitate, maximè distat. Vnde colligimus contrarietatem, esse repugnantiam duarum formarum circa idem subiectum; cætera superiori Sectione declarata fuerunt. Quidam verò intulerunt ex his tria ad contraria requiri. Primum ut sint in eodem genere. Secundum ut habeant idem subiectum. Tertium, ut comprehendantur sub consideratione eiusdem scientiæ. Sed de his alibi. De distantia commemorata, multa dicenda supersessent, de quibus cumulatè in prima Philosophia tractaturi, pauca quædam in præsenti afferemus. Distantia propriè reperitur inter terminos quantitatis, quatenus hæc loci rationem obtinet, hinc translatum est nomen ad significandam latitudinem, quæ est inter formas inuicem repugnantes, & mutuò se excludentes ab eodem subiecto; hanc autem distantiam, consueuerunt formalem appellare, quæq; secundum naturam, & essentiam dici solet. Illud addendum quòd ut in distantia locali concipitur principium, medium, & finis; sic in formali; unde in coloribus datur album, tanquam principium, nigrum tanquam finis, medij verò sunt pallidum, aliique colores medij. Amplius & illud aduertendum contraria dici, quæ sunt intra eandem maximã distantiam, ut distantia, sub qua continetur albedo, est distantia in ratione coloris, sub qua dulcedo in ratione saporis, unde est, ut albedo & dulcedo contraria non sint; vel quod in idem recidit, debent esse sub eodem genere proximo vel remoto, seu sub uno formarum ordine, quæ in aliquo genere proximo vel remoto conueniant: nomine igitur generis intelligitur, vel proximum, quale est color respectu albedinis, & nigredinis, vel remotum, ut habitus comparatione virtutis, & vitij, erroris, & scientiæ; nunquam tamen contraria possunt prædicamento differre.

Difficul. Difficultas attamen insurgit, quoniam Stagirites hoc loco ait, contraria, alia esse sub eodem genere, ut albedo, & nigredo; calor, frigus: alia sub diuersis generibus, ut iustitia, & iniustitia; alia esse ipsa genera, ut bonum & malum; ergo contraria poterunt prædicamento differre.

luuio. Diluitur respondendo Philosophum ibi per genera sumere non prædicamenta, vel propria genera; siquidem hæc bono, & malo conuenire non possunt; si bonum sumatur prout positiuam perfectionem, malum autem priuationem importat, hoc enim pacto, priuatiuè opponuntur, non contrariè: sed sumpsisse genera metaphoricè, pro conditionibus quibusdam generalibus, quatenus quodlibet contrarium respectu subiecti, vel est conueniens, & boni rationem obtinet, vel dissentaneum, & mali rationem habet; vel sumpsisse bonum & malum moraliter pro virtute & vitio. Vel ut superiùs itidem notauimus, ex Pythagoreorum sententia loquitur, à quibus bonum, & malum, tanquam duo prima uniuersalissima rerum principia constituebantur. Per genera autem diuersa, intelligit subalternã, quæ simul etiam sunt species; quanuis autem ad veram contrarietatem, remotum genus sufficiat; nunquam tamen contraria in solo genere summo alicuius prædicamenti conueniunt; ut per singula discurrenti perspicuum esse potest. Ea porrò videtur ratio, quoniam contraria, ut ex eorũ definitione constat, debent posse sibi inuicẽ succedere in eodem subiecto per veram transmutationem ab uno ad aliud; huiusmodi autem transitus non fit, nisi inter ea quę magnam similitudinem habent; (nunquam enim iturà virtute ad errorem, vel à colore, ad aliquam ex qualitatibus primis, puta ad calorem &c. sed à virtute ad vitium, ab uno colore ad alium) nec unquam contingit, ut terminus à quo positivus in motu, prædicamento differat à termino ad quem; propterea necesse est ut contraria in natura magis contracta, quàm quæ est supremi generis, conueniant. Quod adeo verum, ut aliquando terminus à quo, & ad quem sint eiusdem speciei; ut de terminis accretionis, cuique perspectum esse potest.

Maximam autem esse contrariorum distantiam perspicuè docuit Philosophus; nam cum ea, quæ differunt, magis, ac minus, differre possint (sic enim ipse ratiocinatur) aliqua profectò erit maxima differentia, quam contrarietatem appellant. Sed maximam esse differentiam, in qua contrarietas posita est, docet inductione constare, ait enim. *Τα μὲν γὰρ ἤδη διαφέροντα, οὐκ ἔχει ἰσὸν εἰς ἄλληλα, ἀλλὰ ἀπείχει πλέον, καὶ ἀσύμβλητα, τοῖς δ' εἴδει διαφέρουσιν αἱ ἡμέσεις ἐκ τῶν ἐναντίων εἰσὶν ὡς ἐγγύτατον. τὸ γὰρ ἔσχατον διάστημα, μέγιστον. ὥστε καὶ τὸ τῶν ἐναντίων. Quæ enim differunt genere, viam ad se mutuò non habent: sed plus distant & comparabilia non sunt, ijs autem, quæ specie differunt generationes ex contrarijs, ut extremis extant. Distantia verò extremorum maxima est, quare & contrariorum.* Horum autem summa hæc est. Sola, & omnia contraria sunt ea extrema, quæ in generatione cernuntur; omnia verò extrema sunt maximè distantia; ergo sola, & omnia contraria sunt maximè distantia. Probat itaque Stagirites inductione, inter sola, & omnia contraria maximam esse differentiam, siue distantiam.

Et quoniam in definitione fit distantiæ commemoratio, quædam præter hactenus dicta iterum aduertenda occurrunt; nempe in præsentia non solum distantiam, ut superiùs dicebam, non accipi pro distantia secundum locum, sed nec etiam pro quacunque discrepantia, siue disconuenientia; minus enim conueniunt homo & album, quàm album, & nigrum; & nihilominus, homo & album non contrariantur; sed per distantiam intelligenda est repugnantia, & ut aiunt, incompossibilitas, ad simul esendum in eodem subiecto secundum eandem partem &c. hoc autem per metaphoram factum est; quemadmodum enim in distantia secundum locum, datur principium, medium, & finis, & maximè principium, & finis inter se distant: non sic autem principium, vel finis, & medium: non absimili modo in formis sub eodem genere repugnantibus, aliquæ dantur, quæ maximè quidem repugnant in illo ordine, ac genere, ut in ordine colorum albedo, & nigredo; in ordine saporum dulcedo, & amaritudo, quæ se habent ut principium, & finis; dantur itidem colores, saporesque medij, qui non tantum distant ab extremis, quantum extrema distant inter se. Sed aduertendum ulteriùs huiusmodi distantiam esse intelligendam gradualem; nam nisi tali distantiã maximè distent, nihil prohibet quo minus aliqua eidem subiecto, & in eadem eiusdem parte insint, ut de tempore manifestum est; nam summus calor, & summum frigus in aqua, exempli gratia, esse non possunt, at in gradibus remissis nihil prohibet distantia igitur maxima esse debet gradualis; alioquin simul in eodem subiecto, & eadem eiusdem parte esse poterunt.

Ex quo facile intelliges ad contrarietatem requiri maximam distantiam formalem, sed hanc non rectè explicari, dicendo sumendam penes rationes formales, nisi addatur, respiciendum esse ad latitudinem graduum; nam eiusdem formalis rationis est calor ut quatuor, & ut octo, item ut quinque, & ut tria, si de frigore, sed quanuis calor ut octo, & frigus, ut octo, non

Distantia maxima nõ solùm penes rationes formales quantitatum,

Sed penes latitudinē graduum attendenda videtur.

non se compatiantur in eodem subiecto; benè tamen, calor ut quatuor, & frigus ut quatuor vel calor ut quinque, & frigus ut tria; quamobrem non satis intelligo, cur quidam formalem hanc distantiam explicuerint, solùm formales rationes qualitatum attendendo, nullo habito respectu ad gradus, siue graduali qualitatum latitudine neglectâ; de hoc tamen alibi copiosiùs disserendum; interim, non sperenda eorum sententia, qui gradualem latitudinem attendendam iubent; quanuis superiori Sectione, oppositum non improbabile dixerimus: licet responderi possit gradum unum aduersari uni, non ob rationem formalem, sed ex accidenti ob ampliorem subiecti capacitatem; hinc enim ambo, ut unum, nequeunt simul in eodem subiecto esse. Vnde ad contrarietatem de qua fit in præsentia sermo, non pauca à recentioribus requiri solent; nam ut ipsi dicunt. Requiritur distantia, quoniam contraria debent habere repugnantiam, proindeque distantiam. Sed hæc ex eorum sententia, non modo formalis, sed etiam subiectiua est; nam huiusmodi distantia debet esse talis, ut inde formæ dicantur se mutuò expellere ab eodem subiecto; at hæc est distantia, quæ formalis, & subiectiua dicitur. Amplius prædicta distantia debet esse inter extrema positiua; per hoc enim oppositio contraria, à contradictoria, & priuatiua seiungitur. Insuper debet esse maxima; nam hic sermo est de contrarietate perfecta; sed ad perfectam contrarietatem requiritur perfecta distantia; perfecta verò distantia, vel Aristotelis testimonio, eadem est, ac maxima; maximum enim ipso docente, & perfectum, idem sunt. Et hoc ex eo quoque confirmatum redditur, quoniam si perfecta contrarietas constitueretur per distantiam imperfectam, atque adeo non maximam, dari posset illa quæ foret per distantiam perfectiorem, siue maiorem constituta; ubi enim, magis, & minus, ibi etiam maximum; tunc autem illa contrarietas non foret perfecta, contra hypothesim, quoniam deficeret, à perfectiori, maiorique distantia. Præterea distantia de qua habetur sermo, non necessariò debet esse maxima positiuè, sed satis, ut sit maxima negatiuè. In quorum gratiam addunt, maximum positiuè dici, quod est supra omnia alia, nec habet æquale. Vel ut alijs placet. Distantia de qua instituta est disputatio, bifariam potest intelligi, nimirum, positiuè, & negatiuè. Distantia priori modo maxima ea est, quâ duæ species sub suo genere ita distinguuntur, ac separantur, ut nec aliæ species inter se, nec ipsæ ab alijs æquè distent, quo pacto se habent albedo, & nigredo. Distantia verò posteriori modo maxima contingit, quando non dantur aliæ species, quæ magis distent, quàm, quæ contrariæ dicuntur, licet aliquæ æqualiter inuicem repugnent. Huiusmodi autem, inquiunt, non est contrarietas, quoniam nulla contraria tantam habent distantiam, ut quoad distantiam, omnia alia contraria superet; cùm multa æqualia sint; tantùm enim distant calor, & frigus, quantum humiditas, & siccitas; ob id concludunt ad contrarietatem non requiri distantiam maximam positiuè, quod erat primum. Deinde sufficere distantiam maximum negatiuè, probant, quoniam, inquiunt, maximam negatiuè dicitur, quod non habet aliquid maius se, etiam si habeat æquale. Ita quidem si daretur homo octo palmorum, quem longitudine nullus posset superare, diceretur maximus homo negatiuè, quanuis plures eiusdem longitudinis extarent. At huiusmodi est distantia maxima ad contrarietatem requisita; proinde sat est ut ipsa sit maxima negatiuè, quod erat secundū. Deinde hoc, esse maximum, ex eorundem opinione, non solùm attendi debet penes distantiam

Alicrum explicatio

formalem, sed etiam subiectiuam; quandoquidem non pauca sunt, quæ maximam habent formalem distantiam, & nihilominus non sunt opposita. Vt constat inquiunt, de ijs, quæ non solùm sub diuersis generibus continentur; sed etiam de alijs sub eadem genere constitutis. Primum ostendunt, eo quòd multa sunt, quæ distant distantiâ formali, hoc est secundum perfectionem formalem, quæ sumitur penes accessum vel recessum à primo ente perfectissimo; ut homo maiorem dicitur habere distantiam à calore, quàm habent calor à frigore; non tamen maiorem habet distantiam subiectiuam, cum nequeant esse nec simul nec successiuè circa idem subiectum. At subiectiua distantia dicitur respectu subiecti habentis aptitudinem ad illas formas, quæ distare dicuntur. Probant etiam de contentis sub eodem genere, magis enim distat scientia à calore, quàm calor à frigore, non tamen habent maiorem distantiam subiectiuam, cum nequeant, nec simul neque successiuè eidem inesse subiecto. Tandem addunt ad imperfectam contrarietatem, non requiri distantiam maximam, sed minorem, & imperfectam, quia qualis est contrarietas, talis dici debet esse ratio formalis constitutiua ipsius. Hæc breuiter in supra iam explicatis continentur; præsertim autem hoc postremum videtur superfluum, quoniam superiùs notauimus, per distantiam hic non intelligi disconuenientiam, siquidem minus conueniunt, atque adeo magis distant homo, & album, quàm album, & nigrum, & tamen homo, & album non dicuntur contraria; sed intelligitur repugnantia ad essendum in eodem subiecto.

Aliquæ tamen non exigui momenti difficultates emolliendæ superfunt; proinde.

Difficultates expendendæ propōnuntur. Principalis difficultas proponitur.

Obijcies primò. Omnis virtus contrariè opponitur vitio, ut liberalitas auaritiæ; sed virtus maximam non habet distantiam à vitio, ut liberalitas ab auaritia, vel à prodigalitate, quia maiorem habent distantiam duo vitia extrema, puta auaritia, & prodigalitas, quàm virtus à vitio, ut liberalitas ab auaritia, vel prodigalitate, cum in medio istorum illa constituta sit; ergo ad contrarietatem, haud maxima distantia requiritur, nec etiam negatiuè.

Solutio.

Hæc difficultas multùm interpretum ingenia vexauit; ei tamen occurrendum existimo, nonnullis præmissis de huiusmodi virtute, ac vitijs, cum eadem pugnantibus, quatenus tamen locus permittit. Liberalitas mixta quædam est virtus, duplicem inclinationem habens, alteram ad moderandum passiones circa diuitias, alteram ad insumendum diuitias, tum ad vtilitatem propriam, tum ad utilitatem aliorum. Enimuerò liberalem omnes existimant eum, qui liberum animum habet, ab inhærendo diuitijs; ut ob id propensionem habeat ad impendendum illas secundum rectam rationem, & ad usum proprium, & ad utilitatem aliorum; etsi ad hanc etiam virtutem honestè pertineat acceptio, qua de re suo loco. At huic mixtæ virtuti duo opponuntur vitia, nempe prodigalitas, & auaritia, siue illiberalitas; prodigalitas mixta est ex defectu affectionis erga diuitias, habens erga illas minorem sollicitudinem, quàm deberet; & ex excessu largitionis, plus debito, diuitias largiendo. Auaritia mixta est ex excessu affectionis in diuitias, nimium in eas amorem, desiderium, atque delectationem habens, & ex defectu in largiendo; quamobrem tum prodigalitas, tum auaritia liberalitati opponuntur, & quidem utraque secundum excessum, & defectum; ratione tamen diuersâ. Ex his facilè intelliges, liberalitatem non esse perfectè contrariam auaritiæ; tunc enim virtus perfectè alicui vitio aduersatur, cùm ab eo adæquatè destruitur, hoc est, cum omnes eius actus

Arist. 4. Ethic. cap. 1. D. Thom. 2. 2. q. 117.

à vitio

à vitio impediuntur; at auaritia non repugnat omnibus actibus liberalitatis, sed uni tantùm, qui est bonorum largitio, præter quem liberalitas bonorum itidem honestam retentionem habet, quam prodigalitas destruit; vnde est, ut liberalitas non maximè distet ab auaritia, nec etiam à prodigalitate; ac proinde neutrum vitium maxime distat à virtute; quod intelligendum physicè, distantia siquidem inter virtutem, & vitium duobus modis considerari potest. Primo physicè, quo pacto sunt quidam habitus, & ita non summè distant, sed magis, opposita vitia distant; Secundo moraliter, hoc est secundum honestatem & turpitudinem: & hoc modo magis distat vitium à virtute, quàm duo vitia inter se, nam vitia inter se conueniunt in genere moris, non ita virtus, & vitium, cum moraliter genere differant; maior enim est oppositio moralis inter virtutem, & vitium, quàm inter duo vitia quantumuis inter se pugnantia, unde est ut hæc fortasse possint in eodem simul esse subiecto. Ita planè cuique compertum, viros quo magis prodigos, eo magis etiam egris anieni cupidos esse, non sic autem virtus, & vitium. Physicè igitur liberalitas, ab auaritia, & prodigalitate non maximè distat, & vicissim neutrum vitium, puta auaritiæ & prodigalitatis, à liberalitatis virtute; at moraliter secus se res habet, magis enim distat liberalitas ab auaritia, & prodigalitate quàm inter se distent auaritia, & prodigalitas.

Ex his difficultatis solutio perspicuè constat; respondendum enim, virtutem aduersari vitio, & inter virtutem ac vitium, puta inter liberalitatem, & auaritiam, atque prodigalitatem, moraliter maximam intercedere distantiam; physicè autem non item.

Dices hinc sequeretur vitium unum, non esse maius altero: nam ex hactenus disputatis, virtus maximè distat ab utroque vitio extremo; ergo vicissim utrunque vitium maximè distat à virtute, at maximo non datur maius.

Respondendum re verâ virtutem ab utraque vitio summè distare, secundum proportionalem rationem constitutiuam utriusque vitij, quoniam, ut ratio unius vitij est destructiua honestatis virtutis, ita ratio alterius vitij; non negandum tamen absolutè dici solere virtutem magis distare à vitio, quod magis deficit à ratione constitutiua virtutis, ut auaritia magis distare dicitur à liberalitate, quàm prodigalitas, quoniam hæc magis accedit ad actum liberalitatis.

Rationes non confirmationem superioris afferri solitæ proponuntur, ac diluuntur.

Sed quoniam rationes aliæ suppetunt, quæ in superioris confirmationem adduci solent, ob id iuvabit in medium illas afferre, simulque diluere; sequentibus autem modis rationem allatam, atque etiam solutam, confirmare mituntur.

Prima. Primò; quia error, magis distat à scientia, quàm ab opinione, & tamen, opponitur utrique. Secundò quia contrarietas non solùm est inter extremos colores inter se, sed etiam inter medios inter se, & cum extremis: ut non solum inter albedinem, & nigredinem; sed inter medios inter se, & cum albedine & nigredine; at extremi colores maiorem habent distantiam inter se, quàm ea quæ est inter medios inter se, & cum extremis; ergo non semper requiritur summa distantia ad contrarietatem, sed potest maior, & minor sufficere. Secunda.

Tertiò distantia maxima nequit esse nisi inter duo extrema unius latitudinis, sed contrarietas potest esse inter plura extrema, quàm duo, cum uni possint esse plura contraria; non ergo contrarietas maximam distantiam requiret. Tertia.

Quartò, maior est differentia inter ea, quæ ad diuersa genera pertinent, quia minus conueniunt, quàm inter contraria, quia hæc magis conueniunt, cum sub eodem genere esse debeant; sed ubi maior conuenientia, ibi minor distantia; ob id has duas conditiones pugnare dicendum, & quòd contraria sint sub eodem genere, & quòd maximè distent; ne igitur dicatur non requiri ea esse debere sub eodem genere: dicendum erit ad contrarietatem maximam non requiri distantiã. Quarta.

Quintò maior est differentia essentialis, quàm accidentalis, quoniam illa facit aliud, hæc autem alterum; sed contraria faciunt accidentaliter differre, cum sint formæ accidentales; ergo inter contraria nequit esse maxima differentia; ergo nec maxima distantia. Quinta.

Sextò, magis distant contraria sumpta numericè, quàm essentialiter; quia præter differentias essentiales inter se pugnantes, quæ numero differunt, addunt differentias indiuiduales, ac proindè contraria simpliciter non maximè differunt, atque adeò neque maximè distant. Sexta.

Omnibus allatis confirmationibus præstat occurrere. Ad primam respondendum, ut infra in explicatione alterius dubitationis. Quomodo unum, uni tantùm contrarium dici debeat, videlicet errorem habere summam distantiam ab opinione, & scientia, in generica ratione cognitionis veræ; unde maxima distantia erroris in ordine ad opinionem, & scientiam non iuxta specificas rationes, sed ut dictum est, secundum veræ cognitionis rationem genericam attendi debet, quatenus falsum à vero maximè distat. Ad primã.

Ad secundam dicendum, colores medios non opponi extremis, contrarietate perfectâ, sed imperfectâ, quia non opponuntur, nisi quatenus extremorum rationes participant; ut autem imperfectè rationes illas extremorum participant, ita quidem imperfectè ipsis extremis opponuntur, atq; adeo haud maximè distant ab illis; unde medij colores inter se, & ab extremis secundariò, nempe ratione extremorum distare dici debent; quocunq; autem modo ipsa extremorum participatio fiat, vel nimirum per veram mixtionem, vel per quandam apparentiam &c. nihil refert. Ad secundam.

Ad tertiã. Ad tertiam respondendum distantiam maximam, de qua fit sermo, non esse, maximam ponitiuè, sed negatiuè, ut supra satis explicatum fuit. Ad quartam respondendum ibi maiorem esse distantiam extra genus; sed contrariorum distantiam esse intra genus, hoc est sub eodem genere, de qua fit sermo, cùm contrariorum distantia maxima esse dicitur. Ad quartam.

Ad quintã. Ad quintam respondendũ dicendo, formas accidentales id habere, ut scilicet subiecta sua faciant accidentaliter differre; inter se tamen essentialiter discriminari, siue essentiali discrimine secerni.

Ad sextam. Ad sextã respondendum, indiuidua, quæque numero differunt, non magis intensiuè, sed extensiuè tantum differre, quoniam distantia est penes plures differentias; sed non subinde licet inferre, nempe inter contraria, de quibus habetur sermo, maximam distantiam non esse.

SECTIO TERTIA.

An contraria debeant esse eiusdem generis, & quomodo se habeat contrariorum expulsio.

An contraria debeãt esse sub eodem genere.

SVpereſt autem inquirendum an contraria debeant omninò esse in eodem genere, seu num distantia, quæ contrarietatem constituit, eiusdem esse generis debeat. Omissis varijs dicendi modis.

Reuocatis in mentem hactenus traditis, de particula illa *ab eodem subiecto*; manifestè constabit, quid in re, proposita nobis dicendum. At ibi nos aduertimus effectum formalem contrariorum, esse expulsionem ab eodem subiecto, itaut subiectum sit utriusque forma capax, & expulsio intelligatur non de quibuscunque contrarijs, acceptis secundum numerum, neque de quocunque

cunque subiecto eodem secundum numerum, cum sufficiat, veritatis gratia, ut intelligatur, de contrarijs secundum speciem acceptis, quatenus una ex contrarijs formis, & altera possunt sibi succedere, non quidem in omni subiecto, alioquin nullum subiectum determinaret sibi unum contrariorum, sed in aliquo subiecto; neque ad contrarietatem requiritur numeralis expulsio, itaut formæ inter quas instituitur comparatio, sint solùm numero distinctæ; hæ nanque non se compatiuntur in eodem subiecto simul, cùm tamen contrariæ non sint; ob id requiritur expulsio specifica, adeo ut non solùm numero, sed etiam specie distinguantur. His autem addendum à contrarijs respici subiectum idem, quod genus etiam physicum appellatur; nam ut nuper dicebam, ad contrarietatem requiritur, ut mutuò se expellant ab eodem subiecto; unde est ut subiectum utriusque capax requiratur; hoc autem est subiectum quod genus physicum dicitur. Amplius non rarò usu venit, ut contraria præter idem subiectum in quo, debeat habere idem subiectum, circa quod, ac proinde obiectum, quod ex actibus, & habitibus euidens fit, nam ut actus vel habitus dicantur opponi, non modò requiritur, ut habeant idem subiectum, ut vocant inhęsionis, sed idem obiectum, proindeque subiectum circa quod.

Prima assertio affirmãs ad contrarietatem requiri unitatem generis prædicamentalis.

His autem præmissis, illud quoque reperietur veritati consentaneum, videlicet; quæ inuicem directè aduersantur, intra idem prædicamentum contineri. Hanc assertionem varijs modis probatam obseruauimus, non tamen efficaciùs, quàm ratione superiùs tactâ, quia inter contraria, de quibus agitur, dari mutua transmutatio debet, sed hæc esse non potest inter ea, quæ genere, prædicamentoue differunt; proinde debent, quæ inuicem directè opponuntur, intra idem prædicamentum contineri. Maior inde probatur, quia motus omnis est à contrario, in contrarium; minor constat per singulas motuum species discurrendo; latio enim est à loco ad locum, & non ad rem alterius prædicamenti; idem de accretione, alteratione que perspicuum est.

Ratione suadetur.

Secunda assertio affirmãs præter conuenientiam in supremo genere dãdam esse in aliquo genere subalterno.

Aliud etiam non minus certum, videlicet præter conuenientiam in supremo genere prędicamentali, contraria habere conuenientiam in aliquo genere subalterno, vel proximo, vel remoto. Hæc assertio non obscurè constat ex Aristotelis verbis infra afferendis pro solutione confirmationis; Ratio etiam suppetit non inefficax; nam ad genus proximum quod attinet, satis euidens, in primis contingere qualitatibus contrarijs, in genere siquidem proximo conueniunt. De genere quoque remoto, non minus clarum; cùm sic se habeant iustitia, & iniustitia, illa virtus, hæc vitium, quæ non sub proximo, sed sub remoto genere habitùs continentur. Non una tamen ratio assignari potest in omnibus, sed inspiciendæ sunt naturæ singulorum contrariorum, quem effectum habeant, & inde colligendę quidem conuenientia, & oppositio; non rarò enim contingit, ut quæ sunt sub generibus uniuersalioribus, possint dici in eodem contrarietatis genere: & quæ sunt sub generibus minus uniuersalibus, dici possint non esse in eodem genere contrarietatis; Hoc autem plerique dicunt apertè quidè ex eo colligi, quia actus, & habitus naturalis, non aduersatur actui, & habitui supernaturali; Itemque naturalis actus, & habitus, duæque species impressę contrariorum, quanuis sint sub eodem genere proximiori, non opponuntur, cum formales effectus eorum oppositi minimè sint.

Ratione suadetur assertio.

Difficultas.

Difficultates tamen adsunt, quibus nonnulli suffulti, crediderunt, ad contrarietatem non requiri genus idem logicum, seu contraria sub eodem genere logico contineri, ut nos contendimus; sed requiri genus physicum, puta materiam, quæ passim physicum genus appellatur; unde corruptibile, & incorruptibile, dicebat Philosophus, genere, hoc est materiâ differunt. Prima autem ratio, quam frequenter usurpant in eo constituta est, quia ad contrarietatem, de qua habetur sermo, requiritur distantia maxima; sed hæc non est inter species eiusdem generis, sed inter genere discrepantia; quæ nanque genere, magis, quàm quæ specie, differunt; cum ea, quæ differunt genere, etiam specie discriminentur. Hanc rationem, Aristotelis auctoritate, primò confirmant, cùm ipse docuerit aliqua esse contraria, quæ non sunt sub eodem genere, sed sub generibus diuersis, atque contrarijs, ut iustitia sub virtute, & iniustitia sub vitio; & aliqua, neque esse sub aliquo genere, sed esse ipsa genera, ut bonum, & malum. Secundò confirmant, quia contraria vel censentur esse sub eadem genere proximo, & hoc planè falsum, inquiunt, ut constat ex contrarietate iustitiæ, vel iniustitiæ. Vel sub eodem genere remoto, at cùm hoc modo se habere possint, nihil obstabit quo minus sub nullo sint genere, cùm nulla appareat ratio cur sub hoc potius, quàm sub alio genere remoto contineantur. Tertiò quoque confirmant ex eo quoniam calefactio, non solùm frigefactioni, sed etiam frigori opponitur atque contrariatur; sed hæc neque sub genere proximo, neque sub remoto eiusdem prædicamenti, cum potius ad diuersa prædicamenta pertineant; calefactio nimirum ad prædicamentum actionis, frigus verò ad prædicamentum qualitatis.

Prima confirmatio, 5. Metaphys. tex. 16.

Secunda confirmatio.

Tertia confirmatio.

His tamen satisfacere haud magni laboris est; quandoquidem ad primam rationem respondendum maximam sanè distantiam ad contrarietatem requiri, non simpliciter tamen, sed in eodem genere. Ad primam confirmationem ex Aristotelis auctoritate desumptam, respondendum ex illius verbis non colligi, quod ab ipsis intenditur, ait enim. Ἐναντία λέγεται, τάττι μὲν ἃ δυνατὰ ἅμα τῷ αὐτῷ παρεῖναι, τῶν διαφερόντων ἢ γένει ἢ τὰ πλεῖστον διαφέροντα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει; ἢ τὰ πλεῖστον διαφέροντα ἐν τῷ αὐτῷ δεκτικῷ, ἢ τὰ πλεῖστον διαφέροντα τῶν ὑπὸ τὴν αὐτὴν δύναμιν, ἢ ὧν ἡ διαφορὰ μεγίστη, ἢ ἁπλῶς, ἢ κατὰ γένος, ἢ κατ' εἶδος. *Contraria dicuntur, & ea, quæ cùm sint eorum, quæ differunt secundum genus, eidem simul adesse nequeunt; & quæ ex iis, quæ in eodem sunt genere, plurimum differunt: & quæ plurimum differunt, in eodem susceptiuo: & quæ ex ijs, quæ sub eandem potentiam cadunt, plurimum differunt: & quorum maxima est, aut simpliciter, aut secundum genus, aut secundum speciem differentia.* Perperam autem hinc deduxerunt intentum; enimverò Philosophi consilium eò spectat, ut contrarietatis modos distinguat; & ob id duos assignat, unum improprium, alterum magis proprium, docens contraria dici uno modo ut sunt, *quæcunque non possunt adesse eidem differentium secundum genus*; quasi dicat, si quæ sunt, quæ genere differunt, ut albedo, & scientia, dicanturque contraria, & quæ in eodem subiecto esse non possunt, dicentur impropriè contrariari, eritque contrarietatis modus improprius valdè, cùm propriè contraria in eodem genere sint: Subdit secundum modum asserens contraria dici, *quæ plurimum differunt eorum, quæ sunt in eodem genere, & quæ plurimum differunt, eo quod in eodem susceptibili* scilicet habent esse *& quæ plurimum differunt eorũ, quæ sunt sub eadem potestate*, hoc est scientia, quæ potentia rationalis dicitur; una enim scientia est contrariorum, ubi addit, quandam contrariorum rationem, videlicet, quòd contraria sunt, *quorum differentia est maxima, aut simpliciter, aut secundum genus, aut speciem*; quæ sic intelligenda, quòd contraria sint, quorum differentia est maxima, *aut simpliciter*, nempe eorum quæ sub generibus summis continentur, uti sunt,

Diuisio tex. 16.

Digitized by Google

sunt, quæ prædicamento differunt, quæque sunt quomodocunque maximè distantia *aut secundum genus*, hoc est eorum quæ sub duobus generibus subalternis constituuntur, *aut secundum speciem* nimirum, eorum quæ sub eodem genere contrarijs differentijs inuicem distinguuntur. Vnde ut paulo ante dictum fuit, tria ad contrariorum propriè dictorum rationem pertinent; quòd sint sub eodem genere, quòd sint circa idem subiectum, & quòd ab eadem scientia considerentur, cuiusmodi sunt sanum, & ægrum, cadunt enim sub eodem genere, nempe sub habitudine corporis; debent fieri circa idem subiectum, videlicet animal, & ad eandem scientiam, puta Medicinam pertinent. Dicebat autem contraria plurimum differre ad significandam maximam distantiam, & ut excluderet genera contrariorum, quibus etsi prædictæ conditiones non desint, non tamen plurimùm distant; eo quòd non maximè opponuntur; nam color exempli gratia, & animal, sunt contrariorum genera, siquidem color continet sub se species oppositas coloris, albedinem, & nigredinem; item animal continet sub se rationale, & irrationale, habens, & non habens pedes: & tamen huiusmodi genera non opponuntur, siquidem manent simul in eodem. Ex his facilè constat non posse concludi, quod aduersarij contendunt; nam Philosophus loco iam laudato, significauit apertè, quæ sunt propriè contraria, de quibus hic disputatur, esse sub eodem genere, duasque reliquas etiam conditiones sibi vendicare; dunque contraria docet esse genera diuersa, de impropria contrarietate sermonem habuit. Ad id autem, quod de bono & malo ex Aristotele dicebatur, superiùs iam responsum fuit; solùm addam, cùm bonum, & malum tanquam genera usurpantur, id intelligendum potius metaphoricè, prout idem est, ac generale, eoquòd bonum, & malum sunt conditiones omnium entium; quæ cùm sint inæqualis perfectionis, ita se habent, ut imperfectius sit veluti malum, quatenus dicit perfectionis defectum, vel simpliciter, vel respectu perfectioris habentis rationem boni; vel comparatione subiecti, cui consentaneum vel dissentaneum est; quamobrem contraria secundum specificas suas entitates, sub eodem sunt genere, at ut habent rationem boni, & mali, induunt generales conditiones diuersas. Ad secundam confirmationem patet ex hactenus traditis, quid respondendum, nimirum, aliqua contraria contineri sub infimo genere proximo, aliqua verò sub remoto. Ad tertiam respondendum hìc sermonem haberi de ijs, quæ directè, & per se sunt contraria, cuiusmodi non sunt actio, & terminus actionis oppositæ; nam per se terminus opponitur termino; actio, autem opponitur actioni, ratione terminorum ad quas tendunt.

Cap. de oppositis.

Ad secundam confirmationem.

Ad tertiam.

De expulsione contrariorum ut aliqua subijciam, multis tractari solitis hìc prætermissis, rem paucis complectar.

Qua ratione contraria se expellant ab eodem subiecto.

Sunt quibus placuit, ad veram contrarietatem sufficere expulsionem effectiuam; cum enim ad veram contrarietatem requiratur, ut quæ contraria dicuntur, successiuè possint esse in eodem subiecto, itaut simul inesse illi non possint, alioquin contraria non forent, ob id unum è contrarijs debet aliud expellere; huiusmodi autem expulsio duobus modis intelligi potest; primò effectiuè quo pacto aliqui credunt à solis luce frigus ex aëre quidem expelli. Secundò formaliter, quo pacto ex eorundem sententia, calor à luce productus, formaliter ab aere frigus expellit. Prima igitur Philosophorum opinio docet huiusmodi expulsionem requisitam ad contrarietatem effectiuam esse.

Prima sententia.

Secunda sententia est dicentium, effectiuam expulsionem non sufficere, sed omnino requiri simul cum ea formalem oppositionem.

Tertia.

Tertia est asserentium expulsionem sufficientem, & necessariam ad contrarietatem esse formalem, per quam una forma informans subiectum, expellat aliam. Huius tamen sententiæ fautores inter se dissident. Quidã enim affirmant inter formas indiuisibiles esse contrarietatem ratione quidem essentiæ, proindeque per essentias se formaliter expellere; at inter formas diuisibiles, quæ intensionis gradibus constant, non se expellere ratione essentiæ, sed graduum. Alij dicunt semper expulsionem fieri per essentias formarum, connotatis tamen gradibus, quando formæ sunt diuisibiles. Rursus etiam discrepant, cùm quidam velint hanc expulsionem debere esse mutuam ad contrarietatis oppositionem, cum sic ista discriminetur à priuatiua, nam à priuatione ad habitum non datur regressus; at ab uno contrario datur ad aliud. Alij verò credunt non requiri expulsionem mutuam ad contrarietatem, nam, inquiunt, frigus nequit ab igne calorem expellere; neque calor a niue frigus.

Distingui autem hìc solet repugnantia, & ut aiunt, incompossibilitas; unde hæc bifariam usurpatur. Primò formalitate informationis, & hoc modo à repugnantia & oppositione effectiua distinguitur. Secundò formalitate essentiæ, diciturque specifica incompossibilitas, & distinguitur à repugnantia, oppositioneque formali, seu numerali, cuiusmodi est illa, quæ cernitur inter duas formas indiuiduas respectu eiusdem subiecti; sed utcunque hæc se habeant.

Primò dicendum expulsionem necessariam, & sufficientem ad contrarietatem non esse effectiuam. Ratione suadetur, quoniam etsi destructio formæ ab efficienti causa effectiuè proueniat, nunqaam tamen fieret, nisi ab huiusmodi causa produceretur forma alteri contraria, eidemque repugnans; non sufficit igitur expulsio effectiua. Accedit quòd multa sunt effectiuè repugnantia, itaut unum effectiuè aliud expellat, ut de lumine, & frigore in aere, & tamen non sunt contraria; & contra multa sunt contraria, inter quæ non cadit effectiua expulsio, ut sunt colores extremi, albedo, & nigredo. Hic autem de luce lumine, & frigore, itemque de primis qualitatibus, deq; coloribus &c. iuxta vulgarem sententiam loquor, non quòd de ipsis ita sentiam; quæ tamen dico, possunt veris qualitatibus accommodari.

Prima assertio. Ratio.

Ad rationem.

Secundò asserendum expulsionem necessariam, & sufficientem ad contrarietatem, non esse formalem numericam; Ratio non leuis momenti videtur esse, quoniam contrarietas est inter formas distinctas, orta ex differentijs essentialiter genus diuidentibus. Sed huiusmodi expulsio potest esse inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, ut constat de formis eiusdem speciei numero solùm differentibus, quæ non se compatiuntur in eadem subiecto.

Secunda assertio. Ratio.

Sed contrarietatem oriri ex differentijs genus essentialiter diuidentibus, docuit Philosophus dicens. Καὶ τὰὶν τῷ αὐτῷ γένει πλεῖστον διαφέροντα τὰ ναντία. μεγίστη δὲ διαφορὰ τούτων ἡ τέλειος. *Sunt etiam contraria, quæ in eodem genere plurimum differunt: maxima enim horum differentia est, quæ perfecta.* Sunt igitur contraria, quę in eodem genere plurimum differunt: & maxima horum differentia est, quæ perfecta. Huiusmodi autem diuisio est utique generis per differentias prædictas.

10. Diuin. tex. 14.

Tertiò ex his exploratum, & illud redditur, nimirum expulsionem ad contrarietatem esse formalem specificam, siue essentialem; itaut formalis dicatur, tam prout ab effectiua; quàm quatenus à materiali, numeralive secernitur. Assertionis veritas ex paulo antea traditis elucet; cùm enim ad contrarietatem aliqua requiratur

Tertia assertio. Ratione suadetur.

expulsio; hæc verò nec effectiua sit, nec formalis numerica; consequens sit, ut formalis specifica dici debeat.

Difficultas. Hîc oritur celebris difficultas; nam formalis expulsio, seu repugnantia est inter ea, quæ in eodem subiecto simul esse non possunt, quæque formalem resistentiam habent, cum formalis pugna nisi inter hæc esse possit; at hoc existentiam utriusque formæ inuicem repugnantis requirit; cùm igitur hæc duo cohærere simul non possint, sequitur formalem hanc expulsionem inanem, atque fictitiam esse; utriusque autem formæ pugnantis inuicem existentiam necessariam esse constat, tum ex resistentia effectiua; tum ex nominis explicatione, quia nisi forma inuadens subiectum, oppositâ ibi formam inueniat, non habet resistens; quod enim **Confirmatio.** non est, resistere minimè potest. Et in huius confirmationem illud addi solet, quia si forma opposita non est, dum alia in subiecto existit, profectò non constat, quemodo, & à quo expellatur, cum palam sit, & apertum, aliam non expelli, prius quàm introducatur opposita, & hanc introduci non posse, nisi aliâ expulsâ, deque medio sublatâ.

Solutio difficultatis. Hæc difficultas potius in libris de Ortu tractanda; pauca tamen in eius gratiam subijciam. Respondendum igitur ad formalem repugnantiam non requiri existentiam utriusque formæ in subiecto, cum id formalis expulsio atque repugnantia minimè permittat, quin potius oppositum requirat, quippè quæ in repugnantia consistit formalium effectuum, qui à contrarijs formis ortum ducunt; at dum forma una suum tribuit formalem effectum subiecto, nequit altera eidem subiecto formalem effectum tribuere, qui priori aduersetur; ob id contradictionem inuoluit. Nec prior illa probatio quidquam roboris habet, cum longe diuersa sit ratio de repugnantia effectiua, ac de formali: nam effectiuè contraria, quoad repugnantes vires, sunt in subiectis diuersis, realiter; unde frigus aquæ, effectiuè ignis calori repugnat; ideoque possunt simul existere, seu coexistere, ad eundem effectum, virtute utriusque formæ concurrentis, medium producendum. Nec secunda probatio maioris est efficacitatis, respondendum enim propriè resistentiam non esse respectu formæ actu informantis subiectum, sed respectu producentis; resistendi siquidem virtus datur respectu virtutis actiuæ, quæ impediri potest; vel saltem retardari ne exerat operationem suam; dum autem forma producta est, nequit impediri ne formalem effectum præbeat, sed quantum potest, iuxta subiecti dispositionem, effectum tribuit. Ad confirmationem, quod attinet, obuia satis quorundam responsio est, dicens expulsionem, seu **Confirmationi fit è quorundã sententia satis.** abiectionem formæ præcedentis, esse simul cum productione, & existentia formæ subsequentis, ita tamen, ut prioritate naturæ in genere causæ materialis, prior sit expulsio, quàm productio; sed in genere causæ efficientis, prior sit productio, quàm formalis expulsio. At ex his admissis illico licebit inferre contradictionem, enimverò eodem temporis momento, etsi secundum diuersa naturæ signa, duo contraria forent in eodem subiecto simul, unde subiectum simul haberet formam expellendam, & non haberet; & quidem non haberet, quia non se compatiuntur simul; haberet autem, quia ad expulsionem hic dicendi modus simultatem requirit.

Rectiùs tamen dici potest rationem illam hunc in modum concipi posse. Quando noua introducitur forma, aut inuenit in materia formam priorem, aut non; si primum; ergo illi non repugnat formaliter, cum aliquo signo in eodem subiecto simul existanti; si secundum; ergo ipsam non expellit, sed expulsam supponit, cum expelli non possit ex subiecto, id quod in subiecto non est. Respondendum ab agente non alio modo expelli formam veterem à subiecto, nisi per introductionem formæ repugnantis; ut autem noua forma veterem expellat contrariam, non est opus, ut illam in subiecto adinueniat, sed satis, ut illi per successionem, expulsionem iungatur, non per simultatem; ita ut cùm primò ponitur una forma, primò tollatur alia & primum esse unius, sit primum non esse alterius. Hoc inde constat quoniam forma nec priuationem, nec aliam formam per aliquam actionem expellit, quam in illam exerceat, vel per aliquem contactum, ut dum clavus clavum trudit; sed formalis expulsio in eo sita est, ut quando introducitur noua forma, si pugna momento fiat, in eodem instanti vetus recedat, & abeat; quòd si pugna successiue fiat, quâ celeritate inducitur noua forma, eâdem prorsus corumpatur vetus, & abeat. **Responsio magis communis sententiæ.**

Quartò etiam dicendum expulsionem mutuam per se ad perfectam contrarietatem requiri. Hoc sanè, videtur ad aures Aristotelis, dum ait. Τοῖς δ' εἴδει διαφέρουσιν αἱ γενέσεις ἐκ τἀναντίων εἰσὶν ὡς ἐκ τῶν ἄκρων: *Ijs autem quæ specie differunt, generationes ex contrarijs, ut extremis extant.* Ratio præcipua videtur, quia subiectum debet esse capax utriusque formæ, cum contraria circa idem subiectum fiant; ergo expulsio debet esse mutua. Accedit, quòd hac in re, non effectiua, sed informatiua virtus attendi debet; at virtus informatiua est in utraque opposita forma; ut enim unius effectus formalis repugnat effectui alterius, ita & vicissim. Nec prætermittam, quod ad huius rationis confirmationem facit, nempe, hinc oppositionem contrariam, à priuatiua, & relatiua distinguisde priuatiua quidem cõstat, quia etsi quandoque contingat regressus à priuatione ad habitum, ut cum aer ex tenebroso, fit luminosus; quandoque tamen secus euenit, unde ex cæco non fit videns; proinde non datur mutua expulsio in priuatiuè oppositis. **Quarto idem. Auct. Arist. 10. Diuis. tex. 14. Ratione probatur. Rationis superioris confirmatio.**

Neque dicas subiectum qualitate unâ priuatum, non posse eandem numero qualitatem recuperare, non inquam id dicas, nam si nequit eandem numero, saltem eandem specie recuperare potest; at subiectum priuatum habitu, & priuatione, nec eundem numero, nec eundem specie recuperare valet. Hoc idem de relatiuè oppositis dici potest; nam illa paternitas, cui filiatio relatiuè opponitur, non potest, nec simul, nec successiuè in eodem esse subiecto, in quo filiatio; quamuis enim pater possit esse filius comparatione alterius, illi tamen non opponitur huius paternitas ut patet, cum respectu illius non pater, sed filius sit. Ita que constat ad contrarietatem per se mutuam expulsionem requiri. **Difficultas præoccupata, simulque soluta.**

Quòd si dicas plerunque contingere formam inesse à natura subiecto, ut igni calorem, à quo nequit expelli per contrariũ, putà per frigus &c. Occurram respondendo mutuam esse dicendam expulsionem inspectis formalibus effectibus utriusque formæ, per accidens tamen nihil prohibet, ex parte agentis, vel ex aliqua conditione subiecti, contrarium aliquod à subiecto expelli non posse; vel quia huiusmodi contrarium, emanat effectiuè à forma, à qua perpetuò cõseruatur, ac ob id agenti contrario resistit; vel quia est necessaria dispositio formæ in subiecto, unde nequit expelli, nisi destructâ formâ, cui tanquam dispositio deseruit. Ad quæ respiciens Philosophus docens mutuam inter contraria expulsionem esse hanc moderationem, adiecit, *nisi alterum à natura insit*. Hoc autem ex accidenti. **Alterum difficultas præoccupata simulque soluta.**

Quintò hæc formarum contrarietas, & expulsio quandoque ducit ortum præcisè, ex formalibus earum rationibus: quandoque verò ex latitudine graduum. Prior assertionis pars euidens admodum est quia dantur aliquæ formæ contrariæ, quarum esse in indiuisibili consistit, ut de peccato, & gratia dici solet, vel de actibus **Quintum sertio duplici parte constans. Prima pars suadetur.**

Digitized by Google

bus tam intellectûs quàm voluntatis, &c. nam in intellectu dantur actus consistentes in indiuisibili, contrarij tamen; ob id mutua eorum contrarietas, & expulsio non poterit à latitudine graduum proficisci, sic de actibus voluntatis. Secunda etiam pars assertionis apertè patet; quia dantur aliquæ formæ inter se contrariæ, seq; inuicem expellentes; quę tamen intensionis latitudinem habent; ut primæ quatuor censentur esse qualitates; hæ porro se mutuo expellunt, quatenus sunt maximè distantes graduali distantiâ; propterea quòd nisi maximè distent graduali distantiâ, nihil prohibet, quominus eidem subiecto insint, & in eadē parte simul existant. Vnde qualitates primæ, ut calor, frigus, non censentur contrariari sub quibuscunque gradibus, sed solùm secundum maximam graduum intensionem; neque propriè contrariari dicuntur ex earum formalibus rationibus, sed ex latitudine graduum. Hoc idem autem superiùs tactum, & oppositum non improbabile existimatum fuit, cùm ex aliquorum sententia diceremus calidum ut unum frigido quidem ut uni aduersari. Et quoniam difficultas urget de qualitatibus contrarijs, quæ in gradibus remissis possunt simul in eodem subiecto reperiri, propterea addebatur sermonem esse de expulsione aptitudinali, cum dicimus contraria se mutuò expellere, & expulsionem hanc esse contrarietatis effectum; at actualem expulsionem esse potius accidens separabile, non secus ac se habent risus, & risibilitas; nam aptitudo illa ad ridendum, quæ risibilitas dicitur, proprietas est consequens hominis naturam; risus autem, siue actu ridere, est accidens separabile. Non dissimiliter aptitudinalis expulsio est contrarietatis proprietas, sed actu expellere, siue actualis expulsio, est accidens separabile ab ipsa contrarietate. Adnotatum ibidem fuit contingere, ut contrarietas detur absque actuali expulsione propter illimitationem subiecti; cùm enim hoc sit capax intensionis ut octo; proinde ad huiusmodi capacitatem subiecti possunt in eo reperiri, quatuor gradus caloris, & quatuor frigiditatis, vel quinque caloris, & tres frigiditatis, &c. dummodo non excedatur octauus gradus, siue numerus octo graduum; propterea concluſum fuit duas has qualitates, nempè calorem, & frigiditatem non habere actualem, sed aptitudinalem tantummodo repugnantiam, quam quidem aptitudinem sic explicandam diximus, ut si tanta non esset subiecti capacitas, vel si hæc restringeretur, vel alij gradus qualitatum in eodem subiecto acciderent, in eo qualitates huiusmodi, haud possent existere, quod de formis non contrarijs, puta de calore, & humiditate, item de calore, & siccitate nemini licet enunciare. Postea verò his tanquam probabilibus admissis, diximus non negligendam sententiam dicentium, habendam præ oculis latitudinem graduum, quoniam hinc oriri potest formalis expulsio qualitatum carum, quæ contrariæ dicuntur.

Prior dicendi modus etsi non omninò spernendus, tamen difficultatibus laborat, è quibus non in postremis illa, quòd hæc aptitudinalis expulsio nunquam ad actum reducitur; nam quatuor gradus caloris, & quatuor frigiditatis; item quinque caloris, & tres frigiditatis &c. nunquam se expellent; frustra igitur hæc aptitudo dicenda, quemadmodum frustra diceretur in homine aptitudo ad ridendum, nisi aliquando in actum ridendi exiret; cum autem ad actum tantummodo reducatur hæc aptitudinalis expulsio qualitatum contrariarum, quando hæ sunt in gradibus intensis; propterea aptitudinalis expulsio, in qua contrariarum qualitatum proprietas consistit, erit ut qualitates in gradibus intensis debeant se se expellere ab eodem subiecto. Nec solida admodum est illa quidem aptitudinis explicatio, quâ dicitur si tanta non esset subiecti capacitas, vel si hæc restringeretur, alijve gradus &c. quod de formis non contrarijs nemini licet enunciare. Non enim hinc oritur, quod id de formis non contrarijs enunciari non possit, sed ex superiori potius, quam attulimus, ratione, quia nimirum cum dicimus habendam esse considerationem de latitudine graduum, non propterea qualitatum rationes omittimus; unde cum dicimus calorem, & frigiditatem in summis gradibus se mutuo expellere ab eodem subiecto, id sic intelligendum volumus, ut attendenda sit maxima gradualis distantia, quam Stagirites tantopere inculcauit, non tamen neglectis qualitatum rationibus; adeout hæc maxima gradualis distantia non sit intelligenda simpliciter, sed talium qualitatum. Vel dici posset expulsionem de qua loquimur, à rationibus formalibus qualitatum contrariarum oriri positâ tamen summâ, seu maximâ graduali distantiâ veluti conditione sine qua non &c. Proprium igitur esto qualitatum contrariarum secundum summam intensionem in eodem subiecto simul esse non posse. 10 Dis. tex. 13. &c.

Quòd autem fautores prioris sententiæ dicebant, nempe calidum ut unam aduersari frigido ut uni nihil est; quandoquidem eatenus calidum ut unum contrariari frigido ut uni, quatenus calor ut unum, & frigiditas ut unum nequeunt esse simul in eodem subiecto; at hoc ex accidenti est; quia cùm subiectum habeat capacitatem octo graduum uniuscuiusque qualitatis, necesse est ut qualitas hanc capacitatem expleat; si igitur illam calor non explet, oportet, ut quod reliquum est capacitatis expleat frigiditas; nec expleri potest ab alia, puta ab humiditate, sed expleri debet à qualitate, quæ aduersatur calori. Difficultas ab aduersarijs affertur, simulque diluitur.

Hîc modum facerē nisi aliquę difficultates circa hactenus dicta de contradictorijs diluendæ superessent, è quibus non spernenda illa, quam ita concipiunt. *Omnis homo est albus, omnis homo non est albus*, propositiones sunt contradicentes, eòquòd prædicatum idem affirmetur, atque negetur de eodem secundum idem, & comparatione eiusdem, & nihilominus ambas esse falsas, nemo non videt. Circa superiùs dicta aliquæ difficultates tractatur. Prima difficultas.

Huic difficultati subtilis Doctor occurrit negando propositiones illas esse contradictorias, cum uniuersales contrariæ dicendæ sint, ut propterea non mirum si ambæ falsæ sint; ut autem declaret se non inepte negasse propositiones illas esse contradicentes, subtiliter aduertit quid ad contradictionem requiratur; nimirum ut subiectum non sit commune quidpiam, quod in plura inferiora distribuatur; tunc enim nihil prohibet prædicatum ratione unius suppositi affirmari; ratione autem alterius negari. Solutio. 4. Diarsi. q 4.

Quoniam autem dicebatur inter contradictoria non esse medium, adeout medij carentia sit eorum propria, de hoc posset quispiam dubitare. Cum contraria immediata careant medijs, quod si ita est perperam huiusmodi carentia contradictoriorum propria dicebatur. In cuius confirmationem illud adduci solet, quod animal nec est rationale, nec irrationale: numerus nec par, nec impar; ens nec idem nec diuersum; sed hæc contradictoria sunt, & nihilominus inter ea dantur media. Secunda difficultas

Respondendum contraria quidem immediata, carere medijs, per participationem extremorum in subiectis aptis, cum ut priuatiua se habeant; non autem in ineptis; unde lapis nec sanus nec æger est. Ad Confirmationem negandum illas differentias contradictorię opponi, cum singulæ quid positivum præferant; & quamuis id de irrationali dici non posse videatur, eòquod negationem inuoluat; hoc nihil est, quandoquidem per negationem positiua differentia circumscribitur. Solutio.

Amplius; quæ solùm per instans durant, simul incipiunt, Tertia difficultas.

piunt,& desinunt; ergo habent simul esse,& non esse;de eodem igitur licebit simul esse, & non esse, enunciare.

Solutio. Hæc difficultas potius in Physicis tractanda, cum ibi de modis incipiendi, & desinendi disputetur; interim concesso dari aliquid durans per instans, negandum simul illud esse, & non esse; omitto libenter difficultates de propositionibus circa futura contingentia, cum dialecticos fines transcendant.

Quarta difficultas. Dicebatur etiam inter contradictoria incomplexa cum aliquo Syncategoremate sumpta dari posse medium per abnegationem utriusque extremi; in hoc tamen videtur difficultas, quoniam si inter incomplexa cum aliquo Syncategoremate detur medium modo iam explicato, nihil obstabit, quominus inter incomplexa contradictoria absolutè accepta, medium detur, cùm de illis non maior,quàm de his ratio esse videatur.

Solutio. Obuiam itur afferendo disparitatem, quoniam ut propositiones contradicentes,vel de contradictorijs incomplexis dici possint, adeo ut una sit vera, altera autem falsa, necesse est, ut quidquid affirmatur in una, totum id pariter negetur in altera; at si ex illis incomplexis contradictorijs cum Syncategoremate *homo per se albus; homo per se non albus* fiant propositiones. *Homo est per se albus; homo est per se non albus* quidquid affirmatur in una, totum id non negatur in altera, propterea quòd in prima de homine affirmatur *albus* cum perfeitatis modo; in secunda negatur tantummodò albus, & iterum affirmatur perfeitas, ratione cuius propositio redditur falsa; non autem quod incomplexa disiunctim apta non sint de quolibet prædicari, secus autem quando absolutè sumuntur, ut homo est albus, homo est non albus; tunc enim una necessariò est vera, & altera falsa, quoniam deest id, à quo illa propositio vera, possit reddi falsa.

Hæc de formarum itaque repugnantia,ac expulsione; siue ea sit, quæ propriè sic appellatur, quam alibi diximus inter actiuas, passiuasque formas exerceri; siue sit altera minus propriè sumpta, nimirum inter duas formas non se permittentes simul in eodem subiecto; siue huiusmodi formæ inuicem agant, & patiantur, siue non,siue maximè, sine non maximè inuicem distent.

Circa dictum illud, quod Philosophus frequenter usurpat. Τούτων δ' ὄντων, φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἐνί πλείω ἐναντία εἶναι. *His autem existentibus, patet, quod non contingit uni plura contraria esse*; & cuius nos etiam non multo antea meminimus;solum addendum aliquid supereste difficultatis.

Prima difficultas. 10. Diuis. tex. 17. Primò autem illud occurrit, quoniam multa uni opponuntur contrariè, vel Aristotelis testimonio, qui hoc splendidè supponens, de modo dubitationē instituens, dicit. Ἐπεὶ δ' ἐν ἐνὶ ἐδόκει ἐναντίον, ἀπορήσειεν ἂν τις πῶς ἐν τίνεται τὸ ἓν τῷ τὰ πολλὰ (τὰ δὲ ἄλλα δὶς ταῦτα ἀνάγεται) ἢ τὸ ἴσον τῷ μεγάλῳ καὶ τῷ μικρῷ. *Cum autem unum, uni contrarium sit, dubitabit fortasse aliquis, quo nam pacto unum, & multa opponantur, & æquale magno,ac paruo.* Postea verò difficultatem soluit, dicens multa, & pauca duobus modis usurpari, comparatiuè scilicet, & absolutè, concluditque multa priori modo opponi paucis, non autem uni; posteriori verò opponi non paucis, sed uni tanquam mensuratum quidpiam suæ mensuræ; sic enim habet; ἀντίκεινται δὲ τὸ ἓν τῷ τὰ πολλὰ τὰ ἐν ἀριθμοῖς, ἓν τὸ πρὸς πολλοῖς, ὡς μέτρον μετρητῷ. *Opponuntur autem unum, & multa in numeris, ut mensura, & mensuratum.* Declarat tamen oppositionis genus dicens. Ταῦτα δ' ὡς τὰ πρός τι. *Hæc verò, ut ea, quæ ad aliquid* dicuntur, & adhuc magis rem explicans ait ὅσα μὴ καθ' αὑτὰ τῶν πρός τι. *Quæcunque non per se aliquid* respiciunt, ut doceat hæc relatiua ad tertium relatiuorum modum spectare. Quamobrem unum, & multa non contrariâ oppositione, de qua sit sermo, sed relatiuâ opponi decernit. Ad superiorem tamen difficultatem quod attinet, Scholastici ab illa se expediunt dicendo, unum,& multa bifariam usurpari,scilicet formaliter, & materialiter; priori quidem modo opponi, non autem secundo; at cùm dicitur unum uni contrarium esse, non autem multis, respondent, accipi unum, & multa materialiter. Sed rectiùs fortè respondebis comitti fallaciam figuræ dictionis, mutatione numeri singularis in pluralem dicendo, multa, seu multitudo uni opponitur oppositione contrariâ; ergo uni sunt plura contraria; propterea quòd multa secundum esse multitudinis, rationem unius induunt, quo pacto multa, dum uni opponi dicuntur, unum uni, non multa uni opponi dici debent; at multa, quâ talia non opponuntur uni,unde adhuc admissâ inter unum, & multa oppositione contrariâ, quam Philosophus relatiuam esse dicebat, adhuc effatum subsistit, quòd unum uni, non autem multis, contrarium sit.

Secunda difficultas. Alia difficultas etiam in eo consistit, quòd voluntario, duplex opponitur inuoluntarium, unum per ignorantiam, alterum per violentiam. Ex dictis tamen solutio patet, siquidem geminâ id ratione voluntarij contingit.

De ijsque superiùs in Metaphysica differuit. De oppositione, contrarietateque priuatiua, & contradictoria, non pauca præter superiùs tradita, dicenda supererant, de quibus cùm opportunius in prima disputetur Philosophia, ab eorum proinde consideratione libenter hic abstinebo.

Anima uersio. Quæ autem hactenus ad superiorem doctrinam illustrandam, exempla ex calore, frigiditate, humiditate, siccitate, item ex coloribus albedine, nigredine, &c. desumpsi, iuxta vulgarem de his doctrinam accipias velim, non quòd hisce de rebus ita sentiā; sed ut familiaribus,& consuetis exemplis uterer, cùm alioquin doctrina iam tradita, ijsdem rebus accommodari facilè possit iuxta veriora principia, de quibus in Physiologia nobis acriter disputandum.

SECTIO QVARTA.

De modis Prioris.

Prioris, & posterioris descriptio. *PRiora, & posteriora dicuntur, quæ sic inter se sunt ordinata, ut unum aliquo modo præcedat aliud*; Ordo autem aliquem præsefert respectum, proindeque prioritas, atque posterioritas in quibusdam respectibus videtur consistere, in extremis, sic ordinatis, fundamentum habens.

Quorundam opinio. Qui autem existimant præter relationes transcendentes, in natura quoque concedendos respectus, quos prædicamentales appellant, tanquàm formas reales positiuas rebus absolutis adiunctas, credunt respectum ordinis esse duplicis generis, itaut unus sit realis, quando nimirum est inter ea, quæ re ipsâ distinguuntur; & quandoque rationis, quando versatur inter ea, quæ ratione tantùm inter se differunt.

Alia sententia atque explicatio. Quia tamen huiusmodi prædicamentales respectus, ut suo loco disputatum fuit, non nisi in partim intrinsecis, partim extrinsecis denominationibus consistunt, &c. Propterea de ordine ita sentiendum,ut hic dicatur, vel in transcendentibus respectibus positus esse, quando nimirùm ordo realis est;vel consistere in denominationibus desumptis ab actibus intellectûs ordinantis. Quòd autem ordo hunc præseferat respectum, perspicuum satis; si namque est prius, utique est posteriore prius; & si est posterius, est etiam priore posterius.

Difficultas. Difficultas tamen insurgit, quia prius non est simul naturâ cum posteriore; si namque prius est, non potest esse

esse simul cum illo, quo dicitur prius. At relatiua sunt simul naturâ, unde sic licet arguere. Quæ non sunt simul naturâ, non sunt relatiua; sed prius, & posterius non sunt simul naturâ; ergo prius, & posterius non sunt relatiua.

Dilutio propositæ difficultatis.

Occurritur tamen huic in modum. Quando prius sumitur essentialiter, & simul accipitur denominatiuè, tunc nullum est inconueniens, quòd idem respectu eiusdem simul dicatur & posterius.

Plures autem recensentur modi Prioritatis; & quidem Aristotiles ita loquitur. Πρότερον δ' ἐτέρου ἕτερον, λέγεται τετραχῶς. *Prius aliud alio dicitur quadrifariam.*

Primus modus est secundum tempus.

Primus autem modus ex Aristotele, & quidem maximè proprius est, de quo ita loquitur. Πρῶτον μὲν καὶ κυριώτατα κατὰ τὸν χρόνον. *Primum ac maximè propriè secundum tempus.* Itaque iuxta consilium eius primus prioritatis modus est, quo aliquid dicitur prius tempore, ex quo aliud alio vetustius, & antiquius dicitur; nam antiquius & vetustius dicitur, quia tempus longius est. Hic itaque modus, quo aliquid prius tempore, durationeque dicitur. Hæc autem prioritas est præcipua, atque peculiaris, cùm huius comparatione cæteræ discernantur, ac assignentur. Explicari autem solet in ordine ad aliquod determinatum momentum, secundum maiorem, vel minorem propinquitatem ad illud. Vt si mundus habeat durationis principium, & in ordine ad illud instans, sumatur prioritas & posterioritas, illud dicetur prius, quod magis propinquum est durationis principio; Posterius, autem, quod est remotius. At si mundus foret ab æterno, assignaretur nunc, & instans, itaut in præteritis, quod esset remotius ab hoc instanti, diceretur prius; & quod esset propinquius diceretur posterius; In futuris verò, quod esset huic instanti propinquius diceretur prius, & quod esset ab eo remotius, diceretur posterius.

Secundus modus prioritatis.

Secundus modus ex Arist. est, de quo ita scribit. Δεύτερον δὲ τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν. *Secundò quod non reciprocatur secundum existendi consecutionem.* Vt unum duobus est prius; nam si duo sunt, illico sequitur unum esse; quòd si unum est, non est necesse duo esse; quamobrem non reciprocatur, ut si unum sit, sequatur reliquum esse. Sed de hoc prioritatis modo paulo post sermo redibit, nunc enim in animo est doctrinam iuxta Philosophi ordinem tradere.

Tertius prioritatis modus.

Tertius est modus, de quo ille. Τρίτον δὲ κατά τινα τάξιν τὸ πρότερον λέγεται, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἐπιστημῶν καὶ τῶν λόγων. *Tertiò ratione ordinis prius dicitur, ut in scientijs, & orationibus.* Propterea quòd prius, & posterius inest in scientiis demonstrativis; nam elementa sunt ordine priora descriptionibus; & in Grammatica, elementa sunt priora syllabis; quemadmodum in orationibus; quoniam procœmium, ordine prius est narratione.

Quartus prioritatis modus.

Quartus prioritatis modus, ab Aristotele innuitur dicendo. Ἔτι παρὰ τὰ ῥηθέντα, τὸ βέλτιον καὶ τὸ τιμιώτερον, πρότερον τῇ φύσει δοκεῖ. *Præterea ea quæ dicta sunt: quod est melius, & præstantius id videtur esse naturâ prius.* Quartus igitur modus est, quo illud prius appellatur, quod dignius, & præstantius est, siue naturâ suâ, ut aurum cum argento collatum; siue æstimatione nostrâ, ut quando nobis magis amicos cæteris anteponimus, atque priores facimus; de hoc tamen prioritatis modo Philosophus loquens, ait. ἔστι δὲ δὴ καὶ μάλιστα ἀλλοτριώτατος τῆς τοιαύτης. *Sed hic modus est omnium ferè maximè alienus.* Sic autem loquitur, vel quia modus hic minus est in usu; vel quia ex hominum arbitratu magna quidem ex parte pendet.

Quintus prioritatis modus.

Quintus est modus, de quo Stagirites ita. Δείξει δ' ἂν παρὰ τοὺς ῥηθέντας καὶ ἕτερος εἶναι πρότερου τρόπος. τῆς μὲν ἀντιστροφῆς οὔσης κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, τὸ αἴτιον ὑποσοῦν δοκεῖν τοῦ εἶναι, πρότερον εἶναι τοῖς φύσει λόγοις ἢ ἄν. *Sed præter modos commemoratos videri potest etiam alius esse Prioris modus. Eorum enim, quæ secundum existendi consecutionem reciprocantur, quod quomodocunque est causa, cur alterum sit, meritò prius naturâ dici potest.*

Hic planè modus, qui secundum naturam dicitur, quo id prius esse æstimatur, quod cum alio existendi consequentiâ reciprocatur, eius tamen causa est; Hoc Aristoteles probat orationis & rei significatæ exemplo; si nanque oratio affirmans rem esse; vera est, rei tamen existentia causa est veritatis orationis, non contra; ex eo enim quod res est, vel non est, oratio vera vel falsa dicitur. Vbi obseruant interpretes doctrinam traditam habere locum in omnibus causis, si cum suis effectibus comparentur; Imò addunt nusquam veram esse, nisi ubi datur aliqua dependentia à priori unius ab alio; adeo ut rectè dictum fuerit, prioritatem naturę non esse concipiendam, ut antecedentiam in duratione, sed ut independentiam in esse. Hos omnes commemoratos prioritatis modos, artificiosè duobus hisce carminibus, complexi sunt.

Tempore, natura prius, ordine, dic, & honore.
Causam causato dicimus esse prius.

Modus prioris secundũ rationem.

Additur ab aliquibus modus prioris secundum rationem, quo illud prius altero dicitur, quod licet reipsâ non sit prius illo, concipitur tamen à nobis ut prius, quod in secundis intentionibus cernere licet; propterea quòd in hac propositione, *homo est homo:* homo à parte subiecti, dicitur prior se ipso à parte prædicati.

Sextus modus prioritatis naturæ.

Sextus est modus prioritatis naturæ. Septimus prioritatis originis, de quibus nunc distinctè tractandum.

Septimus modus prioritatis originis.

Ad naturæ prioritatem quod attinet. Tria se considerauda offerunt. Primum quid, & quotuplex sit. Secundum an sit realis, vel rationis. Tertium, an per ipsam saluari possit contradictio. Quia tamen multiplicem habet significationem, propterea nequit explicari, nisi eius assignentur significata, quæ proindè iuvabit diligenter expendere.

Agitur de naturę prioritate.

Primo modo sumi solet naturæ prioritas, pro prioritate inconuertibilitatis, cum scilicet non conuertitur subsistendi consequentia.

Primus modus prioritatis naturæ.

Non conuerti autem subsistendi consequentiam bipartitò contingit, vel quò ad existentiam, vel quò ad essentiam. Priori modo cum arguitur ab *est* secundo adiacente ad *est* secundum adiacens. Vt cum arguimus, est fumus; ergo est ignis, non tamen vicissim; tametsi enim dato fumo, necesse sit dari ignem, non ob id dato igne, necesse est dari fumum. Et hic est communissimus ab omnibus receptus modus prioritatis naturæ.

Duplex modus inconuertibilitatis.

Primus.

Secundo modo quo ad essentiam, cum videlicet aliquid non prærequirit aliud in essentia sua, licet istud in sua existentia præexigat illud.

Secundus modus inconuertibilitatis.

Ad priorem modum, quod spectat, aduertendum est prioritatem hanc non necessariò inferre causalitatem in priori naturæ, respectu posterioris; Contigit enim, quòd existentia causæ inferat existentiam effectus, non tamen contra. Quemadmodum euenit quandocunque causa potest aliquem effectum necessariò producere, qui tamen ab alia causa produci possit; quemadmodum ignis, qui necessariò calorem producit, calor autem nedùm ab igne, sed à sole quoque potest procreari. Ita fit, ut liceat arguere ignis est; ergo calor est, non tamen contra, calor est; ergo est ignis, undè aiunt illud dici naturâ prius hoc genere prioritatis, cuius existentia infertur per alterius existentiam, non tamen contra, siue sit causa, siue sit effectus.

Quia tamen hic modus prioritatis naturæ non insinuat

Digitized by Google

nuat causalitatẽ in eo, quod est naturâ prius comparatione posterioris. Propterea nonnulli putant prioritatem hanc impropriè dici prioritatem naturæ, sed potius inquiunt, appellandam esse cum Aristotele prioritatem inconuertentiæ; quia tamen is naturæ prioritatem definiens ait, *esse illam, quæ est inter ea, quorum unum non potest esse sine alio, non tamen contra.* Propterea, existimant, admitti posse prioritatem hanc, dici prioritatem naturæ, impropriè tamen loquendo.

6. Diuin. Tex. 16.

Circa prædicta tamen diligenter attende, quòd quando arguimus, ignis est; ergo calor est, arguimus à causa ad effectum, unde ex existentia causæ, arguimus existentiam effectus; & dicebamus rectè sic argui, non tamen contra dicendo, calor est; ergo est ignis, quia calor potest etiam à Sole produci: Ideoque nos asseruimus illud dici naturâ prius hâc prioritate, cuius existentia infertur per existentiam alterius, non tamen contra, siue sit causa, siue sit effectus; ita quidem existentia caloris, qui est effectus, infertur ex existentia ignis, qui est causa, ac proindè hoc sensu calor dicetur naturâ prior igne, quoniam existentia ipsius per istius existentiam infertur.

Secundus modus prioritatis naturæ.

Secundus modus prioritatis naturæ sequitur explicandus, & est modus sumptus pro prioritate independentiæ, siue naturalis præsuppositionis, quo sensu præsuppositionem unius ab alio ex rei natura importat. Hæc autem est naturæ prioritas propriè sumpta.

Rursus multifariã accipitur.

Hæc ipsa naturæ prioritas multifariam contingit. Primò enim accipitur prout inter duo cadit in ordine ad tertium, & hoc modo non semper est prioritas causalitatis, sed quandoque naturalis præsuppositionis in essendo, quatenus unum prius dicitur alicui tertio conuenire, quàm alterum, quoniam hoc præsupponit illud.

Ordo essendi duplex.

Hæc iuxta duplicem ordinem essendi inter illa potest adinueniri, undè duplex etiam existit; ordo enim essendi in duplici est discrimine; alter est ordo positiuus cadens inter duo entia positiua verè, & realiter alicui tertio conuenientia, quemadmodum se habent genus & differentia in ordine ad speciem, cui quidem utrumque conuenit, ita tamen ut genus prius naturâ dici debeat conuenire, quàm differentia, cò quod genus à differentia præsupponitur, & ei intelligitur aduenire.

Alter est autem ordo priuatiuus cadens inter priuatiuè opposita, quatenus naturæ ordine priuatio dicitur formam præcedere in materia, in priori naturę, quamuis materia producta foret simul cum forma, non quòd priuatio verè illi conueniat, sed quoniam illi conueniret ex se, si agens non impediret producendo formam in ipsa materia.

Secundus modus; quo prioritas prædicta contingit.

Secundo modo prioritas ista contingit, quatenus cadit inter duo non in ordine quidem ad tertium, sed inter se ipsa, quo ad proprias entitates comparata, prout videlicet unius entitas, necessariò præsupponit entitatem alterius existentem, non tamen contra.

B. fariam accidit.

Hoc autem bifariam accidit. Primò itaut quod præsupponitur dicatur causa illius, à quo præsupponitur, dicatur inquam causa per verum, atque realem influxum, iuxta quem prioritatis modum causa dicitur naturaliter prior effectu, quoniam in suo esse non præexigit effectum existentem, sicut effectus necessariò præexigit existentem causam. Imò causa ipsa non solùm non præexigit effectum existentem, sed quantum de se est, potest sine effectu quidem existere, cum ab eo essentialiter non pendeat; effectus autem, cum sit causatus, & per se causari non possit, necessariò nobis insinuat causam existentem & hęc naturæ prioritas dicitur illa, quæ alioquin dicitur prioritas causalitatis.

Primus modus.

Secundus modus.

Secundo modo contingit cum præsuppositum non est verè causa physica, causans per positivum influxum ad eum modum, quo ignis ex. gr. causat calorem, sed potius metaphysica per naturalem emanationem ac resultantiam, ad eum modum, quo dici solet unumquodque attributum à proprio subiecto causari, puta, risibilitatem ab hominis natura; habere tres angulos aquales duobus rectis, à natura trianguli, & sic de reliquis.

An prioritas naturæ sit realis, vel rationis & an instãtiarum eare re ipsa dicatur. Dari ãtre rei naturæ instãtia inuariabilibus temporis tamen admissis.

Secundum etiam inquisitione dignum erat, an hæc prioritas realis sit, vel rationis atque adeo an hęc instantia naturæ re ipsâ dentur, id autem quidam negarunt.

Concedenda tamen naturæ videntur instantia, propterea quòd in eodem instanti temporis, verè ex rei natura nullo considerante intellectu duo dari possunt cum naturali præsuppositione, siue cum causalitate, siue non, unius ad aliud. Proinde fatendum in eodem instanti temporis plura dari instantia naturæ. Assumptum verò inde probatur, quoniam essentialia à parte rei prius conueniunt, quàm accidentalia, quoniam prius in se res est, quàm ei quidquam accidat, & inter essentialia, quæ communiora sunt, quàm minus communia, quoniam hæc illis adueniunt. Optima verò consecutio, quia per hæc instantia nil aliud intelligi debet, quàm ordo præsuppositionis unius ab alio, nec aliud quidpiam, quàm huiusmodi ordinem important.

Talis autem ordo nedum inter illa exercetur, quæ inter se ex rei natura distinguuntur, sed etiam inter ea, quæ distinguuntur tantùm virtute quidem in re, formaliter verò per intellectum. Datur enim inter subiectum & attributa, inter quæ, non nisi distinctio rationis, quamuis cum fundamento in re nos esse velimus. Cum igitur in eodem instanti temporis plura esse possint, hunc in modum ordinata, consequens est ut in eodem dentur, instantia naturæ. Difficultates autem inter arguendum afferemus.

An pr̃ prioritati naturę contradictionem tueri liceat.

Supererat adhuc inquirendum, an per huiusmodi prioritatem contradictionem tueri liceat. Quantumuis autem fuerit a quibusdam admissum, quatenus, dicunt, in eodem instanti temporis, si duo sint instantia naturæ, de eodem verificari contradictoria posse, non tamen contradictorio modo, nam in primo instanti naturę, dicunt conuenire unum contradictoriũ, in quo non conueniat alterum, sed in secundo instanti conuenire, ac proinde per instantia naturæ mensurari contendunt existentias rerum, quatenus hoc esse prius natura illo, non solum est hoc præsupponi ab illo, sed hoc esse in aliquo priori in quo simpliciter non sit posterius.

Negatiua sententia approbatur.

Placet tamen sententia negantium defendi posse contradictionem per instantia naturæ, quæ sic explicentur, nimirũ per esse in uno instanti, in quo non sit aliud, sed per hoc quòd in uno intelligatur prius, in quo non intelligitur posterius, ambo tamen sint in eodem temporis instanti, si fermo sit de naturæ ordine positiuo.

Ratione id suadetur.

Ratio videtur potissima, quoniam quę in eodem sunt temporis instanti, nequeunt esse contradictoria, cùm simul hæc esse non possint; at verò quæ sunt in eodem instanti temporis, quamuis in diuersis instantibus naturæ, sunt simul & simul existunt; ergo quæ sunt in eodem instanti temporis quamuis in diuersis instantibus naturæ, nequeunt esse contradictoria. Prioritas igitur naturæ penes supradicta instantia, non sufficit ad saluandam contradictionem.

Secunda ratio.

Accedit, quòd admissâ contrariâ sententiâ, sequeretur in eodem instanti temporis, aliquid simul illuminatum, & tenebrosum, simul album, & nigrum, simul vivum, & mortuum esse.

Tertia ratio.

Deinde, quod est naturâ posterius vel coexistit toti instanti temporis, vel eius parti, non secundum, quoniam instans foret diuisibile; At si primum dicatur, quoniam etiam, & prius naturâ coexistit eidem instanti, sequeretur quòd prius, & posterius naturâ simul exi-

existerent; unde dici non posset in aliquo signo esse prius, in quo non sit posterius.

Si verò dixeris temporis instans, virtute quidem esse diuisibile, unde potest unum coexistere secundum unam partem, alterum verò secundum aliam; sequeretur incommodum superius allatum, quòd simul in eodem instanti temporis diceretur aliquid tenebrosum, & luminosum. Nunc explicanda superest prioritas originis.

Quoniam fide nobis compertum est dari productionem sine causalitate, atq; adeo, productum sine imperfectione dependentiæ, ut ex Sanctissimo, TRINITATIS Mysterio liquet; proindè necesse fuit hanc prioritatem agnoscere, quæ quidem est inter producens, & productum, inter quæ nulla exercetur causalitas. Huiusmodi autem prioritatis modus in hoc planè consistit, quòd plura dentur inter se ordinata, eòquod unum est ab alio, velut à principio producente, dicique solet ordo, à quo aliud, & est ordo inter originans, & originatum.

Esse aliquid origine prius alio, nil aliud est, quàm ab illo aliud originari, atque produci; unde & esse posterius origine, est esse unum productum ab alio sine dependentia causalitatis, ita quidem Filius in Diuinis est à Patre, & Pater producit Filium; hunc autem originis ordinem, siue sit cum causalitate, siue non, inferre prius & posterius ex eo constat, quoniam ubi ponitur aliquis ordo, ibi ponitur prius, & posterius, quoniam ordo est inter ea, quæ non sunt simul, atque ordinata secundum ordinationem temporis non sunt simul tempore; ordinata verò secundum ordinationem naturæ non sunt simul naturâ; sic ordinata secundum ordinationem originis non sunt simul origine &c. sed ubi non est simultas, ibi est prius, & posterius; ergo quicunque ordo infert prius, & posterius.

Accedit, quòd principium, etsi non importet habitudinem causæ, adhuc semper est prius termino, quatenus principium est, non formaliter, quoniam ut relativum simul est cum principato, sed materialiter.

Prioritas originis dicta etiam prioritas, *à quo*, præscindens à prioritate naturæ, & *in quo* omnino concedenda est.

Hic tamen aduertendum, quòd quamuis ista prioritas dicatur præscindere à prioritate naturæ, non propterea intelligendum, quòd repugnet esse cum illa; unde in creatis, non reperitur hæc prioritas seiuncta à prioritate naturæ, ad eum modum, quo reperitur in Diuinis sed in creatis est permixta cum prioritate naturæ. Ita quidem causa efficiens dicitur, & prior naturâ, & prior origine effectu suo. Ea autem est ratio quoniam per hanc prioritatem solùm intelligimus, ut aliquid sit id, à quo est aliud, itaut hoc sit non à se, sed ab illo, siue cum dependentia, siue sine dependentia. In quo autem hæc dependentia consistat, opportuniori loco planum fiet.

SECTIO QVINTA.

De modis Simul.

HAc de re Philosophus tractationem instituens, ait. Ἅμα δὲ λέγεται ἁπλῶς μὲν καὶ κυριώτατα, ὅσ' ἂν γίνεσθ' ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, μήτερον δὲ πρότερον, μήθ' ὕστερον αὐτῶν ἕτερον, ἅμα δὲ κατὰ τὸν χρόνον ταῦτα λέγεται *Simul autem dicuntur simpliciter & maximè propriè, quorum ortus est in eodem tempore, neutrum enim horum est prius, aut posterius. Hæc autem dicuntur simul in tempore.* Hic igitur primus modus, quo aliqua dicuntur simul ex Aristotele, apud quem, ut ex allatis verbis patet simul tempore aliqua dicuntur, quæ eodem tempore fiunt, dicunturque simul inceptione. Quod si contingat aliqua esse eodem tempore existentia, quamuis unum prius altero inceperit, simul dicuntur duratione, atque conseruatione.

Secundus modus, quo aliqua dicuntur simul, est, cujus meminit Stagirites dicens. Φύσει δὲ ἅμα, ὅσα ἀντιστρέφει μὲν κατὰ τὸ εἶναι ἀκολούθησιν, μηδαμῶς δὲ αἴτιον θάτερον θατέρῳ τοῦ εἶναι ἐστίν. *Naturâ verò simul dicuntur quæcunque reciprocantur quidem secundum existendi consecutionem, sed nullo modo alterum est causa cur alterum sit.* Quod exemplo illustrans, ait. Οἷον ἅμα τοῦ διπλασίου καὶ τοῦ ἡμίσεος. *Vt in duplo, & dimidio.* Et rectè quidem, nam, ut ipse ait, hæc reciprocantur, quia cùm duplum est, dimidium quoque est; & cum dimidium est, duplum est, neutrum verò est causa alterius, seu cur alterum sit; Ad huiusmodi igitur modum Aristoteles duas conditiones requirit; quarum prima est, quòd ad conuertentiam dicantur. Secunda quòd unum non sit causa alterius. Ita quidem se habent relatiua mutua; nam formaliter accepta sunt naturâ simul. Hoc autem simul esse in eo consistit, ut unum sine alio citra contradictionem, & ab intrinseco esse non possit.

Requiritur porrò, ut unum nequeat esse sine alio, quod est ad conuertentiam dici. Sed hoc non satis, cùm aliqua sint huiusmodi, quæ tamen non sunt simul naturâ, quin potius unum naturâ prius est altero, ut subiectum, & passio; subiectum enim, & passio dicuntur ad conuertentiam; subiectum tamen est naturâ prius passione. Secundò requiritur, ut id esse non possit absque contradictione, quod est unum non esse alterius causam; nam causa ab intrinseco, prior est causato, neque postulat necessariò coniungi cum effectu; sed quantum ex se est potest sine illo existere. Hîc tamen aduerte sumi causam, & effectum, ut aiunt, materialiter, non formaliter; nam posteriori modo sumpta, utpote relatiua, sunt simul naturâ, neque unum est causa alterius, sed quantum est de se, unum nequit esse sine alio, proinde causa sic accepta, quatenus de se, nequit esse sine effectu, quando utrunque fuerit acceptum formaliter, ut ex dictis apertè constat.

Non præteribo silentio in præsenti, sermonem fieri de esse simul seuerè accepto; quod opponitur naturæ prioritati, pariter eadem seueritate sumptæ, quæ nimirum inter causam, & effectum intercedit Alioquin non repugnant simul ea esse naturâ, quorum unum est alterius causa, sumptâ simultate naturæ latâ quidam significatione; quo sensu dictum fuit prioritatem esse inter ea, in quibus non valet arguere à subsistendi consequentia; ut est fumus; ergo est ignis; simul enim esse, quod huic prioritati opponitur, optimè cohærere potest cum causalitate, quando nimirum valet arguere à subsistendi consequentia.

Tertius est modus quo aliqua dicuntur simul ab Aristotele sic expressus. Καὶ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένους ἀντιδιῃρημένα ἀλλήλοις, ἅμα τῇ φύσει λέγεται. *Ea quoque, quæ ex eodem genere sibi inuicem in diuisione opponuntur, simul natura dicuntur.* Tertius igitur modus, quo aliqua dicuntur simul, est esse simul diuisione; quod accidit, cùm duæ differentiæ genus idem in species diuidunt, nempe cùm diuidunt æquè proximè, non autem per intermediam aliquam differentiam, vel speciem. Hoc cernere licet in diuisione, quâ animal diuiditur per rationale, & irrationale; non autem per rationale, & aquatile, propterea quòd aquatile diuidit animal, ut contrahitur per irrationale; Hæc igitur simul diuisione dicuntur, vel ut alijs placet, simul in natura communi, quoniã eorum esse simul, non est spectandum in proprijs rationibus

Secundus simultatis modus.

Ad notatio

Sed ut hę impropria prioritas, sic impropria simultas.

Tertius simultatis modus.

Digitized by Google

bus specificis, sed in communi natura; nam secundum proprias, & specificas rationes quamfrequenter species una eiusdem generis ad aliam præsupponitur: ut in prædicamento qualitatis, actus supponitur ad habitum, ut eius causa; & in quantitate, linea, quando videantur hæc reipsâ concedenda indiuisibilia, præsupponitur ad superficiem. Hos autem simultatis modos hisce versibus Artifices complexi sunt.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est;
Quæ conuertuntur, dicimus esse simul;
Suntque simul species, genus unum distribuentes;
At generis causâ, non ratione sui.

Verum aduersus Philosophi doctrinam non immeritò quædam urgentur difficultates, unde.

Prima difficultas. Obijcies primò; Videtur Philosophus ex eo in reprehensionem incurrere, quia non explicat, quid sit simultas, ut prioritatem alibi declarauit.

Solutio. Respondendum ex declaratione prioritatis, non obscure absolutâ simultatis definitionem constare; ut propterea tam hîc, quàm alibi declarare illam neglexerit.

Secunda difficultas Obijcies secundò. Tot modis dicitur unum oppositorum, quot alterum; at simul esse, opponitur prioritati; ergo quot modis, nempe quinque; totidem etiam esse simul dici debebit; non propterea tribus.

Solutio. Occurritur respondendo, quanuis tot modis dicatur simul, quot modis dicitur prius, Aristotilem tamen omnes modos simultatis neglexisse. Tum quia ex antea de prioritate traditis, facilè possunt intelligi; ut propterea tribus simultatis modis ille fuerit contentus. Tum quia cùm simultatem in ordine ad prædicamenta explicet, satis illi fuit commemorare simultatem generis, atque communis naturæ, quorum cognitio necessaria est ad prædicamentorum notitiam assequendam; non prætereundam duxit simultatem temporis; tum quia præcipuæ prioritati opponitur, cuiusmodi est prioritas temporis; tum quia non erat abs re innuere alios superesse simultatis modos, è quibus saltem magis præcipuos significare præstabat. Responderi etiam potest sub prædictis, reliquos comprehendi.

Tertia difficultas. Obijcies tertiò. Malè siquidem explicatur simultas temporis per inceptionem in eodem tempore; multa nanque sunt, quæ simul incipiunt, & tamen non simul durant neque conseruantur, ac ob id non sunt simul; & multa itidem sunt, quæ diuerso tempore incæperunt, & tamen simul coexistunt.

Solutio. Respondendum à Philosopho non explicari adæquatè omnia, quæ sunt simul tempore, sed inadæquatè, ita tamen ut operosum non sit inde adæquatam definitionem colligere, quâ simul tempore dicantur illa, quæ coexistunt eâdem duratione, siue simul incæperint, & desitura sint, siue non.

Quarta difficultas Obiicies quartò. Omnis simultas alicui prioritati opponi debet; at nulla datur prioritas, vel posterioritas secundum diuisionem generis; ergo neque danda simultas.

Solutio. Fiet satis respondendo, simultatem de qua fit sermo opponi prioritati secundum ordinem, nam species immediatè diuidentes genus, non habent prioritatem ordinis, cum nullam habeant subordinationem, sed æque primò ponuntur sub genere, & non una per aliam.

Quinta difficultas Obiicies quintò. Malè Philosophus explicat simul naturâ per duas conditiones, quasi, quæ reciprocantur, nequeant secundum consequentiam habere, simultatem, & tamen illam non habere secundum causalitatem; quandoquidem una simultas non excludit nisi sibi oppositam prioritatem, ut propterea multa sint simul duratione, quanquis priora, & posteriora sint secundum causalitatem, & contra &c.

Solutio. Respondendum ab Aristotile naturæ simultatem explicatam fuisse, ut oppositam omnibus prioritatis modis, & ob id apposuisse duas conditiones, ut duos prioritatis modos excluderet, quibus accepta secundum suam adæquatam rationem, opponitur; non propterea tamen negauit inadæquatè diuidi posse in duos modos duobus modis prioritatis oppositos.

Alijs difficultatibus in Metaphysicis.

SECTIO SEXTA.

De Motu.

PRimò tamen de his veterum consilium iuvat exquirere. Motum frequenter Plato Pythagoreorum imitatione commemorauit; nam in Parmenide, duo motûs suprema genera decreuit, lationem, atque alterationem. ὅτι κινήσθαι δὴ ἢ φέρεσθαι ἢ ἀλλοιοῦσθαι ἄν, αὕτη δὴ μόνα κινήσεις. *Quod mouetur, vel feratur, vel alteretur, hi enim soli motus*, ut vertit Patritius; sed rectius, *quod mouetur, vel debet ferri, vel alterari.* Sic enim exprimitur vis particulæ ἄν. Mox lationem partitur, dicens. ἐὰν μὲν οὖν φέρηται τὸ ἕν, ἦ δῆλον ἐν τῷ αὐτῷ ἂν περιφέροιτο, κύκλῳ ἢ μεταλλάττοι χώραν ἰοῦσα ἐξ ἑτέρας εἰς ἑτέραν. *Quòd si feratur unum vel debet in eodem circumferri circulo, vel mutare regionem aliam ex alia.* Addit autem in circulari motu, medium requiri; unde ibidem subdit ἐκ δὴ κύκλῳ φερομένου, ἐπὶ μέσου ἑστηκέναι ἀνάγκη; *Non ne circuloso moueatur super medio incedere necesse est?* Imò talem hunc esse motum addidit, ut admirabilium omniù fons dici possit, unde videtur Aristoteles desumpsisse quod aliquando dicit. θαυμασιώτατον δὲ τὸ ἐναντία γίνεσθαι σῶμα ἄλλοις, ὃ δὴ κύκλῳ συμβαίνει τοῦτον. *Admirabilissimum verò, quòd contraria fiant in simul; circulus autem constat ex talibus.* Iuxta vulgatam interpretationem, sed melius dixeris. *Admirabilissimum verò, quòd contraria simul vicissim fiant, circulus autem ex talibus constat.* Neque generationem, vel corruptionem Plato quidem ignorauit, cùm utriusque meminerit, dicens τὸ δὴ οὐσίας μεταλαμβάνειν, ἄρα γίνεσθαι καλεῖς; ἔγωγε. τὸ δ' ἀπαλλάττεσθαι οὐσίας, ἆρ' οὐκ ἀπόλλυσθαι; *Substantiam recipere, non generari vocas? ego sanè; secedere autem à substantia, non ne perire?* Alibi verò quædam de motu tradit, ut ex ijs hæc motûs genera elici possint; puta circularis duplex maximi, & minimi circuli; motus rectus localis, cylindricus, qui tum rectus, tùm circularis est, concretio, secretio, augumentum, decrementum, generatio, corruptio, & motus animæ, quæ se ipsam, & alia omnia mouet, & motus, quo aliquid ab alio mouetur. Vnde Plato motus animæ nouit, ut paulo infra paucis exponâ, Stagirites autem de motu edisserit cùm hîc sit commune subiectum actionis, & passionis, de quibus in prædicamentis disputauit; in eorum igitur gratiam hac de re sermonem instituens, initio docet quot sint eius species, nam eius naturam perscrutari Physici munus est. Cùm enim rectè dictum sit ἀνάγκη δ' ἤτοι πάντα ἠρεμεῖν ἀεὶ ἢ πάντ' ἀεὶ κινεῖσθαι, ἢ τὰ μὲν κινεῖσθαι, τὰ δ' ἠρεμεῖν. *Necesse verò vel omnia quiescere semper, vel omnia semper moueri, vel quædam moueri, quædam quiescere.* Opportunum propterea duxit motum in eas, quas continet sub se species distribuere. Vnde ait Κινήσεως δὲ ἓξ εἴδη ἔξ. φησίς, φορά, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, ἢ κατὰ τόπον μεταβολή. *Motus species sunt sex, Ortus, Interitus, Auctio, Diminutio, Variatio, seu Alteratio, & secundum locum Mutatio.*

Obseruandum autem ab Aristotile motûs nomen, latâ quâdam usurpatione sumi, pro quacunque mutatione, siue successiuâ, siue instantaneâ, siue positiuè siue negatiuâ; proindeque speciei nomen accipi latè quo-

Digitized by Google

quoque significatione, pro quacunque ex multis &c. Ostendit autem commemoratas species distingui, quia una est separabilis ab alijs; quod cuique potest esse perspectum. Solùm difficultas esse posset de alteratione, & accretione, quæ videntur inter se connecti; ostendit tamen alterationem ad tertiam speciem qualitatis, frequenter absque accretione, & accretionem sine alteratione reperiri; ferè nanque secundum omnes, aut plurimas passiones contingit nos variari, nullâ aliâ mutatione in societatem adiunctâ; enimuerò, neque augeri necesse est, quod secundum passionem mouetur, neque diminui, quod de cæteris quoque dici potest; quare concludit variationem, siue alterationem ab alijs motionibus esse diuersam; si nanque foret eadem, ut Philosophus loquitur, oporteret id quod variatur confestim aliquo aliorum motuum agitari, puta augeri, vel minui, vel aliam aliquam mutationem subire; & quando aliquid alio motu agitur, alterari; utrunque tamen ab omni necessitate est alienum. Primum utique eo quòd omnes ferè passiones, quas in tertia qualitatis specie reposuimus cum alteratione coniunctæ sunt; at quando illis aliquid mouetur, nullus aliorum motuum ibi cernitur; quando enim aqua calefit aut frigefit, haud necessarium est, ut crescat, aut decrescat locove cietur. Neque secundum, nempe, quod augetur, aut alio motu mouetur, variari debere, cùm nonnulla quidem augeantur, quæ tamen nullatenus variantur; ita quidem, quadratum gnomone circumposito, auctum certè, non tamen variatum redditur; & in cæteris eiusmodi ratio non absimilis; unde concludit *ὥσθ' ἕτερα ἂν εἴησαι κινήσεις ἀλλήλων. Quare hæ mutationes diuersæ sunt inter se.* At quo pacto, mox intelliges.

Dum autem prosequitur harum specierum oppositionem ostendit dicens. *Εστι δὲ ἁπλῶς τῇ μὲν κινήσει ἡρεμία ἐναντίον. Iam verò simpliciter motioni, contrarium est quies.* Vult igitur motui generatim non esse alium motum contrarium, sed solùm quietem. At motibus speciatim & quietem & motus aduersari, singulis, quidem singulos in cõtrarios terminos affirmat; quod etiam Platoni exploratum fuerat, puta ortui, interitum; auctioni diminutionem: loci mutationi, quietem in loco; maximèque videri opponi motus in loca contraria, ut descensui, ascensum, & ascensui descensum. Primum autem, quod dicebatur nempe motui generatim non aduersari alium motum, facilè constat; cùm enim motus in uniuersum contineat sub se alios motus, aduersum aliquem habere motum non potest; unde solam quietem habere contrariam, ei concessum esse dici poterit: Secundum scilicet singulis motibus, singulos ratione oppositorum terminorum opponi, inde fit manifestum, quia motus à terminis specificantur; unde quoniam termini sunt oppositi, necesse est motus tendentes ad illos, inuicem pro eorundem oppositione aduersari.

Aduertendam tamen hîc accipi contrarietatem latâ quâdam significatione, videlicet, pro quouis oppositionis modo. Tum quia quies, cùm sit priuatio, (sumptâ quiete pro cessatione à motu, alioquin acceptâ pro forma acquisita per motum, est quid positivum) nequit habere propriè contrarium. Tum quia Philosophus appellat motus contrarios, qui tendunt ad terminos priori modo oppositos; ut sunt ortus, & interitus, motus sursum, & deorsum, accretio, & decretio; de his tamen longè cumulatiùs in Physicis.

Sunt autem, qui Philosophum reprehendant, veluti minus accuratum in motûs speciebus recensendis; quandoquidem ex eorum sententia, quasdam species omisit, cuiusmodi sunt duplex circularis, & cylindricus, & concretio, & discretio. Plato autem his addit motus animæ, quos Aristotiles neglexit, ut ipsi dicunt; cùm tamen cognitio, cogitatio, intellectio, ac huiusmodi alia, siue actiones, siue passiones sint, motus necessariò sunt, quemadmodum omnis motus progressivus ad locum, ab ipsa anima originem ducit. *Ἄγει δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν τοῖς αὑτῆς κινήσεσιν, αἷς ὀνόματα ἐστὶν βούλεσθαι σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν, ὀρθῶς, ἐψευσμένως, χαίρουσαν, λυπουμένην, θαῤῥοῦσαν, φοβουμένην, μισοῦσαν, εἴργουσαν, καὶ πάσαις, ὅσαι τούτων συγγενεῖς αἱ πρωτουργοὶ κινήσεις, τὰς δευτερουργοὺς αὖ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων, ἄγουσι πάντα εἰς αὔξησιν, καὶ φθίσιν, καὶ διάκρισιν, καὶ σύγκρισιν, καὶ τούτοις ἑπομένας θερμότητας, ψύξεις, βαρύτητας, καὶ κουφότητας, σκληρόν, καὶ μαλακόν, λευκόν, καὶ μέλαν, αὐστηρὸν καὶ γλυκύ, καὶ πικρόν.* Plato lib. 10. de Legibus. *Vniuersa, quæ in cælo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit, quibus nomina sunt, velle considerare, curare, consultare, rectè, & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, & cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines, primique sunt, qui & secundos corporum motus susciptentes, omnia in augumentum, decrementumque perducunt, concretionem, vel condensationem, & discretionem, vel rarefactionem, & in ea, quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, prauitates, leuitates, durum, molle, album, nigrum, austerum, dulce, amarum.* Ita vertit Ficinus, subintellecto tamen, ἔνται, in græca lectione, participia illa. *χάιρουσαν, λυπουμένην, θαῤῥοῦσαν, φοβουμένην, καὶ τὰ ἑξῆς*, à Platone inter ratiocinandum usurpata, rectiùs, & conformiùs græcæ syntaxi, latinè redderentur, *esse lætantem, dolentem, audentem, timentem* &c. cæterum hæc Plato habet, postquam paulo antea dixerat animam se mouere; ex quo facile constat, apud hunc egregium Philosophum, animam talis esse naturæ, ut se ipsam mouere possit.

Adnotatio circa Ficini versionem.

SECTIO SEPTIMA.

De Habere, ac eius modis.

Habere multifariam dici. Cap. de Habere.

INitio Stagirites aduertit, multifariam *Habere* dici, nam ait. *τὸ δὲ ἔχειν πλείους τρόπους λέγεται. Habere multis modis dicitur.* Septem autem enumerat, Primus est, quo dicitur quis habere disposition em, & affectionem, ut virtutem, & vitium. Secundus quo dicitur habere tantam magnitudinem ut cubitum, ulnam, sex palmos &c. Tertius, quo dicitur habere aliquid circumpositum, ut annulum, vestem &c. quæ acceptio ultimum prædicamentum constituit. Quartus, quo dicitur habere partem aliquam constituentem, ut manum, pedem &c. siue physicam, ut animam, vel corpus, quæ sunt physicæ partes, ex quibus essentialiter compositum efflorescit. Quintus, quo continens dicitur habere contentum, ut vas aquam, arca pecuniam. Sextus, quo quis dicitur habere bona, ut agrum, domum; & ciuilem possessionem importat. Septimus, quo quis dicitur habere uxorem; quam significationem testatur omniũ impropriissimam esse; vel quia est mutua, ut enim vir dicitur habere uxorem, sic uxor dicitur habere virum; vel quia hoc habendi genus, nil aliud est, quàm licitè cohabitare. Alios etiam modos habendi Philosophus alibi recenset, qui tamen dici consueuerunt, ut ipse loquitur, ferè omnes enumerati sunt. Ibi autem exactius rem tractans, docet trifariam usurpari habitum.

Primus modus. Secundus modus. Tertius modus. Quartus modus. Quintus modus. Sextus modus. Septimus modus. 5. Diuin. Cap. 20. & 23.

Primò pro actu, qui est inter habentem, & rem habitam, quique videtur dici posse ipsa *habitio rei*, hoc pacto esse indutum calceatum, annullatum &c. quidam habitus dicuntur. Vt enim datur actio media inter efficientem, & effectum; inter vestem, & personam, me-

Trifariam habitus usurpatur. Prima acceptio.

dius datur habitus, qui habetur, sicut actio, quæ per aliam actionem non efficitur.

Adnotatio

Hîc tamen aduerte discriminis illud intercedere, quòd ipsa habitio in extrinseca denominatione consistit, & nil aliud positivum rebus habentibus, & habitis, quam præsentiam localem spectantem ad prædicamentum *Vbi* adiungit. Sed actio vera entitas positiua est, at hæc iam suis locis explicuimus.

Secunda acceptio.

Secundò sumitur habitus pro dispositione, qua aliquid dicitur benè affectum se ipso, unde pulchritudo, & sanitas dicuntur boni habitus; deformitas verò, & ægritudo, malis; vel dicitur benè vel malè affectum in ordine ad aliud; ut scientia, & virtus dicuntur boni: errores, & vitia dicuntur mali habitus. Dispositio autem hîc accipitur largè; prout qualitatem facilè, vel difficilè mobilem significat.

Tertia acceptio.

Tertiò pro parte dispositionis secundo modo iam dictæ, ut bona vel mala dispositio oculi, manûs, pedis, &c. etiamsi quandoque ea pars dispositionis sit integra, & non pars alterius dispositionis; ita quidem aliquis dicitur linguâ sanus, etsi alioquin toto corpore laboret; quæ intelligenda sunt non solùm de ea, quæ est pars dispositionis corporalis, sed etiam, quæ est pars dispositionis spiritualis, ut scientiæ, vel alterius habitûs animam afficientis.

Quarus alij habendi modi.

Apud eundem Philosophum alios legimus habendi modos, quorum primus, quo dominans veluti forma, dicitur habere ea, quæ ipsi subiecta sunt, siue cum violentia, ut febris dicitur habere hominem, & Tyrannus regnum; siue contra violentiam, ut verus Rex dicitur habere regnum, quod regit ad communem utilitatem, Tyrannus ad priuatum commodum. Hoc modo induti habere vestem dicuntur, eo quòd illam ad naturalem usum accommodant; & quasi naturalem formam confert; huc spectat habere filium, seruum, &c. Secundus, quo subiectum habet deneminans, ut materia dicitur habere formam, & populus Regem, vel Tyrannum, & hic est modus oppositus primo Tertius, quo continens dicitur habere contentum, ut vas liquorem, nauis nautas, & vrbs homines, & totum partes, quandoquidem pars est quodammodo in toto, ut locatum in loco, hoc tamen discrimine quòd locatum est diuisum à toto; non sic pars à toto. Quartus, quo impediens dicitur habere aliquid, ne corruat, vel diffundatur, vel ne agat, quod alioquin ex se corrueret, vel diffunderetur, vel ageret, nisi impediretur.

DISSERTATIO XXII.

Et est de ijs, quæ ad dirigendam primam mentis operationem conducunt.

De Primo actu cognitionis Intellectiuæ, quæ simplex apprehensio nuncupatur.

Tractionis ordo.

Simplex apprehensio unde dicta.

Cùm hucusque copiosè disputatum fuerit de ijs, quæ generatim ad omnes Intellectûs operationes pertinent, reliquum est vt speciatim quæ spectant ad singulas, persequamur. E quibus primum occurrit consideratio de apprehensione simplici. Hanc sic potius appellare, quàm apprehensionem simplicium iuuat, cùm simplicitas huic attributa, magis ex parte actûs, quàm ex parte obiecti se teneat; satis enim est exploratum, ne dum simplicia, sed etiam complexa, ac integras propositiones actu quantumuis simplici apprehendi. Huic operationi simplicitas attribuitur, prout ab operatione secunda secernitur, quæ compositio, quasi composita cognitio nuncupatur; propterea non iniuriâ simplex apprehensio dici consueuit.

SECTIO PRIMA.

Quid simplex apprehensio, & quid sit eius obiectum.

Simplex apprehensio quid.

SImplex apprehensio est humanæ mentis cognitio, quâ simpliciter obiectum concipitur, sine determinatione an sit, vel non sit id, quod obijcitur intellectui.

Rectè autem huius cognitionis naturam sic explicari satis indè perspicuum, quoniam hoc modo à secunda, ac tertia operatione, atque adeo ab omni cognitione, per quam intellectus, vel affirmando determinat rem esse, vel negando determinat non esse, absolutè secernitur. Cognitio enim quâ intellectus affirmat, vel negat, illi obiectum obijcit sic, ut repræsentet determinatè rem esse, vel non esse; at simplex apprehensio, non item, cùm per ipsam repræsentetur tantummodo quoad quid est. Quia tamen hæc melius innotescent si declaratum fuerit, circa quid ista cognitio versetur & quonam pacto illud repræsentet, propterea iuuabit hæc diligenter introspicere.

Intellectus per simplicem apprehensionem attingit etiam terminos complexos imò, & integras propositiones.

Simplex apprehensio terminos omnes, & res per ipsos significatas attingit; quod non sic usurpandum quasi per simplicem apprehensionem intellectus solùm cognoscat terminos incomplexos, ut sunt, homo, animal, album, calidum; sed etiam complexos, ut sunt, homo risibilis, animal rationale, album disgregatiuum visûs, attingit &c. non solùm res omninò simplices, sed etiam compositas ex pluribus partibus, complexa ipsa, ut infra dicemus, puta homo est animal, homo est risibilis &c. percipit.

Ratio suadens quod termini complexi

Veritas autem hæc frequenti comprobatur experientiâ, quâ cuique id fit perspectum ac exploratum, quisquis enim experitur se percipere terminos simplices. Itemque res per ipsos significatas & insuper complexos terminos, quinimò ut nuper dicebam, propositiones integras, & ea, quæ per ipsas significantur. Et certè mirum est aliquibus oppositum arrisisse; propterea quòd, ut intellectus iudicet affirmando, vel negando unum de alio, itemque, ut ratiocinetur inferendo unum ex alio,

Digitized by Google

alio, debet priùs simpliciter apprehendisse, hoc est, simplices terminos attigisse, resque significatas per ipsos non solùm, sed etiam terminos complexos ac integras propositiones, & quæ per ipsas significantur, quoniam apprehendere, est percipere per modum *quid est* primò nominis, deinde rei; at intellectus nequit iudicare, neq; ratiocinari, nisi priùs perceperit quantùm ad quid est id, de quo iudicandum, & ratiocinandum. Oportet igitur intellectum priùs apprehendisse, non solùm simplicia, sed etiam complexa, quoniam iudicium, & ratiocinatio, complexa cognita præsupponunt.

Suspicabitur quispiam id fieri non posse, eò quòd in termino complexo, & in re composita, plura quidem inuoluuntur, quæ videntur unico actu apprehendi non posse. Nihil tamen id refert, si quæ cognoscuntur, per modum unius cognosci dicantur. Fatendum enim quæ plura sunt, ut plura non posse nisi pluribus actibus ab intellectu cognosci; si tamen ea plura sumantur per modum unius, optimè possunt unico actu cognosci, quoniam tunc induunt unitatem, ratione cuius unicum actum terminare possunt, cum alioquin, ut plura, non nisi pluribus actibus possent attingi.

Quanuis autem complexum terminum, remque compositam unico actu apprehendi posse rectè, sancitum fuerit, sensu iam explicato, adhuc superest consideratione dignum, nùm etiam integra propositio constans ex subiecto prædicatoq; cum affirmationis, ac negationis copula per simplicẽ apprehensionẽ cognosci possit.

Et in re proposita iis est assentiendum, quibus est visum per primam intellectùs operationem apprehendi non tantùm propositionis extrema, subiectum, & prædicatum, sed etiam connexionem extremorum, conuenientiamq; prædicati cum subiecto, atque adeò propositionem integram, ne dum quantum ad voces, & per conceptum non ultimatum, sed præsertim quoad rem significatam, & per conceptum ultimatum.

Ad obiectum igitur simplicis intelligentiæ, siue apprehensionis, pertinere quoque propositionem integram constantem ex subiecto, & prædicato cùm affirmationis tum per negationis copula, mihi satis inde perspicuum, quoniam non minus licet nobis apprehendere connexionem inter extrema propositionis & inter res ipsas, quàm propositionum extrema, simplicesque res; Quemadmodum enim extrema dum apprehendimus, non propterea determinamus ea esse, vel non esse; ita pariter apprehendere possumus connexionem inter illa, non determinando an ea sit, vel non sit. At cognoscere connexionem ipsam intercedentem inter extrema non determinando, an ipsa intercedat, vel non, est cognoscere propositionem integram, sine determinatione, an ea sit vera, vel non, ac proinde apprehendere per simplicem actum intelligentiæ. Idcirco nihil repugnabit, quo minus intellectus simplici actu apprehensionis integram attingat propositionem, atque adeò hæc ad obiectum simplicis apprehensionis pertineat, & non solum extrema per se, ac separatim accepta.

Hoc etiam ea ratio suadet, quoniam nihil potest sub definitionem cadere, nihil est, de quo possit iudicium ferri, nisi præcognitum sit cognitione simplicis intelligentiæ. Prius enim intellectus debet confuso modo rem percipere, quàm distinctè, cùm naturæ ordine cognitio confusa distinctam antecedat. Et priùs apprehendendum est quid significetur per integram propositionem, antequam de ipsa, an vera sit an non sit, proferatur sententia.

Propositionis enim ignoratâ significatione, nequit intellectus de ipsa iudicium ferre; sed potest definiri extremorum connexio siue integra propositio per modum unius acceptæ; potest etiam, imò passim contingit ut intellectus iudicet de veritate prolatæ propositionis, an scilicet ea vera sit, vel non sit. Oportet igitur, ut extremorum connexionem, & propositionem integram priùs apprehenderit.

Veritatem hanc experientia confirmat, quisque siquidem experitur, se connexionem inter extrema, propositionemque integram apprehendere, non determinando an vera sit vel non sit. Vt cùm scilicet auditâ aliqua propositione remanet intellectus anceps ac dubius de veritate ipsius. Hoc enim passim usu venit, dum quæstiones agitantur, atque rationes hinc inde suppetunt; priùs enim intellectus debet sensum quæstionis assequi, mox verò rationibus persuasus ad unam, vel alteram se determinare partem. Vt si proposita quæstio sit, an Mundus fuerit ab æterno; an Terra incessante vertigine reuoluatur; priùs quàm intellectus assensum præbeat vel ab eo se abstinens in contrariam partem se determinet, necesse est, ut rectè apprehenderit, ne dùm quid nomine Mundi & nomine æterni significetur, sed etiam totum complexum illud, quid sibi velit, Mundum ab æterno fuisse. Ita pariter de exemplo Terræ. Fatendum igitur nedum extrema propositionis, accepta seorsum, sed etiam connexionem inter illa, ac integram propositionem ad apprehensionis, atque adeò simplicis intelligentiæ obiectum pertinere. Tertia ratio ab experientia.

Nec existimandum, hactenus dicta intelligenda de apprehensione vocuum, non rerum, quæ per voces significantur, ac proinde solum ea esse admittenda de conceptibus non ultimatis, qui vocem solùm attingunt, non res significatas per voces, cùm has repræsentare conceptùs sit ultimati. Non inquam existimandum, siquidem ea perpetuò cum veritate consentiunt, siue sermo fiat de uno siue de alio conceptu, itaut non solùm intellectus debeat apprehendere actu simplicis intelligentiæ, voces prolatas, seu propositiones consistentes in vocibus, sed etiam ea, quæ propositionibus hisce significantur. Quod adeò verum, ut mirum sit, aliquos in contrariam sententiam abijsse. Dum enim intellectus manet anceps de audita propositione, non solùm id contingit, còquod non percipiat significatum, sed etiam quoniam significatione perceptâ, nulla ei suppetit ratio, quâ potius ad unam quàm ad aliam partem determinetur. Imò quando significatio fuerit ignorata, intellectus non experitur se esse dubium, cum dubitatio supponat significationem perspectam, ac exploratam; sed potius sistit in non ultimato conceptu, absque vlla hæsitandi occasione, expectans ut ei ab aliquo explicetur illius propositionis significatio. Hactenus dicta non intelligenda tantùm de apprehensione vocum.

Hæc demum certa redduntur aduertenti, posse absolutè apprehendi aliquid esse ordinatum ad aliud, etiam si non affirmetur, vel negetur, nempe hoc esse æquale vel inæquale alteri; hunc esse vel non esse patrem illius, quodlibet autem istorum, complexum quoddam est per integram propositionem significatum; hoc igitur ad simplicis intelligentiæ obiectum pertinebit; cum citra assensum, dissensumque contingat.

Imò non solùm potest, sed debet intellectus hæc simpliciter apprehendere, antequam iudicet; non enim potest ipse decernere, unum alteri æquale vel inæquale esse; unum esse, vel non esse patrem alterius, nisi priùs perceperit, quid hæc sibi velint. Vbi obserua rationis momentum in eo positum esse, quòd intellectus laturus iudicium de æqualitate inter duo, prius debet apprehendere quid sibi velit, hoc æquale esse illi, quod certè complexionem quandam præsefert, attingendam per simplicẽ intelligentiam. Vnde saltem colligitur nedum significatum per simplicem, sed etiam per complexum terminum ad simplicis intelligentiæ obiectum pertinere. Cumque ex eo etiam propositio fiat ante iudicium pa-

riter apprehendenda; consequens fit, ut quod per integram propositionem significatur, ad hoc idem obiectum itidem attineat.

Prima difficultas. 3. De Anima Tex. 21. Plerosque decepit Aristotelis auctoritas; propterea quòd primam hanc intellectûs operationem indiuisibilium appellauit intelligentiam, cuius imitatione operationem hanc alii simplicium apprehensionem dixerunt; huiusmodi porrò incomplexi tantummodò sunt termini; solùm enim hi indiuisibiles, simplicesque dicuntur.

Solutio. Si tamen aduertissent quò spectet Philosophi consilium, non ita de re proposita ratiocinati essent, ait enim. Ἡμὶν οὖν τὰ ἀδιαιρετων νόησις ἐν τούτοις, ἐφ' ἃ ἐὰν μὴ ἐπὶ τὸ ψεῦδος. *Indiuisibilium igitur intellectio in ijs est, circa quæ non est falsum.* Sed ita loquendo, solùm ad simplicem intelligendi modum respexit; licet paulo post, eandem operationem apertiùs ex variis modis, quibus dicimur intelligere indiuisibile & ex obiectis distinguat. Ait autem trifariam indiuisibile dici. Primò quidem aliquid indiuisibie dicitur id, quod non est actu diuisum, diuidi tamen potest, ut linea, de quo docet nihil prohibere, quo minùs intellectus intelligat indiuisibile, cum percipit aliquid continuum, nempe longitudinem, quæ est indiuisibilis actu, etsi potentiâ sit diuisibilis; nam intellectus potest gemino modo magnitudinem intelligere; vno quidem prout est diuisibilis potentiâ, nempe intelligendo lineam numerando partem post partem, ac proinde in tempore, siue successiuè; altero autem ut est actu indiuidua, quo pacto lineam percipit, ut unum quidpiam ex multis partibus efflorescens, atque adeo simul. Secundo modo indiuisibile docet illud esse, quod unam speciem sibi vendicat, etsi compositum sit ex partibus non continuis, ut homo, domus, exercitus &c. Tertiò indiuisibile ait id esse, quòd non solùm actu, sed potentiâ quoque indiuisibile est, ut punctum. Hæc tamen accuratiùs in Dissertationibus de Anima persequemur. Interim certum, ac exploratum, ex his non inferri quidquam aduersus dicta, quæ proculdubio quamoptime cohærent cum iis, quæ ex Philosopho proximè retulimus, propterea quòd solùm dictum à nobis reperies, Philosophum ad simplicitatem cognitionis, & ad simplicem cognoscendi modum respexisse, quando protulit. Ἡμὶν οὖν τὰ ἀδιαιρετων νόησις ἐν τούτοις, ἐφ' ἃ ἐὰν μὴ ἐπὶ τὸ ψεῦδος. *Indiuisibilium igitur intellectio in ijs est, circa quæ non est falsum.* Quòd autem deinceps operationem prædictam ex obiectis apertiùs declarare studeat, enumerans tria indiuisibilium genera, nihil refert. Sat enim nobis ex Aristotelis verbis non colligi, primam intellectûs operationem, simplicium intelligentiam dici, eòquòd solùm simplicia, non autem complexa, & multo minus integras propositiones prægnoscat, cùm adhuc simplicium intelligentia dici mereatur, ob simplicem modum attingendi obiecta, quantumuis complexa &c. licet congruentiùs simplex intelligentia diceretur, cùm ita loquendo, simplex cognoscendi modus insinuetur, ut alio sermonis genere, potius simplicitas eorum, quæ cognoscuntur, exprimi videatur.

Intellectus non cognoscit plura nisi per modũ unius, nõ autem plurium. Vt igitur existimabat intellectum cognoscere plura per modum unius, ita simul affirmat illa non cognoscere ut plura; eâ forsan ratione ductus, quoniam aduertebat, intellectum non posse simul elicere plures actiones, per quas plura, ut plura attingat, siquidem unius virtutis, non est simul nisi actus unus, vel usus; at verò intellectio est usus intellectûs, cùm eius sit operatio; quamobrem fieri non poterit, ut simul ab intellectu plures intellectiones prodeant, atque adeò, ut intelligat plura, prout plura sunt; & certè, si intelligendi vis posset simul ex. gr. duo intelligere, utique etiam, & plura, ac plura, atque adeo omnia, quod, quàm absurdum sit, neminem præterit.

Prima ratio.

Confirmatur. Hoc etiam repugnat, ex eòquòd unusquisque actus limitatus est ad certum suum adæquatum obiectum, indèque sumit unitatem ut motus à termino ita fit, ut non possit intellectus attingere plura simul, ut plura, sed tanquam unum, nam plura requirerent simul cognitiones plures, quas intellectus elicere minimè potest. De hoc tamen in libris de Anima. Secunda ratio.

Vt autem quis probet simplicem intelligentiam nonnisi circa simplicia, ac indiuisibilia versari, hunc in modum posset arguere. Quando concipitur terminus complexus, putà, animal rationale, nihil obstat quominus in intellectu remaneat conceptus unius partis, sine conceptu alterius, ut animalis sine rationali, & rationalis sine animali; ergo dum intellectus concipiebat animal rationale, geminum exercebat actum, per quorum unum attingebat animal, per alterum autem rationale; simplex igitur apprehensio unico quidem actu complexum non attingit, sed tantùm quòd simplex & incomplexum est. Secunda difficultas.

Solutio. Hoc tamen nihil planè; propterea quòd dum intellectus conceperit illud complexum, puta, animal rationale, cum deinde unam vel aliam partem conceperit, novum elicit actum priori penitus abeunte. Vnde non imaginandum complexum illud duplici actu perceptum fuisse, quorum unus remaneat, alter abeat; sed potius unico, quem totum variari necesse est, cum deinde concipitur alterutra partium, quibus complexum illud constabat.

Dices si non propositiones integras, saltem terminum complexum, ad secundam intellectûs operationem pertinere; non igitur ad primam, nisi confundere illas velimus. Solutio.

Nihil prohibet, ad utranque operationem spectare integras propositiones, dummodo modus non sit idem. Intellectus enim per primam operationem percipit tantummodò significatum ipsarum, per secundam verò easdem attingit affirmando, aut negando; quamob causam prima operatio dicitur circa incomplexa versari, quoniam etiam ipsæ propositiones attingit non secus, ac incomplexa, percipiendo tantummodo significatum, non determinando, an ita sit, vel non sit, quod enunciatur. Nihil prohibet integras propositiones ad primam & secundam operationem pertinere; non tamen ad primam operationem spectare.

Tertia difficultas. Neque tandem aliquid negotii facessit, quod alioquin plerique magni faciunt, nempè quòd complexus terminus, multoque magis integra propositio vocalis ea est, cuius partes separatæ adhuc significant, suamque retinent, quam antea significationem habebant. At verò externæ voces, loco conceptuum substituuntur, suntque animi conceptuum vicariæ; quamobrem mentis conceptus, cui complexus respondet terminus vocalis, is esse debet, ut pluribus partibus constet, quarum quælibet per se obiecti partem representet; non uno proinde simplici actu, quod complexum est, apprehendetur.

Solutio. Cùm dicitur voces terminum complexum esse, cuius partes separatæ aliquid significant, sic usurpandum, ut in re concepta, atque significata inueniantur partes, quæ distinctis vocibus significentur, quæque etiam distinctis conceptibus attingi cognoscique possint; si tamen seorsùm percipiantur, & ut plura sumantur; cùm alias per modum unius accepta, unico tantùm actu, eoque simplicissimo, represententur.

Addenda. Superest tandem ut adnotem, huius operationis proprium esse, sic obiectum attingere, ut per ipsam intellectus dicatur abstrahere citra falsitatem, iuxta illud ὁ νοῦς γίνεται ψεῦδος χωρίζοντων. *Neque fit mendacium abstrahentium.* Omnis autem abstractio per primam hanc operationem absoluitur.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Quid simplex attingat apprehensio.

Quosdam opiniones.

SVnt, qui in ea sententia versantur, ut existiment intelligentiæ simplicis adæquatum obiectum esse rei quidditatem siue essentiam, quæ adeo per hanc operationem, & quidditatem is attingat, ut per operationem secundam, quæ iudicium dicitur, itemque compositio, & diuisio, rei attingatur existentia; non eo sensu ut per hanc tantummodo cognoscatur an res existat, vel non existat, per propositionem de secundo adiacente, ut aiunt; sed etiam an sit talis, vel talis, ut an homo sit sapiens, an risibilis &c. per propositiones de tertio adiacente.

Prima opinio.

Alij addunt ulteriùs non solùm intellectum per primam operationem apprehendere rei quidditatem, atque definitionem, sed etiam per ipsam applicare quidditatem definitionemque tali rei, ita nimirum ut intellectus per primam operationem, non solùm cognoscat hominis quidditatem atque definitionem, scilicet animal rationis particeps, sed etiam applicet eidem, hanc definitionem, dicendo hominem esse animal particeps rationis; at verò per secundam operationem intellectum iudicare de proprietatibus, & accidentibus, aliisque omnibus prædicatis rei; & per primam operationem intellectum sic attingere quid rei, ut per eandem etiam affirmet quidditatem de re ipsa; at per secundam operationem cætera prædicata de eadem re enunciet.

Secunda opinio.

Alii verò audaciùs loquentes, crediderunt simplicem apprehensionem virtute, ac implicitè saltem iudicii rationem inuoluere, adeo ut per apprehensionem simplicem, iudicetur res esse talis, quemadmodum apprehenditur. Iuxta hunc dicendi modum, dum intellectus apprehendit hominem esse animal rationale, simul etiam iudicat, & affirmat, eum esse talem.

Tertia opinio.

Et adhuc alii impudentius, ut ita dixerim, philosophantes, nedum virtute ac implicitè, sed etiam formaliter ac explicitè arbitrati sunt intellectum per operationem primam attingere an res sit, & cognoscere per integram propositionem hoc esse illud, nempè hominem esse animal, Socratem studere, & id genus alia, sibi persuadentes, totum illud complexum per integram propositionem significatum, utrâque operatione cognosci posse; itaut quæ antecedit, dicatur prima, quæque subsequitur, secunda nuncupetur.

Quarta opinio.

Qui priorem sententiam amplexi sunt, cæteris ansam errandi præbuerunt, itaut omnes eo nomine peccasse videantur quòd primam, & secundam operationem confuderint, ac permiscuerint. Speciatim verò primus dicendi modus, eo minus plausibilis est, quòd ineptè decernat ad primam operationem pertinere, non solum apprehendere quidditatem, ac definitionem, sed eamdem quoque, eidem rei applicare, non sic verò cætera prædicata. Non enim maior est ratio, de applicatione quidditatis ad rem, quàm cæterorum prædicatorum ad eamdem; unde si secunda intolerabilis, sic etiam & prima.

Prima opinio reijcitur.

Illud accedit, quòd si semel concedatur primæ operationi quidditatis applicatio ad rem; non licebit deindè inficiari primam operationem, secundæ naturam redolere, ac proinde simplicem apprehensionem esse iudicium, in ordine saltem ad ea, quæ ad rei naturam, & essentiam pertinent.

Secunda opinio reijcitur.

Nec secundus dicendi modus, rationi consentaneus est; ut enim per apprehensionem, nec formaliter, nec virtute, seù implicitè, res affirmatur, aut negatur; ita nec etiam ullo modo in ea iudicij rationem inuolui putandum est; at formaliter per apprehensionem non affirmari, aut negari rem, perspicuum adeò, ut nec etiam hunc dicendi modum patrocinantes, id audeant asserere. Nec etiam virtute, ac implicitè affirmari, seù negari indè mihi perspectum ac exploratum, quòd intellectus post simplicem apprehensionem, liber omninò remanet ad determinatè affirmandum, vel negandum; unde nihil est in causa, cur per apprehensionem dicatur intellectus virtute ac implicitè iudicare.

Assertio, quòd intellectus per primã operationem solùm attingat quid est.

Eorum potius probatur nobis consilium, quibus visum est apprehensionem attingere tantùm, *quid est*, non autem, *an est* hoc autem spectare ad secundam intellectus operationem, quam iudicium appellant.

Declaratur apprehensionis modus.

Hæc ut intelligas, diligenter attende modum, quo intellectus in apprehendendo se gerit, hic enim dum simplicem terminum apprehendit, siue etiam terminum complexum puta, animal rationis particeps, non determinat rem esse, nempè hominem esse rationale animal, hoc enim pacto non solùm apprehenderet, verùm etiam iudicaret determinatè hominem talem esse; sed solùm percipit, quid significetur, per illum terminum, non itaut per modum propositionis enunciet, *hoc nomen, rem istam significat*, cùm hoc etiam ad secundam operationem pertineat; sed quoniam hoc audito nomine, eoque cognito, veluti signo, rem illam percipit, ac attingit, cognoscendo quid est illius, vel implicitè, dum percipit rem significatam per nomen; vel explicitè atque distinctè, dum percipit eiusdem definitionem.

Declarationis continuatio.

Sic dum intellectui obijcitur quodcunque accidens, & quodcunque aliud, seu reale, seu fictum ab intellectu, seu positivum, seu negativum, percipit quid est illius, quod menti obuersatur.

Præterea, cùm intellectus integram apprehendit propositionem tantummodo percipit significatum ipsius, non determinando, an ita sit, vel non sit; itaut solum attingat, quid est ipsius propositionis, seu connexionis inter prædicatum, & subiectum.

Hæc autem perceptio naturæ ordine antecedit determinationem, quâ intellectus assensum præbet huiusmodi propositioni perceptæ. Prius enim naturæ ordine debet intellectus percipere propositionis sensum, deindè ei liberum est assensum, vel dissensum præbere. Vtque totum illud ad primam, ita totum hoc ad secundam operationem pertinet.

Hinc rectè dixeris discriminis illud inter has duas operationes intercedere, quòd prima tantummodo rem seu propositionem percipit; secunda determinatè iudicat, affirmando vel negando aliquid esse, vel non esse.

Prima ratio.

Deinde si per primam operationem determinatè cognosceretur integra propositio, quantum ad *an est*, nempè determinatè conuenire prædicatum, vel non conuenire subiecto; superflua utique foret operatio secunda, cum ad nihil hæc sanè conduceret.

Immò illud addendum, videlicet in propositione enunciante definitionem de definito, primæ operationis esse tantùm apprehendere significatum propositionis, non autem determinatè affirmare; hoc enim supponit illud, & priùs oportet apprehendere quid per propositionem significetur, etiamsi in ea enuncietur definitio de definito, hoc enim nihil refert; deinde affirmandum rem sic se habere, prout per propositionem enunciatur; ut prius apprehendendum hominem esse animal rationis particeps, deindè iudicandum eum esse talem.

Secunda ratio.

Et certè non maior est ratio, cur propositio in qua definitio de definito enunciatur, ad primam operationem

Digitized by Google

nem pertineat, quàm illa, in qua quoduis aliud prædicatum de subiecto dicitur. Vt igitur omnis alia propositio non ad primam, sed ad secundam pertinet operationem, sic etiam, & illa, in qua definitio de definito prædicatur, quando determinatè, quoad, *an est* cognoscatur.

Et mirum est, quòd aliqui sibi persuasum habuerint, quando definitio unius rei falsò alicui attribuitur, cui reuerâ repugnat, id per secundam operationem fieri; non sic autem, cum ei attribuitur prædicatum aliquod accidentarium non repugnans, sed hoc debere ad primam operationem spectare; itaut ne dum affirmatio definitionis de definito, sed omnis etiam propositio determinatè ad primam spectet operationem, si tamen ea tantùm, quoad quid est, cognoscatur.

Prima difficultas. Nec multum habet momenti, quod à plerisq; obijci solet. Omnis actus potentiæ cognoscentis, vel si mauis omnis cognitio debet esse aliquo modo iudicium, seu iudicij naturam redolere, quod enim non iudicatur, id certè penitus ignoratur; ergo cum simplex apprehensio sit quidam cognitionis actus, inuoluet aliquo modo, saltem virtute iudicij naturam.

Solutio. In eo tamen peccant, quòd non aduertant cognitionem aliam esse iudicatiuam, & aliam apprehensiuam; quod enim non iudicatur, utique aliquo modo ignoratur, scilicet determinatè; non tamen omninò, cum, ne prorsus dicatur ignorari, sat sit ut intellectus illud aliquo modo percipiat, attingendo scilicet quantum ad quid est, quanuis ignoret, quantum ad an est.

Secunda difficultas Nec maioris est efficacitatis, quod ab aliis additur hunc in modum. Si ad primam operationem spectat cognoscere rei quidditatem, spectabit etiam cognoscere id, cuius est quidditas, cum quidditas cognosci non possit ignorato eo, cuius quidditas est; at cognoscere quidditatem, & cognoscere rem, cuius illa est quidditas, est determinatè cognoscere; propterea etiam determinatè cognoscere ad primam operationem pertinebit, unde & iudicium ad eamdem spectabit.

Solutio. Hic tamen arguens, in æquiuocatione laborat; si namque per determinatè cognoscere intelligat cognoscere obiectum quantum ad an est; negandum utique cognosci quidditatem determinatè per primam operationem, eòquòd cognoscatur id, cuius est quidditas, hoc enim aliquid amplius requirit ad secundam pertinens operationem: Si autem per determinatè cognoscere intelligatur, quòd intellectus ut percipiat, quid significetur per terminum complexum, quo exprimitur quidditas, debeat percipere id, quod significatur per terminum, quo significatur id, cuius est quidditas, id utique concedendum, sed hoc non est iudicare.

Tertia difficultas. Præterea sic argues. Cognitio omnis sensitiua attingit obiectum quo ad an est; ita planè visus percipit lucem in Sole, albedinem in pariete, tactus calorem in re calida, quod etiam de sensibus internis multo magis intelligendum: non igitur simplici intellectus apprehensioni id denegandum, cùm hæc cuicumque cognitioni sensûs dignitate præstet, ac antecellat.

Solutio. Dispar tamen est ratio, & ineptè utique intellectui attribuendum existimant, quod sensui accommodatum est. Hic enim imperfectè admodum suum obiectum attingit, non representando distinctè quid res ipsa sit, & an sit, sed uno simplici intuitu percipit obiectum suum repræsentando tantùm illud ruditer, non discernendo essentiam ab existentia. At intellectus utrunque cum assequatur, distinctis actibus illud attingit, & uno quidem cognoscendo quid est, quidque, vel per simplices terminos, vel per integram propositionem significetur: alio autem cognoscit, an est, nimirum affirmando, vel negando.

Quarta difficultas Hoc etiam aliquid videtur habere difficultatis, quoniam simplex apprehensio prima est ex operationibus intellectûs, ac proindè videretur versari circa id, quod primò est cognoscendum de unaquaque re; hoc autem est *an est*, huiusmodi siquidem quæstio cæteris præmittenda, cui succedit quæstio altera, nimirum *quid est*: prima igitur operatio debebit attingere *an est*.

Solutio. Sed neminem præterire crediderim quo sensu sit usurpandum quæstionem *an est* cæteris anteire; id enim intelligendum habitâ priùs rudi cognitione rei, de qua agitur, ita ut intellectus priùs debeat apprehendere significationem vocum, deinde an sit, indagaturus, quid sit; haud igitur rectè huiusmodi ratiocinatione concluditur per simplicem apprehensionem cognosci *an est*. Vt omittam, cum hîc cõmemoramus *an est* non accipiendum eo sensu, quo in allata sumitur difficultate; hîc enim accipitur prout importat connexionem prædicati cum subiecto; ibi autem prout rei dicit existentiam, quæ tàm ad primam, quam ad secundam potest operationem pertinere. Ad primam quantum ad quid est, ita ut intellectus per primam operationem attingat quid per hunc terminum *existentia* significetur, ad secundam quantum ad *an est*, nempè ut intellectus per secundam operationem percipiat existentiam conuenire, vel non conuenire alicui rei, ac proinde affirmando, vel negando.

SECTIO TERTIA.

De ijs, quæ per simplicem Apprehensionem ab intellectu cognosci possint.

Intellectus humanus simpliciter apprehendendo per omnia rerum genera, vagatur. INtellectus humanus simplicem apprehensionem exercendo per omnia entium genera vagatur, ita ut nihil extet, quod huiusmodi cognitionem effugiat. *Siue* autem ea per simplices terminos, siue per integras propositiones significentur, semper intra fines pertinentium ad primam hanc operationem contineri dicenda sunt. Itaque omnia illa, quæ simplicibus terminis quotquot illi extiterint, significari possunt, & omnia etiam, quæ integris propositionibus licet exprimere ad hanc operationem spectabunt.

Et terminus, quidã abstracti, & quidam concreti. Et quoniam intellectus per simplicem apprehensionem attingit quicquid per simplices terminos significatur, & è terminis aliqui sunt abstracti, alij verò concreti; non erit hîc abs re, si quædam, breuiter tamen, de his subiiciamus, proindeque luculenter explicemus, quid intellectui apprehendenti, per huiusmodi terminos exprimatur.

Aduertenda quædã de terminis abstractis, & quædã de concretis. In huius gratiam hæc præstabit aduertere; nimirum terminum abstractum eum esse, qui dicit formam significatam, veluti per se sumptam, seu qui significat formam veluti per se stantem, ut sunt hi termini, albedo, nigredo, calor, humanitas, animalitas &c. Terminus autem concretus is est, qui formam significat non ut per se stantem, sed ut alteri adiacentem, quod ex modo significandi concernit, à quo abstractus, abstrahit solum formam in se, non ut alteri adiacentem, ut nuper dictum fuit, significans.

Termini possunt unum vel plura significare. Abstractio non eodem modo in substantijs ac in accidentibus fit. Quoniam verò termini possunt unum, & plura consignificare, atque concernere, præter proprium significatum formale, proinde multiplex esse potest abstractio. Hæc porro, ut Scholastici adnotarunt, non eodem modo fit in substantijs, ac in accidentibus, è quibus, si aliqua forent absoluta, & aliqua respectiua, concessis nimirum relationibus prædicamentalibus, tanquam formis positiuis, quæ sint absolutis rebus superadditæ, non eodem modo continget in his omnibus abstractio, ut mox planum fiet.

In

In substantijs concretis, seu in concretis substantialibus, eo quòd hæc significent suppositа, in quibus reperiuntur significata formalia, potest abstractio fieri à suppositis, ut ex. gr. homo significat humanam naturam in supppositis, nimirum Socrate, & Platone existentem, ita ut pro illis plerunque supponat. At humanitas ab ipsis suppositis abstracta, solum significat hominis essentiam, & quiditatem, diciturque terminus ultimatâ abstractione abstractus, & hoc abstractum methaphysicum appellari consueuit.

Abstractio à concretis substantialibus.

Admissâ accidentium distinctione in absolutum, ac respectivum, considerandum occurrit, accidens absolutum duo quidem concernere, scilicet subiectum, cui inhæret, & propria etiam indiuidua; propterea gemina in accidentibus hisce contingit abstractio. Concretum quidem, ut album dicitur concretum ad subiectum, nempè lac, niuem, parietem, & id genus alia, & sæpè quidem pro ipso subiecto concretus iste terminus supponit, ut cum dicimus *album est corpus*. Terminus autem abstractus in huiusmodi accidentibus à subiecto, eiusque concretione præscindit, ut albedo; hic enim terminus solam accidentariam formam insinuat, dicique physicum abstractum consueuit; quia tamen respicit propria indiuidua, nimirum hanc, & illam albedinem, propterea ulterior abstractio conceditur, scilicet albedeneitas, vel ratio albedinis.

Accidens absolutũ huo conc. erunt.

Vel melius ita cum alijs dicendum, quòd cum ab aliqua forma abstracta à subiecto soleat etiam abstrahi alia ratio, ob id illa forma abstracta se habet, ut concretum respectu ulterioris abstractionis. Ita quidem albedo suam habet quidditatem, & essentiam, per quam in esse suo constituta est differens ab omnibus alijs; ad exprimendam huiusmodi essentiam, cum alioquin forma, nimirum albedo dicenda sit habens essentiam, alia quidem abstractio concedi solet, quâ nimirum essentia, ab habente essentiam præscinditur, ita se habet albedeneitas, hic enim terminus essentiam, & quiddditatem importat. Et hæc abstractio est, quæ ultimata dici consueuit, & metaphysica etiam nuncupatur, terminusque ultimatè abstractus dici solet.

apler in eridenti us abstra o.

Accidens verò, si respectivum fuerit admissum, prædicamentum relationis constituens, suam etiam præcipuam habet abstractionem; illudque pro pluribus potest supponere; causa namque concernit subiectum ex. gr. ignem, potest autem dari terminus abstrahens à subiecto, scilicet potentia causandi, quæ tametsi pro subiecto non supponat, potest tamen connotare fundamentum, nempè calorem, quo ignis calefacit. Potest etiam hinc fieri alia abstractio, unde fit alius terminus abstractus, cuiusmodi est causalitas, nam calor causalitas non est, sed causalitatis fundamentum; & quoniam causalitas ab hac, & illa causalitate præscindit, propterea alia est concedenda abstractio superioris ab inferiori, & per eam fit ratio causalitatis.

Accidens spectivũ admissũ erit, suã beret ecipuã stractio m.

Concretum autem aliud substantiale, quod nempè dicit substantialem formam, ut homo, animal; aliud verò accidentale, quod formam accidentalem importat, ut album, calidum.

oncretũ plex, bstantia & acci entale.

Deinde concretum aliud substantivum, quod dicitur per modum per se stantis, & aliud adiectivum, quod dicitur per modum adiacentis. Potest autem aliquod concretum esse adiectivum substantiale, unde Theologi dicunt diuinam personam, nempe Filium Dei Incarnatum, & humanatum esse, & vicissim concretum aliquod accidentale contingit substantivum esse; ut principium, causa, pater, opifex, artifex, gubernator, minister, & id genus alia.

oncretũ ad sub ntivũ, ad adie vum.

E concretis accidentalibus, quædam denominativa dicuntur, quando videlicet concretum in nomine quoque cum abstracta forma communicat; quandoque enim concretum non dicitur sub eodem nomine, sub quo dicitur abstractum, sed sub nomine alio, atque diuerso, ut à virtute dicitur quispiam studiosus, nempè virtuosus; ita fit, ut studiosus concretum sit virtutis, non tamen à virtute denominativum. Non inficiandum tamen ut plurimum concretum accipere nomen ab abstracto, ut album ab albedine, doctum à doctrina, iustum à iustitia &c. Sed de denominatiuis iam superius disputatum est.

oncretũ plicter, quod.

denominativum.

Hic etiam considerandum se offert in substantijs non solùm dari concreta ad suppositа, sed etiam ad singularia, singulare autem à supposito distinguitur, ut Theologi norunt; & euidens est in Christo Dei Filio, in quo est natura humana affecta singularitate, absque tamen propria suppositalitate, seu subsistentia; ita fit, ut quamuis homo sit concretum ad suppositum, & humanitas præscindat, ac abstrahat ab ipso, non propterea tamen dicenda humanitas ultimatè abstracta, quoniam singularia respicit, atque pro illis potest supponere. Quemadmodum albedo generatim accepta, concretum dicitur ad propria singularia, quæ tamen sunt extra formalem rationem ipsius, ut cuique notum. Ab humanitate igitur potest fieri ulterior abstractio, si nimirum præcisè concipiatur secundum propriam formalem rationem, talisque conceptus dici potest ultimatè abstractus, & erit ratio, & quidditas humanitatis, & hic est conceptus ultimò quidem abstractus in ordine ad humanitatem, quoniam per ipsum præcisio fit ab omni eo, quod est quoquo modo extra quiditatem, & essentiam.

In substantijs non solũ dantur concreta ad suppositа, sed etiã ad singularia.

Neque prætereundum illud discriminis inter abstracta substantialia, & accidentalia, quòd accidentalia mediâ abstractione quidem abstracta, concernunt, si generica sunt, nè dum propria indiuidua generica, sed etiam species, ut ex. gr. color potest supponere pro hoc, vel illo colore, & pro albedine, vel nigredine, unde subire diuisionem potest per essentiales differentias in suas species, eoquòd est ut totum in ratione habentis, fierique potest ob id prædicatio, quæ quando fit, ideo vera est, quoniam tunc prædicatum idem est cum subiecto in ratione habentis, unde dicere licet, albedo est color, nigredo est color.

Discrimẽ inter ab stracta sub stantialia & accidẽ talia.

Abstracta autem substantialia, quamuis generica tantummodo supponunt pro proprijs indiuiduis, non pro speciebus, ut animalitas pro hac, vel illa animalitate, non autem pro humanitate, vel equinitate. Id porrò ex eo accidit, quoniam animalitas habet conceptum partis, nec potest esse idem cum specie in ratione habentis, cum specie inquam abstractè sumpta, ut cum humanitate, equinitate, &c.

Abstracta substantialia, quamuis generica, supponunt pro proprijs indiuiduis, non pro speciebus.

His diligenter notatis, considerandum remanet, quid propriè concretum significet, & quinam sit obiectiuus eius conceptus, & per quid ab abstracto differat, ac secernatur. Certum, ac manifestum accidentale concretum significare simul aliquo modo formam, & subiectum ad differentiam abstracti, quod solam formam significat. Ita quidem album significat albedinem, & simul etiam subiectum, ita ut albedinem denotet pro ut inhærentem subiecto, seu quatenus afficientem subiectum. Concretum autem substantiale significat naturam pro ut affectam personalitate, seu subsistentia.

Quid propriè concretum significet.

Sunt tamen concreta quædam, quæ nihil significant præter abstracta, quamuis differant in modo significandi, ut Socrates, & Socrateitas sumpta Socrateitate pro tota entitate Socratis, & in idem recidit si dicatur entitas Socratis. Insuper ita se habent ens, & entitas, insuper Deus, & Deitas, si Deus accipiatur ut concretum diuinitatis commune singulis personis. Differentia igitur

Quædam concreta quæ nihil significant præter abstracta.

istorum

istorum in eo solùm posita, quòd abstractum importat significatum per modum formæ, concretum verò per modum habentis formam.

De concretis, propositur quæstio.

Id autem, quod in controuersiam vocari solet in eo positum. An quando concretum, aliquid addit supra abstractum, vel subiectum, ut cum concretum est accidentale, vel subsistentiam, ut quando concretum est substantiale, substantivum quid significans sumpto substantiali concreto pro eo, quod substantivum est, ut homo, lapis &c. an inquam concretum accidentale significet æquè primo formam, & subiectum; & substantiale æquè primo naturam, & subsistentiam, an potius unum primariò, aliud verò secundariò.

Assertio de concreto accidentali & substantiali.

Quamuis de re proposita non unus sit Philosophorum sensus, propiùs tamen ad veritatem accessisse videntur ij, qui concretum accidentale crediderint naturam unam primò significare, aliam verò connotare, quod de concreto substantiali pariter est asserendum.

Ratio.

Ad accidentale quod spectat, fit satis euidens inde, quoniam illud definitur; in prædicamentis locum obtinet; de ipso instituitur scientia, passionesque demonstrantur, quod certè non contingeret, si illud significaret per se directè intrinsecùs, ac æquè partem utramque, quoniam diceret plura diuersæ rationis, ut plura sunt, & æquè primo; secus si primariò unam, secundariò verò partem alteram importet; tunc enim ens per accidens non importat plura, ut plura, sed per modum unius.

Adnotatio

Sed aduertendum, concretum, de quo fit sermo, comprehendendo nimirum accidentale, & substantiale, gemino modo spectari posse, primò, ut propositionem ingreditur, secundo absolutè.

Concretũ prout in propositione adhibetur, operosum non erit intelligere quid ipsum significet, quidque connotet, ex parte enim subiecti regulariter significat subiectum, & connotat formam; contra verò ex parte prædicati significat formam, & connotat subiectum.

Ratio ad assertionẽ probandã.

Hoc inde mihi fit euidens, quoniam nomen primò aliquid significare proficiscitur à prima impositione facta ab imponente; significare namque est repræsentare aliquid ex impositione hominis, ita ut nomen ex intentione primi instituentis ad significandum illud fuerit impositum, quemadmodum connotare est aliud innuere ex modo significandi principale significatum. Quando autem concretum est propositionis subiectum, ut cum dicimus paries est albus, aqua est frigida, fit prædicatio formæ de subiecto, non autem subiectum de se ipso; rederetur enim sensus, aqua est aqua frigida, quod nugatorium est.

Quòd si dicatur sensus esse, est res, aut ens frigiditatem habens; propositio non foret per accidens, quoniam non solùm frigiditas enunciaretur de aqua.

Si autem contra, concretum se teneat ex parte subiecti, ut cum dicimus album est frigidum; grammaticus ambulat, certè, & frigus, & actum ambulandi intendimus enunciare de subiectis frigoris, & grammaticę, non autem de formis ipsis.

Concretũ tam accidentale, quàm substantiale ex parte subiecti positum.

Concretum autem tàm substantiale, quàm accidentale ex parte subiecti positum plerumque ex vi alicuius particulæ, aut prædicati adiuncti determinatur ad formam significandam. Ita quidem, cum dicimus album est per se disgregativum visus, vi particulæ *per se*, utique forma significatur, eo quòd illi, non autem subiecto per se huiusmodi proprietas inest. Cumque dicimus homo est admirativus, per huiusmodi prædicatum determinatur subiectum ad supponendum pro forma, atque natura, non pro supposito, propterea quod proprietas ista naturam, non suppositum consequitur.

Itaque concludendum ex dictis, concretum in propositione significare iuxta exigentiam alterutrius extremi, cui quidem iungitur.

Concretũ in propositione significat, iuxta exigentiã alterius extremi.

Concretum verò absolutè sumptum, significat formam, connotat autem subiectum. Hoc differtè videtur traditum à Stagirita non uno in loco. Primò cum ait denominatiua, siue concreta ab abstractis solo casu differre; si res ita se habet, consequens fit, ut quantum ad principale significatum non differant. Secundò, cum ait, propositionem hanc *album est lignum*, esse per accidens; huiusmodi enim non foret, si album primò significaret subiectum. Tertiò, ubi ait accidentium concreta definiri per substantiam definitione traditâ per additamentum, nempè definiri per aliquod extrinsecum, non per se, directeque spectans ad eorum conceptum. Quartò euidentiùs, dum in categoria qualitatis concretum ipsius constituit, si nanque subiectum foret primò significatum, concretum illud non ad qualitatis, sed ad substantiæ prædicamentum spectaret.

Concretum vtrum significet, quid significet.

Significare quid.

Rectè autem Philosophus, propterea quod significare est intellectum audientis in alicuius notitiam ducere, ac eius menti aliquid obiicere; concreta autem prædicta primò obijciunt intellectui formam, nam illam apertè dicunt, atque determinant secundum propriam speciem; cum enim denominatiua, siue concreta sint, non differunt ab abstractis, nisi casu.

Hęc propositio paries est albus, quomodo exponenda.

Sed hęc contrarium suadent. Si concretum accidentale ex. g. album, primò, ac per se formam significaret, istius propositionis, *paries est albus*, hic redderetur sensus, *paries est albedo habens subiectum*, vel *unita subiecto*, cum tamen hæc expositio admittenda non sit, propterea quòd potius exponi debet, est paries unitus albedini, vel habens albedinem. Neutro tamen ex illis modis exponenda propositio. Non primò quoniã albedo in concreto dictè de subiecto prædicari debet per modum adiacentis, ac informantis aliud, quod non consequimur illam enunciando in recto, cum dicimus paries est albedo habens subiectum, vel unita subiecto. Neque secundo, cum enim dicitur paries est unitus albedini, aut habens albedinem, geminum sensum habere potest; Vel ut perinde sit, ac dicere paries est id, quod est album, per dictionem *id* generatim, vel determinatè subiectum significando; & hoc modo nugatoria fit propositio, vel non dicenda per accidens, eoquod uniuersale de suo inferiori, in quo essentialiter includitur, per enunciationem hanc prædicatur. Vel ut sensus sit, paries est unitus albedini, aut habens albedinem, nempe parieti inhæret albedo; hoc modo rectè quidem redditur sensus propositionis, tunc tamen non importatur subiectum in recto, sed potius forma, non utcumque, sed prout est afficiens, & informans subiectum, ita ut perindè sit dicere paries est unitus albedini, vel habens albedinem, ac dicere albedo est afficiens subiectum, itaque concretum pro subiecto supponit; ergo illud significat.

Nõ idem significare, ac supponere.

Hoc tamen nihil est, mala cum fiat illatio; non enim idem est significare, ac supponere, non idem significatio, ac suppositio. Significare nanque est ducere in cognitionem alterius, per sui cognitionem, quo pacto fumus significat ignem. At verò Supponere vel supponi, est loco alterius suffici, atque substitui, ad eum modum, quo calculi, vel lupini, peccuniæ loco supponuntur. Significatio fit per impositionem vocis ad rem significandam. Suppositio autem est acceptio terminiam rem significantis pro aliquo, quod intenditur; ut omittam, non semper concretum supponere pro subiecto, de quibus alibi.

Prima difficultas.

Id primo significatur, quod importatur in recto, cum explicatur; concretum autem explicatur, & definitur

tur per subiectum in recto, forma autem in obliquo, ut cum explicatur album, dicitur, est res habens albedinem; ergo subiectum primò significatur.

Hæc tamen non est tam expressio per se significati, quàm vulgaris quædam nominis explicatio, unde potius ad illius expressionem, dicendum album esse albedinem afficientem subiectum; gemino enim modo significari potest albedo, vel secundum se nullo habito respectu ad subiectum, quod contingit, cum dicitur albedo; alio modo concernendo subiectum, ut cum dicitur album; utroque igitur modo significatur albedo, primo quidem, veluti per se stans; secundo autem velut alteri adiacens, & aliud afficiens; unde concretum etsi semper significet formam, ut alteri tamen adiacentem, supponit nihilominus pro subiecto, si non semper, saltem frequenter, quod cognoscitur ex adiunctione prædicati, facta per propositionem; ut cum dicimus, album est currens, tunc album primò significat albedinem, ut afficientem subiectum, supponit tamen pro re habente albedinem; at cum dicimus, album est disgregativum visûs, tunc album significat itidem albedinem afficientem subiectum, supponit tamen pro eadem albedine. Itaque semper primò formam, significat.

Penes id debet attendi duorum distinctio, per quod illa constituuntur, cum eadem sint principia distinguentia, ac constituentia; sed concretum distinguitur ab abstracto, præsertim per subiectum; ergo subiectum erit præcipuum constitutivum ipsius; sed quod est huiusmodi præcipuè quoque significatur; proindè subiectum erit, quod primò per concretum denotatur.

Occurritur facilè aduertendo concretum, & abstractum non differre in re significata, sed in modo significandi; falsum igitur concretum, & abstractum per subiectum differre; album enim, & albedo non differunt per subiectum, quoniam per utrumque idem prorsus significatur, nimirum forma, hoc est albedo: differentia igitur est penes significandi modum; per concretum enim significatur forma, veluti subiectum afficiens, per abstractum autem, veluti per se stans; ubi aduertendum concretum non ex nominis impositione significare subiectum, sed formam; ex modo tamen hanc significandi insinuare subiectum; unde fit, ut primò significet formam, & minus præcipuè subiectum, ac proindè concretum, & abstractum non quantum ad rem significatam, sed solùm quantum ad modum significandi inter se differant, cum eadem sit utrobique res significata.

Deindè quod principalius est, illud etiam principaliùs dici debet significari; sed ex ijs, quæ significat concretum, principalius est subiectum, quàm forma, cum illud sit substantia, hoc autem accidens, de concreto enim accidentali fit sermo; ergo etiam & subiectum principalius per concretum significabitur.

Diluitur considerando significatum nominis non haberi ex rei natura, sed potius ex imponentis intentione; unde petendum adhuc est, quidnam magis, vel minus præcipuè significetur; cum igitur ex intentione imponentis primò concretum significet formam; ob id hanc potius dicendum significari per terminum concretum, quàm subiectum; quamuis enim hoc sit re ipsâ principaliùs, in ratione tamen terminantis intentionem imponentis, non item.

Alia difficultas occurrit, unde nimirum sumenda sit unitas, vel pluralitas concreti; si concretum fuerit accidentale, an ex parte formæ, vel subiecti. Et si fuerit substantiale, an ex parte naturæ, vel subsistentiæ. In concretis accidentalibus unitas, & pluralitas ex parte subiecti sumenda est; quamobrem, si ex. gr. eadem albedo foret in pluribus subiectis, absolutè dicerentur plura alba; sicuti contra si plures albedines in eodem essent subiecto, unicum foret album. Ita plures scientiæ in uno homine unum constituunt scientem. Id autem ex eo palam, & apertum, quoniam huiusmodi concretum per adiectiuum nomen significatur, quod formam importat, per modum adiacentis subiecto, per quod proinde maxime determinatur. Quod indè fit euidentius, quoniam nomen adiectiuum primò, ac per se afficit substantivum, cui adiacet, & non alterum adiectivum, eo quòd substantivum tantummodo aptum est terminare dependentiam adiectiui, non autem adiectivum, nisi per modum substantiui sumatur; proinde tam nomen adiectivum album, quàm adiectivum tria vel quatuor &c. terminatur ad subiectum, illique tribuit suum formalem effectum; si igitur unica albedo foret in tribus subiectis, tria dicerentur alba, propterea quòd adiectivum ipsum *tria*, tribuit formalem effectum substantiuo, nempè subiecto ad quod terminatur; cùm igitur sit triplex formalis effectus ab adiectiuo *tria*, in ipso subiecto, quod triplex est, & cuilibet albedo tribueret formalem effectum albi, propterea tria forent alba, tres enim sunt formales effectus.

Quid de substantialibus concretis dicendum.

Oppositò modo se habet res in substantialibus, ac substantiuis concretis, siquidem in his unitas, atque pluralitas ex parte formæ sumenda est. Cum enim nomen substantivum dicat formam per modum per se stantis, maximè per formam ipsam determinatur. Ita fit, ut ad multiplicationem huiusmodi concreti requiratur omninò multiplicatio formæ, quæ proindè si una fuerit, unicum erit concretum. Hinc propterea quamuis tres sint Personæ Diuinæ, unus dicendus Deus, unus Omnipotens, unus Æternus, unus Misericors &c. his terminis substantiuè sumptis. Quod etiam asserendum, si forma significata accidentaria sit, nempè denominatio extrinseca accidentaliter conueniens Deo, ut denominatio Creatoris, Gubernatoris &c. unus adhuc dicendus Creator, unus Gubernator.

A Inoratio

Quanuis autem res ita se habeat, tamen id non admittendum, quod nimirum sola forma, & pluralitas sufficiat ad pluralitatem concreti substantialis sine suppositorum pluralitate; id enim, quod de accidentali concreto dictum fuit, quantum ad subiectum, intelligendum etiam de substantiali quantum ad suppositum. Hoc planè cernitur in Christo Domino, qui quamuis habeat duas naturas substantiales, & viuentes, adhuc tamen dicitur una substantia, & unus viuens, propterea quod suppositum unum est.

Aliqua supersunt hoc loco tractanda.

Tametsi præterire silentio placuerit, quæ ad huius facultatis institutum non pertinent, sed ex libris de Anima petenda sunt; aliqua tamen subijcere non erit abs re, cum hinc intellectus non exiguum utilitatis emolumentum nanciscì videatur.

Prima operatio cæterarum ianua.

Prima siquidem operatio mentis, est veluti cæterarum ianua, ut propterea sit operæ pretium in eius directionem enixè admodum incumbere; etsi nanque in uniuersum huius Artis non sit, modum præscribere, quo huiusmodi operationes absolutè atque simpliciter eliciantur, (non rarò enim usu venit, ut præceptionum istarum rudes, perfectiùs, quàm, qui eadem didicere, operationes commemoratas exerceant) sed potius quasdam animaduersiones suppeditare, quibus intellectus admonitus, ab erratis cauere possit, adeo ut quæ aliqui casu ac temerè solâque naturâ duce, quæ naturalis Dialectica dici solet, non sine tamen errandi periculo, moliuntur, præceptionibus artis instructi, ex instituto possint absoluere; hoc autem multifariam contingit. Primò, quia reddimur certi iuxta Artis præcepta operando, probè nostrâ ratione uti, & appositè veritatis igniculos excitare; nam regularum animaduersio in causa

Præceptionum Dialecticarum

est, ut iterum, & attentiùs operemur. Secundò quia sic faciliùs errores atque defectus in quos operando labimur, detegere nos possumus, atque detectos, alijs declinandos ostendere. Frequenter enim euenit, ut solo naturæ lumine peccasse nos in operando animaduertamus; in quo tamen vitium sit positum, haud protinus notare possimus; non secus ac illi, qui pingendi artis rudes, imagine quidem informi offendi possunt; illico tamen, in quo pictoris manus defecerit aduertere non possunt. Tertiò, quoniam hoc pacto in accuratiorem nostræ mentis cognitionem per huiusmodi considerationes deducimur; quasi mens ipsa pertinaci quidem agitatione, alioquin in tenebris immersa, tandem in lucem prodeat, & quod præstantissimum in nobis est, suis diuinitatis radijs eluceat. Si autem hæc ad nos tantùm referri debuissent, nullis verbis vel alijs sensibilibus, quibus perpetuò utimur, nobis fuisset opus; sed cum alijs animi sensa ostendere debeamus, idque sine prædictis signis assequi non possimus; ob id ea fuit oportunum excogitare, ijsdemque uti; quod adeo quidem inualuit, ut etiam cùm nos non ad alios, sed ad nosmetipsos erudiendos conuersi meditamur, ea de quibus agimus, nonnisi cum verbis, quibus ad intimiora animi sensa cæteris manifestanda utimur, sese menti nostræ offerant; adeo scilicet ut conceptus tractandos, necessitate quâdam impellente, prout verbis expressos, assumere debeamus; quod præsertim, vel primò saltem, in simplici mentis intelligentia euenire, perspicuum est; ut propterea de terminis vocalibus Dialecticus tractationem instituere cogatur, sed ita ut quæ de his enunciat, de mentis conceptibus intelligenda velit, quatenus tamen prædicti termini, ad mentis operationes dirigendas usurpantur.

Quædam de simplicibus mentis conceptibus adnotantur,

Et quoniam ea, quam præ manibus habemus tractatio de simplicibus animæ conceptionibus est; ob id quædam ad illas attinentia, leuiter saltem iuvabit aduertere, cursimq; salutare, cùm accuratior de ipsis meditatio ad libros de Anima pertineat. De his tamen grauis est altercatio, an à solis sensibus omnes huiusmodi mentis simplices conceptus originem ducant, adeo ut ad extremum fateri necesse illud sit, *Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu*. Axioma satis apud Philosophos vulgatum, etsi nonnisi cum grano salis usurpandum; quod ut meliùs præstare liceat, prænotandum hunc primum conceptum, quem intellectus exercet *Ideæ*, nomine à quibusdam appellari, quod adeo clarum existimant, ut ulteriùs explicari per alia nomina non posse arbitrentur, cùm clariora, ut ipsi aiunt, non supetant; idcirco putant ad errores hac in parte præcauendos, solùm obseruandam falsam notionem, quæ huic voci affigi potest, cùm à plerisque credatur adhiberi tantùm ad illum concipiendi modum exprimendum, qui per mentis conuersionem ad imagines in cerebro depictas fit, ut propterea, *Imaginatio* nuncupetur. Quòd inde videtur originem traxisse, quoniam homines, tantum modo rebus corporeis assueuere considerandis, quorum simulacra, & imagines, quæcunque illæ sint, per sensus ingressæ, cerebro imprimuntur; ita ut plerique mortalium, præsertim inferioris notæ, putent se nihil posse concipere, quod nequeant imaginari, hoc est tanquam aliquid corporeum cogitatione attingere; unde non semel audiui Principem virum (quem tamen admonui ne in ignorationis tenebris diutiùs immoraretur; quin potius tandem aliquando ex illis emergeret, ac ob id rescipisceret) dicentem se non posse Deum ipsum, nisi tanquam aliquid corporeum suâ mente comprehendere. Rectè quidem, non inficior, Philosophus aliquando pronunciauit. ἐπὶ δὲ τῶν ἁπλῶν οὐθὲν ἔτι παρὰ τὰ μεγέθη, ὡς δοκεῖ, τὰ αἰσθητὰ, ἀλλ' ἄνευ ὕλης. Lib. 3. de Anim. text. 39.

νοητὰ, ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς ἀναλυτοῖς τὰ νοητὰ ἔστι, τὰ τε τί ἐστιν ἀεὶ καὶ ἀγύναμα, καὶ ὅσα τῶν ἀναλυτῶν, ἔξεις καὶ πάθη καὶ διὰ τίνος ἕτερα μὴ ἀναλυτὰ μεγέθους. οἷον εἰ μάθοις, οἷόν ἐστιν ἰσόπλευρον. *Quia verò res nulla est præter magnitudines (ut videtur) sensibiles, separata: in speciebus sensibilibus sunt intelligibilia, tam ea, quæ in abiunctione dicuntur, quàm, quæ sunt sensibilium habitus & affectiones, ideoque is, qui nihil sentit, nihil discere, aut intelligere potest:* & illud præsertim notatione dignum, quod postea dum pergit, hisce verbis explicuit. ὅταν δὲ θεωρῇ, ἀνάγκη ἅμα φάντασμά τι θεωρεῖν. τὰ γὰρ φαντάσματα, ὥσπερ αἰσθήματα ἐστὶ, πλὴν ἄνευ ὕλης. *Cùm autem contemplatur, necesse est simul phantasma aliquod contemplari, nam phantasmata sunt ut sensibilia præterquam* quòd *sunt sine materia.* Hinc ne putes tamen inferendum, nihil nisi ut corporeum, seu per modum corporis, à nobis concipi posse; ob id paulo post id magis declarans dicit. τὰ δὲ πρῶτα νοήματα, τίνι διοίσει τὸ μὴ φαντάσματα εἶναι; ἢ οὐδὲ ταῦτα φαντάσματα, ἀλλ' οὐκ ἄνευ φαντασμάτων; *Primi autem mentis conceptus, quo differunt, ut non sint phantasmata? an ne hæc quidem sunt phantasmata, sed non sunt sine phantasmatibus?* Docet ergo humanum animum haud posse quidquam cognoscere primis suis conceptibus, non adiuvantibus phantasmatibus, quatenus his indiget intellectus agens, cuius est omnia facere ad efformandas imagines rerum, recipiendas in intellectu possibili, cuius est omnia fieri, in quibus imaginibus, ut paulo antea Philosophus admonuerat, tam ea, quæ in abiunctione dicuntur, nempe, quæ sunt ab omni materiæ coretione remota, quàm quæ sunt sensibilium habitus, & affectiones intelliguntur; at hinc ineptè colliges agitatione mentis cognosci non posse quidpiam, quod corpus, vel corporeum non sit. Enimuerò tàm acutè cernit humanæ mentis oculus, ut ea pariter, quæ nullum habent cum materia commercium, intueri commodissimè possit. Quamuis enim solùm, cum liber atque solutus est animus, nudas, & apertas rerum substantias luculenter intuens, clarissimâ omnium cognitione scrutetur; ex aduerso in corporis velut ergastulum coniectus, nequeat mentis obtutum in veritatem dirigere, & ob id in summa rerum ignoratione versetur; retinens tamen semina quædam cælestis illius, quam redolet naturæ, & veluti quibusdam diuinitatis igniculis accensus, assiduè noscendi, sciendique cupiditate flagrat. Hinc etsi labore summo, pertinacique, sensuum tamen præsidijs adiutus, quamplurima suis meditationibus attingit, & primùm in eorum contemplationem incumbens, quæ sensibus usurpantur vi, quâ pollet excelsâ, peneque diuinâ, naturæ quidem secretiora, utpote remotissima ab ijs, quæ cuiusque sensûs aciem effugiunt, quæque uni menti datum est adire, percipit, adeo ut à sensibus tanquam à certis rerum internuncijs prima disciplinarum primordia stabilita recipiat, quibus omnis humanę mentis cognitio, tandem accepta referri debeat. Hęc quanuis vera sint, non propterea tamen humanus animus sic est sensibus alligatus, ut nequeat sese tandem erigere, & ea meditari, ad quæ nullus patet sensibus aditus, cùm potius sublimioris spiritûs impulsu in res ab omni materiæ labe immunes, acerrimè intentus, eadem suâ contemplatione persequitur, ut propterea fatendum sit, simplici intelligentiâ, de qua hîc agitur res, etiam nullo sensu comprehensas, attingi. Ita sanè compertum est neminem posse ea, quæ apud se mente reuoluit, accuratè considerare, quin statim agnoscat se multa concipere, omni quidem imagine corporeâ penitus destituta, & quin etiam aliquid interesse discriminis inter simplicem intelligentiam, & imaginationem aduertat. Nam, ut quidam notarunt, dum triangulum rectilineum imaginor, illud non solùm concipio tanquam figuram tribus rectis lineis comprehensam,

Digitized by Google

sensam, sed etiam prædictas tres lineas, interna quâdam vi facultateque, tanquam præsentes considero, animoque reuoluo, quod propriè *imaginari*, est; quòd si chiliogonum, hoc est figuram planam mille rectis comprehensam lineis, concipiendam assumam, eâdem omnino facilitate, quâ triangulum, utique concipiam; non tamen illud imaginabor eoquòd cùm in exercitio conceptionis fuero, non obuersabitur animo plana figura, mille rectis lineis comprehensa, itaut illam, ut de triangulo contingebat, possim quodammodo intueri, & velut oculis usurpare. Tametsi nanque ob assiduum imaginationis usum in rebus corporeis apprehendendis eueniat, ut conantibus nobis chiliogonum concipere, figura quædam se offerat; figura tamen illa, utcunque animo oblata, sub imaginationem cadens, chiliogonum non est, cùm nihil ob sui confusionem differat ab omni alia figura, quæ pluribus, quàm mille rectis, comprehenditur, quam propterea nemini licet imaginatione complecti; eam ob causam, quoniam figura, quæ cerebro imprimeretur, quamlibet aliam figuram multorum angulorum, multitudine præsertim plurium, quàm mille, æque exhiberet ac chiliogonum: & nihilominus exactè, perspicuèque licet chiliogonum apprehendere; cùm quid eius nomine intelligendum velimus, intellectus assequatur, & ita distinctè, ut de ipso proprietates, affectionesue demonstret, nempe eius angulos, 1996 angulis rectis æquales esse; & sic de cæteris. Non igitur imaginari, & concipere, idem re ipsâ sunt.

Hoc inde confirmatum redditur, quia nihil clariùs à nobis concipi potest dum speculamur, quàm speculatio ipsa; at quis unquam potuit speculationem imaginari, cùm nulla eius cerebro imago imprimi possit? Amplius affirmationis *est* & negationis *non est* nullæ possunt in cerebro imagines depingi; at verò tam ille qui affirmat, quàm qui negat globum terraqueum sphericâ figurâ constare, res ipsas in imaginatione expressas habet, putà globum terraqueum, & sphæricam figuram. Vnus affirmationem adijcit; quam absque omni imagine corporea concipit; affirmatio tamen est mentis opus, cui simplex intelligentia præire debet; alter negationem adiungit, quæ multo minus depingi potest; negare autem mentis est munus, cui pariter simplex conceptus debet anteire; unde si nec affirmatio, neque negatio, sub imaginationem cadit, quanuis utranque simplici quidem conceptu attingere possimus; consequens fit, ut simplex apprehensio possit id etiam percipere, quod nullatenus ad imaginationem pertinet, ut propterea fatendum sit per hanc operationem percipi, etiam ea, quæ neque corpora, neque corporea sunt.

Plerique autem ab hac recta philosophandi ratione, declinarunt Stagiritæ auctoritate decepti, cùm enim eius consilium verbis paulo antea relatis expressum non perciperent, crediderunt, intellectum primis suis conceptionibus nihil percipere posse sine conuersione ad phantasmata, proindeque ad ea, quæ sensibus attinguntur, horum enim phantasmata sunt; & nihil ab intellectu apprehendi posse quod corpus, vel corporeum non sit, idem reipsâ esse, cum tamen hæc toto cælo distent. Vt autem rem paucis verbis complectar. Cum de conceptibus simplicis intelligentiæ, quos plerique philosophorum ideas appellare voluerunt, non tantùm eo nomine imagines phantasiæ debent intelligi, sed mentis conceptus, & primò quidem intelligentiæ simplicis; huiusmodi autem conceptus in duplici esse discrimine alibi fuit adnotatum, dum diceremus, ex his conceptibus, aliquos esse formales, nimirum ipsosmet actus, quos elicit intellectus, & alios obiectiuos, qui quidem nil aliud sunt, quàm res ipsæ prout conceptæ; consule, quæ alibi hac de re scripsimus. Hæc interea adnotasse sufficiat, quoad eisdem de rebus uberior in Dissertationibus de Anima sermo redierit.

SECTIO QVARTA.

An in Apprehensione simplici detur veritas, & falsitas.

HOc præsertim de Apprehensione solet in dubium verti, ubi, cum de veritate fit sermo, non ea intelligenda, quæ quidem entis est passio rebus omnibus conueniens; nec de veritate in significando, quæ propriè vocibus, & signis accomodata est, sed de veritate in repræsentando, & cognoscendo, hæc enim propriè conuenit conceptibus mentis, quando verè exprimit rem, sicuti est; diciturque formaliter consistere in conformitate conceptûs repræsentantis obiectum, ut est in se, quemadmodum falsitas negationem huiusmodi conformitatis importat. De qua veritate hoc loco sermo fiat.

Hac in re tres extant Philosophorum sententiæ, quarum duæ quidem extremæ, & alia media. Prima ex extremis sententijs negat apprehensioni simplici tam veritatem, quàm falsitatem, solùm utranque secundæ concedens intellectûs operationi. Alia extrema sententia tam veritatem, quàm falsitatem simplici tribuit apprehensioni, non per modum affirmationis, & negationis, sed per modum repræsentationis. Media sententia tribuit apprehensioni veritatem, negat tamen falsitatem. Sed in re proposita videtur ita mihi philosophandum.

Primò dicendum veritatem per modum repræsentationis, simplici apprehensioni conuenire. Hoc luculenter expressum legimus apud Stagiritam, cum ait. Ἐπὶ δ' ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος ὥσπερ ἡ κατάφασις, ἡ δ' ἀλήθειά ἢ ψεῦδός πᾶσα· ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς, ἀλλ' ὁ τὰ τί ἐστι καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ἀληθὲς, ἢ οὐ τί κατά τινος, ἀλλ' ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τὸ ἴδιον ἀληθὲς, ἢ δ' ἄνθρωπος τὸ λευκὸν ἢ μή· ἐν ἀληθεῖ δέ. ἔνιοτε δὲ καὶ ἔχει ὅσα ἄνευ τῆς ὕλης. Est autem dictio quidem aliquid de aliquo, sicut affirmatio; atque vera est, aut falsa omnis. Intellectus autem non omnis, sed qui est, ipsius quid est, secundum ipsum quid erat esse, verus est, & non aliquid de aliquo. Sed ut visio proprij vera est, si autem album homo aut non, non verum semper est, sic se habent quæcunque sine materia sunt. Concedit igitur apprehensioni simplici veritatem, quod alijs etiam in locis inculcat. Prima assertio. de anima Text. 26.

Neque est cur dicas eum de veritate impropriè sumpta loquutum iuxta ea, quæ in diuina tradidit Philosophia; nam ibi quidem inficians apprehensioni simplici, falsitatem propriè dictam conuenire, veritatem tamen eidem inesse concedit; unde perspicuum est de veritate propriè sumpta loquutum fuisse. Nec ex eo quòd in apprehensione concedatur alia veritatis ratio ab ea, quæ in enunciatione reperitur, ideo veritas impropria dicenda, cùm solùm inde sequatur, duas esse veritatis species, quarum utraque potest esse propria, una quidem incomplexa, altera autem complexa; inter quas discriminis illud intercedit, quòd cùm utraque sit repræsentatio conformis obiecto, discriminantur tamen, quia veritas incomplexa est in actu primo, qui repræsentat profectò id, quod est in obiecto, sed quasi mortuo modo, idest non enunciando, & iudicando; at veritas complexa est in actu, qui non simpliciter repræsentat obiectum; sed per modum iudicij componendo videlicet, & diuidendo. Vel ut alijs placet. Quæ sunt vera veritate incomplexâ, repræsentant obiectum, sed non applicant se obiecto, idest ut formaliter, aut virtualiter dicant se esse imaginem, & repræsentationem obiecti; at quæ sunt vera veritate complexâ in actu exercito, & virtuali, dicunt se esse imaginem, & repræsentatio-

Aduersariorum responsio. Lib. 9. Text 82. Confutatio.

Digitized by Google

nem obiectorum; quare se applicant obiectis; quoniam dicunt virtute obiectum esse tale, quale ab ipsis enunciatur.

Prima ratio ad superiorem assertionẽ

Ratio autem hactenus dicta conuincit; nam cui conuenit propriè conformitas cum obiecto, propriè quoque conuenit veritas, de qua fit sermo; conceptui autem simplici conuenire propriè conformitatem cum incomplexo obiecto suo, non secus ac conueniat conceptui complexo palam, & apertum fiet; propterea conceptui incomplexo propriè veritatem conuenire dicendum. At conuenire propriè conformitatem apprehensioni cum obiecto incomplexo, non secus ac conceptui complexo cum obiecto suo, fit inde mihi perspectum, quoniam dum intellectus aliquid apprehendit, nisi illi conformetur, non dicetur illud apprehendere, sed potius aliquid aliud; ad illud enim apprehendendum, necesse est, ut idem attingat, quod absque conformitate cum eo contingere minimè potest; siquidem illud non attingit, nisi ei conformetur; tunc autem non decipitur intellectus, sed potius eòquòd obiectum illud non attingat, dici debet illud simpliciter ignorare; quæ cùm simplici apprehensioni non minus conueniant, quàm conceptui complexo; consequens fit, ut conceptui simplici propriè conformitas cum incomplexo obiecto suo conueniat, non secus ac conceptui complexo conueniat conformitas cum obiecto complexo suo.

Secunda ratio.

Ex eo etiam hoc idem suadetur, nam veritas, de qua loquimur, formaliter dicit conformitatem imaginis ad obiectum; hæc tamen non minus conuenit simplici conceptui, quàm conceptui complexo in ordine ad obiectum complexum, cùm uterque sit naturalis, & expressa sui obiecti similitudo; propterea non minus conceptui simplici conueniet veritas, quàm complexo.

Prima confirmatio.

In cuius confirmationem illud afferri potest, quod non parum habet momenti, quòd veritas est conformitas rei cum sua regula; & quoniam imago est instituta ad repræsentandum prototypum, ob id est conformitas cum illo; at verò prima intellectùs operatio, non minus est instituta ad repræsentandum obiectum, tanquam prototypum, quàm secunda, cùm omnis cognitio sit essentialiter repræsentatiua obiecti, quod eius est prototypum ac regula; ergo non minus in prima, quàm in secunda intellectùs operatione, veritas est concedenda.

Secunda confirmatio.

Confirmari etiam secundò potest; quoniam, quodlibet ens quantumuis naturæ simplicis, transcendentalem habet veritatem, quatenus diuinæ conformatur ideę, ergo non absimili modo simplex cognitio, cuiusmodi est simplex apprehensio, vera erit, quatenus conformatur obiecto suo.

Adnotatio.

Superior autem assertio intelligenda est de veritate repræsentatiua ut in assertione dicebatur; cùm enim cognitio quælibet, proindeque simplex apprehensio, rationem entis realis obtineat, etiam veritatem transcendentalem, tanquam eius affectionem participet, necesse est; at hæc non est apprehensionis propria, sed alia puta repræsentatiua, non quæcunque, sed illa quæ simplex cùm sit, ab alia secernitur, quæ tanquam complexa, secundæ solùm operationi, nempe iudicio, conceditur.

Prima difficultas. Primo lib. de Interpretatione cap. 1.

Aduersus tamen superiorem assertionem Aristotelis solet auctoritas afferri, qui veritatem, & falsitatem, non in simplicibus vocibus, & conceptibus, sed tantùm in propositionibus, & in compositione, ac diuisione intellectùs docet reperiri; ineptè igitur à nobis dictum fuit simplici apprehensioni, veritatem adscribendam esse.

Solutio.

Obuiam itur respondendo Philosophum esse locutum de veritate complexa, quæ perfecta est, quæque propriè secundæ competit operationi; & de illa veritate, cui opponitur falsitas, non autem de veritate simplici, incomplexa, & imperfecta, cui non falsitas, sed ignorantia seu non attingentia rei quæsitæ aduersatur. Hæc sane constant ex Philosophi verbis; ait enim. Τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ ῥήματα ἔοικε τῇ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως νοήματι. οἷον τὸ ἄνθρωπος. οὔτε γὰρ τὸ λευκὸν, ὅταν μὴ προστεθῇ τι. οὔτε ψεῦδος, οὔτε ἀληθές ἐστιν. *Ipsa igitur nomina, & verba assimilantur intelligentiæ, quæ est sine compositione, & diuisione, ut homo, aut album, quando non est aliquid adiunctum, quia non dum est verum, aut falsum.* Splendidè igitur docet simplici apprehensioni, seu, & in idem recidit, simplici conceptui, denegandam esse veritatem, illam quæ secundæ competit operationi, cuiusmodi est veritas complexa, quæque perfecta dicitur, quod etiam clariùs ex ijs, quæ subijcit verbis, colligitur, sic enim habet. σημεῖον δὲ τοῦτο· καὶ γὰρ ὁ τραγέλαφος σημαίνει μέν τι. οὔπω δ' ἀληθὲς τι ἢ ψεῦδος, ἂν μὴ τὸ εἶναι, ἢ τὸ μὴ εἶναι προστεθῇ, ἢ ἁπλῶς, ἢ κατὰ χρόνον. *Cuius rei signum est: quia Hircocervus significat quidem aliquid, non dum tamen verum quidpiam, aut falsum, nisi esse aut non esse, adijciatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.* Nihil igitur certius, apud Aristotilem, soli quidem iudicio perfectam veritatem conuenire; simplici autem apprehensioni si non perfectam, saltem imperfectam consentaneam, ac ob id absolutè veritatem illi concedendam esse. Est etiam cur dubitetur, enimverò, in simplicibus vocibus non datur veritas, dum enim quispiam audit ab aliquo prolatam hanc vocem *homo*, nequit dicere verum, aut falsum est; & quanuis dici consueuerit, hoc est verum nomen talis rei; hoc nihil planè, cùm verum nomen dicatur, vel quia in hoc inuoluitur enunciatio, itaut perinde sit, ac si dicatur, verum est hoc nomen impositum esse tali rei; vel ideo verum dicitur nomen, quia per se est verę enunciationis causa; quòd si in simplicibus vocibus, non reperitur veritas, nec in simplicibus conceptibus poterit reperiri. Secunda difficultas.

Non propterea simplicibus conceptibus veritas denegandа; tametsi nanque in simplicibus vocibus non detur veritas, quæ propria est propositionum, datur tamen altera illis accommodata, veluti consistens in repræsentanda re ipsa; ut proinde concedendum sit in simplicibus conceptibus, dari simplicem veritatem in repræsentando, quatenus nimirum per huiusmodi conceptum, intellectus, vocis significatum attingit, & obiectum suum, per modum quid est, cognoscit. Solutio.

Molestior est fortasse difficultas in eo posita, quòd in simplici apprehensione non datur falsitas, ut ex tertia assertione constabit; ergo neque veritas; optima quidem illatio, quandoquidem contrariorum subiectum est idem. Tertia difficultas.

Hanc difficultatem commodius infra tractare licebit solutio igitur, ex iis, quæ gratia tertiæ assertionis adducentur, petenda est. Solum hic adnotabo, superiorem ratiocinationem falso inniti suppositо, nempe veritati, quæ simplici competit apprehensioni, falsitatem contrariam dari, quod minimè concedendum. Cùm enim simplicis conceptùs veritas in eo consistat, ut attingat signi significatum (nihil autem refert, quòd huiusmodi signum sit vox, vel aliud quidpiam sub sensum cadens) huic verò nihil contrarium sit; necessariò sequitur simplici veritati nihil præter non attingentiam, vel ignorantiam, aduersari. Hoc expressum legimus apud Stagiritam, qui diserte admodum hanc doctrinam expressit dicens, τὸ μὲν διανοεῖσθαι καὶ φάναι ἀληθὲς· τὸ δὲ ταὐτὸ κατάφασις καὶ φάσις. τὸ δ' ἀγνοεῖν μὴ διανοεῖσθαι· ἀπατᾶσθαι γὰρ ἔστι τὸ τί ἐστιν, οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός. *Attingere nanque ac dicere, verum est: non enim est idem affirmatio, & dictio. Non attingere autem est* 9. Dicta cap. 11.

ignо-

ignorare: Non est profectò decipi circa quod quid est, nisi secundum accidens, exprimit eleganter illam non attingentiam tanquam ignorantiam simplici apprehensioni contrariam per illa verba τὸ δ' ἀγνοεῖν μὴ θιγγάνειν. *Non attingere autem est ignorare*. Vbi ignorantia sumitur, pro illa quæ puræ negationis, non autem prauæ dispositionis dicitur. Superior igitur difficultas ex his dilutа remanet.

Secunda assertio.

Dicendum secundò. In simplici apprehensione reperiri veritatem prædictam, non tamen perfectam, atque seuerè acceptam, quæ est falsitati opposita. Hanc assertionem Aristoteli placuisse, non obscurè constat, cùm nil aliud sibi voluerit, quando huiusmodi operationi, tam veritatem, quàm falsitatem denegauit; quandoquidem ibi loquebatur de veritate illa, quæ est falsitati contraria, quæque perfecta veritas dicitur.

Aristotelis auctoritate probatur.

Ratione quoque probatur. Veritas enim perfecta, & oppositа falsitati contingit in aliqua intellectûs operatione, quando ipse per hanc determinatè cognoscit esse quod est, & non esse quod non est; quemadmodum contra falsitas tunc accidit, quando intellectus per suam operationem putat esse quod non est, vel non esse, quod est; at hic cognoscendi modus non competit apprehensioni, primæve operationi; ergo neque illi conueniet hic veritatis modus. Minor ex antea disputatis apertè constat; & ex eo quoque manifesta redditur, quia intellectus per simplicem apprehensionem de re siue per simplicem terminum, siue per integram propositionem significata, sine determinato iudicio, imperfectè rem ipsam cognoscit, cum solùm perfectè cognoscendo illud attingat, quando determinatè iudicat sic esse, vel non esse.

Ratione suadetur.

Confirmatur.

Illud in huius confirmationem afferri potest, quòd iuxta communem loquendi usum, tunc quispiam veram habere cognitionem dicitur de re quapiam, quando determinatè putat illam se habere, sicut re verâ se habet; utcontra tunc dicitur decipi, atque falli, quando aliter arbitratur; & tunc dicitur verum proferre, quando aliquid profert determinatè affirmando aut negando. Cæteroquin ex eo quòd solùm enunciet simplices, aut complexos terminos, imo etiam aliquid per modum propositionis proferat sine determinatione iudicij, non dicitur verum aut falsum proferre. Veritas igitur seuerè accepta, non apprehensioni simplici, sed solùm determinato iudicio competit. Ex his facilè intelliges, hoc veritatis genus apprehensioni conueniens, etiam sensitiuæ cognitioni, imò cuicunque imagini, respectu sui prototypi accommodari.

Prima difficultas.

Sed aduersus doctrinam hanc difficultas urget; quia si veritas conuenit sensui, non erit intellectûs propria ut Stagirites contendit; Quòd si dixeris sensui veritatem imperfectam tantummodo conuenire; fatearis necesse est quoad veritatem, inter simplicem apprehensionem, & sensitiuam cognitionem nullum esse discrimen.

Solutio.

Occurrendum dicendo veritatem apprehensioni consentaneam imperfectam esse, quia non est illa, quæ falsitati aduersatur; non adeo tamen, ut quæ competit cognitioni sensitiuæ imperfectior non sit; cogitandum enim veritatem apprehensioni consentaneam, esse illam, quæ contrariam falsitatem non habet; ut enim omnis apprehensio habet repræsentare obiectum, neque ulla est apprehensio, quæ aliquam rationem habeat contrariam repræsentationi, cum talis contraria ratio non detur, id enim, quod contrarium dici potest, nil aliud, quàm non repræsentatio, non attingentia obiecti, ac proinde ignoratio; ob id omnis apprehensio in ordine ad suum obiectum, veritatem habet, nullaque potest esse falsa, cùm nulla sit falsitas, simplici veritati contraria; quemadmodum res unaqueque transcendentaliter vera dicitur, neque in re quapiam licet falsitatem huiusmodi veritati contrariam reperire. Cum autem hæc veritas in repræsentatione consistat, ut repræsentatio cognitioni sensitiuæ conueniens imperfectioris est notæ, quàm, quæ apprehensioni competit, propterea veritas illi conueniens, imperfectior est veritate, quæ simplici apprehensioni est accommodata; quæ solùm imperfecta dicitur, respectu veritatis in iudicio repertæ; cum alioquin comparatione illius, quæ sensitiuæ competit cognitioni, perfecta dici posset.

Hæc autem maior, vel minor perfectio, intelligenda, ac explicanda ad eum modum, quem superiùs innuimus; nimirum simplici apprehensioni veritas, præter transcendentalem communem omnibus entibus, conuenit illa, quæ in repræsentando obiectum consistit, ut idcirco reprehęsentatiua dicatur; imperfecta tamen hæc ipsa dicitur comparatione illius, quæ competit iudicio, quoniam veritas perfecta est cognitionis, quando per hanc intellectus determinatè cognoscit quod est, & non esse quod non est; sicuti contra falsitas cognitionis contingit, quando per hanc intellectus cognoscit esse, quod non est, vel non esse, quod est; sed hic cognoscendi modus, non est, quem intellectus per simplicem apprehensionem habet; cùm per huiusmodi operationem intellectus duntaxat, ut ita dicam mortuo modo dici possit obiectum attingere, ut superiùs explicatum fuit.

Tertia assertio.

Dicendum tertiò non conuenire simplici conceptui falsitatem; quod sic mihi persuadeo ut nihil magis. Primò, enim Philosophi auctoritas occurrit, ubi habet. Ἡμὲν οὖν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, ἐφ' οἷς οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος. ἐν οἷς δὲ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθὲς, συμπλοκή τις ἤδη νοημάτων, ὥσπερ ἓν ὄντων. *Indiuisibilium igitur intellectio in ijs est, circa quæ non est falsum: in quibus autem falsum iam, & verum est, compositio quædam iam est conceptuum, tanquam unum existentium, &c.* Et alibi. Τὸ μὲν θίγειν καὶ φάναι ἀληθὲς. ἅμα γὰρ τοῦτο καὶ κατάφασις καὶ φάσις. τὸ δ' ἀγνοεῖν μὴ θιγγάνειν. ἀκατηγόρητον γὰρ ἐφ' ὃ τὸ τί ἐστιν, οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός. *Attingere nanque ac dicere, verum est: non enim est idem affirmatio, & dictio, hoc est* repræsentatio. *Non attingere verò est ignorare. Non est profectò decipi circa quod quid est, nisi secundum accidens.*

1. de Anima Tex. 11. Auctoritate Philosophi suadetur.

9. Diuin. tex. 22.

Docet igitur non contingere per simplices conceptus intellectum falli, ac decipi, sed potius non attingere, & ignorare obiectum; multum autem falsitas de qua loquimur, ab ignorantia differt. Hinc rectè ille dicebat veritati primæ operationis, hoc est simplicis apprehensionis, non aduersari falsitatem propriè sumptam, sed solùm ignorantiam, & non attingentiam rei. Verum enim verò Philosophus hunc ferè in modum ratiocinando rem illustrat exemplo. Ἀλλ' ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τῷ ἰδίου ἀληθὲς, ἐφ' ἄνθρωπος τὸ λευκὸν, ἢ μὴ, οὐκ ἀληθὲς ἀεὶ ἔστα ὃ ἔχει ὅσα ἄνευ τῆς ὕλης. *Sed ut visio proprij vera est, si autem album homo, aut non, non verum semper est, sic se habent quæcunque sine materia sunt.* Cum sensus ex. gr. visus attingit visibile, dicitur verus visus, at cum illud non attingit, non dicitur falsus sensus, non dicitur falsus visus, sed potius propriè dicitur non sentire, non videre, unde illa non est falsa sensatio, nec falsa visio, sed carentia sensationis, atque visionis. Non absimili modo res euenit in apprehensione simplici aut enim intellectus concipit aliquod obiectum, taliſque conceptus perpetuò verus est, propterea quòd verè repræsentat, & attingit huiusmodi obiectum; aut si non illud concipit, tunc penitus illud ignorat, & non attingit, proindeque non dicitur falli, nec decipi, sed nescire, ac ignorare.

Ratione suadetur. 3 de Anima tex. 26.

Et re verâ sensus, puta visus, non errat circa sensibile proprium, nempe circa colorem, sed circa alia, videlicet,

licet, quòd album sit homo, vel non sit homo; ita pariter intellectus non errat circa proprium obiectum, sed circa alia, quæ proprio accidunt obiecto; proprium autem obiectum intellectûs est rei quidditas, propterea non errat in cognitione, atque adeo in simplici apprehensione, quâ cognoscit, quid sit res; sed errat tantummodo in compositione, hoc est in iudicio, quo cum re componit hoc, vel illud. Hinc propterea separatæ substantiæ, cum uniuersa cognoscant modo simplici absque omni compositione, propterea in cognoscendo non errant.

Prima difficultas. Est autem difficultas, quoniam potest intellectus apprehendere id, quod apprehendere non intendit; ut intendens apprehendere aurum, apprehendat aurichalcum; tunc autem videtur decipi, propterea quòd unum, alterius loco apprehendit.

Solutio. Hoc tamen nihil planè, quoniam tunc ea apprehensio non est auri, sed aurichalci, quod verè utique apprehendit, ac proindè cognitio illa vera dici debet; difformitas enim, in qua falsitas posita est, attendi debet in ordine ad rem, quæ reuerâ concipitur, & non in ordine ad rem, quæ concipi debuisset. Solùm igitur hinc inferre licet, apprehendentem non esse suum consequutum intentum, quoniam intendens apprehendere aurum, apprehendit aurichalcum, unde, cum non apprehenderit aurum, dicendus intellectus ignorare aurum, verè tamen cognoscere aurichalcum, ac de ipso veram habere cognitionem.

Secunda difficultas Rursus videtur etiam attingendo obiectum posse falli, ac decipi, cum scilicet in re composita, non considerat omnes, singulosque gradus essentiales ipsius, sed unum, vel alterum.

Solutio. Sed nec etiam hoc modo quidquam conficitur, nam tunc intellectus, quippè qui inadæquatè concipit obiectum suum, dicitur abstrahere, atque præscindere, in quo non contingit falsitas, ad quam requiritur, ut res concipiatur aliter quàm sit, nempe cum repugnantibus prædicatis, puta hominem esse rugibilem, nec sufficit inadæquatio conceptûs.

9. Diuin. Tex. 22. Et quamuis Philosophus, loco superiùs allato, concesserit apprehensioni falsitatem secundum accidens; non subindè concludas intellectum simpliciter apprehendendo, falli; nam Philosophi consilium eò tantummodo tendit, ut doceat intellectum in cognoscendo quid est, decipi, fallique posse, quatenus componendo errat, nimirum enunciando quidditatem de re, cui non conuenit; ut si quis quidditatem hominis, nimirum animal rationale, simpliciter tantùm apprehenderet, non erraret, non deciperetur; at si illam de equo prædicaret, dicendo equus est animal rationale, tunc falleretur. Ideo autem dixit intellectum non decipi circa quid est, nisi per accidens, quoniam essentia rei per se petit simpliciter concipi, & satis superque concipitur per simplicem conceptum explicitum; potest tamen contingere, ut per distinctionem conceptûs impliciti, & expliciti, admisceatur compositio in cognitione ipsius quid est, ita ut alicui attribuatur aliena essentia; unde per accidens in cognitione ipsius quid est, nimirum per admixtionem compositionis, seu affirmationis &c. falsitas in apprehensione simplici reperitur.

Nec à me principij petitionem comitti, subindè concludas, eo quòd hoc loco, non de complexa, sed incomplexa falsitate, incomplexæ veritati oppositа disputetur; unde ut veritas incomplexa citra quamlibet affirmationem, vel negationem: sic & falsitas eidem oppositа omnino subsistet. Non inquam concludas, nam in quæstione positum est, an simplici apprehensioni per se falsitas conueniat; nosque Philosophi sententiam amplexi contendimus, per se illi competere falsitatem consistentem in non attingentia obiecti, & hanc impropriè falsitatem appellandam; sed alteram seuerè quidem acceptam, nempè complexam, iudicij propriam, conuenire tantùm per accidens, seu per aliud puta per admixtionem affirmationis, vel negationis, ut non multo antea dicebatur.

Et certè intellectum non falli, dum concipit simplices terminos absque compositione, indè quoque fit manifestum, quoniam tunc, vel intellectus concipit ea, quæ sunt, & tunc profectò non fallitur: vel quæ non sunt, sed esse tamen possunt, & tunc etiam nulla falsitas, nisi affirmet ea esse: vel quæ nec etiam esse possunt, in quo nec decipitur, donec affirmet ea esse, vel esse posse. Ideò dicebat. *Hircocervus aliquid significat, sed non dum verum aliquid, vel falsum, nisi esse, vel non esse addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.* Vnde fit, ut etiam si concipiantur termini complexi, in quibus coniungantur partes, quæ coniungi non possunt, ut homo rugibilis; leo hinnibilis, Deus corporeus; non propterea intellectus fallatur, nisi addat hominem esse rudibilem, leonem esse hinnibilem, Deum esse corporeum; verbo dicam, nisi illa affirmet. 1. Perihet. cap. 4.

Quando intellectus apprehendit propositiones falsas, & impossibiles non fallitur.

Hæc adeo vera sunt, ut quando intellectus simpliciter apprehendit propositiones falsas, ac impossibiles, non propterea dicatur falli, ac decipi; hoc enim non contingit, nisi intellectus præstet assensum, vel dissensum, ad quæ indifferens est, cùm apprehenderit propositiones, siue veras, siue falsas, siue impossibiles; unde citra errorem contingit, ut intellectus apprehendat falsas, ac impossibiles propositiones, ob eam, quam attulimus causam, quia nimirum intellectus non fallitur, nisi assentiendo, vel dissentiendo. Causam innuimus non multo ante, quoniam falsitas est difformitas cognitionis cum re; at nulla planè difformitas quando intellectus auditâ propositione ex. gr. *Deus est corporeus* percipit tantùm, quid per illam significetur, atque cognoscit rem significatam per modum quid est.

Tertia difficultas. Deinde sic aliqui disputant. In quibusdam rebus, in quibus conceditur simplex veritas, inuenitur etiam, & falsitas; ita planè contingit in operationibus, ac operibus artificiosis, quæ vera dicuntur, quando conformantur Artis ideæ, quemadmodum falsa, quando eidem difformia sunt; ergò etiam in simplicibus conceptibus mentis, falsitas, & veritas, vel neutra concedenda erit.

Solutio. Dispar tamen est ratio, nam simplicis conceptûs veritas dicitur per ordinem ad obiectum representatum, nec in illo dari potest, nisi conformitas, propterea concedenda veritas: neganda falsitas in eo, de quo loquimur, cognitionis actu. At in imaginibus dicendum potius non dari representationem, vel omnino, vel saltem ex parte, quando imago non est similis ei, ad quod representandum effecta est; unde ineptè quidem imago illa dicitur falsa; hinc itaque potius confirmatur intentum, videlicet simplici conceptui mentis, denegandam esse falsitatem; quemadmodum enim imago difformis alicui rei insulsè dicitur falsa imago illius, sic etiam conceptus difformis alicui perperam dicetur falsus; male siquidem conceptus hominis diceretur falsus conceptus equi. Ad hoc respiciens Philosophus rectè quidem pronunciauit, ut superiùs etiam innuimus, tunc dicendum dari potius non attingentiam, vel ignorationem illius obiecti, quod non repræsentatur, quàm falsitatem. Concludendum igitur in apprehensione simplici, dari veritatem, quamuis in ea per se falsitas admittenda non sit. Sed superest adhuc, ut rationibus quibusdam fiat satis, quibus plerique nituntur ostendere simplici conceptui mentis, falsitatem inesse. Vnde præterea sic obijciunt. Simplex conceptus conformis alicui rei necesse est, ut alteri rei oppositæ, vel 9. Diuin. Tex. 22.

4 Quarta difficultas

vel saltem aliquo modo diuersæ, sit difformis; ergo conceptus ille falsus erit, cùm falsitas nil aliud sit, quàm quædam difformitas.

At non quæcumque difformitas conceptûs, & cognitionis falsitas existimanda; si quis enim ita sentiret, utique cogeretur fateri quemlibet conceptum rei alicuius, etsi verum, dicendum esse falsum; ut enim esset conformis rei alicui, diceretur verus: at quia nequit sic esse conformis, quin sit difformis alijs omnibus rebus, propterea falsus esset, si semel admissum fuerit in huiusmodi difformitate falsitatem consistere. Non igitur ille conceptus dicitur falsus, quoniam falsitas non in quacumque difformitate posita est, sed in ea, quæ est ad rem illam, quæ obiectum est cognitionis, & non ad rem aliam quamcumque; quamobrem conceptus animalis rationalis, eo quòd conueniens est homini, illique conformis, non propterea falsus, quoniam sit alijs rebus, puta leoni, equo &c. difformis; sed potius dicendus non conceptus leonis, non equi, non aliorum iuxta superius ab Aristotele dicta.

Deinde. Potest intellectus per simplicem conceptum rem apprehendere aliter ac est, ut hominem rudibilem, Deum corporeum, coniungendo scilicet partes, &c. quæ reipsâ coniungi non possunt, quo admisso, conceptus ille, quamuis simplicissimus, difformis foret rei, quæ concipitur; ergo falsus dicendus esset.

Nec propterea falsus simplex conceptus, quoniam intellectus tantummodo per illum attingit obiecta quantum ad quid est, videlicet percipiendo significatum illius complexi, in quo nulla contingit difformitas; per hoc enim, quòd intellectus apprehendat hominem esse rudibilem, Deum esse corporeum, non determinando, quòd hæc ita sint, non elicit cognitionem rei difformem, cùm eius sit tantummodo significatum attingere.

Posset amplius urgere quispiam sic arguendo. In cognitione sensitiua reperitur falsitas, ut perspicuè Philosophus, non uno in loco testatur; ergo etiam in simplici intellectûs apprehensione; non enim ratio maior videtur de sensitiua, quàm de intellectiua cognitione, præsertim illa, quæ sensitiuæ, cuiusmodi est simplex apprehensio, proportione respondet.

Sunt, qui fatentes magnam analogiam inter cognitionem sensitiuam, & apprehensionem intellectiuam, respondent, nec etiam sensum propriè falli; quoniam cum sensus videtur apprehendere rem exteriorem aliter, quàm res ipsa sit, non tam illam, quàm potius aliam, loco illius, apprehendit. At immeritò inficiantur sensum falli circa rem, quæ illi obijcitur; nam quando exempli gratia, Solem, ut bipalmarem, vel remum in aqua fractum, apprehendit; utique id quod reipsâ est, licet indebito modo, attingit. Respondendum itaque per se cognitioni sensitiuæ, quo nomine intelligo illam, quam externi sensus exercent, veritatem inesse, licet ex accidenti possit inesse falsitatem; unde videtur de sensitiua cognitione ferendum iudicium idem, ac de simplici intellectûs apprehensione; quod ad aures Aristotelis esse, perspicuè constabit sedulò perpendenti verba ipsius, cùm nil aliud in locis proximè laudatis, significare voluerit; nam primò ait. Εἶτα αἱ μὲν ἀληθεῖς αἰεί, αἱ φαντασίαι γίνονται πλείους ψευδεῖς. *Deinde illi*; nempe sensus, *quidem sunt semper veri: phantasiæ autem pleraque fiunt falsæ*. Supponit autem Philosophus tunc sensum exquisitè operari, alioquin, nihil prohibet quominus decipiatur; quod apertè docet dum subdit. ἔτι τὰ, ἂν λίγωμεν ὅταν ἐνεργῶμεν ἀκριβῶς περὶ τὸ ἴδιον αἰσθητὸν, ὅτι φάντασμα ἢ μὲν τοῦτο ἄνθρωπος. ἀλλὰ μᾶλλον ὅταν μὴ ἐναργῶς διαπορῶμεν, τότε ἢ ἀληθὴς ἢ ψευδής. *Deinde cùm exquisitè operamur circa sensibile, non dicimus nobis videri hoc esse hominem: sed potiùs quando non euidenter sentimus, tunc que* sensus, *aut verus, aut falsus*, quod clarius prosequitur, paulo post, apertissimis verbis dicens, continuato sermone. τοῦτο δὲ συμβαίνει διὰ τάδε. ἡ αἴσθησις περὶ μὲ ἰδίων ἀληθὴς ἐστιν, ἢ ὅτι ἐλάχιστον ἔχουσα τὸ ψεῦδος. δεύτερον δὲ, τῷ συμβεβηκέναι τῷ τοιῷδε. ἐνταῦθα ἤδη ἐνδέχεται διαψεύδεσθαι, ὅτι μὲν γὰρ λευκὸν, οὐ διαψεύδεται, εἰ δὲ τοῦτο τὸ λευκὸν ἢ ἄλλο τι, ψεύδεται. Quorum versio hæc est. *Hoc autem propter hæc accidit sensus propriorum quidem obiectorum est verus, aut quàm minimum habet falsitatis. Secundò autem* sensus est *eius, cui hæc accidunt: atque hic iam potest esse falsus, nam quòd album* sit *non fallitur: sed utrum album illud* sit *hoc, an aliud quidpiam, fallitur*. Priori igitur loco docet sensus semper veros esse, cùm non contingat sensum decipi circa proprium sensibile; phantasiam non semper veram esse, cùm eueniat *ut imaginationes plures sint falsæ*; subdit, quando accidat, ut sensus sit, aut verus aut falsus &c. Secundo loco docet, phantasiam esse veram, & falsam, quoniam à sensibus ortum ducit, in quibus potest esse veritas & falsitas; nam ut superiùs dixerat, etsi sensus circa proprium sensibile non erret, circa sensibile tamen commune, & per accidens decipitur; hoc igitur modo affirmat cognitioni sensitiuæ falsitatem conuenire: quo pacto, videlicet per accidens, nullum incommodum in apprehensione pariter falsitatem adinueniri; hoc tamen discrimine, quòd apprehensioni conuenit falsitas, per accidens, hoc est per admixtionem compositionis, seu affirmationis, & negationis; sed in cognitione sensitiua circa proprium obiectum, reperitur falsitas per accidens, hoc est, per impedimentum organi malè dispositi, vel medij minus idonei &c. de quibus in libris de Anima. In apprehensione igitur simplici, datur perpetuò semperque veritas; quoniam respectu obiecti repræsentati, nequit illam non habere, cùm semper illi sit conformis. Non est autem falsa, per accidens, ut quidam insulsè crediderunt, quoniam difformis sit, quatenus cum obiecto non repræsentato confertur; quandoquidem apprehensio est imago repræsentati obiecti, unde nequit illi non esse conformis, alioquin non foret eius imago; sed respectu obiecti non repræsentati, dicitur non attingens, unde in ipsa, datur non attingentia, quod etiam superius ab Aristotile quidem edoctus, aduerti: non autem propria falsitas, quæ solùm ei potest per admixtionem compositionis accidere.

Quidam amplius hunc urgent in modum. Non solùm secunda, sed etiam prima quidem intellectûs operatio pendet à specie intelligibili; ut igitur in secunda operatione, nempe iudicio, ex imperfectione huiusmodi speciei, vel ex imperfecta eiusdem receptione in potentia, falsitas propriè sumpta contingit, sic etiam in prima. Respondendum utique in secunda operatione propriè sumpta falsitatem contingere, quoniam per hanc intellectus rem esse, & non esse determinatè iudicat, unde potest iudicare longè aliter ac ipsa res est; At prima operatio talis est, ut per ipsam intellectus percipiat, quid est rei, sine ulla determinatione; unde est ut huiusmodi operationem exercendo, nec ex defectu speciei intelligibilis, nec ex alio quouis capite falli possit, cùm falsitas, nunquam sine determinato iudicio contingat.

SECTIO QVINTA.

Quæ sit simplicis Apprehensionis rectitudo, quique defectus, & quomodo eius directio comparanda sit.

Cùm omnis apprehensio simplex, ex hucusque traditis, vera sit, certè si huius cognitionis rectitudo

Quinta difficultas

In solutione

Septima difficultas

Solutio.

Veritas iam assi-

2. de Anima tex. 161.

1. de Anima tex. 56.

gnata, nõ est rectitudo sufficiens.

do in huiusmodi veritate posita crederetur, omnis simplex apprehensio recta dicenda foret, proindeq; non esset nobis enitendum ad ipsius rectitudinem comparandam. Quia tamen alij adsunt defectus, quibus apprehensio simplex obnoxia est, quamuis numquam falsitatis vitio laboret; ob id nobis onus incumbit explicandi, quâ arte possit intellectus in simplicis apprehensionis exercitio huiusmodi defectus effugere, quos propterea breuiter hîc oportebit commemorare.

Apprehensio pluribus deffectibus laborat.

Primus defectus est non attingentia.

Rectitudo opposita.

Primus defectus apprehensionis est in negatione consistens, quatenus intellectus rem non apprehendit propositam, sed illam penitus ignorat. Huic defectui opposita rectitudo comparabitur, si fiat, ut intellectus rem apprehendat, quam priùs non apprehendebat.

Secundus est difficultas attingendi obiectum.

Rectitudo opposita.

Secundus est difficultas, quam intellectus experitur in apprehendendo, ita ut egrè concipiat, quod ei proponitur. Rectitudo huic defectui contraria in facilitate, promptitudine que consistit, quam assequetur ijs modis, quos Dialectica subministrat.

Tertius defectus est obscuritas, & confusio.

Rectitudo opposita.

Tertius defectus est obscuritas, & confusio quidem apprehensionis; simplex enim apprehensionis conceptus non rarò contingit; ut omnino confusus sit, & obscurus, quippè qui non attingit clarè, perspicuèque id, circa quod versatur, nec rei quidditatem repræsentat, in ea distinguendo, quæ distinguenda sunt, ita ut intellectus in apprehendendo plura confundat, quæ alioquin inter se deberent secerni. Rectitudo autem huic defectui contraria, perspicuitas erit & claritas, quâ cognitio repræsentat obiectum, adeo ut intellectus apprehendendo distinctè rei quidditatem assequatur attingendo rationes, quibus illa constat, & quando aliquid plura in se contineat, ea distinguat concipiendo aliquid ex una parte, aliud etiam ex altera; verbo dicam, ut ea secernat, quibus res illa constat. Ita planè dum concipit hominem, distinguat rationes communes, quibus is cum ceteris conuenit, & rationem ultimam, quâ à ceteris discriminatur; ut concipiendo animal rationale, attingat animal, per quod homo conuenit cum brutis, & rationale pariter, per quod ab iisdem secernitur. Ad concipiendum igitur hominem distinctè, oportet concipere animal rationale, sed ad hoc etiam concipiendum clarè, atque perspicuè, necesse est cognoscere distinctè animal, ad cuius cognitionem distinctam concipienda sunt essentialia prædicata ipsius, videlicet corpus, viuens, & sensitivum; ut autem distinctè concipiatur corpus, concipi debet substantia secundum rationem corporeitatis, ad cuius distinctam cognitionem oportet cognoscere ens per se existens, itaut tandem deuentum sit ad id, cuius conceptus, vel simpliciter scitur, vel simpliciter ignoratur, eo quòd partibus careat. Hæc autem humanus intellectus, donec unitus corpori, unico non assequitur intuitu, sed pluribus actibus indiget, quod ex modo cognoscendi, quem seruat corpori alligatus, proficiscitur.

Ordo cognoscendi exemplo declaratur.

Hic cognoscendi ordo, & gemina ista simplex apprehensio facilè quidem innotescit exemplo cognitionis, quam visus ex. gr. exercet, prout eminùs, vel cominùs obiectum constitutum fuerit. Si nanq; dirigamus obtutum in aliquid diuersis particulis constans è longinquo spectantes, non possumus in eo singula perspicere; sed omnia in unum confusa conspicimus; at propiùs accedentes, distinctè perspicuèque illud idem cernimus, particulatim omnia cognoscentes. Sic de auditu. Priori cognitioni, respondet simplex apprehensio confusa, per quam non assequimur omnia, quæ in obiecto sunt; secundæ autem cognitioni respondet simplex apprehensio distincta, quâ nimirum singula, quibus constat obiectum, percipimus.

Obseruandum tamen conceptum distinctum dici explicitum, eo quòd per ipsum explicetur quicquid est in obiecto; confusum autem implicitum eo, quòd plura simul implicet, atque confundat omnia, quæ in obiecto sunt, & ea per modum unius repræsentet, non secus ac si illa plura non essent in obiecto distincta. Conceptus explicitus unde dictus. Conceptus implicitus unde dictus.

Non prætereundum tamen conceptum explicitum dici per respectum; nam ex. gr. conceptus animalis rationalis, dicitur explicitus, atque distinctus respectu illius, quo attingitur homo, prout per nomen significatur; non tamen absolutè dicitur talis, quoniam magis adhuc est explicandus, distinctiùs exprimendo naturam animalis &c. Conceptus explicitus dicitur per respectum

Quartus defectus.

Quartus est defectus simplicis apprehensionis, qui dicitur error non attingentiæ, qui bifariam euenit, primò cum plura prædicata inter se incompossibilia, & repugnantia coniunguntur, ex quibus coalescere nequit realis aliqua natura, sed ficta tantum, & commentitia; ut cum intellectus effingit aliquid, quod chimæram appellant, compactum ex natura leonis, capræ, & draconis; comminiscuntur .n. eam esse mõstrum, quod flammas euomat, caput, & pectus leonis habens, ventrem autem capræ, & caudam draconis, unde illud Lucretii. *Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra.* Secundo contingit, cum loco definitionis unius rei, quam inquirimus, accipitur definitio alterius rei, quæ etsi in se realis sit, repugnat tamen rei, cuius definitionem venamur. Vt si quispiam sollicitus de definitione circuli, accipiat definitionem hanc. *Figura constans tribus rectis lineis*, quæ est trianguli definitio. Vel dum indagaturus leonis naturam, atque definitionem, accipiat animal rationale.

Quando intellectus apprehendendo errat.

Intellectus igitur errat sic apprehendendo, non quasi per primam operationem determinatè affirmet naturam leonis, capræ, atque draconis inter se coniungi, vel determinatè attribuat talem essentiam tali rei, affirmando scilicet leonem animal, esse rationis participem (dum enim ad hanc determinatam affirmationem deuenitur, iam admiscetur operatio secunda, atque iudicium, cui certè falsitas conuenit;) sed quoniam per simplicem apprehensionem, vel repræsentantur permixtæ naturæ, quando intellectus erat inquisiturus illas seorsum; vel quia apprehenditur definitio animal rationis particeps, in quo hominis natura consistit, dum leonis essentia quærebatur. Huiusmodi autem defectus dici solet error non attingentiæ, eo quòd intellectus tunc, etsi non decipiatur, tamen non assequitur intentum, à quo propterea dicitur aberrare. Aliâ etiam ratione huiusmodi defectus error dici potest, quatenus hinc intellectus in ferendo iudicio decipitur, ac proindè iudicij errorem ab huiusmodi apprehensione auspicatur. Verbo dicam, apprehensio illa falsa dici potest, quatenus apta est falsum iudicium parere, vel si mauis ad falsum iudicium disponit, atque conducit, quo sensu Philosophus aliquando dicebat res falsas dici posse, quatenus aptæ sunt falsam existimationem ingerere; sic enim habet. ὥσπερ φαμὲν τὰ πράγματα ψευδῆ εἶ, ὅσα ἐμποιεῖ φαντασίαν ψευδῆ. *Quemadmodum res falsas esse dicimus, quæ falsam phantasiam faciunt.* 5. Diuin. Ter. 30

Error est ergo non attingentiæ, eo quòd dum quis unius rei naturam inquirit, contendens explicitè illam attingere, vel disparatas, imo repugnantes naturas coniungit; vel alienam essentiam loco illius assumit, ab ea, quam debebat assumere; quem erandi modum Philosophus expressit, illum appellando non attingentiam. 9. Diuin. Ter. 11.

Rectitudo opposita.

Huic opposita rectitudo in eo consistet, ut intellectus non apprehendat repugnantia, tanquam inter se connexa; vel loco unius naturæ, non aliam concipiat.

Quæ

his, z con unt ad mam tratio n dis- dam

Quæ autem speciatim intellectui ad ritè primam operationem exercendam opitulentur, omnium consensione videntur hæc, puta consideratio de terminis, deque eorundem varietate; de nomine, & verbo, de variis aliis terminorum distinctionibus, atque comparationibus, de significatione, suppositioneque eorundem, de aliis quibusdam significationis, & suppositionis varietatibus, & de termino complexo, ac oratione. A quibus tamen in præsens abstineo, cum hanc prouinciam in Institutionibus Dialecticis, non ociosè susceperim; ad illos igitur lectorem lubens, ac libens remitto. in Institutionibus dialectis actum fuit.

DISSERTATIO XXIII.

Et est de ijs, quæ ad secundam intellectûs operationem dirigendam conducunt.

De secunda Intellectûs operatione, quæ dicitur Iudicium.

SEcundus ex iis actibus, quos intellectus exercet in cognoscendo, nuncupatur Iudicium, quod per coniunctionem duplicis nominis appellari consueuit, nimirum Compositio, & Diuisio, seu κατάφασις, & ἀπόφασις, affirmatio, & negatio; *commodius tamen visum est huiusmodi actum, Iudicium deinceps appellare; propterea duplicis illius nominis coniunctione neglectâ, de hac intellectûs operatione sub iudicii nomine verba facturi, ita nomen enunciationis adhibebimus, ut quæ præcepta de hac à nobis tradentur, de iudicio tradita intelligantur; nec immeritò, nam enunciatio sumpta prout in conceptibus mentis consistit, iudicium est: quòd si per voces explicetur, fit enunciatio in vocibus posita, quæ tanquam prototypum inspecta, rationem obtinet instrumenti, quo iudicii directio perficitur. Quæ autem ad directionem hanc conducunt, multo commodiùs de enunciatione traduntur, ut non inconsultò sub nomine enunciationis acceptum iudicium, dirigendum nobis propositum sit. Non prætermittendum tamen illud aduertere, nempe iudicii nomen etiam ratiocinationi, seu ut vocant, discursui conuenire; solùm enim id interest inter utrumque, quòd discursus iudicium est, illationem, seu consecutionem inuoluens; aliud autem non item; quod propterea, ut significetur quatenus à discursu distinctum, secunda consueuit operatio intellectûs appellari, in cuius nunc directionem incumbimus, quam ut assequamur, exordiendum nobis à iudicii nomine, atque definitione, ut inde gradum ad ea, quæ postmodum tractanda supererunt, facere liceat.* Operatio intellectus, quæ iudicium dicitur.

Hanc autem contemplationem Aristoteles libris περὶ ἑρμηνείας de Interpretatione *comprehendit, quamuis huiusmodi opus, in quo scilicet Ars propositionum traditur, falsò quidem Aristoteli à quibusdam iudicetur adscriptum; utcunque tamen sit, illud fateri cogimur, nempe huius contemplationis initia, ab aliis recognoscendam esse. Nam Plato in Sophista propositionem λόγον appellans, postmodum ait hanc.* Ἀνθρωπόμαθος, Θεαίτητος κάθηται Homo discit, Theætetus sedet, *sermonem esse minimum, docetque ex nomine, verboque constare, ubi habet* λέξω τοίνυν σοὶ λόγον συνθεὶς πρᾶγμα πρός τι ὀνόματος καὶ ῥήματος. Dicam igitur tibi, sermonem componens rem actioni per nomen & verbum. *Mox autem subdit,* παντάπασιν ὡς ἔστιν ἡ τοιαύτη σύνθεσις ἐκ τε ῥημάτων γεγονὸς καὶ ὀνομάτων. Omninò ut apparet talis compositio ex verbis fit, & nominibus. *Neque eum præteriit longiorum propositionum notitia, siquidem ait.* Θεαίτητος ὧδε νῦν ἃ διαλέγομαι πίπτει. Theætetus cum quo ergo nunc colloquor, volat. *Amplius ex iis, quæ subdit apertè constat ei fuisse penitus exploratum sermonem verum, & falsum concedendum,* τὸν μὲ ψευδῆ που, τὸν δ' ἀληθῆ. Sermonem, alium esse verum, alium falsum, *sic etiam affirmationem, & negationem,* ἤδη καὶ λόγοις γε αὐτὸ ἴσμεν ὄν Θεαί: τὸ ποῖον; Ξεν: φάσιν τε καὶ ἀπόφασιν. Etenim in sermonibus hoc scimus inesse. Theæ quale? Xen. affirmationem, & negationem. *Hæc sunt, quorum animaduersione nonnulli conantur, Aristoteli gloriam eripere, cùm ipsis hinc persuasum sit, ostendi posse, præsens opusculum illi minimè tribuendum. Sed insulsè admodum, ut opinor, nam tametsi aliorum hac de re præcesserit contemplatio, & rudimenta quædam eorundem labore congesta fuerint; non suspicandum subinde tamen auctiorem huius tractationis Aristotelem non fuisse. Sed de his plusquam satis, nihil enim negotij nobis cùm his blateronibus habendum; ne frustra tempus terere videamur.*

SECTIO PRIMA.

Quid sit Iudicium, & circa quid versetur.

id sit um.

QVid sit secunda intellectûs operatio, iudicium dicta, ex hucusque traditis cuique potest esse perspectum; liquet enim non aliud esse, quàm *actum, quo intellectus determinatè cognoscit rem esse, vel non esse, affirmando, vel negando.* Quandocumque igitur intellectus affirmat unum de altero, ut animal de homine, vel negat itidem unum de altero, ut lapidem de eodem homine, tunc dicitur iudicare, cùm iudicium nil aliud sit, quàm ille actus, quem intellectus exercet, vel determinatè affirmando, aut determinatè negando unum de altero. Vnde duplex iudicium, affirmativum unum, quod assensus; negativum alterum, quod dissensus nuncupatur. Hinc non obscurè constat quid intersit inter simplicem apprehensionem superius explicatam, & iudicium, de quo in præsentia fit sermo. Assensus, & dissensus.

Non cogitandum tamen intellectum uno, eodemque actu apprehendere, & iudicare, quasi virtute multiplex cùm sit, uno ac eodem actu utrunque præstet. Non sic enim se res habet, cum id proprium sit intellectus superioris ordinis; sed potius seruans in operando naturæ legem ab imperfectioribus, ad perfectiora progreditur; atque adeo ab apprehensione ad iudicium Intellectus non uno eodemque actu apprehendit, & iudicat.

Digitized by Google

eium, itaut hæc operatio sit ab illa re ipsâ distincta, & eidem dignitate præstet, ac antecellat. Prius igitur intellectus simplicia, per simplices terminos significata; deinde complexa per complexos terminos, vel etiam per integras propositiones denotata, apprehendit; deinceps ad iudicium progreditur; utque per priorem operationem tantùm attingebat obiectum secundum *quid est*, videlicet percipiendo quid per signa sensibilia significetur: ita per secundam operationem determinatè cognoscit quantum ad *an est*, & ut illa dicebatur simplex apprehensio: sic ista iudicium, siue affirmatio, & negatio nuncupatur. Imò ne dum re ipsâ operationes prædictæ dicendę sunt inter se distinctæ; quin potius existimandum inter ipsas intercedere distinctionem essentialem, adeo ut prima, & secunda operatio non numero tantùm, sed essentiâ, naturâque differant. Non enim existimandum secundam operationem à prima, non magis distingui, quàm duos apprehensionis actus, vel duos actus iudicij circa idem obiectum inter se; sed potius primam, & secundam operationem naturâ, & essentiâ inuicem discriminari cogitandum est.

Hæ duæ operationes, non solum re ipsâ, sed essentiorem etiam distinguuntur.

Et certè alia est essentia, atque natura illius actus, quô determinatè intellectus cognoscit rem ita esse, vel non esse; & alia est natura, ac essentia illius, quo tantummodo rem simpliciter apprehendit.

Ratione suadetur.

Num semper id verum sit.

Num autem hoc semper eueniat, an potius unico, ac simplici actu possit intellectus, præsertim in rebus obuijs, apprehendere ac iudicare, controuersum est.

Semper id verum esse concluditur.

Inspectâ tamen intellectûs nostri naturâ, cuius est semper ab imperfectiori ad perfectiorem actum procedere, non erit dubitandum quin perpetuò duobus actibus intellectus utatur apprehensionis nimirum, & iudicij. Neque refert, quòd res obuia sit, negotiatio siquidem intellectûs, tunc tam exiguo tempore perficitur, ut momentum impendisse tantummodo videatur. Et sanè rei cognoscendæ claritas, ac euidentia, nequit immutare cognitionis naturâm, ita ut, si quantum ad *quid est*, repræsentari debet, opus sit cognitione, quæ cùm ita tendat in obiectum sui naturâ, ut illud repræsentet modo prædicto, non repræsentet quantum *ad an est*; propterea quòd huiusmodi tendentiæ ita se habent, ut una aliam non compatiatur; utraque enim suam cognitionem ultimò determinatèque constituit.

Ratione suadetur.

Secunda operatio semper præsupponit primam.

Hæc secunda operatio iudicium appellata, nunquam ab intellectu exercetur, quin circa illud idem obiectum, apprehensionem exercuerit; & ita quidem, ut non solùm apprehenderit terminos, ac extrema secundum se, sed etiam quatenus connexa sunt, quod est connexionem ipsam, & uniuersam propositionem, de qua ferendum iudicium, apprehendisse; quod adeo verum, ut naturæ lege sancitum sit, iudicij actum, nunquam elici posse, simplici apprehensione circa idem obiectum non præeunte.

Experientia comprobatur.

Hoc experientia confirmat; non enim intellectus potest iudicium ferre de propositione, nisi huius extrema per simplices terminos significata, perceperit; quod nec etiam satis, nam præter terminos, debet etiam connexionem eorundem, atque adeo significatum propositionis integræ percipere, ut deinceps iudicium eliciat. Quod illustretur exemplo. Prolatâ hác propositione, *homo est animal*, prius debet intellectus apprehendere vocem utramque, quod est conceptum habere non ultimatum, deinde significatum utriusque vocis, attingendo id, quod significatur per vocem *homo*, quodque significatur per vocem *animal*, quod est ultimatum conceptum simplicium terminorum habere. Deinde proximum est, ut habeat conceptum dictionis *est*, & primò quidem non ultimatum, mox autem ultimatum, quod est ultimato conceptu propositionem integram *homo est animal*, apprehendisse. His præhabitis, potest intellectus ad iudicandum descendere, & quidem affirmando, vel negando, prout affirmationis, vel negationis ei motivum suppetit.

Ratione probatur à figura.

Hucusque dicta, fidem ex eo sibi conciliant, quòd si quispiam prolatæ propositionis extrema percipiat, ut si intelligat quid significet *homo*, quid *animal*, nisi fuerit edoctus de significatione copulæ, atque dictionis *est*, haud poterit de propositione illa iudicium elicere, assentiendo, vel dissentiendo, quod inditio est, præhabendam esse apprehensionem, non solùm extremorum, sed integræ propositionis antequam possit ad iudicium descendere.

Intellectus in iudicando voluntati similis.

Vnde videtur intellectus in iudicando voluntati similis. Quemadmodum enim voluntas nequit obiectum attingere, nisi præcognitum, unde dicitur potentia cæca, sic & intellectus in exercitio iudicij, non potest obiectum attingere, nisi per apprehensionem ostensum. Vt enim voluntas nequit velle, vel nolle, nisi prius perceperit, quid volendum, vel nolendum: sic intellectus non poterit affirmare, vel negare, quod est iudicium exercere, nisi prius apprehenderit quid sit affirmandum, vel negandum.

Confirmatio.

Quod adeo verum, ut non solùm dum primò intellectus elicit actum iudicij, debeat habere præsentem apprehensionem obiecti (hoc enim omnino, cùm non sat prius sit apprehendisse, sed oportet simul apprehensionem, & iudicium esse) verùm etiam deinceps quotiescumque iudicat, indiget apprehensione præsenti, ob eandem rationem, quam nuper attuli de primo actu iudicij; uniuersè siquidem non sufficit aliquando apprehendisse, ut postea intellectus iudicet; sed dum actu iudicat, debet actu apprehendere ea, circa quæ iudicando versatur, ita ut non possit conseruari iudicium sine continuata apprehensione. Hæc enim etsi possit incipere ante iudicium, & intellectus prius tempore apprehendere, quàm iudicare; debet tamen perseuerare, donec intellectus iudicet; imò etiam quandiu iudicium perseuerat, debet etiam apprehensio perseuerare, adeout nec momento quidem iudicium absque apprehensione esse possit.

Declaratur hæc dicta.

Dicebam autem initium apprehensionis esse posse ante iudicium, ut innuerem antecessionem temporis, non repugnare, cum tamen necessaria non sit, propterea quòd antecessio naturæ, atque causalitatis abundè sufficit.

Quomodo intellectus se gerat in exercitio actuum.

Sed hac in re considerandum, quo pacto se gerat intellectus in exercitio istorum actuum, & quanuis non idem sit Philosophorum sensus, mihi tamen eorum probatur consilium, quibus est visum posse quidem ante iudicium duas præire apprehensiones extremorum, duosque simplices conceptus, unum subiecti, & alterum prædicati, imò etiam, & alium actum, conceptumve connexionis, siue habitudinis inter illa. Idq; satis est euidens, quia nihil obstat quominus uno simplici actu seorsum concipiatur subiectum, alio prædicatum, alio tandem connexio. Hoc tamen non existimandum necessariò euenire, cùm potius nihil in causa sit, cur intellectus unico, ac simplici actu totum propositionis significatum non apprehendat, quatenus eo, utrumque extremorum cum sua connexione, attingit. Si quid enim esset impedimento, maximè foret, quoniam intellectus humanus nequit plura unico actu attingere. Sed hoc nihil est, quoniam etsi non possit intellectus plura per modum plurium attingere, optimè tamen potest per modum unius.

Prima difficultas.

Sed fortasse dicet aliquis omnino subiectum, & prædicatum apprehendenda esse, tanquam plura, subiectum

scili-

scilicet veluti materiam, prædicatum veluti formam; prædicatum tanquam id, quod alteri inest, subiectum velut id, cui alterum inest; idque fieri euidentiùs, si propositio fuerit negatiua, quoniam extrema apprehenduntur ut plura, eo quòd apprehenduntur ut separata, & quorum unum remouetur ab alio. Sed in his parum inest momenti, cùm illa subiecti, & formæ habitudo potius faciat, ut extrema se habeant per modum unius, videlicet unius compositi, atque coniuncti. Et quanuis propositio sit negatiua, de qua forsan maior est difficultas, adhuc tamen de eadem sentiendum idem; siue enim sit terminus solus complexus, absque copula, ut *Socrates non albus*; siue integra propositio, ut *Socrates non est albus*, unico actu apprehensionis totum id potest attingi; propterea quòd illa negatio in esse cognoscibilis, non facit plura, nam secundum istud esse, partes illæ componunt unum, quod quantum ad *quid est* apprehensio ipsa attingit.

Nec propterea distincti debent esse conceptus apprehensionis, quibus attinguntur extrema ante iudicium, eo quòd hoc compositio, ac diuisio dicatur, quasi hanc nomenclaturam sortiatur eam ob causam quia consurgat ex distinctis conceptibus extremorum simul iunctis in intellectu. Nanque iudicium non ideo appellatur compositio, & diuisio; compositio enim dicitur, non quia iudicij actus intùs formaliter componatur; sed in esse repræsentatiuo, quatenus repræsentat, vel unum alteri uniri, vel unum ab altero remoueri.

Reliquum est, ut explicetur, id circa quod iudicium versatur, quod certè nil aliud, quàm res ipsæ apprehensæ, sumptæ quo ad *an est*, nimirum est conuenientia, atque disconuenientia unius extremi cum altero, quatenus affirmamus, vel negamus hoc esse illud.

Ita quidem, dum enunciamus animal de homine, dicendo *homo est animal*, non redditur sensus, nomen *animal* affirmari de nomine *homo*, neque conceptum formalem animalis, affirmari de conceptu formali hominis, suppositâ distinctione istorum conceptuum; falsæ nanque propositiones forent; non enim affirmare licet, nomen homo esse nomen animal, aut formalem conceptum, quo repræsentatur homo, esse illum, quo repræsentatur animal, quando seorsum hæc fuerint concepta; cùm tunc sint conceptus distincti; quando verò concipiuntur propositionis extrema, ut inter se connexa, atque adeo per modum unius, unus quidem conceptus est, ut superiùs fuit explicatum; sed tunc non fit prædicatio inter conceptus formales, dicendo enim *homo est animal*, vel *homo nõ est equus*, nobis in animo non est asserere conceptum formalem, quo attingitur animal, eundem esse ac illum, quo attingitur homo, sic de propositione negatiua; sed potius intendimus affirmare rem significatam per nomen *animal*, & repræsentatam per conceptum formalem, cuius vox illa *animal*, vicaria est, esse re ipsâ idem ac id, quod significatur per nomen *homo*, & repræsentatur per formalem conceptum, cuius vicaria est vox illa *homo*.

Sic etiam de negatiuis propositionibus; cum enim dicimus *homo non est equus* non intendimus negare vocem de voce, vel conceptum formalem de formali conceptu, ita ut reddatur sensus, vox ista *equus* non est vox ista *homo*, neq; ut sensus reddatur, conceptus formalis, quo repræsentatur *equus*, non est idem ac ille, quo repræsentatur *homo*; sed potius intendimus negare identitatem inter rem significatam nomine *equi*, & repræsentatam per formalem conceptum, cuius vox illa vicaria est, de re significata per vocem *homo*, & repræsentatum conceptum formalem, cuius vox illa vicem gerit. Huius igitur operationis obiectum iure, ac meritò dictum fuit esse res ipsas apprehensas, quantum ad *an est*.

SECTIO SECVNDA.

Qua ratione Iudicium dicatur Compositio, & Diuisio.

Quæ, & qualis sit humani intellectus compositio, & diuisio suscipitur explicandum.

QVæ, & qualis sit compositio, ac diuisio in intellectu nostro, proximum est ut aperiamus; illud sanè certum, & citra controuersiam, Philosophum intellectûs nostri iudicium appellasse compositionem, ac diuisionem, non aliam ob causam, nisi ut illud à simplici apprehensione distingueret; sed quia superest adhuc assignandum discrimen inter iudicium humani intellectûs, & illud, quo Angeli ac Deus utuntur; propterea hoc tractandum remanet, ut clarè perspicuèque constet, cuiusmodi sit intellectûs humani iudicium, quæque eius natura existimari debeat.

Querundam opinio de iudicij compositione.

Iudicii de quo loquimur indolem aliqui conantes explicare, dixerunt compositionem, ac diuisionem quâ humanus intellectus utitur, in eo consistere, ut intellectus suo actu cognitionis iungat, ac nectat unum cum alio, dum unum affirmat esse aliud; at contra diuisionem esse nil aliud, quàm intellectum suæ cognitionis actu disiungere, separare, ac remouere unum ab alio, dum negat unum esse aliud; atque adeo rem sic intelligendam existimant, ut compositio ac diuisio sit explicanda ex parte obiecti cogniti, quatenus intellectus iudicando, unum cum alio intentionaliter nectit, vel unum ab alio intentionaliter itidem, remouet.

Superior opinio tanquam insufficiens redarguitur.

Compositionem, ac diuisionem hanc in iudicio reperiri non inficiandum, cùm quilibet intellectus, siue humanus, siue angelicus, siue diuinus iudicando hunc in modum componat; ut enim humanus intellectus iudicando cognoscit hoc esse, aut non esse illud, & unum esse, aut non esse aliud, ut hominem esse animal, aut non esse lapidem, atque adeo affirmat, & negat: sic, & intellectus angelicus, atque diuinus; quamobrem si intellectus humanus, eo quòd ita cognoscat, dici debet componere, atque diuidere, sic etiam intellectus angelicus, & diuinus. Hinc igitur perspicuum est aliquid amplius addendum pro compositione ac diuisione humani intellectûs propria, cum alioquin nuper explicata, ad cuiuslibet iudicij naturam, & essentiam pertineat.

Aliorum opinio.

Ineptè nonnulli compositionem hanc imaginantur in unione duorum conceptuum simplicium positam esse; quasi nimirum intellectus humanus uno simplicique actu apprehendat subiectum, alio autem prædicatum, deinde per quendam unionis modum duos istos conceptus nectat atque coniungat, itaut in hoc ea, de qua loquimur, compositio consistat. Sed ut omittam difficile esse hoc modo iudicium explicare negativum, atque adeo diuisionem, quæ non minus iudicio, quàm compositio conuenit, num scilicet per unionem actuum constituenda sit, an per aliquid unioni oppositum, seu per separationem conceptuum, & nihilominus iudicium sit unum quidpiam, ut ipsi contendunt; ut hoc, inquam, omittam, haud facile est explicatu, quo pacto per huiusmodi conceptuum simplicium unionem affirmativum iudicium habeatur. Huiusmodi siquidem actus simplices singuli in se ipsis completi perfectique sunt, quamobrem nullus suppetit unionis modus; non enim ut partes essentialiter componentes possunt in unum venire, quarum una tanquam materia, alia verò veluti forma; nam actus unus comparatione alterius, haud materiæ munere fungitur, cùm unus non recipiat alium, neque vicissim alius formæ rationem potest sibi vendicare, quippe qui non receptus in alio nequit illum

Reijcitur.

Conceptus simplices uniri non possunt tanquam partes essentialis.

perficere, seque habere per modum actûs, & formæ comparatione illius; quare iudicium nequit esse quidpiam consurgens ex duobus simplicibus conceptibus, veluti ex duabus partibus essentialiter componentibus.

Causa errandi quibusdam hac in re quæ nam fuerit.

Eos fortassis in errorem deduxit imaginatio, quòd aduertentes ea, quæ simplicibus conceptibus repræsentantur, inter se comparari, tanquam subiectum, & prædicatum, quorum unum materiæ, aliud autem formæ instar habetur, & ut huiusmodi inter se conferuntur, hoc idem, insulsè tamen, in ipsos conceptus refuderint; Iis enim physicè, atque adeo propriè conuenit, quod his tantum metaphoricè adscribitur.

Non tanquam partes integrantes.

Superesset, ut huiusmodi conceptus, tanquam integrantes partes uniri dicerentur. Sed hoc etiam intolerabile, & à veritate tam remotum, quàm quod remotissimum. Gemino enim modo liceret id comminisci, vel secundum extensionem, quasi duæ sint partes extensæ, ex quibus communi nexu copulatis, iudicium, velut continuatione quidpiam unum consurgat; & hôc nihil intolerabilius, cum in his extensio nullum possit habere locum: ut enim intellectus, sic etiam omnis eius operatio ab omni extensione remota est. Vel secundum intensionem, sed nec etiam hæc locum habet, propterea quod ex extremis apprehensis fit quidem iudicium; non tamen intensior apprehensio, iudicium siquidem naturâ, & essentiâ differt ab apprehensione; sed intensio rei naturam, & essentiam non immutat, ut satis euidens est, ac manifestum.

Vniuntur tantùm intentionaliter.

Ad summum igitur concedendum ab intellectu quidem intentionaliter uniri prædicatum cum subiecto, apprehensione præeunte, quam naturæ ordine iudicio præire conclusum fuit; non subinde tamen inferendum actus ipsos apprehensionis physicè uniri, atque connecti.

Alter modus explicandi cõpositionem actuum.

Posset suspicari quispiam iudicii compositionem ex parte actuum intellectûs, explicandam esse quatenus in eo posita est, ut duo sint, quos ipse elicit, conceptus, unus prædicati, alter autem subiecti, quibus relatè concipiuntur extrema, ut unum alteri conueniens, conuenientiâ significatâ per particulam *est*, cui tamen non respondeat in intellectu peculiaris, atque distinctus conceptus à conceptibus extremorum; & hoc in compositione, atque affirmatione; cum alioquin in diuisione, ac negatione duo sint extremorum conceptus, quorum unus prædicatum attingat, ut subiecto disconueniens,

Reiicitur

Sed hæc insulsè dicuntur, quia iudicium non in apprehensione extremorum consistit, etiam quatenus conuenientia sunt, seu non in apprehensione conuenientiæ unius extremi cum alio, quoniam hæc apprehensio concedenda quidem, sed intra limites apprehensionis, itaut iudicio præire debeat; neque hoc modo intellectus iudicat, sed solum apprehendit; neque iudicium exercet quo ad ipsâ apprehensione præeunte, alium exercuerit actum, quo determinatè affirmet, vel neget, & attingat obiectum quo ad an est, per integram propositionem significatum.

Accedit, quòd etsi gemina sit illa apprehensio, non propterea per illam dicitur intellectus iudicare, sed solum apprehendere, cum apprehendere extrema ut conuenientia, siue conuenientiam inter duo extrema, non idem sit, ac cognoscere talem dari conuenientiam; illud est solum apprehendere, hoc autem iudicare.

Alter explicandi modus.

Cum igitur aliqui introspectâ iudicii naturâ cognoscerent haud benè modo iam dicto explicatum id fuisse ptout compositionis, vel diuisionis rationem induit; proinde in aliam sententiam abeuntes crediderunt iudicium addere simplicibus apprehensionis conceptibus quendam alium actum distinctum, ita tamen, ut compositio dicatur, quatenus non in hoc actu superaddito adæquatè consistat, sed potius in aggregato ex hoc, & ex actibus apprehensionis, itaut sit quidpiam aggregatione unum.

Sed nec etiam hic dicendi modus arridet. Tum quia hic actus prout ab apprehensione distinctus, essentialiter cognitio est, & intellectûs est operatio; aut igitur apprehensio est, aut iudicium, aut demique discursus. Non primum ex nuper disputatis, & etiam ex eo quòd dum dicitur ab apprehensione distingui, intelligendum non numero, sed essentiâ, naturâque secerni. Neque tertium, quoniam iudicium, prout hic usurpatur, non importat consecutionem illam, quam discursus inuoluit; consequens igitur fit, ut hæc sit secunda operatio, quam iudicium appellamus, cum huiusmodi sit, ut quemadmodum subsequitur primam, ita tertiam antecedit, tanquam conditio penitus prærequisita.

Reiicitur

Alterum explicandi modum

Nec melius compositio ita explicatur ab iis, qui dicere consueuerunt, ideo sic appellandam, quoniam duos simplices supponit conceptus extremorum, quos vel secum actu compatiatur, vel non ita, sed illos virtute contineat. Neutrum enim rectè dicitur. Primum iam reiectum fuit. Secundum irrationabile prorsus, nam quemadmodum simul non repugnant huiusmodi actus in intellectu: ita unus supponit alium simul existentem, nempe secunda operatio primam, tertia verò secundam, & primam; alioquin perinde esset, ac si prima non requireretur ad secundam, nec utraque ad tertiam, cum nihil referat operationem præcessisse, utpotè prærequisitã, nisi tunc actu sit, cum maximè requiritur. Et hoc uniuersè de omnibus conditionibus prærequisitis ad causandum. Quòd enim ignis fuerit approximatus ad hoc, ut comburat, nihil est, nisi tunc proximus sit, cum actu debet comburere; sic etiam quòd intellectus præhabuerit apprehensionem ad iudicandum, & apprehensionem, ac iudicium ad discurrendum, nihil refert, nisi tunc actu apprehendat, cum actu iudicat, & actu apprehendat, ac iudicet, dum actu discurrit.

Quomodo sit explicanda compositio, & diuisio.

Ex his facilè intelliges iudicium esse distinctum actum ab apprehensione, quam simul secum requirit, & propterea compositionem dicit, quatenus distincto actu apprehensa simul nectit, & unit, diuisionem verò, quatenus eadem intentionaliter separat.

Ratio.

Optimè autem sic explicari compositionem, atque diuisionem iudicij, fit inde mihi manifestum, quoniam tunc egregiè censeri debet utraque explicata, quando per ipsum explicationis modum secernitur ab ea compositione, ac diuisione, quæ intellectui tam angelico, quam diuino conuenit. Hunc autem explicationis modum huiusmodi esse, facilè persuadebitur aduerenti, quid interfit inter utrunque. Iudicium enim intellectui, & angelico, & diuino coniunctionem, vel diuisionem obiectiuam inuoluit; sed iudicium humanum præter hanc aliam compositionem, ac diuisionem, scilicet ex parte actuum importat; non ita ut iudicij actus non sit quidpiam unum, & simplex, hoc est unus simplex actus ab alijs distinctus; sed quatenus hic non contingit, nisi alijs suppositis actibus, nimirum apprehensionis, quibus iungitur.

Corollarium

Hîc porrò obseruandum gemino quidem modo compositionis nomen usurpari. Primò amplâ quâdam significatione, atque hunc in modum, ne dum in iudicio affirmatiuo, sed in negatiuo quoque reperitur; ut propterea Philosophus pronunciauerit, *in illa nostra cognitione, in qua est verum, & falsum, esse compositionem conceptuum*. Et alibi iudicium humanum appellat complexionem intellectionum, ut significet iudicium humani intellectûs, siue affirmativum, siue negativum ratione conceptuum appellari posse compositionem. Alio autem modo, strictiori usurpatione

com-

compositio sumitur pro iudicio affirmatiuo, quâ ratione præter distinctionem actuum, coniunctionem dicit obiectiuam, & à iudicio negatiuo secernitur, in quo tametsi reperiatur conceptuum coniunctio; unde latâ significatione, compositio dicebatur; non tamen inuoluit compositionem, sed potius separationem obiectiuam, ratione cuius diuisio dicitur. Ita fit, ut quamuis diuisio hæc sit attendenda penes diuisionem obiectiuam, quam etiam in intellectu angelico, diuinoque concedendam diximus; ab ipsa tamen distinguitur, quoniam, quæ in humano est intellectu, semper cum compositione conceptuum exercetur; at in angelico, ac diuino non item.

Prima difficultas aduersus simplicitatem actus iudicij.

Videtur simplicitati actûs iudicij plurimùm officere vulgatum illud, quòd intellectus humanus uno, ac simplici actu, nequeat plura, maximequè diuersa concipere; quòd si res ita se habet, cum iudicium semper plura, atque diuersa attingat, unus simplex actus esse non poterit.

Solutio.

Sed hoc superiùs dilutum est, intellectus enim iudicando, siue iudicio affirmatiuo, siue negatiuo plura quidem percipit, non tamen ut plura, sed ut unum; prædicatum siquidem, & subiectum in se spectata plura sunt: inspecta tamen, ut unum alteri conueniens, vel ut unum ab altero disconueniens, induunt unitatem sufficientem ad unitatem conceptus. Vt si considerentur homo, & animal secundum se, plura sunt, sic homo, & lapis. At si spectentur, ut conuenientia, & disconuenientia, nimirum animal, ut homini conueniens, & lapis, ut disconueniens ab eodem, unitatem induunt; conuenientiam autem, & disconuenientiam, quas per integras significamus propositiones, intellectus ratione prædictæ unitatis unico quidem actu potest attingere. Vulgatum autem dictum sic usurpandum, ut intellectus plura, ut plura sunt, unico nequeat actu concipere.

Secunda difficultas.

Vrgent etiam, propterea quòd intellectus iudicando attingit habitudinem extremorum, ac proinde extrema propositionis; consequens fit, ut iudicium inuoluat eorundem extremorum apprehensionem.

Solutio.

Hîc non inficiandum re verâ actum iudicij propositionis extrema quidem attingere; sed non ad eum modum, quo per apprehensionem attinguntur, hæc enim attingit quantum ad quid est, iudicium autem quantum ad an est ipsius habitudinis, quæ est inter extrema; unde quamuis iudicium apprehensionem extremorum supponat, non propterea illam includit; supponit naturæ ordine apprehensionem extremorum, & eorundem habitudinem indeterminatè, & quo ad quid est, non ita tamen, ut illam includere dicendum sit.

Tertia difficultas.

Acrius forsan urgebit quispiam dicendo, quemadmodum propositio vocibus expressa componitur ex terminis subiecto, & prædicato, prout hæc in vocibus consistunt, sic etiam propositio mentalis, in quo iudicium positum est, ex simplicibus conceptibus extremorum ad apprehensionem spectantibus; voces enim extrema significantes, conceptuum simplicium de ijsdem sunt vicariæ; sed propositio contexta vocibus componitur intrinsecùs ex vocibus significantibus extrema; ergo propositio mentalis ex simplicibus conceptibus eorundem extremorum intrinsecus constabit.

Solutio.

Nullum tamen est difficultatis momentum, nam propositio vocibus contexta, non constat ex terminis prolatis loco simplicium conceptuum, qui in mente distincti sunt à iudicio, sed potius una cum copula, propositionis existentis in mente, atque adeo iudicij vicem gerit; unde quamuis propositio vocibus constans dicenda sit intrinsecùs constare ex pluribus vocibus materialiter sumptis, formaliter tamen non item, sic enim induunt aliquam unitatem, ratione cuius est vicaria iudicij, quod proinde non debet intrinsecus pluribus simplicibus constare conceptibus?

SECTIO TERTIA.

Iudicij veritas, ac falsitas explicatur.

DE veritate quædam superiùs attigimus, quatenus instituti ratio permittebat; sed præter ibi tradita, in præsens non pigebit aduertere veritatem, non unius esse notionis; enimuerò, ultra vulgatam distributionem eius, in transcendentalem, & formalem, quarum prima est entis affectio, quæ cum illo per omnia rerum genera vagatur, altera autem cognitionis intellectricis est propria. Adhuc multiplex etiam veritatis acceptio, nam quadrifariam usurpatur. Prima est veritas mentis, quando nimirum mens, siue mentis, conceptio, ac iudicium conforme est obiecto, itaut illud cogitet sicut in se est; & huic opponitur falsitas, quâ mens de obiecto iudicat aliter ac est. Secunda veritas est oris, nempe veritas, quâ sermo noster conformis est menti ac animo, itaut os loquatur id, quod reuerâ animus cogitat, & intendit, unde lingua respondeat menti. Idcirco Ægyptij veritatem ex humano corde gutturi appenso ἱερογλυφικῶς iudicabant. Imo pomum persicum adhærescente folio unico pinxerunt, ut significarent linguam cordi coniunctam esse debere, itaut sermo cordis penetralia adaperiat, nec unum homo sentiat & aliud in ore habeat, linguâque exprimat. Huic opponitur falsitas, siue mendacium, quo aliud loquimur, aliud cogitamus, siue intendimus. Hanc duplicem esse volunt, assertoriam unam, qua asserimus id, quod verum est; promissoriam alteram, cujusmodi est fidelitas, quâ præstamus, quod promisimus. Et hæc utraque veritas, tam scilicet mentis, quàm oris, formalis dici solet. Tertia est veritas obiectiua, puta veritas doctrinæ & fidei &c. Quarta est veritas actionum, & vitæ, quæ non est aliud, quàm rectitudo, & conformitas, quâ actiones nostræ respondent suæ regulæ, scil. ut conformes sint vero iudicio practico, rationi, legis, voluntati diuinæ, præscripto; virtutis; cum autem in præsentia de veritate loquimur, sumimus illam iuxta primam significationem, quatenus videlicet est conformitas cognitionis cum re; Hanc autem apprehensioni simplici, etsi non falsitatem, nisi ex accidenti conuenire, superiùs ostendimus; multo igitur magis veritatem inesse iudicio pronunciandum est; non tamen eodem modo, nam apprehensioni sic veritatem tribuimus, ut ei nunquam falsitatem per se conuenire dicamus; adeo ut semper per se veram esse velimus; at iudicio æquè conuenit veritas, & falsitas, non quidem simul, sed itaut modò verum, modò falsum sit; imò non solùm ut intellectus modò possit elicere actum iudicii veri, modo verò falsi, sed etiam ut idem iudicii actus possit ex vero euadere falsus, etiam vicissim ex falso verus, ut ex infra dicendis patescet. Hoc satis euidens, nam hic sermo fit de veritate, quam formalem appellant; de transcendenti enim nulla difficultas, cùm hæc cuicumque enti conueniat, atque adeo etiam cognitioni falsæ, prout falsitas formali veritati aduersatur. Veritas autem formalis ut nuper dicebatur, & alibi etiam ostensum fuit, in conformitate cognitionis ad rem consistit, quatenus cognitio rem repræsentat, ut est in se; si autem ista conformitas apprehensioni simplici potest conuenire, multo quidem magis & iudicio. Apprehensioni conuenire dictum fuit, quatenus si non est conformis, dicitur obiectum non attingere, quod erat per ipsam repræsentandum; at verò iudicio specialius

Disser. 2. sec. 2.

Veritatis non una est notio.

Quatuor modis usurpatur

Primus modus, veritatis.

Secundus.

Ægyptiorum hieroglyphicũ.

Tertius.

Quartus.

Maximè veritas formalis iudicio conuenit.

Iudicio æquè cõuenit veritas, & falsitas.

Disser. 2. sec. 2.

liùs conuenit, quoniam potest determinatè repræsentare aliquid sub eo prædicato; quod illi re ipsâ conuenit; & tunc iudicium verum est; & potest etiam repræsentare illud idem determinatè sub prædicato, quod ipsi non conuenit, quâ ratione falsum iudicium perhibetur; quanto igitur specialiùs hæc est dicenda conformitas, quæ iudicio conuenit; tanto etiam specialiùs iudicio veritas competere dicenda est; atque adeo si vera est apprehensio, quâ intellectus cognoscit hominem esse animal, attingendo hoc totum, quantum ad quid est; longè magis dicendum iudicium verum esse, quo intellectus attingit hominem esse animal determinatè, quantum ad an est; nam intellectus in apprehendendo nequit falsitatem subire, nisi falsitate acceptâ pro non attingentia obiecti; at in iudicando decipi potest attingendo obiectum determinatè aliter ac est; unde si iudicando illud attingat, ut est; longè magis dicendus cognitionem veram elicere, quàm si illud idem attingat apprehendendo; fugit enim errorem iudicando, cùm eius sit capax; apprehendendo autem nequaquam, cum eius sit incapax; errore sumpto pro falsitate, quæ formali veritati aduersatur.

Quomodo veritas iudicio conueniat quorundam opinio.

Sed ad explicandum quo pacto iudicio veritas conueniat, non pigebit quorundam audire sententiam, quibus in re proposita visa est hæc adhibenda distinctio, nimirum gemino modo in intellectu dici veritatem existere, vel tanquam in eo, in quo sit veritas velut in subiecto: vel tanquam in cognoscente ipsam veritatem. Priori modo veritatem esse propriam apprehensionis existimant, ita ut veritas in intellectu simpliciter apprehendente sit, ut in eo, in quo est ipsa veritas; at secundo modo sit veritas per iudicium in intellectu, ita ut veritas sit in intellectu iudicante, componente, ac diuidente, velut in cognoscente ipsam veritatem.

Explicatur superior opinio, eademque reijcitur.

In horum explicationem multa fuerunt adducta, quę vel sunt à ratione penitus aliena, vel difficultatem tantam ingerunt, ut non sit operæ pretium in ijs recensendis immorari. Si enim dicas speciatim in iudicio veritatem ut cognitam esse, eo quòd iudicium attingendo conformitatem cognitionis ad rem, attingat veritatem tanquam obiectum; apprehensio verò sit ipsa quidem obiecto conformis, non tamen conformitatem, ac proinde nec veritatem attingat. Hæc sanè puerilia admodum sunt. Dum enim intellectus iudicij actum exercet directum, ut non attingit conformitatem sui cum re prout in se; ita nec veritatem consistentem in huiusmodi conformitate, tanquam obiectum, & in hoc simile prorsus iudicium est apprehensioni, quam directè intellectus exercet. At si forsan dicas per actum reflexum iudicij conformitatem, atque adeo veritatem prioris actus directi, tanquam obiectum attingi. Hoc ultrò fatendum; addendum tamen illud idem in apprehensione reflexa inueniri; quamobrem hunc in modum haud satis explicatur, quâ præcipuâ ratione dicendum veritatē iudicio conuenire. Si quis autem id interpretetur eo sensu, ut iudicium dicatur habere pro obiecto cognito veritatem præcedentem in simplici apprehensione, quasi intellectus iudicium ferat de conformitate, ac veritate præcedentis apprehensionis. Id certè ineptè dicitur, si de iudicio directo sermo fiat, cui præcipuè veritatem conuenire dictum à nobis fuit; propterea quòd, dum intellectus obiectum primò apprehendit, deinde verò iudicat, iudicium illud non attingit apprehensionem, tanquam obiectum, sed potius rem ipsam apprehensam, non quidem quatenus apprehensam formaliter, quasi iudicando rem à se apprehensam fuisse (per illum enim directum actum id non assequitur intellectus) sed solùm suppositâ apprehensione, veluti conditione prærequisitâ; proinde nequit eo sensu dici præcipuè veritatem inesse iudicio, eò quòd iudicium habeat pro obiecto cognito conformitatem apprehensionis cum re, atq; adeo veritatem ipsius.

Aduersariorum responsio.

Nec satisfaciunt dicendo veritatem præsertim iudicio inesse, tanquam cognitam, non sic apprehensioni, quod interpretantur, non ut cognoscatur in actu signato, sed tantùm in actu exercito, idque sic usurpandum volunt, ut tunc in actu signato dicatur cognosci veritas, cum ad conformitatem, quæ veritas est, terminatur cognitio; tunc in actu exercito, cum aliquid cognoscitur in se conforme rei cognitæ. Hi porrò dicunt semper intellectum iudicando cognoscere aliquid in se ut conforme, aut difforme rei cognitæ, cum cognoscat aliquod complexum significatum per integrā propositionem, in qua est conformitas, vel difformitas.

Refellitur.

Hæc etiam insulsè dicuntur, nam conformitas inter duo debet omninò exerceri, scilicet inter cognitionem, & rem cognitam, & utrunque conforme dici potest; quod bifariam contingit, vel materialiter, quo sensu dicit rem ipsam, siue cognitionem scilicet, siue rem, quæ cognoscitur; vel formaliter prout conformitatem reduplicat. Dum igitur aiunt intellectum iudicando cognoscere in actu exercito veritatem, quatenus cognoscit aliquid in se ut conforme rei cognitæ, vel intelligitur materialiter, vel formaliter, utrumque falsum, si de actu directo loquamur, per quem intellectus, non iudicat de cognitione, quæ sit rei conformis, & multo minus de ipsa prout conformi. Quod si dicant cognosci rem, quæ est cognitioni conformis; & hoc gemino modo potest contingere, quorum primus non sufficit, secundus fuit iam reiectus. Primus non sufficit, quoniam id non est veritatem attingere; ut si quis cognoscat hominem, qui reipsâ sit sapiens, non tamen eum cognoscat esse sapientem, nullatenus cognoscit sapientiam; ut omittam, quòd hoc non tam propriè iudicio conuenit, ut apprehensioni quoque conuenire dicendum non sit. Secundus dicendi modus fuit iam reiectus eo præsertim nomine, quòd per actum directum id ab intellectu non attingatur, eadem enim est ratio de conformitate cognitionis ad rem, & de conformitate rei ad cognitionem; ut præteream, quòd tunc intellectus iudicando, ne dum attingeret veritatem in actu exercito, sed etiam in actu signato, quod ipsi tamen iudicio denegandum putant.

Quomodo iudicij veritas, à veritate apprehensionis distinguatur.

Specialis igitur, ac præcipua iudicij veritas non meliùs explicari potest, quàm dicendo, ut superiùs innuimus, iudicij veritatem eo secerni ab apprehensionis veritate, quòd hęc indeterminata sit, nullam habens falsitatem oppositam, nisi tantummodo illam, quæ in non attingentia consistit; veritas autem iudicij determinata sit, cui falsitas propriè sumpta aduersetur. Sed de veritate iterum paulo infra.

Sect. 5. Sect. 6. De falsitate paulo post disserendum.

Ad falsitatem nunc se deberet oratio conuertere, quia tamen de ipsa mox rediturus est sermo, propterea silentio, quicquid hâc de re dicendum non iniuriâ præteribo.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Enunciatio, & quotuplex, deque regulis veræ enunciationis.

IAm usus apud Dialecticos inualuit, ut Enunciatio, & Propositio pro eodem sumantur, ita ut per diuersum respectum tantummodo dicantur inter se differre; sola enim si ponatur, dicitur Enunciatio, quasi simpliciter veritatem, vel falsitatem enuncians; eadem verò posita in argumentatione, Propositio dicitur, quasi pro alio posita, nimirum pro inferenda conclusione, ita ut propositio supra enunciationem addat, quod

Enunciatio, & propositio, unde dicantur.

quod proponatur ad aliquid in argumentatione inferendum. Vtimur tamen sic enunciationis nomine, ut aliquando nomen etiam propositionis ad idem significandum usurpemus.

repositio quid. prior 1. 1. peri rmeas cap 4

Geminam enunciationis definitionem legimus apud Philosophum; nam aliquando ab ipso dicitur. φάσις δὲ οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος *Enunciatio igitur est oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo.* Et alibi, Ἀποφατικὸς δ' οὐ πᾶς, ἀλλ' ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει, οὐκ ἐν ἅπασι δ' ὑπάρχει οἷον, ἡ εὐχή· λόγος μέν, ἀλλ' οὔτε ἀληθὴς οὔτε ψευδής. *Enunciatio autem est non omnis, sed ea cui verum vel falsum dicere conuenit; non omnibus autem conuenit, ut precatio est quidem oratio, sed nec vera, nec falsa.* Enunciatio est oratio perfecta, cui verum vel falsum dicere conuenit.

Dicitur *Oratio* ad excludendum nomen, & verbum, ac omnes alios terminos simplices. Dicitur *perfecta* ad excludendos terminos complexos, & orationes imperfectas. Dicitur tandem, *quæ verum, aut falsum significat*, ad excludendas orationes perfectas non enunciatiuas, ut *utinam Deus nos adiuvet*; enunciatiua enim propriè verum, vel falsum significat, ut *Deus est æternus*; *Deus est incorporeus*, &c. Solet autem in dubium verti, quænam prædictarum definitionum quidditatiua sit, & melius rem ipsam explicet. Frequens est interpretum sententia docens definitionem secundam haud esse per essentialia traditam, quoniam veritas, & falsitas sunt propositionis accidentia, & potest una, ac eadem propositio transire de vera in falsam, si materia fuerit contingens, ut hæc propositio *Socrates studet* vera est studente Socrate, qui intermisso studio potest reddere propositionem, siue enunciationem, si tamen hæc perseuerauerit, falsam. Altera autem definitio per affirmationem, & negationem tradita censetur quidditatiua, & magis per essentialia contexta.

Quę per veritatem, & falsitatem conficitur, à quibusdam censetur essentialis non esse, quoniam enunciationis quidditatiuus conceptus, veritatem, & falsitatem naturâ antecedit. Altera per affirmationem, & negationem confecta quidditatiua, & essentialis iure dicetur, quippe quæ per essentiales differentias constituitur, cuiusmodi sunt affirmatio, & negatio; fieri enim non potest, ut propositio ex affirmatiua transeat in negatiuam, aut viciſſim. Et quamuis hoc modo non connotetur affirmationem, & negationem esse differentias essentiales, cum adhuc id verum foret, si affirmatio, & negatio dicerentur propositionis attributa; si tamen rectè attendas, essentiales differentiæ dicendæ, quoniam nihil est in propositione, quod possit naturâ præcedere affirmationem, & negationem; nullus est prior conceptus, quem affirmatio, & negatio præsuponant. Et enunciatio vera est, vel falsa, quoniam affirmatiua est, vel negatiua, non autem contra; non enim affirmatur, vel negatur, quia verum, aut falsum dicitur; sed potius ex eo dicitur verum, aut falsum, quoniam affirmatur, quod est, & negatur, quod non est, aut viciſſim; unde cùm in enunciatione nullus sit prior conceptus, qui affirmationem, & negationem antecedat, ut nuper dictum fuit, & veritas, ac falsitas enunciationis accidentia, affirmationem, ac negationem, præsuponant; consequens fit, ut affirmatio, ac negatio differentiæ sint essentiales enunciationis.

Adnotatio de duplici definitionis genere.

Ad aliquas autem, si quæ sunt difficultates tollendas, ante oculis habendum, quod communi Philosophorum calculo receptum fuit, geminum scilicet esse definitionis genus communioris alicuius naturæ, quorum unum est per purè essentialia, ut si diceremus *homo est animal rationis particeps*; *animal est corpus habens principium sensûs, & motûs*. Secundum genus est quando commune quidpiam definitur per actus suorum inferiorum sufficienter quidem numeratos, ut si quispiam definiret animal per proprios omnium animalium actus. Quamuis enim proprius unius speciei actus, alteri speciei attribui non possit, actus tamen inferiorum superiori, communique conuenire dicuntur, quatenus superius in inferioribus includitur; ut quamuis ridere conueniens homini, alteri speciei ab ipso, veluti equo, conuenire non possit, animali tamen eo quòd includitur in homine, conuenire dici potest. Hæ autem definitiones sunt longè diuersę; definitio enim primi generis, competit secundum omnes partes inferioribus suis sub definitò contentis; at verò definitio secundi generis, haud necesse est, ut secundum omnes sui partes, cuilibet contento conueniat, sed tantùm in sensu distributiuo, & ut aiunt, accommodo. Ita quidem existimant naturalium rerum principia fuisse à Philosopho definita, cùm ipse ait, δεῖ δὲ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι μήτε ἐξ ἄλλων καὶ ἐκ τούτων πάντας *Oportet enim principia nec ex se inuicem esse, nec ex alijs, & ex ipsis esse omnia*; sic etiam se habere animæ definitionem, dum sic animam definit, ἡ ψυχὴ δὴ, τοῦτο. ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτως ἔστι λόγος τις ἢ εἶναι καὶ εἶδος, ἀλλ' οὐχ ὡς ὕλη καὶ τὸ ὑποκείμενον. *Anima vero est id quo viuimus, & sentimus, & intelligimus primò. Quocirca est ratio quædam & forma, non ut materia & subiectum.* Et uniuersè videntur omnia superiora hoc definitionis genere definiri, non prout ab inferioribus abstracta, sed potius prout respiciunt illa, ac in illis inuoluuntur.

1. Phys. Tex. 42.

2. de Anima Tex. 24.

Hinc operosum non erit occurrere, definitionem, hanc enuntiationis per affirmationem, & negationem improbantibus, eoquòd non conueniat secundum omnes sui partes, nimirum propositioni affirmatiuæ, & negatiuæ.

Forsan etiam non ineptè diceretur differentiam, per quam enunciatio in suo constituitur esse, censendum illud disiunctum, nimirum *affirmativum, vel negativum*; ut enim disiunctum aliquod potest alicuius rei attributum esse, ut par, vel impar respectu numeri: rectum & curvum respectu lineæ; sic etiam differentia, scilicet *affirmativum, vel negativum*, enunciationis comparatione.

Definitio enunciationis tradita per veritatem, & falsitatem, non omnino damnanda.

Tametsi autem definitionem traditam per affirmationem, & negationem præferendam dixerimus alteri, quæ per veritatem, & falsitatem exhibetur; non propterea hanc penitus detestamur, ita ut saltem tanquam descriptio admittenda non sit. Si nanque disiunctum istud *verum, vel falsum* diligenter spectetur, se habet ad enunciationem, saltem ut passio, quemadmodum par, & impar ad numerum; quamobrem si descriptio censenda, quæ per proprietatem conficitur, certè hæc, quæ de enunciatione profertur, ita se habebit. Quòd autem disiunctum illud sit enunciationi essentiale, cuique facilè persuasum esse deberet, propterea quòd verum, vel falsum ita conuenit enunciationi, ut necessariò conueniat, & cum eadem conuertatur; omnis enim enuntiatio vera est, vel falsa, & omne exprimens verum, vel falsum enunciatio est; sed de hoc infra.

Enunciatio pluribus modis usurpatur.

Sed ut hæc magis introspiciamus, adnotandum enunciationem pluribus modis usurpari. Primò quidem enunciatio obiectiuè, ut loquuntur, pro re ipsa, nimirum, quæ enuntiatur, quo pacto nil aliud, quam habitudo inter extrema propositionis, videlicet prædicatum, & subiectum, seu, & in idem recidit, est id, quod affirmatur, vel negatur. Enunciatio autem hic accepta est obiectum iudicij, estque id, quod p. r secundam

Digitized by Google

eundam intellectûs operationem attingitur, atque repræsentatur, & idcirco est id, quod per propositionem vocalem significatur. Secundò sumitur formaliter, ut aiunt, prout scilicet in mente resſidet, & est ille actus, quo intellectus unum de alio affirmat, vel negat, dicique solet enunciatio, siue propositio mentalis, estque iudicium ipsum, atque secunda intellectûs operatiò. Tertiò sumi potest significatiuè pro enunciatione, seu propositione vocibus expressa, vel etiam scripto consignata; & hoc modo vicem gerit enunciationis mentalis, cuius loco substituitur tanquam signum eiusdem. Quartò sumi etiã consueuit idealiter, hoc est pro idea, & instrumento apto ad dirigendum iudicium, quatenus intellectus concipit suam secundam operationem, cuiusmodi scilicet esse debeat, ut apta sit, velut idea, & exemplar, seu norma regulare intellectum, ne in exercitio iudicij decipiatur, ita ut ad operationem secundam ita conceptam respiciens, deinceps in exercitio eiusdem operationis errorem omnem declinare possit. Non secus ac docuimus definitionem, ac diuisionem, imo, & syllogismum ipsum usurpari posse, cùm uniuersè de instrumentis sciendi ageremus, ac explicaremus quonam pacto ad dirigendas intellectus operationes conducerent.

Cuiusmodi esse debeat enunciationis idea, præcepta tradendo assequimur.

Cuiusmodi igitur hæc esse debeat idea iudicij, seu enunciationis, ac propositionis, explicandum est, ad eiusdem iudicij directionem. Id porrò & præcepta, & regulas enunciationis tradendo consequimur; sic enim perspecta idea prædicta redditur. Hæc autem considerauda occurrunt. Nempè, quòd enunciatio ex terminis categorematicis subiecto, & prædicato constat. Prædicatum est illud, quòd de alio affirmatur, vel negatur. Subiectum verò de quo aliud affirmatur, vel negatur. Si autem huiusmodi termini fuerint nomen, & verbum, ut *Socrates studet* ad completam enunciationem constituendam, nil aliud requiritur, perfectum enim sensum ita reddit, ut alio non indigeat. Quod si plura sint nomina, necessarium omninò adhibere explicitè copulam, ut cum dicimus *homo est animal*; *homo est corpus*. Dicebam autem explicitè adhibendam, alioquin propositio, quæ ex nomine, & verbo constat, implicitè saltem copulam continet, propterea quòd illa propositio *Socrates studet* resoluitur in hanc *Socrates est studens*.

Enunciatio de tertio adiacente, & de secundo adiacente quid.

Vtraque enunciatio prædicta suam habet nomenclaturam; nam illa, in qua expræsè, & explicitè ponitur copula, præter subiectum & prædicatum, dicitur de tertio adiacente. Talis est illa *homo est animal*, *Socrates est studens*. Altera verò, in qua implicitè tantum ponitur copula, atque adeo propositio constat nomine, & verbo, dicitur de secundo adiacente, cuiusmodi est illa *Socrates studet*, *Socrates est*, & ex propositione de secundo adiacente per expressionem particulæ *est* fit de tertio dicendo *Socrates est studens; Socrates est ens*.

Aliæ etiam partes, etsi non necessariæ, possunt ad constituendam enunciationem concurrere. Ità planè sunt termini complexi, itemque syncategorematici, qui quidem adiunguntur prædicato, vel subiecto.

Signa syncategorematica.

Quædam autem se tenent ex parte copulæ quædam ex parte subiecti. Ex parte copulæ se tenet particula negatiua *non*, ex parte autem subiecti, signa uniuersalia, & particularia.

Ex his autem quatuor præcipuè sunt, aliud enim est signum uniuersale affirmatiuum, ut *omnis*, *quilibet*. Aliud uniuersale negatiuum, ut *nullus*. Aliud signum particulare, dicitur que singulare determinans certam rem, ut sunt *hic*, *iste*, *ille*, signum autem particulare negatiuum non habetur, sed ad efficiendam propositionem particularem negatiuam coniungenda est particula negatiua cum copula, ut si dicatur *Socrates non est miles*.

Quando autem idem est subiectum, & prædicatum, enunciatio dicitur identica, in qua idem prædicatur de se ipso, ut cum dicitur *Socrates est Socrates*, *homo est homo*.

Prædicatio directa, & indirecta quid.

Aduertendum porrò geminam esse prædicationem, quarum una dicitur directa, & naturalis: altera indirecta, & innaturalis. Prior est quando superius de inferiori enunciatur, ut *homo est animal*, vel differentia de specie, vel accidens de subiecto, ut *homo est albus*. Secunda est, quando inferius de superiori prædicatur, ut cum dicitur *quoddam animal est homo*, item species de differentia, ut *rationale est homo*, vel subiectum de accidenti, ut *aliquod album est homo*. Iuxta duplicem hanc prædicationem duplex etiam existit enunciatio, quarum una dicitur de prædicatione directa, & naturali; altera de prædicatione indirecta, & innaturali.

Materia, & forma enunciationis.

In omni autem enunciatione solet materia, & forma recognosci, ita ut ex his, velut ex partibus essentialibus enunciatio constitui dicatur. Termini in enunciatione materiæ munere funguntur. Copula autem terminos connectens dicitur enunciationis forma.

Signa spectantia ad quantitatem, & qualitatem enunciationis, quæ.

Signa uniuersalia, & particularia ad enunciationis quantitatem pertinent. Affirmatio, & negatio, item veritas, & falsitas ad enunciationis qualitatem spectant.

Vt autem de his quædam dicamus. Enunciationis quantitas quædã eius est affectio ex signis uniuersalibus, aut particularibus præfixis subiecto eiusdem enunciationis orta. Si nanque subiecto præfigatur signum uniuersale, efficitur propositio uniuersalis, ut *omnis homo est risibilis*, *nullus homo est lapis*. Si præfigatur signum particulare efficitur enunciatio particularis indeterminata, ut *aliquis homo est albus*, si autem addatur signum singulare, id est certum atque determinatum, efficitur enunciatio singularis atque determinata, ut *hic homo est albus*. Hæc eadem dici solet enunciatio singularis, ut *Socrates studet*, *Plato loquitur*.

Enunciationis quantitas, Vniuersalis. Particularis. Propositio indefinita.

Quando autem subiectum enunciationis communis terminus extiterit, cui tamen nullum signum præfixum fuerit, propositio fit indefinita, ut cum dicitur *homo curit*, *homo studet*.

Aduertendum autem propositionem hanc in duplici materia fieri posse; si nanque fiat in materia necessaria, ut cum dicimus *homo est risibilis* propositio tunc equiualet uniuersali, perindè enim est, ac si dicamus *omnis homo est risibilis*. Si autem fuerit materia contingens, tunc in ea si propositio fiat, æquipollet particulari, ut cum dicimus *homo est albus*, æquiualet enim huic *aliquis homo est albus*. Sic etiam illa propositio, principia rerum naturalium sunt contraria indefinita, cum sit & in materia contingenti, æquipollet particulari, nempè, aliqua principia sunt contraria.

Regula obseruanda.

Hæc autem regula obseruanda, nempè quandocumque fuerit indefinita propositio in materia contingenti, ad eius veram comprobationem satis est, ut in uno particulari vera sit. Et hoc magnopere aduertendum quoniam hoc propositionis genus frequenter in disciplinis adhibetur, insigni enim est usui. Ex huius autem ignoratione noui quendam longè magis petulantem, quàm eruditum, plurimas aliquando nugas effudisse. Iuxta quatuor hos gradus quantitatis in enunciatione, quatuor distinguntur enunciationis genera, uniuersalis, particularis, singularis, & indefinita.

Enunciatio uniuersalis, particularis singularis, & indefinita.

Qualitas autem enunciationis in duplici discrimine est. Prima dicitur essentialis, & consistit in ratione affirmationis, & negationis, quælibet enim enunciatio debet esse affirmatiua, vel negatiua, unde gemina enunciatio consurgit, videlicet affirmatiua, & negatiua. Tunc autem propositio negatiua dicitur, cum negatio

Enunciationis qualitas duplex essentialis,

tio copulam afficit, ut cum dicitur homo non est equus. Quando verò negatio afficit aliquem terminum, ut si afficiat prædicatum, quemadmodum in hac propositione contingit, *homo est non equus*, tunc enunciatio non est negatiua, sed affirmatiua de prædicato negatiuo, & infinito, benèq; fieri poterit negatiua, si addatur negatio ex parte copulæ dicendo nimirum *homo non est non equus*. Illud autem signum uniuersale negativum *nullus*, quamuis sit subiecto iunctum, ut cum dicimus nullus homo est equus, intelligitur tamen copulam afficere, propositionemque reddere negatiuam. Cum enim dicimus *nullus homo est equus*, iste redditur sensus, *hic homo non est equus, ille non est equus, & sic de omnibus, ac singulis*.

Non dissimiliter quando prædicatum fuerit aliquod verbum, ut *Socrates studet*, si enunciatio fiat negatiua, tunc negatio copulam afficit, perindè enim erit dicere *Socrates non studet*, ac dicere *Socrates non est studens*. Quod si propositio fiat hunc in modum *Socrates est non studens*, tunc enunciatio erit affirmatiua, de prædicato tamen infinito.

Alia est qualitas enunciationis, suo loco pluribus explicata, & in veritate, ac falsitate consistit; omnis enim enunciatio, aut vera est, aut falsa; tunc enunciatio vera censetur, quando enunciat rem, sicut est in se. Enunciatio autem falsa oppositò se habet modo, quando scilicet non enunciat rem, sicut est in se.

Nunc proximum est, ut species enunciationis percurramus. Diuiditur autem primâ sui diuisione in simplicem, seu categoricam, & in compositam, siue hypotheticam, tanquam in species principaliores. Simplex est, quæ simpliciter unum de alio affirmat, aut negat, ut *Socrates est sapiens*; *homo est animal rationale*. Et constat subiecto, & prædicato, itemque copulâ vel formaliter, vel virtute, tanquam partibus principalibus. Composita est, quæ ex pluribus simplicibus simul iunctis constat, ut *Socrates est sapiens, & iustus: si Sol lucet, dies est*. Propositio simplex, ideo categorica dicitur, quoniam in hac propositione semper prædicatum dicitur de subiecto; sic enim appellatur à verbo Græco κατηγορία, quod latinè redditur *prædico*. Additur in definitione *tanquam partibus principalibus*, propter syncategoremata, quæ propriè non sunt partes enunciationis. Dicebatur copulam in ea contineri, aut virtute, aut formaliter; priori modo contingit, quando loco prædicati habetur verbum, fitque propositio de secundo adiacente, ut cum dicitur *homo ambulat* virtute namque, ac implicitè in hac enunciatione, continetur copula, *est* resolui siquidem potest, ut supra dictum fuit in eam, quæ explicitè copulam continet.

Composita dicebatur hypothetica, eò quòd constat pluribus categoricis particulâ aliquâ inter se coniunctis, ut *Socrates studet, & fit doctus*. Dicitur autem hypothetica à Græcis dictionibus ὑπὸς, & θέσις, id est *sub*, & *positio*, quasi suppositio, propterea quòd in ipsa, una propositio supponitur alteri.

In propositione categorica quatuor considerandæ sunt, quæ etiam hypotethicis accomodari possunt, ut superius innuimus. Sunt autem forma, materia, quantitas, & qualitas metaphorâ desumptâ ex physicis corporibus. Forma propositionis est copula, quæ afficit unionem prædicati cum subiecto secundum affirmationem, vel negationem, quæ interdum in unica propositione duplex esse potest, una principalis, & alia minus principalis. Quandoque enim contingere solet, quòd subiectum sit unica tantum dictio, ut cum dicitur *homo est animal*, quandoque una oratio, ut cum dicitur *homo sapiens est bonus*, quandoque unica etiam propositio, ut cum dicitur *homo, qui est sapiens, amat Deum*, vel cum dicitur *homo est animal, est propositio*, in his enim, & similibus integra propositio rationem habet subiecti, & copula propositionis gerentis vicem subiecti, dicitur copula minus principalis, quoniam ex illa veritas, vel falsitas propositionis non attenditur, sed ex secunda, quæ propterea principalis copula nuncupatur.

Materia sunt obiecta, in quibus, vel de quibus enunciatio formatur, atque cognoscitur per habitudinem prædicati ad subiectum, unde quotuplex ea est, totuplex etiam enunciationis materia. Primò igitur, si connexio hæc necessaria fuerit, adeo ut prædicatum necessariò iungatur subiecto, ut cum dicitur *homo est animal*, materia dicitur necessaria, atq; adeo propositio dicitur in materia necessaria. Secundò si connexio fuerit contingens, adeo ut subiectum, & prædicatum contingenter nectantur; ut cum dicitur *homo est albus*, enunciatio dicitur in materia contingenti. Tertiò si neutro modo subiectum, & prædicatum fuerint coniuncta, ut cum dicitur *homo est lapis*, enunciatio in materia dicitur impossibili, siue remota. De hac autem triplici propositionum materia hæ dantur regulæ. Enunciationis materia.

Quandocumque propositio fuerit affirmatiua in materia necessaria, semper est vera, ut *homo est animal*. Negatiua autem semper est falsa, ut *nullus homo est animal*. Prima regula.

Quandocumque propositio fuerit negatiua in materia remota ut *nullus homo est lapis* semper est vera, si autem fuerit affirmatiua, ut *omnis homo est lapis* semper est falsa. Secunda regula.

Quandocumque autem propositio fuerit in materia contingenti, utraque propositio tam affirmatiua scilicet, quam negatiua potest esse vera, & utraque falsa, *vt omnis homo currit, nullus homo currit*, item *aliquis homo currit, aliquis homo non currit*. Tertia regula.

Quantitas autem propositionis est, quæ explicat extensionem, vel restrictionem propositionis, nempè quòd sit, vel uniuersalis, cuius subiectum scilicet est terminus communis uniuersali signo determinatus, ut *omnis homo est animal, nullus homo est lapis*; vel particularis, cuius subiectum scilicet est terminus communis signo particulari determinatus, ut *quidam homo currit, aliquis homo non currit*; vel est indifferens, quæ habet pro subiecto terminum communem nullo signo notatum, ac proindè dicitur indefinita, *ut homo est animal; homo est albus*. Iam superiùs dictum fuit, hanc propositionem indefinitam factam in materia necessaria, vel remota, æquialere uniuersali; hæc enim propositio *homo est animal* idem valet, ac *omnis homo est animal*; hæc verò altera *homo non est lapis* idem valet, ac *nullus homo est lapis*. At si fuerit in materia contingenti, indefinita propositio æquialet particulari, unde *homo studet*, idem valet, ac *aliquis homo studet*. Vel demum singularis est, cum videlicet subiectum est terminus singularis, ut *Socrates studet*, vel communis signo demonstratiuo notatus, ut *hic homo, studet*. Vnde perspicuum est propositionis quantitatem attendi solùm ex parte subiecti, qualecumque fuerit prædicatum; hoc enim quamuis uniuersale extiterit, subiecto existente singulari, propositio adhuc singularis est, ut *Socrates est homo*, singularis est propositio, quamuis prædicatum sit terminus communis. Enunciationis quantitas.

Qualitas propositionis est affirmatio, & negatio, veritas, & falsitas; hoc tamen intercedente discrimine, quòd affirmatio, & negatio dicitur qualitas intrinseca, & essentialem differentiam constituit; veritas autem, & falsitas ad qualitatem extrinsecam spectare, & accidentariam differentiam constituere dicuntur. Enunciationis qualitas affirmatio, & negatio.

Dicuntur autem propositionis qualitates, quoniam

Digitized by Google

interroganti qualis est propositio, solemus respondere veram, vel falsam, affirmatiuam, vel negatiuam esse.

Affirmatiua. Negatiua. Propositio affirmatiua est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto; negatiua verò, in qua negatur. Ad enunciationem negatiuam requiritur, ut negatio cadat super copulam præcipuam, siue præcipuum verbum; proinde si negatio sit coniuncta cum nomine, seu cum subiecto, vel prædicato, propositio negatiua non erit, sed affirmatiua de termino, vel terminis infinitis, ut *Socrates est non lapis; non lapis est homo; non lapis est non homo*. Neque si negatio coniuncta sit cum copula minus præcipua, propositionem efficit negatiuam, cuiusmodi est hæc, *qui non dat operam studijs bonarum artium est iners*, hæc enim propositio affirmatiua est, non negatiua. Oportet igitur, ut negatio coniuncta sit cum verbo præcipuo, quemadmodum est hæc propositio, qui dat operam studijs bonarum artium non est iners.

Diuisio propositionis in veram, & falsam. Diuisio autem propositionis in veram, & falsam essentialis non est, neque generis in species, sed potius subiecti in accidentia, non secus ac si diuideremus hominem in album, & nigrum. Hoc autem intelligendum, si veritas, & falsitas credantur enunciationis accidentia; consequens enim sit, ut diuisio essentialis non sit. Veritas autem, & falsitas accidentia erunt, quando propositio possit ex vera mutari in falsam, & vicissim ex falsa in veram per intrinsecam mutationem &c.

Diuisio in affirmatiuam, & negatiuã. At verò enunciationis alia diuisio in affirmatiuam, & negatiuam essentialis est, adeoque veluti generis in species, ita ut enunciatio affirmatiua, & negatiua verè essentialiter differant, & uniuocè conueniant in communi enunciationis ratione. Hoc mihi videtur inde constare, quoniam enunciationis differentia consistit in differentia iudicij mentalis; at affirmare, & negare, assentiri, & dissentiri, componere, & diuidere essentialiter differunt, quinimo circa idem obiectum contraria sunt; ergo has differentias enunciationis essentiales esse necesse est.

Affirmatiua, & negatiua uniuersale conueniunt. Et quoniam datur conceptus enunciationis, atque iudicij generatim accepti, qui contrahitur per affirmationem, & negationem; ob id perspicuum est propositiones affirmatiuas, & negatiuas in communi quadam ratione uniuocè conuenire.

Suspicabitur quispiam oppositum esse veritati conformius, coquòd affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo: negatio verò enunciatio alicuius ab aliquo; sed hæc ad qualitatem enunciationis pertinent; non igitur diuisio enunciationis in affirmatiuam, & negatiuam essentialis erit, quin potius subiecti in accidentia.

Perperam tamen sic arguitur, quoniam cum dicitur affirmatio, & negatio ad qualitatem enunciationis pertinere, qualitatis nomine, non quæ accidentaria est, sed quæ essentialis intelligenda, ad differentiam quantitatis, quâ enunciatio dicitur uniuersalis, vel particularis, eo præsertim quòd essentiales differentiæ diuidentes genus in species, dici solent qualitates.

Difficultas proponitur, simulque diluitur. Nec aliquid momenti habet, quòd eadem propositio, quæ affirmatiua est, possit negatiua fieri absque alia varietate, quàm per additionem negatiuæ particulæ, ut *homo est albus; homo non est albus*. Hoc inquam nihil habet momenti, nam ad identitatem propositionis non sufficit extremorum identitas, unde quamuis eadem videatur propositio, re ipsâ tamen non eadem est. Sicut non est idem iudicium affirmativum, & negativum in mente, quibus respondent vocales enunciationes, unde mentis iudicium fieri non potest de affirmatiuo, negativum, nisi per mutationem integram unius actûs in alium.

Ex quo facilè intelliges voeales etiam enunciationes, quarum una affirmatiua est, alia negatiua essentialiter differre quamuis eadem extrema sint, propterea quòd substituuntur loco conceptuum mentis; quemadmodum igitur mentis actus affirmans, & negans essentialiter differunt, sic etiam enunciationes vocibus expressas inter se differre sentiendum. Idem dicendum de enunciationibus vocalibus.

Non dissimulandum tamen hoc cum quadam analogia contingere, quæ tamen cum uniuocatione cohæret; affirmatio enim quodammodo perfectior est negatione, itemque prior, cùm priùs esse soleat iudicare, quid res sit, quàm quid non sit; quò pertinet illud Philosophi dictum. *Est autem una prima oratio enunciatiua affirmatio, deindè negatio.* Analogia uersio.

Alia autem enunciationis diuisio in uniuersalem, & particularem &c. abundè fuit in Institutionibus explicata, quædam tamen hîc adijcere non pigebit, eó vel maximè, quòd hæc præcipua quædam est enunciationis diuisio, sumpta quidem ex parte quantitatis.

Solet autem in dubium verti, an huiusmodi enunciationes essentiali, an verò accidentario discrimine, distinguantur; de quo non idem Philosophorum consilium. Quæritur, an enunciationes præbeant essentiales differentias. Affirmo.

Dicendum tamen existimo iuxta iam tradita, differentiam de qua loquimur, non se tenere ex parte modi iudicandi, sed potius ex parte materialis obiecti. Hoc inde mihi certum, quoniam iudicium, quod elicit intellectus de quopiam particulari, ab eo, quod elicit de aliquo communi, eo nomine differre tantummodo videtur, quoniam iudicium de uniuersali plura complectitur ex parte subiecti in eo, quod attingit, obiecto. Ita quidem iudicium, quo intellectus iudicat aliquem hominem esse doctum ab eo, quo iudicat omnem hominem doctum esse, ex eo tantùm differt, quòd hoc secundum ex parte subiecti in obiecto complexo, cuius consideratione detinetur, plura complectitur. Quid hac de re dendum.

Hinc, opinor, inter has enunciationes in lucem prodit essentiale discrimen. Omnis enim cognitionum differentia, talis existimanda, qualis est ex obiectis proueniens, cum per ordinem ad hæc unaquæque cognitio in suo esse specifico constituatur: at huiusmodi est differentia prædicta; ergo non ineptè nos essentialem eam esse dicimus, cùm talis sit, quæ ex obiectis differentia sumitur. Colligitur inter enunciationes prædictas essentiale esse discrimen.

His, quas diximus, propositionibus addi possunt propositiones singularis, & indefinita, ut paulo antea dixi. Illa est, cuius subiectum est aliquod singulare determinatum, ut *Socrates est doctus*. Altera autem, quæ subiecto communi constat, nullo tamen præfixo syncategoremate uniuersali; ut hæc propositio *Homo est albus*. De hoc secundo propositionum genere his adhuc sub iudice, & nihil est apud Philosophos magis controuersum, aut diuturnioribus contentionibus exagitatum, quàm quid hac de re sentiẽdum; etsi ex proximè traditis perspicuè constet, adhuc quædam adijciam, ad inquirendum, num huiusmodi enunciationes dicendæ sint uniuersales, an particulares; superiùs diximus in materia contingenti æquipollere particulari, sed in materia necessaria, æquiualere uniuersali; ut autem hoc magis constet, in eandem considerationem incumbam. Supponendum autem accipi solitariè, & extra quamlibet orationis seriem, vel saltem ab antea dictis, dicendisque minimè determinatas; neminem enim fugit enunciationis aliàs ambiguæ, sensum ex loquentis oratione erui posse. Enunciatio singularis, & indefinita.

Sunt qui putant, enunciationem indefinitam in quacunque materia uniuersalem esse, cum aliquid de communi termino affirmatur, ac ob id in materia quoque contingenti, non esse enunciationem particularem, sed Quorundam opinio de enunciatione indefinita.

sed uniuersalem, falsam tamen esse dicendam; ita sentire videntur eâ ratione compulsi, quoniam de hujusmodi enunciationibus homines non aliud iudicium ferunt naturâ duce; eum illas ut falsas reijciant, quando in uniuersum veræ non sunt, saltem, ut loquuntur, uniuersalitate morali, quam in communi sermone de rebus, quæ passim aguntur, sufficere quidem existimandum. Duplicem enim uniuersalitatem agnoscunt, quarum unam metaphysicam, alteram moralem appellant. Primam esse dicunt illam, quæ est perfecta, & sine omni exceptione, ut *Omnis homo est animal*. Secundam aiunt esse illam, quæ non est sine omni exceptione cùm in moralibus sufficiat, si res *ut plurimum* ita se habeat; iuxta quam uniuersalitatem D. Paulum dictum illud aiunt ut verum usurpasse *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*: & alibi. Sic & illud Lyrici intelligendum iubent.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Vt nunquam inducant animum cantare rogati;
Iussi nunquam desistant.

Addunt sic etiam vulgò dici, *Mulieres sunt garulæ*: *Adolescentes inconstantes, & varij. Senes laudatores temporis acti*. Concludunt igitur, ad veritate comprobandas huiusmodi enunciationes sufficere, ut plurimùm rem sic se habere. Hæc apud ipsos uniuersalitas moralis dici debet.

In confirmationem supradictorum de propositionibus indefinitis, illud addunt, nempe; quis unquam dicentem feret Vrsos esse albos; *Homines nigros, Parisienses nobiles* &c. Et nihilominus ex aduersariorum sententia tales enunciationes cum veritate consentiunt, siquidem indefinitæ, proindeque tanquam particulares habendæ sunt. At satis cuique notum quosdam ursos esse albos, ut in noua Zembla, quosdam homines esse nigros, ut in Æthiopia, quosdam Parisienses esse nobiles &c. Dicunt igitur huiusmodi propositiones in quacunque materia factas, esse uniuersales, sed in materia contingenti sufficere uniuersalitatem moralem; quanuis enim de omnibus particulatim intellectæ, sint à veritate remotæ, attamen ex parte saltem veritate comprobantur, quod sufficit, ne falsæ dicantur. Aliam distinctionem addunt dicentes, prædictas propositiones in materia doctrinali uniuersales esse censendas; cuiusmodi est illa, *Angeli sunt incorporei*. At rebus, ut aiunt, factis, & in narrationibus Historicis esse particulares, ut cum dicitur, *Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius*. Vbi aliqui milites, non omnes intelliguntur. Rationem reddunt in eo constitutam, quoniam res gestæ singulares, præsertim si cuidam certo tempori determinatè assignentur per terminum communem, ut plurimùm non exprimuntur, nisi aliquâ additâ proprietate, & ut barbarè dicunt, particularitate, cuius distincta idea est in mente facientis propositiones; adeo ut re diligentiùs inspectâ, non obscurè constet, huiusmodi propositiones potius singulares esse dicendas. Pro Deum immortalem, quid non potest innouandi libido! in quos labyrinthos non trahit! Tam splendida doctrina est, quam à veteribus hac de re accepimus, ut, rectè tamen percepta, nullam subire difficultatem possit; & nihilominus non desunt, qui tanquam veritatem fastidientes, noua sectentur. Quid enim quæso est illa propositio uniuersalis uniuersalitate morali, quam in materia contingenti sufficere affirmant, ut propositio uniuersalis dicatur? Certè nil aliud quàm propositio, quæ ut veritate comprobetur, non requirit in omnibus habere locum, cùm ei sufficiat in aliquibus, immo in vno tantùm. Adhuc enim vera propositio foret *Homo currit*, quanuis unicus homo curreret. Immo in hanc partem mihi sanè videntur peccasse, quòd putent ad hoc moralem uniuersalitatem requiri; nam si rectè aduertant, nullo negotio intelligent ad uniuersalem propositionem uniuersalitate morali, opus esse, ut si non in vniuersum, saltem magnâ parte ita se habeant ea de quibus fit propositio. Si nanq; unicus homo curreret, propositio illa *Homo currit*, utpote indefinita, & in materia contingenti, æquipolleret huic, *aliquis homo currit*, proindeque vera foret; sed ineptè uniuersalis uniuersalitate morali diceretur, qualis profecto non esset, nisi homines magnà parte currerent. Veterum itaque retentâ doctrinâ dicendum enunciationem indefinitam in materia contingenti æquipollere particulari, quam uis in materia necessaria uniuersali æquiualeat.

Adnotatio. Illud autem quibusdam videtur notatione dignum, nempe quasdam enunciationes esse, quæ inter metaphysicas uniuersales numerari debent, quanquis aliquas exceptiones habere possint, nimirum cum huiusmodi exceptiones exoticæ sunt, qualesque ex communi usu sub terminis uniuersalibus non comprehenduntur. *Vt omnes homines habent duos oculos*. Hanc enunciationem iuxta communem usum veram esse contendunt, quanuis obijci posset dari aliquem monoculum, quia tales enunciationes intelligendæ sunt iuxta naturæ ordinem.

Aliæ enunciationes vniuersales. Aliæ quoque sunt enunciationes, quæ uniuersales perhibentur, quia in ipsis fit prædicatio *de generibus singulorum* non autem *de singulis generum*: hoc est *de singulis generum speciebus*, non autem *de omnibus specierum individuis*; Ita qnidem omnia animalia dicuntur in arca Noe conseruata fuisse, quoniam aliquod singularum specierum ibi seruatum fuit.

Aliæ etiam propositiones. Præterea quædam propositiones uniuersales tantummodo sunt, quia subiectum per prædicati partem restringitur, quod intelligendum quando prædicatum complexum est duabus partibus constans; ut cum dicitur, *Omnes per Adamum moriuntur*, quæ huic æquipollet, ij qui moriuntur, per Adamum moriuntur; Vnde moriuntur sub intelligi debet ex parte subiecti, cum dicitur *Omnes per Adamum moriuntur*.

Enunciationes in quibus adhibentur nomina collectiua. Amplius, sunt quædam propositiones, in quibus adhibentur nomina collectiua *Populus, Communitas &c.* Huiusmodi autem propositiones uniuersales non sunt, vnde si fiat propositio, *Romani Carthaginenses vicerunt*, uniuersalis non est, non enim quemlibet Romanum dici potest Carthaginenses vicisse, nec etiam particulares sunt. Vnde hæc, quam in exemplum attuli, particularis non est; cum plus in ea habeatur, quàm si diceretur aliquos Romanos de Carthaginensibus egisse triumphum: Huiusmodi igitur propositiones sunt potius singulares dicendæ, quia illa multitudo sumitur per modum unius, qualis est prædicta, quia Romani, nempe Romanorum multitudo sumitur tanquam homo moraliter unus plura sæcula viuens, & quidem tandiu, quandiu respublica durat. Consule quæ in Institutionibus dixi.

Arist. lib. 1. de Interpret. cap. 4.

Diuisio enunciationis in simplicem & coniunctam. Tertia enunciationis diuisio est in simplicem, & compositam siue coniunctam. Simplex est, quæ ex subiecto prædicatoque constat; ut *omnis homo est risibilis*, *Socrates est doctus*. At enunciatio composita est, quæ constat ex pluribus simplicibus simul iunctis. Cuius plures sunt species, nempe conditionalis, ut *Si Sol lucet, dies est*. Copulatiua, ut *Sol lucet, & dies est*; & aliæ huiusmodi generis assignari commodè possunt.

Opinio quorundam de enunciationibus coniunctis. Non leuis est contentio de enunciationibus coniunctis. Plerique Philosophorum existimant per enunciationem coniunctam importari plures actus iudicij in intellectu correspondentes pluribus partibus, nimirum enunciationibus simplicibus, ex quibus illa constat:

Addunt porrò huiusmodi actus uniri in mente per quendam unionis modum correspondentem particulæ coniunctiuæ, quæ in voce coniunctam propositionem constituit; & quidem particulæ *Et* in propositione copulatiua: particulæ *Vel* in propositione distinctiua &c.

Assentio decernens enunciationem coniunctam esse actum vnicum mentis.

Maximè nobis placet hac in re sententiam eorum amplecti, qui dicunt enunciationem coniunctam esse in mente unum simplicem actum iudicij, habentem pro obiecto suo coniunctionem, quæ inter plures enunciationes simplices reperitur.

Prima ratio.

Primò suaderi potest assertio, quoniam enunciatio de qua fit sermo dici nequit in mente solùm esse plures actus iudicij simul existentes; hoc enim modo non foret una enunciatio coniuncta, sed solùm plures simplices absque connexione inter se; quod adeo certum, ut nihil magis. Et ineptè admodum illi crediderunt plures iudicij actus unionis modo superaddito coniungi; quis enim animum hâc potest informare sententiâ? vix nanque sine unione, nexvue simplices enunciationes simul in mente, cum ipso autem unionis modo ne vix quidem intelligi possunt. Præstat igitur affirmare coniunctam enunciationem in mente certum quendam iudicij actum circa uniuersum obiectum.

Secunda ratio.

Secundò. Vt se habet copula *est* in enunciatione, seu propositione simplici, ita se habet copula coniunctionis in enunciatione coniuncta; at copulæ *est* in enunciatione simplici correspondet simplex iudicij actus; ergo etiam copulæ coniunctionis in enunciatione coniuncta.

Tertia ratio.

Tertiò. Enunciatio coniuncta non est existimanda affirmatiua, vel negatiua, eo quòd partes ex quibus constat sint per se affirmatiuæ, vel negatiuæ: sed ex eo tantùm, quia copula coniunctionis sit affirmatiua, vel negatiua, adeo ut una sola negatio sit apponenda copulæ, ut tota enunciatio dicatur negatiua. Quamobrem hæc enunciatio *Socrates non studet, & Plato non currit*, est affirmatiua; ut hæc *Non Socrates studet, & Plato currit*, est negatiua: Hoc autem euincit in mente unum adæquatum esse iudicij actum circa totam propositionem coniunctam, quæ nimirum formaliter coniunctionem ipsam attingat; huiusmodi verò iudicium vel esse affirmatiuum, vel negatiuum de coniunctione prædicta; Si nanque pluribus iudicijs constaret, nulli dubium, quin unum esse posset affirmatiuum, alterum autem negatiuum.

Quarta ratio.

Quartò. Illud accedat, quod in re de qua agitur, non exiguum habet momentum, quoniam eam ob causam enunciatio coniuncta, vel est absolutè vera, vel absolutè falsa, nec partim vera, & partim falsa, quoniam ei unicus respondet assensus in mente, qui vel verus, vel falsus est; non enim potest partim esse verus, & partim falsus; at si plures responderent assensus: nihil obstaret quo minus, esset unus verus, alter autem falsus.

Hæc porrò, ut euidentiùs constent, iuvabit varias enunciationes coniunctas expendere. E quibus prima sit conditionalis, ut *Si Sol lucet dies est*. Neminem præterit, unicum esse mentis assensum circa connexionem effectûs cum conditione, nec circa partes enunciationis alium assensum esse. Vnde illud effluxit. *Conditionalis nihil ponit in esse*. Alioquin assensus non conditionalis, sed absolutus foret.

Enunciatio coniuncta, conditionalis.

Disiuncti-ua.

Succedat disiunctiua, de qua idem planè sentiendum, enimverò si sit enunciatio *Vel Plato studet, vel non studet*. Hac ita se habet, ut circa duplicem eius partem non detur duplex assensus, sed unicus tantùm circa disiunctionem ipsam; nam alioquin ad veritatem enunciationis disiunctiuæ, requireretur veritas utriusque partis, cùm tamen unius certè sufficiat. Superior enim enunciatio; ut sit vera, sat est, Platonem studere; aut non studere; alterutrum enim ponatur, enunciatio *Vel Plato studet, vel non studet*, vera erit. Hactenus dicta in copulatiua pariter enunciatione cernuntur, ut si sit hæc de qua loquimur enunciatio *Socrates currit, & Plato sedet*. Non est cogitandum dari geminum assensum distinctum circa singulas enunciationis partes, sed unicum circa totam enunciationem, & utranque partem, quo intellectus affirmet talem copulationem, quæ veritatem utriusque partis requirit. Hoc autem facilè constat; nam si negatiua fiat propositio. *Non Socrates currit, & Plato mouetur*, Vnus est actus iudicij negatiui, talem copulationem negans. Hoc ex eo conijcere cuique licebit, quia una tantummodo pars huius enunciationis sit falsa, etiam si altera per se sit vera, nihilominus integra enunciatio dicitur falsa, eo quòd unus est in mente assensus falsus; nam si alioquin duo forent assensus, pro binario numero partium, alter eorum posset esse verus; sed quoniam unicus est, cum fuerit falsus, alterutrâ parte existente falsa, nequit esse verus, sed omnino falsus esse debet; quanuis altera partium vera sit. Hoc euidentius colligitur ex huiusmodi enunciationis animaduersione. Si nanque sit enunciatio. *Socrates currit, & Plato sedet*. Supponamus Socratem non currere Platonem autem sedere; enunciatio erit falsa, cùm secus se res haberet, ac si per enunciationem repræsentaretur, & nihilominus pars altera vera esset, nempe quòd Plato sederet; si autem duplex esset assensus, unus foret falsus, alter verus; enunciatio aut integra non diceretur falsa.

Difficultas.

Grauis tamen est hac de re difficultas; propterea quòd cùm inter disputandum his utimur propositionibus, iubemur respondere, negando, vel primam, vel secundam partem; hoc autem inditio esse videtur non unicum, sed geminum assensum esse. Hac tamen ratiocinatione nihil conficitur; nos enim ad eum modum respondendo, non significamus duplicem assensum esse, sed solùm intendimus enunciationem negare, quoad eam partem, quam assensus, quanuis unicus, importat, tanquam à veritate alienam, quod optimè cum assensûs unitate cohæret; negatio siquidem cadit supra id, quod se tenet ex parte obiecti, cùm perinde sit ac inficiari rem eo se habere modo, prout enunciatio consistens in vocibus significat, & cognitio, siue mentis actus repræsentat, quoad partem, cui difformis re ipsâ est.

Solutio.

Enunciatio exclusiua.

Sunt etiam aliæ enunciationes nempe exclusiua ut *solus Socrates studet, & nullus alius studet*; item exceptiua, ut *omnes student præter Socratem*, hoc est omnes alij student, & Socrates non studet. Item causalis, ut *quia Sol lucet dies est*; de omnibus enim ferendum idem iudicium, scilicet in omnibus unicum assensum esse. Superest enunciatio, seu propositio rationalis, ut *dies est; ergo Sol lucet* de qua ita sentiendum. Nempe si in mente re verâ exerceatur hæc illatio; profectò in mente duo erunt assensus, nimirum unus circa antecedens, alter circa consequens; hoc tamen discrimine, quòd primus erit simplex iudicium, atque adeo actus ad secundam intellectûs pertinens operationem; at verò secundus erit iudicium illatitium ad tertiam operationem pertinens; Vnde fit, ut non sit propositio, proindeque ad secundam operationem pertinens, sed ratiocinatio, siue argumentatio, nimirum enthymema, se habens tanquam syllogismus imperfectus. Quod si talis propositio fuerit accepta sic, ut actu non exerceatur illatio in mente, itaut ex cognitione antecedenti inferatur consequens, sed bonitas duntaxat consecutionis expendatur, quæ per tertiam mentis operationem potest exerceri, ac proinde iudicium de bonitate illa-

tionis

tionis feratur, tunc propositio ad secundam intellectûs operationem pertinet. Hoc planè contingit, cum iudicamus de modo ratiocinandi iuxta hanc vel illam figuram; ut cum dicimus, modum ratiocinationis in Barbara, probè concludere, & ita de alijs; ita cùm affirmamus ritè deduci diem esse ex præsentia Solis, aut contra ex eo quòd dies est, rectè inferri Solem ipsum lucere, & alia huiusmodi. Huiusmodi autem enunciationibus unicus in mente respondet assensus, qui simplex omnino est, cùm tamen ratione obiecti compositus dicatur, quatenus nempe circa compositum obiectum exerceatur; adeo ut omnis compositio ex parte obiecti se teneat, ut superiùs in diluenda, quę ibi proponebatur, difficultate breuiter innuimus dicendo, quando negari solet aliqua propositio, quoad primam, vel secundam partem, intelligendum negationem cadere supra id quod se tenet ex parte obiecti, in quo datur illa compositio, ratione cuius simplex ac unicus assensus est simul capax negationis, & concessionis, prout scilicet, unam vel alteram obiecti partem propriâ tamen illesâ simplicitate, concernit: Hæc eadem compositio cernitur in vocibus, super quas etiam negatio illa cadere dicenda est.

Perquisitione dignum & illud sequitur, an enunciationis diuisio in simplicem, & compositam, siue coniuncta m uniuoca sit, vel analoga, an uniuoci in uniuocata, an potius analogi in analogata.

Sunt quibus videtur solùm analoga diuisio omnem uniuocationem excludens, ob eam causam, quoniam enunciatio, siue propositio coniuncta ex simplicibus tanquam ex partibus constat; at verò totum, inquiunt, non conuenit uniuocè cum partibus in communi ratione; Accedit ex eorum sententia quòd propositio simplex est propriè una, at verò coniuncta est tantùm una per modum quendam coniunctionis, ut propterea Philosophus simplicem enunciationem appellauerit simpliciter unam, at compositam, non simpliciter, sed duntaxat coniunctione unam.

Alijs placuit enunciationis hanc distributionem esse uniuocam generis in species: eo quòd sufficiat, ut propositio coniuncta aliquid addat ultra simplices, sitque per compositionem una.

Alij tandem ita hac de re sentiunt, ut arbitrentur differentiam, & diuisionem esse solùm accidentariam, quoniam eædem propositiones per se sumptæ, sunt simplices, at una composita, simul illis acceptis.

Re tamen diligenter inspectâ, videtur dicendum enunciationis distributionem allatam in simplicem, & coniunctam non esse analogam, si per hanc analogiam intelligatur uniuocatio excludi.

In hanc autem sententiam mihi videor esse propensus eo quòd enunciatio sumpta prout in mentis actu consistit, simplex est, itaut admittendum non sit eam ex pluribus simplicibus constitui. Vt omittam enunciationi compositæ non deesse propriam, atque peculiarem unitatem, qua nimirum dicatur una.

Neque momentum aliquid habet Philosophi testimonium: hoc siquidem non constat compositam enunciationem prout consistentem in actu mentis, non esse unam, eoquòd appellauerit illam, coniunctione unam: sic enim locutus est, quoniam ad enunciationis obiectum vel enunciationem prout consistentem in vocibus respexit.

Dicendum præterea diuisionem hanc non esse accidentariam.

Hoc inde redditur satis euidens, quia si talis diuisio foret enunciationis, sequeretur eosdem actus in mente, qui sunt simplices propositiones, posse in unam compositam facessere, quod à veritate plurimùm distat; enim verò actus, quos elicit intellectus non eius naturæ sunt, ut possint hanc μετεμορφόσιν, *metamorphosin* subire.

Tandem asserendum enunciationis distributionem in simplicem, & compositam, essentialem esse tanquam generis in species per differentiam ex parte obiecti desumptam. **Assertio affirmans esse essentialem.**

Huius assertionis veritas ex hucusque disputatis colligi potest; Quandoquidem reiecimus alios dicendi modos, velut illos, à quibus veritas abhoret, propterea solùm hic supereſt rationi consentaneus, cui plaudere operæ pretium sit.

Ratio autem potissima videtur esse, quoniam, tam simplex, quàm composita enunciatio rationem habet iudicij, itaut in communi naturaiudicij, secundæque operationis intellectûs conueniant; differunt autem per ordinem ad obiecta; ergo differunt essentialiter, ex eo quòd omnis differentia cognitionis desumpta ex obiectis, essentialis est; propterea quòd cognitio omnis, inuoluit essentialiter ordinem ad obiectum, & idcirco ex diuersitate ordinis ad obiecta, distinctio prouenit essentialis; cùm itaque differentia inter commemoratas cognitiones ex diuersa tendentia ad obiecta desumatur, sequitur eam essentialem esse. **Ratio.**

Quarta est autem enunciationis diuisio in absolutam, quæ etiam dicitur de ineſſe; ut *homo est risibilis*, & modalem, ut *necesse est hominem esse risibilem*. Dubitari potest de actu, quem intellectus elicit, dum modalem propositionem efformat; & iuxta paulo antea dicta, asserendum est propositionem modalem in mente non constitui ex illo iudicij actu, qui haberi potest absolutè circa propositionem de ineſſe, nempe, quo cognoscit hominem esse risibilem, & actu aliquo illi superaddito, itaut superaddatur priori actui, alius actus iudicij de modo, quicunque ille sit, vel scilicet necessitatis, vel contingentiæ &c. sed potius unum esse simplicem actum, & assensum formaliter circa connexionem modi cum dicto, nempe circa connexionem necessitatis (ut in eodem persistamus exemplo) cum dicto, puta cum homine risibili, cum diceremus necesse est hominem esse risibilem. **Quarta enunciationis diuisio in eam quæ est de ineſſe, & aliam, quæ dicitur modalis.**

Superior autem diuisio essentialis est, quippe quæ traditur per ordinem ad obiecta. **Superior diuisio est essentialis.**

Quinta est diuisio in enunciationem certam, & probabilem, insuper euidentem, & non euidentem; alius enim est assensus firmus, & certus; alius probabilis tantùm, & cum formidine de parte opposita: Insuper alius est clarus, & euidens, & alius obscurus, & ineuidens; quid autem, & quotuplex sit certitudo, atq; firmitas actûs; quid incertitudo & quotuplex; item quid claritas, & euidentia, quid obscuritas & ineuidentia, cum alijs pluribus ad hanc materiam spectantibus, in sequentibus de scientia, deque demonstratione, Dissertationibus explicabimus. **Quinta enunciationis diuisio in certam, & probabilem tantum &c.**

Hæc etiam enunciationis distributio, ob eandem rationem essentialis existimanda, tanquam generis in species, certum est porro hanc ex parte actûs se tenere, ut ex nuper disputatis colligere cuique licebit. **Supraposita diuisio essentialis est.**

Celebris est etiam non omittenda enunciationis diuisio in necessariam, & contingentem. Necessaria est, quæ nequit esse falsa, ut *homo est rationalis*. Contingens, quæ potest esse falsa, *ut Socrates disputat*. Hæc autem distinctio sumitur ex parte obiecti; hinc enim oritur enunciationis contingentia, & necessitas: sed de his in proximè sequentibus Sectionibus differendum. **Celebris diuisio enunciationis in necessariam, & contingentem.**

SE-

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

In humano intellectu concedendam veritatem, & quid ea formaliter sit, ostenditur.

Antiquorum opinio de cognitionis veritate.

EVeteribus quidam eo deuenerunt insciticæ, ut crederent homini denegandam esse veritatem cognitionis, existimantes eum non posse veram rerum notitiam determinatè nanciscì. Testis est Aristoteles, ubi præsertim refert Democritum dixisse, aut nihil verum esse, aut nobis manifestum non esse; sic enim habet. 4. Diuin. cex. 21. Διὸ Δημόκριτὸς γέ φησιν, ἤτοι οὐδὲν εἶναι ἀληθὲς, ἢ ἡμῖν γ' ἄδηλον, *Propterea quòd Democritus, aut nihil esse verum, aut nobis ignotum esse ait.* Eorum autem ratio, quâ se compulsos ad ita sentiendum profitebantur, non aliunde, quàm à rerum inconstantia desumitur, cùm nihil in rebus, ut ipsi dicebant, ratum sit ac firmum, sed omnia, assiduâ vicissitudine mutationeque agitantur, quos egregiè Philosophus redarguit, ac eorum opinionem firmissimis rationibus conuellit.

Assertio, posse dari veritatem in humano intellectu.

Asserendum in intellectu humano dari posse veram rerum notitiam, non eo sensu, quo veteres, & nominatim Protagoras, arbitrabantur dicentes omne, quod apparet cognoscenti, verum esse, sed quia verum & falsum reipsâ in intellectu sunt; ut rectè Stagirites aduertit dicens, Auctoritate Philosophi suadetur. 6. Diuin. cex. 8. οὐ γάρ ἔστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασιν, οἷον τὸ μὲν ἀγαθὸν ἀληθὲς, τὸ δὲ κακὸν ψεῦδος, ἀλλ' ἐν διανοίᾳ. *Non enim est falsum, & verum in rebus (ut quod bonum, verum: quod verò malum, falsum) sed in mente.* Hæc enim veritas non transcendentalis, quæ tanquam entis affectio, rebus omnibus conuenit, sed repræsentatiua, est cognitionis propria, itaut primariò cognitioni, secundariò eius vicem gerentibus, puta vocibus conueniat.

Ratione probatur.

Posse autem in humana mente dari hanc, de qua loquimur, veritatem, notissimum planè ex communi omnium consensu; nam omnes perpetuò sunt in spe firmissima veritatis assequendæ, ut propterea nauent iugiter operam studijs, scientijsque vacent; à quibus alioquin ob nimium laborem, quam libenter abstinerent; Spe siquidem unius, quam anhelant, veritatis allecti, nullum tam magnum incommodum, quo longè maius perferre summoperè iucundum non putent; hoc autem ideo, quoniam ijs pro comperto est, veritatem longâ meditatione tandem, veluti diuturni temporis filiam comparari. Contrariam autem sententiam amplexi, eo nomine in reprehensionem incurrunt, quòd omne philosophandi studium inconsideratè admodum euertunt; cùm tamen humano generi, nihil melius, nihil optabilius diuinâ beneficentiâ contingerit.

Experientia eadem probatur assertio.

Hæc etiam quotidiana experientia testatur, cùm frequenter usu veniat, ut nostræ notitiæ, quas de rebus cuiusque generis habemus, maximè cum veritate consentiant, eo quòd res ipsas, uti sunt, adamussim repræsentent. Neque veterum fundamentum perturbet: tum quia omnia, quæ ad rerum essentias pertinent, nulli sunt mutationi obnoxia, quin potius constanti naturæ lege seruantur, ita ut de ijs à nobis propositiones æternæ veritatis fieri possint; tum quia, quæ mutationem subeunt saltem quando sunt, verè sunt, & ut huiusmodi cognosci possunt, immo & ipsa etiam mutatio, sub veram cognitionem cadit.

Plerunque veritatis cognitio est homini difficillima. 2. Diuin. cex. 1.

Non inficiandum veritatis consecutionem sæpe nobis difficilem esse, ut Aristotiles apertè dicit, dum ait. Ἡ περὶ τὴς ἀληθείας θεωρία, τῇ μὲν χαλεπὴ, τῇ δὲ ῥᾴδια. *Speculatio de veritate, partim difficilis, partim facilis est.* Vt autem id à se gratis minimè dictum existimetur, adnectit statim rationem à signo petitam undesubdit, σημεῖον δὲ. τὸ μήτε ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυγχάνειν αὐτῆς, μήτε πάντας ἁπατυγχάνειν, ἀλλ' ἕκαστον λέγειν τι περὶ τῆς φύσεως, καθ' ἕνα μὲν, μηδὲν ἢ μικρὸν ἐπιβάλλειν αὐτῇ, ἐκ πάντων δὲ συναθροιζομένων γίνεσθαί τι μέγεθος, ὥστ' εἴπερ ἔοικεν ἔχειν καθάπερ τυγχάνομέν τινος παροιμιάζόμενοι, τὶς ἂν θύρας ἁμάρτοι; τούτῳ μὲν οὖν οὐ ῥᾴδια. *Signum autem, quòd neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de Natura dicit, & singuli, quidem nihil, aut parum ei addunt, ex omnibus verò collectis, aliqua magnitudo fit. Quare si ita se videtur habere, ut prouerbio dicimus, quis aberrabit à ianua? hoc modo profectò facilis esset.* Rationem autem difficultatis subnectit addens, τὸ δ' ὅλον τ' ἔχειν καὶ μέρος μὴ δύνασθαι, δηλοῖ τὸ χαλεπὸν αὐτῆς. *Totum autem, & partem habere non posse, hoc eius difficultatem ostendit.* Licet itaque nemo perfectè veritatis cognitionem assequatur, omnes tamen multas veritates cognoscunt; quemadmodum igitur ex difficultate cognoscendi veritatem oritur, ut veritas à nullo perfectè cognoscatur: sic ex facilitate prouenit, ut omnes aliquid de veritate cognoscant. Veritatis ergo cognitio partim facilis, partim difficilis est. Quòd autem nobis auctore Stagirita difficilis sit assecutio veritatis, communi omnium consensu perspicuè constat. Nec ratio deest, & ea præcipua videtur, quia sæpissimè nobis desunt opportuna media, quibus indigemus, & sine quibus, etsi omnes ingenij neruos contendamus, veritatem assequi non possumus.

Sed cuiusmodi se res habeat, nos ex Aristotile loco nuper allato, aliâ occasione declarare tentauimus; ipse nanque disertis verbis rem explicat dicens, unde propriè hæc oriatur difficultas, 2. Diuin. cex. 1. ἴσως δὲ καὶ ἡ χαλεπότης ἔοικε διττὰς ἔχειν αἰτίας· οὐ γὰρ ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἐν ἡμῖν τὸ αἴτιον αὐτῆς, ὥσπερ γὰρ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἔνιοι πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. *Cum verò difficultas duobus sit modis, fortassis causa eius, non rebus, sed nobis ipsis inest. Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent; ita, & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ naturâ manifestissima omnium sunt.* Prætermissis varijs dicendi modis, quid hac de re sentiendum, paucis aperiam, iuxta dicta suo loco, de cognitionis rectitudine.

Assertio, docens difficultatem in assequenda veritate oriri ex comparatione intellectus cum rebus &c.

Asserendum itaque difficultatem in assequenda veritate, de qua in præsentiarum fit sermo, oriri ducere ex comparatione, & habitudine rerum ipsarum, cum nostro intellectu; eamq; hunc in modum non absolutè ex alterutra parte, sed comparatiuè ex utraque proficisci. Hæc assertio ex eo mihi splendidè constat, quoniam aliqua sunt, nempe substantiæ nullum habentes cum materia commercium, abstractæ mentes appellatæ, quæ ab intellectu humano non nisi summâ difficultate attinguntur; cum tamen ab intellectu angelico, & multo magis à diuino quamfacillimè cognoscantur; non igitur difficultas absolutè prouenit ex parte rerum, quæ cognoscuntur, quoniam tunc difficultatem eandem omnis intellectus in ijs cognoscendis experiretur. Ex aduerso aliqua sunt, quæ nullo labore ab intellectu humano percipiuntur, scilicet ea omnia, quæ sensibus usurpantur; non igitur rectè dixeris difficultatem ex parte humani intellectùs oriri; reliquum est, ut ex utraque parte, comparatiuè tamen, proficiscatur. Ratio suadens.

Aristotelis auctoritas ea explicata.

Sic igitur intelligendum, quod loco proximè laudato Philosophus docuit, nimirum difficultatem cognoscendi veritatem oriri partim ex defectu cognoscibilitatis in rebus, partim ex defectu cognoscitricis virtutis in humano intellectu; Stagirites enim præcipuè docere voluit aduersus quosdam ex antiquis, difficultatem assequendæ veritatis, non per se oriri absolutè ex

Digitized by Google

ex rebus ipsis, ut illi putabant, cùm crederent omnem difficultatem ex rerum mutabilitate proficisci, adeo ut hanc difficultatem quilibet intellectus, etiam angelicus, atque diuinus experiretur; sed nobis ipsis, seu humano intellectui difficultatis causam inesse, unde comparatiuè loquitur. Idcirco mihi videntur ineptè locuti, qui dixerunt absolutè materiam, motum, tempus, difficilè cognosci, eo quòd parum habeant cognoscibilitatis, nam si hoc ita esset, necesse foret, ut hæc eadem difficillimè cognosci possent à quocunque intellectu; propterea cautiùs loquendum, atque pronunciandum, quæ proximè diximus, difficilè ab humano intellectu, eo quòd respectu illius parum habent cognoscibilitatis, cognosci.

Ex quo comparatione pręfata difficultas oriatur.

Explicandum sequitur ex qua comparatione difficultas oriatur, & quænam res faciliùs, & quæ difficiliùs cognoscantur. Res porrò sic se habet. Comparatio fieri debet attendendo modum, quo cognoscens, cognoscit. Modus autem quo humanus intellectus rerum cognitionem assequitur, est cum dependentia à sensibus; omnis enim humana cognitio à sensibus ortum habet, cùm intellectus acquirat ministerio sensuum rerum imagines, & ut vocant, species, sine quibus nequit in actum cognoscendi exire, itaut rerum earum, quæ sub sensum cadunt, notitiam per proprias species assequatur, aliarum verò per species alienas. Hinc autem fit, ut intellectus humanus maiorem difficultatem perferat in cognoscendis rebus, quæ à sensibus remotæ sunt, minorem autem in ijs, quæ sensibus sunt maximè obuiæ. Hoc eleganter Stagirites expressit, respiciens tamen ad difficultatem, quâ res æternæ à nobis cognoscuntur; ait enim συμβαίνει δὲ περὶ μὲν ἐνίας τιμίας ἔνσας τῇ θείας, ἀλήθους ἡμῖν ὑπάρχειν θεωρίας, τῇ δὲ ἐν ἄν τις περὶ αὐτὰς, τῇ περὶ ὧν ἡ διάνοια ποθοῦμεν, σμικρὰν τελῶς ἔχειν ὀλίγα τὰ φανερὰ κτ' τλὼ ἐιδέναι. *Sed partem illam æternam, & proinde nobilem, ac diuinam, minùs contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius nostro sensui patent, quorum beneficio tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs, quæ noße cupimus, facultas nobis cogitandi, iudicandique suppeditetur.* Quæ ad omnia quidem à sensibus remota commodissimè transferri possunt. Quæcunque siquidem talia sunt ab humano intellectu summâ difficultate, ob allatam proximè causam, nimirum distantiam rerum à sensibus cognosci possunt; Ex quo facilè intelliges ineptè ab aliquibus dici, difficultatem oriri à perfectione, vel imperfectione rerum; siue nanque perfectiores, siue imperfectiores sint, quæ magis à sensibus remotæ sunt, difficiliùs cognoscuntur. Nisi quis rem sic interpretetur, ut dicat rationem, quare quædam res magis distent à sensibus, aut earum esse perfectionem, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ; aut imperfectionem, ut sunt prima materia, motus, tempus &c. Sed hoc modo difficultas oriretur, vel ex summa perfectione, aut imperfectione quatenus utrinque oritur magna distantia à sensibus; tota igitur, atque præcisa difficultatis causa veritatis assequendæ humano intellectui, erit rerum cognoscendarum nimia quidem à sensibus elongatio; unde est, ut semper in re proposita loqui debeamus, facta comparatione inter rem cognitam, & intellectum cognoscentem; quatenus tamen difficultas ex parte intellectûs se tenet, dicendũ causam esse eiusdem intellectûs imperfectionem, eo quòd in cognoscendo pendeat à sensibus, cùm ab ipsis rerum species, ac imagines emendicet, unde difficultatem assequendæ veritatis oriri dicebamus.

b. 1. de an. text. 3.

is modo concurrus

Quis autem sit modus conueniens inquirendi veritatem, & an sit unus, & idem in omnibus scientijs, callidè admodum Philosophus inquirit, dicens hac de re diuersa esse hominum iudicia, quoniam unusquisque iudicat magis conueniens id, quod est sibi magis consentaneum, eo pacto, quo propter diuersitatem gustuum, quibus diuersi sapores consentanei sunt, alij alios sapores præferunt; at aliquibus, vel propter naturalem dispositionem, vél propter consuetudinem, quæ est velut altera natura, consentaneus est unus modus considerandi veritatem, alijs alius; propterea non mirum si non omnibus eadem sit veritatis considerandæ ratio. assequendæ veritatis. Lib. 2 Diuin. c. 3.

Vniuersè tamen unusquisque præfert modum illum, cui assueuit; Hinc libentius consueta audimus, atque maiori facilitate admittimus, quàm ea, quibus non assueuimus. Dum autem Philosophus pergit, quosdam ait velle omnia sibi demonstrari modo mathematico, quosdam sensibilibus experientijs, quosdam multiplici auctoritate Poetarum, aliquos tandem velle omnia tractari diligenter expendendo rationes in utranque partem. Contra verò quosdam abhorrere à tam sedula perquisitione, & examine veritatis, vel propter debilitatem rationis non potentis plura complecti; vel quia putant, quemadmodum in symbolis conuiuiorum nimia illiberalitas est, si etiam minima computentur in ratiocinio, sic admodum detestabilem importunitatem esse, si in inquisitione veritatis, velit homo, minima etiam expendere. Cæterum illud Aristoteli certum, non in omnibus disciplinis eundem esse veritatis inquirendæ modum. Cùm igitur non omnibus idem sit modus tractandi veritatem, ob id homo debet instrui de modo conuenientiori, quem in uniuersum Dialectica præstat, peculiares & proprios singulis disciplinis relinquens. Quid porrò, quod initio quærendum proposui, repræsentatiua veritas formaliter sit, reliquum est, ut explicemus; qua de re non eadem Philosophorum opinio.

4. Diuin. cap. 27.

Supponendum tanquam communi calculo receptum; veritatem in quadam conformitate consistere; ut nanque veritas transcendens, quædam conformitas rei ad intellectum esse perhibetur, quatenus unaquæque res cognosci potest prout est in se; sic etiam veritas repræsentatiua, de qua hîc agitur, quædam conformitas est cognitionis cum re, quatenus illam attingit ac percipit, prout est in se. Illa est entis affectio: hæc autem cognitionis proprietas. In commemorata conformitate veritatem consistere, nouit etiam Philosophus, qui propterea disertè, loquitur hunc in modum, δῆλον δὲ πρῶτον μὲν ὁρισαμένοις τί τὸ ἀληθὲς καὶ ψεῦδος, τὸ μὲν γὰρ λέγειν τὸ ὂν μὴ εἶναι, ἢ τὸ μὴ ὂν εἶναι, ψεῦδος, τὸ δὲ τὸ ὂν εἶναι, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι, ἀληθὲς, ὥστε καὶ ὁ λέγων εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀληθεύσει, ἢ ψεύσεται. *Manifestum autem est primò quidem definientibus, quid verum, quidue falsum est. Dicere nanque ens non esse, aut hoc esse, falsum: ens autem esse, & non ens non esse, verum est. Quare & qui dicit esse aut non esse, verum dicet aut mentietur.* Hæc est prima e pluribus, quibus utitur rationibus, ad ostendendum de quolibet, aut affirmationem, aut negationem verificari; & ita disputat, ut rationis vim à veri falsique definitione desumat, affirmans verum esse, cum dicitur esse, quod est, vel non esse, quod non est: falsum cum dicitur non esse, quod est, vel esse, quod non est; at ita loquendo splendidè docet veritatem repræsentatiuam in conformitate, cognitionis cum re positam esse. Non facile tamen explicatu, in quo conformitas prædicta consistat; & ut græcè dicam, ἐ φάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστι ἰυρεῖν. *Non admodum facile est inuentu.*

Prima opinionum de veritate classis.

Ex ijs, qui prædicamentales relationes, tanquam positiuas formas rebus superadditas propugnant, quidam arbitrati sunt conformitatem hanc, in qua veritatem

tatem repræsentatiuam positam esse contendimus, importare duntaxat relationem rationis. Alijs placuit esse relationem realem conformationis, siue similitudinis; quanuis ex his quidam opinentur huiusmodi relationem non semper esse cum omnibus requisitis, atque conditionibus ad veram relationem realem. Alijs arrisit esse relationem realem præcisam ab actuali & aptitudinali potentiali; quandoquidem in cognitione intuitiua, realem actualem; in abstractiua realem aptitudinalem, etiam de obiecto existenti, recognoscendam putant. Alij existimarunt in relatione consistere dicente conceptum præcisum à reali, & rationis, cùm in aliquibus actibus ex eorum sententia sit rationis, in alijs autem realis. Alij autem dixerunt veritatem esse conformitatis relationem ad obiectum in se, ut ad mensuram in cognitione speculatiua, non tamen in cognitione practica, cùm potius, inquiunt, hæc sit regula, & mensura obiecti, quàm contra, obiectum sit mensura cognitionis.

Secunda opinionum classis.

Alij porro, è quibus plerique relationes prædicamentales de medio tollunt, apertè dixerunt veritatem ex rei natura, atque formaliter, eandem esse cum entitate actûs, licet non de primo eius conceptu, sed de secundo, eo quòd sit attributum actûs, cum ab affirmatione, vel negatione, & ab obiecto pendeat; nam hæc admittenda causalis; ideo actus est verus, quia affirmat, vel negat obiectum; & non contra; idcirco non nulli in hanc opinionem abeuntes addunt veritatem dicere substantiam ac entitatem actûs, quanuis à nobis per relationem vel rationis, vel transcendentalem explicetur; cum connotatione obiecti, adeo ut dicat formaliter entitatem actûs, non simpliciter, vel ut ipsi loquuntur, non ut sic, sed ut connotat obiectum cui conformatur.

Duabus assertionibus, iuxta dicta suo loco de rectitudine cognitionis, uniuersam de veritate doctrinam explicandam crediderim.

Prima assertio, conformitatem explicari posse per modum relationis. Arist. aut. prob.

Prima autem assertio sit. Conformitas in qua veritas cognitionis consistit, per relationem ad obiectum potest explicari. Assertionem hanc ad Aristotelis aures existimo, quandoquidem verum definiuit per ordinem ad obiectum, ut ex proximè traditis perspicuum est.

Prima ratio.

Ratione quoque suaderi potest, nam conformitatis nomen assertionem euincit, propterea quòd conformitas est unius ad aliud, quod enim est conforme, alicui profectò conforme est; conformitas igitur, in qua veritatem consistere dictum fuit, optimè per relationem potest explicari.

Confirmatio.

Ex eo etiam ratio confirmationem adipiscitur, quoniam conformitas se habet ut similitudo, licet in repræsentando, ut æqualitas &c. nam ut simile dicitur alteri simile, & ut æquale, alteri æquale &c. ita conforme dicitur alteri conforme; at similitudo, & æqualitas &c. per relationes explicantur; ergo etiam conformitas per relationem poterit explicari.

Secunda ratio.

Deinde. Veritas transcendentalis, quæ conformitas quædam est rerum cum intellectu quatenus res cognosci possunt sicuti sunt, explicari solet per relationem, ut Metaphysicis notum est, itaut rebus ipsis hæc relatio conformitatis ad intellectum attribuatur, & sic assignetur veritas tanquam affectio consequens entis naturam; ergo non absimili modo veritas repræsentatiua, quæ est ex aduerso conformitas intellectus ad rem, per relationem poterit explicari. Cuiusmodi autem sit ista relatio, non potest absolutè decerni, cùm quisque debeat ipsam explicare iuxta doctrinam, quam de relationibus profitetur. Ob id quando adsint requisita ad relationem realem prædicamentalem, tunc iuxta sententiam affirmantem has relationes esse formas positiuas superadditas rebus absolutis, & ab eisdem distinctas, asserere necessum erit in cognitione dari huiusmodi relationem. Requisita verò adsunt omnia, quando ipsa existit cognitio, ac eius obiectum actu in rerum natura versatur, cùm hæc relatio ad sui termini existentiam resultare, & non respicere terminum non actu existentem solùmque possibilem dicatur; propterea in cognitione tunc danda foret relatio conformitatis iam explicata, cùm adsit fundamentum & terminus, & quicquid ad huiusmodi relationis resultantiam requiri solet.

Et quoniam veritas dici potest consistere vel in conformitate conceptûs formalis, seu cognitionis, ad rem prout est in se, vel conceptûs obiectiui, hoc est rei prout repræsentatæ ad eandem prout est in se; cogitandum propterea in alterutro intelligi realem relationem fundari; vel scilicet in conceptu formali, adeo ut relatio in huiusmodi conceptu fundata, terminetur ad rem prout in se est; vel in conceptu obiectiuo, hoc est in re prout cognita, ad eandem prout in se est. Hoc inde mihi probatum redditur, quia conceptus formalis, siue cognitio, quippe quæ repræsentat obiectum, imago eiusdem dici debet; at omnis imago, seu quicquid habet rationem repræsentationis, iuxta placitum eorum, qui relationes prædicamentales tanquam formas positiuas rebus absolutis superadditas propugnant, fundat prædicamentalem respectum ad rem repræsentatam; idcirco non inculsultò cognitio talem fundare respectum dicetur. Hinc etiam conceptus obiectiuus, realis relationis, de qua loquimur, fundamentum esse poterit; enim verò, talis conceptus duo quidem, nempe conceptum formalem, & rem inuoluit; Proinde etsi admittatur relatio realis inter conceptum obiectiuum, & rem secundum se, non subinde, concludendum secuturum incommodum, scilicet relationem realem dari eiusdem ad se ipsum; non enim conceptus obiectiuus reipsâ idem est, ac id quod terminat cognitionem; addit enim cognitionem ipsam, ratione cuius inter conceptum obiectiuum, & rem secundum se, potest realis cadere relatio. Quanuis enim eiusdem ad se ipsum nequeat esse relatio realis, si nulla realis cadat distinctio; si tamen idem ex una parte sumatur, quatenus stat sub aliqua forma realiter distincta, poterit ratione huiusmodi formæ ad se ipsum referri, quatenus per se sumptum; licet fatendum sit huiusmodi relationem non aliam esse ab ea, quæ inter talem formam, & rem ipsam intercedit, quando talis forma apta est relationem fundare. Et hâc ratione, si dicatur imago habere realem relationem ad rem cuius est imago, dicere licebit rem ipsam, quatenus repræsentatam per imaginem, referri ad se ipsam, siue sibi ipsi similem esse per se sumptæ. Quòd si relatio prædicamentalis, existentibus etiam omnibus requisitis ad realem denominationem relatiuam, non dicatur forma positiua superaddita rebus absolutis, explicanda erit conformitatis denominatio relatiua iuxta dicta in uniuersum de huiusmodi relationibus, itaut dicatur esse realis quidem denominatio, sed partim intrinseca, partim autem extrinseca modo infra explicando; adi, quæ hac de re alibi scripsi.

Adnotanda quædam.

Dissertatione decimanona.

Non concurrentibus autem omnibus requisitis ad relationem realem prædicamentalem, ut cum cognitio versatur circa rem non actu existentem, quando nempe intellectus cogitat aliquod possibile, quod tamen actu non est, puta mundum alium possibilem, qui tamen actu non est, vel aliquod iam præteritum, quod non amplius existit, ut Alexandrum Macedonem, & alia huiusmodi; tunc relatio conformitatis superaddita

cogni-

Digitized by Google

cognitioni erit opus rationis, cum re verâ non sit. Hæc tamen intelligenda sine præiudicio relationis transcendentalis, quam quælibet cognitio importat ad obiectum; quamuis enim aliquid actu non existat, adhuc tamen potest esse terminus transcendentalis respectûs quem cognitio formaliter, & essentialiter inuoluit. Immo hic respectus est ille, quem, siue obiectum actu existat, siue non; siue sit positivum quidpiam, siue in priuatione negationeque consistat, cognitio in suo formali conceptu semper inuoluit; qui tamen solam tendentiam cognitionis ad rem cognitam importat.

Dices. Dum non adsunt requisita ad realem relationem prædicamentalem, adhuc cognitio realiter denominatur vera; ergo conformitas in qua veritatem repræsentatiuam consistere dicebamus, nunquam per relationem, quæ sit solius rationis opus, poterit explicari.

Huius difficultatis enodatio, ex proximè dicendis petenda.

ecunda rtio xcipue licari ere enti- m co- tio- & nota- em cti- st, aut. batur. Diuin. 37.

Secunda sit assertio. Conformitas in qua cognitionis veritas consistit præsertim explicanda est, penes eiusdem cognitionis entitatem, & connotationem obiecti ita se habentis, sicuti cognoscitur, ante quamlibet relationem superadditam.

Hoc ab Aristotele traditum proculdubio fatearis oportet, etenim dum ipse verum, & falsum, per ordinem ad obiectum explicuit, nil aliud sibi voluit, quàm quod superiori nos assertione contendimus; non enim is prædicamentalem relationem tanquam positiuam formam absolutis rebus adiunctam concedebat; cumque cognitionem perpetuò veram reipsâ profectò arbitraretur, quotiescunque eam foret obiecto conformis, certè respectu quodam efficto ab intellectu haud poterat esse contentus; consequens igitur de conformitate, in qua veritatem positam esse volumus, ita sensisse, ut à nobis assertum fuit.

ma ra-

Ratio autem primo loco se offert non leuis momenti; quia videlicet non semper in omni cognitione vera interuenit realis relatio prædicamentalis, tanquam forma positiua superaddita &c. Deinde relatio rationis est quidpiam effictum ab intellectu, cùm reipsâ non detur; at cognitio vera; est utique talis nullo fingente intellectu, adeo ut reapse dicatur vera; non enim quod cognitio sit obiecto conformis ab intellectu fingitur. Concludendum ergo sine omni relatione superaddita, cognitionis veritatem explicari posse, præcipuèque debere.

ecunda o.

Deinde sic validiùs licet assertionem ostendere. Remotis omnibus relationibus tam prædicamentali tanquam formâ positiua âcognitioni superadditâ, quàm efficta ab intellectu, solùm admisso, quòd intellectus concipiat rem sicuti est, sequitur omnino cognitionem esse rei prout in se existenti, conformem ac proinde veram; & nihilominus tunc non aliud adesset, quàm cognitio, & inde circa quod ipsa versatur: cognitionis igitur veritas per entitatem eiusdem cognitionis, & rei, ad quam ipsa terminatur, citra quamlibet relationem explicanda erit.

duersa- rum ponsio.

Non me latet aliquem responsurum, ad eum modum quo in vniuersum responderi solet allatæ rationi; quando adhibetur ad ostendendum superfluam esse positiuam formam relatiuam rebus absolutis adiunctam, quæ prædicamentalis relatio dicatur; nimirum tunc cognitionem antecedenter, ad relationem resultantem, esse fundamentaliter conformem obiecto, atque adeo eodem modo veram dici, non autem formaliter.

llitur rior onsio.

Sed ab ita respondente cum dicit, tunc cognitionem esse fundamentaliter, non formaliter conformem, obiecto & veram, petendum quid intelligat per hunc loquendi modum. Si dicat se intelligere cognitionem tunc non esse actu conformem obiecto; insulsè sic responderi facilè ostendetur, ex eo quòd cognitio tunc actu repræsentat obiectum sicuti est; ergo actu est conformis obiecto; assumptum inde manifestum redditur, quia prius naturâ est, quòd illa cognitio actu repræsentet obiectum sicuti est, quàm quòd resultet illa relatio; hæc enim resultantia supponit cognitionem repræsentare actu obiectum sicut est, & nisi ita repræsentaret nullatenus illa suboriretur; at quamuis non resultet ille respectus, dummodo cognitio obiectum repræsentet eo modo, quo est in se, dicitur actu illud repræsentare; non enim à respectu resultante cognitio habet, vt actu repræsentet; ergo tunc actu cognitio repræsentaret obiectum, sicuti est: Si autem dicat se intelligere tunc cognitionem non esse formaliter conformem obiecto, defectu formæ requisitæ ad huiusmodi denominationem relatiuam conformitatis. Confutatio satis obuia, in eo posita, quòd superflua sit huiusmodi forma relatiua superaddita, cum sufficienter talis denominatio habeatur per entitatem cognitionis, & rei, quæ per cognitionem attingitur; per illam intrinsecùs, per hanc autem extrinsecùs, adeout partim intrinseca, partim extrinseca sit ea, de qua loquimur conformis, & veri denominatio, vt ex proximè dicendis perspicuum fiet. Et certe si rectè attendas, reperies superadditam formam esse superfluam (& erit assumpti probatio) quoniam si consideres, & accuratè certam aliquam cognitionem expendas, ut iudicium, quo intellectus affirmat hominem esse rationalem, ex eo solùm, quòd additur, hominem reipsâ esse rationalem, nullâ aliâ accedente forma, siue formalitate distincta à tali cognitione talique obiecto, optimè dicere licebit, talem cognitionem esse conformem obiecto, eandemque veram esse, & à cognitione falsa, longè, latèque differre, quoniam rem ita repræsentat, sicut res ipsa est; & nihilominus hâc datâ hypothesi, ibi non interuenit aliud quidpiam, præter entitatem cognitionis, & obiecti. Superflua igitur illa superaddita relatiua forma, quam aduersarij inuehere conantur in medium.

Confirmatio.

Si autem res ita se habet, nulli dubium quin conformitas in qua veritas consistit, in recto quidem dicat talem cognitionem atque repræsentationem, connotatiuè autem, & per concomitantiam obiectum ita se habens, vt per cognitionem repræsentatur. Quandoquidem sola cognitionis entitas non sufficeret, eo quòd eâdem posità cognitione, si obiectum non ita se haberet, ut cognoscitur, cognitio non foret conformis obiecto, atque adeo non vera, sed falsa esset; ac non dicitur in recto conformitas, & veritas est obiectum ita se habens, sicuti cognoscitur; sed potius est repræsentatio, & expressio obiecti sicuti est; propterea obiectum importatur in obliquo, cognitio autem in recto. Maior autem est ratio, cur conformitas, & veritas cognitio dicatur in recto, connotetur autem obiectum in obliquo; propterea quòd hic loquimur de veritate cognitionis, unde conformitas ex parte cognitionis, non autem obiecti attendi debet.

Tertia ratio.

Ratio etiam haud parui facienda ex eo desumitur; quod cognitio eadem numero de obiecto contingenti, ex conformi, & vera, potest fieri difformis, & falsa, per solam mutationem obiecti; quis igitur hinc non intelliget conformitatem, ac veritatem dicere quidem cognitionem, ita tamen, ut obiectum connotet? nisi enim obiectum connotaretur, id non contingeret, hoc autem ideo est, quoniam conformitas, & veritas de qua fit sermo, præter entitatem cognitio-

Digitized by Google

bis, adsciscit obiectum, non quidem in recto, sed in obliquo, tanquam id, cuius ipsa cognitio repræsentatio est & imago. Non negandum quidam existimant supposito obiectum sic reipsâ se habere, variationem cognitionis falsæ, aut veræ, se tenere intrinsecùs ex parte cognitionis. Iudicium enim, inquiunt, affirmativum erit verum, negativum autem falsum, quæ ita differunt ut opponantur; quo sensu non insulsè veritas dicetur intrinseca cognitionis perfectio, nimirum, quatenus ex hypothesi quòd obiectum ita se habeat, id quod requiritur ad efficiendam cognitionem veram, est repræsentatio talis, puta iudicium affirmans obiectum sic se habere. At ex hypothesi quòd intellectus hoc modo cognoscat, puta affirmet rem esse; variatio veritatis, & falsitatis non ineptè se tenere ex parte obiecti, atque consistere in vna, vel alia obiecti connotatione dicetur; nempe si obiectum sic se habuerit, cognitio vera, sin autem falsa erit; unde veritas ex hac parte non erit alia intrinseca cognitionis perfectio, sed potius quædam obiecti connotatio. Quicquid de his tamen sit, illud certum, quandocunque obiectum fuerit necessarium, ut in propositionibus essentialibus, mutationem veritatis & falsitatis esse non posse nisi ex parte cognitionis: at quando obiectum est variabile, ut in propositionibus contingentibus, mutationem veritatis, & falsitatis accidere quidem posse, non tantùm ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti, adeo vt eadem non solùm specie, sed numero quoque cognitio, quod etiam paulo supra notaui, reddi possit aut vera, aut falsa per variationem obiecti, citra quanlibet sui mutationem; ut ob id Philosophus aliquando pronunciauerit, orationem susceptricem esse contrariorum, sine tamen sui mutatione, sed per solam variationem obiecti.

Præcipuè per cognitionem, & connotationem obiecti, veritas repræsentatiua explicatur.

Hunc autem in modum præcipuè veritatem explicandam rectè dictum à nobis fuisse, cuique facilè persuasum erit; quoniam veritas hæc reipsâ cognitioni conuenit, siquidem à parte rei cognitio vera est; quamobrem non debet primariò dici posita in eo, quod effingitur ab intellectu, cuiusmodi est respectus rationis, per aliquid igitur reale; at explosâ prædicamentali relatione, tanquam formâ positiuâ superadditâ cognitioni, vel eâ etiam admissâ, non semper haberi potest, ut superiùs aduertimus: solùm igitur superest entitas cognitionis connotans obiectum sic se habere, prout per ipsam cognitionem repræsentatur. Accedit etiam, quia veritas, cuius consideratione in præsens detinemur, est illa, quam industriè Dialecticus nititur in cognitionem intellectiuam inducere; at is profectò sollicitus non est de inducenda relatione distincta, siue reali, siue rationis in cognitionem, quam dirigere studet, sed id solum præ oculis habet, ut intellectus adiutus præceptionibus à se traditis, rerum assequatur cognitionem, quæ ita se habeat in repræsentando, sicuti res ipsæ sunt in essendo; quod certè per talem cognitionem connotatis ijs, circa quæ cognitio versatur, haberi sufficientissimè potest.

Conformitas, & veritas, respectum transcendentalem importat.

Tametsi autem tum respectum prædicamentalem in re, tum illum, qui solùm intellectùs negotiatione efficitur, explodendum dixerimus; non propterea tamen transcendentalem relationem reijciendam putamus; cùm potius in hac positam esse conformitatem, ac veritatem esse velimus. Non enim cognitio sic est absolutum quidpiam, vt omnem respectum, etiam transcendentalem ad obiectum excludat, sed ad eum dicitur modum, quoniam à prædicamentali respectu, tanquam à formâ superadditâ, absoluitur; cùm itaque conformitas, ac propterea veritas in recto sit ipsa cognitio, & hæc ordinem, siue tendentiam, atque respectum transcendentalem ad obiectum involuat; fatendum veritatem quoque talem esse, qualem nos cognitionem esse diximus, itaut habeat rationem transcendentalis respectùs, tantummodo prædicamentalem relationem, tanquam positiuam formam excludens.

Prima difficultas.

Tametsi hactenus à nobis tradita rationi summopere consentanea fateamur oportet; aliquibus tamen, & certè non exigui momenti difficultatibus præmuntur, à quibus vindicare, non nisi operæ pretium existimo. Est autem insignis illa difficultas aduersus eam, quam secundo loco nos conclusionem attulimus, cùm diceremus veritatem appositè quidem per cognitionem, connotato obiecto, explicari.

Prima difficultas, cùm iudicium de obiecto contingente.

Quidam porrò sic obijciunt. Aut iudicium est de obiecto contingenti, aut necessario; alterutro modo se habeat, tale non est, ut per ipsum, obiectique connotationem, veritas possit explicari; ergo haud bene à nobis dicebatur explicandam esse, præsertim per cognitionem connotato obiecto. Assumptionem quoad vtranque partem ostendunt; & primò ad obiectum contingens quod attinet, (de hoc enim prima erat assumptionis pars) ita disputant. Enunciatio de obiecto contingenti potest ex vera fieri falsa & vicissim, vt nos quoque contendimus, adeo ut possit veritatem amittere; ergo haud poterit per cognitionem explicari, etiam connotato obiecto, cùm cognitio nequeat perseuerare propriâ entitate amissâ.

Confirmatio.

In horum confirmationem addunt & illud. Si propositio contingens suapte naturâ foret essentialiter vera, vel falsa, sequeretur propositionem hanc, *Socrates currit*, currente Socrate, dicere ordinem essentialem ad duo contradictoria, quòd est summopere detestabile, cùm fieri non possit, ut idem omninò pendeat à duobus contradictoriè oppositis. Sequelam ex eo probant, quoniam cognitio falsa de cursu Socratis, duo diceret, videlicet repræsentationem cursùs, quatenus cognitio; & quatenus falsa, (esse autem falsam non est quid diuersum à cognitione) diceret ordinem ad negationem talis cursùs à parte rei. Imo deberet duo contradictoria intentionaliter repræsentare; ut enim sit falsa, debet affirmare cursum existentem, & negationem seu priuationem ipsius; enim verò si non repræsentaret priuationem cursùs, nullum ordinem diceret ad illam; sed solùm ad cursum existentem, atque adeo non differret à iudicio vero, quod solùm huiusmodi ordinem includit.

Solutio difficultatis.

Satisfit superioribus obiectis ita ratiocinando. Cognitio eatenus est vera, quatenus est conformis ei, circa quod versatur: falsa autem quatenus difformis eidem est; sed conformis cognitio dicit transcendentalem respectum ad id, cui est conformis; ut autem difformis, nullum ordinem importat ad id, cui dicitur difformis, quoniam difformitas est negatio conformitatis. Vt cognitio, quâ intellectus iudicat Socratem currere, currente Socrate, vera est, eaque dicit essentialem ordinem ad Socratem currentem, quatenus huiusmodi; at cognitio eadem, non currente Socrate, falsa est; sed hæc nullum dicit ordinem ad Socratem non currentem, sed adhuc retinet suum ordinem, & respectum transcendentalem ad Socratem currentem, quousque cognitio illa perseueret. Ex quo facilè intelliges cognitionem dici veram per transcendentalem respectum ad id, cui conformatur; dicitur autem falsa per huiusmodi respectùs negationem explicandi, ut suo loco docuimus.

Neque perturbet, quòd similitudo, & dissimilitudo, eodem relationis genere explicentur; non enim de conformitate, & difformitate sentiendum idem; propterea quòd tam similitudo, exempli gratia, quàm dissimilitudo

Digitized by Google

litudo inter duo, dicitur in essendo; hæc autem de qua loquimur similitudo, est in repræsentando, ut propterea conformitas, explicari debeat per transcendentalem respectum repræsentationis, quâ exprimatur obiectum prout est in se; at verò difformitas per huiusmodi respectûs negationem, & ut aiunt, carentiam; Ad argumentum respondendum consecutionem negando, & ad eius probationem breuiter ibi insinuatam, dicendum cognitionem, ut ex vera euadat falsa, & veritatem amittat, non debere amittere proprium esse, quoniam veritas non in sola cognitione consistit, sed requirit obiectum, veluti connotatum, ex cuius mutatione propterea fit, ut quæ vera dicebatur cognitio, possit dici falsa.

Ad confirmationem, quid respondendum, non obscurè constat ex proximè traditis, cognitio enim vera, dicit ordinem ad cursum Socratis, seu ad Socratem currentem; sed cognitio eadem dicitur falsa, non per ordinem, quem dicat ad negationem cursûs, sed quia cognitio illa connotando Socratem currentem, hoc non currente, adhùc connotat eundem Socratem currentem, non autem Socratem non currentem, ut propterea falsa dicatur. Non inficiandum tamen per huiusmodi cognitionem falsam repræsentari Socratem, ac ob id eam dicere ordinem ad ipsum, inadæquatè tamen; quia non attingit Socratem non currentem; mutatus enim est Socrates quoad cursum, sed non quo ad esse; at cognitio vera attingebat non solùm Socratem, sed Socratem currentem; quem etiam perseuerans, mutato obiecto, puta Socrate, repræsentat, ut propterea euaserit falsa, eò quòd non dicat ordinem ad Socratem mutatum, factumque non currentem. Neque sequitur illud incommodum, nempe nihil differre inter iudicium falsum, & verum; ut enim iudicium sit falsum, non debet dicere ordinem ad carentiam cursûs, sed sat est, ut dicat ordinem ad cursum existentem, seu ad Socratem currentem, hoc enim non currente, iudicium euadit falsum, per hoc quod non dicat ordinem ad Socratem non currentem, respectu cuius est falsum; quemadmodum contra verum est per ordinem ad Socratem currentem, ut nuper dicebam.

Non est autem putandum conformitatis respectum esse, qualem nos dicimus, similitudinis, exempli-gratia, inter duo alba; nam hic est similitudinis in essendo, ille autem in repræsentando; ita fit, ut respectus conformitatis sit transcendentalis in essentia cognitionis inuolutus; non sic respectus similitudinis, qui prædicamentalis est, & quidem explicandus, ut suo loco docuimus. Hinc itidem est, cur respectus dissimilitudinis detur proportione respondens respectui similitudinis; respectus autem difformitatis non item, cùm difformitas dicat negationem repræsentationis adæquatæ, quam conformitas præfert; quamobrem τῆς γνώσεως ἡ μεταμόρφωσις, *huius cognitionis metamorphosis*, extrinsecùs contingit, quatenus obiectum mutationem subit, quod latiùs infra Sectione septima ex Aristotile explicabimus.

Secundam assumptionis partem, quæ erat de obiecto necessario, ita ostendere nituntur. Nullus trascendentalis respectus ingreditur essentiam absoluti; at veritas, inquiunt, formaliter dicit respectum ad obiectum; ergo non poterit spectare ad essentiam iudicij de obiecto necessario. Tum quia, quòd actus necessarius repræsentet rem semper verè, quasi per accidens, ac secundariò contingit, prouenit enim ex immutabilitate obiecti; nam si per impossibile obiectum mutaretur, actus adhuc repræsentaret obiectum eodem modo. Tum etiam quia si actus foret essentialiter veritas, ut nos profitemur, non posset propriè dici verus; sicut albedo nequit dici albo; vel calor, calidus.

At falsum assumunt, cùm abundè fuerit à nobis ostensum, transcendentalem respectum inuolui in essentia absoluti, vel saltem reipsâ non distingui ab illo. Quare cognitionis veritas, non distinguetur saltem ex rei natura ab ipsa cognitione, quod aliquando contingere aduersariorum plerique fatentur, puta in actibus veris de obiectis necessarijs; quod autem de his actibus ipsi affirmant, nos in uniuersum ad omnes transferimus, sensu iam explicato, itaut mutatio accidat ex mutatione obiecti, eadem perseuerante cognitionis naturâ. Ad id quod addunt, nimirum per accidens esse, quòd actus necessarius rem semper verè repræsentet. Respondendum per accidens esse quòd illa cognitio non possit mutari ex vera in falsam; ita tamen ut ipsa sit essentialiter vera per ordinem ad obiectum, quod attingit; neque inconueniens, quòd sit essentialiter vera, & mutari possit in falsam, quia mutatio non est penes aliquod intrinsecum, sed extrinsecum cognitioni, neque est respectu eiusdem omnino, sed alterius obiecti; dum enim mutatur obiectum, & cognitio perseuerat, hæc proculdubio perpetuò retinet conformitatem cum obiecto, cui conformis erat, etiam illo non amplius existente; non enim transcendentalis respectus terminum existentem requirit; itaque cognitio illa retinens adhuc veritatem per ordinem ad id, quod adæquatè attingit, euadit falsa per ordinem ad idem obiectum quod attingit inadæquatè. Ad difficultatem quæ tertio loco addebatur, quid respondendum, patebit ex ijs quæ proximè de abstractis, & concretis dicturi sumus. Sectione decima prima sequente.

Amplius urgent, ut probent veritatem non dicere actum in recto, & obiectum in obliquo, siue ut connotatum, eisdem rationibus, quibus existimant se demonstrare relationes reales à fundamentis distinctas. Sed ut huiusmodi rationibus, nihil de relationibus probant, ita nec ostendunt veritatem explicari non posse ad eum, quem superius attulimus modum. Tertia difficultas. Solutio.

Et ut probent veritatem esse quandoque distinctam formam à cognitione, ut in actibus de obiectis contingentibus, argumentantur hoc modo. Separabilitas est signum realis distinctionis, quanuis inseparabilitas non sit signum realis identitatis; at veritas huiusmodi cognitionis ab actibus potest separari; ergo ab ipsis realiter distinguatur necesse est. Nulla tamen huius rationis est vis, quandoquidem veritas non separatur à cognitione, respectu obiecti, cui adæquatè conformatur, & in ordine ad quod dicitur vera; quod si separatur in ordine ad obiectum idem, quod tamen inadæquatè attingit, non subinde inferendum veritatem esse formam aliquando cognitioni superadditam, sed solùm non esse aliquid in se sistens, & non importans respectum, transcendentalem tamen, ad id, quod adæquatè attingit, & cui adæquatè conformatur; cùm enim talis non fuerit, incipit denominari falsa, non eo quòd aliquam formam amiserit, sed quia ob obiecti mutationem, non amplius illud adæquatè repræsentat, ut priùs. Sed quoniam non semel meminimus huius adæquatæ, & inadæquatæ attingentiæ, atque repræsentationis, aduerte à me credi adæquatam attingentiam contingere, quando cognitio repræsentat aliquid sub aliqua determinata ratione, quæ illi reipsâ conuenit; ut cum actus iudicij repræsentat Socratem, ut currentem, affirmando scilicet ipsum currere, quando Socrates reuerâ currit: at inadæquatam attingentiam euenire, quando cognitio attingit idem obiectum, sed non secundum id, quod ei reuerâ conuenit. Vt cum idem actus iudicij repræsentat Socratem ut currentem, affirmando ipsum currere, dum reuerâ non currit; est Quarta difficultas. Solutio.

enim idem actus secundum substantiam; solùmque differt eo quòd cùm actus repræsentat Socratem currere, quando ipse currit, attingit Socratem sub illa determinata ratione, quæ illi reipsâ conuenit; at mutato obiecto, itaut Socrates deinceps non currat, ille actus repræsentat Socratem, quoniam perseuerat secundum idem esse quod habebat, sed non attingit ipsum Socratem secundum illam determinatam rationem, puta secundum negationem cursûs, quæ illi ex rei naturâ conuenit.

'An veritas suscipiat magis & minus.

Est autem insignis dubitatio, an veritas suscipiat magis, & minus, itaut una propositio possit esse verior alterâ; sed quia hæc eadem dubitatio de falsitate fieri potest; proinde illam ad sequendam Sectionem ubi de falsitate nos ex instituto loquemur, differre præstabit. Hucusque de veritate, quam Tullius expressit dicens. *Veritas est per quam immutata ea quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Quamque alius, rerum cum mentibus adæquationem esse dicendam arbitraretur. Nunc reliquum est, ut de falsitate repræsentatiua disputemus.

Lib. 2. de Inuentione.

SECTIO SEXTA.

Quid sit formaliter falsitas cognitionis.

Tractationis ordo.

SVperiùs veritatem repræsentatiuam iudicij maximè propriam, etsi apprehensioni suo modo consentaneam, declarauimus; nunc de falsitate differendum; nec iniuriâ, nam veritas, & falsitas opponuntur; oppositorum autem eadem est disciplina; sed ut veritas in repræsentando dicitur id, in cuius consideratione Dialecticus suam exercet industriam; sic etiam falsitas, quam idem omni studio conatur euertere; est enim detestabilis, solùmque id boni habet, quòd veritas magis fidem facit, si cum ipsa contendat. Falsitas porrò de qua loquimur, ut aliâ occasione docuimus, in disformitate cognitionis ad rem consistit, itaut rectè dictum fuerit. *Veritas in repræsentando est conformitas cognitionis ad rem, prout est in se. Falsitas in repræsentando est difformitas cognitionis ad rem prout est in se.* Hæc autem duobus modis contingit, prout totidem etiam modis intellectus à veritate deficere, & obiecto non conformari cognoscendo potest. Primò negatiuè, ut aiunt, quatenus intellectus obiectum penitus ignorat, seu non attingit. At hæc non conformatio, siue discrepantia, falsitas propriè non appellatur, cùm potius nescientia, ignorantia, atque non attingentia dici deberet, quam apprehensioni competere suo loco monuimus. Secundò positiuè, quando intellectus percipit obiectum aliter, ac est in se; ut si conciperet Socratem studentem, quando dormit. Huc pertinet ignorantiæ distributio, in eam, quæ est puræ negationis, & eam, quæ est praue dispositionis. Puræ negationis est, quâ solùm ignoratur verum, sed non creditur falsum. Vt rusticus habet ignorantiam puræ negationis circa veritates mathematicas, nempe. *Omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis;* & ita de cæteris, quoniam sic illas ignorat, ut neque contrarios errores habeat. At ignorantia praue dispositionis est, quâ non solum ignoratur verum, sed etiam creditur falsum. Vt si quis credat tres angulos cuiuscunque trianguli, maiores, vel minores esse posse duobus rectis. De hac ignorantia praue dispositionis Philosophus edisserit dicens Ἄγνοια δ' ἡ μὴ κατ' ἀπόφασιν ἁπλῆ κατὰ διάθεσιν λεγομένη ἐφ' ᾗ μὴ διὰ συλλογισμοῦ γίνεται ἀπάτη. *Ignoratio autem, atque insscitia, non illa quidem, quæ ex negatione appellatur, sed quæ ex certa quadam affectione dicitur, est error ex aliqua ratiocinatione ortus.* Loquitur enim de illa, quam syllogismus parit. De ignorantia autem puræ negationis disputat, dum ait φανερὸν ὅτι ἡ ἄγνοια, ἐπιλειπτέον, ἀνάγκη ὑπολαμβάνειν τινὰ ἐπιλελοιπέναι, ὧν ἀδύνατον λαβεῖν, ἕτερα μανθάνοντα, ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. *Illud verò iam propemodum est perspicuum, cui sensus aliquis deficit, necessariò scientiam aliquam defuturam, quòd eam discere iam, ac percipere non possit, quicquid enim discitur, aut inductione, aut demonstratione cognoscitur.* In præsentia de ignorantia positiua, cùm sermo fiat de cognitione, propositioneque falsa, differendum.

2. Topic. cap. 2.

Veritatis definitio.

Falsitatis definitio.

Duplex falsitatis genus.

Falsitas negatiue dicta.

Falsitas positiue explicata.

Ignorantia puræ negationis.

Ignorantia praue dispositionis.

Primo Post. tex. 32. alias 109.

Prima Post. tex. 35. alias 134.

Dari autem in nobis falsas propositiones, manifestum adeo, ut pigeat in huius probatione immorari; non defuerunt tamen, quibus arriserit omnem nostram notitiam veram esse, eo nomine, quoniam res qualibet talis est, qualis à quouis putatur esse; in hos autem acriter Stagerites inuehitur ostendens, id minimè rationi consentaneum esse, propterea quòd sequeretur contradictoria simul esse vera, si ab uno unum, ab alio, aliud contradictoriorum, ut verum apprehenderetur. Tum quia verum esse à nostra cognitione penderet; Tum quia, constat plerunque res non explicari à nobis, prout sunt in se ipsis, adeout nos in contrariam sententiam abeamus. Non itaque licet inficias ire falsitatem in repræsentando dari, quæ veritati pariter in repræsentando aduersetur; tunc nimirum, quando conceptus formalis aliter attingit rem ac in se est; itaut fundetur primariò in conceptu formali, secundariò autem in obiectiuo.

Dari in nobis falsas propositiones manifestum adeo, ut pigeat in huius probatione immorari; non defuerunt tamen, quibus arriserit omnem nostram notitiam veram esse, eo nomine, quoniam res qualibet talis est, qualis à quouis putatur esse; in hos autem acriter Stagerites inuehitur ostendens, id minimè rationi consentaneum esse, propterea quòd sequeretur contradictoria simul esse vera, si ab uno unum, ab alio, aliud contradictoriorum, ut verum apprehenderetur. Tum quia verum esse à nostra cognitione penderet; Tum quia, constat plerunque res non explicari à nobis, prout sunt in se ipsis, adeout nos in contrariam sententiam abeamus. Non itaque licet inficias ire falsitatem in repræsentando dari, quæ veritati pariter in repræsentando aduersetur; tunc nimirum, quando conceptus formalis aliter attingit rem ac in se est; itaut fundetur primariò in conceptu formali, secundariò autem in obiectiuo.

Dari in nobis falsas propositiones contingat.

Differtat. Sect. 1.

Docuimus alibi, quid sit veritas, de qua nobis hoc loco est disputandi occasio, & haud ego fallor, ex ibi traditis perspicuum est veritatem esse dicendam congruentiam, seu conformitatem tum rei prout cognitæ, tum cognitionis cum re secundum esse repræsentationis, ita tamen ut cognitioni primariò conueniat, eoquòd veritas in illa congruentia consistit, quâ positâ intelligitur, & quâ remotâ non item; sic autem se habere cognitionem veram ostendimus, & eam ob causam in prædicta congruentia veritatem ponimus esse conclusimus.

In quo cognitionis cum obiecto consistat.

Erat porrò inquisitione dignum in quo commemorata congruentia consisteret, & quanuis non una sit explicationis ratio; præcipua tamen atque primaria nobis visa est, per ordinem ad esse cognitionis; minus tamen præcipua per ordinem ad obiectum ita se habens sicuti cognoscitur, seu per cognitionem, & connotationem obiecti se habentis, prout cognoscitur; omni siquidem alio secluso, vera cognitio dicitur. At ubi hac de re nobis erat disputandi locus, notauimus veritatem, velut illam, quæ cognitionem dicit, respectum transcendentalem ad obiectum inuoluere, proindeque congruentiam cum illo veritatem esse dicendam: amplius tamen completam rationem ipsius, præter cognitionem, obiectum itidem connotare ab ipsa cognitione distinctum; adeo ut veritatis denominatio in cognitione, sit partim intrinseca, partim autem extrinseca. Ibidem pariter etsi breuiter, (eisdem enim de rebus in Dissert. de Anima rediturus est sermo) falsitatem explicuimus, eiusque causam, ac originem tradidimus. Extrinsecùs enim, ut eo loci aduertimus, in mentes hominum errores irrepunt, quippe qui ab externis causis originem trahunt; quæ enim frequenter impedimenta ob uia fiunt, sensusque fallaces, quibus humana mens, etsi diuinæ auræ particula corporis inclusa compagibus, ad sua munera obeunda indiget, falsas eidem notiones ingerunt, atque suppeditant. In uniuersum igitur tàm veritas, quàm falsitas representatiua, talis est, qualis à nobis dicebatur; illa namque conformitas, hæc verò difformitas

Falsitatis origo.

Digitized by Google

nitas est conceptus formalis cum re prout est in se. Veritas autem prout in iudicium cadit, eiusque redditur propria, quatenus secernitur à veritate, quæ simplici apprehensioni adscribitur, cuiusmodi sit, aliâ occasione declarauimus, asserentes iudicij veritatem, non meliùs explicari posse, quàm dicendo, ab apprehensionis veritate discriminari, ex eo quòd hæc indeterminata sit, nullam habens falsitatem oppositam, nisi illam, quæ in non attingentia consistit; veritatem autem iudicij determinatam esse, cui falsitas propriè sumpta aduersatur. At si veritas, de qua loquimur, hunc se habet in modum, cuiusmodi sit opposita illi falsitas, neminem præteribit, cùm in solius commemoratæ veritatis negatione posita sit.

Diſſert. 22. ſect. 3.

His non contenti, plerique adhuc inquisitione dignum arbitrantur, quid formaliter sit falsitas repræsentatiua veritati opposita; existimant enim hac de re ita sentiendum, ut in repræsentando haud falsitatem esse dicamus præcisè entitatem actûs, ut loquuntur, neque actum cum obiecto, sed aliquid superadditum actui. Summa tamen ipsis de falsitate videtur difficultas, præcipuè, num sit quid priuativum, an scilicet falsitas simplex sit conformitatis carentia; an verò addat supra actum relationem positiuam difformitatis; & si huiusmodi relationem addit, quænam sit, & quomodo ab actu distinguatur. Non magis tamen de falsitate, quàm de veritate dubitandi ratio.

Quæritur; quid formaliter vt falsitas repræsentationis.

Sectio.

Iuxta superiùs tradita dicendum per falsitatem in repræsentando nihil positivum importari, præter cognitionem, quæ ut ideo vera dicitur, quoniam est conformis obiecto, prout est in se; ita falsa propterea quòd eidem est difformis.

Hæc assertio, ex antea de veritate disputatis, cuique facilè constabit; quatenus igitur dicit falsitatem in difformitate cognitionis cum obiecto positam esse, inde redditur manifesta, quia veritatis, & falsitatis contrariæ sunt rationes, proindeque contrario modo explicandæ; quamobrem, ut veritas rectè dicitur in conformitate cognitionis cum obiecto prout est in se, consistere; ex aduerso falsitas in opposita difformitate, posita dici debet, ita ut veritas dicat cognitionem connotando obiectum prout est in se; falsitas dicat eandem connotando obiectum aliter se habens, ac est in se; utque veritas non dicit formam positiuam superadditam cognitioni: ita nec etiam falsitas; hoc tamen differunt, quòd vera cognitio transcendentalem respectum adæquatæ attingentiæ ad obiectum affirmando, vel negando inuoluit; at falsa inadæquatæ tantum, ut superius de veritate disputantes, loquuti sumus.

Corolarium.

Ex his cuique palam, & apertum veritatem in positiuo quopiam, cuiusmodi est conformitas cognitionis cum obiecto (est enim transcendentalis respectus) falsitatem autem in negatione conformitatis positam esse. Nam ut se habet malitia ad bonitatem: ita falsitas ad veritatem: ut enim malum est quidam voluntatis defectus: ita falsum, est quidam defectus intellectûs. Quemadmodum itaque malitia formaliter priuationem bonitatis: ita falsitas priuationem veritatis importat.

Prima difficultas.

Sed aduersæ sententiæ fautores, ut ostendant falsitatem addere cognitioni, seu mentali propositioni realem relationem disconuenientiæ atque difformitatis distinctam à cognitione, sic argumentantur. Falsitas, de qua habetur sermo, contrariè veritati opponitur; ergo falsitas quid positiuvm importet necesse est; proindeque non in aliquo negatiuo formaliter, sed in positiuo, qualis est difformitatis relatio, consistet.

Solutio.

In eo tamen allucinantur, quòd putent oppositionem inter veritatem, & falsitatem esse propriè contrariam, cum re verâ non nisi priuatiua dici mereatur; Neque dicant veritati complexæ priuatiuè opponi ignorantiam, quæ falsitas negatiua vocatur, contrariè verò falsitatem; quando scilicet uniuntur, quæ reipsâ unita non sunt, vel contra &c. non inquam id dicant, nam hoc differt falsitas ab ignorantia negatiua, quòd cognitio falsa etsi inadæquatè, nihilominus attingit obiectum cognitionis veræ; at per ignorantiam puræ negationis nullatenus obiectum attingitur.

Secunda difficultas

Deinde sic obijciunt. Relationes primi modi fundantur super unum & multa, adeout ubi est unitas naturæ, ibi sit identitatis relatio; ubi est unitas, & conuenientia in quantitate, ibi est æqualitas; ubi est conuenientia in qualitate, ibi est similitudo, & contra; ubi est multitudo naturarum in specie, ibi est relatio diuersitatis, & distinctionis; ubi est multitudo & disconuenientia quantitatum, ibi est relatio inæqualitatis; & tandem, quæ in qualitate disconueniunt, dicuntur dissimilia per relationem dissimilitudinis.

Solutio.

Nihil tamen hac ratiocinatione conficiunt; cùm à similitudine atque dissimilitudine in essendo, ad similitudinem, & dissimilitudinem in repræsentando gradum faciant; enimuerò similitudo inter duo alba exempligratia, & dissimilitudo inter album, & fuscum, dicuntur in essendo, cùm similitudo in eo posita sit, ut quale est album unum, tale sit & alterum secundum esse albedinis, sic de dissimilitudine &c. at similitudo inter cognitionem affirmantem, Socratem esse currentem, & Socratem currentem, est in repræsentando tantùm, quia repræsentat Socratem ut reipsâ est. Non itaque rectè deducunt intentum à paritate relationum, quas ipsi commemorant; nam relatio de qua hîc agitur, est transcendentalis, quippe quæ inuoluitur in essentia cognitionis, cùm similitudo sit non in essendo, sed in repræsentando, quæ huiusmodi respectum importat; non enim cognitio potest esse expressa imago obiecti, nisi dicat essentialem ordinem ad illud, hic autem ordo, & tendentia est conformitatis respectus ad obiectum; adeo ut absque ullo superaddito, cognitio dicatur obiecto conformis, proindeque vera. Quod autem de veritate dico, potest falsitati aptari; nam falsitas non est dissimilitudo in essendo, sed in repræsentando. Vt omittam ab ipsis falsum assumi, & arguere ex falso supposito, nimirum illas, quas in medium afferunt relationes, esse formas positiuas rebus absolutis superadditas; cum abundè fuerit à nobis ostensum, huiusmodi relationes in denominatione partim intrinseca, & partim extrinseca consistere: Ita fit, ut etiam si veritas, & falsitas in hisce relationibus positæ esse dicantur, non propterea censeri debeant positiuæ formæ cognitioni superadditæ ad relationum genus spectantes.

Diſſert. 22. ſect. 3.

Tertia difficultas.

Amplius. Si falsitas in relatione, quamis transcendentali, difformitatis ad rem consistere dicatur, quatenus non exprimit rem sicuti est; sequeretur quando intellectus cognosceret Socratem ut animal tantum, habere conceptum falsum, quoniam Socrates non solùm est animal, sed etiam rationalis; perperam igitur dictum à nobis fuit falsitatem esse difformitatem cognitionis ad rem.

Solutio.

Responsio in promptu est; cùm enim, asserimus propositionem esse falsam, quando enunciat rem aliter ac est, sensus non redditur de conceptu præcisiuo, cuiusmodi est ille, *Socrates est animal*, tales enim conceptus veros esse nihil prohibet, ut rectè Stagirites aduerterat dicens καὶ γίνεται ψεῦδος χωρίζοντων. *Neque fit mendacium abstrahentium*, Vnde illud effluxit *Abstrahentium non est mendacium*, Propterea quòd intellectus tunc non affirmat Socratem esse animal tantum, sic enim

Digitized by Google

ènim affirmando, deciperetur, sed affirmat de Socrate, quòd illi reipsâ ineſt, proindeque cognitionem elicit veram; eſt autem vera, quia conformis eſt obiecto, ſaltem ſecundum unam, quâ conſtat, partem; non igitur de conceptu præciſiuo, ſed diuiſiuo propoſitio debet intelligi, ut ſi intellectus conciperet Socratem eſſe ſolùm animal; vel de poſitiuè erroneo, ut ſi conciperet hominem eſſe lapidem, tales enim conceptus ſunt de quibus propoſitio intelligenda; & in uniuerſum conceptus eſt falſus, quando per ipſum alicui tribuitur id, quod non habet, vel remouetur, quod habet; intelligendum tamen hoc intentionaliter fieri.

Dubitatio de veritate, an ſuſcipiat magis, & minus.

Proximum eſt, ut ſuperiori Sectione dubitationem propoſitam in præſens diſcutiamus. Erat autem, num veritas ſuſcipiat magis, & minus, quod etiam de falſitate poteſt inquiri. Plerique negant de veritate formali, ut loquuntur, non fundamentali, Alij id de falſitate inficiantur. Alij affirmant de utraque. Alij utrunque probabile cenſent.

Præmittuntur aliqua pro dubitationis ſolutione,

Res non paucis difficultatibus eſt implicata: de qua propterea, ut aliqua dicere valeamus, quæ rationi congruere videantur, non nulla præmittemus, quorum præſidio forſan quid hac de re ſentiendum, aſſequemur. Ad propoſitum igitur explicandum, aduerte veritatem poſſe duobus modis uſurpari, vel pro illa commenſuratione & conformatione, quam dicit actus cum obiecto; vel pro concomitantibus ipſam, qualia ſunt neceſſitas vel contingentia obiecti; maior, vel minor eiuſdem perfectio; & maior, vel minor efficacia rationum, quibus intellectus mouetur ad præbendum aſſenſum, & alia huiuſmodi.

Amplius notandum ocurrit veritatem iuxta primam uſurpationem gemino modo ſpectari; nam vel illa commenſuratio, siue conformitas intelligitur extenſiuè ſumpta in ordine ad numerum prædicatorum obiecti, itaut cognitionis actus nihil repræſentet, quod non reperiatur in obiecto, & nihil ſit in obiecto, non repræſentatum per actum. Vel commenſuratio ſumitur intenſiuè, ut actus repreſentet obiectum, quantum eſt repræſentabile. Falſitas etiam duobus modis uſurpatur, vel negatiuè, ut aiunt, quatenus dicit negationem, ſeu carentiam veritatis; vel poſitiuè, quatenus ſignificat diſtantiam ſiue receſſum tantum, vel tantum à veritate. His præhabitis.

Prima aſſertio.

Dicendum primò, ſi veritas accipiatur pro concomitantibus ipſam, nulli dubium eſſe debere, quin una propoſitio (ſermo autem eſt de propoſitione mentali, ſeu de cognitione intellectiua; nam propoſitio vocibus expreſſa, impropriè aut ſaltem ſecundariò vera, vel falſa dicitur) ſit verior alterâ.

Ratione ſuadetur.

Concluſio videtur inde conſtare, quoniam una propoſitio eſt de perfectiori, magiſque neceſſario obiecto: ob id una eſt euidentior alterâ. Si igitur veritas accipiatur pro concomitantibus, non obſcurè conſtat propoſitionem unam eſſe veriorem alterâ; ad quæ reſpiciens non obſcuri nominis Philoſophus dicebat, multas concluſiones ordine ſequentes ex eodem principio habere proprias veritates diſtinctas, itaut prior ſit verior, & magis neceſſaria, eo nomine, quòd in ſua neceſſitate à poſteriori non pendet, ſed potius contra: de hac igitur aſſertione nemini licebit ambigere.

Secunda aſſertio.

Dicendum ſecundò, veritatem acceptam pro adæquatione actûs cum obiecto extenſiua, poſſe quandam latitudinem admittere.

Ratione probatur.

Hoc ſuaderi poteſt ex eo, quia, ſi res aliqua plura in ſe prædicata habeat, actus autem cognitionis unum duntaxat ex illis attingat, alter autem ſi non omnia, ſaltem plura, dubium eſſe non poteſt, quin ſecundus actus conformior obiecto ſit, quàm primus. Quemadmodum enim è duabus quantitatibus, illa eſt alicui tertiæ magis æqualis, quæ illi ſecundum omnes dimenſiones commenſuratur, quàm quæ ſecundum unicam tantùm. Vel ex duobus ſimilibus in eſſendo, illud eſt alicui tertio magis ſimile, quod ratione plurium illi ſimile eſt, quàm quod ratione unius tantùm; ita quoque de cognitionibus in ordine ad obiectum, ratiocinandum.

Tertia aſſertio.

Dicendum tertiò, duas propoſitiones de eodem prædicato, vel de omnibus ſimul, æquè extenſione veras eſſe.

Ratione probatur.

Facilè conſtat aſſertio; nam in indiuiſibili conſiſtunt; enim verò vel affirmant, quod conuenit obiecto: vel negant quod illi non conuenit.

Quid de tranſcendentibus dicendũ.

Ex his intelliges quid de tranſcendentibus, ſcil. ente, uno, vero, & bono dicendum; cùm enim hæc habeant conceptum ſimpliciter ſimplicem, propoſitiones de ipſis æquè veras eſſe oportet; id enim circa quod verſantur, ſimpliciſſimum eſt; unde cum intellectus concipit ens, elicit conceptum ſimpliciter ſimplicem, qui vel omnino ſcitur, vel penitus ignoratur; non enim prædicatis conſtat, in quæ conceptus eius reſolui poſſit, itaut de uno ex ipſis, & de pluribus, conceptus haberi poſſint, qui inter ſe collati ſic ſe habeant, ut unus dici mereatur extenſione verior altero, quoniam plura prædicata attingat.

Opinio de veritatis intenſione.

Qui putant è duabus propoſitionibus de eodem obiecto, unam veritatis intenſione poſſe veriorem eſſe alterâ, ita ratiocinantur, ut ſuam aſſertionem ſibi ſuadeant ex eo quia de eodem penitus obiecto, dari poſſunt intellectiones, quarum una clariùs, atque diſtinctiùs illud repræſentet; altera autem obſcurius, adeout non repræſentet obiectum ſecundum omnia, quibus ipſum conſtat, prædicata; ergò dari poterit propoſitio, quæ ſit verior alterâ de eodem obiecto, inſpectâ ſolùm veritatis intenſione.

Ratione ſuaderur, ab iis, qui hanc ſententiam profitentur deſendere,

Optima, inquiunt, conſecutio, propterea quòd veritas formaliter in obiecti prout in ſe eſt, repræſentatione conſiſtit; ergo perfectior, & intenſior repræſentatio formaliter perfectior, & intenſior veritas erit. Aſſumptum oſtendunt, quoniam perfectior actus, perfectiori, clariorique modo obiectum exhibet intellectui, quàm imperfectior, cæteris paribus, hoc eſt, quanuis uterque quoad extenſionem æquè obiectum percipiat; nam actus unus, etſi tot prædicata, quot alter attingat, fieri tamen poterit, ut unus quidem clariùs, & apertiùs: alter autem obſcuriùs eadem repræſentet.

Addunt rationem aliam, quia formalitas veritatis non in ſimplici adæquatione, ut loquuntur, cognitionis cum re cognita, ſed in ſimilitudine quadam intentionali conſiſtit; at ſimilitudo quodammodo dicitur ſuſcipere magis, & minus; idcirco etiam & veritas eodem ſe habere modo dici debebit.

Tandem ſic arguunt. Hac de re non ſecus ratiocinandum, ac de rebus corporeis materiâque conſtantibus; ſed in his idem obiectum viſibile, vel propter perfectiorem falcutatem videndi, vel propter intenſius lumen longè perfectiùs, atque diſtinctiùs ab uno, quàm ab alio videri poteſt, licet uterque omnes obiecti partes attingat; ergo idem de mentis oculo, hoc eſt, de intellectu dicendum.

Quomodo obiectio ſolueretur.

Quòd ſi quiſpiam ipſis abijciat. Veritas in adæquatione actûs cum obiecto conſiſtit; ſed adæquatio inter duo nequit ſuſcipere magis, & minus, cùm in indiuiſibili poſita ſit; non enim æqualitas una ſiue quoad extenſionem, ſiue quoad intenſionem, maior alterâ eſſe poteſt. Reſpondent veritatem non ſolùm eſſe adæquationem extenſiuam, ſed & intenſiuam cum obiecto, adeo ut illud repræſentet ſicuti eſt, & quantum

tum est repræsentabile; hinc enim quandam latitudinem admittit, unde magis, minusque possit suscipere. Nec propterea sequitur actum non repræsentantem obiectum, quantum est repræsentabile, falsum esse; cæteroquin præcisivus etiam falsus dicendus esset, nam de utroque eadem est ratio.

ontraria
ntentia
isque
tio,

Re tamen verâ plerique contrariam sententiam amplexi sunt, eo quòd non satis intelligant in quo maior claritas atque distinctio cognitionis posita sit, nisi dicatur in eo, ut cognitio una, aliquid amplius, quàm altera de obiecto repræsentet. Quòd autem similitudo possit magis, & minus suscipere, ut ipsi dicunt, benè habet; sed eâdem difficultate vexantur, cur videlicet sit aliquid uni magis, quàm aliud simile; an ex eo quia in pluribus conueniant ea, quæ magis similia sunt, quàm quæ non adeò similia dicuntur. Non est autem intellectu facile, id aliter se habere posse. Nec etiam exemplum desumptum ex rebus materiatis quicquam concludit: cum enim dicunt *propter perfectiorem facultatem videndi, vel propter intensius lumen, posse longè perfectiùs, atque distinctiùs ab vno videri obiectum, quàm ab alio, quantumuis vterque omnes obiecti partes attingat*, falsum assumunt; nunquam enim perfectiùs vel distinctiùs pecipitur obiectum, nisi in eo plures partes attingantur, quàm ab alio, qui supponitur imperfectiùs, & confusiùs illud idem percipere; non enim vel ob videndi facultatem debiliorem, vel ob remissius lumen, aliâ ratione dicitur quispiam rem propositam imperfectiùs, & indistinctiùs, quàm alter adspicere, nisi quia pauciora in obiecto oculis usurpat; alioquin explicare tenentur contrariam sententiam propugnantes, in quo maior illa perfectio, claritas, atque distinctio posita sit; clariùs enim & distinctiùs obiectum ab uno, quàm ab alio percipi, est illud secundum plura, ab uno, quàm ab alio cognosci. Ita disputant illi, qui cognitionem unam quoad intensionem citra extensionem dici alterâ veriorem inficiantur.

ifficul-
.

n. 14.

Corin-
. 15.

Corin-
9.

Difficultas in eo tamen est, quoniam Theologi docent visionem unam de Deo perfectiorem esse alterâ, quantumuis quilibet Beatus omnia diuina prædicata attingat Deumque videat sicuti est; nam Christus Dominus dicebat. *In domo Patris mei, mansiones multæ sunt*. Quanuis hinc quidam, è genere traducentium in cœnobijs vitam, homo tamen nequam, etsi perfrictæ frontis, coram Sereniſſimo Principe, me audiente, disputando colligeret in lunari globo, habitatores, ac incolas reperiri. Pro Deum immortalem quid ineptius? sed hæc missa facio. Et Apost. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum; stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Et alibi. *Qui parcè seminat, parcè metet*. De visione beata memini propterea licet ambigere nempe, quòd una sit clarior altera &c. Nulla enim visio creata Deum repræsentat quantum est repræsentabilis, solaque diuina visio ipsum intensione, & extensione adæquat, unde comprehensio nuncupatur. Hinc igitur inferendum cognitionem unam quoad intensionem, esse veriorem alterâ.

uomo-
supe-
i diffe-
ati à
ousdã
fatis.

Respondent ij, quibus hæc inæqualitas intensionis in cognitione minime probatur, dicendo visionem unam de Deo perfectiorem esse alterâ, non intensionis, sed extensionis ratione, non quidem quoad primarium, sed quoad secundarium obiectum; ut propterea visiones, quantumuis intensione æquales, possint inæquales esse. De hoc tamen alibi, nam Dialecticos fines transcendit.

na af-
o de
tate,

Ex proximè dictis de veritate, quid asserendum de *falsitate* perspicuum est, itaque. Dicendum primò sumptâ falsitate, prout dicit priuationem perfectionis, magisque necessariæ veritatis, propositionem unam posse magis esse falsam, quàm alteram.

Assertio satis euidens, accepta falsitate prout dicente priuationem perfectioris, magisque necessariæ veritatis; nam hæc propositio, *Deus non est*, communi omnium consensu magis est falsa, si falsitatem accipias sensu iam explicato, quàm hæc, *Sol non est*. Quoniam Deum esse, necesse est simpliciter; at Solem esse, non item; quæ igitur propositio negat Deum esse, negat, quod magis est necessarium, quàm quę negat Solem esse. Ratione suadetur.

Dicendum secundò propositionem unam posse dici magis falsam, quàm alteram ratione eorum circa quæ versatur. Secunda assertio.

Explicatur, & suadetur assertio. Fieri potest ut aliqua propositio, plura neget prædicata, quàm altera, ex ijs quæ rei alicui conueniunt; vt hæc propositio, *homo est lapis*, collata cum hac, *homo est leo*; ita se habet, vt plura neget prædicata; nam prima illa propositio remouet ab homine animalitatem, & rationalitatem, siquidem lapidi vtraque ratio repugnat ut cuique liquet. Secunda solam rationalitatem, cum leoni conueniat animalitas, minime autem rationalitas; Maior igitur est primæ quàm secundæ propositionis falsitas; propterea quòd prima maiorem recessum à conformitate cum homine prout est in se, quàm secunda importat. Hinc igitur cuique perspectum, quòd secundâ conclusione docuimus. Ratione suadetur.

Obijciet nihilominus aliquis sic arguendo. Falsitas formaliter in recessu à veritate consistit; cùm ergo quælibet proportio falsa à veritate recedat, quælibet æque falsa; accidit enim, quod parùm, vel multum recedat. Obiect o.

Sunt, qui putant hanc difficultatem esse diluendam respondendo falsitatem, non dicere solam carentiam veritatis, sed positiuam difformitatem, ideoque posse actum esse magis, vel minus difformem obiecto ad eum modum quo album potest esse magis, vel minus dissimile. Hæc tamen responsio, utpote falsis innixa principijs, refellenda est. Quorundam Solutio.

Vt autem difficultati satisfiat, respondendum utique falsitatem formaliter in recessu à veritate consistere, & quamlibet propositionem falsam à veritate recedere; non subinde tamen inferendum quamlibet æque falsam esse propositionem obiecto difformem; siquidem recessus à veritate latitudinem habet, adeo ut unus sit maior altero; cùm enim veritas in conformitate, & falsitas in difformitate consistat; non inficiandum dari quandam recessus latitudinem penes quam maior, vel minor falsitas attendi possit; quandoquidem cognitio, siue propositio (loquimur enim præcipuè de propositione mentali, atque adeo de cognitione) potest esse magis, vel minus conformis obiecto; quando autem fuerit conformis, erit vera; quando difformis, falsa; sed quanto fuerit magis conformis, tanto verior erit, & quanto minus conformis, tanto minus vera, proindeque magis à veritate recedens, atque adeo magis falsa. Neque requirendum quidpiam positivum ad difformitatem, cùm satis cognitio dicatur difformis, ex eo quòd non conformetur obiecto prout est in se; sed alteri secus se habenti; ut propterea supra dictum à nobis fuerit, falsitatem in negatione consistere; quoniam cognitio falsa prout huiusmodi affirmando, vel negando non dicit ordinem adæquatæ attingentiæ ad obiectum; est autem falsa quatenus dicit negationem ordinis, & quâ parte ordinem aliquem importat, ad id quod est inadæquatum obiectum etiam cognitionis veræ, non dicitur falsa. Vera solutio.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

De Enunciatione necessaria.

Enunciatio necessaria, quę.

CVm Enunciatio diuideretur ratione materiæ, unum è membris diuidentibus erat enunciatio necessaria, *quæ rectè censetur illa, in qua de subiecto affirmantur essentialia prædicata, vel passiones naturaliter ab eius essentia dimanantes.* Quemadmodum, etiam illa, in qua negantur prædicata, quæ naturæ subiecti repugnant.

Necessaria veritas vnde ortũ ducat.

Hæc autem enunciationis necessitas, vel si placet, necessaria veritas, ducit ortum à necessitate, ac immutabilitate obiecti, quod nequit aliter se habere, eò quòd unius cuiusque natura, & essentia penitus est invariabilis, nullamque potest mutationem subire; unde consequens fit, ut enunciationes ad rei naturam spectantes, perpetuò debeant obiecto quidem esse conformes; sed hæc latiùs Sectione sequenti persequemur.

Enunciationes æternæ veritatis,

Hinc enunciationes huiusmodi dicuntur æternæ veritatis, hoc est ab æterno, & in æternum veræ, etiam rebus ipsis actu extra causas non existentibus. Ita planè se habent omnes enunciationes, in quibus prædicatur aliquid pertinens ad essentiam subiecti, sic ut intrinsecus inuoluatur in ipsa. Quamobrem semper verum fuit dicere, hominem esse animal, esse viuens, esse corpus mixtum &c. & semper verum erit hoc idem affirmare; immò etiam antequam homo existeret in natura; vel adhuc si omnis homo redigeretur ad nihilum, huiusmodi propositiones veræ fierent. Hoc autem, ne dum contingit, quando prædicatum intrinsecùs inuolvitur in natura subiecti, sed etiam quando necessariò consequitur illam.

Explicantur.

Æternæ siquidem veritatis hæ quoque sunt propositiones. *Omnis homo est admirativus; est risibilis.* Item, *Omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis.* Et huiusmodi aliæ, in quibus nimirum prædicantur de subiectis, ea, quæ ab ipsis necessariò dimanant, utcumque hæc explicetur dimanatio, de qua in Metaphysica disputandum &c.

Enũciationes ęternę veritatis, cur à tempore absolui dicantur.

Et quoniam propositiones istæ, ut veræ sint, non sibi determinant certum aliquod, ac determinatum tempus, sed adæquatè pro omni tempore cum veritate consentiunt; ob id huiusmodi propositiones absolui dicuntur à tempore.

Qua ratione dicãtur æternæ.

Explicatu tamen non facile, quâ ratione dicantur propositiones hæ veritatis eternæ, seu ab æterno veræ, cum tamen ab æterno non fuerint.

Modus explicandi aptissimus

Aptissimus explicandi modus videtur ille, nimirum quòd, ut propositiones eternæ veritatis dicantur, existentiam obiecti non requirunt, sed sat est, ut si hoc existat, necessariò debeat esse, quale per propositionem enunciatur. Non absimili modo, ut ipsæ dicantur veritatis æternæ, necesse non est, ut vel quatenus positæ in conceptibus mentis, vel quatenus vocibus expressæ ab æterno extiterint; sed quòd talem naturam, & conditionem obtineant, ut semper veræ sint in quacumque differentia temporis efformentur.

Prima difficultas.

Potius igitur molestiam ingerit & aliquid negotij exhibet ratio difficultatem explicandi, quomodo veræ semper dicendæ huiusmodi propositiones, quamuis obiectum non existat; nam quando res non existunt actu, nec actu earum essentiæ sunt.

Quomodo propositiones essentiales veræ dicantur,

Rectè tamen veræ propositiones essentiales dicuntur, quanuis obiectum actu non existat, & res ipsæ actu non sit, nullumque habeat esse, nec existentiæ, nec essentiæ; propterea quòd non enunciant aliquam actualitatem essendi, siue existentiæ, siue essentiæ; sed tantummodo connexionem extremorum, prædicati scilicet cum subiecto ab omni actu essendi præscindendo. Solutio

Vt cum pronunciamus, *Omnis homo est animal; Omnis homo est risibilis*, præscindimus ab omni essendi actu; solùm enim per huiusmodi propositiones necessaria connexio inter prædicatum, & subiectum significatur, quæ dicitur adhuc esse inter extrema, quanuis extrema actu non sint. Vndè cum dicimus *Omne triangulum tres habet angulos æquales duobus rectis:* tametsi huius propositionis extrema, actu non sint, vera tamen adhuc est ob eam, quam diximus, inter extrema necessariam connexionem. Sed non propterea difficultas omnis de medio sublata, cùm possit quispiam obijcere non posse maiorem esse connexionis, quàm extremorum necessitatem: unde si hæc non necessariò sunt, nec etiam connexio. Secunda difficultas

Verùm duplex necessitas, absoluta una, iuxta quam difficultas vim habet, & sub conditione altera, de qua nulla difficultas. Prima respicit actum essendi essentiæ, & existentiæ absolutè. Secunda respicit eundem actum sub conditione, quatenus hanc explicationem requirit, nempè quòd si extrema dentur in natura, debeant inter se esse connexa, nec unum eorum dari possit, quin alteri unitum sit, atque coniunctum. Ita quidem non potest existere homo, quin habeat adiunctum animal; nec triangulum potest existere, quin habeat adnexum attributum illud, videlicet, *habere tres angulos æquales duobus rectis.* Solutio

Celebris est illa enunciationis partitio in eam, quæ dicitur per se nota, quæ videlicet statim ipsius naturæ lumine euidens fit; & quæ non est per se nota, sed aliquo indiget medio ad euidentiam sui. Prima est, cui statim ac intellectus significationem terminorum fuerit assecutus, ei præbet assensum. Ita dum percipit quid significet *omne* & *totum*, quid *pars*, quid *maius esse*, statim huic assentitur propositioni, *Omne totum est maius suâ parte.* Secunda propositio dicitur non per se nota, quoniam intellectus aliquo indiget medio, à quo inducatur ad præstandum assensum. Prior propositio ideo per se nota, quia non per aliud nota dicitur; propterea quòd euidens adeo connexio est inter extrema, ut alio non indigeat, cuius beneficio euidens fiat. Secunda ideo per se nota non dicitur, quoniam extrema non sunt euidenter connexa, nisi quatenus cum tertio connectitur utrumque. Vt non euidens est omnem hominem esse risibilem, nisi quatenus euidenter cognoscitur risibile conuenire animali rationali, cum quo hominem iungi est itidem euidens. De his tamen enunciationibus multa dicenda supersunt, quæ nos Dissertatione sequenti, cumulatè tractabimus.

SECTIO OCTAVA.

De Enunciatione contingenti circa præterita, & præsentia, & præsertim an enunciatio possit de vera in falsam mutari.

Enũciatio contingens quid,

COntingens enunciatio dicitur illa, *Quæ de subiecto prædicata quidem enunciat, quæ illi contingenter conueniunt,* ità ut sic illi conueniant, ut ei conuenire non possint; sic etiam de negatiua, quæ nimirum ea negat de subiecto, quæ contingenter ei non conueniunt, ita ut sic non conueniant, *ut ei conuenire possint.* Vniuersè igitur propositio quæuis contingens de rebus est contingentibus, hoc est de extremis, quæ sic inter se connectuntur, ut etiam connecti non possint, quemadmodum se haberent enunciationes istæ, *Omnis homo est albus; nullus homo est albus;*

Spe-

Digitized by Google

Speciatim autem hoc enunciationis genus, rerum actualem existentiam concernit, seu existendi exercitium respicit, ut cum de rebus à prima causa productis, existentiam, quæ maximè in ipsis contingens est, nos enunciamus; ità fit, ut enunciatio contingens vera esse possit, aut falsa.

Et quoniam de contingentia fit sermo, prætereundum non erit hanc geminam esse, pro ut videlicet gemino modo fieri potest, ut effectus suum esse sortiatur in natura, vel scilicet à causa naturali, quo nomine intelligitur illa, quæ sic se determinat ad operandum, ut in eius potestate non sit sè non determinare; Vel etiam produci potest à causa libera, quam intelligimus esse, quæ indifferens est ad operandum, & non operandum. Geminum igitur contingens, naturale unum, liberum alterum. Liberum, quod à causa libera, ut *Socratem studere, aut non studere; currere, aut non currere*. Naturale verò, quod à naturalibus causis dependet, quæ tametsi suaptenaturâ determinatæ sint ad operandum, cùm in earum potestate non sit operari, vel non operari, ità tamen se habent, ut ab aliqua causa possint naturaliter impediri. Hinc tot monstra contingunt non aliâ ratione, nisi quia causæ naturaliter operantes non sic necessariò agunt, ut impediri non possint. Vbi obseruandum ex causis physicis nullam esse, quæ summâ necessitate agat.

Cum enim triplex sit necessitatis gradus, unus infimus, qui moralis dicitur, quo necessitatis genere, dicitur necessariò futurum id, quod prudens operatur; Secundus est gradus necessitatis, de quo in præsentia fit sermo, quâ necessitate omnes causæ naturales innatâ vi, hoc est virtute, quam ab ortu naturæ consecutæ sunt, suos edunt effectus, & hæc est mediocris quædam necessitas; nàm causæ relictæ propriis naturis hoc est non impeditæ, sic operantur effectus, ut hi debeant omnino euenire. Ità Sol illuminabit hæc inferiora, nisi interiectis nubibus, vel aliquo alio opaco, fuerit impeditus; & vis generatiua seminis producet effectum iuxta causæ naturam nisi fuerit impedita; alioquin propter impedimentum producet monstrum, quod dicitur *erratum naturæ*. Postremus, & summus gradus necessitatis est ille, quo aliquid ab alio sic prouenit, ut nullâ vi possit impediri, quominus proueniat, quâ necessitate passio dicitur à subiecto profluere, ut risibilitas à rationalitate dicitur prouenire; quo genere necessitatis nulla causa physica agit; subiectum enim comparatione passionis non physicâ, sed methaphysica causa nuncupatur, quòd cùm nebulo quidam & imprudens sycophanta non intelligeret, pronunciauit non sine irrisione adstantium necessitatem causandi summam & maximam esse, non sinè irrisione inquam, cum neminem, etsi leuiter versatum in philosophico puluere, prætereat, causam omnem, vel liberam esse, quæ certè maximè contingenter operatur; vel naturalem, quæ non operatur nisi mediocri necessitate, eò quòd impediri possit, non autem summâ, quæ nullum impedimentum admittit. Necessitatem moralem prætereo, cùm hæc infima sit, & maximè impedimentis subiecta. Enunciationes igitur, in quibus inuoluitur naturalis necessitas, contingentes absolutè sunt, eo quòd si non versantur circa contingens liberum, respiciunt tamen contingens naturale.

Quamuis autem effectus naturaliter à naturali causa prouenientes comparatione vnius causæ, contingens cùm sit, comparari possit cum collectione omnium causarum naturalium, atque adeo hunc in modum necessarius dici possit, id tamen inteligendum in ordine ad naturales causas; idcirco absolutè necessarius dici non potest necessitate summâ; nàm si comparetur cum prima causa liberè prorsus operante, à qua maximè pendet, contingens adhuc dicendus utpote abhac liberè prouenies, hæc enim in operationibus ad extra est perfectissimè libera; proindeque naturales effectus, qui necessarij dicuntur, in ordine ad causas naturales, relati ad causam primam liberi omninò sunt, ac ob id contingentes. Vndè est ut collati cum causa naturali, & cum omnium naturalium causarum complexu necessarij sint; at ad primam causam relati, à qua nimirum possunt impediri, contingentes, & liberi dicantur.

Hic porrò sermo præcipuè fit de effectibus contingentibus, & liberis, qui in ordine ad causam secundam, voluntatemque creatam, contingentes omnino sunt.

Hic sermo est de effectibus omnino contingentibus & liberis.

Effectus autem contingentes triplicis sunt generis utpotè vel præteriti, vel præsentes, vel futuri; ità fit, ut enunciationes contingentes partitionem eandem subeant, unde aliæ sint de præterito, ut *Socrates studuit* aliæ de præsenti, ut *Socrates studet*; aliæ de futuro, ut *Socrates studebit*. Cùm nobis propositum sit de propositionibus contingentibus disserere, tria hæc propositionum genera percurrenda sunt, eodem seruato ordine, quo differentiæ temporum ordinantur; idcirco primùm de præteritis, mox de præsentibus, quod in hac sectione præstabimus, deinceps in sequenti de futuris verba facturi; eorum enim consideratio longiorem tractationem expoicit. Ne mireris tamen, si propositiones de possibilibus fuerint à nobis omissæ, propterea quòd inter contingentes non patiuntur annumerari, siquidem possibilitas necessitatem importat.

Effectus contingentes triplicis sunt generis.

Certum, ac exploratum esse debet enunciationes de præterito, ac de præsenti esse determinatè veras, aut determinatè falsas, nec earum veritatem, aut falsitatem ancipitem esse. Quod adeo verum ut nemini sanæ mentis dubium esse possit. Si quis enim enunciaret *Heri mane ortus est Sol supra Horizontem*, sic verum diceret, ut oppositum foret omnino falsum.

Assertio docens enunciationes de præterito, ac de præsenti esse determinatè veras.

Id autem validissimâ ratione conuincitur, quoniam ad eum modum consentaneum est dicere se habere enunciationem habere, quo se habet effectus; sed effectus præteritus suum habet esse determinatum, quemadmodum & præsens verè determinatus est; ergò enunciatio de huiusmodi effectibus verè determinata erit. Sed hîc tamen obseruandum, effectus præteritos contingentes dici, quatenus, quando suum esse sunt consecuti, contingens fuit, ipsos produci, quoniam intio poterant non esse, & à causa libera non produci, quâ ratione propositiones de ipsis efformatæ contingentes dicuntur; alioquin deinceps cum semel incæperint verum est dicere. fuisse in omni, atque sequenti tempore, nec amplius à potentia causæ pendere, ut propterea dictum fuerit, *Ad præteritum nulla est potentia*; proinde libertas, & contingentia formaliter circa præteritum nulla est, sed potius præteritum induit necessitatem, quoniam propositiones de præterito fieri non potest, ut veræ non sint, licet initio fieri potuisset, ut veræ non essent.

Ratione suadetur superior assertio.

Ea tamen necessitas, quam præteritum induit, & quâ etiam propositiones de ipsis efformatæ necessariæ dicuntur; longè inferior est illâ, quâ propositiones absolutè necessariæ sunt, ob necessarium nexum inter extrema; nàm præteriti necessitas solum est ex contingenti suppositio; si enim illud semel esse obtinuit, fieri non poterit, ut non obtinuerit, idcirco quanuis contingenter fuerit productum, si tamen productum fuerit, non potest non esse productum; at necessitas altera, quam absolutam dicimus, longè maior est, quia nulla suppositione factâ hæc habetur necessitas; necessitas enim intercedens inter hominem, & risibile, nulla

Necessitas præteriti.

indiget suppositione, & propterea absoluta necessitas est, quo necessitatis genere dicitur hæc propositio *omnis homo est risibilis* necessaria esse.

Dubitatio ni fit satis.

Neque dicas hanc necessitatem superiùs etiam à nobis appellatam ex suppositione fuisse. Nam non ea est suppositio, de qua in præsens fit sermo; hæc enim respicit tempus determinatum aliquod, nempe præteritum; illa verò conditionalis est pro omni tempore, nempè si fuit, si est, si erit subiectum, debet tali esse prædicato affectum.

Pro qua temporis mensura propositio de præsenti verificetur, & nũ prop. de vera in falsam mutari possit.

Supereſt unum, vel alterum inquisitione dignum. Primum pro qua temporis mensura propositio de præsenti, & præcipuè vocalis verificetur. Secundum an propositio de præsenti, ex vera in falsam, & contra, mutari possit.

Primum discutiendum proponitur.

De primo autem ea est dubitandi ratio, quoniam vocalis propositio non unico profertur momento, sed spatium temporis exposcit; dubitandi igitur occasio est, num pro toto eo tempore verificari debeat id, quod asseritur, vel satis sit verificari tantùm in parte, vel instanti aliquo ipsius temporis; quod si ità sit, quærendum adhuc quodnam sit huiusmodi instans. Quod ut clariùs intelligatur, supponamus ab aliquo pronunciari *Socrates deambulat*; est igitur inquisitione dignum, an pro eo toto tempore, quo hæc vocalis enunciatur propositio verificari debeat, quòd Socrates deambulet, vel satis sit verificari tantùm in parte, aut instanti huiusmodi temporis; quod si ità sit, supereſt, ut assignetur quænam sit hæc temporis pars, vel quodnam instans.

Quid asserendũ decernitur.

Non eadem in re proposita Philosophorum sententia; prætermissis aliorum dicendi modis, eorum mihi probatur consilium, quibus est visum ad veritatem propositionis de præsenti sufficere, ut res sit in qualibet parte, vel instanti prolationis. Id autem inde mihi persuadeo, quoniam enunciatio totum illud consignificat tempus, non tamen coniunctiuè, ita ut ad verificationem propositionis debeat pro omnibus partibus verificari, sed disiunctiuè; adeòut ad verificationem enunciationis sit satis, pro vna ex partibus, quæcumque illa fuerit, vel uno ex instantibus, quodcumque illud extiterit vniuersi temporis, quo profertur enunciatio, verificari.

Ratione probatur.

Quoniam autem vocalis propositio loco mentalis substituitur; imaginandum mentis iudicium, ut verum sit, debere conformari significationi propositionis vocibus expressę, pro ut relatum ad illam temporis partem, vel instans, pro quo verificatur vocibus expressa propositio.

Animadversio circa propositiones.

Plerumque contingit, ut propositiones enuncientur secundum communem loquendi vsum de præsenti, cùm tamen verificentur, quatenus significatum propositionis exercetur tempore subsequenti; ut si quis dicat *ego curro*; *ego comedo*; non enim exercetur actus currendi, vel comendendi eo tempore, quo profertur enunciatio, sed post completam prolationem ipsius; tunc autem dicunt per illam propositionem consignificari subsequens tempus propinquum.

Quorundã opinio.

Reijcitur.

Sed hoc ineptè dicitur, quoniam ex vi enunciationis prolatæ, non magis propinquum, quàm remotum tempus consignificari videtur; Solùm enim id contingit ex communi vsu loquendi, propterea quòd recipitur illa locutio loco alterius, nempè ego immediatè curram, immediatè manducabo.

Præstat igitur dicere tunc fieri distractionem, ita ut fiat ampliatio termini ad tempus futurum, ut perindè sit, ac si dicat, *ego, qui ero, curro* hoc est *ego, qui ero, sum currens*: Item *ego, qui ero, manduco*, hoc est *sum manducans*; distrahitur enim subiectum per ampliationem ad tempus futurum, ita ut verificetur per hanc ampliationem propositio, & aquiualeat huic de futuro. *ego curram*; *ego manducabo*, ad quarum verificationem sufficit, ut exerceatur actio post prolatam enunciationem absolutè loquendo. Sed iuxta communem vsum requiritur, ut immediatè actio exerceatur; quoniam usus obtinuit, ut cum quis huiusmodi propositiones profert *ego curro*; *ego manduco* perindè sit, ac si dicat *ego immediatè curram*; *ego immediatè manducabo*. Vbi obseruandum in his enunciationibus non solùm subiectum, siuè terminum illud significantem, ampliari ad aliam temporis differentiam, quam principale verbum indicat, sed etiam ab illo distrahi, unde propriè dicitur, *Distractio*.

Secunda quod ex in partes incipiat.

Erat in partitione secundum; Num propositio de præsenti mutari possit de vera in falsam, & contra. Grauis est planè difficultas, quæ sagaciores Philosophantes in varias sententias distraxit; in cuius gratiam ad memoriam reuocandum, præcipuè de propositione mentali, minus præcipuè de vocali sermonem instituimus. Præterea cognitionem, prout ad præsens attinet institutum, duplicem esse, intuitiuam unam, quæ originem ducit ab obiecto existente, prout existente; abstractiuam alteram, quæ nimirum abstrahit ab existentia obiecti, quod igitur nobis discutiendum proponitur est. An eadem numero enunciatio, de vera in falsam successiuè mutari possit; vel si semel vera quidem extiterit, ut mutationem prædictam successiuè subire non possit; potuerit saltem eadem prorsus numero ab initio esse vera vel falsa. Sunt, qui putant propositionem de præsenti non posse numero eandem successiuè mutari de vera in falsam, & de falsa in veram. Eã ratione ducti, quoniam non est idem numero actus affirmationis, qui referatur priùs ad unam temporis partem, postea ad aliam. Vbi enim, inquiunt, variatur obiectum, variatur etiam actus cognitionis tale attingentis obiectum. Et quanuis tempus sit quædam obiecti circumstantia, sufficit tamen ad variationem actûs; Vt si quis affirmet Socratem in vno, aut alio loco sedere, tametsi locus sit tantummodo circumstantia, tamen non potest idem esse numero actus, modò respiciens unam, modò aliam loci differentiam; proindè concludunt, dum quis affirmat Socratem pro certa temporis parte sedere, habere unum actum: si insuper perseueret idem affirmare pro alia parte temporis, non futurum eundem inuariatum actum. Quamobrem ex horum sententia, si quis tempore aliquo continuo perseueraret semper in affirmando *Socrates sedet*, determinatè semper referendo iudicium ad illam præcisè temporis partem, quæ est præsens simul cum ipso iudicio: dicendum, quòd sicut tempus fluit, & successiuè per diuersas partes est præsens; ita similis successio in illo actu inueniatur instar motûs, & talis actus maneat in continua, & successiua variatione correspondente successioni temporis. Qua ratione, ut aiunt, potest priùs esse verus, postea falsus, & iterum verus, & sic deinceps, quamdiù hunc perseuerat in modum. Addunt autem. Si quis initio affirmet Socratem sedere pro determinatâ quapiam latitudine temporis ex. gr. *Socrates per totam hanc horam sedet*, potest utique hic actus idem, & inuariatus perseuerare; tunc autem si Socrates per unam semihoram sedeat per alteram stet, non dicetur affirmatio priùs vera, postea falsa, sed ad summum initio dici potuisset partim vera, partim falsa; vera quatenus attingebat primam semihoram, falsa respectu secundæ; sed quia talis affirmatio se habet veluti copulatiua, ad cuius falsitatem absolutè sufficit falsitas alicuius partis, ob id absolutè affirmatio illa dicenda quidem initio falsa fuisset. Addunt præterea

Adnotata

Quorundã opinio.

Digitized by Google

si dum interim enunciatio proferatur, quod non nisi spatio temporis fit, ad veritatem ipsius sufficeret, in aliquo prolationis instanti verificari; nam si in reliquo temporis spatio non verificatur, non ob id iuxta hunc dicendi modum, propositio falsa, quoniam non affirmabat copulatim pro toto illo tempore, sed vagè, ac indefinitè, pro aliquo momento. Quòd si ex intentione loquentis, vel etiam ex maiori verborum expressione, vocalis propositio ad certam aliquam mensuram, latitudinemque temporis repetatur; tunc enunciatio, aut vera est, si res pro ea mensura, totaque latitudine temporis verificetur: vel semper est falsa, si res non ita verificatur, nec unquam eadem secundum eandem prolationem, significationemque de vera in falsam mutabitur.

Quamuis tamen hæc subtiliter, & accuratè dicta videantur, non tamen omnia vera, sed vera falsis permixta sunt, nec erat operæ pretium hæc ad trutinam tam subtiliter reuocare.

Dicendum primò contingentem propositionem de præsenti, & de præterito eandem numero ab initio potuisse fieri veram, aut falsam. Hæc assertio ex eo redditur demonstrata, quia cognitio ideo vera, quia repræsentat obiectum sicuti est; & ideo falsa, quia non repræsentat illud sicuti est; sed indifferens erat ab initio obiectum ad hoc vel illo modo se habendum; ob id cognitio etiam indifferens erat, ut illi foret conformis, vel difformis, atque adeo vera, vel falsa. Tametsi nanque cognitio constituatur essentialiter per ordinem ad obiectum, cui conformatur, si tamen obiectum varietur, ex conformi euadit difformis; & quia pro indifferentia obiecti contingentis, etiam & ipsa indifferens est; propterea huiusmodi cognitio ab initio indifferens erat ad veritatem, & falsitatem; proindeque propositio de præsenti, & de præterito ab initio potuisset fieri vera, vel falsa.

Hoc explicari, probarique potest exemplo. Imago dicitur conformis si Cæsarem repræsentet sicuti est, mutato Cæsare, euadit difformis, adeout pro contingenti mutatione Cæsaris, contingat etiam imaginem esse conformem, vel difformem Cæsari; quæ igitur est imago Cæsaris de præsenti, vel præterito conformis, ab initio potuisset fieri conformis, vel difformis.

Ex eo etiam suadetur, quia propositio de præterito in materia *contingenti*, adhuc contingens dicitur; *quamuis inter contingentes* nulla sit, quæ maiorem necessitatem induat, cùm nulla vi fieri possit, vt præteritum non fuerit; ergo propositio contingens, tam de præterito, quàm de præsenti ab initio indifferens fuit ad veritatem, & falsitatem. Consecutio perspicuè constat, nam illud inter propositionem necessariam, & contingentem discrimen intercedit, quòd necessaria non habet indifferentiam ad veritatem, & falsitatem, sed sui naturâ adeo vera est, ut nullatenus in falsam mutari possit, & contra; contingens autem indifferens est ad veritatem & falsitatem; ut ex contingentis notione manifestum, quia ad eum modum consentaneum est dicere sese enunciationem habere, quo se habet enunciationis obiectum; sed obiectum enunciationis de præterito, & præsenti ab initio indifferens erat ad esse, & non esse, erat-que omnino contingens; ergo etiam propositio de præsenti, & de præterito ab initio contingens erat.

Respondent propositionem contingentem dici, non eo nomine, quoniam ipsa in se possit esse vera vel falsa, sed quia prædicati significatum ex accidenti conuenit subiecto, itaut tota contingentia se teneat ex parte obiecti, non autem propositionis; idcirco inferunt propositionem dici contingentem, non quia eadem possit ex vera mutari in falsam, sed quoniam alia de iisdem terminis potest esse falsa.

Hæc tamen responsio nullius deprehenditur esse momenti, quia ex necessitate, vel contingentia rerum optimè infertur necessitas, vel contingentia veritatis in propositionibus. Amplius illud accedit, quòd propositiones necessariæ, & contingentes, non tantum ratione materiæ differre dicuntur, sed etiam seipsis intrinsecus atq; formaliter; propositio siquidem necessaria dicitur sempiternæ veritatis, quatenus inter extrema ipsius falsitas cadere non potest; at si hæc propositio *Socrates currit*, currente Socrate, sit ita vera, ut non potuerit esse falsa, vtique inspecta secundum se, foret sempiternæ veritatis, proindeque necessaria; quod autem alia falsa reperiri potuerit, puta si Socrates non cucurrisset, per accidens ad illam se habet si intrinsecus, & formaliter ita sit vera, ut absolutè falsa esse non potuerit. Superior igitur solutio nulla penitus est.

Refellitur 9. Diuin. tex. 22.

Dicendum secundò, propositionem contingentem, de præsenti, quæ indeterminatam partem temporis significat, succesliuè posse ex vera in falsam, aut contra, mutari.

Secunda assertio.

Hanc assertionem ab Aristotele traditam fuisse, nemo ibit inficias, nam sic habet. Ὁ δὴ λόγος καὶ ἡ δόξα, αὐτὰ μὲν ἀκίνητα πάντη διαμένει. τῶν δὲ πράγματος κινουμένου, τὸ ἐναντίον ἀεὶ αὐτὰ γίνεται. Ὁ μὲν γὰρ λόγος διαμένει ὁ αὐτὸς τῷ καθῆσθαί τινα· τῶν δὲ πράγματος κινηθέντος ὅτι μὲν ἀληθὴς ὁ τὸ δι' ὑδάτος γίνεται. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς δόξης. *Oratio verò & opinio omnino immota permanent, sed re motâ, contrarium in his fit, nam oratio permanet eadem, sedere quempiam, sed remotâ interdum falsa fit. itidem se res habet & in opinione.* Vt autem ostendat hoc aliter in substantia euenire, subdit ὅτε ἴδιον ἂν εἴη τῆς οὐσίας τὸ τοῦτο τῷ ἓν καὶ ἀριθμῷ ὂν δύνασθαι δεκτικὸν εἶναι τῆς μεταβολῆς ἐναντίας. *Quare proprium substantiæ est, cùm vnum & idem numero sit, sui mutatione posse contraria suscipere.* Sed alibi Stagirites altius totam expedit prima repetens à causa nuper expositam, quam tuetur sententiam, iuxta quam ex antea dictis quandam diuersitatem infert circa veritatem, & falsitatem opinionis, siue orationis; quia enim compositio & diuisio in re est veritatis, & falsitatis causa in opinione & oratione, sequitur iuxta differentiam veritatis & falsitatis in opinione & oratione; at in rebus hanc esse differentiam ait, quia quædam semper componuntur, & sunt impossibilia diuidi, puta *homo, & animal*, quædam semper sunt diuisa & impossibilia componi, nempe *homo, & equus*, & quædam alia contingunt contraria, ut *ambulans*, quatenus homo, quandoque ambulat, quandoque non ambulat; esse autem in quo consistit compositio intellectus, aut orationis, est componi, & unum esse, hoc est quandam compositionem & unionem significat; at non esse, in quo diuisio, & negatio posita est, non componi, sed plura esse significat, idest tollit compositionem, ponitque diuisionem, siue diuersitatem. Hinc propterea fit, ut circa contingentia, quæ scilicet possunt componi & diuidi, eadem numero opinio, siue oratio, sit vera & falsa, & quandoque vera, quandoque falsa contingat; ut hæc opinio siue oratio *homo ambulat*, est vera homine ambulante, & falsa homine quiescente, cuius verba sunt ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐνδεχόμενα καὶ αὐτὴ γίνεται ψεῦδος καὶ ἀληθὲς δόξα καὶ λόγος ὁ αὐτὸς καὶ ἐνδέχεται καὶ ἀληθεύειν ἔστι, καὶ ψεύδεσθαι. *Ergo circa contingentia quidem eadem sit falsa, & vera opinio, & eadem oratio, & contingit quandoque veram, & quandoque falsam esse.* At circa impossibilia aliter se habere, puta quæ semper componuntur, vel semper diuiduntur,

Auctoritate probatur. In prædic. subst. prope finem.

9. Diuin tex. 22.

Ibidem.

tur, ex Aristotelis sententia non fit aliquando vera, aliquando falsa opinio vel oratio; quin potius, quæ vera, semper est vera, puta *homo est animal*, & quæ falsa, semper est falsa, puta *homo est equus*. Ex his infert iuxta triplicem diuersitatem circa compositionem, & diuisionem oriri triplicem diuersitatem circa veritatem, & falsitatem in opinione, & oratione.

Necessariæ enunciationes semper veræ, & impossibiles semper falsæ.

Itaque necessariæ enunciationes adeo veræ sunt; & impossibiles adeo falsæ, ut vera nequeat in falsam mutari. Hoc autem ex eo, quia tanta est propositionum, quanta materiæ necessitas; necessaria siquidem veritas propositionum, quæ necessariæ dicuntur, ex necessitate, ac immutabilitate obiecti proficiscitur, quatenus hoc aliter se habere non potest; cùm rerum essentiæ sint prorsus immutabiles. Quamobrem propositiones de prædicatis spectantibus ad rei essentiam, vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se, nequeunt non esse conformes obiecto, utpote semper eodem modo se habenti. Ex aduerso propositiones impossibiles ob prædicatorum repugnantiam, nunquam obiecto conformari possunt. Hinc propositiones in materia necessaria æternæ veritatis; in materia impossibili, æternæ falsitatis dici consueuerunt; quoniam etsi ab æterno prolatæ, semper etiam veræ, aut falsæ fuissent; ut propterea copula *est* in ipsis, ab omni temporis differentia dicatur absolui.

Intuitiua cognitio ex vera nequit euadere falsa.

Amplius intuitiua cognitio ex vera nequit euadere falsa, nam pendet ab obiecto existente, quo sublato, corruat etiam cognitio necessum est; cùm in fieri, & conseruari, ut aiunt, ab obiecti existentia pendeat. Itaque si intellectus cognoscat Socratem currere, talem cognitionem exercet, quæ nequit ex vera in falsam temporis tractu mutari; eò quòd Socratis cursus existens ad cognitionem, tanquam formale, atque motivum obiectum se habet, cùm intellectus iudicium ferat de cursu Socratis nactâ occasione à cursu, quem intuetur; idcirco remoto cursu, nequit eadem cognitio perseuerare; mutationem ob id ex vera in falsam subire minimè potest.

Enunciationes de præsenti concernentes certam aliquam temporis differentiam.

Propositiones deinde contingentes de præsenti consignificantes certam aliquam temporis differentiam, adeo veræ sunt, ut nequeant ex veris in falsas temporis successione mutari; nam si in quapiam quantumuis minima horæ particula Socrates non curreret; hæc propositio *Socrates currit per totam horam*, absolutè falsa esset, ut cuique perspectum; quandoquidem se habet, ut propositio copulatiua, copulans omnes partes illius horæ cùm Socratis cursu; at ad falsitatem copulatiuæ sufficit, ut una ex partibus falsa sit.

Quid ad Aristotelis auctoritatem dicendum aduersarij existimẽt & eorum interpretatio reijcitur.

Qui tamen in contrariam sententiam abierunt, putant Aristotelis auctoritati satisfieri dicendo ipsum esse non de eadem, sed diuersa oratione locutum. At quis non aduertit expendendo Philosophi verba locutum fuisse de eadem numero oratione?

Neque dicant ipsum sermonem habere de oratione vocali; nam de mentali sollicitum esse, nemo non intelliget aduertens ab eo mentionem fieri de opinione, quam temporis decursu veram, & falsam esse posse non obscurè testatur; liquet autem opinionem quandam esse mentis operationem &c.

Alia interpretatio refellitur.

Nec denique dicant esse locutum de relatione veritatis, quæ competit cognitioni, quatenus per aliam reflexam cognitionem comparari potest ad obiectum suum in ordine ad varia tempora; quo pacto conformis, & difformis successione temporis concipi potest; cùm tamen secundum se, non nisi unum tempus respiciat, pro quo vel semper est vera; vel semper est falsa. Hæc enim interpretatio est ab Arist. consilio penitus aliena; quandoquidem eandem ipse docet opinionem in se, non ut cognitam per actum reflexum posse coexistere sessioni, & deambulationi eiusdem successiuè; sic enim loquitur, εἰ μή ἄρα τις ὑπείληπτο, τὸν λόγον ἢ τὴν δόξαν ψεύσασθαι πρὸς ἑαυτὸν ὥσπερ ἐναντίον ὄντα δυνατόν· ὁ γὰρ αὐτὸς λόγος ἀληθὴς τε καὶ ψευδὴς δυνατὸν εἶναι ἔσται· εἰ ἀληθὴς ἦν ὁ λόγος ψευδὴς ἔσται. ὁσαύτως δὲ καὶ τῆς δόξης· ἐν γὰρ τῇ ἀληθεῖ δοξάζῃ τὸ καθῆσθαί τινα, ἐναντίος αὐτῷ, ψευδῆς δοξάσει· τῷ ἐναντίῳ ἔχων ὡς αὐτῷ δόξαν. *Nisi fortè quis obijciat, orationem, & opinionem inquiens posse contraria recipere: quoniam eadem oratio & vera, & falsa videtur esse. veluti si vera est oratio, aliquem sedere: cùm is surrexerit, hæc eadem oratio falsa erit; eadem est ratio opinionis. si quis enim verè putet aliquem sedere: cùm is surrexerit, falsò putabit, eandem habens de eodem opinionem.* Quid igitur apud Aristotelem clarius, quàm eandem numero cognitionem, ad iudicium spectantem ex vera in falsam, & vicissim secundum se, & non ut cognitam per actum reflexum mutari posse?

Præstat igitur inhærere Stagiritæ vestigijs, qui non immeritò pronunciauit, enunciationem numero quidem eandem esse contrariorum susceptiuam, itaut ex vera in falsam, & vicissim mutari possit. Propterea quòd eatenus propositio vera est, quatenus est obiecto conformis, & repræsentat illud sicuti est; si igitur hoc variationem subit, inuariato actu cognitionis, siue eadem perseueratione mentali, & vocibus expressâ propositione, consequens fit, ut propositio ex vera euaserit falsa per solius obiecti mutationem. Hoc enim interest, ut rectè Philosophus aduerterat, inter substantiam & orationem, quòd utraque contrariorum est susceptiua, non quidem simul, sed successiuè; substantia tamen intrinsecùs mutatur, subeundo aliquid nouiter, quod priùs non habebat; oratio autem extrinsecùs, & citra sui mutationem, neque per aliquid in se nouiter receptum. Itaque sic arguo; si quis iudicet Socratem currrere, currente Socrate, iudicium est verum; sistente Socrate, iudicium idem permanens euadit falsum, defectu conformitatis cum obiecto in se; eadem ergo propositio ex vera potest in falsam mutari.

Huic rationi conantur occurrere, sed non eodem modo; propterea quod primo loco quidam respondent in huiusmodi casu, debere iudicium secundum substantiam mutari, quoniam obiecti circumstantia, videlicet tempus mutatur, hanc circumstantiæ mutationem sufficere arbitrantur, in cuius gratiam afferunt instantiam de actu consignificante certam temporis differentiam, qui nequit aliam repræsentare, quamuis illa sit etiam obiecti circumstantia.

Hæc tamen responsio parui facienda est, quandoquidem ineptè putant variari actum, ex variatione circumstantiæ &c. nisi enim mutetur obiectum formale actûs, nempe motivum inducens intellectum ad iudicium illud ferendum, à quo essentialiter pendet, non mutabitur actus; ad hoc autem nihil refert temporis variatio, substantia siquidem ipsius actûs solùm ab obiecto pendet, non ut in se, sed ut per speciem, & apprehensionem repræsentato; at verò species tunc, & apprehensio non repræsentat obiectum cum temporis circumstantia; quando videlicet intellectus duntaxat affirmat Socratem currere, huius enim cognitio non respicit tempus. Nec ipsi quicquam conficiunt exemplo de actu consignificante certam temporis partem, quoniam ille actus pendet ab obiecto repræsentato cum tali differentia, & ob id ad variationem istius, sequitur etiam actûs variatio; at longè aliter se habet actus abstrahens à determinata temporis differentia: de quo in præsens habetur disputatio.

Secundò placuit alijs occurrere dicendo quamlibet propositionem de præsenti necessariò consignificare cer-

Digitized by Google

certum tempus; non indeterminatum præsens, non præteritum, aut futurum; propterea si pro illo tempore Socrates currit, semper, inquiunt, propositio erit vera, etiam si post illud tempus ipsa permaneret, quia non repræsentaret Socratem semper currere, sed semper repræsentaret Socratem currere pro illo tempore, quod verum erit, cùm tantùm dicat cursum Socratis, & tempus illud simul coexistere; unde propositio illa non mutatur ex vera in falsam &c.

Hæc tamen responsio non satisfacit; enimverò, in efformanda illa propositione intellectus, explicitè duntaxat ad inhærentiam prædicati cum subiecto attendit, nihil penitùs actu cogitando de temporis differentia; quia nihilominus per verbum innuitur tempus tanquam connotatum; idcircò dicitur implicitè per illam propositionem tempus consignificari, proindeque confusè, vagè & indeterminatè importari quandoquidem temporis illius partes tunc ab intellectu confunduntur; & quoniam tempus latitudinem habet multarum partium sibi inuicem succedentium, ob id propositio poterit in una parte vera esse, in altera falsa, iuxta diuersas, variasque sui coexistentias ad illas partes, ad quarum variationem, actus quoad substantiam nullam variationem subit, cùm illas implicitè consignificet; idcircò secundum sui substantiam, licet mutatus ex vero in falsum, idem perseuerat.

Tertiò alij difficultatem diluendam existimant respondendo propositionem consignificare tempus indefinitum & confusum, non propterea tamen posse veram, & falsam esse successiuè, sed necessariò esse vel absolutè veram, vel absolutè falsam. Sic enim disputant, ut dicant gemino modo propositionem illam explicari posse, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, copulatiuè si discensus copulativus fiat, dicendo *Socrates currit*; hoc est, & in hac parte temporis currit, & in hac currit, & in hac alia currit &c. Disiunctiuè, si descensus disiunctivus fiat, nimirum vel in hac temporis parte currit, vel in ista alia currit. Si priori modo explicetur, dicunt esse absolutè veram, si semper currit; vel absolutè falsam, si in aliqua parte temporis non currat; quandoquidem ad vniuersam copulatiuæ falsitatem sufficit, ut una sola categorica sit falsa. Si autem secundo modo explicetur, dicunt itidem vel absolutè falsam, si nunquam currit; vel absolutè veram esse, si saltem in aliqua temporis parte currat, cùm ad *vniuersam disiunctiuæ* veritatem, unius categoricæ veritas abundè sufficiat.

Nec etiam hæc responsio est omnibus absoluta numeris, quandoquidem illam impugnare hunc qui sequitur in modum licebit. Supponamus intellectum perseuerare in illo actu, quo affirmat Socratem currere per horam, non descendendo determinatè ac explicitè ad partes illius horæ, sed solùm implicitè illas consignificando; & supponamus etiam Socratem in vltimo horæ quadrante non currere, ita tamen ut in reliquis quadrantibus currat; admissâ aduersariorum responsione sequeretur propositionem illam explicare obiectum sicuti in se est, atque adeo veram esse, & nihilominus esse falsam. Nam quatenus exprimeret obiectum prout est in se, foret illi conformis, quatenus autem falsa, esset eidem difformis; eandem autem cognitionem, qualis esset propositio, cùm hic sermo præcipuè fiat de propositione mentali, esse obiecto conformem simul & difformem, contradictionem importat. Deductionem illam probè institutam esse inde patet, quia si propositionis copulatiuæ præceptum haberet locum; propositio illa absolutè falsa dicenda foret, *defectu cursûs in vltimo* horæ quadrante; cùm enim tunc Socrates non curreret, non existeret cursus, per hanc igitur cursûs non existentiam propositio, utpotè copulatiua, falsa esset, & tamen in tribus primis quadrantibus propositio, quatenus obiecto conformis, vera foret; rectè propterea inferebatur secuturum propositionem eandem simul veram, & falsam esse.

Aduersariorum responsio præoccupata, simulque reiecta.

Dices forsan illam propositionem explicandam esse disiunctiuè. Sed hoc insulsum omnino, quoniam disiunctio, quandam, ut ita dixerim, iudicij ambiguitatem præfert; at intellectus enuncians cursum de Socrate, absolutè, & simpliciter illum affirmat, implicitè tamen consignificando tempus coexistens illi affirmationi, propter id, à quo mouetur ad huiusmodi ferendum iudicium.

Quædam in gratiam superadictorum exactiùs expenduntur.

Vt autem nobis longè magis clareant hactenus disputata, haud erit alienum ab instituto, quædam paulo diligentiùs expendere, à quibus rei propositæ cognitio summoperè pendet & assertionis superiùs traditæ veritas deriuatur. Ex his porro illud in primis manifestum, ad veritatem propositionis de præsenti, requiri, ut eo tempore, quo ipsa efficitur, prædicatum affirmatum, vel negatum per iudicium, reipsâ conueniat, vel non conueniat subiecto, de quo affirmatur, vel negatur. Hoc autem necessarium omnino, alioquin inter propositionem, & obiectum secundum se, non intercederet conformitas, in qua veritatem positam esse sæpe sæpiùs affirmauimus. Hinc palam, & apertiùs, quando liceat descensum vel copulatum, vel copulativum; vel disiunctum, vel disiunctivum facere; enimverò quotiescunque in aliqua propositione terminus aliquis communis adhibetur, res permanentes significans; nulli dubium, quin sub illo descensus fieri possit, vel copulatus, si terminus prædictus collectiuè; vel copulativus, si distributiuè supponat; vel disiunctus, siue disiunctivus, si determinatè, aut confusè supponit.

Digressio de Ascensu & Descensu in gratiam superioris doctrinæ;

Sed ut hæc apertiùs intelligantur, non erit abs re, ad memoriam reuocare, quid sit ascensus de quo hic sermo. Hic porro nil aliud, quàm quidam arguendi modus contrarius Ascensui; est autem Ascensus arguendi modus per inductionem, quatenus per eam, sensim à singularibus ascendimus ad probationem vniuersalis, itaut ascensus ordinetur ad vniuersales propositiones, quatenus huiusmodi, hoc est quatenus sunt ex singularibus contentis sub illis, cùm melius ostendi non possit aliquod vniuersale tale esse, nisi demonstrando eius singularia esse talia. Descensus autem est modus arguendi oppositus, cùm sit quædam progressio ab vniuersali ad singularia, ut *omne graue tendit deorsum; ergo & hoc graue, & illud graue tendit deorsum*; ordinatur autem ad ostendendam falsitatem vniuersalis, quatenus vniuersalis; cùm egregiè demonstretur vniuersalis falsitas descendendo sub illo, & ostendendo aliquod singulare non esse tale: siquidem aliquo singulari non existente tali, vniuersalis propositio vera esse non potest; sed latiùs de his in Institutionibus disseruimus; in gratiam tamen superioris doctrinæ quædam supersunt addenda; sunt autem quæ sequuntur.

E quorundam sententia duplex descensus arguitiuus.

E quorundam sententia duplex est descensus, ut vocant, arguitivus, nempe simplex & mixtus; simplex autem quadruplex, scilicet Copulativus, & Copulatus; Disiunctivus, & Disiunctus. Copulativus est ille, quo sic descendendo subinfertur propositio hypothetica copulatiua composita ex omnibus singularibus illius termini supponentis, virtute cuius descenditur, ut *omnis homo est animal; ergo hic homo est animal, & ille homo est animal*. Copulatus est, quo sic descendendo subinfertur propositio categorica de extremo copulato, composita ex omnibus singularibus illius termini supponentis, virtute cuius descenditur. Vt *omnis ho-*

mo est animal; ergo hic homo, & ille homo, & ille est animal. Descensus disiunctivus est, quo sic descendendo, subinfertur propositio disiunctiua composita ex omnibus singularibus illius termini supponentis, virtute cuius descenditur. Vt *omnis homo currit, ergo vel hic homo currit, vel ille homo currit, vel ille currit &c.* Disiunctus est, quo sic descendendo subinfertur propositio categorica de disiuncto extremo, composita ex omnibus singularibus illius termini supponentis, virtute cuius descenditur. Vt *omnis homo currit; ergo vel hic homo, vel ille homo, vel ille currit &c.* Horum autem explicatio apud alios talis est, qualem breuiter mox subijciemus.

Ab alijs explicatio tradita de descensu &c.

Ascensus, & Descensus est quadruplex, nempe Copulativus, & Copulatus; Disiunctivus, & Disiunctus. Copulativus est, qui fit per coniunctionem *&*, vel aliam æquipollentem copulatiuè acceptam, hoc est copulantem & coniungentem ipsas propositiones, non autem terminos propositionis. Copulatus est, qui fit per eandem particulam *&*, copulatim sumptam, hoc est, copulantem partes unius extremi, non autem ipsas propositiones. Disiunctivus est, qui fit per particulam *vel*, disiunctim acceptam, hoc est, iungentem propositiones. Disiunctus est, qui fit per eandem particulam disiunctim acceptam, hoc est iungentem partes unius extremi. Ex his apertè constat descensum, & ascensum copulativum, & disiunctivum per hoc à copulato, disiunctoque secerni, quòd in illis fit descensus, vel ascensus per hypotheticam propositionem ex multis categoricis constantem; in istis autem fit singularium enumeratio per unicam propositionem categoricam, cuius extremum alterum ex omnibus singularibus constat, in descensu quidem aut ascensu copulato, copulatim acceptis; in disiuncto autem, disiunctim. Quæ ut explicent, hæc habent. Si terminus distributiuè supponit, à propositione vniuersali descenditur ad plures singulares copulatiuè, vel ad unam de copulato extremo, & verbo singulari, Vt *omnis homo est animal; ergo hic homo est animal, & ille homo est animal*; vel sic; *ergo hic homo, & ille homo, & ille est animal*; eodem modo negatiuè, ut *nullum elementum caret materiâ; ergo nec terra caret materiâ, nec aqua caret materiâ, nec aer caret materia; nec ignis caret materia*; vel hoc modo *ergo nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis materia caret*. Ascensus porrò contrario modo fieri debet. Quòd si terminus collectiuè supponat, tunc ascendendum, vel descendendum copulatim hoc modo. *Omnia elementa sunt quatuor; ergo terra, aqua, aer, & ignis sunt quatuor*; non tamen *ignis est quatuor*; aut contra fiet assensus. At si terminus determinatè supponit, descenditur à propositione particulari ad plures singulares disiunctiuè hoc modo: *aliquis homo studet; ergo hic homo studet, vel ille homo studet* &c. aut ad unam de disiuncto extremo, sic: *ergo hic homo, vel ille homo* &c. studet; & contrario modo ascenditur. Si ad extremum, terminus confusè supponat, eodem modo descenditur, & ascenditur à termino confuso ad singulares & contra; ut in Institutionibus explicuimus.

Animaduersio.

Aduertendum porrò, quod est summoperè considerandum, nempe veritatem in descensu copulatiuo æstimandam esse ex singulis partibus copulatiuè enumeratis; At in copulato non ex singulis, sed ex omnibus simul collectim acceptis partibus, nimirum ex tota earum collectione. In disiunctiuo autem descensu veritas attenditur ex unica determinata parte, licet sub disiunctione significata. In disiuncto tandem attenditur ex omnibus confusè, aut ex una parte duntaxat, penitus tamen indeterminata, & vaga ex rei natura, quæ adnotasse non fuit alienum ab instituto.

His diligenter animaduersis, ex ipsorum sententia non obscurè constabit causa eorum, quę superiùs attulimus; cùm enim inferiora sint simul, propositio de illis veritate comprobari potest, vel coniunctim, vel disiunctim, quia potest ipsis conuenire prædicatum, & hoc sensu intelligenda præcepta de veritate propositionis copulatiuę, vel disiunctiuę. Sed quoniam tempus non est quidpiam permanens, quin potius habet esse in successione consistens, habetque partes non simul sed in successione positas, si confusè, & vagè in propositione consignificaretur, ut cum dicitur *Socrates studet*, nequiret fieri descensus disiunctivus dicendo, vel in hac, vel in illa temporis parte studet; Tum quia hunc in modum determinatè supponeret. Tum quia suppositio communi termino propriè conuenit in ordine ad eius inferiora, non in ordine ad ea quę tanquam concomitantia se habent, cuiusmodi est tempus comparatione verbi. Tum quia tempus consignificatum vagè, atque indeterminatè in illa propositione, potius tanquam copulatum quoddam consignificatur, quàm ut quoddam diuisum.

Colligitur quæ

Obiectio præcedenti, & eius

Neque dicas propositionem illam *Socrates studet*, explicari posse per hypotheticam unam copulatiuam adeout omnes categoricæ tunc simul veritate comprobentur, ut contingit cùm dicitur *Omnis homo studet*; valet enim tunc dicere *ergo Socrates studet, Plato studet &c.* quæ omnes simul cum veritate consentiunt. Non inquam id dicas, quoniam temporis partes non sunt simul, sed successiuè tantùm existunt; propterea illæ categoricæ nequeunt simul veritate comprobari; sed necessariò una sine dependentia ab alia, & post aliam; quemadmodum temporis partes sibi inuicem succedunt actu existente intellectûs affirmante studium de Socrate; ut idcirco explicari quasi debeat per plures categoricas absque aliqua coniunctione. Vel si coniunguntur per particulam *&*, non coniunguntur ut omnes simul sed successiuè verę.

Quæ hactenus dictis inferri solent,

Hinc autem deducunt ad veritatem copulatiuæ prioris generis requiri, ut omnes sint verę, quoniam prædicatum enunciatur, tanquam omnibus simul conueniens. Sed ad veritatem copulatiuæ posterioris generis quod attinet, quoniam una categorica post aliam veritate comprobatur, ob id locus superiori regulæ esse non potest, alioquin propositio simul vera, & falsa foret &c.

At quando in propositione explicitè tempus exprimitur, ut *Socrates hac horâ studet*, tunc aiunt, tempus se habere, ut totum quoddam determinatum, & obiectiuè saltem simul acceptum & tunc fieri posse descensum copulativum, adeo ut ad unius partis falsitatem, tota propositio reddatur falsa, nec posse unam, & eandem simul esse veram, & falsam; quæ animaduertisse fuit operæ prætium: quandoquidem in illa propositione *Socrates studet*, Intellectus non aduertit explicitè temporis partes, sed solum consignificantur secundum coexistentiam successiuam, quam dicunt ad propositionem perseuerantem, unde fit ut una post aliam consignificetur, & absque dependentia ab alia; quamobrem si studendi exercitium in una existit parte & non in alia subsequente; propositio erit vera in una ex partibus prioribus temporis, & non in alia ex subsequentibus; propositio vera erit in una priori temporis parte, & non in alia, quoniam variatio non contingit quantum ad entitatem ob hanc temporis variationem. Sed in illa propositione *Socrates per totam horam studet*, intellectus explicitè ad omnes horæ partes aduertit, illasque simul in unum colligit, simultate obiectiua, seque tenente ex parte cognitionis, non

Digitized by Google

reali, & prædicatum tribuitur subiecto, ut ipsius existentia omnibus illis horæ partibus simul acceptis coexistat; proinde in omnibus simul debet de subiecto verificari, alioquin propositio uniuersa falsa erit. Ita disputat Neotericus non obscuri nominis, sed quàm appositè ratiocinetur, alibi ostendam, interim hæc dicta accipias tanquam non aliena penitus à veritate, quæ ut apertius constet; paulò infra difficultates afferam; ex ipsarum nanque solutione, superiorum assertionum veritas clariùs elucebit.

aduersa-rũ obie-nibus catis.

Nec alicuius roboris rationibus, quibus aduersæ sententiæ fautores suffulti propriam sententiam tuentur, Quando enim per mutationem circumstantiæ, vel temporis, vel loci &c. & de eo sic mutato habeatur cognitio; hæc proculdubio diuersa est ab ea, quæ habebatur de ipso obiecto, antequam mutationem subiret. Sed hoc non est ad rem; cùm enim intellectus affirmat *Socrates currit* supponitur perseuerare in eodem actu cognitionis repræsentantis Socratem affectum cursu; & re verâ, breui saltem tempore perseueret, oportet; quoniam non potest fortassis aliquid produci, ac proinde neque cognitio, durans tantum per instans; alioquin, ut quidam arguunt, idem simul esset, & non esset; esset profectò quia supponitur produci, non esset, quia supponitur corrumpi; tunc igitur si Socrates sisteret cursum, & eadem cognitio perseueraret, non esset amplius obiecto conformis ut priùs, ac ob id non amplius vera: De hoc tamen in Physica differendum; solet enim, huic rationi occurri. Imaginandum autem hoc rectè sic explicari, ut illa cognitio se habeat velut imago repræsentans id, cuius est imago, hæc porrò sine sui mutatione, sed per solam mutationem eius, cuius est imago, ex conformi fit difformis. Vt si sit imago Cæsaris, quæ ad vivum exprimat, ac repræsentet illum, qui tamen, vel ob morbum, vel ob ætatem mutationem subierit in vultu, tunc imago ex conformi, difformis euaderet, quanuis nullam esset passa mutationem sui. Non secus de cognitione philosophandum, quæ imago quædam obiecti licet expressa, est; eo enim mutato, dum hæc perseuerat ex conformi fit difformis, atque adeo ex vera fit falsa. Et quoniam hìc de cognitione iudicatiua loquimur, intelligendum totum id intercedente affirmatione, vel negatione fieri.

plicatio rinæ.

duersa-num do-ma rei-ai. ima cõ-atio.

Et puerile admodum est, quod dicunt, cognitionem illam perseuerantem, ob id mutatam non esse ex vera in falsam, quia repræsentat obiectum pro ea differentia temporis, quâ ita se habebat, unde cùm illi conformetur nullam mutationem subijt, ac proinde inuariata manens, adhuc vera est, nec ex vera euasit falsa. In eo enim decepti sunt, quòd cognitiones confuderint. Dum enim intellectus cognoscit, & affirmat Socratem currere, si reipsâ currat, cognitio vera est, quoniam conformatur obiecto suo, cui coexistit; si autem Socrates sistat cursum, tunc non amplius vera, quoniam cognitio non est amplius conformis obiecto, cui coexistit; vera quidem esset cognitio, quæ repræsentaret Socratem cucurrisse; sed aliud est cognoscere Socratem currere, & aliud cucurrisse. Ad veritatem primæ cognitionis requiritur, ut obiectum cognitioni coexistens ita re ipsâ sit, quemadmodum per cognitionem repræsentatur; sed ad veritatem secundæ cognitionis, sat est, ut obiectum extiterit in re, pro ut illud cognitio repræsentat.

Secunda ffugio.

Et hoc inde quoque conuincitur euidenter, quoniam supposito, quòd Socrates currat, si quis pronunciet *Socrates currit*, utique enunciatio vera, quippe quæ conformatur obiecto; si autem perseueret actus, & Socrates cursum sistat, tunc, aut cognitio vera est, aut falsa; inter has enim nulla est media, si falsa; ergo mutata est cognitio ex vera in falsam, quod intendimus; si vera, petendum quando quis propositionem enunciauerit, *Socrates non currit*, supposito, quòd ipse cessauerit à cursu, an propositio vera sit, an falsa; certè non falsa, cùm sit obiecto conformis; ergò vera; duæ igitur hæc propositiones *Socrates currit*; *Socrates non currit* veræ erunt, quod esse non potest; curreret enim, & non curreret, ac proinde contradictoria de eodem simul verificarentur, quod est absurdum. Fatendum igitur enunciationem ex vera in falsam mutari. Sed quæ ab aduersarijs obijci solent videamus. Et si quæ aliquid aduersus hactenus tradita momentum habent, diligenter expendamus. Ad ostendendum igitur omnem propositionem esse vel absolutè semperque veram; vel absolutè ac semper falsam, itaut ex vera nequeat fieri falsa, aut contra, plerique sequentibus argumentis demonstrare nituntur.

Prima difficultas.

Veritas est idem reipsâ, ac substantia actûs veri, ut superiùs nos quoq; notauimus; sed nulla res potest esse sine eo cum quo ipsa est idem; ergo propositio, quæ semel est vera, semper debet esse vera, nec potest non esse vera; quamobrem cognitio non poterit ex vera fieri falsa.

Solutio.

Occurrendum propositæ difficultati, respondendo veritatem acceptam quantum ad id, quod dicit in recto, esse utique idem ac substantiam actûs; at sumptam quantum ad id, quod dicit in obliquo, non item; Veritas enim, ut suo loco vidimus, dicit utique substantiam actûs, sed connotat obiectum; hinc veritas prout dicit obiectum in obliquo, non est idem ac substantia actûs, quam veritas ipsa dicit in recto.

Secunda difficultas

Amplius. Hæc propositio *Socrates currit totâ horâ tertiâ*; si semel est vera, non potest esse falsa, & si semel est falsa, non potest esse vera; ergo propositio de præsenti in materia contingenti nequit mutari ex vera in falsam. Assumptum ex eo constat, quin etiam illa propositio eatenus est vera, quatenus Socrates tota horâ tertiâ currit; itaut si tota horâ tertiâ necessariò currat, etiam propositio sit necessariò vera, & immutabilis, cùm immutato obiecto nequeat propositio mutari; Sed totâ horâ tertiâ necessariò currit, ex suppositione quòd Socrates currat. *τὸ μὲν οὖν εἶναι τὸ ὂν ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη.* *Ergo quod est, necesse* est *esse quando* est: *& quod non est*, necesse est *non esse quando non est*. Vnde Scholastici deduxerunt. *Omne quod est, dum est, necesse est esse* &c. ergo propositio illa erit necessariò vera & immutabilis.

De Interpret. cap. 9.

Respondeo propositionem illam semel veram non posse mutari in falsam sine mutatione obiecti, secus tamen cum obiecti mutatione; in ordine autem ad obiectum cui cognitio conformatur semper est vera, unde est essentialiter vera per ordinem ad huiusmodi obiectum; euadit autem falsa, quatenus obiectum mutatur, quoniam ex huius mutatione sequitur difformitas inter cognitionem, & obiectum. Nec propterea sequitur nullum esse discrimen inter propositionem in materia contingenti, & necessaria; nam hoc differunt, quòd propositio in materia necessaria, ob immutabilitatem obiecti, nequit ex vera fieri falsa; in materia autem contingenti, propositio potest ex vera in falsam mutari; quòd autem obiectum sit necessarium ex hypothesi, nihil est, nam eo modo propositio dicetur impotens ex vera fieri falsa, quo pacto obiectum est immutabile, nimirum ex hypothesi; sed ut absolutè obiectum est contingens, sic absolutè propositio potest ex vera fieri falsa; quæ sunt intelligenda de cognitione abstractiua, quæ patitur temporis latitudinem, ratione

Digitized by Google

ne cuius potest veritatis in falsitatem mutatio contingere ob mutationem obiecti, secus de cognitione intuitiua, ut superiùs monuimus.

Difficultas à neoterico allata.

Contra tamen plerique sic arguunt. Propositio, quâ intellectus iudicat Socratem currere, cùm dicit *Socrates currit*, vel significat Socratem currere, certo atque determinato tempore, nempe totâ horâ tertiâ, & hoc modo propositio semper erit vera; aut falsa nec poterit unquam euadere falsa aut vera. Vel significat Socratem non currere totâ horâ, sed in aliqua eius parte; & hoc pacto propositio semper erit vera, aut semper falsa, quia si currit in aliquâ parte horæ, non potest non currere in illâ parte, & ita propositio est vera; si autem nulla in horæ parte currit, non potest currere, & hoc modo propositio est falsa. Vel significat Socratem currere illâ horâ, item post, & ante illam; & hoc modo, aut currit, aut non currit; si currit propositio est vera, si non currit est falsa. Vel significat Socratem currere, quoad propositio durat & in singulis illis partibus, & hoc pacto necessariò est vera, aut necessariò falsa, quia necessariò currit toto illo tempore, vel non currit.

Confirmatio.

In confirmationem addunt, quòd hæc propositio *Socrates currit*, est in materia contingenti, proindeq; æquipollet particulari; ergo facit hunc sensum *Socrates currit aliquo tempore;* ergo currente Socrate in aliqua differentia temporis erit vera; si verò numquam currit, erit falsa; & sanè vel significat certum tempus, & hoc modo est vel absolutè vera, vel falsa; vel significat tempus indeterminatum; & ita erit absolutè vera si in aliqua temporis parte currit, etsi in alijs partibus temporis non currat, ut ista *aliquis homo currit*, est absolutè vera si vel vnus tantùm currat, vel erit absolutè falsa, si in nulla temporis parte currat.

Solutio.

Respondendum per illam propositionem significari tempus indeterminatum, in quo illa permanet propositio, non quasi totum illud consignificet, sed successiuè quoad coexistentiam, quam tempus ipsum dicit ad illam propositionem.

Confirmationi fit satis.

Et hinc etiam responsio ad confirmationem elicitur; Concedendum enim propositionem illam æquipollere particulari, cùm non sit sensus, quòd Socrates omni tempore currat, sed aliquo tempore indeterminato, in quo permanet illa propositio, non illud totum simul consignificando, sed successiuè secundum coexistentiam, quam tempus dicit ad illam propositionem, ut nuper aduerti; unde negandum sufficere ad veram propositionem, quòd in aliqua tantùm parte, veritate comprobetur; nec eadem est ratio de illa propositione *aliquis homo currit*, ac est de ista *Socrates currit*, ut satis constat. Successione temporis ergo propositio ex vera fit falsa; quoniam illa durante mutatur obiectum, ex cuius mutatione contingit in cognitione difformitas cum ipso obiecto. Vt si dicam per dimidiam horam *Socrates currit*, & in prima horæ parte Socrates currat, propositio est vera; si autem in secunda horæ parte Socrates non currat, propositio priùs vera, euadit falsa; & hæc est illa mutatio, toties à nobis cum Aristotele inculcata.

Quorundam confutatio.

Contra tamen quidam sic arguunt. Ergo ex his colligitur hanc propositionem *Socrates currit*, significare Socratem currere tota dimidia hora, quâ durat propositio, & hunc reddere sensum, Socrates totâ dimidiâ horâ currit; & non currente Socrate toto tempore, quo propositio durat, est falsa, currente autem est vera; sed oportet Socratem toto illo tempore currere, vel non currere; si currit est vera semper, si non currit est semper falsa. Vnde colligunt propositionem illam semper connotare, vel totum tempus, quo durat collectiuè, vel aliquam eius partem diuisim.

Quid respondendum ex proximè dictis cuique perspectum, nam dictum est, cuiusmodi sit tempus, quod illa propositio consignificat, nempe indeterminatum, in quo illa permanet propositio &c.

Tertia sententia.

Alij sic argumentantur ad idem. Illa propositio *Socrates currit* necessariò consignificat, seu connotat tempus præsens dum profertur, & non aliud; atque adeo consignificat tempus determinatum, in quo necessariò Socrates vel currit, vel non currit. Sed propositio relata ad huius modi tempus est vel semper, & absolutè vera, vel semper & absolutè falsa; ergo propositio non poterit ex vera fieri falsa, aut contra &c. Maior constat ex eo quia id à quo mouetur intellectus, est species repræsentans obiectum accepta ex coniecturis repræsentantibus obiectum pro tempore præsenti in quo est; sicuti coniecturæ mouent pro præsenti tempore, non pro futuro. Accedit quod nequit cognitionis actus de nouo repræsentare novum tempus sine sui mutatione; ergo nequit repræsentare obiectum pro tempore subsequenti &c. Assumptum ex eo constat, quoniam propositio repræsentat cum tempore, quatenus repræsentat aliquid in illo fieri; sicuti non potest cognosci aliquid fieri in gymnasio, quin gymnasium ipsum cognoscatur; quòd si abstrahat à tempore, non poterit esse successiuè vera, & falsa, sed vel absolutè vera, vel absolutè falsa, cum illa successio temporis partes importet, à quibus supponitur abstrahere.

Addi etiam & illud potest, quòd tam determinatè concipimus tempus præsens, cui propositio coexistit, quàm obiecta de quibus est propositio; cum enim dicimus *Socrates currit*; non solùm Socratem, sed etiam præsentem cursum concipimus, non autem præteritum, aut futurum; ergo illa propositio necessariò consignificat tempus præsens, dum profertur, & non aliud &c. Consecutio inde patet, quia Socrates pro illo tempore non potest mutari de currente in non currentem, & idcirco propositio vel est semper, & absolutè vera, vel semper & absolutè falsa, &c.

Solutio quorundam sententia.

Solutio è sententia quorundam in eo est posita, quod propositio illa non consignificat tempus præsens explicitè, atque distinctè, sed implicitè, & confusè, quatenus ijsdem perseuerantibus coniecturis, idem iudicium permanet, cui tempus secundum diuersas sui partes successiuè coexistit. Neque tibi suadeas per speciem repræsentari obiectum distinctè cum omnibus circumstantijs, cum potius detur intelligi tempus ex significatu verbi; propterea negandum omnino tempus, ut quidpiam determinatum repræsentari per cognitionem, quam intellectus exercet, propositionem illam efformans. Hac igitur distinctione ad maiorem propositionem adhibita, difficultati occurrunt, eiusdemque probationi primo loco positæ satisfaciunt, quatenus illa multa continet, quibus est operæ pretium occurrere.

Probabilis maioris propositionis falsitas.

Alia solutio.

Sed quia posset quispiam vrgere dicendo saltem propositionem prædictam eo sensu veram esse, quo tempus consignificat &c. Propterea non ineptè responderi posset asserendo propositionem illam *Socrates currit*, in ordine ad obiectum, quod adæquatè repræsentat, & ad quod dicit ordinem semper veram esse, utpote illi quauis non existenti perpetuò conformem; siquidem conformitatis respectus transcendentalis est, ut propterea ad sui existentiam non exigat terminum, hoc est obiectum, actu existentem; est autem falsa collata cum obiecto re ipsâ aliter se habente, ad quod cognitio non dicit ordinem, nisi inadæquatè, ut superiùs explicui. Non subinde tamen deducas secundum

So-

Digitized by Google

Socrate non currente; adhuc veram absolutè, & simpliciter esse propositionem illam *Socrates currit*; Quandoquidem ad hoc est opus actu obiectum existere, cui cognitio adæquatè per, affirmationem conformetur, neque sat est illam fuisse hoc modo conformem; nisi quis eam velit quodammodo, & ut Scholastici loquuntur, secundum quid, veram appellare, quatenus aliquando extitit obiectum, cui modo prædicto conformis erat, quod est fuisse simpliciter veram, quod declarari posset exemplo imaginis Cæsarem repræsentantis; quanuis enim mutatus sit Cæsar, adhuc imago dicitur similis relata ad eundem Cæsarem, antequam mutationem subijsset &c.

Secunda probationi eiusdē maioris opositio occurritur.

Ad aliam maioris probationem respondent admittendum assumptum esse, si tempus illud explicitè repræsentetur, secundum omnes partes, ut de exemplo allato manifestum est, quod in actu abstractiuo non contingit, qui implicitè tempus concernit non attendendo ad partes ipsius priores, & posteriores, quod est partes illas confundere, atque confusè consignificare; quod exemplo confirmant; non minus enim, inquiunt, coexistentia ad tempus est circumstantia obiecti, quam præsentia localis, & actionis; verbum non solùm concernit tempus, sed etiam locum; cum enim; exempligratia, dicimus *ignis comburit*, sensus redditur, in aliquo tempore, & in aliquo loco ignem comburere; & nihilominus si ignis comburendo mutaret locum, non propterea mutaretur propositio; quemadmodum mutaretur, si propositio fieret *ignis in hoc loco comburit*, non aliam ob causam, nisi quia in prima confusè & vagè connotatur locus; in secunda distinctè, explicitè, atque determinatè; in prima locus ad obiectum materiale: in secunda ad formale pertinet; & hoc idem de tempore dicendum affirmant; hæc solutio videtur sufficiens & amplectenda. Solùm id superest difficultatis, quòd admissâ doctrinâ, hactenus traditâ, sequitur veram semper esse propositionem, etiam obiecto aliter se habente; cùm enim non consignificet tempus, nisi vagè; quo comprehendimus omne tempus, tam præteritum, quàm futurum, & præsens instans, nec propositio sit alligata tempori determinato, satis erit aliquando obiectum sic se habuisse, eique propositionem extitisse conformem; quanuis tunc quando efformatur non existat obiectum, cui conformis propositio sit.

Et augetur difficultas, quia eo sensu tempus est accipiendum ex parte obiecti, quo sumitur ex parte propositionis, præcipuè mentalis, quæ ipsi obiecto conformis coexistit; sed ex parte cognitionis tempus non est vagum, sed determinatum, quicquid enim existit, determinato tempore existit sicuti; quicquid existit, in determinato loco existit; ergo determinatum etiam tempus erit ex parte obiecti; non igitur per propositionem consignificatur tempus vagum, sed determinatum.

Quorundam superioris difficultatis nodatio. efellitur

Respondent ab intellectu non attendi tale tempus, nec eius partes priores & posteriores, quod est ab eo partes illas confundi, tempusque per propositionem confusè quidem consignificari.

Vera solutio.

Hæc tamen non sunt ad rem; non enim hîc loquimur de actu reflexo, quo intellectus cognoscit se habere propositionem de tali obiecto, & idcirco, quo attendat ad partes temporis, cuius durationem mensuratur obiectum, & cognitio &c. sed loquimur de veritate cognitionis, atque adeo propositionis, prout se habet suî naturâ ante quemlibet actum reflexum &c. Propterea fatendum, quod superiùs innuimus, videlicet cognitionem veram esse per respectum conformitatis ad obiectum, cùm autem huiusmodi respectus transcendentalis sit, ad sui existentiam non requirit actu obiectum existens, licet ad denominationem, quâ actu vera dici cognitio, & propositio debeat, obiectum, cui sit per affirmationem, vel negationem conformis, requiratur.

Ad postremam eiusdem propositionis probationem respondent negando assumptum, & negationis rationem ex paulo antea declaratis se profitentur colligere. Iuxta igitur proximè tradita respondere iuvabit.

Quarta difficultas

Obijciunt etiam hoc modo. Vbi variatur obiectum, variatur etiam cognitio, tam intuitiua, quàm abstractiua, attingens tale obiectum; sed dum intellectus iudicat Socratem currere, etiam confusè, & abstractiuè, & Socrates desistit à cursu, variatur obiectum cognitionis; ergo variatur etiam cognitio, propterea nequit hæc perseuerare, itaut eadem numero ex vera, falsa possit euadere.

Quorundam solutio.

Sunt qui huic difficultati occurrunt dicendo cursum gemino modo spectari posse, vel secundum suam essentiam, quo pacto abstrahit ab existentia, aiunt igitur sic acceptum dici ens reale nominaliter; vel secundum existentiam exercitam à parte rei, quo pacto asserunt dici ens verbaliter, seu existens; ex horum itaque doctrina cursus secundo modo, non est obiectum cognitionis abstractiuæ, prout huiusmodi, & ut dicit relationem attingentiæ, & repræsentationis ad obiectum, etiamsi actu existat, neque inquam, est obiectum motivum, neque terminativum; quoniam abstractiua cognitio dicit præcisionem ab existentia obiecti, sed solùm primo modo obiectum talis cognitionis dici debet. Si autem consideretur cognitio ut vera, & sub relatione conformitatis, respicit cursum ut existentem; & ad argumentum respondent maiorem valere de obiecto formali, non de materiali, at verò cursus ut existens, est obiectum materiale cognitionis, ut cognitionis, formale autem ut veræ; hinc ad eius variationem variatur cognitio, ut vera, non ut cognitio, quoad substantiam; sic enim dependet ab obiecto ut in specie, non ut in se.

Solutio ad tera.

Sed tot omissis ambagibus, respondendum cognitionem, atque propositionem perseuerare secundum substantiam, non autem secundum conformitatem ad obiectum, quatenus mutatum, & aliter se habens ac prius; licet enim relata ad illud obiectum, cui erat conformis, perpetuò conformitatem retineat, ratione cuius mutato obiecto, dici potest fuisse conformem, & veram; at relata ad obiectum mutatum, ut non amplius ei adæquatè conformis, ita nec vera est. Dicebam autem non adæquatè conformem, quia cognitio, mutato obiecto, falsa est, & difformis obiecto, non ut illud nullatenus attingat, sed quia non adæquatè attingit, ut suo loco notaui; vel ut alijs placet, attingit materiale, quod est in obiecto, non autem formale; ita quidem cognitio, qua intellectus iudicat Socratem currere, dum reipsâ currit, vera est, quoniam illi conformatur quatenus currenti; si desistat à cursu euadit difformis, non quia nullatenus illud obiectum attingat, sed quia inadæquatè attingit, nempe Socratem, sed non stantem, quin potius currentem.

Innuitur abstractiuæ cognitionis natura.

Cæterum ad cognitionem abstractiuam quòd attinet, non ideo dicitur huiusmodi cognitio abstrahere ab existentia obiecti, quasi intellectus per abstractiuam cognitionem non possit existentiam, & ens existens attingere, repræsentando nimirum, in quo existentiæ vel entis existentis ratio consistit; sed quia non pendet ab obiecto existente, cuiusmodi est cognitio visiua, à qua desumpta est denominatio intuitiuæ cognitionis; quamobrem falluntur, qui secus huius cognitionis naturam explicant, ut in Dissertationibus

de Anima copiosiùs ostendam.

Quinta difficultas

Amplius. Illa cognitio *Socrates currit* essentialiter debet repræsentare cursum Socratis, non ut sic, sed ut verum, & realem; ergo ut existentem; ergo non existente cursu, non erit ille actus, cùm sui naturâ debeat intellectui exprimere inexistentiam cursùs in Socrate.

Quorundam solutio.

Frequens responsio est, quòd ille actus repræsentare debet cursum ut verum ens reale nominaliter, non verbaliter, & existentiam cursùs Socratis affirmatam in esse obiectiuo, non exercitam & à parte rei.

Solutio altera.

Rectiùs tamen dices cognitionem abstractiuam, quoad subsistantiam sui non pendere ab existentia obiecti; propterea variato obiecto, non sequi cognitionem mutatum iri, cum possit adhuc perseuerare; ita fit ut illa cognitio possit repræsentare cursum Socratis, utcunque acceptum; nam licet ab illo pendeat in esse repræsentatiuo, non tamen pendet in conseruari quoad esse, ut aiunt, entitativum, quod potius intellectui, & imagini, siue speciei debet acceptum referri.

Sexta difficultas.

Amplius. Omnis propositio affirmans cursum de Socrate, respicit illum ex suppositione, quòd sit; sed hoc supposito, necessariò est, nam *omne quod est, quando est, necessario est esse*; ergo propositio illa *Socrates currit*, necessariò respicit cursum Socratis existentem; idcirco dari non potest propositio, quin Socrates actu currat.

Quorundam solutio.

Responderi solet negando maiorem propositionem, si de exercita existentia, concedendo, si de existentia apprehensa intelligatur, quòd sit à parte rei, siue postea detur, siue non: ut patet, inquiunt, de propositione falsa, concepta ut vera.

Alia solutio.

Clariùs fortassis obuiam itur respondendo per cognitionem necessariò repræsentari cursum existentem, adeout terminetur ad Socratem positum reipsâ in exercitio currendi: non tamen necessariò ad Socratem, qui reuerâ currat; nam quanuis hic non currat, adhuc dari potest cognitio, qua repræsentetur per affirmationem currens: dico autem per affirmationem, ad differentiam simplicis apprehensionis.

Septima difficultas

Insuper. Non minus dependet actus ab obiecto in se in ratione veri, quàm in ratione repræsentantis; sed ut sic necessariò repræsentat, adeout non possit non repræsentare; ergo necessariò ita verus est, ut falsus esse non possit.

Solutio.

Respondendum falsam esse maiorem propositionem, cum satis constet oppositum, & sanè quis non videt errorem in quo aduersarij versantur? Si cognitio fuerit obiecto prout in se per affirmationem, aut negationem conformis; dicetur vera ad secundam intellectûs pertinens operationem, cuius nimirum est affirmare, vel negare, ut propterea veritas eius determinata dicatur, quatenus a veritate simplicis apprehensionis distinguitur; at si mutetur obiectum, cùm cognitio, utpote transcendentalem ordinem dicens ad obiectum, ad sui existentiam illud non requirat; propterea existet illud repræsentando, licet vera non sit per ordinem ad obiectum mutatum. Itaque maior illa concedi posset de cognitione in ordine ad obiectum, cui conformatur, & unde habet ut vera sit; nam in ordine ad illud perpetuò veritatem retinet; hoc tamen non obstat quo minus per ordinem ad aliud, hoc est ad obiectum mutatum, dicatur falsa, hac itaque lege distinguendo, illa propositio, *non minus dependet actus ab obiecto in se in ratione veri, quàm in ratione repræsentantis*, si habeatur sermo de obiecto adæquato, concedenda; si autem de inadæquato néganda; enimverò respectu prioris, actus cognitionis semper est verus, comparatione autem posterioris, semper est falsus, non itaque propositio illa absolutè potest admitti.

Ex his facilè intelliges ad veritatem propositionis requiri, coexistentiam obiecti, secundum esse obiectivum; licet ad denominationem, quâ actu vera dicatur, opus sit coexistentia reali, ut non multo ante fuit explicatum.

SECTIO NONA.

De enunciatione contingenti circa futura absoluta.

Quædam in dicendorum gratiâ animaduertenda.

CVm de futuris, habenda sit disceptatio, non erit abs re quædam præmittere, ex quorum notitia veritas dicendorum plurimum elucebit; Aduertendum igitur duplex esse futurum, necessarium unum, quod scilicet necessariò sic est euenturum, ut non possit non euenire, ut Antichristum futurum esse hominem: alterum contingens; quod in triplici est differentia. Primum quod rarò euenit, quemadmodum effectus, qui casuales, & qui fortuiti dicuntur, ut quòd lapis ex alto cadens incidat in caput transeuntis per viam; vel quòd aliquis fodiens terram inueniat thesaurum. Secundum, quod euenit in pluribus, ut hominem duos habere pedes; de his hoc loco nihil dicendum occurrit. Tertium dicitur contingens ad utrumlibet, quod nimirum est indeterminatum ex se ad esse, vel non esse, ut quòd aliquod contingens futurum sit, cum tamen possit non esse futurum, ut quòd Socrates cras currat, vel non currat. De hoc autem, triplex propositionum genus potest effomari; nempe propositio vniuersalis, *ut omnes homines cras current*, vel particularis, *ut aliquis homo cras curret*; vel singularis, ut *Socrates cras curret*.

Futurum duplex necessarium contingens, & contingens futurum vsurpatur.

Triplex propositionum genus.

Prædictarum propositionum quælibet gemino modo contingit, prout potest esse vel absoluta, vel conditionata, quatenus est de futuro absoluto, vel conditionato. Propositio absoluta est de futuro absoluto, quæ proinde futuram existentiam enunciat de re absque vlla conditione, cuiusmodi est illa *Socrates studebit*; dicitur autem absoluta, non eo nomine, quia studium cras tinum Socratis à plurimis conditionibus, varijsque circumstantijs non pendeat; sed quia hujusmodi dependentiam propositio non innuit, sed solùm per categoricam propositionem explicatur affirmando, vel negando futuram existentiam rei. Propositio autem conditionalis est de obiecto conditionato, & est in qua per conditionalem hypotheticam affirmatur, vel negatur futura existentia rei dependenter à conditione, itaut conditione in esse non posità, neque res illa futura sit, ut *si cras nauis ex Asia venerit, Socrates ibit ad littus*; In præsens autem est sermo de futuro, cum quæ propositio est de præsenti, & de præterito, sit determinatè vera, vel falsa, neque instituitur disputatio de quocunque futuro, sed de contingenti, & absoluto; quandoquidem futurum necessarium non potest non esse futurum, proindeque propositio de illo est determinatè vera; ut propterea in huiusmodi propositionibus copula absoluatur ab omni differentia temporis; futurum autem conditionatum pluribus est difficultatibus, & quidem arctis implicatum; estque altioris disciplinæ de ipso differere; ob id de futuro absoluto contingenti nobis disputandum, atque adeo de propositionibus circa illud; nec etiam de quibuscunque propositionibus, sed de singularibus, uniuersalibus & particularibus prætermissis; quod consideratè factum intelliges aduertendo particulares propositiones esse determinatè veras, & uniuersales determinatè falsas, non quidem simpliciter, ac absolutè, sed moraliter, & iuxta communem naturæ cursum; quandoquidem ad falsitatem vniuersalis

Propositiones quæ libet præcedentium duobus modis accidit.

Futurum necessarium hic non consideratur.

Futurum conditionatum omittitur.

De futuro absoluto disserendum.

De propositionibus singularibus agendum, omissis vniuersalibus, & particularibus &c.

Digitized by Google

salis propositionis sat est, ut prædicatum non conueniat uni contento sub subiecto; cum propositio fuerit uniuersalis affirmatiua; vel conueniat, si fuerit uniuersalis negatiua; at videtur fieri non posse, ut prædicatum contingens omnibus indiuiduis conueniat, vel ab omnibus remoueatur; nempe fieri non posse videatur ut omnes homines currant, vel quòd nullus homo currat; ob id asserendum propositiones uniuersales esse determinatè falsas, & particulares determinatè veras; propterea superest duntaxat, ut de singularibus disputetur.

termi- a veri- , quo su hic piatur imus las ex- ādi de- minatā iratem. jcitur.

Et quoniam difficultas est, an propositio singularis, de futuro absoluto contingenti sit determinatè vera, superest explicandum quo sensu hîc determinata veritas vsurpetur.

Varijs modis determinatam veritatem interpretantur: propterea quòd, sunt quibus placet determinatæ veritatis nomine hîc usurpari veritatem necessariam, prout à contingenti distinctam. Hoc autem vel ex eo facilè deprehenditur ab omni ratione alienum, quia propositio contingens de præsenti, determinatæ non tamen necessariæ veritatis est, ut cuique perspectum esse potest, non enim contingentia cum necessitate coheret: non igitur determinatæ veritatis appellatione hoc loco necessaria veritas intelligenda.

cundus plican- modus. ijcitur.

Secundus modus explicandi determinatam veritatem eorum est, qui minus cautè philosophantes arbitrati sunt, nil aliud esse, quàm veritatem euidentem, ac manifestam. Sed ij toto cælo aberrant, eò quòd non desunt propositiones de præsenti, necessariæ etiamsi non euidentes, cùm tamen determinatæ sint veritatis.

tius ex andi das.

Tertius est dicentium propositionem de futuro ad duo referri posse, vel nimirum ad eius significatum formale, vel ad causas illius effectus, formalisque significati. Hi porrò conformitatem cum significato formali veritatem simpliciter: at conformitatem cum causis, veritatem determinatam vocare consueuerunt. At unam veritatem ab alia omnino distingui contendunt, eo quòd nihil obstat, quo minus aliquid in se sit verum; sed hîc & nunc cum suis causis collatum, ex quibus mouetur intellectus ad propositionem de futuro formandam, non sit determinatè verum; quoniam causæ non sunt hîc & nunc determinatæ ad illud producendum, & contra. Hæc autem illustrant exemplo. Si quis instante Pontificis electione dicat *Ioannes erit Pontifex*, eò quòd attendit animos Cardinalium benè dispositos erga Ioannem; si Ioannes erit Pontifex; ille verum simpliciter dicet, quoniam illa propositio conformatur cum formali significato futuro, & dicet itidem determinatè verum, quoniam conformatur cum causis hîc, & nunc dispositis ad Pontificis electionem; at si non erit Pontifex, dicet falsum simpliciter, sed determinatè verum, quia inspectis causis illius electionis, illud iudicium conformitatem habet, & iuxta verum motivum illa efformatur propositio. Itaque ex horum consilio, veritatis determinatio attendi debet ex conformitate cum motiuo impellente intellectum ad aliquod ferendum iudicium.

ijcitur.

Tota hęc doctrinam haud multum facit ad rem, unde non possum non mirari eorum insciti am, quòd non aduerterint se parum appositè ratiocinatos fuisse; Propositionis enim veritas non nisi per ordinem ad proprium significatum formale sumi debet; ut omittam eos aperte desipere; quid enim commune habet iudicium verum, vel falsum, cum iudicio de quo ipsi sermonem habent? Siquidem hoc ad prudentiam, vel imprudentiam, siue temeritatem pertinet, de quibus hic nihil dicendum. Tametsi nanque hæc posset acceptio admitti, quando verè intellectus causæ cum effectu connexionem attingit; attamen cum ex coniecturis duntaxat illam deducit, hæc ipsa habitudo ad causas & motiua potius iudicium prudens vel temerarium, quàm verum vel falsum denominabit; ut Neotericus etiam præclari nominis aduertit, & rectè quidem, nam si quis ex leui, ac insufficienti causa, motiuoque iudicium ferat, non dicitur verò, vel falsò, sed benè vel malè; prudenter, vel insipienter iudicare.

Quartus explicādi modus retinendus.

Quartus igitur supereſt modus explicandi summoperè rationi consentaneus, in eo positus, ut determinata veritas de qua in præsentia habetur sermo, dicatur conformitas propositionis cum suo significato; itaut propositio determinatè vera sit appellanda illa, quæ obiectum, prout in se adæquatè, & quoad materialem, & quod formalem partem attingit; ut non semel à nobis hactenus dictum fuit, itaut propositio de futuro determinatè vera dicatur, quæ ita enunciat, quemadmodum res postea erit; contrarium de falsa determinatè dicendum; nec immeritò, nam propositio obiecto prout in se conformis, proculdubio determinatè vera dici debet; Nihil autem refert, quòd propositionem efformans ignoret an propositio à se efformata vera sit vel falsa; potest enim quispiam efformare propositionem veritati consentaneam, & ignorare illam esse veram; hoc autem est in veritatem impingere; non idem est enim veritatem dicere, ac cognoscere se dicere veritatem. Hæc itaque veritas est determinata de qua præsens est instituta disputatio.

Duobus modis propositio dici potest determinata vera.

Duobus autem modis propositionem dici determinatè veram adnotarunt naturæ sagaciores interpretes, vel nimirum determinatione de inesse, vel de possibili. Priori modo propositionem dicunt esse determinatè veram, quę solum significat prædicatum inesse subiecto non excludendo potentiam ad oppositum, ut *cras Eclipsis erit*, dicit enim futurum, ut existentia subiecto conueniat, non ut repugnet tamen oppositum. Propositionem autem determinatè veram determinatione de possibili tunc dicunt accidere, quando excludit etiam potentiam ad oppositum; *ut homo est rationalis*. Hæ sunt duæ determinationes, quibus etiam duas indeterminationes aduersati affirmant, nimirum de inesse, & de possibili; quarum hæc, inquiunt, indifferentiam ad posse esse, & posse non esse; illa verò indifferentiam ad essendum vel non essendum importat, quâ quidem indeterminatione nulla res dici potest indifferens, & indeterminata, cùm quælibet sit determinata determinatione de inesse; quandoquidem vel est, vel non est; sed cùm huiusmodi indeterminatione cohærere potest indeterminatio de possibili, quoniam res contingens dum est, potest etiam non esse, & dum non est, potest esse; hanc eandem indeterminationis distinctionem causæ pariter liberæ accommodatam esse contendunt. Hæc, quam attulimus doctrina, satis est rationi consona, ut propterea minimè negligenda videatur.

De qua determinatione hîc habeatur sermo.

Hoc loco sermo est de veritate determinata, non determinatione de possibili, nam hæc repugnat cum contingentia; siquidem secum habet necessitatem, adiunctam, sed determinatione de inesse, quæ stat cum determinatione de possibili, quæ per duas propositiones categoricas in illa virtualiter inclusas solet explicari, in quarum una de inesse tribuitur subiecto prædicatum, & oppositum illius prædicati tribuitur in altera, non de inesse, cum implicantiam inuoluat, sed de possibili. Vt *Socrates curret*, non explicatur hoc modo *Socrates ita curret, ut etiam non curret*, Sed potius *Socrates ita curret, ut poterit etiam non currere*; & in hac indeterminatione contingentiæ ratio posita est.

Quæstionis sensus explicatur.

Quod igitur hîc in controuersiam vocamus est,

quando hæ efformantur propositiones, contradicentes *Socrates cras curret*: *Socrates cras non curret*, An una ipsarum sit determinatè vera, altera autem falsa; vel si una duntaxat efformetur, *Socrates cras curret*, an sit determinatè vera, vel falsa; an potius neque sit vera, neque falsa; sed præcisionem dicat à veritate, & falsitate.

Quod est in quæstione positū inquiritur

Nulla tot difficultatibus implicata, tam diuturnis altercationibus est agitata quæstio, quàm hæc scilicet, An propositio de futuro contingenti iam explicato, determinatè sit vera, an determinatè falsa.

Quorundā opinio.

Plerisque visum est enunciationem omnem, siue affirmantem, siue negantem esse quidem indifferentem, atque suspensam inter veritatem, & falsitatem, quamdiù res ipsa contingenter in futurum pendeat; quamobrem iuxta hunc dicendi modum ex duabus contradictorijs ex.g. *Socrates cras discedet*, *Socrates cras non discedet*, non unam esse determinatè veram, alteram determinatè falsam oportet. Et quoniam ipsis perspicuum est obijci posse, ex duobus contradictorijs unum necessariò verum esse; asserunt indeterminatè quidem, & vagè alterum ex his euenturum, adeo ut dicere liceat, alteram quidem propositionem esse veram, non tamen determinatè dici posse, hæc vera est, illa autem falsa.

Superioris opinionis explicatio

Conantur rem hunc declarare in modum, & inquiunt, vera profectò est hæc propositio. Disiuncta *Socrates cras discedet*, *vel non discedet*: & ita quidem vera, ut necessariò vera sit; propositio igitur hæc hypothetica, maximè est cum veritate coniuncta. Ex categoricis autem componentibus hypotheticam, nempè *Socrates cras discedet*; *Socrates cras non discedet* neutra determinatè vera est. Et quanuis semper de duabus contradictorijs dicere liceat, alteram esse veram, alteram falsam; signari tamen, determinarique non potest, quænam sit illa, quæ vera est, & quæ sit falsa; proindeque, si quælibet categorica per se sumatur, ut *Socrates discedet*, & fiat hæc propositio disiuncta, dicendo propositio hæc *Socrates discedet*, vel *est vera*, *vel falsa*, propositio quidem est vera, non tamen determinatè dici potest, est vera, est falsa, non est vera, non est falsa, sed vagè tantùm dicetur vera; ut hæc propositio *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum*, est vera indeterminatè, vagè & confusè; non determinatè, quia nequit assignari calamus aliquis, cui huiusmodi necessitas dici possit conuenire, quemadmodum assignatur, quando terminus adæquatè supponit.

Quæ ratio ac suffulti superiorē sententiam amplexi sint,

In hanc sententiam abierunt eâ ratione ducti, quoniam non videtur simul cohærere determinatio veritatis in una contradictionis parte, cum effectuum contingentia, libertateque causæ operantis; contingentia siquidem, & libertas indifferentiam in utramque partem importat; at indifferentia ad utramque partem, atque determinatio ad unam partem contradictionis, omninò pugnant; vel igitur neganda libertas, & contingentia effectuum; vel hâc suppositâ, negare oportebit determinatum futurorum euentum.

Illustratio doctrinę à fautoribus superioris opinionis adhibita.

Hæc exemplo conantur illustrare, suppositâ aliquâ propositione verâ de contingenti futuro, ut *Socrates studebit* &c. aut igitur Socrates poterit non studere, aut non poterit. Si secundum, ergo necessariò studebit, quod non admittendum, cùm contingens sit ipsum studere. Si primum; ergo nihil prohibet, quominus illa propositio reddatur falsa. Aut igitur potest esse falsa eodem tempore, quo vera est, & hoc impossibile. Aut antea, vel postea, atque hoc pacto eadem propositio de futuro, modo vera erit, & modo falsa, quod etiam impossibile, quoniam si semel fuit verum dicere *Socrates studebit*, semper etiam id pronunciare verum fuit, atque adeo propositio illa semper vera erit quoad Socrates studuerit; quamobrem propositio vera de futuro contingenti nullo modo ante euentum ipsius futuri, falsa reddi poterit; unde concludunt, si futurum verè contingens fuerit, quoniam euenire, & non euenire potest, consequens sit, ut nulla pars determinatè sit vera, priùs quàm futurum eueniat, sed utraque propositio suspensa, ac indifferens remaneat.

Absurda ex dicta re prop. sita.

Probatur tamen nobis eorum consilium, quibus est visum, ne dum propositionem disiunctam de quolibet futuro contingenti veram esse, sed disiunctim etiam, ac determinatè partem unam esse veram, alteram autem falsam.

Vel dicendum propositiones de futuro contingenti absoluto esse vel determinatè veras, vel determinatè falsas, itaut hæc propositio *Socrates cras studebit*, determinatam veritatem, vel falsitatem habeat.

Ratio.

Vt ostendatur hoc inconsideratè non dici; suppo-nendum Socratem in hoc instanti studere, vel liberè aliquem alium actum exercere. Et è duobus unum antea dixisse, *Socrates studebit*, alterum autem oppositum enunciasse dicendo, *Socrates non studebit*. Post secutum euentum studij luculenter constat eum, qui affirmauerat *Socrates studebit*, verum dixisse, & veram determinatè propositionem enunciasse; at eum, qui dixerat, *Socrates non studebit*, falsum dixisse, atque mentitum esse, propositionemque determinatè falsam protulisse, quoniam Socrates re verâ studuit.

Causa erroris in quē lapsi sunt.

Id autem ijs fuit errandi causa, quoniam minus benè introspexerunt naturam propositionis, quæ determinatè vera, vel determinatè falsa dicenda sit. Per determinatè veram intelligenda illa, quæ ità enunciat, quemadmodum res postea erit; & falsa illa determinatè, quæ non ita enunciat, sicut postea res erit; prima conformis, secunda difformis obiecto est. Cùm igitur è duabus illis propositionibus, una rem enunciauerit, quemadmodum postea euenit, altera autem oppositum; ob id una erit determinatè vera, altera determinatè falsa.

Propositio determinatè vera, quid.

Propositio determinatè falsa quid.

Animaduersio.

Sed hic obseruandum eos in errorem lapsos fuisse, quoniam non aduerterunt, propositionem aliquam esse determinatè veram, aut determinatè falsam, non idem esse ac propositionem determinatè cognosci veram, aut falsam esse: ut si quis pronunciauerit, *Socrates studebit*, alter autem, *Socrates non studebit*, una ex illis est determinatè vera, nimirum ea, quæ rem enunciauit, sicut postea euenit; at nec enuncians, nec mortalium ullus cognouit determinatè veram esse propositionem, vel falsam; cognoscebat enim alterutrum euenturum, sed ignorabat utrum ex illis euenturum esset; ignorabat utra ex illis propositionibus conformis, esset effectui secuturo; hoc autem non est propositionem neutram esse determinatè veram, aut falsam; sed solùm ignorari, quænam ex illis sit determinatè vera, aut determinatè falsa, hoc est, quænam sit conformis, vel difformis obiecto secuturo; hoc nanque diuini solius intellectus est proprium. Nos enim, quibus non est concessum in posterum præsentire, solum confuso modo, & sub disiunctione scire quidem possumus quamlibet propositionem veram, aut falsam esse, illi scilicet innixi principio *quodlibet est, vel non est*, ignoramus tamen distinctè, atque signatè, quænam vera, & quæ falsa propositio sit; idcirco confuso etiam modo cognoscimus, aut determinatè veritatem, aut determinatè falsitatem illi propositioni conuenire, cùm quodlibet s.t, vel non sit.

Eadem ratio de futuris, & de præteritis.

Et mirum est quòd tàm acriter pugnent loquentes de futuris, cùm eadem sit quoque ratio de præsentibus, immò & de præteritis, quæ nobis ignota sint. Vt si quis futuris, ac præteritis enunciet *Socrates heri vesperi studuit*, certum, ac explo-

ratum

ploratum propositionem hanc determinatè, aut veram, aut falsam esse; cùm autem iam sit secutus effectus, ut ex. g. quòd Socrates studuerit, illa propositio, quæ enunciat Socratem studuisse, non erit indifferens ad veritatem, vel falsitatem, sed erit determinatè vera, opposita autem determinatè falsa, sicut à parte rei determinatè res ipsa fuit; solùm igitur ignoramus, utra ex illis sit determinatè vera, aut falsa. Vt autem ob nostram ignorationem non sequitur propositionem de præsenti, vel præterito non esse determinatè veram, aut falsam; sic nec etiam ob nostram ignorationem rei futuræ sequitur propositionem non esse determinatè veram, aut falsam. Ignoramus determinatè utrum num, vel alterum fuerit, scientes disiunctim unum, vel alterum fuisse, ita tamen, ut determinatè de præterito propositio sit vera, vel falsa; sic etiam, & eadem prorsus est ratio, de futuro; ignoramus determinatè unum ex illis duobus futurum sit, scientes disiunctim unum, vel alterum esse futurum, ita tamen, ut determinatè utrum ex illis futurum sit; & propositio futurum illud enuncians, determinatè vera sit, aut falsa, prout sequetur effectus.

Neque est, cur quispiam existimet disparem esse rationem, quoniam præsens, & multo magis præteritum non est indifferens, sic ut possit esse, & non esse; quicquid enim est eo ipso, quod est, necesse est esse; & multo magis, quod fuit; at quod futurum est indifferentiam habet, ita ut possit esse, & non esse ob suam contingentiam. Hoc tamen ineptè dicitur, ut paulo infra docebitur, hæc enim indifferentia futurorum contingentium non tollit determinatam veritatem propositionum de illis.

Illud etiam hac in re multum habet momenti, quòd propositio de futuro contingenti, aut est conformis diuinæ præscientiæ, aut illi difformis, si conformis, quemadmodum diuina præscientia est determinatè vera, sic enunciatio, quæ cum illa conformitatem habet. Si difformis, quemadmodum quæ conformis est determinatè vera; sic quæ difformis erit determinatè falsa. Quòd autem diuina præscientia sit determinatè vera de futuris contingentibus, & nos fides docet, & decet etiam asserere æquum æstimatorem perfectionis diuinæ, quæ infinita est; unde ille diuinus Vates. *Intellexisti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas præuidisti.* De hoc tamen alibi.

Neque perturbet Stagiritæ auctoritas, dum pronunciauit. *De futuris contingentibus non est determinata veritas*; is enim per veritatem determinatam, vel intellexit necessitatem, ita ut perinde sit ac propositionem illam non esse necessariò veram, seu non potuisse aliter euenire. Vel intellexit non esse determinatè veram, quoad cognitionem nostram, id est à nobis signari determinatè non posse, quænam propositio sit vera, & quæ falsa, quod est cognoscere veritatem, sed non cognoscere se illam cognoscere. Vbi aduertendum hoc interesse inter contingens præsens, seu præteritum, & futurum; quòd de præsentibus, vel præteritis usu venit, ut à nobis non habeatur determinatè veritatis cognitio ex solius intellectûs nostri defectu, cum alioquin illa ex genere suo determinatè cognosci possint; at contingentia futura ita se habent, ut quamuis de ipsis efformentur enunciationes determinatæ veritatis, tamen ex genere suo non possunt sic determinatè cognosci, ut nos cognoscamus habere veritatem determinatam de illis. Vt si enunciem Socratem domi conclusum actu studere, non possum cognoscere me veritatem attingere, quoniam ille ita conclusus effugit oculorum aciem; remotis alioquin impedimentis, eo ipso obuiam facto, statim cognoscerem me veritatem assequi, si ille re ipsâ studeret. At de futuro non item; non enim id assequi nobis naturæ viribus licet. Vel etiam Philosophus respexit ad causam, quasi dixerit propositionem de futuro contingenti determinatam non esse in causa, nimirum libera, cuius est posse operari, & non operari. Inficiandum enim non est effectum liberum, hoc est à causa libera prodeuntem, gemino modo spectari; vel in se ipso, prout extra causam hîc, & nunc est constitutus; vel prout continetur in causa. Priori modo non est determinata veritas contingentis effectûs, quoniam causa indeterminata est, & indifferens, eumque tunc indeterminatio causæ non sit ad actum reducta, effectus determinationem nullam habere potest. Effectus tamen contingentes in se ipsis existentes extra causam determinati sunt, cùm indifferentia causæ sit ad actum reducta, ac proinde de medio sublata, siquidem existentia effectûs, cum indifferentia illa cohærere non potest.

Tertia interpretatio.

Sed hîc præterire non licet, quod est summopere considerandum in causa libera, & contingenti, quòd quamuis hæc non sit simpliciter determinata ad unum, sed maximè sit indifferens, unde à nobis certò cognosci non potest hunc potius, quàm oppositum effectum euenturum, eâ certitudine, quâ cognoscam ignem combusturum lignum debitè approximatum, nempe certitudine physicâ; possumus tamen conijcere potius hunc, quàm oppositum futurum effectum ex circumstantibus liberam causam, cuiusmodi sunt corporis dispositiones, quibus causa libera redditur hîc, & nunc ad hunc potius, quàm ad oppositum effectum causandum procliuis; tametsi nanque non determinetur ab intrinseco, eo quòd semper retineat congenitam suam indifferentiam, in qua consistit libertas; tamen ab extrinseco ad eam causa redigi potest angustiam, ut, cum dispositio corporis ad quendam gradum peruenerit, quamsæpissimè quodammodo rapta consentiat. Hæc autem illa certitudo, quâ ex præuisione astrorum, & etiam eorum, quæ in sublunaribus sunt, futuros euentus liberos possumus præsagire.

Animaduersio.

Præscientia ex Astris.

Hinc Dæmones, cum perspicuè norint præcipuas corporis dispositiones, quibus causa libera stimulatur, possunt verè effectus liberos præuidere. Hanc autem præuisionem iis concedendam, ex ea, quam hîc subijciam, breuissima Historia, perspicuum fiet. Anno à Virginis partu, cùm essem Anconæ, venit ad me Carolus Montius, qui annis proximè antegressis unus erat è meis famulis, dum Viterbi degerem; hic igitur salutatione præmissâ, sic exorsus est. Multa mihi dicenda occurrunt, tibique manifestanda illustrissimè vir. Tum ego, dicas, sed ita ut paucis omnia perstringas. Tum ille. Quid si tibi dixero, quo loci huius cubiculi versareris, & quid ageres heri vesperi? Tum ego pergas, nam rem mihi gratissimam feceris. Subdit ille. Eras hîc sedens clausis ianuis præ manibus librum habens, super hanc tabulam, prope quam sedebas, existente zupa, quæ *Tomasina* dicitur, ex panno fului coloris cuius globuli aureo erant filo contexti. Tum ego, vera dicis, sed quæso quâ arte id conijcere potuisti, fac me conscium; & ille multa possum tibi præsagire; quoniam amicitiam inij Viterbi si benè meministi, cum quodam milite, qui digito anulum gestabat aureum gemmatum, gemma autem erat adamas, ubi constrictus Diabolus, qui mihi multa futura ad te spectantia prædixit; nempè te hinc breui discessurum, & quidem in amplissimam Ciuitatem, quò cum perueneris, intrabis Palatium magnificum, in quo aulam videbis amplam, cuius feneſtræ erunt apertæ, auræ captandæ gratiâ, quarum singulæ hinc illinc habent scabella lapidea. Dum autem perges occurrent tibi

Dæmones quomodo futura præsentiant contingentia libera.

Historia mirabilis. Anno 1648

viri

viri procerę staturę. Erunt autem, ut opinor, ij, qui procoetonem, seu antecubiculum frequentant, supremi Domini palatium habitantis; unus ex illis te excipiens in procoetonem introducet, dominoque tui aduentûs certiore facto & elevato ostiario velo, te deducet ad Dominum, qui erit excelsę staturę, gracilis faciei, oblongi nasi, eritque togatus; hic autem cum te hilari fronte exceperit, & breui habito sermone de rebus aliquibus, porriget tibi amplum, & extensum papyrum. Et hinc existimationem consequeris, ibisque non rarò per vias magnâ comitante caterua, multosque, aureos cumulabis. Deindè adibis alium Principem, in cuius procœtone videbis quatuor depictas tabulas, telis tamen subsericis obductas, quarum amplissimæ erunt cornices deauratę. Princeps indutus erit nigrâ veste opere phrygio elaboratâ, & quidem opus erit constructum ex eo, quod Italis est *Vernice*. Ipse erit oblongæ faciei, itemque longioris nasi, pileum gestabit manibus, caput habens obtectum solo pileolo. Tum ego subridens, cùm hæc mihi viderentur nugæ, ut de dictis tamen ipsius periculum facerem, num scilicet ille verè prænunciaret futura, per ea quæ mihi iam erant comperta, ac explorata, interrogaui, quinam famulus mecum futurus esset. Respondit se una mecum iter habiturum, & supra iam enarratis, interfuturum. Cæpi tunc hæsitare de euentu, propterea quòd decreueram, datâ itineris occasione haud mecum illum ducere, sed potius pedissequum puerum, appellatum Picinetti nomine; erat autem hic ex agro Pistoriensi, unde illi subdidi, non ne Picinettum ducam? Ipse respondit minimè, quin breui potius illum ejcies. Tum ego, quibus vestibus ambo induti erimus? de hoc autem interrogabam, quoniam iam decreueram nolle me amplius induere vestimentum illud, quo in itineribus uti solebam, unde mecum sic ratiocinabar, ut in his eius allucinatio argumento mihi esse posset ipsum mentiri. Respondit me usurum eodem vestitu, & se etiam illo, quo aliàs usus erat, fului nempe coloris, addito colobio ex Dante. Et iterum inde mihi incessit hæsitatio, quoniam, ut dixi, in animo habebam itinerari nouis vestimentis utens; deinde petij an tale is colobium haberet. Negauit, subdens se hæc solùm prædicere, pro ut in anuli gemma introspexerat. Ego autem curiositate ductus, percontatus sum ab illo, ut mihi significaret qua ratione hæc præuidisset. Audi inquit. Dixi militi anuli domino, me in summo desiderio esse cognoscendi, quidnam de me, & de te futurum foret; & ille respondit se facilè mihi morem gesturum; sat enim ut in genua procumbas, & interroges spiritum huic anulo alligatum; is enim tibi futura ostendet, hac tamen animaduersione, ut interrogando illum, utaris hac voce *Excellentia*. His auditis summo flagrans desiderio cognoscendi futura, flexis genibus pronus interrogaui Diabolum hunc in modum. Dicat mihi excellentia tua, quid agit Dominus Carolus Renaldinius? &c. & statim in illa anuli gemma, quam ipse mihi manu porrigebat te vidi sedentem, ut initio dicebam, & habentem librum præ manibus, iuxta tabulam hanc, ad cuius extremum zupa erat illa *Tomasina* dicta; mox iterum interrogans num esses iter habiturus, & illicò vidi te itinerario vestimento indutum, gladium habentem ad latus, itemque ocreatum, cum pluribus te comitantibus, dum veluti coriphæus incederes. Ego etiam intereram; utque tecta pariter & me prædictis vestibus indutum, mequè præsertim vestitum colobio, luculenter conspiciebam. Hæc autem omnia videbam in aula, ad cuius extremum sedebat, velut in trono spiritus assumptâ hominis formâ, gestans in capite pileum depressum, & vestes nigri coloris; hinc illinc que adstabant, alij illi persimiles ex ordine, humiliori tamen loco sedentes, & quoniam maior curiositas me inuaserat, ausus sum interrogare de quodam amico, qui multo antè hinc discesserat, & statim ostendit mihi illum mortuum extensum in feretro, collo abscisso, ita ut hinc illinc sanguis fluere videretur; & audacior factus, petij, ut mihi aliquid de illius anima significaret; & illico ostendit incendium tenebricosissimum; hinc ego terrefactus, obticui, & vox faucibus hæsit, trementibus genibus, surrexi timore plenus, unde à cęptis interrogationibus destiti. Transactis quinque mensibus, summo mane diei xxvij. mensis Maij, erat autem dies Iouis, quo tempore Romæ Tabellarius Anconam peruenit, & experrectus audiui quendam pulsantem cubiculi ostium, à quo cum petissem, quid vellet, respondit se habere aliquas literas Romani Tabellarij; dedi veniam, ut ingrederetur cubiculum, & fenestram aperiret, mihique literas traderet; quibus acceptis, & apertis, vidi quasdã ex illis exaratas à Federico Sabellio Albani Duce, qui tunc erat apud Innocentium Decimum pro Cæsare Orator, & Pontificium Armorum Generalis Vicarius. Iis autem literis mihi significabat Pontificem iubere, ut Ferrariam, quam primùm me conferrem ad inuisendum Cardinalem Odescalcum, tunc Ferrariensis Ducatus Legatum, nunc Pontific. Max. nomine Innocentium XI. & ut Cardinalis prædicti præstò esem ad nutum. Respondi me indigere aliquo temporis interstitio, eò quòd ob sanguinis feruorem, tunc cogebar aliquam adhibere medicationem, quâ peracta, dicebam statim me iter aggressurum; in hoc tamen eram anceps ob anni tempestatem non admodum salubrem Ciuitati, ad quam me conferre debebam. Post biduum abiectâ omni ambiguitate, conclusi me tandem iturum, præsertim ob aliquas causas, quas lubens, ac libens silentio præteribo. Cogitans igitur de suscipiendo itinere, reuoluere animo cæpi, quem pedissequum mecum ducerem, cùm adhuc in eadem sententia, de non ducendo Carolo paulò antea commemorato, persisterem. Iam pedissequum puerum post duos menses circiter à præsagio, abieceram eius importunitate coactus, unde petij ab uno ex domesticis famulis num vellet mecum venire; recusauit dicens non posse se relinquere domesticas curas, quibus detinebatur; propterea me necessitas compulit, cum alius non superesset, ut Carolum accersirem, quem paratum ad mecum iter suscipiendum, reperi. Quæsiui ab ipso num ei forent vestimenta opportuna, affirmauit dicens se etiam habere colobium danteum, cuius inter prædicendum, meminerat. Cępit me curiositas sciendi, qua ratione fuisset illud assecutus. Tum ille, scis, inquit, me esse sarcinatorem; Ioannes frater meus habuit nescio quâ ratione, pellem danteam à Lactantijs mercatoribus Coriarijs, forsan in mercedem eorum, quæ ipse præstiterat. Iussit autem mihi, ut ei colobium ex huiusmodi pelle conficerem; ego cum essem minus versatus, & ut liberè dicam, inexpertus, neque mirum, vix enim attingo annum decimum octavum, in dissecanda pelle, allucinatus sum; nam cum Frater meus sit crassæ corporaturæ, vel in mensuratione capienda, vel in dissectione deceptus, colobium nimis arctum confeci, adeo ut illi minimè congrueret; is autem me erasse comperiens, exprobrans mihi magnam inscitiam subiratus colobium abiecit dicens, non ne vides quàm mihi sit dispar? tum ego subridens subdidi, si non tibi, certè mihi optimè congruet. Hâc igitur ratione mihi colobium contigit. Tum ego summopere admiratus, contractis humeris, cępi cogitare de vesti-

Anno 1649.

vestimento, nam idem erat mihi consilium de abijciendo illo, quo uti solebam. Iussi accersiri sarcinatorem, cui iniungerem, ut inquireret apud mercatores aliquid idoneum ad vestimentum conficiendum iuxta anni tempus: sarcinator discesserat à ciuitate, cùm se contulisset Camboranum oppidum non inelegans Sponsam vestiendi gratiâ. Ægrè autem ferebam alterius sarcinatoris operâ uti, cùm illum à multis annis domesticum haberem. Aliud accedebat incõmodum, quòd mensis Maius plurimis festiuis diebus abundat, unde officinæ clausæ; ac proinde non licebat, etiam si sarcinator adesset, reperire quidpiam, ex quo vestimentum conficeretur: inuitus igitur operæ pretium duxi adhibere illud, quod alioquin mihi erat inuisum. Itaque, cùm ab omnibus necessarijs paratus essem, nec aliquid deesset, iter agressus me Ferrariam contuli, ubi Ducale Palatium ingressus una cum Carolo pedissequo, qui vestimentis & danteo colobio indutus me sequebatur; absolutâ scalâ intrans in aulam, vidi illam satis amplam, fenestris omnibus patentibus cum scabellis utrinque lapideis, quemadmodum præsagium dixerat; pergens offendi nobilem virum aulicum procœtonis Præfectum, qui cùm certiorem fecisset Cardinalem, iussit me ad se adduci; tum ego, statim præmissâ salutatione petij, ut mihi iniungeret, quicquid in seruitium Pontificis sibi videretur; is porrò cùm me honorificè excepisset, meo aduentu gauisus, respondit (aderat autem Ascanius Pij equestris ordinis vir) ut tu facilius exequi Pontificis mandata, atq; melius tuo munere fungi possis, siste, mihiq; permittas, ut ad secretum cubiculum me conferam; interim unà cum prædicto Ascanio ibidem versabar, & ecce Cardinalis reuertens, manibus gestans amplum papyrum, in quo cuiusdam oppidi statim aduerti ichnografiam esse depictam; Cardinalis autem mihi exibito folio; inquit, Bondenum hic delineatum est, ac proinde vade, & cogita quid huic operi videatur addendum, ut breui quantum fieri potest, omnem numerorum complexionem obtineat; quod ut melius assequaris, obsecro, ut illuc citò pergas; ibi enim longè melius intelliges, quæ ad operis absolutionem necessaria sint. Recessi me collaturus ad hospitium; interim adnotaui in procœtone viros iuxta præsagium procera staturæ, inter quos Antonium Maria patritium Cremonensem, cuius erat pocula Cardinali ministrare, tantæ proceritatis iuvenem duorum viginti annorum, ut reliquos homines quanuis iustæ staturæ, unius palmi quantitate superaret; per annum ibi commoratus sum, præsidendo ijs, quæ ad munimina illius oppidi spectabant, à quo expeditus (non enim amplius de inuasione Ducis Parmensis quidquam cogitandum supererat, siquidem infelicem successum habuerunt arma, quibus contendebat Castro suppetias ferre, cum armis pontificijs obsessum esset,) iussu Pontificis me contuli Comachium, ubi per quatuor menses degi, ibi autem cum essem, Ferdinandus Secundus Magnus Dux Hetruriæ curauit me accersiri. Pisas Philosophiam ibi publicè profitendi gratiâ; eò me contuli, priùs tamen Florentiam, ubi postquam Magnum Ducem allocutus fuissem, obsequentissimis officijs actis, me contuli ad Principem Leopoldum eorundem officiorum gratiâ, eò vel maximè, quòd is per auditorem Fantonium significauerat se mecum loqui velle, ac de facie cognoscere, adij, & in procœtone vidi quatuor appensas tabulas depictas coronis amplis, isdemque deauratis, iuxta prognosticum, exornatas; introductus in cubiculum, offendi ipsum oblongis vestibus indutum, erat autem penula phrygio opere elaborata, opusque contextum ex funiculo serico, qui Italis est *Vernice*.

De his copiosiùs disserere, non huius est loci; solùm id adnotabo, quid nempe Theologi de præsagijs Dæmonum asserendum existiment. Apud hos autem varij sunt fontes, è quibus Dæmones futurorum præsagia deriuant, quod egregiè Vir eximiæ eruditionis Hieron. Textorius obseruauit.

Primus fons. Longa rerum omnium experientia comparata tot sæculorum decursu, diligentique obseruatione, quibus dæmones maximam causarum, humanorumque actuum peritiam adepti, ex eo, quòd plerunque accidit, nullo labore, futura conijciunt, eademque præmonstrant. Primus fons vnde Dæmones e Theologorum sententia, præsagia deducunt.

Secundus. Externa corporis signa, internas animi cognitiones, cùm sequentia, tum etiam indicantia, quorum dæmones attentissimi sunt inspectores. Secundus fons.

Tertius. Naturalis Dæmonum facultas plurima agendi occultis modis, eorum industriam atque operam à mortalium conspectu, notitiaque remouentibus; quandoquidem insinuant se, non solùm corporibus, eorum valetudinem vitiando, vel à morbis liberando, verùm etiam animis suadendo, ac eas affectiones excitando, quæ veritati prædictionum inseruiunt; hinc haud rarò usu venit, ut ea prænuntient, quæ vel ipsi, vel homines, eorum suasione, facturi sunt. Tertius fons.

Quartus. Vaticinia Sacræ Scripturæ, quibus innixi nullo ferè negotio possunt in posterum præsentire. Quartus fons.

Hi tamen mihi videntur omittere, quod in re de qua agitur, præcipuum est, nempe stellarum influxum; propterea quòd Dæmones ex earum positu futura præsentiunt; probè siquidem stellarum motus, aspectus, atque combinationes, quæ temporis momento vigent, quo quis exit in lucem, cognoscunt; earundemque vires perspectas habent, adeo ut hinc futurorum euentuum veram præuisionem habeant, quod hac ratione præsertim euenire putandum. Dæmones scientiam de stellarum viribus optimè callent, adeo ut eos non prætereat, quid momento temporis, quo quispiam in vitam ingreditur, illarum positus valeant. Insuper experientiâ edocti cognoscunt, qui nam appetitûs sit ille gradus, cui rationalis pars in hoc vel illo homine obtemperet, soleatque succumbere. Hinc, cùm ex astris prænouerint partem sentientem, cui citrà controuersiam ipsamet astra præsunt, ac dominantur, peruenturam ad prædictum roboris gradum, tali, vel tali tempore, futuros etiam euentus liberos possunt optimè præsagire; quasi in ipsis sit, tanquam oraculum aliquod, ex quo futura etsi libera præuideant. De his tamen alibi copiosiùs, ubi nos eâdem Arte multa præuidisse, atque veraces prædixisse ad sanitatem, & morbos, ad vitam atque mortem, ad pericula, & id genus alia spectantia, dicemus.

Nec obijcias auctoritatem quorundam appellantium Artem diuinatricem ex astris vanitatem ex abundanti otio profectam; sic enim de hac Arte sentiet ille tantùm, qui fuerit in ipsa parum versatus, aut vix eam à primo limine salutauerit; ut omittam, plerosque iugiter operam illi dedisse, cum tamen in ea parum profecerint. Hoc autem nemini mirum, nam non quicunque cæterarum literarum studijs utuntur, doctus, ac sciens in primis euadit; non enim ex omni ligno Mercurius; quod si ita est, cur in multo difficilioribus, nimirum Astrologicis exilissimas cuilibet datum esse longè procedere? laboris enim fortasse plurimum in his aliquis, inuitâ tamen Minerua pertulit. Nec huius artis gnarus, occulto instinctu spirituum, seu bonorum, seu malorum præsentit in posterum, nec eius iudicia ex pactis cum Dæmonibus, & eorundem occultissimo instructu habetur; quasi fortunatior Obiectio. Solutio.

in

in prædicendo sit ille, qui fauentiorem, magisque propitium Dæmonem obtinuit, itaut non dæmon ab Astrologis, sed Astrologi à Dæmonibus futura discant; sed ex sola syderum inspectione quid futurum sit præuidet, ut in Dissertationibus de Cœlo me copiosè declaraturum polliceor.

Sed redeo ad id, unde huc deflexit oratio, rationes allaturus, quibus assertio superius habita suaderi commodissimè potest.

Assertio. Auctoritate probatur. Dan. 3. Apoc. 21.

Initium faciam ab auctoritate, singularis maximique momenti, utpote desumpta ex Sacra Scriptura, in qua de *Deo* legitur. *Qui nosti omnia antequam fiant.* Et alibi. *Et absterget omnem lacrymam ab oculis eorum.* Sed hæc propositio est de futuro contingenti singulari, quæ ibidem vera esse dicitur; ut ob id Ioanni dictum fuerit. *Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera.* Nec uno in loco similes in Sacris literis propositiones habentur, atque prophetiæ, quæ profectò sunt determinatè verę, alioquin Deus mentiri, nosque decipere potuisset, quod ab omni pietate, tam remotum est, quàm quod remotissimum; eo vel maxime quòd multa iureiurando firmauit, & Prophetas, tanquam vera promulgata esse voluit. Quinimmo Saluator noster ore proprio Apostolorum principi, se ab eo ante galli cantum, ter negatum iri, latronique breui secum felicem futurum in Paradiso prædixit. Quid igitur clarius in Sacris literis, quàm propositiones de futuro contingenti absolutè determinatè veras existimandas?

Prima ratio ad superiorem assertionẽ suadendã.

Potissima autem ratio ea est, quia hæ propositiones de futuro contingenti absoluto, vel sunt determinatè conformes, vel determinatè difformes proprio obiecto, quando ab intellectu efformantur; ergo sunt vel determinatè veræ, vel determinatè falsæ; illationem optimam esse quidem intelliges ex definitione veritatis, & falsitatis; erat enim veritas nil aliud, quàm conformitas propositionis cum re prout est in se; ut contra, falsitas erat difformitas propositionis cum re, prout est in se; Assumptum inde probatum remanet, quoniam hæc propositio *Solis Eclipsis erit*, significat Eclipsim fore in certo quodam tempore futuro, in quo necessariò erit, vel non erit Solis Eclipsis; si erit prædicta propositio est conformis; si non erit est difformis.

Aduersariorum responsio præoccupata. Refellitur

Dices. Illa propositio non ita se habet, ut vera, vel falsa determinatè dici possit, propterea quòd à nobis non cognoscitur determinatè, an sit vera vel falsa; defectu igitur huiusmodi cognitionis, propositio illa *Solis Eclipsis erit*, nequit dici determinatè vera, vel determinatè falsa; secus si propositio illa cognosceretur &c.

Sed hoc admodum ineptè dicitur; cùm ad determinatam propositionis veritatem, vel falsitatem, non requiratur illa cognitio, quâ propositio determinatè ut vera, vel falsa cognoscatur, ut superiùs etiam aduerti; possum enim veram determinatè propositionem efformare, quanuis ignorem eam esse veram; sic de propositione falsa accidit, ergo quòd propositio alioquin determinatè vera, vel falsa, cognoscatur à nobis determinatè tanquam vera vel falsa. Illud etiam accedit, quòd si tali foret opus cognitione, nec propositiones de præsenti, nec de præterito essent determinatè veræ, vel falsæ; cum ipsæ fieri à nobis possint, & ignorari determinatè, an sint veræ vel falsæ.

Secunda responsio præoccupata. Refellitur

Dices. Obiectum esse absens, proindeque non posse propositiones dici determinatè veras, vel determinatè falsas. Sed hoc etiam inconsideratè dicitur; non enim ad determinatam propositionis veritatem, præsentia obiecti requiritur. Alioquin, ut nuper dicebam de cognitione &c. nec de præsenti nec de præterito fieri possent propositiones determinatè veræ, vel determinatè falsæ.

Tertia spolia occupat. Refellit.

Dices adhuc propositiones illas de futuro &c. non esse determinatè veras, aut falsas, eo quòd ut effectus sit futurus, requiratur determinatio causæ liberæ ad illud producendum, quoniam si adhuc est indeterminata causa itaut sit in æquilibrio suspensa, nequit effectus dici futurus, vel non futurus, cum hoc à causæ determinatione pendeat; sed in efformatione propositionis de futuro, causa est omnino indeterminata, proindeque etiam effectus indeterminatus ad esse vel non esse; atque adeo propositio erit indeterminatè vera vel falsa; in propositionibus autem de præsenti, & præterito non sic se res habet, cum hæc in suo significatu causæ determinationem inuoluant. Neque hunc in modum contrariæ sententiæ fautores satis pro dignitate satisfaciunt rationi, quâ superiùs usi sumus; enimuerò propositio de futuro quantumuis cum efformatur, causa sit indeterminata, tamen non repræsentat, si mentalis, neque significat si vocalis est, obiectum pro tunc, sed pro futuro tempore, in quo necessariò causa determinata est, ad producendum vel non producendum effectum, & hic etiam determinatus est ad esse, vel non esse; quamobrem propositio tunc erit determinatè conformis, vel difformis. Et certè si non inuoluceret determinationem causæ, sed indeterminationem, seu potentiam, quam habet ad producendum, vel non producendum, quoniam huiusmodi potentiam causa quidem habet, cum efformatur propositio, sequeretur illam propositionem esse non de futuro, sed de præsenti; non de ineſse, sed modalem de possibili, non contingentem, sed necessariã. Sequelam autem sic ostendunt. Hæc propositio *Eclipsis erit* significat eclipsim ut potentem fieri, vel non fieri, & sub indeterminatione causæ de possibili (non enim dari potest aliqua causa, quæ sit indeterminata, indeterminatione de ineſse, siquidem quælibet causa vel dat, vel non dat esse effectui) ob id hunc sensum redderet, *Eclipsis poterit fieri, & non fieri*, seu *possibile est eclipsim fieri, & eclipsim non fieri*, quæ propositio modalis est, & necessaria, & idcirco copula absoluitur à temporis differentiâ; & erit etiam præsens, quia huiusmodi potentia modo reperitur in Deo tanquam in causa. Accedit, quòd illa propositio foret determinatè vera quoad utranque partem, nam esset copulatiua, ad quam requiritur veritas utriusque categoricæ; neque contradictoria foret, quoniam negatio non cadit supra modum, sed supra dictum; quæ cum ita sint, adhuc haberetur intentum. Ita Neotericus de republica literaria optimè meritus, ratiocinatur.

Secunda ratio ad eandem assertionẽ confirmandam.

Alia etiam ab eodem auctore affertur ratio sic se habens. Hæc propositio *Eclipsis erit*, vel est determinatè vera, & habetur intentum, vel non est vera; ergo non erit eclipsis; illatio quidem optima, quoniam propositio affirmatiua non est vera, quando significatum eius non ita se habet à parte rei, ut per propositionem exprimitur, alioquin esset conformis & vera; quamobrem si eclipsis reipsâ non erit, sequitur contradictoriam illius affirmatiuæ veram esse; quoniam est conformis obiecto, ut reipsâ est. Accedit quòd nequit obiectum esse indifferens ad esse, & non esse; nequit enim Eclipsis cras, neque esse, neque non esse, sed cras vel erit, vel non erit; ergo neque propositio de futuro exprimens existentiam crastinam Eclipseos potest esse indifferens ad veritatem & falsitatem; alioquin si non esset verum dicere *Eclipsis cras erit*, neque *Eclipsis cras non erit*, poterit inferri; ergo eclipsis cras neque erit, neque non erit, eoquòd ex propositione copulatiua, cuius partes duæ sunt singulares negatiuæ, valet consecutio

secutio ad categoricam singularem negatiuam de prædicato copulato, ex prædicatis partium copulatiuæ, ut Socrates neque currit, neque Socrates loquitur; ergo Socrates neque currit, neque loquitur; atque hunc in modum sequeretur duas contradictorias esse veras; hæc ferè ille, cui & ipse libenter subscribo, cum rationes allatæ non exigui sint ponderis.

Tertia ratio ad idē. Nec præteribo rationem aliam superiùs tactam in eo positam, quòd Deus ab æterno præsciuit omnia futura; non certè sub disiunctione, quòd forent, vel non forent, hæc enim cognitio haud propriè præscientia, sed cognitio quædam confusa, & imperfecta, quâ nos pariter futura præscimus, dici debet; necesse igitur futura à Deo præsciri determinatè; quamobrem ab æterno propositiones fuerunt determinatè veræ, vel falsæ; ergo quando nos illas propositiones efformamus, si fuerint conformes illis in diuina mente ab æterno existentibus, erunt veræ; si autem difformes, erunt falsæ.

Non me præterit te responsurum iuxta Theologos, non autem Logicos has esse veras propositiones. Toto tamen aberras cælo; quandoquidem huiusmodi propositiones determinatâ veritate vel falsitate, diuinæ cognitioni antecedunt; cùm non ideo sint veræ, quia sic cognoscuntur, sed verè cognoscuntur à Deo, quoniam ita se habent, quomodocumque id euenire dicatur; de hoc enim in præsentia non est altercatio, non enim causam, vel modum, quo diuina scientia veritatem hanc infallibilem habet, sed num habeat, inquirimus.

uarta ratio ad idē. Tandem, quæcunque cognoscuntur, determinatam habent veritatem, vel falsitatem; nam, quæ non ita se habent, cognosci non possunt; sed futura de quibus habetur sermo, cognoscuntur à Deo; ergo huiusmodi futura habent determinatam veritatem & falsitatem; proinde propositiones de ipsis erunt determinatè veræ vel falsæ.

ifficultates propo untur. Graues tamen difficultates aduersus traditam doctrinam insurgunt, propterea quòd nonnulli obijciunt auctoritatem Aristotelis, qui de futuris contingentibus loquens, ad extremum concludit. Ὅτι δῆλον ὅτι ἐξ ἀνάγκη, πάσης καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως, περὶ ἀντικειμένων, τὴν μὲν, ἀληθῆ, τὴν δὲ, ψευδῆ εἶναι. ὥσθ, ὥσπερ ὂν τὸ μὴ ὄντων, ἢ οὐκ ὂν τὸ μὴ ὄντων μὲν, δυνατὸν δὲ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι. ἀλλ' ὥσπερ εἴρηται. *Itaque manifestum est non necesse esse, ut omnis affirmationis, & negationis, quæ sibi inuicem opponuntur, altera sit vera, altera falsa, non enim, ut in ijs, quæ sunt, sic res se habet etiam in ijs, quæ non sunt, possintque esse vel non esse, sed quemadmodum dictum est.* Ex Philosophi sententia igitur de futuris contingentibus determinata veritas dari non potest.

olutio. Huic autem auctoritati, quomodo satisfiat, non multo antea declaratum fuit; sed aduersos ibi allata, pro solutione difficultatis desumptæ ex Philosophi auctoritate, facit ratio, quâ ipse utitur; ait enim secuturum omnia immutabiliter euenire, proindeque inanes esse consultationes; ὥστε ὅτε βουλεύεσθαι δεῖ ἄν, ὅτε πραγματευέσθαι. ὡς ἐὰν μὲν τοῦτο ποιήσωμεν, ἔσται τοῦτο ἐὰν δὲ μὴ τοῦτο, οὐκέτι τοῦτο. *Quamobrem neque consultare oportebit, neque studiosè agere, quasi si hoc faciamus, hoc futurum sit: sin minus non sit futurum.*

econda ficultas Deinde. Si propositiones de futuro contingenti haberent determinatam veritatem, sequeretur Deum aliquando mentitum fuisse, quod minime dicendum; sed id secuturum ex eo constat, quia multa per Prophetas prædixit tanquam euentura, quæ nunquam tamen euenerunt. Vt cum Isaia prædixit Ezechiæ *Dispone domui tuæ, quia morieris* & Ion. *Adhuc qua-*

draginta dies, & Niniue subuertetur: cum tamen neque mors Ezechiæ, neque ciuitatis submersio contigerit.

At quis non videt has auctoritates non esse ad rem? Solutio. enimuerò propositiones illæ sunt de futuro conditionato; sensus enim earum est, quòd Ezechiel inspecto ordine, cursuque secundarum causarum diem obire tenebatur; & Niniue destrui debebat, nisi pœnitentiam egisset; & ita de alijs similibus propositionibus dicendum; at hîc sermo fit de futuro contingenti absoluto; hoc enim determinatam habere veritatem dicimus. Non sequitur autem Deum fuisse mentitum, quoniam commemorati euentus, debebant euenire cum dependentia à conditione, quâ sublatâ, auferuntur & illi; & idcirco Deus falsum non prædixit, neque mendacij redargui potest.

Deinde obijciunt. Si Deus determinatè futura Tertia difficultas, contingentia cognosceret, cum hæc aliter possint se habere, quippe quæ contingentia sunt, sequeretur Deum posse decipi, quandoquidem supponamus Deū nouisse Socratem cras deambulaturum, si non deambulet, Deus utique decipietur; ergo si nouit Socratem deambulaturum cras, & potest non deambulare, Deus posset decipi; ut enim ad duas propositiones de inesse sequitur conclusio de inesse; ita ex una de inesse, & altera de possibili, sequitur conclusio de possibili.

Occurritur respondendo, si contingentia non euenirent, nec Deum illa cognoscere, nec posse cognoscere propter infallibilitatem diuinæ scientiæ; quoniam futurum ut sic, non subsequitur actum diuinæ cognitionis, quinimo concipitur antecedere, cùm priùs futurum, sit futurum per decretum diuinæ voluntatis determinantis illud producere, postea verò diuinus intellectus concipit illud ut futurum; quamobrem si non esset futurum, nec posset diuinæ cognitionis actum terminare, proindeque, nec Deus falli posset. Nullaque paritas est allata de inesse & de possibili, cùm decipi, sit cognoscere rem aliter ac est; posse autem decipi, est posse sic rem ipsam cognoscere; at huiusmodi potentia non cadit in Deum, cùm illatio mala sit, quâ ex eo quòd res potest non esse, infertur Deum posse rem cognoscere aliter ac est; licet optima illa quâ infertur eum posse cognoscere rem non esse. Solutio.

Acriùs urgent hoc modo. Quòd est de sua formali ratione indifferens ad utrumlibet, est etiam de sua formali ratione indeterminatum; sed contingens de sua ratione formali est indifferens ad utrunque, in hoc enim contingentię ratio posita existimatur; ergo contingens de sua ratione formali debet indeterminatum esse; & idcirco nequit concipi tanquam determinatum, atque adeo determinatè verum esse non potest. Quarta difficultas.

Fiet satis respondendo iuxta superiùs tradita; futurum nanque, ut contingens, dicitur indeterminatum indeterminatione de possibili, quatenus potest poni, & non poni in esse; & in huiusmodi indeterminatione constituenda est contingentiæ ratio; dicitur tamen determinatum determinatione de inesse, quæ optimè cohæret cum indeterminatione de possibili, & contingentia; ut de contingente existente perspicuum est; contingens enim quando actu existit, est determinatum de inesse, sed dicitur contingens, & indeterminatum de possibili, quatenus potest non esse, non quòd simul cohæreant esse, & non esse, sed esse & posse non esse; indeterminatio enim de possibili dicit indifferentiam ad posse esse, & posse non esse; sed indeterminatio de inesse, dicit indifferentiam ad esse ndum, vel non essendum, quâ in determinatione, nihil dici potest indifferens & indeterminatum, quoniam unumquodque determinatum est, determinatione de Solutio.

ineſse: eò quòd, vel eſt, vel non eſt; ſed cum hac determinatione cohærere poteſt indeterminato de poſſibili; quoniam, ut nuper dicebam, quod eſt contingens, cùm eſt, poteſt non eſse, & cum non eſt, poteſt eſse.

Quinta difficultas

Amplius. Si propoſitiones de futuro contingenti determinatam haberent veritatem, ſequeretur futura ex neceſſitate euenire; hoc autem contingentiæ repugnat; propterea minimè dicendum propoſitiones de quibus loquimur, eſse determinatè veras; ſed illud incommodum ſecuturum inde conuincitur, quoniam futura poſſent non euenire, propoſitio de contingenti futuro poſſet reddi falſa, poſito autem futurum non euenire, petendum quando propoſitio, quæ erat vera poſſit eſse falſa? Si dicatur quando eſt vera, fateamur oportet propoſitionem eſse ſimul poſſe veram, & falſam, quo nihil abſurdius. Si dicatur ante, vel poſt, adſtringemur ad aſſerendum, quod eſt aliquando verum, non ſemper eſse verum, quo nihil ineptius.

Solutio.

Vt huic difficultati ſatisfacere poſſimus, cogimur aduertere neceſſitatem duplicem in Scholis recognoſci, propterea quòd, vna dicitur abſoluta, ſimpliciter, antecedens, & conſequentis, & eſt illa, quæ inter duo cadit extrema ex eorum proprijs naturis profecta, ut quòd homo ſit rationis particeps; altera verò eſt ex ſuppoſitione, ſecundum quid, conſequens, & conſequentiæ, & in ſenſu compoſito, diciturque illa, quæ conuenit aliquibus alterius ſuppoſitione facta, ut ſi Socrates currit, neceſsariò mouetur. Diluetur igitur difficultas ſuperiùs allata, reſpondendo futura, neceſsariò euenire neceſſitate conſequentiæ, ex ſuppoſitione ac in ſenſu compoſito, nimirum ſuppoſitâ determinatione cauſæ ad agendum, quæ cum libertate cohæret quoniam liberi arbitrij uſum in cauſa ſe determinantis ad actionem ſupponit, non autem abſoluta conſequentiſque neceſſitate, & in ſenſu diuiſo.

Sexta difficultas.

Alij verò ſic obijciunt. Sequeretur ex noſtra ſententia nullam fore differentiam inter propoſitionem neceſſariam & contingentem, quoniam ambæ forent ſempiternæ veritatis; non enim apparet quid defferat inter utrumque propoſitionis genus, ſi dicatur de futuris contingentibus fieri poſſe propoſitiones determinatę veritatis.

Solutio.

Facilis tamen ſolutio, quandoquidem illud diſcriminis inter hæc propoſitionum genera poteſt aſſignari, quòd propoſitiones neceſſariæ dici poſſunt æternæ veritatis abſolutè, & neceſſariæ neceſſitate ſimpliciter, ac antecedenti, quia non ſolùm ſunt ab æterno veræ, ſed neque poterant non eſſe veræ; at contingentes ab æterno fuerunt veræ ex hypotheſi, unde falſæ reddi poterant, ſi cauſa ſe ad oppoſitum determinaſſet.

Quædam breuiter de concurſu primæ cauſæ cum humana voluntate breuiter explicantur.

Reliquum eſſet ut hìc aperiremus, quomodo futura contingentia, etiam ut à Deo ſcita, abſolutè neceſſaria non ſint; ſed hoc Dialecticæ fines tranſcendit; idcirco paucis tantummodo quædam attingam, eadem de re opportuniori occaſione verba facturus. Huiuſmodi igitur futura contingentia minime dicenda neceſſaria, abſolutâ neceſſitate; quandoquidem hęc ſi talis eſſet, ortum duceret, vel ex ratione futuritionis, vel ex Dei præſcientia; non ex futuritione, quoniam hæc effectûs naturam non immutat, ſed conſequitur naturam eiuſdem, itaut, ſi effectus ſit contingens in ſe, & liberè producibilis, etiam ut futurus talis ſit; quòd autem dicatur effectus futurus, ideo eſt, quia prius eſt effectum produci debere in aliqua temporis differentia, cui præſens dicatur, poſtmodum autem, quoniam hæc pars alias antecedentes ſupponit, comparatione quarum futura dicitur, quod effectus dicatur futurus. Neque abſoluta neceſſitas oriri poteſt ex diuina præſcientia, quoniam præſcientia diuina ſe habet veluti conſequens, & relinquit effectum propriæ naturæ: præcognoſcitur enim futurus effectus à Deo, ita tamen ut effectus contingenter futurus ſit; non enim illa præuiſio effectui neceſſitatem abſolutam, & antecedentem imponit, quin potius effectus ſe habet ut antecedens, & in ratione obiecti, licet in ſenſu compoſito, nempè ſuppoſitâ futuritione, effectus neceſſariò præcognoſcatur à Deo neceſſitate conſequentiæ & ſuppoſitionis, quæ ſimul cum libertate cohæret. Hoc eleganter explicuit Aurelius Auguſtinus exemplo Medici, qui futurum obitum ægrotantis præuidendo nullam illi moriendi neceſſitatem affert; præuiſio enim ſe habet ut conſequens; interitus autem futurus, ut antecedens & in ratione obiecti; in ſenſu tamen compoſito, nempe ſuppoſito, quòd ægrotans vitam ſit cum morte commutaturus, neceſſariò præuidetur à Medico neceſſitate conſequentiæ atque ſuppoſitionis, quæ contingentiam illęſam relinquit. Quod etiam de Iudiciarijs intelligendum. Hæc porro ſubtilius perſequi ad Theologum, vel etiam ad Metaphyſicum pertinet; ne tamen videar ignoraſſe quid in re tam ardua mihi dicendum videatur, paucis aperiam, quod copioſiùs alibi ſum traditurus de concurſu videlicet primæ cauſæ cum ſecunda. De hoc autem duæ fuerunt extremæ ſententiæ, quarum prima docuit diuinam voluntatem antecedenter omninò ad voluntatem humanam, præmire actus ab hac futuros, atque hunc in modum à Deo præuideri. Secunda docuit humanam voluntatem conſequenter præfiniri, quatenus intellectus diuinus in priori ſigno rationis præuidet, quid humana voluntas in hoc aut illo rerum ordine eſſet actura. Neutra tamen plauſibilis, ut opportuno loco ſum oſtenſurus, cum penitus à veritatis tramite deflectant, quibus diuina decreta viſa ſunt antecedere humanam determinationem; nec minus errarunt aſſerentes commemorata decreta eſſe conſequentia. Reliquum eſt ut illa dicantur concomitantia, quatenus humana voluntas eminenti modo in diuina voluntate, ſecundum totam virtutem, & indifferentiam agendi continetur; huius enim continentiæ ratione, decernere poteſt, quicquid humana voluntas, in quolibet rerum ordine facturа ſit citra ſcientiam mediam, de effectibus ab illa futuris, ſed per ſolam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ de effectibus ab eodem poſſibilibus. Sed hæc hactenus, quin fortè plura, quàm Dialecticæ fines permittant.

Sapndiforum comprobatio.

Ne quis porro ſuſpicionem habeat me fuiſſe cõmentum, quæ de literulis Ducis Sabelli j, atque adeo, quæ de cæteris ſuperiùs dixi, operæ pretium me facturum arbitror, ſi literulas ipſas fideliter excriptas, totidem que verbis translatas ad huius Sectionis calcem adjungam, cuiuſmodi ſunt, quæ ſequuntur.

Exemplũ literarum D. Sabelij

SArà contenta partire di coſtì quanto prima, per andarſene con ogni celerità in Ferrara per aſſiſtere iui, & vbbidire gli ordini, che le ſaranno ingiunti per ſeruitio di Noſtro Signore da quell' Eminentiſs. Legato, e Sig. Baron Matthei Generale &c. ſinche non le ſarà comandato in contrario, già che Monſignor Illuſtriſs. Homodei Commiſſario Generale darà gli ordini, e ricapiti neceſſarij per la ſua prouigione, che comincierà à correrli dalla data di queſta, in ragione dell'vltima carica, che ella hà eſercitato in ſeruitio della Santità ſua, per tutto quel tempo, che ſi tratterà nel medeſimo ſeruitio. Data in Roma li 22. di Maggio 1649.

Per la S. di N. S. e di S. E. Tenente Generale
N. Federigo Sauelli.

Digitized by Google

SECTIO DECIMA.

De regulis bonæ prædicationis, ad veras enunciationes efformandas.

CVm de prædicationibus hoc loco sit nobis disserendum, non erit abs re ad memoriam reuocare, quod aliâ occasione paucis innuimus, videlicet, per prædicationis nomine sic intelligendum κατηγορία *categoria*, id est prædicatio, dicitur à verbo græco κατηγορέω, *categoreo*, quod est accuso, obijcio, item prædico, hoc est, vnum de alio dico, vel vnum alteri attribuo. Iuxta quam significationē à Dialecticis vsurpatur, cum apud Rhetores significet, accuso, reprehendo &c. Et quod attribuitur, dicitur κατηγόρημα, *categorema*, hoc est prædicatum; hinc igitur dicitur prædicatio, quæ nil est aliud, quàm unius de altero enunciatio, ac attributio; ut cum dicimus *homo est animal*, sic enim dicendo, nos animal homini attribuimus. Quoniam autem omnis prædicatio in terminis vel abstractis, vel concretis exercetur; propterea summatim aliqua de huiusmodi terminis explicabimus, reuocando, si opus fuerit, ad memoriam, quæ de his in nostris Institutionibus Dialecticis tradidimus.

Primò autem occurrit utriusque termini declaranda definitio. Terminus concretus est qui formam significat, ut alteri adiacentem, quod tali modo significandi concernit. Vt hic terminus *album*, significat enim albedinem tanquam adiacentem subiecto, quod ex significandi modo concernit. Terminus abstractus est, qui significat formam ut in se existentem, non autem ut alteri adiacentem, ut *albedo* &c.

Quoniam autem termini præter proprium formale significatum possunt unum, vel plura consignificare atque concernere, propterea potest etiam abstractio plurifariam contingere, & inde multæ diuersæque prædicationes emergunt, ut paulo post explicabo.

At quia ex entibus, quædam substantiæ, quædam accidentis aut absoluti, aut respectiui naturam redolent; proinde varia pro istorum varietate, contingit abstractio; quandoquidem in substantialibus concretis, unica potest abstractio, scilicet à suppositis, fieri; quoniam concernunt suppositа, in quibus eorum significata formalia reperiuntur. Ita quidem hic terminus *homo*, formaliter naturam humanam in suppositis existentem significat, nimirum in Socrate, & Platone, &c. ob id pro illis aliquando supponit; Sed humanitas significat naturam à suppositis præcisam, solùmque significat hominis quidditatem; idcirco *homo* dicitur terminus ultimatâ abstractione abstractus, dicique solet etiam abstractum metaphysicum. Sed accidens absolutum duo concernit, nempe subiectum, cui inhæret, & propria indiuidua, quæ sub se continet; propterea duplex hinc emergit abstractio. Ita se habet hic terminus *album* dicitur enim concretum ad subiectum, cui inhæret, pro quo non rarò supponit; sed albedo importat conceptum præcisum à concretione ad subiectum, solùmque dicit accidentariam formam spectantem ad qualitatis genus; diciturque abstractum physicum. Sed quoniam albedo generatim accepta, respicit propria, quæ sub se habet, indiuidua, nimirum hanc, vel illam albedinem; idcirco, potest ulterior abstractio fieri dicendo *ratio albedinis*; vel, & in idem recidit, *albedeneitas*, quæ duntaxat quidditatem albedinis importat; diciturque abstractum metaphysicum, & huiusmodi terminus, dicitur ultimatâ abstractione abstractus.

Amplius siue dentur respectus prædicamentales eo sensu, ut sint formæ positiuæ rebus absolutis superadditæ, siue non dentur, terminus respectivus potest pro pluribus supponere; ut causa, exem. gra. præsupponit subiectum: potest tamen dari terminus abstrahens à subiecto, videlicet potentia causandi, quæ tametsi pro subiecto non supponat, potest nihilominus fundamentum, puta calorem, quo ignis calefacit lignum, connotare; præterea dari etiam potest terminus ab isto abstrahens, cuiusmodi est causalitas, siue causatio; enim verò causalitas est actus, quo causa ex potente causare, fit actu causans; ob id calor in igne dicitur agendi principium, sed non est causalitas, cùm potius hæc sit actio, puta calefactio, ut in Physica explicabitur; & ad extremum, quoniam causalitas, hanc & illam numero causalitatem respicit, proinde potest ab illis fieri ultima abstractio dicendo. *Ratio causalitatis*; nimirum quidditas illius actûs, quo causa ex non actu causante fit actu causans. Et quoniam singulare & suppositum distinguuntur in substantijs, propterea non solùm dantur concreta ad suppositа, sed etiam ad singularia idcirco; etsi homo sit concretum ad suppositum, & humanitas abstrahat ab illo, non subinde colligendum humanitatem dici ultimatè abstractam, quoniam respicit singularia, pro quibus potest supponere; ut albedo in uniuersum dicitur concretum ad propria singularia, quæ tamen sunt extra conceptum, atque formalem rationem ipsius. Hinc autem oritur, ut intellectus facere possit ulteriorem abstractionem concipiendo humanitatem præcisè secundum propriam formalem rationem; talis autem conceptus iure dicetur ultimatè abstractus, dicique commodè poterit *quidditatiua humanitatis ratio*, non secus ac in qualitatibus contingit; enim verò de albedine dicitur, vel albedeneitas, vel ratio, aut quidditas albedinis. Hæc igitur abstractio in qua sistit intellectus suis conceptibus humanitatem attingens, adeo ut prædictus conceptus in ordine ad humanitatem dicatur ultimatâ abstractione abstractus, siquidem abstractus est ab omni eo, quod est quocunque modo extra quidditatis rationem. Quæ autem de speciebus in ordine ad ea quę concernunt, etiam generibus possunt accommodari. In his enim gemina concretio debet recognosci, nimirum ad inferiora specifica, & ad propria singularia generica; ita quidem etsi animalitas abstrahat à speciebus, adhuc tamen concernit indiuidua generica, hanc nimirum, & illam numero animalitatem, pro quibus supponit.

Adhuc etiam aliquid est adnotandum discriminis inter abstracta substantialia, & accidentalia, quòd accidentalia abstracta quidem mediâ abstractione, concernunt, si generica fuerint, non solùm propria indiuidua generica, sed etiam specifica; ita quidem color pro hoc vel illo colore, pro albedine, vel nigredine potest supponere; ut propterea diuisionem per essentiales differentias, in species subire possit, eò quòd hunc in modum est totum quidpiam in ratione habentis, ut mox intelliges ex ijs, quæ breuiter subijciam. At abstracta substantialia, quantumuis generica, solùm pro proprijs indiuiduis, non autem speciebus supponunt, ut animalitas pro hac vel illa animalitate, non autem pro humanitate vel equinitate, eam ob causam, quia simpliciter, & ut sic ex suo proprio conceptu est pars, cùm dici non possit idem cum toto in ratione habentis, quemadmodum cum suis inferioribus; habet igitur rationem partis; at verò pars de toto prædicari non potest, benè tamen de proprijs indiuiduis; ut apertè constat de partibus physicis; anima siquidem de viuente, comparatione cuius est pars, prædicari non potest, benè tamen de hac, vel illa anima.

Differimē inter abstracta, substantialia & accidentalia.

Prædicatio generis de speciebus explicatur.

Redeo ad totum in ratione habentis, cuiusmodi esse genus respectu specierum dicebam. Tametsi nanque genus etiam ut totum potentiale dicat tantummodo partem essentiæ, dum tamen de specie prædicatur, ut cum dicimus *homo est animal*, verè animal de homine prædicatur, quia non significat essentiam per modum partis, sed per modum totius, quatenus prædicatum in concreto consequenter significat totum id, quod per subiectum in ratione quidem habentis importatur, quod hunc in modum solet eleganter admodum explicari. Vt vera sit propositio, debet prædicatum esse idem cum subiecto, unde est ut prædicatio identica cæteris omnino veritate, certitudine & euidentiâ præstet; eatenus enim hæc propositio *homo est animal*, vera est, quatenus animal aliquam habet identitatem cum homine, hoc enim sibi vult commemorata propositio; sed quando vniuersale prædicatur de inferiori in concreto, prædicatum est idem cum subiecto in ratione habentis: nam cum dicimus *homo est animal*, sensus redditur *habens humanitatem est habens animalitatem*; quare prædicatum idem est cum subiecto in ratione habentis, quatenus idem est suppositum habens humanitatem, & animalitatem; tametsi nanque genus primariò materiam, & differentia formam, secundariò tamen importat totum, quod connotat. Quod ex interpretum melioris notæ declarari potest exemplo manuati, & capitati, quæ primariò diuersa significant, videlicet manum, & caput; at utrunque secundariò, & consequenter significat idem, nempe totum in ratione habentis; siquidem manuatum exponitur per habens manum; ubi *habens*, non pertinet ad significatum formale, sed ad modum significandi per modum scilicet totius; quamobrem etsi dicere non possimus *homo est manus*, *est caput*, dicere tamen possumus *est manuatus*, *est capitatus*, & exponitur *est habens manum*, *est habens caput &c.* eodem modo quanuis dicere non liceat *homo est anima*, *est corpus organicum pro altera parte &c.* dicere tamen licet *homo est habens animam*, *est habens corpus organicum pro altera parte*; & exponitur *est animatus*, *est corporeatus &c.*

Animaduertio.

Ad prædicationem tamen superioris de inferiori quod attinet, aduertere non præteribo, superius de inferiori prædicari, quatenus in hoc illud inest; uniuersale siquidem in prædicando supponit uniuersale in essendo; ideo enim, animal de homine, de equo &c. potest prædicari, quoniam animal est in homine, est in equo &c. Sed non quicunque modus essendi ad hanc sufficit prædicationem, cum opus sit, ut quod prædicatur, in eo insit, de quo prædicatur, præcipuo quodam essendi modo; in cuius gratiam aduerte superius esse in inferiori & inferius vicissim in superiori; diuersâ tamen ratione, propterea quòd utrumque est in alio, tanquam pars in toto; sed gemina est ratio totius, ac ob id etiam & partis; aliud enim est totum actuale, & aliud potentiale, siue potestativum; & alia est pars essentialis, & alia subiectiua, prout ad præsens attinet institutum; superius est in inferiori, & vicissim; superius enim est in inferiori tanquam pars essentialis in toto actuali itidem essentiali, sensu paulo antea explicato; & inferius est in superiori, tanquam subiecta pars in toto potestatiuo; nec ab his dissentit Philosophus, dum enim ipse secundas substantias de primis affirmat quidditatiuè prædicari, consequenter docet secundas inesse in primis, nam uniuersale in prædicando, supponit uniuersale in essendo; at ex aduerso docet primas inesse in secundis, dum ait. Δεύτεραι δὲ οὐσίαι λέγονται, ἐν οἷς εἴδεσιν αἱ πρώτως οὐσίαι λεγόμεναι ἐνυπάρχουσι. *Secundæ autem substantiæ dicuntur, species, in quibus speciebus insunt, quæ primùm substantiæ dicuntur.*

Cap. de Substantia.

SECTIO DECIMAPRIMA.

Difficultates aduersus superiorem doctrinam diluuntur.

Difficultates aduersus superiorem doctrinam. Prima difficultas.

NOn desunt tamen emolliendæ difficultates aduersus superiorem explicationis modum, propterea quòd non tam facile est explicatu, quo pacto genus possit in quid prædicari exercitè & in recto de suis inferioribus, nempè dicendo *homo est animal*; *leo est animal &c.* Pars enim ut sic, etsi possit in obliquo de suo toto prædicari; verè nanque dicimus *homo constat animâ, & corpore*; *habet animam, & corpus*; item *habet caput*, *pedes &c.* in recto tamen prædicatio fieri non potest; non enim dicere licet *homo est anima*, *homo est corpus*, corpore tamen pro altera parte sumpto &c. Quod etiam Philosophus obseruat; nec ratio deest, siquidem genus, puta *animal*, quatenus pars, dicit in homine, vel Leone &c. præcisè gradum sentiendi, & nihil amplius; quamobrem si prædicaretur ut pars; hunc redderet sensum, *homo est tantùm animal*, siue *homo non est plus, quàm animal*; quamobrem ut aliquid de alio verè prædicetur in recto, debet aliquo modo dicere totum id, quod subiectum ipsum importat, siquidem hoc particula illa copulatiua *est*, in propositione *homo est animal*, significare, ac præseferre videtur; ut sensus propositionis sit *animal est totum id, quod est homo*; cùm itaque genus, exempli gratia, animal, dicat partem essentiæ suorum inferiorum, non videtur de illis verè posse enunciari prædicatione exercitâ, & in recto.

Prima dilucidationis solutio.

Hæc de genere difficultas diu Philosophos melioris notæ vexauit, & in varias sententias distraxit, quas cursim exponam. Sunt quibus placuit axioma illud, *pars de toto prædicari non potest*, sic interpretari, vt intelligendum velint de partibus physicis, siue essentialibus, nimirum materia & forma; siue integrantibus, nempe capite, brachijs &c. non tamen de partibus metaphysicis, genere & differentia, eâ ratione ducti, quia metaphysicæ partes ab vniuersa rei entitate sumuntur, vt animal, & rationale ab integra humanitate, quanuis sub diuersis gradibus concepta; hinc enim, inquiunt, etiam vt partes de toto possunt enunciari; partes autem physicę non item, cum earum neutra totam rei quidditatem dicat.

Confirmatio.

Hoc autem modo haud rectè difficultati occurritur; enimverò æque ratio conuincit partes physicas & metaphysicas de toto prædicari non posse; & allata disparitas nulla est, vtpote nutantibus innixa principijs, & etiam admisso, quod ipsi contendunt, genus à tota physica rei entitate desumi, non subinde sequitur id ab vniuersa itidem entitate metaphysica, de qua in præsens habetur consideratio, dicendum sumi; non enim à differentia. Quòd si hoc placet admittere, cùm prædicatum dicat quantum actu in se se cohibet, genus totam suorum inferiorum essentiam prædicaret, hoc est, institutâ prædicatione generis de inferioribus, tota eorum essentia de ipsis prædicaretur, cum totam actu importet; quod contrariæ sententiæ fautoribus perincommodè accidit; cum genus esse materialem solùm essentię partem accerrimè propugnent. Non igitur satis pro dignitate difficultatem expediunt.

Secunda solutio.

Alij cum difficultati hunc in modum intelligerent minimè satisfieri, dixerunt genus etsi non ut partem metaphysicam actualem, ut tamen potentialem, hoc est, non ut actu componentem, sed ut potentem componere speciem, verè de specie prædicari posse; quoniam, inquiunt, hoc modo genus continet totum, quod

quod continetur à subiecto; cùm enim proximè conjungi possit, cum hac vel illa differentia; sequitur has ab *illo* potentiâ contineri, quod satis, ut ipsum continere dicatur, totum id quod continet species, nimirum partem unam actu, alteram autem potentiâ.

futatio Nec etiam hic solutionis modus satisfacit; propterea quòd, æque difficultas urget de parte potentiali, & actuali; quemadmodum enim pars metaphysica, ut actu componens, formaliter quatenus pars, continere nequit totum id, quod à composito, cuius est pars, continetur: ita nec etiam ut potentiâ componens; nulla siquidem disparitas, cùm ex illa potentialitate nihil redundet in genus, ratione cuius hoc possit per modum partis verè de toto, siue composito prædicari.

rtia so-io. Alij negant ad prædicationis veritatem requiri, ut prædicatum importet totum esse subiecti, siue explicitè, siue implicitè, existimantes sufficere, ut importet aliquid de subiecto, hoc est aliquid inclusum In illo, itaut huius propositionis *homo est animal*, reddatur sensus, *homo continet animalis naturam*.

ifutatio Hic tamen explicationis modus eo nomine improbandus videtur, quoniam si ad prædicationem per casum rectum prædicta sufficeret inclusio; cùm pars physica includatur in composito, poset per casum rectum de composito prædicari; & idcirco dicere valeret *homo est anima; homo est corpus organicum acceptum pro altera parte, cuius anima est actus;* hoc idem eueniret in partes integrantes, itaut dici posset *homo est caput, homo est manus;* hæ siquidem partes verè in suo toto includuntur, ut cuique perspectum; inutilis igitur hic explicandi modus.

uarta lutio. Alij proinde crediderunt ad veritatem prædicationis in recto non requiri, ut prædicatum actu, & formaliter dicat quicquid dicit subiectum, sed sufficere ut implicitè virtute, & potestate id dicat. Et ideo quantumuis genus, ut totum uniuersale, non dicat actu formaliter, & explicitè, quicquid dicunt species; quia nihilominus totum illud confusè dicit, cum totum sit potentiale confusum differentias includens, potest per casum rectum verè, tanquam totum vniuersale potentialeque de speciebus inferioribus prædicari. Ex horum igitur consilio, quanuis genus tantummodo sit pars speciei ab alia comparte, nempe differentia, præcisum conceptum importans; prædicari nihilominus potest de inferioribus tanquam totum potentiale, quoniam hoc modo continet implicitè, atque confusè differentias, atque adeo totam speciei naturam, itaut ex hoc capite per casum rectum possit de inferioribus prædicari. Ratio potissima quâ suffulti in hanc explicationem abierunt, ea est, quia si prædicatum diceret actu & formaliter omnino totum id, quod dicit subiectum, omnis prædicatio foret identica, atque adeo nulla formalis, quod quàm sit absurdum, nemo non videt.

ɔfutatio Nec etiam hic dicendi modus plausibilis; enimverò cùm dicunt genus, quando prædicatur de speciebus, non se habere ut partem, sed ut totum potentiale, quatenus in confuso, ac implicitè dicit totam speciei essentiam, de qua prædicatur, petendum, quo sensu id usurpandum velint; nam vel intelligunt genus perfectâ præcisione, vel imperfectâ ab inferioribus esse præcisum, & alterutro modo id se habere dicatur, quærendum adhuc, an eatenus genus importet totam speciei essentiam, quatenus actu, & non potestate duntaxat, etsi confuso modo ac indeterminatè differentias, quatenus non magis hanc quàm illam, sed omnes promiscuè contineat; & hic explicandi modus minimè retinendus, cùm genus potestate solùm differentias contineat, quantumuis importet illas implicitè atque confusè, quicquid alij dicant; tametsi nanque genus imperfectâ præcisione sit à differentijs præcisum, adhuc dicitur potentiâ illas continere, quatenus nempe non dicit actu illas explicitè, sed in potentia est ad explicationem ipsarum; inde enim fit, ut, etsi prædicetur tanquam totum potentiale de speciebus, adhuc tamen prædicetur tanquam pars speciei. Si autem existiment genus non continere actu confusè differentias, sed tantùm significare totam speciei naturam, sub gradu vniuersali superiori; coguntur fateri genus non dicere totam speciei naturam, quoniam dum dicit naturam speciei sub gradu uniuersaliori, nequit se habere, nisi ut pars speciei abstrahens ab inferiorum differentijs, atq; solùm generis communem rationem importans. Hæc Neotericus non ignobilis habet, quibus non immeritò illud addendum putat; nimirum per præcicatum genericum, quatenus tamen huiusmodi, vnam speciem ab alia non distingui, quin potius conuenire, & sic enunciari de una specie, ut nulla prorsus mutatione factâ illius prædicati secundum esse obiectivum, possit alteri aptari, proindeque nec explicitè, nec implicitè genus dicere totum esse speciei; alioquin per ipsum species una distingueretur ab alia, & illud ipsum prædicatum de una specie enunciatum, alteri competere non posset; hinc ob id licet concludere genus etiam in ratione totius potentialis, verè duntaxat, ut speciei partem prædicaui.

Explicandum igitur quonam pacto huiusmodi prædicatio in recto se habeat, cum reuerâ aliquid plus, quàm inclusionem prædicati in subiecto significet, videlicet hoc esse illud; quando enim dicimus *homo est animal* non solùm significamus animal in homine includi, sicuti cum dicimus *homo est animatus*, non significamus duntaxat animam in homine includi, sed hominem esse animal, hominem esse animatum; & animal, sicut & animatum esse, quicquid ille est; cum enim dicimus *homo est animal*; sic de animato &c. per *animal* nihil excluditur ab homine, quasi reddatur sensus, quòd homo sit tantum animal; falsa nanque prædicatio foret, sed insinuatur quodam modo totum id quod per hominem importatur. Cõfutatio altera.

Omissis igitur aliorum respondendi modis, asserendum nullam esse difficultatem, quoniam ut nuper dicebam, genus, etiam si ut totum potentiale, dicat tantùm essentiæ partem; dum tamen de specie prædicatur, verè prædicatur, quia non significat essentiam per modum partis, sed per modum totius, quatenus prædicatum in concreto consequenter significat, totum id quod per subiectum in ratione habentis importatur. Solutio difficultatis.

Præterea. Definitum est quoddam totum, cuius partes, sunt partes definitionis; sed partes definitionis prædicantur de definito, ut Aristoteles etiam aduertit; ergo partes de suo toto poterunt prædicari. Secunda difficultas

Obuiam itur dicendo Philosophum docuisse quidem definitionis partes de definito prædicari; quod, nos ultrò concedimus, non tamen affirmasse per modum partis illas prædicari. Solutio.

Amplius. Omne concretum prædicatur denominatiuè, quoniam omne concretum est denominativum; sed genus est quoddam concretum, cum de speciebus prædicetur; ergo genus denominatiuè de speciebus prædicatur; hoc autem intolerabile, quandoquidem genus de speciebus uniuocè prædicatur; aliud autem est uniuocè, & aliud denominatiuè prædicari. Tertia difficultas.

Occurritur negando maiorem propositionem; tametsi nanque omne denominativum concretum sit, non tamen vicissim omne concretum est denominativum; nam propriè denominatiua sunt illa, quæ ca- Solutio.

dunt

sunt ad subiectum, vel quasi subiectum, proindeque adiectiuo nomine significantur, & prædicantur in quale: at verò genus, puta animal, non cadit ad subiectum, vel quasi subiectum, sed ad inferius, nec adiectiuo nomine, sed substantiuo denotatur; & prædicatur in quid; quæ ex definitionibus denominatiuorum, & generis, suo loco traditis, perspicua fiunt.

Quarta difficultas

Alij etiam sic obijciunt. Partes physicæ, & integrales magis quàm metaphysicæ à toto distinguuntur; physicæ namque realiter distinguuntur à toto, metaphysicæ verò non item; at illæ in concreto sumptæ de toto prædicantur; dicimus enim *homo est animatus, est corporatus, est capitatus*; ergo etiam & istæ, utpotè physicis intimiores, quanuis ut partes acceptę, de toto

Solutio.

poterunt prædicari.

At sic ratiocinando nihil planè concludunt, mala siquidem illatio fit ex eo, quòd metaphysicæ partes intimiores sint, quàm physicæ, posse etiam ut partes de toto prædicari; ex eo enim quòd partes metaphysicæ sint physicis, & integrantibus intimiores, tantummodo licet colligere prædicationem ipsarum de toto per modum nominis substantiui, cuiusmodi est generis de inferioribus, prædicationem fieri posse, cùm alioquin partes physicæ & integrantes per modum nominis adiectiui duntaxat de toto possint prædicari.

Quinta difficultas

Grauior tamen difficultas in eo posita, quòd si vera est generis de specie prædicatio, quatenus prædicatum consequenter dicit totum esse subiecti, sequeretur prędicationem prædictam identicam, vel nugatoriam esse, eo nomine, quòd bis idem in hac usurparetur prædicatione; hoc autem quàm sit absurdum, cuique perspectum ac exploratum.

Solutio.

Ineptè tamen colligunt identicam, & nugatoriam prædicationem generis de specie futuram, quandoquidem nugatoria, & identica prædicatio solùm contingit, quando prædicati nomine idem, & eodem modo significatur id, quod importatur nomine subiecti; non sic autem usu venit cum genus de specie prædicatur; enimverò nomine generis significatur primariò natura quædam communis pluribus specie differentibus, secundariò autem significatur suppositum quatenus importatur in ratione habentis. Et hæc est inter genus, & speciem identitas, merito cuius genus etiam ut totum potentiale dicens tantùm essentiæ partem, verè de specie potest prædicari; ut cum dicimus *homo est animal*, sensus enim redditur, *habens humanitatem, est habens animalitatem*, hoc enim modo prædicatum idem est cum subiecto in ratione habentis, quatenus idem est suppositum habens humanitatem, & animalitatem; nec propterea sequitur nugatoriam, & identicam huiusmodi esse prædicationem, ob eam, quam nuper attulimus causam, quoniam videlicet non est idem principale significatum, quod ad nugatoriam, & identicam prędicationem requiritur; sed solum est idem connotatum, nempè suppositum, quod tam per genus, quàm per speciem connotatur, utpotè illud, quod utriusque rationem habet.

Sexta difficultas.

Ad extremum est etiam hæc non spernenda difficultas, quia nimirum animal non videtur esse habens animalitatem, cùm potius sit animalitas subsistens, propterea quòd substantiale concretum tantummodo naturam cum subsistentia dicit; non bene proinde explicatur illa propositio *homo est animal*, in ratione habentis; assumptum probare nituntur exemplo ex diuinis rebus desumpto; Deus enim, inquiunt, non est Deitatem habens, sed Deitas subsistens, alioquin cum sint tres habentes Deitatem, tres itidem Dij esse deberent.

Solutio.

Occurritur difficultati respondendo, animal primarió deque præcipuo significato non dicere habens animalitatem, sed animalitatem subsistentem, proindeque concedendum est assumptum cum probatione, quo pacto nec Deus dici debet habens Deitatem; animal nihilominus consequenter dicit habens animalitatem, quo sensu, Deus est habens diuinam naturam; nec subindè colligendum illud incommodum, scilicet tres futuros Deos, nam ad concretorum substantialium multiplicationem, haud sufficit suppositorum multiplicatio, sed multiplicatio quoque formarum requiritur, ut aliàs aduertimus; in diuinis autem proculdubio tria sunt suppositа, una tamen singularis in omnibus natura; quamobrem si fautores contrariæ sententiæ contendunt argumentationis assumptum intelligendum esse eo sensu, ut animal, neque consequenter dicat habens animalitatem, negandum velut à veritate penitus alienum.

Septima difficultas

Sed præcipua difficultas ea est, quia etiam homo dicitur habere animam, atque adeo anima est idem cum homine in ratione habentis; licet enim dicere, idem esse suppositum habens humanitatem & habens animam, & nihilominus in recto nequit anima de homine prædicari; falsa enim hæc est prædicatio, *homo est anima*.

Quòd si dicas animam in humanitate includi, hoc nihil prorsus, nam etiam animalitas in humanitate includitur.

Solutio.

Respondendum, etsi homo dicatur habere animam, nihilominus per casum rectum nomine substantiuo *anima*, non insinuari identitatem in ratione habentis, ut innuitur per casum rectum nomine adiectiuo, scilicet animatus; hinc vera fit prædicatio dicendo, *homo est animatus*, etsi prædicatio vera fieri non possit, dicendo, *homo est anima*.

De concretis, & abstractis terminis quædam adnotantur. Lib. 2. Cap. 4.

Quoniam autem quamplurimę, diuersæque prædicationes ex terminis abstractis, concretisque fiunt, propterea summatim aliqua de his exponere non erit inutile, cùm hæc tamen copiosiùs in Institutionibus dialecticis tradiderimus. Terminorum autem diuisione desumptâ ex vario significandi modo, primò quidem occurrit diuisio termini in concretum, & abstractum. Terminus concretus est, qui significat aliquid ut existens in alio, quod concernit, velut suppositum propriæ naturæ; ut homo; vel ut subiectum, ut album; homo enim significat humanitatem in supposito quoniam naturæ humanæ existentem; album significat albedinem alicui subiecto adiacentem, exempli gratia, lacti, unde dicitur lac album; hinc terminus concretus aliquid significat ad modum compositi, siuè substantialis, ut homo, qui significat habens humanitatem, vel humanitatem in supposito; siue accidentalis, ut album, quòd significat habens albedinem, seu albedinem in subiecto, primò formam secundò subiectum.

Diuisio termini in concretum, & abstractum. Terminus concretus

Terminus abstractus

Terminus abstractus significat aliquid per modum per se stantis, & non alteri inexistentis, siue id sit substantiale, ut humanitas, quæ est abstractum ab homine, tanquam à supposito, & significat humanam naturam, velut à proprio supposito seperatam; siue accidentale, ut albedo, quæ est abstractum ab albo, & significat formam albedinis, velut à subiecto, cui inhæret, seperatam; proindeque terminus abstractus simplicem habet significandi modum; quemadmodum ex aduerso concretum habet modum significandi compositum. Dicitur autem terminus abstractus, à verbo *abstrabo*, quod est *separo*.

Diuisio termini in absolutum, & connotatiuum.

Superiori diuisioni succedit affinis altera, quâ terminus in absolutum, & connotativum diuiditur; consueuit autem pluribus modis explicari, re tamen verâ sic intelligenda, ut terminus absolutus ille dicatur, qui

qui nihil connotat; connotativus autem, qui aliquid connotat, in cuius gratiam opportet aduertere, quid sit connotare, quod certè nil aliud, quàm secundariò, & indirectè aliquid significare. Connotatum siquidem alicuius nominis dicitur, quod non ex vi nominis importatur, sed potius datur intelligi ex modo, quem habet, significandi principale significeatum; ideoque dicitur illud importare non primariò, ac directè, sed secundariò, & indirectè; atque adeo dicitur ingredi conceptum rei, non tanquam pars per se essentialis illius, videlicet per modum generis, vel differentiæ, sed veluti quidpiam, extrinsecùs additum, necessarium tamen ad habendum perfectum, & quietativum, conceptum rei. Ita planè se habet nomen *cœna* quod ex vi sua, directèque solùm commestionem significat, ex modo tamen illam significandi, insinuat tempus vespertinum necessariò cognoscendum, ut intellectus, perfectum, & quietativum de cœna conceptum habeat. Ita etiam *prandium* dicetur terminus connotativus; ex vi enim nominis importatur comestio, at ex modo significandi comestionem, insinuatur tempus meridianum. Omnis igitur terminus ita se habens, dicendus connotativus. At verò terminus qui aliquid significando, nihil aliud insinuat, dicendus absolutus; ut enim ille connotativus dicitur, eòquòd præter suum significatum, aliud etiam notat, adeò ut illud sit primarium, hoc autem secundarium significatum: *sic* absolutus dicetur, eòquòd ab huiusmodi notatione absoluitur. Hæc adnotasse iuvat ut probè constet quid differat inter absolutum & connotativum. Alia addenda pariter essent quædam de varietate prædicationum, breuitati tamen studens omittam, contentus ijs, quæ in Institutionibus dialecticis tradidi.

Connota. quid.

Solùm paucis adnotabo prædicationem à plerisque diuisam fuisse in identicam, disparatam, & mediam. *Identica* porrò ex eorum sententia est prædicatio, in qua idem enunciatur de se ipso; *ut Socrates est Socrates; homo est homo. Disparata*, in qua prædicatum nullam cum subiecto connexionem habet, ut *homo est equus; homo non est lapis*; *Media* demum ea est, in qua extrema connexionem quampiam, non tamen perfectam identitatem habent. At ex aliorum consilio primò distribuenda est prædicatio sic, ut una dicatur *formalis*, altera verò *identica*; Prædicatio formalis illa est, in qua prædicatum dicitur conuenire subiecto per quandam adiacentiam, & inhæsionem, quæ gemina esse perhibetur, nimirùm *essentialis*, & *accidentalis*, atque denominatiua; essentialis quidem est, in qua prædicatum adiacet subiecto quidditatiuè, & essentialiter, ut *homo est animal*; Accidentalis autem in qua prædicatum adiacet subiecto accidentario modo, ut *homo est iustus*; Hæc autem peculiari modo denominatiua dicitur, sumptâ nimirum demonitione ab accidentaria forma; nam alioquin si placet rationem denominatiui ad prædicata quidditatiua transferre, omnis prædicatio denominatiua dicenda erit formalis, & viciſsim. Deinde verò denominatiua prædicatio in duplici perhibetur esse discrimine, cùm una intrinseca, in qua scilicet prædicatum intrinsecùs adiacet, & afficit subiectum, cuiusmodi est illa prædicatio *homo est doctus*, nam doctrina ipsimet homini inhæret: Altera est extrinseca, in qua prædicatum haud inhæret subiecto, sed alteri ita tamen ut ad illud ordinem, & habitudinem habeat, cuiusmodi est prædicatio illa *res est cognita*, nam res denominatur cognita à cognitione existente in intellectu cognoscente, ita tamen ut ad rem ipsam terminetur. Eodem modo se habet hæc prædicatio, *paries est visus*, est enim denominatio desumpta à visione existente non in pariete, sed in oculo vidente, ad parietem tamen ipsum terminata. Prædicatio enim denominationem inuoluit, propterea ut hæc bifariam, sic & prædicatio gemino modo contingit; denominatio enim vel desumitur à forma, quæ intrinsecùs afficit subiectum, diciturque denominatio intrinseca; vel deriuatur à forma, quæ non intrinsecùs est in subiecto denominato, & extrinseca nuncupatur. Ita lac denominatione quidem intrinsecâ denominatur album, eòquod albedo est in ipso; at verò paries extrinsecâ denominatione denominatur visus, propterea quòd huiusmodi denominatio deriuatur à visu, qui non parietem, sed oculum afficit. Prædicatio autem identica illa est, quâ prædicatum enunciatur idem reipsâ esse cum subiecto, non per modum formæ adiacentis. Hæc duplex esse censetur, Prima dicitur identica omninò, in qua videlicet idem prædicatur de se ipso, ut *Socrates est Socrates; homo est homo.* hæc autem prædicatio dicitur identitas prædicationis, estque prædicationum omnium euidentissima, & certissima, Secunda dicitur identica formaliter, quoniam ex vi significationis terminorum, idem significat unus, ac alter. Alia non est penitus identica, ut quando duo, quamuis proprijs rationibus formalibus diuersa sint, realiter tamen identificantur, quâ ratione possunt inuicem prædicari. Sed hæc in sequentibus cumulatùs nostrâ contemplatione persequemur, cursim enim huc usque locuti sumus.

Idnotat. rædica. Iden. ca, di. parata, & edia.

Prædica. o deno. inatiua.

Denomi. atiua. rædica. duplex

SECTIO DECIMASECVNDA.

An concreta de alijs concretis, & de abstractis possint prædicari.

ABstractum, ab abstractione dicitur; ut igitur abstractum probè cognoscatur, oportet abstractionem expendere; sed non unus abstractionis modus; alia siquidem est abstractio realis; alia autem rationis. Abstractio realis contingit, cum unum ab alio reipsâ separatur, ut anima rationalis à corpore; utrumque autem eorum, quæ separantur, debent separatim existere, ut sit propriâ abstractio de qua loquimur.

Abstracti vnde dicatur. Abstractio multiplex Abstractio realis.

Abstractio rationis, seu intentionalis, intellectualis, spiritualis est, quâ aliquid per intellectum separatur ab alio, cui tamen reuerâ coniunctum est. Hæc autem rationis abstractio rectè dicitur. *Consideratio unius sine consideratione alterius, vel eorum, quæ sunt rei coniuncta*; cuiusmodi est illa, quæ contingit, quando intellectus considerat albedinem lactis, non considerando dulcedinem. Hæc autem duplex est, videlicet negatiua, & præcisiua. *Abstractio* rationis negatiua, seu diuisiua, quæ etiam, etsi admodum impropriè, ab aliquibus composita dici solet, *est illa, quâ in enunciatione unum negatur de alio, siue verè, siue falsò. Abstractio rationis præcisiua simplex, seu simplicitatis & definitiua est, quæ fit per simplicem apprehensionem unius sine consideratione alterius*; itaque diuisiua per negationem, at præcisiua sine negatione efficitur; de qua Philosophus, ut aliàs aduerti, dicebat. Οὐδὲ γίνεται ψεύδος χωρίζοντας. *Neque fit mendacium abstrahentium.* Multiplex autem hæc perhibetur, *physica* est quam facit intellectus à materia sensibili singulari tantùm, *mathematica* est à materia sensibili singulari, & communi, non re sed ratione, Mathematicus enim quantitatem contemplatur, non considerando materiam, cui inest; *metaphysica* est ab omni materia re, & ratione, competitque Deo, & Intelligentijs atque enti, quatenus enti.

Abstractio rationis diuisiua. Abstractio rationis præcisiua. 2. Phys. ter. 18. Abstractio præcisiua multiplex Abstractio præcisiua Physica. Mathematica. Metaphysica.

Habitualis fit per species impressas, & ut aiunt, habitua-

Habitualis

Actualis. bitualiter inhærentes. *Actualis* fit per exercitum actum intellectûs: Alia etiam diuisio abstractionis tradi solet, nimirum in eam, quæ per intellectum possibilem, & alteram quę per intellectum agentem fit. Per intellectum possibilem dicunt esse illam, quâ intellectus de quo fit sermo, potest intelligere unum, alio non intellecto, adeo ut ante illustrationem intellectûs agentis, intelligat singulare cognitum obiectiuè in imaginatione, non intelligendo uniuersale. At, quæ fit per intellectum agentem, ex horum sententia, sic explicari debet. Postquam species intentionalis traducta est ex ordine sensibili ad ordinem intelligibilem, intellectus agens abstrahendo intentionem uniuersalis à phantasmate, facit ipsum intelligibile in actu, & hunc in modum intellectus agens abstrahit uniuersale, & intellectus possibilis intelligit ipsum. Et quoniam instar artis illam, veluti formam arte factam à phantasmate præcedente educit, *Factiua* abstractio, ut superior altera, *Cognitiua*, dici consueuit. Hæc tamen doctrina, non exiguis difficultatibus scatet. Amplius abstractio etiam datur *Vniuersalis ab inferiori*, seu non identitatis, seu non conuenientiæ, quâ scilicet gradus superior ab inferiori, cum quo non conuenit, nec idem conceptu est, mente quidem abstrahitur. A *Fundamento*, ut à potentia generandi, quæ est fundamentum paternitatis, abstrahitur paternitas.

Alia abstractionis diuisio.

A *subiecto*: ut cum intellectus, accidentia, sine consideratione subiecti percipit. Ab *æquali*, ut cum albedo abstrahitur à dulcedine in lacte, & ratio boni, à ratione veri. Hæc abstractio solet à quibusdam, formalis appellari.

Abstractio *ultimata*, est per quam aliquid consideratur, ut præcisum ab omni eo, quod est, quomodocunque extra formalem rationem eius; ita ut non supersit alius abstractionis locus, sed purè exprimatur rei natura, ut *albedeneitas*. Non ultimata, oppositò modo se habet, itaut adhuc abstractioni locus supersit; ut cum dicitur *albedo*, abstractio facta est à solo subiecto, & remanet alia abstractio, hoc est, ab hac, & illa albedine. Declarata abstractione, eiusque multiplici acceptione, superest abstractum considerandum; in cuius gratiam præmittendum, quid sit concretum.

Abstractio ultimata.

Concretum quid. Hoc autem si sumatur prout in voce consistit, nil aliud quàm vox, quæ rem significat per modum adiacentis alteri; ut vox *album* significat albedinem per modum adiacentis alicui; *album* enim idem est ac albedo, ut alteri adiacens; quanuis nonnulli dicant concretum significare etiam posse rem per modum habentis aliud, adeout album significet aliquid per modum habentis albedinem, ac proinde idem sit album, ac habens albedinem. Eodem modo si sumatur concretum prout consistit in mentis conceptu, est nil aliud, quàm actus intellectûs cui subrogari potest concretum, prout in voce positum est. Si autem concretum sumatur pro re, non autem pro voce, vel pro mentis conceptu; nil aliud, quàm res ipsa, prout per vocem iam explicatam, vel per conceptum nuper declaratum, significata.

Abstractum quid. Abstractum sumptum pro voce, est vox significans rem non per modum adiacentis alteri, sed potius per modum per se stantis; ut vox *albedo*, quæ significat albedinem secundum se absque ordine ad aliud, cui adiaceat; sumptum autem prout consistit in mentis conceptu, est actus intellectus, cuius vicem gerit abstractum nuper explicatum, prout consistit in voce. At sumptum abstractum prout in re; est res ipsâ quatenus significata per vocem iam declaratam, & secundum se inspecta absque adiacentia ad aliud, & repræsentata per actum intellectûs iam explicatum.

Duplex concretum. Duplex autem concretum, quemadmodum duplex etiam abstractum à Philosophis recognosci solet; vnum substantiuum, alterum adiectiuum, quod accidentale dici consueuit. *Concretum substantiuum* est quod significat formam, quæ in concreto tantummodo de aliquo potest *in quid* prædicari. Vt *homo; animal; iustitia* &c. hæc enim prædicatione directâ naturali, & verâ nequeunt de aliquo prædicari, nisi *in quid*; enimverò si interrogetur quid sit Socrates, optimè respondebitur est homo, est animal; & si interrogetur, quid sit hæc virtus, designando illam quæ tribuit cuique suum, rectè dicetur iustitia. At concretum adiectiuum est illud, quod significat formam, quæ in concreto de alio prædicari tantummodo potest *in quale*. *Vt rationale, risibile, iustum* &c. si nanque interrogetur qualis sit Socrates, rectè dicetur est rationalis, est risibilis, est iustus &c. Concreta accidentalia autem dicuntur, non quia significent accidens, alioquin rationale exempgratia, non esset tale concretum, sed quia significantur nomine adiectiuo, & prædicantur per modum adiacentium.

Concretum substantiuum. Concretum adiectiuum.

Abstractum substantiuum est ipsamet rei essentia; ut abstractum substantiuum homini respondens, est humanitas; animali, est animalitas; albedini, est albedeneitas. Abstractum autem adiectiuum, est ipsa forma secundum se sumpta; ut abstractum adiectiuum respondens iusto, est iustitia, respondens albo, est albedo. Aduertendum porrò abstracta adiectiua, esse concreta substantiua, quia de alijs prædicari possunt *in quid*; ut iustitia, quæ est abstractum iusti, potest de hac, & illa iustitia *in quid*, prædicari; quærenti enim quid sit hic habitus designando illum, qui tribuit unicuique suum, respondetur optimè iustitiam esse; sic albedo est, ob eandem causam, concretum substantiuum.

Abstractum substantiuum. Abstractum adiectiuum.

Duo autem hic discutienda proponuntur, quorum primum. An concreta de alijs concretis prædicari possint; siue concreta sint substantialia, siue accidentalia, nam de utroque concretorum genere potest esse difficultas. Secundum an concreta de abstractis possint enunciari.

Duo discutienda proponuntur.

Dicendum primò concreta utriusque generis posse inuicem affirmatiuè prædicari, dummodo tamen inter se quandam identitatis habitudinem habeant.

Assertio docens dari prædicationem in re concreta, &c.

Iuxta igitur hunc dicendi modum, optimè quidem instituitur prædicatio concreti de concreto, dicendo, *homo est animal, est rationalis;* Sic etiam *homo est albus.* Eodem itidem modo hę verę sunt prędicationes *animal est rationale; album est dulce*, non solùm identicè propter habitudinem ad tertium, sed etiam formaliter, ut mox intelliges.

Assertionis explicatio.

Ratio autem potissima ea videtur, quia prædicatio affirmatiua eatenus vera est, quatenus extrema sunt idem quodammodo inter se; est enim extremorum identitas, causa, cur affirmatiua propositio sit vera; non enim in ipsa propositione accipiuntur termini tanquam abstrahentes ab identitate; at verò concreta ex modo consignificandi, quem habent, identitatis habitudinem inuoluunt, quatenus suppositа concernunt; per ipsos igitur terminos vera fit affirmatiua prædicatio. Assumptionis veritas ex præmissa explicatione constat, quoniam hæc vera est prædicatio, *homo est animal, est rationalis*, quoniam animal, & rationale de homine, ut habente, & includente illa essentialiter dicuntur; ab huiusmodi autem habitudine, & inclusione tàm actiua, quàm passiua commemorati termini minime abstrahunt, ob id in ijs vera instituitur prædicatio. Nec absimili ratione hæc etiam vera est prædicatio *homo est albus*; enimverò homo cum albe-

Ratione suadetur.

dine

dine facit unum quidpiam, licet accidentarium, ac proinde in eo datur identitatis habitudo unius extremi ad aliud, & inclusio vnius in alio, itavt ratione hujusmodi habitudinis, & inclusionis affirmatiua prædicatio credatur vera. Sic etiam hæ veræ sunt propositiones, *animal est rationale*; *album est dulce*, non solùm identicè propter habitudinem ad tertium, in quo vel essentialiter, & realiter, ut animal, & rationale in homine; vel accidentaliter, ut album, & dulce in lacte, tanquam in subiecto uniuntur; sed etiam formaliter, quoniam omnis prædicatio identica est etiam formalis sensu tamen infra explicando. Idcirco quando dicitur, *album est dulce*, redditur sensus, id, quod habet albedinem, habet etiam dulcedinem; ratione igitur subiecti communis, duæ accidentariæ formæ possunt in concreto inuicem affirmatiuè prædicari; sic enim habitudinem ad tertium, in quo accidentaliter uniuntur, important, quo pacto habetur identitas in tertio, tanquam in subiecto, quæ est ratio, à qua prædicatio affirmatiua habet, ut vera sit. Hinc Theologi in Christo Domino duas naturas inuicem in concreto prędicari affirmant, cum dicitur, *Deus est homo*; *homo est Deus*; quia nimirum naturæ in concreto acceptę, suppositi quidem identitatem concernunt, & hęc de affirmatiua prędicatione. Sed prędicatio negatiua contrario modo se habet, quandoquidem ut concreta verè per negationem possint inuicem prędicari, requiritur ut nullam habeant inuicem identitatis habitudinem; etsi aliquam habent, & aliquam non habent, ut recta, & vera prædicatio fiat, explicanda est vnitatis negatio, in qua negatiua prædicatio fundatur, & unde habet, ut ipsa vera sit; ita quidem si Socrates habeat albedinem, ac ob id cum albedine identitatem inclusionis obtineat, quantumuis essentialiter discriminentur, vt recta, & vera fiat prædicatio, non est absolutè dicendum, *Socrates non est albus*; Sed *Socrates non est essentialiter albus*, hoc enim modo explicatur vnitatis, seu identitatis negatio, in qua negatiua prædicatio fundatur; non esse siquidem album, non est huiusmodi prędicationis fundamentum, sed non esse essentialiter album, ex hac enim negatione prędicatio de qua loquimur, habet ut vera sit. Quid autem requirat, unius concreti de alio concreto prędicatio, ut probè dici possit instituta, veraque sit, alibi explicuimus asserentes, concretum debere se habere tanquam totum quoddam, quoad significationis, & prędicationis modum.

Omnis prędicatio identica est etiam formalis quomodo intelligendum infra explicabitur

Secundo loco propositum hic suscipitur discutiendum.

Maior autem est difficultas in eo, quod secundo loco propositum à nobis fuit, nimirum an concreta possint de abstractis prædicari.

Assertio, quòd nullum concretum possit de suo abstracto formaliter prædicari.

Dicendum nullum concretum posse formaliter de proprio abstracto prædicari. Hoc autem intelligendum de prædicatione formali, quod per illam dictionem *formaliter* fuit significatum; alioquin si sermo fiat de prędicatione identica, optimè potest oppositum admitti. Itaque sequentes prędicationes, *humanitas est homo*; *iustitia est iusta*; *fortitudo est fortis*, in sensu formali concedi minimè debent.

Explicat assertionem.

Hęc assertio satis euidens ex eo redditur, quia abstractum reuerâ significat formam per modum per se stantis, & ut ratio constituendi, proindeque se habet ut *quo*. Concretum autem significat formam per modum adiacentis, nam primariò significat formam, sed ex modo illam significandi, insinuat subiectum, quod propterea secundariò illa dicitur significare; idcirco se habet vt constitutum, & ut *Quod*; ob id concretum nequit de abstracto proprio prędicari, cęteroquin ratio constituens, idem esset, quod constitutum, & ut aiunt, *quo* mutaretur in *quod*.

Ratione redditur.

Difficultas.

Dices. Ex nostra sententia, veritas non est quidpiam à cognitione distinctum, quin potius est quidam transcendentalis respectus, ut supra docuimus, in essentia cognitionis imbibitus, ac proinde *veritas* erit abstractum; & *verum* erit concretum, & nihilominus verum de veritate prędicatur, siquidem dici solet, *cognitio est vera*, hoc est, *veritas est vera*.

Sternitur via ad propositę difficultatis solutionem.

Hanc difficultatem supra tetigimus, sed eius enodationem ad hunc locum distulimus; vt autem ei satisfiat, reuocandum ad memoriam eandem esse difficultatem de his alijs prædicationibus, puta *Deitas est Deus*; *entitas est ens*; *existentia est existens*; *quantitas est quanta*; *linea est longa*; *superficies est lata*. Quo igitur modo his difficultatibus, eodem etiam & superiori est occurrendum.

Cuiusdam solutio.

Fit autem satis à Neoterico non obscuri nominis, respondendo priorem illam prædicationem, quâ dicitur, *Deitas est Deus* non esse formalem, quasi reddatur sensus, quòd *Deitas sit habens Deum* sed identicam, adeo ut perinde sit, ac si diceretur *Deitas*, *& Deus re ipsâ sunt vnum, & idem*, seu *sunt una & eadem res*, & hoc ratione formalis infinitatis, quam habent. Sed hâc admissâ responsione, sequeretur etiam concedendam hanc prædicationem, *humanitas est homo*; cùm reipsâ humanitas, & homo, sit vnum, & idem, seu sit eadem res; ut igitur hæc non est admittenda, *humanitas est homo*, ita nec ista, *Deitas est Deus*; idem enim incommodum sequitur, nempe constituentem rationem, & constitutum idem esse. Neque infinitatem video, quid hac in re valere possit, nisi quòd ad perfectam identitatem extremorum conducit, sensu paulo infra explicando. Rectiùs igitur dicetur hanc prædicationem, *Deitas est Deus*, non esse admittendam nisi in sensu identico, iuxta quem hæc admittenda & altera, *humanitas est homo*. Secundam prædicationem *entitas est ens*, & tertiam, *existentia est existens*, idem Auctor respondet seuerè loquendo falsas esse in sensu formali, quoniam sunt *quo*, non *quod* ut ipse loquitur; admitti tamen ait vel ex usu loquendi, vel quia τὸ *ens* & τὸ *existens*, non significat illorum abstractorum concreta, sed aliquid à nihilo distinctum, & faciunt ferè prædicationem identicam, nempe *entitas est aliquid*, *seu entitas est entitas*. Eodem tamen modo de his duabus prædicationibus, ac de superioribus ratiocinandum; in his enim omnibus intercedit rationis distinctio, quæ quidem exercetur inter extrema, prout stant sub conceptibus mentis; quando siquidem intellectus concipit humanitatem, hanc tanquam rationem constitutiuam, & hominem, tanquam constitutum apprehendit: non dissimiliter, quando apprehendit Deitatem, concipit illam tanquam rationem constituentem Deum, at verò Deum, tanquam constitutum; hoc autem officit prædicationi formali; quia redditur sensus, id quod stat sub conceptu mentis per modum constituentis, stat etiam per modum constituti, quod falsum est; hoc idem de alijs duabus prædicationibus, *entitas est ens*; *existentia est existens*, dicendum est, quod ex huiusque disputatis, cuique potest esse perspectum.

Reijcitur.

Quartam prædicationem, *quantitas est quanta*, & quintam, *linea est longa*, idem Auctor docet si τὸ *quanta* & τὸ *longa* propriè sumantur, tanquam vera concreta falsas esse, sed veras, quatenus extensionem quandam significant; cum valeat dicere, *quantitas est extensa*; *linea est extensa*. Vel secundò putat satisfieri respondendo hoc esse quantitati peculiare, cùm non solùm habeat, vt sit alterius mensura, & sit *Quo*, sed etiam ut sit per aliam mensurabilis, quâ ratione potest esse *Quod*, atque concreti denominationem suscipere. Hæc tamen interpretatio difficultatisque solutio eo nomine peccat, quòd non reddit rationem, cur quan-

Digitized by Google

titas hoc peculiare sibi possit vendicare, nimirum, ut possit concretum de abstracto prædicari; gratis enim id dictum videtur. Quamobrem satius erit difficultati occurrere respondendo quantitatem dici quantam & linem longam, non secus ac humanitas dicitur homo, quia nimirum fit prędicatio in sensu identico, cùm alioquin in sensu formali sit falsa, ob eam, quam proximè rationem attulimus; nam reuerâ linea, ut posteriori exemplo, & instantiâ utar, dicitur *Γραμμὴ δὲ μῆκος ἀπλατὲς, Linea verò, longitudo latitudinis expers.* Quis autem non intelligit eius naturam in extensione consistere, quid enim longitudo? profectò nil aliud quàm extensio, & nihilominus eam dicimus extensam esse; de duabus enim lineis æqualibus, dicimus unam non esse plus extensam, quàm alteram; & quamuis sit longitudo, dicimus unam non esse plus longam, quam alteram, seu dicimus esse equè longas; cùm igitur linea est longitudo, dicaturq; longa, sequitur concretum de suo abstracto prædicari; nam longum comparatione longitudinis, concretum est; vt longitudo, abstractum. Huic igitur difficultati non secus ac superioribus occurrendum, respondendo nimirum tales prædicationes iuxta sensum identicum, non autem formalem admittendas esse.

Soluitur initio proposita difficultas de veritate &c.

Nec alia erit enodationis ratio initio propositæ difficultatis de veritate, & cognitione vera; quandoquidem verum se habet tanquam concretum, cuius abstractum est veritas, ab hac enim dicitur verum, solùmque differunt, eò quòd veritas per modum per se stantis, & ut ratio constituens; verum autem per modum adiacentis, & ut constitutum concipitur; mentis igitur operatione discriminantur, ità ut eorum discrimen formali prædicationi obsit, adeo ut hæc minimè possit subsistere, quanuis identicæ non officiat; quid autem formalis prædicatio requirat, alibi fuit explicatum, & iterum paulò post hac eadem de re verba redibunt. Cæterum prædicationes illæ, *humanitas est homo*; *Deitas est Deus*, quanuis iuxta sensum formalem admitti nequeant; non subinde licet inferre concretum reddi tale per rationem quandam à se reipsâ distinctam; tametsi igitur concedi non debeat in sensu formali hæc prædicatio, *cognitio est vera*, non propterea licebit existimare veritatem esse quandam accidentariam formam cognitioni superadditam. De huiusmodi autem concretis hactenus.

Alia quædam concreta expenduntur.

Supereſt nunc explicandum, quid statuendum de alijs quibusdam concretis, de quibus fortè non eodem modo, ac de superioribus ratiocinandum. Huiusmodi porrò sunt *ens* respectu humanitatis, *animal* comparatione eiusdem; idcirco vertitur in dubium, num rectè dici possit *humanitas est ens*, *est animal*; eademque est quoque dubitatio de his alijs prædicationibus *humanitas est rationalis*; *est risibilis*, *est iusta*, *est alba*, *albedo est colorata*, & apud Theologos controversum est etiam, num hæ sint prædicationes concedendæ *Deitas est bona*, *est sapiens*, *est paternitas &c.*

Quorundã opinio.

Placet quibusdam hic adhibendam esse duplicis abstractionis ultimatę scilicet, & non ultimatę partitionem, de qua non multo ante disputatum fuit. Sed quoniam in sequentibus futura est commemoratio geninæ prædicationis, nimirum identicæ, & formalis; ob id opportunum erit de his pauca quædam subijcere.

In dicendorum igitur gratiam, quædam sunt alia præmittenda; & quoniam de prædicatione futurus est sermo, iuvabit in memoriam redigere, quid, & quotuplex sit prædicatio, quæ etiam attributio dici solet; est autem *Prædicatio, nil aliud, quàm affirmatio, vel negatio alicuius de aliquo*; Prædicatio dicitur, eo quòd unum de priori, nempe subiecto dicitur; attributio verò, quoniam per prędicationem affirmationem, unum alteri attribuitur, à verbo, quod græcè dicitur κατηγορεῖν *accuso*: cùm enim accusamus, aliquid alicui attribuimus.

Prædicatio quid.

Multiplex est prædicatio, ut superiori Sectione notauimus, alia siquidem *disparata*, & alia *non disparata*. Disparata dicitur illa, quæ est inter ea, quæ nec sunt opposita, neque conuenientia, ut cum dicitur *Socrates non est lapis*. Non disparata est, quæ exercetur inter non disparata, ut *homo est animal*. Ex non disparatis, alia est *identica*, & alia *non identica*, *siue formalis*.

Prædicatio multiplex. Disparata, & non disparata.

Identica prædicatio communiter dici solet illa, quâ idem de se ipso prædicatur, ut cum dicitur *homo est homo*; *Socrates est Socrates*. Aliquibus hæc explicatio parum arridet, eò quòd, inquiunt, quanuis omnis talis prædicatio dicenda sit identica, datur tamen quædam alia, quæ talis non est, cum tamen identica dici debeat, ut *misericordia diuina est iustitia diuina*; non enim formalis est, alioquin foret vera formaliter, cùm tamen non nisi identicè vera sit. Amplius hæc est identica prædicatio *album est dulce* quanuis huiusmodi prædicatione haud prædicetur idem de se ipso. Aliquibus idcirco placuit identicam prædicationem eam esse dicendam, quâ vel idem prædicatur de se ipso; vel quâ aliquid prædicatur de alio, quod non se habet comparatione illius, tanquam forma, siue essentialis, siue accidentalis, ob id identicam hanc existimant prædicationem, *album est dulce*, quia dulcedo verè de albo prædicatur, propterea quòd verè cum ipso coniungitur, & ut coniuncta concipitur; non tamen se habet tanquam forma comparatione dulcedinis, sed subiecti dulcedine affecti. Quòd si quispiam operæ pretium existimet disiunctiuam hanc descriptionem negligere, & loco illius absolutam subrogare, sic descriptionem ei contexere licebit. *Prædicatio identica est illa, qua aliquid prædicatur de aliquo eâ lege, ut prædicatum non includatur in subiecto tanquam forma eiusdem.* Hoc nanque modo comprehenditur etiam & illa, quâ idem prædicatur de se ipso; non enim in huiusmodi prædicatione, prædicatum se habet tanquam forma subiecti, cum nihil sui ipsius forma esse possit.

Prædicatio identica quæ.

At ex opinione quorundam, datur prædicatio identicè identica, quam duplicem esse dicunt, nimirum in creatis, & in diuinis. Prędicatio identica in creatis apud ipsos est, quando aliqua duo sunt idem inter se propter identitatem, quam habent in tertio, ut genus, & differentia, quæ dicuntur idem inter se propter identitatem, quam habent in specie, ut animal, & rationale in homine; hanc semper formalem esse affirmant, eò quòd prædicatum informat subiectum, rationalitas enim informat animal; excipienda tamen est prędicatio identica, qua idem prædicatur de se ipso, hæc enim formalis esse non potest.

Prædicatio identica creatis.

Hæc prædicatio multifariam ex aliquorum opinione contingit.

Prędicationem hanc multifariam contingere arbitrantur. Aut nimirum in prędicatis primi modi, cuiusmodi sunt animal, & rationale, quę habent identitatem identicam. Aut in prędicatis secundi modi, ut sunt bonitas, & veritas, quę idem sunt propter identitatem eorum ad tertium, nempe subiectum, quod est ens, cui sunt idem; quo pacto *bonum*, & *verum* identica esse dicuntur identicè. Aut in prędicatis per accidens, ut *album*, & *dulce* quę sunt idem propter identitatem eorum ad subiectum, scilicet ad lac, & habent identitatem identicam. Huius porrò duos identitatis esse gradus contendunt, ex eo quia extrema identitatis, aut habent identitatem solùm ad tertium, & tunc illa identitas vocatur solùm identica: aut consideratur identitas, quam inter se habent extrema, quęque est propter identitatem, quam habent cum tertio,

&

& vocatur identicè identica, unde est, ut huiusmodi prædicatio, scilicet identicè identica, aliam præsupponat.

rædica- identi- identi- in diui- a

At prædicatio identicè identica in diuinis semper fit per substantiua nomina abstracta, nulloque modo formalis est, ut illa, quæ est in rebus creatis, & hæc plures gradus habet; Primus quorum est, quando utrumque extremum est formaliter, & positiuè infinitum, ut *essentia diuina est bonitas; essentia diuina est iustitia*. Secundus gradus est, quando alterum tantùm extremorum est formaliter infinitum, ut *essentia diuina est filiatio* (supponunt enim diuinas relationes perfectionem non importare.) Tertius gradus est, quando alterum extremorum est infinitum permissiuè, vt *humanitas est entitas*, hæc enim infinita est permissiuè.

rædica- forma quid,

Prædicatio formalis, quæ etiam denominatiua dici solet, *illa est, quâ aliquid prædicatur tanquam forma*, ut cum dicimus, *Socrates est homo*; *homo est animal*; *paries est albus*. Tunc autem prædicatur aliquid tanquam forma, quando prædicatur tanquam prædicatum essentiale, aut accidentale. Hoc est, per se primò competens alicui, vel per modum proprietatis, aut accidentis in illo recepti, siuè nullo intermedio, ut cum dicitur, *Substantia est quanta*, siue intermedio aliquo, nimirum eo, quod in illo eodem recipitur, ut cum dicitur, *substantia est alba*; siuè etiam se habeat per modum extrinsecùs denominantis, cuiusmodi est hæc prædicatio, *paries est cognitus, siue visus*; denominatio enim cogniti, seu visi, extrinseca quidem est utpotè desumpta à cognitione, seu visione intrinsecùs non afficiente parietem. Hæc autem formalis prædicatio partitionem subit in eam, quæ dicitur directa, & alteram, quæ indirecta nuncupatur, de quibus in Institutionibus nos quoque verba fecimus.

ædica- dire- & in ecta,

Directa quâ dicenda superius prædicatur de inferiori, ut *homo est animal*, animal enim est superius ad hominem; aut æquale de æquali, ut *homo est rationalis*. Indirecta quando inferius prædicatur de suo superiori, ut *animal est homo*; *coloratum est album*, album enim est inferius ad coloratum.

ædica- essen- is, & denta

Rursus directa prædicatio diuiditur in essentialem, & accidentalem. Essentialis est, quando prædicatum ad intrinsecam subiecti rationem pertinet, ut *homo est animal*. Accidentalis, quando prædicatum accidentaliter subiecto conuenit, *ut homo est albus*. Hic obiter adnotabo, à quibusdam prædicationem hanc, *homo est risibilis* essentialem existimari, ab alijs autem accidentariam; hoc tamen pendet ex acceptione nominis, *accidentaria*. Si per illud enim intelligatur prædicatio, quâ quod intrinsecùs ingreditur subiecti naturam, de ipso prædicatur; certè commemorata prædicatio non erit essentialis; si autem intelligatur prædicatio quâ quòd prædicatur ingreditur naturam subiecti, aut illam necessariò comittatur, utique essentialis erit. Priorem explicandi modum amplexi sunt illi, quibus visum est aliquid interesse discriminis inter prædicatum essentiale, & id quod est de essentia, nam illud esse dicunt, quod essentiam tantùm consequitur: hoc autem, quod essentiam ipsam ingreditur, atque constituit.

ædica- n & in

Deinde alia est prædicatio *in quid*, & alia *in quale*, Prædicatio in quid est per modum per se stantis. Prædicatio in quale est per modum adiacentis.

dica- exer- & in figna

Amplius alia est prædicatio *in actu exercito*, & alia *in actu signato*. Prædicatio in actu exercito contingit, quando inter prædicatum, & subiectum intercedit particula *est*, seu est prædicatio, quæ exercetur per verbum *est* siuè implicitè, siuè explicitè, ut *Socrates est doctus*. *Socrates disputat*; id est *Socrates est disputans*. Prædicatio *signata*, seu in actu signato est, quando inter prædicatum & subiectum aliqua secunda intercedit intentio; quâ indicatur prædicatum de subiecto dici, ut *Albedo est prædicatum respectu parietis albi*, redditur enim sensus, albedo prædicatur de pariete; Appellatur autem *signata*, quoniam ostendit, & veluti signat, quod actu est in exereita prædicatione; dicendo enim *albedo est prædicatum parietis*, signatur, seu denotatur quòd albedo verè sit in pariete, siue quòd paries reipsâ sit albus.

De prædicationibus autem, tam de primis, quàm de secundis intentionibus acturi, quatuor summâ, qua fieri poterit, breuitate tractabimus, nempe prædicationem concreti de concreto, *ut homo est animal*; concreti de abstracto, ut *humanitas est animal*; abstracti de concreto, ut *homo est animalitas*; abstracti de abstracto, ut *humanitas est animalitas*.

Sed eo redeat unde huc fluxit oratio. Vtraque prædicatio nempè *identica*, & *formalis* spectari potest, tam prout in creatis, quàm prout in diuinis reperitur. Prædicatio Identica in diuinis tunc esse censetur, quando extremorum alterum est formaliter infinitum, vel ambo & extrema sunt infinita formaliter; semper autem propositiones in quibus huiusmodi prædicationes fiunt, verę sunt; *ut pater est Deitas, Deus est Sapientia; essentia est paternitas*; hę namque verę sunt propter infinitatem subiecti, ut paulo infra demonstrabitur; omnis autem prædicatio facta per ultimatè abstracta, si vera est, utique talis per identitatem. Prædicatio autem formalis, seu denominatiua contingit, quandocumque prædicatur aliquod concretum vel adiectivum de subiecto formaliter, & omne tale prædicari dicitur formaliter, atque denominatiuè. Non est autem eadem utriusque prædicationis ratio, quanuis utraque vera sit, nam hæc vera est *Deitas est pater, Filius est Spiritus Sanctus*, sed per identitatem tantummodo, quoniam huiusmodi predicatio est identica, sed hæc *Deus est pater, Filius & Spiritus Sanctus*, vera est & identicè, & formaliter, his autem præmissis.

Prædicatio identica in diuinis.

Dicendum primò de his, quę non sunt ultimatè abstracta posse prædicari concreta, quorum significata formalia in illis abstractis subiectantur, includuntur, & connectuntur, dummodo ex vi significandi non concernunt subiecta, à quibus abstracta illa præscindunt. Assertio prima.

Hâc præcipuâ ratione ducti plerique Philosophorum assertionem hanc amplexi sunt, quoniam causa, ratione cuius aliqua prædicatio, ac propositio affirmatiua sit vera, est identitas, seu connexio extremorum ex rei natura; Cum igitur ut ultimatè abstracta, reipsâ possint aliorum accidentium esse subiecta, & illa quidem includere, vel cum illis connecti, à quibus per abstractionem factam præcisa non sunt, poterunt etiam in propositionibus pro subiectis inseruire, adeo ut hæ propositiones tanquam veræ sint admittendæ, *albedo est color, & similis; quantitas est æqualis*, propterea quòd color & similitudo sunt in albedine etiam ut à subiecto præcisa, quemadmodum æqualitas in quantitate. Ex aduerso autem hæc falsa est, *albedo est quanta*, quanuis ex usu loquendi admitti soleat. Rationem reddunt in eo quidem positam, quia denominatio quanti proficiscitur à quantitate, quatenus hæc subiectum est albedinis, eiusque radix est connexio inter quantitatem, & albedinem (hæc porrò intelligenda sunt iuxta vulgatam de coloribus, & quantitate doctrinam: aptari tamen commode possunt decretis eorum, qui tutiorem philosophandi viam sequuntur) sed albedo non dicit huiusmodi connexionem, quin potius ab ipsa connexione abstrahit, cùm sit abstractum quidpiam à subiecto; ob id illa propositio Ratione suadetur assertio.

Digitized by Google

ſeuerè loquendò, vera non eſt; quemadmodum nec iſtæ *albedo eſt colorata*; *ambulatio mouetur*, quanuis veræ ſint hæ aliæ, *albedo eſt color; ambulatio eſt motus*. Cauſam reddunt, quia *coloratum*, & *moueri* dicunt habitudinem ad ſubiectum, quod connotant: ergo nequeunt verè prædicari de ijs, quæ à ſubiecto abſtrahunt; non ſic autem ſe habet color, & motus.

Adnotatio. Proximè hucuſque tradita, minimè ſpernenda videntur; ſolùm adnotandum exempla quidem adhibita, intelligi debere iuxta vulgarem de coloribus quantitate quam ſententiam; cùm cæteroquin albedo non ſit accidentaria forma recepta in quantitate, à qua denominetur quanta, ut alibi monuimus. Fit enim albedo ex luminis reflexione, ut ſuo loco me demonſtraturum polliceor, quòd autem quanta dicatur à quantitate, nihil eſt, non enim ideo quanta eſt albedo, vel quiuis alius color, eò quòd in quantitate, tanquam accidentaria forma velut in ſubiecto recipiatur; ſed quoniam reflexionis expanſio eſt pro magnitudine corporis reflectentis &c. exempla tamen ſunt præſertim vſurpanda ad explicationem doctrinæ, proindeque non eſt in ipſis requirenda veritas, niſi quando de ipſis doctrina intelligitur tradita.

Secunda aſſertio. Dicendum ſecundò de ultimatè abſtractis ſolùm illa concreta poſſe formaliter prædicari, quæ in primo modo dicendi per ſe conueniunt ijs, de quibus prædicantur; idcirco concreta adiectiua, quia ſolùm formaliter ſuapte naturâ poſtulant prædicari, ſi non ſunt in primo modo, haud verè prædicantur: at ſubſtantiua concreta, quoniam identicè quoque prædicari poſſunt, quantumuis in primo modo non conueniant &c. ſi interceſſerit infinitas, ſaltem ex parte unius extremi, prædicationem, atque propoſitionem veram identicè conficiunt.

Ratione ſuadetur. In hanc ſententiam abierunt, eò quòd abſtractum ultimatâ abſtractione conceptum præciſum dicit, à quouis exiſtente extra rei quidditatem; & ipſa quidditas ſic abſtractè concepta, nullam habitudinem ad id, quicquid illud ſit, quod eſt poſterius, & extra eiuſdem formalem rationem, inuoluit, quandoquidem huiuſmodi abſtractum, hoc includit ſyncategorema *per ſe primò*; Ad hoc propterea reſpiciens Auicennas dicebat *equinitas, eſt tantùm equinitas*, vbi dictio *tantùm*, non excludit niſi prædicata, quæ non ſunt de ratione formali equinitatis; quamobrem ſi quidditas, & huiuſmodi abſtractum ſimpliciter dicit eſſe præciſum à quolibet extrinſeco, & ab habitudine, quæ eſt cauſa, cur propoſitio ſit vera; conſequens fit, ut etſi multa ſint prædicata, quæ illi naturæ conueniant, nihilominus de ipſa ſimpliciter inſpecta, verè nequeant enunciari, cum propoſitionis veritas, non modo pendeat ab eſſentia rei per terminos denotata, ſed à modis quoque ſignificandis; ut cuique poteſt exploratum eſſe quaſdam propoſitiones obſeruando, nempe *homo eſt iuſtus*, *homo eſt iuſtitia*, prior enim vera eſt; ſecunda non item: hoc autem non aliunde, quàm ex eo quia iuſtitia in ſuo conceptu non inuoluit habitudinem ad ſubiectum, quanuis *iuſtum*, & *iuſtitia*, idem formaliter, ut aliàs notauimus, ſignificent; hôc enim tantummodo differunt, quòd iuſtitia ſignificat formam per modum per ſe ſtantis: iuſtum verò per modum adiacentis: ita vt diſcrimen omne ex parte modi ſignificandi petendum ſit, cum cæteroquin in re formaliter ſignificatâ conueniant. Cum itaque (ſic enim huius aſſertionis fautores ratiocinantur) adiectiua dumtaxat prædicari formaliter poſſint, ex eo quia ſignificatio ipſorum eſt per modum adiacentis, quidditas autem, ut vltimatè abſtracta, non includat adiectiui ſignificatum, quod non eſt in primo modo, numquam in ipſis recta fieri prædicatio poteſt; at ſubſtantiua, quoniam identicâ prædicatione poſſunt enunciari, quo pacto prædicatum non attenditur, ut adiacens ſubiecto, ſed tantummodo, vt res eadem eũ illo, de vltimatè abſtracto poterunt enunciari, quantumuis ei in primo modo non conueniant, quod ſolùm in diuinis ob infinitatem formalem extremorum euenit, quæ eſt identitatis perfectæ cauſa, non autem in creatis, in quibus identica prædicatio dari nequit, niſi pariter formalis ſit, ita ut in his non fiat aliqua vera prædicatio in abſtracto per identitatem, quæ non ſit formalis, quoniam extrema eatenus unita ſunt inter ſe, quatenus reſpiciunt tertium, in quo conueniunt. Secus in diuinis, in quibus vera eſt prædicatio per identitatem in abſtracto, quanuis formalis non ſit.

Dicebam in creatis non eſſe aliquam veram prædicationem in abſtracto per identitatem, quæ non ſit formalis: ſecus in diuinis, in quibus eſt vera prædicatio per identitatem, quanuis formalis non ſit. Rationem diſcriminis docuit Subtilis Doctor, quia, inquit, concipiendo abſtractum vltimâ abſtractione, concipitur quidditas abſque habitudine ad quodcunque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis. Sic igitur extrema concipiendo, nulla erit veritas, vniendo illa, niſi præcisè quidditas unius extremi ſit eadem quidditati alterius extremi. Hoc non contingit in creatis, quoniam in his illæ rationes ſeu realitates abſtractæ, quæ ſunt in eodem, nempe realitas generis, & differentiæ, eædemque præcisè conſideratæ ſic ſe habent, ut utraque finita ſit, & neutra perfectè ſit alteri unita; non enim ſunt eadem inter ſe, niſi ratione tertij, cui ſunt eadem; idcirco ijs abſtractis à tertio, non remanet cauſa identitatis inter illa, & ob id neque cauſa veritatis, propoſitionis illa unientis extrema. Hinc falſa hæc eſt prædicatio, ac propoſitio *animalitas eſt rationalitas*, & viciſſim, & quidem quicunque prædicatione; quoniam non tantùm extrema non ſunt formaliter eadem, ſed nec verè eadem; nam quidditas hæc præcisè potentialis eſt ad quidditatem illam, & non eſt eadem illi, niſi ratione identitatis ad tertium, à quo abſtrahitur; quamobrem abſtractio illa tollit cauſam veritatis affirmatiuè ea quidem unientis. Non ſic in diuinis, nam abſtrahendo ſapientiam à quocunque, quod eſt extra rationem ſapientiæ; & bonitatem ſimiliter abſtrahendo à quocunque, quod eſt extra eius rationem formalem, remanet utraque quidditas præcisè ſumpta formaliter infinita; at ex eo quòd infinitas eſt ratio identitatis eorum, factâ huiuſmodi abſtractione, remanet identitas inter extrema; quandoquidem hæc non erant eadem præcisè ratione identitatis eorum ad tertium, à quo abſtrahuntur, ſed ob infinitatem formalem utriuſque. Hinc non eſt concedenda hæc propoſitio: *Paternitas in diuinis eſt ſpiratio actiua*, neque ut vera formaliter, neque ut vera per identitatem; Neque concedenda. *Paternitas eſt innaſcibilitas, & viciſſim*; Sed benè: *Paternitas eſt Deitas*, & contra.

Lib. 1. Sent. d. 4. q. 4. a. 1. propoſ. 5. num. 1.

Rationem reddit idem Doctor, quoniam abſtrahendo paternitatem, & innaſcibilitatem ab eſſentia, ſiue à ſuppoſito, neutrum eſt formaliter infinitum; idcirco neutrum in ſua ratione ſic abſtractum includit rationem identitatis, unius ad alterum, proinde neutrum ſic abſtractum de altero verè prædicatur. At ſic abſtrahendo quantumcunque deitatem & paternitatem, remanet adhuc alterum extremum formaliter infinitum, quoniam infinitas eſt ratio ſufficiens identitatis extremorum, & ob id remanet ratio identitatis eorum, atque adeo ratio veritatis propoſitionis affirmatiuæ: In hac autem propoſitione: *Deitas eſt bonitas*, rema-

Digitized by Google

remanet infinitas, non solùm in uno, sed in utroque extremo; proinde in huiusmodi propositione est veritas propter identitatem virtute quidem in utroq; extremo inclusam. Hæc utpote perspicua satis, ferè ad verbum ex commemorato Doctore transcripsimus. Ratio autem cur abstracta infinita potius, quàm finita de suis concretis & viciſſim, prædicari possint, ex hactenus dictis non obscurè colligitur; in eo autem est posita, quoniam prædicatum, & subiectum infinitum, ratione infinitatis suæ habent identitatem, ob id exigunt per intellectum coniungi; hinc quando intellectus considerat aliquod tale prædicatum secundum eius formalem rationem abstractum, exemp. gr. *Deitatem*, habet adhuc, non obstante abstractione, rationem coniungendi ipsum cum illo, à quo abstraxit, ob conceptã infinitatem in illo, ut subinde possit de eodẽ prædicatũ enunciate, quanuis hoc facere non possit inspectâ præcisâ formali ratione, infinitate neglectâ. At identitatem ab infinitate oriri, manifestum satis. Nam infinitum in entitate, ut Subtilis Doctor etiam aduertit, rectè dicitur *id, cui nihil entitatis deest, eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo vno*; Additur autem *eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo uno*. Quoniam ens infinitum non potest in se realiter, & formaliter per identitatem, omnem entitatem habere; sat igitur ut aliquo modo, scilicet vel realiter, & formaliter, vel eminenter, & virtute &c. illam habeat. Cum igitur hæc sit infiniti ratio, ob id infinitas non immeritò censetur causa, vnde prouenit identitas inter extrema infinita, abstractum scilicet & concretum &c. exempligratia inter *Deitatem & Deum*, itaut ratione huiusmodi identitatis fiat vera prædicatio, identica tamen, quâ vnum ex extremis infinitis, de quibus loquimur, verè de altero prædicetur, atque adeo vera sit hæc: *Deitas est Deus; Deus est Deitas* &c.

Quæst. Quolib. 5. B.

Ex hucusque traditis, non insulsè Neotericus colligit has esse propositiones nullum habentes cum veritate commercium; *humanitas currit, est alba, est risibilis*. Item *humanitas est obiectum intellectùs*; Item *essentia diuina est bona, sapiens, summa, obiectum fruitionis, distincta, abstracta*, & aliæ generis eiusdem; quoniam huiusmodi prædicata sunt adiectiua, neque in primo modo dicendi per se conuenientia subiectis; neque enim cursus, neque albedo, vel risibilitas, conuenit humanitati in primo modo per se dicendi; & ita de reliquis. & quanuis reipsâ talia prædicata conueniant ijs de quibus enunciantur, nequeunt tamen enunciari propter modum consignificandi istorum terminorum; quòd si concedantur prædicationes huiusmodi, id euenit ex usu loquendi; at ut veritas quarundam ex ipsis constet, oportet illas exponere; cuiusmodi est hæc *Essentia diuina est communicabilis*; sic exponenda. *Deus sub ratione essentiæ, vel deitatis est communicabilis*. Secundò idem auctor deducit insuper has propositiones, *essentitia diuina est paternitas, est sapientia, est pater &c.* identicè tantùm veras esse, non formaliter.

Adnotatio

Cæterùm hîc non prætereundum, quod est notatu dignum, videlicet cum dicimus veritatem propositionis oriri ex unione extremorum in tertio, non sic esse intelligendum, ut hæc sit ratio præcisa, nam hæc propositio, *Socrates est homo*. Item *homo est animal*, foret falsa, non enim in ipsis extrema uniuntur in tertio, ubi nam istud tertium in quo uniantur Socrates, & homo? &c. Sed quòd vel extrema debeant unita esse in tertio, ut *animal est rationale*, quatenus hæc extrema in homine uniuntur, vel debent esse unita inter se per inclusionem, coniunctionem, aut informationem. Hinc veræ formaliter censeri debent hæ prædicationes: *humanitas est ens, substantia, corpus, animal, rationalis*, ob eam, quam superiùs rationem attulimus, quoniam videlicet subiectum, quantumuis abstractum, cuiusmodi est humanitas, non abstrahit ab illis prædicatis, cum illa formaliter, & in primo per se dicendi modo inuoluat; ob id propositiones illas esse veras oportet, siquidem veritatis causa, vel est unio extremorum in tertio, vel unius in altero inclusio, communicatio, informatio &c. ut nuper adnotaui.

Neque perturbet, quòd extrema non sint infinita, nam ad veritatem prædicationis requiritur infinitas saltem unius extremi tantummodo, quando prædicata concreta sunt substantiua, & in primo modo dicendi per se non conueniunt subiectis, quo pacto veræ prædicationes identicæ fieri possunt; ut cum dicitur: *Deitas est Deus*.

Difficultates diluendæ propounntur.

Aduersus tamen hucusque dicta non leues difficultates se offerunt, quibus assequendæ veritatis gratiâ, breuiter oportebit occurrere. Dicebatur autem de ultimatè abstractis solum illa concreta posse formaliter prædicari, quæ in primo modo subiectis prædicationis conueniunt, & ob id concreta adiectiua, quoniam formaliter tantùm suapte naturâ possunt prædicari, si non conueniunt subiectis in primo modo dicendi per se, verè prædicari non posse; hoc autem alienum à veritate plerique nituntur ostendere, in eorum igitur gratiam.

Prima difficultas.

Obijcies. Hæc propositio. Intellectus est intelligens; item voluntas est volens, vera est, & tamen intellectus est ultimatè abstractus, ab intellectiuo, quemadmodum voluntas à volitiuo, siquidem in substantijs fit unica tantùm abstractio: ob id, quæ ultimata est, at intelligere intellectui in primo modo nõ conuenit &c.

Solutio.

Negandum tamen intellectum esse ultimatè abstractum, quod etiam de voluntate dicendum; non enim eadem est ratio de substantijs, ac de perfectionibus substantialibus, vel saltem habentibus modum perfectionum; nam in substantijs una fit abstractio; in perfectionibus, vel habentibus perfectionum modum, non item; quoniam hæ habent modum prædicationis in quale, proinde duplex in ipsis abstractio fit, sicut in accidentibus absolutis; ob id intellectiuum concernit suppositum, quemadmodum album; intellectus abstrahit à supposito, sed non ab indiuiduis, ut albedo; non mirum propterea si vera sit illa prædicatio.

Secunda difficultas

Alij verò sic obijciunt. Natura humana, exempligratia, naturaliter prior est unitate, multitudine, singularitate, uniuersalitate &c. neque ex se est aliquid istorum, quanuis nunquam sine eorum aliquo sit; & de ipsa verè possunt enunciari quædam prædicata, quæ illi non conueniunt in primo modo dicendi per se.

Solutio.

Solutio difficultatis ex eo petenda, quòd dicere naturæ prout reipsâ à singularitate præcisę, conuenire esse obiectum intellectus, posseque à Metaphysico considerari, &c. non idem est, ac dicere hæc omnia posse de natura ultimatè abstracta prædicari; primum cum veritate consentit, eo quòd attributa prędicta re verâ naturæ conueniunt, ita ut identitatem habeant cum illa; secundum autem plurimùm à veritate recedit, quoniam ad propositionis veritatem non tam significatio, quàm significandi modus attendi debet; licet igitur natura, ut prędicta ea sibi vendicet prædicata; nihilominus natura sic abstracta solùm illa inuoluit prædicata, quæ illi in primo dicendi modo conueniunt, quoniam natura sic abstracta includit hoc syncategorema *per se primò*; ut non multo antea fuit adnotatum.

Abstrahit proinde natura ipsa à prædictorum continentia prędicatorum, ut propterea nequeant illa de natu-

Digitized by Google

natura sic abstracta verè prędicari, itaut illę propositiones falsę sint.

Tertia dif ficultas. Amplius. Natura ut ultimatè abstracta, verè terminat actum intellectus concipientis, & abstrahentis; ergo extrinsecâ denominatione potest concepta, & abstracta denominari; quòd si ita est, nihil obstabit, quominus intellectus huiusmodi denominationes concipiat veluti formas, atque adeo quędam instar entis effingat, quę de ipsa natura deinceps enunciet.

Solutio. Obuiamitur à Neoterico quodam respondendo, non tam attendendam esse significationem, quàm modum significandi in re de qua agitur; natura itaque sic abstracta dicit tantùm quidditatem, & abstrahit ab omni eo, quod est extra illam, atque adeo non dicit naturę adiacientiam, quam nihilominus commemorata prędicata concernunt.

Reijcitur. Non satis tamen intelligo quid in causa sit, cur illa natura non possit dici concepta, & abstracta, adeout fiant prędicationes verę dicendo *natura est concepta*; *natura est abstracta*; & cur hęc etiam concepta tanquam entia positiua de natura ipsa nequeant prędicari. Prestat idcirco respondere suprapositam assertionem intelligendam de ijs prędicatis, quę mentis opus antecedunt, itaut quę huiusmodi sunt, verè prędicari non possint, nisi, quę sunt in primo modo dicendi per se. Posset tamen aliquis respondere dicendo, subintelligi semper syncategorema *per se primò*, quo pacto prędicationes falsæ redduntur; non enim rectè dicitur *natura humana est per se primò abstracta*, nam hęc in tali statu dicit tantùm quidditatem, & quicquid ad quidditatem spectat; non autem quę sunt extra quidditatem; hoc igitur sensu fallę sunt illę prędicationes, atque propositiones: licet verę sint, si intelligantur prędicata naturę quidem inesse per se non primò.

Quarta difficultas Alia etiam difficultas, afferri solet desumpta ex paritate. Quemadmodum vera hęc est prędicatio *humanitas est rationalis*; sic etiam hęc vera esse debebit, *humanitas est risibilis, est alba* &c. optima consecutio, ex eo quia causa verę prędicationis est receptio, ideo enim vera est prędicatio *humanitas est rationalis*, quia rationalitas in humanitate recipitur; sed utrobique est eadem causa prędicationis verę, nempe receptio; nam rationalitas & risibilitas, & albedo in humanitate recipitur; ut itaque vera est illa prędicatio, *humanitas est rationalis*, ita etiam vera esse debebit, *humanitas est risibilis, est alba*.

Solutio. Omissa solutione ab alijs traditâ, difficultati crediderim satisfieri respondendo latam esse disparitatem, nam rationalitas constituit hominem, & ad eius pertinet quidditatem; risibilitas, & multo minus albedo non item; cum itaque rationalitas pertineat ad primum modum dicendi per se, optimè rationalitas de humanitate prædicabitur, siquidem humanitas à rationalitate nequit præscindere; hoc autem de risibilitate dici nequit, & multo minus de albedine dici potest; tametsi nanque risibilitas sit essentialis homini, quatenus nimirum profluit ab eius essentia; non tamen ad eius essentiam pertinet; & quanuis albedo conuenire possit homini, non sic humanitati, quia homo non dicit esse præcisum ab omnibus ijs, quæ sunt extra essentiam eius; secus autem humanitas, quæ tale esse præcisum importat; hinc autem est ut, neque risibilis, neque alba &c. dici possit; ob id non inconsultò Auicennas dicebat, *equinitas est tantùm equinitas*: quidditas igitur non permittit prædicatum externum; ut antea dicebam.

Quinta difficultas Maior est difficultas de concreto generico, & abstracto specifico, an scilicet illud de hoc possit prædicari, liceatque dicere, *humanitas est animal*; *animalitas est viuens*, & sanè prædicationes hæ videntur falsæ; propterea quòd concretum substantiale cuiusmodi est genus *animal* &c. ex se suppositum concernit, nam animal potest supponere pro hoc, & illo animali; at abstractum specificum, scilicet *humanitas*, dicit conceptum præcisum ab omni supposito, nequit enim supponere pro hoc vel illo homine; Insuper concretum se habet, ut constitutum, & abstractum, ut ratio constituens; sed quod priori modo, de eo quod posteriori modo se habet, nequit prædicari; hoc autem ideo, quoniam nihil potest esse causa identitatis inter id, quod se habet ut ratio constituens specifica, & constitutum genericum; deficiente autem quâuis identitate inter duo, nequit eorum unum de altero prædicari.

Accedit & illud, quòd nimirum hâc admissâ prædicatione, *humanitas est animal*, sequeretur probè ratiocinationem sequentem in modum instituì. Quicquid est animal mouetur; sed humanitas est animal; ergo humanitas mouetur; at humanitati non conuenit moueri, humanitas enim est tantùm humanitas dicenda.

Huius difficultatis solutio præcipuè videtur aliquibus constare ex paulo antea disputatis, cùm diceremus propositionum veritatem non tam ex significatione, quàm ex modo significandi, quem termini habent, desumendam esse; non eadem est, inquiunt, significationis ratio, conueniens termino per se sumpto, ac termino in propositione adhibito; nam priori modo potest pro pluribus supponere, pro quibus tamen in propositione non supponat; eam ob causam, quia per se sumptus significat absolutè, quantum potest, at in propositione non item, quoniam adiunctione aliorum terminorum restringitur eius significatio; afferunt in exemplum hanc propositionem *homo in communi est animal*, in qua *animal* non concernit indiuidua, & supposita, alioquin propositio esset falsa, etsi terminus *animal* absolutè sumptus illa concernat; & hoc in re de qua disputatur, usuvenire comperiemus; nam illa propositio, *humanitas est animal*, eatenus falsa esset, quatenus animal concerneret indiuidua, & supposita, à quibus abstrahit humanitas; at licet terminus *animal* absolutè sumptus concernat illa, tamen prout in propositione sumptus, diuerso modo se habet, & ab illis abstrahit, solùm concernes speciem de qua prædicatur. Solutio.

Et ad aliam difficultatem dicendum putant, variari suppositionem, quanuis non varietur prædicatio, cum in maiori amplietur, in minori autem restringatur.

Ex hac tamen doctrina alioquin falsa fatentibus etiam aduersarijs, sequeretur propositionem hanc *humanitas est homo*, veram esse; siquidem homo est animal, proindeque dici potest habens animalitatem; hinc enim ea redditur vera propositio, *homo est animal*; sed dicendo *humanitas est animal*, redditur sensus, *humanitas est habens animalitatem*, tàm igitur *humanitas*, quàm *homo*, dici poterit habens animalitatem; vera igitur erit hęc propositio, *humanitas est homo*. Quod si dicas hanc non admittendam prędicationem, quoniam abstractum, ut *humanitas* se habet tanquam ratio constituens, & ut *quo*; concretum verò puta homo se habet ut constitutum, & ut *quod*. Hoc nihil est, cum idem de hac propositione, *humanitas est animal*, dici possit; nullum enim constitutum de constituente potest enunciari, quando constitutum inuoluit aliquid, à quo ratio constituens præscindit, ut de hac patet propositione, *humanitas est homo*. Neque dicas disparem esse rationem, quoniam *homo* concernit suppositum, à quo præscindit humanitas, non sic

autem

autem *animal*, non enim apparet disparitatis ratio. Quod si dicas hanc in eo positam esse, quoniam terminus *animal*, etsi absolutè spectatus indiuidua suppositaque concernat, non sic in propositione. Hoc nihil est, propterea quòd idem de termino *homo* dici poterit; ac proinde foret asserendum valere prędicationem hanc *humanitas est homo*, quo nihil absurdius. Nec mala simpliciter est illa consecutio; *humanitas est habens animalitatem; homo est habens animalitatem; ergo humanitas est homo*, ut mala hęc est *homo est animal; leo est animal; ergo homo est leo*, quia medius terminus in neutra pręmissarum distribuitur, undè est ut syllogismus in secunda figura nihil concludat, non, inquam, simpliciter mala est consecutio illa, quoniam si non ratione formę, saltem ratione materię concludit, eo quòd fit in terminis idem significantibus, humanitas enim est habens animalitatem cum rationalitate, quod etiam de homine dicendum, proindeque homo verè de humanitate poterit enunciari, ita ut dicere liceat, *humanitas est homo*.

In hanc sententiam eâ ratione quidem adducor, quoniam quotiescunque prędicatum dicit aliquid, quod nec explicitè, nec implicitè importatur à subiecto, vera nequit prędicatio fieri; hinc enim est, ut falsa hęc sit prędicatio *anima rationalis est homo*, vel *corpus organicum pro altera parte est homo*; tametsi homo concipiatur, tanquam includens animam, vel corpus, tamen dicit aliquid, præter animam, & corpus distributiuè sumpta; at verò animal includit aliquid non importatum explicitè, aut implicitè ab humanitate, siquidem suppositalitatem, vel aliud quidpiam, a quo abstrahit humanitas, includit, quicquid aduersarij dicant, quod iam reiectum fuit & mox iterum impugnabitur; ergo falsa hæc erit prædicatio, *humanitas est animal*, solùmque concedenda hæc erit *humanitas est quidditas illius, cuius una ex partibus essentialiter constituentibus est animal*.

Neque dicant animal essentialiter in humanitate includi, ita ut sit prædicatum in primo modo dicendi per se; nam etiam anima essentialiter includitur in animato, puta anima rationalis in homine, & nihilominus hæc non admittitur prædicatio, *corpus animatum est anima; homo est anima rationalis*, quoniam non quælibet inclusio, scilicet indirecta etiam, cuiusmodi est animalis in humanitate, sed directa, qualis est animalis in homine, requiritur.

Ad instantiam, quam in confirmationem propriæ responsionis afferunt, quod attinet, terminum nimirum *animal* absolutè sumptum indiuidua, atque suppositа concernere, non autem in propositione &c. eo quòd cum dicitur homo in communi est animal, fit enunciatio, in qua animal ab indiuiduis suppositisque præscindit, alioquin propositio falsa esset, &c. nihil refert nam præcisio abstracti, à qua prohibetur ne concretum de ipso possit prædicari, non ea est, quam ipsi perperam imaginantur, sed alia nimirum à singularitate, & suppositalitate simpliciter; quæ cum concretum omnino concernat; idcirco neque hoc de illo potest prædicari, unde est, ut hæc propositio *humanitas est animal*, minimè debeat admitti.

Neutrum enim extremorum est infinitum; neque extrema concernunt tertium, cui identificentur, neque prædicatum in recto quidem includitur in subiecto.

SECTIO DECIMATERTIA.

An abstracta de concretis, & de alijs abstractis possint prædicari.

COmmunis Philosophorum opinio est, abstracta de concretis verè prædicari non posse, atque adeo falsas esse propositiones istas *homo est humanitas: homo est iustitia: paries est albedo: album est color* &c. In hanc mihi videtur sententiam abeundum; propterea quòd abstracta præscindunt à subiectis, & suppositis; at verò concreta concernat illa, ut non semel inculcatum fuit; ita nanque subiectum, & prædicatum discrepant ut in modo significandi non communicent; ob id vera prædicatio abstracti de concreto esse non poterit, quoniam subiecti, prædicatique discrepantia in modo significandi omnis veritatis radicem demolitur. Illud etiam accedit, quòd abstractum concreti partem significat; at verò concretum rationem habet totius; liquet autem partem, ut partem, siue physicam, siue metaphysicam haud posse de toto prædicari; nisi tamen abstracta cæteroquin per abstractionem præscindentia, aliunde, scilicet ab infinitate habeant, ut cum suppositis atque concretis identificari possint; tunc enim abstractum de concreto, & vicissim potest enunciari, ut superiori Sectione fuit adnotatum dicendo veras esse prædicationes istas, *Deus est Deitas; Deitas est Deus*, eò quod sensus identicus fit, non secus ac si diceretur *Deitas, & Deus sunt una, & eadem res*. Communis opinio

Obijcies. Accidens est abstractum, & album est concretum, & nihilominus accidens prædicatur de albo, cùm valeat dicere album est accidens. Prima difficultas.

Respondendum propositionem illam *album est accidens* falsam esse; propterea non rectè infertur abstractum de concreto verè prædicari. Solutio.

Amplius hęc est vera prædicatio *ens est entitas*, & tamen ens est concretum, entitas autem abstractum; ergo verè abstractum de concreto suo poterit prædicari. Secunda difficultas

In hac difficultatis enodatione plurimùm desudarunt naturæ diligentes interpretes; quidam enim existimant hoc esse peculiare, & proprium transcendentium, cum ob sui transcendentiam, talem inter se connexionem habeant, ut possit omnibus modis de se inuicem prædicari, siue in abstracto, siue in concreto. Non est tamen intellectu facile, cur hoc proprium transcendentium dicatur; sed de hac difficultate, quemadmodum de alijs paulo infra sermo redibit. Interim respondendum fallam esse prædicationem commemoratam, *ens est entitas*; quemadmodum & has, *ens est bonitas, ens est veritas*; Nam eatenus viderentur admittendæ, quatenus transcendentibus conuenit infinitas permissiua, ut Scholasticorum plerique dixerunt. Quorundam solutio.

Sed hęc non sufficit, propterea quòd huiusmodi infinitas nil aliud est, quàm communitas, & indifferentia ad creata, & increata; quando autem transcendentia sumuntur ut ultimatè abstracta, certè præscindunt ab huiusmodi indifferentia, tanquam à passione, & ab eo, quod est extra formalem rationem entitatis; ergo talis infinitas nequit esse ratio, unde proueniat identitas inter concretum, & abstractum in transcendentibus, atque adeo inter ens, & entitatem, inter ens & bonitatem, atque veritatem: hæc enim infinitas, non est formalis & positiua, qualis est in diuinis, in quibus huiusmodi infinitas est ratio vnde habent abstractum, & concretum ut inuicem identificentur. Optima autem consecutio, propterea quòd illa Infinitas permissiua quid.

Digitized by Google

illa præcisio tollit rationem identificationis extremorum. Tum quia huiusmodi prædicatio *ens est entitas* si vera foret, deberet esse vel formalis, vel identica; sed nequit esse formalis; entitas enim, ut abstracta, nequit formaliter prædicari, alioquin diceret concretionem ad id, cui adiaceret, hoc enim formalis prædicatio importat. Nec potest esse identica, nam in creatis, non est aliqua vera prædicatio in abstracto per identitatem, quæ non sit formalis; cùm itaque hæc prædicatio non sit formalis, ut nuper dicebatur, nec erit identica; propterea nullo modo vera erit illa prædicatio, *ens est entitas*. Respondent nonnulli, ut superiùs dicebam, esse peculiare, ac proprium abstractis transcendentibus de omnibus dici, eo quòd primus conceptus, quem de re quapiam intellectus efformat est, quòd non sit nihil, sed aliquid &c.

Reijcitur superior solutio, & concluditur falsas illas esse prædicationes.

Hæc tamen responsio non exiguâ laborat difficultate, propterea quòd concesso rationem entis in inferiorum conceptibus includi; considerandum tamen aliud esse de illis prædicari, ut ultimatè abstractam, & aliud in illis includi; siquidem entitas, ut sic, dicit rationem entis, ut ab inferioribus, & ab omni indiuiduatione, atque suppositalitate præcisam; non licet propterea dicere, *ens est entitas*, nam ens inuoluit id, à quo entitas præscindit; nec etiam dicere licet, *humanitas est entitas*, cùm falsum sit humanitatem esse præcisam illam ratione entis. Præstat igitur asserere prædictas illas prædicationes falsas esse.

Entitas quid sit.

Abstracta de alijs abstractis verè possint prædicari.

Sed ad id, quod secundo loco propositum fuit nostra se conuertat oratio, an videlicet abstracta de alijs abstractis possint verè prædicari, adeout verè dicere liceat, *humanitas est animalitas*, &c. Vt autem à certis ad incerta progressus à nobis fiat, neminem, etsi leuiter in Theologico puluere, versatum præteribit, in diuinis saltem quando extremorum unum sit infinitum, tales prædicationes esse identicè veras, propter formalem infinitatem, ut superius declaratum fuit.

Prima assertio.

Dicendum primò prædicationes abstractorum accidentalium mediâ abstractione, quando se habent ut superius, & inferius, admittendas esse tanquam veras.

Declaratur & suadetur.

Hæc assertio est iuxta communem Philosophorum sententiam, enim verò tam splendidè constat, ut nemini dubia esse possit; nam rectè prædicatio instituitur dicendo, *albedo est color, est qualitas*.

Ea porrò videtur ratio, quoniam hæc non sunt ultimatè abstracta, quibus non conuenit prædicatio unius de alio, ob eam, quam non multo antea nos causam attulimus, quin potius superiora comparatione inferiorum se habent, ut concreta, cùm illa concernant, & comparatione ipsorum modum habent totius, neque vllum suppetit verę prædicationis impedimentum; nam si quid est, illud profectò foret abstractio, sed hæc non officit, cum ultimata non sit. Ita quidem, ut in eodem persistamus exemplo, color in ordine ad albedinem, de coloribus vulgò philosophando; Virtus moralis respectu iustitiæ se habet; nam superiora concernunt inferiora, puta color albedinem, virtus iustitiam; & quanuis superius dicat præcisum conceptum ab inferioribus; nihilominus talis præcisio non est ultimata, seu non est ultimata abstractio, cùm dari possit ulterior, cuiusmodi est *albedeneitas*, siue ratio quidditatiua albedinis; dari etiam potest ulterior abstractio coloris, & est *coloreitas*, seu quidditatiua ratio coloris. Non absimili modo, ratiocinando de alijs formis accidentarijs, quarum ultimatè abstracta, quanuis proprijs nominibus, ob vocabulorum inopiam, designare non licet; per hunc tamen terminum *ratio quidditatiua*, vel per alium æquiualentem, circumscribuntur.

Assertio secunda.

Dicendum secundò propositiones in quibus abstractum genericum prædicatur de abstracto differentiali, vel contra, esse falsas, minimèque concedendas.

Suadetur.

Hæc etiam assertio communi plausu recipitur; nam haud licet prædicationem hanc instituere, *animalitas est rationalitas*; neque contra *rationalitas est animalitas*; quandoquidem eatenus unum ex his de altero verè potest enunciari, quatenus per prædicationem importatur eorum unio in specie; at huiusmodi unio institutâ prædicatione inter abstracta non innuitur, cùm potius talis prædicatio ab unione prædicta præcisionem importet, nam prædicata solùm per nomina concreta, unionem de qua sermo fit, concernere quidem possunt; ob id huiusmodi abstracta nequeunt inuicem prædicari. Et in uniuersum prædicatio vera requirit, vel unionem in tertio, quando nempe sunt disparata, ut *animal*, & *rationale*, vel inter ipsa extrema per inclusionem unius in altero, ut sæpesæpius aduertimus; at per prædicationem unius abstracti de altero, neque unio in tertio, neque unius in altero inclusio importatur, quin potius talis prædicatio quandam ab his præcisionem inuoluit; proinde abstracta non poterunt inuicem prædicari.

Aduertitur.

Hucusque tradita locum itidem habent in abstractis, quæ suaptenaturâ in ordine ad alia possunt accidentaliter prædicari, ut *humanitas est albedo, vel albedeneitas*; hæ namque prædicationes falsæ sunt; nisi, è quorundam sententia, per prædicatum abstractum denotetur officium, & actus abstracti subiecti, ut *rationalitas est differentia; risibilitas est proprietas*. Sed ineptè fit ad officium restrictio, cum in alijs prædicationibus hoc usuvenire soleat, scilicet, ut veræ sint, dum abstractum de abstracto prædicatur, etiamsi nullum officium intercedat; ut hæ se habent prædicationes, *animalitas est ratio ultimatè abstracta*; *coloreitas est quidditatiua ratio coloris*. Propterea dicendum commemoratas prædicationes admitti posse, quando sunt inter abstracta, quæ necessario nexu iunguntur &c.

Proponitur alia quæstio.

Grauior sanè difficultas est de abstractis generico, & specifico, præsertim autem in substantijs; & in accidentibus, etiam de ultimatè abstractis loquendo; an scilicet abstractum genericum de specifico possit prædicari, *ut humanitas est animalitas*; *albedeneitas est coloreitas*; Dubium est etiam an abstractum differentiale, de specifico prædicari queat, proindeque liceat dicere, *humanitas est rationalitas*. Hac de re varia sunt Philosophorum placita, quæ cursim referre non pigebit.

Diuersa Philosophorum placita.

Quidam igitur crediderunt abstractum tam genericum, quàm differentiale verè de specifico prædicari, adeo ut has liceat prædicationes instituere, *humanitas est animalitas*; *humanitas est rationalitas*. Alij existimarunt hoc solum de generico concedendum. Alij verò accuratiùs rem expendere profitentes, dixerunt abstracta superiorum posse duobus modis considerari, vel scilicet prout in confuso continent rationes, & perfectiones inferiorum, & hunc in modum posse de illis enunciari; vel secundum gradum præcisum, quem formaliter dicunt, & hoc pacto falsò prædicari; in quam sententiam abierunt etiam, & illi, qui putarunt abstracta specificatiuè sumpta, confuso modo rationes inferiorum dicere, posseque de illis prædicari; reduplicatiuè autem, ut substant conceptui præcisiuo, non posse de inferioribus prædicari. Alij has prædicationes esse falsas affirmant, solùmque concedendas illas arbitrantur, quibus abstracta de suis immediatis inferioribus sub eadem abstractione, atque nomine significatis dicuntur; ut *hæc humanitas est humanitas*; *hæc rationalitas est rationalitas*; *hæc animalitas*

Digitized by Google

tas est animalitas. Alij demum opinantur, transcendentia, de alijs abstractis dici posse, ut *humanitas est entitas, est bonitas, est veritas*; eò quòd, inquiunt, ad propositionis veritatem, saltem identicam, sufficit infinitas permissiua, quam transcendentibus competere, non rarò contendunt, eo nomine quòd, transcendentia talem habent infinitatem, cùm sint communia Deo, & creaturis, habentque indifferentiam, ut possint ob id in abstracto de alijs prædicari.

Assertio. Dicendum, nullam prædicationem admittendam esse, nullamque concedendam de rebus creatis propositionem factam in qua ultimatè abstractum, de altero ultimatè abstracto, vel de suis immediatis inferioribus sub eadem abstractione nomineque significatis pradicatur, siue accidentaliter, atque denominatiuè, siue essentialiter, siue transcendentaliter prædicatio fieri dicatur.

Ratione suadetur. Hanc assertionem ratio illa suadet, quæ ex formali conceptu termini ultimatè abstracti desumitur; eius enim conceptus formalis in eo positus est, ut abstractus terminus quidditatem absolutè sumptam atque præcisam ab omnibus, quæ sunt quomodolibet extra quidditatis rationem, significat; quod autem hunc se habeat in modum, mihi sanè perspectum, ex communi conceptu, quem omnes de ultimatè abstracto habent; quòd si res ita est, neminem præteribit, ut opinor, ultimatè abstractum simpliciter dicere rationem præcisam à qualibet habitudine ad quodcunque extrinsecum, siue hoc essentialiter, siue accidentaliter, cum illo abstracto communicationem habeat; hinc perspicuè sequitur abstractum ultimatè de nullo alio posse prædicari, identitatis, connexionis, & communicationis extremorum defectu, ob eam, quam abstractum, de quo loquimur, præcisionem inuoluit; nam veræ cuiusque prædicationis radix extremorum identitas, connexio, atque communicatio est, non solùm ut extrema sunt in re, sed etiam prout his, vel illis nominibus denotantur; verbo dicam, non solùm quantum ad rem significatam, sed etiam quantum ad modum significandi, qui identitatem, connexionem, atque communicationem præsefert,

Assertio intelligenda etiam de transcendentibus. Assertionem, non solùm de proximè commemoratis, sed etiam de transcendentibus intellige; permissiua siquidem infinitas illa nil aliud est, quàm communitas, & indifferentia ad creata, & increata; sed transcendentia sumpta, ut ultimatè abstracta, à tali quidem indifferentia, tanquam ab affectione, & velut ab eo, quod est extra formalem rationem entitatis præcisionem important; permissiua igitur infinitas, ad eum sanè modum, quo in diuinis est formalis, & positiua infinitas, identicæ veritatis ratio esse non potest; optima consecutio, nam illa præcisio prædicationis veritatem destruit, neque cum ea cohærere potest; quemadmodum enim animalitas ratione præcisionis à potentialitate & ab habitudine ad inferiora, de humanitate dici non potest: ita nec transcendentia, adeout falsæ sint hę prędicationes *humanitas est entitas, est bonitas, est veritas*. Sed hęc iam supra non multo antea tractauimus.

Prima difficultas. 1. Diuin. q. 43. Insignis tamen est difficultas aduersus dicta, propterea quòd Aristoteles oppositum docuisse videtur dicens, Ἀλλὰ μὴν, καὶ δεῖ γε διαιρεῖσθαι τὴν τῆς διαφορᾶς διαφοράν. οἷον ζώου διαφορὰ, τὸ ὑπόπουν, πάλιν τοῦ ζώου τοῦ ὑποπόδους ἡ διαφορὰ δεῖ εἶδέναι ἢ ὑπόπουν. ὥστε οὐ λεκτέον τοῦ ὑποπόδους. τὸ μὲ πτερωτὸν. τὸ δ' ἄπτερον, κάλως ἂν λέγεται καλῶς. ἀλλὰ διὰ τὸ ἀδυνατεῖν ποιεῖ τοῦτο ἀλλ' ἢ τὸ μὲ χερσόπουν, τὸ δ' ἄχερσον. αὗται δὲ διαφοραὶ ποδός. ἡ δὲ χερσόπους, ποδότης τίς ἐστιν. *At verò oportet etiam diuidi differentiã, differentiam: ut puta animalis differentia est, ut pedes habere. Rursus animalis pedes, habentis differentiam scire oportet, prout pedes habet: quare non est dicendum, pedes habentis, aliud plumiferum, aliud implume, si benè dicatur (verùm quia non potest, faciet hoc) sed si aliud fissos, aliud non fissos pedes habens: hæ enim pedis differentiæ sunt. Fissio nanque pedum, aliqua peditas est.* Ex Aristotelis ergò sententia, licet concipere has duas naturas, exempli gratia, humanitatem, & equinitatem tanquam conuenientes in communi quadam ratione, & etiam tanquam discrepantes; proindeque nihil obstabit quominus communis quidam conceptus ex illis abstrahatur, in quo conueniant; huiusmodi porrò non alius, quàm animalitatis conceptus.

Solutio. De hactenus commemorata prædicatione multa diximus, cum de differentia propositum nobis disputandum foret; ob id ne bis eadem repetere videamur, consultò nunc silentio hęc pretereunda duxi. Solùm illud addendum, scilicet prędicationem de qua Philosophus sermonem habet, non eam esse, cuius consideratione detinemur in prędens, quandoquidem illa non est de ultimatè abstracto, ut cuique rem seriò considerati potest esse perspectum, benè tamen altera de qua loquimur.

Secunda difficultas. Amplius. Omne superius essentialiter in suis inferioribus includitur; ergo verè de illis poterit prędicari; per prædicationem enim affirmatiuam (de hac enim habetur sermo) nos unum alteri inesse dicimus, cum illi reuerâ inest, itaque vera prædicatio affirmatiua unius de altero, supponit unum inesse alteri; *ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa*.

Solutio. Solutio difficultatis non obscurè constat ex dictis; quandoquidem, non semel aduertimus in re de qua agitur non tam attendendum esse rem significatam, quàm modum significandi; Itaque quod prædicatur reipsâ conuenit subiecto, eique communicatum est; si autem abstractione prescindatur, & ut præcisum de subiecto prædicetur, falsa est prædicatio.

Tertia difficultas. Præterea. Quemadmodum homo probè definitur dicendo esse animal rationale, adeout per animal, & rationale definiri dici debeat: ita humanitas per animalitatem, & rationalitatem definiri dici debebit; sed definitionis partes de definito possunt enunciari; ergo dicere licebit, humanitas est animalitas, & rationalitas, vel saltem, humanitas est animalitas rationalis.

Solutio. Lata tamen disparitas est, quando nanque definitur concretum per concreta, ut homo per animal, & rationale, ita definitur, ut ea per quæ definitur possint in recto de ipso prædicari, adeout valeat dicere, *homo est animal, est rationale*, quia neutrum istorum ab illo præscindit, itaut concretum definitum, puta hominem non concernant; at non sic abstractum, nempe humanitas definiri potest, per abstracta, scilicet per animalitatem, & rationalitatem, ut hæc de illa possint in recto prædicari, dicendo humanitas est animalitas, est rationalitas, quoniam hæc præscindunt ab illa, itaut illam nullo modo concernant; solùm igitur in obliquo poterunt hæc abstracta de abstracto prædicto prædicari, adeo ut dicere quidem oporteat, humanitas ex animalitate, & rationalitate constat; non secus ac in physica definitione in qua dicere non licet homo est anima, est corpus pro altera parte, sed homo ex anima, & corpore constat.

Quarta difficultas. Illud etiam aliquibus molestum est, quòd hæc vera, videatur prædicatio, nempe *anima rationalis est anima*, & tamen est inter abstracta.

Solutio. Sed re verâ falsum supponunt, nimirum animam esse quidpiam abstractum ultimâ abstractione siquidem

Digitized by Google

ultimatâ abstractione abstractum erit *ratio animæ*, hæc enim nihil concernit, præter formalem animę rationem, secus anima. Tametsi igitur vera sit prædicatio *anima rationalis est anima*, non rectè infertur prædicationem abstracti de abstracto fieri posse.

Amplius nonnulli sic arguunt. A concretis ad abstracta etiam in ultimatè abstractis consequentia valet, cùm hæc in diuinis optima sit illatio *Sapiens est iustus; ergo sapientia est iustitia;* in abstractis igitur vera prædicatio locum habet.

Quòd si quispiam respondeat, veram esse prædicationem identicè propter extremorum permissiuam infinitatem; statim insurgunt dicendo huiusmodi infinitatem esse modum intrinsecum, ac proinde extra quidditatem sapientiæ, & iustitiæ; cùm autem ultimatè abstractum præscindat ab omni eo, quod est aliquo modo extra formalem rationem; sequitur extrema illa ab infinitate præscindere, atqueadeo prædictam infinitatem, rationem veræ illius prædicationis non esse.

Solutio. Negotij non parum exhibet huius difficultatis solutio, quæ tamen pendet ex conceptu, quem quis de infinitate habet, nimirum quo pacto modus intrinsecus, cuius naturam infinitas redolet, ad rei essentiam pertineat; qua de re in diuina disputandum Philosophia; interim respondendum commemoratas prædicationes, aliasque generis eiusdem veras esse in sensu quidem identico propter infinitatem, ut paulò antea fuit iam explicatum. Ad impugnationem quòd attinet, multa dici possunt, in quorum consideratione alibi nostra se se exercebit industria, in præsentia tamen respondere sufficiat, sapientiam, bonitatem, iustitiam non esse ultimatè abstracta, de quibus hîc habetur disputatio; huiusmodi siquidem forent, ut superiùs in re non absimili, dictum fuit, ratio sine quidditas diuinæ sapientię; ratio seu quidditas bonitatis &c. hinc igitur sapientia, bonitas, iustitia, non præscindunt ab infinitate, à qua præscindit quidditas sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, ac propterea possunt inuicem prædicari; quod tamen in creatis infinitatis defectu non admittitur.

At si quis enodationem superioris difficultatis detestetur eo nomine, quòd arbitretur paulo ante recensita prædicata esse ultimatè abstracta, non ineptè respondebit, modum intrinsecum ita competere rei, cuius est modus, ut ad eius essentiam pertineat; ac proinde ab ipso ultimatè abstractum non abstrahere; propterea veram posse prædicationem institui, abstractum videlicet de abstracto prædicando.

Sexta difficultas. Postremus sit labor in explicanda difficultate non leuis momenti; ea porro est, quia si quid veritati huius prædicationi, *humanitas est animalitas*, officeret, maximè foret distinctio, velut illa, quæ identitati aduersatur, à qua habet propositio affirmatiua, ut vera sit; sed distinctio nulla est, quippe quæ solum rationis opere contingit; nihil igitur obstat quo minus verè animalitas de humanitate prædicetur, ut hæc vera sit enunciatio *humanitas est animalitas*.

Solutio: Obuiam huic itur difficultati negando consecutionem, tanquam ineptam; nam ex modo concipiendi, significantur explicitè illa extrema, tanquam distincta, cum fundamento quidem in re; proinde nequit unum de altero enunciari, propterea quòd perinde foret ac dicere, hoc ut ab illo distinctum, est idem cum illo; sic enim propositionis extrema concipit intellectus, ut non secus se habeant, ac si reipsâ distinguerentur; nec ex modo illa concipiendi, vel significandi, aliqua importatur identitas, ratione cuius vera fieri prædicatio unius de altero possit.

SECTIO DECIMAQVARTA.

De prædicatione secundarum intentionum quatenus in abstracto, & in concreto considerantur.

HActenus tradita etiam secundis intentionibus accommodari possunt, cum eadem in terminis secundarum intentionum, tam inter se, quàm in ordine ad primas, quod attinet ad modos prædicandi in abstracto, & in concreto, locum habeant, adeò ut in his veritas propositionum communicationem quandam, connexionemque terminorum requirat, neque praecisionem ab huiusmodi communicatione patiatur.

Dicendum igitur superiora de inferioribus in concreto, non in abstracto, nec abstractum superius de inferiori prædicari posse. Prima assertio.

Iuxta itaque præsentem assertionem vera hæc erit prædicatio *genus est uniuersale*; nam uniuersale concretum est, seque habet tanquam superius respectu generis, quod itidem est concretum; at verò non licet prædicationem instituere, quâ abstractum uniuersalis de genere sumpto in concreto prædicetur, dicendo *genus est uniuersalitas*; nec etiam vera est prædicatio, quâ abstractum de abstracto prædicatur, ut *genereitas, est uniuersalitas*. Assertionis explicatio.

Horum autem ratio eadem est, ac illa, quâ superiùs in gratiam primarum intentionum adhibuimus; quando enim concretum de concreto prædicatur, ut cum dicimus *genus est uniuersale*, vera est prædicatio ratione identitatis inter subiectum & prædicatum, quatenus prædicatum includitur essentialiter in subiecto; nam reuerâ genus est essentialiter uniuersale, siquidem hoc, ut suo loco vidimus, se habet tanquam genus, denominatiuè tamen, respectu illius, se habentis itidem denominatiuè tanquam speciem. Ex aduerso defectu identitatis reliquæ prædicationes falsæ sunt. Ratione suadetur.

Dicendum præterea secundas intentiones in concreto solum prædicari de naturis posse, quibus prædicabilitas accommodata respondet, non autem de inferioribus illarum naturarum, nec de naturis ipsis abstractè sumptis. Secunda assertio.

Quamobrem iuxta assertionem hanc, secunda intentio, exempli gratia, generis in concreto accepta, puta genus, de animali potest enunciari, dicendo, *animal est genus*, non autem de homine, aut Socrate, quæ sub animali continentur: itaut dicere non liceat *homo est genus*; *Socrates est genus*. Nec etiam de animalitate, adeo ut falsa hæc sit prædicatio *animalitas est genus*, Assertionis explicatio.

Supradictorum rationes afferre non operosum inanim ad primum quod attinet, nempe genus prædicari posse de naturis, quibus prædicabilitas accommodata respondet, puta genus de animali, ex eo redditur manifestum, quia inspectâ animalis conditione, cuique perspectum, ei conuenire prædicabilitatem generi consentaneam, adeo ut de ipso possit appositè genus enunciari dicendo *animal est genus*. Ratione suadetur, quoad singulas, quibus constat, partibus. Prima assertionis pars.

Secundum quoque perspicuum satis; quoniam ex aduerso talia sunt ea, quæ sub genere continentur, quatenus tamen huiusmodi, puta homo, & Socrates, ut ijs non conueniat prædicabilitas generis propria, ita fit, ut genus de ipsis affirmari non possit, atque adeo dicere non liceat *homo est genus; Socrates est genus*. Secunda pars.

Tertium ex his manifestè constat, nam abstracto, nempe animalitati non conuenit, ea quæ generi consentanea prædicabilitas est; ut propterea dicere non liceat *animalitas est genus*; quod autem abstracto talis Tertia pars.

non

non conueniat prædicabilitas ex hactenus disputatis neminem præterit; siquidem ostensum fuit abstractum superioris, nec de concretis, nec de abstractis inferioribus, nempe animalitatem de homine, aut de humanitate, aut de Socrate &c. prædicari posse.

Dubitabit fortasse quispiam de superioris assertionis veritate, quatenus in ea dicebatur concretum de inferioribus prędicari non posse, quoniam genus dicitur de substantia viuente, rectè siquidem fit prędicatio dicendo *substantia viuens est genus;* at æquè benè genus dicitur de animali, cùm tamen animal ad viuentem substantiam relatum, debeat inferius dici; nihil igitur obstat quo minus concretum cuiusmodi est genus, de inferioribus prędicetur.

Obuiam itur aduertendo æquè benè genus dici de inferiori, puta animali duobus modis intelligi. Primò de ipso quatenus inferiori, & iuxta hunc explicationis modum, assumptio minimè concedenda, nempe concretum, cuiusmodi est genus, posse de inferiori prędicari. Secundò de ipso inferiori quatenus habente rationem, quâ commune sit pluribus specie differentibus, possitque de ipsis prędicari; & hoc modo assumptio non inficianda, quin ultrò concedenda, puta concretum de inferioribus enunciari posse, quę in secunda assertionis parte ostendenda innuimus dicendo: *talia esse ea, quæ sub genere continentur, quatenus tamen huiusmodi*; nempe quatenus sub genere continentur, quâ ratione proculdubio, de ijs concretum superius dici non potest, optimè tamen sensu nuper explicato.

Amplius. Quicquid superiori conuenit, etiam inferiori conuenire debet, ut egregiè docuit Philosophus dicens: ὅταν ἕτερον καθ' ἑτέρου κατηγορῆται, ὡς καθ' ὑποκειμένου. ὅσα κατὰ τοῦ κατηγορουμένου λέγεται. τοσαῦτα καὶ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου ῥηθήσεται. οἷον, ὁ ἄνθρωπος, κατὰ τινὸς ἀνθρώπου κατηγορεῖται. τὸ δὲ ζῷον, κατὰ τοῦ ἀνθρώπου καὶ οὗ ὁ κατὰ τινος ἀνθρώπου τὸ ζῷον κατηγορηθήσεται. ὁ γὰρ τις ἄνθρωπος, καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ ζῷον. *Cum alterum de altero, tanquam de subiecto dicitur quicquid de attributo dicitur, id omne de subiecto quoque dicetur. Veluti quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiam causam animal de singulis hominibus dicetur, nam quidam homo, & homo est & animal*; sed animali, exempligratia, conuenit prædicabilitas de pluribus differentibus specie, atque adeo competit ratio generis; ergo etiam omni contento sub animali, puta homini prędicabilitas de pluribus specie differentibus, proindeque ratio generis accommodata erit.

Solutio.

Hâc difficultate Scholasticorum turba plurimùm exagitata, multa comminiscitur, insulsè tamen, cùm operosum non sit ab ea se expedire. Omissis igitur eorum nugis respondendum propositionem maiorem, Philosophique præceptum sic intelligendum esse, vt si superiori conueniat aliquid prout supponenti absolutè, debeat etiam omnibus sub illo contentis conuenire: non autem si conueniat illi prout supponenti simpliciter. Cum autem dicimus animal esse genus, tunc *animal* accipitur prout supponit simpliciter, adeo vt ei ratio generis vt simpliciter supponenti, non autem vt supponenti absolutè conueniat; ob id mirum esse non debet, si ratio generis, siue esse genus homini contento sub animali conuenire non possit.

DISSERTATIO XXIV.

Et est de ijs, quæ ad tertiam intellectûs operationem pertinent.

De Tertia Intellectûs Operatione.

Tractationis ordo.

VT inter operationes intellectûs, in quarum directionem Dialecticus incumbit, postremum obtinet locum naturæ ordine Discursus, quippe qui primam, ac secundam supponit: ità quidem eadem est, ad cuius directionem reliquæ operationes ordinantur. Et vt hæc operatio maioribus est obnoxia erroribus: ità etiam ad sui directionem Dialectici longè maiorem industriam exposcit.

Discursus vnde dictus.

Hæc autem tertia operatio discursus appellatur, quoniam per illam intellectus de vno ad aliud, hoc est de noto ad ignotum excurrit, metaphorâ sumptâ à lationis motu; quemadmodum enim aliquid de loco mouetur in locum; sic intellectus quodammodo mouetur ex noto ad ignotum. Solet præcipuè hæc eadem operatio appellari ratiocinatio à græca voce λογισμὸς, *siue* συλλογισμὸς, ratiocinatio *à verbo* συλλογίζω ratiocinor, *hoc est medio aliquo, & argumento assequor, quod priùs ignotum erat. Hoc enim sibi vult* ratiocinari, *ut inferiùs dicam.*

Instrumentum aptissimũ ad dirigendum discursum est Argumentatio.

Instrumentum aptissimum proximè conducens ad huius operationis directionem, Argumentatio est, cuius præstantissima species syllogismus. De huiusmodi autem instrumento tractationem amplissimam pluribus libris Philosophus complexus est; & primò duobus illis, qui Priores Resolutorij dicuntur, in quibus de argumentatione, & præsertim de syllogismo, pro ut ab omni materia, præciso, solùm videlicet argumentationis inspectâ formâ, edisserit. Deindè duobus alijs, qui Posteriores Resolutorij nuncupantur, in quibus de syllogismo, prout ad necessariam materiam contracto, cumulatè disputat. Postea octo Topicorum libris, quorum institutum est de syllogismo contracto ad probabilem materiam agere. Tandem duobus libris Elenchorum, in quibus de syllogismo contracto ad materiam apparentem sermonem habet. Resolutorium igitur opus in duas diuiditur partes, quarum utraque duobus libris comprehensa est, & prior, quæ de priori resolutione dicitur, ideo sic appellatur, quoniam in ipsa explicatur ars resoluendi conclusionem in principia formalia, seù bonæ consequentiæ, seu undè habeat conclusio, ut ex præmissis necessariò deducatur, hoc autem in eo consistit, ut termini, & præmissæ hoc, vel illo modo disponantur veritate, vel falsitate neglectâ; siquidem neutra istarum ad formam, sed ad materiam argumentationis pertinet. Secunda verò pars explicat modum resoluendi conclusionem eandem syllogismi in principia consequentis, seù in materialia principia, nimirum undè habeat conclusio, ut ex præmissis deducta, vera

Digitized by Google

sit, & necessaria, nec possit aliter se habere, quemadmodum sunt termini, atque præmissæ veræ, in quibus ipsimet termini inter se necessariò connectuntur, continetur que causa, cur in conclusione passio insit subiecto. De his igitur deinceps nobis agendum, ut tandem aliquando tractationem dialecticam absoluamus. Exordientes autem à consideratione discursûs generatim accepti, præmittendum duximus quid ipse sit, & circa quid sit occupatus; ideo sit.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Discursus, & in quo ipse versetur.

Ratiocinatio, siue discursus quid.

NVlla quidem aptior definitio ratiocinationis, siue discursûs, quàm illa, *quòd sit cognitionis actus, quo intellectus unum, ex alio deducit*. Hæc definitio optimè discursûs naturam declarat, quod facilè cuique perspectum fiet, partes, quibus constat, percurendo. *Cognitionis actus*, vicem obtinet generis; nàm operationes omnes, quas intellectus exercet in hoc, velut in genere conueniunt, quòd quælibet ipsarum sit actus cognitionis; differunt autem inter se, quoniam operatio quæ simplici modo obiectum attingit, simplex apprehensio; secunda quæ componendo, vel diuidendo iudicium; tertia quæ deducendo, ac inferendo, unum ex alio, ratiocinatio, siue discursus nuncupatur; Illationis igitur ratio ea est, per quam discursus à cæteris operationibus secernitur, velut illa per quam essentialiter constituitur.

Duplex discursus.

Geminum autem discursum fecerunt, unum secundum successionem, alterum secundum causalitatem. Primus est, quandò intellectus postquam se exercuit in aliquo cognoscendo, se conuertit ad considerationem alterius. Hoc autem est cognoscere unum post aliud. Discursus alter nempe secundum causalitatem contingit, cum intellectus ex vi unius rei cognitæ, deuenit in cognitionem alterius; ut cum ex cognitis principijs deuenit in cognitionem conclusionis. Vt si intellectus ex cognitione, quòd homo sit animal rationis particeps, inferat esse risibilem, dicitur discurrere, cum ex vi cognitionis unius, inferat cognitionem alterius. Ex his duobus discurendi modis, prior non est ad rem, quippequi in alijs etiam intellectûs operationibus locum obtinet. Intellectus enim etiam in apprehendendo, modum illum discurrendi exercet, cum unum priùs apprehendat, deinde aliud; sic etiam in iudicando, priùs de uno, postea de alio iudicium fert; unde quanuis tertiæ operationi quoque conueniat, non propterea tamen eius est proprius. Secundus discurendi modus ita conuenit tertiæ operationi, ut alteri minimè conuenire queat, cum proprium ipsius sit ex aliquo præcognito, in alterius cognitionem deuenire, & ex vi præhabitæ cognitionis de aliquo, alterius cognitionem inferre, in quo secundus discurendi modus consistit. Ita fit, ut intellectus priori modo discurendo, dicatur unum post aliud cognoscere; secundo modo unum ex alio, in hoc autem illationis ratio consistit, per particulam *ergo*, vel æquiualentem denotata.

Explicatur discursus natura.

Ad explorandam discursus naturam, rectè quidam notarunt non in apprehensione quadam positum illum esse, sed in iudicio; non enim discursus in eo consistit, ut cognitio vna post aliam habeatur; contingit enim, ut intellectus post apprehensionem habeat notitiam, vel eiusdem, vel diuersarum rerum; sic etiam post iudicium habeat iudicium, vel de eodem, vel de rebus diuersis; non propterea tamen tunc dicitur discurere, sed solùm cum ex vi assensûs præstiti alicui propositioni, præstat assensum alteri. hoc autem est de re iudicium ferre, uti perspicuum est. Vtrumque igitur iudicium est, vel simplex, in quo secunda operatio consistit; vel illatum siue illativum ut loquuntur, in quo tertia operatio posita est; per utranque enim operationem, intellectus propositioni assentitur, unde per utranque iudicat, ac ob id utraque iudicium est; solùm discriminis illud intercedit, quòd intellectus per secundam operationem non iudicat ex vi alterius iudicij: secus autem per tertiam, ac proinde secunda operatio simplex iudicium dicitur; tertia autem illatum eò quòd infertur ex alio iudicio. Et hoc est ratione illationis iudicium, quod tertium intellectionis gradum constituit.

Explicatur quomodo in intellectu habeatur discursus.

Deinde non imaginandum haberi in intellectu discursum, eo quòd per modum vnius propositionis iudicet, & affirmet connexionem, atque consecutionem unius ex alio, consequentis nimirum ex antecedenti. Vt si intellectus aduerteret ex eò quòd homo sit animal rationis particeps, rectè deduci eum esse rationalem, ita ut enunciaret probè consequens ex illo antecedenti deduci, non propterea ratiocinaretur, non ob id discureret, sed solùm de bonitate consecutionis iudicium ferret; idcirco tunc diceretur tantùm iudicare; cum igitur in huiusmodi iudicio nulla inuoluatur illatio, consequens fit, ut discursûs rationem non obtineat, sed simplex iudicium sit, ac proinde ad secundam operationem intellectûs pertineat.

Explicatio quomodo discursus;

Et quanuis intellectus assentiatur antecedenti, & consequenti, & cognoscat etiam inter antecedens, & consequens connexionem intercedere, non propterea discurrit; ut si præbeat assensum huic propositioni *omne rationale est risibile*, itemque huic *omnis homo est risibilis*, & simul etiam aduertat ex illa propositione, hanc rectè deduci, quando quis arguat *omne rationale est risibile; ergo omnis homo est risibilis*, non adhuc intellectus discurrit, sed solum simpliciter iudicat; non adhuc tertiam operationem exercet, sed intra limites secundæ operationis sistit. Vt igitur ratiocinari dicatur, opus est, intellectum assentiri consequenti, ex vi assensûs, quem prebuit antecedenti, ita ut discursus consistat in dependentia unius assensûs ex alio, talisque ordo detur inter actus, ut ille, qui consequens attingit, oriatur ex eo, qui circa antecedens versabatur.

Quorundam error.

Decipiuntur idcirco, credentes assensum antecedentis se habere tanquam puram conditionem respectu assensûs consequentis; cùm potius existimandum sit intellectum esse causam utriusque assensûs, ita tamen, ut in ordine ad assensum consequentis, causa sit, quatenus affectus, atque determinatus per assensum antecedentis, cùm circa antecedens non indigeret per se determinatione alterius iudicij, nec requireret se esse affectum præuio huiusmodi assensu, sed satis superque sibi foret apprehensio prævia, ut superius explicatum fuit.

Quando intellectus discurrit.

Quamobrem tunc intellectus discurrit, quando ex assensu unius, vel plurium propositionum, elicit assensum alterius, ut assensus ex assensu fiat, atque connexio, seu consecutio non se præcisè teneat ex parte obiecti cogniti, quando scilicet intellectus cognoscit ipsam connexionem, atque causalitatem, sed ex parte cognitionis, adeo ut cognitio consequentis, ex antecedentis cognitione pendeat, quatenus pendet ab intellectu prout affecto priori iudicio, ex cuius assensu impellitur ad assensum consequentis eliciendum.

Ratio confirmatur.

Hoc inde fit euidens, quoniam hæc dependentia inter

ter assensus, atque adeo ex parte cognitionum, optimè dari potest, quanuis non detur ex parte obiecti, ut planè contingit, quando nos à posteriori, ut aiunt, & ab effectu ratiocinantes, ad causam procedimus; sat enim ad discursum, ut assensus ab assensu pendeat, quanuis ex parte obiecti, nulla pendentia intercedat. Hoc igitur sensu discursus explicandus, ita ut dicatur actus, quo intellectus infert unum ex alio, deducitque determinatum assensum unius propositionis, ex assensu, quem præbuit alteri vel alijs, & assensus unius in mente, ex alterius assensu modo iam explicato, proueniat. Hæc dependentia unius assensûs ex alio, per particulam *ergò*, vel aliam æqui polentem significatur, ut paulo antea dicebam.

Quæ de sensu ida. dif nsui pof ut etiã xommo ti,

Tametsi autem hucusque de assensu verba fecerimus, eadem tamen dissensui accomodari volumus; Ità scilicet, ut hæc eadem in iudicio negatiuo, cum scilicet negatiua conclusio deducitur, locum habeant; adhuc enim dicendum tunc cognitionem, ex cognitione deduci, & iudicium etsi negatiuum, à iudicio pendere, & fieri, ita ut iudicium consequentis, quanuis negativum sit, ex vi antecedentis iudicij comparetur; intellectus enim non magis ex vi assensûs, quem præbet huic propositioni *omne rationale est risibile*, infert assensum, quem præbet huic, *quod omnis homo sit risibilis*, quàm si ex assensu eodem inferat, quòd *nullus homo sit lapis*, hoc autem iudicium negativum propriè nuncupatur *dissensus*.

ur dupli nomine dicium pelle- nomi- eq; assen is nuncu ari so- at.

Duplex tamen iudicium, tam scilicet affirmativum, quàm negativum, assensûs nomine consueuit appellari; & quia quæ de assensu propriè sumpto dicuntur, quantum ad hanc dependentiam, dissensui quoque accomodari possunt; & quia quodcumque iudicium quanuis etiam negativum, videtur sibi quodammodo rationem assensûs vendicare, propterea quòd dum intellectus negat, quodammodo negativæ assentitur propositioni, eam tanquam veram recipiendo ac acceptando.

Quorun- dam opi- nio.

Posset autem quispiam suspicari discursum, utrumque assensum inuoluere, scilicet antecedentis, & consequentis, quasi sit quoddam aggregatum ex vtroque consurgens, nec defuerunt, quibus hic dicendi modus arriserit.

Assertio, ocens uid hac e re di- endum.

Mihi tamen longè magis eorum sententia probatur, quibus est visum consistere discursum præcisè in conclusionis assensu, causato tamen ex assensu antecedentis, ita ut non inuoluat intrinsecùs assensum utrumque, ut paulò antea relatus dicendi modus affirmabat. Idque ratio suadet, quoniam assensus, quem intellectus præbet antecedenti, vel præmissis, est longè diuersus ab eo, quem præstat conclusioni, ille siquidem simplex iudicium est ad secundam spectans operationem: hic autem est iudicium illativum ex alio deductum ad tertiam operationem pertinens, quam esse discursum dicebamus, proinde discursus non in aggregato istorum assensuum naturâ diuersorum, sed in eo tantummodo, qui illativus est, consistet.

Circa quid ver- etur di- cursus. Assertio, & Opinio rum pro- ertenda.

Proximum est, ut explicemus id, circa quod versatur discursus, quodque eius obiectum dicitur. Tametsi autem hac de re non videatur idem Philosophorum sensus, mihi tamen eorum arridet opinio, qui dicunt discursûs obiectum esse connexionem extremorum, prò ut hæc inter extrema exercetur ratione tertij, quod medium appellatur. Hoc euidens est consideranti naturam discursûs. quando enim intellectus præstat assensum alicui propositioni affirmans dari connexionem inter prædicatum, & subiectum; deinde affirmat etiam quod est subiectum illius de alio, tanquam prædicatum, de subiecto adstruens inter hæc dari connexionem, & ex eo quòd illa duo videat cum tertio esse connexa, iudicat esse connexa inter se; tunc intellectus dicitur discurrere; ut cùm iudicat omne animal rationale esse risibile, affirmans dari connexionem inter risibilitatem, & animal rationale; deinde cognoscit inter hominem, & animal rationale, dari itidem connexionem; postea verò ex eo, quòd cognouerit risibile, & hominem cum rationali connecti, cognoscit etiam hominem, & risibile connecti inter se, eo quòd utrumque viderit cum rationali connexum esse, tunc dicitur discurrere, proindeque discursus versatur circa illam connexionem inter extrema, quatenus hæc inter se conectuntur in conclusione, eo quòd fuerint in præmissis connexa cum tertio.

Quomo- do discur- sus dica- tur proce- dere ex no to ad igno tum.

Sic autem celebratur discursus, ut is rectè dicatur procedere ex notis ad ignota: tametsi enim plerumque contingat, ut conclusio sit alioquin nota, vel aliunde, vel quia per similem discursum innotuerit; tamen adhuc optimè cum veritate consentit, quòd perpetuò discursus procedat à notis ad ignota, quoniam cum intellectus infert conclusionem, quam prius nouerat, adhuc tamen dicitur inferre conclusionem ignotam, quatenus ea nota non est ex vi cognitionis antecedentis, vel præmissarum, quas nouiter ipse habuit. Hac itaque ratione semper verissimum erit intellectum discurrendo ex notis ad ignota procedere.

Prima dif ficultas c rca præ dicta.

Occurrit tamen aliquid circa prædicta non nihil habens difficultatis; videtur enim discursus in eo planè consistere, quòd intellectus cognoscat consecutionis vim, rectèque conclusionem ex antecedenti, vel præmissis inferri, proindeque tale iudicium esse, non autem illud, quale esse oportere dictum fuit. Propterea quòd sæpe usu venit, ut intellectus præstet assensum propositionibus falsis, vel terminorum non significantium combinatione confectis. Vt cùm ita ratiocinatur, *omne animal est lapis; omnis homo est animal; ergò omnis homo est lapis*. Vel omnis *A.* est *B.* omnis *C.* est *A.* ergò omnis *C.* est *B.* In huiusmodi autem actibus nullus assensus circa propositiones occurrit, sed vel sola apprehensio simplex, vel simplex iudicium de sola consecutione illationeve conclusionis ex præmissis, & tamen intellectus discurrit. Hoc autem inditio est discursum à simplici iudicio non alium actum esse.

Quorum- dam opi- nio.

Si tunc intellectus verè discureret ut aliquibus placet, proculdubio difficultas non foret solutu facilis; re tamen verâ tunc intellectus non ratiocinatur, discursûs actum non exercet, sed tantùm apprehendit, & iudicat, ut idem illi affirmant.

Reijcitur.

Ad hunc tamen dicendi modum potui nunquam animum inducere; cùm ad discursum satis superque sit, ut intellectus ex connexione duorum cum tertio, deducat connexionem duorum eorumdem inter se. quod in huiusmodi casibus contingere perspicuum est; quanuis enim duo re ipsâ non sint conneva cum tertio, iudicat tamen esse connexa, hoc est ei repræsentantur tanquam connexa, quanuis realiter connexa non sint, & ex vi istius connexionis, quam duorum illorum putat dari cum tertio, mutuam connexionem eorundem deducit. Nihil enim refert, nisi ad veritatem propositionum, quòd detur, vel non detur re ipsâ talis connexio. alioquin nunquam intellectus discurreret, nisi propositionibus veris existentibus, quòd admittendum non est. Idcirco videtur intellectus in huiusmodi casibus deducere mutuam connexionem duorum ex hypothesi, quòd illa connexa sint cum tertio, atque adeo discurrere.

Quid di- cendum.

Secunda difficultas & est de propositio ne condi- tionali.

Deinde est quoque difficultas de propositione conditionali, quæ dicitur illatiua, tunc enim videtur intellectus discurrere, cum tamen solùm intercedat ap-

pre-

prehensio simplex, simplexque iudicium; ut cum quis ait, *si Sol lucet, dies est*.

Quorundam opinio. Sunt, qui putant nullum tunc discursum fieri. Sed si rectè attendas, re verâ tunc intellectum discurrere deprehendes, non exercere tamen simplex tantummodo iudicium, sed utrumque, videlicet & simplex, & illativum. Dicere namque, *si Sol lucet, dies est*, perindè est, ac si dicatur *Sol lucet, ex hypothesi; ergò dies est*, ubi ex vi illius iudicij, & assensûs, quem intellectus præstitit antecedenti, deducit consequens. Nihil autem refert, quòd hæc non sint expressa verbis, sat enim, ut in intellectu dentur hi actus, quorum unus ex vi alterius eliciatur, quamuis totum id per enunciationem conditionalem exprimatur.

Reijcitur. Contrariam opinionem tuentes falsa decepit imaginatio; considerarunt enim propositionem conditionalem pro ut per actum reflexum attingitur; actus enim ille reflexus, quo consideratur quid, & quomodo se habeat illa cognitio, simplex iudicium est, nullam illationem inuoluens; at cognitio ipsa, quæ per propositionem conditionalem exprimitur, vel ut illationem includens, gemina cognitio est, quarum una vi alterius infertur, ac proinde discursus.

Quid ad discursum requiratur Requirit igitur discursus eam, quam diximus dependentiam unius cognitionis ex alia; nullus enim sine illa discursus. Hæc tamen dependentia non utcumque explicanda, sed eo sensu, quo superiùs diximus, ut scilicet duo inter se dicantur connecti, eò quòd cum tertio connectantur, cum utrunque intellectum fuerit, quod in solo iudicio contingit; ex eo enim quòd intellectus iudicauerit duo illa esse cum tertio coniuncta, determinatè infert iudicium aliud, quo decernit eadem duo inter se debere esse connexa, quod in apprehensione non euenit; non enim intellectus cò quòd apprehenderit duo cum tertio coniungi, apprehendit coniungi inter se, ita ut ex unius, vel plurium apprehensionum vi, aliam apprehensionem eliciat, quoniam omnis apprehensio repræsentat solùm per modum *quid est id*, cuius est apprehensio, in quo nulla cadit illatio, cùm hæc determinatum assensum efflagitet; sic igitur se discursus habet.

Difficultas Videri forsitan posset discursus pluribus cognitionibus constare, quoniam præmissæ, ipsius materia, videantur, quatenus sint materia conclusionis se habentis ut forma. Re tamen verâ præmissæ potius se tenent ex parte efficientis, quatenus intellectus vi ipsarum determinatur ad præstandum assensum, vel dissensum conclusioni, ac proinde ad discurrendum, cum in huiusmodi assensu conclusionis, discursus ipse consistat. Non inficiandum tamen accipi discursum posse pro aggregato assensuum, tam præmissarum, quàm conclusionis; non propterea tamen præmissæ dicendæ, nisi per quandam similitudinem, materia, conclusio autem forma, quatenus ex ipsis quodammodo incompletis, accessu conclusionis per modum complementi, fit totum id, quod syllogismus dicitur; alioquin æque præmissæ, & conclusio videntur integrantes partes orationis, quæ syllogismus appellatur.

Solutio.

Aristotelis auctoritas ei fit satis. Et quamuis Philosophus aliquando videatur dixisse præmissas esse conclusionis materiam, id non eo sensu intelligendum, quo aliqui eius verba interpretantur; sed potius existimandum eò tendere consilium ipsius, ut doceat conclusionem, quæ discursûs obiectum est, ipsdem constare terminis, quibus præmissæ constant, puta maiori, minorique extremo inter se connexis, quæ in præmissis cum tertio nectuntur.

SECTIO SECVNDA.

Assensus consequentis cum antecedentis assensu confertur.

Quid inquirendi proponatur. AD exactè discursûs naturam assequendam, antecedentis assensum, cum assensu consequentis iuvat in præsens conferre, quo pacto nimirum huiusmodi se habeant actus, quanta sit eorum distinctio, quanta coniunctio, quæ, & qualis sit dependentia actus consequentis ab antecedenti. Sunt, qui putant discursum non effici actibus distinctis, sed potius unicum esse, & quidem simplex iudicium, ità ut intellectus dum infert unum ex alio, præbeat assensum conclusioni vi illius, quem præstitit antecedenti, non tamen duplici, sed unico tantùm actu, quo assentiatur utrique, ita ut quatenus præstat assensum consequenti dicatur discurrere.

Prima opinio.

Hoc cum plerisque videretur admodum à veritate remotum, existimarunt distinctum esse assensum consequentis ab antecedentis assensu, ita tamen, ut assensus antecedentis in consequentis assensu aliquo modo inuoluatur, quod ut explicent, dicunt eundem assensum esse, quo attingitur antecedens, & consequens, modo tamen diuerso, nempe antecedens, & præmissæ attingantur in obliquo; consequens verò, & conclusio in recto.

Secunda opinio.

Ex aduerso contendunt alij distinctis actibus effor- Tertia opinio. mari discursum, ita ut actus, quem exercet intellectus in præbendo assensu consequenti, & conclusioni, sit realiter distinctus ab eo, quem circa antecedens, & præmissas exercet.

Quarta opinio. Nonnulli tamen hâc distinctione non contenti, quidpiam aliud addendum crediderunt, scilicet inter actus prædictos intercedere temporis moram, proindèque non esse simul, sed priùs exerceri actum circa antecedens, postmodum circa consequens, e quorum sententia propterea nequit momento temporis humani intellectus discursus absolui.

Assertio quid dicendum; Rectiùs illi sensisse videntur, qui putarunt consequentis assensum esse distinctum ab assensu antecedentis, adeo ut humanus intellectus per distinctos actus, assensum præbeat antecedenti, & consequenti.

Ratio assertionis. Hoc exploratum inde mihi fit, quoniam discursus, de quo hic agitur, in eo planè consistit, ut intellectus ex vi unius cognitionis inferat aliam, & ex vi vnius assensûs assensum alium deducat; hoc autem per unicum cognitionis actum fieri non potest, ut satis perspicuum est; deduci enim cognitionem unam ex alia, supponit cognitiones esse distinctas, non enim idem deduci potest ex se ipso.

Quorundam responsio; Neque est cur dicas ad discursum sufficere, ut intellectus cognoscat unum dependenter ab alio, siue unum cognoscat ex cognitione alterius, quod unico actu peragi non repugnat, ut cognoscere hominem esse risibilem, eò quòd sit rationalis.

Cõfutatio. Hoc enim inconsideratè dicitur; tametsi namque per unicum actum liceat cognoscere unum ex alio, non tamen per unicum actum licet unum ex cognitione alterius cognoscere; primum enim in eo consistit, ut cognoscens percipiat unum habere esse ex alio, ut risibilitatem ex rationalitate: secundum autem importat, ut cognoscens sumat cognitionem unius, ex cognitione alterius, adeo ut re verâ cognitionem unius, ex cognitione alterius deducat; primum per unicum actum absolui potest, ut in intellectu angelico; secundum autem non potest.

Hoc forsan ad potentiæ cognoscentis perfectionem

vel

vel imperfectionem refundendum; perfectioris enim intellectus, est unico actu, unum ex alio cognoscere; imperfectioris autem pluribus. Vterque siquidem intellectus unum ex alio cognoscit, sed quod perfectior per unicum actum: imperfectior per plures actus assequitur.

Et quoniam posset aliquis comminisci quandam virtualem dependentiam inter assensum consequentis, & antecedentis, quæ potest sine multitudine actuum obtineri; proinde animaduertendum bifariam intelligi ordinem, ac dependentiam inter aliqua, vel scilicet virtualem, sine distinctione ex rei natura; vel formalem, cum vera dependentia unius ex alio, quæ sine distinctione in re, minimè potest contingere. Cum igitur asseritur ad discursum requiri, ut unius cognitio ex alterius cognitione deducatur, ita ut hæc ab illa pendeat, hoc non sic intelligendum, quasi hic ordo, & dependentia virtualis sit, sed formalis, adeo ut consequentis cognitio re ipsâ ab antecedentis cognitione pendeat, quod sine distinctione actuum obtineri non potest. Hoc autem superiores rationes conuincunt; cognitionem siquidem consequentis ex antecedentis notitia deduci, quod ad humanum discursum requiri dicebatur, importat cognitionem unam realiter ab alia ortum ducere, & ab ea pendere, quod sine distinctione ex rei naturâ, haberi non potest.

Immò tanta hinc distinctio colligitur, ut non quæcumque ex rei natura sufficiat, sed eâ prorsus sit opus, quæ realis dicitur, tanquam rei à re. Non enim existimandum discursûs actum, quo scilicet consequens attingitur, modum esse quendam, qui afficiat antecedentis assensum; quin potius cogitandum esse quendam actum productum ab intellectu realiter distinctum ab eo, in quo antecedentis assensus consistit; adeout si fuerit enthimema, duo sint actus, quorum unus respiciat antecedens, alter verò consequens; si autem syllogismus, tres numero sint, quorum duo circa præmissas, tertius circa conclusionem sit occupatus. Possunt enim separari, quod realem distinctionem arguit.

Imò etiam illud addendum, realem hanc distinctionem actuum, essentialem esse dicendam. Non enim ita realiter distinguntur, ut eiusdem rationis sint, sed potius naturâ differunt, ita ut non distinguantur quemadmodum duo singularia sub eadem specie contenta, sed potius, quæ sunt diuersæ speciei; non ut duo homines, sed ut homo, & equus, qui ne dum numero, sed naturâ, & essentiâ discriminantur. Alia enim est ratio assensûs circa conclusionem, & alia circa antecedens, vel circa præmissas; propterea quòd non solùm eorum obiecta per ordinem ad quæ assensus illi distinguntur, naturâ sunt inter se distincta, sed etiam assensu conclusionis inuoluit, ex alio assensu dependentiam, quam antecedentis assensus non includit.

Deinde cogitandum rem sic se habere, ut post primum antecedentis, vel præmissarum assensum, intellectus non sic assentiatur conclusioni, ut rursus ijdem præmissis assensum præbeat; sed potius asserendum in assensu consequentis nullum assensum antecedentis includi, licet assensus consequentis ex vi antecedentis assensus eliciatur.

Hoc mihi perspectum adeo, ut nihil magis. Deduci enim assensum consequentis ex assensu antecedentis, importat antecedens & consequens cognosci per modum plurium; at intellectus humanus non potest plura unico actu per modum plurium cognoscere; propterea non poterit intellectus sic assentiri conclusioni, ut rursus eodem actu antecedenti, vel præmissis assentiatur, adeout antecedentis, vel præmissarum assensus, in assensu conclusionis formaliter inuoluatur.

Excluditur igitur hæc formalis inclusio, non tamen omnis, cum aliqua saltem virtualis requiratur, quæ talis dici potest, quatenus consistit in illa dependentia, quam assensus consequentis ab antecedentis assensu, tanquam effectus à ratione quapiam causæ suæ, scilicet intellectûs, habet. Nam superiùs adnotatum fuit intellectum, quatenus affectum antecedentis assensu, causam quidem esse assensûs consequentis, ac proinde intellectum sic affectum in eo includi, ad eum modum quo omnis causa in effectu suo includi dicitur, quatenus is dependentiæ ordinem ad causam suam inuolui. Quomodo assensus antecedentis includatur in assensu consequentis.

Superest tamen ad exactiùs humani discursus naturam explicandam aduertere, non sic se habere assensum antecedentis ad consequentis assensum, ut ille huic debeat tempore anteire, cùm hoc minimè requiratur; satis enim superque anteceßio naturæ, adeout quanuis eodem momento temporis uterque sit assensus, adhuc tamen intellectus dicatur exercere discursum, cum hic in eo tantummodo consistat, ut intellectus assensum consequentis ex vi assensûs antecedentis eliciat, adeout hic, ab illo pendeat, velut ab ea ratione, quâ ad intellectum suam consecutionem habet. Cùm enim huiusmodi actus fuerint distincti, ità tamen, ut unus, nimirum ille, per quem intellectus assentitur conclusioni, pendeat ab eo, quem exercuit assentiendo antecedenti, optimè saluatur illationis ratio, quâ dici possit intellectus unum ex alio cognoscere; ex una notitia in aliam deduci, & ex noto ad ignotum procedere. Nihil enim refert ad hoc, ut omnes actus in eodem instanti ab intellectu exerceantur, in eodemque sint simul; cùm illationis vis in illa dependentia unius actûs ab alio consistat. Quod Aristoteli placuisse perspicuum satis ex eo, quòd aliquando pronunciauerit, cognita minori propositione ab intellectu, conclusionem cognosci. Assensus antecedentis, non debet necessario anteire assensui consequentis.

Hæc autem non eo dico, quasi non possit intellectus priùs tempore præmissis assentiri, neque hoc Philosophus affirmat; sed quia ut assentiatur conclusioni necesse est, ut eodem momento temporis assentiatur præmissis; ita ut si præstet assensum conclusioni, simul etiam debeat præmissis assentiri, per accidens enim existimandum, ut priùs tempore præmissis sit assentitus; qua de re paulo infra sermo redibit. Potest tamen intellectus, priùs tempore assentiri antecedenti.

Et rectè quidem, nàm intellectus potest actum suspendere circa conclusionem; quanuis enim naturalis sit causa, si intrinsecùs spectetur, libera tamen est per participationem libertatis, quæ voluntatis est propria; quamobrem necessitas illi debita solùm est quantum ad specificationem actûs, non quantum ad exercitium; quod sic usurpandum, ut si præmissis assentiatur, quanuis pro ea, quam à voluntate participat, libertate, possit ab assensu consequentis, seu conclusionis abstinere; si tamen illum eliciat, talis esse debet, qualem assensus præmissarum requirit. Ratione suadetur.

Nec propterea humani intellectus discursus idem erit ac ille, qui mentibus abstractis conuenire conjectur; adhuc enim discriminantur inuicem; qui enim conuenit humano intellectui est cum distinctione actuum, ordineque dependentiæ, ac illationis unius ex alio; at secus ille, qui mentibus abstractis conuenire dicitur, quippe qui nec distinctione actuum, nec illatione unius ex alio indiget. Difficultas præoccupata, simulque soluta.

Neque dicas velim etiam abstractas mentes distinctis actibus uti posse, undè hinc non saluari differentiam inter huiusmodi discursus, ac proinde ad successionem tempore mensuratam, quæ sit humani discursûs propria, confugiendum esse. Si quis enim in illis distinctionem actuum admittet, successionem etiam concedet, unde ad distinctionem saluandam totum Solutionis impugnatio præoccupata, simulque confutata.

non

non erit successionem ipsam accersire, adhuc enim deberent inuicem discriminari. Præstat ob id aliunde sumere discrimen, dicendo falsum assumi, abstractas nimirum mentes uti distinctis actibus posse, ita, ut ex vi assensûs antecedentis, consequentis assensum eliciant; præstat, inquam, potius, quàm adhærere consilio existimantium discursus adhuc fore naturâ diuersos, quoniam intellectus humanus per conuersionem ad phantasmata celebratur: non sic ille, quem æterna mentes exercent; nam ex accidenti id humano intellectui conuenit, quatenus videlicet is est unitus corpori, ab hoc enim seiunctus ita discursum exercet, ut hic longè sit naturâ diuersus ab eo, qui mentibus abstractis conceditur. Anima enim intelligens abiuncta quidem à corpore, ut ab æternis mentibus naturâ differt, sic, & intelligendi munus, diuerso modo prorsus obire debet.

Difficultas circa prædicta, Illud tamen aliquid negotij facessit; quoniam eodem actu videtur dicendus intellectus ferri in obiectum, & in rationem cognoscendi illud; ut visus eodem actu fertur in colorem, & lumen, hoc existente ratione cognoscendi illum; at antecedens est ratio cognoscendi consequens; non ergo distincti sunt actus, assensus antecedentis, & consequentis.

Solutio; Quod assumitur concedendum quidem si cognoscatur obiectum non intercedente dependentiâ à cognitione rationis, ut de colore, & lumine pallam, & apertum, non enim visus ita percipit lumen, ut ex vi ipsius colorem percipiat, sed utrunque æquè attingit, ac proinde lumen dicitur ratio, per quam color cognoscitur; sed intellectus antecedens cognoscit, sic, ut ex vi ipsius cognoscat consequens, adeout ex vi illius cognitionis, cognitionem istius deducat, quod est illud esse rationem *ex qua*. Hoc autem inde prouenit, quoniam obiectum, & ratio, per quam, etsi plura, cognosci tamen possunt per modum uniusjat obiectum, & ratio ex qua, non item quod etiam superiùs insinuatum fuit.

Alia difficultas, Posset etiam esse difficultas à paritate voluntatis desumpta, quoniam ut hæc uno, ac eodem actu finem, & media attingit: sic etiam intellectus, antecedens, & conclusionem, cum hæc in genere cognoscibilis se habeat ut finis, & illud ut medium, quod apud Philosophum expressum legimus; non inficiandum igitur intellectum eodem actu antecedenti, & conclusioni assentiri, ac proinde discursum per distinctionem actuum non absolui.

Solutio; Non satis tamen constat quid de voluntate dicendum, fortassis enim voluntas non minus distinctis actibus in media, & finem fertur. Hoc tamen admisso, non idem subinde de intellectu dicendum; nam dum efficaciter appetuntur media, certè non nisi quatenus ad finis consecutionem utilitatem habent, hæc autem bonitas utilitatis dicit formaliter ordinem ad finem; quamobrem mediorum quatenus hanc utilitatem important, simul est & mediorum, & finis amor; ita fit, ut efficaciter velle finem assequi, sit velle applicare media ad consecutionem finis. Veritas autem præmissarum non consistit formaliter in ordine ad conclusionem, nec huius veritas in ordine ad præmissas posita est; nec assentiri præmissis formaliter est assentiri conclusioni, nisi virtute id sic se habere, concedendum; solùm enim cogimur admittere prærequiri veritatem cognitam in præmissis, ut inde veritas conclusionis inferatur, ac proinde quanuis voluntas uno, eodemque actu feratur in bonitatem mediorum, & finis, cum mediorum bonitas utilitatis in illo ordine ad finem consistat, non idem de intellectu dicendum respectu antecedentis, seu præmissarum, & conclusionis.

Quòd si dicas hinc secuturum intellectum humanum simul habere plures, ac distinctos actus, quibus cognosceret plura, ut plura, cùm ex vi cognitionis antecedentis, conclusionem cognoscere sit plura ut plura cognoscere. Hoc nihil est, nam, ut omittam hâc difficultate longè magis premi, vexarique contrariæ sententiæ fautores, quod enim nobis obijciunt de intellectu cognoscente per plures actus, ipsos de eodem vexat cognoscente per unicum actum, sequeretur ex eorum opinione, quod longè deterius est, intellectum nempe unico actu posse plura ut plura cognoscere, quod adeo inconueniens, ut hinc superius nobis ratio suppetierit ad probandam distinctionem actuum in eo, quem intellectus exercet, discursu. Occurrendum igitur dicendo nullum inconueniens esse admittere, ab intellectu elici simul posse plures actus inter se connexos, ità ut unus inferatur ex alio, licet plures inconnexi, ac disparati ab eo simul elici non possint. Immò passim id contingere, cuique perspectum, nam simul in intellectu esse possunt apprehensio, & iudicium, immò & plures apprehensiones. Hoc autem ideo, quia quanuis antecedens, & consequens sint adeo plura, ut unico actu attingi non possint, non tamen adeo plura, ut ratione connexionis tantam unitatem non induant, quanta sat est, ut intellectus pluribus actibus ea plura simul possit percipere. **Difficultas præcedens præsens quæstio.**

Posset etiam in medium difficultas adduci ad ostendendum successionem actuum requiri. Potest enim intellectus ratiocinando aliquam conclusionem inferre, deinde conclusionem deductam tanquam præmissam adhibere ad aliam conclusionem deducendam, hoc tamen non fit, nisi successione quadam, ut frequenti constat experientiâ; & ratio euidens suppetit, quoniam fieri non potest, ut omnes hi actus in intellectu simul existant. Hæc difficultas ex falso procedit supposito, quod nimirum in omni discursu nos affirmemus requiri, omnes actus eodem temporis momento in intellectu esse; id enim non admittimus, nec requirimus, solùm contendentes quando intellectus ex antecedenti, vel ex præmissis conclusionem deducit, momento temporis id totum absolui, ultrò fatentes, cum per primum discursum conclusionem deduxerit, successione temporis intellectum conclusionem eandem, tanquam præmissam assumere, eidemque simplicis iudicij assensum præbere, quam iudicio illatiuo præconceperat, & simul conclusionem ex vi eiusdem inferre, proindeque iudicium illativum ellicere. **Difficultas alterius quæstionis.**

SECTIO TERTIA.

Quomodo antecedentis assensus sit causa assensûs consequentis.

De quo agendum proponitur. INsinuatum superiùs fuit, quâ ratione, quoue modo consequentis assensus ab assensu antecedentis debeat suum esse recognoscere, nimirum quatenus ab intellectu, ut affecto assensu antecedentis, producitur. Supereſt, ut hîc ulteriùs hoc idem diligentius perscrutemur.

Assensus antecedentis quo modo sit causa assensûs consequentis. Principiò igitur rem ipsam iterum agressi, veritatem eandem inculcantes, pronunciamus antecedentis assensum causam esse assensûs consequentis, eoquòd se teneat ex parte causæ efficientis, videlicet intellectûs, cui omnis operatio accepta referri debeti & quoniam immanens operatio est, ob id intellectus comparatione operationis suæ duplex causalitatis genus exercet, scilicet efficientis, & subiecti. Non sic autem hoc usurpandum, ita ut assensus consequentis aliquem causalitatis modum ergà assensum antecedentis non

obti-

Digitized by Google

obtineat, propterea quòd, ut assensus antecedentis ex parte se tenet efficientis, sic assensus consequentis respectu illius finis rationem obtinet.

Superioris dictionis explicatio.

Rectiùs autem hoc modo assensum antecedentis dici causam assensûs consequentis, inde mihi persuasum, quoniam nequit ita dici eo nomine, quòd antecedentis assensus per se ipsum efficiat assensum consequentis. Vniuersè siquidem nulla cognitio potest aliam producere, siuè alium ellicere; hoc enim ad potentiam intelligentem pertinet, cùm huius sit operari; solùm igitur sensu iam explicato poterit assensus antecedentis dici causa assensûs consequentis, quatenus intellectus per assensum antecedentis determinatur, immò compellitur quantum ad specificationem actûs ad præbendum assensum consequenti, seù ad assensum consequentis eliciendum.

Sed hoc gemino modo potest intelligi, vel quòd assensus antecedentis sit agendi ratio, vel quòd sit solùm conditio. Difficultatis enodatio pendet ex acceptione, quâ sumitur ratio agendi. Vel namque per hanc intelligitur illa, quâ efficiens operatur, sic ut se habeat tanquam id quo dat esse effectui, ita ut ab illa, velut à principio quo, operatio egrediatur, ad eum modum, quo se habet calor in igne respectu calefactionis. Vel summitur pro illa ratione, quâ determinatur causa efficiens ad producendum potius unum, quàm alium specie effectum. Si priori modo sumatur agendi ratio, proculdubio assensus antecedentis minimè dicendus ratio agendi respectu assensûs consequentis. Etenim ut assensus antecedentis hoc modo ratio dici posset, certè deberet directè per se influere in assensum consequentis, ita ut hic ab illo, velut à principio quo, penderet, quod iam non immeritò actui respectu alterius actûs denegauimus, eam ob causam, quoniam omnis efficientia potentiæ operanti tribuenda sit. Si autem secundo modo operandi ratio usurpetur, concedendum assensui antecedentis illam conuenire, quo pacto conditio quædam est; quòd si nomine rationis agendi ea nuncupetur, ideo factum, ut secerneretur ab ea conditione, quæ relinquit potentiam indiferentem ad eliciendum hunc, vel alium specie actum, ut apprehensio est comparatione iudicij. Hæc enim in intellectu præquiritur, ut is iudicium possit elicere; hinc tamen nulla in ipso ad eliciendum potius iudicium affirmans, vel negans determinatio.

At iudicium, seù assensus antecedentis, quo nomine intelligo tam assensum propriè dictum, quàm dissensum, determinat intellectum ad eliciendum potius assensum, vel dissensum consequentis &c. Hoc ex eo perspicuum, quoniam si prærequiratur in intellectu assensus antecedentis, & hic esse non possit agendi ratio iuxta priorem usurpationem, consequens est, ut sit iuxta secundam, ac proindè conditio sit, huiusmodi tamen, ut non relinquat intellectum indifferentem ad hunc, vel illum speeie actum.

Quomodò assensus antecedentis determinet intellectum ad eliciendum assensum consequentis, &c.

Quanuis autem hoc modo conditio ista determinet intellectum ad eliciendum assensum consequentis, relinquit tamen illum indeterminatum, & indifferentem alio quidem modo, videlicet ad exercitium actûs.

Cogitandum igitur geminam esse necessitatem, quarum una est quoad specificationem actûs, altera quo ad exercitium eiusdem. Primam intellectui concessimus, supposito antecedentis assensu, eoquòd tunc ipse non est amplius indifferens ad eliciendum circa idem obiectum duos diuersos, & oppositos actus, quod intellectui antè assensum antecedentis concedendum, tunc enim is ad assensum, & dissensum, quemadmodum voluntas ad velle, & nolle, ad amorem, & odium indifferens est. Immò sic intellectui præmissarum assensus hanc necessitatem infert, ut huiusmodi assensu posito ei liberum non sit assentiri, vel dissentiri, nec ad id à voluntate cogi possit. Huius rei causam existimo, quoniam assensus antecedentis, seu præmissarum, & consequentis, seu conclusionis dissensus cohærere simul non possunt, cum omnino repugnet intellectum assentiri præmissis, & dissentiri conclusioni. At ad necessitatem alteram, quòd spectat, scilicet exercitij, ea est, quam intellectui denegamus, quoniam ut superiùs monuimus, quo ad exercitium eâ uti potest libertate, quam à voluntate participat, à qua nempè intellectus potest cohiberi, impedirivè, ne circa conclusionem actum eliciat. Siquidem voluntas imperium, atque dominium supra intellectum obtinet, habetque facultatem illum mouendi quoad exercitium, eundemque diuertendi, distrahendique à consideratione obiecti præcogniti, ad aliud; undè non mirum si posito præmissarum assensu, immo etiam apprehensione conclusionis, possit non exire in actum eidem assentiendi, propterea quòd, ut nuper dictum fuit, voluntas continere potest intellectum, ne eliciat assensum conclusionis, aut illum distrahendo ad cogitandum aliud, & ad aliam considerationem, non omnino priorem cogitationem extinguendo: aut solùm suspendendo intellectum, prohibendoque illi, ne eliciat actum assensûs circa conclusionem.

Aristotelis locus explicatus.

Nec oppositum sensisse videtur Aristoteles dicens supposito assensu maioris, si intellectus præstiterit assensum minori propositioni, necessariò sequi conclusionis assensum, quanuis per solum assensum maioris, haud necessariò intellectus inducatur ad præstandum assensum conclusioni; siquidem hæc certè de exercitij necessitate intelligenda sunt. Vt ex eius verbis colligere cuique facillimum est, sic enim loquitur. *E'στι δ' γνωρίζειν, τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, πᾶσι δὲ τῷ ἀμαλαμβάνοντα τὰ ὑπογνώσιν, οἷον ὅσα τυγχάνει ὄντα τοῦτο τὸ καθόλου, ἂν ἐχῇ τὸ τῷ γνῶσιν. ὁ μὲν γὰρ τὰς πίγωνον ἔχει δοσὶν ὀρθαῖς ἴσας, προῖδει. ὅτι δὲ τόδε τὸ ἐν τῇ ἡμικυκλίῳ τρίγωνόν ἐστιν, ἅμα ἐπαγάγηται ἐγνώρισεν. ἐνίων γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον ἡ μάθησίς ἐστι, τῷ δὲ διὰ τὸ μέσου τὸ ἔσχατον γνωρίζεται, ὅσα ἄδηλα καθ' ἕκαστα τυγχάνει ὄντα, τῷ μὴ καθ' ὅλου τινός.* *Sunt autem eorum quæ cognoscuntur, quædam, quæ ob id postea à nobis cognoscuntur, quoniam anteceſſit aliarum rerum cognitio. Alia verò sunt, quorum simul cum altero acquiritur cognitio, cuius generis sunt singulæ partes, quæ sub uno genere uniuerſo, quod tibi cognitum sit, comprehenduntur. Nam quòd omne triangulum tres habeat angulos pares duobus rectis, prænoueras, quod verò etiam illud quod in ſemicirculo deſcriptum eſt, tale ſit, ſtatim vbi animum aduertiſti ad illud, agnouiſti, ſunt igitur res quædam, quæ hoc modo in aliis cognoſcuntur, nec medio adhibito, extrema intelliguntur, cuiuſmodi ſunt omnis generis vniuerſæ ſingulæ partes omniaque, quæ de nullo ſubiecto dicuntur.* Ita hæc verti commodè possunt. Ex his porro cuique palam, Aristotelem de exercitij necessitate fuisse locutum. Horum nanque sententia hæc est. Quantunuis de principijs, hoc est de præmissis cognosci debeat *quod eſt*, nempè quòd veræ sint; non semper tamen hæc præcognitio de veritate utriusque præmissæ præcedit tempore cognitionem de veritate conclusionis, sed potest contingere, ut aliquando maior præcognoscatur prius tempore, veritas autem minoris cognoscatur simul tempore cum veritate conclusionis; itaut conclusionem solum prioritate naturæ siue causalitatis præcedat. Vt si quispiam iam cognoscat cuiuscunque trianguli tres angulos æquales esse duobus rectis, non dum tamen viderit triangulum in semicirculo descriptum: statim ac tale triangulum in semicirculo descriptum viderit, illud tres

Primo Post. cap. 1. text. 2.

Digitized by Google

habere angulos duobus rectis æquales, poterit cognoscere, hoc est actum, circa conclusionem elicere; Vt igitur per sensum immediatè triangulum in semicirculo descriptum: sic multas alias veritates ex terminis intellectus cognoscit; sed de hoc infra disputandum, nam Philosophus id dicebat, supposito quòd intellectus non impediatur, seu cohibeatur à voluntate, præsertim in rebus perspicuis, ac euidentibus, alioquin non præteribat ipsum, nec etiam ab assensu minoris necessariò intellectum induci ad exercitium actûs circa conclusionem; quoniam etiam si præmissæ sint euidentes, & connexio conclusionis cum ipsis euidens sit, voluntas tamen adhuc intellectum continere potest, supposito etiam præmissarum assensu, & aduertentiâ conclusionis, ne exerceat actum assentiendi conclusioni.

Difficultas præoccupata simulque soluta.

Neque dicas velim, quemadmodum voluntas nequit se ipsam cohibere, ne eliciat media necessaria ad finis consecutionem, suppositâ finis efficaci intentione: sic nec etiam poterit cohibere intellectum, ne eliciat assensum conclusionis, supposito præmissarum assensu. Ratio enim non eadem. Nam tunc tantummodo ex efficaci intentione finis, necessariò sequitur mediorum electio, quando is, qui finem intendit, cognoscit hîc, & nunc tale medium necessarium esse, nisi enim medium assumeret, prior illa finis destrueretur intentio. Non sic autem intellectus, non enim hic, nisi simul assensum præbeat conclusioni, debet simul præmissarum assensum deponere.

Explicatur apprehensio relata ad iudicium.

Sed explicatum cum sit quo pacto se habeat assensus antecedentis relatus ad assensum consequentis; proximum est, ut pauca quædam subijciamus de apprehensione relata ad iudicium. Apprehensione terminorum suppositâ, ex quibus contexuntur propositiones euidentes naturæ lumine, uti sunt prima principia complexa, necessariò quo ad specificationem debet intellectus circa tales propositiones actum elicere, adeout in eius non sit potestate assentiri, vel dissentiri. Vt si apprehendat quid significetur per hanc propositionem *omne totum est maius sua parte*, non est in potestate ipsius assentiri, vel dissentiri, sed si debeat elicere actum, hic debet esse assensus.

Difficultas.

Videbitur alicui forsan hoc à nobis, minus consequenter dictum ad superiùs tradita; docuimus enim intellectum ex apprehensione nullam determinationem contrahere, sed expeditum, ac indifferentem ad assensum, atque dissensum remanere, ac proinde eo nomine apprehensionem à iudicio differre, quòd per istud determinetur ad specificationem actûs circa conclusionem, secus autem per apprehensionem.

Solutio.

Verumenimverò considerandum apprehensionem gemino modo necessitatem hanc specificationis intellectui posse conferre, primò sui naturâ, & hoc inficiandum; secundò ratione luminis naturalis, atque adeo vi, qua præditus est intellectus per se ipsum cognoscendi connexionem obuiam inter prædicatum, & subiectum, & hoc planè concedendum.

Ratio autem discriminis in eo posita est, quoniam si naturam apprehensionis attendas, facilè reperies æquè benè cum ea cohærere posse assensum, vel dissensum. Non sic autem se iudicium habet quando intellectus ratiocinatur, nam nequit coniungi cum præmissarum assensu, conclusionis dissensus, quoniam dissentiri conclusioni, est negare connexionem inter subiectum, & prædicatum; repugnat autem connexionem inter hæc negare, cum fuerit affirmatum dari connexionem eorundem cum tertio, scilicet cum medio: si semel enim intellectus affirmauerit duo quædam cum aliquo coniungi, non est ei liberum amplius affirmare, vel negare eadem inter se coniungi; sed potius affirmare cogitur ea esse inter se connexa, cum omninò repugnet aliqua cum tertio connecti, & inuicem disiungi; non secus enim foret, ac affirmare duo inter se coniungi, & eadem quoq; disiungi; perinde nanque foret eidem assentiri, & dissentiri propositioni.

Necessitas exercitij considerandi à sumitur.

Ad exercitij necessitatem quod spectat, tametsi passim usu venire soleat, ut cum intellectus propositionem euidentem apprehenderit, descendat etiam ad iudicium eiusdem; nihil tamen prohibet, quo minus intellectus à iudicio se abstineat, vel quia aliò sit auocatus, vel quia potest à voluntate cohiberi, ne ad iudicij actum descendat.

Hoc satis euidens ex quotidiano usu, frequenter enim contingit, ut de propositionibus euidentibus cogitemus, quanuis nullum præbeamus assensum, ut cum dicimus. *Quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia*, est propositio affirmatiua; est primum principium complexum, & id genus alia; tunc enim intellectus non attendit veritatem propositionis, sed potius est intentus ad conditiones alias, nimirum quòd sit propositio affirmatiua, quod sit primum principium; quanuis igitur apprehendat quid per illam propositionem significetur, potest illi non assentiri. Si igitur per attentionem ad aliud contingit, ut intellectus non præbeat assensum huiusmodi propositionibus; multo magis id euenire poterit per voluntatis conatum prohibentis, ne intellectus assensum præbeat.

Et ita quidem assensus consequentis necessariò supponit assensum antecedentis, ut sine illo esse non possit. Verum hîc obseruandum duobus modis assensum consequentis contingere, vel per modum simplicis iudicij, ut cum intellectus huic assentitur propositioni *omnis homo est risibilis*, vel per iudicium illatum ex alio, ut cum eidem assentitur propositioni eo quòd is alijs assensum præstiterit *omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale*. Prior assensus, quem intellectus præstat per simplex iudicium huic propositioni *omnis homo est risibilis*, contingit profectò sine ullo antecedentis iudicio. Alter autem illatus non item, sed supponit præmissarum assensum, immò nec dum sine illo elici non potest, itaut ab eo pendeat sensu iam explicato, sed esse non potest, quin ab eodem conseruetur.

Difficultas adducta.

Conantur aliqui suadere assensum antecedentis re verâ causam esse saltem partialem, ut loquuntur, assensûs consequentis, câ ratione, quam magnificendam putant; quoniam scilicet assensus consequentis similis est assensui antecedentis, ut non semel Philosophus inculcauit; propterea colligendum hinc putant consequentis assensum ab assensu antecedentis causari, modo saltem nuper insinuato; quoniam aliundè nequit illa similitudo oriri, quæ nisi credatur inditio esse, ut consequentis assensus ab assensu antecedentis causetur; nulla suppetet via, quâ probetur aliquid ab alio effici, atque produci.

Solutio.

Sed mirum est eos præterijsse similitudinem hanc aliunde proficisci. Satis enim euidens eam ab obiecto petendam. Ideo nanque duo sunt assensus *similes*, quoniam circa similia versantur obiecta; nihil enim refert, quòd unus ab alio causetur, ut euidens est, si intellectus iudicet simplici iudicio, omnem hominem esse rationalem, & insuper omnem hominem esse risibilem; hic enim assensus est illi similis, quanuis illativus non sit, immò magis similis, quàm si illativus foret, ut perspicuum est, quanuis ab illo non causetur, idque non aliunde, nisi quia circa similia versantur obiecto. Ineptè igitur ex huiusmodi similitudine conantur ostendere assensum consequentis, ab antecedentis

Digitized by Google

lentis assensu produci, siue ex toto, siue ex parte; vel ut ipsi loquuntur, siue à causa totali, siue partiali. Ratum igitur sit intellectui tantùm efficientiam omnem erga quemlibet assensum deferendam esse.

SECTIO QVARTA.

De veritate, & falsitate: deque bonitate ac prauitate discursûs.

DIscursus geminam sibi rationem vendicat; scilicet assensûs, seu iudicij, & dependentis, seu illati ex antecedenti iudicio. Quatenus iudicium est, veritatis, & falsitatis est capax. Quatenus verò ex alio deductum est iudicium, bonitatis, vel prauitatis est particeps. Hæ autem duæ rationes adeo discriminantur inter se, ut una sine altera frequenter existat. Non rarò enim usu venit, ut bonitas sit in discursu, in quo tamen veritas desideratur; bonitas enim in illatione consistit, quatenus ex antecedenti infertur id quod re verâ sit inferendum, quia nimirum ex unione duorum cum tertio, explicita, vel implicita, deducitur unio eorundem inter se. At veritas consistit in conformitate cognitionis, qualis est discursus, ad rem, quam repræsentat, prout in se est.

Discursui autem veritatem ipsam conuenire nemo ibit inficias, si aduerterit discursum esse quendam assensum, atque iudicium, & ideirco in se inuoluere affirmationem, vel negationem, quâ intellectus iudicet rem esse, vel non esse. Aut igitur ita se res habet, quemadmodum per assensum affirmatur, vel negatur, tuncque talis illativus assensus conformis est rei in se, proindeque verus. Aut non sic se habet prout assensus affirmat, vel negat; & tunc assensus itidem illativus est rei difformis, atque adeo falsus. Et ut paucis perstringam de veritate, falsitateque illatiui iudicij, ac propterea discursûs, non secus ratiocinandum, ac de veritate, & falsitate simplicis iudicij.

Quamobrem veritas, & falsitas in huiusmodi illatiuo iudicio, ut eiusdem rationis est cum veritate, & falsitate iudicij simplicis; ità non est id, per quod iudicium illativum à simplici secernitur, atque adeo est bonitas, vel prauitas consecutionis; hinc enim illativum iudicium à simplici discriminatur; quòd illativum dependentiam, atque consecutionem, siue bonam, siue malam inuoluit; simplex autem iudicium non item.

Adeo autem differt discursûs veritas, & falsitas à bonitate, prauitateque consecutionis, ut non rarò usu veniat unam sine altera adinueniri; ita planè cõtingit in discursu veritas sine bonitate consecutionis. Et contra falsitas cum bonitate eiusdem. Vnde si quis arguat. *Nullus homo est irrationalis; nullus equus est homo; ergo nullus equus est irrationalis*, prauè discurrit; propterea quòd mala est consecutio, dum affirmatiuè ex puris negatiuis concluditur; & nihilominus in huiusmodi discursu nulla est propositio, quæ non sit cum veritate coniuncta. Sic etiam praua illatio est, si quis arguat. *Aliqua substantia est leo; omnis homo est substantia; ergò omnis homo est leo*. Praua est consecutio, quoniam in quocumque discursu directè concludente, ut consequentia sit bona, nec maior debet esse particularis, nec minor negatiua; in propositionibus tamen, quo nomine tam præmissas, quam conclusionem intelligo, veritas non desideratur. Contra etiam plerumque cum optima consecutione falsitas discursûs cohæret, ut cum quis arguit. *Omne animal est lapis; omnis homo est animal; ergò omnis homo est lapis*. Propositio maior est falsa, proindeque falsa quoque conclusio, quæ debiliorem consequitur partem. Illatio tamen optima; hæc enim illationis forma semper veram conclusionem deducit, dummodo præmissæ sint veræ, quod bonæ consecutionis inditium esse mox intelliges. Certum interim sit veritatem, & falsitatem, non idem re ipsâ esse cum bonitate, & prauitate discursûs.

In quo bonitas dẽ scursus cõ sistat.

Sed age iam, in quibus hæc posita sint videamus. Discursûs bonitas in eo consistit, ut bonus discursus dici possit, quando ita se habet, ut consequens inferatur, ex illo antecedenti, & ex illis præmissis, cum quibus re verâ connexionem habet. Tunc autem hæc intercedit connexio, quando eadem consecutionis forma adhibita in materia quacumque rectè concludit, hoc est verum ex vero deducit; nunquam enim idonea est consecutio, quando eadem alicui materiæ applicata ex vero falsum infert; ad bonitatem enim consecutionis non sat est in aliqua materia ex vero per illam deduci verum; sed perpetuò debet ex vero, verum inferre; nam si quandoque contingat per aliquam consecutionis formam ex vero falsum deduci, id planè inditio est huiusmodi consecutionis formam prauam, & inutilem esse. Hinc perspicuum est quid contra sit discursûs prauitas, & in quo ipsa consistat.

Inde quoque manifestum inditium bonæ consecutionis desumitur, quando scilicet forma discursûs cogat intellectum assentiri conclusioni post præmissarum assensum, ita ut cum fuerit præmissis assentitus, si debeat circa conclusionem actum elicere, hic debeat assensus esse; nec liberum sit intellectui assensum, vel dissensum conclusioni præstare.

Discursus pravus essentialiter tamen sibi vendicare discursûs rationem existimandus, quanuis oppositum nonnullis arriserit. Ad hoc autem adducor, quoniam frequenter contingit intellectum ex assensu alicuius antecedẽtis sine debita discurrendi forma, in aliud assensum deduci. Immò non aliam ob causam tot fuerunt congesta præcepta ad regulandum discursum, nisi ut per illa posset intellectus declinare prauam discursûs formam, in quam alioquin potest incidere.

Discursus pravus essentialiter sibi vendicat discursus rationem, & falsitatem.

Neque suspicandum tunc verè intellectum non discurrere, cum scilicet ex antecedenti prauè consequens deducit. Semel enim si quis concesserit, dum intellectus prauè discurrit, ex vi antecedentis ad inferendum consequens deduci, quod satis experientiâ constat, non est cur inficietur discursum illum veram discursûs rationem sibi vendicare. Nam assensus, quem conclusioni præstat, verè ex antecedenti pendet, & ex eius vi elicitur, cumque iudicium propterea simplex non sit, illativum esse oportet; ac ob id vera illi discursûs ratio conuenit.

Oppositum alicui probabitur eo nomine, quòd discursus essentialiter sibi vendicat, ut assensus consequentis verè eliciatur ex vi assensûs antecedentis, seu præmissarum; at nisi discursus probè sit institutus, consequentis assensus haud verè ex vi antecedentis assensûs, vel præmissarum elicitur; quamobrem si prauè ex antecedente consequens deducatur, propriè discursûs non erit.

Difficultas.

Nihil tamen sic discurrendo conficitur: siuè enim prauè, siue probè ratiocinetur intellectus, semper discursum exercet, hoc est semper vi assensûs, quem præstitit antecedenti, elicit consequentis assensum; hoc tamen interest, quòd quando prauè ratiocinatur, elicit assensum consequentis ex assensu illo, vi cuius elicere non deberet, & propterea decipitur, directioneque indiget. At quando benè ratiocinationem instituit, consequentis assensum elicit vi illius, ex quo elici debet.

Solutio.

SECTIO QVINTA.

De Argumentatione, deque Speciebus illius.

Discursus per argumentationem tanquam per instrumentū dirigitur.

OMnes intellectûs operationes directione indigere suo loco fuit adnotatum; directio autem omnis præsidio alicuius instrumenti obtinetur; ita quidem tertia operatio, cuiusmodi discursus est, ad sui directionem aliquod instrumentum requirit, illud autem diximus argumentationem esse, quæ in varias species diuisionem subit. Si argumentatio spectetur prout unius iudicij ex alio deductionem importat, in bonam, & malam diuidetur, cum discursu enim coincidit, qui huiusmodi diuisionis est capax; hoc igitur modo sumpta nequit esse instrumentum aptum ad dirigendum discursum; hoc enim debet omnibus esse numeris absolutum.

Argumentatio debet esse probè confecta, vt instrumentum directiuū sit.

Argumentatio vt idea, habet rationē instrumenti.

Argumentatio igitur prout instrumentum est aptum tertiam intellectûs operationem dirigere, debet oratio dici, quâ unum ex alio rectè deducitur. Hæc autem, vel est expressa vocibus, ac ob id vocalis nuncupata, vel est mentis actus, quo unum ex alio infertur, cuius vicaria est, quæ vocibus exprimitur, proximè quidem, remotè autem scripto consignata.

Vt autem instrumenti rationem habeat, sumenda est velut idea, cuius instar debeat intellectus deinceps argumentationem efficere. Cogitandum enim ab intellectu supra se reflectente cognosci qualis argumentatio esse debeat, ut unum ex alio ritè per ipsam deducatur; deinceps enim intellectus argumentaturus hanc ideam respiciendo benè potest argumentationem instituere. Omnis autem Logici conatus eò tendit, vt idoneam ideam argumentationis pro dirigendo discursu præscribat, & ut prototypum efformet imitandum.

Tria in argumentatione spectantur.

Tria autem in argumentatione spectantur, nempè id, quod infertur, & dicitur *Consequens*, id, ex quo infertur, & dicitur *Antecedens*, & *Illatio* per particulam *ergò*, vel aliam æquiualentem expræsa. Formalis autem hęc illatio, siue sequela, dicitur consequentia, seu consecutio: Tam id, quod infertur, quàm id, ex quo infertur, integra debet esse enunciatio, unde fit, ut argumentatio omnis pluribus necessariò debeat enunciationibus constare. Hæ dicuntur proxima enunciationis materia, & quoniam enunciatio ex terminis coalescit; propterea hi quoque enunciationis materia, etsi remota, dicuntur.

Enunciationes sūt materia proxima termini autem remota argumentationis.

Dispositio enūciationum, & terminorum in argumētatione agnosci debet.

In enunciationibus, ac terminis, dispositio quædam, siue cohòrdinatio adnotanda, videlicet, ut talis terminus sit in hac propositione subiectum, in altera prædicatum, vel semper sit prædicatum, vel semper subiectum. Huiusmodi dispositio, seu collocatio terminorum dicitur argumentationis forma. Vt in hac argumentatione; *omne animal rationis particeps est risibile; omnis homo est animal rationis particeps; ergò omnis homo est risibilis*. Termini, siue materia remota sunt *homo, risibile*, & *animal rationis particeps*. Forma est ea terminorum collocatio, quâ animal rationis particeps est subiectum in prima, & prædicatum in secunda propositione; homo subiectum in secunda, & tertia; risibile prædicatum in prima, & tertia.

Ad argumentationis formam qualitas etiam, & quantitas propositionum pertinet, nimirum quòd sint affirmatiuæ, uniuersales &c. Quoniamautem hæc dispositio aliis quoque terminis potest accommodari, propterea fit, ut variatâ materiâ remotâ, atque adeo proximâ, retineri possit eadem argumentationis forma, proindeque si argumentationes materiâ differant, formâ tamen conuenire dicantur. Consecutio, quæ etiam illatio dicitur, bona est, vel mala, ut paulo superiùs dictum fuit. Bona quidem, cum aliquid ex eo infertur, ex quo inferri debet. Mala autem contra, siue propositiones verę sint, siue falsę, adhoc enim veritas, & falsitas nihil refert.

Gemina autem consecutio est, necessaria scilicet, & probabilis. Necessaria est, quando consequens ita cum antecedente connectitur, ut antecedens sine consequenti esse non possit; ut necessaria hęc est consecutio, *omne animal rationis particeps est risibile; sed omnis homo est animal rationis particeps; ergò omnis homo est risibilis*; consecutio igitur à materia, in qua fit, necessitatem desumit suam, sic etiam probabilitatem; ut enim ex materia necessaria, consecutio habet, ut sit necessaria; sic etiam ex probabili habet consecutio, ut sit probabilis. Probabilis autem materia est, in qua propositio facta, videtur vera, vel omnibus hominibus tam rudibus, quàm sapientibus; vel plurimis, vel sapientibus solùm, & his, vel omnibus, vel maiori parti, vel prestantioribus. Hoc autem ex parte intellectûs se tenet; plerumque enim materia necessaria est, propositio tamen in ea facta alicui intellectui eòquòd necessitatem non percipiat, probabilis tantùm erit. Consecutio igitur in huiusmodi materia exercita, probabilis dicitur; ut *quicumque dat operam studijs bonarum artium euadit doctus; sed quicumque frequentat scholam Platonis sedulo dat operam studijs bonarum artium; ergo quicumque frequentat scholam Platonis euadit doctus*.

Quando igitur consequens probabiliter tantùm, & non necessariò ex antecedenti sequitur, consecutio probabilis dicitur.

Consequens autem à consequentia differt; nam consequens est propositio, quę post notam sequitur illationis. Consequentia verò est illatio illius, seu habitudo antecedentis ad consequens; ita fit, ut optima consequentia, & falsitas consequentis simul esse possint; ut si quis arguat *homo est equus; ergo homo est hinnibilis*. Hinc diuersas habent differentias, quibus diuidantur. Consequens enim diuiditur in verum, & falsum; consequentia autem in bonam, & malam. Ea autem est ratio, quia consequentia non est propositio, ad quam tantummodo pertinet verum, & falsum; sed est connexio illatiua propositionum, ad quam pertinet debita dispositio, & conueniens connexio; conueniens autem, & inconueniens, faciunt bonum, vel malum, non tamen verum, aut falsum.

Et quoniam gemina consequentia est, scilicet bona, & mala; sic gemina quoque argumentatio, videlicet recta, & vitiosa. Recta est, quæ bonam continet consequentiam. Vitiosa autem, quæ malam, quæ à plerisque creditur non dicenda argumentatio.

Non prætereundum tamen in quolibet consequenti, cum duo includantur termini subiectum, & prædicatum, gemino modo fieri illationem posse. Primò assumendo aliquem alium terminum ab ijs distinctum, ut si dicamus *homo est rationalis; ergò homo est risibilis*. Huiusmodi autem terminus appellatur argumentum, quo probatur conclusio. Secundò potest inferri consequens nullo alio termino adhibito distincto, ut cum ex conuersa propositione, conuertentem deducimus dicendo: *aliquis homo est animal; ergò aliquod animal est homo*; sic etiam cum inferimus unam æquipolentem ex alia, ut subalternatam ex subalternante dicendo scilicet, *omnis homo est animal; ergò aliquis homo est animal*. Potest autem argumentatio sic amplè sumpta, ut utramque complectatur; præstiori tamen usurpatione ea, quæ non procedit ex medio indistincto, mera con-

sequentia

sequentia dici solet; alia verò ex medio distincto procedens, propriè argumentatio dicitur.

Argumentatio diuiditur in materialem, & formalem

Deinde solet argumentatio diuidi in materialem, & formalem. Materialis est, quæ consequentiam materialem; Formalis verò, quæ formalem continet consequentiam.

Consequentia materialis quid.

Consequentia materialis est, quæ non tenet uniuersè, & hîc, & nunc ratione materiæ tantùm, in qua fit, seu ratione terminorum, ex quibus argumentatio constat. Vt hæc consequentia *omnis homo est animal admirativum; ergò omne animal admirativum est homo*, est consequentia materialis, non enim tenet gratia formæ, sed materiæ tantùm, eò quòd homo, & admirativum conuertuntur; hæc enim eadem dispositio argumentationis alteri materiæ applicata non benè infert conclusionem, hoc est ex vero non deducit verum, ut *omnis homo est viuens; ergò omne viuens est homo*; antecedens enim est verum, consequens tamen falsum; quod ideo euenit, quoniam non fit, ut prior, in terminis conuertibilibus.

Consequentia formalis quid.

Consequentia verò formalis est, quæ uniuersè tenet in quacumque materia etiam falsa; quoniam consequens infertur ex antecedenti gratia formæ, hoc est, ratione dispositionis extremorum, itaut eadem dispositio applicata cuicumque materiæ benè conclusionem inferat, nimirum ex vero colligat verum, ut si quis arguat, *omne animal est substantia; omnis homo est animal, ergò omnis homo est substantia*. Eadem enim hæc dispositio applicata cuicumque materiæ etiam impossibili conclusionem infert, ut exempli gratia; *omne animal est lapis; omnis homo est animal; ergò omnis homo est lapis*. Consecutio enim bona est; nam quanuis propositiones sint falsæ, tamen ex illis benè infertur illud consequens ratione formæ, hoc est ratione talis dispositionis, atque collocationis terminorum. Cæterum omnis illatio formalis necessaria est; materialis autem potest esse necessaria, vel probabilis iuxta materiæ conditionem.

Argumentatio duplex, nempe illatiua tantùm & illatiua, & probatiua simul.

Duplex etiam distingui solet argumentatio, quarum una illatiua tantùm, alia verò illatiua, & probatiua simul. Illatiua tantùm est, quæ solùm habet vim inferendi, sed non probandi, eo quòd vel conficitur in terminis non significantibus, aut in materia falsa, ubi non concludit, nisi ratione formæ; vel si fit in materia vera, antecedens tamen non est notius consequente, cuius defectu antecedens vim non habet inferendi consequens, quanuis ratione connexionis necessariæ cum illo, vim habet illud inferendi.

Illatiua tantùm.

Illatiua, & probatiua.

Illatiua, & probatiua simul est, quæ vim habet inferendi, vel ratione formæ, vel saltem materiæ connexæ; habetque probandi vim, quoniam una propositio est notior altera, ac ob id ex notitia illius benè deducitur alterius notitia; ut exempli gratia quando de subiecto demonstramus passionem per definitionem eiusdem subiecti.

Celebris autem argumentationis partitio est in quatuor species, cuiusmodi sunt Syllogismus, Enthymema, Exemplum, & Inductio. Sed de his cumulatè in Institutionibus dialecticis disputauimus.

DISSERTATIO XXV.

De Discursu demonstratiuo.

Tractationis ordo.

Cùm hactenus in uniuersum de syllogismo, seu de discursu generatim disputatum fuerit, proximum est, ut ad eius species Demonstrativum scilicet, Topicum, & Elenchum descendamus. Primò demonstrativus occurrit cæteris præstantior; quia tamen eius natura perspecta nobis fieri non potest, nisi explanatione finis ad quem ille tendit, cuiusmodi est scientia; proinde nobis de scientia primo disserendum, ideo sit.

SECTIO PRIMA.

An in intellectu humano scientia dari possit.

Veterum quorundam sententia.

Lib. 11. Noct. Att. cap. 5.

Et Veteribus, apud quos celebris fuit ista contentio, plerique, ut Academici, humano intellectui scientiam omnem denegarunt, affirmantes à nobis de re nulla certam, & euidentem notitiam haberi posse. Immò sapientis eam esse conditionē arbitrabantur, ut ei minimè liceat opinari quidpiam citra errandi periculum, & idcirco summoperè cauendum eidem, ne in aliquam opinionem descendat, nisi velit erroribus pluribus irretiri. Ita planè diuiniorem hominis partem, alioquin ad veritatis contemplationem celitus demissam in terras, contempserunt, ac iniuriosiùs tractarunt, ut non melioris notæ hominem, quàm bestias credidisse videantur. In hanc opinionem iunctis pedibus abierunt illi, quorum Secta dicta fuit ζητητικὴ, σκεπτικὴ, seu ἐφεκτικὴ, & ἀπορητικὴ. nempe quæsitiua, inhibitiua, & dubitatiua. dicebatur autem σκεπτικὴ à verbo σκέπτομαι: sed quid sibi velit vocabulum hoc, præ alijs Gellius explicandum assumpsit, ait autem, *quos Pyrrhonios Philosophos vocamus, ij Græcè cognomento Sceptici appellantur*: *id fermè significat quæsitores & considératores: nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper considerandoque sunt, quid nam sit omnium rerum de quo decerni constituique possit. Ac ne videre quoque plane quicquam, nec audire putant, sed ita pati afficique, quasi videant vel audiant, eaque ipsa quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia, & cuiusmodi sint, cunctantur, atque insistunt.* Addi tamen solet, verbum σκέπτομαι, cum ad Scepticorum Sectam refertur, non dici de quacunque commentatione, sed ad illam restringi, quæ hominis est, responsionem, siue affirmatiuam, siue negatiuam ad quæstionem de qua interrogatus fuerat, meditantis; hujusmodi autem notæ responsionem, scilicet affirmatiuam, vel negatiuam, nemo ullis machinis, alicui ex Scepticorum familia extorserit, quoniam dum scepsi vacat, dicit sibi omnia contraria circa idem videri, proindeque omnia talia æqualis ponderis, tum ad fidem, tum ad dubitationem apparere. Cæterum à verbo σκέπτομαι circumspicio, siue speculor &c. deducitur σκέψις, contemplatio siue speculatio; sed à verbo σκέπτομαι, videtur deduci Σκεπτικὸς, considerator, opinator; ita fit ut σκεπτικὴ, considératrix, dicatur Secta illorum, nempe Scepticorum, qui semper dubitabant. Huiusmodi autem Secta è quorundam sententia dicta fuit

Scepti-

Sceptica, Ephectica, & Aporetica, & quidem Sceptica ipsis dicitur, vocaturque *quæsitoria* ab actione, quæ est in quærendo, & utendo σκέψει, *scepsi*, seu contemplatione: Nuncupatur etiam *Ephectica*, ab ea affectione, quæ in eo est, qui scepsi utitur, nomine deducto. Dicitur etiam *Aporetica*, seu dubitatoria, quoniam de omni re dubitat, & quærit, vel quòd hæsitans sit in assentiendo. Apud Gellium tam Academici, quàm Sceptici, nihil affirmant, nihilque comprehendi putant. At hi omnes, teste Laertio à magistro quidem Pyrrhone, vocabantur Pyrrhonij; sed à dogmate, appellati sunt *Aporetici*, *Sceptici* & *Ephectici*, immò & *Zetetici* Nam Zetetica Philosophia ex eo dicitur, quia semper in veritatis inquisitione versatur. Sceptica quòd semper quærat, & nunquam inueniat. Ephectica autem ab euentu, quòd post inquisitionem itidem ambigatur, Aporetica, quòd eius sectatores semper addubitent; tales igitur sunt Sceptici.

His porrò valdè fuerunt affines Empirici, hanc affinitatem licet ex Galeno colligere; nam de Simplicium medicamentorum facultatibus disputans, hac de re multa dicit, præsertim hæc habet; *Quæ sit facultatis essentia, quidam certè non posse agnosci existimant, quales sunt Sceptici Philosophi, & qui inter Medicos vocati sunt Empirici.*

Scepticis autem finis nil aliud fuit, quàm ἀταραξία, *ataraxia*, hoc est, status animi imperturbatus, aut animi imperturbatio, seu in animo quædam perturbationis vacuitas, atque tranquillitas circa ea, quæ ad opinationem spectant, & in coactis moderationem circa latationem affectuum; id autem per quod ad ataraxiam perueniri credebant, erat Ἐποχή. *Epocha*, hoc est assertionis retentio. Scepticus enim incipiens philosophari ad phantasias discernendas, & comprehendendas, quæ nam sint veræ, quæ falsæ, ut mentis perturbatione careret, incidit in æqualia contrarijs quidem in partibus momenta rationum, quæ cum iudicare non potuissent, assensum retinuit; huiusmodi autem assensûs retentionem, quasi fortuitò, mentis imperturbatus status, tanquam umbra corpus est consecutus. Sceptici porrò in ratiocinando, quibusdam vocibus, loquendique formulis utebantur. *Primò. Nihil magis*, ut significarent, de re proposita se ita sentire, non secus ac si dicerent. *Haud magis hoc sese, quàm illo habet modo; aut quàm neutro. Secundò.* Erat etiam ab ipsis frequenter usurpata vox *Aphasia* seu *Phasis*, quæ generatim accepta significat aliquid poni vel tolli; speciatim verò poni aliquid tantummodò denotat. *Tertiò*. Familiare illud erat ijsdem. *Nihil definio*, quod tali sensu adhibebant, ac si dixissent. *Ego ita nunc sum affectus, ut nihil eorum, quæ sub hanc quæstionem cadunt, ponam dogmaticè, aut tollam; seu nihil definio*; hinc erat Sceptici ἀόριστον πάθος, *arrhepsias pathos*. est autem *arrhepsia*, animus neutram in partem, aut sententiam magis propensus; tunc enim propriè est *arrhepsia*, cum neutram in partem mentem vergimus, aut inclinamus. *Quartò* quamsæpissimè illud usurpabant. *Non comprehendo; omni orationi oppositæ æqualis est. Quinto* ijsdem non minus familiares erant voces. *For asse & non fortasse: licet, & non licet: fieri, & non fieri.* Sic enim loquebantur, ut animi tranquillitatem ad eum, quem diximus modum, assequerentur. Alij addũt Scepticis propriam fuisse Ἀδιαφορίαν, *Adiaphorian* hoc est, *neglectum, contemptum*; sed ineptè, cum hæc fuerit vox Zenoni familiaris. Scepticis igitur accommodatior est vox Ἀπάθεια, *apathia* hoc est *affectuum vacuitas*, siue *indolentia*. Ita quidem Tullius, *Zenoni* inquit, *summum bonum est in his rebus neutram in partem moueri, quæ ἀδιαφορία, adiaphoria dicitur ab ipso: Pyrrho autem, ea ne sentire quidem sapientem, quæ ἀπάθεια*, apathia *nominatur*.

In Lucul. 39

Varij autem sunt modi, quibus antiqui Sceptici innixi, ad retentionem assensûs pro animi tranquillitate, perturbationisque vacuitate comparandâ peruenire profitebantur. In uniuersum porrò modus quidam erat, quem methodum appellare licet, quâ scilicet ad inhibendum omnem assensum utebantur, præter eum per quem reddebantur propensi ad Phantasiam determinatam. Modi autem de quibus agimus huiusmodi sunt, quandoquidem aliqui sunt generales, alij autem speciales; his prætermissis, de generalibus disserendum; hi porrò aut sunt veteres, aut noui; sic appellati, quoniam illis veteres Sceptici, his autem recentiores utebantur. Antiquis decem modi familiares erant. *Primus* modus desumitur *ex animalium varietate*, ex varijs enim animalium temperamentis Scepticus varias phantasias, ac affectiones colligebat itaut quod videtur uni insuaue ac noxium, illud idem alteri suaue sit atque proficuum; cumque nulla suppetat ratio, cur hominis phantasia, aliorum animalium phantasiæ præferri debeat, ob id inferebat assensum circa rerum naturas suspendendum esse. *Secundus, ex hominum differentia*, ex dissimilibus enim hominum iudicijs de re eadem, propter varietatem regionis, ætatis, valetudinis, atque temperamenti, colligebat Scepticus operæ esse pretium assensum inhibere. *Tertius, à diuersa dispositione eiusdem etiam sensûs organi*; ex eo enim quòd aliquid modo, & modo eius contrarium gratum, aut ingratum palato fit, deducit Scepticus inhibendum assensum circa externa subiecta. *Quartus, ex varia dispositione sensûs eiusdem, seruato etiam eodem temperamento & ex omni ea*, quod à somno exempli gratia, & *vigilia, motu & quiete, audacia, & timore, omnique affectu vario* prouenit. Ita quidem oculus, ad motum nauis motus, iudicat aspectabilia moueri; & idem imbutus humore flauo, ut ictericis contingit, omnia percipit flauo colore conspersa. Ita quoque dormiens, exiguum strepitum, fragorem ingentem dijudicat, ad quæ Scepticus respiciens existimat circa externorum subiectorum naturam assensûs suspensionem adhibendam. *Quintus* positus est *in diuersa ratione interuallorum, locorum, ac positionum*. Hunc enim in modum Scepticus ratiocinationem instituendam existimat. Res una ac eadem, quæ eminus exigua apparet, propiùs intuenti magna videtur, & pro vario situ, eodem intercedente interuallo, varios induit colores; consequens igitur ut minimè tutum sit de his quicquam absolutè decernere; sed potius esse prudentis, à præcipiti assertione abstinere. *Sextus est per mixtiones, rerumque confusiones*. Nihil enim purum sub sensum cadit, quia omnia confusa sunt, minimeque certum est, unde species ac apparentia proueniant; experientiâ autem edoctus cognoscit unam eandemque rem alijs vel alijs rebus cuniunctam, pro rerum ipsarum, cum quibus iungitur, diuersitate, vario modo sensum afficere; ne igitur decipiatur, opportunum ducit assensum cohibere, nihilque tanquam certum decernere. *Septimus* ortum ducit *à quantitatibus, diuersisque constitutionibus rerum sensibilium*, Scepticus enim aduertens, exempli gratia, papyrum aridum apparere candidiorem, madidum autem minus candidum, quin subobscurum; item obseruans telam sericam, quæ *damascena* dicitur, præseferre varietatem coloris pro vario filorum ordine situque, quanuis contextam serico eiusdem coloris; insuper cognoscens aliquid modo nocere, modo autem prodesse, pro varietate circumstantiæ, existimat opportunum, assensum retinere. *Octauus in relatione* consistit; Scepticus enim

Modi, quibus antiqui Sceptici ad epocen peruenire posse credebant, ad ataraxiam comparandam.

Decem modi veteris Sceptici.

Primus modus.

Secundus modus.

Tertius modus.

Quartus modus.

Quintus modus.

Sextus modus.

Septimus modus.

Octauus modus.

aduertit unam eandemque rem prout ad aliud, atque aliud refertur, modò magnam, modò paruam, albescentem, & nigrescentem, meliorem, ac deteriorem, varioque modo affectam videri, prout tranquillâ fruitur mente, arbitratur se prorsus esse necessitate quâdam adactum ad retentionem assensûs. *Nonus, in rarò, ac crebrò contingentibus*, positus est, propterea quòd Scepticus, in pretijs expendendis intentus, aduertit ex rerum copia, multùm pretia rerum imminui, & ex earundem raritate plurimùm augeri; nam ut dici solet, *varitas pretium facit*, hinc tanquam exploratum habet rerum, neque pretium, neque naturam certò cognosci posse; & idcirco de his nihil firmiter decernendum esse. *Decimus* præsertim ad moralia pertinet, attenditurq; *in diuersis institutis, moribus, legibus, persuasionibus atque decretis* Sectarum inter sapientes; Scepticus enim aduertit, unum ac idem existimari iustum, & iniustum; turpe & honestum; urbanum, & inurbanum, probabile, & improbabile; propterea summè necessarium arbitratur ad suspensionem assensûs confugere, ut animi tranquillitatem assequatur. Hi porrò sunt decem modi, quibus veterum Scepticorum familia passim utebatur, ut nimirum inhiberet assensum, & ad epocam perueniret, cuius præsidio ἀταραξίαν *ataraxiam* obtineret.

Nonus modus.

Decimus modus.

Recentiorum autem Scepticorum turba breuitati studens, loco decem prædictorum modorum, quinque subrogauit è quibus. *Primus* desumitur, *à multiplici sapientum disciplina*. Scepticus enim aduertens de unaquaque re quot capita, tot esse sententias; & sapientes non tantùm ab ignaris, sed etiam inter se inuicem haud mediocriter dissidere, atque adeo nihil veri decerni posse; propterea sapientis esse docet, nihil definire, nihilque determinatè sancire. *Secundus* est, *qui in infinitum reijcit*. Scepticus enim cùm probationem probationis putet in infinitum abire, non admittens prima principia indemonstrabilia, contendit satius esse in *Epocha* acquiescere, quàm in huiusmodi scientia, quæ nimirum processum in infinitum admittit. *Tertius à relatione* desumitur. Hic modus non multùm absimilis est ordine octauo, paulo antea explicato; cum diceremus illum *ad relationem* pertinere, eo quòd Scepticus unam eandemq; rem notat, prout ad aliud atque aliud refertur, modò magnam, modò paruam, albescentem, & nigrescentem, meliorem, aut deteriorem videri &c. Recentiores autem Sceptici prædictum modum coarctant; cùm enim viderent relationem à natura varijs modis mutari posse per relationes secundum nos, & inde magnam incertitudinem prouenire; ob id assensum circa omnia suspendente, summoperè ipsis opportunum est visum. *Quartus* à Scepticis *hypotheticus*, siue *suppositorius* appellari consueuit, quamobrem pleraque dogmata reijcienda, aut saltem de ipsis nihil determinandum arbitrantur, cum existiment illa inniti suppositionibus, seu propositionibus minimè probatis, seu demonstratis. *Quintus* modus *alternatorius* dici solet; afferunt autem exemplum à Sole desumptum. Si quis, inquiunt, ostendat Solem lucere, quia dies est; respondet Scepticus, vicissim hanc probationem confirmatione indigere ab eodem Sole petitâ; adeout eiusdem ordinis, conditionisque hæ sint propositiones. *Est dies, quia Sol lucet. Sol lucet, quia dies est*. Non dissimili ratione diceremus, est risibile, quia est rationale; est rationale, quia est risibile. Hi sunt, quos recensuimus, modi, quibus Sceptici recentiores ad *epocham*, peruenire posse arbitrantur. At præter hos, duo generales communesque recenseri solent, ijsdem adscripti. Huiusmodi porrò sunt illi, quorum *primus* in eo positus, quòd nihil possit ex se ipso comprehendi; hoc enim pacto disputant; Cum in controuersiam vocatur, utrum sensui potius, quàm ratiocinationi credendum sit, idque nullo modo sub iudicium cadat; manifestum neque sensui, neq; ratiocinationi credendum esse. Non enim licet tertium iudicem adinuenire, vel criterium, cui credere tutum sit; nec ullus est, qui iudex in propria causa esse possit. *Secundus* in eo consistit, ut nihil ex alio comprehendi possit, quod ita colligunt. Si ex alio quidpiam cognoscitur, aut abeundum in infinitum; aut deueniendum ad aliquid, quod ex se ipso comprehendatur; sed utrunque summoperè detestabile; proinde iuvat assensum suspendere, nihilque determinatè decernere.

Primus modus.

Secundus modus.

Tertius modus.

Quartus modus.

Quintus modus.

At ex aduerso alij pluſquam par est homini defetentes, eius intellectui de rebus omnibus scientiam tribuerunt, non aduertentes eo nomine saltem hoc ab ipsis dici non potuisse, quòd assertum à se pronuntiatum ignorabant.

Opinio dicentiũ de rebus omnibus dari scientiam.

Longè cautius ij philosophati sunt, qui mediâ viâ incedentes non de omnibus, sed de aliquibus tantummodo rebus humano intellectui scientiam concedendam crediderunt.

Assertio docens quid hac de re sentiendum.

Hoc adeo perspicuum, ut mirum sit oppositum aliquibus arrisisse. Ex paulo post enim dicendis, scientia omnis ab intellectu ratiocinatione, atque discursu comparatur; discursus autem ex noto ad ignotum progreditur; ne igitur sit in infinitum abeundum, ad quædam per se nota deueniendum, quorum cognitio propterea nullo discursu, sed solâ perceptione terminorum acquisita, scientiæ rationem sibi vendicare non potest, si tamen scientiæ nomine intelligenda sit, quæ discurrendo comparatur. At si latiori quadam usurpatione sumatur, ea quoque, quæ de primis principijs est, scientia dicetur. Non propterea tamen de omnibus scientiam dari, nec à nobis de rebus omnibus scientiam haberi posse concedendum; hæc enim, & certitudinem, & euidentiam requirit. At innumera profectò sunt de quibus, vel nullam notitiam assequimur; vel si nobis aliqua contingit, ea incerta est, & ineuidens, itaut solam opinionem nobis acquirere datum sit. Et quanuis certam, & euidentem notitiam obtineamus, non ob id scientia dicenda, cum ea de quibus notitiam consequitur, contingentia, & mutationi obnoxia sint, ac propterea talia, ut si quæ de ipsis certa, & euidens comparetur notitia, scientiæ rationem obtinere non possit, utpote quæ de solis necessarijs, ac immutabilibus esse debet; de his igitur nulla quidem in nobis dabitur scientia.

Ratione suadetur.

Immò ne dum rerum cognoscendarum, ut nuper dicebam, sed etiam humani intellectûs deffectu scientia de rebus omnibus haberi non potest. Nam innumera etiam sunt, de quibus scientia potest institui, cum necessaria sint, necessitate ad scientiæ obiectum requisitâ, quoniam scilicet ijs sunt attributis affecta, quæ per propriam causam de ipsis ostendi possent; quia tamen intellectus humanus causam ipsam non assequitur, ob id cogitur in eorum ignoratione versari. Causam porrò non attingit, vel quia res ipsæ sensuum aciem effugiunt, cum tamen omnis cognitio humani intellectûs ministerio sensuum comparetur, & à sensibus ortum ducat, eo quòd horum opitulatione rerum cognoscendarum imagines assequitur. Vel quanuis sint sensibus obuiæ, earum tamen causæ ita sunt varijs accidentibus implicatæ, ut humani intellectûs vires omnes, omnesq; conatus excedant, ac superent. Hinc etiam consequens fit, ut de huiusmodi rebus scientiâ intellectus debeat esse destitutus. Vt propterea quisque ni fallor, facilè possit intelligere de rebus omnibus

Altera ratio.

Digitized by Google

hibus in intellectu nostro scientiam dari non posse.

Assentio, quòd de multis humanus intellectus scientiam habere possit.

Tametsi autem hoc omnino fatendum sit, concedendum tamen de multis, multisque rebus ab humano intellectu scientiam comparari. Si namque scientiæ nomine latà scilicet usurpatione, ea intelligatur notitia, quæ certa sit, & euidens, certitudine sumptâ, non pro ea, quæ ex necessitate oritur obiecti, sed pro firmâ quadam intellectûs adhęsione, quatenus hic præbet assensum absque omni formidine, fatuum planè esset intellectui nostro cognitionis hoc genus denegare; quisque nanque certò, ac euidenter cognoscit se ipsum existere, cognoscit se mouere, dum nempè se mouet; percipitque se quiescere, dum à motu desistit; certò, ac euidenter cognoscit ignem comburere, ac innumera id genus alia suâ assequitur cognitione.

Si ad sciẽtiam sufficiat euidẽtia & certitudo.

Et si præsiori quâdam significatione scientiæ nomen usurpetur, pro cognitione scilicet de rebus necessarijs, hanc etiam in intellectu nostro dari facilè cuique perspectum esse poterit, si aduerterit ab ipso certo, ac euidenter prima scientiarum complexa principia, cognosci. Nemo enim est sanæ mentis, cui certè, ac euidenter non constet *omne totum esse maius sua parte, & quæ idem sunt æqualia, inter se æqualia esse. De quolibet verum esse affirmare, vel negare*, & alia plurima. Vtroque igitur modo scientiam acceptam pro cognitione certa, & euidenti tam de rebus contingentibus, quàm de necessarijs, modo iam explicato, humano intellectui rudis, ac insipientis ingenij est denegare.

Si requiratur etiã vt sit notitia per causã discursu cõparata.

Quòd si ad scientiæ rationem requiras, ut sit cognitio certa, & euidens per causam discursu quidem comparata, adhuc in intellectu nostro concedenda. Non enim pauca sunt, de quibus huiusmodi notitiam assequimur. Non dissimulandum tamen duo esse rerum genera, quæ nostrâ contemplatione persequimur, quorum unum earum est rerum, quas diuina manus elaborauit; & de his fatendum in nobis exiguam esse scientiam, non solùm de illis, quæ longè absunt à sensibus, ut æternæ sunt mentes, sed etiam de alijs, quas quotidie nos sensibus usurpamus, quæque ijsdem maximè obuiæ sunt, & hoc ob eam, quam paulò superiùs causam attulimus. Aliud verò earum est rerum, quæ tantum in mente relucent, & quas nos cogitatione efformamus, cuiusmodi sunt illæ, quarum contemplatione Arithmeticus, & Geometra detinetur. Cum igitur partim de uno rerum genere, partim etiam de alio, de quo multo magis intellectus notitiam summè necessariam, certam, & euidentem adipiscitur; æquum erit asserere scientiam præssî significatione sumptam in humano intellectu reperiri.

Prima difficultas.

Illud tamen non nihil animo difficultatis ingerit, quòd nihil videtur tam certum, ac euidens, ut ab aliquo non fuerit iam reuocatum in dubium; vel etiam negatum. Ita quidem accepimus dixisse quosdam, idem simul esse & non esse; cùm tamen tanquam certissimum, ac euidentissimum communi sapientum calculo receptum fuerit, idem simul non posse esse, & non esse. Sic etiam pleraque sunt, quæ quanuis ab aliquibus sine omni hæsitatione concedantur, ab alijs tamen audacter in dubium vertuntur.

Sed hęc facilè diluuntur; alterutrum enim dicendum, aut eos, qui adeo euidentia, & perspicua inficiantur, id ore tantùm, non autem mente efficere; vel eos ultra modum desipere. Sed non desipiunt, ut dicebat Philosophus. Διὰ τὶ γὰρ βαδίζει Μεγάρασε δι᾽ ἀλλ᾽ ἢ οἴηται δεῖν βαδίζειν; οὐ δοθὲν ἕωθεν πορεύεται εἰς Φρέαρ ἢ εἰς φάραγγα, ἐὰν τύχῃ, ἀλλὰ φαίνεται διαβούλιος ὡς οὐχ ὁμοίως ἑτέρως μὴ ἀγαθὸν εἶ τὸ ἐμπεσεῖν ἢ ἀγαθόν; δῆλον ἄρα, ὅτι τὸ μὲν βέλτιον ὑπολαμβάνει, τὸ δ᾽ οὐ βέλτιον. *Cur enim Megara vadit, & non quiescit ire putans? nec mox à diluculo ad puteum, aut ad præcipitium aliquod pergit? Sed videtur veritus, tanquam non similiter non bonum, & bonum esse, putans cadere in illa. Manifestum itaque, quod hoc quidem melius esse putat, illud verò minimè.* Non desipiunt igitur, nam eorum aliquis ambulans certè non perget ad puteum, seu præcipitium, quin potius illud aduertens, illicò declinabit, ne cadat, undè perindè non est ei bonum, & non bonum cadere, sed determinatè perspectum est, bonum esse non cadere; cum igitur euidentissimum illud principium inficiantur, ore solùm id pronunciant, mente autem non item.

Ex. Diuin. Tex. 18.

Secunda difficultas.

Maior fortasse difficultas in eo posita, quòd humanus intellectus omnem suam haurit notitiam à sensibus, qui si fallaces fuerint, cognoscendoq; decipiantur, cognitionem pariter inde deductam errori quidem subiectam eliciant oportet; consequens igitur, ut in humano intellectu nulla possit esse cognitio erroris expers, proindeque nec scientia. At intellectum, de quo loquimur, à sensibus in cognoscendo pendere, Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ᾽ ἡ περὶ αἰσθήσεων ἀγάπησις· καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας αἰσθήσεις ἀγαπῶνται δι᾽ αὐτάς, καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων. *Omnes homines naturâ scire desiderant, signum autem est, sensuum dilectio: nam & absque usu propter se ipsos amantur & maximè aliorum qui per oculos fit.* Docet ergo signum, quòd omnes homines naturâ scire desiderant, est sensuum dilectio; si nanque ad nihil aliud conducerent, propter se ipsos diligerentur, & maximè aliorum, hoc est præ cæteris, illum, qui per oculos fit scilicet visum; non enim solùm ut agamus, hoc est non solùm propter vitæ necessitatem, sed etiam nihil agere debentes, ipsum videre siue visum præ omnibus alijs sensibus concupiscimus, & amamus; & re verâ sensus nobis ad duo deseruiunt, nimirum ad necessitatem vitæ, & ad scientiam, nam per sensus cognoscimus sensibilia noxia, & utilia; priora fugimus: posteria sequimur; per sensus etiam in nobis scientia gignitur; omnis enim nostra cognitio à sensu orginem ducit; nam ad cognoscendi munus obeundum, mens rerum cognoscendarum imaginibus eget, quas utiq; non nisi sensuum administratione consequitur; ita fit, ut existimatum fuerit deficiente sensu, necessariò, etiam aliquam scientiam in intellectu deficere. Φανερὸν δὲ καὶ ὅτι εἴ τίς ἄισθησις ἐκλείποι, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐκλείπειν, ὧν ἀδύνατον λαβεῖν. *Manifestum etiam est, si quis sensus desit, necesse esse, ut aliqua scientia desit, quam impossibile est percipere.* Annectit rationem dicens, ἐπεὶ μανθάνομέν γε ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει, *siquidem discimus aut inductione, aut demonstratione.* At sensum erroribus obnoxium esse tam euidens est, quàm quod euidentissimum. Hinc enim experimentum sensibus innixum, fallax esse perhibetur, ut propterea Hippocrates dixerit, ὁ βίος βραχύς ἡ δὲ τέχνη μακρή, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, ἡ δὲ πεῖρα, σφαλερή; *Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum fallax*, sic usu venit, ut visus, quæ gibbosa sunt, veluti plana intueatur, ita astra, præsertim Solem, & Lunam, quæ alioquin sphærica figurâ constant, tanquam discos intuetur. Et remum ex parte immersum in aqua, etsi rectum, tanquam fractum inspicit, aliaque innumera, quæ consultò prætereo, utpote satis obuia.

Primo Post. Tex. 134.

Hippocrat. tes Aphor.

Nec etiam hinc assertionis nostræ veritas infringitur, nam rectè Tullius in Accademicis quæstionibus dicebat. *Maxima est in sensibus veritas, si sani sunt, & valentes, & omnia remouentur, quæ obstant, & impediunt*; quæ ab Aristotele didicerat, cum hic non semel inculcauerit sensum circa proprium sensibile non decipi, dummodo requisita non desint, nempè quòd eius organum benè se habeat, ritèque dispositum sit, & quod medij conditio, nimia distantia &c. non

Digitized by Google

officiant. Ita quidem organi defectu, putà cùm id fuerit humoris amarore perfusum, ægrotans, quod alioquin est summâ dulcedine affectum, gustatu percipit amarum. Medij conditione, cùm ipsum diuersæ sit spissitudinis, unde species franguntur, visus ob id remum ex parte dimissum in aquam, etsi rectum, intuetur fractum; Ex nimiâ distantiâ, quoniam anguli visorij exigui cum sint, nequeunt inseruire visui ad minimas partes percipiendas; hinc, quæ sunt alioquin globosa, veluti plana cernit: sic stellas tanquam discos intuemur. Ità etiam ob nimiam distantiam, res minor apparet, quàm re ipsâ sit, visui. Non ob id de omnibus, quæ sensu percipimus dubitandum. Admiratione enim, dicebat Philosophus, dignum est, si hoc dubitant, utrum tantæ sint magnitudines, talesque colores, quales eminùs, an quales cominùs apparent, & utrum qualia sanis, an qualia ægris. Exploratum enim est ob allatas causas decipi sensus; non inficiandum tamen unius sensûs errorem, alterius sensûs auxilio corrigi, & errores omnium sensuum intellectûs ratiocinatione detegi. Ita planè si visus errat percipiendo remum fractum, corrigitur per tactum, quo percipitur eiusdem rectitudo; immò idem visus resipiscit, si vel remus extrahatur, ex aqua, totusque conspiciatur in aere; vel aqua defluat, deserens remum, ut se totum in aere conspiciendum præbeat, vel totus demersus in aqua videatur. Vel etiam corrigitur error ab intellectu ita ratiocinante; quod solidum est, atque consistens si fuerit in aqua paulatim immersum, non frangitur, nec flectitur; cum igitur ita fuerit remi facta immersio, nequit ipse propterea fractionem, vel flexionem subijsse esse; nec dissimili modo de reliquis. Non igitur semper intellectus, ex errore sensuum decipitur. Accedit quamplurima quidem esse, quorum veritatem intellectus solâ perceptione terminorum assequitur, uti sunt prima complexa principia scientiarum, quæ innato lumine percipit, eorundemque veritatem attingit; nec ad illam explorandam auxilio sensuum eget; ut cum perceperit quid nomine totius, quid nomine partis &c. statim intellectus citra omne erroris periculum assentitur sic, ut assentiendo non decipiatur. Et quanuis indiguerit speciebus emendicatis à sensibus ad percipienda significata terminorum, cum tamen illis fuerit semel imbutus, probè sensibus operantibus, non est cur amplius à deceptione sensuum in earum usu cauere debeat. Ita se habet intellectus circa veritates necessarias, & essentiales præscindentes ab existentia rerum.

Secunda difficultas

Sed illud etiam occurrit, in quo difficultatis aliquid inesse videtur, quia scientia debet circa res immutabiles, & eodem modo, perpetuò se habentes versari; at ea, de quibus scientiam profitemur, maximis mutationibus obnoxia sunt, cum ab his primum tantummodo ens immune dici possit; non igitur scientia debebit humano intellectui concedi; non de primo ente velut à sensibus remotissimo; non de cæteris, cum summa inconstantiâ laborent; nulla igitur in humano intellectu scientia concedenda erit.

lutio in ecta.

Ad hi scientiam omnem de medio tollendo, cùm id se scire profiteantur, aliquam scientiam agnoscunt; nè igitur sibimet contradicere, & unum profiteri, & oppositum asserere videantur, alterutrum fateri coguntur, aut se nescire id, quod apertè inficiantur, vel aliquam scientiam esse concedendam. Respondendũ igitur aliquam in nobis dari scientiam, tam de re immutabili, ut est primum ens, quàm de cæteris omnibus mutationem subeuntibus. Primum enim ens, etsi remotissimum sit à sensibus per se ipsum, per effectus tamen non item, quod satis ut de ipso possit à nobis aliqua scientia comparari. Reliqua verò continuâ mutatione laborant, sed penes tantum accidentaria prædicata, quæ scientia negligit, non autem penes ea, quæ essentialia sunt. Cogitandum enim scientiam versari circa ea, quæ necessaria sunt, necessitate complexâ, ut aliàs explicuimus, quæque ab existentia præscindunt, ita ut eorum necessitas in eo posita sit, ut esse non possint, quin simul coniuncta sint. Vt scientia de homine non est quatenus existit, quod planè contingens, nec de ipso prout albo, vel nigro, quæ itidem contingenter eueniunt; sed prout risibili, quod summè necessarium est, necessitatis genere iam explicato, quatenus is esse non potest, quin habeat sibi risibilitatem adiunctam; hæc autem complexa necessitas ad scientiam requisita: alia verò incomplexa nihil ad scientiam conducit.

SECTIO SECVNDA,

An scientia in humano intellectu nouiter acquiratur, an potius in eo sit quoddam reminisci.

Proponitur quæstio discutienda.

QVòd in humano intellectu sit aliqua concedenda scientia, ex hucusque traditis exploratum satis; quo autem modo id contingere dicendum, non adhuc manifestum, an scilicet per reminiscentiam, an per nouam indagationem, qua de re Philosophus disputandi occasionem præbuit, cùm argumentum protulerit ex Menone Platonis, ad euertendam acquisitionem scientiæ, statuendamque reminiscentiam.

Platonis opinio Proponitur.

Quod autem fuerit Platonis consilium, non obscurè constat ex Menone, Phœdro, ac decimo de Repub. alijsque etiam locis; nam ex ipsis planè colligitur ab eo existimatum fuisse nostris animis, antequam in corpora conijcerentur, ac ijsdem redderentur uniti, scientiarum omnium habitus inditos fuisse, nec in hac vita ullam à nobis scientiam comparari; sed cum discimus, id à nobis tantummodo præstari, ut per phantasmata in sensibus efformata, excitetur insidens in animo scientia, quæ contagione corporis, quodammodo caligine obruta erat, proindeque nostrum scire non aliud esse, quàm eorum, quæ iam nobis nota erant, recordatione tandem reminisci. Huc pertinet, quod Plotinus Platonicæ disciplinæ fidelissimus assecla, dicere consueuerat, nimirum humano animo cum corpore esse naturale commercium, quo, quasi hausto obliuionis poculo, inebrietur; & alibi, corpus id animo conferre, ut per imagines in phantasia expressas intelligibilium ipse recordetur, in quo positam esse reminiscentiam arbitrabatur.

Lib. de Descensu animorũ in corpora.

Lib. de substantijs cognoscẽdis.

Sic autem Plato sentiebat, quoniam existimabat rationales animas à Deo omnes conditas fuisse, priusquàm corporibus infunderentur, & in illo statu scientiam perfectam rerum omnium habuisse, postea è Cælo fuisse demissas in corpus, non tanquam in naturale domicilium, sed potius velut in carcerem, vel sepulchrum, cuius contagione omnium, quæ antea nouerant, obliuisci; constanti tamen industriâ, & ministerio sensuum, omnium denique reminisci. In hanc opinionem abijsse fertur, quoniam putabat in illo statu non esse animorum dignitati congruum, ut omni scientiâ carerent, idque conatus est ratione paulò infra asserendâ suadere.

Assertio aduersus Platonem

Hoc Platonicum dogma reijciendum, & existimandum rerum scientiam omnem in nobis nouiter acquiri.

Ratione suadetur;

In hanc sententiam adducor, quoniam oppositum falsò innititur fundamento, scilicet humanos animos

antè corpora procreatos fuisse; propterea quòd rationalis anima, vera est forma corporis, ita ut cum hoc hominem constituat; forma autem non debet per se seorsum produci, sed solùm cum unitur materiæ. Rationalis quidem anima, ut suo loco demonstrare tentabo, immortalis est naturæ, ac ob id futura omninò à corpore separata, postmodum tamen ad idem reditura; sed hinc ineptè concluditur ipsam antè corpus extitisse. Illud etiam à vero plurimùm abest, quod huiusmodi anima conijciatur in corpus, velut in carcerem, atque sepulchrum, quasi nimirum in pœnam, cum potius uniatur illi, quoniam sui naturâ postulat eidem vniri, quippe quæ forma est, quæ per unionem cum corpore tanquam pars cum parte, totum, nempe compositum per se unum constituit; perperam igitur colligebant animam per unionem ad corpus veluti coniectam in carcerem, vel sepulcrum, si quas antea habuisset notitias, amisisse, oblitamque fuisse rerum, quas antea nouerat. Potius enim colligendum oppositum, quia naturalis perfectio, ac operatio rei alicuius, impediri non potest per id, quod ei maximè naturale est, & consentaneum. Si igitur naturale est, & consentaneum animæ intelligenti uniri corpori; non est cur per huiusmodi nexum ab intelligendi munere impediatur.

Alia ratio. Amplius præditam animam non fuisse scietijs antequam illas acquireret, nec habitus, nec species intelligibiles rerum antequam corpori foret adiuncta, consecutam fuisse; quin potius intellectum sui naturâ esse, veluti tabulam rasam in qua nihil sit depictum, ea præcipuè ratio conuincit, quoniam homo sensuum indiget ministerio, ut species intelligibiles, & simulacra rerum acquirat; non igitur hæc habuit à natura congenita; quamobrem intellectus antequam corpori uniatur nequit intelligendi muneribus fungi. Hinc qui ab ortu naturæ sensu aliquo priuati sunt, nequeunt habere scientiam de rebus ad sensum illum spectantibus.

Nec rectè occurrunt dicendo id ideo esse, quia desunt phantasmata ad id omnino necessaria, & inde cæcum habere non posse scientiam de coloribus. Licet enim per unius sensûs sensibile, venire in memoriam sensibilium ad sensus alios spectantium, si scientiam illus obtinemus; ut cum ex visione mellis, dulcedinis recordamur.

Et de habitibus quoque hoc penitus perspicuum est; si nanque hi forent ei à natura inditi, non esset cur ad eorum acquisitionem actus freeuentaret. Ideo nanque indiget actuum frequentiâ, ut ijs maiorem promptitudinem, atque facilitatem, ac ob id habitum ad similes actus exercendos, acquirat. Solum igitur animæ intelligenti natura facultatem, virtutemque concessit, quâ posset, si diligentiam, & industriam adhiberet, rerum notitiam, atque scientiam sibi comparare.

Et hinc etiam humanam scientiam non esse reminiscentiam rerum, quas priùs nouerit suadere licebit cum Aristotele hunc ferè in modum ratiocinando. Si nostris animis congenitæ scientiæ forent, certè nos non laterent, cum fieri non possit, ut scientem lateat se scire; atque adeo unusquisque recordaretur se rem illam antea cognouisse, quemadmodum per reminiscentiam repetimus ea, quæ priùs fuerunt nobis perspecta; nos enim prior illa notitia non latet, sed de ipsa penitus recordamur, & intellectus se illam aliquando habuisse, cognoscit.

Eadem assertio experientia probatur. Et ad hoc confirmandum experientia quoque conducit; quando enim quis incipit alicui scientiæ operam nauare, utique experitur sibi occurere omnia penitus ignota; nostra igitur scientia non est reminiscentia dicenda, nisi quando post rerum notitiam iam habitam, iterum de rebus scitis, & cognitis cogitamus, eademque mente reuoluimus.

Proximum est, ut efficacissimo, primâ saltem fronte argumento Platonis satisfaciamus. Ipse enim ita disputabat. Puer quispiam vocetur, qui nulli scientiæ operam nauauerit, ordinatè tamen de rebus alicuius scientiæ interrogetur; is, dummodo non nihil valeat ingenio, ita ut quæ proponuntur intelligat aptè, rectèque, procul dubio respondebit ad omnia; ergo consequens fit, ut aliquando scientiam illam habuerit & postmodum illis interrogationibus memoriam excitantibus reminiscatur. Vt autem planiùs, & apertiùs vis huius argumentationis constet, non pigebit audire Platonem ipsum differentem in Mènone, cui conatur hæc experimento comprobare in persona Socratis interrogantis Puerum natum, & educatum apud eundem Menonem, ad quem conuersus ita loquitur.

Prima ex Platone ratio proponitur difficultate.

Plato in Menone fic ratiocinatur.

Σω. Πρόσεχε δὴ τὸν νοῦν, ὁπότερ' ἂν σοί φαίνηται, ἢ ἀναμιμνησκόμενος ἢ μανθάνων παρ' ἐμοῦ; Μὲ: Ἀλλὰ προσέξω. Σω. Εἰπὲ δή μοι ὦ παῖς γιγνώσκεις τετράγωνον χωρίον, ὅτι τοιοῦτον ὄζι. Π. Ἔγωγε. Σω. Ἔστιν οὖν τετράγωνον χωρίον ἴσας ἔχον τὰς γραμμὰς ταύτας πάσας τέτταρας ἴσας; Π. Πάνυγε. Σω. Οὐ καὶ ταυτασὶ τὰς διὰ μέσου ἰσὶν ἴσας ἔχον; Π. Ναί Σω. Οὐκοῦν ὅπῃ ἂν τοιοῦτον χωρίον καὶ μεῖζον καὶ ἔλαττον; Π. Πάνυγε. Σω. Εἰ ἓν μὲν αὕτη ἡ πλευρὰ δυοῖν ποδοῖν, καὶ αὕτη δυοῖν, πόσων ἂν εἴη ποδῶν τὸ ὅλον; ὧδε δὲ σκόπει. εἰ ἐν ταύτῃ δυοῖν ποδοῖν, ταύτῃ δὲ ἑνὸς ποδὸς μόνον, ἄλλοτι ἄπαξ λῖ ἂν δυοῖν ποδοῖν τὸ χωρίον; Π. Ναί. Ἐπειδὴ δὲ δυοῖν ποδοῖν καὶ ταύτῃ, ἄλλοτι ἢ δὶς δυοῖν γίγνεται; Π. Γίγνεται. Σω. Δυοῖν ἄρα δὶς γίγνεται ποδῶν. Π. Ναί. Σω. Πόσοι δὲ εἰσὶν αἱ δὶς δύο πόδες; λογισάμενος εἰπέ. Π. τέτταρες ὦ Σώκρατες. Σω. Οὐκοῦν γένοιτ' ἂν τοῦτο τοῦ χωρίου ἕτερον διπλάσιον τοιουτονδί, ἴσας ἔχον πάσας τὰς γραμμὰς ὥσπερ τοῦτο; Π. Ναί. Σω. Πόσων δὴ ἔσται ποδῶν; Π. ὀκτώ. Σω. φέρε δὴ πειρῶ μοι εἰπεῖν πηλίκη τις ἔσται ἑκάστη ἡ γραμμὴ ἑκάστη, ἡ μὲν γὰρ τοῦ δὶς δυοῖν ποδοῖν, τί δὲ ἡ ἐκείνου τοῦ διπλασίου; Π. Δῆλον δὴ ὦ Σώκρατες ὅτι διπλάσια. Σω. Ὁρᾷς ὦ Μένων, ὡς ἐγὼ τέτταρα οὐδὲν διδάσκω, ἀλλ' ἐρωτῶ πάντα; καὶ νῦν ἔτας οἴεται εἰδέναι ὁπόσα ἐστὶν, ἀφ' ἧς τὸ ὀκταπόδων χωρίον γενήσεται, ἢ οὐ δοκεῖσοι; Μέ. Ἔμοιγε. Σω. Εἰδὲν ἴσμεν; Μέ. Οὐδήτα. Σω. Οἴεται δὲ γε ἀπὸ δὶς διπλασίας; Μέ. Ναί. Σω. Θεῶ δὴ αὐτὸν ἀναμιμνησκόμενον ἐφεξῆς, ὡς δεῖ ἀναμνήσκεσθαι.

So. *Attende igitur num illi in memoriam reducam, an doceam.* Me. *Attendam certè.* So. *Die age, ô Puer, cognoscis ne hoc tale spatium quadrangulum esse?* Pu. *Equidem.* So. *Habetne quadrangulus has omnes quatuor lineas æquales?* Pu. *Habet.* So. *An non & istas, quæ per medium protrahuntur, æquales habet?* Pu. *Et istas.* So. *Nonne & maior, & minor*



In figura vertices hæc cifræ fit Fic- ἂν αὐ γαίκ- νίνων bitidæ tur.

Digitized by Google

nor esse potest. Pu. So. *Si ergo sit hoc latus duorum pedum, & istud quoque duorum, quot pedum totum ipsum erit? Sic autem considera, si latus hoc duorum esset pedum. illud verò unius, esset ne plusquam semel duorum pedum hoc spatium?* Pu. *Semel.* So. *Quoniam verò alterum quoque latus duorum pedum est, num aliud quàm bis duorum pedum sit?* Pu. *Istud ipsum.* So. *Duorum ergo bis pedum efficitur.* Pu. *Ita.* So. *Quot nam sunt bis duo pedes? Computa.* Pu. *Quatuor.* S. *An non fieri potest spatium aliud ad hoc duplum, habens similiter omnes æquales lineas, quemadmodum istud habere vides?* Pu. *Prorsus.* So. *Quot pedum erit?* Pu. *Octo.* So. *Age iam conare mihi dicere qualis est quælibet illius linea: huius siquidem duorum pedum, linea verò illius dupli, qualis?* Pu. *patet, ò Socrates, esse duplam.* So. *Cernis, ò Meno, me nihil ex his docere, sed singula potius interrogare? & nunc iste nosce se putat qualis ea sit à qua spatium octo pedum conficitur. An non tibi videtur?* Me. *Mihi quidem.* So. *Nouit igitur?* Me. *Minime.* So. *Putat autem à dupla.* Me. *Ita.* So. *aspice deinceps hunc per ordinem ut oportet reminiscentem &c.* Pergit autem ad idem experimentum comprobandum, ut apud Platonem videre licet. Aduerte porrò, quando Puer respondet, *patet Socrates esse duplam*, id non intelligendum, ita ut spatium quadratum sit, nam latus non foret duplum, sed rationem haberet, ut 2 ad 2; sed intelligendum oblongum, cuius latus unum 2 aliud autem 4. At Socrates fingit errare puerum, ut deinde corrigat, & quanuis correctus, non addiscat, sed reminiscatur.



Occurritur tamen dicendo, si homo ignarus interrogetur de difficilimis alicuius scientiæ quæsitis, vel nihil aptè, vel casu rectè aliquid respondurum. At si de facilioribus, deque perspicuis vi naturalis luminis ad benè respondendum inductum iri, etiam de rebus nunquam antea cognitis; ad hoc enim summopere ingenij perspicuitas in respondente, & clara explicatio interrogantis conducit; nam hinc interrogatus ad plura, & rectiùs respondere valebit. Neque hoc prahabitam notitiam requirit, sed satis, superque interrogatum ingenij lumine valere, & interrogantem perspicuè, & ordinatè suo munere fungi; alioquin si aliqua in interrogato præfuisset notitia, tunc nulli dubium quin is excitatâ mente per interrogationes *recordaretur eorum, quorum aliquando notitiam habuisset. Puer igitur*, ordine interrogatus appositè respondet, quia apprehendit priùs, mox iudicat principia quæ proponuntur, & ex illis conclusiones deducit, ac proindè scientiam nouiter adipiscitur, nec tunc reminiscitur, ut insulsè Plato dicebat.

Hoc adeo mihi perspicuum, ut non possim non mirari Platoni contrarium arrisisse, propterea quòd si duo sint æquivalentis ingenij, quorum unus aliqua priùs nouerit, quæ tamen sit oblitus, alter autem nunquam illa cognouerit, & ab eodem utrique æque clarè, ac ordinatè interrogetur, experientiâ satis exploratum, illum, qui priùs nouerat ea, de quibus interrogatur, quanuis oblitum, interrogationibus tamen excitatum, recordari ea se aliquando nouisse; alterum autem, cui nunquam illa perspecta fuere, non item. Si igitur quispiam recordaretur tantùm, dum nos eum dicimus addiscere, certè contingeret, quod dicebamus euenire ei, qui priùs aliquid cognouerat, postea verò oblitus sit, nempè recordaretur se id aliquando cognouisse.

Illud etiam accedit, quòd inepte Platonici recordationem cum reminiscentia confundunt, non enim mediocriter differunt, undè in eo peccarunt, quòd unum ab altero non secreuerint, & quanuis admitteremus tunc aliquem recordari, non benè diceremus eum reminisci. Inepte Platonici recordationē cum reminiscētia confundunt.

Erat aliud Platonis argumentum in commemorato dialogo qui de virtute agens inscribitur Meno, & erat dilemma huiusmodi. Vel quispiam rem propositam iam nouit, vel ignorat: si nouit, non est opus ut illam inquirat; si ignorat, frustra inquirit, cum non norit quod quærit; quanuis enim in id incurrat, adhuc se inuenisse ignorabit; ut patet de seruo fugitiuo, quem si dominus de facie nouerit, poterit illum quærere, nam si in illum incidat, cognoscet; quòd si nunquam illum nouerit, oleum, & operam perdet in eo quærendo; tametsi enim ipsum offenderit, non cognoscet. At huic dilemmati non aliâ ratione satisfieri potest, quàm dicendo nos quærere notitiam rei actu ignoratæ, habitu verò cognitæ; propterea cum res ita se habeat concedendum erit inesse animæ à suo ortu scientiarum habitus. Secūda ex Platone difficultas

Difficultatem hanc optimè diluit Philosophus dicendo, πρὶν δ' ἐπαχθῆναι ἢ λαβεῖν συλλογισμὸν, πρότερον μὲν τινα ἴσως φατέον ἐπίστασθαι, πότερον δ' ἄλλον ἢ, ὃ δὴ μὴ ἤδη εἰ ἔστιν ἁπλῶς; ἀλλὰ δῆλον ὡς οὐδὲ μὲν ἐπίστατο, ὅτι καθόλου ἐπίστατο, ἁπλῶς δὲ οὐκ ἐπίστατο. *At priùs quàm induxerit aut acceperit syllogismum, aliquomodo fortasse fatendum est eum scire: alio modo non item, quod enim simpliciter nesciebat an esset, quomodo* illud *habere* tres angulos *æquales* duobus rectis, simpliciter sciret; *sed manifestum* est, eum *ita scire*, quia *uniuersale scit, simpliciter autem nescire*. Docet igitur quando quis aggreditur aliquid cognoscendum partim scire, & partim ignorare; scire confusè, & virtute, quatenus tenet principia, in quibus scientificæ conclusiones continentur; non scire autem formaliter, & actu, ac in se, ad quem cognoscendi modum non oportet, ut eiusdem conclusionis præhabuerit habitum, sed ut principia nouerit, & apprehenderit intellectus ex illis euidenter conclusionem inferri, quod eodem exemplo fugitiui serui potest explicari. Si quis enim seruum quæreret, quem non nouisset, haberet tamen aliqua signa perspecta, quibus posset illum conijcere; si in ipsum incurreret, certus esse posset se inuenisse illum, quem nunquam de facie nouerat. Solutio. Primo Post. tex. 2. aliàs 4.

Est aliud argumentum, in cuius solutionem est operæpretium incumbere. Si ulla scientia posset à nobis de nouo comparari, vel id fieret ministerio sensus, vel ope magistri. Non primum, quia multa sensus effugiunt; quorum tamen scientiam habemus, ut Deus, Intelligentiæ, & occultæ quædam rerum proprietates, ac vires. Accedit, quòd sensus fallaces admodum sunt à quibus deduci nequit scientia, quæ omnino certa, ac penitus infallibilis esse debet. Non secundum, quoniam ad sciendum præter naturale lumen intellectus, intelligibiles rerum imagines requiruntur, quas magister nequit in discipuli mentem transfundere; qui propterea nequit ullam de nouo scientiam comunicare, quatenus ijs opitulatione phantasmatum habitus à primo naturæ ortu nobis ingeniti suscitentur. Tertia difficultas. Prima cōfirmatio. D. Augus. in lib. de doctrina Christ.

Hoc eleganter similitudine quadam expressit doctissimus ille. Quemadmodum, inquit, potest quispiam mouere digitum, ut aliquid ostendat, non autem videndi facultatem conferre; sic homo potest exterius verba proferre, quæ veritatis inditia sint, non autem intelligendi virtutem impertiri.

Hoc idem confirmant paritate rationis ex habitibus primo- Secūda cōfirmatio.

primorum principiorum desumpta; ut enim hi sunt nobis à natura congeniti, sic etiam scientiarum habitus.

Solutio. Rectè quidem geminus assignatur modus, quo noster intellectus nouiter scientiam adipiscitur. Priori enim modo scientia dicitur proprio marte comparata, dicituruque propria inuentio, itemque doctrina, quatenus quispiam si non alium, saltem se ipsum docet. Secundo modo disciplina auncupatur, quatenus ab alio ille scientiam discit. Impugnationi tamen occurritur dicendo quæ scimus gemino modo sub sensum cadere, intelligi posse, vel per se, ut ea sunt omnia, quæ nos immediatè sensibus usurpamus, quæ nimirum sensibilibus accidentibus affecta sunt; vel si non per se, saltem per alia, scilicet per effecta, ut Substantia, Deus, Intelligentiæ, occultæ rerum virtutes; vel per opposita, ut negationes per formas negatas &c. Ad scientiam autem sat est, ut alterutro modo, quæ scimus, sub sensum cadant. Nec requiritur, ut determinatè nos ea sensibus attingamus. Ad sensuum fallaciam quod attinet, difficultati inde deductæ superiùs occursum fuit. Ad id, quod addebatur ex auctoritate desumptum, satis constat illius consilium eò solùm tendere, ut docerent præter sensus ad scientiarum acquisitionem, desiderari quoque naturæ lumen, sine quo profectò nulla scientia potest acquiri; sed ut soli sensus non sufficiunt: ita accessione luminis naturæ maximè sufficiunt.

Parietì occurritur. Nec paritas illa quicquam concludit, cum in ea falsum assumatur, nempe primorum principiorum habitus à naturæ ortu nobis inditos esse; quod enim ipsi perperam habitibus acceptum referunt, nos à naturæ lumine recognoscendum existimamus. Non igitur scientiæ nobis congenitæ sunt, sed potius alterutro modo superiùs assignato, nouiter comparantur.

SECTIO TERTIA.

Quomodo se habere, & quibus præsidijs instructus esse debeat, qui non absque emolumento velit scientijs operam nauare.

Tractationis ordo. CVm ex proximè disputatis abundè constet humani quidem intellectûs, non adeo miseram infelicemque conditionem esse, ut is de re nulla possit scientiam adipisci; supereſt ostendendum quâ ratione dispositus, quibusque præsidijs paratus idem esse debeat, ut scientijs cum summo veritatis lucro possit operam nauare, quandoquidem hoc pacto sternitur via ad exprobrandam iactantiam Academicis, atque Scepticis, qui scientiarum vanitatem demonstrare profitentur, dum ex earum cultoribus illas æstimandas putant; nec solum ut imperfectas, sed etiam ut inanes respuunt, eo nomine, quòd plerosque viderint, qui in disciplinarum inquisitione laborem irritum susciperent, haud citra iacturam proprij decoris easdem prostituerint. Præsidiorum porrò duo sunt genera, nimirum externorum unum, & internorum alterum.

Præsidiorum duo genera; externorum scilic. & internorum.

Præsidia externa. *Primò* quidem ex præsidijs externis Deus Op. Max. occurrit, à quo mortalium sapientiam perinde ac illuminationem à Sole prodire, veteribus etiam, præsertim Academicis exploratum erat; idcirco Augustinus *Lumen*, inquit, *mentium esse dixerunt Platonici ad discenda omnia, eundem ipsum Deum, à quo facta sunt omnia*. Immo ex Platonicorum sententia Deum appellat causam constituendæ universitatis, lucem percipiendæ veritatis, fontemque bibendæ felicitatis. At ianè diuinum implorandum auxilium, nam este Synesio, *Deo præsente, quicquid est difficile, facile fit.*

Lib. 8. de Ciu. Dei. Ibid. Lib. Cap. 12.

Epist. 139.

Nec dissentit Tullius, nam, *nemo*, inquit, *vir magnus, sine aliquo afflatu diuino unquam fuit*. Et reuerà *omnis donatio bona, & omne integrum donum est superne, descendens à Patre luminum*, ut Iacob dicebat, qui propterea subdit, *Si cui cultum deest sapientia, petito à Deo, qui dat eam omnibus benigne, nec exprobrat, & dabitur ei*.

Lib. 1. de nat. Deorum. Cap. 1. Iacob. 1. vers. 5. Ibidem vers. 17. Præsidia interna.

Ad interna præsidia quod attinet, illud sanè præcipuum, ingenij scilicet acumen, nam bonarum artium, atque disciplinarum studijs operam daturus pollere debet ingenij alacritate, ac perspicaciâ, quam certè non studio, labore, vel assiduitate potest sibi comparare, sed solùm à natura sortitam diligenter excolere; nihil enim inuitis Musis agendum; propterea non iniuria Stagirites antiquis Philosophis sæpe sæpius obiecit ἀβουλίαν τῶν δικαίων, *ægritudinem mentis*; eoquòd forsan susciperet prouinciam auderent, illi etsi viribus pares haud quaquam essent. Magni igitur refert egregio à natura instructum ingenio fuisse. Quinimo laudabilem obtinuisse indolem, sine qua labor omnis irritus reddatur; nonnulli siquidem adeo sunt ingenio distorto, ut quamuis non sint penitus rudes, nihil tamen unquam recto tramite excipiunt; enim verò modus ille, & ratio cujusdam veluti consonantiæ, analogiæ, sitûs, ut ita loquar, quo mens, quandoque rebus adhæresceit, in scientijs comparandis principem ferè locum obtinet. *Secundò*. Tranquillitas mentis, itaut hæc ab omni fit violenti appetitûs perturbatione libera; nam furentes animi motus illam hinc illinc distrahunt, rationis lumen obscurant, ingenij acumen obtundunt, atque minus idoneum hominem ad tractanda Literarum studia relinquunt. *Tertiò*. Præstat sciendi cupidum suâ sponte ad virtutem incitatum esse; quandoquidem multùm iuvat feruidus veritatis amor; discendi, sciendique maximum desiderium; nam hoc veluti mentis anhelitu languidos in animo ignes sufflamus, eosdemque mirùm in modum accendimus, ita ut nos in ignorationis tenebris infeliciter constituti, ex ijs tandem plurimum splendoris consequamur. *Quartò*. Ad profectum in disciplinis facilioris alicuius demonstrationis incunditatem nonnihil initio degustasse, plurimùm sanè conducit: tantâ siquidem animus dulcedine captus, irrequietos labores in difficilioribus addiscendis quam libentissimè subibit. *Quintò*. Nullo quidem alio, quàm scientiæ studio teneatur, & ut omnia vitia: ita præsertim ex animo pellat inuidiam, cum hæc illum inficiat, ac interimat. *Sextò*. Perspectæ veritati se nunquam aduersum exhibeat: nihil enim magis dedecet eum, qui se veritatis indagatorem profitetur acerrimum, eamque solam præ oculis habere gloriatur, quàm peruigili studio tandem inuentam respuere, & ab ipsa, tanquam se auersum ostendere. *Septimò*. Vbi demonstrandum aliquid assumit opinionem omnem abijciat, ac mentem sententijs prauis imbutam, atque præoccupatam habeat; hoc enim impedimento non vulgari est addiscenti, quominus veritatem adipiscatur; nec principium ullum supponat, cuius veritatem exploratam non habeat, ne, si forsan illud à veritate deflectat, errandi occasionem præbeat; sed nudam potius mentem habens, rei primordia scrutetur, affectiones que perquirat, non secus ac si de ijs nunquam cogitasset; & si quid probabile tantùm se offerat, assensum omnem suspendat, nec unquam, nisi veritati perspectæ præbeat assensum. *Octauò*. Ad pauca respiciens ne pronunciet, quin potius circumducto mentis obtutu, quantum fieri potest omnia rei propositæ lustret, ne multa præterfugiant; præceps igitur ne sit, cum potius cunctando,

quàm

Digitized by Google

quàm festinando veritas comparetur; patientique sit animo, ne primi laboris fructum amittat; quantumuis enim summo quidem ingenio polleat, nisi tamen sudet, & algeat, nunquam exoptatum finem assequitur; distinctè omnia tractet, ne confusionis caligine veritatis claritati, splendorique plurimum tenebrarum offundat; non pertinax, ne mens nimiùm indurescat; non multùm audax, ne in errores detestabiles facilè dilabatur; nimia siquidem confidentia, quamsæpissimè decipit; non timidus, ne succumbat; timor enim ingenium extenuat, audacia confirmat; non piger, ne ingrauescat: non celer, ne immaturas cogitationes effundat: non superbus, ne veritatem se assecutum existimet, quando vix tantillum ad illam accessit, & vix eminùs illam aspexit, quam tamen se deosculatum arbitratur; & re verâ plerique mortalium ad doctrinæ gloriam peruenissent, nisi ad eam se peruenisse putassent; non abiectus, ne veritatis consecutionem desperet. *Nonò*. Præclarissimorum virorum auctoritatem impensè veneretur, eâ minimè tamen contentus, rationes causasque perquirat, nec redere potius, quàm scire videatur. *Decimò*. Nunquam animum satiari sciendi cupiditate permittat, tanquam contentus ijs, quæ didicerit, quin potius illud altiùs in animo curet insidere; & è memoria studeat nunquam excidere, *De veritatis dulcedine nunquam satis*; ac ob id agitatione mentis ad præclariora contendat, connexurque non solùm assequi cognoscendo, quæ aliorum laboribus in lucem prodierunt, sed proprio marte noua, & inaudita depromere, ut Mineruæ thesaurum locupletiorem fecisse videatur. *Vndecimò*. Quicquid est quantumuis minimum, scitu dignum existimet, proindeque omni studio, curâ, diligentiâque scientiæ, quam aggreditur, elementa, atque primordia versiet, & in eorum considerationem, non ut à plerisque fieri solet oscitanter incumbat, ad quæ ut facilius animum adijciat, paululum aduertat, ab exiguis principijs magna quidem oriri. Sic ex paruo semine arbores ingentis proceritatis adolescunt; non absimili autem modo scientiæ omnes ex minimis quibusdam primordijs atque elementis, ad summum dignitatis fastigium assurgunt. *Decimosecundò*. Ratiocinaturus ab effectibus ad causas, cuiusmodi sint effectus experimentis exploret, quibus eo seueriùs indulgeat, quo non tutiori viâ, nec aliâ ratione licet ei rerum causas venari; siquidem intellectus humanus notitiam omnem à sensibus haurit, ac ob id ab ijs, quorum notitiam experiendo consequitur; sed quanti referat in his omne tempus insumere, laborem impendere, diu noctuque plurimùm insudare, cumulatè tatis, ni fallor, in uniuersa huius operis Præfatione demonstratum exhibui. *Decimotertiò*. Iuuat etiam doctioribus viris quam familiariter uti, quandoquidem ex eorum assiduâ consuetudine, plurimum emolumenti consequimur, quoniam ijs de rebus, quas didicimus, vel discere saltem aggressi sumus, cum sapientioribus frequentiorem sermonem habendo, mentis firmiorem habitum infigimus: hoc enim assiduâ, pertinacique disputatione facimus, ut altiùs animo hæreant, quæ leuiter ei quidem insederant; quinimò sæpe sæpius obiectis inter disputandum necessitate quadam adacti respondemus, quæ nunquam aliàs in mentem venire potuissent. *Decimoquartò*. Præceptorem habeat oportet, nam *nulla ars absque magistro discitur*; & magni refert optimum eum esse, in cuius disciplinam se det discendi cupidus; talem autem eligere valdè quidem operosum, nam *rectè docentium rara copia*. Protinus, dicebat Fabius, præceptore optimo utendum est, putans diu minime sibi laborandum, ut ostendat, quanto sit melius, optimis imbui, quantoque in eluendis, quæ semel insederint, vitijs, difficultas consequatur, geminatum siquidem onus, ut ipse loquitur, succedentes præmit, dedocendi nimirum grauius, ac priùs, quàm docendi, in cuius gratiam vulgatum satis ac tritum illud adducit, quod de Timotheo claro in arte tibiarum memoriæ, literisque proditum est, nempe duplo maiores ab ijs, quos alius instituisset, solitum fuisse mercedes exigere, quàm si rudes traderentur. Non mirum igitur si Democritus gloriaretur se per plures annos exulasse, ut celebriores orbis doctores audiret, & si Pythagoras relictâ patriâ Ægyptium petierit, ut sacerdotum adyta ingressus apud Chaldæos, cum Magis consuetudinem haberet, cunctisq; Barbaris, & Græcis, vt initiatus postmodum in Creta cum Epimenide in Idæum antrum descenderet; quinimò, nec mirum si circumcidi passus fuerit, ut videlicet ad Ægyptiorum adyta admitti posset, eorundemque mysticam Philosophiam sibi datum esset addiscere; de cæteris nihil dicam, Platonis enim peregrinatio neminem præterit, quemadmodum Xenocratem, Theophrastum, Zenonem, Cleanthem, Chrysippum, Carneadem, Possidonium, aliosque Philosophos quam plurimos, discendi quidem causâ in longinquas regiones sese contulisse, nimirum ut celebratæ sapientiæ viros audirent. Tanti refert præceptorem eximium prudenter eligere.

Tria porrò sunt, quæ intelligendi facultati accommodata esse perhibentur, *apprehensio* videlicet, *inuentio*, & *diiudicatio*, ratione quarum tanquam virtutum expeditum, & absolutum oportet addiscentem esse. Apprehensionem vocant ingenij viuacitatem, quam, ab inuentione, quæ subtilitas dici consueuit, nonnihil esse distinctam arbitrantur; docilitatis enim est munus nullo ferè labore percipere ea, quæ ab alio siue voce, siue scriptis proponuntur; subtilitatis autem excogitare, vel inuenire, quæ in profundo iacent, quæque in intimioribus naturæ latebris occultantur, ut non immeritò subtiles vulgò credantur quicunque huiusmodi inueniendi facultate præditi sunt. Hæ autem ingenij dotes haud perpetuò cohærent, cùm potius frequenter usu veniat, ut inuicem separentur; enimverò non desunt, qui citra laborem aliena discunt, cùm tamen nihil ex promptuario suo possint depromere. Hæc porrò naturalis facultas, quantumuis se ipsâ ferax, excolendo tamen, ac exercendo feraciorè longè admodum reddimus. Ad hoc autem non modò Dialecticam, sed etiam & præcipuè Mathematicas disciplinas conferre, manifestum ijs, quorum in huiusmodi studijs se plurimùm exercuit industria; ex horum autem numero certè Plotinus, qui propterea Mathematica studia mirum in modum ad acuendam mentem conducere arbitrabatur, existimans non alium in finem huiusmodi disciplinas à Pythagoreis, & Academicis excultas fuisse. Tametsi autem duæ commemoratæ ingenij virtutes, facultatesve plurimi fieri debere quisque sanè mentis fateatur necesse est; non tamen tanti, quanti si prudentiæ lumen ipsis affulserit, nam rectè Fabius. *Illud dicere satis habeo, nihil esse non modò in orando, sed in omni vita priùs consilio, frustraque sine eo tradi cæteras artes: plusque vel sine doctrina prudentiam, quam sine prudentia facere doctrinam*. Hæc ille. At certè mirum, quàm noxium sit veritati acumen Iudicij à recta iudicandi norma seiunctum; neminem enim fugit homines alioquin solertissimos, prudentiæ defectu frequenter in absurdissimos errores incidisse; hoc autem ex eo forsan, quoniam acutioris ingenij proles, non semper est omnibus absoluta numeris, cùm nimia subtilitas, ut Mora-

Tria sunt, quæ intelligendi facultati accidere perhibentur.

lis

lis dicebat, veritati plurimum infesta sit.

Senec. ad Lucil. Ep. 88. De his hactenus; certum sanè plurimum cuique laboris esse ad scientias comparandas subeundum, nam *Virtutem posuere Dij sudore parandam;*

Phil. Iud. de somnijs. quod de intellectuali non minus ac de morali virtute intelligendum, utriusque siquidem consecutio difficilis. Scientiæ sunt puteus, dicebat ille, fundo, & fine carens, nam semper viget anima ad scientias, cum corporis vires marcescant, & longâ ætate langueant, at ex contemplationibus aliæ post alias oriuntur, ut nunquam earum sit finis.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Scientia.

Scientiæ græcè quo modo dicatur. SCientiam, quæ græcè ἐπιστήμη, *epistimis* ut ἐπιστήμων, *sciens* dicitur sensum esse Pythagoras arbitrabatur, cui Thales Milesius, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus adstipulati sunt, immò, & Homero hoc idem placuisse fertur; eadem opinione Protagoram fuisse plerique testantur, cum is frequenter illud usurparet, homo rerum omnium mensura est earum, quæ sunt, ut sunt; & earum quæ non sunt, ut non sunt. Septem autem scientiæ definitiones traditas à Sophistis fuisse vulgatum est, *prima* quarum dicebat scientiam esse singulas, quæ discuntur facultates: *secunda* scientiam esse sensum: *tertia*, opinionem veram: *quarta*, opinionem veram cum sermonis prolatione: *quinta*, opinionem cum discursu per elementa; *sexta* opinionem veram cum differentiæ imaginatione: *septima*, opinionem veram cum scientia differentiæ. Sententiam dicentium scientiam esse sensum, Plato redarguit existimans, nec immeritò, scientiam & sensum, idem esse non posse: & re verâ scientia, & ars in animæ parte rationali duntaxat consistunt, præsertim autem scientia, quæ in rationibus rerum uniuersalibus occupatur, sensus autem singularia tantum attingit. Idem autem Plato sapientiam desinit dicens esse perfectam coniunctionem iustitiæ, & sanctitatis cum prudentia, sed cum in loquendo exactior esse vult, diuinorum ait cognitionem esse sapientiam, naturalium scientiam, humanorum prudentiam; & alibi docet diuinorum nomine summa principia, & æternas rerum omnium causas contineri. Duo rerum genera constituit, intelligibile scilicet, & sensibile, illud stabile, & incorporeum: hoc mobile, atque corporeum; viam ad illud noscendum, rationem appellat; viam ad hoc, sensum, notionem communem illius, intelligentiam: huius, opinionem. Vtrunque genus bifariam diuidit affirmans esse concedendum intelligibile primum & secundum: in eo ideas, idest Diuinæ mentis species, notionesque & mentes alias, & animas contineri: in hoc autem numeros, & figuras: illorum cognitionem, proprio nomine intellectum, horum cognitionem intellectualem vocat, cætera prætereo, solùm adnoto quid de scientia ex Platonis sententia dici debeat. *Ea porro nil aliud, quàm diuinarum rerum certâ ratione comprehensio*, hanc in intellectu, primò, ac semper; in ratione secundò nec semper adinueniri existimat; enimuerò apud Platonem ratio inter intellectum opinionemque media est; quoties autem ipsa ad inferiora porrigitur, opinionis repletur erroribus, atque diuina cogitare desistit; sed cum ad mentem sui lucem conuertitur, diuinorum cognitionem haurit, quam proprio nomine sapientiam in mente, reminiscentiam in ratione Plato nuncupare consueuit & ut verbo dicam Platoni & Ficino *Scientia est diuinorum certâ ratione comprehensio in mente residens, in rationem profluens, à Deo menti inserta, à Dialectico Præceptore in rationem Deo inspirante reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens.* Et ex Speusippo. *Scientia est comprehensio animæ, immutabilis ratio, vis comprehensiua alicuius, vel quorundam ratione immutabilis, ratio vera in cogitatione immutabilis.*

In Theæteto. Ficin in Plat. Theæteto.

Aliquibus autem ex Platonis familia visa est scientia nil aliud, quàm stabilitas rationis ijsdem semper vestigijs hærentis, captantis primò cognitas quodammodo, res postea distinguentis quicquid in eis videret dissimile. Alijs scientia est illustratio quædam ex intellectu dependens. Stagirites de scientia loquens ait. Matth. Tyrn. Procle in Alcibiad. Franc. Post. in 7. Ἐπιστάμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκὸς, ὅταν τὴν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστὶ, καὶ μὴ ἐνδέχεται τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. *Scire autem putamus unamquamque rem simpliciter, non sophistico modo, id est ex accidenti, cum putamus causam cognoscere propter quam res est, eius rei causam esse, nec eam aliter posse se habere.* Hanc igitur scientiæ definitionem Philosophus exhibuit, intelligendam tamen de scientia seuerè quidem accepta.

Scire autem trifariam usurpatur. Primò communissim à quadam significatione, quo sensu dicit euidentem comprehensionem veritatis, iuxta quam significationem ad contingentia se extendit, ut cum cognoscimus Platonem docere. Secundò propriè, quo pacto dicit euidentem comprehensionem veræ propositionis, quæ nequit esse falsa; hoc sensu necessaria tantummodo sciuntur. Tertiò proprijssimè pro euidenti cognitione alicuius veritatis necessariæ per causam, & sic in presentia sumitur definitione, in qua *cognoscere*, stat loco generis, & ad quamcumque cognitionem etiam sensitiuam extenditur; additur autem *per causam* ad differentiam eorum, quorum cognitionem non habemus per causam, cuiusmodi est cognitio principiorum, atque cognitio à posteriori, & ab effectu; additur *propter quam res est*, propterea quòd multæ cum possint esse causæ, hic causæ nomine solùm intelligitur illa, quæ rei propria est, & proxima, & quâ positâ, ponitur effectus, & quâ remotâ remouetur; additur *quod illius est causa*, quoniam ne dum oportet, ut causa illa sit proxima, sed etiam requiritur ut intellectus sciat effectum à tali causa pendere; tandem additur; *& non contingit aliter se habere*, quoniam opus est, ut intellectus nullo modo dubitet, effectum à tali causa prouenire; immò impossibile esse, ut aliter se habeat, debet omnino cognoscere. Hinc plures ad scientiam proprijssimâ significatione sumptam conditiones requiruntur. Scientiam accipiu. Scire quomodo dicatur, vt vera. In Charm. Scire est certo. Certum dupl.

Prima conditio est, ut sit vera, nam cognitio falsa, & aberrans, scientiæ rationem sibi vendicare non potest. Scientia enim unaquæque, veritatis est scientia ut Plato dicebat.

Secunda conditio, ut sit certa.

Sed hîc aduertendum geminam esse certitudinem, quarum una intrinseca dicitur, & ex necessitate obiecti proficiscitur: altera verò extrinseca aliunde prouenies. Certitudo enim uniuersè, firma quædam est intellectûs adhæsio alteri determinatæ parti absque formidine de oppositio; si namque foret in intellectu aliqua formido, is non diceretur certus, sed dubius, nec dicendus foret habere scientiam, sed opinionem. Hæc autem certitudo, atque determinato intellectûs, vel prouenit ex obiecto, quoniam necessarium est, nec ullo modo potest aliter se habere, cuiusmodi sunt veritates propositionum necessariarum, & hæc est *illa* certitudo, quam intrinsecam dicebamus, & ab alijs obie-

obiectiua, vel metaphysica dici consueuit. Alia est extrinseca nuncupata; & hæc multifariam contingit, vel nimirum ex imperio voluntatis præcipientis intellectui, ut ita, & non secus iudicet, eo quòd ex aliquo mouetur affectu; vel apparenti, vanâ tamen ratione, ut est certitudo in intellectu infidelium circa propositiones ad Religionis materiam spectantes; vel etiam ex auctoritate alicuius viri probatæ fidei.

nitudo auctori e pro- niens, ires gra s habet.

Sed hæc certitudo ab auctoritate originem trahens, plures pro auctoritatum diuersitate, gradus habet; quanto enim auctoritas fuerit maioris ponderis, tanto etiam certitudo maior erit. Vt si dicat mihi quispiam Bizantium, hoc vel illo modo constructum esse, pro ut magis apud me valuerit auctoritas illius, magis etiam illi adhærebo, minoremque formidinem de opposito meus intellectus experietur; ita quidem si aliquid pronuncietur innixum auctoritati diuinę, eo quòd mihi constet, in primis veracem esse Deum, nec unquam mentiri posse, propositioni, quæ eius auctoritate fulcitur, proculdubio sic adhærebo, ut nullam formidinem de opposito sim habiturus.

ertitu-, quæ tur ex essita- bjecti.

Vel tandem hæc certitudo potest originem ducere à necessitate obiecti, quæ tamen summa non sit, sed ex eo tantummodo quòd naturæ lex ita præscribit, & naturales causę, nisi fuerint impeditę, ita suum obire munus postulant, & hæc est necessitas, quæ Physica nuncupatur, ut cum assentior huic propositioni, quòd *Sol cras sit oriturus*; secundum enim naturæ cursum Sol cras orietur, sed hæc non est necessitas summa, quoniam eius ortus à prima causa posset impediri. Vndè ut aliàs monuimus, triplex est necessitatis gradus, ad quorum primum pertinet *necessitas metaphysica*, quæ summa dicitur, ut quòd *homo sit risibilis*; ad secundum *necessitas moralis* pertinet, ut quòd Bizantium ita constructum sit, eo quòd vir probatæ fidei ita mihi testatur; ad tertium spectat necessitas Physica, ut quòd *Sol sit cras oriturus*, hic autem medium locum obtinet inter primum, & secundum, velut inter duos gradus extremos. Hoc idem de certitudine dicendum, adeo ut alia sit certitudo *metaphysica*, alia *moralis*, & alia *physica*. Ac proindè cogitandum certitudinem, vel ex obiecto, vel aliundè prouenire; si ex obiecto, vel ex obiecto necessario necessitate methapysicâ, & est metaphysica certitudo; vel necessario necessitate physica, & est certitudo physica; vel aliundè, quæ multiplex est, pluresque gradus habet, estque moralis, ut explicuimus. Ob id primus certitudinis gradus est metaphysicus, cui succedit secundo loco physicus, & huic moralis. Primus est maximus, secundus est mediocris, tertius denique minimus. Ad scientiam perfectissimam certitudo metaphysica requiritur; ad scientiam minus perfectam physica sufficit certitudo. Moralis autem ad opinionem facit, si tamen excipias illam, quæ ex diuina oritur auctoritate, quæ facit fidem, cognitionem certissimam, licet ineuidentem, & obscuram.

entia entiæ lerio est dentia. dentia d.

Duas præcedentes scientiæ conditiones sequitur euidentia; non enim scientiæ satis est, ut vera, certaque sit, sed præterea requiritur, ut eadem quoque sit euidens. Sed quid cognitionis sit euidentia, nunc explicandum. Ea porrò nil aliud, quàm claritas cognitionis, quâ intellectus clarè, perspicuèque videt obiecti veritatem, connexionemque prædicati cum subiecto, ita dicta, quasi clara obiecti videntia; videturque similis materiali lumini, quo visibile obiectum illustratum distinctè, clarèque potest à visu percipi.

lentia ier.

Hæc autem euidentia duplex est, quarum una se tenet ex parte obiecti, altera ex parte potentiæ, & cognitionis. Vtraque tamen ortum ducit ab obiecti necessitate; nam euidentia se tenens ex parte potentiæ, & cognitionis est claritas illa cognitionis intimè percipientis rationem connexionis terminorum, undè à cognitione connexionis prædictæ, quam cum intellectus perceperit, apertè cognoscit obiectum, non distinguitur. Claritas autem ex parte obiecti se tenens est aptitudo illa se clarè, atque distinctè manifestandi intellectui, ita ut cum illi primùm occurrit, eundem ad sui cognitionem moueat.

Euidentia haud necessario cum certitudine coniungitur.

Euidentia porrò haud necessariò cum certitudine coniungitur, quinimò ab ea potest separari; cognitio enim illa, quæ fides dicitur, innixa quidem irrefragabili Dei testimonio, certissima est, obscurissima tamen, nam connexio inter prædicatum, & subiectum non se dat in conspectum, sed occulta iacet. Quid enim certius quàm Deum esse trinum, & unum; sed quid obscurius? Id namque intellectus suo naturali lumine nequit sibi persuasum habere, & nisi Diuinum accederet testimonium, nunquam assentiretur.

Aduertenda quædã.

Quanuis autem ex parte intellectûs euidentiam diceremus ab obiecti necessitate suum ortum ducere, non inficiandum tamen ad hoc plurimum conferre naturale lumen eiusdem intellectûs; quod enim uni intellectui minus scilicet perspicaci, obscurum est, alteri est perspicuum.

Euidentia duplex,

Duplex autem est euidentia, quarum una immediata, ut cum intellectus ex simplici terminorum apprehensione statim assentitur alicui propositioni, nec aliquo indiget medio, quo clarè connexionem illam percipiat, ut propterea immediata dicatur; quemadmodum si proponatur hæc propositio, *omne totum est maius sua parte*, terminorum enim significatione perceptâ statim intellectus præbet assensum. Altera est euidentia, quæ mediata dicitur, eò quòd non ex simplici terminorum apprehensione potest intellectus percipere connexionem extremorum propositionis, sed hanc non videt, nisi quatenus cognoscit connexionem utriusque cum tertio; hinc euidentia hęc mediata dicitur, quoniam intellectui constat ex connexione, quam utrunque extremum habet cum tertio, quod medium dicitur. Hæc autem ad conclusionem pertinet, quæ cognoscitur euidenter ex præmissis, quia euidentiam suam ab ipsis recipiat, ità ut euidens ipsa dicatur, quoniam ab euidentibus principijs deducitur.

Ex his duabus euidentijs, quæ scientiæ conueniat satis est manifestum, non enim immediata, sed mediata est, propterea quòd scientia circa conclusionem versatur, cuius euidentiam diximus mediatam esse.

Dubitatio

Non conuenit tamen inter omnes, num ad euidentiam scientiæ requiratur, ut intellectus clarè distinctèque percipiat dependentiam euidentiæ conclusionis, ab euidentia principiorum pendere; an potius sufficiat, ut conclusio in se ex principiorum euidentia sit euidens. Verbo dicam, an requiratur euidentia ex parte intellectûs cognoscentis præter euidentiam ex parte obiecti, an hæc itidem desideretur.

Assertio docens ad scientiam euidentiã requiri.

Qua in re, ingenuè dicam, quid propiùs ad veritatem accedere mihi videatur, nempe ad scientiam propriè sumptam requiri omninò euidentiam ex parte intellectûs, adeout non nisi impropriè scientia dici possit illa cognitio, quæ cæteras habet scientiæ conditiones, hâc tamen destituta sit.

Aristotelis auctoritate suadetur.

Hoc fuisse Aristotelis consilium neminem præteribit, si memoriâ teneat ab eo nunquam admissam fuisse aliquam infallibilem certitudinem, quæ non habeat euidentiam adnexam. Quod etiam validissima ratio confirmat.

Ratio autem in eo posita, quoniam scientia naturâ differt à fide, ne dum ab opinione, à qua sicut per necessi-

Digitized by Google

ceſſitatem ſecernitur, ſic ab illa per euidentiam ſeiungitur; ut igitur obſcuritas ad fidem, ſic euidentia ad ſcientiam eſt neceſsaria, & ita quidem ut ad intrinſecam ipſius rationem pertineat.

Duplex neceſſitas nempe ſimplex, & complexa

Quarta conditio eſt, ut ſcientia ſit neceſſaria dicatur. Sed hîc adnotandum neceſſitatem bipartitò diuidi, propterea quòd alia dicitur neceſſitas ſimplex, alia autem complexa. Prima dicitur neceſſitas exiſtendi, quâ nimirum aliquid ſic exiſtit, ut non poſſit non exiſtere. Hoc neceſſitatis genus adeo proprium eſt primi entis, ut alteri ab eo conuenire non poſſit; hæc verò dici poteſt ſcientiæ conuenire, vel eo quòd ipſa ſic neceſſaria ſit per ſe ipſam; vel ratione obiecti, quoniam videlicet circa obiectum ita neceſſarium ſit occupata; neutro modo neceſſitas accepta ad ſcientiam requiritur. Secunda eſt illa, qua res aliquæ talem inter ſe ordinem habent, ut neceſſariò una alteram includat. Propter hunc neceſſarium connexionis ordinem de rebus illum habentibus enunciationes neceſſariæ, ac æternæ veritatis fieri poſſunt per affirmationem unius de alio; indè enim eſt, ut propoſitio de illis efformata ſit ipſis neceſſariò conformis, atque adeo vera, ita ut nequeat pro quacumque temporis differentia ſubeſſe falſum, ab omni enim temporis differentia præſcindit. Hæc autem neceſſitas eſt, quam ſcientia requirit. Sic neceſſarium eſt hoc genere neceſſitatis omnem hominem eſſe riſibilem. Omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & alia innumera, de quibus ſcientia dari poteſt. Horum enim neceſſitas in eo poſita eſt, ut prædicatum ex: gr: riſibile dari non poſſit in natura, quin ſit cum ſubiecto, ſcilicet homine connexum; nec poſſit homo exiſtere, quin ſit riſibilis, hoc eſt, ſubiectum nequeat in natura eſſe, quin illud prædicatum habeat adnexum.

Difficultas præoccupata, ſimulque ſoluta.

Neque dicas velim neceſſitatem connexionis haud maiorem eſſe poſſe neceſſitate extremorum; undè ſi extrema contingenter exiſtunt, conſequens ſit, ut eorum quoque connexio contingens eſſe debeat, ac ob id neceſſaria eſſe non poſſit; non inquam id dicas, ultrò fatendum ſiquidem connexionem illam non eſſe neceſſariam neceſſitate ſimplici, & in exiſtendo, quam ſolius primi entis meritò propriam eſſe dicebamus, non enim poteſt conuenire, niſi ei, quod ſuum habet eſſe à ſe, cuiuſmodi eſt primum ens; ſed alio genere neceſſitatis neceſſaria dicetur; quod ut intelligas, aduerte aliquid neceſſariò exiſtere bifariam contingere, atque adeo ſimplicem neceſſitatem geminam eſſe, quarum una dicitur abſoluta, & hæc eſt, quam primi entis propriam eſſe contendimus; altera verò eſt ex hypotheſi in eo conſiſtens, ut ſi aliquid eſt, cum eo aliud debeat eſſe connexum; ut ſi homo eſt, debet eſſe riſibilis, & hæc neceſſitas eſt, quæ ſcientiæ conuenit, ratione tamen obiecti.

Quinta conditio eſt, ut ſit de obiecto uniuerſali. Hęc ſcientię neceſſaria cenſetur, quando ſcientia fuerit de re, quę non ſit eſſentialiter ſingularis, ut eſt primum ens, alioquin ſi fuerit res eſſentialiter ſingularis, nihil obſtat quominus de ipſa detur ſcientia, undè ad huiuſmodi ſcientiam prędicta conditio non pertinet.

Quando autem fuerit de re, quę non ſit eſſentialiter ſingularis, ea eſt conditionis ratio, quia ſcientia in eo verſatur, ut oſtendat paſſionem de ſubiecto, cui ipſa primò, & per ſe conueniat, & quatenus ipſum. At quando res non fuerit eſſentialiter ſingularis, id, cui paſſio, quam ſcientia demonſtrandam aſſumit, primò, & per ſe, & quatenus ipſum conuenit, eſt aliquid commune pluribus, & non quidpiam ſingulare; ut id, cui conuenit primò, & per ſe, & quatenus ipſum, riſibile, eſt homo, de quo riſibile ſcientia demonſtrandum ſuſcipit; ob id quando ſcientia fuerit de re, quæ non ſit eſſentialiter ſingularis, conditionem hanc expoſcit, ut ſit de uniuerſali.

Sexta quoque conditio eſt, ut demonſtratiuo diſcurſu comparetur, eò quòd ſcientia non eſt quælibet rei cognitio, ſed cognitio rei per cauſam, diſcurſum, & illationem.

Quoniam autem in diſcurrendo poteſt intellectus allucinari; ob id requiritur, ut per diſcurſum demonſtrativum, hoc eſt rectè di poſitum in modo, & figura, acquiratur, adeo ut intellectus habeat euidentiam conſequentiæ.

Non prætereundum tamen conditionem hanc non requiri ad ſcientiam generatim ſumptam, ſed ſolùm ad ſcientiam humanam, eò quòd imperfectionem dicat, tam ex parte ſcientiæ ratione dependentiæ, quam inuoluit; quàm ex parte intellectûs ratione paſſiuæ potentiæ, quâ poteſt nouiter ſcientiam ex aliorum præhabita cognitione recipere.

Hîc autem ſilentio minimè præteribo, quòd etiam ad ſcientiam requiri ſolet, ut ſit de eo, quod uniuocum eſt, ſignificatum fuiſſe dicendo ſcientiam eſſe de uniuerſali, quod enim uniuerſale eſt, illud idem uniuocum; nam uniuerſale unum eſt aptum ineſſe multis.

Quanuis autem ſuperiùs tradita, rationi ſint ſummoperè conſentanea, non deſunt tamen difficultates, quibus operæ pretium eſt occurrere.

Prima difficultas.

Ex ijs prima ſe offert. Quoniam ſi ad ſcientiam requiritur ut per cauſam comparetur, foret abeundum in infinitum, ſiquidem cauſa hæc per cauſam aliam deberet oſtendi. Hic tamen proceſsus in infinitum non ſequitur, propterea quòd cauſa, nempè præmiſsę, in quibus continetur cauſa, ratione cuius paſſio in concluſione ſubiecto ineſt, non cognoſcuntur per cauſam, niſi cum illam habuerint, non autem illę, quæ cauſâ carent, quæque immediatæ dicuntur, in quibus denique ſiſtit intellectus, cum hiç eo, quo pollet naturæ lumine, veritatem ipſarum aſsequatur. Huiuſmodi autem cognitio ſcientia propriè nondicitur, ſed illud notitiæ genus conſtituit, quod intellectus nuncupatur. Solutio.

Secunda difficultas.

Illud etiam difficultatis occurrit, quòd in ſuperiori definitione allatum eſt, ſcilicet *quoniam illius eſt cauſa*, hâc enim conditione admiſsâ, ſemper intellectus ſcientiam acquirere diceretur per actum reflexum, quo cognoſceret connexionem paſſionis cum ſubiecto à cauſa, quâ utitur in demonſtrando, pendere, ita ut cognoſceret connexionem effectûs ipſius ſub ratione effectûs, & medium, quod eſt cauſa, ſub ratione cauſę, cum tamen experimento compertum cuicumque ſit, rem ſecus ſe habere; propterea quòd nemo eſt, qui non experiatur ſe ſcientiam de re quapiam ſine his acquirere.

Solutio.

Certum, ac exploratum ad ſcientiam non ſat eſſe cauſam cognoſcere, niſi ea cognoſcatur ſub ratione cauſę, non enim ſatis attingere id, quod eſt cauſa, & eo uti ad concluſionem oſtendendam, niſi conſtet eam eſſe cauſam, à qua profluit affectio demonſtranda. Fatendum igitur ingenuè ad ſcientiam prerequiri cognitionem huiuſmodi, quæ ad pręcognitionem ſubiecti pertinet; undè dum intellectus ratiocinando demonſtrat, virtute ſaltem cognoſcere, cauſam ſub ratione cauſæ.

Tertia difficultas.

Vlteriùs conſideranda particula illa, *quod non contingit aliter ſe habere*, videtur enim inſulsè poſita, eò quòd ſcientiæ non deſunt de ijs, quæ aliter ſe habere poſsunt. Conſtat enim de Luna oſtendi, ac demonſtra-

Digitized by Google

ri Eclipsim, cum tamen haud necessariò Luna hoc laboret defectu, rarò enim is contingit. Sic etiam Physyologia scientiæ rationem habens in ijs est occupata, quæ perpetuis mutationibus obnoxia sunt, ut sunt res naturâ constantes; hæ nanque nunquam in eodem statu permanent, sed perpetuò variantur.

Hæc tamen non suadent, propterea quòd commemorata quanuis primâ facie videantur inconstantia, minimèque necessaria; in ijs tamen illud inest necessitatis genus, quod ad scientiam requiritur. Reuocandum enim ad memoriam, geminam esse necessitatem, sic etiam incorruptibilitatem, scilicet incomplexam, & complexam, illa ad scientiam non facit, hæc autem requiritur, in eo posita, ut subiectum, de quo instituenda scientia, nequeat in natura esse, quin habeat hoc, vel illud prædicatum adiunctum.

Ad id autem, quod de Luna dicebatur, fatendum à paucis demonstrationem illam, quâ usus est Philosophus ad ostendendum hunc Lunæ laborem intellectam fuisse. Non pigebit ob id non nihil hîc immorari. Aduertendum igitur demonstrationem illam duobus modis explicari posse, primò ut constet ex propositionibus ad secundum modum dicendi per se spectantibus; secundò ut ad quartum modum dicendi per se attinentibus. Priori modo attenditur illa aptitudo, quam Luna habet, ut possit in hoc, vel illo situ orbis constitui, & lumine priuari, quod expectat à Sole; & hoc pacto intelligitur demonstratio contexta, sic ut per ipsam utique comparetur scientia de ijs, quæ necessaria sunt; nam non est contingens, sed necessarium Lunæ & ab eius internis oritur principijs, ut possit in orbem acta talem sortiri situm erga solem, ut ab eo lumen mutuari non possit. Secundo modo quatenus demonstratio confecta est ex propositionibus ad quartum dicendi modum per se spectantibus, attendi debet actualis, ut ita dixerim Lunæ constitutio, respectu ad Solem, quo posito necessariò in ea luminis oritur defectus. Hæc enim est quædam necessitatis species, siuè gradus, iuxta quem quicquid est, dum est, necessariò dicitur esse; atque hunc in modum scientia, quæ per talem demonstrationem acquiritur, de necessarijs esse dicitur, neque potentibus aliter se habere. Et quanuis effectus in actu, contingenter uniatur propriæ causæ in actu, quantum ad esse; per se tamen unitur quantum ad rationem causæ, & effectûs, quoniam hic ab ea naturali necessitate pendet.

Præterea solet etiam hæc alia difficultas afferri, quia intellectus est maximè mutabilis; nequit igitur esse subiectum alicuius immutabilis; scientia proinde, quæ in intellectu esse debet, nequit esse penitus immutabilis.

Magna tamen in his terminorum æquiuocatio. Mutabile enim dicitur, quod potest mutationem subire, scilicet potest aliter se habere nunc quàm priùs secundum formam, & hoc pacto rectè quidem intellectus dicitur mutabilis. Cum autem scientia dicitur immutabilis, non sic dicitur pro ut à se huiusmodi mutabilitatem excludit, hæc enim impertinens est ad id, de quo agitur, ad immutabilitatem enim scientiæ nihil refert, quòd sit hoc modo mutabilis, vel immutabilis. Sumitur autem mutabile aliquando iuxta vulgarem significationem pro corruptibili, quo pacto scientia est utique mutabilis, nec eius immutabilitas corruptibilitatem excludit; dicitur autem immutabilis, quatenus debet esse de obiecto necessario necessitate complexa, ut superiùs est explicatum; quod autem est mutabile iuxta priorem usurpationem, benè potest esse subiectum alicuius immutabilis, eo sensu, quo scientiam nuper dicebamus immutabilem esse.

Nec omittam vulgatum illud argumentum, nempè quod est maximè contingens, nequit esse causa alicuius necessarij; entia autem creata sunt maximè contingentia; ergo non poterunt esse causa alicuius necessarij; ergo neque scientiæ, si hæc necessaria esse debet; alterutrum igitur fatendum erit, aut ad scientiam non requiri necessitatem, aut de rebus creatis scientiam nullam dari posse. Quinta difficultas

Occurritur facilè, negando nimirum entia creata esse contingentia, eo contingentiæ genere, quod scientiæ officit, nempe contingentiâ complexâ; si namque necessaria non sunt incomplexâ necessitate, quam scientia non exposcit: sunt tamen necessaria necessitate complexâ, quam scientia requirit. Solutio.

SECTIO QVINTA.

De Scientiæ Obiecto.

EA est conditio habentium respectum ad aliud, ut cognosci non possint, nisi eo cognito, ad quod referuntur; cùm igitur scientia omnis ad obiectum ordinem importet, ob id cognosci non poterit ignorato obiecto, scientiæ igitur naturam explicaturi à cognitione obiecti debemus exordiri. Scientiam verò talem esse, ut ad obiectum ordinem inuoluat, adeo perspicuum, ut superuacaneum sit in eius probationem incumbere; sortitur enim cognitionis naturam; cognitio autem quæcumque respicit essentialiter id, nimirum obiectum, cuius est cognitio. Tractationis ordo.

Vt autem hæc probè tractentur, primò considerandum occurrit scientiam, siuè pro ut in actu, siuè pro ut in habitu positam, duplicis esse generis, alia enim dicitur totalis, alia verò partialis, voces planè sunt barbaræ, explicant tamen optimè id, quod intenditur. Duplex scientiæ Genus.

Scientia in actu, partialis tamen, est unius conclusionis cognitio per unicam demonstrationem comparata; ut cognitio demonstratione comparata huius conclusionis, quòd *triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis*, cognitio inquam, quam quis actu habet demonstrata de conclusione prædicta, dicitur scientia simul actualis, & partialis de triangulo. Sic etiam cognitio demonstrata, quam intellectus actu habet de hac conclusione, quòd *omnis homo sit risibilis*, dicitur scientia actualis partialis de homine, & sic de alijs.

Scientia autem habitualis partialis est habitus cujuslibet conclusionis genitus ex frequentatis actibus circa conclusionem eandem, quorum quilibet actualis scientia partialis dicitur. Vt si quis frequenter demonstrationem illam conficiat, quâ probet omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, habitum acquirit, quo intellectus redditur propensus ad eliciendos similes actus circa conclusionem eandem, quòd omne triangulum tres angulos habeat duobus rectis æquales.

Scientia autem actualis totalis est aggregatum ex omnibus scientiæ actibus, siuè ex partialibus actualibus ita ut non una cognitio, sed aggregatum cognitionum de passionibus omnibus demonstratis de aliquo subiecto, puta de triangulo, sit scientia totalis actualis de ipso triangulo. Hæc autem scientia simul esse non potest, quoniam intellectus nequit habere simul omnes notitias prædictas, sed modò unam, & modò aliam.

Scientia autem totalis habitualis, est habitus ex scientia totali sæpius iterata genitus propensum reddens intellectum ad eliciendas notitias conclusionum totalis scientiæ actualis; siuè est habitus respondens

scientiæ totali actuali. Hæc autem scientia simul est tota secundum omnes partes, vel saltem ei non repugnat simul esse, cum non repugnet omnes illos habitus in intellectu simul existere.

His præhabitis proximum est, ut videatur quid, & quotuplex scientiæ subiectum sit, in cuius gratiam est adnotandum huius vocis subiectum multiplicem significationem esse. *Primò*. Siquidem accipitur ad denotandum id, quod alicui subijcitur formæ, quo sensu intellectus dicitur scientiæ subiectum. Sic etiam lapis dum proijcitur dicitur subiectum impressæ virtutis, quam illi proijciens impertitur diciturque subiectum informationis. *Secundò*. Accipi etiam solet pro eo, de quo aliud in propositione enunciatur, & à prædicato distinguitur, subiectumque prædicationis nuncupatur, quemadmodum quod enunciatur, prædicatum appellatur. *Tertiò*. Etiam accipitur ad significandum inferius respectu superioris; undè superius de inferiori tanquam de subiecto dicitur prædicari. Nec immeritò, nam inferius superioribus gradibus subijcitur, quamobrem si subiectum à subijciendo nomenclaturam sortitur, iure quidem inferius, comparatione superiorum subiectum dici poterit. Sic homo respectu animalis, viuentis, corporis mixti, cæterorumque superiorum graduum subiectum perhibetur. *Quartò*. Hæc eadem subiecti vox accipitur ad significandum id, circa quod integra quædam facultas occupatur, quo pertinet illud Philosophi dictum. Scientia una est unius generis subiecti, sic enim habet. Μία δ' ἐπιστήμη ἐστιν, ἡ ἑνός γένους, ὅσα ἐκ τῶν πρώτων σύγκειται, ἢ μέρη ἐστιν, ἢ πάθη τούτων καθ' αὑτά. *Vna scientia, (quæ nimirum unius generis est)* eorum est, *quæ ex primis componuntur, & partes sunt, aut affectiones horum per se.* 1. Post. Text. 17.

Hoc idem autem dicitur etiam obiectum, & materia circa quam, propterea quòd subiectum dicitur, vel in ordine ad passiones, quarum ipsum re verâ subiectum est, & de quo demonstrantur; vel quia est veluti basis, cui tota scientiæ machina innititur, desumptâ metaphorâ à fundamentis domûs, vel cuiuscumque ædificij, cui illa substernuntur, & quibus ipsum innititur. Dicitur autem obiectum per metaphoram sumpta ab eo, quod unicuique potentiæ obijcitur; ut enim aliquid ex eo quia obijcitur potentiæ, solet obiectum appellari, ita pariter id, quod obijcitur scientiæ, ut ab ipsa cognoscatur, meruit obiectum nuncupari.

Dici autem materia solet, circa quam, desumptâ quidem metaphorâ ab arte; nam ut id, circa quod ars est occupata, eius materia dicitur circa quam versatur, ita ut eius fines non transiliat: sic etiam obiectum scientię dicitur materia circa quam, eo quòd circa ipsam ita versatur, ut nihil assumat considerandum prętęr illam.

At cum de subiecto loquimur, prætereundum non duximus, quod est animaduersione dignissimum, nempè subiectum sub nomine obiecti partitionem illam admittere in obiectum complexum, & alterum, quod incomplexum dicitur; complexum est, quod per integram significatur conclusionem, in qua est prædicati, seu passionis cum subiecto connexio, quæ propriè dicenda est id, quod scientiæ obijcitur; est enim id, quod scitur, utpotè id, quod demonstratione per causam inter subiectum, & prædicatum, siue passionem ostenditur. At incomplexum est eiusdem conclusionis subiectum, de quo passio demonstratur.

Subiectū de quo in præsentia fit sermo.

Hoc autem geminam significationem admittit; propterea quòd primò latâ quâdam usurpatione sumitur, prout significat omne id, quod in scientia considerandum suscipitur, siue sit passio, siue sit id, de quo passio ostenditur, siue sit causa, vel principium, per quod passio demonstratur. Hæc autem nimis est lata subiecti quidem acceptio. Huius præsior est significatio, quâ pro eo sumitur, de quo passiones in integra præsertim aliqua scientia demonstrantur. In tribus enim, dicebat Philosophus, disciplinam omnem occupari, in subiecto videlicet, in principijs, seu causis, & in attributis; non quasi de subiecto ipso seorsum accepto scientia possit institui, neglectis principijs, & affectionibus, quæ nam hæc scientia foret? Omnis enim scientia in definiendo, demonstrandoque consumitur; at definitio si essentialis fuerit principia essentialia requirit; si descriptio per attributa, seu passiones perficitur. Si demonstratio, qua scientia comparatur, & quæ definitionem, seu descriptionem tanquam medium exposcit, aut ea est, quæ propter *quid* nuncupatur, cui essentialis definitio tanquam medium deseruit, certè principia requirit, & attributa, hæc enim sunt, quæ demonstrantur, illa verò per quæ demonstrantur; at si fuerit alia demonstratio, quæ dicitur *quia*, passiones exposcit, itemque principia, illa tanquam ea, quæ demonstrantur, hæc verò per quæ demonstrantur. Nulla igitur scientia de subiecto seorsum accepto, principijs, & attributis neglectis dari potest. Cum igitur dicitur scientia occupata in illis tribus; id eo sensu intelligendum, quia dum considerat principia, dumque perscrutatur passiones, dicitur considerare subiectum, eo quòd illa principia, atque passiones ipsius subiecti principia, passioneque sunt.

Hoc itaque subiectum est, de quo in præsentia fit sermo, quodque totius est disciplinæ finis, & cuius gratia omnia considerantur in ipsa, ad quod videlicet omnia dicunt attributionem, unde subiectum attributionis dici consueuit.

Et quia hæc attributio duobus modis contingit. *Primò*; Quoniam principia, & passiones ad subiectum attributionem habent, & in omni disciplina hæc necessaria est attributio. *Secundò*. Quia aliqua tanquam species ad subiectum, tanquam ad genus attributionem habent, quæ solùm contingit, quando scientia considerandum aliquod genus assumit, cum alioquin hæc attributio locum non habeat, quandò in scientia suscipitur considerandum aliquid, quod species infima est. Ita fit, ut dum scientia considerandum genus assumit, omnia, quæ in ea tractantur ad subiectum attributionem habeant, & ad ipsum reuocentur, vel tanquam principia, vel tanquam passiones vel tanquam species, vel tanquam principia, & affectiones consentaneæ speciebus ipsius. Si autem considerandum suscipiat speciem infimam, tunc omnia, de quibus edisserit disciplina, ad subiectum ipsum tantummodo ut principia, & attributa reuocantur.

Distinctio subiecti totale, & partiale.

Hinc illa distinctio subiecti in totale, ac adæquatum, & partiale; atque adeo etiam distinctio scientiæ in totalem, & partialem. Subiectum totale, & adæquatum scientiæ totius est finis, in cuius nimirum explicationem scientia quidem incumbit uniuersa, & omnia contemplatur in gratiam ipsius. Et hoc planè coincidit cum eo, quod dicitur attributionis subiectum, ex eò quia omnia, quæ in scientia considerandæ suscipiuntur, ut aduerti superiùs, attributionem habent ad ipsum, saltem secundum esse scibile, quoniam vel eius sunt species, vel principia, vel passiones, vel eorum, quæ sub ipso continentur. Dicitur autem *totale* in ordine ad totam scientiam, quia scilicet totius scientiæ subiectum est. Dicitur *adæquatum* eo nomine, quòd scientiam uniuersam adæquat, quatenus nihil est extra ambitum ipsius, de quo scientia edisserat, nec scientia quidpiam omittit ex ijs, quæ ad ipsum pertinent. Verbo dicam scientiæ æquè ac subiecti

Digitized by Google

biecti latè patet ambitus; & hinc obiectum adæquatum dicitur. Partiale verò subiectum si propriè loquamur, species quædam est sub ipso contenta. Vniuersa enim scientia, si quidpiam unum genere considerandum assumat, diuiditur in partes, quarum quælibet circa speciem aliquam sub eo contentam occupatur. Exemplum euidens ex Physiologia depromitur, nam ipsa in naturalis substantiæ consideratione versatur non prout simpliciter, sed ut absolutè supponit, idcirco non sistit in contemplatione generis, sed ad species sub eo contentas descendit, ac proindè contemplatur corpus simplex, & mixtum descendens ulteriùs ad eas, quæ infimæ sunt species, quarum quælibet subiectum est partis ipsius scientiæ, undè partiale subiectum dicitur. Ita fit, ut quanuis instituantur tractationes de principijs, de passionibus, hæ non dicantur partiales scientiæ; cum hoc nomine solùm ea tractatio mereatur appellari, quæ speciem aliquam directè contentam sub adæquato continetur subiecto.

Quòd si principium aliquas haberet affectiones, quæ de ipso per naturam eius ostendi possent, ac de eodem scientia institueretur, hæc non tam partialis, quàm totalis dicenda foret. Oportet igitur, ut tam principium, quàm passio rei alicuius, quatenus huiusmodi consideretur.

Et quanuis nonnulli scioli diuisionem istam reprehendant tanquam, ut ipsi dicunt, vocibus abutentem. Retinenda tamen velut idonea; tametsi enim commune illud, quod adæquatum subiectum dicitur, secundum simplicem suppositionem, scientiam uniuersam non adæquet, adæquat tamen secundum suppositionem absolutam. Subiectum verò cuiusque disciplinæ partitionem adhuc alteram subit, quâ nimirum in magis, minusque præcipuum diuiditur. Quod enim præstantioris naturæ est, primum dignitate dicitur, quod autem inferioris notæ, minus præcipuum appellatur.

Hoc idem subiectum, vel si mauis obiectum; dupliciparte constat, quarum una materialis, altera verò formalis nuncupatur, sumptâ metaphorâ à materia, & forma, ut mox intelliges. Materialis pars res est consideratа; formalis verò est ratio, secundum quam consideranda suscipitur. Exemplo res fiet illustrior: Homo consideratur à Physico, à Medico, & à Morali Philosopho, unde res eadem ab his considerandа susscipitur, aliâ tamen ratione considerandum hominem assumit Philosophus naturalis, aliâ Moralis, & aliâ Medicus. Primus considerat hominem ut aptum subire motum; Secundus velut aptus dirigi in genere moris, seù moribus optimis conformari. Tertius quatenus in eo sanitas potest induci. Homo igitur in omnibus his disciplinis pars materialis est; quælibet autem ex illis rationibus, formalis pars nuncupatur, quarum singulæ, singularum disciplinarum sunt propriæ. Hinc illa distinctio obiecti in materiale, & formale. Per metaphoram autem desumptam à materia, & forma partibus physicis, hæc habetur in utraque obiecti parte denominatio. Vt enim materia est indifferens ad unum, vel aliud compositum, ad quæ per formas determinatur: sic etiam materialis pars obiecti indifferens est ad diuersa scibilia, ad quæ per rationes diuersas determinatur.

Dicebam autem ad scibilia diuersa, quoniam hæc indifferentia non est in esse rei, quasi res eadem possit pluribus conuenire, quàm formalis ratio secundum quam consideratur, quin potius reciprocari debent, & utraque æque latè patere, alioquin non fierent, de subiecto propositiones de prædicato secundum quod ipsum, quod tamen scientia requiri. Sic corpus naturâ constans res considerata in Physica cum naturalitate reciprocatur, quæ est ratio, modusque considerandi. Sed contractio est in esse scibilis, quoniam res quæ alioquin à pluribus scientijs assumitur considerandа, potius ad unam, quàm ad aliam pertinet disciplinam, per rationem, ac modum considerandi hinc enim illa determinatur, ac eius indifferentia tollitur.

Et rectè quidem hæc formalis ratio dicitur id, à quo scientia suam consequitur speciem, propterea quòd hæc se habet ut fons, & radix omnium passionum, de quibus edisserit disciplina, quasque demonstrandas assumit, & cuius ratione complexa principia potius ad unam, quàm ad aliam pertinent scientiam. Ita quidem naturalitas se habet in Physica, est enim omnium affectionum radix, in quarum consideratione Physicus est occupatus; & complexa principia, quibus utitur Physicus, ob id ad Physicam pertinent, quoniam subiectum secundum illam rationem formalem concernunt, & proprietates subiecti, ideo sunt Physicæ considerationis, quoniam secundum formalem illam rationem subiecto conueniunt. Ratio formalis seu considerãdi modus, cuiusmodi esse debeat.

Quamobrem completum obiectum erit illud, quod ex hac duplici parte materiali nimirum, formalique consurgit, quarum una est res considerata, altera est ratio, modusque considerandi. Si quid autem assignetur, ut exempli gratia, uniuersalitas, potius hęc conditio quædam, quam considerandi modus, seu formalis ratio dici debet. Obiectum completũ.

Cæterum obiectum, de quo proximè locuti sumus, necessariò scientia commensurari debet; subiectum nanque scientiæ mensura, & regula est; ut enim potentia suo proprio obiecto: sic & scientia subiecto debet commensurari; quemadmodum enim potentia ad obiectum; sic scientia ad subiectum se habet, quod præsertim intelligendum de obiecto formali, proprio, & adæquato, cum ab hoc scientia specificationem obtineat; formali autem obiecto scientia commensurari dicitur, quia sub obiecto formali nihil continetur, quod scientia non attingat, cum hæc quicquid per se sub formali obiecto continetur, omnino respiciat, nec ad illa se extendat, ad quæ, formale eius obiectum non extenditur.

SECTIO SEXTA.

De conditionibus ad obiectum scientiæ requisitis.

De quo obiecto in præsentia habeatur sermo.

SCientiæ geminum obiectum ad memoriam est reuocandum, quorum unum dicebatur complexum, nimirum integra conclusio, quæ demonstratur; alterũ incomplexum, quod est subiectum eiusdem conclusionis. Cum autem hîc obiecti conditiones inquirimus, præsertim ad incomplexum respicimus, de altero enim vix aliquid attingemus, de ipso in sequentibus verba facturi. Plures autem ad incomplexum obiectum conditiones requiri solent.

Prima conditio.

Primò quidem occurrit conditio, quòd ipsum reale sit, non autem opere mentis effictum. Idque ex definitione scientiæ ab Aristotele tradita colligi quidem existimant, cùm in ea dicatur scientia esse cognitio rei per causam, per quam res est. Res enim, & id, quod est, ens propriè reale quidpiam significat. Ex aduerso visum est alijs hanc non requiri conditionem, cum scientia quoque de ijs, quæ intellectus operando comminiscitur, quæque entia rationis dicuntur, itemque de negationibus, ac priuationibus, verbo dicam, de non entibus detur.

Difficultatem hanc de nomine potius, quàm de re esse videtur, etenim ex acceptione scientiæ difficulta-

eis pendet solutio: prout enim sumitur pro scientia magis, minusve perfecta, sic dici potest esse de ente reali, vel de ente rationis, ac de non entibus. Perfecta enim scientia utique ens reale considerandum assumit, secus ea, quæ minus perfecta, ac inferioris est notæ.

Neque urgeas dicendo in scientiæ definitione significari eam esse de re, & per propriam causam, quæ non nisi enti reali conueniunt. Nam ut omittam definitionem illam intelligendam de perfectissima scientia; illud item accedit, quòd res accipi potest latiori quadam usurpatione, prout ad ea etiam, quæ non sunt entia realia, se extendit. Sic pariter in entibus rationis, & in non entibus, & causas, & affectiones recognoscimus. Dum enim dicitur non entis nullas esse affectiones, id sanè intelligendum de his præsâ significatione sumptis, alioquin & vacuo, quod non est ens positivum, quædam attribuimus, quæ propterea attributa dicuntur, eò quòd ei suo modo conueniunt; immò etiam & entis realis affectiones sunt negationes quædam, ut unitas realis entis passio, meritò censetur in negatione consistere; addunt aliqui non ens, non esse scibile directè, & per se, benè tamen indirectè, & per accidens, quatenus concipitur ad modum entis, & illi denegatur, quod conuenit enti.

Secundò putarunt aliqui obiectum scientiæ haud accidens, sed omnino substantiam esse debere.

Secunda conditio.

Verum non tam religiosè de scientiæ obiecto sentiendum, cum de accidente quoque, ac de ente etiam communi substantiæ, & accidenti scientia possit institui. Hoc euidens mihi, tum quia in scientiæ definitione nulla sit huius conditionis obiecto debitæ commemoratio. Tum quia nihil obstat quominus de accidente instituatur scientia, cum illud suas habeat affectiones, quæ de ipso per eiusdem essentiam, naturamque possunt ostendi. Tum etiam quia non desunt de aliquo accidente scientiæ nunc institutæ. Ita quidem plerique Matheseos partes accidens aliquod considerandum suscipiunt. Tum denique neminem latet id, quod à prima Philosophia, velut adæquatum obiectum consideratur, esse ens substantiæ accidentique commune. Nec oppositum Aristotelis auctoritas, cui contrariæ sententiæ fautores innituntur, persuadere potest; nec scilicet ubi ait de accidente non esse scientiam, nec ubi contendit solius substantiæ definitionem esse, ac proinde demonstrationem, cui definitio tanquam medium inseruit, atque adeo neque scientiam; quæ non nisi demonstratione comparatur. Primo enim loco solùm eò spectat consilium ipsius, ut doceat, de ijs, quæ rarò, & fortuitò eueniunt, cùm causam determinatam non habeant, scientiam dari non posse; undè hanc non inficiatur de accidente prout à substantia distinguitur. Et alio in loco non denegauit accidenti definitionem quamcumque, sed solum merè quidditatiuam, cum alioquin ultro fateatur de ipso dari definitionem per additamentum, scilicet illam, in qua assumitur aliquid, quod non ingreditur intrinsecus definiti naturam. Hoc planè definitionis genere dicitur accidens definiri, cum ad illud definiendum sit adhibendum subiectum, hoc est, assumendum in definitione ipsius.

6 diuin. cap. 2. & 7. eiusdem operis Tex. 18.

Et quanuis oppositum alicui posset arridere, eò quòd accidens ad substantiam reducendum videatur, atque adeo contemplatio ipsius ad scientiam de substantia pertinere debeat. Secus tamen se res habet de aliquibus accidentibus; etenim quædam sunt accidentia, quæ abstrahendo à substantia considerari possunt, ut quantitas; & horum consideratio non pertinet ad scientiam de substantia. At si quę alia accidentia sunt, quæ planè sunt multa, quorum consideratio hanc abstractionem non permittit, ad scientiam de substantia, de ijs differere pertinebit. At dices: agens scientia de aliqua substantia, eiusdem etiam accidentia scrutatur, ut nos docuit Stagirites ad quandam obiectionem respondens, in qua assumebatur Physicum agere de Cęli substantia, Astrologiam de accidentibus; sed id hoc nomine reijcit, quòd quæ agit de substantia debet etiam de accidente differere, quod intelligendum de accidentibus à substantia fluentibus, eiusdemque naturam comitantibus; nam ad eandem scientiam de re, & de attributis eiusdem pertinet disputare. 2. Phys. Tex. 9.

Nec oppositum docuit Philosophus dicens de accidentibus non esse scientiam demonstratiuam; loquitur enim de accidentibus communibus, quæ certam, ac definitam causam non habent, & ita insunt subiecto, ut possint non inesse. Prima Poster.

Tertiò requiri solet à plerisque, ut obiectum scientię sit ens aliquod creatum. Tertia conditio.

His tamen non assentiendum, cùm potius asserendum sit de ente quoque increato scientiam dari posse. Si enim ad scientię obiectum requiritur, ut attributa habeat, itemque principia, per quę demonstrentur, cum hęc creato quoque enti conueniant, nihil erit in causa, cur de ipso scientia institui non possit. Ens autem increatum sua habere attributa, perspicuum satis, est enim infinitum, est omnipotens, est immensum, & alia habet attributa, quę non est huius loci percurrere.

Neque refert, quod plerisque multum negotij faceſſit, nempe hęc attributa re ipsâ ab eo non distingui, nec habere causam, per quam ostendi possint, cum tamen scientia debeat per causam attributa demonstrare de obiecto suo. Quę enim de primo ente, hoc est de Deo sunt ostendenda, si non per essendi, saltem per cognoscendi causam, scilicet per effectus possunt demonstrari. Immò etiam per causam, si non physicam, quę formalis dicitur, ad quam requiritur, ut ab effectu re ipsâ distinguatur, saltem per causam metaphysicam, quę virtualis nuncupatur. Ita planè se habet rei essentia respectu attributorum, ac affectionum, & vnum attributum comparatione alterius. Non enim habere tres angulos æquales duobus rectis, ab essentia trianguli re ipsâ distinguitur. Nec aliud attributum de triangulo demonstrandum ab attributo prędicto distinctione secernitur. Sic etiam se habet essentia primi entis, siuè Dei in ordine ad attributa de ipso demonstranda, & attributum unum comparatione alterius. Essentia enim ipsius se habet, vt ratio, cur ei attributa conueniant, & attributum vnum in ordine ad aliud. Hoc igitur modo per essentiam, veluti per rationem de Deo nos attributa ostendimus, & attributum vnum, vt æternitatem per attributum aliud, scilicet per immutabilitatem demonstramus.

Et hoc etiam scientię definitioni consentaneum esse potest, si causę nomine, cuius in illa definitione fit mentio intelligatur id, quod si non causa physica, saltem metaphysica sit, nimirum ratio, ut nuper dicebamus, cur aliquid alicui conueniat. Immò sic intelligendum causę nomen; alioquin naturalium scientiarum præstantissima, nempè diuina Philosophia, nec etiam Geometria, vel Arithmetica scientię rationem sibi vendicarent. Non diuina Philosophia, dum passiones, scilicet unitatem, veritatem, & bonitatem de ente demonstrat, hę namque realiter non distinguuntur ab illo, non enim per physicam causam ostendi possunt, sed solum per rationem, unde habent, ut hęc enti conueniant. Sic de duabus alijs commemoratis disciplinis, quę certè per solam rationem prędictam de

suis

suis obiectis attributa demonstrant.

Quartò. Præcipua conditio in obiecto scientiæ requisita est, ut sit incorruptibile, & æternum, unde frequenter hoc inculcatum apud Philosophum legimus, dicentem alicubi. *Non est demonstratio corruptibilium, neque scientia.* Et alibi. *Omne id quod scimus non posse aliter se habere existimamus. Scibile igitur necessariò est æternum: quæ enim necessariò sunt absolutè, omnia sunt æterna: quæ autem sunt æterna generationi, & corruptioni minimè subiacent.*

Quanuis hæc vera sint, itaut obiectum scientiæ nequeat huiusmodi conditione destitui, difficultas tamen occurrit, undè veritas debilitata apparet. Nam innumera ferè sunt, de quibus scientiam dari posse fatentur omnes, cum tamen maximè sint contingentia, ac propterea minimè necessaria; Vti sunt res omnes naturâ constantes, de quibus nemini dubium scientiam esse posse. Omnia enim, quæ naturâ constant, vel naturæ viribus deficiunt, quatenus à contrarijs causis oppugnantur, vel saltem virtute altioris causæ, nimirum primæ, interitum subire possunt, atque adeo cum alterutro modo variari queant, consequens fit ut sint maximè mutabiles, ac inconstantes, quod est ea non esse necessaria sic, ut hæc obiecti conditio requirit.

Si tamen attendas, facilè intelliges nullius roboris difficultatem esse, præsertim ad memoriam reuocando, quæ superiùs hac de re tradita fuerunt. Cum enim dicimus obiecti, de quo loquimur, præcipuam conditionem esse necessitatem, non statim intelligendum id de necessitate simplici, quâ aliquid ita existit, ut nullo modo possit non existere, alioquin de solo primo ente, quod solum hoc necessitatis genere necessarium est, scientia dari posset; sed de necessitate complexa iam explicatâ, quæ in eo consistit, ut necessaria sit connexio inter subiectum, & prædicata, adeo ut æternæ veritatis enunciationes fieri possint; & hæc eadem necessitas est, quam ex hypothesi nuncupandam censuimus eo quòd subiectum dari non potest, quin talia habeat prædicata adiuncta; cumque res naturales hoc necessitatis genere dici necessariæ possint, non mirum si de ipsis scientia dari queat. Nec Aristotelis testimonium quicquam suadet, cum ibi tantùm docere velit, quando semper, aut ut plurimum aliquis effectus sequitur ex aliqua causa, posse dari scientiam de hoc, quod talis causa naturalem habeat virtutem, & facultatem ad huiusmodi effectum producendum, nisi fuerit impedita. hoc autem est scire virtutem & facultatem causæ per modum propositionis essentialis, & variabilis abstrahendo ab existentia eorum, de quibus est propositio.

Quintò conditionem aliam esse dicunt obiecti scientiæ, ut sit uniuersale, ita ut de singulari nulla scientia dari possit. Hic multa congerunt Aristotelis Interpretes.

Primò tamen certum, ac exploratum esse debet scientiam aliquo modo de singularibus esse concedendam. Hoc euidens est ex eo quòd proprietates consequentes communem aliquam naturam, de qua per propriam causam ostendi possunt, nihil prohibet quominus de singularibus naturam illam participantibus demonstrentur, quod est de singularibus dari aliquo modo scientiam; si non per se primariò, & propriè saltem secundariò, & communiter.

Hoc autem magis declaratur, ac ostenditur, quoniam singulare passiones habet communes speciei, aliorumque graduum superiorum, sub quibus continetur, unde scientia dari poterit de ipso per applicationem, contractionemque prædicatorum essentialium, atque passionum communium de ipso, quod est de singulari dari scientiam secundariò, & communiter, quoniam essentiales passiones per se primò de naturis communibus, & consequenter de singularibus demonstrantur. Dicitur etiam dari de singulari scientia communiter, quoniam prædicatum illud, quod demonstratur de uno singulari per aliquod medium, potest communi ratione per idem medium de omnibus similibus singularibus in eadem specie conuenientibus demonstrari. Sic etiam de singularibus dicimus non esse demonstrationem, neque scientiam, nisi secundum accidens, hoc est secundariò in ordine videlicet ad passiones, quæ speciem consequuntur.

At verò si aliquæ sint passiones singularem consequentes naturam, ita ut sint propriæ illius, non repugnabit de ipso dari scientiam primò, & per se; nam efformare licebit de huiusmodi singulari propositiones æternæ veritatis; tametsi enim illud contingenter existat, atque adeo non habeat necessitatem incomplexam, hæc tamen ad scientiæ obiectum non requiritur, siquidem sufficit complexa necessitas iam explicata; adhuc enim de illa singulari contingenter existente dicere verum foret, si illud esse debet in natura, certè proprietates istas habere debet adiunctas.

Hinc cùm Deus sit singulare quidpiam, cui propria debentur attributa, maximè de ipso scientia dari potest, eo quòd non ex hypothesi, sed absolutè ens necessarium est, non solùm necessitate complexa, sed etiam incomplexa.

Sextò requiritur, ut obiectum scientiæ sit uniuocum, vel saltem analogum eâ analogiæ specie, quæ cum uniuocatione cohæret. Sexta conditio.

Si sumantur analoga, quæ in nulla communi ratione conueniunt, sed solum commune nomen participant, cum habitudine quadam; profectò de his haud poterit una dari scientia, quâ scilicet prædicatum unum de uno subiecto demonstretur, ut satis notum, ac manifestum.

At si scientia pluribus constauerit partibus, & analoga quanuis non participent unam quandam communem rationem, in qua conueniant, habeant tamen attributionem ad unum, nihil obstabit, quominus de ipsis instituatur scientia, si non una absolutè, saltem aggregatione una. Ita planè se habet Medicina, quæ considerat per se quidem animal sanum, consequenter verò cibos sanos, medicamenta sana, & signa sana, secundum diuersas sui partes, omnia enim hæc, nempè cibi, medicamenta, & signa sana, dicunt attributionem ad animal sanum, vel quatenus in eo, sanitatem conseruant, vel restituunt, vel significant. Quemadmodum igitur ea non habent maiorem, quam attributionis unitatem; sic & scientia ipsa maiorem sibi nequit unitatem vendicare, quàm quatenus reliquæ partes ad illam attributionem habent, in qua de animali sano disseritur.

At si analoga in quadam communi ratione conueniant, utcumque fuerint ipsa, siue cum dependentia essentiali unius ab alio; siuè analoga dicantur quatenus non æquè participant communem illam naturam, sed unum perfectiori, aliud autem imperfectiori modo illam includant; tunc profectò una absolutè scientia potest de ipsis institui. Ita planè Metaphysica scientia absolutè una ens contemplatur, quod commune est pluribus, quorum unum essentialiter ab alio pendet, ut Deo, & creaturis, quæ ab eo essentialem dependentiam habent, substantiæ, & accidenti, quod ab ipsa essentialiter pendet.

Septimò tandem considerandum occurrit, num scientiæ obiectum unum per se esse possit, an sufficiat aliquod aliud unitatis genus, qua in re ita philosophandum Septima conditio.

phandum existimo.

Ens unum per accidens bifariam considerari potest, vel ut aiunt in actu signato, vel in actu exercito. Priori modo est id, quod hoc nomine significatur, quo pacto illud accipimus pro ut per tale nomen significatur; secundò sumitur in actu exercito, pro eo scilicet, quod re ipsâ est per accidens unum.

Sic autem acceptum ens per accidens, unius notionis non est, nam aliud est unum informatione, ut album, calidum, frigidum &c. & aliud aggregatione, quod gemino modo contingit, vel per simplicem aggregationem; vel per aggregationem cum aggregatorum ordine. His præhabitis, non obscurè constabit quid hac in re dicendum. Etenim de eo, quod est ens per accidens unum in actu signato, non inficiandum posse dari scientiam; propterea quòd præmissâ significatione huius nominis, & explicato, in quo eius esse consistat, multa de huiusmodi ente pronunciamus, diuersasque conclusiones efformamus euidenter illas ostendendo; quamobrem non negandum de huiusmodi ente dari scientiam posse.

Quomodo de ente per accidēs detur scientia.

Et certè de hoc multa quidem in prima disputantur Philosophia, ut melius unius entis per se natura cognoscatur. Cumque ea sit secundum omnem sui partem perfectissima scientia, de huiusmodi ente scientiam dari posse, nemini licebit inficias ire.

At de ente per accidens accepto in actu exercito, certè nequit dari scientia una, tam perfecta, quàm quę est de ente uno per se.

De hoc tamen præstabit differere tunc, cum de subalternatione scientiarum se se obtulerit disputandi occasio.

Octaua conditio.

Octauò, illud etiam inter obiecti conditiones requiri solet, nempe quòd sit unius generis; hanc conditionem ex Aristotele desumunt, dum ipse ait. *Μια δ' ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ ἑνὸς γένους, ὅσα ἐκ τῶν πρώτων σύγκειται, καὶ μέρη ἐστὶν, ἢ παθη τούτων καθ' αὑτά.* *Vna scientia (quæ nimirum unius generis est) eorum est, quæ ex primis componuntur, & partes sunt, aut affectiones horum per se.* Si per conditionem hanc intelligendum debere quidem obiectum scientię genus esse, certè non sic nomen generis interpretandum, ut intelligatur præsså quâdam acceptum significatione, adeo ut per ipsum denotetur aliquid commune multis perfectè precisum ab ipsis, ad eum modum, quo se habet animal; alioquin de ente generatim accepto nulla scientia dari posset, cum tamen de ipso perfectissima omnium scilicet Metaphysica instituta sit. Nomine igitur generis intelligendum quicquid ratione, & essentia commune est multis, quantacunque sit precisio ipsius à multis, quo pacto ens potest esse scientię subiectum. Requiritur igitur unitas, quoniam omnia, quę in aliqua scientia tractantur ad unum subiectum attributionem dicunt; non est autem opus ut sit perfectâ precisione unum, cum imperfecta precisio sufficiat, quod præsertim intelligendum de ratione formali, ita ut unius scientię unum sit obiectum, & sub una formali ratione, siue unitas perfecta, siue imperfecta sit; sat enim, ut dicat quandam communem rationem participatam à pluribus, adeo ut ipsius subiecti nomen æquiuocum non sit ut mox intelliges.

Nona conditio.

Nonò. Obiectum scientię nequit esse aliquid æquiuocum; cum enim æquiuoca dicantur, quorum nomen solùm commune est, definitio autem essentiæ ad id nomen accomodata, alia, atque alia; consequens sit, ut æquiuocum unius scientiæ obiectum esse non possit, siquidem, ut nuper dicebatur, debet esse unius communis naturæ, quæ definitione possit explicari, per quam videlicet prima, atque præcipua affectio de subiecto possit ostendi, quod sine uniuocatione haberi non potest. Omne igitur obiectum scientiæ dicit aliquem conceptum unum uniuocum omnibus in illa scientia tractatis, quod intelligas velim de ijs, quę directè pertinent ad scientiam, cuiusmodi sunt species sub obiecto contentæ, non autem de ijs, quæ ad scientiam obliquè spectant, ut sunt principia, causæ, & elementa insuper & affectiones, hæc enim omnia scientia complectitur, quoniam sunt aliquid obiecti, quod ipsa considerandum assumit, etsi sub illo directè minimè contineantur; hoc enim specierum proprium. Cum autem dicimus obiectum scientiæ uniuocum esse debere, & non æquiuocum, atque adeo de æquiuocis non dari scientiam, id intelligendum de æquiuocis in actu, ut aiunt exercito, nam de ipsis in actu signato non negandum dari aliquam scientiam, cum æquiuoca definiamus, & in quo eorum posita sit natura explicemus, atque tandem de ipsis attributa quædam ostendamus.

Admonitio

Hæc autem uniuocatio, quam obiectum scientię requirit, non excludit omnem analogiam, quin potius admittit, illam nimirum cum qua uniuocatio coheret, cuiusmodi est analogia inæqualitatis, quâ ens analogum dicitur respectu substantiæ, & accidentis; & animal comparatione hominis, & equi &c.

Decima conditio.

Decimò. Obiectum scientiæ aliquid incomplexum esse debet; quoniam subiecti munere in conclusione demonstranda fungi debet, hoc autem nequit nisi incomplexum esse. Quod si forsan contingat, ut aliquid sit complexum, de quo tamen scientia instituatur, hoc nihil sanè, quoniam etsi complexum, tamen ut incomplexum obiecti loco suscipitur.

SECTIO SEPTIMA.

Aliæ subiecti conditiones expenduntur.

QVod primo loco occurrit inter cætera de subiecto scientiæ considerandum, est an de ipso præcognosci debeat, *quia est*, seu *existentia*.

Duo sunt quæ in controuersia vocantur.

Et circa hoc duo possunt in quæstionem vocari. Primum an de subiecto, in scientia præsupponendum sit quòd habeat existentiam, ita ut nullo modo in scientia demonstrari possit. Secundum cuiusmodi sit hęc præsuppositio actualis ne, an habitualis, & an obiectiua sufficiat.

Assertio docens quid hac de re dicendum.

Vtà certis initium desumam, nihil mihi videtur manifestius, quàm, scientiæ nomine intelligendo conclusionis notitiam demonstratione comparatam, in qua passio de subiecto ostenditur, nullo modo, nec scilicet per causam, nec per effectum probari posse existentiam de subiecto.

Ratione suadetur.

Hoc mihi euidens, quoniam de subiecto præsupponendum est, *quòd sit*, estque præcognoscendum, ut rectè Philosophus docuit affirmans de subiecto duo esse præcognoscenda, nempè quid nomen significet, & quòd sit.

Primo post. text. 2.

Assertio altera.

At si sumatur scientia pro uniuerso processu cognoscendorum, quo pacto integra est disciplina ex pluribus partibus coalescens, in ea sanè nihil obstabit quominus probetur existentia subiecti, tam partialis, quàm totalis à posteriori & ab effectu; non autem à priori, & per causam.

Ratio suadens.

Perspectum autem cuicunque hoc esse potest. Primò enim ostendi posse existentiam subiecti, siue partialis, siue totalis ab effectu, patet ex Theologia, cuius adæquatum obiectum rectè statuitur Deus, cum tamen eum ostendat esse. Hoc idem de obiectis partialibus, ut est Deus in prima Philosophia, in qua tamen

per

per physica media demonstratur. Sic etiam pleraque sunt in Physiologia, quæ partialia obiecta sunt, cum tamen in ipsa per effectus probentur existere. Ita quidem eo quòd videamus ignem sursum extrudi, conijcimus, & ostendimus dari locum quendam superiorem, tanquam sedem ipsius, & id genus alia, à quorum enumeratione hîc abstinere iuvat.

Accedit, quòd Metaphysica scientiarum domina benè assumit probandam existentiam obiectorum cæterarum scientiarum, alioquin non foret earum domina, seù regina, id autem per universalissima media præstat. Si igitur media suppetant in particularibus disciplinis, nimirum effectus, quibus ad id ostendendum utantur, nihil erit in causa, cur ab effectu obiecta sua, seu totalia, seu partialia non demonstrent existere.

Videtur quidem oppositum suaderi posse. Nam Aristoteles, ut ab auctoritate ducatur exordium, non semel docuit subiectum in scientia supponi tanquam finem. Sed eò spectat consilium ipsius, ut doceat subiectum supponi in demonstrationibus à priori, & per causam, itemque à posteriori, & ab effectu, in quibus concluditur aliquod prædicatum supponere existentiam subiecti, & reale esse ipsius; non tamen necessarium esse supponi in toto processu scientiæ, totaque scibilium serie, in qua prius inuestigandum, an subiectum sit, si id ignoretur, ut postmodum passiones de ipso ostendi queant.

Et quanuis subiectum dicatur esse primum in scientia, unde præsupponendum in ipsa (talis enim est conditio finis) obseruandum tamen cum dicitur primum, non nisi intentione sic appellari, non autem executione, at illud est proprium finis; non autem hoc, nimirum primum esse secundum existentiam, quod est esse executione primum. Vndè nihil obstabit, quominus in scientia prius quædam tractentur, per quæ liceat obiecti existentiam ostendere.

Præterea illud etiam ingerit aliquid difficultatis, quoniam de existentia disserere ad primam pertinet Philosophiam, quamobrem ab hoc alia quælibet disciplina debebit abstinere. Hoc tamen nihil, propterea quòd ad primam Philosophiam utique pertinet existentiam generatim persecutari, tanquam unam ex quidditatibus in quarum consideratione versatur, non tamen pertinet ad ipsam descendere ad speciatim considerandas existentias rerum, quamobrem iure quælibet aliarum disciplinarum poterit assumere considerandam, & ab effectu demonstrandam propriam obiecti existentiam.

Præterea scientia pendet ab obiecto, unde assumere illud demonstrandum est quod assumat semetipsam ostendere. Distinguendum tamen assumptum, dicendumque scientiam pendere ab existentia obiectiua subiecti sui, quam non intendit ostendere; non ab existentia reali, quam potest ostendendam assumere.

Et quanuis subiectum existere, maximè notum existimetur inter ea, in quorum consideratione scientia ipsa versatur, nec dari aliquid notius ac proinde non posse demonstrari, cum demonstratio omnis procedere à notioribus debeat. Concedendum enim esse maximè notum, in ordine cognoscendi per causam, & etiam per effectum ut plurimum, non tamen semper.

Amplius quæstio *si est*, est quæstio totius, quoniam Aristotele docente, quærit totum subiectum, ut quæstio *an homo sit*; at quæstio *qualis sit*, dicitur quæstio partis, ut *an homo sit albus*, non enim quæritur totum esse hominis, sed aliquid ipsius. Si quis igitur scientiæ subiectum neget; etiam & omnia, quæ sunt in ipso neget, oportet; nihil igitur supererit, per quod existentia subiecti demonstrari possit.

Quanuis in dubium reuocetur existentia subiecti, itemque negetur; non propterea negantur omnia, sed potest etiam aliquid superesse, per quod existentia ipsius à posteriori demonstretur. Id autem, quod superesse potest, erit aliquis effectus extrinsecus, ex quo liceat inferre existentiam causæ; dicebatur autem extrinsecus, quoniam cum fuerit huiusmodi, non pertinebit ad integritatem subiecti, quo propterea negato, non sequitur negandum effectum, cuius existentia maximè nota, & obuia sit. Solutio.

Neque dicas quæstionem de rei existentia, simplicem esse, ac ob id indemonstrabilem, cum demonstratio sit complexorum. Inepta ratiocinatio, nam si quæstio est, utique propositio dicenda, quæ vertitur in dubium, ac ob id quæ per aliquod medium probari potest. Quinta difficultas

Quæstio autem dicitur simplex, & incomplexa non quia cognitio sit, per quam intellectus simpliciter sine affirmatione, vel negatione subiectum apprehendat; sed potius eò quòd in hac quæstione quæritur existentia subiecti, ad cuius probationem adhibetur discursus constans ex propositionibus de secundo adiacente, vel saltem quia aliqua ex propositionibus est huiusmodi, cum in alijs demonstrationibus propositiones adhibeantur de tertio adiacente; ut cum assumimus discutiendam quæstionem *qualis sit*, tunc enim distinguitur prædicatum à subiecto, & copula. Solutio.

Acriùs urgent, qui dicunt; Si existentia subiecti per effectum demonstraretur, hoc planè contingeret ratione connexionis effectùs cum causa; ut cum dicimus *dies est; ergò Sol est*, consecutio autem admittitur ob necessariam connexionem diei cum Sole, quæ certè præcognoscenda ad instituendum discursum; ob id ante demonstrationem præcognoscendum, supponendumque Solem existere. Sexta difficultas.

Facilè tamen occurritur respondendo non esse supponendam existentiam subiecti, cum hæc in controuersiam vocetur; sed potius dependentiam effectùs ab aliqua causa, ita ut hinc liceat arguere existentiam causæ; Vel supponendam aliquam in effectu conditionem, undè liceat arguere talem causam existere. Et ut in allato persistam exemplo, supponendum diem utpote effectum luminis ab aliquo luminoso pendere, unde si hic datur effectus, necesse est dari causam illuminantem. Scientia autem supponit existentiam obiecti, tanquam indemonstrabilem à priori, licet ut dicebamus, à posteriori demonstranda possit assumi. Solutio.

Et ita quidem supponit, ut realem existentiam aptitudinalem semper, aliquando verò actualem, ex parte tamen intellectùs nostri supponat. Aptitudinalis existentia supponitur, quoniam non entis nullæ sunt qualitates, unde si scientia, de qua in præsentia fit sermo realis positiua fuerit, non potest esse nisi de eo, quod esse positivum habet. Hæc enim semper de positiuo, positivum quidpiam demonstrandum assumit.

Non requiri autem simpliciter actualem existentiam ex eo fit euidens, quoniam scientia abstrahit ab actuali existentia obiecti, alioquin posset quandoque esse, & quandoque non esse; unde fit, ut de ijs, quæ non sunt nec unquam fuerunt, nec erunt, dummodo tamen ipsis esse non repugnet, passiones ostendere proindeque scientiam instituere valeamus. Non requiritur omnino actualis existentia in obiecto

Quandoque verò actualem obiecti existentiam desiderari ex parte intellectùs nostri, inde mihi persuadeo, quia necesse est intellectum instructum esse speciebus, ut actum cognoscendi possit elicere; at species, nisi aliundè is habeat, ab obiecto debet haurire, quod contingere profectò non potest, nisi illud fuerit existens. Quandoque existentia desideratur.

Sed actualem existentiam in obiecto scientiæ simpli- Septima difficultas.

Digitized by Google

pliciter requiri conabitur quispiam ex eo conuincere, quoniam subiectum supponitur quantum *ad an sit*, hoc autem actualem existentiam importat, cum hanc verbum *est* de secundo adiacente dicat; actualis igitur in obiecto existentia requiritur.

Solutio. Si quis ita arguet, nihil planè conficiet; præcognitio siquidem *an sit*, non de actu, sed de potentia existendi intelligenda. Nec semper verbum *est* de secundo adiacente, existendi actum, sed quandoque potentiam, hoc est veram essentiam importat; quo pacto hyemis tempore concedi hæc propositio solet *rosa est*, quatenus per hanc significamus existentiam illi non repugnare, quanuis ad euitandam æquiuocationem operæ pretium sit ab hoc loquendi genere abstinere.

Octaua difficultas Præterea scientia, oratio est vera, sed *ex eo quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa*; ergò scientia ut vera sit, debet esse de eo, quod est, atque adeo de eo, quod actu est, hoc enim propriè dicitur esse.

Solutio. Hæc difficultas procedit ex praua intelligentia superioris effati, ad cuius verificationem non requiritur, quòd res ipsa actu sit, unde per *actu esse*, & *non esse*, non intelligenda actualis existentia, vel negatio eiusdem, sed potentialis, vel necessaria connexio inter extrema, subiectum, & prædicatum propositionis, itaut perindè sit, ac dicere, ex eo quòd res possit esse, & non esse; vel ex eo quòd prædicatum insit, vel non insit subiecto, suppositò quòd istud sit, oratio dicitur vera, vel falsa.

Nona difficultas. Maior difficultas in eo videtur, quoniam obiectum est causa scientiæ, quatenus est causa speciei, quæ una cum intellectu concurrit ad scientiam pariendam, & quidem in genere efficientis; hoc autem causæ genus tanquam conditionem omnino existentiam exposcit; ergò scientia de re actu existente esse debebit.

Solutio. Ad hanc difficultatem diluendam, considerandum scientiam de rebus non semper esse per proprias earum species, sed plerunque per species alienas, ut cum ex cognitione unius rei, deuenit intellectus in cognitionem alterius; ita quidem ipse ex cognitione eorum, quæ sub sensum cadunt, ad cognoscenda, quæ maximè sunt à sensibus remota, progreditur, diciturque tunc arguitiuè cognoscere: ut cum ex cognitione accidentium, deuenit in cognitionem substantiæ, & ex visibilibus, inuisibilium cognitionem assequitur. Deinde quando cognoscit per speciem propriam, requirit solùm existentiam obiecti ad acquirendam speciem, quâ habitâ non amplius indiget actuali existentiâ illius, & hoc ad habendum conceptum proprium ex proprijs, alioquin ut acquirat conceptum proprium ex communibus, sat est auditu, vel lectione de re ipsa conceptum efformare, quoniam tunc utitur speciebus aliarum rerum; sic enim aggregatione pluriuum, efformat conceptum unum de re proposita.

Decima difficultas Deinde scientia relativum quid est, refertur enim ad scibile; datur ob id inter scientiam, & scibile relatio, ad quam extremorum actualis existentia requiritur; necesse igitur scientiam esse de re actu existente.

Solutio. Responsio facilis erit, si aduertatur scientiam referri ad scibile eo relationis genere, quod non requirit actualem existentiam termini, qui potest etiam esse, non ens, talis enim est relationis transcendentalis natura.

Decima prima difficultas. Insuper si quis arguat. Quod non est, non potest sciri; ergò scientia requirit actualem scientiam obiecti. Assumptum constat ex eo quòd, non entis nullæ sunt qualitates; consecutio optima, scibile nanque dicitur per modum qualis.

Responsio reiicitur Quòd si forsan occurras dicendo, id intelligi debere de eo, quod nec est, nec esse potest; statim responsionem impugnabit, quoniam prædicata affirmantur, vel negantur de re ipsa, non prout existente in potentia, sed actu; non enim dicimus, triangulum potest habere tres angulos æquales duobus rectis; sed potius, tres habet angulos duobus rectis æquales.

Soluta tamen hæc superiùs est difficultas, cum diceremus scientiam abstrahere ab existentia obiecti, & ab omni temporis differentia; in propositionibus enim necessarijs, verbum *est*, solùm significat connexionem prædicati cum subiecto, sensu iam superiùs explicato, nimirum quòd si detur subiectum, debeat prædicatum illud habere adnexum, nec esse possit, quin illud habeat adiunctum. Vera solutio.

SECTIO OCTAVA.

An subiectum scientiæ debeat habere quid rei.

QVid rei, nos hoc loco intelligendum volumus prout à *quid nominis*, distinguitur. Quæstio enim *quid est*, gemina perhibetur, una nominis & altera rei; hinc *quid nominis*, & *quid rei*: per illud significamus definitionem *quid nominis*, consistentem in explicatione nominis per clarius nomen, vel per etymologiam eiusdem, ut suo loco fuit explicatum; per hoc significamus conceptum quidditativum, & essentialem rei. Præcognitio igitur *quid sit*, duplex *& nominis, & rei*. Præcognitionem quid nominis ad subiectum requiri, in confesso est apud omnes, cùm prætereat neminem hanc esse notionem primam de unaquaque re; nulla siquidem de re aliqua potest institui tractatio, nisi præhabitâ nominis significatione. De præcognitione altera solet aliqua esse difficultas, in cuius gratiam reuocandum ad memoriam *quid rei*, seu definitionem exprimentem quid res sit, duobus modis usurpari posse. Primò quidem propriè, quo sensu non conuenit, nisi rei verè constanti ex genere, & differentia, & hoc modo sola species hunc in modum potest definiri. Secundò sumitur pro conceptu quodam quidditatiuo exprimente scilicet quidditatem rei, quatenus hæc exprimi potest, iuxta quam significationem uniuersalissima entis ratio dicitur definitionem admittere, & omne id, hâc definitione poterit definiri, quod secundum prædicata essentialia potest explicari. Quanuis igitur priori definitionis genere definiri non possit, nisi ens positivum per se unum, reale, & compositum, aut re ipsâ, aut saltem secundum mentis conceptus; alio tamen genere definitionis, nihil obstat quo minus definiantur illa, quibus hæ non insunt conditiones.

Quæstionis explicatio vt de præcognita.

Sed ad decernendum aliquid in re proposita, num scilicet de ratione subiecti scientiæ sit quod habeat proprium *quid rei*, conducunt ea, de quibus hactenus locuti sumus, cum nobis propositum esset inquirere, quænam sint, de quibus possit, vel non possit esse scientia. Si namque constauerit de non habentibus quid rei, scientiam institui non posse; frustra in controuersiam vocabitur an de ratione subiecti scientiæ sit, ut habeat quid rei.

Plura esse quæ conceptum quidditativum non habent.

Plura esse, quæ conceptum quidditativum non habent, sancitum est apud Philosophos, nimirum ens utpote simplicissimum; Deum pariter ob simplicitatem summam; Accidens eo quòd ad sui conceptum extrinsecum quidpiam, nempè subiectum adsciscat. Præterea singulare, ex eo quia quidditas est quedam ratio communicabilis pluribus, quam si singulare non habet, nec etiam quidditativum conceptum habere potest; Tandem ens per accidens, cuius ut una non est natura, & essentia simpliciter acceptum, scilicet in

actu

actu exercito, ita nec etiam videtur habere *quid rei*; nec definitione comprehendi posse.

Cum autem de cæteris iam fuerit superiùs disputatum, postremum tantummodo superest discutiendum, an scilicet de ente per accidens scientia possit institui, in cuius gratiam est præmittendum duplex ens esse per accidens. Vnum accidentalitate rei, quod scilicet est non per se unum, sed ex pluribus ineptis ad constituendam naturam unam; quod gemino modo contingit, vel per solam aggregationem, vel per informationem. Primum adhuc bifariam, vel per aggregationem sine ordine, ut accervus lapidum; vel per aggregationem cum ordine, ut exercitus, seu militum acies; item nauis, domus &c. Per informationem verò, ut omne id, quod accidentariâ formâ constituitur, quemadmodum homo albus, & id genus alia. Primum est magis ens per accidens, quàm secundum, & secundum, quàm tertium.

Aliud est ens per accidens accidentalitate effectûs, illudque dicitur, quod etsi unam per se naturam importet, non tamen est à determinata causa, sed præter intentionem principalis agentis contingit; ut sunt effectus fortuiti, & casuales, nimirum inuentio thesauri ex fossione terræ; & frigus tempore caniculæ.

Vtrumq; autem ens per accidens commemoratum, gemino modo potest usurpari, vel in actu signato, siue formaliter, quo sensu dicit conceptum ipsum accidentalitatis, vel rei, vel causæ. Secundo in actu exercito, & pro subsirato, siue materialiter, quo pacto res illas importat, quæ entia per accidens, denominantur. Dum igitur hîc in controuersiam vocatur, num de ente per accidens scientia possit institui, id intelligi potest de ente per accidens iuxta diuersas à nobis assignatas usurpationes.

De ente per accidens in actu signato dari scientiam communi sapientum calculo receptum est. Neque est, cur quispiam in ancipiti versetur, propterea quòd huiusmodi ens dicit per se conceptum unum, habetque passiones, quæ de ipso possunt ostendi, ut quòd non habeat determinatam causam, non habeat attributum unum, quòd non sit scibile, & id genus alia, quæ de huiusmodi ente solent enunciari. De hoc igitur non immeritò scientia conceditur. Ita fit, ut de hoc in diuina disputetur Philosophia; multa enim de ipso ibi traduntur.

Considerandum sequitur ens per accidens materialiter acceptum, quodque per accidens dicitur accidentalitate effectûs, nempè effectus fortuiti, & casuales; ut inuentio thesauri ex fossione terræ, & frigus æstiuo tempore, de his igitur dubitandum, an scientia dari possit. Et quidem si huiusmodi ens per accidens reduplicatiuè sumatur, prout nimirum ens per accidens est, de eo nequit scientia dari, quoniam hoc modo, ut non habet causam unam per se determinatam, sed potius indeterminatam, à qua contingenter causatur: ita nequit de ipso dari scientia, cum hæc sit de necessarijs causam determinatam habentibus. Ita quidem de inuentione thesauri, quatenus est à fodiente terram, scientia dari non potest, quoniam non necessariò prouenit ab aliqua causa determinata, sed potest esse à fodiente terram, vel ob inuentionem aquæ, vel ob exercitium corporis, vel ob aliquid aliud, ac proinde fieri non possunt necessariæ propositiones tales, quales ad scientiam omninò requiruntur. Si tamen huiusmodi ens absolutè spectetur, quoniam hoc modo propriam habet naturam unam, nihil prohibet quominus de ipso detur scientia.

Omnis igitur difficultas ad ens per accidens accidentalitate rei materialiter sumptum, siue sit aggregatione unum, cùm ordine, aut sine ordine; siue unum per informationem.

cidens accidẽtalitate rei materialiter sumpto scientia dari possit.

Et quanuis plerique de hoc ente per accidens affirment scientiam dari posse, non tamen conueniunt in explicando quâ id ratione contingat; nam sunt, qui putant de ipso non dari scientiam specie unam, eò quòd non sit unum ens specie, sed duo; scientia verò speciem sortitur ab obiecto suo, unde de illo contendunt dari duas specie scientias; ut exempli gratia, de linea visuali, ex eorum sententia, non una, sed duæ erunt specie scientiæ, quoniam linea visualis non est unum quidpiam unitate specificâ, sed alia est ratio lineæ, & alia ratio visualitatis, ex quibus non potest fieri specie unum, ac ob id una erit scientia de linea, altera de visualitate. Non dissimiliter de numero sonoro; hic enim dicit numerum, & sonum, ex quibus non fit unum quidpiam specie, ac proindè non una erit scientia de numero sonoro; sed una de numero, altera autem de sono. Non inficiantur tamen dari posse scientiam unam unitate genericâ, quoniam etsi neutrum eorum entium per accidens sit unum quidpiam unitate specificâ, utrunque tamen dici potest unum unitate genericâ, quatenus conueniunt in communi ratione entis per accidens, hoc enim generatim sumptum in actu signato, ut aiunt, induit quandam unitatem, ratione cuius potest obiectum esse scientiæ, potest enim definiri, ac de ipso possunt affectiones ostendi; quod etiam paulò supra nos inculcauimus.

Prima opinio.

Ex quorũdam sententia dari potest scientia una unitate generica de ente per accidens prædicto.

Alijs autem placuit propositæ difficultati adhibitâ distinctione satisfacere; proindeque dixerunt ens per accidens duplici modo spectari, vel secundum extrema, vel secundum passionem. Si priori modo consideretur, dicunt de ipso non posse dari scientiam unam, eò quòd ex ipsis non fiat unum quidpiam. At si consideretur secundo modo, utique de eo scientiam admittendam aiunt, propterea quòd illud ens per accidens, euadit unum per se ratione passionis.

Aliorum opinio.

Hæc tamen ineptè dicuntur, quoniam nequit aliquod unum per accidens euadere unum per se ratione passionis; passio enim est quid posterius, à quo proinde, quod est prius, nequit unitatem sortiri.

Superiores dicẽdi modi reijciũtur.

Alij propterea cum hæc intelligerent, dixerunt ens per accidens bifariam considerari posse, vel secundum se, de quo fatentur non dari scientiam unam; vel prout est ordinatum ad aliquem finem, & effectum quo pacto dicitur unum per se in ratione principij, & causæ; & hunc in modum contendunt esse obiectum scientiæ, cum hoc ita fit ratione unum, ut possit definiri, ac de ipso passiones demonstrari.

Aliorum opinio.

Neque hoc modo rectè res explicatur. Vt enim ens per accidens non est unius naturæ; ita nec unius principij rationem obtinet.

Reijcitur.

Proindè sic alij philosophandum crediderunt, nimirum distinguendum esse de ente per accidens, aliud enim, inquiunt, est, quod constat ex ijs partibus, quæ non se habent inter se, ut determinans, & determinabilis, & de hoc asserunt non posse dari scientiam unam. Aliud est ens per accidens constans ex partibus se habentibus ut determinans, & ut determinabilis, & de hoc scientiam unam dari posse contendunt, quoniam etsi non sit re ipsâ unum, est tamen unum in ratione scibilis.

Aliorum opinio.

Sed nec etiam hic dicendi modus plausibilis est, & cum reliquis superioribus reijciendus ob eam, quam mox causam intelliges.

Reijcitur.

Asserendum ob id potius de ente per accidens materialiter accepto accidentalitate rei, scientiam unam dari non posse. Scientia enim una est cognitio inhæ-

Auctoris opinio.

rentiæ unius passionis per causam, veluti per medium, quod est ratio, & quidditas subiecti, vel prior passio, vel aliquid necessariò concomitans, cognitio inquam inhærentiæ unius passionis per causam, tanquam per medium in conclusione demonstratę de uno subiecto; sed ens per accidens ex recensitis quouis modo fuerit explicatum, non est ens per se unum, non habet unam essentiam, per quam passio de subiecto demonstretur, ac propterea nec habet passionem unam; ob id de ente per accidens accepto sensu iam explicato, non poterit dari scientia una.

Ratione suadetur superior assertio.

Propositio maior nullâ difficultate laborat. Minor autem, quæ suspecta falsitatis videri posset, inde probata redditur, quoniam quod intrinsecùs, & essentialiter alicui conuenit, semper illi conueniat necesse est, utcumque illud spectetur, atque cum alio conferatur, per hoc enim non tollitur, quod ei essentialiter conuenit; sed esse unum per accidens, non habere unum per se conceptum, intrinsecùs, & essentialiter, conuenit enti per accidens; ergò quomodocumque ens per accidens fuerit acceptum, & cum quocumque collatum fuerit, nunquam erit unum per se, nunquam habebit essentiam unam, per quam passio una, de ipso possit demonstrari.

Confirmatio.

Illud quoque plurimum habet momenti ad hanc veritatem confirmandam, quòd ens per accidens quocumque modo explicetur, & cum quocumque conferatur nunquam constabit ex partibus aptis ad costituendum unum per se, alioquin non foret ens per accidens; propterea quocumque modo explicetur nunquam habebit naturam unam, sed semper erunt duo entia, vel plura.

Cuiusmodi partes esse debeant, ex quibus cõ stituitur ens per se

Hic tamen non prætermittendum plurimùm interesse diligenter explicare, cuiusmodi partes esse debeant, ex quibus ens per se consurgat. Satis enim vulgatum & ex Peripatetico fonte deductum, debere unam esse per modum per se potentiæ, alteram verò per modum per se actûs. Sed in hoc explicando difficultatis plurimum. Nam materiæ, quam per se potentiam esse dicunt, adueniente formâ accidentariâ, quæ profectò est essentialiter actus, non fit per se unum, siuè unius naturæ, sed duo sunt entia. At si eidem materiæ adueniat substantialis forma, quam quispiam ad unum per se desiderari arbitretur, adhuc duo erunt entia. Nisi aliquis tertiam illam entitatem totius, in medium inuehat ab omni planè ratione alienam, sed de hoc in Physicis agendum.

Non desunt porrò difficultates, quibus æquum est occurrere. Probatur autem de ente per accidens dari scientiam, eò quòd scientia subalterna veram scientiæ rationem habet, & tamen est de ente per accidens, cum sit de re affecta accidentariâ differentiâ. Ita quidem Musica est de numero sonoro, Perspectiua de linea visuali, quæ sunt entia per accidens.

Prima difficultas.

Solutio infra.

Sed huius difficultatis enodationem inferiùs afferemus.

Secunda difficultas Ethica cõfidetur.

Iterum difficultas est de alijs disciplinis; nam Medicina considerat hominem, ut sanabilem. Moralis eundem ut dirigibilem in genere moris in ordine ad actiones respicientes bonum peculiare ipsius. Politica considerat itidem hominem ut dirigibilem in genere moris secundum actiones respicientes bonum commune; sic Ædificatoria, & omnis Mechanica ars considerat aliquod ens per accidens, non solùm quantum ad figuram, sed etiam ad reliqua. Immò e contemplatricibus Arithmetica considerat numerum, qui certè quoddam est ens per accidens, cùm nil aliud sit, quàm multitudo, quę est aggregatione quid unum.

Solutio;

His tamen facillimum occurrere; & quidem sanabile in Medicina, & dirigibile in Ethica quauis unum ens per accidens præseferant, tamen prout obiecta istarum disciplinarum, sunt unum per se, licet circumscriptum ad eum modum, ut utrunque ens unum per accidens videatur. Ita quidem sanabilitas circumscribit ea, quæ principij rationem habent ad sanitatis consecutionem; sic dirigibilitas &c. Vnde huiusmodi disciplinæ non considerant unum per accidens, sed potius per se unum, cuius principia perscrutantur, ac de ipso affectiones ostendunt. Nec modo absimili reliquæ diluendę difficultates.

Ad Arithmeticam quòd spectat, fatendum utique disciplinam hanc circa numerum versari; non propterea tamen circa ens unum per accidens. Considerandum enim non utcumque sumptum dici numerum per accidens unum; tametsi enim ita se habeat materialiter inspectus & ut aiunt, in actu exercito, non sic tamen si spectetur in actu signato, atque formaliter, hoc enim modo induit unitatem, ita ut conceptum per se unum importet.

Tertia difficultas, Solutio.

SECTIO NONA.

Quædam alia spectantia ad scientiæ obiectum explicantur.

PRimum, quod occurrit est, quod obiectum debet continere primò, ac per se virtute omnes veritates, quas scientia attingit. Vbi obseruandum particulam *primò*, idem significare, ac *adæquatè*. Hoc autem modo continere dicitur id, quod in continendo non dependet ab aliis, sed alia ab ipso, adeo ut hoc impossibili dato, omnique alio circumscripto, adhuc contineret; & nihil contineat, nisi ratione sui, quod est continere per se.

Quid primò contendendum occurrat tanquam obiecti dictum.

Adnotandum tamen multiplicem esse continentiam, videlicet essentialem unam, quâ unum continet aliud in primo modo dicendi per se; potentialem aliam, quâ superius inferiora continet; aliam virtualem, quâ unum continet aliud, quatenus potest illud producere. Quoniam verò hoc bifariam contingit, putà vel secundum esse reale, vel secundum esse cognitum; hinc propterea duplex virtualis continentia, quarum una, quâ aliquid potest aliud in esse reali producere, altera, quâ potest producere in esse cognito. Quia verò esse reale bipartitò diuiditur, unum enim est physicum, & alterum metaphysicum; primum res quæpiam est à sua causa realiter distincta; secundum est quædam formalitas, & ratio, quæ ab aliquo, si non re ipsâ pullulat atque adeo distinguitur, saltem intellectui fundamentum præbet distinguendi eam ab illo; hinc duplex continentia virtualis in esse reali, nam una physica, & altera metaphysica dicitur.

Continentia in multiplex.

Ex his autem splendidè constabit subiectum non posse continere passiones proprias continentiâ virtuali secundum esse reale physicum, cùm passiones à subiecto non distinguantur realiter, sed continentiâ metaphysicâ, quoniam si passiones re ipsâ non pullulant à subiecti natura, saltem intellectui fundamentum præbent distinguendi &c.

Subiectum non posse continere passiones continentia virtuali secundum esse physicum.

Quod igitur in controuersiam vocatur est, num subiectum (quo nomine intelligo completum, nimirum ex materiali, formalique parte consurgens) virtute continere debeat passiones omnes de ipso demonstrabiles, ad eum modum, quo obiectum dici potest parere notitiam propriæ passionis, nimirum ex parte; nam intellectus quoque debet concurrere, ita ut ex utroque integra fiat cognitionis causa.

Quæstio quæ-

Negarunt aliqui, non tam ratione, quàm prauâ rei, de

Digitized by Google

de qua agitur, intelligentiâ ducti, obiectum scientiæ huiusmodi esse, ut passiones, proprietatesvè contineat, siue in esse cognito, siue in esse reali. Id enim ipsos decepit, quòd arbitrati sint ad quodlibet continentiæ genus requiri distinctionem realem inter continens, & contentum, quæ cum inter subiectum, & passionem non cadat, consequens fit, ut nullatenus passionem à subiecto contineri dicere nobis liceat.

Si tamen rem paulò diligentiùs introspexissent, nullo negotio sui erroris causam fuissent assecuti. Nemini siquidem dubium, quin physica continentia realem illam distinctionem requirat, eò quòd ea sit inter causam physicam, & effectum illi respondentem, (hæc enim, est virtualis continentia, de qua fit sermo, ut initio monuimus) inter quæ realis distinctio cadit, sensu tamen paulo antea explicato; continentia verò altera quæ metaphysica dici potest, distinctionem hanc non exposcit, utpote contenta quidem illâ, quæ virtualis dici consueuit, qua de re alibi sermonem habuimus, quatenus nimirum in re est aliqua ratio, merito cuius altera eidem rei conueniat. Sic immutabilitas est ratio in primo ente, ut ei conueniat æternitas.

Dicendum propterea obiectum scientiæ virtute in esse cognito continere passiones omnes de ipso immediatè, & primò demonstrabiles in scientia, in qua est obiectum. Et quoniam hoc duplex esse potest, nempè vel genericum, cuiusmodi est genus propriè sumptum, siue aliquod transcendens; vel specificum, quale species est infima; ob id addendum, quod enunciauimus de utroque intelligendum esse.

Hæc autem nullo negotio probantur. Nam ex propositionibus, quæ in demonstrationibus adhibentur, aliæ dicuntur immediatæ, ut principia; aliæ mediatæ, ut conclusiones; in demonstrando enim ad immediata principia deuenire tandem oportet; in propositionibus immediatis causa inhærentiæ passionis in subiecto, cuiusmodi est definitio, vel subiecti, vel passionis, continetur; in conclusione autem adinuenitur passio de subiecto demonstrata, quæ nimirum in uno ex principijs, hoc est præmissis enunciabatur de subiecto; hinc euidens fit, ut subiectum sit causa, cur illæ veritates ab intellectu cognoscantur. Definitio enim re ipsâ non distinguitur ab essentia subiecti, si subiecti fuerit definitio; at definitio passionis ad eum modum, quo passio, ut infra demonstrabitur, subiectum ipsum concernit; sed subiecti definitio causa est, cur passio cognoscatur subiecto inesse, ut enim est causa in essendo, sic etiam in cognoscendo; subiectum igitur virtute continet omnes veritates, nempe est causa omnium veritatum, quæ in scientia de subiecto demonstrantur.

Hic tamen aduertendum, quòd etsi non omnes passiones immediatè per subiecti definitionem demonstrentur, cum sic inter se sint ordinatæ, ut una ab alia, & hæc iterum ab alia donec ad primam passionem deueniatur, ordine dependeat; quia tamen tota hæc passionum series à subiecti natura, tanquam à fonte dimanat; propterea subiectum veluti causa, aut proxima, aut remota passionum in essendo, dicitur earundem quoque causa in cognoscendo; quæ cum ita sint, subiectum rectè dicetur causa cognoscendi veritates omnes, quæ demonstrantur in scientia. Quod erat primum.

Aliud erat; cum subiectum fuerit unum genere, quanuis virtute contineat in esse cognito passiones, quæ de ipso immediatè, & primò possunt in scientia demonstrari, in hoc enim cum subiecto, quod est unum specie conuenit, passiones tamen eorum, quæ sub ipso genere sunt, atque adeo veritates de ipsis, pòt testate continere dicendum.

Satis autem hoc euidenter conuincitur ita ratiocinando. Quod per sui definitionem nequit esse causa, cur passiones de aliquo demonstrentur, nequit ipsarum passionum notitiam parere, ac proinde nequit virtute cõtinere veritates de ipsis in esse cognito; sed genus ita se habet, hoc est genericum subiectum sic se habet, ut per sui definitionem nequeat esse causa, cur passiones inferiorum de ipsis demonstrentur, seu nequit ipsarum passionum notitiam parere; ergo subiectum genericum non potest dici virtute continere passiones inferiorum secundum esse cognitum. Minor certa; maior inde fit euidens, quoniam virtualis continentia in esse cognito, in hoc sanè consistit. Ratio suadetur.

Subiectum autem genericum, inferiorum passiones potestate, seu potentiâ continere palam, & apertum; ex eo quia, ut res se habet ad esse, sic etiam ad cognosci. Genus autem, ut potestate continet inferiora, sic & eorundem passiones continere dicendum & re, & cognitione. Subiectum generici inferiorũ passiones potestate continet.

Difficultas tamen occurrit, quoniam eclipsabile passio quædam est consequens naturam Lunæ, & tamen à Luna virtute minimè dici potest in esse cognito contineri, quoniam ad cognitionem eclipseos opus est cognitam habere terram, quæ veluti causa ad eclipsim concurrit, cum tamen terræ cognitio dici non possit in Luna virtute contineri; non enim introspectâ Lunæ naturâ, licet in terræ cognitionem deuenire. Prima difficultas.

Ad diluendam difficultatem sat est animaduertisse duobus modis Lunam dici posse causam cognitionis eclipseos, adæquatam scilicet, vel inadæquatam. Tametsi priori modo Luna causa cognitionis eclipseos dici non possit; secundo tamen modo rectè dici potest. Nam ut nuper aduotatum fuit, quemadmodum res se habet ad esse, ita ad cognosci; ut igitur esse eclipsabile virtute continetur in Luna, quantum ad esse reale, ita quantum ad esse cognitum; quia tamen ut lunaris eclipsis concernit terram tanquam corpus opacum aptum interponi inter ipsam, & Solem, concernit inquam secundum esse reale, ita pariter secundum esse cognitum; unde fit, ut Luna non sit adæquata causa cognitionis eclipseos, cum præterea cognitio quoquè terræ desideretur, ita ut huiusmodi cognitio virtute dici debeat in Luna, tum velut in scientiæ subiecto, tum velut in eo, quod ex parte una cum terra concurrit ad ipsam eclipsim causandam, contineri. Solutio.

Amplius conclusionis euidentia, ne dum à subiecto, sed etiam à prædicato, & à complexis principijs demonstrationis pendet. Non igitur subiectum causa veritatis conclusionis, atque adeo scientiæ dici poterit. Secunda difficultas

Hæc tamen ratio solùm conuincit subiectum non esse causam adæquatam veritatis, quasi prædicatum, atque complexa principia non concurrant ad effectionem ipsius, non tamen probat subiectum non continere primò veritatem conclusionis; nam subiectum ipsum ne dum est causa veritatis conclusionis, sed etiam principiorum, quo nomine principia complexa intelligo, eò quòd à natura subiecti hæc omnia pendeant. Solutio.

Præterea subiectum comparatur ad scientiam, ut obiectum ad potentiam; at obiectum comparatione potentiæ, dicitur primum, & adæquatum ratione communitatis, non autem virtualis continentiæ; commentitia igitur hæc est virtualis continentia; primum, & adequatum potentię dicitur obiectum ex eo quia commune sit omnibus ijs, quæ ad illam potentiam pertinent, ut visibile dicitur primum, & adæquatum obiectum Tertia difficultas.

Digitized by Google

ctam visûs, propterea quòd, quicquid ad hunc pertinet, sub ipso continetur, quod etiam in disciplinis euidens, è quibus unaquæque sibi vendicat, tanquam subiectum adæquatum, ut ex huius explicatione constat, quod nimirum ita se habeat, ut sub eo contineantur omnia, de quibus ea edisserit disciplina.

Solutio. Non inficiandum inter potentiæ obiectum, scientiæque subiectum rationem, ac proportionem aliquam intercedere, cum utrunque terminet actum; illud quidem potentiæ: hoc autem scientiæ. Non exiguum tamen discrimen intercedit, quoniam obiectum ad potentiam relatum, proportionem habet agentis ad passum, aut mouentis ad mobile; agendo enim in potentiam illam mouet, & hæc mouetur ab illo efficiente motionem; sed subiectum scientiæ concurrit, ut causa producens; mediâ enim imagine sui, una cum potentia intelligente ad producendam scientiam concurrit. Inde autem fit, ut quicquid sub obiecto adæquato potentiæ continetur, possit illam mouere ad eliciendum actum; non autem quicquid continetur sub subiecto scientiæ, possit causare cognitionem eandem, sed cognitio una ab una, cognitio alia ab alio ex ijs, quæ sub subiecto primo continentur alicuius scientiæ, producatur necesse est.

Alterius difficultatis dilutio Nec quod de subiectis disciplinarum affertur, aliquid habet momenti: subiectum enim uniuscuiusque disciplinæ, primum, & adæquatum dicitur, non eo nomine, quòd ipsum commune sit omnibus consideratis in scientia; sed quoniam ad ipsum omnia quidem attributionem habent, vel tanquam principia, vel tanquam passiones, vel etiam tanquam species, quando illud genericam habuerit naturam; idcirco consequens est, ut primum & adæquatum quoque sit, ratione virtualis continentiæ, quoniam sic illud passiones, ac attributa continet.

Quarta difficultas Præterea sic etiam arguunt ad incommodum deducentes. Sequeretur in demonstratione ab effectu, effectum ipsum esse subiectum, cùm sit id, quod virtute veritates contineat.

Solutio. Nullo tamen negotio occurritur, si dicatur in illa demonstratione effectum non esse propriè subiectum, ut cum dicimus *omne risibile est rationale*, sed potius esse cognoscendi causam; qua de re paulo infra sermo redibit &c.

Quinta difficultas Insuper si subiectum, eò quòd virtute re ipsâ contineat attributa, dicendum sit eadem in esse cognito itidem continere, hoc est, si in esse rei contineat, etiam in esse cognito dicendum sit attributa continere, omnis pariter causa, eo quòd reipsâ contineat, virtute tamen, effectus, deberet dici continere eosdem in esse cognito; eadem est enim virtualis continentiæ ratio. Id tamen à veritate videtur alienum, siquidem quantumuis assequaris alicuius efficientis naturam, non ob id effectus cognosces, quos illa potest producere.

Solutio. Vt huic satis fiat difficultati sic distinguendum. Si causa fuerit totalis, & adæquata, utique concedendum introspectâ naturâ ipsius, cognosci etiam effectus, quos ea potest causare. At si fuerit inadæquata, atque partialis, id prorsus negandum, quoniam non sat esset perspectam habere naturam eius, sed etiam illius, quæ una cum ipsa ad effectûs productionem concurrit. Multo magis hoc autem de subiecto in ordine ad notitiam passionum dicendum.

Sexta difficultas. Relationes reales nullam habent agendi vim ergo passiones suas, & multo minus entia rationis, atque adeo non continebit illas in esse rei; ergò nec etiam in esse cognito. Optima consecutio, si namque defficit continentia in esse rei, necesse pariter est, ut defficiat in esse cognito, cum continentia virtualis in esse cogoito, proueniat à continentia virtuali in esse rei.

Difficultas vexat eos, qui relationes prædicamentales tanquam accidentarias formas rebus superadditas admittunt, de his enim procedit difficultas, quæ tamen nulla est, de medio sublatis huiusmodi relationibus soluunque transcendentibus retentis, quæ non benè, ut illæ de genere sterilium dicuntur. Vtcumque se res habeat occurritur dicendo, quanuis relatio realis actiua physicè non sit, metaphysicè tamen est, siue prædicamentalis, si tamen admittatur, siue transcendens. Talis enim est actiuitas uniuscuiusque subiecti in ordine ad proprias passiones, quas ratione huiusmodi actiuitatis dici potest virtute in esse rei, ac proinde in esse cognito continere. Ad ens rationis, quod spectat, cum illud, de quo loquuntur, extra Minerua aedes à nobis eliminatum fuerit, non est cur de ipso laboremus.

Solutio

SECTIO DECIMA.

Quo sensu sit admittendum à subiecto respici omnia, quæ considerantur in scientia.

VEtus opinio fuit, subiectum unius cuiusque disciplinæ debere omnia, quæ ipsa considerat, tanquam inferiora, de quibus essentialiter prædicetur, omnino respicere. Quæ

Hæc tamen sententia longè distat à veritate, cum quamlibet disciplinam in tribus, nimirum subiecto, principijs, & attributis occupari scitè Philosophus docuerit. Subiectum enim est, de quo scientia passionem demonstrat, passio est, quam demonstrat, principia tandem, per quæ demonstrat; palam autem, & apertum de principijs, & affectionibus subiectum essentialiter non prædicari, cum hoc illis commune non sit; consequens igitur, ut ineptè quidem hæc subiecti conditio esse dicatur. Reijcit 1. Post. tex. 7.

Non negauerim plerunque contingere, ut quod in aliqua disciplina subiectum est, quibusdam in ea consideratis commune esse; cum tamen genus fuerit subiectas habens partes, quibus commune sit, ac de quibus essentialiter potest prædicari, cuiusmodi sunt species illius, quarum nulla subiectum adæquatum est tam latè patens, quàm scientia; sed potius subiectum partis unius ex illis, in quas ipsa scientia diuiditur. At si contingat ut aliquid commune consideratum in scientia, directè de alijs tanquam de inferioribus prædicari possit, & illud subiecti saltem partialis rationem sibi vendicare nequeat, eo quòd sit, vel passio, vel principium ad huiusmodi pertinens disciplinam, illud commune statui non poterit huiusmodi disciplinæ subiectum; alioquin etiam per se contento sub illo, subiecti ratio posset conuenire, cum quod superiori conuenit, inferiori nunquam repugnet, quodque huic aduersatur, illi pariter aduersari necesse sit; quæ quomodo intelligenda sint, nuper explicui, nempe quòd superius supponat, non simpliciter, sed absolutè. Anim. Error

Exemplo quæ dicimus perspicua fient. Motus in Physiologia consideratur tanquam affectio substantiæ naturam habentis; idemque communis est lationi, accretioni, & alterationi; nullus tamen istorum motuum ita se habet, ut ei subiecti, nec etiam partialis, indoles conuenire possit; indè fit, ut nec motui in huiusmodi disciplina subiecti ratio conueniat. Explicat doctr.

Neque est, cur quispiam à nobis dissentiat ex eo quia de singulis illis motibus tractationes in ea disciplina instituantur; id enim contingit quoniam affectiones illæ non ut huiusmodi considerandæ suscipiuntur, Obiect. respond. & solut.

piuntur, sed eò quòd quælibet ipsarum spectatur tanquam subiectum, de quo demonstrantur attributa. Cum autem asserimus principijs, & affectionibus rationem subiecti repugnare, intelligendum id volumus, si ea spectentur, ut affectiones, & ut principia sunt; non autem tanquam ea, de quibus attributa per principia possunt ostendi.

Tertio, id hac re dicidum.

Eorum propterea mihi potius consilium arridet, quibus videtur subiectum omnia respicere in scientia, tanquam eorum finem, adeo ut ad ipsum attributionem habeant, ut non immeritò subiectum sit attributionis appellatum.

ributio le in ecto pe nda.

Hæc autem attributio unde petenda sit, non idem Philosophorũ sensus, cùm plerique rediderint inferiora esse semper obiecta attributionis in scientijs, communiora verò tanquam attributa, eo quòd inferiora sint, in quorum gratiam superiora considerantur; his enim ignoratis, eorum cognitio distincta comparari non potest, quando quidem superiora essentialiter in inferioribus inuoluuntur, ac ob id eorum præhabenda notitia, ut hæc distinctè possint ab intellectu cognosci.

M A.

ectionis nio.

Nobis tamen probatur opinio dicentium obiectum attributionis in scientia illud esse, ad quod omnia, quæ in scientia considerantur habent ordinem, ac attributionem, tanquam ad unum finem atque scopum, quicquid illud sit. Contingit enim aliquando illud esse genus, quandoque verò speciem atomam, ac specialissimam.

Hoc mihi manifestum adeo, ut vix animum ad id ostendendum inducam. Manifestum est enim illud esse dicendum attributionis obiectum, ad quod omnia, quæ suscipiuntur in scientia consideranda, dicunt attributionem tanquam ad se habens ut id, quod sibi scientia proponit distinctè cognoscendum; sed ea, quæ talem attributionem habent, sunt principia ipsius, utcumque eius principia sint, sunt affectiones, vel harum principia, vel est aliquid ipsi subiecto contrarium, unde illius natura, atque conditio potest innotescere; quod igitur tale est, attributionis subiectum dici debet, adeout sic liceat arguere. Ea sunt attributa subiecta, quæ in scientia considerata ad aliquod unum attributionem habent; huiusmodi autem sunt principia affectiones &c. ergò hæc erunt attributa subiecta; atque adeo id, ad quod attributionem habent, subiectum attributionis dicendum erit. Ergo illud erit attributionis subiectum in scientia, ad quod, quæ in ea considerantur, vel tanquam principia, vel tanquam affectiones eiusdem attributionem habent.

ium pradi- ne ú ex- icatio.

Et quoniam nihil refert ad hoc, num illud sit genus, an infima species; propterea utrunque poterit in scientijs attributionis esse subiectum. Quando autem illud fuerit genus, hoc ipsum dicetur subiectum attributionis, reliqua verò, nempè species sub illo contentæ, itemque principia, & affectiones, subiecta dicentur attributa. At si illud fuerit species, hæc erit attributionis subiectum, reliqua verò, quæ suscipiuntur consideranda in gratiam ipsius, erunt attributa subiecta.

ima dif. ultas.

Hic autem se difficultas offert, propterea quòd non videtur inferius, putà species infima, subiectum scientiæ statui posse; nequit enim inferius distinctè cognosci gradibus superioribus neglectis, & ignoratis; unde fit, ut superior gradus, atque adeo genus in ea scientia considerari debeat. Quòd si res ita se habet, potius genus in illa statuendum subiectum attributionis erit.

olutio.

Hãc tamen difficultate nihil conficitur, nam scientia tota, ac uniuersa est congeries plurium habituum, qui inter se connectuntur in ordine ad unum finem, nimirum adæquatum obiectum, in cuius contemplationem artifex incumbit; in huius autem potestate est sibi illum præscribere, siue genericum quidpiam sit, siue specificum. Etenim nihil obstat, quòminus species ab eo potius, quàm genus cognoscenda perfectè, ac exactè statuatur: idcirco quanuis distincta cognitio speciei, superioribus gradibus ignoratis, comparari nequeat; indè tamen non fit, ut illi in gratiam inferiorum considerari non possint. Immò cum superiora reipsâ partes essentiales inferiorum sint, atque adeo ad ea reducantur, poterunt adhuc ad eadem in esse scibilis reduci.

Contra verò quod etiam genericum est, attributionis adæquatum subiectum statui disciplinæ commodissimè potest; quia quanuis superiora ad inferiora reipsâ reducantur; quatenus tamen inferiora sub considerationem scientiæ cadunt, poterunt in gratiam superioris considerari, prout ad cognitionem ipsius conducunt, si non ut illud est quoddam totum actu, saltem ut totum est potestate, quando nimirum artifex genericum illud adæquatè sibi considerandum præscribat, non modò secundum ea, quæ actu, sed etiam, quæ potentiâ continet.

Secunda difficultas

At ut quis probet semper inferius esse subiectum attributionis, ita forsan argumentabitur. Quando plura sunt ordinata ut media ad finem, illud habet rationem finis, quod est principalius, perfectius, & non confert ad consecutionem alterius; quemadmodum illud est medium, quod est ignobilius, imperfectius, & conducit ad consecutionem finis; at in scientia cognitiones superioris, & inferioris ita sunt ordinatæ, ut cognitio superioris sit ignobilior, & imperfectior, quoniam confusa, & obscura, atque conducit ad cognitionem inferioris, hæc enim haberi nequit sine illa; cognitio verò inferioris est perfectior, clarior, & magis determinata, nec ad cognitionem superioris conducit, cum possit superius cognosci, ignorato inferiori; ergo inferioris cognitio erit finis; superioris autem medium, unde consequens fit, ut inferius sit obiectum attributionis, superius autem attributum.

Solutio.

Fit tamen satis concedendo præmissarum utranque in esse rei, non in esse scibilis, ex fine scilicet, quem sibi præscribit artifex, ad quem non requiruntur conditiones illæ, quòd scilicet sit re ipsâ principalius, & perfectius utcumque; sat enim, ut fit id, in quo omnia considerata in scientia unitatem consequuntur; sic nanque dici potest obiectum attributionis, estque perfectius, & principalius, quatenus sub scientiam cadit. Superius enim consideratur ut totum potestate, nam hoc modo statuitur disciplinæ subiectum, estque singulis inferioribus distributiuè sumptis præstantius, & ad ipsum inferiora dicunt ordinem, & ad eiusdem cognitionem conducunt, quatenus illud totum est potestativum, & prout connexa ad cognitionem connectentis manuducunt; inferiora nanque in esse scibilis, connexa sunt in superiori tanquam in uno obiecto scibili adæquato; superius autem, rationem habet connectentis, & tribuentis inferioribus suis unitatem, quam obiectiuam appellant.

Superioris doctrinæ, uberior declaratio.

Hæc ut melius intelligas, aduerte res duplici modo considerari, nempe in esse rei, & in esse scibilis; idcirco duplex ordo statuitur disciplinæ; unus dicitur ordo naturæ, nempè ille, iuxta quem res tractantur inspectæ in esse rei; alter est ordo doctrinæ respiciens res in esse scibilis. Quandoque euenit, ut seruetur ordo naturæ simul & doctrinæ; ut in Mathematicis disciplinis, quando nimirum principia sunt obuia sensibus. Aliquando doctrinæ ordo seruatur neglecto ordine naturæ, quando scilicet principia sunt parum

nobis

Digitized by Google

nobis perspicua. Non enim artifex in aliqua tradenda facultate perpetuò seruat eundem ordinem, quem res inuicem seruant; nam re ipsâ cognitio causæ petit ad effectûs cognitionem ordinari, quoniam effectûs distincta cognitio, sine cognitione causæ nequit obtineri, non tamen contra; & nihilominus artifex potest cognitionem effectûs ad causæ cognitionem referre, ut contingit, cum ab effectibus ad causam demonstrandam procedimus. Non dissimili modo ratiocinandum de medio, & fine; medium enim suapte naturâ petit ad finem ordinari, non contra; si quis tamen tanquam finem ultimum, & intrinsecum suæ scientiæ, medium sibi præfigeret, tunc cognitio finis deseruiret cognitioni mediorum, & ad istam ordinaretur, videlicet in esse scibilis. Ita planè de frenefactiua constat, in qua directio equi, quæ est finis, reducitur ad frænum, quod est medium; atque adeo cognitio dirigendi equi, reducitur ad cognitionem conficiendi fræni.

Animaduersio.

Nec propterea existimandum hoc rerum naturis aduersari; quauuis enim admittenda non sit in esse rei mutua dependentia inter causam, & effectum, & inter medium, & finem; dari tamen potest in esse scibilis, quatenus res una cognosci potest per causam, & etiam per effectus, immò per concomitantia; ut admirativum cognosci potest per rationale, veluti per causam, & per risibile velut per effectum. Nihil obstat igitur quominus quispiam ad libitum assumat aliquam rerum seriem declarandam, non prout illæ sunt dissitæ, sed quatenus coeunt in unum, non unione aggregationis, sed potius reali vinculo, eo nomine, quòd in unum commune conueniant essentialiter, per differentias postmodum diuidendum, habens rationem totius, & præcipui in esse scibilis, quod finis obiectivus dici solet, nimirum commune illud, inferiora, tanquam partes subiectas continens, atque respiciens, ad quod etiam differentiæ pertinent, velut aliqua illius, quibus scilicet ipsum ad inferiora contrahitur. Vtque illud commune, finis obiectivus: ita eius cognitio dicitur finis formalis, cum inferiora respiciant illud tanquam per se sub illo contenta, itemque differentiæ, velut ea, quibus illud idem diuiditur; ac proindè commune istud dicetur, quod primò ab artifice intenditur; non modò, ut quoddam totum est actu, sed etiam potestate. Quamobrem rectè dicebatur ad propositam difficultatem diluendam, præmissas esse concedendas in esse rei, non autem in esse scibilis, secundum quod inferiora, ac differentiæ ad superius sumptum tamen ut totum quoddam potestativum, commodè possunt reuocari.

Quòd si dicas, sicut partes essentialiter ordinantur ad totum, ut imperfectum, & incompletum, ad perfectum, atque completum: ita cognitio partis ad cognitionem totius; siquidem res omnes cognosci postulant, cum ea proportione, quâ sunt; superiùs autem essentialis est pars inferioris; ergò cognitio superioris ad cognitionem inferioris ordinari debet. Tertia difficultas.

Solutio tamen in eo posita quòd superius utique in esse rei est pars; in esse tamen scibilis dicitur totum, inferiora verò partes; ut enim partes uniuntur in toto; sic inferiora in esse scibilis in aliquo communi uniuntur, ratione cuius habent se per modum unius obiecti, eo quòd in illo conueniunt. Solutio.

Præterea si dixeris, materia, & forma, vel si quæ principia sunt, quibus res naturales constituuntur, non sunt obiectum in scientia de natura, nisi quia sunt essentialiter partes; sed potius obiectum dici debet id quod ex huiusmodi principijs constituitur; sic etiam commune inferiorum comparatione non erit dicendum obiectum, eo quòd est id, quo inferiora constant, sed potiùs inferiora obiecti rationem obtinebunt. Quarta difficultas.

Neque hoc aliquid habet momenti; nam (ut prætream non eandem esse rationem, de principijs physicis, ex quibus res naturales componuntur, ac de superiori respectu inferiorum; nullum enim ipsorum se habet tanquam totum potestativum respectu compositi) facilè constat, si quispiam assumeret considerandi principia tanquam finem, cognitionem compositi ad principiorum cognitionem tunc ordinatum iri &c. ac proinde futurum, ut attributionis obiectum, non compositum, sed principia ipsa statuenda forent. Quamobrem superius attributionis obiectum, respectu inferiorum dici poterit. Solutio.

DISSERTATIO XXVI.

De diuisione scientiæ in plures, quas sub se continet species.

Multiplex diuisio scientiæ.

Scientiam à Philosophis multifariam fuisse diuisam reperio; quandoquidem Plato dicebat ex scientijs, aliam in actu rerum, aliam in cognitione versari, forsan intentus diuisioni scientiæ in contemplatricem, & practicam. Diuisionem itidem aliam instituit dicens scientiæ uniuersæ cognitionis bipartitam esse diuisionem, cùm una præparatoria, altera verò iudicatoria sit. Amplius ex eiusdem consilio, scientia, alia purior aliâ, ut voluptas, voluptate. Immo auctore Proclo, scientias Plato columbis comparat, affirmans, ex ijs alias gregatim volare, alias seorsum, cum magis communes, magis capaces sunt. Et alibi docet scientiam omnem sic se habere, ut alia circa immediatas propositiones, alia circa ex illis deductas versetur. Qui tamen hanc scientiæ partitionem accuratiùs sua contemplatione sunt persecuti, dixerunt scientiæ distributionem ad eum se habere modum, ut una penes demonstrandi rationem; alia penes id, quod considerandum assumitur; alia penes considerandi modum attendatur. De diuisione, quæ est ordine prima non hic, sed alibi, nempe ubi de demonstratione dabitur nobis disputandi locus agendum; de duabus igitur alijs, nostra sese nunc exerceat industria.

De regno. In Philebo. Proclus in Euclidem lib. 1. Idem lib. 3. cap. 1. com. 5.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De divisione scientiæ in speculativam, & practicam.

CElebris ea est scientiæ partitio, quâ nimirum distribuitur in contemplativam, & practicam, cuius meminit Philosophus pluribus in locis. Præsertim, ubi de Philosophia disputans, hæc habet. ἐρρῶσθαι δὲ ἔχει τὸ καλεῖσθαι τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν. Θεωρητικὸς μὲν γὰρ ὁ τέλος ἀλήθεια, πρακτικὸς δ' ἔργον. *Rectè autem se habet, philosophiam, scientiam veritatis appellare: speculativæ enim finis, veritas: practicæ autem opus.* Hinc porrò constat Philosophum hanc scientiæ distributionem, in contemplatricem, & practicam approbasse. Et quamuis hujusmodi diuisio cuicumque cognitioni aptari possit, ita ut in cognitionem cadat generatim acceptam, vel saltem prout cognitio communis est secundæ, ac tertiæ intellectûs operationi; omne siquidem iudicium, omnisque discursus, hanc diuisionem admittit; speciatim tamen hîc usurpatur, prout in scientiam cadit, cùm alioquin omnis intellectiua cognitio sit huius diuisionis capax; enim verò, non solùm omne mentis iudicium complectendo, tam secundam, quàm tertiam operationem, speculativum, vel practicum esse potest; sed etiam simplex apprehensio, quippe quæ potest esse de re operabili, prout operabili, quatenus eam operabili modo attingit.

Non inficiandum tamen apprehensioni simplici minus propriè practicæ rationem conuenire, cùm non sit apta proximè nos ad operandum dirigere, quod maximè practica cognitio requirit.

Quoniam autem scientia sumi potest, vel prout in actu, vel in habitu consistit; ob id de ipsa iuxta geminam hanc usurpationem nobis agendum. Et quia in quolibet habitu tria considerari possunt, nimirum habitus ipse, actus, ad quem habitus propensam, & inclinatam potentiam reddit, tandem obiectum actûs, circa quod iste versatur; propterea hæc etiam in scientia tam practica, quàm speculativa considerari possunt; in speculativa siquidem datur habitus speculativus, datur actus, qui dicitur speculatio, siue cognitio speculativa, denique datur obiectum speculabile, à quo tam actus, quàm habitus speculativi denominationem recipiunt. Sic etiam in practicis datur habitus practicus, cognitio practica, & obiectum, praxis nomine nuncupatum, circa quod practica versatur cognitio. De praxi propterea proximum est, ut sermonem instituamus, dummodo tamen primo fuerit à nobis explicatum, num probè sit instituta distributio scientiæ in contemplativam, & practicam. Quia verò hac de re decernere nihil licet, nisi utriusque cognitionis, contemplatricis videlicet, & practicæ natura perspecta fiat; propterea de hoc erit præmittenda consideratio, & prius de praxi obiecto practicæ cognitionis disputandum, cum non nisi ex obiecto, cognitionis innotescat natura.

Πρᾶξις, *Praxis* græca vox est idem significans, ac latinè *operatio*; estque nomen abstractum, à quo practicum denominatur; ita fit, ut non eodem modo se habeant praxis, & practicum; speculatio, & speculabile. Speculatio enim propriè de cognitionis actu, non autem de obiecto dicitur; praxis autem contra dicitur de obiecto, non de actu, qui practicus à praxi denominatur, proinde praxis à cognitione practica longè differt, nempè ut obiectum à cognitione sui; hinc propterea Philosophus actionem, & effectionem tanquam obiecta constituat, circa quæ practicę facultates occupantur.

Potest autem contingere, ut ex operatione, quæ dicitur praxis, relinquatur aliud opus permanens, quod non diceturpraxis, sed tantum res operabilis, quod etiam est obiectum, ac effectus notitię practicę.

Omnes nomine praxeos operationem tantummodo intelligentis naturæ significari fatentur, non quamcumque, sed solùm eam, quæ aliquo pacto sub directionem cadit, ac proinde nec actiones brutales, nec rerum inanimatarum, nec etiam actiones in hominibus, quę scilicet non subsunt voluntatis imperio, ut nutritio, acretio, &c. quæque naturales dicuntur praxes esse dicendas aiunt, cum directionis sint incapaces.

Tria propterea decernunt esse actionum genera, quibus nomen praxeos accommodari possit, nempè actiones intellectûs, voluntatis, & sensuum. Non solùm autem solet in controuersiam vocari, an huiusmodi actiones praxes dici debeant absolutè, an aliqua requiratur conditio; & num uni primariò, alteri autem secundariò conueniat. *Tria actionum genera quibus praxeos ratio solet accommodari.*

Plerique solas operationes externas, ac transeuntes, non autem internas, & immanentes praxim esse contendunt. *Prima, Quorundã opinio.*

Hic tamen dicendi modus intolerabilis est. Nam si Philosophi consilium respicias, oppositum docuisse comperies, cum sæpè diuidat scientiam practicam in factiuam, & actiuam, & praxim in factionem, & actionem, ubi actionis nomine intelligitur operatio interna, & immanens, quemadmodum nomine factionis operatio externa, & transiens. *Reijcitur Aristotelis auctoritate.*

Si autem rationem desideres, ea satis obuia, quoniam nomine praxeos ea intelligitur operatio, quæ regulari, dirigique potest ab intellectu; sed etiam operatio interior, maximèque actus voluntatis potest per rectam rationem dirigi, ac regulari; non immeritò igitur operationi internæ ratio praxeos tribuitur. *Reijcitur etiam ratione.*

Illud etiam accedit, quòd ea scientia practica dicitur, quæ habet pro obiecto praxim, cuius est effectiua, ac directiua, non sistens in contemplatione veritatis; ac proindè illa operatio, quam scientia practica dirigendam, ac moderandam assumit, praxeos rationem habeat, oportet; sed non solùm operatio externa, sed etiam interna à scientia practica suscipitur dirigenda, ac regulanda; propterea non solum operatio externa, sed etiam interna sibi rationem praxeos vendicabit. *Confirmatio.*

Alij verò hoc ex parte concedunt dicendo non omnibus actibus internis rationem praxeos conuenire, vnde quod spectat ad actus voluntatis, negant intentionem finis esse praxim, solùmque concedunt huiusmodi esse electionem mediorum. *Secunda Aliorum opinio.*

Et magis etiam est controuersum de actibus intellectûs; cùm enim hi gemino modo considerari possint, vel scilicet prout voluntatis imperium antecedunt, vel prout eidem subsunt; ob id duo sunt dicendi modi, nam unus eorum est, qui dicunt etiam secundum priorem rationem, operationes intellectûs praxim esse dicendam; alij autem non item, sed iuxta posteriorem tantummodo praxos nomen ijs conuenire putant. *Tertia opinio.*

Addunt alij neutro modo actum intellectûs dici praxim, adeo ut etiamsi à voluntate sit imperatus non possit sibi rationem praxeos vendicare. *De conditionibus requisitis ad praxim variæ sententiæ.*

De conditionibus requisitis ad praxim non leuis est controuersia; propterea quòd apud plerosque non requiritur, ut sciens, siuè habens cognitionem practicam, potentiam habet exercendi actionem, quæ dicitur *Prima opinio.*

Digitized by Google

Secunda opinio. Tertia opinio. Quarta opinio. Quinta opinio. Sexta opinio.

tur praxis, & valeat efficere opus, cuius factio est practicâ cognitione dirigenda. Ex aduerso existimant alij potentiam actiuam, siuè factiuam remotam saltem in sciente requiri. Non nulli addunt huiusmodi actiones debere liberè exerceri. Alij verò sufficere, ut ex se à voluntate pendeant, quanuis liberè non fiant. Alij aiunt imperatum actum primariò esse praxim, imperantem verò secundariò. Alij oppositum tuentur; cumque ipsis nullus ex his dicendi modis probaretur, propterea, mediâ viâ plerique incedendum putarunt dicentes, actus virtutis moralis imperatos à voluntate esse secundariò praxim. imperantes verò, qui nimirum eliciuntur à voluntate imperante alijs potentijs, esse primariò praxim; actus tamen artificiales, ut sunt opera artis, contrario modo se habere, videlicet imperatos primariò, imperantes secundariò praxim esse dicendos.

Quędã ad notantur. Scotus in Prol. 1. sent. q. vlt. Praxis, quomodo definiatur ab aliquibus. 3. de Anima Tex. 49.

Vt autem in re proposita veritatem attingere possimus, reuocandum ad memoriam aliquos praxim ita definijsse. *Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformis rationi rectæ, adhoc, ut sit rectus.* In qua definitione tres conditiones agnoscunt, quarum prima, ut *sit actus alterius potentiæ, quàm intellectûs*, quoniam, cùm intellectus, ut sit practicus, debeat extendi, hoc est extra se tendere, ex Aristotele, ut aiunt, quatenus scilicet non sistit in cognitione obiecti, sed ulteriùs procedit ad opus, non quidem quodcumque, sed quod est dirigibile in materia morali, & ut loquuntur, operabili, ad excludendum errorem practicum; sequitur actum directum non esse actum intellectûs, ut intellectus est, sed alterius, quasi distinctæ potentiæ; propterea quòd intellectus, secundum se spectatus, distinguitur à se ipso, ut imperato à voluntate, atque adeo actus intellectûs à voluntate imperatus, non est actus intellectûs secundum se, sed intellectûs imperati, & voluntati, subiecti. Secunda conditio ex eorundem sententia est, ut praxis *sit actus naturaliter posterior intellectione*, quoniam regulatum, & mensuratum, cuiusmodi est praxis, est posterius regulâ, & mensurâ, qualis est intellectio practica. Tertia conditio, ut *sit conformis regulæ*, quoniam non quæcunque praxis, sed recta, inquiunt, definita fuit, cuius rectitudo sumitur ex conformitate cum regula rationis, quemadmodum irrectitudo ex carentia talis conformitatis accipitur. Hinc aliam conditionem inferunt, nimirum quòd sit finis intrinsecus, & per se cognitionis practicæ; nam, inquiunt, si actus ex propria natura est à ratione dirigibilis, necesse est, ut ratio dirigens respiciat actum illum, ad quem ordinatur tanquam ad proprium finem.

Superior doctrina impugnatur.

Superior tamen doctrina plurimis difficultatibus laborat. Et primò quidem circa particulam illam, quòd praxis sit *actus alterius potentiæ ab intellectu*, hoc enim praxis non requirit. Tum quia ineptè affertur Aristotelis testimonium, siquidem apud ipsum, assertum illud non exstat; quo etiam admisso tanquam communi quodam effato, nihil tamen conficiunt, sic enim illud usurpandum, videlicet intellectum extensione fieri practicum, quoniam ultra notitiam practicam, extenditur ad aliam operationem dirigendam, etiamsi hæc sit alia quædam eiusdem intellectûs operatio. Secunda conditio, nec etiam admittenda, nisi iuxta debitam explicationem; propterea quòd solùm eo sensu concedenda, quatenus operatio, quæ dirigitur, collata cum ea, quæ dirigentis rationem habet, posterior est. Ita plane ex operationibus intellectûs una, quæ nempè dirigitur, posterior est alterâ, vi cuius illa dirigitur. Tertia tandem conditio reijcienda quoque cùm perperam restringatur conformitas ad eam, quæ est in genere moris; reijcienda inquam, quoniam per hanc definitionis particulam non intelligitur definita quæcumque praxis, sed ea, quæ recta est in genere moris. Non sic autem rectringenda eo quòd nomine praxeos rectè etiam intelligi potest ea, quæ ad genus artificiosum pertinet, siquidem datur etiam rectitudo in genere artis.

Et hinc itidem infertur altera conditio praxeos, nempè quòd sit finis intrinsecus practicæ cognitionis. Cognitio siquidem practica circa operationem dirigendam, veluti circa per se obiectum versatur, hoc autem est intrinsecus cognitionis finis, si tamen operationem, atque adeo praxim accipias quatenus est rectitudinis capax.

Prima conditio finis intrinsecus cognitionis practicæ.

His autem præmissis, dicendum omnem operationem, actionemque intelligentis naturæ comprehendendo etiam eam, quæ est intellectûs, rationem, denominationemque praxeos, quæ per scientiam practicam dirigatur, sibi vendicare.

Prima conditio refertur ad omnem operationem rationi dirigibilem sibi præxeos nomen vendicare.

Hoc mihi certum omnino, quoniam nomine praxeos intelligi debet omnis operatio per rationem dirigibilis; sed non minus operationes intellectûs, quàm aliarum potentiarum (loquendo tamen de operationibus illis, quæ benè, ac malè fieri possunt, suntque in potestate hominis ipsas alterutro modo exercere) sunt per rationem dirigibiles; ergo etiam operationes intellectûs habebunt rationem praxeos.

Prima ratio.

Præterea. Illa operatio rectè dicitur praxis, cuius cognitio, practica dici meretur, quatenus nimirum illam considerat operabili modo, tradendo scilicet præcepta, quibus instructi rectè possimus eam exercere; sed huiusmodi est operatio intellectûs, cognitio enim, quæ nobis dictat modum, quo rectè possimus illam exercere, verè directiua dicitur, nec propter se ipsam, sed propter operationem esse existimatur; hinc propterea intellectûs operatio, verè sibi vendicat rationem praxeos.

Secunda ratio.

Neque refert illud commune dictum, perperam Aristoteli adscriptum, quòd intellectus extensione practicus fiat. Quo enim sensu id sit usurpandum, non multo ante fuit explicatum.

Aristotelis auctoritati fit satis.

At operationes nostræ iuxta geminam rectitudinem, duobus modis dirigi possunt, nempè moraliter, seu in genere moris; & artificiosè, siue in genere artis. Priori modo diriguntur per regulas bonitatis moralis, ut nimirum, cum debitis circumstantijs, conditionibusque moralibus exerceantur. Secundo autem modo diriguntur per regulas naturales, & artificiales, ut re ipsâ perfectè fiant secundum esse reale, quod habent, nempè, quòd ædificium hoc, vel illo modo construatur; Propterea duobus hisce modis operationes nostræ dirigi possunt; atqueadeo considerandum duplex hoc genus rectitudinis, ac directionis, etiam in ipsis intellectûs operationibus, distinguendum esse. Prior directio ad Moralem; secunda ad Logicam pertinet.

Superioris doctrinæ explicatio.

Et asserendum omninò rationem praxeos non solùm operationibus nostris conuenire, quatenus ipsæ sunt dirigibiles in genere moris, sed etiam prout sunt capaces rectitudinis in genere artis.

Secunda assertio quod conueniat ratio praxeos operationi quatenus dirigibilis est in genere artis.

Hoc autem euidenter conuincitur ex eo quòd nulla sit discriminis ratio, cur scilicet operatio aliqua, & speciatim cur operatio intellectûs, solùm prout moralis rectitudinis, & non quatenus artificiosæ rectitudinis capax, praxis dici debeat.

Ratio dubitandi. Quomodo dã doctrina reijcitur.

Ita fit, ut ineptè fuerit ab aliquibus pronunciatum, *nullum actum præcedentem voluntatis imperium, esse propriè praxim*. Ad rem enim, de qua agimus, nihil refert

refert voluntatis imperium, cùm ad rationem praxeos sufficiat, ut operatio sit rectitudinis capax, quod est eam dirigi posse. Vnde optimè quocumque voluntatis imperio neglecto, operatio una intellectûs, directa ab alia, sortitur rationem praxeos, eam ob causam, quoniam ab illo dirigitur.

Puerilia verò sunt, quæ in contrarium adduci solent, nempè quòd praxis propriè loquendo, differat ab obiecto speculabili, quoniam cognitio practica differt à cognitione speculatiua, ex eo quia illa est ad praxim, hæc ad obiectum, ut speculabile, & cognoscibile, unde non solùm denominant diuerso modo proprias cognitiones, sed etiam diuerso modo diuidunt illam; nam circa obiectum speculabile, cognitio speculatiua denominatur vera, si obiecto conformis est; falsa autem si difformis; at cognitio practica non dicitur vera, vel falsa, sed bona, vel mala, sicut praxis alia bona, alia mala; at speculabile verum, vel falsum dicitur, loquendo de veritate, & falsitate se tenente ex parte obiecti; omnis igitur cognitio, quæ vera, vel falsa propriè denominatur, non tamen bona, vel mala, spectat potius ad genus speculabilis, quàm ad genus praxeos. Ita quidem aiunt esse cognitionem directam ab alia cognitione, seu à regulis, præceptisque logicis, eò quòd in hac cognitione duo cogitari possunt, vel esse cognitionis, vel directio passiua iuxta logicas regulas, quæ est illatio, & consecutio; actus igitur inquiunt, non dicitur bonus, vel malus, sed verus, vel falsus; consecutio quoque dicitur vera, vel falsa; licet, etsi minus propriè, aliquando dicatur bona, vel mala, quatenus bonum & malum cum veritate, & falsitate confunduntur; quoniam bonitas propriè dicta ad voluntatis, non intellectûs obiectum pertinet; unde quandoque percipiens obiecti quidditatem, dicitur benè, idest verè cognoscere.

Confirmant hoc idem ex eo quòd actio intellectûs, dirigens aliam actionem eiusdem, non est propriè practica; ergo actio directa non est praxis. Antecedens probant, quoniam cognitio practica est apta dirigere, sed hoc ex sua ratione habet, ut si maturo consilio, prudenterque sit elicita; & quanuis cum obiecto non conformetur, adhuc bona iudicetur, sitque sufficiens regula actionum ab ipsa directarum, ita ut si iuxta ipsam eliciantur, sint bonæ: si contra, sint malæ, quia est regula, atque mensura illarum, cum qua actiones conformari debent, non cum obiecto in se, sed ut à prudenti iudicio dictatæ; contemplatiua verò suam omnem veritatem accipit ab obiecto, itaut si illi non conformetur, nunquam sit vera, quantumuis maturè, atque prudenter eliciatur. Cognitio autem dirigens aliam cognitionem sine dependentia à voluntate, cujusmodi sunt Logicæ præcepta, si non conformetur cum obiecto, nunquam vera erit, aut recta; ergo practica non erit, sed contemplatiua.

In hucusque proximè traditis multa sunt, quæ falsitatis vitio laborant; piget autem in confutatione singulorum immorari; sat illud adnotasse non ea requiri ad practicæ cognitionis naturam, quæ ibi commemorata sunt, cum planè sufficiat, ut ea sit apta dirigere actionem quancunque &c. Ita ut ex vi illius agens possit operationem suam exercere. Et ineptè admodum ipsi contendunt practicam cognitionem dici non posse veram, vel falsam; sed bonam, vel malam, ut praxis alia est bona, & alia mala; quemadmodum eo quòd speculabile, verum, vel falsum: ita cognitio speculatiua vera, vel falsa dicitur; dum enim scientiam fatentur dari practicam, utique pugnantia dicunt; si namque scientia est, oportet veram cognitionem esse.

Et quanuis nullus actus nullaque operatio præcedens voluntatis imperium possit esse praxis, hoc non ideo, quia praxis debeat esse operatio digna laude, vel vituperio, atque adeo cognitio nequeat esse practica, nisi, quæ huiusmodi operationem moderatur; sed id ideo est, quoniam operatio, quæ imperium voluntatis antecedit, non potest ab operante exerceri benè, vel malè, nec in genere moris, nec in genere artis, nec ex vi cognitionis de operatione præcedente voluntatis imperium, potest operationem ipsam exercere.

SECTIO SECVNDA.

Alia de Praxi tractantur.

Quod in controuersiam vocatur.

SOlet illud etiam inquiri, an ad rationem praxeos sit opus, ut exerceri possit ab eo, qui habet scientiam practicam.

Assertio docens ad rationem praxeos requiri, vt operatio exerceri possit à cognoscente &c.

Rectè mihi videntur sensisse dicentes ad rationem praxeos, notitiæque practicæ requiri, ut operatio exerceri possit ab eodem sciente, & ut is cognoscat opus, quatenus à se ipso fieri potest. Non tamen requiri, ut cognoscens potentiam proximam, & expeditam ad operandum habeat.

6. Metaph. tex. 1.

Primum expressit Philosophus, dum ait, *τῶν μὲν οὖν ποιητικῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχὴ, ἢ νοῦς ἐστιν, ἢ τέχνη, ἢ δύναμίς τις. τῶν δὲ πρακτῶν ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις. τὸ γὰρ αὐτὸ δὲ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετόν.* *Factiuarum enim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia: actiuarum verò in agente electio, idem enim agibile, & eligibile*; Vnde illud apud Scholasticos effluxit, *factiuarum enim in faciente principium est, actiuarum in agente electio.* Et alibi etiam, dum ita loquitur. *Ἐστὶ δὲ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν, ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων, καὶ ἔστι καὶ μὴ ἔστι, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι, ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ ποιουμένῳ.* *Sita est autem ars omnis in generatione, & in moliendo, & spectando quomodo, fiat aliquid eorum, quæ possunt & esse, & non esse, & quorum principium est in faciente, at non in eo, quod efficitur.* Hinc dici consueuit. *Ars considerat, ut fiat aliquod eorum, quæ esse, & non esse possunt, & quorum principium in eo qui facit.* Hoc etiam exemplis confirmatum redditur. Quando namque consideramus operationes alicuius causæ, ut Dei, intelligentiæ &c. huiusmodi consideratio profectò non dicitur practica, nec eius obiectum praxis dici potest, sed solùm quando consideramus, atque cognoscimus ea, quæ à nobis fieri possunt.

6. Ethic. cap 4.

Nõ requiritur potẽtia proxima & expedita. Prima ratio.

Non requiri autem potentiam proximam, & expeditam hinc mihi persuadeo, quoniam qui caret instrumentis necessarijs ad operandum, non habet quidem potentiam proximam, & expeditam, habet tamen remotã, itaut si foret instrumentis necessarijs instructus, posset operari, & tamen illa cognitio, quam habet de re quam posset operari, quamque tantummodo instrumentorum defectu non operatur, practica est, siquidem ex vi illius optimè posset exire in actum operandi; proinde nec ad rationem praxeos, nec ad rationem practicæ notitiæ requiritur proxima, & expedita potentia in operante.

Secunda ratio.

Hoc etiam ex eo suadetur, quia dum quis dirigit alienas actiones præscribendo modum alteri, quo illas debeat exercere, utique de ipsis cognitionem habet practicam, siquidem hæc alteri tanquam norma, & regula deseruit ad operandum, quod ad rationem notitiæ practicæ sufficere dicebamus; ergo, & actiones alienæ rationem habent praxeos, & cognitio, quam quis habet de illis, dummodo se habeat, ut regula, ac norma ad exercitium ipsarum, practica dicenda erit, quanuis ab ipso huiusmodi actiones non exerceantur.

Digitized by Google

Tertia ratio.

Præterea si quis obtineret facultatem aliquid operandi, puta aurum, quod natura suis viribus tantummodo molitur, gemina in eo recognoscenda foret de auro cognitio, quarum una esset, quâ intellectus attingeret, quo pacto natura in efficiendo auro se gerat, & hæc certè contemplatiua esset, velut inepta ad dirigendum operantem, siquidem esset de auro, quatenus à naturalibus causis, & non à cognoscente fieri potest. Alia esset cognitio, quâ ille dirigeretur in exercitio facultatis conficiendi aurum, quam ille consecutus fuisset, & hæc practica dicenda esset, quippe quæ deseruiret cognoscenti, veluti norma, & regula ad exercitium operis. Prior igitur cognitio speculatiua foret, cùm nullius operis esset effectiua, atque adeo operationes, quas in moliendo auro natura ipsa exercet, non haberent rationem praxeos. Secunda verò practica diceretur, velut operis effectiua, & operatio, quam ille in auri confectione exerceret, utique praxeos rationem sibi vendicaret.

Quorundam error detegitur.

Ex quo facilè intelliges grauiter illos peccasse, quibus est visum cognitionem eandem mutari posse de speculatiua in practicam, solùm ex eo quia quis consequatur facultatem id efficiendi, quod priùs efficere, non poterat. Non enim, si quis cognoscat modum, quo naturales utuntur causæ in conficiendo auro, accipiat verò facultatem illud idem elaborandi, huiusmodi cognitionis vi unquam poterit aurum ipsum moliri, cum ad hoc alio indigeat cognitionis genere, nempè illius, quæ sit non solùm de re operabili, sed etiam apta sit dirigere ipsum operantem; siue hic sit ille, qui cognoscit, siue sit alter, qui facultatem habet operandi, alterius tamen cognitione ductus, atque directus, operationes exercet, opusque molitur. Ex his igitur perspicuum est, cuiusmodi operationes esse debeant, ut ijs ratio praxeos tribui possit.

An ad rationem praxeos requiratur libertas.

Solet autem ulteriùs in dubium verti, an ad rationem praxeos requiratur, ut operatio sit libera, nempè ut possit fieri, & non fieri ab ipso operante. Sunt, qui sententiam affirmantem mordicùs propugnant, unde inquiunt praxim omnino esse actum, vel elicitum à voluntate, vel ab eadem imperatum; ob id saltem libertatem quoad exercitium actûs requirunt. Alij addunt opus etiam esse libertate, quoad specificationem actûs, proindeque amorem erga finem, atque bonum generatim sumptum, cum actus sit quoad specificationem necessarius, non esse propriè praxim, ut nec ullam aliam operationem, quæ sine libertatis usu exercetur. Ex aduerso placuit non nullis alijs ad rationem praxeos non requiri, ut sit operatio à voluntate procedens, sed satis, superque esse, ut à cognitione dependeat.

Prima assertionis pars ratione probatur.

3. de Anima Text. 59.

Primum autem ita colligo. Intellectus non mouet sine appetitu, qui est voluntas, quod etiam Philosophus testatur, nam ita scribit: *νῦν δὲ ὁ μὲν νοῦς οὐ φαίνεται κινῶν ἄνευ ὀρέξεως. ἥ τε γὰρ βούλησις ὄρεξις. ὅταν δὲ κινῆται τὸν λογισμὸν κινεῖται, κατὰ τὴν βούλησιν κινεῖται.* Nunc autem intellectus quidem non videtur mouere sine appetitu, (nam voluntas est appetitus: cum autem ratione mouetur) etiam voluntate mouetur. Per suam enim notitiam directiuam nequit intellectus mouere ad operandum, nisi mediâ voluntate. Et uniuersè operatio omnis exercenda ex directione, & impulsu rationis elici, vel imperari debet à voluntate; ut igitur operatio aliqua praxeos rationem sibi vendicet, omnino debet à voluntate pendere.

Secunda pars assertionis ostenditur.

Secundum, scilicet hanc dependentiam non oportere liberam esse ex eo mihi suadeo, quoniam potest aliqua operatio non liberè, sed necessariò procedere ab operante, quæ tamen ex impulsu, & iudicio intellectûs fiat, & ex directione cognitionis exerceatur. Hoc autem admisso sic licet arguere. Illud iudicium, illaque cognitio utique practica est, quippe quæ apta est dirigere operantem in exercitio operis: ergo operatio directa habebit rationem praxeos; optima consecutio, cum praxis operatio dicatur, quatenus per practicam cognitionem dirigitur. Non igitur ratio praxeos requiri ut operatio liberè à voluntate pendeat, sed satis ut ab ipsa pendeat.

Libertas duplex.

Verum quia duplex potest esse libertas, & quo ad specificationem, & quo ad exercitium actûs; cum diceremus dependentiam operationis à voluntate non oportere liberam esse; utranque libertatem excludendam paucis ostendam.

Nõ requiritur libertas quoad exercitium actus.

Primò quidem non requiri libertatem quoad exercitium actûs, hunc in modum suaderi potest. Quia non dubium, quin intra latitudinem cognitionis sensitiuæ, quæ sensitiuum appetitum mouet, concedenda sit cognitio practica, velut illa, quæ mouet appetitum ad exercendam operationem, quamuis necessariò moueat, operatio enim appetitûs vi illius cognitionis exercetur; ergò talis operatio praxeos rationem in suo ordine obtinebit.

Non propterea tamen ex hoc numero sunt operationes partis vegetantis, non quia necessariò fiant, cum necessitas non officiat, sed quoniam vi naturalium potentiarum absque dependentia à cognitione, à voluntate, appetituque exercentur. Vt igitur operatio quæpiam sibi vendicare possit rationem praxeos, non est opus libertate quo ad exercitium actûs, & certè si causa prima ex necessitate naturæ operaretur, cognitio de rebus, quas efficeret, utique practica foret, atque adeo operatio praxeos rationem obtineret.

Nec requiritur specificationis libertas, nam quamuis sit necessarius actus quoad specificationem, potest adhuc esse praxis, ut amor boni generatim sumpti; huiusmodi enim actus dirigi potest, ac regulari, quatenus vi cognitionis elicitur; ut igitur cognitio illa, vi cuius exercetur huiusmodi actus, practica dicenda, sic etiam & actus ipse rationem praxeos obtinebit.

Nec dissentit Philosophus, dum ait, *ὅτε μὲν οὐκ ἀναγκαῖον ὄντων, ἢ γινομένων, ἢ τύχῃ ἔστιν, ὅτε δὲ καὶ φύσιν.* Neque enim eorum, quæ ex necessitate sunt, aut fiunt, ars est, neque eorum, quæ secundum naturam; hoc est dum ait artem, & prudentiam in ijs versari, quæ esse, & non esse possunt, non autem in ijs, quæ ex necessitate sunt, vel fiunt. non, ut aliqui interpretantur, quòd ibi docere velit artem, & prudentiam non esse de ijs, quæ ab alijs causis putà externis, & non ab ipso homine efficiuntur; sed potius in ijs versari, quæ sine cognitione, atque adeo sine arte effici non possunt, etsi supposito iudicio practico, atque adeo supposita arte, necessariò efficiantur; sed quòd ipse sermonem non habeat de cognitione practica uniuersè accepta, sed de speciebus ipsius, cuiusmodi sunt ars, & prudentia. Supposito autem praxim esse debere operationem à voluntate dependentem ex cognitionis impulsu; cum duplex sit hac operatio, una, quæ dicitur actus elicitus voluntatis, alia verò actus imperatus: ut dum quis vult scribere, actus volendi est actus elicitus voluntatis, actus verò scribendi est actus imperatus; solet in dubium verti, qui nam ex his duobus actibus primariâ ratione sit praxis, an elicitus, an imperatus.

6. Ethic. cap. 4.

Videtur quidem imperatus à voluntate per se, & propriè praxis. Praxis enim est propriè operatio, quæ per rationem dirigitur; huiusmodi autem est actus imperatus. De actibus enim imperatis, regulæ præceptionesque benè operandi traduntur. Ita quidem præcepta tradi solent de actu scribendi, de actu saltandi, deque actu

Digitized by Google

actu ædificandi, ac alijs huiusmodi; quemadmodum de actibus internis, putà de actu definiendi, diuidendi, argumentandi &c. non autem de actibus voluntatis, quibus homo velit scribere, velit saltare, velit ædificare; insuper quibus velit definire, velit diuidere, velit argumentari; actus igitur imperati per se, & propriè, ac primò habent rationem praxeos.

cunda io.

Secundo hoc idem inde perspicuum fit, quoniam operatio illa primò sibi vendicat rationem praxeos, ad quam primò etiam ordinatur notitia practica, & cuius gratiâ est ipsa notitia practica, hinc enim habet, ut hæc dicatur non propter se, sed propter aliud, videlicet propter praxim; sed practica notitia primò, & per se ordinatur ad actus imperatos, & ad horum tendit exercitium, non autem ad actus elicitos; ut ars scribendi ad scribendum; ars saltandi ad saltandum; ars ædificandi ad ædificandum; non autem ad actus volendi scripturam, saltus, ædificium, seu ad volendum scribere, ad volendum saltare, ad volendum ædificare; quin potius huiusmodi volendi actus ad alios, scilicet imperatos ordinantur; actus igitur imperatus primò, ac per se sibi vendicat rationem praxeos.

tia ra

Tertiò etiam suadetur hoc idem ex eo quòd nomine praxeos intelligenda est operatio, circa quam cognitio vertitur practica, quæque est obiectum cognitionis practicæ; huiusmodi autem est actus imperatus, non autem imperans elicitus à voluntate; ars enim exempli gratia scribendi, non vertitur circa actus voluntatis de conficienda scriptura, sed circa scripturam, exercitiumque scribendi; non tradit præcepta de eliciendis actibus voluntatis, sed potius de exercitio scribendi; & sic etiam de reliquis; actus igitur imperatus, non autem imperans ab ipsa voluntate elicitus, primò, ac per se praxis dici debet.

am o.

Quartò itidem operatio debet dici praxis, quæ est per cognitionem practicam cognita, & repræsentata, quæque ex vi illius cognitionis exercetur, non autem illa, quæ hanc consequitur, nec exercetur tanquam cognita per practicam ipsam cognitionem, nec ex vi istius exercetur tanquam obiectum eiusdem. Talis autem est actus imperatus, non autem imperans ab ipsa voluntate elicitus; quando enim quispiam practicè considerat, quomodo sit conficienda scriptura, & ex hoc vult scribere, operatio, quæ exercetur tanquam cognita, & ex vi cognitionis, est actus imperatus scribendi, non autem elicitus volendi scribere, cum hic potius consequenter se habeat ad illum; proinde actus imperatus non imperans primò, ac per se sibi vendicat rationem praxeos.

nimad sio.

Non inficiandum tamen voluntatis actum elicitum primò, ac per se praxim esse posse, si tamen simul sit imperatus, & sit obiectum ipsius cognitionis practicæ; vt si intellectus iudicet eliciendum esse aliquem actum à voluntate, ut actum amoris erga sui Conditorem; hic enim amoris actus verè, ac propriè habet rationem praxeos, in qua iudicium practicum versatur; hic tamen actus voluntatis est elicitus, simul tamen est imperatus per alium actum, quo voluntas decernit volo amoris actum erga Deum exercere. Est igitur praxis actus elicitus voluntatis, non ut elicitus, sed ut imperatus, & ut cognitus, atque repræsentatus per practicam cognitionem, adeo ut ad formalem rationem praxeos per accidens sit, ut sit actus elicitus, per se verò, quòd sit imperatus, atque repræsentatus per cognitionem.

flus etiã icitus vo tatus im etiãt, dici

Actus etiam elicitus imperans voluntatis, praxis dicitus potest, non tamen propriè, sed per participationem, atque denominatiuè, quatenus habet pro obiecto suo praxim, siue operationem, quæ per se, atque directè est praxis, & quanuis non repræsentetur per cognitionem practicam; hanc tamen consequitur tanquam finis &c. actus imperans praxim, ad quam cognitio practica præcipuè ordinatur, & concomitanter, per eandem notitiam practicam regulatur, dum per illam dirigitur operatio, quæ est obiectum notitiæ practicæ.

potest pra

SECTIO TERTIA.

Quid sit, & unde ratio practici, & speculatiui sumi debeat.

Ratio pra ctici, & speculati ui non solùm acti bus, sed etiam ha bitibus cõ uenit.

RAtio practici, & speculatiui conuenit actibus, & consequenter habitibus; hi nanque conditionem, atque naturam ab actibus accipiunt; tales enim sunt habitus, quales sunt actus, à quibus procreantur. Quandocumque igitur actus huiusmodi sunt, ut habitus post se reliquant, ratio practici, & speculatiui non solùm actibus, sed etiam habitibus conuenit, quod intelligendum, tam de actibus, & habitibus potentiæ cognoscentis, quam appetentis. Ita fit, ut tam actus, ac habitus intellectûs, quàm actus, & habitus voluntatis, practici dici possint, licet ratio speculatiui actibus, & habitibus facultatis appetentis non conueniat.

Vnde hoc habeatur.

Inde autem oritur, ut ijs conueniat ratio practici, tam scilicet actibus, & habitibus intellectûs, quàm actibus, & habitibus voluntatis, quoniam illis, etsi non necessariò conueniat, non repugnat tamen ordinari ad praxim; his autem ita conuenit ad praxim ordinari, ut repugnet non ordinari, atque adeo speculatiui quoque ratio repugnet. Tametsi autem modo nuper explicato utriusque generis facultatis actibus, habitibusque ratio practici conueniat, illud interest tamen, quod actibus, & habitibus intellectûs conuenit directiuè, cùm non alium habeant ad actus aliarum potentiarum, atque adeo ad praxim concurrendi modum; at verò habitibus voluntatis ordinari ad praxim conuenit elicitiuè, cum physicè ad proprios actus producendos concurrant. Diuersus igitur est modus, quo ratio practici conueniat istarum facultatum habitibus; & ratio speculatiui non conueniat, nisi habitibus intellectûs; repugnet autem habitibus voluntatis. Remanet inquirendum, unde nam huiusmodi differentiæ petendæ sint, & quid formaliter dicant; & ut ab hoc exordiamur.

Vnde hu jusmodi differẽtiæ petende sint.

Præmittendum, quod certissimum est, videlicet ex ijs, quæ ab intellectu nostro cognosci possunt, quædam esse, quæ à nobis possunt produci, quædam autem non item. Quæ secundi sunt generis, non possunt à nobis cognosci, nisi quo ad prædicata per se præsertim in primo, ac secundo dicendi modo, itaut cognoscantur secundùm essentiam, seu quidditatem, & affectiones, seu proprietates; at verò, quæ prioris sunt generis gemino modo cognosci à nobis possunt, primò secundùm quidditatem, & affectiones, ut nuper dicebam; secundò quantum ad existentiam ipsorum; quod rursus bifariam contingit, primò ut intellectus cognoscat eorum existentiam, & producibilitatem attingendo prædicata essentialia ipsius existentiæ, & producibilitatis; secundò repræsentando modum, quo potest cognoscens illis existentiam tribuere, eademque producere.

Quædam præmittuntur.

Quid hac de re dicendum concludi tur.

His præhabitis; manifestum est cognitionem speculatiuam esse, quæ res attingit, immò & existentiam ipsam, itemque producibilitatem secundum essentialia prædicata; propterea quòd cognoscens vi huiusmodi cognitionis nequit rem cognitam operari. At verò æquè manifestum est cognitionem illam esse practicam

eticam, quæ repræsentat, siue præscribit modum, quo cognoscens potest rem cognitam operari, quæq; se extendit ad opus, ad quod propterea ordinem inuoluit.

Explicatur ordinabilitas cognitionis ad opus.

Hic autem ordo, vel ut aiunt, ordinabilitas, geminum respectum aptitudinalem præsefert, scilicet prioritatis naturalis, & conformitatis. Practicam autem cognitionem priorem esse debere naturaliter praxi, docuit etiam Stagirites, dicens electionem rectam, quæ est praxis, necessariò requirere rationem rectam, cui conformetur. Hoc etiam euidens est ex hactenus disputatis, quoniam omnis praxis, circa quam practica cognitio vertitur, debet à voluntate pendere; omnis autem actus voluntatis supponit actum intellectûs. Illud accedit, quòd cognitio practica se habet, ut norma, & regula ad operandum; praxis verò, ut regulatum; manifestum autem regulam esse priorem regulato. Extensio igitur practicę cognitionis ad opus, respectum prioritatis naturalis importat.

Respectus conformitatis.

Inuoluit etiam respectum conformitatis, quæ duplex est, una quidem passiua, quæ conuenit praxi; altera autem actiua, quæ propria est practicæ cognitionis, quoniam regula est dirigens, ac dictans, quomodo praxis exerceri debeat, aliæque potentiæ suo debeant munere fungi.

Distinctiùs explicatur practicæ cognitionis natura

Huiusmodi igitur est practicæ cognitionis natura, quam ut etiam distinctiùs intelligas, hęc sunt adnotanda, sedulâque meditatione perpendenda; nempè directionem actiuam commemoratam, tàm habitui, quàm actui conuenire quidem, ut paulò superiùs dictum fuit, modo tamen diuerso, siquidem habitus eâ ratione dirigit praxim quatenus producit actum, qui per se illam dirigit; hinc autem fit, ut non proximè, instar actûs, sed remotè tantùm dirigat; cum enim proximè non attingat obiectum, sed solùm medio actu, nequit proximè dirigere; sed hoc actui tantummodo, habitui verò solùm remotè conuenit.

Multifariam contingit actum esse directivum praxeos.

Sed multifariam contingit actum esse directivum praxeos, propterea quòd dici potest, aut virtute, aut formaliter directivus. Priori modo se habet cognitio principij practici, estque cognitio illa, quæ nuncupatur synderesis indita nobis à natura, si sumatur prout in habitu consistit; *Synderesis enim est habitus principiorum practicorum, quæ nobis à natura sunt indita, sunt que virtutum moralium fines, quibus positis fit progressio ad electionem mediorum*, ut temperantiæ finis sit esse delectationibus tactûs temperatè viuendum; ex huiusmodi autem principijs virtute practicis, ut dictum fuit, conclusio deducitur practica; ex quo facilè intelliges differentias speculatiui, & practici conuenire cognitioni, prout præscindenti à scientia, alijsque habitibus; siquidem scientia est conclusionis, atque adeo, cùm ratio practici conueniat etiam principijs, quemadmodum ratio speculatiui, huiusmodi differentiæ non erunt propriæ scientiæ, sed cognitioni latiori modo acceptæ conuenient. Formaliter autem actus dicitur practicus, ac directivus, qui expresè dirigit praxim, quemadmodum se habet cognitio conclusionis practicæ; quod duplici modo contingit, vel proximè, vt cum particulatim dictat hîc, & nunc esse tali, ac tali modo agendum ac operandum, quæ directio in agibilibus est prudentiæ actus, vt in factibilibus est actus experientiæ; & his actibus respondent habitus potentiam inclinantes in illos; vel etiam accidit remotè, ut cum dictat vniuersè hoc prosequendum; illud fugiendum esse; hæc autem directio in agibilibus est conclusio scientiæ moralis; in factibilibus verò conclusio artis, utraque enim uniuersalia respicit.

Adnotatio

Obseruandum autem aliquando usu venire, ut aliqua cognitio, siue in actu, siue in habitu consistat, dicatur speculatiua, quanuis re verâ sit practica, quia nimirum non adeo proximè dirigit praxim, atque adeo speculatiua dicitur non simpliciter, sed relatè, nempe comparatione alterius, cui conuenit proximiùs dirigere; ita fit, ut illa cognitio, quæ hîc, & nunc dictat qua ratione sit operandum, maximè practica dici debeat; quæ autem uniuersè dictat per recessum à maxima ratione practici, ad speculativum accedens, speculatiua dicitur; non quia formaliter sit huiusmodi, sed relatè tantum, & per comparationem, ut explicatum fuit.

Proximum est, ut explicemus speculatiui rationem, quæ cum opponatur practico, necessariò dicit carentiâ ordinationis ad opus, adeout cognitio speculatiua sit illa censenda, quæ in contemplatione sistit obiecti sui, nec tendit ulteriùs; unde ut practica dicitur gratiâ alterius, sic speculatiua gratiâ sui; utque speculatiuæ finis est veritas, sic practicæ est opus; illa propter se, hęc propter aliud; quò spectant Aristotelis verba, Θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια, πρακτικῆς δὲ ἔργον: *Speculatiuæ enim finis, veritas: practicæ autem, opus.* Talis igitur est scientiæ contemplatricis natura. Non omittendum tamen aduertere, huiusmodi differentias cadere etiam in alia cognitionis genera, puta in opinionem &c.

Speculatiui ratio explicatur.

Nunc explicandum, undè commemoratæ differentiæ sumendæ sint; tametsi enim notitiæ, ac habitus practici, atque speculatiui tales formaliter per proprias differentias essentiales dicantur; adhuc tamen explicandum supereſt, unde nam tam in habitibus, quàm in actibus commemoratæ differentiæ originem trahant.

Vnde commemoratæ differentiæ petendæ sint.

Ad habitus quod spectat, nulla difficultas, cùm hi naturam, conditionemque suam ab actibus consequantur; cùm enim ab ipsis producantur, consequens est, ut eam habeant naturam, qualem ab actibus recipiunt. Solùm igitur inquirendum, unde nam differentiæ speculatiui, & practici actibus ipsis obueniant.

Vnde in habitus.

Tametsi autem plerique crediderint commemoratas differentias à fine desumi debere; assentiendum tamen ijs, quibus est visum potius ab obiecto petendas esse. Quod si obiectum, & finis confunduntur ab obiecto quidem prout huiusmodi, sed non quatenus habente rationem finis.

Non à fine sed ab obiecto.

Ad hoc autem adducor, quoniam ratio practici, quemadmodum speculatiui, est intrinseca actui, quippe quæ naturam eius ingreditur; ergò originem ducet ab aliqua causa externa, quæ antecedat actum, sitque prior illo simpliciter naturâ saltem, si non tempore. Huiusmodi autem nequit esse finis, nec obiectum ut finis, siquidem hic non est causa, nisi ut amatus; at ratio practici conuenit actui præscindendo ab amore finis, cum sufficiat directio actiua aptitudinalis in actu, quæ certè habetur, siue finis moueat, siue non moueat agens ad operandum; non igitur à fine, & ab obiecto habente rationem finis.

Ratione suadetur. Prima ratio.

Deinde aut finis est causa prout extra productus, vel ut consideratus, vel ut intentus, vel ut amatus. Primum dici non potest, quoniam hunc in modum posterior est actu practico, & quodammodo effectus ipsius; sed id unde petenda distinctio debet esse prius. Quòd si secundum dicatur, consequens fit, ut obiectum non exerceat causæ munus, ut finis, sed ut obiectum, quoniam hoc pacto non habet rationem finis, quæ postulat, ut sit amatus, sed potius obiecti rationem obtinet. Nec tertium est admittendum, ut ex dictis perspicuum est.

Secunda ratio.

Rationem autem practici, & speculatiui desumi ex obiecto fit etiam inde manifestum, quoniam actus scientiæ practicæ prouenit ab intellectu, & à præmissis;

Tertia ratio.

Digitized by Google

ut intellectus utpote prorsus indifferens nequit esse distinguendi ratio; consequens igitur, ut totum id sit à præmissis expectandum, conclusio siquidem non aliunde, quàm à præmissis naturam, conditionemque consequitur; & prout præmissæ practicæ fuerint, vel contemplativæ; sic etiam conclusio practica, vel contemplativa erit; at in præmissis huiusmodi differentiæ non sunt, nisi cum dependentia ab aliquo, in quo virtute continentur; ab hoc igitur practici, vel speculativi rationem obtinebit; sed hoc nequit esse aliud, quàm obiectum proprium uniuscuiusque facultatis: ergo ratio practici, atque speculativi ab obiecto desumi debet.

Hæc illustrari possunt exemplo; Sumatur practica quædam conclusio, quæ vel erit probanda per finem, vel uti per medium, quod sit re ipsâ idem subiecto, vel per id quod à subiecto sit re ipsa distinctum. Priori modo se haberet ista conclusio. Deus est in primis diligibilis hoc discursu concludenda. Quod est summum bonum, illud est in primis diligibile; sed Deus est summum bonum; ergo Deus est in primis diligibilis; huiusmodi autem conclusio practica est ratione præmissarum, ex quibus deducitur; at verò præmissæ practici rationem habent à medio, nempè summo bono, quod in subiecto, scilicet Deo continetur.

Nec te commoueat, quòd illæ præmissæ speculationis potius naturam sapiant; non enim vertuntur circa praxim, cum nec summum bonum in primis esse amabile; nec Deum esse summum bonum à nostra voluntate pendeat; nam huiusmodi propositiones non ut sonant sunt usurpandæ; earum enim intellectus hic est, nempè summum bonum tale est, ut illud nos amoris actu prosequi debeamus; & Deus huiusmodi est; e quibus prior est practica, secunda non item; practica tamen conclusio, nempè Deus ita se habet, ut eum amoris actu prosequi debeamus, quoniam conclusio debiliorem sequitur partem. Sic igitur se habet causa distinguens practicum, & speculativum, quando medium à subiecto non distinguitur, itaut subiectum sit id, unde prædictæ differentiæ sumuntur, quatenus obiectum est, non prout induit rationem finis, quod eleganter non uno in loco apud Philosophum expressum legimus.

Hoc idem etiam contingit, quando finis à subiecto distinguitur, ut felicitas in scientia morali, quæ de homine demonstratur, & quidem per propriam eius rationem, nam huiusmodi felicitas ideò conuenit homini, quoniam eius natura talis est, nempè rationis particeps; ac proinde, ut ab ipso homine tanquam obiecto desumuntur principia: sic ab eodem practici, atque speculativi differentiæ sumuntur, adeout ab obiecto prout huiusmodi, commemoratæ differentiæ deducantur.

Si quæ verò difficultates occurrunt paucis explicabimus.

Videntur supradictæ differentiæ practici, & speculativi desumendæ à fine, quoniam, etiam Philosophi testimonio, intellectus extensione fit practicus, nempè qui speculativus est, per ordinationem ad opus, tanquam ad finem fit practicus; ergo ratio practici debet à fine desumi.

Diluitur tamen dicendo intellectum fieri extensione practicum, quatenus non sistit in contemplatione veritatis, sed per suam cognitionem tendit ad opus, quod etsi sit finis, tamen non ab eo, ut huiusmodi, sed ut ab obiecto desumitur ratio practici.

Deinde sic aliqui arguunt. Scientia practica ignobilior est speculativa, ut etiam Philosophus non semel testatur; sed hoc ideo est, quoniam practica est gratiâ usûs, etiam ut ipse loquitur, usus autem induit rationem finis, cum sit id, cuius gratia; ergo est ignobilior ratione finis; sed dignitas, siue nobilitas scientiæ pertinet ad eius naturam, ac differentiam; ergo differentia practici sumi debet à fine, unde clariùs sic licet arguere. Illud est, unde sumitur differentia practici, & speculativi in scientia, unde ipsa habet, ut sit nobilior, vel ignobilior alterâ; sed hoc est finis, quoniam est usus, qui ex Aristotele habet rationem finis; ergo differentiæ prædictæ sunt à fine sumendæ.

Occurritur dicendo usûs nomine intelligendam operationem, quæ est obiectum practicæ cognitionis, à quo tanquam ab obiecto, ut desumitur maior, & minor nobilitas cognitionis: sic inde pariter differentiæ practici, & speculativi. Solutio.

Præterea. Si obiectum est causa actûs, siue practici, siue speculativi, certè non nisi prout efficientis causæ munere fungitur; at si res ita se habet, non erit obiectum id, unde primò differentiæ sumuntur, propterea quòd agens non obit agendi munus, nisi quatenus mouetur à fine; quamobrem finis erit prima radix, unde hæ differentiæ sumendæ sunt. Tertia difficultas

Respondendum distinctionem, ac differentiam practici, & speculativi dici à nobis desumi ab obiecto tanquam à causa efficiente, velut ab eo, quod actu in natura existit, & cum effectu nunquam est idem; quod si forsan habet rationem finis, prædictas differentias ab eo desumi, ut habente rationem efficientis, rationemque finis non ut amati, sed ut cogniti, quo pacto ab obiecto non differt. Solutio.

Sic etiam occurritur, hunc in modum arguentibus. Principia practica perpetuò desumuntur à fine; ergò finis est, qui virtute includit notitiam practicæ conclusionis, atque adeo hinc desumenda differentia practici. Sic inquam occurritur, nam principia practica desumuntur ab obiecto, non ut fine amato, sed ut cognito.

Deinde si quis arguat dicendo. Inter omnes causas, finis est prima, & præcipua; ergò à fine, velut à radice desumenda omnis distinctio. Quarta difficultas

Respondendum à fine desumendam omnem distinctionem, non tamen ut amato, sed ut cognito; ab eo enim ut amato sumitur differentia bonitatis, vel malitiæ moralis; modò autem commemoratæ differentiæ desumuntur à fine non ut amato, sed ut cognito, iuxta quam usurpationem idem est, quod obiectum. Solutio.

Præterea. Illud est regula, & mensura notitiæ practicæ, & humanorum actuum, atque adeo est id, unde sumenda differentia practici, à quo habet voluntas, ut moueat, & imperet alijs potentijs; sed hoc habet à fine, ei siquidem finis uniuersè sumptus, respondet; ergò finis est id, unde differentia practici sumi debet. Quinta difficultas

Non absimili modo fit satis, concedendo scilicet maiorem de fine in ordine ad actus imperatos, qui subordinantur intentioni finis, & fini, ut amato; non autem de fine, ut cognito, quem respicit cognitio practica, quo pacto habet rationem obiecti, non finis. Et quanuis praxis, circa quam practica cognitio versatur, pendeat à voluntate; cognitio tamen ipsa præcedit voluntatis imperium, atque adeo respicere potest finem, ut cognitum tantummodo, quo pacto finis & obiectum sunt idem. Solutio.

Vlteriùs. Sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in practicis; ut igitur speculativa scientia suam desumit speciem à principijs: ita practica à fine. Sexta difficultas.

Respondendum modo quidem eodem. Solutio.

Præterea. Bonum intellectûs practici, ut loquitur Philosophus, est conformiter se habere appetitui recto, Septima difficultas

hoc

hoc est regulato à recta ratione; ergò appetitus rectus, atque adeo intentio finis, mensura est notitiæ practicæ, distinctionisque radix.

Solutio. Occurritur dicendo radicem esse in genere moris, nempè, ut cognitio sit bona, vel mala; non autem, ut sit practica, vel contemplatiua.

Octaua difficultas. Insuper de eodem obiecto dantur notitiæ practicæ, & speculatiuæ; ita quidem de eadem intellectiua cognitione datur cognitio speculatiua, qua nimirum cognoscimus, in quo consistat cognitionis natura, quæ sint eius attributa &c. datur etiam cognitio practica, quæ videlicet præscribit, cuiusmodi esse debeat, ut veritatem attingat. Sic etiam de eodem homine datur cognitio speculatiua, quâ cognoscimus quid, & qualis ipse sit; datur etiam cognitio practica, quâ cognoscimus quâ viâ sit incedendum ad sanitatem illi restituendam; ergo differentiæ speculatiui, & practici ab obiecto desumi minimè poterunt.

Solutio. Nulla hæc difficultas, nam de eodem obiecto, ut aiunt, materialiter accepto, dari quidem potest notitia speculatiua & practica, non tamen de eodem formaliter sumpto. Ita planè de intellectiua cognitione datur notitia speculatiua, quæ tendit nimirum in illam, sistens in contemplatione veritatis; datur etiam cognitio practica, quæ respicit illam quatenus est dirigibilis; sic etiam de homine &c. Optimè itaque differentiæ prædictæ sumi possunt ab obiecto, propterea quòd ratio practici sumitur ab eo secundùm unam rationem; & secundùm aliam desumitur ratio speculatiui.

Difficultas. Deindè efficientes causæ non distinguunt effectus specie, cum à diuersis specie causis possit idem effectus prouenire; at verò obiectum est efficiens causa actûs; ergò distinctio actuum minimè petenda ab obiectis.

Solutio. Fit satis respondendo obiectum esse causam efficientem actuum; sed fungi etiam munere causæ formalis externæ. Cogitandum enim quandocumque causæ specie distinctæ fuerint uniuocæ, relatas ad suos effectus, duobus modis contingere; vel uniuocatione, quæ attenditur penes esse, & penes modum essendi utriusque, diciturque tunc effectus similis causæ similitudine completa; ut cum homo gignit hominem; equus equum, quo pacto similitudo, est esse idem in forma, tam secundum esse, quàm secundum modum essendi. Vel uniuocatione, quæ attenditur penes esse, sed non penes modum essendi, cum scilicet intercedit imperfecta similitudo inter causam, & effectum, quatenus effectus est suæ causæ similis in forma, sed non in modo essendi formæ; ut cum artifex aliquod opus molitur, illud enim efficit simile ideæ, exemplarique causæ, quam mente gerit, estque similis illi in forma, sed non in modo essendi; nam opus ad extra habet esse alterius naturæ, quàm idea, cui simile illud est in esse intentionali; obiectum autem ipsum, id videlicet, circa quod vertitur cognitio, potest esse id, unde sumitur distinctio actuum, eo quòd hi tendunt in illud, velut in formalem causam externam, propterea quòd habent tendentiam ad ipsum, quod etsi sit unum, & idem, ratione tamen est multiplex, adeo ut secundùm unam rationem sit causa actûs practici; secundùm alteram sit causa actûs contemplatiui.

Difficultas. Vlteriùs. Ab eo actus nequit sumere specificam distinctionem, à quo minus dependet; & ab eo specificam consequitur naturam, à quo magis dependet; at ab obiecto minus dependet, quia saltem posset prima causa illum absoluere ab huiusmodi dependentia, si nimirum imediatè produceret actum supplendo concursum obiecti; magis autem à fine pendet, quoniam nec prima causa potest actum absoluere ab huiusmodi dependentia, cum notitia practica semper opus, tanquam finem respiciat; ergò differentiæ practici, & contemplatiui non ab obiecto, sed à fine sumendæ sunt.

Solutio. Respondendum nec etiam futurum tunc, ut actus differentiam specificam desumeret à fine, sed ab obiecto, nam si hoc deesset, aliquid tamen eius fungeretur munere, id videlicet, à quo, velut ab efficiente suum esse recognosceret actus, quodque gereret obiecti vicem.

SECTIO QVARTA.

An practicum, & speculatiuum differentiæ sint, quæ scientiæ possint accommodari.

Opinio quorundam hanc de re affertur. NEgarunt plerique speculatiui, & practici differentias scientiæ generatim sumptæ conuenire, cum existimarent scientiam omnem contemplatricem esse.

Reijcitur, & opposita sententia probatur. 6. Dicit. cap. 1. 2. Dian. c. 3. Oppositа tamen sententia propriùs videtur nobis ad veritatem accedere; ut propterea Philosophus sit illam amplexus, dum scientiam in practicam, speculatiuamque partitur dicens, ὁρῶσι δὲ ἔχειν τὸ καλλιστα τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικὴν, θεωρητικὴς γὰρ τέλος ἀλήθεια, πρακτικῆς δ' ἔργον. *Recte autem se habet, philosophiam, scientiam veritatis appellare; speculatiuæ enim finis, veritas; practicæ autem, opus*; quam diuisionem alibi quoque commemorat. Et si recte attendas, facilè comperies hanc veriorem esse sententiam, propterea quòd scientiæ non repugnat ratio practici, quod ex difficultatum solutionibus euidens fiet. Ratione suadetur, asseritur.

Prima difficultas. Quarum illa præcipua, quia scientia suapte naturâ id postulat, ut affectiones per propriam causam de re quapiam ostendat, itaut supponat affectionem re ipsâ conuenire subiecto de quo illam suscipit demonstrandam, neque id pendet à facultate cognoscentis, qui propterea non potest id efficere, nec in potestate ipsius est, ut illud possit operari, quod exemplo clariùs constabit. Scientia de homine ita se habet, ut de ipso affectiones ostendat, quæ illi ex rei natura conueniunt; nec est in potestate cognoscentis facere, ut homini passiones conueniant, adeout hominem hâc, vel illâ passione affectum esse, cognoscentis opus non sit, nec ab eius facultate pendeat. Non sic autem ratio practici, à qua habet cognitio, ut vertatur circa id, quod in cognoscentis est potestate, quodque cognoscens potest operari, quod satis euidens est discurenti per singulas practicas facultates. Ità quidem frænefactiua, quæ de conficiendo fræno edisserit; frænum enim quòd hoc, vel illo modo se habeat, à potestate cognoscentis pendet, cum possit illud variis modis ad proprium libitum efficere. Sic etiam discursus, in cuius directionem incumbit Logica in cognoscentis est potestate, adeout hoc, vel illo modo possit illum exercere; cum igitur ratio scientiæ hoc minimè patiatur, consequens fit, ut illi ratio practici repugnet. Nulla igitur notitia simul scientia, & practica esse poterit.

Solutio. Hanc difficultatem de natura Logicæ disputantes tetigimus, eiusque solutionem adumbrauimus, quam tamen hîc accuratiùs persequi iuvabit. Illud omninò certum, scilicet cuilibet scientiæ commune esse ostendere affectionem de proprio subiecto per immediatam causam; idcirco nulla potest esse cognitio, scientiæ rationem habens, nisi huiusmodi sit, quod ideo est, quoniam hæc est ultima ratio, per quam scientia constituitur. Ad probandum intentum, nempè cognitionem

Digitized by Google

nem dari posse, quæ scientia sit simul, & practica, nobis incumbit onus ostendendi hæc simul cohærere posse, & quòd cognitio demonstret affectionem de subiecto per causam, & quòd practica dici possit, nempè sit apta dirigere cognoscentem ad proprium obiectum operandum. Hoc autem non obscurè constabit attendenti, quâ ratione possimus aliquid operari tanquam aliquâ affectione præditum, quod ut explicemus ad exemplum debemus confugere, quod ab intellectûs operationibus appositè desumemus. Plurimi sunt discursus, quos potest intellectus elicere, quorum cuilibet ex rei natura conuenit propria, & peculiaris affectio demonstrabilis per propriam causam de ipso, ut discursui in *Barbara*, illud conuenit ex rei natura attributum, nempè concludere propositionem uniuersalem affirmatiuam; neque hoc pendet à nostra libertate, itaut positâ dispositione præmissarum, conclusio inde deducta possit, & non possit esse talis; sed id in nostra est potestate, ut ex pluribus discursibus, quos potest intellectus noster efficere, potius illum, qui tali est præditus attributo, quàm alium efficiat. Hoc autem sufficit ex parte obiecti, ut cognitio, quæ circa illud versatur, practica dici queat. Sat enim est, ut operatio exerceatur vi illius cognitionis, quæ practica dicenda est. Immò neque hoc necessarium, ut superiùs aduertimus, nempè operationem posse hoc, vel alio modo fieri; quanuis enim necessariò tali, vel tali modo fieri debeat, dummodo exerceri non possit, nisi dirigente cognitione, hoc sufficit ad rationem praxeos, atque adeo id sufficit, ut cognitio practica dicatur. Multo igitur magis si operatio possit hoc, vel alio modo fieri, & liberè possit exerceri. Cognitio igitur illa, quæ est de discursu in *Barbara*, quatenus nobis deseruit tanquam norma, & regula ad eliciendum huiusmodi discursum ex plurimis alijs, quos posset intellectus elicere, scientia dicetur, quatenus hanc affectionem, quod est, uniuersalem affirmatiuam concludere de discursu ipso per propriam causam, ostendit; erit itidem practica, eo quòd nobis deseruit ad huiusmodi discursum efformandum.

Nec te commoueat, quòd Philosophus videatur aliquando dixisse ad scientiæ rationem requiri, ut sit gratiâ sui, & non gratiâ alterius, cuiusmodi est notitia practica. Ibi nanque docere tantùm voluit contemplatricem scientiam, quoniam est gratiâ sui, perfectiorem esse practicâ, eoquòd sit gratiâ alterius; sic enim habet, ἡ μὲν ἐπιστημῶν δι' αὐτὴν ἕνεκεν, ἡ τε εἰδέναι χάριν αἱρετὴ οὖσα, μᾶλλον δὴ σοφία, ἢ ἡ δι' ἄλλο ἀναγκαίων ἕνεκεν, ἡ τῆς ἀρχιτεκτονικῆς, τῆς ὑπηρετούσης μᾶλλον δὴ σοφία. *Scientiarum quoque illam, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quàm illam, quæ alterum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse, & principaliorem, quàm ei subministrantem, potius sapientiam esse.* Non propterea tamen scientiæ partitionem in contemplatricem, & practicam est inficiatus, quinimò diuisionem hanc supponere cogebatur, dum in animo habebat unam cum alia, quantum ad perfectionem, conferre.

Maior est difficultas; eoquòd idem alibi diuidit facultates intellectûs in facultatem sciendi, quæ res considerat, quæ aliter se habere non possunt, quæque necessariæ sunt, & in facultatem ratiocinandi considerantem ea, quæ aliter se habere possunt, quæque sunt contingentia. Hæc enim habet, Καὶ ὑποκείσθω δύο τὰ λόγον ἔχοντα, ἓν μέν, ᾧ θεωροῦμεν τὰ τοιαῦτα ἃ ἐστιν, ὧν αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν, ἔνια δὲ ἃ, ᾧ τὰ ἐνδεχόμενα. *Atque id positum sit, duo esse, quæ ratione prædita sunt; unum quidem, quo contemplamur eiusmodi res, quarum principia, non contingit aliter se habere; alterum verò, quo contingentia.* Primam antem contemplatricem appellans, mox diuidit in *scientiam, sapientiam, & intellectum.* Secundam diuidit in *prudentiam, & artem.* Scientiam autem distinguit à prudentia, & arte; quoniam *scientia in necessario obiecto est occupata; prudentia verò, & ars in contingenti, quod nimirum aliter se habere potest*, siquidem operabile, utpotè ordinem dicens ad existentiam, æternum non est, sed variabile. Cum igitur scientiæ obiectum necessarium esse debeat, quale non est illud, circa quod cognitio practica vertitur, utique practicæ cognitioni ratio scientiæ repugnabit.

Ibidem cap. 2.

Ibidem cap. 3.

Occurritur tamen dicendo scientiæ nomine à Philosopho comprehensam fuisse facultatem moralem, quam distinguit à prudentia, dicitque versari, quemadmodum artem, & opinionem circa contingentia, non quia versentur circa singularia, nam prædicti habitus uniuersalia etiam attingunt, sed quoniam etiam uniuersalia, quæ respiciunt variationem aliquam subire possunt, nec in indiuisibili consistunt. Vt exempligratia, præscribit ars, quomodo aliquid fieri debeat, sed hoc aliquam latitudinem admittit, nempè si domificatiua præscribit modum conficiendi porticum, dicit altitudinem eius debere esse duplam latitudinis, sed hoc non tàm religiosè sumenduin, ut nec tantillùm altitudo possit excedere duplum, latitudinis, vel ab eodem deficere. Secus autem contemplatiua, quæ si doceat *triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis*, hoc intelligendum in indiuisibili positum esse, nec ullam variationem admittere. Quod autem de arte, illud idem de opinione, & prudentia intelligendum, non autem de scientia practica, quæ in hoc cum contemplatiua conuenit, ut circa necessaria versetur, quæ scilicet nullam variationem admittunt. Vt discursum in Barbara, in cuius consideratione Logica versatur, uniuersalem propositionem inferre, necessarium est, nec ulli est mutationi obnoxium.

Solutio.

In hoc autem plerosque deceptos fuisse comperio, quòd existimarint adeo proprium esse scientiæ circa uniuersalia versari, ut nulli ex reliquis intellectûs habitibus id conuenire posse crediderint; quo autem pacto sit intelligendum artem, & prudentiam in singularibus versari, paulo post explicabitur, cum de huiusmodi habitibus disputandi sese obtulerit occasio. Interim certum, ac exploratum cuique velim, differentias commemoratas practici, & speculatiui in omne cognitionis genus indiscriminatim cadere &c.

Proximum est, ut videamus, quomodo hæ differentiæ practici, & speculatiui scientiæ conueniant, an videlicet proximè scientiam uniuersè acceptam diuidant, itaut quælibet scientia practica sit, vel contemplatiua, nullaque media sit admittenda.

An inter scientiam practicã, & contemplatiuam detur aliqua media.

Et certè longè veriùs locuti sunt, qui constanter affirmarunt nullam dari scientiam, quæ non sit, vel practica, vel contemplatiua omnino dicenda. Ratio veritatem hanc illa suadet, quoniam inter cognitionem, quæ suapte naturâ potest operationem dirigere, & eam, quę non ita se habet, quæque est inepta ad hoc præstandum munus, nulla cognitio est media; hinc propterea fit, ut inter scientiam practicam, & contemplatricem, quæ sunt species cognitionis generatim acceptæ, nulla medio loco sit admittenda scientia. Quamobrem scientia quælibet, aut practica, aut contemplatiua erit. Et re verâ aptum esse, & non esse dirigere cognoscentem ad operandum, contradictionem inuoluunt, adeout simul eidem inesse non possint; non igitur inter hæc medium quidpiam adinueniri potest; cum itaque cognitio practica suaptè natu-

Assertio docẽs nullam dari mediam.

râ

vâ debeat cognoscentem ad operandum dirigere, atque adeo nequeat in veritatis consideratione sistere; cognitio verò contemplatiua nequeat, cognoscentem dirigere ad operandum, & in contemplatione sistat, veritatis; necesse est, inter cognitionem practicam, & contemplatiuam nullam medio loco dari, adeo ut omnis cognitio aut contemplatiua, aut practica esse debeat; nullaque sit ad tertium aliquod genus cognitionis pertinens; quod autem generi conuenit prout supponenti absolutè; inferioribus etiam conueniat, oportet; cum itaque cognitionis generi conueniat esse vel contemplatiuam, vel practicam; etiam scientiæ conuenire debet, adeo ut omnis scientia vel contemplatiua, vel practica sit, nec ulla dari possit, quæ neutro modo se habeat &c.

An differentię practici, & speculatiui sint essentiales, an accidentales.

Tandem se illud offert consideratione dignum, an hæ differentiæ sint essentiales, an accidentariæ tantùm existimandæ, siue instituatur sermo de scientia in actu, vel in habitu, siue de scientia uniuersa, vel de eius parte.

Varia Philosophorũ placita.

Hac in re non unus dicendi modus, propterea quòd plerique existimantes scientiam uniuersam esse aggregatione unam, crediderunt nihil obstare, quominus una, & eadem scientia practica simul, & speculatiua sit; quoniam potest constare diuersis habitibus, veluti partibus integrantibus, quorum unus sit practicus, alter autem speculativus. Hoc tamen non admittunt de peculiaribus actibus, & eorum habitibus.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Aliorum autem opinio est, qui putant eundem simplicem habitum interdum simul esse practicum, & speculativum, vel eminenter, ut quidam asserunt, vel formaliter, ut alijs placuit, è quibus nonnulli hoc ad actum etiam extendunt.

Tertia sententia.

Alij verò addunt nullam esse repugnantiam, ut idem actus successiuè ex speculatiuo fieri possit practicus.

Assertio docens cõmemoratas differentias esse essentiales.

Longè magis probatur nobis eorum consilium, qui putant has differentias essentiales esse, itaut idem actus ex speculatiuo fieri practicus minimè possit.

Ratione suadetur.

Et meritò quidem, propterea quòd ratio practici, & speculatiui sunt oppositæ differentiæ, quæ contradictoriam oppositionem inducunt; cognitio siquidem practica fertur in obiectum, ut operabile, & ex sui natũra est apta dirigere cognoscentem ad operandum, simulque respicit obiectum in ordine ad existentiam, nimirum ut illud reddat existens: Contra verò contemplatiua non fertur in obiectum, ut operabile, nec est apta dirigere cognoscentem ad operandum, neque respicit obiectum in ordine ad existentiam, quinimò ab existentia præscindit, cum non inseruiat cognoscenti ad hoc, ut possit reddere obiectum existens; ergò non poterit idem actus ullo modo esse practicus, simul & speculativus; optima consecutio, quoniam alioquin idem actus tenderet simul, & non tenderet in opus; dirigeret, & non dirigeret cognoscentem ad operandum; sisteret, & non sisteret in contemplatione veritatis; verbo dicam, contradictoria simul de eodem possent affirmari. Assumptum autem ex natura utriusque cognitionis perspicuum est. Ideo enim cognitio contemplatiua dicitur, prout à practica secernitur, quoniam cognitio sic in veritatis contemplatione sistit, ut apta non sit dirigere cognoscentem ad operandum. Oppositò autem modo practica se habet cognitio.

Quòd si nequit idem actus cognitionis simul esse practicus, & contemplativus; nec etiam idem actus scientiæ; quod enim conuenit generi etiam speciei conueniat necesse est; Si autem repugnat, ut idem actus simul practicus sit, & speculativus, repugnabit etiam successiuè, quoniam quod sui naturâ actus sibi vendicat, nunquam potest amittere. Ita fit, ut nec etiam idem actus scientiæ possit ex speculatiuo fieri practicus; nam ut nuper dictum fuit, quod generi conuenit, etiam speciei debet conuenire.

Quamdam re-sponsio.

Nec his satisfacturum te existimes dicendo superiori discursu probari quidem eundem actum formaliter contemplativum, & practicum esse non posse; non tamen ostendi talem eminenter esse, repugnare.

Refellitur

Sed hoc quàm ineptè dicatur, euidenter ex eo conuincitur, quoniam cognitioni practicum, & speculativum formaliter conuenit; si namque tendit ad opus, nec in veritatis contemplatione sistit, ut hoc illi formaliter conuenit, ita formaliter conueniat ratio practici necesse est. Et si cognitio sit gratiâ sui & in veritatis contemplatione sistat, ut hoc illi formaliter conuenit, ita etiam contemplatiui ratio conueniat, oportet.

Alterum respon.

Putant alij difficultatem propositam dilui aduertendo differentias prædictas, nempè practicum, & speculativum adæquatè sumptas eidem cognitioni repugnare, inadequatè tamen acceptas nequaquam. Hoc autem hunc solent in modum explicare, dicunt igitur practicum, & speculativum geminam considerationem admittere. Primò considerari possunt adæquatè, nempè secundum omnes conditiones, ratione quarum opponuntur; hoc pacto practicum cognitionem veritatis importat cum ordine, ac relatione ad opus: speculativum verò cognitionem itidem veritatis cum negatione relationis ad opus. Secundò possunt inadæquatè sumi, quatenus dicunt perfectiones utriusque sine mutua repugnantia, itaut speculativum importet cognitionem obiecti secundum propriam naturam, ac attributa, non exclusâ simpliciter relatione ad opus, sed tantummodo, ut aiunt, secundum quid, videlicet, ut obiectum speculatiuo modo consideratur; practicum autem cognitionem importat directricem, non absolutè exclusâ ratione speculatiui consistente in cognitione naturæ attributorum, sed secundum quid, nimirum ut obiectum practico modo consideratur. Iuxta priorem usurpationem, ex corum sententia, huiusmodi differentiæ non se compatiuntur, nec potest idem actus utramque sibi vendicare, quin potius quilibet respicit obiectum, vel adæquatè practicabile, vel adæquatè speculabile, unde est, ut adæquata dicantur obiecta. At iuxta secundam acceptionem se compatiuntur in eodem actu, cum hic plura respiciat obiecta inadæquatè, scilicet unum practicabile, aliud verò speculabile propter uniuersalitatem, aut perfectionem obiecti.

Hoc illustrant exemplo ex anima rationali desumpto, in qua perfectiori modo formaliter uniuntur gradus vegetandi, atque sentiendi, quos alioquin in brutis conspicimus omninò dispersos. Sic etiam exemplum desumi potest ex sensu communi, qui inadæquatè respiciens singulorum externorum sensuum obiecta, potest omnia percipere; secus autem singuli sensus externi, quorum nullus potest percipere obiectum aliorum, eam ob causam, quia quilibet adæquatè respicit obiectum suum.

Refellitur

Hæc tamen non satisfaciunt, quoniam notitia practica adæquatè respicit obiectum sub ratione operabilis, itaut ab hac speciem sortiatur suam. Cognitio verò contemplatiua obiectum adæquatè respicit sub ratione speculabilis, seu quatenus operabilitatis negationem præfert; non potest igitur practica notitia se extendere ad speculabile, neque contemplatiua ad operabile, nisi quis ineptè dicat nihil prohibere, quominus cognitio egrediatur fines ab obiecto adæquato præscriptos.

Neque par ratio est de anima, cùm non eodem mo-

do

do se habeant practicum, & contemplativum ad cognitionem, ac se habent gradus illi vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi ad &c. Nam practicum, & contemplativum sunt differentiæ, atqui ideo repugnantes eidem conuenire, quibus contrahitur cognitio ad species sub illa contentas, uti sunt cognitio practica, atq; contemplativa; at gradus commemorati sunt perfectiones, quæ non repugnant eidem inesse, eo quòd non sint differentiæ contrahentes communem quandam naturam.

Nec etiam exemplum adductum ex communi sensu quicquam concludit; huiusmodi siquidem sensus externorum sensuum obiecta respicit, prout in communi quadam sensibilis ratione conueniunt, à qua speciem consequitur suam. Non sic autem cognitio se habere potest, quasi valeat respicere rationem quandam communem, in qua operabile, & non operabile conueniant, quoniam illa quidem attingeret communem rationem ipsam, non tamen inferiores rationes, videlicet operabile, & non operabile; non enim cognitio generis attingit inferiora ipsius. Ea autem est causa, quoniam illa communis ratio foret adæquatè inspecta à cognitione, quæ propterea non posset transilire fines, quos illi ratio ipsa communis, velut adæquatum obiectum, præscriberet. Vt præteream non eodem modo philosophandum de potentia, ac de actu; illa siquidem nihil prohibet, ne inadæquatè plura respiciat, quemadmodum sensus communis plura sensibilia, & intellectus plura intelligibilia; actus autem non item; quod ideo est, quoniam potentia per varios actus, varia, atque diuersa attingit obiecta. At verò actus se ipso percipit obiectum suum.

Non solùm actus, verum etiam, & habitus illis respondentes, proindeque partiales appellatos, essentialiter inter se distingui dicebamus eâ ratione ducti, quoniam habitus ad eum modum se habere debent inter se, quo se habent ea, à quibus producuntur; hæc autem sunt actus, ab his enim gignuntur habitus; ut igitur actus inter se distinguuntur, sic etiam, & habitus. Sed actus practicos, & speculatiuos ostensum est essentialiter inter se distingui; ergò etiam & habitus illis respondentes eodem distinctionis genere distinguentur. Quod autem ad eum modum distingui debeant habitus, quo distinguuntur ea à quibus producuntur, vel eo nomine manifestum, quoniam ea, à quibus producuntur, sunt causæ ipsorum effectrices; (tales enim sunt causæ à quibus aliqua producuntur) sed causæ specie diuersæ, nequeunt effectus producere, nisi qui specie pariter inter se distinguantur; ergò habitus distingui debent ad eum modum, quo distinguuntur ea, à quibus producuntur.

Sed non ita ratiocinandum de integris, ac uniuersis habitibus, propterea quòd totius facultatis habitus non est, nisi aggregatione unus. Nihil ob id prohibet uniuersum habitum totius facultatis constare habitibus practicis, & contemplatiuis, itaut habitus integer partim dici possit contemplativus, partim autem practicus. Vel si alterutro modo denominetur, hoc ideo, quoniam magna ex parte contemplativus, vel practicus erit.

Nec alicuius momenti est, quod ab aliquo obijci posset. Vnitas scientiæ totius ex unitate principiorum dependet; nequeunt autem dari principia communia scientiæ practicæ, & contemplatiuæ, sed omnino diuersa sunt, unde cognitio principiorum contemplatiois ad intellectûs habitum pertinere dicuntur; practicæ autem ad synderesim.

Non est inquam alicuius momenti, propterea quòd, ut fit ex habitibus conclusionum habitus integer aggregatione unus, sic ex habitibus principiorum. Neque mirum videri debet, nam vnitas hæc optimè simul coheret cum illa diuersitate habituum, quorum aliqui sint practici, aliqui verò contemplatiui. Tametsi enim non sit mera unitas aggregationis, ut suo loco aduertimus, sed sit unitas ordinis; tamen nihil refert, cum huic, nec etiam repugnet habituum illa diuersitas, ita ut quidam sint practici, quidam autem contemplatiui. Optimè siquidem constituere possunt habitum unum unitate ordinis, quatenus contemplatiui conducunt ad practicos, atq; hi illis indigent. Vndè speculatiui dici possunt virtute practici, quatenus speculativus remotè saltem concurrit ad directionem, quæ fit à practico.

Obijciunt tamen aliqui hunc in modum, & primò quidem. Idem intellectus simul practicus, & contemplativus est; ergò non repugnabit, quo minus idem actus, & habitus illi respondens, partialis appellatus, simul sit practicus, atque contemplativus. Prima difficultas.

Dispar tamen est ratio, propterea quòd intellectus ob sui illimitationem singula illa respicit inadæquatè, non mirum proinde, si intellectus idem possit esse practicus, & contemplativus, quinimò, ut sit etiam verus, & falsus, scientificus, opinativus, & erroneus; non sic autem idem actus, vel habitus; uterque siquidem est determinatus ad unum, primariâ quidem ratione actus, secundariâ autem habitus, utpote procreatus ab actu. Solutio.

Præterea fides simul est practica, & contemplatiua, siquidem reddit propensum intellectum ad hunc actum practicum, nempè Deum amandum esse super omnia, & ad actum contemplativum, videlicet, Deum esse unum primum ens à se; non repugnabit igitur scientiam simul esse practicam, atque contemplatricem. Secunda dif

Nec etiam hæc ratio conuincit, nisi cum distinctione, si namque sermo fiat de aliquo singulari actu fidei, particularique habitu illi respondente, negandum assumptum. At si habeatur sermo de uniuerso habitu fidei, quatenus est habitus unus aggregatione ex pluribus particularibus habitibus, ultrò concedendum. Et hoc idem etiam asserendum de scientia. Solu

Deindè quandocumque virtutes in inferioribus dispersæ sunt, easdem uniri in superioribus perspicuum est, ut patet de gradibus sentiendi, vegetandique in anima rationali; ergò practicum, & speculativum, quæ sunt rationes specie distinctæ, itidemque dispersæ in scientijs inferioris ordinis, uniri debent in scientijs ordinis superioris, vel ratione perfectionis, ut est scientia de Deo; vel ratione uniuersalitatis, ut est Logica. Tertia difficultas.

Respondendum distinctione opus esse, nec absolutè concedendum assumptum, nisi quando rationes illæ non fuerint inuicem oppositæ, ut nempe gradus vegetativus, & sensitivus; secus autem, cum oppositæ sunt, ut ratio practici, & speculatiui. Cæterum non tam certum gradus prædictos in una uniri anima rationali; cum improbabile non sit huiusmodi gradus à distinctis animabus desumi; de hoc tamen alibi. Solutio.

Insuper operabilitas, & non operabilitas in obiecto non sunt essentiales, & oppositæ differentiæ; ergò nec etiam in actu, vel habitu. Quarta difficultas.

Neganda est consecutio, ad inferendam enim differentiam specificam in actibus, & habitibus, accidentaria sufficit differentia in obiectis. Ita quidem si duo sint alba, quorum unum ab alio accidentariâ tantum differentiâ distinguatur, adhuc tamen visiones ipsorum specie inter se distinguentur. Ratio autem, quoniam obiecta efficientis causæ munere funguntur, quæ quanuis accidentaliter differant, possunt effectus producere essentialiter differentes; unde differentiæ acci- Solutio.

dentariæ obiecti in esse rei, possunt essentiales esse in esse cognoscibilis.

Præterea habitus speculativus concurrit ad directionem proueniẽtem à practico; ita quidem Physica naturam animæ, & passionum eiusdem contemplatur cognitione, quæ Morali disciplinæ inseruit, & ad humanos actus dirrigendos conducit. Sic etiam eadem Physica meditatur corpus humanum, & naturam herbarum speculatur eâ cognitione, quæ Medicinæ deseruit, & ad inducendam sanitatem in humanum corpus manuducit; utque cognitiones illæ de anima principia sunt, quibus Moralis utitur ad proprias conclusiones practicas ostendendas; ita hæ sunt principia, quibus Medicus suas demonstrat conclusiones practicas; practicum igitur, & speculativum non sunt oppositæ differentiæ, cum unum oppositorum non concurrat ad constitutionem alterius.

Fit satis dicendo malam esse consecutionem, si opposita ita se habeant, ut unum virtute sit alterum, quemadmodum speculativum virtute practicum est. Bona autem consecutio, quando unum oppositorum non est virtute alterum, tunc enim unum concurrere nequit ad constitutionem alterius.

Amplius, si quis à Deo sortiretur cognitionem de producenda rosa, ita tamen, ut ei deesset facultas illam producendi; utique illa cognitio contemplatiua foret; supponamus autem eo cognitionis actu perseuerante, illum à Deo consequi facultatem producendi rosam, tunc illa cognitio, quæ alioquin speculatiua erat, euaderet practica, siquidem foret de re operabili, & cognoscens, illius cognitionis vi, posset operari; ergo cognitio aliqua ex contemplatiua potest euadere practica; quamobrem huiusmodi differentiæ practici, & contemplatiui non erunt essentiales, sed accidentariæ tantùm.

Respondendum antequam quispiam haberet facultatem conficiendi rosam, etsi haberet cognitionem de effectione illius, non propterea tamen huiusmodi cognitio dicenda esset practica; quia tametsi illa esset de re operabili, non tamen foret de illa prout à se operabili; nam ut non esset à se tunc operabilis, quia non haberet facultatem illam operandi: ita non posset esse de ea, ut à se operabili; cognosceret enim, quo pacto rosa à naturalibus causis produci posset, sed non cognosceret, quomodo ipse posset illam efficere, cum non haberet facultatem illam efficiendi, unde per illam cognitionem non attingeret modum, quo uti deberet ad effectionem illius, atque adeo illius cognitionis vi non posset rosam efficere, nec per illam cognitionem dirrigi posset ad rosam efformandam, ad quod nouam cognitionem requireret; proinde illa cognitio ex contemplatiua non euaderet practica.

SECTIO QVINTA.

De diuisione scientiæ in totalem, & partialem: & an scientia sit una simplex qualitas.

Res tractãda propo-nitur.

SCientiæ partitio nulla frequentior in scholis, quàm hæc de qua hîc habetur sermo, & cuius etiam supra meminimus cum de scientiæ obiecto loqueremur; neminem enim latet singulari nomine, non solùm assensum unius conclusionis, sed præcipuè aliquam integram facultatem, ex pluribus conclusionibus constantem appellari consueuisse. Ita quidem usu venit, ut integra Dialectica, vel Physica, vel Metaphysica &c. una scientia dicatur.

Vnde hæc scientiæ di

Hinc vulgata scientiæ distributio in totalem, & partialem, originem traxit. Totalis dicitur, quæ collectiuè plurimas conclusiones atque demonstrationes certam inter se connexionem habentes, complectitur. Partialis autem, quæ in peculiari aliqua conclusione demonstranda versatur; unde est ut scientia totalis ex pluribus, pluribusque partialibus coalescat.

Hæc autem distributio potest indiscriminatim aptari, scientiæ, tum quantùm ad obiectum, tum quantùm ad actus, tum quantum ad habitus, ut non multo antea à nobis insinuatum fuit; quandoquidem sumi potest obiectum, vel prout est adæquatum, & attributionis; vel prout est species directè sub illo contenta; sic etiam sumi potest scientia pro assensu quem intellectus exercet circa unam conclusionem; vel pro assensibus quos omnibus conclusionibus præbet; tandem sumi potest pro habitu unius conclusionis, vel pro habitibus omnium. Quòd spectat ad diuisionem ex parte obiecti, hîc nihil dicendum, nempe quo pacto quælibet scientia totalis habere debeat obiectum suum adæquatum, cùm hæc latè superiùs tractauerimus.

Si autem actualis scientia spectetur, sic se habere deprehendetur, ut ipsa totalis non dicat unum simplicem actum, qui conclusiones omnes intra latitudinem certi obiecti totalis, attingat; cùm singulis conclusionibus, singuli quidem actus distincti respondeant, proindeque scientia totalis actualis ex collectione tot actuum singularium consurgat, adeo ut non sit aliquid per se unum, sed unitatem duntaxat collectionis, & ordinis obtineat. Inde fit, ut totalis scientia actualis, quod etiam superiùs adnotatum fuit, non sit tota simul, sed successiuè secundum partes, quoniam intellectus non elicit simul omnes actus scientiæ circa conclusiones scibiles, sed successiuè, modò unum, & modò alium, quod adeo euidens, ut superuacaneum sit in eius probatione immorari. Hæc autem cum ita sint, consequens fit, ut actualis scientia totalis non se habeat veluti quædam forma accidentaria pertinens ad qualitatis genus, una quidem unitate numericâ, cum potius singuli actus talem unitatem obtineant, & uniuersa scientia aggregatione tantùm una dicimereatur. Talis est totalis actualis scientiæ natura, atque conditio.

Ardua tamen de habituali scientia totali difficultas est ab antiquis ducta temporibus; an videlicet sit unus simplex habitus concurrens ad omnes eliciendos actus, atque complectens conclusiones omnes ad uniuersam aliquam scientiam spectantes; non secus ac unus est intellectus omnes prorsus cognitionis actus eliciens, & omne intelligibile obiectum respiciens; quemadmodum etiam unus est simplex habitus diuinæ fidei circa veritates omnes reuelatas à Deo, nobisque ad credendum exhibitas: vel potius varij sint habitus distincti, tot nimirum, quot sunt conclusiones scibiles, qui diuisim, & successione quadam acquirantur, ad eum modum, quo conclusiones addiscuntur, adeo ut tota habitualis scientia non una sit simplex qualitas, sed tamen una per aggregationem scilicet, & collectionem esse dicatur.

Præsens dubitatio potius ad naturalem Philosophum de anima disputantem pertinet, cum omnibus habitibus communis sit, supponatque probè cognitum haberi, quonam pacto qualitatum intensio fiat; quia tamen initio cuiuslibet facultatis in controuersiam vocari solet, quænam vnitas illi debeatur, atque de hoc iudicium ferre non liceat nisi leuiter saltem hac dubitatione discussâ, propterea non erit à dialectico instituto penitus alienum, rem paucis in præsentia perstringere, omissis ijs de quibus erit opportunius in Libris de anima disputationem instituere. Interim diuersa Philosophorum placita referamus.

Prio

Prima est opinio dicentium scientiam esse unum simplicem habitum per primam illius scientiæ demonstrationem acquisitum, præbentem intellectui facilitatem non solùm circa demonstrationem illam, sed etiam circa omnes, quibus per quandam extensionem perficitur. Huius autem opinionis fautores dissentiunt in explicando quem in modum habitus ille ad alias conclusiones extendi dicatur, postquam per primam demonstrationem secundum essentiam acquisitus fuerit. Sunt, qui putant rem sic explicandam esse, ut ex eorum sententia in intellectu potentia sit ad sciendam primam, secundam, tertiam, cæteraque conclusiones; acquisitione autem habitûs intellectum quoad primam potentiam perfici, per secundam demonstrationem extendi ad perfectionem eiusdem quoad secundam potentiam, & ita deinceps, siue sint plures huiusmodi potentiæ in intellectu, siue una formaliter, & virtute multiplex; hoc igitur modo dicitur habitus extendi, quatenus intellectus non remanet interminatus erga secundam demonstrationem, sed terminatur per habitum cui subijcitur. Alij docent habitum extendi non per acquisitionem nouæ entitatis, sed nouarum specierum. Alijs placuit in habitu nouam entitatem admittere per secundam demonstrationem, quæ tamen non sit rationis eiusdem, cum entitate habitûs, sed modus quidam. Alijs denique visum est eiusdem omnino rationis esse, perinde ac calor, ex eorum sententia, intensione acquisitus, est rationis eiusdem cum præexistente.

Secunda est opinio eorum qui multiplicandos habitus ad conclusionum, & demonstrationum multiplicationem existimant in unaquaque scientia, ita ut quot sunt conclusiones demonstratæ, totidem etiam sint habitus ex actibus relicti naturâ, specieque distincti.

Tertia sententia est dicentium conclusiones in scientia demonstratas duplicis esse generis, prout ipsa, vel demonstrat passiones diuersas de diuersis partialibus subiectis, & harum dari habitus specie distinctos affirmant; vel demonstrat de eodem subiecto passiones diuersas, quod bifariam contingit, nempè vel successiuè distinctisque demonstrationibus, & de his statuunt dari habitus specie distinctos partiales; vel simul eodemque actu demonstratiuo, si videlicet de omnibus affectionibus una fieret propositio de prædicato copulato, ut *omnis homo est risibilis, admirativus, disciplinabilis, sciendi cupidus* &c. Item *omne triangulum ita se habet, ut uno producto latere angulus externus quolibet interno, & opposito maior sit; & ut angulus externus æqualis sit duobus internis, & oppositis simul sumptis; & ut tres anguli cuiuscunque trianguli, sint æquales duobus rectis* &c. Et hoc modo de his omnibus dari unum infimâ specie habitum decernunt.

Dicendum tamen existimo ad multiplicationem conclusionum, seu proprietatum in scientia, multiplicari habitus specie distinctos, atque adeo scientiam totalem & uniuersam non esse unum specie ac simplicem habitum, sed plures, atque diuersos.

In hanc sententiam Aristotilem abijsse ex ijs, quæ scribit hunc in modum, colligitur. Πρὸς γὰρ τὰ τοῦ ἑτέρα τῇ περὶ τῆς ψυχῆς μορίων, ἕτερον, τῷ ἡμεῖ. τὸ φρόνιμον ἕκαστον τούτων ἔχειν ὑπάρχει ἀνάγκη. Ad ea enim, quæ genere diuersa sunt, considerandâ, etiam animæ partium, unumquodque naturâ sit factum. Siquidem per similitudinem quandam atque affinitatem cognitio contingit ipsis. Docet in animo concedendas esse facultates genere diuersas, quod ita ratiocinando concludit. Res animo percipiendæ cognoscendæque, si genere differant inter se, diuersas etiam genere postulant in animo facultates; cùm omnis cognitio ex similitudine cognoscentis ac rerum cognitarum in nobis fiat; sed res animæ intelligenti ad cognoscendum propositæ, genere dissimiles, discrepantesque sunt; cum aliæ ad immutabilium, aliæ ad mutabilium ordinem pertineant; ergo facultates intelligentis animæ, quæ utrasque percipiunt, genere inter se differunt. Quod autem hucusque de facultatibus docuit, de habitibus quoque, sequentibus verbis innuit dicens, λητέον ἄρα ἑκατέρου τούτοιν τίς ἡ βελτίστη ἕξις. ἔστω γὰρ ἀρετὴ ἑκατέρου. *Intelligendum igitur est, utriusque horum quis sit optimus habitus. Hic enim est virtus utriusque.* Vtrique facultati proprium habitum assignat, adeout alium esse habitum scientiæ, & alium opinionis esse velit; ut enim facultates genere discrepantes esse volebat, eò quòd una quidem in necessarijs, altera in contingentibus sit occupata; ita se habere habitus ijsdem facultatibus adscriptos posterioribus hisce verbis affirmat. Ibidem;

Eandem quoque sententiam expressit alibi de prudentia & arte sermonem habens, ait enim. Τοῦ δ' ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν, ἔστι τε ποιητὸν καὶ πρακτόν, ἕτερον δ' ἔστι ποίησις καὶ πρᾶξις. Πεπεύσθω δὴ καὶ ἡμῖν, καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, ὅτι καὶ ἡ μετὰ λόγου ἕξις πρακτική, ἕτερον ἔστι τῆς μετὰ λόγου ποιητικῆς ἕξεως· καὶ διὸ οὐδὲ ἐγχωρεῖ ὑπ' ἀλλήλων εἶναι ταῦτα· ἥ τε γὰρ πρᾶξις ποίησις, οὔτε ἡ ποίησις πρᾶξις ἐστίν. *Eius autem quod potest aliter se habere, quiddam est in effectionem cadens, quiddam in actionem. differens verò est effectio, & actio. Credimus autem in his quoque sermonibus exotericis. Quapropter etiam habitus cum ratione agens diuersum quidam est ab habitu cum recta ratione efficiente: neque alterum continetur ab altero: non enim actio est effectio, nec effectio actio est*; quid clarius Aristoteli, quàm prudentiam & artem distingui, ex eo quia actio, & effectio distinguuntur; atque adeo in uniuersum habitus genere distingui, ex eo quia obiecta genere distinguuntur, ut scientiam, & opinionem, quia necessarium, & contingens genere discriminantur; prudentiam & artem, eo quòd actio & effectio genere distinguuntur? sed auctoritate prætermissâ, rationes adducam. 1. Ethic. cap. 4.

Prima autem, atque præcipua ratio, quâ hæc assertio probatur mihi semper est visa, in eo posita, quòd actus circa illas conclusiones specie naturâque distinguuntur; ergo etiam, & habitus ab ijsdem actibus producti specie, naturâque distinguantur, oportet; assumptum inde mihi constat quoniam actus illos, in quibus actualis scientia consistit diuersa habent specie quidem obiecta; ergo & specie pariter ipsi distinguantur necesse est, propterea quòd scientiæ unitas ex obiecti unitate desumi debet, quod Stagirites nõ inelegan- 1. Post. ter pluribus in locis docuit, præsertim cum ait. Μία δ' ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ ἑνὸς γένους. *Vna autem est scientia, quæ unius est generis*; ita ut ex distinctione obiectorum specificam distinctionem actuum inferre liceat; assumptum autem ostendo, ex eo quòd actus ad scientiam spectantes, vel sunt de affectionibus diuersorum subiectorum, vel de affectionibus eiusdem subiecti; primi quidem actus ratione passionum, subiectorum, mediorum, ac principiorum discriminantur. Secundi, vel passiones illas eodem medio, scilicet subiecti definitione, vel diuerso. Si primum dicatur, cum obiecta proxima differens specie siquidem principia integrantur ex medio & passione, atque adeo si passio diuersa est, etiam complexa principia oportet esse diuersa, utpote inde habentia speciales veritates, euidentias, & complexiones, necesse est etiam actus ipsos naturâ, specieque differre; quod etiam actibus circa conclu- Ratione suadetur. Prima ratio. tex. 179.

siones aptari potest. Si dicatur secundum, multo magis diuersitatem actuum cogimur fateri; nam si distinctio specifica concedenda, quando medium non fuerit diuersum, eo magis cum diuersum fuerit, hæc enim diuersitas ad distinguendos actus momenti plurimum habet. At verò ex eo quòd actus circa conclusiones naturâ, ac specie distinguantur, habitus etiam ab ijs productos eodem modo distingui nullo fere labore demonstratur. Tum quia habitus comparatione actuum, ad quos propensam reddit potentiam se habet ut semen; neminem autem fugit si fructus specie differunt, etiam semina specie differre. Tum quia idem est obiectum actûs, & habitûs ab illo producti; quanta igitur est distinctio, quam actus, tanta erit illa, quam habitus ex obiectis consequuntur, hoc tamen discrimine, quòd actus nullo intermedio: habitus autem medijs actibus ab obiectis distinctionem recipiunt; si igitur actus specie distinguuntur, modo non absimili distingui pariter habitus necesse est, adeout actus specie distincti, eundem specie habitum procreare minime possint. Tum quia si actus, etsi specie distincti possent eundem habitum producere, nulla suppeteret ratio, cur in intellectu plures forent habitus, nec unus tantum sufficeret; luce tamen meridianâ clarius aduersæ quoque sententiæ fautoribus adstipulantibus, non unicum in intellectu habitum esse, quin potius plures; alius enim est habitus Physiologiæ, alius Arithmeticæ, alius Geometricæ, & ita de reliquis. Tum ad extremum, quoniam actus producunt habitus, prout sunt omninò distincti, non autem prout aliquo modo similes, videlicet si non formaliter, saltem virtute; alioquin ratio nulla suppeteret, cur actus circa res arithmeticas, habitum circa res geometricas non produceret; tota siquidem ratio ex eo petenda, quòd actus quatenus naturâ inuicem dissidentes, non autem ut similes producunt habitus.

Aduersariorum responsio.

His tamen contrariam sententiam propugnantes, satisfacere nituntur, videlicet respondendo commemoratos actus specie, naturâque distingui in *esse rei* & quoad rationem subiecti formalem *quæ*; non autem in *esse scibilis*, & quoad rationem *sub qua*, quæ est vel abstractio à materia; vel ratio formalis obiecti; vel connexio, & dependentia principiorum quorundam ab alijs in eadem scientia; tametsi nanque in uniuersa scientia, quam totalem appellant, principia diuersa sint, sic inuicem tamen se habent, ut alia ab alijs præsupponantur. Ita quidem principia spectantia ad scientiæ partem uniuersaliorem, præsupponuntur ab ijs, quæ ad scientiæ partem minus uniuersalem pertinent. Scientiæ partem uniuersaliorem appello illam, in qua de communioribus disputatur; ut contra minus uniuersalem illam intelligo, in qua de minus communibus disseritur. Ita planè Physiologiæ pars uniuersalior est, quæ octo libris de Physica auscultatione comprehenditur; minus autem uniuersalis, quælibet ex alijs partibus sussequentibus.

Refellitur

Insufficientem hanc responsionem nullo quidem negotio deprehendemus accuratè considerando, quid interfit inter obiectum in *esse rei*, & in *esse scibilis*. Primum est res ipsa; secundum nil aliud quàm eadem res, quatenus est demonstratione scibilis, nam scibilitas est obiecti cognoscibilitas, non quæcunque, sed illa, quæ à modo illatiuo, atque demonstratione desumitur; quatenus igitur aliquid sub cognitionem cadit, dicitur obiectum; quatenus verò sub talem cognitionis speciem, puta sub scientiam, dicitur scibile; inspectum itaque ut res quædam est, dicitur sumptum in esse rei, acceptum autem prout sub scientiam cadit, dicitur sumptum in esse scibilis. Ex his apertè constat quàm sit insufficiens aduersariorum responsio; superior nanque difficultas vim habet loquendo etiam de obiecto in esse scibilis; conuincit enim obiecta esse distincta prout in demonstratione sumuntur, eo quòd actus specie discriminantur per obiecta distincta, habitus autem proximè per actus, remotè verò per obiecta distinctionem consequuntur; ergo necesse est obiecta etiam esse distincta in esse scibilis, ut ex proximè declaratis perspicuum est; non igitur aduersarijs licet confugere ad id, nimirum quòd actus illi specie distinguantur in esse rei, & quoad rationem subiecti formalem *quæ*, non autem in esse scibilis, & quoad rationem formalem *sub qua*, quæ est vel abstractio à materia, vel aliquid aliud; nam actus distingui debent pro distinctione obiectorum; hæc autem ut nuper dicebatur, distinguuntur in esse scibilis, eoquòd distinguantur prout sub demonstrationem cadunt; ergo actus distinguuntur etiam in esse scibilis; idcirco redit superior difficultas, ut cuique perspectum est.

Nec tutum illis asylum est abstractio à materia, ita ut in hac esse scibile consistat, adhuc enim superior difficultas vim retinet suam; propterea quòd triplex est, ex eorum sententia, abstractionis genus, vel nimirum à materia signata, & singulari, quem in modum abstractæ dicuntur res ipsæ materiales, dum in uniuersum considerantur neglectis differentijs indiuidualibus. Vel à materia sensibili in uniuersum, hoc est à materia substantiali, dum res videlicet uniuersè consideratur absque materia; quo pacto quantitas dicitur abstracta dum spectatur præcisè secundum se sine materia. Vel est abstractio à materia intelligibili, hoc est à quantitate, hæc enim etiam ab Aristotele materia intellectualis tamen consueuit appellari, dum ait, ἔστι τὰ μὲν τῶν ὕλης ἡ μὴ νοητὰ, τὰ δὲ αἰσθητὰ, *est autem materia quædam intellectualis, quædam sensibilis*. Et ut alij loquuntur. Vel res ita se habent, ut non abstrahant à materia neque re, neque ratione, hoc est à materia essentialiter sumpta. Vel ratione & non re, quia quantitas reipsâ est in materia, sed per rationem sine materia consideratur. Vel re, & ratione, ut res spiritualis naturæ; utcunque abstractio sumatur difficultatem non diluit, nam quælibet istarum inspecta in ordine ad terminum à quo fit, ut sunt singularia in prima abstractione; materia sensibilis in secunda; & quæcunque materia in tertia, licet dici posset eiusdem rationis; inspecto tamen termino *ad quem*, putà re abstractâ, est omnino rationis diuersæ, pro diuersitate rerum, quæ distinguuntur, atque diuersas affectiones, veritatesque complexas includunt; at scientiæ specificatio, sumi non debet ab abstractione ut respiciente terminum *à quo*, quoniam hæc est conceptus negativus, qui communis, & eiusdem est rationis in omnibus, adeo ut inde distinctio, siue specificatio sumi non possit; sed ut respiciente terminum *ad quem*. Quòd si per rationem *sub qua*, intelligendam velint rationem formalem obiecti, atque modum, quo ipsum considerandum suscipitur; nec difficultati sic respondendo fit satis, enim verò actus nequeunt dici ex hoc capite non distingui in esse scibilis, quoniam ex ipsa ratione formali *sub qua*, sumi quidem potest unitas quædam generica, adeo ut inde actus genere minime distingui debeant; non tamen specifica, unde est ut specie distincti dici mereantur. Tum quia etsi eadem sit formalis ratio, *sub qua*, in demonstratione tamen prout cum diuersa subiecti affectione adhibetur, diuersa principia complexasque veritates saltem ex parte constituit; quod si res ita se habet, ex ijs conclusiones deductas specie diuersas esse nemo ibit inficias,

cum

cùm pro diuersitate principiorum, conclusiones debeant esse diuersæ.

Alia aduersarioi responsio reiecta.

Nec rectè, quantum conijcere mihi licet, ad connexionem illam principiorum confugiunt, cum hinc minimè datum sit colligere actus, & habitus specie non distingui, quod ex scientijs subalternante & subalternata satis euidens redditur; enim verò sunt adeo ratione principiorum connexæ, ut subalternata, à subalternante principia mutuetur, ut cernere quisque potest in Optica comparatione Geometriæ, & in Musica respectu Arithmeticæ; insipientis autem foret asserere subalternantem, & subalternatam specie non distingui.

Principio non dependentia nõ tollit distinctionẽ virtuum inde orta.

Et in uniuersum hęc principiorum dependentia, nimirum quòd quędam ab alijs pendeant, in causâ esse non potest, ut quæ dependent, & ea quibus dependent, specie naturâque sint eadem, cum potius eorum inde oriatur distinctio, quòd mirum est aduersarijs non fuisse perspectum; quandoquidem satis obuia dependentia est, quâ ex causis subordinatis, quædam ab alijs dependere dicuntur, & nihilominus, quis adeo leuiter in erudito puluere versatus, quem prætereat inter huiusmodi causas specificam distinctionem cadere? At si ita est, cur hoc idem de conclusionis assensu relato ad principiorum assensum dicere non licebit? Specie igitur inter se distingui huiusmodi assensus, & actus etiam si inter ipsos dependentia, de qua hactenus, intercedat, fateamur oportet; quòd si naturâ dissident actus, etiam & habitus ab ijs procreatos discriminari necessum est; non igitur unus scientiæ habitus, ut aduersarij contendunt, sed ad multiplicationem actuum, multiplicantur etiam & habitus.

Secunda cõfutatio.

Secundò etiam eadem assertio probatur ex eo quia passim usu venit, ut aliquis dum primò nauat operam alicui disciplinæ, probè conclusionem primam assequatur, ac eius cognitione sic reddatur instructus, ut eiusdem habitum firmissimum acquirat, non tamen reliquarum conclusionum ad eandem scientiam spectantium, qualem utique assequutus est ille, qui in tali disciplina tam longè processit, ut uniuersam adeptus sit. Immo frequenter euenit ut aliquis retineat habitum ergà quasdam conclusiones, etsi à primis remotissimas; primas tamen amiserit, quod inditio esse tales habitus inuicem re ipsâ discriminari, diffitebitur nemo, dummodo memoriâ teneat firmissimum realis distinctionis argumentum ex reali separatione desumi.

Aduersariorum responsio.

Respondent concedendo habitum illum initio non reddere potentiam propensam ad omnes conclusiones scientiæ uniuersæ, vel propter defectum specierum repræsentantium conclusiones illas, & propter defectum applicationis, siue exercitij ipsius potentiæ; vel quia nouis actibus perficitur habitus, qua ratione idem essentialiter habitus prius erat impotens ad concurrendum, postea fit potens; hanc autem perfectionem existimant ex eo prouenire, vel quia determinat intellectum secundum aliam, & aliam potentiam; vel quia nouiter modum quendam diuersæ rationis à se ipso acquirit; vel quia per additionem entitatis eiusdem rationis, perfectior euadit.

Ex his autem responsionibus nulla quidem propositæ rationi satisfacit, vel eo nomine saltem, quòd quælibet falsò innititur fundamento, videlicet habitum talis esse naturæ, ut potentiæ facilitatem præbeat erga omnes conclusiones; nam habitus per primum actum productus, nequit aliunde, quàm ab actu virtutem recipere; quicquid enim virtutis habet, ab actu recipit; sed actus ille de quo loquimur, omnium actuum ad scientiam spectantium perfectionem includere, ac in se cohibere non potest, atque adeo nequit habitui perfectionẽ, tribuere, quàm cæterorum actus quilibet communicare potest potentiæ, nempe facilitatem quâ potentia ipsa deinceps actus similes, illi à quo fuit productus, possit elicere; ergo prior actus, nequit habitum producere, quo potentia reddatur prompta ad operandum, & à quo facilitatem ad exercitium reliquorum actuum specie distinctorum, consequatur.

Illud etiam accedit, non exigui momenti, quòd fieri potest, ut aliquis post plures conclusiones veras, & optimè demonstratas, in aliquem labatur errorem circa idem obiectum, & in eadem scientia; si igitur habitus unus & idem haberet vim tribuendi potentiæ facilitatem erga omnes conclusiones; sequeretur eundem habitum esse scientiam & errorem, nam scientia foret, quatenus veras & demonstratas conclusiones respiceret, esset autem error, prout ad erroneum actum producendum concurreret.

Aduersariorum responsio.

Non me latet ab aduersarijs dici nullum hinc incommodum, nullamque repugnantiam sequi, eoquòd id non est respectu eiusdem, sed diuersæ conclusionis. Sed quam inanis hæc sit existimanda responsio ex eo planè deprehenditur, quoniam scientia quidem & error sunt species naturâ diuersæ, ac essentialiter distinctæ contentæ sub habitu generatim accepto, non secus ac homo, & leo sub animali, ita ut habitus uniuersè sumptus per differentias diuidatur, per quas scientiæ, & error constituuntur; subinde igitur licet inferre eidem habitui prædictas differentias accommodari non posse, tanquam constituentes; quemadmodum rationale, & rugibile nequeunt eidem conuenire tanquam constituentes differentiæ; siue differentiæ habitus in ordine ad idem obiectum, siue ad obiecta diuersa dicantur acceptæ; non posse autem eidem conuenire commemoratas differentias tanquam constituentes ratio illa conuincit, quoniam idem foret in duabus speciebus constitutum, atque adeo quæ species supponuntur distingui, forent idem specie dicenda, à quo quantum veritas abhorreat, nemo est cui satis exploratum non sit.

Reijcitur.

Tametsi autem hæc in ordine ad conclusiones diuersas dicant aduersarij contingere, non propterea tamen declinant incommodum; nam actus erroneus circa secundam conclusionem, cum actu scientifico circa primam simul cohærere nequit; non igitur scientificus habitus primæ, & secundæ conclusionis idem esse potest; optimam autem illationem hanc intelliges esse, ni fallor, si animaduertas habitum scientificum conclusionis primæ, cohærere simul cum habitu erroneo secundæ, cum hoc tamen eiusdem scientificum habitum simul esse non posse.

Admisso incommodo viget adhuc difficultas.

Quod si placet admittere nullum incommodum esse, his tantum concessis in ordine ad conclusiones diuersas, non propterea tamen ex hisce cotibus contrariam sententiam tuentes enauigare possunt, quoniam hæc in ordine ad idem obiectum, eandemque conclusionem euenire fateri omnino coguntur, adeout diffiteri nequeant concedendum fore, ut id in eadem scientia comparatione eiusdem contingat; nam si quis loco erronei actus, scientificum actum exercuisset; vel si post actum erroneum respiscens, in contrariam sententiam abiret atque scientificum actum eliceret, idem plane habitus intellectum redderet propensum in conclusionem veram, atque scientificam, ita ut scientificus habitus respectu illius conclusionis dicendus esset, cum tamen prius intellectum in oppositum erroris actum reddidisset propensum, & idcirco respectu conclusionis eiusdem, idem habitus erroneus atq; scientificus foret. Superior igitur ratio suam retinet

vim

vim ad probandum, videlicet non eundem esse simplicem habitum præbentem intellectui facilitatem, ac promptitudinem ad uniuersæ alicuius disciplinæ conclusiones eliciendas.

Alia quædam in cõfutationẽ adijciũtur

Non est autem operæ pretium sigillatim allatos dicendi modos reijcere, cum vana figmenta sint, nec iuvet in eorum confutationę tempus insumere; solùm id adijcere non erit abs re, nimirum ineptè admodum ab ipsis dictum fuisse habitum illum haud expeditam potentiam reddere ad omnes scientiæ conclusiones defectu specierum illas repræsentantium; non enim à speciebus, ac imaginibus nouiter acquisitis obuenit potentiæ facilitas ad operandum, cùm ab ipsis id non sit expectandum, siquidem species, ac imagines rerum concurrunt ex parte cum potentia cognoscente ad operationum exercitium, adeo vt non ad faciliter, sed ad simpliciter operandum ijs potentia cognoscens indigeat. Et sanè intellectus nouis speciebus instructus, nouo habitu non accedente, non minorem difficultatum in posterum, quàm cum primum actum exercuit, seu in exercitio primi actûs, experta est; vt hãc autem difficultatem abijciat, nouo aliquo præter species, indiget, sine quo profectò nouæ conclusioni difficulter assensum præbet. Ad hoc autem cum exercitatio summoperè conducat, inditio est novum habitum ab intellectu acquiri, siquidem hic actuum frequentatione comparatur. Intolerabile autem est ab habitu secundum unam potentiam, & non secundum aliam operante, intellectum determinari; quandoquidem habitus utpotè naturalis causa secundum ultimum suæ potentiæ præstat quod potest, proindeque summo conatu perficit intellectum; qui cum maximè dispositus sit, nihil est in causa, cur comminiscantur ab habitu secundum unam potentiam, & non secundum aliam munus perficiendi intellectum exerceri. Ne commemorem satis ab ipsis explicari non posse, quâ ratione habitus immutatus potens euadat intellectum perficere, cùm priùs non posset, eique perfectionem conferre, quam prius tribuere non poterat; idem enim manens idem, suaptè naturâ semper idem facit. Quòd si putent non habitum novum, sed modum ipsius in intellectu acquiri, toto Cælo aberrant, eâdemque difficultate præmuntur; talis enim naturæ est modus, si verum quærimus, ut sine re cuius est modus esse non possit; hoc autem concesso, supponamus aliquem sic operam dedisse studijs, ut habitum de re quapiam exercitatione frequenti consequutus fuerit; eundem itidem supponamus amisisse facilitatem circa conclusionem primam, facilitate tamen retentâ erga cæteras; hâc datâ hypothesi, petendum ab aduersarijs unde nam erga cæteras conclusiones hæc oriatur facilitas. Insulsè dicerent à modo habitûs initio erga primam conclusionem acquisiti, propterea quòd amissâ facilitate erga illam, necesse est & habitum amissum fuisse, & idcirco modum ipsius, cum modus esse non possit, ex præmisso fundamento, sine eo cuius est modus; cum itaque nil aliud supperat, cui facilitas erga cæteras conclusiones accepta referri possit; fatendum erit ab habitu proficisci, quem intellectus eliciendo frequentes actus, circa conclusiones illas sibi comparauerit.

Confutatio altera.

At non minus à veritate alienum, quod alij commenti sunt, videlicet additum illud eiusdem esse rationis cum habitu, cui adiungitur; nam habitus ex eorum placito, nequit præbere facilitatem potentiæ ad omnes actus, nisi ratione adiuncti; ergo eodem modo se habebit quicquid habitûs naturam sapit; si igitur habitus præstare nequit facilitatem ad omnes actus, nec illud adiunctum, nec habitus ratione eiusdem adiuncti quamobrem si initio habitus potentiam ad omnes actus inclinare non poterat; nec accessione adiuncti, quod est rationis eiusdem cum ipso poterit.

Illud etiam accedit, quòd huius adiuncti causa, vel sunt actus eiusdem rationis, cum eo, à quo fuit habitus procreatus, vel rationis diuersę. Secundum dici non potest, quoniam adiunctum eiusdem rationis supponitur esse cum habitu, propterea gigni non potest, nisi ab actibus naturæ eiusdem cum ijs à quibus habitus procreatus fuit; non enim actus indiscriminatim habitum quemcunque potest producere. Nec primum dici potest, nam ab actibus eiusdem rationis cum ijs, à quibus habitus generatus fuit, magis tantùm intendi potest, ita ut si quidpiam producatur, ad eius intensionem pertineat. Quòd si fatearis per illud additum fieri habitum intensiorem, & idcircò præstare posse, quod priùs utpotè remissior non poterat; illud tibi molestum, ac explicatu difficile, quo videlicet pacto habitus intensior factus id præstare valeat; nam ratione maioris intensionis habitus, maiorem facilitatem ac promptitudinem potentiæ tribuere quidem potest ad eliciendos actus similes ijs, à quibus procreatus fuit; non tamen ad alios. Quod euidens experientia confirmat, nam si quispiam scientiæ alicuius primam conclusionem probè fuerit assecutus; ita ut frequentatione actuum intensissimum habitum fuerit adeptus, cæteris autem conclusionibus oscitanter operam nauauerit, facilitatem summam ad eliciendos actus circa primam conclusionem experietur, circa reliquas autem non item. Et contra, etiam si parum se exercuerit in prima conclusione, multum autem in reliquis; in his enim tractandis valdè se propensum cognoscet, non autem in illa; hoc est, experientiâ sibi constabit facilè, ac expeditè se posse præbere assensum reliquis conclusionibus, non autem primæ.

Non est autem laborandum in reijcienda sententia dicentium, quando scientia demonstrat diuersas passiones de eodem subiecto faciendo propositionem unam de prędicato copulato; quandoquidem unico actu repugnat huiusmodi prædicata cognosci. His igitur prætermissis difficultatum solutionem aggrediar.

Prima difficultas ex Aristotele.

Est porrò difficultas insignis ex Aristotelis auctoritate desumpta, ubi habet, ὡς ἕξις ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, ἃ ὥσπερ κεφαλὴ ἔχουσα ἐπιστήμαι ἐστὶ τιμιωτάτων. *Itaque sapientia erit intellectus, & scientia, ac veluti caput obtinens scientiam rerum honoratissimarum.* Itaque docet habitum principiorum non esse distinctum ab habitu scientiæ: quod si ita est, unus erit simplex habitus, qui & principia, & conclusiones inde deductas attingit. Et augetur difficultas, quoniam vel eiusdem Aristotelis testimonio, prudentia etsi circa plurima, diuersa specieque distincta, est una, ut Philosophus loquitur, ἅμα γὰρ τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ, πᾶσαι ὑπάρχουσι. *Simul nanque cum Prudentia, quæ una est, omnes adsunt.* Si tamen diligenter attendas, futurum credo, ut apertè cognoscas prioribus verbis nihil aduersus dicta concludi; quandoquidem Stagirites, vel sermonem habet de sapientia sumpta pro quacunque facultate, ac habitu intelligentis animæ; vel pro diuina Philosophia, cuius est principia reliquarum scientiarum demonstrare, iuxta quam usurpationem ipsa dici potest scientia, & intellectus eminenter, non tamen formaliter, & quocunque modo fuerit accepta, nunquam habitus unus specie, sed plures erunt, licet unus genere dici possit. Neque ex posterioribus verbis, quicquam colligitur quandoquidem Stagirites tantummodo Prudentiam genere, non specie unam esse contendit. Ratum igitur ex Aristotele sit habi-

Aristotelis verbis sumpta. 6. Ethic. cap. 7.

6. Ethic. cap. vltimo.

tum

tum principiorum, non esse idem cum habitu conclusionum; sed sicut actus circa principia est causa, vel se tenet ex parte causæ actûs circa conclusionem; ita habitus principij medio actu, est causa, vel se tenet ex parte causæ habitûs conclusionis, qua de re in libris de Anima disputandum.

unda Deinde sic obijci solet. Potentia est una, & nihi-
cultas. lominus in obiecta specie diuersa fertur. Ita quidem visus unico actu fertur in varios specie colores, quibus imago constat; insuper in sensibile proprium, & commune, ut in quantitatem, & candorem, quæ tamen non modo specie, sed genere differunt; nihil igitur obstabit quominus idem habitus ad actus specie diuersos intelligentem potentiam inclinet.

tio. Obuiam itur respondendo potentiam esse unam, eoquòd non à quocunque obiecto inadæquato, sed ab adæquato specificationem sortitur; non sic autem se habet habitus. Hanc autem disparitatem non multo antea tetigimus, in cuius gratiam aduertendum occurrit habitum inter potentiam & actum sibi locum vendicare; propterea quòd eadem numero potentia, potest in plures actus specie tendere; idem verò numero actus in unum numero obiectum; at idem numero habitus in plures similes actus. Cùm enim habitus debeat facilitatem tribuere, nequit id certè præstare nisi in ordine ad id in quo se exercuit potentia; non quidem ad idem numero, hoc enim impossibile; ergo ad idem specie; se exercuit autem potentia in eliciendis actibus; ergo non ad eundem numero, sed specie actum, facilitatem habitus potentiæ præstabit. De cæteris autem difficultatibus tactis commodiùs in dissertationibus de anima differetur. Interim adnotare licet non unico fortassis actu varios diuersosque colores imaginis, attingi. Quantitas autem ab oculo, non propriâ, sed alienâ, nempe illâ, quæ coloris est imagine specieve percipitur.

eiciis Aduersus tamen allatam solutionem insurges, hunc
tionis in modum instando. Virtus unaquæque moralis, puta iustitia, temperantia &c. habitus est, & nihilominus in ea tendit, quæ maximè, non modò scilicet specie, sed etiam genere distinguuntur; ergo non benè responsum fuit hoc potentiæ, non autem habitui concedendum esse.

Ad hanc difficultatem emoliendam plura dicenda forent, de quibus alibi, satis in præsentia sit ex quorundam sententia respondere, virtutem esse quidem unam specie, simplicemque qualitatem, quotiescunque rationem formalem specie unam honestatis habeat, etsi materialia obiecta diuersa sint; neque noua molestia, quam quis experitur circa aliquod obiectum, arguit distinctum habitum in voluntate, sed solùm in potentijs sensitiuis aliquid diuersitatis testatur; quæ ut clariùs intelligas, aduerte obiecta, de quibus habetur sermo, consideri vel in ordine ad rationales potentias, & hoc pacto materiali modo se habent, cum huiusmodi potentiæ, solam in ipsis formalem rationem respiciant, ac appetant, omni eorum differentiâ neglectâ; vel in ordine ad sentiendi potentias, & hoc modo sunt obiecta formalia, propter specie diuersam delectabilitatem, quam habent; hoc autem modo diuersos specie actus, habitusque progignunt; quando igitur quispiam virtutis habitu præditus fuerit, si circa aliquod obiectum difficultatem experiatur, indigebit nouo quidem habitu, non in voluntate, sed in potentia cognoscitiua, & appetitiua partis sentientis.

Fateor tamen hæc subtiliter potiùs, quàm solidè dicta fuisse; proinde longè melius difficultati occurrit dicendo virtutem omnem moralem unam esse, non specie, sed genere, nec ei maiorem unitatem deberi, quàm quæ virtuti intellectuali, nempe scientiæ debetur.

In hanc autem sententiam adducor, quoniam obiecta illa etsi dicantur induere unitatem quandam, honestatis ratione, hæc tamen unitas generica est, atque adeo habitus iustitiæ est aggregatione unus, quemadmodum habitus temperantiæ; quia etsi obiecta illa conueniant in præcipua quadam honestatis ratione, solumque materialiter differre videantur; adhuc tamen in ratione honestatis specie, differunt; Vt honestas cibi, & honestas potûs specie differunt, adeo ut conueniant in generica ratione honestatis, quam respicit temperantia, sed specie discriminentur, ita ut quis possit habere temperantiæ habitum circa cibum, non autem circa potum; atque adeo circa cibum etsi temperantiam habeat, circa potum tamen non item, sed potius difficultatem in abstinendo ab illo experiatur.

Præterea. Qui circa primam conclusionem habi- Tertia dif
tum sibi comparauerit facilius deinde assentitur se- ficultas.
cundæ, & cæteris; hoc autem esse non potest, nisi quia habitus inclinat potentiam ad actus specie diuersos; facilitas enim illa non nisi ab habitu potest oriri.

Vt huic occurras difficultati aduerte, cum dicimus Solutio.
habitum non posse facilitatem potentiæ tribuere ad actus specie diuersos, id intelligendum esse de facilitate determinata, non autem indeterminata; nam dum quis acquisiuit habitum primæ conclusionis, facilius præstat assensum cæteris non determinatè, sed indeterminatè, quatenus habitus præbens facilitatem potentiæ ad determinatè eliciendum actum circa primam conclusionem, præstat etiam facilitatem ad indeterminatè eliciendos actus similes secundum generica rationem illis, ad quos determinatè potentiam inclinat. Neque hoc mirum videri debet, propterea quòd idem habitus per concomitantiam iuvat potentiam, eique facilitatem tribuit ad actus eliciendos alterius naturæ, quatenus hi in communi generica rationem cum actibus illius habitûs proprijs, conueniunt; & quò maior est conuenientia, eo maior est facilitas, quam habitus præstat.

Est etiam non spernenda difficultas in eo posita, Quarta
quoniam per formalem rationem subiecti proprieta- difficultas
tes omnes de ipso demonstrantur; ergo unicus erit habitus inclinans ad omnes actus circa huiusmodi proprietates, eoquòd unicum obiectum sit, atque una formalis ratio, nimirum definitio subiecti.

Difficultas hæc urget eos, qui parum accurratè scien- Solutio.
tiæ naturam considerarunt, hìc enim diligenter introspectâ facillimum erit à proposita difficultate se expedire. Non est igitur cogitandum cum quibusdam, per unicam subiecti definitionem de ipso proximè proprietates omnes ostendi, in hoc enim plerosque deceptos inuenio, sed ordine quodam id fieri, ita ut prima quidem proprietas proximè, nulloque intermedio per subiecti definitionem de eodem subiecto demonstretur; ex reliquis autem proprietatibus illa, quæ remotior est à subiecti natura, per illam, quæ eidem est proximior ostendatur; talis enim est proprietatum series, ut una subsequatur aliam, omnes tamen per subiecti definitionem ostendi dicuntur, eoquòd subiecti natura, quæ per definitionem exprimitur, se habet veluti fons, à quo proprietates omnes dimanant. Sed hæc in Arithmetica, & Geometria præstantissimis disciplinis cuicunque facillimum est obseruare; in ipsis enim cernere licet, quod nuper dicebatur, nimirum in proprietatibus, vel discretæ vel continuæ

quan-

Digitized by Google

quantitatis hunc dari ordinem, ut una subsequatur alteram, & eam, quæ subsequitur, demonstrari per illam, ad quam consecutionem habet.

Quinta difficultas. Deinde sic etiam obijcies. Habitus de quibus loquimur, ex nostra quoque sententia, diuersæ sunt qualitatis species; ob id inficiari nemini licebit scientiam unam esse simplicem qualitatem.

Solutio. Sic tamen argumentando nihil conficies, cum enim dicimus scientiam non esse unam simplicem qualitatem, id non de habitu partiali, qui circa unam, vel alteram conclusionem versatur, sed de totali, cuiusmodi est scientia uniuersa, nos intelligendum volumus.

Superioris responsionis confutatio. Dices. Hoc admisso sequeretur totalem scientiam non ad qualitatis, sed ad relationis genus pertinere, quandoquidem in ordine quodam consistit, at verò ordo quædam relatio est.

Solutio. Respondeo scientiam non accipi, cum in præsens de ipsa fit sermo, pro ordine, quicquid ille sit, formaliter, sed materialiter accepto, qui non aliud est quidpiam ab ijs habitibus partialibus, ex quibus uniuersus habitus consurgit.

Sexta difficultas. Vt ad extremum probes eundem scientiæ habitum inclinare potentiam cognoscentem ad actus species diuersos, sic argues. Eadem scientia circa contraria versatur, hoc enim tanquam commune effatum Stagirites etiam admisit, dicens, *Contrariorum eadem est disciplina*; ergo unus, & idem scientiæ habitus, qui inclinat intellectum ad actus diuersos; optima quidem illatio, nam propensum reddit intellectum ad actus, qui contraria attingunt; si autem actus ratione obiectorum diuersi sunt, quæ nam maior poterit esse diuersitas actuum?

a. Top. c. 2.

Solutio. Solutio in eo consistit, quòd non eadem species cognitio, nec idem specie habitus contraria attingit, sed totalis scientia, quæ ratione partium, quibus constat, in contrarijs considerandis est occupata, quoniam omnia sumere debet explicanda, quæ aliquo modo connexa sunt, saltem in ratione scibilis, cuiusmodi sunt contraria, quæ hunc in modum connexa dicuntur, quatenus unius cognitio conducit ad cognitionem alterius; quam ob causam Stagirites dicebat contrariorum eandem esse disciplinam, nam reuerâ nunquam intellectus unius contrarij perfectam cognitionem assequitur, nisi pariter alterum perspectum habuerit.

Difficultas in gratiam dictium vnicâ propositione fieri posse de prædicato copulato. Qui autem in ea sententia versantur, ut pro comperto habeant propositionem de prædicato copulato demonstrari posse, quemadmodum id nullâ ratione suffulti pronunciarunt; ita nihil possunt obijcere, quod aliquid negotij nobis faceſſat. Iam enim opinionem illam non multo antea reiecimus, eo nomine, quòd nequeat intellectus unico actu proprietates omnes, quibus afficitur subiectum, cognoscere, ut ipsi contendunt. Nec est profecto, cur nobis molestum putent argumentum à paritate deductum, dum ita disputant. Possunt unico quidem actu proprietates omnes de subiecto per eius definitionem ostendi; ergo similium actuum frequentatione procreabitur habitus intellectum inclinans, eidemque propensionem tribuens ad eliciendos actus naturâ similes in ordine ad proprietates omnes subiecti; optima quidem illatio, cum ex unitate causæ non ineptè unitas effectûs deducatur. assumptum autem ex eo probant, quoniam, ut intellectus potest de prædicatis omnibus quidditatiuis unicam propositionem, veluti de prædicato copulato efficere; ut ex. gr. homo est substantia corporea, animata, sensitiua, rationis particeps; ita ut unico actu illam cognoscat; non dissimiliter de prædicatis in quale accidentale inseparabiliter, cuiusmodi sunt proprietates, unicam propositionem poterit efformare, tanquam de prædicato copulato, atque illud ostendere de subiecto per definitionem eiusdem, sic arguendo. Omne animal rationis particeps est disciplinæ capax, admirativum, risibile; at verò homo animal est rationis particeps; ergo homo est disciplinæ capax, admirativus, risibilis. Egregiè porrò videtur instituta paritas, quoniam proprietates non magis à subiecto, quàm quidditatiua prædicta distinguuntur.

Solutio difficultatis propositæ. Quorundam solutione veluti minus idoneâ prætermissâ, fiet satis respondendo maiorem certè distinctionem non esse proprietatum à subiecto, quàm pertinentium ad quidditatem ipsius, hoc tamen interesse discriminis magnopere considerandum, quòd ex ijs, quæ ad subiecti quidditatem pertinent, fit unum quidpiam per se, quod cætera, & idcirco proprietates ipsæ circumstant; ut propterea mirum non sit, si unico intuitu possit intellectus illa quidem attingere; hæc autem non item; illa nanque prædicata coire possunt in unum; hæc autem non possunt. Tanti refert, quæ plura sunt unitatem inducere; cum enim unico mentis conceptu percipi non valerent, unitatis opitulatione valent.

SECTIO SEXTA.

Vnde scientiæ unitas, atque specificatio sumenda sit.

Scientia prout in actu, & prout in habitu. PRimò, quod hic adnotandum occurrit est, quod aliàs aduertimus, scientiam accipi. Primò prout in actu consistit, quo pacto non aliud est quidpiam à cognitione, quam intellectus ex præmissis demonstrando deducit, proindeque nec à conclusionis notitia, quæ unitatem ab obiecto consequitur suo; quod multiplex est, prout multæ sunt conclusiones in scientia demonstratæ, siquidem obiectum, hoc est, *illud* complexum quod per cognitionem conclusionis attingitur, complexum inquam, ex subiecto, & affectione consurgens, multiplex quidem est, pro multiplicitate affectionum, quæ de subiecto ipso ostenduntur; ob id scientia hoc modo accepta non una erit, sed tot, quot sunt conclusiones, quæ in uniuersa disciplina demonstrantur, licet hæ omnes scientiam unam componere dicendæ sint, vel ratione subiecti, vel ratione alterius, quicquid illud credatur, penes quod attendi debet unitas totius scientiæ. Secundò prout in habitu consistit, eo vel maximè, si scientia sic accepta non una sit simplex qualitas, sed potius una aggregatione, & connexione quadam ordinis, quod probabilius duximus; & iuxta hanc acceptionem cum quidam sit habitus, quædam est qualitas ex frequentatis actibus in intellectu producta, itaut actus frequenter eliciti qualitatem in intellectu progninant, à qua hic redditur promptus ad similes actus deinceps eliciendos. Hæc porrò qualitas ex actuum frequentatione producta, habitus nuncupatur, à quo facilitas ad operandum prouenit. Huiusmodi autem qualitatem concedendam in intellectu conabimur demonstrare oportuniori loco, ubi de anima sermo nobis futurus est; hoc igitur supposito, nobis in præsentia discutiendum tantummodo unde nam eius unitas desumi debeat, qua in re tres præcipuæ sententiæ referri solent, quarum.

Prima est dicentium non nisi unam scientiam uniuersam ex rei natura reperiri, quæ ex pluribus partibus coalescat & solùm hominum arbitrio in plures scientias

Prima

Digitized by Google

bus divisa sit, quarum quælibet existimari integra debeat. Iuxta hunc dicendi modum universa quædam erit statuenda disciplina, quæ non solùm ens universè meditetur, sed etiam secundum varias, atque diuersas sui partes ad inferiora sub illo contenta, descendat; adeo ut omnes saltem contemplatrices, quarum quælibet integra quædam disciplina existimatur, nil aliud sint, quam ipsius universæ disciplinæ partes.

Alij verò contrariam opinionem amplectentes putarunt nihil intolerabilius, quàm unam modo prædicto statuere disciplinam.

Alij tandem mediam sententiam amplectendam crediderunt, existimantes quanuis scientiarum saltem speculatiuarum unitas, de rebus omnibus negligenda non sit, non inconsulto tamen in plures integras scientias fuisse diuisam, quarum quælibet speciatim aliquid considerandum assumat, adeout tanquam integræ, non sine fundamento ex consideratis rebus desumpto, inter se distinguantur, eæque sint Metaphysica, Physica, atque Mathesis.

Posse autem unam statui scientiam uniuersam de rebus omnibus constantem, ex omnibus scientijs saltem contemplatricibus, tanquam ex suis partibus integrantibus, ex eo planè conuincitur, quoniam si statui potest scientia, quæ vertatur circa id, in quo omnia considerata à singulis scientijs, saltem contemplatricibus conueniant, illa quidem una erit, cuius partes integrantes, prædictæ scientiæ erunt, siquidem unius scientiæ partes integrantes sunt illæ, quæ meditantur ea, quæ continentur sub illo, in quo una illa scientia versatur. Sed nihil prohibet, quo minus detur scientia de eo, in quo conueniunt omnia considerata à reliquis scientijs; nihil enim prohibet, quominus scientia statuatur de ente, in quo omnia considerata in reliquis scientijs conueniunt; atque adeo, quominus detur scientia una, cuius saltem scientiæ contemplatrices sint veluti partes integrantes.

Quia tamen inde non exigua oriretur confusio; propterea non inconsultò factum fuit, ut illæ partes, quatum quælibet contemplatur aliquid sub ente remotiùs tamen contentum, tanquam integræ scientiæ distinguerentur ab ea, quæ commune illud, & proximè sub eo contenta meditatur. Ita fit, ut Metaphysica consideret ens, descendat tamen ad quædam proximè sub illo contenta; reliquæ verò duæ, Physica scilicet & Mathesis in eorum consideratione versentur, quæ pariter sub ipso ente, remotiùs tamen continentur. Quod eo vel maximè consentaneum erat, quoniam fundamentum est in rebus ipsis, ut prædictæ unius scientiæ partes, tanquam integræ scientiæ statuantur inter se distinctæ, adeo ut non temerè illa tripartita speculatiuarum scientiarum diuisio in Metaphysicam, Physicam, & Mathesim fuerit instituta.

Quodnam autem sit huiusmodi fundamentum, & unde petenda sit unitas, atque specificatio unius cuiusque ex ipsis proximum est, ut explicemus. Si præmiserimus tamen geminam in unoquoque habitu, atque adeo in scientia posse unitatem assignari.

Omnes quidem è Peripatetica schola retinentes traditam à Philosopho scientiæ contemplatricis partitionem in Physicam, Metaphysicam, & Mathesim conantur hoc explicare dicendo competere quidem obiecto rationem quandam formalem in genere obiecti, siue in ratione scibilis, per quam constituatur obiectum scibile, & hanc rationem esse abstractionem à materia, eoquòd cùm intellectus humanus potentiâ sit immaterialis, intelligit per abstractionem à materia ad differentiam sensûs, qui res attingit sensibiles, prout immersas in materia; cumque materia sit radix mutationis, & contingentiæ, aiunt res per abstractionem à materia fieri certas, & necessarias. Hanc verò abstractionem appellare consueuerunt *rationem formalem sub qua*, nempè sub qua obiectum est scibile, atque adeo à diuersis gradibus abstractionis, iuxta eorum placitum, scientiarum distinctio petenda est, & hunc in modum ratiocinantur.

Supponunt autem hîc agi non de unitate numerica, sed tam de generica, quàm & maximè de specifica; cùm enim plures scientiæ inter se genericæ, nonnullæ etiam specificæ conueniant, venandum est, unde utraque unitas desumatur, in cuius gratiam aduertunt duplicem esse rationem formalem obiecti, aliam illius, ut res est, alteram eiusdem, ut obiectum est. Tum quia subiectum, circa quod vertitur scientia, spectat ad genus entis, & ad genus scibilis, est enim talis res, & taliter scibilis; sed absque forma nequit dari constitutio in aliquo genere; assignanda propterea est forma constituens obiectum in esse rei, quæ ab ipsis dicitur *ratio formalis quæ*, & concedenda est quoque forma, per quam constituatur in esse scibilis, quæ dicitur *ratio, sub qua*. Tum etiam quia res, quæ in esse entis est una, potest esse multiplex in esse scibilis; quod illustrant exemplo rotunditatis terræ, huius enim rotunditas tam ab Astronomo, quàm à naturali Philosopho consideratur. Quandoque verò ea, quæ in esse entis sunt plura, possunt esse unum in esse scibilis, ut de Metaphysicæ obiecto perspicuum videtur, sub quo res diuersissimæ comprehenduntur; unde concludunt res non constitui in esse scibilis per id ipsum, per quod constituitur in esse entis, sed geminam esse formam necessariò agnoscendam. Prima quorundã suppositio

Supponunt ulteriùs unitatem, & distinctionem scientiæ desumendam esse ab obiecto, non *in esse rei*, sed *in esse scibilis*, & quatenus obiectum est, eo quòd possunt esse plures scientiæ de eadem re, vel contra unus, & idem habitus valet res innumeras attingere; ita fit, ut distinctio scientiarum desumenda non sit ab obiectis materialiter sumptis in esse rei, sed formaliter acceptis in esse scibilis. Ex eorum autem sententia, ut obiectum unitatem specificam in scientiam transfundat, debet præhabere unitatem eandem, quoniam specificatum ideo est unum, quia specificativum est unum, proinde nequit esse magis unum, quàm specificativum ipsius; ut igitur scientia habeat unitatem specificam ab obiecto, in eo esse eadem unitas debet. Atque adeo quærendum supereſt id, quod se habet tanquam forma constituens obiectum in esse scibilis, per quam scilicet ea, quæ in esse rei distinguuntur specie, aut etiam genere, fiant unum specie in esse obiecti, seu in esse scibilis, nec valeant unitatem specificam scientiæ communicare, nisi hanc unitatem consequantur. Duo autem esse putant, quæ huic obiecti constitutioni deseruire possunt, scilicet abstractionem eius à materia; & medium, siue principium, per quod obiectum illuminatur ob eas, quas inter obiciendum rationes adducam. Secunda suppositio

Supponunt interim triplex genus scibilis designari posse, iuxta triplicem materiam, à qua præscindit obiectum, nempè singularem, sensibilem, & intelligibilem. Prima igitur ex eorum placito est abstractio à materia signata, & singulari; nomine singularis materiæ intelligendo quicquid pertinet, vel ad singularitatem rerum sensibilium, ut hæc albedo, hæ carnes, vel ad singularitatem unius cuiusq; rei. Quamobrem illa scientia dicetur abstrahere à materia singulari, quæ considerat res sensibiles abstrahendo à singularitate earum, ut hominem cum carne, sed non cum hac, aut illa carne, & huiusmodi aiunt esse abstractionem Tertia suppositio.

naturalis Philosophiæ, quæ consequenter habet infimum abstractionis gradum, quoniam hunc, ut minimum, quælibet scientia requirit. Rectiùs dixissent huiusmodi gradum esse abstractionem à singularitate, ut sic præscindendo ab eo, quod sit singularitas rerum sensibilium, vel aliarum, hæc enim est abstractio, quam quælibet scientia dici potest requirere. Materia autem sensibilis consistit in qualitatibus, quæ sunt obiectum sensuum, ut color, odor &c. unde illa scientia abstrahit à materia sensibili, quæ considerat obiectum sine his qualitatibus; huiusmodi sunt Mathematicæ, quæ agunt de quantitate non curando, an sit alba, vel nigra &c. Concernunt tamen materiam sensibilem, cui quantitas inest, atque adeo habent secundum abstractionis gradum.

Materia verò intelligibilis est ipsa substantia corporea, quæ sic appellatur, quia solo percipitur intellectu, ut propterea illæ scientiæ abstrahant à materia intelligibili, quæ de rebus agunt, quæ sine materia esse possunt; vel quia illam positiuè excludunt, ut Deus; vel quia secundum se illam necessariò non concernunt, ut ratio entis, & substantiæ; item actûs, & potentiæ; & huiusmodi est Metaphysica, quæ propterea summum obtinet inter naturales scientias abstractionis gradum. Vnde concludunt triplex genus scibilis excogitari posse, videlicet naturale, mathematicum, & metaphysicum.

Alij sic rem explicant, ut dicant triplicem esse abstractionem. Prima quarum est abstractio à materia signata, & singulari, quo pacto abstrahunt res ipsæ materiales generatim acceptæ, nam saltem abstrahunt à materia singulari. Secunda est abstractio à materia sensibili in uniuersum, hoc est à materia substantiali, etiam uniuersè sumpta, quo pacto abstrahit quantitas considerata præcisè secundum se absque materia. Tertia est abstractio à materia intelligibili, quam quantitatem ipsam vocari etiam ex Aristotele docuimus, eo quòd est subiectum aliorum accidentium, & materialium qualitatum, dicitque multitudinem, & compositionem partium; intelligibilis verò dicitur, quia quatenus abstracta potest quidem intelligi, non autem sentiri, quo pacto abstrahunt ab omni materia res spirituales, quippe quæ nec habent materiam substantialem, neque per quantitatem extenduntur. Hunc in modum abstrahunt prædicata trascendentia, atque communia rebus immaterialibus, atque materialibus. Res autem, quæ abstrahunt à materia intelligibili, supponuntur etiam abstrahere à materia sensibili, & signata; quæ verò abstrahunt à materia sensibili, supponuntur abstrahere à materia signata.

8. Diuin. Tex. 15. 16.

Hic idem triplex abstractionis gradus alio loquendi modo solet designari. In primo gradu dicuntur res non abstrahere à materia, nec re, nec ratione, nimirum à materia essentialiter sumpta. In secundo gradu dicuntur abstrahere ratione, & non re, quoniam quantitas re ipsâ quidem est in materia, sed per rationem consideratur sine materia. In tertio gradu dicuntur abstrahere re, & ratione, quia res spirituales re ipsâ carent materiâ, & prædicata illa uniuersalia possunt re verâ inueniri sine materia, in iisdem scilicet rebus spiritualibus. Nec dari putant quartum gradum abstractionis, quo res abstrahant re, & non ratione, quoniam quòd ex rei natura caret materia, non concipitur ab intellectu in materia, siquidem intellectus potius resà materia denudat.

Ex hac triplici abstractione secundo modo explicata, tres illas scientias distingunt Physicam, Mathesim, & Metaphysicam. Physica considerat res abstrahentes à materia tantùm signata, propterea quòd agit de rebus materialibus generatim acceptis. Mathesis autem ulteriùs abstrahit à materia sensibili, quoniam agit de quantitate per se sumpta. Metaphysica tandem abstrahit etiam à materia intelligibili, quoniam agit de rebus spiritualibus, ac de illis communibus prædicatis edisserit quantitate neglectâ. Deinde Mathesim in plures scientias integras ex diuersis etiam abstractionis gradibus distinguunt, qui intra illam abstractionem distingui patiuntur. Quinque enim Mathematicæ disciplinæ assignantur *Aritbmetica*, *Geometria*, *Perspectiua*, vel potius *Optica*, *Musica*, & *Astronomia*, quibus aliqui addunt *Geographiam*, quæ terrarum orbem describit, & alij alias.

Iuxta priorem supra traditum modum abstractionem hanc explicandi, ita scientiæ distinguuntur. Theologia dicitur à cæteris genere distingui, quia peculiarem habet, & excellentiorem abstractionis modum; nam non solùm, ut Metaphysica excludit ab obiecto suo materiam corpoream, sed etiam compositionem ex actu, & potentia, quam compositionem Metaphysica admittit; accedit quòd hæc de abstractione doctrina intelligenda de scientiis, quæ procedunt ex eodem lumine se tenente ex parte potentiæ, tunc enim, quæ fuerint eiusdem abstractionis, erunt eiusdem generis, ut sunt naturales scientiæ. Theologia autem procedit ex lumine supernaturali diuinæ reuelationis, propterea distingui debet ab omni scientia naturali, quantumuis cum aliqua, videlicet cum Metaphysica in abstractione conueniat. Deinde unitas specifica scientiæ desumitur ex principiis, quæ deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem; sed omnia principia Theologiæ intra propriam eius abstractionem deriuantur ex alijs, cum omnia tandem resoluantur in diuinam reuelationem, propterea Theologia secundum omnes sui partes est unus habitus specie.

At de scientijs naturalibus si sermo fiat, ita ratiocinantur. Metaphysica abstrahit à materia intelligibili; ergo genere distinguitur à Mathematica, naturalique Philosophia, quæ solùm præscindunt à materia sensibili, & singulari; cumque omnia principia, ex quibus Physica procedit, resoluantur in principia entis naturalis, quod est obiectum illius, consequens fit, ut omnia sint eiusdem speciei, atque adeo in habitum refundent unitatem specificam. Sub eodem genere Logicam collocandam existimant, velut illam, quæ ab omni materia abstrahit, ut Metaphysica. Specie tamen ex eorundem sententia differunt, quoniam neutrius principia deriuantur ex alijs, vel ex alterutris, sed Metaphysica procedit ex principijs entis realis: Logica autem ex principijs entis rationis, quæ sunt omnino diuersa in genere scibilis, licet deriuentur ex principijs entis in communi.

Philosophia naturalis genere distinguitur à Metaphysica, & Mathesi, quoniam eius obiectum vendicat sibi peculiarem, & infimam abstractionem, scilicet à materia singulari. Videtur esse habitus unus specie infimâ, quoniam eius omnia principia resolvuntur ultimò in materiam, & formam, siue in mobilitatem radicalem, quæ est ratio sub qua illius.

Ex Mathematicis aliæ sunt extremæ, & aliæ mediæ. Illæ agunt de quantitate abstrahendo ab omni, solâque materiâ sensibili, unde distinguuntur genere à Metaphysicâ, & naturali Philosophia, cuiusmodi sunt Arithmetica, quæ de quantitate discreta disputat; Geometria verò, quæ continuam quantitatem contemplatur, & utraque est una specie atoma ob unitatem specificam mediorum, seu principiorum, per quæ procedunt, quæ quidem media unitatem hanc

for-

Digitized by Google

fortiuntur, eoquòd procedant ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem, & utraque resoluit omnia ad suam primam radicem, ut Arithmetica ad unitatem, Geometria ad punctum, atque adeo principia utriusque deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem, hoc enim modo sunt unum in formali ratione illuminandi, proinde sunt eiusdem speciei, atque adeo scientiæ, quæ ipsis utuntur; sic Arithmetica est una specie, Geometria etiam est specie una, & quidem utraque specie infima.

Mathematicæ autem mediæ sunt, quæ procedunt ex principijs Arithmeticæ, & Geometriæ, & quæ non abstrahunt à materia sensibili, ut Musica, Optica, Mechanica &c. quæque subalternantur Mathematicis extremis, de quibus asserendum putant eiusdem esse generis cum naturali Philosophia, quoniam huiusmodi scientiæ prima principia etsi mutuentur ex Mathematicis extremis, nihilominus id, quod simpliciter, & in recto rationem habet obiecti, & est materia, circa, quam comparatione ipsarum, est materia naturalis, & sensibilis; ut sonorum in Musica; & visuale in Perspectiua, quæ solùm abstrahunt à materia singulari; ob id à Mathematicis extremis genere distinguuntur.

Controuertitur autem ab ijsdem, an Mathematicæ mediæ sint duæ tantum, an verò plures. Et communior apud ipsos opinio est duas esse duntaxat, quamuis pluribus nominibus significatas, easdemque subalternatas esse duabus extremis, itaque Musica ex horum sententia nil aliud erit, quàm Arithmetica naturalis, quippe quæ, subalternata Arithmeticæ, applicat eiusdem principia corporibus sonoris. Altera verò, quæ ex principijs Geometriæ procedit ad alias res sensibiles, Geometria naturalis poterit appellari, quæ prout huiusmodi principia applicat lineis visualibus, dicitur Optica, terræ Geometriæ, aquę Hidrographia, & sic de reliquis.

Illud autem eos in hanc sententiam adducit, quia non potest esse noua, & diuersa species scientiæ, ubi non est distincta ratio, sub qua; sed eo ipso, quòd scientia procedat ex principijs exempli gratia Geometriæ, quantumuis illa diuersis materijs applicet, habet unam, & eandem rationem, sub qua, videlicet ipsa principia, per quæ constituitur obiectum in esse scibilis; ergo omnis scientia procedens ex illis principijs est una in specie infima.

Sed iuxta secundum explicandi modum rem ita perstringunt. Dicunt enim quinque illas Matheseos partes designari iuxta diuersos abstractionis gradus, quoniam Geometria considerat quantitatem continuam, Arithmetica verò discretam, puta numerum, unde abstrahit ab illa materiali continuitate partium, quam continua quantitas dicit. Aliæ tres quodammodo applicant principia abstracta mathematica rebus sensibilibus, idcirco minus abstrahunt à materia; & ob id mixtæ quodammodo dicuntur, veluti mediæ inter puras Mathematicas, & Physicam.

At neque abstractionem à materia, nec diuersitatem principiorum primam esse radicem unde scientiarum distinctio desumi debeat, proximum est, ut hîc à nobis planum fiat.

Et primò quidem abstractio illa à materia signata non est ratio apta constituere obiectum scibile, nec quicquam iuvat ad scientiam, sed omnino per accidens quæcumque abstractio sit illa iuxta triplicem modum iam assignatum. Non quidem abstractio à materia signata, & singulari; intellectus enim optimè quidem intelligit res etiam concretas in materia singulari. Nec refert, quod dici solet, de singularibus non dari scientiam; id enim hoc sensu usurpandum, scientiam nimirum non esse propriam de uno, aut alio singulari, eoquòd sit de prædicatis communibus; non propterea tamen fit, ut de singularibus ipsa non sit; si nanque alicuius singularis nobis innotesceret prædicata propria, nihil obstaret, quominus de ipso propriam itidem scientiam haberemus; nam de huiusmodi singulari nobis liceret cognitionem comparare, quâ affectionem per propriam causam de ipso ostenderemus.

Abstractio à materia sensibili.

Nec etiam abstractio à materia sensibili in uniuersum, hoc est à materia substantiali, quoniam intellectus res in huiusmodi materiam immersas attingit, ac de ipsis scientiam acquirit. Immò faciliùs intelligit res materialis, quàm spiritualis naturæ, tantum abest, ut abstractio ab huiusmodi materia constituatur obiectum scibile, quod intelligendum de materia sensibili quomodocumque explicata.

Abstractio à materia intelligibili reijcitur.

Nec etiam tandem materia intelligibilis, utcumque explicata apta est constituere obiectum scibile, cum de hac quoque intellectus scientiam assequatur. Nulla igitur ex his abstractionibus obiectum constituit scibile. Intellectus quidem intelligit per abstractionem à materia, non tamen per abstractionem obiecti terminantis cognitionem, sed potius per abstractionem specierum intelligibilium, quæ spiritualis debent esse naturæ.

Hæ abstractiones nõ conferunt ad certitudinem.

Posset quispiam suspicari per huiusmodi abstractiones haberi certitudinem, atque necessitatem requisitam ad obiectum scientiæ, quæ de rebus necessarijs esse debet, cùm alioquin certa, & necessaria cognitio esse non possit, qualis profectò scientia esse debet. Sed nulla suspicionis occasio, propterea quòd propositiones tàm certæ, ac necessariæ de rebus materialibus, & singularibus, quàm de rebus spiritualibus, & uniuersalibus fieri possunt. Quemadmodum contra, propositiones accidentales contingentes, atque mutabiles non minus de rebus spiritualibus, quàm de materialibus fieri possunt, ut quod aliqua ex substantijs separatis modo intelligat, modo non intelligat.

Mathesis non benè per abstractionem à materia sensibili statuitur.

Illud etiam accedit, quod speciatim Mathesis non benè per abstractionem illam à materia sensibili utcumque explicata à Physica, & Metaphysica distinguitur; Mathematicæ enim disciplinæ non curant, an quantitas distinguatur à substantia, vel sit ipsa substantia; an sit talibus, vel talibus accidentibus induta, vel non; sed non minus subsistunt, etiamsi quantitas esset ipsa substantia, & esset his, aut alijs accidentibus affecta. Et quidem Arithmetica, quæ in numeri consideratione versatur, doctrinam suam tradit æquè communem multitudini quarumcumque rerum, etiam spiritualium, atque adeo abstrahit ab omni materia, & tamen à Metaphysica distinguitur. Contra vero Optica, & Musica per se edisserunt de quantitate quatenus sensibili, & prout est in materia sensibili, affectiones obiecti visibilis tractat, & soni spectantis ad auditum, & tamen à Physica distinguuntur, ut non immeritò quidam ex antiquis Mathematicis, Mathesim in duas distinxerint partes, quarum una, videlicet Arithmeticâ, & Geometriâ, & altera reliquis Matheseos partibus circa res sensibiles, constaret; non igitur abstractio à materia Mathesim à Physica, Metaphysicaque distinguit.

Iterum idem ostenditur.

Præterea si per hanc abstractionem scientiæ distinguendæ forent, cum intra eandem abstractionem plures abstractionis gradus sint admittendi, etiam plures integræ facultates intra eandem abstractionem admittendæ forent, videlicet plures integræ scientiæ Mathematicæ, plures Physicæ, & plures Metaphysicæ.

Aduersariorum responsio reijcitur.

Et quanuis ab aduersarijs hoc nullum reputetur incom-

Aduersariorum responsio reijcitur.

incommodum, eò quod in Mathematicis id minimè negandum videatur, cum in ipsis si non plures integras facultates genere, saltem specie distinctas fateri necesse sit; in Physica verò, ac Metaphysica, nec ipsi concedunt, cum tamen concedere tenerentur, eoquòd intra utramque abstractionem plures sint abstractionis gradus; ita quidem animal magis abstrahit à materia, quàm stirpis, seu planta; & homo ratione animæ, magis elongatur à materia, quàm animal brutum. Itaque plures integræ scientiæ Physicæ penes hos varios abstractionis modos intra limites physicæ abstractionis distinguendæ forent. Et multo magis in Metaphysicis; alius enim est modus abstractionis rerum spiritualium à materia, & alius abstractionis prædicatorum communium; unde si penes diuersum abstractionis modum integræ scientiæ distinctionem sortirentur, non satis intelligo, cur duæ non statuantur integræ Metaphysicæ, quorum una de prædicatis communibus disputet; altera verò de rebus tantummodo nullum habentibus cum materia commercium edisserat.

Nec modus abstractionis accersitis principijs sufficit.

Modus autem distinguendi scientias per abstractionem à materia accersitis medijs, atque principijs, per quæ ad conclusiones proceditur, nec etiam sufficiens. Tametsi enim medium in ipsis principijs sit ratio formalis obiecti scibilis mouens intellectum ad scientificum assensum conclusionis; tamen hæc ratio non sufficit ad distinguendas scientias, de quibus loquimur. Hic enim sermo fit de scientijs integris, & illa distinguendi ratio, facit solùm ad distinguendas scientias partiales, ut aiunt. Manifestum enim assensus scientificos distingui non modo, quando sunt circa distinctas conclusiones, sed etiam si sint circa conclusionem eandem ex diuersis principijs, & medijs deductam. Quilibet enim assensus scientificus essentialem dicit ordinem, & ad conclusionem, tanquam ad obiectum cognitum; & ad præmissas, siue medium tanquam ad rationem cognoscendi conclusionem pendentem ab illa. Immò sæpè accidit, ut maior sit ex medijs distinctio circa conclusionem eandem, quàm sit in actibus circa conclusiones diuersas. Nam ex uno medio circa conclusionem eandem, gigni potest opinio ex alia autem scientia, at si duæ sint conclusiones duæ poterunt esse scientiæ, quæ non adeo inter se differunt, quemadmodum opinio, & scientia. Accidit igitur maiorem esse distinctionem ex medijs circa conclusionem eandem, quàm sit in actibus circa conclusiones diuersas. Cum in integra igitur scientia varia extent principia, variæque conclusiones, quarum distinctio desumitur à principijs, ut nuper dictum fuit, omnes tamen ad integram quandam pertineant disciplinam ab alijs distinctam. Explicandum superest unde habeant, ut prædicta principia, & conclusiones ad unam, vel aliam integram scientiam spectent, & integra ipsa scientia ab alijs distinguatur, cum ad id abstractionem à materia minimè sufficere demonstratum fuerit.

Verbo dicam, atque difficultatem paucis perstringam; assignandum est id, unde principia unius scientiæ à principijs alterius distinguantur. Non enim rectè dicitur id abstractionem esse à materia, quoniam huic adduntur principia, cum aduersarij dicant præter abstractionem à materia, respicienda esse principia, quasi hæc aliquid addant ad disciplinas distinguendas; at si principia per abstractionem ipsam distinguerentur, nihil noui adderetur, sed abstractio tantummodo repeteretur, quod est in nugationem incurrere.

Assertio vnde scientiæ.

Præstat igitur dicere scientias uniuersas, ac integras distingui ex diuersitate obiectorum, quæ considerantur, siue rationum formalium, secundum quas considerandæ suscipiuntur; quando tamen hæc tanta est diuersitas, ut obiecta seu eorum formales rationes, & conclusiones de ipsis demonstratæ, non habeant per se connexionem, siue affinitatem, ratione cuius possint per modum unius aggregati coniungi.

Hoc adeo certum, ut illud ostendere operosum non sit; scientiæ enim essentialiter per ordinem ad obiectum constituitur, sumptum secundum formalem rationem, quod tam de partialibus, quàm de totalibus scientijs intelligendum, hinc igitur scientiarum petenda distinctio.

Non omnis tamen diuersitas obiectorum, rationumque formalium ad hanc inuchendam scientiarum totalium distinctionem sufficit; alioquin tot forent integræ, totalesque disciplinæ, quot species adæquati obiecti; sed tanta requiritur diuersitas, ut non patiatur connexionem, omnemque tollat affinitatem inter ea, de quibus disseritur, ut propterea non admittant eundem tractandi, ac differendi modum. Alioquin, si ita se habeant, etiam si rationes formales aliquo modo differant, ob eam tamen affinitatem, ratione cuius eundem tractandi modum admittunt, in unum adæquatum obiectum conuenient, & ad integram unam scientiam spectabunt.

Ita quidem se habent ea, nempe res materiatæ, quæ ad Physiologiam spectant. Omnes enim conueniunt in communi conceptu corporis naturâ constantis; vel ut alijs placet, substantiæ finitæ naturalis; vel saltem ad istud commune primariò consideratum reducuntur, secundum illam formalem rationem naturalitatis; quoniam quicquid in huiusmodi disciplina considerandum suscipitur, vel sunt principia, causæque, vel affectiones commemorati obiecti, & eorum, quæ sub ipso tanquam subiectæ partes continentur, in quo eorum affinitas consistit, ratione cuius eundem admittunt tractandi modum, nimirum, ut considerentur semper habito respectu ad naturam principium motûs, ac mutationis, & ad quatuor causarum genera, à quibus pendent. Hinc rationabile erat, ut integra, totaque scientia constitueretur pluribus partibus constans, e quibus quælibet aliquid sub adæquato obiecto per se directè contentum specularetur. Hæc igitur erit uniuersa disciplina nomine Physicæ nuncupata.

Aliæ autem sunt res, quæ non conueniunt in illa communi ratione formali ad Physicam spectantes, sed potius earum formalis ratio, in qua conueniunt, longè diuersa est, cuiusmodi sunt res omnes attinentes ad Mathematicas disciplinas; earum enim formalis ratio, est ratio mensuræ, & mensurabilis, longè diuersa à ratione naturalitatis; & res ipsæ habent inter se tantam affinitatem, ut eius merito eundem tractandi modum admittant. Res enim considerata est quantitas, modus autem considerandi est ratio mensuræ, & mensurabilis; & quoniam quæ considerandæ sunt, ad ipsam pertinent quantitatem secundum rationem mensuræ, & mensurabilis, ob id eam habent affinitatem, cuius merito eundem requirunt tractandi modum, consistentem in eo, ut omnia spectentur sub ratione prædicta, nullo habitu respectu ad naturam, principium motûs, ac mutationis, nec ad efficientem, & finem, & si ad materiam, & formam, non tamen ad materiam, & formam physicam. Quantitas à Mathematicis considerata est utique affectio quædam rerum naturalium, Mathematicus tamen non illam considerat, ut huiusmodi, nec eius inquirit essentiam, naturam, causas, & alias affectiones; sed solùm inspicit illam secundum rationem mensuræ, & men-

Digitized by Google

mensurabilis, & varias secundum huiusmodi rationem affectiones illi conuenientes meditatur. Hæc eadem in varias distribuitur partes, Arithmeticam scilicet de numero, Geometriam de magnitudine disputantes, Insuper in Musicam, Opticam &c. de quibus paulo infra rediturus est sermo.

SECTIO SEPTIMA.

Integræ scientiæ unitas quanta sit, & in quo ipsa consistat diligenter expenditur.

NOn solùm peculiaris alicuius conclusionis assensum, habitumque scientiam unam, sed etiam integram aliquam facultatem, ac scientiam appellari itidem unam superiùs notauimus, Aristotelis auctoritate suffulti, cùm huc spectent illa verba, μία δ' ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ τοῦ ἑνὸς γένους. *Vna autem est scientia, quæ unius est generis*, non multo antea relata; ibi siquidem de unitate integræ facultatis, ac scientiæ sermonem habet, & etiam ratione; nam quicquid in natura existit eatenus dicitur unum, quatenus est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, ita ut quod tale est, non immeritò dicatur unum; huiusmodi porrò integrum aliquem habitum constantem ex pluribus, qui singulis conclusionibus respondent, ut Physicæ, Metaphysicæ &c. unum dici posse, cuique satis perspectum, ex eo quia habitus singularum conclusionum ita conuenire possunt, non tam ratione rei consideratæ, quàm modi considerandi, ut aliquam indiuisionem in se, & diuisionem à quocunque alio consequantur, ac ob id omnium illorum habituum congeries una quodammodo dici mereatur. Hoc autem veritati consentaneum deprehendemus integram aliquam facultatem considerando, puta Physicam, eandemque cum aliqua ex alijs conferendo. Habitus enim singularum conclusionum ad Physicam spectantium non solùm ob rem consideratam, sed etiam ob modum considerandi sic inter se conueniunt, ut & ijs fieri possit integra quædam facultas indiuisa in se, & diuisa qualibet alia, qualis fieri non potest ex habitibus physicis, & geometricis. Hoc itaque declarandum à nobis theorema cognitu planè dignum, ac ob id expendendum quanta, & in quo posita sit unitas, in cuius consideratione versamur. In quorum gratiam silentio non præteribo, quod ab alijs etiam animaduersum fuit, habitum scilicet unum, quadrifariam dici. Primò unitate simplicitatis, & indiuisibilitatis, quod gemino modo contingere perhibetur, formaliter nimirum, & virtualiter. Secundò habitus dicitur unus unitate continuitatis, quæ tamen esse non potest nisi in re diuisibili. Tertiò per aggregationem, non secus ac lapidum tumulus dici solet unus; hâc enim ratione habitus etiam unus diceretur ex pluribus habitibus consurgere, quatenus unus ex his uniretur in eodem subiecto cum alio, quandoquidem cognitio cuiuslibet conclusionis, ac proinde etiam & habitus eiusdem, per se quidem indiuiduum integrum est. Quartò unitate cuiusdam, ut aiunt, totalitatis, quâ domus ex. gr. una dicitur unius formæ, figuræque ratione. His addi potest unitas ordinis, atque dispositionis, adeo ut multa sic inuicem se habeant, ut ex ijs, quædam posteriora sint vel ratione loci, vel temporis, vel dignitatis, vel dependentiæ &c. comparatione aliorum. Cuiusmodi porrò sit integri alicuius habitûs unitas, de qua præsens instituitur disputatio, non satis conuenit inter Philosophos, cum hac de re multa subtiliter, & acutè tractauerint, non adeo tamen accuratè, ut omnia complexi sint.

Post. 179.

Dicendum nullam integram scientiam unam esse aggregatione tantùm, ut ineptè quidam crediderunt. Assertionem hanc habendam tanquam Aristotelis decretum, ex eius verbis paulo antea relatis cuique perspectum; quandoquidem ipse dicens unam esse scientiam, quæ unius est generis, hoc est, subiecti, profectò docere voluit non esse unam aggregatione tantùm, ad eum modum, quô unus dicitur cumulus lapidum, sed alio quopiam unitatis genere mox explicando. *Prima assertio. Huius sectionis initio.*

Ratione quoque suaderi potest assertio. Tum quia unitas scientiæ proportione respondere debet obiecti unitati, ut etiam Philosophus testatur, loco supra laudato; at unitas obiecti adæquati, & attributionis, alicuius integræ disciplinæ non est per aggregationem, qualis est unitas acerui, tanta siquidem, & talis est, quanta, & qualis haberi potest ex conuenientia partialium obiectorum; hæc autem non conueniunt in obiecto totali, & adæquato, veluti lapides in cumulo, sed ut aliquo nexu per se coniuncta; ergo scientia integra, atque totalis consurgens ex omnibus partialibus, nequit esse per aggregationem, quasi sola aggregatione partialium, ipsa totalis scientia una esse dicatur. Tum etiam, quia nisi unitas, de qua fit sermo, aliquid amplius præter aggregationem plurium partialium importet; nulla supperet ratio, cur ex his potius, quàm ex alijs habitibus integra scientia constaret, atque adeo, cur Physiologia ex talibus habitibus partialibus, ex quibus componi solet, dici debeat coalescere potiùs, quàm ex partialibus habitibus mathematicis; vel partim, ex physicis, & partim ex mathematicis, vel ex alijs; quemadmodum non est ulla ratio cur acceruus potius ex his, quàm ex alijs lapidibus confletur. *Ratione suaderur. Prima ratio. Secunda ratio.*

Neque unitas integræ scientiæ esse potest, quâ una dicatur scientia unitate per se physicâ. *Secunda assertio.*

Primò eâdem ratione, qua superior potest etiam hęc assertio suaderi; nam ut ibi dictum fuit, unitas integræ scientiæ proportione respondet unitati obiecti adæquati, & attributionis; sed huius unitas non ea est, quâ unum dicatur obiectum per physicam unionem partialium obiectorum; tanta siquidem, ac talis est, quanta, & qualis haberi potest ex conuenientia partialium obiectorum; hæc porrò non conueniunt in totali obiecto, & adæquato, ita ut per physicam unionem in ipso dici debeant uniri; ergo unitas integræ disciplinæ nequit esse per physicam unionem partium, ex quibus ipsa coalescit. *Prima ratio.*

Secundò etiam euidenter ostenditur assertionis veritas, quoniam unio per se physica nequit inter partiales scientias cadere; ergo integra scientia dici non poterit una, quatenus constat ex partibus, quæ unione per se physica uniantur. Assumptum probatur, quoniã huiusmodi unio, caderet inter partiales scientias, quatenus se habentes, ut per se actus, & ut per se potentia: & hoc à nemine sanæ mentis conceditur, quandoquidem huiusmodi genus unitatis intercedere non potest inter species perfectas, atque completas, qualem supponimus esse quamlibet ex partialibus scientijs, tam in actu, quàm in habitu positis; non enim designare licet, qui nam ex illis habitibus se habeat ut potentia, & qui nam ut actus, cùm nulla sit maior ratio de uno, quàm de alio. Illud etiam hac in re plurimum habet roboris, quod huiusmodi habitus, ex quibus integra scientia consurgit, ad eum se habent modum inuicem collati, ut quidam prius, quidam verò posteriùs acquirantur; quod si ita est, neminem profectò fugit eos uniri non posse per modum per se actûs, & potentiæ; quandoquidem per se potentia sine per se actu natura non permittit existere. *Secunda ratio.*

Nec

Tertia ratio. Nec illa spernenda ratio, quæ ad incommodum deducit, quatenus nempè dicitur secuturum, ut habitus ab habitu, tanquam à materiali causa penderet, sic enim se habent per se actus, & per se potentia; hoc autem quam sit absurdum splendidè constat ex declaratis, cum rem hanc nostrâ conntemplatione persequentes, diceremus quotiescunque cognitiones ita se habent, ut una ab alia pendeat, illam à qua pendet alia, non ut causam, sed velut id, quod se tenet ex parte causæ se habere, non cuiuscunque, sed efficientis, videlicet mentis, quæ causa est efficiens, a qua omnis cognitio suum esse recognoscit; licet munere etiam subiecti fungatur, quatenus mens, siue intellectus non modo ut efficiens, sed etiam ut subiectum respectu cognitionis se habet, ut non immeritò efficiens immanens dicatur, cuius est in se ipsum operari; quod autem de cognitionibus, siue actibus dicitur, potest etiam habitibus accommodari. Partiales igitur scientiæ ad scientiam unam constituendam dici non possunt uniri unione per se physica, quatenus ex ipsis quædam se habeant per modum per se potentiæ, quædam verò per modum per se actûs.

Assertio tertia. Nec etiam dici possunt uniri unione intensionis, non quòd habitibus intensio repugnet, quin potius ipsis maximè consentanea est, & accommodata; sed quia nulla quidem intensio fieri potest per gradus naturâ specieque differentes, ut suo loco me demonstraturum polliceor; cum itaque partiales habitus essentiâ differant, se habere non poterunt, tanquam gradus, per quos unius habitûs intensio celebretur. Ne commemorem ab intensiori habitu haberi tantum in intellectu propensionem, promptitudinemve maiorem erga actus, qui specie naturâq; conueniunt, cum tamen hic quærenda sit unitas, quâ habitus integræ scientiæ sit unus, ita ut nihilominus possit intellectui tribuere facilitatem ad eliciendos actus genere discrepantes.

Ratione suadetur.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Quarta assertio. Nec ad extremum hæc unitas per se physica potest ea esse, quæ extensionis dicitur, cum huic profecto in re, de qua agitur, nullus sit locus; enim verò solùm hoc unitatis genus rebus materiatis aptari potest, velut illis quibus extensio conuenit; non autem ijs, quæ nullum cum materia commercium habent, inter quæ mens, seu intellectus, & quicquid in ipso reperitur, ut sunt cognitiones earumdemque habitus.

Ratione suadetur.

Quinta assertio. Dicendum præterea scientiam integram existimandam esse unam, unitate quapiam artificiosa.

Docens, quo unitatis genere integra scientia dicatur una. Vt huius assertionis veritas probè constet, præmittendum hoc unitatis genus ab arte denominari supposito tamen fundamento ex rei natura, itaut à mentis industria pendeat, occasione tamen ex rebus ipsis desumptâ; sed hæc ut rectè percipias, attende.

Ratione suadetur. Quicquid est, eatenus unum dicitur, quatenus est indiuisum. Καθόλου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ἢ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται. *Vniuersaliter nanque quotcunque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur*, ut Philosophi verbis utar; quæ igitur multa sunt, si ratione quâpiam indiuisionem habent, câ ratione, quâ indiuisionem habent, unum esse dicuntur; ut Socrates, & Plato, quia non diuiduntur in ratione hominis, sunt unus homo; & si aliqua non habent diuisionem in ratione animalis, ut homo, & leo, sunt unum animal. Quæ cùm ita sint, nemini dubium, quin genus illud unitatis agnosci debeat, quod in multorum ordine, dispositioneque consistit; quæ nanque multa sunt, quatenus ordinem seruant, undecunque sumptum, dicuntur unum in ratione ordinati, ac talem unitatem induunt, qualem ab ordine possunt recipere. Cum itaque ordinatio omnis à mentis industria pendeat, atq; talem ordinationem mens faciat à rebus occasione desumptâ; non autem temerè, propterea genus hoc unitatis artificiosum dicitur, mens enim illam experiendo, non autem casu facit, ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία, τέχνην ποιεῖσθαι, ὥς φησι Πῶλος, ὀρθῶς λέγων. *Experientia enim, ut rectè ait Polus, artem efficit, inexperientia verò fortunam*, quod igitur experiendo fit, ut unitas ordinis, artificiosum rectè dixeris. Sed quoniam nondum splendidè constat, quâ ratione mens hanc ordinationem efficiat, ob id ulteriùs addam breuiter modum, quo mentis industriâ hæc ordinatio contingat, nempè quatenus ipsa diligenter aduertens adæquati obiecti subiectæ partes, partialia obiecta dici, statuit, atque decernit notitias de ipsis ex euidentibus certis, ac necessarijs principijs deductas, in unum esse colligendas, prout quæ tractantur, quodammodo confunduntur in unum; tametsi nanque ea plura sint, nexu tamen quodam affinitatis iunguntur. Vt ex. gr. simplicia corpora, & mixta, tam animâ constantia, quàm, quæ animâ sunt destituta, eorundemque species, merito quidem naturalitatis affinia sunt, ut propterea naturalitatis ratione quandam unitatem obtineant, cum secundum ipsam indiuisa sint; de his proinde conclusiones scientiam unam, & integram, Physicam nimirum constituunt, quod etiam de reliquis disciplinis intelligendum. Et quoniam conclusiones prædictæ sic se habent ut aliæ alijs præmitti debeant, velut illæ, à quibus cæteræ pendent, nempe conclusiones de uniuersalioribus, præire debent ijs, quæ de minus uniuersalibus sunt, quoniam horum cognitio ab illorum cognitione dependet; idcirco uniuersa conclusionum congeries cum ordine est, adeo ut, quæ plura sunt, puta conclusiones demonstratæ unum quidpiam unitate ordinis constituant, quod est unum esse artificiosâ unitate, ut superiùs dicebatur.

Illud etiam ad huius, quam diximus, unitatis artificioſę fundamentum pertinet, quod ex ijs, in quibus disciplina versatur, quædam in alio, virtute continentur, quando scilicet per quidditatem ipsius possunt illa demonstrari; cuiusmodi sunt affectiones comparatione proprij subiecti; ut risibile, vel admirativum respectu hominis; & habere tres angulos, æquales duobus rectis, comparatione trianguli; alia vero potestate tantum in uno quopiam continentur, nempe cum per quidditatem ipsius nequeunt affectiones ostendi, cum tamen sub ipso contineatur potestate ratio adæquata, per quam passiones illas de proprio subiecto possumus demonstrare; ita planè se habet genus, quod profectò propriasaffectiones virtute continet, cum de ipso per eiusdem quidditatem ostendi possint, sed inferiorum specierum affectiones potestate tantùm in eo contineri dicuntur; ut animal, virtute continet attributa, quæ naturam ipsius comitantur, inter quæ sit exempli gratia, vel Aristotelis testimonio, differentia sexuum masculini & feminini. τὸ δὲ ἄρρεν καὶ θῆλυ, τὰ ζώου εἴκειά μὲν πάθη, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ εἶναι οὐσίαν. ἀλλ' ἐν τῇ ὕλῃ καὶ τῷ σώματι. *Masculini, & feminini propriæ quidem animalis passiones sunt, sed non secundum substantiam verùm in materia, & corpore.* Hanc utique passionem animal virtute continet sicut eodem continentiæ genere, species, puta homo, propria continet attributa; huiusmodi siquidem affectiones de animali, per propriam eiusdem quidditatem demonstrari possunt; sed ut genus potestate continet sibi subiectas species, puta animal continet hominem, leonem &c. ita earumdem specierum attributa, eodem genere continentiæ dicitur continere; quamobrem animal, quod alioquin passionem commemoratam

Super. doctrin. spectãs unitati fundam. tum dr. tatur.

ratam virtute continet, hominis risibilitatem potestate continere tantummodo dici debet; nam hominis sub se continet quidditatem, per quam de homine risibilitatem ipsam licet demonstrare. Huiusmodi autem continentia fundamentum est artificiosæ unitatis, de qua præsens habetur sermo; hinc enim res consideratæ, ac proinde notitiæ demonstratæ de ipsis, veluti partes integræ scientiæ, quâdam ratione sunt indiuisæ, & idcirco res quidem consideratæ unum obiectum, notitiæ verò demonstratæ, scientiam unam constituunt; quanuis in integro scientiæ habitu partes quædam agnosci debeant genere diuersæ; propterea quòd unus est habitus formaliter inclinans, atque propensum reddens intellectum ad cognitionem alicuius conclusionis demonstratæ, diciturque propriè habitus scientiæ, siue scientificus; alius est habitus virtute tantùm scientificus, velut ille qui non inclinat intellectum formaliter in conclusionem, sed in cognitionem alicuius virtute continentis affectiones de ipso demonstrabiles, cuiusmodi est habitus cognitionis, quâ intellectus subiecti quidditatem attingit; alius denique est qui potentialis dici potest, quatenus potestate duntaxat intellectum inclinat, redditque propensum in scientificam cognitionem; quandoquidem formaliter inclinat in cognitionem alicuius quidditatis, & inde virtute quidem inclinat in cognitionem propriarum affectionum, potestate verò in notitiam affectionum, quæ de ipsis inferioribus, tanquam eorum propriæ per proprias causas ostendi, demonstrarique possunt.

Hæc autem artificiosa unitas, dicitur esse in genere scibilium, non tamen speciei infimæ, quemadmodum nec obiectum tale est unitate unum; sed ut hoc dici potest unum genere, sic unitas prædicta dici una generis, & quidem proximi potest; & ut partialia obiecta, haud numero in genere scibilium, sed specie distingui dicuntur: sic habitus conclusionum de illis; quandoquidem habitus unusquisque suam ab obiecto unitatem desumit.

Hinc prædicta unitas dicenda quidem artificiosa, non ut ea, quâ domus dicitur una, sed peculiari nomine obiectiua nuncupanda, quoniam ipsa non consequitur aliquod esse in re præter obiectiuum, quod habeat in mente, sed potius totum hoc est illud esse, quod artificiosa, de qua loquimur, unitas obtinet. Hoc ex eo mihi satis exploratum, quoniam hæc unitas in ordinatione quadam est posita eorum, quæ extra animam profectò non sunt; nam etsi res consideratæ sint extra animam, non tamen ordinantur, nisi prout menti obijciuntur, ita ut tota earum ordinatio dicatur esse quatenus subijcitur menti.

Vnica tantum emollienda supereest difficultas, circa id, quod superiùs notauimus, videlicet scientiam dici unam genere proximo; quod enim quidpiam nobis negotij facessit, est quòd nihil obstat quominus detur scientia de eo, quod est communius genere, vel proximo, vel quocunque, vel specie infimâ, si autem scientia suam unitatem ab obiecto mutuatur, fieri non poterit ut una genere proximo ipsa dicatur.

Ad hanc enodandam difficultatem multa huc ex dissertationibus de anima transferenda forent, à quo tamen abstinendum, cum adnotasse sit satis unum, vel alterum ad obtinendum intentum, nimirum unitatem de qua præsens est disputatio, solùm extrinsecam esse scientiæ, proindeque obiectiuam, quæ tanta esse non debet, quanta est obiecti; quamobrem si hoc fuerit species atoma, non proinde scientia eodem unitatis genere debet esse una; nam obiectum cum fuerit species prædicta, de pluribus numero tantummodo differentibus prædicabitur, quoniam ijs communis est, & in eisdem existit; at cognitiones conclusionum non erunt numero, sed specie differentes, prout erunt de subiecto varijs proprietatibus affecto; subiectum enim prout affectum aliqua proprietate, distinctum specie à se ipso prout aliâ proprietate affecto dici potest; hinc autem specifica scientiarum partialium distinctio; huiusmodi nanque cognitiones specie, naturâque differre necesse est; hinc integra scientia ex partialibus constituta, non ineptè dicetur una unitate iam declaratâ, non specie, sed genere proximo. Non dissimili modo ratiocinandum, si obiectum fuerit aliquid communius genere proximo, imo etiam si sit communissimum, cuiusmodi est ens; eodem enim modo ratiocinandum.

SECTIO OCTAVA.

De plurium scientiarum practicarum distinctione.

COgnitio practica tam amplâ significatione sumi potest, ut omnem illam notitiam comprehendat, quâ iudicatur aliquid siue benè, siue malè operandum; siue quæ utcunque operationem, aut opus respicit, quâ ratione ab ipsa cognitione speculatiua secernitur, præsertim tamen sumitur usurpatione, iuxta quam illa tantùm dicitur notitia practica, quæ ordinatur ad benè, rectèque operandum, quæque dici potest apta opus dirigere, taleque reddere, ut omnem complexionem numerorum obtineat; At verò facultatibus omnibus commune quidem esse, ut in aliquod bonum tendant, Stagirites cum sæpe alibi, tum præsertim ibi testatur, ubi habet πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος ὁμοίως δ' πρᾶξίς τε, καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινος ἐπιδίωξιν δοκεῖ *Omnis ars, omnisque doctrina, similiterque actio, & electio bonum quoddam expetere videtur.* In aliquem finem igitur, ac proinde bonum facultates omnes, præsertim autem practicas institutas fuisse Philosophus eleganter expressit; practicarum enim unaquæque ad aliquam ex nostris operationibus dirigendam, & ad aliquod bonum consequendum instituta est. Hinc ex diuersitate finium puta rerum operabilium, & operationum dirigibilidm, ut idem Philosophus ait dicens, πολλῶν δὲ πράξεων οὐσῶν, καὶ τεχνῶν, καὶ ἐπιστημῶν, πολλὰ γίνεται, καὶ τὰ τέλη. *Cum autem multæ actiones sint, & artes & scientiæ multi existunt etiam fines*; siue ex diuersitate rectitudinis in operationibus inducendæ, & consequenter etiam ex diuerso procedendi, operandique modo; ex diuersis præceptionum regularumque generibus; ex diuersis instrumentis, ac medijs ad intentum finem conducentibus, plures artes pluresque facultates practicas institutas fuisse, cuique fatendum; nec temerè quidem, nam omnes facultates, præsertim verò practicæ, ut nuper dicebatur, alicuius finis gratiâ fuerunt institutæ; pro finium igitur diuersitate eas esse diuersas nemini licebit inficias ire.

Cognitio practica, expressa significatione sumitur.

1. Eth. ic. cap. 1.

Vt autem varietatem hanc Stagirites explanaret scientiam practicam in actiuam, & factiuam, & obiectum operabile in agibile & factibile, siue operationem in actionem, & factionem partitus est, ut doceret Pgysicam esse contemplatricem dicens id colligi ex eo, quòd Physica sit circa talem substantiam, in qua principium est motûs, & statûs, qui in ea est; hinc enim infert nec actiuam, nec factiuam esse, cuius rationem affert dicens, ἡ μὲν γὰρ ποιητῶν, ἐν τῷ ποιοῦντι ἢ ἀρχὴ, ἢ νοῦς ἐστιν, ἢ τέχνη, ἢ δυνάμις τις τῶν δ' πρακτῶν, ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις, τὸ αὐτὸ γὰρ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετὸν *Factiuarum enim in faciente principium est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia: actiuarum*

Scientia practica diuiditur in actiuã, & factiuã.

6. Diuin. cap. 1.

verò

7. Ethic. cap. 1. Sectione sexta. 6. Ethic. cap. 5. *verò in agente electio, idem enim agibile, & elegibile.* Hanc eandem distinctionem alibi etiam inculcat, tum loco supra citato. Tum ubi habet ἐκ ἀρχῆς ἡ προαίρεσις, διανοία. εἴδει τέχνη. διανοία μὲν, ὅτι ἐνδέχεται τὸ πρακτὸν ἄλλως ἔχειν· τέχνη δὲ ὅτι ἄλλο τὸ ἧς πράξεως καὶ ποιήσεως· *Non erit prudentia, scientia, neque ars. Non scientia quidem: quia potest res agenda aliter se habere; non ars verò: quia aliud genus est actionis, aliud effectionis;* Vbi conatur inter prudentiam, & artem aliquid discriminis assignare; sed luculentiùs hoc idem ipse declarat, ubi nomen praxeos, & practicæ notitiæ speciatim actioni, notitiæque actiuæ docet accommodatum esse. Facultates vulgò *effectiuæ*, respicientes aliquod opus efficiendum, Græci vocant ποιητικὰς, eas autem, quæ vulgò *actiuæ* nuncupantur, ijdem πρακτικὰς, appellant; ex quo facilè intelliges Aristoteli, imo Græcis omnibus, actionem, quæ effectio dicitur, præter quam est aliquid aliud, tanquam finis, non esse praxim, cuiusmodi est actio, præter quam nullus est alius finis. Vsus tamen inualuit, ut nomina praxeos, & notitiæ practicæ extendantur etiam ad factionem, seu effectionem, & notitiam effectiuam. Tametsi autem actionis, factionisque nomina, ut verba agendi, & faciendi, extra rem de qua agitur, ab omnibus confundi soleant; in re tamen proposita diuersam significationem habent.

Lib. 1. Magnorum moralium cap. 33. alias 35.

Primus modus explicadi superiorem diuisionē. Ex aliquorum sententia Refellitur

Plerique credunt actionis nomine operationem bonam moraliter, siue actionem humanam, quatenus bonitatis capacem, & prout dirigibilem in genere moris intelligendam esse.

Tametsi autem hæc existimentur cum veritate consentire, non tamen omnino satisfaciunt, ut quidam notarunt; propositum enim nobis est explicare diuisionem scientiæ practicæ in actiuam, & factiuam; modus autem proximè relatus id non præstat, sed in eo deficere videtur, quòd si actionis nomine duntaxat intelligendam velimus operationem bonam, seu dirigibilem in genere moris, nomine autem factionis operationem transeuntem, ac etiam quæ relinquit opus post se, non licebit nobis assignare genus, ad quod operationes aliæ pertineant, quæ dirigibiles sunt, alio dirigibilitatis genere ab eo, quod est dirigibilitatis moralis, & opus post se non relinquunt, nec transeunt in externum subiectum, sed in eodem remanent operante; huiusmodi porrò sunt operationes psallendi, hoc est citharam, vel quoduis aliud musicum instrumentum pulsandi, hę siquidem operationes transeunt in externum subiectum, nec opus post se relinquunt; quemadmodum, & operationes saltandi, rectè loquendi, canendi, quæ in hominis corpore quidem exercentur suntq; præceptionibus artium dirigibiles, ut etiam & intellectus operationes, quæ maximè sunt immanentes, suntque directionis capaces. Insufficiens igitur ille modus, quo nonnulli crediderint explicandam esse diuisionem scientiæ practicæ in actiuam, & factiuam.

Illud etiam maioris accedit incommodi, quòd hic explicationis modus haud rectè actionem à factione distinguit; siquidem operatio moralis, ac dirigibilis in genere moris, non modo est immanens, & interna, sed etiam transiens, ac externa, ut satis est manifestum; quinimo actus externus moralitatis eiusdem est particeps cum actu interno, moralisque disciplina, atque prudentia simul omnes actus dirigit, ac moderatur.

Difficultas præoccupata simulque soluta.

Neque perturbet quòd bonitas, & malitia moralis internis actibus voluntatis primariò conuenire dicatur, secundariò autem actibus externis, quatenus hos formaliter denominat; non inquam perturbet, propterea quòd obiectiuè, potius contrario modo se res habet; actus enim interni per ordinem ad externos constituuntur, & ab ipsis tanquam ab ijs, circa quæ versantur, proprium esse specificum consequuntur; ut propterea de hoc in re, de qua agimus præcipuam habere curam oporteat, tanquam de eo quod maximè facit ad veram rationem praxeos, & à quo habet scientia, ut practica dicatur veluti directrix eorum, quæ tanquam obiectum respicit dirigibile, in quod fertur etiam voluntas.

Amplius non desunt operationes, quæ diriguntur in genere moris, & quæ in eodem genere benè ordinatum opus relinquant, ut sunt operationes benè constituendi, gubernandique Rempublicam per Politicam, & familiam per Oeconomicam; hæ nanque operationes, & Reipublicæ, & Familiæ rectam ordinationem tanquam opus post se relinquunt. Hoc itaque explicationis modo prætermisso, superest alter expendendus.

Secundus explicandi modus.

Secundus igitur explicandi modus est asserentium factionis nomine intelligendam omnem, & solam illam operationem, quæ terminatur ad opus distinctum, illudque post se relinquit; at vero nomine actionis omnem, & solam operationem illam, quæ nullum post se opus relinquit, sive ipsa interna, siue externa sit. Vel nomine factionis intelligendam omnino operationem externam, ac transeuntem, siue relinquat, siue non reliquat opus post se; nomine autem actionis solam operationem immanentem, & internam, quæque nullum post se opus relinquit.

Eorundem sententia refellitur.

Hunc explicationis modum rectè Neotericus aduertit adæquatam diuisionem constituere, non tamen scientiarum aptam distinctionem assignare. Propterea quòd, ut idem notauit, prima & præcipua videtur esse tradenda diuisio scientiæ practicæ in moralem, & non moralem, adeo ut retentâ partitione operationis in actionem, & factionem, moralis scientia debeat actionem moderari, ac in eius directionem incumbere; hæc enim foret adæquata diuisio *velut* omnia complectens, quæ ad practicam scientiam pertineant. Moralis autem scientia designari nequit adæquatè circa operationem non relinquentem opus post se, vel circa operationem immanentem, & internam, cum circa alias per se directèque tanquam circa obiectum dirigibile versetur. Ita quidem prudentia per se atque directè operationes externas considerandas assumit, & ex ipsis nonnullas, quæ opus post se relinquunt; ut de operationibus benè constituendi, gubernandique Rempublicam, itemque familiam non multo antea dictum à nobis fuit. Nec commemorem hunc explicationis modum tanquam inadæquatum reijci posse, ut idem auctor aduertit, eoquòd si actionis nomine intelligatur operatio, quæ immanens quidem sit, non tamen opus post se relinquat; nomine autem factionis operatio transiens: diuisio adæquata non erit, cum omittat operationem, quæ immanens est, opus tamen post se relinquit; videretur igitur potius actionis nomine intelligenda omnis operatio immanēs, etiam si relinquat opus post se; pro huiusmodi operationibus, dicunt assignari posse motum localem, quatenus præsentiam in certo loco relinquit, & quodammodo etiam assignari posse contendunt vestire, se ipsum ornare, & etiam pascere, unde consequitur nutriri, & augeri, sanari, vel alijs modis affici; nam huiusmodi aiunt etiam esse effectus, qui in externo subiecto per operationem transeuntem relinqui solent.

Assertio acquiescentium explicandi modis.

Qui porro superioribus explicandi modis acquiescendum non esse crediderunt, aliâ viâ incedentes

pra-

practicæ scientiæ partitionem in actionem, & factionem, sic explicandam putarunt, ut ex una parte moralem operationem, seu dirigibilem in genere moris assignent; & ex alia parte operationem dirigibilem in genere artis; nomine artis accepto non prout à scientia distinguitur, sed ampliori significatione, prout distinguitur à genere moris, & ad omnem directionem à morali distinctam extenditur.

Hic explicandi modus, rationi consentaneus est; nam reverâ duplex agnoscendum rectitudinis genus in humanas operationes inducendæ; quandoquidem, alia est rectitudo moralis in bonitate, & honestate consistens; & alia est rectitudo artificialis, quæ in quadam conformitate operationis, cum artis præceptis posita est; hæ porrò sic se rectitudines habent, ut una nihil cū altera commune habeat sed sint penitus disparatæ; nam inuicem possunt separari; passim enim usuvenit, ut aliqua operatio sit recta morali rectitudine, cum tamen rectitudine artificiali non ita se habeat; nam si operatio exerceatur iuxta normā honestatis, & prout prudentia præscribit, recta quidem erit morali rectitudine; at si non exerceatur iuxta artis præcepta, non erit recta rectitudine artificiali. Vt si quis psallat debito tempore, & loco in honorem Dei, erit operatio honesta, proindeque recta rectitudine morali; at si deficiat à præceptis artis, non erit recta rectitudine artificiali; hoc autem posito, nimirum eandem operationem iuxta geminam hanc rectitudinem spectari; nemini dubium quin actionis nomine possit intelligi operatio dirigibilis in genere moris; nomine autem factionis operatio dirigibilis in genere artis; adeo ut eadem operatio rationem utranque, iuxta duplicem dirigibilitatem sortiri possit; nempe secundum rationem unam dicatur actio, secundum alteram dicatur factio, unusque sit habitus activus, alter autem factivus, & ut in eodem persistam exemplo, operatio eadem psallendi inspecta secundum honestatem, dicatur actio, at inspecta secundum artificium Musices dicatur factio. Hæc autem distinctio videtur etiam inde comprobata magis, quoniam ex obiecto formali, præcipuoque fine practicæ scientiæ desumitur; cum enim scientia practica præsertim rectitudinem operationis intendat, & operationem quatenus dirigibilem consideret, par est, ut iuxta duplex rectitudinis, atque dirigibilitatis genus, duplex quoque genus practicæ scientiæ distinguatur.

Et hinc euidenter uterque superior explicationis modus à ratione penitus conuincitur alienus, quandoquidem in utroque solùm attendebantur ea, quæ ad rem de qua agimus, per accidens omnino sunt, nempe quòd operatio sit transiens, vel immanens, quòd relinquat, vel non relinquat opus post se, hæc enim cum rectitudine, atque dirigibilitate nihil commune habent, unde sic licet superiorem assertionem colligere.

Ad distinguendas practicas scientias ea debent attendi, à quibus illæ suam specificam rationem consequuntur; hoc adeo euidens, ut probatione non indigeat; sed huiusmodi sunt commemoratæ rectitudines, atque dirigibilitates, nimirum in genere moris, & in genere artis, nam his positis, cæteris omnibus neglectis, harum scientiarum habetur constitutio; & his remotis, cæteris autem habitis, non item; ergo prædictæ rectitudines, atque dirigibilitates in practicarum scientiarum distinctione debent attendi. Vbi diligenter aduerte, quæ sunt in assumptione, quâ dicitur ad scientias distinguendas practicas, attendi debere rectitudinem, & dirigibilitatem &c. adeo ut his positis, cæteris neglectis habeantur scientiæ; remotis autem non item &c. intelligi quidem extrinsecùs, nam sic faciunt ad constitutionem scientiæ, ad quam profectò intrinsecùs pertinet ordo eiusdem ad illa, ordo enim ad obiectum intrinsecùs spectat ad cognitionis naturam; à quo enim habet aliquid, ut constituatur, habet etiam ut distinguatur, cum idem sit principium constitutivum, ac distinctivum; at verò ordo ad obiectum intrinsecùs pertinet ad constitutionem cognitionis; ergo etiam ad distinctionem intrinsecùs pertinebit. Vbi obiecti nomine non intelligendum id, quod materiale, sed quod formale est in ipso, cuiusmodi in re proposita est rectitudo, ac dirigibilitas operationis &c.

Et id in huius rationis confirmationem afferri potest, nempe illud attendi debet in practicis scientijs distinguendis, quod se habet tanquam formalis ratio obiecti, ac finis; huiusmodi porrò est rectitudo, atque dirigibilitas; ergo rectitudo, ac dirigibilitas in practicarum scientiarum distinctione attendi debet. Prima cõfirmatio.

Et eo etiam validior hæc distinctionis ratio conspicitur, quoniam inde luculenter apparet quid intersit inter prudentiam, & artem; siquidem ratione dirigibilitatis distinguuntur, eoquòd prudentia dirigit operationes in genere moris; ars autem in genere artis; illa dirigibilitatem moralem: hæc autem artificiosam attendit. Secunda confirmatio.

Non modo autem ad distinguendos in uniuersum habitus practicos, sed etiam ad eorundem specificam distinctionem rectitudinis, ac dirigibilitatis utrumque genus conducit. Enim verò pro varia ratione dirigibilitatis, variæ etiam horum habituum species habentur, ut satis perspicuum est. Tertia cõfirmatio.

Quid autem hac de re senserit Aristoteles, non satis constat inter interpretes; is enim, si verum quærimus, effectionem ab actione distinguit, aitque effectionis artem esse, actionis autem prudentiam, de arte siquidem loquens ait, ἐπεὶ ὴ ποίησις καὶ πρᾶξις ἕτερον, ἀναγκη τὴν τεχνὴν ποιήσεως, ἀλλ' οὐ πράξεως εἶ. *Cum autem effectio & actio diuersa sint, necesse est artem effectionis, non actionis esse.* De prudentia verò disputans habet, λείπεται ἄρα αὐτὴν εἶ ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. *Relinquitur ergo ipsam esse, habitum verum cum ratione agentem in ijs, quæ homini bona & mala sunt.* Itaque decernit prudentiam circa actionem versari, artem verò circa effectionem, & hinc earum oriri discrimen; dum autem dicebat actionem cum electione coniungi, & idem esse agibile, ac eligibile, referens electionem ad exercitium virtutis, ac honestatis, docebat actionem esse operationem moraliter bonam, seu, & in idem recidit, nomine actionis intelligendam humanam esse, quatenus capacem bonitatis moralis. Nomine autem factionis, seu effectionis intelligunt operationem transeuntem in externum subiectum, & non immanentem in eodem operante, proindeque talem, quæ relinquat aliquod opus factum post ipsam operationem permanens, cuiusmodi est ædificatio, quæ ædificium post se relinquit. Hoc eleganter expressum apud Aristotelem legimus, ubi habet. Ἔστι δὲ ἕτερα ποιούμενα καὶ πραττόμενα οὐ ταυτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικόν. καὶ μὲν γὰρ ποιητικῶν ἕξις τὸ παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικὴν, ἡ τοιαύτη ἕξις οἰκίας ποιητική, ἐστὶν οὐκ αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν ὁμοίως ἐπὶ τεκτονικῆς, καὶ ὅλως ἄλλων τῆς ποιητικῶν. ἐπὶ δὲ τῆς πρακτικῶν οὐκ ἔστιν ἄλλο εὐδὲν τέλος παρὰ τὴν πρᾶξιν. οἷον παρὰ τὸ κιθαρίζειν οὐκ ἔστιν ἄλλο τέλος οὐδὲν, ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο τέλος· ἡ εὐπραξία καὶ ἡ πρᾶξις. *Iam verò eorum, quæ fiunt, quæque aguntur, non est communis quædam facultas tam ad faciendum, quam ad agendum apta. Facultati enim ad faciendum idoneæ, alius est præter effectionem finis, ut in ædifican-* Aristotelis consilium expenditur. Aristotelis sententia diligenter expenditur. 6. Ethic. cap. 4. Ibidem cap. 5. 6. Diuin. tex. 1. Primo magnorum moralium cap. 33. aliàs 35.

di arte, cuius est domos ædificare, præter effectionem finis ei est propositus, domus, idem est in arte fabrili, & reliquis omnibus, quæ pertinent ad faciendum aliquod opus (vulgò effectiuas vocant, Græci ποιητικὰς.) At in ijs artibus, quæ ad res agendas pertinent (actiuas vulgo appellant Græci πρακτικὰς) præter actionem, nullus est alius finis: ut præter citharæ modulatum, finis non est alius. sed id ipsum pro fine est, operatio atque actio. Hoc etiam, ut superiùs aduertimus alibi testatum reliquit dicendo finem factionis esse quidpiam ab ea diuersum. Hoc autem modo ab eodem Philosopho solet operatio transiens explicari, prout ab immanente distinguitur; nam ut ex eodem Philosopho nuper à nobis dictum fuit, factio ab actione secernitur, quoniam illa habet aliquem alium finem, scilicet opus, quod efficitur: hæc autem non habet aliquem alium finem, siue opus, sed idem est finis exercitium, & actio, at hæc eadem de operatione transeunte, & immanente dici possunt; operatio enim transiens erit effectio, siue factio; at verò immanens erit actio.

6. Ethic. cap. 5. 9. Diuin. Text. 16.

Concluditur tertiũ explicationis modũ Aristoteli etiam arrisisse.

Quanuis autem his de rebus Philosophus disputans nuper allata protulerit, nihilominus comperiemus superiorem explicationis modum à nobis commendatum ad eius aures esse, si tamen respiciamus locum, ubi datâ operâ & ex instituto de scientiarum distinctione sermonem habet. Hoc enim sibi voluit dicens factiuarum, & actiuarum discrimen à contemplatricibus in eo positum esse, ut illæ res considerent operabiles, operabili tamen modo, tradendo præcepta nimirum quibus possimus operari, adeo ut non sistant in contemplatione veritatis, sed ulteriùs tendant ad opus: hæ autem solâ sint veritate contentæ. Vt igitur in assignando discrimine inter practicam, & contemplatricem solùm id attendendum existimat, quòd illa dirigat cognoscentem ad operandum, & ob id rectitudinem, atq; dirigibilitatem operationis respiciat: hæc autem non item; sic etiam existimandum practicorum habituum distinctionem attendi voluisse penes diuersum dirigibilitatis modum. Quòd si alibi videatur sibi non constare, hoc nihil est; propterea quòd varijs modis loquitur, pro varia usurpatione actionis, & factionis; non enim semper huiusmodi operationes eâdem significatione sumuntur.

Tractationis ordo.

Practicæ scientiæ geminam esse partem, videlicet actuosam siue actiuam unam, & factiuam alteram, superiùs vidimus, & utrunque partitionis membrum explicuimus; quæ autem de utroque supersunt consideranda, breuiter afferemus. Actuosa Philosophia, cum operationes hominis liberas uniuersè perficiendas in genere moris, hoc est, informandas virtute, & honestate sibi proponat, in tres distribuitur partes, pro triplici humanarum actionum dirigendarum genere, quarum prima spectat moralem perfectionem unius hominis, ac solitariè viuentis, adeo ut præceptiones tradat priuatæ vitæ. Secunda domesticam disciplinam exhibet, & ad propriæ familiæ gubernationem erudit. Tertia de optimo Reipublicæ statu edisserit, hominemque dirigit ad ea, quæ ad uniuersam Rempublicam communeque bonum spectant ut probè, & ut par est, exequatur; etsi alij malint longè diuersam partitionem amplecti, qua diuiditur uniuersa, de qua loquimur, actuosa Philosophia in partes itidem tres; in eam, quæ de moribus agit, hoc est de principijs uniuersæ felicitatis, deque cæterarum partium fundamento, in eam quæ Ciuitates ac Respublicas legibus, atque gubernatione moderatur: in eam quæ familiam, & rem ipsam familiarem domesticâ disciplinâ procurat, ac temperat. Qui priorem diuisionem instituunt singulas illas partes proprijs nominibus appellantes primam dicunt Ethicam; secundam Oeconomicam: tertiam verò Politicam. Qui autem secundam diuisionem instituunt, rem ita declarant, ut velint in prima parte de principijs uniuersæ felicitatis deque cæterarum partium fundamento disputari, eidemque inditum fuisse nomen, ἠθικὰ *latinè moralia* ἀπὸ τοῦ ἔθους quæ vox apud græcos morem significat, ut intelligamus decem illorum librorũ materiam & argumentum proprium esse mores, siue hominis actiones liberas aut virtutes ipsas, quæ humanis actionibus continentur, quandoquidem ἔθος, græcè, latinè *mos*, propriè non nisi in animantes intelligentiâ rationeque preditas conuenit; detestantur igitur partem illam, quæ Ethica inscribitur talem esse, ut in ipsa de solitariæ vitæ felicitate disputetur. Vtcumque se res habeat, non enim huius est loci diligentiùs, & accuratiùs de his disputationem inire, certum illud, ac exploratum non ineptè partitionem illam priorem institutam fuisse, quæcunque sint nomina, quibus singulæ eius partes sint appellandæ; ea siquidem partitio temerè instituta non est, propterea quòd homo velut agens secundum rationem, & propter finem sibi proprium, qui rationalis est vita, duobus modis potest considerari. Primò secundum se, & ut per voluntatem ac intellectum se ipsum ad vitam laudabilem ordinat, qualis est, quæ virtutem excolendo traducitur; Secundò ut est pars multitudinis, quam iuvat, & à qua iuvatur ad consecutionem finis, qui est vitæ felicitas. Duplex autem est multitudo ad vitam transigendam necessaria; nempe familia, siue domus, & ciuitas. A prima namque habetur generatio, nutrimentum, vestitus, habitatio; à secunda artes, quibus parantur vitæ necessaria, leges, potestas publica, per quæ homo dirigitur, ac defenditur; ex hoc itaque triplici humanarum actionum respectu, è multorum sententia, actuosa Philosophia tribus commemoratis partibus constare debet.

Actuosa Philosophia in tres diuiditur partes.

Prima explicatio tripartitæ diuisionis.

Secunda explicatio.

Ethica, Oeconomica, & Politica.

Scientiæ actiuæ distributio.

Septem artes liberales.

Cur sic appellentur.

Septem artes seruiles.

Scientia autem practica, quæ non moralis est, quamque factiuam appellandam voluimus, vulgatam diuisionem obtinuit, quâ septem numerantur artes liberales, totidemque seruiles. Liberales porrò censentur Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Geometria, Arithmetica, Musica, & Astronomia; liberales autem appellantur, quoniam magis animum corporis dominantem exornant, magisque homines ingenuos, ac liberos decent. Aliæ verò perhibentur nempe seruiles Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia, Textoria, Nautica; sic autem nuncupantur, quia magis corpus exercent, & fatigant, hominesque subditos, ac seruos decent. Ob eandem rationem quidam græcè linguæ ignari crediderunt mechanicas appellatas fuisse; sed ineptè, nam ita dicuntur, quoniam unaquęq; ipsarum aliquid machinatur, à verbo μηχανάομαι, *excogito, molior, struo*, unde machinatio siue conatus dicitur μηχανὴ; & huiusmodi operum, quæ ingenio simul, & manu fiunt, opifex dicitur μηχανικὸς.

Hæc tamen diuisio quantumuis longo temporis tractu plurimum inualuerit, ab aliquibus tamen non insulsè tanquam minus propria scientiæ practicæ, & velut inadæquata reijcitur. Et re verâ minus propria videtur existimanda, quoniam liberales inter artes, scientias contemplatrices, nempe Mathematicas disciplinas enumerat. Nec etiam adæquata est, propterea quòd plures omittit, de quibus æquum erat commemorationem facere. Alias artium diuisiones apud Platonem inueniri licet. Alicubi enim tripartitam diuisionem instituit dicens ex omnium numero artium, alias esse quæ in opere plurimum versantur, verbis autem parum admodum indigent, quas ipse non explicat: alias verò

verò quę nullis, sed etiam per silentium perfici possunt, quemadmodum est ars pingendi, & statuaria, aliæque multæ: Alias præterea esse, quæ verbis totum peragunt opere autem, aut nullo, aut certè perexiguo, qualem ait esse Arithmeticam, Computatoriam, Geometriam, & texerarum, talorumque ludos; quarum quædam, verba actionibus fermè adæquant; plurimæ ijs etiam superant, atque omnino omnis earum actio, ac vis in eiusmodi verbis consistit; addit etiam Rhetoricam esse ex earum numero artium, quæ ut plurimum verbis utuntur &c. Hanc tamen diuisionem inadæquatam Platoni etiam fuisse, ex eiusdem verbis colligitur, cum dicat alias supereſſe artes. Alibi etiam diuisionem aliam instituit dicens sex numero esse artes, ob quas initio sapientes homines visi sunt, cum tamen nunc propter easdem tales non habeantur, quin potius vituperentur. Sed piget singulas exponere, eò vel maxime quòd cuilibet licet monumenta Platonis adeundo percipere. Seneca quinque numerasse perhibetur. At Stagirites quatuor potissimùm esse liberales artes, quibus iuvenes institui consueuerunt, affirmat, nempe literarum disciplinam, hoc est Grammaticam, Gymnasticam, Musicam, & figurandi Peritiam, sub qua Pictura, atque Sculptura continentur. Sed ex tam multiplici Philosophorum placito cuique datum est cognoscere non unum, certum, ac necessarium esse modum instituendi partitionem harum facultatum, quin potius varijs modis diuisionem instituì posse.

Rectiùs propterea nonnulli rem propositam expediunt, atque scientiam practicam non moralem hunc in modum partiuntur, ita ut ab ipsis una dicatur esse scientia, quæ dirigit operationes immanentes, & internas in anima, cuiusmodi sunt operationes intellectûs, & hanc dicunt esse Dialecticam, siue Logicam, cui reminiscentiæ artem adijciunt: Aliæ verò dicantur esse, quæ dirigunt immanentes, & externas quidem in corpore operationes, non indigentes nisi corporis naturalibus organis, talesque putant esse illas, quæ dirigunt sermonem externum, ut Rhetorica, Poetica, & Grammatica, quæ sermocinales nuncupantur; item & artem canendi, & amplius artem saltandi, & si quæ sunt aliæ eiusdem generis: Aliæ etiam esse dicantur, quæ dirigunt operationes indigentes alijs artificialibus instrumentis, è quibus non nullas esse dicunt, quæ solùm in ipso actuali exercitio consistunt, nec post se aliud opus relinquunt; alias verò quæ per se habent efficere opera quædam permanentia, quæ per se, & præcipuè dicuntur dirigi per practicas facultates, ut ædificare, sculpere, & pingere, aliaque similia. Ad hoc autem genus Medicinam, velut illam, quæ intendit sanitatem efficere, reuocandam opinantur. Sed reuerà Medicina non ea est, ut debeat inter artes seruiles, nisi accepta sensu infra explicando, cum de reliquis habitibus intellectûs disputandi fuerit occasio. Cæterum commemoratæ artes, variæ distinctæque sunt pro varietate operum, quæ versant, operationum, quas dirigunt, instrumentorum, quibus utuntur. De his tamen accuratiùs infra disputabimus.

Sed aduersus doctrinam superiùs traditam de scientiarum distinctione se difficultas offert diluenda ex Aristotele desumpta. Diximus enim scientiarum practicarum distinctionem à fine obiectiq; formali ratione petendam esse, quod & Philosophi auctoritate, & ratione veritati consonum esse demonstrauimus; at videtur Philosophus oppositum docuisse, quandoquidem cum explicasset unitatem scientiæ sumendam esse ex unitate subiecti, & quidem verbis supra relatis, μιᾶς δ' ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ ἐνὸς ἁπλοῦς, ὅσα ἐν ἅπλῳ πρώτῳ συγκεῖται, ἢ μέρη ἐστὶν, ἢ πάθη τούτων πρὸς ἄλληλα. *Vna scientia (quæ scilicet est unius generis) est eorum, quæ ex primis componuntur & partes sunt aut effectiones horum per se.* Ad scientiarum distinctionem se conuertens, subdit, Ἑτέρα δ' ἐπιστήμη ἐστὶν ἑτέρας, ὅσων αἱ ἀρχαὶ μήτε ἐν ἅπλῳ αὐτῷ, μήθ' ἕτερα ἐν ἅπλῳ ἑτέρῳ. *Diuersæ scientiæ sunt, eorum, quorum principia, nec ex ijsdem* principijs oriuntur, *nec altera ex alteris.* Contendit igitur ex principijs scientiarum distinctionem sumendam esse, non autem ait plures esse scientias illas, quarum diuersa sunt subiecta, quemadmodum priùs dixerat unam esse scientiam, quæ unius est generis subiecti.

Occurritur respondendo scientias esse diuersas ex diuersitate primorum principiorum; & esse diuersas ex diuersitate subiecti, recidere prorsus in idem; cum enim Philosophus docuisset ex primis principijs subiectum scientiæ constitui, profectò quando hæc naturam unam constituerint, is affirmabit scientiam unam ab ipsis fieri; cum autem non unam naturam efformauerint, ad scientias diuersas pertinere arbitrabitur; nec inconsideratè Philosophus dixit principia eiusdem esse generis cum illis, quæ demonstrantur; quoniam idem genus dicitur, idem subiectum, cuius principia sunt. Solutio.

Neque dicas hæc duo cohærere non posse, videlicet scientiarum distinctionem à fine desumi, & ab obiecto; tametsi enim finis, & obiectum distingui videantur, secus tamen se res habet, nam finis, & obiectum re ipsâ sunt idem, etsi ratione differant, ut alibi explicabo. Difficultas altera præoccupata, simulque soluta

SECTIO NONA.

De distinctione plurium scientiarum speculatiuarum.

Sectione sexta. Scientiæ vnitas ab vnitate Obiecti desumẽda

IAm superiùs de unitate scientiæ disputantes aduertimus ab Aristotele quidem edocti, scientiæ unitatem ab unitate obiecti desumendam esse, ac proinde ab eiusdem diuersitate, scientiarum quoque distinctionem accipi debere, quod autem de scientijs practicis affirmauimus, de contemplatricibus etiam enunciamus.

Assertio. Asserendum igitur scientiarum contemplatricium partitionem ex obiectorum distinctione sumendam esse.

Philosophi auctoritate suaderi assertio. Hęc assertio ijsdem ferè modis ac superior de scientijs practicis suaderi potest. Primò nanque Philosophum in eadem fuisse sententia nemini dubium, quandoquidem nihil frequentiùs inculcauit de scientijs omnibus loquens tam practicis, quàm contemplatricibus; ubique nanque testatum reliquit scientias cuiusque ordinis distingui merito eorum, in quorum consideratione versantur.

Ratione probatur. Et ratio quoque conuincit, illa prorsus, quâ superiori Sectione de practicis scientijs loquentes usi sumus; ea porrò sic se habet. Ad distinguendas contemplatrices disciplinas, ea debent attendi, à quibus illæ suam specificam rationem consequũtur; sed huiusmodi sunt obiecta; ergo ad distinguendas contemplatrices disciplinas obiecta attendi debent. Obiecta autem ea esse, à quibus scientiæ suam specificam rationem, siue suum esse specificum consequuntur, satis constat ex hactenus disputatis, quoniam scilicet omnis cognitio, cuiusmodi est scientia, tendentiam dicit, & ordinem ad obiectum, ita ut hoc posito ordine, habeatur cognitionis constitutio, eodemque remoto, eadem quoque de medio auferatur. Cætera prætereo, nam quæ ad probandam assertionem de scientijs practicis attuli, pausis mutatis huc transferri possunt ad

hanc itidem conclusionem ostendendam.

Speculatiuarum autem distributio ea est, quam Philosophus expressit dicens, ὅτι τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική. *Quare tres utique erunt speculatiuæ Philosophiæ, Mathematica, Physica, Theologia.* Hanc porrò distinctionem eâ est venatus industriâ, nempe ex modo definiendi deduxit modum considerandi, & ex huius diuersitate scientiarum distinctionem intulit. Dicebat enim si est aliquod immobile, & separabile, scilicet secundum esse, atque adeo sempiternum, palam Theoricæ esse, & non alicuius Practicæ tale ens cognoscere. Scientia nanque practica cum actiua vel factiua sit, non abstrahit à motu; non tamen est Physicæ scientiæ considerare tale ens immobile, & sempiternum, cum Physica de mobilibus entibus edisserat; nec etiam est Matheseos, cum hæc non consideret separata secundum esse, sed solùm secundum considerationem, agere autem de tali ente alicuius erit scientiæ prioris, nimirum Metaphysicæ; rationem autem reddit, quia Physica circa entia inseparabilia à materia sensibili, sed non immobilia versatur, non enim à materia nec à motu abstrahit. Mathematicæ autem quædam, nimirum illæ, quæ puræ non sunt, sed mediæ, versantur circa immobilia quidem, sed inseparabilia à motu, & materia sensibili; at prima scientia Theorica, nempe Metaphysica in ijs, quæ separabilia sunt secundum esse, suntque itidem immobilia, est occupata. Ex Aristotele igitur tam practicarum, quàm speculatiuarum scientiarum distinctio ex modo considerandi petenda est, ac proinde ut superiori Sectione de distinctione scientiarum practicarum agentes notauimus, ex formali ratione obiecti formalis; hæc enim ratio est considerandi modus, quem Philosophus ex modo definiendi colligit, idque exemplo Physicæ luculenter ostendit; Physicus enim definiturus aliquid, se ad sensibilem materiam, atque motum conuertit, ut definiturus simum dicit esse nasum concavum, ita ut eius definitio sit cum materia sensibili, videlicet naso, non autem definitio concaui; nam in definitione concaui, vel curui, non ponitur aliquod corpus sensibile, puta nasus, vel pes &c. sed abstrahit ab his; est enim concavum, cuius medium exit ab extremis, quod potest non solùm sensibilibus materialibus, sed mathematicis etiam competere. Sic etiam si Physicus proponat sibi definiendum folium, radicem, corticem, & uniuersam plantam, perpetuò materiam sensibilem, & mobilem in definitionibus adhibebit. Ad inquirendam igitur scientiarum distinctionem opportet præoculis habere uniuscuiusque scientiæ definiendi modum, sic enim ait, δεῖ δὲ τοῦτο ὡδὶ εἰδέναι, τὸν λόγον πῶς ἔχει μὴ λανθάνειν· ὡς ἄνευ γε τούτου τὸ ζητεῖν, μηδὲν ποιεῖν ἐστι. *Oportet autem ut non lateat, quomodo ipsum quid erat esse, & ratio sit; nam absque hoc quærere, nihil est facere.* Ex modo autem definiendi modus etiam considerandi, hoc est formalis ratio obiecti colligitur; hinc enim petenda scientiarum distinctio, ut propterea Philosophus indagaturus distinctionem scientiarum contemplatricium à scientijs practicis ad modum definiendi, atque adeo ad modum considerandi, hoc est, ad formalem obiecti rationem confugiat; ex quo etiam tam practicarum, quàm contemplatricium scientiarum inter se distinctionem inquirit, quod nos in distinguendis scientijs practicis superiùs obseruauimus, & in præsens de distinctione contemplatricium agentes retinemus.

Quemadmodo Physicus definiat.

Difficultas præoccupata, si: Neque dicas ex Aristotele potius colligi scientiarum distinctionem esse petendam ex abstractione à materia; huiusmodi siquidem abstractio ad modum considerandi, atque formalem obiecti rationem omnino reduci superiùs aduertimus.

At verò, quod est obseruatu dignum, ex modo definiendi Philosophus dicebat considerandi modum indagari idq; nullius est negotij cognoscere; nam ad definiendum adhibenda sunt quædam, quæ rei definitæ, proindeque consideratæ non competunt, nisi secundum talem, vel talem rationem considerandi, ut Physicus ad definiendum simum adhibet nasum, nempe materiam sensibilem, ac mobilem, quoniam hæc naso conueniunt, quatenus est naturalitatis particeps, est autem naturalitas considerandi modus, siue formalis ratio, secundum quam Physicus omnia suâ contemplatione persequitur, nihil enim ad ipsum pertinet, nisi rationem naturalitatis induat.

Hâc eâdem arte, industriâque commemoratas disciplinas contemplatrices licebit in eas, quas habent partes, distribuere, quas sigillatim distinguere non est Dialectici munus, sed ad quamlibet ipsarum spectat in ea parte, quæ Pedia dicitur; Ita quidem ad diuinam Philosophiam spectat exhibere partes, quas ipsa complectitur, sic, & ad Physicam, & ad Mathesin; ita ut unius cuiusque sit præmittere distributionem partium, in quas ipsa diuiditur, quod facillimum est memoriâ retentis ijs, de quibus hucusque locuti sumus; omnis enim distinctio ex obiecti reique consideratæ distinctione sumenda erit; perpetuò tamen considerandi modum, formalemque rationem aduertendo, quod in obiecto formale est; cùm enim, cuiuslibet disciplinæ obiectum, siue subiectum ex duplici parte constet, nempe materiali, atque formali, ut aliàs fuit adnotatum, in cuiuscunque scientiæ constitutione distinctioneque, non tam materialis, quàm obiecti formalis pars attendi debet, quod adeo verum ut non aliunde scientiæ constitutio, eiusdemque distinctio nobis possit innotescere.

SECTIO DECIMA.

De distinctione scientiæ in Subalternantem, & Subalternatam.

SI scientiæ inter se conferantur, ita se habent, ut una nihil habeat commune cum alia, nullatenus inuicem conueniant, hoc est, ut una non subijciatur alteri, & hæ disparatæ nuncupantur; ut Arithmetica exempli gratia, & Optica. Hæ nanq; scientiæ nullo modo sunt inuicem subordinatæ, quæ propterea disparatæ dicuntur. Aliæ vero sunt inuicem subordinatæ, ex quarum cognitione innotescunt illæ, quæ nullo modo subordinatæ sunt; nam quæ non habent subordinatarum conditiones, non subordinatæ, sed disparatæ nuncupantur. Hæc autem subordinatio solet subalternatio appellari, à qua una scientia subalternans denominatur, ea scilicet, sub qua ponitur altera, siue cui alia subijcitur; altera denominatur subalternata, quæ subalternanti supponitur; huius diuisionis meminit Philosophus in posterioribus Analyticis, quæ non sic accipienda, quasi sit adæquata partitio, ita adeout omnis scientia esse debeat, aut subalternans, aut subalternata, id enim necesse non est; sed quia reverà hic inuenitur ordo inter quasdam scientias, ut una sit subalternans, altera subalternata.

Crediderunt aliqui subalternantem, & subalternatam non conuenire uniuocè in ratione scientiæ, sed potius analogicè, eòquòd scientia subalternata essentialiter à subalternante dependeat. Ineptè tamen ratiocinati sunt; perspicuum est enim uniuocè conuenire tanquam in una ratione, communique concepta scien-

scientiæ, quoniam scientia verè, ac essentialiter de utraq; dicitur. Neque illa dependentia, quâ subalternata pendet à subalternante, officit uniuocationi, nam cum hac, ea quam ipsi dicunt, analogia optimè potest cohærere. Deindè quanuis officeret aliqua alia analogia, ea tamen non est, à qua non permittatur uniuocatio; nam si dicatur esse per dependentiam unius speciei, ab alia, cuiusmodi est illa, quæ inter accidens, & subsstantiam intercedit, hęc certè uniuocationem non destruit; ut omittam hanc non esse dependentiam subalternatæ à subalternante. Scientia enim subalternata non dependet à subalternante, tanquam à causa per se, sed solùm per modum rationis, & conditionis agendi ad eum modum, quo conclusionis assensus ab assensu pendet præmissarum. Proximum igitur est, ut harum scientiarum subalternationem explicemus.

Vt autem aliqua scientia alteri subalternata, siue subiecta dici possit, tres è communi Philosophorum sententiâ conditiones recenseri solent. Prima ut subalternata habeat pro obiecto aliquid contentum sub obiecto subalternantis. Secunda, ut supra hoc obiectum differentiam addat accidentariam. Tertia ut subalternatæ principia demonstrentur in subalternante. Si quæ autem aliæ conditiones assignentur, vel necessariæ non sunt, vel ad has facilè possunt reuocari; ob id ijs prætermissis, tres commemoratas sat erit expendere.

Prima autem conditio erat, ut obiectum subalternatę sit aliquid contentum sub obiecto subalternantis. Qua in re nulla videtur difficultas, ut ob id omnes huiusmodi conditionem amplectantur, propterea quòd subalternata speciem aliquam assumit considerandam sub obiecto subalternantis, tanquam sub genere contentam. Vel si omnino idem obiectum contemplatur, quia tamen supra illud accidentariam aliquam addit differentiam, adhuc sub illo rectè contineri dicetur, ut homo albus, sub homine, unde fit, ut rectè Philosophus aduerterit obiectum subalternantis aliquo pacto idem esse cum obiecto subalternatæ.

Neque hoc irrationabile est, quandoquidem omnis conditio scientiæ debet ab obiecto desumi. Vt igitur una scientia alteri subijcitur, & ab eadem pendet; ita pariter obiectum ipsius obiecto alterius subordinari, subijcique debet.

Hæc autem subiectio, siue subalternatio non solùm intelligenda ratione principiorum, quatenus principia subalternatæ pendeant à principijs subalternantis, sed etiam quia obiectum subijcitur obiecto. Immò sine hac subalternatione, nulla potest esse principiorum subalternatio, cum hæc ab illa pendeat.

Non propterea tamen quòd incomplexum obiectum subalternatę subijcitur incomplexo subalternantis, ita ut sit aliquo modo idem cum illo, etiam complexa debent subalternatæ subijci complexis subalternantis, esseque aliquo modo eadem cum illis; hoc est, non propterea conclusiones subalternatę debent eędem esse cum conclusionibus subalternantis, adeout aliquo modo eædem debeant esse conclusiones utriusque, quod certè sequeretur, si eadem utriusque forent obiecta complexa, cum hæc nil aliud sint, quam conclusiones obiectæ. Necessariò enim utriusque debent conclusiones esse diuersæ, quoniam principia subalternatæ sumuntur à subalternante, propterea quòd ab ipsa demonstrantur, suntque conclusiones ipsius; & ubi desinit subalternans, ibi incipit subalternata, proinde nequeunt utriusque scientiæ eædem esse conclusiones.

Secunda autem conditio ad subalternationem requisita in eo posita est, ut obiectum subalternatæ superaddat differentiam obiecto subalternantis. Sed in hoc dissentiunt, propterea quòd aliquibus visum est hanc superadditam differentiam, aut essentialem esse, aut saltem affectionem prodeuntem ab essentia. Alijs verò placuit differentiam hanc penitus accidentariam esse; in quo non omnes tamen conueniunt, cùm aliqui crediderint hanc superadditam differentiam non habere rationem partis formalis obiecti, sed materialis; unde contendunt sonorum, exempli gratia, quod est accidentaria differentia, quam obiectum Musicæ superaddit numero, qui est obiectum Arithmeticæ non esse formalem, sed materialem partem obiecti ipsius Musicæ.

Prima opinio. Secunda opinio de differentia superadditæ.

Nobis tamen probatur eorum consilium, quibus est visum differentiam hanc superadditam non essentialem, nec affectionem esse, sed penitus accidentariam differentiam, eamque se habere non ut materialem, sed ut formalem partem, atque rationem. Assertio.

Ita planè videtur sensisse Philosophus, cum diceret obiectum subalternatæ debere esse alterum, quod est accidentaliter differre ab obiecto subalternantis; Siquidem differentia essentialis, ut facit aliud, sic accidentaria facit alterum. Aristotelis auctoritate suadetur. 1. Post.

Accedit etiam ratio, quoniam contrario admisso, subalternata non dependeret à subalternante, siquidem haberet propria, immediata, & per se nota principia, itaut ea non reciperet à scientia subalternante, & affectiones de obiecto illo demonstrabiles adæquatè penderent ab illo, quatenus per hanc differentiam constituto. Ita quidem scientia de triangulo habeat principia propria non probata ab alia scientia, unde affectiones trianguli nullo intermedio proueniunt ab illis, propterea de triangulo est scientia nulli subalternata, à qua dependeat. At verò falsum est subalternatam non pendere à subalternante, cum illa non habeat sine ista unde possit suas conclusiones ostendere. Suaderur etiam ratione. Prima ratio.

Prętereà si obiectum subalternatę superadderet obiecto subalternantis essentialem differentiam, utique foret species illius ad eum modum, quo homo est species animalis, eòquòd illi superaddit essentialem differentiam, puta rationalitatem; consequens igitur, ut inter se collatæ sic se haberent, quemadmodum scientia de specie ad scientiam de genere. Sed hæ ita se habent, ut unam scientiam integram constituant; ergò etiam subalternata, & subalternans totam unam scientiam constituerent, uniusque scientiæ partes forent, non autem duæ scientiæ totales inter se distinctæ. Secunda ratio.

Tandem si differentia illa superaddita foret essentialis, omnes profectò scientiæ deberent subalternatę dici Metaphysicæ, quod tamen nec ipsi admittunt, sicuti non admittendum. Tertia ratio.

Non solùm hæc superaddita differentia nequit essentialis esse, sed nec etiam affectio, nam ad scientiam eandem spectat, & subiectum, & eius affectiones perscrutari; ob id subalternans considerandum assumet obiectum, ut stat sub illa affectione superadditа à subalternata, atque adeo non distinguentur duæ scientiæ, quarum una sit subalternans, altera verò subalternata. Differentia superadditа non solũ nequit esse differentia, sed nec etiam affectio.

Illud etiam accedit, quòd eâ ratione ducti contrariam sententiam profitentes, id enunciarunt, quoniam subiectum scientię unum per se esse debet; sed non propterea hanc difficultatem declinant, nam etsi differentia accidentaria unum per accidens cum subiecto constituat, adhuc etiam hoc idem affectioni conuenit, cum ex hac, & subiecto non nisi per accidens unum consurgat. Non posse differentiã superadditam esse accidentariã quomodo quidam ostendant.

Sed hanc superadditam differentiam non posse accidenta-

dentariam esse formam, Philosophorum plerique sic nituntur ostendere.

Prima difficultas. Primò; accidentaria differentia cum obiecto facit unum per accidens, & accidentaliter de ipso dicitur, de quo cum scientia dari non possit, consequens fieret, ut nulla daretur scientia subalternata.

Solutio. Fit satis dicendo obiectum, & differentiam accidentariam superadditam posse multifariam sumi, vel utrunque in recto, & eque constituunt aliquod tertium, quo pacto non spectant ad scientiam, quia non faciunt unum per se. Vel ut unum sit per se consideratum, aliud verò per accidens; nec hunc in modum ad scientiam subalternatam pertinet, nam utrumque per se consideratur ab illa, alioquin cum quod est per se, possit sine eo esse, quod est per accidens, nihil repugnabit, quominus detur scientia subalternata sine aliquo, quod per accidens considerandum suscipitur; ut exempli gratia Optica sine linea, vel sine visuali, & Musica sine numero, vel sine sonoro; quod tamen à veritate penitus alienum. Insuper considerari possunt, quatenus unum est de ratione alterius, non quidem in recto, sed in obliquo, ut visualitas secundum se spectat ad Physicum, ut scilicet prescindit à ratione mensurę, & mensurabilis & ab apparentia visûs; at linea pertinet ad Geometram. Sic etiam sonus secundum se prout prescindit ab armonia ad Physicam pertinet, numerus autem ad Arithmeticam; at si visualitas consideretur in ordine ad rationem mensurę, & mensurabilis & apparentiam visûs, pendet à linea, & ab angulo, qui se habet, ut principiũ, & radix apparentię visualis; & hoc sensu utrunq; consideratur ab Optica; si autem sonus consideretur in ordine ad armoniam, & concentum, quo afficitur auditus, pendet à numero, qui se habet, ut principium, & radix talis concentûs, & affectionis auditûs, & hoc sensu utrunque consideratur à Musica, & hunc in modum obiectum subalternatę est unum per se, quoniam unum per se in recto considerat Optica videlicet visualitatem linearem, & musica sonum armonicum Optica apparentiam visûs in recto, lineam in obliquo, Arithmetica armoniam in recto, numerum in obliquo; illa quidem lineam ut principium, causam, & radicem apparentię visualis; hęc verò numerum in obliquo, ut principium, causam, & radicem armonię, & tam de linea visuali, quàm de numero armonico formari possunt propositiones per se, & affectiones demonstrari; cumque differentia superaddita prędicetur de obiecto subalternantis, ut visuale de linea, armonicum de numero fit propositio per se, saltem in quarto modo, quatenus effectus per se ad eum prędicatur de sua causa per se, ut cum dicimus intellectus intelligit, voluntas vult.

Secunda difficultas. Secundò; si obiectum subalternatę solùm accidentariam adderet differentiam, sequeretur scientiam subalternantem, & subalternatam solùm accidentaliter differre; hoc autem à veritate tam remotum, quàm quod remotissimum; non igitur differentia superaddita, de qua loquimur, accidentaria esse poterit.

Solutio. Diluitur negando secuturum illud incommodum, propterea quòd non ad eum modum scientiæ, quo earum obiecta distinguntur. Scientia enim de substantia, immò de ente increato, & creato sunt eiusdem generis, quanuis obiecta plus quam genere differant. Ea autem est ratio, quoniam scientiæ sumunt suam distinctionem ab obiectis, non quòd hinc intrinsecùs, sed extrinsecùs tantùm distinguantur; si nanque priori modo distinguerentur, quanta, & qualis foret obiectorum distinctio: tanta, ac talis esset scientiarum differentia. Quanuis igitur obiecta per solam accidentariam differentiam distinguantur, prout tamen sub considerationem cadunt, possunt esse in causa, ut scientiæ essentialiter inter se discriminentur.

Animad. uersio. Hìc porrò summoperè considerandum non quamlibet accidentariam differentiam idoneam esse ad constituendum obiectum subalternatę, sed illam duntaxat, quæ potest esse principium, & radix affectionum, quæ in illa scientia tractandæ suscipiuntur. Ita fit, ut scientia non possit institui de linea alba, vel nigra, vel aliquo alio modo colorata; sed solùm de linea prout potens est sic visum afficere, ut apparentiæ visualis sit causa, quo pacto ad Opticam pertinet; vel prout potest esse causa affectionis auditûs, nimirum ut sonora, quo sensu Echometria de ipsa disputat.

Aliud confirmatio circa differentiam superadditam non posse quasi pro parte formæ. Erat autem secundum, videlicet differentiam hanc, veluti formalem partem habendam, quod non inconsultò dictum existimes; propterea quòd huiusmodi differentia alteri aduenit, illudque contrahit, atque determinat, reditque actu tale, quale erat potentiâ, ut sonorum numero aduenies contrahit illum, atque determinat ad specialem considerationem, scilicet Musicam. Quod autem huiusmodi est, proculdubio formalis pars obiecti existimari debet; ergò differentia, de qua loquimur, accidentaria non utique materialis, sed formalis obiecti pars existimanda.

Prima ratio. Secunda ratio. Præterea; illa obiecti debet formalis pars reputari, pænes quam sumitur considerandi modus, quem scientia seruat; sed ita se habet differentia, quam obiectum subalternatę superaddit obiecto subalternantis; ergò huiusmodi differentia formalis obiecti pars existimari debet.

Prima difficultas. II. Dogm. lib. 1. Aliqui tamen obijciunt, & primò quidem Aristotelis auctoritatem adducunt, ubi ait. *ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ ἁρμονικῆς, καὶ ὀπτικῆς. καὶγὰρ ἑτέρα πῶς ἡ ὄψις, ἢ ἡ φωνὴ, θεωρεῖ, ἀλλ' ἡ γραμμικὴ ἀριθμοί· οἰκεῖα μέντοι ταῦτα φαίνη ἐκείνων. καὶ ἡ μηχανικὴ δὲ ὡσαύτως. Eadem ratio de harmonica, & perspectiua est, neutra namque prout visus, vel prout vox, speculatur, verùm prout linea, & numeri; at hæc, propriæ illorum passiones sunt, Mechanica quoque similiter.*

Solutio. At satis manifestè constat Philosophi consilium, si quidem eo duntaxat tendere videtur, ut doceat Musicam, haud meditari vocem, ut sic, sed ut numero applicatam, ab eodemque tanquam à principio pendentem; unde splendidè docet vocem, & visum esse affectiones numeri, & lineæ, quod forsan id fecit, ut nobis innueret accidentarias huiusmodi differentias ad genus formalis partis esse reuocandas.

Secunda difficultas. Secundò sequeretur duas has disciplinas Musicam scilicet, & Opticam potius Physicas esse dicendas, quàm Mathematicas, denominatio siquidem desumenda foret ab huiusmodi differentia, tanquam à principaliori parte, quæ cum physica sit, denominatio inde desumpta physica esse deberet.

Solutio. Denominatio sumenda quidem est à formali parte, non tamen ut sic, sed quatenus à subiecto materiali tanquam à principio pendet. Cum igitur utriusque disciplinæ Musicæ nimirum, & Opticæ materiale obiectum res mathematica sit, formale autem physica, inde fit, ut denominatio Physico-Mathematica esse debeat, quemadmodum re verâ denominantur, unde mixtæ dicuntur; & quanuis formalis obiecti pars sit præcipua, adhuc tamen utraque subalternata Matheſi dicitur, eo quòd pars materialis est, veluti principium, & affectionum radix, unde fit etiam, ut inter Mathematicas disciplinas adnumerentur.

Tertia difficultas. Tertiò maior est difficultas in eo posita, quoniam subalternata non ostendit affectiones ex natura, & principijs illius differentiæ, sed obiecti potius subal-

ter-

ternantis, siquidem à subalternante principia desumit; ergò non differentia ipsa, sed id, cui differentia aduenit, formalis est pars existimanda.

Huius difficultatis solutionem paulò infra afferemus.

Quartò si subalternata, & subalternans differant ratione materiæ, circa quam versantur, non autem ratione accidentariæ differentiæ aduenientis, procul dubio non hæc, sed illa formalis pars erit appellanda; at ita se res habet, propterea quòd Geometria demonstrat circuli partes difficiliùs inter se iungi, eo quòd maximè inuicem distant; sed eandem demonstrationem Chirurgia quoque contexit, in materia tamen diuersa, nimirum in vulnere, unde ratione materiæ, circa quam versantur inter se huiusmodi discursus distinguuntur; proinde materia ipsa, cui aduenit differentia, formalis potius obiecti dicenda pars, quàm ipsa superaddita differentia.

Hanc etiam difficultatem paulò infra dilutam intelliges.

Erat porrò in ordine tertia conditio subalternationis, ut subalternatæ principia demonstrentur in subalternante. Tametsi autem plerique conditionem hanc inanem existimauerint, eoquòd crediderint inter has duas disciplinas id solum discriminis intercedere, quòd quanuis utraque de ijsdem sit conclusionibus, subalternans tamen illas demonstret per causam, atque demonstratione propter quid, subalternata verò ab effectu, & demonstratione quia.

Nihil tamen improbabilius, ut infra constabit.

Alia inualuit opinio conditionem istam admittens, videlicet subalternatam sumere principia sua à subalternante, in quo tamen non idem Philosophorum sensus, cum aliqui crediderint utriusque pænitus eadem esse principia: Alij autem diuersa, ita nimirum, ut principia, quibus utitur subalternata sint conclusiones in subalternante iam demonstratæ.

Nec in hoc penitus conueniunt, cum ex ijs quidam putarint haud necessarium, ut principia subalternatę vi subalternantis cognoscantur, sed satis, superque esse, ut experientiâ fuerint percepta, atque subalternata resoluere sciat conclusiones suas in principia experimentis cognita, ac explorata.

Alij verò neque hoc necessarium existimant, sed arbitrantur satis esse, ut subalternata cognoscat illa principia auctoritate solùm habentis subalternantem, à quo illa euidenter cognoscantur, atque adeo satis esse, ut solùm per fidem cognita sint. Ex horum itaque sententia si quis non haberet scientiam subalternantem, ac ob id eius conclusiones ignoraret, quæ subalternatę principia sunt, & huiusmodi conclusionibus, atque principijs ob solius docentis auctoritatem præberet assensum, quę euidenter per veram scientiam subalternantem cognita sunt; adhuc haberet scientiam subalternatam, siue haberet cognitionem, quæ scientia, & quidem subalternata diceretur.

Alij tandem rectiùs philosophantes crediderunt huiusmodi principia debere esse perspecta habenti subalternatam vi subalternantis in eodem intellectu existentis, quòd si non haberet subalternantem, cognitio conclusionis subalternatæ nullatenus in intellectu illius scientiæ rationem obtineret, sed potius opinio dicenda foret.

Primus dicendi modus eo nomine reijciendus, quoniam ad eandem scientiam spectat eandem conclusionem utroque demonstrationis genere propter quid, nimirum, & quia demonstrare. Ne commemorem, quòd si subalternans, & subalternata de ijsdem forent conclusionibus, itaut subalternans demonstratione propter quid, subalternata verò demonstratione quia susciperet illas ostendendas, sequeretur habentem scientiam subalternantem cognoscere, immò perfectiori modo id, quod cognoscitur ab habente subalternatam, atq; adeo Arithmeticus foret Musicus; immò longè perfectiori modo Arithmeticus, ut huiusmodi foret Musicus, quàm Musicus ut Musicam habens; sic Geometra foret modo perfectiori Opticus, ut Geometra, quam ut opticam habens scientiam. Accedit, quod dum quis daret operam scientiæ subalternatæ inanem laborem susciperet, assumeret enim imperfectiori modo cognoscendum id, quod perfectiori modo fuerat assecutus. Tandem, quæ facultates obiectis differunt, de ijsdem nequeunt esse conclusionibus; subalternans autem, & subalternata hunc se habent in modum; propterea non possunt de ijsdem esse conclusionibus.

Fatendum igitur omnino subalternatam accipere à subalternante principia sua, quæ conclusiones sunt in ipsa subalternante demonstratæ. Quid colligendũ ex dictis.

Hoc autem ex eo mihi fit euidens, quoniam ubi desinit subalternans, incipit subalternata, quod cuique perspectum erit, si subalternatas cum subalternantibus contulerit. At omnis scientia desinit in conclusione, propterea conclusiones subalternantis principia erunt subalternatæ. Ratione suadetur.

Hic tamen aduertendum, quemadmodum ad subalternationem non sufficit unum, vel alterum principium in aliqua scientia demonstrari, ut ei altera subalternata dicatur, in qua huiusmodi principium adhibetur: ita necesse non est, ut omnia principia subalternatæ in ipsa demonstretur subalternante; sed requiritur, ut magna ex parte principia subalternatæ ab altera demonstrentur, cui subalternari dici debeat. Ita planè se res habet in Musica respectu Arithmeticæ, & in Optica comparatione Geometriæ; videmus enim, & si non omnia, magna tamen ex parte Musicæ principia ab Arithmetica; & principia Opticæ à Geometria demonstrari. Concludendum igitur subalternatæ principia, conclusiones esse subalternantis. Adnotatio

Hoc autem sic intelligendum, ut in eodem intellectu, in quo subalternata sit etiam & subalternans, adeo, ut si quis habeat subalternatam cognitionem, & non habeat subalternantem, in eo subalternata cognitio non mereatur scientiæ rationem; non enim sufficit, ut ille motus auctoritate præceptoris præstet assensum principijs subalternatæ; sed opus est, ut huiusmodi principia cognoscat tanquam demonstrata ab ipsa subalternante, proindeque necesse est, ut probè teneat, & calleat scientiam subalternantem. Supradictorum declaratio.

Hoc inde probari potest, quoniam scientia sui natura postulat, ut certa notitia sit, & euidens ex certis, ac euidentibus immediatisque principijs deducta, quod non solum auctoritas Philosophi, sed etiam ratio conuincit nam, *τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ ἄιτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας. καὶ μέχρι τῶν στοιχείων tunc enim putamus cognoscere unumquodque cum causas primas nouerimus, & principia prima, & usque ad elementa*; non enim intellectus alicui conclusioni acquiescit, nisi possit illam usque ad prima principia resoluere. At non potest hoc fieri, nisi ab habente subalternantem, propterea quòd certitudinem, ac euidentiam quælibet conclusio à principiorum certitudine ac euidentia mutuatur; non enim aliundè habere potest, ut certa sit, ac euidens. 1. Phys.

SECTIO DECIMAPRIMA.

Scientiæ nonnulla attributa expenduntur.

TAmetsi huius contemplationis initio scientiam prout in nobis tractauerimus, considerantes etjam quatenus à nobis potest comparari; absolutè tamen scientiam secundum se nostrâ contemplatione persecuti sumus, arbitrantes opportuniùs iuxta priorem considerationem, de ipsa, Dissertatione sequenti, disputare; nec immeritò, nam ibi futura est tractatio de demonstratione, cuius beneficio nobis scientiam comparare licet. Interim non pigebit pauca quædam attributa scientiæ perpendere.

De Regno Primum scientiæ attributũ.

Ex quibus primum illud occurrit è Platonis sententia, quòd scientiæ omnes mala abijciunt, & bona assumunt, quod adeo clarum, ut superuacaneum sit in eius probatione tempus insumere; neminem enim præterit cuiuslibet scientiæ, proprium id existimandum esse; quandoquidem scientia præstantissima est animi humani dos, qualis profecto non foret, nisi hoc haberet attributum adiunctum; non enim ornatus animi dici posset, nisi mala abijceret, & bona assumeret. Scientiâ ex eodem Platone nihil præstantius, cum semper ubicunque reperiatur, & voluptati, & reliquis omnibus dominetur. Hoc etiam perspicuum est non enim alia ratione licet nobis sensûs affectibus dominari, nisi veritatem contemplando, atque præ oculis illam semper habendo, quod per scientiam efficimus; siquidem solùm inopiâ scientiæ peccant illi, qui circa voluptatum, atque merorum electionem peccant.

In Protagora. Secundũ.

Tertium.

Illud etiam Scientiæ perhibetur attributum, scilicet ut initio sit amarore conspersa; huc pertinet, quod dici solet. *Scientiæ arbor, etsi radices nonnihil amaras habere videatur, fructus tamen quam suauissimos profert.* Enim verò primordia scientiarum sunt veluti radices earundum; quemadmodum enim arbor opitulatione radicum alimenti succum trahit è terra, & hunc in modum adolescit, adeout initio exigua, tractu temporis magnam in molem excrescat: sic etiam scientia principiorum ope nutritur, & augetur; mens enim fœcunditate suâ primordia fouet, ijsq; veritatis alimentum suppeditat, & hoc ipsum scientię per illa impertit, ut inde scientia ipsa magnum incrementum recipiat; utq; radices insuaui minusq; grato sapore gustantur: sic & scientiarum primordia; illæ quidem eoquòd materiâ minus concoctâ, minusque digestâ constant: hæc autem propterea quòd non dum digesta sunt, quod non nisi diuturnitate temporis, pertinacique labore mens assequi potest. Et sanè si quis aduertat, vel Arithmeticæ, vel Geòmetriæ &c. prima elementa, nihil ijs amarius experietur, ut nihil suauius earundem fructibus, cuiusmodi sunt ea, quæ ex primis illis rudimentis deducuntur. Amplius etsi scire, & ignorare inuicem opponantur, scire tamen uno modo, nimirum habitu; & ignorare altero, scilicet actu, nullum est inconueniens. Hoc itaque scientiæ proprium, ut eadem de re quodammodo possit ignorationem admittere. Neque mirum, nam scientia in habitu consistens ita se habet, ut mens per ipsam non actu, sed potestate tantùm cognoscat, seu cognitionem exerceat; nihil igitur obstat quominus actu non cognoscat, atque adeo ignoret aliquid habitu scientiam habens, cum habitus sine actu possit consistere; mens enim induta habitu, est veluti dormiens, actu autem operans est veluti vigilans, ut Stagirites dicebat, si autem dormit, non operatur, licet cum à somno surrexerit, operetur. Signum scientis est posse docere, nemo enim ad scientiæ apicem se peruenisse gloriari debet, nisi cum aduerterit se nullo labore cæteros docere posse. Hoc enim est argumentum scientiam in animo radices altiùs egisse, ac proinde cæteris suaues fructus suppeditare posse, quod est eos erudire. Scire non rectè nequimus, opinari non rectè valemus, per hoc itaque scientia ab opinione secernitur, quandoquidem opinatur etiam ille, qui de re quapiam erroneam habet notitiam, non tamen scit, enimuerò cum errore cohæret opinio; scientia autem non item. Vt enim Sol ingenti fulgore luminis profundas tenebras, ac spissas umbras deijcit: ita scientia claritudine veritatis caliginem ignorationis discutit. Scientis finis est suam ignorationem agnoscere, solus enim Deus sapiens est, cuius est omnia scire. Hoc itaque proprium humanæ scientiæ, quæ plurimum deficit à summa perfectione (undecunque oriatur defectus) quæ de re infra; scientia nanque prout in nobis, non ea est, quæ alioquin foret, nisi mens eam impedita pareret. Ceterum scientiæ plurima nostrâ causâ accidunt, quandoquidem scire, alij volunt, ut sciant, turpisque curiositas est: alij ut sciantur ipsi, nimium amantes illud. *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter*, & turpis est vanitas: alij ut scientiam habeant venalem, solùm pecuniam, vel honorem respicientes, & turpis est quæstus: alij ut alios doceant, & est laudabilis charitatis feruor: alij ut habeant, quo mentem possint dirigere, & ab erratis cauere, & hæc summa prudentia est; frustra enim sapit, qui sibi non sapit: maximè proprium scientiæ est prœire cultum virtutis. Nemo siquidem potest fideliter appetere, quod ignorat, malumque timere nisi illud cognoscat, quod adeo verum ut ad maiorem culpam pertineat, scire quid sequi debeamus, & sequi nolle, quod scimus. Maxime proprium autem; nam dici consueuit datum nobis esse per scientiam ad disciplinam, per disciplinam ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem ire. Veræ scientiæ est afficere, non extollere: nec superbientes, quos impleuerit, sed lamentantes facere; cum enim eâ repletus quispiam fuerit, priori loco se scire appetit, suique iam conscius per illam tanto robustiùs sapit, quanto se infirmum in illa veriùs cognoscit; propterea dicebat Plutarchus. Vt agricolæ lubentiùs vident spicas inclinatas, quam in altum erectas: nam illas fructu quidem onustas intelligunt, has autem inanes: sic adolescentes priusquam in Philosophia profecerint, atque adeo veram scientiam fuerint adepti, plurimùm tument: ubi autem doctrinæ fructum perceperint, sese submittunt. Illud quoque præcipuum scientiæ videtur attributum, quòd ipsa sit veluti lumen, quod de suo lumine lumen accendens, propriam sibi retinet lucem, & accipienti tenebras aufert. Et ut fax quantumuis lucernas multas accenderit nihil de lumine deperdens, eiusdem semper magnitudinis remanet: sic etiam scientia in homine nihil diminuitur, etsi docendi ratione transfundatur in multos; nam re verâ, ut ille dicebat, quemadmodum fontes salientes, si multum aquæ ipsis detrahatur, non solùm non diminuuntur, sed etiam dulciores multo redduntur: ita scientia non decrescit docendi officio, sed longè dulcior euadit; plerumque verò augetur si in discipulos, atque familiares transferatur. His alia multa addi possent, à quibus breuitati studens libenter abstineo.

Marsi. Fic. in Ep. li. 1.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

Nonum.

Decimum.

Greg. Li. Mor.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXVII.

De Demonstratione.

Cùm scientia sit effectus, finisque demonstrationis, summè necessarium erat, primò scientiam ipsam expendere, quoniam effectus ad cognitionem causæ, quemadmodum finis ad notitiam eorum, quæ ipsius gratia sunt, plurimum habet momenti. Ita quidem ad probè, ritèque frænum elaborandum, equi directionem præcognoscere, quæ illius est finis, necessarium omnino. Est porro demonstratio præstantissimum instrumentorum, quibus humana dirigitur mens. Tametsi nanque Syllogismus generatim, commune sit instrumentum huiusmodi directioni conducens; demonstratio tamen præcipuum, velut illud, quo mens præclarissimam notitiam, nempe scientiam atq; sapientiam adipiscitur; nam ut mens ad apprehensionis, atq; iudicij exercitium: ita ad scientiæ consecutionem aliquo indiget instrumento, quod demonstratio dicitur: eoque magis, quo ipsa in hac exercenda operatione, longè facilius decipitur. Hinc non ineptè sapientes Logicæ facultatis finem esse demonstrationem crediderunt, atque Philosopho magnoperè conuenire, communi animi consensione existimarunt. De hoc igitur instrumento nobis hic disserendum, proindeque de natura, & affectionibus eiusdem paucis quoad fieri poterit, ineunda tractatio. Tractationis ordo &c.

SECTIO PRIMA.

An, & quid sit Demonstratio.

Cùm scientia dari possit, certè & ipsa demonstratio; cum enim scientia quædam sit cognitio discursiua, quâ deducitur ex præmissis conclusio; & integra argumentatio ex præmissis ad conclusionem deducens, sit demonstratio; consequens fit, ut datâ scientiâ, dari etiam & demonstratio possit.

Tametsi autem res euidens sit, in ea tamen insignis est difficultas. Cum enim demonstratio debeat esse, ex præmissis euidentibus, atque notioribus conclusione, admissâ demonstratione, trahimur in infinitum; de quacumque siquidem præmissa, perpetuò deberet alia dari demonstratio. Nisi enim utraque præmissa demonstratione fuerit euidenter ostensa, non poterit intellectus illas perspicuè cognoscere, quod tamen est necessarium ad scientiam, cùm hæc euidens, ac certa debeat esse, nec talis esse possit, nisi ex euidentibus, certisque præmissis deducta. Quod cum de præmissis etiam alterius demonstrationis quâ præmissas prioris demonstrationis ostendimus, & ita de reliquis omnibus, dici possit; clarum est futurum, ut intellectus debeat in infinitum abire.

Hoc adeo manifestum quibusdam est visum, ut non aliâ ratione ducti, demonstrationem omnem de medio tollendam crediderint.

Alij verò in non minus absurdum inciderunt; conantes enim scientiam, atque demonstrationem tueri, concedebant omnium etiam principiorum cuius rerumq; demonstrationis dari demonstrationem; sed ut processum in infinitum declinarent, dicebant demonstrationem non fieri per alia ulteriora principia, sed per eandem ipsam conclusionem, quæ ex ijs principijs deducta fuit, adeout circulum in demonstrando concederent.

Proposita tamen difficultas neminem commoueat, cum inde nullum immineat absurdum. Quamuis enim demonstratio constare debeat ex præmissis notioribus conclusione, non propterea sequitur processus in infinitum, neque circulus in demonstrando. Enimuerò dum quispiam arguit; admissâ demonstratione, alterutrum absurdum secuturum, aut nimirum in infinitum abeundum in demonstrando, ut scilicet demonstratio procedat ex præmissis notioribus, ac euidentibus conclusione; aut circulum esse admittendum, ne concedatur processus in infinitum; facilè obuiam itur dicendo demonstrationem perfici, contexique posse ex principijs notioribus, ac euidentioribus conclusione, non tamen per alias demonstrationes, sed per se ipsa; idcircò nullus est processus in infinitum, nullusque circulus. Duo nanque concedenda propositionum genera. Quædam enim sunt propositiones adeo per se notæ, ut cognitâ significatione terminorum, nequeat intellectus dissentiri, huiusmodi est, exempli gratia propositio illa. *Omne totum est maius sua parte.* Si quis enim probè nouerit, quid significet esse maius, quid totum, quid pars, non potest non illi assentiri. Aliæ verò sunt propositiones, quæ non statim cognitis terminis adeo sunt euidentes, ut ei debeat intellectus assentiri, sed indigent medio, per quod demonstrentur, eo quòd extrema, quæ inter se connectuntur, ut & eorum connexio non adeo euidens est; si tamen cum medio connectantur, euidens connexio fit, ex qua ipsorum extremorum connexio tandem euidens deducitur. Prioris generis propositiones immediatè dicuntur; secundi autem mediatè; illæ sunt per se notæ, hæ autem per alias; illæ sunt prima principia, ad quæ cum intellectus peruenerit, non amplius progreditur, sed in ipsis sistit, utpotè notis naturæ lumine; hæ autem sunt conclusiones, quarum veritas ex cognita veritate primorum principiorum innotescit. Non igitur abeundum in infinitum, quoniam peruenitur ad propositiones naturæ lumine notas, quarum veritas sine ullo discursu obuia est; & ob eandem causam nullus contingit circulus, quoniam ad illas propositiones deuenitur, quæ nulla ratiocinatione cognoscuntur.

Non dissimulandum tamen aliquando contingere, ut intellectus utatur principijs, quorum veritas non est nota naturæ lumine, cuiusmodi sunt principia Physica, & idcirco videtur adhuc difficultas urgere. Sed hoc nihil est, nam huiusmodi principia, quanuis naturæ lumine nota non sint, nec eorum veritas ex perceptione terminorum innotescat; non omni tamen sunt destituta præsidio, propterea quòd experientiâ cognoscuntur, sensuumque ministerio nota fiunt, de quibus infra cumulatius agendum. Quandoque principia non sunt nota naturæ lumine.

Hinc scientiæ non sunt æque certæ, ac euidentes; illa enim, quæ ex principijs per se notis, ac simpliciter primis deducitur, ut Matheſis, summum habet euidentiæ, ac certitudinis gradum. Quæ autem infertur ex principijs alterius generis, quæ dicuntur non simpli-

citer prima, inferioris est certitudinis, ac euidentiæ, ut naturalis Philosophia &c.

Quid sit demonstratio explicuit Philosophus geminâ definitione, si tamen secunda existimanda sit definitio, cum alioquin à quibusdam credatur potius enumeratio quædam conditionum demonstrationis.

1. Post. Text. 6 Prima est illa demonstrationis definitio, quam ipse tradit dicens, *Demonstrationem autem dico syllogismum, scientialem, scientialem autem dico secundum quem eò quòd ipsum habeamus, scimus.* Quam definitionem Interpretes paucis perstringendo, ita concipiunt. *Demonstratio est syllogismus scientalis, seu qui parit scientiam.* Vbi *syllogismus*, ponitur loco generis, quo excluduntur non solùm omnia illa instrumenta, quæ ad priores duas operationes intellectûs dirigendas conducunt, sed etiam alia, ex ijs, quæ deseruiunt intellectui ad dirigendum discursum, uti sunt aliæ à syllogismo argumentationis species, nempe *Consequentia, Enthymema, Inductio, & Exemplum;* propterea quòd demonstratio procedere debet ex medio distincto à conclusione, & scientia propriè est de consequenti distincto ab antecedenti, unde demonstratio nequit esse mera consequentia per conuersionem eiusdem propositionis, vel per descensum à propositione uniuersali ad particularem. *Exemplum* solùm probabiliter, *Demonstratio* autem certò concludit. Sic etiam *Inductio*, quæ vel tantùm probabiliter concludit; vel ad syllogismi formam reduci debet. *Enthymema* tandem, ut efficax sit, reduci debet ad syllogismum per additionem alicuius ex præmissis. Immò *Enthymema* potius in voce, quàm in mente datur; unde fit, ut omnis demonstratio syllogismus esse debeat. Particula verò altera, nempè *scientialis* differentiæ munere fungitur, per quam constituitur, & determinatur demonstratio, & ab omni alio syllogismo distinguitur, siue sophistico, siue dialectico. Demonstratio propterea dicitur syllogismus pariens scientiam conclusionis, atque adeo secundum quem eò quòd ipsum habeamus, scimus.

Supradictorum explicatio, & difficultas. Hæc definitio censetur tradita per effectum, vel finem, qui est scientia; vel per differentiam essentialem explicatam per ordinem ad effectum, & finem. Hac tamen in re, difficultas non exigui momenti, propterea quòd actus scientiæ est intrinseca pars demonstrationis, non effectus, & finis; vel demonstratio dici debet potius discursus scientificus, siue ipsa scientia, quàm causa ipsius.

Solutio. Aduertendum propterea quodlibet instrumentum sciendi, atque adeo syllogismum usurpari multifariam posse, vel nimirum per modum ideæ, vel in actu exercito; præterea vel ut dicit præmissas, & conclusionem, vel solas præmissas, vel solam conclusionem, quod etiam de demonstratione intelligendum, cum

Prima assertio. syllogismi quædam sit species. His diligenter adnotatis, haud multi laboris erit decernere, quid in re proposita dicendum. Si namque demonstratio fuerit accepta, velut idea, cuius instar demonstratio omnis contexenda sit, quemadmodum cætera instrumenta sciendi sumi possunt, ad eum modum dicetur causa, quo exemplar dicitur; concurrit enim instar prototypi, siue exemplaris ad scientiæ consecutionem; nam intellectus ad hanc respiciens ideam, in hac, vel illa materia demonstrationes conficit, ac proinde scientiam adipiscitur. Si igitur demonstratio hoc modo sumpta, dicatur hîc definita, dicetur scientiæ causa modo nuper à nobis explicato. Non dissimulandum tamen, hanc minus propriam usurpationem esse demonstrationis, cum eam dicimus esse causam scientiæ.

Secunda assertio. Si autem, dum hîc definitur demonstratio, dicamus eam accipi in actu exercitò, & quidem formaliter; scientia verò accipiatur, prout in actu consistit, quæque est conclusionis cognitio; demonstratio dicetur scientiæ causa, non prout dicit præmissas, & conclusionem, sed præmissas duntaxat, quæ tametsi non sint propriè causæ efficientes à quibus producatur conclusionis cognitio; se tenent nihilominus ex parte causæ, nimirum intellectûs, cum hic determinetur ab illis ad præbendum assensum conclusioni.

Si verò sumpta fuerit scientia, prout in habitu consistit, demonstratio, siue accepta pro conclusione, siue pro præmissis, dicetur causa scientiæ; cognitio siquidem conclusionis est causa habitûs illi respondentis; & quoniam cognitio conclusionis pendet à præmissis, propterea conclusionis cognitio, proxima quidem, præmissarum autem remota dici debebit causa scientiæ hunc in modum acceptæ; habitus enim scientiæ procreatur ab actu, nempe conclusione formali proximè, remotè autem à præmissis. Tertio loco.

Quòd si demonstratio fuerit accepta, ut aiunt obiectiuè, hoc est pro obiecto cognitionis, quæ dicitur demonstratio, tunc demonstratio ipsa dicetur scientiæ causa ad eum modum, quo obiectum dicitur suæ cognitionis causa. Ex commemoratis modis videtur ille magis ad rem, nempè cum demonstratio sumitur, vel prout solùm dicit præmissas, quo pacto dicitur causa scientiæ modo nuper explicato. Vel etiam pro toto aggregato ex cognitione præmissarum, & conclusione; quanuis enim conclusio non sit effectus, aut finis extrinsecus, est tamen quodammodo intrinsecus, nimirum quædam pars intrinseca demonstrationis, effectus tamen, & finis alterius partis, sic enim demonstratio definiri dicetur per effectum, & finem intrinsecum, nimirum qui ita est pars, ut sit effectus, & finis alterius partis. Quarto loco.

Cæterum, cum Philosophus in hac definitione scientiam commemorat, scientiæ nomine videtur intellexisse eam, quæ perfecta est, quam priùs definierat, videlicet illam, quæ per causam comparatur.

Secunda est ab eodem tradita definitio demonstrationis hæc. 1. Post. text. 7 Ἐπίσταθαι δὲ τὸ ὑπάρχειν οἴεσθαι τὸ αἴτιον εἶναι τοῦ πράγματος, ἐξ ἀνάγκης τοῦτο εἶναι, καὶ ὡς τοῦτον, ἀρχὴν καὶ αἰτίαν τοῦ γνωρίσαι τὸ συμπέρασμα. *Si igitur scire est, vt posuimus: necesse est etiam demonstratiuam scientiam ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis.* Vnde illud effluxit. *Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis prioribus, notioribus, & causis conclusionis.* Cuius definitionis hic intellectus, ut quædam conditiones per hanc definitionem exprimantur demonstrationis, è quibus quædam conueniunt præmissis in se, & absolutè spectatis, & ut propositionibus; quædam autem in ordine ad conclusionem, & vt eius principia sunt. Primò ponitur in definitione, vt præmissæ *sint veræ*, cum enim conclusio, in qua scientia consistit, vera esse debeat, siquidem id scientia suî naturâ postulat, conclusio verò sit ex præmissis illata, debebunt etiam veræ esse præmissæ; quanuis enim ex falso quandoque sequatur verum, hoc est per accidens, & ratione formæ syllogisticæ, non autem per se, & ratione materiæ. Imò illud etiam addi potest, quòd licet conclusio illa secundum se spectata vera sit, tamen ut ex illis premissis deducta, est falsa, quoniam hoc modo vim illatiuam præmissarum includit, quatenus conclusio est effectus, præmissæ autem se tenent ex parte causæ. Conditiones præmissarum secundum se.

Falsum est autem conclusionem veram esse effectum respectu falsæ præmissæ; intellectus enim præstat assensum conclusioni determinatus per assensum præmissa-

rum.

sum, sed quando intellectus, qui est verè causa conclusionis, ex falsis præmissis conclusionem ipsam deducit, tunc decipitur, & delusus operatur, adeout conclusionem eliciat veram, non per se veritatem ex præmissis deducendo.

Secundò dicitur, vt præmissę *sint primæ, & immediatæ*, quę quidem particulę quanuis ab aliquibus existimentur distinctę, pro eodem tamen sumuntur, solùmque videtur Philosophus adiunxisse particulam illam *immediatis* ad significandum non eodem sensu hîc accipi particulam *primis*, quo sumitur particula *prioribus*. Debent igitur demonstrationis principia esse quidem immediata, hoc est indemostrabilia per aliud medium, à priori tamen vt aiunt, & in eodem genere; & quidem à priori, siue per causam, quia nihil obstat, quominus à posteriori, & per effectum demonstrentur. Dicitur etiam in eodem genere, eò quòd non repugnat causam unam demonstrari per aliam alterius generis, adhuc enim dicetur prima, & immediata in proprio genere. Huius autem conditionis ratio satis obuia; si nanque principia forent demonstrabilia, & euidentia per alia, & hęc rursus per alia, abeundum esset in infinitum, quod non est admittendum; quamobrem deueniendum est ad principia quędam indemonstrabilia, & per se nota, in quibus sistendum sit tanquam in immediatis, ac in indemonstrabilibus per aliud medium prius, & intimius subiecto, non enim aliâ ratione processus in infinitum vitari potest.

Hîc tamen obseruandum è principijs aliqua dici indemonstrabilia formaliter, eòquòd se ipsis talia sunt; alia autem virtualiter, si videlicet euidentiam habeant ab alijs principijs prioribus, per quæ demonstrari possint, ita tamen, ut demonstrationem conficiens sciat illa resoluere in priora principia. Tametsi autem principia formaliter indemonstrabilia sint ad perfectissimam demonstrationem requisita, ad perfectam tamen demonstrationem sufficere possunt principia, quæ virtute solùm immediata dicuntur, quemadmodum se habent principia scientiæ subalternatæ, quæ virtute tantum immediata dicuntur, & quibus contenta est huiusmodi scientia; si tamen sciens, & habens scientiam subalternatam per scientiam subalternantem sciat illa resoluere, tanquam conclusiones eiusdem ad prima principia formaliter immediata.

Hæc autem principia complexa sunt, quæ per integras propositiones significantur, ptoindeque sunt affirmatiua, & negatiua; & quidem prioris generis principia sunt, quæ non habent causam, cur prædicatum insit subiecto; ut quando definitio essentialis, aut proprium genus, vel differentia prædicatur de definito, & cum prima affectio de definitione dicitur, & in uniuersum quandocunque effectus de sua proxima causa prædicatur. Hæc ut clariùs intelligas exemplis declarabo. Hominis definitio essentialis perhibetur *animal rationale*, quando igitur hæc definitio de homine enunciatur, dicendo *homo est animal rationale*, fit principium formaliter immediatum. Sic etiam simile principium fit cum genus proximum, nempè animal de homine prædicatur dicendo *homo est animal*. Non absimili modo cum essentialis enunciatur differentia *rationale*, ut cum dicimus *homo est rationalis*. Ita pariter, cum prima affectio prædicatur de definitione; nempe admirativum de animali rationali dicendo, animal rationale est admirativum; at non ita se haberet propositio quâ dicitur *homo est sensibilis*, quoniam per animal ostendi potest; nec etiam hæc *homo est risibilis*, quoniam per rationale potest ostendi. In scientia igitur de homine, hęc erunt principia prima formaliter immediata, super quibus uniuersa de homine disciplina struitur, ac stabilitur. Hoc idem in alijs quoque disciplinis licebit intueri. Quòd si propositiò fuerit, quę per medium aliquod ostendi possit, ut ex nomine liquet, propositio immediata dici non poterit, cuiusmodi est hęc *omnis homo est risibilis*.

Complexa principia secundi generis, negatiua, nuncupata, ea sunt, in quibus extrema se ipsis distinguuntur nullo intercedente medio, cuiusmodi foret hæc propositio *animal rationis particeps non est rugibile*, nullum enim suppetit medium, cuius beneficio possit ostendi, sed sui naturà huiusmodi propositionis extrema seiuncta sunt. Secus autem hæc *homo non est arbor*, hæc enim immediata non est, cum per animal possit demonstrari.

Complexa principia secũdi generis.

Hucusq; conditiones explicuimus, quæ conueniunt præmissis in se, & absolutè spectatis. Nunc de conditionibus earundem in ordine ad conclusionẽ, quales sunt, quæ sequuntur. *Prima* conditio est, ut principia collata cum conclusione sint *priora, notiora, causæq; conclusionis*. Principia igitur complexa, de quibus loquimur debent esse causæ conclusionis, eo quòd scire perfectum est rem per causam cognoscere; quare principia, siuè præmissę debent esse causæ conclusionis, quod non sic intelligendum, ut cognitio præmissarum, sit causa, vel se teneat ex parte causæ, nimirum intellectûs, qui est cognitionis cuiuscumque, atque adeo illius, quæ est conclusionis, causa; sed causæ dicuntur, quoniam in se continere debent medium, quod sit causa inhærentiæ prædicati in subiecto conclusionis. *Vt omne animal rationale est admirativum; omnis homo est animal rationale, sunt* principia, quæ dici possunt causæ istius conclusionis, nimirum *omnis homo est admirativus*, eòquòd in ipsis continetur rationalitas, quæ est causa, cur admirativum homini conueniat.

Conditiones præmissarum in ordine ad conclusionem.

Hîc tamen adnotandum causam in uniuersum bipartitò diuidi, siquidem una dicitur in cognoscendo, altera verò in essendo. Prima est ratio, cur aliquid ab intellectu cognoscatur, quo pacto si per effectum causa cognoscatur, effectus respectu causæ dicitur causa in cognoscendo; ita dum cognoscimus rationale per risibile, hoc respectu illius, causæ, scilicet in cognoscendo, rationem obtinet. Secunda dicitur, à qua aliquid in esse dependet, quæ pariter in cognoscendo causa est, dum per ipsam effectus cognoscitur; unde dicitur in essendo, & cognoscendo simul; ut cum risibile per rationale cognoscimus, rationale siquidem, tam in essendo, quàm in cognoscendo risibilis comparatione causa dicitur.

Causa bifariam sumitur.

Hæc autem in duplici discrimine est, cum una sit formalis, seu propria, quæ scilicet verè effectûs, seu physica, seu metaphysica causa est; alia virtualis dicitur, quæ propriè non est causa, sed ita in ordine ad aliud se habet, quod si illud ab aliquo penderet, id non nisi ab eo proueniret, quo sensu *immutabilitas*, causa dicitur æternitatis in Deo, & *infinitas* in eodem, dicitur causa incomprehensibilitatis. Cum igitur dicitur demonstratio propter quid, vel ut aiunt, à priori, per causam procedere, causæ nomine intelligendum, non solùm illa, quæ est in cognoscendo, sed etiam, quæ re ipsâ in essendo causa est, siue formalis, siue virtualis causa sit.

Causa duplex nempe formalis, & virtualis.

In hanc sententiam adducor, quoniam nisi admittamus sufficere causam virtualem iam explicatam ad conficiendas demonstrationes, nullæ forent Mathematicæ disciplinæ; in Geometria siquidem ostendimus *omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis*, at manifestum demonstrationem per virtualem duntaxat procedere, siquidem habere tres angulos æquales duobus rectis, non est quidpiam re ipsâ

distinctum à triangulo; proindeque, cum hoc de triangulo demonstretur, non nisi per virtualem causam ostendi potest. Hoc igitur causæ genus ad perfectam demonstrationem propter quid contexendam sufficere fatendum erit; hoc itaque modo præmissæ, conclusionis causæ dici debent, quæ erat una ex conditionibus præmissarum in ordine ad conclusionem. *Secunda* conditio ex hoc eodem genere est, ut præmissæ sint *priores conclusione*. Vbi adnotandum conditionem hanc longè differre ab illa, quòd præmissæ sint primæ; nam tales dicuntur respectu antecedentium, eoquòd priores non habeant, per quas demonstrentur, atque adeo immediatæ dicantur; sed priores appellantur per ordinem ad conclusionem, propterea quòd sunt causæ modo iam explicato, proindeque priores esse debent, quoniam omnis causa, omnisque ratiose tenens ex parte causæ, prior esse debet effectu, cum igitur in præmissis demonstrationis propter quid contineatur causa conclusionis, consequens fit, ut præmissæ priores dici debeant conclusione tanquam effectu suo, atque adeo absolutè priores dicantur.

Tertia, atque postrema conditio est, ut *præmissæ sint notiores conclusione*, sunt enim causæ in essendo, & cognoscendo simul, quando præmissæ sunt demonstrationis propter quid, ob id conclusio certitudinem omnem, ac omnem euidentiam desumit ex præmissis; propterea notiores esse debent conclusione, quod ex eo axiomate fit euidens, nimirum, ἀεὶ γὰρ δὶ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. *Semper enim id magis tale est, propter quod unumquodque est* tale. Seu ut vulgò dicitur. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, sed intellectus assentitur conclusioni propter præmissas; ergò multo magis debet præmissis assentiri.

2. Post. text. 1.

Aliqua tamen circa prædictum axioma consideranda occurrunt, difficultates enim non desunt, quibus videtur eius veritas infirmari, quę ut probè constet, limitationibus quibusdam est opus, quibus est præmittendum huiusmodi axioma propositionem esse causalem, quę propterea verificatur in ijs, quæ se habent, ut causa, & effectus, eiusque veritas ex eo pendet, quoniam nulla causa, si totalis fuerit, præsertim spectans ad efficientis genus, & in uniuersum nulla saltem ut causa, ac independens causat effectum se ipsâ nobiliorem, ut enim huiusmodi, maiorem dicit perfectionem quàm effectus, independentia siquidem perfectionem, dependentia verò imperfectionem importat; ita fit, ut commemoratę conditiones ad huiusmodi axiomatis requisitę præcipuè sint illę, ex quibus pendet maior perfectio causę respectu effectus. Conditiones autem, atque adeo limitationes plures recenseri solent, ad has tamen videntur commodè reuocari, quarum.

Prima cõditio.

Prima annumeranda conditio, ut id, de quo fit sermo, dum instituitur comparatio cum effectu, sit verè causa influens in illum; quâ ratione non sequitur, *corpora cælestia in hæc influunt inferiora per motum; ergò motus magis influit*; nam motus, non causę, sed conditionis rationem sibi vendicat. Immò causa debet esse totalis, & per se.

Secunda.

Secunda conditio ea est, ut prędicatum, in quo fit comparatio, competat formaliter tam causę, quàm effectui; proinde non valet, *compositum tale est propter formam, & propter materiam; ergò utraque debet esse magis composita*. Hęc enim est ratio, non quia utraque sit causa partialis, & ad veritatem axiomatis requiratur, ut causa totalis sit; propterea quòd utraque in suo genere totalis causa est. Præterea non sequitur *Socrates deambulat propter sanitatem; ergò sanitas magis deambulat*.

Tertia.

Tertia conditio est, ut id, quod effectum denominat talem, proueniat à causa quatenus tali; ita non sequitur *Domus est alba propter ædificatorem; ergò ædificator est magis albus*; quoniam etsi ędificatori comparat albedo, ędificatoris tamen albedo non est causa, à qua domûs albedo proueniat.

Quarta.

Quarta ea est conditio, ut forma in qua comparantur, suscipiat magis, & minus; hinc propterea non sequitur *Antonius est homo propter Franciscum; ergò Franciscus est magis homo*.

Quinta.

Quinta, atque postrema conditio est, ut particula *magis*, & *minus* haud necessariò semper intensionem, & remissionem graduum importet; sed quandoque maiorem perfectionem quo ad modum habendi talem formam, quia videlicet cum maiori independentia; ut si aer sit calidus, ut quatuor, & calefaciat aquam etiam ut quatuor, adhuc aer dicetur magis calidus, quoniam particula *magis*, non importat maiorem intensionem in aere, quàm in aqua, sed perfectiorem modum possidendi, quoniam aer cum maiori independentia possidet calorem, utpote causa.

Adhuc tio.

Hoc tamen ut exemplum accipias velim, propterea quòd non huius est loci decernere, an aer sit calidus, quemadmodum & aqua ratione qualitatis, quæ dicatur calor; an potius admixtione calidæ substantiæ, quæ analogicè qualitas dicitur, velut illa, à qua habetur denominatio per modum qualis, & ei possunt aptari, aliquo modo ea, quæ calori conuenirent, si calor qualitas propriè foret, unde, & intensio, & remissio, licet per analogiam, qua de re in Physicis.

Primum fic. non esse primum cau. dicendum.

Aduersus tamen dicta quædam occurrunt, non enim videtur admittendum ex falso verum deduci non posse, nam ex æternitate motûs, cum tamen falsum sit motum æternum esse, rectè colligimus Mocorem primum exitisse, quod verum est.

Solutio.

Hoc tamen per accidens est, nam ratione formæ syllogisticæ colligitur vera conclusio. Vt præterea conclusionem hanc veram esse spectatam secundum se, non ut illatam ex præmissis.

Secunda difficultas.

In demonstratione ducente ad impossibile una ex præmissis est falsa, cum tamen ex ijs inferatur conclusio vera.

Solutio.

Sed in hoc demonstrationis genere negatiuè concluditur, & falsa propositio assumitur sub conditione, si vera foret, ut si quis arguat, *si homo haberet alas, sequeretur posse volare; consequens falsum; ergò & id unde sequitur*. Maior assumitur sub conditione, si vera nimirum esset. At hic sermo est, non de demonstratione deducente ad incommodum, sed de illa, quæ est ostensiua, & non de quacumque, sed de ea, quæ est propter quid, quæque per causam procedit, in qua non assumitur propositio sub conditione si vera sit, sed absolutè vera; propterea difficultas nullius momenti est.

Tertia fictio.

De Infinito, & Vacuo, quæ sunt non entia, multa demonstramus, & conclusiones veras colligimus, cum tamen præmissæ in huiusmodi discursibus non nisi falsæ possint adhiberi; licebit igitur ex falso verum colligere.

Solutio.

Tametsi autem infinitum, & vacuum entia positiua non sint, nihil tamen prohibet, quominus veras propositiones efformemus, si non affirmando prædicatum positiuum, saltem illud negando, unde ex præmissis non falsis, sed veris, veram conclusionem deducimus.

Primum fictum non esse primum causam dicendum.

Aduersus conditionem alteram sensu à nobis tradito, illud negotij facessit, quòd causæ virtuales, causæ non sint, nisi secundum nos, non autem ex rei natura; ergò si illæ intelligantur causæ munus exercere, intelligitur falsum.

Digitized by Google

At non intelligitur falsum, si benè res explicetur, quoniam virtuales causæ sunt etiam re ipsâ tales, quatenus una perfectio in re est ratio, cur altera illi insit, unde præcisâ dependentiâ, verum est illam esse causam, quæ propterea virtualis dicitur.

Præterea causa etiam in cognoscendo tantùm, virtualis causa dici potest; proindè sequeretur demonstrationem ab effectu dicendam esse demonstrationem propter quid.

Demonstratio ab effectu dici non potest propter quid, quoniam effectus dici non potest virtualis causa, ad quam requiritur, ut sit ratio quædam, merito cuius aliqua perfectio inest illi, in quo talis virtualis causa inesse dicitur.

Amplius, sequeretur de principijs dari scientiam, cum apprehensio terminorum, quibus principia continentur, virtualis causa dici possit notitiæ conclusionis.

Neque hoc sequitur incommodum, quoniam ut aliquid habeat rationem causæ virtualis, ratio esse debet, cur alicui prædicatum insit, quod certè principijs absolutè primis non conuenit, cum non detur ratio, cuius merito prædicatum subiecto insit. Quod autem apprehensio terminorum, quibus illa constant, virtualis causa dicatur notitiæ conclusionis, ideo est, quia apprehensio terminorum præsuponitur ad iudicium ferendum de principijs, ut ex ijs conclusio deducatur.

Aduersus tertiam conditionem, quòd præmissæ debeant esse notiores conclusione, atque adeo contra axioma illud, propter quod unumquodque tale, & illud magis, multa dicenda occurrunt.

Primò quidem, quoniam tam obiectum, quàm species ipsius cognoscibilia sunt, non propterea tamen sequitur obiectum cognoscitur propter speciem, & simulacrum ipsius; ergò species magis cognoscitur, cum vel species ipsa nullo modo cognoscatur, ut patet de specie sensibili, non enim visus videt imaginem obiecti, quanuis per hanc illud videat. Et si cognoscitur, saltem non per illum actum, cui species deseruit, ut de specie intelligibili perspicuum est, nam intellectus illam intelligit, non tamen eo actu, cuius species principium fuit, sed actu diuerso, unde saltem loquendo de actu, cuius ipsa principium est, non sequitur obiectum intelligitur propter speciem; ergò species magis intelligitur.

Facilè diluitur, ideò enim non sequitur, quoniam species non est causa totalis respectu cognitionis, neque concurrit, quatenus est cognoscibilis, ut *quæ*, sed potius ut *qua*, nimirum qua repræsentatur obiectum; ita fit ut prima conditio in hoc casu desit, quæ erat ut causa sit totalis. Desit etiam, & tertia, nempè ut id, quod effectum denominat talem, proueniat à causa, quatenus tali, at obiectum denominatur cognitum ratione speciei, non tamen quatenus hæc cognita sit.

Ceterum suppono hic speciem esse talem, qualem Peripatetici adstruunt, & cognitionem fieri, ut ipsi dicunt; siue sermo sit de cognitione intellectiua, & specie intelligibili; siue de cognitione sensitiua, & specie sensibili; quomodo tamen se res habeat opportuno loco disputandum.

Insuper non sequitur filius est parvus propter patrem; ergo pater est magis parvus; & quamuis ipse parvus sit, non benè tamen infertur, ex eo quia pater sit parvus; ut insuper non sequitur, filius est magnus propter patrem; ergo pater magis erit magnus; & quamuis ita sit, non bene tamen infertur, ex eo quia filius sit magnus.

Ideo hæc non sequuntur, quoniam deest tertia conditio, non enim filius parvus est à patre quatenus parvuo, nec magnus est à patre quatenus magno.

Amplius quemadmodum eoquòd medicamentum est expetendum propter sanitatem, sanitas ipsa est magis expetenda: ita etiam quoniam præmissæ sunt euidentes propter conclusionem; sic & conclusio erit magis euidens. Tertia difficultas.

Neganda tamen est paritas ob defectum tertiæ conditionis; conclusio enim ut finis non est causa euidentiæ conclusionis, sed est causa amabilitatis ipsarum; idcircò si ipsæ non aliundè haberent, ut essent appetibiles, utique sequeretur; præmissæ sunt appetibiles propter conclusionem; conclusio propterea magis erit appetibilis, & hoc modo paritas currit cum medicamento respectu sanitatis, hæc enim se habet, ut finis, estque ratio ob sui appetibilitatem, ut medicamentum sit appetibile. Talia igitur sunt complexa demonstrationis principia, quæ præmissæ dicuntur, de quibus iterum paulo post sermo redibit. Solutio.

Cæterum è duabus præmissis definitionibus prior dicitur formalis, quoniam traditur per scientiam, quæ demonstrationis est finis, at verò finis ad formalem causam reducitur: vel etiam dici potest definitio tradita per differentiam circumscriptam per ordinem ad scientiam, tanquam ad effectum, qui finis induit naturam; altera verò definitio materialis appellatur, utpote tradita per conditiones præmissarum, quæ materiæ locum obtinent in demonstratione. Animaduersio prima.

Non præteundum tamen, quod à quibusdam animaduersum fuit, hanc non tam demonstrationis esse definitionem, quàm enumerationem quandam conditionum eiusdem, ut scientiam parere possit, & quidem simpliciter dictam, atque adeo perfectissimam; nam hactenus tradita intelligenda sunt de demonstratione propter quid, quæ ex causis primis, & immediatis, siue proximis, & adequatis ad ostendendam conclusionem procedit; ideò dicitur propter quid, quoniam non solùm ostendit prædicatum conuenire subiecto in conclusione, sed etiam reddit causam, propter quam illi conueniat. Animaduersio altera.

Vt autem explicetur demonstratio, prout communis ad propter quid, & quia, quo pacto discursus erit quidam à topico distinctus, rectè dicetur cum Philosopho *Demonstratio generatim accepta est syllogismus constans ex principijs veris, aut primis, aut talibus, quæ ex primis suæ cognitionis sumpsere principium*. Quod ex eo constat, quoniam hæc definitio traditur per disiunctionem, nempè *veris*, aut *primis*, principia enim demonstrationis *quia*, sunt vera, licet non prima, ac immediata. Cum enim ibi distinguere volens syllogismum topicum, siue probabilem à demonstratiuo utriusque definitionem attulerit, syllogismus verò topicus maximè differat ab omni demonstratione etiam *quia*, illumque definierit, qui constat ex probabilibus; consequens fit, ut ibi Philosophus demonstrationem definierit generatim, prout communem demonstrationi propter *quid*, & *quia*, & ut constantem ex principijs euidentibus, quanuis talia reddantur à posteriori, vel per inductionem innotescant. Definitio demonstrationis generatim acceptæ.

Itaque demonstratio in uniuersum huiusmodi erit, nempe Syllogismus ex euidentibus constans principijs, utcumque hæc sint euidentia, ut nuper fuit explicatum. At demonstratio propter quid erit syllogismus faciens scire, & quidem simpliciter, hoc est pariens scientiam perfectam. Vel dicetur syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis. Tametsi enim his verbis videatur Philosophus voluisse, non tam definire demonstrationem propter quid, quàm numerare conditiones principiorum eiusdem, requisitas ad scien- Conclusitur qui sit demonstratio.

scientiam pariendam; non obscurè tamen constabit ratio ex ijs conditionibus contexendi definitionem demonstrationis prædictæ.

Supereſt igitur, ut explicetur natura demonstrationis *quia*. Sed cum hoc demonstrationis genus non uniusmodi sit, propterea ivuabit quædam præmittere, nempe demonstrationis partitionem in species suas, propterea sit hoc sectionis sequentis argumentum.

Difficultas. Cæterum silentio præterire non possum temeritatem quorundam dicentium demonstrationem nomine celebrem esse, re tamen nullam; hi porrò sunt, qui dicunt Aristoteli visum fuisse scientiæ quidem instrumentum demonstrationem esse, Platoni autem definitionem; ex horum sententia qualem Aristoteles demonstrationem descripsit, in nullo rerum genere licet reperire, quoniam non in primis illis entibus separatis, ut ipsi dicunt, quæ vel nullam causam habent, vel si habent ullam, ea non est per se tam nota, ut principium demonstrationis esse possit. Non in naturalibus, quæ necessaria non sunt, sed solùm ut plurimum euenientia, nec uniuersalia, nec per se nota. Non in Mathematicis, quoniam in ipsis nullam apud probatos scriptores earundemque celebriores magistros datum est obseruare demonstrationem ijs conditionibus præditam, quas illi philosophus adscripsit. Multo minus in rebus humanis, cum hę nullam secum necessitatem habeant. Hinc inferunt nullam demonstrationem constrŭi, nullamque scientiam comparari posse, si modo sola demonstratio scientiam parit. At Plato, inquiunt, definitione cuiuscunque rei scientiam acquiri pluribus locis affirmauit, dicens ad eam inueniendam aptissimum instrumentum diuisionem esse. Aristoteles autem cum tam magnifice de ea loquitur, nullam scientiam nobis eius præsidio comparari dicit, eoquòd nulla demonstratio reperiatur, quod ex illis verbis colligunt. 2. Diuin. cap. vlt. Καὶ τοι πᾶσα μάθησις διὰ προγινωσκομένων ἢ πάντων, ἢ τινῶν ἔστι, καὶ ἢ δι' ἀποδείξεως, ἢ δι' ὁρισμῶν. *Tanquam omnis disciplina per præcognita vel omnia, vel quædam est, atque vel per demonstrationem, vel per definitiones.* Cum autem demonstratio in rerum natura non sit, per ipsa certè nullam scientiam acquirere licebit, proindeque si quæ scientia datur, quæ profectò datur, non nisi per definitionem poterit comparari.

Solutio. Hos autem decepit non aduertisse scientias, seu disciplinas gemino modo spectari, vel pro ut re ipsâ in humana residet mente: vel prout suaptè naturâ dari possunt. Iuxta priorem usurpationem, ultrò fatendum sic imperfectas esse, ut in ipsis nulla reperiatur demonstratio, qualem Philosophus delineatam reliquit; negandum tamen iuxta posteriorem, propterea quòd quælibet disciplina inspecta secundum se, talis est, ut exposcat per demonstrationem à Philosopho descriptam comparari; proindeque negandum in disciplinis iuxta significationem hanc usurpatis non dari demonstrationem iuxta leges ab Aristotele promulgatas. Iniuriâ igitur Stagiritæ doctrinam subsannant, ipsumque carpunt eo nomine, quòd oleum operamque perdiderit in eo elaborando, quod nullius sit usûs. Enimverò nullum est instrumentum aptius, nullumque magis accommodatum ad scientiæ consecutionem, quàm demonstratio; non propterea tamen eximius Præceptor definitionem negligit, quin potius egregiis laudibus extollit, velut illam, quæ uniuscuiusque rei naturam aperiendo demonstrationi deseruit, siquidem hæc cum fuerit omnibus absoluta numeris; quæque potissima nuncupatur, definitione indiget, hâc tamen acceptâ non pro illa, quæ solùm terminorum positione à demonstratione secernitur, coquòd causam ipsa contineat; sed pro altera, de qua non multo postea nobis futurus est sermo.

Fit satis Aristotelis auctoritati. Ad auctoritatem autem illam Aristotelis quod attinet; satis mirari non possum eos inde colligere voluisse demonstrationem vanum esse figmentum, ac in disciplinis nullius esse usûs, quasi definitione duntaxat nobis datum sit illas adipisci; propterea quòd inde colligere tantùm licet scientiam usurpari non modò pro illa cognitione, quam intellectus habet de re pro ut alicui affectioni subiecta, seu pro cognitione, quæ probat aliquid de aliquo, sed etiam pro illa, quâ rei naturam attingit, & quâ alterum alteri non tribuitur; non solùm enim dicimur scire, dum per causam cognoscimus attributum conuenire subiecto, quod præsidio demonstrationis assequimur; sed etiam dum rei naturam percipimus, quod opitulatione definitionis obtinemus.

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit demonstratio, & quam bene diuidatur in demonstrationę propter quid, & quia.

Res nodum propo nitur. DEmonstrationis partitio quemadmodum omnis syllogismi potest institui, vel ratione formæ, vel ratione materiæ *ex qua*, vel ratione materiæ *circa quam*; sed cum in præsentia demonstrationis diuisionem aggredimur, non de primo vel secundo diuisionis modo, ex tribus recensitis, sed de tertio tantùm in animo est disputare, iuxta quem modum diuisionis demonstratio species quædam est essentialiter à topico, & elencho syllogismo distincta ob necessariam materiam, in qua demonstratio ipsa versatur; differentiam siquidem ex huiusmodi principio desumptam, ut inferius ostendam, non accidentariam tantummodo, sed essentialem esse philosophi melioris notæ crediderunt. Illud igitur in controuersiam vocatur, an demonstratio prout ratione materiæ syllogismus est à topico, & elencho distinctus, diuisionem in subiectas species admittat.

Vulgata partitio demonstrationis in *propter quid*, & *quia*. Vulgata satis demonstrationis est illa partitio, cuius non multo antea meminimus, in demonstrationem *propter quid*, & *quia*. Primum demonstrationis genus ex proximè disputatis, cuique potest esse perspectum; quandoquidem non solum quid demonstratio sit in uniuersum explicuimus, sed hinc etiam nacta occasione, demonstrationis *propter quid* naturam adumbrauimus, dicentes esse syllogismum, cuius est scientiam, videlicet perfectam parere, quæ uberius in sequentibus persequemur explicaturi etiam in quo demonstrationis *quia* ratio, seu natura posita sit. Solùm igitur in præsentia nobis incumbit onus explicandi partitionem demonstrationis in uniuersum, quod initio præstandum duximus, quoniam ut plurimum, ea, quæ de demonstratione conficienda traduntur non eodem modo de omni demonstratione procedunt, quin potius diuersa præcepta demonstrationibus diuersis accommodata sunt; non immeritò igitur primò demonstrationem ipsam in eas, quas sub se continet species, diuidimus; hâc enim lege deinceps, quę generatim ad demonstrationem, & speciatim ad singulas eius subiectas partes attinent, feliciter nostra contemplatione persequemur.

Demonstrationis partitionem allatam non uno in loco Philosophus expressit, præsertim ubi docet ex necessarijs utramque procedere, & luculentius ubi de demonstratione *quia*, tanquam de demonstratione distincta ab altera, quæ dicitur *propter quid*, sermonem instituit.

Diuiſę

Diuiso porrò demonstrationis intelligenda quidem ad eum modum, ut demonstratio *propter quid* dicatur esse iam explicata, qua videlicet demonstratur & scitur propter quid res sit, & qua conclusio per causam ostenditur, per quam vera est; hæc illa qua perfecta comparatur scientia, nimirum illa, qua cognoscimus causam propterquam res est. Hæc etiam est demonstratio, quæ *à priori* dici consueuit. Demonstratio autem *quia* censetur illa, per quam absolutè demonstramus, ac scimus rem esse, & conclusionem esse veram, sed vel non per rei causam, vel saltem non per proximam, & adæquatam, per quam res ipsa sit. Per hanc enim demonstrationem etsi nos euidenter ostendamus prædicatum competere subiecto, non tamen ita, ut intellectus perfectè acquiescat, cum ulteriùs ad propriam venandam causam procedat. Dicitur porrò demonstratio *quia* sumptâ particulâ *quia* non ut significante causam, sed ut fungente coniunctionis munere, quandoquidem ostendit hoc esse hoc, ita tamen ut propriam, & adæquatam causam non reddat; idcircò solet etiam demonstratio *quòd est* appellari. Propterea quòd facit nos cognoscere, quòd res sit. Per hanc autem acquiritur scientia minus perfecta, quæ *scientia quia* dici consueuit, quæ multifariam contingit, ut in Institutionibus aduerti. Cum autem procedit ab effectu ad causam demonstrandam, proprie dicitur demonstratio *à posteriori*; ut paulò etiam infra docebitur, ubi constabit, non omnem demonstrationem *quia* ab effectu ad causam procedere; quamuis enim uniuersè demonstratio *quia* dici soleat *à posteriori*, id tamen fit denominatione sumptâ, ab ea, quæ procedit ab effectu ad causam, eoquòd hæc directè quidem opponitur demonstrationi *propter quid*, quæ à causa, & à priori procedit.

De hac demonstrationis partitione non idem philosophorum consilium, cum eorum plerique solam demonstrationem propter quid admittendam existimant, ac ob id inficientur demonstrationem *quia* vere esse demonstrationis speciem. Ab his porrò non multùm recedere videntur alij, qui tametsi concedant has demonstrationes inter se specie distingui, negant tamen ab ipsis generari assensus conclusionum specie diuersos, quando ad unam, & eandem pertinent scientiam. Alij verò concedunt ab hisce demonstrationibus assensus quidem specie diuersos, non tamen habitus distinctos, sed eundem specie procreari. Alij aduersò Auerroem secuti tres demonstrationis species admittunt, quarum una dicatur demonstratio *quia*; alia demonstratio *propterquid*; & alia tandem demonstratio *simpliciter*, siue *potissima*. Prima, inquiunt, ostendit, quòd res sit, secunda demonstrat causam, propter quam res sit, supponens rem ipsam esse, ut quando scimus diem esse, vel Lunam eclipsari; demonstramus tamen per proprias causas, cur dies sit, & cur Luna deliquio laboret; in huiusmodi enim casibus scitur, *an sit* & solùm quæritur *propterquid* sit. Tertia demonstrat utrunque, & quod videlicet res sit, & *propterquid sit*. Vt si quispiam ignoraret, & Lunam eclipsim, & eiusdem causam; at vero per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam ostenderet Lunam ipsam eclipsari, huiusmodi demonstratione scire *an sit*, & *propterquid sit*, proindeque potissima, & simpliciter demonstratio diceretur.

Aliqui autem addunt illud esse discriminis inter demonstrationem *propterquid*, & *potissimam*, quòd prima quamlibet causam præter formalem habet pro medio non constat ex terminis conuertibilibus; atque præcisæ naturâ quidem, non autem nobis notæ sunt, sed per demonstrationem *quia* notæ redduntur; at demonstratio potissima pro medio habet solùm causam formalem; constat ex terminis reciprocis; & ipsius præmissæ notæ sunt naturâ, & nobis, nullo intermedio per sensum, & sine demonstratione *quia*.

Alij tandem geminam faciunt speciem demonstrationis, nimirum *quia*, & *propterquid*, licet in explicando quales huiusmodi sint species, an videlicet specialissimæ, an verò subalternæ, dissentiant.

Prima assertio.

Asserendum omnino verè dandam esse demonstrationem *quia*, atque adeo duas esse demonstrationis species, easque subalternas, videlicet, *propterquid*, & *quia*.

Aristot. auctor certe suadetur.

Et sanè de demonstratione *propterquid*, nemini dubium; non minus tamen certum dandam esse demonstrationem *quia*, tanquam veram demonstrationis speciem ab alijs distinctam. Hoc primò constat Aristotelis testimonio, qui de demonstratione *quia* tanquam de specie distincta à demonstratione propter quid sermonem habet, dicens, τὸ δ' ὅτι, διαφερ. καὶ τὸ διότι ἐπίσασθαι, φῶτον μὲν ἐν τῇ αὐτῇ ἔπεσθαι, καὶ ἐν ταύτῃ διχῶς. *Scire autem quòd sit, & cur sit, differunt primum quidem in eadem scientia, atque in hac bifariam.* Non ignobilis tamen interpres arbitratur hoc loco philosophi consilium, haud esse demonstrationem in species distribuere, quoniam, inquit, ibi considerat etiam modum quendam sciendi *quòd est*, qui non per demonstrationem, sed per sensum est, atque similiter hoc modo distinguit scire *quia*, à scire *propterquid*; quamobrem Philosophum existimat ibi nil aliud sibi velle, quàm secernere scire *quod est*, à scire *propterquid est*, siue scire *quod est*, sit per aliquam imperfectam demonstrationem; siue alio quàm per demonstrationem modo. Ineptè tamen, nam etsi Philosophus distinguat scire per effectum, à scire imperfecto, dicatque scire imperfectum per quendam alium modum à demonstratione comparari, non diffitendum tamen ibi duplex demonstrationis genus, videlicet *propterquid*, & *quia* respondens duplici sciendi modo recognouisse, adeo ut scientiæ perfectæ demonstratio *propterquid*, imperfectæ verò demonstratio *quia* respondeat, quod alibi disertis etiam verbis testatum reliquit, vbi sub nomine, vel demonstrationis, vel scientiæ, demonstrationis hoc genus assignauit, & ubi etiam de utroque demonstrationis genere disertè loquens, ex propositionibus necessarijs genus utrunque constare luculenter ostendit, ita ut hoc non tam ad demonstrationem *propterquid*, quàm ad *quia* requisitum velit.

1. Post. tex. 95.

Prima ratio.

Ex his tamen elicitur ratio, qua superior assertio perspicuè suaderi potest; ex eo enim quòd duplex est scientia, nimirum *quia*, & *propter quid*, ut nuper dicebatur, gemina quoque demonstratio conuincitur; propterea quòd illa scientiæ distributio non aliunde, quàm ab ipsius demonstrationis sæpesæpius inculcatâ diuisione originem trahit; ita ut si quis fateatur duplicem scientiam, scilicet *quia*, & *propter quid*, etiam & duplicem demonstrationem, *quia* scilicet, & *propter quid* fateatur oportet.

Confirmatio.

Et hoc etiam ex eo confirmatum redditur, quoniam demonstratione quia de medio sublatâ, tollitur itidem demonstratio *propter quid*, siquidem hæc ab illa proficiscitur; quandoquidem ex effectuum cognitione ceperunt homines philosophari, ut recte Philosophus notauit. Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι, καὶ νῦν, καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, *propter admirationem enim, & nunc, & primò inceperunt homines philosophari*, ut nimirum causas assequerentur, quibus comparatis demonstrationes propter quid contexerent, quinimò nullam aliam nobis suppetere viam ad philosophan-

1. Diuin. cap. 2.

Digitized by Google

sophandum de rebus natura constantibus idem Philosophus aduertit dicens *πίφυκεν δὲ ἐκ τῶν γνωρίμων ἡμῖν ἡ ὁδὸς ἡ διὰ τῶν σαφεστέρων, ἔστι τὰ σαφέστερα τῇ φύσει ἡ γνωριμώτερα. οὐ γὰρ ταυτὰ ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἁπλῶς. Innata autem est ex notioribus nobis via, & manifestioribus ad notiora, & manifestiora naturâ; non enim eadem sunt nobis nota, & simpliciter.*

1. Phys. tex. 2.

Secunda ratio.

Præterea, cognitio genita per demonstrationem *quia* est certa, & euidens, & necessaria distincta ab omni opinione, quamuis per causam non sit; ergo quamuis non sit per causam scientiæ naturam induit cum non appareat ad quam speciem habitûs residentis in mente pertinere debeat.

Has species esse subalternas.

Has autem species demonstrationis esse subalternas, non autem atomas satis euidens inde videtur, quia specifica principiorum diuersitas, demonstrationum specificam distinctionem arguit; at principia huiusmodi demonstrationum specie differunt, nam in demonstratione *quia* proceditur ab effectu, vel à causa remota, in demonstratione autem propter quid proceditur ex diuersis causarum generibus proximis, & adæquatis; ergo prædictæ demonstrationes *quia*, & *propter quid* specie differant oportet; sed tanta est specifica differentia eorum, quæ distinguuntur, quanta est differentia specifica eorum, à quibus huiusmodi distinctio desumitur. Hæc autem specifica differentia est secundum species subalternas, sic enim se habent demonstrationum principia; ergo specifica differentia demonstrationum erit secundum species subalternas, quod propositum erat ostendere. Non inficiandum tamen hunc sciendi demonstrandique modum, vel per effectum, vel per causam remotam, longè quidem imperfectiorem esse altero, qui est per causam proximam, & adæquatam. Hinc autem est ut scientiæ demonstrationisque nomine plerunque perfecta tantùm intelligi soleat, ad quod forsan respexerunt illi, qui demonstrationem *quia* de medio tollebant solam demonstrationem existimantes illam, quæ perfecta est, omnemque complexionem habet numerorum.

Prima difficultas ex Arist. auctoritate. 1. Post. tex. 9.

Aduersus tamen superiorem doctrinam pleriq; philosophorum insurgunt Aristotelis auctoritate suffulti, coquòd is hæc habeat *Συλλογισμὸς μὲν γὰρ ἔσται καὶ ἄνευ τούτων· ἀπόδειξις δὲ οὐκ ἔσται· οὐ γὰρ ποιήσει ἐπιστήμην. Syllocismus enim sine his quidem erit: demonstratio verò non erit. Quia non efficiet scientiam.* Manifestum autem demonstrationem *quia* non habere conditiones illas assignatas; nec huius demonstrationis præsidio cognitionem acquisitam esse scientiam, prout hæc ab eo definita fuit. Deinde circulum indemonstrando dari non posse, ex eo probat, quia una demonstratio foret à posteriori, quod ait admittendum non esse; at demonstratio *quia*, ut plurimum à posteriori est. Amplius demonstrationem *quia* similem facit inductioni, cui demonstrationis ratio non conuenit eiusdem Aristotelis testimonio, nam ex eius sententia, inducens non demonstrat. Præterea syllogismum, quo scitur aliquid non per causam, syllogismum quidem à signo, non autem demonstrationem appellat, quoniam per ipsum scitur quod est per se, non quatenus tamen per se est. Docet insuper petitionem principij committi cum ex posterioribus priora demonstrentur.

Solutio j

At quis non intelligit Philosophum priori loco docere tantùm velle sine iam à se conditionibus enarratis haberi quidem posse demonstrationem, & scientiam, non tamen adeo perfectam, ut est demonstratio, & scientia, de quibus hactenus locutus fuerat. Deinde cum ait circulum in demonstratione minime admittendum esse, loquitur de demonstratione à priori, ut veteres redarguat, coquòd in huiusmodi genere demonstrationis circulum admitti posse credebant. Similem autem inductioni demonstrationem *quia* dicebat esse quatenus in modo procedendi conueniunt ex notioribus nobis; cum tamen in reliquis differant quandoquidem demonstratio quia ex uniuersalibus, & ex necessarijs procedit, at inductio ex particularibus, nec omnino postulat ex necessarijs fieri. Syllogismum, quo scitur aliquid non per causam, syllogismum à signo, non autem demonstrationem appellat, quoniam ad perfectissimam scientiam, atque demonstrationem respexit. Tandem affirmat petitionem principij committi cum priora per posteriora demonstrantur, posteriorum nomine nobis ignotiora designans, eoquòd omnis syllogismus probandi vim habens ex notioribus, non ex ignotioribus, vel æque ignotis ad ignota debet procedere.

Quòd si aliquando Philosophus demonstrationis definitionem attulit, quæ demonstrationi *quia* nequit accommodari, hoc ideo est, quoniam ipse demonstrationem propter quid definiendam suscepit.

Auctoritatibus autem prætermissis, plerique rationibus utentes superiorem assertionem conuellere nituntur, sic enim obijciunt. Omnis demonstratio ab internis principijs habet ut per scientiam, quam parit quietum reddat intellectum; at huiusmodi non est demonstratio *quia*, nam intellectus etsi per ipsam fuerit scientiam adeptus, adhuc anxius remanet, atque plurimùm exagitatur ob ignorationem causæ, quam in primis anhelat.

Hæc difficultas fuit ab alijs tacta, pariterque soluta respondendo de ratione demonstrationis esse ut per scientiam, quam parit, perfectè quietum reddat intellectum, quantum ad obiectum, quod per huiusmodi demonstrationem, & scientiam attingit; non autem quantum ad obiectum, quod non attingit; at obiectum demonstrationis, & scientiæ *quia* est *an sit*; circa quod perfectè reddit quietum intellectum, non quietum relinquens circa *propter quid*, quod non attingit, cùm de eius ratione non sit illud attingere; quamobrem hæc demonstratio veram scientiam parit, coquòd proprium obiectum, quemadmodum scientia requirit, verè, certè, ac euidenter attingit.

Amplius. Illa ratiocinatio in qua contingit aliqua prædicatio non naturalis, non meretur dici demonstratio; sed progressus, qui non est per causam proximam, & adæquatam, ita se habet; ergo huiusmodi progressus non meretur dici demonstratio. Maiorem ostendo, ex eo quia, demonstratio propriè, scientiam parit, atque adeo, quod non pertinet ad scientiam, cuiusmodi est prædicatio non naturalis, haud benè in demonstratione adhibetur. Minor probatione non eget; nam in tali progressu de effectu prædicatur causa; ut cum ita ratiocinamur *omne risibile est rationale: sed omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis*; sic autem ratiocinando, in maiori ex præmissis, causam puta rationale, de effectu puta de risibili enunciamus.

Huic difficultati Neoterici responsio satisfacit, quâ dicitur naturalitatem & innaturalitatem prædicationis non attendi inter causam, & effectum, sed inter terminos se habentes, vel ut superius, & inferius; vel ut subiectum, & formam inhærentem, &c. sed hac de re cumulatiùs infra.

Maior tamen est difficultas in eo, quòd ratiocinatio, de qua loquimur, constat ex propositionibus obscurè, & sine certitudine cognitis, adeo ut earum non constet necessaria veritas; ob id scientiam non pariet, quo-

Digitized by Google

quoniam hæc debet ex principijs euidentibus, certis, ac necessariò veris deduci; si autem non parit scientiam, utique demonstrationis naturam sibi vendicare non potest; huius enim effectus est scientiam parere. *Assumptum* probant quoniam in huiusmodi demonstratione *debet* affectio cum sua causa, subiectoque coniungi; ut si quis probare velit hominem esse rationalem, *ex eo* quòd sit admirativus, debet cognoscere *admirativum* coniungi necessariò cum rationali, & cũ homine, *sed hoc* impossibile; propterea quòd accidens necessario *conuenit* subiecto propter causam, à qua necessariò *prouenit*; cum autem quis causam ignorat, *non* potest *non* ignorare necessitatem connexionis, *quam habet* accidens cum subiecto, & cum ipsa causa; *proinde que non* poterit euidentem ac certam de *præmissis habere notitiam*, adeo ut eas cognoscat necessariò veras esse, quæ ad veram demonstrationem requiruntur; *Tum quia* si affectionis causa cognosceretur, ut causa; *cognitio* illa non foret *quia*, sed *propterquid*; *Tum* quia si cognosceretur affectionis connexio cum causa, certè sequeretur cognosci in ipso subiecto fieri, & *hoc modo* antequam per conclusionem cognosceret in causa conuenire subiecto, illi quidem cognosceretur inesse; & idcirco sic arguendo petitio principij fieret: *ex aduerso* nequit cognosci affectionem necessario *uniri causæ*, nisi quia hæc se habent ut causæ & effectus, *cum* non alia suppetat necessitatis ratio.

Ad hanc difficultatem enodandam est nobis explicandum *quâ ratione* possit intellectus demonstrationis *à* effectu *præmissas* necessarias esse cognoscere, etsi *non* attingat *habitudinem* causæ ad effectum; quòd si *hanc* dicatur attingere, siue cognoscere, cur non *dicatur* cognitio *dici à priori*, siue per causam, cum reuerà effectus *per causam* cognoscatur. In quorum gratiam *notarunt non* obscuri nominis interpretes *duobus* modis *causam* per effectum demonstrari; primò *cum* ex effectûs *existentia*, colligitur existentia causæ, *puta*, dicendo *est* fumus; ergo est ignis; fitque propositio, ut *aiunt*, *de* secundo adiacente; secundò cum ex eo quòd *effectus* alicui conueniat, eidem quoque talis effectûs *causa conuenire* concluditur, fitque propositio *de* tertio *adiacente*. Iuxta priorem demonstrationis modum, *ut res* explicetur, dicendum ex multiplici experientia, *citra* erroris periculum, posse quidem intellectum *cognoscere* existentiam effectûs, & inde *similiter* existentiam colligere; vt potest quispiam cognoscere fumum habere connexionem cum igne, & hinc ignis existentiam inferre, ita ut ex fumi, quam non videt, existentia, ignis, quam non videt existentiam deducat, atque hunc in modum potest intellectus antecedens, vel præmissas demonstrationis ab effectu necessariò veras esse cognoscere, etiamsi habitudinem ad effectum ignoret; & quanuis cognosceretur fumum ab igne prodire, tanquam à causa, non subinde licet inferre demonstrationem esse per causam; ut enim demonstratio sit talis, ex vi causæ debet effectûs existentia ab intellectu cognosci; oppositum autem accidit in præsentia, nam ex vi effectûs infertur existentia causæ. At iuxta secundum modum præmissæ per experientiam innotescunt, vel saltem minor in qua effectus, seu passio de subiecto prædicatur, hoc enim sub experientiã cadit; maior autem in qua causa de effectu, seu passione prædicatur, vel experientiâ, vel diuisionis præsidio nota redditur. Vt si quis ostenderet hominem esse rationalem eoquòd sit admirativus propositionem maiorem faceret, in qua causa prædicatur de effectu, seu passione, nempe rationale de admirativo; minorem autem, in qua passio de subiecto enunciaretur, vt admirativum de homine, ut ad extremum concluderet intentum, videlicet rationale inesse homini tanquam subiecto; huius porrò ratiocinationis præmissas cognosceret modo iam explicato, de his tamen paulo infra.

Interim diluetur proposita difficultas negando quidem assumptum, nempe demonstrationem *quia* non constare ex propositionibus euidentibus, certis &c. & ad eius probationem neganda est assumptio, cum optimè fieri possit, ut cognoscatur accidens alicui conuenire, scilicet per experientiam, quanuis ignoretur causa, vel saltem ignoretur sub ratione causæ, ut præteream in ea, de qua loquimur demonstratione *quia*, ignorari quidem causam, non absolutè, sed quodammodò, quatenus ignoratur inesse subiecto, causam autem inesse subiecto ex præmissis in conclusione colligitur, ita tamen ut in præmissis cognoscatur causa coniungi cum passione, passionem verò cum subiecto. Ad secundam probationem, quâ dicebatur si sciretur causa, ut causa, sequeretur cognitionem esse *propterquid*, & non *quia*, respondendum malam illationem esse, cum demonstratio *propterquid*, talis sit, ut per ipsam non solùm cognoscamus passionem à tali causa prodire, sed etiam per causam subiecto passionem ipsam conuenire demonstremus; ut non solùm cognoscimus admirativum à rationali, tanquam à causa prouenire, sed etiam per rationale cognoscimus conuenire homini admirativum esse; hæc autem de demonstratione *quia* dici non possunt, cum in ea solùm sciamus per passionem causam eiusdem conuenire subiecto, ut per admirativum cognoscimus rationale homini conuenire. Ad tertiam probationem neganda est sequela, quâ dicebatur secuturum si sciretur coniunctio admiratiui cum rationali &c non enim in præmissis huiusmodi demonstrationis dicitur causa passionis inesse subiecto: nam hoc ex præmissis in conclusione deducitur; sed solùm in ipsis cognoscitur passio cum causa, & cum subiecto esse coniuncta. De his tamen latiùs Sectione quarta, ubi de demonstratione *quia* futurus est sermo.

Superioris difficultatis solutio.

Non leuis porrò difficultas est in assignando discrimine quo commemoratæ demonstrationes inter se distinguantur. Plerique philosophorum negarunt has demonstrationes essentialiter inter se distingui.

Quomodo demonstrationes prædictæ inter se distinguãtur.

Asserendum tamen existimo demonstrationem *propterquid*, & *quia* essentialiter differre.

Secunda assertio. Aristotelis auctoritate probatur.

Nec immeritò, nam si philosophi mentem requiras, nihil certiùs reperies, quàm ipsi visum fuisse recognoscendum inter has demonstrationes essentiale discrimen; ait enim demonstrationem *quia*, ex non immediatis, seu non proximis, at verò *propterquid* ex immediatis, seu proximis, & adæquatis causis procedere; consequens igitur ut commemoratas demonstrationes specie naturâque differre crediderit. Ex quo facilè intelliges eos deceptos fuisse, qui ad aures Aristotelis putant per demonstrationem quia generari quidem scientiam, valde tamen imperfectam; non in ratione habitûs, sed dispositionis, nec specie distinctam esse à scientia per demonstrationem *propterquid*, productam, quæ perfecta scientia est, & habitûs rationem habet. Cum enim Philosophus has demonstrationes ex principijs diuersis procedere, immò & conclusiones habere diuersas in eadem, integraque scientia existimaret; cogebatur asserere habitus itidem ex illis conclusionum assensibus procreatos specie naturâque differre; actus enim specie diuersi, diuersos etiam specie habitus progignunt. Nec satis intelligi potest per demonstrationem *quia*, generari scientiam, non in ratione habitûs, sed dispositionis; habitus enim, & dispositio, ut de qualitate tractantes ostendimus,

Disputatione 28.

mus, solùm penes graduum intensionem, remissionemque discriminantur, adeo ut eadem intensa qualitas dicatur habitus, cum alioquin remissa diceretur dispositio. Supponatur igitur reiterari actus demonstrationis *quia*, nulli dubium quin futurum, ut ex horum frequentatione nullo quidem interueniente actu demonstrationis *propterquid*, intensa qualitas procreetur, quæ ex præmissa doctrina rationem habitus sibi vendicare possit; quod cum nullo actu demonstrationis propterquid interueniente contigerit, per demonstrationem *quia*, sine demonstratione *propterquid* scientiam non solùm in ratione dispositionis, sed etiam habitûs comparari fateamur oportet.

Prima ratio. Efficax autem ratio superiorem assertionem conuincens ea est, quoniam hniusmodi demonstrationes ex medijs procedunt essentialiter distinctis. Hinc enim est, ut scientiæ ex ipsis deductæ debeant essentialiter discriminari.

Secunda ratio. Et illud accedit, quòd magis differunt demonstrationes, *quia* & *propterquid*, quàm duæ demonstrationes *propterquid*; at duæ demonstrationes *propterquid*, etiam in una eodemque integra scientia specie naturâque discriminantur; ergo demonstrationem *quia*, & *propterquid* non minori differentia inter se distingui necesse est.

Quòmodo commemoratæ demõstrationes inter se conueniant. Considerandum autem, quâ nam ratione conueniant inter se. Plerique philosophorum in ea extitere sententia, ut arbitrarentur has demonstrationes, & scientias inuicem collatas sic se habere, ut non participent quandam communem rationem demonstrationis *propterquid*, & *quia*, nec scientiæ. In hanc porrò sententiam eâ ratione ducti abierunt, quoniam, & scientiæ, & demonstrationi propterquid, scientiæ, & demonstrationis nomen, itemque ratio simpliciter conuenit; at scientiæ, & demonstrationi *quia* solùm quodammodo, & ut Scholastici loquuntur, *secundum quid*, ita ut illis demonstrationis scientiæque nomen vix consentaneum putes.

Opinio quorundam negantium conuenire uniuocè.

Aduersæ sententiæ fundamẽtum.

Asserendum tamen has demonstrationes, & scientias sic se habere, ut scientiæ, in communi quadam ratione scientiæ, & demonstrationes in communi ratione demonstrationis uniuocè conueniant.

Tertia assertio.

Assertionem hanc Aristoteli placuisse diffitebitur nemo, propterea quòd non semel ipse disertis verbis hanc veritatem expressit, quanuis uniuocationem hanc non sine quadam analogia recognoscendam voluerit.

Aristotelis auctoritate probatur.

Ratio. Rationem autem validissimam puto ex eo deductam, quoniam concedendus omnino demonstrationis conceptus utrique communis, quemadmodum conceptus scientiæ ab utroque participatus; quandoquidem nihil prohibet quominus intellectus conceptum efformet discursûs, & syllogismi euidentis, certi, ac necessarij abstrahendo ab utroque sciendi modo *à priori*, & *à posteriori*, sic etiam efformet conceptum scientiæ cum præcisione ab eo, quòd sit comparata per discursum *à priori*, vel à posteriori; sed quandocunque haberi possit huiusmodi conceptus demonstrationis, & scientię fatendum utranque demonstrationem & scientiam in communi quadam ratione demonstrationis, & scientię uniuocè conuenire; propterea fatendum itidem demonstrationes prædictas in communi demonstrationis ratione, & commemoratas scientias in communi quadam scientię natura uniuocè conuenire; adeout detur quidam demonstrationis communis conceptus essentialiter utrique conueniens, pariterque communis quędam scientię ratio essentialiter ab utraque participata.

Aduersæ sententiæ Quòd autem scientię, & demonstrationi *quia*, scientię demonstrationisque nomen quodammodo dumtaxat conueniat, id solùm euincit quandam analogiam maioris, minorisque perfectionis, adeout demonstratio *quia*, minus perfecta sit, quàm demonstratio *propterquid*; itemque scientia *quia*, minoris sit perfectionis, quàm scientia *propter quid*, & iuxta quandam strictiorem usurpationem illis, nomina conuenire non possint; non tamen ita, ut quasi per denominationem extrinsecam, aut per metaphoram, per attributionem, ac dependentiam ipsis conuenire dici debeant, cum potius sit asserendum ijs huiusmodi nomina tanquam uniuoca accommodata esse. Nec dissimiliter si communis illa demonstrationis ratio sit utrique demonstrationi, & communis ratio scientię utrique scientiæ, æquè autem primò, non tamen æquè perfectè conueniat; nihil est, cùm hinc solùm inferre liceat uniuocationem hanc secum habere quandam analogiam adiunctam, illam videlicet, quę cum uniuocatione cohęret.

Fundamẽtum cum ſolutis.

Sed has demonstrationes non esse essentialiter distinctas conabitur quispiam suadere, ex eo quia demonstratio *quia*, potest euadere demonstratio *propter quid*, ut videtur ab Aristotele quidem expressum 1. Post. lib. non ergo essentialiter discriminantur, nec sunt species essentialiter distinctę, cum ex una specie, alia species fieri non possit.

Prima obiectio.

Solutio.

Occurritur negando ex demonstratione *quia* fieri demonstrationem *propterquid*, ita ut quę erat una, euadat altera, retentis ijsdem præmissis; nec refert quicquam Aristotelis testimonium si tamen hoc admittatur, nam eius consilium eò tendit, ut probet id per mutationem medij, conclusionisque in alteram præmissarum contingere; tunc autem non eadem est demonstratio. Vt siquis ita ratiocinetur ab effectu ad causam. *Omne admirativum est animal rationale; sed omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est animal rationale*; ad mutationem medij, & conclusionis in alteram præmissarum hunc in modum à causa ad effectum ratiocinando poterit demonstrationem contexere. *Omne animal rationale est admirativum; sed omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est admirativus.* Nihil profectò clarius, quam ex demonstratione *quia* factam fuisse demonstrationem propterquid, non ita tamen ut eadem sit demonstratio.

Secunda difficultas.

Deinde sic obijcies. Demonstrationes, quæ scientiam eandem, tum in actu, tum in habitu positam gignunt de eodem obiecto, nequeunt essentialiter esse distinctæ; at demonstrationes de quibus habetur sermo sic se habent, ut de eodem obiecto scientiam eandem pariant; ergo non poterunt essentialiter esse distinctæ. Maior propositio probatione non eget; at verò minor æquè clara est; nam quando sunt de eodem obiecto scientiam eandem actualem procreant, quoniam utriusque præmissæ sub eadem sunt abstractione à materia, & idcirco eiusdem speciei in esse scibilis; quod si dicantur specie differre, nihil est; cum enim causæ sint æquiuocæ, poterunt eundem specie assensum scientificum parere; habitualem etiam, propterea quòd vel Philosophi testimonio, demonstrationes, de quibus agimus ad eandem pertinent disciplinam, quod profecto non nisi de habituali potest intelligi.

Solutio.

Neganda est assumptio, & ad primæ partis probationem quod attinet, negandum præmissas utriusque demonstrationis in esse scibili eiusdem esse speciei; non enim abstractio à materia ad id conducit, cum specificatio non hinc, sed aliundè, videlicet ab obiecti formali ratione desumi debeat. Quòd si spe-

cie

cie discrepent, negandum posse eundem assensum ab ipsis produci; nec probatio alicuius momenti est, cum solum admitti possit quando causæ æquiuocæ fuerint inadæquatæ, ac illimitatæ, non autem cum determinatæ limitataeque fuerint.

Tertia dif ficultas.

Ad probandum autem huiusmodi demonstrationes uniuocè non conuenire in communi quadam ratione, sic licet argumentari. Quandocunque duo sic se habent, ut unum sit simpliciter tale, aliud autem duntaxat quodammodo, nequeunt in communi quadam ratione uniuocè conuenire; at has demonstrationes sic se habere perspicuum est, quandoquidem demonstratio *propterquid* dicitur simpliciter demonstratio, ut notum est. demonstratio autem *quia* dicitur solùm quodammodo demonstratio; ergò tales demonstrationes non poterunt, in communi ratione quadam, putà demonstrationis, uniuocè conuenire.

olutio.

Maior propositio concedenda tantummodo, quando illa duo ita se habent, ut unum concipi non possit, nisi concipiatur ad modum alterius; neganda verò, quando non fuerit necesse, ut ad alterius modum concipiatur; at demonstratio *quia* ut concipiatur secundum esse proprium, quod habet, non debet concipi ad modum demonstrationis *propterquid*, quin potius tunc verè concipitur, cum cognoscitur secundum rationem diuersam, nimirum quatenus, vel non procedit per causam proximam, vel per effectum, & non per causam procedit; de his tamen cumulatius Sectione quarta, ubi de demonstratione *quia* futura nobis est disputatio.

Quarta ertio.

Dicendum præterea demonstrationis adæquatam esse diuisionem in demonstrationem *propterquid* & *quia*, tanquam generis in species; nec aliam dari speciem demonstrationis, ab illis distinctam, quæ dicatur demonstratio simpliciter, siue potissima.

ft. au- ritate batur. Post. 95.

Hanc assertionem proculdubio nos Aristotiles docuit, cum loco nuper laudato scientiæ diuisionem instituens, demonstrationem ipsam in duas illas species adæquatè diuiserit, nec unquam alterius demonstrationis meminerit; nihil igitur apertius, quàm Philosopho demonstrationis hanc partitionem adæquatam visam fuisse.

Ratio quoque suppetit non inelegans; nam omnis demonstratio, aut ex propria conclusionis causa procedit, ubi causæ nomine, non modo physicam, sed metaphysicam intelligo, dummodo tamen proxima, & adæquata, & non in cognoscendo tantùm, sed in essendo simul, & cognoscendo sit; aut ex alio procedat medio, quod non sit propria conclusionis causa, quia nimirum, vel est effectus, vel causa remota; ergo omnis demonstratio, vel erit *propterquid*, vel *quia*; ut enim inter utrunque demonstrationis processum, nullum est medium; ita inter ipsas demonstrationes, propterea quòd per demonstrationem *propterquid* intelligenda illa, quę ex causa proxima, &c. & per demonstrationem, *quia* quæ non ex causa proxima procedit.

luersa- rum ponsio.

Respondent falsum esse nullum dari medium inter utrunque pocedendi modum; nam, inquiunt, inter illum, qui dicitur *quia* quique dumtaxat ostendit, quòd res sit, non manifestans tamen propterquid sit; & alterum, qui dicitur *propterquid*, quique causam ostendit quare res sit, non tamen monstrat quòd sit, quin potius hoc supponit, datur medius quidam procedendi modus, quo indagatur, quòd res sit, & propterquid sit; idcirco inter utranque demonstrationem scilicet *quia*, & *propterquid* medium obtineat locum potissima demonstratio necesse est, velut illa quæ utrumque quæsitum ostendit, & quòd nempe res sit, & propterquid sit.

Hæc tamen responsio non satisfacit, propterea quòd inter utrunque procedendi modum, scilicet ex causa proxima, & non ex causa proxima, non datur ille medius, quem aduersarij comminiscuntur; nam re verâ commemorati modi contradictoriè opponuntur, proindeque medium non admittunt; medius autem ille modus ab ipsis excogitatus in idem recidit cum illo, qui dicitur *propterquid*, ab eo enim tantùm accidentario discrimine seiungitur.

Superioris responsionis confutatio.

Amplius sic arguo. Nulla suppetit ratio distinguendi tertiam hanc ab ipsis intentam demonstrationis speciem; ineptè igitur illam recognoscunt. Assumptum ex eo mihi compertum, quoniam si quæ ratio foret maximè quidem illa, quoniam dari potest demonstratio, quæ probet, propterquid res sit, minime demonstrans rem ipsam esse; hoc tamen à veritate tam remotum est, quàm quod remotissimum; quandoquidem omnis demonstratio propterquid, non modo probat causam, per quam res sit, sed etiam rem ipsam esse, vel non esse, ut splendidè docuit Philosophus dicens, Ἔτι, πᾶσα ἀπόδειξίς τι κατά τινος δείκνυσιν, οἷον, ὅτι ἐστὶν, ἢ οὐκ ἔστιν. *Præterea omnis demonstratio probat aliquid de aliquo, velut esse, vel non esse*, ex Aristotelis igitur consilio demonstratio omnis ostendit, aut quòd res est, aut quòd non est, adeo ut ei nulla sit, quæ rem esse, vel non esse, non demonstret.

Secunda ratio.

2. Post. tex. 16.

Præterea nulla est demonstratio per causam, in cuius conclusione sit illatum aliquid esse causam rei, quin potius rem ipsam esse, quæ tamen illatio habetur vi causæ, per quam res est. Vt cum demonstrationem conteximus ad ostendendum hominem admirativum esse, eoquòd sit rationis particeps, hominem quidem esse admirativum, non autem ratiocinandi principium admirationis esse causam inferimus.

Tertia ratio.

Confirmatio.

In huius autem confirmationem illud adduci potest, nempe quòd omnis demonstratio ratiocinatio est, quâ intellectus unum ex alio, videlicet ignotum ex noto infert, adeo ut ex noto ad ignotum excurrat, ut ob id hæc operatio, discursus meruerit appellari; at in uniuersum discursus omnis ita se habet, ut intellectus per ipsum non solùm rei causam, siue rem à tali causa pendere cognoscat, sed etiam ut conclusioni ex vi antecedentis assensus assentiatur, ita ut per illatum iudicium rem ita esse, vel non esse percipiat.

Aduersa- riorum responsio præoccupata si- mulque confutata.

Nec refert quicquam, quòd aliunde existentia eiusdem effectus in se ipso præcognoscatur; quandoquidem hâc præsuppositâ notitiâ per demonstrationem, adhuc elici potest alter assensus illationem inuoluens de eodem effectu, quem in modum veritate perpetuò comprobatur, intellectum ratiocinando quodammodo à notis principijs ad ignotam conclusionem procedere. Per accidens autem omnino mentem aliunde notitiam eiusdem conclusionis præhabuisse. Et illud amplius addendum, scilicet huiusmodi assensus naturâ discrepantes esse, videlicet unum qui de conclusione habetur, ex præmissarum vi; alterum verò, quem intellectus aliunde consequitur. Quando igitur, ut rem illustremus exemplo, mens cognouerit hominem admirativum esse, quatenus experiendo fuerit id assecuta, potest adhuc per demonstrationem idem attributum postea cognoscere inesse homini, id nempe deducendo ex eo quòd homo sit rationis particeps, quia ratiocinando per causam, cognoscit tale attributum homini conuenire, quod prius experiendo duntaxat absque causa nouerat, adeo ut ita procedendo cognoscat causam, cur homo sit admirativus, & quòd admirativus sit. Hoc autem eò vel maximè fatendum, quoniam alioquin nihil obstaret, quominus eadem demonstratio apud unum esset *propterquid* & apud

alium *potissima*, prout unus de existentia effectûs, aliquâ aliâ viâ à demonstratione præhabuisset notitiam: alius autem non item; eadem enim demonstratio foret duntaxat *propterquid*, apud illum, cuius mens existentiam effectûs prænouisset; foret aut potissima, apud alium, in cuius mente huiusmodi notitia non præcessisset. Vt præteream aduersariorum admissâ doctrinâ secuturum, ut gemina quoque distinguenda foret species demonstrationis ab effectu ad causam; una sanè quando mens causæ notitiam nullam præhabuisset; hoc enim modo cognosceret causam esse, atque talem effectum habere: altera quando præcognouisset causam, quia tunc solum quinam causæ foret effectus cognosceret.

Quarta ratio.

Quanuis autem demonstratio *propterquid*, & *potissima*, specie inter se differrent; quia tamen in hac communi ratione conueniunt, quòd per proximam, immediatamque causam demonstrant, deberet quædam demonstrationis species abstrahens ab illis duabus assignari, ad quam communis demonstratio descenderet, non secus ac de demonstratione *quia*, contingit; hæc enim tametsi specie multiplex esse dicatur, una tamen, velut immediata species subalternata sub demonstratione generatim accepta statuitur, distincta quidem à demonstratione *propterquid*; adeout differentiæ, quibus demonstratio generatim diuiditur, sint demonstrare per immediata, & per non immediata, seu per causam proximam, & non proximam, & per effectum. Duæ igitur tantùm erunt demonstrationis species, & quidem subalternæ.

Quinta ratio.

Accedit quòd differentiæ, quibus commemoratæ species demonstrationis existimantur differre, si diligenter expendantur, minus idoneæ deprehendentur; quandoquidem prima differentia erat, quòd demonstratio *propterquid*, ostendat propterquid res sit; at verò *potissima* & *an sit*, & *propterquid sit* perspicuè demonstret. Sed hæc inania sunt; quandoquidem ut non multo antea dicebatur, omnis demonstratio *propterquid*, ostendit etiam, quòd res sit, licet hoc aliunde perspectum fuerit: per hanc enim demonstrationem certiùs, & perfectiùs, quàm experientiâ, vel alio quouis modo, res ipsa cognoscitur. De experientia nulli dubium; de modis alijs perspicuum satis; unus enim ex illis præsertim per causam remotam, vel per effectum foret. At quis non intelligit, si causa remota, & effectus facit scire *quòd est*, multo magis proximam causam id præstare posse? Secunda differentia erat, quòd demonstratio potissima per formalem causam procedat. Rectè quidem, sed non magis formalis causa differt à cæteris causis, quàm illæ differant inter se; si igitur ratione causæ formalis, quædam peculiaris demonstrationis species debet assignari, ratione quoque cuiuslibet ex reliquis causis, peculiaris quædam demonstrationis species statuenda erit; proindeque non tres, ut aduersarij contendunt, sed quinque species demonstrationis concedere oportebit. Tertia erat differentia, quòd potissima demonstratio procedat ex causis conuertibilibus, ac ob id ex terminis reciprocis; sed hoc etiam demonstrationi propterquid, consentaneum est, quatenus à demonstratione quia secernitur; ut propterea Stagirites à demonstratione *quia* per immediatum, & conuertibilem effectum, regressum dari ad demonstrationem *propterquid* per causam immediatam, & conuertibilem non inficietur. Quarta conditio erat, quòd præmissæ sint notæ naturâ, & nobis, nullo quidem intermedio, per sensum absque demonstratione *quia*. Hæc tamen differentia perperam assignatur tanquam illa, per quam species demonstrationis constituatur; per accidens enim est illa præmissarum medijque cognitio ad eam, de qua loquimur, demonstrationem; quod ex eo planè luce clarius videtur, quoniam inde non exigui momenti sequeretur incommodum, videlicet unam, eandemque demonstrationem respectu unius, esse propterquid; at comparatione alterius, esse potissimam.

Auerroes tanquam inadequatam superiorem demonstrationis partitionem improbat, potissimam demonstrationem ab alijs distinctam concedendam esse contendens, eò quòd demonstratio *quia* duntaxat ostendit, quòd res sit, neque declarat propterquid sit; demonstratio autem *propterquid*, ostendit causam propter quam res sit, non tamen ostendit, sed supponit rem ipsam esse. Auerrois doctrinam profitentes rem declarant exemplo. Cuique, inquiunt, notissimum est diem esse, si tamen quispiam ita ratiocinaretur, *quandocunque Sol effundit lumen supra nostrum hemisphærium, dies nobis est; sed eleuatus supra horizontem effundit lumen supra nostrum hemisphærium; ergo quandocunque Sol est eleuatus supra horizontem, dies nobis est*; tantummodo notum faceret, propterquid nobis dies sit, nullo autem modo, quòd dies sit. Non dissimilis ex eorum sententia foret demonstratio, quâ quis videns Lunam deliquio laborantem, eclipsim de eadem Luna demonstraret. Talis etiam ex opinione cuiusdam interpretis, est illa demonstratio, quâ Stagirites probat. Theorema quoddam infra explicandum, eo quòd motus directus, & reflexus non possunt unum numero motum continuum componere; & universè, quandocunque percipimus effectum, & causam inquirimus, tunc solùm quærimus, propterquid res sit, non autem quòd res ipsa sit; enim verò cognitum hoc esse supponitur.

Differentes partitionem

8. Phys. tex. 63.

Hæc illa cognitio, quam homines habent in effectuum admirationem traducti, qui tamen non contenti cognoscere quòd res sit, agitatione mentis ulterius ad cognognoscendum propterquid progrediuntur. Potissimam verò demonstrationem ille dicebat esse, quæ utrunque quæsitum, nempe & quid res sit, & propterquid sit simul demonstrat, cum effectus antea minime notus fuerit.

In huius autem opinionis gratiam ad tertiam illam demonstrationis speciem ostendendam à duabus reliquis distinctam Aristotelis testimonium afferunt, dicentes id ab eo traditum fuisse, quando nos docuit quosdam scire, quòd, & non propterquid, alios autem habere demonstrationem causarum, & non scire ipsum quòd; & in uniuersum scientiam subalternantem scire propterquid, & subalternatam scire quòd; & rursus quandoque notificari quòd res est, aliquando propter quid est; aliquando utrunque simul; at non repugnat modus alter cognoscendi simul utrunque; idcirco tertiam demonstrationis speciem dandam esse concludunt.

Prima sententia sumpta ex Auerroe.

Secunda sententia.

1. Post. tex. 10. Tertia sententia.

Ineptè tamen Philosophum testem appellant, enimverò priori loco hæc habet, Ἐνταῦθα γὰρ τὸ μὲν ὅτι, τῶν αὐτοπτικῶν ἰδίωμα τὸ δὲ διότι, τῶν μαθηματικῶν ἔτοι γε ἔχουσι τῶν αἰτίων τὰς ἀποδείξεις, καὶ πολλάκις οὐκ ἴσασι τὸ ὅτι. *Hic enim scire quod* sit proprium est *eorum, qui sensûs rationem habent; scire autem cur sit, mathematicorum; hi nanque causarum habent demonstrationes, ac sæpe ignorant quòd* res sit; hoc loco solum distinguens demonstrationem *propterquid & quia* seu *quòd*, docet, quosdam habere demonstrationem *quia* de eadem conclusione, quosdam verò demonstrationem *propterquid*; non propterea tamen negauit per hanc etiam demonstrationem sciri rem esse; omnis enim demonstratio aliquid esse demonstrat. Secundo autem

Solus prior assertio.

Digitized by Google

tem loco sic loquitur, Ἀκριβεστέρα δ' ἐπιστήμη, καὶ πρότερα, ὅτι τῶ ὅτι καὶ διότι ἡ αὐτὴ, ἀλλὰ μὴ χωρὶς τῶ ὅτι, τῆς τοῦ διότι. *Est autem scientia exquisitior & prior, quàm alia scientia; nempe ea, qua percipitur quòd sit & cur sit, non seorsum quòd sit, quàm* scientia tantùm *cur* sit.

Tertio loco ita disputat Ὥσπερ γὰρ τὸ διότι, ζητοῦμεν, ἔχοντες τὸ ὅτι, ἐνίοτε δὲ καὶ ἅμα δῆλα γίνεται· ἀλλ' ὅτι πρότερόν γε τὸ διότι δυνατὸν γνωρίσαι τῶ ὅτι, δῆλον ὅτι ὁμοίως καὶ τὸ τί ἐστι μὴ ὄντος ἄνευ τοῦ ὅτι ἐστὶν ἀδύνατον γὰρ εἰδέναι τί ἐστιν, ἀγνοοῦντας εἰ ἔστι. *Vt enim quærimus cur* sit, *cum scimus quòd sit, interdum verò ambo simul manifesta fiunt, sed non prius cognosci potest cur sit, quàm quòd* sit: *ita planè quid sit* cognosci *non* potest *sine* cognitione *quòd sit. fieri enim nequit, ut qui ignorant an sit, cognoscant quid sit.*

In his tamen duobus locis palam, & apertum Stagiritam distinguere duntaxat cognitionem *quòd est* solùm, à cognitione *quòd est*, & *propter quid est* simul, non autem assignare voluisse tertiam quandam cognitionem, quæ tantummodo propter quid attingat.

Ex alijs autem difficultatibus non in postremis illa; Nempe datur demonstratio *propterquid*, seu demonstratio causæ tantum, ubi effectus, & inhærentia passionis in subiecto est per se nota; sed ignota quoad *propterquid*; ergo demonstratio, quâ ostenditur esse effectùs, & eiusdem causa, specie distinguetur ab hujusmodi demonstratione; sed & à demonstratione *quia* etiam distinguitur; ergò non duæ, sed tres erunt demonstrationis species, videlicet *quia*, & *propterquid*, & altera nuper insinuata demonstrans esse effectùs, & *propterquid* ipsius, quæ *potissima*, nuncupatur. Assumptum exemplo probant demonstrationis, quâ utitur Philosophus in physicis; ubi demonstrat unde sit, quòd si duo mobilia æqualis velocitatis moueantur super æqualibus spatijs eâ lege, ut unum mobile pertranseat totum spatium semel, aliud vero pertranseat medietatem illus spatij bis, citiùs primum mobile pertranseat totum spatium, quàm secundum pertranseat medietatem iterato ipsam pertranseundo; quòd enim hoc ita sit, est ad sensum euidens, sed eius ignoratur causa, in eó posita, quòd inter iteratos motus, cum sint contrarij, media accidit quies; hinc enim est, ut tardiùs secundum pertranseat bis medietatem, quàm primum pertranseat totum, quia motus eius continuus est; at motus secundi est interciſus per quietem mediam; fatendum igitur dari demonstrationem, quâ solùm ostenditur *propterquid* effectùs, non autem esse ipsius, cum hoc præcognitum ante demonstrationem sit per sensum, & ad ea quæ sensu constant nullâ sit opus demonstratione.

Ex hucusque disputatis operosum non est propositam difficultatem emollire; dictum est enim supra demonstrationis *propterquid* ingenium esse, ut ostendendo propterquid est, ostendat etiam *quòd est*; quæ nanque demonstratio facit ut cognoscam causam propter quam homo sit risibilis, facit etiam, ut cognoscam ipsum esse risibilem; & ea quæ mihi ostendit causam, ratione cuius triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis; ostendit itidem triangulum tres habere angulos duobus rectis æquales. Hoc eleganter expressit Philosophus dicens, Ὅταν δ' ὑπάρχῃ ἅμα τὸ ὅτι καὶ τὸ διότι ἴσμεν, ἂν διὰ μέσου ᾖ· *Cum autem innenimus: simul cognoscimus quòd sit, & cur sit, si per media* demonstratum *sit*. Vbi per medium intelligit causam propter quam res est: Neque dicas tunc non supponi præcognitum aliunde haberi à triangulo tres angulos æquales duobus rectis; nam ut supra dicebam, id ex accidenti est. Quòd autem esse effectùs fuerit præcognitum, ut superiùs etiam animaduersum fuit, per accidens omnino est.

Obseruandum igitur genus demonstrationis *propterquid* bifariam contingere, primò cum per ipsam demonstramus passionem inesse subiecto, ita ut de passione præcognouerimus tantum quid nominis, quod de ea tantum præcognoscendum est; nam quòd sit, non præcognoscitur, sed demonstratur, cum esse passionis sit inesse subiecto; inesse autem passionem subiecto demonstratione cognoscimus. Secundò cum demonstramus per causam passionem inesse subiecto, ita tamen ut prænouerimus, vel sensu, velaliquâ aliâ viâ ipsam inesse. Hoc autem, ut dicebam, ex accidenti est, adeo ut hæc sit demonstrationis accidentaria differentia. Prior demonstrationis modus frequentior in Mathematicis est disciplinis, in ipsis enim rarò usu venit, ut præcognoscamus passionem inesse subiecto, quin potius ratiocinando per necessarias consecutiones simul causam, per quam passio subiecto inest, & ipsam passionem inesse, quod est esse passionis, cognoscimus. At in naturalibus contrarium euenit; prænoscimus enim subiecto passionem inesse, deinde causam inquirimus, prænouisse autem passionem subiecto inesse, non prohibet quin hoc idem per causam cognoscamus; id enim diuersâ ratione contingit, prout diuersa est cognoscendi ratio; aliud enim est cognoscere aliquid existere, vel cognoscere effectum seu passionem inesse subiecto per experientiam; & aliud hæc ipsa per demonstrationem cognoscere. Sed ut tandem aliquando ab hac difficultatis enodatione me expediam, respondeo negando illud assumptum, nempe dari demonstrationem, quâ cognoscitur *propter quid* tantùm, cum repugnet cognosci *propter quid est*, & non cognosci *quod est* eâdem cognitione, quâ ipsum *propter quid* cognoscitur. Nec exemplum illud multum aduersarijs fauet, propterea quòd eadem ipsa demonstratio, quam in exemplum afferunt, ostendendo *propterquid*, etiam ostendit *quòd est*, licet non eodem modo, eâdemque ratione, quâ sensu experientiâque idem ipsum *quòd est*, cognoscitur.

Est etiam & altera difficultas emollienda, quandoquidem quatuor enumerantur quæsita, nimirum *an sit*; *quid sit*; *quale sit*; & *propter quid sit*; cum itaque duobus postremis quæsitis duæ postremæ demonstrationes paulo antea commemoratæ respondeant, & quot quæsita sunt, tot etiam species demonstrationis esse debeant; consequens fit, ut duobus prioribus quæsitis, duæ species demonstrationis respondeant, proindeque non binario, sed quaternario numero species demonstrationis contineantur. Secunda difficultas 2. Post. Cap. 1.

Tota huius difficultatis vis in hac sola consecutione consistit; quatuor sunt quæsita, quæ de re quacunque fieri possunt; ergo quatuor sunt demonstrandi modi, siue demonstrationis species. At quam insulsa hæc sit illatio neminem fugit; quis enim non intelligit quatuor enarratis quæsitis per duos demonstrandi modos abundè fieri satis? Non enim ex quæsitorum numero, demonstrationum numerus est colligendus; cum quælibet quæstio duplici demonstrandi ratione tractari possit; vel nimirum à causa ad effectum, vel ab effectu ad causam; omnes igitur illę quæstiones ad duo hæc demonstrationum genera pertinent; enim verò si demonstrantur per propriam, & adæquatam causam, spectant ad demonstrationem *propterquid*; sin autem, ad demonstrationem quia. Solutio.

Præterea datur etiam ea demonstrandi ratio, quâ ex prædicato superiori concludimus aliud itidem superius inferiori conuenire; ut cum ex eo quòd homo sit viuens, concludimus esse substantiam; ergo præter commemoratas demonstrationis species datur etiam, Tertia difficultas.

&

& alia; non igitur duæ tantum species demonstrationis.

Solutio. Hoc autem nihil est, propterea quòd si prædicatum superius per proximam, & adæquatam causam de Inferiori, ut animal per sensibile de homine ostendatur, est demonstratio propter quid, si autem non per propriam causam erit demonstratio quia.

Quarta Difficultas. Ea quoque ratio facit ad ostendendum maiorem numerum specierum demonstrationis, quia præter illas duas à nobis assignatas, datur & illa quæ dicitur, ducens ad incommodum, siue impossibile; non igitur demonstrationis species binario numero comprehenduntur.

Solutio. Non huius est loci demonstrationem ducentem ad impossibile declarare, cum hac de re non multo post sit nobis futura disputatio; satis nunc erit ad faciendum satis difficultati breuiter aduertere, quod paulo antea notauimus, demonstrationem ducentem ad impossibile, velut illam in qua una ex præmissis est falsa, haud reuerâ dici demonstrationem posse, nam solùm vna præmissa vera est ex hypothesi non absolutè; demonstratio autem ex veris absolutè procedit: num autem ex falso, possit verum deduci, postea discutiendum.

SECTIO TERTIA.

De demonstratione propter quid.

Tractationis ordo. QVid generatim demonstratio sit præcedenti Sectione declarare tentauimus; demonstrationis enim nomen ad cuiuslibet ostensionis, probationisque genus extendi potest, iuxta quam significationem Plato demonstrationem accepit, cum ait

In Phædro. ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται, δεινοῖς μὲν ἀπίστως, σοφοῖς δὲ πιστή. *Hæc sanè demonstratio erit, argutis quidem incredibilis, sapientibus verò credibilis*; & paulo post. ἀρχὴ δ' ἀποδείξεως ἥδε. *Principium verò demonstrationis*, hoc est. Immo & Aristoteles hoc idem nomen laxâ quadam usurpatione sumpsit. Cum autem superiùs de demonstratione loqueremur, seueriùs illam accepimus, atque definitione explicuimus. Tametsi nanque demonstratio quælibet cum Speusippo dici possit, ἀπόδειξις λόγος ἐμφατικὸς διὰ προγινωσκομένων. *Demonstratio sermo declarativus per præcognita*. quinimo λόγος συλλογιστικὸς ἀληθὴς. *Sermo syllogisticus verus*. Prestiori tamen acceptione demonstrationis nomen adhibuimus, cum eius definitionem traderemus. Nunc longè prestius hoc idem nomen usurpamus, ad significandam scilicet demonstrationem, quæ per causam procedit, quæque proprio nomine dicitur *propter quid*, de qua primò disputandum statuimus, deinceps explicaturi demonstrationem *quia*, ut perfectionis ordinem seruasse videremur.

Explicandum autem quomodo demonstratio *propter quid*, ex causa conclusionis procedere dicenda sit, de quo non unus dicendi modus, propterea quòd sunt, qui putant huiusmodi causam esse debere causam extremorum secundum se, & quantum ad esse suum absolutum; alij vero quantum ad existentiam unius extremi in alio, scilicet maioris in minori. Priorem dicendi modum Auerroes, secundum autem Auicennas videtur amplexus, ita tamen ut Auerroes crediderit demonstrationis medium esse causam minóris extremi secundum se, & quantum ad esse absolutum: alij verò causam esse maioris extremi pariter secundum se.

Asserendum tamen hanc demonstrationem requirere medium, quod sit causa cur prædicatum conueniat subiecto, de quo dicitur in conclusione, seu & in idem recidit, ut sit causa inexistentiæ prædicati in subiecto conclusionis.

Hoc splendidè videtur Aristoteles docuisse cum ait. Ἔστι δὲ καὶ ᾧ αἴτιον καὶ ᾧ συμβεβηκός. ἐμοὶ μὲν οὖν δοκεῖ προβλήματα εἶναι. *Est autem & id cuius est causa, Tum & id cui est considerare secundum accidens: sed non videntur esse problemata*. Maius enim extremum vocat id cuius medium est causa: Minus autem extremum appellat, id cui medium est causa; quia scilicet medium est causa inexistentiæ prædicati in subiecto. Et hoc etiam ex eius doctrina passim colligitur, adeout de mente ipsius nulla possit esse dubitatio.

Ratione quoque veritas assertionis euincitur; quoniam medium huius demonstrationis causa debet esse illius, circa quod vertitur scientia; huiusmodi porrò est inexistentia prædicati in subiecto; ergo demonstrationis huius, medium debet esse commemoratæ inexistentiæ causa. Assumptio facilè constat ex eo, quia per scientiam nil aliud attingimus, quàm inexistentiam prædictam, atque tunc dicimur scire, hoc scientiæ genere scilicet *propter quid*, quando per causam proximam, & adæquatam cognoscimus talem inexistentiam. Causa igitur, ex qua procedit demonstratio *propter quid*, causa inexistentiæ prædicati in subiecto esse debet.

Confirmatur autem ex eo, quòd huiusmodi demonstratio procedere debet ex causa conclusionis, sed conclusionis causa nil aliud dici potest, quàm causa inexistentiæ prædicati in subiecto, quæ habetur in conclusione, siue est illa, per quam attributum inest verèque subiecto conuenit; causa propterea, ex qua procedit demonstratio *propter quid*, ea esse debet, quæ est causa inexistentiæ prædicati in subiecto.

Cum autem eadem causa inexistentiæ prædicati in subiecto, sit etiam causa, ut prædicatum simpliciter sit, quoniam tunc prædicatum simpliciter est, cùm subiecto inest; idcirco non immeritò dici potest causam eandem esse, ut prædicatum simpliciter sit, seu ut cum Scholasticis loquar, in suo esse sit.

Nec oppositum Philosophus docuit, quando medium asserit esse debere causam maioris extremi; itaq; siquis eius auctoritatem obijciat, fiet ei satis, ut nuper dicebatur; præcipua nanque videtur illa, ubi habet, ἢ ποτέρας τῆς ἀντιφάσεως ἔστιν ὁ λόγος, πότερον τὸ ἔχειν δύο ὀρθὰς, ἢ τὸ μὴ ἔχειν. *Vel utrum contradictionis ratio sit, unum habendi duos angulos rectos, an non habendi*. Si namque Philosophi sententiam rectè perpendas, facilè comperies nil aliud sibi velle, quàm quod nuper dicebam, dum ait medium esse rationem maioris extremi. Potest etiam talis esse causa, ut faciat subiectum ipsum simpliciter esse; sed demonstratio, de qua loquimur, hoc non necessariò requirit, sed id per accidens omnino ad demonstrationem se habet; ut idcirco non liceat hinc plures species demonstrationis distinguere.

Sed aduersus hanc assertionem illud facere videtur, quòd saltem cum demonstratio *propter quid*, per definitionem subiecti vel affectionis, atque adeo per formalis genus causæ processerit, probaretur idem per idem; quandoquidem statutum fuit inexistentiam prædicati in subiecto demonstrari; at verò quemadmodum prædicatum, scilicet affectio re ipsâ non distinguitur a subiecto, & multo minus à se ipsa: ita nec definitio subiecti à subiecto, nec affectionis ab affectione, proindeque alterutrius definitio ab inexistentia prædicta; contendimus autem inexistentiam ipsam per alterutram definitionem ostendi; ergo idem per idem demonstraretur.

Non

Non magis hac de re, quam de affectione difficultas urget, cum diceremus affectionem re ipsâ non distingui à subiecto; propterea non absimili modo fiet satis difficultati, respondendo videlicet in re proposita non esse opus distinctione ex rei natura; sed abunde sufficere distinctionem rationis cum fundamento in re; nam ut aliàs aduertimus, non maior distinctio cadit inter triangulum, & eius attributum, scilicet habere tres angulos æquales duobus rectis, quàm quæ per mentis opus efficitur, supposito tamen fundamento in re; quis enim audeat asserere distinctionem ex rei natura, quæcunque illa sit, inter triangulum, & commemoratum attributum cadere? quòd si attributum, siue affectio non maiori distinctione à subiecto distinguitur; nec etiam à medio per quod affectio de subiecto debet demonstrari, nec medium à subiecto, maiori distinctione distingui statuendum erit. Aduersæ autem sententiæ fautores decepit non aduertisse, cum dicimus hoc demonstrationis genus per causam procedere, causæ nomine intelligendam esse, & physicam, & metaphysicam; tametsi enim causa physica re ipsâ ab effectu distinguatur, puta vel distinctione modali, qualis est inter modum, & rem cuius est modus; vel reali, cuiusmodi est illa, quæ inter duas res cadere dicitur; metaphysica tamen non item, ut aliàs aduerti, cum hæc sit quædam ratio, merito cuius unum alteri competit, id autem sic explicuimus. Homo exempli gratia, habet ut sentiat, & habet etiam, ut admiretur; & quanuis in homine sensationis principium, ut verior sententia docet, re ipsâ non distinguatur à principio admirationis; non propterea tamen de homine licebit ostendere admirativum esse, propterea quòd sentiendi principium habeat, siue sit animal; nec etiam esse talem, ut possit sensationes exercere, eoquòd admirationis principium habeat, siue sit rationis particeps. Nec dissimili modo rem explicare licet exemplo ex Geometria desumpto; triangulum enim, exempli gratia, figura est plana, & est talis figura, nempe tribus lateribus comprehensa, ratio autem figuræ à talis figuræ ratione re ipsâ non distinguitur; nihilominus de triangulo non licet per rationem figuræ demonstrare attributum, quod illi conuenit, quatenus ipsum talis est figura; & attributum figuræ de ipso demonstrari non potest, eò quod talis figura sit. Concludendum igitur inexistentiam prædicati in subiecto, esse id, respectu cuius est causa id, quod causa est, per quam demonstratio propterquid, procedit in demonstrando, etiam si huiusmodi causa, atque adeo demonstrationis medium subiecti, vel affectionis definitio sit.

Sequitur considerandum qualis nam hæc debeat esse causa, quâ demonstratio propterquid utitur. Si Philosophi mentem attendas, facilè reperies ipsum voluisse causam, de qua loquimur, propriam, & immediatam, hoc est adæquatam, & cum effectu conuertibilem esse. Quandoquidem ipse causam remotam & inadæquatam, quæque cum effectu non reciprocatur, ad demonstrationem profectò *quia* pertinere existimabat; huiusmodi siquidem demonstrationis genus perfici credebat per processum non modo ab effectu ad causam; sed etiam à causa, remota tamen, ad effectum; sed de hoc Sectione sequenti datâ operâ disputabitur. Interim certum ex Aristotelis sententia demonstrationem *propter quid*, fieri per causam proximam, & adæquatam.

Ratio etiam euidenter hanc veritatem conuincit, quoniam hæc demonstratio causam illam requirit, quâ habitâ mens omnino acquiescit, dum sibi proponit inquirendum unde sit, ut quædam affectio alicui conueniat, siue ut aliquid tale sit; enim verò supponimus hanc esse perfectissimam demonstrationem, cuius summa perfectio in hoc posita est; sed huiusmodi esse causam adæquatam, & immediatam conuertibilemque cum effectu, seu passione, cuique satis est exploratum; nunquam enim futurum, ut mens acquiescat, nisi causam hanc fuerit assecuta; quin perpetuo dolore torquebitur, quoad illam ignorauerit; causa igitur immediata, & conuertibilis cum effectu, siue passione, ea est, quam hæc demonstratio requirit.

An talis causa debeat esse Physica.

Amplius est inquisitione dignum an huiusmodi causa, quæ in hac adhibetur demonstratione debeat physica esse, & asserendum iuxta prædicta haud necessarium esse, ut causa verè physica sit, sed potius sufficere, ut sit quædam ratio prior, unde habeat affectio ut subiecto conueniat. Hoc ex antea traditis perspicuum est, cum scientiæ definitionem explicaremus, & cum paulo antea etiam postremæ difficultati occurrere niteremur. Et ulteriùs etiam ratione suadetur assertio, quoniam demonstratio *propter quid* suaptè naturâ tantùm postulat, ut reddat causam, & ipsum propter quid, res sit; iuxta tamen ingenium, rei de qua agitur; nam si affectio demonstranda causam habuerit physicam, oportebit physicam causam adhibere in demonstratione contexenda; at si physicam non habuerit causam, sed tantum rationem quandam priorem, prioritate præsuppositionis, quæ aliquo sensu dici potest etiam naturæ, ut suo loco fuit explicatum, huiusmodi ratio sufficiet.

Non est necesse, physicam esse.

Ratione suadetur.

Inductione probatur.

Hoc etiam inductione probari facilè potest, si nanque Mathematicas disciplinas percurramus, præsertim Arithmeticam, & Geometriam præstantissimas earum partes, nullo labore comperiemus in demonstrationibus *propter quid*, contexendis, haud necessarium esse physicam causam adhiberi, quandoquidem commemoratæ demonstrationes per huiusmodi causæ genus in talibus scientijs formari minimè possunt.

Responsio præoccupata simulque reiecta.

Neque dicas demonstrationes illas è numero demonstrationum *propterquid* eliminandas esse; nam id ultrò fatebor si ad huiusmodi demonstrationem requiri physicam causam existimes, alioquin haud satis video cur demonstrationes illæ (de ostensiuis tamen loquor) dici propterquid non mereantur. Sed hoc etiam admisso, videlicet Matheseos demonstrationes non esse dicendas propterquid, consideremus diuinam Philosophiam, quæ fatentibus etiam aduersarijs omnium est præstantissima, adeo ut sapientia mereatur appellari, & reperiemus demonstrationes, quibus ipsa utitur, illas nimirum, quæ communi omnium consensu dicuntur *propterquid*, non procedere per causam physicam, non enim dum primus Philosophus de ente demonstrat attributa, demonstratione *propterquid*, physicam causam adhibet; quænam physica potest esse causa, unde habet ens ut sit unum, ut sit verum, ut sit bonum? Et quando etiam idem de Deo prima causa tractationem instituit, contendens ostendere, necessariò dandam esse causam primam, eamque unicam esse, & infinitæ perfectionis, alijsque attributis affectam; certè physica non utitur causa in ijs conficiendis demonstrationibus, quas ad ostendenda hujusmodi attributa de prima causa possim usurpat; quod & in alijs rebus idem primus Philosophus frequentat, horum autem superior est ratio tacta, quia nimirum demonstratio propterquid, iuxta rei, de qua agitur, indolem strui debet; si itaque rei non conuenit attributum per physicam causam, sed solùm per quandam priorem rationem essendi, haud possum animum câ informare sententiâ, ut credam ad illud attributum demonstrandum physicam causam requiri. Quod si dicas

dicas posse quidem demonstrationem per illam essendi rationem elaborari; non tamen esse dicendam propterquid, de nomine contentionem facies, ineptè tamen loquens; propterea quòd ad hoc demonstrationis genus elaborandum, nil aliud requiritur, nisi ut per ipsum assignetur *propterquid*, passio subiecto inest; at hujusmodi essendi rationem afferendo, utique propterquid assignamus, cum nullum suppetat aliud; ob id ea demonstratio dici debet *propterquid*. Huc pertinent ea, quæ in solutione paulo antea difficultatis allatæ, copiosè diximus; quando nanque nos ostendimus de triangulo celebre illud attributum, quod est habere tres angulos æquales duobus rectis, demonstrationem conficimus *propterquid*, ut in tractatu de Mathematicarum disciplinarum natura copiosè ni fallor, ostendi; & nihilominus illa demonstratio non procedit ex causa physica, ut notum est.

Duplex demonstratio *propterquid*, iuxta duplicem causam physicam, & metaphysicam.

Hinc naturæ sagaciores interpretes non immeritò geminam quidem demonstrationenem *propterquid* recognoscendam crediderunt, quarum una procedens dicatur ex vera causa physica altera verò, procedens ex ratione à priori, re tamen ipsâ non distincta, quæ causa metaphysica solet nuncupari; & quoniam quatuor sunt causarum genera, materialis, formalis, efficiens, & finalis; & quælibet ex huiusmodi causis potest assumi pro demonstrationis medio, ut infra planum fiet; ob id totidem quoque modi demonstrationis *propterquid* distingui possunt; quorum quilibet ex physica dicetur causa procedere.

Quatuor modi demonstrationis propterquid, iuxta quatuor genera causarum.

Solet amplius in controuersiam vocari, num ad eandem conclusionem ostendendam demonstratione propterquid, plures causæ possint adhiberi. Hac de re tamen non eadem est philosophorum opinio, cum pleriſque visum sit unius rei, unam duntaxat esse posse demonstrationem *propterquid*, eo quòd una tantum proxima, & adæquata causa possit adinueniri; & quanuis plures iuxta quatuor causarum genera eiusdem rei causæ possint esse; unicam tamen ex ijs adæquatam, & proximam dari posse contendunt, qualis ea esse debet, quam demonstratio *propterquid* exposcit; hanc autem pro diuersis rebus, vel in uno, vel in alio genere causæ statuendam esse, cæteras verò causas esse remotas, & inadæquatas, & idcircò pro medio sumi posse in demonstratione *quia*, non autem *propterquid* affirmant.

An ad demonstrandum eandem conclusionem plures causæ possint adhiberi.

Nihil prohibet per plures causas proximas eandē conclusionem ostēdi.

Longè tamen arridet magis consilium dicentium, nihil prohibere quominus conclusionis eiusdem demonstratio fiat per plures causas proximas, & adæquatas.

1. Post. Tex. 180. Aristotelis auctoritate probatur.

Videtur autem hoc docuisse Philosophus dicens, πλείους δ' ἀποδείξεις ἔσ τοῦ αὐτοῦ ἐγχωρεῖ, οὐ μόνον ἐκ τῆς αὐτῆς συστοιχίας λαμβάνοντι μὴ τὸ συνεχὲς μέσον οἷον τῶν α, β, τὸ γ καὶ δ καὶ ζ ἀλλὰ καὶ ἐξ ἑτέρας. *Fieri autem potest, ut eiusdem* conclusionis *sint plures demonstrationes, non solùm ex eadem classe sumpto termino non continenter cohærente: ut* si terminorum α, β, medium sumatur γ, & δ, & ζ. *Sed etiam ex diuersis* classibus. Non me fugit in his verbis explicandis diuersas interpretum esse sententias; qui melioris tamen sunt æstimationis, docent Philosophi consilium eò solùm spectare, ut nos admoneat ad eandem conclusionem probandam, fieri posse demonstrationes ex diuersis medijs. Neque putes cum locutum duntaxat de effectibus, vel de causis remotis, ac inadæquatis, quoniam is de causis eiusdem generis, puta remotis, & proximis non modò, sed etiam de causis genere differentibus sermonem habet; ut præteream hoc idem ipsum docuisse, cum ait, quodlibet causæ genus pro medio demonstrationis assumi posse, præsertim ubi suscipit explicandum quo pacto per duas causas, nempe finalem, atque materialem eundem effectum demonstrare valeamus; quandoquidem hæc habet. Ἐνδέχεται δὲ τὸ αὐτὸ διὰ ἑνὸς καὶ διὰ πλειόνων, οἷον διὰ τοῦ ἀναγκαίου. *Accidit autem, ut idem sit, & alicuius gratia.* Vbi pergit & propositum laternæ declarat exemplo. 2. Post. tex. 19.

Præcipua mihi videtur ratio, quoniam ut res se habet ad esse, ita ad cognosci; quicquid autem in natura est, primo excepto ente, proindeque subiecti passio, vel affectio quatenus subiecto inest à quatuor causarum generibus, non solùm remotis, & inadæquatis, sed etiam proximis, & adæquatis, suum esse recognoscit; ergo quatenus ab huiusmodi causis pendens, cognosci potest; hunc autem in modum ut cognoscatur affectio, sensu iam explicato, debet per demonstrationem cognosci; ergo affectionis de subiecto demonstratio dari poterit per quatuor commemorata causarum genera. Maior propositio certa, minor etiam est clara, nam illud inesse passionis in subiecto, si de rebus prout naturâ constantibus, habeatur sermo, procul dubio à quatuor causarum generibus pendet. Rena... 2. Post. tex. 4.

Aduersus tamen proximè dicta illud facit, quòd Aristoteles videtur oppositum docuisse, ubi scientiam definiens ait esse cognitionem rei per causam, non autem causas, immò addit *per quam res est*, ad significandum, unicam, & adæquatam esse causam per quam scire debemus; & alibi splendidè pronunciauit, unius rei unicam esse causam, per quam demonstratione propter quid possit demonstrari. Primum ... 2. Post. tex. 7... 2. Post. tex. 9...

Solutio Auctoritatibus ...

Hæ tamen auctoritates non multùm aduersarijs fauent, quandoquidem scientiam definiens Aristoteles utitur voce *causæ*, in singulari, habet enim ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν. *cum causam putamus cognoscere*; sed id facit, ut explicet, quod absolutè & simpliciter necessarium est, nimirum, ut saltem per unicam causam res cognoscatur, & quidem per adæquatam, per quam res est, vt proinde subdat δι' ὃ τὸ πρᾶγμά ἐστιν. *propter quam res est*; non propterea tamen inficiatur posse quoque per plures causas rem sciri. At alibi, nempe secundo loco subinde laudato; nihil dicit, quod ad propositum faciat; sic enim loquitur πότερον δ' ἐνδέχεται μὴ τὸ αὐτὸ αἴτιον εἶναι τοῦ αὐτοῦ θάτερον, ἀλλ' ἕτερον, ἢ οὔ; Ἢ εἰ μὲν καθ' αὐτὸ ἀποδείκτεαι, οὐ μὴ ἔστι σημεῖον ἢ ἔστι συμβεβηκός, ἐχ οἷόν τε; ὁ γὰρ λόγος τοῦ ἄκρου, τὸ μέσον ἔσται· εἰ δὲ μὴ ἁπλῶς, ἐνδέχεται; *Vtrum autem potest eiusdem non eadem causa esse omnibus, sed diuersa an non, an si per se demonstratum est, non per signum, vel per accidens, id fieri nequit? nam medium est definitio extremi, si verò non ita* demonstratum sit, *fieri potest?* mirum autem quid aliqui comminiscantur interpretes; ex eorum tamen qui sunt melioris notæ, sententia Stagiritis quæstionem proponit, utrum eiusdem effectus plures sint causæ in diuersis subiectis quibus inest, & non una, ut longeuum inest ceruo, & cotornici, sed illi, quia caret felle, huic verò quia siccum animal est, respondet dicens si effectus ille demonstretur per se, putà demonstratione perfectâ, non autem per signum, aut per accidens, seu demonstratione imperfectâ, fieri non posse ut idem effectus de pluribus subiectis per diuersas causas demonstretur, sed ut per unam & eandem causam omnibus inest, ita per unam debet demonstrari de omnibus. Clarius dicemus Philosophum duntaxat voluisse, quandocunq; fuerit aliquod attributum pluribus conueniens, si per se illud de uno eorum per certam causam demonstretur, de alijs quoque similibus per eandem causam demonstrari debere, quando tamen causa fuerit propria, & adequata. Vt si per se demonstretur equum posse se mouere motu progressiuo, quoniam animal perfectum est, per eandem causam idem de homine, leone cæteriſque

per-

Digitized by Google

perfectis animalibus in eadem proprietate, genereque conuenientibus, demonstrari debebit; nec ibi negauit idem attributum posse de ijsdem rebus per plura media, & causas adequatas demonstrari.

Grauis tamen difficultas diluenda se offert; nam posset quispiam obijcere, quî fieri poterit, ut conclusio demonstratione perfectâ demonstretur per omnia causatum genera, si talis demonstratio per causam propriam, & conuertibilem efformari debeat, cùm tamen huiusmodi esse non possit, nisi causa formalis; nulla siquidem aliarum reciprocatur cum effectu, sed quelibet est indifferens ad plures effectus; per hanc igitur solùm perfectam demonstrationem contexere licebit.

Ad huius difficultatis enodationem summopere aduertendum occurrit, non solùm causas externas, sed ex internis unam scilicet materiam considerari posse, vel secundum se, vel prout in actu; quantumuis igitur priori modo inspectæ causæ, de quibus habetur sermo, non possint cum effectu conuerti, verè tamen posteriori modo conuerti possunt, itaut singula quæque, adæquatæ causæ rationem sibi possit vendicare; tametsi autem effectus in actu, propriæ causæ in actu contingenter uniatur, quoad esse; per se tamen quoad causam unitur, cùm essentialiter ab ipsa pendeat; quòd ad constituendam propositionem aliquo modo per se, nec omnino per accidens, sufficere ambigendum nemini. Ne commemorem causam & effectum reciproca ri, si utriusque sit idem status possibilitatis vel actualitatis. Sed hoc uberiùs de demonstrationis medio disputans tractabo.

Tandem non omittendum, quod ad hunc pertinet locum, nimirum an quando plures eiusdem rei causæ sunt, opporteat per illas omnes conclusionem demonstrare, ut perfecta scientia comparetur: an verò per unicam demonstrare sufficiat, & in uniuersum, an perfecta cuiusque rei cognitio, omnium causarum intelligentiam requirat. Huius dubitationis prebuit ansam Philosophus dicens, τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, καὶ μέχρι τῶν στοιχείων. *Tunc enim putamus unumquodque cognoscere, cùm causas primas nouerimus, & principia prima, & usque ad elementa*. Interpretes in varia placita distracti Stagiritæ consilium explicarunt.

Ad propositæ quæstionis dissolutionem multiplex cognitionis acceptio præmitti debet; alia siquidem cognitionum dicitur definitiua, & alia demonstratiua. Definitiua porro ut ex nomine liquet, ea est, quæ definitione; demonstratiua autem quæ demonstratione acquiritur, ubi definitionis nomine non quæcumque, sed illa duntaxat in præsentia sumenda est, quæ rei subiectæ naturam perfectè declararat; nomine autem demonstrationis illam, quæ procedens ex causis conclusionem ostendit, ac propterea quæ perfecta est omnemque numerorum complexionem habet; quandoquidem oratio illa, quæ intimam rei naturam non declarat, sed potius adumbrat, utpote per accidentia quædam exibita, ab ea deficit perfectione definitionis, de qua in præsentia loquimur; & ea ratiocinatio, quæ ex effectis procedit, imperfecta demonstratio est, solùmque scientiam imperfectam admodum parit. Quoniam autem utrunque cognitionis genus perfectum esse contendimus, de quo in præsentia disputatur, non omittendum perfectionem cognitionis in duplici esse discrimine, prout cognitio duobus modis perfecta, vel nempe simpliciter, vel in determinato aliquo genere, siue causæ, siue scientiæ dici potest, ut ex infra dicendis perspicuum fiet. Amplius est etiam obseruatione dignum, cognitionum unam rei comprehensiuam esse, alteram verò non comprehensiuam; illa quidem est, quâ res cognoscitur quantum cognoscibilis est, adeo ut huiusmodi cognitione mens quicquid in re ipsa est luculenter attingat: hæc vero à tanta repræsentationis perfectione deficit. Tandem præ oculis habendum è causis, aliam esse causam per se, aliam autem per accidens; Causa per se censetur illa, quæ secundum propriam naturam, & non secundum aliquid sibi accidens, causæ fungitur munere; ut ædificator per se domum ædificat; pictor per se pingit. Causa autem per accidens est illa, quæ licet ad effectum concurrere dicatur, non est tamen necessaria, nec effectus vi illius acquirit esse. Ita quidem musicus ædificij dicitur ædificator, nempe per accidens; ædificatio siquidem ita est à musico, ut si non foret musicus, adhuc tamen æquè benè posset ædificare; ædificatio enim per se non pendet à Musica; ob id si ille non foret musicus, adhuc ædificare posset, his autem præhabitis.

nempe cognitiua, & non comprehensiua. Causa duplex, puta per se, & per accidens.

Asserendum primò nec ad demonstratiuam, nec ad definitiuam rei cognitionem, causarum per accidens intelligentiam requiri. *Prima assertio.*

Hanc veritatem Aristoteli perspectam fuisse, nemini dubium, is enim ut se habet esse cuiusque rei, sic eiusdem cognitionem se habere putabat; at esse nullius rei simpliciter pendet à causis per accidens; hoc enim causarum genus tale est, ut non det esse effectui, non influat in ipsum; sed quæ causa per accidens est, vel ideo dicitur causa, quia accidit causæ per se; ita esse musicum est causa per accidens ædificij, & idcirco huiusmodi causa dicitur per accidens accidentalitate causæ; vel quia accidit aliquid effectui, ut fodiens terram aquæ inueniendæ gratia, dicitur causa per accidens respectu inuentionis thesauri, quoniam huiusmodi inuentio accidit fossioni, vel saltem loco illius euenit, diciturq; causa per accidens accidentalitate effectûs; manifestum autem utrouismodo causam per accidens acceptam, sic se habere, ut non det esse effectui; quamobrem ad effectûs cognitionem, siue definitiuam, siue demonstratiuam huiusmodi causæ intelligentiâ opus non erit.

Illud etiam accedit, quòd tales causæ pro circumstantiarum occursu variationem subeunt, & ex ijs quamplures in utranque partem eueniunt, adeo ut incertâ lege contingant; idcirco sub certam nostræ mentis notionem cadere non possunt; quòd si ita est, nec ad definitionem, nec ad demonstrationem elaborandam poterunt adhiberi. *Confirmatio.*

Definitiua, perfecta tamen, cognitio, causarum omnium internarum perceptionem requirit: & huiusmodi perceptione tantùm contenta est. *Secunda assertio.*

Hoc autem ostendo ex eo quia talis cognitio, nil aliud quàm exacta definitio, prout in mente sedem obtinet; hæc autem est, quæ mentis oculis rei definitæ naturam exhibet; sed hoc præstare non potest, nisi explicando intimiora primordia omnia rei definitæ; ut enim hæc ab ijs suum esse habet: ita debet secundum eadem cognosci; ergo perfecta definitiua cognitio causarum omnium internarum perceptionem, ac explicationem requirit. Sed internarum tantummodo causarum omnium explicationem ad huiusmodi cognitionem obtinendam sufficere, manifestum ex eo quia per talem cognitionem perfectè rei natura debet explicari; sed hæc omnibus quidem, sed solis internis causis continetur; ergo causarum omnium internarum tantùm explicatio ad huiusmodi cognitionem obtinendam sufficiet. *Ratione suadetur.*

Ad cognitionem demonstratiuam omnibus numeris absolutam, omnium tam internarum, quàm externarum causarum notitia exposcitur. *Tertia assertio.*

Digitized by Google

Ratione probatur.

Hoc eâ ratione demonstratur; quia demonstratiua cognitio ea est, quâ cognoscimus causam propter quam res est, nempe propter quam res hoc vel illud sibi vendicat attributum; sed hoc ab omnibus causarum generibus, tam internis, quàm externis pendet, ut infra planum fiet; ergo demonstratiua cognitio, quæ tamen absoluta sit, omnium tam internarum, quàm externarum causarum notitiam expoſcit.

Suspicari tamen quispiam posset hæc plurimùm à veritate distare, quoniam ad perfectam demonstrationem struendam non sunt necessaria primordia, causæque, nisi quæ demonstrationi pro medio possunt inseruire; sed huiusmodi non sunt omnia quatuor causarum genera, siquidem ex causis externis, nequeunt fieri propositiones per se. Hæc difficultas ubi de medio demonstrationis agetur, soluta remanebit.

Assertio quarta.

Definitiua cognitio non simpliciter, sed quodammodo, hoc est, in certo scientiæ genere perfecta, solam internarum causarum ad huiusmodi scientiam attinentium perceptionem requirit. Demonstratiua verò externas etiam admittit, dummodo tamen ipsius disciplinæ metam non excedant.

Assertionis explicatio.

Itaque ad perfectam physicam definitionem, solùm est opus cognoscere causas internas ad huiusmodi scientiam attinentes; idem de Geometria, Arithmetica, ac reliquis disciplinis iudicium esto; quemadmodum, & perfecta physica demonstratio causas externas admittit, quæ sub huiusmodi disciplinam cadunt, hoc idem de reliquis disciplinis &c. Hæc autem sic intelligas velim, ut nimirum in vnaquaq; disciplina perfecta dicatur definitio tradita per interna primordia, quæ sunt propria ipsius, etsi quæ communia sunt in occulto iaceant; nam huiusmodi definitio perfecta tantum dici debet in genere physico, quæ ut talis sit, solùm expoſcit principia propria physicæ; nam si quæ alia sunt, quæ certè non desunt, cuiusmodi sunt communia quædam rerum naturalium attributa, quorum conceptus materiam non includunt, proindeque physicos terminos transiliunt, ad huiusmodi definitionem perfectam non requiruntur, ut est ratio entis, substantiæ, & id genus alia, quæ tametsi ad essentiam naturalium rerum pertineant, de ipsis tamen differere primus Philosophus assumit. Quod autem de definitione dixi, de demonstratione quoque intelligendum, & utrunque non solùm de Physica, sed de cæteris omnibus scientijs est usurpandum.

Adnotatio.

Quæ verò dicebam de cognitione in certo scientiæ genere perfecta, de cognitione perfecta etiam in certo causæ genere potest intelligi. Itaque ad perfectam cognitionem rei in genere causæ efficientis, non est necesse aliud causæ genus cognoscere; sic etiam ad perfectam cognitionem obtinendam in genere causæ materialis, non oportet alterius causæ notitiam accersire.

Alia explicationis ratio.

In idem autem recidit si dicamus ad absolutam, & exactam rei notitiam in aliqua integra scientia comparandam requiri causarum omnium ad illam scientiam spectantium cognitionem: sed ad unius simplicis demonstrationis absolutionem, perfectionemve sufficere unius tantum causæ notitiam, dummodo tamen demonstratio non ijs sit conditionibus destituta, quas rectè demonstrandi norma præscribit.

Supradictorũ probatio.

Vtrumque certum ex paulo antea traditis; quandoquidem, ut supra non semel animaduersum fuit, unaquæque res pro ut est, ita pariter est cognoscibilis; at quælibet res, de qua aliqua ediſſerit disciplina suum habet esse à causis omnibus, ad eandem disciplinam attinentibus; obid quantum ad omnes huiusmodi causas in eadem disciplina cognoscibiles erit, & ideo eo cognosci debebit. Secundum non minus certum, propterea quòd in vnica demonstratione non nisi medium vnicum adhibendum; nam si plura fuerint media, plures quoque demonstrationes erunt, vel Aristotelis testimonio dicentis. Ετέρα δ' ἐπιστήμη ἐστὶν ἑτέρας, ὅσων αἱ ἀρχαὶ μήτε ἐκ τῶν αὐτῶν, μήθ' ἕτεραι ἐκ τῶν ἑτέρων. *Diuersæ scientiæ sunt* eorum, *quorum principia nec ex eisdem* principijs oriuntur, *nec altera ex alteris*. Euidens autem ratio, quoniam demonstrationes etsi de re eadem, pro diuersitate tamen principiorum discriminantur; eò quòd res secundum formalem rationem generatim eadem, pro principiorum diuersitate rationes induit diuersas. Hoc explicari potest exemplo. Possumus de homine demonstrare, quòd aptus sit elicere moralem actum; tum per causam effectiuam, quia scilicet intelligendi facultate præditus est; tum per causam finalem, quoniam ad æternam beatitudinem est ordinatus; tum per causam veluti formalem, quoniam habet libertatis usum; tum ad extremum per causam materialem, quoniam animâ constat, quæ ab omni materiæ concretione seiungitur.

1. Poſt. tex. 49.

Elegans superiorum doctrinæ explicatio.

Ratione suadetur.

Hoc adeo clarum, ut nihil magis; siquidem vnaquæque scientia intra proprios contemplationis cancellos, finesque continetur, nulla enim est, quæ possit in alienos terminos irrumpere; sed hoc ideo quoniam in definiendo, demonstrandoque propriæ contemplationis terminos non egreditur, propterea quòd scientia uniuersa ex definitionibus, ac demonstrationibus efflorescit.

Assertio quinta.

Cognitio rei comprehensiua non solùm notitiam omnium causarum ad ipsam spectantium, sed etiam effectuum quos edere valet, & affectionum ac virium, quæ naturam ipsius consequuntur, & ad extremum, perfectionum omnium, quas suâ continet potestate, requirit.

Ratione suadetur.

Huius assertionis probatio ex explicatione comprehensiuæ cognitionis petenda; cum enim hæc sit causa, quâ res cognoscitur quantum ex se cognoscibilis est; necessum est rem secundum omnia prædicta cognitionis hoc genere cognosci, eorum enim uno ignorato, cognitio non posset comprehensiua dici, mens enim per ipsam rei fines circumspicere dici non posset, cum tamen hoc comprehensiua cognitio requirat; vel positiuè ut aiunt, quatenus modum, siue terminum rei prefigit cognoscibili, vel negatiuè, quatenus omnem remouet excessum; priori enim modo res omnes, quas diuina formauit industria, comprehenduntur; posteriori modo Deus Opt. Max. se ipsum comprehendere dici potest, eo nomine quòd essentiæ suæ fines non attingat; cum illa nullis perfectionum limitibus finiatur &c.

Prima difficultas.

Sed aduersus primam assertionem facit Aristotelis testimonium quandoquidem ipse non rarò in definiendo causis utitur externis. Ita quidem demonstrationem per scientiam, tanquam per finem definit. Et alibi vocem, per causam efficientem definitam reliquit. Facilis tamen solutio; non enim inficiandum in uniuersum ad elaborandam definitionem causas externas adhiberi posse, sed duntaxat ad definitionem, quæ dicitur merè quidditatiua; nam alioquin ad illam tradendam, quæ dicitur per additamentum, quæ rei sunt externa, commodè possunt, immo debent adhiberi. Ita quidem se habent definitiones illæ, quas ex Aristotele superiùs attulimus, etsi quæ aliæ sunt generis eiusdem; quælibet enim ipsarum dicitur per additamentum exhibita, nimirum per id, quod ad rei definitæ naturam extrinsecùs tantùm, non intrinsecùs pertinet.

1. Poſt. tex. 9. 2. de An. tex. 90. Solutio.

Iu-

Iuvat autem quasdam alias difficultates expendere. Non levis autem quæ ex paritate hunc in modum desumitur. Longè perfectiùs affectionem subiecto convenire demonstratione cognoscimus, cum internas non modò, sed externas etiam causas percipimus: ita longè perfectiùs definitionis præsidio rei naturam assequemur, cum non solùm eius causas internas, sed externas itidem perceperimus.

Cum hîc de cognitione definitiva disseritur, non de ijs, quæ nos ad rei naturam inveniendam, ac explicandam, vel saltem adumbrandam, subsidiariâ quadam ope iuvant, & quodammodo manuducunt, solliciti sumus; hæc enim varia sunt, nec exiguo comprehensa numero; sed ea tantùm inquirimus, quorum perceptione definitiva cognitio, vel essentiæ, quidditatisque notio, quanuis omnibus absoluta numeris, potest esse contenta, adeo ut quicquid est præter hæc, superfluum sit, minimeque requisitum ad hoc, de quo loquimur, cognitionis genus. Quod si forsan usu veniat, ut in definitionibus contexendis externa quædam, nempe causæ proprietates, & effecta pariter usurpentur; non subinde eorum perceptio ad exactè definiendum necessaria credi debet; sed eâ ratione tantùm eorum cognitionem putandum adsciscì, quatenus hæc ad absolutam, accuratamq; rei explicationem nobis præsidio est, & adiumento, præsertim accidentium: affectionumque notio, quò pertinet illud Stagiritæ, Αλλὰ μὴ ἀνάπαλιν τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τί ἐστιν. *Sed & contrario accidentia conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum quid est*. At longè diuersa est demonstratiuæ cognitionis ratio; quandoquidem demonstrationis est ostendere propterquid prædicatum rei subiectæ conueniat; quod cùm & ratione internarum & externarum causarum convenire possit; erat cur demonstratio, eiusque partus demonstratiua cognitio, quodlibet causæ genus accerseret, à quo per se quidem attributum pendet, atque suum esse recognoscit.

Illud etiam se considerandum offert, in quo nonnihil est difficultatis, quòd substantia maximè quidem accidentis causa debet externa dici; siquidem non facit intrinsecùs ad constitutionem illius; & nihilominus apertè Philosophus testatum reliquit, accidens sine substantia nec perfectè intelligi, nec perfectè definiri posse; perperam igitur à nobis dictum fuit definitiuam notitiam solâ causarum internarum perceptione contentam esse.

Solutio patet ex proximè discussis; concedendum enim externa principia ad cognitionem definitiuam sæpesæpiùs requiri, non tamen per se, sed quatenus ea sunt, ad quæ rei definitæ natura, & essentia ordinem dicit ac ob id quatenus huiusmodi ordinem terminant. Hoc sanè modo se habet substantia comparatione accidentis; accidens enim est entis ens, nimirum est aliquid substantiæ, proindeque dicit ordinem ad ipsam; adeo ut substantia accidentis ordinem terminet; manifestum est autem ingenium uniusque rei dicentis ordinem ad aliud, tale esse, ut non possit cognosci sine illo; quia nimirum ut res se habet ad esse, ita ad cognosci; cum itaque suum esse ordinatum habeat ad aliud, debet etiam ut sic ordinatum cognosci; sed hoc fieri nequit sine cognitione illius ad quod ordinatur; idcirco ad illud cognoscendum, huius requiritur cognitio; huiusmodi porrò est definitiua accidentis notitia, quæ per additamentum dicitur, quatenus in illa assumitur id, ad quod ordinatur, velut illud, quod non facit intrinsecùs ad naturam rei definitæ, ut superiùs dicebatur. Quæ autem de substantia comparatione accidentis asserimus; intelligenda sunt pariter de effectis respectu causarum, de actibus, & obiectis: & in universum de relatis; omnia siquidem ita sui naturâ se habent, ut unum altero, ad sui definitionem indigeat, sensu tamen iam explicato, sed de hoc latiùs alibi.

Quarta difficultas. Amplius rerum essentiæ causas non habent; ut autem res se habent ad esse, ita ad cognosci; propterea essentiæ rerum per causas cognosci non debebunt; at verò definitiua cognitio est, quâ rerum essentiæ cognoscuntur; ergo huiusmodi cognitio non poterit per causas obtineri.

Solutio. Omissâ quorundam responsione, veluti minus idoneâ, fiet satis interpretando philosophorum illud effatum *rerum essentiæ non habent causas*, eius enim intellectus hic est, puta quòd essentiæ non habent causas, per quas conueniant ijs quorum sunt essentiæ, & per quas de ipsis demonstrari possint.

Quinta difficultas. Est etiam difficultas tam de definitione, quàm de demonstratione in eo consistens, quòd utraque facit in mente notitiam, cognitionemve necessarij nexûs inter prædicatum & subiectum; huiusmodi autem nexus respectus quidam rationis est, qui propterea causam ex rei natura obtinere non potest; prædictarum igitur cognitionum, ex causis neutram comparare licet.

Solutio. Facilis tamen solutio, respectus enim ille pro fundamento sumptus, rationis non est respectus, quin potius extrema ipsa, quæ ut causas habere possunt, ita & per eas demonstrari; quòd autem nexus formaliter ut aiunt, acceptus sit rationis quidam respectus, nihil refert; non enim in præsens de nexu extremorum iuxta secundam hanc usurpationem, sed iuxta primam, habetur sermo.

Sexta difficultas. Vlteriùs urgent sic arguendo. Intantum externa causa in demonstratione posset adhiberi, & per ipsam posset confici demonstratio; quatenus ex ipsa & affectione fieri posset propositio æternæ veritatis, hoc euidens est ex demonstrationis natura, quæ postulat, ut ex huiusmodi propositionibus fiat; sed nulla ex causis externis est huiusmodi; siquidem nulla est, quæ nexum indissolubilem habeat cum affectione demonstranda de re subiecta; ergo nulla ex externis in demonstratione locum habere poterit. Assumptio cuique perspecta redditur ex eo quia omnis externa causa, aut est finis, aut efficiens, aut exemplar; sed horum omnium causalitas sic rei existentiam spectat, ut ab illa nequeat absolui: nam efficiens est, à quo oritur actio, quâ res producitur; finis est cuius gratia aliquid fit; exemplar demum est id, quod efficiens imitatur; enimuero agens per actionem dat esse effectui, & proinde spectat existentiam eiusdem: finis autem, cum sit id quod allicit agens ad producendum effectum, non potest eiusdem effectus existentiam non respicere; exemplar demum, cum sit prototypum, quod agens sibi proponit imitandum, debet etiam & ipsum sic se habere, ut ab effectûs existentia non absoluatur.

Solutio. Huius difficultatis solutio, commodiùs tractabitur, ubi, de medio demonstrationis disputabitur. Vt nihilominus hoc etiam loco breviter aliquid dixisse videamur; aduertendũ ex causis etiam externis fieri posse propositiones aliquo modo necessarias; (at ex causis externis fieri posse propositiones suo modo necessarias ostendam, cum de modis dicendi per se disputandi se obtulerit occasio;) quartus enim modus ad prædicationem & quidem necessariam etiam reuocatur, sed ad modum illum causæ pertinent externæ, ut ex ibi dicendis perspicuum fiet. Negandum igitur ut argumento fiat satis, causas externas in demonstrationibus adhiberi non posse; siquidem in propositionibus necessarijs

sarijs nihil obstat quominus adhibeantur, ac ob id in demonstrationibus usum habeant; necessariæ autem fient propositiones acceptis causâ, & effectu in actu; quanuis enim quoad esse per se non uniatur effectus propriæ causæ in actu, per se tamen unitur quoad esse causæ, quoniam effectus ab hac essentialiter pendet, quod etiam superiùs notaui, sed copiosiùs de his loco nuper allegato.

Septima difficultas. Sed aduersus comprehensiuam notitiam illud plurimum negotij faceſſit, quod per huiusmodi cognitionis genus, nihil cognoscitur, nisi quantum ex se cognoscibile est; nihil igitur est, quod ab intellectu humano huiusmodi cognitionis genere cognosci possit, cùm aliquid semper de re proposita supersit intellectui superioris ordinis cognoscendum, siquidem hic longè perfectiùs, quàm humana mens intelligendi munere fungitur.

Solutio. Ad propositæ dubitationis enodationem multa congerunt Aristotelis interpretes ab ea conantes se varijs nugis expedire, parum tamen feliciter, cum quo magis diluere propositam difficultatem enituntur, eo etiam maioribus præmantur angustijs; eorum igitur figmentis prætermissis unicâ quidem animaduersione difficultati satisfiet, considerando scilicet aliquid comprehendi dici, non absolutè, sed per respectum ad cognoscentem; itaque cognitio comparatione unius cognoscentis comprehensiua est, alterius autem non item; cum igitur asseritur aliquid comprehendi, cum cognoscitur quantum ex se cognoscibile est. Hic erit propositionis intellectus, ut id cognoscatur quantum ab ea potentia cognoscente est cognoscibile; hoc enim pacto cognoscibilitas rei, virtutem, facultatemque cognoscitricem adæquat, quod non contingit, si dicatur obiectum cognosci quantum absolutè suapte naturâ est cognoscibile; iuxta priorem comprehensionis modum non repugnat aliquid sub intellectûs creati comprehensionem cadere: repugnat tamen iuxta secundum, qui solùm diuino competit intellectui; ab hoc enim dumtaxat unaquæque res absolutè cognosci potest quantum sui naturâ cognoscibilis est; at ab intellectu creato dicetur comprehendi, quando cognoscitur quantum ab huiusmodi intellectu cognosci potest, cum enim hæc cognoscibilitas quibusdam finibus coerceatur, quos etsi intellectus humanus egredi non possit, intra tamen illos certis legibus non adstrictus, potest plus, minusve de obiecti perfectione percipere; nunquam tamen rem consideratam comprehendere dicetur, nisi quando ultimos fines cognoscibilitatis attigerit, quos rebus humanæ mentis imbecillitas præfigit.

SECTIO QVARTA.

De Demonstratione Quia.

Tractationis ordo. CVm hucusque de demonstratione generatim deinde etiam specialim, scilicet de demonstratione *propter quid*, disputatum à nobis fuerit; proximum est, ut in præsentia de demonstrationis altera specie, quæ dicitur *quia* sermonem instituamus. Duplex autem huius est demonstrationis modus, quorum primus fit ab effectu ad causam, siue à posteriori ad prius; ut quando nobis antea compertum est effectum esse, & inde concludimus dari talem causam, ex qua talis prouenit effectus: vel quando antea cognoscimus alicui subiecto prædicatum aliquod competere, & inde deducimus tali subiecto causam talis prædicati conuenire. Hæc igitur demonstratio contingit, si ipsa quidem per immediata, hoc est per immediatos effectus notiores tamen, at non per causam fiat, sed per notius eorum, quæ reciprocantur; nihil enim vetat quominus eorum, quæ vicissim prædicantur, notius quandoque sit id, quod non est causa, quamobrem per hoc demonstratio fieri poterit; affert autem Philosophus de scintillatione planetarum exemplum; dum ait οἷον, ὅτι ἐγγὺς οἱ πλάνητες, διὰ τὸ μὴ σιλλειν. *Veluti, quòd planetæ propè sunt ex eo* demonstratur, *quòd non scintillant*. Adeòut Aristoteles videatur demonstrationem hanc declarasse hoc exemplo. *Omnia astra quæ non scintillant sunt propè nos; planetæ sunt astra, quæ non scintillant; ergo planetæ sunt prope nos;* Supponens itaq; ex communi sententia non scintillare propinquitatis effectum esse, quanuis id dubium sit, in exemplis enim non requirenda veritas, ut aliàs vidimus, hoc exemplum affert ad illustrandam demonstrationem, quæ ex effectu ad causam procedit, sic etiam hoc idem declarat exemplo Lunæ subeuntis incrementum, & decrementum luminis, hinc enim probat Lunam sphæricâ figurâ constare; supponit autem, quod verum est, illuminationem illam per incrementum, & decrementum à sphærica figura prouenire, ac proinde demonstratio fit ab effectu ad causam, ut enim ostendat Lunam esse globosam per accretiones, decretionesque luminis id probat sic augumentationem instituens, *Quod illuminatur ita, ut patiatur incrementum, aut decrementum luminis globosum est; Lunam autem sic se habere experientia docet; ergo Luna globosa erit*. Et hæc argumentatio ostendit tantum, quòd res sit, ut Philosophus testatur dicens. Οὗτος μὲν οὖν ὁ συλλογισμὸς, οὐ τὸ διότι, ἀλλὰ τὸ ὅτι, δείκνυ· εἰ γὰρ διὰ τὸ μὴ σίλβειν, ἐγγὺς ἐστιν· ἀλλὰ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι, οὐ σίλβουσιν. *Hic igitur syllogismus non ostendit cur* res sit, *sed quòd* sit. *Non enim quia scintillant, sunt propè: sed quia propè sunt, non scintillant*.

Nec reprehendendus Philosophus, quòd exemplis sit usus, in quibus accidentia commemorantur, quæ actualem existentiam concernunt; enimverò id ab eo factum clarioris doctrinæ gratia, & eò lubentiùs, quia propositiones in quibus hæc habentur accidentia, proindeque contingentiæ vitio laborant, ad propositiones necessarias reuocari possunt, si secundum statum possibilitatis, vel sub aliqua conditione intelligantur enunciatæ. Ne commemorem scientiam esse contentam physicâ necessitate, quam in ijs de quibus traduntur exempla, neminem præterit reperiri, hoc enim necessitatis genere Lunam illuminationis varietatem necessariò subire palam, & apertum, quandoquidem secundum naturæ cursum, nempè supposito seruandam esse structuram Vniuersi, & Solem debere lumen effundere, non potest in Luna hæc illuminationis varietas nempe accretio, & decretio non contingere.

Solet etiam in dubium verti cuiusmodi hic debeat esse effectus. Nos impressis antea vestigijs insistentes existimamus haud necessariò effectum physicum esse debere, sed posse etiam in hoc genere demonstrationis effectum usurpari, qui causæ metaphysicæ respondeat quique propterea non ineptè metaphysicus dicitur, estque ratio posterior alterâ se habente ut causa. Ita quidem Dei æternitas existimatur effectus immutabilitatis; ut enim ex immutabilitate, tanquam ex causa, metaphysica tamen, æternitatem inferimus, tanquam effectum itidem metaphysicum; sic ex aduerso ex æternitate, tanquam effectu nos immutabilitatem, tanquam causam deducimus; utque priori modo per causam: ita posteriori modo per effectum dicimur demonstrare. Vtrunque igitur effectuum genus in eâ de

Digitized by Google

de qua loquimur, demonstratione, tanquam medium potest adhiberi.

Quando effectus est physicus, a quocunque genere causæ potest pro medio assumi.

Cum autem effectus fuerit physicus, potest quispiam in ancipiti versari: qualis nam hic sit effectus. Et asserendum in quocunque genere causæ effectum esse. Vt enim quodlibet è quatuor generibus causarum ex antea traditis in demonstratione *propterquid*, tanquam medium potest usurpari, sic in demonstratione *quia* poterit effectus pro medio, cuilibet exillis causis respondens adhiberi; quod adeo euidens, ut pigeat in eius probatione immorari.

Non ignorandum porrò demonstrationem ab effectu multifariam contingere. Primò quando effectus cum sua causa conuertibilis est, & tunc ex negatione, vel affirmatione effectûs, concludi potest affirmatio, vel negatio causæ; ita planè se habent risibile, & rationale; nam ex risibili affirmatiuè, rationale licet colligere, dicendo *esi risibile; ergo est rationale;* & hic demonstrationis modus ob conuertibilitatem terminorum exerceri potest tam ab effectu ad causam, quàm à causa ad effectum, ita ut prior sit demonstratio *quia*; posterior autem *propterquid*, quæ contingeret cum ex rationali deduceretur risibile. Secundò quando effectus non est conuertibilis, sed inadæquatus; vel quia excedit causam si potest ab illa produci, ut calor comparatione ignis, cum hic etiam à Sole generari possit, vel quia exceditur à causa, ut si effectus quando est, semper est à tali causa; non tamen quando est talis causa, perpetuò talem effectum ponit; ut respiratio respectu animalis; respiratio enim esse non potest nisi ab animali; adeo ut datâ respiratione, necesse sit dari animal; non tamen posito animali, necesse est respirationem poni; siquidem dantur aliqua animalia, ut pisces, quæ tamen non respirant. Ab effectu qui exceditur à causa potest fieri demonstratio affirmatiua; *ut respirat; ergo est animal*; non tamen negatiua, *non respirat; ergo non est animal*. Ab effectu autem excedente causam potest effici demonstratio negatiua, ut *non est calor; ergo non est ignis*; non autem affirmatiua, *est calor; ergo est ignis*.

Nullibi tamen magis, quam in Matheſi modus hic demonstrationis ab effectu ad causam elucet, ubi nimirum analysis instituitur; nam ut syntheſis, siue compositio, à causa ad effectum, siue passionem: ita analysis, seu resolutio, ab effectu, seu passione ad causam procedit, quod operosum non esset exemplis illustrare, è quibus, ut unum, vel alterum tangamus, sit propositio prima Libri decimi tertij elementorum, nempè.

Si recta linea extremâ, ac mediâ ratione secta fuerit, maior portio assumens dimidiam totius, quintuplum potest eius, quod à dimidia fit, quadrati.

Sit recta linea quædam A B, extremâ, ac mediâ ratione secta in C, sitque maior portio A C, & ponatur A D, ipsius A B dimidiæ æqualis. Dico quadratum ex C D, quadrati ex D A quintuplum esse; Geometra igitur ex hac affectione diuisionis prædictę, progreditur donec ad eiusdem primordia deueniat, cuiusmodi est, quòd quadratum ex A B, quadruplum est quadrati ex A D, eò quòd A B ipsius A D dupla sit; inde autem reuertitur componendo, ita ut resoluendo ab effectu ad causam: componendo autem à causa ad effectum progrediatur. Non dissimili modo se gerit Geometra in secunda propositione eiusdem libri, quæ sic se habet.

D A C B

Si recta linea partis ipsius quintuplum possit, dupla dictæ partis extremâ ac mediâ ratione secta, maior portio reliqua pars est eius, quæ à principio rectæ lineæ. Hæc enim etiam resoluitur faciendo progressum ab effectu, seu passione ad causam, deinde componitur procedendo à causa ad effectum.

Ad hunc demõstrationis modum pertinet demonstratio à signo.

Ad hunc autem demonstrationis modum, ea quæ dicitur à signo demonstratio pertinet. Quandoquidem signum, quâ tale est, aliquid significat, proindeque rem significatam supponit, seque habet tanquam posterius ad prius in essendo. Huc pertinet etiam demonstratio deducens ad impossibile, quæ quibusdam videtur etiam ad demonstrationem *propter quid*, & *quia* reuocari, de quo infra disputabitur.

Difficultas ex Arist. auctoritate.

Aduersus superiorem doctrinam videtur Aristotelis testimonium, quando ait peti principium, cum prius per posterius demonstratur. Sed clarè patet quò tendat Philosophi consilium, nempe ut doceat principium peti cum ab eo, quod est minus notum, atque posterius in cognoscendo, proceditur ad magis notum, atque prius itidem in cognoscendo. Cum autem asserimus concedendam esse demonstrationem *quia*, quâ proceditur ab effectu ad causam, supponimus demonstrationem institui, quando effectûs habitudo, etsi posterior in essendo, sit nihilominus prior, & notior in cognoscendo, ita ut menti possit causæ notitiam ingerere, quæ in conclusione per demonstrationem infertur, sensu iam explicato, ita nimirum ut inferamus dari talem causam ex qua talis effectus prouenit. Vel quando antea cognoscimus alicui subiecto prædicatum aliquod conuenire, & ex hoc præcognito prædicato tanquam effectu, tali subiecto conuenire causam talis prædicati argumentamur.

2. Post. Cap. 11. Auctoritati fit satis.

Anim: d: uersũ.

Huc etiam pertinet, quod Aristoteles docet, quodque nos paulo antea ad soluendam difficultatem aduersus essentialem distinctionem istarum specierum demonstrationis, usurpauimus; is enim docet, ex ijsdem terminis demonstrationis *quia*, fieri posse demonstrationem *propterquid*; ait autem, Ἐγχωρεῖ δὲ τῷ διὰ θατέρου θατερον δειχθῆναι τῷ ἕτερα τὰ ἄκρα τὸ ὅτι καὶ ἀπόδειξιν. *Accidit etiam ut alterum per alterum probetur, & erit demonstratio*, docens *cur* res sit. Vbi obseruandum retineri quidem eosdem terminos, non tamen easdem præmissas; nam propositione maiori simpliciter conuersâ, fit ex maiori extremo, medium, & ex medio, maius extremum, quare per eandem causam demonstratur idem effectus de eodem subiecto, hunc in modum. *Id quod est propè nos, non scintillat; sed planetæ sunt propè nos; ergo planetæ non scintillant*; hâc igitur demonstratione docet Philosophus effectum ostendi per suam primam & immediatam causam. Et hæc de primo huius demonstrationis modo.

1. Post. Tex. 9/.

Secundus modus demonstrationis *quia*

Secundus autem eiusdem demonstrationis modus est, cum conclusio per causam quidem, non tamen propriam, ac immediatam, sed per remotam, & non propriam conclusionem ostendimus. Itaque duplex erit species demonstrationis *quia*. Vna, quæ procedit à non causa, ut superius est visum: altera quæ procedit à causa remota, & non immediata, quo nomine intelligo causam, quæ non est conuertibilis cum effectu; ita ut ubicunque est causa, ibi sit effectus, & ubicunque est effectus, ibi sit causa; atque adeo de quocunque prædicatur unum, prædicetur, & alterum. Vt igitur per causam immediatam & conuertibilem cum effectu demonstratio procedens dicitur demonstratio *propter quid*: ita & illa, quæ procedit per causam non conuertibilem, dicitur demonstratio *quia*, quod eleganter expressum legimus apud Aristotelem dicentem, per media, quæ non conuertuntur cum prædicato, quod de subiecto demonstratur, & per media, quæ non sunt causa conclusionis demonstrari, *quòd est* non autem *propterquid est*, dum ait, Ἐφ' ὧν δὲ τὰ μὲ-

Adnotatio.

Τὰ μὲν ἀντιστρέφει, ἃ δὲ οὐ γνωριμώτερον τὸ ἀνάπαλιν. τοῦτο δ', διήκουται τὸ διότι δ', ἢ. *In quibus autem media non reciprocantur, idque est notius quod non est causa: ostenditur quòd sit, non cur sit.* Hoc est, si medium, nempe causa fuerit remota, & non reciprocetur cum effectu, etsi quod non est causa, nempe effectus fuerit notior fiet demonstratio *quia*, non autem *propterquid*; ubi obserua per media in numero plurali significari ab Aristotele causam, & effectum, quoniam in antegressis exemplis, effectus fuerat medium in demonstratione *quia*, causa verò in demonstratione *propterquid*. Obseruandum etiam velle effectum notiorem esse, quod intelligendum de causa tam proxima, quàm remota, eo quòd in omni demonstratione à notioribus procedendum est.

Tribus modis contingit causam non conuerti cum effectu.

At verò tribus modis contingit causam non conuerti cum effectu. Primò quando causa non semper ponit effectum, ita ut eâ existente, effectus existat; nec semper quando est effectus à tali est causa. Hoc declarari solet exemplo venti. Hic enim interdum est causa frigoris, non tamen semper, cum plerunque usu veniat, ut sit ventus, qui tamen frigus non pariat. Secundò quando causa semper ponit effectum: sed non semper dum est effectus, est à tali causa. Ita quidem ignis (ut communi utar exemplo) semper est causa caloris, non tamen calor semper est ab igne, cum à varijs quoque causis esse possit, puta, à Sole, à motu, &c. Valeat tamen exemplum, quantum valere potest, de hoc enim in Physica disputabo. Tertiò cum effectus, semper prouenit à tali causa: sed non semper talis causa ponit talem effectum. Ita planè respiratio non est nisi ab animali, non semper tamen posito animali, ponitur respiratio. Ex his autem tribus modis causarum non conuertibilium, primus nulli demonstrationi, nempe nec affirmatiuæ, nec negatiuæ, nec ab effectu ad causam, nec à causa ad effectum potest deseruire; non enim licet arguere; *est ventus; ergo est frigus*; vel *non est ventus; ergo non est frigus*, nec contra. Secundus modus causæ potest deseruire demonstrationi affirmatiuæ à causa ad effectum, & negatiuæ ab effectu ad causam, non autem contra. Ita quidem rectè arguimus, *ignis est; ergo est calor*. Insuper *non est calor; ergo non est ignis*, non tamen illatio valet *non est ignis; ergo non est calor*, neque valet *est calor; ergo est ignis*. Ita ut hac de re sit ratiocinandum non secus ac de propositione conditionali, ut eruditissimus Neotericus aduertit; siquidem in huiusmodi argumentatione consequentia tenet affirmatiua à conditione ad rem, & negatiua à re ad conditionem, quod exemplo facillimum est illustrare. Tertius causæ modus inseruire potest affirmatiuæ demonstrationi ab effectu ad causam: & negatiuæ à causa ad effectum; non autem contra. Ita quidem optima est illatio, *respirat; ergo est animal*. Insuper *non est animal; ergo non respirat*; non benè tamen infertur; *non respirat; ergo non est animal*; neque rectè fit illatio, *est animal; ergo respirat*. Huius autem tertij modi neminit Aristoteles

1. Post. tex. 99. dicens. Ἔτι, ἐφ' ὧν τὸ μέσον, ἔξω τίθεται. καὶ γὰρ ἐν τούτοις, τῷ ὅτι, καὶ ἕνεκα τοῦ διότι, ἡ ἀπόδειξις. ἐὰν γὰρ λεχθῇ τὸ αἴτιον. Οἷον, διὰ τί οὐκ ἀναπνέει ὁ τοῖχος; ὅτι οὐ ζῷον· ἐὰν γὰρ τοῦτο τῷ μὴ ἀναπνεῖν αἴτιον. ἔδει τὸ ζῷον εἶναι αἴτιον τοῦ ἀναπνεῖν οἷον, εἰ ἡ ἀπόφασις, αἰτία τοῦ μὴ ὑπάρχειν· ἡ κατάφασις, αἰτία τοῦ ὑπάρχειν. *Item in quibus medium extrinsecùs ponitur. In his enim demonstratur quid sit, non cur sit, quia non dicitur causa. Veluti cur non respirat paries? quia non est animal. Etenim si hæc esset causa non respirandi, oporteret animal esse causam respirandi: ut si negatio est causa cur non insit, affirmatio est causa cur insit.* Hæc autem illustrat exemplo dicens, si intemperies calidorum, & frigidorum est causa non benè valendi, eorundem temperies est causa benè valendi. Et subdit, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κατάφασις τοῦ ὑπάρχειν ἡ ἀπόφασις τοῦ μὴ ὑπάρχειν. *Et similiter si affirmatio* est causa *cur insit, negatio* est causa *cur non insit*. Hinc autem deductum illud effatum, *Si negatio est causa negationis; affirmatio est causa affirmationis: Et si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*. De quo mox aliqua dicenda.

Antiqua lectionis explicatur.

Tertium igitur causæ modum non conuertibilis cum effectu ex tribus antea recensitis, hoc loco Stagirites considerat, & ait demonstrationes, quæ procedunt per causam non propriam, sed latius patentem, non esse demonstrationes *propterquid*, *sed quia*; ut *omne respirans est animal; nullus paries est animal; ergo nullus paries respirat*. Enimverò tametsi procedat per id, quòd aliquo modo causa est, non tamen continet ptopriam, & adæquatam causam; quod ex allato exemplo manifestum est; nam, ut Aristoteles disputat, si non esse animal, esset simpliciter causa cur paries non respirat, oporteret animal esse causam respirandi; quoties enim negatio est causa negationis; affirmatio est causa affirmationis, & vicissim. Quòd autem animal non sit absolutè respirandi causa, manifestum ex eo, quòd multa sunt animalia, quæ non respirant. Hunc autem demonstrationis modum, scilicet per causam latiùs patentem, huiusmodi esse vult, ut demonstrationes ad ipsum spectantes dici debeant tales, ut in ipsis medium extra ponatur, quoniam in secunda figura construuntur, in qua medium semper est prædicatum, proindeque extra; nam particula *extra positum*. (Hoc enim sibi vult *extra*) in præsentia significat esse positum in utraque præmissa, tanquam extremum per modum prædicati, proindeque ut vltimum. In tertia quoque medium est extremum, & vtrobique per modum subiecti; sed ea figura particularem propositionem concludit, atqiadeò ad scientiam non facit.

Dubitatio de veritate superioris effati.

Cæterum, illud effatum, plerosque turbauit; nam valet utique consecutio *est homo; ergo est animal*; at non contra *non est homo; ergo non est animal*; non enim licet arguere à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis. Multa congerunt hîc Aristotelis interpretes; mihi tamen res facilis videtur, quandoquidem, effatum illud intelligendum de causa, quæ reciprocatur cum effectu; valet enim tunc arguere à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis; nempe, *est homo; ergo est risibile*; deinde *non est homo; ergo non est risibile*; in terminis igitur conuertibilibus hæc locum habent, & effatum prædictum in huiusmodi terminis veritate comprobari potest. Docet autem medium non dici causam, non quòd re verâ causa non sit; sed quia causa est remota, & latius patens, quàm effectus; at causa remota respectu causæ proximæ, & conuertibilis cum effectu, dici potest non esse causa.

Hæc demonstratio in secunda figura fit.

Asserit porrò demonstrationem hanc in secunda construi figura, ut si A, sit animal B, verò respirare, & C, paries, fiet demonstratio ut supra, nimirum omne B, est A, hoc est, omne respirans est animal; sed nullum C, est A, id est, nullus paries est animal; ergo nullum C est B, hoc est, nullus paries est respirans.

Animal vsurpatio.

Ad magis declarandum huius demonstrationis genus, utitur lepida quadam similitudine desumpta à quibusdam dictis, quæ passim vulgò solent iocandi causa usurpari; non rarò enim usu venit, ut nos interrogati, datâ operâ, causam quandam remotam afferamus, quod ab Anacharsi factum fuisse ait; hic enim cùm esset Scytha, in Græcia degens interrogatus, an in Scythia sint tibicinæ, respondit non esse, ratione red-

Digitized by Google

seddens, quia ibi non sunt vites. Erant autem tibicinæ, fœminæ, quæ inebriabantur, & tibijs canebant. At hic nimis ab effectu remotum medium, & causam attulit; nam inter ipsam, & effectum, aliæ mediæ causæ intersunt; quandoquidem non esse vites apud Scythas est causa, ut vinum non habeant: non habere vinum est causa, ut non inebrientur: non inebriari, est causa, ut tibijs non canant. Philosophus autem contendit demonstrationem procedentem ex causa non conuertibili dicendam esse *quia*, non *propter quid*, quod alibi quoque docuerat, ubi dixerat perfectæ demonstrationis, & *propter quid*, principia esse debere propria, & adæquata conclusioni, quod etiam memoriâ tenuit scientiam definiens; ob id enim in ea dixit. *Per causam, per quam res est, itaut non possit aliter se habere*, quorum sensus hic est, nimirum ut nec effectus possit esse nisi ex tali causa, neque causa dari possit, quin ponat talem effectum; nam etsi, ut nuper dicebam, effectus dici possit aliquo modo per causam demonstrari, quando per causam remotam struitur demonstratio, simpliciter tamen dici non debet demonstrari per causam, nisi hæc sit propria, proxima, completa, & adæquata, cuiusmodi est illa, quam perfecta scientia, atque perfecta demonstratio requirit, quæ certè remotâ causâ non est contenta; mens enim quærens causam alicuius effectus non acquiescit, nisi causam conuertibilem fuerit assecuta; habitâ enim remotâ causâ, non propterea ab inquisitione desistit, sed ulteriorem causam inquirit, donec adæquatam inueniat. Vt si dicatur ideo paries non respirat, quia non est animal, non prorsus intellectus acquiescit, sed statim quærit cur aliqua, quæ sunt animalia non respirant. At si ei reddatur causa, quia caret pulmone, statim quiescit, eoquòd, quemadmodum habere pulmonem adæquata est respirandi causa: ita non habere pulmonem est causa non respirandi; siquidem ut nuper fuit adnotatum, in terminis conuertibilibus, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis.

Poſt. 2. 9. 13. & 14.

Alia etiam potest assignari demonstratio pertinens ad genus demonstrationis *quia*; nam etsi non sit à causa remota ad effectum, nec ab effectu immediato ad causam; est nihilominus ab aliquo necessariò concomitanti, adeout non sit à priori, non à posteriori, sed à simul.

Alias demonstratio quia, modus à concomitantibus.

Exemplis declarari potest assertio. Secunda propositio primi Elementorum Problema est huiusmodi. *Ad datum punctum, datæ rectæ lineæ, æqualem rectam lineam ponere*, huius autem constructio demonstratur per aliquod concomitans, quia nimirum æqualitas duarum linearum ostenditur per æqualitatem, quam earum utraq; habet cum tertia, adeo ut æqualitas cum tertia, necessariò comitetur mutuam æqualitatem duarum. Et ut ingenuè fatear magna ex parte Mathematicæ demonstrationes per huiusmodi medium procedunt. Talis quoque demonstratio foret illa, quâ de homine demonstraretur esse flebile, per esse risibile, ut si quis argueret hunc in modum. *Omne risibile est flebile; sed omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est flebilis*; sat enim, ut pro medio sumatur, e duobus, quorum unum alterum concomitatur, id quod nobis euidentius, ac manifestius est; ut in superiori exemplo Geometricæ demonstrationis apertè constat. Nam euidentius, & apertius est duas rectas tertiæ æquales esse, quàm inter se esse æquales.

Asserto. Declaratur assertio.

Ratione quoque suaderi potest assertionis veritas, quia illa ratiocinatio, quę in Mathematicis disciplinis locum habet, quæque ab ipsis passim usurpatur, non immeritò, demonstratio dici potest; nam huiusmodi habitus perfectæ scientiæ rationem sibi vendicant, quinimo in primo certitudinis gradu statuuntur; sed huiusmodi esse ratiocinationem, de qua loquimur, proximè probatum fuit; idcirco hæc ratiocinatio non immeritò demonstratio poterit appellari.

Ratione datur. Prima ratio.

Præterea hoc etiam plurimum habet momenti, quoniam ratiocinatio ab effectu ad causam sibi vendicat demonstrationis rationem; ergo etiam ratiocinatio à concomitanti, poterit illam sibi vendicare. Optima consecutio, quoniam pro utraque eadem causa militat; eatenus enim ratiocinatio ab affectu ad causam demonstratio dicitur, quatenus effectus necessariam habet connexionem cum causa; nisi nanque hæc intercederet necessaria connexio, nullo modo demonstratio dici posset; sed non minoris necessitatis est illa connexio inter duo, quorum unum ita comitatur alterum, ut non possit illud non comitari, quamuis eius effectus non sit; ergo non solùm ratiocinatio ab effectu ad causam, sed à concomitanti iure poterit demonstratio nuncupari.

Secunda ratio.

Amplius omnis ratiocinatio euidens, & necessaria, hoc est, constans ex propositionibus certis, euidentibus, ac necessarijs, demostratio dici potest, alioquin ratiocinatio ab affectu ad causam demonstratio perperam appellaretur; sed ratiocinatio à concomitanti ita se habet; ergo talis ratiocinatio iure demonstratio dici poterit. Assumptio constat apertè, cum non rarò eueniat, ut aliqua duo talem connexionem, & concomitantiam habeant, ut separari minime patiantur, & ubi est unum, necessariò sit alterum, quantumuis unum alterius causa non sit, adeò ut ex uno possit euidenter, & necessariò alterum inferri, quemadmodum duæ sunt proprietates, duo effectus, quorum uterque necessariò ab aliqua communi causa procedit.

Tertia ratio.

Nonnullæ tamen se dubitationes offerunt, nam primò illud occurrit, quod Aristoteles accuratissimus in re, de qua agimus, nunquam meminerit huius, quem in præsens astruimus, demonstrationis modum; non igitur admittendus.

Prima difficultas.

Hæc tamen puerilis illatio est; neminem enim in bonis artibus versatum pręterit, consecutionem ab auctoritate negatiua nullius roboris esse, non enim licet arguere, *Hippocrates hanc morbi speciem nullibi commemorauit; ergo ipsa non admittenda*. Vt præteream dici posse Philosophum probationem hanc, de qua loquimur, genere demonstrationis *quia*, complexum esse; quandoquidem si ad hanc demonstrationem credebat necessariam connexionem sufficere, cum hæc etiam detur inter ea, quæ mutuò se comitantur, necesse est credidisse ex his quoque demonstrationem fieri posse.

Solutio.

Deinde sic obijciunt. Si inter medium, & extrema non sit habitudo causæ & effectûs, omnis connexio quæcunque illa sit certè, non necessaria, sed accidentaria erit, quo posito licebit in eorum gratiam ita ratiocinari. Ea, quæ non necessario vinculo connectuntur ita se habent, ut ex ipsis demonstrationes fieri non possint; sed quæ concomitantiæ vinculo connectuntur talia sunt, ut non necessario vinculo connectantur; ergo quæ concomitantiæ vinculo connectuntur talia sunt, ut ex ipsis demonstrationes fieri non possint. Assumptio autem probari potest, quoniam in argumentationem ex concomitantibus factam propositio cadit, in qua maius extremum prædicatur de medio, quæ propterea non erit per se, cum neque prædicatum ponatur in definitione subiecti, neque subiectum prædicati.

Secunda difficultas.

Neganda est assumptio, & ad eius probationem dicendum propositiones illas ex concomitantibus factas

Solutio.

non

non esse per se, nec necessarias quando ad hanc necessitatem habitudo causæ ad effectum, & vicissim requiratur; esse tamen necessarias necessitate naturæ, quæ separari, mutuò concomitantia non permittit, cum eius lege sancitum sit, ut unum sine altero esse non possit, eoquòd à communi principio dimanant, ita ut si hoc in unum eorum influit, in aliud non possit non influere, ubi influxûs nomine tam physicum, quàm metaphysicum appello.

SECTIO QVINTA.

De Demonstratione ducente ad impossibile.

Demonstratio ostensiua, & ducens ad impossibile.

VVlgata satis apud Aristotelem demonstrationis partitio in ostensiuam, & ducentem ad impossibile, siue ad Incommodum. Demonstratio ostensiua est, quæ ex veris, certis, euidentibus, & necessarijs sumptionibus rem simpliciter ostendit, cuiusmodi est omnis demonstratio *propter quid*, & etiam *quia*, de quibus hactenus locuti sumus. Demonstratio autem ducens ad impossibile vel incommodum est, quæ ex altera sumptione vera, & altera ab aduersario concessa, conclusionem apertè falsam colligit, ut aduersarius cogatur sumptionem, quam prius falsò concesserat, iterum negare, eiusque contradictoriam admittere, vel contrariam ut infra explicabo. Hoc autem modo fieri deductionem ad impossibile Dialectici notarunt, nempe ut assumamus contradictoriam vel contrariam conclusionis negatæ, ex qua cum altera ex propositionibus concessis formemus tales præmissas, ex quibus inferamus conclusionem contradictoriam vel contrariam alicui ex præmissis iam concessis, proindeque cogamus aduersarium, vel negare, quod iam admiserat, vel concedere duo contradictoria vel contraria simul esse vera. Vt fiat syllogismus in Baroccho. *Omnis homo est animal: aliquod viuens non est animal; ergo aliquod viuens non est homo.* Si quis concessis præmissis neget conclusionem. Oportet contradictoriam assumere, videlicet *omne viuens est homo*, quoniam si una contradictoria est falsa, altera est vera; oportet itidem assumere maiorem illam concessam, *omnis homo est animal* & hoc modo argumentationem struere. *Omnis homo est animal; omne viuens est homo; ergo omne viuens est animal*, erit autem syllogismus in Barbara. Sed hæc conclusio contradictoria est illi minori, quæ fuerat ab aduersario concessa, *aliquod viuens non est animal*; hoc itaque modo aduersarius contradictionis conuincitur, & ad impossibile deducitur. Itaq; semper oportet conclusionem illatã attendere, & contradictoriam, vel contrariam eius assumere, deinde illam pro una ex præmissis, cum altera iam concessa adhibere, ut inferatur contraria vel contradictoria alterius præmissæ concessæ; hâc enim arte deducitur aduersarius ad impossibile, quod est duas contradictorias, vel contrarias concedere. In huiusmodi autem demonstratione deducente ad incommodum, tres sunt processus ex alicuius sententia, in quorum primo deducitur conclusio impossibilis, ex quâ in secundo colligitur præmissarum alteram impossibilem esse; in tertio tandem concluditur illius contradictoriam ab aduersario negatam, esse veram. Vt erat superior syllogismus; *Omnis homo est animal; sed aliquod viuens non est animal; ergo aliquod viuens non est homo.* Quanuis autem conclusio sit vera, negata tamen fuit; sumptâ autem eius contradictoriâ *omne viuens est homo*, sic arguebatur. *Omnis homo est animal; omne viuens est homo; ergo omne viuens est animal*, & hic est primus processus. Sequitur secundus, cum dicitur *consequens est impossibile; ergo, & aliqua præmissarum; non maior, ergo minor.* Tertius processus est cum arguitur. *Minor est impossibilis; ergo eius contradictoria negata*, puta *aliquod viuens non est homo*, vera erit. Non dissimulandum tamen plerunque negligi tres istos processus, cum demonstratio proponatur ita, ut syllogismus quidam hypotheticus fiat, in quo ex aliquo impossibili conclusio prograditur à destructione consequentis, ad antecedentis destructionem, hunc in modum. Si equus discurreret, sequeretur esse rationalem; sed hoc est falsum, videlicet equum esse rationalem; ergo falsum id unde sequitur, nempe equum discurrere.

Aduertendum ampliùs à plerisque non tres tantùm, sed quatuor progressus in huiusmodi demonstratione recognosci; siquidem illa consecutio, nempe, *sed in prima argumentatione minor non est falsa; ergo major*, reputatur tertius progressus à reliquis distinctus. Itaque neget quispiam propositionem hanc, *aliquod viuens non est homo*, sumatur eius contradictoria, *omne viuens est homo*, atque ratiocinatio hunc instituatur in modum. *Omnis homo est animal; omne viuens est homo; ergo omne viuens est animal*, & hic est primus processus; deinde secundus hic est, nimirum *hæc conclusio est falsa; ergo aliqua præmissarum*; tertius autem erit. *Sed in illa argumentatione maior non est falsa; ergo minor*; quartus tandem erit consequentia, quâ concluditur illud esse verum, quod prius negatum fuerat, hoc videlicet modo; *at minor est falsa, ergo eius contradictoria vera erit*, puta *aliquod viuens non est homo*; propositionum enim contradicentium in omni materia hæc est natura, ut si una sit falsa, altera sit vera, & viciſſim. Quæ autem de contradicentibus, possunt etiam contrarijs in materia necessaria, citra difficultatem accommodari.

E quorundam sententia quatuor sunt processus in demonstratione ducente ad impossibile.

Animadu. ertio.

Hic porrò ad maiorem huius demonstrationis notitiam iterum inculcandum, quod superiori Sectione notauimus, nempe demonstrationem hanc ad demonstrationem *propter quid*, vel *quia* reuocari; nam illa, quæ deducit ad impossibile per causas talis impossibilitatis, pertinet ad *propter quid*; quæ verò deducit ad impossibile, ex effectibus, pertinet *ad quia*, ut si dicatur, *Si equus discurrit, sequitur esse rationalem*, procedit ex effectu. Si autem dicatur, *si lapis est animal, sequitur esse sensitiuum* procedit ex causa.

Demonstratio ducens ad impossibile reuocatur, vel ad demonstrationem propter quid vel quia.

Hic demonstrationis modus quàm frequentissimè in Mathematicis disciplinis solet usurpari, quandoquidem non suppetit ostensiua demonstratio, ad demonstrationem ducentem ad impossibile se Mathematicus conuertit. Sit in exemplum, propositio sexta Lib. primi Elem. nempe.

Si Trianguli duo anguli æquales inter se fuerint, & sub æqualibus angulis subtensa latera, æqualia inter se erunt.



In triangulo A B C, sint duo anguli A B C, A C B, super latus B C, æquales. Dico duo latera illis opposita A B, A C, esse quoque æqualia. Si enim non credantur æqualia, existentibus nihilominus angulis dictis æqualibus, erit alterum maius altero; sit igitur A B, maius quàm A C, si fieri potest: & ex A B, abscindatur [a] in D, recta B D, æqualis rectæ A C, (quæ minor dicitur esse quàm A B,) ducaturque recta C D. Considerentur iam duo triangula A C B, D B C. In quibus cum duo latera A C, C B, trianguli A C B, æqualia sint duobus lateribus D B, B C, trianguli D B C, utrunque utrique, nempe A C, ipsi D B, (abscindimus enim ex A B, ipsi A C, concessu aduersarij, æqualem D B,) & C B, ipsi B C; cum sit unum, & idem; sint autem & anguli A C B, D B C, contenti, dictis

[a] 3. primi.

Digitized by Google

dictis lateribus æquales, per hypothesin B erunt triangula A B C, D B C, æqualia totum, & pars, quod fieri non potest. Non igitur erunt latera A B, A C, inæqualia, si anguli B, & C, super latus B C, equales sunt, ne totum parti æquale esse concedamus: sed æqualia existent. Quare si trianguli duo anguli &c. Quod demonstrandum erat ex Clauio.

Hinc elicies cuiusmodi sit hic demonstrationis modus, deducit enim ad illud incommodum, nimirum quòd totum, & pars inter se sint æqualia. De Mathematicis tamen demonstrationibus, præter illa, quæ scripsi in libris de Resolutione, & Compositione Mathematica, paulo infra multa tractabo.

Hic autem non præteribo, quod ex Aristotele colligitur, nempe in conficienda demonstratione ducente ad impossibile, sumendam esse propositionem contrariam negatæ ab aduersario, & quidem uniuersalem potius quàm contradictoriam particularem, quia particulares propositiones in demonstratione locum non habent, & contrariæ in materia necessaria, contradictoriarum locum obtinent. Si quis igitur ostensiuâ demonstratione ratiocinetur hunc in modum. *Nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis*; sumptâ hâc maiori, *omne animal est lapis*, quæ est contraria illi, *nullum animal est lapis*, additâ deinde minori, *omnis homo est animal* inferemus, *omnis homo est lapis*; oportet autem hanc conclusionem esse manifestè falsam, & impossibilem, & minorem illam, *omnis homo est animal*; esse manifestè veram, vel concessam; sine enim his duabus conditionibus argumentatio non fit ad impossibile. Cum itaque conclusio falsa in recta forma ex veris propositionibus colligi non possit, & forma allati syllogismi sit recta, & conclusio manifestè falsa, necessariò sequitur, vel utranque, vel saltem alteram sumptionum falsam esse; minor autem falsa non est, utpote manifestè vera, vel concessa; ergo falsa erit maior *omne animal est lapis*, quamobrem vera erit opposita, *nullum animal est lapis* ubi aduerte quod superiùs notaui sumi posse propositiones contrarias ob necessitatem materiæ, quod in materia contingenti fieri non potest; non enim si falsa est hæc, omnis homo currit, sequitur esse veram, nullus homo currit.

Talis igitur est diuisio demonstrationis in ostensiuam, & ad impossibile; ita ut ostensiuæ demonstrationis natura in eo posita sit, ut duas præmissas assumat, ex quibus directè, & per se inferat, veram conclusionem; progreditur autem à præmissis ad conclusionem, proindeque à prioribus secundum naturam, ad posteriora; demonstratio autem ad impossibile ducens, à conclusione ad præmissam; sumptâ nanque propositione oppositâ conclusioni, ab ea ad oppositum alterius præmissæ inferendum procedit. Cum autem semper ex notioribus demonstremus ignotiora, si præmissæ sunt notiores conclusione, demonstratione utimur ostensiuâ; si verò conclusio sit notior, utimur demonstratione ducente ad impossibile.

Ostensiua dicitur quâ aliquid alteri inesse, vel non inesse demonstratur, eaque constat ex tribus terminis ordinatis in modo, & figura, ex quibus duæ efformantur sumptiones, siue præmissæ concludentes affirmatiuam veram, & necessariam, siue negatiuam; ubi aduerte non idem esse demonstrationem affirmatiuam, & ostensiuam esse, propterea quòd ostensiua latius patet, cum affirmatiuam, & etiam negatiuam complectatur; quamobrem ex his duabus demonstrationibus, quarum prima est affirmatiua; *omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis*. Secunda est negatiua, *ut nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis*; utraque ostensiua est, quamuis prima sit affirmatiua, altera verò negatiua. Ostensiua duplex affirmatiua, & negatiua.

Demonstratio autem ducens ad impossibile est, qua ex propositione aliqua falsa ab aduersarijs concessa, deducitur altera, quæ magis apparet falsa, si deinde ostendatur propositionem malè concessam fuisse. Constat autem ut superiùs dicebatur, triplici, vel ut alijs placet quadruplici argumentatione, quæ in superiori exemplo Geometrico perspicuè cernuntur, nam falsa est illa propositio, quâ dicitur. *Si trianguli duo anguli æquales inter se fuerint, sub æqualibus angulis latera subtensa inæqualia esse*, ex hac autem falsa propositione deducitur altera, quæ magis apparet falsa, quâ dicitur *triangulum D B C, æquale esse triangulo A B C, pars toti*, quod est impossibile. Demonstratio ducens ad impossibile quid explicatur.

Sunt qui putant demonstrationem ducentem ad impossibile veram demonstrationis naturam sibi vendicare non posse, rationibus ijs ducti, quas inter obijciendum afferemus. An argumentatio ducens ad impossibile sit vera demonstratio.

Asserendum tamen demonstrationem ducentem ad impossibile veram demonstrationem esse. Quorundam opinio.

In hanc sententiam ea me ratio ducit, quia principia scientiarum non nisi hoc genere probationis, vel in propria scientia, vel in prima Philosophia possunt ostendi; fatendum propterea non inepte probationis hoc genus tanquam demonstrationem recognosci. Assertio, quòd demonstratio ducens ad impossibile vera sit demõstratio.

Neque dicas principia, quâ talia probari non posse, nam id ultrò concedam de principijs simpliciter primis, non autem de ijs, quæ solùm prima quodammodo dicuntur; enimuerò hæc probationem non recusant, quin potius exposcunt: quod ex eo præsertim euidens est, quoniam unum è muneribus diuinæ Philosophiæ iure censetur cæterarum scientiarum principia demonstrare, siue aliquo modo firmare; quod profectò contingere non posset, nisi principia ipsa demonstrationem aliquam admitterent, cuiusmodi est illa, de qua in præsentia fit sermo. Ratione suadetur. Prima Ratio.

Præterea illud etiam accedit, quoniam in bonis artibus, ac disciplinis passim hoc probationis genus adhibetur, præsertim in Mathematicis scientijs; in his enim frequens est huiusmodi demonstrationis usus. Secunda Ratio.

Obijciet tamen quispiam hoc modo. Demonstratio constare debet ex veris; at ad impossibile ducens argumentatio constat ex falsis; ergo huiusmodi argumentatio nequit demonstratio nuncupari. Prima difficultas.

In huius autem confirmationem id aliquid habet momenti, quòd demonstratio facit scire; at huiusmodi nequit esse probatio ducens ad impossibile, cùm hæc tantum probet impossibile, quod sub scientiam non cadit. Confirmatio.

Fit obuiam respondendo demonstrationem hanc non participare demonstrationis naturam ratione primi, sed secundi processûs; nam si non prior, saltem secundus ex veris procedit, ut consideranti notum quoad secundum enim processum solùm ex veris probat, licet quoad primum, ex impossibili ratiocinetur; ut si quis argumentetur ad impossibile ducendo hunc in modum. *Aliquod viuens non est homo: sed omne animal est viuens; ergo aliquod animal non est homo.* Neget autem aliquis hanc propositionem, *aliquod animal non est homo.* Tunc ex antea traditis, sumenda est eius contradictoria, puta *omne animal est homo*, & sic arguendum. *Omne animal est homo; sed omnis asinus est animal; ergo omnis asinus est homo.* Et hic est *primus* progressus in quo non habetur demonstratio, neque scientia; sequitur secundus processus. *Sed hæc conclusio est falsa; ergo aliqua præmissarum falsa erit*; nam ex dua- Solutio.

duabus sumptionibus, siue præmissis veris, rectâ seruatâ argumentationis formâ, nequit deduci nisi conclusio vera. Sequitur *tertius* processus; *Sed in prima argumentatione, minor*, omnis asinus est animal, *non est falsa*; *ergo maior*, *nempe* omne animal est homo, falsa est; his succedit *quartus* progressus. *Maior est falsa*; *ergo eius contradictoria*, puta *aliquod animal non est homo, omnino falsa erit*. In his processibus demonstratio ducens ad impossibile consistit, ut etiam superiùs notauimus; demonstrationis autem ratio non seruatur in primo processu, ut paulo antea dicebam, sed in reliquis.

Confirmationi fit satis. Ad confirmationem, non absimili modo, respondendum per primum processum non scientiam, sed dispositionem quandam ad scientiam; per secundum autem scientiæ complementum obtineri; cum per ipsum certa euidens, & necessaria conclusionis habeatur notitia.

Secunda difficultas. Præterea omnis demonstratio est syllogismus; sed probatio ducens ad impossibile non est syllogismus; ergo probatio ducens ad impossibile non erit demonstratio; maior ex definitione demonstrationis perspicuè constat; minor sic ostenditur: probatio quæ non constat ex tribus terminis, & ex tribus propositionibus tantùm, non est syllogismus, ut est ex syllogismi natura manifestum; sed probatio ducens ad impossibile constat ex pluribus, quàm ex tribus terminis, tribusque propositionibus, nimirum ex syllogismo, qui habetur in primo progressu, & ex consequentia habita in secundo ab oppositio conclusionis ad oppositum alterius præmissæ; ergo probatio de qua loquimur constat ex pluribus &c.

Solutio. Occurritur respondendo omnem demonstrationem esse syllogismum, si demonstratio fuerit simplex, non autem mixta, cuiusmodi est probatio ducens ad impossibile. Simplex autem demonstratio est, quæ unico processu: mixta verò, quæ pluribus processibus constat, quemadmodum est demonstratio ducens ad impossibile.

Simplex demonstratio quid.

Mixta demonstratio quid.

Sed contra, hanc responsionem illud habet aliquid momenti, quòd ex duobus illis processibus aggregatum, non ducit ad impossibile, sed ad conclusionem veram; aut igitur nulla datur demonstratio ducens ad impossibile; aut si datur, in illo processuum aggregato non consistet.

Superioris responsionis confutatio.

Solutio. Respondendum primam partem huiusmodi aggregati, nempe primum progressum ducere quidem ad impossibile, & hoc sufficere, ut hæc demonstratio dicatur ad impossibile ducens.

Tertia difficultas. Præterea omnis demonstratio, aut est *quia*, aut *propter quid*, ut ex præcedentibus constat; sed syllogismus ad impossibile ducens neutro modo se habet; neque enim arguit ab effectu ad causam, neque contra; nullum enim impossibile habet causam; ergo nulla dabitur demonstratio ducens ad impossibile.

Solutio. Diluetur proposita difficultas respondendo demonstrationem omnem esse vel *quia*, vel *propter quid*, vel ad alteram illarum posse reduci; itaque demonstratio, de qua fit sermo, ad alterutram reduci potest; si nanque contradictorius vel contrarius, est effectus subiecto, deduciturque causa, tunc erit demonstratio *quia*; Cum videlicet deducit ad impossibile per causas talis impossibilitatis, reuocatur ad demonstrationem *propter quid*; Cum autem deducit ad impossibile ex effectibus, reuocatur ad demonstrationem *quia*. Vt si dicatur, si lapis est viuens; sequitur se posse mouere, est *propter quid*; hoc enim modo demonstratio deducit ad impossibile per causam impossibilitatis; & sic ad syllogismum reduci potest; quod non est viuens nequit se mouere; sed lapis non est viuens; ergo lapis nequit se mouere; si autem dicatur, si equus est risibilis: sequitur esse rationalem, est *quia*. Hoc enim pacto demonstratio deducit ad impossibile ex effectu, & ad syllogismum sic reducetur; quod non est rationale non est risibile; sed equus non est rationalis; ergo equus non est risibilis.

Quæstio difficultas. In eo quoque difficultas, quia argumentari per impossibile, idem planè est, ac argumentari ex impossibili suppositione; sed hoc non licet; quoniam impossibilis suppositio semper est falsa, at ex falso per se verum vi formæ, & consequentiæ non sequitur; quare nulla erit demonstratio deducens ad impossibile.

Solutio Omissâ quorundam solutione, tanquam inani, nulliusque roboris, solutio in eo posita erit, quòd hæc argumentatio vim habet inferendi verum, non quâ falsum, sed quâ verum continet; cum enim eius vis, præsertim in secundo processu exerceatur, & hic ab omni falsitatis vitio sit alienus non erit quicquam in causa, cur per ipsum veritas attingi consecutione non possit. Ne commemorem nos quidem non posse uti impossibili, ad aliquid construendum, benè tamen ad destruendum; quod certè per hunc fit demonstrationis modum; ut ex hactenus traditis cuique redditur exploratum.

Quæstio difficultas, Amplius. Omnis suppositio impossibilis destruit proprium subiectum, proindeque si consequens est contingens, non seruatur constantia subiecti; cum tamen seruanda sit; quòd si consequens est necessarium, supponitur conditionalis constantia subiecti; ergo simul destruitur, & supponitur, quod repugnat.

Solutio Diluetur aduertendo huius probationis vim nullam in secundum esse progressu, cùm ibi nulla fiat subiecti destructio, quæ quidē etsi subinde fiat nihil est, quoniam hâc utimur tanquam suppositione impossibili ad destruendum falsum, ut inde verum eliciamus; ut patet consideranti demonstrationem superiùs allatam tribus, vel quatuor processibus constantem.

Tertia difficultas Præterea. Illa argumentatio, quæ procedit ex falso, nequit scientiam parere; sed hæc argumentatio ducens ad impossibile procedit ex falso; ergo hæc argumentatio nequit scientiam parere; proinde nequit esse demonstratio, cum huius effectus sit parere scientiam.

Solutio Obuiam itur dicendo, ut paulo antea, nimirum argumentationem hanc non gignere scientiam, quâ continet impossibile, & falsum ad destruendum; sed quâ continet verum &c. ad verum inferendum.

Quid de re Mathematici dicant Vt autem quæ de utraque demonstratione scilicet ostensiua, & ducente ad impossibile, diligentiùs tractasse videamur; quid hac de re Mathematici affirmēt in medium afferemus; quamuis de his in libris de Resolutione, & Compositione Mathematica multa dixerimus. Apud hos igitur probationes omnes, vel à concessis ad quæsita, vel à quæsitis ad concessa progrediuntur; primum probationum genus Compositio dicitur. At *Compositio est assumptio concessi per consequentia ad quæsiti finem, & comprehensionem*. Secundum autem est bipartitum; vel enim probationes concessa ponunt, vel destruunt; quæ priori modo se habent, Resolutiones dicuntur. Nam *Resolutio est assumptio quæsiti tanquam concessi per consequentia ad verum concessum*. Quæ verò destruunt concessa, deductiones ad impossibile nuncupantur; nam apud ipsos. *Deductio ad impossibile est assumptio eius, quod quæsito contradicit, tanquam concessi, per consequentia, ad id, quod vero concesso opponitur*; Siquidem in deductione ad impossibile sumimus id, quod quæsito contradicit, idque supponentes progredimur donec in aliquod abter-

Digitized by Google

absurdum, ac impossibile incidamus, per quod suppositione destructâ confirmetur id, quod à principio quærebatur: unde colligunt resolutionem à deductione ad impossibile ratiocinatione tantùm differre, quandoquidem utraque ab incognito ad cognitum eodem progressionis ordine procedit; sed resolutio desinens in verum, concludit, & verum esse, quod supponitur; deductio verò ad impossibile desinens in falsum, falsum esse, & quod supponitur arguit, proindeque quæsitum verum esse, ut in superiori exemplo propositionis sextæ primi Libri Elemen. apertè cernitur; nam quæsito, puta *Si trianguli duo anguli æquales inter se fuerint, & sub æqualibus angulis subtensa latera æqualia inter se erunt*, quod contradicit, est, quòd huiusmodi latera non sint æqualia; deductio igitur ad impossibile sumit hoc tanquam verum concessum, & per consequentia deuenit ad id, quod huic concesso opponitur; quatenus supponentes id quòd quæsito contradicit, progredimur donec in illud absurdum incidamus, quod scilicet triangulum D B C, sit æquale triangulo A B C pars toti, per quod suppositione illâ destructâ, scilicet duo illa latera non esse æqualia, confirmatur id, quod à principio quærebatur, nempe quòd duo prædicta latera æqualia sint, ex hypothesi, quòd illi duo anguli sint æquales; ubi deductio desinens in falsum, nempe quod pars sit æqualis toti, arguit falsum esse, quod supponitur, nimirum duo illa latera esse inæqualia, & inde confirmatur eorundem laterum æqualitas intenta. Quo igitur pacto se habeat deductio ad impossibile ex paulo supra traditis cuique potest exploratum esse.

Quoniam autem huius demonstrationis ratio nequit satis esse perspecta, nisi constet, quo pacto ex falso verum liceat colligere; ob id operæ pretium me facturum arbitror si pauca quædam hâc de re tractavero. Præmittendum autem nihil frequentius à Dialecticis usurpari, quàm illud, *Ex vero, non nisi verum; ex falso, verum & falsum*, quo autem pacto id sit intelligendum, paucis aperiam: in cuius gratiam adnotandum *consequentia* deduci à verbo *consequor*, ut *sequentia* à verbo *sequor*; latissimâ quidem significatione consequentia, denotat vim illam, quâ res una sequitur aliam, eamque comitatur. Huiusmodi autem vis vel est artificialis, ut cum tabulâ una alteri iuncta clauo, iuncta sequitur eam, cui iuncta fuit; vel naturalis, ut cum anima sequitur corpus; in his autem quod trahit dicitur antecedens, quod trahitur dicitur consequens; connexio autem, quâ antecedens trahit consequens, dicitur *consequentia*, siue sequela. Apud Dialecticos igitur consequentia est illa connexio propositionum, quâ una sequitur aliam, & in his quoque tria enumerata licet recognoscere; adeo ut dentur, *antecedens*, *consequens*, & *consequentia*. Consequentia verò dicenda non immerito *ratio connectendi unam propositionem cum alia*. Dicitur *ratio*, nimirum vis, à qua habet, ut una propositio sequatur aliam, vel alias; dicitur *unam propositionem*, hoc est consequens, & dicitur, *cum alia vel cum aliis*; id est cum antecedenti, quod potest, vel unicâ, vel pluribus propositionibus constare.

Vel ut alijs placet. *Consequentia, materialiter tamen accepta, est oratio plures continens propositiones coniunctas per notam illationis denotantem sequelam unius ad alteram, ut homo est rationalis; ergo admirativus. At* verò *Consequentia formaliter sumpta, est habitudo vera, vel existimata subsequentis propositionis ad præcedentem designata per notam illationis, illatiuè tentam.*

Consequentia porrò ab aliquibus diuidi solet in bonam, & malam; sed ineptè, nam, ut syllogismus vitiosus admonente Aristotele, non benè dicitur syllogismus: ita mala consequentia, perperam consequentia dicetur, quamobrem consequentia de bona, & mala non secus, ac homo de homine vero, & picto, nimirum æquiuocè dicitur.

Consequentie in bonam, & malam.

1. Priorum ca. 1. Elench. cap. 1.

Ratio videtur illa, quia Consequentia in connexione unius cum alio consistit; itaut ubi datur talis connexio, merito cuius, unum dici potest habere consecutionem ad aliud, ibi datur consequentia; ergo ubi deest huiusmodi connexio, nulla reipsâ potest esse consequentia at; *Consequentia mala dicitur, quâ unum haud benè infertur ex alio; ut homo est rationalis; ergo est bipes; vel est leo, ergo est risibilis* hoc autem defectu connexionis prædictæ, idcirco consequentia mala nulla reipsâ erit consequentia.

Ratione suadetur.

Consequentia mala, quæ dicatur.

Consequentia bona est illa, quâ unum benè ex alio deducitur; vel ut alijs arridet si definienda sit bona consequentia quoad materiam. *Consequentia bona est oratio, scilicet hypothetica rationalis, habens verum antecedens, & verum consequens eiusdem antecedentis, tanquam principes partes sui, & notam illationis illatiuè tentam; ut Socrates est homo; ergo Socrates est animal.* Antecedens est propositio, quæ in bona consequentia notam illationis præcedit. Consequens est propositio notam illationis subsequens; ut in superiori exemplo Socrates est homo, dicitur antecedens; at verò Socrates est animal, dicitur consequens. Si autem consequentia definiatur quo ad formam, ex horum sententia sic definienda est. *Consequentia bona est consequentia, in qua est vera illatio, siue vera sequela veri consequentis ex vero antecedente per notam illationes designata.* Vel rectius hoc modo. *Consequentia bona est quando impossibile est ita esse, sicut per antecedens significatur quin ita sit, sicut per consequens significatur.*

Consequentia bona ex aliorum sententia quid, si definiatur quoad materiam.

Consequentia bona quoad formã quid sit.

Si definiatur quoad formam.

Celebris autem est illa bonæ consequentiæ diuisio in *formalem* & *materialem*, quarum discrimen non satis obuium, ut propterea non idem sit Dialecticorum consilium. A plerisq; *Consequentia formalis dicitur consequentia bona, quæ sic est bona, ut nunquam possit non esse bona. Consequentia autem materialis dicitur quæ sic est bona, ut aliquando possit esse non bona.* Alij verò sic rẽ explicant, ut ex eorum sententia; *Formalis consequentia sit, quæ vi formæ concludit cuicunque materiæ applicetur. Materialis autem, quæ vi materiæ concludit*; hoc est, cuius forma, in aliqua certa materia colligit verum consequens, ex vero antecedenti; variatâ tamen materiâ nihil concludit. Vt *homo est animal, ergo est sensus particeps*; hæc enim consequentia materialis est, quippequę ratione solius materię verum consequens, ex vero antecedente colligit, si nanque varietur materia ex vero antecedente non colliget verum consequens, quanuis idem sit consequentiæ modus, ut si dicatur *arbor est viuens; ergo est potens se loco mouere*; similis enim est consecutionis forma, & antecedens est verum, & nihilominus consequens est falsum.

Diuisio bonæ cõsequentiæ in formalem, & materialem.

Ex aliorum autem sententia partitio hęc sic explicanda. *Formalis consequentia est illa in qua oppositum consequentis formaliter, & manifestè repugnat antecedenti*: propterea, inquiunt, hęc est bona consequentia formalis. *Homo currit; ergo homo velociter mouetur*, quoniam oppositum consequentis, quod est *hominem velociter non moueri*, manifestè repugnat antecedenti, neq; cohęrere simul potest cum ipso, quod quidem est *hominem currere*; non enim fieri potest ut homo currat, & ut velociter non moueatur; quandocunque, igitur oppositum consequentis formaliter & manifestè repugnat antecedenti, itaut nemo sanę mentis habitâ

Formalis consequẽtia ex aliorum sententia quid.

ficatione terminorum valeat imaginari, vel opinari oppositum, consequentis stare posse cum antecedenti, tunc bona est consequentia formalis. Ita consequentia formalis est; *Socrates loquitur; ergo aperit os.*

Materialis consequentia, quid ex eorundem sententia.

Materialis autem bona consequentia ex eorundem placito est illa, in qua oppositum consequentis repugnat antecedenti, sed non manifestè, ita ut nihil prohibeat quominus aliquis imaginetur, ac opinetur oppositum consequentis stare posse cum antecedente, licet imaginatio, & opinio falsa sit, ut hæc, inquiunt, materialis est consequentia. *Homo est; ergo eius anima est immortalis*; quoniam oppositum consequentis manifestè non repugnat antecedenti; quanuis enim anima non esset immortalis, adhuc homo esse posset; iuxta illos, nimirum, quibus homo videtur constare animâ corruptibili; & ideo apud ipsos vera est hæc propositio; *homo est; ergo constat animâ corruptibili, atque mortali*. Sic etiam hæc est consequentia materialis *Deus non est; ergo nullus homo est*; nam etsi reuerâ oppositum consequentis, repugnet antecedenti, nempe quòd homo sit, & Deus non sit, potest tamen aliquis imaginari oppositum consequentis, nempe hominem esse, cohærere, stareque simul cum antecedente; puta cum hoc quòd Deus non sit, quemadmodum Atheistæ, scilicet negantes Deum, arbitrantur; ipsis enim hæc propositio copulatiua videtur cum veritate consentire. *Deus non est; & aliquis homo est.* Ita consequentia materialis est. *Bos est animal brutum; ergo habet animam mortalem.*

Aliorum explicatio

Ab alijs porrò sic allata partitio solet explicari. *Consequentia formalis est, quæ tenet per locos dialecticos, ad quos pertinent hæc omnia.* Primò nempe ut seruetur eadem forma, idest eadem figura, & modus in quacunque materia, puta, quòd medius terminus, & alij sint eodem modo dispositi, & distributi; & propositiones sint eodem modo particulares, vel uniuersales, affirmatiuæ, vel negatiuæ, quod valet quando consequentia est syllogismus. *Secundò* quando consequentia non est syllogismus, si in antecedenti sit inferius, & in consequenti superius, non autem contra: insuper si in antecedenti sit definitum, & in consequenti definitio, vel contra, est consequentia formalis, quoniam in quacunque materia tenet. *Tertiò* si consequentia sit conuersio propositionum, & seruentur regulæ conuersionis, consequentia erit formalis, ut omne album est corpus; ergo aliquod corpus est album; & idem uniuersè dicendum de alijs consequentijs, quæ per logica præcepta regulantur; vel ut alijs placet, & in idem recidit, ad formalem consequentiam requiritur, ut seruetur eadem suppositio terminorum, appellatio, qualitas, quantitas, dispositio medij, propositionum, eadem distributio, idem genus propositionum cæteræque affectiones logicæ, quibus non seruatis si ex antecedenti vero deducatur consequens etiam verum, argumentatio, & consequentia materialis, non autem formalis erit. Ab ijsdem *consequentia materialis dicitur illa, quæ non tenet per aliquem dialecticum locum, sed solùm in tali materia, ut homo est rationalis; ergo omnis homo est rationalis*, & valet in materia naturali, & remota non autem in contingenti, unde non valet *homo currit; ergo omnis homo currit*. Ex aliorum autem sententia. *Consequentia bona formalis, est consequentia bona, quæ sic est bona, ut quælibet similis in forma sit bona.* At verò *Consequentia bona materialis est, quæ sic est bona, ut non quælibet sibi similis in forma bona sit.* At ad cognoscendum quæ consequentiæ sint eiusdem formæ, sex ex eorum sententia sunt attendenda, quæ se tenent ex parte formæ propositionis, puta, *qualitas, quantitas, copula, numerus terminorum, situs, ordo, & numerus syncategorematum, & ampliatio*. Propter *primum*, propositio affirmatiua, & negatiua non sunt eiusdem formæ; propter *secundum*, propositio uniuersalis, & particularis non sunt eiusdem formæ; propter *tertium* istæ non sunt eiusdem formæ, *homo est albus; & homo fuit albus*, propter *quartum* consequentiæ in *Cælarent*, & in *Cæsare* non sunt eiusdem formæ; propter *quintum* istæ non sunt eiusdem formæ *hominem impossibile est currere; & hominem necesse est currere*; propter *sextum* istæ non sunt eiusdem formæ, *homo est albus; homo est generandus &c.*

Clarius tamen superior consequentiæ distributio explicabitur sequentem in modum. *Consequentia formalis est, quando unum ex alio infertur propter artificiosam formam, dispositionemque terminorum, in quacunque materia fiat*, ut propterea hæc bona sit consequentia formalis, *omne animal rationale est admirativum; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est admirativus*. Item, *omne animal est lapis, omnis arbor est animal; ergo omnis arbor est lapis*; quanuis enim propositiones sint falsæ, propter tamen artificiosam dispositionem, optima quidem illatio est; sed aduerte ad inferendum ex vero, verum, aliqua requiri postea tractanda.

Consequentia materialis est quando unum sequitur ex alio solum ratione materiæ, quia scilicet consequens ex se connexionem necessariam habet cum antecedenti, ut *homo est animal; ergo est sensûs particeps*; hæc enim consequentia tenet ratione materiæ, quoniam esse sensûs particeps habet connexionem necessariam cum homine. At si hęc argumentatio retentâ eâdem formâ, fiat in diuersa materia, non benè infert, hoc est, ex antecedenti vero, non deducit consequens verum *ut arbor est viuens; ergo est potens se loco mouere*. Ita pariter hæc est consequentia materialis *homo est animal; ergo Socrates est animal* variatâ materiâ & retentâ eâdem formâ non concludit; eadem enim est dispositio terminorum, quæ est in hoc enthymate *homo est animal; ergo Socrates est animal*; est etiam in hoc *homo est animal; ergo lapis est animal*; & tamen consequentia mala est; signum euidens priorem consequentiam bonam esse ratione materiæ in qua fit, non autem ratione formæ, itaut non huius vi, sed materiæ, consequens verum ex vero antecedenti deducatur; formalis deinde consequentia diuiditur sic, ut una dicatur necessaria, altera probabilis. Consequentia necessaria est huiusmodi, *Socrates est homo; ergo est animal*; at verò probabilis est hæc altera, *Agricola diligenter colit agrum; ergo magnum fructum percipiet*. Vbi præ oculis habendum non esse discrimen ratione formæ, nam consequentia si bona fuerit, perpetuò ratione formæ necessaria erit: sed ratione materiæ, hoc est singularum propositionum secundum se consideratarum.

His præhabitis, ad id, quod propositum est, descendamus animaduertentes, quę à Dialecticis tradi solent, è quibus primum est, quòd *ex antecedenti vero, in bona consequentia, semper sequitur consequens verum; ex possibili possibile; ex necessario necessarium*; eòquòd *non potest in bona consequentia dari antecedens verum, & consequens falsum; sed si antecedens est verum, etiam & consequens debet verum esse*.

Hoc autem tanquam principium naturæ lumine notum Dialectici recipiunt; aliquam tamen rationem in eius confirmationem adducunt, quia, cum consequens trahat post se antecedens, ratione connexionis, quam habet veritas consequentis cum veritate antecedentis; idem est ponere antecedens verum, & consequens

quens falsum; ac ponere antecedens non absolutè verum, sed ex parte falsum, eo quòd consequens est quodammodo pars ipsius, atque in ipso contentum, quamobrem si daretur antecedens verum, & consequens falsum, daretur antecedens verum, & non verum, quæ contradictoria sunt.

Elegantius explicatur hactenus dicta.

Elegantius hoc modo. Sit propositio vera *omnis homo est animal*, sitque prædicatum aliquod, puta *viuens*, animali necessariò conueniens. Ex illo antecedenti *omnis homo est animal*, necessariò sequitur consequens *omnis homo est viuens*, ob necessariam connexionem inter *viuens*, & *animal*; hinc enim est ut homo nequeat esse animal, quin sit viuens; at verò hæc propositio *omnis homo est viuens*, est vera, & *omnis homo est animal*, est vera, & ex hac deducitur illa; ergo ex vero sequitur verum. At propositionem illam *omnis homo est viuens*, esse veram, sic ostenditur. Nisi hæc propositio *omnis homo est viuens* esset vera, foret eius contradictoria vera *aliquis homo non est viuens*, at si hæc vera est, sequitur hanc esse veram *aliquis homo non est animal*, cum non possit aliquid esse animal, quin sit viuens; duæ igitur hæ propositiones *omnis homo est animal*; *aliquis homo non est animal*, veræ erunt, sed veræ simul esse non possunt, cum sint contradictoriæ igitur hæc *omnis homo est viuens* est vera.

Ex vero per se sequitur verum.

Eâdem ratione si antecedens est possibile, etiam consequens possibile erit, quod si antecedens fuerit necessarium, etiam consequens necessarium erit.

Ex falso sequitur per se falsum.

Deinde ex antecedente falso, in bona consequentia, sequitur falsum. Vt *homo est asinus; ergo est rudibilis*. Rectè autem ex antecedenti deducitur consequens ob necessariam connexionem inter rudibile, & asinum, cùm, non possit aliquid esse asinus, quin sit rudibile; at rudibile repugnat homini; ergo propositio *homo est rudibilis*, est falsa, sed est etiam falsa, *homo est asinus*, coquòd asinus est terminus repugnans homini, & ex hac propositione deducitur illa, nimirum *homo est rudibilis*; ergo ex falso deducitur falsum. De his tamen cumulatius in institutionibus disputauimus. Vt tandem ad propositum accedamus.

Assertio, quòd ex vero tantum per se sequatur verum, ex falso per se sequatur falsum & per accidens sequatur verum.

Asserendum, ex vero consequentiâ formali, non nisi verum sequi: ex falso sequi falsum eâdem formali consequentia: ex falso autem verum sequi rarissimè, & per accidens, atque consequentiâ materiali.

Ex vero verum, ex falso verum, & falsum.

Itaque. *Ex vero sequitur verum; ex falso autem sequitur verum, & falsum.* Quod apud Dialecticos tam tritum est, quàm quod maximè. Hinc in definitione demonstrationis ponitur; quòd præmissæ sint veræ: quoniam sic intellectus est certus de veritate conclusionis, cum ex vero in bona consequentia necessariò sequatur verum, adeo ut falsum sequi non possit; alioquin si præmissæ essent falsæ; non posset intellectus esse certus de veritate conclusionis; nam etsi ex falso quandoque sequatur verum; præcipuè tamen, & maximè sequitur falsum; aduertens igitur bonam esse consequentiam, certusque de bonitate ipsius; in ancipiti tamen versaretur, an conclusio vera esset, an falsa.

Assertio, quod singulas partes ratione suadetur.

Hæc assertio triplici constat parte primæ, & secundæ veritas, ex proximè disputatis perspicua est. Tertiæ autem partis veritas ex eo manifesta redditur, quòd ex falso consequens illatum potest quidem dici verum ex se, nimirum illa propositio, quæ ex antecedente falso potest inferri, absolutè vera quidem esse potest, non tamen vi consequentiæ. Si nanque sit antecedens falsum, ut *homo est equus*, rectè infertur *homo est animal* propter necessariam connexionem, quæ est inter *animal*, & *equum*, adeo ut non possit aliquid esse equus, quin sit animal; sed *homo est animal* est propositio vera deducta ex altera, nempe *homo est equus*, quæ est falsa; ergo ex falso deducitur verum; sed hæc consequentia *homo est equus, ergo homo est animal*, non est consequentia formalis, sed materialis, ut constat ex suprà traditis; ergo verum ex falso non consequentiâ formali, sed materiali tantum deducitur.

Animad uersio.

Aduertendum tribus modis consequentiam explicatam contingere. *Primò* quando tam antecedens, quàm consequens est affirmativum, ut *homo est leo*; *igitur est animal*. *Secundò* quando vtrunque est negativum, ut *homo non est animal*; *ergo non est leo*. *Tertiò* quando antecedens est affirmativum, & consequens negativum, ut *homo est leo*; *igitur non est lapis*.

Difficultates aduersus dicta.

Supersunt autem difficultates non leuis momenti, & primò quidem plerique contendunt ex falso verum formali consequentiâ deduci, quoniam hæc est consequentia formalis. *Omnis leo est lapis*; *omnis adamas est leo*; *ergo omnis adamas est lapis*. Consequentiam autem formalem esse, nemo quantumuis leuiter in dialectico puluere versatus inficias ibit; quandoquidem est syllogismus in primo modo primæ figuræ, nimirum in *Barbara*, non secus ac si diceremus *omne animal rationale est risibile*; *omnis homo est animal rationale*; *ergo omnis homo est risibilis*.

Prima difficultas.

Solutio.

Vt huic difficultati fiat satis oportet diligenter aduertere conclusionem alicuius syllogismi veram esse duobus modis intelligi, vel ut propositionem, & absolutè inspectam sine habitudine respectue ad præmissas; & non ut conclusionem; vel esse veram ut conclusionem; hæc enim valdè differunt: nam priori modo ut vera sit, nil aliud requirit, quàm, ut sit rei conformis, hinc enim habet quælibet propositio, ut vera sit, nimirum, ex eo quod enunciet rem sicuti est: at secundo modo aliquid amplius expoſcit, nempe, ut conclusio sit vera, quatenus ex præmissis deducitur; adeo ut veritas eius pendeat à præmissis, quatenus extrema ipsius, ideo connectuntur, vel disiunguntur, quia fuerunt coniuncta, vel disiuncta à medio posito in præmissis. Dum igitur *omnis adamas est lapis*, dicitur esse conclusio vera, concedendum profectò iuxta priorem, non autem iuxta posteriorem sensum; quia nimirum ex illis præmissis non per se, sed per accidens veritas eius pendet; quod ex eo coniungitur, quia nullo sunt comprehensæ numero præmissæ, ex quibus eadem conclusio ad eum modum deduci potest; siquidem posset, exempligratia, hæc ratiocinatio ex falsis præmissis institui. *Omnis homo est lapis*; *omnis adamas est homo*; *ergo omnis adamas est lapis*; & eodem modo aliæ in infinitum. Itaque ad rationem bonæ consequentiæ formalis solùm pertinet, ut per ipsam ex vero semper inferatur verum, cum alioquin per consequentiam materialem possit ex vero colligi etiam falsum; quòd autem consequentiâ bona formali, ex falso etiam deducatur verum, non eius officit bonitati, quoniam id ei per accidens, non autem per se competit, ut in superiori exemplo, & in alijs innumeris manifestum est.

Dubitatio, & eius solutio.

Quomodo autem per accidens eueniat, non tam facile dictu, quia re verâ connexio extremorum in conclusione habetur per se ex connexione eorundem cum medio in præmissis, ideo enim in conclusione *adamas*, & *lapis* coniunguntur, quia lapis iunctus fuit cum leone in maiori, & cum hoc in minori iunctus adamas; Hoc non inficiandum; sed illud præ oculis habendum non idem esse extrema in conclusione coniungi, & verè coniungi; primum habetur ex dispositione terminorum in præmissis; secundum autem ex eo quòd in præmissis facta fuit dispositio, ita tamen, ut prædicationes factæ sint iuxta naturæ legem, quatus exempli gratia, non est prædicatio, qua lapis dicitur de

Digitized by Google

de leone, nec quâ leo dicitur de adamante, sed oportet instituta esse iuxta duo illa principia. *Dici de omni*, & *Dici de nullo*. Primum deseruit regulandis syllogismis affirmatiuis; secundum autem negatiuis. Primum est illud. *Quicquid uniuersè dicitur de subiecto absolutè supponente, dicitur etiam de quocunque contento sub illo. Vt, si omne animal est substantia: ergo & homo sub animali contentus, erit substantia.*

Secundum est illud aliud. *Quicquid uniuersè negatur de subiecto, negatur etiam de omni contento sub illo. Vt si nullum animal est lapis; ergo nec homo sub animali contentus erit lapis.* Sed de his in Institutionibus egi. Iuxta igitur hæc fieri debet argumentatio formalis.

Accidit ergo, ut dum fit hæc terminorum, præmissarumque dispositio, in quibus nec lapis, nec adamas unitur Iconi ex rei natura, adamas, & lapis reipsâ uniantur inter se; adeòut hæc unio, non vi formalis consequentiæ, sed materialis duntaxat habeatur, puta quia adamas, & lapis se habent ut inferius, & superius, ut includens, & inclusum. Hęc autem inde constant, quoniam eâdem consequentiæ formâ retentâ in alia materia, realis extremorum unio in conclusione non sequitur; ut *omnis homo est lapis; sed omnis leo est homo; ergo omnis leo est lapis*. Perspicuum hinc sanè per accidens, esse ut illa realis unio inter adamantem, & lapidem in conclusione superioris syllogismi habeatur; adeòut hæc per se non inferatur ex præmissis; si res enim sic se haberet, perpetuò datâ illâ argumentationis formâ, deberet realis extremorum unio in conclusione obtineri, proindeque conclusio deberet esse vera, cum tamen oppositum eueniat, ut superiùs est visum &c.

Secunda difficultas

Solutâ primâ difficultate, sequitur secunda desumpta ex hypothesibus astronomicis, veluti sunt Æquator Zodiacus, Tropici, Meridiani, Epicycli orbes eccentrici, Solis, Lunæque semita, Apogæum, Perigęum, & alię eiusdem generis complures, quæ tametsi fictitiæ sint, & ab omni veritate pænitus alienæ, iuxta tamen illas Astronomi calculum exibendo verum enunciant, quod attinet ad ea, quæ de ecclipsibus, & alijs cælestibus obseruationibus tradunt, itaque ex falso directè licebit verum inferre.

Solutio.

At si Astronomus foret de hisce hypothesibus ita sollicitus, & de illis ita sentiret, ut arbitraretur ea sic se habere, ita ut tanquam certa venditaret, redarguendus foret eo nomine, quòd ex falso directè verum niteretur colligere; at res longè aliter se habet, cum Astronomus ea tantùm supponat, ut calculum apparentijs congruentem efficiat; hoc autem quia pluribus modis hæc posset natura absoluere, siue autem uno, siue alio modo in his efficiendis utatur natura, nihil interest; ut quę de diebus, ac noctibus dicimus per motum Solis circa terram euenire, nihil interest si dicamus à motu terrę circa Solem ortum ducere, perinde enim est ac si uno, vel alio modo id euenire decernamus; ut propterea Copernicus ad hęc respiciens, dixerit, *Nihilque refert, si quod illi per quietem terram, & mundi vertiginem demonstrant, hoc nos ex oppositio suscipientes ad eandem concurramus metam, quoniam in his, quæ ad inuicem sunt, ita contingit, ut viciſſim sibi ipsis consentiant*. Hinc igitur constat superioris difficultatis solutio.

Lib. 3. Reuol. cap. 3.

Tertia difficultas.

Sequitur ordine tertia difficultas desumpta ex regula falsi, iuxta quam è duobus, vel pluribus numeris, seu quantitatibus incertis, verum aliquod, & certum colligitur.

Solutio.

Ad hanc enodandam difficultatem oportet paucis aperire cuiusmodi se habeat regula falsi, quæ profectò inter alias Arithmeticę regulas postremum locum non obtinet, sic autem appellata, non quòd falsum nos doceat, sed quòd ex prępposito falso verum eruere ostendat, ponendo nimirum, quemuis numerum, qui proposite quęstioni putatur satisfacturus, licet re ipsâ non satisfaciat; duplex autem perhibetur, quarum una simplicis positionis, in qua nimirum unica positio fit, vnius duntaxat numeri, qui quęstioni creditur satisfacturus: altera vero duplicis positionis appellatur, eoquòd in ipsa duplex fiat positio duorum numerorum, quorum uterque quęstioni satisfacturus creditur, ut autem pateat res, de qua agitur, oportet quęstionem expendere huius regulę prędicto solutam: Quęstio autem sit huiusmodi.

Quæstio Arithmetica soluenda per regulam falsæ positionis.

Tres emere constituunt prædium 11160 *aur. secundus duplo plus dare vult, quàm primus, & tertius triplo plus, quàm secundus, quæritur quantum eorum quisque expendet?* hæc quæstio eadem est ac illa. Numerum 11160 in tres partes eâ lege diuidere, ut secunda sit dupla primę, & tertia tripla secundę.

Soluitur quæstio.

Pone primum quotcunque aureos volueris, nempe 8. iuxta tenorem igitur quæstionis, secundus dabit 16. cum hic numerus sit duplus primi; Tertius dabit 48. quoniam hic numerus est triplus secundi; hi autem tres numeri conficiunt 62. aur. cum tamen efficere deberent 11160. Dic igitur si 72. prouenerunt ex falsa positione 8. aur. primi, ex qua vera positione prouenient 11160? & reperies primum dedisse 1240. aur. proindeque secundum 2480. Tertium denique 7440, qui omnes tres numeri efficiunt 11160. At si rectè attendas proculdubio reperies nullam hinc difficultatem fuisse depromptam, quoniam hunc in modum ratiocinando non colligitur verum ex falso, ut aduersæ sententiæ fautores crediderunt, propterea quòd ex vera proportione, quę est inter 72. & 8. colligitur vera proportio inter 11160. & 1240. fit enim ut 72. ad 8 ita 11160. ad 1240.

Quarta difficultas

Postrema difficultas est deducta ex modo argumentandi, quo usus est Euclides lib. 9. elem. propos. 12. Theodosius libro primo sphęricorum propos. 12. & Hieronymus Cardanus lib. 5. de proportionibus, propos. 201. & aliorum plerique. Num autem ex hoc arguendi modo probent intentum, nemini potest esse perspectum, nisi unam, vel alteram ex illis demonstrationibus perpenderit. De hoc propterea Sectione sequenti disputabo.

Solutio petenda ex Sectione sequenti.

Solutio huius difficultatis longiorem disputationem exposcit. Ideo visum est peropportunum in eius gratiam sequentem Sectionem instituere.

SECTIO SEXTA.

De præcipuo quodam demonstrationis genere, quo Mathematici præsertim utuntur.

Præcipuum quoddam demonstrandi modus mathematicis adscriptus.

OCcasione postremæ difficultatis ineunda nobis tractatio de præcipuo quodam demonstrationis genere, quod non raro Mathematici consueuerunt usurpare; quod ut ad trutinam reuocare possimus, unum vel alterum exemplum afferemus, quorum primum desumitur ex Euclide, qui hanc propositionem, atque Theorema demonstrandum assumit.

Lib. 9. Elementi Prop. 13.

Si ab unitate, quotcunque numeri deinceps proportionales fuerint, quicunque primorum numerorum ultimum metiuntur: idem & eum, qui unitati proximus est, metientur.

Sint ab unitate deinceps proportionales quotcunque numeri A, B, C, D. Dico quoscunque primorum numerorum, qui metiuntur ultimum D, metiri quoque A, proximum Vnitati. Metiatur enim quarus primus

Digitized by Google

mus E, ipsum D. Dico eundem E primum

Vnitas. A, 10, B, 100, C, 1000, D, 10000 E, 5 H, 20 G, 200 F, 2000.

31. Sept. 9. prop. metiri etiam numerum A, unitati proximum. Si nanque non metitur ipsum A; a erit E; cum primus sit ad A, primus: hoc est A, & E, inter se primi erunt. Metiatur E, ipsum D, per F, b. atque adeo E, multiplicans F, faciat D, quia verò, & A; ipsum D, metitur per C; ac proinde A, multiplicans C facit D; ut iam ostensum fuit; producetur idem numerus D ex A, primo in C, quartum & ex E, secundo, in 9. Sept. F tertium c, quare erit ut A, primus ad E, secundum, ita F, tertius ad C, quartum. Cum ergo A, & E, sint 3. Sept. inter se primi; d, ac proinde in sua proportione minimi; e, metietur æque A, ipsum F, & E, ipsum C. Me- 2. Sept. & pro 2. tiatur E, ipsum C per G; f atque adeo E, multiplicans G, faciat C. Quia verò & A, ut ostensum antea fuit, 4. pro 4. metitur C per B, g. atque adeo A, multiplicans B, facit C; procreabitur idem numerus C, ex A, primo in B, 9. Sept quartum, & ex E secundo in G, tertium; h. Erit igitur, ut A primus ad E, secundum, ita G, tertius ad B, quartum. Quapropter cum A, & E, sint inter se pri- 3. Sept. mi; i, ac propterea in sua proportione minimi; k, me- 2. Sept tiatur, æque A, ipsum G, & E, ipsum B. Metiatur E, prop. ipsum B per H, l, itaut E, multiplicans H, faciat B, metitur autem, & A, ipsum B, per A, atque idcirco A, seipsum multiplicans, facit B, ut paulo antea demonstratum fuit; Gignitur ergo idem numerus B, ex E, primo in H, tertium, & ex A, medio in se ipsum, 20. & 21. m. Quare erit ut E primus ad A, secundum, ita A, secundus, ad H, tertium; Cum ergo E, & A, inter se pri- 23. Sept mi sint, n, ac proinde in sua proportione minimi; o, 21. Sept æque metitur E ipsum A; & A, ipsum H; quod est contra hypothesin. ponitur enim E ipsum A, non metiri. Quare falsum est E, ipsum A non metiri. Nam ex eo, quòd E, non dicatur metiri ipsum A, semper demonstrabitur E ipsum A, metiri; quod est absurdum. Metitur ergo E ipsum A. Eòdem argumento ostendemus quoscunque alios numeros primos ipsum D metientes, metiri quoque ipsum A. eademque erit ratio, si C, vel B, ultimus numerus statuatur. Hæc Euclides ex Clauio.

Theodosij autem Propositio, ac Theorema hoc genere demonstrationis demonstratum, est huiusmodi.

Theodos. lib. 1. sphær. prop. 22.

In Sphæra circuli, qui se mutuo bifariam secant, sunt maximi.

IN sphæra ABCD, circuli AE, BD, se mutuò secent bifariam in punctis E, F. Dico circulos AC; BD, esse maximos. Cum enim se mutuò secent bifariam in E, F, erit ducta recta E F, utriusque diameter cum sola diameter circulum quemcunq; bifariam diuidat; ac proinde diuisa rectâ E F, bifariam in G erit G, utriusque circuli centrum, quod dico etiam esse sphęrę centrum, atque adeo utrunque circulum per sphęrę centrum duci. Si nanque G, dicatur non esse centrum sphæræ, ac proinde circulos AC; BD non esse per sphæræ centrum ductos; hoc ipso ostendemus G, esse centrum sphæræ, atque idcirco, utrun- 5. Euclid. que circulum per sphæræ centrum duci, a; erigatur enim ex G, ad planum circuli A C, perpendicularis G H, item G I, perpendicularis ad planum circuli B D, quoniam igitur circuli AC, BD ponuntur non transire per centrum sphæræ b. transibit utraque perpendicularis GH, GI. per centrum sphæræ. Quare punctum G, in quo conueniunt, centrum erit sphæræ; aliàs centrum non existeret in utraque, ac proinde uterque circulus per centrum sphæræ, traijcietur c. Sunt ergo circuli AC, BD, per centrum sphæræ traiecti, maximi. In sphęra ergo circuli qui se mutuò bifariam secant, sunt maximi. Quod erat ostendendum. Hęc Theodosius itidem ex Clauio.



b. coroll. 2. huius. c. 6. huius

Cardanus autem eandem hanc demonstrandi formam usurpauit se credens auctorem eius, cùm non animaduertisset longè priùs ab alijs videlicet ab Euclidę, & Theodosio adhibitam fuisse, ut proxime vidimus. Hoc itaque demonstrandi genere usus est ad ostendendam hanc propositionem.

Cardanus lib. 5 de proportionibus Propositione 201.

Si duæ lineæ non secantes circuli peripheriam in unum punctum, ex ea cohæant, exterius necesse est illas peripheriâ contentâ esse maiores. Ad cuius demonstrationem, ut probet intentum, duo præmittit Lemmata, quorum Primum.

Si fuerit proportio primi ad secundum maior quàm tertij ad quartum, erit primi ad tertium maior, quàm secundi ad quartum.

Secundum tale est.

Si fuerint quatuor quantitates, quarum excessus primæ supra secundam, sit minor excessu tertiæ supra quartam, sitque prima non minor tertiâ, erit proportio primæ ad secundum minor quam tertiæ ad quartam.

Horum demonstrationes breuitati studens omitto, propositi Theorematis demonstrationem ad hoc demonstrandi genus pertinentem adducens.

Sint duę lineę A B, & A C, quę comprehendant portionem circuli B C. Dico eas esse maiores, BC, portione; Si enim A B, & A C, sunt æquales, diuiso arcu BC, per æqualia in F, ducam contingentem H F K; si non faciant triangulum æquicrurium, B C D, super BC, & cuius ambo latera pariter accepta sint æqualia, A B, & A C; & ducam contingentem, & habebo trapetium HB, CK. Quare si peripheria circuli BC, est minor DB, & DC, pariter acceptis; habeo intentum; si non, toties diuidam peripheriam per æqualia, ut fiat figura polygonia super BC; æquilatera, at æquiągula cuius differentia, à peripheria sit minor, differentia DB, & DC; à trapetio BHKC; id est tribus eius lateribus nam cum DH, & DK, sint maiores, H K, constat, quòd DB, & DC, sunt maiores HB, & KC, & HK, igitur sit differentia illa L, & differentia peripherię, à lineis polygonię, minor L: igitur, cùm peripheria sit æqualis aut maior DB, & DC; & differentia à lateribus poligonię minor, quàm DB, & DC, AB, HB, HK, KC, erit minor proportio peripherię ad latera poligonię quàm DB & DC, ad tria latera trapetij, quare minor proportio peripherię ad DB, & DC quàm laterum polygonię ad tria latera trapetij; sed latera polygonię sunt minora tribus lateribus, trapetij; igitur peripheria BC, est minor D B, & D C; quod erat demonstrandum.

L

Per. 2. & 1. primi elem.

Per. 5. eiusdem.

Per. 20; 1 element. Per. 2. Lemma. Per. 1. Lemma Per. corol. 3. Lemmatis.

Hæc Cardanus. Ad primam in ordine ex Euclide, manifestum, quod dicitur; Nam in ea Geometra ex eo quòd E dicatur non metiri ipsum A, ostendit demonstratione affirmatiua, siue demonstratione ostensiua,

siua, & non ducente ad impossibile, E ipsum A metiri. Theodosius verò ex eo quòd G dicitur non esse centrum sphęrę, demonstrat demonstratione affirmatiuâ &c. G. esse centrum sphęrę. Et Cardanus ex eo, quòd peripheria circuli sit maior trianguli lateribus, ostendit demonstratione affirmatiua &c. peripheriam esse minorem trianguli lateribus; proindeque fatendum præter demonstrationem *propter quid*, & *quia*, & præter demonstrationem ducentem ad impossibile, dandum hunc alium demonstrationis modum, quo ex falso directè consequentiâque formali, deducitur verum; adeout gemina sit difficultas: *Prima* quia hinc apparet inadæquatam esse partitionem illam demonstrationis in demonstrationem *propter quid*, & *quia*, & *ducentem ad impossibile*, quarum duæ priores ostensiuæ sint, cùm hæc alia sit demonstrationis species, itidem ostensiua, distincta tamen ab illis duabus, & à ducente ad impossibile: *Secunda*, quia manifestè comprehenditur ex falso verum directè, formalique consequentiâ colligi.

Solutio. At si quis demonstrationes prędictas, non oscitanter, sed accuratè perpenderit, facilè reperiet ex ijs, nullam difficultatem depromi; non primam, videlicet, pręter species demonstrationis iam assignatas, hanc aliam esse recognoscendam à singulis illis distinctam; quandoquidem ad ostensiuam demonstrationem reduci posse, facillimum est intelligere, si ad memoriam reuocentur ea, quæ demonstratio ostensiua requirit, nimirum illa, quę superius innuimus, cum huiusmodi demonstrationis indolem, atque naturam à demonstratione ducente ad impossibile distinctam ostendere niteremur. Quòd si quispiam suspicetur minus benè hunc demonstrandi modum ad demonstrationem ostensiuam redigi, citra laborem ad demonstrationem, quę dicitur ducens ad impossibile, poterit reuocarę. Hoc enim satis, ne hinc colligatur inadequata partitio demonstrationis in ostensiuam, & ducentem ad impossibile.

Clarius superius dicta explicantur. Clariùs tamen ad hæc explicanda iuvabit aduertere hunc demonstrandi modum inniti duobus principijs maximè notis naturæ lumine, quorum primum est. *Idem non potest simul esse, & non esse*. Secundum, *quodlibet, aut est, aut non est*. Itaque modus hic argumentandi ex eo deducitur, quòd duo contradictoria vera simul esse non possint. In hoc enim fundamentum habet omnis hæc argumentandi ratio, quod primo constat ex illa demonstratione, quâ utitur Euclides, nam perinde est ac si dicat, vel E numerus est, qui metitur ipsum A, vel non est, qui ipsum A, metitur, non potest dici, quòd non metiatur, & hoc est, quod ostenditur; ergo metitur; optima consecutio, nam metiri, & non metiri contradicunt, si falsum igitur est, quod E, non metiatur A, verum erit, quòd metiatur. Non absimili modo ratiocinandum de demonstratione Theodosij; perinde est enim, ac si dicat, punctum G, aut est centrum sphæræ A B C D, aut non est, sed E, est punctum à centro sphæræ diuersum, seu & in idem recidit, aut non est centrum, sed falsum est non esse centrum, ita ut G, sit punctum diuersum ab ipso centro; ergo G, erit centrum sphæræ A B C D. Vt præteream huiusmodi demonstrationes, ad demonstrationem ducentem ad impossibile facilè reuocari, ut ex solutione postremæ difficultatis principalis paulo infra constabit, & hæc de prima difficultatis parte.

Ad secundam quòd spectat, nimirum ex falso per hunc demonstrationis modum colligi verum, facile satis fiet redactis in memoriam ijs, quæ in gratiam demonstrationis ducentis ad impossibile breuiter attulimus, quatenus hæc eadem difficultas aduersus illud probationis genus afferebatur.

Hactenus Arithmeticas, Geometricasque demonstrationes expendimus; nunc Physicogeometricam ad trutinam reuocemus; ea poro est, quâ hæc ostenditur.

Maris, omnisque humidi superficies, eo ipso concluditur esse sphærica, quo id negatur.

Ponatur vera eius contradictoria *Maris superficies sphærica non est*. Quoniam igitur maris superficies sphærica non est; ergo omnes superficiei maritimæ partes inæqualiter à centro distant; ergo una est alterior alterâ, nam hoc nil aliud, quàm unam longiùs à centro distare, quàm alteram; ergo altiores versus decliuiores seu minus altas diffluunt, hoc enim humidi natura requirit; ex tali autem defluxu necessariò prouenit omnium partium maritimæ superficiei æqualis altitudo, seu & in idem recidit, æqualis à centro distantia; æqualis autem omnium partium superficiei maritimæ à centro distantia perfectam eius sphæricitatem infert, *ergo maris superficies sphærica est*. Hæc igitur propositio maris superficies sphærica est, directè, & affirmatiuè deducta est ex sua contradictoria, *maris superficies sphærica non est*.

Ex his igitur concludunt dari quasdam assertiones, quæ directè ex sui contradictorijs inferuntur. At inquiunt, assertio, quæ ex sua contradictoria directè infertur, necessariò vera est, (cum apertè constet id necessariò verum esse, quod suum contradictorium destruit; destruit autem suum contradictorium, quod ex suo contradictorio directè sequitur); ergo & assertionis contradictoria, ex qua videlicet, deducta est assertio, falsa est; ergo ex falso directè, & affirmatiuè deductum est verum.

Solutio. Non secus de præsenti demonstratione, ac de superioribus dicendum, videlicet sic demonstrare, non esse formali consequentiâ verum ex falso deducere, sed solùm ex eo quòd unum ex contradictorijs falsum est, necesse est alterum verum esse; unde videtur fieri posse argumentatio ducens ad impossibile, hunc qui sequitur in modum.

Suppono, quando corpus humidum dicitur sphæricâ figurâ constare, id intelligendum esse, partibus eius considentibus; alioquin nunquam hanc induet figuram; quo supposito sit.

PROPOSITIO.

Partes superficiei cuiuscunque humidi, proindeque maris, considentes figuram sphæricam efformant.

SVpponamus considentes humidi partes sphęricam figuram non efformare; ergo pars una magis à centro distabit, quàm alia; ergo una erit altior aliâ; ergo quæ altiores sunt defluent ad depressiores, ob humidi corporis naturam; ergo non erunt considentes; sed ex hypothesi sunt considentes; quare erunt, & non erunt considentes, quod est impossibile, cum contradictionem inuoluat. Quodcunque igitur humidum atque adeo mare, sphærica figura prædituum est &c. At quis non videt hunc demonstrandi modum esse ad impossibile ducentem?

Hic demonstrationis modus, affinis admodum est ijs, quæ de insolubilibus propositionibus Dialectici tradunt. Propositiones enim insolubiles dicuntur, quæ nullo modo exponi possunt, ut in aliquo sensu veritate comprobentur, quia nimirum ipsamet suam destruunt veritatem; quod euenit toties, quoties ex ipsa

ipsamet propositionis verificatione, nempe quod ita sit, ut per ipsam significatur, sequitur eam esse falsam. Vt si quis dicat, *nulla propositio est negativa*, pronunciat propositionem insolubilem; nam ex eo quod ita sit, ut per ipsam enunciatur, se ipsam destruit, redditque falsam, cum ipsa negativa sit. Non absimili modo, hæc se ipsam destruit, *omnis propositio est negativa*, quandoquidem ipsa est affirmativa.

SECTIO SEPTIMA.

De præcognitionibus, atque præcognitis ad demonstrationem requisitis.

a Post. 1. Cum Aristoteles initio Posteriorum dixisset. Πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. *Omnis doctrina, & omnis disciplina dianoëtica fit ex antecedente cognitione*, paulò post subdit. Διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν. τὰ μὲν γὰρ, ὅτι ἔστι, προϋπολαμβάνειν ἀναγκαῖον. τὰ δὲ, τί τὸ λεγόμενον ἐστι. ξωιλιτεα δεῖ. τὰ δ' ἄμφω. *Dupliciter autem necesse est prænoscere: nam alia quòd sint, præsumere necesse est: alia quid sit, quod dicitur intelligere oportet*: alia *utrumque*. Docet ergo duplicem esse præcognitionem, hoc est, præviam cognitionem requisitam ad omnem ratiocinationem; unam quoad *an est*, alteram quoad *quid est*, nimirum unam, quâ affirmetur rem esse; alteram, quâ perspiciatur quid res ipsa sit. Vbi notarunt interpretes ex Aristotelis sententia quatuor esse præcognitiones, puta, *quid significet nomen; an res sit; quid sit; & an talis sit*, quas tamen Philosophus in præsens ad duas redigit, nempe *quid sit*, & *quòd sit*: quandoquidem appellatione *quid*, complectitur quæstionem, tam *quid nominis*, quàm *quid rei*, scilicet quid nomen trianguli significet, & quid re ipsâ sit, seu in quo eius natura consistat; at appellatione *quòd*, tam quæstionem simplicem, ut quòd triangulum sit, quàm complexam, ut quòd triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis. Hæ autem præcognitiones inter se sic se habent, ut præcedens respectu sequentis dicatur præcognitio, & quælibet sequens antecedentis comparatione dicatur quæstio; vana siquidem est omnis quæstio, quam nulla præcognitio antecedit; hinc cognitio significationis nominis nunquam est quæstio, sed semper præcognitio, quia nulla eam alia præcognitio præcedit, & *propter quid* nunquam est præcognitio, sed semper quæstio, quia nulla eam sequitur alia quæstio; idcirco Philosophus initio secundi libri sermonem de quæstionibus habens, quatuor duntaxat commemorat nominis significationem omittens, quoniam hæc nunquam est quæstio: ex adverso autem hoc loco de præcognitionibus non de quæstionibus disputans, omittit quæstionem *propter quid*, velut illam, quæ nunquam est præcognitio, adeoque quatuor specie sint quæstiones, cum alioquin genere, ut paulo antea notavi, duæ tantum ab Aristotele statuantur. Ex Aristotele igitur præter has duas non dantur aliæ præcognitiones, ut propterea necesse sit omnem præcognoscentem altero duorum modorum, vel utroque simul præcognoscere. Rem illustrare contendens, exemplis utitur, indistincte tamen, adeo ut unum afferat, cui competat præcognitio *quid*, aliud cui præcognitio *quòd*, & aliud, cui utraque simul; quæ tamen non ex eadem demonstratione, immò nec ex eadem disciplina, sed ex disciplinis omnino diversis desumpsit, quoniam in animo non habebat hoc loco demonstrationis partes assignare, sed præcognitionum modos tantum exemplis magis declarare. Ex illis autem exemplis unum est principium complexum, videlicet axioma illud, *De qualibet re verum est affirmare, vel negare*. De hoc autem docet præcognosci *quòd sit*, nempe *quòd sit verum*, reliqua duo affert tanquam subiecta, nam ut unitas in Arithmetica: ita triangulum in Geometria subiecti locum obtinet; per triangulum explicat præcognitionem *quid sit*, hoc est *quid nominis*, ut ex sequentibus verbis colligitur; per unitatem autem utrunque præcognitionis modum scilicet, & *quid nominis*, seu *quid significet*, & *quod est*; rediturus autem rationem cur aliquid uno, vel duobus modis præcognoscatur, subdit ἕκαστον δὲ ὁμοίως τούτων ἕκαστον δῆλον ἡμῖν, *non enim similiter horum unumquodque* est *nobis manifestum*. Hinc vel unâ vel pluribus præcognitionibus aliquid præcognosci debet.

Quid Interpretes Arist. de præcognitionibus, & præcognitis dicant.

Ex Aristotelis verbis occasione desumptâ, communiter interpretes de præcognitionibus, atque præcognitis tractationem instituunt unanimi consensu decernentes ad aures ipsius duas esse præcognitiones, tria verò præcognita, quibus quælibet indigeat demonstratio, præsertim illa, quæ *propter quid* nuncupatur, de qua maximè videtur Philosophus fuisse sollicitus. Primum autem præcognitum assignant præmissas, siue principia complexa. Secundum asserunt esse prædicatum conclusionis, quod appellatur etiam quæsitum, & affectio, siue proprietas, vel attributum. Tertium volunt esse subiectum eiusdem conclusionis, quod etiam dicitur datum, & genus. Addunt præmissas præcognosci debere, quoad *an est* & quidam etiam arbitrantur debere præcognosci quoad *quid est*. Insuper affirmant subiectum debere præcognosci quoad *quid est*, & quoad *an est simul*; prædicatum verò tantum quoad *quid est*. Eoquòd ut procedatur ad demonstrationem primò proponitur conclusio sub forma Problematis, & Quæstionis. *Vt utrum mundus sit ab æterno*; & *utrum anima intellectiva sit immortalis*, atque tunc præcognosci debet quid utrunque significet. Debet etiam præcognosci subiectum in se simpliciter esse, ut possit affirmari esse tale, vel tale per prædicatum. Non debet autem præcognosci prædicatum esse simpliciter, quoniam hoc ipsum est, quod demonstratur, dum ostenditur prædicatum inesse subiecto.

Quædam præmittuntur.

Cùm omnis cognitio ex præexistenti cognitione fiat, hoc est, cum omnis cognitio illatæ propositionis, atque conclusionis præsupponat cognitionem alterius propositionis inferentis, ut antecedens, præmissæ &c. Ad accuratam tractandorum notitiam primo iuvabit expendere celebrem illam propositionem, à qua Philosophus suam de posteriori resolutione tractationem exorditur, nimirum, πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ, ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. *Omnis doctrina, & omnis disciplina dianoëtica fit ex aliqua præexistenti cognitione*, cuius etiam initio meminimus. In huius autem gratiam hic non nihil immorandum, ut Philosophi consilium assequamur, quod apud eundem alibi etiam expressum legimus, dum eandem propositionem enunciat; videtur igitur Philosophus sibi explicandum assumere, quibus sit opus humano intellectui ad scientiam demonstrationis præsidio comparandam, dicens ea esse præcognita, & prænotiones, eò quòd omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti in humana mente ut cognitione, seu, & in idem recidit, quoniam omnis conclusio ignota ex aliquibus præconceptis deducitur, in quibus talis conclusio sit quidem ignota actu, cognita tamen virtute, ac potestate. Vt humana igitur mens de re quapiam scientiam assequatur, indiget aliquâ præexistente cognitione.

Lib. 6. Eth Cap 3 Lib. 1. Diuin. Cap. 7

Digitized by Google

Videtur autem hunc fere in modum ratiocinatus aduersus Platonem disputans contendentem nostrum scire esse quoddam reminiscí. Nulla doctrina, vel disciplina, quæ fit ex præexistenti cognitione per reminiscentiam comparatur; sed omnis doctrina ac disciplina discursiua fit ex præexistenti cognitione; ergo nulla doctrina, vel disciplina discursiua per reminiscentiam comparatur; ergo per demonstrationem; optima consecutio, quoniam non suppetit alius modus, quo ipsam doctrinam, seu disciplinam comparari possit. Maior est propositio certa, propterea quòd doctrinam vel disciplinam fieri ex præexistenti cognitione, sensu, quo hic accipitur, non est per reminiscentiam fieri; minorem autem inductione confirmat dicens id manifestum esse ex Mathematicis disciplinis Dialectica, & Rethorica, & qualibet cęterarum artium. Cum itaque ad scientiæ consecutionem sit opus præexistente notitiâ, & hæc esse non possit, nisi circa quędam vel secundum unam, vel aliam rationem versetur, (talis enim est cuiusque cognitionis natura,) propterea consequens fit, ut ad scientiam beneficio demonstrationis assequendam, quibusdam sit opus præcognitis, atque rationibus præcognoscendi, quæ prænotiones dicuntur, & ideo de præcognitis, atque prænotionibus disputandum assumit.

Quid hoc in loco Aristoteles agat.

Cæterum Aristoteli in præsentia negotium non est cum Heraclito eiusque discipulis Ephesio, & Cratylo, negantibus scientiam in intellectu humano, quoniam id non assumit ostendendum, quin de modo, quo acquiratur scientia tantummodo sollicitus, dari scientiam ipsam supponit; sed cum Platone ut supra notaui, contendente scientiam in nobis per reminiscentiam acquiri, cum is arbitretur hoc ratione longè diuersâ contingere, nimirum per demonstrationem, ad quam ait quædam præsupponi, videlicet, præcognita, & prænotiones, seu modos, secundum quos illa quæ præcognoscuntur, debent à nobis præcognosci.

Difficultates aduersus Aristotelis sententiam.

Philosophi verba pluribus nec leuis momenti difficultatibus scatent; quibus occurrere non facile. Primò se offerunt voces *Doctrina*, & *Disciplina*, sed in his nullum aliud arcanum, quàm quòd Aristoteles voluit comprehendere cognitionem intellectiuam, quancunque, siue hæc in docente, siue in addiscente eadem habeat; non enim per has voces distinctum quidpiam significat, sed cognitionem eandem intellectiuam, quæ quatenus exit à præceptore, dicitur doctrina, & quatenus à discipulo recipitur, disciplina nuncupatur, itaut utroque nomine intelligatur conclusionis ex principijs deducta cognitio; si tamen Philosophus voce διανοητικὴ utatur ad significandam cognitionem ratiocinatione comparatam, de quo est, summa dissensio apud interpretes. Secundo igitur loco aliquid negotij exhibet in præsenti particula, vox commemorata; hanc enim alij vertunt intellectiuam, alij discursiuam; alij ne in alteram partem inclinent, simpliciter dicunt *dianoëtica*; reseruantes deinde sibi discutiendum, utrum sit intellectiua, an solum discursiua. Manifestum autem vocem διανοητικὴ, deduci à verbo διανοέω; idcirco ex eo, quod hoc sibi vult, significatio vocis prædictæ dependet; at verò aliqui crediderunt verbum prædictum significare solum *discurrere*; sed re verâ verbum διανοέομαι, idem est, quòd *cogito, excogito, constituo, censeo*; ut constat ex Luciano, Platone de Legibus; & Aristotele de Mundo, Isocrate &c. eiusdem autem significationis est διανοέω; unde διανόημα, ατος. *cogitatio, sensus, mens; cogitatus* διανόησις, deliberatio, animaduersio διανοητικὸς, intelligendi vi præditus, intelligendi vim habens; unde ἀνὴρ διανοητικὸς, Aristoteli est *ingeniosus & commentator*. Item διανοητικὸς τὴν ψυχὴν, *ingenio valens*. διανοητικὴ κίνησις, *mentis agitatio*; atque demum, quod ad propositum facit διανοητικὴ ἀρετὴ, *virtus quasi intellectiua*. Ita vertunt Græcę linguę magistri; quamobrem πᾶσα διδασκαλία. καὶ πᾶσα μάθησις διανοητική; idem sonabit, ac *omnis doctrina omnisque disciplina intellectiua*: Itaque nomine doctrinæ ac disciplinę intelligere debemus omnem cognitionem intellectiuam, siue definitiuam, siue ratiocinatione, aut discursu acquisitam, verbo dicam, omnem cognitionem, quę ratione perficitur, siue per discursum, siue sine discursu habeatur. Prima sectio.

7. Politicorum.

Huius vocis retentâ prędictâ significatione, adhuc quę superiùs diximus, cum veritate consentiunt, & ad aures Aristotelis dici possunt, propterea quòd ipse non solum scientiam demonstratiuam, sed etiam definitiuam fieri ex præexistenti cognitione testatur, cum tamen definitiua, quanuis intellectiua sit, non propterea discursiua dici mercatur; usus est autem voce illa διανοητικὴ, ut significaret cognitionem intellectiuam ad excludendas cognitiones sensitiuas, quod alibi etiam memorię literisque prodidit dicens, definitionem, & prima principia, ex præexistente cognitione fieri, etsi cognitiones discursiuę non sint, licet intellectiuę. Aristot. auctor. probat. 1. Dia. Text. 4. 2. Post. vltimo. 6. Top. cap. 1.

In hanc autem sententiam adducor, quoniam Aristoteles supposito in nobis dari scientiam, alioquin vana foret susceptа contentio, ostendere illam in humana mente animoque intendebat, longè aliter generari, ac à Platone crederetur, scilicet per reminiscentiam; sed hic existimabat non modo scientiam acceptam pro cognitione, quę ratiocinatione comparatur, verum etiam definitiuam in nobis per reminiscentiam acquiri; Philosophus autem non item, sed utrunque cognitionis genus in humano intellectu modo longè diuerso generari arbitrabatur; ob id æquum erat, ut uniuersalem propositionem assumeret complectens utrunque cognitionis genus, quin potius omnem cognitionem intellectiuam, prout à sensitiua distinctam, quæ re verâ ex præexistenti cognitione non fit; hoc enim modo funditùs Platonis opinionem euertit. Supra assertum. Ratio suadens.

Non me latet ad primam auctoritatem responderi Philosophum non sic usurpasse vocem διανοητικὴ, proindeque disertè admodum de omni propositione apta quidem ad scientias, verba fecisse, solumque probabiles propositiones excluisse. 1. Diui. Text. 48. Responsio quorum ad pri. auctori. tem. Refelli.

Sed quam hęc sit insulsa responsio, ex eo facile deprehenditur, quoniam potius nostram interpretationem confirmat, nimirum Aristotelem si non omnem cognitionem intellectiuam, saltem illam, quęcunque sit, quę ad scientiam pertinet, cuiusmodi non est solum, quę ratiocinatione comparatur, sed etiam, quę rei naturam attingit, nempe definitiua, per vocem illam in prędictis usurpatam, significare voluisse. 6. Top. cap. 1. Ad lect. dã auct. tatem quorum respon. Refelli.

Ad auctoritatem aliam multa dicunt, sed admodum inconsideratè, cum satis apertis, splendidisque verbis Philosophus ibi doceat sententiam, quam profitemur, quandoquidem ait, ἐκ μὲν οὖν αἰσθήσεως γίνεται μνήμη, ὥσπερ λέγομεν. ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γενομένης, ἐμπειρία. αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τῷ ἀριθμῷ, ἐμπειρία μία ἐστίν. ἐκ δὲ ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τὸ ἐν τοῖς πολλοὶ. ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ᾖ τούτοις τὸ αὐτό. τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης. ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης. ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιστήμης. *Ex sensu igitur fit memoria, quemadmodum diximus, ex memoria verò, quæ sæpe eiusdem fit, experientia, multæ nanque memoriæ numero, experientia una est; ex experientia verò, aut ex toto vniuersali in anima quietem adepto,*

nimi-

Digitized by Google

nimirum *uno præter multa, quod in illis omnibus unum insit idem, principium artis, & scientiæ, si circa generationem quidem, artis, si verò circa id, quod est, scientiæ.* Verba libenter transcripsimus, quoniam splendidissimus hic locus est, unde superior assertio plurimùm illustratur; perspicuè siquidem inde colligitur principiorum quoque notitiam, ex aliqua prænotione fieri, quę tandem in sensitiuam desinit cognitionem.

Ad aliam auctoritatem ex loco desumptam ubi habet per notiora definiendum esse, quemadmodum in demonstrationibus. Respondent ibi sermonem non habere de præcognitione respectu definitionis, sed de notioribus definito; primum autem, non secundum ad rem, de qua agitur attinere.

Hæc itidem responsio eo nomine refellitur, quòd se ipsam destruit; admisso quandoquidem fieri debere definitionem per notiora, statim sequitur fieri definitionem ex aliqua præexistente cognitione; quoniam, quæ notiora sunt præcognosci debent; at si res ita se habet, antecedit aliqua cognitio definitionem, quæ propterea ex præexistenti cognitione fieri, dicatur necesse est; hæc adeo clara sunt, ut mirum sit plerisque visum esse in contrariam sententiam abeundum; ad hominem enim definiendum, oportet ut priùs mihi perspectum sit, quid animal, quid rationale; hæc igitur præcognoscenda, & alia ex quorum cognitione, hæc itidem cognoscuntur.

Tametsi autem hæc mihi probentur, non irrepsit tamen in animum opinio dicentium, hæc æque de cognitionibus cæteris, ac de discursiua, intelligenda esse, quin potius mihi satis est exploratum præcipuè Philosophi sententiam de præcognitione, quæ ratiocinatione comparatur, usurpandam esse, quandoquidem præcognita, quæ ipse commemorat, nempe subiectum, affectio, & principia, ratiocinationi conueniunt.

Et ad huius probationem facit illud in primis, quòd Philosophus hoc loco præsertim ostendendum assumit in intellectu humano scientiam per demonstrationem generari, ut Platonis de reminiscentia sententiam euertat; cum igitur in huius gratiam propositionem illam enunciauerit, quâ dicit omnem doctrinam, ac disciplinam fieri ex præexistenti cognitione, quam maximè rationi consentaneum est, ipsum voluisse præsertim propositionem illam intelligi de cognitione, quam intellectus ratiocinando consequitur, non ita tamen, ut inficietur omnino ad reliquas intellectiuas cognitiones extendi. Et quoniam scientifica cognitio præcipuè, ex præexistenti cognitione fit, propterea, quæ & quot sint præcognita & præcognitiones superest explicandum; quanuis enim aliqua superiùs hac de re fuerint à nobis in medium allata, adhuc tamen aliqua non leuis momenti supersunt.

Redeuntes igitur in orbem sermonis, primò quidem animaduertemus, quotuplex præcognitio sit. Duobus autem modis præcognitio sumitur. Primò formaliter, quo pacto dicit cognitionem alicuius necessariò prærequisitam ad cognitionem alterius; Secundò obiectiuè, iuxta quam usurpationem est obiectum terminans huiusmodi cognitionem, & significat modum, rem aliquam ab intellectu præcognoscendi, quo sensu hoc loco sumitur, cum de præcognitione disputandum suscipitur.

Quinque sunt autem cognoscendi modi, quorum primus est, *quid nominis* secundus, *an res sit* tertius, *quid res sit* quartus, *qualis res sit*; quintus *propterquid res sit* quorum posterior semper supponit priorem; cum itaque modus præcedens comparatione sequentis sit præcognitio, sequens autem sit Quæstio, proptereà primus modus *quid nominis* appellatus, semper erit præcognitio, & nunquam Quæstio; ultimus autem modus propterquid nuncupatus, semper erit quæstio & nunquam præcognitio; ita fit, ut quatuor sint speciæ præcognitiones, etsi genere duas Philosophus esse dixerit; nec immeritò nam quatuor commemoratæ ad duas redigi possunt, *Quid est*, & *Quòd est*; primus enim modus subdiuiditur, in *Quid est nominis*, & *Quid est rei*, quandoquidem de re aliqua duplicem habere possumus definitionem, atque conceptum, nempe confusum, & distinctum; primus dicitur *quid nominis*; secundus, *quid rei*. Secundus modus subdiuiditur in, *Quòd est simplex, ac incomplexum* quod significat esse rei, vel essentiæ, vel existentiæ, siue aptitudinalis, siue actualis; & in *Quòd est compositum, atque complexum*, quod significat veritatem propositionis, & præmissarum.

Silentio autem non præteribo, quod apud Auerroem legimus, nimirum ex præcognitionibus unam esse dirigentem, & alteram agentem, huius autem partitionis communis explicatio docet præcognitionem dirigentem dici illam, quæ duntaxat disponit intellectum, ut deuenire possit in notitiam, & assensum conclusionis; præcognitionem agentem, quâ intermediâ, & cuius virtute intellectus ipsum conclusionis assensum elicit. Hæc clariùs explicabimus dicendo præcognitionem dirigentem esse simplicem apprehensionem, & quoad *Quid est*, quæ etsi requiratur, non propterea tamen mouet, nec impellit intellectum per modum illatiui principij; at verò præcognitionem agentem sumptionum, seu præmissarum assensum atque definitum iudicium esse, quoad *an est*, ex quo intellectus per modum illationis ad conclusionis assensum inducitur.

Quæri autem solet, de qua præcognitione Philosophus locutus fuerit dicens, omnem doctrinam fieri, ex præexistente cognitione; an de dirigente, an verò de agente, non enim statim constat utra sit, de qua ipse sermonem habuerit; prætermissis aliorum placitis.

Asserendum de utroque præcognnitionis genere propositionem illam enunciasse.

Hæc assertio satis euidens est consideranti Philosophi verba; is enim enunciatâ propositione, statim præcognitiones, & præcognita enumerat, at ex illis præcognitionibus palam, & apertum aliquam esse dirigentem, & aliquam agentem esse. Dirigens planè erit iuxta nostrum explicationis modum illa, quæ ad primam spectat intellectûs operationem, cuiusmodi est præcognitio *Quid sit*; Agens erit autem, quæ ad secundam operationem spectat, ut est præcognitio, *Quod sit* tam simplex, quàm complexum.

Est etiam inquisitione dignum, quo sensu intelligendum sit doctrinam fieri ex præexistenti cognitione; multifariam enim id potest intelligi, an scilicet tanquam ex termino à quo, an tanquam ex causa materiali, an tanquam ex efficiente.

Asserendum autem secundum rationes diuersas, diuersis etiam modis dici posse doctrinam fieri ex præexistenti cognitione, ita ut particula *ex* possit unam vel aliam causę habitudinem significare.

Primò quidem, ut à notioribus ordiamur, satis est notum doctrinam, seu disciplinam, & præsertim conclusionis notitiam (de hac enim præcipuè Philosophi sententiam intelligendam dicebam) non posse ex præexistente cognitione fieri, tanquam ex materiali causa interna, hoc est, tanquam ex materiali causa *ex qua*; propterea quòd conclusionis assensus, seu quod

Præcognitionum alia dirigens, & alia agens.

Dubitatio, de qua præcognitione Aristotelis propositio sit intelligenda, an de dirigente, an de agente.

Assertio.

Ratione suadetur.

Dubitatio altera quo sensu scientia dicatur fieri ex præexistenti cognitione.

Assertio, quòd secundum rationes diuersas, pluribus modis dici possit doctrinam &c. fieri ex præexistenti cognitione

Primo modus

idem est, cognitio simplex qualitas est, ut suo loco fuit luculenter ostensum; ergo non poterit ex interna materiali causa constare; hoc enim cuilibet simplici qualitati repugnat; nam huius comparatione, non dubium quin subiectum materiæ rationem obtineat, sed non tanquam materia interna & intrinsecùs, sed solum extrinsecùs faciens ad constitutionem ipsius.

Secundus modus. Dici tamen potest conclusionis cognitio ex præexistente cognitione fieri, tanquam ex materiali causa *in qua*, eo quòd præexistens cognitio se tenet ex parte intellectûs, qui materiæ munere fungitur respectu cognitionis conclusionis, cùm eius subiectum sit; non enim potest intellectus, nisi indutus cognitione antecedenter acquisitâ, conclusionis cognitionem recipere.

Tertius modus. Dici etiam potest conclusionis cognitio fieri ex præexistente cognitione tanquam ex causa efficiente, non eo quòd præexistens cognitio propriè sit causa efficiens respectu cognitionis conclusionis; non enim comparatione illius dici potest principium primum unde motus; sed eo nomine tantùm, quoniam præexistens cognitio se tenet ex parte intellectûs, qui causa etiam est efficiens respectu cognitionis conclusionis atque adeo se habet tanquam dispositio ad huiusmodi causæ genus pertinens; non enim dispositio solùm ex parte materialis, sed etiam ex parte efficientis causæ conceditur, ut alibi dicetur. Is enim comparatione cuiuslibet cognitionis, ac ob id etiam respectu illius, quæ est conclusionis, dicitur agens immanens, hoc est operans in se ipsum, unde est ut duplici fungatur munere, & causæ efficientis nimirum, & causæ materialis, non ex qua, sed in qua; hoc itaque sensu licet affirmare conclusionis notitiam ex cognitione præexistente, tanquam ex efficienti causa fieri. Quanuis autem particula *ex* propriè non importet habitudinem efficientis, dicimus enim aliquid ab efficiente, non ex efficiente fieri; quemadmodum nec denotat habitudinem causæ finalis, non enim dicimus aliquid ex fine; sed propter finem fieri, nihilominus minus propriè, solet illa particula ad denotandam causam efficientem usurpari, atque adeo latâ significatione, si eadem particula in præsens adhibeatur, conclusionis cognitio dici poterit ex præexistente notitia, tanquam ex causa efficiente fieri. Dici etiam potest, nec adeo impropriè, cognitio conclusionis fieri ex cognitione præexistenti, tanquam ex termino *à quo*, nam præexistens cognitio, qualis est cognitio præmissarum, est ut terminus *à quo*, conclusio autem ut terminus *ad quem*, illatio tandem tanquam via. Nec refert, quòd terminus *à quo*, non remaneat adueniente formâ, id enim admittendum dumtaxat de termino *à quo*, propriè sumpto, qui respectu scientiæ conclusionis est ignorantia; negandum tamen de termino *à quo*, latiori quâdam significatione, hic enim nihil obstat quominus remaneat aduentente formâ, ut locus sursum dicitur terminus *à quo*, motûs deorsum, quanuis remaneat, non secus ac terminus ad quem; præexistens itaque cognitio illa, nempe præmissarum, dicitur terminus *à quo*, quoniam ex illa cognitione in cognitionem conclusionis intellectus quodammodo excurrit; immò non aliunde hæc habet operatio, ut discursus nuncupetur, ut aliàs aduerti.

Quartus modus. Tandem conclusionis cognitio dici potest fieri ex præexistente cognitione, & quidem maxime propriè, tanquam ex conditione sine qua non. Quanuis enim præcognitio nullum habeat influxum in cognitionem conclusionis, eo quòd in nullo genere causæ potest dici causa istius; rectè tamen dicetur conditio, sine qua non, quoniam se tenet tam ex parte causæ materialis, quàm efficientis, ita ut sine ipsa præcognitione intellectus, nec ut efficiens possit notitiam conclusionis producere; nec ut materialis causa, in qua, nempe subiectum, possit ipsam recipere.

Sed aduersus uniuersalem illam propositionem, *Omnis doctrina, & omnis disciplina ex aliqua præexistente fit cognitione*, sic urgeri solet. Aut hæc propositio intelligitur uniuersè pronunciata de omni cognitione intellectiua, vel solùm de illa, quæ ratiocinatione acquiritur. Si primum instantiam afferunt de cognitione, quam sempiternæ mentes exercent, nam in ipsis, inquiunt, perfectissima scientia est & nihilominus non ex præexistenti cognitione orta, sed unico tantum intuitu principia, & conclusiones attingens. Afferunt itidem instantiam de humano intellectu, quia inquiunt, cum non sit admittendus processus in infinitum, necesse est, ut intellectus ad aliquam cognitionem deueniat, quæ ex alia præexistenti non fiat. Si dicatur secundum, sequitur propositionem illam à veritate penitus alienam esse, quoniam ratiocinatio non modo conclusionem, sed etiam præmissas includit; unde est ut huiusmodi cognitio, nempe discursiua, ex præexistenti cognitione non fiat, sed ex se ipsa, quatenus ex præmissis, quas includit, conclusio deducitur. Et in confirmationem accedit, quoniam propositio illa Platonis argumentum non soluit, quo videlicet probat nos nihil de nouo addiscere, quia scilicet vel cognoscimus id, quod inquirimus, vel illud ignoramus. Si cognoscimus; ergo iam scimus. Si ignoramus, quantumuis id obuium fiat, non inueniemus. Vt si quis hominem sibi ignotum quærat, etsi obuiam factum non reperiet; at eadem hæc ratio vim retinet, si omnis doctrina fieri dicatur ex præexistenti cognitione, quantumuis enim præexistentem notitiam habeam, si illa mihi non ostendat, quod quæro, id nunquam inueniam; at si id mihi ostendit, non est, cur amplius in eius inquisitione persistam.

Diff. tatur. Prima ficulta

Quo sensu propositio ab Arist. pronunciata, sit admittenda superius explicatum fuit, ubi præsertim intelligendam de cognitione, quæ ratiocinatione comparatur, atque adeo de discursiua, notauimus. Instantia autem ex æternis mentibus desumpta nullius est momenti; illæ siquidem intelligunt cum successione actuum, non tamen ut actus posterior à priori tanquam à causa pendeat; nec unum ex alio distinctis actibus inferre coguntur; nec eodem actu, sed possunt si velint uti discursu. Nec datur processus in infinitum; nam intellectus sistit in cognitione eorum, quæ, utpote nota naturæ lumine, per alia priora probari non debent, cuiusmodi sunt prima principia, licet iste, quo intellectus utitur processus, tandem in sensuum notitiam desinat.

Solutio

Ad id porrò, quod de discursu dicebatur, respondetur, quòd si discursus adæquatè sumatur, pro præmissis, & conclusione, ita ut aggregatum ex his importet, dicetur fieri ex præexistente cognitione ratione dependentiæ, quam habet conclusio, pars eius una, à præmissis, tanquam ab alia parte; redditurque sensus, quòd intellectus ex cognitione principiorum procedat ad cognitionem conclusionis, hoc enim est discursum fieri ex præexistente cognitione, sumpto discursu pro aggregato prædicto, quatenus per ipsum, qui alioquin totum illud aggregatum importat, intellectus ex una parte in aliam excurrit, adeo ut eius pars una, ex alia fiat, sensu paulo antea significato. Si autem discursus accipiatur non adæquatè, sed pro sola conclusionis notitia, sic utique dicetur ex præexistenti cognitione fieri, quatenus fit ex cognitione præmissarum, modo superiùs explicato. At ad confirma-

Solutio continuatio.

Digitized by Google

firmationem, respondendum Platonis argumentum ex superiori propositione sufficienter enodari, quoniam si omnis disciplina ex præexistente cognitione, fit, in illa præexistenti cognitione, conclusio nota est virtute; ignota autem formaliter, & actu; atque hoc modo ex cognitione ipsius in potentia, fit cognitio in actu; nempe, quod virtute potentiaque tantùm cognoscebatur, ratiocinatione, ex præexistente notitia, fit actu cognitum.

quædam præmittuntur clarioris doctrinæ gratia

Sed ut, quæ sequuntur, exactius tractentur, quædam præmittam. Principiò autem occurrit explicandum, quid præcognitionis nomine significetur. Præcognitio, si vim nominis attendas, nil aliud significat, quàm cognitionem ante cognitionem, ita ut omnis cognitio, quæ aliam præcedit, respectu illius præcognitio dici possit. Iuxta significationem hanc cognitio sensitiua respectu intellectiuæ, præcognitio dici potest, eò quòd omnis nostra cognitio à sensibus ortum habeat, nec aliquid possimus intellectu percipere, quin illud idem, vel aliquid aliud sensu prius à nobis perceptum fuerit. Vt propterea Philosophus inter sensus maximè diligi visum affirmauerit, quoniã ad hoc, de quo loquimur, maximè conducit; & alibi etiam docuerit nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; immo alibi pronunciauerit, intelligere, & anphantasiam esse, aut non sine illa. Secundò, omnis doctrina habita propriâ inuentione, respectu illius, quæ à Præceptore per illam obtinetur, dici potest præcognitio, & præludia etiam, quæ operâ præceptoris ante scientiam cognoscuntur, prænotiones appellantur. Tertiò omnis cognitio, à qua alia dependet, siue ea necessaria sit, siue ad bene esse, præcognitionis nomine potest nuncupari. Quartò prima operatio intellectûs respectu secundæ, & secunda respectu tertiæ, & in universum mentis operatio aliam præcedens, præcognitio dici potest, respectu illius, quam antecedit. Quintò, omnium primorum principiorum cognitio, quæcunque illa sint, dummodo ex eorum cognitione in aliorum notitiam deueniamus, præcognitionis nomine consueuit appellari. Et ut paucis rem perstringam, cognitio, quæ aliam cognitionem præcedit, ad eius consecutionem concurrens, præcognitio dicitur. Sed hæc est nimis lata præcognitionis usurpatio. Si presstius autem accipiatur, non ineptè dicetur cum quibusdam. *Præcognitio est intellectiua cognitio non per processum propriè scientificum acquisibilis, ad acquirendam doctrinam per se ordinata, ante universum processum pro acquisitione eiusdem doctrinæ requisitum.* Hac itaque significatione sumitur hîc præcognitio, cum dicimus tria esse præcognita, duas genere, quatuor autem specie præcognitiones. In superiori autem definitione dicitur *intellectiua*, quoniam etsi cognitio sensitiua necessariò præcedat in nobis ad acquirendam doctrinam, non propterea tamen dicenda præcognitio, prout hoc sumitur loco. Dicitur *non per processum scientificum acquisibilis*, propter quædam demonstratiua principia non prima, quorum cognitiones, minùs propriè dici præcognitiones possunt. Vltimò dicitur *ante universum processum*, ad differentiam præmissarum demonstrabilium, & medij demonstratiui, non per se noti; tametsi enim ad notitiam conclusionis tales ordinentur præmissæ, cognoscique debeant tempore, vel natura prius, quàm conclusio, non tubinde tamen earum cognitio debet præcognitio dici, si præcognitionis nomen seuerè nos acceptum esse velimus.

His præhabitis.

Asserendum, ad scientiam demonstrationis præsidio comparandam, quædam esse præcognoscenda, & idcirco prænotiones quasdam concedendas esse.

Hoc sibi voluisse Philosophum in præsentia nemini licet ambigere, cum id splendidissimis verbis expressisse, cuicunque manifestum sit. Hoc sibi voluisse Aristotelem auctoritate probatur

Ratio autem ex eo desumitur, quòd scientia omnis est conclusionis notitia, quæ intellectus per principia vel in cognoscendo, & essendo simul, vel in cognoscendo tantum, prout se habuerit demonstratio, cognoscit unum alteri conuenire; sed nequit intellectus hanc notitiã adipisci, non informatus cognitione eorum, quibus demonstratio constat, cuiusmodi sunt, & id, quod alteri tribuitur, & id, cui tribuitur, & causa, siue principium, per quod tribuitur; ergo ut intellectus opitulante demonstratione scientiam assequatur, quædam præuiâ notitiâ debet habere perspecta. Ratione suadetur.

Necessario dari præcognitiones ex dicti inferetur.

Hinc prænotiones apertè constant: cùm enim aliqua sint præcognoscenda, necesse est aliquas dari præcognitiones, cum hæ nil aliud sint, quàm vel anticipatæ quædam notitiæ de ijs, quæ præcognita dicuntur, si formaliter fuerint acceptæ; vel nil aliud quàm rationes quædam, secundum quas aliqua præcognoscuntur, si obiectiuè sumptæ fuerint.

Quot autem sint præcognitiones, iam Aristotele duce & quot etiam præcognita, superiùs insinuatum fuit; & clariùs idem hoc loco repetetur.

Asserendum igitur duas quidem genere, quatuor autem specie prænotiones esse, tria autem præcognita, ad scientiam demonstrationis præsidio consequendam. Assertio, quod prænotiones duæ, nisi genere, quatuor autem specie.

Aristotelis auctoritatem tanquam luce clariorem omitto. Rationem autem inquiro, quam in eo positam esse crediderim, quoniam de ijs, quibus demonstratio contexitur, nec plures, nec pauciores rationes præcognosci debent; ergo tot erunt prænotiones, quot Aristoteles recognouit. Assumptum clarè patet, eo quòd de ijs, quibus demonstratio constat, gemina quidem est habenda præcognitio, nempe, vel quid sit, vel quòd sit; prima autem vel quid nominis, vel quid rei, secunda, vel quòd est simplex, videlicet quòd existat; vel quod est complexum, puta quòd sit verum. Ratio suadetur.

Tria est. præcognita.

At præcognita ternario numero contineri facillimum est intelligere, diligenter aduertendo tria tantùm, nec plura, nec pauciora ad demonstrationem requiri; primò scilicet principium primum complexum verum, quod in sumptionibus, seu præmissis omnino consistit, appellaturque Maxima, siue Dignitas, propter apertam veritatem, cui tota innititur demonstratio. Secundò, prædicatum etiam requiritur proprium, quod est affectio, vel attributum subiecto conueniens. Tertiò tandem subiectum requiritur, cui per propriam causam, tam in essendo, quam cognoscendo simul, si perfecta sit demonstratio, in conclusione ostenditur affectionem conuenire, vel non conuenire, prout affirmatiua, vel negatiua demonstratio fuerit; cum itaque ad demonstrationem non plura, nec pauciora desiderentur præcognoscenda; tot esse præcognita, quot ab Aristotele fuerunt enumerata, fatearmur oportet.

Difficultates. Prima difficultas.

Quanuis autem hucusque dicta summoperè clara sint, nonnullis tamen difficultatibus laborant: enimverò solet illud communiter obijci. Præcognitiones inuicem distinguuntur, iuxta distinctionem præcognitorum; sed præcognita sunt tria, quemadmodum superius conclusum fuit; ergo tres præcognitiones esse dicendum erit; maiorem autem propositionem ex eo probant, quia operationes per obiecta distinguuntur; quòd si res ita se habet, perperam dictum fuit præcog-

nita-

Digitized by Google

gnitiones genere quidem duas, ſpecie autem quatuor eſse recognoſcendas.

Confirmatio. Illud etiam in confirmationem adducunt, quòd præcognitio, & præcognitum, relatiua ſunt; ergo quot ſunt præcognita, tot etiam prænotiones eſse debent, nam quot modis unum relatiuorum dicitur, totidem etiam & aliud dici debet.

Solutio. Obuiam itur reſpondendo præcognita quidem in una quaque demonſtratione tria eſse, non tamen rationes ſecundum quas illa præcognoſci debent, ſeu præcognita materialiter ſumpta tria eſſe, non tamen formaliter, cum hæc, ſint genere duo, quatuor autem ſpecie; at prænotionum numerus ſumi non debet ab ijs, quæ præcognoſcuntur, ſed à rationibus, ſecundum quas debent præcognoſci, hoc eſt non à præcognitis materialiter, ſed formaliter acceptis, quæ cum ſint tot, quot diximus; tot propterea præcognitiones eſſe dicendum erit.

Confirmationi fit ſatis. Et ad confirmationem reſpondendum, haud benè conſequens, ex antecedenti deduci; & ad probationem ſat erit reſpondere: ſumpto præcognito quatenus dicit denominationem ab actu præcognitionis prodeuntem, præcognitionem, & præcognitum dici relatiua poſſe, atque tot eſſe actus, quot obiecta: ſumpto autem pro re præcognita, propriè relatiua non eſſe cum idem modus & ratio cognoſcendi rebus pluribus conuenire poſſit; eidemque rei plures modi rationeſque cognoſcendi poſſint accommodari.

Secunda difficultas Amplius. Quatuor ſunt quæſtiones; ergo quatuor etiam prænotiones, quoniam quæſtio unum quærit, & aliud præſupponit, & cuilibet quæſtioni ſua debet præcognitio reſpondere.

Quorundam reſpõſio. Sunt, qui putant reſpondendum eſse dicendo, quamuis quatuor ſint quæſtiones, duas tamen ipſarum ad alias duas reuocari, propterea quòd quæſtiones *quia eſt*, & *propter quid eſt*, ad quæſtiones *ſi eſt*, & *quid eſt* reduci poſſunt; unde aiunt, non abſimili modo præcognitiones, etſi ſpecie quatuor, ad duas tamen genere poſſe reduci.

Refellitur Inutilis tamen reſponſio, cum ex ea poſſet inferri præcognitiones omnes ad unam præcognitionem poſſe reuocari, quemadmodum quæſtiones omnes ad unam quæſtionem medij reducuntur; at omnes præcognitiones unam eſſe præcognitionem, tam remotum eſt à veritate, quàm quod remotiſſimum. Accedit, quòd non talis eſt habitudo præcognitionum ad præcognita, qualis eſt quæſtionum ad quæſita; quæſtio ſiquidem quærit, de eo, quod eſt ignotum, proinde ſupponit illud inueſtigandum: at præcognitio eſt ratione illius, quod eſt ante demonſtrationem notum. Idcirco etſi quęſtiones ad duas reducantur, non ob id præcognitiones ad duas reduci dicendum. Ne commemorem, quòd quæſtio *Quid*, eſt quid rei, at præcognitio *Quid* poteſt eſſe nominis; præterea quæſtio, *quia eſt*, eſt de inhærentia prædicati in ſubiecto; non ſic autem præcognitio, ut patet.

Vera ſolutio. Solutio igitur ex proximè dictis petenda eſt, quatenus ex ijs conſtat præcognitiones uſurpari poſſe, vel materialiter, quo pacto ſunt res ipſę præcognitę: vel formaliter iuxta quam ſignificationem ſunt ipſę præcognoſcendi rationes, quo ſenſu idem obiectum diuerſo modo, & diuerſa obiecta eodem modo præcognoſci poſſunt; ut præcognitio *quid*, tam ſubiecto, quàm paſſioni, ſeu prędicato poteſt applicari. His igitur animaduerſis, reſpondendum illationem negando; non enim cuilibet quęſtioni ſuam reſpondere præcohnitionem oportet, propterea quòd præcognitiones non terminant quęſtiones, nec illis opponuntur, ſiquidem ante præcognitionem principiorum nulla præcedit quæſtio, nec præcognitionem quid nominis, quęſtio quid nominis præcedit; immo ſi præcognitiones terminarent quęſtiones, profectò non poſſent propriè præcognitiones dici; quæſtio propterea concluſioni potius ut ſcitæ, quàm præcognitioni opponitur.

Illud etiam aliquid habet difficultatis, quòd *quid eſt*, & *quia eſt* ſunt quæſtiones; non igitur inter præcognitiones numerari debent. Tertia ficulta

Mala tamen eſt conſecutio, ſi *quid eſt*, & *quia eſt* diuerſa ratione ſumantur, licet admittenda ſit, ſi ratione eâdem accipiantur, nam *quid eſt*, & *quia eſt* prout ſunt quæſtiones, non ſunt idem, ac pro ut præcognitiones, nam *quia eſt* pro ut quæſtio, idem eſt, ac quale ſit ſubiectum, ſed pro ut præcognitio, idem eſt ac *quod eſt*; quod duobus modis contingit; pro ut vel eſt ſimplex, vel complexum. Soluti

Præterea præcognitio *quia eſt* ſubiecti, & *quia eſt* dignitatis, non videntur in communi quadam præcognitionis ratione conuenire, quoniam præcognitio quia eſt ſubiecti eſt incomplexa, cum eâ prægnoſcatur ſubiectum abſolutè eſſe; at præcognitio *quia eſt* dignitatis, eſt complexa, cum eâ præcognoſcamus principium eſſe verum; ergo plures, quàm duę erunt huiuſmodi præcognitiones; optima conſecutio, quoniam ſi præcognitiones duę tantum forent, oporteret præcognitiones omnes in communi quadam ratione univocè conuenire. Quar difficul

Fit ſatis reſpondendo, quòd etſi præcognitio *quia eſt* ſubiecti ſit præcognitio rei incomplexę, illa tamen non habetur niſi per complexum aliquod, videlicet per propoſitionem de ſecundo adiacente; quâ ſcitur hoc eſſe, vel eſſe poſſe; quamobrem, cum præcognitione *quia eſt* dignitatis, aliquo modo communicabit, eo quòd ipſa quoque complexa ſit. Vt præterea concedo etiam præcognitionem *quia eſt* ſubiecti ſimplicem omnino eſſe; adhuc tamen præcognitionē *quia eſt* dignitatis cum ea in quadam communi ratione conuenire; quando enim ſcio, quę eidem ſunt æqualia, inter ſe æqualia eſſe, profectò ſcio ita re ipsâ eſſe, propoſitionis illius ſignificatum demonſtrando; quemadmodum ſciendo hominem eſſe, ſcio ipſum ex rei natura eſſe; idcirco præcognitio illa complexa de principijs ad ſimplicem quandam reuocatur, cuiuſmodi eſt præcognitio ſubiecti. Solutio

Si præcognitiones commemoratę concedendę forent, certè non niſi cum aliquo ordine, illo nimirum, qui communi conſenſu perhibetur, ut præcognitio *quid eſt* præcedat præcognitionem *quòd eſt*, quod quam alienum ſit à veritate, nemo non videt in ſcientijs per inuentionem; prius enim contingit Lunam deliquio laborare, quàm cognoſcatur, quid Lunę nomen ſignificet. Quinta difficul

Sunt qui putant ſatis ſuperque difficultatem enodari dicendo in doctrina, quę per doctorem habetur præcognitionem *quid nominis* præcedere: at in ea, quę proprio Marte comparatur, anteire potius præcognitionem *quod eſt*, cum priùs apprehendatur ſubiectum eſſe, quàm quid eius nomen ſignificet. Rectiùs tamen alij reſpondent præcognitionem *quid* ſemper præcedere, cum ſemper ſubiecti apprehenſio præcedat, atque priùs habeatur in mente, quàm præcognitio *quòd eſt*, nempe mens priùs apprehendit ſubiectum, quàm illud cognoſcat eſſe; duplex ob id eſt præcognitio *quid nominis*; prima dicitur *quid eſt*, quod ſentitur, & eſt ſimplex apprehenſio rem ipſam repręſentans, & hęc ſemper requiritur. Secunda eſt præcognitio *quid eſt*, quod dicitur, & eſt cognitio, quâ ſcitur referri ſignum aliquod externum vocale, vel ſcriptum in eius ſignificatum, hęc autem haud perpetuò requiritur. Quæ dam tio. Vera tio.

De

Digitized by Google

præcognorum numero. tas dif ficultas.

De præcognitorum numero aliqua etiam est difficultas; nam tria esse Philosophus decernit, nempe subiectum, affectionem, & dignitatem; sed præter hæc præcognosci etiam debet bonitas illationis; propterea quòd intellectus nisi probè hanc institutam fuisse cognoscat, non poterit esse de conclusione certus, proindeque nec scientiam per illationem illam acquiret, cum scientia formidinem omnem excludat; debet etiam præcognoscere medium ante conclusionem cum virtute medij inferatur conclusio, item conclusionem ipsam, & copulam, quę est in quęstione: non igitur ternario, sed maiori numero præcognita comprehendantur oportet.

tio.

Facilis tamen solutio; fit enim satis respondendo illationis bonitatem à Philosopho in præsentia inter præcognita non recenseri, quoniam de præcognitis posterioribus tantummodo sollicitus est, omissis prioribus, è quorum numero est illationis bonitas, eum de ipsis opportuniori loco sermonem habuerit. Medium autem non auget præcognitorum numerum, quoniam etsi præcognoscatur, non tamen seorsum à principijs, quoniam ex medio formari principia, scilicet complexa debent; nam in demonstratione potissima, medium est definitio subiecti, ob id potius præcognitio, quàm præcognitum appellari debet. Medium igitur ut pars ad præmissas reuocatur, & quamuis subiectum, & passio sint etiam partes, hæc tamen oportet præcognoscere ante præmissas, quia sunt quæstionis termini, medium autem quatenus tale sufficit in præmissis cognoscere. Ad conclusionem quod attinet, hæc præcognosci non debet formaliter, sed virtute; præcognita autem sunt, quæ formaliter præcognoscuntur. Vt præteream ipsam reduci posse ad præmissas, siue complexa principia, in quibus virtute continetur. Ad id autem quod de copula dicebatur; respondendum, si eius significatio ignota sit, ad prædicatum reduci.

Secunda difficultas

Amplius. Subiectum passio & medium sunt, ex quibus complexa principia consurgunt; non erunt igitur ab illis præcognita distincta; pauciora igitur præcognita erunt, quàm tria.

latio.

Non inficiandum ex subiecto, affectione, & medio complexa principia consurgere, non propterea tamen asserendum eâdem præcognitione præcognosci, nam subiectum, & affectio diuersâ præcognitione præcognoscuntur seorsum ab ea, quâ præcognoscuntur, ut per medium unita, & quatenus ex ipsis per unionem cum medio complexa principia fiunt.

ertia difficultas.

Videtur etiam augeri præcognitorum numerus ex ijs, quę sub sensum cadunt; propterea quòd intellectus omnem notitiam haurit à sensibus; obid ea pariter, quæ sensibus usurpamus, quæcunque illa sint, inter præcognita videntur enumeranda.

lutio.

Nulla tamen hæc difficultas, nam hîc sermo est de ijs, quę præcognosci debent ante demonstrationem contexendam doctrinæ gratia; quę iure, meritoque ternario comprehendi numero cum Aristotele sancitum à nobis fuit. Vt præteream non esse commemoranda sensibilia prout huiusmodi inter præcognita de quibus loquimur; ut enim è numero præcognitionum sensitiuam notitiam reijciendam dicimus: sic è numero præcognitorum, quæ sub sensum cadunt quâ talia sunt, è præcognitorum numero abijcienda volumus.

Quarta difficultas

Insuper. Subiectum, & affectio, siue passio unam efficiunt quæstionem; ergo unum præcognitum. Optima quidem illatio; nam quemadmodum principia quantumuis pluribus terminis constent præcognitum unum efficiunt, quoniam ex illis una conficitur propositio: ita subiectum & passio unum præcognitum efficient, quoniam ex illis unica fit propositio, nimirum quæstio, hæc enim propositio quædam est.

Confirmatio.

Confirmatur autem eo quòd in aliquibus nulla quidem est passio, ut cum quęritur essentia subiecti, vel aliquod essentiale prędicatum; insuper cum aliquod accidentale prædicatum quæritur, & cum unum causæ genus per aliud genus causæ demonstratur; præterea cum simpliciter esse rei, siue existentia, de re quapiam ostenditur, ut ab Aristotele quandoque fit, & ab alijs etiam fieri solet. 8. Phys.

Solutio.

Occurritur respondendo non eandem esse rationem propositionis, & quęstionis, enim verò propositio cognosci debet ut vera, propterea fieri potest, ut sub præcognitione, quòd principia vera sint, comprehendi quoque possint præcognitiones eorum, quę ad ipsam construendam requiruntur: at quęstio non præcognoscitur ut vera, quoniâm ut sic ex præmissis in conclusione deducitur; ideoque nequit ut propositio præcognosci, unde est ut eius termini tanquam distincta præcognita enumerentur.

Instantia.

Dices subiectum, & affectio ingrediuntur ipsa principia complexa; ergo in eorum præcognitione contineri debent; ergo unicum erit præcognitum nempe principium.

Instantiæ fit satis.

Mala tamen est consecutio, cum non eadem sit præcognitio principij complexi, & præcognitio subiecti, ac prædicati, nam ut principium est complexum, sic eius præcognitio complexa dicitur, nempe, quòd principium sit verum; at præcognitio tam subiecti, quàm passionis incomplexa est, quemadmodum, quę præcognoscuntur incomplexa sunt.

Confirmationis occurritur.

Confirmationi autem fit satis respondendo passionis nomine intelligi quodlibet prędicatum; cum autem demonstratur aliquod essentiale &c. subiectum erit quidpiam confusè conceptum secundum accidentia externa; de hoc infra. Rectius interim dicetur geminam affectionem esse, quarum prima verè inhæret subiecto per causam, & hæc est quæ propriè demonstratur. Secunda autem est quodlibet quæstionis prædicatum, fitque demonstratio minus propriè sumpta. Aristoteles autem sermonem habet, de demonstratione, quâ propria passio de subiecto ostenditur, etsi demonstrationis præcepta ad cęteras etiam demonstrationes extendi possint.

Affectio duplex.

SECTIO OCTAVA.

Præcognitiones Præcognitis applicantur.

Tractationis ordo.

PRoximum est, ut præcognitiones præcognitis applicemus. Et quoniam præcognita, seuerè quidem accepta, nimirum ea, quę præcognosci debent ternario numero, cum Aristotele, contineri diximus, & ea cum eodem statuimus, Subiectum, Passionem, & Dignitatem; propterea nostrum erit præcognitiones iam assignatas his tribus applicare.

Quæ de principijs præcognoscęnda sint.

Initio autem facto à principijs, videndum est, quę de ipsis præcognitiones habendę sint. Primò tamen nonnullis adnotatis, quę ad clariorem notitiam rei, de qua agitur, summoperè conducunt.

Principium in uniuersum quid sit, & quotuplex, & multa ad ipsum spectantia, cum de præmissis demonstrationis se disputandi obtulerit occasio, ex instituto tractabimus, solùm interim se noster exerceat labor in explicando, quo genere prænotionis debeant præcognosci principia complexa, cuiusmodi sunt demonstrationis præmissę.

Quidam existimant commemorata principia unicâ

præ-

Digitized by Google

præcognitione, nempe *quòd sint*, scilicet vera, præcognosci debere. Alij autem duplici prænotione debere præcognosci, nempe *quid sit*, & *quòd sit*; ita ut de ipsis præcognoscendum esse velint; quod sint, ideſt, quod sint vera, & quid nominis.

Quorundam opinio.

Assertio 1. Asserendum primò de principijs complexis præcognoscendum esse *quod sit complexum*, seu quòd sint vera, vel ut alij loquuntur, quia vera sint. Assertio proculdubio videtur ad Aristotelis mentem, cum luculenter illam expresserit ubi hac de re sermonem instituit, præsertim ubi habet, οἷον, ὅτι ἢ ἄνευ ἢ φῆσαι ἢ ἀπο-φῆσαι ἀλλ' ὅτι ἰσὶ *Vt putà* illud, *verè quoduis aut affirmari, aut negari, quòd sit*, præsumi debet. Ratio autem illam suadet, quoniam principiorum veritas est à qua veritas conclusionis pendet, adeò ut conclusio eatenus vera sit, quatenus à complexis principijs veris per demonstrationem deducitur, quod certè non contingeret nisi principia ipsa possent veritate comprobari. Demonstratio siquidem est syllogismus, ac ob id consequentia formalis, iuxta quam, ut superiori Sectione ostensum fuit, verum non deducitur nisi ex vero directè, & per se, licet indirectè, & per accidens, ut ibi copiosè fuit explicatum, verum ex falso etiam deducatur. Principia igitur, in quorum consideratione versamur, vera esse debent. Hoc tamen non satis, nam debent ut vera præcognosci, hoc est debet intellectus de veritate ipsorum præhabere notitiam. Quoniam nisi principiorum veritatem perspectam habeat, non potest esse certus de veritate conclusionis, ut notum est; is enim firmum assensum conclusioni præbet, non nisi quatenus citra quamlibet formidinem præbuit assensum præmissis, siue complexis principijs, eo quòd illa veritati quàm maximè consentanea præuiderit. De principijs igitur huiusmodi, præcognoscendum quòd vera sint.

Auctoritate probatur.

1. Post. Tex. 2, 3. 24.

Ratione suadetur.

Assertio secunda, quòd de principijs præcognoscendum quid nominis.

Ad præcognitionem *quid est*, quod attinet, est aliqua difficultas; Asserendum tamen de principijs esse præcognoscendum *quid nominis*, quod ab Aristotele videtur his apertis verbis expressum; λύουσι γάρ, ἐ φάσκοντες πᾶσαν εὐθεῖαν δυάδα ἀρτίαν εἶναι, ἀλλ' ὃν ἴσασιν ὅτι δυάς. *Solvunt enim dicentes, non omnem binarium se scire parem esse, sed eum, quem sciunt esse binarium*.

1. Post. tex. 5. Arist. auct. probatur.

Ratione quoque constat; non enim potest intelligi vera esse principia, terminosque verè connexos esse, nisi quid nominis eorum intelligatur; quod adeò certum, ut superuacaneum sit in eius probationem incumbere.

Ratione fundetur.

Assertio, tertia, quòd hujusmodi præcognitio non est distincta à præcognitione quid nominis subiecti, & affectionis.

Asserendum insuper præcognitionem *quid est* de principijs, non esse distinctam à præcognitione terminorum, quibus constat. Hoc voluisse crediderim Aristotelem loco nuper laudato. Et ratio quoque manifesta est, quoniam, ut dicebat Philoponus, atque Themistius de dignitate præcognoscendum *quid est* ratione tamen terminorum, quibus constat; cum enim dignitas, siue complexum principium nil aliud sit, quàm subiectum, & affectio, consequens fit ut si de his præcognoscatur quid nominis, implicitè saltem de principijs eadem habeatur præcognitio.

Difficultas 1.

Difficultas tamen insurgit, quia plerunque quod demonstratur passio non est, sed vel prædicatum aliquod essentiale, vel causa dum per aliam causam ostenditur; propterea præcognitio quid nominis de dignitate, seu principio complexo debet esse distincta à præcognitione quid nominis subiecti, & affectionis.

Confirmatio.

Hoc inde confirmatum etiam redditur, quoniam medium formaliter demonstrationis ingreditur principia, in quibus inuoluitur etiam copula; præcognitio igitur quid nominis de principijs nequit esse tantum ratione præcognitionis *quid nominis* de subiecto, & affectione.

Solutio.

Difficultatis tamen solutio non obscurè constat ex proximè disputatis, nam dictum fuit nomine passionis, nisi demonstratio pressâ nimis acceptione sumatur, intelligendum quodcunque prædicatum, quod in conclusione ostenditur de subiecto.

Confirmatio.

Præcognitio etiam quid nominis medij, reuocatur facilè ad præcognitionem subiecti, præsertim cum demonstratio fuerit potissima, cuius medium censetur definitio subiecti, ita ut hoc præcognosci debeat non solùm præcognitione quid nominis, sed etiam quid rei; vel si non ad præcognitionem quid nominis subiecti, ad præcognitionem prædicati poterit reuocari saltem ex eorum consilio, quibus est visum prædicati, hoc est affectionis definitionem in demonstratione medium esse.

Solutio.

Amplius. Omnis præcognitio presupponens aliam, distinguitur à præsupposita; sed præcognitio *quòd est* complexum de principijs, presupponit prænotionem *quid est nominis* de ijsdem; ergo præcognitio *quid est nominis* de principijs, debet esse distincta à præcognitione *quod est complexum* de *ijsdem*, ergo de principijs præter prænotionum *quod est*, prænotio *quid est nominis* haberi debet.

Solutio facilis est; non enim affirmatum à nobis fuit præcognitionem *quid est nominis* de principijs non distingui à præcognitione *quod est* de ijsdem; sed asseruimus duntaxat, præcognitionem *quid nominis* de ipsis non distingui à præcognitione *quid nominis* subiecti prædicati, & copulæ. Argumentum autem probat duntaxat de principijs complexis, præter præcognitionem quòd est complexum, dandam esse aliam præcognitionem, quam utique concessimus dicendo eam esse prænotionem *quid nominis*.

Quarta sectio quod de principijs complexis non sit præcognoscendum quid nominis.

Tametsi autem concessum à nobis fuerit, de principijs complexis præcognoscendum quid nominis, tantum ratione terminorum &c. non propterea tamen asserimus esse præcognoscendum quid rei. Hoc ex eo mihi perspicuum est, quoniam duobus modis potest intelligi principium complexum prænotione quid rei præcognosci posse; primò ut ipsum ita præcognoscatur, prout complexum est. Secundò ratione terminorum, quibus constat; sed neutrum dicendum; ergo nullatenus complexum principium prænotione quid rei præcognosci potest. Non primum, quia etsi dignitas, seu principium complexum, prout dicit secundam intentionem propositionis sit quidpiam unum incomplexum, & habeat quid nominis, & quid rei; si tamen exercitè sumatur, ut dicit aggregationem illorum terminorum, etsi habeat præcognitionem quid nominis ratione ipsorum, non tamen ratione sui, ut superius est explicatum, & multo minus habet quid rei; ut enim aliquid præcognosci possit præcognitione quid rei, debet per se unius esse naturæ, ita ut cadere sub definitionem possit; at verò complexum, quale principium est, de quo loquimur, non ita se habet, non enim ex subiecto & affectione (præsertim enim de perfectissima demonstratione fit sermo, per quam affectio de subiecto ostenditur) fit unum quidpiam per se, ut notum est; propterea de complexo principio, prout huiusmodi, non poterit haberi præcognitio quid rei.

Non ratione tionis

Nec ratione terminorum notum.

Quinimo nec etiam tale principium præcognosci hoc prænotionis genere ratione terminorum poterit, quia tametsi subiectum præcognitione quid rei sit præcognoscendum ante demonstrationem potissimam, affectio tamen non item, ut paulo postea dicetur.

Prima difficultas præcognitione quid est principiorum,

Tales igitur sunt dignitatis, atque primi principij complexi prænotiones, quales nos esse diximus: sed aduersus præcognitionem quòd est dignitatis propriam, nempè

nempè quod vera sit aliqua difficultas occurrit; nam conclusio, quæ non demonstratur ex principijs per se notis, ut *triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, præcognitionem, *quod est* dignitatis non requirit; falsum igitur ad scientiam comparandam demonstrationis præsidio, dignitatem esse præcognoscendam prænotione *quòd est*; optima consecutio; & manifestum assumptum, cum huiusmodi conclusionis notitia siue scientia per cognitionem præmissarum, in quibus non includitur dignitas, abundè quidem habeatur.

Dices, etsi dignitatis illa præcognitio, *quòd est* immediatè non requiratur ad scientiam illius conclusionis, requiri saltem mediatè, propterea quòd illarum præmissarum notitia, in per se nota principia tandem resolui debet.

Hæc tamen responsio eo nomine refellitur, quoniam etsi prædictæ conclusionis scientia in quorundam principiorum cognitionem resoluatur; nempè quòd linea recta possit in infinitum protrahi, & quòd totum æquale sit suis partibus simul sumptis &c. non tamen apparet quâ ratione conclusio, eiusque præmissæ resolui possint in illam dignitatem; *De quolibet verum est affirmare, vel negare. Quodlibet est, vel non est.*

Et in huius confirmationem illud asserere licet, quod nullius scientiæ specialis est dignitates considerare, ut rectè nos Aristoteles admonet; ergo nulla specialis scientia de dignitatibus præcognitionem *quod est* habere poterit.

Fit satis negando quidem assumptum, & ad eius probationem dicendo præter cognitionem præmissarum requiri etiam alicuius dignitatis, habitualem præcognitionem.

Confirmatio autem falsum assumit, per dignitates intelligendo principia quæcunque indemonstrabilia. Quod si dignitatum nomine intelligendæ sint quæ prima omnia principia sunt, ut se habent illa duo. *Quodlibet est, vel non est. Nihil simul potest esse, & non esse*, seu de omni re verum est affirmare, vel negare. Non potest idem simul affirmari, & negari. Adhuc quælibet scientia specialis dici poterit dignitatibus uti, non quidem uniuersè sumptis, sed ad proprium genus contractis, in cuius consideratione scientia ipsa versatur. Sed in horum gratiam pauca quædam subijciam.

Scientiarum principia in duplici discrimine sunt, quædam eorum dicuntur incomplexa, quæ nimirum per simplices terminos significantur, ut materia, & forma in Physiologia iuxta tamen Aristoteleam doctrinam; punctum, linea, angulus &c. in Geometria, de his tamen in præsens non habetur sermo. Alia verò sunt principia complexa, quæ dignitates appellantur, & hæc bipartitò diuiduntur; siquidem dignitas gemino modo potest usurpari, primò seuerè, præsaque significatione, quo pacto est principium omninò primum, ut utrunque eorum; quæ supra retulimus nempe *quodlibet est, vel non est; nihil simul potest esse, & non esse*. Secundò accipitur laxiori quodam significatu, pro qualibet propositione per se nota, & absolutè indemonstrabili, quo sensu dignitas erit. *Quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia.* At reuerà Philosophus dum ait, de primo principio præcognoscendum esse quòd est, non videtur locutus de principijs illis absolutè primis, *quodlibet est, vel non est &c.* sed de omnibus principijs per se notis ac indemonstrabilibus, ita ut dignitatis nomen latiori quadam acceptione sumpserit ad significandam quamlibet propositionem per se notam, ac absolutè indemonstrabilem. Redeuntes igitur in orbem sermonis dicimus unamquamque scientiam, ut opportuniori loco paulo post ostendemus, dignitatibus uti, ac de ipsis præcognitiones habere non sumptis in uniuersum, sed contractis ad materiam, quam scientia illa suâ contemplatione persequitur. Vt Arithmetica dicet non contingere eundem numerum esse, & non esse, & Geometria eandem lineam esse, & non esse. Arithmetica dicet numeros, qui eidem sunt æquales inter se æquales esse; & Geometria lineas, quæ eidem sunt æquales inter se, pariter æquales esse. De principijs igitur complexis sentiendum ut dictum est. Vt omittam posse etiam intelligi in qualibet scientia dandas esse præcognitiones, *quòd est* de dignitatibus, ac primis omnino principijs, quatenus daturus operam huiusmodi scientijs, ingenio sic præditus esse debet, ut primis huiusmodi principijs probè intellectis dissentire non possit. Quamobrem de principijs, quorum in præsens consideratione detinemur, præcognoscendum *quòd est complexum*, nempe quod vera sint.

Sed alia difficultas se offert; nam præcognitio quælibet huiusmodi esse debet, ut per ipsam intellectus possit doctrinam, vel disciplinam acquirere, ut Philosophus notauit; sed præcognitio *quòd est* dignitatis hunc in modum se habere non potest, eoquòd uniuersalissima sit, proindeque talis ut nequeat nos ducere in determinatam specialis alicuius conclusionis notitiam; propterea superuacanea erit de dignitatibus huiusmodi præcognitio. Secunda difficultas

Hic paululùm hærendum est, nam difficultas non exigui momenti, quæ tametsi ex parte diluta sit consideratione eorum, quæ nuper attulimus, aliquid tamen amplius addendum, videlicet dignitatem se solâ non posse specialem scientiam parere; nam ut rectè probat argumentum, sic uniuersalis est, ut indifferens omnino sit ad quamlibet scientiam, siue ad scientiam de re qualibet comparandam; sed dignitatem contractam ad peculiarem materiam, ob id non amplius indifferentem posse. Obseruandum tamen contractionem in duplici esse discrimine, nam prima est uniuersalissimæ dignitatis ad unum, vel alterum genus, siue subiectum ab aliqua scientia consideratum, ut contractio illius dignitatis, *quæ idem sunt æqualia inter se sunt æqualia* ad quantitatem discretam consideratam ab Arithmetica, & ad quantitatem continuam, quam Geometria considerandam assumit. Et hæc dici potest contractio generica. Alia est contractio maior, quæ specialis potest appellari, per quam dignitas contrahitur ad hanc, vel illam speciem, puta, ad semidiametros circuli, ad latera trianguli &c. Dignitas ita contracta quamuis se solâ scientiam alicuius specialis conclusionis parere non possit, alteri tamen proprio adiuncta principio potest. Quomodo autem id contingat de principiorum usu in demonstrationibus verba facientes ostendemus. Maximè nanque controuersum est an commemoratæ dignitates formaliter, ut aiunt, demonstrationem ingrediantur, an illi potius opem ferant extrinsecùs tantùm. Ardua planè res est, nec facile explicatu; conabimur tamen, quid nobis videatur propius ad veritatem accedere, paucis aperire. Solutio.

Si de communissimis principijs complexis, ac dignitatibus præcognoscendum foret, *quod est complexum*, pari ratione de specialibus principijs idem asserendum foret, cum nulla possit afferri disparitatis ratio; eque enim quibuslibet ex his & dignitatibus, ad acquirendam scientiam conclusionis est opus. Consequens tamen non admittendum, eoquòd multo plu- Tertia difficultas.

res forent præcognitiones, quàm eas, quas cum Aristotele nos enumerauimus; non igitur de specialibus principijs habendum illud prænotionis genus, de quo loquimur.

Solutio. Fiet satis respondendo difficultatis propositę dissolutionem ex præcognitionis acceptione pendere; nam si præcognitio seuerè adeo sumatur, ut sola dicatur esse, qualem superiùs descripsimus, profectò præcognitiones erunt de solis communissimis illis dignitatibus, de quibus tantùm, etsi ex ipsis exemplum desumpserit Aristot. hoc loco sermonem non habet; at si præcognitio sumatur latiori quadam usurpatione, videlicet pro cognitione prœuia ad conclusionis notitiam, adeo ut hæc sine illa obtineri non possit, quemadmodum Philosophus in præsentia videtur illam sumpsisse, proculdubio accidentariò plures erunt præcognitiones, cum præcognitio de specialibus principijs, & de communissimis dignitatibus, in eo conueniant, ut omnes sint præcognitiones *quòd est complexum*, in quo formalis huius prænotionis ratio posita est.

Quarta difficultas. Ad extremum, multę sunt demonstrationes negatiuę, vel ad impossibile ducentes, in quibus nullus videtur dignitatum usus; ergo perperam dictum fuit eas ad scientiam demonstratione comparandam requiri.

Solutio; Obuiam itur negando in huiusmodi demonstrationibus nullum esse dignitatum usum, nam in negatiuis etiam, & in ducentibus ad impossibile opus est dignitatum præcognitione, & præsertim in ijs, quæ ducunt ad impossibile, quoniam demonstrationes hujusmodi, scientiam non pariunt, nisi facto processu ab oppositio conclusionis ad premissarũ, vel unius saltem ex ipsis oppositum; at in huiusmodi processu concedendum esse dignitatis usum, ac ob id eius prænotionem huic demonstrationi quidem inseruire, cuique satis manifestum est, presertim ex ijs, quæ nos docuit Philosophus particula octogesima tertia primi Posteriorum, ubi splendidè declarauit usum principij affirmatiui, quod est *de omni re verum est affirmare, vel negare*, de quo duo pronunciat, unum est quòd in demonstratione ducente ad impossibile, nos hoc utimur principio; alterum quòd non semper eo in tota sua latitudine accepto, sed contracto ad proprium scientiæ subiectum utimur, ut infra quoque dicetur.

SECTIO NONA.

De alijs spectantibus ad principiorum præcognitionem.

De quibus principijs Philosophus intelligendus. MAximè dubium est de quibus principijs Philosophus intellexerit dicens præcognoscenda esse quòd sint vera: Tametsi autem hac de re quædam obiter superiori Sectione tractauerim, nihilominus operæ pretium duxi in horum considerationem diligentiùs incumbere; & primò quid alij senserint aduertere. Prima est opinio dicentium cò tendere mentem Aristotelis, ut præcognitiones necessarias ante sequentem conclusionem explicet, ac ob id doceat præcognoscenda esse principia. Hi porrò non eodem modo loquuntur, siquidem eorum quidam existimant præcognoscenda principia omnia esse dicenda, siue demonstrationem formaliter ingrediantur, siue non, modò cognitio necessaria sit ad sequentem. Varij dicẽ di modi. Alijs autem placuit ea esse præcognoscenda principia, quę formaliter solum ingrediuntur demonstrationem, propterea quòd conclusio, quæ non demonstratur immediatè per propositiones per se notas, non requirit cognitionem illarum, cum sufficienter per præmissas suas acquiri possit.

Secunda autem est sententia eorum, quibus placuit Aristotelem esse locutum de præcognitione necessaria ad conclusionem. Hi tamen dissentiunt cum quidam arbitrentur hoc loco de dignitatibus intelligendum, quæ formaliter demonstrationem non ingrediuntur, dummodo tamen sint propositiones per se notæ, & indemonstrabiles; ut propterea quidam ex ipsis arbitrentur in scientia duas esse partes assignandas, unam videlicet, in qua priùs dignitates omnes declarentur, & in uniuersum prima illius scientiæ principia; alteram autem, in qua demonstrationes fiant. Alij crediderunt principia, de quibus oportet præcognoscere quòd vera sint, non alia esse, quàm demonstrationis præmissas, quæ formaliter demonstrationem ingrediuntur, eò quòd uniuersalis illa propositio ab Aristotele prolata. *Omnis doctrina &c.* cuius occasione præcognitiones hæ positæ sunt, videtur exposcere commemorata principia, videlicet illa, ex quibus formaliter, proximèque demonstratio contexitur. Alijs autem placuit asserere Philosophum voluisse principia utriusq; generis esse præcognoscenda. Alterũ

Asserendum hoc loco Philosophum docere præcognoscendum esse *quòd est* de principijs utriusque generis, siue nimirum formaliter ingrediantur demonstrationem, siue non, ita ut eorum præcognitio necessaria sit ad conclusionem.

Hanc autem assertionem expressam ab Aristotele, fuisse nemini dubium; siquidem primi Posteriorum initio hæc habet, ἀμφότερα δὲ διὰ προγινωσκομένων τοιούτων τὴν διδασκαλίαν ἐστί· λαμβάνοντες μὲν ὡς παρὰ ξυνιέντων. δείκνυσι δὲ τὸ καθόλου, διὰ τὸ δῆλον εἶναι τὸ καθ' ἕκαστον. *Ambæ nanque ex præcognitis docent, illæ quidem accipientes, quasi ab intelligentibus, hæverò probantes uniuersale ex eo quòd particulare est manifestum.* Loquitur autem de syllogismo, & inductione; & dum ait, *illæ quidem accipientes tanquam à cognoscentibus*, perinde est ac si dixisset à subalternantibus; at subalternatæ à subalternantibus propositiones tanquam dignitates accipiunt. Paulo autem post in exemplum affert primum principium, nempe *de quolibet verum est affirmare, vel negare quòd sit*. Manifestum igitur ipsum esse locutum de huiusmodi principiorum genere. Quod autem de præmissis etiam verba fecerit. Ex ijs, quæ paulo post ipse subdit apertè colligitur; postquam enim ipse sermonem habuit de præcognitis, & præcognitionibus, subdit Διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν· τὰ μὲν γὰρ, ὅτι ἔστι, προϋπολαμβάνειν ἀναγκαῖον. *Dupliciter autem necesse* est *præscire, nam alia quòd sint præsumere necesse* est; quod profectò ad præmissas demonstrationis referri solet; & alibi etiam etsi aliud agens, hanc veritatem expressit; ubi nimirum recognoscit duo principiorum genera, quorum unum est communium, alterum autem propriorum.

Ratio etiam efficax hanc assertionem ostendit, quoniam generis utriusque principijs utimur in demonstrando; si de communissimis enim principijs loquamur, manifestum satis in demonstrationibus eorũ esse usum; propterea quòd, ut rectè quoque Philosophus obseruauit, siue demonstratio sit ducens ad impossibile, siue sit ostensiua, communia potest adhibere principia; nam præter ea quæ generatim de omnium dignitatum usu docuerat, aliqua etiam speciatim de usu duarum amplissimarum dignitatum edisserit, quæ contradictionis principia solent appellari, quorum unum est affirmativum *De omni re verum est affirmare, vel negare*; alterum negativum. *Non potest idem simul affirmari, & negari*; nam cum cæteræ dignitates omnibus scientijs communes esse videantur; hæ duæ solæ com-

Ratio eadem

Digitized by Google

communes omnibus sunt; veluti illæ quę enti accommodentur, & cum eodem commensurantur, atque adeo eiusdem sunt amplitudinis cum ipso; ut propterea his omnes prorsus utantur disciplinę.

n. 82. De axiomate autem negatiuo disputans, duo pronunciat; unum est, quòd hoc principium in nulla sumitur demonstratione, hoc est, non exprimitur actu in demonstratione; siquidem demonstrationes virtute facultateve ipsius citra eiusdem expressionem utuntur. Alterum est quòd utantur interdum hoc principio expresso, sed tunc tantummodo, quando talis sit demonstranda conclusio, in qua huiusmodi axioma exprimitur; quod ait euenire propter aliquam aduersariorum cauillationem. Ad horum autem clariorem notitiam non ineptè notarunt interpretes multa consideratu dignissima, quę nos postea de prę-
n. 83. missis demonstrationis agentes afferemus in medium. Amplius docet usum principij affirmatiui, puta *de omni re verum est affirmare, vel negare*, de quo duo pronunciat, unum est, quòd in demonstratione ducente ad impossibile hoc principio utimur; alterum, quòd non semper eo nos utimur in tota amplitudine accepto, sed coarctato ad proprium scientię subiectum, de quibus loco proximè citato sumus acturi. Interim certum, quod probandum assumpsimus, Philosophi sententiam dicentis de principijs complexis pręcognoscendum esse, quòd est complexum, seu quòd sint vera, intelligi posse de communissimis principijs ante totum processum demonstrativum, licet in demonstratione actu non exprimantur.

De principijs autem, quę premisę sunt demonstrationis, quęque formaliter demonstrationem ipsam ingrediuntur, ita ut sint propria ipsius, adeò clarum est, ut opus probatione minimè videatur; enimverò talia principia, ut superiùs aduertimus, nisi ut vera actu pręcognoscantur, scientia virtute ipsorum comparari non potest, eòquòd hęc maximè certa esse debeat, ita ut intellectus adeo firmiter ipsi adhęreat, ut nullam de oppositio formidinem habeat; nunquam tamen ita certus erit, nisi cognoscat se notitiam illam ex ijs deduxisse premissis, quę maximè cum veritate consentiant; oportet igitur, ut talia quoque principia complexa pręcognoscat, quòd vera sint.

Et ut hęc sumatim exponam, illud adijciam, quòd principia complexa, quę sunt demonstrationis premissę, quęq; formaliter demonstrationem ingrediũtur pręcognosci debent actu, quòd vera sint, ob paulo antea rationem traditam; si autem principia fuerint communia, itemque communissima, de ipsis ita sentiendum, ut hęc omnia si non actu, saltem habitu pręcognosci debeant, quòd vera sint. Quòd si actu præcognoscantur, maximè controuersum est, an id contingat, quoniam adhibeantur tanquam demonstrationis præmissæ, veluti conclusionis causæ; an quoniam demonstrationi extrinsecùs opitulentur, de quibus paulò infrà disputandum.

tima dif. Cæterum superioribus dictis illud ab aliquo credi
ficultas. posset officere, quod non videtur quomodo ex. gratia, scientia de triangulo prout habente tres angulos æquales duobus rectis, & aliæ eiusdem ordinis propemodum infinitę, ad communissima illa principia reduci possint; quòd si ita est, hæc non erunt illa principia, de quibus oporteat prægnoscere, quòd vera sint.

lutio. Huius autem difficultatis enodatio obiter tacta superiùs, accuratam discussionem requirit, quam cum in præsentia nobis exhibere non liceat, ob id ipsam in opportuniorem locum differre iuvabit. Solùm id admonebo, conclusionis analysin, seu resolutionem ad commemorata principia eo modo fieri posse, quo eorum usus permittit, quem ex Aristotele dicebamus talem esse, ut ad subiectam materiam contrahantur. Ita quidem naturalis Philosophus non dicet; *non potest idem simul affirmari, & negari*; Sed dicet, *non potest Mundus simul unus esse, & non unus*; adeo ut hoc principio utatur tanquam ad propriam materiam contracto, non actu quidem exprimens illud, sed solum eius potestate, atque virtute utens. Sic etiam Geometra non enim hic dicet, *non potest idem simul affirmari, & negari*; sed potius, *non potest idem angulus in semicirculo esse rectus, & non esse rectus*, adeo ut non actu exprimat illud, sed ut eius potestate, atque virtute utatur.

Ita pariter de affirmatiuo principio; non enim Philosophus naturalis dicet, *de omni re verum est affirmare vel negare*; sed dicet, *oportet, vel unum esse principium rerum naturæ constantium, vel non unum, atque adeo plura*. Ita quoque Geometra, non enim dicet; *de omni re verum est affirmare vel negare*; sed dicet; *oportet triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, vel non habere*.

Illud etiam aliquid negotij videtur exhibere, quòd non rarò usu venit, ut scientiam quispiam assequatur, etiamsi de huiusmodi principijs prægnitionem *quòd est* nullam unquam habuerit; quotus enim quisque est, qui Arithmeticam, Geometriam, cæteraque Matheseos partes egregiè teneat, etsi nunquam de communissimis hisce principijs cogitauerit? Quòd si ita est, non videtur asserendum, ad scientiam acquirendam demonstrationis præsidio, prægnitionem *quòd est*, de commemoratis principijs necessariam esse. Secunda difficultas

Si memoriâ teneas, quæ paulo antea notaui, nullo negotio comperies difficultatem propositam emolliri; nam dictum non semel fuit communissima illa principia prægnoscenda *quòd sint vera*; non actu, sed habitu; seu implicitè ut dici solet. Solutio.

Potest igitur quispiam in scientijs, non solùm aliquam delibare notitiam, & velut illas, è primo limine salutare, sed etiam in ijsdem longè quidem procedere, quanuis actu huiusmodi principia forsan animo nunquam euoluerit; non tamen, quia habitu ac implicitè illa cognouerit, quatenus, dum exempligratia, cognoscit triangulum in semicirculo rectangulum esse, cognoscit implicitè, & est ad cognoscendum dispositus (quod est habitu cognoscere) triangulum illud aut esse rectangulum, aut non esse rectangulum, nec simul esse posse rectangulum, & non esse rectangulum. Hæc autem latius de principiorum usu disputantes, persequemur.

SECTIO DECIMA.

De Prægnitione passionis, vel affectionis.

PAssionis, vel affectionis nomine debet in præsentiarum intelligi seuerè loquendo, quicquid subiecti naturam comitatur, ita ut ab ea dici possit profluere, seu dimanare, proindeque sit accidens eius quarto modo proprium; dici etiam solet proprietas, & attributum; quicquid autem sit de nomine, considerandum est, quo nam pacto debeat passio prægnosci, & ut à certis ducatur initium. Quid passionis nomine prò. priè intelligendum.

Asserendum de passione prægnosci non debere. *Quòd sit complexum*. Assertio prima.

Hoc adeo certum, ut nihil supra, propterea quòd hoc prægnitionis genere prægnosci non possunt quæ simplicia sunt, cum sit complexorum propria, nam prægnoscere. *Quòd sit complexum* est prægnoscere, Ratione probatur.

scere, quod verum sit id, quod præcognoscitur, & quidem veritate determinatâ; hoc autem modo præcognosci non possunt nisi, quæ sunt complexa, quamobrem præcognosci præcognitione, de qua loquimur non possunt nisi quæ complexa sunt; at affectio, sive passio non est è complexorum numero, quin potius inter simplicia debet recenseri, complexa siquidem per integras enunciationes, at affectiones, sive passiones &c. per simplices terminos significantur, ut omne animal rationis particeps est risibile *complexum est*, sed risibilitas simplex est quidpiam; illius est proprium præcognosci præcognitione *Quod est complexum*, huius autem non item; quoniam conuenit illi determinata veritas, huic autem non conuenit.

Assertio secunda. Asserendum insuper de passione non esse præcognoscendum *Quid rei*.

Ratione probatur. Hoc mihi persuadeo ex eo, quòd in definitione passionis adhibetur subiectum; passio nanque dicitur definiri definitione traditâ per additamentum, quatenus ad illam explicandam assumimus aliquid externum non faciens intrinsecùs ad constitutionem ipsius, quod certè aliud non est, quàm subiectum, proinde in eius definitione, atque adeo in præcognitione *Quid rei* inuolueretur inhærentia ipsius in subiecto, quod est absurdum, hæc enim demonstratione concluditur; cùm eò solùm demonstratio tendat, quando demonstratio sit *propter quid*, ut passionem per propriam causam ostendat subiecto inesse; non igitur passio præcognitione *Quid rei*, debet præcognosci.

Accedit, quòd definitio passionis haberi non potest, nisi per demonstrationem, cum definitio eius sit illâ, quæ demonstratio positione differens, appellatur.

Assertio tertia. Asserendum præterea de passione præcognoscendum esse *Quid nominis*. Hoc expressum est apud Aristotelem cò quòd de passione loquens hisce verbis utatur. 1. Post. tex 2. τὰ δὲ, τί τὸ λεγόμενον ἐστὶ, ξυνιέναι δεῖ. *Alia verò, quid est, quod dicitur, intelligere oportet*. Sed ibi fortè non assignat demonstrationis partes, cum tantùm de præcognitionibus, modisque præcognoscendi sermonem habens, exemplis propositum illustrare conetur.

Potius alibi veritatem hanc luculenter expressit, ubi docet non omne quod præcognoscitur principium esse, sive non ex utralibet præcognitione aliquid vocari principium, sed ex præcognitione *quòd sit*, non autem ex præcognitione *quid significet*; quoniam scilicet affectiones omnes præcognoscuntur quid significent, nec minus, quàm principia, & nihilominus inter principia recenseri non possunt, cum quærantur, ac demonstrentur, quòd sint; nam rectè ait. 1 Post. tex. 73. & sequentibus, Λέγω δ' ἀρχὰς ἐν ἑκάστῳ γένει τούτας ἃς, ὅ, τι ἐστὶ, μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι. *Dico autem principia in singulo genere hæc, quæ quòd sint non contingit monstrare*. At tam de subiecto, quàm de affectione præcognoscendum quid nominis, docet sequentibus verbis. Τί μὲν οὖν σημαίνει καὶ τὰ πρῶτα, καὶ τὰ ἐκ τούτων, λαμβάνεται. *Quid igitur significant & prima, & quæ ex his* concluduntur, *accipitur*. Per illa enim verba καὶ τὰ ἐκ τούτων, λαμβάνεται; *& quæ ex his accipitur*, intelligit affectiones, cum per illa antecedentia verba τὰ πρῶτα, *principia*, intellexisset subiecta, nam hæc principia scientiæ eorum esse, opportuno loco ostendam; principij tamen nomine latissimè accepto, pro omni eo, quòd non demonstratur quòd sit, sed præcognoscitur.

Quorundam ratio Ratio autem ex multorum interpretum sententia in promptu est, quoniam hæc omnium est prima præsuppositio, ita ut non possit de aliquo ulla proponi quæstio, nec quæri medium ad probandum, ut ei satisfiat, nisi saltem confuso modo cognoscatur quid per prædicati nomen intelligendum sit.

Omnis enim quæstio duplici parte constat, quarum una dicitur prædicatum, quod à Latinis *Passio*, à Græcis *Quæsitum* dicitur, quodque demonstrandum de altera parte proponitur, quam Latini *Subiectum*, Græci *Datum* appellant, ut in quæstione *An mundus sit ab æterno*; æternum est quęsitum; mundus autem est datum, non potest autem proponi quæstio, nec inueniri medium ad probandum quod probari debet, nisi quid per quæsiti nomen intelligatur; ut in superiori exemplo oportet probè cognoscere quid sibi velit æternum esse.

Hæc tamen doctrina mihi parum arridet; non enim benè colligitur debere præcognosci conclusionis extrema, atque adeo subiectum & passionem, quoniam conclusio antea sub forma Problematis proponitur; non rarò siquidem usu venit, ut colligatur conclusio, quantumuis de ipsa nunquam ante demonstrationem, per quam colligitur, in mente cogitatio præcesserit. Quod in Mathematicis disciplinis manifestum est; in his enim sæpesępiùs accidit, ut demonstrando colligamus aliquid, de quo nunquam cogitauimus; quando tamen proprio marte scientiam comparamus. Ratio igitur non ea est, quam plerique interpretum existimant; sed quia vel propolita sit antea conclusio per modum Problematis, vel solùm ex abruto vi demonstrationis à principijs deducta sit; tam quid subiecti, quàm, quid prædicati, hoc est, affectionis nomen præcognoscendum est, nempe præhabere in mente conceptum oportet, quid per demonstrationem subiecto conuenire concludimus. Refelli

Solet autem in controuersiam vocari an hæc præcognitio sufficiat, an requiratur præterea, ut præcognoscatur præcognitione, *quod est incomplexum*, nempe *quòd existat*. Multa hoc loco tractant interpretes, sed nos paucis contenti, quid nobis magis probetur, breuiter afferemus. An præcognitio quod ... minis ... fectioni sufficiat

Asserendum primò, quandocunque nobis propositum est inquirere *propter quid*, passionis existentiam supponi. Assert prima.

Quæstio siquidem id omnino requirit; nam palam tunc passionem inesse subiecto, sed hoc est passionem existere; propterea tunc manifestum est passionem esse, proindeque præcognosci quòd ipsa sit; at verò cum quærimus *propter quid* apertè constare passionem inesse, nemini dubium; non enim causam quæreremus nisi nobis id perspectum foret; ideo enim exempli gratia, quærimus causam, cur Luna eclipsetur, quia nobis est manifestum aliquando ipsam luminis defectum pati; quærimus etiam causam cur Magnes ferrum trahat, quia quotidie cernimus id euenire; quando igitur *propter quid* nos quærimus, præcognoscimus passionem esse. Immò ex hoc homines cęperunt philosophari, cum enim aduerterent affectiones rebus inesse, admiratione capti, cęperunt causas inquirere, rati non alia viâ, quàm inuentione causarum admirationis molestiam abijci. Ratio laudatur

Asserendum secundò in demonstratione *quia* præcognosci passionis existentiam, seu *quòd ipsa sit*. Assert secunda

Passio enim tunc est medium ad inueniendam causam, necesse propterea est, ut ipsa præcognoscatur existere, ita quidem contingit quando nos ex cognitione ecclipsęos Lunaris, quam oculis usurpamus, in comprehensionem causæ deuenimus, tunc enim de Ecclipsi prædicta nos præcognoscimus *quòd sit*. Ratio laudatur

Neque dicas tunc passionem non præsupponi prout huiusmodi, sed sub ratione medij. Hoc enim inconsideratè dicitur, quandoquidem prius, ut passio, deinde

Digitized by Google

de ut medium cognosci debet; Quinimò non alia ratione tanquam medium adhibetur, nisi quoniam affectio pro ut huiusmodi percepta quidem à nobis fuit.

Assertio. Asserendum denique sæpesæpius contingere, ut ad aliquam demonstrationem efformandam non præcognoscatur, *Quòd est* passionis.

Ratione probatur. Hoc voluisse Philosophum perspicuè constat, dum de demonstratione loquebatur, quâ propria passio de subiecto per propriam causam ostenditur. Et ex eo mihi certum, quia sæpe sæpius accidit ut per demonstrationem ostensiuam passio de subiecto probetur, quam fortassis nemo sibi poterit persuasum habere dari in natura rerum, antequam per demonstrationem concluſa sit. Vt ex. gra. putabit aliquis quadratum lateris subsendentis angulum rectum in triangulo rectangulo, æquale non esse quadratis simul sumptis laterum circa rectum, quoad per medium proprium ei demonstratum fuerit. Quando igitur passionis existentia reuocatur in dubium, & nihilominus de subiecto demonstratur; tum de passione tantùm præcognoscendum *Quid nominis*, non autem *Quod sit*.

Et certè in huiusmodi demonstratione non est necesse præcognosci *Quòd sit*, si quidem hoc est quæsitum quod per demonstrationem suscipitur ostendendum, esse enim passionis est inesse subiecto, sed inesse subiecto passionem, per demonstrationem ostenditur; ergo esse passionis, est quod assumitur demonstrandum; quòd si ita est præcognosci non debet, nam si præcognitum foret passionem esse, foret etiam præcognitum ipsam subiecto inesse, quamobrem id suscipere demonstrandum, labor inanis esset.

Prima difficultas. Posset tamen quispiam obijcere hunc in modum. Nihil prohibet quominus cognoscamus passionem alicui subiecto inesse; dubitemus tamen an alteri insit, quo posito præcognoscetur de illa passione, quòd existat, & dabitur adhuc quæstioni locus, an alteri conueniat, de quo per demonstrationem sit ostendendum. Propterea de passione præcognitum erit *Quòd sit*, respectu demonstrationis, qua alteri subiecto conuenire ostenditur.

Solutio. Non absolutè, sed necessariò id fieri debere est inficiandum, ut ex hactenus disputatis perspicuum est, quandoquidem in demonstratione potissima tali non est opus præcognitione, cùm quod est passionis per huiusmodi demonstrationem concludatur, per ipsam enim ostenditur subiecto passionem inesse, in quo esse passionis, velut accidentis positum est. Nam rectè Philosophus notauit, τὰ δ' ἄλλα λέγεται ὄντα, τῷ τὰ μὲν ὄντος ὄντος, τὰ δὲ ποσότητας εἶναι, τὰ δὲ ποιότητας, τὰ δὲ πάθη, τὰ δὲ ἄλλό τι τοιοῦτον. *Cætera verò entia dicuntur, eo quòd entis propriè dicti quædam sunt quantitates, quædam qualitates, quædam passiones, quædam aliquid aliud tale.* Illud etiam addendum quòd huiusmodi demonstratio recusat fieri, quod in argumento supponitur, quoniam passio, quæ de subiecto per demonstrationem potissimam ostenditur, conuenit omni soli, & semper; idcirco in uno, & non in alio subiecto præcognosci non potest.

Diuin. in 2. Secunda difficultas. Amplius eatenus de subiecto præcognoscendum *Quòd est*, quoniam ut sit cum alio, scilicet passione coniunctum supponendum est esse; sed eadem ratio pro passione militat; ergo de passione præcognoscendum erit *Quòd est*.

Confirma. Et in confirmationem illud accedat, quod de passione atque adeo de esse ipsius præcognoscitur *Quid est*; ergo præcognosci etiam debet *Quòd est*, optima consecutio, nam *quid est* præsupponit *Quod est*, eo quòd non entis nulla est definitio, seu de non ente non datur *Quid est*.

Solutio. Respondendum de subiecto & affectione, quod pertinet ad præcognitionem *Quòd est* propter latam disparitatem non idem esse sentiendum; propterea quòd subiectum, est veluti basius totius demonstrationis, estque id, quod scientię substernitur, ob id præcognosci debet ipsum existere, sensu tamen infra explicando.

Disparitas inter subiectum, & passionem. Accedit quòd de subiecto suscipitur demonstrandum tale esse, siue aliquod esse determinatum, sed huiusmodi esse supponit esse simpliciter; ergo supponendum est subiectum habere esse simpliciter, & idcirco subiectum præcognosci debebit præcognitione *Quòd est*; at de passione hoc non licet asserere, cum esse simpliciter ipsius sit subiecto inesse, quod ut paulo antea dicebatur, in demonstratione potissima, (de hac enim loquimur) præsupponi non potest, cum per ipsam concludatur; ad hoc igitur præcognitionis genus, quod attinet, de subiecto, & affectione ratio non eadem. Et hæc locum habent etiam in demonstratione *Quia*, quando nempe substantia de accidente prædicatur; tunc enim ex modo quærendi passio subiecti munere fungitur, & ideo supponitur esse simpliciter, & quæritur de ipsa esse determinatum; at verò de substantia, quæ est prædicatum, præsupponitur *Quid nominis* tantùm, eò quòd passionis locum obtinet; ut si quæreretur *an admiratiuum sit homo*. Quin intelligi etiam potest in uniuersum, cum de passione videlicet subiectum enunciatur in concreto tamen accepta, ut si proponatur *An habens tres angulos duobus rectis, sit triangulum*.

Confirmationi occurritur. Confirmationi autem fit satis respondendo verum id esse de definitione *Quid rei*, hæc enim præsupponit *Quòd est*, sensu paulo infra declarando, non autem de definitione *quid nominis*.

Tertia difficultas. Acriùs tamen alij sic argumentantur. Quandocunque in maiori propositione necesse sit cognoscere passionem cum sua causa uniri, necesse quoque erit ante conclusionem inferendam præcognoscere de passione *Quòd sit*; sed in potissima demonstratione saltem, hoc necessariò euenit; ergo in demonstratione potissima ad inferendam conclusionem necesse quidem erit de passione præcognoscere *quòd sit*; minor clara est, maiorem autem ostendunt, eo quòd nequit res ipsâ aliquid unitum esse cum altero, nisi pariter re ipsâ sit.

Quorundam respõsio. Communis responsio est tunc de passione non præcognosci *an sit*, quia licet præcognoscatur in præmissis, id tamen non contingit ex parte passionis, sed præmissarum quę debent conclusionis extrema continere.

Aliorum responsio. Nonnulli respondent tunc in præmissis cognosci connexionem passionis cum causa, non autem existentiam passionis. Hoc tamen insulsè dicitur non enim fieri potest, ut cognoscatur unum altero non cognito; eo enim modo, quo connexa sunt, eo etiam vel actu, vel potestate cognoscuntur existere. Retellitur

Vera solutio. Rectiùs tamen occurritur dicendo numerari hoc loco præcognita, ut distinctis præcognitionibus præcognoscuntur; passio autem ut præcognoscitur existere in præcognitione principiorum continetur, quod euenit quando præcognoscitur unita cum causa, ita ut ad præcognitionem principij pertineat; non autem in præcognitione passionis, quatenus hęc distinctum est præcognitum à præmissis, siue principijs, quoniam hoc modo sat est ante præmissas, ut de ipsa præcognoscatur *quid nominis*.

Confutatio. Dices hinc secuturum præcognitionem hanc, de qua loquimur sic reuocari ad præcognitionem principiorum, ut antea de passione nullo modo habeatur præcognitio *quòd sit*; hoc tamen esse falsum distitebi-

tur

tur nemo, cùm satis apertè constet antequam fiat propositio, debere terminos cognosci, ut inuicem connecti possint.

Respon. Neque hoc mihi molestum est, enim verò, cum dicimus ad inferendam conclusionem per demonstrationem potissimam, de passione non esse præcognoscendum *quod sit*, non sic intelligendum, quasi antea integram demonstrationem nulla possit haberi cognitio de existentia passionis, siquidem sat est, ut non præcognoscatur quatenus inexistens subiecto, seu quatenus esse ipsius per demonstrationem concluditur. Licet igitur ante completam notitiam conclusionis, quâ passio de subiecto demonstratur, cognosci debeat passionem esse, eo quòd illam esse in præmissis includitur, præmissæ verò priùs tempore, vel naturâ cognoscendæ sint, quàm conclusio, immò è quorundam sententia ad cognoscendam aliquam præmissarum præhabenda sit aliqua cognitio de existentia passionis, cum hæc tanquam maior extremitas de medio prædicetur; hæc tamen non est præcognitio *quòd est* de qua Philosophus verba fecit, quando dixit ad inferendam conclusionem per demonstrationem potissimam de passione non esse præcognoscendum *quòd est*, sed tantùm *quid nominis*; denegat enim affectioni præcognosci *quòd sit*, prout per demonstrationem concluditur, non autem aliâ ratione, quæ certè non deest; nam etsi esse passionis sit subiecto inesse, quod per demonstrationem concluditur, hoc tamen est inesse per causam, cui quidem inesse passionem præcognosci nihil prohibet: immò necessarium est, & necessarium etiam è quorundam placito antea præmissam existentiam passionis cognosci; quanuis hoc minimè necessarium videatur: quoniam ad connectendos terminos non est opus cognoscere seorsum eorum significata existere, quin potius tunc maximè cognosci possunt existere, quando inuicem esse connexa cognoscuntur.

Instantia. Sed aduersus hæc instabit aliquis. Contingit de affectione cognosci *quòd sit* seorsum à subiecto, nempe duos angulos rectos, æquales esse tribus angulis, vel omnibus acutis, vel uni obtuso, & acutis duobus, nullâ habitâ consideratione trianguli, vel medij, siue causæ, per quam potissimâ demonstratione passionem illam triangulo conuenire ostendimus; ergo de passione poterit præcognosci *quòd sit* ante quam fiat propositio in qua passio tanquam maior extremitas de medio, siue causa prædicatur. Non solum igitur in aliquibus demonstrationibus, de quibus meminimus, sed in omnibus, atque adeo in potissima usuueniet, ut de passione cognoscatur *quod sit* ante totum processum demonstrativum, & ante præmissas. Cognosci autem posse duos angulos rectos æquales esse tribus angulis &c. seorsum à triangulo, neminem præterit; nam si ex puncto rectæ lineæ perpendicularis excitetur, duo fient anguli recti; ex eodem autem puncto ad easdem partes duabus ductis rectis, fient tres anguli, quibus illi duo recti æquales erunt.

Difficultatem hanc apud neminem inueni, ei tamen satisfieri crediderim dicendo passionem hoc genere prænotionis præcognosci; vel absolutè, & hoc non repugnare, ut allata probat instantia; vel ut passionem, & hoc repugnare, de quo Philosophus intelligendus, quando dixit de passione præcognoscendum tantùm *quid nominis*, hoc enim in omnibus demonstrationibus locum habet, non autem *quòd sit*, in demonstratione potissima, iuxta tamen secundum iam declaratum considerationis modum.

Quarta difficultas Præmimur etiam aliâ difficultate, cui faciendum satis, est autem huiusmodi. Illud præcognoscendum est esse, cuius causam per demonstrationem quærimus; sed per demonstrationem quærimus causam propter quam passio subiecto inest; ergo passionem esse, debet à nobis præcognosci; minor est certa, si tamen habeatur sermo de demonstratione, de qua Philosophus locutus est. Maiorem probant, ex eo quia frustra quæreremus causam, propter quam passio subiecto inhæret, nisi illam esse supponeremus.

Confirmatio. Confirmatur etiam, quoniam si hoc non foret verum, id maximè propter illam rationem, quia nimirum passionem esse, est eam inesse subiecto, cum sit accidens; sed passionem inesse subiecto concluditur per demonstrationem; quare præcognosci non debet. Hæc tamen ratio nihil concludit, nam etsi naturæ sagaciores interpretes Lunæ defectionem sensibus perciperent, proindeque de huiusmodi affectione Lunæ *quòd est*, cognoscerent, causam tamen inuestigarunt, quâ concluderent passionem illam inesse Lunæ.

Solutio. Solutio patet ex hactenus explicatis; solùm enim argumentum probat ante completam notitiam conclusionis, in qua passio de subiecto enunciatur ratione causæ, per quam demonstratio processit, passionem præcognosci, eoquòd illam esse in præmissis includitur, præmissæ vero priùs tempore, vel naturâ cognosci debent, quàm conclusio.

Confirmationi quoque fit satis ex hactenus traditis, ex ijs enim constat per eam probari duntaxat dari aliquam demonstrationem, quâ passio de subiecto proprio ostenditur, & nihilominus ante demonstrationem ipsam dari de passione cognitionem *quòd est*, quod non negauimus; ita tamen, ut per demonstrationem *quòd est* passionis, longè perfectiùs, quàm sine demonstratione cognoscamus; ut si quis intuendo Lunæ deliquium cognoscat Lunæ hanc affectionem inesse, deinde verò causam assequatur; longè perfectiùs cognoscet *quòd est* de tali passione, causam assecutus, quàm antea cognouisset.

Confirmatio occurritur.

Quia difficultas. Amplius videtur de passione præcognoscendum *quòd sit* eâ ratione, quoniam non minus est inconueniens assumere demonstrandam passionem impossibilem de subiecto possibili, quàm passionem possibilem, de subiecto impossibili; sed huius euitandi gratia statuitur de subiecto præcognoscendum esse *quòd est*; ergo eâdem præcognitione dicendum passionem præcognosci debere.

Confirmatio. Confirmatur etiam, quoniam passio cognoscitur in medio termino existere, cum in præmissarum altera de illo prædicetur, & nequeat præmissa vera iudicari, quin prædicatum cognoscatur inesse subiecto; cognoscendum igitur de passione in progressu demonstrationis *quòd sit*.

Solutio. Obuiam itur respondendo non eandem esse rationem de subiecto, & affectione; nam ad veritatem conclusionis demonstratæ, necesse quidem est tam subiectum, quàm passionem esse, sed cùm hoc de subiecto quærendum non sit, quin præsupponendum sensu paulò infra explicando, idipsum autem de passione quæratur, cum hoc per demonstrationem sit concludendum; sequitur passionem huiusmodi prænotione præcognosci non posse, proindeque de subiecto, & affectione rationem esse diuersam.

Dices solutionem hanc nullam esse, quoniam Aristotelis testimonio, cum scimus hoc illud esse, ideſt, passionem esse in subiecto, tunc *propter quid sit*, quærimus; supponitur igitur in demonstratione *propter quid*, de qua in præsentia loquimur, passionem esse.

Solutio. Sed ex dictis iam patet huius obiectionis enodatio; diximus enim non in omni demonstratione *propter quid* necessariò præcognosci prædicatum inesse subiecto,

Quia difficultas. Di tas p cup ma solu

Digitized by Google

cio, cum semel demonstretur simul utrunque, sed duntaxat id aliquando contingere. Hoc autem est, quod Philosophus de quæstionibus disputans affirmare voluit, cum hic solùm doceat necessarias tantummodo prænotiones, è quarum numero est de passione præcognitio *quid nominis*.

Confirmationi autem occurritur respondendo passionem gemino modo considerari, primò, ut res quædam est: secundò formaliter ut passio; ut autem existat priori modo sumpta, sat est esse in quolibet, atque adeo in medio; ut autem existat secundo modo debet esse in proprio subiecto; cum autem ante conclusionem contingat, ut non cognoscatur esse in proprio subiecto, sed in medio, tunc dici non potest præcognosci ut passio, propterea verum erit, quandoque contingere, ut de passione solùm præcognoscatur *quid nominis*, non autem *quòd est*.

Dices. Vt subiectum cognoscatur esse, non oportet ipsum cognosci, ut passionis subiectum, sed satis absolutè cognosci; ergo ut passio cognoscatur esse, sat erit absolutè cognosci, licet non in proprio subiecto.

Dispar tamen est ratio, quoniam esse subiecti non ita pendet à passione, ut esse passionis à subiecto; est enim subiectum naturâ prius ipsâ passione; cum itaque cognitio sequatur esse rei, non inconsultò dicitur subiectum sine ordine ad passionem cognosci, non autem vicissim.

SECTIO DECIMAPRIMA.

De subiecti Præcognitionibus.

SEquitur de subiecti præcognitionibus disputandum, ut rem paucis absoluam, duas assertiones in medium proferam.

Asserendum primò de subiecto præcognoscendum esse *quid sit*.

Sed in huius gratiam reuocandum ad memoriam geminam esse præcognitionem *quid sit*, quarum una dicitur *quid nominis*, altera autem *quid rei*, de utraque autem nostram assertionem intelligendam volumus; licet non necessariò, & semper sit præcognoscendum *quid rei*, ut mox intelliges. Quod attinet ad præcognitionem *quid nominis*; manifestum est; & id etiam Aristotelem docuisse nemini dubium, cùm diceret. Τὶ δ' ὄνομα σημαίνει καὶ τὰ ὅρους, καὶ τὰ ἐκ τούτων, λαμβάνεται. *Quid igitur significant & prima, & quæ ex his*, concluduntur, *accipitur*. Per vocabulum enim ὅρους, subiecta intellexit. De subiecto igitur, ex Aristotelis placito, præcognoscendum quid nominis, dicit enim quid significet, significare autem ad nomen pertinet.

Controuersum est autem, num de subiecto præcognoscendum sit *Quid rei*.

Asserendum tamen de subiecto non esse præcognoscendum necessariò *Quid rei*.

Hoc autem Philosophum voluisse nemini quidem ambigendum, nam loco super laudato, dicendo esse de eo præcognoscendum *Quid sit* non intelligit essentialem definitionem, quam *Quid rei* appellare consueuerunt, sed nominis significationem, quæ *Quid nominis* dici solet; quod ex eius verbis manifestè colligitur; non enim dicit esse præcognoscendum *Quid sit*, hoc enim loquendi genere definitionem pariter essentialem significare potuisset; sed dicit *Quid significet*, perspicuum autem significationem ad nomen, non ad rem pertinere.

Hæc porrò non sic accipias velim, quasi putem nullatenus de subiecto præcognosci posse *Quid rei*, sed potius ut credam hoc necessariam non esse, benè tamen plerunque contingere, quando nimirum demonstratio potissima sit; tunc enim hoc genere præcognitionis præcognoscendum esse subiectum, nemo diffitebitur, si non nihil aduertat cuiusmodi hæc debeat esse demonstratio; facilè nanque compiet eam esse talem, ut eius medium sit definitio subiecti; quod sit ita est, quis adeo rudis, ac indisertus, cui luce clarius non sit ad huiusmodi demonstrationem prænotione *Quid rei* subiectum debere esse præcognitum? Non igitur hæc subiecto denegandæ omnino præcognitio, quamuis sæpesæpius usu veniat, ut ipsa non requiratur.

Quòd autem Philosophus præcognitione tantùm *Quid nominis* contentus fuerit, nihil est, quoniam is duntaxat præcognitionem illam præ oculis habendam existimauit, quæ ad omnem demonstrationem necessariò requiritur, qualis est præcognitio *Quid nominis* de subiecto.

Sed aduersus hæc sic obijcies. Quod de subiecto quæritur, haud benè de ipso dicitur præcognoscendum; sed *Quid est*, de subiecto quæritur, ut propterea Stagirites pluribus præceptionibus nos docuerit methodum ad subiecti definitionem elaborandam, atque adeo ad eiusdem *Quid est* inuestigandum; de subiecto igitur non erit *Quid est* præcognoscendum. Difficultas

Hoc etiam inde confirmatum redditur, quoniam in scientia, quam nos propriâ comparamus industriâ non indigemus de subiecto præcognitione *Quid est*; non enim repugnat nos mentis conceptibus inuestigare causam, unde habeat Luna, ut Lumine deficiat, quanuis hic terminus *Luna* quid sibi velit, ignoremus. Confirmatio.

Hæc tamen superiori doctrinæ non officiunt, cùm solùm probent haud semper de subiecto nobis præcognoscendum *Quid rei*, hoc enim ultrò concedimus. Solutio.

Ad Confirmationem autem quid respondendum patet ex alibi traditis; responsio autem in eo posita est, quòd duplex sit *Quid nominis*, quoddam enim est, *Quid est*, quod dicitur, quoddam *Quid est*, quod sentitur, ad quorum intelligentiam illud facit, quòd sicut terminorum significantium subiectum, aut affectionem, quidam sunt mentales conceptus, quidam verò externa signa conceptibus illis respondentia, ut voces, vel scripturæ &c. sic etiam præcognitio *Quid est* subiecti vel affectionis, quædam est rei simplex apprehensio, simplici conceptu illam significante: quædam verò est cognitio, quâ scitur referri signum aliquod externum è supradictis, vel aliud simile in eius significatum. Iam superiùs docuimus in demonstrationibus proprio marte confectis, requiri de subiecto præcognitionem *Quid nominis*, vel *quod dicitur*, vel *quod sentitur*, prout enim consistunt in conceptibus mentis requiritur præcognitio *Quid nominis*, *quod dicitur*, ut autem consistunt in vocibus, vel scriptis, requiritur *præcognitio*, *quod sentitur*. Confirmationi fit satis.

Maxima est controuersia de præcognitione *quòd sit*, adeòut nulla maioribus difficultatibus agitata videatur. Altera de subiecto controuersia.

Asserendum est demonstrationis subiectum præcognoscendum esse *quòd sit*. Assertio.

Aduerte tamen assertionem intelligendam esse de præcognitione *quòd sit incomplexum*, nam præcognitio *quòd sit complexum*, adeo est principiorum complexorum propria, ut nunquam in subiectum, vel affectionem cadat. Adnotatio

Assertionem autem sic intellectam Aristoteli placuisse nemo ibit inficias, diligenter aduertens verba illa. Λέγω δ' ἀρχὰς ἐν ἑκάστῳ γένει ταύτας, ἂς, ὅ, τι ἐστὶ, μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι. *Dico autem principia in singulo genere, hæc,* Aristotelis auctoritate probatur. 1. Post. tex. 73.

Digitized by Google

hæc, quæ, quod sint non contingit monstrare. Quis hinc non intelliget ad aures Aristotelis esse, quod assertione concluſimus, nimirum de ſubiecto prꝛecognoſcendum, *quòd ſit incomplexum?* ſi nanque cognoſcendum ipſum ſubiectum in ſcientia, & illud in hac oſtendi non poteſt; mihi ſatis eſt exploratum illud eſse prꝛecognoſcendum *quòd ſit*.

Cõprobatur iterum Ariſtotelis auctoritate.

Et inde quoque colligitur Ariſtotelis hanc fuiſſe ſententiam, quoniam docuerat geminam eſſe præcognitionem, nempe *Quid ſit*, & *Quod ſit*, ea verò quę præcognoſcuntur eſſe tria, ſæpeſæpius commemorata, nempe ſubiectum, affectionem, & principia, manifeſtum autem ex paulo antea diſputatis non poſſe de complexis principijs, immò nec de affectione in demonſtratione potiſſima præcognoſci *Quòd ſit incomplexum*; ſupereſt igitur, ut ſolùm de ſubiecto præcognitio, de qua loquimur, haberi poſſit.

1. Poſt. tex. 2.

Eadem etiam aſſertio ex Ariſtotele colligitur; nam particulâ trigeſima tertia ſecundi Poſteriorum, docet ex eo quòd de aliquo præcognoſcatur *quid rei*, meritò deduci præcognoſci *quòd ſit*; at de ſubiecto ſaltem in demonſtratione potiſſima, præcognoſcendum *quid rei*; proinde in eadem præcognoſcendum erit, quòd ſit &c.

Ratione ſuadetur; Prima ratio.

Ratione quoque ſuadetur aſſertio, quoniam ſubiectum, ut paulò antea notaui, eſt veluti baſis, ac fundamentum, cui tota innititur demonſtratio, eſt itidem id, quod ſcientię ſubſternitur; idcircò neceſse eſt ipſum prꝛeſupponi, & prꝛecognitione *quòd eſt* prꝛecognoſci.

Secunda ratio.

Prꝛeterea niſi ante quamlibet demonſtrationem, quâ propria paſſio de ſubiecto *propter quid* demonſtratur, de ipſo ſubiecto prꝛecognoſceremus *quòd eſt*, fruſtra demonſtrandum aſsumeremus illi conuenire paſſionem; ei ſiquidem quod non eſt, nihil re ipsâ poteſt competere.

Prima cõ ſideratio.

Aduertendum tamen ſuprapoſitam concluſionem intelligendam eſse, quando quęſtio non ſit de ipſa exiſtentia; ut cum quꝛerimus, an Deus exiſtat, tunc enim de ſubiecto repugnat prꝛecognoſci, *quòd ſit*, cum hoc in controuerſiam vocetur, & intelligendam non de actuali, ſed poſſibili exiſtentia; ſcientia nanque actualem exiſtentiam negligit, cum ab ea prꝛeſcindat, niſi quæſtio de ipſa ſit exiſtentia, actuali ſi ſit de primo ente, aptitudinali; ſi de cæteris.

Prima difficultas.

Superior tamen aſſertio plurimis urgetur difficultatibus, quarum præcipua videtur in eo poſita, quòd de multis acquiritur ſcientia demonſtratiua, tanquam de ſubiectis, quorum nullum eſt in rerum natura; ergo de ſubiecto non erit præcognoſcendum *Quòd ſit*, cum de prædictis hoc præcognitionis genus haberi non poſſit. Aſſumptum autem ex eo patet, quoniam hyemali tempore habetur ſcientia de roſa, tunc non exiſtente; item de Luna ut ſubeunte luminis defectionem; ſic etiam habetur ſcientia de aliquo effectu ex. gra. de ſterilitate ex nimia pluvia, vel calore, cum tamen quando eſt demonſtratio, neque ſit pluvia, neque calor; quandocunque autem de aliquo non exiſtente poſſit haberi ſcientia, non erit opus, ut de ſubiecto præcognoſcatur *Quòd ſit*; quod enim non eſt, non poteſt huiuſmodi prænotione præcognoſci; ſed de roſa non exiſtente hyemali tempore, de Luna, pluvia &c. poteſt haberi ſcientia; ergo non erit opus ad ſcientiam comparandam præcognoſcere de ſubiecto *Quòd ſit*, proindeque nec ad demonſtrationem, cum hîc ſermo ſit de ſcientia demonſtratiua, hoc eſt de ſcientia ſeuerè accepta. Quæ autem de roſa dixi non exiſtente, & de pluvia, intelligenda ſunt de Luna ut ſubeunte eccliſim, de grandine, tonituo, fulgure, terrꝛemotu, aliſque ſimilibus, de quibus omni tempore poteſt ſcientia comparari.

Confirmari etiam poteſt ex eo, quòd Philoſophus probat locum eſſe, quemadmodum, & tempus, immò & primum Motorem, de quibus tamen tanquam de ſubiectis diſputat; non igitur de ſubiecto præcognoſci debet *Quòd ſit*; non enim poteſt præcognoſci de aliquo *Quòd ſit*, quando de ipſo quæritur *an ſit*. Cõfirmatio.

Ad hanc diluendum difficultatem multi, multa dixerunt, eorum tamen ambigibus prætermiſſis, fiet ſatis reſpondendo, cum dicimus eſse præcognoſcendum de ſubiecto *Quòd ſit*, loquendo de demonſtratione oſtenſiua, & affirmatiua, quâ propria paſſio per cauſam de ſubiecto demonſtratur, id intelligendum eſse de præcognitione *Quòd ſit*, ſecundum eſse eſſentiæ, non autem actualis exiſtentiæ. Eſse enim eſſentiæ requiritur, quoniam per demonſtrationem intendimus per realem cauſam oſtendere paſſionem re ipsâ conuenire ſubiecto; at hoc fieri non poteſt, niſi de ſubiecto præſupponatur tale eſse eſſentię; nam ſi nõ fuerit huiuſmodi, ei non poterit per veram cauſam competere id, quod ei competere re ipsâ per cauſam demonſtrandum ſuſcipitur. Quando itaque de roſa non exiſtente demonſtrandam aſſumimus aliquam affectionem per cauſam, ſat eſt ut roſa habeat eſſe eſſentiæ. Ad hoc autem non requiritur eſse exiſtentiæ actualis; ut enim paſſio conueniat ſubiecto, huius exiſtentiâ non indiget; ergo etiam ut demonſtratio fiat, non eſt opus prꝛecognoſcere de ſubiecto, *quòd eſt exiſtentiæ*, benè tamen *quod eſt eſſentiæ*, quando demonſtratio fuerit oſtenſiua, & uniuerſalis affirmatiua. Soluitur.

Aduerte tamen per eſse eſſentiæ intelligi eſse reale, cui ſcilicet non repugnat exiſtere, licet enim huiuſmodi eſse eſſentiæ abſtrahat ab actuali exiſtentia, non tamen à potentiali. Aduert.

Cæterum ad id, quod dicebatur de Luna ſubeunte eccliſim &c. ſunt, qui reſpondent, quando paſſio eſt accidens contingenter ſubiecto conueniens, opus eſse, ut de ſubiecto præcognoſcatur, quòd exiſtat extra cauſas, ſaltem pro illo tempore, quo dicitur ineſſe ſubiecto, quoniam huiuſmodi accidentia non conueniunt, niſi ſubiecto exiſtenti. Idque ex eo confirmant, quoniam ſemper quæſtio ſupponit ſubiectum eſse, & idcircò ſi de Luna demonſtretur eccliſis, iam illam eſse, vel exiſtere ſupponitur. Quæra reſp. ſio.

Hæc tamen parum conſideratè dicuntur; nullum enim accidens contingenter ſubiecto conueniens ſub demonſtrationem cadit, cum hæc de neceſsarijs eſse debeat. Inſtantia autem de demonſtratione Eccliſeos lunaris, cum ſcilicet hæc de Luna demonſtratur, nulla eſt; quando nanque demonſtramus futurum, ut tali tempore Luna deliquio laboret, ſupponimus ipſam Lunam eſse, ſecundum eſse eſſentiæ, quia quanuis actu non exiſteret, adhuc dicere liceret, Lunam talem eſse, prout ipſa facit ad mundi ſtructuram, ut ſuâpte naturâ ſtatis temporibus deberet luminis defectionem ſubire. Ne commemorem id, quod non exiſtit, eſse paſſionem, de qua non eſt præcognoſcendum *quòd ſit*, non autem ſubiectum, nempe Lunam, de qua poſſet præcognoſci, *quòd ſit* exiſtens. Nec abſimili modo occurrendum inſtantijs de ſterilitate, ex nimia pluvia, vel calore &c. quando enim Aſtrologus præſentiens in poſterum, cognoſcit aliquem effectum futurum ex. gr. ſterilitatem iam dictam, cognoſcit tantùm aſtrorum illorum talem eſse naturam, ut quandocunque ſe inuicem hoc, vel illo modo reſpiciant, apta ſint ſterilitatem parere, vel effundendo pluviam, vel nimio calore quidem urendo, adeout demonſtrationis ſubiectum ſit aſtrum, de quo ſat eſt prꝛecogno- Cõfutat.

Digitized by Google

cognoscere esse essentię, cui conuenit aptitudo producendi effectus, non autem esse actualis existentiæ, quę solum ad operationis exercitium requiritur; ut enim tali tempore astrorum vi contingat pluvia, & ex hac alius effectus, ut sterilitas &c. requiritur ut tunc actu astruum existat, hoc autem non ad demonstrationem exigitur, nisi demonstratio fieri dicatur secundum actum exercitij illius facultatis, quâ astrum præditum est, à quo veritas abhorret, cum sufficiat secundum aptitudinem, ad quam non requiritur nisi esse essentię. Hęc illustrari possunt exemplo. Quando nos ostendimus de homine risibilitatis affectionem, non attendimus in homine esse existentię, sed esse essentię, nam esse existentię requiritur ad exercitium ridendi, non tamen ad aptitudinem, ad quam sufficit esse essentię; quanuis enim nullus homo existeret in uniuersitate rerum, adhuc de ipso dici posset, quod suâpte naturâ sibi vendicaret aptitudinem ad ridendum.

Non dissimiliter de ijs, quorum paulò antea meminimus ratiocinandum. Nam antea mundum conditum, de Luna licuisset obscurationem, siue Ecclipsim ostendere, dicendo nimirum, sic ipsam ad archetypi mundi structuram facere, ut in orbem acta laborare deliquio luminis aliquando deberet; nam ex hypothesi, quòd in mundi systemate ipsa cum cęteris corporibus ad illud spectantibus talis esset ordinis connexa vinculo; absolutis aliquot, & iui, & alterius corporis, quodcumque sit, reuolutionibus in telluris umbram impingere cogeretur.

Superiori declaratio. Hoc itaque sensu intelligendum volumus, quod superius asseruimus dicendo ad demonstrationem potissimam requiri pręcognitionem de subiecto *quod sit*, nempe *quod sit* non actualis existentię, sed realis essentię.

Confirmationi fit satis. Confirmationi autem occurritur respondendo locum, tempus probari ab Aristotele non tanquam subiecta, sed tanquam affectiones corporis scilicet naturalis. Ad primum Motorem quòd attinet non inficiandum demonstrari actualem existentiâ ipsius, quę certè sub demonstrationem cadit, quoniam ad eius pertinet essentiam; sed cum diceremus de subiecto esse pręcognoscendum *quòd est*, id intelligendum volumus, quando de ipsa existentia actuali, siue aptitudinali quæstio non sit; tunc enim nullatenus de subiecto poterit, hęc de qua loquimur pręcognitio haberi quod enim in quęstione positum est, non prę supponitur.

Secunda difficultas. Est etiam & alia difficultas, quoniam habetur scientia demonstratiua de subiectis aliquibus, quę tamen esse non possunt; falsum igitur de subiecto debere pręcognosci *quòd sit*; optima consecutio; assumptum autem probant, eò quòd de vacuo, & infinito datur scientia, cum tamen hęc esse non possint.

Solutio. Respondendum non satis constare, quid de vacuo dicendum, nec huius est loci quidpiam hâc de re decernere, admissâ tamen probatione, quę adhiberi solet ad ostendendum vacuum dari non posse, adeo ut ab eo natura pęnitus abhorreat, respondendum hanc esse quęstionem de existentia, quandoquidem demonstrare vacuum admittendum non esse, perinde est ac ostendere, ubique locorum esse corpora; non mirum ob id si non sit de subiecto pręcognoscendum *quòd est*, hoc enim in controuersiam vocatur, quod autem est huiusmodi, nequit ante demonstrationem supponi. Vt omittam posse vacuum ad affectionem loci reuocari, si nanque daretur, loci foret affectio, de qua non est opus pręcognitione *quòd sit*. Illud etiam accedit quod hęc propositio *nullum vacuum est*, equipollet huic *nullus locus est corpore destitutus*; cognoscendo igitur locum esse, pręcognoscitur subiectum demonstrationis, qua vacuum non esse demonstratur. Eodem modo de infinito licet ratiocinari, si hoc enim daretur, corporis naturâ constantis foret affectio.

Tertia difficultas. 2. Post. tex. 2. Præterea. De subiecto haberi potest quæstio *si est*, cum quæri possit an ipsum sit, vel non, ut ex Aristotele etiam colligitur; ergo de subiecto non est prænoscendum *quòd est*, non enim potest idem secundum idem prænosci, & de eodem dubitari.

Dices quæstionem *si est*, esse quæstionem passionis, & non subiecti.

Contra tamen hanc responsionem illud facit, quoniam Aristotelis quęstionem hanc explicando his utitur exemplis; *ut si est, vel non est Deus, vel Centaurus, vel aliquid huiusmodi*, quæ tamen ab eo ponuntur tanquam substantiæ, non ut passiones; superior igitur vana responsio. Confirmari etiam solet, quod proximè dictum est, ex eo, quia in demonstrationibus, quibus rem esse simpliciter demonstratur, de subiecto probatur existere. Vt cum ostenditur dari aliquid in natura, nempe substantias separatas &c.

Quid ad hanc difficultatem respondendum, patet ex antea disputatis; dictum est enim, de subiecto non esse prænoscendum *quòd est*, quando eius existentia in controuersiam vocatur. Sic & confirmationi superiùs etiam tactæ respondendum; eadem enim est ac illa de primo motore, de qua superiùs verba fecimus.

Suppositio autem tanquam demonstrato de subiecto aliquando prænoscendum esse *Quòd sit*; superest inquisitione dignum, an ita necessarium sit in scientia supponi omnino subiectum, ut nullatenus in ea probari possit. Sed aliud est inquirere, an simpliciter probari possit subiectum existere, & de hoc nulla difficultas, quando illud ignotum fuerit & suppetat medium, per quod ostendi possit existere. Et aliud an possit ab illa scientia cuius ex subiectum ostendi,

Notandum insuper hoc loco sermonem non esse de subiecto peculiaris alicuius demonstrationis, an scilicet in ea probari possit, cùm omnium consensione constet in ea supponendum esse, ut apertè Stagirites affirmat dicendo, quę supra retulimus, cum superiorem assertionem ad eius esse mentem ostendere niteremur. Constat etiam ex supra traditis in comprobationem eius quam profitemur sententiam. Sed controuersia est de subiecto alicuius scientię totalis, ut aiunt, in qua de illo plures fiunt demonstrationes, & ratione cuius omnia in scientia considerantur.

His autem tanquam certis prehabitis, quid de re proposita Philosophi celebrioris famę sentiendum credideriut, videamus.

Prima opinio. Prima est opinio negantium tam subiectum partiale quàm totale demonstrari posse. Ex horum igitur opinione non solum non licet in scientia peculiaris alicuius conclusionis ostendere subiectum esse, cum illud potius præsupponendum sit, sed nec etiam in uniuersa scientia, adeo ut non solùm in aliqua particulari scientia physicæ conclusionis ex. gra. probari non possit subiectum esse, sed nec etiam in uniuersa Physica eius subiectum, puta corpus naturâ constans, liceat ostendere.

Secunda opinio. Secunda est sententia dicentium subiectum principale probari non posse: minus tamen principale posse.

Tertiá opinio. Tertia est asserentium subiectum posse demonstrari, siue partiale sit, siue totale.

Quarta opinio. Quarta est eorum, qui dicunt, subiecti, siue principalis siue non, species probari posse.

Quinta opinio. Quinta est quorundam affirmantium subiectum totale probari non posse; partiale verò posse.

In tanta opinionum varietate quid asserendum de re proposita paucis aperiemus.

Digitized by Google

Assertio prima. Aſserendum primò ſpeciem quamlibet adæquati ſubiecti, ſi fuerit ignota, probari poſſe.

Auctoritate probatur. Hoc videtur maximè Ariſtotelis doctrinæ conſentaneum, propterea quòd in naturali Philoſophia probat ipſe dari ignem, qui ſpecies eſt corpòris naturâ conſtantis, probat etiam dari ſenſum communem, demonſtrat dandum intellectum agentem. Neque refert, quòd ſenſus communis, & intellectus agens ſint animæ facultates, nam conſiderantur tanquam ea, de quibus affectiones oſtendendæ ſunt, & idcirco quatenus ſubiecti locum obtinent.

2. Lib. de Cælo tex. 18, & 4. Lib. tex. 32. 2. de An. text. 146. 3. de An. tex. 20. 2. Poſter. tex. 33.

Auctoritate iterum ſuadetur. Videtur etiam hoc ipſe docuiſſe Philoſophus dicens, Ὅπερ ἡμῶν ποιοῦσιν οἱ νῦν τὸ μὲν γὰρ σημαίνει τὸ τρίγωνον, ἔλαβεν ὁ γεωμέτρης ὅτι δ' ἐστὶ, δείκνυσι. *Quod quidem etiam ſcientiæ nunc faciunt. Quid enim triangulum ſignificet, Geometra ſumpſit: quòd autem ſit, probat.* His enim verbis Ariſtoteles videtur oſtendere, quod nos paulo antea concluſimus, quia pleræque ſcientiæ reipsâ ſupponunt, *Quid res ſit*, ſeu *quid ſignificet* nomen, & procedunt ad demonſtrandum eſſe, quod per nomen ſignificatur; ut Geometra ſupponit quid trianguli nomen ſignificet, demonſtrat tamen triangulum ipſum dari, ſeu conſtrui poſſe.

Reſponſio quorundã. Refellitur Neque dicas id contingere, quoniam artifex particularis hoc facit, quatenus indutus habitu metaphyſico. Non inquam, id dicas, quoniam particularis artifex, ut Ariſtoteles in Phyſica, & Geometra in ſua ſcientia per medium proprium artis particularis concludit intentum. Ita quidem Ariſtoteles concludit dandum eſſe ignem cò quòd hic ſurſum in extremum fertur, quod certè phyſicum medium eſt; ſic etiam Geometra demonſtrat triangulum conſtrui poſſe per medium Geometriæ proprium.

Confutationis cõprobatio. Quinimò hoc aliter eſſe non poteſt, nanque Metaphyſicus ſi prouinciam hanc ſuſciperet, ad particulares quidditates deſcenderet, quod ei minimè permittendum, alioquin nulla foret ſcientiarum partitio; deſcenderet autem, nam eius eſt conſiderare, *Quod eſt*, & *quid eſt*, ſi itaque deſcenderet ad conſiderandum *quod eſt*, etiam & ad *quid eſt* pertinens ad particulares ſcientias conſiderandum, deſcenderet.

Comprobatio altera. Confirmatur etiam & inde, quoniam ſi Metaphyſicus hoc ſibi aſſumeret, vel id faceret à priori, & hoc non admittendum, eò quòd principia adæquata rei conſideratæ ſunt illius peculiaris facultatis propria: vel hoc à poſteriori, ut aiunt, præſtaret, & hoc æquè etiam intolerabile, quoniam effectus rei, de qua agitur, ad particularem illam ſcientiam pertinent.

Ratione ſuadetur. Amplius. Quandocunque detur medium, quo particularis ſcientia poſſit adæquati ſui obiecti ſpeciem demonſtrare, concedendum eſt id ab ea fieri poſſe; ſed non rarò euenit, ut in aliqua ſcientia detur huiuſmodi medium; ergo aliqua peculiaris ſcientia proprij ſubiecti ſpeciem poterit demonſtrare.

Prima difficultas ex auctoritate deſumpta. Obijci tamen ſolet Ariſtotelis auctoritas, ſiquidem ait de ſubiecto præcognoſcendum eſſe *quòd eſt*. Accedit etiam ex eius doctrina, quòd ad illum artificem pertinet quæſtio, ad quem pertinet prædicatum; ſed huius quæſtionis prædicatum eſt exiſtentia, hæc autem ad Metaphyſicum pertinet; ergo quæſtio, de qua agitur, non ad aliquem peculiarem artificem, ſed ad primum Philoſophum pertinebit.

2. Phyſ. Tex. 10. & 71. 72.

Auctoritati fit ſatis. Auctoritati autem occurritur dicendo Philoſophum ſermonem habuiſſe de ſubiecto demonſtrationis, in ea ſiquidem de ſubiecto præcognoſcendum *quòd eſt*, iuxta tamen hac de re ſuperius tradita; dictum eſt enim ſupra de ſubiecto præcognoſcendum eſſe *quod eſt*, quando de exiſtentia propoſita quæſtio non fit, & quando ab effectu ad cauſam non procedatur.

Confirmationis ſatis. Ad confirmationem reſpondendum nullibi apud Ariſtotelem reperiri, quod ex eius ſententia profertur; admiſſo tamen ab ipſo, pronunciatum fuiſſe, ad illum artificem pertinere quæſtionem, ad quem pertinet prædicatum, exiſtentiam autem ad primum Philoſophum ſpectare; dicendum id intelligi debere de exiſtentia generatim deque conceptu ipſius in uniuerſum, non autem de peculiari exiſtentia huic, vel illi applicata ſecundùm conceptum confuſum; nam hoc modo ad quamlibet ſcientiam ſpectare poteſt, quatenus unaquæque ipſarum colligit per aliquod medium exiſtentiam uni, vel alteri conuenire, conſiderationem de natura exiſtentiæ deque proprietatibus eiuſdem diuinæ relinquens Philoſophiæ.

Secunda difficultas. Deinde. Si poſſet peculiaris ſcientia probare exiſtentiam de ſubiecto partiali, poſſet etiam de totali, cum hoc non ſit aliud à partialibus ſimul ſumptis; ſed non poteſt de totali; ergo nec de partiali.

Solutio Huius difficultatis ſolutio ex paulo infra dicendis petenda, interim ſi dicatur de totali non poſſe exiſtentiam probari, diſparitas eſt afferenda in eo poſita, quòd ſubiectum totale debet id eſſe, quod omnibus in ſcientia ſubijcitur, proindeque debet eſſe quid notum, ac manifeſtum, taleque, ut reipsâ poſſit exiſtere; non ſic autem partiale, quod propriè loquendo ſpecies quædam eſt ſubiecti totalis.

Tertia difficultas. Sic etiam argumentantur. Quod habet, rationem finis in ſcientia ſupponendum eſt, ut eleganter nos docuit Philoſophus; ſed ſubiectum hunc ſe habet in modum, nempe totale, reſpectu ſcientiæ totalis, & partiale, comparatione ſcientiæ partialis, finis rationem obtinet; ergo ſcientia partialis proprium ſubiectum probare nullo modo poterit.

Confirmatio. Confirmatur ex eo, quia ſubiectum cuiuſcunque diſciplinæ prius eſt ſaltem, quàm ipſa; ergo debet ab ipſa præſupponi; ergo nunquam in ipſa poterit demonſtrari, ſiue ſit ſubiectum totale, reſpectu ſcientiæ totalis, ſiue partiale, comparatione ſcientiæ partialis.

Solutio intra ponenda. Hæc difficultas cum ſua confirmatione, quia æque procedit tam de partiali, quam de totali ſubiecto, propterea ſolutionem ipſius poſt ſequentem aſſertionem, cum eius probationibus afferemus.

Aſſertio quod à poſteriori ſcientem poſſit ſ totale ſu biectum oſtende Aſſerendum ſecundò nihil obſtare quominus totale ſubiectum, ſi fuerit ignotum, à poſteriori, & ab effectu in eadem ſcientia, cuius eſt ſubiectum, probetur.

Ration ſuadetu Suaderi poteſt aſſertio primò quidem exemplo Theologiæ, quæ Deum conſiderandum aſſumit, tanquam adæquatum ſubiectum, & nihilominus initio ſibi proponit oſtendere illum exiſtere; quid igitur clariùs, quàm à ſcientia ſuum totale ſubiectum probari poſſe?

Prima tio deſu pta ab e plo. Reſpondent Deum ſubiectum eſſe in ratione reuelati.

Aduerſ riorum ſponſio Nihil tamen ineptiùs; Theologia ſiquidem probandum aſſumit Deum eſſe, naturalibus rationibus; nam, ut cæteras ſileam, D. Thomas, ijs utitur argumentis, quæ naturæ principijs tantummodo ſuffulti, vim habent; nam quinque vijs Deum exiſtere demonſtrari poſſe clariſſimis verbis teſtatur, è quibus, Prima eſt, ut ipſe ait, quæ ſumitur ex parte motûs. Secunda ex cauſa efficiente. Tertia ex poſſibili & neceſſario. Quinta ex gradibus, qui in rebus inueniuntur. Quinta, quæ ex rerum gubernatione deſumitur; quælibet autem iſtarum, naturæ lumine illuſtrata, mentem ad aſſequendam de re propoſita veritatem perducit.

Confir tio. Sed

Digitized by Google

Secunda ratio ab eadem.

Sed non modo Theologia, sed etiam Physiologia ipsa proprium subiectum itidem à posteriori demonstrat; quandoquidem per motum ostendit naturam, proindeque corpus naturale, vel substantiam finitam naturalem; at quid subiectum Physiologiæ? profectò nil aliud quàm, vel corpus naturâ constans, vel substantia finita naturalis, nimirum, vel corpus, vel substantia, cui motûs principium insitum est.

Tertia ratio, quæ est à priori.

Ratio autem potissima, quia dari potest affectio quædam adæquato subiecto conueniens, quæ nobis, utpotè sensibus obuia, manifesta sit; per hanc ostendere subiecti quidem existentia poterit; cum enim ex effectu liceat causam existentem colligere; subiectum autem se habet ut causa; affectio, ut effectus, nulli propterea dubium quin ex affectione subiecti liceat eiusdem existentiam arguere, quod sic intelligas, nimirum ut ex effectu, prout actu, vel potestate fuerit, colligatur causa, vel actu, vel potestate existens; sic de passione in ordine ad subiectum.

Prima difficultas ex auctoritatibus.

Difficultas tamen est, quoniam Philosophus opositum expresè videtur docuisse, cum non semel de subiecto præcognoscendum *Quòd est* affirmauerit, ut videre licet in Posterioribus analyticis. Præsertim ubi

1. Post. Text. 4.

habet. Διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν τὰ μὲν, ὅτι ἐστί; ὑποτιθέμενον ἀναγκαῖον. *Dupliciter autem necesse est præcognoscere. nam aliâ quòd sint, præsumere necesse.* quod præcognitionis genus ex communi interpretum placito Philosophus ad subiectum refert.

6. Divin. Text. 1.

Immò etiam & in diuina Philosophia, dicens ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν ἔστιν ἢ μὴ ἔστι τὸ θεὸς εἶναι ἢ πραγματεύονται, ἐάν τε λέγωσι, διὰ τὸ τῆς αὐτῆς εἶναι δυνάμεως, τὸ τί ἐστι δῆλον ποιεῖν, ἢ διὰ τοῦτο. *Similiter autem nec si est, aut non est genus, circa quod versantur, quicquam dicunt, eo quòd eiusdem intelligentiæ est, & ipsum quid est manifestare, & si est hoc.*

Prima auctoritati satis.

Priori loco quid sibi voluerit, iam superiùs explicatum fuit, dicendo ibi esse locutum non de subiecto demonstrationis, & scientiæ; nec etiam in uniuersum, sed alicuius peculiaris, quam superiùs innuimus.

Secundæ auctoritati occurritur.

Posteriori autem loco nititur tantùm ostendere conceptum entis, & substantiæ quemadmodum & quidditatem generatim non pertinere ad aliquam peculiarem facultatem, eodemque modo neque conceptum existentiæ in uniuersum, adeo ut doceat huiusmodi conceptum, sicut, & conceptum entis, atque substantiæ ad peculiares facultates minimè spectare; sed quemadmodum ad has non inficiatur tale ens pertinere; ita credendum existimasse talem existentiam à peculiaribus ipsis scientijs considerari posse.

Secunda difficultas, à ratione, desumpta.

Vrgent etiam hoc modo. Eatenus scientia potest assumere demonstrandum adæquatum subiectum existere, quatenus potest ostendere se circa huiusmodi subiectum versari; sed hoc non sufficit; ergo scientia non poterit assumere demonstrandum adæquatum subiectum suum existere. Maior videtur certa; minorem autem ostendunt, quoniam non eo quòd demonstramus aliquid esse subiectum adæquatum alicuius facultatis, ostendimus ipsum existere.

Solutio.

Respondendum negandum propositionem maiorem; aliud enim est quærere an aliquid sit subiectum huius, vel alterius facultatis; & aliud an subiectum existat simpliciter; illa est quæstio complexa, hæc autem incomplexa; in illa quæritur, an hoc, vel illud tale sit, ut ei subiecti conditiones conueniant, supposito tamen ipsum esse; in hac autem nullum supponitur esse subiecti, quin potius illud esse assumitur demonstrandum.

Tertia difficultas.

Solidior fortasse difficultas est in eo posita, quòd subiectum alicuius integræ scientiæ est id, quod substernitur omnibus affectionibus in illa consideratis, & est veluti fundamentum omnium ad eandem spectantium; adeo ut si de medio tollatur, reliqua omnia corruant etiam oportet, immò & scientia ipsa; negato igitur subiecto, nihil supereſt ad facultatem pertinens, per quod in ipsa liceat ostendere illud existere; quia nimirum neque principia, neque affectiones, nec species, nec demum ipsa scientia potest supereſſe.

Confirmatio.

In confirmationem illud accedit, non in postremis habendum, quòd omnis probatio per notiora debet institui; at in scientia nihil est notius subiecto adæquato; propterea nihil suppetit per quòd subiectum ipsum probari possit.

Solutio.

Respondendum in probationibus attendendum esse quod formaliter negatur, non autem, quod subinde consequitur; quæ siquidem consecutio à probante bona censetur: à negante mala penitus existimatur. Vt negato Deo re verâ omnia de medio auferãtur necesse est; negans tamen Deum, nimirum Atheista consecutionem hanc non admittet; idcirco ad probandum Deum Theologiæ subiectum adæquatum, non est hæc instituenda argumentatio, scilicet Deo negato nihil supereſt in Theologia, per quod ipsa Deum demonstret existere, quoniam de medio sublato illo consequens sit, ut omnia, immò, & Theologia ipsa funditùs euertatur; sic enim arguendo, quædam petitio committitur principij; si nanque perconteris ab arguente, cur sublato Deo necesse sit omnia corruere, certè respondebit, quoniam omnia dependentiam habent ab illo, sed hoc est, quod in controuersiam vocatur, an scilicet Deus sit; hoc enim quærere perinde est, ac quærere num omnia, quæ extant sine Deo possint subsistere, propterea quòd Dei nomine tam ab affirmante, quàm à negante supponitur intelligendum id, à quo omnia pendent; idcirco, qui Deum negant, non propterea omnia inficiantur, quoniam omnium dependentiam ab illo vanam esse contendunt. Non absimili modo in re, de qua agitur philosophandum, dicendumque negato alicuius scientiæ adæquato subiecto, non sequi propterea, ut omnia prorsus euertantur, per quæ in illa scientia possit illud ostendi; nam ut in eodem persistamus exemplo, supersunt omnia, quæ suis finibus natura coercet, de quibus sacra ipsa edisserit Theologia, per quæ eadem ipsa scientia Dei potest existentiam ostendere. Hoc idem in naturali disciplina contingit; negato siquidem naturali corpore, quod tanquam subiectum adæquatum considerandum assumit, supereſt motus, per quem ipsa potest illud ostendere.

Confirmationi occurritur.

Nec operosum est confirmationi satisfacere, cum ipsa fallum assumat, nihil videlicet adæquato subiecto notius in scientia esse, nam aduersarijs etiam fatentibus affectio qualibet, velut ila, in quam primò sensus incurrit, notior est subiecto, cuius naturam illa comitatur, & uniuersè quilibet effectus notior est causâ suâ, in ijs quæ rerum hæc uniuersitas continet.

Theologus igitur, quo nomine intelligo, tam illum, qui naturæ, quàm qui fidei principijs innixus ad Dei contemplationem se erigit: tam illum, qui naturali, quàm qui supranaturali lumine mentem illustratam ad Deum contemplandum attollit, ex effectis quotidie sensu deprehensis Deum tandem colligit existere; nam ut cætera sileam, dum cœlestes in illos orbes, æternis luminibus distinctos, ac excultos, oculorum aciem dirigit, & in syderum undequaque micantium spectabilem faciem obtutum figit, siue eorum, quæ semper infixa, & cohærentia, semelque captâ fede collucent, siue eorum, quæ in septem infe-

rioribus orbibus versantur, & errantia dicuntur, quanuis nullo errore vagentur, sed indefecto ordine reciprocis cursibus cieantur in orbem, supremum conditorem fateatur oportet, illumque concedendum esse concludat.

Ad extremum ita licet obijcere. Subiectum cuiuscunque disciplinę, debet esse prius, saltem quàm ipsa; nam scientia quælibet à suo subiecto speciem ac distinctionem desumit; ut egregiè nos admonet Aristoteles, Platonem secutus; ergo supponendum est in scientia adeò, ut hæc illud existere minime possit ostendere.

2. Poster. cap. 23. In dialogo de furore poetico.

Sic tamen arguendo nihil concluditur; nam tametsi subiectum sit, quale ab aduersarijs dicitur, adhuc ex eius attributis, & effectis licet ipsum colligere, in ea ipsa scientia, cuius subiectum adæquatum esse statuitur; enim verò cognoscens innumera penè esse, quæ ex aliquo communi fonte profluunt, cuiusmodi est adæquatum subiectum, eius existentiam arguit, quemadmodum de Deo in Theologia dicebatur. Sed ut superior difficultas diluatur, respondendum erit subiectum adæquatum, de quo loquimur, collatum cum scientia, cuius dicitur esse subiectum, veluti circa quod illa versatur, prius naturâ esse quàm scientiam; collatum autem cum cognitione eorum, quorum præsidio de subiecto existentiam ostendimus, non item.

Cæterum de subiecti principijs, an scilicet scientia possit illa probare, ac de alijs multis ad rem eandem spectantibus, paulo infra futurus est sermo, vbi de præmissis demonstrationis disputabitur.

SECTIO DECIMASECVNDA.

De Terminis demonstrationis, præcipuè propter quid, *& primò de Extremis.*

Quilibet syllogismus dupli ci materia constat.

CViuscunque syllogismi proindeque demonstrationis, quæ syllogismus est quidam scientiam videlicet pariens, duplicem materiam decernunt artifices, quarum una remota est, quę nil aliud, quàm termini; altera autem proxima, quæ in propositionibus consistit. Primò de terminis disseremus, de propositionibus deinde verba facturi. In quolibet autem syllogismo termini ternario numero comprehenduntur, quorum duo dicuntur *Extrema*, reliquus autem *Medium*; tot ob id in demonstratione termini sunt recognoscendi, hoc speciatim de demonstratione disertis verbis Philosophus explicuit, Εστι δὲ πᾶς συλλογισμὸς διὰ τριῶν ὅρων. *Omnis syllogismus ex tribus terminis constat.*

1. Poster. Text. 135.

Minus extremum.

Ex *Extremis* autem, quæ duo diximus esse, unum dicitur *Minus extremum*, quod est conclusionis in demonstratione subiectum, proindeque subiectum siue obiectum incomplexum scientiæ; obiectum enim ut aliàs aduerti, in duplici discrimine est, quandoquidem unum complexum dicitur, & est quod per integram conclusionem repręsentatur; alterum autem est incomplexum, & est conclusionis subiectum, de quo nimirum affectio demonstratur. Vt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, est obiectum complexum scientiæ, quâ cognoscimus hanc affectionem triangulo conuenire; subiectum autem incomplexum est ipsum triangulum. Quæ autem de hoc dici possunt magna ex parte de adæquato subiecto scientiæ disputantes tractauimus; ea ob id quisque ibi videre potest; nunc igitur his prætermissis, ad reliquum extremum faciamus gradum.

Extremum alterum, ut nuper dicebam est, quod *Maius extremum* dicitur, quòd in demonstratione *quia* potest esse quodcunque prædicatum, quod scilicet de subiecto aliquo licet enunciare; siue sit ipsius subiecti aut medij causa; siue sit effectus non adæquatus, siue aliud quidpiam concomitans, quinimo & aliquod prædicatum essentiale, ut animal, vel rationale respectu hominis; vel ipsa integra definitio subiecti; hoc enim demonstrationis genere possumus hæc de subiecto quidem ostendere; ut ex eo quòd homo sit admirativus, inferre licebit eum esse rationalem; & ex eo quòd sensuum munera obeat, licet inferre eum esse animal; & ex eoquòd sit admirativus, vel risibilis, licet colligere ipsum esse rationalem.

Maius extremum in demonstratione *propter Quid*.

Hactenus de demonstratione *quia*, nunc de demonstratione *propter quid*. In hac demonstratione maius extremum est prædicatum maioris propositionis, quatenus autem de minori prędicari debet, quodammodò est effectus medij. Aduertendum tamen non inconsultò à nobis usurpari particulam illam *quodammodò*, propterea quòd haud propriè causa necessariò esse debet, si causæ nomine tantùm intelligatur illa, quæ physica est; nam ut aliàs notaui, causæ nomen, quemadmodum & effectûs, debet latâ quâdam usurpatione sumi, retentâ tamen tam ex parte causæ, quàm ex parte effectûs; ita ut si causa sit physica, effectus quoque talis sit; si causa sit metaphysica, & effectus quoque sit talis; verbo dicam, debet effectus proportione respondere causę; quamobrem maius extremum in hac demonstratione prædicabitur de medio, tanquam effectus quodammodò de sua causa, quod in maiori fit propositione, ut si quis argumentetur, *omne animal rationis particeps est risibile; omnis homo est animal rationis particeps; ergo omnis homo est risibilis;* maius extremum est risibile, medium autem animal rationis particeps, minus extremum est homo, de quo prædicatur in conclusione risibile, nempe maius extremum, cum dicitur *ergo omnis homo est risibilis*, intercedente medio, per hoc enim, seu virtute huius fit prædicatio maioris extremi, de minori in conclusione, quoniam per causam, per quam prædicatum conuenit subiecto, demonstramus. Huiusmodi autem, effectus per se & necessariò; non per accidens vel concomitanter, sequitur causam; sumptâ tamen demonstratione *propter quid*, præsâ omninò significatione, nam alioquin, ut paulò infra explicabo, ratiocinatio illa, quæ per aliquod concomitans procedit ad demonstrationem *propter quid* iure, ac merito reuocatur, alioquin in Mathematicis disciplinis raræ admodum forent demonstrationes *propter quid*, nisi talis quoque diceretur illa, quæ per aliquod concomitans, ceu per medium procedit; at si hoc non prohibet quominus demonstratio dicatur *propter quid*, non satis intelligo, cur de effectu nequeat idem affirmari; in quorum gratiam tria se offerunt, quæ videri possunt apta, ut maioris extremi munere in hac demonstratione fungantur. Primum videtur aliquid necessariò consequens subiecti naturam, tanquam ab illa dimanans; ad hoc autem genus affectiones, & proprietates pertinent. Secundum videtur id, quod est subiecti causa, quæ tamen ab alia superiori causa dependeat, & per eam subiecto conueniat. Tertium est aliquod essentiale prædicatum subiecti, cui nimirum per aliquam conuenit causam, per quam de illo probari possit. Proprias autem passiones tales esse, ut optimè de subiecto per essentiam, seu differentiam essentialem, vel eiusdem subiecti definitionem, tanquam per medium demonstrari possint, cuique satis compertum est; quinimò demonstratio sic se habens existimari solet omnibus absoluta numeris,

adeo

Digitized by Google

adeo ut inter demonstrationes *propter quid* hęc potiorem sibi vendicet locum. Aliquam etiam causam posse per aliam demonstrari non minus est notum, quandoquidem dantur causæ inter se subordinatæ, quinimò & eædem causæ in alio genere causæ sibi invicem causę existimari solent, de quo differendum ubi de medio demonstrationis sermo fiet, atq; hunc in modum causa una per aliam à priori posset demonstrari. Prædicatum autem essentiale præcipuèque definitionem, de re cuius est definitio posse demonstrari, non adeo certum, cum ex utraque parte rationes suppetant non inualidæ. Sunt, qui putant bifariam hanc demonstrationem usurpari; primò materialiter, ut aiunt, demonstrando nimirum id, quod essentialis est definitio, & inferendo conclusionem, in qua definitio subiecti de eodem subiecto prædicatur; ut si concluderemus, ergo omnis homo est animal rationis particeps. Secundò, formaliter sub ratione definitionis essentialis, exprimendo videlicet in conclusione essentialiter definitionem illam definito conuenire; ut si concluderemus; ergo omnis homo est essentialiter animal rationis particeps; vel animal particeps rationis, essentialis est hominis definitio. Priori modo concedunt demonstrationem fieri posse, secundo autem negant.

Scitè admodum plerique ad propositam dubitationem emodandam, crediderunt distinguendam esse causam, per quam demonstratio fieri possit, nimirum internam, & essentialem subiecto, & in externam subiecto non essentialem. Exemplum primi est anima rationalis, & corpus organicum respectu hominis, si de physica causa sermo haberi debeat. Exemplum secundi, æterna felicitas, tanquam finis, ad quem homo per se ordinatur; vel defensio ab aeris iniurijs respectu domûs. Iidem etiam prædicatum distinguunt essentiale in illud, quod est essentiæ pars non continens totam essentiam, ac definitionem, & in integram definitionem, quæ totam rei naturam, ac essentiam continet. Iuxta hæc.

Asserendum prędicatum aliquod essentiale per causam externam de re quapiam demonstrari posse, non modo materialiter, sed etiam formaliter.

Assertionem hanc ex eo probant, quia dari potest causa, quâ huiusmodi prædicatum re ipsâ, & essentialiter subiecto conueniat; ergo per huiusmodi causam fieri demonstratio potest. Hoc sanè modo per æternam felicitatem in contemplatione positam demonstrari potest de homine, quòd sit intellectualis naturæ, itaut essentialiter talis dici debeat; quoniam videlicet æterna felicitas, est finis ad quem homo essentialiter ordinatur; ob id demonstratio per æternam felicitatem positam in contemplatione procedens dici debet per causam externam, cuiusmodi est ex omnium sententia finis; totum hoc autem formaliter intelligendum euenire, propterea quòd demonstrando concluditur essentialiter hominem intellectualis esse naturæ; sic etiam domum ex tecto, parietibusque construendam esse, ostendi potest per finem ad quem domus est ordinata, qualis est ab aeris iniurijs defendere. Præterea per hoc causę genus ostendi solet virtutem esse habitum secundum rectam rationem operativum, quia scilicet ad æternam felicitatem perducit. Admittitur etiam demonstratio per aliam causam externam, videlicet efficientem, ut cum ostenditur filium esse substantiam viuentem genitam in similitudinem naturæ, quoniam filius omnis à patre generatur, & omnis pater generat ut viuens, aliud viuens sibi in natura simile. Eodem modo, & per idem causæ genus coniectur demonstrari aliquam operationem esse vitalem, eò quòd sit à potentia vitaliter operante.

Contendunt etiam per causam internam, & essentialem aliquod prædicatum, seu partem aliquam essentialem formaliter demonstrari. Ita quidem formam demonstrare licet per causam materialem iuxta Aristotelis doctrinam, eo quòd omne habens essentialiter materiam, debet essentialiter habere formam. Hoc sanè pendet ex conceptu essentiali tam materiæ, quàm formæ; si nanque materiæ nomine intelligenda sit substantia quædam essentialiter ad formam ordinata, postulans illam tanquam sui perfectionem; forma verò intelligatur substantia, quæ suâpte naturâ petat in materia esse, ac eandem perficere, quicquid materiâ constat, necessariò etiam formâ constare debet. Concludendo igitur aliquid formâ constare, eo quòd materiam habeat, demonstratio fit procedens per causam materialem. Per idem etiam causæ genus demonstratur aliquid essentialiter animam habere ex eo quod corpore organico constet. Vbi aduertendum, huiusmodi causas accipiendas esse iuxta eandem latitudinem, ita ut inter ipsas intercedat reciprocatio; non enim liceret concludere aliquid tali formâ constare, eo quòd materiam habeat; nec etiam talem habere animam, eo quòd organicum corpus habeat.

Integra etiam definitio potest formaliter per externam causam monstrari de definito. Assertio prima.

Assertio inde constat, quia nihil est quod huiusmodi demonstrationem impediat, quanuis enim non detur causa interna, per quam integra definitio definito conueniat, datur tamen externa; ut non datur causa interna, per quam animal rationis particeps homini conueniat, datur tamen externa, videlicet æterna felicitas in contemplatione posita; rectè siquidem dicimus ob hanc causam hominem factum fuisse animal particeps rationis, quia scilicet debebat ad æternam felicitatem ordinari; nisi enim ipse ratione constaret ad felicitatem prædictam ordinari non potuisset. Eodem modo per causam externam licet serræ definitionem de ipsa serra demonstrare, puta per causam finalem; qualis est secare; quandoquidem serra talis est, qualis per eius definitionem exprimitur, nimirum instrumentum ferreum, dentatum, talive figurâ præditum, quoniam debet ad secandum artifici deseruire; nisi enim ad hunc finem serra foret ordinata, nihil esset in causa, cur ex ferro puta materia dura, talique figurâ constare deberet. Sic etiam definitio domûs de definito potest ostendi per causam externam, nempe finalem; nisi enim in eum finem domus foret ordinata, nihil foret in causa cur talis ipsa deberet esse, qualis per eius exprimitur definitionem, videlicet compositum artificiosum, ex tecto, parietibusque contextum &c. Probatur à non repugnantia

Ratio autem in eo videtur posita, quoniam re verâ datur causa, non quidem interna, sed externa, per quam definitio definito conueniat; ergo nihil obstabit quominus per huiusmodi causam definitio de definito demonstretur. Sed ne putes definitionem demonstrari per externam causam materialiter, & non formaliter; nam ut res definita essentialiter ordinatur in illum finem; sic per ipsum licebit ostendere definitionem illam definito essentialiter conuenire, seu, & in idem recidit, essentialem eius esse definitionem. Hæc adeo clara sunt, ut de ijs nemini sit ambigendum. Hucusque igitur, per quod causæ genus integra definitio de definito possit ostendi breuiter explicuimus. Sequitur ostendendum per quod causæ genus integra definitio, de definito nequeat demonstrari. Ratione suadetur.

Asserendum integram definitionem, neque formaliter Assertio secunda.

liter, neque materialiter, per internam causam definito demonstrari posse.

Ratione quaditur. Probatur autem assertio, quoniam in definitione essentiali continentur omnia, quæ ad rei definitæ naturam, ac essentiam pertinent; huiusmodi ergo definitio de re definita non potest per aliquam internam causam demonstrari, nam demonstraretur per id, quod includitur in ipsa definitione, ac ob id ex hac parte definiretur idem per idem. Assumptum patet, eò quòd hic sermo est de definitione essentiali, quæ diminuta non sit.

Responsio præoccupata, simulque reiecta. Neque dicas demonstrari posse definitionem citra petitionem principij, per aliquod prædicatum, quod in ipsa desit; nam hoc demonstrationis genere non demonstraretur integra definitio, sed altera pars tantùm, quæ cum prædicato, quod deest, integram definitionem constituit.

Secunda ratio. Deinde supponamus definitionem posse de re definita demonstrari per essentiale aliquod prædicatum inclusum in ipsa definitione, tanquam per medium; certè sequeretur demonstrationem hanc non esse per causam, saltem ex parte illius prædicati in definitione inclusi, quoniam illud assumptum, ut medium, nequit esse causa sui ipsius, prout in definitione inclusi.

Difficultates ex Ari. proponuntur. Aduersus tamen superiorem doctrinam plura sunt Aristotelis testimonia, tum ex secundo Post. lib. tum, ex prima Philosophia; nam priori loco à secundo capite per plura sequentia multis rationibus nititur ostendere *quid est*, siue rei definitionem haud posse demonstrari. Secundo verò ex inductione à se facta infert ipsius *quid est*, non esse demonstrationem, sed alium manifestationis modum; utrobique igitur Philosophus videtur docuisse nunquam definitionem assumi posse, tanquam maius extremum demonstrationis. Quoniam autem res magni momenti est, pluribusque difficultatibus implicata, propterea operę pretium me facturum arbitror, si paucis quantum possum, Aristotelis hac de re doctrinam explicauero, quam videlicet à particula trigesima sexta, usque ad quadragesimam septimam exhibet.

Tex. 56. Cum enim priùs in utranque partem hac de re disputasset, in præsens ex propria sententia sermonem instituit, Primò dicens considerandum esse quid in illa disputatione, benè, quidque malè dictum sit, ostensurus, partim verum, partim autem falsum esse, quod hactenus his de rebus pronunciatum fuit, eò quòd possimus defendere per syllogismum, atque demonstrationem, ipsum *quid est*, ostendi posse. Secundò proponit declarandum quid sit definitio. Tertiò num ipsum *quid est* demonstratione, vel definitione possit explicari.

Tex. 57. Pergit autem & docet idem esse cognoscere *quid est* & cognoscere causam ipsius *an sit*, & ait examinandum, quod superius dixerat, videlicet ipsum quid est demonstrari non posse, quoniam si demonstrari deberet, foret accipiendum pro medio ipsum *quid est*, quod esset principium petere; quod autem dixerat affirmans illam scilicet non esse demonstrationem, quia unius rei unica est definitio, subdit hunc syllogismum admittendum esse, tanquam dialecticum sensu infra explicando. Quod autem docuerat scilicet idem esse scire *quid est*, & scire causam ipsius *an sit* ratione confirmat, quoniam scilicet est aliqua causa, a qua res habet ut sit; hoc autem constituto, nempe quærere quid est, idem esse, ac quærere causam quâ res est, subdit. *Hæc causa vel est eadem cum re, vel alia*, verba sane quæ multum negotij facessunt interpetribus, Græcorum tamen interpetratio arridet; hi nanque dicebant per causam eandem intelligendam esse internam, per aliam autem externam. Addit autem si ipsum *quid est* aliud est à re, hoc est, si causa fuerit externa, aut demonstrabilis est, aut indemonstrabilis, hoc est, si sit idonea ad demonstrationem, per eam posse demonstrari quid est, & unicum hunc esse modum demonstrandi *quid est* ut inferiùs dicam, quia si *quid est* eorum quæ demonstrantur oportet medium esse *quid est*, sequitur, *quid est* debere per aliud *quid est* demonstrari, nempe definitionem per internas causas traditam, demonstrari per aliud *quid est*, hoc est per definitionem confectam ex causis externis, hoc est & in idem recidit, definitionem integram confectam ex causis internis, per causas externas demonstrari posse; addit, hanc probationem non admittendam tanquam syllogismum demonstrativum, sed tanquam syllogismum topicum, hoc est non tanquam demonstrationem procedentem per causam internam, sed per demonstrationem minus perfectam, utpote procedentem per causam externam.

Pergens autem explicare quomodo contingat fieri commemoratam demonstrationem dicit se id tractaturum, quasi rursus à principio aggrediens, quoniam est allaturus modum quendam notificandi *Quid est*, quem adhuc non considerauerat, & contra quem rationes supra factæ nullum momentum habent. Tr

Vt autem hunc modum demonstrandi *Quid est* Philosophus declaret, ita disputat. Quemadmodum, quando quærimus *propter quid*, supponimus ipsum *Quòd est*, & interdum simul demonstramus utrunque, nunquam tamen fieri potest, ut prius habeamus *propter quid*, deinde verò *Quòd est*: ita pari ratione non quærimus ipsum *Quid*, nisi prius cognoscamus *Quòd est*, quoniam est impossibile cognoscere quid res sit, nisi prius cognoscamus, *an sit* illius. Quo autem sensu hæc accipienda sint ex superiori Sectione perspicuum est. Amplius aduertit ipsum *quod est*, seu rem aliquam esse, duobus modis cognosci posse. Primò per accidens. Secundò quatenus habemus aliquid ipsius rei, ut tonitruum esse quendam sonum nubium; & ecclipsim esse quandam luminis priuationem; & hominem esse animal quoddam; & animam esse quidpiam se ipsum mouens. Hoc est quandoque cognoscimus rem esse ex aliquo illius rei accidente. Quandoque verò ex aliquo illius essentiali, ita ut primus modus quodammodo sit à posteriori; secundus autem à priori, quoniam est per aliquod essentiale, & quod est causa illius. Quando igitur rem aliquam esse priori modo cognoscimus, hoc est per accidens aliquod illius, tunc ex cognitione *quòd est* nullo modo apti sumus cognoscere *quid est*, neque enim cognoscendo quod est, scimus. Ratio quoniam cum res à sua causa habeat ut sit, non benè cognoscitur esse, nisi quando per causam cognoscitur; igitur cognoscere rem esse non per causam, sed per aliquod accidens, est potius ignorare quòd sit, quàm scire; ignoratio enim dicitur respectu perfectæ scientiæ, quam non habemus, dum sine causa cognoscimus: ignorantes autem *quod sit*, non possumus quærere *quid sit* nam quærere *quid est*, non habendo *quod est* nihil est quærere, quæstio enim *quid est* supponit cognitionem ipsius *quod est* quando autem rem esse cognoscimus per causam aliquam internam, per quam res est, tunc facile assequimur cognitionem ipsius *quid est*, quoniam in omni demonstratione propter quid, siue per externam, siue per internam causam, eadem ipsa causa respectu passionis demonstrandæ dicit propter quid, & quid, nam dicit *propter quid* ratione inhærentiæ passionis in proprio subiecto, dicit autem quid ratione essentiæ, ut ex. gr. si quæratur propter quid Luna eccli-

Digitized by Google

ecclipsetur seu propter quid ecclipsis insit Lunæ, respondetur propter terræ interpositionem; quærendo autem quid sit Lunæ ecclipsis, eadem affertur causa nimirum terræ interpositio, quæ etsi materialiter sit eadem in ambabus quæstionibus, non est tamen eadem formaliter. Itaque demonstratio facit scire ipsum quid est notificando illud, quatenus in se continet medium, quod causa est. Tandem manifestat quomodo ad *quid est* disponamur per cognitionem ipsius *quod est* dicens, quemadmodum habemus quod est, ita disponimur ad ipsum quid est, quia si habemus *quod est* per accidens, disponimur per accidens ad ipsum *quid est*; & si habemus *quod est* per aliquid essentiæ rei, disponimur facile ad habendam totam definitionem rei; quando igitur ex tali accidente nouimus simpliciter rem esse, cum nihil illius habeamus neque sumus dispositi ad cognoscendum *quid est*. Quando autem illius aliquid habemus, tunc cognoscendo *quòd est*, dispositi sumus etiam ad cognoscendum *quid est*, quoniam ex parte illud cognoscimus, proindeque non longè absumus à perfecta illius cognitione, quam dum assequimur, perfectam ipsius *quid est* cognitionem obtinemus. Hic autem secundus modus intelligendus, vel de cognitione alicuius causæ internæ, vel de causa aliqua ipsius rei in uniuersum, per quam probatur esse illius; primus autem modus de cognitione alicuius non habentis rationem causæ, ut propterea Philosophus dixerit per hunc primum modum, neque nos scire *quid est* res, neque *quòd est* illius, quia ignoratâ causâ potius ignorare dicimur, quàm scire.

Aduertendum autem ex dictis colligi, non dari demonstrationem propter quid, quæ non demonstret *quòd sit*, cum Philosophus dicat non cognosci quod est, nisi quando per causam cognoscitur; quinimò nil aliud est reuerâ cognoscere propter quid, quam perfectè cognoscere quòd res est.

Cum itaque duntaxat cognouimus *quod est* secundo modo, nos apti simus cognoscere *quid est*, quædam affert exempla, quibus hanc veritatem illustrat. Dixerat enim quandoque sciri *quod est*, & *quid est* simul, ut quando *quod est* scitur per causam adæquatam; quandoque verò sciri *quod est*, & non *quid est*, ut quando scimus *quod est* per aliquod accidens rei quidem inhærens. Nunc incipit afferre exempla, ut id declaret initio facto ab vltimo, quando scilicet demonstramus ipsum *quod est* per aliquid rei, quod nunc vocat aliquid ipsius quid est.

Primum exemplum sic se habet. Sumatur Ecclipsis, quæ sit A, ideſt maius extremum; Luna verò sit C, ideſt minus extremum; interpositio terræ quæ sit B, ideſt medium, & causa proxima; at in Luna insit ecclipsis; quærere igitur an Luna obscuretur, est quærere, an sit ipsa causa B, ideſt interpositio terræ, nempe quærere an Luna obscuretur, est quærere an sit interpositio terræ & an terræ interpositio sit eius causa. Hoc autem quærere, est idem ac quærere an detur ecclipseos causa, quam si inuenerimus dari, inueniemus etiam ecclipsim, & hoc quærimus per aliquid ipsius *quid est*; terræ siquidem interpositio, quæ est proxima causa ecclipseos, est aliquid pertinens ad definitionem eiusdem ecclipseos.

Secundum exemplum est. Quando quærimus, an triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, quæritur propria causa, quæ dicitur ratio, & quoniam ignotum est an sit, quæritur an habeat tres angulos æquales duobus rectis, & an ipsa causa, quæ quæritur, sit habendi causa. Dicit ergo utriùs partis contradictionis (quæritur enim an triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, nec ne, ubi sunt contradictionis partes, ut patet) sit ipsa ratio, ideſt propria & adæquata causa, quia quæritur utra pars contradictionis vera sit, eiusque causa; quando autem inuenimus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, simul nouimus *quòd*, & *propter quid*, si per aliquid rei, hoc est per causam id inuenimus, quam medium appellat; quod si non sit talis causa, solùm habemus *quòd*, non autem *propter quid*.

In cuius gratiam affert exemplum, quo cognoscimus, & inuenimus *quòd* per accidens. Sit autem eadem conclusio, quæ priùs, nempe Lunam ecclipsari, & Luna sit C, ideſt minus extremum, ecclipsis autem A, ideſt maius extremum; B verò sit medium, quod non sit terræ interpositio, quæ est causa illius, sed sit effectus aliquis posterior, ut quod in plenilunio, quo tempore Luna maximè quidem lucet, &, si nullum sit impedimentum, noctu solet corporum umbram facere; si autem Luna in plenilunio, hoc est, dum est opposita Soli non faciat huiusmodi umbram, hoc signo siue effectu Lunæ cognoscimus ecclipsim esse; tunc autem ostendimus quidem *quod est* seu an sit ecclipsis Lunæ, non tamen *propter quid*, quia non demonstramus per medium, ideſt per causam illius, sed per accidens posterius; & quia *quid*, & *propter quid* idem sunt, & qui eorum unum habet, etiam alterum habet; idcirco cum non habeamus propter *quid* ecclipseos, nec habemus *quid* illius & nouimus tantùm *quod est*, non autem *quid*, eò quòd cognoscamus ipsum *quod*, non per causam, neque per aliquod internum, sed per aliquod accidens & effectum illius; obid habitâ illâ cognitione contenti non sumus, sed adhuc quærimus propter quid, & medium. Quoniam autem antiquorum de ecclipsi non eadem opinio fuit, proinde varias hac de re sententias eorum adducit, nec aliquid de ecclipsi decernit, existimans non huius esse loci his de rebus disputare, dicitque causam esse vel interpositionem terræ, vel Lunæ versionem, vel Luminis extinctionem. Addit causam, quæcunque sit, esse medium, & rationem maioris extremi, quoniam Ecclipsis est obiectio terræ, & ideo quærendo *propter quid*, quærimus *Quid*. Tex. 41.

Tertium adducit exemplum, quo quidem ostendit eâdem demonstratione, quâ declaratur *propter quid* declarari etiam *quid*. Quia si quis quærat quid est tonitrus, quærit medium, scilicet extinctionem ignis in nube, quæ ipsius tonitrui causalis est definitio; similiter si quærat, propterquid tonat, quærit illud idem medium, propterea quòd causa cur sit tonitrus est, quia ignis in nube extinguitur, ubi obserua ab Aristotele supponi tonitrui causam esse ignis extinctionem in nube, quæ an vera sit, in Physicis inquiremus. Vt autem ostendat eâdem demonstrattione haberi *Quid*, & *propter Quid*, syllogismum efformat, ponitque C, minus extremum, esse nubem, A maius extremum esse tonitruum, B medium terminum esse extinctionem ignis, & concludens ait B medium, esse rationem, seu definitionem ipsius A, maioris extremi. Tandem addit. Si verò rursus aliud medium esset ex reliquis erit rationibus; cum enim medium sit ratio, seu definitio maioris extremi, si huius medij fuerit aliud medium prius, vel etiam alia priora media, perquæ insit in subiecto: in illo, vel ex illis erit demonstrandum, hoc est si minor propositio fuerit mediata debet in alias propositiones priores, ac immediatas resolui, donec ad immediatas perueniatur; rei siquidem perfecta cognitio pendet ab omnibus mediis, & causis etiam remotis, ac immediatis, donec ad immediata perueniatur, adeo ut omnes causæ & omnia etiam Tertium exemplū.

Digitized by Google

etiam superiora prædicata, siue in accidentibus, siue in substantijs cognoscantur.

Text. 42. Progreditur autem memoriâ repetens, quæ antea docuerat; supra nanque dixerat duplicem esse causam, quandam quæ est eadem, & quandam, quæ est alia, hoc est, quandam internam, & essentialem, quandam autem externam; ut Simplicius, quem secutus est D. Thomas, interpretatur. Omissâ autem causâ internâ subdit, si causa externa sit demonstrabilis, hoc est demonstratione tractabilis, seu si sit idonea ad demonstrationem, per eam posse demonstrari *quid est*, seu definitionem, dicens hunc unicum esse modum demonstrandi *quid est*. Hoc ipsum autem repetit in præsentia, dicens quasdam definitiones, habere alteram causam, hoc est externam, & aptam ad demonstrationem; quasdam verò non habere; vel non habere talem, quæ ad eandem scientiam pertineat, ad quam pertinet definitio cum definito, quod postea subsequenti particula exemplo Vnitatis ex Arithmetica declarat. Modo autem in præsenti particula quadragesima secunda hæc habet. *Ως μὲν τοίνυν λαμβάνεται τὸ τί ἐστι, καὶ γίνεται γνώριμον, εἴρηται. ὥστε συλλογισμὸς μὲν τοῦ τί ἐστιν οὐ γίνεται, οὐδ' ἀπόδειξις, δῆλον μὲν τοι διὰ συλλογισμοῦ, καὶ δι' ἀποδείξεως, ὡς' ὄυτ' ἄνευ ἀποδείξεως ἔστι γνῶναι τὸ τί, ἔστιν αἴτιον ἄλλο· ἔστ' ἔστιν ἀπόδειξις αὐτοῦ, ἔσπερ καὶ ἐν τοῖς διαπορήμασιν εἴπομεν.* *Quomodo igitur sumitur ipsum quid est, & fit notum, dictum est. Quare syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neque demonstratio, manifestum tamen fit per syllogismum, & per demonstrationem: quare neque sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius, quemadmodum & in dubitationibus diximus;* hæc autem habet, ut doceat quæ diximus, nimirum ex definitionibus, quasdam non posse per causam internam demonstrari, cuiusmodi sunt integrę definitiones continentes totam rei naturam, quanuis per causam externam demonstrari possint, quando talis suppetit causa in aliqua scientia; quasdam autem demonstrari non posse, quia causam externam non habent, vel non habent talem, quæ ad eandem scientiam pertineat, quæ definitionem illam considerat cum definito. Ex eius ergo sententia non omnis definitio talis est, ut possit demonstrari, sed illa tantummodo, cuius externa datur causa, cuiusmodi sunt omnes definitiones causales, qualis est illa *ecclipsis Lunæ est interpositio terræ inter Solem, & Lunam; Ira est feruor sanguinis circa cor; Tonitrus est extinctio ignis in nube. Domus est ædificium compactum ex tecto, & parietibus ad arcendas aeris iniurias. Serra est instrumentum ferreum dentatum ad secandum* &c. Omnes enim huiusmodi definitiones causales sunt; cum quælibet ipsarum per causam tradatur, quarum quælibet per externam causam demonstrari potest, & quidem quælibet per illud causæ genus, quo definitio constat. Vt definitio ecclipseos est tradita per causam efficientem; interpositio enim terræ inter Solem, & Lunam ad efficientem causam reducitur; solet autem demonstratio hunc in modum fieri. *Id inter quod & Solem terra interponitur, obscuratur; sed Luna est id inter quod & Solem terra interponitur; ergo Luna est id quod obseruatur.* Sed quia eclipsis priuatio quædam est, & à causa priuatiua producitur; ob id ex quorundam interpretum sententia hæc demonstratio supponit alteram factam demonstrationem, quâ habitus per suam causam innotuerit; priuatio enim non cognoscitur, nisi per cognitionem habitûs; ostensum igitur hæc supponit demonstratio, per aliam demonstrationem, lumen lunæ à radijs solarijbus effici. Posset autem demonstratio eadem efformari, qua aliam non supponat hoc modo. *Corpus à Sole illustratum, inter quod & Solem terra interponitur, obseruatur; sed Luna est à Sole corpus illustratum, inter quod & Solem terra interponitur; ergo Luna est corpus à Sole illustratum, quod obscuratur.* Non dissimulandum tamen ut demonstratio constet ex propositionibus, iuxta leges bonæ demonstrationis; debere intelligi corpus illustratum à Sole esse tale corpus, in tali distantia &c. à terra positumque; nam si daretur aliquod corpus diuersum à Luna, positum infra ipsam, adeo ut lumen à Sole reciperet, illud etiam dum in umbra impingeret terræ, obscuraretur, atque adeo hæc non esset affectio Lunæ propria, quod tamen ad prædicatum demonstrabile requiritur. Debet igitur circumscribi corpus à Sole illustratum, adeo ut obscuratio illi conueniens sit, quæ conuenit Lunæ; ut scilicet subiectum & affectio reciprocentur. Eodem modo per causam finalem fiet demonstratio, quâ ostendatur definitio de domo hoc modo, omne ædificium ordinatum ad arcendas aeris iniurias, debet esse confectum ex tecto, & parietibus &c. sed domus est ædificium ordinatum ad arcendas, aeris iniurias; ergo domus debet ædificium esse confectum ex tecto, & parietibus &c. & ita de alijs definitionibus &c. Dum autem particula trigesima octaua probationem hanc definitionis affirmat non esse demonstrationem, sed logicum syllogismum, ut ibidem etiam aduertimus, non utique intellexit esse syllogismum topicum, & probabilem; constat enim esse necessarium, & euidentem, unde eum appellat demonstrationem per causam, sed negauit tantùm demonstrationem illam esse potissimam, quæ procedit ex causa interna, & essentiali, de qua paulò infra sermo futurus est; per syllogismum autem logicum intellexit demonstrationem procedentem ex causis externis. Neque hoc mirum videri debet, nam idem Philosophus, quasdam demonstrationes, quanuis necessarias, logicas appellat, eò quòd constent ex prędicatis genericis & non proprijs &c. Tametsi autem in præsenti particula simul videatur negare, simulque concedere syllogismum, ac demonstrationem definitionis, re tamen verâ nil aliud facit, quàm pauciscepetere, quæ antea tradiderat, quando dixerat aliquo modo dari, & aliquo modo non dari definitionis demonstrationem; dari quidem alicuius definitionis, alicuius non dari, ut clariùs paulo infra se explicabit. Lib. 1. Gen. cap. 6.

Ex his igitur collige, quo pacto ipsum *quid est* fiat nobis notum. Quia enim idem est scire *quid est* & scire *propter quid*, cum una causa declaret utrunque, demonstratio illa quæ rem ostendit esse per suam causam, cum declaret *propterquid*, declarabit etiam *quid*. Ex quo propositæ difficultatis enodatio deducitur; tametsi nanque *quid est* non probetur ut superiùs dictum fuit, per syllogismum propriè demonstrativum, fit tamen notum ipsum *quid est*, quando demonstratur *propterquid*, ideoque, nec sine demonstratione potest cognosci *quid est*, nec ulla est demonstratio probans ipsum *quid est*, quia illius, quod demonstratur affertur causa, ipsius autem *quid est* nulla est causa, quod non in omni *quid est*, seu definitione contingit. Cum igitur Aristoteles duplicem causam distinxisset, quandam, quæ est eadem, & quandam, quæ est alia, hoc est quandam internam, & essentialem, & quandam externam, ut Simplicius dicebat, omissâ causâ internâ, subdit si causa externa demonstrabilis sit, idest idonea ad demonstrationem, per eam posse demonstrari *quid est*, ut superiùs etiam notaui, aitque hunc esse unicum modum demonstrandi quid est. Hoc idem in præsentia repetit dicens, quasdam definitiones esse quæ habent alteram

teram causam, ideſt externam, idoneam ad demonſtrationem: quaſdam verò non habere, aut non habere talem, quæ ad eandem ſcientiam pertineat; quæ definitionem illã cum definito conſideret, quod exemplo unitatis ex Arithmetica declarat ſubſequenti particula mox afferenda. Sententia igitur eius eſt intelligenda de integra definitione, continente totam eſſentiam rei, adeo ut neget poſſe demonſtrari per cauſam internam, concedat autem per cauſam externam, quando ſuppetit cauſa talis, quæ ad demonſtrationem in aliquæ ſcientia, apta ſit.

Duns proſequitur, repetit illam doctrinam ſuperiùs traditam de duplici cauſa, quarum una dicitur alia, & altera non alia, quaſi dicat rerum aliæ ſunt, quæ habent præter ſuam eſſentiam cauſam aliam externam, per quam ſubiecto inſunt, ut ſunt accidentia propriã; aliæ verò præter eſſentiam non habent cauſam externam, per quam alteri inſunt cum per ſe ſubſiſtant, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ. Aſſumit igitur oſtendendum, quorum nam ſit illa definitio, quæ per demonſtrationem innoteſcit; docet autem talem eſſe definitionem accidentium, ſed non definitionem ſubſtantiarum, ſumptâ occaſione diſputationis à verbis proximè antegreſſis, *quorum eſt cauſa alia*, hæc enim declarans explicat, quorum ſit illud *Quid eſt*, quod non poteſt niſi per demonſtrationem notificari, rationemque reddit, in cuius gratiam ipſum *Quid eſt* in duo genera diſtinguit, partitionem ex ipſarum rerum diuiſione colligens; cum enim ipſum *Quid eſt* non diſtinguatur ab eo cuius eſt *Quid eſt*, neceſſe eſt, ut duo ſunt rerum genera, duo quoque eſſe genera quidditatum, Itaque eius ſententia eſt. Rerum aliæ habent cauſam à ſe diuerſam, aliæ non habent; ergo & quidditatum aliæ cauſam habent, aliæ autem non habent à ſe diuerſam, ubi cauſæ nomine intelligit illam, propter quam res eſt, quæque adæquata dicitur, & quâ poſitâ res ponitur, & quâ ablata res aufertur.

Et rectè quidem ab Ariſtotele fuit inſtituta partitio, quandoquidem accidentia omnia cauſam extra ſe habent, à qua ſunt, ac ob id à ſe diuerſam, at verò ſubſtantiæ non item, cum ſint per formam propriam, tanquam per adæquatam cauſam, quod etiam de quidditatibus dicendum; quidditas enim ſubſtantiæ forma eſt, quæ cauſam extra ſe non habet, ratione cuius materia inſit, ſed per ſe ipſam, ac immediatè ineſt; ſimul enim eſt & rei quidditas, & cauſa, propter quam res eſt; accidentium autem quidditates pendent à cauſis à ſe diuerſis, merito quarum in ſuis inſunt ſubiectis, quæ declarari poſſunt exemplis, è quibus unum ſit Ariſtoteli valdè familiare, nimirum ex eclipſi lunari deſumptum, huius enim quidditas eſt priuatio luminis in Luna; cauſa verò propter quam luminis priuatio ineſt Lunæ, eſt obiectio terræ, quæ certè eſt extra eſſentiam eclipſeos, cum hæc formaliter luminis priuationem tantummodo dicat in Luna. Ex accidentibus autem, quæ ſub demonſtrationem cadunt cuiuſmodi ſunt affectiones ſiue proprietates, quædam in aptitudine, & quædam in actu conſiſtunt. Vt riſibilitas proprietatis rationem obtinet, prout in aptitudine poſita eſt, quatenus per ipſam homo redditur aptus ad ridendum, non autem in actu ridendi; exercitium enim ridendi accidens per accidens eſt, non affectio ſiue hominis proprietas. At habere tres angulos æquales duobus rectis eſt affectio trianguli non in aptitudine poſita, ſed in exercitio, hoc itaque differunt homo, & triangulum in ordine ad has proprietates, quòd cum de homine riſibilitatem oſtendimus, hanc pro aptitudine ad riſum uſurpamus; at cum aſſumimus oſtendendum de triangulo habere tres angulos equales duobus rectis, id non prout in aptitudine, ſed pro ut in actu poſitum eſt, accipimus. De utroque accidentium genere poſſunt ea, quæ diximus intelligi; riſibilitatis enim cauſa, ſiue ſit admiratio ſiue rationalitas eſt extra eſſentiam riſibilitatis. Neque dicas riſibilitatem, quemadmodum omnem aliam proprietatem definiri non poſſe niſi per ſubiectum, tanquam per cauſam ſuam, proindeque ad eius eſſentiam pertinere cauſam, à qua ſuum eſſe habet; non inquam id dicas, nam affectio eo definitionis genere explicatur, ut non quicquid in definitione aſſumitur, ad eſſentiam rei definitæ pertineat; dicitur enim definitio tradita per additamentum. Non abſimili modo cauſa unde eſt ut triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, eſt extra huiuſmodi affectionis eſſentiam, ut cuique ſatis eſt exploratum. Vbi aduertendum cauſam aliam ſiue externam in præſentia non dici, quę ſit loco diſiuncta ab eo cuius eſt cauſa, etſi hoc aliquando contingat, ut patet de obiectione terræ reſpectu eclipſeos, ſed illam, quæ eſt extra naturam, & eſſentiam eius cuius eſt cauſa. His autem diligenter animaduerſis facillimum erit ſententiam Ariſtotelis intelligere; deprehendemus enim ipſum voluiſſe quidditates rerum illarum, quæ ab alia cauſa non pendent eſſe principia immediata, quæ per demonſtrationem oſtendi non poſſunt, ſed vel ſupponendę ſunt, vel alia methodo puta diuiſiuâ, & compoſitiuâ notificari debent. Rem illuſtrat exemplo unitatis in Arithmetica, hæc enim illam ſupponit tanquam ſubiectum, ſcilicet & *Quod ſit*, & *Quid ſit*, quoniam eius definitio notificari demonſtratione non poteſt. Ex quo facilè intelliges non ſolùm ſubſtantiam, ſed etiam accidens quod alicuius ſcientiæ ſubiectum ſit, quidditatem habere indemonſtrabilem, quoniam etſi non ſit ſubſtantia, ſed accidens, in ea tamen ſcientia non ad modum accidentis tractatur, cum non conſideretur prout alteri ineſt, ſed admodum ſubſtantiæ, quia prout ſuis affectionibus ſubſtat, conſideratur; unde eſt ut in ea ſcientia nullam extra ſe cauſam habeat, proindeque demonſtrabile non ſit, eò quòd cauſa non habeat, per quam demonſtretur. Itaque ſubſtantiæ quidditates demonſtrari non poſſunt defectu cauſæ, non enim habent cauſam externam, nec internam à ſe diuerſam, at accidentium quidditates demonſtrari poſſunt, imò non aliâ ratione notæ fieri poſſunt, quàm demonſtratione; quod enim extra ſe cauſam habet propter quam eſt, non poteſt niſi per illam cognoſci, ſed hoc modo cognoſci eſt demonſtrari; ergo quidditates accidentium, non niſi demonſtratione poſſunt notificari.

Quid eſt duobus modis uſurpari.

Non præteribo tamen aduertere *quid eſt*, duobus modis uſurpari, uno quidem propriè altero autem impropriè: priori modo ſumptum ſolam ſignificat internam eſſentiam, quæ in ipſa rei ſiue ſubſtantiæ ſiue accidentis forma conſiſtit: ſecundo autem modo acceptum cauſam etiam externam complectitur, quando rei eſſentia ab illa pendeat; neque mirum nam externa cauſa eſt veluti definitionis complementum, quando eſſentia rei definitæ ab illa pendeat. Hanc diſtinctionem Philoſophus adhibuit, enim verò ſuperius dicens idem eſſe ſcire *quid eſt*, & *propter quid*, ſumpſit *quid eſt* impropriè, prout ſcilicet cauſam externam comprehendit; hîc autem propriè, & pro ſola interna quidditate rei, quandoquidem ait hanc quandoque cauſam externam habere, quandoque non, hoc enim pacto ſumpſit quid eſt externâ cauſâ ſeclusâ.

Quatuor ſibi propoſuerat conſideranda, quorum primum erat, quomodo ipſum quid eſt monſtretur; diffidenter autem oſtenſo, neque demonſtratione, ne- Tex. 44.

que definitione *quid est* notificari posse; assumpserat declarandum an modo aliquo posset ipsius *quid est*, esse demonstratio, ac definitio, an nullo modo notificari posset: cumque declarasset quomodo ipsius *quid est*, possit, & non possit esse demonstratio; reliquum erat, ut aperiret, num definitio posset aliquo modo notificare *quid est*; quod in duabus subsequentibus particulis explicat, initio facto à consideratione definitionis, ob id primò, quid definitio dicatur hisce verbis declarat. Ὁρισμὸς δ' ὅτι μὲν λέγεται εἶναι λόγος τὸ τί ἐστι. *Quia verò definitio dicitur esse oratio ipsius quid est.* Definitionis igitur nomen latissimè sumptum ita describit. *Definitio est oratio ipsius quid est* significatrix. De industria autem dicere recusauit *est oratio*, sed maluit dicere, *esse dicitur oratio*, ut patet ex græco contextu, quoniam paulo post definitionem in duas diuidit species, videlicet in nominalem, quæ rei causam non continet, & in definitionem perfectam in qua causa exprimitur. Nominalis porrò definitio, non est propriè definitio, nec quid res sit declarat, sed tantùm explicat quid eius nomen significet. Propterea nomen definitionis latâ quâdam acceptione sumens ut nominalem quoque complectatur, non dixit eam esse orationem ipsius quid est, sed potius asserit dici orationem ipsius quid est. Assignat deinde duas definitionis species, quarum una in præsentia declarat, alteram in sequenti declaraturus. Definitionem, de qua hîc agit explicat hunc in modum. Φανερὸν ὅτι ὁ μέν τις ἔσται λόγος τοῦ τί σημαίνει τὸ ὄνομα, ἢ λόγος ἕτερος ὀνοματώδης.
Tex. 44. *Manifestum est, quòd aliqua quidem est oratio, Quid significet nomen, vel oratio altera nominalis*, quasi dicere velit, non est omnino, & absolutè oratio ipsius quid est, seu quid rei, sed solum ipsius *quid* habitâ ratione significationis nominis; addit autem ἢ λόγος ἕτερος ὀνοματώδης, *vel oratio altera nominalis*, còquòd nominis declaratio sæpe sæpius à vocabuli sumitur Etymologia, quandoque autem aliunde, cum tamen adhuc dicatur nominalis, eò quòd rei causam non contineat, solumque declaret quid eo nomine significatur. Declaratio nominis desumpta quidem ab Etymologia foret ex Aristotelis sententia, si diceremus, *triangulum est figura tres angulos habens*; at nominalis etiam aliunde sumptâ declaratione nominis foret; si diceremus, *triangulum est figura tribus rectis lineis contexta*. Scitè Philosophus exemplum, ex Geometria desumpsit, quoniam utcunque Geometra triangulum definiat, semper definitionem exhibet nominalem, velut illam quæ causam propter quam definitum est in rerum natura non continet; nec aliter definire potest, quoniam, quod ipse definit, accidens est, cuius causa, propterquam habet esse in natura, est substantia, sed ab hac Geometra omnino abstrahit; quicquid igitur est definiturus, semper definire debet se continens intra limites propriè abstractionis, proindeque nihil definire potest definitione per quam res definita sit in natura, & hoc significare voluit Aristoteles οἷον τὸ, τί σημαίνει τὸ εἶναι ἢ τρίγωνον; *veluti quid significat, quid est quatenus triangulum.* Perinde enim est ac si dixisset, quatenus triangulum sumitur, ut abstractum à materia, & inspectum secundum se pro ut sub geometricam cadit contemplationem; inde enim est ut eius definitio sit nominalis, in quorum declarationem subdit ὅτερ ἔχοντες ὅτι ἔστι, ζητοῦμεν διὰ τί ἔστι, *quod habentes quod est, quærimus propter quid est.* Nam Geometra solùm cognoscit quod triangulum sit, non autem propter quid sit, quoniam causam, per quam ipsum est, Geometra non considerat, velut illam, quæ intra fines propriè abstractionis contineri non potest. Hic multa mihi dicenda forent, à quibus tamen abstineo, cum ea cumulatè tractauerim de natura Mathematicarum disciplinarum edisserens.

Ad extremum docet hanc definitionem non declarare *quid est*, eo quod non declaret *propter quid*, velut illa, quæ rei causam non adducit; non declarare autem *propter quid* inde manifestum esse ait, quia per eam, neque *Quòd res sit* cognoscimus, est autem perdifficile cognoscere *propter quid*, ubi ignoratur *Quod*, difficultatis causam tradiderat, quoniam cognoscere *Quod*, sine cognitione causæ non est reuera cognoscere ipsum *Quod* nisi per accidens; non cognoscenti autem *Quod* res sit, difficile est dicere *Quid sit*, & *propter quid sit*.

Deinde Philosophus ad considerandam secundam definitionis speciem descendit; cum enim priorem dixisset orationem esse, quæ nominis significationem declarat, modò speciem alteram explicat dicens orationem esse, quæ manifestat *propter quid*.

Cum autem dixisset quomodo ipsius *Quid est* & demonstratio, & definitio esse dicatur, modò considerandum assumit, quomodo definitio ad demonstrationem se habeat; doctrinam tamen superioris contextus simulq; præsentis opportuniori loco de definitione tractantes afferemus. Sed de definitione, quatenus maiori demonstrationis extremo hæc dixisse sufficiat. In quadragesima septima particula epilogum facit.

Ex his soluta manet difficultas ex secundo Posteriorum, quibus addendum quòd Philosophus dicendo *quid est* demonstrari per aliud *quid est*, & definitionem per definitionem, nil aliud significare voluit, quam illam externam causam, per quam definitio demonstratur, aptam esse suo modo pariter explicare naturam & essentiam rei, posseque causalem definitionem constituere; iuxta quæ intelligendus est locus 6. Di. alter ex sexto diuinæ Philosophiæ. Ter.

Redeamus unde discessimus. Propositum nobis erat maius extremum demonstrationis declarare, in cuius gratiam hæc attulimus. Superest considerandum, an extremum prædictum accidens aliquod possit esse commune.

Asserendum puto nullum accidens commune posse maius extremum esse in demonstratione, quæcunque demonstratio esse dicatur. Hoc ex eo mihi tam certum, quàm quod certissimum; nihil enim tam frequenter usurpatum in Scholis, quàm accidens commune sub demonstrationem non cadere; quod certè non intelligendum, itaut ipsum nequeat esse minus extremum, siquidem de huiusmodi accidente, tanquam de subiecto scientia datur; nam de ipso accidente affectiones per causam ostendimus. Superest igitur ut sub demonstrationem non cadat, quatenus maius extremum in uniuersum, de quauis demonstratione sermo fiat.

Efficax id autē ratio conuincit quoniam, quod contingens est, nec necessario vinculo cum minori extremo coniungitur, neque cum ipso tanquam cum causa reciprocatur, nequit maius extremum esse; huiusmodi porrò commune accidens esse, neminem fugit; non enim accidens commune foret; propterea commune accidens in demonstratione, quæcunque illa sit, maius extremum esse non poterit.

Dices accidens commune, tanquam maius extremum in demonstratione *propter quid*, non autem *potissima* locum habere posse. Hoc tamen difficultatem non eneruat, quoniam id utrique demonstrationi commune quidem, ut ex necessarijs constet; cum itaque commune accidens, quâ tale, necessitatem participare non possit, nam ea est in ordine ad subiectum, cum quo accidens commune iungi necessariò non potest; nulla igitur in re proposita demonstrationis

illa

illa distinctio, scilicet in *propter quid*, & *potissimam*.

Obijcies tamen dicendo quamlibet causam in quocunque genere pro medio sumi in demonstratione, posse, quæ dicitur propter quid; sed huiusmodi causæ quandoque sunt respectu communis accidentis, quando nimirum hoc per se consequitur, ponitur-que, posità causâ; accidens igitur commune in demonstratione saltem propter quid, tanquam maius extremum, locum habere poterit.

Quam vana tamen hæc sit difficultas illud ostendit, ut opinor, quòd pugnantia dicit, enimuerò quòd accidens per se consequatur, ponaturque posità causâ, sitq; etiam commune, pugnant inter se, adeo ut unum cum altero cohærere simul non possit. Quod si eueniat, id planè contingit, quoniam etsi accidens commune sit, quatenus tamen sub demonstrationem cadit, veluti maius extremum, non est commune, quia si commune est comparatione subiecti, respectu tamen medij, seu causæ non item. Ita quidem ecclipsis, quam ipsi faciunt accidens commune; relata enim ad Lunæ corpus, accidens commune est, priuatio enim luminis est prodeuntis à Sole, talis autem priuatio cuicunque corpori, quod lumen a Sole mutuetur, potest competere; at relata ad Lunæ corpus, prout hoc est obnoxium telluris interpositioni, commune non amplius accidens est, adeo ut de Luna tanquam affectio per interpositionem terræ, veluti per causam efficientem ostendi possit.

Speciatim ostendam accidens commune haud posse maius extremum esse in demonstratione potissima; huius enim medium sola formalis causa perhibetur, qua de re infra. Tum quia potissimæ demonstrationis conclusio debet simpliciter esse necessaria per se, de omni, & quatenus ipsum, ut non multo postea manifestum fiet; sed accidens commune nequit cum subiecto propositionem his conditionibus præditam conficere, quoniam ex sui formali ratione potest adesse, & ab esse; non inest subiecto, sic ut ei omni tempore insit; ergo non est de omni posterioristico; non prædicatur per se in primo vel secundo modo, ergo non est per se quemadmodum ad potissimam demonstrationem requiritur; nec ad extremum necessariò cum subiecto conuertitur, ita ut conueniat omni, soli, & semper, hoc enim peculiare est accidentis proprij, non communis; ergo non est quatenus ipsum.

Concludendum igitur accidens commune, prout huiusmodi maius extremum esse non posse in demonstratione, siue ea sit *potissima*, siue *propter Quid* tantum. Ostensum est enim generatim ei repugnare tanquam maiori extremo locum in demonstratione, siue sit demonstratio propter quid, siue potissima, deinde speciatim ostensum est ei tanquam maiori extremo competere locum in potissima demonstratione non posse. Reliquum est, ut aliquas difficultates diluamus.

Sunt autem, qui sic argumentantur ut probent a nobis perperam dictum fuisse accidens commune, non quâ tale, sed quâ induit proprij naturam, posse tanquam maius extremum in demonstratione locum habere; eorum autem in hoc probatio consistit. Accidens commune eatenus dici potest induere proprij naturam, quatenus aliquam induit necessitatem; sed hanc induere non potest; ergo nec etiam rationem proprij. Assumptionem probare nituntur, quoniam necessitas quam potest commune accidens induere non est nisi necessitas causæ, sed hæc non est necessitas proprij, nam alia est necessitas, quâ homo dicitur necessariò risibilis, & quâ ignis dicitur necessariò comburere; malè igitur à nobis dictum fuit accidens commune, prout induit naturam proprij, tanquam maius extremum in demonstratione posse locum sibi vendicare.

Miror tamen hâc ratione tantùm adductos quosdam existimasse minus considerate pronunciatum à nobis fuisse, quod ab ipsis assumitur impugnandum. Diximus enim accidens commune haud posse in demonstratione, tanquam maius extremum usurpari, ut autem occurreremus difficultati ab ipsis propositæ, quâ probare conabantur accidens commune posse tanquam maius extremum in demonstratione locum habere. Respondimus id aliquando contingere nunquam tamen ut accidens commune, quatenus tale in demonstratione adhibeatur, sed prout proprij rationem sortitur, quod non sic intelligas velim, quasi credamus aliquando accidens commune, in proprium facessere, sumpto proprio pro eo, quod necessariò subiecto conuenit, summo necessitatis gradu; sed solùm necessariò necessitate, quæ etsi paulo sit inferior, scientiæ tamen sufficit, quæ ut clarius explicem ad memoriam reuocabo, quæ aliàs aduerti, nempe triplicem esse gradum necessitatis, quorum primus est summus, diciturque metaphysicus, quo homo dicitur necessariò admirativus, risibilis, &c. quo triangulum dicitur habere tres angulos æquales duobus rectis. Secundus est paulò inferior, diciturque physicus, quo Luna necessariò ecclipsatur, quo Sol cras orietur. Tertius est, qui moralis appellatur, & infimus est, quo dicimus aliquid esse necessarium, quatenus sit affirmatum à viro probatæ fidei. Ex his tribus primus est, qui maximè facit ad scientiam. Secundus, quamuis imperfectior, etiam ad scientiam conducit. Tertius ad opinionem pertinet. Cum autem diceremus aliquando contingere, ut commune accidens, tanquam maius extremum in demonstratione locum obtineat, prout induit proprij naturam, significare tantum voluimus tunc accidens commune usurpari, quatenus amittit illam contingentiam, quę scientię omnino officit, qualis est illa, quâ homo exemp. gratia dicitur albus (non enim albedo de homine potest demonstrari) proindeque necessitatem aliquam ratione causæ adipiscitur, quæ si non est primi gradus, saltem ad secundum pertinet, quem ad scientiam sufficere plures disciplinæ testantur; non enim maiori necessitate Astronomia futuram Ecclipsim tali, vel tali tempore prædicit; quòd si hanc è disciplinarum albo delendam existimes, non pugno, solùm te admoneo, ne tam seuerè, religioseque de scientia iudices, alioquin humanum animum omni disciplinarum ornatu denudabis.

Solutio.

Ad ostendendum autem commune accidens tanquam maius extremum in potissima demonstratione assumi posse sic ab aliquibus argui solet. Quod per se in secundo modo de subiecto dicitur, potest assumi tanquam maius extremum in demonstratione potissima; sed accidens commune tale esse perspicuum satis, quandoquidem ad sui definitionem subiectum accersit, quod autem tale est ad secundum modum dicendi per se proculdubio pertinet; ergo accidens commune tanquam maius extremum in potissima demonstratione poterit assumi.

Secunda difficultas.

Respondendum negando propositionem per se secundi modi in eo positam esse dumtaxat, ut subiectum ad prædicati definitionem pertineat; aliquid enim amplius requiritur; tametsi nanque subiectum ad prædicati definitionem faciat, nisi etiam addatur, ut id contingat cum habitudine virtualis causæ, nimirum ut subiectum virtualis sit causa prædicati, propositio non fiet in secundo modo dicendi per se; ab aduersa-

Solutio.

Digitized by Google

rijs igitur falsum assumitur, proindeque nihil concluditur.

Respon sionis con futatio. Contra: Propositio in qua accidens commune de subiecto prædicatur, ideo non esset per se, quia prædicatum non ineſſet per se subiecto; sed in huiusmodi propositione prædicatum per se subiecto ineſt, quanuis subiectum non dicat illam habitudinem causæ respectu prædicati; ergo huiusmodi propositio debet esse per se, quanuis subiectum illam habitudinem causæ respectu prædicati non dicat; ergò accidens commune poterit tamquam maius extremum in potissima demonstratione usurpari. Minor ostenditur, quia nisi accidens commune per se ineſſet subiecto, quanuis hoc non importaret habitudinem causæ &c. conueniret per accidens, nempe ratione alterius; de hoc autem quæro, an prædicatum conueniat per se, vel per accidens; nisi ergo sit in infinitum abeundum, deuenien-dum ad subiectum, cui accidens commune per se conueniat, quanuis subiectum non dicat habitudinem causæ.

Confuta tioni fit satis &c Respondendum assumptionem negando, & ad eius probationem dicendum, prædicatum conuenire subiecto per se, non tamen necessariò eâ necessitate, quæ ad secundum modum dicendi per se requiritur, nempe metaphysicâ, sed physicâ tantum, qualis est, quæ ad quartum modum dicendi per se pertinet, de quo infra; quæ demonstrationi potissimæ non sufficit; cum hæc metaphysicam necessitatem requirat.

Responsio nis confu tatio. Contra. Si tale prædicatum per se non ineſſet subiecto, prout ad potissimam demonstrationem requiritur, sequeretur non magis uni, quàm alteri dicendum ipsum conuenire; hoc autem affirmari non potest; ergo dicendum subiecto per se prædicatum ineſſe prout potissima demonstratio expoſcit. Maior propositio constat, quoniam solùm prædicatum, quod subiecto conuenit, prout potissima desiderat demonstratio, est, quod uni, ita cõueniat, ut alteri conuenire non possit. Minor etiam est manifesta, quia prædicatum sub demonstrationem cadens non ita se habet, ut quodlibet esse possit in quolibet; ergo non poterit affirmari non magis uni, quàm alteri huiusmodi prædicatum conuenire.

Solutio. Respondendum non sequi dicendum huiusmodi prædicatum non uni magis, quàm alteri conuenire; & ad eius probationem respondendum prædicatum magis uni, quàm alteri conuenire, hoc est, uni determinatè competere duobus modis contingere, vel iuxta metaphysicam, vel iuxta physicam necessitatem, quamuis igitur prædicatum nequeat esse maius extremum in demonstratione potisima, adhuc tamen potest uni determinatè conuenire subiecto, non quidem primo sed posteriori determinationis modo, siquidem priori modo passio dicitur uni, videlicet subiecto, determinatè conuenire, estque determinatio pertinens ad secundum modum dicendi per se; at posteriori modo prædicatum uni, nempe subiecto, determinatè conuenit ratione causæ physicę, & ad quartum modum dicendi per se pertinet; hâc determinatione ecclipsis conuenit Lunæ, nempe determinatè iuxta secundum necessitatis gradum; licet enim habitâ ratione solius Lunæ, accidens sit quòd ipsa deliquio laboret, inspectâ tamen causâ, nimirum interpositione terræ, per se ineſt illi deliquio laborare; quo autem pacto, an scilicet secundo, an quarto modo perfeitatis, maximè controuersum inter Aristotelis interpretes, de quo mox quid affirmandum intelliges.

Tertia dif ficultas. Tandem illud molestum relinquitur, quòd Philosophus apertè docuit de ecclipsi tanquam de prædicato demonstrando in conclusione, dari scientiam; at ecclipsis est accidens commune; ergo de accidente communi tanquam de prædicato conclusionis datur scientia; sed huiusmodi prædicatum est maius extremum (loquimur enim de demonstratione facta in figuræ modo, qui maximè demonstrationi consentaneus est) ergò accidens commune poterit esse maius extremum in demonstratione.

Hęc ratiocinatio nihil aduersus superiorem doctrinam concludit, quâ dicebamus accidens commune esse non posse maius extremum potissimæ demonstrationis; argumentum nanque solùm probat maius extremum esse posse in demonstratione *propterquid*, quod non negauimus, nisi sensu iam explicato, cum diceremus commune accidens, quâ tale, sub demonstrationem non cadere, eo quòd contingenter insit, & non reciprocetur cum subiecto, quod demonstratio quæcunque requirit; alioquin sumptum prout æmulatur proprij naturam, quatenus nimirum amissâ contingentiâ & ratione causæ necessitatem induit & reciprocationem sortitur, in demonstratione locum potest obtinere, maioris extremi rationem habens.

SECTIO DECIMATERTIA.

De Medio demonstrationis termino & primo demonstrationis Quia.

NIhil est adituro demonstrandi prouinciam, in quo magis excubandum sit animo, quàm in inuentione medij, adeo ut in hoc plurimum eluceat ingenij vis, atque solertia, quam propterea Stagirites hisce verbis definit, Ἡ δ' ἀγχίνοια ἔστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσυνέτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. *Solertia est autem medij quædam coniectatio breuissimo tempore*; vis nempe velociter penetrandi à causa ad effectum, vel ab effectu ad causam in non perspecto tempore, cum omnis demonstratio alterutro modo procedat. Curandum igitur præceptionibus artis id comparare, quod aliquando natura plusquam par est nobis auidè denegauit.

Medius demonstrationis terminus in uniuersum is esse debet, qui ex necessaria, ac euidente sui connexione cum extremis in præmissis, euidenter connexionem inferat eorundem extremorum mutuam in conclusione. Quoniam autem ex demonstrationibus una est, quæ dicitur *quia* altera verò *propterquid*, quæ bipartitò diuiditur, nam una retento nomine eodem, appellatur itidem *propterquid*, altera verò dicitur demonstratio *potissima*. Pro varietate propterea demonstrationum vario etiam modo de demonstrationis medio sentiendum.

De demonstratione *quia* nulla ferè difficultas est, cum apertè constet in hac demonstratione medium esse, vel causam remotam, vel effectum, vel è quorundam sententia, aliquod concomitans, dummodo tamen hæc omnia necessariam connexionem habeant cum re demonstrata; hæc enim utrique demonstrationi quammaximè necessaria conditio, propterea quòd utraque scientiam parit; at verò non pareret nisi talis connexio intercederet, qualem à medio requiri omninò dicebamus. Sic etiam maius extremum in hac demonstratione quodlibet potest esse prædicatum, quod potest certo, ac euidenter de subiecto demonstrari; ut igitur varijs modis potest hæc fieri demonstratio, sic etiam, & varium est eius medium. Primò itaque quando per effectum demonstramus causam esse, medium est effectus, qui si fuerit conuertibilis cum causa, ut risibile respectu rationalis; & respiratio respectu pulmonum, deseruit nobis tam ad affirmatiuè, quàm ad negatiuè demonstrandum; imò si deinde

cau-

Digitized by Google

causa tanquam medium assumatur, quæ prius erat demonstratio *quia*, euadit demonstratio *propterquid*, ita ut ex negatione, vel affirmatione effectus, concludi possit negatio, vel affirmatio causæ; deinde verò per demonstrationem *propterquid* à causa ad effectum ostendendum progredi valeamus; Quandoque non est effectus conuertibilis cum sua causa, sed inadæquatus, vel quia excedit causam, si potest ab alia produci, ut calor respectu ignis, cum à Sole quoque produci possit, (hoc tamen intellige exempli gratia, iuxta vulgarem philosophandi rationem) vel quia excreditur à causa, ut si effectus, quando est, semper à tali causa proueniat, nec unquam sine ipsa ponatur effectus; non tamen semper proueniat ab illa; itaut posità causâ poni debeat effectus; hoc modo se habet respiratio respectu animalis; causa enim excedit effectum, siquidem dantur animalia, quæ tamen non respirant, ut pisces; sic etiam sensibilitas respectu viuentis; nam animal est respirationis causa, & ratio viuentis est causa sensibilitatis, sed non sunt causæ adæquatæ, cum quibus effectus sint conuertibiles; ab effectu qui excreditur à causa potest fieri demonstratio affirmatiua, *ut respirat; ergo esti animal*; non tamen negatiua ut, *non respirat; ergo non est animal*, at ab effectu excedente causam fieri potest demonstratio negatiua, *ut non est calor; ergo non est ignis*, non autem affirmatiua, *esti calor; ergo ignis*.

Si igitur effectus excedit causam, tenet negatiuè tantùm; si verò exceditur, quamuis effectus sit remotus, tenet affirmatiuè, ut suo loco notaui. Vbi aduertendum per effectum tanquam per medium non solùm demonstrari compositam existentiam, quæ scilicet explicatur propositione de tertio adiacente, ut cum per effectum probatur causam alicui subiecto conuenire; sed etiam existentiam simplicem explicatam per propositionem de secundo adiacente. Exemplum primi, ut cum homini rationalitatem inesse per risibilitatem demonstramus. Exemplum secundi, ut cum per effectus ostendimus Deum existere. Hoc itaque modo effectus potest esse medium in hoc demonstrationis genere. Secundò potest esse causa remota, & non propria per quam demonstratur effectus, ubi remotæ causæ nomine intelligitur causa inadæquata, quæ cum effectu non conuertitur & tunc si excedit effectum, à negatione causæ, concluditur negatio effectus, *ut non est animal, ergo non respirat*; Si exceditur, ab effectu, concluditur affirmatiuè à positione causæ ad positionem effectus, *ut est ignis; ergo est calor*.

Aduertendum autem remotam causam, quæ tanquam medium in hac usurpatur demonstratione duobus modis remotam dici. Primò prout distinguitur ab immediata, & proxima, quo sensu animal rationale erit causa remota risibilitatis, quia intercedit admirativum, est tamen adæquata, & conuertibilis cum risibilitate nam omne rationale est risibile, & vicissim quanuis rationale non sit causa risibilis, nisi medio admirativo.

Secundò prout distinguitur ab inadæquata, & non conuertibili, quo pacto rationale non erit remota causa risibilitatis. Quando igitur huius demonstrationis medium dicitur causa remota, intelligendum illam non priori, sed posteriori modo remotam esse, quatenus videlicet à conuertibili distinguitur. Sic exempli gratia, in demonstratione, quâ probare volumus lapidem non respirare, eò quòd non sit animal, dicemur conficere demonstrationem *quia* cuius medium causa remota est; nam causa proxima, & adæquata respirationis, est habere pulmones.

Tertiò potest esse aliquod signum, seu aliquod necessariò concomitans, ut est flebile respectu risibilis aut vicissim; idcirco valet arguere, *esti flebile; ergo est risibile;* vel contra *est risibile; ergo est flebile*. Hoc igitur potest esse medium in hac demonstratione, nempe signum aliquod naturale, necessariam habens connexionem cum alio, quoniam inuicem se consequuntur, non tamen ut causa, & effectus. Hæc demonstratio per aliquid necessario concomitans ad demonstrationem *quia* reduci solet. An autem hoc ritè factum, non facile dictu; paulo enim antea notaui, hoc admisso, secuturum in Mathematicis disciplinis non admodum frequenter demonstrationes *propterquid* haberi, quod quam sit aduersus illarum facultatum dignitatem, non est cur pluribus declarare contendam; in ipsis autem quàmsæpissimè demonstrationis hoc genus usurpari norunt ij, qui huiusmodi studijs operam nauarunt, vel saltem frequentissimè in earum demonstrationibus duorum concomitantiam adhiberi. Vt, *si duæ quantitates uni tertiæ sint æquales, sunt etiam æquales inter se*, quod in primæ propositionis demonstratione usurpatur; hoc autem in quadam concomitantia positum est; si nanque duæ quantitates sint uni tertiæ æquales, illæ duæ per concomitantiam sunt inuicem æquales, duarum enim quantitatum æqualitatem cum tertia, earundem æqualitas mutua comitatur. Speciatim verò licet hoc in quartæ propositionis demonstratione perspicuè cernere; demonstratur enim ibi Propositio sic se habens.

Si duo triangula, duo latera duobus lateribus æqualia habeant, utrunque utrique habeant verò & angulum angulo æqualem sub æqualibus rectis lineis contentum, & basim basi æqualem habebunt; eritque triangulum triangulo æquale; ac reliqui anguli reliquis angulis æquales erunt, uterque utrique, sub quibus æqualia latera subtenduntur. Propos. 4. primi Ele.

Tota demonstratio tamen eo est suffulta principio. *Quæ sibi mutuo congruunt, inter se sunt æqualia*; sed æqualitas hæc videtur sanè quidpiam concomitans; si nanque duo sibi mutuò congruant, sequitur concomitanter, quòd æqualia sint, & vicissim, debito tamen modo rem explicando, nimirum ut comparatio fiat inter ea, quæ sunt speciei atomæ, scilicet inter lineam rectam, & rectam; inter lineam curuam, & curuam, quæ tamen sint ex eodem centro; inter triangulum planum, & triangulum planum &c. Ita ut æqualitas, & congruentia mutuò se comitentur, seque habeant, ut flebile, & risibile, ut volitivum, & intellectivum; si itaque demonstratio per aliquod concomitans ad demonstrationem *quia* pertineret, nulli dubium quin hæc demonstratio, quâ superior in Geometria probatur Propositio, ad demonstrationem *quia* deberet reuocari, quod est inauditum; nemo enim ausus est hoc demonstrationis genus in Mathematicis, præsertim Arithmetica, & Geometria recognoscere, ne, ut mea fert opinio, candorem utriusque disciplinæ deturpare videretur. Explicatio superioris doctrinæ.

Neque dicas demonstrationem superioris propositionis procedere potius per genus causæ materialis, cuiusmodi est, vel Aristotelis testimonio, quantitas continua. Non inquam id dicas; quamuis assertum id à plerisque notauerim, nam tunc huiusmodi genus causæ in geometrica, vel arithmetica demonstratione locum habet, quando totum dicimus esse maius singula parte; & totum æquari partibus simul sumptis, hisque utimur ad probandum intentum, ut in septima primi, & in decima tertia eiusdem propositione contingit; sed hæc in quarta propositione locum non habent, adeout cuique fatendum sit demonstrationem illam, per aliquod concomitans procedere; sed hac eadem paulò diligentius mox persequemur.

SE-

SECTIO DECIMAQVARTA.

De medio termino demonstrationis propter Quid.

De medio termino demonstrationis *propter quid*.

HVcusque de medio termino demonstrationis *Quia*, nunc de eodem demonstrationis *propter-quid*, hâc acceptâ prout à potissima demonstratione secernitur; demonstratio autem *propter quid* eo differt à demonstratione *quia*, quòd illa per causam proximam, & immediatam procedit, non autem hæc, quippequę, vel procedit ab effectu ad causam, vel si à causa ad effectum, non nisi ab ea quæ remota est. Quamobrem medium demonstrationis *propter quid* est causa adæquata, & proxima illius inhærentiæ, quâ prædicatum subiecto, vel maius extremum minori inest in conclusione.

Quod causæ genus huic deseruiat demonstrationi.

Maximè tamen controuersum est, quod nam causæ genus huic deseruiat demonstrationi; cum enim sint quatuor causarum genera, materialis, formalis, efficiens, & finalis; dubium est an per unumquodque ipsorum liceat demonstrationem contexere; quodsi hoc admittatur, non minoris est difficultatis decernere, an plures causæ adæquatæ diuersi generis ad eandem demonstrandam conclusionem possint adhiberi; dictum est autem adæquatas diuersi generis, quoniam repugnat plures adæquatas eiusdem generis unius effectus dari.

Varia Philosophorum placita.

Varia extant Philosophorum placita. Nam plerique negarunt per finalem causam fieri demonstrationem posse. Alij excluserunt causam formalem. Alij efficientem, & materialem, solùmque formalem retinendam arbitrati sunt.

Assertio quòd quodlibet genus causæ in hac demonstratione tanquam medium possit adhiberi.

Ad secundam dubitationis partem quod spectat, unius conclusionis unicam esse tantùm causam proximam, & adæquatam docuerunt, quâ demonstratione *propter quid* ostendi conclusio possit.

Asserendum est per quodlibet causę genus tanquam per medium demonstrationem *propter quid* efformari posse.

Hæc autem assertio sic intelligenda, ut non in quacunque conclusione demonstranda sit adhibendum omne genus causæ, sed disiunctim adeo ut aliquando causa efficiens, aliquando autem formalis, & ita de reliquis possit adhiberi; quod nec etiam de qualibet causa, sed de causa per se duntaxat, & conuertibili cum effectu debet intelligi, causæ nanque per accidens in re, de qua agimus, nullius sunt usus.

Sic intellectam assertionem Aristotelem docuisse nullo fere negotio demonstrabitur, siquidem ipse pluribus locis hoc affirmasse perspicuum est, præsertim ubi ait. 2. Post. sex. 48. Ἐπεὶ δ' ἐπίστασθαι οἰόμεθα ὅταν τὴν αἰτίαν. *διττὰν δὲ τίθεμεν· μίαν μὲν, τὸ τί ἦν εἶναι, μίαν δὲ τὸ τινῶν ὄντων ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι, ἑτέραν δὲ, ἢ τὸ πρῶτον κινήσαι. τετάρτην δὲ, τὸ τίνος ἕνεκα. πάσαι αὗται διὰ τοῦ μέσου δείκνυνται.* *Quoniam autem scire putamus, quando noscamus causam: causæ autem quatuor sunt una quidem quod quid erat esse; una verò quibusdam existentibus, necesse est hoc esse, alia vero, quæ aliquid primum mouit; Quarta autem id, cuius gratia, hæ omnes per medium demonstrantur.* Hic locus est ubi Philosophus dissertissimis verbis superiorem assertionem testatur, quorum talis est intellectus ut dicere videatur, quoniam in definitione scientiæ diximus eam esse in eo positam, ut cognoscamus rei causam & hucusque veritatem eandem inculcauimus, cum tamen causæ nomen ad quatuor se extendat genera, declarandum propterea superest, per quod ex illis demonstratio confici possit. Philosophus autem ad demonstrationem contexendam, quodlibet causarum genus adhiberi posse decernit, postea vero in singula causa id exemplis illustrat. Causam formalem appellat τὸ τί ἦν εἶναι. *Quòd quid erat esse*, quod interpretibus negotij plurimum exhibet. Sunt, qui putant per formam hoc loco non intelligi alteram compositi partem à materia distinctam, sed potius definitionem, seu quamlibet causam, quæ esse faciat, reique definitionem constituat; neque formam, ut quartum causæ genus ab alijs tribus distinctum intelligi, sed ut commune quoddam genus causas omnes complectens, quatenus earum quælibet, quando est adæquata, declarat propter quid accidentis. Horum tamen interpretatio non multum arridet, nam re verâ Philosophus de re proposita disputans alibi, causę formalis nomine comprehendit etiam quartum genus distinctum à cæteris; eodem igitur sensu dicendum hîc ab eo formalis causę nomen usurpatum fuisse, adeò ut non excludat formalem causam propriè sumptam, quin potius illam præcipuè significare velit extensâ tamen nominis significatione ad definitionem, & ad ea, quæ interpretes ipsi dicebant. Maior est difficultas in verbis subsequentibus, μίαν δὲ τὸ τινῶν ὄντων ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι. *Vna vero quibusdam existentibus necesse est hoc esse.* Omissis aliorum nugis asserendum Causam formalem hisce verbis ab Aristotele materiæ nomen usurpari propriè pro illa, quæ tamen aliquando talis est, ut ea pro materiali posità, necesse sit aliud esse, eo pacto, quo positis partibus, quæ sunt causa materialis totius, necesse est esse totum, licet quandoque sumi possit pro subiecto, quatenus in ipso est affectionis insita causa; hoc enim modo dici potest affectio produci ex necessitate materiæ, & quidem interne, & non extra subiectum, & hoc modo subiectũ materialis causa dicitur. Non dissimulandũ tamen, tunc subiectum se habere tanquam causam efficientem per emanationem. Subdit ἑτέρα δὲ, ἢ τί πρῶτον κίνησε. *Alia verò quæ aliquid primũ mouit,* Causa efficiens pro medio. ut significet causam efficientem; hæc enim principium primum unde motus consueuit appellari. Addit τετάρτη δὲ, τὸ τίνος ἕνεκα. *Quarta autem id cuius gratia,* quibus causam finalem denotat. Progreditur dicens πάσαι αὗται διὰ τοῦ μέσου δείκνυνται. *Omnes hæ per medium ostenduntur,* verba, quæ plurimum lucis afferunt interpretationi, quâ non multo antea usi sumus, nempè cum diceremus omissâ causâ internâ Philosophum addidisse, *si causa externa sit demonstrabilis,* hæc enim vertenda censuimus, *si causa externa sit ad demonstrationem idonea*; eadem enim hoc loco vocabuli habetur usurpatio; demonstrabile nanque sumitur ibi quemadmodum & hîc non ut significat id, quod potest demonstrari, sed quod potest adhiberi ad aliud scilicet effectum demonstrandum, adeò ut medij rationem obtineat. Causalis pro medio. Quædam rerum interpretatio. Non absimilis est locutio in scientiæ definitione, in ea siquidem Philosophus ait scire esse rei per causam cognoscere, cum tamen ibi non definiatur scientia causæ, sed effectûs, quoniam cognoscere causam, ut causam, est effectum per illam cognoscere; non dissimiliter hoc loco dicendo causas per medium monstrari, significat per medias causas effectus ostendi, hoc enim pacto dicimus per demonstrationem rei causam, hoc est rem per causam, cognosci.

Primus modus quomodo medium fit causa materialis.

Hæc autem Aristoteles declarat exemplis, & primò quidem explicans quomodo medium sit causa materialis, ait medium respectu conclusionis materiam dici, quatenus ex eo duæ propositiones conflantur, quæ dicuntur materia syllogismi, quo sensu medium non in sola demonstratione, sed in omni syllogismo materia est; hunc autem modum tetigit ne videretur aliquem omisisse, quo medium materialis causa respectu

conclusionis dici possit, de quo postea loquens ait. τούτου οὖν ὄντος ἀναγκη τὸ συμπέρασμα εἶναι. *Hoc igitur uno accepto, necesse est conclusionem esse*, ut significet materialem causam prædicto modo sumptam, medium esse demonstrationis, cò quòd in ea est tota præmissarum vis qualis est in medio, ita ut positâ tali causâ, necesse sit esse conclusionem; hic tamen modus est valdè improprius. Modus autem alter longè magis est proprius, quo medium demonstrationis causa materialis dicitur, illumque declarat exemplo geometricæ propositionis. *In circulo angulus, qui in semicirculo rectus est.* Exemplum pluribus scatet difficultatibus, quid mihi probabilius videatur, aperiam. Philosophus igitur angulum rectum ponit loco A, hoc est maioris extremi; dimidium duorum rectorum ponit loco B, hoc est medij; angulum in semicirculo ponit loco C, hoc est minoris extremi. Causa igitur, cur esse rectum necessario conueniat angulo in semicirculo, est medium B, quod est dimidium duorum rectorum, adeo ut hoc modo ratiocinetur, *omnis angulus dimidius duorum rectorum est æqualis angulo recto, atque adeo rectus; sed omnis angulus in semicirculo est dimidius duorum rectorum; ergo omnis angulus in semicirculo est æqualis recto, proindeque rectus*; ex Aristotelis igitur sententia dimidium esse duorum rectorum est medium spectans ad causam materialem, quo quidem medio existente, necesse est angulum in semicirculo rectum esse.

Sed quoniam Aristoteles passim ad illustrandam demonstrationis doctrinam ex Mathematicis disciplinis exempla desumit, ob id in horum consideratione iuvabit nonnihil immorari. Primò occurrit Propos. 31. tertij Elementorum.

In circulo angulus, qui in semicirculo rectus est.

Hæc tamen est particula illius propositionis, & quidem prima, cum alia in ea demonstrentur, primæ autem particulæ tantùm Aristoteles meminit, cum ipsa sit quæ ad propositum facit, demonstratio autem erit huiusmodi.

Sit circulus A B C, cuius centrum D, diameter autem A C, constituatur autem in semicirculo angulus A B C. Dico angulum A B C, in semicirculo rectum esse. Ducatur recta B D ad centrum, & extendatur A B, in F, quoniam igitur rectæ D A, D B, æquales sunt, erit angulus D B A angulo D A B æqualis. Eâdem ratione, erit angulus D B C, angulo D C B, æqualis, ideoque totus angulus A B C, duobus angulis B A C, B C A, æqualis erit, cùm sit æqualis duobus A B D, D B C. Est autem & angulus F B C, externus eisdem duobus internis, & oppositis B A C, B C A, angulis in triangulo A B C, æqualis; ergo anguli A B C, F B C, inter se æquales erunt, ac proinde uterque rectus; rectus igitur est angulus A B C, in semicirculo, quod propositum erat ostendere. Ex Aristotelis igitur placito huius demonstrationis medium est dimidium duorum rectorum, quod exprimitur dicendo angulos A B C, F B C, esse æquales, hinc enim angulus A B C, dimidium eorum cum sit, qui duos angulos rectos constituunt, dimidium est duorum rectorum, & idcirco rectus. Nec propterea fit petitio principij; licet enim re ipsa angulus, qui est rectus, idem sit, quod dimidium duorum rectorum, ratione tamen differunt, quod ad principij vitandam petitionem sufficit; ratione autem differre perspicuum est, nam angulus rectus, qua talis, dicit tantummodo inclinationem duarum rectarum, quarum una ita super aliam cadit, ut ex utraque parte æquè sit inclinata; at dimidium duorum rectorum dicit rationem partis, ac ob id ordinem ad totum inuoluit. Similes demonstrationes innumeræ penè sunt, quas Mathematicæ usurpat disciplinæ.



Sic etiam exemplo desumpto ex Physica demonstramus materialem causam esse posse demonstrationis medium; ut ad ostendendum omne mixtum esse corruptibile, materiali causâ, tanquam medio uti possumus hunc in modum. *Omne constans & contrarijs est corruptibile; sed omne mixtum constat & contrarijs; ergo omne mixtum est corruptibile.* Sic etiam esse corruptibile de composito physico Peripatetici per primam materiam, tanquam per causam materialem ostendunt. Ad hoc idem genus causæ pertinet sphærica figura Lunæ, cuius illuminationem paulatim factam per sphæricitatem, tanquam per causam materialem ostendimus.

Dum autem Philosophus progreditur ait τοῦτο δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ τί ἦν εἶναι, τῷ τοῦτο σημαίνειν τὸν λόγον. ἀλλὰ μὴν τῷ τί ἦν εἶναι αἴτιον ἐδείχθη τὸ μέσον. *Hoc autem idem est ipsi, quod quid erat esse, eo quod hoc significat ratio: verumenimuerò & ipsius quid erat esse causa monstratum est ipsum medium.* Videtur autem nil aliud significasse, quàm medium prædictum, scilicet dimidium esse duorum rectorum acceptum tanquam aliquid spectans ad anguli recti quidditatem, quatenus nimirum facit ad eius definitionem, ad formalem causam reduci, in cuius consideratione nihil immoratur, satius existimans in præcedentibus datâ operâ declarasse quo pacto quidditas, quæ formalis est causa, possit esse demonstrationis medium. Sed non desunt exempla quibus id possit declarari, tametsi namque passio, vel affectio formalem causam non habeat internam, per quam constituatur, cum ipsa potius formæ rationem obtineat; tamen multa demonstrantur per formalem causam subiecti, ut ex eo, quòd animal constat animâ sentiente virtute sentiendi praditum esse demonstratur. Vt præteream dari subiecti definitionem, quæ ut formalis causa se habet; dari quoque definitionem passionis, quam quidem definitionem in demonstratione tanquam medium assumi posse nonsensu infra explicando improbabile.

Causa formalis quomodo medium declaratur.

Exemplum etiam affert Philosophus, quo declarat efficientem causam in demonstratione tanquam medium habere locum. Proponatur, inquit, quæstio propterquid Medi bellum gesserunt aduersus Athenienses, hæc causa fuit, quoniam Athenienses una cum Eretrijs bellum intulerunt Sardis Medorum amicis; hoc enim mouit Medos ad inferendum bellum Athenensibus; in demonstratione igitur maius extremum sit A, hoc est Medorum bellum: Medius terminus sit B, hoc est prius bellum Athenensum in Sardos; quoniam enim Athenienses priores irruerunt in Sardos, eis postea illatum est bellum à Medis; minus autem extremum sit C, hoc est Athenienses, & potest effomari argumentatio per medium prædictum, tanquam per causam efficientem hoc modo. *Qui bellum prius infert amicis, equum est ut bellum patiatur; sed Athenienses priores bellum intulerunt amicis Medorum; ergo equum fuit, ut Athenienses bellum paterentur à Medis.*

Causa efficiens quomodo sit medium declaratur.

Hæc tamen probatio re verâ demonstratio non est, tum quia est de re singulari per causam singularem, tum quia de rebus est contingentibus, admittitur tamen potest tanquam exemplum, in quo non veritas, sed claritas desideratur. Huc spectat demonstratio, qua Philosophus ostendit Lunæ competere defectionem luminis ob interiectam terram inter ipsam, & Solem; interpositio enim terræ se habet veluti causa efficiens, quod ab omnibus ferè interpretibus admittitur.

adeo

adeo ut demonstratio per huiusmodi causam procedens, per efficientem causam concludere dici debeat. Non dissimiliter vitalitas de actibus liberis, quòd nimirum sit ipsis essentialis, ex eo probari poterit, quòd à principijs vitalibus producuntur; sic etiam libertas essentialis de actu voluntatis, eo quòd à principio prouenit libero, propterea quòd principium vitale non potest operari non vitaliter: neque principium liberum potest agere necessitate naturæ.

Quomodo causa finalis sit medium.

Tandem Philosophus descendit ad causam finalem per quam certè demonstrationem fieri posse, tanquam per medium luculenter ostendit sanitatis exemplo respectu deambulantis, hic enim sanitatis gratia deambulationem instituit; & acquirendæ gratia sanitatis deambulat. Addit etiam exemplum de domo, quæ ideo ex lapidibus & lignis constructa est, quoniam nos debet à pluvia, ac tempestatibus defendere.

Quatuor causarum genera esse posse demonstrationis media ratione suadetur.

Ratio autem eorum, quæ hucusque attulimus est, quoniam in quolibet genere dari potest causa per se, & adæquata alicuius effectus; quod si ita est, nihil prohibet quominus per ipsam possit demonstratio fieri *propter quid*.

Declaratio suprà dictorum.

Cum autem diceremus omnia causarum genera apta esse ad demonstrationem propterquid conficiendam, id non intelligendum uniuersè de qualibet conclusione, quod nimirum sit per omnia genera demonstrabilis, sed disiunctim, ut nimirum aliquando causa efficiens sit apta, quandoque causa formalis &c. dummodo tamen unaquæque ipsarum sit per se, & cum effectu conuertibilis, ut initio dixi.

Prima difficultas.

Sed aduersus dicta sic obijcies. Medium demonstrationis debet esse necessarium; at materia est causa contingentiæ, atque corruptibilitatis, & est in potentia contradictionis ad esse, & non esse; materia igitur non poterit in demonstratione tanquam medium adhiberi.

Confirmatio.

Confirmatur autem, nam passio non egreditur à materia, sed à toto composito, aut saltem ratione formæ, & si etiam à materia pullulare dicatur, non se habebit saltem hæc, ut causa materialis, sed potius ut efficiens per emanationem.

Solutio.

Respondendum materiam esse causam corruptionis, & contingentiæ realis, ac incomplexæ; hoc tamen non impedit quominus sit causa necessitatis complexæ, & propositionis æternæ veritatis, etiam ut materialis est causa; verè siquidem de composito naturali corruptibilitatem, per materiam tanquam per causam materialem ostendimus.

Confirmationi occurritur.

Confirmationi autem fit satis respondendo passiones denominare quidem totum, non tamen ab ipso fluere, tanquam ab aliquo distincto à partibus materiâ, & formâ simul sumptis, & unitis; sed quasdam à forma, alias autem à materia, comparatione quarum materia dici potest radix, & causa metaphysica; quanuis causalitas, quam erga subiectum demonstrationis materia quidem exercet, sit in genere causæ materialis, mediumque ponatur in demonstratione, non solum ut passionem, sed etiam ut subiectum respicit. Quando autem dicitur passionem conuenire composito ratione formæ, non est sumendum nomen formæ, significatione tam pressâ, ut solùm denotet partem alteram in composito à materia distinctam, sed latiori quâdam usurpatione pro interno principio, & quâcumque definitionis parte, sensu, quo Philosophus aliquando dixit, partes omnes definitionis formas esse quodammodo.

2. Phys. Tex. 27. & 3. Diuin. cap. 2.

Secunda difficultas.

Deinde causam efficientem idoneam non esse ad medij munus obeundum in demonstratione, ex eo quidam ostendunt, quoniam inter efficientem causam & effectum necessaria non intercedit connexio, siquidem efficiens esse potest sine effectu, ut ædificator sine domo.

Confirmatio.

Confirmatur autem, eò quòd medium debet esse internum rei de qua procedit demonstratio, quoniam hæc ex proprijs, atq; adeo internis constat; at efficiens non secus ac finis, externa causa est.

Solutio.

Vt difficultas enodetur reuocandum ad memoriam, quod aliàs etiam notaui, scilicet causam & effectum sumi vel in potentia vel in actu, causa efficiens accepta quidem in actu necessariam connexionem habet cum effectu pariter accepto in actu, at verò sumpta in potentia necessariò coniungitur cum effectu in potentia, quo pacto ex his fieri possunt propositiones per se, in quarto perfectatis modo, ut paulò infra explicabitur, ubi de modis dicendi per se sermo fiet.

Confirmationi satisfit.

Confirmationi autem occurritur respondendo non idem esse internum, ac proprium; licet ergo medium debeat esse proprium, non propterea sequitur esse debere internum.

Tertia difficultas.

Amplius finalem causam non esse adhibendam tanquam medium in demonstratione ratio illa suadere videtur, quoniam huiusmodi causa re verâ non præcedit effectum, sed solùm intentionaliter; non igitur poterit esse demonstrationis medium, cum hoc debeat esse causa realis, nam per ipsam passio debet realiter conuenire subiecto.

Solutio.

Occurritur respondendo causam finalem eo modo in demonstratione habere locum, quo locum inter causas obtinet; licet autem re ipsâ non præcedat effectum, adhuc tamen inter causas physicas recensetur, quia nimirum causa efficiens non operatur nisi gratia finis, & nisi ab hoc fuerit allecta, quod re ipsâ est in natura, quodque finali sufficit causæ, ut tanquam medium in demonstratione possit assumi.

Secundo asseritur Aristotelis auctoritate probatur.

Non solùm autem quodlibet causæ genus potest in demonstratione, tanquam medium adhiberi, sed amplius addendum per plura causarum genera conclusionem eandem ostendi posse.

Hanc assertionem expressam apud Aristotelem legimus, cum is nil aliud sibi voluerit dicendo, τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, καὶ μέχρι τῶν στοιχείων. *Tunc enim putamus unumquodque cognoscere, cum causas primas nouerimus, & principia prima, & usque ad elementa.* **Phys. text. 4.**

Ratio suadetur.

Ratio autem summè quidem efficax est, quoniam, ut eiusdem effectus plures causæ dari possunt diuersi generis à quibus per se pendeat: ita etiam per illas poterit demonstrari; propterea quòd ut res se habet ad esse, sic ad cognosci.

Et certè nihil prohibet quominus eiusdem rei, & conclusionis possint esse plures causæ, & quidem singulæ proximæ, ac adæquatæ; ita quidem rationalem creaturam ostendere possumus elicitiuam esse moralium actuum; tum ex causa efficiente, quoniam est intellectualis naturæ; tum ex causa finali, quoniam est ad Beatitudinem ordinata; tum velut ex causa formali, quoniam libertate fruitur in operando; tum demum velut ex causa materiali, quoniam substantia est spiritualis.

Proximè autem quæ diximus, quamuis vera sint, difficultatibus tamen urgeri solent, præsertim eo quòd Philosophus scientiam definiens ait esse cognitionem rei per causam, non autem per causas, non aliâ ratione, nisi quia cognoscebat unius rei unicam esse causam propriam. At quis non videt Aristotelem tantùm assignare voluisse, quod est absolutè necessarium ad acquirendam perfectam scientiam, saltem in ali-

aliquo genere, ad quod sufficit unius causæ proximæ, & adæquatæ cognitio, non propterea tamen negasse plures esse posse causas, per quas eadem conclusio demonstretur. Quòd si alibi videtur hoc significasse, dicendum voluisse tantùm docere prædicatum de una specie demonstratum per certam causam, de alijs per eandem posse demonstrari, si talis causa illis conueniat; nunquam tamen affirmasse per plures causas eandem conclusionem demonstrari non posse.

Difficultas versus demõstrationē *propter quid*

Neque perturbet, quòd aliquibus molestum est, nempe quòd medium deberet esse quid per accidens aggregatum; hoc enim incommodum non sequitur; non enim illa conclusio per illas causas unicâ, sed pluribus demonstrationibus ostenderetur.

Difficultas tamen aduersus demonstrationem *propter quid* ex Mathematicis disciplinis desumitur, in quibus communi Philosophorum consensu demonstrationis hoc genus reperitur, cum tamen non videantur per causam demonstrare; propterea iuuabit aliquam adhibere curam in explicando quam benè Mathematicus demonstrandi legibus obtemperet; non erit ob id alienum ab instituto, paululum in horum considerationem incumbere, quod fieri satis pro dignitate non potest, nisi consideratione unius, vel alterius demonstrationis, ex commemoratis disciplinis deprompta. Placet autem in exemplum assumere maximè obuiam demonstrationem primæ propositionis apud Euclidem, cuiusmodi est Problema sequens.

Prop. 1. lib. 1. *Super datam rectam lineam terminatam, triangulum æquilaterum constituere.*



Data sit recta linea terminata A B, super quam constituendum sit triangulum equilaterum. Centro A, & interuallo rectæ A B, *a* describatur circulus C B D; deinde centro B, & interuallo eiusdem rectæ B A circulus describatur alter C A D, secans priorem in punctis C, & D. Ex quorum utrouis, puta ex C *b* ducantur duæ rectæ C A, C B, ad puncta A, & B, *c*, & erit super rectam A B, constitutum triangulum A B C. Dico constructum hoc triangulum æquilaterum esse. Quoniam enim rectæ A B, A C ducuntur ex centro A ad circuli circumferentiam C B D, *d* erit recta, A C, rectæ A B æqualis. Rursus quoniam rectæ B C, B A ducuntur ex centro B ad circuli circumferentiam C A D, erit recta B C, rectæ B A, æqualis; tam igitur A C, quàm B C, æqualis est rectæ A B; quamobrem, & A C, B C, *e* erunt inter se æquales; tres igitur A B, A C, B C, inter se æquales erunt, proindeque triangulum A B C, æquilaterum erit.

a 3. pet.
b 1. pet.
c 20. def.
d 15. def.
e 1. pron.

Si hæc demonstratio dicenda est *propter quid*, necesse erit, ut per causam procedat, sed illam assignare non facile. Plerique triangulum affectionem esse crediderunt; nihil tamen ineptius, non enim in hac demonstratione triangulum est quæsitum, sed subiectum, quæsitum autem est æqualitas laterum, nam si triangulum esset affectio, foret assignandum subiectum, de quo illa demonstraretur, cum tamen nullum assignari possit, & demonstratio ostendit aliquid alteri inesse. Triangulum igitur est subiectum, de quo laterum æqualitas demonstratur; non est tamen triangulum utcunque, sed illud, quod ortum est ex illa circulorum descriptione; itaque hinc triangulum, ita constructum, tanquam subiectum, illinc autem laterum æqualitas, tanquam affectio demonstranda, medium superest assignandum, tanquam causa, ut demonstratio *propter quid* dici possit, ratione cuius prædicta affectio triangulo conueniat.

Placuit nonnullis ad detegendum medium huius demonstrationis, sic illam in sua principia resoluere.

Superioris demõstrationis è quorundã placito resolutio in prima principia.

Omne Triangulum habens tria latera æqualia est æquilaterum; sed triangulum A B C, tria habet æqualia latera; ergo triangulum A B C, est æquilaterum. Minorem ita confirmant. *Quæ eidem æqualia sunt, inter se quoque sunt æqualia; sed duo latera A C, B C, æqualia sunt eidem lateri A B; ergo & duo latera A C, B C, inter se æqualia sunt, proindeque tria omnia latera A B, B C, A C, æqualia existunt.* Minorem hac ratione colligunt. *Rectæ lineæ à centro ductæ ad circuli circumferentiam inter se sunt æquales; sed linea A B, A C, sunt ductæ à centro A ad circumferentiam C B D; ergo linea A B, A C, æquales sunt inter se;* Eadem ratione probant *A B, B C, æquales esse* cum ducantur à centro B, ad circumferentiam C A D,

Refellitur

Sed quàm puerilis sit superior resolutio, nullius laboris est ostendere; dum enim primo loco dicunt omne triangulum habens tria latera æqualia est æquilaterum, insulsè admodum loquuntur, nam idem est penitus dicere triangulum habens tria latera æqualia, ac triangulum æquilaterum, adeo ut propositio sit prorsus identica; nec triangulum habens tria latera æqualia posset esse medium, & æquilaterum esse maius extremum; tametsi nanque medium, non debeat esse re ipsâ distinctum à maiori extremo, debet saltem conceptu rationeque distingui; ut animal rationale, & risibile, hæc enim distinctio sufficit ne propositio, *omne animal rationale est risibile* dicatur identica; at inter triangulum habens tria latera æqualia, & æquilaterum, quæ nam distinctio cadit? profecto nulla, cum idem penitus sit, & re & ratione triangulum habere tria latera æqualia, & esse æquilaterum. Potius igitur argumentatio struenda est hunc in modum. *Omnis figura trilinea, constans lateribus, quæ sunt semidiametri circulorum æqualium, est æquilatera; sed figura trilinea descripta, prout problema iubet, constat lateribus, quæ sunt semidiametri circulorum æqualium; ergo figura trilinea predicto modo descripta est æquilatera.* Causa igitur æqualitatis laterum est, quòd latera ipsa sint duorum æqualium circulorum semidiametri, hæc enim causa reciprocatur cum ipsa figura trilinea per circulorum intersectionem descripta, & cum affectione æqualitatis laterum, adeo ut ad reciprocationem quod spectat, se habeat quemadmodum animal rationale respectu hominis, & respectu risibilis; qualis autem hæc causa sit, non satis obuium; crediderim dici posse definitionem subiecti, nam subiectum est figura trilinea, mutuâ circulorum intersectione descripta, quam si definire velis, certè non alio modo, quàm dicendo figuram esse constantem ex tribus lateribus, quæ sunt semidiametri duorum circulorum æqualium; affectio autem, quæ demonstratur, est eorundem laterum æqualitas. Demonstratio igitur per genus causæ formalis procedere dici debet; definitionem enim esse formalem causam, si non physicam, saltem metaphysicam perspicuum est, quod non semel Philosophus docuit, præsertim definiens formam dicendo, τὸ τί ἦν εἶναι. *quòd quid erat esse* immò *a* & affirmauit, ut superius etiam aduerti, omnes definitionis partes esse formas, eâ forsan ratione ductus, quoniam omnis realitas specifica, quales sunt definitionis partes, constituit in quodam esse formali, seu in esse quidditatiuo, realitas autem indiuidui præcisè constituit in esse materiali, siue contracto, adeout illa entitas dicatur formalis, hæc autem materialis; forma igitur de quidditate, atque definitione eiusque partibus dicitur; itaq; demonstratio procedens per definitionem subiecti, vel affectionis non immeritò per genus causæ formalis

a 2. Physic. tex. 28 & 3. de Anim. tex. 9. & 5. Diuin. cap. 2. & 7. eiusdem operis ca. 2. & 9.

lis procedere dici poterit. Quædam igitur Mathematicæ demonstrationes per formale causæ genus traditæ dici debent, de quo cum Aristotile infra.

2. Phys. tex. 17.

Aliæ autem sunt quorum medium causa materialis est, ut paulo antea dicebamus, cum & Aristotelis auctoritate, & ratione suffulti medium illius demonstrationis propositionis trigesimæ primæ tertij elementorum materialem esse causam ostenderemus, quatenus ipsa per partes integrantes, procedit, quę comparatione totius Aristotile quoque docente, materiæ locum obtinent. Itaque hoc demonstrationis genere Mathematicæ etiam disciplinæ utuntur, ita ut quandoque per genus causæ materialis demonstrent, non eò quòd ut plerisque visum est, circa quantitatem versentur, quæ materia etiam ab Aristotele quandoque dici solet intelligibilis, sed quia demonstrando utitur pro medio partibus integrantibus, quę respectu totius materiæ munere funguntur.

Mathematicæ quandoque utuntur demonstrationibus ducentibus ad impossibile.

Eædem quoque disciplinæ demonstrationis illud genus frequenter usurpant, cuius medium est aliquid, quod aliud necessariò concomitatur, ut congruentia, & æqualitas; hæc enim se mutuò comitantur: superiori autem Sectione dicebam demonstrationem propositionis quartæ primi Elementorum, per quidpiam necessariò concomitans procedere, & simul etiam asserebam ex quorundam placito, probationem hanc ad demonstrationem *quia* reuocari; num autē id rectè factum, in dubium reuocabam; propterea quòd hic demonstrationis modus, valdè Mathematicis familiaris est, apud quos forsan demonstratio *quia* non benè audit. Videtur tamen de nomine contentio, nam si per demonstrationem *propter quid*, intelligendam velimus illam, cuius medium sit vera causa physica, vel metaphysica, profectò dicere non poterimus illam demonstrationem esse *propter quid*, cuius medium est aliquid necessariò concomitans. Atsi nomine demonstrationis *propter quid*, permittamus probationem illam appellari, quæ si non per causam, saltem per aliquid se tenens ex parte causæ, procedit; nonsatis intelligo, cur demonstratio dici non possit *propter quid*, illa quæ per aliquod necessariò concomitans procedit. Vtcumque se res habeat, si de demonstratione ostensiuâ sermo fiat, duo sunt genera demonstrationum *propter quid*, quibus Mathematicæ utuntur disciplinæ, quorum unum per causam formalem metaphysicam, alterum per causam materialem, iam explicatam procedit. Tertium autem genus num ad demonstrationem *propter quid*, an ad demonstrationem *quia* reuocari debeat, non curo; nam ut dici debeant uti demonstrationibus *propter quid*, satis est duo priora demonstrationis genera frequenter ab ipsis adhiberi, cum huiusmodi demonstrationes re verâ *propter quid* dici possint.

In Mathematicis disciplinis frequenter usurpantur demonstrationes per aliquod necessario cōcomitans procedentes

Non rarò demonstrationibus utuntur ducentibus ad impossibile, hoc tamen huiusmodi disciplinarum dignitati nihil derogat, cum adhuc ob duo illa commemorata demonstrationum genera, dici mereantur uti demonstrationibus *propter quid*.

SECTIO DECIMAQVINTA.

De Medio demonstrationis Potissimæ.

Quo sensu hic potissima sumatur demonstratio.

AVerrois potissimâ demonstratione iam explosâ, tanquam specie non distinctâ à demonstratione *quia*, & *propter quid*, supereſt potissima demonstratio considerandа iuxta veriorem usurpationem, non quatenus à demonstratione *quia* secernitur, siquidem hoc pacto à demonstratione *propter quid* non distinguitur, de qua nos proximè locuti sumus, sed pro ut præcipua quędam est demonstratio *propter quid*, adeo ut nil aliud sit, quàm demonstratio *propter quid*, simpliciter, omnibusque numeris absoluta. Hoc itaque sensu potissimam demonstrationem accipimus, cum in præsentia considerandam ipsam suscipimus. Præcipuè verò demonstrationis *propter quid*, hæc usurpatio ducit ortum ex eo, quòd omnis demonstratio *propter quid*, per causam procedens cognitionem necessariam, euidentem, & certam, & ideirco scientiam parit; at causæ non inferunt æqualem necessitatem, euidentiam, ac certitudinem cognitionis, cum ex ipsis una sit interna, & essentialis, alia verò externa; una inferat certitudinem physicam, alia verò certitudinem metaphysicam; hinc ex demonstrationibus *propter quid* peculiaris quædam est, quæ cognitionem maximè necessariam, euidentem, ac certam, proindeque perfectissimam scientiam parit, cum hæc nil aliud sit, quam cognitio necessaria, euidens, ac certa per causam discursu comparata; quoniam autem ratione medij demonstratio, de qua loquimur, scientię perfectionem summam assequitur, idcircò quærendum quale sit potissimæ demonstrationis medium, an scilicet quodlibet causæ genus pro eius medio possit assumi.

Causæ scientiales tripl.

Mirum est quam variæ sint hac de re Philosophorum sententiæ, in quarum clariorem notitiam uberioremque dicendorum explicationem, pauca quædam præmittam; & primò quidem efficientem causam in duplici esse discrimine, scilicet externam unam, quæ agit actione transeunte, hoc est in subiectum distinctum; alteram autem internam, quæ agit in scipsam, & hanc duplicem esse, propterea quòd vel agit actione physica, cum videlicet in se producit effectum re ipsâ distinctum, ut cum graue descendendo noua celeritatis acquirit momenta; vel actione metaphysica, quando scilicet per metaphysicam resubstantiam aliquid ab ipsa dimanat, formali tantùm ratione diuersum; quod bifariam potest intelligi, vel ita ut emanatio sit cum distinctione ex rei natura dimanantis ab eo à quo dimanat, ut subtiliorem doctrinam profitentes affirmant, vel cum distinctione habente fundamentum in re ad actum tamen redacta per intellectum, quod aliàs nos explicuimus, & ut rationabilius amplexi sumus, existimantes rerum affectiones, proprietatesque non maiori distinctione ab ijs, quibus conueniunt distingui; harum autem causa non erit nisi essentia, quidditasque subiecti, quæ in ordine ad affectionem causa dicitur efficiens metaphysica: in ordine autem ad subiectum, quatenus est, τὸ τί ὢν. *Quod quid est*, ipsius causa dicitur formalis, qualis etiam in ordine ad passionem dici potest, eo nomine quòd prima sit formalis ratio, quâ talis passio subiecto conuenit; materialis etiam causa dici potest, eò quòd à subiecto, in quo recipitur affectio re non distinguitur; ad extremum dici etiam potest finalis eo quod omnia, proindeque passiones ad perfectionem subiecti ordinantur; illud nanque circumstant, & complent, ut non immeritò subiecti essentia, finis affectio dici debeat.

Passionis definitio triplex,

Amplius illud etiam est notatione dignum, passionem scilicet tribus modis definiri posse, adeò ut prima definitio sit formalis constans ex genere, & differentia, per subiectum, vel per terminum circumscripta, ut vulgata est illa eclipseos definitio, quâ dicitur, *eclipsis est priuatio luminis in Luna à Sole recepti. Item definitio tonitrui, est sonus in nube.* Secunda dicitur causalis, velut illa, in qua causa dumtaxat propria, & adæquata passionis adhibetur, ut *eclipsis est interpositio terræ inter Solem, & Lunam. Item tonitrus est extinctio*

Digitized by Google

tinctio ignis in nube. Tertia est, quæ ex utraque conflatur, quæque dicitur à demonstratione solâ terminorum positione situque differre; nam totum id inuoluit, quod in se continet demonstratio, ut *eclipsis est priuatio luminis in Luna à Sole recepti ab interpositione terræ proueniens. Item tonitrus est sonus ortus ex extinctione ignis in nube*. Itaque prætermissâ definitione subiecti, quæ principium est indemonstrabile, considerandæ est affectionis definitio, quæ triplex est, ut vidimus, è quibus definitio quæ dicitur formalis potest esse demonstrationis conclusio, quoniam causam habet, per quam potest demonstrari; alia verò per solam causam tradita, ratione causæ, medium potest esse demonstrationis; reliqua tandem à demonstratione re ipsâ non differt. His autem consideratis quid hac de re senserint clariores Aristotelis interpretes, breuiter explicabimus.

Phi hoc pla.

Plerique crediderunt quodlibet causæ genus dummodo proximum sit, & adæquatum pro medio potissimæ demonstrationis assumi posse. Alij solam formalem causam, quo nomine subiecti definitionem, non tamen ratione singularum partium, sed unius ultimæ differentiæ, medium esse demonstrationis de qua fit sermo, putarunt. Alij verò passionis definitionem in omni demonstratione potissima, tanquam medium, usurpandam esse contendunt. Alij conflatum quoddam ex utraque definitione scilicet subiecti, & affectionis tale medium esse arbitrantur. Alij demum affectionis causalem definitionem medium esse existimant in demonstratione potissima; rem autem sic explicant, ut huiusmodi definitio non sit subiecti, quamuis hoc inuoluatur in illa, sed si talis fuerit, non ut subiecti definitio, sed ut affectionis causa, tanquam medium usurpetur.

Assertio ima.

Asserendum primò formalem affectionis definitionem in potissima demonstratione, tanquam medium assumi non posse.

Aristotelis doctrina proba.

Hoc Aristotelem voluisse, ex eo mihi perspectum, quoniam in efformandis propositionibus ad elaborandam demonstrationem nos admonet, ut præ oculis prædicationis legem habeamus; ita ut curare nos debeamus ut in primis prædicatio naturalis sit; admisso autem demonstrationis medium esse formalem passionis definitionem, sequeretur in propositione maiori, prædicationem non naturalem fieri; ut si hoc definitionis genere definiatur risibilitas, definitio talis erit. *Risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum*, quæ si medium esse debeat, subiectum fiet in maiori propositione, adeo ut de ipsa definitum, puta, risibilitas enuncietur, fiatque propositio hunc in modum, *Quicquid habet aptitudinem ad ridendum, illud est risibile*, ubi risibile est definitum, quod de definitione prædicatur, cum tamen contrario modo res habere se debeat; nam iuxta naturalem prædicationis modum, definitio de definito debet enunciari. Ex Aristotelis igitur sententia, medium, de quo fit sermo, nequit affectionis definitio formalis esse.

Ratione detur, ima ra.

Amplius non satis intelligo, quo pacto huius sententiæ fautores principij petitionem declinare possint, assumatur enim ex. gr. probandum hominem esse risibilem, & in demonstratione debeat assumptio esse, quòd omnis homo aptitudinem habeat ad ridendum; quis non videt futurum, ut ignotum, per æquè ignotum probetur? æquè enim mihi ignotum est hominem esse risibilem, ac hominem habere aptitudinem ad ridendum. Sic de eclipseos formali definitione, quæ nil aliud quàm priuatio luminis in Luna à Sole recepti; æquè enim ignotum est Lunam deliquio laborare, ac lumin s à Sole recepti priuatam reddi.

Secunda ratio.

Præterea medium in ea, de qua fit sermo, demonstratione, id proculdubio esse debet, quod de subiecto, nullo intermedio prædicatur, ita ut quod non est huiusmodi, nequeat tanquam medium in hac demonstratione adhiberi; sed affectionis formalis definitio haud potest, nullo intermedio, de subiecto prædicari; eadem enim est ratio de affectionis definitione ac de affectione ipsa; hæc autem nequit immediatè de subiecto prædicari, propterea nec etiam eius definitio. Sed medium in demonstratione potissima tale esse debere, ut de subiecto nullo intermedio prædicetur, cuique satis est exploratum, cum neminem fugiat præstantissimam hanc demonstrationem, ex immediatis esse conficiendam.

Tertia ratio.

Tandem ratio non exigui momenti supra positam assertionem suadet, quòd medium in demonstratione potissima id esse non potest, quo cognito contingit adhuc quærere propterquid affectio subiecto insit, cognitâ autem affectione de subiecto per eius formalem definitionem, remanet adhuc inquirendum cur affectio subiecto insit; formalis igitur affectionis definitio nequit in potissima demonstratione tanquam medium usurpari. Maior propositio ex eo constat, quia sumptiones huius demonstrationis debent esse immediatæ; minor autem probatur ex eo quia talis definitio non est causa inhærentiæ passionis in subiecto, cum enim definitio passionis re non differat ab eadem; quemadmodum passio dici non potest causa propriæ inhærentiæ in subiecto, ita nec etiam eius definitio, de utraque siquidem eadem est ratio. Formalis igitur definitio passionis nequit esse medium demonstrationis potissimæ.

Assertio secunda.

Asserendum secundò conflatum ex definitione formali, & causali medium potissimæ demonstrationis esse non posse.

Aristotelis auctoritate probatur.

Hanc assertionem ad aures etiam Aristotelis existimo, propterea quòd ex eius sententia huiusmodi conflatum nil aliud est, quam definitio solùm terminorum positione situque à demonstratione discrepans; ut igitur demonstrationi repugnat medium esse, de quo loquimur, sic etiam prædicto conflato repugnabit. Philosophum autem conflatum ex utraque definitione formali, nimirum, & causali solâ terminorum positione, situque à demonstratione differre voluisse, palam est, & apertum; quandoquidem definitionem triplicem esse decreuit, quarum una ab eo dicitur principium seu medium demonstrationis, ut superiùs etiam notauimus, & est illa, quæ causam continet propriam, & adæquatam affectionis, ut propterea causalis appelletur; alia est illa, quæ conclusio potest esse demonstrationis, diciturque definitio formalis; alia demum affectionis definitio, quæ ex utraque constat, solâ terminorum positione dicitur à demonstratione differre, ex Aristotelis igitur sententia conflatum ex utraque definitione nequit potissimæ demonstrationis medium esse.

2. Post. Tex. 46.

Ratione suaderur. Prima ratio.

Ratione quoque superioris assertionis veritas comprobatur, quoniam potissimæ demonstrationis medium debet esse causa, ratione cuius affectio subiecto conueniat; huiusmodi autem non est, nisi unum per se, & non unum quidpiam, ex accidenti, at conflatum ex utraque definitione, non est quidpiam per se unum, ut satis notum est; perperam igitur statuitur medium demonstrationis, de qua fit sermo.

Secunda ratio.

Præterea aut illud conflatum dicitur esse medium ratione definitionis formalis, aut definitionis causalis; primum dici non potest, ut ex prima assertione constat; ergo secundum; quod si ita est ineptè admodum huiusmodi conflatum dicetur esse medium, cum

huius ratio in causali tantum definitione consistat.

Confirmatio. Confirmatur autem, quoniam potissimæ demonstrationis medium censeri debet id, ratione cuius affectio subiecto conuenit; hoc autem non est conflatum illud quatenus dicit definitionem formalem affectionis, sed quatenus eiusdem causalem definitionem importat; ob id potissimæ demonstrationis medium conflatum illud non erit ratione definitionis formalis, sed causalis tantùm; ergo medium potissimæ demonstrationis non erit illud conflatum, sed potius causalis definitio, cùm illud conflatum non sit quidpiam distinctum ab utraque definitione, nec medium esse possit ratione definitionis formalis.

Prima difficultas ex auctoritatibus desumpta. Tex. 41. 95. 98. Aduersus priorem assertionem sunt Aristotelis quædam ex secundo Posteriorum testimonia, ubi medium is docet esse rationem primi extremi, per rationem autem, definitionem intelligit, ut ex græca voce λόγος, & ex ijs, quæ postremo loco subdit, *quocirca omnes scientiæ per definitionem fiunt* perspicuum est; nomine autem primi extremi maius extremum, ac ob id affectionem intelligi, nemini dubium.

Solutio. Fiet satis respondendo Philosophum ibi non loqui de passionis definitione formali, sed causali, quam tanquam medium in demonstratione potissima adhiberi posse paulò post ostendere tentabo. Vt præteream ibi Philosophum non tam de demonstratione potissima, prout distincta à demonstratione *propter quid* absolutè sumptâ, quàm de ipsa demonstratione *propter quid* sermonem habere.

Secunda difficultas Deindè sic obijciunt. Id in demonstratione potissima medium existimandum, quod est proxima causa, à qua habet affectio, ut subiecto insit, quod ex huius demonstrationis natura satis euidens, & manifestum; proximã autem causam affectionis eius esse definitionem, facilè demonstrabimus; affectionis igitur definitio potissimæ demonstrationis medium existimari debet. Assumptio porrò suaderi potest auctoritate Philosophi dicentis. 2. de Anima Tex. 11. Ἔοικε δὲ ἐ μόνον τὸ τί ἐστι γνῶναι χρήσιμον πρὸς τὸ θεωρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων τοῖς οὖσιν. *Videtur autem non solùm ipsum quid est cognoscere, utile esse ad cognoscendas causas eorum, quæ substantijs per se accidunt.* Hoc enim loquendi genere videtur Philosophus indicasse subiecti definitionem esse causam primam, non proximam affectionum, unde consequens sit, ut proxima causa ex Aristotelis consilio, cum alia non suppetat, sit affectionis definitio. Ratione quoque suadetur eadem assumptio, quoniam affectioni proximus est id, quod per eius definitionem exprimitur, quàm quod per subiecti definitionem explicatur.

Solutio. Propositæ difficultatis solutio non eadem est apud omnes, crediderim tamen satisfieri negando minorem propositionem, & ad eius probationem respondendo; quatenus illa in auctoritate consistit, Philosophum nil aliud voluisse, quàm cognitionem accidentium, & eorum quæ substantiam circumstant haberi ex eiusdem substantiæ cognitione; nam cognoscendo quod quid est ipsius, cognoscimus accidentium causam, siue illa sint accidentia communia, siue propria, utro enim modo se habeant, semper eorum cognitio pendet à cognitione substantiæ, eò quòd hæc sit eorum causa; præsertim autem ad cognoscenda accidentia propria, cognoscere oportet, quod quid est substantiæ, eò quòd hæc sit eorum radix. Rationi autem obuiam itur respondendo definitionem substantiæ, atque subiecti adhuc esse proximam affectionis causam, si non quoad ordinem, saltem quoad causalitatem, nam re verâ hæc est, quæ causalitatem exercet qualiscunque sit, erga passionem, non autem ipsius passionis definitio. Vt omittam responderi etiam posse ratione suprapositæ difficultatis probari tantùm causalem definitionem affectionis, medium esse potissimæ demonstrationis, quod nos ultrò concedimus.

Contra tamen sic argues. Definitio passionis medium esse debet, quod est proxima causa connexionis eiusdem passionis cum subiecto; sed huiusmodi est formalis, non causalis definitio passionis, nam prædicta connexio immediatiùs prouenit à natura passionis, quàm subiecti; ergo definitio affectionis, quæ debet esse medium demonstrationis, non causalis, sed formalis esse debet. Resp

Respondendum minorem propositionem negando; non enim formalis definitio passionis est connexionis causa, sed extremum connexum, passio enim & ipsius definitio sunt extrema cum subiecto connexa, connexionis autem causa est subiecti definitio, vel causalis definitio passionis. Impr tioni satis.

Amplius. Passio nullo intermedio propriæ inest definitioni, cuius interuentu inest definitioni subiecti; ergo illa medium erit, non ista, quandoquidem demonstratio est ex immediatis. Terti ficul

Negandum assumptum; enimverò definitum haud rectè dicitur inesse definitioni, tam igitur passio, quàm definitio passionis nullo quidem intermedio inest subiecto, licet clariùs definitio insit, ita tamen, ut utraque subiecto, eiusdem intermediâ definitione insit. Solu

Illud etiam aliquid habet momenti, quòd medium & extrema debent eiusdem esse generis; at verò passio ad genus qualitatis pertinet; ergo medium ad idem genus pertinere debebit; sed nisi sit formalis definitio passionis non aliud apparet, quod ad huiusmodi genus pertinere possit, non enim definitio subiecti ut notum est; ergo formalis definitio passionis medium potissimæ demonstrationis existimandum erit. Qua difficu cas.

Occurritur respondendo passionem ad qualitatis genus pertinere, quando id cuius est passio ad huiusmodi genus pertineat, eò quòd ad idem genus, ad quod pertinet subiectum, affectio quoque spectare debeat. Negandum tamen in uniuersum affectionem ad genus qualitatis spectare, cum solùm pronunciare liceat eiusdem esse generis, cum subiecto, cuius naturam, & essentiam comitatur; ita quidem philosophari coguntur quicunque putant affectionem re non differre ab eo cuius naturam consequitur, quod nos tanquam verisimiliùs duximus, cum diceremus affectionem à subiecto re ipsâ non distingui. Ne commemorem non tam certum illud esse, nimirum extrema, & medium ad idem genus pertinere, ut negari non possit. Vnio siquidam, quâ quantitas (suppositâ huius reali distinctione à substantia) unitur substantiæ, certè non pertinet ad quantitatis genus; & in uniuersum unio, quâ accidentaria forma substantiæ iungitur, quamuis eiusdem generis dici possit cum uno ex extremis, puta, cum forma, cum altero tamen, scilicet cum substantia non item. Nullius igitur roboris superior est difficultas. Solu

Alij autem sic arguunt. Medium in demonstratione re & positione medium esse debet, adeo ut sit posterius subiecto, prius autem affectione; hoc autem modo solùm se habet affectionis definitio, quandoquidem hæc est affectione prior, & posterior ipso subiecto, cum alioquin subiecti definitio sit prior eodem. Qu difficu cas.

Omissâ quorundam responsione, tanquam inani, crediderim aliatæ difficultati satisfieri respondendo, medium potissimæ demonstrationis, solùm id sibi vendicare, ut sit affectione naturâ prius, nec dici medium, eò quòd sit posterius subiecto, & affectione prius, Solu

Digitized by Google

prius, sed quoniam ratione ipsius affectio subiecto conuenit; id enim, quo intermedio, hoc est, merito cuius affectio subiecto competit, non inconsultò fuit medium appellatum, quatenus ex eo quòd extrema cum eo uniuntur: inter se pariter cõnexionem habent; hoc enim sufficit medio, ut tale dici possit. Sed illud etiam accedit, quòd ex hac perspecta extremorum unione cum medio, mutuam eorundem connexionem intellectus deducit.

Sic etiam urgeri solet. Formalis definitio affectionis ijs omnibus est conditionibus prædita, quæ in medio desiderantur; est enim notior affectione, facit propositiones necessarias, de omni, per se, secundum quod ipsum, & per causam; ergo non immeritò potissimæ demonstrationis medium esse dicetur.

Falsum assumitur, cum aliquid in formali definitione affectionis desideretur, cuius defectu medium in hac de qua loquimur, demonstratione dici non potest; enim verò formalis definitio affectionis non inuoluit causam inhærentiæ ipsius in subiecto, nec dicit *propterquid* huiusmodi inhærentiæ; unde est ut hanc definitionem tanquam medium adhibendo necesse sit in principij petitionem incurrere, cum eadem sit quæstio de affectione, ac de eius definitione; idem enim est quærere, an homo sit risibilis, & an sit aptus ad ridendum.

Qui acriter autem propugnant maioris extremi definitionem esse potissimæ demonstrationis medium, eâ præcipuè ratione ducuntur, quoniam interroganti ex.gr. cur homo sit discursivus benè responderi potest, quoniam est aptus ad discurrendum, & quòd hæc definitio est magis nota, quàm definitum, & quòd si quis negaret hominem esse discursivum, hâc viâ posset conuinci. Potest etiam, inquiunt, talis definitio dici causa, ut passio subiecto insit, sicuti formalis est causa eiusdem passionis secundum se, quatenus nimirum in utraque præmissarum assumitur, quod esse aptum, sit discursivum, & quod esse aptum homini insit, quemadmodum etiam rationale est causa, ut homini insit discursivum, quia rationale est discursivum, & rationale homini inest. Immò addunt contingere posse ut aliter prædicatum de subiecto demonstrari nõ debeat, quàm per ipsius prædicati definitionem, quod exemplo declarant, animal, inquiunt, rationale definitio hominis est, quam per definitionem ipsius definitionis, ostendimus dicendo, *omnis oratio explicans essentiam hominis per genus, & differentiam est optima hominis definitio; sed animal rationale est oratio per genus, & differentiam explicans essentiam hominis; ergo animal rationale est optima hominis definitio.* Et si quæratur, quare animal rationale est definitio hominis, non aliter respondendum, nisi quia hominis explicat essentiam.

Sunt, qui respondent superiorem demonstrationem, potissimam non esse, cum esse definitionem formaliter secundam intentionem importet, quæ non conuenit essentialiter animali rationali, sed ex accidenti; & quanuis cõcederetur esse quoddam prædicatum quidditativum, adhuc non esse veram demonstrationem, quia per ipsam non ostenderetur passio de subiecto, sed potius prædicatum superius de inferiori, ut cum ostenditur hominem esse animal, per hoc quòd sit viuens sensitivum, in qua probatione præmissæ non sunt conuertibiles, & secundum quod ipsum. At si rectè attendas, facilè reperies definitionem illam causalem esse, nam cum dicimus oratio explicans essentiam hominis per genus, & differentiam, est optima hominis definitio nam exprimitur causa, cur huiusmodi oratio sit optima definitio hominis, siquidem exhibet genus, & differentiam, hinc autem habet, ut optima sit definitio; quamobrem si definitio formalis nequit esse medium, benè tamen causalis, nihil obstabit quo minus superior definitionis definitio, tanquam medium adhibeatur.

Remanet tamen scrupulus remouendus, in eo consistens, quòd idem sequitur absurdum pro definitione causali, quod pro formali; nempè definitum de definitione prædicari, quod contra prædicationis leges esse dicebamus. Dubitatio

Obuiam itur dicendo non eandem esse rationem de una, quæ de altera prædicatione, non enim idem sequitur inconueniens; quando siquidem definitio formalis est, contingit de definitione definitum prædicari; quando autem definitio est causalis non item; quod exemplo fit manifestum; definitio formalis censetur eclipseos, *est priuatio luminis in Luna, à Sole prodeuntis.* Dicendo igitur, priuatio luminis in luna, à Sole prodeuntis est eclipsis, prædicatur definitum de definitione. At si dicatur *eclipsis est interpositio terræ inter Solem, & Lunam*, & fiat propositio *interpositio terræ inter Solem, & Lunam est eclipsis*, prædicatur definitum, hoc est, effectus de causa, redditurque sensus, quòd huiusmodi effectus à tali causa proueniat; dispar igitur est ratio. Solutio.

Sed aliquæ sunt etiam difficultates aduersus secundam assertionem; quandoquidem primò illud occurrit, quod Aristoteles pronunciauit dicendo idem esse *quid est*, & *propterquid*; ergo medium dicere debet *quid est* passionis, & *propter quid*; sed non potest utrunque dicere nisi definitio conflata ex formali, & causali, nam ratione definitionis formalis, definitio, dicet *quid est*, ratione definitione causalis, dicet *propter quid*. Prima difficultas aduersus secundam assertionem. 2. Post. cap. 2.

Confirmatur etiam ex eodem Philosopho, quoniam medium debet esse causa ut passio sit simpliciter, & ut insit subiecto, sed hoc præstare non potest nisi definitio conflata ex formali, & causali, nam ratione definitionis formalis, est causa cur passio simpliciter sit, ratione definitionis causalis, est causa cur eadem subiecto insit. Confirmatio.

Respondendum Philosophi primum testimonium ab aduersarijs allatum nullum esse, cum loco ab ipsis citato id ipse non affirmet, sed tantùm disputet an eiusdem secundum idem possit definitionẽ ac demonstrationem esse, licet in progressu doceat eâdem demonstratione, quâ declaratur *propterquid* declarari etiam *quid*; hinc tamen non infertur medium esse debere definitionem conflatam ex formali, & causali definitione passionis; ut enim demonstratio declaret *propterquid & quid* requirit medium, quod sit causalis definitio passionis assertione sequenti, explicanda. Illud etiam addendum, *per quid* passionis intelligendam esse definitionem eius causalem, ad id autem formalem definitionem non requiri. Nec testimonium alterum quicquam concludit, nam causalis definitio passionis est causa ut passio simpliciter sit, & ut insit; unde enim habet passio ut insit subiecto, habet etiam ut simpliciter sit, quoniam eius inesse subiecto est eiusdem simpliciter esse, ut non semel à nobis dictum fuit. Solutio. Tex. 41. Confirmationi fit satis.

Præterea. Medium debet esse causa adæquata, à qua pendeat connexio passionis cum subiecto; at nequit esse huiusmodi, nisi definitio formalem, & causalem passionis inuoluens; ergo talis definitio medium in ea de qua loquimur, demonstratione esse debebit. Assumptio autem inde probatur, quoniam connexio passionis cum subiecto pendet ab ijsdem tanquam ab extremis; propterea non poterit esse connexionis causa Secunda difficultas

Digitized by Google

sa nisi definitio formalem, & causalem passionis inuoluens.

Solutio. Vt difficultati satisfiat oportet aduertere connexionem passionis cum subiecto re verâ pendere à subiecti natura, tanquam à causa; unde est ut causalis definitio passionis, rectè dici possit huiusmodi connexionis causa, nec ad id aliud quidpiam requiratur; quòd si connexio passionis cum subiecto dicatur ab ijsdem pendere, tanquam ab extremis, hoc nihil est, cum id ad demonstrationem non faciat; huius enim est solùm ostendere passionem inesse subiecto, & cur, & propterquid insit, causam afferendo potissimam, siquidem hîc de potissima demonstratione fit sermo; talis autem causa sufficienter per causalem passionis definitionem exprimitur, proindeque non est opus definitione formali, adeo ut demonstrationis medium sit ex utraque conflatum.

Tertia difficultas. Alij autem sic urgent. Medium huius demonstrationis debet perfectam notitiam passionis, atque adeo perfectam scientiam parere; sed hoc præstare non potest, nisi medium omne causæ genus contineat, quoniam ad unius cuiusque rei perfectam comparandam notitiam, omnia causarum genera oportet habere perfecta; ergo huius demonstrationis medium dici non poterit, nisi definitio constans omnibus causarum generibus.

Solutio. Hæc difficultas, quippequæ contra sequentem assertionem facit, paulò post diluetur explicando simul cuiusmodi esse debeat affectionis notitia, ut perfecta dici mereatur; interim à solutione abstinendum, cum difficultas aduersus superiorem assertionem non faciat, nisi quatenus se restringat ad causam formalem expressam per definitionem formalem passionis, & ad efficientem insinuatam per definitionem causalem eiusdem, seu per definitionem subiecti; tunc autem respondendum per hanc demonstrationem haberi notitiam perfectam passionis in determinato genere causæ, dicique posse notitiam cæteris perfectiorem, quatenus confertur cum hac, vel illa passionis notitia, habita per aliquod aliud causæ genus; eò vel maximè quòd causalis definitio passionis inuoluit subiectum, quod quodammodo cuiuslibet causæ munus erga passionem exercet.

Quarta difficultas. Ad extremum diluenda remanet difficultas ex præmissis desumpta, propterea quòd præmissæ ex quibus ea, de qua loquimur, demonstratio conficitur, maximè quidem propriæ ac immediatæ esse debent; huiusmodi porrò esse non poterunt, nisi medium sit definitio ex formali causalique constans, nam passionis definitione, puta formali tantùm, præmissæ maximè quidem propriæ forent passioni, non autem subiecto; at existente medio causali passionis definitione, seu definitione subiecti, præmissæ maximè forent propriæ subiecto, non autem affectioni; ut igitur sint maximè propriæ utrique, medium debet esse definitio utrumque complectens.

Solutio. Respondendum, quanuis medium demonstrationis utranque definitionem non complectatur, adhuc præmissas dicendas esse maximè proprias, quoniam ad hoc sufficit, ut medium sit cum utroque extremo conuertibile.

Assertio tertia. Asserendum præterea demonstrationis potissimæ medium, causalem esse passionis definitionem.

Auctoritate Aristotelis suadetur. Hanc assertionem Aristoteli placuisse diffiteri nemini licet, cum illam splendidè tradiderit; de hac enim demonstratione loquens, ait maius extremum, scilicet affectionem *esse id cuius medium est causa*, minus autem extremum *esse id cui medium est causa*; sic enim loquitur, Ἔστι δὲ μεῖζον, ᾧ ὑπάρχειν καθ' ὅλου συμβέβηκός ἐ μᾶλλον δοκεῖ προβλήματα εἶναι). *Licet autem, & id cuius est causa & id, cui est causa considerare per accidens: sed non videntur esse problemata.* Dicens autem *id cuius est causa* significat maius extremum, siue passionem, cuius causa quæritur; & dicens *id cui*, significat minus extremum, quod est subiectum, cui illa est causa, ut huiusmodi effectus insit; & quanuis loquatur de problemate accidentali, nihil est; non enim accidentale problema dicit eo quòd effectui sit causa accidentalis, cum potius velit semper intelligendam esse causam propriam, & adæquatam effectûs; sed accidentalem subiecto, cui tamen effectus accidentalis sit; quòd si effectus non fuerit subiecto accidentalis, nec etiam causa illi accidentalis erit; sat igitur nobis ipsum voluisse potissimæ demonstrationis medium causam affectionis esse.

Ratione quoque suadetur assertio, quoniam illud est medium in hac, de qua loquimur, demonstratione, per quod fit satis quæsito *propter quid*, ut idem Philosophus testatur non uno in loco; sed per causam passionis huic quæsito fit satis; scientia enim quærit causam cur passio subiecto insit, quâ cognitâ, quiescit intellectus; huiusmodi autem causa est causa passionis; ergo causa seu definitio causalis passionis erit potissimæ demonstrationis medium; at talem causam esse passionis causam, apertis verbis Aristoteles testatur, nam ex eius sententia, nos non opinamur, priùs quicquam scire, quàm utique cęperimus *propter quid*, circa unumquodque, & hoc est primam causam accipere; & manifestum, quod & nobis hoc faciendum est, & de generatione, & corruptione, deque omni physica mutatione, ut scientes ipsorum principia, reducere ad ipsa, quæsitorum unumquodque tentemus. *Docet igitur potissimæ demonstrationis medium esse*, quod diximus.

Valdè tamen est dubium, ex quo genere causæ definitio causalis, quam esse passionis ostendimus, constare debeat.

Asserendum definitionem causalem affectionis non debere ex quocunque genere causæ constitui, sed solum ex formali causa subiecti, adeo ut huius quidditatiua definitio secundum omnem partem, qua constat; potissimæ sit demonstrationis medium.

Assertionem hanc validissima ratio conuincit, quoniam huius demonstrationis medium debet illud esse, ex quo summa necessitas, videlicet metaphysica infertur, eo quòd hæc debet parere scientiam perfectissimam (talem enim demonstrationem potissimam esse volumus), quæ sine hac summa necessitate nequit subsistere; at nulla causa, præter formalem subiecti causam, potest hanc necessitatem inferre, cum solum physicam inducat, eò quòd effectus non ita necessariò ab ipsa, ut à formali subiecti causa prouenit; propterea formalis subiecti causa potissimæ demonstrationis medium censeri debet.

Confirmatur, ex eo quia medium talis demonstrationis, debet esse causa metaphysica, non physica; ergo debet formalis esse causa subiecti; optima consecutio, nam formalis causa subiecti, respectu passionis, causa metaphysica est. Assumptum sic ostendo. Illa causa debet huius demonstrationis esse medium, quam affectio summâ necessitate consequitur; sed hujusmodi est causa metaphysica; proinde metaphysica causa debet huius demonstrationis medium esse.

Aduersus tamen hæc illud facit, quòd omne id potest esse potissimæ demonstrationis medium, per quod perfectissima scientia potest comparari, adeo ut de re proposita nihil supersit quærendum, hoc enim est huius demonstrationis proprium; sed non solum causalis definitio

2. Post. tex. 96.

Ratio proba

Assertio quarta.

Ratio suadet

Confirmatio.

Dubium.

Dissolutio.

finitio affectionis tradita per formalem subiecti causam, verùm etiam per aliud quodcunque causæ genus est huiusmodi; ergo non solum causalis definitio affectionis tradita per formalem causam subiecti, sed etiam per aliud quodcunque causæ genus poterit esse medium potissimæ demonstrationis. Maior ut dicebam est certa; minorem videtur docuisse Philosophus dicens per causam satisfacientem quæstioni *propterquid* omnibus alijs quæstionibus satisfieri; at omnis causa, etiam si non sit formalis causa subiecti, satisfacit quæstioni *propterquid*; ergo non solùm causalis definitio affectionis, sed quodcunque aliud causæ genus perfectissimam scientiam parit, adeo ut de re proposita nihil supersit quærendum. Maiorem ab Aristotele traditam inductio confirmat, nam per extinctionem ignis in nube fit satis omnibus quæstionibus de tonitruo, *scilicet an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit*, sic etiam per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam omnibus quæstionibus de Eclipsi potest satisfieri; eodem modo de alijs innumeris eiusdem ordinis demonstrationibus.

Ex hactenus tamen traditis obuia fit difficultatis solutio; demonstratio enim potissima, si nominis propriam significationem retinendam velis, summam hoc est metaphysicam necessitatem exposcit, quam non nisi per medium, quod sit formalis subiecti causa, consequitur; demonstrationes autem per aliud causæ genus procedentes, physicâ solùm necessitate necessariam conclusionem inferunt.

Neque dicas commemoratis demonstrationibus accidentia per causam propriam, & adæquatam demonstrari; proindeque nihil illis deesse quominus potissimæ nuncupentur. Non inquam id dicas, nisi enim velis de nomine contendere, demonstrationes illę dici potissimæ non possunt, eò quòd conclusionem necessariam summâ necessitate non inferunt, seu quia summæ necessitatis defectu, utpote minori necessitate contentæ non mærentur potissimæ nuncupari.

Neque perturbet, quòd Mathematicæ demonstrationes dicantur potissimæ, quanuis non ex subiecti, definitione procedant; nam quid hac de re sentiendum copiosè paulo post explicabo.

Asserendum insuper formalem hanc subiecti causam eiusdem esse quidditatiuam definitionem, secundum omnem, quâ constat, partem.

Hanc assertionem docuisse videtur Aristoteles dicens. Τὸ προκείμενον δὴ τοῦτον· τὰ λοιπὰ θεωρητέον· δεῖ δ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων τὴν σκέψιν οὕτω ποιεῖσθαι, ὅπως τὸ τί ἐστιν ἀποδοθήσεται ὅσα τε τοιαῦτα, λυθείσης, ἢ τὰ δοκοῦντα ὑπάρχειν τῷ τόπῳ, ὑπάρχοντα ἔσται· ἢ ἔτι· τὸ τῆς δυσκολίας αἴτιον, ἢ τῶν ἐν αὐτοῖς παθημάτων, ἔσται φανερόν· οὕτω δ' ἂν κάλλιστα διανύοιτο ἕκαστον. *Supposito autem his, reliqua speculari decet. Oportet autem tentare considerationem, sic facere, ut ipsum quid est reddatur, ut & quæ dubitantur soluantur, & quæ videntur inesse loco, insint. Et amplius ipsa difficultatis, & earum, quæ circa ipsum, dubitationum causa erit manifesta. Sic enim pulcherrimè demonstrabitur unumquodque.* Quod etiam alibi significauit; nemini propterea dubium, quin superiorem assertionem Philosophus approbauerit.

Ea mihi videtur assertionis ratio, quoniam huiusmodi demonstrationis medium debet adæquatum esse principium, à quo tanquam à fonte proprietates, affectioneſve dimanant; ita autem se habet definitio quidditatiua subiecti secundum omnem partem; ergo talis definitio potissimæ demonstrationis medium esse debet. Assumptio constat, quoniam fons omnium affectionum est tota subiecti quidditas; sed hæc per definitionem secundum omnem partem exprimitur, non enim solùm per ultimam differentiam, sed per genericam quoque rationem explicatur, cum subiecti quidditas utranque rationem inuoluat; ergo quidditatiua subiecti definitio principium est à quo, tanquam à fonte proprietates, affectioneſve dimanant.

Amplius. Quod est principium, & causa aliorum, ut talia sint, maximè id tale esse debet, quod splendidè Philosophus docuit, tum ubi habet ἀεὶ γὰρ, δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει *Semper enim id magis tale est, propter quod unumquodque est tale*; Tum etiam ubi. ἕκαστον δὲ μάλιστα αὐτὸ τῶν ἄλλων, καθ' ὃ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τὸ σωφρονικόν, οἷον τὸ πῦρ θερμότατον, ἡ γὰρ τοῖς ἄλλοις τοῦτο τῆς θερμότητος. *Vnumquodque verò id ipsum maximè aliorum est, secundum quod alijs uniuocatio inest: ut puta ignis calidissimum, etenim cæteris hic est caliditatis causa*, sed subiecti definitio quidditatiua secundum omnem partem est causa, cur alia sint demonstrandi media; quanto enim magis aliqua ad subiecti definitionem accedunt, tantò magis demonstrandi rationem habent, quod ex affectionibus essentialiter ordinatis apertè colligitur, earum enim prima magis est idonea ad demonstrandum quàm secunda, quoniam illa magis ad subiecti definitionem accedit; propterea definitio quidditatiua subiecti secundum omnem partem maximè medium potissimę demonstrationis erit.

Secunda ratio. 1. Post. text. 15. 2. Diuin. text. 4.

Dicebam autem per formalem subiecti causam intelligi debere quidditatiuam definitionem eiusdem secundum omnem partem quâ constat, quoniam id cuius est definitio, vel est compositum physicum, vel metaphysicum, si primùm non solùm dicit formam sed etiam materiam; si secundum non solùm differentiam, sed etiam genus importat, prout autem totum, sic etiam definitio sumenda est, nimirum quatenus utranque partem inuoluit; & quanuis affectio nequeat recognoscere pro sui causa nisi partem alterutram, cum totum non sit quidpiam distinctum à ipsis partibus simul sumptis, & unitis; adhuc tamen definitio quidditatiua dicetur medium, hoc est causa secundum omnem partem, quoniam affectio, quæ consequitur totum ratione alterutrius partis, totum ipsum pro causa recognoscit, eò quòd pars, totius est pars, & partes ipsæ mutuò se respiciunt.

Superioris assertionis declaratio.

Obijcies. Admisso medium potissimæ demonstrationis causalem esse definitionem affectionis traditam per formalem subiecti causam, hoc est per quidditatiuam secundum omnem partem subiecti definitionem, sequeretur ex proprijs demonstrationem non esse; sed hoc alienum prorsus à veritate; ergo & id unde sequitur; constat autem sequela ex eo quia passiones omnes ab eadem causa fluentes, per eandem definitionem probarentur, proindeque non demonstrarentur per causam unicuique propriam, sed per communem pluribus.

Prima difficultas.

Neganda est sequela, & ad eius probationem respondendum, cum dicimus demonstrationem constare ex proprijs id sic intelligi, nimirum ut demonstratio procedat ex principijs conuertibilibus cum ijs quorum sunt principia, non autem ex principijs, quæ non sint communia pluribus, atque adeo procedat ex medio, quod cum affectione reciprocetur, etsi illud sit commune pluribus affectionibus, dummodo cum ipsis reciproecetur, quod non repugnat; rationale nanque commune est admiratiuo, & risibili, & cum singulo reciprocatur.

Solutio.

Præterea. Sequeretur committi petitionem principij, quod non est admittendum. Probatur autem sequela ex eo quia definitio non distinguitur à definito; demonstrando igitur affectionem conuenire subiecto

Secunda difficultas

biecto definito propterea quòd eiusdem subiecti definitioni conueniat, probaretur idem per idem, quod est principium petere.

Solutio. Negandum committi petitionem principij, ad quam declinandam non requiritur distinctio ex rei natura, nec maior illâ, quæ est per intellectum cum fundamento in re, immò sufficit distinctio penes explicitum, & implicitum, qualis est inter definitionem, & definitum, ne idem scilicet per idem probari dicatur; res enim eadem quatenus expressa per conceptum confusum, distinguitur à se ipsa prout expressâ per conceptum distinctum; prout verò stat sub conceptu distincto, potest esse id, per quod prædicatum, hoc est affectio conuenit eidem prout stat sub conceptu confuso; ostendendo igitur affectionem de subiecto per eiusdem definitionem, non demonstramus idem, per idem; nam ostendendo affectionem conuenire subiecto definito, eò quòd conueniat definitioni, demonstramus conuenire subiecto per aliquid, quod est notius ipso, & cui conuenire affectionem clarius, & notius est intellectui, quàm conuenire subiecto; nulla igitur contingit fallacia petitionis principij.

Tertia difficultas. Alij autem sic arguunt. Sequeretur demonstrationem esse ex mediatis, hoc autem inconueniens, cum sit contra leges bonæ demonstrationis; ergo etiam & id unde sequitur; sequelam autem ostendunt, eò quòd passio definitioni conuenit subiecti non immediatè, sed mediâ propriâ definitione, quemadmodum secunda passio conuenit intermediâ primâ.

Solutio. Occurritur negando sequelam, & ad eius probationem respondendum adhuc demonstrationem dici ex immediatis constare, quoniam affectio, eiusque definitio subiecto conuenit immediatione subiecti. Secunda autem passio dicitur immediatè conuenire subiecto immediatione causæ, quandoquidem posterioris affectionis causa non prior affectio simpliciter, sed subiecti quidditas est, quæ prima omnium affectionum causa non immeritò dici debet. Cæterum eadem difficultas fieri posset de definitione passionis, hæc enim conueniret subiecto mediâ ipsius subiecti definitione.

Quarta difficultas. Amplius sequeretur maiorem, & conclusionem esse propositiones spectantes ad eundem, nempe secundum modum dicendi per se, quod alienum à veritate videri potest.

Solutio. Respondendum hoc nullum incommodum esse, quoniam aliquid interest inter maiorem propositionem, & conclusionem, siquidem in illa quidem predicatur affectio de definitione subiecti, in hac de subiecto ipso; notius est autem intellectui passionem subiecti definitioni conuenire, quàm ipsi subiecto, quod satis demonstrationi, etiam si utraque propositio ad eundem, scilicet secundum per se dicendi modum pertinere dicatur.

Sed quoniam posset quispiam suspicari definitionem commemoratam esse medium solùm, ut affectionis causam, non autem ut subiecti definitionem, quòd à veritate remotum existimo.

Assertio sexta. Asserendum propterea quidditatiuam subiecti definitionem potissimæ demonstrationis medium non solùm, ut affectionis causam, sed ut subiecti definitionem esse.

Ratione probatur. Suadetur autem, quoniam medium quatenus tale dicere non solùm debet connexionem necessariam cum affectione, seu prædicato, sed etiam cum subiecto, propterea quòd subiectum eatenus infertur in conclusione necessariò unitum esse cum proprietate, siue passione, quoniam in præmissis ostensum est subiectum, & affectionem cum medio uniri; quemadmodum igitur medium dicitur tale formaliter, ut est passionis causa, quoniam sub hac ratione necessariò cum affectione connexum est; non dissimiliter definitio dici debebit formaliter medium, quoniam sub hac ratione cum subiecto necessariam connexionem importat.

Aduersus tamen hæc sic obijcies. Definitio subiecti ut sic dicit causam inhærentię passionis in subiecto, non autem *propter quid;* at de ratione medij est, quòd sit causa inhærentiæ, & dicat *propter quid*. Prim diff.

Solutio in eo posita, quòd subiecti definitio simpliciter non dicit causam inhærentiæ, nec *propter quid*; eius enim est tantùm explicare, in quo subiecti natura consistat; ut tamen subiecti definitio, & ut affectionis causa, & inhærentiæ causam, & *propter quid* utique dicit; enimuerò quatenus definitio subiecti, & ut affectionis causa, dicit hoc quod est, esse id unde habet affectio ut subiecto insit, in quo eius esse consistit. Solut

Amplius. Demonstratio eò solùm dirigitur, ut tradat scientiam maioris extremi, non autem minoris; per accidens igitur est, medium esse definitionem subiecti; hoc enim modo solùm habet ut subiectum, non ut affectionem notificet. Secu diff

Occurritur respondendo demonstrationem dirigi non ad cognoscendam passionem simpliciter, sed ut in subiecto existentem, proindeque requiri ut medium cognoscatur quatenus idem cum passione, & subiecto. Solu

Deinde sic urgent. Tametsi quandoque medium sit oratio, non rarò tamen usu venit, ut sit sola dictio; at dictio non est oratio, cum tamen definitio semper oratio sit, ex accidenti igitur est, ut medium sit definitio, cum quandoque sit talis, quandoque verò non item. Tertia ficultas

Non inficiandum sæpesæpius dictionem pro medio quidem usurpari; re tamen verâ dictionem loco definitionis accipimus, cum enim hæc duplici parte constat alterutram ex illis prout expedit tanquam medium assumimus; nec ineptè quatenus una, vel altera definitionis pars, puta materialis, vel formalis est veluti prima radix, à qua proprietas, vel affectio suum esse recognoscit. Ita quidem dicimus omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis, rationale sumentes pro integra hominis definitione, nempe animal rationale. Solut

Præterea medium, ut medium est causa, quandoquidem per medium scimus, scire autem est rem per causam cognoscere; per accidens igitur est, ut medium sit definitio; non enim medium causa est ut definitio, quin potius ratio medij definitionis rationem non inuoluit; quod euidenter constat ex eo, quòd in demonstratione, *à posteriori* necesse est dari medium, quod tamen causa non est. Qu difficu

Obuiam itur respondendo medium non esse causam simpliciter, quando demonstratio est *propter quid*, sed causam connexionis prædicati cum subiecto; quando verò demonstratio est potissima, causam esse connexionis necessariæ necessitate summâ seu metaphysica, quæ haberi non potest nisi medium sit essentiale subiecto, ut propterea medium in huiusmodi demonstratione debeat esse definitio subiecti causa verò passionis. In demonstratione autem *à posteriori* medium inuoluit rationem causæ, non quidem in essendo, sed in cognoscendo tantùm; medium siquidem dici potest causa passionis, vel in essendo, vel in cognoscendo. Medium priori modo est id à quo passio re verâ accipit esse quatenus est id, a quo ipsa habet ut subiecto insit, quod autem est causa in essendo, est etiam in cognoscendo; cum unumquodque ut se habet Solutio

Digitized by Google

habet ad esse, & etiam ad cognosci, atque adeo quod habet esse per aliud, necesse est, ut per illud cognoscatur. Medium autem secundo modo est id à quo etsi aliquid non recipiat esse, habet tamen ab ipso ut cognoscatur, nimirum ut causa vel existere; vel alicui uniri cognoscatur.

Latissimus autem aperitur mihi philosophandi campus in presentia, occasione eorum quæ diximus, videlicet potissimæ demonstrationis medium causalem esse definitionem affectionis traditam per formalem subiecti causam, nimirum per quidditatiuam eius definitionem, quoad omnem partem, qua constat; in hoc enim ferè omnes deceptos aduerti, solumque Zabarellam benè philosophatum fuisse. De his tamen Sectionem sequentem instituere præstabit, in qua diuersarum scientiarum demonstrationes ad trutinam reuocentur.

SECTIO DECIMASEXTA.

Quarundam scientiarum demonstrationes expenduntur.

Docebam potissimæ demonstrationis medium esse causalem definitionem affectionis traditam per formalem subiecti causam, hâc acceptâ pro quidditatiua subiecti definitione, non quòd nulla sit potissima demonstratio, quæ tali non utatur medio; sed quia præcipua demonstratio quæ potissima dicitur, talis est, ut medium habeat prædictum. Nam re verâ quantumuis diligenter euoluas trianguli definitionem, nunquam per illam ostendes triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; trianguli siquidem definitio talis est. *Triangulum est figura tribus lateribus constans*; idcirco Geometra trilateras figuras definiens ait, τρίπλευρα μὲν, τὰ ὑπὸ τριῶν. *Trilateræ quidem, quæ sub tribus*. Quis autem hinc deduci posse crediderit, triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales? Non igitur putandum omnem demonstrationem potissimam per tale medium procedere; nam demonstratio trigesimæ secundæ primi Elementorum, in qua de triangulo commemorata demonstratur affectio, videtur potissima dicenda, quantumuis per tale medium non procedat. Hæc Aristoteles dissertissimis verbis nos docuit dicens. Εοικε δὲ ὐ μόνον τὸ τί ἐστι γνῶναι χρήσιμον εἶ πρὸς τὸ θεωρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων τοῖς οὐσίαις, ὥσπερ ἐν τοῖς μαθήμασι τὶ τὸ ἰνθὺ, καὶ τί τὸ καμπύλον. ἢ τί γραμμὴ καὶ ἐπίπεδον, πρὸς τὸ κατιδεῖν πόσαις ὀρθαῖς αἱ τὸ περιγώνε γωνίαι ἴσαι. *Videtur autem non solùm cognitio quid est, utilis esse ad inspiciendas causas eorum quæ substantijs per se accidunt, ut in Mathematicis cognoscere quid sit rectum, & quid obliquum, aut quid linea, & planum* confert *ad videndum, quòd rectis anguli trianguli* sint æquales. Paucis autem interjectis subdit, πάσης γὰρ ἀποδείξεως ἀρχὴ, τὸ τί ἐστι. *Omnis enim demonstrationis principium* est cognitio *quid est*. Certum est autem per *quid est*. Philosophum nil aliud significare, quàm definitionem subiecti; docet enim ex cognita natura subiecti, cognosci causas accidentium, naturam illam comitantium. Sententia igitur verborum hæc erit. Cognitio essentiæ subiecti confert ad obtinendam scientiam accidentium per suas causas; ubi substantiæ nomen accipit vel pro essentia, ut sensus verborum sit, cognitio ipsius quid est, confert ad contemplandas causas eorum, quæ accidunt essentijs rerum, seu, quę rerum essentias consequuntur, ut sunt proprietates, ac affectiones. Vel nomen substantiæ accipit pro scientiæ subiecto, siue ipsum re verâ substantia sit, ut in scientia naturali, siue accidens, ut in Mathematicis; sensus tamen in idem recidit, nam quæ accidunt per se subiectis, essentias eorum consequuntur; rectiùs tamen, ut Zabarella aduertit, sumitur substantia pro scientiæ subiecto, quod substantiæ nomine alibi sumptum fuisse constat ex ijs quæ primo Posteriorum habet, ubi unitatem, & punctum substantias appellat, quæ sunt subiecta in Arithmetica & Geometriæ. Quamobrem Arist. sententia erit, quam diximus, nempe quòd cognoscere quid est, & essentiam subiecti, confert ad cognoscendas causas affectionum, subiecti naturam comitantium. Ex his autem nostra sententia perspicuè constat, videlicet non semper in demonstratione potissima medium esse definitionem causalem passionis traditam per formalem subiecti causam, hoc nomine intelligendo quidditatiuam eiusdem definitionem secundum omnem partem, ut explicuimus, licet huiusmodi definitio subiecti sit primum medium in scientia, & prima omnium accidentium causa, aliquorum tamè proxima, & aliquorum remota; nam ut rectè notauit laudatus nuper interpres, Philosophus non dixisset *ipsum quid est* in singulari numero, & *causas* in particulari, neque dixisset ipsam definitionem esse utilem ad cognoscendas causas, si ipsamet sola illorum causa foret; sed quia est prima causa, à qua aliæ intermediæ causæ pendent, ob id eam esse dicit utilem ad causas contemplandas, hoc est, inuestingandas. Hujus autem interpetrationis confirmatio, ex ijs, quæ subdit exemplis desumitur; ait, enim, ὥσπερ ἐν τοῖς μαθήμασι τί τὸ ἰνθὺ καὶ τί τὸ καμπύλον, ἢ τί γραμμὴ καὶ ἐπίπεδον, πρὸς τὸ κατιδεῖν πόσαις ὀρθαῖς αἱ τὸ περιγώνε γωνίαι ἴσαι. *Vt in Mathematicis quid sit rectum, & quid obliquũ aut quid linea, & planum ad videndum, quod rectis anguli trianguli* sint æquales. His utique verbis docet Philosophus, quod superiùs dicebam; cùm enim affirmasset subiecti definitionem conferre ad cognoscendas accidentium causas, non ut omnium demonstrationum medium, sed ut primam omnium radicem, & causam; in præsens exempli loco affert definitiones superficiei, & lineæ, & lineæ rectæ, & lineæ obliquæ, quæ sub adæquato subiecto Geometrię, tanquam species continentur, quarum definitiones prima sunt principia in ea scientia, sine quorum notitia demonstrare nobis haud licet tres angulos trianguli duobus rectis æquales esse, quamuis prædictarum definitionum nulla sit medium demonstrationis illius, quæ cum trigesimum secundum obtineat locum, à primis definitionibus, primisque principijs valde remota est; medium autem ipsius proximum, quo de triangulo prædicta demonstratur affectio, nimirum habere tres angulos æquales duobus rectis, est affectio alia naturâ prior, scilicet æqualitas anguli externi duobus internis, & oppositis. Hinc illa mathematicarum demonstrationum series, adeo ut ex ijs una supponat aliam, donec ad prima indemonstrabilia principia deueniatur. Cogitandum enim inter affectiones subiecti dari quendam naturæ ordinem adeo ut una consecutionem habeat ad aliam, quod in causa est ut quantumuis subiecti alicuius naturam summâ curâ diligentiâque tractemus & acerrimè simus in eius considerationem intenti, nunquam, nisi priùs aliquibus affectionibus demonstratis, alias demonstrare valeamus, quod exemplo trianguli potest luculenter ostendi; quantumuis enim quispiam intra cancellos tamen geometricæ abstractionis, trianguli naturam diligenter euoluat, reperiet, ut paulo antea dicebam, nil aliud quam figuram tribus rectis comprehensam, solâ autem hâc habitâ notitiâ de triangulo, nunquam poterit de eodem affectiones innumeras demonstrare, neglecto earum or-

1. Post. tex. 178.

dine, quem dixi, adeò ut unam prius, deinde vero aliam inde prodeuntem ostendat; & quoniam res pluribus est difficultatibus inuoluta, idcirco dabo operam aliquas demonstrationes obseruando, ut ex hisce cotibus enauigare possimus. Ducam autem à mathematicis demonstrationibus exordium, mox gradum facturus ad physicas & metaphysicas.

Causa materialis in Mathematicis demonstrationibus medium, ex Aristotile.

Ex sequentibus autem constabit apertè, quod superiùs innuimus, scilicet in Mathematicis disciplinis, pro demonstrationis medio duplicem causam adhiberi, materialem unam, & formalem alteram; cùm enim Mathematicus utatur vel demonstratione ducente ad incommodum, vel ostensiuâ, (omitto nunc illud peculiare demonstrationis genus Mathematicis consuetum, quemadmodum, & illud, quod per aliquid necessariò concomitans procedit, quæ etsi ostensiua sit, dubium tamen an ad *propterquid* an ad *quia*, reuocetur) in ostensiua duplicem pro medio causam adhibet, vel materialem scilicet, vel formalem. Hoc notauit Philosophus, nam in Mathematicis disciplinis materialem causam, tanquam medium usurpari differtè docet, Δῆλον δὲ καὶ ὧδε. διὰ τί ὀρθή; ἢ ἐν ἡμικυκλίῳ; ἤτίνος ὄντος, ὀρθή; *Sed & hoc modo* idem *manifestum fiet. Cur rectus* est angulus, *qui* est *descriptus in semicirculo? aut quo posito* necesse est, ut *rectus* sit? Subdit paulo post dicens, αἴτιον τὸ β. αὕτη δὲ γίνεται ἴσον. ἢ δὲ τοῦ γ τῇ β δύο γὰρ ὀρθῶν ἡμίσεια τοῦ βοῶ ὄντος ἡμίσεως δύο ὀρθῶν, τὸ α, τῷ γ ὑπάρχει. τοῦτο δ' ἦν τὸ ἐν ἡμικυκλίῳ ὀρθὴ εἶναι *causa* est τὸ β *hic enim* angulus est *æqualis* τῷ α. angulus autem τὸ γ, est æqualis τῷ β *quia* est *dimidium duorum rectorum* angulorum, *si igitur sit* τὸ β *id est dimidium duorum rectorũ* angulorum τὸ α τῷ γ *inest: hoc autem erat, angulum descriptum in* semicirculo, *rectum esse*. Philosophus igitur est arbitratus in commemoratis disciplinis materialem causam, pro demonstrationis medio adhiberi nam dimidium esse duorum rectorum, materialem causam præfefert, cum pars integralis, comparatione totius, materiæ locum obtineat.

2. Post. tex. 48.

Causa formalis itidem medium, ex Aristotile. Ibidem.

Idem Philosophus à Mathematicis, tanquam medium usurpari causam formalem testatur; non solum loco nuper laudato, ubi paulò post subdit, τοῦτο δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ τί ἦν εἶναι, τῷ τοῦτο σημαίνειν τὸν λόγον. ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι αἴτιον δέδεικται τὸ μέσον. *Hoc autem est idem, quod quidditas, quia hanc significat definitio, sed & quidditatem ostendimus esse causam mediam*.

2. Physic. tex. 69.

Non solum inquam ibi, sed alibi dicens, Ὅτι δ' ἔστιν αἴτια, καὶ ὅτι ἰσὰ τοσαῦτα τὸν ἀριθμὸν ὅσα φαμὲν, δῆλον. τοσαῦτα δὲ τὸ ἀριθμὸν, τὸ διὰ τί ἐπιζητεῖται. ἢ γὰρ τὸ τί ἐστιν ἀνάγεται τὸ διὰ τί, ἔσχατον ἐν τοῖς ἀκινήτοις, οἷον ἐν τοῖς μαθήμασιν· εἰς ὁρισμὸς γὰρ τὸ εὐθὺς, ἢ συμμέτρου, ἢ ἄλλου τινὸς ἀνάγεται ἔσχατον. *Esse autem causas, ac tot esse numero, quot diximus, manifestum est, tot enim numero comprehendit* quæstio, *cur sit: nam* quæstio *cur sit*, *vel ad quidditatem inducitur*, quæ *extremum* est *in* rebus *immobilibus, ut in Mathematicis: ad definitionem enim recti, aut symmetri, aut alius cuiuspiam ad postremum reuocatur*. Quibus Aristoteles in mathematicis usum causæ formalis pro demonstrationis medio luculenter ostendit. Contendit enim ibi probare ad quæstionem *propterquid* responderi per aliquam ex quatuor assignatis à se causis; & initio ducto à causa formali, probat intentum, quia, dum quæritur *propterquid*, rerum immobilium, siue re ipsâ sint tales, ut intelligentiæ, siue per solam abstractionem, ut res mathematicæ, tunc respondetur solùm per definitionem quidditatemve, tanquam per causam formalem, vel quasi formalem; adeout ut *propterquid*, quandoque, ut in prædictis disciplinis, ultimò reducatur in *quod quid est*; nam in ipsis *propterquid* reducitur ad definitionem anguli recti, vel commensurati; adeo ut si quæratur *cur aliquis angulus sit rectus*, respondendum sit per definitionem anguli recti, dicendo quia hic angulus constituitur ex linea recta cadente super aliam rectam, & faciente duos angulos æquales ex utraque parte. Si verò quæratur, cur diameter quadrati sit incommensurabilis costæ? Respondetur per definitionem commensurabilis, atque incommensurabilis.

Ratio autem inde desumitur, quoniam res considerata ab huiusmodi disciplinis suam habet essentiam, à qua intra fines mathematicæ abstractionis proprietates, affectionesvè dimanant, quæ propterea de re ipsa considerata, per definitionem, quâ eius exprimitur, essentia demonstrari commodissimè possunt.

Primò autem ad trutinam reuocanda demonstratio primæ propositionis primi Elementorum, quæ Problema est huiusmodi.

Super datam rectam lineam terminatam, triangulum æquilaterum constituere.

Sit proposita recta linea terminata A B, super quam triangulum æquilaterum oporteat constituere. Centro A, & interuallo rectæ A B, describatur circulus C B D; item centro B, & interuallo eiusdem rectæ B A, circulus alter describatur C A D, priorem secans in punctis C, & D; ex quorum utrovis, nimirum ex C, ducantur duæ rectæ lineæ C A, C B, ad puncta A, & B; & ducatur super rectam A B constitutum triangulum A B C, nempe figura tribus rectis lineis comprehensa. Dico hujusmodi triangulum æquilaterum esse. Quoniam enim rectæ A B, A C, ducuntur ex centro A, ad circuli circumferentiam C B D, erit recta A C, rectæ A B, æqualis. Rursus quoniam rectæ B C, B A, ducuntur ex centro B ad circuli circumferentiam C A D, erit recta B C, rectæ B A, æqualis. Tam igitur A C, quàm B C, æqualis est rectæ A B. Quare, & A C, B C, inter se æquales erunt, atque adeo A B, B C, A C, erunt omnes inter se æquales, & ob id triangulum A B C, æquilaterum erit.



Hæc demonstratio potissima est, quippeque procedit per definitionem figuræ rectilineæ descriptæ, prout Problema præscribit, adeo ut definitio sit medium, figura ipsa sit subiectum, de quo per tale medium, æqualitas laterum, tanquam affectio demonstretur.

Secunda propositio, quæ pariter Problema est, nempe.

Secunda propositio eiusdem libri.

Ad datam punctum, datæ rectæ lineæ æqualem rectam lineam ponere demonstratur per aliquid necessariò concomitans, concluditur enim duarum linearum æqualitas ex æqualitate utriusque cum tertia. Cuiusmodi autem sit huius demonstrationis genus, non multo antea insinuatum fuit; certum si potissima demonstratio non est, eò quòd eius medium non sit definitio quidditatiua subiecti, inter potissimas tamen videtur recensenda, quoniam ex immediatis principijs conclusionem deducit; non est autem putandum in disciplinis demonstrationes omnes eiusdem esse perfectionis; aliæ enim alijs dignitate præstant, ac antecellunt.

Tertia Propositio, quæ itidem Problema est, puta.

Tertia propositio eiusdem libri.

Duabus datis rectis lineis inæqualibus, de maiori æqualem minori rectam lineam detrahere.

Tertia inquam propositio demonstratur non secus ac superior per aliquod necessariò concomitans, proindeque eiusdem ordinis est cum illa.

Propositio quarta eiusdem libri.

Propositio quarta, quæ Theorema est sic habet.

Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia habeant

habeant, utrunque utrique, habeant verò & angulum angulo æqualem sub æqualibus rectis lineis contentum, & basim basi æqualem habebunt; eritque triangulum triangulo æquale: ac reliqui anguli reliquis angulis æquales erunt, uterque utrique, sub quibus æqualia latera subtenduntur.

Huius propositionis demonstratio hæc est.



Sint duo triangula A B C, D E F, & unius utrunque latus A B, A C, æquale sit alterius utrique lateri D E, D F, hoc est A B, ipsi D E, & A C, ipsi D F, angulusque A contentus lateribus A B, A C, æqualis angulo D, contento lateribus D E, D F. Dico basim B C, æqualem quoque esse basi E F, & triangulum A B C, triangulo D E F, & utrunque angulum B, & C, utrique angulo E, & F, videlicet angulos B, & E, qui opponuntur lateribus æqualibus A C, D F, inter se; & angulos C, & F, qui opponuntur æqualibus lateribus A B, D E, inter se pariter æquales esse. Intelligatur triangulum A B C, superponi triangulo D E F, ita ut punctum A, cadat in punctum D, & latus A B, in latus D E, quæ cum sint æqualia sibi mutuo congruent (non enim dici potest partem rectæ A B, rectæ D E, congruere, partem autem non item, quia tunc duæ rectæ lineæ haberent idem commune segmentum, quod est impossibile). Nec dici potest puncto A, cadente in D, & B, in E, rectam A B non congruere rectæ D E, hoc est illam in hanc non cadere, sed cadere vel ad dextram, vel ad sinistram ipsius D E; duæ enim rectæ lineæ superficiem clauderent, quod fieri non potest) proindeque puncto A, cadente in punctum D, punctum B, cadet in punctum E. Et quoniam angulus B A C, ex hypothesi æqualis est angulo E D F, propterea sibi mutuo congruent, atque adeo latere A B, cadente in latus D E, latus A C cadet in latus D F, quæ cum sint ex hypothesi æqualia, sibi mutuò congruet, & ob id puncto A, cadente in punctum D, punctum C, cadet in punctum F, sed iam punctum B, cadebat in punctum E, modo autem punctum C, cadit in punctum F, propterea rectæ B C, & E F, nempe triangulorum bases, sibi mutuò congruent; alioquin si supra caderet, aut infra, ut efficeretur recta E G F, vel E H F, sequeretur à duabus rectis E F, E G F, vel ab E F, E H F, superficiem claudi, quod est absurdum. Duæ enim rectæ superficiem claudere non possunt; idcirco basis B C, æqualis erit basi E F, cum neutra alteram excedat; & triangulum A B C, triangulo D E F; & angulus B, angulo E, & angulus C, angulo F, ob eandem causam, æqualis existet. Quamobrem si duo triangula, duo latera duobus lateribus æqualia habeant &c. Quod erat opere pretium ostendere.

1. pron.
2. pron.
3. pron.
4. pron.
5. pron.

Cæterum nemini licebit negare tam E G F, quàm E H F rectam esse, cum utraque ponatur eadem esse, quæ recta B C.

Hæc propositio demonstratur per aliquid necessariò concomitans, ut superius etiam notaui, æqualitas enim concomitatur congruentiam, & vicissim congruentia æqualitatem, sensu tamen iam explicato, ita ut comparatio fiat inter ea, quæ eiusdem sunt speciei atomæ.

Propositio decima tertia, quæ Theorema est.

Cum recta linea super rectam consistens lineam angulos facit; aut duos rectos, aut duobus rectis æquales efficiet.

Huius propositionis demonstratio pro medio habet causam materialem, siquidem illud in partibus integrantibus consistit, quas comparatione totius materiæ munere fungi cum Aristotele superius aduertimus.

Propositio vigesima nona, quæ Theorema est, sic habet.

In parallelas rectas lineas recta incidens linea; & alternatim angulos inter se æquales efficit; & externum interno, & opposito, & ad eadem partes æqualem; & internas, & ad eadem partes, duobus rectis æquales facit.

Hæc propositio triplici parte constat; quarum *Prima* innixa propositioni decimæ tertiæ demonstratur per genus materialis causæ; *Secunda* per necessariò concomitans. *Tertia* itidem innixa decimæ tertiæ per materiale causę genus, ut ex dictis perspicuum est.

Trigesima prima propositio, quæ Problema est, innititur propositioni vigesimæ septimæ, quæ demonstratur demonstratione ducente ad absurdum.

Propositio trigesima secunda, quæ Theorema est sic habet.

Cuiuscunque trianguli uno latere producto: externus angulus duobus internis, & oppositis est æqualis: & trianguli tres interni anguli duobus sunt rectis æquales.



In triangulo A B C, producatur latus B C, ad partes C, in D; Dico primò, angulum externum A C D, æqualem esse duobus internis, & appositis simul A, & B. Ex puncto enim C, linea ducatur C E, parallela rectæ A B. Quoniam igitur recta A C, incidit in parallelas A B, C E, erunt anguli alterni A, & A C E, æquales. Rursus, quia recta B D, in easdem incidit parallelas; erit angulus externus D C E, æqualis interno B. Additis igitur æqualibus A C E, & A, fiet totus A C D, (qui ex duobus D C E, A C E, componitur) duobus A, & B, simul æqualis. Quod erat primum.

a 31. primi.
b 29. primi.
c 29. primi.
d 2. pron.

Dico secundò, tres angulos internos eiusdem trianguli, nimirum angulos B A C, A B C, A C B, duobus esse rectis æquales. Cum enim externus angulus, A C D, ex proximè demonstratis, æqualis sit duobus internis, A, & B; addito communi angulo A C B, erunt duo anguli A C D, A C B, æquales tribus A, B, & A C B; sed duo A C D, A C B, æquales sunt duobus rectis. Ergo & tres interni B A C, A B C, & A C B, duobus sunt rectis æquales; Quod erat secundum. Quamobrem cuiuscunque trianguli uno latere producto &c. Quod oportebat ostendere.

e 2. pron.
f 13. prim.

Huius porrò Theorematis secunda pars, frequenter ab Aristotele in exemplum adducitur.

Propositio autem prima secundi libri, quæ Theorema est, hunc se habet in modum.

Si fuerint duæ rectæ lineæ, secetur que ipsarum altera in quotcunque segmenta: rectangulum comprehensum sub illis duabus rectis lineis, æquale est eis, quæ sub insecta, & quilibet segmentorum comprehenduntur, rectangulis.

Hæc innititur propositionibus primi libri, nempe vigesimæ octauæ, vigesimæ tertiæ, trigesimæ, & trigesimæ quartæ; concludit autem per genus causæ materialis, quatenus partes simul sumptæ sunt toti æquales.

Non dissimiliter propositio secunda eiusdem libri, ac Theorema, est huiusmodi.

Si recta linea secta sit utcunque: rectangula, quæ sub tota, & quolibet segmentorum comprehenduntur, æqualia sunt ei, quod à tota fit quadrato.

Innititur propositioni trigesimæ quartæ primi, concluditque demonstratione cuius medium materialis est causa. Vel aliter etiam demonstratur, adeo ut innixa primæ propositioni eiusdem secundi libri, concludat demonstrando per genus causæ materialis. Sic etiam reperies in reliquis propositionibus eiusdem libri demonstrationes procedere, vel per genus causæ

Digitized by Google

materialis, vel formalis.

Ex tertio libro placet considerandam assumere propositionem trigesimam primam, quæ Theorema est, cuius supra quoque meminimus, & ita se habet.

In circulo angulus, qui in semicirculo, rectus est: qui autem in maiore segmento, minor recto: qui verò in minore segmento, maior est recto. Et insuper angulus maioris segmenti recto quidem maior est: minoris autem segmenti angulus, minor est recto.



Sit circulus A B C, cuius centrum D, diameter autem A C, in semicirculo verò constituatur angulus A B C, angulus enim B A C, consistet in maiori segmento C A B. In minori autem segmento C E B, constituatur angulus B E C. Dico angulum A B C, in semicirculo rectum esse; angulum verò B A C in maiore segmento minorem esse recto, & angulum B E C in minori segmento maiorem recto. Item angulum maioris segmenti comprehensum rectâ B C, & peripheriâ B A C, recto maiorem esse; angulum autem minoris segmenti comprehensum rectâ B C, & peripheriâ B E C, recto minorem. Ducatur enim recta B D, & extendatur A B, in F. Quoniam igitur rectæ D A, D B, æquales sunt, erit [a] angulus D B A, angulo D A B, æqualis. Eâdem ratione erit angulus D B C, angulo D C B, æqualis, ideoque totus angulus A B C, duobus angulis B A C, B C A, æqualis erit, eòquòd æqualis sit duobus A B D, D B C. [b] Est autem & angulus F B C, externus eisdem duobus internis angulis B A C, B C A, in triangulo A B C æqualis; Quamobrem æquales inter se erunt anguli A B C, F B C, atque adeo uterque rectus [c] erit. Rectus igitur est angulus A B C; quod erat primum.

[a] 5. primi.

[b] 32. primi.

[c] 10. primi defin. primi.

Quoniam autem in triangulo A B C, [d] duo anguli A B C, & B A C, duobus sunt rectis minores; & est angulus A B C ostensus rectus; ergo angulus B A C, in segmento maiori, erit recto minor; quod erat secundum.

[d] 17. primi.

Rursus quoniam in quadrilatero A B E C, intra circulum descripto, [e] duo anguli oppositi B A C, & B E C, sunt duobus rectis æquales; & angulus B A C, ostensus est recto minor: erit B E C, angulus in segmento, minore; recto maior; quod erat tertium.

[e] 22. tertij.

Amplius cum angulus rectus A B C, pars sit anguli segmenti maioris B A C, qui comprehenditur rectâ B C, & peripheriâ B A C; erit angulus segmenti majoris; recto maior; Quod erat quartum.

Postremo cum angulus segmenti minoris comprehensus rectâ B C, & peripheriâ B E C pars sit quoque anguli recti F B C; erit angulus segmenti minoris recto, minor; quod erat quintum. In circulo igitur angulus, qui in semicirculo, rectus est &c. Quod erat operæ pretium ostendere.

Eleganter etiam institui demonstratio poterit valdè consona verbis Aristotelis hoc modo.

Vide superiorem figuram.

In semicirculo, cuius diameter A C, centrum autem D, sit angulus A B C, Dico angulum A B C rectum esse. Ductâ enim rectâ B D, [a] erunt anguli D B A, D A B, æquales, quòd rectæ D A, D B, æquales sint; Quoniam igitur angulus B D C externus [b] æqualis est duobus internis D B A, D A B, in triangulo A B D, erit angulus B D C, duplus anguli D B A. Eodem modo erit angulus A D B, duplus anguli D B C; atque adeo duo anguli ad D, dupli erunt totius anguli A B C; Cùm igitur [c] duo anguli ad D, sint duobus rectis æquales; erit angulus A B C, eorum dimidium, rectus; Quod erat primum.

[a] 5. primi.

[b] 32. primi,

[c] 15. primi,

Reliqua etiam aliter ac superiùs ostendi poterunt; sed hanc priorem partem demonstrasse sufficiat, cæterarum demonstrationes apud Euclidis interpretes videantur.

Prima pars innititur quintę, & trigesimę secundę primi libri, & ostenditur, siue priori siue posteriori modo, per genus causæ materialis. Secunda etiam pars suffulta propositione decimaseptima primi, per idem causæ genus demonstratur. Tertia innixa propositioni vigesimæsecundæ tertij, per idem genus demonstratur; sic de quarta, & quinta parte dicendum.

Ex his facile intelliges, quàm insulsè nonnulli crediderint demonstrationes Mathematicas, neque esse potissimas, quando per subiecti definitionem non demonstrant; neque certissimas, eò quòd non habeant summam necessitatem; neque conclusiones esse propositiones secundum quod ipsum. Primum nulla ratione suffulti pronunciant, quoniam etsi nobis quoque placeat potissimæ demonstrationis medium subiecti definitionem esse quidditatiuam, non propterea tamen tam religiosè de potissima demonstratione sentiendum existimamus, ut illam duntaxat sic appellandam esse velimus, cuius medium sit definitio prædicta, tanquam proxima proprietatis causa, cum ad demonstrationem tam honorifico nomine dignam sufficere videatur, ut de subiecto per eiusdem definitionem, vel tanquam per causam proximam, vel tanquam per causam remotam, dummodo tamen cum affectione reciprocetur, affectionem demonstret. Secundum autem minus considerate dicitur, nanque non minus necessarium est triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, quàm hominem esse risibilem; ut hoc igitur summè necessarium est, sic etiam & illud; neque tertium admitti potest, ut ex infra dicendis perspicuum fiet.

Reliquum est ut Physicas probationes expendamus, in quarum exemplum unam, vel alteram ex Aristotele desumemus. Præmittendum tamen à naturali Philosopho pro demonstrationis medio quodcunque causæ genus assumi posse, quod Aristoteles non uno in loco testatum reliquit, præsertim ubi habet, Ἐπὶ δὲ δέδεικται τέτταρες, περὶ πάσας τὰς φυσικὰς εἰδέναι. τὸ γὰρ πάσας ἀποδοῦναι τὸ διὰ τί ἁπλῶς φυσικῶς, τῇ ὕλῃ, τὸ εἶδος, τὸ κινῆσαν, τὸ οὗ ἕνεκα. *Cum autem causæ quatuor sint: omnes nosse Physici est & ad omnes referens*, causam cur *sit, physicè reddet, scilicet ad materiam, formam, mouens, & id cuius gratia.* Sic etiam & alibi horum autem rationem iam superiori Sectione attulimus. Quia nimirum quemadmodum res naturâ constantes à quatuor causarum generibus suum esse recipiunt, ita etiam per omnia illa cognosci debent; & ut secundum omne causę genus de huiusmodi rebus potest institui quæstio, sic etiam per omne genus causæ quæstioni poterit satisfieri, proindeque tanquam per medium confici demonstratio, cùm hæc procedens per causam cuilibet quæstioni possit satisfacere.

1. Phys. tex. 30.

8. Dist. tex. 12.

Sed iam vulgatas probationes expendamus, quas Philosophus ex physicis desumpsit, è quibus hæ sunt præcipuæ. Prima qua probatur eclipsim inesse Lunæ per interpositionem terræ inter ipsam & Solem Secunda, quâ probatur tonitruum inesse nubi propter extinctionem ignis. Tertia, quâ probatur foliorum casum in esse arbori, propter humoris congelationem. Quarta, quâ probatur Lunæ inesse luminis accretionem paulatim factam propter sphæricam figuram. Quoniam igitur has Aristoteles in exemplum demonstrationis adduxit, ob id æquum est eadem ad examen reuocare.

Asserendum omnes, quas Philosophus probationes

hes commemorat veras esse demonstrationes.

Aristotelis auctoritate adeo probationes

In hanc sententiam adducor primò quidem Aristotelis auctoritate; quandoquidem afferens huiusmodi probationes tanquam demonstrationum exempla, videtur significasse de illis ita sentire, ut credat quamlibet ipsarum demonstrationis rationem sibi vendicare.

Obiectio occurrit, sed quæ

Neque dicas illas probationes à Philosopho allatas fuisse, non tanquam veras demonstrationes, sed tanquam demonstrationum exempla, in quibus claritas, non veritas attendi debet. Non inquam id dicas; nam exempli non attenditur veritas sed claritas, quando ipsum traditur ad rem propositam duntaxat explicandam; sed quando id ipsum est, de quo instituitur consideratio, maximè veritas attendi debet. Ita quidem contingit frequenter apud Aristotelem conantem aliquid exemplo illustrare, ut quando declarandum assumit eundem effectum posse demonstrari per plures causas, materialem scilicet & finalem, dicendo si quæratur propter quid per laternam transit lumen, respondet ex necessitate materiæ effectum oriri, quoniam permeat per maiores poros, id quod minores partes habet; cum enim partes luminis sint illis potis tenuiores, necesse est ut per eos transeant, ubi Philosophus non curat an lumen dicatur corpus, quanuis ipse credat fortasse non esse tale, quoniam utro modo se habeat, deseruire potest ad declarandam causam materialem, tanquam demonstrationis medium, nempe vitri porositatem, seu vitrum ut porosum; neque ille erat locus ubi hac de re disputaretur; at ubi agitur de formanda demonstratione, & res est explicanda exemplo, insulsum esset in exemplum adducere demonstrationem ijs destitutam conditionibus, quibus eam docere volumus præditam efformare,

Ratione probatur, tum ta-

Loquor autem de eclipseos demonstratione, nam idem de cæteris per externã causam procedentibus iudicium esse debet. Illa probatio meretur demonstratio dici, quæ perfectam scientiam parit; sed huiusmodi est probatio, de qua loquimur; propterea non immeritò debet demonstratio appellari. Maior est certa ex demonstrationis fine, qui nil aliud, quàm perfecta scientia. Minor inde constat, quoniam ea, quæ ad summum quæri possunt, sunt numero quatuor, *An sit; Quid sit, An insit, & Cur insit*. Hæ nanque sunt in universum quæstiones, quæ de re unaquaque possunt institui, quas eiusdem esse medij egregiè Philosophus ostendit dicens, uno medio inuento quæstionibus hisce omnibus satisfieri, quod eclipseos lunaris exemplo declarat, eò quòd possumus quærere *An eclipsis sit, Quid sit*; quæ duæ quæstiones in accidentibus in unum sensum cadunt, cum accidentis esse, sit inesse *an insit Lunæ*, & *propterquid insit*, quæ pariter duæ quæstiones in unum & idem recidunt, quoniam causa propter quam est eclipsis, est etiam definitio eclipseos; at omnes hæ quæstiones eandem causam quærunt, quæ est interpositio terræ inter Solem, & Lunam; hoc enim inuento, cessat omnis quæstio & ita perfectè, ut de eclipsi nil amplius quærendum superbit, adeo ut si essemus supra Lunam, terram interpositam inter Solem, & Lunam intuentes, sensu cognosceremus eclipseos causam, & idcirco non quæreremus an eclipsis sit, neq; quid sit, neque an insit Lunæ, neque tandem propter quid insit. Probatio igitur, de qua fit sermo, medium habet, quod scientiam parit, quoniam satisfacit omni quæsito, quod fieri possit.

Secunda ratio.

Deinde, probatio quæ facit cognoscere effectum per propriam causam, simulque prædita est cæteris conditionibus ad perfectam demonstrationem requisitis, vera est demonstratio; sed huiusmodi esse probationem, quâ per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam demonstramus Lunam deliquio laborare, ex infra dicendis perspicuum fiet; ergo huiusmodi probatio verè demõstratio dici potest. Vel hoc modo. Eclipsis in Luna est accidens demonstrabile per propriam causam propter quam res est; sed eclipseos causa propter quam est, certè nil aliud, quàm interpositio terræ; ergo per hanc erit demonstrabilis eclipsis demonstratione, quæ scientiam perfectam pariat.

Aduersariorum rationem ipsõsio ad rationem primam.

Qui autem improbant probationes de quibus agitur, atque contendunt ijs non deberi verè demonstrationis rationem, respondent illas non esse tales, ut scientiam pariant necessariò, quoniam conclusio, & scientia necessaria est ex propositionibus necessarijs, & per se, non autem contingentibus; huiusmodi autem esse probationes illas constanter affirmant, proindeque ex eorum sententia commemoratæ probationes perfectam scientiam parere non possunt. Ad probationem assumptionis respondent per illud medium, quod est obiectio terræ, satisfieri quidem omnibus quæstionibus de eclipsi, non tamen necessariò, sed ex accidenti, quoniam medium necessarium non est, sed accidentarium & veluti medium in syllogismo topico vero, quod etiam satisfacit omni quæstioni de Problemate proposito, quia verum quidem est, non tamen necessariò tale, sed ex accidenti. Rem illustrant exemplo. Cadat inquiunt lapis è domo, & occidat Socratem transeuntem me vidente. Tunc ego perfectissimè scio an sit occisio Socratis, quid ipsa sit, an ei insit, & propterquid insit, quoniam his omnibus quæstionibus satisfacit lapidis casus, cum hæc omnia ab huiusmodi casu proueniant; ergo cognitio hæc est certa, perfectissima, quâ melior haberi non potest, quoniam est propter causam proximam, per quam res est, non tamen dicitur scientia, propterea quòd medium accidentarium est, siquidem accidit lapidi cadenti, ut occidat Socratem, non enim casus lapidis, necessariò hunc effectum producit, nimirum occisionem Socratis; at in demonstratione opus est, medium esse causam necessariam, necessariò talem effectum inducens, ita ut non possit aliter euenire. Eodem modo de obiectione terræ respectu eclipseos ratiocinantur; ex eorum enim sententia obiectioni terræ accidit, quod eclipsim faciat, & idcirco si obijcieretur alicui alij corpori recipienti lumen à Sole, etiam in illud eclipsim induceret, quemadmodum etiam eclipsis induceretur in Lunam ab alio quocunque corpore opaco, si daretur quod posset inter Solem, & ipsam Lunam interponi. Proinde concludunt propositionem illam à veritate penitus alienam esse.

Responsio ad rationẽ secundam

Ad secundam rationem respondent assumptionem negando, quoniam demonstratio debet ostendendum assumere de subiecto accidens, quod sit demonstrabile, cuiusmodi non sunt accidentia communia, quæ scibilia non sunt, ex quibus unum est eclipsis; propterea dici non potest illa probatio ostendere effectum per propriam causam, esseque iis omnibus conditionibus, prædita, quibus vera demonstratio constare debet.

Aduersariorum doctrina reijcitur, eorundemque responsiones confutantur.

Sed ut ingenuè fatear mihi videntur parum sibi constare; nam ex una parte probationes illas admittunt, non tanquam potissimas demonstrationes, sed veluti minus perfectas, quæ etsi perfectissimam scientiam non pariant, cum illa sit effectus demonstrationis potissimæ, minus tamen perfectam scientiam progignunt. Ex altera autem parte denegant ipsis omninò rationem demonstrationis, adeo ut arbitrentur per ipsas nullam scientiam comparari, ut constat ex eo, quo utuntur exemplo Socratis interitum subeuntis ex casu lapidis, ipsum percutientis. Hanc autem inconstantiam suspicor

Ipicor ortum ducere ex praua intelligentia eorum, in quorum consideratione versantur, cum alioquin res admodum facilis sit, adeo ut nullo negotio possit expediri. Si nanque nomine perfectæ demonstrationis duntaxat illam intelligendam velimus, quæ summam necessitatem propositionum requirit; profectò nobis fatendum erit probationes de quibus in præsentia fit sermo, perfectas demonstrationes non esse; non enim Luna necessitate summâ, seu metaphysicâ in telluris umbram incurrit, seu deliquio luminis laborat; at si perfectæ demonstrationis appellatione permittamus intelligi probationes necessarias, minori necessitate, nimirùm physicâ, ita tamen, ut ijs conditionibus præditæ sint, quæ præter necessitatem summam in demonstratione requiri solent; non video hercle cur probationes commemoratæ demonstrationis rationem arrogare sibi non possint; enim verò constant ex propositionibus, quas demonstrandi leges prescribunt, ut ex proximè sequentibus Sectionibus apertum fiet. Ineptè igitur minorem illam propositionem negant, instituto sermone de scientia minus perfecta, sensu iam explicato. Decipiuntur autem existimantes huiusmodi demonstrationibus non acquiri in nobis cognitionem perfectiorem illâ, quam obtinemus de Socrate interitum ex casu lapidis subeunte; nam hęc cognitio non est de re necessaria ullo modo, cum omnino contingat Socrati interitus, quemadmodum ex accidenti est, quòd lapis ipsum transeuntem percutiat; itaut cognitio illa, habeatur de re contingenti per causam etiam contingentem. Secus si cognosceremus interitum illius per combinationem omnium causarum, quibus positis, necessariò necessitate naturę, deberet effectus sequi, tunc enim cognitio habitâ de interitu Socratis, haberet naturam longe diuersam ab ea, quę solùm ex casu lapidis acquiritur, dicique scientia posset; Idcirco cognitio eclipseos habita ex interpositione terrę, scientię rationem participat, quia similis est non priori, sed posteriori cognitioni, de Socratis interitu. Ad rationem alteram, iniuriâ quidem assumptionem negant; eam enim veritati consonam ex proximè dicendis intelliges.

Prima difficultas. Aduersus tamen hactenus explicata, sic obijciunt, & primò arguunt in uniuersum, deinde speciatim. Probationes de quibus disseritur, non constant ex propositionibus per se, de omni, & uniuersalibus; perperam ergo demonstrationes à nobis dicuntur tales, ut perfectam scientiam pariant; optima consecutio, assumptum ostendunt. In omnibus probationibus, in quibus medium est causa externa, ostenditur de subiecto aliqua passio, quę non est propria passio subiecti, sed est illi accidens commune, quoniam propria subiecti passio prouenit ab ipso, tanquam à causa non autem ab aliquo externo; ergo in his probationibus conclusio non est uniuersalis, adeo ut eius termini reciprocentur; at illa non est demonstratio potissima, in qua conclusio non est uniuersalis. Accedit, quòd minor non erit per se, quoniam in ipsa minori, causa illa externa, quę est medium, prędicatur de subiecto: non est autem definitio, nec pars definitionis subiecti, quia est quid externum à subiecto; propterea non est in primo modo, nec in secundo, quia in illo propria passio de subiecto prædicatur; at verò medium non est passio subiecti.

Solutio indirecta. At si huiusmodi argumentis quicquam concluderent, contrariam sententiam tuentes, profecto plus probarent, quàm quod probandum assumunt; propositum enim ipsis est ostendere probationes, de quibus loquimur, non esse potissimas demonstrationes, allatis tamen argumentis probare nituntur nullatenus demonstrationes esse. Vt tamen propositis difficultatibus fiat satis respondendum negando minorem & ad eius probationem dicendum ab ipsis falsum dici, scil. in probationibus procedentibus per causas externas de subiecto ostendi aliquam passionem, quæ non est propria passio subiecti, si spectetur illud accidens in ordine ad subiectum acceptum prout influxum causę participans; hoc enim modo, ut superiùs notaui, accidens alioquin commune, proprij naturam ac indolem sapit; ita quidem eclipsis quæ nil aliud, quàm priuatio luminis in aliquo corpore à Sole prodeuntis, ad Lunæ corpus relata, commune quidem accidens est; at relata ad idem, pro ut obnoxium influxibus causæ, non amplius commune accidens dici debet, sed proprij naturam induit. Et hinc etiam splendidè constat quid ad confirmationem respondendum, nempe negandum propositionem minorem non esse per se; licet enim non sit in primo, nec in secundo modo per se dicendi; est tamen in quarto; quem haud sufficienter probant ad demonstrationem idoneum non esse, nam oppositum in sequentibus ostendemus. Solutio recta.

Speciatim autem de unaquaque ex illis probationibus loquentes, conantur monstrare nullam ex ipsis verâ demonstrationem dici posse, & primò quidem ostendendum assumunt propositiones, quibus constat eclipseos demonstratio, non esse uniuersales, & secundum quod ipsum. Deinde non esse per se neque de omni; hæc autem ut probent, iubent demonstrationem fieri hunc in modum. *Quod prohibetur radijs solaribus à terra obiecta, id obscuratur; at Luna prohibetur radijs solaribus à terra obiecta; ergo Luna obscuratur.* Ex ipsorum autem sententia, maior neque est uniuersalis, neq; per se, neq; de omni; & quidem non est uniuersalis, eo quòd termini, quibus constat, non sunt æquales, quin potius unus est uniuersalior altero, atq; adeo non sunt conuertibiles, propterea quòd hoc subiectum, nempe *quod prohibetur radijs solaribus à terra obiecta*, latius patet quàm prædicatum illud *obscuratur* non enim, inquiunt, omne, quod priuatur radijs solaribus propter terram obiectam, obscuratur; idque probant per instantiam de alijs stellis in quibus euenit sæpe, ut inter illas & Solem interponatur terra, quemadmodum inter Solem, & Lunam, & nihilominus illa stellæ ob huiusmodi interpositionem non obscurantur, cum propriâ, nec à Sole mutuatâ luce splendeant. Hoc etiam probant ex eo, quia si quispiam ad aliquem subterraneum locum, prætiosum carbunculum secum ferat; is profectò priuabitur radijs Solis, propter obiectam terram inter ipsum, & Solem, & nihilominus non obseruabitur; propterea huiusmodi termini non sunt æquales, neque conuertibiles, & addunt hanc propositionem ex instantijs adductis deprehendi falsam. Si quis autem respondeat allatam de eclipsi demonstrationem supponere priorem alteram, per quam cognoscamus Lunam non propriâ, sed à Sole mutuatâ luce splendere, eâdemque habitâ demonstratione, quamoptimè cognosci à nobis posse Lunam eclipsari, ob interpositum corpus opacum inter ipsam, & Solem. Hanc responsionem impugnant, quoniam etsi per aliquam demonstrationem certam quispiam Lunam recipere lumen à Sole cognoscat, non propterea tamen sciet hanc propositionem esse veram, certam, & uniuersalem, scilicet *omne quod prohibetur radijs solaribus à terra obiecta, id obscuratur*; illâ nanque habitâ demonstratione, quâ cognoscatur Lunam recipere lumen à Sole, non statim hęc propositio constat, sed etiam suppositâ prædicti demonstratione, maior hæc propositio, vera non est, vel saltem non est uniuersalis, ut oportet, eò quòd sit ex hypothesi.

His

His tamen fit satis respondendo, terminos illos esse conuertibiles si debito modo sumantur; nam ille terminus subiecti locum habens, puta *quod prohibetur radijs solaribus à terra obiecta*, latiùs non patet, quàm terminus alter, qui prædicati munere fungitur, scilicet *obscuratur*; quando enim dicitur, *quod prohibetur radijs solaribus à terra obiecta*, intelligendum est sermonem fieri de corpore, quod non splendet nisi luce receptâ à Sole, adeo ut nisi radijs solaribus illustretur, lucere non possit, propositionis autem subiectum sic intellectum, cum prædicato, quod est *obscuratur* dici potest reciprocari, cum valeat dicere, *omne corpus lucens tantummodo lumine mutuato à Sole, si prohibeatur radijs solaribus à terra obiecta, obscuratur*; ubi nomine terræ intelligendum est quodcunque corpus opacum, & viciſſim omne id, quod obscuratur, per interpositum corpus opacum inter ipsum, & Solem, solaribus radijs ab interposito corpore prohibetur.

Probant deinde propositionem illam maiorem non esse per se, eò quòd non sit nec in primo nec in secundo modo dicendi per se, non enim prædicatum est de definitione subiecti, neque contra; sed isti sunt modi duntaxat, qui demonstrationi deseruiunt; ergo hujusmodi propositio non est per se.

Occurritur respondendo non esse per se in primo, nec secundo modo perfectatis, sed in quarto falsa enim est eorum assumptio quâ dicunt primum & secundum tantummodo perfectatis modum demonstrationi conducere.

Arguunt præterea dicendo propositionem hanc non esse de omni, quoniam huiusmodi propositio duplicem habet uniuersalitatem, videlicet subiecti, & temporis, at in hac propositione non est uniuersalitas subiecti, quoniam obscurari non competit omnibus, quæ priuantur, radijs solaribus, ob terram interpositam, sed solùm illis, quæ recipiunt lumen à Sole; cum autem hæc desit uniuersalitas, quæ est præcipua, deest etiam & secunda, proindeque non est uniuersalis; unde concludunt propositionem huius demonstrationis maiorem, non esse uniuersalem, neque per se, neque de omni.

Respondendum obscurari, si rectè explicetur, competere omnibus, cum quibus fit comparatio, quæ certè non sit cum omnibus, quæ priuantur radijs solaribus ob terram interpositam, sed cum illis tantummodo, quæ lumen à Sole recipiunt, ac ob id non deest in hac propositione uniuersalitas subiecti, quoniam hoc non est quicquid prohibetur radijs solaribus à terra obiecta, sed omne id quod lucet lumine mutuato à Sole, & prohibetur solaribus radijs.

Secundo deinde conuertunt ad minorem propositionem illius demonstrationis, nempe *Luna prohibetur radijs Solaribus à terra obiecta*. Hanc autem dicunt nec uniuersalem esse propositionem, neque per se, neque de omni. Probant non esse uniuersalem, quoniam isti termini non sunt æquales, neque conuertibiles, latiùs enim patet prædicatum, quàm subiectum, nempe latiùs patet prohiberi solaribus radijs à terra obiecta, quàm Luna, cum hoc prædicatum multis alijs à Luna conueniat, nam omnia inter quæ, & Solem interponitur terra, solaribus radijs prohibentur, ut animalia noctis tempore inquiunt, &c. neque huiusmodi termini conuertuntur, nam positâ Lunâ, non ponitur prohibitio radiorum Solis à terra; neque positâ prohibitione radiorum Solis à terra, ponitur Luna, dato enim casu, quòd Luna non foret, adhuc esset prohibitio radiorum Solis in alijs ob interpositam terram; non est ergo uniuersalis; probant non esse per se, cum nec in primo nec in secundo modo sit dicendi per se; non enim Luna pertinet ad definitionem prohibitionis radiorum, neque viciſſim. Amplius dicunt non esse de omni, quoniam licet competat Lunæ, non tamen semper, proindeque deficit ei uniuersalitas temporis, atque adeo non est de omni. *Quòd nõ sit de omni.*

Respondendum minorem propositionem uniuersalem esse, quoniam termini scilicet subiectum, & prædicatum sunt æqualis ambitûs, si rectè tamen explicentur, non enim latiùs patet illud prædicatum prohiberi radijs solaribus à terra obiecta, quàm Luna, cum falsum sit hoc prædicatum multis alijs à Luna conuenire, si tamen explicetur circumscribendo modum, quo conuenit Lunæ; prohiberi nanque radijs solaribus à terra obiecta, modo, quo Luna prohibetur, sic est proprium Lunæ, ut alteri ab ea conuenire non possit; non itaque attendenda tam radiorum prohibitio, quàm prohibitionis modus. Sunt igitur termini æquales, suntque conuertibiles; nam positâ Lunâ in tali situ, ponitur prohibitio radiorum solis à terra; & positâ hâc prohibitione, secundum modum, quem diximus Lunæ proprium, ponitur Luna, si non necessariò necessitate metaphysicâ, saltem necessariò necessitate physica. Est etiam per se, nimirum in quarto perfectatis modo, licet non in primo, nec in secundo. Tandem est propositio de omni, quoniam semper competit Lunæ positâ prohibitionis causâ; tametsi nanque non semper competat Lunæ secundùm se inspectę, competit tamen prout ipsa obnoxia est prohibitionis, de qua loquimur, causæ. *Solutiones difficultatum.*

Amplius probatio de qua fit sermo est de re singulari per medium singulare; non ergo potest demonstratio dici; optima consecutio; & assumptum est manifestum; subiectum enim est Luna, quæ singularis est, medium autem est terra, quæ pariter est singularis. *Difficultas alia.*

Difficultatis solutio ex eo petenda est, quòd probatio, quâ Lunæ competere eclipsim ostendimus, non est addicta huic Lunæ, tanquam subiecto, nec huic telluri, tanquam medio; nam si darentur infiniti mundi, eiusdem systematis cum isto, quæ de eclipsi huius Lunę, cæteris omnibus stellis eiusdem naturæ cum Luna ad hunc mundum spectante, possent accommodari; quod autem de Luna, illud idem de tellure intelligendum. Demonstratio igitur abstrahit à differentijs indiuidualibus, & Lunæ, & telluris. *Solutio.*

Ad illas demonstrationes quòd spectat, quibus per causam internam, quæ tamen non sit definitio subiecti, sed accidens, conantur ostendere huiusmodi demonstrationes non constare ex propositionibus de omni, neque per se, neque uniuersalibus. Considerant demonstrationem superiùs insinuatam, qua Philosophus accretionem luminis paulatim factam in Luna propter sphæricam figuram ostendit, hoc modo. *Omne corpus sphæricâ figurâ præditum paulatim illuminatur; sed luna est corpus figurâ sphæricâ præditum; ergo Luna paulatim illuminatur.* Maiorem dicunt non esse uniuersalem, eoquòd terminis constet non conuertibilibus, siue reciprocis; tales enim aiunt esse, *corpus sphæricum*, & *paulatim illuminari*, quia, inquiunt, paulatim illuminari latiùs patet, quàm corpus sphæricum; nam omne corpus sphæricum paulatim illuminatur, sed non omne quod paulatim illuminatur, est corpus sphæricum. Addunt non esse per se neque in primo, neque in secundo modo, quia paulatim illuminari non est de definitione corporis sphærici; neque viciſſim corpus sphæricum est de definitione ipsius *paulatim illuminari*. Amplius admisso hanc esse uniuersalem, & per se; dicunt minorem neutro modo se habere; minor autem est *Luna sphæricâ constat figurâ*. hanc non esse uniuersalem probant, quia sphærica *Aduersus demõstrationes per causam internam.* *Contra maiorem propositionẽ, quòd nõ sit uniuersalis.* *Quod nõ sit per se.* *Cõtra minorẽ propositionẽ quòd non sit uniuersalis.*

da figura est accidens commune, & Lunæ & alijs corporibus. Neque hi termini sunt conuertibiles, Luna & sphærica figura; quia licet valeat dicere *est Luna; ergo est sphærica figura*, non tamen contra, est sphærica figura; ergo est Luna, quia potest esse aliqua alia stella puta Sol, vel canis &c. vel aliquod aliud corpus; Neque, inquiunt, est propositio per se, quia neque est in primo, neque in secundo modo dicendi per se. Non in primo, quia in definitione essentiali Lunæ non ponitur sphærica figura, quoniam figura est accidens, & extra naturam Lunæ, neque in secundo, quia in definitione sphæricæ figuræ non ponitur Luna.

Quòd nō sit per se.

Nullius hæc momenti sunt, quandoquidem ad maiorem quod attinet, falsum est illam non constare terminis conuertibilibus, si sumatur *paulatim illuminari* ad eum modum, quo conuenit Lunæ, quatenus hæc ad Vniuersi structuram pertinet. Falsum etiam non esse per se, cum ad quartum modum per se dicendi pertineat. Non inficiandum tamen, quod ab aduersarijs asseritur, atque fatendum terminos non reciprocari, hoc tamen non officit demonstrationi *propterquid*, sicut demonstrationi potissimæ, qualem non credimus esse demonstrationem illam, quam tamen existimamus esse *propterquid*; sed ineptè dicunt non esse per se, quoniam etsi figura sit quoddam commune prędicatum respectu Lunæ, non tamen comparatione generis, in quo Luna cum cęteris corporibus spectantibus ad Vniuersi structuram, conuenit; enim verò dispositio partium affectantium figuram sphæricam, affectio est consequens naturam corporis spectantis ad mundi structuram, proindeque reuocari potest ad secundum modum per se dicendi, quatenus hoc prædicatum de tali corpore enunciatur atque adeo, demonstratio illa huic similis erit, *omne viuens aptum est sibi simile generare; sed omnis homo est viuens; ergo omnis homo est aptus sibi simile generare*.

Solutiones difficultatum.

Ex demonstrationibus itaque physicis, quædam procedunt per causam externam, ut est de eclipsi demonstratio, cuius medium causa externa est, nimirum interpositio terræ, quæ quidem interpositio ad efficientis causæ genus reuocari solet. Sic etiam per externam causam sunt, quarum medium est finis, ut cum demonstramus deambulandum esse post cœnam propter sanitatem. Quędam procedunt per causam internam, ut illa, quâ ostendimus corpus mixtum esse corruptibile, eò quòd contrariis constet, eiusque medium ad causam materialem pertinet, ad quam etiam reuocatur medium demonstrationis, quâ ostenditur Lunam paulatim illuminari, eò quòd figurâ sphæricâ constet. Quandoque per causam formalem, ut cum hominem capacem esse disciplinæ concludimus, quoniam animam intellectiuam habet.

Physicæ demōstrationes quales.

Contingit autem, ut idem effectus per duas causas demonstretur, per finalem, & per materiæ necessitatem; ut si quæratur causa propter quam lumen egrediatur ex laterna. Prima ratio esse potest ex necessitate materiæ; cum enim laternæ cornu poros habeat maiores minutissimis luminis particulis, necesse est ut lumen per poros egrediatur. Secunda ratio ex necessitate finis, ut enim noctu possemus ambulare, simulque lumen clausum custodire, necesse erat, ut laternam conficeremus materiâ constantem ex qua lumen egredi posset. Eodem modo in naturalibus; ut tonitrus in nube actus est ex necessitate materiæ, quoniam ignem necesse est strepere dum extinguitur, tum etiam ex necessitate finis, ut ijs nimirum, qui sunt apud inferos (loquitur autem Philosophus ex Pythagoreorum sententia) terror incutiatur. Sic in sepia

Quandoque idem effectus per duas causas demonstratur.

2. Post. tex. 53.

emissio atramenti fit ex necessitate materiæ, cum illi necessarium sit tale excrementum generare; eijcit tamen illud per aquam, ut hanc illius consp ersione turbidam reddens, à pisce inimico persequente se abscondat, ac tueatur. Sic etiam tribus, & quatuor causis in eodem effectu Physicus utitur demonstrando.

Etiam tres, & quatuor

Metaphysicæ autem probationes, quales sint instio Metaphysicarum dissertationum explicabimus; interim pro comperto habeatur diuinam Philosophiam definire per essentialia simpliciter, demonstrareque per causas essentiales absolutè priores, & notiores, ac etiam per principia entis simpliciter, quatenus ens est, quod Aristoteles etiam agnouit. Hoc præterire non potest cum qui huiusmodi disciplinæ operam nauauerit, cum facillimū sit deprehendere à primo Philosopho, per *quod quid est* entis, quod tanquam obiectum considerandum assumit, affectiones de eodem demonstrari; unde & metaphysicas probationes tales esse, ut earum medium sit formale causæ genus, cum ad hoc subiecti definitio, quo nomine intelligo clariorem conceptum rei definitæ, pertineat.

Metaphysicæ demonstrationes. Primum mō stratiōnis mo 4. & 6 uius. tio.

Accedit etiam, quòd si detur ordo inter entis passiones, ita ut quasi sit effectuum ab eadem causa prodeuntium, passio posterior potest per priorem demonstrari. Non dissimulandum tamen huiusmodi demonstrationes tales esse, ut ijs minime concedi debeat ratio demonstrationis *propter quid*, si per hanc debeat intelligi, ut æquum est, illa, quæ per causam non solùm in cognoscendo, sed etiam in essendo procedit, siue causa sit physica, siue metaphysica, siue sit formaliter, siue virtute tantum causa; erunt igitur demonstrationes *Quia*, & *à posteriori*, utpotè per causam tantùm in cognoscendo procedentes; vel forsan reduci possunt ad demonstrationem procedentem, per aliquid necessariò concomitans. Quòd si passiones inter se ordinem seruant prioris, & posterioris, etiam in ratione causæ, & effectus, adeo ut posterior dimanet à subiecto mediâ priori, nec etiam posterior per priorem demonstrabitur demonstratione *propter quid*, quæ dicatur potissima, seuerè quidem accepta; quoniam, etsi una passio sit causa alterius, ne dum in cognoscendo, sed etiam in essendo, adhuc tamen non erit demonstratio ex immediatis, quod ad illud præstantissimum demonstrationis genus requiri solet; quanuis, ut superiori Sectione dicebam, non tam religiosè de potissima demonstratione sentiendum sit.

Sext modi

Tandem hæc disciplina demonstrare potest affectiones de ente per illud primum principium complexum. *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, hoc enim tantæ est efficacitatis, ut non solùm possit deseruire nobis ad demonstrandas conclusiones, & alia principia per deductionem ad impossibile, sed etiam demonstratione *propter quid* & à priori, præsertim ad ostendendam primam affectionem entis, qualis est unitas, ut opportuno loco planum fiet.

Tertij modus

Aduertendum autem ex mathematicis disciplinis, Animaduersio. quasdam esse puras, nempe Arithmeticam, & Geometriam; quasdam verò mixtas; & quæ nos diximus, de puris, non autem de mixtis intelligenda esse; puræ siquidem sunt, quæ per duplex illud causæ genus, puta materialis, & formalis & per necessariò concomitans demonstrant, sensu iam explicato (si sermo sit de demonstrationibus ostensiuis) cum alioquin etiam demonstratione ducente ad incommodum frequenter utantur. Ex ipsis porrò magis obuias demonstrationes desumpsimus, id enim facilitas explicandæ doctrinæ postulabat; eadem tamen quæ de ijs diximus, cæteris, & etiam demonstrationibus decimi libri Elementorum, quæ abstrusiones sunt, accommodari, pos-

Digitized by Google

possunt; adeout concludendum sit, quod superiùs à nobis ex Aristotele dicebatur.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

De Præmissis demonstrationis. Et primò. An, & quomodo esse debeant, primæ, immediatæ, & per se notæ.

Aristoteles principij varijs acceptionibus assignatis subdit, πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γιγνώσκεται. *Omnibus igitur principijs commune est, esse primum, unde, aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Hinc Scholastici dixerunt *Principium est id à quo aliquid pendet, vel in esse, vel in fieri, vel in cognitione.* Vt igitur principia rei sunt illa, à quibus res pendent in esse, vel in fieri: ita principia scientiæ sunt illa, à quibus res pendet in cognitione. Ex his porrò, quædam complexa, quædam incomplexa sunt. Ex incomplexis alia sunt essendi & cognoscendi, quemadmodum sunt illa, à quibus res pendet in esse; alia cognoscendi tantùm, ut effectus, & accidentia, ex cognitione quorum in causarum notitiam deuenimus.

Principia enixarũ duplici differẽtia.

Ex principijs, igitur quorum est usus in disciplinis, ut aliàs aduerti, quedam incomplexa, quedam autem complexa sunt, illa per simplices terminos, hęc autem per integras propositiones significantur, suntque illa principia, ex quibus conclusiones deducuntur, seu quorum præsidio scientia comparatur. Solet autem in dubium verti num omnia complexa principia formaliter, & actu demonstrationem ingrediantur, qua de re non eadem philosophorum opinio. Nonnulli enim crediderunt, quædam ex hisce principijs, ut *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, item *Quodlibet est, vel non est*. Amplius, *Quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia* &c. opitulari tantùm extrinsecus demonstrationi, non tamen actu, & formaliter illam ingredi; cum autem hic de præmissis demonstrationis disputare nobis propositum sit, profectò differendum erit de principijs complexis, quæ formaliter, & actu in demonstratione locum habent, cum talia principia non nisi sint demonstrationis præmissæ. Quid autem de controuersia nuper insinuata dicendum sit, paulo post nos explicabimus.

Præmissæ cõditionibus præditæ.

Demonstrationis autem præmissæ quibusdam conditionibus præditæ esse debent, de quibus Aristoteles primò Post. copiosè disputauit, præsertim loquens de præmissis demonstrationis *propter quid*; quia tamen aliquæ sunt conditiones, cuicunque demonstrationi communes; ob id in singulis, quæ propriæ, & quæ communes sint, accuratè iuuabit aduertere, conditiones autem sunt; Primò, ut sint *veræ, primæ, immediatæ, priores notiores, causæ conclusionis propriæ*. Secundò ut sint *necessariæ, de omni, per se, de prædicato uniuersali, secundum quod ipsum, & primò*. Harum autem posteriores ex prioribus ferè colliguntur. Priores conueniunt præmissis secundum se: posteriores expressiùs traditæ videntur ex parte terminorum, quibus ipsæ præmissæ constant. De veritate autem, & necessitate, in qua etiam, & certitudo inuoluitur, cumulatè satis agentes de scientia, eiusque obiecto disputauimus; ut propterea de his nihil supersit agendum. Solum quędam de veritate primo loco breuiter attingemus.

Post. 1. 10.

Vera quidem oportet esse demonstrationis principia, nam rectè Philosophus notauit, Ἀληθῆ μὲν οὖν δεῖ εἶναι, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι, εἶον, ὅτι ἡ διάμετρος σύμμετρος. *Vera igitur esse oportet; quia quod non est, sciri nequit, veluti diametrum esse commensurabilem.* Vbi non ens accipit, non prout opponitur enti simplici, sed ut opponitur enti complexo, quod vocatur verum, adeout non ens hoc loco significet propositionem falsam, & ita disputet. Si principia non sint vera, erunt falsa, si autem falsa, conclusio quoque falsa erit; sed falsum sub scientiam non cadit, nimirum per se, & ratione materię, nam ex accidenti, & ratione formę, nihil prohibet quominus ex falso colligatur verum, cum ex falso, quatenus falso per se non nisi falsum colligatur: quoniam falsitas non eam vim habet, ut ex ea necessariò colligatur verum, quandoquidem falso non possumus assentiri; quare premissę sumuntur semper ut verę, etiam, quando ex ipsis falsis, vera infertur conclusio. Proximum autem est, ut de reliquis conditionibus verba faciamus.

Præmissæ debẽt esse primæ, & immediatæ.

Premissę demonstrationis debent esse *primæ, & immediatæ*. His autem verbis non explicantur duę premissarum conditiones, ut perperam nonnulli crediderunt, sed una tantùm, in eo posita, quòd præmissę debent esse indemonstrabiles per aliud medium à priori, & in eodem genere, atque adeo, quòd se ipsis cognoscantur, ut ob id per se notę dici soleant. Hæc Philosophus disertè quidem explicuit, dum simul utrunque nomen coniungit dicens *ex primis indemonstrabilibus*; per primum autem intelligit principium, ut idem ipse testatur, dum ait, Ἐκ πρώτων δ' ἔστι τὸ ἐξ ἀρχῶν οἰκείων. ταὐτὸ γὰρ λέγω πρῶτον καὶ ἀρχικόν. *Ex primis autem est, quod est ex principijs propriis. Idem enim dico primum, & principium.* Declarat deinde quid sit demonstrationis principium dum subdit. Ἀρχὴ δ' ἐστὶν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος. ἄμεσος δὲ, ἧς μὴ ἔστιν ἄλλη προτέρα. *Principium autem demonstrationis est propositio immediata. Immediata verò, est, quâ non est alia prior.* Tota autem difficultas est in explicando quæ sit ratio propositionis immediatæ seu per se notæ, ut deinde fiat gradus ad explicandas species ipsius.

1. Post. tex. 13.

Principiũ demonstrationis quid.

Propositio immediata quid.

Vt autem constet quid sit propositio per se nota, præ oculis habendum particulam *per se*, non sumi pro ut distinguitur à *per accidens*, quasi *esse notum*, de propositione quapiam dicatur in aliquo modo dicendi per se, sed ut distinguitur ab eo, quod est per aliud, adeo ut propositio per se nota dicenda sit, quæ non habet euidentiam ab alio, ut non immeritò huiusmodi propositio aliquibus visa sit, *quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, ut sunt eius, euidentem veritatem habet*, ex quo facilè intelliges non excludi terminorum cognitionem, cum impossibile sit propositionem aliquam cognosci, terminis eius ignoratis, quandoquidem secunda mentis operatio primam supponit, ταῦτ' οὖν οὕτω λέγομεν· καὶ οὐ μόνον ἐπιστήμων αὐτῶν ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἐπιστήμης εἶναί τινά φαμεν, ἢ τοὺς ὅρους γνωρίζομεν. *Hæc igitur ita dicimus: nec solùm esse scientiam, sed etiam principium quoddam scientię, quo terminos cognoscimus*; unde illud. *Principia cognoscimus, quatenus terminos cognoscimus*. Et multo minus per particulam *per se*, excludenda est intelligendi facultas, cum omnis cognitio de qua fit sermo, ab intellectu necessariò fiat; quod igitur excluditur, est omne id, per quod, veluti per medium mouetur intellectus ad præstandum assensum ipsi propositioni, cui principij ratio adscribitur; quin potius propositio ita se habet, ut statim ac intellectus terminos eius apprehenderit, euidenter cognoscat nexum inter illos, adeo ut ex terminis proprijs euidentiam habeat. In superiori autem immediatæ propositionis descriptione, additur illa particula *ut sunt eius* ad significandum terminos concipi debere eo sensu, quo ex illis propositio consurgit, adeo ut propositio dicenda sit per se nota, cui

Quomodo definiti soleat.

1. Post. tex. 21.

præstat assensum intellectus, ex apprehensione terminorum, ex quibus illa constat, qui cogniti sint eo modo, quo propositionem componunt; ut si terminus confusè repræsentat, ex ipsius cognitione confusa moueatur intellectus ad assensum; si distinctè, ex cognitione distincta iudicium eliciat; Non autem erit per se nota propositio, si ex termino constaret cofusè significante, ita tamen ut ad assensum præstandum intellectus indigeret distinctâ illius termini significatione; ut si prædicatum aliquod clarè conciperetur subiecto conuenire ex distincta definitionis cognitione adeo ut ei non sufficeret cognitio confusa definiti, fieretque propositio in qua prędicatum de definito enunciaretur, dici per se nota non posset, quoniam indigeret ad sui claram notitiam, alio quidem termino, nempe definitione, qui quidem terminus non foret ipsius, cum aliquo modo sit à definito diuersus, proindeque per aliud nota diceretur; ut propositio hæc *omnis homo est risibilis*, eò quòd prædicatum, puta, risibile concipitur conuenire subiecto, nempe homini, ex cognitione distincta eiusdem per definitionem, quæ est animal rationale, adeo ut eius cognitio confusa non sufficiat, nequit dici per se nota, quoniam ad euidentem sui cognitionem requirit aliud, scilicet definitionem hominis.

1. Post. text. 12. Cum autem Philosophus dixisset, πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον· οὐδὲ γνωριμώτερον, καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον. *Priora autem & notiora sunt duobus modis. Non enim idem est prius naturâ & prius quoad nos, neque notius naturâ, & notius nobis.* Et utrunque declarasset dicens, λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα, τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως· ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα, τὰ πορρώτερα. *Quòd ad nos priora & notiora dico* ea, *quæ* sunt *propinquiora sensui: simpliciter autem priora & notiora, quæ longius.* Cum inquam hæc Philosophus dixisset, plerique crediderunt eandem distinctionem in propositionem cadere, adeò ut, una dicenda sit propositio per se nota in se & naturâ, quæ nimirum constet terminis notioribus naturâ; Alia per se nota nobis, seu quòd ad nos, quia ex terminis notioribus quidem nobis componatur; Alia utroque modo.

Ex quorundam sententia immediatæ propositionis diuisio.

Reijcitur.

Vana tamen huiusmodi partitio propositionis per se notæ, cum seuerè loquendo propositio per se nota constare non possit ex iis, quæ sunt notiora nobis, nam quæ ita se habent, apta non sunt ex suis formalibus rationibus mouere intellectum ad assensum; sed ex cognitione sensitiua, & experimentali inducitur intellectus ad præbendum assensum, ut de hac propositione *calor calefacit*, perspicuum est. Rectius dicetur igitur propositio per se nota, qualis à nobis explicata fuit. Nisi res sic explicetur, quòd propositio per se nota naturâ sit, quæ ex natura rei est ita prima, ut non habeat aliam priorem tanquam causam per quam sit; & ita cognoscitur, ut potest ac exigit cognosci independenter à causa priori, quam non habet; cuiusmodi sunt propositiones immediatæ paulo antea recensitæ: Per se nota quoad nos sit illa, cuius notitiam nos immediatè, & proximè sine alio medio ad intellectum spectante, accipimus per sensum, aut inductionem; hoc genere cognitionis cognoscimus ignem esse calidum, aquam frigidem, Solem esse lucidum &c. Dicitur autem nota quoad nos, quoniam ex nostra cognitione accepta per sensum prouenit, ut per se sine alio medio cognoscatur. Idcirco talis distinctio censetur tradita non formaliter, quasi propositio cognoscatur, vel non cognoscatur à nobis sine medio; sed radicaliter, quòd vel ex ipsius rei natura non habentis causam, proueniat, ut absque medio & causa cognoscatur; vel ex nobis, nostroque cognoscendi modo: Quòd si aliqua propositio causam priorem non habeat, illam tamen immediatè sensibus usurpemus, utroque modo per se nota dici poterit &c. Quomodo autem prima scientiarum principia quæ non sunt simpliciter prima cognoscantur, paulo infra dicetur.

Aliquo sensu potest admitti.

Varia autem sunt harum propositionum genera, è quibus. Primum est ad quod pertinent illa principia notissima, quæ actu ac habitu cognoscuntur, & intellectus appellari solet cuiusmodi sunt communissima illa principia *Quodlibet est, vel non est. Non potest idem simul esse & non esse. Vel de quolibet verum est affirmare, vel negare. Non potest idem simul affirmari, vel negari. Item Omne totum est maius suâ parte. Quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia &c.* Hæc enim absque alio medio, & demonstratione, vel causa nota sunt, & ex sola terminorum perceptione cognoscantur. Dignitates etiam appellari consueuerunt, vel quia dignæ sunt, ut statim ab omnibus credantur; vel quoniam inter omnes propositiones principem locum obtinent. Alijs etiam nominibus appellantur scilicet Axiomata, Maximę, Sententiæ, & Communes animi conceptus. Omnes igitur huiusmodi propositiones per se notæ & immediatæ dicuntur, quinimò hoc primum, atque præcipuum est harum propositionum genus ex varijs generibus indemonstrabilium propositionum. Secundum est genus ad quod pertinent illæ propositiones, in quibus definitio, vel aliqnod essenciale prædicatum de re quidem enunciatur; hæ nanque sunt immediatæ, & indemonstrabiles, ut omnis homo est animal rationis particeps, non enim datur medium prius saltem in eodem genere causæ, per quod possit demonstrari. Hæ nanque dici videntur indemonstrabiles, ac proinde immediatę, quatenus ostendi non possunt à priori, & per causam, cum nihil referat si à posteriori, vel per inductionem demonstrentur. Insuper dici possunt immediatæ, quatenus non habent causam priorem eiusdem generis; alioquin dum una causa per aliam alterius generis demonstratur, ut formalis per materialem, adhuc enim in suo genere prima, & immediata dicitur.

Varia genera immediatarum propositionum. Primum genus.

Secundum genus.

Tetium genus est ad quod pertinent propositiones, quibus primaria causa de subiecto, aut effectu proprio prædicatur, hæ nanque propositiones immediatæ dici debent, propterea quòd causa, quæ est in suo genere princeps, priorem aliam non habet per quam possit demonstrari; quod non contingit in causa secundaria, cum per causam superiorem eiusdem generis possit demonstrari.

Tertium genus.

Quartum est genus ad quod spectant propositiones in quibus effectus de suis proximis prædicatur causis, huiusmodi nanque propositiones immediatæ dicuntur. Hoc planè modo se habet propositio, in qua prima passio de differentia prædicatur, ut *rationale est admirativum*. Et sanè quælibet ex his propositionibus immediata esse debet; propterea quòd etsi per talem causam possit prædicatum illud alteri conuenire, ac de ipso demonstrari, non potest tamen de causa sua proxima per aliam causam ostendi, non enim foret causa proxima respectu illius effectus, uti perspicuum est.

Quartum genus.

Huc pertinet illa principiorum diuisio, quam Philosophus nobis tradidit primo Post. lib. Primò enim diuidit principia in Dignitates, & Positiones. Adeo ut ex eius sententia immediati principij species una sit, Θέσις, *Positio*, altera verò Ἀξίωμα *Axioma*, *seu Dignitas*, in eo autem hæ propositiones conueniunt, quo-

1. Post. text. 14.

Digitized by Google

quoniam utraque est indemonstrabilis, discriminantur autem eò quòd dignitatem oportet habere quemlibet, qui vult addiscere; nimirum necesse est eam cognitam esse discipulo antequam doctorem adeat. Vt, *Quæ eidem sunt æqualia inter se sunt æqualia. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia.* Huiusmodi nanque propositiones adeo notæ sunt, ut discipulum latere non possint; at non est necesse, ut qui vult addiscere, Positionem teneat, sed satis est, ut eam cognoscat, quatenus à Præceptore declaratam. Propositio igitur indemonstrabilis, quæ non omnibus nota est, ut dignitas, sed tantummodo quatenus à Præceptore declarata intelligitur, Positio vocatur, quoniam Præceptor illam ponit, quam Aristoteles deinde subdiuidit. Ex eius autem sententia Positionis diuisio est in Suppositionē, & Definitionem, adeo ut illa positio, quæ accipit utranque particulam enunciationis, videlicet affirmatiuam, & negatiuam, hoc est propositio, quâ aliquid affirmatur, vel negatur conditiones habens Positioni superiùs adscriptas, sit Suppositio; at verò illa positio, quæ est sine affirmatione, & negatione, dicatur Definitio, ita ut omnis definitio sit positio, non tamen suppositio, ad quam requiritur affirmatio, vel negatio. Alia autem est suppositio simplex, ut cum in scientia supponimus subiectum, cuius etiam meminit Aristoteles; & alia est suppositio complexa, quæ potest esse per diuersos respectus in duplici discrimine; quando enim à Doctore prolata sic dispositum inueniat animum discipuli, ut ei statim discipulus assensum præbeat, tunc retento nomine generis, propriè nuncupatur Suppositio. Plerunque verò discipulus audiens non assentitur, sed vel adhuc remanet anceps, vel ad contrariam etiam partem inclinatus; tunc autem propriè dicitur Postulatum, siue Petitio; petit enim Doctor, ut huiusmodi sibi propositio concedatur.

Deinde idem Philosophus à particula septuagesimâ quarta eiusdem libri hac de re sermonem iterum instituens, eandem principiorum diuisionem facit, quam superiori loco, particulâ decimaquartâ, postea septuagesima quinta, verbis tamen diuersis, & accuratius: cùm itaque ibi diuisisset principia in dignitates, & positiones; hoc alio loco diuidit in communia, & propria; per principia communia intelligendo dignitates; per propria verò positiones, quas etiam in præsentia diuidit ut priùs, in Definitiones, & Suppositiones, enimuerò principium proprium est ipsum subiectum scientiæ, quod præcognitum quid sit, facit definitionem, & præcognitum, quòd sit, facit Suppositionem, ex quibus colligit particulâ septuagesimâ quintâ, tria esse ad summum, in quibus omnis demonstratiua scientia versatur; nempe subiectum, principia, & affectiones.

Dubitatio. Est tamen cur dubitetur de propositione, in qua prima passio de definito enunciatur; cum enim definitio, & definitum re non differant, sed solùm intellectus negotiatione, videtur consequens fieri, quòd propositio illa sit per se nota secundum se, etsi quoad nos talis dici non possit. Qui putant definitionem & definitum non differre solùm ratione ratiocinante, sed cum fundamento in re, negant illam propositionem esse per se notam secundum se, quin potius aiunt demonstrabilem esse demonstratione potissimâ, quæ est à priori, & per causam, non quidem in cognoscendo tantùm, sed in essendo, & cognoscendo simul, proindeque non solùm quoad nos esse demonstrabilem, sed etiam in se spectatam, cum ordo causæ in essendo non attendatur duntaxat penes nostrum concipiendi modum, ut est ordo causæ in cognoscendo qui in demonstratione à posteriori adinuenitur, sed etiam in rebus ipsis, unde principia immediata ex eorum sententia, dicuntur indemonstrabilia, secundum rem, & à priori, quanuis à posteriori, & quoad nos demonstrentur; unde colligunt quamlibet propositionem à priori demonstrabilem, etiam secundum rem demonstrabilem esse.

Dubitationis solutio. Tametsi hæc magna ex parte possint admitti, velut illa, quæ cum veritate consentiunt, aliquid tamen est, in quo ipsi peccarunt, nempe definitionem à definito plus differre, quàm ratione ratiocinante, cum satis cuique possit exploratum esse, ex ijs, quæ hac de re proprio loco tractauimus, differentiam inter definitionem, & definitum esse penes explicitum, & implicitum, quod est differre ratione ratiocinante; hinc tamen non sequitur propositionem illam in qua prima passio de definito prædicatur, indemonstrabilem esse secundum se, demonstrabilem tamen quoad nos, propterea quòd, ut aliqua propositio secundum se sit demonstrabilis, id solùm requirit, ut detur causa ratione cuius prædicatum subiecto insit, quanuis huiusmodi causa, nec ex natura rei, neque perfectâ distinctione rationis à subiecto distinguatur, quoniam demonstrandi vis in eo consistit, ut ex pluribus rationibus in subiecto repertis, illa quidem assignetur merito cuius prædicatum subiecto ineat, quanuis ex alijs nulla suppeteret, tanquam non habentibus commune quidpiam cum prædicato, eò quòd nimirum solâ illâ ratione positâ in subiecto, necesse sit subiecto prædicatum ineesse, omnibus etiam alijs seclusis. Nec propterea demonstratio dici debet à posteriori & per causam in cognoscendo tantùm, etiamsi quod pro causa assignatur, solùm imperfectâ distinctione rationis à subiecto distingui existimetur; nam eadem difficultas urget eos, qui distinctionem hanc maiorem putant, scilicet cum fundamento in re, vel saltem plusquam penes explicitum, & implicitum; ne igitur dicatur demonstratio procedere per causam in cognoscendo tantùm, sat est, ut pro causa id assignetur, ad quod consecutionem habet prædicatum, seu & in idem recidit, id pro causa, tanquam demonstrationis medium adhibeatur, quod affectio consequitur, si non consecutione physicâ, saltem eâ, quæ metaphysica dicitur.

Redeuntes autem in orbem sermonis dicimus inter subiectum, & primam passionem non dari profecto medium re ipsâ distinctum, quo sensu propositio, in qua passio de proprio subiecto prædicatur, immediata dici potest, quatenus distincto medio caret; hoc tamen non facit, quin absolutè mediata dici debeat, proindeque demonstrabilis medio ratione saltem distincto, ut initio dicebam; quoniam si concipiatur confusè subiectum, quemadmodum & passio, non fit ex his propositio talis, ut per se nota dici mereatur, cum non sit per se notum passionem secundum conceptum confusum, subiecto inesse, quod per expressum tamen conceptum essentiæ, differentiaque redditur per se notum.

Secunda dubitatio. Dubitatur adhuc de quibusdam propositionibus, quæ videntur indemonstrabiles, atque adeo per se notæ, quanuis ex perceptione terminorum earum veritas non innotescat, ut ignis est calidus, aqua est frigida, nix est alba &c.

Dubitationis enodatio. Non est autem de his cur dubitetur, propterea quòd re verâ huiusmodi propositiones demonstrabiles sunt; nam verè datur per se causa, ratione cuius igni conuenit calor, aquæ frigiditas, niui albedo, per quam causam demonstratione propter quid de igne calor, de aqua frigiditas, de niue albedo potest de-

monstrari, nec benè dicuntur per se notæ, cum ex apprehensione terminorum earum veritas perspecta reddi non possit; sed opus est sensitiuâ, & experimentali cognitione, unde est, ut per aliud, & non per se cognosci, dici debeant.

Quomodo demonstrationis *propter quid*, præmissæ debeant esse immediatæ.

Supereſt videndum qua ratione demonstrationis propter quid præmissæ debeant esse immediatæ; quâ de re, non eadem Philosophorum opinio, quandoquidem sunt, qui putant utranque præmissam debere immediatam ac indemonstrabilem esse; non solùm virtualiter, sed etiam formaliter, at verò ex virtualiter immediatis esse demonstrationem *quia*. Alij autem crediderunt ad demonstrationem *propter quid* sufficere, ut ex virtualiter immediatis constet, dummodo demonstrans probè sciat resoluere principia virtualiter immediata in formaliter immedia, atque indemonstrabilia. Quid hac de re sentiendum breuiter aperiam.

Assertio prima.

Asserendum est potissimam demonstrationem constare ex principijs formaliter immediatis, ac per se notis.

In cuius declarationem ad memoriam reuocandum, principia dici formaliter immediata, quando absolutè carent medio, per quod possint demonstrari; at verò dici virtualiter immediata, quoniam etsi possint demonstrari, in demonstratione tamen assumuntur quatenus iam demonstrata per superiores demonstrationes subalternantes, usque dum deueniatur ad principia indemonstrabilia formaliter immediata. Dicuntur autem immediata virtualiter, quia sunt manifesta immediatorum virtute, ad ea tamen quæ simpliciter indemonstrabilia sunt, reduci possunt; Ad potissimam ergo demonstrationem contendimus requiri, ut constet principijs immediatis, sensu nuper explicato.

Ratione suadetur.

Ratio non vulgaris efficacitatis est in eo posita, quòd per hanc demonstrationem concludimus affectionem inesse subiecto per definitionem subiecti; ut superiori Sectione probatum fuit; idcirco tam maior, quàm minor immediata formaliter debet esse propositio; maior, eo quòd in ipsa prædicatur affectio de definitione subiecti; minor, quoniam in ipsa prædicatur definitio de definito. Hoc ex eo confirmatum redditur, quoniam huiusmodi demonstrationi utpote perfectissimæ, principia debentur perfectissima; at verò talia sunt immediata formaliter, cum omnem dependentiam, imperfectionis maximam notam excludant.

Secunda assertio. 1. Post. tex. 10.

Asserendum deinde, si sermo fiat de demonstratione *propter quid* simpliciter, utranque sententiam Aristotelis doctrinæ consentaneam videri. Et primò quidem ambas præmissas immediatas formaliter ad huiusmodi demonstrationem requiri, videtur Philosophus docuisse dicens. Ἐκ πρώτων δ' ἀναποδείκτων, ὅτι ἐκ ἐπιστήσεται μὴ ἔχων ἀπόδειξιν αὐτῶν. τὸ γὰρ ἐπίστασθαι οὗ ἀπόδειξις ἐστι, μὴ κατὰ συμβεβηκός. τὸ δ' ἔχειν ἀπόδειξιν ἐστιν *Ex primis autem indemonstrabilibus: nam* alioquin *nesciret, non habens eorum demonstrationem: quia scire* ea *quorum est demonstratio, non ex accidente* nil aliud *est* quàm *habere demonstrationem;* innuit ergo principia non per accidens, hoc est non per aliud, sed se ipsis sciri debere. Quod etiam expressit de scientia subalternante disputans; ait enim huiusmodi scientiam demonstrare suas conclusiones, demonstratione *quia*, propterea quòd per principia solùm virtualiter immediata procedat.

Præmissæ debent esse immediatæ formaliter.

Ex aduerso videtur Aristoteles in contrariam sententiam abijsse, cùm enim dicat. ὅτι ἐκ ἐπιστήσεται μὴ ἔχων ἀπόδειξιν αὐτῶν, *nam* alioquin *nesciret, non habens eorum demonstrationem*, apertè significat demonstrationis, de qua loquimur, dari principia mediata, quoniam affirmat de ipsis habendam esse demonstrationem, alioquin nulla haberetur scientia; supponit igitur aliqua esse demonstrationis principia mediata, quod ad aures ipsius polliciti sumus ostendere. Vtcunque se res habeat omnino fatendum, aliquo ex his modis demonstrationem constare ex immediatis, vel formaliter, vel virtualiter; quandoquidem præmissæ debent prorsus euidentes esse, vel per se, vel per alias, quoadusque deueniatur ad per se euidentes, ne processus detur in infinitum, quod videtur etiam ab Aristotele traditum. Tum loco nuper allato, scilicet particulâ decima primi Posteriorum, ubi probare contendens immediatas debere esse præmissas, rationem affert, quoniam si sunt demonstrabiles, non sciet non habens demonstrationem earum, id est, nisi demonstratæ fuerint, ac resolutæ ad prima usque immediata principia. Tum etiam hoc idem videtur significasse particulâ decimâ sextâ eiusdem libri, atque etiam Topic. primo ubi habet. Ἀπόδειξις δ' ἐστὶν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων, αἳ διὰ τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληχεν. *Demonstratio est cum ex veris, & primis syllogismus constat, vel ex eiusmodi, quæ à quibusdam veris, & primis suæ cognitionis principium sumpserunt;* quod etiam memoriæ literisque prodidit Physicorum initio, ut aliàs aduertimus, ex eius enim sententia, quam ibi expressit, tunc putamus unumquodque cognoscere, cum causas primas nouerimus, & principia prima, & usque ad elementa.

Maximè tamen est controuersum, an huiusmodi resolutio fieri debeat usque ad prima principia uniuersalissima, sæpe à nobis commemorata, nimirum *Quodlibet est, vel non est; Non potest idem simul esse, & non esse*; ita ut demonstrans non solùm debeat resoluere suas conclusiones usque ad principia propria in determinato genere, & immediata; sed etiam usque ad prima, & notissima; an verò sufficiat ut resoluat conclusiones in principia propria, atque determinata.

Si quis habeat demonstrationem ex principijs virtualiter immediatis, debet habere notitiam principiorum formaliter immediatorum, è quibus illa essentialiter dependent, quoniam de ratione scientiæ est ut sit notitia certa, & euidens; at omnem certitudinem, & euidentiam scientia conclusionis habet à certitudine & euidentia principiorum, hanc verò habere non potest, nisi intellectus cognoscat principia formaliter immediata, à quibus ea dependent, quæ virtualiter immediata dicuntur.

Confirmatur autem, quoniam huiusmodi principia sunt essentialiter subordinata, proindeque non concurrentibus prioribus, non poterunt, quæ posteriora sunt, effectum, videlicet, scientiam parere; at virtualiter immediata posteriora sunt, & formaliter immediata sunt priora, ob id his actu non cognitis, illa non poterunt scientiam progignere.

Tota igitur difficultas deuoluitur ad illa prima, & uniuersalissima principia. Num scilicet debeat demonstrans suas conclusiones ad illa resoluere, ut scientiam adeptus dici possit.

Sed iam superiùs huic dubitationi quid respondendum, insinuauimus, dicentes non esse opus formaliter talia principia cognoscere, sed satis esse illa cognoscere habitu, adeout etsi formaliter aliquis illa principia ignoret, dummodo propria, & immediata principia conclusionis peculiaris cognoscat, scientiam habere possit, cum ad hanc solum requiratur, ut uniuersalissima illa principia habitu cognoscantur, quod

diatæ forma ter, re tualit

An ad fieri lutio clusio usque prima princip

Tertia as simo.

Ratione suadetur.

Co matio

An a ad u saliss pend

Non opus prin form cere fcere

m

in eò consistit, ut si talia principia proponantur demonstrati, hic sit dispositus ad præbendum assensum.

Hæc tamen intelligenda dummodo actu huiusmodi principijs in demonstrationibus non utamur, quod fieri posse Philosophus apertè testatur; in demonstrationibus enim quibusdam, docet id euenire; de principio nanque negatiuo, puta *Non potest idem simul esse, & non esse, seu non potest idem simul affirmari, & negari*, duo ibi pronunciat; unum est quòd hoc principium in nulla demonstratione sumitur, hoc est actu in demonstratione non exprimitur; demonstrationes enim virtute huius axiomatis utuntur, ipsum tamen non exprimunt. Alterum est exceptio quædam, quia, inquit, interdum hoc principio expresso demonstrationes utuntur, sed tunc duntaxat, quando talis etiam conclusio demonstranda sit, in qua principium hoc exprimatur, quod propter aduersarium aliquem protervum, & cauillantem usu venire solet. Deinde loquens de principio affirmatiuo, nempe *Quodlibet est, vel non est*, seu *de quolibet verum est affirmare, vel negare*, duo enunciat, unum quòd in demonstratione ducente ad incommodum, hoc utimur principio; seu, non posse hunc fieri syllogismum sine usu, & expressione huiusmodi principij, licet demonstratio directè ostendens, eo non indigeat. Alterum est, quòd tale principium non adhibeatur semper in tota sua amplitudine acceptum, sed contractum ad proprium scientiæ subiectum.

Difficultas tamen se offert, quoniam dignitas est unum ex præcognitis ante demonstrationem, ut Aristoteles etiam testatur; demonstratio igitur confici non poterit, dignitate penitus ignoratâ.

Ex non multo antea traditis quid respondendum manifestè patet; nam si per dignitatem intelligamus, quod Aristoteles ibi intelligi vult, ea profecto nil aliud erit, quàm principium proprium, & immediatum; quòd si per illam principium uniuersalissimum intelligendum putemus. Respondendum aut fieri sermonem de præcognitis ante omnem scientiam, quando dignitatem affirmamus esse unum ex præcognitis, ante demonstrationem; aut admisso de peculiari demonstratione sermonem esse, dignitatem præcognosci debere non formaliter, sed habitu, quatenus intellectus est paratus ad præbendum assensum, vel in eo opposita cognitio non existit; aut concesso ad demonstrationem præexigi formalem eorum cognitionem, dicendum cognitionem de ipsis uniuersalissimis principijs non ad scientiam conclusionis per se tanquam eius causam, sed ex accidenti facere, quatenus, ut superiùs etiam notaui, talia principia deseruiunt demonstranti demonstratione ducente ad incommodum, aduersus negantes propria scientiæ principia.

Nec commemorem uniuersalissima principia virtute quidem in omni demonstratione includi, ac proinde hunc in modum ad scientiam conclusionis comparandam nobis deseruire; nam si admittatur illud *quodlibet est, vel non est*, admittendum itidem erit homo vel est rationalis, vel non est rationalis; triangulum vel constat tribus lateribus, vel non constat tribus lateribus; proindeque si cognoscamus hominem esse rationalem, vel triangulum tribus lateribus figuram esse constantem, verum esse, cognoscimus etiam oppositum non esse verum. Itaut si principia hęc uniuersalissima, demonstrationem formaliter non ingrediantur, virtute saltem ingrediantur, atq; demonstrationi opitulentur, hoc tamen paulo infra disputandum.

Est etiam aliquid difficultatis, in eo quòd Philosophus immediata demonstrationis principia declarans, diuisionem eorum talem instituit, ut aliqua dignitates, aliqua verò positiones esse velit; ergo ex eius sententia principijs utriusque generis proindeque dignitatibus ad scientiam comparandam præcognoscenda sunt.

Satis tamen constat Aristotelem dignitatis nomen latâ quadam usurpatione sumpsisse, quatenus cuiuscunque scientiæ principia significat, in qua propriæ dantur dignitates; quòd si nomen illud ab eo præsâ significatione sumptum esse velimus, quo pacto dignitates illæ demonstrationem ingrediantur, nuper explicatum fuit, cum diceremus in omni demonstratione virtute reperiri. *Aristoteles explicatur.*

Et hinc etiam patet, quid respondendum ad aliam difficultatem, quòd nimirum huiusmodi principia quantumuis uniuersalissima debeant ad quamlibet demonstrationem concurrere, eo quòd principiorum omnium veritas, à veritate dignitatum uniuersalissimarum pendeat; hinc enim solùm virtute concurrere licet inferre, ut satis ex antea disputatis perspicuum est. *Difficultati occurritur.*

Hucusque de demonstratione *propterquid*, locuti sumus; eadem tamen, quæ diximus, demonstrationi *quia*, & ab effectu possunt accommodari, vel omni prorsus demonstrationi procedenti per causam; nam hoc etiam demonstrationis genus præmissas immediatas, & per se notas requirit, cum etiam in huiusmodi demonstratione deuenendum sit ad aliqua principia se ipsis euidentia, & non per alia principia; oportet ergo præmissas ex effectu delumptas esse per se euidentes, vel per alias, quæ tandem sint tales: ut enim sursùm per causas; ita nec deorsum per effectus abeundum est in infinitum; quomodo autem huiusmodi principia innotescat, mox explicabimus. *Eadem de demõstratione quia*

SECTIO DECIMAOCTAVA.

Quomodo principia, quæ non sunt simpliciter prima, cognoscantur.

REctè Philosophus dicebat. Ἔστι δὲ ἀληθῆ μὲν καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν· οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι τὸ διὰ τί. ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν, αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστήν. *Sunt autem vera, & prima, ea, quæ non ab aliis, sed à se ipsis fidem habent, non debet enim de scientiarum principijs quæri quamobrem sint, sed unumquodque principium per se ipsum debet esse fide dignum.* Non omnia tamen principia talia esse superiori Sectione docuimus, cum quædam ex ipsis dicantur simpliciter prima, quorum veritas ex sola terminorum perceptione redditur explorata, quæ propterea immediata, & per se nota dicuntur; quædam autem reddi aliquo modo debeant manifesta, cum se ipsis nota non sint, nec eorum veritas solâ terminorum perceptione cognosci possint; quo igitur pacto cognoscantur opus est aperire. *1. Topic. cap. 1. Principia immediata.*

Talia principia nulli dubium, quin per causam cognosci possint, ideo enim immediata dici non possunt, quia medium suppetit, per quod ea ostendere nobis licet; sed hæc non est via, de qua fit sermo; nam si per hanc incedentes illa cognoscere deberemus, certè nobis foret opus principijs, quibus uteremur in illis demonstrandis; sed hæc vel essent simpliciter immediata, vel mediata, utcunque se haberent, illa de quibus loquimur, principij rationem amitterent, & se haberent, tanquam quæsita; nos autem de principijs loquimur prout principia sunt, adeo ut ijs, tanquam principijs uti velimus. *Principia mediata.*

Hæc autem per sensum, & experientiam cognosci lucu- *Per experientiã cognoscũtur*

Digitized by Google

luculenter docuit Aristoteles. Ita quidem particula nonagesimâ sextâ primi Posteriorum; ubi docet quandoque demonstrationem fieri per immediata, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ reciprocantur, cum nihil vetet quo minus eorum, quæ vicissim prædicantur, notius quandoque sit, quod non est causa; & idcirco ex eius placito hæc erit demonstratio, quòd planetæ prope sint, propterea quòd non scintillant. Sit igitur C planetæ, B non scintillare, A verò prope esse: verum est autem B, de C prædicare: nam planetæ non scintillant, sed & A, de B. Id enim quod non scintillat, prope est, subdit, τοῦτο δ' ὑπόθου διὰ ἐπαγωγῆς, ἢ δι' αἰσθήσεως. *Hoc autem sumptum sit per inductionem, aut per sensum*, addit necessarium esse A, ipsi C, inesse, unde concludit hunc in modum fuisse demonstratum prope esse planetas; interim ex eius sententia palam est principium illud, puta, quod non scintillat prope est, per inductionem, aut per sensum cognosci; in quorum gratiam multa dicenda quidem forent de modo, quo per inductionem, & sensum, principiorum à nobis comparetur notitia, quoniam tamen est breuitati studendum; propterea iuvabit nos paucis esse contentos, nam uberiùs eadem de re opportuniori loco verba facturi sumus.

In quo hæc uniuersa methodus cognoscendi prima principia constitat. Aristotelis consilium ad calcem 2. Post.

Aduertendum uniuersam hanc cognoscendi methodum in experientia consistere, quam à Philosopho præsertim naturali non in postremis habendam, sæpe sæpius aduertimus; de his igitur non nulla dicenda.

Aristoteles cùm in fine secundi Posteriorum copiosè declarasset artem, quâ venari possimus medium, quod incomplexum est demonstrationis principium, descendit ad explicandum quo pacto, & per quem habitum ad cognoscenda prima principia complexa perueniamus, quę eò quòd prima sint, per medium demonstrari non possunt, & ad quæ ultimò conclusiones omnes, & omnia principia mediata resolui debent. Descendens autem ad explicandum, an aliquâ methodo acquirantur à nobis principiorum habitus, & quænam illa sit, propositæ difficultatis solutionem afferens, ait, Ἀνάγκη ἄρα ἔχειν μὲν τινὰ δύναμιν, μὴ τοιαύτην δ' ἔχειν, ἢ ἔστι τούτων τιμιωτέρα καὶ ἀκριβεστέρα. 2. Post. cap. ult. *Quare necesse est facultatem quandam haberi, non tamen talem, quæ his præstantior sit quasi exquisitior*; difficultatis ergo solutionem affert in eo constitutam, quòd neutrum quęstionis membrum verum est, cum neque naturales nobis sint principiorum habitus, sed aduentitij; neq; sic aduentitij, ut ex alijs prioribus habitibus sint acquisiti; nam si hoc modo acquirerentur, oporteret illos alios priores habitus esse nobiliores, atque certiores, ob eandem rationem, propter quam primo libro fuit demonstratum principiorum habitum esse præstantiorem, ac certiorem habitu conclusionis, eò quòd causa sit cognitionis conclusionis; ob id foret in infinitum abeundum in habitibus nobilioribus; vel deueniendum ad habitus, qui sint primi, & acquisiti profectò, non tamen ex aliorum prænotione; quia tamen omnis intellectualis disciplina ex præexistente cognitione comparatur; propterea Philosophus testatur necessarium esse, ut in nobis aliqua sit cognoscendi facultas, cuius cognitio non sit honorabilior cognitione intellectuali ipsorum principiorum, ne sit in infinitum procedendum, ut dictum fuit, sed inferior, & ignobilior, quæque respectu horum habituum sit velut ancilla, siue pedissequa.

Dubium tamen est de quibus principijs Philosophus sermonem habeat, an solùm de ijs, quæ principia propria, an etiam de ijs, quæ principia communissima, & dignitates dicuntur, adeo ut omnia velit per sensum, & inductionem cognosci; sed quid hac de re sentiendum, quibusdam conclusionibus explicabimus.

Asserendum igitur ad habendam notitiam incomplexam de principijs, quæ est de terminis simplicibus, necessariam esse cognitionem sensitiuam, siue experimentalem. Assertio prima.

Ex eo probata manet assertio, quoniam termini simplices, siue sint ad sensum spectantes, siue non, ita se habeant, ut ab intellectu cognosci non possint, nisi ministerio sensuum, eò quòd externi sensus eorum imagines deferunt, primò quidem ad sensum communem, deinde ad phantasiam, ubi ab intellectu agente illustrantur, quatenus eiusdem virtute ex ordine materialium ad spiritualium ordinem transferuntur, & ita translatæ, & in intellectu possibili receptę, cum eodem ad cognitionis, vel expressæ imaginis productionem concurrunt, quæ tamen obiter dicta sint, cum his de rebus accuratiùs disserere alienum sit ab instituto. Ratio assertionis.

Dicendum amplius ad habendam complexam notitiam de primis principijs, necessariam non esse simpliciter cognitionem sensitiuam, & experimentalem, licet hæc utilis dici possit, ut intellectus citiùs eorum complexioni præbeat assensum. Assertio secunda.

Vt autem hæc assertio probetur, ad memoriam reuocandum, quod etiam aliàs aduertimus, nimirum principia in duplici esse discrimine, cum quædam sint per se nota, cuiusmodi sunt primò sæpe sæpius decantatæ dignitates illæ, communissimaque principia, affirmativum unum, & negativum alterum, *De omni re verum est affirmare, vel negare. Non potest idem simul affirmari, & negari.* Deinde *Omne totum est maius sua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia* &c. Quædam autem principia sunt, non per se nota, *ut Rhabarbarum purgat cholerammed* aliunde eorum complexa notitia, videlicet ex experimentali cognitione, desumitur. Quando autem affirmamus ad habendam complexam notitiam de principijs necessariam non esse simpliciter cognitionem sensitiuam, & experimentalem, de principijs per se notis loquimur. Quæ ratio probetur.

Ratio autem quoniam ad eorum cognitionem habendam sufficit incomplexa terminorum notitia; hâc enim habitâ, intellectus huiusmodi principia perfectè cognoscit, ijsdemque præbet assensum. Quando quidem termini principiorum, quæ per se nota sunt; sic inuicem se habent, ut alter alterum necessariò quodammodo inuoluat, quamobrem intellectus hujusmodi terminos simplices cognoscens, necessariò quoque cognoscit euidenter complexionem ipsorum. Illatio autem optima, propterea quòd causa complexionis, de qua fit sermo, includitur in ipsis, eorum enim complexio est, ideoque cognitis ipsis, necessariò complexionis causa dignoscitur; unde est, ut stare non possit cognitio exprimens esse totum; esse maius; esse partem in mente, quin etiam in eadem sit cognitio, quâ repræsentatur totum esse suâ parte maius. Prima ratio.

Potest quidem contingere, ut intellectus apprehensis terminis huiusmodi propositionis, nempe *totum; maius, & pars*, non efficiat hanc compositionem *totum est maius suâ parte*. Hoc autem ideo, vel quia non aduertit, vel quia nulla præsto est occasio; si tamen usu veniat ut intellectus huiusmodi compositionem efficiat, veritatem ipsius nullo exprimento adiutus, obtinebit, cum ex sola cognitione simplici terminorum, propositionis euidentiam assequatur. Obiectio præcoce pacta, simulque dilucidata.

Dices. Si ratio, à qua complexio primi principij per se noti, habet, ut euidens sit, ex eo proficiscitur, quo- Difficultas præcoce sopita,

quoniam euidentiæ causa in terminis includitur, sequeretur omnem propositionem veram, cuius terminos cognoscimus, esse principium per se notum, eo quòd illius complexionis veritas, & veritatis causa in illis terminis continetur; causa nanque ratione cuius triangulo inest habere tres angulos æquales duobus rectis, in eodem ipso continetur triangulo; consequens tamen falsum, cum non omnis propositio vera sit per se nota; falsum ob id etiam id unde deductum fuit.

cognoscenda principia simpliciter prima.

Hæc difficultas fuit ab alijs tacta, pariterque soluta respondendo per se notam propositionem esse illam, quæ euidentiam habet ex terminis confuso modo cognitis; sed cæteras propositiones euidentiam habere ex terminis distinctè perceptis; quoniam autem cognitio distincta difficilis est, ob id eorum complexio, nisi labore, & studio, nequit euidenter cognosci; causa verò euidentia complexionis primi principij per se noti in cognitione confusa terminorum sedem habet; hinc intellectus confusè terminos illos apprehendendo complexionem eorundem terminorum cognoscit; unde est ut experimentum ad huiusmodi cognitionem haud necessariò requiratur, licet ad id plurimum utilitatis afferat.

Difficultas

Probari etiam ex eo potest, quoniam apprehensis terminis quibus huiusmodi prima principia constant, intellectus suâ quâ pollet naturali virtute, lumineque potest ipsos componere, vel diuidere, seu ad iudicium descendere, quoniam huiusmodi principia cognoscimus quatenus eorum terminos cognoscimus; ob id ad cognitionem veritatis complexæ primorum principiorum non est simpliciter necessaria cognitio experimentalis, ut plerisque visum est.

Solutio.

Accedit etiam quòd intellectus non rarò cognoscit multas complexiones, quæ nullo modo sensibus percipiuntur; hoc autem non aliunde nisi quia intellectus formali cognitâ ratione terminorum, quæ est causa veritatis complexionis, naturali suâ facultate potest complexionem ipsa attingere.

At principia, quæ secundi sunt generis, quæque simpliciter prima non sunt, ad cognitionem sui, sensitiuam, ac experimentalem notitiam exposcunt.

Assertio tertia.

Amplius. Si intellectus ex apprehensione simplici terminorum propositionem per se notam absque experientia cognoscere non posset, sequeretur in intellectu simul opiniones esse repugnantes; quod non admittendum. Ex eo porro sequela fit manifesta, quoniam simplici habita cognitione terminorum *totum*, *maius*, *pars*, &c. si intellectus hanc propositionem efformet, *totum est maius suâ parte*, ex terminorum formali ratione veram illam esse cognoscet. At quoniam deest sensitiua, & experimentalis cognitio, poterit in dubium vertere an vera sit illa terminorum complexio, ac propositio, proindeque in eodem intellectu de eadem re considerata, concedendæ erunt cognitiones repugnantes, vera nimirum, & dubia.

Auctoritate suadetur.

Hanc veritatem pluribus locis Aristoteles expressit, enimverò commendans experientiam, tanquam necessariam ad primorum principiorum notitiam comparandam, non de alijs, quàm de his loquitur principijs. Vt autem veritas magis eluceat, pauca quædam subijciam.

Neque dicas rem quidem eandem esse consideratam, non tamen eandem considerandi rationem, atq; adeo non esse mirum si cognitiones illæ commemoratæ in eodem intellectu sint. Non inquam id dicas, cum eadem sit cognoscendi ratio secundum quam ab intellectu attingitur complexum illud *totum est maius suâ parte*, siue cognoscatur solâ perceptione terminorum, siue opitu ante experimentali notitia, non enim experimentum se habet veluti formalis ratio cognoscendi, sed ad cognitionem intellectiuam confert sensu mox explicando.

Cùm duo sint principiorum genera, ut vidimus, prioris generis illa sunt, quibus intellectus terminorum significatione perceptâ, si non ad exercitium actûs, saltem ad speciem eiusdem cogitur assensum præbere; posterioris autem generis sunt, quæ non claritate assensum ab intellectu extorquent, sed experimentorum præsidio veritatem eorum sibi perspectam reddit. Hic alter ille secundus sciendi modus, cuius Aristoteles meminit Posteriorum primo; ut ob id non immeritò Democritum commendet, quòd se in experiendo res naturales haud mediocriter exercuerit; hac enim viâ licuit illi quædam principia adstruere naturalibus effectibus consentanea, quam cum Plato negleserit, idcircò apud eundem Aristotelem in reprehensionem incurrit, tanquam non assuetus plures, multasque rationes ad trutinam reuocare, sedulòque perpendere, ut illas inuicem conferendo, quid in re quacunque sit rationi consonum assequeretur, & non ad pauca respiciendo, facilè pronunciaret. Quamobrem ex Aristotelis sententia, causa, quare pollint homines huius ordinis, minus confessa credere, inexperientia est; quapropter quicunque magis versati sunt in naturalibus, magis pollunt principia talia supponere, quibus multa complicare valeant.

1. Post. text. 8.

1. de ortu, & interitu tex. 7.

Non inficiandum tamen, quod secundo loco dicebatur, experimentalem notitiam aliquid utilitatis afferre propterea quòd ex frequenti cognitione sensitiua, ac experimentali terminos illos videndo esse coniunctos, ut, quòd hoc totum, est maius hâc parte, & illud aliud totum est maius illâ parte, & ita de cæteris, longè facilius, ac citiùs in cognitionem deuenimus, quòd illa terminorum complexio vera est.

Experientia quid Sectione septima huius Dissertat.

Experientia, quomodo fiat, & in quo consistat, iam suo loco vidimus, eam enim Philosophus eleganter declarat dicens, ἐκ μὲν οὖν αἰσθήσεως γίνεται μνήμη, ὥσπερ λέγομεν· ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γινομένης ἐμπειρία. αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τῷ ἀριθμῷ ἐμπειρία μία ἐστίν· ἐκ δὲ ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλὰ, ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης· ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης· ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιστήμης. *Ex sensu igitur fit memoria, quemadmodum diximus, ex memoria verò, quæ sæpe eiusdem fit, experientia una est; ex experientia verò, aut ex toto uniuersali in anima quietem adepto, nimirum, uno præter*

2. Post. cap. ult.

Digitized by Google

ter multa, quod in illis omnibus unum insit idem, principium artis, & scientiæ, si circa generationem quidem, artis; si verò circa id quod est, scientiæ. Hoc idem splendidè quoque declarat alibi, ubi scribit γίγνεται δ' ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις, αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος, μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι. *Fit autem ex memoria experientia hominibus: Multæ etenim eiusdem rei memoriæ, unius experientiæ vim efficiunt.* Hinc Scholasticis illud familiare; experimentum (quod cum experientia confundi solet) est aliquorum collectio prius sensatorum in memoria retentorum, in aliquo uno sibi simile conueniente. In ijs igitur memorijs plurimis inuicem per unum actum comparatis, experimentum consistere statuerunt. Itaque in experimento duo videntur inesse, materiale unum, plures videlicet memoriæ, quo nomine non intelligenda potentia memorandi, sed recordationis actus, ut perinde sit ac plures recordationes dixisse. Formale alterum, nempe collatio, hoc est cognitionis actus, quo intellectus recordationes illas inter se confert. Vt si quispiam exhibeat decem hominibus rhabarbarum, & hoc postea singulis profuisse recordetur, & huiusmodi recordationes inter se conferat actu, quo quidem eundem effectum euenisse in singulis ex illa rhabarbari exhibitione, nempe choleræ purgationem, cognoscat. Experimentum recordationes illas, veluti materiale quidpiam importat, sicuti quod est eiusdem formale, dicit actum illum conferentem, inuoluentemque recordationes prædictas in uno illo conuenientes, quod rhabarbarum choleram purgauit, siue in actu, siue in habitu consistat, adeout circa singularia versetur; nondum autem factum est principium artis, quod solùm habetur, quando intellectus propositionem uniuersalem effecerit dicens. Rhabarbarum omne suâpte naturâ choleram purgat. Fieri autem principium artis, experientiæ præsidio, cum sæpe alibi, tum præsertim primo libro Priorum luculenter affirmat dicens experientiæ proprium esse, cujusque rei principia tradere, ut paulò infra explicabo. Hoc exemplum ferè, quo utitur Aristoteles ad rem propositam declarandam; præmittit autem per experientiam hominibus artem, & scientiam effici, nam ait, γίνεται δ' ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. *Per experientiam autem ars, & scientia hominibus efficitur.* Subdit porro, quod aliàs notaui, ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησι Πῶλος ὀρθῶς λέγων ἡ δ' ἀπειρία τύχην. *Experientia enim (ut rectè ait Polus) artem efficit, imperitia verò casum.* Experientia igitur facit artem, quatenus experientia fit principium artis, at verò inexperientia facit casum, vel quia inexperti cadunt, id est deficiunt à rectitudine operationis; vel quia si inexperti rectè operantur, id à casu est. Declarat quomodo ars fiat, dicens, γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. *Fit autem, ars cum è multis experimentalibus notionibus de similibus uniuersalis existimatio fiat.* His autem præmissis, exemplo rem nititur illustrare, & hunc ferè in modum ratiocinatur. Existimare, quòd Callię hoc morbo laboranti, hoc medicamentum conduxit, similiter Socrati, ac sigillatim alijs multis, experientiæ est: cognoscere autem uniuersè, quod omnibus huiusmodi secundum unam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, utpotè flegmaticis, aut cholericis, aut febre ardente correptis, proprium est artis. Et ut hæc paucis perstringam, experientia hoc modo perficitur. Recordor rhabarbarum purgasse choleram Socrati febricitanti, & hæc est una memoria unius rei, videlicet actionis rhabarbari circa unum singulare: similiter recordor rhabarbarum purgasse choleram Platoni febricitanti, & hæc est alia memoria eiusdem singularis, scilicet actionis rhabarbari, & sic de alijs; dicitur autem *unius rei*, non indiuiduæ, & singularis, adeo ut ad experientiam sufficiat recordatio sæpe sæpius unius rei, & eiusdem singularis effectus, sensu perceptí repetita; nam hæc repetitio promptiorem memoriam talis effectûs, non experientiam efficeret; est igitur eiusdem rei secundum speciem specialissimam, & circumstantiarum similitudinem.

M. Diuin. Cap. 1.

Cap. 31.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Itaque plures memoriæ plurium curationum per rhabarbara numero diuersa, pertinent ad id quod materiale est in experimento. Cuius formale in actu conferente recordationes illas constitit, ut explicatum fuit; ex his autem generatur habitus, qui dicitur experimentum, quo exempli gratia, cognoscit intellectus rhabarbarum purgare choleram in hoc, vel in illo, ita ut sistat in consideratione singularium, nulla habitâ consideratione uniuersalium. Hinc experti certiùs operentur, quàm artifices, & scientifici, quoniam habitus ille genitus ex memorijs singularium, valdè certus est, & hic est habitus, quem Philosophus experientiæ potentiam appellat, ex quo fit ars, & scientia. Habitis enim illis multis memorijs singularium, ex quibus genitum est experimentum unum, itemque habitâ recordationum collatione, intellectus considerare incipit illa singularia non amplius, ut singularia, sed secundum quandam rationem uniuersalem, in qua illa conueniunt; ut cognoscit hoc rhabarbarum purgasse choleram Socrati, & idem secundum speciem purgasse choleram Platoni; ob id iudicat rhabarbarum tale esse, ut suâpte naturâ choleram purget, & facit principium artis, hanc propositionem efformans *Omne rhabarbarum choleram purgat*. Aduertendum autem cognitionem singularium ad experimentum requisitam, intellectiuam esse, licet sensitiua præsupponatur.

Quoniam autem scientia uniuersa plurimis conclusionibus constat, ob id unicum principium complexum non sufficit, sed plura requiruntur ut Philosophus ait, ἰδίαι δὲ καθ' ἑκάστην ἐστὶν ἀρχαὶ πλείους. *Propriæ verò principia in quaque scientia permulta sunt*; hinc etiam experientiæ plures, quarum opitulatione huiusmodi principia innotescunt; quod idem Philosophus notauit dicens, διὸ τὰς μὲν ἀρχὰς τὰς περὶ ἕκαστον, ἐμπειρίας ἐστὶ παραδοῦναι. *Idcirco experientiæ proprium est, cuiuscunque rei principia tradere.* 1. Post cap. 31

Non solùm experientia confert ad ea, quæ diximus de principijs, adeo ut sit utilis, & necessaria ad cognitionem incomplexam de illis etiam absolutè primis, hoc est ad cognitionem terminorum, quibus illa constant, & ad cognitionem complexam de ijsdem sit utilis. Insuper ad cognitionem complexam principiorum, quæ simpliciter prima non sunt, necessaria dici debeat. Sed etiam ad cognitionem incomplexam conclusionum, hoc est terminorum, quibus illæ constant, necessaria est experimentalis cognitio; licet ad habendam complexam earundem notitiam, solùm utilis, necessaria tamen non sit. Experientia cognitionem conclusionum

Horum autem ratio, quia simplices termini, quibus conclusio constat, si singulares atque sensibiles sint, debent externis sensibus cognosci; si autem non sint singulares, vel sensibiles in se, saltem tales sunt in alio, ita quidem uniuersalia in suis singulasibus sensibilia esse dicuntur, quia nihil est in intellectu, quod prius non fuit in sensu, vel ratione sui, vel alterius, quod erat primum. Alterum etiam ex eo constat, quia per experientiam cognoscendo intellectus prædicatum inesse subiecto, idque memoriâ sæpius repetendo, firmare com- Ratio suadens

conclusionibus assensum præbet, quod erat secundum. Ne commemorem experientiâ excitatum intellectum reddi ad cognoscendam causam; cùm enim experiendo ipse tantùm cognoscat quòd est, admiratione captus, causam ex cuius ignoratione prouenit admiratio, sedulò perquirit, donec obtentâ, sollicitudinem, quâ vexabatur, tandem abijciat, partemque felicitatis assequatur.

habi- primo prin- orum no à na- .

Celebris autem est de principijs dubitatio, utrum videlicet eorum habitus insint nobis à natura. Etsi autem ijsdem argumentis, rationibusve, quibus Platonis delirium redarguimus, hæc etiam difficultas, majori quidem ex parte, profligata remaneat; placet nihilominus cursim exponere quid aliqui hac de re sentiendum crediderint, & quid nobis propiùs ad veritatem accedere videatur.

ua sen ia.

Prima sententia docet ad ea principia, quæ omni medio vacant intellectum non indigere habitu superaddito, sed naturali suâ virtute illis assentiri, & post assensum nullum habitum reseruare.

cunda ntia.

Secunda sententia admittit primorum principiorum habitus, qualitates esse intellectui superadditas, in quo à prima sententia recedit; negat tamen eas nostris actibus acquiri, sed à primo creationis instanti nostris animis infundi, vel ab ipsis resultare contendunt.

rtia sen xia.

Tertia demum sententia, non solùm concedit principiorum habitus ab intellectu reipsâ distinctos, sed etiam per proprios cuiusque actus, eos paulatim comparari profitetur.

ssertio ma.

Hanc postremam assertionem, quoad ambas, quibus constat partes amplectendam existimo; & quoad priorem partem, quæ dicit habitus principiorum ab intellectu re ipsâ distingui Aristotelis auctoritate fulcitur, quandoquidem id ipse perspicuè docet non modo ad calcem secundi Posteriorum, ut nuper dictum fuit; sed etiam dum ait ἔστω δὴ οἷς ἀληθεύει ἢ ψυχὴ τῇ κατάφασιν ἢ ἀποφᾶναι, πέντε τὸν ἀριθμὸν ταῦτα δ' ἔστι τέχνη, ἐπιστήμη, φρόνησις, σοφία, νοῦς. *Sint sanè quinque numero, quibus animus verum enunciat affirmando, vel negando Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Mens*; siue Intelligentia, vel si mauis Intellectus.

6. Ethic. p. 3.

Cùm igitur Aristoteles inter habitus ab intelligendi facultate reipsâ distinctos, enumeret illum, qui proprio nomine intellectus appellatur, hic autem in primorum principiorum consideratione versetur, consequens fit ut primorum principiorum habitus ab intelligentia distinctos crediderit. Quod alibi etiam inculcat dicens, τούτων δὴ τριῶν μηδὲν ἐνδέχεται εἶναι ἕτερον λέγω δὲ τέχνην, φρόνησιν, σοφίαν, ἐπιστήμην; λείπεται νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν. *Nullum autem ex his tribus, principiorum esse potest (tria dico, prudentiam, sapientiam, scientiam) relinquitur, ut mens sit principiorum.* Recenset iterum principiorum habitum, inter habitus à mente reipsâ distinctos.

6. Ethic. p. 6.

ratione adetur ima as- tionis s.

Ratio non inefficax ad priorem assertionis partem suadendam, scilicet habitus principiorum ab intelligentia distingui; quoniam duplex est ratio, qua compellimur ad habitus in uniuersum adstruendos. Prima quidem à posteriori; ex eo enim, quòd nos videmus eundem hominem postquam se in aliqua materia virtutis, scientiæ, vel actis exercuit, longè facilius, atque delectabiliùs, quàm antea circa illam operari, hinc rectè colligimus in eo quidpiam ex illis operationibus remanere, quo potentia reddatur promptior, ac expeditior ad operationes exercendas, quod habitus dicitur. Secunda est à priori, siue per causam; quoniam facultates appetentes, & cognoscentes aliquam indifferentiam, atque difficultatem in agendo experiuntur; ob id aliquo indigent principio, quo determinantur, atque difficultatem, siue molestiam in agendo vincant, quod aliud esse non potest, quàm habitus facultatem informans, & operationem promouens. Vtraque autem ratio ad propositum ostendendum facit. Prima quidem, eò quòd experientiâ compertum est nos faciliùs assentiri principijs, postquam ea sæpè animo reuoluerimus, quàm antea. Prima ratio.

Dices facilitatem hanc non ab habitibus, sed à speciebus, ac imaginibus, quæ apprehensioni deseruiunt, prouenire. Responsio præoccupata.

Hoc tamen inconsideratè dicitur, cum non rarò usu veniat, ut remissiùs apprehendantur termini ab à primè versato, quàm à tyrone, seu ab eo, qui prima in arte ponit rudimenta, & ille tamen expeditiùs assentitur, quod non eueniret, si maior illa facilitas duntaxat ab impressis imaginibus ad apprehensionem terminorum concurrentibus, ortum duceret; fatendum igitur facilitatem illam ab aliquo alio, nimirum ab habitu potentiam inclinante proficisci. Vt præteream non solùm facultates cognoscentes, sed etiam appetentes ex actuum frequentatione facilitatem hanc sibi comparare; at in appetentibus non dantur species, & imagines rerum, cum facultatum cognoscentium sint propriæ; non igitur facilitas ab ipsis speciebus, sed aliunde scilicet ab habitu est expectanda; quare & incognitione primorum principiorum idem eueniet. Confutatio.

Secunda ratio eandem assertionem euincit, quia humana mens in præbendo assensu aliquam indifferentiam habet, quatenus non tendit simpliciter in rem, ut quando excitatur quidem à specie, mouetur tamen ab assentiendi ratione, à qua potest magis, & minus moueri, vel ob maiorem, & minorem aduertentiam, vel ob aliquod impedimentum; eget igitur habitu, quo faciliorem, expeditioremque modum operandi consequatur. Secunda ratio.

Neque est cur communissima principia, nimirum *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Quodlibet est, vel non est*, præsertim à Metaphysico, & alia quædam à Mathematico usurpata; non quod nullum sit adeo manifestum principium, cuius veritas occasione aliquâ latere non possit, ut nonnulli respondent, eò quòd à quibusdam hæc negata fuerint auctore Philosopho Diuinorum quarto; nam ut idem admonet, ore quidem, non tamen corde negare potuerunt; sed quoniam non repugnat horum principiorum terminos subobscurè propter minorem aduertentiam cognosci, quo admisso, nemo ibit inficias habitum facilitatis plurimum ad assensum conferre. Quorundam respõsio.

Accedit quod omnia principia, quoad indigentiam habituum eiusdem videntur esse rationis; vel igitur nullius, vel omnium admittendi sunt habitus. Assumptum inde probatum redditur, quoniam non undecunque sumenda est ratio ad hos habitus de medio tollendos sed ex aliquo essentiali discrimine inter principia, & reliqua omnia, in quæ mens actem dirigit suam, non autem ex accidentario, quod fortasse magis, & minus diuersitatem inuehit, propterea quòd essentiale quid est immediatum ordinem dicere ad solam potentiam, vel ad potentiam cum habitu; verumenimverò inter principia, & reliqua omnia, quæ sub intelligentiam cadunt; id solùm discriminis est, quod illa medio vacent; hæc verò minimè; aut verò claris, vel minùs claris constare terminis, accidentarium est quidpiam, quo inuicem principia discriminantur. Confirmatio.

Altera autem assertionis pars, quæ decernit hos habitus nobis ingenitos non esse, sed acquisitos pars legitur apud Aristotelem pariter expressa, capite ultimo Secunda assertionis pars probatur.

ultimo secundi Posteriorum, cuius doctrinam superiori Sectione, cursim tamen, attulimus; loco enim commemorato disertè admodùm hac de re disputans concludit, quod nos asserimus; videlicet primorum principiorum habitus nobis ingenitos à natura non esse, siquidem explicat, quomodo in nobis huiusmodi habitus generentur, cum doceat quo pacto mens faciat principium artis; & ex antea dictis colligit neque habitus principiorum inesse in anima determinatos, hoc est actu, ita ut ijs actu inexistentibus noscamus; neque sic acquisitos, ut ex alijs notioribus secundum naturam, ac præstantioribus procreentur habitibus; sed ex ministerio duntaxat sentientis facultatis, quæ sensus dicitur, proindeque non omninò absque præeunte notitiâ; quod exemplo satagit declarare, probareque, desumpto ex pugna exercitûs ab hoste fugati, ut apud ipsum videre licet.

2. Post. tex. 103. 104.

Ratione probatur.

Ratio autem præcipua in eo videtur posita, quòd si principiorum habitus forent ab ortu naturæ, eçuè semper in assentiendo faciles essemus, quod experientię aduersatur. Ad cuius confirmationem illud facit, quod ex actuum frequentatione maiorem facilitatem, ac promptitudinem non acquireremus; eatenus enim inde nos maiorem promptitudinem adipiscimur, quatenus actuum frequenti quidem exercitio aliquid, nimirum habitum in nobis acquirimus. Ideo namq; lapis centies, ac millies descendendo maiorem propensionem, atque facilitatem ad descensum non consequitur, quoniam ex frequentatione descensûs nihil nouiter acquirit, sed æquè semper facilè descendit, quoniam ei descensûs principium à naturâ ingenitum est. Non absimili modo nos in exercitio nostrarum operationum essemus, si nobis congeniti habitus naturâ forent, nec aliquid operando nouiter acquireremus.

Confirmatio.

Aliquæ solent difficultates afferri contra superiùs tradita, quas cum earum solutionibus partim in Physicis, partim in Metaphysicis de habitibus, dissertationibus afferemus; interim unam, vel alteram difficultatem attingemus; unâ tamen dubitatione præmissâ, cur scilicet Aristoteles habitum primorum principiorum modò naturalem, modò ipsius potentiæ nomine, intellectum scilicet, appellet; non conuenit inter omnes. Videtur tamen affirmandum, hunc de qua loquimur habitum appellari naturalem, quoniam ab ipso naturali lumine absque ullo medio parati sumus ad præbendum primis principijs assensum; eundem autem intellectum nuncupari, quoniam ab intelligendi potentia gignitur, prout intellectus denominatur: quantuis enim intelligendi facultas unica sit; quia nihilominus quædam simplici modo, nullo intermedio discursu, hoc est nullâ deductione ex noto ad ignotum, alia verò discurrendo, siue ratiocinando cognoscit; quatenus posteriori modo agit, dicitur, ratio; quatenus priori, intellectus nuncupatur. Cum itaque primorum principiorum habitus non generentur ex actibus ad discursum spectantibus, si tamen principia sint illa, quæ solâ terminorum perceptione cognoscuntur, ob id intellectûs nomine appellantur.

Cur habitus primorum principiorũ appelleur intellectus.

Aduersus priorem assertionis partem, in gratiam primę sententię difficultas est. Habitus potentijs adiungi solent ad superandam difficultatem, & promptitudinem assequendam in operando, tollendam indifferentiam, cum alioquin potentię se ipsis non adeo promptæ sint, & indifferentiam habeant; at intellectus nullo accedente habitu, nullam difficultatem experitur, & maximè determinatus maximèque promptus est ad assentiendum primis principijs; ob id habitus principiorum intelligendi facultati superadditus, videtur omnino superfluus. Maior euidens; minor inde constat, quoniam Intellectus est potentia naturalis, quæ proposito sufficienter obiecto, citra difficultatem totoque conatu fertur in illud; sed primum principium est naturale intellectûs obiectum, terminisque penetratis, sufficienter propositum; ergo nulla superest ex parte intellectûs difficultas superanda, nullaque indifferentia tollenda; quin intellectus est maximè promptus ad assentiendum primis, de quibus loquimur, principijs.

Prima difficultas contra primam assertionis partem.

Confirmatur autem superior difficultas, quoniam ideo lapis nullum acquirit habitum descendendo, quia naturali necessitate in locum inferiorem tendit, etiam & sensus propterea nullum acquirunt habitum suos actus exercendo, quoniam cum obiecta ipsis proponuntur, naturali necessitate in ea tendunt. Immo & in Intellectus non aliam ob causam ex simplici apprehensione habitus non seruat, quia naturali propensione, & citra difficultatem apprehendendi munus exercet; sed non absimili modo se habet ad prima principia, vel omnia, vel aliqua saltem, nimirum, quæ maximè nota sunt; ob id erga huiusmodi principia nullis habitibus indigebit.

Ad hanc difficultatem respondendum assumptionem negando; falsum enim est Intellectum per hos habitus promptiorem ad cognoscenda prima principia reddi non posse. Neque probatio alicuius momenti est; quanuis enim intellectus inter naturales potentias recenseri debeat; hæ tamen aliquam latitudinem admittunt; cum ex ipsis quædam habeant actum quasi reflexum, hoc est moueantur ob aliquam rationem in obiecto cognitam; aliæ verò simpliciter ab obiecto excitentur; Ad primum ordinem illæ spectant, quæ appetentes dicuntur; & etiam quæ iudicium ferunt, siue iudicandi vim habent; illæ siquidem à bonitate repræsentata: hæ autem à proposita veritate trahuntur. Ad posteriorem ordinem pertinent, quę simplicem actum, hoc est, non elicitum, ob aliquam rationem motiuam, sed absolutè, simpliciterque tendentem in materiale obiectum, cuiusmodi sunt, præter potentias rerum inanimatarum, omnes externorum sensuum, & etiam quorundam saltem internorum facultates. Prioris autem ordinis potentiæ ita se habent, ut pro diuersitate modi, quo ratio motiua ijs proposita est, & pro varia etiam subiecti dispositione, ipsæ attrahi possint & quanuis naturaliter, & necessariò operentur; aliquam tamen indeterminationem participant, quæ per habitum, vel omnino auferri, vel saltem imminui quamnmaximè potest. Tametsi ergo potentia naturaliter operetur, non semper tamen omnem conatum applicat, adeo ut per aliquid adiunctum non possit magis applicata reddi; hoc itaque modo se habet intellectus, in quo propterea nihil obstat, quominus erga prima communissima principia detur habitus illi superadditus.

Confirmatio.

Confirmationi fiet satis respondendo potentiam in lapide ad descensum esse, quà lapis simpliciter in inferiorem locum tendit, atque adeo ad secundum ordinem naturalis potentiæ reuocari, quam simpliciter ad obiectum esse determinatam dicebamus. Non absimili modo respondendum de sensibus externis, puta visu, vel auditu &c. immo & de intellectu ipso, quatenus simpliciter apprehendente; ad eundem enim ordinem potentiæ naturalis simpliciter ad obiectum determinatæ, pertinet.

Secunda difficultas

Deinde sic obijciunt. In intellectu practico nullus datur habitus circa prima principia practica, cuiusmodi sunt bonum est prosequendum; malum est fugiendum, cum intelligentiæ vis, per se satis sit, ut illis præbeamus assensum; ergo nec etiam in intellectu specu-

speculatiuo vllus erit habitus concedendus, quo sua prima principia cognoscat. Illatio optima est, utpote ex paritate rationis desumpta. Assumptum satis euidens; est enim animis nostris inditum lumen rationis auersum à malo, & propensum ad bonum; inest quædam conscientiæ scintilla, quæ nunquam extinguitur; hæc autem ideo, quoniam istorum principiorum in intellectu practico non est habitus quem synderisim appellant, re distinctus ab ipso.

Falsum tamen assumunt, scilicet in intellectu practico non dari habitum ad communissima principia practica, qui synderisis nuncupatur. nec id validâ ratione confirmant; quanuis enim optimum illud rationis lumen ingenitum nobis sit, & vigeat in nobis illa conscientiæ scintilla *iuxta illud*. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*; per hanc, mentem intelligendo; quæ propriè inter bonum, & malum discernit; hoc tamen non facit quominus in intellectu nostro detur habitus principiorum practicus, quo hæc faciliùs, atque promptiùs præstare valeat.

Fautores autem secundæ sententiæ sic argumentantur. Natura uniuscuiusque rei efformata est omnibus absoluta numeris, cum unumquodque perfectum sit; ergo ita debet esse condita, ut operandi principio destituta non sit; hoc enim facit ad absolutionem ipsius: sed habitus, de quibus habetur sermo, principia sunt operandi; ergo intellectualis natura, qualis nostra est, sine huiusmodi principijs genita esse non debet.

In cuius confirmationem illud potest adiungi, quòd hoc postulabat elegantissimus ordo eorum quę ad Vniuersi constitutionem faciunt, nimirum ut supremum inferioris naturæ, attingat infimum naturæ superioris, sed inter habitus, quibus humana mens potest exornari, principiorum habitus quidpiam supremum est inferioris naturæ, nimirùm humanæ; id ipsum infimum superioris videlicet naturæ nullum habentis cum materia commercium, cum huic omnia suæ cognitionis primordia indita sint; ut huic igitur omnia congenita sunt suæ cognitionis principia: sic homini præstantissimæ saltem cognitionis, qualis est de qua loquimur, indita principia erunt.

Occurritur, dicendo, satis absolutam esse hominis naturam, ex eo quòd facultatibus instructa sit, quibus & hunc de quo loquimur, & alios habitus sibi possit comparare; nam ut ei dederori non est, quinimò ad eius perfectionem facit, ut successione temporis perpetuò nouas operationes exerat, nec ullam constantem sibi congenitam habeat: ita nec operationibus ipsis semper nouos habitus acquirere, quanuis nullum ex ipsis inditum à natura habeat.

Confirmationi autem fit obuiam respondendo effatum illud non intelligendum quoad omnia, cum sit ad eius veritatem satis, principiorum cognitionem ac habitum affinitatem habere cum notitia propria substantiarum ad superiorem ordinem spectantium eo nomine, quòd, ut hæc, sic & illa eiusque habitus nullâ ratiocinatione comparetur.

Cæterùm principiorum habitus, non secus ac alij frequentatione actuum acquiruntur.

SECTIO DECIMANONA.

An, & quomodo demonstrationis præmissæ debeant esse priores, & notiores conclusione.

DEmonstrationis præmissas tales esse debere, ut notiores, prioresque sint conclusione, docuit Aristoteles, & omnes eundem secuti sunt: Is enim diuersis verbis conditionem hanc è quorundam sententia duplici nomine significatam tradidit, dicens, τῇ γνωριμώτερα, τῇ πρότερα, *& notiora esse oportet, & priora*; Hæc autem prioritas intelligitur, non solùm in essendo sed etiam in cognoscendo, ut infra explicabimus, quia præmissæ debent priùs, & antecedenter esse cognitæ, saltem naturæ ordine. Non solùm autem præmissæ debent hoc modo priùs esse cognitæ, ut possit elici conclusionis assensus, sed etiam magis, nimirum perfectiori modo cognitæ esse debent; Aristoteles hoc expressit particulâ decimaquinta dicens, ἀνάγκη μὴ μόνον προγινώσκειν τὰ πρῶτα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. *Propterea necesse est non solùm præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis*. Reddit autem rationem dicens, ἀεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. *Semper enim id magis* tale *est*, propter quod *unumquodque est* tale. Quamobrem si propter prima scimus & credimus, illa quoque scimus, & credimus magis, quia per illa scimus, & credimus etiam posteriora; At fieri non potest, ut magis, quàm ea quæ nouit, credat aliquis, quæ neque scit, neque meliùs affectus est, quàm si sciret; meliùs autem dicitur aliquis affectus, quàm si sciret, per principiorum habitum: hoc autem non accidet, nisi per demonstrationẽ credens prænouerit ipsa principia; μᾶλλον γὰρ ἀνάγκη πιστεύειν τοῖς ἀρχαῖς ἢ πᾶσαις, ἢ τισι, τῷ συμπεράσματος. *quia necesse est maiorem fidem habere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quàm conclusioni*.

1. Post. tex. 11.

1. Post. tex. 15.

Ibidem tex. 16.

Demonstrationis ergo præmissæ debent esse cognitæ, vel per aliam scientiam, & demonstrationem superiorem, vel per cognitionem aliam meliorem, quæ dicitur intellectus. Et in subsequenti particula addit principia non solùm debere esse notiora, sed etiam notissima, ità ut non sit notius alicui, aut credibilius, quod ipsis oppositum est, nec ei sit quicquam certius, quàm falsa esse eorum opposita, ex quibus syllogismus conficitur Sophisticus, siquidem opus est ut qui simpliciter scit, labi & errare nequeat.

Ibid. tex. 17.

Rectiùs tamen istæ censentur duæ conditiones distinctæ itaut *Prima* conditio sit quòd præmissæ sint veræ; *Secunda*, quòd sint immediatæ. *Tertia*, quòd sint priores, quia præmissæ ad conclusionem referuntur, primum enim aliquid dicitur per negationem prioris, dicitur autem prius per habitudinem ad posterius; aliqua nanque propositio dicitur prima, quia non habet aliam priorem: non propterea tamen dicitur prior, respectu alicuius conclusionis. Ita quidem hæc propositio, *quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia* prima est, non tamen prior per ordinem ad hanc conclusionem *omnis homo est admirativus*.

Tertia conditio quòd præmissæ sint priores.

Hæc autem conditio conuenit non solùm præmissis demonstrationis *propterquid*, sed etiam *quia*; nam huius demonstrationis quoque præmissę dicuntur conclusionis causæ, licet in cognoscendo, cum alioquin præmissæ demonstrationis *propterquid*, non solùm sint causæ in cognoscendo, sed etiam in essendo; non quòd principia complexa, cuiusmodi sunt præmissæ, absolutè dici possint principia in essendo; hoc enim principiorum incomplexorum proprium; sed dicuntur principia in essendo, quia continent causam in essendo; Aristoteles autem præsertim conditionem hanc præmissis demonstrationis *propterquid* inpræsens adscribit.

Hæc conditio conuenit præmissis utrique demonstrationis.

Quarta verò conditio est, quòd præmissæ sint notiores; de hac autem conditione grauis est dubitatio; quandoquidem potest in quæstionem vocari, an præmissæ dicendæ sint notiores naturâ, an nobis (quid autem sit notius naturâ, & quid notius nobis, non multo antea ex Aristotele declarauimus;) aliquid

Quarta conditio quòd præmissæ sint notiores.

1. Post. tex. 12.

enim notius naturâ dicitur, quod ex se maximè cognoscibile est, quatenus est perfectius, & independens, ac ob id est maximè cognoscibile; at verò notius nobis censetur, quod facilius, à nobis cognoscitur, eò quòd est sensibus propinquius, vel aliqua alia ex causa. Non repugnat autem idem esse notius naturâ, & notius nobis, quando nimirum facilius causa, quàm effectus cognoscitur. Nec oppositum Aristoteles docuit, etsi pronciauerit, non eadem esse nobis nota, & naturâ; id enim affirmauit solùm eò quòd plerunque hoc accidit, non autem quòd oppositum euenire non possit. Cum autem Philosophus tradens hanc conditionem de præmissis demonstrationis *propterquid* sermonem habeat, consequens fit, ut de prioritate naturæ sit eius intelligenda sententia. Quamobrem intelligendum præmissas esse notiores naturâ, quæ autem naturâ sunt notiora, plerunque sunt notiora nobis, ut nuper dicebam; at verò demonstratio *quia*, procedens ab effectu, est ex notioribus nobis ad notiora naturâ, hoc est, eius præmissæ nobis, sed non naturâ notiores sunt.

2. Phys. Tex. 1.

Quid per hanc conditionem etiam significetur.

Hâc autem conditione significatur etiam præmissas notiores esse conclusione, quando nanque dicuntur notiores naturâ, vel nobis, id usurpandum in ordine ad conclusionem, quod maiorem perfectionem importat, adeo ut præmissas notiores esse conclusione perinde sit ac magis, atque perfectiùs notas esse; maior autem ista perfectio tripartitò contingit, scilicet vel quantum ad certitudinem, vel quantum ad euidentiam, vel quantum ad intensionem, de quibus egimus, cum scientiæ naturam perscrutaremur. Erat autem certitudo firma quædam intellectùs adhæsio, quæ formidini opposita est. Euidentiæ dicebatur claritas cognitionis opposita obscuritati. Intensio autem graduum gemina esse perhibetur, quarum una dicitur propria, seu gradualis, & attenditur penes plures gradus eiusdem rationis specificæ, ut habitus virtutis, puta iustitiæ, ut duo, intensior est habitu eiusdem virtutis se habente ut unum. Vel impropria est, & substantialis, quæ sumitur in ordine ad plures gradus specificos; ut omnes æternæ mentes immaterialiores animâ rationali censentur; eodem modo cognitio prout in actu, vel in habitu consistens de principijs simpliciter primis, quæ quidem cognitio dicitur intellectus, est essentialiter perfectior cognitione scientificâ conclusionis ratiocinatione, siue discursu comparata; ubi supponendum tam certitudinem, quàm euidentiam suscipere magis, & minus, in quo planè omnes conueniunt, nec immeritò propterea quòd satis est notum primò certitudinem in indiuisibili minime consistere; siquidem ipsa firma quædam est intellectùs adhæsio cum absoluta exclusione formidinis, unde est ut intellectus cùm possit magis, vel minus adhærere oblatæ propositioni, possit etiam maiorem vel minorem certitudinem habere de ipsa; intra igitur limites formidinis potest intellectus pro varietate motiui firmiorem vel minus firmum assensum elicere.

Differtationis vigesimaquinta sectionis quarta.

Quid in dubiũ de principijs reuocetur.

Quod autẽ in dubium vertitur est, an præmissę quantum ad tria commemorata perfectiori modo notæ sint quàm conclusio. Sunt, qui putant præmissas non esse certiores, & euidentiores conclusione. Alij autem quanuis libenter concedant quamlibet præmissam esse certiorem, & euidentiorem conclusione, & utranque euidentiorem esse, ambas tamen esse certiores inficiantur. Alij autem immediatas præmissas esse certiores, & euidentiores affirmant; mediatas autem non item. Communi tamen calculo receptum est præmissas simul, vel seorsum acceptas quantum ad tria iam recensita, perfectioti modo, quàm conclusionem cognosci.

Vt autem quid hac de sentiendum paucis aperiam, præmitto conclusionem genuino modo spectari; primò quatenus propositio est, quo pacto ad iudicium pertinet, & in secunda intellectus operatione consistit; secundò prout est conclusio, iuxta quam acceptionem, illationem ex principijs inuoluit, & ad tertiam intellectùs operationem pertinet. His præhabitis.

Præ

Dicendum præmissas simul, vel seorsum acceptas, quantum ad tria illa commemora perfectiori modo cognosci, quàm conclusionem, quatenus conclusio est, videlicet iuxta secundam usurpationem nuper à nobis explicatam.

Ad

Certiores esse dicebat etiam Philosophus eâ ratione ductus, quoniam conclusio certa est propter certitudinem præmissarum; ergo maior ipsarum præmissarum certitudo esse debet; assumptum tanquam per se notum non probat; suaderi tamen ex eo facilè potest, quoniam quicquid in conclusione est, ab eodem quatenus est in præmissis dependet, adeo ut veritas conclusionis à veritate præmissarum, & sic de reliquis, atque adeo de certitudine. Consecutionem autem per axioma illud ostendit non semel à nobis usurpatum, videlicet, *εἰ γὰρ τὸ ὑπάρχει ἦν ἄρα τὸ, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. Semper enim id magis* tale *est, propter quod unumquodque* est tale.

Cert esse p miss clusi Arist ratio suade Prim cio.

Nec in postremis altera est habenda ratio, quia quod ex se tale est, perfectius formam habet, quàm quod per aliud est tale, quoniam illud in participando formam est independens; hoc autem dependens illud immediatiùs; hoc autem mediatiùs participat.

Sec cun.

Vtrique rationi conantur quidam occurrere, & ad priorem respondent Aristoteli illud effatum duntaxat admittendum esse in causa finali comparatione mediorum, non autem in alijs causis. Ad posteriorem respondendum putant habere locum in agentibus per gradum intensionis, non autem de agentibus, quæ dant esse secundum substantiam.

Quæ dam n mode Ad pr ration Ad se dam.

Hæ tamen responsiones facilè refelluntur. Primò quidem eo nomine, quòd illud axioma solùm in causa finali, comparatione mediorum locum habere concedat; enim verò suo loco in uniuersum veriti consentaneum illud ostendimus, si tamen quibusdam conditionibus limitatum intelligatur. Primò nanque axioma illud propositio quædam causalis est, ac ob id veritate comprobatur in ijs, quæ se habent ut causa, & effectus; eius autem veritas eo est fundamenta suffulta, quòd nulla causa potest effectum edere nobiliorem se ipsâ; cùm potius causa totalis, saltem quatenus huiusmodi, & prout independens, maiorem perfectionem quàm effectus importet; ut enim dependentia imperfectionem; sic independentia perfectionem inuoluit. *Prima* autem erat conditio, ut causa totalis sit, itemque per se respectu effectùs; cum quo instituitur comparatio. *Secunda*, ut prædicatum in quo fit comparatio, tam causæ, quàm effectui formaliter conueniat. *Tertia*, ut id quod effectum denominat talem, oriatur à causa quatenus tali. *Quarta*, ut forma, secundum quam fit comparatio, suscipiat magis, & minus. *Quinta*, ut *magis*, & *minus*, haud necessariò dicat semper intensionem, & remissionem graduum, sed plerunque maiorem perfectionem modi, quo forma participatur à subiecto, vi *delicet maiorem* independentiam in illa participanda; *sed hæc iam* supra explicuimus. Cæterum, nullo negotio, ut mea fert opinio, responsio ad priorem illam rationem ex eorum concessione refellitur, quandoquidem asseuerant effatum illud valere tantùm in causa finali respectu mediorum, non autem in alijs causis, ex hoc autem sic arguo. Ideo plus amatur finis, quàm media, quo-

Refell tur. Respon ad pri rationc rejicit

a. Disp 27. sect.

Digitized by Google

quòniam finis bonitas mouet voluntatem ad amorem mediorum; sed præmissarum assensus mouet intellectum ad assensum conclusionis; consequens igitur ut intellectus magis, & firmiùs præmissis assentiatur, quàm conclusioni; optima quidem illatio, quoniam si finis eò quòd est causa mouens, magis amatur; præmissæ quoque cum sint causæ mouentes sic se habere debent, ut ijs firmior, & certior præbeatur assensus.

ponsio
ecun-
ationē
illitur.

Neque ad secundam rationem, responsio magni facienda est, quandoquidem si ad illius axiomatis veritatem sat est, ut locum habeat in agentibus secundum gradùs intensionem, locum etiam habebit in agentibus secundum substantiam, seu quatenus dant esse substantiale, quando nimirum causæ sunt æquiuocæ; si nanque præmissæ certiores sunt conclusione, secundum certitudinem gradualem, certiores multo magis eadem esse debent secundum certitudinem substantialem, quandoquidem hac, aduersarijs etiam fatentibus, comitatur substantiam actus; at verò substantia actûs præmissarum perfectior est actu conclusionis cum huius comparatione si causa non est, saltem de obiecto est perfectiori; ab obiecto autem præcipuè dependet cognitionis perfectio, siquidem illud est à quo cognitio mensuratur; causa verò æquiuoca, quatenus huiusmodi, perfectior est effectu & præmissarum obiectum est causa æquiuoca illius, circa quod versatur conclusionis cognitio, si demonstratio sit *propter quid*; ergo cognitio præmissarum debet esse perfectior cognitione conclusionis.

arum
ref-
io.

Sunt, qui respondet non ideo media minus amari, quia propter finem appetuntur, sed quia non habent bonitatem dignam amore sic intenso; at conclusionis obiectum habet capacitatem terminandi tam certum assensum, quemadmodum præmissarum obiectum. Non ideo minus amari media, quoniam propter finem appetuntur probant exemplo, non enim inquiunt Deus minus amat iustum, quàm gratiam, eò quòd illum amat propter gratiam.

fellitur

Hæc tamen responsio facilè reijcitur ad hominem argumentando, utendo scilicet ijsdem principijs, quibus illa fulcitur. Obiectum conclusionis non est capax tantæ certitudinis quantæ capax est obiectum præmissarum, nam illud mediatam & dependentem habet veritatem, & necessitatem; hoc autem immediatam, & independentem; ergo certior debet esse cognitio præmissarum, quàm conclusionis; assumptum est manifestum ob insinuatam rationem; consecutio autem ab aduersarijs admitti debet, cum affirment, ideo media remissiùs amari, quàm finem, quoniam non habent bonitatem dignam amore sic intenso, quemadmodum finis; propterea modo non absimili eò quòd obiectum conclusionis non sit capax tantæ certitudinis, quantæ capax est obiectum præmissarum, licebit inferre minus certâ cognitione debere cognosci, quàm præmissarum obiectum; nulla siquidem disparitas afferri potest; exemplum autem ab ipsis adductum non est ad rem, cum gratia non sit causa amoris, quo Deus iustum prosequitur, sed potius velut effectus, quatenus ipse supernaturali habitu gratiæ hominem exornare decreuit, non enim gratia suâpte naturâ, sed ex diuino decreto iustum hominem reddit.

ecunda
io.

Amplius illa cognitio est certior, quæ eâdem est euidentior; sed euidentior est cognitio præmissarum cognitione conclusionis; ergo certior etiam præmissarum cognitio cognitione conclusionis. assumptio mox ostendetur; maior autem ex eo probatur, quòd quandocunque in cognitionibus reperitur euidentia illa quæ maiorem habet euidentiam est certior alterâ; tum ut suo loco demonstratum fuit, certitudo cognitionis euidentiam comitatur, quod non eò dico quasi putem certitudinem absque euidentia dari non posse; sed id solùm contendo, quandocunque intercesserit euidentia, cognitionem unam esse certiorem alterâ, cùm illa maiorem euidentiam habuerit; nam rectè Lyricus.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm, quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Horatius in Arte.

Longè certiùs assentimur ijs, quæ nos oculis usurpamus, hoc est, quæ euidenter cognoscimus, quàm quæ audimus ab alijs relata, hoc est quàm quæ subobscurè cognoscimus &c. Nam, ut dici solet, certiora sunt, quę oculis ad animum referuntur, quàm quæ auribus; & magis mouent, quæ aspectu, quàm quę auditu percipiuntur; oculorum enim sensus acerrimus, quippe qui ponit in conspectu animi, quæ hic nequit attingere.

Præmissæ sunt euidentiores conclusione.

Non solùm certiores, sed etiam euidentiores præmissas esse conclusione, suadere licebit, ijsdem rationibus, quibus usi sumus ad probandum præmissas esse certiores conclusione, cùm eadem militet ratio.

Prima ratio.

Eandem tamen veritatem sic ostendo. Quæ habent perfectiorem cognoscibilitatem, ea sunt euidentiora cognitu; sed huiusmodi sunt præmissæ comparatione conclusionis; ergo præmissæ cognitu euidentiores sunt; atque adeo euidentiùs cognoscuntur. Maior certa, minor ex eo probatur, quia præmissæ per se, & immediatè cognoscuntur; conclusio autem per aliud, atque adeo non per se cognoscitur; ergo præmissæ comparatione conclusionis perfectiorem cognoscibilitatem habent.

Hoc etiam experientia confirmat; nam etsi euidenter intellectus cognoscat conclusionem primæ propositionis Euclidis; nihilominus euidentiùs adhuc cognoscit principia ex quibus illa deducta est; cognoscit enim euidenter figuram illam circulorum intersectione descriptam, æquilateram esse, sed euidentiùs cognoscit, definitionem circuli, & circulorum æqualium, & axioma, *quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*, è quibus illa conclusio deducitur.

Secunda ratio.

Probatur etiam ex eo quia omnis propositio, quæ vel est per se nota, vel magis ad illam accedit, quàm conclusio, est euidentior conclusione; sed præmissæ hunc se habent in modum; vel enim sunt propositiones per se notæ, vel magis quàm conclusio ad per se notam accedunt; ergo præmissæ erunt euidentiores conclusione. Superest, quod erat ordine postremum, scilicet præmissas essentiali perfectione dicendas conclusione perfectiores; hoc autem non erit operosum ostendere in memoriam redactis, quæ de certitudine diximus; nam præmissarum obiectum, quod unio est medij cum extremis, est causa obiecti conclusionis, hoc est unionis extremorum; ergo præmissarum obiectum est perfectius essentialiter obiecto conclusionis, quoniam illud huius causa æquiuoca est; ergo præmissarum cognitio, conclusionis cognitione perfectior essentialiter erit; optima consecutio, cum omnis obiecti perfectio in cognitionem deriuetur. Nihil autem refert, quòd obiectum præmissarum possit esse causa non physica, sed solùm metaphysica; nam cum dicitur causa æquiuoca essentialiter esse nobilior effectu, de utroque causæ genere intelligendum est.

Confirmatio.

In confirmationem accedit, quòd conclusionis cognitio dependentiam dicit à cognitione præmissarum, quantacunque sit huiusmodi dependentia, de qua suo loco disputatum fuit; ergo hæc duo cognitionum genera essentialiter differunt, proindeque necessarium omnino præmissas esse secundum gradum specificum essentialemve conclusione perfectiores.

Non

Certiores præmissæ, quoad gradum intensionem.

Non solùm autem essentiali perfectione, præmissarum assensus perfectior est assensu conclusionis, sed etiam graduali perfectione intensionis, hæc enim, inquiunt, illam subsequitur perfectio, quando scilicet causa, & effectus, ut in re proposita contingit, intensionem, & remissionem admittunt.

Differ. 24. Sect. 3.

Neque dicas assensum præmissarum non esse causam assensûs conclusionis, ut alibi luculenter probatum fuit, & ob id vanam esse rationem allatam. Nam respondeo etsi assensûs conclusionis causa sit intellectus, assensus tamen præmissarum est id, quod determinat intellectum ad assensum conclusionis, adeò ut pro ratione illius habeatur conclusionis assensus, ac ob id perfectio gradualis istius à graduali perfectione illius quodammodò pendeat, unde semper debeat esse minoris gradûs, quàm illa.

Adnotatio.

Non inficiandum tamen ex accidenti contingere, ut assensus conclusionis æque intensus, vel intensior sit assensu præmissarum, vel nimirum ex maiori intellectûs conatu, vel ex voluntatis imperio; secus tamen si attendatur modus, quo natura utitur in operando; semper enim à causa æquiuoca prouenit effectus remissioris gradûs quàm sit intensio causæ. Neque refert, quòd intellectus, non autem præmissarum assensus, causa sit assensûs conclusionis; enimverò, quatenus assensus præmissarum determinat, & impellit intellectum ad assensum conclusionis, quædam sibi potest arrogare, quæ causæ propria videntur.

Prima difficultas.

Sed aduersus dicta de certitudine, dicenda quædam se offerunt; præmissas enim non esse certiores conclusione videtur Aristoteles docuisse; dicendo enim magis esse credendum, aut omnibus principiis, aut quibusdam, tacitè fatetur, non omnia principia, seu non utranque præmissam esse certiorem conclusione.

Solutio.

Satis tamen apertè constat, quò ibi tendat Philosophi consilium, eò nimirum, ut doceat aliquando contingere unam ex præmissis esse per se notam, ac immediatam, alteram verò mediatam; non inficiatur tamen principia mediata certiùs cognosci, quàm conclusionem, quoniam cum minori dependentia, quàm conclusio cognoscuntur, licet scientificâ cognitione alterius speciei à cognitione conclusionis; responsio autem ex eius verbis colligitur, siquidem ait, ἀναγκη μὴ μόνον προγινώσκειν τὰ πρῶτα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον, *necesse* est *non solùm prænoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis*; ex his porrò euidenter colligimus eum fuisse in demonstratione contentum unicâ propositione per se notâ, quæ nimirum sit notior illo genere notitiæ perfectioris, quæ dicitur *intellectus*, adeo ut non existimauerit repugnare propositionem alteram per se notam non esse.

Secunda difficultas

Vrgent alij hoc modo. Eodem modo uniuntur extrema cum medio in præmissis, quo in conclusione uniuntur inter se; immo eadem unione, merito illius principij, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; sed ubi est eadem unio, & idem obiectum, est eadem cognitionis certitudo; ergo præmissæ sunt eiusdem certitudinis cum conclusione.

Solutio.

Falsa tamen est maior; non enim eodem modo uniuntur extrema inter se, quo uniuntur cum medio, nam hæc posterior unio est immediata, & independens; prior autem oppositio modo se habet; & ex illo principio potius oppositum infertur; nam ex eo quòd unio cum medio causa sit unionis extremorum inter se, colligitur apertè unionem esse rationis longè diuersæ.

Tertia difficultas.

Amplius. Nulla potest assignari causa cur certiores debeant esse præmissæ, quàm conclusio; malè igitur illa statuitur. Assumptum ostenditur ita ratiocinando. Nam vel causa erit immediata terminorum connexio, & hæc esse non potest, committitur enim petitio principij, cum hoc in quæstione positum sit, an videlicet ex ea oriatur maior certitudo, vel euidentia. Vel ponitur minor distantia ab intellectûs lumine; & hoc à veritate remotum, propterea quòd lumen intellectuale, non est ut lumen corporeum, quod minus illuminat obiectum remotum.

Solutio.

Occurritur respondendo falsum assumi; quandoquidem causa maioris certitudinis in præmissis obuia est, nimirum immediata & independens extremorum connexio; non subide tamen inferenda petitio principij, hæc enim ideo dicitur in præsens fieri, quia, quod controuersum est, affertur pro responsione, sed hoc inficiandum; quærimus enim an præmissæ sint certiores conclusione, hoc est, an propositiones in quibus extrema connectuntur cum medio, certiores sint, eâ in qua extrema connectuntur inter se; respondetur autem, præmissas esse conclusione certiores, quoniam immediata illa connexio maiorem certitudinem, ac euidentiam parit; quoniam minus recedit ab eo quod est notum naturæ lumine, siquidem simpliciter est, & independens; secus autem connexio mediata, qualis est eorundem extremorum in conclusione; nulla idcirco fit petitio principij.

Quarta difficultas.

Amplius. Vnicum est motivum & obiectum formale in syllogismo, nam conclusio respicit tanquam obiectum non solùm extrema inter se, sed etiam cum medio connexa; ergo nullum certitudinis discrimen, quin potius, quanta est certitudo præmissarum, tanta est conclusionis.

Solutio.

Respondetur falsum assumi, non enim idem est formale præmissarum, & conclusionis obiectum; nam formale præmissarum obiectum est illa ratio secundum quam intellectus simplici iudicio fertur in illas; at formale obiectum conclusionis est ratio illa, secundum quam intellectus iudicio illatiuo fertur in ipsam.

Quinta difficultas.

Est etiam difficultas non leuis, quoniam conclusio plerunque sensu, vel pluribus demonstrationibus nota est; ergo saltem tunc præmissæ non erunt conclusione certiores.

Solutio.

Fit satis respondendo non esse conclusionem eandem formaliter, licet eadem sit materialiter, quia ad variationem mediorum, variatur ipsa conclusio nanq; iudicium illativum est, atque adeo, dicit dependentiam à medio, pro cuius varietate, variatur etiam ipsa conclusio formaliter accepta, cum ut huiusmodi, medium ipsum in obliquo saltem importet; at nunc sermo est de conclusione, prout à præmissis pendet, quam collatam cum præmissis à quibus pendet, asserimus minoris certitudinis esse.

Sexta difficultas.

Alij sic urgent. Præmissæ demonstrationis *propter quid* sciuntur demonstratione *quia*; imperfectius ergo sciuntur, quàm conclusio, cùm perfectius sit scire demonstratione *propterquid*, quàm demonstratione *quia*.

Solutio.

Omissis aliorum responsionibus, dicendum non semper præmissas demonstrationis *propterquid*, sciri demonstratione *quia*, propterea quòd solum hoc euenit, quando præmissæ non sunt per se notæ; at quando per se notæ sunt, ad eorum cognitionem non est opus ullâ demonstratione; quando autem demonstrantur, se habent tanquam conclusiones conferendæ cum præmissis à quibus deductæ sunt; non autem cum conclusione demonstrationis *propter quid*, nisi quatenus aliunde cognitæ sunt; si nanque cognoscantur præmissæ à posteriori, collatæ cum illis à quibus deductæ sunt, minorem certitudinem habent quàm illæ, si autem

autem conferantur cum conclusione, deducta ex ipsis in processu *propter quid*, sunt conclusione certiores. Nec refert quòd cognitæ sint ab effectu, nam quòd demonstratio *propter quid*, perfectior sit demonstratione *quia*, intelligendum in ordine ad eandem conclusionem; diciturque demonstratio *quia*, imperfectior, quatenus facit cognoscere quòd est, cum altera faciat cognoscere *propter quid*; sed demonstrationes de quibus procedit difficultas, non sunt in ordine ad eandem conclusionem, ac ob id nequeunt inter se conferri. Ne commemorem euidentiam, ac certitudinem posse maiorem esse in demonstratione *quia*, quàm in demonstratione *propter quid*; quoniam procedit ex ijs, quæ sunt notiora nobis, cum demonstratio *propter quid*, quatenus huiusmodi, procedat à notioribus naturâ; non subinde tamen concludas demonstrationem *quia*, perfectionem esse demonstratione *propter quid*; enim verò hæc facit cognoscere tantùm quòd est, cum altera demõstratio faciat cognoscere propterquid est; hoc autem cognitionis genus perfectius est illo; propterea non mirum, si demonstratio *quia*, quantumuis maiorem habeat euidentiam, ac certitudinem; adhuc imperfectior demonstratione *propter quid* existimari debeat, dicique solùm possit demonstratio *quia* accidentaliter perfectior demonstratione *propter quid*; sed hæc essentialiter perfectior illâ dici debeat.

Prima obiectio. Vrgebit etiam aliquis hoc modo. Eatenus præmissæ certiores, & enidentiores dici debent conclusione, quatenus certitudo, & euidentia conclusionis pendet à certitudine, & euidentia præmissarum, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis; sed hæc ratio nulla: quoniam hoc axioma locum non habet in causis æquiuocis, cuiusmodo est assensus præmissarum respectu assensûs conclusionis; ineptè propterea dictum à nobis fuit præmissas esse certiores euidentioresque conclusione.

Quomodocunque præmissarum assensus conferri debeat cum assensu conclusionis, siue tanquam causa, licet, æquiuoca, quod nobis non probatur; siue tanquam aliquid se tenens ex parte causæ, videlicet intellectûs, quatenus illum determinat ad præbendum assensum conclusioni, axioma illud iure, ac meritò hîc usurpatur; nam si præmissarum assensus dicatur causa æquiuoca assensûs conclusionis, possunt inuicem comparari, non quidem secundum proprias, & specificas rationes, conclusio enim scitur per demonstrationem, præmissæ verò per superiorem habitum, qui dicitur intellectus (loquimur enim de præmissis immediatis) possunt tamen comparari, quatenus conueniunt in communi ratione cognitionis certæ, & euidentis. Eodem modo fiet satis difficultati, si præmissarum assensus dicatur duntaxat se tenere ex parte causæ, modo iam explicato.

Secunda difficultas. Nec etiam omnis de medio sublata difficultas, enim verò posset quispiam sic argumentari. Si daretur hæc maior certitudo præmissarum, minor autem conclusionis, & minueretur præmissarum certitudo, minueretur etiam certitudo conclusionis, adeo ut tandem deueniendum esset ad conclusionem nullius certitudinis, quod planè ridiculum est.

Maior in secta. Hoc argumentum vexat etiam aduersarios, quandoquidem, si certitudo præmissarum foret æqualis certitudini conclusionis, imminutâ certitudine præmissarum, imminueretur etiam certitudo conclusionis, ac ob id eodem modo licebit inferre deueniendum esse ad conclusionem nullius certitudinis; eo igitur pacto, quo ab ipsis difficultati fit satis, eodem etiam à nobis fieri poterit.

Solutio huius. Directè tamen obuiam itur respondendo imminutionem hanc fieri per proportionales partes, atque adeo sicut in diminutione certitudinis præmissarum deuenire non licet ad nullam earum certitudinem; sic etiam in diminutione certitudinis conclusionis; in huiusmodi enim diminutione concedendus processus in infinitum, à quo natura non abhorret, quin imò illum requirit, cum per partes proportionales fiat.

Nec præteribo, quod aliquibus non nihil negotij facessit, in eo positum, quòd conclusio ex principijs fidei deducta, minoris non est certitudinis, quàm sint ipsa principia, alioquin non foret de fide, cuius formalis ratio in eo perhibetur esse constituta, quòd summam certitudinem habeat; ergo de naturali conclusione dicatur idem, oportet. Nona difficultas.

Huic tamen difficultati fuit iam factum satis ab alijs dicendo reuelata fidei mysteria non cognosci diuersis actibus specificis, sed eiusdem speciei, quoniam idem habent obiectum formale, nempe diuinam reuelationem; at conclusiones obiectum habent formale diuersum ab obiecto principiorum; principiis enim intellectus assentitur, dummodo tamen prima sint, & immediata, ex perceptione terminorum, ut superiori Sectione declaratum à nobis fuit; conclusioni autem ex unione extremorum cum medio, tanquam ex motiuo, & ex ipsa extremorum unione formali, tanquam ratione formali *Quæ*. Sic Neotericus non ignobilis respondet, qui pariter addit nullum secuturum inconueniens, si dicatur minoris esse certitudinis conclusiones deductas ex principiis reuelatis, quàm sint principia ipsa, quoniam de his habetur cognitio per fidem nullo intermedio, de illis autem intermedio discursu, adeòut de illis discursiua habeatur cognitio, proindeque à fide non proximè, nec immediatè deducta, sed medio aliquo, & vi naturalis luminis, quo pollet intellectus, adeo ut non ad fidem, sed ad theologicam scientiam dici debeat pertinere; hæc ille. Solutio.

Postrema sit difficultas ex eo deducta, quòd probabilis conclusio potest intensior esse scientificâ, si ex intensioribus præmissis deducatur, proindeque certior, ac euidentior; propterea maioris erit certitudinis, quàm sint præmissæ scientialis demonstrationis. Decima difficultas.

Solutio patet ex dictis ad calcem solutionis sextæ difficultatis; conclusio enim illa foret per accidens perfectior, sed essentialiter imperfectior, ad eum modum, quo cognitio substantiæ perfecta, ut tria, est accidentaliter imperfectior, sed essentialiter perfectior accidentis cognitione, quæ perfecta sit, ut quatuor. Solutio.

SECTIO VIGESIMA.

An, & quomodo præmissæ demonstrationis esse debeant causæ, atque principia propria, id est non aliena, conclusionis.

REctè Philosophus pronunciauit. Αἴτια τε γνωριμώτερα δεῖ εἶναι, καὶ πρότερα. *Causas verò, & notiora esse oportet, & priora:* his ergo decernit, præmissas esse conclusionis causas, eâdemque priores; reddit rationem addens, ἄιτια μὲν, ὅτι τότε ἐπιστάμεθα, ὅταν τὰν αἰτίαν ἰδῶμεν. καὶ πρότερα, εἴπερ αἴτια *Causas quidem, quia tunc scimus, cum causas cognoscimus, & priora, quia sunt causæ.* hæc habet, quasi ita disputet. Id per quod scimus, debet esse causa rei scitæ, quandoquidem scire est rem per causam cognoscere, ut definitum fuit; sed præmissæ sunt, per quas rem, nempe conclusionem scimus; ergo præmissæ sunt conclusionis causæ. At præmissæ non ideo conclusionis causa dicuntur hoc loco, quia ipsarum assensus, sit causa assensûs conclusionis, 1. Post. text. 11. Ibidem.

sionis, quoniam vel hoc falsum est, vel eo admisso, in præsens non dicuntur præmissæ hoc sensu conclusionis causæ, sed quoniam ipsæ continent medium, in quo causæ ratio, visque causandi inest: idcirco satis sunt, ad hanc conditionem quod attinet, ea quæ de medio demonstrationis tractauimus. Hæc autem conditio propriè demonstrationis est *propter quid*; enimverò intelligitur causa in essendo, propria, & conuertibilis. Demonstrationis autem *quia* præmissæ dici quoque possunt causæ, sed in cognoscendo tantùm, quando huiusmodi demonstratio procedit à notioribus nobis, nimirum ab effectibus ad notiora naturâ, nam alioquin, quando procedit à causa remota, ad eum modum præmissæ dicendæ erunt causæ, quo medium causa est, nempe remota. Debet autem esse causa pro conditione scientiæ in qua fit demonstratio, quamobrem in Physica præmissæ possunt esse conclusionis causæ, iuxta quatuor causarum genera; ostendimus enim per quatuor genera causarum procedere Physicum posse in demonstrando; tum quia ut res naturâ constantes à quatuor huiusmodi causis suum esse recognoscunt, ita per easdem possunt demonstrationes institui: Tum quia sicut ex naturalibus effectibus à posteriori demonstrari possunt ipsorum causæ; ergo à priori per causas poterunt tales effectus demonstrari. In Mathesi autem præmissæ poterunt esse causæ demonstrationis iuxta duo genera causarum, puta formalis, & materialis; si tamen sermo fiat de partibus eius puris, quales sunt Arithmetica, & Geometria. In Metaphysica demum præmissæ poterunt esse causæ iuxta varia genera causarum scilicet, formalis, finalis &c. ut suo loco fuit explicatum.

Præmissæ debent esse principia propria.

Non solùm præmissæ debent esse causæ conclusionis modo iam explicato, sed etiam principia propria illius rei, ut conclusionis, quę per ipsas demonstratur, οὕτω γὰρ ἔσονται καὶ αἱ ἀρχαὶ ἰδιαι τοῦ δεικνυμένου. *Sic enim erunt etiam principia propria eius, quod demonstratur.* Assignatis autem conditionibus præmissarum, hęc verba protulit ad significandam proprietatem, quę illas conditiones necessariò consequitur; si nanque principia conditiones assignatas habuerint, erunt etiam propria rei demonstratę; ut si figura tribus lateribus constet, non potest nisi habere tres angulos ęquales duobus rectis. A particula quinquagesimæ quarta docendum assumit demonstrationem, ac scientiam constare ex proprijs, non autem ex alienis vel communibus principijs; ubi sermonem non solùm habet de demonstratione qualibet particulari, sed de integra etiam atque totali scientia. Duobus autem modis intelligi possunt principia non propria demonstrationis, & scientię; vel si sint aliena, & extranea ad eam scientiam nullo modo spectantia: vel si sint communia, quę tamen spectent ad ipsam scientiam, & simul etiam ad alias pertineant; Philosophus ergo contendit principia debere esse perfectè propria, ita ut nec sint aliena, neque communia; non esse aliena docet capite septimo; non communia capite nono, & decimo. Capite autem sexto conatur ostendere si principia sint per se, & quatenus ipsum, esse non posse nisi propria, cùm hæc sit demonstrationis proprietas, ut principijs utatur proprijs rei demonstratæ, & quoniam propriorum principiorum usus in duobus consistit, alterum est ne utamur principijs alienis; ut si ad aliquid in Geometria demonstrandum, proprijs uteremur naturalis scientiæ principijs: alterum est ne utamur principijs communibus, in quibus plures scientiæ conueniunt, his enim duobus obseruatis, non utemur nisi principijs proprijs illius disciplinæ in qua versamur; ob id Philosophus utrum-

1 Post. tex. 9.

que separatim suâ contemplatione persequitur, primò docens utendum non esse principijs alienis, ait enim, Οὐκ ἄρα ἐστὶν ἐξ ἄλλου γένους μεταβάντα δεῖξαι, οἷον τὸ γεωμετρικὸν ἀριθμητικῇ. *Non licet igitur ex alio genere in aliud transcendentem monstrare; ut puta* non licet *Arithmeticæ* probare problema *Geometricum*. Hoc est non licet demonstranti transcendere de subiecto in subiectũ: nec una scientia debet ad se transferre conclusiones, & principia alterius scientiæ, & subiecti; proinde non licet Arithmeticæ demonstrare problema geometricum, hoc est, ex principijs arithmeticis, geometricam conclusionem demonstrare non licet, hoc enim est transire à scientia uniuersa ad aliam, quod Philosophus colligit ex antea probatis; cum enim ostendisset utranque sumptionem demonstrationis esse per se, subinde concludit, non esse committendum transitum de genere in genus: si nanque principia sunt per se, necesse est ut sint propria subiecti illius scientiæ, quamobrem ad aliam scientiam transferri non poterunt; hanc autem consequentiam bonam esse paulo post ipse demonstrat, ubi aduertendum generis nomine hoc loco ab Aristotele significari propriam subiecti naturam, quæ totam aliquam scientiam constituit, & ab omnibus alijs disciplinis distinguit; appellat autem hoc nomine, subiectum totius scientiæ, ad significandum se non habere sermonem de subiecto partis. Vt autem consecutionem illam ostendat præmittit diuisionem demonstrationis, in eas quibus constat partes, ut planè constet, cuius nam seu, quarum de scientia in scientiam vitiosa translatio sit; has autem partes tres esse dicit, nempe conclusionem, principia, & subiectum, hoc est affectionem, medium, & subiectum; ita ut dignitatis nomine non solas propriè sumptas dignitates intelligat, sed generatim omnia demonstrationis principia, volens principiorum appellatione significare medium in quo tota principiorum vis posita est, ut etiam nomine conclusionis, non conclusionem uniuersam, sed prædicatum quod quæritur, hoc est affectionem intelligit. His præmissis, consecutionem illam ostendit, in cuius gratiam supponit tanquam per se notum de scientia in scientiam subiectum transferri non posse, cuius ratio esse videtur, quoniam quælibet scientia à proprio subiecto constituitur, quatenus ad ipsum essentialem ordinem inuoluit, quo supposito ita disputat; media & quæsita subiecto scientiæ inhærent per se, & quatenus ipsum; ergo si cuiusq; scientiæ subiectum est proprium, consequens fit ut media, & quæsita propria eiusdem esse debeant, & ad aliam transferri non possint, quia quæ huic subiecto essentialia sunt, alij subiecto per se inhærere non possunt. Interdicit igitur translationem medij, & affectionis; illud primariò, hoc autem secundariò, quoniam effectus causam necessariò consequitur suam.

1.A tex.

Duo translationis modi de genere in genus prohibentur.

Duos autem translationis modos ab Aristotele prohiberi rectè notarunt interpretes; ex his duobus modis unus est, solius medij ad integram alterius scientiæ conclusionem demonstrandam, quo pacto non maior tota propositio transfertur, sed solum medium; alter vero totius maioris est nempè medium cum quæsito ad demonstrandum quæsitum ipsum de subiecto alterius scientiæ; rem illustrant exemplo, nam prior modus, inquiunt, si de triangulo demonstraremus habere tres angulos æquales duobus rectis per medium ex Arithmetica desumptum; alter autem esset modus si de triangulo demonstraremus aliquam affectionem Arithmeticam per Arithmeticum medium; silentio autem præterit solius affectionis translationem, velut illam, quæ ex aliorum reprobatione per-

Digitized by Google

perspicuè redditur absurda. Nulla igitur scientia transire potest ad subiectum, principia, vel passiones alterius.

1. Post. c. 28. Rectè tamen Philosophus dicit. *Ἐξ ὧν μὲν οὖν ἡ ἀπόδειξις ἐνδέχεται τὰ αὐτὰ εἶναι.* *Ea igitur ex quibus est demonstratio, contingit eadem esse;* quoniam aliquando euenit, ut principia eadem sint in duabus scientijs, atque de una ad alteram transferri vitantur, scilicet in scientijs subalternis, quæ aliquo modo subiectum idem habent. Primò itaque admonet se non loqui de huiusmodi scientijs, quæ in eodem quodammodo subiecto versantur, has enim postea excipit, sed de illis quarum subiecta penitus diuersa sunt, in his enim transitum, de quo loquimur, vitiosum esse contendit; Hæc significat dicendo, *ὧν δὲ τὸ ἄλλο ἕτερον.* *Quorum autem genus aliud;* his enim significat se priùs fuisse locutum de ijs, quæ in ijsdem subiectis sunt occupatæ, quoniam statim subdit proximè relata verba, quibus denotat scientias quæ in diuersis subiectis suam exercent industriam, uti sunt Arithmetica, & Geometria; non enim utriusque possunt eadem esse principia, ex quibus demonstratio fiat, seu non idem potest esse medium, seu medium idem ab una ad aliam scientiam transferri non potest, quod apertè ex subsequentibus verbis colligitur, *οὐκ ἔστι τὴν ἀριθμητικὴν ἀποδεῖξιν ἐφαρμόσαι τὰ τοῖς μεγέθεσι συμβεβηκότα.* *In his non licet arithmeticam demonstrationem accommodare ad ea, quæ magnitudinibus accidunt.* Excipit id dicens, *ἐὰν μὴ τὰ μεγέθη ἀριθμοὶ ὦσι.* *Nisi magnitudines numeri sint.* Propterea quòd duplex est numerus, unus numerans, qui est discreta quantitas; alter numeratus, qui potest esse substantia; ut cum dicimus tres homines; potest esse qualitas, ut cum dicimus tres calores, quo pacto in qualibet categoria potest reperiri, quamobrem poterit etiam esse quantitas continua, ut tres lineæ, tres superficies: magnitudines autem non possunt dici numeri numerantes, sed numerati. Sed ut intelligas quorsum hęc Philosophus pronunciauerit, aduerte ex Auerroe, quem Zabarella secutus est, accidentia, quæ in scientijs demonstrantur, in duplici esse discrimine; alia siquidem in subiecto scientiæ insunt per se, quoniam eius essentiam consequuntur, ut in triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis: alia vero non insunt in subiecto per se, sed ei per similitudinem, & per quandam proportionem accommodantur, ut quando Arithmeticus numeros appellat quadratos, vel cubicos, vel altera parte longiores; hæc enim propriè magnitudinibus competunt, numeris autem proportione tantùm; cùm verò non possint accidentia transferri sine proprijs medijs, ob id geometrica quoque media proportione tunc numeris aptantur. Ita quoque ex aduerso dicuntur magnitudines, tanquam numeri considerari, quando nimirum accidentia numerorum eis proportione attribuuntur, qualem esse considerationem magnitudinum in decimo Elementorum libro testatur idem Commentator, & ibi propterea media quoque arithmetica proportione magnitudinibus accommodantur. Ex his Philosophi consilium intelliges non aliò tendere, nisi ut doceat se de ijs demonstrationibus sermonem habere, quibus demonstrantur de subiecto accidentia propria, quæ per se inhærent; non autem de illis demonstrationibus, quibus talia accidentia proportione alicui subiecto aptantur.

Ibidem.

Admonitio. Ex his autem cognosces demonstrationem à medio denominari, adeò ut, si medium sit arithmeticum, demonstratio sit arithmetica; si geometricum, geometrica; si physicum, physica &c.

Superioris sententiæ confirmatio. Quoniam autem Philosophus ex eo quòd oporteat maiorem, & minorem propositionem demonstrationis esse per se, deduxit non esse committendum transitum de genere in genus; ob id consecutionem hanc probandam assumit dicens, *ἐν γὰρ τῷ αὐτῷ γένει ἀναγκαῖον τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι.* *Quoniam ex eodem genere necesse est & extrema & media esse.* Rationis autem vis in eo posita est, quòd si in demonstrationis terminis prædicatio omnis debet esse per se, consequens fit, ut omnes eiusdem termini sint essentialiter inter se connexi, ac ob id eiusdem naturæ sint; quæ igitur huic subiecto per se inhærent, & alij subiecto naturę diuersę per se inhærere non possunt; quamobrem medium, quod huic subiecto per se inest, alij subiecto accidentarium erit; subiectum igitur cuiuslibet scientię proprium est, nec ab una ad aliam scientiam transferri potest, quo posito Philosophus docet de una demonstratione ad aliam posse transferri medium, quando utraque de eodem subiecto sit, siue simpliciter, siue quodammodo, hoc enim pacto nullus fit transitus de genere in genus, cum eiusdem generis utraque sit; at si neutro modo subiectum sit idem in utraque demonstratione, ait nullo pacto posse medium ex una ad aliam transferri. Dicuntur autem habere subiectum genus simpliciter idem duę demonstrationes arithmeticę, siue duę partes arithmeticę scientię, item duę demonstrationes geometricę, seu duę partes Geometrię; item duę demonstrationes naturales, seu duę partes Scientię naturalis &c. quamobrem ab una ad alteram idem transferre medium licet, cum utraque in eadem subiecta natura sit occupata. Sed idem subiectum non simpliciter, hoc est idem quodammodo dicitur esse in scientijs subalternis, nam superior scientia, quę subalternans dicitur, rem considerat eandem omni sensibili qualitate destitutam, quam inferior, puta, subalternata sensibili qualitate affectam contemplatur; ut Arithmetica numerum simpliciter: Musica verò numerum sonorum, quippe quę per se & in recto considerat sonum harmonicum; numerum autem in obliquo, ut principium, causam, atque radicem soni harmonici; idcirco potest inferior iisdem uti rei principijs, quibus superior usa est, quoniam in eodem quodammodo subiecto versantur. Vbi autem subiectum, nec simpliciter, nec modo aliquo est idem, nequit medium ex una scientia in aliam transferri, ut superiùs Philosophus probauit. Vel simpliciter ergo necesse est, idem esse genus, vel quodammodo si demonstratio transferenda sit.

Confirmationis probatio. 1. Post. text. 59.

1. Post. text. 60. In horum autem maiorem explicationem Philosophus affert exempla pro duplici translationis modo, quo fieri potest translatio medij de subiecto unius scientiæ ad subiectum alterius; vel enim transfertur solum medium ad demonstrandam conclusionem alterius scientiæ: vel accidentium simul cum affectione quæsita ad subiectum alterius. In declarationem prioris modi duo affert exempla, quorum primum est si proponeretur demonstranda conclusio, ad Metaphysicum pertinens, quòd *contrariorum una est disciplina*; docet autem illam non licere Geometræ demonstrare; hoc est interdicitur demonstrare huiusmodi conclusionem per medium geometricum, atque adeo geometricâ demonstratione, quoniam demonstratio, ut supra dicebam, à medio denominatur. Conclusionis autem subiectum est *contrariorum*: prædicatum verò, siue affectio *unam esse scientiam*; cum autem uterque terminus metaphysicus sit, consequens est, ut integra conclusio ad metaphysicum pertineat, quod igitur ex Geometria transferendum est in aliam scientiam nil aliud, quam medium. His autem Philosophus non contentus, eò quòd huius translationis ab

surditas neminem prætereat potest, siquidem est à scientia particulari ad vniuersalem, proindeque non mirum si transitus hic admitti non possit; & re verâ quis adeo fatuus, cui perspectum non sit metaphysicam conclusionem à geometra demonstrari non posse? Propterea ad particulares scientias descendit, à quarum vna, ad aliam transferri posse demonstrationis medium verisimilius est, & eò magis quoniam scientiæ, à quibus exemplum desumit, vt Geometria, & Arithmetica magnam habent affinitatem, quoniam vtraque Matheseos est pars. Docet igitur nec à Geometria ad Arithmeticam dari translationem, de qua fit sermo, videlicet arithmeticam conclusionem per geometricum medium demonstrari non posse, quod vt explicet hanc sumit conclusionem. Duo cubi sunt vnus cubus, non quidem additione, sed multiplicatione. Hoc enim ab Euclide demonstratum fuit, nempe.

Euclides lib. 9. Ele. Prop. 4. *Si cubus numerus cubum numerum multiplicans faciat aliquem, factus cubus erit.* Docet igitur Philosophus nulli scientiæ permissum esse per medium proprium demonstrare conclusionem alterius scientiæ; statim autem subalternas excipit, cum hæ sic inuicem se habeant, vt una sit sub altera, vt Prospectiua sub Geometria, & Musica sub Arithmetica; idcoque in his translatio principiorum à superiore ad inferiorem, nimirum à Geometria ad Perspectiuam, ab Arithmetica ad Musicam permittitur.

5. Post. tex. 61. Gradum autem facit ad alterum transgressionis modum, illumque duobus exemplis illustrat. Erat modus quando quæsitum, simul cum medio de una scientia transfertur ad subiectum alterius; sumit in exemplum lineam, quæ Geometriæ subiectum est, & ait de linea non esse demonstranda, quæ illi non conueniunt quatenus linea est, seu non secundum illam naturam, & rationem considerandi, secundum quam linea sub geometricam cadit disciplinam, hoc enim modo significat affectiones alienas, quæ geometricæ non sunt; cum translatione autem affectionis intelligenda pariter translatio medij, quam significauit dicendo, ἢ ἐκ τῶν ἰδίων τῶν ἰδίων. *Et quatenus ex propriis principijs*, vt Zabarella notauit, quia, vt idem ait extranea affectio, causam itidem extraneam consequitur; vnde est, vt qui alienam affectionem transfert ad lineam, causam itidem alienam traducat, & propterea non ex propriis lineæ, quatenus linea est, affectionem illam demonstret.

Huiusmodi autem affectionis duo affert exempla, primum de pulchritudine lineæ rectæ; alterum de contrarietate eiusdem cum circulari; pulchritudo siquidem, & contrarietas transcendentia sunt prædicata, quæ possunt quidem inesse, & attribui lineæ, non tamen eâ ratione, quâ linea est, neque ratione alicuius superioris generis, quod sub geometricam contemplationem cadat; sed ratione generis amplissimi, atque supremi, quod geometricæ contemplationis fines transcendit, nec intra cancellos geometricæ considerationis coercetur; affectiones enim commemoratæ, si rectæ lineæ quatenus est linea, vel saltem quatenus est magnitudo, competerent, geometrica forent accidentia, siue affectiones, proindeque transitus hic non diceretur de genere in genus; sed lineæ competunt, quatenus est ens, cum pulchritudo, & contrarietas accidentia sint entis, quatenus ens est, vt ob id de ipsis differere Metaphysici sit, non autem Geometræ; hæc porrò esset translatio integra maioris propositionis ad subiectum, cum translatio transcendentis quæsiti, sine translatione medij similiter transcendentis fieri non possit. Cæterum quæ hactenus dicta sunt tam de particularibus demonstrationibus, quàm de scientiâ vniuersa possunt intelligi.

Aduersus hæc obijcies primò ad ostendendum transitum de genere in genus ratione passionis. Arithmetica, & Geometria sunt scientiæ diuersæ, & nihilominus in ipsis eadem accidentia demonstrantur; nimirum æqualitas, inæqualitas, proportio, aliæque similes &c. datur igitur transitus de vna scientia ad aliam ratione affectionis; assumptum euidenter euincitur, nam in ipsis demonstrantur æqualitas, inæqualitas, proportio, & id genus alia; & præsertim propterea quòd pleræque affectiones de numeris in Arithmetica demonstrantur, quæ quantitati continuæ conueniunt; nam, quæ decem primis Theorematibus secundi libri, Euclides lineis accommodat, in numeris etiam demonstrantur. Prima difficultas.

Confirmatur; nam Astronomia, & Physiologia, sunt scientiæ distinctæ, cum tamen in ipsis eædem affectiones tractentur, nam sphæricitas corporis in vtraque disciplina consideratur; siquidem vtraque scientia, terram sphæricam esse demonstrat. Eadem etiam difficultas est de sphærica figura Solis, & Lunæ; nam huiusmodi corpora, sphericâ figurâ constare, tam à naturali Philosopho, quàm ab Astrologo demonstratur. Confirmatio.

His, & similibus dubitationibus ab alijs quoque responsum fuit; ipse tamen crediderim ad propositam difficultatem dicendum, quod alibi quoque notaui, ad eum modum affectiones illas inter se collatas dici se habere, quo earum subiecta, puta quantitas continua & discreta, dicuntur; at quantitas, vt suo loco ostendimus, æquiuocè de continua, & discreta dicitur, sic etiam earum affectiones; non enim eadem est ratio æqualitatis, exempligratia, in numeris, ac in magnitudinibus. Solutio. Disc. II. Sect. I.

Confirmationi fiet satis respondendo passionem eandem esse consideratam ab Astronomo, & à naturali Philosopho, materialiter, vt aiunt, quatenus est eadem rotunditas, sed non formaliter, quoniam hoc pacto passio dependentiam importat à medio; cum autem diuersum sit medium, pro diuersitate ipsius, varia etiam affectio hoc modo sumpta. Diuersum est autem medium quo, Physiologus ostendit illam rotunditatem. Quid autem illud sit, haud facile dictu, in eo pleriſque videtur positum, quòd grauia sua ipsa naturâ tendunt ad centrum; cum enim omnes corporis naturalis partes æquè conentur ad centrum descendere, æquè etiam ab illo recedunt, ob id in sphæricam figuram se accommodant; hoc enim est æquè partes omnes à communi centro recedere. Hæc tamen solutio pro sola terra potest admitti ex eorum consilio, qui conatum hunc solùm in eius partibus recognoscunt; non autem pro Sole, Luna, cæteriſque Stellis, quibus vt grauitatem, ità prædictum conatum inficiantur inesse. Re tamen verâ pro corporibus omnibus naturalibus sphærica figura prædictis adhiberi potest; vt enim terræ partibus, ita Solis, Lunæ, cæterarumque Stellarum inest illa propensio ad mutuam vnionem per communem tendentiam ad centrum, ita vt ad hoc omnes æquè tendant; & hinc æqualem à centro recessum habeant, quod est sphæricâ figurâ constare. Aliud etiam licet assignare medium in eo consistens, valdè quidem efficax, quia natura non facit per plura, quæ potest per pauciora; at per huiusmodi figuram, vtpote capacissimam, plus materiæ comprehendit, quàm per aliam quamlibet figuram; ob id figurâ vtitur sphericâ. Astronomus autem alio vtitur medio ad eandem figurationem colligendam, nimirum, ab oriente ad occidentem terram rotundam esse debere, eò quòd signa, & stellæ prius orientalibus oriuntur, prius ad cæli medium Confirmationi occurritur.

peruc-

perueniunt, priusq; occidunt quàm occidentalibus &c. licet hęc fit demonstratio *quia*, non *propterquid*. Sic etiã demonstrat rotunditatem eiusdem terrę à Septentrione in austrum, videlicet à posteriori; & ostendit utranq; conclusionis partem demonstratione ducente ad incõmodum. diuersitas igitur medij permittit affectionis translationem ex genere in genere, quia tunc affectio materialiter, non autem formaliter eadem est. Eodem modo fit satis difficultati de figura Solis, & Lunæ, ut enim eadem est difficultatis vis, ita eadẽ est eius dilutio; dicendum igitur figuram eandem ab utroq; artifice considerari, ratione tamen diuersâ, nam Physicus illam considerat quatenus affectionem corporis naturâ constantis, Astronomus autem illam contemplatur secundum se, nullâ habitâ ratione naturæ illius corporis, à qua dimanat; quòd euidenter colligitur ex diuersitate mediorum, quibus utuntur; Physicus enim id ostendit, ut de terra dicebamus; at Astronomus, non ut aliqui dicunt per sphæræ definitionem, quia lineæ ab uno puncto eorum, quæ intra sunt, corpus, ad ambitũ eiusdem ductæ sunt equales, committeretur enim petitio principij, nam qui prędictis corporibus sphęricam figuram negat, etiam negabit in ijs; lineas ductas à puncto interno, ad extimam superficiem equales esse; sed id demonstrat, de Luna ex modo, quo illuminatur à Sole; de Sole autem cęterisque stellis, alio medio, ab eo, quo utitur Physicus.

Secunda facultas. Alij autem ut probent hunc admittendum transitum ratione subiecti, sic argumentantur. Eadem sub Geometricam, & Physicam considerationem cadunt; ergo ratione subiecti concedendus transitus de genere in genus, siue ex una scientia in aliam. Assumptum docet Philosophus dicens tam Physicum, quàm mathematicum plana, & solida, itemque longitudines & puncta contemplari.

Physic. l. 16. & tio. Non inficiandum, quę considerãtur à Mathematico, etiam à Physico considerari; subinde tamen deducere tantùm licet idem materialiter sumptum, non autem formaliter acceptum ad utranque facultatem pertinere; tametsi enim utraque facultas de ijsdem differat, quę difficultas commemorat, non tamen eodem modo; nam illa Physicus suâ contemplatione persequitur, quatenus accidentia sunt corporis naturam habentis; Mathematicus autem, quo nomine intelligo cum Philosopho Arithmeticum, & Geometram, contemplatur eadem intra limites proprię abstractionis; illa nanque considerat neglectâ substantiâ naturalis corporis, perserutando eadem secundum se inspecta, proindeq; de ipsis affectiones ostendendo, quę intra proprios fines ut ipsis conueniunt; ita de ijsdem possunt demonstrari.

ntia dif ultas. Videtur etiam hic transitus fieri ratione principiorum, propterea quòd scientię diuersę principijs ijsdem utuntur; non minus enim Arithmeticus, quàm quilibet alius artifex hoc uti principio dici potest *non potest idem simul esse, & non esse*, ad proprios tamen terminos contracto.

lutio. Contingit quidem diuersos artifices eodem uti principio, non propterea tamen aliquis eorum dicendus in alterius scientiam descendere, propterea quod unus non utitur principio proprio, aut conclusione alterius, neque subiecto, aut medio, aut affectione.

perioris fonsio- s confu- tio. Contra solutionem hanc sic argues. Scientia subalternata principijs utitur scientię subalternantis, ut Musica principijs Arithmeticæ, & Perspectiua principijs Geometrię; immò utraque utriusque conclusionibus tanquam principijs utitur; nulla igitur solutio.

lutio. Respondendum solutionem allatam adhuc subsistere, cum illa intelligenda sit de scientijs, quarum una non est alteri subalternata; alioquin in his nullum est inconueniens dari transitum, cęteris interdictum. Quando itaque scientia una alteri est subalternata simpliciter, vel quodammodo poterit uti aliquo principio, vel conclusione scientię subalternantis, ut optimè probat instantia de scientiis commemoratis; quandoquidem Perspectiua multis utitur principiis, & conclusionibus Geometrię, quemadmodum, & Musica multis Arithmeticę principiis, & conclusionibus utitur. Sic etiam Geometria utitur illâ conclusione physica, *de puncto ad punctum rectam ducere, contingit lineam*, nam ex hac parte dici potest Geometria Physicę subordinata.

Contra tamen sic argues. Arithmetica, & Geometria non sic se habent, ut una alteri subalternetur, & nihilominus ratione principij, ex Arithmetica in Geometriam transitus fit; non solùm ergo transitus concedendus à subalternante in subalternatam, sed etiam ex una ad aliam, inter quas nulla subordinatio intercedit. Assumptum constat, quoniam ad ostendendum diametrum quadrati esse incommensurabilem constat, Geometria medium ab Arithmetica mutuatur. Et ad huius confirmationem illud facit, quòd Perspectiua transitum facit ad Physicam, quantum ad illam partem, quæ de Iride est. Superioris responsionis confutatio.

Respondendum è quorundam sententia Geometriam ex hac parte Arithmeticæ subalternari; eodemque modo confirmationi occurrendum; Aristoteles autem, inquiunt, inconueniens non duxit fieri transitum ab una scientia ad aliam, quando inter illas subalternatio cadat; sed expendenda demonstratio, qua ostenditur quadrati diametrum incommensurabilem esse lateri. Solutio.

Propositum sit nobis ostendere in quadratis figuris diametrum lateri incommensurabilem esse. 10. Elem. prop. 117.

Huius propositionis non una est demonstratio; quælibet tamen ab Arithmetica pendet, breuiorem afferã. Quoniam quadratũ diametri duplum [a] est quadrati ex latere descripti; habebit quadratum ex diametro, ad quadratum ex latere proportionem 2, ad 1, vel 4, ad 2, vel 8, ad 4, &c. quia verò sumptis in ratione dupla quotcunque numeri ab unitate 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, &c. [b] solùm tertius ab unitate quadratus est, cæterique omnes unum intermittentes, quòd primus ab unitate, nempe 2, quadratus non sit, solùm ob id hi numeri 4, 16, 64 quadrati, reliqui autem 2, 8, 32 non quadrati, quamobrem cum 4 quadratus sit, & 2, non quadratus, non habebit 4, ad 2, proportionem quadrati ad quadratum; [c] alioquin, & 2, quadratus foret, proinde neque quadratum ex diametro ad quadratum lateris proportionem habebit, quam numerus quadratus ad numerum quadratum (siquidem rationem habet ut 4, ad 2;) [d] ergo diameter longitudine est incommensurabilis lateri.

[a] 47. pri.
[b] 10. non.
[c] 24. octauui.
[d] non decimi.

Vel breuiùs hoc modo. Quoniam quadratum diametri ad quadratum lateris est, ut 2, ad 1; [a] est autem quadratum ad quadratum in duplicata ratione laterum; ergo diameter ad latus debet esse in ratione, cuius duplicata est ratio 2, ad 1; sed ratio cuius duplicata est ratio 2, ad 1, non est numeris expressibilis, nam vel est ut 2, ad &c. 2, vel ut &c. 2, ad 1, quæ non est numeris expressibilis; ergo diametri ad latus non est ratio numeris expressibilis; ergo diameter non est commensurabilis lateri; nam tunc duæ magnitudines incommensurabiles sunt, quando earum ratio numeris exprimi non potest.

[a] corol. 20. sexti.

Si superiores demonstrationes perpendas, compertes Geometram ad Arithmeticam confugere, & hoc dissimulare non licet; cum autem hæ sint scientiæ, quarum

sum una alteri non subordinatur, non exigui laboris est assertum Philosophi patrocinari, nimirum non posse transitum fieri ex una scientia in aliam, nisi illæ subordinatæ sint, adeo ut una subalternata dicatur alteri.

Responsio superiùs allata, nempe quòd Geometria ex hac parte, Arithmeticæ subalternata sit, eam patitur difficultatem, quòd hâc admissâ doctrinâ, liceret semper de genere in genus, ratione medij transcendere, quoniam perpetuò dicere licebit ex parte illius demonstrationis scientiam unam alteri subalternari. Hoc tamen non est absurdum, nam quando dicitur ex genere in genus fieri transitum non posse &c. id intelligendum de scientijs, atque demonstrationibus, quarum una alteri subalternata non est, vel inter quas nulla cadit subordinatio, adeo ut sint penitus disparatæ: nec possint disparatæ dici, quæ sic se habent, ut una ab alia medium, siue principium mutuetur.

Quinta difficultas

Transitum hunc fieri posse ratione medij, quidam hunc in modum conantur ostendere. Scientiæ diuersæ eodem utuntur medio ad eandem conclusionem probandam; ergo prædictus transitus ratione medij concedendus erit. Assumptum probant, quoniam Geometra, & Astronomus ad sphæricitatem de aliquo corpore demonstrandam, eodem utuntur medio, nimirum definitione corporis sphærici, quæ est intus habere punctum, quod centrum dicitur, à quo omnes lineæ ductæ ad ambitum sunt inter se æquales.

Solutio.

Falsum tamen assumptum, nec eius probatio vim aliquam habet, propterea quòd ex paulo antea traditis, non idem est medium, quo Geometra, & quo Astronomus utitur ad conclusionem illam demonstrandam.

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

An, & quomodo præmissæ demonstrationis esse debeant causæ, atque principia propria, id est non communia, conclusionis.

PRopriorum principiorum usum duobus præceptis contineri superiùs vidimus, quorum unum est, ne utamur principijs alienis, qui dicitur transitus de genere in genus; alterum ne utamur communibus, id est, quæ pluribus disciplinis accommodari possint: de primo nuper disputatum fuit: de secundo remanet differendum.

Asserendum principia demonstrationis perfectæ, & *propter quid*, communia, & remota esse non debere.

Hanc assertionem Philosophus expressit; cum enim dixisset ex primis demonstrationem fieri debere, ne quis arbitraretur huiusmodi principia prima, communia & remota esse posse, subdit, Ἐκ πρώτων δ' ἐστὶ τὸ ἐξ ἀρχῶν οἰκείων. *Ex primis autem est, quod* est *ex principijs proprijs*.

1. Post. text. 13.

Ratione quoque suaderi potest, quoniam huiusmodi principia, cum sint remota, causam perfectam, & conuertibilem rei, & conclusionis non continent, cuiusmodi esse debet causa ad demonstrationem perfectam, & *propterquid*, requisita.

Efficacius tamen Philosophus ita disputat. Si affectio demonstratur de subiecto, cui inest quatenus ipsum, hoc est, si conclusio est quatenus ipsum, ut re verâ esse debet; ergo nihil est demonstrandum nisi ex principijs ipsius, hoc est ex causa propria eius rei, quæ demonstratur; ergo etsi demonstremus ex principijs veris, & immediatis, quæ tamen communia sint; ex his scientia nulla per se comparari potest, sed solùm secundum accidens, cum satis non sit principia esse vera & indemonstrabilia; oportet enim ea esse propria, quod exemplo declarat cuiusdam demonstrationis, quâ quidam nomine Bryso, circuli quadraturam demonstrare profitebatur; hanc autem demonstrationem Philosophus eo nomine carpit, quòd communi innitatur principio, erat enim huiusmodi. Bryso quidé circulo descripto, quadratum unum circumscribebat, alterum autem inscribebat, adeout quadratum unum esset maius circulo, alterum autem minus; cum igitur circulus ille, Pseudo geometra dicebat, inter duo quadrata medius sit, inscripto quidem maior, circumscripto autem minor, tertium inueniatur quadratum medium, nam hoc erit æquale circulo, quoniam illa, quæ sunt eisdem maiora, & minora, inter se sunt æqualia; at circulus, & quadratum medium sunt simul maiora quadrato interno, & simul minora externo; ergo inter se sunt æqualia, quod ostendendum erat. Hæc demonstratio ex Aristotelis sententia nullam scientiam parit, quoniam nititur illi principio communi, quæ eisdem sunt maiora, & eisdem minora, sunt inter se æqualia; hoc enim numeris quoque in Arithmetica, atque temporibus in naturali scientia accommodari potest; quamobrem non ex propria circuli natura principium sumebat Bryso ad quadraturam eius demonstrandam, sed potius illud, quod pluribus scientijs commune est.

Et quoniam Philosophus geminam illationem fecerat, quarum neutram probauerat, dum pergit secundam aggreditur demonstrare, quod facit ostendendo vitium, quo laborabat demonstratio Brysonis; hic enim communi quidem utebatur medio, quod erat esse maiora, & minora eisdem; at verò medium commune potest etiam aptari subiecto alterius disciplinæ, quod non est eiusdem generis, siue eiusdem naturæ cum subiecto alicuius scientiæ, hoc est non necessariò consequitur naturam illius; ob id tale medium non inest subiecto huiusmodi scientiæ quatenus ipsum; ergo per accidens inest, propterea quòd si per se inesset, alijs aptari non posset, aptatur autem alijs, eò quòd commune est, propterea huius scientiæ subiecto non inest per se, & essentialiter, atque adeo ex huiusmodi medio scientia comparari non potest; ergo quantumuis demonstremus ex principijs veris, & immediatis, quæ tamen communia sint, ex his scientiam assequi non possumus.

1 N. text. 4

Quoniam verò facta est mentio de ipso scire non secundum accidens, declarandum cum Philosopho in quo illud consistat; hinc enim via patebit ad indaganda principia propria; si nanq; scire aliquid secundum accidens contingit quando scimus illud per principia cõmunia, sequitur scire aliquid non secundum accidens esse, quando illud scimus per principia propria; quodlibet autem quæsitum, quando hoc fuerit compositum, videlicet inhærentia prædicati in subiecto, scimus non secundum accidens, quando per illud principium cognoscimus, per quod passio subiecto inhæret, hoc est quando scimus affectionem inesse subiecto ex proprijs, proximisque principijs; ut triangulum cognoscimus habere tres angulos æquales duobus rectis, scimusque non per accidens, quando id scimus ex principijs proprijs ipsius; tunc autem per accidens scimus, quando cognoscimus aliquid per medium extraneum, siue commune.

Tex. 69.

Primam consecutionem, nempe si conclusio est quatenus; ipsum ergo nihil potest demonstrari, nisi ex suis proprijs principijs, Aristoteles hunc probat in modum. Omnia in demonstratione debent prædicari per se, & quatenus ipsum, ut superiùs ipse probauit, si de conclusione, perfecta sit habenda scientia; quoniam

Digitized by Google

niam tunc affectionem perfectè scimus, quando scimus inesse in subiecto, in quo quatenus ipsum inest, & medium quoque illud per quod tanquam per propriam causam inest; quamobrem si conclusio est per se, & affectio subiecto inest quatenus ipsum, medium quoq; per quod demonstratur, eiusdem esse debet generis, eiusdemq; naturæ cum subiecto, cui inest, hoc est ei debet inesse quatenus ipsum, ac proinde non potest esse nisi proprium; quæ nanque communia sunt, non prædicantur quatenus ipsum; si conclusio igitur demonstrationis est quatenus ipsum, ut reuerâ esse debet, demonstranda erit ex principijs suis proprijs, cum ex communibus scientia per se comparari non possit.

At quemadmodum interdicentes transitum de genere in genus, subalternas scientias excipiendas cum Aristotele diximus: ita nunc loquentes de principiorum communione, easdem debemus scientias excipere, ut factâ hâc exceptione, non esse demonstrandum aliquid, nisi ex proprijs eius principijs, concludere valeamus. Scientiæ igitur inuicem subordinatæ, quarum una subalternans, altera verò subalternata dicitur, communionem principiorum habent, superior enim & inferior scientia ijsdem utuntur principijs, ut Arithmetica, & Musica, siquidem inferior à superiori principia mutuatur; si itaque medium non sit ex eadem cognatione, sed sit sicut theoremata Musica per medium Arithmeticum, nempe si talia sint theoremata, hæc per eadem communia media, per quæ etiam conclusiones arithmeticæ demonstrantur; hoc tamen discrimine, quòd scientia subalternata cognoscit *quòd sit*; at subalternans cognoscit *propterquid*; enim verò subalternatæ subiectum est alterum, hoc est alteratum per sensilis qualitatis additionem, quæ ipsum sensile reddit; subalternantis autem, ut Arithmeticę, proprium est cognoscere propter quid sit, nam ipsa est quæ subalternatæ media subministrat. Ratio autem cui subalternata, siue inferior à subalternante, siue superiori media sumat ad demonstrandum *propterquid*, nimirum Musica ab Arithmetica, ea est, quoniam affectiones à Musico demonstratæ, sunt arithmeticæ, non ut quidam putant, quoniam insunt per se numero, quatenus numero, qui est Arithmeticæ subiectum, sed quoniam insunt sono harmonico ratione numeri; sonus enim harmonicus in recto est considerandi ratio, sub qua Musica considerat numerum obiectum Arithmeticæ; ita ut Musica consideret in recto sonum harmonicum, numerum autem in obliquo, tanquam principium, & radicem affectionum, quæ sono harmonico, qui est obiectum Musicę, conueniunt; & ideo subalternans dicitur demonstrare *propterquid*, subalternata autem *quia*, quod non sic usurpandum, quasi utraque de ijsdem sit conclusionibus, hoc tamen discrimine, quòd subalternans demonstret cõclusiones easdem demonstratione *propter quid*, subalternata verò demonstratione *quia*; sed solum quia subalternata sumpta prout significat habitum conclusionum viâ sensûs, & experientiâ, probatarum, demonstrat, quod probandum assumit, hoc est; probat probatione *quia*, & per sensum, propterea quòd subalternata ex. gr. Musica duplex est, una quidem experimentalis, & hæc sine Arithmetica potest obtineri, cui propriè non subalternatur: altera verò scientifica, quę suas conclusiones probat per principia demonstrata in Arithmetica; principia enim & conclusiones subalternantis, principia sunt subalternatæ, & hęc propriè subalternata est Arithmeticę; quando autem dicitur subalternata demonstrare *quia*; subalternans autem *propterquid*, id intelligendum de subalternata, viâ sensûs, & experimentis comparata quę reduplicatiuè non est subalternata, sed solùm specificatiuè ut loquuntur, imnò etiam & scientifica subalternata dici potest demonstrare conclusiones demonstratione *quia*, quatenus hęc demonstratio sumitur pro ea, quę procedit ex principijs mediatis, non autem immediatis; cum enim huiusmodi scientia utatur principijs demonstratis in subalternante, propterea dici debet demonstrare demonstratione *quia*, non autem *propterquid*, vel saltem non demonstratione *potissimâ*; quare in scientijs disparatis, communibus principijs vti non licet; benè tamen in ijs, quę inuicem subordinantur, ita ut una se habeat ut inferior, altera autem ut superior. Hanc autem dependentiam demonstrationum, adeò ut unum theorema ex alio, & hoc etiam ex alio demonstretur, nullibi magis, quàm in Mathematicis cernitur disciplinis, adeòut qui postremi theorematis conclusionem demonstratione cognoscat, non resolutâ in ea, à quibus pendet, nunquam perfectam scientiam dicatur assequutus, cum ad perfectionem scientię resoluere ad immediata principia pertineat.

Aduersus tamen hactenus dicta nonnullę se dubitationes offerrent. Quarum prima ex eo desumitur, quòd superiùs dictum fuerit ex principijs communibus haberi scientiam per accidens; hoc autem à veritate videtur alienum, siquidem Aristoteles inter species principiorum demonstrationis, dignitates recensuit, quas tamen communia principia vocat; principia igitur communia demonstrationi deseruiunt, atque adeo faciunt scire per se. Prima difficultas. 1. Post. cap. 2.

In huius confirmationem illud afferri potest, quòd omnia principia propria dependentiam à communibus habent; si ergo communia faciunt scire per accidens: ergo etiam & propria scire per accidens facient, eòquòd non nisi communium virtute scientiam pariunt. Confirmatio.

Propositę difficultatis solutio ex eodem Aristotele desumi solet; nam ipse docebit dignitates non usitari in scientijs, nisi ad cuiuscunque scientię proprium subiectum contractas, & hoc modo dignitates in demonstrationibus habere locum, licet inficietur ipsas adhiberi posse in sua maxima latitudine sumptas. Et ad uberiorem doctrinam, clarioremque difficultatis solutionem, dicunt bifariam accipi particulam illam *per accidens*, primò ut opponitur ei, quod est *per se*, secundò, ut aduersatur ei, quod est *secundum quod ipsum*. Inquiunt igitur terminum *per accidens* in prętentia sumi secundo modo, quoniam principia communia non faciunt scire secundum quod ipsum. Solutio. 1. Post. tex. 74.

Superior tamen solutio difficultate non caret, enim verò si principium commune nequit adhiberi, non contractum, & in hoc peccauit Bryso; si contrahatur, ita ut fiat proprium, sequeretur optima circuli quadraturam esse, quam ipse profitebatur. De his tamen Sectione sequenti disputabimus. De superiori solutione dubitatur. Vera solutio ex sequenti sectione petenda est.

Alia etiam difficultas demolienda est. Quandoquidem Philosophus initio docuerat, si principia sint immediata, ea pariter esse propria eius, quod demonstratur; perperam igitur ipse affirmat posse principia quidem esse vera & immediata, non propterea tamen esse propria. Secunda difficultas 1. lib. Post. tex. 9.

Occurritur dicendo principia demonstrationis esse propria si immediata sint, & causæ, cum ex utrisque hisce conditionibus habeantur principia propria; sed non ex eo tantùm, quòd immediata sint, enimverò dignitates principia sunt immediata, non tamen sunt causæ, ut propterea mirum esse non debeat si non sint principia propria. Hæc etiam communis solutio, se- Solutio.

ctione

Tertia difficultas.

Solutio.

Quarta difficultas

Solutio.

Quinta difficultas

Solutio.

Sexta difficultas.

Confirmatio.

Solutio.

Confirmationi occurritur.

tione tamen sequenti paulo diligentiùs expendenda.

Præterea Dialectica, & Metaphysica sunt scientiæ communissimæ, ut propterea principia, quibus utuntur, communissima esse debeant; admittendus igitur est principiorum communium in disciplinis usus.

Solutio in eo posita est, quòd sicuti se habet Metaphysica ad cæteras scientias, sic se habent eius principia ad aliarum scientiarum principia; sed Metaphysica est omnibus alijs communis; ob id principia per quæ ipsa procedit omnibus alijs communia esse debent; nec propterea dicitur procedere per principia communia, quasi non per eius propria; sed quoniam communia sunt cæterarum scientiarum principijs, quod de Dialectica quoque dicendum.

Alij sic arguunt. Dignitates principia communia sunt, quæ tamen ad omnem concurrunt demonstrationem; principijs igitur communibus in demonstrationibus uti licebit.

Hæc difficultas re non differt à prima, ex eius propterea solutione, huius quoque solutio patebit.

Arithmetica, & Geometria frequenter usurpant illa principia, quæ axiomata dicuntur. Vt *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*, & id genus alia; sed hæc communia principia sunt: perperam igitur communium principiorum usus in scientijs interdicitur.

Huius etiam difficultatis solutio ex dicendis Sectione sequenti perspicua fiet.

Præterea communia principia sunt tanquam agentia uniuersalia, propria verò, & particularia sunt tanquam agentia particularia; sed agentia uniuersalia plus in effectum influunt quàm particularia; ergo magis demonstratio dici debet ex communibus principijs constare, quàm ex particularibus; utraque sumptionum videtur manifesta. Maior enim à simili desumitur; minor ex tractatu de causis manifesta est.

Et ad huius confirmationem illud facit, quod alioquin communia principia nullum haberent usum, proindeque frustra assignarentur.

Respondendum sic arguendo probari tantùm communium principiorum energiam, quam certè non inficiamur, cum potius affirmemus illa concurrere, vel virtute, vel formaliter ad omnem demonstrationem; ut superiùs explicatum fuit, & amplius Sectione sequenti explicabitur; Ex qua etiam colligere licebit quid ad confirmationem dicendum sit.

talia principia non sunt demonstrationis partes, hoc est non sunt præmissæ, atque adeo actu demonstrationem non ingrediuntur. At si res ita se habet superest explicandum, quomodo huiusmodi principijs demonstrantes utantur.

Zabarella opinio.

Zabarella in ea sententia fuit, ut arbitraretur, quandoque aliquid demonstrari per solam dignitatem, ait enim in quinto libro Elementorum id euenire; in reliquis autem libris non item, sed demonstrationes in his per dignitatem una, cum aliquo proprio principio fieri. Discriminis autem rationem affert in eo positum, quòd in quinto libro Geometra considerat magnitudinem amplissimè sumptam, ut complectitur, & lineas, & superficies, & solida, in reliquis agit de speciebus magnitudinis, puta de lineis, de figuris planis, & solidis &c. quamobrem inquit, totum est sua parte maius, & aliæ similes dignitates, in quinto libro principia communia non sunt, sed propria, & adæquata ipsi magnitudini in uniuersum acceptæ; hinc per solam dignitatem Geometra potest nonnunquam aliquid demonstrare in quinto libro, cum id non sit demonstrare per solum principium commune, sed per proprium: in reliquis autem libris huiusmodi dignitates sunt principia communia, nec possunt esse propria; cum enim sint propria generis, nequeunt esse propria specierum: ob id in reliquis libris nihil per solam dignitatem potest demonstrari; in quorum gratiam primam Euclidis demonstrationem prædictus Auctor expendit; in ea autem adhibetur hæc dignitas. *Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*; sed per hanc solam, inquit, non ostenderetur triangulum esse æquilaterum, nisi acceptâ definitione, circuli tanquam principio proprio; cùm igitur ibi duo fiant syllogismi, unus per dignitatem, alter per definitionem circuli, hic solus dici demonstratio mæretur, ille verò syllogismus est quidam, qui demonstrationi extrinsecùs auxiliatur, tanquam adhibens opem communis notionis ad plenam eius problematis scientiam pariendam.

Quemadmodum autem de prima propositione primi Elemen. dicebatur, in ea videlicet adhiberi principium unum commune, alterum verò proprium, non dissimiliter de alijs id intelligi debet. Hoc idem de una ex communissimis dignitatibus videtur affirmari posse; nam si aduersus illos, qui plures esse mundos contendunt, nos unum esse demonstrare velimus, non satis profectò, si dicamus mundum esse unum, & non unum, sed accipiendum est medium proprium, nempe quòd mundus ex tota sua materia constat, ex quo postea demonstremus mundum esse unum, & non esse non unum, hoc modo. Quod uniuersâ materiâ constat, est unum, & non est non unum, sed mundus uniuersâ materia constat; ergo mundus est unus, & non est non unus. Vbi vides præter principium commune adhiberi etiam principium proprium, ita tamen ut principium commune non ingrediatur demonstrationem, nam quanuis huiusmodi principium, ut positum in maiori extremo demonstrationem ingredi videatur, non tamen, inquit Zabarella re verâ ingreditur; sed extrinsecùs demonstrationi tantùm inseruit.

Reijcitur.

In hac doctrina mihi summopere molestum illud, quòd eius auctor alicubi affirmat, splendidèque pronunciat dignitates esse non posse demonstrationis partes, siue præmissas, quoniam non sunt causa rei, quæ demonstratur; alibi verò docet in quinto libro Elementorum haberi demonstrationes ex solis dignitatibus constantes; ait enim se apud Euclidem animaduertisse, *quandoque aliquid demonstrari per solam dignita-*

SECTIO VIGESIMASECVNDA.

Vberiùs communia principia tractantur, ad eorum usum in demonstrationibus explicandum.

Complexa principia, communia & propria.

Quorundâ opinio de principiorum communium usu.

NOn semel à nobis dictum fuit principia in omni scientia contemplatrice in duplici esse discrimine, cum alia communia sint, quæ dignitates vocantur; alia verò propria, quæ in suppositiones, ac definitiones diuiduntur. De principijs proprijs nulla difficultas, de communibus tamen maxima, cum non exigui laboris sit decernere, qualis eorum usus in demonstrationibus dici possit.

At quorundam sententia dignitates, atque communia principia complexa nullatenus demonstrationem ingredi non esse media demonstrationum, quia non sunt causæ, sed esse quasdam communes notiones, sine quibus demonstratio quodammodo claudicaret; nam demonstrationi, ut ipsi dicunt, extrinsecùs admotæ eam corroborant, at perficiunt, sed non sunt causa rei, quæ demonstratur. Ex horum igitur opinione

Digitized by Google

vitatem, alibi verò ait, *notare hic debemus id quod prius quoque notauimus has dignitates non ita ingredi demonstrationem, ut ex ijs, tanquam ex causa quidpiam demonstrari possit, &c.* quamobrem mihi videtur sibi earum constare.

Illud etiam accedit aduersus hunc dicendi modum, nempe quòd dignitates demonstrationi quidem opitulentur, ita ut hæc sine ipsis alioquin claudicaret; contra enim hoc sic urgeo. Vel illa demonstratio constat præmissis habentibus illas conditiones, quas citè tradita demonstratio requirit, vel non. Si primum non erit opus profectò huiusmodi dignitatum auxilio; si secundum dignitatibus prædictis auxiliantibus, præmissæ nunquam fient tales, quales esse debent, ut ex ipsis demonstratio iuxta leges bonæ demonstrationis fiat. Vt præteream à me satis non intelligi, quomodo dignitas illa sit maius extremum in demonstratione, & tamen dici non debeat demonstrationem ingredi.

Vulgata opinio est ex Aristotele deprompta, istiusmodi principia multis scientijs aptari posse, non quidem liberè, & quouis modo, sed ita ut ad proprium cuiusque subiectum commodè applicentur, & similitudine rationis, seu iuxta cuiusque proportionem contrahantur; ita quidem Geometra non utitur hoc principio. *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia* in tota sua amplitudine sumpto, sed contracto, videlicet, *Si ab æqualibus magnitudinibus, æquales magnitudines demas, quæ remanent, æquales sunt*. Arithmeticus autem contracto ad numeros utetur, nempè *Si ab æqualibus numeris, æquales numeros demas, qui remanent sunt æquales*.

Per hanc autem doctrinam non tollitur difficultas, nam sequeretur quadraturam circuli à Brysone traditam, optimam esse, si propositio maior ad solas magnitudines restringatur, atque dicatur, magnitudines, quibus *eædem magnitudines sunt maiores, vel minores, inter se sunt æquales*, cum tamen certum sit, per hoc quadraturam non demonstrari.

Commemoratus auctor in sua opinione persistens, difficultati occurrit respondendo principia communia partim esse principia demonstrationis, partim non esse, quandoquidem demonstrationem non ingrediuntur, ut propositiones; nam demonstratio non sumit, nisi principia propria, quæ sunt causæ rei, sed demonstrationi extrinsecus inseruiunt, dignitates enim inquit, non sunt causæ rerum, ut superius ex eodem quoque notauimus, sed sunt communes, quædam notiones sine quibus demonstrare non possemus, etsi demonstrationis partes non sint. Docet autem ex Aristotele nos posse uti principijs communibus, non tamen solis communibus sine ullo principio proprio, quoniam communia sola etiam contracta ad peculiarem materiam non pariunt scientiam, unde putat ab Aristotele Brysonem carpi, non eo nomine, quòd in demonstrando sit usus communi principio, sed quoniam solo communi principio contentus, proprium neglexerit.

Hæc tamen doctrina ijsdem premitur difficultatibus, quas superius tetigimus. Vt autem in re tam difficili possimus aliquid decernere, quod à veritate minime abhorrere videatur, ducendum nobis exordium à conditione principiorum in uniuersum, eorum scilicet, quibus disciplinæ omnes utuntur; qua de re, quanuis aliqua dixerimus supra, nempe Sectione decimaseptima, alia tamen supersunt ad exactiorem de principijs doctrinam.

Ne mireris, quòd nos tam copiosè, tamque accuratè de principijs disputemus, in his enim magnum esse momentum Stagirites hisce verbis declarat. Δοκεῖ ἓν πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τὸ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχὴ, καὶ πολλὰ μέρη γίνεσθαι δι' αὐτῆς τῶν ζητουμένων. *Videtur igitur plus quam dimidium totius esse principium, & eorum multa, quæ indagantur, palam fieri per ipsum*. Quod etiam ab Hesiodo dictum accepimus, à quo Prouerbium manauit *Principium plus, quàm dimidium*. Est igitur operæ pretium diligenter in principiorum considerationem incumbere.

Principij nomen unius notionis non est, idcirco geminam eius oportet acceptionem aduertere; nam cuiusque disciplinę principium, vel est incomplexum, vel complexum. Primum est, quod per simplicem terminum significamus; ut in Physica materia, & forma, in Arithmetica unitas, in Geometria punctum, linea, superficies, angulus &c. Secundum, quod per integram propositionem denotatur, cuius naturam Aristoteles hisce verbis explicuit. Ἀρχὴ δὲ ἰσὴν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος. *Principium autem demonstrationis est propositio immediata*. Itaque complexum demonstrationis, proindeque scientiæ principium est propositio immediata. Explicat autem quid per immediatam propositionem intelligat, dicens. Ἄμεσος δὲ, ἧς μὴ ἔστιν ἄλλη πρότερα. *Immediata autem, quâ non est alia prior*, quibus ipse declarat id quod in principij definitione, tanquam differentiam adhibuerat, statum addens declarationem alterius partis, quæ generis locum obtinet, dum ait; πρότασις δ' ἔστιν ἀποφάνσεως τὸ ἕτερον μόριον ἓν καθ' ἑνὸς. *Propositio autem est enunciationis altera particula, unum de uno*; quasi dicat propositio est oratio affirmatiua, vel negatiua. Nam per illa verba, *unum de uno*, non solùm affirmationem, sed etiam negationem intelligit, cum in his verbis pariter contineatur, *unum ab uno*. Hoc modo explicata definitio consentanea est alteri traditæ ab eodem Philosopho dicente. *Propositio igitur est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo*. Vt itaque in hac per verba, *alicuius de aliquo*, intelligit tam affirmationem, quàm negationem: ita pariter dum hîc ait, *unum de uno* tam affirmationem, quàm negationem intelligit. Et quoniam propositio diuiditur in duas species, nimirum in propositionem dialecticam, & demonstratiuam; ob id illas definit; & primò quidem dialecticam dicens, Διαλεκτικὴ μὲν, ἡ ἀμοίως λαμβάνουσα ἀποτερουῦν. *Dialectica propositio* est illa, *quæ accipit utranque partem contradictionis*. Cuius talis est intellectus, quòd Dialecticus sit paratus accipere utranvis contradictionis partem; unde non minus accipit animam esse immortalem ex: gra: quàm esse mortalem.

Propositio autem demonstratiua illa est, quæ determinatè partem alteram contradictionis accipit, videlicet partem veram; nam in demonstrationibus, veritas tantummodo locum habet; unde ait, Ἀποδεικτικὴ δὲ, ἡ ὡρισμένως θάτερον ὅτι ἀληθές. *Demonstratiua alteram tantum, atque demum, quæ est vera*. Cum autem Philosophus in definitione propositionis enunciationem commemorasset, propterea quid sit enunciatio declarat, aitque. Ἀπόφασις δὲ, ἀντιφάσεως ὁποτερουῦν μόριον. *Enunciatio est utravis particula contradictionis*. Hoc est enunciatio est oratio affirmatiua, vel negatiua. Deinde contradictionis definitionem subdit, dicens, Ἀντίφασις δὲ, ἀντίθεσις, ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ' αὑτὴν. *Contradictio est oppositio, cuius per se non est dare medium*. Vbi *oppositio* generis munere fungitur; enimverò communis est quatuor speciebus oppositionis; cuiusmodi sunt Contraria, Priuatiua, Relatiua, & Contradictoria. At verò *carentia medij*, ponitur loco differentiæ, per quam oppositio con-

Scientiæ principiũ duplex ut complexum, & complexum. Incõplexũ quid. Complexũ quid. Vide Sectionẽ 17. 1. Post. tex. 5. alias 13.

Propositio quid.

1. Prior. cap. 1.

Propositi duplex. Dialectica, & demonstratiua. Dialectica propositio quid.

Demonstratiua quid.

Enunciatio quid.

Contradictio quid.

Digitized by Google

Contrarietas duplex scilicet per participationē, & per exclusionem extremorum.

contradictoria, secernitur à cæteris oppositionibus; alia enim opposita medium habent; ut inter album, & nigrum, quæ opponuntur contrariè, datur fuscum, quod inter illa medium est per participationem extremorum; sic etiam Angelus dicitur quid medium inter album, & nigrum per extremorum negationem, quoniam neutro colore effici potest; ita pariter lapis hoc modo quid medium dicitur inter cæcum, & videntem, eò quòd neque cæcus sit, neque videns; sic inter patrem, & filium medium habere dicitur, qui neque pater, neque filius est. Addit autem Philosophus particulam *per se*, quoniam oppositioni contradictoriæ conuenit *per se* non habere medium; cæteris autem oppositionibus per accidens, quatenus ad contradictionem illæ reuocantur, hoc est oppositiones sunt ratione oppositionis contradictoriæ, quam includunt; quando enim non habent medium, ijs hoc non per se conuenit; ita inter album, & nigrum non datur medium, nigrum enim non est album; inter patrem & filium non est medium, filius enim non est pater; inter cæcum, & videntem non est medium, videns enim non est cæcus. Denique Philosophus contradictionis particulas explicans dicit, *μόριον δ' ἀντιφάσεως, τὸ μὲν τι κατὰ τινὸς, ἡ κατάφασις. τὸ δὲ τι ἀπὸ τινὸς, ἀπόφασις. Contradictionis pars una affirmatio est, in qua unum alteri attribuitur: altera negatio, in qua unum alteri detrahitur.* Quasi dicat affirmatio est pars contradictionis enuncians aliquid de aliquo, nimirum enuncians prædicatum inesse subiecto, ut cum dicimus *animal est corpus*. At verò negatio est pars contradictionis, in qua aliquid ab alio remouetur; ut cum dicimus *homo non est equus*.

Diuisio Principij complexi in suas species.

Proclus lib. 3. ad initium.

Diuiditur autem immediatum principium complexum tanquam genus in subiectas species, & quidem ex Gemini sententia referente Proclo in Pronunciatum, Petitionem, & Suppositionem; ubi Suppositionum appellatione, definitiones etiam intelliguntur. At verò commune quidem est tam pronunciatis, quàm petitionibus nullâ egere demonstratione, nec geometricâ fide, sed tanquam manifestas accipi cæterorumque principia fieri. Dicunt autem inuicem differre eo modo, quo Theorema à Problematibus distincta fuere; sic enim ratiocinantur. Quemadmodum in Theorematibus id, quod ad subiectum consecutionem habet, perspicendum, cognoscendumque proponimus; in Problematibus verò aliquid comparare, ac facere iubemur; eodem sanè modo & in Pronunciatis.

Prima opinio de principijs

Ibidem.

Hæc accipiuntur, nimirum quæcunque per se cognita, manifesta nostrisque notionibus naturâ obuia sunt, in petitionibus autem accipere quærimus quæcunque factu, comparatuque facilia sunt, cùm in illis accipiendis cogitatio non defatigetur, quæque nulla egent varietate, nullâque constructione; *Euidens ergo*, inquit Proclus, *& indemonstrabilis cognitio, inconstructaque sumptio petitiones a pronunciatis distinguunt; quemadmodum etiam demonstrans cognitio, quæsitorumque una cum constructione sumptio Theoremata à Problematibus seiungit; ubique enim principia simplicitate, & indemonstrabilitate, atque eò quòd per seipsa fidem faciunt ijs, quæ post principia sunt, præstare oportet.* Dum autem pergit de re proposita Speusippi sententiam affert, aitque illi placuisse consilium dicentium ita ratiocinandum esse. Vniuersè eorum, quæ cogitatione venatur, alia quidem nullo vario discursu profert, & ad futuram inquisitionem præparat, euidentioremque horum habet apprehensionem, quam obiectorum visus; alia verò cum statim assequi non possit, per transitum ab illis progrediens iuxta consequentiam, ipsa uersare conatur, quæ Proclus illustrat exemplis, scilicet, cum à puncto ad punctum rectam lineam ducere liceat, tanquam euidens, factuque facile cogitatio suscepit: rursus si uno quidem extremorum lineæ manente, alterum circa ipsum moueatur, circulum nullo negotio describit: at si quis unius reuolutionis helicem describere voluerit, magis variâ machinatione eget, cum varijs motibus ipsa generetur. Si quis etiam triangulum voluerit constituere, is quoque methodo ad trianguli constitutionem egebit. Oportet enim ut mens intelligat rectam lineam, quæ iuxta quidem alterum extremorum maneat, iuxta autem alterum moueatur circa illud, & punctum, quod à manente in ipsa moueatur unius reuolutionis helicem describens; cum enim simul, & rectæ lineæ extremitas, quæ circulum describit, & punctum, quod in ipsa mouetur recta linea, ad idem punctum peruenerint, & in eodem coinciderint, talem efficiunt helicem. Rursus cùm circulos æquales mens ipsa descripserit, & à communi sectione ad centra circulorum lineas rectas protraxerit, & ab alterutro centrorum ad alterum rectam lineam duxerit, æquilaterum triangulum descripsit; hæc igitur, & id genus alia simplici quidem apprehensione, primâque notione perfici non possunt; facilius igitur, vel difficiliùs hæc ipsa comparari, & vel pluribus, vel paucioribus medijs ostendi, propter aggredientium habitus euenit; at prorsus demonstratione, constitutioneque indigere propter quæsitorum proprietatem, quæ à petitione, & pronunciatorum euidentia deficit. Iuxta hunc ergo philosophandi modum, utrumque simplex, & deprehensu facile debet esse Petitio, & Pronunciatum. Sed Petitio nos imperat machinari, atque comparare materiam quampiam ad syntomatis assignationem; quæ simplicem, facilemque deprehensionem habeat. Pronunciatum autem quoddam per se accidens dicit ex sese accidentibus congenitum, utpotè calidum esse lignum, vel quid aliud simile ex ijs, quæ manifestissima sunt, & de quibus dubitantes aut sensu, aut punitione indigere dicuntur. Iuxta igitur Gemini sententiam Petitio à Pronunciato differt, ut Problema à Theoremate; quemetsi enim ambo indemonstrabilia sint, quemadmodum tamen hæc demonstratione indigent, & alterum tanquam factu quidem; alterum tanquam cognitu facile, communi omnium consensu recipitur; unde cōcludit Proclus eiusdem esse generis Petitionem, & Pronunciatum, differre tamen ut dictum est, & utrumque esse principium indemonstrabile, sed modo diuerso; paucis tamen interiectis concludit hoc modo à Gemino Petitiones à Pronunciatis distingui.

Sunt, quibus visum est hæc omnia principia suppositiones appellari posse, quemadmodum Stoici omnem simplicem enunciationem Axioma vocarunt; proinde iuxta istorum placitum Suppositiones itidem erunt Axiomata, & ex aliorum opinione Axiomata etiam Suppositiones dici possunt.

Alij verò hæc omnia principia Petitiones appellarunt, sicuti Problemata omnia, Quæsita dixerunt. Quibus adstipulatus videtur Archimedes, qui librum de æquiponderantibus aggrediens ait se petere, *τάδε δῆλα ἀπὸ τουτέων μακρὸν ἰσορροπεῖν. Æqualia pondera ab æqualibus distantijs æquiponderare.* Quamuis hoc potius Pronunciatum appellandum videatur.

Alij verò omnia Pronunciata, quemadmodum etiam Theoremata cuncta appellare voluerunt; iuxta enim eandem proportionem à proprijs nominibus ad communia transierunt.

Alij referente Proclo, dicebant Petitiones esse proprias geometricæ materiæ, Pronunciata verò univer-

se,

sz, quæ circa quantum, & quotum versatur contemplationi communia. Affert exemplum huiusmodi. Illa, quæ petit rectos angulos æquales esse, omnemque rectam lineam finitam in directum producere, Geometra nouit; quòd autem, *quæ eidem sunt æqualia inuicem quoque sint æqualia*, commune est axioma, quo tum Arithmeticus, tum etiam quisque scientiâ præditus utitur, quod commune est, suæ accommodatum materiæ.

Quidam etiam addiderunt illud esse discriminis inter pronunciata, seu petitiones, & postulata, quod his in constructionibus utamur, illis autem in demonstrationibus.

Exactiùs tamen hæc Aristoteles tractasse videtur; quandoquidem hic principium immediatum dividit in positionem, & dignitatem, existimans utrique illud esse commune, ut sit indemonstrabile; utraque igitur propositio indemonstrabilis est, inuicem tamen discriminantur, eòquod dignitatem oportet habere quemlibet, qui curat addiscere, nempe necesse est eam discipulo esse perspectam, antequam doctorem adeat, ut τὰ τῷ αὐτῷ ἴσα, καὶ ἀλλήλοις ἐστὶν ἴσα: *Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*. Siquidem huiusmodi propositiones sunt adeo notæ, discipulum ut latere non possint; at non est necesse cuicunque addiscenti positionem tenere, cum ei satis sit cognoscere quando ex ore præceptoris audit. Itaque propositio indemonstrabilis, quæ non omnibus nota est, ut dignitas; sed quando duntaxat à præceptore declarata intelligitur, ea est, quæ vocatur θεσις *Positio*, quoniam præceptor illam ponit. Hæc autem ab eodem Philosopho in Suppositionem, Definitionemque dividitur. *Est autem suppositio illa quidem propositio, quæ accipit utranque particulam enunciationis, nimirum affirmatiuam, & negatiuam*, hoc est propositio ila, quâ aliquid affirmatur, vel negatur conditiones habens Positioni superius adscriptas. Suppositio autem ponit aliquid esse, vel non esse; at verò Positio illa, quæ est sine affirmatione, vel negatione, dicitur Definitio; nam definitio ponit quid est ut Arithmeticus præmittit definitionem hanc, Μονάς ἐστι, κατ' ἣν ἕκαστον τῶν ὄντων ἓν λέγεται. *Vnitas est, secundum quam entium quodque dicitur unum*. Itaque omnis definitio, erit positio, non tamen suppositio, cum ad hanc affirmatio, vel negatio requiratur. At non prætereundum geminam suppositionem esse, cum una sit simplex, altera verò complexa. *Suppositio simplex est illa, quâ in scientia supponitur subiectum esse*; huius suppositionis meminit Philosophus loco præcitato. *Suppositio autem complexa est, quæ potest iuxta diuersos respectus in duplici esse discrimine*. Quando nanque à Doctore prolata dispositum discipuli animum inuenit, ita ut hic ei statim assensum præbeat, retento nomine generis, præcipuè Suppositio nuncupatur. At si discipulus non statim assentiatur, sed vel adhuc remaneat anceps, vel etiám in contrariam partem sit propensus, tunc eadem illa propositio, quæ aliàs retento nomine generis, suppositio dicta fuisset, cùm scilicet audientis animus assensum præbere non recusasset, Petitio, seu Postulatum dicitur; petit enim præceptor, ut sibi huiusmodi propositio concedatur.

Sed hæc eadem cæteris quoque disciplinis, proportione tamen, accommodari possunt; omnes enim suis innituntur principiis, quæ pro varietate ipsarum, varia esse debent, adeout triplici genere contineantur. In artium enim principiis, dicebat Philosophus, causæ non requiruntur, quibus principia ipsa demonstrentur, alioquin prima principia non forent: sed partim sensu, partim inductione, partim consuetudine, partim experimento, & usu, partim communi hominum iudicio, menteque cognoscuntur, quæ tam Platonis, quam Tullij testimonio, quosdam igniculos habet à natura inditos ad multa rerum principia peruidenda. Inductione cognoscuntur principia, quorum veritas ex terminorum perceptione redditur explorata; nam etsi ad hæc cognoscenda necessarium simpliciter non sit quicquam aliud, præter opportunam notitiam terminorum, longè tamen firmiùs eorum veritas animo per inductionem hæret. Ita quidem intelligimus *inæqualibus demptis abæqualibus, quæ remanet æqualia esse*, cùm in omnibus æqualibus accidat, si demantur æqualia. Sensu pleraque naturalium rerum cognoscuntur principia, cuiusmodi sunt *ignem calidum, aquam frigidam esse* &c. Consuetudine, morum principia nota redduntur; qualia sunt *ex abstinentia, & repudiatione voluptatum parari temperantiam: animi continentiâ frangi superarique cupiditates*. Exprimento Medicinæ, & aliarum Artium principia innotescunt, ut bilem *rhabarbaro purgari, eleboro insaniam depelli, & agarico flemma extergi*. Alius verò suppetit etiam modus cognoscendi principia, qui in definitione consistit, sunt enim aliqua, quæ solùm definitione intelliguntur, ad quòd forsan respexit Philosophus dicens, καὶ ἄλλα δὴ ἄλλως. *Et alia aliter*, dum de principiorum cognitione verba faceret. Ibidem.

Talia igitur principia sunt, quibus Mathematicæ utuntur disciplinæ, qualia cum Aristotele nos esse asseruimus, nempe Definitiones Hypotheses, seu Suppositiones, vel ut alijs placet Subiectiones, Dignitates, seu ut Græci loquuntur Axiomata, Petitiones, seu Postulata.

Definitiones ut apud Euclidem. Σημεῖόν ἐστιν, οὗ μέρος οὐθέν. *Punctum est, cuius pars nulla est*. Γραμμὴ δὲ, μῆκος ἀπλατὲς. *Linea verò longitudo, latitudinis expers*. Et ita de alijs. Sic in Arithmetica. Μονάς ἐστι, κατ' ἣν ἕκαστον τῶν ὄντων ἓν λέγεται. *Vnitas est, secundum quam entium quodcunque dicitur unum*. Ἀριθμὸς δὲ, τὸ ἐκ μονάδων συγκείμενον, πλῆθος. *Numerus autem ex unitatibus composita multitudo*. Definitionum exempla.

Suppositiones ut apud Archimedem initio librorum de Sphæra & Cylindro, τῶν τὰ αὐτὰ σημεῖα ἐχουσῶν γραμμῶν, ἴλαχίστην ἐστὶ τὴν ἰυθεῖαν. *Omnium linearum eadem puncta, seu terminos habentium minimam esse rectam*. Τῶν δὲ ἄλλων γραμμῶν ἐν ἐπιπέδῳ ὐσῶν τὰ αὐτὰ πέρατα ἐχουσῶν, ἀνίσους ἐστὶ τὰς τοιαύτας. *Aliarum verò linearum in plano existentium, si iisdem terminentur punctis, easdem esse inæquales*. Suppositionum exempla.

Dignitates, siue Axiomata, ut apud Euclidem in Geometria. Τὰ τῷ αὐτῷ ἴσα, καὶ ἀλλήλοις ἐστὶν ἴσα. *Quæ eidem æqualia, & inter se sunt æqualia*; καὶ ἐὰν ἴσοις ἴσα προσθῇ, τὰ ὅλα ἐστὶν ἴσα. *Et si æqualibus æqualia addita sint, tota sunt æqualia*. Dignitatis exempla.

Postulata, ut apud Euclidem, ἠτήσθω, ἀπὸ παντὸς σημείου ἐπὶ πᾶν σημεῖον ἰυθεῖαν γραμμὴν ἀγαγεῖν. *Postulatur, ut à quouis puncto, in quoduis punctum rectam lineam ducere concedatur*. Καὶ πεπερασμένην ἰυθεῖαν κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπ' ἰυθείας ἐκβάλλειν. *Et rectam lineam terminatam in continuum rectâ producere*. Postulatorum exempla.

Aristotelis tamen sententia graue negotium interpretibus exhibet, quandoquidem dixit suppositionem esse partem alteram enunciationis; definitionem verò neutram; quia non dicit esse, vel non esse aliquid, sed solum quid sit, quare neque affirmatiua est, neque negatiua. Sed ita disputando videtur sibi non constare; priùs enim uniuersè loquens de immediato principio dixit ipsum esse propositionem; deinde subdidit propositionem esse enunciationem affirmantem, vel Prima difficultas aduersus doctrinã Aristoteleam.

negantem. Si igitur prædicti immediati principij species definitio censeri debet, necesse est eam esse affirmatiuam, vel negatiuam; quicquid enim de genere secundum primam intentionem accepto, dicitur, de specie quoque prædicetur oportet.

Solutio. Vt probè difficultati fiat satis, aduertendum bifariam definitionem usurpari. Primò prout quidam est terminus complexus significans quid sit res definita; quod præstat exhibendo principia, quibus res ipsa constat, quorum unum est genus, alterum verò differentia. Hoc autem pacto medium est demonstrationis, si tamen fuerit definitio subiecti, de quo proprietas, vel affectio debet ostendi. Secundò sumitur definitio pro integra propositione, in qua definitio priori modo accepta de re definita prædicatur, estque minor è duabus demonstrationis præmissis. Priori modo non est actu quidem enunciatio, sed virtute solùm, propterea quòd actu non continet affirmationem vel negationem, sed virtute tantùm. Secundo modo affirmationem, vel negationem actu continet, ut ob id actu propositio sit. Quando igitur Stagirites asserebat definitionem non dicere affirmationem, vel negationem, sumpsit definitionem iuxta priorem intelligentiam; cum autem eandem facit speciem immediati principij, definitionem usurpat, quatenus est virtute enunciatio, ita ut possit fieri actu principium complexum adhibendum in demonstratione, in qua minoris præmissæ locum obtineat.

Secunda difficultas Neque minoris momenti altera est difficultas. Ipse nanque dixerat primum principium in scientijs esse propositionem immediatam, ac proinde indemonstrabilem; at huius speciem constituit petitionem, quam tamen vult demonstrabilem esse, & petit præceptor, ut sibi concedatur absque demonstratione, ne huius progressus impediatur.

Solutio. Obuiam tamèn itur dicendo propositionem esse indemonstrabilem, duobus modis intelligi, vel scilicet absolutè, & simpliciter, ut sunt axiomata, seu dignitates; vel quodammodo, & non simpliciter. Cum autem ipse docet principium primum, & quidem complexum (de hoc enim loquimur) esse indemonstrabile, intelligendum vult sic se habere, vel simpliciter, vel quodammodo, nimirùm esse indemonstrabile in illa scientia, in qua principij locum obtinet. Ita planè postulatum illud. *A quouis puncto, ad quoduis punctum posse lineam rectam duci*, in Geometria demonstrari non potest: ob id ibi principij locum sortitur. At Physicus illud ostendit, quoniam, inquit, inter duo indiuisibilia necessariò debet aliquod intercipi diuisibile, idque industriè demonstrat.

Quidam Aristotelis doctrinam traditam neglexerunt Geometræ porrò quantumvis eximij distinctionem hanc hypotheseos accuratè ab Aristotele traditam neglexerunt; nam ut reliquos taceam, Aristarchus Samius in opusculo, cui titulus est, περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων ἡλίου τε καὶ σελήνης. *De magnitudinibus & distantijs Solis & Lunæ*. Longè aliter hypotheseos vocem usurpauit, nempe 1 *Lunam à Sole illuminari*, 2 *terram ad Lunæ sphæram puncti, centrique, rationem habere*, 3 *Quando Luna bisecta nobis apparet, tunc quidem maximum in ea circulum, qui lucidum ab obscuro disterminat, versus nostrum aspectum inclinare*, 4 *Quando Luna bisecta nobis apparet, tum abesse illam a Sole minus quadrante circuli parte quadrantis trigesima*, 5. *Latitudinem umbræ duarum esse Lunarum*, 6, *Lunam subtendere quintam decimam partem signi*.

Aristarci opinio. Ex his aperte liquet Aristarchum voce hypotheseos haud usum esse iuxta generalem usurpationem à Proclo traditam, ubi ait sæpe axioma postulatum, & hypothesin ab aliquibus generali quâdam significatione nuncupari. Nec etiam iuxta specialem acceptionem pro ijs, quæ demonstrari nequeunt; ab auditore tamen conceduntur; sed per hypothesin iudicasse videtur, quod Aristoteli postulatum est. Neque enim tres primæ propositiones certiùs cognoscuntur ex se, aut faciliùs ab aliquo admittuntur, quam illud. *Omnes anguli recti sunt inter se æquales*; sed posteriores tres omninò falsæ ex obseruationibus decursu temporis deprehensæ sunt. Itaque Aristarcho, idem est hypothesis, quod Aristoteli postulatum. Oscitanter etiam hisce vocibus usus est Archimedes, nam primo Lib. de Sphæra, & Cylindro ait, primum se ponere, τὰ δὲ ἀξιώματα καὶ τὰ λαμβανόμενα εἰς τὰς ἀποδείξεις ἀυτῶν. *Axiomata, & ea, quæ assumuntur ad horum demonstrationem.* Quo loci recenset partim definitiones quasdam, partim etiam hypotheses, quibus hæc verba addit, τούτων δὴ ὑποκειμένων. *His ita suppositis*. Vnde suppositiones vocat ea, quæ antea axiomata appellauerat; & Libro primo Æquiponderantium, ea, quæ illic Axiomata dixerat, hîc Postulata vocat, & adhuc Hypotheses, adeo ut Hypothesis Archimedi sit id omne, quo, ad aliquid demonstrandum, quocunque modo, utimur non demonstrato.

His expositis, prædictorum principiorum in demonstrationibus usum explicare licebit. Et ut hinc exordiar; satis constat usus Definitionis, quæ unum erat ex commemoratis principijs, & quidem simpliciter inden onstrabilibus; Definitio nanq; actu demonstrationem ingreditur, est enim medium in demonstratione potissima, ut suo loco fuit explicatum, quando nimirum definitio fuerit subiecti, de cæteris autem principijs agendum sequitur initio ducto à communissimis dignitatibus, cuiusmodi sæpe diximus esse duo illa principia affirmativum unum, *ut de omni re verum est affirmare, vel negare*, negativum alterum, *ut non potest idem simul affirmari, & negari. Vel, necesse est idem de eodem affirmari, vel negari. Impossibile est idem de eodem simul affirmari, vel negari.*

Hæc sunt principia, quibus omnes scientiæ utuntur. Eadem verò esse distincta, non obscurè constat; enim verò Philosophus id apertè testatur, ut ex infra dicendis perspicuum fiet. Ratio etiam assignari solet in eo planè consistens, quòd in contradictoria oppositione diuersæ conditiones sunt, repugnantia essendi in eodem; & immediatio; inde necessitas ortum ducit, ut alterum sit in quolibet subiecto, sed principium negativum repugnantiam significat, affirmativum autem immediationem; ergo diuersa sunt. Minor certa, & consecutio optima. Maior patet, nam repugnantia potest ab immediatione separari, ut in contrarijs perspicuum est, cum simul hæc esse non possint; sed neutrum illorum necessariò inest subiecto; conditiones ergo diuersæ sunt, cum quæ in aliquo separantur, aliquo modo differant.

Primo loco Philosophus negativum principium considerans duo decernit. Primum hanc dignitatem in nulla demonstratione actu exprimi, adeout in ea dicatur actu; impossibile est idem de eodem simul affirmari, vel negari. Causam reddunt interpretes, quia maxima est huius dignitatis euidentia, nihil enim certius, nihilque clarius, quàm non posse idem de eodem simul affirmari, & negari, seu non posse affirmari, simul, & negari aliquid esse & non esse. Alterum est quædam exceptio, utimur enim, inquit, aliquando hoc principio expresso, tunc nimirum, quando talem conclusionem demonstrandam assumimus in qua hoc principium exprimitur, quod propter aduersarium aliquem protervum, & cauillantem euenit.

In quorum gratiam, & præsertim ad prioris dicti clarum

Vsus dictorum principiorum explicatus.

Vsus negatiui principij.

Hæc duo esse principia distincta.

Ratio distinctionis.

1. Pol. cer. 10. Vsus principij negatiui.

claram intelligentiam oportet diligenter aduertere, quod de communibus omnibus dignitatibus dictum fuit, principium hoc in usu non esse nisi coarctatum ad cuiusque scientiæ subiectum; non enim dicet naturalis Philosophus non potest idem simul affirmari, & negari; sed potius non potest anima intellectiua simul esse mortalis, & non mortalis; insuper non potest simul mundus esse unus, & non unus, seu plures. Secundum est, quod ipse hoc principio restricto, ut dictum est, non ita utitur, ut exprimat actu, sed solum ipsius potestate, ac virtute utitur; Philosophus enim naturalis contendens redarguere sententiam aduersarij dicentis plures esse mundos, demonstrabit unum mundum esse, non subinde tamen deducet; ergo non plures, neque dicet est unus, & non sunt plures, quod foret hoc axioma exprimere; quin potius hoc neglecto, tanquam omnibus notissimo, cum omnes probè cognoscunt, si demonstratum est mundum unum esse; simul esse ostensum non esse non unum, scientiæ disciplinaue dumtaxat huius principij virtute utuntur; nisi forsan nos cogat alicuius proteruia, quandoque utrunque membrum exprimere. Tertium est quod huiusmodi principij usus tantummodo tunc locum habet, quando aliorum placita veritatis ostendendæ gratia refellimus; nam veritatem ipsam ostendimus, proindeque citra quamlibet expressionem intelligitur contraria sententia refutata per vim huius principij adeo manifesti, ut effugere neminem possit; at si nulla se nobis obtulerit occasio refutandi sententiam, sed unius veritatis assequendæ desiderio flagremus, atque adeo omnes ingenij neruos contendamus, ut illam adipisci possimus, nullus huius principij, seu virtutis ipsius usus supereße videtur. Ad secundum dictum quod attinet, paucis Philosophi consilium aperiam, quod in eo positum est, ut doceat tunc istiusmodi principium demonstrationem ingredi, cum talis est conclusio, ut eius principij opitulatione ad sui confirmationem indigeat, nempe cum de subiecto conclusionis aliquod prædicatum affirmamus, & oppositum remouemus, ut *Callias est animal, & non est non animal*; hoc autem fit quoniam aduersarius prottervus negare audet cum ostensione conclusionis simul eiusdem conclusionis oppositam reprobatam fuisse; hinc enim non satis est si concludamus *Calliam est animal*; sed addendum insuper, *& non est non animal*. Docet autem artem, quâ id fieri possit, in cuius gratiam ab ipso supponitur minus extremum *Callias*, maius extremum *animal*, & medium *homo*, ad maius extremum contradictio ponitur si dicatur animal, & non animal, ad minus extremum si dicatur Callias & non Callias, ad medium si dicatur homo, & non homo; his præhabitis ita disputat.

In demonstratione tres sunt termini, *maius extremum* seu prædicatum maioris, *minus extremum*, hoc est subiectum minoris, & *medium*, id est subiectum maioris, & prædicatum minoris; docet igitur ponendam esse contradictionem ad maius extremum, non ad medium, nec ad minus extremum, quoniam his duobus eam apponere inutile est; cum enim protervus negare audeat cum ostensione conclusionis, simul reprobatam esse eiusdem oppositam, ut superius notaui, proinde non satis, si concludamus Calliam esse animal, sed addendum & non est non animal; at verò ad huiusmodi conclusionem inferendam necesse est ad solum maius extremum ponere contradictionem in propositione maiori, non autem ad minus extremum, nec ad medium, ita ut fiat syllogismus hunc in modum; *omnis homo est animal, & non est non animal; Callias est homo; ergo Callias, est animal, & non est non animal*; ubi *non animal* non sumitur tanquam prædicatum infinitum; cum non accipiatur ut nomen infinitum; sed ut negatio, ita ut, *& non est non animal*, significet non esse veram hanc negationem *Callias non est animal*. Docet autem inutile esse ad eandem inferendam conclusionem duobus alijs terminis contradictionem applicare, quia etsi oppositum medij sumas absque eius negatione, adhuc sequitur conclusio, quod etiam de minori extremo intelligendum; nam si medio, nempe homini, apponatur contradictio, dicetur in maiori omnis homo, & non homo est animal, & non est non animal dummodo Callias sit homo tantùm, sequitur Calliam esse animal, & non esse non animal: Similiter si applicetur minori extremo, diceturin minori propositione, Callias, & non Callias est homo; nam etiam si non Callias sit homo, dummodo Callias homo sit, eadem conclusio colligitur. Rationem autem reddit Philosophus, cur aliquando simul cum medio termino eius accipi negatio possit, nimirum quia interdum maius extremum latius patet, quàm medium, ut in superiori exemplo; inde namque prouenit, ut negatio maioris extremi de negatione medij negari possit dicendo, omnis homo, & non homo est animal, & non est non animal, si namque maius extremum, reciprocetur cum medio, propositio reddetur falsa, ut omnis homo, & non homo est risibilis, & non est non risibilis.

Se conuertit Philosophus deinde ad declarandum usum principij affirmatiui, quod est, *de omni re verum est affirmare, vel negare*, de quo duo pronunciat, quorum unum est, quòd in demonstratione ducente ad incommodum, siue ad impossibile hoc utimur principio; alterum, quòd non semper eo nos utimur in tota sua amplitudine accepto, sed ad proprium scientiæ subiectum coarctato; hoc autem paulo infra explicabimus; demonstratio autem directè ostendens, principio hoc, de quo loquimur, non indiget. 1. Post. tex. 83.

Et ut etiam distinctius hæc tractasse videamur, oportebit ad memoriam reuocare, & inculcare iterum geminam esse demonstrationem, alteram ostensiuam, quæ scilicet ex veris, & necessarijs sumptionibus, siue præmissis simpliciter rem ostendit, alteram ducentem ad incommodum vel impossibile, quæ ex altera sumptione vera, & altera ab aduersario concessa, colligit conclusionem apertè falsam, ut aduersarius cogatur sumptionem, quam priùs falsò concesserat, iterum negare, eiusque contradictoriam concedere. Amplius non omittendum, quod non ignobiles Aristotelis interpretes aduerterunt, nempe principium negativum bifariam ingredi demonstrationem posse, aut scilicet virtute, aut formaliter, ut aiunt. Tunc virtute tantùm ingreditur, cum non per se ponitur, sed eius vis in principijs demonstrationis exercetur; cum autem huiusmodi vis in omnibus inueniatur principijs, ob id omnes demonstrationes tale principium virtute ingredi existimatur. Tunc autem formaliter ingreditur, cum ipsum expresse ponitur, quod gemino modo contingere statuerunt, aut in actu signato, aut exercito. In actu quidem signato ingreditur cum sub eadem verborum forma, quâ constat, proponitur, quantumuis ad aliquam præcipuam peculiaremve materiam applicetur ex. gr. hoc qui sequitur modo; de nullo corpore idem affirmare, aut negare verum est; sed dicere hominem deambulare, & non moueri, est asserere corpus aliquod simul moueri, & non moueri; ergo dicere hominem deambulare, & non moueri, verum non est; hic est usus huius principij in actu signato, nam in demonstratione ponitur sub eadem verborum forma, quâ constat, uti perspi-

cuum est. In actu exercito ingreditur, cum peculiares aliqui contradictorij termini sumuntur, ut homo non homo; animal non animal, viuens non viuens. Vt ex. gr. hoc modo, omne animal est viuens, & non est non viuens; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens, & non est non viuens.

Aliorum expositio.

Alij verò sic rem explicant. Principia formaliter demonstrationem ingredi, quadrifariam contingit. Primò, loquendo de principijs in sua communitate sumptis, in actu signato, ut cùm hoc principium. *Non contingit simul esse, & non esse*; tanquam præmissa demonstrationis assumitur; nam hoc quod dico, non contingit simul esse, & non esse, vel affirmare, & negare, vel moueri, & non moueri, significant illud principium, sed affirmationem contingentem, & negationem, *non*, vel contra, non exercent; & ideo ipsum in actu signato, significant. Hoc pacto inquiunt, non inconuenit prima principia demonstrationem ostensiuam formaliter ingredi, quod exemplo declarant hoc modo. *Idem simul esse, & non esse est impossibile; sed primam materiam esse sine forma, est idem simul esse, & non esse; ergo primam materiam esse sine forma est impossibile.* Secundò loquendo de principijs primis, contractis tamen, & in actu signato, puta corpus non potest simul moueri, & non moueri, & hoc modo, inquiunt, demonstrationem etiam ingrediuntur, nempe. *Idem esse in actu, & non in actu, non contingit; sed materiam esse sine forma, est, materiam esse in actu, & non in actu; ergo materiam esse sine forma non contingit.* Tertiò potest intelligi de primis principijs in sua communitate, & in actu exercito, puta *corpus est ens, & non est non ens.* Quartò potest etiam intelligi de principijs primis contractis in actu exercito, puta *corpus est mobile, & non est non mobile*, & neutro horum modorũ dicunt prima principia demonstrationem ostensiuam ingredi, cum hoc superfluum sit; si nanque demonstrandum sit mundum non esse infinitum, sed finitum, superfluum est assumere *omne corpus est finitum, & non est infinitum*; cum satis sit dicere *omne corpus est finitum: sed mundus est corpus; ergo mundus est finitus*; sed hæc in idem recidunt cum præcedentibus, ad quæ propterea redeamus. Ex horum interpretum igitur sententia quando Philosophus pronunciauit negatiuum principium demonstrationem non ingredi, nisi opus fuerit aliquam conclusionem ostendere, in qua duo contradictorij prædicantur termini; ut in secundo quod positum est exemplo, intelligendus de ingressu secundum actum exercitum, non autem secundum actum signatum, ut in priori exemplo, cum huiusmodi principium hoc modo demonstrationem ingredi possit. Deindè ad affirmatiuum principium quod attinet, dum hoc ait assumi posse in demonstratione ducente ad impossibile, aliquando secundum totam amplitudinem suam, aliquando ad peculiarem materiam contracto, dicunt intelligendum de actu exercito, & rem hunc in modum exponunt. Hæc demonstratio, ut superiùs vidimus constat triplici, vel ut alijs placet, quadruplici argumentatione. Vt si neget aliquis hanc propositionem *aliquod animal non est homo*, sumenda est eius contradictoria, puta *omne animal est homo*, & sic arguendum. *Omne animal est homo; sed omnis asinus est animal; ergo omnis asinus est homo.* Et hic est *primus* processus. Sequitur *secundus* processus. *Sed hæc conclusio est falsa; ergo aliqua præmissarum falsa erit*, nam ex duabus sumptionibus veris, rectâ seruatâ argumentationis formâ, nequit deduci nisi conclusio vera; cum enim in præmissis verè uniantur extrema cum medio, vel verè disjungatur unum, & coniungatur alterum, ratione unionis, vel disiunctionis prædictæ cum medio, uniantur, vel disiungantur in conclusione, si præmissæ sunt veræ, etiam oportet conclusionem veram esse. Immò hæc est ratio cur demonstrationis præmissæ debeant esse veræ, ut habeatur conclusio vera; quia veritas affirmatiuæ conclusionis habetur, ex eo quòd extrema verè inter se connectuntur, quatenus verè fuerunt in præmissis cum medio connexa; quemadmodum veritas conclusionis negatiuæ habetur, ex eo quia extrema verè inter se disiunguntur, quatenus unum eorum à medio disiunctum, alterum cum eodem medio conjunctum in præmissis fuit. Sequitur *tertius* processus; *sed in prima argumentatione, minor*, omnis asinus est animal, *non est falsa*; ergo maior *nempe* omne animal est homo, *falsa est*. His succedit *quartus* processus. *Maior est falsa; ergo eius contradictoria*, puta, aliquod animal non est homo, omnino vera erit. Et quoniam scientiæ à singularibus abstrahunt, loco contradictoriæ, ut aliàs notauimus, sumi potest contraria; ut si quis neget hanc propositionem, omnis homo est capax felicitatis, assumat contrariam, quâ dicat nullus homo est felicitatis capax, & arguat; *nullus homo est felicitatis capax; sed omne animal rationis particeps est homo; ergo nullum animal rationis particeps est capax felicitatis*, & procedatur ut prius. Perstitendo autem in priori exemplo, manifestum est in eius postremo processu principium, de quo loquimur, adhiberi in actu exercito; cum enim dicitur maior est falsa; ergo eius contradictoria omninò vera erit, exercetur vis illius principij asserentis de quolibet necessariò, aliquid affirmari, vel negari.

Sectione 3. huius dissert.

Huius autem principij usum rectè dicebat Aristoteles esse tam secundum amplam, quàm secundum coarctatam acceptionem; quoniam hæc duo principia contradictionis, sunt propria diuinæ scientiæ, quæ est uniuersalis, cum subiectum maximè uniuersale, nimirùm ens, quatenus ens, contempletur; ob id hæc duo principia in ea sumuntur uniuersè, & sine ulla coarctatione; in reliquis autem scientijs necesse est hæc principia ad propria singularium subiecta restringi. Vt in scientia naturali non dicimus de omni re verum est affirmare, vel negare; sed oportet animam intellectualem esse mortalem, vel non esse mortalem; oportet mundum unum esse, vel non unum; oportet aut unum esse principium rerum naturalium, aut plura. De his tamen principijs, quæ remanent dicenda, nos in diuina Philosophia persequemur.

Supersunt alia principia, nempe Definitiones, Axiomata, Hypotheses, & Postulata, quorum usus in demonstrationibus non satis constat; fuit enim quorundam opinio superiùs tacta, dicentium huiusmodi principia exceptâ definitione, solùm extrinsecus opem ferre demonstrationi, eam tamen non ingredi, nec illa esse causas, ita ut ex ijs tanquam ex causa quidpiam demonstrari possit, sed semper medium aliquod proprium requiri, esseque tantùm communes quasdam notiones, sine quibus demonstratio quodammodo claudicaret. Afferunt in exemplum primam Euclidis demonstrationem, in qua dicunt eum uti hac dignitate, *quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*, & addunt per hanc solam non ostendi triangulum esse æquilaterum, nisi acceptâ definitione circuli, tanquam principio proprio. Ex eorum igitur sententia duo ibi fiunt syllogismi, unus per dignitatem, alter per definitionem circuli, hic solus meretur dici demonstratio, ille verò syllogismus quidam est, qui demonstrationi extrinsecus opitulatur, tanquam adhibens opem communis notionis ad plenam eius Problematis scientiam pariendam; & disciplinæ, inquiunt, utroque modo

do dignitatibus utuntur, maximè quidem, quando eas sumunt actu, ut media demonstrationum, & ut principia propria, non ut communia: sed tunc quoque ijs uti dicuntur, quando ea sumunt in syllogismo extrinsecùs opem ferente demonstrationi, quod est ipsis uti communibus: hoc enim dicitur uti, quoniam in ijs syllogismis, tanquam medij termini sumuntur.

Doctrinam hanc superiùs etiam insinuatam, difficultatibus laborare dicebamus, & præsertim redargui posse contradictionis ostendimus; contradictio autem luculenter conspicitur; initio siquidem dicitur huiusmodi dignitates demonstrationem non ingredi, ita ut ex ijs, tanquam ex causa, quidpiam demonstrari possit, sed medium semper aliquod proprium requiri; postea verò dicitur disciplinas maximè quidem his dignitatibus uti; quando eas sumunt actu, ut media demonstrationum. Cum igitur modo concedatur, quod à principio negatum fuit, de contradictione nulla poterit esse dubitatio; hæc tamen præstat omittere, ut accuratè primam Euclidis propositionem expendere, valeamus, & hunc in modum veritatem adipisci.

Demonstratio primæ propositionis apud Euclidem, nulli dubium quin ijs innitatur principijs, nempe tertiæ, & primæ petitioni, vigesimæ, & decimæ quintæ definitioni, & primo tandem pronunciato, siue axiomati; vertitur tamen in dubium, quomodo prædicta principia in demonstratione usum habeant. Dubitationis enodatio pendet ex explicatione modi, quo demonstratio prædicta contexitur; retento illo, quem suo loco nos exhibuimus, hoc modo procedendum erit. Quoniam demonstratio non de quocunque, sed de tali triangulo est, idcirco ad confusionem vitandam iuvabit ei nomen imponere, placeat illud appellare triangulum mutuâ circulorum intersectione descriptum, & hoc erit minus demonstrationis extremum. Assignanda est eius definitio, quæ talis esse poterit. Triangulum illud cuius latus unum est recta connectens centra duorum circulorum æqualium, duo reliqua sunt rectæ à prædictis centris ductæ ad punctum, in quo peripheriæ talium circulorum vicissim per eadem centra transeuntes se mutuò secant; & hoc erit demonstrationis medium; maius autem extremum erit æqualitas laterum; his adnotatis efformanda erit demonstratio ad eum, qui sequitur modum.

Triangulum omne, cuius latus unum est recta connectens centra duorum circulorum æqualium, duo reliqua sunt rectæ à prædictis centris ductæ ad punctum, in quo peripheriæ talium circulorum vicissim per eadem centra transeuntes se mutuo secant, æquilaterum est; sed triangulum mutuâ circulorum intersectione descriptum, est illud, cuius latus unum est recta connectens centra duorum circulorum æqualium &c. ergo triangulum mutuâ circulorum intersectione descriptum est æquilaterum. Minor est certa, maior autem probatur hoc modo. Omne triangulum habens duo latera, quorum utrunque æquale est tertio, est æquilaterum; sed triangulum cuius latus unum est recta connectens centra duorum circulorum æqualium, duo reliqua sunt rectæ à prædictis centris ductæ ad punctum, in quo peripheriæ talium circulorum vicissim per eadem centra transeuntes se mutuo secant, est habens duo latera, quorum utrunq; est æquale tertio; ergo triangulum cuius latus unum est recta connectens centra duorum circulorum æqualium, duo reliqua sunt rectæ à prædictis centris &c. est æquilaterum; minor ex circuli definitione clara est; maior autem, nempe *omne triangulum habens duo latera, quorum utrunque æquale est tertio æquilaterum est*, probatione non eget, nam si rectè attendas, eadem est ac illa, *quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*, applicata tamen ad latera trianguli; quandoquidem duo latera trianguli esse æqualia tertio, est esse æqualia & tertio, & inter se; hoc autem est quod dicit axioma illud, quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia; & hinc proximè triangulum æquilaterum est; propositio igitur prebatione non eget, cum eius veritas ex terminorum explicatione constet.

Ex his facilè intelliges, quomodo huiusmodi axioma, & reliqua omnia eiusdem generis in demonstrationibus locum habeat; & quo etiam pacto demonstrationis medium contineat, quòd si non est causa, est aliquid tamen necessariò comitans, nam æqualitatem duarum magnitudinum cum tertia, earundem duarum mutua æqualitas comitatur, & vicissim. Constat etiam quomodo circuli definitio ad hanc demonstrationem pertineat, & quid de Petitionibus, seu Postulatis, de Suppositionibus dicendum sit. Ne mireris autem, quòd in superiori elaboranda demonstratione de circulorum æqualitate mentio facta fuerit, cum tamen eorum consideratio ad tertium librum pertineat, in demonstratione siquidem ab Euclide constructa, si non explicitè, saltem implicitè circulorum æqualium commemoratio fit. Colliguntur quædam ex dictis.

Ex hactenus disputatis crediderim satis exploratum reddi, quomodo sit intelligenda contractio principiorum communium ad peculiare scientiæ subiectum; non enim sufficit illa, quæ vulgò creditur, puta ad genus in uniuersum, hoc est ad subiectum generatim acceptum, sed debet esse ad illud subiectum de quo suscipitur affectio demonstranda, nempe principium hoc complexum, *quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia*, non satis ad magnitudinem pro Geometria, ad numerum pro Arithmetica coarctare; sed oportet etiam illud amplius restringere ad peculiaris scientiæ subiectum, puta, ad circulum, ad triangulum &c. ut ex proxima tradita demonstratione, cuique potest esse manifestum. Quomodo communium principiorum contractio esse debeat.

Ex his autem, quæ longâ oratione de communium principiorum usu tractauimus, videtur apertè constare, quid respondendum pro solutione difficultatum, quas initio nos exhibuimus. Nihil igitur in causa cur ampliùs principiorum tractatione, considerationeve detineri permittamus. Animadversio.

SECTIO VIGESIMATERTIA.

An, & quomodo demonstrationis præmissæ debeant esse de omni, *&* per se.

PRæcipua quidem est principiorum de quibus fit sermo, proprietas, ut necessaria sint; cum enim conclusio & scientia sint de necessarijs, de ijsdem quoque principia esse debent; tametsi nanque ex præmissis falsis colligi possit conclusio vera, & ex non necessarijs necessaria; id tamen non fit tanquam ex falsis, & non necessarijs, seu non ratione materiæ, alioquin effectus nobilitate sua præstaret causæ, sed ratione formæ. Præcipua Principiorum proprietas est necessitas.

Tres autem necessitatis gradus ad necessitatem constituendam principij demonstratiui statuit Philosophus, è quibus primum ex eiusdem sententia statuimus, qui dicitur de omni, atque ostendimus propositionem de omni esse, in qua prædicatum dicitur de quolibet contento sub subiecto, & pro quolibet tempore, *ut omnis homo est disciplinæ capax; omnis homo est coloratus*; at verò istæ, *omnis homo disputat, omnis homo* Tres necessitatis gradus.

Digitized by Google

homo currit, non sunt de omni, nam primæ deficit uniuersalitas subiecti, secundæ autem uniuersalitas temporis, ubi adnotandum discrimen inter propositionem de omni prioristico, & propositionem de omni posterioristico, ad primam enim sufficit uniuersalitas subiecti, ad secundam requiritur etiam uniuersalitas temporis.

Proponitur duæ conditiones considerandæ, nempe quod præmissæ debeant esse *de omni*, & *per se*.

Itaque præmissarum conditiones ex parte terminorum, comparationis, & prædicationis inter illos considerandæ superiunt. Primo loco se offert expendendum quomodo præmisse dici debeant *de omni*, in cuius gratiam notarunt interpretes duplicem esse modum propositionis de omni, scilicet prioristicum, & posterioristicum, ut ipsi loquuntur, non dissimiliter duplex esse *dictum de omni*. Propositio autem dicitur de omni prioristicè, quæ uniuersalis est, signum habens uniuersale ex parte subiecti, quantumuis falsa sit, & impossibilis, quandoquidem uniuersalitatis forma duntaxat, non autem rei veritas attenditur. Propositio autem de omni posterioristicè Philosophus explicuit dicens. **1. Post. text. 29.** Κατὰ παντὸς δὲ οὐ τοῦτο λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐνδέχεται τινὸς δὲ, τινὸς δὲ μὴ, ποτὲ δὲ, ποτὲ δὲ μή· *De omni igitur non appello, quod id in aliquo est, in aliquo non est, nec interdum est, interdum non est.*

Propositio de omni, quid?

Nempe *propositio de omni posterioristicè est illa, in qua prædicatum conuenit subiecto, non alicui sic, alicui non, neque aliquo modo sic, aliquo modo non.* Vel clarius hoc modo: *Propositio de omni est cuius prædicatum conuenit subiecto omni, & semper*, rem Philosophus illustrat exemplo dicens, ὅτι γὰρ τὸν παντὸς ἀνθρώπου ζῷον· Εἰ δ' ἀληθὲς τὸν δ' ἀνθρώπου εἶναι ἄνθρωπον ἀληθὲς καὶ ζῷον καὶ τινῶν δ' ἕτερον καὶ θάτερον· *Vt putà si de omni homine dicitur animal: si verè dicitur hunc esse hominem, verè*, dicetur, *etiam* esse *animal*. *Et si nunc alterum* est verum, *alterum quoque* similiter est verum. Reddit autem rationem, quam à signo deducit dicens, σημεῖον δὲ ὅτι τὰς ἐπαγωγὰς οὕτω φέρομεν, ὡς καθ' παντὸς ἑκατέρου, ἢ εἰ τινὶ τοῦτο μὴ, οὐδὲ τινὶ τοῦτο μή· *Signum autem, quoniam ita obijcimus, cùm velut de omni interrogamur, vel quod alicui non* ineſt, *vel quod interdum non* ineſt. Quamobrem ad dici de omni duo requiruntur, quorum primum est, ut propositio sit uniuersè vera: secundum, ut sit necessaria, ita ut prædicatum semper subiecto insit, hoc est, ut verum sit dicere prædicatum inesse subiecto, quamuis subiectum non existat. Hîc tamen obseruandum quando nimirum ad connexionem prædicati cum subiecto aliqua requiritur causa; tunc satis esse, si semper huiusmodi causâ intercedente, prædicatum subiecto conueniat, dicaturque de subiecto sub tali causa. Hoc autem illustrari potest exemplo lunaris eclipseos; non enim licet nobis semper enunciare *Luna eclipsatur*, propterea quòd non semper terra inter Solem, & Lunam interponitur; semper tamen pronunciare licet, quandocunque terra inter Solem, & Lunam interponitur, *Luna defectionem luminis patitur*.

Ad dici de omni duo requiruntur.

Adnotatio.

Quemadmodum conceditur propositio affirmatiua de omni posterioristicè, videtur etiam admittenda propositio negatiua de omni itidem posterioristicè pro demonstratione negatiua, quod ab alijs quoque obseruatum fuit.

Rectè autem Philosophum docuisse propositiones demonstrationis esse debere de omni, facilè suadebitur, immò etiam, & illud, quod primo loco demonstrandum assumam.

Assertio.

Asserendum primo demonstrationis propositiones per prædicationem naturalem seu directam fieri debere.

Aristotelis

Hanc Aristotelis fuisse sententiam apertè constat ex eo quod ipse reiectâ propositione dialecticâ, quæ non est immediata nisi secundum opinionem, assumit considerandas propositiones immediatas, secundum veritatem, aitque se consideraturum prædicationes tales, quæ per se sunt, non autem, quæ per accidens. Vbi cum interpretibus aduertendum prædicari, duobus modis accipi; primò pro prædicatione essentiali, quæ est, quando terminorum alter est in definitione alterius, ut *homo est animal*; *homo est risibilis*. Vel ut alijs placet, quando prædicatum est de essentia subiecti, hęc verò est per accidens, *homo est albus*. Secundo, pro eo, quod est non per aliud, quâ ratione hæc est propositio per se *homo est albus*, quoniam homo per se ipsum subijcitur albedini, non autem per aliud; & hæ sunt per accidens, *album est homo; album est musicum*, quia album neque homini, neque musico subijcitur per se ipsum, sed per hominem; hoc autem loco Philosophus sumit per se, & per accidens in secunda significatione & quanuis inter interpretes magnum sit de Aristotelis consilio dissidium; re tamen verâ longè melius videtur Auerroes eius sententiam assecutus, dicens Aristotelem sumpsisse per se, & per accidens iuxta secundam significationem, quod ex exemplis, quibus utitur, facilè deprehenditur; dum enim dicit *album est homo*, affert exemplum ad declarandum prædicationem per accidens; hoc autem aliud, puta *homo est albus*, affert ut exemplum prædicationis per se; adeò ut hoc loco prædicatio per se, nil aliud sit, quàm prædicatio naturalis, quæ tunc planè contingit, quando id prædicatur, quod extra animam seu quod reipsâ ineſt alteri, & id subijcitur, quod extra animam, seu reipsâ subest; contra verò non naturalis prædicatio euenit, quando prædicatur id, quod reipsâ subest, vel subijcitur id, quod re verâ ineſt, vel saltem non subest, ut cum dicimus *album est homo*, *album est musicum*; *animal est homo*; hæc autem prædicatio naturalis comendabilis est, ex eo quia vitatur processus in infinitum tam ex parte subiecti, quam ex parte prędicati, nam in hac propositione *homo est albus*, finita sunt prædicata supra album, & finita subiecta sub homine; ex parte enim prædicati ascendendo peruenimus ad summum genus qualitatis, ex parte subiecti descendendo peruenimus ad singulare speciei, sed Aristot. per prædicationem per se intellexisse prædicationem naturalem patet, quoniam prædicationem per se declarare volens, ait, Ἔχει δ' οὕτως, ὅταν ἐστὶ θάτερον τὸ μὲν κατ' ἄλλου κατηγορεῖται, μὴ κατὰ συμβεβηκός. *Se habet autem sic, quia est quod alij attribuitur, non ex accidenti*, quasi dicat, intelligo illa, quæ insunt, quæ prædicantur de subiecto per se, non per aliud, quod hoc loco vacat per accidens; Hoc autem posteà declarat exemplo, nempe quod intelligendum velit prædicari per accidens, & inquit, ut si dicamus, ἴσον, τὸ λευκὸν ἄρα τοῦτ' ἐκεῖνο φαμὲν εἶναι ἄνθρωπον, *velut album illud interdum dicimus esse hominem*, seu dicimus *album est homo* à qua prædicatione statim ipse distinguit prædicationē per se, dicens, οὐχ ὁμοίως λέγοντες τὸν ἄνθρωπον λευκόν. *Cùm non similiter dicamus etiam hominem album esse*; quasi dicat, non est autem per accidens si dicamus *homo est albus*; cuius rei rationem reddit dicens, ὃ μὲν γὰρ οὐκ ἕτερόν τι ὂν, λευκόν ἐστι· *hic enim, cùm non sit aliud quidpiam, est albus*. Quod ideo dicit, quia homo non per aliud quidpiam subest albo, sed per se ipsum; at verò album non per se ipsum subijcitur homini, sed per hominem ipsum, nam homini accidit esse album; & propterea non ipsum album est homo, sed id cui ineſt album, homo est; adeout perinde sit si dicamus, homo, cui ineſt album, est homo. Manifestum igitur prædicationem in demonstrationibus

Digitized by Google

ex Aristotele naturalem esse debere.

Valida quoque ratio illud conuincit, quoniam, ut res se habet ad esse, ita ad cognosci; sed res in natura ita sunt ordinatæ ut affectio, & prædicatum insit subiecto, non autem viciſſim; ergo ita cognosci debent, ac proinde hunc in modum ad scientiam comparandam, prædicationes fieri debent.

Asserendum secundò propositiones demonstrationis debere esse de omni. De Aristotelis sententia nulla difficultas, cum hoc splendidis verbis, non uno in loco testatum reliquerit.

Ratione quoque suadetur, quia demonstratio est de uniuersalibus, cum ex particularibus propositionibus, uniuersalis conclusio, in qua scientia posita est, inferri non possit; ergo propositiones, ex quibus demonstratio contexitur, debent esse de omni.

Sed aduersus conditionem primam, quidam insurgunt conantes ostendere dari dictum de omni posterioristicum absq; subiecti uniuersalitate, nam Terra, inquiunt, est rotunda; Mundus est finitus; Luna eclipsatur; sunt propositiones, quæ demonstrari possunt, proindeque sunt de omni; prædicatum tamen subiecti non habet uniuersalitatem; non enim omni subiecto inest, cum in huiusmodi propositionibus subiectum sit indiuiduum, sub quo nulla dantur alia inferiora subiecta.

Solutio patet ex ijs, quæ antea diximus de lunari eclipsi disputantes; fit enim obuiam difficultati respondendo Terram, Mundum, Lunam in prædictis propositionibus considerari non ut singularia, sed ut species, sub quibus non repugnat potentiâ saltem logicâ, plures esse, & Terras, & Mundos, & Lunas, de quibus rotundum, finitum, & eclipsabile enuncietur; in commemoratis igitur propositionibus, subiecti reperitur uniuersalitas.

Grauior tamen est difficultas, quoniam hæc propositio. *Deus est iustus*, censetur esse de omni, & nihilominus eius subiectum uniuersale non est.

Sunt, qui negant assumptum, existimantes ad prædicationem de omni, subiectum uniuersalitatis requiri. Hoc autem, cum pronuncient, nullâ ratione suffulti, nullo propterea videntur plausu digni.

Alij autem existimant satis superque esse, ut prædicatum non conueniat subiecto mediatè, qua de causa hæc propositio, *Socrates est rationalis*, ex eorum sententia non est de omni; sed quando prædicatum nullo intermedio conuenit alicui subiecto, quantunuis illud non sit uniuersalitatis capax, poterit esse de omni.

Hæc explicatio pleriſque non placet, cum indiscriminatim usurpet *de omni, & quatenus ipsum*; Propterea satiùs ducunt asserere ad prædicationem de omni, requiri tantùm, ut non detur aliquod subiecto inferius, cui conueniat, & aliquod, cui non conueniat prædicatum, & idcircò quando subiectum non sit uniuersale, atque adeo inferiora non habeat, adhuc posse de ipso propositionem fieri de omni, quoniam non datur aliquid inferius subiecto, itaut illi conueniat prædicatum, & aliquid cui non conueniat, sitamen competat toti subiecto, & omni tempore.

Hanc interpretationem, eo nomine præsertim amplectuntur, quoniam eam ad Aristotelis aures existimant, quia inquiunt, non aliam ob causam prædicatum de omni per negationem ipse definiuit. Hic dicendi modus non improbabilis, tale autem Aristotelis fuisse consilium non constat, nam utimur plerunq; negatiuo definitionis genere, solum ob eâ causam, quoniam hoc modo res definienda facilius explicatur.

Contra secundam conditionem, scilicet dari dictum de omni, sine temporis uniuersalitate, hoc est sine temporis perpetuitate, quidam sic arguunt. Hæc propositio Luna deliquio laborat, sub demonstrationem cadit, & tamen prædicatum, nimirum eclipsis non conuenit Lunæ omni tempore.

Solutio 1. Post. tex. 65.

Difficultatem hanc tangit, & soluit Aristoteles dicens. Αἱ δὲ τῶν πολλάκις γινομένων ἀποδείξεις ἢ ὅλως ἁπλῶς, οἷον σελήνης ἐκλείψεως· ἄδηλον ὅτι, ἢ μὲν τοιαῦτ' ἐστὶν, ἀεὶ ἔσται· ἢ δ' ἐκ μέρους, οὐκ ἀεί. ὥσπερ δ' ἡ ἔκλειψις, ὡσαύτως τἆλλα *Semper eorũ autem, quæ sæpe fiunt, demonstrationes & scientias, ut Lunæ defectionis, perspicuum est, quâ tales sunt, semper esse: quâ verò non semper sunt, in parte* esse, *quod autem de defectione idem de cæteris*. Quoniam docuerat demonstrationem non esse nisi rerum perpetuarum, ob id hanc affert dubitationem Philosophus, dicens in disciplinis plures fieri demonstrationes rerum, quæ non semper sunt, & affert exemplum eclipsis Lunaris, & aliorum similium accidentium, quæ non semper sunt; vel igitur hæ non sunt demonstrationes, nec scientiam pariunt; vel falsum est demonstrationem non esse nisi rerum perpetuarum. Dubitationem soluit dicens accidentia illa, quæ sæpe fiunt, hoc est, quæ non sunt semper considerari posse ut semper existentia, atque adeo cadere sub demonstrationem, quatenus semper sunt, nempe ut uniuersalia, nam quatenus singularia semper non sunt; ita quidem eclipsis particularis, nempe hæc, vel illa eclipsis, non semper est; at eclipsis uniuersalis semper dicitur, esse in suis causis, cum certam causam semper consequatur, quâ existente, necessariò etiam eclipsis existit; quando igitur eclipsis demonstratur attendi non debet eclipsis hæc particularis, quæ nunc est, & postea non erit, sed eius uniuersalis natura, quæ semper esse dicitur; quanuis enim re ipsâ nulla singularis eclipsis existat, certæ tamen quædam causæ sunt, in quarum potestate, virtuteque dicitur eclipsis semper esse, ubi Philosophus per eclipsim uniuersalem intelligit eclipseos naturam, quæ semper est ratione causarum illam virtute continentium.

Secunda conditio, quòd præmiſſę sint per se. 1. Post. Tex. 30.

Pergit Philosophus dicens demonstrationis præmissas esse *per se*, ita ut ad conditionem hanc descendat, quæ maiorem in propositione necessitatem facit; omnis enim prædicatio *per se*, est etiam de omni, non autem viciſſim; sed quia per se multa significat, cum quadrifariam dicatur; ob id quatuor has significationes Aristoteles distinguit, simulque modos his oppositos dicendi per accidens exponit. Aduertendum porro particulam *per se* hoc loco non eo sensu accipi, quo paulo supra dictum fuit; nam ibi sumebatur pro eo, quod est non per aliud; sicuti *per accidens* pro eo, quod est per aliud; at verò hîc accipitur *per se* ad prædicationem essentialem denotandam; sicuti *per accidens* sumitur ad significandam prædicationem non essentialem. Quid autem sit prædicatio essentialis, & non essentialis, partim ex dictis in Institutionibus dialecticis, partim ex infra dicendis, manifestum fit, interim adnotabo prædicationem essentialem è quorundam sententia contingere, quando terminorum alter est de definitione alterius, vel ut alijs placet, quando enunciationis prędicatum ingreditur essentiam subiecti, vel ab eadem dimanat; prædicatio autem accidentalis, quæ oppositio modo se habet. Primum autem aggreditur modum dicendo. Καθ' αὑτὰ δ', ὅσα ὑπάρχει τῷ τί ἐστιν. ἐστὶ τριγώνῳ γραμμὴ ἢ γραμμῇ στιγμὴ ἡ γὰρ οὐσία αὐτῶν ἐν τούτοις ἐστί, καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστιν ἐνυπάρχει. *Per se autem* voco *quæcunque insunt in* prædicatione declarante *quid est: ut triangulo inest linea, & lineæ punctum, essentia nanque ipsorum ex his est, atque* hæc *insunt in oratione dicente quid sit.*

Primus modus dicendi per se. 1. Post. Ibid.

Docet itaque Philosophus primum modum dicendi

per

per se, duabus constare conditionibus quarum prima, ut prædicatum in subiecto insit, atque adeo prædicatio sit directa, & naturalis; Hinc *homo est animal*, est propositio per se, nam reuerâ animal ineſt homini, & hæc *animal est homo*, non est per se, quia homo non ineſt animali; istud autem *ineſse* in hoc consistit, quòd id cui aliud ineſt, se teneat per modum habentis, & id, quod ineſt, se teneat per modum habiti. Ob eandem causam hæc, *rationale est homo*, non est propositio per se, cum non sit naturalis prædicatio. Secunda conditio, ut prædicatum de subiecto dicatur in quid, nempe, ut sit eius, vel integra definitio, ut in hac propositione *homo est animal rationale*, vel pars definitionis, puta genus, ut cum fit propositio *homo est animal*, vel differentia, siue proxima, ut *homo est rationalis*, siue remota, ut *homo est sensitivus*, adeo ut quinque credantur esse prædicata huius primi modi, scilicet, *definitio; genus proximum; genus remotum; differentia proxima; & differentia remota*. Intelligendum autem prædicatum esse de definitione subiecti, vel in recto ut animal, item rationale respectu hominis; vel in obliquo, ut materia, & forma, comparatione compositi; vel demum in obliquo, non tamen ut pars, sed ut aliquid ad quod subiectum habitudinem habet, ut linea respectu superficiei, puta trianguli, aut punctum respectu lineæ; quanuis enim linea non sit superficiei pars, neque punctum lineæ, pertinent tamen ad naturam definiti, tanquam aliquid, ad quod definitum necessariam habitudinem habet. Idcirco triangulum definitur, superficies, tribus lineis constans; linea longitudo punctis, tanquam continuantibus, constans &c. de his tamen infra, hinc deducas multa prædicari de subiecto per se in hoc primo modo, de quibus paulo post differendum est, primò tribus reliquis modis dicendi per se breuiter explicatis.

Secundus modus dicendi per se. 1. Post. tex. 31.

Secundus modus dicendi per se fuit ab Aristotele quidem explicatus duabus conditionibus, quarum una est, ut prædicatum insit subiecto: Secunda verò ut subiectum sit de definitione prædicati, & idcirco quandocunque accidens proprium de suo prædicatur subiecto, propositio est per se secundo modo, ut hæc, *homo est risibilis*, nam risibile ineſt homini, quod prima conditio requirit, & homo est de definitione risibilis, quod secunda conditio postulat. Has duas conditiones assignauit Philosophus dicens, *καὶ ὅσοις τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ὑπάρχουσι, τῷ τί ἐστι δηλοῦντι*. *Et quibuscunque eorum, quæ insunt ipsis, ipsa insunt in oratione quid est declarante*; ita vertendum existimo, non autem, ut vertit Gulielmus Duvallius, *item ea, quæ attributis suis insunt in oratione declarante quid sit*, hæc enim versio græcæ lectioni non congruit, ut considerati patebit, priora siquidem illa verba, *καὶ ὅσοις τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς*, primam exprimunt conditionem, verti nanque debent, *& quibuscunque eorum, quæ insunt ipsis;* seu *& quibuscunque inexistentium ipsis*. ubi per *quibuscunque eorum* intelligi debent prædicata, & per *ipsis* subiecta. Reliqua verò verba, *αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ὑπάρχουσι, τῷ τί ἐστι δηλοῦντι*. *Ipsa insunt in oratione quid sit declarante*, secundam conditionem explicant. Sequentibus quibus utitur, exemplis, seorsum utranque conditionem declarat; quando siquidem ait, *οἷον, τὸ εὐθὺ ὑπάρχει γραμμῇ καὶ τἀξῆς*. *Vt rectum ineſt lineæ &c.* primam conditionem declarat, nam rectum ineſt lineæ, tanquam subiecto, quemadmodum circulare, & impar, & par numero, ut primum, & compositum & æquilaterum, & altera parte longius, quorum etiam Aristoteles meminit. Subsequentibus autem verbis, *καὶ πᾶσι τούτοις καὶ τὰ ἑξῆς*. *& omnibus his &c.* secuadam conditionem explicat,

Tametsi autem hæc vera sint, nonnullæ tamen difficultates insurgunt, quas infra explanabimus, interim paucis aperiam Philosophi sententiam, quam in eo positam arbitror, ut doceat ad hunc modum requiri, ut prædicatum insit subiecto, & ut subiectum sit de definitione prædicati, non ut pars essentialis, sed ut additum, quod nec etiam sufficit, alioquin accidens commune in secundo modo de subiecto diceretur, & faceret propositionem per se, non autem per accidens; quapropter requiritur etiam, ut inter illa sit necessaria habitudo causæ, si non physicæ, saltem metaphysicæ ad effectum, ita ut subiectum sit causa prædicati; ut autem hæc habitudo sit necessaria, non debet esse in genere causæ materialis, cum hæc detur etiam respectu accidentis communis, & etiam indifferens sit ex se ad formam, & priuationem recipiendam; sed in genere causæ efficientis, non cuiuscunque, sed illius, quæ talis dicitur per emanationem, & propriam resultantiam, cuiusmodi est subiectum respectu propriæ passionis, ut propterea nonnulli ad hunc modum dicendi per se explicandum, satiùs duxerint asserere prædicationem secundi modi esse, cùm affectio de proprio subiecto prædicatur; ita planè contingit in his propositionibus, *linea est recta, aut curua: numerus est par, aut impar*, in his enim enunciatur passio de subiecto, ita ut prædicatum subiecto insit, & subiectum sit de definitione prædicati; subiectum enim, quod est linea, ponitur in definitione recti, & curui: numerus in definitione paris, & imparis; rectum enim est linea, cujus partes non egrediuntur à medio: par est numerus in partes æquales diuisibilis. Aduertendum porrò rectum seorsum acceptum, neque curvum itidem seorsum acceptum, sed simul utrumque cum disiunctiua particula sumptum, constituere proprium unum lineæ; quandoquidem non omnis linea est recta, nec omnis linea est curua, sed omnis linea, vel est recta, vel curua; neque omnis numerus est par, neque omnis est impar, sed omnis numerus est vel par, vel impar, & alia huiusmodi reperiuntur propria. Nam accidentium propriorum duo sunt recognoscenda genera, quædam enim simpliciter de subiectis prædicantur, ut *admirativum de homine; eclipsis de Luna; & habere tres angulos æquales duobus rectis de triangulo*; quædam autem non simpliciter, sed duo simul iuncta opposita proprium unum constituunt, qualia proximè sunt enarrata. Alia de hoc modo perfectatis infra dicemus. His adnectit Philosophus modum dicendi per accidens, qui duobus per se, iam declaratis ex aduerso respondet, qua de re infra.

Tertius modus, qui dici solet per se existendi, non autem per se prædicandi, habetur apud Aristotelem expressus per illa verba, *Ἔτι ὃμοῦ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός*. *Præterea* per se appello, *quod non dicitur de ullo alio subiecto*; rem autem declarat exemplo, dum subdit, *οἷον, τὸ βαδίζον, ἕτερόν τί ἐστι, βαδίζον εἰ, καὶ λευκόν*. *Vt ambulans, cum aliud quid piam sit, ambulans est, & album*. Quodlibet enim concretum accidentarium dicit formam, & subiectum eiusdem, genere diuersum ab ipsa, illam in recto, hoc autem tanquam connotatum in obliquo; propterea ambulans, siue album, dici non potest per se existere; quoniam prout dicit formam in recto, existit merito subiecti. Assignat differentiam à substantia, quæ propriè dicitur per se esse, dum subdit, *ἡ δ' οὐσία, καὶ ὅσα τόδε τι σημαίνει, οὐχ ἕτερόν τί ἐστι εἰπεῖν, ὅπερ εἰσί*. *Substantia verò, & quæcunque hoc aliquid significent, non aliud quid piam sunt, quàm id quod sunt*. Tantem concludit. *τὰ μὲν δὴ μὴ καθ' ὑποκειμένου καθ' ἑτέρου λέγω. τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου, συμβεβηκότα*; *quæ igitur de subiecto non dicuntur*,

Tertius modus dicendi per se. 1. Post. tex. 31.

cuntur, *per se*: *quæ verò de subiecto* dicuntur, *accidentia voco*. Laborant tamen interpretes in explicanda Philosophi sententia, cùm quidam existiment eum esse locutum de modo per se essendi, hoc est solitariè existendi, sic enim per essendi modum interpretantur, ut competere dici posset etiam accidenti separato à subiecto. Alij præsiùs explicant hunc modum per se essendi, intelligendo videlicet illum qui excludit modum essendi in alio, ut in subiecto, siue actu, siue potestate, ac aptitudine; iuxta quam significationem competit tàm substantijs primis, quàm secundis. Alij modum hunc de quo loquimur, magis adhuc restringunt, adeo ut velint per ipsum excludi modum essendi in alio, non solùm ut in subiecto, sed etiam ut inferiori, quo pacto solùm primis substantijs competeret, quandoquidem secundæ sunt in primis, tanquam in inferioribus.

plica- Videtur tamen asserendum, hoc perfectatis modo
ertius illa esse per se, quæ de alio subiecto non dicuntur: per
lus di- accidens autem, quæ de subiecto alio dicuntur; quan-
li per uis enim substantia de subiecto quoque dicatur, nihilominus accidens duntaxat dicitur de subiecto alio, est enim in subiecto, quod est generis diuersi. Ad hunc tertium modum pertinent omnes enunciationes de secundo adiacente; cum enim per has existere rem aliquam pronunciamus, & rerum alia per se existant, ut substantiæ: aliæ verò non per se, sed per accidens existant, ut accidentia omnia; propterea omnis enunciatio, quâ substantiam aliquam existere dicimus, est per se, ut, *homo est*; & omnis enunciatio, quâ accidens aliquod dicimus existere, est per accidens, ut, *album est*; *ambulans est*. Hæc videtur sanè interpretatio maximè verbis Aristotelis consentanea; cùm enim negatio per affirmationem intelligatur, ob id explicato hoc modo per se per negatiuam conditionem, nempe non esse in subiecto, statim eam per affirmatiuam oppositam declarat, scilicet per esse in subiecto, conditionem accidentium propriam. Is enim primò explicuit, quæ non sunt per se, mox docet, quæ sint per se. Dicit enim hoc tertio modo, ea esse per se, quæ non sunt in subiecto & statim hoc explicat per affirmatiuam oppositam, quæ conditio eorum est quæ sunt per accidens, nempe per ea quæ sunt in subiecto; ex his facilè constat eum de omni substantia, tam scil. prima, quàm secunda locutum esse, quia hunc modum essendi per se explicat per non esse in subiecto, sed non esse in subiecto re verâ conuenit cuicunque substantiæ, tam scilicet primæ, quàm secundæ; ob id de utraque sermonem habet; licet enim substantiæ secundæ conueniat esse in subiecto, sumpto hoc pro inferiori, non tamen conuenit, sumpto pro subiecto inhæsionis, ut hic summi debet ad excludendum accidens, quod subiectum inhæsionis habet. Neque perturbet, quòd Philosophus usus sit verbis illis, *& quæcunque hoc aliquid significant*; hoc enim ideo fecit, quoniam tertius hic modus existentiam respicit, at singularia per se ipsa existunt; idcirco solam individuam substantiam commemorauit; non propterea tamen uniuersalem exclusit; nam hæc in singulari insita est, & una cum ea existit, quam ob causam accidentia etiam concreta sumit, quoniam accidens non abstractum, sed concretum tantùm existit; non propterea tamen accidens abstractum reijcit, cum huic etiam conueniat non esse per se, sed per accidens, hoc est per aliud, scilicet per subiectum cui inest, cum non possit instar substantiæ se ipso existere, & hoc modo dicitur, *ambulatio est*; *albedo est* &c. accidentia enim sunt abstracta, quæ per accidens itidem esse dicuntur.

Doctrina [illegible] Quartus modus dicendi per se ab aliquibus appellatur modus non per se prædicandi, sed per se causandi, de quo Philosophus. Ετι δ' ἄλλον τρόπον, τὸ μὴ δι' αὐτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ, καθ' αὐτό, τὸ δὲ μηδὲ αὐτὸ, συμβεβηκός. *Alio præterea modo, quod propter se ineſt unicuique per se est: quod non propter se, accidens*. Declarat quartum hunc modum dicendi per se dicens contingere, quando in subiecto includitur causa externa, videlicet, efficiens, vel finalis, sensu mox explicando, &c. propter quam illi prædicatum ineſt, seu quando in subiecto includitur proxima ratio, à qua habet prædicatum ut illi conueniat; fit igitur hæc prædicatio per se quarto modo, quando terminorum alter alterius causa externa est, siue subiectum prædicati, seu prædicatum subiecti, de quibus paulo infra disserendum. Quamobrem ad hunc de quo loquimur modum, pertinere dicunt illas propositiones, quarum termini non sunt inter se ita coniuncti, ut alter alteri inhæreat, sed loco disiuncti; idcircò ita disputant. Veram prædicationem reddens extremorum respectus est, qui bifariam contingit, nam vel essentialis, vel accidentalis erit; nequit essentialis esse, nisi alter alterius causa sit, eaque vel effectrix, vel finalis, cum hæ duæ externæ sint, locoque disiunctæ ab effectu; quare prædicatio hæc fit quando termini prædicto modo se habent. Accidentalis, citra rationem causæ, & effectûs in extremis, veram reddit prædicationem, sed per accidens, ut *Socrate ambulante corruscauit*.

cendi per se. 1. Post. Tex. 34.

Ad clariùs autem quartum hunc modum declarandum Aristoteles utitur modo essendi per accidens, huic tamen, ut par erat opposito, sequentibus verbis dicens; Ἕτιον, εἰ βαδίζοντος ἤστραψε, συμβεβηκός ὀυ. διὰ τὸ βαδίζειν ἤστραψεν, ἀλλὰ συνέβη, φαμὲν, τοῦτο· *Vt si ambulante* aliquo, *fulgurauit accidens* est; *non enim propter ambulationem fulgurauit, sed dicimus, hoc accidit*. Docet igitur fieri hanc prædicationem per se quarto modo, quando terminorum alter alterius externa causa est, ut expositum; affert exemplum iugulati; hæc enim est propositio per se spectans ad hunc quartum modum, *homo iugulatus interijt*. Iugulatio enim est causa interitûs; addit autem, *& per iugulationem*, quasi dicat, dummodo propter iugulationem interierit; si quis enim interierit non propter illam iugulationem, sed propter superuenientem febrem, tunc hæc propositio non esset per se *homo iugulatus interijt*, sed per accidens; at si supponamus iugulationem mortis causam fuisse, non est per accidens, sed per se, quòd iugulatus interierit.

Quæ propositiones ad singulos modos per se dicendi pertineant.

Vidcamus propositiones attinentes ad singulos modos exactioris doctrinæ gratia.

Prima opinio de propositionibus ad primum modum spectantibus.

Sunt qui putant omnia prædicata, quæ definitionem ingrediuntur, tam in recto, quàm in obliquo, siue sint de essentia definiti, siue aliquod additum, per se in primo modo de definito prædicari, proindeque contendunt has propositiones ad primum modum spectare; *homo est animal*; *homo constat ex anima, & corpore*; *risibile est homo*; *pater est filij pater*, & aliæ huiusmodi, nam homo ingreditur, ut subiectum definitionem risibilis, & filius ut correlativum definitionem patris.

Secunda opinio.

Ex aduerso alij non modò negant, quæ in obliquo definitionem ingrediuntur ad hunc pertinere modum, siue sint de essentia, siue quidpiam externum, verum etiam inficiantur transcendentia in primo modo de inferioribus prædicari, quoniam non se habent ad modum formę inexistentis; item propositiones identicas ob eandem causam; & quia identicæ prædicationes naturales non sunt, neque tales propositiones demonstrationi possunt inseruire, cum non explicent causam, cur prædicatum subiecto conueniat; & tan-

men demonstratio ex causis procedat; negant etiam prædicationes uniuersalium de singularibus ad hunc primum modum spectare, eo quòd non sint de omni, utpote particulares; omnis autem propositio per se debet esse de omni posterioristico, ita ut secundus necessitatis gradus primum supponat; affirmant igitur propositiones dumtaxat, in quibus tota definitio, vel partes definitionis in recto de proprio definito prædicantur, ut sunt genus, & differentia comparatione speciei, ad hunc primum modum dicendi per se attinere.

Prima assertio. Asserendum primò propositiones illas esse per se primi modi, in quibus prædicata sunt de essentia subiecti uniuersalis, siue in recto siue in obliquo, siue ea prædicamentalia, siue transcendentia sint.

Auctoritate, & ratione suadetur. Assertionem hanc profectò docuit Philosophus, estque ex eo manifesta, quia hæc est maior necessitas, quæ inter prædicatum, & subiectum adinueniri possit, quando nimirum prędicatum pertinet ad quidditatem subiecti, quod verum est tam de prædicatis essentialibus in recto, quàm in obliquo, tam de prędicamentalibus, quàm de transcendentibus, cuiusmodi est ens, quod in quid de inferioribus suis prædicatur. Itaque propositiones ad hunc modum pertinent in quibus de re aliqua prædicatur tota definitio; insuper differentia essentialis, siue propria, & ultima, ut rationale de homine; siue communis, ut de eodem homine sensitivum: præterea genus, siue proximum, siue remotum, ut de homine animal, & substantia, ubi nomine generis non solùm intelligendum, quod est uniuocum in aliquo prædicamento aptum enunciari de pluribus differentibus specie, sed etiam ens, ut paulo antea dictum fuit.

Secunda assertio. Asserendum secundò, quando prædicata ad rei naturam, siue essentiam non pertinent, quanuis definitionem ingrediantur, non conficere propositionem per se primi modi.

Ratione suadetur. Ratio euidens est, quia primus modus dicendi per se, maximam enunciationis necessitatem inuoluit; hęc autem non habetur, nisi quando prædicatum pertinet ad essentiam subiecti, tanquam pars essentialis ipsius, vel tanquam integra essentia distinctè significata, ut clarum est; ergo quando prædicata non pertinent ad essentiam subiecti, nequeunt efficere propositionem primi modi dicendi per se. Assumptum est manifestum; consecutio optima; nam nullum prædicatum ab illis, quæ sunt de essentia subiecti, maximam habet necessitatem connexionis cum subiecto; & quanuis, passio necessariam quoque connexionem cum subiecto habeat; hæc tamen est necessitas ab illa dependens, siquidem passio supponit subiectum ex suis internis prædicatis constitutum.

Quæ ex traditis deducuntur, Hinc manifestum est propositiones non esse per se primi modi, in quibus subiectum de passione prædicatur, dicendo videlicet *risibile est homo*; vel correlativum de relatiuo, ut *Pater est filij pater*: quanuis enim subiectum, puta homo, ingrediatur definitionem passionis, nempe risibilis, non tamen ingreditur tanquam quid essentiale, sed ut additum. Accedit, quòd eatenus prædicatum per se dicitur de subiecto, quatenus in subiecto est causa formalisque ratio inhærentiæ prædicati in subiecto; unde est, ut est ut tunc fiat directa, & naturalis prædicatio, quando id quod inest, prædicatur, & id, cui inest, subijcitur; at in passione non reperitur talis ratio, neque subiectum inest passioni, neque correlativum relatiuo; propterea nequeunt efficere propositionem per se. Nō inficiandum tamen essentialem ordinem, quem inuoluit passio, vel accidens ad subiectum, de accidente dici in primo modo, quoniam huiusmodi ordo circunscribit essentialem differentiam, quæ cum ad primum modum dicendi per se reuocanda sit, consequens fit ut ordo prædictus eandem conditionem sortiatur.

Neque perturbet quòd Aristoteles dixerit triangulo inesse lineam, & lineæ punctum, immò, & quòd pronunciauerit, *ἡ δ' οὐσία αὐτῶν ἐκ τούτων ἐστὶ καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστιν ὑπάρχει*. *Essentia namque ipsorum ex his est, atque* hæc *insunt in oratione dicente quid sit*. Optimè namque Philosophus nouerat, punctum non esse partem essentialem lineæ, sed terminum, vel rationem continuatiuam partium lineæ, atque adeo non dici de linea, neque in recto, neque in obliquo prædicatione spectante ad hunc primum modum, sed ipse tantùm docere volebat habitudinem lineæ ad punctum, quatenus hæc explicat essentialem differentiam ipsius lineę, prędicatum esse primi modi, & eodem pacto de linea respectu trianguli dicendum. Ad primum igitur modum non sufficit, ut prędicatum ingrediatur subiecti definitionem, sed requiritur ut ingrediatur tanquam aliquod essentiale, non tanquam additum. Pręter commemoratas propositiones ad hunc etiam modum pertinent illę, in quibus una definitio essentialis, de altera eiusdem definiti dicitur, ut definitio hominis metaphysica est, *animal rationale*; at eiusdem physica, *constans ex corpore, & anima intellectiua*, si fiat propositio, *animal rationale est constans ex corpore, & anima intellectiua*, hęc ad hunc primum modum spectabit; tametsi nanque definitio una non sit de conceptu alterius, satis superque, ut sit de essentia definiti.

Diffic. tas præ cupata, mulque soluta.

Assen tertia. Asserendum tertiò propositiones quasdam, quamvis formaliter ad hunc modum non pertineant, tamen per reductionem, pertinere.

Ra probl Ità planè se habent hæ propositiones, *risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum; simitas est nasi curuitas*, & in uniuersum omnis propositio, in qua accidentis definitio tradita per subiectum de ipso accidente prædicatur. Hæ propositiones non videntur formaliter ad hunc modum spectare, quoniam in ipsis non enunciantur prædicata quæ intrinsecùs ingrediantur essentiam subiecti, quod ad hunc primum modum requiri dicebamus, eas tamen ad hunc modum reduci, non inficiandum; quemadmodum enim in secundo modo dicendi per se, continetur ea propositio, in qua non plus quàm hoc pacto subiectum est de ratione, & definitione prædicati; ita vicissim in hoc primo modo reponi poterit ea propositio, in qua non plus, quàm eo pacto prædicatum est de ratione subiecti; atque hunc in modum quæcunque causa, per quam potest rei essentia explicari, solet existimari prædicatum enunciationis ad hunc primum modum spectantis. Inter hęc tamen non recensenda passio, per quam rei descriptio conficitur, passio nanque non constituit rem, sed constitutam supponit, unde est, ut dum passio de subiecto enunciatur, fiat propositio in secundo modo dicendi per se.

Quæ positiones etiam hunc dum enun Sic etiam ad hunc modum reuocantur propositiones in quibus uniuersalia de singularibus enunciantur, uniuersalia enim sunt de essentia singularium, quæ si definirentur, non nisi per uniuersalia possent definiri. Sic etiam propositiones identicæ; si nanque perfectas propositionis est, quoniam prædicatum est in subiecto non per aliud quanto subiectum est minus aliud à prædicato, tanto magis propositio est per se; hinc magis est per se propositio, in qua tota definitio de definito prędicatur, quàm ea in qua pars prędicatur; cum itaque non sit maior identitas, quàm eiusdem ad se ipsum; ob id identicæ propositiones dici possunt per se, & quidem in primo modo; excluduntur tamen, quem-

quemadmodum & propositiones indirectæ, tanquam ineptæ ad demonstrationem.

Reuocantur etiam propositiones negatiuæ, in quibus remouentur à subiecto prædicata opposita prædicatis illi conuenientibus in primo modo, quandoquidem negationes prædicatorum simpliciter repugnantium alicui, quanuis ad essentiam illius rei constitutiuè non pertineant, consecutiuè tamen pertinent, quatenus consecutionem habent ad essentialia rei prędicata; ita hęc propositio *homo non est irrationalis* ad hunc primum modum reuocatur, quoniam negatio irrationalitatis in homine consequitur rationalitatem, quæ de homine in primo modo dicendi per se prædicatur, & huiusmodi negatiuæ propositiones, negatiuæ demonstrationis deseruiunt.

Dubitatur tamen de hac propositione, *rationale est animal*, videtur enim per se, & nonnisi ad primum modum spectans, quanuis prædicatum non sit de essentia subiecti.

Prętermissis responsionibus aliorum dicendum propositionem illam esse necessariam, non tamen *per se*, defectu inclusionis, siquidem animal perfectâ præcisione distinguitur à rationali, est tamen necessaria propter inclusionem in tertio, scilicet in specie.

Ex hactenus disputatis operosum non erit occurrere difficultatibus quæ aduersus tradita afferri possunt.

Ad secundũ modum pertinent propositiones in quibus propria passio de subiecto, aut definitione, aut essentiali eius differentia prędicatur, ut *homo est risibilis; animal rationale est risibile; rationale est risibile*. Huc etiam pertinent propositiones, in quibus prædicantur effectus de causis, per quas possunt definiri. Quando igitur passio de definitione subiecti, vel de differentia constitutiua dicitur, talis prędicatio, seu propositio ad hunc secundum modum spectabit, quoniam explicitè causa ipsius assignatur. Item quando passio prædicatur de inferioribus proprij subiecti, ut passio generis de specie, & speciei de indiuiduis, fit propositio in secundo modo, licet non immediatè, & primariò, sed mediatè, & secundariò; verè enim in inferioribus illis, passionis causa reperitur. Item passiones inferiorum sub disiunctione per se in secundo modo prædicantur de superiori, ut par, vel impar de numero; rectum, vel curvum de linea, quoniam hæc duo sic accepta, cum sint immediata, necesse est alterum inesse, se habent enim non secus ac, si contradictoriè opponerentur, & simul sumpta cum disiunctione constituunt unum proprium de genere quidem enunciabile. Ad hunc eundem modum referunt hanc propositionem, *animal aut est rationale, aut irrationale*, eò quòd sit generis proprietas in species diuidi. Quando autem passio inferioris, quæ non sit sub disiunctione, sed dicatur simpliciter talis, non prædicatur per se de superiori; idcirco hæc non est per se, *animal est risibile*, ut nec istæ *numerus est par: linea est recta*, his enim non conuenit definitio secundi modi dicendi per se.

Est tamen difficultas in uniuersum de passione, seu proprietate; nam accidens cuiusmodi est proprietas, semper accidentariò prædicatur; ergo per accidens non autem per se.

Difficultatis solutio in eo posita est, quòd *accidentariò* sumi potest vel prout determinat inhærens, hoc est significat prædicatum esse ens accidentarium, & tunc assumpto concesso, neganda est consecutio, cum verè possit accidens necessariò conuenire subiecto; si autem determinat inhærentiam, & connexionem, negandum assumptum; sic responderi solet. Sed hac de re cautè loquendum, quoniam passio non est accidens, ut ipsi comminiscuntur, quod de Proprio disputantes explicuimus; solùm enim accidens dicitur quatenus est extra essentiam subiecti, ita tamen, ut eius naturam necessariò comitetur.

Quorundam opinio.

Quidam existimant ad secundum hunc modum pertinere quascunque propositiones in quibus prædicatur accidens de subiecto, eâ ratione ducti, quoniam semper subiectum est de definitione accidentis. Alij verò nec ineptè has propositiones excludunt, eòquòd propositio in qua contingenter, & non necessariò de subiecto aliquid prædicatur, ad demonstrationem assumi non potest, quod certè Aristoteles docuit cum huiusmodi propositiones non per se, sed per accidens appellet; nam propositiones per se supponuntur esse de omni & necessariæ, ut ipse passim affirmat, quales non sunt illæ, in quibus accidens commune de subiecto prædicatur.

Rationi aduersariorum fit satis.

Neque aduersariorum ratio quicquam concludit, nam ut superiùs aduertimus, non satis, ut subiectum adhibeatur in definitione prædicati, sed requiritur, ut inter illa sit necessaria habitudo causę ad effectum, & quidem in genere causę efficientis per emanationem.

Aliæ propositiones, quæ excluduntur.

Excluduntur etiam propositiones indirectæ in quibus species de genere, vel de differentia prædicatur, quanuis subiectum sit de essentia prædicati. Exclusionis autem ratio ea est, quoniam in his modis illæ propositiones per se assignantur, quæ directæ naturaleſque supponuntur. Hinc ineptè quidam crediderunt propositiones per se primi modi per conuersionem fieri per se secundi modi, & vicissim, quoniam per huiusmodi conuersionem propositiones fiunt indirectæ, ac innaturales.

Quid differat inter prædicata primi, & secundi modi.

Cæterum prædicata primi modi sunt de essentia, & quidditate subiecti, non autem prædicata ad secundum modum spectantia, ideoque illa sunt priora subiecto, utpote constitutiua illius; hæc autem posteriora, unde prædicatum primi modi est causa subiecti quantum ad esse, siquidem illud constituit: prædicatum autem secundi modi suum esse recognoscit à subiecto per resultantiam, sensu aliàs explicato.

Quæ propositiones ad tertium modum pertineat.

Ad tertium modum dicendi per se pertinent substantiæ, quippeque per se existunt, siue primæ, siue secundæ, nam per *hoc aliquid* Philosophus, ut supra vidimus, intelligit per se esse, hoc est substantiam in uniuersum. Et quanuis hic sit modus, qui dicitur per se essendi, reuocari tamen potest ad modum per se prædicandi, ita ut *esse*, seu *existere* per se dicatur de substantia in propositione de secundo adiacente.

Quæ propositiones ad quartum modum pertineat.

Ad quartum modum plerique reuocari tantum quoddam determinatum genus causæ, videlicet efficientis crediderunt, atque adeo ad modum hunc spectare tantum propositiones illas, in quibus tale causæ genus reperitur; ut Sol generat hominem, Lunaris eclipsis est obiectio terrę inter Solem, & Lunam; homo iugulatus interijt.

Assertio, quòd quartus modus omne causæ genus complectatur.

Vitetur tamen asserendum ad hunc modum spectare omne causę genus sensu tamen proximè explicando.

Hoc Aristotelis fuisse consilium eius verba declarant, τὸ δὲ δι' αὐτὸ ὑπάρχειν ἑκάστῳ, καθ' αὑτό. *Quod propter se ineſt unicuique per ſe* est; hoc autem loquendi genus, ut constat, omnem causam, omneque causalitatem complectitur. Aduertendum porrò hoc loco non sumi causam, & effectum prout sunt in potentia, neque causam prout in potentia, & effectum in actu, aut vicissim, sed causam in actu, & effectum in actu; nam si priori modo sumerentur in illis foret necessaria

Auctoritate probatur. 1. Post. tex. 36.

ria quędam habitudò potius ad ſecundum, quàm ad hunc quartum modum pertinens; ut ſi diceretur calor eſt calefactivus, voluntas eſt volitiua, intellectus eſt intellectivus, ſiquidem huiuſmodi aptitudines ſunt ſubiectorum paſſiones, ſeu proprietates.

Difficultas præoccupata.

Dices. Effectus in actu contingenter unitur propriè cauſę in actu; non igitur ex his poteſt fieri prędicatio per ſe, quę neceſſaria eſſe debet; quęlibet enim perfeitas aliquam neceſſitatem infert, ſiquidem *per ſe* excludit *per accidens*, quod contingentiam importat; cum igitur propoſitiones quarti modi ſint aliquo modo per ſe, debent etiam aliquo modo eſſe neceſſarię.

Difficultatis ſolutio.

Occurritur reſpondendo quanuis effectus in actu contingenter uniatur cum ſua cauſa quoad eſſe; per ſe tamen coniungitur quoad cauſalitatem; nam ut nuper dicebam, cauſa, & effectus hoc loco ſumuntur, prout ſunt in actu, adeo ut effectus comparetur cauſę, ut ſtat ſub ipſa cauſalitate, fieriq; debent propoſitiones hoc modo, *Calidum calefactione calefacit; Voluntas volitione vult; Intellectus intellectione intelligit; Interemptus per interemptionem interijt*; quanuis igitur in cauſis contingentibus, & liberis, effectus neceſſariam connexionem cum cauſa abſolutè ſumpta non habeat, neceſſariam tamen habet connexionem cum ea, prout ſub cauſalitate exiſtit; iuxta illud Philoſophi, *cauſa in actu, & effectus in actu ſimul ſunt, & non ſunt*; quod adeo verum, ut etiam voluntas maximè contingens in operando, prout ſtat ſub volitione, dicatur neceſſariò operans, ſiue volens. Hoc igitur quarto modo effectus in actu prædicatur de ſuo immediato principio productiuo, non autem effectus in potentia, vel in aptitudine, cum hoc pacto ad ſecundum modum per ſe dicendi pertineat; hinc propoſitio hęc. *Animal rationale eſt admirativum*, non eſt in quarto, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe.

Aſſertionis ſuperioris probatio, & ępe modũ hunc ad quodlibet cauſæ genus extendi.

At verò modum hunc intelligi poſſe de quolibet genere cauſæ, ſenſu iam explicato, quod non multo antea dictum fuit, ſuadet Ariſtotelis illud effatum; *cauſæ in actu, & effectus in actu, ſimul ſunt, & non ſunt.* Hoc enim ad omne cauſæ genus poteſt exendi, ſi ſumantur cauſę, & effectus in actu.

Difficultas. Solutio.

Nec alicuius momenti difficultas eſt, quòd cauſæ interne ad primum modum pertineant, nam diuersâ ratione ad utrunque ſpectare poſſunt; Si nanque ſumantur prout ſtant ſub cauſalitate, ad quartum; ſi autem aliâ ratione, vel ad primum, vel ad ſecundum per ſe dicendi modum ſpectare poſſunt.

Quartus modus dicendi per ſe, tres habet gradus.

Apud pleroſque non obſcuri nominis, quartus hic modus tres habet gradus. Primus eſt quando effectus formalis de ſubiecto intermediâ ſuâ causâ formali prędicatur, ut *homo eſt albedine albus*; nam *albus* eſt formalis effectus albedinis, quâ inter mediâ ipſe dicitur de homine. Secundus, quando actus egrediens à ſua formali cauſa de effectu formali illius cauſę, illâ intermediâ prædicatur, ut *album albedine diſgregat; interfectum interfectione interijt*; nam interire eſt interfectionis actus, quemadmodum diſgregare eſt actus albedinis, & effectus interfectionis eſt interfectum eſſe, quemadmodum album, eſt effectus albedinis. Tertius, quando effectus de ſuo immediato principio prædicatur, ut *intellectus intelligit, voluntas vult, calor calefacit* &c.

Quatuor modi dicendi per accidens.

Totidem autem ſunt modi dicendi per accidens. Primus, quando prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti, & eſt oppoſitus primo modo dicendi per ſe, iuxta quem modum dicendi per accidens hę propoſitiones, *homo eſt admirativus; homo eſt riſibilis*, dici poſſunt per accidens. Secundus eſt oppoſitus ſecundo modo dicendi per ſe, quando ſcilicet prædicatum nedum non eſt de eſſentia ſubiecti, ſed nec eius proprietas, ut ſunt propoſitiones omnes in quarto modo. hæc ſignificare voluit Philoſophus dicens, ὅσα δὲ μηδετέρως ὑπάρχει, συμβεβηκότα. *Quæ verò neutro modo inſunt*, voco *accidentia*. Tertius eſt oppoſitus tertio modo dicendi per ſe explicato per prædicationem, & eſt quando *eſſe* prędicatur de accidente, ut cum dicitur *calor eſt*. Quartus oppoſitus eſt quarto modo dicendi per ſe, ſed de aliquo coniuncto illi per accidens, ut *muſicus ædificat*, nam accidit ædificatori, ut ſit muſicus, non enim ut muſicus, ſed ut ędificator ædificat.

Supereſt tantem, ut explicemus in quo modo per ſe pręmiſsę demonſtrationis eſse debeant. Hoc maximè controuerſum eſt, conuenit tamen inter omnes, ut ſe detertius modus, tanquam inutilis excludatur. Alii verò ſolos duos primos recipiunt, duobus poſtremis ſcilicet tertio, & quarto excluſis.

Aſserendum tamen primum ſecundum, & quartum eſse modos, in quibus fieri poſsunt demonſtrationes.

Hoc eâ ratione ſuadetur, quia cum demonſtratio *propterquid* ex cauſis procedat, propoſitiones debent eſse per ſe in cauſando, quod cum in quarto etiam modo poſſit contingere, hic propterea in demonſtratione uſum habere poterit. Aduertendum porrò unius demonſtrationis pręmiſsas non ad eundem ſpectare modum dicendi per ſe, cum enim cauſa ſit medium, & medium debeat ſubijci maiori extremo, prędicari de minori; altera propoſitio erit in primo, altera in ſecundo modo, quę intelligenda ſunt de demonſtratione *propterquid*, prędipuèque de potiſſima; non autem de demonſtratione *quia*, quę etiam procedit ex cauſis remotis, & non reciprocis, cum effectu, & ex ijs quę neque cauſa, nec effectus ſunt, nec unum ponitur in definitione alterius,

Tertius etiam modus, tanquam utilis recognoſcendus, quando propoſitio demonſtranda ſit de ſecundo adiacente, ſi tamen neceſſitatem induat requiſitam ad demonſtrationem; huiuſmodi autem neceſſitatem non repugnare in Metaphyſicis oſtendemus, etiam ut diſtinctam à neceſſitate reliquorum modorum dicendi per ſe.

Hanc præmiſſam aſſertionem apud Ariſtotelem de primo, & ſecundo modo expreſſam legimus.

Videtur hoc de quarto quoque docuiſſe non obſcurè, dicens, οὕτως ὡς ἐν ὑπάρχειν τοῖς κατηγορουμένοις. *Itaut* ipſa *inſint attributis*. His enim verbis, & ſecundum, & quartum modum dicendi per ſe ſignificare voluiſſe videtur. Quod etiam ex ijs, quæ alibi traditi licet apertè colligere, nempe quartum modum utilem eſſe &c.

SECTIO VIGESIMAQVARTA.

An, & quomodo demonſtrationis præmiſſæ de Vniuerſali *prædicato eſſe debeant.*

TErtiam atque poſtremam conditionem, quæ ſummum neceſſitatis gradum in principio complexo demonſtrationis conſtituit, Philoſophus contendit eſſe, ut propoſitio conſtet prædicato quidem uniuerſali, quod propterea definit dicens. Καθόλου δὲ λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καὶ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό. *Vniuerſale autem dico, quod & de omni ſit, & per ſe, & quatenus ipſum*. Itaque ex Ariſtotelis ſententia plures ſunt neceſſitatis gradus, adeo ut ſint inæquales, proindeque ratione ipſorum unum ſit magis neceſſarium, aliud verò minus, quandoquidem neceſſaria eſt propoſitio de omni, eſt adhuc magis neceſſaria propoſitio per ſe, ſed maximè omnium neceſſaria eſt propoſitio

Digitized by Google

positio constans prædicato uniuersali nuper ad Aristotele definito; hæc enim est propositionis conditio, sine qua reliquæ duæ conditiones contingentiam cum necessitate mixtam habent; ita fit ut in ipsis dici non possit esse summa necessitas absque uniuersali prædicatione; ut hæc propositio, *homo est animal*, est de omni, & est per se primo modo, sed non uniuersalis, sensu, quo hîc uniuersalis propositio dicitur. Requiritur igitur ad summam necessitatem ut prædicatum sit uniuersale, hoc est ut conueniat subiecto secundum quod ipsum; quomodo autem hoc intelligendum sit non leuis est dubitatio.

Primò quidam dixerunt huiusmodi prædicatum esse illud quod conuenit subiecto per essentialem connexionem, non solùm secundum rationem propriam, sed etiam communem, atque genericam, quo pacto substantia dici potest homini conuenire, secundum quod homo est, proindeque non requirunt, ut subiectum, & prædicatum inuicem reciprocentur, dummodo essentialem connexionem prædicatum habeat cum subiecto.

Secundò. Crediderunt alij prædicatum, de quo fit sermo, illud esse, quod subiecto conuenit secundum propriam, & specificam rationem, adeout cum ipso reciprocetur; & iuxta hunc dicendi modum, homini secundum quòd homo, conuenit rationale, discursiuum, risibile, & omne aliud prædicatum, quod æqualis sit ambitûs cum ipso.

Asserendum iuxta secundam sententiam proximè relatam ad prædicatum uniuersale sensu, quo hîc usurpatur, requiri, ut conueniat subiecto, ita ut cum ipso reciprocetur, ut est risibile respectu hominis, vel eius definitionis.

Hanc sententiam Aristoteli placuisse, non erit magni laboris ostendere, si diligenter expendamus conditionem expressam per illa verba, ἢ αὐτό. *Quatenus ipsum*, reperiemus enim illa significare prædicatum conuenire subiecto secundum propriam eius naturam ad eum modum ex: gra: quo risibile conuenit homini, cui certè conuenit quatenus homo est, ideſt secundum propriam hominis naturam, non sic autem sensus homini conuenit, nam is quidem omni homini inest, non tamen quatenus est homo, sed quatenus est animal, quia nimirum secundum animalis naturam existentem in homine, non tamen secundum naturam hominis propriam in homini inest; unde est ut hæc conditio terminorum paritatem, & reciprocationem exposcat. Quod autem ita subiecto conuenit, summâ necessitate conuenit, quam Aristoteles insinuauit dicens, φανερὸν ἄρα ὅτι ὅσα καθόλου, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασι. *Manifestum itaque, quòd quecunque sunt uniuersalia, ex necessitate rebus insunt*, quasi Philosophus ex præmissa uniuersalis descriptione inferat prædicatum uniuersale summâ necessitate subiecto inesse; nec immeritò, nam ex his tribus conditionibus propositionis, prima *de omni* aliquam necessitatem, secunda *per se* maiorem, tertia denique *quatenus ipsum* adhuc maiorem, atque adeo maximam importat. Summus hic autem gradus necessitatis in eo planè cõsistit, quòd prædicatum non modò sit necessarium subiecto, sed etiam subiectum sit necessarium prædicato; ita quidem risibile est necessarium homini, & viciſſim, homo necessarius est risibili, ut enim homo nequit esse siue risibili, ita nec risibile potest esse sine homine: non sic autem animal respectu hominis, nam animal est necessarium homini, adeo ut hæc propositio *homo est animal*, ut paulo antea dicebam, sit de omni, & per se primo modo; sed homo est animali contingens, cum sine homine animal esse possit, propterea tertia ista conditio contingentiam omnem expurgat, proindeque propositionem summè necessariam constituit, quatenus terminos omnes excludit, qui non reciprocantur, solosque reciprocabiles admittit, in quibus non ex parte unius extremi, sed utriusque nexus necessarius est. Vt autem clariùs declaret uniuersalis prædicati naturam, subdit, quod Interpretibus magnum negotij facessit, τὸ καθ' αὐτὸ δὲ, ᾗ ἢ αὐτὸ, τὸ ταὐτόν. *Per se autem, & quatenus ipsum, idem* sunt. Iniurià tamen se torquent Interpretes, cum satis apertè constet quid hisce verbis Aristoteles significare velit, nimirum esse per se, & esse uniuersale sic se habere, ut idem dici possint, non tamen reciprocè, ad eum modum, quo esse hominem, & esse animal dici possunt idem, ut enim eo ipso quòd aliquid est homo, est etiam animal, non contra: ita pariter eo ipso, quod aliquid inest alteri secundum quod ipsum, inest etiam per se, non tamen contra. Ex eius igitur sententia *quatenus ipsum* inuoluit *per se*, & *de omni*, non tamen viciſſim. Erat autem cur hoc declararet, quoniam superiùs docuerat, in quo consisteret *per se*, modò autem, explicat *quatenus ipsum*, quod cum *per se* connectitur, ob id oportebat explicare nexum, etsi non mutuum, inter *quatenus ipsum*, & *per se* quem in eo docet consistere, ut *per se* necessariò inuoluatur in *quatenus ipsum*, etsi non viciſſim, quam inclusionem significat dicendo, *per se & quatenus ipsum idem sunt*, quod statim exemplis illustrat, οἷον, καθ' αὐτὸ τῇ γραμμῇ ὑπάρχει γωνία, ἢ τὸ ἰσυτό, ᾗ γὰρ ἡ γραμμὴ τῷ τριγώνῳ ἢ τρίγωνον, δύο ὀρθαι. ᾗ γὰρ καθ' αὐτό. τὸ τρίγωνον δύο ὀρθῶν ἴσον. *Vt putà per se lineæ inest punctum, & rectum: quia* inest, *quâ linea* est; item *triangulo quâ* est *triangulum* insunt *duo recti: quoniam per se triangulum*, est *æquale duobus rectis;* hoc est anguli cuiusque trianguli sunt æquales duobus rectis, & hoc modo risibile inest homini, quia conuenit homini, quatenus homo est.

Modi, quibus erratur circa prædicatũ uniuersale

Ad magis introspiciendam uniuersalis prædicati naturam cum Aristotele præstat errores aduertere, in quos circa huiusmodi prædicatum quisque potest incurrere, nisi fuerit ijs præceptionibus instructus, quas ipse nobis exhibuit. Trifariam autem potest error contingere. *Primò*. Si aliquo existente uno tantùm indiuiduo alicuius speciei, putaret quispiam, quod est prædicatum per se, & uniuersale speciei, huic indiuiduo quatenus tale conuenire; ut si existimaret huic Lunæ, quatenus hæc Luna est, conuenire deliquium pati; hic enim deciperetur, quoniam alteri quoque conueniret Lunæ si daretur; idcirco prædicatum hoc non conuenit Lunæ, quatenus hæc Luna est, sed quatenus Luna in uniuersum, adeòut conueniat naturæ ipsius, quæ pluribus communicabilis est numero differentibus, non autem huic Lunæ, quæ est unum ex singularibus naturam illam participantibus. *Secundò*. Quando sunt plures species, quibus secundum communem rationem prædicatum conuenit, siquis, cum ea incognita sit, arbitraretur tale prædicatum illis conuenire secundum proprias peculiares rationes. Vt siquis existimaret moueri motu progressiuo perfectis animalibus conuenire, ut homini secundum rationem hominis, equo secundum rationem equi, &c. cum tamen ijs secundum communem rationem animalis perfecti conueniat, quæ supponitur ἀώνυμη, hoc est innominata. *Tertiò*. Si quod conuenit speciei, putaret aliquis conuenire generi. Vt si foret homo tantùm in hac uniuersalitate rerum, & arbitraretur ei conuenire esse rationale, quoniam animal foret, is procùl dubio erraret.

Regula pro euitãdis erroribus.

Ad hos autem errores euitandos hanc regulam nobis Philosophus præscribit, ut verum uniuersale prædicatum

dicatum cognoſcamus. In eo autem eſt conſtituta. *Quòd ſi poſitis omnibus, non ponatur tale prædicatum, & ablatis, non auferatur, ſignum euidens prædicatum illud ſubiecto ſecundum illas rationes minimè conuenire: ſed ſecundùm eam rationem prædicatum erit uniuerſale, ſecundùm quàm primò, & reciprocè ita conuenit, ut illâ ablatâ ab intrinſeco & per ſe auferatur tale prædicatum, & illâ poſitâ, ponatur.* Vt poſitâ ratione trianguli, ponitur habere tres angulos æqualns duobus rectis, & illa ablatâ, hoc etiam aufertur: ſic poſitâ rationalitate, ponitur riſibilitas, & illâ ablatâ, hæc etiam aufertur.

Prędicatū primum quid,

Cum hactenus tradita Philoſophus de propoſitionibus neceſſarijs docuiſſet, quales poſteà contendit demonſtrationis debere eſſe principia complexa, atque adeo determinaſset eas debere eſse de omni per ſe, & ſecundum quòd ipſum. Vlteriùs progrediens, non contentus à ſe traditâ uniuerſalis prædicati deſcriptione, magis declarat in concluſione, quid uniuerſale ſit prædicatum, ut poſtea ſuppoſito concluſionem demonſtrationis uniuerſalem eſse, luculenter oſtendat, principia quoque per ſe, & uniuerſalia eſse debere; rectè ſiquidem, ut ex neceſſitate principiorum intulit neceſſitatem concluſionis, ita deinceps à neceſſitate concluſionis per reſolutionem procedens oſtendit ſic eſse neceſſaria complexa principia, ut ſint per ſe, & quatenus ipſum. Eadem de concluſione demonſtrationis intelligenda decernit, dum affirmat ipſam conſtare debere prædicato uniuerſali; hoc enim ſatis erat affirmaſſe, propterea quòd, quando concluſio huiuſmodi prædicato conſtet, neceſſe eſt etiam ut ſit *per ſe*, atque *de omni*, proindeque ijs ſit conditionibus prædita, quas complexa demonſtrationis principia ſibi vendicare copioſè probatum à nobis fuit. Concluſio igitur demonſtrationis talis eſse debet, ut prædicatum ſubiecto conueniat quatenus ipſum, quâ occaſione uniuerſale iterum deſcribit, illudque Philoſophus expreſſit dicens. *Τὸ καθόλου δὲ ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐν τῷ τυχόντος καὶ πρώτου δείκνυται. Vniuerſale autem tunc eſt, quando in quolibet, & primò monſtretur.* Primò enim hiſce verbis ſi non aliam deſcriptionem uniuerſalis prædicati, ſaltem eandem alijs tamen verbis clarioribus ſignificatam affert, ut videlicet conditionem hanc in concluſione, liceat etiam nobis intelligere. Deſcriptionis autem intelligentia hæc eſt; *uniuerſale in concluſione tunc eſt, quando de illo ſubiecto demonſtratur, cui omni, & primò ineſt*; ubi ex tribus conditionibus in ſuperiori deſcriptione aſſignatis, nempe *de omni, per ſe, & quatenus ipſum*; in præſenti duas duntaxat commemorat, primam ſcilicet *de omni*, quam ſignificat, dum dicit *in quolibet*, tertiam, puta, *quatenus ipſum*, quam ſignificat, dum dicit *primò*; ſecundam autem *per ſe*, ſilentio praterit, contentus attuliſſe *primò*, quod cum ſignificet idem, ac *quatenus ipſum*, & hoc etiam neceſſariò inuoluat *per ſe*, ſatiùs erat dixiſſe *primò*, cum per hanc particulam inſinuetur etiam & *per ſe*. Prædicatum autem tunc alicui ſubiecto primò ineſt, quando nullum eſt interpoſitum ſubiectum medium, cui tanquam priori inſit. Quod Philoſophus exemplo declarat ſumens hanc affectionem à Geometra demonſtratam *tres angulos duobus rectis æquales*, eandemque cum tribus ſubiectis comparat, nimirum cum figura, & cum triangulo ſpecie figurę, & cum iſocele ſpecie trianguli; aitque reſpectu quidem figuræ prædictam affectionem non eſſe prædicatum uniuerſale, quoniam etſi de figura poſſit huiuſmodi affectio demonſtrari, non tamen de omni figura, quoniam non omni figurę conuenit, quin potius innumerę figurę ſunt, quibus hęc affectio non competit, ut de quadrato, de pentagono, de hexagono &c. perſpicuum eſt; & ideo Geometra de figura, tanquam de ſubiecto, non aſſumit hanc affectionem oſtendendam, quod explicat dicens, *οὐδὲ χρῆται τῷ τυχόντι σχήματι ὁ Μυνύς. Nec utitur quauis figura is, qui demonſtrat*: quadratum enim, inquit, eſt figura non tamen habet angulos æquales duobus rectis. Neque etiam reſpectu iſocelis, eſt prædicatum uniuerſale, propterea quòd, etſi de omni iſocele prædicetur, cum quodlibet iſocele triangulum tres habeat angulos æquales duobus rectis; non tamen prædicatur de ipſo, tanquam de ſubiecto primo, quoniam ſubiectum primum huiuſmodi affectionis non eſt triangulum iſocele, ſed triangulum ſimpliciter, & hoc ſubiectum eſt prius, quàm illud, quod explicat Philoſophus dicens, *τὸ δὲ ἰσοσκελὲς ἔχει μὲν τὸ τυχὸν δύο ὀρθὰς ἴσας, ἀλλ' οὐ πρῶτον· ἀλλὰ τὸ τρίγωνον πρότερον. Quodlibet verò iſoceles habet* angulos *æquales duobus rectis, ſed non primum cum triangulum prius* id habeat. Quoniam enim eadem affectio conuenit alijs triangulis ab iſocele ſpecie differentibus, videlicet æquilatero, & ſcaleno; propterea neceſſe eſt, ut alicui generi tria hæc ſubiecta complectenti priùs inſit, quam Iſoceli, huiuſmodi autem genus triangulum eſt, cum ſub hoc commemoratæ ſpecies contineantur; ob id triangulum erit ſubiectum, cui primò quidem affectio illa ineſt. Quamobrem Ariſtoteles, ut per conditionem *de omni*, excludit ſubiectum latiùs patens quàm prædicatum: ita per conditionem primò, ſubiectum minus latepatens, quàm prædicatum excludit; idcirco colligitur ipſum voluiſſe primum ſubiectum eſſe illud, quod eſt æquè latepatens ac prædicatum; tale igitur concludit eſſe prædicatum uniuerſale dicens, *ὃ τοίνυν τὸ τυχὸν πρῶτον δείκνυται δύο ὀρθὰς ἔχον, ἢ ὅτιοῦν ἄλλο. τούτῳ πρώτῳ ὑπάρχει καθόλου. Quod igitur omne & primum oſtenditur duos* angulos *rectos, aut quoduis aliud habere, huic primò ineſt uniuerſaliter*. Et ut exemplo ex naturalibus deſumpto, rem illuſtremus, riſibile homini primò ineſt, ſenſus autem non primò, quia animali priori, & per animal homini ineſt, & idcirco homini non quatenus eſt homo, ſed quatenus eſt animal ſenſus conuenit.

His autem præhabitis docet, concluſionem demonſtrationis uniuerſalem eſſe debere, hoc enim pacto dici poterit explicaſſe non modò ex quibus principijs, ſed etiam qualium concluſionum demonſtrationes eſſe debeant, hoc itaque de concluſione pronunciat, *καὶ ἡ ἀπόδειξις καθ' αὐτὸ τούτου καθόλου ἐστί. Ac demonſtratio per ſe eſt huius uniuerſalis*: concludit igitur demonſtrationem per ſe eſſe de ſubiecto, cui primò conuenit prædicatum; deinde ſubdit de ſubiecto, cui primò non conuenit prædicatum, quodammodo non eſſe demonſtrationem per ſe; ut hoc prædicatum puta *habere tres* angulos duobus rectis æquales, per ſe demonſtratur de triangulo *ut ſic*; de iſocele verò non per ſe demonſtratur, ſed quatenus ſub triangulo continetur.

Aduertendum autem prædicatum hoc loco dici primum, non primitate cauſæ, hoc eſt, quod non habeat cauſam, ad eum modum quo propoſitiones primas intelligi dicebamus; ſed primitate ſubiecti, hoc eſt, quod rei inſit non alio intermedio ſubiecto, quo pacto rationalitas, & riſibilitas ineſt homini; non autem ſenſibilitas, quæ prius ineſt animali, & per animal homini; non propterea tamen intelligendum excludi, quodcunque ſubiectum, de quo prædicatum prius dicatur: propterea quod riſibilitas de admiratiuo, & rationali, prius quàm de homine dicitur; & nihilominus reſpectu hominis prædicatum primum exiſtimatur; ſed intelligitur excludi ſubiectum, quod vel

1. Poſt. tex. 28.

Ibidem à tex. 44.

1. Poſt. tex. 37.

Ad

eſt

est diuersum, vel est communius, & uniuersalius, ut animal respectu hominis; unde est, ut non solùm prima differentia, sed etiam affectio propria sit prædicatum primum.

Difficultas tamen est, an genus proximum respectu singularum specierum primum prædicatum dici debeat. Ex una parte sunt, qui affirmant eo nomine, quòd genus proximum nullo intermedio de subiecti speciebus prædicatur. Alij autem negant, licet infirmis rationibus ducti.

Asserendum tamen cum hac secunda sententia, genus proximum respectu singularum specierum prædicatum primum non esse.

Hanc assertionem nos Philosophus docuit particula trigesima septima, quam paulo antea exposuimus. Et ratione quoque suadetur, si tamen concedatur prædicati primi nomine intelligendum esse id, quod æqualis est ambitûs cum subiecto, alioquin erit de nomine contentio; cum igitur genus etiam proximum hujsmodi non sit respectu singularium specierum, consequens idcirco fit, ut comparatione illarum primum prædicatum dici non possit.

Remanet explicandum num omnis demonstratio de prædicato uniuersali esse debeat; an scilicet, & quâ ratione præmissæ, simulque demonstrationis conclusio debeant esse de prædicato primo, & uniuersali. Hac de re non idem Philosophorum sensus.

Asserendum breuiter id omnino necessarium non esse requiri tamen ad illam demonstrationem, quæ perfecta, quæ potissima, quæque complexionem omnium numerorum habet.

Assertionis utranque partem ad aures Aristotelis esse, nemo ibit inficias, ut opinor, si præ oculis habuerit particulam trigesimam septimam primi Posteriorum, nuper à nobis explicatam, nam ad calcem ipsius de subiecto docet perfectè demonstrari prædicatum illud, quod subiecto conuenit omni, & primò, vel cui conuenit quatenus ipsum, de alijs autem quibus non ita conuenit, non per se, sed quodammodo demonstrari, ubi *per se* significat *primariò*; at verò *quodammodo*, & *non per se* significat *secundariò*; & *per aliud*. Ita quidem habere tres angulos æquales duobus rectis *primariò*, de triangulo demonstratur, de speciebus autem trianguli non nisi *secundariò*; immò non amplius hoc idem de speciebus demonstratur, cum satis per unicam demonstrationem de triangulo scientiam assequamur de speciebus ipsius, quâ talem affectionem ijs conuenire cognoscimus; qui nanque in uniuersum nouit triangulum sibi talem affectionem vendicare, nouit etiam illud idem de speciebus omnibus trianguli, ut propterea non sit opus de ipsis alias demonstrationes instituere. Hinc unius affectionis in scientijs, una tantùm est demonstratio; non igitur negat Aristoteles demonstrationem illam, quâ ostendimus prædicatum, quod minus late patet, quàm subiectum; sed solum contendit illud non demonstrari *primariò*, non negat autem *secundariò*, eâ ratione ductus, quia dum demonstratur de subiecto primo, consequenter intelligitur de alijs quoque demonstratum. Cæterum huiusmodi demonstrationibus plerunq; debemus esse contenti, quod alibi etiam hoc idem ab ipso traditum esse comperio, ubi docet demonstrationem, quæ est de prædicato primo, & quatenus ipsum præferendam particulari, hoc nomine intelligendo demonstrationem illam, quæ est de prædicato non conuertibili cum subiecto; mox prælationis causam reddit, quoniam, inquit, uniuersalis perfectior est particulari eo, quòd per uniuersalem scimus id, quod per particularem, non autem contra; ut si per demonstrationem cognoscam triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quæ est demonstratio uniuersalis, quippeque est de prædicato secundum qnod ipsum, cognosco etiam isoceli talem affectionem deberi, quod per demonstrationem particularem cognoscerem.

Assertionis prima pars ex eo mihi redditur explorata, quoniam non repugnat certam, & euidentem ratiocinationem instituì, quâ probetur de subiecto aliquod prædicatum eodem subiecto communius: ut si quis argueret; omne viuens est potens generare sibi simile in natura; sed omnis homo est viuens; ergo omnis homo est potens generare sibi simile in natura. At hæc argumentatio non videtur ad aliud genus spectare, quàm demonstrationis; procedit enim per causam quidem adæquatam & conuertibilem cum effectu, quanuis neq; causa demonstrans, nec affectus, siue affectio demonstrata cum subiecto reciprocetur; unde maior propositio, in qua affectio de causa prædicatur est de prædicato primo, & conuertibili, omne siquidem viuens est potens sibi generare simile in natura, & vicissim, omne potens generare sibi simile in natura est viuens; minor autem non est de prædicato conuertibili, licet enim omnis homo sit viuens, non tamen omne viuens est homo. Cum igitur in uniuersum talis institui ratiocinatio possit, quæ vel demonstratio *quia*, vel *propterquid* dici mereatur; fatendum erit simpliciter necessarium non esse, ut præmissæ simul cum conclusione demonstrationis, debeant esse de prædicato primo, & uniuersali; non inficiandum tamen alteram saltem præmissarum talem esse debere, ut demonstrationis nomine possit appellari, dummodo altera præmissarum, & conclusio, propositiones sint euidentes, certæ, ac necessariæ. Quod dicebam de prædicato, quando est subiecto communius, intellige etiam quando subiectum sit communius prædicato; immò frequentiùs accidit hoc demonstrationis genus, cùm in Mathematicis disciplinis non rarò usu venire solet, hoc enim est illud Theorematum genus, quæ dici consueuerunt non tractata secundum suam uniuersalitatem, quando nimirum aliquam affectionem de subiecto demonstramus, quæ minus latè patet, quàm subiectum ipsum; ut constat de quadragesima septima primi Elementorum, ut alia terè innumera exempla silentio præteream; in ea siquidem ostenditur affectio de triangulo rectangulo, qualis nuper dicebatur; nam rectangulum triangulum est subiectum, affectio autem est, quod quadratum lateris subtendentis angulùm rectum, æquale sit quadratis simul acceptis laterum circa rectum; sed hæc affectio minus late patet, quàm triangulum rectangulum, propterea quòd non solùm vera est propositio de quadratis, sed etiam de omnibus figuris similibus, similiterque positis, ut Geometræ notum est. Prima assertionis pars. Ratione probatur.

Assertionis altera pars non minus clara est, quia demonstratio perfectissima facit nos perfectissimo modo scire, ad quod requiritur summa necessitas, quæ non habetur nisi propositio constet terminis conuertibilibus, eò quòd magis necessaria est propositio, in qua prædicatum dicitur de subiecto adæquato, quàm illa, quæ contrario modo se habet; quando nanque subiectum, & affectio sunt æqualis ambitus, sic affectio de subiecto dicitur, ut de alio dici non possit; alioquin non est affectioni necessarium, ut de tali dicatur subiecto, cum de speciebus alijs dici possit, & accidat illi, ut de hac, vel illa specie sigillatim dicatur. Secunda pars ratione probatur.

Propositiones necessarias omnibus necessitatis gradibus ex Aristotele paucis explicuimus; his enim cum usque Tractationis continuatio.

usque ad vigesimam octauam particulam explicasset principiorum conditiones, quæ ad animum pertinent, inde usque ad trigesimam octauam considerat illas, quę ad rem spectant, quod scilicet principia sint vera, immediata, & causæ conclusionis, quod ipse exequutus est, non declarans, sed docens ubi nam huiusmodi propositiones inueniamus, quæ necessariæ dicuntur; itaque explicuit conditiones, quæ summam in propositionibus necessitatem efficiunt; cum autem tractatio tribus videatur constare partibus, in quarum prima incipiente à particula vigesima octaua docuit significationem harum trium vocum *de omni, per se, & uniuersale*, quæ maximam in propositiones necessitatem inducunt, in altera, quæ incipit à particula trigesima octaua nos admonuit, ne in quosdam incideremus errores circa prædicatum uniuersale, in tertia tandem, quæ incipit à contextu quadragesimo quarto, probat in principijs demonstrationis summam hanc necessitatem inuenirí. His explicatis proximum est ut paucis complectamur, quæ Philosophus tradidit in tertia huius tractationis parte de principijs. A cõtextu igitur quadragesimo quarto usque ad quinquagesimum quartum hæc habet; Primò syllogismo quodam concludit omnia quæ per se insunt, necessaria esse. Secundò quatuor rationibus hanc probat consecutionem. Conclusio est necessaria; ergo principia sunt necessaria. Tertiò quoddam dubium remouet. Quartò alteram illationem declarat, quâ inferebat principia demonstrationis esse per se.

1. Post. text. 44.

Ad primum quod attinet, prosequitur probationem à se factam in particula vigesima octaua, & ideo ut cum illa partem hanc coniungat, ibi factum enthymema repetit deinde syllogismum adijciens, quo propositum colligit; enthimema erat huiusmodi. Conclusio quæ per demonstrationem scitur est necessaria; ergo demonstratio ex principijs necessarijs constat, ex huiusmodi autem consequente tanquam minori propositione, & maiori adiecta videlicet, *ea qnæ sunt per se, sunt necessaria*, conficit syllogismum, quo demonstrat principia esse per se hunc in modum; ea quæ sunt per se, sunt necessaria; sed principia sunt necessaria; ergo principia sunt per se, minorem propositionem inductione probat hoc modo. Illa quæ insunt per se, vel sunt de definitione subiectorum, vel contra subiecta sunt de ipsorum definitione; sed hæc, & illa necessariò subiectis insunt; nullus enim magis potest esse necessarius nexus, quàm inter definitionis partes; ergo omnia, quæ insunt per se, necessaria sunt.

Nec propterea Aristoteles paralogizat utens argumento, ex duabus affirmatiuis in secunda figura; maior enim propositio simpliciter conuerti potest dicendo, *quæ necessaria sunt, insunt per se*, ut fiat argumentum in primo modo primæ figuræ hoc pacto, omne necessarium est per se; sed omnia principia sunt necessaria; ergo omnia principia sunt per se; nec etiam aliquid negotij facessit, quòd geminum modum tantùm dicendi per se Philosophus enumeraverit; nam duo tantùm primi modi sunt habentes prædicatum, quod subiecto inest.

Ibidem Text. 45.

Deinde assumit vim illius consecutionis ostendendam, nempe conclusio est necessaria; ergo principia sunt necessaria; id autem quatuor rationibus præstat; quarum prima hæc est. Demonstratio est argumentum necessarium, nam omnes demonstrationis nomine tale quidpiam intelligunt, & quod demonstratum est, existimant non posse aliter se habere; ergo etiam principia necessaria sunt. Sed quia posset quispia suspicari hanc necessitatem ad syllogismi formam referri, ob id subdit necessitatem hanc esse materiæ. Secundò probat idem à signo, quoniam ostendere volentes quemdam non demonstrasse, ferimus instantiam aduersus ipsum dicentes eum non sumpsisse aliquam propositionem necessariam.

Dum pergit infert corollarium quoddam sumptâ occisione reprehendendi quosdam dicentes satis esse ad scientiam pariendam demonstrationis principia esse probabilia; exempli autem loco quandam Sophistarum demonstrationem affert, quâ demonstrare nitebantur eum, qui callet aliquam scientiam, nosse debere quid ipsa sit; erat autem argumentatio talis. Habere scientiam est nosse quid ipsa sit; sed scire est scientiam habere; ergo scire est nosse quid scientia sit; huius syllogismi minor vera est & necessaria, maior autem tantummodo probabilis, aliud enim est cognitio rei, & aliud eiusdem possessio; quamobrem syllogismus ille non est demonstratio, propterea quòd maiorem habet non necessariam. Subdit non omne probabile esse demonstrationis principium, sed illud, quod in subiecto scientiæ primum omnium inest; & quoniam hoc subiectum primum est etiam illius subiecti proprium addit, non satis esse si principia sint verà, quia non omne verum est proprium, principia autem demonstrationis debent esse propria, idcirco sequitur, ut sint etiam summè necessaria, si nanque sumatur medium proprium subiecti, de quo demonstratur, termini demonstrationis reciprocabiles erunt, & subiectum prædicato & prædicatum subiecto necessarium erit, quæ propositionis est summa necessitas; demonstrationis ergo principia sumenda sunt propria, summèque necessaria.

Tertia ratio hæc est desumpta à scientiæ definitione, atque demonstrationis fine. Ille qui non cognoscit rem per causam propter quam est, illius scientiam non habet; at qui conclusionem necessariam cognoscit per medium non necessarium, non cognoscit eam per causam propter quam est; ergo eius scientiam non habet; ergo syllogismus, quo ille utitur demonstratio non est. Probat autem, principiorum necessitatem per necessitatem medii cum eadem sit de medio, ac de principijs ratio, principia nanque complexa à medio principij rationem obtinent.

Quarta ratio est ad impossibile ducens, in cuius gratiam tria primò statuit esse in cuiuslibet rei scientia, quibus saluis manentibus, scientia aboleri non potest, cuiusmodi sunt *sciens, res scita, & ratio propter quam sciens scit*, quanuis primum in duo diuidi possit, quoniam sciens duobus modis videtur tolli, primò si pereat, secundò si obliuiscatur. His positis hunc in modum Philosophus argumentatur. Dicis scientiam conclusionis per medium haberi non necessarium; ponamus hoc medium non esse, tunc conclusio manebit, eò quòd necessaria sit, non tamen scietur, quoniam medium non est amplius; ergo admittitur scientia nullo eorum trium sublato. Hinc planè colligitur quod si post medij corruptionem ille nescit, etiam ante corruptionem medij ille nesciebat per tale medium. Vnde est ad extremum, quòd scientia conclusionis necessariæ per medium non necessarium haberi nequeat.

Nec Aristotelem inconstantię redarguas, eo nomine quòd sumat destrui medium, & illa tria salua manere, quod contingere videtur non posse, quoniam corruptio medij sit corruptio rationis; non enim ratio, & medium hoc loco sunt idem, propterea quòd in præsentia ratio sumitur pro syllogismo existente in anima; medium autem pro re ipsâ extra animam existente.

Soluit dubitationem unde illa consecutio minus reddi-

redditur valida: dubitatio est, nam antea Philosophus docuit conclusionem necessariam colligi posse ex propositionibus non necessarijs; hic autem dicit si necessaria sit conclusio, propositiones demonstrationis quoque necessarias esse. Veritatem tribus dictis explicat, quorum primum ad dubij tantummodo solutionem pertinet, reliqua duo ad euitandum errorem, in quem poteramus incidere, ponuntur. Primum dictum tale est. Si demonstratio spectetur, ut syllogismus, fieri potest, ut conclusio necessaria ex non necessarijs propositionibus colligatur; sed quoniam possumus in errorem incidere, quòd ut ex propositionibus non necessarijs colligi potest necessaria conclusio; ita ex propositionibus necessarijs conclusio non necessaria; propterea duo alia adijcit dicta, ut nos doceat quo pacto ratione formæ se habeat clusio ad propositiones, & propositiones ad conclusionem in prædicationis necessitate. Secundum igitur dictum est huiusmodi; quando propositiones sunt necessariæ, conclusio quoque necessaria est, quandoquidem propositionibus existentibus necessarijs, si dicamus conclusionem posse non esse necessariam, perinde foret, ac si diceremus ex veris posse colligi falsum; proindeque forma syllogistica nullius esset momenti. Ita ex propositionibus necessarijs colligitur necessaria conclusio non modo ratione illationis, sed etiam ratione materiæ, quod exemplo declarat hoc modo. Si B, est necessariò A & C, est necessariò B, etiam C, erit necessariò A. Tertium dictum. Si conclusio sit non necessaria, propositiones necessariæ esse non possunt; hoc autem ratione ducente ad impossibile ex secundo dicto demonstrat ad eum, qui sequitur modum. Statuatur conclusio C, est A, non necessaria; si dicamus propositiones, ex quibus talis colligitur conclusio esse necessarias, sequitur has duas propositiones B, necessariò est A, & C, necessariò est B, ex his autem duobus propositionibus per secundum dictum sequitur C, necessariò esse A, contra suppositum, quare necessarium est, & non necessarium, quod repugnat.

Ter. Tametsi autem necessaria conclusio ex non necessarijs propositionibus colligi possit ratione formæ, non tamen ratione finis, itaut conclusionem sciamus: quoniam autem demonstrans necessariam conclusionem per non necessarium medium vel potest existimare medium esse necessarium, quanuis non scit, vel fieri potest ut nouerit non esse necessarium; subdit Aristoteles utrouis modo id esse dicatur, eum non habere scientiam, propterea quòd si putat esse necessarium, habet opinionem non scientiam; quod si nouerit non esse necessarium, tunc nec opinionem scientiæ habebit, tanta siquidem est vis nostræ suspicionis, ut, quantumuis per medium necessarium demonstremus, suspiciemus tamen non esse necessarium, non habeamus scientiam; ad habendam igitur scientiam conclusionis non sat est principia esse necessaria, sed etiam ut necessaria cognosci debent.

d. Ter. Docet ex scientiæ definitione colligi demonstrationis conclusionem cognosci necessariam propter principiorum cognitionem euenire, unde est ut principiorum necessitas minor necessitate conclusionis esse non possit, sed vel maior, vel saltem æqualis esse debeat; atque adeo fit ut ex necessitate conclusionis, quanta sit principiorum necessitas nobis innotescat. Ex eo autem quòd conclusio demonstrationis sit necessaria, colligit eorum accidentium, quæ per se non insunt, non esse demonstrationem, quod sic ostendit. Si de huiusmodi accidentibus daretur demonstratio, sequeretur conclusionem non esse necessariam; hoc tamen falsum, cum iam ostensum sit conclusionem debere necessariam esse; de huiusmodi igitur accidentibus nequit esse demonstratio; probat illationem per definitionem accidentis; accidens enim est, quod potest eidem inesse, & non inesse; ergo haud necessariò inest; si itaque in conclusione demonstrationis hæc accidentia locum haberent, atque adeo de ipsis daretur demonstratio, conclusio necessaria non esset, hoc autem Philosophus protestatur se de communibus accidentibus protulisse, cum alioquin accidentia propria, & per se necessariò insint. Neque perturbet, quòd Dialecticus de communibus accidentibus disputet, non enim id frustra facit, quanuis necessaria non sint, quoniam ille formæ necessitatem, non autem materiæ quærit, cum tamen hic de materiæ necessitate sit sermo. Ibid. Tex. 53.

Absoluens tractationem de principiorum necessitate, concludit ea tantum ingredi demonstrationem, quæ per se sunt, quoniam hæc sola sunt necessaria, & propterea talium conclusionum ex huiusmodi principijs demonstrationem esse debere, & ita disputat. Omnia quæ in subiecto scientiæ insunt per se, & quatenus ipsum, ex necessitate insunt; sed conclusio, atque demonstrationis principia sunt necessaria; ergo demonstrationes habent conclusiones, & principia per se. Nec te commoueat, quòd syllogismus videatur ex duabus affirmatiuis in secunda figura constare, cum enim simpliciter conuerti possint, nihil prohibet quominus ad primam figuram syllogismus reuocetur. Ibid. Tex. 54.

Se conuertit Philosophus ad principiorum affectiones, præsertim ad illam, quòd principia sint propria; de his nos supra copiosè disputauimus, non est ob id cur in horum tractatione immoremur. Tex. 55. usq; ad 62.

Docet ex dictis constare, videlicet de singularibus & corruptibilibus non dari scientiam, & ita ratiocinatur. Omnia demonstrationis principia sunt uniuersalia; sed ex uniuersalibus principijs infertur uniuersalis conclusio; ergo omnis demonstrationis conclusio, est uniuersalis, atque adeo perpetua, quoniam uniuersalitas, & perpetuitas, se mutuo consequuntur: Hinc deducit intentum, nempe de caducis non dari demonstrationem, aut scientiam simpliciter dictam, sed impropriè tantum & per accidens, quanuis dum de uniuersali fit demonstratio, secundariò de singularibus demonstratio fiat. Deinde Platonis ideas improbat, cum enim Aristoteles ostenderit demonstrationem non esse de coruptibilibus, & singularibus, sed de uniuersalibus tantum, in præsentia demonstrat inualidum esse Platonis argumentum, quo ex hoc nitebatur idæarum necessitatem ostendere; Platonis enim argumentum tale erat si non darentur ideæ, omnis scientia de medio tolleretur, nullaque demonstratio subsisteret; at scientiam, atque demonstrationem dari, cuique fatendum; ergo etiam idæas dari concedere oportebit; maiorem ostendebat ex eo quia omnia indiuidua caduca sunt, quæ proinde sub scientiam non cadunt nisi dentur igitur ideæ extra indiuidua, de quibus habeatur scientia, nulla scientia, nullaque demonstratio erit; positis autem idæis scientia dari potest, quoniam hæ sunt æternæ, & ab omni mortalitatis contagione, remota. Tex. 63. usq; ad 64.

Hoc loco notarunt interpretes uniuersale tripliciter sumi, nã aliud est uniuersale in multis: aliud post multa, aliud ante multa. Primum est communis natura, quę in multis existit inferioribus, ut humana natura in multis hominibus singularibus: secundum est quod ex inferioribus colligimus, & est eadem natura quatenus abstracta per intellectum à differentijs contrahentibus: tertium, est idea, quam Plato adstruebat, quæ

quidem omnium indiuiduorum generationem præcessit. Docet Philosophus igitur malè argumentatum fuisse Platonem dicendo, non datur demonstratio de singularibus corruptibilibus, sed de uniuersalibus, & æternis; ergo dantur ideæ; mala enim est consecutio, propterea neganda; negationis autem ratio in eo posita, quoniam satis superque, si detur uniuersale in multis, nempe communis natura, quæ æterna est. Immò Philosophus callidè retorquet argumentum aduersus Platonē, ostendens potiùs illo probari uniuersale in multis, quàm ante multa, sic enim licet arguere. Nos ad uniuersale confugimus, ut de singularibus scientiam habeamus; ergo uniuersale, de quo loquimur, debet idem esse cum singularibus, ut de his scientiam habere valeamus: at idea non est idem cum singularibus, cum sit separata ab illis, natura verò communis, est idem cum singularibus, eòquòd sit in illis; eo igitur potius argumento probatur, uniuersale in multis, quàm ante multa.

Ibid. Tex. 64. Docet definitionem non esse rerum corruptibilium, sic arguendo. Demonstratio corruptibilium non est; ergo nec definitio: illationem probat hoc modo; omnis definitio vel est demonstrationis principium, vel eius conclusio, vel integra demonstratio solâ terminorum positione, situque à demonstratione differens; ergo si demonstratio non est de corruptibilibus, nec etiam definitio. Valdè controuersum est, quid Aristoteles intelligat per definitionem, quæ dicitur demonstratio terminorum positione differens, quid per illam, quæ dicitur conclusio, & quid per aliam, quæ dicitur medium, de quibus posteà etiam redibit sermo. E quorundam sententia definitio, quæ est demonstrationis conclusio, est definitio affectionis tradita per materiam, ut *ira est accensio sanguinis circa cor*, quæ autem dicitur demonstrationis principium est tradita per formam, seu finem, ut *ira est appetitus vindictæ*; illa demum, quæ dicitur demonstratio solâ differens positione terminorum est ex his duabus conflata, ut *ira est accensio sanguinis circa cor, ob appetitum vindictæ*. Alijs placet definitionem perfectā tribus constare partibus genere, subiecto, & causa, ut *tonitru est sonus in nube propter extinctionem ignis*, quam dicunt ab Aristotele vocari demonstrationem solo terminorum situ differentem, eò quòd ex tribus terminis etiam demonstratio constet, siquidem genus ponitur in maiori, subiectum in minori, causa in medio. Addunt, si hanc definitionem perfectam in duas partiamur, scilicet in traditam per solam causam, ut tonitru est extinctio ignis, alteram per genus & subiectum siue causam, ut tonitru est sonus in nube; hęc demonstrationis conclusio vocatur, quoniam ex his duobus terminis conclusio constat, videlicet nube, & sono, siquidem dicimus ergo in nube est sonus; illa verò est demonstrationis principium scilicet medium, ad quod definitionis genus reuocatur etiam subiecti definitio; nam hæc demonstrationis medium est, præsertim quatenus est affectionis causa. Propterea affectionis definitio tradita per solam causam, quæcunque illa sit, dicitur causalis definitio, sitque demonstrationis medium. Hic secundus dicendi modus plausibilior est, quem propterea nos in sequentibus etiam amplectemur.

Ibid. Tex. 65. Soluit dubitationem ortam ex antea dictis; docuerat enim demonstrationem non esse, nisi de rebus perpetuis, cum tamen sæpè fiant plures demonstrationes de rebus, quæ non semper permanent, & de ijsdem habeatur scientia per causam, ut de eclipsi Lunæ perspicuum est. Dubitationem soluit dicendo scientiam de huiusmodi accidentibus dari non quatenus illa contingentia sunt, nempe ut modo sint, & modo non sint, ut se habent si sumantur ut singularia, sed de ipsis prout semper sunt si accipiantur secundum essentiam, & ut uniuersalia, hoc enim pacto ratione causæ perpetua dicuntur.

Docet non esse utendum principijs communibus, Ibid. hoc est illis, quæ pluribus disciplinis accommodari 66. u possunt, cum iam docuisset utendum non esse principijs alienis. Sed de utriusque generis principijs vitandis iam suo loco abundè disputauimus.

Primò, docet quid sit principium, & quotuplex; Ibid. secundò, exactius principiorum differentias exponit; Tex. tertiò, de duobus communissimis principijs, ac dignitatibus sermonem habet. usq;

Primò itaque declarat quid sit principium, totiusque scientiæ diuisionem instituit, ait enim quicquid in scientia aliqua considerandum assumitur, vel esse principium, vel quæsitum, quæ in hoc conueniunt, ut ambo prægnoscantur præcognitione *quid nominis*, discriminantur inuicem, nam de principijs præcognoscitur etiam *quòd sint*, de quæsitis autem nequaquam, ubi principiorum nomine subiectum etiam complectitur; principium itaque definit dicendo esse id, quod in scientia præcognoscitur, tam præcognitione *quid nominis*, quàm *quòd sit*.

Diuidit principia in propria, & communia; sed quoniam docuerat omnia principia debere esse propria, statim admonet, ea, quæ communia dicuntur, esse communia non uniuocè, sed proportione, itaut scientiæ illis non utantur, nisi ad proprium subiectum contractis; sed de his suo loco disputatum fuit.

Principia propria diuidit in definitionem, & suppositionem. Definitio est, quæ dicit quid res sit; Suppositio est, quæ dicit rem esse, unde colligit quotad summum sint ea in quibus quælibet contemplatiua scientia versatur, ut innueret nihil à se prætermissum fuisse; cum enim particula septuagesima tertia docuisset duo numero tantùm esse ea quæ sub considerationem cuiuslibet subiecti cadunt, videlicet principia, & quæsita, postea verò principiorum diuisionem fecisset, in communia, & propria, nunc ad extremum colligit tria numero esse, in quibus omnis demonstratiua scientia est occupata. Horum primum ait esse subiectum, cuius affectiones scientia contemplatur, nam subiecti munus est affectionibus, quæ de ipso demonstrantur, subsstare, esseque totius scientię fundamentum, ubi subiecti nomine propria intelligit principia, nempe suppositiones, ac definitiones; alterum autem, in quo scientia versatur, sunt principia communia, quorum officium est, ut ex ipsis, tanquam ex principijs primis, hoc est immediatis affectiones demonstrentur, itaque quicquid non est ipsum subiectum, & ex eo tanquam primo, & indemonstrabili demonstrantur accidentia, id non est nisi dignitas. Tertium, sunt ipsæmet affectiones, quæ præcognoscuntur præcognitione *quid significent*, sed non *quod sint*, earum officium est in scientia demonstrari de subiecto. Si quis autem dubitet eò quòd sæpe sæpius in scientijs subiectum esse non supponitur, nec explicatur quid significet, aut subiectum, aut affectio. Respondet hæc plerunque despici tanquam nota, adeo ut si non explicitè, saltem implicitè dici possint prægnosci. Deinde pergit, & tradit ea de principijs quæ supra nostra contemplatione sumus persecuti; & primò assignat differentia inter dignitatem & suppositionem &c. itemque communissimarum dignitatum usum explicat, de quibus non multo antea disputauimus. lib. 1 Tex. 85. usq; ad 91.

Distinguens dialecticum à demonstrante docuit Dia-

Dialecticum interrogare, demonstrantem autem non item; propterea suspicari quispiam posset nullam apud demonstrantes in usu esse interrogationem, idcirco docet demonstrantem suas habere interrogationes; non tamen eodem modo ac dialecticum. Et primò ostendit dari interrogationes scientiales, ac de his regulas tradit. Secundò nonnullas quæstiones proponit. Tertiò quibusdam tacitis obiectionibus occurrit. Supponendum in eo conuenire dialecticam, & demonstratiuam interrogationem, quòd utraque est de principijs vel conclusionibus, quibus ut prædemonstratis utimur ad aliarum conclusionum demonstrationem, de ipsis tamen adhuc interrogatio est ut de principijs; semper enim interrogatio fit de propositionibus notis, ut discipulus annuendo respondeat; notæ autem sunt si vel prima principia, vel conclusiones prædemonstratæ sint; & idem esse demonstratiuam interrogationem, ac demonstratiuam propositionem solùmque prolationis modo differre. Quo posito, docet in qualibet scientia dari scientiales interrogationes, cum idem sit interrogatio syllogistica & propositio contradictionis, ideſt propositio, quæ est altera contradictionis pars, ad differentiam interrogationis dialecticæ, quæ cum sit integra contradictio, non est syllogistica, Dialecticus enim, etsi ad ratiocinandum alteram tantùm contradictionis partem accipiat, reliquâ dimissâ; ipsa tamen interrogatio, ut ab eo prolata partem utranque simul continet, unde est ut interrogatio syllogistica dici non possit; sed in qualibet scientia dantur propriæ propositiones ex quibus fiunt propriæ demonstrationes; ergo, & propriæ interrogationes; hæ porrò sunt illæ, ex quibus demonstrantur conclusiones in scientia, vel saltem conclusiones ex ijsdem principijs deductę, cuiusmodi sunt conclusiones scientiæ subalternatæ. Si quæras, an liceat rationem afferre eorum, de quibus interrogamus, quando interrogatus non assentitur; respondet si ratio eius, de quo interrogamus, afferri potest ex principijs scientiæ, vel etiam ex conclusionibus prædemonstratis, tunc ea adducenda est; at si id de quo fit interrogatio fuerit primum principium in particulari scientia, puta Geometria, nullam eius rationem potest afferre Geometra, etsi quatenus indutus habitu metaphysico, possit. Deinde colligit regulas pro interrogationibus scientialibus, & primò docet non omnem interrogationem in qualibet scientia faciendam esse, nec ad omnem interrogationem esse respondendum, sed & interrogationem, & responsionem propriam esse debere illius scientiæ, nec esse disputandum de Geometria in rebus non geometricis, hoc est ex propositionibus non geometricis non esse concludendam conclusionem geometricam. Max excitat quasdam quæstiones, & soluit, & obiectioni cuidam occurrit, quâ occasione aliud assignat discrimen inter scientias contemplatrices, & Dialecticam, quibus de rebus in nostris Institutionibus abundè satis egimus.

Affert discrimen inter scire *quia*, & *propterquid*, & in hoc totus est occupatus, quæ nos copiosè hac de re disputantes tractauimus, & iterum in sequentibus verba facturi sumus. Tex. 95. usque ad 103.

DISSERTATIO XXIIX.

De Demonstrationis forma: de demonstratione circulari &c. disputatur: Demonstrationes itidem, & Scientiæ inter se conferuntur, & alia tractantur ad hanc materiam spectantia.

Materiâ demonstrationis hucusque consideratâ, reliquum est, ut ad eiusdem formam nostra declinet oratio; nam de forma, figura, modoque demonstrationis cura non in postremis habenda, cum non parui referat hæc diligenter introspexisse; Neque superuacanea hæc, de qua loquimur, consideratio; nam quanuis de forma demonstrationis in prioribus Analyticis disputatum fuerit; aliquid tamen discriminis est inter illam, & præsentem considerationem, quoniam illa tractatio est de forma syllogistica absolutè quidem inspectâ, quæ non ideò dicitur demonstrationis forma, quoniam eius sit propria, sed quia præsertim demonstrationis gratia suscipitur consideranda; at verò præsens tractatio est de ipsa demonstrationis forma, quæ demonstrationis naturam consequitur. Nec minoris momenti est quid interfit inter Circularem demonstrationem, & Regressum probè cognouisse &c. Collatio etiam inter demonstrationes, & scientias est commoditate laudabilis; propterea de his & alijs ad hanc materiam spectantibus, hoc loco disserere peropportunum duximus; ideo sit. Tractationis ordo.

SECTIO PRIMA.

De forma, figura, & modo demonstrationis.

SYllogismi forma in duobus, nimirum figura, & modo positam esse iam dudum In institutionibus explicuimus. *Figura est apta dispositio, & collocatio extremorum cum medio. Modus est apta propositionum dispositio*; cum igitur superiùs de terminis, & propositionibus, quæ sunt materia demonstrationis, copiosè disputatum fuerit; proximum est, ut dispositionem, quæ est eiusdem demonstrationis forma, nostra contemplatione persequamur. Hac de re Philosophus sermonem instituit, quid autem ipse sentiat, paucis iuvabit aperire.

Asserendum primò, ex omnibus figuris, primam ad demonstrationem atque scientiam esse quammaximè accommodatam. Assertio; quòd omnium figurarum prima sit aptissima. 1. Post. Tex 103.

Hanc veritatem splendidè Philosophus expressit, quandoquidem de figura demonstrationis loquens hæc habet, *τῶν δὲ σχημάτων ἐπιστημονικὸν μάλιστα τὸ πρῶτόν ἐστιν*. *Ex figuris autem prima est ad scientiam aptissima*. Propositionem hanc Philosophus, nimirum primam figuram, hoc est eius primum modum, qui dicitur Bar- Prima ratio ex Aristotele desumpta,

Barbara, maximè omnium ad scientiam pariendam, accommodatum esse quatuor argumentis suadere conatur, quorum primum ex omnium, quæ utuntur demonstrationibus *propter quid*, scientiarum testimonio desumit. Arithmetica siquidem, & Geometria, & Perspectiua, & quælibet aliarum scientiarum utentium demonstrationibus *propterquid*, commemoratam figuram frequentant in demonstrando; ergo hujusmodi figura est omnium maximè accommodata ad scientiam pariendam. Aristotelis igitur sententia, hæc est, quòd quanuis alia ex alijs figuris, possit scientiam parere, quæ tamen perfectam scientiam pariat, sola est prima figura, & præsertim primus modus eiusdem, qui dicitur *Barbara*, utitur autem enthymemate superiùs allato, præmissâ conclusione primò intentâ, nimirum hanc de qua loquimur figuram esse maximè scientialem; cum autem usus sit enthymemate, antecedentis rationem adducit, in eo consistentem, quòd aut omnino, aut plerunque, & in plerisque scientijs, per hanc figuram efficitur syllogismus docens *propter quid*.

Prima ratio ex Aristotele ad assertionẽ probandã.

Ratio igitur in ordine prima, quam Philosophus adhibet ad probandum, quod sibi demonstrandum assumpsit, hæc est, Arithmetica, Geometria, & Perspectiua, & quælibet aliarum scientiarum, cuiusmodi sunt contemplatiuæ in demonstrando, potissimùm primâ utuntur figura; hæc igitur figura, maximè ad scientiam pariendam accommodata est. Rationem antecedentis, cur scilicet omnes scientiæ hâc utantur figurâ, in eo positam esse docet, quoniam huiusmodi disciplinæ eâ debent figurâ uti, per quam, aut semper, aut frequentissimè proprium finem, scilicet *propterquid* veritatis, consequuntur; talis autem est prima figura; proinde primâ figurâ commemoratæ disciplinæ uti debent.

Primus probationis modus

Assumptio ex eo constat, apud aliquos, quoniam causa quatenus huiusmodi respicit effectum, cum quo prædicationem facere non potest, nisi affirmatiuam, quoniam si causa de effectu, vel effectus de causa negaretur, illa non foret causa huiusmodi prædicati; ob id maior propositio affirmatiua esse debet; cum autem causa producat effectum in aliquo subiecto, & de hoc demonstratio fiat; necesse est effectum de subiecto, in quo inest, affirmatiuè prædicari; si nanque in eo inest, de ipso negari non poterit; cum autem effectus cum causa coniungatur, & causa cum subiecto, necesse est effectum, & subiectum inter se coniungi, quod in conclusione habetur; idcircò conclusio etiam affirmatiua esse debet, totusque syllogismus debet affirmativus esse. Neque potest in alio esse modo, quàm in *Barbara*, cum omnes propositiones affirmatiuæ, & omnes uniuersales esse debeant. Hæc ratio nimis probat, nam concludit dari tantùm scientiam affirmatiuam, cum tamen negatiuam inficiari non liceat. Admittenda tamen quatenus probat perfectissimam scientiam, non nisi per primum modum primæ figuræ obtineri posse.

Secundus.

Alij autem idem ostendunt hoc modo; Quoniam per ipsum *propterquid*, aut demonstramus aliquid inesse, aut non inesse; si inesse cum sit affirmatiua, & uniuersalis non poterit in secunda figura colligi, nec in tertia; quoniam conclusiones in secunda figura sunt negatiuæ, & in tertia particulares; si non inesse, potest quidem colligi in secunda, & in prima figura, ut *nullum rationale est brutum; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est brutum*: In secunda verò, *ut nullum brutum est rationale; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est brutum*. Cum igitur, inquiunt, quæ fiunt per secundam figuram, fiant etiam per primam, & nullo modo per tertiam, idcirco prima figura magis erit scientijs accommodata.

Alij tandem hoc modo. Quoniam in demonstratione *propterquid*, probandum est prædicatum conclusionis conuenire, vel disconuenire subiecto per suam causam, prout demonstratio affirmatiua, vel negatiua fuerit; at si prædicatum conuenit, vel disconuenit subiecto, id certè per medium contingit, alioquin conclusio foret propositio immediata, & idcirco indemonstrabilis: medium autem, ratio, & causa, cur conueniat, vel disconueniat est, quia inter prædicatum, & subiectum aliquid intercedit, cui conuenit, vel disconuenit immediatè prædicatum conclusionis, ipsum verò conclusionis subiecto immediatè conuenit; ergo medium esse debet aliquid, quod subiecto conclusionis immediatè conueniat, & cui conueniat, vel disconueniat prædicatum conclusionis, sed hoc solùm in prima figura contingit; propterea quòd in illa tantùm, conclusionis prædicatum de medio in majori prædicatur, idemque medium in minori prædicatur de subiecto conclusionis; ergo demonstratio *propterquid* in prima figura debet efformari. Pro demonstratione tam affirmatiua, quàm negatiua claritatis gratiâ iuvabit ad exempla confugere. Sit propositio affirmatiua, *omnis homo est admirativus*; quæ medium habet. Supponitur enim demonstrabilis, atque adeò prædicatum *admirativus* homini non conuenit immediatè, sed per aliquod medium inter hominem, & admirativum, nimirum per rationale, cui ita immediatè conuenit admirativum, ut rationale immediatè conuenit homini: ad ostendendum igitur admirativum de homine, debet admirativum in maiori prædicari, de rationali, & hoc in minori prædicari de homine, atque adeo fieri syllogismus in prima figura hoc modo; *omne rationale est admirativum; sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus*. Secundò si propositio negatiua; *nullus homo est rugibilis*, quæ mediata est. Supponitur enim demonstrabilis, atq; adeo prædicatum *rugibilis*, immediatè non disconuenit homini, sed datur aliquid inter hominem, & rugibile, quòd immediatè conuenit homini, & cui immediatè disconuenit rugibile, hoc autem medium est rationale; ad ostendendum igitur hominem non esse rugibilem, debet de huiusmodi medio negari rugibile, & ipsum medium affirmari de homine, formarique syllogismus in prima figura hoc modo. *Nullum rationale est rugibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est rugibilis*. Et quanuis in secunda figura concludi possit uniuersalis negatiua, hoc tamen fit dependenter à prima; quæ autem de prima diximus, intelligenda sine dependentia ab alijs figuris, prima enim reduci nequit ad alias, aliæ autem ad ipsam. Vbi aduerte non probari ab Aristotele per illa verba. Ωστε καὶ διὰ τοῦτ' ἐστὶν μάλιστα ἐπιστημονικόν, *propterea ob hoc etiam est maximè scientialis*, minorem illam propositionem, scilicet figuram *hanc potissimùm conducere ad scire* propter quid; sed potius ex eo quod aut omnino, aut sæpius, & in plurimis per figuram hanc fit syllogismus attingens *propter quid*, colligitur maximè scientialem esse dicendam.

Ex quorundam interpretum sententia Philosophus dicendo, κυριώτατον γὰρ τε εἰδέναι, τὸ διότι ἐπιστῆμαι. *Potissimum enim proprium ipsius scire* est causam, cur res sit *contemplari*; tangit rationem ordine secundam, quæ ex eorundem opinione sic efformatur. Illa figura est maximè demonstrationi consentanea, per quam demonstratio consequitur proprium finem, nempè scientiam *propterquid*, sed huiusmodi est prima figura; ergo hæc est maximè demonstrationi consentanea. Sed hæc vix differt à ratione superiùs posita in pro-

Digitized by Google

probationem assumptionis &c.

Non propterea negandum in una ex alijs figuris demonstrationem fieri posse, ut ex sequenti assertione constabit, nam in secunda figura demonstrationem *propterquid* fieri, negatiuam tamen, nihil prohibet ad quod respiciens Philosophus, dixit, ἢ πᾶς ὅλως, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ *aut omnino, aut in plurimis*.

Tertia ratio talis est. Per solam primam figuram venari definitionem licet ergo hæc omnium aptissima est ad *propterquid* demonstrandum; assumptum autem Philosophus ita probat. Omnis definitio est affirmatiua, & uniuersalis; at secunda figura non ostendit nisi negativum; tertia verò non nisi particulare; ergo nec secunda, nec tertia ad venandam definitionem apta est; relinquitur igitur ut sola prima ad id sit idonea, & quoniam in prima figura nouem sunt modi, ex his solus primus in *Barbara* demonstrationi consentaneus est, cum alij similiter excludantur, eo nomine quòd, vel negatiui, vel particulares sint; consecutionis probationem omittit, tanquam alienam ab instituto, siquidem pendet ab ijs, quæ de definitione tractanda supersunt. Verba tamen Aristotelis plena sunt obscuritatis, cum non satis constet quid sibi velit per *venari definitionem*. Sunt quibus placet venari definitionem, ut nunc Aristoteles loquitur, nil aliud esse quàm demonstratione definitionem naturaliter ignotam deducere. At nihil addest; hoc nil aliud, quàm abscurum per æque obscurum ne dicam obscurius declarare. Vt igitur hoc ut declarent, aduertunt triplicem esse definitionem, ut aliàs nos quoque notauimus. Prima est demonstrationis principium, quæ solet, appellari definitio causalis respectu propriæ passionis demonstrandæ, cuius medium causa dicitur præsertim efficiens. Secunda est conclusio demonstrationis, quæ solet quidditatiua definitio eiusdem passionis nuncupari. Tertia est integra demonstratio solâ terminorum positione differens, quia demonstratio ut plurimum incipit à causali, & desinit in quidditatiuam definitionem passionis; at demonstratio ex utraque definitione constans, incipit à quidditatiua, & desinit in causalem. Afferunt exemplum de eclipsi si quis eclipsim definire velit, dicet *eclipsis est priuatio luminis in Luna ob terræ interpositionem inter Solem, & Lunam*; hæc autem est definitio positione differens à demonstratione, in qua anteponitur definitio quidditatiua, nempe *priuatio luminis in Luna*, causali definitioni, quæ talis est, *eclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam*; terminorum tamen ordine mutato, definitio in demonstrationem hoc modo conuertitur. *Interpositio terræ inter Solem, & Lunam est priuatio luminis in Luna; sed eclipsis est interpositio terræ inter Solem, & Lunam: ergo eclipsis est priuatio luminis in Luna*; ut autem definitio in demonstrationem vertitur, sic demonstratio in definitionem; hoc itaque modo ex horum sententia demonstratione licet definitionem venari, quatenus opitulatione demonstrationis definitionem in lucem deducimus. Hic explicationis modus non est contemnendus de quo paulo antea loquebamur.

Ex aliorum sententia ratio est In eo posita quoniam una ex potissimis demonstrationibus est, in qua ex definitione, & per causam finalem infertur definitio per alias causas, ac præsertim per materialem, & formalem, ut mox intelliges; ergo prima figura est omnium aptissima ad demonstrandum. Minor inde constat, quia definitio prædicatur de definito affirmatiuè, & uniuersaliter, ut animal rationale de homine &c. sed uniuersalis affirmatiua solùm inferri potest in *Barbara*, qui modus est primæ figuræ, cum secunda figura solùm negatiuè concludat; tertia verò particulariter tantùm. Sed ex definitione per causam finalem inferri definitionem per alias causas, præsertim per materialem, & formalem, adeo ut aliæ definitiones sint conclusiones demonstrabiles ex definitione per finem; definitionem verò per finem simul, & per alias causas esse demonstrationem positione differentem, ex eo probant, quoniam quatenus est per causas alias à finali, definitio est conclusio demonstrabilis; quatenus verò est per causam finalem, est principium, mediumque demonstrationis. Rem exemplo declarant. Domus, inquiunt, potest per causam finalem definiri, *operimentum defendens homines à pluuijs, calore, frigore, &c.* Potest etiam definiri per causam materialem, & formalem, videlicet *operimentum constans ex lapidibus, cæmentis, lignis &c. sic aduanatis atque dispositis*. Ratio autem cur sit operimentum ex tali materia &c. est ex fine desumpta, nisi enim domus foret tale operimentum non posset à pluvijs &c. defendere. Ratio etiam cur illa materia sit ita disposita, desumitur à fine, quamobrem tam materiæ, quam formæ ratio à fine desumitur; ergo ex definitione per finalem causam, tanquam ex principio demonstrari potest definitio per causam materialem, & formalem; ita ratiocinando. *Operimentum defendens à pluvia, calore &c. debet constare ex tali materia, & forma; sed domus est tale operimentum; ergo domus constare debet ex tali materia, & forma*; ergo definitio per finalem causam est demonstrationis principium; definitio per causam materialem, & formalem est demonstrationis conclusio. Quod si formetur definitio domûs complectens omnes commemoratas causas, dicaturque; *domus est operimentum constans ex lapidibus, & cæmentis sic ordinatis, atque dispositis ad arcendas pluvias* &c. talis definitio erit demonstratio solâ positione differens, utpote continens demonstrationis principium, atque conclusionem, quanuis non disposita in figura modoque syllogistico; hic etiam interpretationis modus, qui parum à præcedenti differt, retineri potest.

Difficultas soluta.

Nec alicuius momenti est difficultas, quòd Aristoteles dixerit definitionem esse uniuersalium, & affirmatiuam, quod alibi negasse videtur: Nam ut aliàs notaui definitio secundum se inspecta ut satisfaciens quæstioni quid est, non est enunciatio, proindeque nec uniuersalis, nec particularis, nec affirmatiua, nec negatiua; dum tamen ad rem definitam refertur, & partes etiam definitionis inuicem conferuntur, definitio virtute potestateque dici potest affirmatiua, quoniam affirmatiuè prædicabilis est de re definita, & una definitionis pars de altera; dicitur etiam uniuersalis, quoniam re ipsâ est idem ac res definita, quæ uniuersalis esse debet.

Quarta ratio.

Quarta ratio hæc est. Illa figura est aptior ad demonstrandum, quæ alijs non indiget; aliæ verò indigeat ipsâ; sed prima figura ita se habet; ergo prima figura ad scientiam pariendam maximè idonea est. Minor probatur, quia scientia non comparatur nisi perueniendo ad principia immediata; ergo si alicuius demonstrationis propositiones sint mediatæ, atque demonstrabiles, necesse est illas per alias priores demonstrare, donec ad prima, & immediata principia perueniamus; at si demonstratio proponatur in secunda figura, & altera eius propositio affirmatiua demonstranda sit per alias propositiones; certè non poterunt illæ amplius per secundam figuram demonstrari, sed per solam primam; ergo saltem secunda figura destituta auxilio primæ scientiam parere non poterit. De tertia nulla est habenda consideratio, quoniam cum conclusionem colligat particularem, inepta omninò

est

ist ad demonstrandum; Prima autem figura alijs non eget, nam si demonstratio fiat in Barbara eiusque propositiones probari debeant, id certè per eandem figuram, & per eundem modum fiet; ergo prima sibi ipsi sufficit ad scientiam pariendum; non sic autem aliæ. Et summa rationis est, quia prima figura non indiget alijs, aliæ autem indigent ipsâ, ad quam illæ reduci debent; idcirco prima per seipsam euidenter concludit, aliæ autem per primam. Hanc doctrinam Philosophus explicat per has dictiones *condensari*, & *augeri*, nam augentur propositiones, quia multiplicantur demonstrationes, unde earum numerus augetur: condensari autem dicuntur propositiones mediatæ, dum interposito medio demonstrantur; cum enim prædicatum immediatè non insit subiecto, videtur quodammodo spatium vacuum, ac ob id impleri condensarique per interpositionem omnium mediorum oportet, quæ inter illa duo extrema possunt interponi, dummodo causæ sint; nam à medijs extraneis, & probabilibus, propositio non dicitur condensari.

Secunda assertio. Tex. 103. Aristotelis auctoritate probatur. Tex. 99.

Asserendum secundò etiam in alijs figuris posse quodammodo demonstrationes fieri.

Hoc videtur Philosophus docuisse; cùm enim dixerit primam figuram esse magis aptam, magisque frequentem, proculdubio in alijs quoque figuris tacitè admisit demonstrationes elaborari posse. Quod euidentiùs constat ex eo quòd ipse demonstrationem *quia* ex causa inadæquata conficit hunc in modum; *Omne respirans est animal; nullus paries est animal; ergo nullus paries respirat*.

Demonstratio negatiua, non in tota secũda figura.

Non propterea tamen dixerim talem demonstrationem, nempe negatiuam, fieri non posse, nisi in secunda figura; id enim nec ad aures Aristotelis, nec verum est.

Accedit etiam quòd syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ quando constant præmissis, & conclusionibus inde deductis, necessarijs, & euidentibus, non videntur dicendi dialectici, propterea demonstrativi censeri debent, licet imperfecti ratione formæ, qui virtute tamen ad primam figuram possunt reuocari, quod etiam de modis indirectis ad primam figuram spectantibus affirmandum est.

Tertia assertio. 1. Post. Tex. 99. Aristotelis auctoritate probatur. Ibid. Tex. 160. Ibid. Tex. 171. & sequentibus. Prima ratio. Ratione suadetur. Secunda ratio.

Asserendum tertiò demonstrationem fieri posse non tantùm affirmatiuam, sed etiam negatiuam.

Ita quidem Philosophus loco nuper laudato. Immò & alibi; cum enim partitus fuisset demonstrationem in prædicatiuam, & priuatiuam, disputationem instituit de perfectione ipsarum, multisque rationibus adductus affirmatiuam negatiuâ præstantiorem esse decernit.

Deindè demonstrationem, siue *quia*, siue *propter-quid* dari affirmatiuam nulli dubium; sed esse quoque negatiuam posse ex eo facile conuincitur, quia nihil prohibet quominus conclusionem aliquam negatiuam ex aliqua præmissarum negatiua necessariò, ac euidenter deducamus. Non igitur inficiandum demonstrationem dari negatiuam.

Amplius etiam, & negationes suas habent causas; tametsi enim causa, ut vocant, positiua directè positivum etiam effectum requirat, indirectè tamen potest pro effectu negationem habere, per quam positivum effectum circumscribimus; unde est, ut sæpè negationes tanquam propriæ rerum affectiones assignentur ab eorum essentia dimanantes; ita quidem *priuatio luminis in Luna* negatio est, quæ tanquam affectio Lunæ adscribitur. *Non inhærere subiecto* est affectio propria substantiæ, profluens ab essentiali ratione ipsius consistentiæ in eo, quod est esse per se. *Vnitas* etiam est affectio entis & solet per negationem explicari. His autem præhabitis, inire licebit probationem assertionis allatæ; quandocunque nimirum concedatur dari affectionem seu proprietatem negatiuam, cuius assignari possit causa; per hanc enim licebit ipsam ostendere negationem, atque adeo demonstrationem conficere, quam intendimus, negatiuam.

De perfectione demonstrationum.

Cæterum de perfectione demonstrationum nihil dicendum occurrit, videlicet utra earum perfectior sit, an affirmatiua, an negatiua, hac enim de re cum de perfectione scientiarum, quam paulo infra tractabo. Ad clariorem tamen rei, de qua agitur, intelligentiam & assertionis confirmationem, illud magni momenti est, quod termini demonstrationis negatiuæ suas habet conditiones ad demonstrationem requisitas, ita tamen ut medium non sit positiuè causa maioris extremi, sed negatiuè, videlicet est causa extremi negati, estque causa ut de subiecto negetur, & est causa conclusionis, quæ negatiua est, & quidem in quouis genere causæ; de causa quidem efficiente satis euidens, nam illa demonstratio lunaris eclipseos ex efficienti causa censetur procedere, cum talis existimetur obiectio terræ; sic etiam de alijs generibus causarum, potest etiam esse definitio vel essentialis differentia subiecti, ut patet de proprietate substantiæ, de qua nuper locuti sumus. Huiumodi demonstrationis negatiuæ sunt quoque præmissæ veræ euidentes, & certæ; num autem immediatæ, controuersum est, neque conuenit inter interpretes; sed immediatas esse videtur Philosophus splendidis verbis asseueraſſe; docuit enim dari propositionem immediatam non solùm affirmatiuam, sed etiam negatiuam, & simul quomodo id contingit luculenter explicuit occasione desumptâ ex paulo antea traditis; cum enim docuisset primam figuram esse maximè omnium accommodatam ad scientiam pariendam, atque etiam dixisset secundam figuram excludendam non esse, quin potius in illa quoque dari demonstrationem *propterquid*, consequens fit, ut ipse concesserit negatiuam propositionem immediatam, non enim dari potest demonstratio negatiua propter quid, nisi detur etiam propositio negatiua immediata, cum huiusmodi demonstratio ex immediatis procedat (loquimur enim de demonstratione perfecta, qualis esse potest, quamuis negatiua sit). Declarat quæ sit propositio immediata negatiua dicens eam esse, cuius, & subiectum, & prædicatum supremum sit genus, cuiusmodi est hæc, nulla substantia est quantitas; & ea est ratio, quoniam omnis negatiua propositio, cuius vel prædicatum, vel subiectum sit sub aliquo genere mediata est, & demonstrabilis, quoniam semper illud genus demonstrari poterit; ut si dicamus nulla substantia est linea, nulla substantia est superficies, quia tam linea, quam superficies sub quantitate continetur, est propositio demonstrabilis hoc modo, nulla substantia est quantitas, sed omnis linea est quantitas; ergo nulla substantia est linea. Eodem modo nulla substantia est quantitas, omnis superficies est quantitas; ergo nulla substantia est superficies. Itaque dantur propositiones negatiuæ immediatæ, quæ tunc tales sunt, quando causam non habent mediam, qua demonstrari possint, sed sunt principia per se nota, & euidentia. Quemadmodum enim dantur affirmationes, quibus ui luminis naturalis statim apprehensis terminis, intellectus assensum præbet: ita dantur negationes eiusdem conditionis cum affirmationibus, adeout de affirmatiuis, & negatiuis propositionibus eadem sit ratio, quantum ad eam de qua loquimur, immediationem; hoc plane modo se habent, hę negatiuæ propositiones; *non potest idem simul esse, & non*

Digitized by Google

non esse: quod existit per se non est in alio, harum enim utraque immediata est, cum utraque medio careat per quod demonstretur; Quòd si huiusmodi propositiones negatiuæ non fuerint formaliter immediatę, erunt saltem virtute, hoc est ad immediatas reduci poterunt per quas earum veritas innotescat, quod satis est, ut ex ipsis demonstrationes fieri possint.

Ex his porro splendidè constat quo pacto huiusmodi propositiones, tanquam præmissæ in demonstrationibus adhibitæ, ijs præditæ sint conditionibus, quibus demonstrationis præmissæ præditæ esse debent, ita nimirum ut notiores, & priores, & causæ sint conclusionis, & quomodo etiam propriæ, & de omni, vel si mauis de nullo, & quâ etiam ratione aliquo pacto ad modos dicendi per se reduci queant, & ad extremum esse de prædicato uniuersali, & quatenus ipsum.

Asserendum quartò demonstrationes non posse fieri in modis particulariter concludentibus, quoad ea, quæ singularibus primò, & per se conueniunt: non repugnare tamen quin dentur huiusmodi demonstrationes de singularibus, quoad prædicata eorum essentialia, specificasq; passiones ipsis inexistentes, nullam tamen ex ipsis perfectam dici posse demonstrationem, ut propterea concludendum sit perfectissimam demonstrationem, quæ complexionem omnium numerorum habere dici mereatur, uniuersalem esse debere.

Assertio triplici parte constat, quarum quælibet ex hactenus disputatis euidens admodum est, ac explorata. Supposito autem nullam esse difficultatem de accidentibus communibus, atque adeo necessariam connexionem cum singularibus, nõ habentibus; quandoquidem de his in uniuersum siue cum singularibus, siue cum communibus naturis conferantur, scientia nulla dari potest, cum hæc de necessarijs esse debeat, (de his enim rectè Philosophus dicebat, omnem esse demonstrationem atq; adeo scientiam); supersunt sola prædicata, quæ primò, & per se singularibus conueniunt, de quibus asserimus non posse dari demonstrationes, ac ob id has fieri non posse in modis particulariter concludentibus. Ratio autem petenda est ex ijs, quæ de subiecto scientiæ tradidimus, ex quibus facile constabit hoc ex accidenti esse, quia nobis non suppetunt causæ affectionum huius, vel a terius indiuidui, nam si nos illæ non laterent, nihil obstaret quominus de indiuiduo scientiam instituueremus, proindeque uteremur in demonstrando modis particulariter concludentibus, ut de Deo perspicuè constat, cum enim in eo dentur attributa, & simul etiam rationes, causæque virtuales, per quas de illo possint ostendi, de eodem attributa demonstrantur. Nec impedimento esse potest in reliquis indiuiduis eorum inconstantia, atque contingentia, adeòut necessaria non sint, propterea quòd necessitas ad scientiam requisita, complexa est, quæ singularibus non deest, quippeque consistit in eo, ut prædicatum subiecto insit ex hypothesi, quòd subiectum in natura debeat existere, huiusmodi enim necessitas etiam singularibus conuenit, licet altera nimirum incomplexa in ipsis desideretur, quæ tamen ad scientiam nullo modo conducit.

Secunda autem assertionis pars constat tum ex Aristotele, qui requirit ad perfectam demonstrationem, ut prædicatum conclusionis sit quatenus ipsum, atque adeo affectio & subiectum sint æqualis ambitus, quam ipse dicit demonstrationem uniuersalem; non excludit tamen, licet minus perfectam appellet, demonstrationem illam, per quam concludimus affectionem quę cum subiecto non reciprocatur, sed vel magis vel minus late patet, quàm ipsum, quamque ipse particularem demonstrationem appellandam censuit. Immò & nos quoque supra frequens hoc demonstrationis genus in Mathematicis esse disciplinis dicebamus, quando affectio minus latè patet, quàm subiectum, & exemplo id propositionis quadragesimæ septimi primi Elementorum ostendimus, cum diceremus Theorema illud institutum esse de prædicato, siue affectione, quæ minoris est ambitûs quàm subiectum; secus propositio trigesima prima libri sexti Elementorum, in qua affectio de subiecto, quæ æqualis est ambitûs cum ipso, demonstratur. Immò illud addendum de singularibus etiam dari demonstrationes per causam conuertibilem cum effectu, ut si quis de Socrate demonstraret esse risibile per rationalitatem.

Tertia verò assertionis pars probatione non eget; neminem siquidem præterit longe perfectiorem esse demonstrationem, qua acquirimus scientiam de subiecto quantum ad illud prædicatum attributumve, quod illi conuenit quatenus ipsum, quam illa, quâ cognoscimus subiecto inesse prædictum, quod minus latepatet, quàm subiectum, vel contra; per primum enim demonstrandi modum cognoscimus utrunque; qui namque cognoscit triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit etiam isocele tale esse, non tamen contra. Tertia pars assertionis probatur.

SECTIO SECVNDA.

De Circulo, atque Regressu demonstratiuo.

CIrculus, de quo sit sermo, unius notionis non est, propterea quòd præsâ significatione sumptus est species syllogismi à Regressu distincta, laxâ tamen usurpatione genus est ad Circulum seuerè quidem acceptum, & Regressum, dicique syllogismus circularis perpetuò consueuit; sic autem appellatus fuit non absolutè, sed per respectum ad priorem aliquem syllogismum, cum ob eaulam, quoniam ad præmissarum alteram reuertitur, à qua prior syllogismus processit, metaphorâ desumptâ, ni fallor, à circulari motu, qui eâ lege perficitur, ut mobile per ipsum, circuli peripheriam describens, eò redeat unde discesserat; cum autem huiusmodi syllogismus sit veluti genus ad Circulũ strictâ significatione sumptum, & Regressũ certè quicquid illi conueniet, his quoq; conueniat oportet. Circuli de quo sit sermo duplex accepti o.

Syllogismus autem circularis, nil aliud, quàm ex conclusione, & conuersa unius ex præmissis, alterius præmissæ illatio. In huiusmodi autem intellectus negotiatione duplex intercedit syllogismus, adeo ut secundus per ordinem ad primum circularis dicatur. Per primum syllogismum arguitur à præmissis in modo figuraque dispositis; per secundum à conclusione primi cum propositione conuertente unius præmissæ ad inferendam præmissam alteram in eodem modo, & figura. Vt si quis arguat. *Stellæ, quæ non scintillant sunt prope nos; Planetæ sunt stellæ, quæ non scintillant; ergo planetæ sunt stellæ, quæ sunt prope nos*, hic est processus ab effectu ad causam; postea reuertitur à causa ad effectu conuertendo simpliciter iam facti syllogismi maiorem propositionem hoc modo; *Stellæ, quæ sunt propè nos non scintillant*, quæ est maior propositio primi argumenti, simpliciter tamen conuersa, fiatque maior secundi argumenti; *sed planetæ sunt Stellæ, quæ sunt prope nos*, est conclusio primi argumenti, & fiat minor secundi; *ergo planetæ sunt Stellæ quæ non scintillant*, & est minor primi argumenti, & fiat conclusio secundi. Itaque secundum argumentum tale erit. *Stellæ, quæ sunt prope nos, non scintillant sed planetæ sunt Stellæ, quæ sunt prope nos; ergo planetæ sunt Stellæ, quæ non scintillant*; per hunc autem secundum Syllogismus circularis quid. Explicatio

Digitized by Google

cundum syllogismum illata fuit minor primi. Ad inferendam autem maiorem eiusdem, sic arguendum. *Planetæ sunt Stellæ, quæ sunt prope nos; sed Stellæ, quæ non scintillant sunt planetæ; ergo Stellæ, quæ non scintillant sunt prope nos.* Vel clarius sit exemplum hoc modo ab effectu ad causam. *Omne risibile est animal rationale; sed omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est animal rationale.* Reuertamur à causa ad effectum concludendo minorem propositionem proximè facti syllogismi. *Omne animal rationale est risibile; sed omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis.* Ad inferendam maiorem hoc modo. *Omnis homo est animal rationale: sed omne risibile est homo; ergo omne risibile est animal rationale.* Non licet in qualibet figura, vel Aristotele etiam docente, sic ratiocinari, ita ut circularis argumentatio fieri possit, nec in quolibet modo, in cuius gratiam duo tradit præcepta è quibus primum. *In modis particularibus uniuersalis præmissa nequit circulo inferri, quoniam non concluditur uniuersaliter nisi ex ambabus præmissis uniuersalibus, & ex puris particularibus nihil inferri potest.* Secundum præceptum est. *In modis negatiuis affirmatiua præmissa circulo deduci non potest, quia præmissa affirmatiua infertur, ex ambabus affirmatiuis, at in casu, de quo agitur, ambæ præmissæ negatiuæ forent, ex quibus nihil recte deducitur.*

Tractationis Continuatio.

Hucusque nostrâ contemplatione circularem syllogismum prosecuti, aliqua tractauimus, quæ ad generícam eius naturam pertinent; nunc æquum est, ut ad species sub illo contentas, nimirum circularem syllogismum seuerè acceptum, & regressum, utrunque demonstrativum, descendamus primò dicturi quid differat inter illos. Discrimen autem in eo positum, quod syllogismus circularis, siue Circulus demonstrativus semper in eodem genere demonstrandi, videlicet à priori, & *propterquid*, seu per causam procedit. Hoc autem pluribus modis contingit. Primò quidem in diuerso genere causæ, ut cum ex finali causa nos causam efficientem ostendimus; deinde ex efficiente causam finalem demonstramus; ita quidem cum per sanitatem demonstramus deambulationem à cæna, sanitas enim talis deambulationis est finis; & vicissim per deambulationem à cæna sanitatem ostendimus, nam huiusmodi deambulatio efficiens est causa sanitatis; siue cum ex forma materiam, vel ex materia formam inferimus. Secundò potest etiam euenire in eodem causæ genere, ut cum ex materiali causa inferimus effectum, mox assumentes effectum ipsum pro medio à priori in genere materialis causæ, concludimus causam materialem, quæ prius medium erat; & hoc duobus modis, vel enim eandem omnino numero causam, vel eandem specie concludimus. Talis igitur est Circulus demonstrativus. Regressus autem itidem demonstrativus non procedit in eodem demonstrandi genere, sed diuerso; quandoquidem syllogismus unus est demonstratio *quia*, alter autem demonstratio *propterquid*.

Notanda quædam de Circulo & Regressu.

Regressus enim est modus quidam demonstrandi, quo ab effectu confusè cognito ad causam progredimur confusè cogno cendam, ut à causa distinctè cognita, ad effectum distinctè cognoscendum regrediamur. Tribus autem partibus constat, prima est demonstratio ab effectu, quæ dicitur etiam demonstratio *quòd* seu *quia*, & est quando per effectum confusè cognitum demonstramus causam esse: Secunda pars mentale quoddam examen est, quo causam confusè cognitam cum suis effectibus conferentes in cognitionem distinctam causæ deuenimus: Tertia est demonstratio *propterquid*, quâ à causa distinctè cognita, progredimur ad effectum distinctè cognoscendum. Regressus autem, & circulus tribus modis differre videntur, primò ratione formæ, secundò ratione materiæ, tertiò ratione finis. Differunt quidem ratione formæ, quoniam regressus non ad idem penitus reuertitur, ut circulus, sed alteram tantum propositionem demonstrat; differunt etiam ratione materiæ, quia totus, & uterque processus circuli est à causa proxima ad effectum; sed in regressu prior processus est ab effectu, posterior autem à causa. Differunt tandem ratione finis, quia circulus tam in principio, quàm in fine distinctam cognitionem quarit; regressus autem in principio confusam, in fine autem distinctam.

Non prætereundum tamen cum clarioris nominis philosophis aduertere, tam Circulum, quàm Regressum duobus fieri modis; primò itaut conclusio, præmissæ loco assumpta, non aliâ ratione sit nota, quàm ex vi prioris syllogismi, in quo ex præmissis illata fuit, & reuertimur ad probandam unam ex præmissis prioris demonstrationis, & hic discursus dicitur Circulus, vel Regressus, formaliter, & propriè. Secundò, itaut non solùm sit cognita prioris syllogismi vi, sed aliâ itidem viâ, adeòut cùm præmissæ loco subrogatur, sit aliâ ratione magis nota, ac erat, quando conclusionis munere fungebatur; & hic discursus dicitur Circulus, aut Regressus difformis, materialiter, & impropriè ex parte obiecti; non autem propriè & formaliter, ex parte cognitionis, & inter actus nostri intellectûs, propterea quòd intellectus non reuertitur ab eadem notitia, ad quam per priorem syllogismum peruenerat, sed ab alia longè perfectiori.

Proximum est, ut hac de re quid alij senserint videamus, deinceps propriam sententiam in medium allaturi.

Veteres in duos contrarios errores circa demonstrationem ac scientiam incidisse, referente Aristotele nobis est exploratum. Primus erat dicentium non posse dari scientiam simpliciter, eòquòd, ut ipsi dicebant, conclusiones sciri non possunt, nisi sciantur principia; sed hæc sciri non possunt; ergo nec conclusiones; hinc nullam dari scientiam concludebant; principia autem sciri non posse nitebantur ostendere, quoniam sciri deberent per demonstrationem ex alijs principijs, cum scire sit per demonstrationem cognoscere; sed de principijs illis eadem redit difficultas; ergo in infinitum abeundum demonstrando, vel sistendum in principijs aliquibus, de quibus ulterior demonstratio non habeatur; sed utrumlibet dicatur, sequitur non dari scientiam; si nanque sistitur in principijs, de quibus non habeatur ulterior demonstratio, talia principia non sciuntur; ergo neque per ipsa sciuntur conclusiones: si procedendum sit in infinitum; ut impossibile est infinitum pertransire, sic impossibile scientiam obtinere; ergo non datur scientia simpliciter, sed ad summum ex suppositione, quâ conclusiones esse veras cognoscitur, si vera sint principia; cum autem ignoretur, an principia vera sint; ob id an veræ sint conclusiones ignoratur. Secundus error eorum erat, qui prioribus assentientes, quatenus illi dicebant non dari scientiam, nisi per demonstrationem, ut scientiam dari tuerentur ad circulares demonstrationes confugerunt, dixeruntque ad prima peruenìri principia demonstrationis, quæ possint mutuò demonstrari per eandem conclusionem demonstratam ex ipsis. Hæc igitur de circulari demonstratione veterum opinio fuit, scilicet de omnibus demonstrationem dari, & scientiam circularis demonstrationis beneficio, ita ut apud ipsos idem respectu eiusdem esset causa, & effectus, notius, & ignotius.

Alij

Alij ex aduerso demonstrationem omnem circularem, siue in eodem, siue in diuerso genere causæ de medio tollendam crediderunt.

Frequens opinio est dicentium huiusmodi demonstrationem in diuerso genere causæ admittendam esse.

Alij tandem in aliquibus casibus circularem demonstrationem secundum idem causæ genus concedendam putant, non tamen de ijsdem numero rebus. Hæc de Circulo demonstratiuo.

Plerique regressum negarunt, vel saltem tanquam inutilem reijcierunt.

Communi tamen sapientum calculo receptum est dandum regressum, tanquam utilem in scientijs, licet plerisque visum sit, tunc utilem esse duntaxat, quando demonstratio *quia*, præcedit; demonstratio autem *propterquid* subsequitur.

Alij autem existimarint semper utilem esse regressum, qualiscunque demonstratio præcedat.

Asserendum primò non posse Circulum in omnibus admitti, sed in alibuibus tantùm, tam in diuerso, quàm in eodem genere causæ, non tamen in ijsdem numero rebus.

Hoc Philosophus profectò docuit disputans aduersus veteres, ut ex infra dicendis perspicuum erit.

Ratio quoque propositam assertionem conuincit, sequeretur enim præmissam quamlibet circulo demonstrari posse, quod quàm alienum à veritate sit non multò post ostendetur; interim satis euidens in *Ferio* præsertim præmissarum neutram circulo demonstrari posse, non enim maior, eò quòd uniuersalis non infertur ex particulari, cuiusmodi est minor; nec minor inferri potest, quoniam affirmatiua nequit ex negatiua qualis est maior deduci; superest igitur tantum, ut in *Barbara* cum tamen sunt termini conuertibiles ambæ præmissæ Circulo demonstrari possint. Accedit, quod non quodlibet est prius, & posterius naturâ, causa, & effectus, notius, & ignotius naturâ, comparatione eiusdem; etiam in diuerso causæ genere, quod necessarium tamen foret, si de omnibus Circulus concedi deberet, cum hic semper demonstratione *propterquid*, atque adeo à prioribus notioribusque naturâ, & à causis procedere supponatur.

At verò contingere Circulum in diuerso causæ genere manifestum est, quoniam per finem ostendi potest tam materia, quàm forma; per definitionem enim finalem ostendi potest definitio materialis, & formalis. Itaquidem aliàs cum Aristotele notauimus posse demonstrari laternam debere constructam esse ex materia perspicua per finalem causam, quæ est luminis tuitio. Non dissimiliter ostendimus domum constructam esse debere ex tali determinata materia, talique forma per finalem causam, quæ est nos defendere à pluvia; sed & vicissim causa finalis per materialem poterit demonstrari; nam hoc modo licebit arguere *omnis substantia intellectualis est ordinata ad æternam beatitudinem; sed homo est substantia intellectualis; ergo homo debet esse ordinatus ad æternam beatitudinem*, & *contra*; *omne id quod est ordinatum ad æternam beatitudinem, debet esse substantia intellectualis; sed homo &c.* hic etiam formalis definitio per materialem, & vicissim potest ostendi, materia siquidem, & forma sunt sibi inuicem causæ, & in uniuersum de causis hoc potest admitti, non secundum existentiam earum, sed secundum rationes diuersas: ita sanè de materia, & forma; nam licet sic arguere, *omne constans est corpore organico, constat etiam ex anima; sed homo constat ex corpore organico; ergo homo constat ex anima*, maior patet quoniam anima est actus huiusmodi corporis, & vicissim hoc modo, *quod constat ex anima, debet constare ex corpore organico; sed homo constat ex anima; ergo homo debet constare ex corpore organico*, maior patet, quoniam anima est actus huiusmodi corporis, ut igitur hinc concludebamus ubi datur corpus organicum debere dari animam, sic in præsentia licebit concludere ubi datur anima dandum esse corpus organicum.

Non dissimiliter de causa efficiente, & formali, nam definitio tradita per causam formalem ostendi potest ex definitione tradita per causam efficientem, quando nimirum hæc fuerit necessaria, determinata, & conuertibilis causa alicuius prædicati essentialis in effectu, sè habentis ut causa formalis eiusdem. Vt *quod prouenit à principio essentialiter libero, est indifferens ex sui natura, & essentialiter, ut possit esse, & non esse; sed volitio est huiusmodi, prouenit enim à voluntate, quæ est principium essentialiter liberum; ergo volitio est indifferens essentialiter, ut possit esse, & non esse.* In hac autem ratiocinatione demonstratur definitio libertatis actûs, in genere causæ formalis ex definitione eiusdem libertatis tradita per causam efficientem; potest etiam vicissim demonstratio institui dicendo, *quod est suapte naturâ indifferens & essentialiter ut possit esse, & non esse, prouenit à principio essentialiter libero, atque adeo principium eius debet esse liberum; sed volitio ita se habet; ergo volitio debet prouenire à principio essentialiter libero, ac proinde principium eius, nempe voluntas, debet essential ter liberum esse.* Amplius hoc idem obseruare licet in causa efficiente, & finali; demonstramus enim deambulationem à cena, tanquam causam efficientem per sanitatem tanquam per causam finalem. Vicissim autem ostendimus sanitatem, tanquam causam finalem per deambulationem à cena, tanquam per causam efficientem.

Non solùm hoc in causis diuersi generis, sed etiam generis eiusdem, dummodo non sint eædem numero causæ. Hoc eleganter expressit, Philosophus, in causis, quæ suo munere circulo, funguntur, adeo ut sint causæ effectuum, quorum deinde ipsæ sint effectus, cum prius eorum causæ fuissent, similes quidem specie; hoc enim casu docet demonstrationem circularem fieri posse; adeo ut ex præmissa probetur conclusio, & ipsa vicissim ex conclusione probetur; & hoc utitur exemplo. Ex terra à pluvijs madefacta necesse est ut vapores ascendant, ex vaporibus eleuatis, necesse est, ut cogantur nubes, ex nubibus coactis necesse est, ut oriatur pluvia, ex pluvia necesse est, ut terra madefiat; ut ergo terra madefacta est causa, ut eleuentur vapores; ita vapores sunt causa, ut terra madefiat; unde concludit Philosophus in huiusmodi casibus dari circulum per quem conuersione quadam fiat reditus ad idem principium. Eodem modo, proportione quadam, potest fieri demonstratio circularis, per quam sumatur principium, quod est posterius, nempe, quod terra madefacta fuerit, & ex hoc arguatur hoc modo; *terra est madefacta; ergo prius cecidit pluvia; ergo prius coactæ sunt nubes; ergo prius ascendit vapor; ergo prius terra fuerat madefacta*, in huiusmodi autem processu ex primo medio, sumpto ut principio, nempe, quòd terra fuerit madefacta, reditur ad concludendum; quod terra fuerit madefacta aliâ madefactione. Hinc tamen ne putes, idem esse prius, & posterius, magis, & minus notum secundum idem; sed solùm unum numero esse posterius & ignotius; aliud autem numero prius, & notius esse; & idem specie esse prius, & minus notum; quod non repugnat. Constat autem superiorem ratiocinationem institutam fuisse ex uno genere causæ, scilicet ex madefactione terræ, ad eandem specie, sed non numero madefactionem reducendo. Hoc idem docuit etiam Philosophus de circulari ge-

Hoc dem in causis eiusdem generis. 2 Post. tex. 66.

Secundo de Generation. Tex. 68.

Secundo de Generatione, Tex. 68.

neratione loquens. Ita quoque actus in genere causæ efficientis habituum sunt causæ; at verò habitus in eodem genere causæ concurrunt ad producendos actus eosdem specie quidem, sed non numero; neque refert, quòd ita ratiocinando, non fiat regressus ad eandem numero causam, licet in eodem genere, & ad eandem specie, adhuc enim circulus est, cum ad hunc satis sit ut uterque processus sit *propter quid*. Nec etiam refert, quod plerosque fatigat, nimirùm addutos casus de causis mutuis in eodem genere esse particularium, proindeque de ipsis demonstrationes circulares fieri non posse. Nihil enim prohibet, quominus de huiusmodi casibus propositiones uniuersales conficiantur.

Secunda assertio.

Asserendum secundò regressum quoque possibilem esse, scientiisque plurimum utilitatis afferre.

Aristotelis auctoritate probatur.

Hoc Aristotelem voluisse perspicuum satis ex ijs, quæ ipse docet agens de differentia inter demonstrationem *quia*, & *propterquid*; explicato enim primo differentiæ modo, se confert ad secundum, quem duobus exemplis illustrat, è quibus primum est, quo demonstratur nobis planetas esse propiores, quàm stellas fixas, ex eo quia planetæ non scintillant, ita ratiocinando. *Omnes stellæ non scintillantes sunt prope nos; sed planetæ sunt stellæ non scintillantes; ergo planetæ sunt prope nos*, per hanc demonstrationem scimus planetas esse prope nos, non per causam, sed per effectum, *non scintillatio*, siquidem non causa, sed effectus est propinquitatis. Nam errantes stellæ non scintillant fortasse, quia propter maiorem propinquitatem ad nos possunt validius lumen transmittere, sicuti contra stellæ fixæ scintillant, quoniam ob nimiam distantiam imbecillius lumen effundunt; utraque sumptionum autem experientiâ, sensuque nobis perspecta redditur, cum quisque luminosa corpora valde remota scintillare experiatur, propinqua verò non item. Deinde nobis experientia testatur Planetas non scintillare, & idcirco demonstratio ex notioribus nobis confecta dici potest. Hæc tamen exempli gratia dicta velim, intelligas, cum alioquin non leuis sit dubitatio de scintillationis causa, quemadmodum non satis tutum asserere planetas non scintillare, cum aliquos ex ipsis accurata recentiorum obseruatione deprehensum fuerit huic de qua loquimur affectioni obnoxium esse; Si ita loqui fas est, enim verò de stellarum scintillatione non leuis est difficultas, cum illam plerique credant potius esse accidens nostrum, quam stellarum, licèt in eis, quæ ut supponit Philosophus in octauo sunt orbe, inesse videantur, cum enim à nobis, inquiunt, remotissima sint visus noster in eorum inspectione vacillat; sed de his alibi. At si maius extremum allatæ demonstrationis pro medio termino sumatur, & medius terminus in maius extremum conuertatur demonstratio *quia* mutabitur in demonstrationem *propter quid* hunc in modum *stellæ, quæ sunt prope nos sunt non scintillantes sed planetæ sunt stellæ prope nos, ergo planetæ sunt stellæ non scintillantes*; hoc autem pacto superior demonstratio *quia* conuersa est in demonstrationem *propterquid*, propterea quòd non scintillare per suam causam hoc est per propinquitatem ostendimus.

Tex. 96.

Eandem veritatem alio illustrat exemplo, quo nempe demonstratur Lunam esse rotundam ex eo quia per accretionem lumen recipiat ab alio, sicque demonstratio talis. *Id quod per accretionè recipit lumen ab alio rotundum est; sed Luna recipit lumen à Sole per accretionem; ergo Luna rotunda est*. Huius autem demonstrationis subiectum est Luna, in qua duo hæc insunt, nempe rotunda figura, & accretio Luminis, id est illuminatio paulatim crescens, non enim Luna tota simul à Sole illustratur, sed paulatim in ea lumen augetur donec tota euadat lumine plena, cuius effectus causa est rotunditas Lunæ; nanque si superficies Lunæ plana foret, tota simul illuminaretur, cum primum Solis radijs obiecta fieret, sed quia rotundâ constat figurâ, ideo paulatim in ea lumen augetur, & effectus hic nobis est notior, quàm causa, hinc enim astra rotunda constare figurâ veteres deprehenderunt; ponendo igitur effectum notum pro medio termino, causam verò pro maiori extremo facta est superior demonstratio, quæ per eosdem terminos in demonstrationem *propterquid* conuertetur, si ex medio fiat maius extremum, & ex maiori extremo medium, fietque demonstratio, quâ ostendatur effectus per causam hunc in modum *omne rotundum recipit lumen ab alio per accreationem; sed Luna est rotunda; ergo Luna recipit lumen ab alio hoc est à Sole per accretionem*, hæc est demonstratio *propterquid*, cum rotunditas sit causa illuminationis per accretionem. In his duobus exemplis contigisse regressum ex eiusdem definitione superius posita, neminem præterire crediderim; primus enim processus fuit ab effectu notiori ad causam; secundus autem contra à causa ad effectum, modo ad regressum ipsum requisito, ut paulo post intelliges.

Non solùm ex hùc usque dictis perspicuum est ad aures Aristotelis fieri posse progressum ab effectibus ad inueniendas causas; ita ut ab his inuentis ad effectum progrediamur; sed etiam ex ijs, quæ alibi disertissimis verbis tradidit, dicens naturale nobis esse, ut ascendamus ab effectibus ad causas, ut rursus per causas effectus ipsos comprobemus, quod ab eo quoque factum, & executioni mandatum satis constat. Tum quia à generatione in ratione mutationis tanquam ab effectu gradum facit ad venandam materiam, quæ prædictæ generationis est causa, quâ cognitâ postea regreditur rationem afferens, cur rerum generationes fiant. Tum quia ex sempiterno motu colligit immobile mouens, quo cognito deinceps rationem reddit, quare motus perspectus ab immobili motore fiat.

Ratione autem probatur superior assertio, quoniam non repugnat, quin sæpèsæpius usu venire solet, ut effectus sit quidem notus confusè tamen, eò quòd eius ignoretur causa; quo posito, duo erunt, quæ demonstratione indigent, causa quidem, quam dari vel alicui inesse demonstretur, & effectus similiter, qui per talem causam distinctè cognoscatur; sed unâ, & eâdem demonstratione nequit utrumque præstari; siquidem demonstratio unius, non plurium esse potest, ita ut si per illam notificetur causa, per eandem effectus notificari non possit; instituendus ergo regressus, quo ab effectu ad causam facto processu, iterum à causa ad effectum processus fiat. Cum itaque non repugnet effectus esse nobis notiores, quàm propriæ causæ nec repugnabit demonstratione *quia* inferri causas ipsas, & cum nec etiam repugnet causas esse notiores natura cognitione distincta, quam sint effectus, nec etiam repugnabit per ipsas demonstratione *propterquid* effectus concludi.

Regressus autem utilitatem superius tactam, perspicuè testatur Aristoteles dicens hanc esse viam nobis à natura inditam; ut procedamus ab effectu ad causam, nec aliâ ratione, ex notioribus nobis, scientias adipiscemur fuisse; quando autem regressus fieri possit, declarat egregiè Philosophus dicens, tunc, quando termini sunt reciproci; terminorum enim reciprocatio, permittit transitum ab una, ad aliam demonstrationem, scilicet ab ea, quæ procedit ex effectu confusè cognito, ad causam itidem confusè cognitam, & ab hac cognita distinctè, ad effectum distinctè cognitione percipiendum.

Non

Non de rebus omnibus circularem demonstrationem fieri posse testatum reliquit Aristoteles; quandoquidem is veterum errorem utrunq; superiùs commemoratum, primò reiecit ex eo quia solæ propositiones mediatæ sciri non possunt, nisi per demonstrationem, sed ad immediatas, & per se notas propositiones deueniendum, adeo ut sine demonstratione sciantur, vel saltem cognoscantur aliquo habitu perfectiori, quàm habitu scientiæ, qui quidem habitus dicitur principiorum; ad scientiam igitur non est opus in infinitum processu, nec circularibus demonstrationibus, cum ad principia per se nota citra demonstrationem quamlibet perueniatur. Secundò docet impossibilem esse demonstrationem circularem rationibus numero tribus, quas hic breuiter subijciemus.

Aserendum tertiò Circulum, & Regressum, quem diximus admitti posse, non esse utcunque sumptum, nimirum etiam formaliter, & propriè, sed materialiter tantùm, & impropriè.

Hoc Aristotelis fuisse consilium nemini dubium, cum eę, quibus utitur rationes, mox afferendę, non aliò tendant, quàm ut probent circulum, & regressum nullatenus admitti posse formaliter, & propriè sumptum, ita ut syllogismus circularis procedat ex præmissis non magis notis, quàm per primum syllogismum; nec sufficere in circulo, vel regressu processum ex conclusione solùm cognita vi prioris syllogismi, quod manifestum fiet expendendo rationes, quas diximus Aristotelis.

Prima ratio est, quia demonstratio debet esse ex prioribus, & notioribus; sed duo nequeunt esse mutuò priora, & notiora; ergo non possunt duo per se inuicem demonstrari. Et sanè si conclusio demonstraretur per præmissas, & præmissæ vicissim circulo per eandem conclusionem, certè ipsa conclusio foret minus, & magis nota, quemadmodum, & præmissæ.

Dices idem posse esse prius, & posterius in diuerso genere causæ; vel notius, & ignotius in diuerso ordine cognoscendi, notius ex. gra. nobis, & ignotius naturâ, ita ipse respondet dicens, *ἐστι μὲν τὸν ἕτερον τρόπον. ἔστιν, τὰ μὲν πρὸς ἡμᾶς. τὰ δὲ ἁπλῶς ὄντα πρότερα ἢ ἐπαγωγὴ ποιεῖ γνώριμον*, nisi diuerso modo, veluti alia, *quod ad nos, alia simpliciter, quomodo inductio notum facit*.

Sed hoc ineptè dicitur, nam ut arguit Aristoteles scientia, & demonstratio *propterquid*, de qua erat sermo, procedit à notioribus & prioribus naturâ; licet igitur illud admitti posset, non tamen per utrunq; processum haberetur scientia perfecta, quæ comparatur per notius naturâ, ut suo loco definita fuit, & ut circulus formaliter, & propriè, fatentibus omnibus requirit.

Quòd si quis dicat, idem esse magis, & minus notum naturâ in diuerso tamen genere prioritatis, & causæ. Illud se molestum offert, quòd non semper conclusio, & effectus, qui demonstratur, causæ rationem habet in alio genere respectu præmissarum. Vt præteream hoc esse, quod contendimus, non posse nimirum idem habere rationem effectûs, & causæ in casu, de quo loquimur, propterea quòd si conclusio, ut cognita per primum syllogismum, non est magis nota, nec poterit esse causa cognoscendi præmissarum aliquam, nec in eodem nec in diuerso genere causæ, quoniam ut sic, est minus nota; sed ut posset per ipsam demonstrari præmissa, deberet perfectius, quàm præmissa demonstrabilis, cognosci. Accedit, quòd cognitio conclusionis per primam demonstrationem quando hæc sit demonstratio *quia*, est cognitio mediata, & à posteriori; conclusio cognita igitur ut sic nequit in regressu, vel circulo *propterquid* assumi tanquam præmissa, quoniam huius demonstrationis præmissæ cognitione debent immediatâ cognosci: at si priùs sciatur demonstratione *propterquid*, cognitione distinctâ cognoscitur, & minus, quàm ipsæ præmissæ; ut sic igitur cognita haud poterit ut præmissa in demonstratione *quia* adhiberi, cum in hac præmissæ sint conclusione notiores cognitione quidem confusâ, & quòd ad nos.

Secunda ratio, quia in circulari demonstratione, id, quod non est per se notum, probaretur, & fieret notum per se ipsum, quandoquidem conclusio probaretur, fieretque nota non solùm per præmissas immediatas, sed etiam per præmissas mediatas, ex quibus probarentur præmissæ immediatæ; sed inter præmissas mediatas, daretur etiam ipsa conclusio probanda; ergo conclusio per se ipsam probaretur, fieretque nota, ita ut perinde esset ac si diceretur quòd A, est, quia A, est, seu quòd est, A, si est A; nam si ex A, demonstraretur B, & ex B, demonstraretur C, ex C, autem demonstraretur A, de primo ad ultimum sequeretur ex A, demonstrari A. Vbi per A, primo loco positum, utranque præmissam Aristoteles intelligit. Clariori tamen exemplo rem illustrabimus, si per rationalitatem dicamus demonstrari admirativum, & per admirativum risibile, & per risibile rationale; hic enim circulus erit: immò etiam si per rationale demonstraremus risibile, per risibile rationale. Secunda ratio aduersus circulũ formaliter sumptum.

Tertiò; quoniam conclusio non potest necessariò inferri ex unico termino, neque ex unica præmissa, sed ad minimum inferri debet ex tribus terminis, & ex duabus sumptionibus, seu præmissis; ergo, ut omnia possint inuicem demonstrari, demonstratione circulari, necesse est, ut ex conclusione possit utraque præmissarum ostendi; sed utraque præmissa solùm probari potest in primo modo primæ figuræ, scilicet in *Barbara*, quando omnes tres termini mutuò sunt conuertibiles; in alijs verò figuris, & modis ex solis assumptis in syllogismo præmissarum utraque per conclusionem probari non potest, nec etiam in *Barbara* quando termini non sunt conuertibiles, siue reciprocabiles; cum ergo pauciſſimi sint in *Barbara* syllogismi ex terminis conuertibilibus, pauciſſima quoque erunt principia, quæ possint ex conclusione circulo demonstrari; falsum igitur omnia principia circulo demonstrari posse. 1. Prior. cap. 25. Tertia ratio Aristoteles aduersus circulũ formaliter sumptum.

Sed in horum gratiam, duo sunt explicanda, simulque probanda. Primum, in *Barbara*, cum termini sunt conuertibiles, præmissarum utranque posse mutuò ex conclusione concludi. Secundum in *Barbara*, cum termini non sunt conuertibiles, & in alijs modis primæ figuræ, & in secunda, & tertia figura, nunquam posse præmissarum utranque ex conclusione deduci. Primum ita probatur; sint tres termini conuertibiles. Homo, Rationale, & Risibile; & fiat syllogismus in *Barbara* hoc modo, *Omne rationale est risibile; sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*. Potest autem ex conclusione, & ex minori conuersa simpliciter hoc modo maior probari. *Omnis homo est risibilis; sed omne rationale est homo; ergo omne rationale est risibile*. Rursus ex maiori conuersa & ex conclusione, potest minor probari hunc in modum *Omne risibile est rationale, sed omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis*. Quando autem termini non sunt conuertibiles, non possunt propositiones conuerti simpliciter in aliam uniuersalem, cum solùm in particularem conuerti possit; sed ex altera præmissa particulari, non potest inferri conclusio uniuersalis: quando igitur termini non sunt conuertibiles, in *Barbara* non possunt præmissæ circulo inferri. Quædam considerãda proferentur.

In secunda verò figura, nequit reciprocatio fieri; cùm enim conclusio sit negativa, nequit per ipsam probari præmissa affirmativa, quoniam propositio affirmativa concludi non potest, nisi ex ambabus præmissis affirmativis. In tertia tandem figura, præmissa universalis nequit inferri ex conclusione, quæ semper est particularis. Quoniam autem in cæteris modis primæ figuræ, aliis à *Barbara*, conclusio vel est negativa, vel particularis, sequitur, ut in nullo modo primæ figuræ, excepto *Barbara* concludi possit utraque præmissa affirmativa, cum in negativis nequeat concludi præmissa affirmativa; & in particularibus, concludi non possit præmissa universalis; at verò principia, ex quibus infertur conclusio, duo sunt; ergo quam rarissimè usu veniet, ut omnia principia ex conclusione circulo probari possint.

Non dissimulandum tamen Philosophum hâc suâ tertiâ ratione non probare in universum nunquam dari circulum, cum alibi docuerit quomodo, quando, & quibus in modis circulus à conclusione ad præmissas dari possit; ut in *Cælarent*, ubi conclusio est negativa, inferri tantum potest præmissa negativa, non autem affirmativa; in *Dari*, præmissa particularis, non universalis; in *Ferio*, neutra, quoniam ex particulari negativa, nec universalis negativa, nec particularis affirmativa concludi potest; sed Philosophus id solum ostendendum assumpserat, scilicet quo pacto ex parte formæ in quibusdam syllogismis circulus dari possit, non tamen circulum formaliter sumptum ex parte materiæ aliquam utilitatem habere.

Sec. Pri. à cap. 5.

Superiorum rationum summa.

Summa igitur rationum, quibus est Aristoteles usus ad rejiciendum circulum formaliter acceptum hæc est. Primò, quia idem esset prius, & posterius, notius, & ignotius respectu ejusdem. Secundò, quia idem demonstraretur per idem; si nanque per A, demonstraretur B, & per B, rursus A; ergo A, demonstraretur per A. Tertiò tandem, quia non semper, nec omnia principia possunt per conclusionem demonstrari. Et rectè quidem, nam si de omnibus posset dari circulus; sequeretur quamlibet præmissam circulo demonstrabilem esse; quod ex hactenus dictis non est admittendum, nam in *Ferio* præsertim neutra præmissarum potest circulo demonstrari, non major quia universalis non infertur ex particulari, qualis est conclusio, nec minor inferri potest, quoniam affirmativa non deducitur ex negativa; solum igitur in *Barbara*, circulus locum habet, ut non multo antea dictum fuit, cum tamen sunt termini convertibiles, tunc enim ambæ præmissæ circulo demonstrari possunt.

Secunda assertionis pars, quòd tã Circulus, quàm Regressus materialiter sumptus admitti debet ostenditur.

Rationes tamen, quibus Aristoteles est adversus circulum usus, solum probant, neque circulum, neque regressum formaliter sumptum admitti posse, hoc enim pacto uterque procedit ex conclusione solùm cognita prioris syllogismi vi, quod omnino repugnat. Nullo tamen modo probant circulum, & regressum materialiter acceptum admitti non debere, nam uterque re verâ concedendus; ita ut fateri debeamus à conclusione illata ex præmissis dari posse regressum, & circulum materialiter ad eadem præmissas demonstrandas, tum intercedente circulo, vel regressu inter unam demonstrationem *propterquid*, & aliam *quia*, sive hæc, sive illa præcedat: tum inter utramque demonstrationem *propterquid*, aut utramque *quia* in diverso causalitatis genere.

Supradictorum explicatio, atque probatio.

Hoc planè constat ex dictis, & explicatur magis exemplis ex Aristotele superiùs allatis; prius enim ostendimus, planetas propè esse, eò quòd non scintillant, ita ab effectu ratiocinando. *Omnes stellæ non scintillantes sunt prope nos; sed Planetæ sunt stellæ non scintillantes; ergo Planetæ sunt prope nos.* Nunc à causa procedentes demonstrationem conficimus dicendo, *Stellæ, quæ sunt prope nos, non sunt scintillantes; sed Planetæ sunt stellæ quæ sunt prope nos; ergo Planetæ sunt stellæ non scintillantes*; in qua demonstratione minor propositio debet esse aliunde cognita, quàm per priorem syllogismum, in quo conclusio fuit, alioquin fieret regressus formaliter acceptus, quem detestamur sicuti materialiter sumptum approbamus, & utilem esse contendimus. Amplius demonstravimus Lunam esse sphæricâ figurâ præditam, quia per accretionem illuminatur; sic autem illuminari sensu cognoscimus. Mox autem regredimur, & à priori demonstramus Lunam per accretionem illuminari, quoniam sphæricâ figurâ constat; at Lunam sphæricâ figura præditam esse in hac demonstratione debet à nobis cognosci, non illâ notitiâ habitâ in priori demonstratione, sed aliâ viâ, ut instrumentorum auxilio, vel rationibus aliunde petitis, quibus nimirum ostendi potest sine auxilio prioris illius demonstrationis Lunam, sphæricâ figurâ præditam esse debere. Sic etiam demonstrare nobis licet hominem esse risibilem, quoniam est admirativus, si tamen esse admirativum in hac demonstratione cognoscamus non ex eadem risibilitate, sed ex rationali; deinde præter illam risibilitatis notitiam habitam in hac demonstratione, possumus tandem risibilitatem cognoscere sensu, vel saltem absque dependentia ab admirativo: Ex risibilitate igitur hunc in modum cognita per aliam notitiam regredi possumus ad ostendendum admirativum de homine, ut autem in prioribus exemplis de Planetis, quemadmodum, & de Luna demonstratio *quia* præcessit & *propterquid* subsecuta est: contrario modo in præsenti demonstratio *propterquid* præcedit, & *quia* subsequitur.

Et quoniam dicebamus assumptam in circulo, vel regressu conclusionem debere aliunde, & perfectiùs cognosci, quàm per priorem demonstrationem cognita fuerit, ob id nobis incumbit onus explicandi, quomodo id tam in regressu, quàm in circulo possit obtineri. Duobus modis res proposita contingit explicari etsi parum differant.

Primus est dicentium conclusionem experientiâ sensuque cognosci; tunc autem viâ divisionis, & resolutionis inquiritur causa, & hoc modo devenitur quandoque ad principia nota ex terminis, ita ut ex tali principio possit conclusio, prius tamen per experientiam nota, certius, & scientifico modo cognosci. Asserunt exemplum de lunari eclipsi; experientiâ siquidem, inquiunt, cognoscitur Lunam, deliquio laborare, hujus autem affectionis inquirendo causam devenire potest ad hoc principium per se notum, quod opacum interpositum inter luminosum, & perspicuum, luminis effusionem ad perspicuum impedit, quod si per resolutionem deprehensum fuerit terram esse tale corpus interpositum inter Solem, & Lunam de Eclipsi lunari habebitur scientia, nec solùm experientiâ cognoscetur, sed etiam & *propterquid* cognitum erit. Hinc ex eorum sententia processus in regressu talis est, ut prius confusè cognoscatur effectus, videlicet experientiâ, quòd existat. Secundò analyticè inquiritur causa abstrahendo ab hoc, quòd effectus sit, vel non sit in tali subjecto. Tertiò demonstratione *quia*, per effectum demonstratur causam esse in tali subjecto. Totus autem iste processus, est confusus, ut ipsi quoque rectè notarunt, nam effectus tunc distinctè cognoscitur, quando per causam redditur notus: confusè verò quando via sensûs percipitur, causa itidem confusè cognoscitur, quando ipsa scitur duntaxat quòd sit, non autem quid sit. Tandem à priori, & distinctè

Prii modus ficicus

per

per causam demonstratur effectus, qui quidem regressus perneccssarius est ad habendam certissimam cognitionem perfectissimamque scientiam de rebus. In hoc autem explicationis modo aliquid, meâ sententiâ, desideratur, quod paulo post explicabo.

Secundus modus explicandi, quâ viâ possit euidens affectus, atque conclusio fieri, & etsi ignoretur *propterquid* docet id haberi per ulteriorem cognitionem, ita ut primò demonstratione *quia*, probetur causa, secundò non statim fiat regressus, sed juxta maiorem, vel minorem intellectûs perspicacitatem, non nihil sistatur in cognitione distincta causæ, inuestigando scilicet ulteriori cognitione, aliisque vijs quid sit causa, qualisque sit cum effectu connexio, quæ quidem cognitio perfectior erit illâ iam habitâ per demonstrationem *quia*; tandem hoc modo post hanc mentis negotiationem, poterit fieri demonstratio *propterquid*; iuxta quem declarationis modum, plerique dixerunt per diuisionem, quandoque ad principia nota externis deueniri; ita ut inuentâ causâ & circa ipsam negotiando nobis immediata principia nota reddantur. Hic etiam explicationis modus vitio laborat quo minor; ita ut amplius aliquid desiderandum videatur; cum enim constet necessarium esse mentale quoddam examen in demonstratiuo regressu, per duos traditos explicationis modos non habetur quomodo huiusmodi examen institui debeat.

Ad hoc igitur mentale examen explicandum redeat in memoriam, quæ de regressu diximus videlicet regressum esse quendam demonstrationis modum quo ab effectu confusè cognito, ad causam confusè cognoscendam progredimur, ut mox à causa distinctè percepta ad effectum distinctè cognoscendum reuertamur. Ex quo facilè intelliges duos saltem requiri discursus, quorum alter dicitur demonstratio *quia*, & per ipsum demonstratur existentia causæ: alter verò demonstratio per causam proximam, per quem discursum ostenditur *propterquid* effectûs; duos autem commemoratos discursus in re proposita interuenire nemini dubium, an autem sufficiant, vel potius addendus sit alter medio loco positus, qui sit intellectûs negotiatio, vel mentale quoddam examen, deducens mentem ipsam ad causæ quidditatem distinctè cognoscendam, adeo ut hæc ita cognita medium sufficiens sit ad inferendum propterquid effectûs distinctè: an verò ad hoc præstandum sufficiat cognitio de existentia causæ in priori discursu, maxime quidem in controuersia positum est; quid in re proposita mihi dicendum videatur, paucis aperiam, & ut à certis exordiar.

Asserendum primò ad cognoscendum propterquid effectûs non sat esse in demonstratiuo regressu causæ duntaxat existentiam cognoscere.

Hanc assertionem ea ratio conuincit, quoniam cognitioni, quæ de causa habetur, cognitio de effectu proportione respondet; ut igitur per priorem discursum habetur cognitio de causa quantum ad existentiam: sic in posteriori discursu cognitio de effectu, quantum ad existentiam tantum esse debebit, nec esse poterit cognitio, quâ intellectus attingat propterquid ipsius, non enim idem est cognoscere existentiam effectûs, & propterquid eiusdem; ad cognoscendum igitur propterquid effectûs, haud satis causæ existentiam cognoscere, quod clarius explicatur exemplo, si quis à risibilitate procedens arguat existentiam rationalis, nisi huius naturam introspexerit solùm poterit reuertendo cognoscere existentiam risibilis, non autem eius *propterquid*, ad quod est opus ulteriori quadam inquisitione, quâ probè natura, & essentia rationalitatis cognoscatur, eâ siquidem ignoratâ, non potest attingi *propterquid* risibilitatis, quoniam adhoc oportet cognoscere, quomodo ex rationalitate profluat risibilitatis affectio. Verbo dicam, non sat est cognoscere existere id, quod est causa ad habendum *propterquid* effectûs; sed id quod est causa secundum causæ rationem est cognoscendum, seu & in idem recidit, quod est causa debet cognosci ut causa; & hinc alia elicitur ratio.

Amplius igitur assertionem ostendo, quoniam ad comparandam scientiam, non satis cognoscere causam, sed oportet illam cognoscere quatenus causa est, ita ut causa non generet scientiam nisi cognita quatenus causa, ut nos docuit Philosophus definiendo scientiam, in definitione siquidem particulam adhibet, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, *quòd illius causa est* quâ significari causam ut causam, suo loco docuimus; at cognoscere causam duntaxat existere, & quidem confuso modo, non est cognoscere causam, ut causam; ad cognoscendum igitur propterquid effectûs, non satis causæ existentiam cognoscere.

Secunda ratio.

1. Post. Tex. 7.

Asserendum secundò non statim existentiâ causæ perceptâ, reuertendum ad demonstrandum *propterquid* effectûs, sed ulteriori est opus perquisitione, quâ causæ cognoscatur essentia. Hoc Aristotelem voluisse manifestum satis, quoniam id executioni mandauit; primò namque de physico auditu procedens ab effectu ad causam, cùm ex naturali transmutatione materiæ quidem existentiam inuestigasset, non statim redit causa ad effectum, ostendendo nimirum *propterquid* transmutabilitatis, sed deprehensâ materiæ existentia industriè venatur eiusdem naturam plures de ipsa passiones declarando, ut quòd *contrariorum sit susceptiua* quorum natura est mutuò se expellere ab eodem subiecto, quâ ratione materia modo sub forma, modo sub priuatione eiusdem existit, aliisque etiam de materia cognitis à priori reuertitur demonstrans transmutabilitatem rerum naturalium per materiam, tanquam per causam, ut habetur primo libro de Ortu. Hoc idem fecisse octauo libro eiusdem operis perspicuè constat; cum enim ibi per demonstrationem *quia* ex æternitate motûs existentiam æterni motoris intulisset, non statim cognitâ huiusmodi existentiâ regreditur, optimè aduertens æternum motorem ita cognitum, sufficiens non esse medium ad significandum propterquid æterni motûs; sed immoratur de industria in consideratione motoris æterni, perscrutando scilicet eius naturam, & ostendendo illum esse impartibilem, innumerabilem, immobilem, quibus declaratis, distinctèque cognito primo motore, eo tanquam sufficienti medio utens, reuertitur ad ostendendum *propterquid* æterni motus; nò igitur statim primi motoris existentia deprehensâ ad *propterquid* æterni motûs ostendendum regreditur.

Secunda Assertio.

Aristotelis auctoritate cõprobatur, & ratione suadetur.

Octauo Phys. Tex. 52. Lib. 3. de Anima.

Hoc idem ab ipso factum cernimus, quando ex operationibus inuenit intellectum possibilem, & agentem, non enim statim utriusque existentiâ cognitâ, reuertitur ad *propterquid*, ostendendum de operationibus, quin potius omni studio, diligentiâque, curat sibi naturam utriusque perspectam reddere, tanquam ratus ad cognoscendum propterquid de operationibus non satis esse utriusque intellectus existentiam cognouisse.

At quia causa, quam in regressu indagamus, considerari potest sub una, vel alia ratione, est propterea cur dubitetur, quæ nam sit ratio, sub qua nos reuertendo debeamus illam attingere, propterea breuiter.

Sub qua ratione causa in regressu debeat attingi.

Asserendum tertiò causam in regressu præsertim indagandam esse tanquam medium ad demonstrandum *propterquid* effectûs.

Tertia assertio.

Hoc mihi certum ex eo quod causa in regressu sub ea ratio-

Ratione suadetur.

ratione debet attingi, sub qua habet affectio ut subiecto conueniat, hoc enim pacto est *propterquid* illius; sed hoc non habet causa, nisi quatenus medium est; obid causa in regressu sub ratione medij debet attingi.

Quarta assertio. Asserendum quartò non statim habito priori discursu ab effectu ad causam, cognitâque causâ sub ratione causæ intellectum posse reuerti ad cognoscendum *propterquid* effectûs, sed ad id indigere præsidio, quod, Ἀνάλυσις, vel ἐξέτασις, *inquisitio*, vel *exquisitio*, dicitur: & in quo istud consistat inquirendum esse.

Ratione quæritur. Ex præmissa quidem assertione præsens apertè colligitur; dicebatur enim ad demonstrandum propterquid effectûs opus esse, ut intellectus cognoscat causam, non modo sub ratione causę, sed etiam sub ratione medij, merito cuius effectus hoc est passio, siue affectio subiecto insit; sed hoc ab intellectu obtineri non potest, nisi per quandam inquisitionem, ut mox intelliges; ergo ut intellectus demonstrare possit *propterquid* effectûs, inquisitio ei quapiam omnino ineunda est; assumptio euidens est, quandoquidem ad cognoscendam causam sub ratione medij, oportet diligenter obseruare varias affectiones eiusdem, & effectûs seu proprietatis; nam si viso effectu, ac eius primo quidem occursu, non statim intellectus causam cognoscit sub ratione causæ, multo minus sub ratione medij; necesse igitur est, ut aliquam inquisitionem adhibeat.

Explicatur, in quo consistat inquisitio adhibenda in regressu. In quo autem hæc inquisitio consistat, breuiter explicabo; hæc proculdubio mentis, πρᾶγμα *negotium* est; propterea quòd ipsa conferre debet proprietatem cum causa, & huius naturam diligenter inquirere, ad quod variæ eius proprietates conducunt; quemadmodum etiam ad introspiciendam naturam eius, de quo est affectio demonstranda, hoc enim est quod Philosophus inculcat dicendo, ἀλλὰ τὰ ἀνάπαλιν τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ ἰδεῖν τὸ τί ἐστιν. *Sed & contra accidentia magnopere conferunt ad cognoscendum quid est*. In his autem præsertim humanæ mentis elucet industria, nihil enim operosius, quàm causas venari, adeo ut illas assecutus non immeritò felix dicatur; si mens autem unquam, ἀσχολίαν ἄγειν, ἔν τινι, *negotijs distrahi*, dici possit, tunc profectò maximè, cum in causarum exquisitione versatur, præsertim secundùm illam rationem, secundum quam ad ostendendum *propterquid* effectûs assumi debet; quomodo autem id tibi peragendum, non melius intelliges, quàm obseruando quâ id arte Philosophus fuerit assequutus; ineunda igitur tibi via, quam ipse calcauit. Aristoteles porro cum sibi proposuisset transmutationis naturalis causam indagare, hanc cum materia, & cum rebus naturâ constantibus diligenter contulit, hoc autem peracto, non statim materiam cognouit transmutationis prædictæ causam esse, sed solum generationem naturalem absque materia fieri non posse; reperit deinde materiæ conditiones, & quo munere in generationis exercitio fungatur, aduertens ipsam subesse contrarijs, eademque recipere, quæ ex ipsa materia se mutuò expellunt, proindeq; sub contrariorum utroque, scilicet sub forma, & priuatione temporibus tamen diuersis materiam perseuerare adeo ut ad extremum ipse dicere potuerit, λέγω δ' ὕλην, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπαρχόντος ἀεὶ καὶ συμβεβηκέτος ἐστερεῖσθαί τι. ὡς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον ὅτι ἐφαρμόττει ἕξει, ἐὰν φθαρῇ. *Materiam enim voco primum cuiusque rei subiectum, ex quo insito fit aliquid non per accidens, sique quid intereat, in hoc vltimum abibit, quare interempta erit, antequam interimatur*. Hoc igitur illud negotium mentis, quo quid materia sit, in lucem prodit, seu est illud examen, per quod mens cognoscit materiæ naturam, simulque principium eam esse generationis, & causam; his autem exantlatis, reuertitur ad generationem postea cognoscendam, secundùm mutationis rationem hoc modo regressum instituendo, nempe primum è duobus, quibus constat discursibus. *Vbi est generatio sub ratione mutationis, ibi est materia; sed in corpore naturam habente est generatio sub ratione mutationis; ergo in huiusmodi corpore materia est*, hic est primus discursus, atque adeo prima regressûs pars. Modo autem paululùm subsistit, non tamen otiosa, sed potius studio causæ perquirendæ magis concitata, agitatione sui per transmutationem iam dictam reperto materiam existere, quid ipsa sit, assequitur, proindeque deprehendit naturalem generationem absque materia fieri non posse, quoniam in qualibet mutatione duo concurrunt contraria mutuò se expellentia ab eodem subiecto, cuiusmodi sunt forma, & priuatio, atque adeo à subiecto, quod sit obnoxium ortui, & interitui, uti materia est, quæ propterea ingenerabilis, & incorruptibilis, modo sub una, & modo sub altera forma reperitur, ut idcirco, quicquid materiâ constat, intereat necesse est; ita ut inde generetur aliud; his autem peractis mens pergit demonstratura per causam proximam transmutationem de corpore naturam habente, ita ratiocinando, *ubi est materia, ibi etiam, & naturalis generatio, hoc est generatio habens mutationem adnexam: sed in corpore naturali reperitur materia; ergo in huiusmodi corpore reperitur generatio mutationem habens adnexam*.

Hactenus autem dicta de causa, & effectu in regressu, sunt etiam intelligenda de duabus inuicem causis in circulo, quod causa nimirum assumpta, pro medio in circulo, priùs, & perfectiùs alijs vijs cognosci debeat, adeò ut habeatur de ipsa immediata cognitio, siquidem causa prout huiusmodi, debet immediate cognosci, secus ut effectus.

Difficultates autem quæ afferri solent, & quas magna ex parte superius tractauimus, præsertim ex Aristotele depromptas, faciunt contra circulum formaliter, & propriè sumptum, non autem materialiter, & impropriè acceptum; hoc enim dato, non sequitur idem eodem modo cognitum esse notiùs, & ignotius, prius & posteriùs, aut per se ipsum probari; sed solùm idem uno actu cognitum esse notiùs, quàm sit cognitum alio actu, & hunc in modum posse esse priùs, vel posteriùs &c. unde est ut hic discursus dicatur circulus, vel regressu materialis, quoniam ad eandem reuertitur materiam, ille autem formalis, eòquòd ille reuertitur non solùm ad eandem materiam, sed ad eundem formalem conceptum.

Aliquæ igitur tantùm difficultates aduersus dicta superius de intermedia inquisitione requisita ad regressum breuiter sunt expendendæ.

Primò autem se offert difficultas in eo posita, quòd si admitteretur huiusmodi perquisitio intermedia ad cognoscendam causam, sequeretur hanc ex effectu per illam innotescere, sed hoc destruit regressum, cum supponamus in hoc primò ab effectu procedi ad causam inquirendam, ut hæc nota reddatur.

Respondendum sequi duntaxat ex effectu non reddi notam causam immediatè nisi quantùm ad existentiam, quod ultro fatendum, non enim hoc modo reddi potest nota quantùm ad essentiam, & sub ratione medij &c. secundùm quam rationem non nisi intermedia perquisitione cognoscitur.

Illud etiam difficultatis aliquid habet, quod ex hac intermedia perquisitione regressûs natura destruitur; regressus enim ut superius etiam dictum fuit, duplici processu constat, scilicet ab effectu ad causam, & viceissim, & in his duobus tantùm consistit, hanc igitur inter-

Digitized by Google

intermedia perquisitio adiuncta, regressûs naturam destruit.

Fit obuiam respondendo, cum dicitur regressus in duobus illis processibus consistere, id intelligendum esse tanquam in duabus partibus principibus, quæ duæ tantum profectò sunt; non iubinde tamen licet perquisitionem intermediam reijcere.

Amplius, hæc intermedia perquisitio nisi longo tempore fieri non posset, cum per illam instituí debeat comparatio inter causam & effectum, & utriusque conditiones adinueniri; & nihilominus intellectus momento temporis utrunque processum absoluit; commentitia igitur est hæc intermedia perquisitio.

Sed quàm falsum sit momento temporis utrunque processum celebrari, quotidiana testatur experientia; utinam id ita esset, non enim tot nobis forent perferendi labores ad inquirendas causas; breuissimo quidem tempore, ne momento dicam, inanes cogitationes fiunt, solidæ tamen meditationes non item, hæ namque debent veritatem attingere, quam Saturni, hoc est diuturni temporis filiam, non inceptè veteres finxerunt. Non inficiandum tamen quandoque tardiùs, quandoque citiùs causas rerum cognosci, pro ratione euidentiæ earum, vel perspicacitatis ingenij nostri.

Acriùs tamen urgeri potest hoc pacto. Vel illa perquisitio est ab effectu ad causam, vel viciſſim; alterutrum dicatur, sequitur esse superfluam, utpote non distinctam à duobus processibus, quibus regressus constare perhibetur.

Respondendum perquisitionem illam intermediam esse quidem à posteriori, adhuc tamen à primo processu distingui, quoniam hic solum tendit ad existentiam causæ, illa verò ad essentiam, & ad alia, ad eiusdem naturam spectantia; nam aliud est cognoscere causam esse, aliud, quid ipsa sit attingere, & aliud habere perspectum *propterquid* effectus, in quorum gratiam pauca quædam paulo infra subijciam, ut Sectioni denique modum faciam.

Sed contra sic aliquis insurget. Admisso causæ quidditatem demonstratione *quia* notificari, sequeretur sufficientem esse primam regressûs partem, scilicet demonstrationem ab effectu, atque adeo frustra quidem exquisitionem intermediam, utpote procedentem ab effectu instituí, cum quicquid potest hæc præstare, prima discursûs pars abundè præstiterit.

Et in confirmationem illud accedit, quòd demonstratio *quia*, vel semper notificat quid, vel nunquam; non autem aliquando notificat, aliquando non; ergo secunda non notificabit, superior notificare non potuit.

Obuiam iur respondendo intermediam illam exquisitionem requiri, non quia processus ille ab effectu in prima parte regressus non habeat vim notificandi *quid*, quemadmodum habet notificandi *quòd*, cum eiusdem sit mentis cognoscere *quòd* & *quodquid*, sed quoniam prior discursus versari non potest nisi in cognitione, *quod est* causæ, siquidem per ipsum infertur conclusio, in qua non ostenditur causam cum suo effectu necessario nexu coniungi, sed tantum in subiecto inesse, virtute quidem maioris propositionis, in qua causa & effectus iunguntur; & quoniam non cognoscuntur ut effectus, & causa, sed ut duo necessario vinculo coniuncta; propterea superest inquirendum, quo id pacto contingere dicendum sit, an scilicet id accidat, eòquòd sint causa, & effectus, an aliquâ aliâ ratione, quâ illa dicantur quomodocunque coniuncta, ad quod asequendum intellectus indiget illâ perquisitione, quæ, prout magis, vel minus cauta in occulto iacet, gemina esse poterit, aut enim erit demonstratio *quia*, cum causa scilicet abstrusior est, vel in demonstratiua inductione consistet, quod ab Aristotele obseruatum cernimus, is enim dum arguit; *Vbicunque est generatio substantialis, ibi est materia; sed in corpore naturali est substantialis generatio: ergo in corpore naturali est materia*; maiorem inductione probat, qua de re infra, ubi de Methodo.

Ex his patet, quid ad confirmationem dicendum sit. Quid autem Regressus requirat, explicandum superest. Ardua sanè res est, plurimisque difficultatibus implicata à quibus se expedire non licet, nisi quædam præmittantur, quæ proximè videntur ad veritatem accedere, & primò quidem illud, videlicet, duo esse, quæ ad distinctè causam cognoscendam, magno possunt nobis esse præsidio, quorum unum est cognitio *quòd est*, mens enim hinc ad cognoscendum *quid est*, manu ducitur præcognitio siquidem *quòd est*, ad cætera cognoscenda plurimum habet momenti. Secundum est quædam collatio inter causam inuentam, & effectum, cuius beneficio illa deprehensa fuit, non ita ut cognitio habita solum per comparationem attingat hanc esse causam, & illum, effectum, sed quoniam percipit aliquam conditionem causæ, & indè etiam aliam, ac aliam, donec tandem asequatur eam esse huius effectus causam, ita ut huius naturam hactenus sibi perspectam reddat. Num autem hoc definitionis ope, an potius resolutiuæ methodi nobis asequi datum sit, maximè controuersum, de quibus opportunius Dissertatione de Ordine, & Methodo disputandum, solum hic iuvabit aduertere, quid per duos discursus præstetur, quibus tanquam principibus partibus regressum constare dicebamus; sic enim magis innotescet ipsius regressûs natura, proinde facilius constabit quid de re proposita suo loco dicendum sit; per primum igitur discursum, quo ab effectu ad causam progredimur non ostendimus simpliciter causam esse; non secus ac si diceremus, *fumus est; ergo ignis est in natura rerum*; sed ex nexu effectus cum causa in maiori propositione, demonstramus in subiecto aliquo tertio causam inesse, eòquòd in eodem subiecto effectus inest, quemadmodum per demonstrationem *propterquid*, non concludimus effectum simpliciter esse, sed ex nexu causæ cum effectu in maiori propositione effectum esse in aliquo subiecto tertio demonstramus.

Confirmationi occurritur.

Quædam præmittuntur.

Demonstratio siquidem est complexorum, quod adeo verum, ut, quando etiam quidpiam ex. gra. primum Motorem existere demonstrandum asumimus, quod est simplex in prædicatione de secundo adiacente, complexionem induat per prædicationem de tertio adiacente, atque adeo demonstremus existentiam tanquam prædicatum de eo, quod existere concludendum suscipimus. Sed aduertendum per quisitionem agitatione mentis circa maiorem propositionem primæ demonstrationis, quæ ab effectu est, fieri, non autem circa minorem, aut conclusionem; siquidem in conclusione connexio tantum causæ cum subiecto demonstratur, quod est ostendere an est ipsius causæ; in minori autem asumitur effectum cum subiecto connexum esse; at in maiori habetur nexus causæ cum effectu, nexus, inquam, in quo tota difficultas posita est; ut propterea omnem industriam intellectus debeat in expendenda maiori propositione collocare, ut inde notificata, possit ad efficiendam demonstrationem *propterquid* effectûs, adhiberi; neque mirum namque maior per simplicem conuersionem deseruit demonstrationem *propterquid* effectus; minor autem, & conclusio solâ transpositione ad id indigent, ut videlicet minor demonstrationis ab effectu fiat potissimæ

demon-

demonstrationis conclusio.

2. Posteriorum Tex. 105. Cæterum dum pergit Philosophus à particula centesima quinta ita disputat, ut ostendat immediatam propositionem non solùm affirmatiuam, sed negatiuam esse concedendam, simul declarans quomodo concedi debeat sumptâ occasione ex antecedenti particula, cum enim ibi docuisset primam figuram esse maximè accommodatam ad scientiam comparandam, non ita tamen, ut excludenda sit secunda, aduertens hoc fieri non posse de medio sublatâ negatiuâ immediatâ propositione; propterea duxit operæ pretium hanc explicare, sub illis verbis, *quemadmodum autem contingebat A, ineſſe B, indiuiduè, ita & non ineſſe contingit*. Explicat indiuiduè ineſſe hisce verbis, *dico autem indiuiduè ineſſe, aut non ineſſe, eòquòd non est ipsorum medium, sic enim non erit ſecundum aliud ineſſe, aut non ineſſe*; & rectè quidem, nam propositio, cuius datur medium inter prædicatum & subiectum, diuidua est, nempe diuisibilis in duas.

3. Post. Tex. 105. Explicat porrò quænam sit propositio immediata negatiua, & ait eam esse, cuius & subiectum, & prædicatum est supremum genus; ut hæc *nulla ſubſtantia eſt quantitas*; ratio autem in eo posita, quoniam omnis propositio negatiua, cuius vel prædicatum, vel subiectum est sub aliquo genere, mediata est, & demonstrabilis, semper enim per genus illud poterit demonstrari, ut si dicatur *nulla ſubſtantia eſt linea*; cum enim linea sub quantitate contineatur, propositio demonstrabilis est hoc modo, *nulla ſubſtantia eſt quantitas; omnis linea eſt quantitas; ergo nulla ſubſtantia eſt linea*.

Dubitatio. Dubitatio tamen insurgit, quoniam videtur propositio negatiua, in qua unum supremum genus de altero prædicatur, demonstrari posse per definitionem unius ex illis, nempe substantiam non esse quantitatem per definitionem substantiæ; immo per aliqua accidentia, quæ vel substantiam, vel quantitatem consequuntur.

Solutio. Occurritur utrunque negando, tum quia suprema genera propriè definiri non possunt, tum quia etsi concedatur hæc per accidentia posse demonstrari, id erit per demonstrationem à Posteriori, de qua in præsentia non fit sermo. Sunt etiam, & alia negatiuarum propositionum genera, cuiusmodi sunt illæ, quarum termini sub eodem genere continentur, ut *nullus homo eſt Leo*; *nullus homo eſt planta*; tales autem propositiones per genus proximum ostendi possunt, dummodo in genere remoto conueniant; ita quidem demonstrabimus nullum hominem esse plantam, eòquòd nulla planta sit animal; constat autem animal esse proximum genus, sub quo continetur homo. Quòd conueniant in genere proximo, possunt per ultimam differentiam ostendi, ut *nullus Leo eſt homo*, quoniam nullus Leo est rationis particeps. Dantur etiam negatiuæ propositiones, in quibus una differentia de alia prædicatur, ut *rationalitas non eſt rugibilitas*, seu *rationale non eſt rugibile*; de his autem idem ac de supremis generibus iudicium esto.

SECTIO TERTIA.

De syllogismo gignente in nobis ignorantiam, ac de alijs, de quibus deinceps Aristoteles edisserit.

Tractationis ordo. CVm hucusque disputatum fuerit de syllogismo, qui parit scientiam, cuiusmodi est ille, qui dicitur demonstratio, hoc loco non erit abre de syllogismo opposito pauca quædam subijcere, hinc enim syllogismi demonstratiui natura magis elucebit. Præmittendum autem utrunque syllogismum ratione formæ bonum dici posse, cum uterque in debito modo, & figura fiat, non tamen uterque bonus ratione materiæ, nam syllogismus, per quem acquiritur scientia, semper est ex præmissis veris de conclusionibus veris, ut suo loco fuit explicatum; Syllogismus autem per quem in nobis fit ignorantia atque deceptio, quamuis plerunque bonus sit ratione formæ, non tamen ratione materiæ, quoniam concluditur per hunc syllogismum conclusio falsa ex utraque falsa præmissa, aut ex altera tantummodo falsa. In quorum gratiam præmittenda est ignorantiæ quædam communis acceptio, quatenus idem significat, ac nescientia, quæ de ijs esse dicitur, quæ scire aliquis non potest; eadem verò propriè sumpta est de ijs, quæ potest quispiam suâ cognitione percipere; de his Aristoteles verba facturus suam tractationem in duas diuidit partes, iuxta dupliccm ignorantiæ speciem, videlicet prauæ dispositionis, & simplicis, ac puræ negationis. Primò autem de prima specie disputationem instituit suam considerationem in duas diuidens partes, nam primò sermonem habet de syllogismo deceptorio, qui fit secundum propositiones immediatas, tum negatiuas, tum affirmatiuas; secundò de syllogismo deceptorio, qui fit secundum propositiones mediatas, similiter, tum negatiuas, tum affirmatiuas. Ad primum quod attinet, de ignorantia prauæ dispositionis ita loquitur. Ἀγνοια δ' ἡ μὲν κατ' ἀπόφασιν, ἀλλὰ κατὰ διάθεσιν λεγομένη, ἔστιμὲν, ἡ διάλογισμοῦ γινομένη ἀπάτη. *Ignorantia verò, quæ non ſecundum negationem, ſed ſecundum diſpoſitionem dicitur, eſt deceptio, quæ per ſyllogiſmum efficitur*: Itaque ignorantia prauæ dispositionis est deceptio orta in nobis, vel sine syllogismo, non tam scilicet ex discursu, quàm ex defectu eiusdem, vel ex syllogismo. Ignorantia prauæ dispositionis in nobis orta ex syllogismo, vel est circa propositiones immediatas, vel circa mediatas: vel circa affirmatiuas, vel circa negatiuas. In his autem tractandis Aristoteles ita se gerit, primò enim edisserit de ignorantia prauæ dispositionis ortum ducente ex syllogismo circa propositiones immediatas: secundò de ea, quæ pariter ex syllogismo oritur circa propositiones mediatas; tertiò de ignorantia puræ negationis.

Ignorantia deceptionis ex syllogismo orta circa propositiones immediatas duplex est: altera, qua concluditur esse, quod non est, ut si concludatur hæc propositio *omnis qualitas eſt ſubſtantia*, cum propositio vera, & immediata sit, *nulla qualitas eſt ſubſtantia*: altera, quâ concluditur non esse quod est, ut si concludatur hæc propositio, *nullum corpus eſt ſubſtantia*, cum propositio vera, & immediata sit, *omne corpus eſt ſubſtantia*. Propositio falsa solum concludi potest ex præmissis falsis, nisi syllogismus in forma peccet; ergo vel concludi potest ex utroque præmissa falsa, vel ex altera tantum falsa; si utraque est falsa, vel est falsa omnino ita ut contraria sit vera; vel est falsa ex parte; ita ut contraria non sit vera; sed contradictoria.

His præhabitis, aggreditur explicare, quem in modum possit inferri conclusio affirmatiua falsa contraria negatiuæ veræ, & immediatæ. Hæc propositio negatiua, *nulla quantitas eſt ſubſtantia*, vera est & immediata; Si per medium igitur aliquod hæc probetur affirmatiua, *omnis quantitas eſt ſubſtantia*, Syllogismus fiet concludens falsam propositionem contrariam negatiuæ, veræ, & immediatæ. Hic autem syllogismus tribus modis fieri potest, vel nimirum ex utraque præmissa totaliter falsa, adeout earum contrariæ sint veræ; vel ex utraque præmissa partialiter falsa, ita ut non contrariæ, sed contradictoriæ præmissarum veræ sint: vel fieri potest syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex altera præmissa vera, altera autem falsa, non ita tamen, ut utralibet præmissarum possit

posse esse vera, sed solùm maior, minor enim semper erit falsa.

Ad primum quod attinet; sumatur pro medio aliquid, de quo substantia possit uniuersaliter negari, quemadmodum, & de quantitate, tale autem medium est *qualitas*: tum affirmando uniuersaliter substantiam de qualitate in maiori propositione, & in minori qualitatem affirmando uniuersaliter de quantitate, fiet syllogismus inferens positam conclusionem falsam ex utraque præmissa totaliter falsa, ita ut contraria vera sit; ut *omnis qualitas est substantia; omnis quantitas est qualitas; ergo omnis quantitas est substantia*.

Ad secundum quod attinet; sumendum aliquid pro medio, de quo substantia partialiter tantùm possit affirmari, quemadmodum & de quantitate; huiusmodi autem medium est *perfectum*; de hoc autem in maiori uniuersaliter affirmetur substantia, ipsum verò in minori de quantitate uniuersaliter affirmetur, & fiet hic syllogismus, *omne perfectum est substantia: omnis quantitas est perfecta; ergo omnis quantitas est substantia*; in hoc autem syllogismo utraque præmissarum falsa est solùm partialiter, adeo ut contradictoriæ, non autem contrariæ veræ sint; non enim hæc propositio, *nullum perfectum est substantia*, vera est, quemadmodum nec ista, *nulla quantitas est perfecta*, sed solùm vera est, *aliquod perfectum non est substantia*, quemadmodum & hæc, *aliqua quantitas non est perfecta*.

Ad tertium quod spectat; maior potest esse vera, quoniam sumi potest pro medio, aliquid inferius substantiâ, quæ maius extremum est; tale autem medium est *homo*, de quo substantia, tanquam de inferiori poterit uniuersaliter, & verè affirmari, fierique vera propositio, *omnis homo est substantia*; at verò *homo* non poterit in minori verè affirmari de quantitate, fiet autem syllogismus hoc modo, *omnis homo est substantia; omnis quantitas est homo; ergo omnis quantitas est substantia*; ex huius syllogismi duabus præmissis, maior est vera, minor autem falsa.

Quæri autem solet, an hoc fieri possit ex maiori falsa, & minori vera. Quidam absolutè negant, quoniam si vera esse poset minor veritate requisitâ ad demonstrationem, deberet de minori extremo affirmari medium, quod sit definitio subiecti; siquidem demonstrationis medium est subiecti, seu minoris extremi definitio; at verò subiectum, puta quantitas, non habet definitionem; ergo non poterit fieri syllogismus minore existente affirmatiuâ. Minorem probant; supponitur enim, inquiunt, hanc propositionem affirmatiuam, *omnis quantitas est substantia*, contrariam esse huic negatiuæ veræ, & immediatæ, *nulla quantitas est substantia* ac eo ipso, quòd hæc est immediata, substantia negatur de quantitate ratione sui, & proinde quantitas non habet superius genus, alioquin substantia de quantitate ratione talis prioris generis negaretur, ac ob id illa propositio, non foret immediata, sed mediata; ergo quantitas defectu generis, definitionem habere non potest.

Rectius alij respondent id fieri non posse nisi in duobus casibus, quorum primus est, quando medium est terminus transcendens, ut *omne ens est quantitas; omnis substantia est ens; ergo omnis substantia est quantitas*; siquidem pro medio, terminus prædicamentalis, puta generalissimum alicuius prædicamenti sumatur utraque præmissa falsa erit, ut *omnis qualitas est quantitas; omnis substantia est qualitas; ergo omnis substantia est quantitas*. Secundus casus est quando arguitur per regulam anteprædicamentalem, *quidquid dicitur de aliquo, dicitur etiam &c.* ut *omnis substantia est numerus; omnis numerus est quantitas; ergo omnis substantia est quantitas*.

Concludit Philosophus deceptionem circa affirmatiuam contrariam negationi immediatæ contingere non posse, nisi per syllogismum primæ figuræ, eâ ratione ductus, quoniam secunda figura solùm negatiuè, tertia solùm particulariter concludit; hic autem habetur sermo de syllogismo opposito demonstrationi; quemadmodum igitur demonstratio non concludit particulariter, sed uniuersaliter; sic syllogismus illi oppositus debet uniuersaliter concludere, proindeque in prima figura, & in *Barbara*, fieri. Ibidem.

Cum autem explicasset, quâ ratione per syllogismum concludatur affirmatiua falsa contraria negatiuæ veræ, & immediatæ; explicat modo, quo pacto concludatur negatiua falsa contraria affirmatiuæ, veræ, & immediatæ. At verò propositio negatiua uniuersalis falsa contraria affirmatiuæ, veræ, & immediatæ, tum in prima, tum in secunda figura concludi potest, non autem in tertia, quæ solùm particulariter concludit. 1. Post. Tex. 112.

In prima autem figura fieri potest syllogismus ex utrâque falsa, & ex altera tantùm, siue sit maior, siue minor; ex utraque falsa; si enim sumatur pro medio aliquid, de quo maius extremum, hoc est animal dicatur æquè immediatè, ac de homine qui sit minus extremum; medium autem sit equus, & concludetur falsa conclusio ex duabus falsis præmissis; nam hæc est uniuersalis negatiua immediata, & falsa, *nullus homo est animal*; quemadmodum enim propositio affirmatiua uniuersalis, in qua prædicatur definitio, vel pars definitionis de definito est immediata, & vera, quoniam inter definitionem, & definitum, nullum cadit medium, non dissimiliter eius negatiua uniuersalis est immediata, & falsa. Quamobrem hæc propositio, *nullus homo est animal*, in prima figura ex duabus præmissis falsis concludi hoc modo poterit, *nullus equus est animal; omnis homo est equus; ergo nullus homo est animal*. Constat autem utranque præmissam, & conclusionem falsam esse. Ibidem.

Secundò potest eadem conclusio inferri ex una tantum præmissa falsa, siue illa sit maior, siue minor. Ex maiori quidem vera, & minori falsa, potest hæc propositio concludi *nullus homo est animal*; cum enim animal non omnibus insit, sumi potest pro medio aliquid, cui animal uniuersaliter non insit, puta *lapis*, & tunc vera erit maior, *nullus lapis est animal*, minor autem *omnis homo est lapis*, est falsa, tum, quia eo ipso quòd animal uniuersè negatur de lapide, lapis autem uniuersè de animali, ac de omnibus contentis in illo, cuiusmodi est homo, propterea falsa erit propositio *omnis homo est lapis*; tum quia si maiori existente verâ, minor etiam vera esset, conclusio quoque deberet esse vera, nec posset esse falsa cum ex vero falsum deduci nequeat. Potest itidem esse vera minor maiori existente falsa. Minus extremum, exem. gra. *homo*, sicut immediatè continetur in animali; sic potest contineri mediatè in aliquo superiori, nempe viuente; quamobrem, sic superius illud puta *viuens* sumatur pro medio, fiet syllogismus hoc modo; *nullum viuens est animal; omnis homo est viuens; ergo nullus homo est animal*, ubi constat conclusionem falsam ex maiori falsa, & minori vera deduci. Hoc idem fiet, si medium minus latepateat, quàm maius extremum, cum minori extremo tamen reciprocetur hoc modo; *nullum risibile est animal; omnis homo est risibilis; ergo nullus homo est animal*. Tex. 113. & 114.

Potest etiam in secunda figura propositio falsa deduci ex duabus præmissis, quarum utraque falsa sit, quemadmodum etiam ex altera falsa, siue sit maior, siue minor. Exemplum prunk in *Camestres* hoc modo; Tex. 115.

omne animal est rationale; nullus homo est rationalis; ergo nullus homo est animal. Exemplum secundi in *Cæsare* hoc pacto; *Nullum animal est lapis; omnis homo est lapis; ergo nullus homo est animal*. Potest etiam esse maior falsa, & minor vera, ut *nullum animal est risibile; omnis homo est risibilis; ergo nullus homo est animal*.

Sed in horum maiorem explicationem ex non ignobilis Neoterici sententia, pauca quædam adijciam, quomodo scilicet in secunda figura propositio falsa, ut *nulla albedo est color*, possit ex duabus præmissis deduci, quarum utraque falsa sit; ut si diceremus *nullus color est nigredo; omnis albedo est nigredo: ergo nulla albedo est color*, per quem syllogismum infertur conclusio falsa ex duabus præmissis falsis, non tamen totaliter falsis; quandoquidem maior propositio *nullus color est nigredo*, falsa est ex parte, sed non totaliter; non enim eius contraria, nempe *omnis color est nigredo*, sed eius contradictoria, *aliquis color est nigredo*, vera est. In secunda autem figura conclusionem negatiuam falsam oppositam propositioni veræ, & immediatæ non posse ex duabus præmissis totaliter falsis inferri, ex eo constat, quoniam propositio negatiua falsa opposita veræ immediatæ est totaliter falsa, adeo ut eius contraria sit vera; sed propositio negatiua totaliter falsa non potest inferri in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis; ergo in secunda figura conclusio negatiua falsa oppositæ propositioni veræ, & immediatæ non poterit inferri &c. Maior probata manet quia eo ipso, quod hæc propositio ex. gra. *albedo est color* immediata sit, prædicatum subiecto conuenit per se, omni & semper, ut immediata propositio requirit; ergo eo ipso vera erit, *omnis albedo est color*; ergo hæc negatiua *nulla albedo est color* eo ipso quòd opponitur veræ immediatæ est totaliter falsa. Minor autem principalis argumenti probatur, nam si propositio falsa totaliter, ut *nulla albedo est color*, deduceretur in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis, deberet id fieri per medium, quod uniuersaliter de omni albedine affirmaretur, & uniuersaliter negaretur de omni colore, vel contra ut in *Cæsare*. *Nullus color est C; omnis albedo est C; ergo nulla albedo est color*, vel in *Camestres*; *omnis color est C; nulla albedo est C; ergo nulla albedo est color*. At si medium C, hoc modo se habet, repugnat maiorem, & minorem esse totaliter falsas, adeo ut contrariæ sint veræ; propositio igitur negatiua totaliter falsa nequit in secunda figura, ex duabus præmissis totaliter falsis inferri. Minor inde constat quoniam illæ præmissæ, *nullus color est C; omnis albedo est C*, sunt totaliter falsæ, earum siquidem contrariæ *omnis color est C; nulla albedo est C*, veræ sunt; at ex his in *Camestres* eadem infertur conclusio *nulla albedo est color*, quæ supponitur falsa; ex duabus igitur præmissis veris conclusio sequitur falsa, quòd fieri non potest, cum ex vero non sequatur falsum. Si autem illæ præmissæ, *omnis color est C; nulla albedo est C*, sunt falsæ totaliter, necesse est earum contrarias *nullus color est C; omnis albedo est C* veras esse; ex his autem in *Cæsare* infertur conclusio, *nulla albedo est color*, quæ supponitur falsa, quod est inconueniens, cum ex vero falsum deduci non possit; impossibile igitur ut conclusio negatiua totaliter falsa in secunda figura ex utraque præmissa totaliter falsa inferatur.

Tex. 116. Non repugnat autem conclusionem eandem ex ambabus præmissis partialiter falsis inferri; quandoquidem potest assumi medium, quod solùm partialiter insit utrique extremo, nimirùm *colori*, & *albedini*, quod quidem medium sit, *summè intensum*; si hoc igitur medium de uno extremorum uniuersaliter affirmetur, de altero autem uniuersaliter negetur, sequentes fient syllogismi, quorum primus in *Camestres*. *Omnis color est summè intensus; nulla albedo est summè intensa; ergo nulla albedo est color*. In *Cæsare* hoc modo. *Nullus color est summè intensus; omnis albedo est summè intensa; ergo nulla albedo est color*.

Tandem conclusio negatiua falsa contraria propositioni veræ immediatæ, ut *nulla albedo est color*, inferri potest in secunda figura ex duabus præmissis, quarum altera sit falsa, altera autem sit vera. Hoc porrò continget omnino, si sumatur medium, quod vel uniuersè negari possit de maiori extremo, vel possit uniuersè affirmari, quæ ut exemplis illustrentur, pro medio sumatur *substantia* quæ uniuersè de colore negari potest, cum itaque omnis albedo sit color; & substantia potest uniuersè de albedine negari; si substantia uniuersè negetur de colore, & uniuersè de albedine affirmetur, fit hic syllogismus in *Cæsare*, *nullus color est substantia; sed omnis albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*; sed huius syllogismi maior est vera, minor autem falsa. At si *substantia* uniuersè affirmetur de colore, & uniuersè negetur de albedine, fiet syllogismus in *Camestres*. *Omnis color est substantia; nulla albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*; Constat porrò huius syllogismi maiorem esse veram, minorem autem falsam. Hoc idem eueniet si sumatur medium quod uniuersè possit affirmari, de maiori extremo, puta de colore, huiusmodi autem medium sit *Qualitas*; nam eò ipso quòd omnis albedo sit color, qualitas poterit uniuersè de albedine affirmari; quamobrem si qualitas uniuersè negetur de colore, & uniuersè affirmetur de albedine, fiet syllogismus in *Cæsare* hoc modo *nullus color est qualitas; omnis albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*. Si autem qualitas uniuersè affirmetur de colore, & uniuersè negetur de albedine, fiet syllogismus in *Camestres*, *ut omnis color est qualitas; nulla albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*; Tot igitur sunt modi, quibus conclusio negatiua falsa oppositæ affirmatiuæ veræ potest inferri in secunda figura, vel ex utraque præmissarum, falsa, vel ex altera falsa & altera vera; hæc ferè Neotericus, quem initio dixi, quæ ulteriùs opus esset explicare, sed hæc satis, cum eadem copiosiùs in Institutionibus tractauerimus.

Tex. 117. Egit de deceptione contraria propositionibus immediatis, nunc de illa, quæ contraria est mediatis disputationem instituit. Et primò docet quomodo contingat circa negatiuas falsas oppositas affirmatiuis veris mediatis; ut circa hanc, *nullum triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, quæ opponitur huic veræ mediatæ, *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*. Vel *nullus homo est risibilis* quæ opponitur huic veræ mediatæ, *omnis homo est risibilis*. Secundò declarat quo pacto eueniat circa affirmatiuas falsas oppositas negatiuis veris mediatis, ut *diameter quadrati est commensurabilis costæ*; quæ opponitur huic veræ mediatæ *diameter non est commensurabilis costæ*. Vel *omnis homo est qualitas*, quæ opponitur huic *nullus homo est qualitas*. Tertiò tandem de ignorantia puræ negationis disputabit.

Ad primum quod spectat; propositio negatiua uniuersalis falsa, opposita veræ mediatæ, solùm inferri potest in prima & secunda figura, non autem in tertia, quæ solùm particularem conclusionem colligit. In prima autem figura potest colligi; vel per medium proprium, ex quo infertur vera conclusio, vel per medium non proprium, ex quo benè tamen vera deducatur conclusio; vel per medium extraneum ex quo non benè possit vera conclusio deduci.

Quando infertur per medium proprium. Medium autem

Digitized by Google

autem proprium dicitur, quod est illud idem, per quod fit etiam vera demonstratio oppositæ, unus est argumentationis modus, ut nimirum, minor sit vera, maior autem falsa, quæ sic explicari possunt. Medium proprium ad ostendendam hanc veram propositionem *omnis homo est admirativus*, est rationale, utpote causa, unde habet homo ut sit admirativus, ex hoc autem medio demonstratur omnem hominem admirativum esse ita ratiocinando. *Omne rationale est admirativum, sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus.* Ad concludendam autem hanc negatiuam falsam, *nullus homo est admirativus* in prima figura per medium proprium, concludi debet per rationale, tanquam per medium proprium, per quod tamen concludi non potest, nisi mutando maiorem uniuersalem affirmatiuam in suam contrariam uniuersalem negatiuam, relictâ minori, quæ mutationem non patitur; quoniam in prima figura ad concludendum directè uniuersalem negatiuam, minor esse debet uniuersalis affirmatiua, & medium de minori extremo debet affirmari; sola propterea maior è duabus præmissis debet esse falsa, & minor debet esse vera, ut hic efformetur syllogismus, *nullum rationale est admirativum; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est admirativus.* Hoc itaque modo per medium proprium.

123. Sequitur hoc idem explicandum, si sumatur medium non quidem omninò proprium, sed simile proprio in hoc, quod per ipsum ostendi potest oppositæ affirmatiua vera, non erit tamen demonstratio, sed verus syllogismus, qui veram conclusionem utcunque demonstrat, licet non per propriam rei causam, ut ad demonstrandum hominem esse risibilem, tanquam propria causâ, & proprio medio utimur rationale, ex quo demonstrationem conficimus, quæ scientiam parit; si loco autem rationalis accipiatur *felicitatis capax*, per quod eadem conclusio probetur, non erit utique demonstratio per propriam rei causam, veridicus tamen erit syllogismus, & in hoc demonstrationi persimilis, quòd ex veris propositionibus, veram conclusionem infert; si per tale igitur medium fiat syllogismus deceptorius, in eo idem continget, quod in illo, qui per propriam rei causam fiebat, necesse siquidem erit non dissimiliter eandem manere minorem affirmatiuam in syllogismo deceptorio, quæ vera fuit in syllogismo veridico, ac ob id hanc semper veram esse, maiorem verò falsam fieri, eò quòd affirmatiua est conuersa, siue mutata in negatiuam, nam verus syllogismus est, *omne felicitatis capax est risibile; omnis homo est felicitatis capax; ergo omnis homo est risibilis* deceptorius autem erit, *nullum felicitatis capax est risibile; omnis homo est felicitatis capax; ergo nullus homo est risibilis.* In prima igitur figura conclusio negatiua uniuersalis falsa per media, per quæ benè probatur uniuersalis vera, seu sint propria, seu non propria, non potest nisi unico modo concludi; in quo nimirum maior sit falsa, minor autem vera, eò quòd nequit per dicta media aliter concludi in prima figura, nisi relinquendo minorem, in qua in prima figura semper medium affirmari debet de minori extremo, atque adeo transmutando maiorem in suam contrariam.

124. Si autem syllogismus deceptorius non fiat per medium proprium, nec per simile proprio, hoc est si fiat per tale medium, ex quo non possit fieri veridicus syllogismus contrarius ad ostendendam affirmatiuam veram conclusionem, oppositum euenit eius, quod proximè de medio proprio dictum fuit; non enim sola maior potest esse falsa, sed vel ambæ simùl propositiones falsæ sunt, vel sola minor. Itaque si negatiua conclusio falsa inferatur in prima figura per medium non proprium, nec simile proprio, seu per medium extraneum; medium autem extraneum est per quod non potest fieri vera demonstratio oppositæ, seu quod est contrarium proprio &c. per quod videlicet non benè potest probari oppositæ vera. Quando medium uniuersaliter negari potest de minori extremo, maius verò extremum potest de ipso affirmari, tunc, ambæ præmissæ sunt totaliter falsæ. Sit ex. gra. hæc negatiua falsa, *nullus homo est viuens* oppositæ quidem huic veræ mediatæ *omnis homo est viuens*, quæ demonstrari potest per *animal*, tanquam per medium proprium. Sumatur *Arbor*, quæ medium extraneum est quod uniuersaliter negari potest de homine, minori quidem extremo, siquidem nullus homo est arbor, de ipsa autem arbore potest uniuersaliter affirmari viuens, quod maius extremum est, quandoquidem omnis arbor est viuens; si per huiusmodi autem medium negatiua falsa probetur in prima figura, utraque præmissarum erit totaliter falsa, ita ut in *Celarent* liceat sic argumentari. *Nulla arbor est viuens; omnis homo est arbor; ergo nullus homo est viuens.* Ratio autem ea profecto, quia in prima figura ad uniuersalem negatiuam directè concludendam, in maiori de medio debet uniuersaliter majus extremum negari; at verò ex hypothesi medium sumitur, de quo maius extremum potest uniuersaliter affirmari; ergo maior erit totaliter falsa, ita ut contraria sit vera. Rursus medium in minori debet uniuersaliter de minori extremo affirmari; at ex hypothesi medium sumitur, quod uniuersaliter de minori extremo negari potest; consequens propterea fit ut minor sit totaliter falsa; ita ut contraria sit vera.

Medium extraneum quid.

Si negatiua tandem in prima figura per medium extraneum inferatur, de quo maius extremum possit uniuersaliter negari, sola minor falsa erit. Ibidem.

Itaque ad inferendam hanc negatiuam falsam, *nullus homo est viuens*, sumatur medium extraneum, de quo viuens possit uniuersaliter negari; ut *triangulum*, maior, quæ ex necessitate est negatiua, vera erit, ut *nullum triangulum est viuens*; cum autem non possit falsa conclusio ex utraque vera præmissa deduci, consequens fit ut minor sit falsa, atque adeo liceat in *Celarent* sic argumentari, *Nullum triangulum est viuens; omnis homo est triangulum; ergo nullus homo est viuens.* 125.

Ad secundam figuram transiens aggredietur ostendere quomodo in ea deceptorius syllogismus fiat oppositam propositionis veræ mediatæ colligens; & primo docet non posse in secunda figura esse ambas propositiones falsas totas. Si nanque prædicatum uniuersaliter potest affirmari de subiecto; consequens fit, ut nihil detur quod uniuersaliter affirmetur de uno, & uniuersaliter negetur de altero, ut non multò antea dictum fuit, loquendo de propositionibus negatiuis falsis, quæ veris immediatis opponuntur. Solùm igitur negatiua falsa ex altera præmissa totaliter falsa, siue maiori, siue minori potest inferri. Sit propositio negatiua *nullus homo est risibilis* sumaturque medium, quod uniuersaliter possit affirmari tum de homine, tum de risibili ex. gra. *animal*, per hujusmodi medium posita conclusio in *Cæsare* potest inferri negando illud uniuersaliter de risibili, & de homine affirmando hunc in modum; *nullum risibile est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est risibilis.* Potest etiam in *Camestres* affirmando illud idem medium scilicet animal uniuersaliter de risibili, & negando de homine, ut *omne risibile est animal, nullus homo est animal; ergo nullus homo est risibilis.* In priori exemplo maior est totaliter falsa, minor autem vera; in secundo contrarium euenit, nam maior est vera, & minor est totaliter falsa, non igitur potest conclu- Ter. 125. 126. 127.

Digitized by Google

sio negatiua falsa concludi in secunda figura ex utralibet præmissa totaliter falsa, sumendo medium, quod uniuersaliter de utroque extremo possit affirmari. Constat ergo quot modi sint, quibus negatiua falsa, tum in prima, tum in secunda figura concludi possit.

Tex. 128. & 129. Hoc loco quod secundum erat in ordine tractandum assumit; explicato enim quo pacto possit uniuersalis negatiua falsa concludi: declarat modò, qua ratione possit concludi uniuersalis affirmatiua falsa, quæ profectò negatiuæ veræ mediatæ oppositæ nequit in secunda figura inferri, quoniam hæc solùm negatiuè concludit, nec in tertia, quoniam hæc solùm particulariter concludit; ergo solùm in prima figura & quidem in *Barbara*. Per medium autem proprium, per quod bene probetur oppositæ negatiua vera, concludi non potest nisi unico modo, ita ut sola maior sit falsa. Vt sit hæc falsa mediata; *omnis color est substantia* proprium medium ad ostendendam veram negatiuam oppositam est qualitas, fit enim hic syllogismus. *Nulla qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo nullus color est substantia*; si per tale medium inferenda sit affirmatiua falsa, scilicet *omnis color est substantia*, sumi debet superioris syllogismi minor affirmatiua, in qua medium, nempe qualitas prædicatur de colore, tanquam de minori extremo, ea igitur retentâ, sola maior in contrariam uniuersalem negatiuam mutari debet, ut fiat hic syllogismus; *Omnis qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo omnis color est substantia*, in quo verâ existente minori maior quidem est falsa. Non dissimilis autem demonstratio fieri potest ad ostendendum, si medium non est proprium, dummodo per illud oppositæ vera probari possit, maiorem duntaxat falsam esse debere.

Tex. 130. Transit ad medium non proprium, hoc est ad medium extraneum, de quo maius extremum uniuersaliter potest prædicari, tunc autem affirmatiua uniuersalis, ex maiori vera, minorique falsa deducitur. Vt sit hæc falsa mediata, *omne animal est superficies*, sumaturque medium extraneum, de quo superficies uniuersaliter prædicetur, nempe *circulus*, maior, in qua maius extremum de tali medio prædicatur necessariò vera erit; sola igitur minor erit falsa, fietque syllogismus hoc modo. *Omnis circulus est superficies; omne animal est circulus; ergo omne animal est superficies*.

Tex. 131. 132. & 133. At si medium sumatur, de quo maius extremum uniuersaliter negari possit, maior propositio, in qua maius extremum uniuersaliter de medio prædicatur, semper erit falsa, minor verò quandoque vera, quandoque autem falsa. Vt sit hæc propositio mediata inferenda, *omne animal est superficies*, potest medium sumi, de quo nec superficies uniuersaliter negetur, nec ipsum uniuersaliter prædicetur de animali, ut *quantitas continua*; potest etiam sumi medium, de quo superficies non negetur uniuersaliter, & ipsum prædicetur uniuersaliter de animali, nempe substantia; in priori casu utraque præmissarum erit falsa, & fiet syllogismus hoc modo. *Omnis quantitas continua est superficies. omne animal est quantitas continua; ergo omne animal est superficies*. & in secundo casu sola maior falsa erit, & fiet hic syllogismus; *Omnis substantia est superficies; omne animal est substantia; ergo omne animal est superficies*. Ex his igitur perspicuum est quot sint modi, quibus affirmatiua falsa oppositæ veræ mediatæ concludi possit.

Alij sex conclusionibus hæc omnia complectuntur. Prima conclusio; Vniuersalis affirmatiua falsa in prima figura per syllogismum ignorantiæ concluditur ex duabus falsis siue in toto, siue in parte. Secunda conclusio; uniuersalis negatiua falsa in prima figura concluditur per syllogismum ignorantiæ, vel ex ambabus falsis; vel ex una vera, & altera falsa. Tertia conclusio; Vniuersalis negatiua falsa in secunda figura concluditur per syllogismum ignorantiæ ex ambabus in parte falsis, & ex una vera, & altera falsa, siue major, siue minor extiterit. Quarta conclusio; Vniuersalis negatiua falsa per syllogismum ignorantiæ in prima figura concluditur ex ambabus negatiuis in parte falsis. Quinta conclusio; uniuersalis negatiua falsa concluditur per syllogismum ignorantiæ in secunda figura ex ambabus negatiuis falsis, siue ex una vera, & altera falsa. Sexta conclusio; uniuersalis affirmatiua falsa concluditur in prima figura per syllogismum ignorantiæ ex ambabus falsis, & ex una vera, & altera falsa per medium non proprium. Hoc nomine intelligendo illud, quod est proprio contrarium, de quo supra locuti sumus, dicendo medium proprium esse per quod fieri potest syllogismus contradictionis ad ostendendam scilicet propositionem contrariam, vel contradictoriam.

Tandem descendit ad id, quod erat ordine tertium, nempe ad agendum de ignorantia puræ negationis, cùm enim disputasset de ignorantia pravæ dispositionis, quæ fit per syllogismum, postea disputandum assumit de ignorantia purè negationis, quę absque syllogismo contingit. Docet autem esse necessarium, ut qui à natiuitate caret aliquo sensu, careat etiam scientiâ de sensibilibus proprijs illius sensùs; ut cæcus à natiuitate exempli gratia, careat scientiâ de coloribus, & surdus à natiuitate careat scientia de sonis &c. Ratio, quâ suffultus Aristoteles id pronunciauit ea est, quia non possumus aliter addiscere, quàm per inductionem, vel per demonstrationem; acquirimus enim scientiam de conclusionibus per demonstrationem ex uniuersalibus; intellectum autem principiorum per inductionem ex singularibus. Sed quomodo fit hoc intelligendum explicabo, primò diligenter expendendo, quod Aristoteles pronunciauit, dicendo, φανερὸν δὲ καὶ ὅτι, εἰ τις ἄϊσθησις ἀπολείποι τὸν, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἀπολείπειν, ἃ ἀδύνατον λαβεῖν. *Perspicuum etiam est, si quis sensus desit, necesse esse, ut aliqua scientia desit, quam impossibile est, percipere*, rationem reddit dicendo, ἐπεὶ περ μανθάνομέν γε ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει, *siquidem discimus aut inductione, aut demonstratione*. Ratio autem ea est, quia nos non acquirimus scientiam nisi per inductionem, aut demonstrationem; at deficiente nobis aliquo sensu à natiuitate, non potest aliquid notum nobis fieri de sensibilibus illius sensus per demonstrationem aut inductionem; ergo deficiente nobis aliquo sensu à natiuitate necesse est, ut deficiat etiam scientia de sensibilibus proprijs ad huiusmodi sensum spectantibus. Assumptionem autem probat hunc in modum, quoniam inductione principia cognoscuntur, demonstratione verò conclusiones; sed inductio ex singularibus notis sumitur, quæ non possunt nisi sensu cognosci; ergo deficiente sensu nullam possumus inductione notitiam de principijs acquirere: demonstratione autem conclusiones cognoscimus ex principijs uniuersalibus notis; demonstratio enim ex uniuersalibus est, sed hęc non fiunt nota nisi per inductionem, inductio verò non fit sine sensu; ergo deficiente sensu nullam de conclusionibus possumus demonstratione notitiam acquirere; quamobrem sensu deficiente, neque per inductionem, neque per demonstrationem scire quicquam possumus; immò nec ullam intellectualem notitiam eius rei, quæ ad illum sensum pertinet licet nobis acquirere, cum omnis nostra intellectualis cognitio à sensu originem trahat; Per illa autem verba, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἀπολείπειν,

Digitized by Google

τινα, ὧν ἀδύνατον λαθεῖν, necesse esse, ut aliqua scientia desit, quam impossibile est percipere. Videtur significasse, quòd ipse pronunciauit intelligendum esse de alicuius sensûs defectu ab ortu naturæ, non autem de omissione sensûs in aliquo adulto; si quis enim post ortum ammitteret ex. gra. sensum visûs, scientiam posset de coloribus habere, quia ante quam obcæcaretur colores vidisset; atsi quispiam natus esset cæcus nullam unquam de coloribus cognitionem habere posset. Est autem difficultas in illis verbis, ἀδύνατον δὲ τὰ καθόλου θεωρῆσαι, ἢ μὴ δι' ἐπαγωγῆς, impossibile verò est uniuersalia contemplari nisi per inductionem; inductio nanque ex particularibus est, nam idem proximè dixerat, ἔστι δ' ἡ μὲ ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου ἡ δὲ ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος. Est autem demonstratio ex uniuersalibus inductio verò ex particularibus. Verum enim verò tolletur de medio difficultas animaduertendo ab Aristotele probari uniuersalia per inductionem ratione desumptâ à rebus mathematicis, & est argumentum deductum à minori, ad maius; nam res mathematicæ sunt utique in materia sensibili, sed à Mathematico considerantur tanquam abiunctæ per intellectum ab omni sensibili materia, quamobrem minùs videtur quòd hæ per sensum, & inductionem cognoscantur, quàm res naturâ constantes, quæ sensibiles sunt, & quatenus tales considerantur, & nihilominus res mathematicæ quandoque per inductionem cognoscuntur, nam si quispiam mathematica principia non benè percipiat, ut quòd *Linea recta sit, quæ ex æquo sua interiacet puncta*; & quòd *Angulus planus, sit duarum linearum in plano se mutuò tangentium, & non in directum iacentium alterius ad alteram inclinatio*, & quòd *Omnes anguli recti sint inter se æquales*; hæc per inductionem clara redduntur, dum ei ad eum, quo possunt modum exhibentur in sensibilibus posita; multo propterea magis res suapte naturâ sensiles, quęque non nisi ut sensiles sub nostram considerationem cadunt, inductione manifestantur; enimverò sensile prout sensile, nequit nisi sensu percipi.

Difficultati autem propositæ fiet satis respondendo uniuersalia certè non posse proximè, ac immediatè sub sensum cadere, neque inductione hoc modo notificari, benè tamen posse remotè, & intermedijs singularibus; quod significauit Philosophus dicendo impossibile est uniuersalia contemplari non per inductionem, quod ratione superiùs relatâ comprobauit arguens à minori ad maius, uti dicebam; nam si ea quæ ex abstractione dicuntur, hoc est res mathematicæ, quæ mente quidem abstrahuntur à sensibilibus, in quibus existunt, etsi non separata sunt, quatenus hoc tale unum quodque, hoc est, licet re ipsâ non sint separatæ, quatenus unaquæque ipsarum est tale hoc, nempe existens ac digito demonstrabilis, proindeque sensibilibus qualitatibus prædita; multo magis res naturales, quæ sensiles sunt, & ut sensiles considerantur inductione cognosci debebunt. Per illa autem verba, ὡσπερ εἴ τις βούλεται γνώριμα ποιῆσαι, ὅτι ὑπάρχει πάσῃ ἵππῳ. *Si quis declarare velit quædam cuique generi inesse*, significat, quæ insunt subiecto, non tamen ea, quæ à Mathematico demonstrantur, cum hæc non inductione, sed demonstratione notificentur, sed ea quæ immediatè subiecto insunt, cuiusmodi sunt ea, quæ in ipsarum scientiarum principijs inuoluuntur, nimirum, quæ in definitione lineæ superficiei, trianguli, circuli, anguli recti, & aliorum similium, ad hæc enim intelligenda opus est inductione. Quod non sic accipias velim, quasi immemor eorum, quæ de cognitione principiorum edisserens pluribus demonstraui principia simpliciter prima non indigere inductione ad sui cognitionem, cum perceptione terminorum facilè innotescant, nam in præsentiarum solùm Aristotele duce, contendo, talium principiorum notitiam animo longe firmiùs hærere & faciliùs comparari per inductionem, quàm sine inductione. Concludit fieri non posse, ut inducant, qui sensu carent, quia singularium est sensus, non quòd intellectus etiam singularia non percipiat, sed quia sensus sola singularia cognoscit, & intellectus dum illa percipit, supponit eadem à sensibus percepta fuisse, non enim potest accipi ipsorum scientia sine inductione, quia sine hac, nec ex uniuersalibus accipi potest, nec per inductionem sine sensu. Hæc est Aristotelis sententia.

Quid in controuersia positũ sit.

Est autem maximè controuersum an Aristotelis pronunciatum admitti debeat, si quis ab ortu aliquo sensu careat, necesse sit ei scientiam deficere de re ad sensum illum spectante; ad cuius plenioremintelligentiam aduertendum duo esse genera sensilium, alia nanque sunt sensilia propria, quia singulum ab uno tantum sensu percipi potest, ut color à solo visu, sonus à solo auditu: alia verò sensilia communia sunt, quæ nimirum pluribus sensibus usurpantur, ut magnitudo, figura, motus, quies, numerus, propterea quòd hæc & sub visum, & sub tactum cadunt; Aristotelis autem sententia intelligenda tantùm de sensibilibus proprijs cuiusque sensûs, non autem de communibus; nam si quispiam sit cæcus à natiuitate, is magnitudinẽ profectò visu percipiet nunquam, tactu tamen percipiet. Hinc defectu sensûs de communibus sensilibus nequit scientia impossibilis reddi, siquidem hæc tactu percipiuntur, quo nullum animal destitutum esse potest, siquidem animal, quâ tale, sentiendi facultate præditum esse debet. Hinc Mathematicarum disciplinarum maxima prærogatiua, quòd ijs nunquam aditus in humanum animum sit interdictus, cum enim de sensibilibus communibus numero, & magnitudine disputent, quæ tactu percipiuntur, tactus autem homini, eòquòd animal sit, deesse minimè possit, is propterea defectu sensûs huiusmodi disciplinis priuari minimè poterit. Aduertendum porrò sermonem hic esse de sensu externo non autem interno. His autem præhabitis.

Prima assertio.

Sit prima assertio. Non repugnat deficiente nobis aliquo sensu tractu temporis, non autem ab ortu naturæ acquiri scientiam de sensibilibus ad sensum illum attinentibus.

Ratione probatur.

Explicatur autem, & suadetur facilè. Quoniam si Socrates acquisiuisset scientiam de coloribus, postea verò cęcitate corriperetur, in eo proculdubiò visus deficeret, non tamen scientia de coloribus, adhuc enim in intellectu ipsius remanerent colorum imagines longo temporis tractu acquisitæ, quibus intellectus indiget in suis obeundis muneribus. Immò etiam & habitus actuum frequentatione acquisiti per magnum temporis spatium in intellectu ipsius possent perseuerare, ei proinde deficiente sensu visûs, non subinde scientia de coloribus deficeret, sic de sensu auditûs. In uniuersum igitur deficiente nobis aliquo sensu, non tamen à natiuitate, sed adultis, non propterea scientia de sensibilibus attinentibus ad sensum illum debet deficere. Et hinc apertè veritas assertionis colligitur, nam eędem illæ colorum imagines, quibus Socratis intellectus ex. gr. post amissionem visûs utitur ad cognoscendos coloses, de quibus scientiam habuerat, possunt eidem deseruire ad acquisitionem scientiæ de coloribus, quanuis hanc nunquam prius assecutus fuisset.

Eadem assertio experientia comprobatur.

Hanc assertionem experientia quoque confirmat, cum historiæ testentur plures huiusmodi cæcos extitisse in bonis artibus ac disciplinis apprimè versatos, & scien-

Digitized by Google

& scientia de coloribus non ignaros; immò & ipse testis esse possum cum duos Senenses nobili loco natos nouerim Pisis, ubi decem, & octo annos publicè Philosophiam professus sum, qui & lauream doctoralem consecuti publicum docendi munus obibant.

Difficultas præoccupata, simulque diluta.

Nec oppositum arrisisse Philosopho credendum; nam ut superiùs interpretati sumus ipse dicendo necesse esse, ut aliqua scientia desit, quam impossibile est percipere, duntaxat significare voluit deficiente sensu à naturæ ortu, scientiam quoque deficere, ita ut non de quacunque sensûs amissione locutus fuerit.

Secunda assertio.

Sit secunda assertio. Deficiente nobis aliquo sensu à natiuitate, possibile est tam per inuentionem, quàm per doctrinam, confusè, & indistinctè scientiam de sensibili proprio illius sensus obtinere.

1. Post. Tex. 4. & 5. Aristotelis auctoritate probatur.

Assertionem hanc ad aures Aristotelis existimo, nam ex eius sententia hunc numerum binarium esse parem antequam inductus sit ad sensum, uno modo scimus, & alio modo nescimus, scimus enim in uniuersali cognoscendo omnem dualitatem esse parem, sed nescimus in particulari, & distincto modo. Non dissimiliter cæcus à generationis principio scit aliquo modo colorem esse immutativum visûs, nimirum confusè, & indistinctè ex eo quia quodlibet obiectum sensibile est immutativum sensûs; nescit tamen in particulari, & distinctè, quia scilicet hoc non cognoscit in obiecto visûs. Idem etiam splendidè videtur docuisse, quando affirmat aliquid sciri in uniuersali, quod tamen ignoratur in particulari, ubi sensûs deficientiam à natiuitate commemorat.

2. Prior. cap. 2.

Ratione suadetur. Prima ratio.

Ratione suadetur, quia deficiente visu in Socrate, ex. gr. poterit adhuc is habere scientiam per communes conceptus de coloribus, nimirum, quòd habeant rationem entis, & quod sensiterium visûs immutare possint, ut superiùs ex Aristotele fuit explicatum; & quanuis Socrates foret cæcus à natiuitate, ac proinde non posset sensu visûs percipere colorem, adhuc tamen de coloribus posset habere communes illos conceptus, quia cognosceret se habere sensiterium visûs otiosum, itaut si vitiatum non esset, per illud animamunus aliquod obire deberet, quemadmodum per cæterorum sensuum externorum sensiteria, quæ optimè nosset à suis sensilibus immutari rationem entis habentibus; hoc autem idem posset etiam de coloribus concludere, atque adeo de ipsis communes quasdam rationes attingere, seu secundùm communes conceptus colores ipsos percipere.

Secunda ratio,

Aliâ quoque ratione hæc eadem assertio probari solet, quoniam si quispiam à principio generationis careat odoratu, & videat animalia carentia visu moueri ad alimentum percipiendum per magnam distantiam; aut habentia hebetem visum, moueri ad maiorem distantiam, quàm visûs acies permittat, ut de vulturibus patet, colligit aliquem esse sensum præter reliquos quatuor, & aliquod esse sensile proprium illius, præter illa quatuor, sed nescit qui sit ille sensus, quodque illud sensile proprium. Cognoscet enim ab illis animalibus percipi cibum, non per intellectum, quia carent ipso; ergo per aliquem sensum, sed non per visum, auditum, gustum, vel tactum, quoniam is experitur huiusmodi sensibus se cibum, quatenus tamen odoriferum non percipe; propterea concludet cibum per alium percipi sensum, cuius aliquod sit obiectum proprium distinctum ab obiectis proprijs aliorum sensuum, atque adeo de odore scientiam secundum conceptus communes acquiret. Non absimili modo poterit de sensu visûs ratiocinari, si cæcus à natiuitate fuerit; nam cognoscet se beneficio quatuor reliquorum externorum sensuum agere non posse, quæ per unum vel alterum ex ipsis sensibus, ab alijs fieri cognoscit, ut per tactum, vel per auditum, cognoscet aliquod animal, puta canem se quaqua versum celeriter, promptè, ac expeditè se mouere, & præsertim scalas ascendere, ac descendere, quod à se quatuor reliquorum sensuum opitulatione fieri non posse experitur; hinc alium sensum præter quatuor cæteros, quibus ipse præditus est, & aliud sensile præter quatuor propria cæterorum sensuum nullo ferè labore colliget. Hoc autem est de sensile proprio visûs, atque adeo de coloribus scientiam habere quandam secundum conceptus communes.

Tertia assertio.

Sit tertia assertio. Deficiente sensu aliquo à natiuitate, non repugnat per doctrinam, siue per auditum haberi distinctam atque determinatam aliquam scientiam de sensibilibus proprijs illius sensus secundùm conceptus determinatos, ac proprios.

Ratio probat.

Assertio videtur valde rationi consona, quoniam potest aliquis docere destitutum odoratu, aut visu, ea quæ pertinent ad sensilia propria istorum sensuum, explicando illi quicquid in huiusmodi sensilibus reperitur, exprimendo conceptus proprios huiusmodi sensilium. Non dissimulandum tamen prædictis sensibus destitutum non tam perfectè scientiam acquisiturum, quàm si sensibus illis prædictus esset.

Quarta assertio.

Sit quarta assertio. Deficiente aliquo sensu à generationis principio fieri non potest, ut per inuentionem habeatur scientia distincta de sensibilibus illius sensûs, nimirum secundùm conceptus proprios ex proprius, licet haberi scientia possit secundùm conceptus proprios ex communibus.

Explicatur.

Explicatur, & suadetur assertio, in cuius gratiam aduertendum est conceptum esse proprium bifariam contingere, primò ita ut sit proprius ex proprijs; secundò ut sit proprius ex communibus. Conceptus dicitur proprius ex proprijs, quando per ipsum attingitur obiecti quidditas, ita ut sub ratione propria ipsius representetur. At verò conceptus proprius ex communibus est ille, quo obiectum attingitur non secundum propriam eius rationem, sed secundum varias, quarum nulla est obiecti propria seorsum accepta, licet earum collectio propria sit; unde conceptus proprius ex proprijs, hoc differt à conceptu proprio ex communibus, quòd hic ab extraneis colligi solet, & eatenus dicitur proprius, quatenus distinguitur à communi, qui simul pluribus rebus competere potest; ille autem ab ipsa re immediatè, vel propria eius similitudine habetur, sine analogia, & ordine ad aliud, & sine ulla negatione alterius.

Ratio probat. Prima pars.

Ex his planè constat assertionis utraque pars, & quidem prima ex eo manifesta est, quia non apparet unde possit intellectus eliccre huiusmodi conceptum de sensili spectante ad aliquem externum sensum, quo quispiam est destitutus, quandoquidem omnis nostra cognitio & præsertim distincta per inuentionem, ortum ducit à sensibus, qui non nisi ab accidentibus mouentur per species sensibiles; neque cognitio distincta comparari potest nisi per speciem propriam, qua ab obiecto moueatur sensus; talis est enim natura illius conceptûs, qui proprius dicitur; at deficiente sensu à generationis principio hæc cognitio de sensibilibus proprijs ad illum sensum spectantibus per inuentionem haberi non potest; propterea deficiente sensu à naturæ ortu distincta cognitio de sensilibus spectantibus ad illum sensum, obtineri proprio marte non poterit, seu, &] in idem recidit, haberi non poterit, conceptus proprius ex proprijs.

Secunda assertionis pars, scilicet

Secunda etiam pars facilè suadebitur ex paulo antea dictis, enimuerò quemadmodum haberi potest con-

conceptus proprius ex communibus proprio matre de ijs, quæ nullo sensu percipiuntur, cuiusmodi sunt substantiæ; ita etiam haberi poterit de ijs, quæ defectu sensûs attingi non possunt, in hoc enim mihi nulla disparitas. Immò videtur argumentatio à minori ad maius; nam si quispiam potest per inuentionem conceptibus proprijs ex communibus ea percipere, quæ nullo sensu potest attingere; multo magis talibus conceptibus poterit cognoscere id, quod etsi nequeat sensu percipere, potest tamen alia sensibus usurpare, ex quorum cognitione possit intellectus arguere cognitionem obiecti spectantis ad illum sensum, quo ipse destitutus est.

Cæterum hæc quarta assertio est, quam in præsentiarum Philosophus amplectendam existimat. Superest ut nunc difficultatibus occurramus.

adif. Difficultas autem primò se offert, quoniam alicui deficiente sensu visûs, potest adhuc ille quidem habere scientiam de coloribus, beneficio specierum, siue imaginum, quas acquisierat, cum has diu possit tam in sensibus internis, quàm in intellectu conseruare.

tio. Difficultas hæc non est ad rem, cùm hîc sermo sit de defectu sensûs à natiuitate, non autem in adulto, quem posse scientiam beneficio specierum, quas acquisierat sibi comparare, non multò ante, videlicet assertione prima, docuimus.

ada. Amplius. Tametsi alicui deficiat à naturæ ortu sensus aliquis, puta odoratus, vel visus, adhuc per auditum de rebus ad huiusmodi sensus attinentibus scientiam posset acquirere; falsum igitur alicui deficiente sensu à natiuitate, necessarium esse, ut eidem deficiat scientia de rebus ad sensum illum spectantibus. Assumptum paritate probari potest; quemadmodum enim per auditum scientiam de rebus illis consequimur, quas nullo sensu nobis licet attingere; ita etiam de sensilibus illis, quorum à nobis in præsens commemoratio fit.

afir. Confirmatur autem, quoniam dum Socrates caret odoratu, potest adhuc per visum cognoscere animalia plurima ad alimentum moueri, non beneficio adspectus, vel quia eo careat, vel quia ad tam longinquam distantiam non se extendat, ut de vulturibus communiter fertur; obid Socrates per visum comprehendet aliquid esse, quod ab illis animalibus percipitur, quodque odor appellatur, ideirco scientiam acquiret de sensibilibus ad visum attinentibus, quamuis visu destitutus sit.

tio. Obuiam itur, respondendo hoc ultrò à nobis assertione tertia concessum fuisse, ita tamen, ut illa scientia dicatur esse minus perfecta de sensilibus attinentibus ad aliquem sensum, quo addiscens est destitutus. Cæterum Aristoteles hoc non diffitetur, cum ei in animo esset dumtaxat, quod assertione quarta nos explicuimus.

afir. Et ex his patet quid ad confirmationem respondendum.

Præterea. Ex causarum notitia nos in effectuum cognitionem deuenimus; sed qualitates primæ tangibiles, sunt causæ colorum, odorum, & saporum; ergo quantumuis nobis à principio visus, odoratus, vel gustus deficeret, tactu nihilominus qualitates primas percipiendo in scientiam colorum, odorum, & saporum deuenire possemus.

afir. Confirmari etiam hæc ratio solet, ex eo quia qualitates primæ tangibiles magis naturaliter distant à substantijs abstractis, quàm à prædictis sensilibus, sed per tangibiles qualitates in notitiam abstractarum substantiarum deuenimus; ergo multò magis in cognitionem prædictorum sensibilium deueniemus.

Hæc difficultas multa supponit, de quibus in Physica disputãdum, nimirùm dari & percipi formas quasdam accidentarias, quæ propriè qualitates primæ nuncupentur, calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, ex quarum actione mutua procreentur aliæ qualitates, tanquam formæ itidem accidentariæ, puta colores, odores, sapores, quæ secundæ qualitates appellentur. Sed re verâ qualitates primas longe aliter explicandas esse, cum de qualitatis categoria disputaremus, etsi cursim, ostendimus, eadem de re cumulatiùs in physicis acturi, ubi pariter demonstrare tentabimus qualitates, quas vocant, secundas, non esse explicandas ad eum modum, quem allata difficultas supponit, atque adeo ineptè dictum fuisse à mutua primarum qualitatum actione secundas procreari; neganda igitur assumptio, tanquam à veritate longè remota. Eâ tamen admissâ, tantummodo sequitur, quod in secunda parte assertionis quartæ diximus, nempe conceptum quendam proprium ex communibus de talibus sensilibus haberi posse ab eo, cui sensus deficit, ad quem huiusmodi sensilia pertinent. Solutio.

Et hinc etiam perspicuè constat, quid ad confirmationem dicendum, eodem siquidem modo ei poterit fieri satis. Confirmationi fit satis.

Illud etiam nobis aliquid difficultatis ingerit, quod Aristoteles falsum assumit videlicet omnem notitiam siue scientiam de uniuersalibus per inductionem factam in singularibus comparari; quandoquidem de principijs simpliciter primis scientiam habemus, nullâ inductione adhibitâ, cum solo naturæ lumine cognoscantur. Quarta difficultas

Confirmatur etiam, quoniam ipse assumit omnem inductionem per sensum fieri, cum tamen hoc omninò falsum videatur, quandoquidem de rebus immateriatis possumus inductionem formare sic arguendo: hæc anima intellectiua nullum habet cum materia commercium; ita & hæc, & illa, & sic de reliquis; ergo nulla anima, intellectiua cum materia commercium habet. Prima confirmatio.

Confirmatur iterum, siquidem assumit inductionem ad scientiam conducere, cum scientia tamen sit de uniuersalibus tantum, solùmque per demonstrationem acquiratur. Vel eius admisso fundamento, videlicet inductionem ad acquisitionem scientiæ conferre, si fundamentum non est falsum, sa tem erit insufficiens, cum etiam enthymema, & exemplum ad scientiarum acquisitionem conducant. Secunda confirmatio.

Solutio patet ex ijs, quæ suo loco de primis scientiarum principijs diximus, nam quædam sunt non simpliciter prima, quorum veritas inductione præsertim cognoscitur, adeo ut ad acquirendam scientiam ex huiusmodi principijs deductam præsidio nobis inductio esse possit, quæ deficiente sensu, cum haberi nequeat, consequens fit, ut sensu deficiente alicui, debeat etiam deficere eidem scientia per inuentionem de sensilibus ad sensum illum attinentibus. Quòd si principia fuerint simpliciter prima, quamuis inductione non indigeant necessariò siquidem sine ipsa cognosci naturæ lumine possint, non inficiandum tamen ex inductione cognitionem eorum intellectui firmius hærere, proindeque saltem conferre ad perfectiorem scientiam comparandam. Non igitur falsum fundamentum, quo fultus Aristoteles suam protulit sententiam, cum ipse de scientia per inuentionem secundùm proprios atque distinctos conceptus, atque adeo de scientia perfecti loqueretur, quam deficiente sensu &c. dari non posse in prima parte quartæ assertionis dicebamus, non inficiantes illam minus perfectam, & secundum conceptus proprios Solutio.

Digitized by Google

priores ex communibus, ut in secunda eiusdem assertionis parte conclusimus.

Primæ confirmationi occurritur

Ad primam confirmationem respondendum inductionem duobus fieri modis, primò quidem directè, ac immediatè ex ijs singularibus quæ sensu percipiuntur; ut cum ex hoc, vel illo, & alijs singularibus ignibus, infertur omnem ignem calidum esse. Secundò cum ex singularibus indirectè, atque remotè sub sensum cadentibus, aliquam propositionem inducimus; ut cum ex hisce singularibus hæc anima intellectiua remota est ab omni materiæ concretione, & hæc, & alia, & sic de reliquis; ergo omnis anima intellectiua ab omni concretione materiæ remota est. Hæc enim singularia non per se ipsa, sed per suos effectus sub sensum cadunt, & quatenus huiusmodi in inductione possunt adhiberi, ita ut omnis inductio sit per sensum, atque adeo per singularia vel proximè, siue immediatè; vel remotè; item vel directè, vel indirectè.

Secundæ confirmationi fit satis.

Ad secundam confirmationem respondendum etsi inductio proxime ad scientiam propriè sumptam non conducat, sed sola demonstratio sit illa, per quam illa comparatur; remotè tamen conferre, quatenus per ipsam cognitio acquiritur de uniuersali, quod est in demonstratione principium, ut propterea aliquando Philosophus dixerit, etsi singularia non ingrediantur per se demonstrationem, ingrediuntur tamen per accidens, nempe ratione uniuersalium, ad quorum cognitionem singularia conducunt. Nec insufficiens est Aristotelis fundamentum, eò quòd exemplum, & enthymema silentio præterierit, nam enthymema ad syllogismum reuocatur, propterea superflua est eius commemoratio. Exemplum etsi per accidens in processu scientifico locum habere possit, per se tamen non item; secus autem inductio.

Quintæ difficultati

Alijsic acriùs urgent. De rebus sensibilibus habetur scientia antequam ad sensum inductæ sint; ergo deficiente sensu, necessarium non est, ut scientia deficiat de sensibilibus ad sensum illum spectantibus, optimâ consecutio: assumptum suadetur ex ijs, quæ

1. Post. Tex. 3. Philosophus postea docet, ubi soluens difficultatê à se allatam aduersùs ea, quæ proximè dixerat, scilicet singularium cognitionem, ut quòd hoc triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, fieri ex præexistenti cognitione uniuersalis, nempe quòd omne triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, dicit de quibusdam tali modo disciplinam esse, ut ea non cognoscamus per medium, sed sine medio, ut quòd hoc sit triangulum. Ad hoc autem respondet antequam hoc triangulum inductum sit ad sensum, uno modo à nobis sciri, & alio modo ignorari. Hoc idem habet paulo post, ubi Heraclitu cauillum adducit; hic enim volens destruere scientiam interrogabat Arithmeticum, scisne binarium esse parem, vel non? Quando autem ipse respondebat affirmando, Heraclitus instans ostendebat binarium, puta duas fabas, quem manu gestabat occultum, illique dicebat, tu binarium hunc esse numerum nesciebas; ergo binarium omnem esse parem ignorabas. Respondet Philosophus aliquo modo à nobis sciri binarium illum esse parem, antequam ipsum videamus, & aliquo modo ignorari; concedit igitur scientiam de rebus sensibilibus, antequam ad sensum inductæ sint.

2b. Tex. 4.

1b. Tex. 5.

Solutio.

Resolutio difficultatis ex eodem Aristotele desumitur, & ex secunda assertione superius à nobis posita, ubi diximus deficiente sensu à natiuitate &c. dari posse scientiam confusam ac indistinctam de sensibilibus, qualis profectò est illa, quam dicit Philosophus haberi in utroque casu de triangulo scilicet & numero pari.

Amplius. Experientiâ constat aliquo adhuc deficiente sensu ex. gra. visu, per alium sensum, puta per tactum scientiam de magnitudine, de figura, de motu, & quiete haberi, quæ tamen sub sensum visûs cadunt; falsum igitur quod Aristoteles pronunciauit aliquo deficiente sensu à natiuitate, deficere scientiam quoque de sensilibus ad sensum illum attinentibus.

Facilis tamen solutio, nam difficultas nullius est momenti, cùm hîc sermo sit de sensibilibus proprijs, non communibus, qualia sunt illa iam recensita, nempe magnitudo, figura &c.

Aggreditur considerationem alteram, proponens quæstionem an demonstrationes possint in infinitum procedere, vult enim ostendere in terminis demonstrationis non dari processum in infinitum, neque scilicet in prædicatis ascendendo, neque in subiectis descendendo, neque in medijs, quæ interponuntur, & hoc in gratiam alterius considerationis futuræ de modo resoluendi propositiones mediatas in prima principia immediata; & quoniam talis resolutio fieri non potest nisi statuatur non dari processum in infinitum in extremis, nec in medijs, nam si daretur nulla, forent prima principia, sed in principijs datur status; proinde decernit hîc in terminis demonstrationis non dari processum in infinitum, nec in prædicatis ascendendo, nec in subiectis descendendo, nec in medijs quæ interponuntur, quæ tractatio in quatuor diuiditur partes, in quarum prima quæstionem excitat, an detur processus in infinitum in terminis demonstrationis, quæ in duas particulas subdiuiditur, in quarum prima nonnulla supponit, in altera prædictam quæstionem excitat. Ex suppositis primum est; omnis syllogismus tribus constat terminis, maiori, & minori extremo, & medio; amplius syllogismorum, alius affirmatiuus, qui nempe constat ex duabus affirmatiuis propositionibus, alius negatiuus, videlicet habens aliquam negatiuam propositionem, licet aliam affirmatiuam habeat, præterea geminæ propositiones illius, immediatæ esse debent, & nisi sint tales, demonstrandæ sunt, quoadusque ad immediatas deueniatur, ut scientia possit obtineri. Secundum suppositum est, cum duplex sit syllogismus dialecticus, & demonstrativus, hoc loco sermonem non esse de dialectico, cum solum habeat propositiones immediatas, non secundum veritatem, sed iuxta opinionem, hoc est quia videntur immediatæ audientibus, quamuis non ita sint. Tertium suppositum est, supponit nempe se considerâturum prædicationes, quæ per se sunt, non autem quæ sunt per accidens, hoc est illas, in quibus unum prædicatur, vel subijcitur, prout re verâ debet prædicari, vel subijci, cuiusmodi sunt prædicationes naturales.

Deinde quæstionem proponit an detur processus in infinitum in terminis, & primò in prædicatis ascendendo; secundò in subiectis descendendo. Tertiò in medijs tam in syllogismis affirmatiuis, quàm negatiuis. Ab his quæstionibus reciprocos terminos excludit, eò quòd terminorum numero finitorum infinita potest reciprocatio fieri, & ob id infinitus ascensus, & infinitus descensus, quoniam *hi termini* ita se habent, quemadmodum infinita *prædicata secundum* rectitudinem ordinata, cum supra quodlibet dari possit aliud superius, hæc tamen intelligenda sunt de terminis qui reciprocantur illesâ remanente naturali prædicatione; cuiusmodi relatiua sunt, hæc enim inter se mutuò reciprocantur perpetuò naturali prædicatione seruatâ; nam de se mutuò prædicantur, & utrinque naturaliter, quemadmodum & illa, quæ circularem habent generationem.

Pro-

Digitized by Google

Propositarum quæstionum solutiones aggrediens ducit exordium ab ea, quæ erat ordine tertia, num videlicet extremis existentibus finitis media intra illa possint esse infinita; duo autem facit, primò respondet quæsito, secundò dubitationem soluit. Erat autem quæstio, an extremis existentibus finitis possint inter illa infinita esse media. Respondet negando eâ ratione ductus, quoniam oporteret etiam esse infinita extrema tum ascendendo, tum descendendo, siquidem necesse foret in infinitum progredi, quod sine extremorum infinitate contingere minime potest, id porrò impossibile esse supponitur. Hoc autem tum in affirmatiuis, tum negatiuis propositionibus contingere probat, & quoniam accidit, ut syllogismus negativus fiat in tribus figuris, propterea demonstrat id in eisdem tribus figuris fieri non posse. Deinde quandam 4. euasionem tollit, qu quis uti posset dicendo quanuis in una figura propositio habere nequeat infinita media, in omnibus tamen habere infinita posse, hoc est syllogismos non omnes fieri in prima figura, sed quemdam in prima, quemdam in secunda, & quemdam in tertia, in quibus eamdem esse propositionem contingit, & idcirco illius media in infinitum multiplicari posse.

Respondet nequaquam id euenire posse, propterea 8. quòd figuræ determinato numero, hoc est ternario, comprehenduntur, quamobrem si in unaquaque istarum finita sunt media, erunt pariter in omnibus simul finita.

Ostenso iam inter duo extrema non posse dari infi- 18. nita media, pergit ostensurus extrema infinita non esse, seu in illis infinitum dari non posse. Bipartitam considerationem facit, primò enim id rationibus dialecticis, secundò ratione analytica probat. Prima ratio procedit de prædicatis *in quid*, in his enim probat non dari processum in infinitum, & quidem hoc modo ab ipso ratio concipitur. Si in prædicatis *in quid* daretur processus in infinitum, sequeretur de medio tollendam definitionem, quod non est admittendum; sequela patet, quoniam in definitione rei sunt ea quidem accipienda, quæ de re prædicantur *in quid*, hoc est non solùm proximum genus, & propria differentia, sed omnia superiora genera, at infinita pertransiri, & comprehendi non possunt; ergo si prædicata *in quid* forent infinita, definitio de medio tollenda foret. Rectè additum fuit, omnia genera superiora esse sumenda, alioquin ratio nullius foret momenti. Subdit alteram rationem, quæ de omnibus prædicatis, & subiectis conuincit, in cuius gratiam nonnulla præmittit, & primò se velle considerandam assumere prædicationem naturalem, velut illam, quæ simpliciter prædicatio est, quoniam in ea subiectum verè, & per se subiicitur, ut cum dicitur lignum est album, vult autem relinquere prædicationem non naturalem in qua per se non subijcitur id, quod re verâ subijci debet, sed subijcitur per aliud, siue per accidens, ut cum dicimus album est lignum, & musicum est album. Hanc autem prædicationem appellat per accidens, quia ut alias ex eodem Philosopho notauimus, non per se musico, sed homini inest albedo, & idcirco de- 149. beret homo subiectum poni. Progreditur alterum fundamentum iacens, nempe discrimen quoddam inter utraque prædicationes, quandoquidem in prædicationibus naturalibus, quas prædicationes *in quid* appellat, subiectum est illud, quod prædicatum, vel illud aliquod, videlicet, est essentialiter prædicatum, ut *homo est rationalis*, homo nanque essentialiter est idem, quod rationale; hoc autem bifariam contingit, vel secundum totum, ut quando reciprocantur, ut cum dicimus *homo est rationalis*, vel secundum partem, ut quando non reciprocantur, ut cum dicimus *homo est animal*, tunc homo non est id essentialiter, quod totum animal, sed est id, quod animal quoddam; constat autem hunc loquendi modum significare prædicatum esse de essentia subiecti, cum perinde sit, ac si dicamus esse hominem, est esse rationale, & est esse animal quoddam, hominem esse: at in prædicationibus accidentium id certè non contingit, nam cùm dicimus *homo est albus* non dicimus id, quod album, quia non est essentialiter album, sed est essentialiter animal, vel rationalis &c. falsum enim esset dicere hominem esse id quod album, quoniam esse hominem, non est esse album, sed dicimus hominem esse subiectum albedinis; nam album non significat aliquod per se existens, sed significat alterum quid existens; significat enim, & accidens ipsum, & subiectum accidentis ab accidente diuersum, licet illud primariò, hoc autem secundariò. Tertium addit fundamentum in eo consistens, quòd accidentium prædicationes de subiectis non sunt reciprocabiles, quoniam subiectum non potest esse accidens sui accidentis, quod certè contingeret admissâ reciprocatione conuersioneque prædicati in subiectum; ut si album est accidens hominis, nequit etiam homo esse accidens albi; cum itaque subiectum non sit accidens sui accidentis, siquidem non datur accidens accidentis, sequitur ut prædicatio accidentis de subiecto non possit reciprocari, nam data reciprocatione dicendo *album est homo*, utique homo foret accidens albi, & fieret prædicatio non naturalis, eò quòd homo non est accidens albi, sed album est accidens hominis. Neque hoc in prædicationibus essentialibus, siue in ijs, quæ prædicantur *in quid* est permittendum, ut cum genus, & differentia de suis speciebus prædicantur; non enim aliquid potest esse genus, vel differentia sui ipsius, quod planè contingeret si fieret conuersio prædicati in subiectum in omnibus essentialibus prædicationibus, ut cum dicitur, rationale est homo, vel animal est homo, concesso enim tales prædicationes reciprocari, non propterea sequitur processus in infinitum, quoniam descendendo datur status in ultimo subiecto, ut in Callia, sicuti dabatur status in supremo prædicato ascendendo. Deinde negat speciem posse de suo genere vicissim prædicari *in quid*, eò quòd sequeretur esse sui ipsius genus, quod est absurdum. Hinc manifestum naturalem prædicationem conuerti non posse, ita ut maneat naturalis, quia quicquid prædicatur, vel prædicatur *in quid*, vel ut accidens subiecti, at neque subiectum potest esse accidens sui accidentis, nec potest genus esse sui generis, vel differentia suæ differentiæ.

His autem iactis fundamentis, alteram rationem Tex. 151.
adducit, quâ probat non dari processum in infinitum in prædicatione accidentium de subiecto, & quoniam accidens substantiæ quidem non autem accidenti accidit, ob id prædicationem accidentis de accidente prætermittit; quod autem non possit in infinitum procedi deorsum in accidentium prædicatione patet, cum enim accidentia omnia prædicentur de substantia naturali prædicatione, talis utique prædicatio desinit in substantia, quod si substantia erit prima, & individua, iam factus est descensus ad ultimum subiectum, atsi fuerit uniuersalis ab hac similiter ad individuum descendere licebit; non igitur in infinitum descendendo, cùm detur ultimum: sed neque ascendendo, nam de prædicatis essentialibus ex dictis manifestum est; at de prædicatis accidentalibus ex eo constat, quoniam per hæc ascendendo peruenimus

Digitized by Google

ad essentialia prædicata, videlicet ad ipsorum accidentium genera, & differentias; at verò genera, & differentiæ sunt prædicata certo, finitoque numero comprehensa, cum ex his accidentium definitiones efformentur, fieri autem non possent, si prædicata forent infinita; in qualibet igitur categoria deueniendum ad unum, de quo nihil prædicetur tanquam genus, illudque supremum, seu quod generalissimum nuncupatur; cum autem hæc suprema genera non sint numero infinita, quin potius finito, utpote nouenario comprehensa, erit etiam finitus numerus accidentium, quæ de substantia prædicantur.

Tex. 152. Dum pergit tertiam affert rationem dialecticam in eo positam, quòd si omnis propositio medium habet, atque adeo infinita sunt media, itaut quibuslibet acceptis propositionibus aliæ dentur priores, & nulla prima principia; sequitur omnem scientiam demonstrationemque de medio tolli, hoc autem falsum; sequela optima, propterea quòd si propositiones omnes sub demonstrationem cadunt, certè non alio modo, quàm per demonstrationem scire ipsas licebit; at ignoratis prioribus ad posteriora scienda non poterit demonstratio confici, ut ex demonstrationis natura constat; ignoratis igitur prioribus, posteriora nesciantur oportet; ignorari autem priora necesse est, cum nullo sint finito numero comprehensa; consequens igitur ut nihil sciatur.

Pergit, & analitycâ ratione hoc ipsum aggreditur ostendere sequentem in modum disputans. Illa quæ de re quapiam prædicantur per se nequeunt esse infinita; sed in demonstrationis terminis prædicatio omTex. 153. nis est per se; ergo in terminis demonstrationis nullus dandus processus in infinitum. Maior ostenditur; prædicata enim per se sunt in duplici discrimine, nam alia insunt subiecto in quid, & pertinent ad primum modum dicendi per se; alia verò cum in subiectis inexistant ipsa subiecta in eorum definitionibus insunt, & hæc prædicata ad secundum modum dicendi per se pertinent; sed nec primi, nec secundi generis possunt prædicata esse numero infinita; ergo prædicata per se nequeunt infinita esse; quæ autem sunt secundi generis infinita esse non posse ex eo conuincitur, quia sequeretur, & infinita esse in definitione unius, & unum sumi in definitione infinitorum. Primum suaderi potest hoc pacto. Sit impar, affectio, quæ per se numero inest, & impari insit aliquid aliud, & huic tertio aliquid aliud, nempè quartum insit, hoc ordine semper in infinitum, sequeretur quòd infinita in unius definitione inessent, quod non admittendum, nam definitio est rei terminus, cui repugnat infinitudo, ut patet; sequela ex eo probatur, quia sicut in definitione imparis sumitur numerus, ita quoque si quidpiam aliud de impari per se prædicaretur, in definitione ipsius non modo sumeretur impar tanquam subiectum, sed etiam numerus; cum in cuiuslibet rei definitione sumenda sint omnia, quæ definitiones partium definientium ingrediuntur; quæ intelligenda tam de prædicatis primi, quàm secundi modi dicendi per se, de quibus hic agitur; quoniam igitur infinita de eodem subiecto prædicari supponuntur, necessariò sequitur eorum aliquod esse, in cuius definitione infinita subiecta sumi debeant, de quibus per se illud prædicatur. Secundum itidem ex eo manifestum deprehenditur, quoniam si infinita in definitione unius sumerentur, etiam & unum, in infinitorum definitione sumendum foret *. Ad extremum difficultati occurrit. Cum enim omnia accidentia de numero, tanquam de subiecto prædicentur, & viciſſim numerus de illis, siquidem affectiones cum subiecto reciprocantur, sequeretur per circulum, & conuersionem in his processum concedendum esse in infinitum. Respondet non esse inconueniens, quoniam processus per rectam lineam ascendendo, vel descendendo non fieret.

Reuertitur ad primum genus, quod nos diximus esse prædicatorum spectantium ad primum modum dicendi per se; atq; docet in his non esse concedendum processum in infinitum, nam sequeretur nihil posse definiri, cum enim in definitione sumenda sint omnia, quæ de re definita prædicantur in quid, si hæc nullo forent comprehensa numero, sequeretur in unius definitione sumenda esse infinita, quod definitio non patitur, cum sit terminus ac finis, rei quæ definitur.

Cum sibi proposuisset ostendendum non dari processum in infinitum in terminis demonstrationis, ut hinc perspectum redderetur dandas esse propositiones immediatas, quæ prima sunt demonstrationis principia, & subinde doceret modum, quo mediatæ propositiones in immediata principia resoluerentur; ob id ex hactenus dictis nonnulla colligit, deinde collecta ad rem propositam accommodat.

Quod primò colligit, ita se habet; quando aliquod prædicatum commune de pluribus prædicatur, vel etiam de pluribus, quorum alterum de altero nullo modo prædicatur, vel saltem non de omni, non semper per aliud commune medium inest illis, sed potius absque medio, seu immediatè. Vt affectio illa satis vulgata habere tres angulos æquales duobus rectis inest Isoceli, & Scaleno ratione cuiusdam naturæ, nempe trianguli, hoc est conuenit illis quatenus triangula sunt, at non semper ita se res habet, nam triangulum sine alio medio inest isoceli, & scaleno, alioquin in medijs daretur proceſſus in infinitum, est autem impossibile inter extrema finita dari infinita media. Aduertens autem Philosophus ab aliquo dici posse media quidem accidentaria nihil prohibere quominus infinita inter duos terminos interponantur, ob id occurrit dicens se tantùm sermonem habere de naturalibus medijs, quæ per se propositiones constituunt.

Secundum, quod colligit in eo consistit, quòd si Tex. aliqua propositio sit mediata, est demonstrabilis, ad cuius demonstrationem tot elementa conducunt, quot media sunt illius; elementorum autem nomine propositiones immediatas Philosophus intelligit, aut omnes, aut illas, quæ uniuersales sunt, videlicet communes dignitates, in quas ultima fit demonstrationum resolutio. Si autem propositio medio caret, nulla de ipsa dabitur demonstratio, quod primo de affirmatiua propositione probat, mox idem de negatiua demonstraturus. Aduertendum porrò per immediatam propositionem, hoc est, per elementum intelligi debere maiorem propositionem, hæc enim semper debet esse immediata, cuiusmodi haud necesse est esse minorem, quod significari videtur per particulam *uniuersales*, siquidem maior dicitur uniuersalis respectu minoris eòquòd minorem tanquam partem contineat. Solas autem maiores appellauit elementa, quoniam elementum dici non potest nisi propositio immediata, ut enim elementum dicitur, quod in suo genere primum est, adeo ut in alia resolui non possit, sic, & propositio immediata elementum dicetur, quoniam in alias propositiones resolui non patitur; cum igitur in omni demonstratione maior semper debeat esse immediata, minor autem non semper, propterea Philosophus de minori regulam tradi non posse cognoscens, maiorem tantummodo vocauit elementum, eòquòd semper sit immediata; minor autem non item.

Docet

* Vt numerus tãquam omnium illorum subiectum primum;

Digitized by Google

47. Docet eadem intelligenda esse de negatiua propositione dicens, si propositio negatiua fuerit mediata demonstrari eam posse, sin autem esse principium indemonstrabile, unde concludit tot esse principia, & elementa, hoc est propositiones immediatas, quot media, ut igitur dantur principia immediata, & indemonstrabilia affirmatiua, sic etiam, & negatiua.

48. Explicat modum, quo mediatæ propositiones in immediata principia resoluantur, tum in affirmatiuis, tum in negatiuis propositionibus; & primò quidem in affirmatiuis, quando nanque propositionem affirmatiuam mediatam sit opus ostendere, eamdemque in immediatam resoluere, ut *omnis homo est substantia*, medium oportet sumere inter hominem, & substantiam, quòd de homine prædicetur, & de quo prædicetur substantia, & ita semper est procedendum omnia interponendo media, quoad fieri potest, donec totum spatium medium sit condensatum, hoc est impletum, unumque factum, ut in casu, de quo loquimur interponi debent *animal*, *viuens*, *corpus mixtum*, *corpus*, per hanc enim interpositionem sunt omnes immediatæ propositiones adinuentæ, eòquòd termini quodammodo se tangunt, & in elementa, hoc est in prima principia resolutio facta est; quæ ut clariùs intelligas exemplo rem illustrabo. Si sit demonstranda hæc propositio *omnis homo est substantia* accipiendum est medium *animal*, quòd immediatè de homine prædicatur, & substantiæ subijcitur; si deinde demonstranda sit hæc propositio *omne animal est substantia*, sumendum est medium *viuens*, quòd immediatè de animali prædicatur; amplius si demonstranda sit hæc propositio *omne viuens est substantia*, accipiendum est medium *corpus mixtum*, quòd immediatè prædicatur de viuente, & subijcitur substantiæ; similiter, si demonstranda sit hæc propositio, *omne corpus mixtum est substantia*; sumendum est medium *corpus*, quod immediatè prædicatur de corpore mixto, & immediatè subijcitur substantiæ; hoc itaque modo per interpositionem quatuor mediorum scilicet *animalis*, *viuentis*, *corporis mixti*, & *corporis* facta est resolutio illius propositionis *homo est substantia* in has propositiones, *homo est animal*, *animal est viuens*, *viuens est corpus mixtum*, *corpus mixtum est corpus*, *corpus est substantia*; ita ut hâc arte facta sit resolutio ad prima elementa, atque peruentum sit ad primum, immediatumque principium, quod est immediata propositio nempe, *corpus est substantia* ultra quam ulterius progredi non licet. Aduerte autem immediatas propositiones non dari in materia probabili, sed in necessaria tantum.

Aduertendum porrò circa Aristotelis verba, nempe *primum* significare non immediatum, sed quatenus ipsum, hoc est per se, & propriè sumptum, adeo ut hæc propositio *homo est admirativus* sit prima, ideſt quatenus ipsum, non tamen prima ideſt immediata, eòquòd per rationale probari possit tanquam per medium. Præterea *similiter* denotat prædicari eodem modo, quemadmodum *extra* significat exclusionem mediorum extraneorum, quæ non sunt media rei; nec spatium medium condensant, docet igitur Philosophus si nos ita semper progrediamur, ut accipiamus medium, quod de minori prædicetur per se, & maiori per se subijciatur extremo, propositio affirmatiua non erit extranea, ideſt mediata, quoniam illud medium erit vera causa media inter extrema, unde futurum ut spatium medium semper magis condensetur, donec omnes propositiones fiant individuæ, hoc est immediatæ. Propositio autem immediata dicitur una, sic enim illam appellat Aristoteles, quoniam in alias resolui non potest, sicuti mediata; primum enim in uno quoque genere solet appellari simplex ad eum modum, quo *diesis* in cantu, quoniam in minores sensiles distantias diuidi non patitur (est enim diesis minima mensura harmonica); & uncia in pondere.

Idem de negatiuis propositionibus docet, & quidem in tribus figuris, non tamen sine discrimine, cum enim in affirmatiuis sit medium quærendum, tanquam causa cur hoc alteri insit, in negatiuis quærendum medium cur hoc alteri non insit. Tex. 159.

Illud autem est animaduersione dignum, prædictas propositiones in tertia figura demonstrari non posse, & ad immediatas reduci in ipsa figura tertia cum hæc non nisi conclusionem particularem colligat, propositiones autem de quibus loquebamur, debent uniuersales esse, proindeque maior negatiua per primam, & secundam figuram ostendi debet &c.

Quatuor autem videtur regulas tradere, quibus explicatur quale medium sumendum sit ad demonstrandum in singulis figuris. Prima regula talis est: medium in demonstrationibus affirmatiuis, quæ solum fieri possunt in prima figura nequit extra maius extremum cadere, sed vel debet esse inferius maiori extremo, vel æquale cum illo. Ratio, quia in prima figura maius extremum uniuersaliter prædicatur de medio, sed nihil potest uniuersaliter prædicari, nisi de inferiori, vel æquali; ergo medium debet esse, vel inferius, vel æquale. Secunda regula est, in negatiuis demonstrationibus primæ figuræ tale debet esse medium, ut minus extremum non inueniatur extra ipsum, sed vel sit inferius medio, vel æquale cum medio. Ratio quia in prima figura minor debet affirmatiua esse, & in ea medium debet uniuersaliter prædicari; sed nihil uniuersaliter prædicatur, nisi de inferiori, vel æquali; ergo medium debet esse tale, ut minus extremum non cadat extra ipsum, sed vel sit inferius, vel æquale; debet tamen medium cadere extra maius extremum, cum maius extremum in maiori sit negandum de medio. Tertia regula: in secunda figura medium non debet cadere supra vllum extremum, seu maius, seu minus, de quo negatur; ita ut sit illo superius. Ratio autem est quia superius non potest negari de inferiori, nec uniuersaliter, nec particulariter. Quarta regula: in tertia figura medium nequit cadere supra vllum extremum, hoc est neutro extremorum potest esse superius. Ratio, quia medium in tertia figura, debet esse subiectum in utraque præmissa; sed subiectum, non potest esse superius prædicato, alioquin prædicatio foret indirecta.

SECTIO QVARTA.

Demonstrationes inter se conferuntur.

DEmonstratione, ac eius explicatis principijs Philosophus ad uberiorem doctrinam aggreditur aliud de demonstratione, & scientia considerandum, quod in ipsarum demonstrationum scientiarumque comparatione consistit. Tria autem Theoremata de demonstratione discutienda proponit. Primum, an demonstratio uniuersalis sit præstantior particulari. Secundum, an demonstratio affirmatiua, quæ vocatur categorica, seu prædicatiua, sit præstantior negatiua. Tertium, an ostensiua demonstratio sit nobilior demonstratione ducente ad impossibile. Incipit à theoremate primo, quærens an demonstratio uniuersalis sit præstantior particulari, hoc est, an præstantior sit demonstratio, quâ proprietas conueniens uniuersaliter communi cuidam rationi de ipsa communi ratione, 1. Post. tex. 160. Quæ proponat Aristoteles considerauda.

demonstratur, an verò demonstratio, quâ talis proprietas ostenditur de aliquo inferiori sub illa communi ratione contento; demonstratio enim uniuersalis est illa, per quam demonstratur propria passio de suo primo, & adæquato subiecto, & in qua maius extremum, & minus extremum, & medium sunt termini conuertibiles, ut est demonstratio, quâ ostenditur hominem esse risibilem per rationale; hæc enim uniuersalis est, quia risibile primò, & adæquatè homini conuenit, quatenus homo est, suntque *homo, risibile*, & *rationale*, termini conuertibiles. Sic etiam triangulum, & eius affectio, puta habere tres angulos æquales duobus rectis; itemque causa ratione cuius hæc affectio triangulo ineſt, termini sunt conuertibiles; atque adeo demonstratio, quâ ostenditur omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, dicitur uniuersalis: demonstratio autem particularis est illa, per quam demonstratur propria passio non de adæquato subiecto, cui nimirum per se primò ineſt, sed de aliquo contento sub illo, siue hoc sit species, siue singulare. Exemplum primi est demonstratio, quâ ostenditur habere tres angulos æquales duobus rectis de triangulo isocele, quod est species trianguli, hæc enim affectio non conuenit isoceli, quatenus isoceles est, sed quatenus est triangulum; exemplum secundi est demonstratio, quâ ostenditur Socratem esse risibilem; non enim risibile primò conuenit Socrati, sed homini, nam conuenit Socrati, non ut Socrates est, sed ut homo est. Hinc in particulari demonstratione non requiritur ut subiectum, affectio, & causa sint termini conuertibiles. Quæritur igitur utra præstantior sit demonstratio, quâ ex. gr. ostenditur omnem hominem esse risibilem, vel omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; an illa quâ demonstratur Socratem esse risibilem, vel triangulum Isoceles, tres habere angulos duobus rectis æquales. Pro resolutione quæstionis primò Philosophus affert duas rationes, quibus ostendi potest particularem demonstrationem esse præstantiorem uniuersali: secundò easdem soluit, & retorquet: tertiò quæstionem resoluit, atque septem rationibus ostendit uniuersalem demonstrationem particulare longè præstantiorem esse.

Tex. 161.

Prima ratio in aduersariorum gratiam ad probandum particularem demonstrationem uniuersali potiorem esse, talis est. Illa demonstratio, per quam magis scimus, præstantior est demonstratione, per quam minus scimus; at per demonstrationem particularem magis scimus, quàm per uniuersalem; ergo demonstratio particularis est præstantior uniuersali; maiorem probat ex eò quia hæc est natura, & essentia demonstrationis, ut scientiam pariat; demonstratio siquidem instrumentum est, cuius finis est scire, tantò autem instrumentum est præstantius, quantò per ipsum nos magis finem attingimus, instrumenti siquidem natura à fine pendet; minorem probat hunc in modum. Illa demonstratio, quâ scimus rem secundùm se ipsam, magis facit nos scire, quàm illa, quâ scimus rem secundum aliud; at demonstratio particularis est, quâ nos scimus rem secundum se ipsam, uniuersalis verò secundum aliud; ergo demonstratio particularis est, quâ nos magis scimus, quàm uniuersali; maiorem sumit tanquam per se notam; minorem duobus exemplis declarat, quorum unum est de particulari indiuiduo, alterum de specie respectu generis. Primum exemplum est, si scire velimus Coriscum musicum, & demonstremus Coriscum esse musicum, scietmus esse musicum de Coriſco secundùm se ipsum, & ratione sui ipsius: at si hominem musicum esse demonstremus, sciemus esse musicum de Coriſco secundum hominem, & quâ ratione est homo, & non quâ est Coriscus; quamobrem demonstratio de subiecto particulari parit scientiam rei secundùm se ipsam; demonstratio autem de uniuersali parit scientiam rei ratione alterius. Secundum exemplum est; si scire velimus isocele habere tres angulos æquales duobus rectis, & hanc affectionem de isocele demonstremus, utique habere tres angulos duobus rectis sciemus de Isocele secundùm se ipsum, & quatenus est isoceles, at si de triangulo eandem affectionem demonstremus, illam sciemus de isocele ratione subiecti communioris, non ratione sui; non enim affectionem hanc de isocele cognoscimus in se ipso, sed solum de Isocele cognito sub communi conceptu trianguli; ergo magis scimus per demonstrationem particularem, quàm per uniuersalem, proindeque demonstratio particularis facit nos magis scire, atque adeo præstantior est.

Secunda ratio ab aliquibus tanquam una, ab aliis, tanquam gemina usurpatur, nec immeritò, quandoquidem, ut geminam Philosophus in solutione sumit. Prior autem hæc est; demonstratio, quæ est de ente, potior est illâ, quæ est de non ente; at demonstratio particularis est de ente, uniuersalis verò de non ente; ergo particularis potior est uniuersali; minor probatur, quia nullum datur uniuersale præter singularia, quamobrem si quidpiam uniuersale sumatur à singularibus distinctum, illud est non ens. Secunda ratio est; demonstratio illa, quæ in nobis non facit deceptionem, potior est illâ, quæ nos in errorem ducit; at demonstratio particularis nullam in nobis facit deceptionem, uniuersalis verò facit; ergo particularis potior est uniuersali; minor probatur, eò quòd uniuersalis demonstratio facit ut arbitremur uniuersale esse aliquid per se existens extra singularia, quod tamen verum non est, quoniam extra singularia nullum datur uniuersale; ut si de triangulo generatim accepto aliquid demonstretur, credere possumus triangulum esse aliquid præter species suas. Vtitur exemplo aliàs adhibito; magnitudinibus enim ac numeris nullum datur commune genus, quod sit proprium subiectum affectionis illius, quæ dicitur *commutata proportio*; si quis igitur demonstrationem uniuersalem faciat, quâ ostendat illud, quod est commune lineis, numeris, corporibus, & superficiebus esse proportionabile, ea demonstratio nos in errorem induceret, cum enim pro comperto habendum sit omnem demonstrationem esse de re, quæ suapte naturâ possit existere, erit cur suspicemur dari commune aliquod genus commemoratis quantitatibus, quibus nullum commune est.

Soluit primam rationem è tribus allatis, quam vocat *alteram*, quia duas reliquas coniunctim ut unam protulerat; immò non modo illam soluit, sed etiam aduersus contrariam sententiam retorquet, & ita disputat; primò nempe retorquet argumentum, eò quòd magis scimus per uniuersalem demonstrationem, quàm per particularem, scimus enim hoc modo propriam passionem conuenire subiecto, scilicet per se, & quatenus ipsum, ut triangulo, non autem isoceli ineſt habere tres angulos æquales duobus rectis; retorquet igitur argumentum dicens non magis illud facere aduersus demonstrationem uniuersalem, quàm aduersus particularem, quoniam sumptâ eadem propositione maiori, & additâ minori contrariâ, colligitur contraria conclusio hunc in modum. Illa demonstratio per quam magis scimus, præstantior est ea demonstratione per quâ minus scimus; sed per uniuersalem demonstrationem magis scimus, quam per particularem; ergo uniuersalis demonstratio potior est par-

Tex.

Digitized by Google

particulari. Quia tamen retorquere non est soluere; propterea ad argumentum respondet minorem negando, dicens ad probationem in argumento adducto fallaciam committi, quoniam illud sumit scopum demonstrationis esse cognoscere affectionem de subiecto particulari, cum tamen scopus sit affectionem cognoscere de illo subiecto, cui per se, & quatenus ipsum inest; quamobrem si habere tres angulos duobus rectis æquales competit triangulo, quatenus est triangulum, non quatenus est isoceles, demonstrandum id de triangulo, non de isocele, nam isoceli conuenit non quatenus isocles, sed quatenus triangulum est. Minor autem superioris argumenti, nempe quòd per uniuersalè magis scimus, quàm per particularem, ex eo constat, quoniam per uniuersalem scimus ipsum particulare, sed non contra, quin potius particulare scimus per uniuersale, ut qui scit affectionem conuenire triangulo, scit etiam conuenire isoceli, non contra, & illam affectionem si cognoscit conuenire isoceli, id ideo est, quia cognoscit illam conuenire triangulo.

164. Soluit reliqua argumenta, & primò secundi in ordine solutionem aggreditur, illud aduersus contrariam sententiam retorquens sumptâ eâdem propositione maiori, & minori contrariâ hoc modo; illa demonstratio, quæ est de ente, præstantior est eâ, quæ est de non ente; at verò demonstratio uniuersalis est de ente uniuersali, quod est incorruptibile; demonstratio verò particularis est de non ente, cum sit de corruptibilibus, quæ possunt aliter se habere; ergo uniuersalis est potior particulari; quia tamen retorquere, non est soluere; ob id respondet negando minorem, quæ fuit hæc, *demonstratio particularis est de ente*; uniuersalis autem *de non ente*, negat inquam dicens uniuersale non esse minus ens, quàm particulare, dummodo non sit æquiuocum, sed uniuocum, cuius aliqua una definitio sit, quoniam commune æquiuocum, seu analogum, vel nihil est, vel posterius est; at commune uniuocum naturam unam præfert non diuersam à natura singulari; sed eandem differentem duntaxat per uniuersalitatem, quæ mentis est opus, cum autem in uniuersali duo sint, quorum unum est ipsi, alterum autem uniuersalitas, quam ipsa mens facit; ob id in specie, hoc est, communi naturâ reali, quam uniuersale importat, meritò Philosophus ait uniuersale non esse minus ens, quàm particulare, imò magis ens, cùm singularia corruptibilia sint, non autem uniuersalia. Aduertendum autem uniuersale etiam hoc, de quo loquimur dici posse aut nihil esse, aut posterius esse, & quidem nihil extra singularia, cum non sit re ipsa separatum ab illis; posterius autem, quia quantum ad uniuersalitatem non est, nisi per mentis operationem; adhuc tamen differt ab æquiuoco, & analogo non habente uniuocationem admixtam, quoniam utrunque nihil est & posterius, sed absque communi natura, quam uniuocum importat in singularibus existentem per differentias contractam, atque diuisam.

Tandem soluit tertiam rationem negando minorem, quâ sumebatur demonstrationem uniuersalem deceptionis causam esse; ad probationem respondet, & responsio in hoc consistit, quòd etiam si de uniuersali demonstremus ex. gr. proportionale de lineis, numeris, planis, & solidis, seu de genere innominato ratione cuius hæc passio competit illis, nulla nos necessitas cogit, ut nos arbitremur illud uniuersale, nempe genus innominatum per se extra singularia existere, propterea quòd demonstratio fieri potest de illo uniuersali, quod in singularibus inest. Quòd si quispiam in errorem incidat, id non contingit uniuersalis demonstrationis culpâ, sed defectu intellectûs praue iudicantis.

Septem rationes affert, quibus ostendit uniuersalem demonstrationem particulari esse præferendam, è quibus prima talis est. Demonstratio est syllogismus, quo cognoscitur passionem conuenire subiecto per suam causam; ergo illa demonstratio præstantior est, quæ magis facit nos cognoscere passionem conuenire subiecto per suam causam; sed magis id facit demonstratio passionem ostendens conuenire subiecto uniuersali, quàm particulari, nimirùm ostendens habere tres angulos æquales duobus rectis conuenire triangulo, quàm ostendens conuenire isoceli; ergo demonstratio ostendens passionem conuenire subiecto uniuersali præstantior est illâ, quæ ostendit conuenire subiecto particulari, atque adeo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari. Assumptio autem constat quia causa passionis magis est subiectum, cui primò & per se illa conuenit, quàm subiectum cui primò non conuenit; sed passio primò, & per se conuenit subiecto uniuersali, secundò autem particulari; ut habere tres angulos æquales &c. primò, & per se conuenit triangulo, isoceli autem non conuenit primò, & per se, sed ratione trianguli; ergo demonstratio ostendens huiusmodi passionem conuenire subiecto uniuersali, magis explicat causam, quàm quæ ostendit conuenire subiecto particulari. Tex. 165.

Secunda ratio: Illa demonstratio, quâ magis scimus rem per causam priorem præstantior est illâ, quâ scimus per posteriorem; & demonstratio quâ scimus rem per causam primam, cuius non est ulterior quærenda causa, quàm illa, quâ scimus rem per causam non primam, cuius ulterior causa quærenda est; sed demonstratione uniuersali scimus conclusionem per causam priorem, quàm sciamus demonstratione particulari; ergo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari, minor explicatur, & probatur exemplo, nam si quis cognoscat isoceles habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc ei superest quærendum cur habeat; debetque rationem reddere, quoniam isoceles est triangulum, cum de hoc solum reddatur pro ratione, ipsa definitio trianguli, quæ prima est causa habendi tres angulos æquales duobus rectis. Tex. 166.

Tertia ratio talis est: demonstratio illa est potior, quæ est de magis demonstrabili, ac scibili, nam demonstrabile, & demonstratio referuntur inuicem, atque adeo si unum est magis tale, alterum quoq; magis tale esse debet, & ideircò si aliquid est magis demonstrabile, erit quoque demonstratio de ipso magis demonstratio; sed demonstratio uniuersalis est de magis demõstrabili, ac scibili, quàm particularis; ergo &c. assumptio patet, nam infinita, quatenus huiusmodi non sunt scibilia, sed quatenus finita sub scientiâ cadunt; sed quantò magis ad particularia descendimus, tantò magis ad infinitatem accedimus, indiuidua nanque sunt infinita; contra verò quantò magis ascendimus ad uniuersalia, tantò magis ad unitatem, & finitatem accedimus; uniuersale nanque magis collectiuum est, quia qua in multis inueniuntur dispersa, colligit in unum; particularia verò diuisa sunt, quia natura per differentias indiuiduantes in plura distrahitur; ergo uniuersalia sunt magis demonstrabilia, ac scibilia, quàm particularia. Tex. 167.

Quarta ratio hæc est. Illa demonstratio, quâ plura cognoscimus, præstantior est eâ, quâ pauciora; sed demonstratio uniuersalis est, quâ plura cognoscimus, particularis autem, quâ pauciora; ergo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari; maior certa, eò quòd instrumenti perfectio à fine pendet, & tantò Tex. 168.

præ-

præstantius est, quantò utilius ad finis consecutionem. Minor patet, nam qui cognoscit uniuersale, nempe triangulum habere tres angulos æquales &c. cognoscit etiam Isoceles tale esse triangulum; non tamen contra. Qui enim uniuersale cognoscit, etiam & singulare perspectum habet, non vicissim; siquidem uniuersale omnia singularia comprehendit, non contra, non enim singulare continet totum uniuersale.

Tex. 169. Quinta ratio. Illa demonstratio, quæ fit ex principio, id est ex propositione immediata, vel saltem ex magis immediatis, præstantior est illâ, quæ procedit ex minus immediatis; sed demonstratio uniuersalis ita se habet respectu particularis; ergo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari; maior per se nota, siquidem certitudo cognitionis, ac proinde præstantia ratione certitudinis, tota pendet ex certitudine principiorum, ideoque illa demonstratio est certior, quæ fit ex primis principijs: illa verò minus certa, quę fit ex propositionibus mediatis. Minorem Philosophus exemplo declarat per terminos ignotos, sed clarius res explicabitur adhibendo terminos notos hoc modo; *Omne corpus habens principium quo possit perfectionem acquirere sibi non debitam, generationis momento, potest sibi simile generare; sed omne viuens est corpus habens in se tale principium; ergo omne viuens potest sibi simile generare*; hæc demonstratio perfecta est, cuius maior propositio est immediata, estque demonstratio uniuersalis; altera verò particularis erit huiusmodi; *Omne viuens potest sibi simile generare; sed omnis homo est viuens; ergo omnis homo potest sibi simile generare*; sic enim demonstramus de specie generis affectionem per genus medium, & maior propositio mediata est, quam ob causam hæc demonstratio minus est ex principio, quàm prior.

Tex. 170. Sexta ratio. Illa demonstratio, quæ continet aliam in potentia, præstantior est illâ, quam continet; sed uniuersalis demonstratio in potentiâ continet particularem; nam qui scit actu omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, scit etiam potentia isoceles habere tres angulos æquales duobus rectis, ex aduerso autem particularis demonstratio non continet uniuersalem potentiâ, nam qui scit isoceles habere tres angulos æquales duobus rectis, nec actu, neque potentiâ scit omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; ergo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari.

Septima, & ultima ratio hæc est: demonstratio, quæ terminatur ad magis intelligibile, præstantior est quàm quæ terminatur ad magis sensibile; sed demonstratio uniuersalis terminatur ad magis intelligibile, & particularis ad magis sensibile, siquidem uniuersale est magis intelligibile, ad quod terminatur demonstratio uniuersalis, & particulare, seu minus uniuersale est magis sensibile, ad quod terminatur demonstratio particularis; ergo demonstratio uniuersalis præstantior est particulari.

Nonnullæ sunt dubitationes tractandæ circa superiora ab Aristotele tradita, nam ex earum solutionibus uberior de demonstratione doctrina fiet.

Prima dubitatio. Prima dubitatio est. Vtrum in prædicatis per se, vel per accidens possit esse processus in infinitum per se. Multa hic dicenda forent, à quibus libenter abstinebimus, ne dialecticos limites egredi videamur.

Assertio prima. Dicendum tamen breuiter in prædicatis per se, & essentialiter ordinatis ad primum modum dicendi per se spectantibus non posse dari processum in infinitum, secundum ascensum ab inferiori ad superiora.

Ratione suadetur. Manifestè probatur ex eo, quia dato conclusionis oppositi, sequeretur de nulla specie illius coordinationis definitiuam notitiam haberi posse, quòd quàm sit alienum à veritate nemo non videt; sequela autem optima, propterea quòd definitio, saltem quidditatiua, per immediatum genus tradi debet; at huiusmodi genus cognosci non posset, nam ad perfectam illius notitiam oporteret illud in omnia per se superiora mente resoluere, quodlibet eorum distinctè cognoscendo; hoc tamen fieri non posset, cum intellectus humanus nequeat infinita distinctè percipere.

Assertio secunda. Asserendum secundò fieri non posse, ut subiecta alicuius passionis ordine essentiali in infinitum ascendendo procedant. Patet ex proximè dictis.

Assertio tertia. Asserendum tertiò passiones per se de subiecto demonstrabiles sursum in infinitum abire non posse.

Ratio dicti Aristot. Assertio patet ex traditis ab Aristotele, ut superiùs visum fuit.

Assertio quarta. Asserendum quartò, quanuis in prædicationibus per accidens in specie, vel genere sumptis non sit processus in infinitum ascendendo, vel descendendo; quòd ipsas tamen in infinitum habeant ad demonstrationem non pertinere.

Ratio dicti. Assertio patet ex dictis in expositione textûs & primum quidem constat; cùm enim generalissima certo, finitoque numero sint comprehensa, quemadmodum, & omnia genera ac species, tam accidentium, quàm substantiæ, necesse est prædicationes omnes, siue accidens de substantia, siue de accidente prædicetur, aut contra, determinato numero comprehendi. Secundum ex eo patet, quia demonstratio solùm prædicationes per se admittit, proindeque negligit illas, quæ sunt per accidens.

Secunda dubitatio. Secunda dubitatio. Vtrum uniuersalia sint magis entia, quàm particularia. De hoc tamen in prima Philosophia disserendum.

Tertia dubitatio. Tertia dubitatio. Vtrum cognito uniuersali per demonstrationem uniuersalem statim cognoscamus particulare: contra verò cognitio particularis per demonstrationem particularem in uniuersalis cognitionem non ducat.

De hac partim in Dissertatione de ordine, & methodo, partim in libris de anima disputandum.

Quarta dubitatio. Quarta dubitatio. Vtrum demonstratio uniuersalis sit potior particulari.

Prima assertio. Asserendum primò demonstrationem uniuersalem semper potiorem esse sibi respondente particulari.

Hæc assertio procul dubio ad aures est Aristotelis, qui pluribus rationibus eius veritatem demonstrauit, quæ sumatim expositæ, & nonnullis adiectis sunt sequentes.

Prima ratio. Prima ratio, quia uniuersalis demonstratio facit magis scire, quàm particularis, cum faciat scire secundùm quod ipsum, particularis autem non item; ergo &c.

Confirmatio. Accedit, quòd demonstratio uniuersalis certiùs scire facit, & magis etiam propriè scientiam generat, quàm particularis, certiori siquidem modo procedit, quippequę per causam propriam, & conuertibilem passionem de adæquato subiecto demonstrat: magis etiam propriè, atque distinctè scientiam parit, cum proprium prædicatum, proprio subiecto applicet.

Secunda ratio. Secunda ratio. Demonstratio uniuersalis magis est ex primis, & immediatis, quàm particularis; ergo &c. Assumptum constat, quoniam uniuersalis demonstratio magis docet ultimam causam passionis, videlicet ultimum, & adæquatum subiectum ipsius.

Confirmatio. Accedit, quòd demonstratio uniuersalis est de principio immediato, non sic autem particularis; assumptum patet exemplo, nam inter isoceles, est principium

Digitized by Google

cipium immediatum affectionis conuertibilis cum triangulo, medium est ipsum triangulum, quod subiectum uniuersalis demonstrationis est.

Tertia ratio. Vniuersalis demonstratio tam quoad subiectum, quàm quoad medium magis est per causam, quàm particularis; ergo &c. assumpti prima pars constat, quoniam subiectum uniuersalis, est proxima materialis causa passionis: subiectum autem particularis est causa materialis remota. Secunda pars inde constat, quoniam medium uniuersalis demonstrationis est causa immediata passionis: medium autem particularis, non item, sed ferè semper est subiectum uniuersalis.

Quarta ratio. Quoniam uniuersalis demonstratio facit nos scire quicquid scitur per particularem, & non contra; ergo &c. assumptum patet exemplo, sciendo nanque per demonstrationem uniuersalem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, potentiâ saltem, vel virtute scimus isoceles habere tres angulos æquales duobus rectis: at sciendo isoceles talem affectionem habere, non propterea scimus illam triangulo conuenire.

Quinta ratio; Quia demonstratio uniuersalis est de magis scibilibus, atque adeo de magis demonstrabilibus, quam particularis, præsertim quæ de indiuiduis instituitur; ergo &c. assumptum ostenditur, quia uniuersalia, de quibus est uniuersalis demonstratio, magis sunt finita, singularia verò sunt, vel esse possunt infinita, ob id minus sub scientiam, atque demonstrationem cadunt.

Sexta Ratio: particularis demonstratio, ut plurimum indiget uniuersali demonstratione, & non contra; ergo &c. assumptum ostenditur exemplo, nam nemo poterit demonstrare isoceles habere tres angulos æquales duobus rectis, nisi nouerit demonstratione triangulum uniuersè proprietatem hanc sibi vendicare. Alias rationes causa breuitatis omitto.

Est tamen difficultas aduersus dicta, quia cognitio particularis est perfectior cognitione uniuersali, plus enim per illam, quàm per hanc cognoscimus; ergo demonstratio particularis potior, & perfectior est, quàm uniuersalis; optima consecutio, nam scientiæ potioris, potior est demonstratio.

Responsio in eo posita, quòd simplex cognitio de minus uniuersali perfectior esse potest simplici cognitione de magis uniuersali, nempe notitia de homine potest esse perfectior notitiâ de animali; ita tamen ut utraque simplex sit, non sic autem notitia complexa per demonstrationem acquisita de minus uniuersali perfectior omnino est notitiâ de magis uniuersali; ut scientia de isocele, specie trianguli quantum ad affectionem, quæ est trianguli propria, non est perfectior scientiâ de triangulo, quantum ad affectionem prædictam, quia scilicet perfectio scientiæ petenda est ex eo quòd acquiratur per demonstrationem ex principijs proprijs &c. ad quam perfectionem nihil conducit, quod subiectū unius demonstrationis addat differentiam subiecto alterius. Non inficiandum tamen demonstrationem & scientiam de subiecto minus uniuersali, quantum ad eius affectionem propriam, perfectiorem esse demonstratione, & scientiâ de subiecto magis uniuersali, quantum ad eius itidem propriam affectionem.

Præterea notitia acquisita per demonstrationem particularem, includit notitiam acquisitam per demonstrationem uniuersalem, vel saltem illam supponit; ergo sciens per demonstrationem particularem perfectius scit, quàm sciens per demonstrationem uniuersalem, atque adeo particularis potior erit uniuersali; illatio quidem optima; assumptum autem ostenditur, quia demonstratio particularis non foret demonstratio, nec faceret scire, nisi perfecta notitia passionis per uniuersalem demonstrationem haberetur.

Accedit, quòd conclusio demonstrationis uniuersalis est præmissa demonstrationis particularis. Confirmatio.

Obuiam itur respondendo perfectam notitiam particulari demonstratione acquisitam non esse talem, ut includat, sed ut supponat notitiam conclusionis demonstrationis uniuersalis, quando maior ipsius demonstratione potest comprobari; non subinde tamen inferendum demonstrationem particularem uniuersali perfectiorem esse, quia per particularem demonstrationem non scimus quicquam, quod prius per uniuersalem nobis non innotuisset. Solutio.

Et ex his patet quid ad confirmationem sit respondendum. Confirmationi sic satis.

Magis tamen ardua difficultas est aduersus rationem, quâ tertio loco Philosophus usus est, quamque nos quinto loco recensuimus; in eo enim illa consistit, quòd uniuersalia sunt magis finita, proindeque magis scibilia, & subinde magis demonstrabilia. Primò enim vitio laborat illa ratio, quia sicut particularia sunt, vel esse possunt infinita, ita uniuersalia; siquidem infinitæ sunt numerorum species, puta binarius, ternarius, & sic in infinitum. Infinitæ etiam sunt figurarum species, ut triangulum, quadrangulum, pentagonum, & sic deinceps in infinitum. Secundò; uniuersalia non videntur magis esse scibilia, eò quòd pauciora sint, sequeretur enim magis uniuersalia, nempe genera, quàm species magis esse scibilia, cum hoc tamen sit falsum, siquidem genus dicit materiam, species autem formam, at verò materia minus est cognoscibilis, quàm forma. Tertiò; non benè infertur aliqua esse magis demonstrabilia, propterea quod sint magis scibilia; nam prima principia sunt magis scibilia, quàm conclusiones, non propterea tamen magis demonstrabilia, quinimò indemonstrabilia sunt. Accedit, quòd substantiæ abstractæ sunt maximè scibiles eò quia sunt maximè entia, & ut res se habet ad esse, ita & ad cognosci; & nihilominus non sunt maximè demonstrabiles, quoniam earum causæ maximè sunt nobis ignotæ; sunt etiam illæ substantiæ, earumque causæ maximè à sensibus remotæ, unde est ut uniuersalia quoq; sint difficillima cognitu. Quartò pleraque sunt magis demonstrabilia, de quibus tamen non habetur potior demonstratio; naturalia siquidem entia magis demonstrabilia sunt, quàm mathematica, cum illa per quatuor, hæc autem per duo tantùm causarum genera demonstrentur, & nihilominus de mathematicis entibus potiores, quàm de naturalibus habentur demonstrationes; in primo enim certitudinis gradu constitutæ esse dicuntur, cætera minoris momenti omitto. Tertia difficultas.

Superioris difficultatis solutio, non eadem est apud omnes, adeout fatendum sit pleroſque difficultatis momento pressos dedisse manus, & in eam opinionem abijsse, ut crederent Aristotelis rationem prorsus inualidam esse. Iniuriâ tamen, ut opinor, tametsi nanque videri posset ex parte deficiens ijs, qui minus accuratè ad trutinam illam reuocarunt, si tamen attentiùs eandem perpendere velimus, nullo negotio comperiemus ei plurimum inesse momenti. Respondendum igitur ideo Philosophum pronunciasse magis uniuersalia esse magis scibilia, & demonstrabilia, quàm minus uniuersalia, & particularia, quia infinita sciri nequeunt, quantò autem magis accedimus ad particularia, tanto magis tendimus ad multitudi- Solutio. Primæ rationis.

nem,

nem, & ad infinitum, ex aduerso verò, quanto magis tendimus ad uniuersalia, tantò minus multiplicamus, atque adeò tantò magis tendimus ad finitum. Si itaque in uniuersum infinitas officit scibilitati, consequens fit, ut quanto magis aliquid ad infinitatem accedit, ut minus uniuersalia, & particularia, tanto minus sit scibile; & ex aduerso, quantò magis accedit ad finitatem, ut uniuersalia, tantò magis sit scibile. nec instantia de speciebus numerorum, & figurarum &c. aliquid ingerit difficultatis, non enim processus in illis est à magis uniuersale, & minus uniuersale, cum sint species æque communes, neque fit transitus à posteriori subiecto alicuius proprietatis ad eiusdem subiectum primum, de quibus Aristoteles disputabat.

Solutio secundæ rationis. Ad secundam autem rationem respondendum, magis uniuersalia dici magis scibilia, quàm minus uniuersalia, & particularia, quatenus illa certiùs cognoscuntur, hæc autem contra dicuntur magis scibilia eâ ratione, quatenus perfectiora sunt; minus enim uniuersalia, & particularia, maioris sunt entitatis, quàm sibi respondentia magis uniuersalia, propter differentias, quas minus uniuersalia, & particularia suis magis uniuersalibus addunt.

Solutio tertiæ rationis. Ad tertiam rationem, negandum prima, & uniuersalia principia esse magis scibilia, eo sensu, quo hîc sumitur scibile, propterea quòd in præsentiarum accipitur pro eo, quod est magis cognoscibile ex causis cognitione deductâ, idcirco negandum dari aliqua magis scibilia, quæ magis demonstrabilia non sint. Ad id autem, quod in confirmationem addebatur, respondendum entia quidem abstracta, suapte naturâ maximè cognoscibilia esse, quod ea ratio conuincit; à nobis tamen difficilè cognosci, eò quod illa maximè distant à sensibus, à quibus omnis nostra cognitio ortum ducit, inde enim est, ut ipsa, eorumdemque causæ non nisi magno labore à nobis cognoscantur; ut igitur sunt suapte naturâ maximè cognoscibilia, sic etiam maximè demonstrabilia, & ad eum modum, quo summâ difficultate sciri possunt, eodem quoque demonstrari.

Solutio quartæ rationis. Ad quartam respondendum entia naturalia magis dici posse demonstrabilia comparatione eorum, quæ ad mathematicas disciplinas pertinent, quatenus magis demonstrabile mediorum multitudinem importat, non autem, quatenus denotat illationem conclusionum ex certioribus, & euidentioribus principiis, hoc enim modo potius entia mathematica sunt magis demonstrabilia; quo autem sensu huiusmodi entia sunt magis demonstrabilia, eodem quoque de ipsis potiores, præstantioresque demonstrationes fieri possunt. Plura autem, quæ dicenda superessent, libenter omitto, ne nimius videar.

Secunda assertio. Asserendum secundò notitiam conclusionis particularis demonstrationis de obiecto esse distinctiorẽ, quàm sit conclusionis notitia habita per demonstrationem uniuersalem: ex aduerso tamen hanc præsidio uniuersalis demonstrationis comparatam, quatenus ex principiis deductam per causam, longè distinctiorem esse cognitione per particularem demonstrationem acquisitâ.

Ratione suadetur. Assertionis prior pars suaderi potest exemplo; cum enim isoceles nos demonstramus habere tres angulos æquales duobus rectis, utique passionem hanc ostendimus de subiecto magis determinato, quàm sit triangulum, ac proinde notitia illa, quâ scimus triangulum habere prædictam affectionem distinctior est, quàm notitia, quâ scimus triangulum eandem affectionem sibi vendicare; cognitio enim de specie distinctior est cognitione de genere; Secunda verò pars non minus constat, quoniam per demonstrationem uniuersalem distinctiori modo cognoscimus affectionem conuenire subiecto, quàm per demonstrationem particularem, quoniam per illam cognoscimus affectionem subiecto conuenire, cum quo reciprocatur, tanquam prædicatum secundùm quod ipsum, & per causam proximam ac adæquatam, atq; adeo per principia immediatiora: non sic autem per particularem.

Progreditur Philosophus tractandam assumens quæstionem ordine secundam, an scilicet demonstratio affirmatiua quæ catégorica, seu prædicatiua nuncupatur sit negatiuâ demonstratione præstantior. Est autem demonstratio affirmatiua syllogismus efformatus in modo, per quem ex præmissis affirmatiuis conclusio affirmatiua, siue uniuersalis, siue particularis concluditur, ut in prima figura per *Barbara*, & *Darij*. At demonstratio negatiua syllogismus est efformatus in modo, per quem conclusio negatiua colligitur ex præmissarum altera negatiua, & altera affirmatiua; propterea quòd ex solis negatiuis nihil sequitur; idcirco in prima figura fit demonstratio negatiua per *Celarent*, & *Ferio*, & per omnes modos secundæ figuræ. His præhabitis, quid Aristoteles doceat, videamus. Ipse autem asserit demonstrationem affirmatiuam, simpliciter, & absolutè nobiliorem esse negatiuâ, quod quinque rationibus probat. Prima ratio: illa demonstratio, quæ ex paucioribus petitionibus, vel suppositionibus, vel propositionibus eget, modo infra explicando, cæteris paribus, potior est eâ, quæ pluribus indiget; sed affirmatiua paucioribus, negatiua autem pluribus indiget; ergo affirmatiua demonstratio potior est demonstratione negatiuâ. Debent autem cætera esse paria, nimirum, ut utraque sit ex veris, necessarijs, & per se, quia si aliqua procedit ex paucioribus, non sit tamen ex his, aut sit ex causis remotis, vel effectu, non erit præstantior; requiritur itidem, ut utraque sumat terminos æquales, nam si negatiua sumat terminos superiores, affirmatiua verò inferiores, proculdubio negatiua paucioribus medijs indigebit; requiritur igitur, ut solum illud discriminis inter has demonstrationes intercedat, quod dictum est, videlicet, ut una ex pluribus, altera verò ex paucioribus siue numero, siue specie pendeat, nimirum ut plura sint principia numero differentia eiusdem qualitatis affirmationis vel negationis, aut specie plura, quatenus affirmatione, & negatione differunt, ut si una tribus medijs absolui debeat; altera autem duobus duntaxat perfici possit, hæc erit præstantior illâ, quippeque paucioribus eget, ut in prima principia resoluatur, illa verò pluribus. Superioris autem rationis maiorem duplici argumento probat, quorum primum est hujusmodi: illa demonstratio per quam celeriùs scimus, præstantior est eâ, per quam tardiùs; at per illam, quæ paucioribus eget, cæteris paribus, celeriùs scimus, siquidem citiùs per pauca, quàm per multa discurrimus; ergo illa quæ paucioribus eget, præstantior est. Secundum argumentum est per exemplum de duabus demonstrationibus, quarum altera demonstrat aliquid de alio per tria media, altera verò per duo tantùm hoc modo: sumatur hæc propositio, *omnis homo est substantia*, quę per quatuor media potest demonstrari; scil. per animal, viuens mixtum & corpus, demonstratio per secundum medium erit, *omne viuens est substantia; omne animal est viuens; ergo omne animal est substantia*, quæ potior est demonstratione per primum medium, nempe, *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*. Demonstratio autem procedens per secundum medium certior est procedente per primum duplici de causa, quarum

Digitized by Google

rum prima est, quia paucioribus indiget, ut ad prima principia reducatur; inter viuens enim, & substantiam, è quibus fit propositio maior demonstrationis procedentis per secundum medium, pauciora sunt media, quàm inter animal, & substantiam, ex quibus fit maior propositio demonstrationis procedentis per primum medium. Secunda causa ex assignata pendet, & in eo consistit, quòd præmissæ demonstrationis per secundum medium, cum sint priores, & certiores conclusione, erunt etiam certiores principiis demonstrationis per primum medium, nam conclusio demonstrationis per secundum medium est præmissa demonstrationis per primum. Et ob easdem causas demonstratio per tertium medium præstantior erit demonstratione per secundum &c. Probat autem minorem superioris rationis, nempe, quòd demonstratio affirmatiua ex paucioribus pendeat, quàm negatiua, quoniam demonstratio affirmatiua ad aliquid demonstrandum sumit dumtaxat propositiones affirmatiuas; at negatiua demonstratio, & affirmatiuas, & negatiuas accipit; negatiua propterea demonstratio pluribus indiget, atque adeo à pluribus pendet, à pluribus, inquam, specie nimirùm ab affirmatione, & negatione; affirmatiua verò ab affirmatione tantùm, quæ specie differunt;
171. Et hæc numero tantùm differentibus aptari possunt.

Secundam rationem affert, quæ talis est: id quod non eget aliis, sed alia indigent ipso, est nobilius illis; at demonstratio affirmatiua non eget negatiuâ, sed negatiua indiget affirmatiuâ; ergo demonstratio affirmatiua est nobilior demonstratione negatiuâ; maior certa, minor autem probatur, quoniam demonstratio affirmatiua solùm constat ex propositionibus affirmatiuis, & negationis ope non indiget; sed negatiua demonstratio constare nequit ex solis propositionibus negatiuis, sed ex altera negatiua, & ex altera affirmatiua; ergo affirmatiua non indiget negatiuâ, sed contra negatiua indiget affirmatiuâ.

172. Tertiam rationem adducit, quanuis videatur secundæ rationis confirmatio; cum enim in demonstratione simplici consideraliet negatiuam demonstrationem non fieri sine affirmatione, nunc ad pleniorem eorum affirmationem id ostendendum assumit in demonstratione composita, *quæ dicitur illa, cuius propositiones ex aliis propositionibus demonstrantur, ut propterea composita nuncupetur, eò quòd ex plurimis syllogismis constet*. Ratio autem sic struitur: id, per quod alterum demonstratur & innotescit notius, & credibilius est illo; at per demonstrationem affirmatiuam demonstratur negatiua demonstratio, hoc est, hęc ab illa pendet, omneque robur, ac efficacitatem desumit, non autem contra; ergo affirmatiua notior, & credibilior est, ac ob id longe præstantior demonstratione negatiuâ; maior ex illo axiomate constat, *propterquod, unumquodque tale, & illud est magis tale*, minor etiam ex iis, quæ Philosophus habet, perspicua est.

Hoc autem differt inter secundam, & hanc tertiam rationem, quòd in illa, pendentia demonstrationis negatiuæ à demonstratione affirmatiua non consideratur, sed solum ab affirmatiua propositione pendentia attenditur; in hac autem pendentia demonstrationis à demonstratione consideratur.

174. Quartam rationem affert, quæ talis est: illa demonstratio quæ potioribus innititur principijs, potior est, atque præstantior; at demonstratio affirmatiua potioribus innititur principijs, quàm negatiua; ergo affirmatiua potior est negatiuâ demonstratione; maior per se patet, eòquòd vis cuiusque demonstrationis in principijs posita est; minor autem inde constat, quoniam demonstrationis affirmatiuæ principium est propositio immediata affirmatiua; negatiuæ autem est immediata negatiua, sed affirmatiua propositio præstantior est negatiuâ propositione, quod ab Aristotele gemino argumento probatur, quorum primum à cognitione desumitur, hoc modo. Propositio affirmatiua est prior, ac notior propositione negatiuâ; ergo præstantior est. Assumptum probat, quia negatio per affirmationem cognoscitur, non autem contra, quare affirmatio est prior, ac notior negatione, & idcirco præstantior. Secundò, idem ostendit ratione desumptà ab ipso *esse* hoc modo. Affirmatio significat *esse*; negatio autem *non esse*, at prius est esse, quàm non esse; ergo affirmatio prior est negatione; hinc infert præstantius esse principium affirmatiuæ, quàm negatiuæ demonstrationis, & idcirco demonstrationem affirmatiuam, velut illam quæ potioribus principijs innititur, potiorem esse. Nec te commoueat, illud Aristotelis dictum, videlicet *esse est prius non esse*, eò quòd prius res non fuerit, quàm sit, & omne ens fiat ex non ente: Nam id admittendum in eadem re, in qua nimirum prius est non esse, quàm esse, simpliciter tamen prius est esse, quàm non esse, quia nequit aliquid trahi à non esse ad esse, nisi ab eo quod actu sit. Vel dici potest, quòd etsi prius sit rem hanc non esse, quàm esse, à toto genere tamen semper ens prœiuit, vel naturâ saltem non enti, si nihil enim esset, nihil fieri posset: Cum autem dicitur omne ens fieri ex non ente, sumitur non ens non simpliciter, sed quodammodo, cuiusmodi est materia, quæ non est ens completum, quale dicitur ens simpliciter, præsertim si materia sumitur quatenus priuationem induit. Dubitationi occurritur.

Quinta & postrema ratio hæc est: demonstratio independens est potior, ac præstantior, quàm dependens; at verò demonstratio affirmatiua est independens, & negatiua dependens; ergo demonstratio affirmatiua est potior, ac præstantior, quàm negatiua; maior constat, minor inde probatur, quoniam demonstratio negatiua non est sine demonstratione affirmatiua, siquidem eius propositiones demonstrari non possunt sine auxilio demonstrationis affirmatiuæ, at affirmatiua optimè quidem sine negatiua. Tex. 175. Quinta ratio.

Dubitatio tamen occurrit, num scilicet Stagiritæ sententia, quâ decernit affirmatiuam demonstrationem esse præstantiorem negatiuâ cum veritate consentiat. Dubitatio

Præmittendum autem bifariam affirmatiuam demonstrationem cum negatiua posse conferri. Primò quidem quamlibet cum qualibet comparando. Secundò determinatè affirmatiuam cum negatiua sibi correspondente conferendo. Præmittendum ulterius utranque comparationem cæteris paribus, vel non paribus institui posse. Quoniam autem meminimus demonstrationis correspondentis; aduerte hoc nomine intelligi demonstrationem, quæ contingit, quando in earum conclusionibus idem habetur prædicatum, vel subiectum, ut in his propositionibus, *omne animal habens pulmonem respirat: paries non respirat*, in quibus est idem prædicatum; item in his aliis *omnis homo est substantia: nullus homo est quantitas*, in quibus est idem subiectum. Sic etiam ex quorundam sententia si subiectum, & prædicatum sint in eodem prædicamento, ut *homo non est lapis*, nam huic correspondet affirmatiua de prædicato, in quo primò termini huius propositionis differunt, ut huic, *homo non est lapis*, correspondet *homo est corpus animatum*, & *lapis est corpus inanimum*, quia per animatum, & inanimum primò differunt; at si in negatiua ab aliquo subiecto remoueatur passio, correspondet illi affirmatiua, & passio proprio subiecto attribuitur, ut Leo non

non est risibilis; homo est risibilis.

Assentio. Asserendum id rectè quidem à Philosopho statutum fuisse, nimirùm affirmatiuam demonstrationem cæteris paribus negatiuæ dignitate præstare.

Aliqua tamen ad uberiorem doctrinam afferam dicendo videlicet, quamlibet negatiuam, ut sic ignobiliorem esse affirmatiuâ. Ratio autem in eo videtur posita, quia negatiua, nec esse, nec intelligi sine affirmatiua potest; obiectum enim intellectûs est ens, omnisque negatio in affirmatione fundatur, propterea intellectus per accidens in veritatem negatiuæ, per se autem in veritatem affirmatiuæ fertur.

Hoc præmisso planè constat Aristotelis assertum, scilicet omnem demonstrationem affirmatiuam potiorem esse demonstratione negatiuâ sibi correspondente. Primò quia negatiua plura media, pluresque propositiones requirit, indiget enim affirmatiuâ, & negatiuâ propositione; sed affirmatiua demonstratio duntaxat affirmatiuis propositionibus eget. Secundò quia affirmatiua non eget propositionibus negatiuis; at negatiua eget affirmatiuis, cùm ex duabus negatiuis nihil sequatur. Ad cuius confirmationem illud facit, quòd si sit demonstratio composita, nempe cuius propositiones ex alijs demonstrantur, plures pro negatiua, quàm pro affirmatiua requiruntur propositiones; enimverò duæ sunt necessariæ ad probandam affirmatiuam, & una affirmatiua cum altera negatiua propositione ad probandam negatiuam præmissam; non sic autem pro demonstratione affirmatiua. Tertiò, quia quæ potioribus utitur propositionibus, potior est demonstratio, sed affirmatiua demonstratio ita se habet; ergo potior. Minor inde constat, quia principium demonstrationis est immediata propositio, quæ in affirmatiua demonstratione est affirmatiua: in negatiua est negatiua: præstantior est autem affirmatiua, quàm negatiua, tum quia notior; negatio siquidem, per affirmationem cognoscitur; tum quia affirmatio significat esse, negatio verò non esse, sed esse prius est ipso non esse, ut superiùs vidimus. Quartò, quia demonstratio affirmatiua potiori modo participat conditiones demonstrationis. Quintò, quia demonstratio negatiua, quando constat præmissis demonstrabilibus, & affirmatiua correspondet negatiuæ per plura media ad immediata reducitur, quàm affirmatiua, quia per quæcunque probatur affirmatiua, probatur negatiua, & non contra, quod exemplo manifestum redditur; si quis enim ex. gr. velit ostendere hominem non esse quantitatem, debet prius ostendere hominem esse substantiam, & per pauciora media probatur hominem esse substantiam, quàm hominem non esse quantitatem.

Cæterum fatendum aliquando demonstrationem negatiuam fieri posse per causam proximam, aliquando per effectum conuertibilem, quandoque per effectum passionis, &c.

Superuacaneum autem alias rationes in medium afferre, cum satis assertionis veritas constet rationibus, quibus Philosophus usus est; superest igitur tantum, ut difficultatem unam, vel alteram diluamus.

Prima difficultas. Est porrò difficultas in eo quod, si quæ ratio conuinceret potiorem esse affirmatiuam, quàm negatiuam demonstrationem, præsertim foret illa, quàm primò loco Philosophus adhibuit, quia nimirum negatiua per plura est media, quàm affirmatiua, hæc tamen nullius roboris esse videtur, ob imbecillitatem fundamenti, cui ipsa innititur; propositio siquidem aliqua negatiua est immediata, per quam fieri negatiua demonstratio potest, cum tamen aliqua affirmatiua per plura media demonstratione probetur; non igitur demonstratio negatiua per plura media, quàm affirmatiua fit. Assumptum exemplis ostenditur, hæ namque sunt negatiuæ immediatæ, *nullus homo est equus*; *nullum irrationale est rationale*: *nullum animal est sensûs expers*; *nulla quantitas est substantia*.

Accedit quòd hæc affirmatiua, *omnis homo est substantia* per plura media probatur, quàm illa *nulla superficies est substantia*; ergo affirmatiua per plura media, quàm negatiua probari potest; assumptum constat, quoniam inter hominem, & substantiam quatuor cadunt media, nimirum animal, viuens, corpus, mixtum, & corpus, per quæ probari potest prior illa propositio, *omnis homo est substantia*; posterior autem, scilicet, *nulla superficies est substantia* per unicum demonstratur medium hoc modo, nulla quantitas continua est substantia; omnis superficies est quantitas continua: ergo nulla superficies est substantia.

Dices rationem Philosophi intelligendam de affirmatiua, & negatiua sibi respondentibus, scilicet de eodem subiecto &c. cuiusmodi non sunt allatæ propositiones.

Hoc tamen non satisfacit, cum sic urgere liceat. Affirmatiua illa propositio *homo est substantia* per quatuor media probatur; sed hæc negatiua, *homo non est inanimus*, duntaxat per unicum medium ostenditur hoc modo, nullum animal est inanimum: omnis homo est animal; ergo nullus homo est inanimus, & tamen utrobique est idem subiectum; liquet autem maiorem, & minorem esse propositiones immediatas.

Amplius rationalem naturam hominis consequitur admirativum ad quod consecutionem habet risibile, ita ut admirativum sit prima passio hominis, & hinnibile prima passio equi: illa autem propositio, omnis homo est risibilis probatur per duo media, videlicet per admirativum, & rationale, hæc autem, nullus homo est hinnibilis, per unicum tantum medium hoc modo, omne hinnibile est equus; nullus homo est equus; ergo nullus homo est hinnibilis. Manifestum autem præmissas immediatas esse.

Dices Aristotelis rationem intelligendam non de numerica, sed de specifica multitudine mediorum, adeo ut intelligenda sit de affirmatione, & negatione, quæ sunt propositiones qualitatum, quatenus affirmatiua demonstratio duntaxat affirmatiuas propositiones, at verò negatiua demonstratio, & affirmatiuas, & negatiuas propositiones admittit.

Neque hoc modo satis difficultati occurritur, cum re verâ Philosophi sententia ad multitudinem non tantum specificam, sed etiam numericam, videatur extendi: nam dicit citiùs cognosci per affirmatiuam, ob id intelligi debet secundum numerum, quia nimirùm plura media difficilius, atque tardius cognoscuntur, quàm pauciora; eo vel maximè, quod ipse semper dicit cæteris paribus adeòut supponat negatiuam & affirmatiuam æquè notas esse, proindeque totam difficultatem in multitudinem numericam mediorum refundi.

Solutio tamen difficultatis, non obscurè colligitur ex ijs, quæ Philosophus docuit; enimverò negatiua demonstratio plura requirit media, pluresque propositiones, quàm affirmatiua, quæcunque enim media ad affirmatiuam requisita, requiruntur etiam ad negatiuam, sed non contra, ut superius ostensum fuit. Aristoteles autem rationem illam attulit supponendo cætera esse paria, hoc enim intelligebat dum pronunciauit affirmatiuam demonstrationem negatiuæ dignitate antecellere. Locutus est etiam de affirmatiua correspondente negatiuæ; semper enim negatiua in aliqua affirmatiua fundatur, & hanc dicimus esse correspon-

Digitized by Google

pondentem, quippequæ à negatiua supponitur, ut hec nullus homo est asinus, supponit has, omnis homo est rationalis, & omnis asinus est irrationalis.

Quidam sic etiam obijciunt. Quarta Aristotelis ratio falso innititur fundamento; nullius igitur momenti ex eo deprompta difficultas ad ostendendum affirmatiuam demonstrationem esse negatiuâ potiorem. Assumptum constat, quia fundamentum in eo consistit, quòd esse præeat ipsi non esse; quod tamen est falsum, nam cuiuscunque rei non esse præire debet ipsi esse; ut enim aliquid fiat, debet ei in uniuersitate rerum præire ipsius priuatio, saltem prioritate naturæ.

Hæc difficultas non multo antea diluta fuit; nihil propterea dicendum superest.

Amplius in eo est quoque difficultas, quoniam factâ comparatione inter affirmatiuam, & negatiuam aliqua negatiua potest esse potior affirmatiuâ, quia nimirum potest esse de obiecto nobiliori, ut demonstratio, quâ ostendimus Deum non esse corporeum, nobilior erit eâ, quâ probamus inter duo puncta debere lineam intercipi.

Fit satis respondendo comparationem institui inter commemoratas demonstrationes affirmatiuam, & negatiuam perpetuò cæteris paribus existentibus, hisq; suppositis affirmatiuam præstantiorem esse negatiuâ.

Illud etiam afferri solet aduersus dicta, quòd ea demonstratio videtur potior, quæ magis per causam procedit; huiusmodi autem est negatiua, quoniam indiscriminatim potest esse per causam propinquam & remotam; at causa remota magis est causa, utpote uniuersalior, ut constat discurendo per singula causarum genera; cælum enim est efficiens magis respectu generationis, quàm causa particularis; ut respectu generationis hominis magis est causa cælum, quàm homo. Præterea finis ultimus, ut sanitas, magis est causa, quàm proximus, puta extenuatio.

Solutio in eo posita, quòd in demonstratione, causæ proprietas attendi debet, adeo ut demonstratio, qua ostenditur passio de elemento, vel mixto per causam propriam, potior sit demonstratione, quâ eadem passio per uniuersalem causam, puta cælum, aut Solem, aut Deum, quanuis uniuersalior causa magis esse causa dicatur; neganda est igitur propositio maior, si per magis causam intelligatur ea, quæ uniuersalior est; concedenda verò si eo nomine intelligatur causa cæteris paribus magis propria, & propinqua. Illa autem indifferentia demonstrationis negatiuæ, ut scilicet per causam propinquam, & remotam fieri possit, eius non arguit perfectionem maiorem, nam etiam affirmatiua, per remotam causam, conuertibilem tamen cum effectu, fieri potest. Neque causa remota, eòquòd uniuersalior magis est dicenda causa nisi extensiuè; nec enim omnis causa remota magis influit, quando causa communior est. Quod si dicatur demonstratio negatiua posse per plures modos causarum fieri, id concedendum; inde tamen non sequitur esse magis per causam intensiuè, sed extensiuè tantùm, quod arguit potius demonstrationis imperfectionem.

Præterea sic urgeo. Syllogismus negatiuus potior est syllogismo affirmatiuo; ergo demonstratio negatiua potior est, quàm affirmatiua; optima consecutio; assumptum autem probatur, quia virtus syllogismi negatiui ad plura se extendit, quàm virtus affirmatiui; syllogismus enim affirmatiuus fit solum in prima, & tertia figura, negatiuus autem in omnibus tribus.

Omissa quorundam solutione, respondere præstat neganda quidem assumptum; propterea quòd aliæ figuræ ad primam reuocantur, atque tandem omnes modi ad primum primæ, qui affirmatiuus est, quam obrem virtus primi modi, qui est affirmatiuus ad plura se extendit, quàm virtus syllogismi negatiui. Vt præteream negari posse itidem assumptum, & probationis consequentiam, quia etsi in causis efficientibus, & finalibus admitti possit ea, quæ ad plures se extendit effectus, perfectiorem esse illâ, quæ ad pauciores, non tamen in materialibus, & formalibus concedendum, ut constat de prima materia respectu secundæ, & tamen est imperfectior &c. Syllogismus autem negatiuus utpote quid commune respectu syllogismorum in particulari est veluti eorum forma, at inter uniuersalia quantò aliquid communius, tantò imperfectius, ut animal est imperfectius homine, & ita de reliquis.

Accedit, quòd si consecutio ex iacto fundamento colligendi vim haberet, necesse quoque foret, ut ad omnes syllogismos, ad quos se extendit syllogismus affirmatiuus, deberet se pariter extendere negatiuus, & ad quosdam alios, quod tamen ab omni veritate remotum est. Accedit etiam, quod ex illo assumpto cum eius probatione, potius oppositum sequitur consequentis; nam quod sub specie Solis unicum tantum contineatur indiuiduum, & sub specie alia in his inferioribus indiuidua plura, argumento nobis est speciem Solis alijs illis speciebus perfectiorem, ac excellentiorem esse.

Amplius. Propositio negatiua potior est affirmatiuâ propositione: ergo demonstratio negatiua est potior demonstratione affirmatiuâ; vis illationis constat, quoniam principium affirmatiuarum demonstrationum, affirmatiua est propositio, negatiuarum autem est negatiua, ut notum est; assumptum ex eo constat quoniam uniuersalis negatiua sine medio omnium suarum singularium est illatiua; non sic uniuersalis affirmatiua; nam ex hac propositione *nullus homo est animal*, optimè sequitur; ergo nec iste homo est animal, nec iste, nec ille, & sic de singulis; non tamen sequitur *omnis homo est animal*, ergo iste homo est animal, & iste, & ille, & sic de reliquis, cum antecedens sit necessarium, consequens autem contingens, etsi benè cum debito medio sequatur. Sexta difficultas.

Confirmatur, quia signum uniuersale negatiuum, potius est signo uniuersali affirmatiuo; ergo etiam propositio negatiua potior erit affirmatiuâ; assumptum patet, nam signum uniuersale negatiuum distribuit tam subiectum, quàm prædicatum; affirmatiuum autem solum subiectum; Illatio constat, quoniam propositio uniuersalis suam conditionem à signo distributiuo consequitur. Confirmatio.

Negandum est assumptum cæteris paribus; & probationis neganda est consecutio; nam (ut præteream falsum esse, quòd uniuersalis negatiua cum debito medio suas singulares sine medio inducat) uniuersalis affirmatiuâ cum debito medio suas singulares, inducens perfectior est, quàm uniuersalis negatiua illâ sine medio inducens. Accedit quòd singulares, quæ ex uniuersali negatiua inferuntur, nihil ponunt inesse, sed potius subiectum prædicato priuant, est autem perfectius cum medio positiuè inferre, quàm sine medio priuatiuè concludere. Solutio.

Dices. Vniuersalis negatiua medio non indiget ad inferendas suas singulares: affirmatiua autem indiget; ergo negatiua paucioribus eget, quàm affirmatiua; Admisso assumpto, neganda est consecutio uniuersaliter intellecta, nam etsi utplurimum ita sit, negatiua tamen probari per affirmatiuam postulat, quocunque modo probatio instituatur. Obiectio præcedenti data, & soluta.

Nec confirmatio alicuius est roboris, falsum enim assumptum, & ad probationem dicendum, etsi signum uni- Confirmationi fit satis.

uniuersale negativum distribuat subiectum, & prædicatum, id tamen facit priuatiuè; sed affirmativum id positiuè præstat, perfectius est autem secundum, quàm primum. Nec uniuersale negativum concludi potest esse perfectius uniuersali affirmatiuo, eò quod suam distributionem in maiorem distantiam effundat, hæc enim maior perfectio non compensat imperfectionis notam, quam signo uniuersali negativus distribuendi modus inurit.

Septima difficultas

Quidam autem redarguunt Aristotelem, eo nomine quòd quintam rationem inualidam attulerit, cum ex eo, quòd negatiua potest esse sine affirmatiua, & non contra, maiorem affirmatiuę perfectionem concluderet: sic enim argumentantur. Demonstratio negatiua non semper indiget affirmatiuâ; ergo quinta illa ratio nulla est; assumptum probant ex eo quia fieri potest demonstratio negatiua immediatè ex per se notis, hunc in modum arguendo. *Nulla quantitas est substantia; omnis quantitas discreta est quantitas; ergo nulla quantitas discreta est substantia*, cuius demonstrationis minor affirmatiua, inquiunt, nulla demonstratione negatiuâ indiget.

Solutio.

Respondendum aliquam esse demonstrationem negatiuam, quæ pro sui resolutione ad immediatam non indiget affirmatiuâ demonstratione, hinc tamen inferri non posse rationem Aristotelis inualidam esse, cum eius consilium eò solùm tenderet, ut probaret absolutè demonstrationem negatiuam sine affirmatiua non subsistere, quia nimirum si non esset, nec esse posset demonstratio, aut propositio affirmatiua, nec esset, nec esse posset negatiua, non autem contra; alias difficultates breuitati studens omitto.

Tex. 176.

Demonstrationē ostensiuā potiorem esse ducēte ad impossibile.

Tertiam quæstionem discutiendam assumit, num videlicet ostensiua demonstratio, potior, atque præstantior sit demonstratione ducente ad impossibile, in cuius gratiam primò nonnulla supponit, secundò rationem affert, quâ suffultus affirmatiuam quæstionis partem amplectitur. Primum, quod ipse supponit, est utriusque demonstrationis efformatio, format enim ex ijsdem terminis demonstrationem ostensiuam, negatiuam, atque demonstrationem ducentem ad impossibile, ut genesim utriusque nobis ob oculos ponat, earum deinde differentias explicet, ut ex eis postea sumat argumentum ad probandum ostensiuam præstantiorem esse ducente ad impossibile; sed ad clariorem dicendorum intelligentiam reuocanda sunt ad memoriam, quæ de ostensiua & de ducente ad impossibile demonstratione notauimus; cum diceremus ostensiuam demonstrationem constare duntaxat ex tribus terminis ordinatis in modo. & figura, ex quibus duæ formantur præmissæ concludentes affirmatiuam veram, & necessariam, siue negatiuam conclusionem; De affirmatiua sit exemplum, *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: de negatiua verò, *nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis*: demonstrationem autem ducentem ad impossibile dicebamus triplici, vel potius ex aliorum sententia, quadruplici discursu constare, per quem ostenditur veritas alicuius prius negati. Primus discursus, seu syllogismus concludit manifestum impossibile, ut si quis neget hanc ostensiuam demonstrationem, nempè *nullus homo est lapis; omne rationale est homo: ergo nullum rationale est lapis*, quæ quidem demonstratio negatiua est, cuius maior propositio erat *nullus homo est lapis*, quam si si quispiam negauerit, necesse est eius oppositam esse veram, contradictoriarum enim ea est natura, ut si una est falsa, altera sit vera, cuiusmodi etiam sunt contrariæ in materia necessaria, in qua propterea contrariæ, locum contradictoriarum obtinent, sumimus autem non contradictoriam, quæ certè particularis esset, sed contrariam oppositam, quoniam particulares in scientijs locum non habent; sumatur ergo pro maiori hæc propositio, *omnis homo est lapis*, & arguatur hoc modo, *omnis homo est lapis*, & retentâ minori superioris demonstrationis, fiat huius argumentationis minor, *omne rationale est homo*, ut colligatur *omne rationale est lapis*, & hic est primus discursus, nempe *omnis homo est lapis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est lapis*. Secundus hæc erit consequentia, *hæc conclusio est falsa; ergo & aliqua præmissarum falsa erit*, consequentia patet quoniam ex duabus præmissis veris, falsa conclusio colligi non potest, seruatâ rectâ argumentandi formâ. Tertius discursus est hæc consequentia, *sed in primo syllogismo minor non est falsa; ergo maior*, quæ fuit hæc *omnis homo est lapis* Quartus discursus in consequentia consistit, quâ concluditur illud esse verum, quòd priùs negatum fuerat, nempè *maior falsa est: omnis homo est lapis; ergo hæc erit vera, nullus homo est lapis*, quæ eius est contraria, quæque contradictoriæ locum obtinet, ut superiùs dixi, cum tamen priùs negata fuerit; consequentia patet, quoniam contradictoriorum in omni materia, & contrariorum in materia necessaria lex est, ut si una propositio sit falsa, altera sit vera, & viciſſim. Vbi aduertendum conclusionem prioris discursûs debere esse manifestè falsam, & minorem, vel manifestè veram, vel saltem concessam; sic se habet igitur demonstratio ad impossibile.

Docet autem Philosophus quandam esse similitudinem inter ostensiuam demonstrationem, & ducentem ad impossibile, quæ in eo consistit, ut sicut tres termini secundum figuram in ostensiuo ordinantur, sic & in ducente ad impossibile tres termini sunt secundum figuram aliquam ordinati, licet non secundum eundem figuræ modum.

Demonstratio ostensiua, quomodo fiat.

Discrimen assignat deinde, & est alterum suppositum ab ipso factum, in hoc autem ait discrimen positum esse, quod demonstratio ostensiua à propositionibus ad conclusionem progreditur, & idcirco à prioribus secundum naturam ad posteriora; demonstratio autem ducens ad impossibile contrario modo se habet, nam à conclusione ad propositionem procedit, sumpto enim opposito conclusionis, ab eo procedit ad oppositum alterius propositionis inferendum; idcirco cum semper ex notioribus, ignotiora demonstremus, si propositiones sint notiores conclusione, demonstratione utimur ostensiuâ; quòd si conclusio sit notior, ducente ad impossibile utimur; ita fit ut demonstratio ducens ad impossibile procedat à posterioribus ad priora, idest ab eo, quod secundum naturam est conclusio, ad id, quod secundum naturam est propositio.

Tex. Aduertit Philosophus, quando dicit conclusionem ostensiuam esse propositionem ducentis ad impossibile, atque adeo priorem, id intelligendum esse in progressu recto, & naturali, non autem in obliquo. Ad ostendendum autem intentum ita disputat: demonstratio quæ est ex prioribus præstantior est eâ, quæ est ex posterioribus; sed demonstratio ostensiua negatiua sit ex prioribus, ducens autem ad impossibile procedit ex posterioribus; ergo demonstratio ostensiua negatiua præstantior est ducente ad impossibile: sed ex supra traditis affirmatiua demonstratio præstantior est negatiuâ; ergo demonstratio affirmatiua, multò præstantior erit demonstratione ducente ad impossibile; & idcirco omnis demonstratio ostensiua, præstantior erit omni demonstratione ducente ad impossibile.

Ad

Ad uberiorem tamen doctrinam eorum, de quibus disseritur pauca quædam adnectam; & primò quidem adnotabo perperam à quibusdam pro eodem haberi demonstrationem affirmatiuam, & ostensiuam, quod alibi cursim tamen, aduerti, quandoquidem ostensiua latius patet, quàm affirmatiua, cum negatiuam etiam complectatur. Dicitur enim ostensiua, quatenus per illam aliquid alteri inesse, vel non inesse demonstratur. Dicitur ducens ad impossibile, quatenus per ipsam ex aliqua falsa propositione ab aduersariis concessa, deducitur altera, quæ magis apparet falsa, ut postmodum ostendatur concessam propositionem insulsè, malèque concessam fuisse.

Non omittendum præterea demonstrationem ad impossibile ducentem bifariam usurpari; primò quidem pro solo syllogismo concludente ex uno quodam impossibili manifesto aliud, manifestius; secundò pro aggregato ex prædicto syllogismo, & alio ex aduerso, quo ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis proceditur, illudque concluditur.

Amplius, consideratione dignum est illud, videlicet ostensiuam demonstrationem alteri ducenti ad impossibile gemino modo correspondentem dici posse. Primò quidem cum per utranque demonstrationem eadem conclusio probanda suscipitur. Secundò dum oppositum præmissæ demonstrationis eiusdem qualitatis cum conclusione, probandum assumitur impossibile esse per demonstrationem ad impossibile ducentem.

Tandem diligenter aduertendum quid inter has demonstrationes differat, non una tamen est differentia. Primò siquidem inter has discriminis illud intercedit, quòd per ostensiuam vera deducitur conclusio; at per ducentem ad impossibile infertur conclusio falsa, ratione tamen prioris processûs. Secundò in ostensiua demonstratione præmissæ, quoad veritatem sunt conclusione notiores: at in ducente ad impossibile conclusio notior est quoad falsitatem, unde est ut ex minus noto, ad magis notum procedatur; Tertiò idcirco in ostensiua fit processus secundùm naturam: in ducente ad impossibile fit processus contra naturam, quamobrem ex conclusione retorquetur argumentum ad præmissæ falsitatem ostendendam. Quartò ostensiua per unicam argumentationem absoluitur: ducens ad impossibile per quatuor perficitur. Prima est illa, quâ ostenditur conclusio falsa. Secunda, quâ concluditur falsitas alicuius præmissæ dicendo hæc conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarum. Tertia, quâ determinatè colligitur, quæ ex duabus præmissis sit falsa. Quarta verum id esse concluditur, quod prius negatum fuerat. Vsus tamen obtinuit, ut huiusmodi argumentationes unicâ tantum comprehendantur, quâ ex oppositi videlicet consequentis, oppositum antecedentis colligitur.

Sunt, apud quos nullo sit in loco demonstratio ducens ad impossibile, adeout affirmare non dubitarint è demonstrationum albo delendam esse, propterea quòd ei necessitas desit, sine qua nulla potest esse demonstratio, proindeque saltem hoc nomine cum ostensiua demonstratione conferri non posse.

Asserendum tamen demonstrationem ducentem ad impossibile necessariam esse tantâ necessitate, quantâ sat est, opus ut demonstratio dici possit.

Hanc assertionem huius demonstrationis usus in disciplinis ostendit, in quibus frequenter admodum ex oppositi consequentis ad oppositum antecedentis arguitur, in quo demonstrationis ducentis ad impossibile ratio consistit. Nec tanti fieri deberet usus, quem diximus, nisi ipse contingeret in disciplinis mathematicis, in quibus nullum obtinet locum probatio, nisi magnam habeat necessitatem adiunctam.

Illud tandem accedit, quòd non alio demonstrationis genere scientia, & præsertim diuina Philosophia sua potest ostendere principia, quàm huius de quo loquimur, hoc enim ipsa quidem principia ad hominem demonstrantur. Confirmatio.

Aduersus tamen allatam assertionem sic argues. Demonstratio debet ex veris constare, adeòut ratiocinatio, quę ex falsis constat, demonstratio dici non possit; at hæc, de qua fit sermo, constat ex falsis; ergo demonstratio esse non poterit. Prima difficultas.

In cuius confirmationem illud addi solet, quòd ratiocinatio, quæ non facit scire, haud meretur demonstrationis nomen; hæc autem, de qua loquimur, ita se habet; ergo hæc ratiocinatio demonstrationis nomen sibi vendicare non poterit; assumptio constat, ex eo quia hic ratiocinationis modus respicit impossibile in eoque versatur, at impossibile sub scientiam non cadit; hæc igitur ratiocinatio scire non facit. Confirmatio.

Fit satis respondendo ratiocinationem hanc non habere demonstrationis rationem beneficio primi progressûs, sed secundi, primus enim est, qui respicit impossibile. Solutio.

Confirmationi occurritur respondendo per deductionem ad impossibile scientiam comparari, adeòut primus eius proceſſus disponat ad scientiam, secundus autem eandem compleat. Confirmationi fit satis.

Amplius. Oratio, quæ non est syllogismus, non est demonstratio, cum omnis demonstratio syllogismus esse debeat; at deductio ad impossibile oratio quidem est, sed non syllogismus, cum non constet ex tribus terminis, & duabus præmissis, sed pluribus, è quibus primus est syllogismus, secundus autem non item, cum ab oppositi consequentis procedat ad oppositum antecedentis. Secunda difficultas.

Accedit quòd aggregatum ex illis duobus non ducit ad impossibile, sed ad verum; ergo hic argumentationis modus, prout in syllogismis consistit, demonstratio ducens ad impossibile dici non poterit; nullo igitur modo demonstratio erit. Confirmatio.

Respondendum demonstrationem omnem esse syllogismum, sed prout demonstratio fuerit simplex, vel mixta, demonstratio erit unus, vel multiplex syllogismus; at demonstratio ducens ad impossibile non simplex, sed mixta est, propterea non mirum si non in uno tantùm syllogismo consistat. Solutio.

Confirmationi autem obuiam itur respondendo demonstrationem hanc dici ducentem ad impossibile, quanuis ad verum ducat, quoniam syllogismo constat, quo manifestum impossibile concluditur, à quo denominatio demonstrationis deducitur, tanquâ ab eo, quod huius est demonstrationis proprium, prout hæc ab ostensiua distinguitur. Confirmationis solutio.

Præterea. Omnis demonstratio, vel est *quia*, vel *propterquid*, nulla igitur demonstratio ducens ad impossibile. Tertia difficultas.

Respondendum consecutionem esse malam, si consequens intelligatur eo sensu, ut nullo modo sit demonstratio concedenda, quæ ducens ad impossibile dicatur: bonam verò si consequens intelligatur eo sensu, ut hæc, de qua loquimur demonstratio, ad alterutram illarum reduci possit; quando enim dicimus omnem demonstrationem esse, vel *quia*, vel *propterquid*, sic id usurpandum volumus, ut si quæ alia detur demonstratio, ad alterutram illarum reduci debeat; prout autem deductio fuerit vel effectus, vel causæ, demonstratio, vel ad *quia*, vel ad *propterquid* demonstrationem reuocatur. Reductio ad demonstrationem Solutio.

rem *quia* contingit hoc modo; *Si leo foret admirativus, sequeretur esse rationalem; sed nullus leo est rationalis; ergo nullus leo est admirativus*, ad hunc syllogismũ reducetur, *omne admirativum est animal rationale, sed nullus leo est animal rationale; ergo nullus leo est admirativus*. Deinde reductio ad demonstrationem *propterquid* talis erit, *si ignis non haberet vim rarefaciendi, non foret calidus; sed omnis ignis est calidus; ergo omnis ignis habet vim rarefaciendi*, reuocatur ad syllogismum hoc modo. *Omne calidum habet vim rarefaciendi; sed omnis ignis est calidus; ergo omnis ignis habet vim rarefaciendi.*

Secunda assertio. Asserendum secundò demonstrationem ducentem ad impossibile perfectione, ac dignitate à demonstratione ostensiua superari.

Ratione probatur. Præsens assertio ex eo planè conuincitur, quoniam demonstratio ducens ad impossibile spectari potest, vel secundum primum processum dumtaxat, vel secundum utrunque, at utcunque spectetur ab ostensiua demonstratione, præstantiâ, dignitateque superatur; enimverò iuxta priorem considerationem est indignior ostensiuâ demonstratione negatiuâ; ergo multò magis ostensiuâ affirmatiuâ; ergo quâlibet ostensiuâ demonstratione indignior erit illa, quæ ducit ad impossibile; assumptum patet, quoniam hæc demonstratio secundum processum illum priorem constat ex falsis; si autem spectetur secundum utrunque processum, adhuc ostensiua longè præstantior erit eâ, quæ ducit ad impossibile, propterea quòd, siue sit affirmatiua, siue negatiua directè, naturalique modo conclusionem probat.

Difficultas. Obijcies tamen hoc modo. Mathematicæ demonstrationes certiores, atque potiores alijs existimantur, & nihilominus non rarò sunt ducentes ad impossibile; ergo falsum demonstrationem ostensiuam, præstantiorem esse illâ, quæ ducit ad impossibile.

Solutio. Prætermissâ quorundam responsione tanquam minus idoneâ crediderim difficultati satisfieri posse respondendo id non utcunque usurpandum esse, sed cæteris paribus conferendę siquidem sunt Matheseos demonstrationes ostensiuæ, cum eiusdem demonstrationibus ducentibus ad impossibile, sic etiam Physiologiæ demonstrationes ostensiuæ conferendæ sunt cum ijs, quæ ducunt ad impossibile, & sic de reliquis disciplinis; hâc enim factâ comparatione dicimus ostensiuas esse digniores, ac præstantiores ducentibus ad impossibile. Cum hoc autem cohæret & illud, quòd videlicet mathematicæ demonstrationes cæterarum disciplinarum demonstrationibus præstent, ac antecellant, collatione factâ inter ostensiuas, & ostensiuas, itemque inter ducentes ad impossibile, & ducentes ad impossibile.

SECTIO QVINTA.

Scientiæ inter se conferuntur.

Tex. 178. Scientiarũ comparatio instituitur. Collatis hactenus demonstrationibus inuicem in præsens Aristoteles scientiæ cum scientia, quæ effectus demonstrationis est, comparationem instituit; scientiæ nomine intelligens tum particularem, quæ nimirum huius, vel illius theorematis est, tum uniuersalem, seu totalem, ut naturalem scientiam, & Arithmeticam &c. Primò autem separat scientiam unam ab alia: Secundò segregat scientiam à non scibili: Tertiò principia scientiarum inuicem distinguit: Quartò scientiam ab opinione, ac cæteris intellectus habitibus secernit. Circa primum tria facit iuxta ternarium numerum theorematum, quæ de scientijs tradantur. Ex his porro theorema primum est, quod una scientia sit exquisitior, ac prior alterâ, quod triplici ratione confirmat.

Primum theorema. Prima ratio est huiusmodi. Scientia illa, quâ cognoscimus, & quòd res sit, & propterquid sit, exactior est eâ, quâ cognoscimus solùm quòd sit, siue per sensum, siue per demonstrationem ab effectu, siue quouis alio modo, quo non cognoscamus propterquid; sed dantur scientiæ quarum aliæ primo cognoscunt modo; ergo scientiarum altera, alterâ exactior est. Prima ratio.

Secunda ratio. Illa scientia, quæ considerat rem abiunctam à materia sensibili, exactior ac prior est eâ, quæ rem considerat cum materia sensibili; sed dantur scientiæ, quarum altera, nempe diuina circa rem à materia sensibili seiunctam versatur: alia verò nempe naturalis, quæ de re immersa in materiam edisserit; ergo scientia una exactior, & prior est alterâ. Secunda ratio.

Tertia ratio. Illa scientia exactior est appellanda, quæ rem considerandam ex paucioribus constantem assumit: minus autem exacta, quæ rem contemplatur cum oppositione, hoc est, quæ plura supponit, aut ex pluribus pendet; sed dantur aliquæ scientiæ, quæ minus supponunt, & res simpliciores tractant, ut Arithmetica unitatem: aliæ verò plura supponunt, resque considerant non adeo simplices, ut Geometria ex. gra. punctum, propterea quòd unitas est puncto simplicior, quod ex eo constat, quoniam unitas est sine puncto, punctum autem non est sine unitate; ergo scientia una est exactior alterâ. Tertia ratio.

Aggreditur theorema secundum, quærit nimirum, quænam scientia dicatur una, & quæ plures, & hanc statuit conclusionem. Vna scientia dicitur illa, quæ in uno subiecto genere versatur, siquidem ex unitate subiecti, scientiæ debet unitas desumi, quoniam scientia, quemadmodum omnis cognitio dicit ordinem transcendentem ad id circa quod ipsa versatur, unde est, ut id circa quod versatur, quodque obiectum dicitur, ad cognitionis, atque adeo scientiæ naturam, & essentiam pertineat, non quidem ut intrinsecus ingrediatur illam, sed quoniam ordo cognitionis ad obiectum in eiusdem cognitionis essentia inuoluitur; ac ob id cognitio, proindeque scientia dici debet ab obiecto suam unitatem desumere; at verò obiecti, siue subiecti nomine non debet res considerata intelligi, adeo ut si hæc una sit, etiam & una scientia esse debeat, nam eadem res ad scientias diuersas potest pertinere, ut idem homo ad Philosophiam naturalem, ad Moralem, & ad Medicinam; sed intelligi debet modus considerandi, qui unius scientiæ, unus est, nec multiplex esse potest. Secundum theorema. Tertium theorema. Primum corollarium.

Hic tamen paululùm hærendum est, & quædam ad pleniorem rei de qua agitur doctrinam explicanda sunt. Primum autem illud occurrit, quod obiectum cuiusque facultatis geminâ parte constat, quarum una materialis, altera verò formalis appellatur; prior dicitur res considerata, ut in Physiologia corpus naturâ constans, vel substantia finita naturalis, qua de re suo loco ex instituto disputandum; pars autem formalis dicitur ratio, qua materialis pars, seu materiale obiectum ad hoc vel illud disciplinæ genus contrahitur, est enim veluti media quædam ratio, quâ obiectum materiale determinatè attingitur à potentia, vel habitu, in ordine ad quam, habitus, vel potentia suum esse consequitur. Hoc autem in duplici discrimine est, propterea quòd unum terminandi, alterum verò mouendi potentiam habet. Primum, rationem appello reddentem materiale obiectum potens cognitionem terminare, & quod scientia respicit, quodque attingit & contemplatur. Formale autem obiectum mouendi poten-

Duplex obiecti pars.

Digitized by Google

potentiam habens; illa ratio censetur, quæ ultimò materiale obiectum complet, ut integræ, ac penitus habitui scientiam tribuat; quæ duobus modis contingit, cum una sit, quæ dicitur *propter quam*, altera verò *sub qua*. Formalis ratio *propter quàm*, ea est, cui inest potentia determinandi intellectum ad certam speciem assensûs, seu conclusionis, cuiusmodi sunt prima uniuscuiusque disciplinæ principia, quæ quidem intellectum ad certum cognitionis genus determinant, ut propterea scientiæ lumen, non immeritò dici consueuerit; non enim intellectus potest iudicium ferre de conclusionis veritate, nisi primorum principiorum lumine, splendoreque adiutus, cum eo sic illustretur obiectum, ut intellectus veritatem ipsius commodè possit intueri. At formalis ratio mouendi potentiam habens, *sub qua*, est forma constituens obiectum capax, ita ut medijs principijs ipsius scientiæ, cognosci possit, siue de obiecto materiali, siue de formali terminandi potentiam habente sit sermo. Cognitionum autem, atq; adeo scientiarũ unitas, ac proindè distinctio non est desumenda à formali ratione *propter quam*, nimirum à principijs; tametsi nanque à principijs desumatur scientiarum unitas, & distinctio: id enim haud licet inficias ire, non tamen primariò; supereſt enim adhuc inquirenda ratio, cur unius scientiæ talia sint principia, & hæc ab alterius principijs distinguantur, & cur ad unam potius, quàm ad aliam pertineant. Cur, exempli gratia, principia quædam ad naturalem Philosophiam alia verò ad Matheſin attineant; id porrò non aliunde, quàm à ratione formali *quæ* terminandi vim habente proficiscitur; Ideo enim principia quædam physica dicuntur, & ad naturalem pertinent disciplinam, quoniam naturale corpus, vel naturalem substantiam, non quouis modo, sed quatenus naturâ constantem; & quædam mathematica sunt, quatenus quantitatem, non utcunque, sed secundum rationem mensuræ, & mensurabilis concernunt. Primaria igitur ratio, à qua disciplinæ suam habent unitatem, primaria itidem in disciplinis distinguendi ratio, est ipsa ratio terminandi vim habens. De his tamen hactenus. Ad Aristotelem redeo, qui subdit particulam illam *generis*, ad ostendendum subiectum totius scientiæ, non autem partis; quandoquidem scientiæ, pro sua multiplicitate partium, sua habent subiecta partialia, & specifica. Docet autem Philosophus omnia quæ in scientia tractantur ad subiectum reuocari, vel, ut principia, vel ut affectiones, vel etiam ut species, quando subiectum fuerit unum genere.

Secunda conclusio, quam statuit hæc est; illæ dicuntur scientiæ plures, quarum principia nec ex ijsdem primis principijs pendent, neque altera ex alteris sunt, hoc est nec principia unius ex principijs alterius; quæ Philosophus dicit propter eiusdem scientiæ partes, & propter scientias subalternas, propterea quod partes eiusdem scientiæ pendent ex ijsdem primis principijs, ut scientia de corpore simplici, & scientia de corpore mixto habent quidem singulæ principia propria, ea tamen ex ijsdem primis principijs scientiæ naturalis pendent, scilicet ex materia, & forma; idcirco non sunt duæ scientiæ diuersæ, sed partes eiusdem; ut etiam scientia de corpore mixto, & scientia de viuente ita se habent; nam principia unius pendent ex principijs alterius, quoniam altera est alterius pars, & idcirco non sunt duæ scientiæ diuersæ; non dissimili modo principia scientiæ subalternatæ pendent ex principijs scientiæ subalternantis, ut principia Musicæ ex principijs Arithmeticæ, ideoque non sunt duæ scientiæ diuersæ, sed una. Idcirco scientiæ, quarum principia non pendent ex ijsdem primis principijs, ut scientia de animalibus, & scientia de plantis; nec principia unius ex principijs alterius, ut scientia de homine, & scientia de triangulo, hę nanque dicuntur scientiæ diuersæ. Pergit Philosophus declarans signum, quo nobis cognoscere liceat an diuersæ sint scientiæ, an verò una, dicitque signum esse resolutionem in prima principia; scientia nanque si una fuerit, necesse est eius principia eiusdem esse generis eiusdemque naturæ cum theorematibus omnibus, quæ demonstrantur; quamobrem si nobis res diuersæ propositæ fuerint, cognoscere autem velimus, an illæ ad eandem scientiam pertineant, oportet illas in prima principia resoluere, hæ nanque si eiusdem naturæ inter se, & cum rebus illis fuerint, dicere licebit res ipsas ad unam scientiam pertinere, sin autem ad diuersas. Quòd si deinde vertatur in dubium, an aliqua principia ad unam, eandemque scientiam pertineant, signum, quo id cognoscere possimus, facile nos assequemur considerando conclusiones, ac theoremata, quæ ex ijs deducuntur, propterea quòd hæc si fuerint generis eiusdem, tum inter se, tum cum illis principijs, dicere poterimus illa principia scientiam unam constituere non plures; quod ideo contingit, quoniam à notioribus ad minus nota progrediendum; idcirco si dubium sit de quibusdam theorematibus an ad scientiam unã pertineant, idque de principijs eorum manifestius sit, ex principijs desumendum iudicium an theoremata unius sint scientiæ, an plurium; quod si ex aduerso de theorematibus id apertius constet, de principijs verò sit dubium, ex theorematibus oportet argumentum sumere ad cognoscendum an prima principia ad unã scientiam spectent, an potius ad plures.

Hic tamen se offert non spernenda difficultas, propterea quòd non multo antea docuimus scientiarũ distinctionem non esse petendam à ratione formali propter quam mouendi vim habente, nimirùm à principijs, cum tamen in præsentia splendidissimis verbis Aristoteles affirmet scientiarum diuersitatem à principijs esse desumendam. Difficultas.

Fit autem satis respondendo hoc loco Philosophum docendo scientiarum diuersitatem esse desumendam à distinctione principiorum, nil aliud velle, quam illam esse depromendam ex ratione formali *quæ* ipsius obiecti; siquidem diuersa principia sunt, pro diuersitate rationis formalis *quæ*, siue ab hac eorum diuersitas proueniat, siue diuersitas eius vicissim à diuersitate principiorum oriatur, quatenus ex huiusmodi primis principijs subiectum scientiæ constituitur. Neque refert quòd constituentia principia sint incomplexa, cum tamen hoc loco sermo fiat de scientiarum principijs comptexis, neque, inquam, refert, enim verò ex principijs incomplexis, complexa principia fiunt, horumque diuersitas ab eorum diuersitate proficiscitur. Ita fit, ut non ineptè dicere possimus utrinque scientiarum diuersitatem oriri, hoc tamen discrimine, ut paulo supra notatum fuit, quòd à formali ratione *quæ* obiecti, proximè à ratione formali *propter quam*, siue principijs, remotè, ut unitas, ita distinctio scientiarum desumatur. Solutio. Obiectio Prœcu- para simul que soluta

In hanc sententiam adducor, quoniam scientia considerandum assumit obiectum sub aliqua ratione, quæ se habet tanquam ratio determinans rem consideratam ad unum considerationis genus; huiusmodi autem considerandi ratio dicitur *ratio quæ* seque habet veluti radix affectionum comitantium rei consideratæ naturam; principia verò sunt ea, per quæ huiusmodi affectiones de re considerata debent demonstrari, id igitur unde proximè scientia suam unitatem, proindeque diuersitatem ab alijs scientijs consequitur,

Digitized by Google

tur, est illa ratio *quæ*, at verò principia remotè tantùm ad prædictam unitatem, simulque diuersitatem concurrunt, siquidem eatenus principia unitatem scientiæ, & eiusdem diuersitatem ab alijs tribuunt, quatenus ad unam subiecti constituendam naturam coeunt, siquidem hac unitate sublatâ, nulla scientiæ daretur unitas, sine hac enim principia, utpote plura, non possent scientiæ unitatem tribuere, & idcirco nec diuersitatem ab alijs scientijs.

Illud accedit quòd scientia à quo habet unitatem, habet etiam distinctionem ab alijs, quia, ut à Metaphysicis didicimus, à quo habet aliquid ut sit indiuisum in se, siue, ut sit unum, habet ut sit distinctum à quolibet alio; sed scientia habet unitatem à ratione formali *quæ*; ergo & ab eadem habebit distinctionem ab alijs scientijs.

1. Post. Tex. 194. Superior, quam tuemur sententia, videtur ad aures Aristotelis quandoquidem ipse, ut paulo infra constabit, differentiam inter scientiam, & opinionem allaturus ad obiecta confugere duxit opportunum, ratus ab his optimè cognitionum, ac habituum differentiam desumi, quod profectò non intelligendum ab eo factum fuisse respiciendo, quod materiale, sed quod formale est in obiecto, nempe rationem formalem *quæ*, ut præmonuimus.

Hactenus dicta confirmatur. Et in horum confirmationem illud adducam, quod scientia suam unitatem ab eo sumat oportet, quod primò, & per se considerandum assumit, non autem ab ijs, quæ in illius gratiam tractanda suscipit; at obiectum, quatenus dicit rationem *quæ* est id, quod scientia primò, & per se tractandum sibi proponit, principia verò quemadmodum, & affectiones, nonnisi in gratiam illius; obiectum ergo, quatenus dicit rationem *quæ* est id à quo scientia suam unitatem, proindeque distinctionem à cæteris mutuatur; maior certa, & minor quoad utranque partem suadetur; prima quidem ex eo, quoniam ratio *quæ* est veluti fons, à quo dimanant affectiones in scientia consideratæ, est etiam id, merito cuius affectiones, & principia talis, vel talis subiecti esse dicuntur, & ad scientiam de ipso pertinent. Ita quidem naturalitas in Physiologia est enim ratio merito cuius affectiones obiecto huiusmodi scientiæ conueniunt, quemadmodum, & principia, ideo namque mobilitas est affectio conueniens obiecto Physiologiæ, quoniam illi competit naturalitas, ideo etiam materia, & forma ex Aristotelis sententia, sunt principia ipsius, quoniam illud vendicare sibi naturalitatem debet, & ideo hæc omnia ad huiusmodi scientiam pertinent, quoniam obiectum, circa quod versatur, naturalitate constat. Vnitas igitur principiorum sumitur ex unitate subiecti adæquati, & formaliter accepti, non autem contra.

Difficultas præoccupata, simulque diluta. Neque dicendum potius talem obiecti naturam esse, quoniam eius talia principia sunt, quàm eius talia esse principia, quoniam illud tali natura constat, nam etsi utrunque possit admitti, in re tamen proposita secundum potius, quàm primum; & quidem utrunque, nam secundum inficiari non licet, propterea quòd obiecti natura, se habet veluti principiorum finis, atque adeo talia sunt, ut huiusmodi finis obtineatur; primum itidem, natura siquidem obiecti à principijs proficiscitur, adeo ut pro ipsorum conditione, & varietate variè, etiam ipsa sit constituta; præstat tamen in re de qua agitur, dicere talia esse principia obiecti, quoniam hoc tali naturâ constat, quia obiectum est totius scientiæ finis.

Difficultas præoccupata. Dices scientia unius conclusionis ex. gra. de triangulo à scientia alterius de eodem non potest nisi per principia distingui, non enim per obiectum, ut patet, neque per affectiones, quoniam eadem affectio de eodem obiecto si per diuersa media demonstretur, scientiæ diuersæ fiunt, eodem igitur hoc modo de scientijs integris ratiocinandum.

Ad hanc emolliendam difficultatem, dicendum prædictas scientias partiales, sic se habere, ut unaquæque ipsarum, ex genere, & differentia propria suam unitatem specificam, & inde quoque distinctionem ab alijs consequatur. Et quanuis cuiuslibet conclusionis scientia per habitudinem ad medium, ac obid ad principium internum illa sua prædicata genus, & differentiam obtineat, non sic de totali scientia dicendum, cùm hæc nonnisi per aggregationem sit una, cuius unitas egregiè quidem habetur ab eo, quod superius dictum fuit, nimirum à ratione *quæ* proximè, quanuis remotè ab eiusdem principijs oriatur. De scientijs verò singularum conclusionum, quodammodo hæc etiam dici possunt, quatenus medium, seu ratio *propterquam*, & ratio *quæ* subiecti in idem recidunt, inde enim ut sint de obiecto eodem materiali puta triangulo, non autem formali, quod pro varietate mediorum variatur, potest autem à medio, tamquam à principio, & ratione propter quam, scientia cuiuslibet conclusionis suam unitatem in se & distinctionem à cæteris recipere, quoniam medium seu ratio illa propter quam, una est; non sic in scientijs integris, in quibus principia plura sunt, proindeque attendendum id, nempe ratio formalis *quæ* merito cuius unitatem consequuntur, itaut remotè duntaxat ad scientiam specificandam faciant, quod proximè ratio *quæ* præstat.

Non præteribo tamen aduertere in præsentiarum sermonem esse de subiecto, quod totale vocari solet, ab huius enim unitate pendet unitas scientiæ pariter totalis, quam in aggregato quodam ex pluribus habitibus consistere fuit alias à nobis declaratum, adeo ut illud totalis scientiæ sit adæquatum obiectum, cuius in illa scientia principia, & affectiones considerantur, itemque species quando fuerit obiectum unum genere, ipsarumque specierum, itidem principia, & attributa. Quamobrem non est unitas propriè, quasi unius numero qualitatis, sed aggregatione tantùm ex multis habitibus debitum inter se ordinem, atque connexionem habentibus; sic Geometriam totam dicimus unam esse scientiam; est proinde unitas minus propriè, quæ consequitur debitum ordinem, & connexionem partium ipsius; connexio autem in eo consistit, ut scientiæ partes respiciant unũ quoddam cognoscendum, quod adæquatum, & attributionis obiectum dicitur, quatenus habitus illi circa principia & affectiones, & circa species, harumque principia, & passiones versantur, adeout hæc omnia, quatenus talia, dicantur ad obiectum attributionem habere. Species autem in considerationem veniunt, quando prædictum obiectum fuerit unum genere, alioquin si fuerit unum specie atomâ, tota de ipso scientia consideratione principiorum, & affectionum consumitur. Si quæ autem difficultates occurrunt, ex hactenus disputatis, nullo fere negotio diluere licebit.

Neque perturbet, quòd Aristoteles quærens id à quo scientia suam habet unitatem, dixerit illud esse subiectum; quærens autem à quo distinctionem obtineat, in prædicta dicat esse principia; nam de unitate loquens, respexit ad id unde proximè oritur unitas, à quo etiam proximè, cum oriatur distinctio, docet etiam à quo distinctionem remotè, vel secundariò consequatur, dicens esse prima principia.

Tertium aggreditur theorema, atque docet eiusdem conclusionis plures effici demonstrationes pro medio.

mediorum diuersitate posse, ex hoc quidem in eadem scientia non solùm, sed etiam eiusdem conclusionis per diuersa media, siue hęc ipsa media sumantur ex eadem serie, hoc est in eodem genere causæ, siue in serie diuersa, videlicet in diuerso causæ genere, siue unum sit causa, alterum effectus; in eadem autem serie medium unum erit proximum, alterum autem remotum; ex Aristotelis igitur sententia non solùm dantur in eadem scientia plures demonstrationes, sed eiusdem conclusionis pro diuersitate mediorum, ubi per eandem seriem intelligit ordinem causarum in eodem genere, siquidem in uno quoque genere causarum series est causarum remotarum, & propinquarum, usque ad proximam; media igitur sumi ex eadem serie idem est, ac accipi ex eodem ordine causarum; quemadmodum contra sumi non ex eadem serie, est accipi ex diuersis causarum generibus, vel unum accipi ut sit causa, alterum autem ut effectus, per quem eadem conclusio à posteriori, siue quocunque alio modo demonstratur, dummodo media ex eodem causæ genere non sint. Contingit autem eandem conclusionem demonstrari per plura media, non ex eadem serie, si sit conclusio, *quod delectatur, mutatur*, demonstratur per duo media, moueri scilicet, & quiescere, quæ contraria sunt, eaque sumpsit Aristoteles, ut apertiùs constet ea non esse eiusdem ordinis, siue seriei; erit autem una demonstratio; omne quod mouetur, mutatur: omne quod delectatur, mouetur; ergo omne, quod delectatur, mutatur: altera erit, omne quod quiescit, mutatur; omne quod delectatur quiescit; ergo omne quod delectatur, mutatur; ubi notat Philosophus, duo hæc media, nempè *mouetur* & *quiescit*, non esse eiusmodi, ut neutrum de altero prædicetur, sed necessarium esse ut alterum de altero particulariter prædicetur per primum modum tertiæ figuræ, quamuis contraria sint; sed de hoc vide interpretum commentarios.

Prosequitur Philosophus ostensurus ea, de quibus non est demonstratio & quidem iure, cum iam de quibus sit demonstratio, superiùs disputasset. Geminam autem considerationem facit, primò nanque docet de fortuitis, & casualibus non esse scientiam per demonstrationem; secundò hoc idem de singularibus, & sensibilibus, quatenus huiusmodi per sensum non haberi scientiam demonstrandum assumit. De fortuitis, & casualibus, ut probet, per demonstrationem non dari scientiam, ita disputat. De ijs, quæ non sunt necessaria, nec per se, nec semper, nec ut plurimum, nequit esse scientia per demonstrationem; sed, quæ sunt à fortuna, vel casu, neque sunt necessaria, sed contingentia, neque per se, sed per accidens, neque ut plurimum sed rarò; ergo de ijs, quæ sunt à fortuna, vel casu, scientia per demonstrationem haberi non potest. Maior ostenditur à Philosopho hunc in modum. Demonstratio fit ex propositionibus necessarijs, vel ut plurimum veris; sed ex necessarijs infertur necessaria conclusio; & ex veris ut plurimum vera; ergo demonstratio tantummodo de conclusionibus necessarijs, & ex veris, ut plurimum; ergo de ijs, quæ non sunt necessaria neque per se, nec semper, nec ut plurimum, scientia per demonstrationem haberi non potest.

Insignis oritur dubitatio, videtur enim Aristoteles sibi parum constare, quandoquidem supra nihil magis inculcauit, quàm demonstrationem fieri ex propositionibus summè necessarijs; esseque de conclusionibus summam necessitatem habentibus; in præsens autem non diffitetur dari demonstrationes etiam de ijs quæ duntaxat ut plurimum contingunt, & ex principijs ut plurimum contingentibus. Solutio petenda ex ijs, quæ de necessitate aliàs exposuimus, cum diceremus necessitatem unam esse summam, quæ in rebus diuinis, & mathematicis reperitur, & in naturalibus etiam, quoad prædicata, quæ vel ad earum essentiam pertinent, vel ab eadem dimanant; aliam mediocrem repertam in rebus naturalibus, quoad effectus, qui possunt impediri, cuiusmodi sunt illi qui ad efficientem, vel finalem causam referuntur, ut sunt effectus causarum naturalium, qui quandoque à potentioribus causis possunt impediri, dicens igitur Stagirites demonstrationem fieri ex propositionibus summè necessarijs, respexit ad summam necessitatem, modo autem affirmans demonstrationem esse de ijs, quæ ut plurimum eueniunt, mediocrem necessitatem præoculis habuit, ratus demonstrationem atqiadeo scientiam, etsi minus perfectam, hâc esse posse contentam. Scientia quidem summè perfecta, quemadmodum, & demonstratio, per quam illa comparatur summam necessitatem requirit, cum qua contingentia nulla cohæret; at minus perfecta scientia, ac demonstratio non tantam necessitatem exposcit, adeo ut nullam contingentiam admittat. In cuius tamen gratiam aduerte triplex esse contingens, unum quod fit ut plurimùm; aliud rarò; aliud tandem æqualiter; ut plurimum autem fiunt illa, quæ natura molitur, quandoque enim naturales causæ impediuntur, ne suos possint effectus parere, graue enim suâpte natura descenderet, ei si quidpiam tamen impedimento fuerit (tale autem aliquod esse nihil prohibet) non descendet; ita etiam astrum aliquod copiosè pluviam effunderet sed impeditum (impediri autem potest, vel ab aliquo validiori astro, vel à conditione materiæ, &c.) pluviam non pariet. Quæ autem rarò fiunt, adscribuntur fortunæ, eò quòd præter consilium agentis eueniant, nam causam aliquam determinatam habent respectu cuius fortuiti non sunt, cum eâ positâ, necessariò sequantur; sed habent aliam, quam rarò, & per accidens illâ sequuntur, ut inuentio thesauri respectu fossionis terræ; positâ enim combinatione omnium causarum, quæ requiruntur ad inuentionem thesauri, hæc necesariò sequitur inuentio, quoniam illius combinationis actio sui naturâ apta est hunc effectum parere, ut calefactio calorem; & idcirco thesauri inuentio comparatione huiusmodi combinationis non est effectus per accidens, neque fortuitus, ut Aurelius Augustinus dicebat; est tamen respectu fodientis terram, quoniam fossionis actio sui naturâ non est ordinata ad inuentionem thesauri; talis igitur effectus fossionis terræ fortunæ adscribitur; contingens autem æqualiter, censetur illud, quod à libero arbitrio nostræ voluntatis fit. Aristoteles autem his prætermissis, contentus fuit aserere demonstrationem esse vel eorum, quæ semper sunt, vel eorum, quæ ut plurimum, fortuita verò, præter hæc; hoc enim modo satis à demonstratione excluduntur. Nec contradictionis eundem Philosophum redarguas, quòd alicubi dixerit ecliptim, quæ rarò fit, sub demonstrationem cadere, hic autem dicat de ijs, quæ rarò fiunt demonstrationem non esse, quæ nanque rarò fiunt in duplici sunt differentia, quędam rarò fiunt ratione subiecti tantum, non autem ratione causę, cum potius huius ratione semper fiant, quoniam ex necessitate certam causam inlequuntur, propterea de ijs est scientia, ac demonstratio, de quibus Aristoteles ibi locutus fuit; alia verò dicuntur rarò fieri ratione causæ, quoniam causam illam rarò consequuntur, & nuncupantur fortuita, de quibus in præsentia Philosophus nec scientiam, nec demonstrationem esse contendit. Quando autem

Solutio.

affirmamus, naturales effectus non semper esse, sed ut plurimum, intelligendum id ratione causæ, quia nimirum certas, ut plurimum, insequuntur causas, cum rarò impediantur; idcirco sub scientiam cadunt; unde est, ut an effectus semper, an frequenter, an rarò in subiecto quopiam eueniat, attendi minime debeat, sed solùm ad causam referendus; si nanque certam aliquam causam, vel semper, vel saltem frequentissimè consequatur, sub demonstrationem cadit, quantumuis respectu subiecti rarissimus sit; atsi comparatione causæ rarò fiat, de ipso scientia non datur, quoniam talis causa non est per se, sed per accidens.

Neque dicas superioris difficultatis solutionem ad aures Aristotelis non esse, cum ipse docuerit absolutè sola necessaria demonstrationem ingredi; non inquam, id dicas: cum enim detur necessarium duplex apud ipsum, quorum unum dicitur simpliciter necessarium, alterum autem cum defectu, nimirum illud, quod ut plurimum fit, docens sola necessaria demonstrationem ingredi, necessarium sumpsit generatim, prout utrunque necessarij genus complectitur.

Tex. 181. Secundam conclusionem statuit, nempe scientia non est per sensum, quam ut probet sumit argumentum ab obiectis; nam obiectum sensûs, idest actus sentiendi est singulare, at obiectum intellectûs demonstrâdi actum exercentis, est uniuersale; hinc autem ratio desumitur talis; nullum uniuersale cognoscitur sensu; sed omnis scientia demonstratiua est de uniuersalibus; ergo nulla scientia potest per sensum comparari; maiorem propositionem ostendit, ex eo quia omne, quod sensu cognoscitur, necesse est his tribus conditionibus esse circumscriptum, *hoc aliquid, hic, & nunc*, singularitas enim his tribus maximè denotatur. At uniuersale nulla ex his conditionibus circumscribitur, cum enim sit commune pluribus, non est *hoc aliquid*, sed æquè omnibus inest indiuiduis, nec in aliquo certo loco versatur, cum sit ubique, neque nunc potius, quàm alio tempore, cum semper sit; uniuersale igitur sensu non cognoscitur; minor autem ex antea disputatis est manifesta.

Prima difficultas. Dubitatio tamen se offert in illis verbis, ὑπόκειται δ' ἡ αἴσθησις τῶν τοιῶνδε, οὐ μὴν τῶνδί τινος. *Etsi enim sensus est ipsius talis, sed non huius alicuius*, tale nanque significat uniuersale, & hoc aliquid significat singulare, cum autem Philosophus dicat sensum esse talis, sed non huius alicuius, videtur significare sensum esse uniuersalis, non singularis, quod postea tamen inficiatur.

Solutio. Hæc dubitatio tamen nulla est, siquidem sensus prout facultas est, circa uniuersale versatur, ab eo enim specificam suam differentiam desumit; at verò sensus prout in exercitio sentiendi, hoc est ipse sentiendi actus, uniuersale nequit attingere, sed solùm particularia percipit.

Secunda difficultas Est etiam alia difficultas, nam docet primò Philosophus uniuersale non esse hîc, & nunc, postea verò ait uniuersale esse ubique, atque adeo in omnibus *hic*; docet etiam uniuersale esse semper, atque adeo in quolibet *nunc*, postea verò ait non esse *nunc*; quamobrem contradictionis redargui potest.

Solutio. Solutio tamen facilis videtur, & in eo planè consistit, quod Philosophus ita locutus fuerit respiciens ad illam indifferentiam uniuersalium, quæ ideo dicuntur non esse hîc, & nunc, quia nullum sibi determinant locum, neque tempus; dicuntur autem esse ubique, & semper propter indifferentiam ad omnem locum, & ad omne tempus. Fatendum tamen quòd si indiuidua sint ubique, & semper, etiam eorum uniuersalia ubique, & semper sint, quòd si particularia non sint ubique, & semper, nec etiam uniuersalia ubique, & semper esse possunt, cum non dicantur ea esse vel in tempore, vel in loco, nisi merito singularium. Vel fortè meliùs respondebitur dicendo dictionem *ubique* non significare omnia loca simpliciter, sed omnia loca singularium, horum enim quodlibet alicubi est, & in suo loco tantùm, non in locis aliorum, at uniuersale dicitur ubique esse videlicet in omnibus simul locis suorum singularium. Hæc eadem dictioni *semper* accommodari possunt.

Pergit remouens errorem quorundam dicentium idem esse sensum, & intellectum, quos Heracliteos fuisse accepimus; hi nanque asserebant, quòd si liceret nobis sensu cognoscere triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nullam amplius demonstrationem quæreremus, quia per sensum iam nobis illud innotuisset. Hoc negat Philosophus, & eos adoritur argumento superius allato, non enim possumus sentire nisi hoc singulare; at scientia est cognitio uniuersalis; etsi propterea sentiremus triangulum habere tres angulos æquales, &c. non ob id sciremus, quoniam hoc singulare duntaxat sentiremus. Hoc ut efficaciùs ostendat, ad sensile exemplum confugit ex lunari eclipsi desumptum, in ea enim subiectum & quæsitum, & medium res sensiles sunt. Si igitur fieri posset, ut prope Lunam essemus, terramque interpositam videremus, scientiam de eclipsi sensu non haberemus, quia non cognosceremus eclipsim uniuersalem, nec uniuersalem causam ipsius, sed hanc tantùm eclipsim, & hanc solùm obiectionem terræ intueremur, quoniam causa scientiam pariens propterquid, debet uniuersalis, non singularis esse, cum sit causa per se, non autem per accidens, at verò per se non dicitur, nisi quod uniuersale est; tum quia non est per se, nisi sit de omni; tum quia per se essentiale significat, quod autem est tale, æquè omnibus indiuiduis inest, ac ob id uniuersale est; particularis autem causa, non est causa per se, sed vel per uniuersalem, vel per accidens omnino si sub nulla uniuersali causa contineatur. Vel Philosophus significare voluit quòd in illa inspectione tunc nos non sciremus propterquid omninò, sed modo aliquo, quòniam non uniuersaliter haberemus propterquid, sed particulariter tantùm, quamobrem sciremus quodammodo causam, sed non omnino, ut dictum est.

Deinde comparationem instituit inter scientiam, Tex. & cognitionem sensitiuam, dicitque scientiam uniuersalem præstabiliorem esse cognitione sensitiuâ, eâ ratione ductus, quia cognitio uniuersalis est per causam, sensitiua autem sine causa; at cognitio per causam rei habentis causam, præstantior est cognitione sine causa. Vbi Aristoteles sumit *uniuersale* pro cognitione conclusionis uniuersalis per suam uniuersalem causam, huiusmodi autem cognitio propriè dicitur demonstratiua scientia, quam ait denotare causam, quia per causam comparatur, eamque nobiliorem esse contendit cognitione particulari habitâ per sensum, & cognitione etiam uniuersali rei habentis causam, sed habitâ sine causa. Excipit autem cognitionem de primis principijs, de quibus ait aliam esse rationem eorum, siquidem cognitio est sine causa, sed honorabilior est quàm demonstratiua scientia, ut alibi dixit, & iterum dicturus est. Hinc quatuor cognitionum genera colligunt interpretes. Primum genus est cognitio primorum principiorum. Secundum est cognitio rei causam habentis per suam causam. Tertium est cognitio rei causam habentis sine causa; Quartum est cognitio particularis, quæ sensu habetur.

Ex

Ex hactenus autem dictis Philosophus colligit fieri non posse, ut in ipso sentiendi actu habeatur scientia de ijs rebus, quæ sub demonstrationem cadunt, nisi quispiam ipsum scire per demonstrationem appellare velit sentire, sic enim sentire foret scire, sed verbum sentire æquiuocum esset; non diffitetur tamen sensum ad scientiæ acquisitionem conferre, sed solùm inficiatur ipsum sentiendi actum esse demonstratiuam scientiam, quod forsan ostendendum assumpsit, ne quis cognitionis sensitiuæ certitudinem respiciens, in eum laberetur errorem, ut sibi persuasum haberet in huiusmodi cognitione demonstratiuam omnem scientiam esse constitutam.

Tacitam obiectionem deinde soluit, posset enim quispiam dicere in ipso sensu, scientiam consistere, quoniam ex defectu sensûs, deficit scientia de sensilibus ad scientiam illam spectantibus; unde est ut in problematibus, seu rebus dubijs, quæ discutiendæ proponuntur, ignorationem soleamus in defectum sensûs referre, ac dicere *si id sentiremus, non quæreremus propterquid, sed sciremus*. Respondet autem admisso assumpto consecutionem negando, concedit enim aliqua in defectum sensûs referri, adeout si sentirentur non quæreretur propterquid; negat tamen inde sequi scientiam in sentiendo consistere, propterea quòd scientia absque ope sensûs non acquiritur; at non subinde sentire est scire; itaque dicimus ergo si videremus, non quæreremus *propterquid*, non quia scientia propterquid in ipso videndi actu consistat, sed quia ex inspectione plurium singularium mente colligeremus principiorum uniuersalem cognitionem ex quibus demonstraremus, atque adeo sciremus *propterquid*, proindeque non amplius ipsum propterquid quæreremus. Per defectum sensûs hoc loco Philosophus non solum intelligit defectum ipsius facultatis, siue à natiuitate, siue postea, sed etiam integrâ facultate manente, defectum operationis ob aliquod impedimentum, puta, vel ob nimiam loci distantiam, vel ob defectum debitæ proportionis inter obiectum, & sensum, vel alio quocunque modo, utcunque enim contingat, ut sentire nequeamus, ignorationis causam in defectum sensûs referimus, atque dicere solemus; si nobis videre datum esset, non quæreremus propterquid, sed sciremus. Rem illustrat exemplo. Lumen transit per vitrum, & hunc in modum illuminat: causa huiusmodi transitûs est, quia vitrum est perforatum, estque minutissimis poris refertum, qui propter paruitatem sub aspectum non cadunt; quoniam igitur illos poros non videmus, ignoramus propterquid lumen per vitrum transeat, & huius ignorationis causam in sensûs defectus referimus dicentes, si foramina illa viderentur, nemo quæreret propterquid lumen transeat; sed quia foramina illa videri non possunt, idcirco quæritur propterquid. Interpretes autem aduertunt exemplum hoc non esse ex Aristotelis sententia, sed potius veterum quorundam Philosophorum existimantium lumen esse corpus. Re tamen verâ Philosophus non modo hîc, sed etiam alibi præsertim in problematibus eandem facit suppositionem de lumine. Frequens autem hæc suppositio plerisque dedit non obscuri nominis, suspicandi causam Aristotelem non omninò detestatum fuisse sententiam eorum, quibus lumen corpus esse videbatur, quâ de re nos in Physicis cumulatè disputabimus.

184. Cum Philosophus superiùs separasset scientiam à non scibili ostendendo quænam sint, de quibus non potest haberi demonstratio, & scientiam unam ab alia distinxisset, erat etiam cur consideraret, an scientiarum principia sint eadem, an verò diuersa, cum à principijs huiusmodi scientiæ dependeant. Hac in re duo facit, primò enim uniuersè probat non eadem posse esse omnium principia, secundò varios modos recenset, quibus oppositum aliquis posset sustinere, illosque reijcit.

Non omnium syllogismorum eadem esse posse principia.

Ad primum quod attinet, hanc uniuersalem assertionem statuit: non omnium syllogismorum eadem possunt esse principia; probat autem rationibus dialecticis, & analyticis. Dialectica ratio duplex est, quarum prima sic se habet. Syllogismi alij veri, alij falsi sunt, verorum vera sunt principia, falsorum autem falsa; ergo non eadem sunt omnium syllogismorum principia, quia vera, & falsa non sunt eadem, veros syllogismos vocat illos, qui verum ex veris colligunt: falsos autem, qui falsum ex falsis. Quoniam autem quandoque ex veris colligitur falsum, propterea subdit hoc contingere rarò, & per accidens, cum alioquin per se verum ex veris, falsum ex falsis colligendum sit; hoc est, ex vero, quatenus vero, colligitur verum, & ex falso, quatenus falso, colligitur falsum.

Rationem hanc esse dialecticam atque communem satis constat, quia non est demonstrationis propria, quin potius omni syllogismo potest aptari, quandoquidem præter demonstrationem alij dantur syllogismi, qui verum ex veris colligunt, ex falsis autem falsum. Rarò igitur, & per accidens est, ut verum ex falso colligatur, idque sic declarari potest. Fiat hic syllogismus, *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis; ergo omnis homo est animal*, patet conclusionem esse veram, deductam tamen ex præmissis falsis; at si velimus iterum has falsas propositiones ostendere per alias, & illas per alias, omnes hæ propositiones falsæ erunt, quamobrem omnes syllogismi, quantumuis mille fuerint, ex falsis colligent falsum; syllogismo igitur est per accidens, ut verum ex falsis colligat, cum id rarò eueniat, per se autem ex vero colligitur verum, ex falso autem falsum.

Quid intelligendum per syllogismum falsum.

Dubitatur, quid Aristoteles intelligat per syllogismum falsum, in cuius gratiam aduerte, gemino modo syllogismum dici posse falsum, primò ratione formæ, quando scilicet non sit in modo debito, & figura, ut si arguatur ex puris particularibus, aut ex puris negatiuis; hoc enim modo falsa conclusio colligitur ex præmissis veris, *ut, nullus lapis est animal; nullus homo est lapis; ergo nullus homo est animal*. Secundò ratione materiæ, quando sit in modo debito, & figura, ita tamen, ut ambæ præmissæ, aut altera saltem sit falsa, tunc autem ex præmissis falsis, non nisi rarò, licet verum colligere, sed ex veris colligitur verum; Aristoteles autem dicens syllogismos falsos ex falsis fieri, ad materiam respexisse videtur, adeo ut syllogismus si sit in modo debito, & figura, peccet tamen ratione materiæ, ex falsis non concludat verum, nisi per accidens.

Alteram dialecticam rationem adducit, quæ talis est; non omnia falsa ex eisdem colligi possunt principijs; ergo etiam si semel fiat de solis syllogismis falsis, non omnium syllogismorum possunt eadem esse principia; assumptum probatur, nam quædam conclusiones non solum sunt falsæ, sed etiam contrariæ, & impossibiles, ut iustitia est iniustitia; timor est audacia; homo est equus, vel bos, & æquale maius eo, cui est æquale; istæ nanque conclusiones sunt contrariæ, & impossibiles, siquidem oppositum de opposito prædicatur; ergo principia, ex quibus huiusmodi conclusiones contrariæ, & impossibiles deducuntur, non sunt eadem; optima consecutio, quoniam contrariorum, & impossibilium, contrariæ sunt causæ, atque principia; sanitas enim ex. gra. & ægritudo con-

Tex. 185.

Digitized by Google

traria principia, causasque habeat, nam sanitatis causa humorum est symmetria, ęgritudinis autem asymmetria.

Tex. 186. Idem aggreditur probare Philosophus argumentis propriis, & ex demonstrationis naturâ desumptis, & primò loquitur de principijs propriis argumento analytico utens hoc modo; subiectorum genere diuersorum diuersa sunt propria principia, eaque inter se nullam conuenientiam habent; ergo non possunt omnium syllogismorum eadem esse principia propria; syllogismorum enim principia propria, variari debent pro varietate principiorum, quæ propria sunt subiectorum totalium in scientijs; verumenimverò diuersæ scientiæ per diuersa subiecta totalia distinguuntur, principia autem propria ex subiecti propriâ naturâ desumi debent in scientijs, seu syllogismis; Antecedens ab Aristotele declaratur exemplo; nam unitas est principium numeri, & punctum magnitudinis; hæc autem genere differunt, nec in aliqua communi natura conueniunt, de qua una scientia esse possit. Subiectorum ergo genere diuersorum, diuersa sunt propria principia: adeò ut principia propria subiecti in Arithmetica diuersa sint à principijs proprijs subiecti Geometriæ &c.

Tex. 187. Præcedentem rationem magis declarat; cum enim dixisset propria diuersarum scientiarum principia, nullam inter se conuenientiam habere, id nunc magis explicat dicens, si diuersis scientijs aliqua esset conuenientia in principijs proprijs, sequeretur eas conuenire in terminis medijs, vel sursum, vel deorsum, hoc est in maiori, in medio, & minori extremitate, ex his enim tribus demonstratio constat; ergo non possunt plures scientiæ ijsdem principijs proprijs uti, quin fiat communicatio alicuius termini demonstrationis; at hoc fieri nullo modo potest, ut superiùs ipse docuit; cum enim subiecta singularum scientiarum propria sint, media verò, & quæsita illis per se insit, necesse est ut media quoque, & quæsita propria sint, pluribusque scientijs communicari non possint.

Tex. 188. Idem de principijs communibus, cuiusmodi sunt dignitates, ut *de omni verum est affirmare, vel negare* ostendit, nempe non posse omnium demonstrationum eadem esse principia communia; sic autem arguit.

Si syllogismorum omnium eadem essent principia, id maximè de principijs communibus admittendum foret; sed de his, nec id concedi potest; ergo syllogismorum omnium non sunt eadem principia; minor constat, quoniam ex solis communissimis illis principijs haud licet demonstrationes contexere, cum sit opus etiam principijs propriis, & quidem diuersis pro diuersitate rerum, itaut alia sint principia quantitatis, alia qualitatis; prout enim quantitas, & qualitas sunt genera distincta, sic habent principia diuersa, ex quibus simul cum principijs communibus de illis demonstrationes fiunt. Illud accedit, quòd principia communia non adhibentur in demonstrationibus, nisi restringantur iuxta naturam rerum demonstrabilium, atq; adeo non erunt simpliciter eadem principia communia verarum omnium demonstrationum.

Tex. 189. Illud idem aliâ ratione probat hoc modo. Si eadem omnium demonstrationum principia forent, parvus equidem esset eorum numerus certus, ac nobis cognitus; sed hoc est falsum; ergo falsum etiam omnium demonstrationum esse eadem principia; ubi Philosophus non de principijs proprijs separatim, nec separatim de communibus, sed uniuersè de principijs omnibus loquitur; minor autem probatur trifariam; primò quia principia non sunt multò pauciora conclusionibus; at conclusionum maximus est numerus; ergo principiorum quoque magnum esse numerum oportet; falsum igitur principiorum numerum esse parvum; conclusiones autem esse plurimas in singulis scientijs perspicuum est, nam tam in Arithmetica, quàm in Geometria, ex. gr. plurimæ demonstrantur conclusiones, præter quas aliæ etiam plurimæ ex illis deduci possunt.

Dubitatio tamen insignis est, cum falsum videatur principia pauciora esse numero conclusionibus, quin potius oppositum, siquidem singulis conclusionibus duo debentur principia, videlicet præmissæ; debent igitur principia duplo esse plura conclusionibus. Prætermissis varijs respondendi modis, vera ex Zabarella Ioannis grammatici dubitationis solutio, quòd Aristoteles hoc loco non ideo dicit principiorum numerum, non esse multo minorem numero conclusionum, quia velit esse minorem, sed ad excludendam duntaxat hanc affirmatiuam, principia sunt multò pauciora conclusionibus; hæc enim sola turbabat; Aristoteli nanque in animo tantùm erat ostendere principia esse quamplurima, ex eo quòd conclusiones quamplurimę sint, cum parum distet principiorum numerus à numero conclusionum, quod fundamentum nullum esset, siquis affirmaret principia multò pauciora esse conclusionibus; sic enim possent conclusiones esse plurimæ, principia verò pauca ex eisdem, quibus omnia demonstrentur; tollitur autem affirmatiua illa, dicendo principia non esse multo pauciora conclusionibus, & magis dicendo tot esse principia, quot conclusiones, & adhuc magis asserendo esse plura, ut reuerâ sunt; satis tamen habuit Philosophus sumere, quòd etsi principia esse pauciora conclusionibus concederetur, non sunt tamen multo pauciora, cùm parum differat principiorum numerus, à numero conclusionum; unde est ut si conclusiones plurimæ sint, principia quoque multa esse debeant, quòd ex sequentibus verbis, scilic. ἀρχαὶ γὰρ αἱ προτάσεις. *Principia nanque ipse propositiones sunt*. His enim, neque principiorum, aut conclusionum certus aliquis numerus, aut horum certum discrimen statuitur; sed solum innuitur nouam conclusionem addi non posse sine additione noui principij, siue per mediorum interpositionem, siue per terminorum assumptionem demonstrationes multiplicentur; hoc enim modo neque ostenditur principia esse plura conclusionibus; nec esse pauciora, sed solùm magnum inter eorum numerum discrimen non esse.

Secundam rationem addit, quâ consequentis eiusdem falsitatem ostendit. Ratio autem hæc est: conclusiones nullo possunt numero comprehendi; ergo nec etiam principia, cum necesse sit multiplicatis conclusionibus, principiorum numerum augeri; hoc enim pacto similiter in infinitum ambo crescere oportet, atque adeo falsum omninò parvum, certum, nobisque notum esse principiorum numerum. Vbi non intelligit Aristoteles conclusiones absolutè infinitas esse, cum essentialium accidentium uniuersalium, quæ sub scientiam cadunt, multitudo finita sit, proindeque conclusionum numerus absolutè infinitus esse non possit; sed solùm respectu nostri, quatenus nulla est scientia, in qua cognitionem omnium conclusionum ad illam spectantium assecuti nos dicere valeamus.

Tertiam addit rationem ad eiusdem consequentis falsitatem ostendendam, eaque talis est: principiorum alia sunt necessaria: alia contingentia; ergo magnus eorum numerus; consecutio patet, nam ex parte propositionum contingentium saltem, nemini dubium, quin

quin magnus sit principiorum numerus.

Non posse autem nouam conclusionem proponi demonstrandam, quin sit opus novum aliquod principium ad eius demonstrationem assumere, manifestum est; nam propositiones ex quibus infertur conclusio, sunt principia demonstrationum; fiunt autem propositiones, vel per assumptionem externi termini, hoc est maioris extremi in via compositiua, vel per iniectionem medij in via resolutiua; utrouis autem modo id contingat, perspicuè constat, quod diximus, nempe non posse nouam conclusionem demonstrandam proponi, quin aliquod novum mediũ ad eius demonstrationem assumatur. Ad viam compositiuam, quod spectat; satis apertè constat in scientijs augeri demonstrationum numerum per assumptionem quæsitorum extrinsecùs, enimverò conclusionem hæc via demonstratam sumit ut minorem propositionem alterius sequentis demonstrationis, & sic affectionem demonstratam accipit ad alterius affectionis demonstrationem, & illam pariter ut medium ad aliam ostendendam, & ita deinceps; sic enim demonstrator procedit; secus dialecticus, qui syllogismos multiplicat per mediorum interpositionem, quia conclusione propositâ sumit plurima media ad eiusdem demonstrationem; hæc autem omnia intrinsecùs assumpta dicuntur, eòquod inter subiectum, & prædicatum illius conclusionis accipiuntur; at hæc multiplicatio, quam demonstrativus facit, dicitur esse per longitudinem, adeo ut sequens demonstratio à præcedenti pendeat, & unius conclusionis medium, ex antecedenti petendum sit; hinc postrema demonstratio in aliqua scientia, puta Geometria, potest in præcedentes resolui usque ad prima principia, secus autem in Dialecticis, ubi syllogismorum multiplicatio per latitudinem fit; non enim plura media sumit subordinata, sed omninò disparata ad eiusdem problematis ostensionem admibet. Non inficiandum tamen fieri etiam multiplicationem hanc demonstrationum per latitudinem in scientijs, ita ut quandoque de eodem subiecto plures demonstrationes fiant, sine dependentia unius ab alia. Quomodo autem hoc intelligendum sit, non conuenit inter interpretes, horum enim quidam existimant multiplicationem hanc talem non esse, qualis est apud Dialecticum, eòquòd non sumantur plura media ad eiusdem conclusionis ostensionem, sed semper unius conclusionis, unicum medium sit. Decipiuntur tamen, nam in Geometria ad unam conclusionem, puta trigesimam secundam primi libri elementorum, plura videntur adhiberi posse media, illam siquidem ostendimus duodecim modis diuersis, & forsan etiam aliis demonstrari potest.

Dices varietatem illarum demonstrationum non ex diuersitate mediorum proficisci, sed potius ex varietate modi, quo medium idem potest indagari.

Non repugno, nam re verâ magna ex parte demonstrationes illæ iisdem innituntur principijs, præsertim propositioni decimatertiæ eiusdem libri; negari tamen non potest, quin eadem propositio dari possit, quæ per duplex caussæ genus demonstretur, nempe formalis & materialis, acceptâ materiali pro eaquę in Mathematicis disciplinis locum habere potest; tunc autem non unicum erit medium, sed duplex conclusionis eiusdem demonstrandæ, proindeque fiet etiam multiplicatio in scientiis per latus. Nihilominus hæc erit multiplicatio diuersa ab ea, quæ in dialecticis contingit, siquidem hæc intra quosdam limites coercetur, non sic autem illa. Vt autem aliqua etiam de via resolutiua dicamus, illud est opus aduertere in via, de qua loquimur, nempe resolutiua multiplicari demonstrationes, non eodem modo, ac in compositiua, propterea quòd in compositiua multiplicantur demonstrationes, extra sumendo terminos, ut paulo antea fuit adnotatum; in resolutiua autem fit multiplicatio demonstrationum per mediorum interpositionem, medium siquidem interponimus retrocedentes à sequentibus demonstrationibus ad præcedentes, dum propositionem mediatam volumus ostendere, donec ad prima, & immediata principia deueniamus. Palam autem, & apertum, quod superiùs dicebatur, videlicet, non posse nouam conclusionem assumi demonstrandam, quin opus sit novum aliquod principium ad eius assumere demonstrationem, nam si medium interponatur, ut fit in ordine resolutiuo, duæ nouæ propositiones oriuntur; si autem maior extremitas extrinsecùs adijciatur, sumaturque præcedens conclusio, ut propositio minor ad posteriorem conclusionis demonstrationem; oportet nouam exoriri maiorem propositionem; unde est ut conclusionum numerus multiplicari non possit, quin principiorum numerus multiplicetur.

Sed ut ingenuè fatear rem uniuersam licet paucis perstringere dicendo Philosophum hunc in modum disputasse. Principia sunt non multò pauciora conclusionibus; falsum ergo principiorum numerum esse parvum, certum ac nobis cognitum; ergo principia non sunt eadem. Assumptum constat, quia principia unius syllogismi sunt conclusiones alterius in unaquaque figurarum, quod significasse videtur Philosophus dicendo, ἀρχαὶ μὲν γὰρ αἱ προτάσεις, *principia nanque ipsæ propositiones sunt*; his enim verbis denotatur principia fieri conclusiones, & conclusiones vicissim principia fieri, in diuersis syllogismis, hinc principia non multo pauciora sunt conclusionibus; prima consecutio manifesta, si nanque conclusiones plurimæ sunt, & principia sunt non multo pauciora, necessariò sequitur principiorum numerum parvum esse non posse; secunda consecutio ex eo patet, quia si principia sunt multa, erunt simul etiam inter se specie, & naturâ diuersa; si nanque solo numero distinguerentur, inanis foret ipsorum multitudo, cum frustra fieret per plura id, quod eodem modo posset per unumquodque ipsorum fieri. Ait autem *assumpti*, vel *interiecti termini*, quoniam medium in secunda, & tertia figura assumitur, quatenus simul sumitur cum maiori, vel minori, vel ut prædicatum, vel ut subiectum; in prima autem injcitur, quatenus intra maiorem, & minorem extremitatem collocatur, ut prædicatum unius, alterius verò subiectum. Auctoris hac de re sententia.

Reiectâ generali sententiâ eorum, qui dicebant omnium scientiarum eadem esse principia, nunc particulariter quosdam modos refutare aggreditur, quibus dici ab aliquo posset omnium eadem esse principia, quorum primus hic est, quòd videlicet diuersa quidem inter se diuersarum scientiarum principia sint, adeò ut alia Geometriæ, alia Arithmeticæ, alia Medicinæ, eadem tamen sint, quatenus singula in scientia sua eadem sunt, & ita eius scientiæ sunt, ut non aliarum. improbat Philosophus hunc dicendi modum tanquam ridiculum, quoniam perinde est ac dicere propria cuiusque scientiæ principia esse sibi ipsis eadem, cum ab alijs diuersa sint; hoc autem modo inquit, omnia dici possunt eadem, quia quodlibet sibi ipsi est idem. Tex. 190.

Secundum reprobat modum; posset enim aliquis dicere ex quibuslibet principijs indiscriminatim quamlibet demonstrari conclusionem, ait autem hunc Tex. 191.

mo-

modum fatuum, & impossibilem esse, quod probat tum scientiarum testimonio, tum ratione; testimonium desumit ex Mathematicis disciplinis, in quibus constat huius dogmatis falsitas, nam videmus in commemoratis disciplinis, quas manifestas vocat, non omnes conclusiones deduci ex eisdem principijs, sed hanc ex his propositionibus demonstrari, ex quibus aliæ non demonstrantur, quod multo magis inspicitur in scientijs diuersis; palam enim ex eisdem principijs non demonstrari conclusiones Geometricas, & Arithmeticas. Probat etiam ratione, ait enim id constare in demonstrationis resolutione, dum enim conclusio in sua principia resoluitur, videmus varia, & determinata esse huius, ac alterius conclusionis principia; quævis enim demonstratio maiorem, etsi non minorem, habet immediatam, quæ nulli alteri potest aptari conclusioni, quoniam in maiori de medio prædicatur affectio demonstranda: si igitur in qualibet demonstratione, diuersa demonstratur affectio; ergo diuersa maior; hoc est qualibet conclusio propriam habet maiorem immediatam, quæ nulli alij conclusioni potest aptari, quælibet igitur conclusio in suam propriam maiorem immediatam, & non in aliam resoluitur; ex ea igitur duntaxat demonstrabitur, non ex qualibet indifferentè.

Tex. 191. Tertium improbat modum quorundam dicentium, saltem prima, & remota principia, in quæ tandem omnes conclusiones resolvuntur, eadem omnium esse demonstrationum; hoc reijcit Aristoteles eo nomine, quoniam in unaquaque scientia nonnisi unicum tale primum principium datur, quod possit omnium conclusionum ad scientiam illam spectantium principium dici; hoc autem in diuersis scientijs aliud, & aliud est, nec idem omnium esse potest; quoniam ut aliàs fuit adnotatum, diuersarum scientiarum subiecta, naturâ differunt, idcirco quod huius subiecti principium est primum, ex quo omnes pendent scientiæ demonstrationes, nequit esse principium subiecti diuersi, nec ex eo aliarum scientiarum demonstrationes pendere possunt. Cæterum tale principium est definitio subiecti, unde Philosophus non de propositione maiori, nam singulæ in singulis demonstrationibus dantur, sed solùm de minori, in qua definitio subiecti de eodem prædicatur, & hoc est unum primum principium in tota integra scientia, siquidem unius subiecti, una tantùm est definitio. Nec te commoueat, quòd Philosophus dixerit in unaquaque scientia plurimas esse propositiones immediatas; modo autem unicam eam esse pronunciet; cum enim dicit unicam esse, sic id intelligas oportet, ut perinde sit ac si dixisset unicam subiecti definitionem, quæ prout de subiecto prædicatur, facit propositionem immediatam, quæ certè nonnisi una in tota scientia esse potest, cùm nonnisi una esse possit definitio subiecti; & in hanc unam minorem, aliarum demonstrationum minores resolvuntur; cum enim demonstrationem quampiam in priorem aliquam demonstrationem resoluimus, & illam in aliam priorem, & ita deinceps, solius minoris analysim instituimus, eò quòd ipsa tantummodò mediata sit; non autem maiorem resoluendam suscipimus, cum semper in immediatam maiorem resoluendo incidamus, ut propterea resolui minimè patiatur; minorem autem procedimus resoluendo in aliam priorem, donec ad immediatam minorem, scilicet ad illam, in qua definitio subiecti de eodem enunciatur, tandem perueniamus. Ita dum hanc demonstrationem resoluimus, *omne animal admirativum est risibile; omnis homo est animal admirativum; ergo omnis homo est risibilis*; cuius maior est immediata, minor autem mediata in quam resoluendo incurrimus, eius analysim instituimus hoc modo; *omne animal rationale est admirativum; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est admirativus*; & ita ad immediata peruenimus. Aristoteles igitur hoc loco præ oculis duntaxat habens minorem propositionem dixit in una scientia unicam esse immediatam propositionem, cum alibi pronuncians magnum esse immediatarum propositionum numerum, in unaquaque scientia, tam maiores, quàm minorem respexit.

Dubitatio præoccupata simulque soluta.

Postremum reijcit modum dicentium principia Tex. 192.
eiusdem esse generis, sed specie differre, adeò ut licet ex. gr. Arithmetica principijs utatur diuersis ab ijs, quibus utitur Geometria, ad idem tamen genus omnia reducantur; reijcit hunc dicendi modum negando posse omnia principia eiusdem esse generis, quoniam sicuti toto genere sunt diuersa subiecta scientiarum, ita necesse est eorum principia, non solùm specie, sed genere quoque differre, ubi de proprijs principiis, non de dignitatibus loquitur, de his enim, quæ virtute demonstrationem ingrediuntur, ultrò concedit, quod aduersarii contendunt.

SECTIO SEXTA.

Intelligentiæ Virtutes tractantur, eædemque inter se conferuntur.

EGregiè Philosophus notauit, quinque virtutum esse genera, quibus intellectus exornatur, dicens: Ἔστω δὴ οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχὴ, τῷ καταφάναι, ἢ ἀποφάναι, πέντε τὸν ἀριθμόν. *Sint itaque ea, quibus verum enuntiat anima affirmando, vel negando, quinque numero.* Recenset porrò huiusmodi virtutes dicendo. Ταῦτα δ' ἔστι τέχνη, ἐπιστήμη, φρόνησις, σοφία, νοῦς. *Hæc autem sunt, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.* Ex harum virtutum numero existimationem, siue opinionem (his enim nominibus tanquam synonymis utitur) depellit, eoquòd sit obnoxia mendacio, nam ait, κοινωνεῖ γὰρ ἡ δόξα ψεύδεσθαι καὶ ἀληθεύειν. *Existimatione enim, atq; opinione accidit mentiri.* Prædictarum igitur virtutum habitus enumerans ait eos, quorum vi animus imbutus, ac instructus affirmando, vel negando verum enunciat, quinario numero comprehendi, scientiam, sapientiam, intellectum, qui mentis sunt habitus contemplatricis; prudentiam, & artem, qui ad actiuam animæ partem spectant; omnes enim enarrati habitus verum inquirunt, atque comprehendunt, comprehensum autem affirmando, vel negando patefaciunt; hoc tamen differunt, quòd habitus partis contemplatricis sic verum enunciant, ut nunquam fallantur; reliqui autem, qui in actiua residunt, si minus omnes, eorum plerique saltem non secus ac existimatio, & opinio in veritatis enunciatione sæpe sæpius decipiuntur, non quidem per se, sed ob earum rerum, de quibus edifferunt, inconstantiam.

Duobus autem modis allatæ partitionis rationem explicatam reperio; uterque tamen intelligentiæ virtutem supponit esse dispositionem perfecti ad optimum, quod non semel Philosophus testatum reliquit, huiusmodi virtutem, habitum optimum appellans; nec immeritò, siquidem intelligentiæ virtus, est habitus, quo mens ipsa perficitur ad eius optimam operationem exercendam; cum verò mentis bonum sit cognitio veritatis, eius optimum erit perfectissima veritatis cognitio, hæc autem illa, quæ sine errore est; intelligentiæ propterea virtus est mentis habitus, quo disponitur, ut sine errore veritatem assequatur, ut

Allata partitionis sufficientia gemino modo tangitur. Primus modus. Primo ad cognoscam morlem cap. 3.

pro-

propterea Philosophus dixerit, intelligentiæ virtutem esse habitum, secundùm quem maximè verum dicimus.

Hinc superioris diuisionis ratio, cum enim virtus sit circa verum, omne autem verum sit, vel contingens, vel necessarium, fit, ut totidem modis varietur etiam virtus, quot modis variatur verum contingens, & necessarium: at contingentia duobus variantur modis, vel enim sunt factibilia, ideſt fiunt à principio externo, & constituitur ars: vel agibilia, ideſt recipiuntur in eodem subiecto, à quo eliciuntur, sicut velle, cogitare, &c. & constituitur prudentia. Veritas autem necessaria tribus modis variatur, nam vel est de principijs & constituitur habitus, qui dicitur *Intellectus* vel ex principijs deducta, & huius ratione scientia constituitur, hæc enim est de conclusionibus demonstratis, vel ex his duobus fit aggregatum, & constituitur sapientia. Alio etiã modo ratio sic diuisionis exponi solet. Habitus vel sunt recti secundùm essetiam, vel non; sic rectum de eorum ratione fuerit, vel sunt instrumentarij, vel principales, si instrumentarij, vel in sola oratione versantur, & fit Grammatica, vel in operibus mentis, & fit Logica, vel in utroque, & constituitur Rhetorica, atque Poetica. Si verò fuerint habitus principes, vel dirigunt ad cognitionem veri, vel ad operationem; si ad cognitionem veri, vel versantur in sola primorum principiorum cognitione, & dicitur Mens, siue Intelligentia, vel in proximè pendentibus à primis principijs, & complicatis cum ijsdem, & dicitur sapientia, vel in conclusionibus demonstratione ostensis, & dicitur scientia; si autem dirigunt ad operationem, vel ea est actio, & oritur prudentia; vel est effectio, & consurgit ars; unde est ut omnis habitus mentis, vel ad cognitionem veri, vel ad actionem, vel ad effectionem dirigat.

Sunt, qui Philosophum redarguant, quòd existimationem, siue opinionem silentio praterierit, cum tamen opinio, sit intelligentiæ habitus.

Sed culpandus Philosophus non est, quoniam hoc loco eius consilium duntaxat eò tendit, ut eos exponat habitus, qui perficiunt intelligentiam, adeout eius virtutes existimari possint; huiusmodi porrò opinionem non esse, neminem fugit, cum enim falsum pro vero non rarò pronunciet, nequit intelligentiam perficere, nec inter eius virtutes recenseri. Habitus enim ille, cui frequenter id accidit, ut falsum enunciet inter intelligentiæ virtutes, ac perfectiones recenseri non potest; at opinioni plerunque accidit, ut falsum enunciet; opinio igitur non est virtus, ac intelligentiæ perfectio.

Illud etiam objcitur Aristoteli, quod scilicet inter commemoratas virtutes, non recensuerit solertiam cum tamen hanc ipse rationis habitum appellauerit.

Ad huius difficultatis enodationem adnotandum solertiam ab Aristotele definitam fuisse dicendo bonam esse coniectationem medij in non perspecto tempore, seu medij facilem inuentionem, sine mora temporis, sic enim habet, Η δ' ἀγχίνοια ἐστὶν εὐστοχία τις ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. *Solertia autem est bona quædam medij coniectatio breuissimo tempore*; ubi affert exemplum velut, inquit, si quis videt Lunam semper solem versus splendere, confestim intelligat cur hoc sit, nempe quia illustratur à Sole, quæ paulò infra explicabimus, ipsa autem addit inuentioni medij quandam facilitatem, omnis autem actus frequentatione sui dispositionem, & habitum inducit; idcirco homo ex actibus frequentatis inueniendi media solers euadit, atque denominatur, qua de re plura infra, interim respondendum ab Aristotele non fuisse inter cæteras intelligentiæ virtutes, tanquam ab illis distinctam enumeratam, eòquòd, vel sit cæterorum habituum appendix, vel congruens animæ dispositio pro inueniendo medio partim nobis ingenita à natura, partim opitulatione Dialectices comparata, ita ut ad instrumentarios habitus redigi possit.

Tertia difficultas. Amplius redarguitur, eò quòd habitus instrumentarios prætermiserit, cum tamen verum attingant.

Solutio. Occurritur dicendo prædictos habitus, vel sub illis contineri, qui de contingentibus agunt, puta sub arte, vel prudentia; vel ab Aristotele fuisse prætermissos eò quòd solum de ijs esset sollicitus, qui principes sunt, & ob id instrumentarios supponunt.

Quarta difficultas. In eo quoque difficultas, quoniam syllogismi plerique sunt necessarij, & veri, qui cum non sint demonstrationes, quoniam ex. gr. probetur superius de inferiori per intermedium, puta viuens de homine per animal; vel ratiocinatio, qua arguitur à definitione ad definitum, scientiam parere non possunt; omisit igitur Philosophus habitum, qui huiusmodi syllogismis comparatur.

Confirmatio. Eiusque deficientia confirmatur inde, quoniam in præsens de scientia loquens solùm illam accipiendam velit, quæ per causam procedit; cum tamen detur etiam illa, quæ procedit ab effectu.

Solutio. Respondendum huiusmodi syllogismos ad scientiam reduci posse, vel ad intellectum, vel ad alium ex illis habitibus pro conditione materiæ, quam concludunt.

Et ad confirmationem dicendum scientiam ab effectu prætermissam fuisse ob imperfectionem eius in genere scientiæ, quæ ad perfectam reduci potest.

1. Magnorum moral. cap. 5. Præterea alibi Philosophus aliam partitionem instituit numerans solertiam, ingenium, & memoriam, proinde videtur parum sibi constare.

Confirmatio. Confirmatur etiam nam alio in loco ponit modos habituum, nimirum scientiam, & pediam.

Solutio. Obuia quidem responsio, nam eo loci Philosophus hac de re non admodum accuratè loquebatur, propterea noluit tantum numerare habitus, sed omnia pariter ad habitus conspirantia, quæ non solùm nos labore acquirimus, sed etiam à natura sortimur.

Cõfir. occurritur. Ad confirmationem dicendum Pediam significare congruentem omnem institutionem, ad quoduis disciplinæ genus, eamque consurgere ex omnibus ijs, quæ addiscendæ disciplinæ conducunt, nomenque deducitur à Pueris, qui tali indigent institutione. Ita quidem Plato pediam veram esse dicit, qua pueri & adolescentes rectè in urbe instituuntur; & hac eadem iuvenes indigere Aristoteles dicebat, ut sint idonei auditores disciplinæ moralis; idcirco Xenophon libros de Cyri pedia inscripsit. Hæc autem ortum ducit à congruenti educatione recta, assuetudine, bonorum consuetudine, magistrorum de moribus opera, ab experientia & usu rerum; ut propterea rectè dixeris Pediam esse quamlibet bonam institutionem circa scientiarum principia, ut discipulus quandam docilitatem allequatur, & non pertinax velit omnia sub sensibus poni, sed aliqua credat magistro, & eatenus ab illo cognitionem requirat, quatenus res proposita, & eius ingenium patitur.

1. de Partibus animalium ad initiũ. 1. de Legibus, & sec. ad initium. 1. Ethic. cap. 3.

Pedia quid.

Pedia duplex. Hanc geminam fecerunt bonam institutionem, quæ Pedia dicitur; quarum una est, quâ appetitus, & intellectus benè componitur per lumen internum, & ad mores pertinere perhibetur, ac interna nuncupatur: Altera, quâ intellectus & voluntas ad scientias addiscendas ab externo quidem instituitur, & externa nuncupatur, quæ duplex existimatur, quarum prima

Iterum bipartito diuiditur.

Digitized by Google

ma communis, quæ necessaria est ad omnes scientias; secunda verò particularis, quæ ad particulares scientias disponit. Ita quidem Philosophus dum dicebat eum de singulis benè institutum iri, qui de singulis pediam habet, absolutè autem, qui eam habet de omnibus. Ad difficultatem verò quod attinet, satis constat quid respondendum, videlicet pediam posse ad commemoratos habitus reuocari; trifariam siquidem ipsa considerari potest. Primò ratione obiecti in cuius consideratione versatur, ut à cæteris scientijs præcisa, quo pacto potest habitus esse, non secus ac Dialectica, quæ instrumentarius habitus dici consueuit; & potest etiam non esse habitus, ut de experientia, moralique institutione, &c. perspicuum est. Secundò, ut est quidam modus habitûs, comparatione cuius pedia dicitur, ab illo tamen distincta, iuxta quam usurpationem, non tam habitus, quàm eiusdem rudimentum, & via dici potest. Tertiò, ut principium perfecti habitûs & ut ad eundem cuius est pedia, tanquam in eo quidpiam inclusum, reuocatur; hinc manifestum est, cur non sit inter intelligentiæ virtutes pedia itidem recensita.

Pedia tribus accipitur modis.

Assumitur de singulis virtutibus agendum.

Nunc de singulis intelligentiæ commemoratis virtutibus breuis ineunda tractatio, initio ducto ab Arte, cuius nomen, ut hinc exordiar, plerunque sumitur loco eius, quod in artifice est: quandoque pro eo, quod est in opere artificioso. In artifice autem, quod primò requiritur est cognitio operis faciendi, siue habitualis, siue actualis sit. Secundò mediorum cognitio. Tertiò habilitas in potentijs executiuis; ex cognitionibus porrò, actualis tantùm necessaria simpliciter est, quanuis artis nomen, tam actuali, quàm habituali notitiæ accommodetur. Hoc idem nomen artis aptari solet etiam obiecto cognito ab ijs, qui putant ideam esse rem ipsam faciendam cogitam, videlicet obiectivum conceptum, cuius instar in esse reali res fieri debet. Tametsi autem plura sint in artificis mente, in quibus idea videtur constituta, nempe Species intelligibiles (intellectum omitto, nam hic esse non potest, cum in hoc idea sedem habere debeat) Actualis cognitio operis faciendi. Obiectum huius cognitionis. Ipsum esse cognitum obiecti, prout formaliter dicit relationem rationis obiecti ad cognoscentem. Et sanè obiectum sumptum, ut aiunt, specificatiuè, pro eo videlicet, quod obijcitur, dici nequit idea, cum hoc non sit in artificis mente, sed extra. Ne commemorem ideam esse immaginem quandam rei faciendæ residentem in mente artificis, cuiusmodi non est id, quod faciendum obijcitur menti; amplius idea, tanquam imago cognosci dicitur, *ut quo*, sed quod obijcitur efficiendum, cognoscitur *ut quod*. Nec idea dici potest ipsum esse cognitum obiecti, prout formaliter quandam relationem rationis obiecti ad cognoscentem importat; hæc enim relatio superflua est, & aste quamlibet huiusmodi relationem ideæ ratio subsistit. Illud accedit quod artifex in operando nihil de hac relatione curat, non enim illam imitatur, nec ullatenus ipsa ad operis effectionem conducit. Superest ergo, ut idea sit, vel conceptus formalis, puta cognitio operis faciendi, vel conceptus obiectivus, hoc est opus faciendum, quatenus cognitum, seu & id idem recidit, obiectum reduplicatiuè sumptum, quæ cumulatius de exemplari causa disputantes in Physicis prosequemur. Interim apertè constat, in huiusmodi exemplari positam ideæ rationem esse; nam ut agens naturale determinatur à naturali forma, propter similitudinem cum re producenda ad eiusdem rei effectionem: sic artifex ab idea propter similitudinem, & immitabilitatem passiuam; quanuis alia quoque determinatio sit ab obiecto, & appetitu proueniens; artifex enim habens ideam Arcis, & Templi, potius arcem, quàm templum facit, determinatus quoad speciem effectûs ab idea: quoad executionem autem ab appetitu. At nisi explicemus omnia, quibus artis nomen tribui solet, ipsius artis definitionem intelligere non licebit. Quatuor autem sunt præcipuæ notiones artis nomini, vocabuloque subiectæ. Ac prima quidem non tam artem importat, quàm excellentiam quandam, quæ perfectionem uniuersam artis includit, & continet, ut scholastici loquuntur, eminenter, hæc artis præstantia, ac eminentia primò in Deo est, deinde in natura tanquam in subseruiente, ac famula. Hinc summâ quidem arte Deum & naturam omnia fecisse dicimus; hanc eandem excellentiam denotamus, cum opificem Deum, molitorem, seu architectum dicimus, & omnia ab eo olim facta fuisse, nunc esse, & mirabili quodam eius artificio constare dicere solemus; sic illam usurpat Plato disputans aduersus dicentes omnia casu contingere, nam affirmatè pronunciat uniuersum, & quæ in uniuerso, sunt diuinâ fuisse arte composita, eandem quoque naturæ tributam innuimus cum naturam ipsam artificiosam appellamus, & mirâ quâdam arte res effici omnes à natura dicimus. Secunda notio huius, de quo loquimur, nominis, brutorum quandam solertiam denotat, hanc enim artem nominare soliti sumus, adeout laudemus apem, quòd ædificandi rationem, araneam, quòd textrinam, pisces, quòd natandi artem nos edocuerit; est porrò superioris artis quàm Deo, naturæque tribuimus immago quædam, vel potius umbra in mutis animantibus elucens. Tertia eiusdem nominis est usurpatio, & quidem amplissima, propterea quòd mentis omnem habitum complectitur, cuius præsidio, & vi aliquid molimur, quod alioquin per nos, & naturâ quidem agere non possumus. Hâc significatione prudentia dici solet ars actionibus humanis regendis, ac moderandis idonea; scientia etiam inspiciendæ veritatis ars dici consueuit, sic diuinam Philosophiam artem artium, & mathematicas disciplinas, præsertim in Arithmeticam & Geometriam artes appellamus. Quarta demum eiusdem nominis arctior est acceptio, & maximè propria, in eum duntaxat habitum cædens, qui à cæteris habitibus distinguitur, siue ad sciendum, siue ad agendum idoneis, & comparatis. Hunc autem, quem dicimus artis habitum, certis contrahere finibus iuxta leges benè definiendi & limites illi præscribere non exigui laboris est, ut variè proinde à diuersis hoc præstitum sit. Nonnulli definiendam artem existimant hoc modo. *Ars est ex multis præceptionibus animi usu & exercitatione conquisitis, atque in unum exitum vitæ utilem spectantibus, coacervatio, siue collectio præceptorum.* Vel potius ex Tullio. *Ars est, quæ cognitis penitusque perspectis & in unum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur.* Cuius imitatione plerique dixerunt artem esse collectionem Theorematum, omniumque præceptorum verorum utilium, ac sibi consentientium ad unum, eundemque finem tendentium. Vtraque tamen definitio eo vitio laborat, quòd alteri à definito, nimirum prudentiæ conueniat. Alij malucrunt artem definire dicendo esse certam ordinationem rationis, quæ per determinata media ad debitum finem humanos actus prouehit. Aristoteles porrò varijs modis definitam artem reliquit; alicubi liquidem ait esse per se principii & formam eius, quod efficitur, sed in alio; hinc artem dicimus esse formam eius, quod efficitur. Alibi docet artem esse rationem operis omni abiuncta mate-

Nomen artis multifariam sumitur.

Quot in artifice requiruntur.

Idea in quo constitat.

materiâ. His tamen modis non explicatur ars, quæ est in mente artificis, sed quæ in opere artificioso existit. Prout autem in artificis mente residet ars ab Aristotele definitur sequentem in modum, Ἡ δ' ὧν τέχνη ἐστὶν ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικὴ ἔστιν, *Ars igitur, vt est dictu, habitus quidam cum ratione vera efficiens est*. Post enim quam de arte copiosè disputasset, ad extremum hanc eius traxit definitionem, quâ non contentus ut adhuc intimiùs artis naturam introspiciat, confert illam cum habitu contrario, nimirum inscitia, seu inertia, quam ita describit, ἡ δ' ἀτεχνία τοὐναντίον, μετὰ λόγου ψευδοῦς ποιητικὴ ἕξις, περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν; *sed inscitia, contra cum ratione falsa efficiens habitus in eo, quod potest se aliter habere*. Quem habitum forsan etiam descripsit arti contrarium, ne quenquam suâ similitudine fallere posset, hic enim non secus ac ars materiam inconstantem, atque mutabilem tractat, ut incautos propterea decipere, quàm facillimè possit. Ex traditis autem ab Aristotele *Ars est habitus, verâ, rectâque cum ratione aliquid efficiens, siue ut ex græco dicendum foret, effectivus in iis occupatus, quæ esse, & non esse possunt, quorum principium in eo quifacit, non in eo, quod efficitur, inest*, ad cuius clariorem intelligentiam, primò se offert considerandum, quid recta sit ratio, cuius definitio meminit. Et sanè recta ratio tantam cum arte coniunctionem habet, ut ab ea seiungi minimè possit, nam particula explicatur quod ratione caret, dicebat Plato, non est ars, siquidem ars omnis cum ratione est, & quodlibet artificiosum, mensuræ, nempe rationis rectæ particeps est.

Recta autem ratio, vel si mauis artis essentia non est ipsa ratiocinatio. Cum artifex, qui alioquin absque recta ratione nihil unquam molitur, haud semper cum ratiocinatione suum opus efficiat.

Recta igitur ratio est idea, quam artifex mente gerit, estque forma efficiendi operis artificis animo consignata atque comprehensa, cum eorum omnium notitia, quæ ad eius expressionem in externa materia conspirantia esse congruenter oporteat. Huiusmodi autem forma, vel idea ratio dicitur recta, non eo nomine tantùm, quòd rectâ mentis ratione fingatur, sed etiam quia prædita sit congruenti quadam ratione partium omnium, tum inter se inuicem, tum cum ipso itidem artis fine comparatarum; hinc est ut omnium eorum, quæ conficiuntur arte, rationem, atque causam idoneam percontanti nos reddere valeamus.

Non omnis autem idea est recta ratio artis, quandoquidem inertes etiam per ideam agunt, cum tamen ex arte non agant, non igitur idea quæcunque est recta ratio artis. Assumptum inde patet, quoniam ij agunt cum præcognitione eius, quod efficere debent; ideam igitur habeant oportet. Et hoc ex eo confirmatur, quoniam rerum ideas etiam optimas plerique habent, cum tamen nequeant artificiosum opus efficere; ac ob id artem adepti dici non possint. Accedit etiam, quòd non per quamlibet ideam potest quispiam rationem reddere operis efficiendi, potest enim usu venire, ut is viderit aliquid, & ad similitudinem illius aliud fieri concipiat, & nihilominus ignoret causam, cur id ita fieri debeat; propterea non inconsultò dicebamus ideam siue formam esse rectam rationem, non solum quia rectâ mentis ratione fingatur, sed etiam eoquòd prædita sit congruenti ratione partium omnium, tum inter se inuicem, tum cum ipso etiam artis fine comparatarum, unde fit, ut eorum omnium, quæ arte conficiuntur, rationem, & causam idoneam interroganti reddere valeamus.

Hæc etiam apertiùs ex eo constant, quoniam idea debet recta esse talis ratio, quæ consistit in ordine ad finem præcipuè, & insuper ad alias circunstantias efficiendarum rerum, siquidem in practicis, finis est mensura habitûs, & operationis, adeout tunc habitus dicatur bonus, quando quispiam per ipsum potest ea cognoscere, quibus expeditè, facilè, & congruè sibi licet finem adipisci. Vt igitur idea sit recta ratio artis, talis esse debet, qualem nos diximus.

Et ad huius confirmationem id facit, quòd habitus contrarius, nimirum inertia, dicitur cum falsa ratione effectivus, at falsa ratio præcipuè sumitur in ordine ad finem, quando videlicet per ipsum non rectè media, ad finem ordinantur; idea igitur, in qua recta ratio artis est posita, talis esse debet, qualem superiùs dicebamus. Complobatio altera.

Hinc perspicuum est, quando ars dicitur habitus effectivus cum recta ratione, id intelligendum eo sensu nimirum, ut id quod fit, non fiat casu, sed cum ordinatione omnium ad aliquem finem, aduertendo materiam, figuram, instrumenta, quibus res fieri debet; quandoquidem is, qui recta cum ratione operatur, debet cognoscere, quæ materia sit aptior, quæ sit accommodatior figura, quæ, & qualia instrumenta pro consecutione finis. Corollarium.

Secundò in artis definitione habetur operis *effectio* nam rectè Philosophus, ἐπεὶ ἡ ποίησις ἕτερόν ἐστι πράξεως ἑτέρου, *Cum autem effectio, & actio diuersa sint, necesse est autem artem effectionis, non actionis esse*, & idcirco ars dicitur habitus effectivus. Videndum igitur in universum quid sit effectio, & per quid ab actione distinguatur, & quò spectet Aristotelis consilium, quando ait artis munus effectionem esse, non autem actionem; & actionem, ac effectionem, sic inter se discriminari, ut una sub altera minime contineatur. Explanatio secundæ particulæ.

Inter effectionem, actionemque pervulgata satis est illa differentia, nimirum, ut actiones esse dicantur illæ, quas immanentes appellamus; effectiones verò, quas transeuntes dicimus. De hoc multa diximus Dissertatione vigesima sexta, sectione octaua, dum propositum nobis erat practicarum scientiarum differentiam inquirere, eadem tamen de re postmodum verba facturi, & quidem accuratiùs, cum in artis natura pernestiganda versari deberemus. Ineptè autem differentiam hanc sic explicari aduertimus, eo nomine quòd etsi videatur adæquata diuisio, nihilominus aptam distinctionem scientiarum non constituit, siquidem prima, & præcipua existimanda est distinctio tradita in scientiam moralem, & non moralem, adeout scientia moralis propriè circa actionem designari debeat. Vt prætereamus nec adæquatam esse, cum aliqua esse possit operatio immanens non relinquens opus post se actionis nomine nuncupata, ut sunt actiones saltandi, pulsandi Lyram, &c. Inanem etiam esse partitionem allatam vel ex eo constat, quòd prudentiæ functio verè actio censeri debet, cuiusmodi sunt omnes virtutum moralium functiones, cum tamen earum pleræque sint transeuntes, seque in externa prodeant materia dum exercentur, ut cernere licet in Fortitudine, quæ inter hostes & castra exercetur; in Temperantia, quæ in gustatu ciborum, & tactu versatur; in Magnificentia, quæ ciuitatum mœnia, tecta, templa, basilicas, & id genus alia construit. Nam strenue pugnare, quod est fortitudinis proprium; largiri pecuniam in publicos sumptus, quod ad magnificentiam pertinet; cibo, ac potu temperanter uti, quòd acceptum temperantiæ referri debet, actiones non sunt immanentes, sed potius in materiam externam transeuntes, & quæ ipsius prudentiæ

tiæ regimini permittuntur, cuius functionem propriè dicendam actionem nemo ibit inficias. Aliquæ igitur sunt actiones transeuntes, quæ verè ac propriè actiones sunt, non autem effectiones dicendæ; aperiendus igitur est nobis fons, unde commemorata distinctio hauriri possit ad inuestigandam artis naturam.

Actionis nomen, quid significet,

Actionis nomen ad tam multa se extendit, ut aliqua nequeat esse humani muneris, neque officij functio, quæ huiusmodi nomine non denotetur, adeout etiam effectionem complectatur. Sed actionis tam ampla notio multifariam contrahitur; primò siquidem ab effectione distinguitur ex fine, post enim effectionem aliquod opus remanet, cuius causa labor ab efficiente susceptus erat; ita quidem ædificatio dicitur effectio, quoniam domum, & sculptura; quia statuas relinquunt effectas; effectio igitur ea est ex qua aliquid remanet. At ex aduerso actio eiusmodi est, ut ex ea nihil operis remaneat.

Difficultas præoccupata, simulque diluta.

Nec te commoueat quòd aliquando ex actione supersit aliquid, ut cum ex actione viri magnifici sumptuosa remanent opera cum splendore, & ornamento in publicum bonum, uti sunt mœnia, tecta, porticus, basilicæ, pontes, portus, & id genus alia; & ex actionibus benè constituendi, gubernandique Rempublicam, & familiam per Oeconomicam, recta ordinatio Reipublicæ, & familiæ relinquatur; hæc enim ex euentu supersunt, quoniam non ea sunt actionis magnificentiæ finis, cum is honestate contineatur illâ, quæ magnificâ duntaxat actione concluditur; sed effectus sunt quidam Magnificentiæ, casu prodeuntes, cum virtus illa ex ea, quam induit honestate, gestiat in ciuitatis utilitates, & ornatum prodire, finis etsi non per se intentus, illi tamen perfectus, & ultimus, ac externus est, quod etiam de Politica, & Oeconomica dicendum. Hoc autem discriminis inter actionem, & effectionem passim Aristoteles assignauit, præsertim dicens, *τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος ἐστὶν, ἡ πράξις οὐκ ἂν εἴη τέλος*, *effectionis enim alius quàm effectio, finis est: actionis verò non semper* quod magis sequentibus verbis declarat, *ἔστι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος*, *est enim ipsa bona actio, finis*. Quasi dicat, effectionis aliud, quàm effectio finis est, actionis autem non item: Vel ut legit alius Codex, actionis nō semper finis est aliud quidpiam ab actione ipsa, sed aliquando, nempe tunc, cum ex accidenti aliquid ad actionem accedit ultimum, & externum, ut in actione magnifica &c. ex antea dictis, contingit.

Lib. 1. Polit. c. 3. & l. 1. Mag mor. post init. tium.

Lib. 6. Eth. c. 5

Hæc tamen inter actionem, & effectionem differentia, nisi aliquid addatur, insufficiens omnino, ita ut in ea conquiescere minimè debeamus, ob satis obuiam difficultatem illam, quòd si quispiam citharam pulset, aut canat, aut saltet, agere dici debeat, cum ex huiusmodi actionibus nihil remaneat, nihilque per ipsas efficiatur permanentis operis, proindeque in officio prudentiæ dici debeat ille versari, qui saltet, vel citharam pulset, cum tamen communi omnium consensu tractare aliquod artificium existimetur, nec unquam actiones habitæ sint, nisi actionis vocabulo nimis latâ significatione accepto. Aliquid igitur commemoratæ differentiæ addamus oportet, ut ipsa perfecta sit, & numeris omnibus absoluta. Duo porrò sunt, quibus superior differentia completur, quorum unum ex principio desumitur, propterea quòd principium actionis est electio ab appetitu rationis, hoc est à voluntate prouenientis: effectionis autem principium est intelligentia, & ea facultas imaginandi, rerumque similitudines in animo exprimendi, quæ phantasia nuncupatur. Ad quæ respiciens Philosophus dicit, *ἔστι δὲ τέχνη περὶ τὸ τεχνάζειν, καὶ θεωρία ἐστὶν*

Quibus complcatur superior differentia inter actionem, & effectionem

ἀν ηὑρεῖν τι. Versatur autem omnis ars in moliendo, & inspiciendo, quâ ratione fieri possit aliquid. Artifex autem hoc imaginatione perficit, & artificiosi operis sibi format idolum, quo actionem exercens non eget, cùm ei deliberatio, & post hanc electio sufficiat. Secundum addendum ex agendi modo, & ex ijs quæ cum hoc sunt necessariò conuexa, desumi debet; non enim actio absque animi perturbatione quapiam haberi potest; ea siquidem est vel ipsius actionis origo, & causa, vel actionem eandem comitatur, promouet, ac perficit; at verò effectio neque cum animi perturbatione commercium habet, nec à perturbatione ducit ortum, aut augetur, aut absoluitur. Tria igitur sunt quibus inter effectionem, & actionem omnis differentia continetur, nimirum finis, principium, & modus, quorum uno deficiente, minus redditur absoluta differentia, de qua fit sermo.

Ex his non obscurè constat, quibus limitibus utriusque natura contrahenda sit, nam *Actio rectè dicetur nil aliud, quam rationalis appetitus operatio in ijs occupata, quæ ad hominum pertinent mores ab electione proficiscens, gratia illius boni, quod in eadem ipsa penitus operatione concluditur, & continetur.* Quoniam autem humanæ libertatis operatio plura concernit, ob id hæc ordine quidem exposita sunt, in quibus illa potest attendi, nimirum ratio dirigens, exequens electio, appetitus obtemperans, atque demum facultates omnes, quæ humanæ mentis, & voluntatis imperio subiectæ sunt.

Effectio autem seuerè quidem accepta, quatenus videlicet, nec ipsam actionem, aliam naturæ vel humanæ voluntatis operationes, & motus complectitur, sed strictiori significatu atque speciatim prout in artem conuenit, operatio dicitur directa ab intelligentia per artem, phantasiæque vi in externam prodiens materiam, eius operis gratia, quod ex operatione productum remanet. Actio igitur, quantumuis in externa materia versetur, est omninò cum electione coniuncta, nec probat esse potest absque virtute: effectio verò nullam in agente qualitatem, sed peritiam duntaxat artis requirit.

Tertia sequitur in artis definitione particula *principium artis efficiens*, quod in efficiente dicitur esse, non autem in opere, quod efficitur; hoc ex eo patet, quoniam ars in eo differt à natura, quòd rerum, quæ naturâ fiunt, principium sit in rebus ipsis, quæ fiunt; rerum autem, quæ arte parantur, in externo artifice principium efficiens est. Neque perturbet quòd in productione ex. gra. ignis, quæ effectio naturalis est, principium efficiens sit in igne producente, nam etiam in igne producto intimum, ac naturale generationis principium est, non sic autem in artificiosa effectione ex. gra. Scamni, non enim principium, quo artifex, nimirum ars, quo Scamnum efficit in opere, quod efficitur, sive in opere iam effecto principium effectionis est; ut non multo antea notauimus.

Se tamen offert aliqua difficultas emollienda; saltandi liquidem, citharæque pulsandi functio, neque actio est subiecta prudentiæ, nec videtur effectio, cum nullum sit opus hisce functionibus effectum, & post effectionem superstes: insufficiens ergo illa partitio; cum hoc functionis genus non complectatur.

Occurritur respondendo commemoratis functionibus duntaxat impropriæ actionis rationem accommodari, solumque nomen actionis amplâ quadam usurpatione ijs conuenire, adeout habitus atque peritia pulsandarum fidium, canendi, saltandique ars dici debeat, artisque definitione probè contineatur, propterea quòd effectiones respicit, ex quibus aliquid rema-

Digitized by Google

remanet; si tamen finem, non autem officium artis attendas; utrunque siquidem in omni arte spectandum, ut in Lyræ tractatione, seu pulsatione fidium officium est omnia facere, quæ ad animi moderationem perturbationumque purgationem, siue compositionem conducunt; finis autem est ipsa animi moderatio, atque perturbationum congruens compositio, quæ certè remanet, & superstes est artis opus; quanuis igitur huiusmodi artificis opus post exercitationem remanens in officio spectare non liceat, in fine tamen licet. In qualibet itaque arte duo hæc possunt attendi re ipsâ distincta; potest enim artifex suo functus officio dici, quanuis finem non assequatur; neque mirum, nam illud nullis fortunæ casibus est obnoxium; hic autem extra fortunæ fallaciam, fraudemque non est. Idem cernere licet in cæteris artibus, officium siquidem oratoriæ facultatis est dicere appositè ad persuasionem: finis persuadere dictione; sæpe autem fit, ut orator non persuadeat, quanuis officium suum optimè exequatur; idem in reliquis artibus præsertim illis, quæ à Græcis, στοχαστικὴ *coniecturales* vocantur, eo, quòd coniecturis plurimùm utuntur, quemadmodum Medicina; Ars imperatoria &c. Inter officium autem, & finem hoc interest, quòd in officio, quid fieri, in fine, quid officio conueniat, consideratur. Quæ autem dixi de fidium pulsatione, saltationi possunt aptari, hæc enim ad gymasticam pertinent, cuius finis est valetudo, robur, ac firmitudo corporis, militiæ congruens; manifestum autem post saltationem, corporis valetudinem esse superstitem.

Hactenus à nobis tradita cum ijs per bellè cohærent, quæ de scientiarum practicarum, deque artium varietate disputantes, explicuimus; ibi nanque partiti sumus actionem in moralem, & eam, quæ moralis non est: non moralem autem inspecto fine, in eam, quæ relinquit, & eam, quæ non relinquit opus post se; dicebam autem inspecto fine; nam si attendatur officium, nulla quidem est operatio, quæ opus post se relinquat; sub non morali asserebam contineri operationes quasdam, ex quibus aliquid operis remanet, quæque propterea debent effectiones appellari, è quarum numero quantumuis excludendas arbitraremur functiones pulsandi, hoc est citharam, lyram, vel quodnis aliud musicum instrumentum pulsandi, eo nomine quòd ipsę non transeant in externum subiectum, nec aliquod opus post se relinquant; quemadmodum diximus etiam excludendas operationes saltandi, rectè loquendi, canendi &c. hoc tamen factum à nobis ideo, quoniam propositum erat ostendere practicarũ scientiarum, & artium varietatem esse desumendam à vario dirigibilitatis modo, & non à permanẽtia vel non permanentia operis post celebratam operationem, cum ad scientiarũ partitionem sit hoc ex accidenti; non sic autem dirigibilitas, nam hâc retentâ, eoque neglecto operationis discrimine, nempe quòd relinquat, vel non relinquat opus post se, scientiarum adhuc illa distributio subsistit. At officium dirigibilitatem concernit, idcirco ex officio desumenda scientiarum practicarum, ac artium distributio. Officium autem si spectes, operatio nihil ex eo relinquit, ob id commemorato loco dicebam ex operationibus psallendi, saltandi rectèque loquendi, nihil operis remanere superstes; non enim artis finem, sed officium spectabam, quanuis hoc etiam finis quodammodo dici possit. Nam finis unius notionis non est, enim verò unus dicitur internus, velut ille, qui in artifice est, dicitur-que tanquàm artis; alter est externus, tanquam extra ipsum artificem positus, ut benedicere ad persuadendum, in Oratore, & curare appositè ad sanandum, in Medico, finis internus est; sed externus finis oratoris est persuasio, & sanitas finis medici, siquidem illa in iudicibus; hæc autem in ęgrotantibus est. Finis externus ab officio differt, internus autem non item; ex hoc autem scientiarum, & artium desumenda est distributio.

Difficultas.

Ardua tamen de mentis operationibus est difficultas, morales enim non sunt, ac ob id actiones ex allata doctrina minimè dicendæ; sed nec effectiones; quia sunt prorsus immateriales, veluti non transeuntes in externam materiam, nec opus post se relinquunt, nisi hoc rectitudinem putes, quæ solùm in habitu consistit, quo nimirum animus instructus remanet, quod affirmare non ausim.

Solutio.

Huic porrò difficultati satisfacere non operosum, ut opinor, quandoquidem Dialectica non est ars propriè sumpta, proinde non debet in effectione versari, sed practica scientia, ut suo loco fuit explicatum, dicenda, cui tractandæ proponuntur operationes, quantumuis effectiones non sint, nec actiones morales, opus post se minimè relinquentes. Iam enim superiùs dicebatur eâ lege functionum distributionem instituendam, ut aliquæ dicantur morales, aliquæ verò non morales adeo ut inter has contineantur, tam immanentes, quæ nullum opus post se relinquunt, ut sunt mentis operationes; quàm operationes transeuntes ex quibus aliquod opus remanet superstes.

Cuiusmodi sit artifex expetendus. 1. Diu. c. 1

Talis est artis natura, quâ probè cognitâ cuiusmodi sit artifex ignorari non potest; quid autem inter artificem, & expertum differat, Aristoteles eleganter expressit præterens artem experientiæ, quoniam artifices rerum causas assequuntur; at experti, etsi rem esse cognoscant, causam tamen ignorant; idcirco Architecti sapientiores iudicantur, quàm artifices ei inseruientes. Artifices dicere possunt causam & qua ratione res sit facienda, non sic autem experti; Præterea artifices habitum artis sunt adepti, experti autem sunt in via ad artem, quoniam experientia est artis principium; experientia verò præstantior est arte, siue scientiâ, comparatione factâ in ordine ad actionem; etsi nanque in eo conueniant, in eoque similitudinem habeant, quòd utraq; sit habitus practicus, & operativus; differunt tamen, quoniam ars est uniuersalium, experientia verò singularium; hinc experti certius operantur, & magis proficiunt, quàm artifices, & scientes non experti, hoc eleganter docuit Philosophus dicens, μᾶλλον δὲ ὅμοιον τὸ ἐμπειρίαν τέχνης εἶναι δοκεῖν διαφέρειν· ἀλλὰ τῷ μᾶλλον ἂν τυγχάνοντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους, τῶν ἄνευ ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. αἴτιον δ' ὅτι ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστά ἐστι γνῶσις, ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου. *Ad agendum itaque nihil videtur experientia differre ab arte: quinimò videmus expertos magis id, quod intendunt consequi, quàm illos qui rationem absq; experientia tenent. Causa verò est, quòd experientia singularium, ars autem uniuersaliam cognitio est.* Ibid.

Artis explicandæ materia proponitur.

Traditâ porrò artis definitione Philosophus, ut magis illam enuclect, se callidè conuertit ad explorandam artis materiam, ac eandem intuendam proponit, ratus hinc, ut opinor, facilè cognitum iri longè quidem clarius quid illa sit.

Non sunt singularia

Non est autem artis materia ex Aristotelis consilio, ut ineptè quidam crediderunt, singularia; adeo nimirum, ut id inter artem, & scientiam discriminis intercedat, quòd scientia de uniuersalibus, ars verò de singularibus edisserat, hoc enim tam à veritate remotum, quàm quod remotissimum; nam ut ex Aristotele paulo antea notauimus hoc differt ars ab experientia, quòd ars uniuersalia, experientia verò singularia tractat, sed auctoritate prætermissâ ratio etiam suppetit ex artis natura; hæc enim in collectione præ-

ceptorum consistit; quæ non singularia, sed uniuersalia respiciunt, singularia siquidem infinita propemodum cum sint, præceptionibus artis comprehendi non possunt. De materia artis Aristoteles loquens
Lib. 6. Ethicor. 4. hæc habet, Ἔστι δὴ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν, ὅπως ἂν γένηται τι τῶν ἐνδεχομένων, καὶ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι, ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ ποιουμένῳ, ἐπεὶ οὖν τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων, ἢ γινομένων, ἡ τέχνη ἔστιν, οὔτε τῶν κατὰ φύσιν ἐν αὐτοῖς γὰρ ἔχουσι ταῦτα τὴν ἀρχήν. ἐπεὶ δὲ ποίησις καὶ πρᾶξις ἕτερον, ἀναγκαῖον τὴν τέχνην ποιήσεως εἶναι, ἀλλ' οὐ πράξεως εἶναι. *Ars autem omnis posita est in generatione, & in moliendo, & spectando, quo modo fiat aliquid eorum, quæ possunt & esse, & non esse, & quorum principium est in faciente, non in eo, quod efficitur. Neq; enim eorum, quæ ex necessitate sunt, aut fiunt, ars est, neq; eorum, quæ secundum naturam sunt; quippè in se ipsis hæc principium habent, cum autem effectio, & actio diuersa sint, necesse est artem, effectionis, non actionis esse.* Duo autem perpendenda proponit, nimirum artificis actionem, quæ regitur arte, illam enim hæc moderatur, & opus, quod artifex in materia, aut ex materia molitur. Artificis autem actio triplex est, quandoquidem artifex primò considerat quâ ratione, aut modo aliquid efficiendum sit; deinde illud idem aggreditur in externa materia efficere; tandem opus ipsum efformat, quod animo præconceperat in materia faciendum. Hinc iure ait omnem artem in generatione versari, ac in uniuersum occupari, hoc est in efficiendo eo, quod prius non erat; adeout apertè decernat, opus artificiosum non effici, nisi in materia mutatio aliqua contingat. Vt autem tria in artificis actione Philosophus aduertenda proposuit: sic in opere, quod artificis aut, artis actione producitur, duo peruidenda proponit, quorum primum est eorum, quæ fiunt per artem inconstantia, adeout ea, circa quæ versatur ars sit ex eorum genere, quæ possunt esse, & non esse. Propterea quòd cum fiunt, tunc primùm incipiunt esse, proindeque antea non erant, unde consequens est ut esse, ac non esse possint. Secundum, quod considerandum proponit est generationis artificiosæ principium in efficiente, siue artifice seu auctore operis esse, non autem in opere quod efficitur, vel in opere iam effecto. Hoc autem scitè admodum adnotauit, quoniam ars non versatur in rebus naturâ constantibus, quoniam in ijs intimum, ac naturale generationis principium est: at in opere artificioso nullum prorsus est suæ fabricationis principium, cum hoc in artifice ac molitore sedem obtineat. Quæ namque naturalia sunt agendi mouendique principium internum, ac inditum habent in se, cum natura in eo ipso, in quo est, motûs, & quietis principium sit; enim verò primum cuiusque transmutationis subiectum ex necessitate, & suâpte naturâ formam naturalem expetit, unde est, ut naturalis actionis principium non solùm in agente sit, sed etiam in eo, quod patitur, mutatur, formamque recipit. At verò quæ fiunt ab arte suæ principium effectionis in artifice quidem, non tamen in se ipsis obtinent: non enim domus ex. gra. suæ molitionis principium habet in se; sed in sui molitore, nec materia, quam tractat ars, formam expedit inductam ab arte, alioquin ex necessitate artifex ageret, & ex necessitate forma in materiam esset inducenda. Illud etiam discriminis inter artem, & naturam, quòd artis materia est aliquid naturâ compositum, ac absolutum, ut lapides, ligna, ferrum & similia, sed naturæ aliquid initiatum, ac imperfectum, non nisi per eam, quî caret, formam perficiendum. Concludit autem Aristoteles artem omnem in contingentibus, & mutabilibus versari, propterea quòd ars naturalia, ac immutabilia non attingit, & ex contingentibus non moralibus, ad ipsam tantùm effectionem reliqua non moralia ad aliam facultatem spectare; cum, quæ in actionem moralem cadunt, prudentiæ tractanda permittantur. Vt autem ratione materiæ à scientia differt: sic ratione eiusdem cum fortuna conuenit, utrique siquidem instabilis, & inconstans materia tractanda proponitur; ex hac autem materiæ similitudine sæpe fieri ait ut ars, & fortuna inter se coniunctionem, ac societatem ineant; adeout se mutuò adiuuent iuxta illud;

Fortuna ut artem, sic & ars fortuna amat, seu.
Quippe ars fortunæ, fortunaque diligit artem.

Idcirco Poetarum non pauci cuncta referentes ad fortunam, hanc artis propinquam comenti sunt dicendo, τέχνη τύχῃ ἔτεξε, καὶ τύχη τέχνῃ, *ars fortunam amauit, & fortuna artem*. In cuius explicationem veteris pictoris exemplum afferri solet, qui, cum anhelantis equi ob fugam ex bello forsan arreptâ, spumas imitari niteretur, nec ei res ex animi sententia succederet, suæ quodammodo subiratus arti, spongiam variis illitam coloribus è tabula quidem abstersis infrænum impegit; ex iactu autem illisioneque fortuitâ spumas illas ad vivum expressit, quas artis opitulatione perficere nunquam potuerat. Non solùm autem casus, & fortuna opus illud artificiosum effecit, sed etiã ob oculos posuit modum, quo in posterum foret illud efficiendum ab arte. Palam hinc artem ne dum à fortuna iuvari, sed vicissim ab arte fortunam; Artifex enim illisione spongiæ tam egregiè spumam exprimere nunquam potuisset, nisi prius pictor eximius equũ, cui frænum iniectum, ductis lineis coloribusque variis eleganter expressum reddidisset, itaut conspirantibus arte, & fortuna in illum tandem caderet Virgilianum carmen

Stat sonipes ac fræna ferox spumantia mandit 4. Æn.

Habet igitur fortuna propter contingentis materiæ similitudinem magnam cum arte cognationem, habet etiam cum prudentia, quanuis non tantam, eò quòd hac magis, quàm illa deliberet, atque consulter; utrique tamen in agendo fortuna dissimilis, quoniam tum ars, tum prudentia cum agunt rationem sequuntur: fortuna verò, utpote inimica consilio atque rationi, temerè fertur in opus.

Quid differat inter ea, quæ fiunt ab arte, & ea, quæ fiunt à natura.

Ars igitur in mente residet tanquam in subiecto, siquidem inter intelligentiæ virtutes recensetur, ut Aristoteli placuit; nec immeritò quoniam ars debet in potentia directiua operationum exteriorum ad finem collocari; at hæc potentia in homine nil aliud, quàm intelligendi facultas; ob id in hac tanquam in subiecto ars residere oportet.

Materia autem circa quam proximè ars est occupata, rectè censetur effectio, & corpus aliquod aptum ad suscipiendas formas artificiosas; propterea quòd obiectum proximum practicæ cognitionis est praxis; at verò artis nequit esse obiectum alia praxis, quàm effectio; assumptio patet, nam actus elicitus artis est cognoscere quomodo facienda sit effectio; in hoc enim dirigere effectionem consistit.

Nec ab hoc abhorreas velim eâ ratione ductus, quia ars effectiua dicitur, adeout effectio non sit obiectum, sed actus eius. Non enim ars effectiua nuncupatur eò quòd effectionem eliceat, sed quia dirigit, ut effectio rectè fiat, quemadmodum prudentia dicitur actiua, cum tamen actionem non eliceat, siquidem hæc sæpe est actus voluntatis; prudentia verò est in intellectu, sed solum eò quod actionem dirigat.

Artis autem finis *quo* intrinsecus dictus, quatenus

ab

ab officio distinguitur est ipsa effectio, quâ aliquid producitur; finis autem *qui* est opus ipsum productum, finis tandem externum est utilitas illa, cuius gratia opus efficitur.

Tandem obiectum artis est aliquid, quod potest aliter se habere. Aduersus hæc tamen grauissimum est argumentum, propterea quòd sequeretur arti posse subesse falsum, ex eo quia obiectum eius aliter se habere potest. Et hoc etiam confirmatur propterquòd opinio non censetur virtus, quia potest illi subesse falsum, non aliam ob causam, nisi quia est de ijs, quæ possunt aliter se habere.

Solutio difficultatis ex infra dicendis perspicua fiet.

Artis definitionem ab Aristotele traditam explicuimus, quam insulsè nonnulli reprehendunt, eòquod in ipsa non commemoretur humanæ vitæ utilitas, propterea quòd scitè prætermissam hanc ab eo fuisse non immeritò dixeris aduertens, è duobus modis, quibus ars definiri potest, quorum unus contractior, alter autem laxior est, priorem esse, quem Philosophus retinendum operæ pretium duxit, iuxta quem non erat opus utilitatem meminisse, quanuis iuxta posteriorem illa non incongruè potuisset adhiberi. Quandoquidem artis finis duplex esse perhibetur; alter quidem in operis effectione positus, videlicet forma rei, quæ arte conficitur, diciturque finis artis, & ab arte per se intentus: alter autem non tam artis, quàm operis ab arte iam facti finis est, sed externus, dicique solet artificis finis, cuiusmodi censeri debet utilitas, & vitæ commoditas, quam & priuatim, & publicè præstat opus. Stagirites autem definiturus artem effectricem respexit ad intimam eius naturam, atque adeo proprium, eidemque insitum finem, quem scilicet ars per se intendit, & ad quem per se ordinatur; qui tamen ab officio distinguitur, non autem finem artificis, externum, & alienum, à quo ex eius artificis improbitate seiungitur.

Dubitatio tamen occurrit. Dicebat enim Philosophus per id artem ab experientia discriminari, quòd illa uniuersalium, hæc autem singularium consideratione teneatur; videtur tamen utraque circa singularia versari, siquidem ars ex eodem Philosopho, sita est in generatione, & in moliendo, & in spectando quomodo fiat aliquid eorum, quæ possunt & esse, & non esse &c. at generatio in singularibus exercetur; ars igitur non minus, ac experientia debebit in singularibus occupari.

Difficultatis vim declinare licebit aduertendo multùm differre usum & applicationem artis ab ipsa arte, hæc enim uniuersalia considerat & leges præscribens, quibus nos possimus operari, causas eorum adducit, adeo ut artifex uniuersalia cognoscat, & causas etiam attingat; at verò usus, siue applicatio artis, circa singularia versatur. Amplius generatio, & molitio rerum, spectari potest uniuersè, & particulatim, priori modo sub artem, posteriori verò sub eiusdem usum ac applicationem cadit; Philosophus autem definitionem, de qua loquimur, efformans mentis oculos conuertit ad artem, non ad usum ipsius, itemque ad generationem uniuersè, non particulatim acceptam.

Celebrior tamen difficultas erit in assignando discrimine, quo scientia practica ab arte distinguatur, eninverò utraque de rebus factibilibus est, utraque uniuersalia tractat, & utraque causas attingit; discriminis igitur quid supererit inter practicam scientiam, & artem?

Nemini dubium quin ars circa uniuersalia versetur, quanuis id vulgò scientiæ proprium credatur; hoc enim expressum apud Aristotelem legimus, qui præmissâ declaratione, quomodo ars, & scientia ex experientia generetur, & experientia ex memorijs, comparationem inter artem, & experientiam instituens, docet artem, & scientiam bifariam inuicem comparari posse, primò quantum ad actionem, secundò quantum ad cognitionem. Iuxta priorem modum considerandi Philosophus ait experientiam aru, scientiæque præstare: sed iuxta secundum affirmat oppositum, adeo ut ars, & scientia dignitate antecellat experientiæ. Primum ut probet ait videri expertos magis id, quod intendunt, consequi, quàm illos qui rationem absque experientia tenent, unde illud efflu-xit. *Experti certius operantur, & magis proficiunt, quàm artifices*; rationem reddit dicens, *αἴτιον δ', ὅτι ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστά ἐστὶ γνῶσις, ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου. Causa verò est, quòd experientia singularium, ars autem uniuersalium cognitio est*. Splendidè proindè Philosophus asseuerat artem duntaxat circa uniuersalia versari, cum per hoc etiam ab experientia secerni putet; siquidem hæc in singularibus est occupata, quanuis aliud supersit insigne discrimen, in eo positum, quòd ars causas cognoscit, experientia autem nequaquam. Quod ipse paulo post apertè testatur, nam ex eius sententia scire, & cognoscere magis arti, quàm experientiæ arbitramur inesse (Assumit enim probandum artem esse præstantiorem experientiâ, factâ comparatione quantum ad cognitionem). ac eos qui artem tenent, quàm eos, qui experientiam habent, sapientiores esse putamus; eò quòd sapientia propter scientiam magis omnes sequimur; rationem verò reddens ait, *τοῦτο δὲ, ὅτι οἱ μὲν τὴν αἰτίαν ἴσασιν, οἱ δ' οὔ. οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι, τὸ ὅτι μὲν ἴσασι, διότι δ' οὐκ ἴσασιν. οἱ δὲ τὸ διότι, καὶ τὴν αἰτίαν γνωρίζουσι, hoc autem, quoniam illi quidem causam sciunt, hi verò minimè, experti enim sciunt quidem quòd est, propterquid autem nesciunt, illi autem propterquid, & causam cognoscunt*; Hinc, ut ipse ait, eos, qui in quaque re Architecti sunt, honorabiliores, & doctiores, ac ijs, qui manibus operantur, sapientiores putamus, propterea quòd causas eorum, quæ fiunt, sciunt; illi verò sicut, & quædam inanimata faciunt quidem, sed nescientiâ faciunt ea, quæ faciunt, ut ignis comburit; at verò inanimata, naturâ quâdam horum singula faciunt; manibus laborantes propter consuetudinem, tanquam sapientiores sint, non prout actiui sunt, sed prout rationem habent, causasque cognoscunt. Sententia autem hæc est; factâ comparatione inter artem, & experientiam, quantum ad cognitionem, ars præstat experientiæ, quia ipsa magis ad sapientiam accedit, quàm experientia, nam sapientia est scientia de causis, præsertim primis; ars autem de causis uniuersalibus, quia ars circa uniuersalia, expertus circa particularia versatur; magis igitur ars, quàm experientia ad sapientiam accedit; quòd autem ars sit cognitio uniuersalium, & per causam, ex eo probat quoniam expertus scit *quòd est* tantùm, hoc est, scit rem sic se habere, causam ignorans; at verò ars scit *propterquid*, & per causam, quod illustrat exemplo Architectonicæ &c. Addit rationem ordine secundam dicens, *ἔλαττον τὸ σημεῖον τῷ εἰδότι καὶ τὸ δύνασθαι διδάσκειν ἐστί. διὰ τοῦτο τὴν τέχνην τῆς ἐμπειρίας ἐσόμεθα μᾶλλον ὑπολαμβάνειν εἰδέναι. δύνανται γὰρ οἱ μὲν δύνανται διδάσκειν. Et prorsus signum scientis est, posse docere. Quamobrem, magis artem, quàm experientiam, scientiam esse putamus. Illi enim possunt, hi verò minimè possunt docere*. Ratio sic struitur. Artifex potest docere, non autem expertus; ergo artifex est magis sciens, & magis perfectus,

ad solutionem vltimæ 1. Diu. c. 1

Prima ratio.

Secunda ratio.

ctus, quàm expertus; consecutio manifesta, quoniam *scientis est signum posse docere*, nam unumquodque dicitur esse perfectum quando potest sibi simile generare, & facere. Assumptum constat, quia artifex scit causam, & *propterquid* expertus autem ignorat; ideo potest artifex docere, expertus verò non item: scire nanque est causam cognoscere, proinde, qui causam scit, potest esse causa, ut alius cognoscat, & sciat; sed expertus docere non potest, quia causam ignorat; quod si alijs tradat ea, quæ experimento nouerit, poterit in eis habitum forsan opinionis, vel credulitatis, non autem scientiæ generare; cum scientia sit cognitio rei per causam.

Tertia ratio. Tertia ratio ea est, quia nullum sensum ponimus esse sapientiam, & scientiam, quia sensus non est scientia, nec scientiæ capax, sensibus nanque maximè sunt propriæ cognitiones singularium, propterea quòd uniuersale, ut sic, non cognoscitur à sensu, ideoque sensus, qui sunt circa singularia de nullo dicunt, hoc est non cognoscunt *propter quid*, ut propter quid ignis est calidus; sed duntaxat, quòd calidus est; quamobrē si sensus negatur esse sapiens, vel sciens ob ignorationem causæ, & *propterquid*, expertum, qui tantummodò nouit quòd est, non *propter quid* negandum est esse scientem, vel sapientem: at verò artifex, qui nouit causam, & *propterquid*, magis dicetur sapiens, ac sciens. Vides igitur quàm egregie Philosophus probauerit ab arte, non autem ab experientia, & uniuersalia, & causas attingi.

Quid interfit inter Artē, & scientiam. Sed quia non solùm ars, sed etiam maximè scientia uniuersalia, & causas cognoscit, propterea superest assignandum discrimen inter artem, & scientiam; hoc autem in eo positum esse non potest, quòd ars sit de rebus factibilibus operabili modo consideratis; non sic autem scientia, nam quanuis illud discrimen admitti posset inter artem, & scientiam contemplatricem, cuius est sistere in contemplatione veritatis, non tamen admittendum inter artem, & scientiam practicam, quæ res operabiles operabili modo, quemadmodum, & ars considerat.

Difficultas.

Solutio. At superioris difficultatis enodatio petenda nobis ab iis, quæ de scientiæ practicæ natura tractantes attulimus, ex iis enim tibi constabit inter has intelligentiæ virtutes discrimen illud intercedere, quòd scientia, quantumuis practica, est de iis, quæ necessaria sunt, vel necessitate metaphysica, vel saltem physica; ars autem versatur in iis, quæ possunt aliter se habere.

Solutionis confutatio. Hæc tamen responsio summâ difficultate laborat, quia vel utraque nimirum, & scientia practica, & ars debet esse de rebus contingentibus, eòquòd utraque sit de rebus factibilibus à nobis; vel neutra debet de contingentibus esse, quoniam ut scientiæ practicæ sic & arti repugnat falsitas; non repugnaret autem arti falsitas quando tractaret ea, quæ possunt aliter se habere.

Confutationis solutio. Multa congerunt Interpretes, ut ab his difficultatibus se expediant, eorum tamen nugis omissis, quid mihi verisimilius videatur, paucis absoluam, nempe dicendo, de eadem conclusione haberi posse opinionem, scientiam practicam, & artem; quando enim illud complexum, quod aliàs diximus esse conclusionis obiectum, utpote per integram propositionem importatum, tale fuerit, ut secundum unam rationem sit necessarium, secundum alteram autem contingens, de ipso poterit haberi scientia, & ars; si autem illud cognoscatur ex medio non necessario & sine alijs requisitis ad scientiam, de ipso habebitur opinio; sed rem illustret exemplum; Hæc conclusio *ædificij fundamenta cæteris paribus debent esse latiora & solidiora reliquo*; ita se habet, ut de ipsa dari possitas, scientia, & opinio; cum enim fundamenta ædificij possint firmiora, vel minus firma construi & sit in nostra potestate illa hoc, vel illo modo struere, adeo ut etiam si non sint tantæ soliditatis tantæque firmitudinis, possint ad ædificij perpetuitatem conducere, conclusio erit de re, quæ potest aliter se habere, ita tamen ut ei nequeat inbesse falsum, quoniam semper verum erit enunciare ædificij fundamenta cæteris paribus debere esse latiora, & solidiora reliquo, cum huius enim veritate cohæret illa soliditatis, & latitudines illimitatio; hoc itaque modo erit artis obiectum. Si autem in illa conclusione respiciatur geometrica proportio, quæ debet esse inter latitudinem firmitatemque fundamenti, & reliquum ædificij, adeo ut nihil penitus in defectu vel excessu admittatur, sed potius totum id in indiuisibili consistat, conclusio ad scientiam contemplatricem spectabit, quando per necessariam causam fuerit demonstrata; quemadmodum illa, quà decernitur proportio soliditatis prismatis, vel cylindri, qui sit infixus paricti, ad sustinendum tantum ponderis, quod ad eius extremum sit appensum; quomodocunque prisma, vel cylindrus ad horizontem se habuerit, nempe siue ei æquidistet, siue tantam, vel tantam ad ipsum habeat inclinationem; Si autem eadem prædicta conclusio per causam itidem fuerit demonstrata, inspectis omnibus ijs, quibus est opus ad operandum, adeo ut ex vi huiusmodi cognitionis possimus operari id quod per conclusionem importatur, scilicet ædificium construere; de ipsa conclusione habebitur scientia practica; Quòd si tandem conclusio non per necessariam causam, sed, vel auctoritate viri alicuius suffultus intellectus conclusioni præbeat assensum, vel ad hunc præstandum moueatur ex causa non necessaria, tunc de commemorata conclusione, quòd ædificij fundamenta cæteris paribus reliquo soliditora esse debeant, habebitur opinio. Vide autem, quæ de natura scientiæ contemplatricis, & practicæ suo loco scripsi.

Artis autem efficientes causæ fuerunt earundem inuentores, his enim acceptæ referri debent. Earum verò prima origo fuit humana necessitas; secunda fuit ratio, & experientia, tertia rerum exempla; quarta Mathesis. Artis efficientes causarum inuentores.

An artifex consultatione, & electione utatur. Solet autem in dubium verti an artifex utatur consultatione, & præelectione. Ex una parte videtur ex Philosopho non uti consultatione, cui suffragatur experientia, nam canens cytharâ non consultat, quæ corda, & quomodo pulsanda sit; oppositum alibi videtur docuisse dicens artem consilio uti, quia consultamus de iis, quæ per nos fiunt, neque semper eodem modo eueniunt; ut de iis, quæ ad medicam artem pertinent, & pecuniariam &c. Hoc inde confirmatur, nam consultationem electio sequitur, est autem electio principium actionis, ut propterea ex Philosopho actionum in agente principium sit electio, siquidem agibile, & eligibile idem sunt; ergo hæc eadem de effectione dici possunt. 3. Phy. Tex. 66.

Quid de re dicendum. Hac tamen in re adhibenda videtur esse distinctio, si nanque fiat sermo de usu artium, proculdubio consultatio erit in actibus admittenda, siquidem usus artis potest esse bonus vel malus, cum sit actus imperatus a voluntate; proindeque consultationi locus esse potest, an talis, vel talis usus artis esse debent. Tota igitur difficultas est de artibus ipsis, qua itidem in re adhibenda distinctio, quandoquidem pleræque artes sunt coniecturales, ut ars imperatoria, nautica, & aliæ huiusmodi spectantes ad illud genus, quod artis incertum dicitur ob varietatem eorum, quæ occurre-

re

re possunt; inde enim est ut nequeant eodem modo semper operari, nec per determinata media certum finem assequi possint. Aliæ verò sunt artes, quæ semper eodem modo operantur, dicunturque ad certum genus artis pertinere, quia per determinata media certum finem assequuntur. In priori genere artis maximâ est opus consultatione, tum de mediorum electione, tum de opportunitate temporis, de quantitate, & alijs huiusmodi. Hæc eadem consultatio locum habebit in artibus, quæ pluribus medijs finem assequuntur. In artibus autem secundi generis nullâ quidem est opus consultatione, sic in arte canendi citharâ, consultationi nullus est locus.

Obseruandum tamen geminam esse consultationis materiam, quarum una propria, cuiusmodi sunt actiones humanæ, quoad bonitatem, ac malitiam moralem: altera verò minus propria, ut sunt omnia ad actiones humanas attinentia, quando de ipsis aliqua suboriri potest dubitatio; non inficiandum tamen in artibus dari consultationis secundo loco explicatam materiam, ac proinde in ipsis consultationem, & electionem iuxta huiusmodi materiam contingere.

Vocari solet etiam in controuersiam an ars propriè virtus dici possit. Et sanè virtutem moralem non esse, cuique perspectum, propterea quòd in voluntate non residet; tota igitur difficultas in eo posita, num sit intelligentiæ virtus, nec dubitandi ratio leuis est, nam in contingentibus versatur, atque adeo ei potest subesse falsum; si igitur hoc nomine è numero virtutum residentium in mente reijcitur opinio, non est cur ars ex eodem numero reijci non debeat.

Ars nihilominus iure, ac meritò inter intelligentiæ virtutes recensetur.

Prior assertionis pars affirmat artem non esse virtutem è moralium numero, nimirum non esse virtutem hominis quâ homo est. Hoc autem ex eo conuincitur quoniam ars non reddit hominem simpliciter absolutèque bonum, cum permulti sint artifices boni, ijdemque improbi homines.

Amplius; virtus homini conueniens, tanquam propria, adeout illam sibi vendicet quâ homo est, attendi, spectarique debet ex opere summo, atque optimo, quod ex se potest ille proferre; tunc enim ipsum ea virtute censemus agere, quæ eius sit propria, quando videmus ab eo prodire aliquod opus, quod agere absque addita sibi facultate non possit; maximum autem opus, quod ab homine præstari potest, non cernitur in ijs, quæ sub effectionem cadunt, qualia sunt quæ tractantur ab arte, sed in ijs, quæ vel ad actionem pertinent, vel sunt contemplationis propria; ars igitur non erit virtus hominis, quâ homo est, nec ex earum numero, quæ morales dicuntur.

Ex his planè constat veritas secundæ, quam assertio continet, partis; cùm enim ars non sit virtus ex earum genere, quæ voluntatem exornant, quæque animi perturbationes compescunt, aut mores hominis temperant, aut eiusdem moderantur actiones; consequens fit ut sit, ex earum censu, quæ in intelligentia sunt positæ, ac ob id hominem, tanquam intelligentem exornant, ita tamen ut, cum intelligentiæ facultas tribus viribus polleat, quarum prima solum cogitat, & contemplatur, altera cogitationem in actionem intendit, tertia demum effectionem meditatur, ars in effectione versetur; cumq; intelligentiæ partem spoliat, quæ permansurum externum opus designat, effectrix propterea dici mereatur.

Ratio autem hanc assertionis partem comincens est ea posita, quòd virtus, ut ex eius explicata natura constat, ea profectò dici debet, quæ habentem optimè instruit, eiusque opus, qualibet ex parte perficit; huiusmodi autem artem esse difficilè bit nemo, considerans eam in effectrice intelligentia sic esse positam, ut ipsam excolat, & instruat, eiusque opus siue intimum, siue externum perficiat.

In opere artificioso tria spectantur. Primum est materiale remotum, ut materia Fræni est ferrum, Lecti est lignum, Saltationis est actus saltandi &c. Secundum est materiale proximum, cuiusmodi est modificatio materialis remoti, nempe figura, & talis modificatio quantitatis, vel actionis qualitatis, quæ dici solet rei artificiatæ forma, ex his tamen artificiosum opus adhuc non habetur. Tertium est respectus dependentiæ operis ab artifice, quâ artifex est, eaque in similitudine passiua operis ad artificis ideam consistit, ubi oportet aduertere geminam esse relationem operis ad artificem. Prima est relatio effectus ad causam, & hanc habet opus ad artificem, non quatenus formaliter artifex est, sed quatenus est ens naturale; adhuc enim talis daretur respectus etiam si efficiens non haberet artem. Secunda est relatio operis artificiosi, ad ideam artificis, estque relatio similitudinis, quâ constituitur opus formaliter in genere artificiosi, hâc enim posità intelligitur opus artificiosum, eâdemque remotâ, non intelligitur. In opere artificioso tria considerantur.

Est etiam notatu dignum, quod nos Aristoteles docuit, nempe quædam à natura fieri, quædam ab arte, quædam à casu; dicit autem naturalem generationem eam esse, quæ per vim est mouentis naturalis, nam aliæ generationes dicuntur factiones, nam factiones omnes, vel sunt ab arte, quatenus ad sui perfectionem agentis industriam per intellectum requirunt, vel à potestate idest violentia, inquibus magnâ non est opus arte, ut lapidis proiectio, quædam à mente tantum, hoc est quæ ad sui perfectionem requirant industriam; sunt nihilominus imperfectæ, & sine artificio à naturali virtute producta, ut cum quis expers artis ratiocinatur, & hæc quandoque fieri à casu, & à fortuna possunt. Docet autem Philosophus ea ab arte fieri dicendo, quæ ab agente fiunt concepta specie rei faciendæ. Aduertit autem in arte duas operationes reperiri, quarum una est intelligentia, quâ prius concipimus finem, subinde media ad finem; altera est factio, qui primò tendimus in media, secundariò autem in finem; in ijs porrò, quæ fiunt ab arte, concurrit intelligentia, & factio, quæ ab ultimo incipit intellecto, hoc autem si contingat præter actum intelligentiæ, dicitur res à casu fieri, quando enim res est ab arte, incipit à specie existente in anima; quando verò non est ab arte, incipit ab eo, quod præter intelligentiam est principium factionis. Adnotatio. 7. Diuin. Tex. 22.

Cur autem aliqua possint esse ab arte, & à casu, siue etiam à natura, ut sanitas, alia autem non nisi ab arte, ut domus; eleganter docet Philosophus dicens, causam esse materiam, in qua aliquando est aptitudo, quæ potest ad actum per naturalem vim, & per artem deduci: aliquando verò solum per artem. Cur aliqua possint esse ab arte, casu & etiam à natura, alia verò non nisi ab arte.

Enumerans Aristoteles intelligentiæ virtutes præmissâ arte, secundo loco scientiam commemorat quanuis hinc tractationem de huiusmodi virtutibus exordium duxerit, iuxta igitur enumerationis ordinem, de scientia disputandum sequitur, de qua cum superioribus Dissertationibus actum à nobis cumulatè fuerit, nihil in præsentia dicendum; solum id adnotandum ab Aristotele præcipuum characterem, certamque notam, quâ nobis liceat scientiam internoscere, firmitudinem constitui, propterea quòd omnes tunc verè se putant scientiam obtinere, cum rem De scientia differitur. 6. Eth. c. 3 De scientia.

cuius

tuus ipsi scientiam obtinent, ita se habere cognoscunt, ut aliter esse, ac se habere non possint. Concludit tamen confugiendũ esse ad ea, quæ in Analyticis exposuit; ait enim, ἡ μὲν ἄρα ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτική, καὶ ὅσα ἄλλα προσδιορίζόμεθα ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς. *Scientia ergo est demonstrativus habitus, & quæcunque alia definiuimus in Analyticis.*

De prudẽtia agitur. 6. Eth. c. 5.

Sequitur ordine Prudentia, de qua in Disertationibus Moralibus copiosè disputandum, paucis tamen eius naturam ex Aristotele declarabimus; Ipse autem de prudentia agens, tria sibi considerãda proponit, videlicet quisnam simpliciter, absolutèque vir debeat prudens appellari: quid inter prudentiam, & alios intelligentiæ habitus discriminis intercedat: quæ demum ipsius prudentiæ sit definitio; ait autem eum dici, & esse verè, simpliciterque prudentem, qui possit ex suo ipsius habitu rectè consuluare, atque perpendere; quænam, aut qualia sint homini bona non ex parte quidem utilia, ut sunt, quæ corporis valetudini, ac robori conferunt; sed quæ potius ad hominem totum pertinent, & ad benè, beatèque viuendum conducunt. Tria igitur prudenti viro Philosophus designat officia, nempe ut consultet: ut in ipsa consultatione utilia sibi bona respiciat: & ut, quæ dispicit utilia peculiaria non sint, sed ad uniuersam vitæ quambenè degendæ rationem pertineant: prudentiæ autem natura, ac vis uniuersa propemodum consultationis officio continetur, ita ut prudentis viri præcipuum sit munus consultare. Huic succedit officium aliud in earum rerum utilitate positum, de quibus est consultator, & in ipsius consultationis fine; adeout rectè vir prudens existimetur consultator, atque deliberativus, non nisi tamen de rebus, quæ ipsi, & alijs utilia sint. Tandem ad tertium prudentis viri pertinebat officium non de una vel de altera sibi re utili; sed de tota benè beatèque viuendi ratione deliberare, adeout dici non debeat prudens, qui de re quapiam, puta corporis valetudine, aut viribus de vendendo fundo, de contrahendo matrimoniõ, & alijs huiusmodi, sed qui de totius hominis utilitate, deque vita uniuersa benè ducenda consultet. Et quanuis prudens de una aliqua re priuata, vel publica consultationem instituat, id tamen ita facit, ut consultationem ad totius vitæ summam referat, cuiusmodi non est consultatio una ex illis peculiaribus, puta de valetudine corporis, aut viribus sine relatione ad totius vitæ summam, cum non tam ad virum prudentem, quàm ad Medicum pertineant.

Aristoteles de prudentia disputans tria sibi considerãda proponit.

Præcipua summaq; prudentiæ vis, in cõsultatione consistit.

Sed in consultatione positam esse vim præcipuam, ac summam prudentiæ id argumento esse ait, quòd eos, qui de re quapiam peculiari, probè ratiocinando ad propositum sibi finem attingendum consultant, non simpliciter, sed in ea ipsa re peculiari singulariq; prudentes appellamus; ex horum autem numero negat esse illos, qui rectè consultant in rebus arti subiectis, eos enim non prudentes, sed peritos ac intelligentes artifices appellemus; nec immeritò, nam vir prudens non opificia, sed actiones humanas tractat.

Per quid prudentia ab arte, & scientia distinguatur.

Ex his colligit prudentiam ab arte, scientiaque longè differre. Cum enim dictum fuerit eum esse verè prudentem virum, qui ad rectè consultandum idoneus sit, ipsamque prudentiam in consultatione consistere, consequens sit, ut à scientia, & ab arte plurimùm prudentia distet. A scientia profectò, quoniam consultatio de ijs est, quæ possunt à nobis fieri, quæque in uniuersum contingentia dicuntur: scientia ex aduerso in ijs est occupata, quæ in nostra potestate non sunt, quæque aliter se habere non possunt: Ab arte verò prudentia quoque longo est dissita interuallo, propterea quòd consultatio propria de rebus non est, quæ per effectionem existunt, sed potius de ijs, quæ sub actionem cadunt; itaut de rebus artificiosis vera, & propria consultatio institui non possit. Aristoteles autem ab enumeratione partiũ, quid ipsa sit prudentia definit dicens, λείπεται ἄρα αὐτὴν εἶναι ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. *Relinquitur ergo ipsam esse habitũ verum cum ratione agentem in ijs, quæ homini bona, & mala sunt.* Cum enim prudentia dici scientia non possit, cuius indoles in eo consistit, ut sit demonstrativus habitus de rebus immutabilibus, nec etiam intelligentia, vel sapientia, de quibus paulo post sermo futurus, quæ similiter ab inconstantibus rebus abhorrent; neque sit ars, quæ, ut nuper dicebatur, exterriorum operum effectione continetur, quæ post effectionem ipsam perseuerant, consequens est, ut *ipsa sit habitus verus, cum vera, ac recta ratione agens in ijs, quæ homini bona, vel mala esse possunt.* In hac autem definitione ponitur habitus loco generis, reliqua autem verba ad designandam differentiam, quam ex triplici ratione Philosophus desumit, quarum prima est discrepantia rerum illarum, in quibus ars, & prudentia inhærent; illa siquidem in effectione, hæc autem in actione versatur; quid autem inter effectionem, & actionem intersit, proximè declaratum fuit. Secunda ducitur ex signo; prudentiam enim in ijs occupatam esse, quæ sunt homini bona, vel mala ex eo deprehendere nobis licet, quòd Periclem, ac tales prudentes censemus esse, quia ea, quæ sibi ipsis, & alijs bona sunt, internoscere possunt, ac prouidere; unde est ut eosdem œconomicos, & politicos appellemus, quia videlicet utilia sibi, & domui ac ciuitati dispiciunt, & in deliberationem adducunt. Tertia desumitur ex alio signo, videlicet ex eo, quòd à Græcis temperantia dicitur, σωφροσύνη, quasi prudentiæ conseruatrix, sed de his plura in Moralibus.

Prolo quit.

Sunt tres aliæ differentiæ, quibus ars à prudẽtia seiungitur, quarum prima in eo est, quòd ars in usum producta nequit ad aliquam vitæ partem utilis esse, nisi quapiam virtute duce, ex earum genere, quæ ad mores hominis pertinent. Secunda in eo consistere perhibetur, quòd siquis in suo peccat artificio volens, & sciens, minus peccare dicatur, quàm si nolens peccaret, & inuitus, quoniam is ex imperitia, ac artis ignoratione peccare existimatur. In prudentiæ autem officio contrarium euenit; magis enim reprehenditur, & vituperatur ille, qui volens, & sciens, quàm qui nolens, & insciens peccat, siquidem imprudentior, ac magis putatur demens, qui sponte decidit ab humanis bonis, quàm qui nolens, & ignorans in ipsis persequendis interdum errat, atque decipitur; huic enim commiserario, & venia: illi autem vindicta, & pœna debetur. Tertia inter artem, & prudentiam est differentia, quod prudentia virtus est quædam hominis propria, quâ homo est, quoniam hominem probum, ac bonum reddit, ipsamque rationem ac hominis naturam perficit; ars autem, quanuis intelligentiæ sit virtus, non tamen ea, quæ perficit hominem, quâ homo est; non enim ars hominem bonum, sed bonum artificem reddit; secus prudentia, hæc enim efficit hominem bonum, cum verè prudens vir esse non possit, quin bonus idem probusque sit.

Tres differẽtiæ quibus ars à prudẽtia seiungitur.

Comparat Philosophus deinde prudentiam cum opinione dicens in duobus conuenire; & in duobus discrepare, prima conuenientia est quòd cum duplex sit animæ pars, quarum una est ad contemplandum, & sciendum; altera verò ad opinandum; prudentia

Conferur prudẽtia cũ opinione, & in quibus conueniat, & in quibus discrepet.

quem-

quemadmodum opinio in opinante animæ parte resideat: secunda conuenientia in eo est, quòd prudentia non secus ac opinio versatur in ijs, quæ aliter se habere possunt, mutationique obnoxia sunt. Prima differentia constituitur inter prudentiam, & opinionem, quòd prudentia non est habitus cum sola ratione coniunctus, cum præter rationem oporteat appetitum moderatum, ac rectum esse, si prudenter agendum sit; opinio vero ars, ac reliqui intelligentiæ habitus nullam in appetitu moderationem requirunt, cum satis habeant si habitus ipsi sint solâ ratione directi. Secunda differentia petenda est, ex eo quòd opinionis esse possit obliuio, prudentiæ autem non item.

Quartus succedat intelligentiæ habitus, quem Aristoteles appellat νοῦν *mentem*, alij autem intellectum, vel intelligentiam, vult igitur inter habitus, quibus mens hominis illustratur, recenseri etiam illum, qui in demonstrationis principijs, quæ demonstrari doctrinâ, & ratione non possunt, omninò versatur; huiusmodi autem principia sunt, quæ à græcis, ἀξιώματα, *axiomata* dicuntur. Dandam autem hanc intelligentiæ virtutem probat Philosophus ex eo, quòd neque ars, neque prudentia, neque scientia aut sapientia positæ sint in principiorum contemplatione, propterea consequens fit, ut intellectus, siue mens in ijs versari debeat, cum aliud non suppetat ad quod huiusmodi principia pertineant. Hoc autem postremis illis verbis expressit dicens, τούτων δὲ τριῶν μηδὲν ἐνδέχεται εἶναι, λέγω δὲ τρία φρόνησιν, σοφίαν, ἐπιστήμην, λείπεται νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν. *Horum vero trium nihil esse potest (dico autem tria prudentiam, sapientiam, scientiam) relinquitur, ut mens sit principiorum.*

Postrema virtus è genere earum, de quibus hactenus locuti sumus, sapientia dicitur, huius autem geminam notionem assignat, quarum prima minus est propria, iuxta quam ait sapientiam primò dici eam, quæ perfectio quædam, & virtus est artis, & à qua ipsi artifices appelantur sapientes, non simpliciter, sed quodammodo, seu ex parte, hoc est sapientes tantùm in opificio suo; hæc prima sapientiæ notio cadit etiam in ipsam prudentiam, & in omnes disciplinas artesque cuiusque generis. Hoc itaque sensu sapientia nil aliud, quàm excellentia, atque præstantia artis, adeout artifices eximiè periti, ac callidi iuxta hanc sapientiæ usurpationem, appellentur sapientes, quatenus in opificio suo plurimum valent. Secunda est sapientiæ notio magis propria, iuxta quam is dicitur sapiens, qui rerum omnium scientissimus est, nec ulla est liberalior ars, aut doctrina tam abdita, nulla tam ampla facultas, ac disciplina, quam suâ ipsius cognitione non complectatur. Vult igitur sapientiam omnium scientiarum absolutissimam, accuratissimam, & subtilissimam esse, sic enim accepta non modo cognoscit omnia, quæ singulis etiam artibus cognoscuntur, ut idcirco omnium absolutissima dicatur, sed etiam ea, quæ cognoscit, & artes, quas in se cohibet omnes, accuratissimè subtilissimèque intelligit, ut ob id in scientiis omnibus exquisitissima sit, & veluti singularum apicem obtinere dici possit, est enim quasi flos omnium, cum quicquid in qualibet arte vel scientia præstantissimum est, id sapientiæ nomine decoretur, sic enim habet. Ὥστε δῆλον ὅτι ἡ ἀκριβεστάτη ἂν τῶν ἐπιστημῶν εἴη ἡ σοφία. *Quapropter perspicuum est, exquisitissimam in scientijs esse sapientiam.* Et quoniam absolutissima cognitio est ipsa sapientia, qualis esse non potest nisi certissima sit; ob id eam esse certissimam ait, eò quòd in rebus certissimis versetur, cuiusmodi principia sunt, & ex principijs consecutiones deductæ, atque adeo concludit. ὥσ' εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καθάπερ κεφαλὴ ἔχουσα ἐπιστήμαι τῶν τιμιωτάτων. *Itaque sapientia erit intellectus, & scientia, ac veluti caput obtinens rerum honoratissimarum;* itaut velit sapientiam esse cognitionem ex intellectu conflatam, atque scientia; ex intellectu, quoniam prima veri principia ex solâ terminorum perceptione nulloque ratiocinationis auxilio probè cognoscit; ex scientia quoque, propterea quòd ex principiis absolutè perspectis consecutiones, complexionesque ratiocinando citra quodlibet errandi periculum concludit.

Sapientia iuxta primã usurpationẽ, quid.

Secunda acceptio sapientiæ.

Iuxta secundam acceptionem sapientiæ quid.

6. Eth. c. 7.

DISSERTATIO XXIX.

De Syllogismo Topico, & Elencho, hoc est Opinatiuo, & Apparenti.

Tractationis ordo.

Syllogismum generatim ratione materiæ in tres diuidi species, Demonstrativum nempe, Topicum, siue Opinativum, & Elenchum, siue Apparentem non semel diximus; cum autem de syllogismo demonstratiuo, & quantum ad effectum quem parit, & quantum ad materiam ex qua confici debet, satis abundè fuerit à nobis hactenus disputatum; supereſt de duobus reliquis disserendum. Aristoteles autem post libros resolutorios, ordine octo libros Topicorum, mox duos Elenchorum instituit. Τοπός, *locus latinè dicitur, itaut Topicus, idem sit ac localis. Aristotelis autem consilium in libris Topicorum est artem tradere, per quam possimus de omni proposito problemate ex probabilibus ratiocinari; atque adeo syllogismum dialecticum, siue opinativum, atque probabilem docere, idcirco huiusmodi libros appellarit Topicos, quoniam in ipsis assignantur loca, tanquam fontes, ex quibus probabilium argumentorum copia potest haurirì; talia proinde argumenta solent topica nuncupari.* Ἔλεγχος, *quod* argumentum, *siue* inquisitio *latinè redditur; præcipuè denotat argumentum fallax & vitiosum; specie verum quidem apparens, at reipsâ decipiens; de huiusmodi autem syllogismis, deceptorijs, siue de fallacijs argumentorum Aristoteles in duobus elenchorum libris disputationem instituit. Hæc autem argumenta vocantur sophistica, & qui ijs utuntur, sophistæ; quoniam* σόφισμα, sophisma *latinè redditur commentum, dicitur autem* σόφισμα, *à verbo græco* σοφίζω, *hoc est sapientem reddo; sumuntur tamen eo sensu, ut argumenta sophistica, idem sonent, ac apparenter apta ad sapientiam pariendam; dicuntur etiam litigiosa, atque contentiosa, quia solum ad inutilem quandam contentionem, non autem ad eruendam veritatem inducunt.*

SECTIO PRIMA.

Quid sit opinio, & quomodo à scientia differat.

Dandum opinionis habitum in humana mente.

DAndum opinionis habitum in humana mente perspicuum est adeo, ut probatione opus non sit, quandoquidem præter propositiones necessarias dantur etiam contingentes: hæ porrò nequeunt per scientiam, vel habitum principiorum cognosci, cum horum habituum obiecta sint propositiones necessariæ; consequens igitur est, ut per alium habitum, qui dicitur opinio, cognoscantur.

Discrimen inter scientiam, & opinionem. 1. Post. Tex. 194.

Sequitur assignandum discrimen inter scientiam, & opinionem, de quo Philosophus acutè disputat, nec immeritò propter magnam affinitatem, quam inter se habent. Duo autem statuit discrimina, quorum primum ex obiecto desumitur hunc in modum: illæ cognitiones, quarum obiecta sunt inter se diuersa, etiam inter se differunt; sed opinionis obiectum differt ab obiecto scientiæ; ergo etiam opinio, & scientia differunt; minor ostenditur, ex eo quia scientia est tantummodo de rebus uniuersalibus, & per propositiones necessarias; opinio non solùm est de uniuersalibus, sed de particularibus, & per propositiones non necessarias; ergo opinionis, & scientiæ diuersa sunt obiecta.

Opinio in duplici est differentia.

Cum autem opinio in duplici possit esse discrimine, quandoquidem, alia est opinio vera, alia autem falsa; & utraque aut discursu, aut sine discursu acquisita; Philosophus in præsens sermonem habet de opinione vera discursu, atque ratiocinatione, comparata, hæc enim cum scientia similitudinem habet; ob id ait præter necessarium dari aliquod verum, quod aliter se habere potest, diciturque contingens, de quo scientia esse non potest: sed nec intelligentia, siue intellectus, qui est principiorum habitus, proinde circa verum necessarium; sola igitur opinio circa verum, sed contingens versatur.

Tex. 196.

Duplici probat argumento opinionem circa contingens versari, primum à vocis significatione desumit, opinio enim cognitionem incertam, ac debilem sonat eorum, quæ aliter se habere possunt: alterum à communi omnium accipit consensu; nemo enim se dicit opinari aliquid, quando putat id aliter esse non posse, sed potius scire affirmat; quando autem res contrario modo se habet, tunc se opinari dicit.

Tex. 197.

Transit Philosophus ad ostendendum discrimen alterum inter opinionem, & scientiam, quòd in animo nostro, seu cognitionis modo consistit; ad hoc autem tradendum occasionem desumit à dubio, quod in præsentia proponit aduersus alteram priorem differentiam ab obiectis desumptam, retorquet enim contra se proximè rationem allatam, & argumento ab obiectis accepto probat opinionem, & scientiam idem esse hunc in modum. Si verum est, quòd illi habitus, qui sunt de eodem obiecto idem sunt; cùm scientia, & opinio de eodem obiecto esse possit, siquidem de eodem triangulo, quòd habet tres angulos æquales duobus rectis, potest aliquis opinari, alter autem scire, sequitur idem esse opinionem, & scientiam.

Dubitationem auget Philosophus dicens non solùm posse contingere, ut de eadem conclusione unus scientiam, alius opinionem habeat, sed etiam per eadem media, & per eosdem syllogismos donec ad prima principia peruenerit, qui enim opinatur, eandem infirmam cognitionem, quam de conclusione habet, de propositionibus quoque, per quas alter scientiam consequitur, habere potest, & similiter alias propositiones priores cum hæsitatione cognoscere, & ipsa demum prima principia, adeout uterque per eosdem syllogismos cognoscat, hoc tamen discrimine, quòd alter firmiter teneat, & conclusionem, & omnia principia, alter verò cum hæsitatione, suspicioneque oppositorum, ut enim aliquis per syllogismum opinatur quod res sit, ita potest etiam opinari propter quid sit, quod est opinionem habere non solùm de conclusione, sed etiam de medio termino, per quem alter scientiam habet, vel quòd sit, vel etiam propter quid sit.

Duas solutiones adducit, fiduciariam unam, & alteram per instantiam. Prima sic se habet, dato, etsi non penitus concesso, quod eiusdem rei sint opinio, & scientia, non tamen ob hoc sequitur eas idem esse; ratio autem, quia natura scientiæ, non solùm in obiecti necessitate, sed etiam in animi nostri certitudine consistit, ut in definitione scientiæ fuit explicatum; hæ nanque duæ conditiones, adeo sunt scientiæ necessariæ, ac essentiales, ut alterutra sublata, scientia omninò corruat; si quis igitur ait Philosophus, existimauerit conclusionem non posse aliter se habere, esseque necessariam, & id credat per propria eius principia, puta per definitiones, quæ sunt prima scientiæ principia, per quæ tanquam per media demonstrationes fiunt, is certè non opinionem, sed scientiam habere dicetur; at si eiusdem demonstrationis, cuius medium est definitio, cognoscat propositiones, ut veras tantummodo, sed non ut necessarias, cum ignoret esse definitionem, & subiecto prædicatum inesse secundùm substantiam, & secundum eius naturam, hoc est, inesse per se, & quatenus ipsum, is per illud idem medium non scientiam, sed opinionem duntaxat habebit, simul ipsius *quod*, quoniam per immediata principia, sed absque animi certitudine demonstrat. Simili quoque modo si non per causam ratiocinetur immediatam, sed vel per remotam, vel per effectum, vel per medium aliud quodcunque; & cum animi hæsitatione, opinionem habet ipsius *quod*, non autem scientiam, cum hæc siue tantum ipsius *quod* siue simul *quod*, & *propter quid*, tunc solum habeatur, quando adest animi certitudo. Inter opinionem igitur, & scientiam discrimen hoc in cognitionis modo consistit; admisso nanque scientiam, & opinionem, de re eadem dari posse, non subinde concludendum eas esse idem, cum semper differentia suppetat ex cognitionis modo, in quo conuenire nunquam possunt, semper enim scientia certitudinem animi requirit; opinio autem eiusdem incertitudinem expoſcit.

Tex. 198. & seq.

Alteram solutionem adducit, negando scilicet opinionem, & scientiam de eodem prorsus obiecto esse, hoc autem à simili demonstrat, sicuti se habet opinio falsa, & vera, sic opinio, & scientia; sed opinio falsa, & vera non sunt de eodem penitus obiecto; ergo scientia, & opinio de eodem omnino obiecto non erunt. Maior patet, ob similitudinem oppositionis. Minor inde patet, quia si opinio vera, & falsa possent esse de eodem omninò obiecto, multa sequerentur absurda, ac præsertim, quòd aliquis non opinaretur id, quod falsò opinatur, seu quod falsa opinio non esset opinio, quæ contradictionis est implicatio, & aduersatur hypothesi, quandoquidem supponimus dari veram, & falsam opinionem; id autem secuturum patet ex eo, quia veritas orationis, & res ipsa se mutuò consequuntur; si nanque res est, vera est oratio dicens, rem esse, & vicissim si vera est

oratio

oratio dicens rem esse, res ipsa est; si res igitur aliqua esse statuatur, ut Socratem currere, necesse est, opinionem, quòd Socrates currat veram esse, nec fieri potest ut aliquis falsò opinetur Socratem currere, falso siquidem opinaretur Socratem non currere; sed non eadem est res Socratem currere, & Socratem non currere; dum itaque rem eamdem statuimus, cuius vera sit opinio, non datur eiusdem opinio falsa, quoniam quilibet eam opinans verè opinabitur, hinc fit, ut qui non verè opinatur, non opinetur; constat igitur falsum esse consequens, cum vera, & falsa detur opinio, quamobrem manifestum etiam veram, & falsam opinionem de eadem omninò re esse non posse.

Quoniam autem non simpliciter eiusdem sunt opinio vera, & opinio falsa, propterea Philosophus distinctionem affert, quâ declarat quo pacto sint eiusdem, & quomodo non sint eiusdem; ait igitur duobus modis idem dici posse; primò enim dici potest idem re, & subiecto; secundò potest idem dici ratione, & essentiâ, vera igitur, & falsa opinio possunt eiusdem esse secundum subiectum, non tamen secundam rationem, & essentiam, omnis enim propositio subiecto, & prædicato constat; subiectum autem se habet ut materia, prædicatum, ut forma; opinio igitur vera, & opinio falsa possunt esse de eodem subiecto, seu circa idem subiectum potest versari, ut circa eandem diametrum quadrati versari potest opinio vera, quâ quis existimet *diametrum esse incommensurabilem costæ*, ut etiam opinio falsa, quâ quis putet *diametrum esse commensurabilem costæ*, non tamen circa eandem rationem seu formam, hoc est circa idem prædicatum; idem enim prædicatum est quando in utraque propositione idem prædicatum affirmatur, vel in utraque negatur, non autem quando in una affirmatur, in altera verò negatur; tunc enim non est idem, sed potius est instar duarum oppositarum formarum, quia prædicatum non accipitur absolutè, sed prout dicit affirmationem, vel negationem; de eodem igitur enunciationis subiecto potest esse opinio vera, & falsa, non tamen de eodem prædicato. Hoc idem de scientia, & opinione dicendum, nam de eodem esse possunt subiecto, non autem de eodem prædicato; possunt igitur esse de eodem secundum materiam, in cuius declarationem Philosophus antea tradit in exemplum enunciationem *homo est animal* de qua potest esse scientia, & opinio, non tamen eodem modo; nam scientia dicit quòd non potest aliter se habere, opinio verò quòd aliter se habere contingit; scire namque hominem esse animal nil aliud, quàm cognoscere necessarium esse hominem esse animal; opinori autem hominem esse animal, nil aliud, quàm putare contingens esse, hominem esse animal, in hac enim enunciatione, hominem esse animal, est necessarium, habetur hominem esse animal tanquam dictum, quod tenet locum subiecti, *necessarium est*, appellatur modus qui habet rationem formæ, sic etiam de contingenti, ut si dicatur hominem esse animal, est contingens; docet ergo Philosophus de eodem subiecto esse opinionem, & scientiam, nam sciens, & opinans novit hominem esse animal, non tamen de eodem secundum formam, quia non secundum idem prædicatum, sed secundum opposita, nam unus enunciat modum necessarium, sed alter contingentem; necessarium autem, & contingens sunt opposita, quare concludit Philosophus scientiam, & opinionem esse de eodem subiecto, non tamen secundum idem, hoc est secundum idem prædicatum.

Hinc soluta manet dubitatio superius allata, scilicet in particula centesima nonagesima septima, quæ in eo posita erat, quòd illæ cognitiones, siue habitus non differunt, quoniam obiecta circa quæ versantur, sunt eadem, at obiectum scientiæ non differt ab obiecto opinionis; ergo scientia, & opinio non differunt: neganda est enim assumptio, & ad eius probationem in eo consistentem quòd omne, quod aliquis scit, potest alius opinari, concedendum, puta quod cadit sub scientiam, & opinionem, secundum materiam esse idem, non autem secundum formam. tationis solutio.

Colligit ex dictis haud fieri posse, ut idem homo eodem tempore, & de eadem re scientiam, & opinionem habeat; sequeretur enim eundem hominem eodem tempore cognoscere eandem rem aliter se habere posse, & aliter se habere non posse. Tex. 201.

Propterea quòd multa de scientiæ, & opinionis discrimine, ac alijs habitibus dici poterant; de his tamen protestatur se non esse verba facturum, quoniam de his Logici non est differere. Tex. 201.

Reliquum est, ut opinionis naturam indagemus, quam Philosophus ut explicet ita loquitur, τοῦτο δ' ἐστὶν ὑπόληψις τῆς ἀμέσου προτάσεως, ἧς μὴ ἀναγκαίας. *Hoc autem est existimatio immediatæ propositionis & non necessariæ.* Hic autem Philosophi loquendi modus videtur significare opinionem nulla ratiocinatione comparari; propterea quòd propositio immediata est, quæ sine medio, atque adeo sine discursu cognoscitur. Ex aduerso autem videri potest, opinionem haud esse posse propositionis immediatæ, & absque discursu. Siquidem immediata propositio est, quæ maximâ sui euidentiâ cogit intellectum ad sibi præbendum assensum, cuiusmodi non sunt nisi propositiones necessariæ, quæque demonstrationis, atque scientiæ principia sunt; fieri igitur non poterit, ut propositio sit immediata, & necessaria non sit. Assumitur explicanda opinionis natura. 1. Post. tex. 195.

Asserendum tamen opinionem esse concedendam tam de propositionibus immediatis, quàm mediatis. Assertio, quòd opinio sit concedenda tam de propositionibus immediatis, quàm mediatis.

Explicatur autem, & suadetur assertio; quoniam in propositionibus necessarijs duplex habitus assignatur, quorum unus dicitur intelligentia, siue intellectus, & versatur circa propositiones immediatas: alter autem dicitur scientia, quæ circa mediatas propositiones versatur: non dissimiliter in propositionibus contingentibus duplex debet habitus assignari, unus quidem, qui circa mediatas, alter verò, qui circa immediatas propositiones versetur. Hoc totum apud Aristotelem leginus, præsertim quando ait, ἀκολουθήσει γάρ, ὁ μὲν ἰδὼς, ὁ δὲ διὰ δεικνύων διὰ τῶν μέσων, ἕως ἂν τὰ ἄμεσα ᾖ. *Persequetur enim media, & qui scit, & qui opinatur, donec ad immediata peruenerit.* Apertè siquidem hisce verbis declarat dari opinionem de propositionibus mediatis; adeòut velit opinionem dari de conclusionibus, quæ ex primis propositionibus deducantur. Fatendum igitur ex Aristotelis sententia dari opinionem ratiocinatione comparatam. Ratione suaderetur dari opinionem de propositionibus mediatis. Auctoritate probatur. 1. Post. tex. 197.

Dari etiam opinionem absque discursu idem Philosophus testatur dicens dari quædam prima principia probabilia; de ipsis enim ita loquitur. Ἔνδοξα δὲ, τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ ἐνδόξοις. *Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus; atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis, & claris.* Et ideo superiori loco dicebat tam à sciente, quàm ab opinante resolutionem conclusionis in immediata principia fieri. Dari etiã de propositionibus immediatis auctoritate suadetur. 1. Topic. cap. 1.

Eadem autem assertio ratione quoque suaderi potest, quoniam sæpe sæpius intellectus humanus ad opi- Ratione probatur assertio.

handum ex variis mediis probabilibus ratiocinans inducitur. Et certè si intellectus eliceat aliquem assensum opinando, non apparet cur ex illo non possit alium assensum opinionis itidem deducere. Deinde nec etiam minus est exploratum dari res quasdam, quibus apprehensis intellectus statim experitur se maximam habere propensionem ad præbendum illis assensum, licet cum non integra certitudine, & securitate, sed tantùm cum probabilitate; huiusmodi autem sunt propositiones, de quibus intellectus opinionem habet sine discursu, ad quarum assensum ex se ipso inclinationem habet. Ratio autem, quia sicut datur status in prædicatis essentialibus, ita in accidentalibus; proinde cum in earum probatione intellectus non deueniat ad necessarias propositiones, quoniam ex necessario non sequitur contingens, peruenit ob id ad aliquas primas, & immediatas contingentes, quibus ex probabili connexione terminorum assentitur, qualis est vulgata illa propositio. *Omnis mater diligit filium*. Definiens igitur Aristoteles opinionem esse existimationem immediatæ propositionis, & non necessariæ, ad illam respexit, quæ sine discursu comparatur; non tamen ad alteram quæ ratiocinatione acquiritur, quæ ex eiusdem sententia duplex est, nimirum *propterquid*, & *quia*, quod ex ipso desumitur; ad calcem enim illius particulæ sic loquitur, ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ ὅτι δοξάζειν ἐστὶ, καὶ τὸ διότι, τοῦτο δὲ, τὸ μέσον. *Vt enim licet opinari quod* sit, *ita etiam cur* sit, *hoc autem* est *medium*. Et iure nam sicut alicuius necessarij notitia habita ex propositionibus necessarijs immediatis dicitur scientia *propterquid*, habita verò ex mediatis dicitur *quia*; non dissimiliter notitia alicuius veri contingentis, acquisita ex propositionibus immediatis, & contingentibus, dicitur opinio *propterquid*, acquisita verò ex mediatis, dicitur *quia*.

1. Post. Tex. 197.

Aristotelis auctoritas explicatur

Nec superior doctrina est ab Aristotelis consilio penitus aliena, nam dicens opinionem esse existimationem immediatæ propositionis, & non necessariæ, vel eò spectabat, ut innueret omnem opinionem saltem ad primas propositiones immediatas reduci. Vel ita locutus est, quoniam tantùm distinguere volebat opinionem, quæ in genere proximo conuenit cum notitia necessaria acquisitâ per habitum intellectûs, supponens non absimili modo à scientia distingui opinionem acceptam pro illa, quæ ratiocinatione comparatur; opinionem siquidem ibi generatim tam ab intellectu principiorum, quàm à scientia distinguit.

Fit satis rationi in contrariũ adductæ.

Nec allata superior ratio in gratiam oppositæ sententiæ alicuius est roboris, cum diceretur hæc duo cohærere non posse, & quòd propositio sit immediata, & quòd necessaria non sit. Enim verò ex immediatis propositionibus, aliæ sunt, quæ per euidentiam sui cogunt intellectum ad assensum certum, ac necessarium, & hæ sunt demonstrationis principia: aliæ verò, quæ per sui probabilitatem, & verisimilitudinem inclinant intellectum ad assensum non adeo certum, ac firmum: & hæ ad opinionem pertinent.

Opinionis definitio ab Aristotele tradita potest etiam opinioni per discursum comparatę accommodari.

Opinionis definitio.

Opinionis autem definitio ab Aristotele tradita nullo negotio potest opinioni habitæ per discursum accommodari, itaut scientiæ respondeat, si propositionis immediatæ loco, ponatur mediata, & efformetur definitio opinioni ratiocinatione comparatæ satis appositè conueniens hoc modo *est existimatio mediatæ propositionis, & non necessariæ*. Præstat tamen uniuersè definitionem opinionis hunc in modum efformare. *Opinio est assensus determinatus unius partis contradictionis cum formidine alterius*. Dicitur *assensus*, in hoc enim opinio conuenit cum scientia, & cum alijs necessarijs notitijs, proindeque stat loco generis. Dicitur *determinatus*, determinatio enim ponitur loco differentiæ, per quam opinio à dubio suspicioneque distinguitur, dubitans enim in neutram partem declinat, sed remanet anceps; suspicans verò tametsi magis in unam, quàm in alteram partem propendeat, quia tamen leuioribus mouetur indicijs, & coniecturis, ob id non assentitur uni determinatè, sed opinans, utpotè magis urgentibus rationibus innixus, alteri parti determinatè quidem adhæret. Adhuc tamen opinio à scientia distinguitur, nam opinionis determinata adhæsio, non adeo fixa est, ac stabilis, ut omnem formidinem oppositæ partis excludat, at verò scientiæ adhæsio determinata nullam formidinem oppositæ partis inuoluit.

Determinata autem scientiæ adhæsio ex duplici fonte profluit, nimirum ex natura obiecti circa quod ipsa versatur, quod omninò necessarium est, nec potest aliter se habere; & ex modo quo circa illud versatur, cuiusmodi est certitudo, & euidentia, quandoquidem scientificus assensus talis est, ut in eo inuoluatur virtute iudicium quoddam inclusum de impossibilitate sui oppositi; hinc scientiæ adhæsio determinata est ad alteram partem sine formidine; contrario autem modo se habet opinio, propterea quòd hæc aut circa contingens, & variabile obiectum versatur, aut si versatur circa obiectum necessarium, non tamen modo necessario, quoniam ad illud utitur medio probabili, & dialectico, quod in ipsa probatione potest deficere; hinc necesse est opinionem formidini semper obnoxiam esse, aut ex uno, aut ex altero capite è duobus commemoratis, adeout in assensu opinatiuo virtute saltem inuoluatur iudicium, quod habet obiectum contingens, seu potens aliter se habere; vel utitur medio, quod à probatione potest deficere.

Ad magis autem explicandam opinionis naturam prout à scientia distinguitur, iuuabit aduertere quid sibi velit Philosophus in particula centesima nonagesima quinta; nam ibi videtur decernere opinionem esse circa contingentia, quæque possunt aliter se habere, & per hoc illam à scientia secernere, quæ circa necessaria versatur. Alij autem distinctionem hanc in eo positam arbitrantur, quòd scientia sit certa, & firma cognitio; opinio autem incerta quædam, & imbecillis existimatio, iuxta quem philosophandi modum scientia certi esse dicitur: opinio autem incerti, & quoniam hæc incertitudo, siue imbecillitas assensûs, probabilitas appellatur, ob id duplex assensus perhibetur, certus unus, & probabilis alter.

Hæc ut clariùs intelligantur, oportet aduertere commemoratos explicandi modos reipsà distingui; propterea quòd contingentia se tenet ex parte obiecti, hoc enim dicitur contingens, vel necessarium, sed incertitudo seu imbecillitas assensûs se tenet ex parte cognitionis, enimverò certitudo est quædam intellectûs adhesio, quæ si firma penitus fuerit in scientiam, si autem imbecillis ac debilis admodum, in opinionem cadit; hæc tamen duo haud necessariò cohæret, quin potius unum ab altero disiungi potest, quandoquidem circa obiectum *contingens* dari potest assensus omninò certus, ac firmus. Et circa obiectum necessarium, dari potest assensus incertus, & imbecillis. Primum apertè constat; si nanque videam Socratem currere, proculdubio futurum, ut intellectus meus firmum eliciat assensum de tali cursu. Secundum etiam non minus notum, propterea quòd de re maximè necessaria si fuerit à sensibus valde remota

nequit

acquit haberi euidens cognitio, proinde non nisi incerta.

Ex his facilè intelliges prædictorum modorum neutrum esse sufficientem, & adæquatum ad opinionis naturam explicandam, quin potius utrunque sub disiunctione coniungendum esse. Quandoquidem scientia, & certitudinem actûs, & necessitatem obiecti omninò requirit, adeo ut siue detur assensus certus circa obiectũ contingens, siue probabilis tantùm circa obiectum necessarium, semper ad opinionem pertineat. Nec oppositum docere voluisse, videtur Aristoteles; dum enim ait, ὥστε λείπεται, δόξαν εἶναι περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. *Quamobrem remanet, ut opinio sit circa id, quod est quidem verum, aut falsum, sed etiam potest aliter se habere.* Quod apertius declarat dum subdit. Καὶ ὁμολογούμενον δ' οὕτω τοῖς φαινομένοις· ἥτε γὰρ δόξα, ἀβέβαιον· καὶ ἡ φύσις τοιαύτη. *Atque hoc consentaneum est ijs, quæ apparent. Nam opinio* est res *inconstans, & natura eius est eiusmodi.* Noluit adæquatè opinionem omnem explicare, sed illam duntaxat, quæ deficit à ratione scientiæ ex parte obiecti, nam ex parte huius ibi scibile, & opinabile distinguit; cum enim superiùs scientiam de necessario obiecto esse docuisset, ibi tantùm determinare voluit cognitionem de obiecto contingenti opinionem esse dicendam. Vel ut alijs placet. Philosophus ibi per contingentiam non tam sumpsit illam quæ dicitur in essendo, quâ scilicet aliquid potest aliter esse; sed in cognoscendo, quâ dicitur contingens id, quod non cognoscitur assensu firmo, ac certo formidinem omnem excludente de parte opposita, sed assensu infirmo, & variabili, adeo ut intellectus possit in oppositam partem declinare, iuxta quam significationem ab eo videtur sumpta contingentia in libris, qui topicorum dicuntur.

Fautores autem secundi modi explicandi opinionis naturam, vel incertitudinem, & imbecillitatem assensûs non tam ex parte actûs sumpserunt, quàm ex parte obiecti, quando nimirum hoc necessarium non est, nec immutabile. Vel forsan inadæquatè opinionem sumpserunt, nempe duntaxat pro illa, quæ se tenet ex parte actûs, non recedentes à communi loquendi modo, iuxta quem opinio solet usurpari, quemadmodum scientia, pro omni cognitione certa, ac euidenti, quanuis de contingentibus, siue de ijs, quæ possunt aliter se habere.

Grauis tamen est dubitatio an, scilicet, & quomodo ad rationem opinionis formido de parte oppositæ pertineat.

Sed ad opinionis naturam clariùs explicandam, iuuabit aduertere opinionis haud unam esse notionem, propterea quòd Primò sumitur latâ quâdam significatione pro quocunque assensu, siue certo, siue non, iuxta quam usurpationem dicere solemus Platonem, vel Aristotelem &c. talis opinionis fuisse. Secundò propriè sumitur pro assensu obiecti necessarij, siue contingentis cum formidine tamen partis oppositæ. Tertiò accipitur pro assensu veri contingentis ut sic, & opinio proprijssimè dicitur. Ex his tribus acceptionibus, prior ad hunc locum non pertinet, sed duæ posteriores ad præsens attinent institutum. Nec omittendum aduertere, quod est notatu dignum, non eandem esse Platonis, & Aristotelis de opinione sententiam; quandoquidem Plato scientiam idearum, opinionem verò sensibilium singularium esse dicebat: Aristoteles autem opinionem, & scientiam uniuersalium esse profitetur, modo tamen diuerso. Plato etiam dicebat opinionem esse circa generationem, & circa ea, quæ fiunt. Aristoteles opinionem censuit in intellectu suam habere sedem; Plato autem in imaginatione ex Themistij sententia, ponendam arbitrabatur. Dum autem hîc de opinione sermonem instituimus, ad aures Aristotelis illam accipiendam volumus.

De opinionis autem essentia variæ extant sententiæ, è quibus prima est dicentium ad opinionis naturam non spectare formidinem, sed eam solùm esse cognitionem essentialiter per medium probabile, ex quo aliqua formido, tanquam eius proprietas subsequitur. Huius autem sententiæ auctor triplicem speciem opinionis facit. Prima est circa obiectum, quod re ipsâ, vel secundum existimationem contingit aliter se habere. Secunda circa conclusionem necessariam per medium contingens, sed existimatum necessarium. Tertia circa conclusionem necessariam per medium vel reipsâ contingens, vel secundum existimationem, & hanc formido consequitur.

De opinionis essentia variæ sententiæ. Prima sententia. Dur. q. 1. prol. ar. 3.

Secunda est dicentium opinionem esse cognitionem sine causa. Secunda

Tertia eorum est, qui putant opinionem essentialiter includere formidinem, non ita ut formido sit de opinionis essentia, sed quoniam opinio est assensus imperfectus, adeo ut ex eius natura sequatur formido, etsi huiusmodi natura per formidinem explicetur; iuxta quem dicendi modum ad opinionis essentiam non pertinet, ut acquiratur per medium probabile, sed solùm, ut natura talis assensûs sit imperfecta, proindeque ex ipsa formido sequatur. Hi porrò contendunt formidinem non esse obiectum formale motivum, & terminativum, sed formalem esse rationem obiecti ex parte intelligentis, quia nimirum intelligens ad assentiendum talem habet rationem assensus, ut ineuidens, atque formidolosus sit. Hinc dixerunt opinionem esse assensum cum formidine de parte oppositæ, formidinem autem, vel ex parte habentis, vel ex parte medij, vel ex parte conclusionis attendi posse. Tertia.

Quarta sententia eorum est, quibus placuit ineuidentiam, seu obscuritatem quandam veritatis obiecti, unde profluit formido, ad opinionis essentiam pertinere. Quarta.

Quinta est sententia dicentium formidinem per accidens ad opinionem attinere; vel nimirum ex dispositione recipientis medium sine firma adhæsione; vel ex æqualitate rationum ad partes oppositas: vel ex aliquo alio accidenti. Quinta.

Sexta eorum est, quibus est visum formidinem esse de ratione opinionis falsæ, non autem veræ. Sexta.

Septima denium est arbitrantium opinionem per formidinem essentialiter constitui.

Pro controuersiæ dissolutione præmittendum opinionem posse accipi pro actuali, & est actus intellectus; & pro habituali, & est hábitus acquisitus per actus, utraque autem usurpari potest pro assensu conclusionis per medium, vel pro assensu alterius propositionis sine medio; habitualis autem opinio, quadam est qualitas intellectum inclinans ad præbendum assensum alicui obiecto, sic imperfectum, ut scientiæ certitudinem non habeat. Hoc loco sumitur à nobis opinio omnibus modis enarratis. Septima.

Amplius illud etiam est consideratione dignum, hanc assensûs incertitudinem esse circa aliquod objectum ex triplici fonte; primò nimirum si conclusio sit necessaria, sed per medium probabile cognoscatur, vel per necessarium, non tamen cognitum ut necessarium. Secundò si conclusio sit contingens, & medium contingens, cognitum tamen ut necessarium. Tertiò si medium sit contingens, itemque

con-

Digitized by Google

conclusio, & ut huiusmodi cognoscantur.

Prima assertio.

His habitis Asserendum primò formale opinionis obiectum esse vel re ipsâ contingens, vel necessarium, sed propositum ut non necessarium.

1. Post. Tex. 195. & 6. Eth. cap. 3.

Hanc asserionem docuit profecto Philosophus locis supra commemoratis.

Prima ratio.

Ratio etiam asserionem eandem conuincit ab ipsomet Aristotele tradita, quia nimirum circa formale obiectum prædictum verus esse potest assensus, qui tamen nec sit scientia, nec intelligentia, nec ullus ex alijs; ergo erit opinio.

Secunda.

Amplius. Opinio cognitionem infirmam significat, & talis naturæ ut sit circa id, quod aliter se habere contingit, cum nemo arbitretur se opinari id, quod impossibile aliter se habere putat.

Tertia.

Præterea. Ad scientiæ rationem duo requiri solent, videlicet, & obiecti necessitas, & necessitas ex parte modi cognoscendi, ut ex scientiæ definitione liquet, dicitur enim esse rei necessariæ, & quod cognoscatur esse necessariam; unâ igitur ex his conditionibus deficiente, cognitio, scientiæ rationem sibi vendicare non poterit; cum autem nullum aliud suppetat cognitionis genus, ad quod illa pertineat, consequens sit ut sit opinio; quamobrem opinio esse potest circa necessarium obiectum, non tamen cognitum ut necessarium. Pro defectu autem unius conditionis è duabus prædictis opinio constituitur, quoniam ipsa est assensus quidam imperfectus, atque adeo mali rationem habet, quemadmodum scientiæ debetur ratio boni; bonum autem ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu.

Secunda assertio quod de ratione opinionis probabilis sit habere admixtã formidinem, vel actu, vel potestate de parte opposita.

Asserendum secundò de ratione opinionis probabilis esse incuidentiam, unde habet formidinem admixtam actu de parte oppositâ, vel potestate.

Ratio.

Explicatur & suadetur assertio; nam aliquod inter scientiam, & opinionem assignandum essentiale discrimen; sed hoc aliud profecto esse non potest, nisi quòd scientia sit cognitio, quæ ex genere suo, & ex natura obiecti circa quod versatur, & modo quo illud attingit sit incapax falsitatis, ac ob id etiam formidinis de parte oppositâ; opinio autem contra sit cognitio ineuidens, cui ex suo genere, potest subesse falsum, & aliquo modo formidinem habere potest admixtam; ergo de ratione opinionis est ut sit ineuidens, & idcirco habeat formidinem actu, vel potestate de parte oppositâ.

Superioris ratio nis comprobatio.

Hæc autem clariora redduntur ex consideratione opinionis veræ, si hæc enim circa contingens obiectum versetur, etsi prout vera conformitatem cum eo hic, & nunc includat; quoniam tamen obiectum est inconstans, ac variabile, poterit illa cognitio ex genere suo, & ex obiecto falsa reddi; quod si circa necessarium obiectum versetur per medium tamen probabile, quanuis conformitatem cum eo inuoluat, adhuc tamen ex procedendi modo falsa reddi potest, eò quòd medium cui innititur necessarium non est; seu propositiones, ex quibus opinio deducitur, necessariæ non sunt; opinio igitur talis est cognitio ex suo genere, ut, si non actu formidinem habeat adnexam, illam tamen habere possit, quoniam tum ex obiecto, tum ex modo procedendi potest illi subesse falsum. Opinio igitur necessariò formidinem actu, seu potestate, hoc est formidinis capacitatem inuoluit, hęc enim ex assensûs opinatiui natura proficiscitur, qui ex suo genere talis est, ut nunquam assensus scientifici certitudinem ac firmitatem assequatur. Opinio autem tunc actu formidinem habet admixtam de oppositò, quando intellectus considerat expressè quàm infirmum sit medium illud, quo ducitur ad opinandum, vel aduertit alicuius esse roboris medium etiam partis aduersæ; tunc enim intellectus timet, ac suspicatur, ne aliter se res habeat ac ipse putat. Capacitas igitur formidinis de parte oppositâ, est opinionis propria, vel ratio quidem ad eius naturam pertinens. Vnde autem impediri possit, ne huiusmodi capacitas, vel aptitudo reducatur ad actum, adeo ut opinio formidinem potestate habeat, actu tamen non habeat, supereſt explicandum; quanuis autem plura sint quibus id acceptum referri possit, duo tamen præsertim, non immeritò perhibentur. Primum est inaduertentia, & minus accurata consideratio, quæ tamen facilè haberi potest; quando nanque intellectus non aduertit imbecillitatem motiui, quo ducitur ad opinandum, vel aliquod etiam motivum partis oppositæ, tunc actu formidinem de oppositò non habet, quam tamen diligentius considerando, facilè quidem habere posset. Ad hanc minus accuratam considerationem temeritas, & præsumptio pertinet; ex his enim sæpè videmus nonnullos indoctos debilibus tantùm rationibus ductos adeo pertinaciter suis adhærere sententijs, ut non opinari, sed verè se scire constanter existiment, & oppositum impossibile prorsus putent; temeritas autem ex ignorantia, nunquam enim, dicebat Tullius, *Temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur*; prouenit etiam ex voluntatis pertinacia, ut videre licet in ijs, qui sua falsa dogmata veritati summoperè consentanea iudicanda contendunt. Secundum unde habet opinio, ne in actum formidinis exeat, rectè censetur fundamentum cui innititur; hoc enim quanuis & conditione sua incertum, & fallens omninò sit, quia tamen experientijs plurimis comprobatum, & verum utplurimum deprehenditur; ob id citra formidinem recipi solet; & hac ratione absque formidine de oppositò præbet intellectus assensum propositionibus immediatis, quibus Moralis abundat disciplina, cuiusmodi sunt illæ. *Omnis mater diligit filium. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit; Amantium iræ amoris redintegratio est*, & aliæ huiusmodi; ita pariter intellectus assentitur antiquis historijs; tametsi nanque testimonium humanum sit medium fallax ad assentiendum, esse tamen potest tot hominum auctoritate firmatum, ut nihil de oppositò formidemus, quin potius de ijs certitudinem quandam, etsi non physicam, moralem tamen assequamur, adeòut Aurelius Augustinus de hac certitudine loquens, hęc verba protulerit, *Absit*, inquit, *ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse Oceanum, nesciremus esse terras, atque urbes, quæ celeberrima fama commendat*. 15 11.

Dubit.

Insignis tamen difficultas insurgit; enimverò dictum à nobis fuit à ratione essentiali opinionis formidinem omninò prodire, cum tamen priùs dictum fuisset in explicanda opinionis definitione determinationem ad alteram partem in ipsa opinione requiri, sed hæc cohærere simul non posse videntur.

Solut. dubitat.

Difficultati tamen occurritur dicendo etsi formido à ratione essentiali opinionis proueniat, hinc tamen ex opinione non tolli determinationem ad alteram partem, etiam quando actualis ipsa formido interueniat: hoc enim dubitationis, vel suspicionis tantummodo proprium est; solùm id igitur à formidine prouenit, ut intellectus iudicet formaliter, vel virtute obiectum illud probabile posse aliter se habere, quoniam assensus determinatus, quem præstat alteri parti non est cum euidentia, & certitudine, adeo ut formido solùm opinioni firmitatem assensûs non

autem

autem determinationem adiuvat.

Aduersus tamen hactenus exposita, quædam se offerunt expendenda; & primò quidem licebit ostendere formidinem ad opinionem non requiri, sic arguendo. Actus opinatiui scientiam non destruunt, non rarò siquidem usu venit, ut eadem conclusio non solùm rationibus probabilibus, sed etiam necessarijs probetur; consequens igitur ut huiusmodi actus opinandi nullam habeant formidinem; consecutio inde constat, quoniam formido, & scientia simul cohærere non possunt.

Huius difficultatis enodatio ex dicendis sectione sequenti petenda est; interim fit satis respondendo supraposita difficultatem alicuius esse roboris aduersus actualem formidinem, non autem aptitudinalem, de qua in præsentia fit sermo.

Amplius. Negatio certitudinis & euidentiæ, unde formido originem trahit, non pertinet ad essentiam actûs opinatiui; ergo nec etiam formido; Illatio clara est; assumptum verò inde constat, eoquòd nulla negatio spectat ad essentiam alicuius positiui, cuiusmodi est opinandi actus.

Solutio facilis quandoquidem, ut in aliis similibus, negatio non pertinet ad essentiam rei positiuæ, sed potius differentia per ipsam negationem circumscripta, hoc idem in præsentia dicendum, videlicet negationem certitudinis, & euidentiæ non spectare ad essentiam actûs opinandi; sed differentiam, quæ per talem negationem innuitur.

Acriùs urgent aliqui hoc modo. Potest esse opinio de aliqua conclusione necessaria, utpote cognitio habita ex principijs non necessarijs, sed tantum probabilibus, itemque communibus; at in huiusmodi opinione nequit formido residere; quoniam talis conclusio falsa esse non potest; ergo formido ab opinione non requiritur.

Prætermissis variis respondendi modis, difficultatis enodationem paucis perstringam dicendo opinionem de conclusione necessaria ex natura obiecti falsam esse non posse; ex modo tamen procedendi posse, quatenus nimirum conclusio deducitur ex medio non necessario; hinc enim conclusioni quantunuis necessariæ potest subesse falsum, non conclusioni secundum se inspectæ, sed quatenus ex tali medio deductæ; ad eum autem modum, quo ipsa potest subire falsitatem, conuenit etiam formidinis aptitudo.

Præterea. Potest intellectus in ostendenda conclusione contingenti aliquem actum elicere, quo dumtaxat propositionem esse veram attingat, nullatenus contingentiâ spectatâ; hoc posito talis actus foret sine formidine, quia per illum intellectus non respiceret oppositum cognoscendo illud esse possibile, cum tamen huiusmodi actus opinativus dici debeat, nam ex ipso procreatur opinio; quod autem de opinandi actu, de opinione quoque dicendum; quamobrem si actus opinandi haud necessario formidinem exposcit, nec etiam opinio.

Respondendum hac argumentatione tantum concludi opinionem sine actuali formidine reperiri posse, quod ultrò concedimus, non tamen sine illa, quæ aptitudinalis nuncupatur.

Nec modo absimili diluetur alia difficultas in eo posita, quòd opinio potest augeri non auctâ formidine, rationibus enim probabilibus multiplicatis augetur quidem opinio, minuitur tamen formido; hæc igitur ad operationis essentiam non spectat.

Modo, inquam, non absimili difficultas hæc potest enodari dicendo per illam concludi tantum formidinem actualem ab opinione seiungi posse, non autem aptitudinalem, propterea quòd actualis formido est, quæ eò magis minuitur, quo plures afferuntur rationes probabiles, aptitudinalis tamen semper inuariata persistit, nec ex opinione probabilium rationum multiplicatione potest euelli, sed solùm magis, ac magis impediri quominus in actum exeat.

Opinio disponit ad scientiam; ergo conditionem, quæ scientiæ repugnat habere non potest. Sexta difficultas.

Huius difficultatis occasione multa dicenda forent, paucis tamen satisfaciam respondendo opinionem ad scientiam disponere duntaxat eo nomine, quòd aliquo modo cognoscentem reddit intellectum; huic enim longe melius aliquâ ratione obiectum cognoscere, quàm penitus ignorare. Solutio.

Tandem aduersus id, quod non multo antea dicebatur, scilicet opinionem posse esse circa necessarium obiectum. Quemadmodum enim assentiri rei non necessariæ ut necessariæ, falsitatem inuoluit, quoniam intellectus per illum assensum rem iudicat aliter, ac est; ita assentiri rei necessariæ ut non necessariæ, sed ut variabili, quoniam intellectus per huiusmodi assensum rem etiam iudicat aliter ac est; talis igitur assensus foret omninò falsus, proindeque opinio probabilis non erit. Septima difficultas.

Obuiam itur dicendo gemino modo rem posse necessariam iudicari variabilem esse; primò formaliter, ut aiunt, quo pacto non constituitur opinionis obiectum, sed erroris, nec intellectus hoc modo assentitur rei necessariæ, ut non necessariæ. Secundò virtute per abstractionem, quatenus intellectus assentitur quidem obiecto, sed non adeo firmiter ut ipsum requirit; is enim hoc modo iudicat obiectum non esse necessarium, quia videlicet illud ut necessarium non iudicat. Solutio.

Contra tamen sic licet arguere. Obiectum à quo specificatur opinio formaliter est contingens, seu non necessarium; ergo in ipso contingentia seu non necessitas formaliter cognosci debet; non ergo sufficit, ut abstrahendo virtute tantùm cognoscatur. Solutionis confutatio.

Respondendum, haud necessariam esse contingentiam in opinionis obiecto, tanquam eiusdem obiecti conditionem, sed benè tanquam cognitionis modum. Confutationis solutio.

Est autem inquisitione dignum, quid in opinione formido sit, de qua hactenus locuti sumus. Quid sit formido.

Aliqui crediderunt formidem prædictam nil aliud esse, quàm certitudinis priuationem, eâ forsan ratione ducti, quia formido opponitur certitudini; non videtur autem alio oppositionis genere, quàm priuatiuæ; propterea formido nil aliud, quàm certitudinis priuatio. Prima opinio.

Alij putarunt esse quendam intelligentiæ actum, distinctum penitus ab actu opinionis. Secunda opinio.

Neutra tamen opinio satis explicat quomodo formido sit essentialis, & intrinseca ipsi opinioni; non prima, siquidem priuatio nequit intrinsecus pertinere ad essentiam rei positiuæ, cuiusmodi opinionis est actus: neque secunda, quandoquidem actus unus haud potest internus esse alteri, reipsâ distincto, adeo ut ad illius constitutionem internam pertinere valeat. Vtraque opinio reijcitur.

Vtrîque proinde sententiâ reiectâ, tanquam omni rationis momento destitutâ.

Asserendum formidinem essentialiter nil aliud esse, quàm naturam assensûs opinatiui, & hanc esse fundamentum priuationis in qua formidinem prior sententia consistere dicebat. Assertio.

Assertio videtur ex eo plane constare, quoniam nec in negatione quadam, cuiusmodi est certitudinis priuatio, nec in aliquo re ipsâ distincto ab actu opina- Ratione suadetur.

tiuo,

Huo, ut paulò antèa probatum fuit, potest consistere; relinquitur igitur, ut nil aliud sit quàm natura assensûs opinatiui, in qua fundetur priuatio certitudinis, & firmitatis, quæ in actu scientiæ reperitur.

Qualis sit assensus cum formidine.

Huiusmodi autem assensûs natura talis est, ut cum ea suspicio quædam de parte opposita possit cohærere, adeo ut intellectus quando actu formidat, simul putat rem ita se habere, suspicetur tamen ne fortè nõ ita sit. Siue hoc fiat per unicum & simplicem actum: siue per duos, quorum unus sit opinionis pro una parte, alter autem suspicionis pro parte opposita. Sed in horum gratiam iuvabit aduertere, Opinionem, Fidem, Scientiam, Dubium, & Suspicionem, siue Scrupulum differre; nam opinio talis est assensus, qualis à nobis antea dicebatur. Fides autem quid sit paulo infra constabit, nimirum assensus determinatus alterius partis, propter auctoritatem, & testimonium dicentis. Scientia quid sit suo loco iam declaratum fuit. Dubium quid etiam sit, ab alijs traditum fuit, etsi non eodem modo explicatum, sed ex quorundam consilio Dubitatio est iudicio deficiente, acceptio utriusque partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio; idcirco dubium dici solet motus indifferens in utranque contradictionis partem; vel ut Philosopho placuit, contrariarum est rationum æqualitas, itaut dubium dicatur, quasi habens duas vias, & intellectum relinquat incertum de electione alterutrius, quemadmodum Ambiguum censetur, quod in ambas partes potest agitari; dubitans enim in neutram partem declinat, sed manet anceps. Suspicio porrò, siue Scrupulus contingit, cum intellectus ex leuibus coniecturis, siue medijs, multumque debilibus ad unam mouetur partem; suspicans enim, etsi magis in unam, quàm in aliam partem propendeat, quia tamen leuioribus indicijs, coniecturisque mouetur, ob id illi determinatè non assentitur.

Contrectata ex hactenus traditis.

Ex hucusque traditis multa sequuntur notatu sanè dignissima. Primum, quòd opinio quandoque est assensus perpetuæ veritatis, tunc nimirum, quando est circa obiectum necessarium, propterea quòd obiecto difformis esse non potest, cum semper illud ita sit, quanuis ita esse non cognoscatur; hoc igitur primum est. Secundum, quòd opinio sæpesæpius est falsa, quoniam est circa contingens, quod potest esse, & non esse, si autem illud non fuerit, falsus erit assensus: Tertium quod opinionis natura multa requirit. Primò nanque ad eius essentiam pertinet, ut sit assensus, & per hoc à dubitatione, & à suspicione differt, quanuis cum errore, scientiaque conueniat. Secundò, ut sit circa obiectum contingens, & variabile, merito cuius à scientia, & ab errore discriminatur, siquidem scientia de necessarijs est, error autem de impossibilibus. Tertiò, ut sit cognitio habens ineuidentiam necessitatis obiecti; vel quòd hoc necessarium non sit, vel quòd non apprehendatur, ut necessarium. Ineuidentiam porrò differentiam esse, quâ opinio constituitur ex eo mihi redditur exploratum, quoniam per hoc à cæteris habitibus distinguitur; & primò quidem à scientia, nam ad huius naturam requiri euidentiam suo loco demonstratum fuit. Secundò à diuina fide secernitur, hæc enim tametsi cognitio sit ineuidens, adeo ut obiecti veritatem obscurè tantùm attingat, nihilominus circa obiectum versatur, quod prout reuelatum, ut necessarium apprehenditur, propterea diuinæ fidei subesse falsum non potest, quin potius adeo certa est, ut nihil magis. Secundò pariter ineuidentiam esse differentiam quâ constituitur opinio, probatur quia huiusmodi differentia debet esse id, à quo tanquam ab aliquo priori formido proficiscitur; sed hoc nil aliud esse potest, quàm ineuidentia; ergo ineuidentia est differentia, quæ opinionem ipsam constituit; Maior apertè constat; eadem est enim ratio de formidine, ac de certitudine illi opposita; sed certitudo conuenit actui per aliquod prius, nimirum per euidentiam; ergo formido actui conueniet per aliquod prius, scilicet per ineuidentiam; hinc minor probata redditur, & suadetur etiam amplius; formido siquidem opponitur certitudini; ab oppositis igitur causis proueniet; at verò actui obuenit certitudo per euidentiam; ergo formido illi ab ineuidentia obueniet; Cognitionis enim differentia ex obiecto formaliter desumi debet; sed opinionis obiectum formale est, vel reipsâ contingens, vel necessarium apprehensum, ut contingens; ergo opinionis differentia, ex hoc desumi debet; sed hinc desumpta differentia ineuidentiam inuoluit, non enim euidens potest esse cognitio de obiecto, hoc est de connexione prædicati cum subiecto, nimirum quòd detur talis connexio, quando talis connexio est vel reipsâ contingens, vel repræsentata ut contingens; ergo ineuidentia est id à quo tanquam ab aliquo priori formido proficiscitur, itaut hæc illam consequatur. Quartò colligitur etiam inter scientiam, & opinionem discrimen. Primò nanque differunt ratione formalis obiecti, nam scientia circa necessarium, opinio circa contingens versatur. Secundò ex parte subiecti, scientiam enim habens certò assentitur rem aliter se habere non posse: at opinionem habens formidolosum præbet assensum. Tertiò scientia perfecta unius conclusionis, vel per unum vel per paucissima media comparatur, opinio autem per multa. Quartò scientiæ principium duntaxat est intellectus, & obiectum, opinioni autem adiungendum voluntatis imperium sensu iam superius explicato; alia autem silentio quàmlibentissimè inuoluo, cùm ex hactenus traditis liceat cuicunque colligere.

SECTIO SECVNDA.

An, & quo pacto probabilis opinio ratiocinatione ex suis præmissis deducatur; vel ex opinantis voluntate dependeat.

Vide probabilitatem opinionis obuenire.

QVemadmodum Ἀκρίβεια, *certitudo* scientiæ; ita Πιθανότης, *probabilitas*, opinionis ratiocinatione acquisitæ est propria, si tamen prout inuicem oppositæ sumantur. Supereſt autem inquirendum unde nam opinioni, quam ratiocinatione consequimur, probabilitas obueniat. Plerisque Philosophorum arrisit consilium dicentium opinionem interdum ex parte formæ, interdum verò ex parte materiæ suam imbecillitatem contrahere, seu, & in idem recidit, plerunque ex parte illationis, & consequentiæ, puta quando intellectus ad concludendum utitur enthimematis, aut imperfectæ inductionis formâ: quandoque ex parte antecedentis, quando utitur formâ syllogismi, cuius præmissæ certæ non sint, sed solùm probabiles.

Prima opinio.

Alii autem affirmant seuerè loquendo, semper incertitudinem ex parte materiæ, & antecedentis opinioni aduenire, adeòut assensus conclusionis debilis & incertus, non ex defectu formæ, ac illationis; sed ex defectu præmissarum, & assensûs præstiti circa illas euadat.

Secunda opinio.

Asserendum primò opinionem suam imbecillitatem contrahere à causis, quæ contrariæ sunt ijs à quibus scientiæ obuenit certitudo.

Prima sententia.

Clara

Clara huius assertionis est veritas, propterea quòd contrariorum effectuum, contrariæ per se causæ esse debent; cum itaque probabilitas opinionis, & certitudo scientiæ inuicem aduersentur, à contrarijs causis oriantur necesse est. Ad indagandum igitur unde nam opinioni probabilitas certitudini scientiæ contraria obueniat; videndum id unde scientia suam certitudinem consequatur, nam oppositum eius id erit ex parte cuius opinio probabilitatem obtinet suam; palam autem ex ijs, quæ de scientia tractauimus, ab euidentia certitudinem oriri; tametsi nanque plerumque contingat, ut in fide, quæ diuino innititur testimonio, dari certitudinem absque euidentia, posità tamen euidentiâ poni certitudinem quoque cognitionis necesse est; non tamen ex ineuidentia sequitur probabilitas, siue incertitudo in uniuersum; sed tunc solùm, quando deest aliquid supplens ipsam euidentiam, cuiusmodi testimonium diuinum est; quandocunque igitur fuerit ineuidens præmissarum assensus, & ineuidens conclusionis illatio, incertus etiam fiet assensus conclusionis.

Asserendum secundò, tam ex formæ, & illationis defectu, quàm ex defectu præmissarum, & assensûs circa illas, conclusionis assensum debilem, & incertum fieri.

Prior assertionis pars, quæ formam, & illationem argumentationis concernit, maximè perspicua est; tametsi nanque syllogismus in primo modo primæ figuræ formam euidentem illationis habeat, & ex præmissis certis omninò certam conclusionem deducat; cæteræ tamen argumentationes non sic euidenter concludunt, quin potius conclusionem suboscuram colligunt illationis defectu, quia scilicet non tantæ claritatis est, quantæ esse deberet; ut per illam intellectus perspicuam conclusionem inferret; unde est ut primus modus primæ figuræ omnium præstantissimus existimetur. Conclusio porrò ex obscuritate contrahit illam formidinem, in qua positam esse probabilitatem dicebatur.

Secunda verò assertionis pars clara est, quandoquidem conclusionis assensus iuxta conditionem assensûs antecedentis habetur, quamobrem si assensus antecedentis fuerit probabilis, consequentis assensus probabilis tantùm esse poterit; conclusionis igitur assensus debilis, & incertus erit pro debilitate, & incertitudine assensûs, quem intellectus antecedenti, siue præmissis præstat. Ita planè si enthimematis antecedens fuerit propositio certa, & ex illa deducatur conclusio probabilis; hoc ideo est, quoniam præmissa, quæ deest, solùm probabilis est, non autem certa; quod etiam de Exemplo, deque Inductione intelligendum; ex defectu igitur præmissarum & assensûs circa illas, conclusionis assensus debilis, & incertus redditur.

Et in uniuersum non solùm quando utraque præmissa, sed etiam quando una est probabilis, altera autem certa, tantummodo probabilis infertur conclusio, quoniam hæc debiliorem sequitur partem.

Solet autem in controuersiam vocari, an ex probabilibus præmissis interatur semper conclusio probabilis, an interdum inferri possit conclusio euidenter falsa, & improbabilis.

Asserendum primò ex una præmissa certa, & altera probabili, conclusionem omninò probabilem inferri.

Suadetur autem ex eo quia si conclusio sit euidenter falsa, & improbabilis, poterit oppositum eius assumi pro una præmissa certa, & ex ea, & ex alia propositione certa per deductionem ad impossibile poterit euidenter inferri oppositum alicuius præmissæ; atque adeo quòd aliqua ex præmissis sit euidenter falsa; cum autem inferri nequeat oppositum eius præmissæ, quæ erat certa, proindeque nequeat inferri euidenter falsa illa præmissa, quæ est euidenter certa; sequitur oppositum eius præmissæ colligi, quæ dicebatur probabilis; præmissa proinde illa demonstrabitur euidenter falsa; non igitur erat probabilis; quamobrem ex una præmissa certa, & altera probabili, conclusionem euidenter falsam, & improbabilem colligere non licebit.

inferatur semper conclusio probabilis.

Assertio prima.

Ratione suadetur.

Asserendum secundò ex duabus præmissis probabilibus, inferri posse conclusionem euidenter falsam, & improbabilem.

Assertio secunda.

Explicatur, & suadetur assertio. Non rarò siquidem usuvenit, ut de rebus ineuidentibus, & incertis oppositæ, & contradictoriæ sententiæ extent ambæ quidem in suo gradu probabiles. Quamobrem si sumantur ex illis, duæ præmissæ conclusionem euidenter falsam, ac improbabilem inferre licebit; ita tamen ut huiusmodi præmissæ, vel formaliter, vel virtualiter sint oppositæ; fieri autem non potest, ut ambæ illæ sint veræ, cum una ex illis necessariò debeat esse falsa, etsi nobis non constet euidenter, utra earum vera sit, vel falsa. Vtraque autem per se sumpta censetur probabilis, & neutra conuincitur euidenter falsa determinatè, etsi colligatur euidenter alterutram esse re ipsâ falsam; non est tamen probabilis, nec possibilis copulatio utriusque præmissæ, unde est ut nequeat intellectus unus, & idem utrumque præmissarum illarum acceptare; sed, qui unam concedit, alteram cogitur negare.

Ratione suadetur.

Quæri etiam solet an opinionis electio ex voluntate dependeat, suppositâ nanque probabilitate totius antecedentis, & stante in intellectu utriusque præmissæ assensu, licet in dubium vertere, an per se, & necessariò sequatur conclusionis assensus; vel potius interuenire debeat libera determinatio voluntatis inclinantis intellectum ad talem assensum. Quid hac de re dicendum paucis aperiam.

An opinionis electio ex voluntate dependeat.

Asserendum, supposito assensu totius antecedentis in discursu opinatiuo, intellectum indifferentem non esse quoad specificationem, adeo ut possit conclusioni dissentiri: sed ad assensum probabilis antecedentis intellectum indifferentem esse, & ab electione voluntatis pendere; atque adeò absolutè consequentis assensum liberum esse.

Assertio.

Assertio duplici parte constat, quarum prima, nempe supposito præmissarum assensu, non posse intellectum conclusioni dissentiri, proindeque indifferentem non esse, quoad specificationem actûs, ex eo mihi videtur apertè constare, quia concessis præmissis, seruatâ rectâ argumentationis formâ, conclusio negari non potest; hoc autem est intellectum supposito præmissarum assensu, necessitari quoad specificationem actûs, seu non amplius indifferentem esse quoad specificationem; propterea quòd intellectus, ideo præmissis assentitur, quia veræ sunt; quare cum ipsis præstiterit assensum, necessariò debet assentiri conclusioni, nec potest dissentiri, hoc enim ideo poset, quia conclusio foret falsa, at falsa esse nequit, quia ex vero nequit inferri falsum. Fieri igitur non poterit, ut intellectus assentiatur toti antecedenti probabili, & dissentiatur conclusioni.

Prima assertionis pars suadetur.

Prima ratio.

Altera etiam accedit ratio, quoniam impossibile est absolutè simul assentiri, & dissentiri eidem propositioni; & simul oppositis propositionibus assentiri; ergo impossibile etiam assentiri præmissis, & dissentiri conclusioni, in quacunque materia, siue euidenti,

Secunda Ratio.

Digitized by Google

siue probabili, immò & in materia etiam falsa, ac in terminis non significantibus; assumptum est manifestum: non enim intellectus potest simul assentiri duabus hisce propositionibus; Socrates est albus; Socrates est niger, vel omnis homo currit, nullus homo currit; illatio autem probatur, quia conclusionis dissensus, assensui præmissarum quodammodo, nempe virtute, opponitur.

Secunda assertionis pars probatur.

Secunda verò assertionis pars ex eo mihi redditur manifesta, quoniam si liberum non esset homini assentiri, vel dissentiri præmissis, nec liberum ei foret assentiri, vel dissentiri conclusioni; nam ut ex superiori constat assertione, supposito præmissarum assensu, conclusionis assensum respuere non potest, sed liberum est ei opinionem amplecti, vel non amplecti, oportet igitur ut ei liberum sit præmissis assentiri, vel dissentiri.

Difficultas præoccupata simulque soluta.

Neque perturbet, quòd simplex apprehensio præcedat talium propositionum assensuum, propterea quòd apprehensio simplex longè aliter se habet respectu assensûs propositionis, ac se habet assensus antecedentis respectu assensûs conclusionis; enimverò prævia illa apprehensio per se non determinat intellectum ad assensum propositionum; secus autem assensus antecedentis ad consequentis assensum; intellectus enim per antecedentis assensum ad assensum consequentis omninò quoad specificationem determinatur. Non inficiandum tamen ex apprehensione posse intellectum magis ad unam, vel alteram partem per modum actûs primi iuxta maiorem probabilitatem, vel apparentiam inclinari; hoc tamen eius indifferentiæ non officit, sed adhuc indeterminatus remanet, itaut voluntas pro sui libertate ad unam, vel alteram partem determinare possit intellectum. Concludendum igitur ad probabilis antecedentis assensum, intellectum indifferentem esse, & à voluntatis electione pendere, atque adeo absolutè consequentis etiam assensum esse liberum existimandum.

Adnotanda quædã.

Hoc autem adeo verum, ut si contingat maiorem esse probabilitatem ex una parte, & intellectum longè magis ad illam inclinari, possit intellectus à voluntate ad oppositam partem determinari, licet tunc voluntas prauè diceretur eligere.

Veritas experientia comprobatur.

Hanc eandem veritatem experientia confirmat, hac enim constat in hominum libertate situm esse propositionibus probabilibus atque adeo præmissis assentiri, vel dissentiri, non tamen supposito præmissarum assensu conclusioni dissentiri; idcirco multum habet momenti voluntatis affectus in re, de qua agitur; à voluntate siquidem prout hoc, vel illo modo affecta præmissarum pendet assensus, quo posito necessariò quoad specificationem, sequitur assensus conclusionis, adeòut non sit amplius in hominis libertate positum, assensum, vel dissensum conclusioni præstare, cum is omninò debeat assentiri. Propterea cauendum in primis ei, qui cupit veritatem adipisci, ne in eius voluntatem aliquis irrepserit affectus, exempli gratia amoris erga quendam opinionis auctorem; voluntas enim hoc affectu præoccupata non permittit, ut intellectus per viam incedat, quâ ad veritatis consecutionem itur; unus tamen in voluntate permittendus affectus, nempe veritatis desiderium, hoc enim ei, qui studio veritatis indulget, non detrimentum, sed adiumentum affert.

Duo rerũ genera.

Et quoniam duo sunt rerum genera, cum quædam sint opinabiles, & idcircò subobscuræ, ac ineuidentes, aliæ autem perspicuæ, ac euidentes; propterea discrimen est notatu dignum, quod in rebus posterioris generis humana mens non solùm ad conclusionis assensum ex assensu præmissarum, sed etiam ad ipsarum præmissarum assensum naturali lumine, quoad specificationem determinatur; at in rebus prioris generis circa primas præmissas est prorsus indifferens, licet possit magis in unam, quàm in aliam partem propendere, citra tamen quamcunque determinationem, cum potius subiaceat omninò liberæ voluntatis imperio.

Libertas quoad exercitium actuum consistatur.

Hucusque de hominis libertate quoad specificationem actuum; nunc de eadem quoad exercitium, in quo profectò multò magis is libertate utitur, cum ei prorsus liberum sit exercere, vel non exercere actum assentiendi circa præmissas probabiles, & subinde circa conclusionem, qua in re tanta est hominis libertas, ut etiam supposito præmissarum assensu, possit voluntas intellectum cohibere, ne conclusionis assensum eliciat. Hoc autem validissima ratio conuincit; liberum est enim homini supposito præmissarum assensu exercere assensum circa conclusionem in rebus certis, ac euidentibus, multo magis in probabilibus; si nanque de quominus videtur inesse, & inest; ergo & de quo magis.

Voluntas sæpe habet munus se abstinendi.

Non inficiandum tamen, sæpesæpius contingere, ut voluntas ab ipso cohibendi munere se abstineat, atque adeo sinat intellectum in conclusionis assensum erumpere; sed hoc ex accidenti est, ratione scilicet maximę probabilitatis, quam habet antecedens assensus, præsertim, si præmissarum altera sit euidens, & altera, si non physicè, saltem moraliter certa, tunc enim intellectus absque omni voluntatis impulsu confestim in exercitium assensûs circa conclusionem erumpit, tanti refert certis præmissis assensum præbuisse; quantunuis enim intellectus potuisset à voluntate impediri, quominus circa conclusionem exerceret actum assensûs, voluntas tamen segnitie quasi laborans non impedit. At quando antecedentis fuit exilis probabilitas, quod præcipuè usuvenit, quando præmissarum utraque, & earum copulatio non admodum probabilis fuerit; tunc forsan est opus peculiari quodam voluntatis impulsu, determinationeque ad assensum conclusioni præbendum, eò quòd leuis assensus antecedentis ille non adeo potest intellectum impellere, ut formidine de parte oppositâ tardior in assentiendo fiat; præsertim si intellectui conclusionem paulo diligentius cogitanti quædam se difficultas obtulerit, quam non aduerterat dum in præmissarum consideratione versabatur.

An possit quispiam pro sola voluntatis libertate quid opinari.

Solet etiam in controuersiam vocari an possit quispiam pro sola suæ voluntatis libertate opinari quicquid voluerit, videlicet intellectum inclinare ad assensum opinativum alicuius conclusionis citra quodlibet motivum, ac fundamentum; ut si alicui proponatur hæc dubitatio, an stellæ inerrantes sint omnes dispositę in eadem superficie sphęrica; an nullâ prolatâ ratione, vel auctoritate pro alterutra parte possit pro suo arbitrio opinari unam, vel alteram contradictionis partem.

Assentiendum tamen intellectum opinari quidpiam non posse, quod vel ex ipsis terminis aliquam probabilitatem non præseferat; vel aliquod motivum non præbeat, ratione cuius possit intellectus de re proposita iudicium ferre.

Hanc assertionem docuit profectò Philosophus dum hæc verba protulit, δοξάζειν δ' οὐκ ἐπ' ἐμῖν· ἀνάγκη γὰρ ἢ ψεύδεσθαι, ἢ ἀληθεύειν. *Opinari autem non est in nobis, quia necesse est aut verè, aut falsò opinari.*

Hoc idem experientia quotidiana confirmat. Nemo enim est, qui non experiatur (si de re quapiam dubitetur, ita ut nec ex terminorum connexione

proba-

probabilitas appareat, intellectum trahens ad assensum, nec aliqua illi ratio, vel motivum in alteram partem, inclinans intellectum eiusdem offeratur) assensum ex se nullum elicere posse, sed perplexum ac hæsitantem manere, quousque tandem illi offeratur motivum, ratione cuius intellectus ipsius in unam, vel alteram partem inclinetur.

Dices. Voluntas rationalem potentiam ad alterum contrariorum determinat, ad quæ penitus indeterminata est, adeo ut in neutram partem sit inclinata; ergo potest etiam intellectum ad alteram contradictionis partem determinare. Quod ex eo confirmatur, quia Medicus ex solo odio determinat artem ad occidendum infirmum; ergo potest aliquis ex solo amore alicuius extranei determinari ad credendum id, cuius nullam rationem habet.

Solutio autem in eo posita, quòd eo modo, quo voluntas rationalem potentiam determinat ad alterum contrariorum, ad quæ indeterminata penitus est &c. eodem quoque determinat intellectum ad alteram partem contradictionis; ut igitur voluntas determinat rationalem potentiam ad alterum contrariorum ratione alicuius motiui pro una, vel altera parte, sic etiam determinat intellectum.

Confirmationi autem fit satis respondendo ut proximè dictum fuit, tam scilicet ex parte Medici, quàm ex parte amantis, &c. dari motivum, unde habeatur determinatio; Medicus enim non determinat intellectum ex sola voluntate, ut per artem iudicet, quid prosit, vel obsit infirmo, sed potius ex odio potentiam executiuam determinat, ut iubeat id, quod nouit esse noxium; sic etiam aliquis dum ex amore alicuius extranei determinatur ad credendum quod ille testatur, determinatio est à motiuo, quod in testimonio consistit, hoc enim non dato, nec ille unquam ad quicquam suâ sponte credendum se determinaret.

Est etiam alia difficultas, propterea quòd communi sapientum calculo receptum est hominem esse liberum in eligendis opinionibus; ergo poterit, sine ullo probabili motiuo opinionem ex multis, eam, quæ ipsi magis arriserit, amplecti. Consecutio est manifesta, nisi enim posset pro libito quamlibet opinionem eligere, dici non posset liber in opinionibus eligendis.

Negandum tamen assumptum, & ad commune sapientum testimonium respondendum, ipsos tantùm voluisse probabilibus hinc inde motiuis existentibus in cuiuslibet esse potestate partem unam, vel alteram eligere; non enim audiendi sunt, qui putant probabilibus motiuis pro una duntaxat parte existentibus, & non pro alia posse aliquem pro sua libertate partem utranuis eligere; tametsi nanque libertate frueretur, quoad exercitium eligendi, vel non eligendi partem illam, quæ probabilibus motiuis abundat, non tamen quoad specificationem positiuè partem oppositam eligendi, quod etiam de fide paulo infra dicetur.

Celebris est controuersia num quotiescunque probabilis est una contradictionis pars, altera etiam pars probabilis dici debeat, seu an quando opinio est probabilis, opposita etiam probabilis dicenda sit. Hac de re extremæ sententiæ extant, adeout Philosophi melioris etiam notæ in contraria placita distracti videantur.

In decisionis tamen gratiam aduertendum opinionem esse probabilem duobus modis intelligi. Primò positiuè, quod contingit quando adest peculiare aliquod motivum, à quo intellectus determinatur ad præbendum assensum uni ex opinionibus. Secundò negatiuè, quod euenit quando etsi desit motivum prædictum, tamen certò, & euidenter non constat opinionem esse falsam. His præhabitis.

Opinionem esse probabilem duobus modis potest intelligi.

Asserendum, quando opinio est probabilis non oportere oppositam etiam esse probabilem positiuè, posse tamen esse probabilem negatiuè.

Assertio. Ratione suadetur.

Assertio facilè constat quia ut opinio aliqua sit probabilis, non oportet oppositam esse talem, ut pro ea sit aliquod peculiare motivum, unde habeat ut sit probabilis, quin potius cum opinio, quæ est tantùm probabilis, non sit certa; consequens fit ut formidinem de opposita opinione admittat; quod si ita est, non erit certum eam esse falsam, sed talem, ut de ipsa suspicari liceat an vera sit, quod est eam esse negatiuè probabilem.

Vnde tanta apud homines opinionum varietas.

Est etiam inquisitione dignum, unde nam apud homines tanta quidem opinionum varietas proueniat, adeout diuersi homines in opiniones diuersas immò contrarias frequenter inclinentur, & alii aliam sententiam amplectantur, iuxta illud Comici

Tot capita, tot sententiæ,

Et Satyrici

Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto viuitur uno Persius Sat. 5.

Vnde Lyricus

Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia

Ex pluribus capitibus opinionum varietas.

Ex pluribus autem capitibus tanta opinionum varietas hominibus contingit. Primò ex ingenij natura, atque dispositione, nam pro huius varietate, ut variæ sunt hominum propensiones, varijque mores; sic etiam & hominum varia sunt placita. Secundò ex eoquòd uni offeruntur unius partis motiua, alteri autem alterius. Tertiò ex eo quòd, etsi utrique motiua utriusque partis oblata sint, plura tamen, vel efficaciora, pro hac, vel illa parte offerantur; Quartò etiamsi hæc omnia sint paria, efficaciùs tamen, vel attentiùs huius, vel alterius partis motiua considerantur. Quintò ex vario voluntatis affectu, ita planè contingit, ut quispiam promptiùs in eam descendat opinionem, de ijs, quibus delectatur, & promptiùs etiam ab amico, quàm ab extraneo propositam opinionem amplectatur, atque demùm addictus alicui Sectæ ex affectu erga antesignanum ipsius libenter, ac facilè assectarum opinionibus subscribat, eas oraculi quasi loco ducens. Sextò, ex ijs quæ aliquis præconceperit; hinc enim est ut nos magis ad eas inclinemur opiniones, quæ magis consentaneæ sunt ijs, quę nos animo frequenter euolucre consueuimus.

SECTIO TERTIA.

Quotuplex sit opinio.

Opinio sicut scientia diuidi potest.

PRimò quidem opinio ijsdem modis, quibus scientia diuidi potest. Opinio igitur partitionem subit in opinionem *propterquid*, & *quia* in subalternantem, & subalternatam, in contemplatiuam, & practicam; si quæ igitur aliæ sunt diuisiones, quæ in scientiam cadunt, etiam opinioni possunt accommodari.

Diuisio opinionis in solertē & non solertem.

Secundò diuidi solet in solertiam, & opinionem non solertem. De solertia nonnulla superiùs notauimus ex Aristotele, qui de ipsa, ad calcem primi libri Posteriorum disputationem instituit, ubi solertiam vel tanquam distinctam ab opinione, vel tanquam opinionis speciem assignat illam verò definiens, ut ibi retulimus, dicit. *Ἡ δ' ἀγχίνοια ἐστὶν εὐστοχία τις ἡ ἀσυμβόλῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. Sagacitas autem est bona quædam medij coniectatio breuissimo tempore.* 1. Post. Tex. 105. Docet igitur solertiam

lertiam contingere, quando statim, & velociter quis ex aliquo signo viso infert aliud, quod non videt; affert exemplum, ut si quis videns Lunam perpetuò Solem versus lucere, confestim intelligat id accidere, quoniam Luna non proprio lumine, sed mutuato à Sole resplendet: & aduertens pauperem ad diuitem accedere, statim conijcit ad eum tendere pecuniam petendi gratiâ.

Diuisio opinionis in suspicionem, & opinionem propriè sumptam. 6. Eth. c. 3.

Tertiò solet opinionis alia diuisio institui, videlicet in suspicionem, & opinionem presâ significatione acceptam. Neque perturbet, quòd Aristoteles quodammodo de his indistinctè fuerit locutus, dicens, ὑπολήψει γὰρ ἢ δόξῃ ἐνδέχεται διαψεύδεσθαι. *Existimatione, enim, atque opinione accidit mentiri;* Philosophus enim ibi unâ quâdam communi ratione à scientia, & alijs habitibus certis hęc distinguere nitebatur; communis autem huiusmodi ratio in eo est, ut tam suspicione, quàm opinione accidat mentiri; itaut perinde sit, ac si dixisset hoc genus cognitionis incertum, ac fallibile esse; ad quod respiciens alibi suspicionem uno opinionis nomine significauit. Extenditur plerunque suspicionis nomen ad omnem cognitionem incertam denotandam; quandoque sonat idem ac opinionis nomen; hoc tamen modo nimis latâ significatione sumitur suspicio. Præstat igitur opinionem uniuersè sumptam distribuere in opinionem presè acceptam, & suspicionem seuerè quoque sumptam. Vtriusque autem hæc erit explicatio rei, de qua disseritur apprimè consentanea, videlicet ut suspicio sit, quæ ex aliquo signo à posteriori deducitur: opinio verò, quæ vel ratione quapiam à priori, vel ex sola terminorum apprehensione desumitur. Secundo etiam modo possunt pęnes magis, & minus discriminari, ita ut suspicio dicatur leuior quædam existimatio de re quapiam: opinio verò vehementior quædam persuasio, & adhæsio. Hic tamen distinctionis modus est iuxta communem loquendi usum, enimverò dicimur ea suspicari, quæ leuiori quodam motiuo, & imbecilli quadam assensûs inclinatione putamus. Dicimur autem opinari, quæ validiori motiuo, & firmiori quodam assensu prosequimur. Tertiò demum hæc potest institui distinctio, ut opinio dicatur illa, quâ simpliciter existimamus potius hanc partem, quàm oppositam esse, & potius rem esse quàm non esse. Suspicio verò sit, quâ cogitamus rem forsitan ita esse, oppositum tamen potius esse putamus; at iuxta hæc dici debet opinio respectu illius partis, in quam intellectus maiorem propensionem habet: suspicio autem respectu illius, in quam minorem habet inclinationem. Hoc autem modo suspicio nil aliud erit, quàm formido, quam quis habet, vel habere potest de parte oppositâ, adeout quemadmodum quo propensior, ac vehementior est assensûs adhæsio ad unam partem, eo minor est formido de oppositâ: sic etiam quo maior est inclinatio assensûs in unam partem, eò minor sit suspicio de oppositâ, & viciſſim. Quod si intellectus non magis in unam, quàm in alteram partem inclinationem habeat, tunc nec opinionem, nec suspicionem, sed potius dubitationem habere dici debet. Est porrò dubitatio, ex quorundam sententia, cuiuscunque actûs suspensio, & negatio assensûs pro utraque parte, terminorum apprehensione suppositâ, itaut actus positivus non sit. Videtur tamen dubitatio formaliter esse quidam actus positivus, adeout, cum intellectus cogitat, num astra sint paria, nec tamen assentit, nec dissentit, nec affirmat, nec negat, & in neutram partem inclinat, sed dubitat, quendam actum positivum eliciat, & sicut quidam est actus, quo intellectus affirmat, & quidam alius, quo negat: ita quidem sit actus, velut medius, quo dubitat.

Difficultas prœoccupata, & soluta.

Suspicio quid.

Opinio propriè sumpta quid.

Dubitatio quid.

Probabilius est dubitationem esse actum positivum.

Ratio autem, quę me compellit ad ita de dubitatione sentiendum ea potissimum est, quia potest contingere, ut quispiam apprehendens terminos dum aliquam propositionem animo reuoluit, pro libertate intellectum retineat, ne tunc iudicij actum exerceat, assentiendo vel dissentiendo, etsi habitu sciat propositionem veram, aut falsam esse; sed nolit tantùmmodo exire tunc in actum secundum iudicij, non propterea dubitare dicetur. Vt si alicui Christianam fidem profitenti cogitatio se offerat de aliqua propositione, quam ipse fide nouit ex. gra. *Deus est incarnatus*, is utique liber est quoad exercitium actûs fidei circa huiusmodi propositionem, adeo ut possit illum non elicere; in tali autem casu suspensio actûs fidei ei non imputatur ad culpam, pro illo nimirum tempore, quo non tenebatur talem actum exercere; tunc autem non dicetur ille dubitare, nam dubius de fide est infidelis, qualis ille dici non debet; in uniuersum igitur dubitatio non est sola negatio assensûs, vel dissensûs, sed quidam est actus positivus, quo intellectus apud se dubitat.

Quartò etiam sub opinione constitui censetur humana fides, de qua paulo post sermo futurus erit.

Quintò diuiditur opinio in veram, & falsam; non enim est inconueniens eamdem opinionem esse probabilem, & falsam, quandoquidem falsitas dicit negationem conformitatis cum obiecto, quando nimirum hoc aliter se habet, ac per opinionem repræsentatur; probabilitas autem dicit motiuum taliter opinandi; sæpe autem contingit, ut suppetant probabilia motiua, quibus intellectus in falsam opinionem inducatur. Hinc de re aliqua extant opiniones, quæ quamuis oppositæ, probabiles tamen sunt, & nihilominus earum una est vera, altera autem falsa. Nec existimandum opinionem esse sicuti scientiam, cui falsitas subesse non potest, & necessariò vera esse debet; sed potius opinio ita vera est, ut ei non repugnet falsitas, cum ad eius rationem tantùm probabilitas pertineat, quæ æque falsitatem, ac veritatem admittit. Num autem opinio de obiecto contingenti, de vera possit in falsam mutari, aut contra; suo loco fuit à nobis disputatum, ubi etiam de opinione circa futura contingentia.

Sextò solet etiam opinionis alia diuisio institui nimirum in eam, quæ re verâ probabilis est, & alteram quæ solum probabilis apparet, cum tamen ita non sit, quin potius apertè falsa, qua de re infra.

Septimò tandem adnotandum occurrit in intellectu geminodo posse opinionem dari, nempe subiectiuè, & obiectiuè, ut loquuntur; priori modo contingit quando intellectus verè in se elicit probabilem assensum à scientiæ certitudine deficientem. Secundo modo euenit per actum reflexum, quando videlicet reflectendo intellectus cognoscit rem à se cognitam esse opinabilem, faciens hanc propositionem *res hæc opinabilis est*, seu *hæc propositio est probabilis*. Cum autem huiusmodi cognitio possit esse sine omni formidine, & formaliter euidens, certè non erit formaliter opinio, nec erit formaliter probabilis, & incerta, sed habens pro obiecto probabilitatem rei, poterit esse certa, & euidens scientiæ naturam redolens; primus modus opinionem habendi intellectus cognoscentis quamdam imperfectionem denotat, non enim ipsi conuenit, nisi imperfectè cognoscenti. Secundus modus nullam imperfectionem inuoluit.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Vtrum opinio simul cum scientia de eodem obiecto haberi possit.

Proponitur quæstio, & eius explicatio. 1. Post. tex. 199.

DVbitationis huius enodationem Philosophus paucis perstrinxit, dicens. Τοῦ δ' αὐτοῦ δόξα καὶ ἐπιστήμη οὐ πάντως ἐστίν. ἀλλ' ὥσπερ καὶ ψευδὴς καὶ ἀληθὴς τὰ αὐτὰ πρόπον τινά, οὕτω καὶ ἐπιστήμη καὶ δόξα τοῦ αὐτοῦ. *Eiusdem autem rei opinio & scientia non omnino sunt sed quemadmodum & falsa & vera opinio sunt aliquo modo eiusdem, rei, ita etiam scientia, & opinio sunt eiusdem rei.* Aristotelis autem consilium superius innuimus, & paulo post magis etiam explicabitur, in cuius gratiam præmittendum præsentem dubitationem non proponi de solo obiecto incomplexo, atque remoto, cuiusmodi est conclusionis cuiusque subiectum; de hoc enim eodem simul haberi posse scientiam, & opinionem secundum prædicata diuersa, quæ de ipso ostenduntur, tam notum est, quàm quòd notissimum; sed potius de complexo, atque propinquo, nimirum de eadem conclusione, an scilicet de hac simul haberi possit scientia & opinio; dubitatio autem intelligenda tum de actibus, tum de habitibus.

Aristot. lib. 28. c. 6.

Variæ hac de re Philosophorum opiniones extitere. Prima quidem eorum, qui negarunt prorsus opinionem simul cum scientia, siue per modum actûs, siue per modum habitûs haberi posse.

Varię Philosophorum sententiæ.

Secunda est affirmantium tam quoad actus, quàm quoad habitus posse simul ab eodem intellectu haberi opinionem cum scientia de eadem conclusione.

Prima sententia.

Tertia eorum est, qui mediâ viâ incedentes negant actus, concedunt habitus posse simul esse. Quod ut magis declarent ulteriùs addunt, non solum habitum unum simul esse posse cum alio, sed actum etiam unius habitûs cum alio habitu.

Secunda sententia.

Quarta his addi potest sententia eorum, qui licet inficientur distinctos actus opinionis, & scientiæ posse simul esse: concedunt tamen elici posse unum simplicem actum ex pluribus mediis, alio demonstratiuo, alio autem probabili. Sed eorum quidam admittunt eundem actum hoc modo dici posse scientiæ, & opinionis: alii autem id negant, contendentes non esse dicendum nisi actum scientiæ.

Tertia sententia.

Ex his autem celebriores hac de re duæ sententiæ sunt, quarum prima negat simul de eodem obiecto siue per modum actûs, siue per modum habitûs opinionem & scientiam haberi posse. Secunda opposita sententia est, quæ affirmat, tam quoad actus, quàm quoad habitus posse simul ab eodem intellectu haberi opinionem cum scientia de eodem obiecto, nempe scientiam per medium demonstrativum, opinionem autem per medium probabile.

Duæ sententiæ superiores sententiæ reuocantur.

Asserendum primò non posse actum opinionis haberi simul cum actu scientiæ de eadem propositione, siue de eodem obiecto in eodem intellectu.

Prima assertio, quod non possit habitus opinionis haberi simul cum actu scientiæ eiusdem obiecti.

Hanc assertionem plerique suadere conantur, ex eo quia nequeunt plures actus coexistere simul in intellectu nostro. Hæc tamen ratio parui facienda utpotè dialectica, cum ex nimis communibus procedat, eadem enim adhiberi potest ad ostendendum, nec circa diuersas propositiones, nec etiam duos actus scientiæ, aut duos actus opinionis, posse simul esse; propterea iuuabit alijs rationibus præsentem assertionem suadere, in quarum gratiam reuocandum ad memoriam opinionem posse dupliciter usurpari, vel scilicet prout habet contingentiam ex parte obiecti circa quod versatur, itaut obiectum sit inconstans, ac variabile; vel ex parte solius modi, quo circa obiectum ipsum versatur, nempe cum obiectum necessarium quidem est, opinio tamen illud medio probabili, & non necessario attingit. Opinio autem hoc secundo modo sumpta, bifariam contingit, vel itaut formidinem actualem inuoluat, vel non actualem, sed aptitudinalem tantùm habeat. His præhabitis, facillimum erit ostendere sumptam opinionem iuxta priorem acceptionis modum, quatenus videlicet contingentiam habet ex parte obiecti, simul cum scientia de eodem obiecto esse non posse.

Assertionem hanc Aristoteli placuisse diffitebitur nemo, si nonnihil aduerterit, quæ ipse docuerit loco nuper laudato; ibi siquidem affirmat scientiæ naturam & in obiecti necessitate, & in animi nostri certitudine consistere; hæc enim adeo essentialia sunt scientiæ, ut eorum altero sublato, nequeat scientia subsistere necessitatem igitur obiecti scientia requirit. Opinio autem contingentiam, itaut illud sit, vel re ipsâ contingens, vel tale existimatum; scientia certitudinem animi: at opinio formidinem exposcit.

Aristotelis auctoritate suadetur.

Ratione autem suadetur, quia scientia petit obiectum necessarium, & inuariabile: opinio autem obiectum contingens, & variabile; ergo non poterit in eodem intellectu de obiecto eodem dari scientia, & opinio; quoniam tunc idem obiectum esset, & non esset necessarium, & simul intellectus contradictoria de eodem affirmaret; per assensum enim scientificum iudicaret prædicatum necessariò conuenire subiecto; per opinativum autem contingenter, & simul affirmaret rem aliter se habere posse, & non aliter posse se habere.

Ratione quoque suadetur.

Vulgata satis est illa responsio, quòd intellectus possit affirmare utrunque per diuersa media & hunc in modum contradictionem tolli.

Quorundam responsio.

Sed quàm insulsa sit ista responsio, vel ex eo planè conuincitur, quia quod re ipsa prædicatum sit necessariò cum subiecto connexum, non ex cognoscendi, sed essendi medio pendet; prædicati nanque talis, vel talis connexio cum subiecto, non ex medio, quo intellectus cognoscit, sed ex interna causa inhærentiæ unius extremi cum alio pendet; cum igitur hæc una, & eadem perpetuò sit, per medium unum nequit modò contingens ostendi, & modò per aliud necessaria demonstrari.

Refellitur.

In cuius confirmationem illud afferri potest, quòd opinio iuxta priorem hanc usurpationem tendit in obiectum reipsa contingens, & variabile, ad quod respiciens Philosophus dicebat, ὥστε λείπεται, δόξαν εἶναι περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. *Quamobrem remanet, ut opinio sit circa id, quod est quidem verum, aut falsum, sed etiam potest aliter se habere*; Nequit igitur intellectus ad hoc obiectum ostendendum uti medio necessario; per tale siquidem medium contingentem conclusionem ostendere minimè licet; non potest igitur opinio sic accepta in eodem intellectu de obiecto eodem haberi; ut propterea Philosophus dixerit, nec in diuersis hominibus de eadem re scientiam, & opinionem, nisi pænes prædicata diuersa, esse posse, eò quod unus affirmet rem esse contingentem, alius autem necessariam; & etiam affirmauerit scientiam, ac opinionem esse de eodem obiecto non posse, nisi prout cognitio vera, & falsa esse possunt, propterea quòd opinio dicens rem esse contingentem, falsa esset; res enim prout de ipsa daretur scientia, deberet esse necessaria, quamobrem cognitio dicens eam esse contingentem, qualis foret opinio, falsa esse deberet.

Confirmatio. 1. Post. Tex. 149.

Si autem sumatur opinio iuxta secundam acceptionem, Opinio secundo

Modo sumpta pro assensu obiecti necessarij cum actuali formidine per medium probabile nequit esse cum scientia. Ratio.

tionem, videlicet pro assensu obiecti necessarij per medium probabile cum actuali formidine, eoquòd obiecti necessitas per medium illud explorata non sit, nec etiam scientia cum opinione potest de eodem obiecto consistere. Ratio autem in eo posita, quòd intellectus per assensum scientificum rem euidenter cognoscens ita esse, non potest simul formidare, ne ita sit; nam ab euidentia certitudo, non autem formido illi opposita proficiscitur.

Confirmatio.

Hoc etiam ex eo confirmatum redditur, quoniam ad scientiæ naturam pertinet formidinem omnem ab intellectu remouere; non igitur poterit in eodem intellectu de eodem obiecto opinio consistere, quæ formidinem actualem habeat adiunctam, de obiecto siquidem eodem intellectus tunc foret certus, & non certus, & assentiretur sine formidine, & cum formidine.

Responsio præoccupata simulque reiecta.

Nec ex hisce cotibus enauigaturum te putes dicendo nullam hinc sequi contradictionem, quoniam intellectus non per eundem actum, sed per scientiam assentitur sine formidine, per opinionem verò cum formidine. Formido siquidem, & certitudo formaliter inuicem aduersantur, quantumuis ex diuersis actibus proueniant; enimverò non se compatiuntur in eodem subiecto, cum se habeant, ut summus calor, & summum frigus respectu eiusdem subiecti; ergo opinio formidinem actualem habens, nequit in eodem intellectu esse cum scientia, quæ necessariò certitudinem exposcit.

Altera responsio præoccupata. & reiecta.

Nec tutum asylum est ad formarum multitudinem confugere pro effectuum contradictione vitanda; sicuti nec tutum est ad vitandam contradictionem prodeuntem ex duabus formis contrarijs summè quidem intensis in eodem subiecto; non enim licet affirmare nullam esse repugnantiam quominus contraria summè intensa etiam naturæ viribus in eodem subiecto existant, ut summus calor, & summum frigus in eodem aqua: assensus, & dissensus in intellectu, & velle, ac nolle in voluntate respectu eiusdem obiecti: adhuc enim contradictio infertur ex repugnantia effectuum in eodem subiecto à formis illis prodeuntium, quantumuis huiusmodi effectus à diuersis formis proueniant, nempe quòd eadem aqua foret summè frigida, & non summè frigida, & intellectus esset simul assentiens, & non assentiens, item voluntas simul volens, & non volens respectu eiusdem obiecti. Nec quicquam refert, si dicatur id fieri per diuersum medium, nam stante illâ certitudine, & euidentiâ, quam secum defert scientia, nullo medio fieri poterit, ut formido de opposito sedem in eodem habeat intellectu, quin potius hic erit per scientiam omninò certus, & clarè, ac euidenter inspiciet rem ita esse, ita ut non possit simul formidare, ne fortè non ita sit.

Non repugnat tamen in diuersis hominibus scientia, & opinio cũ actuali formidine.

Non repugnat tamen in diuersis hominibus esse scientiam, & opinionem de eodem prorsus obiecto, quia potest contingere, ut unus tantam certitudinem, ac euidentiam non assequatur, quantam alius per scientificum medium adipiscitur.

Opinionem tertio modo sumptam quatenus dicit actũ non posse

Si tandem alio modo sumatur opinio, videlicet absolutè pro assensu probabili; controuersum est adhuc, quoniam plerique conantur ostendere opinionem haud esse posse simul cum scientia, quoniam opinio est cognitio ex suo genere incerta, ac incuidens, atque adeo formidinis capax, & idcirco semper habet repugnantiam cum cognitione certa, & euidenti, ac incapaci formidinis, non secus ac negatio cum forma repugnantiam habet. Sed quicquid sit de hac probatione, suaderi commodiùs poterit actum opinionis haberi simul non posse cum actu scientiæ sumptâ opinione prout dicit assensum probabilem; quoniam intellectus dum per actum scientiæ certò, ac euidenter rei veritatem cognoscit, non videtur moueri simul posse ad alium actum debilem, & ex conditione sua non firmum, nec certum, sed tantùm probabilem; dumque intellectus ex aliquo valido & ex efficaci motiuo determinatur prorsus ad actum scientiæ, non videtur alio motiuo debili, ac infirmo simul impelli posse ad actum opinionis. Et sanè dum adhibentur medium probabile, & demonstrativum ad eandem probandam conclusionem, si benè vis medij demonstratiui percipiatur, probabile medium nullum assensum generat, utpote à demonstratiuo, tanquam à causa fortiori, & longè quidem efficaciùs suadente impeditum; humana siquidem mens dum euidenti ratione conuincitur ad aliquam veritatem cognoscendam, negligit postea rationes probabiles, minimeque conuincentes, adeout ab eis moueri dedignetur.

Hoc autem unusquisque experitur (dum cognoscit aliquam propositionem per se notam, puta *quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia*, vel etiam aliquam conclusionem ex primis principijs deductam, adeo ut habeatur euidentia rei vel per se, vel per medium demonstrativum) nullius esse ponderis, nulliusque momenti probabilem aliquam rationem, vel aliquod testimonium ad illam veritatem assequendam, ac ob id ad habendum actum opinionis eadem de re, quam certò, & euidenter per alium actum cognoscit.

Concedendum tamen in intellectu dari posse cum actu scientiæ opinionem obiectiuè, sensu superiori Sectione iam explicato, videlicet posse actu cognosci probabilitatem medij opinatiui simul cum actu scientiæ; siquidem fieri potest, ut quispiam per medium demonstrativum scientiam de re quapiam obtineat, & simul etiam cognoscat, quæ nam, & quanta probabilitas sit alicuius rationis, & credibilitas cujusdam testimonij, ad rem eandem cognoscendam; hoc enim aliud obiectum est ab illo, quod cognitione directa supponitur attingi, & hoc aliud istud obiectum euidenter cognoscitur, ut mirum non sit, quòd cum scientia rei prædictæ possit cohærere.

Asserendum secundò, ex medio opinatiuo & scientifico, non posse unum, & eundem elici actum.

Ratio autem in eo est, quoniam stante euidentiâ rei, vel ex ipsis terminis, vel ex medio demonstratiuo, medium probabile mouere non potest intellectum, nec ad distinctum, nec ad eundem actum assensûs.

Nec media probabilia possunt corroborare magis scientiam per medium demonstrativum acquisitam, quasi faciant ut firmior, ac certior per consortium probabilium mediorum euadat; tum quia scientia cum ex suo genere sit certa, ac firma notitia ex motiuo probabili maiorem non potest soliditatem desumere; certitudinis enim gradum ad scientiam requisitum attingere non possunt. Neque dicas opinionis habitum, etsi non inclinet ad certitudinem, aut euidentiam, inclinare tamen sic assensum, ut assensus ipse scientiæ procliuior habeatur; non, inquam, id dicas, nam proposito, & benè percepto demonstratiuo medio, cum euidentia rei, procliuis adeo, quinimò determinatus redditur intellectus ad assensum, ut nullatenus constet simul per opinionis habitum, & probabile medium longè debilius, assensum scientiæ procliuiorem haberi. Potest quidem intellectus demonstratione instructus, atque munitus cognoscere qualis, & quanta sit dialectici medij ad eandem conclusionem adhibiti probabilitas, ab hac tamen non mo-

uebi-

Simul esse actu cum scientia. Ratione suaderur.

Experientia confirmatur.

Quomodo cum actu scientiæ in intellectu opinio dari possit

Secunda assertio. Ratio suadetur.

Quomodo dari complicatio reijcitur.

Responsio præoccupata & reiecta.

rebitur, sed solùm erit obiectum talis actûs, non autem motivum, quo intellectus inclinetur ad præbendum assensum, quem ex motiuo scientifico præstitit.

Non rarò tamen contingit, ut intellectus non benè percipiat vim medij demonstratiui, nec tantam rei euidentiam assequatur, quantam scientiæ conditio requirit; ut Aristoteles etiam aduertit, dicens quosdam esse, quos certitudinis tedet, seu quibus molestum est de rebus certam inquisitionem instituere, præsertim, eo quòd, cùm parùm ingenio valeant, principiorum complexiones, & conclusiones ex ijs deductas, assequi non possunt; tunc autem ad medij demonstratiui percipiendam vim, atque momentum, eos plurimùm iuvant probabiles rationes, & sapientum auctoritates; & quoniam hoc frequenter euenit; hinc etsi conclusionis demonstratio suppetat, auctoritates, & rationes probabiles etiam afferuntur, utpotè illæ, quæ ad vim demonstrationis percipiendam conducunt; semel autem perceptâ, & penetratâ vi medij demonstratiui, fatendum destrui fidem, & opinionem, quam intellectus de eadem conclusione ex rationibus probabilibus, & ex testimonijs sapientum consecutus fuerat: in uniuersum enim si quispiam habeat primò opinionem de re quapiam, aduenientè demonstratione, in eo corrumpitur opinio; neque mirum, nam ad præsentiam conuincentis demonstrationis, cessat persuasio orta ex medio probabili; non quia intellectus actu positiuo illam reijciat, ac detestetur; sed, quoniam illam negligit; non propterea tamen irritum laborem pertulisse dicendus ille, qui rationes probabiles priùs adhibuit; quoniam per probabiles rationes disponitur intellectus, magisque redditur promptus ad percipiendam demonstrationem, cuius vim initio, vel ob ingenij imbecillitatem, vel rei de qua agitur, difficultatem penetrare non poterat. Ita quidem Aristoteles in rebus arduis se gerit, puta in adstruenda prima rerum materia; primò enim probabilibus rationibus utitur à particula quinquagesima prima ad quinquagesimam sextam primi de Physico auditu, probans opus esse præter duo contraria ponere etiam tertium principium subiectum, quod postmodum necessario medio confirmat.

Cæterum absolutè loquendo nemini dubium esse debet, quin opinio sumpta pro simplici assensu probabili absque actuali formidine possit in eodem intellectu de conclusione eadem, cum scientia cohærere, quando videlicet eadem conclusio, & medio dialectico, & medio demonstratiuo probatur. In hanc autem sententiam adducor, quoniam opinio non aliam ob causam aduersatur scientiæ, nisi quia actualis formido de oppositò, & positiua incertitudo de proposito, nequeunt simul consistere cum certitudine, ac securitate scientiæ; quod si ita est, nihil obstabit quominus opinio, remotâ formidine actuali, & incertitudine positiuâ, simul cum scientia cohæreat; hunc enim in modum opinio utpotè sine actuali formidine, & sine positiua incertitudine, duntaxat negatiuè dicitur incerta, quatenus intellectui non certitudinem, sed solam probabilitatem affert. Sed opinionem sine actuali formidine talem esse, qualem dicebamus ex eo quidem addisces, quòd intellectus ad ostendendam aliquam conclusionem assumens medium necessarium, & probabile, gemino modo potest medio uti probabili; vel ut expresè iudicet ex vi talis medij necessariam haud esse connexionem inter prædicatum & subiectum; vel ut absolutè iudicet ex vi talis medij subiecto tale conuenire prædicatum, non curans an huiusmodi connexio necessaria, vel non necessaria sit; iuxta priorem modum opinativus assensus est positiuè incertus, propterea quòd intellectus apertè iudicat variabilitatem obiecti, & hoc modo prædictus assensus opinativus nequit simul consistere cum scientifico, quoniam hic formaliter iudicat oppositum, videlicet prædicatum cum subiecto necessariam connexionem habere: iuxta secundum modum, assensus opinativus est solùm negatiuè incertus, quoniam iudicat duntaxat inter prædicatum, & subiectum intercedere connexionem abstrahendo à necessitate, & contingentia ipsius, & hoc pacto assensus opinativus cum scientifico simul potest existere. Quæ autem de opinione, de fide pariter humana, relata ad scientiam, intelligenda sunt.

Aduersus tamen hæc non leues difficultates afferri solent.

Primo autem sic obijcitur. Natura quidem à superfluo prorsus abhorret; at ubi est actus scientiæ, superfluus est actus opinionis, etsi actualis formidinis expers; nunquam igitur permittet utrunque simul existere. **Prima difficultas.**

Negandum tamen esse superfluum opinionis actum scientiæ actu existente; tametsi nanque cognitio demonstratiua clariùs, & certiùs rem ostendat, quàm cognitio probabilis; non tamen hæc tanquam superflua est abijcienda, quoniam hæc diuersæ rationis est ab illa, vel diuerso modo rem ostendit. **Solutio.**

Amplius. Opinio cum actuali formidine in eodem intellectu de conclusione eadem, nequit cum scientia existere; ergo nec etiam opinio sine actuali formidine cum scientia cohærere poterit. Assumptum liquet ex antea traditis; illatio autem ex eo clara est, quoniam eadem est ratio de opinione utraque, nempe cum actuali formidine, & sine formidine actuali ad scientiam relata, nam opinio cum actuali formidine non patitur scientiam in eodem intellectu de re eadem, quoniam actualis illa formido repugnat scientiæ certitudini; at capacitas formidinis in opinione, quæ actualis est formidinis expers, repugnat esse cum formidinis incapacitate, quàm scientia sibi vendicat; ergo nec etiam opinio sine actuali formidine simul in eodem intellectu de re eadem esse poterit. **Secunda difficultas.**

Neganda tamen est consecutio, & ad eius probationem dicendum disparem esse rationem, quia actualis formido destruit certitudinem scientiæ, capacitas autem formidinis non item: & vicissim scientiæ certitudo non admittit formidinem actualem opinionis, non abijcit tamen formidinis capacitatem, sed solùm impedit ne potentialis ista formido in actum erumpat; quorum ratio in eo posita, quòd in scientia datur capacitas certitudinis cum actu eiusdem, in opinione autem formidinis capacitas sine actu; at verò capacitas unius cum capacitate alterius ut nullam habet oppositionem; sic actus certitudinis, quæ scientiæ debetur, nullam habet oppositionem cum formidinis capacitate, quæ in opinione est, sed solum actualis certitudo scientiæ actuali formidini opinionis aduersatur. **Solutio.**

Alij sic arguunt. Opinio hunc in modum accepta est omnino incerta, cum hinc à scientia discriminetur, quo posito sic licet arguere. Cognitio incerta de re eadem in eodem intellectu nequit simul existere cum cognitione certa; ergo opinio quantumuis expers actualis formidinis, cum scientia esse non poterit; quoniam illa incerta est, ex præmisso fundamento, hæc autem certa. **Tertia difficultas.**

Solutio ex paulo antea notatis petenda est. Dicebatur enim opinio, de qua fit sermo, non absolutè incerta, sed negatiuè tantùm, quatenus nimirum nec certitudinem, nec incertitudinem positiuam dicit. **Solutio.**

Mala

mala igitur illatio; & ad eius probationem respondendum opinionem, de qua loquimur, incertam esse negatiuè tantùm, non autem positiuè; hoc autem incertitudinis genus à scientiæ certitudine positiua non abhorret. Nec subinde concludas nullum fore discrimen inter scientiam, & opinionem, de qua agitur, cum satis superque discriminentur inuicem, eo nomine, quòd scientia sit positiuè certa, opinio autem formidinis actualis expers, si non positiuè, saltem negatiuè incerta sit.

Superioris solutionis cõfutatio.

Sed aduersus hanc solutionem sic argues. Opinio, modo iam explicato, incerta videlicet negatiuè, & scientia certa, contradictionem inferunt; ergo etiam si opinio prædicto modo solùm incerta dicatur, cum scientia simul consistere non poterit; assumptum constat ex eo, quia opinio negatiuè incerta dicit negationem certitudinis, at negatio certitudinis & positio eiusdem contradictionem inferunt.

Confutationis solutio.

Si rectè tamen attendas, falsum ab aduersarijs assumitur, nec quod assumunt sufficienter ostendunt; non enim ex incertitudine opinionis, & certitudine scientiæ deducitur ea contradictio, quæ impediat quominus in eodem subiecto simul esse possint; enimverò attendi debent formales effectus ad colligendum num aliqua esse possint simul, vel non esse possint in eodem subiecto; non enim quælibet contradictio sufficit, nam quælibet forma disparata dicit hoc sensu alterius formæ negationem, ut iustitia ex. gr. dicit negationem temperantiæ, & dicit negationem iniustitiæ, & nihilominus iustitia potest esse cum temperantia, non tamen cum iniustitia. Et si placet in exemplum afferre ea, quæ vulgò adhiberi solent, albedo dicit negationem dulcedinis, & negationem nigredinis, & nihilominus cum dulcedine in eodem subiecto ex. gr. in lacte, non tamen cum nigredine potest existere; attendendi igitur sunt formales effectus, qui inuicem repugnant, ita ut unus in eodem subiecto necessariò postulet negationem alterius; huiusmodi porrò non sunt incertitudo opinionis, & certitudo scientiæ sumptâ opinionis incertitudine negatiuè; sed positiua incertitudo, cum actualis opinionis formidine, & scientiæ certitudo positiua repugnantiam inuicem habent, ratione cuius in eodem subiecto simul existere non possunt.

Superioris solutionis cõfutatio.

Sed aduersus hanc solutionem illud facere videtur, quòd tanta est illa contradictio, ex non certitudine opinionis, & certitudine scientiæ quando in eodem subiecto simul esse dicantur, ut inde sequantur duo iudicia repugnantia simul in eodem intellectu, quorum unum formale est ex parte scientiæ; nempe quòd res nequeat aliter se habere, alterum virtuale saltem ex parte opinionis, quod aliter se habere possit, ac ob id duo effectus formales repugnantes simul in eodem subiecto erunt.

Solutio.

Occurritur respondendo non repugnare duo iudicia, quorum unum formaliter dicat rem ita se habere, aliud autem dicat oppositum non formaliter, sed virtute tantùm, quoniam repugnantia petit ex parte utriusque extremi conditionem eandem, nempe si unum est formale, aliud etiam formale sit. Ne commemorem iudiciorum repugnantiam ex obiecto petendam esse, quæ certè inter duo hæc iudicia non cadit, cum eadem sint de re, quod enim unum eliciatur ex medio probabili, aliud autem ex necessario, nullam repugnantiam infert, quoniam iudicium factum ex medio necessario, neglectâ connexione inter extrema, an videlicet necessaria, vel non necessaria sit, idem prorsus affirmat, quod iudicium probabile.

Quarta difficultas

Tandem obijcies. Per allatam distinctionem incertitudinis, quam opinioni adscribimus non licet omnia contradictoria euitare, nam adhuc per assensum scientificum dicetur intellectus remanere conuictus, & per opinativum non conuictus; nulla igitur allata doctrina de distinctione incertitudinis negatiuæ, & positiuæ.

Nullum tamen est inconueniens ad quod argumentum deducit, quoniam intellectum conuinci, & non conuinci per diuersa media contingit, non enim eodem modo se res habet, de certitudine, ac incertitudine, propterea quòd inconueniens est eundem intellectum per scientiam esse certum certitudine positiua, & per opinionem incertum positiuâ incertitudine de eadem conclusione, quoniam duo hæc contradictoria enunciantur de intellectu respectu eiusdem; at verò intellectum esse conuictum per unum medium, & non conuictum per aliud, non facit, ut contradictoria de intellectu respectu eiusdem, sed potius respectu diuersorum enuncientur.

Asserendum quartò posse habitum opinionis in eodem intellectu de obiecto eodem simul existere cum habitu scientiæ, & actum opinionis cum habitu scientiæ, & habitum opinionis cum actu scientiæ.

Assertio patet, quoniam non eadem est ratio de habitibus collatis cum habitibus, vel cum actibus &c. ac de actibus comparatis cum actibus. Habitus enim longè magis, quàm actus redolet potentiæ rationem; manifestum est autem simul ad contrarios actus esse potentiam, & unum actum esse cum potentia ad oppositum; ut propterea non repugnet habitus contrarios existere simul in gradibus saltem remissis, & actum unum cum alio habitu contrario; quod si ita est, longè quidem faciliùs poterunt simul existere, quando non sunt directè contrarij.

Deinde si sumantur itidem scientia, & opinio, prout habitus important, & opinio sumatur, prout ab obiecto specificatur, quod variabile est, atque contingens, procul dubio habitus scientiæ, & opinionis directè aduersantur, proindeque non poterunt simul esse, nisi instar aliorum habituum contrariorum, quatenus initio non statim, sed paulatim se mutuò destruunt. At verò opinio sumpta pro assensu probabili remotâ omni formidine actuali; nulli dubium quin possit perfectus opinionis habitus cum actu, & habitu scientiæ, & actus opinionis cum habitu scientiæ consistere.

Multiplici autem modo explicato, quo possit hujusmodi coniunctio accidere supradictorum veritas clariùs eluceret. Potest enim contingere, ut quispiam habeat prius opinionis habitum ex frequentatis actibus opinatiuis, postea verò medium eiusdem conclusionis demonstrativum assequatur. Tunc autem si actum eliciat scientiæ habitum acquirendo, non statim opinionis habitum amittet, sed paulatim; & idcircò in intellectu ipsius de eadem conclusione simul erunt habitus scientiæ, & opinionis. Quòd si contra, quispiam initio scientiæ habitum acquisierit, & illi se offerant rationes probabiles ad eandem suadendam conclusionem, & utpote scientiæ habitu instructus, clarè perspiciat obiectum, tunc simul opinionis actum non eliciet. Fieri tamen nihil prohibet quominus idem oblitus medij demonstratiui, ac necessarij, probabilis opinionis actum eliciat, ac ob id habitum illi respondentem adipiscatur. Hoc autem est dari posse in intellectu simul actum opinionis cum habitu scientiæ non erumpente in actum secundum, non tamen cum habitu scientiæ existente cum prompta, & expedita recordatione medij necessarij,

nunc

sive demonstrativi, atque adeò cum habitu se habente per modum habitûs.

SECTIO QVINTA.

Quid sit error, & quomodo à scientia, & ab opinione differat.

PRæsens consideratio momenti plurimum habet ad clariùs explicandam scientiæ, ac opinionis naturam. Error dicitur à verbo *erro*, à Græcis dicitur, σφάλμα, sive ἁμάρτημα, & à verbo ἁμαρτάνω, quod propriè significat peccare; quamobrem error falsum quidpiam denotat, peccatum enim nil aliud quàm quidam defectus, at verò falsitas est defectus cognitionis; ut autem in actibus intellectûs propriè reperitur falsitas, eò quod veritati opponitur, & cognitioni tribui solet, sic error propriè spectat ad intellectum in operationibus, quas exercet. Tot autem modis potest intellectus errare, falsumque dicere, quot modis potest dicere verum, ut autem præcipuè veritas secundæ, & tertiæ operationi: sic etiam error, & falsitas iisdem adscribitur; seuerè autem loquendo error censetur in cognitione esse, quando hæc falsa dicitur; falsa porrò cognitio est, quæ rem explicat aliter, ac est in se, quæ duobus modis contingit, prout huiusmodi cognitio iudicium fuerit, hoc enim in duplici discrimine est, aut enim simplex dicitur ad secundam intellectûs pertinens operationé, atq; hoc modo non erit aliud, quàm secunda intellectûs operatio falsa respondens è diametro habitui principiorum syllogismi demonstrativi, vel dialectici: si autem fuerit illatum, dicetur falsa ratiocinatio, falsi syllogismi effectus, scientiæ, opinionique contrarius. Multifariam autem accipitur. Primò quoad cognoscendi modum, quod bifariam euenit, tum quoad ordinem, sive tractandi res, sive demonstrandi; tum quoad obiectum; & hoc gemino modo contingit; Primò, quoad rem enunciatam, vel universè pro quacunque enunciatione falsa, quo pacto dici solet in qualibet materia quempiam errare, dum falsum dicit: sive speciatim, qua ratione sumitur pro enunciatione falsa in materia necessaria. Secundò, quoad motivum, quo pacto dici solet aliquem in errorem labi, dum ex malo fundamento enunciat. Hi autem duo modi plurimum distant, quia potest quispiam dicere verum, quoad rem enunciatam, falsum autem quoad motivum, quia videlicet sufficiens non est ad talem conclusionem inferendam; & ex aduerso potest quispiam ex motiuo probabili moueri, falsum tamen dicere, quoad rem enunciatam.

Non satis tamen ad errorem, ut aliquis propositionem falsam proferat, nisi pariter iudicet, & per intellectum affirmet ita esse, sicut per talem enunciatur propositionem. Debet igitur propositioni assensus præstari, qui gemino modo contingit, vel cum formidine, vel cum certitudine; unde est ut quidam constantissimè dogmatibus suis falsis adhæreant citra mortis timorem.

Huius porrò si rationem quæras, illam inuenies, haud ego fallor, quoniam error in intellectu ducit ortum ex eo quia id quòd re ipsâ verum non est, illi tamen verum apparet; hinc enim intellectus decipitur, deceptionisque causa veritas apparens, & existimata est; hæc porro duplex perhibetur, quarum una probabilis apparens, altera vero apparens necessaria; quandoquidem si quod non est probabile, potest apparere probabile; multò magis quod est probabile potest apparere necessarium; hæc enim minus inter se, quam illa distant; si veritas apparens probabilis, assensum falsum cum formidine gignit, si apparens est necessaria, falsum assensum cum firmitate procreat; idcirco tam potest mens in errorem incurrere, dum quod non est probabile iudicat esse probabile, quàm dum iudicat necessarium, quod est probabile, vel falsum.

Assensus autem non falsus, sed verus erit si veritas non sit apparens, & existimata, sed existens, ut propterea Philosophus aliquando dixerit syllogismum captiosum esse apparentem, & non existentem, sic enim habet, ἔστι γὰρ συλλογισμὸς καὶ ἔλεγχος φαινόμενος μὲν, ὢν δ' οὔ. *Est & syllogismus & elenchus, qui videtur, cum non sit.* Est igitur opus veritate apparente, & quia mens ad assensum à vero, non autem à falso mouetur; opinio autem plerunque est de re in se quidem falsa, sed apparenter vera; non propterea tamen opinio illa dicetur erronea, sed probabilis, & vera, quia non quælibet veritas apparens errorem gignit, sed illa tantum, quæ probabilis apparet, cum in se tamen improbabilis sit; at verò quæ in se est probabilis, etsi non ita re ipsâ se habeat, opinionem tamen probabiliter veram procreat, quoniam illud probabile censetur, quod ab omnibus sapientibus, aut plurimis, aut quibusdam doctrina præstantibus existimatur, ut superiùs à nobis ex Aristotele dictum fuit: ex aduerso autè improbabile quod à sapientibus iudicatur falsum, etsi rudibus verum appareat; ut quòd globus iste terraqueus multis partibus quamlibet stellarum superet; itaque quomodocunque aliquid existimetur verum, aut ab omnibus, aut ab aliquibus sapientibus, etsi non ita re se habeat, assensus tamen circa illud non erroneus, sed opinativus, & probabilis dici debet; non enim hæc apparentia probabilitatem excludit: quando autem ab omnibus sapientibus censetur falsum, & solùm à rudibus existimatur verum, tunc assensus erit error, quoniam, quod est improbabile apparet probabile.

1. Elen. cap. 1.

1. Topic. cap. 1.

Quæ autem hucusque de errore propositionis dicta fuerunt, de discursus errore debent etiam intelligi, tunc enim discursus propriè dicendus erroneus, quando per ipsum ex antecedenti prauè deducitur consequens, quanuis illud sit verum; conclusio enim discursu comparata spectari potest, vel secundùm se, & absolutè, vel prout ex alijs propositionibus, nempè præmissis deducta; conclusionis autem priori modo sumptæ veritas nihil commune habet cum rectitudine discursus, ad quem solùm spectat veritas conclusionis prout ex præmissis illatæ. Illatio autem prauè duobus euenit modis, vel defectu formæ syllogisticæ, vel materiæ defectu, quando nimirum conclusio, ut probabilis, vel necessaria, ex improbabili, vel non necessario motiuo deducitur.

Dicta de propositionis errore discursus etiam apotari possunt.

Illatio praua gemino modo contingit.

Ex his palam quid inter errorem, ex una parte, & scientiam, ac opinionem ex altera discriminis intercedat; quandoquidem scientia est vera cognitio veritate necessariâ, cui falsum subesse nequit, estque recta & euidens, cui succedit opinio, quæ cognitio est vera veritate probabiliter apparente, quæque aliquam euidentiam habet.

Quid differat inter errorem, & scientiam ac opinionem.

Ex proximè dictis apertè constat quid sit error, rectè siquidem esse dicetur *assensus certus, vel incertus rei, quæ per malum motivum potest aliter se habere.* Dicitur autem *certus*, vel *incertus*, eo quòd utroque modo potest error contingere: Dicitur, *rei, quæ potest aliter se habere*, ut distinguatur à scientia; dicitur, *per malum motivum*, ut ab opinione falsa discriminetur, qui nanque probabili ratione ductus falsum præbet assensum, haud propriè dici potest in errorem

Error quo modo definiendus.

Digitized by Google

lapsus. Perspicuum etiam errorem dici posse iudicium illud, quo per motivum probabile res certò, & firmiter iudicatur, non enim potest quispiam certum iudicium ferre, nisi ei proponatur obiectum, ut in se constans, ac inuariabile positiuè; non enim sufficit obiectum cum negatione connexionis inuariabilis concipi, ut in opinione contingit, in qua mens à variabilitate, & inuariabilitate obiecti in se dicitur abstrahere; sed ut certum assensum præstet, debet positiuè obiectum apprehendere, ut inuariabile, quod falsum est.

Prima difficultas. 1. de Cælo Tex. 18. Solutio. Dissert.

Aduersus dicta se difficultas offert, quoniam unum non est nisi uni contrarium, nequit igitur error scientiæ, & opinioni contrarius esse.

Varij sunt respondendi modi, cæteris tamen præferendum existimamus, quem aliàs exposuimus cum de oppositis, atque contrarijs disputaremus. Responsio autem in eo posita est, quòd scientia, & opinio, quatenus in communi quadam ratione conueniunt, puta cognitionis veræ, contrarium habent errorem; adhuc igitur unum uni contrarium est, hoc enim pacto scientia, & opinio se habent per modum unius cui aduersatur error.

Secunda difficultas.

Altera quoque difficultas est, quòd ad rationem discursus pertinet, ut consequens ex vi antecedentis deducatur; sed hoc in recto discursu tantum potest euenire; nullus ergo discursus videtur esse falsus. Assumptio patet, nam quando consequens ex vi antecedentis infertur, rectè quidem infertur, ut propterea Philosophus quandoque dixerit syllogismum in forma peccantem, verum non esse syllogismum, quoniam in ipso ex præmissis haud necessariò infertur conclusio.

Solutio.

Assumptio tamen neganda, eiusque probatio solùm admittenda, quando antecedens in se spectatum vim habet inferendi consequens; at quando consequens ex antecedenti deducitur, non quoniam ex eo deduci debeat, sed quoniam intellectus in antecedenti concipit vim inferendi consequens, eoquòd iudicet antecedens causam esse consequentis, tunc infertur quidem consequens, non tamen rectè. Nec Aristotelis testimonium negotij quicquam nobis facessit, propterea quòd loquitur ipse de syllogismo, qui vitio formæ laborat, qui profectò syllogismus nequit illativus dici, cum ex præmissis etiamsi veris, haud rectè deducatur conclusio; sicuti rectè deducitur, quando debitâ formâ constat, etsi præmissæ sint falsæ, quoniã hę sic dispositæ, licet non probandi, cum falsæ sint, inferendi tamen vim habent; de hoc syllogismo Philosophus sermonem habet, non autem de illo, qui discursum omnem complectitur, ac ob id etiam & illum cui debita forma deest; hic enim etsi minus propriè syllogismus appellari consueuit, eò quòd nihil obstat quominus humana mens in assensum conclusionis erumpat ex assensu præmissarum, quæ non sint ritè dispositæ iuxta debitam formam, ut dispositæ tamen apprehensæ; hic enim actus ad tertiam intellectûs operationem pertineret, atque discursus quanuis non rectus, sed falsus dici posset. At de errore satis.

SECTIO SEXTA.

De Fide.

Tractationis ordo.

QVandoquidem fides cum opinione magnam affinitatem habet, idcircò non erit alienum ab instituto ad fidei considerationem descendere; fides græcè πίστις, à verbo πείθω. multifariam accipitur, nam dicitur sponsio, fidelitas, conscientia, creditum, vel collectio creditorum, Sacramentum, fides miraculorum, fides viua. Quinimò, & in sacris literis alia quamplurima sunt, quæ fidei nomine significantur, de quibus alibi; hæc quanuis cum opinione magnoperè conueniat, ab ea tamen plurimùm distat, ut superiùs declarauimus, quandoquidem opinio est actus intellectùs declinantis in unam partem contradictionis cum formidine alterius partis, & est assensus intellectùs ad aliquid, non quia sufficienter ab obiecto proprio moueatur, sed per quandam rationabilem electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in alteram, cum formidine tamen istius; sed ita, ut pro illa parte, de qua est formido, non habeatur expressè ratio concludens: formido tamen contingit ob debilitatem rationis alterius partis. Fides autem est cum certitudine absque tali formidine. *Fides igitur est assensus determinatus alterius partis propter auctoritatem, & testimonium dicentis*; & quoniam duplex est testimonium, cui fides haberi potest, nempe diuinum, vel humanum, vel si placet creatum, ut Angelus quoque comprehendatur, quanuis satiùs sit humanam fidem appellare à nobis denominatione desumptâ; dupler propterea fides distingui solet, videlicet humana, & diuina, vel ut alij loquuntur naturalis, & supernaturalis, vel demùm, ut alijs placet acquisita, & infusa. Tametsi autem acquisita fides ab infusa magno distet interuallo; præcipuum tamen discrimen inter illas est, quòd infusa fides diuino innititur testimonio; cùm autem Deus sit infallibilis testis, idcircò diuinæ fidei nequit subesse falsum; hinc ratione certitudinis non solùm ad scientiam accedit, sed illam superat; etsi ab eadem plurimùm euidentiâ, claritateque deficiat. Hæc autem definita fuit dicendo. *Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*. Diuina igitur fides infallibilis est certitudinis, summæ tamen est obscuritatis; quantum autem certitudine ab opinione distat; obscuritate tantumdem à scientia elongatur; ut ob id sapiens ille dixerit Augustinus, nimirum ad obscuritatem fidei respiciens; *Quid est fides? nisi credere quod non vides? Vide, & quomodo creditur Trinitas? Rectè, ò homo interrogas: ideò benè creditur, quia citò non capitur: quia si citò caperetur, non esset opus ut crederetur*. Et alibi *noli*, inquit, *intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est*. Fides planè sanctissima. Cum enim multis de rebus inter se veterum Philosophantium familiæ disputarent, sæpènumero contraria docerent eo usque, ut earum quæque sua decreta confirmans, alijs quoque persuadere studiosè niteretur; fides hæc magna quidem ex parte, tam perniciosum, ac execrandum certamen è medio sustulit: & si quispiam, vel agrestis Gymnosophista, vel Pseudophilosophus in Gymnasiorum exedris, otiosè residens, vociferando, debaccando; falsum statuerit; si forsan quidpiam in mortalium animos irrepserit, vel in ijs nonnihil insederit, quin altiùs radices egerit; suauiter dimouet, extirpat, ac penitus euellit. At quoniam humanum testimonium falli potest, & fallere, propterea humanæ fidei potest subesse falsum; hinc humana fides longè maiorem cum opinione affinitatem habet, quàm diuina, quanuis *fides hosti etiam seruanda sit, nec sit considerandum cui, sed per quem iuraueris*. Humana siquidem fides ea est, quam si ex animo tollas, continuò sanguinis, atque necessitudinis coniunctio, legum iura, commercia, societates dissoluentur; est enim mortalium nexus, quo dissoluto, omnia corruant necesse est. Humana au-

tem

rem fides opinionis adeo naturam redolet, ut non semel opinionis nomine fuerit nuncupata, & nominatim ab Aristotele, qui inter loca topica, quæ ad opinionem conducunt, locum ab auctoritate recenset, ubi ait fidem esse opinionem vehementem; quamobrem probabilis cognitionis genus deficiens à certitudine scientiæ, & ab eadem distinctum, humanam sub se fidem complectitur, adeòut cognitionis probabilis duplex sit species, una quæ innititur testimonio alterius, & altera, quæ innititur alicui rationi desumptæ ex ipsa re, vel ipsimet propositioni, & apprehensioni eiusdem rei. Hæc etiam sic explicari solent, ut una dicatur cognitio probabilis, quæ innititur motiuo externo, seu ut aiunt, extrinseco, diciturque fides; altera verò, quæ motiuo innititur intrinseco, quæque retento generis nomine solet opinio nuncupari; siquidem opinionis nomen bifariam usurpatur, vel nimirum pro omni cognitione probabili, quo pacto sub se fidem humanam complectitur, atque distinguitur in duplicem cognitionem probabilem, quarum una est humana fides, altera verò opinionis retinet nomen. Alio autem modo sumitur nomen opinionis pressiùs ad distinctionem humanæ fidei, quo sensu genus illud est cognitionis probabilis, quod intrinseco motiuo innititur; iuxta quam usurpationem accipitur quotiescunque distinctè tanquam duo probabilis cognitionis genera nominantur opinio, & fides humana.

SECTIO SEPTIMA.

Doctrinam secundo Posteriorum libro comprehensam, breuiter exponens.

ARistotelis consilium in præsentiarum est instrumentum tradere, quo cognoscatur *quid est*; illud porrò, ex quorundam sententia, est ipsa potissima demonstratio, adeout Philosophus cum libro primo considerauerit demonstrationem, ut instrumentum ducens ad cognoscendum *propterquid est*, nunc docere velit, quo pacto per eandem ducamur ad cognoscendum *quid est*, eoquòd versa demonstratio in definitionem, declaret quid sit illa eadem affectio, quæ priùs per suam causam demonstrata fuerat, & cognita propterquid sit, iuxta quem dicendi modum Philosophus de demonstratione disputauit quatenus est demonstratio, in hoc autem secundo de demonstratione, quatenus est definitio. Vel ut alijs placet Aristoteles in præsentia definitionem tanquam demonstrationis medium considerandam assumit.

In tres diuiditur partes, in quarum prima Philosophus modum ostendit, quo per demonstrationem ducimur ad cognoscendum quid est, nempè quod una pars definitionis, puta illa, quæ est instar formæ, ostenditur inesse alteri parti, quæ materiæ locum obtinet, in cuius gratiam de causarum generibus edisserit, quoniam illarum consideratio ad ipsam per se methodum demonstrativuam videtur pertinere. In secunda modum inquirit, quo partes ipsas essentiales, quæ de re in quid prædicantur, venari possimus, cum demonstratiuâ methodo id à nobis obtineri non possit, eoquòd demonstrationem antecedunt. In tertia tandem *de principiorum cognitione* disputat, methodumque illam cognoscendi declarat.

Quod autem primo agit est, ut cognoscamus præter quæstiones complexas, quibus fit satis per demonstrationem primo libro expositam, dari etiam quæstionem simplicem, cui per aliquod instrumentum logicum debet satisfieri. Tria autem facit; primò quæstiones enumerat, Secundò illas declarat, & inuicem confert. Tertiò quæstiones omnes eiusdem esse causæ concludit, ac proinde medium idem omnibus illis docet satisfacere. Exorditur autem à quæstionibus complexis ad melius connectendum secundum librum cum primo.

Ad primum, quod attinet; hanc propositionem enunciat, τὰ ζητούμενά ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα. ζητοῦμεν δὲ τὶ τὸ παρα τὸ ὅτι; τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστι. *Quæ quæruntur, tot numero sunt, quot, ea quæ scimus, quærimus autem quatuor, quòd sit, cur, sit, an sit, & quid sit.* Nempè, quæ quæruntur tot sunt, quot ea, quæ sciuntur; quæruntur autem quatuor, duo videlicet simplicia, & duo complexa, at verò simplicia, quæ quæruntur de quolibet ex. gr. de homine sunt, *an sit*, & *quid sit*. Complexa vero sunt, quæ quæruntur de uno comparatione alterius, videlicet an hoc illi insit, puta an homo sit risibilis, & cur sit risibilis. Duæ priores quæstiones sunt tantùm accidentium: duæ posteriores autem communes sunt accidentibus, atque substantiis. Quæstiones verò simplices dicuntur, *an sit*, & *quid sit*, quia in illis de una tantùm re quæstio fit; & ea duplex esse potest, ut an homo sit, & quid homo sit, in quibus solus homo sub quæstionem cadit; complexæ dicuntur *quod est*, & *propter quid* est, quoniam in iis de duabus rebus quærimus, nimirum an hæc res in illa insit, quæ pariter duplex tantùm esse potest, aut enim quærimus an homo sit risibilis, & propter quid homo sit risibilis. Quæstiones simplices sunt de secundo adiacente. Complexæ verò de tertio adiacente. Tex. 1.

Propositionem autem Philosophi, hæc ratio confirmat. Scientia est cognitio per demonstrationem acquisita; sed per demonstrationem acquirimus scientiam eorum, quæ ante ignorabamus; ergo scientia, est cognitio eorum, quæ ante ignorabamus; de ijs verò, quæ ignoramus, possumus quæstionem instituere; ergo de scibilibus possumus instituere quæstionem; ergo numerus quæstionum æqualis est numero scibilium; sed quatuor possumus quærere, nempè utrum res sit? quid sit? utrum talis sit? Et propter quid talis sit, videlicet an Luna sit? Quid Luna sit? An Luna patiatur defectum? Et quæ sit huius defectùs causa? Ergo hæc eadem possumus scire. Propositio Aristotelis ratione cõprobata.

Pergit explicans, & ostendens quatuor, quæ à nobis quæri possunt. Tex. 2. & 3.

Duæ enim sunt Quæstiones complexæ, seu de tertio adiacente. Prima est, quâ de subiecto quærimus utrum sit tale, ut cum de Sole quærimus utrum sit deficiens, an non, & per huiusmodi quæstionem quærimus scientiam de defectu, vel de negatione ipsius; ob id, cum quis inuenerit Solem deficere, non amplius quærit an deficiat, & si antea sciuisset eum deficere, quæstionem non mouisset. Secunda quæstio est per quam scientes rem esse talem, quærimus propter quid sit talis; ut cum quis sciens Solem deficere, siue eclipsari, quærit causam, propter quam eclipsatur; & cum quis aduertens terram in terræmotu moueri, quærit huiusmodi motûs causam. Aliæ autem duæ sunt quæstiones incomplexæ. Prima est, quâ non quærimus, utrum subiectum sit tale; sed utrum simpliciter sit, ut cum quærimus, utrum sit Centaurus, vel Deus. Secunda est quâ scientes de subiecto *quod est*, quærimus ulterius quid sit; ut quâ scientes Deum esse, quærimus quid sit Deus; quatuor igitur hæc sunt, quæ cum ignoramus quærimus, cum autem inuenerimus scimus.

Docet in omnibus hisce quæstionibus quæri sal- Tex. 4.

tem per equiualentiam medium, id autem primò inductione probat, nam in quæstionibus, in quibus, vel quæritur simpliciter, an subiectum sit? Vel an tale sit? Quæritur an detur medium, in quæstionibus autem, in quibus supponendo subiectum esse, vel tale esse, quæritur quid sit? vel propter quid sit? Quæritur quodnam sit medium; in omnibus igitur huiusmodi quæstionibus, saltem per æquiualentiam fit quæstio de medio. Antecedentis prima pars constat; nempe dum quæritur an res sit? Vel talis sit? puta dum quæritur an Luna sit? vel an Luna deficiat? Per æquiualentiam quæritur an detur medium; non enim mouetur quæstio de propositionibus medio carentibus, seu immediatis, ac per se notis, sed solùm de mediatis: ergo dum quæritur, an Luna sit? Vel an deliquio laboret? Per æquiualentiam quæritur, an detur medium? ad has mediatas propositiones demonstrandas. *Luna est; Luna deliquio laborat*; cum autem demonstrationis medium sit causa, propterea quærens medium, quærit & causam, ob quam *Luna est, vel deliquium patitur*.

Tex. 5. Probat secundam partem antecedentis, nempe, dum cognito Lunam esse, quæritur quid sit; & dum cognito Lunam deliquio laborare, quæritur propterquid deliquio laboret, quòd quæratur quid sit medium; hoc autem ostenditur, quia, qui cognoscit rem esse, iam cognoscit illam habere quidditatem, ut qui cognoscit Lunam esse, cognoscit illam habere suam quidditatem; sed quidditas est formalis causa rei ut sit, cum unumquodque sit per quidditatem suam; ergo, qui cognoscit Lunam esse, iam scit dari causam propter quam est, proindeque cognoscit dari medium, nam causa, & medium reciprocantur; supposito igitur Lunam esse, qui procedit ad inquirendum, quid sit Luna, quærit quæ sit Lunæ quidditas, atque adeo quid sit medium. Vbi aduerte, quando quæritur quid sit, non quæri causam ipsius *quid*, sed causam ipsius *esse*. Non absimili modo cognito Lunam deliquio laborare, si quis ulteriùs quærat propterquid deliquio laboret, cognoscit iam dari medium, seu causam propter quam Luna deliquium patiatur; dum ergo quæritur propterquid Luna eclipsim patitur, quæritur causa; proindeque medium, ratione cuius Luna eclipsatur. In quæstionibus igitur in quibus quæritur an res sit, vel an talis sit, quæritur utrum detur medium, in quæstionibus autem, in quibus quæritur quid res sit, vel propterquid talis sit, quæritur quodnam sit medium, in omnibus igitur quæstionibus quæritur medium.

Ex his manifestum est, quatuor commemoratas quæstiones ad duas reuocari, videlicet ad quæstionem *an est*, & ad quæstionem *quid est*. Dum enim quæro an Luna sit, vel an Luna eclipsetur, quæro an detur medium: & dum quæro quid sit Luna, & propterquid eclipsetur, quæro quodnam sit ipsum medium; manifestum igitur quatuor prædictas quæstiones ad duas reuocari.

Adnotatio. Quæstio autem *an est* dicitur quæstio de tota re, quia quando quærimus an Luna sit, de tota Luna est quæstio, nam tota Luna cum omnibus, quæ in ipsa sunt; in quæstionem vocatur; at verò quæstio *quod est*, seu *quia est*, seu *an res sit talis*, dicitur quæstio in parte, quia dum quærimus ex. gra. an Luna deficiat, non de tota Luna quærimus, iam enim Lunam ipsam esse supponimus, sed solùm quærimus aliquid in ea existens, nempe eclipsim.

Amplius quæstio *an est*, dicitur quæstio simpliciter, quia verbum *est* simpliciter, ideſt solùm prædicatur, fit enim propositio de secundo adiacente; quæstio autem in parte dicitur ponere in numerum, quia verbum *est*, limitatur per prædicatum aliquod particulare, fit enim propositio de tertio adiacente, & ratione illius prædicati dicitur ponere in numerum, quia prædicatum additum verbo *est*, distinguitur à verbo *est*, & à subiecto.

In quæstionibus autem *an est*, & *quod est*, non quæritur medium ex forma quæstionis, atque adeo non formaliter, sed virtute tantùm quæritur. Et quamuis in quæstione *an est*, eòquòd quæratur existentia, non videatur quæri causa, quoniam existentia est prædicatum contingens in omni ente producto; adhuc tamen quæri potest medium, quo demonstretur rem, vel existere simpliciter, vel in tali existere subiecto; quo enim magis prædicatum conuenit contingenter subiecto, eo magis est opus cognoscere medium, quo conuenientia demonstretur.

Assumit idem probandum ratione disputans hunc in modum; quandocunque quæritur causa, quæritur medium, nam causa, & medium reciprocantur; sed in omnibus quæstionibus de propositionibus mediatis quæritur causa; ergo in omnibus quæstionibus de propositionibus mediatis quæritur mediũ. Assumptio constat, cum enim instituitur quæstio simplex, *an Luna sit, an Sol sit, an Terra sit, an Triangulum sit*, quæritur, an hæc habeant aliquam quidditatem, quæ illis sit causa essendi? At verò si fuerit quæstio composita, *an Luna vel Sol deficiat, an Terra sit in centro, an Trianguli tres anguli sint æquales duobus rectis*, quæritur an ulla sit causa, propter quam Luna, ac Sol deliquio debeat laborare; Terra debeat in centro esse, Triangulum habere debeat tres angulos æquales duobus rectis; cum autem quæritur *quid res sit*, vel *propter quid sit*, quæritur quænam sit causa ratione cuius res sit, vel talis sit, quâ explicatâ utrique quæstioni fit satis. Vt si quæratur, *quid est eclipsis Lunæ?* Respondetur, *est luminis defectus in Luna ex interpositione terræ*. Si autem quæratur *propter quid Lunæ eclipsetur?* Respondetur. *Quia Lunæ deficit lumen ex interpositione terræ*. Amplius si quæratur? *Quid est consonantia*. Respondetur. *Est proportio numerorum inter acutum, & grauem*. Quòd si quæratur: *Cur inter has voces detur consonantia*. Fit satis respondendo; *Quia sunt acutæ, & graues, itaut inter ipsas detur numerorum proportio*. Quamobrem in omnibus prædictis quæstionibus causa, proindèque medium quæritur.

Ad eandem assertionem ostendendam utitur signo hunc in modum. Qui sensu deprehendit, quæ sit affectionis causa, nec quærit, an *affectio sit*, neque *an conueniat subiecto*, nec *propter quid conueniat*, nec *quid sit*; signum igitur euidens, ac manifestum per omnes istas quæstiones quæri tandem, quæ sit causa, & medium rei. Probat autem assumptum ex eo, quia, si quispiam existeret in Luna, & eandem videret deliquio laborare terrâ interpositâ, is profectò non quæreret an sit eclipsis, quoniam hanc intueretur, nec quæreret an Luna eclipsetur, quoniam luculenter inspiceret Lunam deficere, nec quæreret propter quid Luna eclipsetur, quoniam videret eclipsim ob terræ interpositionem contingere; nec tandem quæreret, quid sit eclipsis Lunæ, propterea quòd videret huiusmodi eclipsim esse luminis defectum in Luna propter interpositionem terræ; cum itaque per omnes quæstiones quæratur id, per quod soluitur quæstio, & cognitio causæ sit, per quam soluitur omnis quæstio, sequitur per omnes quæstiones quæri cognitionem causæ,

atque

Digitized by Google

atque adeo medij; hinc omnes quæstiones ad unicam reuocentur oportet, videlicet ad illam, quæ est quæstio causæ, seu medij.

Nec ille, qui videret causam singularem, quæstionem de causa uniuersali deberet instituere, nam ex eo, quòd sentitur, & uniuersale nobis factum est scire, hoc est visâ causâ singulari, statim intellectus abstraheret causam uniuersalem; non igitur de causa uniuersali quæstio supereset.

1. 9. Disputat deindè Philosophus, utrum eiusdem se-
ad 13. cundum idem possit esse definitio, ac demonstratio; cum enim omnis quæstio quodammodo sit quæstio medij, oportebat explicare quo pacto nobis medium innotesceret; & quia demonstrationis medium est definitio, erat operæ pretium inquirere quo pacto definitio nota redderetur. Et quia trifariam potest intelligi, quòd eiusdem secundum idem sit definitio, ac demonstratio, primò nimirùm ex eo quòd omne demonstrabile sit definibile: secundò ex eo quod omne definibile sit demonstrabile, tertiò ex eo quod saltem aliquod idem secundùm rationem eandem simul definibile sit, ac demonstrabile; propterea in præsentia tria facit, primò quidem ostendit non omne demonstrabile esse definibile; secundò non omne definibile esse demonstrabile, tertiò nec aliquod idem secundùm rationem eandem esse simul definibile, ac demonstrabile. Has tamen rationes affert disputationis gratia, non quod ijs persuasus ita re verâ sentiat. Primum quatuor rationibus ostendit, quarum prima hunc se habet in modum. Definitio est ipsius *quid est*, ac proinde uniuersalis, & affirmatiua; at ex syllogismis alij negatiuam inferunt conclusionem, ut in secunda figura: alij particularem, ut in tertia; ergo non omne demonstrabile est definibile; ubi demonstrationis nomine omnis syllogismus intelligitur. Secunda ratio in eo posita, quòd nec omnium, quæ demonstrari possunt uniuersaliter affirmatiuè in prima figura, potest dari definitio, proinde videtur esse contra responsionem, quæ ad primam rationem adduci posset; diceret enim aliquis, omne demonstrabile in prima figura esse definibile, contra autem sic Philosophus instat. Si huius conclusionis, quæ in prima demonstratur figura, videlicet, *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus* rectis daretur definitio, sequeretur rem demonstrabilem sciri absque demonstratione, quia per solam definitionem sciri posset. Tertia ratio in inductione consistit; si nanque consideremus omnia, quæ vel per se, vel per accidens subiecto insunt, nunquam reperiemus inhærentiam per definitionem, sed per demonstrationem cognosci; ergo non omne demonstrabile est definibile. Quarta ratio in eo consistit, quòd definitio est substantiæ; at demonstrabilia non sunt substantiæ sed accidentia; ergo non omne demonstrabile est definibile.

1. 13. Aggreditur secundum initio propositum, atque
ad 15. duabus rationibus ostendit non omnium quorum est definitio demonstrationem esse, seu non omne definibile esse demonstrabile, prima ratio hæc est. Si omne definibile foret demonstrabile, sequeretur aliquod demonstrabile sciri sine demonstratione, estque ratio eadem cum secunda superiùs posita; at non potest *aliquod de*monstrabile sciri sine demonstratione; *ergo non omn*e definibile est demonstrabile. Secunda ratio; definitiones sunt prima principia demonstrationum, sed prima principia demonstrari non possunt; ergo non omne definibile est demonstrabile.

Tex. 15. ad 20. Assumit tractandum tertium, atque probandum, neque aliquod demonstrabile esse definibile, idque quatuor rationibus probat. Prima autem hæc est; omnis definitio est ipsius *quid*, ac explicat *quid res sit*; sed nulla demonstratio est ipsius *quid*, nam hoc supponens, proprietates ostendit; ergo nulla definitio ac demonstratio est de eodem; sed definitio est de essentia, demonstratio de proprietatibus; ac proinde nequit idem secundum idem esse simul definibile, ac demonstrabile; minorem probat inductione, nam in Mathematicis supponitur, quid sit unitas, quid impar, quid circulus, quid triangulum, ijsque suppositis affectiones demonstrantur.

Secunda ratio. In omni demonstratione unum enunciatur de altero; itaut oratio, in qua unum non enunciatur de altero nequeat esse demonstratio, at definitio est oratio, in qua unum non enunciatur de altero; ergo definitio nequit esse demonstratio; ergo non potest idem esse definibile, ac demonstrabile; minor constat, quia in definitione hominis, quæ sit *animal bipes*, vel *animal rationale*, neque animal prædicatur de bipede, neque bipes de animali, cum desit verbum *est*, quod est prædicationis nota; præterea si aliquid definiatur *figura plana*, nec planum prædicatur de figura, nec figura de plano. Tex. 16.

Tertia ratio. Demonstrationis finis est ostendere *quod est*, nempe *qualis res sit*, ut *quòd homo sit risibilis*; finis autem definitionis est declarare *quid res sit*, puta quod *homo est animal rationale*; aliud autem est *quid res sit*, aliud *qualis sit*; ergo definitio, & demonstratio non sunt de eodem secundùm idem; ergo demonstrabile non est definibile. Tex. 17.

Quarta tandem est ratio, quoniam diuersorum, quorum nullum in altero continetur, sicut pars in toto, diuersus est manifestationis modus; sed *quid sit res*, & *qualis sit res*, diuersa sunt, nec alterum in altero, sicut pars in toto, & sicut isoceles in triangulo continetur; ergo definitio, ac demonstratio per quarum alteram ostenditur *quid res sit*, per alteram *qualis sit*, diuersæ sunt manifestationes, etsi manifestatio, quâ triangulum ostenditur habere tres angulos æquales duobus rectis, diuersa non sit ab ea, quâ de Isocele demonstratur idem; quamobrem definitio, sic à demonstratione secernitur, ut neutra ad alteram, sicuti pars ad totum se habeat; & definibile, nempe *quid sit res*, ita se habet ad demonstrabile, puta, *qualis sit res*, ut unum ad alterum non sit sicuti pars ad totum; propterea non omne definibile est demonstrabile, nec viciſſim; alioquin alterum ad alterum, tanquam pars ad totum se haberet. Illud accedit, quod definibile puta *quid res sit*, & demonstrabile, nempe *qualis res sit*, mutuò discriminantur, ob id consequens fit ut idem secundum eandem rationem sub definitionem, & sub demonstrationem non cadat; est enim aliquid definibile, quatenus prædicatis quidditatiuis constat: est autem demonstrabile, quatenus affectionibus præditum est. Tex. 18. & 19.

Ex eo quòd declarare *quid est*, sit munus definitionis; non autem demonstrationis, probauit hucusque quod probandum assumpserat; nunc aggreditur idem probare aliâ ratione, dicendo per syllogismum ostendi non posse alicuius rei *quid est*; ubi per *quid est*, integram definitionem intelligit. Duo autem facit, primò docet unum tantùm dari modum, quo per syllogismum dicatur demonstrari, hoc esse illius *quid est*; secundò probat hunc modum vanum esse. Sed antequam primum aggrediatur, geminam facit suppositionem, quarum prima ad syllogismum pertinet, & est quòd omnis syllogismus tribus constat terminis, & unum de altero demonstrat: secunda pertinet ad A Tex. 20 usq; ad 23

ipsum

ipsum *quid est*, nempe quod ipsum *quid* proprium est eius, cuius est *quid*, & cum eo reciprocatur. Ex his autem suppositis duas facit consequentias. Prima hæc est. Si demonstrandum est syllogismo aliquid alicui inesse, ut eius definitionem; consequens fit, ut in *Barbara* tantùm fieri possit, nam termini debent esse reciprocabiles. Altera autem illatio hæc est; Si conclusio sit colligenda, quòd unum insit alteri, ut eius quod *quid est*; oportet in utraque propositione similiter sumere prædicatum inesse in subiecto, ut eius quod *quid est*, manifestum ergo non dari alium modum demonstrandi *quid est*, nisi per geminationem prædicationis in *quid*, in utraque propositione. Sed clariùs hoc modo; duabus rationibus probat non posse quid sit res demonstrari. Prima hæc est; ad demonstrandum quid sit subiectum, non sat est ostendere subiectum esse hoc, sed duæ requiruntur conditiones. Prima quarum est, ut esse hoc sit proprium subiecti, & cum illo conuertibile, nam quidditas est propria rei cuius est quidditas. Secunda, ut quidditatiuè de subiecto dicatur, nam quidditas, & definitio quidditatiuè dicitur de re cuius est quidditas, vel definitio; quamobrem si demonstretur subiectum esse hoc quidditatiuè, non tamen reciprocè, non demonstratur quid sit subiectum; ut ostendendo hominem esse animal quidditatiuè, non demonstratur quid sit homo, quoniam animal non reciprocatur cum homine. Similiter ostendendo subiectum esse hoc reciprocè, sed non quidditatiuè, non demonstratur *quid sit* subiectum; ob id ostendendo hominem esse risibilem reciprocè, non demonstratur quid sit homo, quoniam risibile de homine quidditatiuè non dicitur; sed nequit de subiecto demonstrari, vel per syllogismum ostendi ipsum esse hoc reciprocè, & quidditatiuè; ergo nequit de subiecto demonstrari, vel per syllogismum ostendi *quid sit*. Minorem propositionem sic licet ostendere, nam de subiecto ex. gra. de homine ut probetur, quòd sit hoc, nempe *animal rationale*, probari debet per medium, videlicet potens sentire & discurrere, quod quidem medium de subiecto, hoc est de homine reciprocè, & quidditatiuè prædicetur, & de quo medio maius extremum, hoc est animal rationale reciprocè, & quidditatiuè dicatur, atque syllogismus hic efformetur: *Omne potens sentire, atque discurrere reciprocè quidditatiuè est animal rationale reciprocè, & quidditatiuè; sed omnis homo est potens sentire, & discurrere reciprocè, & quidditatiuè; ergo omnis homo est animal rationale reciprocè, & quidditatiuè.* At si in maiori propositione maius extremum dicatur de medio non reciprocè, & quidditatiuè; vel in minori dicatur medium de minori extremo non reciprocè, & quidditatiuè, deduci conclusio non potest, in qua prædicatum, siue maius extremum dicatur de subiecto, hoc est de minori extremo reciprocè, & quidditatiuè. Hæc eadem exemplis illustrantur. Si nanque fiat syllogismus; *omne animal est viuens sensitivum reciprocè, & quidditatiuè; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens sensitivum reciprocè, & quidditatiuè*, mala quidem est illatio, quoniam etsi in maiori propositione maius extremum, puta *viuens sensitivum* de medio, hoc est de animali reciprocè, & quidditatiuè dicatur, in minori tamen *animal*, quod est medium de homine tanquam de minori extremo non dicitur reciprocè, etsi dicatur quidditatiuè; propterea licet quidem conclusionem inferre, & illationem facere, ergo omnis homo est viuens sensitivum, non tamen; ergo omnis homo est viuens sensitivum reciprocè; nam viuens sensitivum haud cum homine reciprocatur. Hæc eadem alio illustrari possunt exemplo huius in modum: *Omne animal rationale est viuens; omnis homo est animal rationale, reciprocè, & quidditatiuè; ergo omnis homo est viuens reciprocè, & quidditatiuè*; mala quidem illatio est, quoniam etsi in minori propositione medium, videlicet animal rationale, de homine, tanquam de minori extremo, reciprocè & quidditatiuè prædicetur, in maiori tamen *viuens*, quod est maius extremum de medio, quod est animal rationale non prædicatur reciprocè.

Cæterum, quando Philosophus negat definitionem de definito demonstrari posse, non loquitur absolutè, nam infra docebit unam definitionem, tanquam demonstrationis conclusionem posse per aliam definitionem demonstrari; solùm igitur eius consilium eò tendit, ut probet definitionem, ut definitionem non posse de definito demonstrari, puta non posse demonstrari animal bipes vel animal rationale esse hominis definitionem. Ad

His autè præhabitis facilè constabit intentum: nam ad concludendum *quid est* de homine reciprocè, & quidditatiuè, debet assumi medium, quod de homine reciprocè, & quidditatiuè prædicetur. ita ratiocinando: *Omne potens sentire, & disumere reciprocè, & quidditatiuè est animal rationale reciprocè, & quidditatiuè; omnis homo est potens sentire, & discurrere reciprocè, & quidditatiuè; ergo omnis homo est animal rationale reciprocè, & quidditatiuè.* At si in minori propositione prædicetur medium de homine, tanquam de minori extremo reciprocè, & quidditatiuè, sequitur medium esse definitionem hominis, atque adeo in minori assumi *quid sit homo*; quamobrem ad ostendendum *quid sit homo* assumendum in minori *quid sit homo* proindeq; committi debet petitio principij, quod non est admittendum; idcirco, nec *quid sit homo*, nec quid sit quæcunque alia res potest sine petitione principij demonstrari; simpliciter igitur, & in uniuersum quid sit res demonstrare non licet.

Hoc autem ex eo confirmatur, quoniam si minor illa propositio, omnis homo est potens sentire, ac discurrere reciprocè, & quidditatiuè, deberet per alium medium, puta per B demonstrari, quod in minori deberet de homine reciprocè, & quidditatiuè prædicari ad probandum igitur quid homo sit, deberet iterum assumi quid sit homo; quid itaque res sit absolutè demonstrari non potest.

Hoc etiam Philosophus eleganti confirmat exemplo. Sit ostendendum de Anima, *quod sit sibi causa viuendi reciprocè, & quidditatiuè*; medium autem sit *numerus, siue substantia se ipsam mouens* iuxta Platonem, cui substantiæ videbantur numeri, & hæc instituatur ratiocinatio: *Omnis numerus, siue substantia se ipsam mouens est sibi causa viuendi reciprocè & quidditatiuè; omnis anima est numerus, siue substantia se ipsam mouens; ergo omnis anima est sibi causa viuendi reciprocè, & quidditatiuè.*

Cum ostendisset syllogismo, atque medio reciproco demonstrari non posse *quid est*, aggreditur in præsentia probandum, nec id viâ diuisionis à Platonicis commendatâ fieri posse, nimirùm incipiendo à supremo genere, & ad ultimam usq; differentiam descendendo hoc modo; *Homo vel est substantia, vel accidens; non est accidens; ergo est substantia.* Rursus, *vel est substantia corporea, vel incorporea; non est substantia incorporea; ergo est substantia corporea.* Amplius *vel est substantia corporea animata, vel inanimus; non est substantia inanimis; ergo est substantia animata*, & ita deinceps donec deueniatur ad conclusionem hanc:

Digitized by Google

hanc, *homo est animal rationale*, hunc inanem esse modum ostendit; duo autem facit, primò nanq; propositum tribus argumentis probare nititur, secundò responsionem quandam reijcit. Primum argumentum tale est. Illa via, per quam non potest fieri syllogismus in quo positis præmissis, necessariò sequitur conclusio, non est idonea ad demonstrandum rei alicuius *quid est*, nam ad demonstrationem requiritur, ut ex positis præmissis necessariò sequatur conclusio; sed via diuisionis ita se habet, nunquam enim per ipsam potest fieri syllogismus, in quo positis præmissis necessariò sequatur conclusio; ergo via diuisionis non est idonea ad demonstrandum rei alicuius quid est. Minor sic ostenditur; vel enim diuisio est per membra contradictoria, ut cum animal diuiditur in rationale, & irrationale: vel non est per membra contradictoria, ut cũ animal diuiditur in rationale, rugibile, hinnibile &c. Si diuisio per membra instituatur contradictoria, fit petitio principij: si non sit per membra contradictoria, nisi petatur principium, non sequitur ex præmissis necessariò conclusio; ergo via diuisionis non est idonea ad demonstrandum *quid est*. Prima minoris pars ex eo constat, quoniam dum arguitur, homo vel est rationalis, vel irrationalis, non est irrationalis, ergo est rationalis; committitur petitio principij; si nanque irrationale contradictoriè opponitur rationali, idem est *non esse irrationale, ac esse rationale*; duę siquidem negationes affirmant, atque adeò idem est auferre unam contradictionis partem, & aliam subrogare partem contradictionis; dum igitur arguitur per diuisionem ex membris contradictorijs, petitur principium, & probatur una contradictionis pars per negationem alterius, quod est idem per idem probare, quę in superiori exemplo manifesta sunt; idem est enim auferre irrationale dicendo non est irrationale, ac ponere rationale: dumque probamus rationale, unam scilicet contradictionis partem, per negationem alterius, quę erat irrationale, dicendo non est irrationale, probamus idem per idem. Secunda verò pars eiusdem minoris suaderi potest, quoniam ex diuisione per membra contradictoria non constat sufficiens membrorum enumeratio, eòquòd instituitur argumentatio non omnibus membris diuisionis enumeratis; proindeque conclusio haud necessariò ex præmissis deducitur; ut si quis arguat *homo, vel est animal rationale, vel rugibile; sed non est animal rugibile; ergo est animal rationale*, is profectò malam illationem facit, quia per allatam diuisionem in maiori non sunt enumeratę omnes species animalis; quamobrem arguendo per membra non contradictoria ex præmissis haud rectè, nec necessariò infertur conclusio. Hoc explicari potest inductionis exemplo, quod etiam Aristoteles innuit. Inductio nanque non necessariò ex singularibus universale concludit, quoniam inducendo non redditur manifestum, utrum enumerata singularia sint omnia: ut si quis dicat, hic ignis calefacit, hic calefacit &c. non manifestat omnes ignes inductos fuisse; propterea necessariò non sequitur ista conclusio, *ergo omnis ignis calefacit*, quòd si forsan dicas in antecedenti adhiberi posse particulam hanc, *& sic de alijs*, incurres in maiorem difficultatem, propterea quòd hoc modo committitur petitio principij; hęc enim contingit quando idem probatur per idem, vel ignotum per ignotius, vel per æquè ignotum; at æquè ignotum est illud antecedens in quo adhibetur particula, *& sic de alijs*, ac ignotum est consequens ex illo deductum, æque siquidem est ignotum *hunc ignem calefacere, & hunc ignem calefacere, & sic de reliquis ignibus; ac ignotum est omnes ignes calefacere*. Non absimili modo hoc cũenit in diuisione alicuius universalis, in eas, quas habet subiectas partes, per membra non contradictoria, non enim redditur manifestum in ea diuisione omnes partes sumptas fuisse; proinde ex negatione aliarum partium enumeratarum non necessariò sequitur affirmatio partis reliquæ; si autem in minori fuerit assumpta particula illa, *& sic de reliquis*, principij petitio fit; ut si quis argumentetur hoc modo: omne animal vel est rationale, vel hinnibile, vel rugibile, vel alicuius alterius speciei; sed homo est animal non rugibile, non hinnibile, nec alicuius alterius speciei à rationali, certè is petit, ut sibi concedatur hominem esse animal, & in nulla alia specie à rationali, quod est hominem esse animal rationale, & idcirco fit petitio principij, cum idem probetur per idem; argumentando igitur ex diuisione, vel haud necessariò concludimus, vel in principij petitionem incurrimus; non itaque incedendo per viam diuisionis, possumus demonstrare alicuius rei *quid est* seu *quid res sit*. Secunda ratio, vel superioris confirmatio ea est, quia quantumuis per diuisionis viam ostendi posset hominem verè animal esse rationale; adhuc tamen non probaretur hominem esse animal rationale quidditatiuè; verumenimverò ad demonstrandum *quid est*, seu quid sit res, non satis ostendere, *quod res sit* hoc, sed ostendendum *quod res sit* hoc quidditatiuè; quantumuis igitur argumentum ex diuisione desumptum necessariò concluderet, non adhuc tamen demonstraret, rei *quid est*, seu *quid res sit*. Tertia ratio seu secunda confirmatio in eo consistit quòd ad cognoscendum quid est, seu quid res sit, debent de re cognosci omnia, & sola quidditatiua prædicata; at verò etiamsi per diuisionis viam demonstraretur subiectum esse hoc, non propterea manifestum fieret hoc continere omnia, & sola prædicata quidditatiua rei, adeo ut nullum omissum prædicatum sit quidditativum, nullumque sit additum prædicatum non quidditativum; ergo via diuisionis non conducit ad cognoscendum *quid res sit*.

Tex. 14. Rationibus allatis posset quispiam occurrere dicendo eas nullius esse momenti, quoniam arguens per viam diuisionis potest exordium ducere à supremo genere, illudque per immediatas differentias quidditatiuas diuidere, & hunc in modum ad ultimam usque differentiam quidditatiuam descendere, sumendo duntaxat quidditatiuas differentias, nullâ prætermissâ; & ita procedere, donec ad speciem ultimam in alias species indiuisibilem, concludat *quid est* ipsius, explicando quidem omnia, & sola prædicata quidditatiua eiusdem; sic enim procedendo, poterit per viam diuisionis, quid res sit concludere explicando scilicet omnia, & sola quidditatiua rei prædicata. Rem declaret exemplum. Vt aliquis ostenderet *quid est* hominis, posset sumere substantiam, quæ supremum est hominis genus, illamque per proximas ac immediatas differentias quidditatiuas corporei, & incorporei diuidendo in substantiam corpoream, & & in incorpoream, sic argumentationem instituere: *substantia quidem omnis, vel est corporea, vel incorporea; homo est substantia, non tamen incorporea; ergo homo substantia est corporea, siue corpus: omne autem corpus, vel animatum est, seu viuens, vel inanimatum; homo autem est corpus, sed non inanimatum; ergo homo est corpus animatum, seu viuens; viuens autem omne, vel est sensitivum, vel sensûs expers; homo quidem est viuens, & non sensûs expers, ergo homo est viuens sensitivum, siue animal: omne animal vel est rationale, vel irrationale; sed homo est animal, & non irrationale;*

le; ergo homo est animal rationale: quoniam autem animal rationale ulteriorem diuisionem non patitur in animalia rationalia specie differentia; propterea animal rationale dicetur tota quidditas hominis, quæ infima species est, ac in alias species indiuisibilis; quoniam autem per suprapositam diuisionem omnia, & sola sunt accepta prædicata quidditatiua hominis; propterea demonstratum est quid homo sit per adæquatam, & quidditatiuam eius definitionem.

Tex. 25. Improbat hanc responsionem dicens, etsi quispiam hoc modo: via diuisionis descenderet ad cognoscendum *quid res sit*, non propterea tamen ex præmissis inferret quid sit res; ut eum quis per inductionem ex singularibus ad uniuersalis cognitionem ascendit, ex præmissis singularibus non concludit uniuersale; sed ad demonstrandum *quid sit res* debet ex præmissis inferri *quid res sit*; per viam igitur diuisionis *quid sit res* demonstrari non potest.

Secunda ratio, vel superioris confirmatio in eo est, quoniam sicut per modum argumentandi, in quo non seruatur forma syllogismi, atque adeo in quo medius terminus, & extrema iuxta syllogismi leges non disponuntur, conclusio quidem infertur, quæri tamen potest cur ex tali antecedenti deducatur conclusio; non dissimiliter, cum per diuisionem infertur definitio, quæri potest cur id, quod per talem infertur definitionem, adæquata sit rei definitio; sed ut definitio de subiecto demonstrata dici possit, necesse est ex præmissarum vi manifestum fieri propterquid illa definitio sit adæquata subiecti, cum demonstratio debeat propterquid manifestare; quantumuis igitur viâ diuisionis incedens adæquatam subiecti definitionem assequeretur; non adhuc tamen de subiecto definitionem demonstraret; ut si diuidendo eo usque perueniat, ut cognoscat hominem esse animal rationis particeps, non adhuc tamen demonstrauerit adæquatam hominis definitionem in eo positam esse, ut homo sit animal rationis particeps, quoniam diuisionis viâ non redditur ex præmissis manifestum, propterquid animal rationis particeps adæquata sit hominis definitio.

Tex. 26. Quoniam alicuius rei *quid* demonstrari posse per definitionem definitionis, dicturum aliquem videbat, ideo hoc etiam excludendum peropportunum duxit, ob id duo facit, primò enim hunc dicendi modum declarat; secundò illum reijcit. Ad primum quod attinet, ita in aduersariorum gratiam ratiocinatur. *Illa oratio, quæ constat ex prædicatis quidditatiuis & est propria, & æqualis rei, est eiusdem rei definitio; sed hæc oratio* animal rationale, *ita se habet respectu hominis, constat enim ex prædicatis quidditatiuis ipsius, & est eius propria; ergo animal rationale est definitio hominis quidditatiua*; ergo ex definitione definitionis sic ad formam syllogisticam redacta, potest alicuius rei *quid est* demonstrari, adhibendo scilicet definitionis definitionem, tanquam demonstrationis unam præmissarum, ut in superiori exemplo major est propositio, in ea siquidem habetur definitionis definitio.

Tex. 27. Hunc modum refellit Philosophus duabus rationibus utens. Prima ratio ea est, quia etiam in hac argumentatione ad probandum quid sit res, sumitur quid sit res, & ideirco probatur idem per idem, atque adeo principij committitur petitio; modus igitur hic ad demonstrandum *quid est* admitti non debet. Assumptum constat, quoniam sumitur in minori superioris argumentationis, quod esse animal rationale, sit oratio constans ex prædicatis quidditatiuis hominis, sitque propria ipsius; sed hoc ipsum est animal rationale esse quidditatiuam hominis definitionem; ergo ad probandam hominis definitionem quidditatiuam, assumitur tanquam medium ipsa definitio, ac ob id probatur idem per idem, vel ignotum per æquè ignotum, æque enim minor, & conclusio ignota est. Secunda ratio sic procedit à simili, quemadmodum cum in arguendo utimur syllogismo, non assumimus tanquam præmissam syllogismi definitionem, sed solùm ut præmissas duas propositiones, quarum altera, nempe maior relata ad minorem se habet ut totum ad partem, eo quòd maior uniuersalior soleat esse minori: ita cum demonstramus quid sit res definitionis definitionem adhibere non debemus, tanquam demonstrationis præmissam; solùm id concedendum, quod nos dum utimur syllogismo, debeamus præ oculis habere syllogismi definitionem ad probandam ratiocinationem à nobis factam esse syllogismum, eoquòd ipsi syllogismi definitio cõueniat, si fortè contigerit, ut id ab aliquo negetur: ita pariter dum ratiocinamur ad ostendendum quid sit res, debemus mente gerere definitionis definitionem, eo quòd si quispiam inficietur nos ratiocinatos fuisse per definitionem, id ex definitione definitionis possimus ostendere.

Tex. Posset aliquis dicere modum alterum suppetere maximè idoneum, quo videlicet ex definitione unius, demonstretur definitio alterius, supponendo ut præmissam definitionem illius, atque adeo definitio unius contrarij, ex alterius contrarij definitione demonstretur, sequentem in modum disputando: contrariorum essentiæ, ac definitiones contrariæ sunt; sed essentia mali, quod aduersatur bono, consistit in diuisione, ac diuisibilitate, ut propterea quodlibet sui diuisionem, tanquam malum refugiat; ergo essentia boni in indiuisibilitate unitateque contraria diuisibilitati consistet, ut proinde quodlibet unitatem, tanquam sui bonum tueatur; hoc itaque modo quibusdam visum est definitionem unius rei posse demonstrari definitionem alterius, supponendo, ut præmissam definitionem istius.

Tex. 4 In hunc dicendi modum accerrimè Philosophus inuehitur, & primò quidem eo nomine, quòd etiam in hac argumentatione committitur petitio principij, quoniam ad probandum *quid est* assumitur *quid est*. Nec refert si dicatur ad probãdum quid sit unum, assumi quid sit aliud, quasi hoc fieri possit citra notam defectûs; enimverò non solùm in demonstratione non debet idem assumi, sed nec etiam aliud rationis eiusdem, & non magis notum, quàm quod probandum assumitur, quodque tale sit, ut inter ipsum, & conclusionem mutua possit intercedere probatio. Sed mali natura in diuisibilitate consistens & boni posita in indiuisibilitate sunt rationis eiusdem, & neutra est notior alterâ, & inter ipsas mutua probatio cadit, itaut una mutuò per aliam probari possit; ergo etiam in hac argumentatione principij petitio committitur. Secundò etiam argumentatur aduersus dicentes posse demonstrari quid sit res, vel diuisione, vel definitione definitionis, vel definitione contrarij, & hoc modo disputat; ad demonstrandum rei quid est, seu quid sit res, non sat ostendere rem esse hoc, vel illud; sed ulterius ostendendum est ex omnibus prædicatis unum quidpiam, unamque naturam fieri; ut ad demonstrandum quid homo sit, non solùm oportet ostendere hominem esse animal rationale, sed etiam ex animali, & rationali fieri unum, cum quidditas rei debeat esse una; sed hoc nec per viam diuisionis, nec per definitionem definitionis, nec per definitionem contrarij probari po-

Digitized by Google

test; ergo nullo ex his modis poterit quid res sit demonstrari. Assumptio constat, quoniam iuxta modos prædictos nihil in præmissis assumitur, ex quo necessariò sequatur ut ex duobus prædicatis, puta *animali*, & *rationali*, fiat unum magis, quàm ex musico, & grammatico fiat unum quidpiam.

31. Tandem concludit nullo pacto posse demonstrari 36 *quid res sit*. Duo autem facit, primò enim propositum duobus argumentis ostendit; secundò disputationis gratia oppositum suadere conatur. Primò autem supponens cognitionem ipsius *quid est*, ad intellectum spectare, & omne, quod mente discimus aut syllogismo, aut inductione addisci; nam quod ignoramus, vel est naturaliter ignotum, proinde nequit nisi per aliud notificari; propterea est opus syllogismo: vel est naturaliter notum, ersi primo aspectu ignotum, obid ex singularium inspectione satis per inductionem innotescit. His suppositis sic argumentatur. Si quid res sit posset demonstrari, vel id per syllogismum, vel per inductionem fieret, sed neutro modo contingit; ergo nullo modo quid est poterit demonstrari; prima pars minoris ex disputatis constat, cum ostensum sit per syllogismum non posse *quid est* notificari. Secunda pars ex eo patet quia per inductionem solùm ex eo quod aliquod prædicatum conueniat, vel non conueniat singularibus, ostendi potest conuenire vel non conuenire uniuersali; quòd autem tale prædicatum sit ipsius uniuersalis quidditas, ostendi minimè potest, ut ex. gr. per inductionem factam de hoc, vel illo homine, quòd sit animal rationale potest ostendi, colligique omnem hominem esse animal rationale, non tamen animal rationale quidditatem hominis esse; cum igitur nec syllogismo, nec inductione demonstrari possit rei quid est, seu quid sit rei, non poterit simpliciter demonstrari quid res sit, cum aliud demonstrationis genus non suppetat, nec alius sit reliquus modus, non enim qui sensu aut digito monstrat, nam hoc demonstrantur sensibilia tantùm, è quorum numero quidditas non est, velut illa quæ cuiuslibet sensûs aciem fugit.

Aduertendum porrò, ab Aristotele dici per demonstrationem, & inductionem notificari *quid est*, id autem intelligendum secundariò, cum utraque nil aliud notificare possit, quàm aliud alicui inesse, aut non inesse, quid autem sit aliquid, nulla ratiocinatione cognoscitur; sed assiduâ mentis consideratione manifestum per se ipsum redditur.

Variis modis impugnatis, quibus videbatur rei quid est posse demonstrari, nunc in uniuersum alijs rationibus fortasse communibus illud idem ostendendum assumit. Prima ratio sic struitur: ad cognoscendum quid sit aliquid, oportet etiam cognoscere quòd sit, nempe quòd sit possibile; ut ad cognoscendum quid sit homo, oportet cognoscere ipsum esse possibilem, quod enim non est possibile, nullam quidditatem habet, & idcirco de ipso sciri quid sit, seu quam quidditatem habeat, non potest, sed solùm quid eius nomen significet, cognoscere nobis datum est; ad eum modum, quo licet cognoscere quid nomen *hircocervus* significet; si demonstratio igitur ostendit quid sit res, eadem quoque monstrabit illam esse, sed non potest definitio demonstrare *quòd est*; ergo nec etiam *quid est*; maior constat ex præmissis, nam nominis declaratio haberi potest eius quod non est, at quid rei nequit haberi nisi eorum, quæ sunt; quamobrem sciri non potest quid, nisi etiam sciatur quòd; minorem autem probat, nempe definitionem non notificare *quod est* tribus, vel ut alijs placet quatuor rationibus, quarum prima hæc est. Quid est, & quod est, non idem sunt, quin potius longè differunt inter se; ergo eodem instrumento notificari non possunt, quoniam unius instrumenti officium est unum duntaxat notificare; definitio igitur, quæ alioquin ut supponitur, monstrat, *quid est*, non poterit monstrare *quod est*; hoc enim ad demonstrationem pertinet.

Posset autem quispiam occurrere dicendo necessarium non esse, ut definitio monstret quòd est, cum illud possit supponere; sed hoc ineptè dicitur, quoniam in præsentiarum per *quid est* intelligitur quid est accidentium; huiusmodi autem *quid* ignotum est secundum naturam, proindeque non potest tale *quid est* notificari, nisi simul monstretur *quod est*. Secunda probatio in eo consistit, quia per definitionem solùm quidditas, & rei essentia cognoscitur; quando igitur esse non est quidditas rei, non definitione, sed solùm demonstratione cognoscitur; sed *esse* non est essentia, vel quidditas rei alicuius, si primum ens excipias; ergo rem esse non ostenditur definitione, vel ullâ ratione declarante rei quid est, sed hoc ostenditur demonstratione, quæ a definitione distinguitur; unica igitur ratione demonstrari nequit rei *quid est*, & *quod est*, quod autem *esse* non sit quidditas, vel non pertineat ad quidditatem rei alterius à primo ente, ex eo probat Philosophus, quia genus non est ipsum ens; ac proinde non pertinet ad quidditatem nec prædicatur *in quid*.

Sed hîc aduertendum *ens* duobus modis usurpari, primò prout significat existentiam, quo pacto non est genus, sed accidens quintum prædicabile. Alio modo sumitur *ens* prout significat id, cui debetur esse; quo pacto denotat essentiam, hoc modo sumitur, quando dicitur homo est ens, Leo est ens, & sic cum sit aliquid commune pluribus, est aliquid uniuersale, dicique potest genus, quoniam de pluribus specie differentibus potest in quid prædicari, & potest etiam dici non esse genus, prout nimirum genus fuerit acceptum, si nanque sumatur pro eo, quod est quidem commune multis, specie differentibus, ita tamen ut sit ab ipsis perfectâ præcisione distinctum, hoc sensu ens non erit genus, quoniam tantâ distinctione ab inferioribus, & à differentijs contrahentibus non distingitur. Alio etiam modo sumitur genus pro eo, quod est commune multis specie differentibus, ita tamen, ut ab ipsis & à contrahentibus differentijs solùm imperfectâ præcisione distinguatur, & hac ratione ens potest dici genus. Tertiam rationem adducit ex testimonio scientiarum, quæ reipsâ supponunt quid res sit, seu quid nomen significet; deinde procedunt ad demonstrandum *quòd sit*, ut Geometra non demonstrat quid sit triangulum, vel quid eius nomen significet; sed hoc absque demonstratione accipiens, solùm probat de ipso *quòd sit*, non quòd reuerâ demonstret triangulum dari, siue quod eius existentiam ostendat, ut perperam quidam interpretantur, dicentes demonstrari structuram trianguli, quasi triangulum sit affectio, quæ de structura demonstretur, quo nihil ineptius; sed Geometra potius demonstrat affectionem de triangulo, & hoc est etiam demonstrare de triangulo *quod est*, nam *quod est* præcipuè significat quæstionem complexam, quâ quæritur num unum alteri insit; quandoque autem accipitur pro *si est*, iuxta quam significationem hoc loco sumitur, ita tamen, ut eadem Aristotelis doctrina retineri possit sumpto *quod est* iuxta primum usurpationis modum, nam propriè seuerèque loquendo, demonstratio probat unum alteri inesse, nempe attributum subiecto, licet hoc modo probetur etiã *esse*. nam attributum inesse subiecto, est esse ipsius. Cæterum

Adnotatio.

Stagirites rem exemplo declarare contendens, veritatē non curat, dum triangulum supra commemorat. Scientiæ igitur supponunt quid res sit, seu quid nomen significet, & his suppositis procedunt ad demonstrandum *quod est* de ijs, quæ supponuntur; non ergo eâdem ratione, inquit Philosophus, *quid est*, & *quod est* monstratur. Ratio enim demonstrans *quid est* deberet etiam monstrare *quod est*; alioquin demonstrans *quid res sit*, nescire posset adhuc illam esse, quod fieri profectò nequit; qui namq; ignorat an *aliquid sit*, saltem causarum virtute, scire non potest *quid sit*, quod nihilominus in scientijs obseruare non licet, cum in ipsis alia sit ratio attingendi *quid est*, ab ea, quâ *quod est*, attingitur. Quarta, & postrema ratio in inductione consistit, hâc enim ostenditur per definitionem non demonstrari *quod est*, simulque à definiente non probari hanc illius esse definitionem, vel *quid est*, & ait, si singulas, quæ in disciplinis adhibentur definitiones, aduertamus, facilè comperiemus per nullam demonstrari quod res sit, nec quod hoc sit illius *quid est*; in cuius exemplum adducit circuli definitionem, etsi imperfectè ac diminutè, dicendo *à medio æquale*, cum absoluta eius definitio sit, figura plana unicâ lineâ comprehensa, à cuius medio ad peripheriam omnes ductæ lineæ sunt æquales; qui autem hunc in modum circulum definit, certè hac definitione, nec circulum esse, nec eam esse circuli definitionem ostendit, ut propterea liceat nobis suspicari illam esse cuiuslibet alterius rei definitionem ut Leonis, vel Equi, vel Orichalci &c. hoc est, non magis circuli, quàm cuiuslibet rei, immò non magis entis, quàm non entis; per Orichalcum enim intelligit non ens, seu aliquod impossibile, sumit namque illud pro monte aneo. Cognoscimus quidem & circulum esse, & eam circuli definitionem esse, sed statuit Philosophus ignorari, & quòd circulus sit, & quòd hæc sit circuli definitio; affirmans assignatâ definitione circuli, nec circulum esse, nec eam esse eius definitionem cognosci, itaut non immeritò, quari possit propterquid circulus sit; & propterquid illa circuli potius, quàm Orichalci definitio esse dicatur, quoniam definitio illa neutrum horum ostendit; immò definitio sumpta quâ talis, nec etiam demonstrat rem illam esse possibilem.

Dum pergit Philosophus, non conuenit inter interpretes quid sibi velit, quodque sit eius consilium, adhærendum tamen puto dicentibus Aristotelem in præsentia suscipere demonstrandum contrarium eius, quod paulò antea docuerat, ut institutâ disputatione in utranque partem, faciliorem inueniendæ veritatis viam aperiret; cum itaque docuisset per definitionem non ostendi quid est; nunc oppositum probabilibus rationibus videtur suadere, per definitionem patefieri ipsum *quid est*; ad incommodum autem ducens ita disputat. Definitio debet aliquid notificare, alioquin inutilis foret, quod autem notificare potest duorum alterum omninò est, nempe vel quid res sit, vel quid nomen significet, nihil enim aliud apparet, quod per definitionem possit notificari; admissâ autem superiori ratiocinatione in eum finem institutâ, ut probetur definitionem non ostendere *quid est*, remanet, ut nihil per eam aliud ostendatur, quàm quid nomen significet; hoc autem absurdum; ergo & antecedens, quo dicebatur definitionem non ostendere ipsum *quid est*. Illatio ex dictis clara est; consequentis autem falsitatem trifariam ostendit; primò quia sequeretur dari etiam posse definitionem impossibilium, quæ nullam habent essentiam, quoniam ea quoque possunt nominibus significari, & eorundem nominum significationes declarari. Secundò quia sequeretur omnes orationes, quantumuis longissimas esse definitiones, cuilibet enim orationi potest nomen unum imponi; cum igitur talis oratio explicet quid tale nomen significet, erit dicenda definitio, & quoniam Ilias Homeri est Oratio, significata per hoc nomen Ilias, poterit etiam Ilias definitio dici. Tertiò scientia non ostendit, quid nomina, quibus utitur in conclusione, significent; ergo nec etiam definitiones hoc demonstrant; assumptum patet nusquam enim in aliqua scientia demonstratur significatio nominis, non enim in nominibus, sed in rerum contemplatione versantur; consecutio optima, quoniam scientiæ omnes definitionibus utuntur, itaut sint quædam ipsarum scientiarum partes; idcircò si definitiones demonstrarent quid nomina significent, etiam, & scientiæ id præstare deberent, quod tamen non faciunt, proinde nec etiam definitiones.

Duo ad extremum concludit, unum scilicet verisimile videri definitionem & syllogismum non esse idē, nec eiusdem rei; alterum verò, definitionem nihil demonstrare. Aduerte autem modum loquēdi; ait enim πρὸς δὲ τούτοις. ὅτι οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς ἔστιν ὅτε ἀποδείκνυσι, ἔστι δ' ὅτε δείκνυσιν ὅτε τὸ τί ἐστι, ἀλλ' ὁρισμῷ ἅπαν ἀποδείξει ἴσως. *Insuper* dicendum videtur *definitionem, nec demonstrare, nec ostendere ullam rem, & quid res sit, nec definitione, nec demonstratione cognosci posse*. Hic loquendi modus non ignobilem interpretem eò deduxit, ut crederet Aristotelem ita locutum fuisse ad denotandum definitionem nihil penitus aptam esse notificare, eoquòd demonstrare sit demonstrationis proprium; monstrare autem latius pateat, omnique syllogismo conueniat: Hæc tamen puerilia sunt, nam ἀποδείκνυσι dicitur à verbo ἀποδείκνυμι, & δείκνυσιν à verbo δείκνυμι; sed horum verborum eadem est significatio, utrumque siquidem significat idem, ac *demonstro, probo, ostendo, indico*. Nil aliud igitur in præsentia Philosophus vult, quàm geminato verbo inculcare, quod in animo habet. Caterum iam supra paucis explicuimus ea, quæ Aristoteles tradit à particula trigesima sexta, usque ad quadragesimam septimam, cum de demonstrationis duplici, & præsertim maiori extremo disputaremus; ob id uniuersam hanc doctrinam silentio præterire breuitatis causa peropportunum duximus, cum ibi satis copiosè Philosophi sententiam interpretati fuerimus, nec ulteriori interpretatione opus esse videatur, quamobrem ad particulas sequentes explanandas descendere iuvabit, initio ducto ab explicatione particulæ quadragesimæ quintæ, in qua Philosophus speciem alteram definitionis adducit, in cuius gratiam priorem definitionem dictam *quid nominis*, ad memoriam reuocat, nempe quòd definitio sit oratio significationem nominis declarans; alteram autem definitionem affert dicendo, esse orationem declarantē propter quid est; inter utranque autem discriminis illud assignat, quòd prior nominis quidem significationem explicat, sed non monstrat, quia rei causam non adducit; posterior autem est veluti ipsius demonstratio positione differens à demonstratione, hæc enim rei causam adducens, demonstrat; nam afferre causam est rem demonstrare, & contra. Vtitur autem voce *tanquam*, eoquòd hæc definitio non omninò est idem ac demonstratio, licet re ipsâ sit idem, modo tamen distinguuntur, nam à demonstratione positione nominorum distinguitur, ita ut modus in huiusmodi positione consistat, quamuis penes duo debeat attendi, quorum unum est syllogistica forma, quæ demonstrationi est necessaria, cum tamen definitioni non com-

Digitized by Google

conueniat: alterum terminorum est ordo, cum enim ex iisdem tribus terminis tam definitio, quàm demõstratio constet, ipsi tamen alio ordine in una, alio autem in altera ponuntur; nam in definitione primò genus, secundò subiectum, tertiò causam proferimus, dicere nanque solemus eclipsis est priuatio luminis in Luna terrâ interpositâ; at in ipsa demonstratione nunquam à genere, sed vel à subiecto, vel à causa prout propositio minor maiori, aut vicissim antecedit ponitur. Philosophus autem præsertim differentiam à forma sumptam respiciens, rem illustrat exemplo, & ait, differt enim dicere, *propter quid tonat? & quid est tonitruum;* Quærenti enim propter quid tonat; Respondetur, quia extinguitur ignis in nube, hoc autem est demonstrare; medium enim adducere ut causam rei, duas est facere propositiones, atque demonstrationem efformare. Quærenti autem, *quid est tonitruum;* Respondetur, sonus ignis, qui extinguitur in nubibus; hoc autem non est demonstrationem, sed definitionem contexere; hunc enim in modum essentia cum causa essentiæ exprimitur: eadem igitur oratio uno modo prolata dicitur demonstratio, quoniam rei causam, quatenus causam adducit; altero autem dicitur definitio, quoniam eandem causam ut perfectionem, & complementum definitionis affert, est igitur eadem oratio secundum rem, non eadem tamen secundum modum.

Hoc loco explicat Aristoteles, quod sibi particulâ octauâ proposuerat declarandum, videlicet quomodo definitio se habeat ad demonstrationem; contendens autem hoc explicare, primò species omnes definitionis recenset, quas ternario numero continere docet, affirmans singulas aliquem habere respectum ad demonstrationem, quandoquidem una definitio est demonstrationis conclusio, alia verò indemonstrabilis, est principium demonstrationis, quæ quidem definitio quibusdam videtur esse definitio subiecti; tertia demum est idem re, ac demonstratio, quæ solùm terminorum positione à demonstratione differt, de qua cum proximè disputauerit, nihil dicitur propterea nunc solùm de reliquis duabus etiam superius tactis, orationem instituat; primò enim scilicet particulâ quadragesimâ quartâ, sermonem habuit de definitione nominali, deinde particulâ quadragesimâ quintâ, de illa quæ principium est demonstrationis nullo habito ad demonstrationem respectu, quem in præsentia considerat dicens illam definitionem, quæ nominalis est, nempe *tonitruum est sonus in nubibus* conclusionem eius esse demonstrationis, quæ est ipsius quid est; non quia demonstret ipsum *quod quid est*, de eo cuius est, sed quoniam ex ea deducitur, innuens hoc modo, definitionem tonitrui ad demonstrationem tanquam conclusionem referri.

Vbi obseruandum nominalis definitionis appellatione nunc non intelligi illam, quæ in explicatione nominis consistit, sed essentialem, siquidem rei essentiam exprimit, ut patet de definitione tonitrui nuper allata; nominalis tamen dicitur, eoquòd per ipsam nõ afferatur causa. Deinde cum progreditur dicens immediatorum autem definitio, &c. significat definitionem illam, quæ est indemonstrabilis, ad eandem demonstrationem referri, ut esse principium ipsius.

Sed adhuc ad maiorem supradictorum explanationem, quæ sequuntur, exemplis illustrata consideranda sunt, hoc præmisso, quòd duplex est definitio, altera quidem rei habentis causam externam, ut est definitio accidentis, puta eclipseos, tonitrui, &c. & de hac dari potest definitio explicans propterquid res sit, altera est definitio rei, cuius natura non pendet à causa externa, ut definitio substantiæ, puta hominis &c. & hæc explicat solùm quid res sit; prior continet demonstrationem, posterior autem non continet, immò à demonstratione solùm terminorum positione differt: ut sæpe dictum fuit, hoc autem præhabito. Eclipsis, ex. gr. gemino modo potest definiri, primò quidem dicendo, *est priuatio luminis in Luna*. Secundò *est priuatio luminis in Luna interpositâ terrâ inter ipsã, & Solem*. Prior definitio est demonstrationis conclusio. Secunda solùm positione, situque terminorum à demonstratione differt, siquidem continet omnes terminos, omnesque propositiones, ex quibus demonstratio construi potest, & à demonstratione tantummodo differt, quoniam termini, & propositiones eam non seruant figuræ dispositionem, quam syllogismus requirit; allata nanque posterior definitio maius continet extremum, quod est *priuari lumine*: minus extremum, quod est *Luna*, & medium, seu causam, cur Luna priuetur lumine, causâ autem est *interpositio* terræ, & ex his terminis potest de Luna, eclipsis demonstrari hoc modo, *quandocunque terra interponitur inter Solem, & Lunam, necesse est Lunam, priuari Lumine; sed certis temporibus inter Solem, & Lunam, necesse est terram interponi; ergo certis temporibus necesse est Lunam priuari lumine*. Hac eadem de tonitru intelligenda; hic enim potest etiam duobus modis definiri; primò *sonus in nube*; secundò *sonus ignis, qui extinguitur in nube*? Prior definitio est demonstrationis conclusio; secunda solùm terminorum positione differt à demonstratione, continet enim demonstrationis maius extremum, quod est *sonus*, minus extremum, quod est *nubes*, & medium quod est *ignis extinctio*, ex quibus talis confici demonstratio potest; *datâ extinctione ignis in nube, necesse est in ea dari sonum; sed plerunque necesse est dari extinctionem ignis in nube; ergo plerunque necesse est in nube dari sonum*. Cum autem talis definitio solùm positione terminorum differat à demonstratione, ad quæstionem autem *quid est*, respondeatur per definitionem, ad quæstionem *propterquid*, per demonstrationem continuam, hoc est non interruptam, seu non distinctam in tres propositiones; idcirco ad quæstiones *quid est eclipsis Lunæ? & propterquid Luna eclipsatur?* & præterea ad quæstiones, *quid est tonitruum, & propterquid nubes tonat* respondendum ita, ut responsio interrogationi sit accommodata; ad quæstionem enim, *propterquid Luna eclipsatur*, respondendum, *Luna eclipsatur propter interpositionem terræ*; hæc enim responsio cum in propositione consistat, quæ non est in plures propositiones interrupta, seu non distincta, dicitur demonstratio continua; ad quæstionem *quid est eclipsis*. Respondetur, *est priuatio luminis in Luna terrâ interpositâ*; hæc autem responsio eadem est, ac prima, à qua tantummodo situ, & formâ discriminatur, quoniam prima dicit, *Luna eclipsatur propter interpositionem terræ*; secunda verò, *eclipsis est priuatio luminis terrâ interpositâ*, prætermissâ causali particulâ *propter*, quæ significat causam, quatenus causam. Non absimili modo ad quæstionem *propterquid nubes tonat*? Respondetur, *nubes tonat propter extinctionem ignis*, ad quæstionem, *quid est tonitruum*? Respondetur, *est sonus ignis extincti in nube* prætermissâ particulâ *propter* ob rationem proximè tactam; hæ autem responsiones terminorum situ dumtaxat discriminantur, illæ, in quibus est particula *propter* demonstrationes sunt, licet continuæ sensu iam explicato; illæ autem in quibus huiusmodi particula omittitur, sunt definitiones quæ tantummodo situ, positioneque terminorum à demonstrationibus distinguuntur.

Demonstratio continua quid?

Digitized by Google

Considerandæ quædam circa eumdem Textum proponuntur.

Redeuntes in orbem sermonis, illud addere debemus, videlicet Aristotelem ad calcem huius, quam interpretamur particulam, ex dictis colligere quo pacto definitio ad demonstrationem se habeat, definitio enim eorum, quæ non habent esse à causa externa, principium est demonstrationis, atq; positio quædam demonstrabilis, ut definitio hominis, quòd sit animal rationis particeps, est principium demonstrationis, per quam de homine prima demonstratur affectio. Definitio eorum, quorum natura est à causa externa exprimens talem causam, ut est definitio eclipseos tonitrui, &c. solùm positione terminorum à demonstratione differt. Huc pertinent definitiones omnium affectionum, in quibus externa causa debet adhiberi. Definitio tandem eorum, quorum natura est à causa externa, sed non exprimit talem causam, est demonstrationis conclusio; ut eclipseos definitio, quâ dicitur *est privatio luminis in Luna*, & definitio tonitrui *est sonus in nube*, utraque enim exprimit *quid sit*, sed non *propterquid sit*.

Ad notatio.

Ex hactenus dictis interpretes colligerunt quatuor esse definitiones considerandas, è quibus una est subiecti in scientia definitio, quæ principium est indemonstrabile, qualis est in scientia de homine eiusdem hominis definitio *animal rationis particeps*; Secunda est affectionis perfecta definitio, quæ demonstratio est positione differens; ut in scientia de Luna definitio eclipseos, *privatio luminis in Luna interpositâ terrâ inter Lunam ipsam, & Solem*; hæc enim affectio est competens Lunæ propter causam externam, nimirum *interpositionem terræ*, nam hæc interpositio in Luna non est, sed extra ipsam: Aliæ duę sunt ipsius affectionis definitiones imperfectæ, in quas perfecta ipsa definitio diuiditur, quarum una est per solam causam tradita, quæ demonstrationis est medium, ut *eclipsis Lunæ est interpositio terræ inter ipsam, & Solem*, vel *est privatio luminis in Luna interpositâ terrâ inter ipsam, & Solem*. Sic etiam *tonitruum est extinctio ignis in nube*, vel *sonus ignis extincti in nube*, & hæc est ordine tertia; Tandem definitio alia ordine quarta est definitio nominalis tradita per genus, & subiectum, quæ est demonstrationis conclusio, quia causam habet, per quam demonstrari potest, ut *eclipsis lunaris est privatio luminis in Luna*, sic etiam *tonitruum est sonus in nube*; quando autem Philosophus asseuerauit aliquam definitionem esse demonstrationis principium, de definitione subiecti sermonem habuit.

Text. 47.

Absolutâ disputatione de iis problematibus quæ particulâ octauâ tractanda sibi proposuerat, in præsentia colligit in epilogum, quæ hactenus suâ contemplatione persecutus est. Primò quidem quomodo demonstratio sit ipsius *quid est*, & quomodo non. Probatum enim fuit à particula trigesima sexta, usque ad initium particulæ quadragesimæ secundę, ipsum *quid est*, non posse demonstrari de eo, cuius est *quid est*, quod primum erat problema, itaut ostendatur hoc esse ipsius *quid est*, quoniam fieret petitio principij, licet notificari possit per demonstrationem, quatenus hæc facit scire *propter quid*, quod est idem re cum ipso *quid est*. Secundò fuit explicatum, quod nam sit illud *quid est*, quod potest demonstrari, & quod sub demonstrationem non cadit; nam in particula quadragesima secunda, & quadragesima tertia docuit *quid est*, accidentium posse demonstrari, quoniam tale quid est, causam habet, nimirum externam, per quam demonstrari potest: at quid est substantiarum demonstrari non posse, quoniam externam causam non habet, & ita problema quartum fuit declaratum. Tertiò fuit explicatum quid sit definitio, & quot modis ipsa dicatur; nam dictum fuit, quòd aliqua definitio explicat solùm *quid res sit*, altera verò *propterquid sit*, & hoc in particulis quadragesima quarta, quadragesima quinta, & quadragesima sexta. Et sic explicatum fuit problema tertium. Quartò declaratum fuit, quo pacto demonstretur quidditas ac definitio; dictum est enim aliquam esse definitionem, quæ est oratio demonstrans *quid est*, & est illa, quæ effectum cum causa continet, quatenus in ea sumitur *propterquid sit*, diciturque demonstratio solo situ differens; aliam verò esse, quæ non demonstrat, quia non exprimit causam, solumque dicit *quid res sit*, & nominalis definitio nuncupatur. Quintò declaratum fuit, quorum sit, & quorum non sit definitio; dictum est enim definitionem, quæ demonstrat *quid est*, accidentium esse, non autem substantiarum: eam verò, quæ non demonstrat *quid est*, esse substantiarum. Sextò fuit explicatum secundum problema, nimirum, quomodo ad demonstrationem se habeat definitio; dictum est enim particulâ quadragesimâ sextâ definitionem vel esse principium demonstrationis, vel esse demonstrationem solâ positione differentem, vel esse conclusionem demonstrationis. Ad extremum concludit ex hactenus dictis etiam constare, quomodo contingat eiusdem esse definitionem ac demonstrationem secundum rationem diuersam; nam rei alicuius est definitio, quatenus definibilis, & eiusdem est demonstratio, quatenus est demonstrabilis; & quomodo non contingat, quoniam eiusdem secundùm eandem rationem, non est definitio ac demonstratio.

Aggreditur considerandum, quo pacto demonstratio fieri possit assumendo medium ex quolibet genere causæ; cum enim declarasset quomodo ad demonstrationem se habeat *quid*; nunc explicat quo pacto se habeat *propterquid*, quod causam significat, & cum quatuor sint causæ, nempe formalis, materialis, efficiens, & finalis; videtur quærere, sub quonam genere causæ contineatur illa, quæ in definitione scientiæ commemoratur, quando dicitur scire esse rem per causam cognoscere; hanc autem conclusionem statuit. Demonstrationis medium ex quolibet causarum genere desumi potest. Assertionem probat, quia scire est rem per causam cognoscere, tanquam per medium; sed quatuor sunt causarum genera, forma videlicet, seu quidditas; materia, quâ posità, necesse est aliud esse, ad eum modum, quo positis partibus, quæ sunt causa materialis totius, necesse est totum esse; efficiens, quæ est primum principium motûs; ac denique finis, cuius gratia aliquid fit; ergo per quodlibet prædictarum causarum genus, tanquam per medium res sciri potest; & idcirco medium demonstrationis, ex quodlibet causarum genere, sumere licebit.

Rem illustrat exemplis, quorum primum ad causam materialem pertinet, desumptum ex propositione trigesima prima libri tertii Euclidis, ubi Geometra demonstrat *omnem angulum descriptum in semicirculo rectum esse*, cuius demonstratio per genus materialis causæ procedit, eo sensu, quo in huiusmodi scientia materia locum habere potest; procedit enim per dimidium duorum rectorum, *hoc verò* ad materiam pertinet, si quidem dimidium significat partem; quæ vel Aristotelis testimonio, comparatione totius habet materiæ locum, sic porrò demonstrationem efformat; supposito A esse maius extremum, C minus extremum, & B medium terminum, & per A, significari rectum, per C angulum in semicirculo, per B dimi-

dimidium duorum rectorum, quibus positis demonstrationem contexit B est A; sed C est B; ergo C est A, hoc est, dimidium duorum rectorum est rectum; sed angulus in semicirculo est dimidium duorum rectorum; ergo angulus in semicirculo rectus est; causa igitur cur angulus in semicirculo sit rectus, est ipsum esse duorum rectorum dimidium. Vbi obseruandum, non differre medium ab Aristotele adhibitum, ab eo, quo utitur Euclides; hic enim probat conclusionem ex eo quia angulus externus est æqualis alteri deinceps; ille autem dimidium duorum rectorum pro medio sumit; sed hæc re sunt idem, etsi diuersis verbis significata; addit autem Philosophus *si esse dimidium duorum rectorum*, sumatur tanquam aliquid spectans ad anguli recti quidditatem, allatæ demonstrationis medium ad formalem causam reductum iri, de quo causæ genere noluit exemplum afferre, cum iam supra docuisset, quo pacto
37. quidditas, quæ formalis est causa, possit esse demonstrationis medium. Sed hac de re multa scripsi cum de medio demonstrationis disputarem, quæ diligenter euoluenda animo, tibi persuasum velim.

Demonstrationem declarat, in qua medium est causa efficiens maioris extremi, sed Aristotelis doctrinam de hoc genere causæ explicuimus, cum de medio demonstrationis ageremus; diximus enim, quid sibi Philosophus velit; proponatur, inquit, quæstio, propterquid Medi bellum gesserunt aduersus Athenienses; hæc porrò causa fuit, quoniam Athenienses, una cum Eretrijs, seu Eretriensibus bellum intulerunt Sardis Medorum amicis; hoc enim impulit Medos ad bellum Athenicnsibus inferendum. In demonstratione igitur maius extremum sit A; hoc est bellum à Medis illatum; medius terminus sit B; hoc est prius bellum Athenienſium in Sardos; seu prius bellum amicis inferre; minus extremum sit C; hoc est Athenienses. Demonstratio autem modo ibi declarato, potest efformari; ubi etiam obseruauimus demonstrationem allatam in exemplum ab Aristotele minus idoneam esse, cum sit de re singulari per causam singularem. Ad idem autem accommodatius exemplum sequenti affert particulâ, statim explicaturus demonstrationem à causa finali.

27. In præsentia declarat demonstrationem illam, in
14. qua medium causa finalis est, in cuius gratiam duo-
31. bus exemplis utitur. Proposita sit quæstio *cur post cænam ambulamus?* hæc quæstio finem quærit, ob id respondendum, ut valeamus, afferendo scilicet finem cuius gratiâ à nobis instituitur deambulatio. Ita parmer hæc alia quæstio, *cur ædificator domum facit*; finem quærit; ideoque respondendum, ut seruetur supellex, afferendo finem, cuius causâ domus construitur. Ad efformandam autem demonstrationem per causam finalem, deambulatio post cænam sit minus extremum appellatum C; facere ut cibus descendat ad fundum ventriculi, ita ut ad eius os non regurgiter, sit medium B; benè autem valere, sit maius extremum A; his porrò suppositis, hanc demonstrationem efformat: *Quod facit ut cibus post cænam descendat ad ventriculi fundum, & non regurgitet ad os eiusdem, facit ut nos benè valeamus; sed ambulatio à cæna, facit ut cibus descendat ad ventriculi fundum, & non regurgitet ad os eiusdem; ergo ambulatio post cænam facit ut benè valeamus.*

Insignis tamen se difficultas offert, propterea quòd Philosophus in præsentia declarandam assumit demonstrationem cuius medium sit causa finalis; adeo ut dicendo *propterquid deambulat, ut sanus sit* significauerit, hominem sani, ut minus extremum, deambulationem verò ut maius extremum, & sanitatem, ut medium terminum, atque finalem causam; sed postea demonstrationem contendens ad formam redigere, deambulationem à cæna non sumit amplius ut maius extremum, sed ut minus; ut verò maius extremum sumit id, quod est cibos ad os ventriculi non regurgitare, quod prius non aduerterat, retento tamen eodem medio, nempe sanitate, quæ causa finalis est. Sed rectè quidem occurrit Zabarella dicendo id forsan eam ob causam factum fuisse, quoniam etsi sanitas sit finalis causa utriusque, & utriusque etiam effectus; respectu tamen descensûs ciborum ad ventriculi fundum, effectum esse proximum, ac immediatum, deambulationis verò remotiorem; rectèque addit variationem hanc non esse magni faciendam, quoniam exempla exquisitè consideranda non sunt. Maior est difficultas, quam ipse tangit in altera variatione à Philosopho facta; cum enim declarandam assumpsisset demonstrationem ex causa finali, & in huius gratiam exemplum attulisset, postea tamen ex prædictis terminis demonstrationem efformans, illam non ex causa finali, sed ex efficiente contexit; nam sumit minus extremum C, deambulationem à cæna, seu hominem à cæna deambulantem, & medium terminum B, cibos non regurgitare ad os ventriculi, & maius extremum A, benè valere, seu sanitatem, non ut causam finalem, sed ut effectum demonstrandum per causam efficientem; nam demonstrat deambulantem à cæna sanum esse, eoquòd cibi ad os ventriculi non regurgitant, quæ est demonstratio à causa efficienti; loco igitur demonstrationis à causa finali demonstrationem à causa efficienti efformauit. Sed rectè etiam idem interpres dubitationi satisfacit, dicendo id factum ab Aristotele fuisse, ut significaret finem, & efficiens esse sibi inuicem causas; finis enim tanquam effectus potest per causam efficientem demonstrari, & vicissim; ita tamen, ut efficiens non tanquam causa, sed tanquam effectus demonstretur per finem, non amplius ut effectum, sed ut causam in genere finis. Videtur autem efformasse demonstrationem à causa efficiente, ut inde melius intelligere possemus in eisdem terminis demonstrationem à causa finali, quod significauit dicendo B, medium, quod est cibum non regurgitare ad os ventriculi, esse causam ut in C, deambulante à cœna, insit A, sanitas, quæ finalis est causa; quamobrem ait demonstrari sanitatem, quæ est finalis causa, cum tamen ea non ut causam, sed ut effectum ex causa efficiente ostenderit; idque fecit, ut significaret de C, minori extremo demonstrari A, ut effectum, qui idem est etiam finalis causa ipsius B, medij, per quam potest B de C demonstrari, si horum terminorum sedes commutentur, nempe, per sanitatem prius ut effectum demonstratam, tanquam per causam finalem demonstremus, quòd deambulanti à cœna cibi ad ventriculi os non regurgitant, ita ut ex medio fiat maius extremum, & ex maiori medium. Harum demonstrationum exempla hæc sunt. Primum per causam efficientem hoc modo. *Qui facit ut cibus ad ventriculi fundum descendat, & ad eius os non regurgitat, aquirit sanitatem; sed deambulans a cœna facit, ut cibus ad ventriculi fundum descendat, & ad os eiusdem non regurgitet; ergo deambulans à cœna acquirit sanitatem.* Per causam finalem hoc modo; *Quicunque consulit sanitati, curat, ut cibus ad ventriculi fundum descendat, & ad eiusdem os non regurgitet; sed deambulans à cœna consulit sanitati; ergo deambulans à cœna curat ut cibus ad ventriculi fundum descendat, & ad eiusdem os non regurgitet;* itaque primum efficiens sanitatis, quod est ambulans

est

est minus extremum; finis, nempe sanitatis acquisitio est maius extremum; cibum autem descendere ad ventriculi fundum &c. effectus deambulationis, ac proxima sanitatis causa est medium. In demonstratione ab efficienti causa, medium præcedit tempore, ut fuit bellum quod prius Athenienses intulerunt Sardis Medorum amicis; in demonstratione autem à causa finali, minus extremum, quod est ambulans, tempore præcedit tum medium, quod est cibum descendere; tum maius extremum, quod est sanitatis acquisitio. Sed illa præcessio temporis in demonstratione per causam efficientem, negligenda, quoniam exemplum illud allatum duntaxat ab Aristotele fuit ad declarandam causam efficientem, quanuis exemplum illud non sit demonstratio; tunc enim solùm ex efficienti causa fit demonstratio propterquid, quando causa simul est tempore cum effectu, qua de re infra ad Tex. 60. & 61. sermo redibit.

Tex. 53. Cum demonstrasset quodlibet causæ genus, tanquam demonstrationis medium assumi posse, nunc sermonem de causis prosequitur, ac de ipsis quatenus ad demonstrationem pertinent, nonnulla declarat, & primò in præsentia docet aliquando contingere, ut idem effectus per duas causas demonstretur, tum scilicet per finem, tum per materiæ necessitatem, quod exemplo laternæ declarat; quærenti nanque propterquid lumen ex ea egrediatur, respondere possumus ex necessitate materiæ dicendo, quia laterna, seu materia, ex qua constat, quosdam habet paruos poros, per quos lumen transit; cum enim partes luminis, sint illis poris tenuiores, sintque velocissimi motus, necesse est, ut per eos transeant, proindeque lumen per illos egrediatur. Secunda ratio ex necessitate finis, ut enim noctu possemus ambulare, opus erat lumen habere, illudque debito modo custodire, ne ab externis causis extingueretur, ita tamen ut posset sese effundere ad illustranda obiecta; necesse propterea fuit laternam efformare ex materia, per quam lumen egredi posset.

Dubitatio Dis. 27. sec. 14. & etiam Tex. 53. Hic iterum se difficultas offert alibi tacta de necessitate materiæ; necessitatem hanc cum Aristotele geometrico exemplo explicuimus, desumpto ex propositione trigesima prima libri tertij Elementorum, ubi Geometra demonstrat angulum in semicirculo rectum esse, eoquòd protracta est ad peripheriam altera duarum linearum; altera est illi perpendicularis, quoniam duos utrinque angulos inuicem æquales efficit, proindeque rectos, ut ex anguli recti definitione constat; in qua demonstratione medium videtur definitio maioris extremi, puta definitio anguli recti; minus extremum autem angulus in semicirculo; maius tandem extremum *rectus*; idem medium, etsi alijs verbis significatum, ab Aristotele sumitur; angulum enim illum esse alteri angulo æqualem, cum ambo simul sumpti duobus sint rectis æquales, est esse dimidium duorum rectorum, quod Philosophus quoque testatur, dicens medium illud esse idem, quod definitio recti, quoniam idem significat, ac illa definitio; unde est ut huiusmodi causa materialis sit etiam *quod quid est*, ac definitio maioris extremi. Vtrunque autem causæ genus materialis scilicet, & formalis medium illius esse demonstrationis perspicuè testatur; de ipso autem medio, quatenus est materialis causa, celebris est controuersia, ut suo loco notauimus, ubi geometricam aliam demonstrationem attulimus magis accommodatam Aristotelis consilio. Difficultas autem in eo est, quòd huius demonstrationis medium, eatenus dici posset materialis causa, quatenus illud esse diceretur dimidium duorum rectorum, cum dimidium præseferat rationem partis, pars autem comparatione totius materiæ locum habet. Displicet hoc aliquibus, eo quòd materia esse deberet respectu ipsius anguli recti, nempe illa, quâ angulus rectus constaret, ut per ipsam, tanquam per medium demonstratio dici posset ex causa materiali, cum tamen dimidium illud, quod in demonstratione adhibetur, utpote pars duorum rectorum, eorundem materia sit. Propterea satiùs ducunt materiæ necessitatem alio modo explicare, dicendo materiæ nomine intelligendum esse subiectum, unde necessariò profluit per emanationem affectio. Retinenda tamen videtur eorum interpretatio, quibus probatur hoc loco materiæ nomine intelligi partem integrantem comparatione totius; tametsi nanque sumi possit pro subiecto respectu accidentis, hæc tamen acceptio in præsentia minus est opportuna, cõfunderetur enim demonstratio per genus causæ materialis, cum ea, quæ est per genus causæ formalis, itaut nullum inter has discrimen foret. Nec difficultas illa, nuper insinuata, alicuius momenti est, ut enim aliquid habeat rationem materiæ, prout tanquam medium in demonstratione sumitur, necesse non est ipsum esse partem integrantem eius, de quo demonstratur affectio, satis enim si adhibeatur tanquam pars integrans, quicquid illud sit, comparatione cuius pars integrans dicatur, cum solum attendi debeat illi vim inferendi conuenire, quatenus induit modum partis integrantis. Quid superdubitandum,

Cum effectuum, quorum causæ quæruntur, duo sint genera, quidam enim dicuntur permanentes habere naturam, ut propterea dicantur esse: alij verò, quorum natura fluxilis est, & inconstans, qui propterea fieri potius, quàm esse dicuntur; consideratis effectibus prioris generis, quos dixit per materialem, & finalem causam demonstrari posse, nunc de effectibus posterioris generis quid asserendum decernit, affirmans de his idem esse dicendum, quod de alijs docuerat, nempe dari quosdam effectus, qui simul ab his duabus causis pendeant à fine, & à materiæ necessitate, quod probat exemplo tonitrui, quod effectus est fluxilis naturæ, & demonstrari potest per causam materialem, & finalem; idem igitur effectus fluens per plures causas potest demonstrari; consecutio patet; assumpti verò prior pars apertè constat, quoniam quærenti propterquid tonat? Respondere possumus tum ex necessitate materiæ, quia ignem necesse est strepere dum extinguitur in nube: tum etiam per finem, ut ijs (loquitur autem ex Pythagoreorum sententia) qui sunt apud inferos, timor incutiatur. Non solùm autem effectus potest produci ex necessitate materiæ, sed etiam causæ efficientis externæ; eclipsis enim nõ est ex necessitate materiæ, sed efficientis externi, cuiusmodi videtur etiam tonitruum &c. extinguitur enim ignis à nube aquea, tanquam ab efficiente externo, licet accepta nube cum halitu igneo incluso, tanquam uno quodam subiecto tonitrui, dici possit ex subiectæ materiæ necessitate oriri. Dum autem pergit docet plurimos tales effectus, qui sunt, vel fiunt tum ex materiæ necessitate, tum propter finem reperiri præsertim in ijs, quæ naturâ fiunt, aut constant. Rationem reddit, quia natura propter finem, & etiam ex quadam necessitate operatur, ut homini naturaliter dentes nascuntur, tum propter finem dividendi cibum, tum ex quadam necessitate; Geniuina autem censetur necessitas, alia nempe secundum naturam, iuxta rerum inclinationem, quæ talem necessitatem habent: alia contra naturam, & inclinationem rerum, quæ illam patiuntur, ut lapis non impeditus ex necessitate descendit: proiectus autem neces- Tex.

Digitized by Google

necessitate ascendit; hoc tamen discrimine, quòd lapis descendit ex necessitate naturali, videlicet iuxta propriæ naturæ inclinationem; ascendit autem necessitate violentâ, & contra propensionem propriæ naturæ quod contingit, quando iursum lapis ipse proijcitur; in præsentia verò de necessitate naturali, non violentia fit sermo.

155. Cum dixisset in rebus naturalibus causam utranque, nempe finem, & materiæ necessitatem locum habere: nunc differentiam assignat inter effectus naturales, & artificiales, & ait discrimen in eo positum esse, quòd ea, quæ ab humana mente fiunt, nequeunt ex necessitate materiæ fieri, sed solum propter finem, licet interdum etiam casu; humana siquidem mens liberè operatur, ob id nihil ex necessitate agit; quæ verò ab ipsa in externa materia fiunt, certè ex illius materiæ necessitate fieri possunt; non enim ex. gr. ex lapidum necessitate fit domus, alioquin etiam absque ædificatore necessariò domus ex lapidibus fieret; hæc igitur, & alia huiusmodi nullam suæ generationis necessitatem habent, cum nec ex agentis, nec ex materiæ necessitate fiant. Ex his porrò, quæ ab arte & ab electione fiunt, quædam sunt, quæ à sola voluntate propter finem aliquem operante fiunt, quæque fieri non possunt casu; vel ex materiæ necessitate, ut domus, vel statua; at verò quædam possunt à fortuna fieri, ut sanitas & talus, tanitas enim potest fieri à Medico propter finem agente, & potest etiam fieri à fortuna, ut cum ægrotus bibens multum aquæ ad extinguendam sitim, ex eo potu sanus fit; sic etiam salus (quid autem intersit inter sanitatem, & salutem neminem præterit, discrimen enim in eo est, quod sanitati morbi corporis, saluti vero externa pericula aduersantur) fit tum à consilio, ut quando vir prudens consultatione adhibitâ periculum, quod ab inimicis imminebat, feliciter euasit: tum etiam à fortuna, ut cum quispiam, vel ventum, vel pluviam, vel Cæli quanuis aliam inclementiam timens, reuertitur domum, & hunc in modum impetum effugit inimicorum, qui ipsum insectabantur. Docet autem in actibus humanis maximè locum habere fortunam circa ea, quæ & sic, & aliter euenire possunt, nempe tum secundum consilium agentis, tum præter eius consilium ac intentionem: ut quando euenit aliquid ab eo non expectatum, quin potius oppositum eius, quod ab ipso expectabatur; hoc in ijs artibus contingit, quæ propter finis incertitudinem coniecturales vocantur, ut ars oratoria, mercatoria, medica, & aliæ huiusmodi; in his enim fortuna, & casus locum habet, quando tamen non simpliciter à fortuna fit aliquid nemine operante, de hoc enim in præsens nulla habetur consideratio; sed quando fit ab aliquo per consilium agente, & id, quod sibi proposuit, euenire potest tum ex eius animi sententia, tum etiam contrario modo; in his humanis actibus maximè locum habere fortunam asseuerat; tametsi autem artes omnes in eo conueniant, ut materiam variabilem tractent, ratione tamen agentis discriminantur, prout, vel tota agendi vis in ipso agentis consilio posita est; vel non in hoc, sed in alijs quoque externis; ad primum genus pertinet ars ædificatoria, vel ars fabrilis; non enim domus, vel clauis fieri potest, nisi ab hominis consilio, ut propterea nunquam à fortuna fiant, & contrarium quoque rarò euenit; rarò siquidem contingit ut ædificator, vel faber suo fine frustretur, etsi hoc ob materiæ inconstantiam, ac mutabilitatem possit contingere; nunquam propterea domum fortuna facit, raritimè autem ædificatorem impedit, ne illam faciat prout animo conceperat. Ad secundum genus pertinet ars oratoria, mercatoria, medica, & aliæ similes, ideoque incertus est talibus artibus instructus, an finem sit assecuturus, nec ne, quoniam agendi vis non in consilio tantum agentis est posita, sed in alijs itidem externis; ut Orator non potest solus persuasionem efficere, sed etiam adest audientium consilium, cum ipsi quoque ratiocinentur, & quid agere expediat, animo diligenter euolvunt; sic & Medicus, utpote auxiliator tantum naturæ, non solus sanitatem efficit, sed ad id natura requiritur; immò natura præcipuè, cum hæc longè magis, quàm Medicus operetur, & in his, quæ coniecturales appellantur, maximè fortuna locum habet. In artibus prioris generis certa est consecutio finis, ideoque earum operatio à fine nominatur, ut ædificatoris operatio, puta ædificatio ab ædibus; in ijs porro, quæ ad secundum pertinent genus, quas coniecturales diximus, incerta quidem est finis consecutio; propterea earum operatio, non à fine, sed ab agente desumitur, ut Medici operatio non denominatur à sanitate, fine, quem Medicus intendit; propterea non dicitur sanatio, sed denominatur à Medico, unde dicitur medicatio, ut rectè Zabarella notauit, addens ex Aristotele in coniecturalibus maximè locum habere fortunam, in alijs verò, vel nunquam, vel rarò; nunquam eo quòd fortuna nō potest eundem finem producere, quem Artifex, ut domum &c. rarò etiam quia rarò potest efficere oppositum, hoc est impedimentum afferre finis consecutioni. Ex hactenus dictis de causa finali Philosophus colligit ad calcem præsentis particulæ finem esse id, cuius gratia aliquid fit, vel à natura, vel ab arte, sed non à fortuna, cum nihil, quod à fortuna fit, sit id, cuius gratia aliquid fit. Dixit autem finem bonum, non quia velit finis differentiam assignare, quasi finis unus sit bonus, alter autem malus, omnis enim finis, bonus est; sed ut excludat id, quod à fortuna fit, quod potest etiam esse malum, ut propterea non sit finis, quoniam non est id in quod fertur appetitus agentis.

Docet quemlibet effectum existentem simul cum causa sua per eandem posse demonstrari, secundum omnem differentiam temporis, itaut eiusdem effectûs non alia sit causa ut præsentis, alia ut præteriti, & alia, ut futuri; sed eadem, & secundùm easdem temporis differentias variatur; nam effectus facti, causa facta iam fuit, futuri est futura, præsentis verò præsens. Probat intentum duobus exemplis, quorum primum desumitur ab eclipsi, quæ est effectus simul cum causa sua, scilicet cum interpositione terræ; cum enim hæc sit eclipseos causa, necesse est si externâ die facta est eclipsis, eâdem quoque die terræ factam interpositionem fuisse, & hanc futuram, si cras futura est eclipsis, & nunc esse, si nunc eclipsis fiat, semper igitur hæc afferenda causa ad quæstionem *propterquid*, ut *propterquid* fuit eclipsis? Quia fuit terræ interpositio, sic de præsenti, & futuro. Secundum exemplum, quo utitur ad idem probandum, ex glacie accipit. Sumit autem glaciem esse aquam congelatam, eiusque causam esse defectum totius caloris, atque de glacie ratiocinatur quemadmodum de eclipsi; glacies enim causa eodem tempore est, quo eius effectus, nempe glacies, sicuti de eclipsi, & terræ interpositione dictum fuit, ac proinde semper hæc afferenda causa ad quæstionem *propterquid*, si nanque proponatur quæstio *propterquid facta est, glacies*? Respondendum, quoniam factus est totius caloris defectus; sic de præsenti, & futuro. Et quoniam hic sermonem facit de causa, quæ est demonstrationis medium, iuvat propterea de eclipsi, & de

Tex. 56. & 57.

glacie

glacie demonstrationes efformare; ipse autem Philosophus priorem omisit, cum alibi illam insinuauerit; innuit autem alteram, quæ ad formam redigere operosum non est. Demonstrationem eclipseos suo loco attulimus, glaciei autem hæc est. *Omne habens defectum totius caloris est congelatum; sed aqua ex qua fit glacies est habens defectum totius caloris; ergo aqua ex qua fit glacies est congelata.* Ad calcem contextûs testatur causam, de qua loquitur, non omnem esse, sed eam solùm, quæ est medium in demonstratione *propterquid*, in ea enim causæ, & id cuius est causa, nempe effectus, simul sunt, atque reciprocantur; de hac igitur causa loquitur, quæ est demonstrationis *propterquid* medium, non autem de remota, quæ cum effectu non reciprocatur.

Diffeɾt.

Tex. 58. Cum proximè locutus fuerit de causis, & effectibus, quæ simul sunt; nunc sermonem aggreditur de causis, & effectibus, quæ simul non sunt, & iure quidem, cum possit quispiam dubitare an huiusmodi causæ in demonstratione locum habere possint; docuerat enim causam, quæ medium est in demonstratione *propterquid*, simul esse tempore cum effectu, ob id sibi videbatur operæ pretium statuere, quid nam dicendum sit de causis illis, quæ simul non sunt cum effectibus, an videlicet hæ in demonstratione possint adhiberi, nec ne; primò autem in præsentia de his causis quæstionem proponit, eiusdem solutionem paulo post allaturus. Si autem statuatur non simul esse tempore causam, & effectum, duorum alterum dicatur oportet: vel enim causa præcedit effectum, vel effectus causam; secundum dici non potest; remanet igitur primum, scilicet ut causa præcedat effectum, de hac itaque ab Aristotele proponitur quæstio, an ex huiusmodi causa possit effectus demonstrari; quoniam autem nullus videtur modus, quo ex præcedenti causa possit effectus inferri, nisi hic unus, ut dicamus tempus causæ nullo intermedio iungi, continuarique tempori effectûs, hoc enim modo videtur necessarium esse, positâ causâ statim effectum sequenti tempore fieri; proinde Philosophus quæstionem proponit, an in causis & effectibus, quæ simul non sunt, effectus tempore continuato post causam fiat, ita ut effectus factus, causam priùs factam habuerit, & futurus, futuram priùs, & qui nunc sit, causam habeat priùs factam; ac proinde *factum esse effectûs*, nullo intermedio, seu immediatè consecutionem habeat ad *factum esse* causæ; *fieri* effectûs immediatam consecutionem habeat ad *fieri* causæ; *futurum esse* effectûs, immediatam consecutionem habeat *ad futurum esse* causæ. Si quod apparet, inquit, respicias, videtur omnis causa præcedere effectum, hoc enim vulgò creditur; tametsi autem omnis causa sit naturâ prior effectu, non tamen idem de prioritate temporis dicendum; non enim ad præcedentiam temporis transferendum, quod de præcedentia naturæ licet affirmare. Causæ autem, ad quas hæc pertinet quæstio, sunt materia, & efficiens, nam rei materia tempore præcedit effectum, efficiens itidem ut plurimum, si propriè illud fuerit acceptum, ex ijs enim, quæ ad hoc causæ genus pertinent, haud multa reperies, quę simul tempore fiant cũ effectibus; quæstio tamen intelligenda solùm de ijs, quæ simul non sunt; ex causis autem sola formalis dicetur simul cum effectu, quando hæc fuerit accepta pro qualibet adæquata causa declarante *propterquid*, atque constituente cognitionem effectûs, quo pacto finalem causam, & materialem etiam, quæ alioquin efficiens per emanationem dicitur, & aliquam tandem ex efficientibus externis, si quæ tamen sunt huiusmodi, quæ paucæ sunt complectitur.

Gemina quæstio fuit ab Aristotele proposita, quarum primam expressit de continuate temporis, causæ, & effectûs; secundam ex illa deducendam reliquit, nempe de modo, quo in demonstratione tales causæ dici possint habere locum; huius solutionem in præsens affert, priori paulo post satisfacturus. Docet igitur syllogismum in his fieri non posse à priori ad posterius, à causa ad effectum, quoniam ex tali causa non infertur effectus; sed à posteriori ad prius, & ab effectu ad causam; quoniam si effectus est, oportet priùs causam fuisse; adeòut in ijs, quæ simul non sunt, & fiunt, sed oportet unum esse, ac fieri priùs, ut aliud fiat posterius, id quod posteriùs fit, sumi debeat ut medium, ex quo concludatur priùs, non autem prius sumi debet ut medium, ex quo posterius concludatur, quamobrem in demonstratione *propter quid*, tales causæ locum non habent, sed in demonstratione tantùm *quòd*. Siquidem ex tali causa necessariò non infertur effectus, benè tamen ex effectu deducitur causa; si namque factus est effectus, necessariò sequitur factam priùs fuisse causam; alioquin vel effectus causam præcederet, vel cum ea simul foret, quod est contra suppositum. Aduertit autem Philosophus, quanuis in talibus syllogismis ex effectu demonstretur causa, huiusmodi tamen effectuum principium essendi, ea esse, quæ facta sunt, nimirum causas prius factas; quod verò de effectibus factis dicitur, de iis etiam, qui fiunt, & de futuris intelligendum iubet; si nunc enim fit effectus, necessariò sequitur causam priùs esse factam, cum supponatur causam præire effectui, sic de effectibus futuris. Rationem reddit, supponendo primùm inter tempus generationis causæ, & generationis effectûs, tempus medium intercipi, quod postea demonstrabit; siue hoc tempus definitum sit, hoc est determinatum, putà, duorum dierum, duorum mensium, &c. siue indeterminatum, sine ulla præscriptione, sed absolutè dicendo, post causam factam, esse factum effectum; hoc est inter duo facta, quæ dantur in instanti indiuisibili, medium esse tempus diuisibile, siue hoc sit determinatum, siue indeterminatum, quo posito, sic arguit. Si in iis, quæ non sunt simul illatio necessaria à priori ad posterius fieret, id sanè contingeret in tempore intermedio, vel indefinito, vel definito, aliud enim non suppetit. utrunque tamen est falsum; ergo & antecedens; consecutio patet; consequentis autem falsitas quoad utranque partem ostenditur; in illo enim tempore intermedio inter duo facta, quæ dantur in instanti indiuisibili, medium est tempus diuisibile, siue hoc sit determinatum, siue indeterminatum, & in huiusmodi tempore intermedio verum est affirmare factam fuisse *causam*, sed falsum asserere *factum esse effectum*; seu tempore medio inter prius *factum esse*, & secundum *factum esse*, verum est dicere factum esse prius, & simul falsum est dicere factum esse posterius, alioquin nullum daretur tempus, quo existente causâ, non foret effectus; proinde non valet *hoc prius factum est*; ergo & *hoc posteriùs factum est*, sic etiam in futuris, non valet tali tempore prius erit factum; ergo & posterius factum erit; & hoc ob eandem rationem; nam inter factum esse prioris, & factum esse posterioris, medium est tempus, in quo prius iam erit factum; posterius autem non adhuc factum erit; quamobrem ad concludendum, oportet sumere medium ita connexum cum conclusione, ut nequeat poni medium, quin ponatur conclusio; at solum posterius tale est, ut poni non possit, priori non posito: prius verò poni potest etsi non sequatur posterius; idcircò licet assumere posterius, ut medium ad con-

Tex.

concludendum quod prius fuit; sed prius assumi non potest ad concludendum quod posterius erit, non solùm determinato, sed etiam indeterminato tempore; non negandum tamen ratione materiæ ex priori argui posterius aliquando posse; ut ex eo quòd Sol hodie in tali signo versetur, arguere licet futurum, ut tali die in tali alio signo reperiatur &c. quapropter de his ita sentiendum, ut initio dicebatur, atque adeo hæ illationes admittendæ sunt, *factum est posterius; ergo factum est prius: fit posterius; ergo fiebat prius: fiet posterius; ergo fit prius*; non autem hæ *factum est prius; ergo factum est posterius; fit prius; ergo fit posterius: fiet prius; ergo fiet posterius*.

60. Quod Philosophus probauerat de effectu iam facto, nunc de effectu futuro probare contendit, videlicet ipsum inferri ex causa non posse, quæ tempore præcessit atque adeo non valere argumentum à facto ad futurum dicendo, quoniam facta est causa; ergo effectûs erit; tametsi autem utrunque potuisset ipse considerare ut futurum, duxit opportunum tamen effectum futurum, & causam præteritam respicere, ut forsan acceptio temporis intermedii foret euidentior. Ad proprium autem consilium ostendendum duabus rationibus utitur, parum inuicem discrepantibus, cum posterior eadem sit, ac illa, quam adhibuit de tempore præterito loquens; prior autem parum ab illa differt, quam sic efformare licet; medium demonstrationis, & maius extremum congenita esse debent, hoc est, eodem momento temporis genita; at causa præterita, & effectus futurus non ita se habent; ergo causa præterita nequit esse medium ad ostendendum futurum effectum; maiorem, etsi non probet Philosophus, illam tamen declarat, dicens ea esse congenita, quæ simul tempore sunt, vel simul fiunt, vel simul fuerunt, vel simul erunt; vel breuiùs, quæ talia sunt ut nunquam unum sine alio esse possit; probari autem ea potest propositio ex eo, quia in maiore propositione demonstrationis *propter quid*, effectus de causa prædicatur, ut in ea demonstratione, quâ probamus *hominem esse risibilem*, eo quòd sit *animal rationale*, propositio maior habetur in qua risibile, tanquam effectus de animali rationali, tanquam de causa, prædicatur, & idcirco dicere nobis licet, ubi est hæc causa, ibi est hic effectus; non esset autem vera propositio maior, si causa & effectus congenita non essent, quandoquidem causa dari posset non existente effectu; hic enim disiungi posset à causa, tempore autem disiunctionis falsa propositio foret, quâ ipsum cum causa per affirmatiuam enunciationem coniunctus esse diceretur; sed hæc Aristoteles intelligi vult, tam de habentibus fluxilem, quàm permanentem naturam; minorem probat, quia præteritum, & futurum congenita dici non possunt; at effectus ponitur futurus, causa verò præterita; ergo congenita esse non possunt. Neque dicas posse ambo accipi ut futura: eadem enim ratio viget; dum enim sumis causam futuram prius, effectum verò futurum posterius, potest intermedium accipi tempus, in quo causa est præterita, effectus autem futurus, semper ob id ostenderetur ea non posse esse congenita.

61. Rationem alteram adducit, quæ re non differt ab ea, quam superiùs adhibuit, particulâ nempe quinquagesimâ nonâ, tempus enim intermedium, siue determinatum, siue indeterminatum sit, non permittit inferri effectum esse ex eo, quòd causa iam facta sit; hæc igitur causa nequit esse medium, per quod hic effectus demonstretur; assumptum patet, quoniam in illo tempore medio falsum est dicere effectum esse, siue illud tempus sit determinatum, siue indeterminatum; illatio etiam est manifesta, ex eo, quia quando causa iam est facta, & effectus non dum est, nequit ex illa causa effectus inferri, cum causa illa talis non sit, ut eâ positâ necessariò sequatur effectus; at verò demonstrationis medium causa talis esse debet, ut eâ positâ necessariò poni debeat effectus; huiusmodi igitur causa, quæ iam facta supponitur, nequit esse medium, per quod demonstretur effectus, quia non dum est.

Tex. 62. Soluit quæstionem propositam particulâ quinquagesimâ octauâ de continuitate generationis causæ cum generatione effectûs; nec immeritò, cum enim iecisset fundamentum illud, videlicet necessarium esse medium tempus inter causam, & effectum intercipi, demonstraturus ubi causa præcedit effectum, ex causa non posse effectum inferri, & aduertisset de hoc fundamento posse quempiam dubitare, sibique persuasum habere tempus effectûs immediatè continuari tempori causæ, proindeque demonstrationem fieri quoque posse à causa ad effectum; ob id operæ pretium duxit fundamentum idem firmare, luculenter ostendendo commentitiam esse continuationem illam; quin potius dandum esse tempus intermedium; ad quorum intelligentiam notandum discrimen inter *mutari*, & *mutatum esse*, quod *mutari* est quoddam continuum, & in tempore est: at *mutatum esse* est quoddam indiuiduum, & in momento temporis, non autem in tempore existit, est enim *mutatum esse* terminus ipsius *mutari*, vel continuativum partium eiusdem. Ad soluendam igitur quæstionem, utrum effectus sequatur immediatè post *factum esse* causæ, præmittit considerandum, quomodo dari possit continuatio inter *factum esse*, & *fieri*, itaut post *factum esse*, sequatur *fieri*; respondet autem manifestè constare, quòd sicut unum *factum esse* non habet immediatam consecutionem ad aliud *factum esse*: ita nec *fieri*, talem habet consecutionem ad *factum esse*, ut in ipso *fieri* alia non intercipiantur *facta esse*; cur autem unum *factum esse*, non habeat immediatam consecutionem ad aliud *factum esse*, perspicuè constat, ex eo quia *facta esse*, sunt indiuisibilia, ut proximè dicebatur, sed unum indiuisibile non sequitur immediatè aliud indiuisibile, quin potius inter duo indiuisibilia debet medium aliquod esse diuisibile, in quo includantur, saltem potestate, alia indiuisibilia; ergo unum *factum esse*, consecutionem immediatam ad aliud *factum esse*, non habet. Hæc eleganter Philosophus explicat, atque confirmat hunc in modum. Quemadmodum in linea post punctum immediatè non sequitur punctum, quin potius inter duo puncta semper media pars lineæ esse debet, in qua sunt alia puncta, saltem potestate; non dissimiliter in successiuis post unum *factum esse* indiuisibile, non sequitur immediatè aliud *factum esse* indiuisibile, sed inter utrunque *factum esse*, medium debet esse *fieri*, quod est diuisibile, quodque ita se habet ad *facta esse*, sicut linea diuisibilis se habet ad puncta; Cum itaque *fieri* diuisibile sit in infinitum, & idcirco saltem potestate contineat infinita *facta esse*, partium, non ita sequitur immediatè post *factum esse*, quod est indiuisibile, ut in *fieri* non contineantur infinita *facta esse*, inter quæ medium aliquod diuisibile intercipiatur. Vt igitur punctum ad lineam, sic *factum esse* ad *fieri* se habet, & ut in linea infinita puncta: sic in *fieri* infinita *facta esse* continentur. Cæterum inanis est quæstio, cum in ea supponatur falsum; dum enim quæritur à quo nam contineantur *factum*, & *fieri*, ipsa supponuntur esse continuata, hoc tamen est falsum, ut Philosophus probat; vana igitur de huiusmodi

continuatione quæstio.

Tex. 63. Aristotelis sententia in præsenti contextu hæc esse videtur; cum prius demonstratur per posterius, tanquam per medium, sistendum est in aliquo primo, & immediato, quod sumitur tanquam primum demonstrationis principium; huiusmodi autem primum, cum de præteritis agitur, vel est præsens *nunc*, temporis, vel propinquius cæteris præsenti *nunc* temporis; cum de futuris, est remotiùs cæteris à præsenti *nunc* temporis, hoc autem primò explicatur, & probatur de præteritis; secundò de futuris; sed ut Philosophi sententiam intelligas, quædam aduertas oportet; nam his ignoratis eius consilium assequi non licet; hæc porrò sunt. *Consequenter posita dicuntur illa, inter quæ nihil est medium eiusdem generis*, ut duo milites in acie, qui quanuis non se mutuò tangant, quin potius intermedium aerem admittant, ita tamen se habent, ut nullus alius miles inter ipsos existat. *Continua porrò dicuntur ea, quorum ultima sunt simul*, seu *quæ communi termino copulantur*, ut duæ partes eiusdem lineæ, hæ nanque communi puncto iunguntur, *tangere verò se dicuntur illa, quorum ultima sunt simul*, Vt duo corpora distincta se tangere dicuntur, si extrema utriusque superficies simul sint; idcirco inter contigua, cuiusmodi sunt, quæ se tangunt, nullum est medium, nec scilicet eiusdem, nec diuersi generis. De his tamen in Physicis. Ex Aristotelis porrò sententia, quando causa præcedit effectum generatio ipsius effectùs, neque continua esse potest neque contigua generationi causæ, quia medium tempus inter illas intercipitur; sed solùm deinceps, seu consequenter posita dici potest, quoniam inter eas nulla est media generatio, quâ alius aliquis effectus eiusdem causæ generetur, qui præcedat effectum illum, de quo loquimur. Medium autem in præsentia dicitur causa, non rei, sed illationis tantùm; quæ ut declaret, duo dicit, unum, quòd prædicatio maioris extremi de medio est immediata, cum sint consequenter posita, hinc enim nullum inter ipsam medium existit, quod eiusdem sit generis, sed huiusmodi effectus à causa illa proximè ac immediatè, non per alium effectum medium productus est; quod etiam de demonstratione, *propter quid*, intelligendum; in ea siquidem maior debet immediata esse, etsi non sit opus, ut minor talis necessariò sit. Secundum ab eo prolatum in eo consistit, quòd medium sit tum effectus, tum causa maioris extremi; est enim effectus, prout maius extremum, eius causa esse ponitur; ex aduerso est causa illationis, atque prædicationis maioris extremi de minori, quæ hunc in modum declarat; sumit enim A, ut causam respectu C, & C, ut causam respectu D, ita ut A, sit prius factum, quàm C, & C, prius, quàm D; faciens autem A, majus extremum, & D, minus extremum, & C, medium, sic ratiocinatur. Si C, factum est, necesse est factum prius fuisse A, & hæc est maior. Si verò D, factum est, necesse est factum prius fuisse C, & hæc est minor; ergo si D, factum est, necesse est factum prius fuisse A, & hæc est conclusio, cuius causam ait esse C, medium, non quidem causam essendi, cum C, non sit causa ipsius A, quin potius contrario modo se res habeat, est enim A, causa ipsius C, sed dicitur causa cognoscendi, & ut prædicetur A, de D; idcirco est causa inferendi, seu cognoscendi. Hinc vocat C, principium respectu ipsius A, videlicet principium cognitionis, non rei; rationem reddit, quoniam C propinquius est ipsi *nunc*, hoc est instanti, seu tempori præsenti, quod est futuri temporis principium, & finis præteriti; at verò A, est remotius.

Consequenter posita quæ dicantur.

Continua quę dicantur.

Contigua quę dicantur.

Quæ autem tempori præsenti sunt propinquiora, sunt notiora nobis; cum igitur C, sit propinquius præsenti, quàm A, maius extremum, siquidem illud posterius, hoc autem prius est factum, propterea C, utpote posterius factum, dicetur principium cognitionis ipsius A, quod est prius factum. Sed hæc ut clarius intelligantur. Sit A, incisio lapidum, & C, fundamenta, & D, domus, A, verò incisio lapidum sit rursus prima causa ipsius C, puta fundamentorum, & C, fundamenta sint causa ipsius D, nempe domûs; his porrò sic se habentibus, ratiocinandum hoc modo, si C, factum est, necesse est priùs factum fuisse A, nempe *si facta sunt fundamenta, necesse est lapides priùs incisos fuisse*; *si D, factum est, necesse est priùs factum fuisse C, hoc est si domus est facta, necesse est prius facta esse fundamenta*; ergo si D, factum est, necesse est prius A, factum fuisse; videlicet *si facta est domus, necesse est priùs lapides incisos fuisse*; in hoc autem syllogismo constat maiorem immediatam esse, atque adeo ita ratiocinando adhibitum fuisse primum, & immediatum principium: est autem immediata propositio, cum inter A, incisionem lapidum, quæ est causa essendi fundamentorum, & C fundamenta, quæ sunt incisionis effectus, nullum sit medium: nec etiam C, fundamenta, medium inter A, incisionem lapidum, & D, domum, esse effectum, & simul causam illationis. Vel hoc modo. *Si facta sunt fundamenta, necesse est prius lapides incisos fuisse*; *sed facta sunt fundamenta; ergo necesse est lapides prius incisos fuisse*. Minor probatur; *Si facta est domus, necesse est prius facta fundamenta fuisse, sed facta est domus; ergo necesse est prius lapides incisos fuisse*. Aliud exemplum. *Si lapideo calculo laborans in vesica sanatus fuit; necesse est eum priùs sectum fuisse; sed sanatus est; ergo necesse est priùs sectum fuisse*; Minor probatur, *Si quis exerceat operationes hominis perfectè sani, necesse est eum priùs sanum fuisse factum; sed is exercet operationes hominis perfectè sani; ergo sanatus est*. Ad demonstrandum ergo, quòd factum sit A, puta, quod facta sit lapidum incisio, vel quòd aliquis fuerit sectus, sumendum ut medium, quia factum est C posterius, nempe facta sunt fundamenta, vel quia liberatus est à calculo lapideo; deinde si probandum est, quòd factum sit C, hoc est fundamenta, vel quòd liberatus est à calculo lapideo, sumendum ut medium D, posterius, hoc est constructio domûs, vel quia exercet operationes hominis perfectè sani, & ita deinceps quoad perueniatur ad primum, & immediatum medium, & quoniam ex præteritis quæ facta sunt, posteriora, & posteriora sunt magis propinqua præsenti *nunc* temporis; ob id sumendum medium propinquius, atque propinquius præsenti *nunc* temporis.

Dubium affert in eo positum, quòd in hac demonstratione, in qua demonstratur causa per effectum, dictum fuit maiorem propositionem immediatam esse debere, itaut inter causam, & effectum nullum detur medium; at posset quispiam hoc negare, eo quòd supra dictum fuit, factum indiuiduum esse veluti punctum, proinde non esse continuum factum facto, sicuti neque punctum puncto; nam inter duo indiuidua datur semper medium continuum, in quo infinita sunt eius generis indiuidua; ut inter duo quælibet puncta, linea intercipitur media, in qua infinita sunt puncta; ut ergo inter duo puncta necesse est infinita esse alia puncta; ita inter duo *facta esse*, necessariò infinita alia *facta esse* debent reperiri, ac proindè prius *factum esse* de effectu posteriùs facto, nunquam poterit immediatè prædicari, eo quod interposita sint infinita

Digitized by Google

finita *facta esse*. In his igitur immediata propositio dari non poterit.

Responsio in eo est, quòd etsi inter duo facta, intercipiantur infinita facta, adhuc tamen factum illud acceptum, est ultimum; proinde potest assumi, ut primum, idest immediatum medium ad probandum quod factum fuerit priùs, etsi factum fuerit medijs aliis factis; ut licet inter hoc, quod est domum esse constructam, & lapides incisos esse, alia *facta esse* intercipiantur, adhuc tamen dicere licebit, non potuit fieri domus, nisi priùs lapides inciſi fuerint, & facta sint omnia, quæ debent intercipi, inter incisionem lapidum, & constructionem domûs; sed constructa est domus; ergo inciſi sunt lapides, & facta sunt omnia, quæ debuerunt inter lapidum incisionem, & constructionem domûs intercipi, & hæc aptari etiam possunt exemplo sanationis, &c. quod secundo loco attulimus. Itaque licet, inquit Aristoteles, non sit continuum, vel contiguum factum *facto esse*, tamen potest consequenter esse positum; quod nec de ipsis *nunc*, nec de pūctis à nobis dici potest; propterea quòd inter duo quælibet puncta sunt alia infinita puncta, & inter duo *nunc*, alia infinita *nunc*, quæ non solùm continua, seu contigua inter se esse non possunt, sed neque consequenter posita, cùm semper habeant alia eiusdem generis media; secus autem se habent ipsa *facta*, tametsi nanque non sit continua, neque contigua inter se; nihilominus sunt consequenter posita, adeo ut in his dari possit prædicatio immediata causæ priùs factæ, de effectu posteriùs facto, inter quæ non aliud sit medium factum, quod ab illa causa sit effectum; quamobrem post factam causam, datur primum nunc, in quo posterior effectus incipit; neque refert, quòd post unum nunc, non detur primum nunc, propterea quòd ipsa nunc nequeunt esse consequenter posita; non inquam refert, nam post unum *nunc* datur primum *nunc* in quo incipit effectus esse illius causę; quanuis enim dentur alia *nunc* intermedia, in illis tamen commemorata causa nullius effectus productionem aggreditur. In his itaque fieri potest syllogismus ex propositione maiori immediatâ, initio sumpto à medio termino, qui primus effectus est, atque adeo à primo *nunc*, scilicet ab illo, quod est immediatè, & consequenter positum respectu illius *nunc*, in quo facta esse dicitur causa, ubi *primum* hoc loco, idem sonat ac *immediatum*, ut Zabarella pariter obseruat.

Quæ dixerat de præteritis, nunc futuris accommodat dicens eandem in his, ac in illis rationem esse, nempe demonstrari causam priùs futuram per effectum futurum posteriùs, & dari etiam in his, sicut in illis, maiorem propositionem immediatam; ad quod explicandum eodem utitur exemplo; sumit enim A, ut causam futuram prius, quàm C effectum, & C, futurum prius, quàm D alium effectum; & primò proponit conclusionem demonstrandam, puta si erit D, necesse est prius fore A, cuius causa non quidem essendi, sed inferendi, cognoscendique est ipsum C, & hoc modo licebit arguere. *Si erit C, erit A prius; si verò erit D, erit prius C; ergo si erit D, erit A prius*; ad demonstrandum igitur futurum esse aliquid prius, assumendum, ut medium, quod est futurum posteriùs, ut non possunt fieri fundamenta, nisi priùs secentur lapides, nec potest fieri domus, nisi priùs fiant fundamenta (placet doctrinam utroque simul exemplo, & constructionis domûs, & sanationis declarare). Sic igitur superius exemplum enucleabitur; si erit C, nempe fundamenta, erit A prius, scilicet incisio lapidum; si verò erit D, puta domûs constructio, erit prius C fundamenta; ergo si erit B domûs constructio, erit A priùs, scilicet incisio lapidum. Vel hoc modo, *Si sunt fundamenta, necesse est priùs fieri lapidum incisionem; sed sient fundamenta; ergo priùs fiet lapidum incisio*, minor propositio probabitur: *si fiat domus, necesse est priùs fieri fundamenta; sed fiet domus; ergo priùs sient fundamenta*. Hæc eadem illustrari possunt exemplo sanationis, &c. Mouit illamque difficultatem, quam in præteritis consideraucrat; eandem statim soluit, sed solutio non differt à superiùs posita pro præteritis. Difficultas porrò est, quemadmodum duo facta indiuidua sunt, quæ inuicem continuari non possunt, atque adeo inter ipsa videtur esse medium continuum, & in eo alia facta infinita: sic inter duo futura, nam hæc itidem sunt indiuidua, ut duo facta; propterea non dabitur unquam prædicatio immediata unius futuri de alio futuro. Difficultatem soluit, & solutio in eo est, quòd per hoc non stat, quin in futuris quoque accipi possit principium immediatum, quoniam futura, etsi continua inter se non sunt, neque contigua; sunt tamen consequenter posita, ut unum post aliud immediatè sequatur, ut de præteritis dixi.

Eandem doctrinam comprobat Philosophus exemplo deducto, ex operibus præsertim artificialibus. Exemplum tale est. Loco ipsius A, causæ, & maioris extremi, sumit lapides; loco autem C, medii, & effectûs, sumit fundamenta, & loco D, alterius effectûs posterioris, & minoris extremi, sumit domum; hęc autem omnia primùm accipit ut facta, deinde etiam tanquam futura, ut eodem exemplo demonstrationem hanc declararet, & in præteritis, & in futuris. Primò autem conclusionem proponit, quæ talis est: *Si facta esi domus, necesse est priùs lapides inciſos fuisse*, deinde quærit medium ad illam demonstrandam idoneum, quod ait esse *fundamenta*, per hæc enim vera est conclusio, quia si facta est domus, necesse est priùs esse facta fundamenta, quæ minor est propositio; si autem sunt facta fundamenta, necesse est priùs inciſos fuisse lapides; cum autem demonstratio sit à posteriori, hoc loco *propterquid*, non significat causam rei, sed cognitionis. Hoc idem exemplum Philosophus accommodat futuris, nempe dicendo si erunt fundamenta, erunt priùs inciſi lapides; si autem erit domus, erunt priùs fundamenta; ergo si erit domus erunt priùs inciſi lapides; itaque superior conclusio, mediata est, utpote per fundamenta demonstrabilis. Hæc tamen sumatim expositа sic se habent. *Si domus lapidea constructa fuit, necesse est priùs lapides inciſos fuisse; sed domus iam constructa fuit; ergo necesse est priùs lapides inciſos fuisse*. Maior autem probatur ita ratiocinando. *Si domus constructa fuit, necesse est priùs iacta fundamenta fuisse; sed si fundamenta iacta fuerunt, necesse est priùs lapides inciſos fuisse, ergo si domus constructa fuit, necesse est priùs lapides inciſos fuisse*. Non absimili modo de futuro. *Si domus est construenda, necesse est ut priùs lapides incidantur; sed domus construetur; ergo necessariò priùs lapides incidentur*. Maior ita probatur. *Si domus est construenda, necesse est, ut priùs fundamenta iaciantur; sed ut fundamenta iaciantur, necesse est, ut priùs lapides incidantur; ergo si domus est construenda, necesse est, ut priùs lapides incidantur*.

Tex. 65.

Hoc aliud etiam decernit Philosophus, nempe è causis, & effectibus dari quosdam, in quorum generatione, sagax natura circulo quodam utitur, adeout velit in his circularem demonstrationem admittendam esse; meritò autem hoc considerandum assumit, cum enim causas, & effectus hucusque suâ contemplatione persecutus fuisset, prout secundum rectitudinem disponuntur; supererat, ut etiam disputatio

Tex. 66.

institueretur de ijs causis & effectibus, qui secundum circuitum dispositi dicuntur. Statuit autem quandocunque causa, & effectus ita se habent, posse etiam demonstrationem circulo perfici, itaut ex præmissa probetur conclusio, & ipsa vicissim ex conclusione probetur. Explicatur, & suadetur exemplo. *Ex terra à fluuijs madefacta, necessariò vapores ascendunt; ex vaporibus eleuatis, necessariò coguntur nubes, ex nubibus coactis, necessariò oritur pluuia, & ex pluuia necessariò terra madefit; sicut* igitur terra madefacta causa est ut eleuentur vapores, sic vapores sunt causa, ut terra madefiat, & idcirco in talibus causis agnoscendus circulus per quem conuersione quadam fit reditus ad principium idem. Proportione quoque circularis demonstratio fieri potest, per quam ut principium, quod est posterius, accipiatur, arguendo ex eo quòd terra fuerit madefacta, nimirum ita ratiocinando *terra fuit madefacta: ergo prius cecidit pluuia; ergo prius coactæ sunt nubes; ergo prius ascendit vapor; ergo prius terra madefacta fuerat.* In huiusmodi autem processu ex primo medio, tanquam primo principio, nempe quòd terra fuerit madefacta, fit reditus ad concludendum terram fuisse aliâ madefactione madefactam. Non est autem cur hinc deducas incommodum, puta quòd idem esset prius, & posterius, magis, & minus notum secundum idem, cum solùm inferre liceat unum numero esse posterius, & notius, quàm aliud numero, ac idem specie esse prius, ac minus notum; quod nullum est inconueniens aduerte portò, processum hunc per causæ materialis genus fieri.

Tex. 67. & 68. Hoc loco docet aliud quidpiam ad causas pertinens, quatenus demonstrationem concernunt, eius autem sententia hæc est. Conclusio, cuius prædicatum conuenit omni subiecto, & semper, per medium probari debet, quod conueniat eidem subiecto omni, & semper; at verò conclusio cuius prædicatum subiecto conuenit solùm plerunque, non autem semper; probari debet per medium, quod solùm plerunque conueniat; hoc autem sic explicari probarique potest; prædicatum risibile omni homini, & semper conuenit, cum nullus sit homo, qui non sit risibilis, nec unquam homo sit, quin sit risibilis; hæc igitur conclusio, *omnis homo est risibilis*, probari debet per præmissas, in quibus maius extremum dicatur de medio omni, & semper, dicendo videlicet; *omne rationale semper est risibile; omnis homo semper est rationalis: ergo omnis homo semper est risibilis*; at si risibile non diceretur de rationali omni, & semper; vel rationale non diceretur de homine omni, & semper, haud necessariò risibile de homine omni, & semper dici posset. Ex aduerso, quod masculus suo tempore barbam emittat, certè non de omni, & semper, sed solùm plerunque veritate potest comprobari; idcirco probari debet per medium, de quo maius extremum, quod est barbam emittere, verè potlit plerunque, non autem de omni, & semper enunciari; accidentis igitur, quod semper sit, necesse est causam quoque semper esse; accidentis verò, quod fit utplurimum, causam quoque oportet utplurimum esse; de his igitur talis est demonstratio, qualem Aristoteles dicit; Vbi aduertendum ab eo sermonem fieri de demonstratione *propterquid*, non amplius de ea, quæ à posteriori est, proindeque verba fieri de causis, quæ simul sunt cum effectis, non autem de illis, quæ præcedunt. Probat autem, quod secundo loco docuerat, ita ratiocinando, si maius extremum A, dicitur de medio B, omni, & semper; & medium B, de minori extremo C, omni, & semper; etiam maius extremum A, dicetur de minori extremo C, omni, & semper; sed supponitur A, maius extremum non dici de C, minori extremo omni, & semper; vel ergo A, maius extremum non dicitur de omni B medio, vel B, medium non dicitur de omni C, minori extremo. Vt ex eo quod *omne rationale sit semper risibile; & omnis homo semper sit rationalis*; necessariò sequitur quòd *omnis homo sit risibilis*; quamobrem si supponamus hominem non semper, sed plerunque tantum risibilem esse, necesse est, vel non omne rationale semper esse risibile, vel non omnem hominem semper esse rationalem, quod est contra suppositum. Ratio igitur, quâ Aristoteles utitur ad incommodum ducit; conclusio itaque, solùm vera plerunque, debet in principia immediata resolui, quæ vera solùm plerunq; sint.

Docet Philosophus per totum hoc caput, quo pacto possimus venari definitionem explicantem quid sit, traditque præcepta, quibus quisque munitus potest definitionem contexere; de quibus cum nos multa dixerimus de definitione tractantes, propterea ab ulteriori explicatione libenter abstinebimus, solum adnotantes ab Aristotele duas commemorari methodos, ad inquirenda ea, quæ *in quid*, prædicantur, quarum una diuisiua, altera compositiua dicitur, priorem, ut accepimus, Platoni valdè familiarem, improbat, posteriorem autem approbat, quæ quanquis dicatur συνθετικὴ, à Græcis tamen dicta est ἀναλυτικὴ, *Analitica*, seu resolutiua, quæ contingit quando consideratis alicuius speciei omnibus indiuiduis, aduertimus quidnam illis omnibus commune sit, deinde consideratis indiuiduis alterius speciei sub eodem tamen genere contentis, attendimus quid pariter illis sit commune. Docet autem in definitionibus contexendis cauendum in primis esse, ne id, quod pro genere assignatur, vox ambigua sit: admonet præterea in definitionibus, maximè laudabilem esse claritatem, ac ob id in primis affectandam: metaphoras demùm vitandas esse testatur, quæ dictis inctius expositis, sic se habent. Initio docet, quo pacto venari, & inuenire quid res sit, & propterquid sit. In primi autem gratiam præmittit, ex prædicatis, quæ dicuntur semper, & uniuersè de aliquo subiecto, quædam ita latius patere, quàm subiectum, ut etiam alteri generi, ac prædicamento conueniant; quædam contra latiùs quidem patere, quàm subiectum, sed ita, ut non conueniant alteri generi, ac prædicamento. Exemplum primi est *ens*, quod ita dicitur uniuersè de ternario, ut etiam de rebus, quę sunt extra genus ternarij, nempe extra numerum, & quantitatẽ dicatur. Exemplum secundi est impar, quod sic de ternario, & non ternario dicitur, ut non egrediatur ternarij genus, nempe numerum, & quantitatem.

Tex. 69. Tex. 70.

Tex. 71. Regulam affert huiusmodi. Ad venandam definitionem sumi debent prædicata communiora re definiendâ, sed intra idem genus, quoad usque etsi singula conueniant aliis à re, omnia simul conueniant soli rei; in his enim rei essentia, ac definitio consistit; ut ad definiendum ternarium, sumere oportet quòd ternarius sit numerus, quòd sit impar, & quòd sit primus utroque modo, itaut solâ unitate mensuretur, non autem numero, & non componatur ex numeris. Singula ex his prædicatis cõueniunt alteri à ternario. Esse *numerum*, commune est ternario cum omnibus numeris imparibus; esse *primum*, itaut solâ unitate, non autem numero mensuretur, est commune ternario cum quinario, septenario, &c. esse *primum* itaut non componatur ex numeris, est commune ternario cum binario, sed esse *simul numerum imparem, primum, itaut neque mensuretur numero, neque componatur*

Digitized by Google

tur ex numeris, solius ternarij proprium est. Quòd autem hæc descriptio necessariò conueniat ternario, & explicet totam essentiam eius, ex eo probatur, quoniam prædicata quidditatiua subiecto conueniunt necessariò, videlicet uniuersaliter, & semper; sed ex suppositione sola prædicata quidditatiua fuerunt accepta; ob id allata descriptio necessariò conuenit subiecto. Amplius hæc descriptio necessariò, & quidditatiuè dicitur de subiecto; vel ergo ut genus, vel ut tota definitio, non primum, quia latiùs pateret, quàm ternarium; ergo secundum, nempe, ut definitio. Idem de aliis proportione dicendum.

ex. 72. Tradit artem, quâ venari prædicata quidditatiua communiora re definiendâ, & quâ vitare possimus ne prætermittamus aliquod ex prædicatis quidditatiuis, & ne efformemus definitionem diminutam. Regula hæc est, cum agitur de aliquo genere subiecto scientiæ, ad inueniendas definitiones eorum, quæ sub tali genere continentur, diuidendum est illud genus usque ad primas species specialissimas, mox talium specierum definitiones concinnandæ, aduertendo in quo genere sint, & per specierum subalternarum, in quas diuiditur supremum genus proprietates inuestigando, sub quibus speciebus subalternis, species specialissimæ, quarum quærimus definitiones, contineantur. Hoc declarari potest exemplis. Horum rationem reddit, quoniam definitio seu descriptio simpliciorum est principium ad cognoscendum, utrum simplicia conueniant, vel non conueniant speciebus, quæ ex ijs simplicibus componuntur; sed species inferiores componuntur ex rationibus superioribus; ergo descriptiones superiorum rationum, sumendæ sunt ut principia ad ostendendum, quæ rationes superiores prædicentur, vel non prædicentur de speciebus inferioribus, quarum definitiones quæruntur.

73. equē- Aduersus hæc plures affert obiectiones. Prima est, quia sequeretur per diuisionem posse demostrari *quid sit res*, quod non admittendum superiùs ostensum fuit. Responsio in eo est, quòd etsi per diuisionem quodammodo inuestigetur *quid sit res*, non propterea tamen demonstratur. Secunda: sine omni diuisione sumere nobis licet, quæ prædicata conueniant rei; cuius definitionem quærimus; ergo diuisio nullam utilitatem affert conanti definitionem efformare; assumptum patet consideranti. Respondet duas esse diuisionis utilitates; Prima est, quia per ipsam prædicata quidditatiua ordine sumuntur: Secunda, quoniam eius præsidio vitare possumus omissionem prædicatorum quidditatiuorum, atque adeo vitium, quo laborat definitio diminuta. Tertia, quia non possumus viâ diuisionis definire quidpiam, nisi sciamus quid omnia reliqua sint: sed hoc nobis datum non est, &c. Maior constat, quia non possumus cognoscere quid sit aliquid, nisi cognoscamus per quid ab aliis differat. Respondet duobus modis, quorum primus in eo consistit, quòd ad cognoscendum quid aliquid sit, non est necesse cognoscere differentias omnes accidentarias, per quas id differt à se ipso, & etiam ab alijs, proinde falsum est cognoscendas omnes esse differentias, cum satis sit essentiales attingere. Secunda solutio in eo posita est, quòd ad cognoscendum quid sit aliquid, sat est diuidere genus in duo opposita, & cognoscere definitum constitui per alteram ex oppositis differentijs, ac per eam differre ab omnibus contentis in opposito membro diuisionis, cognoscendo illa generatim, non autem specialiter; ad cognoscendum igitur quid sit aliquid, non est opus omnia cognoscere, à quibus id differt sub specialibus rationibus, cum satis superque sit sub communi ratione cognoscere. Quarta obiectio est: in tantum diuisio conduceret ad cognoscendum in definitione omnia sumi prædicata quidditatiua, quatenus constaret eam esse immediatam, & adæquatam; hoc autem non constat, cum potius id petendum sit; ergo ipsa non conducit ad cognoscendum in definitione omnia sumi prædicata quidditatiua. Respondet nos esse certos diuisionem immediatam, & adæquatam esse, quando ea tradita fuerit per contradictoria, inter quæ nullum dater medium.

Tria affert præcepta ad inuestigandam definitionem viâ diuisionis. Primum, ut sumantur prædicata quidditatiua: Secundum ut disponantur ordine, itaut primum ponatur primo loco, secundum secundo, & ita deinceps. Tertium, ut ex prædicatis quidditatiuis nullum omittatur. Ad hæc seruanda tria iniungit. Primum ad prædicata quidditatiua sumenda, oportet per regulas de accidente expendere utrum talia prædicata conueniant subiecto; & per regulas generis examinare, utrum de subiecto dicantur in quid. Secundum ad ordinanda prædicata quidditatiua, primò ponendum illud, quod est prius cæteris à subsistendi consequentia, itaut ex omnibus ipsum sequatur, non tamen cætera ex illo: deinde ponendum prædicatum, quod sequitur ex cæteris excepto primo, cum cætera à primo non sequantur ex ipso. Tandem ponendum prædicatum, quod sequitur ex alijs excepto primo, & secundo, & ita deinceps. Tertium: ad omnia prædicata quidditatiua sumenda; primum est genus diuidendum adæquatè, usque ad ultimas species, quæ specialissimæ dicuntur. Tex. 78. & sequentes.

Hucusque docuit modum venandi definitionem per descensum: nunc per ascensum, & hanc regulam tradit. Ad indagandam definitionem communem alicuius, quod de pluribus, tum similibus, tum dissimilibus dicitur, considerandum in quo conueniant similia, & in quo conueniant dissimilia à primis, similia tamen inter se, mox ex duabus diuersis rationibus una quædam ratio abstrahenda utrisque communis; hæc enim erit definitio quæsita; si autem non detur id, cuius definitionem quærimus, non habebit definitionem unam, sed nomen ipsius æquiuocè de pluribus dicetur. Declarat propositum exemplo magnanimitatis; si quæratur enim quid sit magnanimitatis virtus, considerandum in quo conueniant nonnulli, qui magnanimi habiti sunt, ut Alcibiades, Achilles, & Aiax, qui in impatientia iniuriarum conuenerunt. Ex alia parte aduertendum in quo conueniant alij, quos etiam magnanimos fuisse accepimus, ut Lysander, & Socrates, qui rationem magnanimitatis constituerunt in eo, quod est æqualiter se habere circa prosperam, & aduersam fortunam, cum tamen iniuriarum tolerantes essent, adeoque dissimilis à tribus, sed inter se similes in eo, quod est æqualiter se habere, tum in rebus secundis, tum in aduersis; si itaque duæ rationes, videlicet, non tolerantia iniuriarum, & immutabilitas circa fortunam, sub una communi ratione contineantur, unica erit species, & definitio magnanimitatis; secus autem si non contineantur, erunt enim duæ species, duæque definitiones magnanimitatis, proindeque illa dicetur æquiuocè. Quia autem conueniunt in eo, quòd existimant se dignos magnis; ob id quidam non ferunt iniurias, alij propter id ipsum æquè se habent in aduersis, ac secundis, quæ despiciunt utpotè inferiora magnitudine suâ; idcirco magnimitatis definitio erit, *virtus per quam quis se magnis dignum existimat*. Tex. 80. Tex. 81.

Conuenientem hanc regulam venandi definitio- Tex. 82.

nes

nes uniuersales ex singularibus, seu inferioribus, probat Philosophus, quia etsi definitio propriè sit uniuersalis, non enim definitur salubre huic oculo, sed salubre oculo; adhuc tamen facilius cognoscitur quid aliquid sit considerando illud in singulari, vel in minus uniuersali, quàm in uniuersali, præsertim cum in uniuersalibus soleant æquiuocationes latere; ut ergo ad venanda principia consideramus per inductionem singularia, & ex illis ad uniuersale ascendimus: sic ad venandas definitiones considerandum quid sit res in singularibus, & ex his ad definitionem uniuersalis ascendendum.

Tex. 83. Hoc inde confirmatur, quoniam sicut in demonstrationibus danda vis est inferendi conclusiones; ita in definitionibus danda est vis explicandi, ac manifestandi definitum; at verò hæc vis tunc habetur, cum genus commune explicatur priùs declarando inferiora, deinde ad commune genus ascendendo; ergo sic agendum. Minor constat exemplis &c.

Facilius intelligitur, quid sit simile generatim, si priùs explicetur, quid sit simile in colore, quid simile in figura, & deinde abstrahatur quid sit simile *ut sic*. Amplius facilius intelligitur, quid sit acutum in uniuersum, si priùs explicetur seorsum, quid sit acutum in voce, quid acutum in figura, & deinde abstrahatur quid sit acutum simpliciter vitando æquiuocationes; ergo hunc in modum procedendum est.

Tex. 84. Tandem ultimum affert præceptum in eo consistens, quòd definiens non metaphoricis, sed proprijs locutionibus uti debeat. Vt homo definiri non debet *arbor inuersa*. Cùm enim definitiones sint principia, quibus inter disputandum uti debemus, eo ipso, quòd in definiendo metaphoris uteremur, etiam in disputando, metaphoras usurpare deberemus.

Tex. 85. Reuertitur ad considerandam demonstrationem, traditurus methodum inueniendi *propterquid*, seu medium eiusdem, quâ solui quæstiones, atque problemata possunt, ad quod duo necessaria sunt, alterum ut problemata, seu conclusiones demonstrandas ritè proponamus; vitioso namque problemate constituto, vanum est causam quærere; alterum verò est, ut propositi problematis propriam, & adæquatam inueniamus causam, per quam demonstremus *propterquid*; inuento siquidem medio, sunt etiam inuentæ propositiones ad problema ipsum demonstrandum; eò igitur Philosophi consilium tendit, ut nos doceat modum, quo demonstrationibus affluere valeamus. Ad plurima autem soluenda problemata de subiecto aliquo proposito ex. gr. de homine, oportet considerare summum genus ipsius, quod est substantia, & perpendendæ sunt affectiones, quæ substantiæ conueniunt quatenus ipsum: deinde genus hoc diuidendum in proprias species subalternas, puta substantiam in corpus, & spiritum, & assumpto corpore, sub quo continentur homo, leo, equus, &c. sunt expendendæ affectiones, quæ corpori conueniunt secundùm quod ipsum; similiter autem diuidendo corpus in viuens, & non viuens, considerandæ sunt affectiones, quæ conueniunt corpori viuenti secundùm quod ipsum; & subdiuidendo viuens in animal, & plantam, considerandæ sunt proprietates, quæ conueniunt animali secundùm quod ipsum; & subdiuidendo animal in eas, quas sub se continet species, nempe animalia terrestria, aerea, & aquatilia, considerare oportet affectiones, quæ conueniunt animali terrestri secundum quod ipsum; hoc enim pacto habebimus media ad demonstrandum de homine proprietates omnes communes animali terrestri, aereo, & aquatili, si nanque fuerit quæstio *propterquid homo habet talem affectionem*? Respondebimus, *quia est animal terrestre*; *propterquid hanc aliam*? Respondebimus, *quia animal est*? Rursus, *propter quid hanc aliam*? Respondebimus, *quia viuens est*. Hâc itaque arte venabimur media ad demonstrandum demonstrationes *propterquid* de homine, & de omnibus animalibus terrestribus plurima prædicata. Explicat hanc doctrinam hoc modo. Genus commune sit *animal*; passio animalis sit *dormire viciſſim, & vigilare*, species contentæ sub animali sint *homo*, *leo*, *equus*, poterit de Homine, Leone, & Equo, tanquam de minori extremo demonstrari affectio *dormiendi*, & *vigilandi* tanquam maius extremum, per *animal* tanquam per medium dicendo *omne animal viciſſim dormit, & vigilat*; *omnis homo*, *leo*, *equus est animal*; *ergo omnis Homo*, *Leo, & Equus viciſſim dormit, & vigilat*. Non dissimulandum tamen argumentationē ab Aristotele factā à vera demonstratione deficere, cum in eius conclusione colligatur de speciebus affectio propria generis; non secus ac si de isocele demonstraretur *habere tres angulos æquales duobus rectis*, affectio trianguli generatim accepti; non est igitur usurpanda tanquam demonstratio *propterquid* propriè sumpta, non enim affertur causa, ratione cuius speciebus illis conueniat affectio; sed solùm assignatur subiectum primum, repertum in ipsis, cui talis affectio conuenit.

Tex. Cum docuisset inuenire genus, quod sit affectionis subiectum, quando genus est nominatum, *ut animal, auis, piscis*; nunc explicat idem fieri posse, quando genera fuerint innominata; immo etiam & quæcumque rationes communes, quantumuis non quidditatiuæ; Vt *Bos*, *Cervus*, & plura alia animalia in eo conueniunt, quòd sint cornigera, quæ forsan ratio quidditatiua non est, licet innominatam aliquam rationem quidditatiuam sequatur. Expendendæ sunt igitur affectiones, quæ cornigeris omnibus conueniunt; hac enim consideratione reperiemus omnia cornigera carere dentibus in mandibula superiori, eam ob causam, quia materia dentium conuertitur in cornua, & habere omasum, seu alium ventrem ad ruminandum; poterunt igitur hoc modo sequentia solui problemata, *cur Bos duas ventres habeat; & cur careat dentibus in superiori mandibulo*; satisfiet enim respondendo, ideo *Bos*, vel *Cervus*, &c. caret dentibus ex parte superiori, atque duos ventres habet, quia est cornigerum.

Tex. Hoc idem fieri à nobis potest considerando proprietates, affectionesve proportione sequentes aliquid, non uniuocè, sed proportione, commune; ut *ossa animalium terrestrium spinæ, piscium, & sepium*, seu *quasi spina sepiarum*, non conueniunt uniuocè, sed proportione quâdam, quatenus, ut ossa se habent in animalibus terrestribus, sic spina se habet in piscibus, & sepium in sepiis. Hoc autem sequuntur aliquæ affectiones, seu proprietates, licet proportione tantùm; sumando igitur hoc proportione respondens, seu ut aiunt, proportionale, pro medio, demonstrari possunt de inferioribus omnes proprietates, quæ illud consequuntur.

Tex. Adhiberi etiam potest medium, quod est idem genere, licet, vel ratione subiecti, vel ratione modi specie diuersum; ut multa problemata solui possunt adhibendo tanquam medium *antiperistasim*, alia verò sumendo pro medio *reflexionem*; ut sint tria hæc problemata, *Cur detur Echo*? *Cur videamus nos ipsos in speculo*? *cur detur Iris*? his fiet satis per reflexionem dicendo. *Echo datur, quoniam vox à locis concauis reflectitur*; *Videmus nos ipsos in speculo, quia species reflectuntur à speculo*: *Iris fit, quoniam radij solares reflectun-*

Digitized by Google

fluuntur in nube. Horum igitur causa non omninò est eadem, sed genere tantùm; distinguitur autem per differentias, & fiunt specie diuersæ, in hoc enim conuenit inter illa, quòd eorum causa est reflexio, seu repercussio, differunt tamen, quia non est eiusdem rei repercussio, nec eodem modo facta; una enim est repercussio aeris primùm à voce percussi; alia verò imaginis à facie nostra defluentis in speculo facta; alia demum est repercussio radiorum Solis facta à nube; quæ autem priùs commemorauerat Aristoteles medium habent idem specie, nempe *antiperistasim*, sed hanc esse commentitiam in Physicis demonstrabo.

Docet quædam esse problemata, sic se habentia, ut solutio unius pendeat à solutione alterius, eo quòd medium, quo soluitur unum, continetur in medio, quo soluitur aliud. Vt sit problema, *cur Nilus decrescente mense, & Luna, maiores ducit aquas?* Solutio istius ab alterius solutione pendet, videlicet, *cur decrescente mense, & Luna pluviæ maiores fiant*; Solutio autem in eo consistit, *quòd Nilus ideo decrescente Luna magis abundat aquis, quoniam Luna decrescente, pluviæ maiores fiunt*, at verò Luna decrescente copiosiores pluviæ contingunt, quoniam Luna corporibus humidis dominatur; idcirco cum ipsa est diminuta lumine, còrpora humida vehementiùs mouet.

90. ad Dum pergit proponit duas quæstiones ad medium demonstrationis attinentes. Prima utrum semper quando est effectus, sit, vel fuerit causa, adeo ut ex effectu possit semper inferri, quòd est vel fuerit talis causa, quoniam autem effectus pendere potest disiunctim à pluribus causis, videtur ob id esse posse sine qualibet illarum. Hinc secundam quæstionem proponit, an possit idem effectus disiunctim à pluribus causis pendere; cum autem quæstionis enodatio in eo posita sit, quòd effectus à pluribus causis remotis, non tamen à pluribus proximis pendere valeat; propterea causam proximam unicam esse concludit, & idcirco unicum esse proprium medium demonstrationis affirmat, quod cum extremis reciprocetur. Quod medium est definitio passionis, siue effectùs, qui de subiecto demonstratur. Prima autem quæstio, quam ipse proponit est; *An cum est effectus, semper sit, vel fuerit causa, seu talis causa sit simul cum effectu, seu effectum præcedat?* Vt supposito, quòd *latitudo foliorum* sit causa, cur folia decidant, etsi talis causa præcedat effectum, necesse sit, *ut cum folia decidunt sint lata*. Similiter an necesse sit, *cum Luna deficit, terram interponi*, quandoquidem huius interpositio est causa eclipseos, simul existens cum effectu, & illum non præcedens? In gratiam partis affirmantis duas rationes affert. Prima, quia si non est necesse, ut quando est effectus, sit causa, cum effectus non possit esse, nisi pendeat à causa, consequens fit, ut alia sit causa talis effectùs, quâ positâ effectus sequatur. Secunda ratio hæc est, causa, & effectus mutuò demonstrari possunt, sed si causa demonstrari potest per effectum, tanquam per medium, necessariò ex effectu sequitur, cum demonstrationis conclusio necessariò sequatur; ergo ex eo quòd sit effectus, necessariò sequitur esse causam, ac ob id effectum non posse esse sine causa. Maiorem probat, quia potest de *vite* demonstrari, quod habeat *folia decidua*, tanquam per causam, ex eo quia habeat *folia lata*, itaut maius extremum, quod est habere *folia decidua*, ex eo quia uniuersaliter dicatur de medio, quod est habens *folia lata* demonstratur de *vite* tanquam de minori extremo hunc in modum; *omnis planta habens folia lata, habet etiam folia decidua; omnis vitis est planta habens folia lata; ergo omnis vitis habet folia decidua*. Potest etiam vicissim de eadem *vite* demonstrari, quòd *folia habeat lata* per effectum ex eò quòd *habeat folia decidua*, & quidem demonstratione, in qua maius extremum est habere *folia lata*, medium autem est habere *folia decidua*, vitis autem minus extremum; ut *omnis planta habens folia decidua, habet folia lata; omnis vitis est planta habens folia decidua; ergo omnis vitis habet folia lata*.

Quoniam autem fieri non potest, ut duo sint sibi inuicem causæ cum mutua prioritate, siquidem duo nequeunt esse mutuò priora; idcircò cum duo inuicem demonstrantur, tunc una demonstratio, quæ demonstrat effectum per causam, non solùm ostendit effectum esse, sed etiam *propter quid sit*; altera verò, quæ probat causam per effectum, ostendit quidem esse causam, non tamen demonstrat *propter quid*.

His præacceptis, causæ distinctionem in medium inuehens, affirmat causam effectùs ita posse assignari, ut effectus sine tali causa esse possit; & ita etiam assignari posse, ut nequeat effectus esse, quin talis causa sit; enimverò quando alicuius communis multiplex potest esse causa, ratione cuius commune illud conueniat diuersis, tunc, quod ita commune est, conuenire subiecto potest, quin altera causa determinatè sumpta existat, etsi conuenire nequeat, nisi detur altera hæc, scilicet, vel illa disiunctim. Vt duplex potest esse causa, cur aliquod animal sit longæuum, vel quia nimirum temperie præditum est siccâ, & melanchonicâ, vel quia felle caret; *Cornix* enim longæua est propter siccam, & melanchonicam temperiem, *Cerous* autem, eo quòd felle careat; longæuum igitur esse non eâdem ratione probatur de utroque, nam *de Cornice* demonstratur per medium, quod est *ficca, & melanchonica temperies*, sic ratiocinando, *Omne animal præditũ siccâ, & melãchonicâ temperie est longæuum. omnis Cornix est animal siccâ præditum, & melanchonicâ temperie; ergo omnis Cornix est longæua*. De *Ceruo* probatur per medium, quod est *carrere felle*, hoc modo. *Omne animal carens felle, est longæuum; omnis Cervus est animal carens felle; ergo omnis Cervus est longæuus*. Nequit autem ex aduerso, quoniam aliquod animal est longæuum, probari determinatè, quòd habeat temperiem melanchonicam, neque quòd careat felle, sed solùm potest disiunctim colligi, quòd vel habeat temperiem melanchonicam, vel felle careat. Tex. 94

Cum autem docuisset ex effectu non sequi causam, nunc explicat quando id contingat, tunc nimirum quando problema est propositio uniuersalis, putà, de prædicato secundùm quod ipsum, sic enim se habente problemate, seu conclusione, necesse est præmissarum utranque de prædicato esse secundùm quod ipsum, ac ob id uniuersalem. Si itaque, ut assignatur effectus tanquam prædicatum uniuersale, sic assignetur causa non particularis, sed secundùm illam communem rationem, in qua, propterea quòd particulares causæ conueniunt, ideo in ratione dandi esse effectui pariter conuenient, tunc ut nequit esse talis causa quin sit effectus talis: ita non potest esse talis effectus quin talis sit causa; ut causa cur arboribus decidant folia est *habere humorem frigore congelabilem*; hæc enim reciprocatur cum effectu. Si itaque aliquibus plantis specie diuersis decidant folia, & assignetur causa prædicta, sicut non potest dari congelatio humoris, quin detur foliorum casus: ita non potest dari foliorum casus, quin detur congelatio humoris, adeo ut causa, & effectus se mutuò consequantur; quamobrem subiectum primum decidentiæ foliorum est arbor habens humorem congelabilem.

Pergit

Tex. 95. Pergit Philosophus hanc quæstionem proponens, utrum eiusdem effectus plures sint causæ in diuersis subiectis, quibus ille inest, non autem una, ut ex. gra. *longævum* inest *Ceruo*, & *Cornici*, sed illi, quia caret felle, huic verò quoniam siccam temperiē habet. Responsio in eo est, quòd si effectus ille demonstretur per se, hoc est per causam, quæ per se medium demonstrationis est, cuiusmodi est definitio maioris extremi, seu affectionis &c. causa effectus unica est, atque adeo non potest fieri ut idem effectus de pluribus subiectis demonstretur per diuersas causas; Rationem reddit superiùs tactam, quia medium est definitio maioris extremi, nimirum effectus, at unius rei, una tantùm est definitio, ac proinde una est adæquata causa, definitio enim per se causa est, unà etiam & demonstratio. At si pro causa recognoscatur aliquod accidens, sine quo possit esse definitio, vel aliquod signum, quorum utrunque dici potest causa in cognoscendo; poterunt eiusdem effectus esse plures causæ, quoniam plura esse possunt accidentia, & plura signa. Vt causa per se, cur folia decidant arboribus, est facilis congelatio humoris, sed hæc est causalis definitio ipsius defluvij; sicut igitur non datur alia ratio casus foliorum: ita non datur alia causa cur quilibet foliorum casus arboribus contingat, nisi quia participant illam rationem congelationis; accidit autem, ut ipsa congelatio eueniat hoc, vel illo modo; propterea non est per se causa, ut aliqua species arboris obnoxia sit casui foliorum, talis, vel talis modus congelationis; modus enim iste, est quoddam accidens, estque causa aliquo modo per accidens, ut proinde tales causæ innumeræ esse possint, quemadmodum, & plura signa ipsius casus, sed causa per se est illa, quam diximus.

Tex. 96. Magis explicat doctrinam traditam, eiusque sententia hæc est; quantumuis tam maius extremum, cuius medium est causa, quàm minus extremum, cui medium est causa, ut illi maius extremum conueniat, considerari possint, per accidens, ut fit dicendo *musicus ædificat*; nihilominus problemata de hujusmodi quæstionibus, puta *an musicus ædificat*, nullum in scientiis locum habent, quoniam in his tale problema esse debet, talisque conclusio, ut in ea maius extremum per se minori extremo conueniat; quamobrem si problema fuerit de extremis per se, necesse est ut medium eodem modo ad minus, ac ad majus extremum se habeat; si itaque maius extremum huiusmodi est affectio, siue effectus, ut æquiuocè & secundùm diuersam rationem de iis, quæ se tenent ex parte maioris extremi dicatur; medium etiam, & causa, merito cuius maius extremum de minori prædicatur extremo, æquiuocè, & secundùm rationem diuersam dicetur; quod si maius extremum prædicetur de se tenentibus ex parte minoris extremi, quasi genericè, & secundùm rationem proportione tantùm eamdem; medium quoque dicetur quasi genericè, & secundùm rationem, quę tantùm proportione sit eadem. Hæc exemplo permutatæ rationis ipse declarat. Est autem permutata, siue alterna ratio *sumptio antecedentis ad antecedentem, & consequentis ad consequentem*. Exemplum verò problematis, in quo majus extremum genericè, vel quasi genericè dicitur de se tenentibus ex parte minoris extremi est huiusmodi; *propterquid est permutatim proportionale*? hoc est, *propterquid in numeris, & magnitudinibus datur permutata ratio*? In hoc autem problemate minus extremum sunt *numeri*, & *magnitudines*, de quibus genericè ratio permutata dicitur, ut enim magnitudines specie differunt à numeris; sic permutata eorum ratio ab istorum ratione permutata, utque numeri, & magnitudines genericè quasi conueniunt in eo, quòd sint proportionales quantitates; sic etiam commutata numerorum, & magnitudinum ratio est eadem, quasi genericè; ergo etiam causa, & medium ratione cuius numeris, atque magnitudinibus permutata conuenit ratio, erit eadem, quasi genericè, etsi alia in numeris, alia verò in magnitudinibus specie sit. Declaratur etiā hoc idem de maiori extremo, quod æquiuocè dicitur de se tenentibus ex parte minoris extremi, huiusmodi autem est *simile*, hoc enim de figuris, & coloribus æquiuocè dicitur; *nam similes figuræ rectilineæ sunt, quæ & angulos singulos, singulis æquales habent, atque etiam latera, quæ circum æquales angulos, proportionalia*. At verò colores dicuntur similes, eo quòd eodem modo sensum afficiunt, ut omnia nigra similia sunt, quia congregant visum, at verò alba sunt similia, quia visum disgregant; ut igitur *simile* dicitur æquiuocè de coloribus, & figuris; ita causa ratione cuius colores, & figuræ similes sunt, æquiuocè dicitur; est enim huiusmodi causa, diuersa ratio ipsius similis. Quod si maius extremum de se tenentibus ex parte minoris extremi proportione quadam dicatur, causa pariter, & proportione dicetur.

Tex. Rationē affert cur maius extremum ad minus extremum se habeat, sicut medium ad idem minus extremum; ea autem est, quoniam medium est causa cur maius extremum scilicet prædicatum conclusionis de minori extremo, hoc est de subiecto eiusdem conclusionis dicatur, at prima causa, & id, cuius est causa, nempe maius extremum, & id cui est causa putà minus extremum, si rectè assignentur debent reciprocari; ergo medium, maius extremum, & minus extremum reciprocari debent. Minorem probat ex eo quia si *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, sumatur tanquam maius extremum, ac prædicatum, & ut minus extremum accipiatur species aliqua eorum, quibus conuenit hæc affectio, puta triangulum, certè maius extremum non erit æquè latè patens, ac minus extremum, cum hæc affectio conueniat alteri à triangulo, puta quadrangulo, immò & omnibus rectis lineis figuris; si autem abstrahatur ratio communis omnibus subiectis, quibus hæc affectio conuenit, quæ quidem ratio communis est rectilinea figura, talis affectio erit æquè latè patens, ac subiectum, quod est ipsa figura rectilinea, cum omnes, & solæ figuræ rectilineæ habeant angulos externos æquales quatuor rectis; hæc igitur affectio habendi omnes angulos externos æquales quatuor rectis, æquè latè patet, ac subiectum primum; causa autem prima cur hęc affectio conueniant subiecto primo, est definitio eiusdem affectionis, definitio verò æquè latè patet, ac definitum; ergo à primo ad ultimum, demonstrationis medium, quod est causa cur maius extremum minori extremo conueniat, & maius ipsum extremum, & minus extremum sunt æqualis ambitus, & inuicem reciprocantur, dummodo subiectum affectionis fuerit acceptum generatim abstrahendo à subiectis particularibus; & causa pariter sumatur uniuersè abstrahendo à causa ratione cuius affectio alicui particulari subiecto conuenit.

In huius confirmationem, celebrem illam sententiam adducit. Ἐπὶ δὲ τὸ μέσον λόγος τὸ πρώτου ἄκρου πρὸς τὸ ἔσχατον καὶ ἐλαχίστου ἀκρου διὰ ἐριστοῦ γίνονται. *Medium autem est definitio primi extremi; idcirco scientiæ omnes per definitionem comparantur*, ipse nanque ut primum medium ad demonstrandum passionis definitionem assumunt, quæ quidem affectio si sit ulteriùs probanda primi subiecti definitionem ostendit; at vera definitio

Digitized by Google

finitio reciprocatur cum affectione, & hæc cum subiecto; à primo igitur ad ultimum termini omnes demonstrationis debent inuicem reciprocari. Scientias autem esse quales dictæ sunt, itaut affectionis definitionem, tanquam primum medium adhibeant, atque adeo demonstrationes efformentex terminis, qui inuicem reciprocantur, declaratur exemplo. Hæc enim affectio habendi folia decidua collata cum vite ita illi conuenit, ut excedat, siquidem fico pariter conuenit, sic etiam se habet comparatione fici. Ab omnibus autem plantis quibus conuenit habere folia decidua licet abstrahære commune aliquod genus, cum quo effectio habendi folia decidua reciprocetur. Si quæratur autem *cur hoc totum genus frondes habeat deciduas*, responderi debet *quoniam iis inest congelabilis humor, quo frondes adhæresciunt ramorum extremitati, quæ semen arboris nuncupatur*; hæc autem causa est affectionis definitio, si quis enim velit definire *quid sit habere folia decidua*, dicere debebit *est habere humorem facile congelabilem, quo arborum folia adhæresciunt semini*; itaut definitio sic se habeat, *est deficientia adhærentiæ foliorum in ramorum extremitatibus congelato humore*; hæc enim erit definitio positione differens à demonstratione continua, quæ erit deficientia adhæsionis foliorum propter congelationem humoris in ramorum extremitatibus, quam ad demonstrationis formam redigere facillimum erit dicendo, *quandocunque in ramorum extremis contingit humoris congelatio, datur deficientia adhæsionis foliorum; sed aliquando contingit, &c.* causa igitur, & primum medium, ratione cuius certum genus plantarum decidua habet folia est definitio affectionis habendi folia decidua, & idcirco cum affectione reciprocatur, quæ cum primo subiecto quoque conuertitur; quamobrem præcipuę demonstrationis, cui videlicet aliæ innituntur, termini reciprocantur, & proxima, ac immediata causa cum affectione, vel effectu subiectoque conuertitur, etsi causa remota conuerti non possit, ad eum modum, quo habere folia lata, videtur non reciprocari cum affectione habendi folia decidua, quin potius latiùs patere cum Laurus, & Hædera folia habeant lata, quanuis non habeant folia decidua, cæterum latitudo foliorum lapsûs causa non est, sed aliquid concomitans, &c.

Declarat exemplis, quem in modum liceat nobis de subiectis partialibus effectus per plures causas remotas, quæ minus, quàm ipsi latè pateant, demonstrare, & quâ viâ sit nobis incedendum, ut demonstrationes in primam causam, quæ adæquat effectum, eiusque primum subiectum resoluere valeamus. Hoc declaratur exemplo, gemina siquidem est causa, à qua prouenit affectio longæuitatis, vel nempe fellis defectus, vel ficca temperies; ratione prioris aliquibus quadrupedibus, ratione posterioris quibusdam volucribus conuenit. *Longæuum* igitur sit maius extremum, quod de B, hoc est de quadrupede fellem non habente uniuersè dicatur, ita tamen, ut huiusmodi medium excedat; idem autem medium B, idest *non habere fellem*, dicatur de Elephante, ita ut latiùs pateat, sequitur affectionem hanc *longæuitatis* inesse Elephanti, possèque fieri demonstrationem hoc modo. *Omne qnadrupes destitutum felle habet vitam longam; omnis Elephans ita se habet; ergo omnis Elephans habet vitam longam*. Talis autem hæc est demonstratio, ut in ea quidem affectio latiùs pateat, quàm causa, & causa etiam excedat subiectum; & idcirco multò magis effectus excedat subiectum. Si igitur affectio *longæuitatis*, excedit subiectum, nempe *Elephantem*, & excedit causam, quæ est *quadrupes destitutum felle*, sequitur affectionẽ *longæuitatis* posse alteri subiecto & ex alia causa conuenire, nimirum *Cornici*, ex eo quia sit volucris ficca temperie constans, atque adeo de ipsa Cornice poterit hæc affectio per hanc aliam causam demonstrari, dicendo. *Omnis volucris habens temperiem siccam, longam habet vitam; omnis Cornix ita se habet; ergo omnis Cornix longam habet vitam*; eiusdem igitur effectus in subiectis non eiusdem sed diuersæ speciei plures possunt esse causæ, ut de *Elephante*, & *Cornice* dictum est. At verò cur totum genus animalium vitam longam habentium talem habeant affectionem, datur causa, quæ cum effectu reciprocatur, & cum toto ipso subiecto adhibenda in demonstratione; causa autem erit definitio *vitæ longæuæ*, nempe *humidum habere temperatum calido ut humidum calido resistat, ægrèque ab eo consumetur, & calidum lentissimè defectu humidi extinguatur*; mors enim non in alio, quàm in hac extinctione consistit. Quærenti proinde, *cur quadrupedia destituta felle vitam longam traducant? cur itidem volucres ficca temperie donatæ sint longæuæ*, per hanc definitionem fiet satis; quamobrem demonstrationes per causas remotas & non reciprocabiles, tandem in demonstrationem per causam proximam, & reciprocabilem, & per terminos, qui inuicem reciprocantur modo iam dicto resoluuntur.

Est porrò consideratione dignum, cum non statim peruenerimus ad affectionem demonstrandam de subiecto primo, sed de inferiori, medium, quo in ea de tali subiecto demonstranda utimur, uniuersalis, an particularis causa adhibenda. Respondet causam particularem, tanquã medium in demonstratione sumendam esse, adeo ut longæuitatem de *Elephante per defectum fellis*; *de Cornice per temperiem siccam ostendere debeamus*. Si autem quæratur amplius causa; *cur quadrupedibus defectus fellis, & in volucribus ficca temperies longæuitatis sit causa*. Pro hac afferenda est tanquam prima causa *definitio vitæ longæuæ*; per huiusmodi siquidem definitionem de genere uniuersè vitæ longæuitas demonstrabitur. Ter. 100.

Duas proponit quæstiones, quarum prior est, an methodo aliqua nota principia fiant; & si datur huiusmodi methodus, quæ nam illa sit: posterior autem qualis nam sit habitus cognitionis principiorum. Ad primam respondens docet inductionem esse methodum summoperè cognoscendis principiis accommodatam: ad secundam respondet intellectum statuendum esse habitum principiorum, qua de re nos de primorum principiorum notitia disputantes multa diximus. A Ter. 101. usq. ad 107. & ultimum. Disser. 27. Sect. 7.

SECTIO OCTAVA.

De Syllogismo Opinatiuo.

QVid syllogismus opinativus, & in quo eius natura consistat eleganter Philosophus expressit dicens. Διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς, ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος. *Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus concludit*, Dialecticum enim hunc, de quo loquimur, syllogismum appellat; ut propterea Logicæ pars hæc, quæ topicis libris continetur, speciatim Dialectica nuncupetur, quoniam de rebus maxime incertis, & opinabilibus, huius artis præceptionibus instructi disputare, & in utranque partem disserere copiosè possumus; ampliori tamen significatione Dialecticæ nomen uniuersæ huic facultati tributum fuit. Syllogismi autem dialectici definitionem ab Aristotele traditam in clariorem traducemus, dicendo Quid sit syllogismus opinativus. 1. Top. c. 1. Eadem definitio clariùs explicatur.

endo syllogismum dialecticum esse, qui ex antecedente probabili conclusionem probabilem deducit. Philosophus autem superiorem definitionem afferens non solùm in animo habebat distinguere syllogismum dialecticum à demonstratione, quæ ex præmissis certis, & euidentibus procedit; sed à syllogismo sophistico, & apparenti, qui vel peccat in forma, vel procedit ex ijs, quæ reuera probabilia non sunt, quanuis talia videantur, & appareant. Quid interfit, inter demonstrationem, & syllogismum opinativum ex antea traditis non obscurè constat, siquidem explicatum fuit quid sit scientia, quidque demonstratio, per quam illa comparatur, itemque declaratum fuit in quo opinionis natura posita sit; quid porrò differat inter syllogismum opinativum, & sophisticum, proximè demonstrabitur, initio facto ab ipso syllogismo dialectico.

Ad constructionē dialectici syllogismi, quæ requiruntur.

Ad huius, de quo loquimur, syllogismi constructionem, Philosophus assignat problema, propositionem, & prædicatum. *Dialecticum problema est quæstio, & interrogatio de utraque contradictionis parte*, ut ex. gr. utrum *Mundus sit ab æterno, an non?* utrum *animal implume bipes sit definitio hominis, an non?* Potest etiam fieri interrogatio de utraque parte contrarietatis; ut utrum *terra sit ex sua natura calida, an frigida?* tale igitur problema dialecticum est. Propositio autem dialectica est quæstio, seu interrogatio de una tantum problematis parte; ut utrum *Mundus sit ab æterno?* utrum *animal implume bipes sit hominis definitio?* utrum *terra sui natura sit calida?* Propositio igitur, & problema, solùm differunt modo, ut ex Aristotele constat, ait enim Διαφέρει δὲ τὸ πρόβλημα τῇ πρότασει τῷ τρόπῳ. *Iam verò propositio & problema differunt modo.* Prædicatum autem dialecticum est illud, quod quæritur & interrogatur de subiecto in quæstione proposita, ut *æternitas* est prædicatum in illa quæstione, *an Mundus sit ab æterno?* propterea Philosophus paria numero esse problemata, & propositiones, atque adeo prædicata dicebat, concludens ex omni propositione problema fieri posse, si modus commutatus fuerit; sic enim habet ὅσαι εἰσὶ προτάσεις ἴσα τῷ ἀριθμῷ τὰ προβλήματα, ἢ προτάσεις εἰσίν. ἔστι γὰρ πρότασις μὲν πρόβλημα ποιοῖς, μεταβαλὼν τὸν τρόπον. *Meritò igitur paria numero sunt problemata & propositiones problema facies, si modum commutaueris.* Hæc porrò non delignantur, tanquam internæ syllogismi partes, sed potius tanquam aliqua præhabenda antequam syllogismi effectionem aggrediamur, itaut ad resoluendum problema ipsum, in quo propositio prædicatumque per modum quæsiti includitur, nitamur argumenta reperire, syllogismosque conficere.

1. Topic. cap. 4.

Problemata, & propositiones, ac prædicata paria sunt numero.

Multiplex Problematis diuisio.

Diuiditur autem dialecticum problema multifariam. Primò diuidi potest iuxta diuisionem prædicatorum, ut aliud sit problema definitionis, in quo definitio quæritur de definito; aliud sit problema generis, in quo quæratur an aliquid sit genus respectu alicuius; aliud sit problema proprij, &c. Secundò diuiditur iuxta diuersitatem materiarum, de quibus in scientijs disputatur, ut aliud sit problema Morale, aliud Physicum, aliud Metaphysicum, aliud Speculativum, aliud Practicum, &c. Tertiò diuidi potest ex parte illorum, qui præbent illis assensum, adeo ut aliud sit, quod æquè incertum est tam vulgaribus, quàm sapientibus, quoad utranque partem, eòquòd nulla sit ratio, pro altera illarum efficax, validèque concludens, ut *an stellarum numerus pars sit, vel impar?* aliud verò sit, in quo vulgares contra sapientes opinantur; ut *sit ne sol maior hoc tenaqueo globo? an non?* aliud in quo etiam sapientes dissentiunt; ut *an cæleste corpus generationi, & corruptioni sit obnoxium, an non?* Cæterum, ut aliqua propositio dicatur dialectica, & problema etiam dialecticum dicatur, non requiritur ut probationes necessariæ, atque demonstratiuæ sint, cum sit satis, ut ipsæ sint probabiles, alioquin nec propositio, nec problema ad Dialecticum pertinet.

Dum autem progreditur syllogismi dialectici materiam assignat; est autem eius materia duplex, nempe remota, & proxima; remota porrò sunt termini, proxima verò propositiones; est autem problema, & propositio dialectica proxima materia topici syllogismi, non quòd ipsum formaliter ingrediatur; syllogismus enim non constat ex propositionibus interrogatiuis, sed vel affirmantibus, vel negantibus; materia igitur Problema dialecticum, & dialectica propositio dicitur topici syllogismi, quatenus continent duo extrema, ex quibus huiusmodi syllogismi conclusio constat. De utraque autem materia Stagirites edisserit, proximam dicens esse problema dialecticum, atque dialecticam propositionem, remotam verò esse topica prædicata, non quòd dialecticæ propositiones ex solis prædicatis conficiantur, siquidem ex subiecto copula, & prædicato constant, sed quia satius duxit prædicatorum in præsentia meminisse, quoniam ex horum diuersitate, problematum diuersitas proficiscitur; priùs autem de materia remota disputat; idcirco horum numerum aggreditur explicare dicens quaternarium esse, propterea quòd expressè decernit esse Terminum, seu Definitionem, Genus, Proprium, & Accidens. Singula porrò declarat, de quibus cum suo loco egerimus, non est cur eorum consideratio nos in præsentia detineat; solùm aduertendum hinc perspicuè constare, quatuor esse dialectica problemata, & prædicata, eaque esse proximè commemorata. Quo autem sensu hoc sit intelligendum, non facile dictu. Plerique enim quatuor hæc prædicata, & problemata ex ijs constructa sic intelligenda contendunt, ut videlicet expressè quæratur modus prædicati, atque adeo sit problema generis tunc, quando quæritur expressè an prædicatum hoc sit genus illius subiecti, ut *an animal sit genus hominis?* non dissimiliter, *an animal rationale sit hominis definitio? an risibile sit hominis proprium?* &c. sed quoniam potest etiam in quæstionem vocari absolutè prædicatum, modo prætermisso, dicendo nimirum *an homo sit animal? an homo sit animal rationale? an homo sit risibilis?* prætermissa particulâ *genus*; propterea dicunt hæc omnia esse problemata accidentis, enimverò prædicatum, quod accidens dicitur, affirmant esse non solum quando expressè quæritur an hoc sit accidens illius subiecti, sed etiam dum absolutè quæritur sine modo, an hoc prædicatum subiecto conueniat.

Hic tamen explicationis modus alienus est adeo ab Aristotelis mente, ut mirum sit eum in multorum animos irrepsisse. Accidens enim, quando dicuntur illa prædicata absolutè quæsita ad accidentis problema spectare, duobus modis acceptum potest intelligi, vel nimirum propriè, prout à Philosopho definitum fuit. Συμβεβηκὸς δέ ἐστιν, ὃ μηδὲν μὲν τούτων ἐστὶν, μήτε ὅρος, μήτε ἴδιον, μήτε γένος, ὑπάρχει δὲ τῷ πράγματι, ἓν ἐνδέχεται ὑπάρχειν ὁτῳοῦνὶ καὶ τῷ αὐτῷ καὶ μὴ ὑπάρχειν. *Accidens autem est, quod nihil horum est, nec definitio, nec proprium, nec genus: ineſt autem rei, & quod cuicui rei, uni & eidem potest ineſſe, & non ineſſe;* vel alio modo ab illo, quo definitum Aristoteles reliquit. Priori modo minimè dicendum accidens usurpari, itaut quando postea dicuntur omnia prædicata, quæ quæruntur sine modo, spectare ad prædicatum,

tum, & problema accidentis, intelligendum sit accidens sensu, quo proximè ex Aristotele relatum à nobis fuit. Quandoquidem *animal, animal rationis particeps*, & alia huiusmodi, non contingit eidem inesse, & non inesse, nec dici potest non esse genus; quin imò accepto accidente iuxta significationem illam, ad probandum aliquod esse accidens rei, non melius probari potest, quam ostendendo non esse genus, nec definitionem, nec proprium, quoniam inesse, & non inesse eidem rei potest; sicut ex aduerso ad probandum aliquid, puta *animal*, esse genus, non melius probari potest, quàm ostendendo essentialiter, & in quid illud de pluribus prædicari, & non sic se habere, ut possit iis inesse, & non inesse; tam itaque de accidenti, quàm de prædicatis aliis probari potest, & debet, non solùm quod insit, sed etiam quod tali ratione insit; & licebit etiam prædicatum accidentis destruere, non solum probando quòd non insit, sed etiam probando, quòd tali modo non insit, & ostendendo tale prædicatum esse genus, vel aliquod aliud, quod nequeat à subiecto abesse; quando igitur inter quatuor prædicata unum ponitur ipsum accidens, nequit accidentis nomine id intelligi, quod ab Aristotele definitum fuit; itaut tale prædicatum accidens esse dicatur, tum quando expresse quæritur, an hoc sit accidens illius subiecti: tum quando absolutè quæritur sine modo, an hoc prædicatum subiecto conueniat. Nec etiam intelligi potest acceptum accidens, ut secundo loco dicebatur; propterea quòd tunc non erunt illa tantùm quatuor prædicata, sed ijs oportebit quintum addere accidentis nomine significatum, licet æquiuocè, utpotè significatione longè diuersâ sumptum ab ea, qua fuit illud à Philosopho definitum. Illud etiam accedit incomodum, quòd iuxta significationem hanc quodlibet prædicatum de alio dictum sine modo licebit accidentis nomine nuncupare, quod quàm irrationabile sit, nemo est, cui perspectum esse non possit; dicere quid enim intolerabilius, quàm *an homo sit animal, an non*, problema esse accidentis? Hic igitur explicandi modus, tanquam alienus à veritate minime retinendus.

Ex aduerso alij rem explicandam esse arbitrantur dicendo exerceri tunc singula illa prædicata, & problemata, quando sine modo, & absolutè prædicatum de subiecto quæritur, adeout si quæratur *an homo sit animal*, ab ipsis existimetur problema generis, si autem quæratur *an homo sit animal rationale*, definitionis esse problema iudicetur, & sic de reliquis omnibus; quando autem prædicati modus quæritur, accidentis esse problema contendunt, eòquòd modus accidit prædicato; ex eorum itaque sententia, dum quæritur, *an animal sit genus comparatione hominis, an non; an animal rationale* respectu *eiusdem sit definitio an non*, problema dicendum accidentis, in quam opinionem abire visi sunt, eam ob causam, quoniam esse genus, accidit animali, & esse definitionem non dissimiliter accidit animali rationali, tales enim denominationes sunt rationis, quippe quæ à secundis intentionibus habentur, quas intellectus effingit.

Hæc tamen explicatio parum videtur Aristotelis doctrinæ accommodata, propterea quòd ipse distinguens problemata per prædicata, in exemplum affert num *animal gressibile bipes*, sit hominis definitio, & num *animal* sit genus hominis, supponens primum esse problema definitionis, secundum autem generis, non autem problemata accidentis, quanuis in illis quæratur modus prædicati; quando igitur prædicati quæritur modus, falsum est accidentis esse problema, cùm ex proximè dictis planè constet dari problema definitionis, itemque generis, quanuis in illis prædicati modus quæratur.

Vera explicatio proponitur.

Longè melius dicemus problemata, & prædicata illa, de quibus Aristoteles edisserit, sic intelligenda esse, ut de talibus prædicatis utraque possit quæstio institui, nimirum, tam absolutè, quàm quoad modum; an videlicet prædicatum subiecto conueniat, supresso modo; ut *an homo sit animal*; tum etiam expresso modo, ut *an animal sit hominis genus*. Immo tunc existimandum problema accuratè tractatum, quando non solùm quæritur an prædicatum subiecto conueniat, sed etiam modus, quò illi conueniat; & de utroque naturæ sagax interpres debet esse sollicitus; cum magni momenti sit cognoscere modum, quo prædicatum subiecto ineat; hoc enim neglecto, nunquam solidè philosophari licebit; enimverò ad scientiam de re quapiam comparandam oportet cognoscere non solùm quæ prædicata illi conueniant, sed modum itidem, quo illi conueniant, ut scilicet prædicata quidditatiua distinguantur ab alijs, quæ vel sunt affectiones rei naturam ex necessitate consequentes, vel sunt accidentia communia, adeo ut primi ordinis prædicata ad problema generis, vel definitionis; secundi, ad problema proprij; tertij tandem ad accidentis problema pertineant. Hinc designantur in hac Dialecticæ parte loca non solùm ad inquirendum, an prædicata rebus conueniant; sed etiam ad inquirendum modum, quo conuenire dici debeant; solùm ad confirmandum accidens, modus negligi potest, cum sit satis cognoscere ipsum inesse; ut mox ex Aristotele intelliges.

Difficultas.

Supereſt emolienda difficultas ex Philosophi verbis deducta, propterea quòd ait, *ῥᾴστη δὲ πάντων κατασκευάσαι τὸ συμβεβηκός ἐν ᾧ γὰρ τοῖς ἄλλοις ἐμόνον ὑπάρχον ἀλλὰ καὶ ὅτι ὅτῳ ὑπάρχει, δῆλον ὅτι καὶ τοῦ συμβεβηκότος ὅτου ὑπάρχει μόνον, ἱκανὸν δεῖξαι. Facillimè autem omnium confirmatur accidens; cætera nanque non solùm ineſſe, ſed etiam ita ineſſe probandum* est: *accidens autem ineſſe tantum probare ſufficit*. Vnde subdit difficillimum illud esse refellere: quia pauciſſima in eo data sunt, neque enim adsignificatur in accidente, quomodo insit. Vnde est ut cætera duobus modis liceat nobis refellere, vel probando nimirum non ineſſe, vel non ita ineſſe; accidens autem non licet euertere nisi probetur non ineſſe. Probat igitur Philosophus facilius esse constituere, & probare accidens, quàm alia prædicata, subinde verò deducit esse difficilius accidens destruere, quàm alia prædicata, quoniam de accidente probandum non ineſſe, de alijs autem satis probare vel non ineſſe, vel tali non ineſſe modo.

7. Topici capitulo.

Difficultatis solutio.

Facillimum tamen est assequi Philosophi consilium, propterea quòd eò solùm spectat, ut doceat quid interſit inter accidens, & reliqua prædicata, comparationem enim instituit, dicens accidens facilè construi, seu confirmari, cum ad id sufficiat probare ipsum ineſſe, ad reliqua verò prædicata confirmanda, non solùm hoc ostendendum, sed etiam oportet modum explicare, quo insunt; ut ad probandum *genus*, ostendi debet ipsum *de omni in quid* prædicari, ad probandum *proprium* ostendi debet ipsum ineſſe omni, soli, & semper, dicique ad conuertentiam; at verò satis hinc redditur, exploratum difficillimè accidens destrui, unica siquidem via est euertendi, ostendendo ipsum non ineſſe; at plures sunt viæ euertendi cætera prædicata, probando nempe, vel non ineſſe, vel non tali modo ineſſe.

Hoc igitur Aristoteles voluit, solùm intendens

infimum esse modum, quo accidens subiecto inest, facta comparatione cum cæteris prædicatis; unde est, ut, quandocunque probatum fuerit prædicatum inesse subiecto, probatum sit ad minus inesse tanquam accidens, nec est probandum ulterius non esse quidpiam minus accidente: secus de alijs prædicatis; de his enim oportet aliquid plus maiusque probare, cum solùm probatum fuerit inesse subiecto; non enim inde probatum remanet non esse aliquid minus definitione, genere, aut proprio, sicut esse posset, quando nimirum foret accidens. Hinc facilius est construere accidens, hoc est, ostendere prædicatum, saltem accidens esse, siue non esse quid minus accidenter: Difficilius autem ipsum destruere accidens, hoc est, probare minus esse accidente, quoniam oportet probare nullatenus ipsum subiecto conuenire.

Sufficientia numerationis prædictę explicanda proponitur.

Supereſt, ut videamus num facta probè fuerit problematum, & prædicatorum enumeratio.

Quorundam opinio.

Sunt nonnulli, quibus insufficiens hæc visa est, de qua loquimur, diuisio, quorum rationes mox allaturi sumus.

Assertio.

Asserendum tamen allatam partitionem problematum, atque prædicatorum sufficientem, & adæquatam esse.

Ratione suadetur.

Aristotelis autem auctoritate prætermissâ, solùm enitendum afferre validam rationem ad probandum intentum, quæ videtur in eo posita, ut prædicatum, vel sit essentiale subiecto, vel extra essentiam eiusdem. Essentiale porrò, vel est proprium, & conuersim prædicabile, & huiusmodi est definitio, itemque differentia specifica, & ultima. Vel est magis latè patens, & ita se habet genus, itemque differentia non ultima, atque generica; pariterq; species respectu singularium. Non dissimiliter prædicatum extra essentiam, vel proprium est, & peculiare subiecto, & hoc absolutè dicitur proprium. Vel est commune, & hoc absolutè dicitur accidens, siue prius instituatur diuisio prædicati in proprium, & commune; deinde utrunque in essentiale, & extra essentiam subdiuidendo. Hoc videtur etiam Aristoteles docuisse, nam ex eius sententia ratiocinandum hoc modo. Omne prædicatum, vel reciprocatur cum subiecto, vel non reciprocatur, si reciprocatur, vel significat quidditatem, & est definitio: vel non importat quidditatem & est proprium; si non reciprocatur, vel ad subiecti definitionem pertinet, & est vel genus, vel differentia, siquidem definitio constat solùm ex genere, & differentia; vel ad subiecti definitionem non spectat & est accidens, quandoquidem accidens est, quod neque est definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei. Vbi Philosophus supponere videtur differentias rerum esse generales, & magis amplas; ut propterea de differentia senserit idem, ac de genere, saltem existimans quantum ad inuentionem disputationemque dialecticam, eodem se habere modo generalem differentiam cum genere, & ex ijsdem locis sua mutuari argumenta. Sat autem aduertisse differentiæ nomine ab eo significari tantùm genericam; nam ad specialem, & propriam quod attinet, certum est ad definitionem reuocari, quoniam se habet veluti definitio, quâ rei exprimitur natura; & quoniam ad extremum, & longè quidem frequentius, ac utilius, de speciebus, seu subiectis communibus instituitur disputatio, venando prædicata generalia, quàm de indiuiduis inquirendo prædicata specifica; idcirco neglectâ specie, solùm meminit generis, aduertens illam ad hoc facile reduci posse; ad quod existimandum prædicata quoque transcendentia, quanuis analoga, reuocari, cum analogia ipsorum uniuocationi non officiat, qua de re suo loco fuit à nobis disputatum.

Aduersus tamen problematum, & prædicatorum diuisionem allatam, aliqua se difficultas offert; posset enim quispiam obiicere redarguens Aristotelem, eo nomine quòd aliquod prædicatum omiserit, propterea quòd hæc tot esse videntur, quot prædicabilia; ut igitur hæc quinario numero comprehenduntur, sic & hæc prædicata, de quibus in præsentia fit sermo. Quinimò videntur etiam maiori numero contineri, nempè senario; quandoquidem Philosophus inter prædicata definitionem commemorat, cui nullus fuit locus inter prædicabilia. Adhuc etiam horum numerus augetur, eo quòd non videatur omittenda differentia, ac species, cum de his Dialecticus non minus, quàm de cæteris debeat esse sollicitus; enimuerò differentia, & species prædicata sunt, de quibus multa suppetunt discutienda, ut propterea Dialectici videantur partes, pro his argumentorum loca subministrare, ne in re magni momenti defeciisse videatur.

Plerisque visum est nec speciem, nec differentiam tanquam duo prædicata fuisse operę pretium cæteris addere, eam ob causam, quia species infima prædicatur de indiuiduis dicitur, de quibus ut nulla datur scientia, ita nec debent haberi dialecticæ disputationes, cum satis superque sit has de subiectis communibus institui; nec etiam differentiam inter prædicata dialectica recenseri videbatur ipsis opportunum, eòquòd hęc duntaxat in quale prędicetur, quærentes nos autem essentias rerum, nostra quidem interest in eorum considerationem incumbere, quæ prædicantur in quid, ut genus, cum nobis proponatur, quid res ipsa sit, indagare.

Hæc tamen explicatio minus eo nomine videtur idonea, quoniam etsi de indiuiduis nulla detur scientia, non subinde tamen de medio tollitur omnis de ipsis consideratio, quæ saltem in opinione consistit, ut propterea non sit inficiandum de ipsis posse probabilibus rationibus disputationes instituri. Ne commemorem de indiuiduis accidentaria quædam prædicata frequenter in quæstionem vocari, poscique de ipsis aliquam haberi curam perquisitionis ac inuentionis; quòd si ita est, non satis intelligo cur prædicata essentialia, atque adeo species de indiuiduis inquiri non possint. Et quod postremo loco dicebant, nempe dum quærimus rerum essentias, nos totos esse debere in inuestigandis ijs, quæ prædicantur in quid; intolerabile prorsus, tametsi nanque id inficiari non liceat, dissimulandum tamen non est, dum rei natura perquiritur, non tam fieri perquisitionem illius prædicati, quod dicitur de pluribus in quid per modum nominis substantiui, cuiusmodi est genus, quàm de omnibus ijs, quæ ad rei essentiam pertinent, quæque prædicata essentialia dicuntur.

Rectius alij propterea dixerunt enumerationem problematum, atque prædicatorum esse commendatione dignissimam, nec Aristotelem in ea tradenda defeciisse; tametsi nanque fatendum sit nobis differentiam, & speciem inter prædicata dialectica recenseri; non propterea tamen Philosophus in notam reprehensionis incurrit, eoquòd huiusmodi prædicata omiserit; enimverò etsi illa non expresserit, id tantùm fecit, quoniam optimè nouerat accipiendo definitionem, & genus amplâ quâdam usurpatione differentiam, speciemque comprehendi, adeo ut hæc duo prædicata silentio præterierit, quia non ignorabat ad definitionę, & genus posse reuocari, ut ob id ipse nos admonuerit differentiam generis cum eodem ordinandam esse, simulque coniungi. Hinc

tradens

tradens loca ad inquirendum rerum genus, eadem simul ad inquirendam speciem tradere peropportunum duxit. Hinc quoque palam & apertum superiores difficultates nullius esse roboris, & quo pacto ipsis liceat occurrere.

Cum autem de dialectico problemate fiat sermo, non ignorandum in eo duo extrema inuolui, ex quibus efformandus est syllogismus, quem dicimus opinativum, & in eodem problemate conclusionem per modum interrogationis contineri, quanuis deinde per modum enunciationis inferendam, ut idcirco non immeritò dixeris resolutionem problematis, vel affirmantem, vel negantem syllogismi conclusionem esse. Vt si problema fuerit, *an mundus sit ab æterno, vel non*; conclusio quidem erit, *mundus est ab æterno*: aut *mundus non est ab æterno*, prout scilicet vel affirmans, vel negans per medium fuerit deducta conclusio. Medium enim præter illa duo extrema commemorata recognoscendum in re proposita, & in huius inquisitione plurimum desudandum, ut ex eo cum extremis prædictis efformentur syllogismi præmissæ, quarum vi deducatur conclusio, huiusmodi autem medium à Dialecticis vocari solet *Argumentum*, ad cuius inquisitionem ac inuentionem assignantur ea, quæ *Loca* dicuntur, quæ nil aliud sunt, quàm *sedes, & promptuaria quædam, ex quibus argumenta sumere datum est*. Problema siquidem est materia topici syllogismi, eòquòd conclusionem contineat, cum autem syllogismus ex tribus terminis constare debeat, præter duos terminos, medium etiam continere debet, vi cuius deducatur conclusio; pro huiusmodi autem medij inuentione assignantur loca prædicta, ex quibus tanquam ex promptuarijs media ad ostendendam conclusionem depromuntur; locus enim topicus definitur hoc modo. *Locus topicus est sedes argumenti; vel id ex quo ad propositum quæstionem conueniens elicitur argumentum*, ubi Argumenti nomine intelligitur medium topicum, siue probabile, ut paulo antea dictum fuit, quoniam in huiusmodi locis quædam reponuntur Maximæ, & uniuersales propositiones, tantæ dignitatis, ut ab omnibus concedantur in quibus aliæ propositiones virtute continentur, & vim inferendi conclusionem accipiunt, non secus ac naturalis locus virtutem conseruatricem locati habere dicitur.

Solet porrò locus diuidi in *Locum Maximam*, & *locum Differentiam maximæ*; Maximæ autem deseruiunt, ad confirmandum intentum, & sunt quædam principia generalia vera, atque nota; est enim Maxima nil aliud, quàm *propositio illa uniuersalis, qua nulla est prior, & notior in illo genere, sed ex terminis nota, ipsique multæ argumentationes innituntur*. Vt si pro medio utamur definitione aliqua, aut genere, aliue prædicato essentiali; hæc deseruiunt principia *Quicquid conuenit definitioni, aut generi, aut cuilibet prædicato essentiali; conuenit etiam definito, aut speciebus, aut cuius subiecto participanti tale prædicatum*. Et ex aduerso, *quod non conuenit definitioni, neque conuenit definito. Item de quocunque dicitur definitio, dicitur etiam definitum. De quocunque prædicatur species, prædicatur etiam & genus*. His autem innituntur argumentationes huiusmodi; *animal rationale est substantia; ergo homo est substantia; animal est viuens; ergo homo est viuens, &c.* item; *homo est habens in se principium sentiendi; ergo homo est animal; Socrates est homo; ergo est animal*. Locus autem Differentia maximæ sunt illi termini, quibus Maximæ differunt inter se, & ex quibus conficiuntur; ita quidem *definitio, & definitum, genus, & species* dicuntur *loci Differentiæ maximæ*, per quos terminos Maximæ inuicem distinguntur; idcirco prima dicitur esse in Loco à definitione, ad definitum; altera verò à specie ad genus.

In huiusmodi Maximis duo termini reperiuntur, quorum unus dicitur *inferens*, & est, qui solùm in antecedenti ponitur, non autem in consequenti; alter dicitur *illatus*, qui consequens ingreditur. Ita quidem in superioribus exemplis, termini inferentes sunt *definitio, & genus*, termini autem illati sunt *genus, & species*, nam *animal rationale* est inferens, *homo* autem est illatus; *animal* est inferens; homo autem est illatus; loquendo de duobus prioribus exemplis; eodem modo de cæteris ratiocinandum. Terminus qui tam in antecedenti, quàm in consequenti ponitur, communicans terminus appellatur. At verò locus Differentia maximæ suam non desumit denominationem, nisi à terminis inferente, & illato; ab inferente ut à termino *à quo*, ab illato ut à termino *ad quem*; idcirco dici solet Locus *à definitione ad definitum, à specie ad genus*, quando verò huiusmodi termini diuerso modo denominantur, diuersisque nominibus appellantur, ad denotandum terminum *inferentem*, utimur ablatiuo, ad significandum *illatum*, accusatiuo, ut ex suprapositis exemplis liquet. Quando verò ijsdem denominantur nominibus, ambo per ablativum casum significamus, & quidem in numero plurali; non enim dicitur locus ab opposito, à repugnanti; sed ab oppositis, à repugnantibus &c.

In maximis duo termini reperiuntur inferens, & illatus.

Inferens quid.

Illatus quid.

Terminus communicans quid.

Locus differentia maximæ unde nam denominationem sumat.

Locus autem Differentia maximæ, primâ sui diuisione triplex esse perhibetur, videlicet *Intrinsecus, Extrinsecus*, & *Medius*; ex his porrò quilibet ulteriùs alijs diuisionibus diuiditur, de quibus in Institutionibus disputatum fuit; at ex his diuisionibus habentur diuisiones loci maximæ, propterea quòd Maximæ diuiduntur iuxta varias habitudines, quas habent inter se termini, ut alia est inter definitionem, & definitum habitudo, & alia inter speciem, & genus, & pro varia istarum habitudinum diuisione, variæ formantur Maximæ.

Locus differentia maximæ quo modo primo diuidatur.

Varia maximarum diuisiones, varietate habitudinum, quas termini habent.

Primò quidem occurrunt loci, qui dicuntur intrinseci. *Locus intrinsecus* contingit, quando argumenta sumuntur ab ijs, quæ ad rei substantiam, siue essentiam pertinent (hoc enim loco substantia non sumitur pro substantiæ categoria, sed pro quidditate, & essentia, quo pacto etiam accidentibus competit substantiæ nomine nuncupari) vel substantiam ipsam comitantur. Hic propterea locus in duplici discrimine est, vel scilicet à substantia, vel à comitantibus substantiam.

Loci intrinseci, Locus intrinsecus quid.

Substantiæ quomodo in præsentia sumatur.

Locus intrinsecus in duplici discrimine est.

Locus à substantia.

Locus à substantia est, quando argumentum sumitur ab ijs, quæ pertinent ad essentiam, conuersim tamen, seu reciprocè se inferunt, cuiusmodi est *Locus à definitione ad definitum*, definitionis nomine intelligendo non solùm propriè dictam definitionem, sed etiam descriptionem, & nominis interpretationem.

De loco à Definitione ad definitum, à Descriptione ad descriptum, &c.

Locus à definitione ad definitum quid.

LOcus porrò à definitione ad definitum est habitudo quædam identitatis, seu mutuæ conuertibilitatis ipsorum. Ab hoc loco quatuor sunt Maximæ, quibus argumentandi quatuor innituntur modi. Ex hisce Maximis duæ sunt affirmatiuæ, duæ verò negatiuæ. Prima est affirmatiua. *De quocunque prædicatur definitio, prædicatur etiam definitum*; ut

Prima Maxima, quæ est affirmatiua.

Socra-

Socrates est animal rationale; ergo est homo. Secunda itidem affirmatiua est: *Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur etiam de definito, ut animal rationale est mobile; ergo homo est mobilis.* Tertia est negatiua, *A quocunque remouetur definitio, remouetur etiam definitum*, ut *equus non est animal rationale; ergo equus non est homo.* Quarta itidem negatiua, *Quicquid remouetur à definitione, remouetur etiam à definito*, ut *animal rationale non est lapis; ergo homo non est lapis.* Ex his autem quatuor modis argumentandi, duo sunt ex parte subiecti quæstionis, duo ex parte prædicati, ut si proponatur quæstio, *An iustitia sit virtus;* Primò probari potest affirmatiuè ex parte subiecti definitionem iustitiæ constituendo, & hunc in modum argumentando. *Habitus tribuens unicuique suum, est virtus; ergo iustitia est virtus. Nam quicquid prædicatur affirmatiuè de definitione, affirmatur de definito.* Modus alter est negativus adhuc ex parte subiecti. *Habitus tribuens cuicunque suum, non est temperantia; ergo iustitia non est temperantia. Nam quicquid negatur de definitione, negatur de definito.* Alij duo modi sunt ex parte definitionis prædicati, alter affirmativus, hoc modo; *Iustitia est habitus benè afficiens potentiam ad operandum rationem rectam; ergo iustitia est virtus. Nam de quo affirmatur definitio, affirmatur definitum.* Alter negativus, ut *Iustitia non est virtus moderatrix passionum circa delectabilia corporis secundum sensum tactûs in usu cibi, & potûs, & Venereorum; ergo iustitia non est temperantia. Nam à quo negatur definitio, negatur etiam definitum.* Eadem porrò dicenda sunt de descriptione, & descripto; de interpretatione, & interpretato, seu de notatione, & notato.

Secunda Maxima, quæ est affirmatiua.
Tertia Maxima, quæ est negatiua.
Quarta Maxima, quæ est negatiua.
Quatuor modi argumentandi.
Primus modus affirmatiuus
Secundus modus negativus
Tertius modus affirmatiuus
Quartus modus negativus.

Quoniam autem definitio, ac definitum, conuertim, reciprocèque dicuntur; aliæ quatuor Maximæ formari possunt à definito ad definitionem, dicendo. *De quocunque prædicatur definitum, prædicatur definitio &c.* adeòut definitum sit *inferens*, definitio autem *quod infertur*. Non est autem cur in hoc amplius immoremur, ita ut prosequamur locum à definito ad definitionem, & quæramus definitum ad confirmandam definitionem, non secus ac definitionem ad confirmandum definitum quærere solemus; rarò siquidem ex definito definitionem probamus. Eadem tamen pronunciata, de definito tradi commodè possunt, quæ de definitione tradita sunt, solùm nomine definitionis in definiti nomen mutato. Propter hanc reciprocationem similes quoque Maximas licet conficere à differentia specifica ad speciem; & à proprio ad subiectum, & vicissim factâ solùm nominum commutatione, ut nuper de loco à definito, ad definitionem agens, dicebam. Ad hos itaque locos descriptos, alii reducuntur, quia idem est argumentandi modus. Sub loco, itaque à definitione est locus à differentia &c.

A definito ad definitionem.
Quatuor Maximæ statuuntur &c.
Quare nõ immorandum in explicatione loci à definito.

Locus à descriptione ad descriptũ.

Locus à descriptione similis est superiori à definitione, & eadem utriusque tractatio, eademque communia pronunciata, mutato duntaxat nomine definitionis in nomen descriptionis, & rei, quæ definitur in rei, quæ per definitionem explicatur. Hic locus alicuius est usus; quando enim ad locum definitionis aditus non patet, descriptionis locus præsidio nobis est, adeo ut defectu illius hic nobis suppetat adeũdus. Vt igitur à definitione ad definitum: sic à descriptione ad rem descriptam possumus argumentari. Hinc desumes argumentum ad suadendum perdiscendam esse moralem Philosophiam, nempe quòd sit vitæ Dux, Veritatis indagatrix, expultrixque vitiorum, & quòd sit illa, sine qua hominum vita esse non posset.

Huius loci quando utilis.

Ad locum hunc reuocatur locus proprietatis. Non traditur autem locus rei descriptæ ad confirmandam ex ipsa descripta re descriptionem, ob causam non absimilem ei, quam nuper attulimus pro omissione loci à definito.

Locus descriptionis non traditur, quare.

Locus etiam notationis quam maximè superioribus affinis est. Notatio siquidem est nominis ab alio nomine *etymologia*, seu *derivatio*. Gemina autem esse potest, prout nomen in duplici discrimine est, unum enim proprium, alterum commune. Exemplum primi sit *Iesus*, nomen, quod Saluatorem significat; non mirum igitur si salvum populum à peccatis faciat. Exemplum secundi sit, *Consul* nomen, quod à consulendo dicitur, *Rex* à regendo, *Patronus* à patrocinio, *Philosophus* à sapientiæ studio, *Monachus* à solitudine, *Christianus* à Christo, & alia innumera. Notationis usus infirmus admodum est, nisi notatio verbi conueniat rei, atque ita conueniat, ut cum ea recurrat qualis est notatio *viraginis*, ita dictæ quia de viro sumpta est. Ex notatione autem nominum singularium, ac propriorum perpauca, & ea quidem exigui roboris ducuntur argumenta, nisi fuerint diuinitùs impositа, adeo ut plerunque nihil inde concludatur; plus autem virium locus hic ex notatione nominum communium, quàm propriorum habet; eo quòd communia vocabula frequenter ex aliqua proprietate, peculiarive conditione rerum, quibus sunt imposita, deducuntur, cuiusmodi sunt proximè relata, *Consul* à consulendo, *Rex* à regendo, &c.

Locus notationis.

Ad hunc locum reuocatur locus transumptionis ad euidentius nomen, ex quo clariora vocabula eruimus, ut exponamus ea, quæ minùs nota sunt; ut si ensem exponas gladium; si Philosophum, sapientem; si tellurem, aridam terram.

Ad harum autem de loco à definitione &c. Maximarum veritatem duo requiruntur. Primum, ut termini non supponant materialiter, aut simpliciter, sed formaliter, & absolutè, vel personaliter; hinc non sequitur, *animal rationis particeps est oratio; ergo homo est oratio: animal rationis particeps est definitio; ergo homo est definitio*, quoniam suppositio terminorum est materialis. Secundum requiritur, ut non accipiantur propositiones, in quibus mentis interior actus inuoluitur; hinc non sequitur, *Scio Socratem esse hominem; ergo scio Socratem constare ex per se actu, & per se potentia.* Amplius requiritur, ut hi modi accipiantur in propositionibus *de ineſſe*; non verò in illis, quæ *modalibus* forsan æquipollent, ut *demonstrabile est hominem esse admirativum; ergo demonstrabile est animal rationis particeps esse admirativum*; hoc enim illatum est falsum, quoniam animal rationale esse admirativum, est principium immediatum.

Caterum locus à definitione talis est, ut ex eo non solùm deduci possit argumentum probabile, sed etiam demonstrativum. Propterea dicendum hunc locum, tunc inseruire topico syllogismo, quando, vel non probè constat esse veram, ac propriam rei definitionem, vel descriptionem eius loco sumptam; vel non constat conclusionis prædicatum conuenire definitioni subiecti, vel definitionem prædicati conclusionis subiecto eiusdem conuenire; quod proportione pariter intelligendum de alijs locis topicis, à quibus necessaria &c. deducuntur argumenta.

Locus à comitantibus substantiam ab illis desumitur terminis, qui non reciprocè idem important; sed unus in alio quidem includitur aliquo modo *essendi* ita. Octo autem esse perhibentur; nimirum *A toto, A parte, A causa, Ab effectu, A Generatione, A corruptione, Ab usibus, & A communiter accidentibus.*

Loci definitione non solùm est topicus, sed etiam demonstrativus.

Locus communiter accidentibus.

Dice-

Dicetur autem *aliquo modo essendi in*, nam *pars* est in *toto*, & *totum* dicitur esse in *parte*; *effectus* etiam dicitur esse in *causa*, proindeque duo sumuntur loca à causa, & ab effectu: *generatio* dicitur esse in *re genita*, quoniam est via tendens in formam, & corruptio unius est alterius generatio; *usus* etiam dicitur *finis rei*; & *res* est in suo *fine*, communiter tandem *accidentia* in suo *subiecto* sunt.

Quot autem modis dicitur totum, ut hinc exordiar, totidem dicitur etiam pars, enimverò se mutuò respiciunt; unde locus à toto, & à parte, iuxta diuisionem totius, & partis diuiditur. Totum porrò multiplex est, videlicet *uniuersale*, *integrale*, *quantitatiuum*, *in modo*, siue *modale*, *in loco*, siue *locale*, & in *tempore*, siue *temporaneum*, pars autem totidem etiam modis diuiditur.

De Toto uniuersali.

TOtum uniuersale est omne superius respectu inferiorum, & magis commune comparatione minus communis in recta categoriæ linea, ut *animal respectu hominis, leonis &c. homo, respectu indiuiduorũ*, & huius totius pars est inferius, minusque commune, diciturq; subiecta pars. A toto uniuersali ad subiectã partem, licet quatuor modis arguere. Primus ex parte subiecti affirmativus à toto ad singulas partes disiunctim. Vt elementum est graue; ergo vel ignis, vel aer, vel aqua, vel terra est gravis. Maxima est. *Quod de toto uniuersali affirmatur, de aliqua eius parte affirmabitur*. Secundus ex parte prædicati etiam affirmativus à toto ad partes disiunctim. Vt dare operam studiis est bonum, ergo vel utile, vel honestum, vel delectabile. Maxima. *De quo totum uniuersale affirmatur, aliqua eius pars affirmabitur*. Tertius ex parte subiecti negativus à toto ad partes etiam disiunctim, ut animal non est rationis expers, ergo vel homo, vel brutum non est expers rationis, Maxima. *Quod negatur de toto, negatur de aliqua parte*. Quartus itidem negativus ex parte prædicati à toto ad singulas, aut omnes partes copulatim, ut *studia contemnere non est bonum; ergo nec utile, nec honestum, nec delectabile*. Destructiuè hoc est à negatione superioris ad negationem inferioris valet consequentia, est autem Maxima. *A quocunque remouetur totum uniuersale, quælibet eius pars remouetur*; proinde licèt argumentari; *non est animal; ergo nec homo, nec leo, nec equus*, &c. quoniam superius in inferiori essentialiter inuoluitur; hinc enim fit, ut ubi non est superius, nec etiam inferius esse queat; quando tamen superius ex parte prædicati se teneat, alioquin si munere subiecti fungitur, non quicquid remouetur à toto uniuersali, ab omnibus eius partibus remoueatur oportet, nisi in propositionibus negatiuis ad primum, & secundum modum dicendi per se pertinentibus, *ut virtus non est vitium; ergo nec iustitia est vitium, nec temperantia, nec fortitudo* &c. item *animal non est lapis; ergo nec homo est lapis, nec leo, nec equus &c.* at in alijs propositionibus non ab omnibus partibus subiectis, sed ab illis duntaxat sub disiunctione sumptis remouetur; hæc tantummodo regula generalis est toto se tenente ex parte prædicati; alioquin limitationibus est opus, nam si rectè concludatur, id materiæ, non formæ ratione contingit. A toto uniuersali ad subiectam partem non licet affirmatiuè, nisi in propositionibus per se, argumentari, siue uniuersale se teneat ex parte subiecti, seu prædicati; in aliis verò nonnisi disiunctim, *ut animal est sensitiuum; ergo homo est sensitiuum, & leo, & equus, &c. animal currit; ergo vel homo currit, vel leo, vel equus &c.* Si nanque genus de aliquo prædicetur, necesse est speciem aliquam de eodem prædicari, cum non possit genus ab eo participari nisi intermediâ specie.

A subiecta parte ad totum uniuersale totidem etiam modis non destructiuè, sed constructiuè, vel si mauis affirmatiuè licet argumentari, siue inferius, subiecti, siue prædicati locum obtineat. Hinc duę Maximè. *Quicquid prædicatur de inferiori, prædicatur de superiori*, ut homo currit; ergo animal currit; *De quo prædicatur inferius, prædicatur etiam superius, ut Socrates est homo; ergo Socrates est animal*. A subiecta parte ad totum uniuersale totidẽ modis licet argumentari, quot à toto ad partes.

Superius enim in inferiori necessariò includitur, adeo ut inferius, sine superiori esse non possit; at verò superius potest sine aliquo esse inferiori, quanuis sine omni esse nequeat; mala enim hęc est consecutio *non est homo; ergo non est animal*; nam etsi animal non sit ratione hominis, ratione tamen aliarum specierum esse potest.

Quia tamen conceditur hęc consequentia *est ens; ergo est Deus*, quanuis affirmatiua sit à superiori ab inferius; propterea conturbabantur aliqui, eo usque ut crederent traditam regulam veritati minimè consentaneum esse. Prima difficultas.

Sunt, qui putant consecutionem illam admittendam per locum ab effectu ad causam, quia Deus est omnis entis creati causa. Quorundam responsio.

Mala tamen solutio, non enim idem est ens, & ens creatum; nam ens commune quidem uniuocè Deo, & creaturis, nec dicit esse creatum, nec increatum, sed importat conceptum imperfectâ tamen precisione precisum ab utroque, secus ens creatum, respectu cuius Deus dicitur causa, non autem comparatione entis simpliciter, alioquin Deus foret causa sui, cum quicquid conuenit superiori, ut in præsentia, *effectum esse*, inferiori conueniat etiam oportet. Rectiùs igitur adnotatum ab alijs fuit consecutionem illam tenere non formæ, sed dumtaxat materiæ gratia; nam si datur ens, oportet illud dari ratione alicuius inferioris, hoc autem vel est Deus, vel aliquid creatum, quod sine Deo esse non potest; alterutrum porrò dicatur dato ente, necesse est dari Deum. Refellitur. Vera solutio.

Deinde valet hęc consequentia *est numerus; ergo est binarius*, quanuis affirmatiua à superiori ad inferius; Hoc tamen nihil est, quoniam huiusmodi consequentia tenet per locum à toto integrali mox explicandum. Secunda difficultas Solutio.

Est etiam difficultas de regula, quî dictum fuit ab inferiori ad superius posse affirmatiuè concludi, nam hæc est consequentia non admittenda, *paries incipit esse albus; ergo incipit esse coloratus*; si nanque fuit prius alio colore affectus, haud benè dicetur *nunc incipit esse albus*, & nihilominus affirmatiuè arguitur at inferiori ad superius. Tertia difficultas.

Aliorum solutione prætermissâ, nempe quòd illæ sint propositiones virtute negatiuæ; respondendum *album*, & *coloratum* se habere ut inferius, & superius, & ideo posse affirmatiuè argui, *est album; ergo est coloratum*, non tamen *ab incipiente ad incipiens*, & ex hoc capite rectè quidem arguitur, nimirum affirmatiuè ab inferiori ad superius; aliunde porrò mala redditur illa consecutio, videlicet ex parte connotati, nam *incipit*, *dicit* in re proposita nouam denominationem, & connotat non esse antecedens ipsius; proinde paries alioquin niger, dici potest, quòd incipiat albus fieri, non tamen coloratus, eo quòd supponitur non albus, sed non supponitur non coloratus, sic enim ab alio colore prius denominabatur. Solutio.

Digitized by Google

De toto integrali.

Totum integrale quid.

TOtum integrale est corpus constans partibus quantitatem habentibus, ut domus respectu fundamenti, & reliquarum partium huiusmodi; & animal respectu capitis, pectoris, ventris, &c. aut aliquid huic corpori simile, cuiusmodi est totum physicum comparatione partium essentialium. Partes autem integrantes sunt in duplici differentia, quædam enim sunt principes, & necessariæ, quædam non necessariæ sunt. Partes necessariæ dicuntur, sine quibus totum consistere nequit, ut paries, tectum respectu domûs; caput, cor, pectus respectu animalis; aliæ minus principes, & non necessariæ dicuntur, sine quibus totum potest consistere, ut fenestra in domo, digitus, nasus, aures, in animali. Locus à toto integrali ad partem, & à parte ad hoc totum *est habitudo ipsorum*: & à toto ad partes principes, consequentia tenet affirmatiuè, arguendo per propositionem de *est* secundo adiacente, ad *est* secundum adiacens, vel de prædicatis necessariò consequentibus *est* secundum adiacens, non autem in prædicatis reliquis. *Vt est domus: ergo est paries: ergo est tectum, &c. est animal; ergo est pectus, cor*, & similes partes principes, ac necessariæ. Maxima est. *Posito toto integrali, ponitur quælibet eius pars princeps, ac necessaria*; pars autem minus princeps non necessariò ponitur. Tenet etiam consequentia *domus est aliquid; ergo paries est aliquid; tectum est aliquid; &c.* quoniam particula *aliquid* utpote transcendens, consecutionem habet ad *est* secundum adiacens: non admittenda tamen consequentia *domus valet mille; ergo paries valet mille*, quoniam particula *mille* non transcendit &c.

Partes principes, ac necessariæ.

Partes minus principes, & non necessariæ.

Locus à toto integrali.

Prima maxima.

Tenet etiam cõsequentia negatiuè, disiũctim.

Sunt qui putant non posse negatiuè argui, *non est domus; ergo non est paries*. Sed ineptè, si absolutè loquantur, nam aliquo modo, nempe disiunctim, licet arguere à totius negatione ad negationem partium, ut *non est domus: ergo vel non est paries vel non est fundamentum, vel non est tectum, vel deest aliqua alia pars necessaria*. A partibus ad totum sunt alij duo modi argumentandi; alter affirmativus ab omnibus partibus ũn tis necessarijs ad totum, ut *sunt paries, tectum & fundamentum inter se unita; ergo est domus*; item *est cor, est pectus, sunt intestina, & reliquæ partes necessariæ simul omnes unitæ: ergo est animal*. Maxima. *Positis omnibus partibus necessar-s, simul unitis, ponitur totum*. Alter modus est negativus, nimirum à negatione unius partis principis, ac necessariæ ad negationem totius, ut *non est fundamentum, ergo non est domus*. Maxima. *Ablatâ unâ parte necessaria, auferetur totum*. Non tamen sequitur *paries non valet mille; ergo neque domus*.

A partibus ad totum licèt arguere.

Duplex modus argumentãdi affirmativus unus, & negativus alter.

Prima maxima.

Modus negativus

Secunda maxima.

De Toto in quantitate.

Totum in quantitate.

TOtum in quantitate dicitur terminus communis cum signo uniuersali, ut *omne animal, nullum animal, omnis homo, nullus lapis*. Pars autem in quantitate est ille terminus cum signo in particulari, ut *aliquod animal, aliquis homo*, vel inferiora contenta sub illo communi termino.

Pars in quãtitate

A toto in quantitate ad partes licet arguere affirmatiuè, & negatiuè.

Hinc multiplex trahitur argumentum, & quidem à toto in quantitate, ad partes tenet consequentia tam affirmatiuè, quam negatiuè, siue fit subiectum, siue prædicatum, quoniam hoc totũ pro omnibus, & singulis inferioribus distribuit. Primus modus est ex parte subiecti affirmativus à toto ad singulas partes, *ut omne animal habet sensum; ergo concha habet sensum, & spongia habet sensum, & sic de reliquis*. Maxima, *Quod de toto in quãtitate affirmatur, de omnibus & singulis partibus affirmabitur*. Secũdus ex parte prædicati affirmativus à toto ad singulas partes, ut *homo habet omnem sensum; ergo habet visum*. Maxima. *De quo affirmatur totum uniuersale in quantitate, affirmantur singulæ partes*. Tertius negativus ex parte subiecti à toto uniuersali ad singulas eius partes, *ut nullum animal est sensu destitutum; ergo Leo non est sensu destitutus*. Maxima *Quod de toto uniuersali in quantitate negatur, de singulis quoque partibus negabitur*. Quartus ex parte prædicati negativus à toto ad singulas partes; ut *Lapis nullum habet sensum; ergo non habet visum*. Maxima. *A quo totum removetur uniuersale in quantitate, & singulæ partes eius removeantur oportet*.

Primus modus affirmativus.

Maxima

Secundus modus affirmativus.

Maxima

Tertius modus negativus.

Maxima

Quartus modus negativus.

Maxima

Difficultas est, quia non valet: *omnes Apostoli Dei sunt duodecim: ergo Paulus est duodecim*. Amplius *omne animal fuit in Arca Noe; ergo Bucephalus fuit in Arca Noe*.

Difficultates.

Respondendum descensum, sub communi termino vel illationem consequentiæ à toto in quantitate fieri debere iuxta suppositionem illius termini in tali propositione; at verò dicendo *omnes Apostoli Dei sunt duodecim*, terminus *Apostoli* supponit collectiuè; illatio proinde fieri debet ad partes simul acceptas. Amplius dicendo *omne animal fuit in Arca Noe*, terminus *animal* supponit distributiuè pro generibus singulorum: propterea descensus iuxta huiusmodi suppositionem fieri debet.

Solutio.

A partibus etiam ad huiusmodi totum, optima fit consecutio; quatuor autem sunt argumentandi modi. Primus affirmativus ex parte subiecti ab omnibus partibus cumulatim acceptis ad totum, ut *terra est corpus simplex, aqua est corpus simplex, aer est corpus simplex, ignis est corpus simplex; ergo omne elementum est corpus simplex*, vel *Socrates currit, Plato currit, & sic de reliquis; ergo omnis homo currit*. Maxima; *Quod de omnibus partibus prædicatur, etiam de ipso uniuersali in quantitate prædicabitur*. Secundus ex parte prædicati affirmativus ab omnibus etiam partibus ad totum licet arguere, ut *homo habet visum, auditum, olfactum, & tactum; ergo habet omnem sensum externum*. Maxima. *De quo omnes partes affirmantur & ipsum totum uniuersale in quantitate affirmabitur*. Tertius ex parte subiecti negativus ab omnibus partibus ad totum uniuersale in quantitate, copulatim tenet consequentia, ut *homo non est corpus simplex, brutum non est corpus simplex; & sic de reliquis animalibus; ergo nullum animal est corpus simplex*. Maxima. *Quod negatur de omnibus partibus simul sumptis, de toto in quantitate negabitur*. Quartus ex parte prædicati ab omnibus partibus ad totum negatiuè, bona est consequentia; ut *lapis non constat anima vegetativa, nec sensitiva, nec rationali: ergo nullâ anima constat*. Maxima. *De quo omnes partes negantur, & simul totum negabitur*.

A partibus ad huiusmodi totum fit consecutio.

Primus modus affirmativus.

Maxima

Secundus modus affirmativus.

Maxima

Tertius modus negativus.

Maxima

Quartus modus negativus.

Maxima.

Datur etiam totum particulare; ut *aliquod animal, aliquis homo &c.* & in hoc etiam sunt similes argumentationis modi.

Totum particulare.

De Toto in modo.

Totum in modo.

TOtum in modo est communis terminus absque aliqua determinatione sumptus, ut *Homo, Grammaticus, Philosophus, Leo, &c.* Pars in modo est terminus communis cum aliqua determinatione sumptus, ut *homo doctus; homo* dicitur *totum*, quoniam ad plura se extendit, quàm modificatus per doctum, ita

ita fit ut totum uniuersale à toto in modo distinguatur, quoniam illud respicit inferiora essentialia, hoc autem inferiora accidentalia; ut homo quatenus totum uniuersale respicit Socratem, Platonem, &c. abstrahendo ab accidentibus; respicit enim illos, duntaxat ut homines sunt; homo autem ut totum in modo, inferiora respicit, quatenus determinata, & distincta per aliquas accidentarias denominationes, ut *hominem doctum, album, nigrum, &c.*

Sumitur autem in his argumentum, & à toto, & à parte. Primus modus est à toto ex parte subiecti affirmativus ad partem; ut *omnes homines appetunt scire; ergo Socrates appetit scire, Plato appetit scire,* & sic de reliquis. Maxima. *Quod de toto in modo uniuersaliter affirmatur, etiam de parte affirmabitur.* Secundus ex parte prædicati affirmativus à toto ad partem, ut *Deus omnia gubernat; ergo etiam animalia bruta.* Maxima. *De quo totum in modo uniuersaliter affirmatur, etiam pars affirmabitur.* Tertius ex parte subiecti negativus à toto ad partem, ut *Nullus homo est contemnendus; ergo nec pauper contemnendus est.* Maxima. *Quod negatur de toto uniuersaliter, de eius parte quoque negabitur.* Quartò item ex parte prædicati, ut *Deus nullos homines odio habet; ergo nec peccatores odio habet.* Maxima. *De quo totum uniuersaliter negatur, etiam pars in modo negabitur.*

Cautè tamen hæc argumentandi ratio adhibenda; præ oculis enim habere oportet determinationem, quâ communis terminus modificatur, ea siquidem triplex perhibetur. Prima dicitur distrahens, siue alienans, quæ suo determinabili repugnat, tollitque rationem ipsius, ut *homo mortuus, marmoreus, pictus, irrationalis, &c.* nam ex his quælibet homini repugnat. Secunda dicitur diminuens, quę nõ tollit omninò rationem illius, cui adiungitur, sed partim diminuit significationem totius, ut *album secundum dentes, homo cognitus;* Tertia est contrahens, siue restringens & ea dicitur, quæ nõ tollit, nec diminuit significatum communis termini, quinimò ipsum supponit, solumque facit, ut stet pro paucioribus suppositis; ut *homo doctus, homo albus;* quando igitur restrictio contingit distrahens, aut diminuens significationem totius, tunc non est pars, aut totum in modo, proinde *homo pictus: album secundum dentes* non sunt partes in modo. Ad rectè autem arguendum à toto in modo ad partem, & viciſſim, modus iuxtà tertiam usurpationem adhiberi debet, proinde mala est consequentia, *Socrates non est homo mortuus; ergo non est homo; Cadauer non est homo; ergo non est homo mortuus; Antichristus est cognitus; ergo Antichristus est, Aethiops est albus secundum dentes; ergo est albus.* Ad ritè igitur arguendum à toto in modo ad partem secundum determinationem contrahentem, opus est adhuc ut copula, æquè primò afficiat tam terminum, quàm modum ex parte prædicati, & utriusque ratione per copulam subiecto tribuatur, proinde non sequitur *Socrates fit homo sapiens; ergo fit homo;* quandoquidem dictio *fit* non *hominem,* sed *sapientem* afficit. His autem diligenter animaduersis argumentatio à toto in modo ad partem tutò potest adhiberi; & primò quidem negatiuè tam ex parte subiecti, quàm prædicati, ut *Socrates non est lapis; ergo non est lapis albus; homo non est lapis; ergo homo albus non est lapis,* non tamen adhiberi potest affirmatiuè, ut *Socrates est homo; ergo est homo doctus; homo currit; ergo homo doctus currit.* Admitti tamen hæc argumentandi ratio potest, quantum ad ea prædicata, quæ ad primum, & secundum dicendi modum pertinent, ut *homo est rationalis; ergo homo albus est rationalis; item homo est risibilis; ergo homo albus est risibilis.*

A parte in modo ad totum, licet etiam argumentari ex parte subiecti, & prædicati affirmatiuè, & negatiuè; & quidem affirmatiuè, dummodo termini non supponant simpliciter, sed personaliter, ut *homo doctus currit; ergo homo currit. Socrates est homo doctus; ergo est homo.* Maxima est. *Quod prædicatur de parte in modo, prædicatur etiam de suo toto, & de quocunque prædicatur pars in modo, prædicatur & eius totum.* Negatiuè quoque, ut *equus albus non intelligit; ergo equus non intelligit.* Maxima, *quod negatur de parte in modo, negatur etiam de toto.*

A parte in modo ad totum licet argumentari.

Maxima.

Maxima.

Requiritur autem, ut non sit suppositio simplex, sed personalis; non enim sequitur, *homo doctus est ens per accidens; ergo homo est ens per accidens.* Sed benè homo doctus currit; ergo homo currit.

De Toto in Loco, & de Toto in Tempore.

TOtum in loco est dictio comprehendens per modum aduerbii omnem locum, ut *ubique, nullibi.* Pars totius in loco est dictio comprehendens per modum aduerbii aliquem locum, ut *hic, illic.* Similiter Totum in tempore est dictio per modum aduerbii comprehendens omne tempus, ut *semper, nunquam.* Pars totius in tempore est dictio per modum aduerbii significans aliquam temporis partem, ut *hodie, heri, cras, &c.* In utroque toto consequentia valet ad singulas partes, tam affirmatiuè, quàm negatiuè? Vt *Deus est ubique; ergo Deus est hic. Nullibi est Chimera; ergo in Italia non est Chimera.* Sic etiam in tempore, ut *Deus est semper; ergo est hodie. Nunquam lapides sentient; ergo nec post centum annos sentient.* Deus nunquam fuit impius, ergo nec hodie est impius. Sunt autem Maximæ prima est, *Cuicunque conuenit totum in loco, vel in tempore, conuenit etiam pars.* Secunda *à quocunque remouetur totum in loco, vel in tempore, remouetur etiam pars.*

Totum in loco.

Pars in loco.

Totum in tempore.

Pars in tempore.

In utroq; toto consequentia valet tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Maxima prima.

Secunda.

A partibus verò in loco, & in tempore ad totum negatiuè semper consequentia tenet, ut *Rex Hispaniarum non est hic, ergo non est ubique. Cras non curram; ergo non semper curram,* cras curram; ergo aliquando curram. *Alexander non est hodie; ergo non fuit semper.* Maxima. *A quo remouetur pars in loco, vel in tempore, remouetur totum in loco, vel in tempore.*

Maxima

De Loco à Causis.

LOcus à causa ad effectum, & ab effectu ad causam, est habitudo, quam habent inuicem hi termini. *Est autem causa id, ad cuius esse aliud necessariam habet consecutionem;* ut ignis est causa caloris, quandoquidem hic necessariam habet consecutionem ad ipsum.

Quadruplex autem est causa, nempè efficiens, materialis, formalis, & finalis; de quarum singulis ordine tractanda sunt loca, & argumentandi modos. Loca autem argumentandi à causis magni fieri debent, & meritò inter interna numerantur, siquidem causæ magnam cum rei natura affinitatem habent, idque vel ex eo facilè deprehenditur, quod in definitionibus contexendi, adhibentur; cum autem quatuor sint, ut diximus causarum genera, propterea quatuor loca possunt à causa ad effectum desumi, & primo quidem à causa efficiente ad effectum multifariam possumus argumentari.

Locus à causa ad effectum plura suppeditat argumenta, & quid sit.

Causa quid sit.

Quadruplex est causæ genus efficiens, materialis, formalis, & finalis.

Quatuor loca ad causa ad effectum, & viciſſim.

A Causa efficienti.

Causa efficiens quid?

CAusa efficiens definitur *principium primum, unde motus*, est enim id, à quo primò incipit motus, & operatio; ut ignis dum calefacit lignum, cum sit principium primum cui debet accepta referri calefactio, propterea causa efficiens motùs calefactionis perhibetur, & quidem primum, ut ab instrumento distinguatur. Efficiens causa diuidi solet in

Causa præcisa efficiés quid.

præcisam, & *sufficientem*. *Præcisa* dicitur illa, à qua ita procedit effectus, ut non possit posità causâ non procedere effectus; nec ab alia causa talis effectus prouenire possit; sic se habet anima respectu actûs vitalis, nam posità animâ poni debet actus vitalis, & hic esse non potest nisi ab anima: Et præsentia Solis comparatione diei; præsentiâ siquidem eius posità nequit non esse dies. Nec dies ab alia causa potest oriri. Causa autem *Sufficiens* esse censetur, quæ semper suum attingit effectum, quamuis ab alijs causis possit effectus prodire; ut ignis est causa caloris, ictus bombardæ est causa mortis; hi tamen effectus ab alijs possunt oriri causis, propterea quòd multa præter ignem possunt calorem progignere, & multa præter

Sufficiens causa efficiés quid.

ictum bombardę possunt mortem afferre. Triplex etiã designari consueuit, nempe *promouens*, *conseruans*, & *interimens*; quarum singula genera, bipartitò rursus diuidunt artifices, in principes, & famulantes. Causa simpliciter princeps, solus est naturæ auctor; aliæ autem sunt in quodam genere principes, ut architectus, qui inter omnes fabros alicui operi intentos principem tenet locum. Famulantes verò sunt, quæ principalibus deseruiunt; ita quidem ij, qui ligna cædunt, & præparant Architecto dicuntur causæ famulantes. Huc pertinent instrumentales causæ tam artis, ut *securis*, *terebra*, & id genus alia, quàm naturæ ut calor respectu ignis. In moralibus quoque tales causæ extant; Regum enim consiliarij huiusmodi sunt, sed de his latius in Physicis. Non prętereunda

Triplex causæ diuisio.

tamen altera causæ partitio. Causa enim in duplici discrimine est; una siquidem dicitur *actu*, altera autem *potestate*. Causa quidem actu dicitur quæ in exercitio est propriæ operationis; ut ædificans, calefaciens. Potestate verò causa nuncupatur, quæ non præsefert ipsum actum operandi, sed est ut *ædificativum*, *calefactivum*.

Causa alia in actu, & alia in potentia, & quid utraque sit.

Iuxta distinctiones proximè quidem allatas quatuor argumentandi modi recognoscuntur in ordine ad hæc prædicata, nempe *est*, *fit*, *bonum*, *malum*, ut mox explicabitur. Primus modus arguendi est à causis necessarijs, & effectibus affirmatiuè, & negatiuè, ut *Sol lucet; ergo dies est*, & vicissim *dies est; ergo Sol lucet*; amplius *cras erit interpositio terræ inter Solem, & Lunam; ergo cras erit Lunaris eclipsis*. Et vicissim. Negatiuè patet sic licet arguere; *Non lucet Sol supra hemisphærium; ergo non est dies*: *Non est dies ergo non lucet Sol supra hemisphærium*. Maxima. *Posità efficienti præcisâ, ponitur effectus*, & contra *posito effectu ponitur talis causa*. *Ablatâ causâ effectus aufertur, & ablato effectu, aufertur causa*. Secundus modus à causa efficienti ad effectum affirmatiuè valet consecutio. *Est ignis; ergo est calor*; ab effectu, *non est calor; ergo non est ignis*. Maximæ sunt. *Positâ causâ sufficienti; ponitur effectus: ablato effectu, aufertur causa sufficiens*. Tertius est modus à causa potentiali ad possibilitatem effectûs affirmatiuè; ab effectu verò existente ad præexistentiam causæ; ut *ædificator est; ergo possunt ædificia fieri: ædificium existit; ergo ædificator fuit*. Huius autem argumentationis vis à

Primus arguendi modus.

Maxima.

Secundus modus.

Tertius modus.

causa ad effectum nulla est, nisi supperant alia requisita, cuiusmodi sunt materia, & forma, &c. positis igitur omnibus necessarijs, valebit arguere, *domificator est, cum omnibus requisitis ad domificandum; ergo potest domus fieri*. Maximæ. *Positâ causâ efficienti potentiali cum alijs omnibus requisitis, possibilis est effectus: posito effectu necessariò præcessit causa*. Quartus modus à causa actuali ad effectum, & vicissim affirmatiuè, & negatiuè valet. Ex parte tamen effectûs adhibito verbo denotante operationem, ut *calefaciens est; ergo calidum fit; domificans est; ergo domus fit*, & contra *calidum fit; ergo calefaciens est; domus fit; ergo domificans est*. *Causa enim in actu simul est cum effectu in actu; & effectus prouenies actu à causa, simul est cum causa*. Maximæ. *Operante causâ, fit effectus; cessante causâ non fit effectus*, & contra. In uniuersum igitur proportione quadàm accommodando iuxta exigentiam habitudinis causæ ad effectum, & contra, licet argumentari, nimirum si est sermo de causa in potentia, arguatur ad effectum itidem in potentia, si autem causa sit in actu, ad effectum in actu; unde maximæ. *Positâ, vel remotâ causâ efficienti in potentia, vel in actu; ponitur, vel remouetur effectus in potentia, vel in actu*. Et ex parte effectûs; *posito, vel remoto effectu in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur causa efficiens in potentia, vel in actu*. Quoniam autem omnis causa efficiens effectum sibi in eo, quo potest assimilare conatur; ob id non inepte, quæ insunt causis, solemus effectibus tribuere, & contra; ut *domificans est bonus; ergo domus fit, vel erit bona*, quod ne intelligas de bonitate, aut malitia morali, vel entitatiua, sed de bonitate, & malitia causæ, & effectûs in ratione causæ &c. Præcipuè autem possumus ex hoc loco sumere argumentum dicendo: *mundus est factus à Deo summè bono; ergo bonus est*. Maxima autem erit. Posita causa efficienti bona, vel mala, ponitur effectus bonus, vel malus. Et ex parte effectûs. Posito bono effectu, vel malo ponitur efficiens causa bona, vel mala. Caterum si quis velit efficientis causæ partitionem illam attendere in procreantem, conseruantem, & interimentem, facilè poterit assignare modos argumentandi ex huiusmodi causis deductos; & quidem ex causa procreante, ut arbor est bona; ergo fructus eius bonus erit, & ex negatione huius causæ, ut animal est pulmone destitutum; ergo non respirat. Ex causa conseruante, ut homo respectu quorundam animalium, meliorem proportionem humidi cum calido sortitus est; ergo respectu ipsorum diuturniorem vitam debet traducere. Ex causa interimente, ut in aliquibus arboribus, quibus sunt lata foliat humor in ea parte ubi folia cum extremis ramulis copulantur vi frigoris congelatur; ergo huiusmodi arbores defrondescant oportet.

A Causa materiali.

Locus à causa materiali.

LOcus à causa materiali suam habet utilitatem, materia porrò fusâ vocabuli significatione triplex est: *Ex qua*, *In qua*; & *circa quam*. Materia *ex qua* est, ex qua inexistente fit aliquid, ut viuens ex corpore organico, estque duplex, ut infra dicetur. Materia *in qua* est subiectum respectu cuiuscunque formæ, ita quidem lapis est materia insculptæ figuræ, & corpus coloris; ut paries est materia albedinis in ipso productæ, & animus est materia *in qua* respectu scientiæ. Materia *circa quam*, est id circa quod actio quædam, & operatio versatur, iuxta quam significationem obiectum dicitur esse materia, circa quam scien-

scientiæ, vel artis, ut res naturales Physicæ, Deus Theologiæ, &c. Materia *circa quam* dicere solemus. Sic etiam dicimus virtutes esse materiam laudis, & vitia reprehensionis. Materia rursus *ex qua* altera permanens, altera transiens. Materia permanens est, cuius substantia in re effecta manet, ut lignum est materia permanens nauis, quia factâ naui adhuc lignum in ea manet. Transiens ex quâ prius transmutata fit aliquid, & cuius substantia non manet, ut vinum est aceti materia, & siluæ, ac nemora ædium; item farina, & aqua sunt materia panis; nam facto aceto non est amplius vinum, & factis ædibus non sunt amplius nemora, & facto pane, non est amplius farina, aut aqua. Hinc desumuntur communes quidam argumentandi modi. Primus à materiali causæ, siue permanentis, siue transeuntis affirmatione ad effectûs possibilitatem; *vinum est; ergo potest fieri acetum: lignum est; ergo potest fieri nauis: farina, & aqua sunt; ergo potest fieri panis*, simpliciter tamen non valet, cum pluribus sit opus causis. Maxima. *Posita causa materiali, possibilis est eius effectus.* Secundus modus à causis istis negatiuè, ratione tamen diuersâ, nam à permanenti per simplex verbum, ut *non est ferrum; ergo non sunt arma ferrea: non sunt lapides, nec ligna etc. ergo non est domus.* Maxima. *Remotâ causâ materiali, remouetur effectus.* A transeunti materia quoque cum præteriti verbo ad præsentiam effectûs bona est consequentia, ut *non fuit ferrum; ergo non sunt arma ferrea: non fuit farina; ergo non est panis.* Valet etiam in præsenti quando verbum est significans effectûs operationem, ut *non est ferrum; ergo non fiunt arma ferrea: non est farina; ergo non fit panis.* Maxima. *Non præcedente materia transeunte, nullus effectus sequitur.* Tertius modus est ab effectu, nam in causa materiali permanenti consequentia tenet affirmatiuè, non autem negatiuè; ut *est gladius; ergo est ferrum, est nauis; ergo est lignum.* Negatiuè tamen non valet, nempe *non sunt arma; ergo non est ferrum*, potest enim esse ferrum, quanuis non sint arma. In materia transeunte negatiuè non valet, affirmatiuè verò sequitur causam præcessisse; non enim valet, *non est acetum; ergo non est vinum, non sunt ædes; ergo non sunt nemora; non est panis, ergo non est farina*, benè tamen affirmatiuè sequitur causam præcessisse, ut *est acetum; ergo fuit vinum: sunt ædes; ergo fuerunt nemora; est panis; ergo farina fuit.* Maximæ sunt. Prima affirmatiua. *Posito effectu, ponitur materiam permanentem esse; & transeuntem fuisse.* Secunda negatiua, *remoto effectu, remouetur causa materialis in actu, non tamen in potentia.*

Præter assignatos argumentationis modos ex materiali causa desumptos, alii etiam suppetunt; non exiguæ utilitatis, velut illi, quibus inferre possumus proprietates, ex varijs materijs prodeuntes, & remouere alias, ut *homo constat ex elementis; ergo est corruptibilis: ædes constant ex lapidibus; ergo sunt durabiles. Serra est plumbea; ergo non est apta ad secandum.* Huc etiam spectant argumenta ex locis deducta, ut *natus est in Italia; ergo pollet ingenio: est natus in Germania; ergo strenuus est: est animal degens in aquis; ergo humida temperie constat.* Si quis autem velit argumentandi modos desumere ex materia iuxta superiorem diuisionem in eam, quæ dicitur *ex qua, in qua*, & *circa quam*, ex dictis quam facillimè fiet voti compos. A materia quidem *ex qua* ut in Ligusticis montibus magna est lignorum penuria; ergo ibi in ædificia lignea construenda pecunias plurimas oportet impendere. A materia *in qua*, ut in Sorte mens vegeta non est; ad capescendas igitur disciplinas ei laboris plurimum est perferendum. Item is parum memoriâ valet; ut igitur in literarum studijs proficiat, cogitur multum illam excolere. A materia *circa quam*, ut corpus animatum præstantius est cæteris naturâ constantibus; ergo scientia de corpore animato reliquis Physicæ partibus, dignitate præstat, ac antecellit.

A Causa formali.

TRiplex forma pethibetur. Essentialis, accidentaria, & externa. Essentialis est quæ rem simpliciter constituit datque esse rei, ut propterea de hac forma loquens Philosophus diceret; *forma est, quodquid erat esse rei.* Essentialis forma est, ut rationalis animus respectu hominis, & figura respectu statuæ, acceptâ statuâ pro composito ex figura, & materia. Accidentaria, ut color respectu corporis, figura statuæ respectu ligni, & scientia tandem respectu animæ. Externa est exemplar respectu illius, quod exemplaris imitatione fit; quanuis enim exemplar ad efficientis causæ genus reuocetur, ut suo loco planum fiet, adhuc tamen non immeritò creditur ad formalis, etsi externæ, causæ genus pertinere; quanuis etiam id, cui materia iniicitur, aut infunditur, aut alio modo adaptatur, ut artificiosam formam accipiat, nomine externæ formæ possit appellari; ita planè sunt vasa, in quæ artifices vel lutum ingerunt, vel liquida metalla fundunt, ut aliquam in materia figuram artis exprimant. Essentialis porrò forma, non solùm est causa formalis totius compositi, sed etiam materiæ, ob id proprietatum earum, quæ essentiam, quam constituit ipsa forma, consequuntur, eò quòd talis est rei materia, qualem exigit forma: nec aliæ proprietates, vel affectiones essentiam comitantur, quam quas formæ sibi vendicat indoles, atque perfectio. A causa autem formali in actu ad effectum, & vicissim, duo sunt argumentandi modi affirmativus unus, & negativus alter, ut *albedo est; ergo album est; albedo non est; ergo album non est.* Maxima. *Positâ, vel remotâ causâ formali, ponitur, vel remouetur effectus formalis.* Ab effectu quoque similis argumentandi modus potest adhiberi, ut *est album; ergo est albedo: non est album; ergo non est albedo in actu.* Maxima. *Posito, vel remoto effectu formali, ponitur, vel remouetur causa formalis.* Dicebam autem *à causa formali in actu*, quia potest aliqua esse forma separata, ut anima intellectiua, quæ nullum formalem effectum tribuat; Vt usui sit tripartita formæ diuisio paulo antea commemorata, sic argumentabimur. Et primò ex essentiali forma. *Anima est principium à quo genere longè diuersæ proueniunt operationes; ergo sedes ipsius corpus esse debet variis organis distinctum.* Item. *Homo ratione animæ conditionem immortalis naturæ sortitus est; ergo vitam potius æternam, quam caducam hanc præoculis habere debet.* Ex forma accidentaria. *Homo erectâ figurâ fuit procreatus; os enim ei sublime natura dedit, cælumque videre.*

Iussit & erectos ad sydera tollere vultus.

Ergo terrena debet despicere, cælestia verò suspicere. A forma externa; *Omne viuens perfectum, quantum potest æterni quidem opificis conditionem emulatur; consequens igitur, ut continuatione quadam sibi procreare similia contendat.*

Forma triplex.
Essentialis
Accidentaria.
Externa.
Duo sunt argumentandi modi.
Maxima.
Maxima.

A Causa finali.

FInis est cuius gratia aliquid fit, ut Medici finis est sanitas, cum huius causâ medicamenta exhibeat. Finis quid

beat. Finis autem inre dicitur causa omnium causa, quòd cæteras causas naturæ ordine antecedat. Materia siquidem nisi recipiat formam, rudis est, ac informis. Forma si desit efficiens, nunquam in materiam induci poterit. Efficiens nisi desiderio finis alliciatur, nihil unquam efficiet. Præcipuè tamen finis mediorum causa dicitur, quę gratia finis adhibentur. Hinc ex fine, quem nobis proponimus non solùm probari potest cuiusmodi cæteræ causæ esse debeant, sed qualia media pariter ad finem consequendum præmittenda, dirigendaque sint. Triplex autem est finis. Primus enim est id, cui aliud expetitur, iuxta quam finis acceptionem, non solùm Deus est noster finis, sed etiam alii homines, immò, & nos ipsi nobis fines sumus. Deo siquidem gloriam, & proximis, nobisque ipsis bonum optamus, quo sensu Philosophus dicebat omnia, videlicet, artificiosa, esse gratia nostri. Secundus est finis id cuius fruitio, vel usus expetitur, ut vita, honores, diuitiæ, quibus, & alios, & nos ipsos uti cupimus, in quibus tamen non est ratio ultimi finis. Tertius est ipsa fruitio, aut usus eius, cuius desiderio tenemur; horum etiam appellatione, rerum adeptionem, possessionemque comprehendimus quibus utimur, aut fruimur. A fine ad effectum arguitur in ordine ad hæc prædicata *bonum*, & *malum*, & argumentatio tam affirmatiuè, quàm negatiuè concludit, atque vicissim ab effectu ad causam optima fit illatio. Finis autem debet esse per se, nimirum, ad quem res secundum se ordinatur, ut *frui Deo, bonum est; ergo & eius mandatis obtemperare bonum est: occidere, malum est; ergo insidias parare, malum itidem est.*

Sinis triplex. Primus. Secundus. Tertius.

Sunt autem Maximæ huiusmodi, *cuius finis est bonus, vel malus, etiam effectus est bonus, vel malus. Et si effectus est bonus, vel malus, finis eius erit bonus, vel malus.* Finis autem præcipuus effectus sunt media, quibus nos pro eius consecutione utimur. Media porrò sunt in duplici differentia, alia siquidem sui naturâ sunt ordinata ad finem, vel pro eius consecutione iuxta rectum dictamen rationis in actionibus liberis assumuntur; ut operationes, quas causæ naturales exercent ad suos producendos effectus: calefactio enim sui naturâ tendit in calorem, tanquam in finem; ita etiam medicatio est ordinata ad acquirendam sanitatem: alia, quæ per accidens ad finis consecutionem conducunt, & in operibus liberis non secundùm prudens dictamen rationis ordinantur ad finem; ut sunt operationes, quas naturales causæ gratia alicuius finis exercent, quæ tamen per accidens alium effectum attingunt, & fine intento frustrantur ad quem operationes illæ non dicuntur per se ordinatæ & in operibus liberis, hoc idem maximè contingit, nam si quispiam furetur ad eleemosynam erogandam, malum facit, nam furari non est bonum, quanuis finis sit bonus, quoniam hujusmodi finis non est per se furti. Sunt autem alii argumentandi modi non inutiles. Primus. Cuius finis est bonus, & id bonum; cuius finis melior, & id melius: cuius optimus, & id optimum: ut melius est vitam honestam traducere, moresque componere, quàm agitatione mentis multa cognoscere; moralis igitur virtus omni scientiâ melior est, atque præstantior.

Aduersio Maximæ.

Alij argumentandi modi.

Ne autem tripartita illa diuisio finis otiosa sit, inde sumemus argumenta, & primò ex fine primi generis argumentabimur hoc modo. *Omnia Deus est molitus propter se ipsum; nullum igitur ab eo malum proficiscitur; non enim malum ad ipsum referri potest. Homo est ordinatus ad æternam Beatitudinem: totus igitur in ijs esse debet, quæ ad illius consecutionem perducunt.* Ex fine secundi generis. *Honorum desiderio flagras; ergo per viam virtutis incedas oportet;* Ex fine tertij generis, *adhibelas æternam gloriam; Sanctorum vestigijs insiste.*

Argumenta ex triplici fine desumpta. Ex primo genere finis.

A Generatione, Corruptione, & ab Vsu.

LOcis à causis hæc proximè succedunt, quæ à generatione, corruptione, & ab usu dicuntur. Est autem Generatio, prout ad præsens attinet institutum, nil aliud, quàm rei productio, non enim hic accuratiùs est eius expendenda natura. Corruptio verò, rei destructio dicitur. Vsus tandem est ipsa rei exercitatio. Primus Locus à Generatione *est habitudo generationis ad genitum*, ubi generationis nomen hoc loco sumitur ad substantialem, & accidentariam productionem significandam, & hinc deducuntur argumenta in ordine ad bonum, & malum ut *generatio auri est bona; ergo aurum bonum est; aurum est bonum; ergo eius generatio est bona: generatio furti, est mala; ergo fur est malus; fur est malus; ergo generatio ipsius mala est.* Maximæ affirmatiuæ hunc in modum. *Cuius generatio est bona, & ipsum est bonum;* & contra, *quod est bonum, eius generatio bona est.* Non dissimiliter circa malum. *Cuius generatio est mala; & ipsum malum est;* & contra, *quod est malum, eius generatio est mala.* Vbi per bonum, & malum intelligenda sunt nomina, quibus similes qualitates significantur. Secundus locus à corruptione, *ut suspensio latronis est bona; ergo latro est malus; occisio innocentis est mala; ergo innocens est bonus.* Maximæ. *Cuius corruptio bona, ipsum est malum; & cuius corruptio mala, ipsum est bonum.* Vbi *bonum & malum* per se intelligi debent accepta; alioquin illatio nulla foret. Tertius locus est ab Vsu, ut *lætificare cor, bonum est; ergo vinum est bonum.* Item *corroborare stomachũ est bonum; ergo quicquid conducit ad stomachi corroborationem bonum est;* & contra *cordi tristitiam afferre, malum; ergo aqua mala;* item *debilitare stomachum est malum; ergo id quod est ventriculo noxium, malum est.* Maximæ. *Cuius usus bonus, aut malus, & ipsum bonum, aut malum est;* & contra, *quod est bonum, eius usus est bonus: quod est malum eius usus est malus.* Aduertendum tamen ne loco usus sumatur abusus, non enim valet, interficere gladio innocentem est malum; ergo gladius est malus, siquidem interficere non usus est gladii, sed ab usus.

Ge tio, ru us

Pri locus Gen tion

Secu locus

Mani

Ter locus

Aduersus tamen locum à corruptione difficultas est, quandoquidem non licet arguere, *Christi Dei mors humano generi bona fuit; ergo Christus fuit ipsi malus;* Obuiam itur respondendo regulam traditam admittendam esse, quando ex oppositio, ab esse geniti, mala generatio arguitur; tunc enim rectè quidem infertur ex eo, quia generatio mala sit, corruptionem ipsius esse bonam; at quando ex corruptionis bonitate nequit inferri generationis malitia, signum est hujusmodi bonitatem corruptioni non ex se, sed extrinsecus competere, sic in re, de qua agitur; mors enim Redemptoris bona fuit, quoniam illam Deus ad nostram salutem ordinavit. Eodem modo respondendum de morte Sanctorum, qui quanuis boni sint, eorum tamen mors mala dici non debet, sed bona, quoniam illam Deus ad vitam æternam ordinavit.

Difficultas.

Solutio.

De Communiter accidentibus.

COmmuniter accidentia vocantur, quorum unum iungitur alteri, siue unum alteri præcedat siue simul sint, ut concepisse, & parere; floruisse, & fru-

Communiter accidentia quæ sint.

& fructus habere; ruborem aeris esse de sero, & futuros esse ventos; irim in aere apparere, & futuram esse pluviam; verecundiam pati, & rubore perfundi. Sunt tamen communiter accidentia in duplici differimine; alia siquidem sunt, quorum unum cum altero necessariò coniungitur, etsi nō conuersim; & hoc bifariam, vel scilicet pro eodem tempore, ut est interpositio terræ, & lunaris eclipsis; vel pro alio tempore ut parere necessariò coniungitur cum eo, quod est concepisse, non tamen contra. Alia verò sunt, quorum unum cum altero plerunque coniungitur. Vt bacchanalia esse, & rixas fieri. Quando igitur se consequuntur pro eodem tempore; tunc ab uno ad aliud tam affirmatiuè, quàm negatiuè consequentia tenet, & contra; ut in allato exemplo de eclipsi, valet enim consequentia *est interpositio terræ inter Solem, & Lunam; ergo est lunaris eclipsis*; & contra *est eclipsis lunaris; ergo est interpositio terræ inter Solem & Lunam*. At si pro temporibus diuersis se inferant, affirmatiuè licet arguere, *ut mulier peperit, ergo concepit; mortuus est, ergo vixit*. Maxima *A positione posterioris, positio prioris sequitur, non tamen contra*. Negatiuè quoque fit illatio, *ut non vixit; ergo nec mortuus est*. Maxima. *A destructione prioris ad destructionem posterioris consequentia tenet*, probabilis tamen & non necessaria.

Ad hunc locum pertinent argumenta, quæ à naturalibus signis, cuiusmodi sunt Physiognomica, à prodigiis à portentis, &c. reducuntur etiam, & argumenta ex suspicionibus, ex dictis, & factis desumpta.

De Locis extrinsecis.

LOcus extrinsecus tunc sanè contingit, quamdo terminus inferens non omninò est in illato secundum aliquem modum *essendi in*, sed potius est extra illud, huiusmodi porrò sunt ab oppositis, à maiori, à minori, à simili, à proportione, à transumptione, & ab auctoritate; non solùm enim ab his trahimus argumenta, quæ ad rei substantiam pertinent, & quæ illam circumstant, sed ab iis pariter, quæ extranea, & aduersa sunt, talesque loci dicuntur externi, inter quos primò se offert locus ab oppositis.

Locus autem ab oppositis *est habitudo unius oppositi ad aliud*; & quoniam oppositio est quadruplex, ut alibi docuimus, videlicet *Relatiua, Contraria, Priuatiua*, & *Contradictoria*, nam opposita aut mutuò referuntur, ut Pater, & Filius, Dominus, & Servus: aut contraria sunt, ut virtus, & vitium; aut sunt priuatiuè opposita, ut aspectus, & cęcitas; aut contradicentia, ut album, & non album, ab his omnibus proinde sumuntur argumenta. De oppositis autem generatim duæ sunt maximæ; Prima *De quocunque affirmatur alterum oppositorum, negatur alterum, respectu tamen eiusdem, & secundum idem*. Pronunciati veritas apertè constabit; Interim te monitum volo particulas illas additas fuisse *respectu eiusdem, & secundum idem*, quoniam potest idem esse *pater* & *filius*, respectu diuersorum, *causa* & *effectus* diuersorum comparatione; idem potest esse mobile, & mouens, ut cum eadem anima ex non intelligente fit actu intelligens, non tamen secundùm idem; est enim mouens, ut in actu virtuali, & actiuam habet potentiam, est autem mobilis, ut est in potentia formali, & passiua. Pronunciati autem veritas ex eo constat, quoniam cum omnia opposita quâ talia, sint repugnantia, hæc autem nequeant de eadem re simul affirmari, consequens fit, ut de quocunque fuerit verè alterum affirmatum, alterum necessariò debeat negari; si quis enim est pater alicuius, non potest eiusdem esse filius: si virtute præditus; vitiis inquinatus esse non potest: si aspectum oculorum habet; captus oculis non erit: si candore perfusus, nequit esse non candidus. Secunda autem Maxima est. *Opposita oppositis conueniunt*. Vt si pater est superior, filius est inferior; si virtus est bona, vitium est malum, hoc tamen pronunciatum tria requirit. Primum, quòd *propositio antecedens sit per se*, propterea non sequitur *album est dulce; ergo nigrum est amarum*. Secundum, quod quando termini ex parte antecedentis se habent, ut inferius, & superius, in consequenti superioris contradictorium oppositum ponatur ex parte subiecti, ut *homo*, & *animal* se habent tanquam inferius, & superius, contradictorium autem oppositum superioris est *non animal*, non rectè autem infertur, *homo est animal, ergo non homo est non animal*, ponendo *non animal* ex parte prædicati, sed constituendum ex parte subiecti dicendo *non animal est non homo*; Tertium quòd illa contraria non opponantur sub eodem genere per excessum, & defectum; non enim valet *auaritia est mala; ergo prodigalitas est bona*. Dicebatur autem *de quocunque affirmatur alterum oppositorum, negatur alterum*, non propterea tamen de quocunque *negatur alterum debet alterum affirmari*, nam oppositum sæpèsæpiùs contingit. Si quis enim non est præceptor, non statim sequitur; ergo non est discipulus; & si non est discipulus, non subindè præceptorem esse deducitur; & si non est albus, haud necessariò sequitur esse nigrum, &c.

Maxima. Tria ad hoc pronunciatū requisita. Adnotatio.

A relatiuè oppositis tam affirmatiuè, quàm negatiuè, quoad verbum *est* de secundo adiacente licet arguere, ut *pater est; ergo est filius; pater non est; ergo non est filius*. Maxima. *Posito, vel remoto uno relatiuorum, ponitur, vel remouetur alterum*. Alter est modus arguendi à relatiuis; hoc modo. *Sophroniscus est pater Socratis; ergo non est eius filius*. Maxima. *In eodem subiecto si unum relatiuorum affirmatur, alterum respectu eiusdem termini negari debet*. Negatiuè tamen haud rectè concluditur; non enim valet *non est pater alicuius; ergo non est eius filius*, potest enim esse filius ipsius, & fieri potest, ut nec sit eius pater, nec filius. Sed relatiuorum hæc pronunciata sunt propria; *Quæ mutuò referuntur, mutuò se ponunt, tolluntque. Quæ mutuò referantur, simul cognoscuntur, aut ignorantur*.

A relatiuè oppositis. Maxima. Maxima.

Locus à contrarijs sequitur explicandus. Contrariorum porrò alia sunt mediata, quæ scilicet medium secundum formam habent, ut *album*, & *nigrum*, inter hæc enim colores sunt medij. Alia verò immediata, inter quæ nulla forma media cadit per participationem extremorum, sed solùm subiectum utriusque capax. A mediatis possumus affirmatiuè concludere, ut *est album; ergo non est nigrum*. Maxima. *De quo unum affirmatur contrariorum in subiecto, alterum negari debet*. Non sequitur tamen vicissim, *non est nigrum; ergo est album*, potest enim esse alio quopiam colore affectum.

A Contrarijs. Contraria in duplici differentia, mediata scilicet, & immediata. Maxima. Maxima.

Ab immediatis porrò tenet etiam negatiuè, ut *non est sanus; ergo est eger*. Maxima. *Remoto uno contrariorum in subiecto existente, capacique, ponitur alterum*. Non inconsultò fuit adiecta particula in *subiecto existente*, requiritur enim, ut subiectum sit existens, unde non rectè concluderes *Cæsar non est doctus; ergo est ignarus*. Meritò quoque fuit adiecta particula *in subiecto capaci*, nam absque subiecti capacitate nulla fit consecutio; non enim sequitur; *lapis non est doctus; ergo est ignarus*. Ratio autem in promptu, quoniam contrarietas hæc priuatiuam con-

Maxima.

Priuatio negationẽ dicit in recto & subiecti capacitatem in obliquo.

contrarietatem adnexam habet; priuatio autem dicit negationem in recto, & capacitatem connotat in obliquo.

A priuatiuè oppositis affirmatiuè ac cõcluditur.

A priuatiuè oppositis affirmatiuè, rectè concluditur; ut *homo videt; ergo non est cæcus*. Maxima. *Posito uno in subiecto, remouetur alterum*. Negatiuè tamen consecutio est mala, nisi adsit constantia subiecti, eiusque capacitas, ut non multo antea de contrarijs dictum fuit; requiritur etiam determinatum tempus; Catulus idcirco ante nonum diem cæcus dici non potest, quoniam non dum venit tempus ei ad videndum à natura præfixum; mala igitur illatio *catulus non est videns; ergo est cæcus*.

Cæterùm priuatio quandoque negat actum, ut tenebræ negant actum luminis, quandoque negant etiam principium ipsius, ut cæcitas. A primo quidem priuationis genere arguere semper licet negatiuè; ut *aer non est lucidus: ergo est tenebrosus*. Maxima *remoto uno priuatiuè opposito, ponitur alterum*. A secundo genere priuationis, malè ducitur argumentatio per negationem actûs ad priuationem, ut *Socrates non videt; ergo est cæcus*.

A contradictorijs oppositis argumenta.

A contradictorijs oppositis argumenta ducuntur. Contradictoriè tamen opposita, alia sunt *incomplexa*, cuiusmodi sunt termini, quorum unus est *finitus*, alter *infinitus*, ut *homo*, & *non homo*, alia *complexa*, ut sunt propositiones, affirmatiua, & negatiua, ex ijsdem terminis constantes, ut *omnis homo est albus*, *quidam homo non est albus*: vel *nullus homo est albus*, *quidam homo est albus*: vel *Socrates currit*, *Socrates non currit*. Prioris generis contradictoriè opposita ita se habent, ut inter terminos possit dari medium, cum aliquo syncategoremate, ita quidem contradicunt, *album*, & *non album*, & tamen homo, quatenus homo, nec est albus, nec non albus: propterea inter contradictoria incomplexa, cuiusmodi sunt *album*, & *non album*, datur medium, nempe *homo*, id autem accidit propter syncategorema illud *quatenus*; idcirco non semper licet arguere à positione, vel negatione unius, ad positionem, vel negationem alterius. At in contradictorijs secundi generis, nullum potest admitti medium, propterea licet in ipsis argumentari, tam affirmando, quàm negando in ordine ad hæc prædicata *verum*; vel *falsum*; ut *falsum est me currere; ergo verum est me non currere*. Maxima. *Si unum contradictorium est verum, alterum est falsum*.

Maxima.

Quæ sint relatiorum propria pronunciata.

Caterum quæ relatorum sint pronunciata peculiaria, & propria, non multo antea tradidimus; quæ verò sunt reliquorum oppositorum itidem peculiaria, nunc assignanda superstant. Contrarijs hæc adscribuntur. *Illud non est in subiecto dato, quo inhærente sequitur duo contraria simul esse. Illud non est in subiecto, cuius contrarium, non potest eidem inesse*. Si aliquid supponatur immobile, vi prioris pronunciati, probatur non posse esse in aliquo mobili, quia quatenus foret in illo, deberet ad motum eius moueri; sed ex hypothesi deberet esse immobile; quamobrem deberet simul moueri, & quiescere, & idcirco duo esse contraria in eodem, quod primo pronunciato aduersatur. Vi autem secundi probatur non posse unum in alio esse, propterea quòd eius contrarium in eo esse non possit, ut ignorantiam non esse in appetitu, quoniam scientia illi contria in appetitu non est. Hoc tamen in contrarijs non admittendum, quorum alterum naturâ ineest.

Pronunciata propria contrariorũ.

Propria pronũciata contrariorum.

Contrarijs autem immediatis, item, & priuatiuè oppositis, atque contradicentibus peculiare illud pronunciatum censetur accommodatum, videlicet. *Ex contrarijs immediatis, priuatiuè oppositis, & contradicentibus, si alterum non conuenit, alterum conueniat necesse est*. Vt si quis argumentetur, *Socrates ignarus non est; ergo doctus: si non est cæcus; ergo videns: si non est albus; ergo non albus*; quæ tamen ut monuimus cautè sunt usurpanda; nam cum sermo fit de contrarijs, debet subiectum naturâ aptum intelligi; cum de priuatiuè oppositis, intelligendum esse tempus à natura statutum: cum de contradictorijs intelligendum subiectum existens. In contrarijs est modus argumentandi prædicando contraria prædicata de contrarijs, vel oppositis, *ut iustitia est virtus; ergo iniustitia est vitium; virtus est amanda; ergo vitium est odio habendum*. In contradictorijs modus est argumentandi à contradictorio prædicati ad contradictorium subiecti, ut *homo animal est; ergo non animal non homo est*, quod etiam obseruatur in consequentijs; ut *si homo est, animal est; ergo si non animal est; non homo est*, hæc verò consequentia dici solet è contrario.

Immediatorum, contrariorum.

Adiunctio.

Argumentandi modus cõtrarijs.

In contradictorijs.

A Repugnantibus.

PRæter oppositionum commemorata genera, dantur etiam repugnantia. Sunt autem repugnantia, quæ de eadem re simul affirmari non possunt. Latiùs autem patent repugnantia, quàm opposita, propterea quòd multa sunt repugnantia, quæ tamen inuicem non opponuntur; ut *substantia*, & *accidens*, *lapis*, & *lignum*; *homo*, & *asinus*; *necessarium*, & *contingens*; & id genus alia. Argumenta porrò ex hoc loco deducta, dici disparata solent; in his licet ab affirmatione argumentari, ut *est homo; ergo non est asinus*; non tamen à negatione; ut *non est homo; ergo est asinus*; potest enim quod non est homo, aliud esse ab asino. Duæ tamen conditiones desiderantur. Prima est ut disparata in propositionibus non subiiciantur, alioquin non rectè concluditur; ut *homo*, & *asinus* dicuntur disparata, si autem arguas, *homo est animal; ergo asinus non est animal*, haud rectè concludes. Secunda, ut in accidentibus argumentatio fiat per terminos abstractos, licet in substantijs possit etiam per terminos concretos hoc totum absolui, ut *album*, & *frigidum* sunt disparata, & quanuis in propositionibus non subiiciantur, adhuc mala fiet consecutio, dicendo *nix est alba; ergo non est frigida*, quoniam in accidentibus adhibendi sunt termini abstracti, ut argumentatio concludat. Omnibus autem repugnantibus, ut hic locus communis fiat, pro huius loci usu præceptum hoc tradi solet. *Cui conuenit unum ex repugnantibus, non conuenit alterum, vel reliqua: Si repugnantia sint immediata, cui non conuenerit alterum, vel omnia præter unum, eidem conueniat alterum, vel reliquum necesse est*.

Repugnantium, modus ijs argumentandi.

A Maiori.

EX iam inuentis locis ea solùm eruimus argumenta, quæ non ex uniuersa quæstione, sed ex eiusdem subiecto ducuntur; proximum est, ut eos nunc locos aperiamus, è quibus depromere licet argumenta, quæ quidem totam quæstionem, conclusionemve respiciunt; huiusmodi porrò sunt, ea quæ dicuntur argumenta à maiori, à minori, à pari &c.

Locus à maiori.

Quid maius.

Quid per maius intelligatur.

Locus à maiori ad minus, & à minori ad maius *nil aliud, quam habitudo maioris ad minus*. Maius in præsentia vocatur id, quod magis probabile, & verum videtur; nimirum, ut quippiam alicui subiecto conueniat, *ut facilius est domare equum, quàm Leonem; faci-*

Digitized by Google

facilius est superare decem, quàm mille: & facilius est expugnare ciuitatem unam, quam regnum. Minus autem intelligitur id quod est minus probabile, & minus apparet verum esse, ut quidpiam alicui subiecto conueniat. A maiori autem ad minus locus planè, cuius tractatio tota est negatiua; tribus autem modis contingit. Primus maiori, & minori positis ex parte subiecti, ut *decem homines nequeunt ferre pondus bis mille librarum; ergo nec quatuor homines.* Maxima. *Vno de duobus enunciato, si cui magis videtur inesse, non inest, nec ei, cui minus videtur inesse, inerit.* Secundus. Ex parte prædicati positis maiori, & minori, ut *homo non potest ferre pondus quingentarum librarum; ergo nec etiam pondus librarum mille ferre poterit.* Maxima. *Duobus de uno enunciatis, si quod magis videtur inesse, non inest, nec id quod minus.* Tertius ex parte utriusque extremi, ut *si homo adultus nequit ferre centum, nec paruulus poterit ferre bis centum.* Maxima. *Duobus de duobus enunciati, si quod alteri magis videtur inesse, & non inest; ergo nec alteri alterum, quod minus videtur, inerit.* Quorum Maxima communis est. *Si quod verisimilius est, non est verum, nec id quod minus verisimile est, verum erit.*

A Minori.

LOcus à minori *est habitudo minoris ad maius*, trifariam autem contingit, & quilibet affirmatiuus est. Primus autem est ex parte subiecti, ut *paruulus potest ferre centum; ergo etiam & adultus ferre poterit.* Maxima. *Vno de duobus enunciato, si cui minus videtur inesse & inest, & id, cui magis videtur inerit.* Secundus ex parte prædicati, ut *homo potest ferre bis centum; ergo etiam centum ferre poterit.* Maxima. *Duobus de uno enunciatis; si quod minus videtur inesse, inest, & id quod magis videtur, inerit.* Tertius est ex parte utriusq; ut *si homo adultus ingens pondus ferre potest, paruulus exiguum ferre poterit.* Maxima. *Duobus de duobus enunciatis, si quod alteri minus videtur inesse, inest, & alterum quod magis videtur, alteri inerit.* Communis autem maxima est, *si quod minus verisimile est, verum est, & id etiam erit, quod magis verisimile videtur.*

A Simili.

LOcus à simili est *habitudo unius similis: ad reliquum.* Ex hoc loco desumuntur argumenta, à quibus parum differunt ea quæ à proportione desumuntur, si tamen accipiatur simile non pro conuenientia tantùm in qualitate, sed pro quacunque, & tam affirmatiuè, quam negatiuè tenet; si tamen arguatur quoad illa, in quibus est proportio, & similitudo. Similia itaque dicenda, vel quæ formam aliquam eiusdem rationis participant, vel quæ eandem inter se proportionem habent, ut duo alba, quâ alba sunt; duo æqualia corpora; duo animalia eiusdem speciei, similia dicuntur, quoniam eandem qualitatem, aut quantitatem, aut essentiam communem habent. Alia verò proportione similia sunt, & sanè talia dicuntur mens, & oculi serenitas, & tranquillitas: Dux, & Auriga; quoniam etsi qua eiusmodi sunt non habeant unum quidpiam commune, quin potius diuersas essentias, & conditiones, quandam nihilominus inter se analogiam habent. Vt mens enim ad animum, sic oculi se habent ad corpus, & quod in aere serenitas, idem proportione tranquillitas in mari, & ut Auriga in curru, sic Dux in exercitu. Vtroque modo tam affirmatiuè, quam negatiuè possumus argumentari, ut *si Cygnus diuidit aspectum; ergo etiam & nix: ut se habet risibile ad hominem, sic hinnibile ad equum; sed risibile est proprium hominis; ergo hinnibile est proprium equi.*

Sumenda tamen est similitudo in eo, ratione cuius prædicatum ineſt, alioquin nulla fit consecutio; non enim valet *Cygnus canit; ergo & nix*, quanuis enim similitudinem habeant in albedine; albedo tamen non est ratio, quâ cygnus canat; negatiuè verò hoc modo, *equus non est rationis particeps; ergo nec leo*, ut risibile ineſt homini, ita hinnibile equo; sed *risibile non ineſt homini ut genus; ergo hinnibile non ineſt equo ut genus.* Sic etiam *ancilla non debet imperare domino; ergo nec pars sensitiua imperare rationi; corpus regitur oculis, sic animus mente.* Huius porrò loci usus duo hisce pronunciatis perstringi solet. *Quod in uno similium valet, valet in cæteris. Quod non valet in uno, nec in cæteris*, quæ breuius explicantur dicendo. De similibus, & proportionalibus idem est iudicium; huc pertinent. Exempla, siue Parabolæ, siue Apologi. Ad vim huius loci, quod attinet; placuit nonnullis, & meâ sententiâ non immeritò, locorum omnium, è quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minus ineſſe virium contra renitentem auditorem, quàm similitudinis: ad eum porrò, qui suâpte natura sequitur, ac erudiri cupit locorum aptissimum esse, eòquòd rem aperiat, appositè tamen adhibitus, & rei, de qua agitur imaginem animo imprimat; adeout etsi ex eo assensum extorquere non possit, eidem incutere dissensûs pudorem haud mediocriter possit.

Adnotatio.

Ad hunc locum pertinet modus argumentandi à commutata proportione, qui sequentibus præceptionibus continetur. Prima est, ut accipiantur quatuor termini, & primus conferatur cum secundo, tertius cum quarto; deinde commutâdo primus comparetur cum tertio, & secundus cum quarto, dicaturque, sicut ex. gra. se habent duo ad quatuor, ita tria ad sex; ergo permutando ut se habent duo ad tria, ita quatuor ad sex; sed duo ad tria, habent rationem subsesquialteram, nam ternarius includit binarium, & dimidium eiusdem; ergo quatuor ad sex rationem subsesquialteram habet. Secunda, ut quando fit in alijs rebus à quantitate, in terminis conuertibilibus, & contradictorijs fiat; in alijs enim haud necessariò tenet, & idcirco non valet, ut se habet superficies ad hanc superficiem, ita color ad hunc colorem; ergo permutando, ut se habet superficies ad colorem, ita hæc superficies ad hunc colorem; sed superficies nequit esse sine colore; ergo neque hæc superficies sine hoc colore esse poterit. mala est consecutio, quoniam termini non contradicunt, sed positiui sunt. Nec valet, sic arguere, ut se habet homo ad non hominem, sic animal ad non animal; ergo permutando ut se habet homo ad animal, ita non homo ad non animal; sed quod est homo, est necessariò animal; ergo quod est non homo, est necessariò non animal; illatio mala est, quoniam etsi termini contradicant, nihilominus se habent ut superiùs, & inferius; ob id perperam confertur secundus terminus cum quarto; potius enim comparandus quartus cum secundo, propterea quòd negatiuè non licet ab inferiori ad superius arguere, rectè tamen à superiori ad inferius; non enim valet *non est homo; ergo non est animal*; benè tamen *non est animal; ergo non est homo.* His igitur præceptionibus obseruatis modus argumentandi à commutata proportione in rebus cuiusque generis potest usurpari, & idcirco licebit hunc in modum ratiocinari, *ut se habet homo ad non hominem: ita rationale, ad*

Modus argumentãdi à commutata proportione.

Digitized by Google

ad non rationale, ergo permutando, ut se habet homo ad rationale, ita non homo ad non rationale; sed hic equus non est homo; ergo hic equus non est rationalis.

Locus æqualiū

Cum similium loco magnam habet affirmitatem locus alter, qui parium dicitur, ex quo deprompta quidem argumenta sequentem in modum tractantur; *Si abstinentia est virtus; & continentia virtus erit: si tanta ac talis pœna aduersus patris interfectorem iusta est, eadem omninò aduersus matris interremptorem iusta erit. Non sunt damnandi duces, eoquòd interdum superantur; ergo nec etiam Philosophi, quoniam aliquando falluntur.* Huius autem loci præcepta hoc unico possunt comprehendi, *Si data propositio vera est, aut falsa, ea etiam, quæ videtur æque probabilis, vera erit, aut falsa.* Ad huius etiam loci usum spectat præceptum illud. *Si incrementum prædicati sequitur incrementum subiecti, prædicatum sequetur subiectum: quòd si incrementum non sequitur incrementum, nec prædicatum sequitur subiectum,* quod explicari solet; *si maior virtus est melior, aut maxima, est optima, virtus profectò est bona. Par enim est ratio: si nanq; maior non esset melior, aut maxima non foret optima, nec virtus ipsa bona esset.* In his, ut dixi, par ratio; pronunciatum autem allatum patitur reciprocari. *Si prædicatum sequitur subiectum, incrementum prædicati sequetur incrementum subiecti: quòd si prædicatum non sequitur subiectum, nec incrementum illius sequetur incrementum istius.* Quod hoc etiam modo solet enunciari. Vt *simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, & maximum ad maximum.* Quod exemplo sic illustrabitur. *Vt si decorari virtute est bonum, maiori virtute, melius, & summâ, optimum erit.* Contra verò, *si vitio inquinari est malum, maiori vitio peius, & maximo, pessimum erit;* Effatum superius tamen eiusque reciprocatio in ijs locum habet, quæ per se prædicantur alioquin cum veritate minimè cohærent, non enim rectè argumentaberis. *Maior vini usus est malus; maximus est pessimus; ergo vini usus est malus.* Nec etiam, *exercitatio corporis est bona; ergo maior melior, & maxima est optima.* Hæc autem ideo, quoniam de ijs, quæ sunt per accidens, dicuntur; non enim maiori usui vini per se conuenit ut sit pessimus, nec exercitatio corporis per se, sed per accidens bona est, alioquin omnis vini usus malus, & omnis exercitatio bona foret.

Huius loci præcepta ad unicum redigūtur.

Locus dissimilium quomodo tractetur.

Datur etiam locus dissimilium, qui quanuis ex loco similium facile constet, iuvat tamen ipsum commemorare; Dissimilia porrò censentur in præsens ea, quibus quâ talia sunt, nec unum quidpiam commune est, nec ita sunt plura ut proportione conueniant; verbo dicam, quæ conditiones habent oppositas ijs, quibus nuper similia constare dictum fuit; sic se habent album, & nigrum, duo corpora inæqualia, duo animalia diuersæ speciei &c. Huius autem loci usus hisce præceptis explicari solet. *Dissimilibus dissimilia conueniunt. Quod uni dissimilium, quâ dissimile est, conuenit; non conuenit alteri. Vt si fortitudo, quâ talis, est laudibus efferenda: timiditas damnanda erit.*

A Transumptione.

Locus transumptionis quid.

LOcus Transumptionis superioribus succedit; duplex autem perhibetur, unus quando vox aliqua sumitur ad significatum alterius vocis denotandum, propter quandam similitudinem, & analogiam in illis repertam, diciturque methaphora; ita quidem *videre* transumitur ad significandum *florere*, cum dicitur *pratum videre*, sic etiã oratio transfertur cum dicitur *littus aratur*, pro *opera perditur*, & dici solet de eo, qui frustra laborat, hæc autem transumptio non ad Dialecticum, sed ad Sophisticum pertinet; altera verò contingit, quando nomen unum minus notum declaratur per aliud magis notum, & hæc est Dialectici propria: differt autem à nominis definitione, quia definitio nominis conuertitur cum definito, & in expositione nominis consistit, ut Philosophus, idest Amator sapientiæ; at in transumptione, solùm accipitur nomen notius, ut si quis pro Philosopho, sapientis nomine uteretur. Locus à transumptione *est habitudo unius transumpti ad aliud*, huius usus hic est, nempe, *Sapiens dat operam studijs; ergo Philosophus studijs etiam literarum operam nauat. Sapiens non inuidet; ergo Philosophus non inuidet.* Maxima. *Quicquid alicui conuenit, vel non conuenit, sub nomine magis noto; conuenit illi sub nomine minus noto.*

Ab Auctoritate.

RElíquus locus, ab auctoritate dicitur; hinc autem argumenta desumpta in testimonio posita sunt, ut idcirco locus à rei iudicio fuerit appellatus; quia tamen testimonium nihil ponderis habet ad fidem faciendam, nisi auctoritate suffultum, ob id ab alijs dicitur locus ab auctoritate, vel ut alijs placet, auctoritatis, quemadmodum de alijs locis fuit adnotatum. Locus porrò ab auctoritate est habitudo ipsius auctoritatis ad id, quod per eam probatur.

Et quoniam gemina est auctoritas, diuina scilicet, & humana, geminus ob id erit huiusmodi locus, unus auctoritatis diuinæ, alter autem humanæ Auctoritatum omnium prima quidem est diuina, cum enim Deus summa sit tum Sapientia, tum Bonitas, tum Veritas, nec falli unquam potest, nec fallere; ob id tanta huius auctoritatis est vis, ut rationibus, quas duntaxat naturę lumen illustrat, momento longe præstet. At verò auctoritas humana infirma admodum est, cum omnis homo sit mendax, nec alicuius est ponderis, nisi duobus accedentibus, quorum unum est cognitio rerum, alterum autem est virtus; illa tibi subministrat quid dicendum, hæc autem ut sincerè loquaris (veracitas enim est) ne unum sit in ore, & aliud in corde. In hoc autem locò est probabilitatis latitudo iuxta maiorem, vel minorem auctoritatem. In hoc multum habent momenti prouerbia, dicuntur enim quasi probata verba, adeo ut veritas per ipsa quocunque alio destituta præsidio, loquatur. Quædam tamen sunt, quæ solo ex usu auctoritatem adipiscuntur, ut quæ ad loquendi normã pertinent, hæc enim ex usu pendent. Ad fidem faciendam ex auctoritate, quæ desumuntur argumenta efficacitatis plurimum habent illa, quæ longinquitate temporis probantur; ut enim nihil magis detegit falsum, ita nihil magis verum confirmat, quàm temporis diciturnitas, ad quæ respiciens Philosophus ut explicet horum locorum usum hæc habet. *Ad verba quod attinet, sequenda est vulgi consuetudo. In sententia de rebus ferenda iudicium sapientum.* Et rectè qqidem, *nam* sermo consuetudine sibi auctoritatem conciliat, enimverò.

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus;
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquẽdi.

De rebus autem, ut nuper dicebam consulendi sunt sapientes; *loquendum enim, ut plures; sapientum, ut pauci;* huius enim loci maxima est. *Vnicuique expecto in sua scientia credendum est,* & quo magis est expertus, eo minus falli potest; & idcirco maiorem

iorem probabilitatem afferet, cumque Deus mentiri non possit; ob id eius auctoritas maximam certitudinem inducit; secus autem homines, qui quanuis sapientissimi, in errores ducuntur, & ducunt: hinc enim eorum auctoritas, nisi ratione suffulta concidit. Locus hic affirmatiuè, non autem negatiuè tenet; rectè siquidem concludes communi sapientum calculo receptum esse dari *Antipodas*; ergo fatendum ipsos existere; non tamen dicendo *Hippocrates nullibi morbum commemorat, qui plica polona dicitur; ergo talis morbus non datur*. Hoc autem argumentationis genus eo est usurpandum consilio, ut rerum naturalium cognitio à Philosophis naturalibus expectatur, mathematicarum verò à Mathematicis, & earum, quæ ad Medicum pertinent à Medicis; itaut cuicunque experto in scientia, quam profitetur, nos fidem præbere debeamus.

Ab Antecedentibus, & Consequentibus.

LOcus antecedentium, & consequentium sequitur declarandus, in cuius gratiam præstabit aduertere nunc antecedentis, & consequentis vocabula non usurpari pro duabus præcipuis argumentationis partibus, quarum altera ex altera infertur, alioquin argumenta omnia ab antecedentibus forent, nec tanta locorum esset varietas, sed unus duntaxat locus antecedentium foret; hæc itaq; vocabula sumuntur quatenus significant ea, quæ necessariò antecedunt, vel sequuntur aliquid in quæstione positum. Antecedentium autem, ut & consequentium duo sunt genera. Antecedens uno modo dicitur id, ex quo necessariò sequitur aliud, siue attributionis ordine, quo pacto species est antecedens generis; ut iustitia est antecedens virtutis; siue ordine temporis, quo pacto apoplexia fortis dicitur mortis antecedens, quoniam mors inde breui consequitur. Alio autem modo antecedens dicitur id, quod necessariò dari debet si aliud dandum sit, quo sensu fundamenta dicuntur antecedentia domus, si nanque domus est futura, iacienda priùs fundamenta sunt. Ex his consequens duplex esse, & quid utrunque sit perspicuè constat; antecedentia, & consequentia prioris generis, talia simpliciter dicuntur; posterioris autem non nisi ex hypothesi. Quæ ad primum genus pertinent, ut simpliciter antecedentia, & consequentia sunt, ita magis propriè talia dicuntur; ut ob id illa tantum Philosophus respexerit dicens, posito antecedente, necesse est poni consequens: sublato consequente, necesse est tolli antecedens; quorum exempla hæc sunt, *Homo est animal; ergo principio sentiendi præditus est: lapis non constat principio sentiendi; ergo non est animal. Socrates correptus est apoplexiâ fortis; ergo breui morietur; non morietur breui; non ergo correptus fortis apoplexiâ.*

Antecedentium autem, & consequentium ex hypotesi usus superiori contrarius, hisce præceptis comprehenditur, ac explicatur, *Sublato antecedente, necesse est tolli consequens. Posito consequente, necesse est poni antecedens*, quod exemplis illustrare breuiter ita poteſt; *Ædificanda est domus; iacienda prius ergo sunt fundamenta. Fundamenta non iacientur; ergo nec domus ædificabitur. Hic amisit pecunias; ergo pecunias habebat; nihil habebat; ergo nihil amisit.*

A Præcurrentibus, Comitantibus, & Subsequentibus.

ANte locos à maiori ad minori &c. de his differendum erat; horum tamen considerationem placuit huc transferre, ob affinitatem aliquam, cum sequentibus. De huiusmodi locis in Dissertationibus Rhectoricis disseremus; interim solùm adnotandum ex coniunctorum locis, unum circumstantium dici tripartitò diuisum in locum præcurrentium, comitantium, & subsequentium. Circumstantia porrò solent adiuncta vocari; huiusmodi sunt, quæ quanuis cum re cohæreant, non tamen necessariò; unde est, ut à locis connexorum hi, de quibus fit sermo, distinguantur. Præcurrentia dicuntur, quæ rem antecedunt, ut portenta, maiorum dignitas, generisque nobilitas, natalis dies, educatio, consuetudo, prouocatio, & alia huiusmodi. Comitantia porrò sunt, quæ comitantur, ut locus, tempus, occasio, loci dignitas, officium, & id genus alia. Subsequentia verò sunt, quæ subsequuntur nempe Laus, diuitiæ acquisitæ, infamia, reprehensio, &c. Ex his argumenta deducta etsi necessaria non sint, non rarò tamen probabilitatem afferunt, & frequenter in suspicionem adducunt; omnia verò unico præcepto comprehenduntur, nempe Qualia sunt circumstantia, talem verisimile esse rem, quæ illam circumstant. Rhetoricis de his agendum.

DE LOCIS MEDIIS.

LOci medij sunt, à quibus argumenta, nec penitus extranea, nec penitus intranea rei desumuntur, & quidem locus medius contingit, quando sumitur argumentum ab eis quæ partim conueniunt, & partim non conueniunt cum terminis in quæstione positis; huiusmodi autem loci ternario numero comprehenduntur, nam mediorum locorum, alius à coniugatis, alius à causis, & alius à diuisione dicitur.

A Coniugatis & Casibus.

COniugata quasi idem iugum ducentia sunt denominantia, & denominatiua, quæ idem significatum principale habent, licet in modo significandi diserepent, seq; habent ut abstractum, & concretum ut est album & albedo, iustum, & iustitia. Primus argumentandi modus ad hunc locum pertinens fit prædicando aliquid denotans bonum, vel malum, tam affirmatiuè, quam negatiuè, ut *bonum est amare; ergo bonus est amor; sanctum est obedire; ergo sancta est obedientia: diuitijs affluentem esse non est optimum; ergo diuitiæ non sunt optimæ*. Modus alter fit subijciendo & prædicando in essentialibus propositionibus, in quibus nimirum prædicatur superius de inferiori, ut *album est coloratum; ergo albedo est color*. Non sequitur tamen album est dulce; ergo albedo est dulcedo quoniam dulcedo accidit albedini.

Casus ab his parum differunt, nam coniugata sunt nomina ab uno prouenientia, ut sapiens à sapientia, iuxtus à iustitia. Casus verò sunt siue nomina, siue verba, siue aduerbia ab uno deriuantia, ut bonum, benè, à bonitate; sapiens, sapienter, à sapientia. *Locus à coniugatis est habitudo unius coniugatorum ad reliquum* ut iustitia est bona; ergo iustum est bonum, & viciſſim, iustum est bonum, ergo iustitia est bona, Maxima autem est. *Quod uni coniugatorum conuenit, vel repugnat, conuenit, vel repugnat reliquo. Et cui ineſt, vel non ineſt unum coniugatorum, ineſt vel non ineſt reliquum. Locus autem à casibus est habitudo unius casus ad alium; Vt quod iustum est, bonum est; ergo quod iustè fit, benè fit*, & contra, *Quod iustè fit, benè fit; ergo quod iustum est bonum est*. Maxima. *Quicquid conuenit, vel repugnat uni casuum, conuenit, vel repugnat reliquo. Et cui ineſt, vel non ineſt unus casuum, ineſt, vel non ineſt reliquus.* Locus à coniugatis quid. Maxima. Locus à casibus quid. Maxima.

Obseruã: da quædã.

Ad ritè tamen has argumentationes exercendas quædam sunt obseruanda. Primùm est, *quod* non fiat argumentatio in terminis ultimâ abstractione abstractis; hinc non sequitur *albedo est color; ergo albedineitas est coloreitas; homo est animal; ergo humanitas est animalitas*. Secundum item obseruandum, quòd argumentatio fiat in prædicatis per se, præsertim si affirmatiuè arguatur, vel si negatiuè ab abstractis ad concreta; hinc haud benè infertur *album est dulce; ergo albedo est dulcedo*; vel *albedo non est dulcedo; ergo album non est dulce*. In concretis tamen ad abstracta negatiuè semper consequentia est bona. Tertium, quòd fiat in diuersis prædicatis copulando nomina, cum nominibus, concreta cum concretis, abstracta cum abstractis; idcirco non sequitur, album est coloratum; ergo albedo est colorata, sed potius illatio esse debet; ergo albedo est color.

A diuisione quoque sumuntur argumenta. Diuisio autem ut ad præsens attinet institutum, duplex est, una, quæ datur per negationem, ut hoc est substantia, vel non substantia, sed non est substantia; ergo est non substantia. Maxima. *Si aliqua duo diuidunt aliquod tertium, si tertio ineſt unum eorum, non ineſt alterum*. Altera diuisio est, quæ per affirmationem datur, & in duplici est differentia; nam alia est per se, alia per accidens. Diuisio per se triplex est, nempe vel generis in species per differentias, ut animalium aliud rationale, aliud irrationale, vel totius integralis in partes, & animalis alia pars est caput, alia pectus, &c. ut domûs alia pars est paries, alia tectum, &c. vel est vocis in sua significata; ut canis alius cælestis, alius terrestris, alius marinus. Diuisio etiam per accidens trifariam contingit, alia siquidem est subiecti in accidentia, ut animalium, aliud album, aliud nigrum; alia accidentis in subiecta, ut albosum; aliud nix, aliud lac; alia demum accidentis in accidentia, ut dulcium, aliud nigrum, & aliud album.

Maximæ. A diuisione autem locus tam constructiuè, quam destructiuè tenet, eius porrò Maximæ sunt. *Ab affirmatione diuisi de aliquo* cum negatione alterius membri de eodem, vel omnium excepto uno ad alterius affirmationem optima fit illatio. Dicebatur autem in Maxima *ab affirmatione diuisi de aliquo*, eam ob causam; quoniam subiectum contineri sub diuiso, & sub illo genere constitui debet; idcirco mala est consequentia; lapis non est animal rationis particeps; ergo est animal ratione carens, quoniam lapis non continetur sub animali; dicebatur etiam, *vel omnium excepto uno*; quoniam si contingat ut diuisum, plura membra habeat, haud rectè ex negatione unius, affirmatio deducitur alterius; proinde non valet, est canis, & non est terrestris; ergo marinus, potest enim esse cælestis. Secunda maxima. *Posito membrorum uno diuidentium in aliquo subiecto, remouetur alterum, ut superficies est continua; ergo non est discreta*.

Maxima.

A comparatiuo ad positivum affirmatiuè bona fit illatio, quando tamen absoluta est comparatio, hoc est, facta per terminos absolutè sumptos ut *Leo est fortior cane; ergo Leo est fortis*. Quod si comparatio absoluta non sit, sed relatiua, quo sensu dulcius dicimus esse, quod est minus amarum, & melius, quod est minus malum; tunc mala fit consequentia. A positiuo autem negatiuè tenet illatio, quanuis comparatio sit absoluta sensu iam explicato, ut *testudo non est velox motu: ergo non est cerno velocior*; possumus etiam argumentari arguendo ex parte utriusque extremi à positiuis, comparatiuis, & superlatiuis, ut *seruare domini mandata bonum est; ergo magis seruare, melius est, & maximè seruare optimum est*.

Maxima.

Maxima. *Quid tale est, & quòd magis est, magis tale erit*. Non tenet tamen hic arguendi modus in ijs, quæ per accidens sunt. Vt si dulcedo non habeat necessariam connexionem cum albedine, itaut accidat albo esse dulce, non valebit *album est dulce; ergo magis album dulcius erit*.

Ab appositione locus est in eo consistens, ut si hoc alicui admotum faciat ipsum tale, & hoc idem magis tale erit; ut si aliquid est calidum propter ignem, & ignis illo calidior erit. Maxima. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, quod, quo pacto debeat intelligi, & quibus limitibus coherceri, suo loco fuit explicatum.

Maxima.

Hactenus exposita pronunciata quæstionibus absolutis deseruiunt, comparatis tamen non item. Absoluta quæstio dicitur, qua num hoc sit illud, an non absolutè quæritur, ut *an studijs literarum danda sit opera, nec ne?* Comparata verò, *num hoc sit magis tale, quàm illud, an non?* vel aliquo alio comparationis modo in quæstionem vocatur, ut *an magis expetenda sint animi bona, quàm corporis nec ne?* Ex pronunciatis tamen continentibus rationem tractandæ absolutæ quæstionis nullo ferè labore deduci possunt ea, quorum præsidio comparatam quæstionem tractare liceat. In his propterea non immorabimur; sat enim est tertium Aristotelis Topicorum librum percurrere, ad ipsum propterea lectorem remittimus, curantes tantùm pronunciata quædam inde breuiter excerpta recensere.

Pronunciata verò, siue Maximæ hoc ordine ab ipso disponuntur. *Prima* Maxima est. Quod est diuturnius, ac firmius, cæteris paribus, id etiam eligibilius est II. quod eligitur à meliori, id est à prudenti, probo, & à recta lege, est etiam eligibilius III. simpliciter est melius, & eligibilius, quod est secundùm meliorem disciplinam & artem, quàm quod est secundùm deteriorem: respectu verò unius cuiusque id eligibilius, quod est secundùm disciplinam propriã, ut quia simpliciter est melior Philosophia, quàm Ædificatoria, simpliciter melius est philosophari, quàm ædificare; quia tamen unicuiq; melius est exercere illam artẽ in qua est peritus, quam aliam, in qua non est versatus, ob id ædificatori melius est ædificare, quàm philosophari. IV. Ex duobus bonis, quorum alterum sit in genere boni, alterum non, sed dicatur bonum, quia bonum habet; quod est in genere boni, melius, & eligibilius est, quàm quod non est in genere boni; ut iustitia, quæ est in genere boni honesti, melior est iusto, (non enim idem iustitia & iustus) qui non est in genere honesti; dicitur enim iustus, quoniam iustitiam habet; iustitia verò est species boni honesti, & est per se ipsam bona, non autem iustus, qui ratione iustitiæ bonus est. V. quod est eligendum propter se, & quatenus habet rationem finis, est melius eo, quod est eligendum propter aliud; ut sanitas melior est exercitio, quod gratia sanitatis fit. VI. quod est per se eligibile, est melius eo, quod est eligibile per accidens. Vt magis est eligibile cuicunque, ut eius amici sint iusti, quàm inimici; illi nanque per se, hi autem per accidens, videlicet, ne nobis noceant optandũ, ut iusti sint. VII. quod est causa boni per se, eligibilius est eo, quod est causa boni per accidens; ut eligibilior est virtus, quàm fortuna, ea nanque est boni causa per se; hæc autem per accidens. VIII. quod est causa mali per se, fugibilius est eo, quod solum est mali causa per accidens: ut vitium fugibilius est fortunâ: nam illud est causa mali per se: hæc solùm per accidens. IX. quod simpliciter est bonum, eligibilius est eo, quod est bonum tantum

Digitized by Google

relatè ad subiectum sic dispositum; ut eligibilius est sanum fieri, quàm incidi, nàm illud bonum simpliciter, hæc autem solùm bona ægrotanti, qui venæ incisione indiget. X. quod est bonum ex sua natura, melius est eo, quod est bonum, eo quòd bonum acquisierit; ut iustitia melior est iusto; illa enim ex sua natura est bona, hic autem solùm quia iustitiam acquisierit. XI. Bona, quæ insunt meliori, & honorabiliori, sunt meliora, & eligibiliora; ut bona Dei sunt meliora, quàm hominum bona; & animi bona sunt meliora, quàm bona corporis. XII. Bona propria rei melioris, eligibiliora sunt, quàm bona propria rei deterioris; ut bona propria Dei, bonis hominum proprijs, meliora sunt. XIII. Quod est in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus, eligibilius est; ut sanitas est eligibilior robore, & pulchritudine; nam sanitas est in primis constituentibus corpus; robur autem, & pulchritudo non item; illud enim in neruis, & ossibus; hæc verò in apta commensuratione membrorum, atque colorum suauitate consistit. XIV. Finis est eligibilior iis, quæ conducunt ad finem; & ex ijs, quæ conducunt ad finem, illud est eligibilius, quod fini propinquius est; ut felicitas, quæ finis est ultimus, melior est virtute, quæ ad felicitatem conducit; ex iis verò, quæ ad consecutionem felicitatis conferunt, illa profectò meliora, quæ felicitati propinquiora sunt. XV. Quæ conducunt ad finem totius vitæ, videlicet ad felicitatem, eligibiliora dici debent, quàm quæ præsidio sunt ad aliquem finem particularem, putà ad prudentiam obtinendam. XVI. Possibile est eligibilius impossibili; nempe bonum, quod moraliter potest obtineri, quàm id, quod moraliter attingi non potest. XVII. Quæ sunt effectiua finis melioris, sunt meliora, & magis eligibilia; ut studia, & exercitia animi; meliora sunt studiis, ac exercitiis corporis; per illa quidem animi, per hæc autem corporis bona acquiruntur. XVIII. Sint duo fines, puta felicitas, & sanitas; sintque duo ipsorum effectiua, nempe salubre, quod est effectivum sanitatis, & virtus, quæ est felicitatis effectiua; si finis melior, magis excedat finem minus bonum, quàm finis deterior excedat medium effectivum ipsius; medium etiã finis melioris effectivum excedit finem minus bonum, eritque melius, ac eligibilius. XIX. Quod propter se est laudabilius & honorabilius; est etiam melius, & eligibilius; ut amicitia melior est diuitijs, & iustitia est eligibilior sanitate & robore, nam amicitia est honorabilis propter se: diuitiæ non propter se, sed propter virtutem. XX. Quando duo fuerint adeo similia, ut determinari non possit, utrum eorum sit eligibilius; considerandæ sunt consequentia ex ipsis, id enim, ex quo sequitur maius bonum, eligibilius, ac melius est eo, ex quo sequitur minus bonum. XXI. Ex bonis, illud ex quo sequitur minus malum; est eligibilius ac melius. XXII. Plura bona sunt eligibiliora paucioribus, siue sint plura simpliciter; itaut distinguantur à paucioribus, siue sint plura, itaut comprehendant pauciora. Ita quidem fortitudo, iustitia, & temperantia, sunt eligibiliores, quàm fortitudo, & temperantia sola; sic etiam fortitudo iustitia, & prudentia eligibiliores sunt, quàm temperantia, & manſuetudo, quæ pauciora sunt bona, & in illis tribus non continentur. Duobus tamen limitationibus præsens indiget locus, prima quarum in eo est, quòd tunc plura bona non sunt paucioribus eligibiliora, quando alterum ex pluribus est solùm eligibile alterius gratia; ut labores perferre est solùm eligibile gratiã sanitatis. Secunda, quòd tunc plura sunt bona eligibiliora paucioribus, quando inter pauciora non existit aliquod maximum bonum, cuiusmodi est felicitas, quę summum est bonum. XXIII. Eadem cum voluptate sunt eligibiliora, quàm sine voluptate; & eadem cum indolentia, quàm cum tristitia; ut virtus cum voluptate, ac sine dolore, eligibilior est, quàm eadem sine voluptate, & cum dolore. XXIV. Vnumquodque bonum eo tempore est eligibilius, quo plus potest, quoniam maior sit usus ipsius. Vt indolentia est eligibilior pro tempore senectutis, quàm pro tempore iuuentutis. Prudentia eligibilior est pro tempore senectutis, quàm pro tempore iuuentutis. Contra verò fortitudo, & temperantia ob maiorem necessitatem, sunt magis eligibiles pro tempore iuuentutis, quàm pro tempore senectutis. XXV. Quod est semper, vel sæpius utile, melius est eo, quod non semper, vel rarò est utile; ut iustitia, & temperantia semper sunt utiles; fortitudo non semper, sed solùm tempore belli, atque adeo semper illis, aut ferè semper, hac autem ratius uti possumus. XXVI. Id quod si omnes haberemus, non indigeremus alio, est eligibilius, eo quod etiam si omnes haberemus, adhuc indigeremus alio; ut iustitia est eligibilior fortitudine, nam si omnes essemus iusti, non indigeremus fortitudine, velut illâ, quâ solùm indigemus ad arcendas iniurias: at si omnes essemus fortes, adhuc iustitiâ nobis opus esset. XXVII. Ea sunt fugibiliora, quorum corruptiones, abiectiones, & contraria sunt fugibiliora; ut corruptio, & abiectio virtutis peior est corruptione, & abiectione sanitatis, & quia vitium virtuti contrarium est peius ægritudine, quæ contraria est sanitati, idcirco virtus eligibilior, ac melior est sanitate. Contra verò sunt meliora, quorum generatio, & assumptio melior est; ut quia melior est generatio & assumptio virtutis, quàm sanitatis, ob id virtus est sanitate melior. XXVIII. Quod est propinquius summo bono, est eligibilius, & melius; ut virtus est eligibilior & melior diuitijs, quia virtus felicitati summo bono propinquior est, quàm sint diuitiæ, & metere frumentum quàm serere ob eandem causam eligibilius est. XXIX. Quod est similius summo bono est eligibilius, ac melius; ut quoniam qui benefacit similior est Deo, quàm qui beneficia recipit; ob id eligibilius, & melius est beneficia conferre, quàm recipere. XXX. Quod est similius meliori est melius; ut si Achilles fuerit melior Aiace, & Vlysse, quoniam Aiax similior est Achilli, quàm Vlysses, Aiax Vlysse melior esse videtur; sed hoc intelligendum eo sensu, tunc nimirum, qui similior est meliori, esse meliorem, quando similis in eo est, in quo est melior, & ut similitudo sit non in ridiculosioribus, in his enim simia melior est, & similior homini, quàm equus, cùm tamen non sit melior equo, qui potius in seriis similior est homini, quàm simia. XXXI. Quod est similius meliori est melius, quàm quod est similius deteriori. Vt supposito, quòd Achilles sit melior Nestore, quoniam Aiax est similior Achilli, quàm Vlysses Nestori, sequitur Aiacem esse meliorem Vlysse. Excipe tamen primò si parum sit unum simile meliori, alterum sit multum simile minus bono; potest enim quod est simile minus bono, melius esse. Excipe secundò si est simile meliori in deterioribus; nam potest esse deterius eo, quod est simile peiori in melioribus. XXXII. Quod est nobilius est eligibilius, & melius; quia igitur nobilius est Philosophiæ studijs operam nauare, quàm Iurisprudentiæ; idcirco illud eligibilius est. XXXIII. Quod est difficilius, est etiam eligibilius, & melius;

Ex locis circumstantium.

Ex eodē.

Ex loco totius.

Ex loco efficientium.

Ex loco effectorū, vel abiectionis, generationis, & contrariorum.

Ex loco finium.

Ex loco similium.

Ex eodē.

Ex eodē.

Ex loco causarum formaliū.

Ex loco effectorū

magis enim amamus; quod non est facile adipisci.

Ex locis definitionis, & descriptionis. XXXIV. Quod est minus commune, seu magis proprium, eligibilius est eo, quod est communius; ut sapientia est homini eligibilior sanitate, quoniam sapientia est hominis propria, sanitas autem communis etiam belluis. XXXV. Quæ minus afferunt molestiæ meliora, & eligibiliora sunt; ut vita priuata, quippequæ vacua est omni curâ eligibilior, & melior est quàm publica, quæ insidiarum, & periculorum est plena. XXXVI. Cum genus est melius genere, optimum generis melioris, est melius optimo generis deterioris, ut quia homo est melior equo, optimus homo est melior optimo equo. XXXVII. Cum optimum unius generis est melius optimo alterius generis, etiam genus est melius genere; ut quia optimus homo est melior optimo equo, etiam homo est melior equo. XXXVIII. Quod amicis communicari potest, melius est eo, quod non potest communicari; ut sapientia melior est sanitate, quoniam illa potest amicis communicari, sanitas autem non item. XXXIX. Quæ quis vult facere amicis, meliora sunt quàm, quæ vult facere non amicis; ut quia volumus amicis benè facere, aliis videri tantùm volumus benefacere; ideò benefacere melius est, quàm videri benefacere. XL. Non necessariò sunt meliora necessariis, & aliquando eligibiliora, ut *bene viuere* non est necessarium, *viuere* est necessarium; propterea benè viuere est melius, & eligibilius, quàm viuere. Quandoque tamen non necessaria quamuis meliora, sunt minus eligibilia, ut philosophari, melius est, quàm lucrari, & nihilominus indigenti necessariis, eligibilius lucrari, quàm philosophari; sæpè igitur usu venit, ut necessarium sit eligibilius; non necessarium autem sit melius. XLI. Quæ suppleri non possunt ab aliis, meliora sunt, quàm quæ possunt suppleri; ut iustitia melior est fortitudine; nam si quis non sit iustus, nemo pro illo supplere potest; at si quis non sit fortis, potest alter supplere defendens illum.

Ex locis circumstantium. Ex loco partium. Ex eodē. Ex eodē. Ex eodē. Ex eodē. Ex eodē.

Ex loco causarum formaliū. XLII. Cum duo ita se habent, ut unum sit eligendum sine altero, non autem contra; illud, quod est eligendum sine altero, est melius; ut prudentia est melior potestate, quoniam potestas, & prudentia ita se habent, ut potestas sine prudentia non sit eligibilis, prudentia verò sine potestate sit eligibilis. XLIII. Cum duo ita se habent, ut nobis unum inesse dissimulemus in eum finem, ut appareat inesse alterum, hoc secundum est eligibilius, & melius; ut esse ingeniosum, melius est, quàm esse laboriosum, quoniam homines ut appareant ingeniosi, sæpè negant se laboriosos esse. XLIV. Bona, quorum defectus minus est detestabilis in iis, qui mo etiè ferunt se illis carere, sunt eligibiliora bonis, quorum defectus detestabilior est in iis, qui se illis carere molestè ferunt; ut virtus est eligibilior diuitiis, eam ob causam, quia, qui caret virtute, minus est vituperabilis, si talem carentiam molestè ferat; qui autem caret diuitiis, magis vituperabilis est, si talem carentiam molestè ferat. His autem addi possunt, quæ sequuntur. Quod rei magis est proprium, eidem pariter melius. Vt homini ratione uti, melius est, quàm uti sensu. Quod circa præstantiorem materiam versatur, aut certius illam attingit, longè nobilius est, atque præstantius. Quod magis insigne est, atque præclarum, magis est eligendum, quàm quod minus est tale. Vt patriam à seruitute vindicare, potius est eligendum, quàm simpliciter bonum ciuem esse: & ingenuis artibus, ac disciplinis operam nauare, quàm in studia mæchanicarum artium incumbere. Quæ sine alijs expeti possunt, præferenda sunt ijs, quæ sine alijs expeti non debent; ut prudentia præferenda est imperio, natura hoc sine illa expeti non potest; benè tamen contra.

Ex locis circūstantium. Ex loco repugnā tium.

Ex locis circūstantium. His addi sequentia possunt. XLV. Quod habet propriam virtutem, & perfectionem eligibilius est eo, quod non habet, est autem propria virtus, atque perfectio unius cuiusque rei, nil aliud, quàm aptitudo, quam habet ad proprium finem; ut ex duobus calamis ille, qui est aptus ad calami finem, nimirum scribere, est melior, & eligibilior eo, qui ad talem finem ineptus est. XLVI. Ex duobus eiusdem speciei, quorum utrumque propriam habet virtutem, illud eligibilius, quod magis habet; ut è duobus calamis, quorum uterque est aptus ad scribendum, ille est melior, & eligibilior, qui est magis aptus. XLVII. Ex duobus, quorum unum faciat bonum habentem, alterum autem non faciat, illud est eligibilius, quod bonum facit; ut enim quod calefacit, calidius est eo, quod non calefacit; ita quod facit bonum habentem, melius est eo, quod non facit; hinc virtus melior est voluptate. XLVIII. Ex duobus quorum utrumque facit bonum habentem, id melius est, quod magis facit, vel quod bonum facit subiectum melius; ita virtus animæ est melior virtute corporis, quoniam animæ virtus facit bonam animam, virtus autem corporis facit bonum corpus. XLIX. Si quod iustè fit eligibilius est eo, quod fortiter fit, iustus eligibilior est forti, & iustitia eligibilior est fortitudine; & contra. Rursus si iustitiæ usus melior est fortitudinis usu; & actio, atque opus iustitiæ est melius, quam actio, & opus fortitudinis, iustitia quoque melior fortitudine erit. L. Quod est melius melius, est etiam deterius melius; ut si sapientia est honoribus melior, honores autem diuitijs sunt meliores, multò magis sapientia diuitijs melior erit. LI. Si duo sint tertio eligibiliora, quod magis excedit illud in ratione eligibilitatis, illud est melius; ut virtus, & honor sunt diuitijs eligibiliores, sed virtus in eligibilitate magis excedit diuitias, quàm honor; ergo virtus est eligibilior honore. LII. Id cuius excellentia præfertur excellentiæ alterius, etiam & ipsum est alteri præferendum; ut amicitia est eligibilior diuitijs, quoniam excellentia amicitiæ, præfertur excellentiæ diuitiarum. LIII. Ea, quorum quis eligit magis ut ipse sibi causa sit, meliora sunt ijs, quæ potius ab alijs vult accipere; ut amici sunt eligibiliores, quàm diuitiæ; quoniam quisque mavult eligere sibi amicos, quàm ab alijs accipere; & contra mavult ab alijs diuitias accipere, quàm ipse sibi illas acquirere. LIV. Ex duobus, id quod additum eidem tertio reddit ipsum eligibilius, est melius, quàm id quod additum eidem tertio facit id minus eligibile, ut virtus est eligibilior diuitijs, quia si sanitati addantur diuitiæ, & virtus, eligibilior est sanitas cum virtute, quàm cum diuitijs. Quando tamen id, quod additur tertio facit ipsum melius, eoquòd tertium ipso utitur, tunc non licet concludere illud esse melius altero, quo tertium non utitur; ut si arti fabrili detur serra, vel falx, melior est ars fabrilis cum serra; quàm cum falce, quoniam ars fabrilis, seu faber potest uti serrâ, non autem falce; non tamen concluditur serram esse meliorem falce, alioquin cum ars messoria melior sit cum falce, quam cum serra, posset inferri serram, & falcem mutuò meliores esse, quod non admittendum. LV. Quod additum minori bono reddit illud melius, est eligibilius eo, quod additum minori bono facit ipsum minus bonum; ut sanitas corporis est melior eiusdem pulchritudine, & tamen si corporis pulchritudini, quæ minus est bonum, virtus addatur, fit aliquid melius, quàm si corporis pulchri-

Digitized by Google

chritudini adiantur diuitiæ, quandoquidem sanitas cum virtute, longè melior est, quàm pulchritudo corporis cum diuitijs; virtus igitur est melior diuitijs. LVI. Id maius est, quo detracto ex aliquo reliquum fit minus; ut si ex denario numero, auferantur sex, vel quatuor, quod reliquum fit, ablato senario, minus est, quàm quod remanet ablato quaternario; propterea senarius numerus est maior quaternario. Non absimili modo in eligibilibus, propterea quòd si virtus auferatur à toto conflato ex sanitate, pulchritudine, & virtute, quod remanet minus est bonum, quàm si auferatur sanitas, idcirco virtus est sanitate melior. LVII. Quod est eligendum propter se, melius est eligendo propter gloriam, ut sanitas, quæ propter se est eligibilis, melior est pulchritudine, quæ eligibilis est propter gloriam. Est autem eligibile propter gloriam id quod nullo conscio, nemo sibi studeret inesse, seu nemo multum curaret; quoniam igitur nemo pulchritudinem multum curaret, si nullus eius conscius esse deberet; idcirco pulchritudo est propter gloriam eligibilis. LVIII. Quod est eligibile, & propter se, & propter gloriam, eligibilius est, quàm quod propter horum duorum alterutrum est eligibile; ut quia sapientia tum propter se, tum propter gloriam est eligibilis, melior est sanitate, quæ duntaxat est eligibilis propter se, & est quoque melior pulchritudine, quæ tantùm est eligibilis propter gloriam. LIX. Id quod propter se magis est honorandum, est eligibilius eo quod est propter se minus honorandum; ut quia animi pulchritudo est magis honoranda, quàm pulchritudo corporis, idcirco pulchritudo animi est eligibilior pulchritudine corporis. Magis autem honorandum est, id quod etiam emolumento secluso, magis eligimus; ut quia secluså utilitate, magis eligimus animi, quàm corporis pulchritudinem, ideo animi pulchritudo est honorabilior pulchritudine corporis. LX. Quod ita se habet, ut ex honesto, utili, & delectabili, vel omnia possideat, vel plura ex his, illud melius est; ut quod est simul honestum utile, & delectabile, melius est, quàm quod habet unum, vel duo tantum ex his. LXI. Ex duobus, quorum utrunque boni rationem participat, illud est melius, quod magis illam participat, ut iustitia, quoniam magis participat boni honesti rationem, eligibilior, ac melior est modestiæ virtute. LXII. Quod est eligibile propter melius, seu gratiâ melioris, illud est eligibilius, ac melius; ut quod est eligibile propter virtutem, est melius eligibili propter delectationem. Idem autem iudicium ferendum de fugibilibus, quod enim magis impedit virtutem, & alia bona per se expetenda, est fugibilius; ut ægritudo fugibilior est turpitudine, quoniam ægritudo magis, quàm turpitudo impedit virtutem, & voluptatem. LXIII. Quod est solùm eligibile, magis est eligendum, quàm id, quod est simul eligibile, & fugibile; putà si aliquid sit solùm eligibile, & nullo modo fugibile. Vt sapientia est eligibilior imperio, nam illa est per se eligibilis tantùm, eo quòd participet rationem honesti; at hoc est eligibile, & simul etiam fugibile, quoniam etsi boni rationem habet, adhuc habet multum mali, cum angustijs, & periculis abundet. Quod ad omnia vel plura utile est, longè melius, quàm quod ad pauciora; ut aqua longè melior est melle. Id, quo res melior comparatur, melius est, & expetendum magis. Ita planè meliora sunt, & magis expetenda ea, quibus virtutis gratiâ nos utimur, quàm quibus utimur causâ voluptatis. Si absolutum prædicatum, sequitur absolutum subiectum, incrementum prædicati, sequitur incrementum subiecti. Sed hoc intelligendum de prædicatis, quæ per se de subiectis dicuntur, ut si honestum est per se bonum, honestius melius, & honestissimum, optimum. Quæ suis contrarijs minus permixta sunt, ea magis sunt talia; ut id albius, quod minus nigroris habet.

Ex enarratis locis, quibus ostendi potest aliquid eligibilius, vel fugibilius esse altero dum Aristoteles pergit hæc habet. Primò nimirum explicat, quem in modum aliquid absolutè esse eligendum, vel fugiendum ostendi possit. Secundò tradit modum, quo propositi loci possit extendi ad probandum aliquid uniuersè magis esse tale, quàm aliud. Mox explicatis locis conducentibus ad uniuersalia problemata accidentis, tum absoluta, tum comparata, tria facit. Primo declarat modum, quo uti nos dictis locis etiam ad problemata particularia construenda, ac destruenda possimus. Secundò declarat quem in modum possint construi, vel destrui problemata particularia. Tertiò tandem nos docet, quâ ratione particularia problemata construi, vel destrui ex locis à diuisione possint, quæ apud eundem Philosophum videnda relinquo, solùm ad memoriam reuocabo, quæ ad Dialectum pertinent. Omnis itaque disputatio dialectica circa quatuor illa prædicata versatur, cuiusmodi sunt *Definitio*, *Genus*, *Proprium*, & *Accidens*, quorum supra meminimus, ex his porrò componuntur propositiones, & problemata dialectica, non omnis tamen propositio nec omne problema ad Dialecticum pertinet; nemo enim sanæ mentis sumet ut principium, & propositionem probabilem id, quod nemini videtur verum, nempe quòd altra sint paria, nec ullus erit, qui proponat, ut quæstionem disputabilem in utranque partem id, quod omnibus verum videtur; quod enim tale est, non est dubium; idcirco sub quæstionem non cadit; quæ autem nemini videntur cum veritate consentire, non admittuntur, ideoque tanquam propositiones, & principia proponi non debent. Ex Philosophi consilio igitur propositio dialectica est. Ἐστι δὲ πρότασις μὲν διαλεκτικὴ, ἐρώτησις ἔνδοξος ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσις, ἢ τοῖς σοφοῖς· καὶ τούτοις, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσιν, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ παράδοξος. *Est autem propositio dialectica, interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus; atque his vel omnibus, vel plurimis, vel spectatissimis a communi opinione non aborrens.* Quandoquidem propositio, de qua loquimur, apta est, ut, ex concessione illius cum quo habetur disputatio, tanquam principium usurpetur, quod autem sapientibus videtur, & à communi opinione non abhorret, facilè conceditur ab eo, cum quo habetur altercatio, proindeque potest ut principium assumi; quod igitur videtur sapientibus, & à communi opinione non abhorret, propositio dialectica dici debet. Quòd si forsan aliquid multis sapientibus videatur à communi tamen opinione plurimum elongetur, haud facile concedetur; ob id propositio dialectica dici non potest; ut quamuis plurimis sapientibus verum videretur *omnia esse unum*; *vel nihil posse moueri*, quia tamen hæc à communi opinione sunt aliena, non possunt ut propositiones dialecticæ sumi; debet autem interrogatio esse probabilis, aut omnibus, ut *quòd parentes suos natos diligant*, aut plerisque, ut *quòd opes magno sint conquirendæ studio*; aut omnibus sapientibus, *ut quòd præstantiora sint animi bona, quam corporis*; plerisque, ut quòd *felicitas in voluptate non consistat*, aut spectatissimis, ut *quòd mundus aliquando cæperit*. Problema verò dialecticum definit ut, Πρόβλημα δὲ ἐστι διαλεκτικὸν, θεώρημα τὸ συντεῖνον ἢ, πρὸς αἵρε-

Post enarrata, quid sit Philosophi cõsilium.

Non omnis propositio nec omne problema ad dialecticum pertinet.

3. Top. c. 4 Propositio dialectica quid 1. Topic. cap. 10.

1. Topic. cap. 11.

σιν

ἢ οὐχὶ, ἢ πρὸς ἀλλήλους διαφορὰν ἢ γνῶσιν, ἢ αὐτὸ, ἢ ὡς συμπτῶμά τι πρός τι ἕτερον τῶν τοιούτων. περὶ ἃ, ἢ ἑκατέρως δοξάζουσιν, ἢ ἐναντίως οἱ πολλοὶ τοῖς σοφοῖς, ἢ οἱ σοφοὶ τοῖς πολλοῖς, ἢ ἑκάτεροι ἑαυτοῖς ἐαυτοῖς. *Problema verò dialecticum, est contemplatio pertinens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem, & cognitionem: idque vel per se, vel quia adiumentum affert, ad aliud quidpiam eiusmodi: de quo aut neutram in partem sentiunt, aut multi contra ac sapientes, aut sapientes contra ac multi, aut utrique dissentiunt ipsi inter se.* Cuius definitionis explicationem breuitati studens omitto, solùm aduertens definitionem esse talem, qua simul explicantur variæ problematum species.

Thesis quid.

Problematis autem paulo antea descripti prima distributio est in Speculativum, & Practicum. Est autem Practicum, cuius cognitio est utilis ad electionem, vel fugam; ut *utrum voluptas sit bonum? utrum homini expediat dare operam literarum studijs?* huius enim notitia conducit ad electionem, vel fugam. Speculativum est, cuius notitia solum est expetibilis gratia scientiæ; ut *utrum anima intellectiua sit immortalis? utrum mundus ab æterno fuerit?* huius enim cognitio, solius scientiæ gratiâ expetibilis est. Secunda Problematis diuisio talis est, ut aliud sit, de quo nulla est opinio, aliud de quo contrariæ sunt opiniones vulgi, ac sapientum; aliud de quo contrariæ sunt opiniones vulgi; aliud de quo contrariæ sunt opiniones sapientum. Tertia diuisio est in illud, quod est utrinque dubitabile, quoniam suppetunt rationes, atque syllogismi contrarij pro utraque parte. Aliud Problema magnum, & arduum, de quo difficile affertur ratio in alterutram partem, ut *an mundus ab æterno fuerit?* Hæc autem omnia sunt Problemata, quia possunt ad quærendum proponi. Adhuc diuidi accidentis Problema solet in *uniuersale & particulare.* Problema uniuersale est, quod de re in uniuersum proponitur; ut *utrum omnis voluptas sit bona?* Particulare verò est, quod de re particulatim proponitur, ut *utrum aliqua voluptas sit bona?* At verè ex Problematibus particularibus quædam sunt indefinita, in quibus nimirum ita propositionis particularis affirmatur veritas ut abstrahatur ab hoc, utrum etiam uniuersalis propositio sit vera vel non, ut *utrum aliqua voluptas sit bona?* abstrahendo ab hoc quòd aliqua solum, vel etiam omnis voluptas bona sit. Problemata verò definita particularia sunt ea, per quæ affirmatur veritas solius particularis, ut cum ponitur, *quod aliqua solum voluptas sit bona?* De his tamen qui plura desiderat Aristotelem in libris Topicorum adeat. Sed species problematis est Positio, seu Thesis, quæ dicitur. Θέσις δέ ἐστι δόξα παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς φιλοσοφίας. οἷον, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης. *Thesis autem est præter omnium opinionem sententia alicuius nobilis philosophi, veluti, non posse contradici, ut dicebat Antisthenes;* Duplex est. Prima est sententia admirabilis innixa auctoritate alicuius clarioris Philosophi. Thesis nanq; talis esse debet, ut iure possit in controuersiam vocari, dementis enim foret disputare sententias vnius cuiusque contrarias opinionibus communi consensione receptis; non igitur satis ad Thesin, ut sit cuiusque sententia, sed alicuius Philosophi clarioris esse debet. Secunda Thesis est sententia contraria opinioni communi, innixa apparenti rationi, ut communis est opinio, *quodlibet vel fuisse ab æterno, vel effectum.* At Sophistæ quadam apparenti ratione probant quædam esse, quæ neque sint ab æterno, nec facta sint; ratio autem apud Philosophum videri potest. Rectè ex his infertur Thesin esse speciem Problematis,

Thesis, qualis esse debeat.

Duplex Prima Thesis.

Secunda Thesis.

Thesis est species Problematis.

quanuis ex communi loquentium usu Thesis cum Problemate confundatur, adeoq; Problemata omnia Theses nuncupentur; non est autem Problema quodlibet, nec Thesis quæcunque vocanda in disputationem dialecticam, sed illæ duntaxat, de quibus dubitationes indigent ratione, per quam de veritate instruantur, non autem de quibus dubitationes indigent pœna, vel sensu; non enim est disputandum, utrum *oporteat Deos honorare: vel parentes diligere;* de his enim, quæ sunt omnibus insita à natura, dubitantes plectendi sunt. Nec in disputationem vocandum, *an nix sit alba.* De hoc enim dubitantes indigent sensu, cum cæci videantur. Nec in controuersiam dialecticam verti debent ea, quorum propinqua, & obuia demonstratio est, nec quorum probatio est longissimè petita, sed quæ interdum inter has locum obtinent. His animaduersis. Post quam Dialecticus lustrauerit locos communes hactenus recensitos, facilè quidem argumenta reperiet, quibus, vel absolutam, vel comparatam quæstionem pertractabit; quamuis enim argumenta reperire solertis ingenij esse videatur, nullo negotio tamen id facere opus diuinioris est artis, nimirum huius, quæ proximè relatos locos subministrat. Quamobrem cupiens facilè, simulque copiosè de quacunque proposita quæstione disputare, conuertat animum ad expositam omnium locorum seriem, quam si præ oculis habuerit, proculdubio voti compos fiet. Cum autem quæstio fuerit proposita, tum subiectum, tum prædicatum, tum etiam totam complexionem per locos descriptos ducere necesse est, ut, quæ ad rem propositam argumenta pertinebunt sese dent in conspectum. Tanta quidem est communium locorum utilitas, quæ tamen non magni facienda, nisi propriorum locorum commoditas accesserit; ut obid expediat Dialectico, non minus in his, quàm in illis tempus impendere, quod sine diligenti meditatione, sedulâque lectione facere non potest. Oportet igitur plurima virorum illustrium in quolibet rerum genere pronunciata, multasq; sententias accuratè perpendere, & quę communiora sunt in alia, atq; alia minus communia, magisq; domestica prudenter deducere, differentias rerum similium, & similitudines differentium summo studio diligentiâque persecutari; quærendi propterea loci sunt, qui pertinent ad naturam omnium rerum, scilicet elementorum, metallorum, lapidum, plantarum, animalium, &c. Nec prætereundi sunt loci, ad vitam, & mores hominum spectantes, nempe virtutum, vitiorum, &c. & ad extremum illos, quos alacrioris est ingenij percurrere, cuiusmodi sunt, quibus dialectica prædicata nomenclationem tribuerunt. Quam verò sit argumentorum ferax dialecticus campus, perspicuum satis ex ijs, quæ Philosophus memoriæ literisque prodidit, quæque octo Topicorum libris complexus est; quos verſare diligenter *est operæ pretium* ob summam utilitatem ex ijs proueuntem, cum in ipsis tradatur facultas utilis mirum in modum ad disputationes, quæ exercitationis gratiâ fieri solent; ad congressus, & colloquia, ad scientias omnes; tum quia disputatio suscepta in utranque partem ad inueniendam, determinandamque veritatem disponit: tum quia prima scientiarum principia, cum prima sint in singulis, ab ipsis probari non possunt, idcirco superest duntaxat, ut probabilibus rationibus ex hac facultate depromptis ostendantur; atque adeo Problemata dialectica, iam superiùs explicata, subtiliter, industrièque tractentur, ad quod summopere conducunt præcepta quamcopiosissimè ab Aristotele tradita, quę quidem apud ipsum videnda relinquo. Satis enim sit

Digitized by Google

se hactenus assignasse locos dialecticos; tanquam promptuaria unde argumenta sumuntur, tam scilicet artificiosa, quàm artis & peritia, tam illa, quæ Dialecticæ industria, ac diligentia ex ipsa quæstione eliciuntur, insita etiam appellata, quàm illa quæ non ex ipsa quæstione, sed extrinsecùs assumuntur, quæ si ad calculum redegeris, prioris generis viginti, posterioris autem duo reperies; adeo ut in uniuersum sint numero viginti duo; etsi alij alium numerum ordinemque locorum facere voluerint, quod ex argumentorum generibus, quorum loci sunt receptacula & sedes, citra laborem colligere cuicunque licebit; enimverò artificiosa quidem argumenta, aut id ipsum significant, ex quo depromuntur, aut id aliquo modo, & certâ quâpiam ratione respiciunt. Prioris generis sunt definitiones, descriptiones, notationes, vel si mauis vocabulorum interpretationes. Secundi verò generis, quæ scilicet ad id affecta sunt, aut sunt illi coniuncta, aut ab eo disiuncta. Coniuncta porrò aut sunt connexa, aut circumstantia. Connexa verò cum aliquo intelliguntur ea, quæ ita sunt ad id affecta, ut illud ex iis necessariò pendeat, aut vicissim. Hoc sanè modo se habent inuicem coniugata, ut iustus, & iustitia, vel fortis, & fortitudo, partes cum toto, & totum cum partibus, & causæ cum effectis, & effecta cum causis, & antecedentia cum consequentibus, & consequentia cum antecedentibus. Circumstantia verò dicuntur, quæ ita cum re coniuncta sunt, ut haud necessariò cum ea uniantur, & ex his sunt quædam vel precurrentia, vel comitantia, vel subsequentia. At verò disiuncta, aut sunt consentanea, ut similia, maiora, minora, paria; aut dissentanea, ut dissimilia, opposita, & alio quouis modo repugnantia. Argumenta tandem artis & peritiæ binario numero comprehensa sunt, auctoritas, nempe diuino testimonio innixa, & auctoritas humana hominum testimonio suffulta. Solet etiam prædictorum locorum numerus ab alijs augeri, & varijs modis illa distingui, ac ordinari: ita ut alii plura, alij pauciora designent, ut nuper dicebam de quibus consulendi sunt ij, quibus cura fuit de his copiosè disserere. Solùm id adnotabo per hæc intellectum quammaximè dirigi ad benè ratiocinandum, & ad veritatem ex intimioribus naturæ latebris eruendam.

SECTIO NONA.

De Syllogismo Sophistico.

TAmetsi primâ fronte res Philosopho minimè digna videatur captiosas argumentationes tractare, ac in earum explicationem incumbere; seuerè tamen ratiocinando, quàm facillimè comperiemus ab eo iure, meritoque præsentem tractationem institui; non enim traditur ut aliquem nos disputando fallere possimus, sed ut sophistarum insidias captionesque vitare industriè valeamus; & ne in quamplurimos prolabamur errores: Malum namque vitare, nisi probè cognitum atq; perspectum, haud licet. At ut planè constet natura huius, de quo futura nobis est syllogismi, disputatio, paululum hìc hærendum est, & ad memoriam reuocandum inspectâ materiâ syllogismum, de quo Philosophus, Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. λέγω δὲ, τῷ ταῦτα εἶναι, τὸ διὰ ταῦτα συμβαίνειν. *Syllogismus autem est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam* diuersum, *ab ijs, quæ posita sunt necessariò accidit, eo quòd hæc sunt.* In quatuor diuidi species; hæ porrò sunt *Syllogismus Demonstrativus, Dialecticus, Pseudographus, & Sophisticus*; ita quidem simplicem syllogismum partitus est Aristoteles, cum proximè de Dialectico sermonem esset habiturus. Hæc autem quadripartita diuisio à quadruplici materia originem trahit, pro varietate siquidem ipsius variantur etiam sumptiones, quibus syllogismi constant, at pro varietate istarum, diuersos fieri syllogismos oportet. Diuiditur igitur syllogismus ut dictum fuit. Demonstrativus porrò syllogismus est constans ex præmissis veris, & primis, vel ex præmissis, quæ sint probatæ per vera, & prima, cuiusmodi esset ille, qui constaret ex principiis primis, ac immediatis, qualia sunt, in quibus definitio de definito prædicatur, vel affectio de definitione, ut *Omnis homo est animal rationis particeps. Omne animal particeps rationis est risibile*, vel etiam communes animi conceptiones, ut. *Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia. Omne totum est maius sua parte*, & id genus alia; si tamen hæc principia demonstrationem ingrediuntur, quod si non concedatur, saltem ad ipsam demonstrationem aliquo modo spectant; qua de re cumalatè suo loco disputatum fuit; & hic est syllogismus ad scientiam pertinens. Dialecticus autem syllogismus est huius facultatis propius, qui conclusionem propositam ex propositionibus, seu præmissis probabilibus concludit. Id autem differt inter ea, quibus duo constant horum syllogismorum genera, quòd demonstrativus syllogismus constat ex iis, quæ non per aliud, sed per se sunt manifesta, & credibilia, siquidem de principiis scientiarum quærendum non est quomodo probetur esse vera, sed manifesta, & credibilia per se ipsa esse debent. At verò syllogismus Dialecticus constat ex ijs, quæ videntur vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis, ac claris, quæ qualia sint superius explicatum fuit. Syllogismus autem Pseudographus est qui constat ex præmissis scientiarum propriis, nec veris, nec probabilibus, quanuis enim quandam habeat speciem probabilitatis, quinimo veræ demonstrationis naturam quodammodo mentiatur, adhuc tamen eius sumptiones veræ non videntur plerisque, nec sapientibus, proindeque probabiles non sunt, velut illæ, quibus probabilis propositionis definitio non competit; ita sunt propositiones illæ in Geometria, *figuræ Isoperimetræ*, hoc est, *quarum circumscriptiones æquales sunt, & ipsæ sunt æquales. Circuli sunt in ratione suorum diametrorum in Physica. Ex nihilo nihil fit.* Ex his fit syllogismus Pseudographus præsertim in Geometria, dum procedit ex propriis ipsius, & propositionem, nec veram, nec probabilem, sed solùm speciem quandam probabilitatis habet. Huiusmodi autem syllogismi Pseudographi dicuntur eo quòd præcipuè in Geometricis eueniant, cum in iis semicirculi, lineæ, & figuræ malè describi contingat. Ἐριστικὸς δὲ ἔστι συλλογισμὸς, ὁ ἐκ φαινομένων ἐνδόξων, μὴ ὄντων δὲ τῷ ὀλίγων ἐνδόξων δὲ ἢ φαινομένων ἐνδόξων, φαινόμενος, οὐ γὰρ πᾶν τὸ φαινόμενον ἔνδοξον ἐστὶν, οὐδὲν ἔχει τῶν ἐνδόξων. *Syllogismus contentiosus est*, qui construitur *ex ijs, quæ videntur probabilia, nec tamen sunt: & qui ex probabilibus, vel ijs quæ videntur probabilia, videtur* esse, nec est. *Non enim quicquid videtur probabile, etiam est probabile.* Ex his porro liquet triplicem esse syllogismum contentiosum, siue sophisticum.

Primus est, qui vitium contrahit ex forma; ut si fiat in secùda figura ex ambabus præmissis affirmatiuis, ut *omnis iustitia est virtus; omnis temperantia est virtus; ergo omnis temperantia est iustitia.* Vel in prima figura ex

In quatuor diuiditur species.

Vnde quadripartita diuisio prouenit.

Syllogismus demonstrativus.

Syllogismus dialecticus.

Syllogismus Pseudographus.

1. Top. c. 1

Syllogismus sophisticus, seu contentiosus.

Primus syllogismus sophisticus, qui peccat in forma.

ex aliqua sumptionum particulari negatiua: vel si quatuor terminis constet, vel aliquo alio formæ vitio laboret, & ideo syllogismus iste videtur concludere, cum tamen nihil plane concludat. Secundus est, qui peccat in materia, quanuis eius forma sit bona. Hic plerisque gemino modo contingit. Primo cum materiâ, quæ non est necessaria, nos utimur non secus ac si necessaria foret, contendentes ex ea demonstrationem efformare: propterea quòd sumptionibus constet, quæ videntur necessariæ propter similitudinem, quam cum necessarijs propositionibus habent; ut dum sic arguitur. *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales; sed linea recta, nempe chorda, & arcus, siue linea curua, sunt ductæ ab eodem puncto in idem; ergo illæ lineæ sunt æquales.* Error in forma non est, sed in materia, quæ certè mala est, cum illa maior sit falsa, & pro necessaria sumatur propter similitudinem, quam habet cum necessaria; siquidem vera, & necessaria est hæc, *Omnes lineæ rectæ ab eodem puncto in idem punctum sunt æquales.* Secundo modo contingit error in materia, cum id, quod non est probabile, sed apparens duntaxat, accipitur tanquam probabile; non enim, ut notat Philosophus, quicquid videtur probabile, verè probabile est, quandoquidem ut propositio probabilis dicatur, non satis ut speciem, & immaginem probabilitatis præseferat; sed amplius est opus, ut plerisque, vel sapientibus vera esse videatur; propositiones igitur, quæ talem habent speciem probabilitatis, ut operosum non sit falsitatem, aduertere non videntur plerisque, nec sapientibus veræ, idcirco probabiles non sunt. Quamobrem propositiones, quæ cum probabiles non sint, nihilominus quandam speciem probabilitatis habent, principia sunt illius syllogismi, de quo mox futura nobis est disputatio; syllogismus autem hoc modo peccaret in materia, si foret huiusmodi; *omne quod ridet, habet os; prata rident; ergo prata habent os*: ubi minor apparet probabilis propter æquiuocationem verbi *ridere*, cum tamen probabilis non sit. Tertius est syllogismus sophisticus, qui peccat tam in forma, quàm in materia, ut *Quicquid non amisisti, habes; hunc equũ (quem scilicet iam amissum nunc inuenisti) habes; ergo hunc equũ nõ amisisti.* Hic syllogismus tam vitio formæ, quàm materiæ laborat; maior enim non est probabilis, nec argumentationis forma bona est, ex puris enim particularibus affirmatiuis in secunda figura conclusionem colligit. Quanquam autem tribus modis error contingat, vel in forma, vel in materia, siue necessaria, siue probabili, vel in materia & forma, frequentiùs tamen in materia probabili contingunt errores, cum amplior sit, atque communior, immò & imperfectior, adeo ut error in eam non tam facilè sub cognitionem cadat; ijdem porro syllogismi, qui sophistici dicuntur, aliâ ratione contentiosi nominantur. Sophistici nanque dici solent quatenus ad ostendendendam sapientiam, non ad indagandam veritatem adhibentur, siquidem Sophistici simulata, non autem vera sapientia est, estq; Sophistâ, qui ex huiusmodi sapientia quæstum facit. Contentiosi autem eâ ratione dicuntur quatenus ad contendendum cum altero, victoriamq; reportandam idonei sunt. Cæterum num syllogismus peccans in forma vel in materia veram syllogismi rationem habeat, paulo post intelliges. Demonstratiui autem syllogismi finis est scientiam parere; Dialectici opinionem; Pseudographi errorem; & Sophistici deceptionem. Hinc, ut duo priora genera gratiâ usus, hoc est, ut ijs nos possimus uti, explicantur: ita posteriora, ut, cum ipsi declinare, tum ab alijs proposita refellere valeamus; at verò sæpe sæpius sophisticus syllogismus ita dispositus est, ut sumptiones ipsius si quodam sensu accipiantur, defectus sit ex parte formæ, sumptionibus existentibus veris; at si aliâ significatione eædem sumantur, defectus sit ex parte materiæ, quoniam sumptiones falsæ sunt, bonâ existente formâ.

Aduersus allatam syllogismi partitionem in quatuor membra, quædam occurrunt, quæ molestiæ plurimum exhibent; & primò se illud offert, quòd syllogismus ratione materiæ triplex tantum videtur, prout triplex est propositionum materia, necessaria, contingens, & impossibilis; non igitur institutâ diuisione penes materiam syllogismus quadruplex esse potest.

Adhuc tamen quadripartita diuisio subsistit, propterea quòd syllogismi materia spectari potest, vel secundum se tantum, vel prout nostræ subiacet cognitioni, priori modo gemina tantum est, necessaria videlicet, & probabilis, nam improbabilis haud syllogismo probatiuo deseruit, de quo Philosophus edisserit: posteriori autem modo quadruplex materia est, quædam enim est necessaria, alia non est, sed videtur, quædam est probabilis, alia quanuis non sit, eiusmodi tamen apparet; cum igitur syllogismi partitio penes materiam tradita sit, prout nostris assensibus subiacet, hæc autem sit quadruplex, ob id non immeritò fuit instituta quadripartita diuisio. Non subinde tamen existimes allatam diuisionem tanquam uniuocam esse recipiendam. Id enim gemina materia, vera nempe, & apparens non permittit. Ne commemorem in ea posse materiæ diuisionem cadere, penes quam syllogismi distributio facta est, ut uniuocè conuenire non possint.

Præterea syllogismus contentiosus formę vitio laborans, haud rectè sub syllogismo diuiso, tanquam unum è membris diuidentibus collocatur; insulsè, propterea syllogismus fuit quadripartitò diuisus. assumptum ex eo constat, quòd syllogismus sub diuisionem cadens est ille, qui vi formæ concludit.

Solutio in eo est, quòd syllogismus sophisticus in forma peccans, non per se, & directè sub diuiso constituitur, sed ex accidenti, quatenus ad peccantem in materia reducitur.

Alij sic obiiciunt, ut iusto angustiorem hanc esse diuisionem ostendant. Syllogismus constans ex necessarijs, tanquam probabilibus tamen cognitis, vel ex probabilibus existimatis, ut necessarijs, verus atque formalis est, & nihilominus hâc diuisione comprehensus non fuit; iusto igitur angustior diuisio hæc existimari debet. Huiusmodi autem diuisionem syllogismos commemoratos minimè comprehensos fuisse, non obscurè constat, cum ad nullum membrum è diuidentibus spectare possint; non enim ad syllogismum demonstratiuum, quoniam constans ex necessarijs, cognitis tamè ut probabilibus, opinionem gignit; demonstratiuus verò scientiam; alter autem ex probabilibus existimatis ut necessarijs procedens non constat ex primis, & veris. Nec potest ad dialecticum syllogismum pertinere, nam coalescens ex necessarijs non constat ex probabilibus, procedens, autem ex probabilibus existimatis, ut necessarijs, non gignit assensum cum formidine partis oppositæ, quod syllogismus dialecticus requirit.

Negandum tamen syllogismos, de quibus procedit difficultas, superiori diuisione non comprehendi, nam constans ex necessarijs, cognitis tantùm, ut probabilibus, dialecticus est, cum opinionẽ in intellectu pariat; ex probabilibus verò creditis, ut necessarijs

Pseu-

Secundus, qui peccat in materia.

Duobus modis cõtingit.

Primus.

Secundus.

Tertius syllogismus sophisticus peccans tam in forma, quam in materia.

Syllogismi sophistici dicũtur, & cõtentiosi.

Cur Sophistici.

Cur contentiosi.

Fines omnium syllogismorum.

Tertia

Solu

Pseudographus est, cum errorem in eo dē progignat. Obiicies etiam ad parum exactam diuisionem ostendendam, eo quòd per membra diuidentia non exhauriatur totum id, quod in diuiso continetur, si quid eo in hoc habetur syllogismus coalescens ex apertè falsis, & ille pariter, qui demonstrat quod est, cum tamen hi nullatenus in membris diuidentibus commemorentur.

Falsum tamen assumunt, & assumpti rationem nullius afferunt momenti; quoniam per talia membra exhauritur quicquid in ipso diuiso continetur, nam syllogismus ex apertè falsis constans ad syllogismum diuisum non pertinet, quoniam hic probandi vim habet, ille verò non item; alter autem, qui demonstrat quod est, ad demonstrativum reuocatur, ad quem etiam spectat procedens ex propositionibus necessariis eâ necessitate, quæ ex diuina fide proficiscitur; innixus autem humano testimonio, ad dialecticum redducitur.

Et ex hactenus disputatis nullius laboris erit aliis difficultatibus occurrere, quæ aduersus expositam diuisionem afferri possent, ut propterea non sit opus hîc amplius immorari; unum duntaxat aduertendum superest, videlicet si contingat syllogismum exhiberi conflatum ex propositionibus ad varia diuisionis membra spectantibus collocandum in eo esse, cuius propositiones inferioris sunt notæ, hâc habitâ animaduersione, ut Pseudographa propositio statuatur infima, huic verò tanquam dignior succedat Sophistica, deinde dialectica, dignissima tandem demonstratiua subsequatur.

Solet in controuersiam vocari, ut nuper dicebam, num syllogismus deficiens ex parte formæ sit verus syllogismus.

Asserendum breuiter syllogismum vitio formæ laborantem verè, & essentialiter esse syllogismum.

Hanc assertionem ratio illa conuincit, quòd discursus pravus verè discursus est, habens veram ac essentialem discursûs rationem; ergo syllogismus vitio formæ laborans est re verâ syllogismus; consecutio patet, nam syllogismus nil aliud, quàm quidam discursus; si igitur hic, quantumuis pravus habet veram discursûs rationem: sic etiam & ille veram syllogismi naturam obtinebit. Assumptum verò manifestum ex eo mihi redditur, quoniam verè datur assensus ex alio præter debitam formam elicitus; id enim experientia testatur, quisque siquidem experitur sæpè sæpiùs se ex assensu quodam in alium assensum induci præter debitam ratiocinationis formam, ut propterea tot præceptiones in directionem discursûs tradantur, quibus nimirum distinguere modos rectos & utiles à prauis, & inutilibus valeamus, quod certè superfluum foret, si nullum periculum immineret, ne discursus in forma peccaret; hoc porrò iudicium nequit simplex iudicium appellari ad secundam intellectûs pertinens operationem, cum tamen iudicium sit, proinde consequens ut ad tertiam operationem pertineat.

Et hoc etiam validè confirmatur ita ratiocinando. Tam iudicium falsum, quàm verum est essentialiter iudicium; ergo tam discursus pravus, quàm rectus essentialiter discursus existimari debet. Consequentia patet, cum nulla videatur esse disparitas.

Aduersus tamen assertionem videtur Aristoteles disputasse, cum splendidè satis docuerit syllogismum apparentem, de quo loquimur, verè syllogismum non esse, propterea quòd essentialem syllogismi formam non habeat, & eam ob causam apparentem syllogismum vocari, quoniam apparet quidem, sed non est syllogismus, quemadmodum auricalcum apparet aurum; cum tamen verè aurum non sit.

Sed forsan Aristotelis consilium non eo tendit, ut doceat syllogismum pravum non esse verè syllogismum; respiciens enim ad utrunque defectum ait, ὁ μὲν οὖν πρότερος τῶν ῥηθέντων ἐριστικῶν συλλογισμῶν ἐστι συλλογισμὸς λεγόμενος. ὁ δὲ λοιπὸς, ἐριστικὸς μὲν συλλογισμός, συλλογισμὸς δ' οὐκ ἐνδόξου φαίνεται μὲν συλλογίζεσθαι, συλλογίζεται δ' οὔ. *Prior igitur ex dictis contentiosis syllogismis etiam syllogismus appellator: Alter verò vocator quidem contentiosus syllogismus, non tamen simpliciter syllogismus, quoniam etsi videtur concludere, reuerâ tamen non concludit.* At hinc solùm deduci posse videtur Philosophum voluisse docere duntaxat pravum syllogismum non dici syllogismum simpliciter, sed quodammodo, quasi syllogismum generatim partitus fuerit in eum, qui dicitur simpliciter, & eum, qui syllogismus quodammodo dici debeat, ac definierit syllogismum simpliciter acceptum; itaut sit nobis in præsentia ratiocinandum, non secus ac de syllogismo demonstratiuo, qui diuidi tur in demonstrativum simpliciter, qualis est ille, qui procedit ex causa, & in demonstrativum quodammodo, cuiusmodi perhibetur esse ille, qui ex effectu, vel ex causa remota procedit, ita tamen ut definitio syllogismi demonstratiui à Philosopho tradita per genus causæ materialis, tantummodo cadat in demonstrativum simpliciter, quanuis illa, quæ tradita est per finem utrique possit accommodari. Non dissimiliter itaq; de syllogismo generatim accepto nobis philosophari licet, dicere siquidem possumus definitum ab Aristotele fuisse syllogismum simpliciter acceptum. Nisi placeat asserere definitionem ad utrunque syllogismum extendi posse, prout gemino modo conclusionis deductio ex præmissis potest contingere, itaut una sit bona, altera autem mala, & ut falsitas non facit ne iudicium simplex veram iudicij naturam habeat; ita nec prauitas illationis faciat ne sit assensûs, ex alio assensu deductio. Sed ut ingenuè fatear uniuersa difficultas ad quæstionem de nomine reuocatur; ob id non est cur in hoc amplius immoremur; satis sit nobis vitiosum discursum veram discursûs rationem sibi vendicare.

Difficultati occurritur. 1. Top. c. 1

Est etiam inquisitione dignum, an syllogismus in materia peccans, seu materiæ vitio laborans sit essentialiter syllogismus. Sunt qui affirmant; ex aduerso verò qui negant.

Verum syllogismus deficiens ex parte materiæ sit verè syllogismus.

Assertio affirmans syllogismum materiæ vitio laborantem non esse verè syllogismum.

Asserendum tamen syllogismum in materia falsa, atque adeo peccantem solùm in materia, quantumuis legitimâ formâ constantem essentialiter syllogismum non esse. Constat enim huiusmodi syllogismum, siue discursum in mente ex parte actuum non exerceri, nisi dum intellectus re verâ præbeat assensum toti antecedenti, & huius vi pariter consequenti, putans omnia verâ esse, adeout nullius sumptionis fallitatem aduertat; at hæc cum materia falsa cohærere non possunt; syllogismus igitur in materia peccans essentialiter syllogismus dici non meretur. Minor certa, maior autem probatur, nam syllogismus in mente, nequit aliâ ratione exerceri, quanuis id in voce fieri non repugnet; poterit enim intellectus per actum simplicis iudicii non inferendo unum ex alio, bonitatem illationis, siue consecutionis insitam formæ syllogisticæ luculenter inspicere, at ipsum discursum exercere non poterit. Dum enim quispiam ita disputat, *Omne animal rationis particeps est lapis; ergo omnis homo est lapis*; ludere quidem vocibus dici potest, at exercere discursum dici non potest; id enim requireret ut intellectus præberet assensum huic propo-

Ratione suadetur.

ſtioni, *omne animal rationis particeps eſt lapis*, quem nunquam ipſe præſtauit, cum ei perſpectum, ac exploratum ſit à veritate ſumptionem illam abhorrere.

Multifariam contingit ſyllogiſmum eſſe fallacem.

Multifariam contingit ſyllogiſmum apparentem eſſe, & re ipsâ fallacem ex parte materiæ. Primò autem hoc euenit, quando præmiſſæ apparent veræ, cum tamen re ipsâ ſint falſæ; poſſet autem quiſpiam ſuſpicari ſyllogiſmum hunc ſophiſticum eſſe, & à dialectico diſtinctum. Secus tamen ſe res habet, nam quantumuis apparentia ſophiſticum ſyllogiſmum conſtituat, non omnis tamen apparentia talis eſt, ut per ipſam huiuſmodi ſyllogiſmus haberi poſſit; qualis autem ſit apparentia illa, quâ ſophiſticus conſtituitur ſyllogiſmus, non multò poſt intelliges. Interim pro comperto habeatur apparentiam prædictam non ſufficere ad diſtinguendum ſyllogiſmum ſophiſticum à dialectico; quandoquidem dialecticus ſyllogiſmus, cum ex probabilibus procedat, ſemper utique procedit ex ijs, quæ apparent vera, quæ tamen perpetuò vera non ſunt, non enim quicquid probabile, verum eſt; quare talis ſyllogiſmus ex ſumptionibus conſtat, quæ apparent veræ, cum tamen re ipsâ ſint falſæ, & nihilominus huiuſmodi ſyllogiſmus non eſt ſophiſticus, nam dialecticus eſt; prædicta igitur apparentia non conſtituit ſyllogiſmum ſophiſticum à dialectico diſtinctum.

Primus modus quo ſyllogiſmus dicatur apparens.

Apparentia qualis, per quam ſyllogiſmus Sophiſticus conſtituitur inferiùs explicanda.

Quomodo ſecundo modo ſyllogiſmus apparens dicatur.

Secundo modo ſyllogiſmus apparens dici poteſt, & à dialectico diſtinctus, eo nomine, quòd ſumptiones ipsius probabiles appareant, cum re ipsâ tamen probabiles non ſint. Nec te commoueat, dictum fuiſſe præmiſſas apparere probabiles, re ipsâ tamen non eſſe; non enim probabile quicquid apparet, & quicquid alicui videtur, ſed ut ſupra monuimus, quod videtur omnibus ſapientibus, aut plurimis ſapientibus, aut ſpectatiſſimis; at aliqua ſunt aut apud ſapientes euidenter falſa, aut communi horum exiſtimatione reputata falſa, quæ tamen rudibus, ac indiſertis vera eſſe videntur; hæc porrò ſunt improbabilia ſapientibus, ut Solem, vel Lunam eſſe magnitudinis exiguæ, ferèque palmaris, quod tamen rudibus probatur. Vt non eſſe relinquendum præſens bonum pro futuro; et ſi alicui dicatur *quicquid non amiſiſti, habes*, leuiter ille ſtatim aſſenſum præbeat. Dialecticus autem ſyllogiſmus ex verè probabilibus conſtat. At Sophiſticus, qui Sophiſmatis etiam nomine fuit nuncupatus, eſt, qui ex iis, quæ probabilia videntur, nec tamen probabilia ſunt, concluſionem colligit; Sic enim materiæ vitio laborat, quemadmodum ille, qui ex huiuſmodi probabilibus, quæ probabilia apparent, colligere videtur, nec tamen colligit, ex parte formæ vitioſus eſt.

Tertius modus, quo ſyllogiſmus dicatur apparens.

Tertio modo ſyllogiſmus apparens, & vitioſus dicitur, qui veram mentitur demonſtrationem, & è ſumptionibus conſtat, quæ neceſſariæ quidem apparent, taleſque ut in demonſtratione poſſint adhiberi, cum re ipsâ tamen ſint omninò falſæ, atque impoſſibiles, de quo etiam ſuperiùs locuti ſumus, cum diceremus quatuor eſſe ſyllogiſmorum genera, & eorum unum eſſe Pſeudographum, quaſi dicas mendacis deſcriptionis, qui quanuis in Geometria nomen obtinuerit, ei tamen in omnibus diſciplinis aditus patet; eumque diximus eſſe illum, qui ex propria alicuius ſcientiæ materia, non veris tamen ſumptionibus, ſed quæ veræ, ac neceſſariæ videantur, concluſionem deducit. Vt ſi dicas; *Figuræ Iſoperimetræ ſunt æquales; ſed circulus, & quadratum ſunt figuræ Iſoperimetræ quando peripheria circuli fuerit æqualis aggregato laterum quadrati; ergo circulus, & quadratum ſunt æqualia, quando peripheria circuli fuerit æqualis aggregato laterum quadrati.* Huius porrò ſyllogiſmi geometrica certè materia eſt: maior propoſitio, etſi vera, ac neceſſaria videatur, proculdubio tamen eſt falſa, cum Iſoperimetrarum figurarum, quædam ſint maiores, quædam minores; adeo ut maxima ſit circulus, minima verò triangulum. Non diſſimiliter, ſi quis diceret. *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum ſunt æquales; ſed ita ſe habet linea recta, & linea curua, comparando ſemiperipheriam circuli cum eiuſdem diametrum; ergo ſemiperipheria, & diameter eiuſdem circuli eunt inter ſe æquales.* Item. *Omnes ſemicirculi ſunt æquales; ſed figura contenta ſub ſemiperipheria circuli maioris, eiuſq; diametro, & ſub ſemiperipheria circuli minoris, & eiuſdem diametro, ſunt ſemicirculi; ergo figura contenta ſub ſemiperipheria circuli maioris eiuſque diametro, & ſub ſemiperipheria circuli minoris eiuſque diametro, ſunt inter ſe æquales.* Hic porrò ſyllogiſmus proprio nomine *Paralogiſmus* appellari conſueuit, præſertim quando ex principiis propriis alicuius ſcientiæ, malè tamen acceptis, procedit, ut in ſuperioribus exemplis principia Geometriæ propria, & vera ſunt, *Omnes rectæ lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum ſunt æquales, vel ſi non ſunt rectæ, ſaltem per idem ſpatium ducantur. Figuræ quarum circumſcriptiones ſunt æquales, inæqualium ſunt ſpatiorum.* Secunda propoſitio, quanuis non ſit primum principium, cum potius Theorema ſit iam demonſtratum; in ſuperiori tamen exemplo, cum oppoſita è ſumptionibus una ſit, tanquam principium adhibetur. Sic etiam verum principium eſt, *Omnes ſemicirculi eiuſdem circuli ſunt inter ſe æquales.* At in illis Paralogiſmis malè accipiuntur, & ſine debitis conditionibus adhibentur. Plurimis autem modis Paralogiſmi contingunt, de quibus etiam aliquando redibit ſermo. Hoc ſyllogiſmi genus per ſe directèque opponitur demonſtrationi, quanuis mentiatur ipſam, & rarò in illud incurritur, ſolùm videlicet cum propria alicuius ſcientiæ principia, & pronunciata, vel malè, & prauo ſenſu intelliguntur, vel latius uſurpantur, quàm accipi debeant; cum enim alioquin vera ſint, & neceſſaria, latius tamen accepta ſunt falſa, ut de paulo antea commemoratis principiis manifeſtum eſt, quibus & addi poteſt illud, *Ex nihilo nihil fit*, quod quidem verum eſt, ſi verbum *fit* uſurpetur ad ſignificandum idem, quod verbo *generatur*, falſum tamen, ſi uſurpetur ad quamcunque productionem ſignificandam. Ariſtoteles porrò, tanquam novũ genus ſyllogiſmi diſtinctum à Sophiſtico, & litigioſo Paralogiſmum aſſignauit, quoniam litigioſum ſpeciatim pro illo ſumpſit, qui procedit ex apparenter probabilibus, quique directè dialectico ſyllogiſmo aduerſatur. Syllogiſmus tamen Sophiſticus uſurpari tam lata ſignificatione poteſt, ut omne vitioſum ſyllogiſmum, atque adeo Pſeudographum, ſeu Paralogiſmum, & Sophiſticum, ſeu litigioſum complectatur.

1. Tom.

De Metis ad quas Sophiſta conatur aduerſarium compellere.

DEinde Philoſophus aſſignat circa quid argumentatio ſophiſtica verſetur, ſeu quos fines, & quid ſibi proponat Sophiſta, ut victoriam ex aduerſario conſequatur, aut certè conſequi videatur. Quod ab eo iure factum intelliges, quoniam Artificum inſtrumenta re verâ tunc apta cenſentur, cum ad finem artis comparandum accommodata ſunt. Initio autem operæ pretium duxit omnes Sophiſtarum fines detegere, ut omnia quidem inſtrumenta, quibus

Quot, & quos fines ſibi proponat Sophiſta.

Digitized by Google

tur ad eos peruenire conantur; longè planius, atque facilius exponat. Communem eorum finem Stagirita ait esse captiosis, atque fallacibus argumentationibus alios in conflictu illaqueando sapientiam quandam admirabilem ostentare; quod ut assequatur Sophista, nimirum ille, qui ex adumbrata, mentitaque sapientia quæstum facit, quique propterea pecuniosus appellari consuescit, quinque præ oculis habet incommoda, ad quæ callidè vi fuæ, quam adhibet, argumentationis conatur aduersarium impellere; huiusmodi porrò sunt. *Redargutio. Falsum. Inopinabile. Solœcismus. Nugatio.* Hactenus commemorata quidem incommoda, cum *Meta*, tum speciales etiam Sophistæ *Fines* à Dialecticis appellari consuetum. Metarum autem istarum sufficientia solet hęc assignari. Omnis Meta est inconueniens conclusum aduersus respondentem; vel igitur illud inconueniens se tenet ex parte sermonis, vel ex parte rei; Si ex parte rei, bifariam contingit, vel enim se tenet ex parte rei absolutè, & sic habetur *Falsum*, vel relatè, & hoc bifariam, nam vel sumitur per ordinem ad dicta respondentis, vel ad opinionem eorum, quos insequitur; si primum, est *Redargutio*, si secundum, est *Inopinabile*; si ex parte sermonis, bifariam accidit; nam vel se tenet ex parte subiectæ orationis & est *Nugatio*, vel ex parte suorum accidentium congruæque structuræ, & est *Solœcismus*. Cum autem omnis Meta sit inconueniens, ad quod Sophista nititur videri ducens respondentem, nullumque sit manifestius inconueniens, quàm contradictoria simul concedere, simulque negare, quod in redargutione fit; idcirco *Redargutio* inter Metas principem tenere locum existimatur, & hinc exordium desumitur. Hæ sunt igitur Metæ, ad quas Sophista conatur aduersarios impellere, siquidem Meta nil aliud, quàm scopus, & finis ad quem Sophista fallacibus argumentationibus studet aduersarios redigere, ut ex tali Meta victoriam consecutus circumstantibus appareat.

quinque incō-da, ad Sophi-dedu-aduer-am, in-ius-ia.

De Redargutionis Meta.

Re-tio-id.

REdargutio, *seu Reprehensio est prænegati concessio, vel præconcessi negatio in eadem susceptа disputatione argumentationis vi*. Contingit autem cum respondens eò quidem adducitur, aut adduci videtur, ut neget id, quod in eadem disputatione asseruit, vel asserat quod negauit. Talis syllogismus probans fallaciter contradictorium concessi, prout in primum finem, qui erat Redargutio, specialim dirigitur, eodem nomine, quo ipse finis, nimirum ἔλεγχος, *elenchus* nuncupatur; quatenus autem ad cæteros desinatur fines, commune Sophistici syllogismi, vel Sophismatis nomen conseruat. Dicebatur autem *in eadem disputatione*, quia si respondens admittat id, cuius oppositum in alijs disputationibus præhabitis tantùm defenderit, redargutio non est, nisi id in disputatione præsenti usurpetur. Dicebatur etiam *Argumentationis vi*, quoniam si vocibus, clamoribus, & importunitate verborum duntaxat, vel alia de causa contingat ut respondens contradictorium admittat, *Redargutio* non est, quæ ut clarius intelligas; Neget quispiam hanc propositionem *Dormientes vident* per redargutionem cogetur aduersarius propositionem, *Dormientes vident*, negatam admittere, si nempe Sophista sic illum inuadat *Omne visum habens videt; omnes dormientes visum habent; ergo omnes dormientes vident*. Aduersarius ignorans fallaciam illius nominis *visus*, cogitur conclusionem fateri, ex qua concessione redactus ad redargutionis, & contradictionis metam dicetur, siquidem eò adductus est, vel adduci videtur, ut concedat, quod eâdem dispectione consecter negauerat. Eodem modo si quispiam neget, *aquam habere pedes*; sic arguet Sophista; *Quicquid currit habet pedes: sed aqua currit; ergo aqua pedes habet*. Hac fallaci argumentatione cogitur aduersarius concedere, quod in eadem disputatione negauerat.

De Falsi Meta.

FAlsum *in præsentia sumitur pro eo, quod aperte falsum est*. Contingit autem quando aduersarius aliquid euidenter falsum cogitur concedere, ut hanc propositionem, *pratum virens, & amœnum est homo*, & ad illud Sophista sic aduersarium adigit *Quicquid videt est homo; pratum virens, & amœnum videt; ergo pratum virens, & amœnum est homo*. Item. *Homo habet, quod non amisit; sed non amisit alas; ergo habet alas*. Item; *quod non repugnat fieri, non repugnat ut sit; sed non repugnat album fieri nigrum; ergo non repugnat idem esse album, & nigrum*. Item. *omnis canis est latrabilis; sed aliquod sidus cæleste est canis; ergo aliquod sidus cæleste est latrabile*. Falsū quo modo hic usurpetur.

De Inopinabilis Meta.

INopinabile, *seu* παράδοξον, paradoxum, *hoc est aliquid præter opinionem omnium, vel sapientium, vel eorum certè, quorum placita respondens aut qui de proposita contentione iudicium ferre debent, libenti animo sequuntur, siue id falsum, siue verum sit*, contingit, quando Sophista præmit adeo respondentem, ut cogat illum aliquid fateri, quod etsi absolutè falsum non sit, à communi tamen abhorret opinione. Ad hoc autem Sophista conatur aduersarium adigere, ut saltem apud adstantes victoriam de eo habuisse videatur, sequentem vel similem in modum. *Qui plurimum cruciatur, & anxiatur est miser; sed dies est huiusmodi; ergo dies est miser*; item; *Nullum bonum parit malum; sed veritas est aliquod bonum, odium vero malum; ergo veritas odium non parit*. Inopinabile quid.

De Solœcismi Meta.

SOlœcismus est vitium in contextu partium orationis contra grammaticas regulas; ad hanc Metam Sophista conatur etiam respondentem redigere, cum nullam non intentet viam, quâ doctus appareat, & ab aduersario gloriam aucupetur, & ita disputat aduersarium cogens ad Solœcismum. *Omnis homo est scientiarum studiosus; omnis mulier est homo; ergo omnis mulier est scientiarum studiosus*. Huius nanque syllogismi apparentis vi cogit Sophista conclusionis hunc Solœcismum admitti. Solœcismus quid.

De Nugationis Meta.

NVgatio est eiusdem, & ex eadem parte inutilis repetitio. Dicitur *eiusdem repetitio*, quia nisi repetatur idem, nugatio non erit. Dicitur *ex eadem parte* quia si idem in diuersis propositionibus eiusdē repetatur syllogismi, nugatio non est. Dicitur *inutilis*, quoniam aliquando repetitio non est nugatio; tunc nimirum, cum aliquid in repetitione peculiariter significatur, ut *Rex Regum. Dominus Dominantium; Virgo Virginum &c.* Ad nugationem porrò Sophista conatur aduersarium adigere, ut hic respondendo irrideatur à circumstantibus, ut si dicat; *omnis habitus est bonus, qui habet bonum finem; sed*

Digitized by Google

habitus iustitiæ est habitus; qui dici potest habitus habens bonum finem: ergo habitus Iustitiæ est habitus, qui dici potest habitus bonus. Item. *Omne simum est nasus simus: aliquis nasus est simus; ergo aliquis nasus est nasus simus.*

Sophisma soluitur ad *Redarguitionis* metã pertinens.

Primum Sophisma de dormientibus, &c. soluitur distinguendo visum in eum, qui consistit in potentia, vel in actu primo, vel in actu secundo, nam minor propositio est de visu, in actu primo: maior autem est tam de visu in actu primo, quam in actu secundo.

Sophisma soluitur ad *falsi* metã pertinens.

Secundum Sophisma soluitur, vel negando maiorem simpliciter, vel distinguendo de risu, nam concedenda de risu propriè sumpto, neganda est de eodem tam propriè quàm metaphoricè accepto.

Sophisma soluitur ad *Inopinabilis* metã pertinens.

Tertium Sophisma soluitur distinguendo maiorem, si namque intelligatur per se, concedenda, si per accidens, neganda, & ita minori concessâ, respondendum ad consequentiam, diuitem non esse miserum per se, sed per accidens.

Sophisma soluitur, ad *Solœcismi* metam pertinens.

Quartum soluitur dicendo hominem esse communis generis, nempe masculini, & fœminini.

Sophisma soluitur ad *ungationis* metam pertinens

Quintum Sophisma ut vitetur, oportet interresumendum argumentum bis positum vocabulum semel duntaxat usurpare.

De Fallacia generatim.

Fallacia bifariam sumitur.

FAllacia bifariam accipitur. Primò quidem passiuè, quo pacto *nil aliud, quàm deceptio imperiti in arte Sophistica per artem eandem.* Vel *error, atque deceptio ex ipso argumento Sophistico proueniens.* Secundò sumitur actiuè, iuxta quam acceptionem *est habilitas, seu promptitudo, per quam opponens promptus est ad decipiendum, faciens credere de non ente quòd sit ens, & de ente quòd sit non ens, mediâ fantasticâ visione*, proindeque facultas est, per quam opponens potest facere ut videatur respondenti syllogismus apparens bonus esse syllogismus mediâ apprehensione alicuius apparentis, & non existentis; hoc modo sumpta fallacia sophisticus est locus, in quo Sophistica fundantur argumenta. Vt autem locus dialecticus est sedes argumenti dialectici, vel est id à quo conueniens elicitur argumentum: ita pariter fallacia est sedes, vel id, à quo deducitur argumentum Sophisticum: & ut in eodem loco dialectico plura fundantur argumenta dialectica, sic in eadem fallacia plures paralogismi fundantur: & ut locus dialecticus diuiditur in locum qui dicitur Maxima, & locum qui dicitur Differentia maximæ: ita in qualibet fallacia locus Maxima, & locus Differentia maximæ peculiaritudinem reperitur. Locus maxima *est propositio falsa, quâ Sophisticæ consequentiæ probantur.* Vt dictio actu una habet unum duntaxat significatum. Locus differentia Maximæ *est id, quo una maxima Sophistica differt ab alia, cuiusmodi sunt termini, vel habitudo terminorum*, ut sunt termini prædicti *dictio actu una*, & *significatum actu unum*, seu locus Differentia maximæ *est æquiuocatio termini, vel terminus æquiuocus.* Nominari autem potest per ipsasmet fallacias, puta per fallaciam Æquiuocationis, Amphibologiæ, Cõpositionis, Diuisionis, &c. At verò præter superiores acceptiones, quibus fallacia sumitur, alio itidem accipitur modo, videlicet pro ipsa argumentatione Sophistica. Quamuis igitur fallacia multifariam usurpetur, in præsentia tamen accipitur pro loco Sophistico, seu pro illa propositione, in qua fundantur deceptorij syllogismi, & per quam falsa tanquam vera probantur; quemadmodum enim, ut nuper dicebã, veri Dialectici quasdam sedes, atq; locos detexerunt, unde copiosè possent argumenta ad verum, & verisimile suadendum eruere, quæ Maxima, & Differentia maximæ dicuntur, à quibus probationes ad probabilem conclusionem inferendam eliciunt, dicunturque locus à substantia, siue substantiæ, locus à definitione, siue definitionis, &c. sic fucati, atque mentiti Dialectici communes quosdam locos statuerunt, in quibus argumenta digererent ad fallendum idonea, ut cum opus foret ea præmanibus habere possent; & huiusmodi loci dicuntur Sophistici ab illis maximis denominati, unde dicitur fallacia Æquiuocationis, fallacia Amfibologiæ, fallacia Compositionis, &c. In qualibet autem istarum datur causa apparentiæ, quæ mouet ad credendum id, quod non est; datur que causa deceptionis, quæ creditum facit esse falsum, & latet in apparentiæ causa. Huiusmodi autem loci, è quibus captiosa, atque fallacia ad coarguendum argumenta depromuntur, duo sunt in genere, alter enim est locus captionum illarum, quæ in verbis, seu in dictione: alter earum, quæ in rebus, seu extra dictionem consistunt. Fallacia in dictione est cuius causa apparentiæ sumitur ex parte dictionis, quatenus nimirum ijdem signis non unum significatur, sed plura, ubi *dictio* sumitur tam pro termino incomplexo, quàm pro complexa, & integra oratione. Huius autem species sex esse perhibentur, videlicet fallacia Æquiuocationis, Amphibologiæ Compositionis, Diuisionis, Accentûs, & Figuræ dictionis. At verò fallacia extra dictionem, quæque in rebus dicitur, est quæ causam apparentiæ sumit ex parte rerum propter ignorantiam plurium habitudinum, quas inuicem habent, non quidem ut sic, sed quatenus res ipsæ per voces significantur ac explicantur; idcircò prima sumit apparentiæ causam ex parte multiplicis significationis, quam dictio habet: secunda ex parte multiplicis habitudinis rerum significatarum. Huius porrò septem assignantur species, scilicet fallacia Accidentis: Eius quod simpliciter dicitur, & secundum quid. Ignorationis elenchi: Consequentis: Petitionis principii: Non causæ ut causæ: & Plurium interrogationum, ut unius. Dicitur autem potius fallacia extra dictionem, quàm fallacia rei, quoniam res in disputationem non cadunt, nec respondenti deceptionem pariunt, nisi per ordinem ad dictiones; idcirco per negationem huius, quod est habere causam apparentiæ in dictione, & per ordinem ad ipsam dictionem, fallacia extra dictionem dicitur. Loci igitur, e quibus eliciuntur argumenta captiosa, atque fallacia ad coarguendum apta sunt numero tredecim; sex in verbis, septem in rebus, qui quidem omnes loci nominibus argumentorum, quæ ex ipsis depromuntur, captiones itidem, & fallaciæ nuncupantur.

Huius autem partitionis est ratio, quoniam argumentum fallax eam ob causam in errorem inducit, quia veri speciem habet, hæc autem species aut cernitur solum in voce significante; aut etiam in re significata; priori modo primum genus fallacium argumentorum constituit; posteriori modo constituit secundum; cernitur autem veri simulacrum in voce, quando pro uno sumi videtur significato, quod veritatem continet, vel ad institutum conducit, cum tamen à Sophista re verâ sumatur pro alio, quod falsò quidem ad rem adducitur. Hanc deceptionem senario numero comprehendi gemina ratione Stagiritem conatur ostendere, quarum prior in inductione facta per singulas deceptiones hactenus excogitatas posita est. Secunda sic ferè concipitur; tot sunt fallaciæ ex dictione prouenientes, quot modis unica dictio potest multa significare; sed hi nec plures, nec pau-

Loci quidam communes quosdam locos statuerunt

Duo sunt genera locorum captionum.

Sophistici ab illis maximis denominati

Fallacia Æquiuocationis

Fallacia Amfibologiæ

Fallacia Compositionis

Fallacia Diuisionis

Fallacia Accentûs

Fallacia Figuræ dictionis

Fallacia extra dictionem

Fallacia rei

Loci sex in verbis

Loci septem in rebus

Sufficit. in loc.

1. Elen. cap. 5.

Digitized by Google

pauciores, quàm sex esse possint: ergo senarius deceptionum numerus decerni debet. Maior propositio satis ex nuper allatis manifesta redditur; propterea quòd fallacia non aliâ ratione contingit, nisi quia similes dantur veri significationes, quæ profectò, nisi multiplici existente, aut apparente significatione haberi non possunt. Minorem autem ostendere licebit ex hypotesi, quòd tribus modis euenire potest, ut multa vox eadem significet. Primò, cum eadem dictio nullam variationem subeundo multa significat, ut vox *Canis*, quæ Terrestrem, Cælestem, & Marinum denotat. Secundò, cum aliquo modo penes accentum aut syllabarum quantitatem, orthographiam, compositionem, & diuisionem variatur, ad eum modum, quo se habet vox ista *edo*, quæ cum habet primam syllabam breuem significat idem ac commedo, cum verò longam, idem significat ac divulgo, unde fit illud sophisma, *quicquid edis deuoras; librum edis, hoc est in lucem emittis; ergo librum deuoras*. Sic etiam vox ista *populus*, quæ cum primam syllabam breuem habet, hominum multitudinem significat, cum verò longam, significat arborem. Tertiò cum dictio re vera non significat multa, etsi videatur significare; ut nomen secundæ substantiæ significat quale quid; videtur tamen significare hoc aliquid: huiusmodi autem multiplex significatio est unde nascitur fallacia figuræ dictionis, ut suo loco dicetur, ubi exemplo constabit, quo pacto dictio re ipsâ multa non significet, plura tamen significare videtur. His præhabitis; minor illa, quâ dicebatur sex esse modos, quibus dictio una potest multa significare, sic ostenditur. Vox, quæ primo modo significat, vel est simplex dictio, vel oratio complexa, si est simplex efficit æquiuocationem, si multiplex, amphibologiam. At verò si multiplex est secundo modo, vel ideo multa significat, quia partium illius compositio aut diuisio diuersa est; & fallacia oritur compositionis, ac diuisionis; vel quia diuersus est accentus vel syllabarum quantitas, & fit accentûs fallacia; si tandem multa videtur significare, fallacia nascitur figuræ dictionis, ut fallaciæ consistentes in dictione senario numero comprehendi fatearis necesse est. Septem autem esse fallacias extra dictionem, nec plures, nec pauciores probabitur facilè præmittendo tamen tunc rem aliquam aptam esse ad Sophisma constituendum, quando cognationem aliquam habet, aut habere videtur cum alia, quæ vera est, & ideo ipsa quoque vera, vel ad verum conducens apparet, cum tamen re ipsâ non sit huiusmodi; hoc autem præmisso probabitur intentum perpendendo cognationem, ac similitudinem, quæ in rebus est, non secus ac multiplicem omnem significationem in verbis obseruando concludimus numerum fallaciarum, quæ in dictione consistunt. Hoc itaque modo ratiocinandum. Vel duo sic se habent, ut nec prorsus idem sint, nec penitus opposita, vel omnino aduersantur, vel denique sunt idem; quæ priori modo se habent inter se conueniunt ut accidens, & subiectum, & generant fallaciam accidentis: aut tanquam superius, & inferius latè accepta, & sunt causa captionis à secundum quid ad simpliciter: aut ut effectus, & causa, & prouenit gemina fallacia, nempe consequentis, & non causæ ut causæ, aut ad extremum se habent ut per accidens conglobata, & inde paralogismus plurium interrogationum proficiscitur: si autem opponuntur omninò procreant fallaciam ignorationis Elenchi, in quo fingitur propositionis tam concessæ contradictorium inferri; si verò tunc idem nascitur captio petitionis principij, in qua iidem quasi diuersum ad sui confirmationem accipitur; hinc igitur probatus redditur numerus illarum captionum, quæ extra dictionem dicuntur.

De Fallacijs, quæ in dictione contingunt.

PRius de fallacijs in dictione differitur, quoniam etsi naturæ ordine res præcant dictionibus, non tamen in sophistica disputatione præcedunt, quoniam res in disputationem veniunt per voces; ob id per has contingit prius respondentis deceptionem fieri. Cur prius de fallacijs indictione disputetur.

De Æquiuocationis Fallacia.

PRima est æquiuocationis fallacia, nempe locus aptus ad decipiendum æquiuocatione vocabuli, est enim hæc fallacia error, & deceptio prouenies ex unitate vocis plura significantis; itaut causa apparentiæ sit unitas vocis; hinc enim habet similitudinem cũ voce uniuoca. At causa non existentiæ, seu deceptionis est multitudo significatorum; hunc autem locum Philosophus tribus exemplis illustrat, in quorum primo est æquiuocatio maioris extremi; in secundo medij; in tertio minoris extremi. Primum exemplum est de æquiuocatione maioris extremi. *Grammatici discunt; Grammatici sunt docti; ergo qui docti sunt, discunt.* Æquiuocatio autem est in verbo *discunt*; nam *discere* duo significat, alterum intelligere, quæ dicuntur ac recitantur, alterum scientiam acquirere; priori modo sumitur prædictum verbum in maiori, posteriori verò in conclusione. Secundum est de æquiuocatione medij hoc modo, *Quæcunque expediunt, bona sunt; sed quædam mala expediunt; ergo quædam mala bona sunt*; in quo paralogismo verbum *expedit* æquiuocum est, & in maiori significat conuenientiam per se, in minori conuenientiam per accidens, ratione videlicet euitandi maioris mali, quo pacto mala frequenter expedire dicuntur. Tertium est de æquiuocatione minoris extremi. *Qui surgebat stat: sedens surgebat; ergo sedens stat.* Vbi participium *sedens* in minori sumitur disiunctim pro eo qui sedet, vel sedebat ratione ampliationis, de qua postea dicendum; in conclusione verò pro eo tantum, qui nunc sedet. Sed his prætermissis exemplis, alia eorum loco clariora subrogemus ad magis doctrinam hanc illustrandam hoc modo. Æquiuocatio vel est à casu, quando nempe terminus est æquiuocus à casu, velut ille, qui plura immediatè significat absque analogia, ut terminus *Canis*, qui immediatè significat canem terrestrem, cælestem atque marinum; vel est à consilio, cuiusmodi aliquis terminus est æquiuocus quando est cum analogia admixtus, plura nempe significans ordine quodam, quatenus unum propriè significat, alterum verò per transumptionem, & metaphoram, ut *ridere* dicitur de homine & prato; currere de habentibus pedes, & de aqua. vel ex adiectione est æquiuocatio, quando nimirum una dictio per se accepta unum significat, sumpta tamen cum alia plura denotat. Huius igitur fallaciæ triplex est species. Prima quando vox simpliciter æquiuoca est, fitque syllogismus hoc modo; *Omnis canis est latrabilis; sed aliquod sidus cæleste est canis. ergo aliquod sidus cæleste est latrabile* Sophisma dissoluetur, vel negatione maioris, vel illius distinctione, concedendo nimirum illam de cane terrestri, non autem de aliis, qui per homonymiam canes dicuntur; in hoc enim syllogismo est æquiuocatio illius vocis *canis*, quæ immediatè significat terrestrem, cælestem, & marinum; item, *omne corpus est substantia; trina dimen-*

Prima fallacia in dictione est æquiuocationis, quę trifariam contingit. Causa apparentiæ. Causa deceptionis.

Huius fallaciæ triplex est species. Prima species.

dimensio est corpus; ergo trina dimensio est substantia. In hoc syllogismo est æquiuocatio corporis; hoc enim vocabulum, quandoque compositam substantiam, quandoque trinam dimensionem, quæ quantitas est, significat. Secunda species, cum vox est analoga, ut *quod ridet habet os; sed pratum ridet; ergo pratum habet os.* Item. *Quicquid currit, pedes habet. sed aqua currit, ergo aqua pedes habet.* Tertia species est, quando una dictio per se accepta vnum significat, sed sumpta cum alia, plura denotat, ut supra monuimus, fitque syllogismus hoc modo. *Omne immortale est æternum; quod potest non mori est immortale; ergo quod potest non mori est æternum,* æquiuocatio est in termino *immortale*, nam mortale significat quod potest mori, at sumptum cum præpositione *in* significare valet, vel quod non potest non mori, quo pacto negat actum moriendi, vel quod non potest mori, iuxta quam significationem negat actum, & potentiam ad moriendum; in maiori propositione *immortale*, negat actum & potentiam, in minori autem negat tantummodo actum. Sic etiam se habet hic syllogismus. *Omnis iniustus est puniendus; sed omnis lapis est iniustus; ergo omnis lapis est puniendus.* In maiori propositione terminus *iniustus*, non solum dicit negationem, sed priuationem iustitiæ, immò positivum habitum iniustitiæ; in minori autem solam dicit negationem iustitiæ. Huc pertinet æquiuocatio, cuius supra meminimus, ex nominis ampliatione proueniens; contingit autem cum in una terminus propter copulam de præterito, supponit pro ijs, qui fuerunt, in altero pro ijs, qui nunc sunt, ut *quicquid currebat sedet; ambulans currebat; ergo ambulans sedet;* participium enim *ambulans* in minori sumitur disiunctim pro ijs qui num ambulant, aut prius ambulabant, ratione ampliationis, de qua postea dicendum; in conclusione autem pro his duntaxat qui nunc sunt ambulantes ratione temporis præsentis. Ita fit ut minor propositio vera esse possit. Hæc tamen æquiuocatio admodum impropria est.

Secunda species.

De Amphibologiæ fallacia.

Amphibologiæ fallacia, seu captio ambiguitatis locus est idoneus ad decipiendum ambiguitate orationis. In Amphibologia Causa apparentiæ est unitas orationis. Causa verò non existentiæ, hoc est causa deceptionis est sensuum multiplicitas. Amphibologia differt ab æquiuocatione, quoniam æquiuocatio dicit multiplicitatem significati cum unitate vocis; Amphibologia verò ad totam pertinet orationem, adeo ut unica sit oratio secundum materiam & formam, multiplicem tamen sensum habeat. Trifariam contigit non secus ac æquiuocatio; Primò siquidem fieri potest, ut oratio aliqua ex se plures habeat sensus proprios, fitque paralogismus hoc modo, *Quicquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed hic liber est Aristotelis; ergo hic liber possidetur ab Aristotele.* Propositio enim illa. *Hic liber est Aristotelis*, potest duplicem sensum reddere, prout verbum *est*, vel possessionis habitudinem, vel habitudinem causæ efficientis, vel effectus importat; propterea argumentatio nihil concludit. Secundò committitur hic paralogismus per transumptionem, & prouerbium, ut *Littus arare* significat primò, & per se littus aratro proscindere, per transumptionem verò *operam perdere*, & fit hunc in modum deceptio. *Quisquis arat littus terram proscindit aratro; sed qui insanum docet, littus arat; ergo qui insanum docet littus proscindit aratro.* Huc etiam in modum enunciatur sophisma.

Amphibologiæ fallacia quid. Causa apparentiæ. Causa deceptionis.

Quisquis arat littus, terram proscindit aratro.
At operam perdens, littus perhibetur arare ergo,
Operam perdens, terram proscindit aratro.

Tertiò tandem hæc deceptio fit, quando una Oratio ex se sensum unitum habet, sed per appositionem alterius vocabuli, aliud quipiam significat, ut in hac propositione videre licet. *Hoc intelligit*, nam si particulam *hoc* sumatur in nominativo, hunc sensum reddit, nimirum ut sit aliquod intelligens, si verò in accusativo reddit hunc alium, nempe quod sit aliquod obiectum intellectum, *Quicquid intellectus intelligit, hoc intelligit; sed intellectus intelligit lapidem; ergo lapis intelligit.* Hæc tamen deceptio est, propterea quòd ut maior propositio sit vera, particula *hoc* sumi debet in accusativo casu, at in conclusione sumitur tanquam nominativum. Oritur igitur deceptio ex eo quòd maior propositio bifariam accipitur. Vel enim sensus redditur, quod intellectus intelligit, hoc ipsum ab intellectu intelligitur, & vera est, atque concedenda propositio: vel sensus redditur, quod intelligitur ab intellectu, illud ipsum intelligere; & hoc modo falsa est propositio, atque adeo neganda.

De Compositionis, Diuisionisque fallacia.

COmpositionis, diuisionisque fallacia sequitur consideranda. Deceptio compositionis est locus idoneus ad fallendum ratione sensûs compositi falsi. At verò deceptio diuisionis locus est aptus ad fallendum ratione sensûs diuisi falsi. Fallacia igitur Compositionis, & Diuisionis in eas cadit propositiones, quæ possunt sensum compositum & diuisum admittere, itaut secundum unum sensum sint veræ, secundum alterum sint falsæ; nam si secundùm utrumque sensum veræ essent, vel falsæ, decipere profectò non possent, quandoquidem, vel non haberent falsitatem, vel non haberent apparentiam; quamobrem ad hanc fallaciam compositio requisita eorum est, quæ deberent seiungi, falsa unio; Diuisio autem est eorum, quæ deberent coniungi, falsa separatio. Fallacia compositionis euenit cum ex oratione vera in sensu diuiso deducitur conclusio falsa in sensu composito: at verò fallacia diuisionis contingit cum ex oratione vera in sensu composito falsitas infertur in sensu diuiso. Causa apparentiæ est, quòd materialis eadem est propositio, ut idcirco vera in quolibet sensu videatur; sed causa deceptionis est multiplicitas sensuum, quorum unus est verus, alter autem falsus. Tria porrò sunt genera sensûs compositi, & diuisi, ad quæ alia si quæ sunt, nullo ferè labore poterunt reuocari; Primum est in modalibus enunciationibus: Secundum in orationibus, quarum partes iunguntur coniunctionibus, *&*, *aut*, *vel*: Tertium in ijs, in quibus aliqua dictio cum diuersis vocibus connecti potest.

Trifariam ergo contingit propositionem aliquam commemoratos sensus admittere. Primò, vel quia modalis est, de quibus in Institutionibus dialecticis copiosè locuti sumus, declarantes modum explicandi modales in sensu composito, & diuiso, quæ ad memoriam paucis reuocabimus. In modalibus duplici ex parte sensus compositus, & diuisus adinuenitur videlicet ex parte dicti, & ex parte modi. Sensus compositus ex parte dicti, est cum copula dicti connectit formalia extremorum significata: diuisus quando significatum formale prædicati nectit cum materiali significato subiecti, ut cùm dicimus *possibile est sedentem ambulare*, si dictiones *sedentem*, & *ambulare* secundum

Digitized by Google

dum formalia significata iungantur, adeout enunciationis reddatur sensus; *Fieri potest, ut sedens, cum sedet, ambulet*, sensus compositus est, ac falsus. At si prædicatum, quod semper formaliter accipitur cum materiali significato subiecti iungatur (subiectum materialiter dicitur acceptum, quando sumitur secundum se, ut homo sedens, si sumatur prout homo importatur, at vero formaliter, si accipiatur ut sedens) adeout enunciationis sententia sit, *fieri potest, ut homo, qui sedet, aliquando ambulet*, sensus diuisus, & verus erit. Sensus autem compositus huius generis sequentem habebit explicationem. Sit propositio, *Possibile est sedentem ambulare*; licet sic illam interpretari, ut eius reddatur sensus, hæc propositio est possibilis *sedens ambudat*. At verò sensus erit diuisus tali modo, nimirum ut huius propositionis, *possibile est sedentem ambulare* sensus reddatur, *Sedens ambulare potest*. Sensus compositus ex parte modi est, quando modus simul, semelque iungitur cum omnibus dictis, quibus uniuersale dictum exponitur, ut si hæc fuerit propositio, *Contingens est corpus aliquod moueri*, hunc in modum exponenda est, *Contingens est corpus hoc moueri, aut illud corpus moueri, aut illud moueri &c.* erit autem sensus compositus, eoquòd cum omnibus simul exponentibus semel tantummodo coniungitur modus. Diuisus autem erit, quando modus singulatim cum dictis adiungitur singulis, quibus uniuersale dictum exponitur. Vt si sit eadem propositio. *Contingens est corpus aliquod moueri*; & exponatur hâc ratione. *Contingens est hoc corpus moueri; aut cõtingens est illud corpus moueri; aut contingens est illud moueri, &c.* sensus diuisus erit, propterea quòd singulis exponentibus seorsum adiungitur modus. Iuxta priorem sensum propositio est falsa; iuxtà posteriorem vera. Erat enim propositio. *Contingens est aliquod corpus moueri*, & iuxta priorem expositionem reddebatur sensus. *Contingens est hoc corpus moueri, aut illud corpus moueri, aut illud &c.* eratque sensus compositus; propositio tamen est falsa, cùm enim aliquod corpus necessariò moueatur, ut unum, vel alterum è corporibus cælestibus, fit ut hæc disiunctio: *Hoc corpus moueri, aut illud corpus moueri &c.* necessaria sit, non autem contingens. At ex aduerso, quoniam aliquod corpus non necessariò, sed contingenter mouetur, cuiusmodi innumera penè sunt in hac uniuersitate rerum; fit ut vera sit hęc propositio. *Contingens est hoc corpus moueri, aut contingens est hoc corpus moueria, ut contingens est moueri illud &c.* videlicet iuxta posteriorem expositionem; hoc enim modo non affirmatur disiunctionem uniuersam esse contingentem, sed solùm aliquam eius partem, quod certè negari non potest.

In huiusmodi autem propositionibus primò committi potest fallacia compositionis & diuisionis, & quidem compositionis hoc modo. *Quemcunque possibile est ambulare, possibile est, ut ambulet; at sedentem possibile est ambulare; ergo possibile est ut sedens ambulet.* Vel hoc modo. *Quicquid possibile est esse albũ, possibile est, ut sit album: sed possibile est nigrum esse album; ergo possibile est nigrum, ut sit album.* Paralogismus procedit à præmissis veris in sensu diuiso, ad conclusionem falsam in sensu composito. Hęc ad primum genus sensûs compositi pertinent. Ex posteriori genere sensûs compositi hoc modo. *Si contingens est aliquod corpus moueri, falsum esse potest, quòd Sol moueatur: sed contingens est aliquod corpus moueri; falsum ergo esse potest, quòd Sol moueatur.* Maior est vera in sensu composito, sed falsa in diuiso; at minor est vera in sensu diuiso, & falsa in composito; unde proximè colligitur falsa conclusio. Deinde committitur etiam diuisionis fallacia sic ratiocinando. *Quemcunque impossibile est ambulare, impossibile est, ut ambulet; sed impossibile est sedentem ambulare; ergo impossibile est, ut sedens ambulet*: procedit à maiori vera in sensu diuiso, falsa in composito, minori autem vera in sensu composito, falsa indiuiso; unde falsa conclusio; Vel hoc modo. *Impossibile est sedentem ambulare; sed Socrates sedet; ergo impossibile est Socratem ambulare*, fallax est argumentatio, quia procedit à maiori vera in sensu composito, ad conclusionem falsam in sensu diuiso. Hæc igitur de qua nunc loquimur fallacia fit. Ex priori genere sensûs diuisi hoc modo. *Quemcunque impossibile est ambulare, is sanè ambulare non potest; at impossibile est sedentem ambulare; ergo sedens ambulare non potest.* Maior vera est in sensu diuiso, falsa in composito; minor autem vera est in composito, falsa in diuiso, unde falsa conclusio. Ex posteriori genere sensûs diuisi, hoc pacto. *Si ad videndum, necessarium est alterum habere oculum, aut dexter est necessarius, aut sinister; constat autem ad videndum, necessarium esse alterum habere oculum; ergo aut dexter est necessarius aut sinister*; hoc tamen falsum, cum neque dexter, neque sinister sit necessarius, sed alteruter indiscriminatim: Maior est vera in sensu diuiso, falsa in composito; minor est falsa in sensu diuiso, quanuis vera sit in sensu composito &c.

Secundò potest aliqua propositio hos admittere sensus, nempe *compositum*, & *diuisum*, quando partes ipsius copulantur sequentibus coniunctionibus, atque particulis, *&, vel, nec, aut, &c.* Hæ autem particulæ, si extremum unum, vel alterum enunciationis determinant, coniunctim, vel disiunctim sumuntur, & unam efficiunt enunciationem categoricam de subiecto, vel prædicato composito; idcirco compositum sensum efficiunt, mox explicandum; ut si dicas *quinque sunt duo, & tria. Omnis enunciatio vera, est vel conformis vel difformis obiecto; omne animal rationale, vel irrationale est homo.* In prima enunciatione coniunctio *&*, dicitur accipi *copulatim*; in reliquis autem coniunctio *vel*, disiunctim. Dictio *&*, dum sumitur *copulatim* facit sensum compositum verum; nam sensus est superioris enunciationis, quòd *duo, & tria simul sumpta faciunt quinque*. Secunda enunciatio, facit sensum compositum falsum, in ea siquidem dictio *vel*, sumitur disiunctim, & quoniam determinat prædicatum, reddit hunc sensum, *omnis enunciatio vera est, siue sit conformis, siue sit difformis obiecto*. Tertia enunciatio facit sensum compositum falsum, in ea siquidem dictio *vel*, sumitur disiunctim & quoniam determinat subiectum, reddit hunc sensum *Omne animal siue sit rationale, siue irrationale est homo*.

Secundas modus.

Hæc tamen intelligenda, quando in propositione alterutra extremorum pars, cum sibi respondente duntaxat extremo altero duorum, verè coniungitur, ut erant illæ propositiones *Omnis enunciatio vera, est conformis, vel difformis obiecto*. Item *Omne animal rationale, vel irrationale est homo*, non tamen si utraq; etsi disiunctiuè, coniungatur, ut *omnis enunciatio est vera, vel falsa*: dum enim coniunctio *vel*, disiunctim accipitur, sensus redditur compositus verus; omnis enim enunciatio re ipsâ, vel est vera, vel falsa. At si dictio eadem *vel*, disiunctiuè fuerit accepta, fit sensus diuisus falsus, ut *omnis enunciatio est vera*, vel *omnis enunciatio est falsa*. Pro diuerso igitur sensu, seu significatione particulæ *vel*, propositiones veræ, vel falsæ fiunt.

Aduerte da quædã.

At si prædictæ particulæ totam enunciationem determi-

terminant, atque plures coniungit enunciationes categoricas, tunc copulatiuè, vel disiunctiuè sumuntur, atque plures faciunt enunciationes, sensumque diuisum reddunt, ut si dicas; *Quinque sunt duo, & quinque sunt tria*; Item vel *omnis enunciatio vera est conformis obiecto*, vel *omnis enunciatio vera est difformis obiecto*; Item, vel *omne animal rationale est homo*, vel *omne animal irrationale est homo*.

In his enim dictio *&*, sumitur, copulatiuè, & dictio *vel*, disiunctiuè, fitque sensus diuisus falsus, redditur enim sensus, quòd tam *duo* est quinque, quàm *tria* est quinque, quod falsum est; sicuti etiam falsum quòd vel *omnis enunciatio sit vera, vel omnis enunciatio sit falsa*; & quòd *vel omne animal rationale sit homo, vel omne animal irrationale sit homo*. Paralogismi compositionis in hoc genere sic efficiuntur; *Quicunq; numerus componitur ex duobus & tribus, est duo, & tria; at quinque non sunt duo, & tria; ergo quinque non componuntur ex duobus, & tribus*. Maior est vera in sensu compositi prædicati, sed in hoc sensu falsa est minor, cuius sensum conclusio sequitur. Item *Quæcunque sunt duo, & tria, sunt paria & imparia; sed quinque sunt duo, & tria; ergo quinque sunt paria, & imparia*. Maior est vera in sensu diuiso, quemadmodum & minor vera in sensu composito; conclusio autem in hoc sensu est falsa, etsi vera in sensu diuiso. Amplius; *Si non omne animal est rationale, vel irrationale, non omne animal est homo, vel bestia; non est autem omne animal rationale vel irrationale* (cum nec omne sit rationale, nec omne irrationale ut constat) *ergo non omne animal est homo, vel bestia*. Hoc loco enunciatio illa; *Omne animal est rationale, vel irrationale*, vera est in sensu diuiso, falsa autem in composito; unde falsa conclusio deducitur. Paralogismi diuisionis hoc modo efformari solent. *Quæcunque sunt duo, & tria, sunt duo, & sunt tria; at verò quinque sunt duo, & tria; ergo quinque sunt duo, & quinq; sunt tria*. Maior est vera in sensu diuiso subiecti, sed in sensu composito est falsa; ut contra minor est vera in sensu composito, sed falsa in sensu diuiso, unde falsa conclusio. Præterea *Omnis enunciatio est vera, vel falsa; sed non omnis enunciatio est vera; ergo omnis est falsa*; maior propositio falsa est in sensu diuiso; hinc falsa conclusio.

Paralogismi compositionis in hoc genere, quomodo fiat.

Tertiò tandem aliqua propositio potest utrunque sensum admittere, quando dictio quædam, vel aduerbium cum diuersis vocibus coniungi potest; si nanque coniungatur cum illo, cum quo aptiùs videtur coniungi, fit sensus compositus; si cum illo, cum quo minus aptè videtur coniungi, fit sensus diuisus. Apta verò ista coniunctio penes id attendi debet, ut illa dictio, vel aduerbium, potius præcedat, quàm sequatur, & potius proximum, quàm remotum locum sibi vindicet; dictio igitur, quæ pluribus vocibus coniungi potest, iuncta cum ea, cum qua congruentiùs videtur iungi, facit sensum compositum, at verò iuncta cum ea, cum qua minùs aptè videtur iungi, sensum facit diuisum; ut sit propositio. *Quicquid viuit semper est*; Si dictio *semper* iungatur cum dictione *viuit*, facit sensum compositum, & quidem verum; si autem iungatur cum dictione *est*, sensum diuisum, & falsam propositionem facit. Similiter sit propositio. *Quicunque literas scit nunc didicit eas*; si dictio *nunc*, intelligatur iuncta cum dictione *scit*, fit sensus compositus verus, at si intelligatur iungi cum ditione *didicit*, fit sensus compositus falsus.

Tertius modus compositionis, & diuisionis.

Sed ut fallaciam compositionis, ac diuisionis paucis complectar, hæc ad extremum subijciam. Fallacia compositionis euenit, quando à sensu diuiso in antecedente, proceditur ad sensum compositum in consequente; seu quando ex præmissis veris in sensu diuiso, infertur conclusio falsa in sensu composito. *Vt quicquid possibile est esse album, possibile quoque est esse nigrum; sed nigrum possibile est esse album, (paries enim, qui est niger, potest albus esse) ergo possibile est nigrum esse album*. Soluitur dicendo fieri transitum à sensu diuiso ad compositum; nam præmissæ ut sint veræ, sumi debent in sensu diuiso; at conclusio sumitur in sensu composito. Item *quæcunque sunt duo & tria, illa sunt duo; sed quinque sunt duo, & tria; ergo quinque sunt duo*. Vnitas propositionis materialiter sumptæ est causa apparentiæ: multiplicitas sensuum est causa deceptionis. Fallacia diuisionis fit, quando à sensu composito verò in antecedenti proceditur ad sensum diuisum falsum in consequenti. Vt *Omne animal aut est rationale, aut irrationale; sed non omne animal est rationale; ergo omne animal est irrationale*. Maior in sensu diuiso est falsa, ut si diceretur, *aut omne animal est rationale, aut omne animal est irrationale* esset falsa; at per modum unius, & in sensu composito est vera; sed conclusio in superiori sophismate sumitur in sensu diuiso. Hoc modo se habet hæc etiam argumentatio *Apostoli sunt duodecim; sed Petrus, & Paulus sunt apostoli, ergo Petrus, & Paulus sunt duodecim*. Maior sumitur in sensu composito, & sic vera est; non in sensu diuiso; sed minor in sensu diuiso. Toties hæc igitur fallacia contingit, quoties, quod alicui conuenit coniunctim, ei tribuitur disiunctim. Soluitur autem dicendo maiorem esse veram in sensu composito, non diuiso; dodenarius enim numerus verè potest enunciari de Apostolis collectiuè, non distributiuè sumptis.

De Accentûs fallacia.

Syll quatu accid

Acce præſe gnific tione pens q Acce lam ſig ficatio accep quid

Fall accen quid

SYllabæ quatuor sunt accidentia, nempe *Tempus, Aspiratio, Numerus literarum, & Accentus*, penes tempus, aspirationem, & accentum potest fieri fallacia. Accentus præsâ significatione sumptus est modulatio vocis penes eleuationem, vel depressionem in diuersis eius partibus factam; at latâ quadam usurpatione non distinguitur à cæteris accidentibus, & est modus significativus proferendi, vel scribendi; dicitur *significativus* propter eleuationem, vel deprehensionem dictionum in cantu vel melodia, nam talis eleuatio & depressio nequit sibi accentûs rationem vendicare; dicitur *dictionem incomplexam*, propter compositionem, & diuisionem. Accentûs igitur fallacia est locus idoneus ad decipiendum propter varietatem accentûs, hoc est, ob alium, atque alium pronunciationis modum. Causa apparentiæ est in eo posita, ut sit eadem materialis dictio: at verò causa erroris, ac deceptionis est diuersitas significati illius dictionis, proueniens ex diuerso modo proferendi, vel scribendi. Est igitur deceptio orta ex eo, quòd aliqua dictio ob diuersitatem accentûs accepti sensu iam explicato diuersa significat. Variæ eius perhibentur species, hæ tamen sunt præcipuæ. Prima contingit ex eo, quòd una syllaba breuis mutatur in longam, & viciſſim; itaque nomen accentûs accipitur pro quantitate syllabarum, ut si dicas; *populus habet ramos, & est arbor; sed multitudo ciuium est populus; ergo multitudo ciuium habet ramos, & est arbor*. Committitur tamen paralogismus, quoniam populus in maior habet primam longam, & idcirco significat speciem quandam arboris, sed in minori primam habet breuem, ideoque significat gentem, ac ob id diuersa significat; non dissimilis huic est hic alius. *Malum est fugiendum; sed pomum est malum, ergo*

pomum

Digitized by Google

ponum est fugiendum. Hic syllogismus nihil concludit, nam malum in maiori habet primam breuem, & ideo significat id, quod opponitur bono; sed in minori primam habet longam, & significat fructum arboris. Huc etiam spectat Captio. *Quicquid edis deuoras; sed librum edis, ideſt in lucem emittis; ergo librum deuoras;* Deceptio oritur ex dictione *edis*, quæ varia significat, nam in maiori habet primam breuem, & ideo significat manducare &c. Secunda species euenit, cum accentus nomen sumitur pro acuto, graui, aut circumflexo, quâ significatione præsertim usurpari solet, fitque hunc in modum sophisma. Qui leporem venatur, plurima lustrat loca; sed tu domi sedens inter confabulandum leporem venaris; ergo tu domi sedens plurima lustras loca. Hic peccatur, quoniam vox *leporem* priori loco habet accentum in antepenultima, posteriori in penultima. Tertia species complectitur diuersitatem aspirationis hoc modo; *Nulli omini est adhibenda fides; sed alicui homini credendum est; ergo alicui credendum est, cui non est adhibenda fides*. Huc pertinent versus illi celebres ex Crucifixi ore in ingratam animam.

Hoc homo, te quod amo, monstro tibi fixus ab hamo,
Heu quod amo, nec amor & amans non hamo, sed hamor
Pro quo sic hamor te meus hamet amor.

Hic fit peccatum in dictione *omini*, nam priori loco sine aspiratione profertur, posteriori autem cum aspiratione. Huc pertinet illud etiam sophisma. Omnis ara est in templo; sed porcorum stabulum est hara, ergo porcorum stabulum est in templo. Vitium est in dictione *ara*, quæ priori loco profertur sine aspiratione, atque adeo significat *altare*; posteriori autem cum aspiratione, & significat stabulum prædictum. Quarta species est penes diphthongum, & fit sophisma hoc modo. Omnes equi sunt hinnibiles; sed omnes sancti sunt æqui; ergo omnes Sancti sunt hinnibiles; Peccatur in eo quòd equi in maiori profertur sine diphthongo & equus significat animal hinnibile; at si cum diphthongo scribatur æquum, significat iustum. Quinta species complectitur diuersitatem proferendi syllabas alicuius dictionis, modo coniunctim sub uno accentu, modo separatim sub diuersis accentibus, & hunc fit in modum Sophisma; Omnis via proteritur iumentorum pedibus; sed omnis via res quædam est publica; ergo omnis respublica proteritur iumentorum pedibus. Vitium in eo est, quòd dictio *respublica*, non semper eodem modo profertur. Sexta species esse posset, quæ diuersitatem pronunciationis hironicè, ac seuerè, interrogatoriè, & assertoriè, & aliarum similium, à quibus libenter abstineo, ne præsens Sectio in immensum excrescat.

Secunda species.

tia.

ta;

inta;

ta]

De Fallacia figuræ dictionis.

allacia figuræ dictionis quid.

PRimò aduertendum hoc loco dictionem non sum, pressâ significatione, sed laxâ pro omni signo ad placitum instituto, siue sit dictio simplex; siue oratio; aduertendum insuper fallaciam figuræ dictionis non esse aliud, quàm similitudinem unius dictionis cum alia, quanuis materiâ differant. Hæc autem captio est locus idoneus ad decipiendum propter apparentem similitudinem dictionum, vel in voce & desinentia, vel in significato, vel in modo significandi, vel in aliquo alio, cum tamen re verâ differant. Causa apparentiæ est similitudo dictionis cum dictione, propter quam creditur, quòd illæ dictiones in significato, vel in modo significandi, vel in aliqua proprietate conueniant. Causa deceptionis est dissimilitudo significatorum, vel consignificationum illarum dictionum; ut supra dicebam. Oritur igitur ex figura seu similitudine dictionis simplicis, vel compositæ cum alia, propter quam similitudinem videtur ei tribuendum aliquid, quod reuerâ tribuendum non est; ut si deducatur Poetæ nomen esse generis fœminini, quoniam alia vocabula eiusdem terminationis, ac declinationis sunt fœminini generis. Multę sunt species. Prima contingit si quis crederet omnes dictiones in voce, vel desinentia similes eiusdem esse generis, vel masculini, vel fœminini, vel neutri, adeo ut hęc captio eueniat, cum, diuersis vocabulis, quoniã similia sunt, eadem affectio grammatica tribuitur; ut si quis existimaret *pontem*, & *fontem* esse fœminini generis, eo quòd videat frontem generis esse fœminini; sic etiam *Abeo* verbum esse secundę coniugationis, quoniam *Habeo*, eodem desinit modo, & secundæ coniugationis est. Præterea vocem *animal* masculini generis esse, propterea quod frequenter usurpatur ad significandum id, quod significatur per vocem *homo*, quæ masculini generis est, fit autem sophisma hunc in modum. Quidam homo est albus; omnis homo est animal; ergo quoddam animal est album. Item omnis substantia est bona, poeta est substantia; ergo poeta est bona. Cum enim tam substantia, quàm poeta desinant in *a* posset suspicari quispiam eiusdem esse generis fœminini. Idem potest in verbis contingere, sed hæc insulsa deceptio est.

Prima species.

Secunda species contingit quando sub termino distributiuo unius prædicamenti, subsumitur terminus alterius prædicamenti, vel sub termino distributiuo speciei unius prædicamenti, subsumitur terminus alterius speciei spectantis ad idem prædicamentum. Sed in horum gratiam aduertendum occurrit, ut diuersæ interrogationes diuersis prædicamentis conueniunt, sic illis diuersa distributiua competere. Vt si de Socrate fiat interrogatio ad substantiam, & quidditatem pertinens, interrogatio fieri debet per *quid*, dicendo quid est Socrates? afferriquc debet responsio per proprium genus, & propriam differentiam, dicendo esse animal rationis particeps. At si interrogatio ad magnitudinem pertineat ea fieri non debet per *quid*, cum hęc sit prędicamenti substantię propria, sed per quantum videlicet, quantus est Socrates, & responderi debet per *tantus* terminum, quo quantitas exprimitur continua non discreta, *quot* enim est interrogatio spectans ad quantitatem discretam, *quale* ad qualitatem, *quando* ad prædicamentum *Quando*, *Vbi* ad prædicamentum itidem ipsius Vbi; & ita de reliquis; prout igitur interrogationes fiunt respondere per terminos consentaneos, oportet. Vt autem diuersæ interrogationes, diuersis conueniunt prædicamentis: ita etiam diuersa illis distributiua sunt accommodata, propterea quòd Substantiæ distributivum est *quicquid*, *quilibet*; Quantitatis verò continuæ est *quantumcunque*, Quantitatis discretæ, *quotcunque*, Qualitatis, *qualecunque*; prædicamenti Vbi, *Vbicunque*; prædicamenti Quando, *quandocunque*, & ita suo modo de reliquis. Ab aliis autem fuit iam adnotatum, quod silentio prætereundum non est, nempe signum *quicquid*, non solum esse distributivum substantiæ, sed cuiuslibet absoluti, accidens quantumuis illud sit, eo quòd respondeat interrogationi factæ per *quid*, quæ pariter de accidentibus absolutis, & sine ordine ad subiecta fieri potest, cum non minus accidentium, quàm substantiarum quidditates venari debeamus. His præhabitis, nullius certè laboris erit figuræ dictionis fallaciam explicare, siquidem hæc tunc planè contingit, quando sub alicu-

Secunda species.

Causa apparentiæ.

Causa deceptionis.

Digitized by Google

jus prædicamenti distributiuo subsumitur terminus alterius prædicamenti, vel sub distributiuo unius speciei subsumitur terminus alterius speciei spectantis ad idem prædicamentum. Deceptionis autem causa dictionum illarum est similitudo, hæc enim cuique persuasum reddit argumentationem in illis terminis optimè quidem institui posse; quæ sic accuratiùs explicantur, quàm dicendo fallaciam, de qua loquimur, committi, cum unius prædicamenti nomen pro altero prædicamento sumitur. At verò Sophista, ut exemplo satis trito, vulgatoque rem explicemus, hunc argumentatur in modum. *Quicquid emisti, comedisti; sed carnem crudam emisti; ergo carnem crudam comedisti.* Similiter. Quotiescunque fuisti Romæ, fuisti homo; sed bis fuisti Romæ; ergo bis fuisti homo. Primus paralogismus contingit, quoniam *quicquid* est distributivum substantiæ; quod autem subsumitur, nempe *carnem crudam* est terminus complectens terminum unum, qui significat rem per modum substantiæ, nempe *carnem* & alterum per modum qualitatis, puta *crudam*. Neganda est igitur consequentia, quoniam sub termino distributiuo substantiæ, subsumitur terminus qualitatis. Secundus accidit paralogismus, quia sub termino prædicamenti *Quando*, nempe *quotiescunque* subsumitur *bis*, qui terminus est ad quantitatem pertinens. Aduertendum tamen terminum *quotiescunque* aliquando esse distributivum prædicamenti *Quando* valens idem, ac quandocunque; aliquando verò esse distributivum quantitatis discretæ, significantem temporis interruptionem; sed tunc nullus foret paralogismus; maior tamen falsa esset propositio. Item, Quantoscunque digitos heri habuisti, hodie habes; sed decem digitos heri habuisti; ergo decem digitos hodie habes, quod esset falsum, suppósito unius digiti amissione; fallacia porrò est, quoniam in maiori fit sermo de mole, & continua digitorum quantitate; in minori verò de numero ipsorum, atque adeo de quantitate discreta, proinde sub termino distributiuo unius prædicamenti, subsumitur terminus eiusdem prædicamenti, sed alterius speciei; neganda est igitur consequentia, quoniam sub termino quantitatis continuæ subsumitur terminus quantitatis discretæ. Huc etiam pertinet fallacia illa. Quicquid Deus facit mediis secundis causis, potest etiam se solo facere; sed Deus cum causis secundis facit actum meritorium; ergo facere Deus de solo potest actum meritorium, quod à veritate penitus est alienum, quia Deus non meretur, cum nulla sit lex, cui debeat conformari. Neganda est consequentia, quia fit transitus à distributiuo prædicamenti substantiæ ad terminum de prædicamento relationis, cuiusmodi est terminus ille *meritorius*. Item, Qualecunque currit, disputat; sed Socrates currit; ergo Socrates disputat. Neganda est consequentia, nam fit transitus à termino qualitatis, nempe *qualecunque*, ad terminum substantiæ, qualis est *Socrates*; deberet enim subsumi terminus qualitatis, puta calidum, vel album, &c. Præterea; quandocunque est pater, est filius, sed Sophroniscus est pater; ergo est filius. Neganda est consequentia; fit enim transitus à termino prædicamenti *Quando*, cuiusmodi est terminus *quandocunque* ad terminum substantiæ ut est terminus Sophroniscus, deberet enim subsumi, hoc tempore est pater; tunc liceret inferre; ergo hoc tempore est filius.

Exempla ad tem il lustrandã.

Tertia species.

Tertia huius fallaciæ species, habetur quandocunque fit suppositionis mutatio, quæ trifariam contingit. Primò, quando suppositionis genus variatur; arguendo nimirum à simplici ad personalem, & contra. Vt nullus homo est species; Socrates est homo; ergo Socrates est species; neganda est consequentia, nam terminus *homo* in maiori supponit simpliciter, in minori personaliter. Eodem vitio laborat hic alter syllogismus. Socrates est aliud ab homine, sed Socrates est homo; ergo homo est alius ab homine. Secundò contingit hæc eadem fallacia quando arguitur à suppositione confusa tantum ad terminatam, vel discretam confusionis eodem signo manente, ut omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc animal, mala est consequentia, nam terminus *animal* in antecedente supponit confusè, in consequenti determinatè. Tertiò committitur hæc eadem fallacia arguendo à pluribus determinatis ad unam determinatam, nempe quando in antecedenti communis terminus determinatè supponit comparatione partium totius in quantitate, cuiusmodi sunt inferiora termini communis; in consequenti verò determinatè supponit respectu totius in quantitate, quod est communis terminus cum signo uniuersali, ut animal est Plato, animal est Socrates; ergo animal est omnis homo; illatio mala est, nam terminus *animal* in antecedenti supponit pro uno determinato, in consequenti pro pluribus determinatis supponit.

Primus modus.

Secundus.

Tertius.

De Fallacijs extra dictionem.

Tractationis ordo.

CVm hucusque disputatum fuerit de fallacijs in dictione, quas apparentiæ causam ex parte dictionis sumere dicebamus; reliquum est, ut de fallacijs extra dictionem, quæ sumunt apparentiæ causam ex parte rei significatæ, vel quæ possunt fieri per conceptus ultimatos naturaliter significantes, disseramus. Hæ porrò sunt numero septem, ut suo loco monuimus, è quibus primò quidem occurrit Accidentis Fallacia, pro cuius declaratione silentio præterire non licet in huiusmodi fallacia, quæ accidentis dicitur, accidens non usurpari, prout à substantia distinguitur, nec prout est unum è quinque prædicabilibus, sed pro medio syllogismi, medium enim dicitur accidens, non quia perpetuò sit quintum prædicabile; sed quoniam extraneum est, quatenus est ex parte idem & ex parte diuersum ab alio termino, cui coniungitur, & de quo prædicatur. Hinc tam superiora comparatione inferiorum, quàm inferiora respectu superiorum accidentia dicuntur, quoniam adæquatè idem dici non possunt; itaque in fallacia accidentis tria sunt primum est medium, quod dicitur accidens, quia aliquando in syllogismo dicitur accidere, nempe prædicari de aliquo extremorum: secundum est res subiecta, quæ est minus extremum: tertium est attributum, quod est maius extremum, quod attributum dicitur eoquòd attribuitur extremo, de quo in conclusione prædicatur.

Fallacia extra dictionem numero prima.

Prima species est Accidentis fallacia.

De Fallacia Accidentis.

FAllacia igitur accidentis est locus idoneus ad decipiendum, quoniam propter coniunctionem extremorum cum medio in præmissis creditur extrema illa in conclusione coniungi; ut ob id hæc fallacia dici debeat deceptio, quæ proueniat ex inadæquata, & partiali identitate accidentis, seu medij cum re subiecta. Vel prouenit ex eo quòd propter diuisionem extremorum, vel alicuius extremi cum medio, creduntur illa extrema diuidi inter se in conclusione. Causa apparentiæ in paralogismis huius fallaciæ affirmatiuis est unio extremorum cum medio; in præmissis indebitè ordinatis; sed causa defectùs est separatio illorum extre-

Fallacia accidentis quid.

Causa apparentiæ.

extremorum inter se; At in paralogismis negatiuis, Causa apparentiæ est separatio extremorum cum medio in præmissis indebitè ordinatis. Sed Causa defectus est unio illorum extremorum inter se, vel cum aliquo tertio; Aut breuiùs hoc modo. Identitas supra commemorata, scilicet inadæquata, est causa apparentiæ in paralogismis huius fallaciæ affirmatiuis; diuersitas est causa erroris, ac deceptionis. Hæc autem fallacia contingit, ut mox explicabitur, quando maior infertur identitas extremorum inter se in conclusione, quàm fuerit in præmissis cum medio.

Sed ut hæc rectiùs intelligantur iuvabit aduertere quadrifariam aliqua unum dici posse. Primò ea dicuntur unum, quæ unum prorsus significant, quamuis sub nominibus, aut modis diuersis, quo pacto duo synonima dicuntur unum, ut *ensis*, & *gladius*; similiter definitum, & eius definitio, ut *homo*, & *animal rationale*, illa tamen in voce differunt, hæc verò in significandi modo; cum definitum confusè dicat, quod definitio clarè, & apertè explicat. Alio modo ea unum dicuntur, quæ cum non eandem naturam significent, unum tamen ad alterius essentiam pertinet, ut genus, vel differentia idem sunt cum specie, & species cum indiuiduo. Tertiò alia dicuntur unum minori unitate, quorum unum est alterius proprium, ut *homo*, & *risibile*, non tamen risibile ad hominis essentiam pertinet, adeout illam intrinsecùs ingrediatur. Tandem alia dicuntur unum, eâ ratione quatenus eorum unum claudit alterum, tanquam accidens, ut homo, & album. Hæc porrò quantumuis unum essè dicantur, non ita tamen ut inter ea discriminis nihil intersit; nec ita diuersa sunt, ut etiam aliquo modo unum dici non possint.

Fallacia igitur hæc fit, quoties tribuimus uni omnia, quæ tribuimus alteri, quæ tamen non illi, qua parte cum altero unum est, conueniunt, extimantes ob identitatem, & unitatem id licere. Prima huius fallaciæ species contingit, quando velimus extrema in conclusione mutuo coniungi, propter connexionem, quam in præmissis habuerunt cum medio. Itaque fiunt hi paralogismi. *Animal est homo; asinus est animal; ergo asinus est homo.* Illatio tamen neganda, quoniam argumentatio fit ex puris particularibus affirmatiuis. Item *omnis homo est animal; omnis asinus est animal; ergo omnis asinus est homo.* Neganda est consequentia, quia arguitur ex puris affirmatiuis in secunda figura. Contingit præsertim ut suprà dicebatur, quando maior identitas infertur in conclusione, quàm fuerit in præmissis; *Vt essentia diuina est pater; filius est essentia diuina; ergo filius est pater*; quæ siquidem eadem sunt uni tertio, sunt eadem inter se; per hunc paralogismum, maior identitas in conclusione quàm assumpta fuerit in præmissis, infertur; nam in præmissis erat sermo de identitate in essentia, quæ si colligeretur in conclusione nihil esset, nam filius reuerà, est idem essentialiter cum patre; sed concluditur identitas personalis, quæ maior est, quàm identitas essentialis. Fiffatum autem illud explicandum, eo sensu, ut eâdem identitate, qua in tertio conueniunt, sint etiã eadem inter se, & reuerà pater, & filius sunt eadem inter se, eâ ratione, qua sunt eadem in diuina natura; in hac sunt eadem essentialiter, idcirco sunt eadem essentialiter inter se.

Secunda species est, quando ex non identitate, seu ex diuersitate extremorum cum medio in præmissis arguimus non identitatem, seu diuersitatem eorundem in conclusione, ut cum arguitur ex puris negatiuis hoc modo. *Nullus homo est asinus; nullum rudibile est homo; ergo nullum rudibile est asinus.* Item *nullum animal est lapis; nullus homo est lapis; ergo nullus homo est animal.*

Tertia species euenit quando ex aliquibus diuisim acceptis in præmissis deducitur eorundem indebita coniunctio in conclusione; vel quando ex aliquibus coniunctim sumptis in præmissis eorundem infertur in debita diuisio in conclusione. Seu contingit hæc fallacia ex eo, quòd aliqua extrema diuisim coniunguntur in præmissis cum aliquo medio, propterea creditur ipsa de eodem tertio coniunctim in conclusione prædicari, verbo dicam, fit, quando arguitur à diuisis ad coniuncta indebitè, vel à coniunctis ad indebitè diuisa; itaque Sophista sic argumentatur. *Socrates est albus, & est monachus; ergo est albus monachus; Iste canis est pater, & est tuus; ergo est pater tuus;* Horum autem paralogismorum solutio ex paulo infra dicendis apertè constabit; quoniam autem dicebatur ad hanc fallaciam requiri indebitam coniunctionem, vel diuisionem; explicandum quid utraque sit, nam alioquin à diuisis ad coniuncta, & vicissim optima fit illatio; ut si dicas *hic est animal, & est rationale; ergo est animal rationale.*

In horum igitur gratiam aduertendum, aliqua prædicata dici posse diuisa bifariam. Primò, negatiuè, quatenus per coniunctionem coniuncta non sunt, ut *homo albus; vel homo musicus* &c. Et sic in præsentia non sumuntur. Secundò per intercedentem coniunctionem inter ipsa, ut *Socrates est homo, & albus*, vel *Socrates est homo, & musicus*, & hunc in modum in præsentia sumuntur. Deinde aduertendum, quod ab alijs itidem obseruatum fuit, videlicet arguere à diuisis ad coniuncta, nil aliud esse, quàm arguere ab antecedente, in quo duo prædicata ponuntur intermediâ particulâ coniunctiua *&*, ad consequens, in quo prædicata sine omni coniunctione reperiuntur, ut *Socrates est homo, & est albus; ergo est homo albus.* Vt autem hæc sit bona consequentia tribus opus est conditionibus. *Prima* ut prædicata diuisa se habeant tanquam determinabile, & determinatio, siue ut substantivum, & adiectivum, quemadmodum se habet *animal* comparatione *rationalis, risibilis, albi, grammatici*, &c. Idcirco non sequitur; *Socrates est monachus, & est albus; ergo est monachus albus*; nam *albedo* non est determinatio illius prædicati *monachi*. Item non sequitur *Socrates est ambulans; & est musicus; ergo Socrates est ambulans musicus. Secunda* conditio est ut determinatio non capiatur æquiuocè, seu non fiat appellationis variatio, atque significatum varietur; idcirco non sequitur *iste canis est pater & est tuus; ergo est pater tuus*; nam *tuus* in antecedenti appellat *te*, tanquam possessorem canis, habitudinemque possessionis denotat, & in consequente appellat *te*, tanquam productum à cane, atque adeo denotat habitudinem effectûs ad suam causam efficientem. *Tertia* ut non fiat negatio, nec oratio impropria; idcirco non sequitur *Socrates est homo, & animal; ergo est homo animal.* Sicut autem est negatio dicendo *animal homo*, ita *homo animal*, quod cognoscitur loco terminorum substituendo definitiones; ex his enim apertè colligetur negatio.

A coniunctis autem ad diuisa, valet consequentia, sed in huius gratiam aduerte aliqua dici posse conjuncta bifariam. *Primò* positiuè, quatenus aliquâ coniunguntur intermedia coniunctione, ut *Socrates est albus, & musicus*. *Secundò* negatiuè, quatenus inter ipsa nulla copula, vel coniunctio intercedit, quin potius unum immediatè additur alteri per modum determinationis, & determinabilis, ut si dicas

Tertia huius fallaciæ species.

Notanda quædam.

A diuisis ad coniuncta.

A coniunctis ad diuisa.

homo albus; hoc autem modo coniuncta sumuntur in præsentiâ, itaut arguere à coniunctis ad diuisa sit arguere ab antecedente, in quo ponuntur plura prædicata sine conitunctione; ad consequens, in quo cum coniunctione ponuntur; ut si quis arguat: *Socrates est homo albus; ergo Socrates est homo, & est albus*; ut autem hæc consecutio sit bona, tres conditiones requiri solent. *Prima* ut non sit repugnantia in adiecto, seu ut determinatio non sit alienans suum determinabile, neque repugnas, neque diminuens, vel distrahens; idcirco non sequitur. *Socrates est homo mortuus; ergo est homo, & est mortuus*: sumpto termino *mortuus* pro eo quod est esse vitâ priuatum. *Secunda* conditio, ut talis determinatio non sit ampliatiua; idcirco non sequitur *chymera est ens impossibile; ergo chymera est ens, & est impossibilis*. *Tertia* ut unum prædicatum ex se & simpliciter conueniat subiecto, & non varietur appellatio; ita non valet, *hic est monachus albus; ergo est monachus & albus*, quoniam albedo illi conuenit ratione habitus. *Socrates est bonus Philosophus; ergo est bonus, & Philosophus*, nam bonitas illi competit ratione scientiæ. Item *essentia diuina est pater generans; ergo est pater & est generans*; nam generare de illa dicitur ratione paternitatis. Addi etiam consueuit conditio, ut nullus terminus sit æquiuocus; & ideo non valet *hoc est canis latrabilis; ergo hoc est canis, & est latrabile*; aliæ etiam addi solent, quæ studio breuitatis omitto. His omnibus igitur modis accidentis fallacia committitur.

Quædam alia circa fallaciam hanc obseruantur.

Sed quoniam ea, de qua fit sermo, fallacia est omnium deterrima, velut illa, quâ non modo rudes, sed etiam sapientes capiuntur, idcirco præstat in eius considerationem paulo diligentius incumbere. Hæc fallacia, ut nuper dicebatur, ex subiecti, & accidentis oritur diuersitate, quam dum quis non aduertit, facilè sibi persuadet, quicquid conuenit, aut non conuenit accidenti, (hoc iuxta superiorem explicationem accepto) congruere, vel non congruere subiecto; aut ex aduerso quicquid conuenit, vel non conuenit subiecto conuenire, vel non conuenire accidenti; hinc tria sophismatum genera. *Primum*, cum quicquid conuenit essentiali prædicato creditur conuenire, aut non conuenire subiecto, & viciſſim. *Secundum* cum quicquid conuenit, aut non conuenit accidenti proprio, existimatur congruere, aut non congruere subiecto, & viceuersa. *Tertium*, cum quicquid conuenit, aut non conuenit accidenti communi, putatur conuenire, aut non conuenire subiecto. In quolibet horum trium generum octo colligendi formas recognoscunt artifices; sic enim disputant. Aut id, quod affirmatur de prædicato, creditur etiam affirmandum de subiecto, aut quod negatur de prædicato, iudicatur etiam de subiecto negandum, & ita duæ consurgunt formæ, quibus conuerso ordine dispositis initio nempe facto à subiecto, duæ aliæ nascentur formæ, adeout sub hoc modo quatuor formæ contineantur; postea verò vel de quocunque affirmatur prædicatum existimatur affirmandum subiectum, vel de quocunque negatur prædicatum putatur negandum esse subiectum; & aliæ duæ formæ à prioribus diuersæ prodeunt, quibus conuerso ordine dispositis, ut prius, initio facto à subiecto, aliæ duæ quidem emergunt, proindeque octo sint numero species, quarum exempla sunt, quæ sequuntur; ex his enim primum ad primum, secundum ad secundam, & ita deinceps pertinebit. Primum erit huiusmodi; *Animal est genus; homo est animal; ergo homo est genus*. Secundum, *animal non est species atoma; homo est animal, ergo homo non est species atoma*. Tertium, *homo est species atoma; homo est animal, ergo animal est species atoma*. Quartum; *homo non est genus; homo est animal; ergo animal non est genus*. Quintum; *homo est animal; canis est animal: ergo canis est homo*. Sextum, *admirativum esse est hominis proprietas; homo non est hominis proprietas; ergo homo non est admirativus*. Septimum, *Animal est genus; album est animal; ergo album est genus*. Octavum, *homo est animal; canis non est homo; ergo canis non est animal*. Deceptionis causa in eo est, quoniam accidens, & subiectum non accipiuntur quâ ratione sunt idem; sed prout diuersa; ut cum sic arguitur. *Animal est genus; sed homo est animal; ergo homo est genus*. Non sumitur in maiori propositione nomen *animalis pro animali*, qua ratione est idem cum homine, sed prout mentis abstractione ab homine, bestiaque seiungitur; hinc enim est ut, quod affirmatur de animali, nequeat de homine concludi.

De Fallacia à secundum quid ad simpliciter, & viciſſim.

Quid fallacia secundum quid ad simpliciter explicanda.

FAllacia à secundum quid ad simpliciter sequitur explicanda, quæ cum præcedenti magnam habet affinitatem, prouenit autem à conuenientia apparenti dicti secundum quid cum dicto simpliciter, quæ quamuis una sit, duplicem tamen complectitur modum. Alter est, quo quispiam fallaciter arguens ex eo, quod simpliciter dicitur, id colligit, quod dicitur secundum quid, nempe cum adiectione tantum. Vt *arma restituenda sunt domino; ergo restituenda sunt domino furioso. Merces non sunt in mare iactandæ; ergo non sunt iactandæ cum naufragium timetur*. Alter est modus unde fallaciter idem arguens ex eo quod aliquid secundum quid alicui conceditur, colligit quod simpliciter, & sine adiectione profertur, ut ex iisdem Sophismatis conuerso ordine perspicuum est. *Merces in mare sunt proiciendæ, cum naufragium imminet; ergo merces in mare sunt proiciendæ. Arma non sunt restituenda domino furioso; ergo non sunt restituenda domino*; Vterq; modus tam latè patet, quàm multa sunt adiectionum genera; quæ propterea sunt breuiter expendenda, hujusmodi tamen fallaciæ præmissâ declaratione, quæ omninò ex dictis hactenus de loco à toto in modo petenda est. Totum autem in modo erat dictio respectu sui ipsius cum aliquo adiecto sumptæ, quod pars dicebatur in modo, ut *homo*, & *homo albus*; tenebat porrò consequentia à parte ad totum, & viciſſim ut ibi fuit explicatum. Ad præsentem itaque fallaciam, quod attinet. Dictum simpliciter est terminus communis solitariè sumptus, diciturque totum in modo. Dictum secundum quid, est ille terminus, cum determinatione, diciturque pars in modo; ut autem hæc fallacia contingat, necesse est totum esse determinatum ab aliqua determinatione, vel distrahente, vel diminuente, non autem restringente; idcirco non sequitur; *Cadauer est homo mortuus; ergo est homo. Æthiops est albus secundùm dentes; ergo est albus*: Bona tamen sit illatio dicendo, *Socrates est homo albus; ergo est homo*; eòquòd terminus *mortuus* est determinatio distrahens, terminusque *albus secundùm dentes* est diminuens; atque terminus *albus* est restringens. Hæc fallacia potest etiam contingere viciſſim à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid, ut *Socrates est homo; ergo est homo mortuus*, ut dictum fuit.

Fallacia secundum quid ad simpliciter explicatur.

Causa apparentiæ.

Hæc itaque fallacia est deceptio proueniens ex apparenti inclusione dicti simpliciter in dicto secundum quid. Causa apparentiæ est apparens inclusio prædicta propter quam creditur dictum simpliciter habere

bere consecutionem ad dictum secundum quid &c. Causa defectus est non sufficiens inclusio dictorum illorum inter se.

Multis autem modis hæc euenire potest fallacia pro multiplitate additi diminuentis, quandoquidem, vel est diminuens secundum totum, cuiusmodi est conditio distrahens, ut esse *mortuum*, vel est diminuens secundum partem; & hæc diminutio trifariam contingit, nam vel est secundum maiorem partem, ut cum ex. gr. paries secundum maiores partes est albus; vel secundum certam, atque determinatam partem, quæ sit proprium illius conditionis subiectum, ut se habet simitas comparatione nasi; ex his enim licet argumentari à parte ad totum, propterea quod bona fit consecutio, paries secundum plures partes est albus; ergo est albus; Socrates est simus secundum nasum; ergo est simus: Secundò vel est secundum minorem partem, neque determinatam; ideirco mala fit consecutio. Æthiops est albus secundum dentes; ergo est albus. Tertiò vel est diminuens secundum locum, ideo mala fit consecutio, non licet hoc facere in foro; ergo nullibi licet. Quartò, vel est diminuens secundum tempus; ob id male arguitur non licet hoc facere tali tempore; ergo nullo tempore hoc facere licet. Quintò tandē, vel est diminuens secundum usum. Vt malè utenti non expediunt literarum studia, non sequitur; ergo studia literarum non expediunt.

Dicebatur autem à conditione restringente non committi fallaciam hanc; sed videtur difficultas, quoniam in his propositionibus Socrates est perfectus grammaticus, est monachus albus, &c. dictiones *perfectus*, & *albus* sunt restringentes, & tamen non rectè deducitur; ergo Socrates est perfectus, est albus. Hoc tamen nihil omninò est, quoniam in allatis exemplis, unum prædicatum conuenit subiecto propter aliud; in alijs autem casibus optima fit illatio, proinde fallacia de qua fit sermo, non committitur.

Dicebatur à conditione distrahente contingere fallaciam hanc; sed aduersus hoc posset quispiam urgere hoc modo. Quantumuis ex eo quia cadauer dicatur homo mortuus, inferri non possit hominem esse; bene tamen inferri potest esse mortuum, argumentando proinde à conditione distrahente, hæc non committitur fallacia. Neque difficultas ista multum habet roboris, nam sine fallacia potest esse progressus ad determinationem, non tamen ad determinatum, quod se habet ut simpliciter dictum. At à conditione restringente, alijs intercedentibus conditionibus, potest fieri progressus ad utrunque; hoc itaque differt inter terminum distrahentem, puta *mortuum* &c. & restringentem, nempe *album*, &c.

Vt autem hæc sunt intelligenda, quatenus secundum quid, & simpliciter se tenent ex parte prædicati, ita etiam quatenus se tenent ex parte subiecti intelligenda sunt, quamobrem fallacia committitur sic arguendo; *homo mortuus est cadauer; ergo homo est cadauer*. Item *domus cognita est in mente; ergo domus est*. Vel *Aristoteles est in hominum memoria, ergo Aristoteles est*, utraq; illatio mala est. Si tamen fuerit conditio restringens, bona fiet consecutio, ut *homo doctus ambulat; ergo homo ambulat*. Aduertendum tamen ne prædicatum conueniat toti, qua totum est, atque adeo faciens ut illud simpliciter supponat; mala siquidem hæc est consequentia; *homo doctus est aggregatum per accidens; ergo homo est aggregatum per accidens*. Hoc etiam fallaciæ genus contingit, quando tam affirmatiuè, quam negatiuè arguitur ab esse de secundo adiacente, ad esse de tertio adiacente, aut vicissim. Affirmatiuè, quando additum haud necessario subiecto conuenit; ut si quis arguat, *homo est; ergo est albus*. Si prædicatum autem necessariò conueniat, optima fit consecutio; ut *homo est; ergo est substantia, est ens*. Negatiuè autem quando additum est prædicatum necessariò conueniens subiecto, siue existat, siue non existat; proinde non valet illatio, *homo non est; ergo non est possibilis*; at si additum tale sit prædicatum ut necessariò subiecti existentiam supponat; optima fit illatio ut *homo non est; ergo non currit*. Viceuersa ab esse de tertio adiacente, ad esse de secundo committitur affirmando hæc fallacia si additum sit prædicatum necessarium, nō committitur autem si sit prædicatum contingens existentiam subiecti præsupponens, ut bona fit illatio dicendo *Socrates est doctus; ergo est*; non tamen *Socrates est possibilis; ergo est*.

De Fallacia ignorantiæ Elenchi.

Quid sit fallacia ignorationis Elenchi

HÆc fallacia est locus idoneus ad decipiendum prætermissione conditionum Elenchi dialecti; præsertim earum, quæ ratione conclusionis requiruntur; contingit enim ex deceptione, qua quis putat elenchum esse syllogismum omnibus numeris absolutum, cum tamen in eo aliqua conditio ad dialecticum elenchum necessaria, desideretur, in quorum gratiam videndum quid sit Elenchus; quem si Aristotelem audias, intelliges esse syllogismum cum contradictione conclusionis, adeout ex eius sententia sit, *syllogismus colligens contradictoriam alicuius certæ enunciationis à respondente concessæ*. Nomine tamen contradictoriæ, ut notarunt interpretes, intelligenda quoque contraria, cum ex hac statim contradictoria sequatur. Fiet Elenchus, quem Aristot. descripsit hoc modo; proposita sit hæc nunciatio. Aliquod animal est incorruptibile, & hunc in modum arguatur. *Nihil coalescens ex quatuor vulgatis elementis est incorruptibile; sed omne animal coalescit ex quatuor elementis; ergo nullum animal est incorruptibile*. Dici etiam solet elenchus unus, quando duo sint syllogismi, quibus tota concludatur contradictio, ut si superiori adderetur alter, quo concluderetur aliquod animal esse incorruptibile. Ad elenchum tres conditiones requiri solent. Prima ut sit argumentatio, itaut mala consequentia non sit elenchus; secunda ut habeat vim probandi; ideireo syllogismus & consequentia procedens ex falsis vel ex minus notis, non est elenchus; Tertia ut sit argumentatio, qua probetur conclusio contraria, vel contradictoria positioni respondentis; ob id ad verum elenchum, requiruntur omnes conditiones, quas vera postulat argumentatio. Non omittendum tamen aduertere elenchum eodem distribui modo, quo syllogismus in quatuor membra; nimirum in Demonstrativum, Dialecticum, Pseudographum, & Sophisticum. Elenchus Demonstrativus est demonstratio cum contradictione conclusionis, sitque proinde in materia necessaria. Dialecticus est syllogismus in materia probabili cum contradictione conclusionis. Pseudographus est, qui demonstrativus videtur, sed in materia peccat. Sophisticus qui Dialecticum simulat; sed aut peccat in forma, aut in materia, aut in contradictione, adeout alicuius contradictionis defectu, verè dialecticus non sit. Ad Elenchum igitur requisita paucis comprehensa sunt, ut omnibus constet conditionibus, quas optimus syllogismus in modo, & figura requirit, & ut constet ex propositionibus re ipsâ contradictoriis. Quatuor autem conditiones ad contradictionem propositionum requiruntur. Prima, ut sint ad idem; Secunda, ut sint secundum idem; Tertia, ut similiter se habeant. Quarta,

1. Elench. cap. 1.

Elenchi quadripartita diuisio.

ta,

ta, ut sint eodem tempore, & loco. Contingit hic paralogismus. Si quis putet syllogismum à se factum esse in modo, & figura, cum tamen re verâ non ita sit; sed hic paralogismus ad specialem hanc fallaciam non pertinet, cum huius ignorantiæ captio tanquam generica ad omnes se captiones extendat, specialis est de qua loquimur.

Generalis igitur una, specialis altera; & quidem generalis captio dicitur; quatenus spectatur ut locus idoneus ad decipiendum prætermissione cuiuscunque conditionis Elenchi dialectici; siue prætermissa conditio pertineat ad formam, siue ad materiam, siue ad contradictionem in conclusione requisitam; in omni siquidem redargutione sophistica, aliqua ex his conditionibus prætermittitur, alioquin sophisma non foret. Specialis autem captio hæc dicitur eo nomine quòd solùm spectatur ut locus aptus ad fallendum prætermissione conditionum earum, quæ necessariæ sunt ad contradictionem conclusionis, quam infert, cum propositione, quam redarguit, vel quatenus est syllogismus duo inferens cõtradictoria; nam si verè probat, verus Elenchus est, sin autem Sophisticus.

Causa apparentiæ. Causa apparentiæ est apparens obseruatio quatuor illarum conditionum. Sed Causa defectus est omissio illarum, vel unius ex illis, & hunc in modum est fallacia ab alijs distincta; sic enim ab alijs captio ista secernitur. Tot autem modis hæc fallacia potest euenire, quot sunt contradictoriarum conditiones. Prima igitur erit huiusmodi. *Æthiops est albus secundùm dentes; non est albus secundùm reliquas corporis partes; ergo est albus, & non est albus;* Mala est consecutio, quoniam album, & non album non sunt ad idem. Secunda. *Stadium est æquale milliario secundùm latitudinem viæ, non autem secundùm longitudinem, cum secundùm hanc sit inæquale; ergo est æquale, & non æquale;* Non valet quoniam æquale, & inæquale non sunt secundùm idem. Tertia, *Sol non mouetur ad terræ centrum, idem Sol mouetur in orbem; ergo idem Sol mouetur, & non mouetur,* Non valet, quia non sunt similes motus. Quarta, *Socrates hodie commedit, cras non commedet; ergo commedit, & non commedit,* Non valet, quia non est idem tempus. Sic etiam; *Socrates studet in gymnasio, non studet in foro; ergo studet, & non studet.*

De Fallacia petitionis principij.

Fallacia petitionis principij quid. FAllacia petitionis principij est locus idoneus ad decipiendum, ex eo quòd conclusio probanda, ad sui probationem accipitur; conclusio autem dicitur principium, quoniam initio proponitur, ut omnis in eam probatio dirigatur, tunc autem dicitur peti cum sub aliis verbis postulatur; id enim si sub ijsdem verbis fieret, non deceptionis, sed irrisionis occasio præberetur; ut si quis argueret *Homo currit, ergo homo currit.* Est igitur deceptio prouenies ex apparenti probabilitate consequentis ex antecedente. Causa apparentiæ. Causa apparentiæ est probabilitas consequentis ex antecedente propter quam credimus antecedens notius esse consequente. Causa defectus. Causa defectus est præmissas, vel antecedens non esse notius, vel notiores consequente.

8. Topic. cap. ult. Aristoteles porrò quinque, modos petendi principium recensuit. Primus fit, cum unum synonymum assumitur ad confirmationem synonymi, ut si quis arguat *Gladius cædit; ergo ensis cædit; Animal rationale pollet optimo tactu, ergo homo pollet optimo tactu,* Secundus, cum particularis probatur per uniuersalem, & vicissim, ut *Omnium oppositorum est eadem disciplina; ergo omnium contrariorum, eadem est disciplina.* Tertio si contra id fiat *Omnium relatiuè oppositorum omnium contrariorum, & cæterorum, est eadem scientia; ergo omnium oppositorum est eadem scientia.* Quartus contingit etiam dum conclusio per partes in præmissis accipitur; ut si quis arguat. *Physiologia est de rebus sublunaribus & est de rebus cælestibus; ergo Physiologia est de rebus sublunaribus, & cælestibus.* Quintus, fit etiam dum alterum relatorum ad probandum alterum, ad quod habet ordinem, assumitur; ut si quis arguat. *Sophroniscus est pater Socratis; ergo Socrates est filius Sophronisci.*

Aduertendum tamen proprie loquendo non omnibus hisce modis ex rei natura principium peti, propterea quòd & definitio est notior definito, & totum partibus, aut contra, proindeque dum assumitur definitio ad confirmationem definiti, & dum arguimus à toto ad partes, & vicissim, & ex altero relatiuorum, alterum concludimus, id facimus procedendo à notioribus, nam totum quadam ratione notius est suis partibus, & aliâ ratione partes sunt notiores toto; & quæ se mutuo respiciunt, quodammodo se inuicem declarant, ac manifestant; sic autem procedendo videlicet à notioribus nobis, non committitur petitio principij, ad quam requiritur processus, vel ab æque ignotis, vel ab ijs, quæ minus nota sunt. Comitetur tamen fallacia apud illum, cui æque ignota sit definitio, & definitum, totum, & partes; æque siquidem ipse negabit propositionem assumptam ad probationem in qua ponitur definitio, quem admodum antea negauerat antecedens, in quo erat ipsum definitum, quoniam æquè ignorat utrunque. Admonitio.

De Consequentis fallacia.

Fallacia consequentis. FAllacia consequentis est locus idoneus ad decipiendum, ex eo quòd antecedens videtur effici ex consequente, aut ex oppositio antecedentis, oppositum consequentis, quemadmodum iuxta veras consequentiarum leges, consequens sit ex antecedenti, & oppositum antecedentis, ex oppositio consequentis; ubi oppositi nomine contradictorium intelligendum est. Itaque deceptio hæc proficiscitur ex apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima, adeout quemadmodum prima est bona, sic putetur esse secunda. Causa apparentiæ est apparens conuertibilitas secundæ consequentiæ cum prima. Causa apparentiæ. Sed causa defectus est non conuertibilitas illarum ad inuicem. Causa decepcionis. Ex quo facile intelliges ad hanc fallaciam semper duas consecutiones requiri, vel explicitè, quando videlicet nos arguentes enthymematibus utimur; vel implicitè, quando ex maiori conditionali argumentamur. Per antecedens autem, & consequens intelligitur propositio, in qua sumitur inferius in ordine ad superius, aut vicissim; fallacia siquidem hæc in terminis, qui non sunt reciprocabiles, contingit, quemadmodum sunt superius, & inferius; inde est ut in hanc deceptionem incurramus, quando perperam à superiori ad inferius, vel ab inferiori ad superius argumentamur. Gemino autem modo praua fit illatio, secuti gemino modo fit bona. A superiori ad inferius affirmatiuè non licet arguere, sed viceuersa; ideirco à positione consequentis ad antecedentis positionem argumentando, hæc fallacia committur, quanuis à positione antecedentis rectè positio consequentis deducatur. Positio autem, ut ad præsens attinet institutum, est eiusdem propositionis assumptio; at verò destructio est assumptio contradictoriæ positionis, quod exemplis iuvat illustrare. *Dum arguitur, est homo; ergo est animal: est animal, ergo est homo,* præsens, de qua loquimur fallacia committi-

Per antecedens consequens quid intelligendum.

Positio quid.

Digitized by Google

mittitur, quatenus secunda consequentia existimatur recta sicuti prima, diciturque à positione consequentis, quatenus fit ab assumptione consequentis, *est animal*, ad assumptionem antecedentis, cujusmodi est *homo*. Tenet etiam consequentia negatiuè à superiori ad inferius, non tamen viceuersa; idcirco non licet arguere à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, non enim valet, *si est homo, est animal; non est homo; ergo non est animal*. Plura autem exempla ad rem illustrandam congeri possunt, ut *Si paulo ante pluit, terra madefacta est; ergo si terra est madefacta, paulo ante pluit*, fallacia contingit, quoniam arguitur à superiori ad inferius affirmatiuè; latius enim patet esse madefactum simpliciter, quam pluviâ madefactum; Sic etiam, & illud sophisma se habet, *Si animus hominis genitus est, puta concurrente materiâ pro dicto, incæpit esse; ergo si non est genitus, hoc est non productus modo prædicto, non incæpit esse*, sed semper fuit. Item, qui dicit *te esse animal, verum dicit, sed qui dicit te esse asinum dicit te esse animal; ergo qui dicit te esse asinum, verum dicit*, sic arguendo consequentis fallacia committitur, perinde enim est, ac si arguatur, *si tu es asinus, es animal; at es animal, ergo es asinus*; Hoc autem modo ut rectè ex antecedente colligitur consequens, sic ex consequente, perperam colligitur antecedens; arguitur igitur à positione consequentis ad positionem antecedentis, siue à superiori ad inferius affirmatiuè, nimirum ab esse *animl* ad esse *asinum*. Notat autem Philosophus consequentis, fallaciam contineri quodammodo sub fallacia accidentis non tamen contra; quicquid enim consequitur ex aliquo, ut animal ex homine, est eius accidens, sumpto accidentis nomine, prout in accidentis fallacia sumendum dicebamus, non tamen quicquid est accidens alicuius, est eius consequens.

De Fallacia non causæ, ut causæ.

ia
isæ
æ

FAllacia non causæ, ut causæ est locus idoneus ad decipiendum, ex eo quod falsitas alicuius conclusionis tribuitur alicui propositioni, quasi ab ea efficiatur, ex qua tamen reuerâ non efficitur; est itaque deceptio prouenies ex apparentia, quam habet aliqua propositio ad aliam inferendam, non secus ac si verè illius causa foret. Vbi nomen causæ non accipiendum hoc loco pro rei causa tantummodo, sed pro quacunque causa illationis, etiamsi significet effectum rei, quæ concluditur aut quidpiam aliud. Causa
ap
iæ apparentiæ est apparens potestas inferendi non causæ respectu conclusionis, unde creditur quòd sicut con-
de clusio est falsa; ita & illa non causa. Causa defectus est negatio talis potentiæ ad conclusionem inferendam. Duobus modis potest euenire; Primo, quando fit duplex progressus; quorum unus est in quo concluditur conclusio falsa: alter in quo assignatur pro causa falsitatis conclusionis aliqua sumptionum, quæ verè causa non est. Secundò, quando infertur conclusio falsa, ex una propositione, quæ tanquam causa falsitatis illius assumitur, cum tamen reuerà non sit.

mpla
cio
ctri
illu
am.

Ad primum modum pertinet exemplum illud. *Si nullum tempus esset, nox non esset; si nox non esset, dies esset, si dies esset, aliquod tempus esset; igitur si nullum tempus esset, aliquod tempus esset*. In hac fallacia falsitas conclusionis, quæ prouenit ex una præmissarum falsa tribuitur alteri verè, malè siquidem colligitur illam propositionem *si nullum tempus esset, nox non esset*, falsam esse, non enim prima illa propositio, sed secunda est causa absurditatis illius, quæ in prædicta conclusione conspicitur; non debebat igitur Sophista colligere primam illam propositionem esse falsam; sed secundam, falsum enim est & absurdum dicere, si nox non sit, diem esse, nisi ex hypothesi, quòd Sol circa terram moueatur, nam ante mundi constitutionem, nec nox, nec dies erat. Iuxtà hunc primum modum, qui fit inferendo falsitatem non causæ ex falsitate conclusionis, fiunt fallaciæ, ut syllogismi ducentes ad impossibile. Trifariam autem euenit prout præmissa non causa potest tribus modis cum conclusione conuenire. Primus quando præmissa non causa conuenit in subiecto cum conclusione, ut *Omnis homo est risibilis; omne animal est equus, omnis homo est animal; ergo omnis homo est equus*; conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarum, & non nisi hac, *omnis homo est risibilis*. Secundus modus contingit ex eo quòd præmissa non causa conuenit cum conclusione in prædicato. Tertius ex eo quod præmissa non causa conuenit cum conclusione in subiecto, & prædicato. Exempla quisque sibi potest effingere. Secundus erat modus quando, quis infert falsam aliquam conclusionem, ex una propositione, quæ tanquam causa falsitatis illius assumitur, cum tamen causa non sit, ut si quis arguat. *Album est aptum aspectum diuidere; sed paries est albus; ergo paries est aptus aspectum diuidere*, Mala est consequentia, quoniam affertur non causa pro causa, nimirum paries pro albedine. Item quod infert dolorem capitis est detestandum; sed huiusmodi est vinum; ergo vinum est detestandum. Fallacia est, de qua loquimur, nam procedit à non causa tanquam à causa, non enim causa doloris est vini usus, sed abusus, qui contingit, quoties est usus immoderatus.

De Fallacia plurium interrogationum.

FAllacia plurium interrogationum, ut unius est locus idoneus ad decipiendum, eoquòd plures interrogationes, tanquam una proponuntur; hinc enim prouenit, ut qui simplicem affert responsionem, tam affirmando, quam negando decipi possit. Causa apparentiæ est similitudo interrogationum, plurium cum interrogatione una, propter quam creditur, sicut ad interrogationem unam datur una responsio, sic ad plures unicam esse dandam responsionem. Causa defectus est dissimilitudo earundem. Ex hac autem captione quatuor interrogationum genera ducuntur. Primum est, cum unum de uno quæritur, ut *est ne Socrates homo?* secundum. Quando unum quæritur de pluribus, ut *est ne Socrates, & Bucephalus rationalis*. Tertium quando plura quæruntur de uno, ut *est ne Socrates homo, & equus?* Quartum, quando plura de pluribus quæruntur, ut *est ne Socrates, & Bucephalus homo, & equus?* In his omnibus generibus excepto primo, fallacia committitur; exempla verò sunt, quæ sequuntur, & quidem ad secundum genus hoc pertinet. *Sit ne homo & Leo animal rationale?* si unica responsione affirmes, statim interrogans colliget; *ergo Leo est animal rationale*; si verò neges, illico concludet; *ergo homo non est animal rationale*. Ad tertium genus pertinet istud si quærat Sophista, *est ne homo corpus & spiritus?* si unicâ responsione affirmaueris; statim interrogans colliget; *ergo homo est spiritus*, si negaueris, confestim deducet; *ergo homo non est corpus*. Ad quartum pertinet, quod sequitur. Interroget Sophista; *est ne homo, & equus animal rationale, & irrationale?* Si respondens affirmaueris, illico ille deducet; *ergo homo est irrationalis, & equus est rationalis*; Si verò negaueris, idem concludet; *ergo homo non est rationalis, aut equus non est irrationalis*.

Fallacia plurium interrogationum quid.

Causa apparentiæ.

Causa defectus.

Digitized by Google

lis. Hæc autem eueniunt, quando unicâ responsione fit satis pluribus interrogationibus apparentibus per modum unius interrogationis, cum tamen pluribus sit opus responsionibus. Vt si quæratur. *Sit ne homo, & Leo animal rationale*, respondendum est distinguendo, si sermo sit de homine *illum esse animal rationale* si de equo *non esse animal rationale*. Huc pertinet illa fallacia, *si sint duo homines, quorum unus sit cæcus, alter surdus*, quærenti autem *an sint cæci, vel surdi*, & respondeatur affirmando *esse cæcos*, statim enim Sophista colliget; *ergo surdus erit cæcus*, si autem respondeatur *esse surdos* statim idem deducet; *ergo cæcus erit surdus*; respondendum igitur adhibitâ distinctione, nimirum *iste est cæcus, & iste est surdus*. Quod si responderetur negando, atque dicendo *non esse cæcos, neque surdos*, reuerâ non deducitur ad inconueniens, cum ex huiusmodi responsione haud deduceretur, *ergo nullus est cæcus, & nullus surdus*, siquidem, ita respondendo perinde esset, ac si diceremus, nec ambos esse cæcos, nec ambos esse surdos.

DISSERTATIO XXX.

De Ordine, & Methodo.

Tractationis ratio.

Dialecticæ facultatis extremas partes aget utilissima de Ordine, Methodoque Dissertatio, quam de his postremo loco non inconsultò susceptam esse decreuimus, quoniam omne decus humanæ mentis ordine, & methodo comparatur, tanquam instrumentis, quibus operationes ipsius aptè, ritèque disponuntur.

Ordinis nomen quid significet.

Ordinis nomen græcè τάξις, siuè Εὐταξία; quanuis ad multa significanda soleat usurpari, præcipuè tamen ad denotandam aptam collocationem, dispositionemque plurium rerum inter se habitâ ratione prioris, & posterioris, accipitur. At nunc in scientijs disponendis Ordinem seruandum duntaxat nobis propositum est explicare.

Methodi nomen quid sibi velit.

Methodi nomen græcè Μέθοδος denotat viam, artem, rationemque sciendi siue docendi, aut discendi, & dicendi, si propriè Methodi nomen accipiatur, prout sumptum ab Aristotele reperitur; quanuis ab eodem fuerit illud usurpatum, tum ad omnem scientiam ac disciplinam significandam; tum etiam ad omne denotandum instrumentum sciendi; sæpè tamen Ordo, & Methodus pro eodem sumuntur, enimverò Methodus pro ordine nostris cognitionibus, ac disciplinis accommodato sæpè sæpius accipitur; sed quid inter Ordinem, & Methodum intersit ex paulo infra dicendis intelliges.

1. Top. cap. 1. 1. Phys. Tex. 1.

SECTIO PRIMA.

De Vtilitate, & necessitate Ordinis ad rectam rerum cognitionem, scientiarumque dispositionem consequendam; quid & quotuplex sit.

Magna ordinis utilitas.

MAgnificiendum Ordinem tanquam utilem ac necessarium in disciplinis tradendis præstantissimorum virorum auctoritas perspicuè testatur, cum ipsi nihil in suis moliendis operibus magis, quàm ordinem affectauerint; quandoquidem cognoscebant inde tantum emolumenti mentem humanam adipisci, ut summopere curandum sit, tractandarum rerum ordinem præ oculis habere. Adeò porrò commendabilis ordo, ut sapientiæ præclarum existimetur officium, recto ordine progredi, & omnia, quæ tractanda suscipit, consentaneâ dispositione contexere; ut propterea illud scitè, perbellèque dictum existimetur *Sapientis esse ordinare*.

In rebus naturæ cõstantibus ordo mirũ in modum elucet.

Hoc idem quoque naturæ testimonio probatur; enimuero nihil magis in uniuersitate rerum enitere conspicitur, quam ordinem, ut in hoc præsertim ipsius uniuersi bonum consistere dicendum sit; omnia enim in uniuerso sunt ordinata, quæ quanuis non similiter, non tamen sic se habent, ut unum eorum non pertineat ad alterum; nam plantæ sunt propter animalia, & hæc propter homines, omnia siquidem ad unum, tanquam ad finem ordinata sunt, adeout inuicem omnia quodam ordine connectantur: nihil enim inordinatum est eorum quæ naturâ, & secundùm naturam fiunt, quin potius natura ipsa omnibus est causa ordinis, quod Stagirites testatum reliquit dicens. Ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε ἄτακτον τῶν φύσει ἢ κατὰ φύσιν. ἡ γὰρ φύσις αἰτία τάξεως. *At verò nihil ordine vacat ex ijs, quæ naturâ, & secundùm naturam* constant; *quandoquidem natura omnibus est causa ordinis*; Quod præsertim natura in generatione rerum obseruat, non enim membra temerè, sed primùm hoc, deinde illud molitur; adeo ut omnia perbellè disponat, ut Philosophus etiam aduertit, Διὸ γίνεται πρότερον τὸν μορίων τόδι, εἶτα τόδι· ἢ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ὅπερ φάσκομεν τὴν φύσει συνίστασθαι. *Quapropter membra non sine ordine oriuntur: sed primùm hoc, deinde illud, atque hunc in modum omnia, quæ naturâ consistunt, disponuntur.* Quod in naturalibus quoque nostris operationibus euenire satis alibi luculenter expressit, quæ quanuis vera sint, verissima tamen eadem in rebus cælestibus eiusdem Philosophi testimonio fatearis oportet; ordo enim, & ratus, certusq; status longè magis in rebus cælestibus, quàm in nobis elucet, quandoquidem incerta, inconstans, & omninò fortuita conditio potius in genere mortalium reperitur, in Cælo autem nihil fortunæ, nihilque temeritatis deprehendi potest.

In artificialibus etiam, adeò splendescit ordo, ut nihil in ipsis admirabilius videatur, cum ars opera sua, duntaxat aptè disponendo, collocandoque partes, absoluat. Hunc pictores, & architecti, & fabri nauium, aliique omnes artifices, cordi quidem habent; quiuis enim eorum in ordinem quemdam singula ubique disponit, cogitque alijs conuenire, atque congruere, donec uniuersum opus constituatur ordinis elegantiâ præclarum. Nec aliunde, quàm ab ordine tam varia opificiorum genera proficiscuntur; si nanque spectes, & intuearis ea, ex quibus artis opera consurgunt, nullo quidem ordine disposita, tanquam inutilia despicies; ordine tamen contexta, velut illa, ex quibus concinnè, & elaboratè opificium resultat, non sine magna admiratione suspicies.

In rebus quoque moralibus, quanta sit ordinis vis, neminem præterit, cum cuique sit exploratum in se ipso

1. Phys. Tex. 15.

ipso non melius proprios mores componi, quàm eum in suis muneribus obeundis debitum, atque decentem ordinem seruauerit, nam etiam, & domus, & familia, rerumque domesticarum gubernatio, tunc præsertim floreſcit, cum in ipsis ordinis præcipua, ac singularis habetur ratio; quod magis elucet in politico regimine, quo nempe ciuitates, & regna gubernantur, cum non melius componi possint, quàm cùm ordine reguntur, omnia siquidem benè facta censentur, quando ordinis, legisque ciuitas particeps fuerit; nec in alio, quàm in ordine exercitus firmitudo consistit.

Scien- ordo mo- : desi- reur.

Ex his facilè intelliges quanti fieri debeat in rerum cognitione, scientiarumque dispositione ordo, cum in his non minus, quàm in cæteris rebus momenti plurimum habeat; nisi enim scientia suis partibus constet ordinatis, nullam præseferet elegantiam, tanquam illa, quæ similis est viuenti corpori, cuius partes ac membra discordant, nec mutuâ compage cohærent, sed quasi disiuncta vitæ nullum vestigium ostentant.

Tilitas nis ica.

Mira autem est utilitas ordinis, cum humana mens non aliunde magis, quàm ab ordine magnam utilitatẽ consequatur; hinc enim claritatem adipiscitur, nam quæ debito ordine ipsi fuerint exposita, facilius etiam ab ipsa percipientur; cumque suis locis singula fuerint constituta, adeout dum quædam prius, & quædam posteriùs traduntur, mutuò se adiuvent.

nò ad tatem fert.

cunda breui- m.

Conducit etiam ad breuitatem, quâ nihil melius in disciplinis tractandis; nisi enim prius exponantur ea è quorum cognitione reliquorum cognitio pendet, & hæc posteriori loco tradantur; non rarò eueniet, ut eadem pluribus locis in consideratione vocentur, quo nihil pernicioſius, cum tedio animum afficiat, eidemque molestiæ plurimum ingerat.

ntio ad egrita n disci- næ.

Multum quoque confert ad integritatem, perfectionemque didisciplinæ, propterea quòd neglecto ordine rerum tractandarum, ita ut veluti casu temerèque de ipsis disputetur, facilè usu veniet, ut oscitanter, ac ob id pingui minerua multa tractentur, ac indiscussa ex animo effluant & è manibus effugiant, non sine magna suspicione aliquid ex ijs omissum fuisse, de quibus erat operæ pretium in primis esse sollicitum.

arta pul- ritudi- m, & gantiã do quo e con- cit.

Ad pulchritudinem, elegantiam, venustatemque structuræ, quâ disciplina quidem uniuersa constare debet, momenti plurimum habere ordinem, nemo ibit inficias; nihil siquidem pulchritudini scientiarum officit magis, nihil magis earum elegantiam destruit, ac venustatem interimit, quàm peruersus ordo partium, è quibus disciplina quælibet consurgit; non enim ipsarum partium ad pulchritudinem dispositio facit, nisi in suis quasi regionibus, possessionibusque singulæ dominentur, ut mutuâ quâdam opitulatione splendescant.

Quinto d iucun itatis fu am.

Conducit etiam ad iucunditatis fructum, non enim aliunde musici concentus tantam vim demulcendi animum assequuntur, quàm ab ordine, iuxta siquidem hunc, & pro eiusdem varietate, varios affectus in animos inducunt, varijsque modis voluptatum eosdem afficiunt; tanti refert ordinata series eorum, quæ auribus percipienda exponuntur, mentique considerandæ proponuntur; ut enim hæc series decens, atque conueniens animum recreat, & hilaritate perfundit: ita tractationis modus dissentaneus eundem tedio, nauseâque fatigat.

Sextò ad memoriã

Tandem plurimum opitulatur memoriæ, ut propterea Tullius aliquando dixerit, *Ordo est, qui memoriæ maximè lumen affert*; nam ut nihil difficiliùs, quàm inordinata rerum progressio memoriæ committitur: ita nihil faciliùs, quàm ordinata; ut enim anuli se mutuò excipiendo, itaut unus consequatur ex alio, catenam firmam efformant, sic quæ ordine memoriæ mandantur, mutuâ complexione firmiùs eidem inhærent. Non erit igitur, cur quispiam in dubium vertat, an ordo summoperè conducat ad cognitionis directionem, cum tantoperè conferat ad ea, de quibus hucusque locuti sumus.

Quid sit ordo pro- ponitur inquiren- dum.

At cum in magno pretio debeat esse ordo, nostra interest explicare quid ipse sit. *Ordo*, è quorundam sententia, *nil aliud, quàm concentus operationum ad inuicem communionis proportio, vicissitudinis in omnibus causa, contemperatio ad percipiendum idonea*. Hæc tamen ordinis descriptio non tam benè explicat rem definitam, ut non expediat aliam elegantiorem in medium afferre, nempe. *Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*; Sic igitur ordo generatim definiendus, ac explicandus; hinc porro deducenda ordinis, de quo loquimur, definitio; cum enim in præsentia propositum nobis sit declarare ordinem seruandum in scientijs, enitendum pro viribus hunc appositè definitione luculenter explicare, quæ superiori definitioni congruat, velut instar illius elaborata; ordo igitur in cognoscendo sciendoque, & qui scientificus dici potest, non meliùs à quibusdam creditur explicatus quàm hunc in modum. Scientificus ordo est apta dispositio inter plures cognitiones, siue inter cognitiones plurium rerum. Item inter plures partes scientiæ, siue inter plures scientias, ita videlicet ut alia præcedat, alia sequatur; alia priùs alia posteriùs collocetur. Hæc tamen definitio parum elegans est, nec satis rem explicat definitam, ob id iuvabit accuratiorem ordinis definitionem afferre, quam paulo post conabimur exhibere.

Augu. lib. 19. de Ciuit. cap. 13.

Quid è quorundã sententia sit scientificus ordo

Sumitur autem ordo prout in mente relucet, quo pacto idea est ipsius ordinis per modum obiecti, circa quod mens ipsa versatur, considerans quis, & qualis ordo sit, & qua ratione scientiæ partes, vel integræ etiam debeant ordinari, adeo ut alia priùs, & alia posteriùs tradenda sit; hoc enim pacto rectè dicetur ordo, quoddam instrumentum directivum cognitionis, & scientiæ, quatenus hæc potest ordinari. Duobus itaque modis ordo spectari potest; vel quatenus consistit in conceptu obiectiuo, prout nimirum est ipsa dispositio partium ordinandarum, quatenus ab intellectu cognita; vel prout est ipse conceptus formalis, hoc est cognitio illa, qua talis attingitur ordo. Cum autem ordo iuxta secundam hanc significationem acceptus sit formalis conceptus, proindeque cognitio; idcirco relinquit habitum quatenus intellectus illam frequenter elicit. Hunc autem habitum sic ab aliquibus definitum reperies; *habitus instrumentalis*, vel si mauis *instrumentum intellectuale quo docemur cuiusque disciplinæ partes conuenienter disponere*. Hæc tamen definitio, utpote manca, ac imperfecta non satis rationem ordinis explicat; aliud enim quidpiam in ea desideratur, nimirum expressio illius, unde sumenda sit ratio disponendi scientiam, adeout eius partes benè, atque conuenienter dicantur esse dispositæ. Ab alijs propterea definitur ordo ad eum, qui sequitur modum. *Ordo doctrinæ est instrumentalis habitus, per quem apti sumus cuiusque disciplinæ partes disponere, ut quantum fieri possit, optimè ac facillimè illa discipina discatur*. Hac tamen definitione haud satis pro dignitate scientificus ordo explicatur; curandum ob id, ut alia definitio trada-

Ordo prout sedem habet in mente.

Hoc pacto ordo est instrumentum directivũ cognitionis.

Duobus modis sumi potest.

Ordo ut instrumẽtum directivum quomodo ab aliquibus definiatur.

Digitized by Google

tur, in qua nihil desideretur, quam non multo post efformare tentabimus, ut videlicet melius explicemus ordinem, de quo loquimur, quàm dicendo eum esse instrumentalem habitum per quem apti sumus cuiusque disciplinæ partes ita disponere, ut quantum fieri possit, optimè, facillimèque disciplina illa discatur; per hanc enim definitionem significatur non ex rerum natura, sed ex addiscentium tantummodo commoditate sumendum ordinem esse, quod non tam ratum ut plurimum difficultatis non habeat; enimverò, quam sæpissimè contingit oppositum, ut nimirum ordo ex rerum natura desumi debeat, quod mox est discutiendum.

Num bene fuerit institutа ordinis partitio in rectum & pravum.

Interim disputandum occurrit, num ritè fuerit ordinis instituta partitio in rectum, & pravum; an potius omnis ordo sit rectus. Dubitationis enodatio ex ordinis acceptione desumitur; nam ordo laxâ quâdam significatione sumptus pro quacunque dispositione unius post aliud, prout hęc dispositio potest esse recta, vel praua, non dissimiliter poterit rectus, & pravus esse. At si prestâ significatione fuerit acceptus ordo, videlicet pro recta duntaxat, & conuenienti dispositione eorum, quæ ordinantur, certè partitionem illam subire non poterit, nam praua dispositio non ordo, sed ordini contraria dici debebit; quandoquidem ordo dicendus non erit nisi apta, & idonea dispositio. Nec refert, quòd pravus, & peruersus ordo soleat admitti; darique res benè, malèque ordinatas concedatur; dum enim sic ordo diuiditur, amplâ significatione sumitur, iuxtà quam res benè, & malè ordinatæ dici consueuerunt.

Rectus ordo unde sumendus sit.

His præhabitis discutiendum sequitur, quod paulo antea dictum à nobis fuit esse dignum, ut in controuersiam vocetur; cum enim ordo definitus fuerit rectus, videtur inquisitione dignum; unde nam hic ordo sumi debeat; nam cum duplex sit ordo, siquidem unus dicitur ordo naturæ, alter autem doctrinæ, primò videndum quid uterque sit. Reuocandum tamen ad memoriam hîc sermonem esse de ordine in cognoscendo, & hunc esse qui in ordinem naturæ, doctrinæque diuiditur. *Ordo autem naturæ dicitur ordo quidem scientificus, qui conformis est ordini naturali ipsarum rerum*; Iuxta hunc igitur ordinem tradi notitiæ dicentur, quando priùs tradentur illæ, quæ sunt de rebus naturâ prioribus, ut videlicet priùs de principijs, de causis, & elementis disputetur, quàm de ijs, quæ ad illa consecutionem habent. *Ordo doctrinæ ille est, qui duntaxat maiorem facilitatem, atque commoditatem discentium attendit, naturali rerum ordine neglecto, quin potius quandoque contra ipsum; adeout, quod est naturâ posterius, suscipiatur prius considerandum.* Hoc ordine tractarentur scientiæ, quando earum partes ita disponerentur, ut priùs haberentur illæ, in quibus de affectis, deque principiatis disseritur, in cæteris autem principia causæ, ac elementa in considerationem venirent.

Ordo naturę quid.

Ordo doctrinæ quid.

Vter istorum ordinum attẽdi debeat. Prima sẽtentia.

His prehabitis, maximè controuersum est uter istorum ordinum in disciplinis tractandis attendi debeat. Vtraque pars suos fautores habet; sunt enim, quibus placuit in scientijs omninò seruandum esse naturæ ordinem. Hi porrò sententiam hanc amplexi sunt, & auctoritate, & ratione suffulti. Auctoritas autem est Aristotelis, à quo seruatum hunc ordinem fuisse dicunt, quinimo disertissimis verbis expressum, non aliam ob causam à se priùs de rebus aliquibus tractationem institutam fuisse, quoniam naturâ cæteris antecedunt; ita quidem in Physicis primò de rerum naturalium primordijs tractationem instituit,

Auctoritate probatur.

non aliâ ratione ductus, nisi quia secundum naturam priora sunt, quanuis difficiliora cognitu sint. Et secundo de partibus animalium capite decimo se de homine prius, quàm de alijs animalibus acturum dicit, quoniam homo cæteris animalibus dignitate præstat, ac antecellit, quod alibi quoque testatum reliquit.

Ratio fundatur.

Ratio quoque validissima est, quoniam sicuti res se habet ad esse, ita ad cognosci; hinc enim cognoscendi ordo sequi debet ordinem essendi. Cum itaque duo sint rerum genera, adeòut quædam sint res naturâ priores, alię verò posteriores; si hæ cognosci debent eo modo, quo sunt, necesse est ut priùs in considerationem veniant, quæ priores sunt, reliquæ autem posteriùs.

Secunda sententia.

Ex aduerso plerique contendunt in scientijs omnino seruandum esse ordinem doctrinæ, velut illum, qui ad faciliorem intelligentiam conducit, rerumque naturalem ordinem negligendum. Hi quoque propriam sententiam auctoritate, rationeque conantur euincere. Auctoritas est Aristotelis, qui non uno in loco disertè pronunciauit in disciplinis esse procedendum ab ijs, quæ sunt notiora nobis, ad ea, quę notiora, & manifestiora naturâ sunt; testimonium planè clarissimum, sic enim habet. Πέφυκε δὴ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς ἡ διὰ τούτων, ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα. *Innata autem est ex notioribus nobis via, & manifestioribus ad manifestiora naturâ, & notiora.* Quod non minus clarè alibi etiam expressum reliquit dicęs se prius acturum de differentijs, & accidentibus, quæ circa animalia contingunt, postea verò de causis, ubi luculenter hanc docendi viam esse naturæ consentaneam affirmat, quatenus nostro naturali cognoscendi modo, congruit, qui plnè requirit, ut ab ijs quæ faciliora, & propinquiora sunt nobis, ad difficiliora, & remotiora faciamus gradum; id quod alibi quoque confirmat, dicens prius de homine sibi disserendum, ac tractationem ineundam, quoniam exteriorum partium eius forma notissima est. Sed alibi etiam apertè sententiam eandem protulisse videtur dicens. ἐξ ἐναντίας δ' ἐστὶν ἑτέρα. ἴσως δὲ, ὅσον ἐν πάντα ἕκαστον γίγνεται, οὕτω, καὶ μανθάνειν, ἐκ τῶν πρώτων καὶ τῆς τοῦ πράγματος ἀρχῆς. ἐνίοτε ἀρκτέον, ἀλλ' ὅθεν ῥᾷστ' ἂν μάθοι. *Ex opposito verò aliud* principium *est illud, unde quodque optimè fiat, ut doctrinæ non à primo, ac rei principio aliquando inchoandum est, sed unde quis facilius discat.* In eadem sententia clarissimos quoque viros fuisse, videlicet Platonem, Hippocratem, Galenum, & Auicennam, qui communi animi consensu testatum fecerunt in rerum tractatione, scientijsque tradendis à clarioribus, & facilioribus exordium desumendum esse.

Sec. de part. ani cap. 1.

5. Diuin. Tex. 1.

Ratiõi probant. Prima ratio.

Nec inefficax ratio superiorem assertionem confirmat, quoniam in scientijs profectò nobis nullus alius est finis, quàm perfecta rerum cognitio; sed ad huius finis consecutionem longè magis doctrinæ, quàm naturæ ordo conducit; in scientijs igitur tradendis doctrinæ ordo seruandus.

Confirmatio.

Hoc autem ex eo præcipuè confirmatum redditur, quoniam sæpe contingit ut in rebus non unus sit naturæ ordo, cum res una possit esse prior, & posterior aliâ, in diuerso tamen causæ genere; quid autem primò tunc assumi debeat considerandum, non aliâ ratione decernere datum est, quàm consulendo doctrinæ ordinem; hinc enim quid priùs, quidque posteriùs sit, considerandum determinat, ideoque constat naturæ ordinem ancipitem esse, proindeque minimè retinendum.

Secunda confirmatio.

Præterea. Si admitteremus ordinem esse seruandum,

Digitized by Google

dum, qui à naturali ordine desumitur, sequeretur nullum alium esse ordinem admittendum, quàm συνθετικον *syntheticum*, ut satis est manifestum; hoc autem quam maximè remotum esse à veritate testantur sagaciores naturæ interpretes, cum omnes unanimi consensu, & συνθετικον *syntheticum*, & αναλυτικον, *analiticum*, hoc est compositivum, & resolutivum, quin alij, & definitivum recognoscendum esse voluerint. Ita quidem Stagirites apertè testatur dicens omnes effectrices artes esse tradendas ordine resolutiuo, qui est à notione finis, adeout non meliùs ex eius sententia tradi possit ars ædificatoria, quàm præmittendo definitionem domûs ædificandæ, & ab hac procedendo ad fundamenta, parietes, tectum, deinde tandem ad lapides, lateres, camenta, & ligna, tanquam ad ptima, & simplicissima illius artis elementa, in quibus ars ipsa sistit, unde postea singularis cognitio artificis in constructione domûs initium ducit. Hoc idem videtur docuisse de scientia morali, cum hanc itidem ordine resolutiuo tradendam esse voluerit; & huiusmodi ordine profectò in moralibus est usus, quandoquidem à felicitate, quæ rerum agendarum est ultimus finis, initium ducit, deinceps progrediens de virtutibus disputat quæ naturâ felicitatem antecedunt, siquidem felicitas apud ipsum, non virtus, sed ex virtute actio est.

Amplius rei cuiusque ratio, & causa vera esse perhibetur, quâ habitâ definimus amplius quærere cur sit: ex aduerso non existimatur vera causa illa, quam dum habemus adhuc quærimus cur sit; at si quæratur cur Philosophus acturus de rebus naturalibus sit à primis principiis auspicatus, non benè respondetur, quia voluit naturæ ordinem seruare, nam in hujusmodi responsione animus non quiescit, cum adhuc supersit inquirendum, cur voluerit naturæ ordinem seruare, sed oportebit respondere, ut cognitionem optimam rerum naturalium consequeretur; prima igitur, & vera illius ordinis ratio est perfectæ scientiæ adeptio. Non itaque ordinis ratio ab ipsa rerum natura, sed à nostra cognitione desumi debet.

Præterea traduntur disciplinæ non ut in rebus ipsis ordo statuatur, cum hunc natura ipsa constituat, sed ut nos erudiamur; eo igitur ordine utimur, quo melius, atque facilius discimus. Hæc ergo est vera ordinandi ratio, ad quam & res ipsa nos ducit, & ipsa vocum significatio testatur, doctrinæ siquidem, non autem naturæ consueuit ordo nuncupari.

Hæc sunt argumenta paucis comprehensa, quibus plerique secundam opinionem tueri conati sunt. Antequam autem quid in re proposita dicendum aperiam, operæ pretium existimo diligentiùs ordinis definitionem elaborare, quandoquidem superiùs allata, quam Zabarella commendat, eo nomine videtur improbanda, quòd rationem adæquatam non exprimat eius, de quo loquimur, ordinis. Non enim inficiandum in scientiis tradendis ordinem adhibendum esse in eum finem, ut ea, de quibus ediserunt, distinctè perfectèque cognoscere valeamus. Non propterea tamen ita dicendo fit satis quærenti, cur hoc, vel illo modo sit ordinanda disciplina, nisi amplius addatur id, unde fit, ut hoc vel illo nos utentes ordine, distinctam de rebus notitiam assequi possimus; aliquid igitur allatæ definitioni addendum, ut scientifici ordinis definitio numeris omnibus absoluta dici mereatur. Quod eo lubentiùs mihi persuasum habeo, quia nisi aliquid addatur superiori definitioni, per illam animus non acquiescit, propterea quòd etsi omnes disciplinæ ordine traditæ dicantur in eum finem, ut eius præsidio facilè possimus distinctam, & absolutam cognitionem rerum illarum adipisci, de quibus in disciplinis illis disputatur, adhuc tamen in doctrinæ ordine exprimendum, unde est ut ordo prædictam facilitatem pariat. Nam si demùm definitio quædam tunc egregiè tradita censeri debet, quando rei definitæ naturam optimè declarat, ac dilucidam reddit, & per ipsam omnibus difficultatibus possumus satisfacere; non satis intelligo, quâ ratione ordinis definitio superiùs tradita, complexionem omnium numerorum habere dici possit, adeout in ea nihil desideretur. Videndum igitur nobis quid superiori definitioni sit ulterius addendum; erat porrò definitio huiusmodi. *Ordo doctrinæ est instrumentalis habitus, per quem apti sumus cuiusque disciplinæ partes ita disponere, ut quantum fieri possit, optimè, ac facillimè illa disciplina discatur.* Ad probè igitur doctrinæ ordinem explicandum videtur is mihi definiendus ad eum, qui sequitur, modum. *Ordo doctrinæ est instrumentalis habitus, per quem ex consideratione rerum tractandarum, quatenus perfecta cognitio unius ab alterius cognitione dependet, nos apti sumus cuiusque disciplinæ partes ita disponere, ut quantum fieri possit, optimè, ac facillimè disciplina illa discatur.* Per hanc porrò definitionem perbellè doctrinæ ordinem explicari constat quoniam rei definitæ naturam egregiè declarat, & uniuersalem exprimit rationem ordinandi omnes disciplinas, & quo id modo præstet, insinuat, omnesque difficultates diluit, ut satis perspicuum est. Ex hac definitione facilè constat, unde sit, ut quædam ordini doctrinæ adscribantur; & primò, quòd ordo doceat; cum enim ordo sit à nobis definitus habitus instrumentalis, per quem ex consideratione rerum tractandarum, quatenus perfecta unius cognitio ab alterius cognitione pendet, statim se dat in conspectum cur ordo doceat, quoniam hinc intellectus distinctam rerum cognitionem assequitur, quod est doceri; ordo igitur docet. Ex hac etiam definitione deprehenditur cur ab uniuersalioribus ad minus uniuersalia, & cur à notioribus ad minus nota, cur à facilioribus ad difficiliora in disciplinis tradendis procedendum sit. Quomodo autem hoc sit intelligendum, supereſt explicandum, quod paucis absoluam, si tamen præmisero dictum à nobis ordinem, de quo fit sermo, habitum instrumentalem esse iuxtà ea, quæ de alijs logicis instrumentis alibi fuerunt à nobis tradita, cum diceremus exempli gratia definitionem spectari posse per modum ideæ, & quasi prototypum imitandum ad cognitionis rectitudinem consequendam per ipsam definitionem; habitus enim relictus ex talium actuum frequentatione, quorum quilibet conceptus formalis est obiectiuo respondens (in quo præsertim ideæ rationem positam esse contendimus) definitivus appellatur; huiusmodi itaque habitus definitivus, quemadmodum instrumentalis dicitur, sic etiam ille, quo mens instructa potest ordinare, & de quo in præsentia fuit à nobis suscepta celebris hæc disputatio.

Definitio scientifici ordinis accuratius tradita.

Definitionem hanc retinendã ostenditur.

Comprobatio.

Asserendum primò ut probè instituatur doctrinæ ordo, frequenter in scientijs ordinem naturæ seruandum esse, itaut res omnes eo ordine disponantur, quo ex sua natura connexæ sunt, ac ordinatæ.

Prima assertio.

Hæc assertio ex eo planè conuincitur, quoniam inductione constat veritas ipsius. Nihil enim euidentius, quàm in hac, vel illa disciplina ab uniuersalioribus, quæ priora sunt naturâ, ad inferiora procedi, & à primordijs, causis, ac elementis rei, de qua disseritur, ad affectiones, & accidentia gressum fieri. Ratio non inefficax est quoniam id fit non sine magno quidem addiscentis commodo, propterea quòd huius

Ratione suadetur. Prima ratio.

Secunda ratio.

ordinis præsidio rerum notitias acquirendo iuxta dispositionem, quam ipsis natura præfixit, distinctam de rebus cognitionem assequitur.

Tertia ratio. Accedit etiam, quod ordo doctrinæ nil aliud, quàm ordo in cognoscendo. Hic porrò, quo magis congruerit ordini in essendo, eo etiam commodior addiscenti, quandoquidem hoc modo res ipsas cognoscit, prout ipsæ sunt, adeout addiscat naturâ duce.

Secunda assertio. Asserendum secundò sæpesæpius opportunum esse facilitatis, atque commoditatis urgente causâ neglecto naturæ ordine, ad ordinem doctrinæ confugere.

Ratione suadetur. Probatur autem, quoniam non rarò contingit aliquid utpotè naturâ posterius esse cognitu facilius; aliud verò utpotè naturâ prius esse minus notum, adeo ut hoc absque præuia cognitione illius ab intellectu, vel nullo modo, vel non nisi admodum imperfectè, vel saltem non nisi difficillimè cognosci possit; tunc autem nemini dubium, quinà posterioribus, ad priora naturâ gressum oporteat facere.

Tertia assertio. Asserendum tertiò, quando in rebus non unus, sed multiplex sit naturæ ordo, tunc ad ordinem doctrinæ confugiendum esse, ut per ipsum determinetur quomodo sit in disciplina procedendum.

Ratione suadetur. In hanc sententiam adducor, quoniam frequenter usu venit, ut sit non unus in rebus naturæ ordo, ita quidem inter finem, & media mutuus datur causalitatis ordo, puta inter medicamenta, & sanitatem, inter virtutes, & felicitatem, & idcirco non satis constat, uter eorum sit adhibendus; tunc profectò est à doctrinæ ordine expectanda determinatio, uter naturæ ordo sit usurpandus: ex hoc enim facilè perspicuum fiet quo sit ordine procedendum exijs, quos natura suppeditat, ut si eorum, quæ sunt tractanda, sit aliquid habens rationem finis, reliqua verò sint media, quæ ad ipsius consecutionem faciant, cum finis sit in intentione prior, quàm media, iuvabit exordium ducere à finis consideratione, quoniam hinc media longè melius nota redduntur, quanuis hæc executionis ordine priora sint.

Animadversio. Sed quoniam frequenter euenit, ut inter easdem res diuersus sit ordo dignitatis, & ordo etiam originis, seu generationis, considerandus, quando videlicet natura ab imperfecto ad perfectum procedit, in hoc enim generationis ordo planè consistit; idcircò peropportunum est diligenter inspicere, quâ viâ sit incedendum, cum plerunque iuvet dignitatis ordinem, interdum ordinem originis, atque generationis imitari. Hoc obseruatum à sagacioribus Physiologiæ magistris quotidie cernimus; enimverò non pauci sunt, qui de rebus aliquibus tractationem aggressuri, dignitatis ordinem amplexi sint, præmittentes ea, quæ sibi videbantur digniora, de reliquis postea sermonem habituri. Et alij, qui studio rerum tractandarum detinebantur, cuiuque alterius ordinis ratione posthabitâ, originis, atque generationis ordinem amplexi sint, rati non melius posse res tractandas disponi ad earum distinctam comparandam notitiam.

Auctoritate probatur.

Quandoque ordo arbitrarius videtur. Non negandum tamen sæpesæpius accidere, ut pro arbitrio possimus unum, vel alterum ordinem seruare, pro varia ratione, & habitudine rerum, quæ secundùm naturam ordinantur, quatenus videlicet æquè commodum est ab ordinatis ad finem, vel à fine vicissim ad ea, quæ ordinem ad ipsum habent, initium facere, vel aliqua aliâ ratione si contingat varium esse naturæ ordinem, nimirum à principijs ad principiata, vel contra, dummodo tamen quocunque nos utamur ordine, perfectam de rebus cognitionem assequi possimus. Neque hoc mirum esse debet, nam aliquid potest ratione quadam esse notius altero, & aliâ potest minus esse notum. Hoc euidens est adeo, ut opus non sit in eius probatione tempus insumere; quid enim clarius, quàm totum ratione quâdam esse notius partibus, & aliâ ratione oppositum euenire? Tunc porrò nemini licebit in dubium vertere quin cuique liberum sit vel à toto, vel à partibus tractationem exordiri; hâc tamen animaduersione, quòd à consideratione totius, dum is exordium ducit considerandum assumat illud quâ parte notius est, & si notauerit partes esse notiores toto, ab his tanquam à notioribus tractationis initium ducat, quatenus notiores sunt toto. Sed quoniam mutua hæc habitudo parit geminum ordinem, prout illa fuerit à naturâ prioribus, aut viceuersa; proinde curandum, ut hæc ordinis partitio dilucida reddatur.

Ordo igitur scientificus in duplici esse discrimine perhibetur, quorum unus συνθετικὸς, *compositiuus*, alter ἀναλυτικὸς, *analyticus* appellatur, quibus è Galeni sententia, ut non multo antea notauimus, addendus tertius, qui definitivus dicitur. Ordo quidem compositivus à resolutiuo distinctus ab Aristotele cognitus fuit: ait enim, Μαλαθανέτω δ' ἡμας ὅτι διαφέρουσιν οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχῶν λόγοι, καὶ οἱ ἐπὶ τὰς ἀρχάς. ἐν γὰρ τοῖς Πλάτων ἠπόρει τοῦτο καὶ ἐζήτει, πότερον ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, ἢ ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἔστιν ἡ ὁδὸς, ὥσπερ ἐν τῷ σταδίῳ ἀπὸ τῶν ἀθλοθετῶν ἢ ἐπὶ τὸ πέρας, ἢ ἀνάπαλιν. *Neque verò lateat nos differre eas, quæ à principijs sunt disputationes, & quæ ad principia. Rectè enim etiam Plato dubitabat, & de hoc quærebat, utrum à principijs, an ad principia sit via; perinde atque in stadio à munerarijs ne ad metam, an contra.* Ex his planè liquet duplex paulo antea commemoratus ordo, nam qui est à principijs, est compositivus: qui autem ad principia resolutivus dicitur. Duobus autem modis hæc ordinis distributio solet explicari, quorum primus est, ut Ordo compositivus sit quando scientia incipiens à primis principijs ad ulteriora progreditur: resolutivus verò, incipiens ab effectis, & à fine ad prima principia procedit. Iuxta explicationem hanc existimatum fuit ordinem compositivum scientiarum speculatiuarum esse proprium, quoniam hæ cum ad finem alicuius operis faciendi non referantur, nequeunt aliter ordinari, quàm à principijs exordium ducendo. Ordinem autem resolutivum artium, & practicarum scientiarum proprium esse dixerunt eoquòd, cum hæ pro fine suo opus exercendum habeant, ad quod media concurrunt, tanquam effectiua principia, debent prius finem ipsum considerare, qui primus est in intentione, postremus autem in executione, deinde media fini propinquiora, atque demùm illa media, quæ in intentione sunt ultima, at in executione sunt prima.

Secundus explicationis modus talis est, ut iuxta ipsum ordo compositivus dicatur, quandocunque proceditur à partibus ad totum; tunc enim ex partibus ad compositionem totius fit progressus; at verò ordo resolutivus contingat quando proceditur à toto ad partes; nam tunc mente resoluitur totum in partes. Et quoniam non una est ratio compositionis totius, & partium, cum alia sit compositio ex partibus metaphysicis, puta ex essentialibus prædicatis: alia physica ex materia, & forma: alia integralis ex partibus integrantibus, & aliæ huiusmodi; propterea his omnibus modis ordo compositivus, & resolutivus potest euenire; si nanque prius considerentur partes, siue essentiales, siue aliæ compositivus ordo seruatur; at ex aduerso si prius totum, quàm partes consideretur, seruatur ordo resolutivus. Vterque modus explicationis rationi consentaneus est, eo vel duo mo-

Ordo plex compositiuus & resolutiuus, bus definitiuus addita. Primus plicandi modus, l. Eth. cap. 4.

Distributio in resolutiuum & compositiuum duobus modis explicari solet.

Compositiuus quo modo explicatur.

Resolutiuum quo modo.

Secundus explicationis modus.

Prædicti duo modi ma-

Digitized by Google

maximè, quòd hic secundus à primo re ipsâ non differt, cum dicere compositivum ordinem contingere, eòquòd proceditur à partibus ad totum, perinde est, ac si dicamus iuxta primum explicationis modum, quoniam exordium ducit à primis principijs, & ad ulteriora procedit. Amplius cum dicimus ordinem resolutivum esse, quatenus proceditur à toto ad partes; perinde est, ac si dicamus, ut iuxta primum modum dicebatur, quoniam fit exordium à principiato, hoc enim habet rationem finis. Quamobrem utro modo res explicetur, nihil refert.

Neque est cur dicatur hoc inter hos duos modos interesse discriminis, quòd iuxta secundam explicationem necesse non sit scientiam speculatiuam procedere ordine compositiuo, practicam autem resolutiuo, sed utrique posse modum utrunque procedendi competere; at iuxta priorem explicandi modum non item. Hoc tamen in considerate dicitur, cum idem quoque iuxta primum explicationis modum liceat affirmare. Neque perturbet, quod in eo explicando dictum fuerit ordinem compositivum esse proprium scientiarum speculatiuarum, at resolutivum artibus, practicisque scientiis consentaneum esse; non enim id tam religiosè sumendum, quasi in scientiis contemplatricibus resolutivum ordinem, & in practicis compositivum non liceat usurpare; solum igitur intelligendum id frequenter euenire, quoniam contemplatricibus maximè consentaneus est compositivus ordo, practicis autem resolutivus. In electione siquidem ordinis debet in primis attendi, ut progressus fiat à notis, è quibus cum alia sint nobis, alia simpliciter nota, præstat exordium ducere ab iis, quæ nobis nota sunt, quod eleganter Philosophus docuit ita scribens, *ἀρκτέον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν γνωρίμων. ταῦτα δὲ διττῶς. τὰ μὲν γὰρ ἡμῖν, τὰ δὲ ἁπλῶς. ἴσως οὖν ἡμῖν γε ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. Incipiendum quippe est à notis idque verò duobus modis; alia enim nobis, alia simpliciter nota: forsan igitur nobis incipiendum ab ijs, quæ nobis perspecta sunt.* Et re verâ si quis aduertat ordinem, quem Aristoteles in Physicis usurpauit, non diffitebitur, quod paulo antea dictum fuit, nempe compositivum ordinem disciplinis contemplatricibus magnoperè consentaneum esse; non enim illam Philosophus adhibuisset, nisi pro comperto habuisset ordinem compositivum huiusmodi disciplinis accommodatum esse; tali autem ordine Philosophum usum fuisse in tradenda doctrina de rebus naturâ constantibus, idem ipse testatur initio dicens se hunc esse ordinem seruaturum. Accedit etiam, quod cuique potest id euidenter constare, si nonnihil notauerit modum, quem ipse in ea tractanda disciplina adhibuerit; sed hoc magis est manifestum, quàm ut pluribus argumentis indigeat. In practicis autem resolutivum ordinem à Philosopho usurpatum fuisse constat ex Moralibus, & ex Analyticis, in quibus ab effectis ad causas, atque principia progreditur, eo nomine quòd effecta nobis notiora sint.

Redeuntes igitur in orbem sermonis dicamus oportet utrique scientiæ, utrunque ordinem procedendi modum competere, quinimò plures etiam partes eiusdem integræ scientiæ sic se habere, ut una ordine compositivo; alia verò resolutiuo procedat. Ita quidem in Physiologia licet obseruare, quandoquidem pars eius, quæ octo Physicorum libris comprehenditur, compositivo ordine procedit, cum à principijs causis, & elementis ad reliqua gressum faciat; at verò pars, quæ de mundo est, primo sermonem instituit de mundo, de compositione ipsius, de structura, unitate &c. deinde progreditur ad considerandas eiusdem singulas partes; quod est uti ordine resolutiuo. Alia verò pars, quæ primò de elementis disputat, deinde mixtum considerandum assumit, compositiuo ordine procedit. Sic etiam pars illa, quæ de viuente loquitur, varium ordinem seruat, nam aliquando ordine utitur compositiuo à principijs ad effecta, quandoque oppositum ordinem, nempe resolutivum usurpat, ut consideranti potest esse perspectum, si percurrere voluerit libros omnes, in quibus de viuentibus Aristoteles abundè copiosèque disputauit. Hinc tamen non fit, quin tota illa disciplina dici debeat constanti ac unico quodam ordine uti; quoniam considerandus ordo, quem magna ex parte illa seruat, & præsertim initio, ubi sternit viam in uniuersa disciplina calcandam, inde nanque de re proposita iudicium ferendum est. Illud tamen silentio præterire non possum, quod in re proposita magnum habet momentum, nempe disciplinam aliquam dici posse ratione diuersâ, utroque ordine uti; nam si disciplina prius occupetur circa prædicata uniuersalia; adeout consideret rem in uniuersum, non tantum secundùm suppositionem simplicem, ut Dialectici loquuntur, sed absolutam descendendo videlicet ad species sub illa communi ratione contentas, dicetur procedere ordine compositiuo, quoniam exordium ducit ab illis communibus, uniuersalibusque rationibus, ex quibus tanquam ex partibus essentialibus interiora componuntur; at eadem disciplina, quatenus primò uniuersalia considerat, quibus conuenit ratio totius potestatiui, & ad species descendit, tanquam ad partes illius totius, dicetur procedere ordine resolutiuo, quod exemplo naturalis Philosophiæ, quinimo & uniuscuiusque alterius disciplinæ facillimum est explicare; illud tamen aduertendum, non posse in scientijs diuersum ordinem pro arbitrio scriptoris usurpari, nam in singula disciplina tradenda melioris, ac facilioris doctrinæ ordo præ oculis habendus est.

Ad ordinem definitivum à Galeno inuentum quod attinet, ut nonnulla subijciam, breuiter dicam hunc ordinem non esse tertium quendam distinctum à duobus commemoratis compositiuo, & resolutiuo, sed ad eorum unum videlicet ad resolutivum reuocari. Hic enim si dicendus ille, qui à notione finis procedit, & ab effectis ad causas, atque principia progreditur, nemini dubium erit, quin definitivus ordo traditus à Galeno ad resolutivum reducatur; propterea quòd huiusmodi ordo est à notione finis, nempe sanitatis introducendæ, vel conseruandæ, ad ea quæ sunt signa, causæ &c. quibus potest sanitatis amissæ consecutio, & præsentis conseruatio fieri. Vt enim in Politica, & Morali exponenda doctrina dicitur adhiberi ordo resolutivus, eo quod fit progressus ab effectis ad causas, à felicitate ad media, quibus felicitas comparatur; non dissimiliter in Medica doctrina à Galeno exposita dicendum seruari ordinem resolutivum, eo quòd progressus fiat à sanitate, seu sanitatis consecutione, tanquam à fine ad ea quibus hujusmodi finis potest obtineri.

Considerantur doctrina definitiua quam Galenus excogitauit.

Non datur tertius ordo distinctus à cõpositiuo, & resolutiuo.

Neque perturbet, quòd Galenus dixerit tres esse doctrinas ordini inhærentes, nam per ordinem intelligit eum, qui est ordo doctrinæ, & quanuis ipse tres doctrinas agnouerit, non subinde concludas tres quoque ordines agnouisse, non enim ordo idem, ac doctrina.

Ordo non idem ac doctrina.

Doctrina siquidem dicitur græcè διδασκαλία, nempe institutio, quam discipulus à suo præceptore accipit; non idem autem est ordo ac doctrina, nam ordo quid sit ex dictis perspicuè constat, quid autem doctrina paucis explicabo. Doctrina autem tribus con-

Doctrina quid.

continetur, quorum primum, ut subiectæ materiei cognitio sit; Secundum est ordo, quo de subiecta materia disseritur, qui ex omnium Philosophorum consensu, geminus tantùm est, nempe à primis, vel ad prima, hoc est, à causis, vel ab effectis. Tertium est methodus habens vim inferendi, quæ bipartitiò diuiditur, cum alia sit, ut aiunt, à priori, altera verò à posteriori, vna videlicet à causa propria ad effectum; altera oppositò modo se habens, quippeque, vel procedit ab effectu ad causam, vel à causa remota. Nunquam enim discipulus docebitur, nisi primò aliquid intelligat de subiecta materia, secundò nisi quodam ordine procedat, tertiò nisi aliquâ ostensione, seu demonstratione, vel à priori, vel à posteriori, utatur.

Galenus non ordinem definitivum sed doctrinam definitiuã agnouit.

Ad ordinem definitivum redeo, & aio hunc à Galeno nunquam assignatum fuisse, cum non ordinem, sed doctrinam definitiuam statuerit, compendij gratia; propterea quòd breuissima est & ad memoriam aptissima, omnia siquidem artis medicæ capita, tum pertinentia ad cognitionem, & curationem, tum ad præseruationem, & restaurationem declaratione trium istorum verborum *salubris*, *insalubris*, *& neutrius*, complectitur. Dicitur autem doctrina definitiua, quoniam fit dissoluendo definitionem in omnia verborum significata, ita tamen, ut ordo resolutivus sit, quandoquidem ducit exordium à sanitate, tanquam à fine, & hinc gressum facit ad media, quibus sanitas comparatur.

Adnotatio de facultatibus practicis.

Aduertendum tamen in facultatibus practicis illud esse præcipuum, quòd unaquæque spectari potest ut docens, & ut operans, quarum contrarij sunt ordines, nam artis docentis ordo est resolutivus; operantis autem compositivus; hoc eleganter expressit
7. Diuin. Tex. 3. Aristoteles, ex cuius doctrina excogitatio Artificis vocatur intelligentia, quæ extenditur ab illo, quod est primum in intentione, & ultimum in executione, usque ad illud quod est primum in executione, & ultimum in intentione; prima est artificis actio intentionalis, quæ incipit ab eo, quod est primum in intentione, & ultimum in essecutione, & terminatur ad id, quod est primum in executtione, & ultimum in intentione, & hæc excogitatio artificis de re facienda, dicitur intelligentia: Alia operatio est transiens, & realis, quæ contrario modo incipit ab eo, quod est primum in executione, & ultimum in intentione, & terminatur ad id, quod est primum in intentione, & ultimum in executione, & hæc est ipsius artis executio, quæ factio vocatur, ita Medicus ut inducat sanitatem, incipit à consideratione ipsius, & progreditur ad ea, quibus sanitas acquiritur, idque facit per Medicinam docentem, ordine resolutiuo, deinde per Medicinam operantem ordine compositiuo reuertitur ab ijs, quæ possunt sanitatem inducere, ea quidem appositè adhibendo, donec ad sanitatis consecutionem perueniat, quod in alijs practicis facultatibus obseruare licet; sic enim ars ædificatoria docens ex notione finis, nempe domùs, colligit, quod tectum, qui trabes, quæ fundamenta, atque demùm, qui lapides, & quæ cæmenta conueniant. Ars verò operans colligit omnia, quæ per doctrinam resolutiuam inuenta fuerunt, & à simplicissimis ordine compositiuo à lapidibus, à cæmentis, à trahibus exordium ducit. Non dissimiliter Medicus docens ordine utitur resolutiuo, operans autem compositiuo. Vbi aduerte per artem operantem intelligendam esse notitiam illam practicam, quam artifices habent de re hic, & nunc facienda, ut illa notitia, quam ædificator habet dum suum opus aggreditur, nempe domûs constructionem, de his vel illis lapidibus, de hoc vel illo cæmento, &c. sic Medicus curaturus ægrotum, notitiam habet de medicamento exibendo hoc vel illo tempore, ars igitur hæc operans dici consueuit.

SECTIO SECVNDA.

Quid interfit inter Ordinem, & Methodum.

Ordo, & Methodus pro eodem vsurpant.

NIhil magis vulgatum, quàm ordinem, & methodum pro eodem usurpari, cum appellatione communi vocari soleat ὁδὸς *via*; quamobrem vox quoque composita μέθοδος *methodus* frequenter, sæpeque pro ordine accipitur, & re verâ si huiusmodi vocis significationem spectare velimus, non minus ordinem significare potest, quàm illam, quæ propriè methodus dici consueuit, quandoquidem & hæc & illa via quædam est, & quidam est progressus ex uno ad aliud. Nihilominus maximum est discrimen inter ordinem, & methodum, propterea quòd progressus ab uno ad aliud cognitionis adipiscendæ gratia, duplex esse potest; aut enim res ipsas tractandas ita disponimus, ut priùs de hac, postea de illa disputemus: aut à cognitione unius ducimur in cognitionem alterius. Hi autem duo progressus longè, latèque differunt, quanuis enim uterque sit progressus ab uno ad aliud, nihilominus eo differunt, quòd prior progressus in eo duntaxat consistit, ut priùs de uno, quàm de alio differatur, at verò secundus in eo positus est, ut ex cognitione unius ducamur in cognitionem alterius; Sed aliud est hanc rem priùs esse cognoscendam, quàm illam, aliud verò ex hac re nota nos duci in cognitionem illius ignotæ, hoc ad methodum; illud autem ad ordinem pertinet. Ordo siquidem nullam illationem faciens, tantummodo disponit ea, quæ tractanda sunt, adeout munus ipsius sit scientiæ partes disponere sic, ut una præcedat aliam; ut si diceremus priùs esse tractationem ineundam de corpore naturali generatim sumpto, subinde verò de speciebus sub illo proximè contentis, videlicet de corpore simplici, & mixto, priùs autem esse de simplici corpore disputandum, &c. Methodi autem munus non est scientiæ partes disponere, sed ex noto nos ducere in cognitionem ignoti, hoc ex illo deducens; ut cum ex mutatione procedimus ad indaganda principia, & præsertim ad id, quod primum subiectum dicitur naturalis generationis, ut cum ex æterno motu ducimur in æterni motoris immobilis cognitionem; & in uniuersum cum ex effectis cognitis in cognitionem principiorum, causarum, & elementorum ducimur, methodo utimur; sicut ex aduerso cum ex principijs, causis & elementis cognitis in effectorum cognitionem deuenimus, methodum adhibemus; utroque enim modo ex aliquorum cognitione deducimus aliorum notitiam, proindeque semper notificatio locum habet in eo, quem exercemus progressu; methodus igitur non disponit scientiæ partes cum hoc sit ordinis proprium; sed à noto ducit nos in cognitionem ignoti, unum ex alio inferens. Ordo uniuersæ scientiæ dispositionem respicit, singulas eius partes inuicem conferendo; sed Methodus in unius rei quæsitæ inuestigatione consistit, sine ulla partium comparatione, ut propterea latius pateat ordo, quàm methodus.

Ordinis munus.

Methodi munus.

Ordo in quo consistat, & per quid methodo distinguatur.

Vt methodi autem naturam nos explicare valeamus, & quotuplex ea sit accuratè, perspicuèque declaremus, quædam præmittenda duximus. Μέθοδος, *Methodus* nil aliud est, quàm docendarum rerum ratio,

Ordo inter artis partes, quam methodo. Plato de legib. lib. 8

Digitized by Google

tio, ars, vel breue dicendi compendium; vel ut Fabio placet, est quædam breuis via docendi, vel discendi; exponitur etiam ratio commentandi, & deprehendendi aliquid. Item tractatus aliquis, ac liber, ut satis ex Aristotele constat. Item fictio, ludificatio, illusio. Sed in præsentia sumitur Metodus significatione longè diuersâ.

Methodus igitur usurpatur tot modis ut dictum est, sed in præsentia sumitur ita ut definiri debeat hoc modo. *Methodus est intellectuale instrumentum, quo ex cognitione unius infertur cognitio alterius*; nempe est instrumentum intellectuale faciens, ut nos ex noto cognoscamus ignotum; quamobrem intellectuale instrumentum, cum etiam sit ordo, consequens fit, et instrumentum huiusmodi sit veluti genus ordini methodoque commune; at verò ex cognitione unius inferre cognitionem alterius, ac ob id ex noto facere cognitionem ignoti, differentia est, quâ methodus ab ordine distinguitur. In quo autem ista notificatio consistat, ignorari non poterit, si diligenter aduertatur quomodo illa contingat; comperiemus enim facilè, nil aliud esse, quàm illationis necessitatem; per hanc enim ab ordine secernitur; cùm tam ordo, quàm de methodus progressus quidam sit à magis ad minus nota, vel à notis ad ignota; hoc tamen differunt, quòd ordo solùm disponit notitias, itaut quæ de notioribus est, præcedat eas, quæ sunt de rebus minus notis, hoc enim postulat saltem omnis doctrinæ ordo, qui progressus talis est ut in eo nulla detur illatio, non enim talis, ut per ipsum ex cognitione unius, nimirum noti, mens deducat cognitionem ignoti; at verò methodus progressus est longè diuersus, cum illationem inuoluat; mens enim per ipsam ex cognitione noti infert cognitionem ignoti, quod ex nomine methodi constare iam ab aliis obseruatum fuit, propterea quòd viam ex uno in aliud significat, ut obid duos debeat habere terminos, *à quo* nimirum, & *ad quem*, hunc autem ignotum, beneficio illius notum fieri. Hinc enim methodus instrumentum notificans dici consueuit; itaque ordo cum talis sit, longè differt à methodo, ille siquidem facit ut faciliùs, ac meliùs eorum, quæ venamur, notitiam assequi possimus, quatenus, quæ per ordinem fuerunt præmissa, conferunt ad cognitionem subsequentium; non ita tamen, ut harum notitia vi ordinis deducatur ex cognitione illarum; secus autem methodus, quæ ex antecedentis notione, consequentis notitiam deducit; obid ordo totam scientiam respicit, ut superiori quoque Sectione notauimus, methodus autem non scientiam uniuersam, sed ipsius problemata singula, quandoquidem singulum problema, dum nos ignoramus, & quærimus, nota quædam accipimus, ex quibus cognitionem illius inferamus.

Se tamen difficultas offert non exigui momenti, propterea quòd superiùs dictum à nobis fuit hoc inter ordinem, & methodum differre, quòd ordo nullam illationem inuoluat, methodus verò contrario modo se habeat. Sed hoc difficultate non caret, cum enim ordo sit quædam dispositio partium, ex quibus uniuersa constat disciplina, dispositio autem sine ratiocinatione haberi non possit, ex necessitate sequitur in omni ordine, siue resolutiuo, siue compositiuo illationem adhiberi; quis enim eâ unquam potuit animum informare sententiâ, ut credat ratiocinationem absque illatione fieri?

Hanc attulit difficultatem Zabarella de solo ordine resolutiuo loquens, cum tamen de utroque ordine difficultas urgeat. Putat idem auctor nihil omnino certius esse, quàm in resolutiuo ordine dari consecutionem, seu illationem; nam, inquit, primo Post. lib. Philosophus ex definitione demonstrationis colligit qualia debeant esse demonstrationis principia. Non dissimiliter Medicus ex definitione sanitatis colligit quibus remediis eius conseruatio, vel recuperatio molienda sit, quæ tamen in ordine compositiuo obseruare non licet. At ut ingenuè fatear in eo mihi videtur auctor iste deceptus, quod ordinem cum methodo confundat, illiq; tribuat, quod huic tribuendum est. De ratione siquidem ordinis in uniuersum, non est, nisi disciplinæ partes disponere, atq; adeo facere pro conditione rerum tractandarum, ut quædam præcedant, alia autem subsequantur; ergo id utriq; ordini debet competere, cum quicquid conuenit generi, cuicunq; contento sub illo competere quoque debeat. At verò colligere ex definitione demonstrationis qualia debeant esse principia, & ex definitione sanitatis cuiusmodi debeant esse remedia, non pertinet ad ordinem, non enim huius tale officium est, sed solùm ita scientiæ partes disponere, ut priùs differatur de demonstratione, deinde de principiis eiusdem, & priùs de sanitate, postea verò de remedijs &c. Colligere autē ex demonstrationis definitione qualia debeant esse principia, & ex definitione sanitatis, qualia remedia, methodi, non ordinis munus est. Et quanuis conetur propositæ difficultati duplici responsione occurrere, prima solùm, probè tamen explicata, satisfacit; respondendum igitur in ordine dari quidem illationem non per se, sed per accidens, siquidem ordo formaliter in sola dispositione unius post aliud consistit; accidit autem huiusmodi dispositioni, ut ratiocinatione fiat; at methodus essentialiter illationem inuoluit, cum formaliter in deductione unius cognitionis ex alia consistere dici debeat. Quod autem sæpe sæpius eueniat ut ratiocinando nos ordinemus alicuius disciplinæ partes (de hoc enim ordine nunc loquimur) ex eo manifestum redditur, quod intellectus ratiocinando cognoscit priùs hoc esse tractandum, posteriùs autem illud. Ita quidem in ordinandis Physiologiæ partibus ratiocinationem experimur; concludimus enim tractationem de corpore naturam habente generatim accepto, præmittendam esse, deinde de speciebus proximè sub ipso contentis, nempe de corporibus simplici, & mixto; & ad mixtum quod attinet, primò de mixto perfecto, postea verò de imperfecto, &c. Rursus concludimus de naturali corpore in uniuersum sic esse disputandum, ut priùs de principijs, & causis, postea de proprietatibus ac affectionibus; & ad principia quod spectat, priùs de principijs generationis, postea de principijs rei genitæ, eà tamen ratione, ut priùs de principijs generationis in ratione mutationis, postmodum verò de ijsdem in ratione productionis, & ita de reliquis. Hæc autem dispositio proculdubio ratiocinatione fit, sed hoc ex accidenti, quoniam ordinatio illa, non inuoluit essentialiter illationem, cum solùm dicat dispositionem unius post aliud, quod autem hanc assequi nonnisi ratiocinando possimus, per accidens est. At si ex duabus sumptionibus notis colligam conclusionem ignotam, non possum id nisi ratiocinando facere, proindeque methodus, cuiusmodi est conclusionis ex præcognitis sumptionibus deductio, essentialiter illationem inuoluit.

Reijcitur & alia asseritur.

Duplex autem, ut aliàs aduertimus, Methodus est, harum una dicitur Ἀναλυτικὴ, *analytica*, altera Συνθετικὴ, *syntetica*, hoc est una *resolutiua*, altera *compositiua*. Prima, quæ resolutiua dicitur, ab effectis cognitis, ad ignota principia, causasve procedit. Ex aduerso, quæ compositiua nuncupatur, à principiis,

Duplex metodus resolutiua, & compositiua.

Digitized by Google

pi js, & causis notis ad effecta procedit ignota; quamobrem duplici hac viâ in veritatis indagatione utimur, ita tamen ut semper illationem adhibeamus, quatenus ex cognitione aliquorum in aliorum cognitionem deuenimus; methodus enim semper à notis ad ignota in quacunque disciplina seruatur. Methodorum autem binarius numerus colligitur, quoniam omnis methodus syllogismi rationem habet; in omni autem syllogismo sciendi gratia constructo, necesse est, vel à causa ad effectum, vel contra ab effectu ad causam progressum fieri; prior methodus propriè demonstratio dicitur, ut ob id huius methodi finis sit perfecta scientia, quæ est rei cognitio per causam; posterioris autem methodi finis est inuentio potius causarum, quàm scientia, quæ per ipsas causas comparatur, quandoquidem resolutione causas ex effectis inquirimus, ut postea ex causis effecta cognoscamus; vel si scientia dici potest, nonnisi imperfecta admodum debet appellari. Si quis autem definire velit demonstratiuam methodum, respiciat finem paulo antea significatum, nam aduertet huiusmodi methodo demonstrationis perfectæ congruere definitionem ab Aristotele traditam; erit autem quæ sequitur. *Methodus demonstratiua est syllogismus scientiam pariens ex necessarijs propositionibus, immediatis, notioribus, causisque conclusionis.* Methodus autem resolutiua erit sequentem in modum explicanda. *Methodus resolutiua est syllogismus ex propositionibus necessarijs constans, qui ex effectis & posterioribus naturâ notioribus ad priorum, & causarum inuentionem ducit.* Demonstratiua methodus, quæ nil aliud, quàm perfectissima demonstratio, diuiditur iuxta causarum genera, per quæ demonstratio confici potest. At methodus resolutiua diuidi patitur in eam, quæ procedit ab effectis, qualis est ea, quâ nos utimur ad inuentionem eorum, quæ in secretioribus naturæ latebris occultantur: Altera dici potest inductio quę etsi à nuper significata longè superetur efficacitate, ad confirmanda tamen, quæ non penitus ignota sunt, cuiusmodi prima scientiarum complexa principia dici possunt, aliquam utilitatem affert. Est autem inductio processus à posterioribus ad priora, quoniam uniuersale est naturâ prius particularibus; & in uniuersum magis commune est prius natura, quàm minus commune; uniuersale porrò, quodque magis commune est, causæ rationem habet; ideirco à particularibus ad uniuersale, & ad minus communibus, ad magis communia progredi, est à posterioribus ad priora procedere.

Vnde binarius methodorũ numerus colligatur

Diuisio methodi compositiua.

Diuisio methodi resolutiua

Methodus ab effectu siue signa.

Methodus, quæ in inductione cõsistit.

Inductio quid.

Neque perturbet, quòd methodus debeat esse syllogismus, qualis non est inductio quippequę à syllogismo differt; tametsi enim non actu, & formaliter, virtute tamen syllogismus dici debet, non enim colligendi necessitatem haberet, nisi in bonum syllogismum verti posset; quod si quandoque inductio non tenet, defectus non ex parte formæ, sed ex parte materiæ prouenit.

Difficultas.

Solutio.

Allatam superius à nobis methodi partitionem in resolutiuam, & compositiuam existimabit aliquis inadæquatam, velut illam, quâ non comprehenditur definitio, ac diuisio, cum tamen utraque videatur methodus esse dicenda. Re tamen verâ superior methodi distributio, tanquam adæquata retinenda, propterea quòd methodi ratio nec diuisioni nec definitioni potest congruere, nisi de nomine contentio fiat; enimverò methodus id sibi vendicat sui natura, ut ignotum ex noto manifestet, hoc autem definitioni non conuenit. Neque enim dici potest methodus, quatenus fit processus à parte definitionis nota ad aliam partem ignotam; nam à parte ad partem nulla fit illatio. Nec à re definita, ut notiore ad definitionem, ut ignotiorem; non enim ex cognitione rei definitæ nos ducimur per necessariam illationem in notitiam definitionis ignotæ. Neque quatenus fit processus ab ipsa definitione ad essentiam, seu quidditatem rei definitæ cognoscendam; quanuis enim simplex essentiæ quædam expressio sit, quatenus explicat partes, quibus res definita constat, id tamen fit citra quamlibet illationem, atque progressum à noto ad ignotum; idcirco methodus non est. Nec propterea quòd inter instrumenta directiua cognitionis enumerata fuerit definitio, debet methodus appellari, cum adhuc conducat ad directionem prædictam, etsi methodi naturam non obtineat; dirigit autem quoniam ipsa partes rei definitæ explicando, & ob oculos mentis constituendo, clarè, distinctèque repræsentat, quod nomen obscurè confusèque significabat; res enim ut totum quoddam confusum à nomine significatur, eadem verò ut distinctè sumpta, per definitionem exprimitur. Nam res potest nobis duobus modis proponi concipienda, vel per modum totius cuiusdam confusi, vel per modum alicuius in essentiales partes distributi, adeout omnes distinctè cerni possint; illud confusum dicitur res ipsa, idem verò distributum in partes essentiales, dicitur essentia, seu quidditas, quæ ab eo, cujus est quidditas, ratione quidem, sed re ipsâ non differt. Si nomen cum definitione in vocibus consistente nos comparemus, facilè videbimus quid inter hæc interfit; nomen enim significat rem confusè conceptam; definitio verò eandem rem distinctè intellectam, hoc est eius quidditatem significat, quibus proportione respondent conceptus in mente; conceptus enim, cujus loco substituitur nomen, confusus est, ille verò, cuius loco subrogatur vocalis definitio, est distinctus, hoc est prior confusè, secundus distinctè rem definitam attingit; processus igitur ille à definitione ad rem definitam declarandam insulsè methodus existimatur. Nec processus à partibus definitionis ad totam definitionem potest methodus nuncupari, siue nanque spectentur partes, ut prædicata rei definitæ inexistentia; siue quatenus essentialia & prædicata in eo, quodquid est, utcunque spectantia, nunquam ab ipsis ad totam definitionem progressus fit, cui methodi ratio possit accommodari. Ad quatuor hæc enim reuocantur. Primum sunt definitionis partes prout enunciantur de definito. Secundum verò eædem prout sunt definitionis partes, & prædicata in eo quodquid est. Tertium est tota definitio, non quatenus huiusmodi, sed prout prædicatum quoddam ipsius rei definitæ. Quartum denique est ipsa definitio, prout est rei definitio, eiusdem quidditatem exprimens; utcunque autem hæc considerentur, nunquam reperies à partibus definitionis fieri discursum ad totam definitionem, tanquam à notis ad ignotum. Quandoquidem partes ignoratâ definitione, quocunque modo sumptâ, cognitæ esse non possunt, cum definitio non aliud sit quidpiam à partibus collectim acceptis; quamobrem partes definitionis prout hæc enunciatur de definito, cognitæ nequeunt esse absque definitione se habente per modum prædicati de re definita. Nec eædem partes, prout sunt partes definitionis, suntque prædicata in eo quod quid est, cognosci possunt ignoratâ definitione, prout hæc est rei definitio, & eiusdem quidditatem exprimit; quin potius cognitio partium definitionis prout definitio enunciatur de definito, est cognitio definitionis per modum prædicati de definito, & cognitio partium eorum

Obiectio aduersus methodi partitionem tanquam inadæquatã.

Ostenditur adæquatam esse.

Ostenditur defi-

definitionem non esse methodum

Difficultas euasa

soluto.

rundem, prout sunt definitionis partes, & prædicata in eo quod quid est, cognitio est definitionis prout hæc est rei definitio naturam eiusdem explicans; cognoscens enim singulas partes de re quapiam enunciari, cognoscit quoque definitionem uniuersam de re eadem prædicari; non dum tamen rei definitionem cognoscit prout eius est definitio; at cognoscens partes singulas de illa re in eo quod quid est prædicari, cognoscit etiam definitionem uniuersam illius rei definitionem esse. Quamobrem nullus exercetur discursus à partibus ad totam definitionem, tanquam à notis ad aliquod ignotum; partes enim notas in unum colligere non est à noto ad ignotum per necessariam illationem procedere, sed ab eodem ad idem, & à noto ad notum; nam definitio cognita actu dici poterat in partibus, quibus ipsa constat. Concludendum igitur definitionem non esse methodum, prout methodus in præsentia sumitur, cum via non sit, quâ procedatur à noto ad ignotum per necessariam consecutionem, adeo ut vi illationis ex cognitione unius deueniatur in cognitionem alterius.

Nec diuisio talis est ut methodi sibi rationem vendicare queat, non quidem eo nomine quòd ipsa conducat ad venandas definitionis partes ignotas, non enim diuisio habet vim quidpiam notificandi, nec propterea definitionis partes; nam hæ si proponantur alicui nullius diuisionis ope, statim cognoscuntur; quòd si cum diuisione proponantur, & illicò cognoscantur, hoc non est, quia per diuisionem notæ fiant, sed quoniam per se ipsas cognoscuntur; nam si per se non cognoscantur, siue cum diuisione, siue absque diuisione, ignotæ penitus remanent; ad venandas igitur definitionis partes diuisio nullatenus dicenda methodus. Nec etiam talis est ad notificandum ignotum specierum numerum.

Reliquum est, ut diuisionis utilitas non in alio sit constituta, quàm in disponendo, ac ordinando, cum alioquin ad notificandum inefficax omnino sit, unde est ut potius ordinis, quàm methodi naturam sapiat, & idcirco potius ad ordinem, quàm ad methodum pertineat; atque adeo ad uniuersæ disciplinæ partes probè disponendas rerum tractandarum diuisio momenti plurimum habeat. Ad hoc autem diuisionem summopere conferre non obscurè constat ex hactenus de ordine disputatis; enimverò diuisio, vel ordo est, vel ordini famulatur. At verò diuisioni tantam inesse vim ad rectè partes alicuius disciplinæ ritè di ponendas exemplo licet explicare; non enim melius uniuersæ Physiologiæ partes disponi possunt, quàm diuisionis præsidio. Si quis nanq; sibi proponat in huiusmodi disciplina corpus naturâ constans tanquam adæquatum obiectum considerandum, ut rectè possit uniuersæ tractationis partes disponere; primò debet naturale corpus in simplex & mixtum distribuere, deinde mixtum in imperfectum, & perfectum, postea perfectum in homogeneum & heterogeneum, mox homogeneum in lapides, & metalla, & heterogeneum in animalia, & stirpes, & horum quodlibet in species ultimas. Ita ut primo loco de corpore naturam habente, generatim sumpto, sermonem instituat, subinde verò de corpore simplici, &c. & ut hæc omnia consideret ad eum quem diximus modum, cum de ordine sermonem haberemus.

Diuisio etiam summoperè conducit ad efformandam definitionem, siue huius partes sint per se notæ, siue non; priori siquidem modo quàmmaximè diuisio ad ipsam definitionem conducit, quoniam opitulatione ipsius, ordinatè possumus partes disponere, videlicet genus præmittendo differentijs, & differentias superiores inferioribus, quo neglecto, nugatio committeretur; posteriori autē modo, nempe si partes vel omnes, vel aliquæ ignotæ sint, & idcirco vestigatione, atque probatione indigeant, diuisio nobis illud commoditatis affert, ut nimirum eius ope valeamus ordinatè partes exquirere, adeo ut prius inesse rei definiendæ genus remotius, deinde minus remotum, & ita deinceps demonstremus; sed hanc ordinationem partium diuisionis præsidio consequimur. Cum verò institutâ summi generis diuisione per differentias ordine procedentes in aliquam partem non per se cognoscibilem incurrimus, ad opportunam methodum confugimus, ut eius auxilio, si quid est, quod probatione indigeat, validâ ratione firmemus; diuisio siquidem vim notificandi non habeat, hoc enim tam proprium est methodi, ut alteri ab ipsa conuenire non possit. Sed varias diuisionis utilitates, de diuisione suo loco disputantes, recensuimus; ab hoc igitur munere abstinendum, ne actum agere videamur.

SECTIO TERTIA.

Quo ordine res naturaliter cognoscantur, peiusne uniuersalia, an singularia.

CElebris controuersia est illa, quam aggredimur in cuius gratiam præmittendum, quod neminem præterire potest, mentem scilicet humanam, cum primùm res aggreditur considerare, non temerè, sed ordine quodam naturæ procedere; non enim omnia simul, sed unum post aliud considerandum assumit; idcirco videtur operæ pretium in quæstionem vocare quid primò ab humana mente cognoscatur, cum enim ex ijs, quæ sub considerationem cadunt, quædam sint uniuersalia, quædam singularia, res est inquisitione digna, an uniuersale, an singulare sit id, quod primò ab humana mente cognoscitur. Quanuis autem de re proposita disputationem instituere, Physici potius, quàm Dialectici partes videantur; non existimandum tamen id à præsenti instituto penitus alienum, nam hoc argumentum summam affinitatem habet cum ordine artificiali, cuius consideratio ad Dialecticum pertinet. Præmittēda quædā.

Cum autem susceptæ disputationis decisio præcipuè pendeat ex quæsiti propositi explicatione; aduertendum idcirco in præsentiarum sermonem esse de cognitione, quæ simpliciter prima dici potest; cum enim intellectus humanus initio sit veluti tabula rasa, in qua nihil est depictum, non immeritò proponitur inquirendum quid nam sit id, quod ei primò se offerat cognoscendum, & quę nam sit prima cognitio, quæ in intellectū primò irrepit, atque adeo, quam nulla alia omninò præcesserit, quod enim huiusmodi cognitione perceptum fuerit, illud absolutè simpliciterque primum cognitum originis ordine dici poterit. Non est igitur in præsentia sermo de cognitione habituali, vel virtuali, sed de actuali; nec de primo cognito primitate perfectionis, vel ut aiunt adæquationis, sed de primo cognito primitate originis, vel generationis. Quoniam verò simplex cognitio complexam præcedit, necesse est cognitionem, de qua loquimur, quanque dicimus esse primam primitate originis, simplicem esse, cuiusmodi est illa quæ in simplici obiecti apprehensione consistit, quamque intellectus obiectum simpliciter apprehendendo acquirit. Et quoniam intellectus iuxta naturæ legem ab imperfecto ad perfectum progreditur; idcirco rudis, & imperfecta notitia, quam de re quapiam acquirit; distin- Quæstionis explicatio.

stinctam, atque perfectam præcedit; hinc necesse est hoc loco de confusa cognitione sermonem instituí, nimirum de illa, qua cognoscitur totum non cognitis partibus, quibus eius definitio constat, non autem de cognitione distincta, quæ de toto habetur intermediâ notitiâ partium. Ex his facilè intelliges, quod priùs cognoscitur cognitione distinctâ, dici primum duntaxat in tali ordine, nempe distinctè cognoscendi, non autem primum simpliciter, & absolutè cognitum, cuiusmodi est illud, in cuius inquisitione nostra nunc desudat industria; quamobrem primum confusè cognitum non immeritò dici poterit primum simpliciterque cognitum, quoniam uniuersus ordo confusè cognoscendi prior est, quippequi præcedit uniuersum ordinem cognoscendi distinctè; hinc est, ut primum in illo ordine, non autem in isto, cognitum simpliciter primum dici debeat.

Hac in re extremæ sententiæ extant, cum quidam præclari nominis viri crediderint priùs uniuersalia, quàm singularia cognosci, intra tamen latitudinem cognitionis intellectiuæ, cum alioquin id non fateantur intra latitudinem uniuersæ cognitionis, tam sensitiuam, quam intellectiuam comprehendentis.

Contraria sententia docet priùs ab humana mente singulare cognosci.

Prima assertio. Asserendum primò simpliciter & absolutè primum cognitum ab intellectu nostro primitate originis esse singulare materiale sensibile speciei atomæ. Explicatur, & suadetur assertio. Cum singulare possit esse tam naturæ immaterialis, quàm materialis, hoc loco de materiali fit sermo; & quoniam hoc bipartitò diuiditur, cum unum sit sensibile, aliud autem insensibile, in præsentia sensibile est, quod sub disputationem cadit; cum autem hoc possit esse vel vagum, vel signatum, de vago, non autem de signato conclusionem intelligendam volumus.

Assertionis explicatio.

Auctoritate probatur. Hanc assertionem ab Arist. fuisse traditam manifestũ adcò, ut nihil magis, sic enim loquitur λέγω δ' πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα, τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως· ἁπλῶς δ' πρότερα καὶ γνωριμώτερα, τὰ πορρώτερα. ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν, τὰ καθόλου μάλιστα, ἐγγυτάτω δὲ, τὰ καθέκαστα. καὶ ἀντίκειται ταῦτ' ἀλλήλοις. *Dico autem ad nos quidem priora, & notiora ea, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius* abiunt, *ac longius quidem* absunt, quæ sunt *maximè uniuersalia: proxima verò sunt singularia, atque hæc sibi inuicem opponuntur.* Ex his planè constat Aristoteli nihil certius fuisse, quàm singulare notius esse, & prius quoad esse cognitum respectu intellectùs nostri, adeout ei primò se cognoscendum offerat.

1. Post. Tex. 12.

Neque dicas Philosophum tantummodo locutum de sensitiua cognitione fuisse; is enim præcipuè de cognitione intellectiua sermonem habuit; hinc enim ait illa esse priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui; docere siquidem vult illa faciliùs, & prius ab intellectu cognosci, quæ propinquius sensibus se cognoscenda offerunt, quod profectò dicere non potuisset, si de cognitione sensitiua id asserere tantum voluisset.

Comparationem igitur Philosophus instituens inter singulare, & uniuersale, & quærens quod nam istorum nobis primò notum fiat, perhibet ea nobis esse notiora, quæ sunt propinquiora sensui, & hæc singularia esse, quod alibi pariter inculcat dicens, μᾶλλον δὲ καὶ χαλεπώτατα γνωρίζειν τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ τὰ μάλιστα καθόλου. πορρωτάτω γὰρ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν. *Fere autem & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè uniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt à sensibus,* Vbi profectò non de sensitiua, sed de intellectiua cognitione sermonem habet, quibus non contentus veritatem eandem alibi luculenter expressit, dicens, συμβαίνει δὲ καὶ περὶ τὰ θειότερα τιμίας ὄντας καὶ θείας, ἐλάττους εἶναι ἡμῖν ὑπάρχειν θεωρίας· καὶ γὰρ ἐξ ὧν ἄν τις θέλῃ αὐτῶν, καὶ θέλῃ ἧττον ἐνδεῶς προθυμῶς, παντελῶς ἔστιν ὀλίγα τὰ ἑαυτοῦ καὶ τῆς ἀιδιότητος. *Sed partem illam æternam, proinde nobilem, ac diuinam, minus contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius sensui nostro patent, quorum beneficio tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandiq; suppeditetur.* Hęc pronũciauit, eò quòd omnis nostra cognitio dum hãc vescimur aurâ, ducit ortum à sensu; quod igitur sensus priùs obijcitur, etiam priùs intellectui cognoscendum offertur, atque repræsentatur, omni tamen impedimento remoto: siquidem cum cognitione sensitiua, statim intellectiua cognitio circa idem obiectum coniungitur, quod perspicuè significauit dicendo, διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή. *Quapropter nunquam hæc anima intelligit sine phantasmate*, ubi nostram omnem intellectionem cum phantasmate coniungi decernit. Cum itaque sensui primò singulare quidem obijciatur, quinimò frequenter nonnisi singulare, idem primò quoque obiiciatur intellectui necesse est. Hoc autem efficaciter admodum, ex eo confirmatur, quòd ipse docet inductionem esse à singularibus ad uniuersale accessionem; quod si ita est, nemini profectò dubium, quin singulare tam complexum, quàm incomplexum uniuersali complexo, & incomplexo cognitionis ordine præire debeat; non enim uniuersalis conclusio per inductionem colligi potest, nisi propositiones quædam singulares, & incomplexa quædam singularia, velut earum termini, præcognoscantur. Manifestum igitur priùs à nobis cognosci singularia complexa, & incomplexa, quàm uniuersalia complexa, videlicet uniuersales conclusiones, & incomplexa, hoc est illarum terminos. Totum hoc autem intellectus ita molitur, ut non solùm uniuersalem conclusionem, sed etiam singulares propositiones attingat, perperam enim has à sola phantasia percipi, Auerroe duce, plerique crediderunt.

1. de part. anim. cap. 5.

3. de An. tex. 39.

Auctoritate suadetur. 2. Diuin. cap. 2.

Fauet etiam experientia, quâ satis compertum est ab intellectu nostro cognitionem per sensus acquiri; quoniam, ut nuper dicebatur, quod primum intellectui cognoscendum offertur, est, quod repræsentatur in sensu, cognitio siquidem intellectiua statim cum sensitiua circa idem obiectum coniungitur; sensus autem per se non nisi singularia potest attingere; inde est ut singularia priùs ab intellectu nostro cognosci debeant; his enim præacceptis intellectus eximijs viribus, quibus cuiusque sensus vim, facultatemq; superat, ea quidem cognoscit, ad quæ sensus nullo modo pertingit.

Experientia probatur.

Ratione probatur. Prima ratio. Ratione quoque superioris assertionis veritas probari facilè potest, quoniam intellectui concedenda est cognitio, quâ directè singularia percipiat, proindeque species obiecti, per quam talem cognitionem eliciat; huiusmodi autem species, prima est ex ijs quas intellectus assecuturus; sed hæc non est nisi rei singularis; ergo quod priùs cognoscitur est ipsum singulare, cum id prius intellectus percipiat, cuius prius recipit speciem, & imaginem.

Secunda ratio. Deinde probatur etiam assertio; quoniam causæ naturales cuiusmodi sunt intellectus, & obiectum, non impeditæ, producunt perfectiorem effectum, quem tunc possunt, cum operentur secundùm ultimum propriæ virtutis; sed cognitionum, quas intellectus potest elicere, etsi in ordine confusè cognoscendi, perfectissima est cognitio rei singularis; ergo hæc prima

Digitized by Google

ma esse debet, quam intellectus habet de re proposita, dum is tanquam tabula rasa existit.

Confirmatur autem, nam facta comparatione inter uniuersalia, ut optimè mox concludemus, minus uniuersale, & infimum, cuiusmodi est species atoma, primò quidem cognitum est, quoniam conceptus prædictæ speciei perfectior est, & confusior conceptu generis, & cuiuscunque superioris essentialium partium confusione; non dissimiliter facta comparatione inter uniuersale, & singulare, concludere possumus singulare prius à nobis cognosci, quàm quodlibet uniuersale, quia quanto conceptus est de re communiori, tanto est imperfectior: & contra quanto de re minus communi, & multo magis de singulari conceptus, etsi intra limites confusæ cognitionis, perfectior est, simulq; confusior, conceptu etiam speciei atomæ confusione partium essentialium, cum singulare ultra huiusmodi partes, etiam singularitatem, ac ob id aliquid amplius perfectionis inuoluat.

Dicebatur autem primum cognitum non esse, quodcunque singulare, sed quod materiale est, atque sensibile, nec immeritò nam, ut ex Dissertationibus de anima constabit, rei sensibilis quidditas dumtaxat obiectum est potens intellectum nostrum mouere, quoad ipse est corpori iunctus.

Accedit, quòd omnis nostra cognitio ducit ortum à sensu; quod igitur primò sui speciem imprimit sensui, primò itidem ab intellectu percipitur; hoc autem singulare est sensibile, non enim substantia sub sensum cadit.

Dicebatur autem tale sensibile esse materiale, quoniam intellectus noster non primò fertur in indiuiduum sensibilis accidentis, atque adeo non est hoc, quod primò ab intellectu cognoscitur; sed ut fertur in id, quod est ex substantia, & accidente conflatum: sic istud est, quod primò ab intellectu percipitur. Quòd autem intellectus primò feratur in illud conflatum inde mihi perspectum redditur, quoniam in id primò ferri debet intellectus, in quod primò fertur sensus; sed hoc non est accidens separatum, sed conflatum ex substantia, & accidente, non enim visus ex. gra. percipit albedinem, sed album, tactus non percipit calorem, sed calidum; id igitur in quod intellectus primò fertur, huiusmodi conflatum est ex substantia, & accidente.

Additum etiam fuit in assertione singulare, quod primò cognitum esse volumus, non signatum, sed vagum esse. Hoc nos docuit Philosophus dicens, Καὶ τὰ παιδία τὸ μὲν πρῶτον προσαγορεύει πάντας τοὺς ἄνδρας, πατέρας, καὶ μητέρας, τὰς γυναῖκας· ὕστερον δὲ διορίζει τούτων ἑκάτερον. *Ac pueri quoque primum omnes viros appellant patres: & omnes mulieres matres; postea verò discernunt horum utrunque.* Quid igitur clarius Aristoteli, quàm primum cognitum esse indiuiduum vagum? id enim exemplo puerorum confirmat dicens ipsis primum cognitum esse huiusmodi singulare, & inde distinctius ad singulare signatum procedere, eoquòd puer primò totum confusum ex accidentibus patris, nempe statura, figuratione, vestibus, & aliis huiusmodi conflatum apprehendit, quoniam autem confusè apprehendit, si vir alter ei obuius fiat similibus accidentibus indutus, pater ab eodem appellatur, coquòd accidentium collectionem unam ab alia discernere non possit; cum autem postea notat accuratius patris accidentia, tunc vocat hunc determinatè patrem, non alios, adeo ut à singulari vago ad signatum descenderit. Quod inde patet, quoniam ars, & intellectiua cognitio naturam æmulatur; at naturale agès non primò suâ, quam exercet actione, uniuersale intendit, generato siquidem, quod est uniuersalius, non procederet ulteriùs ad generationem minus uniuersalis. Nec primò, & per se singulare signatum intendit, quoniam unico singulari producto ab agendo desisteret; sed quod primò intendit producere, est natura in aliquo supposito, & idcirco vagum indiuiduum, natura siquidem hoc modo sumpta, nil aliud, quàm indiuiduum vagum. Non absimili modo se res habet, de qua fit sermo; species enim, & imago obiecti primò repræsentat naturam in aliquo supposito, indeterminatè tamen accepto, cum plurimis accidentibus comitantibus naturam ipsius; secundò naturam ipsam in se, propterea quòd intellectus potest abstrahere quodlibet obiectum in primo obiecto inclusum, ac omnem rationem intelligibilem ab alia intelligibili ratione seiungere; tertiò denique singulare signatum, hoc est naturam ipsam certis quibusdam circumstantijs determinatam: circumstantiæ porrò sunt locus, tempus, figura, magnitudo &c. Huiusmodi autem conceptus longè distinctius, quàm prior conceptus de indiuiduo vago conditiones exprimit indiuiduantes; unde est, ut talis conceptus sit is, quo perfectiorem intellectus habere non possit. Hinc utique pueri initio solent omnes viros patres, omnesque fœminas matres appellare, posterius verò determinanthorum utrunque, quod ex Aristotele superiùs aduertimus.

Huiusmodi porrò cognitio, quam naturaliter intellectus humanus prius de singularibus habet confusa, est & imperfecta, est enim rudis, & confusa, quippequæ non repræsentat obiectum suum distinctè, & explicitè, ut ex hactenus dictis perspicuum est. *Talis cognitio est confusa est, & imperfecta.*

Neque putes rationibus adductis, probari quidem singulare esse primum cognitum, non tamen illud, quod est singulare minus uniuersalis, infimæque speciei, sed singulare gradus uniuersalioris, cuiusmodi est hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, &c. quoniam horum accidentia sint sensibus magis obuia, quàm accidentia indiuidui speciei infimæ. Hoc autem singulare primum esse cognitum ab intellectu nostro conantur euincere rationibus illis, quas inter obiiciendum afferemus. *Quorundam respectio præoccupata simulque reiecta.*

Aduersus tamen superiorem assertionem videtur Aristoteles dicens uniuersalia esse notiora secundum rationem, nempe secundum intellectum, singularia verò secundum sensum. Et alibi, ubi de prioritate in cognoscendo sermonem habens, docet uniuersalia esse priora secundum rationem, singularia secundum sensum. *Prima difficultas deprompta ex Aristotelis auctoritate. 1. Diuin. Tex. 4, 5. Diuin. Tex. 11. Allatis auctoritatibus occurritur. 1. Phys. Tex. 49.*

Operosum tamen non est superioribus auctoritatibus obuiam ire, nam priori loco, dum ait, τὸ μὲν γὰρ καθόλου, κατὰ τὸν λόγον γνώριμον. τὸ δὲ καθ' ἕκαστον, κατὰ τὴν αἴσθησιν. *Vniuersale enim secundum rationem notum: particulare verò secundum sensum*, quod eam ob causam dicit, ὁ μὲν γὰρ λόγος τὸ καθόλου· ἡ δ' αἴσθησις τὸ κατὰ μέρος. *Quoniam ratio* est rei *uniuersalis: sensus autem*, rei *particularis*; hoc est quia intellectus est rei uniuersaliis, sensus autem rei particularis; manifestum est tantum Aristotelem voluisse in ordine distinctè cognoscendi notiora, & priora esse uniuersalia, nempe, quæ communiora sunt, quàm particularia. Posteriori autem loco, hoc idem Philosophus significare voluit; ob id auctoritas inde deducta eandem recipit interpretationem.

Obijci etiam solent rationes, quibus Aristoteles ostendere videtur uniuersalia prius, quàm singularia ab intellectu cognosci. Tum quia prius totum cognoscitur, quàm partes, ut de rebus sensibilibus per- *Rationibus ex Aristotele deprompti fit satis.*

spicuum est: uniuersale porrò totum quoddam est multa veluti partes continens; ergo consequens, ut priùs ipsum uniuersale cognoscatur. Tum etiam, quia priùs definitum, tanquam quid totum percipitur, quàm distinctè cognoscantur definitionis partes; totum igitur, atque adeo uniuersale notius erit; ac obid primò cognitum. Tum denique ratione superiùs explicatâ, quia nimirum pueri primùm omnes viros appellant patres, & fœminas matres, &c. Hinc enim infertur ab ipsis cognosci priùs uniuersalia, postea verò particularia.

Superioribus rationibus fit satis.

Nulla tamen ex his rationibus superiorem assertionem conuellit, quin potius confirmat, nam in omnibus locis commemoratis Aristoteles sumpsit uniuersale, non pro eo, quod est in prædicando, sed ut aiunt, in continendo, cuiusmodi est magis confusum, proindeque minus uniuersale, maximèque particulare, hoc enim plura continet, quàm superiorum quodlibet, licet continentia actuali, non potentiali; hoc igitur est illud totum, confusum, & uniuersale, quod ibi Philosophus usurpat; illud enim vult esse principiatum, quod proculdubio, sensu iam explicato, uniuersale dici potest, & ideo per *singula*, intelligit non *singularia*, sed principia, quæ uniuersali sumpto pro principiato, è regione respondent.

Alia quædam argumenta aduersus superiorem assertionẽ afferũtur. Primum. Secundũ. Tertium.

Alia quoque argumenta afferri solent ad eandem assertionem impugnandam, quæ paucis comprehendam. Primò intellectus cognoscit uniuersalia directè, singularia autem reflexè; priùs ergo uniuersalia, quàm singularia cognoscit. Secundò in intellectu non datur nisi species uniuersalium; ergo is priùs uniuersalia cognoscit. Tertiò primum obiectum intellectûs distinctum esse debet ab obiecto sensûs; at nequit esse distinctum, nisi quatenus eius primum obiectum est uniuersale, sensûs autem particulare.

Quartum.

Quartò prima cognitio debet esse certissima, quoniam ab hac sequentium cognitionum certitudo dependet; ergo de uniuersalibus esse debet, quoniam de singularibus certa esse non potest, cum sit de ijs, quæ maximè variabilia sunt.

Quintum.

Quintò tandem, ea primò ab intellectu cognosci debent, quæ magis elonganur à materia, huiusmodi porrò sunt uniuersalia, propterea quòd singularia maximè quidem sunt immersa in materia.

Superioribus argumẽtis occurritur.

Respondendum, & quidem ad primum dicendo falsum assumi, nam, cum de anima disputabitur, ostendetur ab intellectu directè singularia cognosci. In secundo etiam falsum assumitur, cum intellectui quoque species imagines que singularium tribuendæ sint. Hinc enim est ut primum, quod ab intellectu cognoscitur, debeat esse illud, quod sensibus usurpatur. Ad tertium negandum etiam quod assumitur, cum potius obiectum primum intellectûs & sensûs debeant, esse re ipsâ idem; hinc enim intellectus omnem notitiam suam emendicat à sensu, quia, scilicet, quod primò ipse cognoscit, idem penitus est, quod per sensum attingitur. Ad quartum, negandum assumptum, non enim prima cognitio, quam elicit intellectus de re quapiam potest esse certissima, cum enim prima sit in ordine confusè cognoscendi, nequit esse nisi maximè imperfecta, & idcirco nequit certissima esse, cum certitudo sit maxima cognitionis perfectio. Ad ultimum neganda est propositio maior, nam si per materiam intelligatur indiuidualis differentia, hæc nullatenus cognitionem intellectiuam impedit, quemadmodum nec etiam materia sumpta pro altera physici compositi parte; alioquin foret eadem difficultas de cognitione rerum uniuersalium huiusmodi materiâ constantium; si hæc enim intellectui foret impedimento, quominùs posset singularia percipere, eidem pariter impedimento esset, quo minùs uniuersalia rerum materialium cognosceret.

SECTIO QVARTA.

An magis vel minus uniuersale, & singularia sub ijs contenta, priùs prioritate originis ab intellectu cognoscantur.

OMissis aliorum sententijs, ut quantum fieri potest, summâ breuitate rem expedire possimus, quid hac de re dicendum, statim aperiam.

Prima sententia.

Asserendum primò inter ipsa uniuersalia, factâ comparatione, minùs uniuersalia nobis esse priùs nota primitate originis, quàm magis uniuersalia, adeòut remotis impedimentis, priùs concipiat intellectus gradum speciei infimæ, donec ipse deinceps ad supremum entis gradum ascendat.

Aristotelis auctoritas probatur, 2. Phy. Text. 81.

Hanc veritatem Aristoteles non uno in loco nos docuit, & præsertim ubi explicat quo ordine fiant abstractiones ab intellectu nostro, & quo ordine, fiat uniuersale in anima, sic enim loquitur. Ὅσα μὲν οὖν πάλαι, ἐ σαφῶς δὲ εἰλέχθη, πάλιν εἰσφέρω. ἐστὶ γὰρ τῶν ἀδιαφόρων ἡμῖν, φῶτον μὲν ἐν τῇ ψυχῇ καθόλου· ἡ γὰρ ἐπιστήμη μὲν τὸ καθόλου ἐστίν· ἡ δ' ἀίσθησις, τὸ καθόλου ἐστίν, οἷον ἀνθρώπου, ἀλλ' ὁ Καλλίου ἀνθρώπου. πάλιν ἐν τούτοις ἔσται, ἕως ἂν τὰ ἀμερῆ ςῇ, ἡ τὰ καθόλου. εἶον, τοιονδὶ ζῶον, ἕως ζῶον· ἡ ἐν τούτῳ ὡσαύτως. δῆλον δὴ ὅτι ἡμῖν τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον· ἡ γὰρ ἡ ἀίσθησις ὕτω τὸ καθόλου ἐμποιεῖ. *Quod autem antea dictum est, non tamen apertè dictum fuit, iterum explicemus. Stante enim uno indifferente, tunc primum in anima est uniuersale. Etenim sentitur quidem singulare, sed sensus est rei uniuersalis, veluti hominis, non Calliæ hominis; rursus in his consistitur donec impartibilia stent, & uniuersalia: veluti huiusmodi animal* est id in quo statur, *donec animal* in anima stet, *& in hoc itidem*, statur, donec aliud magis uniuersale stet in anima. *Patet igitur necesse* esse *ut primo nobis inductione nota fiant, nam & sensus ita efficit* in anima *uniuersale*. Docet igitur Philosophus intellectum abstrahendo ab inferioribus progredi ad superiora, donec ad ea perueniat, quæ in partes essentiales diuidi nequeunt, nempe rationem, & modum explicat, quo ex particularibus sensu cognitis, colligitur uniuersale in animo, adeòut sententia hæc sit. Cum in memoria unum ex particularibus infixum est, tunc primum incipit in anima esse ipsum uniuersale, particularia verò vocat indifferentia, quoniam ratione illius uniuersalis, à quo omnia continentur, & quod ex eis colligendum est, nullam inter se differentiam habent, seu nullo modo differunt, proprij autem consilij rationem reddens, eam esse ait, *quoniam sentitur, quidem singulare, sensus autem ipsius uniuersalis est, ut hominis, non Calliæ hominis*, quorum intelligentia hæc est. Sentiendi actus non est nisi rei singularis, sed natura sensûs ad uniuersale dirigitur, nam sensus ex. gr. visus, nunc videt colorem hunc, non uniuersalem colorem, sed natura visûs non equidem hunc colorem, sed simpliciter colorem, tanquam obiectum proprium, & sibi adæquatum respicit. Explicat autem cur ex iis, quæ sensu percipiuntur ab intellectu, colligatur uniuersale, rationem ait quoniam uniuersale in ipso singulari inest, nec ab eo disiunctum est; non enim hic homo est, nisi sit homo; imo nil aliud ipsum est particulare, quàm uniuersale contractum per differentiam numericam, & coarctatum per conditiones indiuiduantes; hinc porrò cum

unum

unum particulare in memoria steterit, tunc primùm in anima incipit esse uniuersale, nam si unum particulare in anima insit, quoniam in eo est uniuersale ipsum pariter uniuersale tunc in anima esse necesse est, non quidem expressum, sed numericâ differentiâ, & indiuiduantibus conditionibus inuolutum; intellectus igitur vi abstrahendi, quâ pollet, separare potest uniuersale à conditionibus indiuiduantibus, & ipsum expressè, ut uniuersale concipere. Quod quomodo faciat, suo loco de uniuersali tractantes, explicuimus. Interim apertè constat ex Philosophi sententia sic ab intellectu fieri uniuersalis abstractionem à singularibus, ut gradatim is ab inferioribus ad superiora progrediatur, donec ad ea perueniat, ut nuper dicebamus, quæ in essentiales partes diuidi non patiuntur, cuiusmodi sunt prima rerum genera. Hinc alibi quoque docet ea uniuersalia nobis esse notiora, quæ sunt minùs à sensibus remota, & maximè uniuersalia esse à sensu maximè remota, & minùs uniuersalia, minùs remota; cum igitur inter uniuersalia, minùs uniuersale sit specialissimum, consequens fit, ut hoc inter uniuersalia nobis notius, ac primum cognitum sit.

Validissimis rationibus hæc assertio suaderi potest; sed cæteris prætermissis, unam, vel alteram efficacitatis maioris in medium afferam. Præcipua mihi videtur illa, quòd causæ naturales benè dispositæ, & non impeditæ perfectissimam operationem, & perfectissimum effectum producunt; sed habita notitiâ rei singularis, atque adeo phantasmate, & specie intelligibili, omnia sunt benè dispositа, tam ex parte intellectûs, quàm ex parte cæterorum, quæ ad intellectionem requiruntur; ergo intellectus habitâ cognitione rei singularis perfectissimam operationem, & perfectissimum effectum debet producere; sed perfectissima operatio, & perfectissimus effectus est conceptus speciei atomæ comparatione factâ cum aliis intra limites ordinis distinctè cognoscendi; ergo habitâ cognitione rei singularis intellectus atomæ speciei conceptum efformare debet.

Sunt qui putant rationem hanc nullius esse roboris, & quòd si alicuius momenti sit, posse quàm optimè retorqueri; dicunt enim huiusmodi ratione probari posse speciem atomam esse primum cognitum etiam in ordine distinctè cognoscendi, propterea quòd cognitio distincta de huiusmodi specie perfectior est effectus, quem causæ illæ possint producere. Addunt præterea rationem allatam nullius efficacitatis esse, quoniam eius maior, vel intelligitur simpliciter, & absolutè, & hoc modo falsa est, quoniam nulla causa naturalis initio perfectiorem effectum producit, ex ijs quos potest attingere, sed procedit semper ab imperfecto ad perfectum, iuxta naturæ legem; ita quidem ignis, inquiunt, prius calorem imperfectum in aquam producit. Vel intelligitur ab ipsis causis perfectiorem effectum procreari, quem in eo principio possint, & hoc modo negant perfectiorem effectum, quem à principio possint producere, infimæ speciei conceptum esse, sed conceptum hunc magis uniuersalis esse contendunt.

Hæc tamen solutio nulla est, propterea quòd ratio superius adducta suam retinet vim, utcunque eius intelligatur maior; si nanque primo modo nos illud intelligendum velimus nullum sequitur incommodum, nullum absurdum; dum enim dicitur naturæ lege sancitum esse, ut in actionibus suis ab imperfecto ad perfectum procedatur; id planè concedendum ex hypothesi alicuius impedimenti; omni siquidem impedimento tublato, causa naturalis initio produceret proculdubio effectum perfectissimum, quem posset; non enim aliunde prouenit ille progressus ab imperfecto ad perfectum in operando, nisi ex eo quia causa debet aliquid remouere, quod sibi impedimento est quo minùs à principio summam effectùs perfectionem attingat; hoc tanè per singulas discurrendo causas efficientes comperiemus; ideò nanque ignis primò imperfectiorem, deinde verò gradatim perfectiorem calorem producit, quia debet superare, ac vincere contrarium, quòd si non deesset profectò perfectissimum calorem initio produceret, quem ipse posset, cum nulla sit ratio, cur talem effectum à principio procreare non debeat. Cum itaque intra limites confusæ cognitionis intellectus, & obiectum in primo congressu nihil habeant à quo impediantur, necesse est, ut in huiusmodi ordine perfectissimam cognitionem progignant, qualis profectò est cognitio speciei specialissimæ inter uniuersalia; sed nequeunt distinctam cognitionem producere; ergo producant oportet cognitionem perfectissimam intra limites confusæ cognitionis. At verò tota difficultas in eo planè consistit, quòd tales causæ non impeditæ nequeant producere cognitionem distinctam.

Dices. Ordo confusè cognoscendi à toto genere præcedit ordinem cognoscendi distinctè, & cognitio confusa est veluti dispositio ad cognitionem distinctam circa idem obiectum, eò quòd confusè cognoscere, est quasi medium inter ignorare, & cognoscere distinctè; ideoque confusè cognoscere est ante quodcunque cognoscere distinctè, & hoc est id, à quo impeditur intellectus in primo congressu cum obiecto, ne distinctam eius notitiam producat, hoc autem impedimentum non est in cognitione confusa. Responsio præoccupata.

Hæc tamen doctrina non leuem difficultatem patitur. Dicebamus enim intellectum, & obiectum in illo primo congressu causas esse naturales non impeditas, & idcirco debere ab ipsis perfectissimum effectum, videlicet perfectissimam cognitionem produci; modo autem admittimus ita respondendo, aliquid esse, à quo prædictæ causæ impediantur, in eo consistens, quòd ordo confusè cognoscendi debeat præcedere ordinem cognoscendi distinctè. Circa superiorem responsionem difficultas.

Si quis dicat fieri satis difficultati respondendo causas illas esse non impeditas in ordine ad confusam cognitionem, bene tamen in ordine ad cognitionem distinctam. Videtur principium peti, perinde siquidem est, ac si dicatur, cognitio confusa præire debet cognitioni distinctæ, quia tunc illæ sunt impeditæ causæ, ne producant distinctam cognitionem; at sunt impeditæ, quia ordo confusè cognoscendi præcedere debet ordinem cognoscendi distinctè, hoc est quia cognitio confusa præcedere debet cognitionem distinctam; cum igitur probetur idem per idem, proculdubio petitio principij committitur. Dilutio difficultatis præoccupata, simulque reiecta.

Optima tamen est illa responsio, nec ulla principij petitio fit, quòd enim illæ causæ tunc non producant, perfectissimam cognitionem absolutè, nempe distinctam, ex eo prouenit, quia confusa cognitio est dispositio ad cognitionem distinctam, ut respondendo dicebatur, sed huius non est quærenda causa, quoniam prouenit ex ipsarum cognitionum natura, quod satis eleganti explicari potest exemplo. Intellectus nequit de aliqua propositione iudicium ferre, nisi prius illam apprehenderit; huius autem causam quærere otiosi nominis est, cum id non aliunde proueniat, quàm ex huiusmodi cognitionum natura, à qua oritur ut una debeat præire alteri, nempe apprehensio, Difficultati occurritur, & responsio superior approbatur.

iudi-

Digitized by Google

iudicio de eodem obiecto. Non dissimiliter hîc ratiocinandum, atque dicendum quemadmodum causæ naturales, ut sunt intellectus, & obiectum, dicuntur impeditæ in ordine ad iudicium à subordinatione apprehensionis ad ipsum iudicium, adeout nequeat iudicium haberi nisi apprehensio præcesserit: sic impeditæ dicuntur naturales illæ causæ obiectum, & intellectus à subordinatione cognitionis confusæ ad cognitionem distinctam, ne in primo congressu distinctam cognitionem pariant; adeout distinctam cognitionem parere non possint, nisi prius confusam cognitionem de obiecto eodem produxerint.

At si assumptum illud aliâ significatione sumatur, ut nimirum intellectus, & obiectum perfectiorem cognitionem producant, non quam absolutè, sed quam pro illo primo instanti possunt attingere; allata illa instantia de cognitione distincta, minoris fit efficacitatis, propterea quòd in illo primo congressu non gignunt perfectiorem effectum, quem absolutè possunt, sed quem primò possunt: huiusmodi porrò est confusa notitia speciei specialissimæ, non autem alicuius communioris gradûs, quoniam in præsentia fit sermo de primo cognito in ordine confusè cognoscendi, iuxta quem est progressus ab inferioribus ad superiora, cum à superioribus ad inferiora progressus, ad ordinem distinctè cognoscendi pertineat; quanto enim aliquid communius est, tanto quoque distinctius cognosci potest, paucioribus enim constat, ob id pauciora distincta eius cognitio requirit; unde est ut de ipso facilius distincta cognitio habeatur; hinc entis conceptus maximè distinctus est, & vel simpliciter scitur, vel simpliciter ignoratur.

Quorundam responsio.

Posset autem quispiam respondere in illo primo congressu produci quidem perfectiorem cognitionem ab illis naturalibus causis, sed hanc esse notitiam superioris gradûs, & eo perfectiorem, quo gradus uniuersalior fuerit, quoniam intellectus de inferioribus conceptus habere non potest, nisi priùs de uniuersalioribus habuerit, ob illam seriem graduum superiorum, & inferiorum, ita ut superiores in inferioribus includantur.

Reijcitur.

Hęc tamen inconsideratè dicuntur, cum ita respondendo ab ordine confusè cognoscendi ad ordinem cognoscendi distinctè transitus fiat; in præsentia siquidem perfectæ cognitionis nomine debet intelligi cognitio, quæ perfectissima sit intra fines confusæ cognitionis, quæ certè non requirit, ut aliquid ad sui notitiam præcognoscatur, cum potius ipsa sit illa, quæ cæteris cognitionibus de eodem obiecto præire debeat; hoc enim interest inter cognitionem distinctam, & confusam, quòd illa sit, qua non possumus cognoscere totum, partibus, quales sunt naturæ communiores, ignoratis; at hoc ad confusam cognitionem non requiritur, cum sit satis, ut hæc totum repræsentet, quatenus per nomen exprimitur, atque significatur.

Secunda ratio ad assertionẽ probandã.

Aliâ etiam ratione superior assertio suaderi potest, quoniam uniuersale illud est primò notum, cuius singulare fortius mouet sensum; sed singulare minus uniuersalis fortiùs mouet sensum, cum sit sensibus propinquius, quam singulare magis uniuersalis; ergo minus uniuersale, primò notum erit.

Aduersariorũ solutio.

Sunt qui hoc retorquent argumentum ut superius, & solvunt assumptionem negando, quoniam inquiunt accidentia magis uniuersalis fortiùs mouent sensum: enimvero longè facilius percipitur quantitas & figura propria alicuius speciei, motus ad locum absolutè, quàm progressivus, partium aliqua distinctio, quàm organa sensuum, puta oculi, aures, nasus, &c.

Hæc tamen responsio parum cum veritate cohęret. Reijcitur. non enim accidentia magis uniuersalis fortiùs mouent sensum, quandoquidem accidentia speciei specialissimæ pluta, clariora, sensibusque propinquiora sunt. Ne commemorem ineptè admodum à fautoribus aduersæ sententiæ naturis communioribus adscribi accidentia propria, quæ diuersa sint ab accidentibus inferiorum naturarum. Satis enim est exploratum accidentia omnia, quæ generica dicuntur, in singularibus esse dispositа, atque determinata, secundum rationem specificæ singularisque naturę, quod per varia quidem accidentia discurrendo potest manifestissimum reddi; quantitas enim ex. gr. quæ accidens corporeæ dicitur naturæ, in viuentibus, & ijs, quibus vita non ineſt, longè diuersâ ratione dispositur; motus ad locum, qui proprius animalis accidens perhibetur, non eodem modo in suis speciebus dispositus est; adeòut non insulsè te dicturum crediderim accidentia comitari singularem naturam, vel saltem ab ipsa modificationem quandam adipisci. Ad hæc respiciens Aristoteles, haud ego fallor, substantiam distinguens in primam, & secundam scitè admodum pronunciauit talem esse primæ substantiæ indolem, ut propriè principaliter, & maximè substare dici debeat; hoc enim non aliâ ratione ductus enunciauit, nisi quoniam aduertebat, eam omnibus in uniuersum accidentibus subijci; & hæc uniuersalis naturæ propria non euadere, nisi cum aliquam abstractionem factam ab intellectu subierint, quatenus nimirum intellectus accidentia ipsa à singularibus abstrahit, in quibus re ipsâ vario, diuersoque modo dispositа, atque modificata reperiuntur, ita ut non fiant communium naturarum propria, nisi mentis abstractione ab illa multiplici varietate fuerint omninò seiuncta.

Illud præsertim hactenus dicta confirmat, quod obiectum sub sensum cadens esse non potest, nisi quod re ipsâ est; hoc autem non nisi indiuiduum speciei specialissimę dicendum; hoc igitur est, quod non modo fortiùs, sed absolutè, simpliciterque sensum mouet. Propositio constat, enimverò sensus non attingit, nisi quod est in re; sed assumptio probata manet ex eo, quia generica, & incompleta indiuidua, cuiusmodi sunt hoc ens, hoc corpus, hoc animal, &c. solùm extant apud intellectum inadæquatè concipientem, non autem re verâ; quandoquidem natura nunquam permittit indiuiduum determinati generis, quod non sit determinatæ speciei; propterea non potest sensus indiuiduum generis attingere, nisi quatenus illud interm dio speciei specialissimæ indiuiduo percipit; eatenus enim sensus cognoscit hoc animal, hoc corpus, &c. quatenus cognoscit hunc hominem, hunc equum, nempe Socratem, & Bucephalum.

Difficultas præoccupata, & simul soluta.

Neque perturbet, quòd obiectum ob nimiam distantiam non percipiatur, nisi quatenus indiuiduum incompletum, & generis; nam re verâ tunc sensus non cognoscit ipsum indiuiduum generis, vel alterius cuiusque gradus superioris, non cognoscendo indiuiduum determinatæ speciei atomæ; ut enim illud non est, nisi apud intellectum inadæquatè concipientem, non autem ex rei natura; ita non potest à sensu percipi, cum hic non nisi in id, quod re ipsâ est, ferri possit. Sed tunc re verâ cognoscit indiuiduum atomæ speciei sibi confuso modo quidem occurrens; adeout concipiat ipsum imperfectè, quoniam indebita distantia præstat id, quod alioquin ab intellectu inadæquatè concipiente foret expectandum; hinc enim indiuiduum determinatæ speciei atomæ offertur sensui, tanquam exutum iis, quæ sunt illius

Digitized by Google

illius individui propria, prout ipsum in rerum natura versatur. Alias autem rationes uberiùs, & accuratiùs in Dissertationibus de Anima persequemur; supersunt aliquæ difficultates, quibus breuiter iuvabit satisfacere.

Primò autem nonnulli conantur ostendere non apparere certam aliquam necessitatis rationem, quâ priùs debeat cognosci magis, vel minus uniuersale, siue singulare prout determinans magis, aut minus uniuersale; sed indifferenter posse unum, aut aliud priùs intellectui cognoscendum offerri, & sic argumentantur. Si intellectus percipiat antea certum aliquod singulare, non est unde determinetur, ut priùs in illo considerare debeat rationem uniuersalissimam entis, aut specialissimam rationem infimæ speciei, sed ex diuersa rerum occurrentia, facilè potest contingere, ut vel unam, vel aliam rationem in aliquo individuo, aut unam in uno, aliam in alio priùs consideret, ut experienti constat. Aut etiam si intellectus non antea percipiat certum aliquod singulare, sed ab uniuersalium cognitione ducat initium, non adhuc, est unde necessitas cognoscendi priùs prædicatum magis, aut minus uniuersale uniuersalissimum, vel specialissimum, emergat; non igitur statuendum primum cognitum primitate originis, quod statutum à nobis fuit, videlicet uniuersale specialissimum.

Sed qui Philosophantur hoc modo, peccant in eo, quòd non intelligunt à se malam illationem fieri, eam ob causam, quoniam non aduertunt geminam esse cognitionem actualem, quarum una est originaria, alia verò ex habitu; est autem originaria, cum actu rem antea nobis prorsus ignotam apprehendimus; ex habitu verò cum actu percipimus rem aliquam antea cognitam, de qua exiteratis actibus habitum adepti sumus; cognitio autem ex habitu procedens non est prima, sed perpetuò, semperque priorem cognitionem supponit, ex cuius frequentatione intellectus habitum est assecutus, & huiusmodi cognitio dici collectitia solet. Cognitio autem originaria est prima, itaut eam nulla præcesserit; collectitia verò fit ex cognitione aliqua præexistente & applicatur ab intellectu alicui obiecto nouiter occurenti, & hoc ut plurimum accidit; vix enim usu venire potest, ut homini adulto obiectum aliquod primò quidem occurrat, cui non statim intellectus illius aliquem ex præhabitis conceptibus applicet, nimirum entis, substantiæ, accidentis, &c. Argumentum igitur superiùs allatum, de cognitione procedit collectitia, non originaria, de qua superior assertio loquitur; quanuis etiam in serie cognitionum spectatium ad collectitię genus, aliqua possit esse difficultas, & presens habere locum disputatio, cum possit accidere, ut etsi antea multa cognouerimus obiecta, nobis occurrat aliquod, de quo nulla prorsus in nobis cognitio præcesserit, & intellectus conetur præhabitos de alijs obiectis conceptus eidem applicando, recèns oblati quidem obiecti notitiam acquirere. Cum itaq; tunc intellectus non simul omnes formalitates obiecto promiscuè tribuat, sed potius ordine seruato, potest in quæstionem vocari, quod nam sit ex illis prædicatis obiecto ab intellectu initio tributum, primòque applicatum, an videlicet magis uniuersale, puta *ens*, vel *corpus*; an potius minus uniuersale, nimirum *animal*, vel *homo*; formalitas autem, sub qua primò attingitur obiectum nouiter oblatum, diceretur primò cognitum in ordine collectitiæ cognitionis, & respectu talis obiecti. Sed quicquid hac de re dicendum sit, alibi discutiendum; nam in præsentia dum erat nobis in animo est primum cognitum primitate originis indagare.

Eodem quoque modo respondendum, dum iidem eâdem ratiocinatione suffulti conantur ostendere non opus esse, ut priùs singularia contenta sub magis, aut minus uniuersalibus cognoscantur, nec ordinatè percipiantur omnes gradus superiores, & inferiores; quicquid enim in medium afferunt, intelligendum non de originaria, sed de collectitia cognitione.

Deinde sic alij obiiciunt. Res priùs confusè, quàm distinctè cognosci solent, quoniam nobis quoque fatentibus, cognitio confusa medium inter puram ignorantiam, & cognitionem distinctam locum obtinet; at verò confusa cognitio, tunc planè contingit, quando res sub aliquo communiori, & uniuersaliori conceptu percipitur; ergo conceptus nobis priùs occurrent magis uniuersales velut illi sub quibus res indistinctè, confusèque concipiuntur. **Secunda difficultas.**

Vt huic difficultati satisfiat, aduertendum bifariam aliquid posse dici confusè cognosci; primò quatenus intelligitur prout per nomen exprimitur, ut cum rusticus cognoscit hominem, de quo nullam habet aliam notitiam, quam, quæ per nomen haberi potest; secundò, quoniam in suo intelligitur uniuersali, ut cum homo sub ratione animalis, aut viuentis, aut corporis, aut substantiæ, aut entis cognoscitur. Harum utraq; cognitio confusa est, & utraq; distinctam cognitionem præcedit, non quia, ut quidam perperam crediderunt, natura debeat absolutè procedere ab imperfecto ad perfectum; nam intellectus v. g. ab assensu præmissarum ad conclusionis assensum procedit, & nihilominus præmissarum assensus præstantior est, atque nobilior assensu conclusionis; sed quia ita debet præcedere, quando imperfectum ad perfecti consecutionem est dispositio, quemadmodum in re proposita contingit, quandoquidem cognitio imperfecta, & confusa dispositio est ad perfectam, atque distinctam; non enim intellectus habere simul potest multos actus cognitionis de rebus multis; ad habendam autem notitiam distinctam de aliquo toto, tot ei opus est habere cognitiones actuales, quot illud partes habet; sed ad notitiam habendam confusam, sat est unum habere actum terminatum ad totum, hoc enim cum primo nobis occurrit unico actu, confusè tamen, cognoscimus, deinceps verò singulas partes perlustramus, quibus cognitis ad eiusdem totius iteratam, sed distinctam cognitionem reuertimur. Quod non modò de toto integrali, sed de essentiali quoque intelligendum; homo nanque, si nobis occurrat, primò illum unicâ eâque confusâ cognitione apprehendimus, quem deinceps distinctè si percipere velimus, oportet ut ipsum in ea, quibus constat, principia proxima usque ad remota diuidamus. Itaque, cuique fatendum, quod initio dicebatur, videlicet cognitionem confusam à toto genere præire distinctæ. Adhuc tamen supereſt dubitatio de ordine inter duas commemoratas cognitiones confusas. **Solutio.**

Ex his tamen duabus cognitionibus confusis asserendum esse priorem illam, quâ cognoscitur totum prout per nomen tantummodo significatur, posteriorem verò illam, quâ totum cognoscitur secundum quandam alicuius uniuersalis rationis, essentialisque principij. **Secunda assertio.**

Hoc primò suaderi potest, quoniam, id unde ratio petenda est, sic hac de re sentiendum conuincit; nimirum eorum ignoratio, quæ ad distinctam rei cognitionem faciunt; illa siquidem cognitio è confusis prima erit, quæ longissimè distans à cognitione distincta, **Ratione suadetur. Prima ratio.**

Digitized by Google

ta, quam maximè ad ignorationem accedit; huiusmodi autem est cognitio, qua cognoscimus duntaxat obiectum prout per nomen significatur, omnibus ignoratis principijs pertinentibus ad essentiam ipsius; huic verò succedit altera, quâ aliquod ex principijs essentialibus repræsentatur, cum prior sit ignoratio omnium, quàm aliquorum; cognitio igitur confusa, per quam obiectum attingitur, prout per nomen significatur, prior est altera, quâ cognoscitur idem obiectum secundum aliquam ex communibus essentialibus rationibus, puta secundum rationem entis, &c.

Secunda ratio. Hoc etiam ea ratio conuincit, quoniam cognitio simplex, complexam cognitionem præcedit; at satis est manifestum cognitionē illam, quâ cognoscitur obiectum, prout per nomen significatur, sic esse respectu illius, qua cognoscitur prout particeps superioris rationis, puta entis, &c. nam per illam concipitur obiectum in se, per hanc autem concipitur prout unam, vel aliam rationem inuoluit; idcirco cognitio, quâ repræsentatur obiectum prout significatum per nomen, prior erit alterâ, quâ illud secundum unam, vel aliam ex rationibus communibus, & essentialibus attingitur. Triplex igitur de re quapiam potest efformari conceptus, è quibus primus ille, quo res cognoscitur, ut quoddam totum confusè, quibusdam duntaxat accidentibus indutum, atque adeò principijs omnibus ignoratis ad eius naturam spectantibus. Secundus, quo res illa sub entis ratione cognoscitur, ita ut percipiatur esse ens. Tertius tandem ille, quo cognoscitur res ipsa secundùm principia essentialia determinatæ speciei. Hoc porrò se habent modo commemoratæ notitiæ, ut prima sit confusa, tertia distincta, secunda verò media inter utranque, dicique possit comparatione primæ distincta, respectu tertiæ confusa, at utraque nimirum tam prima, quàm secunda comparatione tertiæ confusa sit; inter se tamen ordinem seruant, cum quæ simplex est attingens obiectum in se, prout significatum per nomen, præcedat alteram, quæ repręsentat idem obiectum sub communi entis ratione, notitiæ complexæ naturam induens. Quid igitur ad argumentum, respondendum sit, ex huculque traditis manifestum est.

Tertia difficultas. Amplius sic urgent. Quicquid à potentia transit ad actum procul dubio ab imperfecto ad perfectum progreditur; sed intellectus humanus utpotè tabula rasa in qua nihil est depictum in cognoscendo transit de potentia ad actum; ergo in cognoscendo debet ab imperfecto ad perfectum, gradum facere; sed ad hunc ordinem seruandum in cognoscendo, necesse est, ut ab uniuersalissimo entis conceptu ad reliquos progrediatur; ergo primus conceptus, quem intellectus habet primitate originis, non alius quàm entis conceptus esse potest. Maiorem propositionem

3. Diuin. Tex. 15. Aristoteles docuit ubi priora generatione dixit posteriora esse perfectione, eoquòd natura semper ab imperfectioribus incipiat ad perfectiora tendens; subsumptum autem illud neminem præterit, quoniam conceptus entis omnium imperfectissimus est, ut enim quicquid est inferius ad ipsum aliquid ei perfectionis addit: ita etiam conceptus de quocunque inferiori ad idem, eiusdem conceptu perfectior est.

Solutio. Tametsi difficultas hæc ex proximè traditis, ac explicatis diluta satis videri possit, cum iam probatum fuerit maiorem syllogismi propositionem veram in uniuersum non esse; nihilominus iuvat solutionem afferre negando maiorem propositionem, utpote falsam uniuersè prolatam, cum natura non procedat ab imperfecto ad perfectum, nisi quando se offert impedimentum, & imperfectum est dispositio ad magis perfectū, quorum neutrum in re, de qua agimus, contingit: propterea quòd in ordine confusè cognoscendi, nihil obstat, quominus intellectus illico possit perfectissimam cognitionem producere, qualis est cognitio speciei specialissimæ; nec superiorum graduum notitia ad confusam, licet ad distinctam, inferiorum graduum necessaria est dispositio. His autem ab aliquibus addi solet ad uberiorem difficultatis enodationem quòd hîc breuiter subijciam, videlicet perfectionem, & imperfectionem ordinis, quem intellectus in cognoscendo seruat, cum dicitur ab imperfecto ad perfectum procedere, tam ad rem cognitam, quàm ad cognoscendi modum referri posse, & ex eorum sententia prior progressus perfectionis est secundum naturam & est, ab imperfecto ad perfectum distinctæ cognitioni deseruiens, ut paulò infra constabit; dum enim intellectus ab ente ad infimam speciem progreditur, utique pergit ab imperfecto ad perfectum, quoniam ex obiectis communibus, nullum imperfectius ente, sicut nihil perfectius specialissimo, ut non multo antea dictum fuit. Posterior autem progressus perfectionis, penes cognoscendi modum est respectu intellectùs, qui priùs obiectum confusè concipit, postea verò distinctè, atque procedit à conceptu imperfectiori ratione obiecti repræsentati, non ratione modi repræsentandi, vel ut aiunt à conceptu imperfectiori obiectiuè, non tamen formaliter; quandoquidem conceptus entis est maximè simplex, minimèque confusus, & idcirco ex parte modi cognoscendi perfectus est, quanuis ex parte rei cognitæ summam habeat imperfectionem; itaque occurrere videntur difficultati respondendo intellectum, dum primò cognoscit ens, & pergit ad inferiora & ab imperfecto ex parte obiecti ad perfecta; ex parte modi cognoscendi à perfecto ad imperfecta procedere; & ex aduerso dum primò cognoscit specialissimum à perfecto ad imperfecta ex parte obiecti, sicut ex parte modi cognoscendi ab imperfecto ad perfecta progredi.

Aduersus tamen hæc, grauissima difficultas insurgit, cum enim hic sermo fiat de primo cognito, videtur attendendus cognoscendi modus, non autem res cognita, ratio enim in eo posita erat ad ostendendam speciem specialissimam esse primum cognitum facta comparatione inter magis, & minus uniuersale, quòd causæ naturales non impeditæ producunt effectum perfectissimum, quem possunt producere; at perfectio ab intellectu pendens est, non rei cognitæ, sed cognitionis modique cognoscendi; ergo perfectio cognitionis, seu modi cognoscendi, non rei cognitæ in præsentia debet attendi; at si huiusmodi perfectionem respicias, longè perfectiorem cognitionem siue conceptum entis ob summam simplicitatem, & minimam confusionem reperies, quàm sit conceptus speciei specialissimæ; ergo in intellectu conceptus primò genitus primitate originis debet esse entis, non autem speciei specialissimæ, si intellectus, & obiectum, tanquam causæ naturales non impeditæ debent perfectissimum effectum producere.

Non melius huic difficultati mihi videtur occurri posse, quàm dicendo, cum ab aduersarijs affirmatur magis uniuersale esse primum cognitum, non considerari solas communes naturas abstractas, sed potius ipsarum singularia, nimirum *hoc ens*, *hoc corpus*, *hoc animal*; adeòut in controuersiam vocetur; an intellectus in indiuiduo sensibus oblato, priùs rationem aliquam magis uniuersalem in indiuiduo concipiat, quàm minus uniuersalem; proindeque sermonem non habeat de magis uniuersali, prout hoc est

locum

totum quoddam potestate, differentijs contrahentibus, subiectisque partibus omninò seclusis; sed ut pars est essentialis, rei consideratæ, quæ cognoscitur ut totum actuale, cuius confusa cognitio præcedit superiorum graduum cognitionem. Sed quicquid ipsi dicant, illud omninò certum, quando inferius, puta homo, cognoscitur sub ratione entis, tunc ipsum inferius quatenus subiectum propositionis, qua exempgra. dicitur *homo est ens*, sub ratione quidem entis confusè cognosci, ens verò tanquam prædicatum distinctè cognosci, & ideo cognitionem hanc non esse ad rem, cum prima non sit, quoniam aliam supponit, qua cognoscitur subiectum nempe *homo*, prout per nomen importatur, quæ idcirco primitate originis prima cognitio est in ordine confusè cognoscendi. Et quanuis quilibet superior gradus considerari possit ut totum potestate, quo pacto eius cognitio maximè confusa est, ideo minus perfecta, quam specialissimi; nihilominus prima esse non potest primitate originis, cùm naturales causæ non impeditæ debeant effectum producere perfectissimum, qualis non est huiusmodi cognitio, cum hæc perfectior sit illâ, quæ totum obiectum, ut totum actuale respicit, & attingit. Vt præteream, nec primum esse posse conceptum entis, vel cuiuslibet alterius superioris gradûs, quatenus abstracti, quomniam omnis abstractio supponit cognitionem eius à quo facta fuit abstractio.

tia dif. tus.

Amplius. Si homo procul veniat priùs cognoscitur sub ratione uniuersalissima entis, deinde sub rationibus inferioribus, putà corporis, deinde animalis, postea quidem hominis, ac tandem talis hominis, nempe Socratis, vel Platonis, &c. manifestum igitur uniuersaliores conceptus minus uniuersalibus anteire.

utio; ubsta-

Responsio frequens admodum est, quòd id ex immoderata obiecti distantia proueniat. Sed hanc responsionem inanem esse quidam conantur ostendere, quoniam in proxima quoque distantia totum id experientia testatur euenire, tunc nimirum, cum obiectum nunquam præcognitum nobis offertur; si nanque offeratur ignota nobis herba, cognoscemus ipsam herbam esse, non tamen speciem ipsius, & sæpe etiam contingit, ut nos allucinemur existimantes, vel herbam, vel piscem, vel aliud quidpiam alicuius esse speciei, cum tamen alterius sit.

perior tio re- tur.

Mirum est, quòd plerisque visum sit exemplum de homine eminùs veniente ad intentum probandum conducere; nam ad inuestigandum primum cognitum primitate originis, quod tale dicitur non quacunque cognitione primâ, sed ea, quæ originaria, & simpliciter prima est, ineptum penitus est, solumque posset usurpari pro cognitione collectitia; cum enim venientem eminùs cognoscimus tanquam ens, vel substantiam, vel corpus, &c. ea, quam habemus, cognitio non originaria simpliciter est, sed collectitia, quandoquidem iam intellectus prænouerat ens, substantiam, corpus, &c. atque adeo tunc solùm ratiocinando applicat obiecto rationes præcognitas dicendo hominem esse ens, esse substantiam esse corpus, &c. adeout huiusmodi cognitionis obiectum sit quoddam complexum, & ob id cognitio ipsa debet complexa dici; at verò cognitio originaria simpliciter pro obiecto habet aliquod incomplexum, illudque citra quamlibet complexionem, vel ratiocinationem attingit, solùm illud representans prout significatum per nomen; sed cognitionem illam collectitiam aliquâ ratiocinatione comparari ex eo fit manifestum, quòd intellectus cognitionem illam assequitur per illationem ex alia; cum enim aduerterit nihil sub visum cadere, quemadmodum nec etiam sub alios sensus externos, nisi re ipsâ sit, atque adeo participet rationem entis; & nisi per se subsistens sit dimensionibus præditum, quod est esse substantiam, & corpus, notet autem distans illud obiectum oculis usurpari, nullâ quidem interpositâ morâ eidem commemorata prædicata, nimirum entis, substantiæ, & corporis inesse deducit. Hoc idem facit dum ex eo quòd videat illud se mouere, colligit animal esse, cum iam prænouerit progressiuo motu aliquid moueri non posse, nisi viuens sit & animal; idem dicendum de experientia herbæ, siquidem intellectus prænouerat quædam herbæ accidentia, & hæc ipsa præcognita applicat herbæ sibi oblatæ; immo, & ob eandem causam allucinatur existimans illam herbam alicuius esse speciei, cum tamen ad aliam pertineat, propterea quòd in ea videat accidentia, quæ putat similia ijs, quibus alia afficitur herba, differentiam tamen ignorans; unde est ut perperam applicet herbæ oblatæ accidentia, quæ in alia herba prænouerat; hoc igitur peragit intellectus præuè applicando à se præcognita, ut propterea cognitio debeat collectitia dici, non autem simpliciter originaria, quæ de piscibus & huiusmodi alijs etiam intelligenda sunt.

Quæ quanuis ita sint, non propterea tamen existimes in serie cognitionis collectitiæ, nullum dari ordinem, vel si datur, primum cognitum esse magis uniuersale, cum potius minus uniuersale existimandum sit. Quid de primo cognito collectitiæ cognitionis dicendũ.

Hoc experientiâ comprobatur; si quis enim videat aliquam herbam, quam fateatur ignorare, cuius sit speciei, & interrogetur, an eam esse gramen, an cicorium putet, vel ad aliquam aliam determinatæ speciei pertineat ex ijs, quas ipse nouerit; respondebit negando, quoniam ex accidentium comparatione cognoscit, nec hanc, nec illam esse, sed alterius speciei, quam tamen assignare distinctè nescit, quoniam non omnia sua cognitione assequitur, quibus est opus ad oblatam herbam distinctè cognoscendam; hoc autem inditio est herbam illam non cognosci tantummodo secundum rationem generis, cum enim in hoc species omnes inter se conueniant, non posset ex huius cognitione, oblatam herbam, ab alijs herbis distinguere. Experientia suadetur.

Aduersæ autem sententiæ fautores falsum assumunt, nempe Socratem eminùs venientem priùs sub ratione uniuersalissima entis cognosci, cum potius sub ratione corporis, atque adeo minus uniuersali, quàm sit ens, cognoscatur; quandoquidem tunc in illo primo occursu intellectus cognoscit Socratem non esse immateriatæ naturæ, quo pacto non posset utique cognoscere, si tantum apprehenderet illum sub ratione entis, cum in hoc tam, quæ materiâ constant, quàm quæ nullum habent cum materia commercium omninò conueniant; ob id ex entis perceptione non posset cognoscere Socratem venientem tanquam aliquid materiatum. Et quando etiam quispiam videat aliquam herbam, vel piscem, vel aliquid aliud, non apprehendit illud sub ratione generis, ut paulo antea dicebatur, sed statim concipit id, huius, vel alterius determinatæ speciei, pro varia accidentium combinatione in ipso existentium, licet confusè, & cum deceptione, non ratione accidentium omnium, sed quorundam præcipuorum, quæ cognoscendo non assequitur. Quod autem procul veniens non concipiatur secundum determinatam speciem, non aliunde prouenit, quàm ab indebita distantia; cum enim omnis nostra cognitio intellecti- Aduersariorum experientiâ reijcitur.

Digitized by Google

ua ortum ducat à sensitiua, sequitur illam tantæ, vel tantæ distinctionis esse in repræsentando, quantæ est altera, quæ cum suam distinctionem sortiatur à speciebus, & imaginibus obiecti, non poterit esse distincta, nisi obiecti species, ac imagines validæ sint ad efficaciter perficiendum sensum, illumque mouendum de potentia ad actum; at in casu venientis à longe, species obiecti ob nimiam distantiam debiles admodum sunt, quippequæ producuntur ab obiecto, quod uniformiter difformiter effundit actionem suam intra sphæram propriæ actiuitatis, adeòut effectus, nempe species, eo debilior sit, quo in remotiori loco ab obiecto producitur, idcirco cognitio intellectiua tunc nequit esse adeò distincta, ut per ipsam intellectus percipiat obiectum secundum rationem specificam, adeòut etsi attingat accidentia determinatæ speciei, quibus obiectum illud afficitur, ea tamen confuso modo percipit, nec potest ab alijs distinguere.

Præoccupata difficultas, & simul etiã soluta.

Neque dicas, cum quibusdam, difficultatem non esse dilutam, ad quod ostendendum sic arguunt. Vniuersale potest eminùs magis mouere, quàm specialissimum; ergo multò magis cominus mouere poterit. Sed falsum assumunt, nam, quod eminùs mouet, non est magis uniuersale, sed specialissimum, hoc enim eminus, & cominus agit, ut suprà aduertimus; cum enim specifica ratio sit magis perfecta, & plus actualitatis participans, quàm generica, consequens sit, ut magis actiua sit, quod in alijs sensibus euidens est. Non enim calor (ex hypothesi, quòd hic sit qualitas, tanquam accidentaria forma, ut Peripatetici autumant) secundùm communem rationem qualitatis, vel qualitatis tangibilis, vel qualitatis primæ, sensiterium afficit, & urit, alioquin omnes qualitates eiusdem communis rationis, eundem effectum præstarent, sed calor calefacit, & adurit secundum specialem rationem suam. Quod autem obiectum eminus, etsi moueat visum secundum gradum specificum, non tamen secundum ipsum repræsentetur, oritur ex causa nuper assignata, nimirum ex nimia distantia; hinc enim accidentia speciei, etsi magis moueant, quàm generis, siquidem perfectiora & clariora, immo & sensibus propinquiora, & multitudine pura sunt, non percipiuntur sensibus, tanquam species, sed potius tanquam generis propria.

Quarta difficultas.

Arguunt etiam hoc modo. Quod per speciem primò fit intellectui præsens secundum habitum, primò etiam actu intellectum mouet; sed uniuersaliora sunt intellectui secundùm habitum primò præsentia, originis viâ; ergo etiam & actu; maiorem probant, quoniam idem videtur seruandus ordo in acquisitione specierum, ac in productione cognitionum medijs speciebus; ubi per habitualem notitiam species intelligitur, sensu quo intellectum in habitu Philosophus aliquando sumpsit.

3. de Anima Tex. 2.

Solutio.

Respondendum hoc argumento conuinci primum cognitum ex natura potentiæ esse magis uniuersale, non tamen prout intellectus suam cognitionem desumit à sensibus, priori enim modo obiectum prout per speciem rapræsentatur, est aptum se prius manifestare sub conceptu communiori, quàm sub minus uniuersali, posteriori modo est magis aptum se manifestare sub conceptu minùs uniuersali, cum hujus singulare fortiùs moueat sensum, à qua motione intellectus in cognoscendo pendet.

Aliæ difficultates breuiter proponuntur, & soluuntur.

Aliæ etiam sunt difficultates, quibus satisfacere non erit difficile: & præsertim urgeri solet ad ostendendum primum cognitum esse ens, quoniam ens est adæquatum obiectum intellectûs, hinc enim videtur dicendum in ipsum primò intellectum ferri. Sed hinc non colligitur primum cognitum esse ens primitate originis, sed adæquationis, quod non est ad rem. Ne commemorem hoc cohærere cum nostra sententia, nam ens est obiectum adæquatum intellectûs prout supponit, absolutè quo pacto comprehenditur etiam species specialissima, immo, & singulare. Secundò, quia inter omnes formalitates, ratio entis est maximè obuia, sed hoc non conuincit ens esse primum cognitum, cognitione originariâ, sed collectitiâ; cum enim intellectus circa illam se frequenter exercuerit, facilius potest obiectis occurrentibus quam aliam quamlibet applicare. Tertiò quia ens, est causa cognitionis cæterorum. Sed hoc confirmat esse adæquatum obiectum intellectûs, nam quia omnia sub ipso continentur, ob id ab intellectu cognosci possunt, quia nimirum eatenus sub intellectum cadunt, quatenus entis rationem participant. Accedit quòd conceptus entis est causa distinctæ cognitionis cæterorum, non enim hæc distinctè cognosci posset ignorato entis conceptu. Quartò quia ens, & res est cuius conceptus primò imprimitur in animo. Hoc tamè admittendum de cognitione distincta. Tandem obiecta complexa magis uniuersalia sunt nobis primò cognita, ut Impossibile est idem simul esse, & non esse: Quodlibet est, vel non est; ergo etiam eorum termini, qui sunt maximè uniuersales nobis erunt magis noti. Sed assumptum est admittendum in ordine distinctè cognoscendi, cum alioquin in ordine cognoscendi confusè, de quo in præsentia fit sermo, notiora sint eadem illa complexa, & incomplexa ex his enim intellectus per inductionem eorum cognitionem infert, quæ quanuis solâ perceptione terminorum haberi possit, hoc tamen non facit, quin confusa notitia singularium cognitioni uniuersalium præire debeat.

Asserendum tertiò ad rerum explicitam, atque distinctam cognitionem, superiorum graduum cognitionem requiri. Tertia sententia.

Hæc assertio perspicuè constat ex hactenus dictis, enim verò tunc explicitè distinctèque aliqua natura concipitur, quando gradus essentiales, quibus illa constat apertè cognoscitur; ita quidem clarè concipitur homo, quando partes eius essentiales animal, & rationale percipiuntur, & tunc anima, quando viuens sensitivum cognoscitur, & hoc modo usque ad supremum gradum, sub quo omnia continentur. Ratio suadens.

Hoc igitur modo magis uniuersalia dici possunt notiora nobis, quoniam in ordine distinctè cognoscendi eorum notitia ad inferiorum cognitionem requiritur.

SECTIO QVINTA.

An substantia, an accidentia, & Quænam alia prius, aut posterius à nobis naturaliter cognoscantur.

PRimò dubitatur an substantia, vel accidentia prius à nobis naturaliter cognoscantur, & aliorum sententijs prætermissis.

Asserendum primò à nobis prius cognosci naturaliter ea, quæ re ipsâ sunt accidentia. Prima assertio.

Explicatur, & suadetur assertio; quod ab intellectu primò cognoscitur est id ipsum, quod sensibus offertur, atque repræsentatur, quoniam intellectus noster ministerio sensuum, rerum omnium notitiam assequitur, per species ac imagines, quas à sensibus haurit, & per notitiam sensitiuam, ut sæpe dictum à nobis Ratio suadens.

Digitized by Google

bis fuit; sed huiusmodi sunt accidentia, hæc enim sunt, quæ primò sensibus percipiuntur, qui vel non nisi accidentia suis actibus potest attingere, vel si substantiam varijs accidentibus indutam, quemadmodum de aliquo internorum sensuum dici consueuit, priùs accidentia debet attingere; sed de his in Dissertationibus de Anima.

Asserendum secundò, quanuis à nobis naturaliter priùs accidentia cognoscantur, non cognosci tamen illicò quatenus accidentia sunt, & prout ipsi insunt, quin potius secundum hanc rationem non cognosci nisi cum dependentia à substantia.

Hæc assertio constat, quoniam per primam hanc notitiam haud licet nobis discernere, an illa, quæ cognoscimus per se, vel in alio existant, nec distinctionem inter substantiam, & accidentia percipimus; ad huiusmodi siquidem cognitionem assequendam, nobis est opus industriâ, atque ratiocinatione. Hinc est ut homines rudes, ac indiserti nihil de hac distinctione cogitarint: non statim igitur intellectus accidentia, quatenus accidentia cognoscit, sed solùm materialiter, ut aiunt, & accidentia concreta percipit, hoc est subiecta accidentibus inuoluta.

Ad cognoscenda verò accidentia determinatè sub accidentis ratione, opus est cognitione substantiæ; inuentâ siquidem distinctione subiecti, & formæ, cogitamus formam ipsam inhærere subiecto; itaque huiusmodi cognitio accidentis distincta, subiecti, seu substantiæ cognitionem præsupponit; quamobrem accidens huiusmodi cognitionis genere nequit à nobis primò naturaliter cognosci; sed opus est cognitione substantiæ, quam tamen imperfectè admodum intellectus noster attingit, non enim materialis substantia potest à nobis percipi secundùm propriam eius rationem, quandoquidem quoad intellectus noster est unitus corpori, omnem cognitionem à sensibus haurit, qui non nisi ab accidentibus mouentur per species sensibiles; at accidens nequit virtute continere substantiam, nec in esse reali, nec in esse cognito, quantum ad conceptum proprium, & quidditativum, quoniam ignobilius nequit virtute continere nobilius, & perfectius, quantumuis in esse cognito; ergo etsi accidens possit in substantiæ cognitionem nos ducere, quoad communes conceptus, videlicet entis, & aliorum transcendentium, propterea quòd virtute continet illos; nequit tamen ducere in cognitionem eiusdem quoad conceptus proprios, & quidditatiuos: sed de his plura, ubi de anima disputabitur, ubi etiam de substantijs immaterialibus agetur. Rem autem sic se habere comperiemus obseruando definitiones, quæ de diuersis substantijs traduntur, reperiemus enim nullam esse, quæ per propria, & essentialia principia, sed per proprietates, & accidentia substantiam definitam declaret; opus est enim definitionem ex multis differentijs quousque definitum adæquet, contexere, hoc autem est confícere rerum conceptus proprios, non ex proprijs, cum ad hoc ultima differentia sufficeret, sed proprios ex communibus; quia nimirum ex multorum prædicatorum collectione resultant, quæ sigillatim accepta rebus alijs conueniunt, collectim tamen non nisi rei definitæ; per accidentia igitur & per earum species habere possumus aliquem conceptum substantiæ proprium ex communibus, non eò quòd accidens virtute contineat illum, sed quoniam intellectus accidentium occasione, & per alienas species multamque collationem excitatus, itemque ratiocinando conceptus ex communibus proprios de substantia elicit hunc ferè in modum. Aduertit enim qualitatem in alio esse, propterea quòd illud quale esse cognoscit, & modo habet, & modo desinit habere, idem penitus remanens, solùm variatione factâ penes qualitatem ipsam; ut de impulsu, quem proijciens impertitur corpori, hoc enim virtute ipsius per aerem excurrit, sed paulatim cessat motus, quoniam etiam desinit impulsus cum tamen idem corpus remaneat; hinc arguimus dari aliquod substratum, quod nomine substantiæ nuncupamus; at verò si accidentia fuerint propria, per ea possumus à posteriori ipsius substantiæ quòdquid est ostendere, non quasi accidentia virtute contineant cognitionem substantiæ, sed quoniam illorum occasione motus intellectus arguendo elicit substantiæ conceptum proprium ex communibus; ut propterea huiusmodi cognitio nequeat intuitiua dici, ut satis notum est, nec abstractiua, cum non sit per propriam speciem, ac imaginem, sed potius dicenda est discursiua, quoniam per ratiocinationem, & per alienas species, multamque collationem comparatur; si tamen ad aliquod genus cognitionis è duobus commemoratis reduci possit, maximè videtur ad cognitionem abstractiuam reuocanda.

Aristotelis sententia explicatur.

Ex his manifestum redditur, quo sensu Philosophus dixerit substantiam esse priorem ratione, & cognitione accidente, quoniam videlicet accidens formaliter definitur, concipitur, atq; consideratur cum dependentia à substantia, & cum ordine ad ipsam. Ita quidem docuit in accidentis definitione substantiam adhibendam esse, quoniam accidentis essentia in habitudine dependentiæ ad substantiam consistit.

An prius cognoscãtur essentiæ vel proprietates rerum.

Solet etiam inquiri an priùs cognoscantur essentiæ, vel proprietates rerum, siue de substantijs, siue de accidentibus habeatur sermo, & iuxta prædicta.

Assertio.

Asserendum est posse quidem, atque solere priùs haberi à nobis conceptum aliquem confusum, & imperfectum de rei quidditate; at per proprietates, & affectiones subinde à nobis acquiri distinctam notitiam de eiusdem rei quidditate, & essentia, modo tamen superiùs explicato.

Ratione suadetur.

Assertio patet, quoniam eo ipso, quòd simpliciter intellectus rem concipit confusè, & implicitè quidditatem eius attingit, (est enim prima apprehensio, quæ circa quidditatem versatur) hoc ipso intelligit primum, & proprium intelligentiæ obiectum puta quidditatem, quatenus rei quidditas est circa quàm intellectus suam primam exercet operationem; quo sensu etiam substantia sumpta pro essentia dici potest prior cognitione accidentibus, acceptis pro proprietatibus rerum. At verò explicitè, atque distinctè solemus eandem ipsam rei essentiam concipere per ordinem ad proprietates dimanentes ab illa, & ex harum præhabita notitia solemus inuenire distinctèque explicare propriam rei essentiam, & quidditatem, quam certè non intelligimus, nisi per proprietates, & accidentia, & habitudines circumstantes rei naturam.

An prius cognoscãtur res vel earũ principia, & causæ.

Solet etiam inquiri, an priùs cognoscamus res ipsas vel earum principia, & causas.

Assertio.

Asserendum cognitione experimentali, & imperfectâ priùs quidem à nobis cognosci res, quàm causas, & principia: at verò cognitione perfectâ, atque distinctâ, priùs cognosci causas, & principia; verbo dicam in ordine confusè cognoscendi prius cognosci res, sed in ordine cognoscendi distinctè, prius cognosci causas, & principia.

Experientia confirmatur.

Assertionem hanc experientia confirmat, quâ planè constat multo plures esse eos, qui res ipsas cognoscunt, quam qui earum causas, & primordia percipiant; hoc autem inditio est prius à nobis cognosci res ipsas, quam earundem causas, & principia; nimi-

rum in ordine confusè cognoscendi; sed in ordine distinctè cognoscendi oppositò modo rem se habere manifestum est, quoniam distincta rerum notitia non potest nisi per principia, & causas comparari. Præcedere quidem solet imperfecta quædam cognitio rei, per quam intellectus in causæ notitiam deducitur, sed per notitiam deinde causæ, perfectiorem, ac præstantiorem cognitionem eiusdem rei consequitur; hoc autem quia ordo confusè cognoscendi præcedit ordinem cognoscendi distinctè, ut frequenter à nobis dictum fuit; & quanuis aliquando contingat, ut priùs cognoscatur id, quod est principium, & causa, & inde intellectus cognoscat id, quod ex tali causa prouenit; hoc tamen solùm euenit, quando causa maximè euidens est, ut in Mathematicis disciplinis euenire solet, in quibus procedimus à causis ad effectus, quoniam in ipsis eadem sunt nobis nota, & naturâ. Vniuersam hanc doctrinam ab Aristotele traditam fuisse, satis eius verba testantur, dum primò loquens de cognitione distincta, hæc habet, μάλιστα δὲ ἐπιστητὰ τὰ πρῶτα καὶ τὰ αἴτια· διὰ γὰρ ταῦτα, καὶ ἐκ τούτων τἆλλα γνωρίζεται, ἀλλ' οὐ ταῦτα διὰ τῶν ὑποκειμένων. *Maximè autem scibilia sunt ipsa prima, & causæ. Propter hæc enim & ex ijs cætera cognoscuntur, sed non hæc per subiecta.* Deinde verò de cognitione confusa sermonem instituens ait. διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν· ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀπόρων θαυμάσαντες. *Propter admirari enim, & nunc, & primò inceperunt homines philosophari, à principio quidem admirando, ea, quæ de dubitandis faciliora erant* &c. Primò igitur apertè testatur principiorum, & causarum notitiam prahabendam esse ad rerum distinctam cognitionem assequendam, atque adeo in ordine distinctè cognoscendi, priùs à nobis principia, causasque cognosci, postea verò ea, quæ à principijs, & causis ortum ducunt; at dum progreditur luculenter affirmat in ordine confusè cognoscendi oppositum euenire, siquidem ait primùm homines admirari naturæ opera, quod certè cognoscendo fit; sed hanc esse cognitionem confusam, ac proinde in ordine confusè cognoscendi id planè contingere, paulo post declarat dicens, ὁ δ' ἀπορῶν καὶ θαυμάζων, οἴεται ἀγνοεῖν. *Qui verò dubitat, & admiratur putat se ignorare;* hoc est non habere cognitionem distinctam, siue habere tantùm cognitionem confusam. Manifestum igitur superiorem assertionem Aristotelis auctoritate constare, & simul rationes allatas ad aures eiusdem esse.

Superior doctrina Aristotelis auctoritate comprobatur. 1. Diuin. cap. 2.

An humanus animus prius cognoscat se, vel alia à se.

Solet etiam in controuersiam vocari, an humanus animus, priùs se ipsum, & ea, quæ in se habet, vel potius alia à se, & quæ sunt extra se cognoscat.

Assertio. Aristotelis auctoritate probatur. 3. de anim. Tex. 8.

Asserendum est animum humanum, quoad est unitus corpori, priùs alia à se cognoscere, & ex ijs in sui ipsius notitiam deuenire. Hoc præclarè docuit Philosophus, nam ex eius sententia, cum intellectus sic factus est singula, ut sciens dicitur, qui actu scit, quod euenit, cum potest per se operari, tunc etiam similiter est quodammodo potestate, non tamen eodem modo, ut ante quàm disceret, vel inueniret, ὁ αὐτὸς δὲ αὐτὸν τότε δύναται νοεῖν. *Et ipse se ipsum tunc potest intelligere.* Vult igitur priùs ab intellectu alia intelligi, quàm intelligat se ipsum.

Experientia probatur.

Experientia quoque suffragatur, quoniam homines priùs cognitionem acquirunt de ijs quæ, ipsis exterius proponuntur, deinde tractu temporis intellectus relletendo supra se, & super operationes quas exercuit, se ipsum cognoscit, nimirum ex alijs rebus à se cognitis sui cognitionem colligit, quod etiam confirmatur magis ex eo quia perpauci admodum sunt, qui animam & ad ipsam pertinentia cognoscant, cum potius in horum maxima ignoratione versentur. Si qui autem sunt, qui certè pauci non sunt, quibus contingit aliquam de anima, deque intellectu notitiam habere; id certè dicendum non nisi magnâ industriâ summoque labore decursu temporis euenisse.

Confirmatur.

Hoc autem ratione conuincitur depromptâ, ex animæ natura, hæc enim unita corpori, nequit intueri se ipsam, sed in sui cognitionem deuenire non potest, nisi ministerio sensuum, quibus est alligata, rerum imagines acquirat, modo alibi explicando, his enim instructus intellectus ea cognoscit, quorum imagines acquisiuit, subinde cognoscit se operationes illas exercuisse, quibus reliquorum notitias est assecutus, atque demùm se ipsum cognoscit, quæ certè fiunt ab intellectu quatenus supra se ipsum reflectit; hinc propterea nequit intellectus primò se ipsum cognoscere, sed debet priùs de alijs cognitionem acquirere antequam in sui notitiam deueniat.

Tandem controuersum est an priùs cognoscatur Creator, vel creatura, an res à materia sciuncta, an in materiam immersa.

Asserendum à nobis priùs cognosci res creatas, quàm Creatorem, priùs res materiâ constantes, quàm nullum habentes cum materia commercium.

Assertio adeo euidens est, ut nullam probationem requirat, enim verò satis cuique perspectum est intellectum nostrũ ad cognitionem Creatoris, ex creaturis cognitis eleuari; quò pertinent illa vulgata verba *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et in universum ad hæc ex cognitione rerum materiâ constantium, ac sensibilium tantummodo nobis datum peruenire, satis luculenter expressit Philosophus dicens non posse intelectum humanum quidpiam cognoscere sine phantasmate.

Nec immeritò, quoniam intellectus humanus, ut sæpe dictum fuit, nequit cognoscere nisi sensibus opitulantibus, velut illis, quorum ministerio rerum species, & imagines quibus indiget in suis obeundis muneribus, acquirit; priùs igitur debet ea, quæ sunt sensibus obuia, quæque à sensibus attinguntur cognoscere; deinde verò quæ à sensibus remota sunt, unde est ut priùs res immateriatas, quàm materiatas cognoscat.

SECTIO SEXTA.

Qualis debeat esse cuiuslibet scientiæ dispositio circa proprium obiectum, & quæ circa idem, & quo ordine considerare debeat, & quomodo variæ scientiæ inter se disponendæ sint.

CVm quælibet integra scientia diuersis partibus constet, quendam ordinem omninò requirit, quo illæ disponantur; adeout una præire, alia verò subsequi debeat, cum tamen omnes totius disciplinæ adæquatum obiectum respiciant, eoquòd earum qualibet, aliquid ad obiectum pertinens considerandum assumit; universam igitur disciplinam tractaturus de ordine debet in primis esse solicitus, qui duplex erit, prout duplici modo scientia tractari potest, quorum unus est, qui expositionis, alter autem inuentionis dicitur. Primus contingit, quando quispiam doctrinam ab alio traditam assumit commentarijs explicandam, ac illustrandam, adeo ut si quæ tenebris inuoluta reperiat, ex ijsdem conetur eruere. Hic autem

Digitized by Google

tem modus, quo scientia tractari potest, non alium requirit ordinem ab illo, quem disciplinæ auctor adhibuit, & idcirco commentator retento ordine librorum, vel tractatuum, &c. suos debet commentarios disponere pro diuisione partium, in quas doctrinam Auctoris partitus fuerit. Primo quidem cuiuslibet particulæ sententiam explicando, mox si quę fuerint animaduersione digna, diligenter aduertendo deinde occurrentes difficultates diluendo. Secundus modus, quo disciplina tractari potest, quique inuentionis dicebatur, suum requirit ordinem, qui tantò præstantior erit, quantò ad veritatis consecutionem opportunior fuerit, sed quid ad huius ordinis elegantiam requiratur, adeo ut rectus dici possit, reliquum est ut explicemus.

Primò scientia suum debet considerare obiectum generatim acceptum, postea verò ad species sub illo contentas, descendere. Hoc egregiè Stagirites nouit, dicens, ἔστι γὰρ κατὰ φύσιν τὰ κοινὰ πρῶτον ἰδεῖν ὄντα, οὕτω τὰ περὶ ἕκαστον ἴδια θεωρεῖν. *Est enim secundùm naturam cum priùs ea, quæ communia sunt, declarata fuerint, sic deinde cuiusque rei propria contemplari*, & alibi, ὑστέρα γὰρ ἡ περὶ τῶν ἰδίων θεωρία, τῆς περὶ τῶν κοινῶν ἐστί. *Quia propriorum inspectio, posterior est ea, quæ de communibus est*; veritatem eandem varijs locis inculcat existimans hunc ordinem esse retinendum in omni tractanda disciplina.

Quâ autem ratione possit hic ordo probari, demonstrarique sic ipsum esse opportunum, ut eo neglecto, nequeat disciplina ordinata dici, sequitur declarandum, non una autem est ratio, præcipuè verò sunt, quas breuiter subijciemus.

Aristoteles porrò videtur eâ ratione ductus in eam, quàm tuemur, sententiam abijsse, quoniam si oppositus ordo seruaretur, adeo ut priùs de inferioribus, seu minus uniuersalibus distinctisque speciebus tractatio institueretur, necesse foret sæpesæpius eadem repetere, videlicet ea, quæ omnibus communia sunt in singulis speciebus tractandis, quod non mediocrem confusionem pareret, & addiscenti satietatem afferret.

Præcipua tamen ea videtur ratio, quoniam scientiæ traduntur secundùm ordinem distinctè cognoscendi, nam unaquæque scientia intendit distinctam, & explicitam rerum notitiam tradere; sed hoc haberi non potest, nisi præmittendo communium naturarum notitiam, priusque tractando ea, quæ communiora sunt, descendendo subinde ad ea, quæ sunt minus communia, cum ex rei natura magis uniuersalium cognitio, ad notitiam minus uniuersalium requiratur, & idcirco notitiæ istorum ab eorum cognitione pendeat; ut enim secundùm esse hæc pendent ab illis, sic etiam secundùm cognitionem, quoniam ut res se habet ad esse, ita ad cognosci; ergo talis est ordo seruandus in disciplinis, ut priùs de communioribus, deinde verò de minus communibus disputetur.

Dicet aliquis huius argumentationis assumptionem veram esse, quantum ad cognitionem definitiuam, quoniam ad perfectam cognitionem specierum definitiuam, oportet cognoscere genus, & quæ generi insunt, ac differentias, siquidem hæc nempe genus, & differentia ad speciei naturam & essentiam pertinent; non tamen quantum ad cognitionem demonstratiuam, quæ in ratiocinatione consistit, quâ proprietatem conuenire subiectò per propriam causam ostenditur.

Hæc tamen insulsè dicuntur, quandoquidem nulla potest haberi demonstratiua cognitio sine definitiua. Immò nec demonstratiua de speciebus distincta comparari potest absque demonstratiua de superioribus gradibus. Vt enim habeantur demonstrationes, quibus ostendatur proprietates conuenire speciebus, præhabere oportet illas, quibus affectiones de communioribus gradibus demõstrentur; siquidem proprietates superiorum graduum naturâ graduum inferiorum affectiones præcedunt. Ita quidem proprietates trianguli naturâ præcedunt proprietates, ac attributa singularum specierum, quæ sub triangulo continentur; & idcirco de triangulo generatim demonstrandæ sunt affectiones, antequam ad specierum proprietates ostendendas descensus fiat.

Quis ordo seruandus quando ex iis quæ ad scientiam pertinent quædam per se & quædam reductiuè pertinere dicuntur. Quorundam deceptio.

Quoniam autem obiectum de quo habetur sermo, dicitur attributionis, quatenus omnia, quæ in scientia tractantur habent aliquam attributionem ad ipsum, vel quia nimirum sunt eius principia, & causæ, vel proprietates, vel, si illud fuerit unum genere, sunt eius species; ob id considerandum quo hæc ordine tractari debeant.

Sunt qui putant primò differendum esse de ipso obiecto directè, & per se, de reliquis autem per reductionem ad ipsum. At si huius sententiæ fautores existiment de principijs, & affectionibus agendum per reductionem, allucinantur; quandoquidem petendum ab ipsis, quid erit in scientia tractandum directè, & per se; nihil enim à scientia tractari potest neglectis principijs, causis, & attributis; quæ nam erit ex eorum sententia de obiecto huiusmodi cognitio per se? sine namque cognitio sit definitiua, vel descriptiua, siue demonstratiua, à priori, vel à posteriori, (nullum autem aliud suppetit considerationis genus) semper in qualibet earum inuoluitur principiorum, vel affectionum consideratio. Non satis igitur intelligi potest cuiusmodi sit ista tractatio per se, & directè de obiecto, superiori modo explicata, adeout in ea dicatur per se, & directè considerari obiectum, cum alioquin principia causæ, & attributa per reductionem secundariò, & indirectè dici debeant sub scientiam cadere. Et hoc eò remotius à veritate conuincitur, quoniam considerare principia, & causas est considerare subiectum, cuius sunt principia & causæ; & considerare attributa est considerare subiectum, cuius sunt attributa. Ineptè igitur ab ipsis dicitur considerari subiectum directè, & per se; indirectè autem, & reductiuè principia, ac attributa, nam eodem modo subiectum, eius principia, ac attributa ad scientiam pertinent. Primò quidem exhibenda nominis explicatio, & si opus est, inquirendum an subiectum sit, postea procedendum ad reliqua, semper videlicet principia, causas & attributa tractando.

Verus explicationis modus retinendus.

Alio igitur modo res explicanda est, nempe quia non idem est in scientia quædam habere attributionem ad adæquatum obiectum, & quædam ad ipsum reduci, priori modo sunt principia causæ, & attributa: posteriori verò, quæ nec habent principij, vel causæ, vel attributi rationem, sed solùm quoniam cum subiecto quandam connexionem habent; ita planè sunt in Physica Infinitum, Vacuum; in diuina Philosophia Ens rationis, & si quæ alia reperiuntur talia, quæ ad unam, vel alteram disciplinam pertineant; nam quæ huiusmodi sunt in scientijs siue contemplatricibus, siue practicis, tractantur quatenus ad eorum obiectum adæquatum reducuntur, ob quandam ut diximus, connexionem. Quæ autem sic se habent, posteriori loco tractanda forent.

Quando scientiæ

Sed quoniam plerumque contingit, ut adæquatum obiectum sit unum genere, adeo ut sub se plures, atque

subiectum fuerit unũ genere, quis ordo sit seruandus in tractandis speciebus.

atque diuersas species contineat explicandum superest, qualis inter species ordo seruari debeat, qui non unus est. Primus est ordo dignitatis, ac excellentiæ & iuxta huiusmodi ordinem illa priùs tractanda sunt, quæ dignitate, ac excellentiâ cæteris antecellunt; ita planè sensisse videtur Aristoteles, qui de animalium partibus acturus, opportunum duxit primò de homine tractationem instituere, non aliâ ratione ductus, nisi, quia homo adeo cæteris animalibus dignitate præstat, ut particeps diuinitatis videatur; respexit igitur ad dignitatis ordinem, dum de re subiecta disputaturus foret. Secundus est ordo originis, & generationis, iuxta quem ea sunt primo loco tractanda, quæ re verâ priùs gignuntur, præsertim autem si ad alia, quendam habitudinem causæ ad effectus habeant. Hinc Philosophus, priùs de corporibus simplicibus, postea de mixtis; priùs de corporibus cælestibus, postea de sublunaribus disputationem instituit. Tertius tandem est commoditatis ordo, qui tunc planè contingit, quando quis utroque ordine superiori, nempe dignitatis, atque generationis, neglecto, ea priori loco sibi tractanda proponit, quæ cognitu faciliora sunt, & quæ præcipuè ad reliquorum cognitionem conferunt. Non est autem cogitandum, quemlibet ex his ordinibus perpetuò seruandum, sed modò unum, modò alium pro conditione rerum tractandarum & interdum unum, interdum alium adhiberi. Nec expectanda quædam certa regula, quâ præscribatur unum, vel alium usurpandum esse.

Triplex potest esse ordo. Primus dignitatis. Secundus ordo originis. Tertius ordo cõmoditatis, ac facilitatis.

In eodem tractatu ordo seruandus quis.

Non solùm ordo seruandus in disponendis partibus integræ cuiusdam disciplinæ de partialibus obiectis eiusdem, sed etiam in eodem tractatu de quopiam obiecto rectus est ordo retinendus, adeo ut omnia, quæ in illo tractantur, optimo sint ordine, disposita, qua de re commodiùs paulo infra disputabitur.

Ordo inquisitionis aliquo tractãdo qualis esse debeat.

Et quoniam considerari potest peculiare aliquod problema; videndum sequitur quis nam ordo in tractatione ipsius usurpandus sit. Quando igitur aliquid proponitur inquirendum, quod primo loco se considerandum offert, est quæsiti sensus, quandoquidem si nonnihil obscuritatis habeat, rectus tractationis ordo postulat, ut premittatur quæsiti explicatio, adeo ut, quod inquirendum proponitur, perspicuè constet. Quæstionis autem decisio, vel clara est & aperta, vel ambigua. Priori modo contingit, si de ea non extent sententiæ inter se pugnantes; posteriori verò si varia extant maximè contraria placita. Cum quæstionis resolutio fuerit prioris generis, præstat eam illicò manifestam facere, validisque rationibus comprobare, & ut magis veritas eluceat, difficultates, si quæ sunt, afferre, ijsdemq; diligenter occurrere. Quòd si posterioris generis enodatio quæstionis extiterit, non unus est ordo, quo quis uti possit, enimverò licet nobis propriam sententiam afferre, & eamdem efficaciter confirmare simul referendo, ac repellendo sententias oppositas, adeo ut Aristotelem de motu disputantem imitari videamur. Alter etiam ordo poterit adhiberi, huic omninò contrarius, & erit si priùs relatis, & reiectis sententijs à veritate magis alienis, propriam, & veram sententiam afferamus in medium, eandemque robustioribus argumentis confirmemus, non secus ac Aristotelem aliquando fecisse, nobis compertum est non uno in loco, præsertim cum de origine mundi, de animæ natura, de humana felicitate, deque rerum principijs disputaret. Alius etiam est ordo, ut priùs nimirum varias opiniones referamus, tum propriam, ac veram exponentes, simul eandem confirmemus, atque contrarias reijciamus. Alius etiam ordo esse potest, qui frequenter admodum usurpatus fuit, ut nimirum initio variæ diuersæque referantur sententiæ, cum suis, quibus innituntur fundamentis, atque rationibus, quibus earum fautores illas propugnare consueuerunt, mox propria declaretur opinio, & ad extremum fundamentis, & argumentis allatis fiat satis. Hic ordo summopere commendatur ab Aristotele, nec immeritò, propterea quòd ad trutinam reuocatis aliorum placitis, eorumdemq; rationibus ac argumentis diligenter expensis, longè meliùs intellectus potest de veritate iudicium ferre. Dicit enim ad quæsitam scientiam opus esse primum dubitare, quod varijs rationibus ostendit. Primò, quia inuestigatio posteriorum in inquisitione veritatis, non est aliud, quàm priorum dubitationum solutio, quod declarat exemplo ex ligaminis solutione desumpto. Secundò, quia quærentes veritatem sine dubiorũ inuestigatione, similes sunt ignorantibus, quò oportet ire, hoc est illis, qui nesciunt, quò vadant, ut enim terminus viæ intenditur ab ambulante; ita exclusio dubij, finis est intentus à speculante, & inquirente veritatem. Vt ergo ille, qui nescit, quò vadit, peruenire non potest ad terminum, nisi forsan casu; sic nec aliquis potest directè veritatem inquirere, nisi dubitationem præuideat, & præcognoscat. Tertiò, quia, ut qui nescit quò vadit, cum peruenerit ad locum, ad quem tendebat, utrum ille sit terminus, & utrum sit sistendum, vel ulterius procedendum, ignorat; non dissimiliter qui veritatem sine dubitatione inquirit, quando quæsitum inuenerit, non cognoscet. Quartò, quia sicut in iudicijs, nemo potest benè iudicare nisi rationes audiat utriusque partis: ita necesse est audientem Philosophiam, deque veritate iudicantem, rationes omnes aduersariorum audire, quod planè fit inquirendo priùs dubia, quæ circa quæsitam veritatem contingunt, quod paucis complectens dicit, ἔτι δ', βέλτιον ἀναγκαῖον ἔχειν πρὸς τὸ κρῖναι τὸν ὥσπερ ἀντιδίκων τῆ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων ἀκηκοότα πάντων. *Item, melius se habere necesse est illum ad iudicandum, qui tanquam aduersarios, omnes utrinque rationes oppositas audiat.* Hic itaque ordo summoperè commendabilis esse videtur.

Quæstionis decisio vel clara est, vel ambigua.

Quando quæstionis decisio clara est quid agendum.

Quando ambigua fuerit faciendum.

De loquendi ordine iudicio ferendo.

At si rem paulò diligentiùs animo euoluamus, facilè reperiemus commemoratum ordinem plurimum ad inueniendam veritatem proprio marte conducere, sed ad eam, quam quis putat à se iam inuentam cæteris declarandam, non tam idoneus est superior ordo, quàm alter mox explicandus. Veritatem enim indagaturus, non potest sibi meliùs viam sternere, quàm expendendo rationum momenta, quibus alii suffulti contrariam sententiam tuentur; discussis enim quodammodo ignorationis tenebris, potest veritatem prospicere. Sed eruditurus alios ad id non adstringitur, cum solùm eò collimet, ut cæterorum animos possit propriâ informare sententiâ, & ad illam amplectendam eos firmissimis rationibus compellere; idcirco non est cur à principio in addiscentium conspectu ponat aduersariorum fundamenta, & ob eorum oculos argumenta constituat, quæ suam, quam tuetur sententiam, videntur demoliri.

Alius pro ponitur ordo commendabilis ad inueniendum

Alius ordo proponitur.

Postremus igitur ordo erit in tradendis disciplinis, ut priùs relatis aliorum placitis nostram sententiam statuamus, illamque validissimis rationibus confirmemus, subinde aduersariorum argumenta simul afferamus, ac diluamus; hoc enim modo longè commodius est disciplinam tradere, cum non parum incommodum sit addiscentibus solutiones in fine disputa-

Ordo maximè necessarius ad docendũ.

sputationis allatas aptare argumentis initio exhibitis. Illud autem obseruandum in probatione propriæ sententiæ, ut si quæ est auctoritas afferenda, ab ea ducatur initium, tanquam à ratione debiliori, & faciliori, & ab ea, quæ ad ulteriora disponit: deinceps verò afferantur rationes validiores eâ lege seruatâ, ut quò ulteriùs proceditur, perpetuò rationes robustiores sint, maioriſque momenti.

Quoniam autem non rarò euenit, ut in una, eademque disputatione plures conclusiones maioris claritatis gratiâ, habeantur; atque tunc inter illas ordo quidam seruandus, qui maximè commendabilis erit, si conclusiones illæ præponantur, quæ universaliores sunt, aut quæ naturali prioritate antecedunt, vel faciliores sunt, & ad sequentes conducunt. Quod si nihil horum contigerit, poterit quisque pro arbitrio unum, vel alium ordinem eligere.

His autem explicatis supereſt inquirendum, quænam, & quomodo unaqueque disciplina circa suum debeat considerare obiectum: hæc porrò Philosophus egregiè tradidit quatuor assignando quæsita, quæ nimirum quælibet scientia, circa proprium obiectum tractare potest, & ait omnia, quæ de ipso obiecto sciri possunt, paria esse numero cum quæsitis, ut suo loco explicuimus, cum diceremus ex Philosophi sententiâ, quatuor esse quæsita constituenda, in quorum consideratione tota scientia versatur, cuiusmodi sunt *an res sit, quid sit, quòd sit*, seu *qualis sit*, & *propter quid sit*. Hæc enim sunt, quæ de obiecto sciri debent, quorum sufficientia non eadem est apud omnes, præcipua tamen in eo posita videtur, quòd quicquid sub quæstionem, & scientiam cadit de re quapiam, est vel existentia, vel essentia ipsius, vel proprietates, siue accidentia, aut operationes rem ipsam consequentes, vel causæ antecedentes. Ad existentiam pertinet quæstio *an est*, ad essentiam *quid est*, ad proprietates, & accidentia *qualis est*, ad causas *propter quid est*: Itaque quæstio *an est*, dicenda illa, quâ quæritur, an res sit, vel non sit per propositionem de secundo adiacente, ut an Chimera existat, an Deus sit, non autem, an sit hoc, vel illud. Quæstio *quid est*, instituitur de omnibus prædicatis essentialibus, omnibusque partibus, atque rationibus ad rei quidditatem spectantibus. Ad quæstionem *qualis est*, non modo spectant accidentia, siue propria, siue communia, quæ verè insunt rei, sed etiam quæcunque denominationes aliæ, sumptæ siue ab operatione, vel ab alterius cuiusque causalitatis exercitio, siue ab alicujus operationis termino, vel undecunq; fuerint acceptæ. Quæstio denique *propterquid*, versatur omninò circa quoduis causæ genus, siue nimirum sit causa ipsius rei in se, siue sit causa, ut res sit talis, aut talis, nempe sit causa, ut aliquod prædicatum ipsimet rei conueniat.

Quoniam autem suprà fuit commemoratio facta de cognitione, & scientia, dum harum quæstionum ex Aristotele distributionem instituereмus, est operæ pretium diligenter aduertere iuxta communem interpretum melioris notæ sententiam *scire* nunc non sumi adeo seuerè, ut sumebatur cùm definitum fuit dicendo ipsum esse rem per causam cognoscere, sed amplioti quadam usurpatione, videlicet pro cognitione certa, atque perspicua. Quinimò alii addunt hoc loco accipi absolutè, adeout cum dicimus hæc esse, quæ de re quapiam sciri possunt, perinde sit, ac si diceremus hæc esse, quę de quacunque re possunt cognosci per cognitionem quamtumuis incertam, solumque probabilem, quoniam, quæ in omnibus facultatibus in disputationem vocantur, magna ex parte probabilia tantùmmodo sunt, nec euidentiam, vel certitudinem habent.

Sunt porrò, quibus videtur Aristoteles in enumerandis quæstionibus defeciſſe, eò quòd prætermiserit illam, quâ quæritur, quotuplex aliquid sit, ut cum genus in subiectas quas habet species, vel quodlibet universale in sua inferiora diuiditur. Nihilominus Aristoteles in recensendis quæstionibus, nullam negligentiæ culpam contraxit, quoniam in animo habebat ea tantùm recensere quæsita, quæ de re fieri possunt inspectâ secundum se, ante quamlibet diuisionem. Vel dici potest quæstionem quotuplex ad quæstionem qualis res sit, non immeritò reuocari. Prima obiectio. Obiectionis solutio.

Adhuc etiam est difficultas de quæstionum multitudine; cum enim de qualibet propositione possit esse dubitatio, propositiones verò sint infinitæ, consequens sit, ut propositiones sint plures, immò infinitæ. Secunda obiectio.

Confirmatur etiam, ex eo quia Philosophus alibi quatuor affert quæstiones, iuxta numerum quatuor prædicatorum, quæ sunt ab his planè distincta, quandoquidem ibi quæstionem generis definitionis, proprij, & accidentis recensет. Confirmatio.

Occurritur respondendo quæsita, & scita sumpta secundùm materiam non esse numero æqualia, benè tamen secundùm formam, hoc est, secundum modum quærendi, ut enim de re non possunt alia sciri, quàm *an sit*, *quid sit*, *qualis sit*, & *propterquid sit*; ita nec alia quæri possunt. Solutio.

Ad Confirmationem dicendum, diuisionem unam in alia quodammodo contineri, propterea quòd pluribus modis possunt hæ quæstiones distingui, & earum numerus designari; itaque ad quæsitum, *quid est* duo problemata nimirum definitionis, & generis additâ etiam differentiâ, pertinent. Ad quæsitum *qualis est* duo alia proprij, videlicet, & accidentis problemata spectant. Ex aduerso quæsitum *an est*, subaccidentis problemate comprehendi potest, eòquòd rebus creatis actu existere omninò accidat. Quæsitum verò *propterquid*, si causam quærat, à qua res essentialiter pendet, sub definitionis aut generis problemate comprehendi potest. At si quærat causam, à qua res contingenter dependeat, ad problema proprij, vel accidentis potest reuocari, ut propterea dictum fuerit diuisionem unam quodammodo in alia inuolui. Confirmationis falsitas.

Dici autem solet obiectum in qualibet scientia tale esse, ut non possit in illa probari quoad *an est*, & *quid est*, adeout in illa scientia, cuius est obiectum, nulla suppetat demonstratio, vel argumentatio, quâ probetur obiectum esse, aut esse talis essentiæ, sed tanquam nota absque probatione hæc supponenda sint. An in scientia probari possit quod eius obiectum sit, & quid sit.

Asserendum tamen, ad singulas scientias pertinere de obiecto quæsitum utrunque tractare. Assertio.

Hoc videtur Aristoteles docuisse commemorata quæsita designans, dum ait illa quæri ac inquiri, & cum fuerint inuenta, sciri. Interdum scientiæ despiciunt quæsitum utrunque, non nego, sed quando res clara est, alioquin non despiciunt, quando nempe res non adeo perspicuè constat, & idcirco ad scientiam pertinet manifestare proprium obiectum esse, & quid sit. Hæc autem manifestatio fieri debet afferendo causam, omnes enim illæ quæstiones sunt quæstiones medij, scilicet medij ad inueniendam illarum quæstionum resolutionem; non enim satis est simpliciter respondere affirmando, vel negando, sed oportet afferre medium, quo conclusio quæstionis probetur. Aristotelis auctoritate probatur.

Ratione quoque suaderi potest assertio, quoniam nulli Ratione suadetur.

Digitized by Google

hullî dubium quin sub disputationem possit cadere *an res sit*, cum de multis hoc soleat in quæstionem vocari; nihil igitur prohibet, quominus vertatur in dubium, num aliquid existat, quod alicuius scientiæ subiectum est; at huius inquisitio ad scientiam illam proculdubio spectabit, quanuis ad primam Philosophiam credatur pertinere, de quo ibi disputandum. Ita quidem Theologia initio quærit an Deus existat, cum tamen Deus eius subiectum sit.

Difficultas. Solùm est difficultas de existentia actuali rerum creatarum, cum enim hæc sit prorsus contingens, non videtur quo pacto sub demonstrationem cadat, cum demonstratio solùm de necessarijs esse possit.

Hæc difficultas multorum ingenia torsit, ei tamen fiet satis respondendo rerum creatarum existentiam actualem non esse quidem necessariam absolutè, benè tamen ex hypothesi, nec esse necessariam summâ necessitate, qualis est necessitas metaphysica, sed mediocri quidem necessitate, cuiusmodi est necessitas physica, & idcirco de huiusmodi existentia possunt demonstrationes fieri.

Hæ autem probationes non solùm à posteriori, & ab effectibus, sed etiam à priori, & per causam institui possunt. Res clara est, nam ab effectibus probari obiectum existere in aliqua scientia patebit inferius; probari etiam per causam essendi, si res creatæ sint, manifestum est, siquidem hę habent causas naturales, ex quibus necessariò proueniant, necessitate iam explicatâ.

Suadetur etiam quæ fundam. scientiarũ exemplo. Hæc eadem frequens usus testatur, nam in Posterioribus analyticis, in quibus de demonstratione, scientiaque disputatur, primò Philosophus assumit probandum dari scientiam, atque demonstrationem. In scientia Morali primò probat humanam dari felicitatem, quanuis felicitas, vel homo quatenus in eo est inducenda felicitas, huiusmodi scientiæ obiectum sit. Idem patet de diuina scientia, ut paulo antea dictum fuit. Non solùm autem scientia comprobare potest suum obiectum existere, sed etiam quid sit, modo iam explicato, cum de præcognitis, & præcognitionibus ageremus.

Ad quæstionem etiam *an est*, spectat tractate utilitatem, vel necessitatem rei, de qua agitur, quando videlicet res illa refertur, atque deseruit ad aliquem finem, vel ad aliquem alium effectum consequendum; non enim ad aliam scientiam hoc attinere potest, quàm ad illam, quæ de re ipsa disputationem instituit.

Aristotelis auctoritas explicatur Cæterum non perturbet Aristotelis auctoritas, eò quòd ipse dixerit de subiecto præcognoscendum esse *quòd sit*, & *quid sit*; hoc enim cum hactenùs dictis optimè coheret, dum has præcognitiones de subiecto esse habendas diceremus; nil enim aliud sibi vult, quàm has esse præmittendas alijs conclusionibus, & cognitionibus de ipso obiecto, quanuis ipsæ ex alijs cognitionibus haberi debeant; Vel forsan Aristoteles docere tantùm voluit ea præcognoscì ante demonstrationem illam, scientiamque demonstratiuam, quę probat affectionem de subiecto, & ad huius scientiæ differentiam, præcognitionem assignasse, docere tantum intendens præcognitionem dicendam comparatione istius demonstrationis, etsi respectu alterius præcognitio non sit, sed conclusio. Vel dici etiam potest Philosophum eò tantùm spectasse, ut doceret hæc, eoquod maximè clara sint, negligi posse, nec esse operæ pretium in eorum inquisitione versari; præsertim quando de uniuersę alicuius disciplinæ obiecto ut termo, cum de hoc soleant hæc esse notissima. Vel ad extremum licet Philosophi sententiam interpretari dicendo solum significare voluisse, dum affirmat de subiecto præsupponendum *quòd sit*, non posse id per internam, & necessariam causam ostendi, cum talis respectu rei creatæ non suppetat, etsi per causam externam non repugnet, quoniam hanc reuerà ipsis concedere necesse sit. Nec dissimiliter de præcognitione *quid est*, ratiocinari licet, asserendo nimirum dum ait de subiecto præcognoscendum *quid est*, nil aliud significare voluisse, quàm ipsum *quid est*, nempe definitionem, per causam internam de re definita demonstrari non posse, cum alioquin per externam nihil impedimento sit, quominus id præstare valeamus.

Hactenus autem dicta hoc ordine tractanda sunt, Prius enim considerari debet an sit, & quid sit subiectum, quoniam hæc pertinent directè ad ipsum in se; alia verò duo quæsita versantur in ijs, quæ reuocantur ad ipsum obiectum, nimirum proprietates, siue operationes, & causas, & prius tractandum est quæsitum *an sit*, quàm *quid sit*, ut rectè notauit Philosophus, dicens non posse cognosci quid res sit, nisi cognoscatur esse, quoniam non eris, non potest nisi nomine tenus cognosci. Hæc tamen sic intelligenda, ut ante *an sit*, præcedat apprehensio simplex, & nominis explicatio.

Ardua tamen aduersus proximè dicta, difficultas est, quoniam *quid est*, ad primam pertinet intellectûs operationem, sed *an est*, ad secundam. Accedit, quod nequit sciri quidpiam, nisi præintelligatur significatum ipsius. Præterea essentia rei abstrahit ab existentia & prior est essentia, idcirco etsi res non existat, potest nihilominus sciri quid sit, & quam essentiam habeat. Et quanuis constaret rem non existere, posset adhuc inquiri quid ipsa sit, & posset scientia de re illa institui, quantum ad ea quæ ab actuali rei existentia non pendent. Afferri solet instentia de Vacuo, quod quanuis in rerum natura non sit, adhuc tamen Physicus illud considerandum assumit, de ipso edisserit, & quærit quid sit, & multa de eodem tractat, ut satis notum est. Hoc idem quoque de infinito in actu perspicuum est, quanuis enim illud Physicus non agnoscat in natura, adhuc tamen multa de ipso pertractat, non secus ac, si re verâ in natura reperiretur.

Superioribus hisce difficultatibus equum est occurrere, cum earum enodatione multa nobis intescant scitu planè dignissima. Ad primam igitur difficultatem respondendum *an est*, & *quid est*, in præsentia sumi quatenus utrunque ad iudicium pertinet, primum quidem de existentia rei, secundum verò de eiusdem essentia, propterea difficultas nulla est; quæ tamen aliquid momenti haberet, si *quid est*, sumeretur, prout ad primam spectans operationem, & *an est* ad secundam; tunc enim quæstio *quid est* deberet præcedere quæstionem *an est*. Nec refert quòd oporteat præintelligere significatum eius, de quo agitur, propterea quòd per quæstionem *quid est*, non intelligitur in præsentiarum ea, quæ dicitur *quid nominis*, sed *quid rei*, nam ad præcognitionem *quid nominis* quod attinet, ut non multò antea dictum fuit, nulli dubium, quin prima esse debeat, cum ante omnia quid per nomen significetur, oporteat præcognoscere, at non *quid nominis*, sed *quid rei* sub quæstionem cadit; cum itaque de quæstionibus disseratur, per *quid est* non *quid nominis*, sed *quid rei* debet intelligi.

Posterior erat difficultas maioris ponderis, nam re verâ essentia rei abstrahit ab existentia, & prior est illa, quàm ista. Sunt qui putant quæstionem *an est*, intelligendam esse non tam de actuali existentia,

quàm

quàm de possibili, adeo ut præcognoscere an aliquid sit nil aliud esse videatur, quàm præcognoscere an aliquid re ipsâ sit possibile, vel sit essentialiter ens reale, cuius essentialis ratio in eo posita est, ut sit id, cui non repugnat esse. Alij autem contendunt quæstionem *an est* intelligendam de existentia actuali. Alij per intelligatur de possibili existimant *an est* ad quæstionem *quid est* pertinere. Si quæstio an est intelligatur de existentia possibili quæstio quid est intelligi debebit quoad reliqua prædicata essentialia sub uniuersalissimo entis prædicato contenta; atque hunc in modum priùs quærendum an res sit possibilis, an sit ens reale, ut mox gressus fiat ad reliqua prædicata ad rei naturam, & essentiam spectantia, dum in definiendo per σύνθεσιν *procedimus*. Quod si quæstio *an est* de actuali existentia intelligatur, etsi de subiecto non sit necessarium initio quæstionem hanc instituere, an videlicet res actu re ipsâ sit quoad existentiam realem, ut superior difficultas euincit, non tamen id opportunum esse negandum, cum nobis clariùs, & apertius constet res esse, vel non esse actu in rerum natura, quàm earum essentiæ, ad quarum notitiam cognouisse illas existere, vel non existere non parum vtique conducit. Tametsi enim essentia abstrahat ab existentia, & hac ratione sit quodammodo prior; hoc tamen nihil refert, cum ad id sufficiat nominis explicatio; & idcirco rudis quædam essentiæ cognitio, alioquin actualis existentiæ præuia notitia, plurimum ad essentiæ notionem utilitatis habet, quò pertinet illud Philosophi *impossibile est cognoscere quid est, si ignoretur an sit*, & alibi, *quærere quid est, nisi habeatur quod est, nihil est quærere*, quia nimirum cognosci nequit, quid aliquid re ipsâ sit, nisi ipsi conueniat esse, quod quanuis sufficiat acceptum ut possibile, sumptum tamen, ut actu, si non simpliciter ad essentiæ cognitionem, ad distinctam tamen explicitamque conducit; Et quanuis innotuerit rem non existere, adhuc hoc ipsum facit ad essentiæ notitiam, nam cognoscere rem non esse, est resoluere quæstionem an est, quod ad essentiam obiecti penitius introspiciendam conducit, & etiam si à principio citra quamlibet inquisitionem probè constaret aliquid nec esse possibile, nec ens reale, hoc adhuc ad rationem eius essentialem præsidio nobis esse potest, & adiumento, non quia deseruiat id ad cognoscendam realem naturam, cum hanc obiectum, de quo agitur, ex hypothesi non habeat, sed facit ad cognoscendam essentiam eius, quod non est. Iuxta hæc varia Aristotelis testimonia possunt explicari, nempe quando ait cognoscere *an est* necessarium esse ad cognoscendum *quid est*, sumpsit enim *an est* pro existentia possibili, ac entitate reali. Vel sumpsit pro quacunque notitia, qua nos enunciamus, aliquid de alio, affirmando scilicet prædicatum de subiecto, &c.

Dubitatio tamen est de ordine inter quæsita *quale*, & *propter quid*, & sanè hæc inuicem distingui clarum est, ex Aristotele, ubi docet aliud esse quærere qualis sit res, videlicet an sit talis, vel talis, seu an ita sit, an Sol deficiat; an terra moueatur: & aliud quærere propter quid ita sit, cur nempe Sol deficiat, & cur terra moueatur; ex eiusdem autem sententia, quærendum priùs ipsum quod, seu quale, deinde propter quid, quanuis alibi videatur oppositum docuisse, quandoque nimirum, non priùs quæri, & sciri ipsum quod, antequam cognoscatur propter quid, sed simul utrunque. Et hoc ratione quoque conuincitur, cum simul possit initio sciri conclusio per causam, quo pacto *quod est* non præcedit quæstionem *propter quid est*.

Asserendum tamen plerunque contingere ex nostro cognoscendi modo, quo procedimus à notioribus nobis, priùs cognosci an res ita sit, quàm propter quid ita sit; non rarò tamen simul offerri, cognoscique rem ita esse, & propter talem causam esse. Assertio.

Assertionis utranque partem ab Aristotele traditam reperies, enimverò priori loco nil aliud sibi voluit, quàm sæpesæpius usu venire, ut cognoscatur priùs qualis res ipsa sit, posteriori verò significare voluit non rarò contingere, ut statim in prima inquisitione de re quapiam nobis offeratur medium aliquod causæ rationem habens. Aristotelis auctoritate probatur.

Proximè autem dicta quotidie nos experimur, cum nihil frequentiùs eueniat, quam ut per sensus innotescat nobis rem ita esse, vel quoniam rem sic se habere ex signo, vel effectu conijcimus, cum tamen causa non sit admodum obuia, quin potius talis sit, ut perpetuò lateat, vel non nisi longâ diuturnâque meditatione comperatur. Tunc autem, satis liquet priùs à nobis cognosci qualis res sit, deinde verò propter quid talis sit. At verò plerunque contingit statim offerri nobis medium causæ rationem habens, cum primùm de re quapiam inquisitionem instituimus; & tunc sanè cognoscimus simul rem ita esse, & per quam causam ita sit. Experientia ostenditur.

Ad ordinem autem totalis scientiæ quod attinet; satis est exploratum agendum esse priùs de principiis, & causis, deinde de accidentibus subiecti; hoc ab Aristotele obseruatum fuisse neminem præterit, cum nihil sit apertius in Physicis, ab ipso priùs agi de principiis, causisque rerum naturâ constantium, postea verò de motu, & affectionibus alijs. Ordo scientiarum totalis qualis.

Sed hîc iterum adnotandum, quod non multò antea dictum à nobis fuit, videlicet alium esse ordinem seruandum ab eo, qui scientiam proprio Marte conatur acquirere, & alium, qui solum intendit scientiam inuentam cæteris exhibere. Inuentionis ordo postulat, ut priùs exponatur rem ita esse, quam cur ita sit, siquidem ipse procedit ab effectis ad causas; at verò docendi ordo requirit, ut priori loco principia causæque tractentur, quoniam hic est ordo distinctè cognoscendi, at ad rerum distinctam cognitionem assequendam principiorum, causarumque præhabendam esse notitiam, cuique satis perspectum ac exploratum; iuxta hunc igitur ordinem, priùs oportet principia, & causas enarrare secundum se spectatas, subinde verò ad proprietates affectionesvè promanantes ex causis, gressum facere. Eo vel maximè quòd causæ, de quibus disseritur, in scientia primariò soleant assumi considerandæ, tanquam causæ, à quibus eius obiectum esse habet; at hoc primò supponitur, vel si opus est, probatur; mox causæ, à quibus est, in considerationem vocantur, deinceps affectiones, quæ prædictarum causarum virtute eidem subiecto competunt. Animaduersio.

Et quoniam in causarum tractatione seruandus est ordo, immo etiam & inter accidentia; aduertendum è causis primò illas esse tractandas, quæ internæ sunt obiecto, deinde verò externas; in utroque autem genere illa est præferenda, quæ vel ordine causalitatis, vel dignitatis maiorem quandam prioritatem habere videatur. Ordo inter causas.

Ex affectionibus priùs tractandæ illæ, quæ subiecto intimiores sunt, & ad eius essentiam propius accedunt, & ex quibus aliæ quodammodo proficiscuntur: at si quę sunt, quæ æque ad rei essentiam se habeant, attendendus aut originis, aut dignitatis, aut commoditatis ordo, iuxtà siquidem hunc affectio- Ordo inter affectiones.

num tractandarum dispositio esse debet.

Partitio subiecti quo ordine instituenda.

Subiecti consideratione absolutâ generatim accepti sequitur diuisio in eas, quas sub se species habet; cum enim adæquatum subiectum constituatur, prout supponit absolutè, scientia non sistit in consideratione illius secundum rationem genericam, sed ad species sub illo contentas descendit considerandas, quod tamen fieri non debet, nisi post tractationem de obiecto in uniuersum.

Quo ordine variæ scientiæ debeant inter se disponi.

Quo autem ordine variæ scientiæ debeant inter se disponi, operosum non erit intelligere, si digniorum conditiones diligenter attendamus, prætermissis ijs, quæ inferioris sunt notæ, ex illis primò quidem occurrit Dialectica, quæ proculdubio debet esse ordine prima. Hæc enim est cæterarum ianua. Videtur hoc ab Aristotele expressum dicente. Ὡς ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην, καὶ πόσον τινὰ τρόπον. *Quoniam absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere.* Cum enim per sciendi modum nil aliud, quàm Dialecticam intelligat, nulli dubium quin hanc cæteris præmittendam duxerit, eâ forsan ratione ductus, ut opinor, quoniam Dialectica facultas in directione operationum intellectus occupatur; hac autem non præmissa, scientijs operam nauare, neminem præterit laborem irritum esse, quandoquidem intellectus humanus ad assequendam veritatem, quam disciplina omnis intendit, dialecticis debet instructus esse præsidijs, cum sine his calcare semitam veritatis non possit, ut propterea scientiarum ianua, facultas hæc non immeritò fuerit existimata. Huic porrò an succedat Moralis, an potius hæc post omnes tradenda sit, maximè controuersum est.

2. Diuin. tex. 15.

Assertio.

Asserendum quibusdam videtur non requiri per se certum aliquem ordinem inter Moralem, & alias scientias quasi Moralis, vel præcedere debeat alias, vel post illas tradi.

Adnotatio.

Quanuis autem Moralem, ciuilemque disciplinam non appareat habere certum ordinem inter cæteras scientias, videtur tamen non ineptè collocanda postremo loco, nam iuvenis non est disciplinæ Moralis auditor idoneus.

Tametsi enim expediat, quin potius oporteat, ut homo ante reliqua studia, pauca quædam ad vitæ rectam institutionem ex morali disciplina delibet, cum sine his nequeat, quæ sibi agenda, vel vitanda cognoscere, beneque suos mores componere, ad exquisitiorem tamen de moribus doctrinam comparandam, prouectior ætas, diuturnior experientia, atque aliarum rerum notitia requiritur. Hoc planè voluisse Philosophum, cuique certum, ac exploratum, non enim aliò verba illa pertinent. Διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκείως ἀκροατὴς ὁ νέος ἄπειρος δὲ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων. *Quamobrem ciuilis doctrinæ non est accommodatus auditor iuvenis; expers enim est earum, quæ in vita sunt actionum.* Quæ inculcat iterum, & clarius etiam declarat dicens. Σημεῖον δὲ ἐστὶ τὸ εἰρημένον, καὶ διότι γεωμετρικοὶ μὲν νέοι καὶ μαθηματικοὶ γίνονται, καὶ σοφοὶ τὰ τοιαῦτα, φρόνιμος δ' οὐ δοκεῖ γίνεσθαι νέος οὐδείς· αἴτιον δ' ὅτι καὶ τῶν καθ' ἕκαστα ἔστιν ἡ φρόνησις, ἃ γίνεται γνώριμα ἐξ ἐμπειρίας, νέος δ' ἐμπειρος οὐκ ἔστι· πλῆθος γὰρ χρόνου ποιεῖ τὴν ἐμπειρίαν. *Signum autem eius, quod dictum fuit, hoc est, quod iuvenes Geometrici, & Mathematici fiunt, atque in talibus sapientes, prudens verò non videtur ullus fieri: Causa autem est quòd rerum singularium est prudentia, quæ fiunt cognitæ experimento, Iuvenis verò expertus non est, multitudo enim temporis efficiet experimentum.* Docet ergo Philosophus prudentiam non esse cognitionem obuiam, facileinque, sed remotissimam, ac difficillimam, quod probat à signo, nam pueri Geometriam, & Mathesin addiscere quidem possunt, prudentiam verò non possunt; quæ ab Aristotele dicta intelligas, quoniam pueri olim ab incunte ætate, sic in mathematicis eruditi solebant, ut nunc in grammaticis. Causam reddit, quoniam prudentia in singularibus inspiciendis, & obseruandis est occupata, usuque ac experimento comparatur, quæ temporis diuturnitatem exposcunt; at Mathesis, nec singularia perquirit, nec experimento indiget, uberioris autem doctrinæ gratia in eamdem sententiam differens, ait. ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἄν τις σκέψαιτο, διατί μαθηματικὸς μὲν παῖς γίνοιτ' ἄν, σοφὸς δὲ ἢ φυσικὸς, οὐ. ἢ ὅτι τὰ μὲν ἀφαιρέσεως ἐστι, τῶν δ' ἐξ ἀρχὰς ἐξ ἐμπειρίας. καὶ τὰ μὲν οὐ πιστεύουσιν οἱ νέοι, ἀλλὰ λέγουσι. *Nam & hos aliquis considerauerit, quare puer mathematicus quidem fieri possit; sapiens autem, siue Physicus non item. An quia illa per abstractionem sunt, horum autem principia ex usu: & hæc non credunt iuvenes, sed dicunt.* Causam itaque ait eam esse, quoniam Mathematicæ disciplinæ versantur in ijs, quę per abstractionem à corporatis rebus, & sub sensum cadentibus cognoscuntur, illiusque facultatis vi quidem intelliguntur, quę imaginatio, ac phantasia nuncupatur; unde est, ut experimentum non postulent, atque adeo non aspectabilia, & subiecta sensibus, proindeque, nec singularia, nec temporis diuturnitatem necessariam ad experimentum requirunt. Rursus ea, de quibus Physicus edisserit, non abstrahuntur ab ijs, quę sensibus usurpantur, nec aliâ ratione, aut viâ, quàm per singularium rerum experimentum, ac temporis longitudinem. Hinc puero ad Mathematicas disciplinas aditus patet, ad Physicam autem non item: Cur autem puer ad Metaphysicam elcuari non possit, rationem reddit non absimilem, quoniam pueri, atque adolescentes ea, quę sunt sapientię propria, non credunt, hoc est, mente ac intelligentiâ non attingunt, nec magistris illa docentibus fidem habent; non credunt autem, nec sibi persuadent sic illa esse, quoniam horum quoque perceptio magnoperè pendet ab usu, cùm ex ijs, quę oculis, alijsque sensibus percipiuntur ad Cęli, rerumque diuinarum cognitionem homines deducantur. Ne mireris, nam rectè Plato, sine fide nullas artes comprehendi, retinerique animo posse, dicebat, omniumque disciplinarum duas esse pestes, obliuionem scilicet, & incredulitatem affirmabat. Cum itaque Mathematicis maior, quàm Physicis, aut Metaphysicis fides habeatur: ob id pueri facilius reddi Mathematici, quàm Physici, aut Metaphysici possunt. Ex his planè intelliges Aristotelem voluisse Moralem disciplinam postremò loco tradendam esse.

1. Ethic. cap. 3.

6. Ethic. cap. 8.

Ratio autem, quę Philosophum in hanc sententiam adduxit, præsertim illa videtur, cuius ipse meminit dicens, εἰ δὲ ταῦθ' οὕτως ἔχει, δῆλον ὅτι δεῖ τὸν τὰ πολιτικὸν εἰδέναι πως τὰ περὶ ψυχὴν. ὥσπερ καὶ τὸν ὀφθαλμοὺς θεραπεύσοντα, καὶ πᾶν σῶμα. *Si autem hæc ita se habent, perspicuum est; oportere Politicum intelligere aliquo modo, quæ ad animam pertinent, sicut oculos curaturus, etiam totum corpus.* Cum itaque Stagirites aduerteret ciuilibus studijs operam daturum reliquis literis instructum esse debere; ideirco in eam opinionem abijt, ut crederet Moralem disciplinam post alias tractandam esse. Non dissimulandum tamen, rationem hanc persuadere tantùm præhabendam esse notitiam exilem, non tamen exquisitam de rebus physicis, antequam studijs moralibus opera nauetur. Illud igitur accedat maioris ponderis, quod per aliarum scientiarum exercitationem homo longè magis ad Moralem doctrinam idoneus redditur, cum enim ciuilis doctrina sit de operationibus animę accuratam

curatam notitiam de anima ipsa supponat oportet, eumque denique referatur ad Deum debet hunc præcognoscere.

Maior est difficultas de Mathematicis disciplinis. Sunt qui putant de Mathematicis collatis cum alijs scientijs, idem ac de Morali comparata cum alijs esse dicendum, quòd aliqui crediderunt, nempè non esse necessarium ordinem inter has facultates, & cæteras scientias.

Asserendum tamen Mathematicas disciplinas universæ Physiologiæ, vel præmittendas esse, vel unà cum ipsa tradendas.

In hanc sententiam adducor primò Aristotelis auctoritate, ex cuius sententia puer fieri mathematicus potest, sapiens, aut naturalis non potest, ut paulò antea dicebatur.

Ratio pariter assertionem conuincit, propterea quòd res, quæ in natura extant, maxima ex parte considerari possunt secundum rationem mensuræ, & mensurabilis, adeout innumera pene sint attributa, quæ secundum huiusmodi rationem ipsis conueniant at hoc modo considerari non possunt, nisi à Mathematicis disciplinis, non enim à Physiologia tantum; his igitur est opus ad rerum ipsarum cognitionem assequendam, cum per Physiologiam huiusmodi cognitio haberi non possit. Quod autem in oppositum dici solet, nempe quamplures esse, qui Physicæ, & Metaphysicæ operam nauant, nulla præmissâ Mathematicarum notitiâ, non te commoueat, nam Physicæ operam dare crassâ quidem mineruâ sine Mathematicis disciplinis licet, sed exquisitè non licet, Platoni veritatem hanc fuisse perspectam verba suæ Academiæ foribus inscripta declarant, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. *Geometræ expers nullus ingrediatur*; probè nouerat enim quanti referat instructum mathematicis literis eum esse, qui secretiora naturæ mysteria perscrutari contendit; quicquid enim naturæ finibus continetur ratione quapiam spectare ad Mathematicum potest. Nihil igitur certius, siue testimonia sapientum, siue rationum momenta requiras, quàm cæteris scientijs ac facultatibus, Dialectica tamen exceptâ, Mathematicas disciplinas esse præmittendas.

Ordo inter Physicam, & Metaphysicam.

De ordine autem inter Physicam, atque diuinam Philosophiam, non una est opinio.

Assertio.

Asserendum tamen eam diuinæ Philosophiæ partem, in qua de ente, & affectionibus eiusdem disseritur, & idcirco de transcendentibus prædicatis non inconsultò Physicæ ab aliquibus præmissam fuisse.

Ratione suadetur.

Ratione autem suadetur, eo quod hunc in modum, seruatur ordo distinctè cognoscendi, iuxta quem scientiæ tradendæ sunt.

Assertio.

Asserendum præterea diuinæ Philosophiæ partem alteram, in qua de rebus immateriatis disputatur Physiologiæ posponendam esse.

Ratione suadetur.

Hoc satis est manifestum, quoniam ex sensibilibus cognitis in immaterialium rerum notitiam deuenimus; hæc enim notiora nobis sunt, & idcirco ex horum cognitione, in eorum notitiam ascendimus. Eo vel maximè quòd cognitio rerum sensibilium ab immaterialium rerum notitia non pendet.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Dissertationum, atque Sectionum Dialecticarum.

INDEX.

Dissertatio prima, Prologomena ad Dialecticam facultatem, continens. Pag. 1.

Sectio Prima.

Varijs Dialectica nominibus, & acceptionibus. Pag. 1.

Sectio Secunda.

Vtilitate, conuenientia, ac necessitate Dialectica. 3

Sectio Tertia.

Dialectica inter scientias annumerari debeat, & an in veritatis contemplatione sistat, an potius progrediatur ad opus. 8

Sectio Quarta.

Quanam sit Dialectica subiecta materies, declaratur. 11

Sectio Quinta.

Dialectica fine, deq; alijs ad eius conditionem spectantibus. 14

DISSERTATIO II.

Intellectiua cognitione generatim accepta. 18

Sectio Prima.

Quid intellectiua cognitio, quod obiectum habeat, & quotuplex ea sit. 19

Sectio Secunda.

Qua, & quid illa sit congruentia, in qua cognitionis veritas consistit: quomodo cognitioni defectus inesse possit: quid iste sit, & qua ratione cognitio sit rectitudinis capax. 21

DISSERTATIO III.

Instrumentis, quibus Dialecticus vtitur ad cognitionem intellectiuam dirigendam. 24

Sectio Prima.

Quot, & quæ sint hæc Instrumenta, quid eorum quodlibet, & qua ratione singula dirigenda cognitioni deseruiant. ibid.

Secta Secunda.

De Definitione. 27

Sectio Tertia.

De Diuisione. 34

Sectio Quarta.

Quid, & quotuplex sit Distinctio. 38

Sectio Quinta.

Distinctionem formalem ex rei natura non omnino necessariam videri. 40

Sectio Sexta.

De distinctione modali, deq; duplici distinctione rationis. 46

DISSERTATIO IV.

De ente rationis. 48

Sectio Prima.

Quid, quotuplex sit ens, rationis. ibid.

Sectio Secunda.

Auctoris opinio de ente rationis proponitur, explicatur, atque defenditur. 49

Sectio Tertia,

Per quam Intellectus operationem ens rationis fiat: & num ab alijs animæ potentijs cognoscentibus, & appetentibus fieri possit. 52

Sectio Quarta.

Quotuplex sit ens rationis. 53

Sectio Quinta.

Secundæ intentiones cum primis, & inter se conferuntur. 55

DISSERTATIO V.

De vocibus, quibus mentis conceptus exprimuntur, quaq; dirigendis eiusdem operationibus deseruiunt. 57

Sectio Prima.

Quid, & quotuplex sit vox. ibid.

Sectio Secunda.

Qua nam ratione vocibus significatio conueniat. 58

pag.

Sectio Tertia.

Quid significatio vocis, cui, & quid significet. ib.

Sectio Quarta.

De ijs, quæ voces ad significandum requirunt, deq; earum veritate, & falsitate. 60

DISSERTATIO VI.

De vniuersali in communi. 63

Sectio Prima.

Num vniuersale concedendum in rebus. ibid.

Sectio Secunda.

Quid sit vniuersale. 68

Sectio Tertia.

De vnitate naturæ vniuersalis. 70

Sectio Quarta.

Quanam vnitas conueniat naturæ in statu essentiæ. 71

Sectio Quinta.

Num formalis vnitas, naturæ, in statu realis existentiæ, conueniat. 73

Sectio Sexta.

Vnitas præcisionis, & in quo statu naturæ conueniat, explicatur. 76

Sectio Septima.

De communitate, ac aptitudine secundum quam natura potest esse in multis. 77

Sectio Octaua.

Quo pacto natura sit in re ipsa communis, an per inexis-

Digitized by Google

inexistentiam, an per solam indifferentiam. 79

Sectio Nona.

Vniuersale in actu, quod logicum appellant, explicatur. 80

Sectio Decima.

In quo Logici vniuersalis essentia posita sit. 84

Sectio Decimaprima.

Vniuersalis Logici definitio concluditur, & qua intellectus operatione illud efformetur, ostenditur. 88

Sectio Decimasecunda.

De vniuersalibus speciatim acceptis & num quinarius eorum numerus sit approbandus. 93

Sectio Decimatertia.

Cuiusmodi sit vniuersalis, in quinque vniuersalia, partitio. 95

DISSERTATIO VII.

De singularibus siue indiuiduis. 96

Sectio Prima.

An quicquid in natura existit, singulare, siue individuum dici debeat. ib.

Sectio Secunda.

De indiuiduationis principio. 101

Sectio Tertia.

Quid sit positivum, quod indiuiduationis principium existimari debeat. 103

Sectio Quarta.

Materiam neque nudè sumptam, neq; signatam indiuiduationis esse principium. 108

Sectio Quinta.

An forma per se sumpta, vel saltem cum materia sit indiuiduationis principium. 114

Sectio Sexta.

An accidentaria forma per subiectum: substantialis vero per materiam reddatur indiuidua. 117

Sectio septima.

Quidnam re vera existimandum principium ratione cuius qua libet res creata redditur individua. 120

Sectio octaua.

Num concedenaus sit communis indiuiduationis conceptus. 125

Sectio Nona.

Quo distinctionis genere individualis differentia ab inatuidui natura distinguatur. 129

Sectio Decima.

Vtrum indiuiduales differentiæ, & individua ratione ipsarum in sua intrinseca perfectione, & sub eadem specie sint aqualia, vel inaqualia. Et num sint prorsus similia. 133

DISSERTATIO VIII.

De vniuersalibus particulatim, & primo de genere. 137

Sectio Prima.

De genere, & primo num definiri possit, quid nam sit, & quo sensu definitum intelligi debeat.

Sectio Secunda.

Num probè generis definitio tradita sit.

Sectio Tertia.

Qua supersunt de genere, considerantur.

DISSERTATIO IX.

De specie.

Sectio Prima.

Quid sit species.

Sectio Secunda.

Qua sit ratio per quam species constituitur vniuersalis; an prout generi subiici potest: an prout individuis potest predicari.

Sectio Tertia.

Num species diuersa inaqualis omnino sint perfectionis essentialis.

DISSERTATIO X.

De differentia.

Sectio Prima.

Quid differentia nomine significetur; an & quaplex ea sit, & in quo eius natura consistat.

Sectio Secunda.

Reliqua tractantur ad magis differentia natura explicandam.

Sectio Tertia.

Quomodo genus, & differentia in species constitutione distinguantur.

Sectio Quarta.

Expenditur rationis praecisio, & incontroversi vocatur, num praecisiones obiectiua sint concedenda.

Sectio Quinta.

Praecipuis obiectionibus accuritur, qua aduersus obiectiuas praecisiones fieri frequentissime solent.

Sectio Sexta.

Compositio speciei ex genere, & differentia declaratur.

Sectio Septima.

Differentia, qua ratione dicenda sit de pluribus predicari.

DISSERTATIO XI.

Sectio Vnica.

Quid nomine proprij sit intelligendum, & in eius natura consistat.

DISSERTATIO XII.

De accidente quinto praedicabili.

Sectio Vnica.

Quid accidentis nomine, quo vt quintum est praedicabile, intelligendum, & in quo eius natura consistat.

DISSERTATIO XIII.

De ijs, qua ad vberiorem vniuersalium notitiam conducunt.

Digitized by Google

Sectio Prima.
is, qua vniuersali generatim accepto solent ad-
ribi. Et primò quòd etsi vniuersale physicum
on sit totũ potestate, bene tamen methaphisicũ.
Sectio Secunda. *ib.*
d vniuersale in actu, seu logicum non sit forma-
iter totum potestate. 188
Sectio Tertia.
entractione natura vniuersalis ad esse in mul-
. 193
Sectio Quarta.
radicabilitate vniuersalis. 195
Sectio Quinta.
eliquis vniuersalis proprietatibus. 199
Sectio Sexta.
ommunitatibus, & afferentijs quinq; vniuer-
lium. 201
Sectio Septima.
modo quæstionibus à Porphyrio propositis satis-
it. 204
DISSERTATIO XIV.
niuersalibus in significando, vninocis, equi-
ocis, atq; denominatiuis. 206
Sectio Prima.
Equiuocis, & Vninocis. *ib.*
Sectio Secunda.
Analogis. 210
Sectio Tertia.
Denominatiuis. 214
DISSERTATIO XV.
pradicamentis seu categorijs generatim. 216
Sectio Prima.
pradicamentorum structura, distinctione, deq;
ijs ad hæc spectantibus. 217
Sectio Secunda.
diuisionibus, deq; regulis, quæ pradicamentis
sunt præmittenda. 220
DISSERTATIO XVI.
pradicamentis specialim, & primo de pradica-
mento Substantiæ. 223
Sectio Prima.
uid sit Substantia. 224
Sectio Secunda.
uid nam sit genus generalissimum, quæque sub
stantia pertineant ad ipsum. 226
Sectio Tertia.
e diuisione substantiæ in primam, & secundã. 229
Sectio Quarta.
Quid sit prima, & quid secunda substantia. 234
Sectio Quinta.
fficultates quædam circa primam substantiam
expenduntur. 241
Sectio Sexta.
fficultates nonnullæ circa secundam substantia-
perpenduntur. 246
Sectio Septima.
De substantiæ proprietatibus, seu attributis. 251
DISSERTATIO XVII.
De Quantitate. 261
Sectio Prima.
De quantitatis nomine. *ib.*
Sectio Secunda.
De diuisione quantitatis, in discretam, & conti-
nuam, & primo de discreta. 262
Sectio Tertia.
Vera sententia proponitur, quod nullus numerus
importet accidentariam formam rebus numera-
tis superadditam & ab ijsdem re ipsa distin-
ctam. 267
Sectio Quarta.
Difficultatibus aduersus dicta superiori sectione, fit
satis. 271
Sectio Quinta.
Numerus formaliter acceptus explicatur. 274
Sectio Sexta.
Soluuntur obiectiones. 276
Sectio Septima.
De oratione. 279
Sectio Octaua.
De speciebus quantitatis discreta quædam adno-
tantur. 280
Sectio Nona.
De quantitate continua. 282
Sectio Decima.
Quid sit quãtitas continua, quaq; species ipsius. 288
Sectio Decimaprima.
De proprietatibus, seu attributis quantitatis. 292
DISSERTATIO XVIII.
De Qualitate. 301
Sectio Prima.
Quid sit qualitas. *ib.*
Sectio Secunda.
Traditur qualitatis diuisio. 303
Sectio Tertia.
Tertia, & quarta qualitatis species explicãtur. 307
Sectio Quarta.
Expenditur superior qualitatis diuisio, & num
hactenus dicta probe cũ veritate consentiãt. 312
Sectio Quinta.
De proprietatibus seu affectionibus qualitatis. 317
DISSERTATIO XIX.
De relatiuis. 319
Sectio Prima.
An, & quid sit relatio realis. 321
Sectio Secunda.
Trascendentales relationes concedendas esse, &
quid inter has, & pradicamentales intersit. 324
Sectio Tertia.
An relatio pradicamentalis sit accidentaria qua-
dam forma suis extremis superaddita, & ab ijs,

Digitized by Google

& à rebus alijs re ipsa distincta. 327
Sectio Quarta.
An relatio sit forma quædam saltem ratione distincta à rebus; an potius denominatio tantummodo realis à rebus ipsis desumpta. 332
Sectio Quinta.
De subiecto, fundamento, ac termino relationis. 334
Sectio Sexta.
An prædicamentalis relatio constituatur per esse in, *an verò per* esse ad, *an vero per* vtrumq; 335
Sectio Septima.
Consideratur relatio ex parte subiecti, seu fundamenti. 338
Sectio octaua.
Quid sit id, cui subijci relationibus conuenire possit.
Sectio Nona. 340
Consideratur relatio ex parte termini, & primo quæritur, num relatio realis petat terminum realem actu existentem. 344
Sectio Decima.
Vtrum vna, & eadem numerò relatio plures possit terminos respicere. 345
Sectio vndecima.
An terminus sub ratione absoluta, an relatiua terminet relationem. 347
Sectio Decimasecunda.
De distinctione extremorum, quæ consequitur relationem. 351
Sectio Decimatertia.
Si relatio prædicamentalis forma foret accidentaria superaddita ijs, quæ referuntur, qua nam ea esset & quod nam sit supremum genus huius prædicamenti. 353
Sectio Decimaquarta.
Si prædicamentalis relatio foret accidentaria forma rebus superaddita, quot, et quæ tenenda sint genera & species relationum ad hoc prædicamentum spectantium. 357
Sectio Decimaquinta.
Quot, & quæ sint genera, speciesque relationum ad hoc prædicamentum spectantium. 358
Sectio Decimasexta.
De affectionibus relationum. 365
DISSERTATIO XX.
De vltimis sex prædicamentis. 374
Sectio Prima.
De sex prædicamentis in communi. ib.
Sectio secunda.
De prædicamento Actionis. 375
Sectio Tertia.
De prædicamento Passionis. 378
Sectio Quarta.
De prædicamento Vbi. 381
Sectio Quinta.
De prædicamento Situs. 384
Sectio Sexta.
De prædicamento Quando.
Sectio Septima.
De prædicamento Habitus.
DISSERTATIO XXI.
De post prædicamentis.
Sectio prima.
De Oppositis.
Sectio secunda.
Hactenus de oppositionibus ex Aristotele tradi- expenduntur.
Sectio tertia.
An contraria debeant esse eiusdem generis, & modo se habeat contrariorum expulsio.
Sectio quarta.
De modis Prioris.
Sectio quinta.
De modis Simul.
Sectio sexta.
De Motu.
Sectio Septima.
De Habere *ac eius modis.*
DISSERTATIO XXII.
Et est de ijs, quæ ad dirigendam primam mentis operationem conducunt.
De primo actu cognitionis intellectiuæ, quæ simplex Apprehensio nuncupatur.
Sectio prima.
Quid simplex apprehensio & quid sit eius obiectum.
Sectio secunda.
Quid simplex attingat apprehensio.
Sectio tertia.
De ijs, quæ per simplicem apprehensionem ab intellectu cognosci possunt.
Sectio quarta.
An in apprehensione simplici detur veritas, & falsitas.
Sectio quinta.
Quæ sit simplicis apprehensionis rectitudo, qui defectus, & quomodo eius directio comparanda sit.
DISSERTATIO XXIII.
Et est de ijs, quæ ad secundam intellectus operationem dirigendam conducunt.
De secunda intellectus operatione, quæ dicitur Iudicium.
Sectio prima.
Quid sit Iudicium, & circa quid versetur. ib.
Sectio secunda.
Qua ratione iudicium dicatur compositio, & diuisio.
Sectio tertia.
Iudicij veritas, ac falsitas explicatur.
Sectio quarta.
Quid sit enunciatio, & quotuplex, deque regulis vera

Digitized by Google

vera enunciationis. 438
Sectio quinta.
An humano intellectui concedenda veritas, & quid ea formaliter sit, ostenditur. 446
Sectio Sexta.
Quid formaliter falsitas cognitionis. 452
Sectio septima.
De enunciatione necessaria. 456
Sectio octaua.
De enunciatione contingenti circa praterita, & præsentia, & præsertim: An enunciatio possit de vera in falsam mutari. ib.
Sectio nona.
De nunciatione contingente circa futura absoluta. 466
Sectio decima.
De regulis bonæ predicationis ad veras enunciationes effermandas. 475
Sectio decimaprima.
Difficultates aduersus superiorem doctrinam diluuntur. 476
Sectio decimasecunda.
An contreta de alijs concretis, & de abstractis possint predicari. 479
Sectio decimatertia.
An abstracta de concretis, & de alijs abstractis possint predicari. 487
Sectio decimaquarta.
De predicatione secundarum intentionum, quatenus in abstracto, & in concreto considerãtur. 490

DISSERTATIO XXIV.

Et est de ijs, quæ ad tertiam intellectus operationem pertinent. 491
Sectio prima.
Quid sit discursus, & in quo ipse versetur. 492
Sectio secunda.
Assensus consequentis cum antecedentis assensu cõfertur. 494
Sectio tertia.
Quomodo antecedentis assensus sit causa assensus consequentis. 496
Sectio quarta.
De verietate, & falsitate, deq; bonitate ac prauitate discursus. 499
Sectio quinta.
De argumentatione, deq; speciebus illius. 500

DISSERTATIO XXV.

De discursu demonstratiuo. 501
Sectio prima.
An in intellectu humano scientia dari possit. ib.
Sectio secunda.
An scientia in humano intellectu nouiter acquiratur, an potius in eo sit quoddam reminisci. 503
Sectio tertia.
Quomodo se habere, & quibus præsidijs instructus esse debeat, qui non absq; emolumento veli scientijs operam nauare. 508
Sectio quarta.
Quid sit Scientia. 510
Sectio quinta.
De scientia Obiecto. 513
Sectio sexta.
De conditionibus ad obiectũ scientiæ requisitis. 515
Sectio septima.
Alia subiecti conditiones expenduntur. 518
Sectio octaua.
An subiectum scientiæ debeat habere quid rei, 520
Sectio nona.
Quædam alia spectantia ad scientiæ obiectum, explicantur. 522
Sectio decima.
Quo sensu sit admittendũ à subiecto respici omnia, quæ considerantur in scientia. 524

DISSERTATIO XXVI.

De diuisione scientiæ in plures, quas sub se continet, species. 526
Sectio prima.
De diuisione Scientiæ in speculatiuam, & Practicam. 527
Sectio secunda.
Alia de Praxi tractantur. 529
Sectio tertia.
Quid sit & vnde ratio practici, & speculatiui sumi debeat. 531
Sectio quarta.
An Practicum, & Speculatiuum differentiæ sint, quæ scientiæ possint accommodari. 534
Sectio quinta.
De diuisione scientiæ in totalem, & partialem: & an scientia sit vna simplex qualitas. 538
Sectio sexta.
Vnde scientiæ vnitas, atque specificatio sumenda sit. 546
Sectio septima.
Integra scientiæ vnitas quanta sit, & in quo ipsa consistat, diligenter expenditur. 549
Sectio octaua.
De plurium scientiarum practicarum distinctione. 551
Sectio nona.
De distinctione pluriũ scientiarum speculatiuarum. 555
Sectio decima.
De distinctione scientiæ in subalternantem, & subalternatam. 556
Sectio decimaprima.
Scientiæ nonnulla attributa expenduntur. 560

DISSERTATIO XXVII.

De demonstratione. 561

Sectio

Sectio prima.
An, & quid sit demonstratio. ib.
Sectio secunda.
Quotuplex sit demonstratio & quam bene diuidatur in demonstrationē propter quid, & quia. 566
Sectio tertia.
De demonstratione propter quid. 574
Sectio Quarta.
De demonstratione Quia. 580
Sectio Quinta.
De demonstratione ducente ad impossibile. 588
Sectio Sexta.
De præcipuo quodam demonstrationis genere, quo Mathematici præsertim vtuntur. 590
Sectio Septima.
De præcognitionibus; atque præcognitis ad demonstrationem requisitis. 593
Sectio octaua.
Præcognitiones præcognitis applicantur. 599
Sectio Nona.
De alijs spectantibus ad principiorum præcognitionem. 602
Sectio Decima.
De præcognitione passionis, vel affectionis. 603
Sectio vndecima.
De subiecti præcognitionibus. 607
Sectio Decimasecunda.
De Terminis demonstrationis præcipuè propter quid, & primò de extremis. 612
Sectio Decimatertia.
De Medio demonstrationis termino, & primò demonstrationis Quia. 620
Sectio Decimaquarta.
De medio termino demōstrationis propter quid. 622
Sectio Decimaquinta.
De Medio demonstrationis potissima. 626
Sectio Decimasexta.
Quarundam scientiarum demonstrationes expenduntur. 633
Sectio Decimaseptima.
De præmissis demonstrationis. E primò An, & Quomodo esse debeant prima, immediata & per se nota. 641
Sectio Decimaoctaua.
Quomodo principia, quæ nō sunt simpliciter prima, cognoscantur. 645
Sectio Decimanona.
An, & quomodo Demonstrationis præmissa debeant esse priores, & notiores conclusione. 651
Sectio Vigesima.
An, & quomodo præmissæ demonstrationis esse debeant causa, atq; principia propria, adest non aliena, conclusionis. 655
Sectio Vigesimaprima.
An, & quomodo præmissæ demonstrationis esse debeant causa, atq; principia propria, adest non communia conclusionis. 660
Sectio Vigesimasecunda.
Vberius communia principia tractantur ad eorum vsum in demonstrationibus explicandum. 662
Sectio Vigesimatertia.
An, & quomodo demonstrationis præmissa debeant esse de omni, & per se. 669
Sectio Vigesimaquarta.
An, & quomodo demonstrationis præmissæ de vniuersali prædicato esse debeant. 676

DISSERTATIO XXVIII.

De Demonstrationis forma, de demonstratione circulari, disputatur: Demonstrationes itidem & scientiæ inter se conferuntur, & alia tractantur ad hanc materiam spectantia. 683
Sectio Prima.
De forma, figura, & modo demonstrationis. ib.
Sectio secunda.
De Circulo, atque Regressu demonstrativo. 687
Sectio Tertia.
De Syllogismo gignente in nobis ignorantiam, ac de alijs de quibus deinceps Aristoteles edisserit. 696
Sectio Quarta.
Demonstrationes inter se conferuntur. 707
Sectio Quinta.
Scientiæ inter se conferuntur. 718
Sectio Sexta.
Intelligentiæ virtutes tractantur, eademq; inter se conferuntur. 726

DISSERTATIO XXIX.

De Syllogismo Topico, & Elencho, hoc est opinativo & apparenti. 737
Sectio prima.
Quid sit opinio, & quomodo à scientia differat. 738
Sectio secunda.
An, & quo pacto probabilis opinio ratiocinatione ex suis præmissis deducatur, vel ex opinantis voluntate dependeat. 744
Sectio tertia.
Quotuplex sit opinio. 747
Sectio quarta.
Vtrum opinio simul cum scientia de eodem obiecto haberi possit. 749
Sectio quinta.
Quid sit error, & quomodo à scientia, & ab opinione differat. 753
Sectio sexta.
De Fide. 754
Sectio septima.
Doctrinam secundo posteriorum libro comprehensam breuiter exponens. 755

Differ-

Digitized by Google

Dissertationum, & Sectionum Rhetoricarum.

INDEX.

Dissertatio prima. De natura Rhetorices. 845
Sectio prima.
De nomine, & etymologia Rhetorices. ib.
Sectio secunda.
An, & quotuplex Rhetorica sit. 846
Sectio tertia.
Quid sit Rhetorica, & ad quem ex habitibus intellectus pertineat. 847
Sectio quarta.
De præstantia vtilitate Rhetorica, deque multis ad Rhetorem, Oratorem, & Declamatorem spectantibus. 850
Sectio quinta.
In quibus Rhetorica facultas consistat. 853

DISSERTATIO II.

De Inuentione. 854
Sectio prima.
Quid sit inuentio, quaque eius materia, & vnde petenda. ib.
Sectio secunda.
De singulis recensitis inuentionis fontibus. 855
Sectio tertia.
Proxime tradita vberius tractantur. 860

DISSERTATIO III.

De probationibus, deque locis Rhetoricis. 865
Sectio prima.
Quid & quotuplex sit Rhetorica. ib.
Sectio secunda.
De singulis locis insitis, siue intrinsecis. 866
Sectio tertia.
De locis extrinsecis. 886
Sectio quarta.
De Argumentatione. 891
Sectio quinta.
Quadam ad locorum, & argumentorum vsum spectantia traduntur.

DISSERTATIO IV.

De Dispositione. 898
Sectio prima.
Quid & quotuplex sit dispositio. 899
Sectio secunda.
De Exordio. 900
Sectio tertia.
De Narratione. 905
Sectio quarta.
De contentione, deque duplici eius parte confirmatione, & confutatione. 907
Sectio quinta.
De Peroratione. 909

DISSERTATIO V.

De Elocutione. 911
Sectio prima.
Quid, & qualis sit elocutio. ib.
Sectio secunda.
De elocutionis ornatu, & primò de Tropis. 913
Sectio tertia.
De Schematibus, siue figuris. 924
Sectio quarta.
De alijs ad elocutionem spectantibus. 940

DISSERTATIO VI.

De causarum generibus, de animi affectibus, & de amplificatione. 951
Sectio prima.
De causarum generibus. ib
Sectio secunda.
De genere demonstratiuo. 953
Sectio tertia.
De genere deliberatiuo. 964
Sectio quarta.
De genere iudiciali. 971
Sectio quinta.
De animi affectibus, eorumdemque motionibus. 981
Sectio sexta.
De Amplificatione &c. 1023

Differ-

Digitized by Google

Dissertationum, & Sectionum Poeticarum: INDEX:

DIssertatio prima. De natura Poetices. 1025

Sectio Prima.

Poetica, Poeta, item Poeseos, & Poematis nomina, explicantur, & quid singula sint, declaratur. ib.

Sectio Secunda.

De Metro, & Imitatione. 1027

Sectio Tertia.

Poetices definitio traditur, & quomodo Poema, Poesis, & Poetice differant. 1030

Sectio Quarta.

De causis poeseos effectricibus, ubi de Furore poetico. 1032

DISSERTATIO II.

De ijs, quæ tamquàm communia, in poetica facultate considerantur. 1036

Sectio Prima.

De ijs, quæ tàm generatim, quam speciatim poeta tractant. ibid.

Sectio Secunda.

De Fictione poetica, ubi de Fabula. 1037

Sectio Tertia.

De Fabula, atque adeò Poematis ordine, ac magnitudine. 1046

Sectio Quarta.

De alijs Fabulæ proprietatibus. 10

Sectio Quinta.

De Moribus. 10

Sectio Sexta.

De Dictione, siue Elocutione. 10

DISSERTATIO III.

De ijs quæ speciatim poetica facultas considerat.

Sectio Prima.

Diuisio poematum explicatur. ib

Sectio Secunda.

De Poesi Dramatica in uniuersum. 10

Sectio Tertia.

De Tragœdia. 10

Sectio Quarta.

De Comœdia. 10

Sectio Quinta.

De Epopœia.

Sectio Sexta.

De Carmine, Buccolico, Satyricoromano, Elegiaco. &c.

Sectio Septima.

De Epigrammate, Epitaphio, & Elogio. 10

FINIS.

CARO

Digitized by Google

DISSERTATIONES
RHETORICÆ
RATIONALIS PHILOSOPHIÆ
PARS SECVNDA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI RENALDINII

DISSERTATIONES RHETORICÆ

Rationalis Philosophiæ.

PARS SECVNDA.

DISSERTATIO PRIMA

De Natura Rhetorices.

PRincipio se nobis considerandam offert, huius, quam aggredimur, facultatis natura; nempe quid ea sit quasque conditiones habeat, quibus de rebus edisserat, ut deinceps his explicatis, decenti ordine progredi valeamus.

SECTIO PRIMA.

De Nomine & Etymologia Rhetorices.

RHetorica græcè ῥητορικὴ, à ῥέω, hoc est *dico*, Platoni videbatur Ars flexanima dicenda; at eius Peripateticus auditor, putabat esse vim quandam, facultatemque videndi quid in quaque re sit ad persuadendum accommodatum, nam ait. Ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. *Sit autem Rhetorica facultas circa unumquodque considerandi, quid potest esse probabile.* Quanuis Tullius definierit *Doctrinam, vel Artem benè, ornatèque dicendi*; quasi dicere voluisset Artem esse benè dicendi, seu facultatem de re quauis propositâ prudenter, ornatè, & copiosè dicendi, *Cùm dicere sit ornatè, grauiter, & copiosè loqui.* Ad Aristotelem redeo, qui præclarè videtur hanc facultatem definisse. Primò enim ab eo dicitur δύναμις, hoc est *vis, ac facultas*, quoniam Rhetorica illi non videbatur Ars exquisita, neque Scientia quanuis communiter, impropriè tamen, hisce nominibus appelletur; additur deinde τῷ θεωρῆσαι, hoc est intelligendi, seu considerandi, quod ad officium, finemque proprium pertinet Artis, quid accommodatũ sit ad persuadendum, nempè quid sit verisimile; nihil enim idoneum ad persuadendum, nisi verisimile sit. Tria nanq; sunt propositionum genera inter se distincta, quibus tres Artes itidem distincte utuntur; nam è propositionibus quædam demonstratiuæ nuncupantur, quę verę sunt, ac necessarię, nec aliter esse possunt, & quibus exquisitiores scientię utuntur, ut Mathematicę, Physiologia &c. Alię sunt probabiles, nimirum quę probantur aut omnibus, aut pluribus, aut certè sapientibus, atque ijs, vel omnibus, vel plurimis, vel iis quorum spectata est, & perspecta sapientia. Alię demum sunt verisimiles, quibus nempe Rhetor utitur, quę non per se necessarię sunt, nec ex aliquorum opinione, sed cum audiuntur, & quadam ratiocinatione, verisimilitudinem habent; nam verisimilia propriè dicuntur, quę vel semper eodem modo, vel plerumque fiunt, ut quod *Mater diligat filios*; *Quod bonis bona eueniant*; Quę autem præter omnium opinionem consuetudinemque contingunt, ea nequaquam verisimilia propriè dici merentur, ut quòd *mater filium singularit, & quòd vir prudentissimus deceptus fuerit*. His igitur propositionibus utitur Rhetor, ut suo fungi munere dici possit, finemque consequi valeat, est enim eius officium dicere appositè ad persuasionem; finis autem persuadere dictione. Addit autem Philosophus circa quodcunque, seu in quaque re, itaut nihil excipere videatur, de quo non possit Orator verisimiliter dicere. Videtur enim teste Fabio Quintiliano omnia subiecisse Oratori, cum dixit Rhetoricam vim esse videndi, quid in quaque re possit esse persuasibile. Et in hac sententia fuisse Gorgiam Leontinum testatur Tullius. *Nam*, inquit, *Gorgias Leontinus antiquissimus ferè Rhetor, omnibus de rebus Oratorem optimè per se dicere existimauit.* In quam opinionem, eundem abijsse Tullium, perspicuum est pluribus ex locis, præsertim verò colligitur ex Proœmio librorum de Oratore, ubi hæc habet. *Ac meâ quidem sententiâ, nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus.* Et Crassus primo de Orat. ita scribit. *Is erit Orator meâ sententiâ, hoc tam graui dignus nomine, qui quæcumque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter, & compositè, & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam actionis dignitate.* Idemque testatur veteres dicendi Auctores nullum genus disputationis à se alienum putasse; Et refert etiam de Eleo Hippia, qui cum Olympiam venisset, maximâ illa quinquennali celebritate ludorum gloriatum esse cuncta penè audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; unde rectè ab Aristotele additum fuisse, quid in quaque re concludendum, quoniam, ut ait Tullius, vis Oratoris suscipere, ac policeri videtur, ut omni de re, quęcumque sit proposita, ab eo ornatè copiosèque dicatur.

Difficultas propositur aduersus dicta.

Artes in duplici sunt differentia.

Nec imperfecta hæc dicendi Ars eo nomine, quòd Orator aliquando finem non assequatur, quippè qui non suadeat, quamuis adhibuerit ea, quæ appositè ad suadendum conducunt; Ex Artibus enim quædam sunt, quæ necessariò finem assequuntur, alioquin imperfectæ forent; sic Ædificatoria, Pingendi ars, & aliæ huiusmodi, quæ propterea necessariæ artes appellantur. Aliæ verò sunt, quæ non necessariò finem obtinent, ut Militaris, Medicina, & aliæ huiusmodi, quæ propterea coniecturales nuncupantur. Coniectura enim rei latentis iudicium est, quod quis per rationes, & signa, & tempora, & per id genus alia, conijcit, dicta scilicet à coniectu, ideft directione quadam rationis ad veritatem. Hæ autem, etsi non necessariò finem adipi-

Digitized by Google

scantur, non ob id imperfectæ, cum muneri suo satisfaciant, solùm præscribendo ea, quæ ad consecutionis finem conducunt, quamuis illum quandoque non obtineant. In artibus prioris generis, finis necessariò iungitur officio, sed in ijs, quæ ad secundum pertinent genus, finis, & officium contingenter tantùm connectuntur. Rhethorica porrò secundi generis est, quippèque non necessariò finem, ideſt persuasionem assequitur, sed ut suo munere fungi dicatur satis, superque, ut adhibeat ea, quę quidem appositè faciunt ad persuadendum.

Non quæcunque tamen persuasio rhetorica est, sed illa quæ fit iuxta præcepta Rhetorices, quæque ornatâ, & artificiosâ eloquentiâ obtinetur & hæc sola est Rhetoricæ finis; alioquin præter alias artes, & scientias non desunt alię, quæ vim persuadendi habent, ut pecunia, gratia, auctoritas loquentis, & alia id genus, ut Quintilianus aduertit, ubi refert Antonium, cum Marcum Aurelium defenderet, eius tunicam ab humeris lacerasse detegens vulnera plurima, quæ pro patria exciperat. Et Hiperidem denudasse Phrynis pulchritudinem, ut hinc Iudices commoti illam absoluerent. Lib. 2. c. 15.

Concluditur quid sit Oratoris officiũ.

Concludendum igitur Oratoris officium esse non persuadere, sed ea videre quæ ad persuadendum accommodata sint, ut rectè nos Aristoteles docuit, qui etiam ait id in alijs artibus omnibus, nempè coniecturalibus, usu venire; *Neque enim* inquit, *Medici officium est sanare, sed usque eò rem perducere, quò ratio curandi patitur*. Nam fieri potest, ut ij benè atque ex arte curentur, qui bonam valetudinem recuperare nullo modo possunt; & rectè quidem, nam si persuadere dictione foret Rhetoris officium, quoties non persuaderet, officio suo non fungeretur, quod certè non admittendum; est igitur perscrutari, ac diligenter excogitare omnia, quæ sint ad persuadendum accommodata, hoc autem non adeo Rhetoricæ proprium, ut alijs non conueniat, cum etiam hoc idem in ijs usu venire soleat, quæ à Græcis, eoquod coniecturis plurimum utantur, στοχαστικὴ dicuntur, ut Medicina, Militaris, siue Ars Imperatoria, sępe enim fit, ut Medicus non sanet, quamuis officium suum optimè exequatur; ut si Ægrotus lætali morbo laboret, quem medicina nulla possit depellere; tametsi hunc Medicus benè, atque ex arte curet, sanitati reddere tamen illum non poterit. Satis igitur Medico, si nihil prætermittat eorum, quæ morbum possunt depellere, tunc enim functus dicetur officio suo, quamuis ægrotus non sanetur. Sic etiam & Orator; nam si quæ persuadendi vim habent, omnia diligenter euoluerit, ac in medium protulerit, quamuis non suadeat, officium adhuc suum præstitisse iure meritoque dicetur. Vt autem officium est Oratoris, quale dictum fuit, sic finis est persuadere dictione.

Officium, & finis Oratoris distinguitur.

Dictio quid oratori. 1. de Inuentione.

Quid inter officiũ & finem intersit.

Dictio autem non quæcunque locutio est, sed ornata grauis, & copiosa, cum dicere sit ornatè grauiter, & copiosè loqui; ut superius quoque monuimus. Hæc eleganter expressit Tullius; nam *Officium* inquit *eius facultatis videtur esse dicere appositè ad persuasionem, finis persuadere dictione*. Inter officium autem, & finem hoc interest, quòd in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, consideratur, ut Medici officium dicimus curare appositè ad sanandum, finem, curatione sanare. Hæc Tullius & rectè quidem, nam Orator non consultat, an persuadere debeat, quemadmodum nec Medicus, an debeat sanare; cum illi suasio, & huic sanatio sit finis, deque fine nulla sit consultatio, sed ille de modo, quo persuadere, hic quo sanare possit consultat, siquidem consultatio de ijs est, quæ ad consequendum finem conducunt. Quòd si nec Medicus sanitatem, nec Orator suasionem assequitur, dummodò ille, quæ ad sanandum, & hic quę ad persuadendum ex Arte adhibuerit, uterque fine quidem excidet, officio tamen non excidet.

SECTIO SECVNDA.

An, & Quotuplex Rhetorica sit.

An Rhetorica sit.

EXplicato Rhetoricę nomine, considerandum sequitur, an Rhetorica sit, & quotuplex. Sed ut constet, quęnam sit Rhetorica, de qua dubitatum fuit, an concedenda sit. Prępmittendum geminam eam esse, quemadmodum Dialecticam, nempè Naturalem unam, Artificialem alteram, quod ut Philosophus exprimeret ait, Διὸ, ἡ πάντες πέφυκέ τινὲ μετέχουσι αμφοῖν. *Quo circa, omnes homines ut rarumque sunt aliquo modo particeps.* Idque ut ab effectis ostendat, subdit, πάντες γαρ μέχρι τινὸς ἡ ἐξετάζειν, ἡ ὑπὲρ λόγον, ἡ ἀπολογεῖσθαι, ἡ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσιν. *Omnes enim aliquo usque, & exquirere, & rationem reddere, & defendere, & accusare aggrediuntur.* Docet igitur, ità formatos homines esse à natura, ut Rhectoricæ & Dialecticæ sint aliquo modo participes; nemo enim est, qui non modo interroget, modo respondeat, cum de re quapiam dubitat, aut disputat, quod est Dialectici proprium. Et nemo est, qui accusare, vel defendere non possit, dũ in foro agitur causa, quod ad Oratorem pertinet. Et hoc adeo verum, scilicet neminem reperiri, qui Rhetoricæ facultatis partem, quemadmodum & Dialecticæ, qui non sit à natura sortitus; ut non defuerint, quibus visum sit, neutram esse concedendam, præsertim autem Rhetoricam, quòd ita nati simus, ut blandiri, & suppliciter insinuare ijs, à quibus petendum sit, & aduersarios minaciter terrere, & rem gestam exponere, & id, quod intendimus confirmare, & id, quod contra dicitur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri valeamus, in quibus omnis est Oratoris occupata facultas; unde Socrates dicere consueuit, quemlibet in causa propria satis eloquentem esse.

Concedenda igitur Naturalis Rhetorica; non inficiandum tamen quanuis natura primum ad dicendum vim afferat maximam; alios certè magis, alios verò minus ad hoc obeundum munus idoneos esse. Ita quidem Hortensio, teste Tullio summam copiam facultatemque dicendi natura largita erat, quod eius filię contigisse, Quintilianus memorię prodidit. Nec minori facultate dicendi præditus naturâ erat Carneades, de quo Tullius, scribit. *Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi, & varietas per quam esset optanda nobis, qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit.* Sed quid plura? non ne dicunt Demadem ita naturę muneribus in his rebus ornatum fuisse, ut cùm ante Piscator esset, breui postmodum tempore, maximus Orator euaserit? hunc nauticos sales in forum transtulisse Tullius dicebat. Sed ut plerique ita sunt à natura formati, ut p urimum valeant in dicendo: sic ex aduerso multo maiores numero sunt adeò rudes, & agrestes, ut ad id sint penitùs inepti.

Præter Rhetoricen naturalem dandã esse etiam artificialẽ. 2. Rhet. cap. 21.

Sed prętet naturalem Rhetoricam, dandam esse, quoque illam, quę in arte consistit, non erit operosum ostendere; nam ut rectè Philosophus ait. Τὸν δὲ

ἐν πολλοῖς δὲ μετὰ τέχνης ταῦτα δρῶσιν. οἱ δὲ διὰ συνήθειαν ἄνευ τέχνης. *At ex imperitorum numero quidam hæc temerè, casúque faciunt, quidam autem habitu quodam animi longo usu comparato.* Docet enim rudes, ac imperitos homines nullâque doctrinâ penitus excultos, si forsan eleganter, ac probabiliter loquantur, id, vel naturâ, vel consuetudine efficere; adeòut ex eius sententia, ex tota hominum multitudine, quidam sint, qui sine exercitatione ipsi tantum naturâ ducê politè, ac excultè loquantur, quanuis id aliàs meliùs, alias deteriùs efficiant, quod certam viam, rationemque loquendi non habeant, proindeque temerè casúque id faciant. Quidam verò sic in dicendo, disputandoque, etsi omni doctrinâ destituti, se exercuerint, ut longo usu quendam sibi habitum compararint, & sine omni arte mirabiles tamen in dicendo videantur, de quibus Plinius loquens dicebat. *Video etiam multos paruo ingenio, literis nullis, ut bene agerent, agendo consecutos.* Hinc nonnulli suspicati sunt prêter naturalem vim, nullam aliam esse Rhetoricam, quàm facultatem dicendi longo usu, exercitationeque comparatam. Ineptè tamen ex Aristotelis sententia, qui subdit. Ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ τῷ ὀθ ποιεῖν. Εἰ δ' ὅπτυχάνουσιν οἱ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ διὰ ταὐτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται τοῦτο τοιοῦτον ἢ δὴ πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, τέχνης ἔργον εἶναι. *Cum autem hoc utroque modo fieri contingat, perspicuum est certâ viâ, atque ratione comprehendi posse. Licet enim causam intueri, cur, & qui ex usu, & qui fortuitò hæc faciunt, id, quod volunt, assequantur, hoc autem ipsum iam artis opus esse, nemo est, quin fateatur.* Quasi dicat, si temerè tantùm, casúque contingeret, ut alius alio meliùs diceret, aut disputaret, equidem nullam de ijs rebus artem esse putarem. Fortuitæ enim res, quarum nulla certa causa proferri potest, nullâ comprehenduntur arte, non enim, quod temerè semper fit, potest ullo modo artificiosè fieri. Quod si quodam tantùm usu, atque consuetudine idem contingeret, nullum pariter artificium esse existimarem. Earum enim rerum, quæ tantum usu constant, nulla ratio, aut causa firma apparet, quæ ad Artem redigi possit. Cum autem utroque modo fieri usu veniat, nimirum, ut aliqui temerè, & casu, aliqui verò ex consuetudine, ac habitu melius quàm alii dicant, ac disputent, nemini dubitandum, quin ijs de rebus ars esse possit, cum enim neque tantum fortuitò, neque tantum consuetudine fiat, potest inquiri, ac inueniri causa, cur utrique, quod cupiunt, efficiant, at si quis alicuius rei causam, rationemque intelligit, etiam eâdem de re artem tenebit, quæ cum aduerteret Tullius, ita locutus est. *Etenim, inquit, cum plerique temerè, ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam callidiùs id faciant, non dubium, quin si quis animaduerterit, quid sit, quare alij melius, quàm alij dicant, id possit notare. Ergo id, qui toto in genere fecerit is si non planè artem, at quasi artem quandam inuenerit.* Ex his facilè intelliges concedendam artem copiosè, ornatèque dicendi. Censendum igitur Rhetoricam, atque Dialecticam facultatem initium, ac originem à natura ducere, incrementum ab usu, & exercitatione sumere, artem denique ex obseruatione fieri. In Oratore vis profectò quædam insita requiritur ad dicendum, nihil enim inuita fieri potest Minerua.

Doctrina, sed vim promouet insitam.

Gemina igitur concedenda Rhetorica, Naturalis quidem una, Artificialis altera; Naturalis erit vis quædam à Natura hominibus indita ad suadendum, & dissuadendum, qualem etiam rustici, ac rudes homines habent, qui sæpè sæpius interrogando, exclamando, execrando, &c. loquuntur. Artificialis verò, quæ tradit præcepta ad artificiosam orationis structuram, illius videlicet, quæ sit grauioribus referta sententijs, lectissimis verbis contexta, omni elocutionis flore, omnique amænitate illustris.

Sed alia ex Tullio Rhetoricæ partitio; cum altera forensis, altera Philosophica sit. *Obsequar igitur, inquit, voluntati tuæ, dicamque si potero Rhetoricè, sed hac Rhetorica Philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, ut quàm populariter loquatur, esse interdum paulò hebetiorem.* At de forensi idem ita loquitur. *Sic eloquentia hæc forensis, spreta à Philosophis, & repudiata, multis quidem illa adiumentis magnisque caruit: Sed tamen ornata verbis, atque sententijs iactationem habuit in Populo, nec paucorum iudicium reprehensionemque pertimuit.*

Ac Rhetoricam facultatem artificiosis præceptionibus constantem inficiantur plerique, & velut inutilem ac otiosam reijciunt non pauci, eo nomine, quòd solius naturæ vis ad benè, ornatèque dicendum sufficiat.

Sed hoc insulsè dictum, nam tametsi plurimum in hoc naturâ possit, utrumque tamen per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

Et ut solius naturæ facultas, ita solius exercitationis momentum ad eloquendum non satis. Et quamuis ars sine exercitatione parum valeat, plurimum tamen exercitatio sine arte possit, non tubinde concludas unam exercitationem sufficere.

Otiosam insuper esse dices, quoniam tam amplus verborum circuitus, quem eloquentia requirit, non solùm inutilis, sed infestus audientibus est, quibus longè magis arridet concisa locutio. Nec immeritò; ad quid enim tam splendidus verborum apparatus? cùm illud idem liceat breui oratione complecti, quod vix longo sermone concluditur?

Sentio à te Laconicam breuitatem commendari; sed ut illam à Lacedemonijs didicisti, sic ab ijsdem intelliges deserendam. Cum enim Spartani multa, & magna crimina in Thebanos conijcerent ea, quæ prolixè commemorarent, sic Epaminonda Lacedæmonios est allocutus; *Ita inquit, docuerunt Thebani longâ oratione uti, & breui eloquentiæ finem imponere.*

SECTIO TERTIA.

Quid sit Rhetorica & ad quem ex habitibus Intellectus pertineat.

Ad explorandam Rhetoricæ naturam non satis eius nomen declarasse, sed indagandum præterea sub quo habituum genere contineatur, quod in præsentia nobis agendum; idque nullo ferè negotio consequemur, ijs in memoriam reuocatis, quæ Dialecticæ initio tradidimus, nempe Dialecticæ Rhetoricam esse propaginem; immo, teste Zenone, solum hoc differt inter ipsas, quod Rhetorica palmæ, Dialectica pugno sit similis, latius enim illa, hæc verò præstius loquitur, nemini propterea dubium, quin idem de utraque ferendum iudicium sit, cautè tamen hoc usurpes velim.

Quædam enim sunt, de quibus Rhetorica disputat, quæ tamen à Dialectica mutuatur, uti sunt Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Dilemma, Inuersio, Sorites, Comparatio, & Enumeratio; ut igitur Dialectica in horum legibus præscribendis

na esse Rhetorica, & utraque describitur, nempè Naturalis, & Artificialis.

2. de finib. Alia ex Tullio Rhetoricę partitio.

Quidam Rhetoricam artificiosam reijciunt.

Difficultas, quæ ab ipsis affertur.

Solutio,

Secunda difficultas

Solutio.

Ad indagãdam Rhetoricæ naturam nõ satis nomen eius explicasse.

scientiæ rationem habet, sic etiam, & Rhetorica, tametsi autem quatuor species priores præcipuè Dialecticus tractet, à quo, & Orator desumit, reliquas tamen ille non curat, quas hic frequenter adhibet; cæterum quatuor illæ species, immo & omnes ad syllogismum facilè reducuntur. Quædam verò sunt, quæ à Ciuili scientia desumit, nempe quæ ad animi affectus pertinent, & in his Rhetorica scientiæ quoque rationem obtinet. Alia verò sunt, in quorum consideratione Rhetorica quidem ita versatur, ut nulli facultati consideranda relinquat; sed in horum præceptionibus tradendis, cum à scientiæ ratione deficiat, certè haud scientia ex hac parte dici poterit. Deficit autem coquòd, ea necessaria non sint, cum æquè benè varijs fieri modis possint; scientia tamen non assumit consideranda, nisi quæ si non metaphysicâ, saltem physicâ necessitate necessaria dicuntur. Quis non videt, ut rem aliquo nos illustremus exemplo, non sic leges Exordij, Narrationis, & cæterorum tradi, ut Orator ijs etiam adstrictus non possit illa vario modo conficere, ita tamen, ut ex huiusmodi legibus ea semper dici debeat confeciſſe? At quod à scientia suscipitur tractandum nulli varietati obnoxium est. Geometra demonstrandum assumit triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, sed hoc attributum triangulo tam necessario iungitur nexu, eoque inuariabili, ut latitudinem nullam varietatis admittat. Dialecticus etiam ostendit syllogismum confectum iuxta primum figuræ modum, affirmatiuam propositionem universalem necessariò concludere. Non sic autem Rhetor in præceptionibus tradendis, de ijs, quæ sunt eius propria; in ijs igitur Rhetorica facultas à scientiæ ratione deficiet non enim necessaria sunt, quæque maximè eius videntur propria, cuiusmodi sunt probationes, & speciatim Enthymema, ac Exemplum, quibus præsertim utitur, potius ex fontibus logicis haurit, proindeque in his Logicæ conditionem sortitur; quinimò nomine Logicæ pars hæc ab Aristotele nuncupatur; reliqua verò, ut excitationes affectuum, amplificationes & id genus alia, quæ non eius propria, sed additamenta Philosophus idem appellat (quanuis in ijs præcipuè vis Oratoris eluceat) maximè sunt inconstantia, nec illam induunt necessitatem, quam scientia requirit.

Aristot. 1. Rhetor. c. ac.

Quo pacto Rhetorica dici possit scientia.

In ijs igitur, quæ à Logico desumit, & quorum ratione eius dicitur pars, cum suas conclusiones, suaque præcepta euidenter demonstret, scientiæ rationem sibi vendicabit; in reliquis autem non item.

An Rhetorica possit ars appellari.

At si Rhetorica in ijs, quæ diximus, Scientia nuncupari non potest, multò minus Sapientia, nec etiam Intellectus, cũ hic circa prima principia tantum versetur, neq; Prudentia, cum huius alia longè sit ratio. Reliquum est, ut videamus, num ei nomen Artis accommodari possit secundum eam partem, in qua de ijs, quæ maximè sunt contingentia, disputatur.

Ars duobus modis potest usurpari.

Difficultatis solutio maximè quidem ex Artis notione pendet. Hęc enim gemino modo potest usurpari, & præsâ nimirum, & latâ significatione.

Priori modo fuit ars definita ab Aristotele. Ἡ μὲν οὖν τέχνη, ὥσπερ ἔφημεν, ἕξις τίς ἐστι μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική ἐστιν. *Ars igitur, ut est dictum, habitus quidam cum ratione vera efficiens est.* Hoc est, *habitus cum ratione vera factivus.* Si igitur ars esse debet, eorum, quę factibilia dicuntur, nulla erit ars, quę talia non tractet.

Secundo modo sumitur Ars prout à Tullio, & à Quintiliano definitur, *diciturque ex multis præceptionibus animi usu, & exercitatione conquisitis, atque in unum exitum vitæ utilem spectantibus coaceruatio*, hoc est præceptorum collectio.

Rhetorica quadam significatione tam propriè dicitur ac

Iuxta priorem Artis usurpationem proculdubio Rhetorica impropriè admodum dicetur ars, propterea quòd ipsa non est effectrix, hoc est, in nullam materiam, figuram, aut formam inducit. Quod adeo euidens, ut nullum dubitandi locum relinquat; si igitur hęc artis definitio ab Aristotele tradita probetur, proculdubio Rhetoricę impropriè, & per abusionem tribuatur necesse est; quęnam effectio in materiam transiens, eique formam, ac figuram inducens Rhetoricę facultati tribui poterit? Superest igitur ut ei nomen artis latâ quadam significatione adscribatur, iuxta quam omnes doctrinę facultatesque omnes, siue Theoreticę, siue Practicę, siue Poeticę, siue etiam & alię, quę viliores sunt, artes dicuntur.

Rhetorica dici potest latiore modo accepta.

Ratio suadens.

Ea autẽ ratione in hanc sententiam adducor, quoniam nomine artis, iuxta hanc usurpationem, acceptę nil aliud intelligitur, quàm facultas quędam præceptionibus constans in unum finem tendentibus, qualiscumq; sit operatio, quam nos ijs instructi rectè possimus exercere; dummodo tamen in ijs versemur, quę aliter esse possunt, hoc enim ad rationem artis, ut hæc à scientia secernitur, meritò Philosophus requirit. At huiusmodi esse Rhetoricam facultatem ambiget nemo, si non nihil aduertat, cuiusmodi illa sit in parte, quę considerat ea, quę nullo modo ad Dialecticum pertinent; nemini enim dubium erit, quin ipsa secundum huiusmodi partem Ars nuper explicata debeat existimari. In ijs igitur quę spectant ad Dialecticum, utique Rhetor sciens erit, ut idem in reliquis, Artifex haberi debet.

6. Ethic. cap. 4.

Difficultas proposita cuipiam multis solu ta.

Neque perturbet aliquem si facultatem hanc duplici parte constare existimemus, quarum una scientię, & quidem practicę, altera verò artis rationem obtineat, hoc enim in aliqua alia euenire perspicuum est, huiusmodi siquidem est Medicina; ut alias plures quę forte non desunt, pręteream. Non enim scientia, vel ars simplex qualitas una, nisi aggregatione, non quacunque, sed eâ, quę subordinatione sit partium inter se, & habitudine ad unum, scilicet obiectum, & finem.

Num absolutè debeat scientia, vel ars nuncupari, facilè comprehendes, si quod præcipuum est in ipsa facultate, diligenter attendas. Meâ sententiâ crediderim potius artem, facultatem Rhetoricam esse dicendam; idemque de Medicina iudicium ferendum, sunt enim facultates persimiles, ut Medicina est scientia dicenda in ijs, quę recipit à Physico, sic, & Rhetorica in ijs, quę à Dialectico mutuatur: in reliquis verò ut illa, ita, & hæc artis rationem sibi vendicat.

Num absolutè debeat scientia vel ars nuncupari.

Nullo autem modo scientiã dici posse Aristotelis auctoritate innixus, quispiam suspicabitur, nam *Si quis autem* inquit, *Rhetoricam, aut Dialecticam, non ut facultates, sed ut scientias instituere, ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur.*

Difficultas qua ostenditur Rhetoricam non esse scientiam dicendam.

At eò Philosophus spectat ut monstret, Dialecticã sumptam pro parte topica, eius indolis esse, ut, quanuis in tradendis præceptis certò, necessariòque concludat, tamen doceat in utramque partem disserere, & probabiliter disputare, itaut cum quis eâ fuerit instructus, possit unam, vel oppositam partem defendendam suscipere, uthanc secernat ab ea, quę demonstrandi normam præscribit, hæc enim in docendo demonstratione utitur, in quo cum topica conuenit, dumq; ipsam adhibemus, necessariò concludimus in quo ab eadem topica distinguitur. Non igitur Dialectica

Digitized by Google

lecticam in se spectatam negat esse scientiam, quodque de Dialectica dicitur, de Rhetorica quoque sentiendum, ad partem illam, quod spectat, in qua Dialecticæ naturam sapit.

Negabis forsan esse artem eo nomine, quòd non semper suum assequatur finem, videlicet persuasionem, cum tamen ars nunquam à fine excidat suo.

Ineptè quidem, propterea quòd si natura, quandoque suo excidit fine, quid mirum si ars, quæ naturam ipsam imitatur, ac ob id inferior illâ, quandoque suum non assequatur finem? Iam suprà ostensum fuit conuenienter persuasionem Rhetoricæ finem constitui, etsi quandoque illum quidem Orator non assequatur: nec illud persuadere possit, quod maximè persuasum cupit; modo enim ex lege artis, ut persuadere valeat, omnia prudenter egerit, nihilque præterm iserit ad persuasionem accommodatum, probè callere artem, suoque functus munere dicetur, quę ut clariùs innotescant.

Animaduertendum occurrit artes non uniusmodi esse, cum aliquæ necessariæ dicantur, aliæ verò coniecturales. Illæ necessariò producunt effectum, quem si non attingerent, imperfectæ penitùs forent; Ita quidem Ædificatoria, Pictura, Statuaria &c. quę propterea necessariæ nuncupantur. Sed hæ aliæ sunt quæ non necessariò suum assequuntur finem, ut Nautica, Militaris, seu Imperatoria, Medicina, aliæque similes, quæ Coniecturales ob id appellantur. Hæ ita se habent, ut quanuis finem non attingant, non propterea dicendæ sint imperfectæ, cum proprium obijsse munus, qui profitetur illas, dicatur, quoties adhibuerit ad consecutionem finis accommodata. Sed hac in re mihi videtur ita ratiocinandum. Omnes artes, vel etiam Aristotelis testimonio, in ijs, quæ possunt aliter se habere, versantur, & in hoc omnes conueniunt, discriminantur tamen eo nomine, quòd aliquæ necessariò finem assequuntur, proindeque necessariæ dici solent. Aliæ verò, quæ non necessariò finem attingunt, & coniecturales nuncupantur. *Coniectura* verò, teste Pseusippo, ut paulo suprà quoque monuimus, *est rei latentis iudicium, quod quis per rationes, & signa, & tempora, & huiusmodi conijcit*. Coniecturales autem in duplici esse discrimine existimo; cum aliquæ tractent ea, quæ ab humano pendent arbitrio, ut Imperatoria, & Rhetorica. Aliæ, quæ versantur in iis, quorum causæ sunt naturales, ut Agricultura, Nautica &c. Omnes coniecturales profectò sunt, sed ad primum genus spectantes ita se habent, ut quanuis aliquis sit in iis apprimè versatus, nequat tamen polliceri se finem assecuturum, cum is ab aliorum voluntate pendeat, quam nemini datum est habere perspectam. At verò secundi generis huiusmodi sunt, ut in aliquibus, etsi non possit quispiam versatus in illis, certò consequi finem, in aliis tamen quando is illas probè nouerit, & egregiè calluerit, necessariò finem assequatur, quod de Medicina luculenter ostendam. Primò supponendum duplex morborum genus, cum aliqui sint sui natura incurabiles, alii autem curabiles. Secundò supponendum morbos curabiles, nisi adhibeantur opportuna remedia, fieri incurabiles posse. Tertiò, ac vltimò supponendum cuicunque mortalium datum esse tantum calidi, ac humidi, quantum ad determinatum vitę spatium requiritur, itaut quemadmodum aliqui breuiorem, alij longiorem vitam traducunt: ita quidem aliquibus minus, alijs verò plus calidi, ac humidi datum sit; ita Plato tantum de calido, & humido sortitus est, quanto ei opus erat, ut octogenarius fieret; tantumdem etiam alteri datum erit, cum tamen anno vigesimo primo, vitâ cogatur excedere, non quidem defectu eorum in quibus vita posita est, cum horum ratione longiorem vitam traducere potuisset, sed ratione morbi, quo correptus, mortem necessariò debet oppetere, eam ob causam, quia natura seuitię morbi succumbit. Si igitur morbus, cum quo natura pugnat, reipsâ fuerit incurabilis, certè Medicus excedet fine, quamuis non officio, cui certè non defuisse dicetur, si tamen adhibuerit ea, quę quidem appositè ad curationem ipsius perducunt. At si morbus incurabilis sui naturâ non fuerit, quamuis neglectus huiusmodi possit euadere, tunc appositis remedijs curabitur æger, pristinęque sanitati feliciter restituetur. Si itaque Medicus excedet fine, tunc id non erit imputandum arti, sed Artificis ignorantię, vel negligentię; quamobrem talis indolis existente morbo necessariò Medicus finem obtinebit, dummodo tamen in Medicinę scientia longè processerit, vigilantięque non defuerit. Sed quis est hic, & laudabimus eum?

Ex his facilè cuique perspectum quid de arte dicendi sentiendum; in ijs enim est occupata; quapropter dissimulandum non erit ipsam plerunque suo excidere fine, sine detrimento tamen existimationis, ac dignitatis suę.

Cum igitur artificialis Rhetorica huiusmodi sit, ex parte nimirum scientia, ex parte verò ars, rectà propterea dicetur. *Habitus intellectualis nomine facultatis appellatus, præcepta tradens, quibus cum quis fuerit instructus, cognoscit ea, quæ sunt ad persuadendum idonea*. Rhetorica quid.

Ars etiam minimè videbitur dicenda, quod circa falsum occupetur, scilicet patrocinium adulterij, aut homicidij, cęterorumque scelerum, quod tamen defendendum non foret, quin potius ex legibus puniendum. Difficultas probatur non esse artē.

Sed hoc non ad artem, sed ad eius usum pertinet, uti enim arte quisque potest, prout sibi libet, semper incolumi existente artis dignitate. Vt enim Sophistę prœceptionibus artis abutentes, nihil Dialecticę derogant dignitati: ita nec Oratorię facultati dedecoris aliquid murunt, qui turpibus causis patrocinium commodant, quique captiosis dilemmatibus, similibus strophis sophisticis implicare veritatem solent. Solutio.

Dices forsan cum Empirico, Artes quidem non expelli à ciuitatibus, cum hæ sciant eas vitæ valdè utiles esse, quomodo nec Oeconomicum expellimus ab Ædibus, nec Bubulcos à grege. At omnes dicendi artem, tanquam infestissimum hostem ubique persequuntur, & undique ejciunt. Difficultas ex Empirico.

Sed dicat ille, tuque cum eo qui nam sint huiusmodi populi, quibus adeò tuit infesta dicendi facultas. Forsan Cretenses, & Lacedęmonij? ultrò concedam, quin ijs addam quoque Romanos, cum aliquando Carneadem, & Diogenem Stoicum ab Athenienśibus missos Legatos peculiari Senatûs consulto ex sua ejecerint Vrbe, in eum finem, ne dicendi artem docendo iuvenes, ciuitatem funditùs perderent. Solutio.

Hoc tamen contigisse tempore, quo Quiritium verba adhuc allium olebant, neminem præterit; unde non mirum si tunc apud ipsos nullo erat in pretio Eloquentia; seculis tamen subsequentibus quantum apud eosdem auctoritatis hæc acquisiuerit, palàm, & apertum, ad Cretenses autem, & Lacedęmonios quod spectat; cum rebus agendis prę cęteris forent intenti, erat profectò cur humaniores disciplinas, & speciatim Oratoriam artem, nullo haberent in loco.

Vt

Vt præteream eloquentiæ studium proprium Athenarum fuisse, & ob id à reliquis Græcæ populis neglectum, ne illud excolendo viderentur eos, quos oderant, imitari. Audi Tullium in Bruto. *Hoc autem studium*, inquit, *non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum; Quis enim aut Argivum Oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quod de Epaminonda docto homine suspicari licet. Lacedæmonium verò usque ad hoc tempus audiui fuisse neminem.*

Tullius in Bruto.

Difficultas qua ne que artē, nec scientiam dici posse probatur.

Sed neque scientiam, neque artem ipsam suspicaberis Rhetoricam facultatem, quoniam utraque certam, ac determinatam rem sibi vendicat, cuius consideratione detineatur; cum tamen Rhetorica non ita sit, quippèque de rebus omnibus edisserit.

Solutio.

At ex ea parte, quâ Logicæ naturam ars benedicendi redolet, ex ea inquam in qua, ipsa pariter in cognitionis intellectricis directione versatur, profectò in re quapiam certa est occupata; ex ea verò, qua reliqua pertractat, cum hæc ab eadem cognitione concernantur, (omnia siquidem eò tendunt, ut ordinatè, copiosè, ornateq; intimiora animi sensa promere nos faciant), proculdubio ex hac etiam parte circa eandem cognitionem versabitur. Si autem spectetur usus, hic in omnibus cum sit, propterea Rhetorica censetur nullam rem certam sibi vendicare.

2. Rhetor. cap. 1.

Neque mirum si huiusmodi esse Rhetoricam existimemus, nam etiam Philosophus docet eam esse ex duabus artibus compositam, hoc est ex scientia disserendi, quam Analyticam appellat, & ex ea parte Ciuilis scientiæ, quæ ad vitam, & mores spectat. Ratiocinationes enim, quæ Rhetoricæ tribuuntur ex Dialectica sunt excerptæ; & quæcumque de moribus animique commotionibus tractantur in Rhetorica, sunt ex Ciuili scientia desumpta; si igitur verum spectemus nil aliud erit proprium Rhetoricæ, quàm elocutionis cultus exquisitissimus, quatenùs nimirum ad persuasionem conducit, plurimùm siquidem valet ad commouendos affectus, quod quantum possit ad persuadendum, cuique perspectum existimo. Quamobrem elocutio, quatenus varijs ornamentis contexta, ad Rhetoricum, quatenus autem congrua vocum syntaxi constans ad Grammaticum spectat.

SECTIO QVARTA.

De Præstantia, utilitate Rhetoricæ, deque multis ad Rhetorem, Oratorem, atque Declamatorem spectantibus, &c.

Alibi de dignitate huius artis actum fuit.

DE præstantia, & utilitate Rhetoricæ nihil attinet hoc loco verba facere, cum initio Rationalem Philosophiam laudibus prosequentes, quam digna, & quam utilis Rhetorica sit facultas, demonstratum à nobis fuerit. Et eo lubentius ab hoc abstinendum puto, ne ut ille dicebat, nostras merces ostentemus, antequam ostendamus; venditemus, antequam vendamus. His igitur prætermissis, reliqua persequamur, è quibus primò quidem occurrit.

2. Rhet. cap. 1.

Officium oratoris, de quo suprà etiam obiter tamen, aliqua diximus, est aptè dicere ad persuadendum, argumenta, seu rationes fidem facientes proponendo; quod eleganter expressum legimus apud Aristotelem cum ait. Καὶ ὅτι οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάσαις. οὐδὲ γὰρ ἰατρικῆς τὸ ὑγιὰ ποιῆσαι, ἀλλὰ μᾶλλον οὗ ἐνδέχεται, μᾶλλον τούτου προαγαγεῖν. ἔστι γὰρ καὶ τοὺς ἀδυνάτους μεταλαβεῖν ὑγείας. ἔτι δὲ ἀπεῖναι καλῶς. Præterea officium eius esse, *non persuadere, sed ea videre, quæ ad persuadendum accommodata sint; quod etiam in alijs artibus omnibus usu venit, neque enim Medicinæ officium est sanare, sed usque eò rem perducere, quò ratio curandi patitur. Nam fieri potest, ut ij benè, atque ex arte curentur, qui bonam valetudinem recuperare nullo modo possint.* Docet igitur Rhetoricæ officium non esse persuadere dictione, alioquin quoties non persuaderet, tuo non fungeretur officio; sed ait esse perscrutari, & diligenter excogitare omnia, quæ sunt ad persuadendum accommodata.

Oratoris officium.

Finis Rhetoricæ est suadere dicendo. Itaque eò collimat Orator, ut dicēdo persuadeat. Verumenimverò oportet Oratorem eloquentem esse, nam inuentio, ac dispositio prudentis est hominis: eloquentia autem Oratoris, at eloquens est Orator, cum in eloquendo excellit, quod tunc contingit, quando ita dicit, ut probet, ut delectet, ut flectat, illud enim est dicere appositè ad persuadendum, quod tria prædicta complectitur. Sed probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere verò victoriæ.

Finis Rhetoricæ Thomæ quis.

Inuentio ac dispositio prudentis est hominis; eloquentia verò Oratoris. Dicere quid. Orare quomodo.

Delectat autem Orator si politè loquatur, & venustę eruditionis floribus, acuminum luminibus, varijsque figuris orationem exornet. Docet, si propositionem firmis, ac efficacibus argumentis probet, si historijs, auctoritatibus, adagijs, symbolis, alijsque similibus confirmare nitatur. Mouet si affectus, ut amorem, iram, misericordiam, & alios similes appositè concitet.

Quid maximè delectet.

Ad primum assequendum, oportet Oratorem instructum esse præceptis ad elocutionem, dispositionemque spectantibus; nihil enim magis audientium animos delectat, quam idoneorum verborum, ac sententiarum ad inuentionem accommodatio. Nec immeritò, nam si quid est, quod orationi splendorem, & honestatem conciliet, ipsa est elocutio. Non plus enim splendoris, ornatusque Cœlum à syderibus latè fulgentibus accipit, quàm dignitatis, pulchritudinis, ac leporis oratio ab elocutione consequitur.

Ad secundum apprimè conducunt ea, quæ Rhetor à Dialectico mutuatur, tota enim probandi vis in argumentis posita est.

Tota vis in argumentis.

Ad tertium conferunt præcepta de mouendis animi affectibus. Tres enim sunt probationum species, quarum prima in Oratoris moribus, secunda in argumentis; tertia in animi permotione posita est. Postremam hanc quanuis Philosophus detestetur, quippè qui censet iniustum, iudicis animum distorquere, ac inflectere ad indignationem, vel inuidiam, vel misericordiā &c. Orator tamen ad vincendum hanc Rhetoricæ partem necessariam existimat. Rhetorica enim iudicium tanquam finem sibi proponit, nil enim aliud quærit Orator, nisi, ut Auditores iudicent ea, quæ dicit esse vera, sic enim facile in persuasionem inducuntur, & ideo persuasio dicebatur oratoris finis, quoniam hæc nil aliud est, quàm iudicium quoddam, homines enim credunt ea, quæ vera esse iudicant, itaut rectè dixeris, à iudicio persuasionem oriri. Cum igitur Orator in dicendo nil aliud sibi proponat, nisi ut fidem faciat, ob id in ijs debet occupatus esse, quibus inest vis fidem faciendi; & quoniam non solum argumentis, sed etiam bonis moribus exprimendis, & mouendis animis fides fit, propterea enitendum Oratori, ut vir bonus esse videatur, & elaborandum, ut audientium animos moueat. Iuvat autem audientium affectus concitare, quoniam motiones animi sententiam mutant, & de eisdem rebus non eodem modo iudicare homines compellunt.

Tres probationum species.

Aristoteles 2. Rhetoric.

Aristoteles 3. Rhetoricæ.

Rhe-

Digitized by Google

Rhetoricæ autem partes, & veluti membra quinque perhibentur Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronunciatio. Tres priores ab arte, duæ postremæ à natura recognoscuntur, quanuis hanc Ars ipsa perficiat.

Inuentio est rerum verarum, aut verisimilium excogitatio. Dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio. Elocutio est idoneorum verborum, ac sententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum, ac verborum ad inuentionem perceptio. Pronunciatio est Corporis, ac Vocis elegans moderatio.

Quamobrem orator primo subtiliter inuenit, mox aptè disponit, inde splendidè exornat, postea memoriæ commendat, tandem clarè docendo, defendendo, mouendo, suadendoque pronunciat.

Ad hæc autem consequenda quatuor omninò requiruntur, nimirum, Natura, Ars, Imitatio, & Exercitatio. Natura primum, quòd ad dicendum vim affert maximam. Secundum. Ars est præceptorum quædam collectio. Tertium. Imitatio est orationis expressio iuxta eum, quem quis sibi imitandum proponit. Quartum. Exercitatio est usus assiduus meditandi, legendi, præsertim monumenta eruditorum Virorum, eosdemque audiendi cum exercitio. Hæc sunt, quibus eloquentia comparatur, de singulis igitur iuvabit summatim aliqua dicere, & primo de Natura.

Natura est illud primum principium alicui insitum, unde habet, ut sit habilis ad dicendum, licet enim omnes homines Rhetoricæ sint aliquo modo participes, alij tamen magis, alij minus; itaut fatendum sit naturam primum, atq; ingenium ad dicẽdum vim afferre maximam, cuius quidam ita valent muneribus in his rebus, ut alij magis alii minus habiles & nonnulli quam maximè idonei sint ad dicendũ, alij autem non item, sed potius tam rudes, & aggrestes, ut nullo studio, nullaque exercitatione in Oratorum numerum peruenire possint. Et certè animi, atque ingenij celeres quidam motus requiruntur ad dicendum, quibus ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque nos uberes & ad memoriam firmi, ac diuturni reddamur. Hæc autem naturæ dona, quæ certè nobiscum nascuntur, quemadmodum, & linguæ solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quædam, & figura totius oris, & corporis; quibus si quispiam fuerit destitutus, non poterit, nisi inuitâ Mineruâ, oratoris munus obire. Hoc autem non sic usurpes, quasi contendam artis præsidio aliquid limari non posse, cum me non fugiat, quæ bona sunt, fieri meliora doctrinâ posse, & quæ non optima, aliquo tamen modo acui, & corrigi datum esse; nunquam tamen, qui hoc sibi industria comparauerit, conferendus cum ijs, qui naturæ dotibus ita sunt instructi, ut ad præclarissimum Oratoris munus obeundum nati videantur.

Ars præcepta tradit, quibus parati certam viam rationemque dicendi inire possumus; Tametsi namque magno, atque præclaro ingenio præditi nonnulli dicendi copiam sine ratione consequantur, Ars tamen dux certior est, quàm natura, propterea quòd absque arte, etiam si quispiam benè dicere aliquid possit; tamen quia id fortuitò facit, haud semper ad id præstandum expeditus esse poterit, nec quod dicendum semper paratum habebit: Ad optimam igitur naturam præstat artem adiungere, quæ ab ipsa natura profecta est; huius enim notatio, ac diligens animaduersio peperit artem, cuius ea vis, non ut aliquid, quod nullo modo in humani ingenij potestate sit, pariat, & procreet, sed ut ea, quæ sunt in nobis, iam orta, & procreata, educet, atque confirmet.

Imitatio facit, ut sedulâ ratione peritorum Rhetorum similes in dicendo esse velimus, est enim expressio rationis, quam is quem imitamur, in opere nostro perficiendo teneamus. Hęc maximè necessaria, nam etsi ad præstantium Oratorum magnificum genus natura nos ducat, tamen ea non satis proficere poterit, nisi studio, ac imitatione melioris notę Oratores persequamur, ac ita dicere assuescamus, ut quodammodo omni animo intueamur; quod in causa videtur esse, cur ętates extulerint singulæ, singula propemodum genera dicendi, quia nempè semper floruit aliquis, cuius plerique similes fieri conati sunt. *Imitatio quid faciat.*

Sed in imitatione hęc obseruanda. Primum, ut moderata sit. Secundum ut præstantissimum alquem nobis Oratorem proponamus imitandum. Tertium, ut minutioribus quibusdam relictis, selectissima, & optima nos imitatione persequamur. Et quidem is, quem imitari studemus, egregius Orator sit; quia tamen quandoque bonus dormitat Homerus, nonnullis neglectis, quę maximè in eo excellent, ea diligentissimè persequi debemus, in quo hęc sunt præsertim obseruanda, nimirum Inuentio, Dispositio, & Elocutio. *Ad imitationem, quę requirantur*

Inuentionem autem imitabimur, si quam tenuit rationem inueniendi, excogitandique argumenta, quam diligentissimè sequamur. Dispositionem imitabimur, si ordinem naturalem, & artificiosum singularum partium orationis, & argumentorum sedulò perpendamus. Elocutionem denique imitabimur, si nostram orationem ijsdem figuris illustremus, si paribus numeris nostras periodos vinciamus, si tandem eadem verborum, & sententiarum varietate sermonem nostrum exornemus. Multiplex autem imitandi ratio, de qua paulo post redibit sermo. *Inuentionem quo modo imitari possimus.*

Huc alia consideratio pertinet, quòd nimirum dicendi artifex triplex sit, Rhetor, Orator, Declamator. Rhetor est qui docet, eius enim est præcepta tradere, quibus quisque potest instructus Oratoris munere fungi. Orator est, qui exercet, Rhetorisque præceptionibus utitur. Declamator est, qui domesticis, atque scholasticis meditationibus se exercet, ut postea ferijs in causis paratior sit, nam declamare est ficto themate se exercere; in Rhetorũ enim Scholis olim proponebantur auditoribus quęstiones in utranque partem declamandę, quas Græci Themata vocarunt. Singuli autem commemorati artifices dicendi, peculiares sibi vendicant dotes, adeout in Rethore ars; in Declamatore natura, in Oratore demum utraque requiratur, quæ scitè admodum fuisse dicta reperio, propterea quòd Rhetor esse potest præstantissimus, in quo nulla naturæ, sed sola artis præsidia dominentur, qualem Isocretem fuisse, veterum monumenta testantur, adeòut eum Tullius magistrum omnium deprædicet, velut illum, *cuius è ludo tanquam ex equo Troiano innumeros eloquentiæ principes produsse* communi sapientum calculo receptum sit, cum tamen nullis naturæ præsidijs comparatus ad dicendum esset; ut idem ipse fatetur, dum ait. *Orare multos docui; orare ipse nunquam potui.* Nec mirandum quempiam docere ea, quæ facere non potest. In eum enim quadrat Horatianum illud *Rhetor, Orator, & Declamator quo modo differant.*

fungar vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi
Munus, & officium, nisi scribens ipse docebo. *In Arte poetica.*

Et reuerà si quis naturæ præsidijs destitutus sit adeo, ut memoriæ sit labilis, vocis inconditæ, actionis inuenustæ,

benustæ, virium, laterum, & valetudinis ad dicendum prorsus expers, nunquam ad orandum valebit, quod si præceptionibus artis fuerit excultus, alios docere poterit, & ad dicendum eosdem expolire, itaque solius artis præsidio Rhetor esse potest. In eo siquidem ars requiritur, ut suo munere egregiè fungatur.

Quid in Declamatore.

Sed in Declamatore solam naturam requiro, cum artem ipse vestiget, at ad orandum natura præstantissima in ingenioso, & curioso est, ut Fabius dicebat, apud quem ingeniosus est, qui facilè percipit, fideliter continet, feliciter recitat, ingenij tamen nomine intelligendo illud, quod puerile est, magis ad capessendam artem, quàm ad excolendam efficum; fideliter autem contineat oportet, adeòut rerum, verborum, ac sententiarum figuræ altè quidem in memoria insideant, & in animo expræssæ quamoptimè adhæresçant.

Declamator autem, non debet Fabij testimonio esse præcocis ingenij, qui videlicet maiora viribus, ætate, ac doctrinâ aggrediatur, qui siquidem huiusmodi est, ad frugem non cuadit, & nonnisi, ut lepidè ille dicebat, inanibus aristis, cum ad maturam peruenerit ætatem flaccescit. Multi profectò sunt, qui in illa vrenti ætate, feruoreque naturæ adhuc lactescentis mirificè vigent, florent, & quodammodo maturescunt; verbis, grauioribusque sententijs abundant, artis celebritate nitent, claritudine vocis amorem omnium sibi conciliant, totiusque corporis elegantiâ, actionis venustate, summâque gratiâ mortalium animos in sui admirationem trahunt, cum tamen adoleuerint, præter omnium opinionem, stat eorum profectus, admiratio decrescit. Curiosum declamantem desidero, nam, qui huiusmodi est, calcari non indiget, cum sit ad laudem sponte procliuis, ad gloriam accensus.

Quid in Oratore.

Sed in Oratore, & artem, & naturam exposco. Vtra verò alteri præstet adhuc sub iudice lis est. Et certè si verum quærimus, varijs rationum momentis ars, & natura sibi inuicem aduersantur. Plurimum in Oratore naturam posse, nemini dubium, quoniam Oratoria facultas finitima est Poeticæ; sed hanc magis naturâ, quam arte perfici, notum est adeo, ut nihil supra; idcircò magis illam quoque naturâ, quam arte promoueri fatendum est. De affinitate, quam dixi, non est cur ambigas, nam rectè Tullius. *Finitimus*, inquit, *est oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentiâ liberior, multis verò ornandi generibus socius, ac penè par, & in facultate, & copia vagandi, qua velit propè idem.* Sed naturam poetarum matrem agnouit Plato, qui dicebat, *nihil eos proficere, qui solius Artis præsidio poetas se futuros credunt*; quem Tullius imitatur dicens, *à summis hominibus accepimus cæterarum rerum studia, & doctrinâ, & arte constare, poetam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari.* Hoc idem fatetur Pindarus, qui tantum in poetica facultate se præire putat Simonidi, quantum Aquila Coruo antecellit, quia se poetam natum; Simonidem poetam factum esse dicebat. Hinc Abderites ad Poeticæ cultum

Tullius de Orat.

Tullius pro Archia poet.

Ingenium miserâ fortunatius arte
Credit.

Sed ex aduerso non ineptè suspicaberis artem naturâ præstantiorem esse, in quamplurimis enim, quæ communi calculo sapientum celebrantur, magis artis industria, quàm naturæ dignitas commendatur, nam ars fingit, natura fingitur; ars excolit, natura excolitur; ars formar, natura formatur; quod igitur ab arte præstantius, quàm quod à natura. Sic in re, de qua agitur; si namque suas in oratorem opes natura conferat, & ars quoque lasciuiens effundat suas, omnibus numeris absolutum dicendi genus efflorescet, à natura quidem inceptum, ab arte autem absolutum.

Rectè tamen dixeris neutram seorsum inspectam, magni faciendam, sed utranque simul coeuntem plurimum valere; adeòut in oratoriam artem, facultatemque dicendi, quam egregiè cadat, quod Lyricus de poetica facultate cecinit.

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte In art. poet. ratione
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena
Nec rude quid prosit video ingenium alterius, sic
Altera poscit opem, res & coniurat amicè.

Neutra igitur sine alterius præsidio, ut nihil in Poetica, ità nihil in Oratoria potest, à neutra seorsum, sed coniunctim sunt omnia; nam ad inueniendum, ac disponendum in primis natura valet; hæc enim est argumentorum indagatrix, & hæc eadem inuenta partitur, & quid cuique loco conueniat, egregiè decernit, atque adeo unde auspicandum, ubi excundum, quid interserendum sit, ob oculos ponit. Sed ad eloquendum, plus valet ars, quippequę varijs ornatibus orationem distinguit, splendore verborum, ac sententiarum illustrat; propterea ex præstantissimorum virorum opinione, natura loquendi facultate homines à bestijs distinguit: ars eloquendi dignitate distertos ab indisertis secernit, & ut inuentio, est communis hominum prudentum, sic elocutio oratorum propria, nimirum inuentio est à Natura, elocutio autem ab Arte.

Huc etiam spectat, quòd omnes dicendi magistri contendunt, nimirum oportere bonis moribus præditum Oratorem esse, alioquin, haud facilè persuadere posse, ideoque Cato definiuit *Oratorem bonum virum dicendi peritum*, quibus adstipulatur Fabius dicens, *Nullum Oratorem reperiri posse, hoc tam graui dignum nomine, nisi qui vir etiam probus fuerit*, quod Aristoteli non satis, *cum fieri possit, ut Orator bonus quidem vir sit, malus tamen existimetur; debet idcirco eo genere orationis uti, quo vir bonus esse videatur.* Orator igitur debet non modo vir bonus esse, sed etiam videri. Idcirco Tullius, *Quo maior est*, inquit, *vis eloquentiæ, hoc est, magis probitate, iungenda*, Insuper *vetus illa doctrina eadem videtur, & rectè faciendi, & benè dicendi magistra.* Amplius, *non erant olim disiuncti Doctores, sed iidem erant viuendi præceptores, atque dicendi.* Rursus *Achilles à parente Peleo Phœnicis in disciplinam traditus est, ut illum efficeret autorem verborum, actoremque rerum.* Nisi enim corporis animique motus cohereant, nisi manui lingua respondeat, nisi dictis facta consentiant, nisi cum sermone morum probitas coniungatur, oleum, & operam perdet Orator. Quæ scitè admodum pronunciata fuisse, vel ex eo quidem intelliges, quòd probitatis expertibus, si dicendi copia tradatur, non Oratores fiunt, sed furentibus amæ quædam subministrantur; & re verâ vir improbus eloquentiæ præceptis imbutus, non tam Orator, quàm Reipublicæ quidem euersor, patriæ profligator, sacrarum ædium depeculator, sanctitatis violator, omnium scelerum omniumque flagitiorum machinator erit; perfectus igitur Orator sit ille, in quo vitæ candor, morum integritas, ac elegantia virtutum omnium complexio mirum in modum splendescit; Philosophus tamen reprehendit quosdam dicendi magistros, quibus persuasum erat Oratorem fidem facere non posse, nisi vir bonus sit, & idcirco in arte Rhetorica numerandam etiam pe-

spectam

spectam probitatem oratoris; adeò ut hic apud eos, quibus incognitus foret, nihil persuadere posset, & multo minus apud eos, à quibus improbus existimaretur, quamobrem ex Aristotelis consilio, nihil refert ad fidem faciendam, utrum probus, an improbus Orator sit, modo eâ utatur oratione, quâ vir probus uteretur, & ad tempus eos exprimat mores, qui boni sanctique vulgò creduntur. Quæ quanuis vera sint à plerisque tamen deridentur. Stoici nanque, etsi aliàs morum sint censores asperrimi, improbè tamen contendunt hæc in Oratore non requiri, cum fieri possit ut hic suo munere fungatur, quanuis mendacium dicat; nam inquiunt, quemadmodum, ut ægros à morbo recreemus, multa comminiscimur, multa fabulamur, multa non facturi pollicemur citra notam vitiositatis: sic etiam ut auertamus grassatorem à viatoris occisione, hostem ab expugnatione patriæ, Iudicem iniquum ab innocente puniendo, mendacio uti poterimus. Ab his non dissentiunt Academici, qui bonum Oratorem, aiunt, ita debere paratum esse, ut eandem causam, siue iusta illa sit, siue iniusta, in utranque partem vtilandam suscipiat, unde celebris Orator ille Carneades referente Tullio, cum Athenis Romam legaretur ampliſſimo consessu pro iustitia disseruit; postridie contra iustitiam tam paribus eloquentiæ præsidijs, ut in neutra actione vinci, in utraque vincere dici posset; hinc eius tam fuisse mirabilem dicendi vim accepimus, ut nullam unquam rem defenderit, quam non probarit, nullam oppugnauerit, quam non euerterit. Sic etiam Plato, modo eloquentiam diuinis laudibus effert, modo eandem varijs cauillis deprimit; quod sine mendacij nota facere profectò non poterat. Quod inde comprobatum redditur, quia supremum eloquentiæ Numen, nempe Mercurium scelerum machinatorem, & egregiè fraudolentum poetæ finxerunt, non aliam ob causam, nisi quia dicendi peritia cæteris anteiret; ut ob id aliquibus nil aliud visum sit Rhetoris officium, quàm mentiri, decipere, circumuenire, præstigiari. Orator enim, ut suo munere fungatur, fictè, & simulatè cum indignatione dicit, quanuis nullâ fuerit affectus contumeliâ; sic etiam demissè & humiliter, ut misericordiam moueat, cum tamen res illa forsan, de qua dicit nulla sit miseratione digna; quamobrem auditor decipitur, & quanuis res non ita se habeat prout Orator dicit, nihilominus propter eius artem, ac elocutionem, ita se habere putat; idcirco si velit Orator auditores commouere, se ipsum priùs commoueat oportet, quomodo cæteros affici vult, nam

Si vis me flere dolendum est,
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Non enim fieri potest, ut auditor doleat, ut oderit, ut inuideat, ut aliquid pertimescat, ut ad fletum, vel misericordiam commoueatur, nisi motus omnes, quos Orator in auditorem curat inducere, in ipso Oratore impressi, ac eidem insiti videantur.

Sed hæc probitati non officiunt Oratoris, qui hæc omnia, sistens intra cancellos honestatis, præstat inspecto fine, quem in eo positum esse dicebamus, ut auditoribus suadeat, quod decet, vel saltem simulet honestatem virtutis, quantumuis illam intrinsecus aspernetur, ut Aristoteles dicebat.

SECTIO QVINTA.

De quibus Rhetorica facultas edisserat.

ID, in quo facultas aliqua versatur, eius non immeritò materia dicitur, ut si corpus humanum quatenus curabile Medicæ facultatis materiam diceremus. Ita pariter facultatis Rhetoricæ materiam dicimus res illas, in quibus est occupata. Id in qua facultas aliqua versatur eius materia dicitur.

At nihil tam vulgatum, quàm Oratoriam artem nullum determinatum genus, certamve materiam, in qua versetur, sibi vendicare; quod etiam Dialecticæ solet attribui, quoniam ambæ communiter in utramque partem de rebus omnibus disputent. Ex horum igitur opinione nec Rhetor, nec Dialecticus genus aliquod rerum determinatum habent, in quo versentur, sed potius quicquid est in rebus omnibus verisimile, ac probabile, id planè sequuntur; ut propterea hæ duæ facultates quàmmaximè censeantur affines, vel etiam Aristotelis testimonio, qui passim hanc affinitatem inculcat, dicens Rhetoricam esse Dialecticæ propaginem quamdam, atque pullulationem.

Fabius non dissentit, relatis enim aliorum placitis, in eam sententiam venit, ut dicat, materiam Rhetorices esse res omnes, quæcumque siquidem ei ad dicendum subiectæ sunt, quod auctoritate Platonis nititur confirmare, nam inquit *Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ videtur, non in verbis esse materiam, sed in rebus*. Confirmat hoc idem communi omnium sermone, *Nam*, inquit, *cum aliquid, de quo dicamus, accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam præfatione testamur*. Vt propterea Gorgias adeo Rhetori de omnibus putauerit esse dicendum, ut se in auditorijs interrogari pateretur, qua quisque de re vellet.

Et ad maiorem confirmationem ait Hermagoram in eadem fuisse sententia; is enim dicendo materiam esse in causa, & in quæstionibus, res omnes subiectas complexus est. Immo & Aristoteli hoc placuisse contendit; hic enim tres faciendo partes orationis Iudicialem, Deliberatiuam, Demonstratiuam, penè & ipse oratori subiecit omnia, nihil enim in hæc non cadit.

Sed alij, eodem Fabio referente, Materiam Rhetorices orationem esse dixerunt, quod ex Platone desumpsit. Hoc autem improbat, quoniam si intelligatur, ut sermo quacumque de re compositus dicatur Oratio, non materia, sed opus est; ut Statuarij statua; nam & oratio efficitur arte, sicut statua; quod si hac appellatione verba ipsa significari putemus, nihil hęc sine rerum substantia faciunt. Quibusdam apud eundem, materia, de qua fit sermo, argumenta sunt persuasibilia. Quidam existimant ciuiles esse quæstiones. Quidam quia virtus sit Rhetorica, materiam eius totam vitam vocant. Alij, quia non omnium virtutum materia sit tota vita, sed pleræque earum versentur in partibus, sicut iustitia, fortitudo continentia & inproprijs officijs, & suo fine intelliguntur, Rhetoricam propterea dicunt in una aliqua parte ponendam, eique locum in Ethica negotialem assignandum, hæc Fabius.

In memoriam autem reuocatis, quæ suprà tradidimus, non obscurè constabit, quid de re proposita sentiendum. Rhetorica enim facultas est partim scientia, partim autem ars, quoniam igitur scientia est ea parte, quâ Dialecticæ naturam sapit, proinde ex hac parte considerabit, quæ ad Dialecti- Quid dicendum concluditur.

Digitized by Google

cum pertinent, nimirum cognitionem intellectiuam, quatenus dirigibilem ad disputandum in utramque partem; at ex ea parte, quâ cætera considerandæ assumit, uti sunt animi motiones, verborum ornatus, atque adeò expolita elocutio, illud quidem attingit, quod conducit ad id, quod uniuersæ artis est finis, nimirum ad persuasionem, quam etiam respicit ex ea parte, qua considerat ad Dialecticam spectantia. Ita fit, ut non incongruè *Rhetoricæ facultatis materia dicatur intellectiua cognitio, quatenus est dirigibilis ad assequenda ea, quæ dicendo, appositè faciunt ad persadendum;* nam ut persuadere dicendo finis est intrinsecus Rhetorices, sic eius materia dici debet. Ad hunc autem finem assequendum, non solùm argumenta conducunt, quibus Orator suam orationem probabilem reddit, sed etiam & alia, quæ debet Orator habere perspecta, videlicet quomodo se ipsum afficere, ac mouere, & iudicum animos concitare, & quòcumque voluerit possit impellere, ad quæ maximè, & Elocutio, & Dispositio videntur conferre. Tria enim sunt, quæ totam dicendi artem perficiunt, scilicet Inuentio, Elocutio, ac Dispositio, admonente etiam Philosopho;

3. Rhetoric. cap. 1. Ἐπειδὴ δὲ τρία ἐστὶν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον. ἓν μὲν, ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται. δεύτερον δὲ, περὶ τὴν λέξιν. τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. *Nam cum, tria sint, quæ in arte dicendi pertractare oporteat; primum unde probationes ducantur; alterum qua sit utendum elocutione; tertium quomodo partes orationis disponendæ sint;* Et meritò, nam primò excogitandum quibus argumentis id probaturi sumus, quod tueri, ac sustinere volumus; deindè quibus verbis, & ornamentis, quæ inuenimus explicare, possimus, tum quo ordine singula proferamus, à quo non dissentit Tullius, cum ait, *Videndum Oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo.* Hæc igitur sunt quibus Orator potest fidem facere, & Iudices, atque auditores in persuasionem inducere, propterea non inconsultò dictum fuit Rhetoricæ facultatis materiam subiectam esse cognitionem intellectiuam, quatenus est dirigibilis ad ea assequenda, quibus persuadere dictione possimus.

Visus Rhetorices circa quid.

At si spectetur usus Rhetorices, hic profectò exercetur circa res omnes; Rhetorica enim quantum ad usum, communis quædam facultas est de rebus omnibus propositis apud omnes verisimiliter in utramque partem edisserens, pro scopo perpetuo persuasionem habens. Hoc itaque sensu Rhetorica, quemadmodum etiam & Dialectica dicitur non habere certum genus, vel rem aliquam determinatam, in qua versetur. Hoc itidem sensu illud est usurpandum Rhetoricam veris demonstrationibus non uti; nam alioquin ex ea parte, qua Dialecticam sapit, necessaria præcepta tradit, sunt enim illa, quæ à Dialectica mutuatur.

Quo sensu Rhetorica dicatur.

DISSERTATIO II.

De Inuentione.

Quis dicatur Orator.

Oratoria facultas quinque partibus constat.

QVoniam Oratoris is est, qui quæcumque res inciderit, prudenter, compositè, ornatè, & memoriter dicit, cum quadam actionis dignitate, ut aiebat Tullius; neminem ob id præteribit Oratoriam facultatem, ut nuper etiam innuimus, quinque omninò constare partibus, Inuentione, *ut prudenter;* Dispositione, *ut compositè;* Elocutione, *ut ornatè;* Memoria, *ut memoriter;* Pronunciatione, *ut cum quadam actionis dignitate, dicat Orator. Ex his autem partibus prima quidem occurrit Inuentio, cum primum sit Oratoris munus inuenire. Hanc verò partem non in postremis habendam, quin magnifaciendam potius, inde constabit, quoniam summa Eloquentiæ vis, & Orationis venustas ab inuentione, quemadmodum splendor à Sole, dimanat. Quid igitur, & qualis ea sit, nos nobis aperiendum.*

SECTIO PRIMA.

Quid sit Inuentio, quæque eius materia, & undè petenda.

Inuentio quid. 1. Rhetoric.

INuentionem definitam Tullius reliquit, dicens, *Inuentio est rerum verarum, aut verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant.* Hæc igitur Eloquentiæ pars in ijs est occupata, quæ ad persuadendum valent, atque tunc Orator in hac parte versabitur, quando dabit operam, ut inueniat, quemadmodum fidem faciat ijs, quibus persuadere contendit, & quem in modum eorum animis motionem afferat. Fidem autem Orator facit argumentis, & mouet incitando, aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem, aut ad alios animi affectus, harumque rerum subiectas partes.

Orator quomodo fidem faciat.

Inuentio ex aliorum sententia quid.

Argumentum quid.

Alijs verò placuit sic Inuentionem definire, in idem tamen recidit. *Inuentio est excogitatio argumenti.* Et argumentum aiunt esse probabile inuentum ad faciendam fidem, vel etiam argumentum dici solet à Tullio, *Ratio rei dubiæ fidem faciens;* Fides autem, nil aliud, quàm firma animi ijs, quæ dicuntur, credentis opinio. At verò *Opinio est imbecilla quædam assensio.* Tam fides porrò quàm opinio, argumentatione procreatur. Est autem *Argumentatio argumenti quædam explicatio, qua Dialectici præsiùs & religiosiùs: Oratores autem ornatiùs, & liberiùs utuntur.* Hoc interest inter Argumentum, & Argumentationem, quòd illud est medium, vi cuius infertur conclusio; argumentatio autem est species discursûs, siue ratiocinationis. Locus est argumenti sedes, ut paulò infra dicetur.

Fides quid.

Opinio quid.

Argumentum quid.

Quid differat inter argumentum, & argumentationem.

Argumentorum duo genera.

Argumentum necessarium.

Argumenta verò non uniusmodi sunt, quemadmodum, & argumentationes; propterea quòd quædam sunt, quæ habent affinitatem cum re necessariam, & hæc pariunt scientiam: alia, verò, quæ habent tantùm contingentem, & probabilem, & hæc opinionem progignunt. Necessaria connexio pertinet ad Mathematicos, & Philosophos; contingens, & probabilis ad Rhetorem, quod non sic usurpes velim, quasi nunquam Orator necessariò concludat, quamuis enim id rarius faciat, non propterea tamen ex Fabio, & Hermogene, omnis necessitas consecutionis Oratori denegan-

da

da est; oppositum enim, & Aristoteles, & Tullius docuerunt; nam Aristoteles ita loquitur; *Pauca verò necessaria sunt eorum, ex quibus Oratorij syllogismi conficiuntur, maiori enim ex parte, quæ in iudicium, ac in deliberationem veniunt, etiam aliter se habere possunt*. Hoc igitur Philosophus ait, nempe, In Enthymemate pauca solent esse necessaria, quoniam ea, de quibus iudicium est, atque deliberatio, aliter, ac aliter se habere possunt, variarique solent, quod in rebus necessarijs usu venire nequit. Cum itaque dicat pauca esse necessaria eorum ex quibus Oratorii syllogismi conficiuntur, satis aperte constat ab eo non negari Oratori omnem concludendi necessitatem, sed solùm dici Oratoris esse potius probabilia, quàm necessaria sectari. Nec certè ulla de Philosophi consilio potest esse dubitatio, cum paulò infra splendidè dicat, ea ex quibus Enthymemata fiunt, pleraque esse necessaria, sed majori ex parte probabilia, in quam opinionem videtur etiam Tullius abiisse; nam *Argumentatio*, inquit, *videtur esse inuentum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessariè demonstrans, necessariè demonstrantur ea, quæ aliter, ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maximè tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem*.

Probabile argumentum illud est ex Aristotele, quod vel omnibus, vel plerisque probatur, in cuius gratiam aduertendum occurrit Probabile generatim acceptum commodè dici posse illud cui facilius est assensum præbere, quàm denegare, siue interim necessarium fuerit, siue non, ad quod respiciens Philosophus Topicorum primo, Probabiles propositiones appellat, *quæ probantur, aut omnibus aut pluribus, aut certè sapientibus, atque ijs, vel omnibus, vel plurimis, vel ijs, quorum spectata est & perspecta sapientia*, Vt exempli gratia. *Deum esse; Mundum Diuinâ prouidentiâ gubernari*, & alias huius generis propositiones.

Probabile autem à verisimili differt, eòquod illud latius pateat, quàm istud; Nam probabile in tres species distribuitur, è quibus.

Prima est verisimilium, quæ etsi plerunquè, non tamen semper eueniunt.

Secunda est eorum, quæ semper fiunt, dubitationis tamen aliquid habent, quia plerisque tantum ita videtur.

Tertia demum eorum est, quæ nunquam ita fiunt, cum falsa penitùs sint, putantur tamen ita fieri. Sed propositiones verisimiles illę censeri solent, quæ non per se necessariæ sunt, neque ex aliquorum opinione, sed cum audiuntur, ex quoddam communi sensu, atque ratiocinatione habent, ut iis præbeatur assensus, de his tamen latiùs in sequentibus.

Interim illud adnotandum, argumenta iam dicta esse Inuentionis materiam; hæc enim duplex, & argumenta, quæ fidem faciunt; & motus qui delectant, ac flectunt.

Inuentionis autem duæ partes præcipuè attendi solent. Altera est vis inueniendi argumenta, quæ fidem causæ faciant; Altera vis excogitandi motus, qui ad causam idonei sint.

Ad inuentionem quatuor videntur requisita, *Acumen, Diligentia, Ars, Iudicium*. Acumen acceptum referri debet naturæ. Diligentia quatuor rebus perficitur; quarum prima, ut quæstio, quam pertractamus, clarè, ac penitùs introspiciatur à nobis, & argumenta idonea, conuenientesque motus excogitentur. Secunda, ut aduersarium summâ quidem attentione audiamus, tanque illius gestus, & oris, & uniuersi corporis, quàm verba sedulò perpendamus. Tertia ut animo locos Rhetoricæ ad faciliorem delectum percurramus. Quarta atque postrema, ut alijs cogitationibus omnibus posthabitis, in prouinciam susceptam defendendæ causæ, viribus omnibus incumbamus.

Ars duplex esse censetur, nempè singularis una maximè Oratoris propria; altera communis. Prima est, qua causę, seu quæstiones in singula distribuuntur genera, & ijs argumenta accommodentur propria, ut Generi iudiciali, quæ illi consentanea sunt, sic de duobus alijs generibus Deliberatiuo, & Exornatiuo. Altera est, quâ communia quædam argumenta adhibemus. Ars duplex singularis una, communis altera.

Cum autem Inuentio sit Eloquentiæ pars in excogitatione rerum illarum occupata, quæ ad persuadendum valere possunt, innuere non erit abs re, quibus ex fontibus dicenda possimus haurire, deinde verò locos ex quibus depromuntur argumenta ad persuadendum idonea recensere. Proponuntur fontes, ex quibus dicenda possunt hauriri.

Fontes autem hi perhibentur.

1. Eruditio.
2. Historia.
3. Apologi, & Parabolæ.
4. Adagium, seu Paroemia.
5. Symbola, Ænigmata, & Hieroglyphica.
6. Emblemata.
7. Testimonia Veterum.
8. Sententiæ.
9. Leges.
10. Sacræ literæ.

Quorum ἀρχὴ meritò Εὑρεσις & ἀγχίνοια, dici potest. De singulis igitur commemoratis fontibus breuiter disserendum. Quanuis enim pulchra quidem inuentio ab ingeniosa natura proueniat, nonnisi tamen ab ea, quæ maximè sit erudita; quandoquidem eruditio parens est, & nutrix inuentionis, quamobrem si quis facilè, pulchrèque velit inuenire, commemoratos fontes adire debet, videlicet gentium Historias, Consuetudines, Fabulas, Apologos, &c.

SECTIO SECVNDA.

De Singulis iam recensitis Inuentionis fontibus.

FOntis Eloquentiæ nomine id intelligitur, quod Oratori dicenda suppeditare potest. Ex ipsis autem iam numero decem antecedenti Sectione commemoratis, primus occurrit Eruditio, quæ est fons, & veluti nutrix inuentionis, non enim Orator perfectus esse potest, nisi rerum omnium intelligentiâ, cognitioneque plurimùm valeat, unde Plutarchus dicere solebat, quemadmodum Persæa arbor Nili aquis irrigata, floret cultiùs, atque parit uberiùs: sic manantibus quoque doctrinæ riuis perfusa virescit Eloquentia, quod cum Tullius aduerteret inculcare frequèter solebat, Oratorem debere omnium rerum peritissimum esse; nec immeritò, nam Oratori ad fidem faciendam ex propositionibus variarum artium atq; scientiarum Enthymemata sumenda sunt; & quanuis hæc non exquisitè tractare is debeat, ne fines suos transilire videatur; ex communi tamen opinione debet hæc saltem euoluere, quòd profectò nunquam præstabit, nisi ex varijs artibus, ac disciplinis multa didicerit; sic enim è pluribus ea poterit seligere, Eloquentiæ fons quid Oratori. Primus inuentionis fons est Eruditio.

re, quæ ad persuadendum accommodata sunt. Vt propterea Tullius idem existimaret neminem in Oratorum numerum habendum, qui non sit omnibus artibus, quæ sint libero homine dignæ, perpolitus. Tametsi enim ipsis in dicendo non utamur: tamen apparet, atque extat utrum simus earum rudes, an didicerimus; Oratio igitur pluribus artibus eget, quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, & tacitè quoque sentiuntur, dicebat Fabius. Et sanè, ut idem aduertit, cum Oratio fuerit doctrinæ luminibus destituta, nil aliud erit, quàm puerilis loquentia, quàm arbor luxurie foliorum vestita, fructûs tamen expers. Si à facultate dicendi doctrinam, seu eruditionem tollas Ἐπιχυμίδιος ταῦτ' ἔστι, ἢ σομίλματα; propterea Fabius esse artes, quibus instituendos prius, quàm tradantur Rhetori pueros arbitrabatur, adeòut crederet omninò Oratori pernecessarium orbem illum doctrinæ, quam Graci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant.

Lib. 1. de Oratore.

Quorundam opinio reijcitur.

Non me præterit plerisque visum Oratorem totum esse debere in structura, compositioneque verborum, quòd eruditio, & eloquentia facultates sint inter se distinctæ, ac in orationibus eloquetiam, non doctrinam profiteri oporteat. Sed toto cœlo abberrant, nam ex illa verborum optima compositione, & ex eorumdem splendore assequetur Orator, ut comptè, fluidèque dicat, rerum tamen succum, & opulentiam nullam assequetur, ac proindè nonnisi cum magno auditorum tædio poterit audiri.

Non propterea tamen nobis probantur illi, qui dictionem negligentes hoc unum curant, ut variam doctrinæ suppellectilem ostentent, spiritus enim elidunt eloquentiæ. Ità fit meâ sententiâ, ut si qua in re, in hac præsertim adhibenda sit moderatio, & quid res, quid locus, quid audientium animi patiantur summoperè considerandum sit. Excellens igitur sit, qui in Oratorum numero haberi cupit, & orationis structura, omnique verborum expolitione, & varijs artibus, ac disciplinis ita sit instructus, ut tametsi illas egregiè non calleat, non mediocriter saltem degustauerit; sic enim extemporalem facultatem dicendi; atque adeò præmium ampliſſimum diuturni laboris se consecutum poterit gloriari.

Secundus Inuentionis fons Historia.

Historia ex Fabij sententia maximè utilis oratori.

QVem fructum consequatur Orator ex historia, declarat Fabius his verbis; *In primis verò abundare debet Orator exemplorum copiâ, cum veterum, tum etiam recentiorum; adeout non ea modo quæ conscripta sunt historijs, aut sermonibus, veluti per manus tradita, quæque quotidie aguntur debeat nosse: verum ne ea quidem quæ à clarioribus Poetis ficta sunt negligere.*

Præstat igitur omnem antiquitatem euoluere, & cum nostris temporibus comparare, & illustria quæque exempla, semper ad manum habere, quibus & delectare, & permouere possit Orator; cum autem historiarum hac tempestate magna sit copia, quorundam industriâ factum fuit, ut in ordinem, certaque rerum capita redactæ sint; propterea nullo labore cuique perfacile erit decerpere, quæ apud historicos diuersos longè latèque diffusa sunt. Non pigeat tamen Oratorem adire fontem unde huiusmodi riuoli emanarunt; plerunque enim usu venit, ut quædam ab auctorum sensu detorta, truncata, debilia malâ fide aucta, non rarò etiam falsa, & inepta, quæcumque causa sit, in his collectaneis leguntur. In quibus tamen oportet præ oculis habere temporum ordinem, historicorum ætatem, religionem, & mores, alioquin irritus erit labor.

Nec debet Orator historiarum lectione esse contentus, sed in iis præsertim debet usum spectare. Puerile enim est inconsideratè historias historiis, exempla exemplis agglutinare, solùm ad eruditionem ostentandam; nec minus detestabile ad rem, & extra rem dicere, & si quid speciosum videatur ad omnem usum adhibere. Nec etiam comendatione sunt digni, qui vulgatas admodum, ac tritas historias à capite ad calcem referre solent.

Non citò omnibus historijs adhibendus.

In his tamen, ut laudem Orator mereatur, hæc diligenter aduertat.

Quæ animum verisimiliter digressum historiæ usu.

Primum, ut quòd in medium affert, præsertim ex historiis appositè, & loco dicat, itaut id non intrudi, sed per se ipsum potius influere videatur, ne violenter accersitum, iudicii defectum in Oratore declaret.

Primum.

Secundum, quòd narratur ex non obscuri nominis auctore desumptum sit; quo plus ad persuadendum auctoritatis obtineat, in quo præcipua habenda cura, & præcipuè illud cauendum, ne aliquid sui attexat rei augendæ, vel minuendæ gratiâ, plurimum enim æstimationis apud auditores amittet, cùm hi venditari falsa pro veris minimè patiantur, Vt præteream futurum deterius iudicium de Oratoris doctrina, ac moribus, cum tamen in primis ei sit enitendum, ut se in omni doctrinæ genere versatum, & optimis moribus instructum ostendat. Hoc enim plurimum ad persuadendum valet, ut propterea Cato definierit Oratorem esse bonum virum dicendi peritum; quod nec etiam sufficit Aristoteli, qui præterea requirit, ut talis esse videatur, ut supra monuimus.

Secundum.

Tertium illud quoque summopere cauendum, ne quæ nota sunt, fusè tractentur; nec in iis immorandum, nihil enim est, quod magis audientium animis nauseam moueat, quàm trita nimis, atque vulgata iugiter inculcare. Satius igitur est paucis ista perstringere, & per congeriem multa cum fuerint, simul coniungere, celeriterque proponere.

Tertium.

Quartum illud etiam consideranduin occurrit, ab Oratore non esse nudas historias referendas, sed potius variis figuris exornandas, & verborum splendore, & sententiarum grauitate, quantum fieri potest, illustrandas.

Quartum.

Tertius Inuentionis fons. Apologi, & Parabolæ.

APologus, qui nil aliud est, quàm fabula, in qua animalia bruta loqui introducuntur, maximè deseruire potest Oratori ad inueniendum; quemadmodum & Parabola, quæ rerum alioquin diuersarum in una, vel pluribus affectionibus conuenientia est, ad idem summopere conducit. Quamobrem erit operæpretium in hæc diligenter incumbere, eo vel maximè, quòd Oratori cum auditoribus agendum, qui magna ex parte sunt rudes, ac indiserti, proindeque simpliciùs quę dicta sunt, audiunt, voluptateque capti facilè iis consentiunt, quibus magnoperè delectantur.

Apologi quid. Parabolæ quid.

Hinc plerique & certè non obscuri nominis Philosophorum, & Oratorum inter quos Plato, & Demosthenes fabulis delectati sunt. Propterea poetarum lectioni plurimum indulserunt, ut nimirum ex ipsis non modo spiritum in verbis, & magnas permotiones in affectibus, & in persona decorem hauriri posse cognouerunt, sed etiam lepidissimas fabulas Oratoribus utilissimas, assumi posse adnotarunt, ad

Plato, Demosthenes &c. fabulis magnopere delectati sunt & quare.

quod

quod respiciens Tullius à puero lectioni poetarum addictus fuit.

Non omnes tamen decent apologi, propterea non omnes indiscriminatim usurpandi, sed qui conueniunt & personæ, & loco, & rei, de qua agitur adhibendi; abstinendum à nimis facetis, & ad scurilitatem plusquam par est, accedentibus, & quidem cum sale, & grauitate, & quamuis huiusmodi sint, cauendum ne nimis sint frequentes, & abstinendum ab iis, qui cum nimis vulgares sint, orationi conciliare nullam venustatem possunt.

Quartus inuentionis fons Adagia.

ADagium græcè παροιμία, hoc est prouerbium, quasi circumagium, quod per ora hominum circumferatur; ad parabolas autem accedunt adagia, quæ cum ijs tantam habent affinitatem, ut plerunque cum ijsdem confundantur, præsertim autem in eo consentiunt, quòd rerum similitudines exprimant, dici etiam solet oratio vulgata, allegorica, siue alludens, ac innuens; ab aliquibus describitur hūc in modum. Παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ, ἐπικρύψει μετρίᾳ πολύτὸ χρήσιμον ἔχων ἐν ἑαυτῷ. *Prouerbium est sermo ad vitæ rationem conducibilis moderatâ quadàm obscuritate multam in se continens utilitatem.* Ab alijs hoc modo. Παροιμία ἐστὶ λόγος ἀποκαλυπτῶν τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ. *Prouerbium est sermo rem manifestam obscuritate tegens.* Ab alijs etiam tam Latinis, quàm Græcis paræmiæ finitiones traduntur, quas hìc referre operæ pretium non videtur, eò vel maximè quòd eodem recidunt. Accedit, quòd inter tam multas nulla videtur extare, quę vim, naturamque prouerbij sic complectatur, ut non aliquid, vel redundet, vel diminutum sit. Id tamen certum, veteris nimirum Philosophię reliquias à nonnullis adagia nuncupata fuisse, Ἡ παροιμία, inquit Synesius, σοφόν; πῶς δ' οὐχὶ σοφόν, περὶ ὧν Ἀριστοτέλης φησὶν, ὅτι παλαιᾶς εἰσι φιλοσοφίας ἐν τῆς μεγίστης ἀνθρώπων φθορᾶς διολομένης ἐγκατάλειμματα, περισωθέντα διὰ τωτομίαν, καὶ δεξιότητα; παροιμία δὴ καὶ τοῦτο, (καὶ τὰ ἑξῆς) ὥστε βέλτιον ἐπιβλέπειν αὐτῇ τάμπτολυ δοῦ πάλαι εἰς ἀλήθειαν ἀποχώτεροι. *Sapiens prouerbium.* Synesius dicebat. *Quidni enim sapiens sit? Cum prouerbia dicat Aristoteles esse veteris Philosophiæ, inter maximas hominum ruinas intercidentis, quasdam reliquias, ob breuitatem dexteritatemque seruatas?* Prouerbium igitur, hoc est, sermo dignitatem habens hæc tanquam è sacrario Philosophiæ, unde antiquitatè traxit, depromptum; *ex quo graui est pulcroque aspectu. Veteres enim nostris hominibus in inuestiganda veritate longè acutiores erant.* Duo ad prouerbium requiruntur, τὸ θρυλλέμενον, καὶ καινότης, hoc est *ut celebratum sit, vulgoque iactatum;* seu quòd passim, per ora hominum vagetur; & ut *nouum*, sed ut *scitum sit*, hâc enim notâ discernitur à sermone communi, non enim protinùs, quod est populari sermone tritum, aut figurâ nouatum prouerbii rationem obtinet; sed & antiquitate, & eruditione debet omninò commendatum esse.

Illud autem præsertim utilitatis habet prouerbium, quo ad persuadendum, ad decus, & orationis gratiam in primis conducit, ut propterea Philosophus in Rhetoricis præceptionibus paræmiæ inter testimonia connumerauerit, sed quantum afferant momenti ad persuadendum testimonia cuique perspectum. Immò Fabius de efficacitate paræmiarum ad persuadendum ita sentit, ut illas exemplis coniunxerit, & parem cum ijsdem obtinere vim existimauerit. Item eadem in argumentorum genere collocat, quas Græci, κρίσεις appellant, immò quod majus est, paræmiis Deorū oracula ob summam cognationem subnectit. Hoc autem non aliundè meâ sententiâ, quàm à summa veritate, quam ijs inesse omnes fatentur; non enim in æternum durassent, nisi vera omnibus viderentur.

Quantum autem vel dignitatis, vel venustatis adiungat orationi tempestivus paræmiarum usus, neminem præterire crediderim; ex ipsarum enim antiquitate plurimum maiestatis in orationem redundat. Accedit etiam quòd amplitudinem quandam, ac sublimitatem sermoni confert, immò, & festiuitatem, cum paræmia non rarò per omnes figurarum species, per omnes facetiarum formas varietur. *Quantum dignitatis paræmiarum usus afferat orationi.*

Illud autem in adagiorum usu notandum occurrit, ne nimis crebra, & obscura admisceantur orationi, sed oportet adagia scitè, & in loco intertexere, & ubi res fert, adhibere; sic enim futurum, ut sermo totus, & antiquitatis ceù quibusdam gemmulis luceat, & figurarum coloribus niteat, & sententiarum luminibus splendeat & festiuitatis cupediis blandiatur, ac ad extremum, ut ille dicebat, nouitate excitet, breuitate delectet, auctoritate suadeat. Non inficiandum tamen paræmias ad eruditionem in orationibus potius, quàm ad stylum valere, præsertim si in re proposita miti quadam conferantur urbanitate, tum etiam præcipuâ quâpiam interpretatione collustrentur: in Epistolis verò secus accidit, nam stylus earum amænitate cultiùs elucet. *Vnde paræmia dicitur.*

Non est autem una omnium adagiorum ratio: nam alia popularia sunt ita, ut cuique vel imperito etiam sint obuia; talia sunt, *Bis dat, qui citò dat; Veritas odium parit. Conscientia mille testes:* Alia verò sunt à vulgi sensu remota, quæque tantùm inter doctos percrebuerunt, atque reconditam magis doctrinam ex varia historiæ eruditione complectuntur, aut obscuram allegoriam continent; innumera autem apud auctores extant exempla. *Adagiorū non una est ratio.*

Quintus Inuentionis fons Hieroglyphica.

ἹΕρογλυφικὰ, Hieroglyphica sunt quædam sacra monumenta apud Ægyptios non literis vocabula, sed sculptis rerum animaliumque figuris significantia; quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor, dicebat Tullius, ad memoriam magis spectare debere posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam; unde ἱερογλυφικὰ γράμματα, *hieroglyphicæ literæ* erant apud Ægyptios notæ quorundam animalium, aut aliarum rerum sacris monumentis incisæ, quibus vice literarum utebantur, cum literæ adhuc non essent inuentæ, de quibus Tacitus; *Primi* inquit, *per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa satis cernuntur, & literarum inuentores perhibentur*, Vt forsan huiusmodi symbolis, & Ænigmatum velaminibus arcanam posteris adumbraret Philosophiam, ne in plebeiorum hominum sensus, intelligentiamque permearet; quod & septentrionalibus etiam populis in usu fuisse, auctor testatur non ignobilis; Hieroglyphica igitur & symbola mirum in modum orationem illustrant, & amænâ replent eruditione; cum enim his dicta sapientum præclara, & sententiæ exprimantur, fit, ut in animos instillentur iucundiùs, quòd quasi sub obscuritatis velamine, repentè lux fulgere videatur, His igitur respersa oratio mirum in modum audientium animos reficit, unde Aurelius Augustinus dicebat, *Quemadmodum multa per vitrum, aut succina,* Epist 119. *Hieroglyphicum quid. Tullius ad Cæsarem. Hieroglyphicę literæ quales essent.*

pellu-

pellucent iucundius : ita magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens ; nec immeritò nam inuentionis illa subtilitas, & imaginis expressio sensus quodammodo titillat suauiùs, dumque placet, efficaciùs etiam suadet.

Parcè tamen, & prudenter, ut cætera, sunt hæc adhibenda, ne si crebriùs inferciantur orationi, communia fiant, ac ob id amissâ iucunditate, audientium animis fastidio sint, & satietati.

Parcè paræmię sũt adhibẽdæ.

Sextus Inuentionis fons Symbola.

SYmbolum, quod nil aliud est, quàm nota, siue signum, duo complectitur, nimirum *Emblema*, & *Ænigma*, hęc enim in ratione Symboli cõueniunt, differunt tamen, quòd Ænigma sit rerum, Emblema autem morum, virtutis, opum, fortunæ, dignitatis, expressio. Definit Diomedes, *obscuram sententiam per occultam rerum similitudinem*. At verò *Ænigma obscurum est, & ambiguum, adeòut etiam viros alioquin doctos & solertes impediat : Emblema verò apertius, atque liquidiùs, ut si quidem indoctos, ac rudes fallat, ingenuis tamen artibus instructos præterire non potest*. Quanuis igitur arcanę rei cuiuslibet nota, vel imago symbolum ęnigmaticum dici possit, duo tamen commemorata, nimirum Ænigmata, & Emblemata præcipuè celebrantur.

Symbolũ complectitur emblema, & ænigma.

Ænigma quid.

Emblema quid.

Ad Ænigma quod spectat, prænouisse oportet dictum esse à græca voce παρὰ τὸ αἰνίττομαι, quę obscurè, ac perplexè loquor significat; At δεινὸν ἢ σκοτεινὸν λόγον implexum, obscurumq; sermonem veteres Gryphon appellarunt, ab impliciti quodam genere retis, & κυλικειον ζητημα, ut ait Pollux, quod inter calices, & pocula Gryphi siue ęnigmata proponerentur ad conuiuas obscurioribus quęstionibus capiendos; Moris enim erat apud veteres in epulis certare ęnigmatibus, quod Regibus olim per familiare fuisse, legimus apud Plutarchum in Sapientum Conuiuio. Reges enim finitimi ænigmata mittebant alteruttis, & sophisticas quæstiones, quas si nescirent dissoluere, multabantur pecuniâ, aut aliâ re quapiam; qui verò poterant ea dissoluere, sapientes habebantur, hoc idem Græci facere consueuerunt; speciatim verò Athenienses ponam poscebant phialam vini diluti exhauriendam ab eo, qui Gryphum non enodaret. Præmium Laus erat, carminum distributio, & viscera &c. In quem autem finem, declarat Ambrosius Sanctus, quia nimirum in conuiuijs homines interdum benè poti dicaciùs loqui solent, & intemperantiùs alios contumelijs lacessere, quæ res frequenter in iurgia, & contumelias erumpit, ad quod euitandum prudentiores homines ęnigmata proponere solebant, colloquijs periculosis omnissis, animoque conuerso ad propositæ rei, quæstionisque sensum explicandum, itaut super mensam eruditi sermones, quasi bellaria forent.

Ænigma quid sibi velit explicatur.

Quicquid obscurum, ac inuolutum est, siue quispiam iocetur, siue carpat, vel mordeat, sub ænigmatis nomine comprehendi potest.

Quæ nomine ęnigmatis cõprehendãtur.

Cæterum quid sit Ænigma explicuit etiam Clearchus Solensis apud Athenæum dicens, *Ænigma est quæstio iocosa, quæ imperat cogitatione inuenire rem propositam bonoris gratia, aut multæ euitandæ causa*. Idem autem affirmat septem esse species ænigmatum qua de re consulendus Athenæus. Veteres porrò ænigmata scirpos, per antiphrasim vocarunt, quasi minimè absque nodis; nam scirpus unicus est planè enodis, sed ex eorundem sententia differunt Ænigma & Gryphus, quoniam illius materia sunt ioci, & sales; huius verò res seriæ & quæ studium requirunt.

Lib. 10. cap. 17.

Quid differat inter Aenigma, & Gryphũ

Altera Symboli species est Emblema; at verò Emblema dicitur, quod operi cuipiam ob ornamentum, adiectum est, ac insertum; dicitur enim à verbo græco ἐμβάλλεσθαι quod est inserere, siue sculpere, unde Emblemata dici consueuerunt opera elegantiora ex tessellis, coagmentisque ita coagmentatis, ut rei alicuius imaginem, tanquam penicillo depictam representent. Ex ipsis autem quędam sunt vermiculata, quędam segmentata & quædam tessellata. Quicquid igitur inscritur ornatûs causâ non modo parietibus, & pauimentis, sed & rebus alijs per multis, ut vasis, pateris, vestibus, uti sunt clauiculi, aut imagines aureæ, vel argenteę, uniones, & gemmę, & cetera eiusdem generis. Addunt aliqui hoc ornamentum esse essentiale, quod innoxiè demi potest vasis aureis, vel argenteis, idemq; reponi cuiusmodi sunt sigilla, variaque ut flosculorum, sic & rerum aliarum simulacra affabrè cælata, vel depicta. Non sunt autem Emblemata restringenda ad vasa prædicta, cum non modo ipsis adhibeantur Emblemata, sed etiam rebus alijs, triplici tamen nominis distinctione adhibitâ, nam ea, quæ in parietibus fiebant, vermiculata, seu musæata dicebantur; quæ in lignis, segmentata, quæ in pauimentis tessellata, licet hęc aliquando confundantur.

Emblema quid sibi velit explicatur.

In eum finem fuerunt adinuenta, ut inde ornatus haberetur non modò, sed etiam, ut ingenioſi homines tacitis quibusdam notis, & quasi Hieroglificis literis animorum sensa exprimerent.

In quem finem usurpata fuerint Emblemata.

Vt autem in hoc genere præclara, & arguta luserunt ingenia, quod ex varijs illustrium Virorum symbolis cuique licet colligere : ita hinc plerumque lepida effluit eruditio, quæ plurimum Oratori prodest, dum hic satagit orationem luminibus illustrem reddere. Nam ut præteream magnifica vexillorum, clipeorumque symbola, quibus usi sunt illustriores viri, adsunt etiam, & alia, cuiusmodi sunt sigilla, nulla enim gens, nullus imperator, nullus siue nobili, siue humili loco natus, qui sibi peculiare aliquod symbolum non affectarit, unde potest Orator sumere dicendorum argumentum.

Emblemata quid sibi velit.

Quæ Oratori.

Septimus Inuentionis, fons Testimonia veterum.

INter argumenta remota, seu extrinseca non in postremis illud, quod è veterum testimonio desumitur, si modo ab auctoribus fide dignis grauibus, & eruditis ortum duxerit. Cum enim quæ nostra sunt, licet sagaciter excogitata, refelli facilè possint, necesse est ad auctoritatem eorum confugere, qui omnium consensione magni, ac celebres habiti sunt, hinc enim plurimum roboris consequuntur asserta nostra, cum pudor sit diffiteri, quicquid ab illis sancitum fuerit.

Veterum testimonia plurimi fieri debẽt.

Cautè tamen adhibenda sunt testimonia, non enim omnes orationes decent, propterea quod illæ, quæ ad suauitatem, dictionumque delicias elaboratæ sunt, aut nullam auctoritatem admittunt, vel si quandoque illam assumunt, parcè tamen delibant. Orationes verò, quæ potius rationum pondera, quàm verba sectantur, auctoritates in pretio habent, in quibus tamen habendus modus, ne videlicet nimiæ sint, neque communes. Qua in re illud etiam præoculis habendum, quod Demetrius Phallereus, scilicet abstinendum esse à peregrinis vocibus, itaut si auctoritas fuerit græcè conscripta, non sit referenda nisi translatis verbis in illud idioma, quo oratio contexitur, oppositum enim ait ab Oratoris elegantia esse quamnaximè disiunctum. Sed de testi-

Cautè adhibenda veterum testimonia.

moniis

monijs redibit sermo, vbi de probationibus artis expertibus verba faciemus.

Octauus Inuentionis fons Sententiæ.

INuentio summoperè pendet etiam à grauibus, ac sententiosis dictis, quorum apud veteres fuit tanta vis, tantumque pretium, vt nihil maioris facerent ad maiestatem orationis comparandam. Hæc planè sunt, quæ à Græcis vocantur γνῶμαι, quibus appositè vsus celebris Orator ille Thucydides magnam est laudem consecutus. Sunt autem veluti gemmæ, quibus fulget Oratio, cuius propterea splendor non potest aliundè magis deriuari; quod in Poemate quoque contingit, hoc enim quanuis nec argumento, nec grauitate carminis in magno sit pretio habendum, si tamen crebris sententijs, grauioribusque dictis abundet, summis laudibus dignum existimatur.

Expedit igitur & Oratori, & Poetæ in his plurimùm se exercere, cum mirum sit, quantam huiusmodi elegantiæ venustatem spirent, & quam præclara sint adiumenta, cum ad Orationis, tum ad Poematis honestatem comparandam. Quod cum quidam aduerterent, scitè admodum consueuere his à teneris annis fingere, erudireque pueros, non modo, vt ad normam virtutis surgentem ætatem conformarent, sed etiam vt ad eloquentiam, & ad copiam dicendi, cui perutiles videbant esse sententias, adiumenta præcipua suggererent.

Sententiarum grauiorum vsus talis esse debet, vt non adhibeantur omnes, sed selectiores, quæque minus vulgatæ sunt; hæ nanque illustriorem, & grandiorem orationem reddunt. Deinde obseruandum ne nimis crebræ sententiæ sint, nam si crebriùs inferciantur orationi, præstantiores sensus pulchritudinis satietate obruunt, & nauseam pariunt. Illud etiam est animaduersione dignum, vt oranti sint accommodatæ: non enim deceret adolescentem adhuc rerum imperitum, sententiosè loqui.

Cum sententijs de quibus hactenus magnam habet affinitatē Ἀπόφθεγμα, *Apophtegma*, nempè sententia breuis, ac scitè dicta, seu est scitè *Dictū* Ἀποφθεγματα, *Apophtegmata* auctore Erasmo, sunt quædam dicta acuta, & breuia, non cuiuslibet quidem, sed Oratorum, Ducum, Legatorum, Imperatorum, summorum Pontificum, & vt semel dicam, virorum illustrium. Eustratius autem definitum Apophtegma reliquit dicens, βιωφελῆ φορορὰν δι' ὀλίγων λέξεων. *Effatum vitæ vtile paucis comprehensum vocabulis*. Hæc igitur si commodè, & loco adhibeantur, splendidam admodum orationem reddunt.

Nonus Inuentionis fons, Leges.

DEorum, hominumque Reginam Pindarus Legem esse affirmabat; dicique solet Lex id esse, quod mundum vniuersum regit, vt propterea quibusdam imperandi, prohibendique sapientia visa sit, dummodo tamen ad æternæ veritatis normam componatur; nam rectè de legibus loquens Aurelius Augustinus *Omnium*, inquit, *legum est inanis censura, nisi diuinæ Legis imaginem gerat*. Magna est adeo legum excellentia, vt ijs destituta Ciuitas sine mente corpus dici possit. Quod si tanta Legum maiestas est, quanta nam eorum erit, à quibus, tanquam à Sacris fontibus ipsæ dimanant? Huiusmodi porrò sunt legum conditores, quorum doctrina non immeritò sapientiæ, prudentiaque ditissima quidem officina semper habita est; ex eorum proinde monumentis decerpere multa licebit, quæ summam, atque præclaram eruditionem sapiant.

Decimus fons Inuentionis, Sacræ literæ.

NVllus est fons, à quo sapientiæ uberiores aquæ profluant, quàm qui in Sacris literis reperitur, propterea debet Orator frequenter ipsum adire, ratus nunquam futurum, vt aliunde grauiorem æque, ac amœniorem eruditionem haurire possit.

Prædictorum fontium inuentionis origo.

STagirites præclarè admodum, vt cætera, tria pueris omni quidem studio, omnique contentione adiumenta dicebat esse quærenda, quibus ad Palladis honores assungerent, φύσιν, μάθησιν, & ἄσκησιν, *Naturam, Artem, & Exercitationem*. E quibus primum videtur esse præcipuum, nempe Natura, nulla siquidem in re quicquam agendum inuitis Musis, nam scitè admodum ille Vates, Tria pueris quærenda.

Vt cum grauatam nauita aduersa ratem
Propellit unda: cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis auferur vade.

Sed præsertim in Eloquentiæ canditatis naturæ præsidia sunt requirenda; nunquam enim iis destitutus, in hac arte proficiet, quanuis in aliis plurimum sperare possit; idcirco commendandus ille, qui cum mercede doceret, non patiebatur tamen eos, quos iudicabat nunquam Oratores euasuros, operam apud sese perdere, dimittebatque, & ad artem quancunque putabat idoneum esse, ad eam impellere hortarique solebat; hinc apud Athenienses vbi primùm puer per ætatem certam vitæ rationem inire poterat, omnium ipsi artium instrumenta exhibebantur, vt, ad quod sentiret sibi præire naturam, ac genium, ad id animum appelleret, ac eiusdem instrumenta deligeret. *Nostenda est mensura sui*, qua in re, *Nec te quæsieris extra*; sic enim nos naturæ nostræ regula metientes, non conabimur inaniter illa sectari, quæ minimè nos assequi possumus. Præcipuam igitur inuentionis originem in clarioribus ingenij dotibus constitutam fateris oportet. Quanuis autem ingenium sub artem non cadat, naturæ siquidem primordijs acceptum referri debet, & velut è cælo delapsum existimandum; nobis tamen illud excolore concessum est, ne quod alioquin fœcundum natura fecit, molli nostra socordiâ effœtum prorsus euadat.

At ingenium excolitur singula rerum genera, eorumdemque subiectas partes quàm diligentissimè perscrutando; sic enim ea, quæ a ijs subijciuntur, & quæ de ijsdem sunt enunciandæ, citra laborem innotescunt, cum hunc in modum, quæ in quæstionem cadunt; nobis deprehendere datum sit, videlicet mentes æternas, & omnia quæ cælesti regione continentur, aut elementa, aut mixta, & ex his aut animata, vt stirpes, & animalia; aut inanimata, vt metalla, gemmæ; aut moralia, vt virtutes, & vitia; aut artificialia, vt domus, naues, &c. De his autem rebus omnibus quæstiones licet in instituere, quæ sequuntur; An sint, fuerint, vel esse possint. Quid. De quo. Quare. Quantæ. Quales. Quando. Vbi, Quomodo, & cum quo sint. Quarum prima per affirmationem, negationem, vel dubitationem explicatur; Secunda per definitionem siue essentialem, siue descriptiuam; Tertia per demonstrationem ex causa materiali, & efficiente; Quarta per demonstrationem ex fine, forma, & Ingenij cultus.

effi-

efficiente; Quinta per affirmationem magni, vel multi, & per comparationem ad alia; Sexta per differentias, proprietates, & adiuncta; Septima per declarationem rei, quomodo, & à quo, & quid sit in tempore; Octaua per expositionem rei, quomodo, & à quo, & quid sit res in loco; Nona per exhibitionem modi; Decima tandem per enumerationem, eorum, quæ vel instrumenti, vel medij, vel signi rationem habent.

SECTIO TERTIA.

Proximè tradita uberiùs tractantur.

Huius sectionis scribendi occasio.

AD pleniorem supradictorum explanationem anteactæ Sectioni, iuvat παρεργον subnectere, quod non inconsultò factum existimes, nam quæ sequuntur, ibi sine molesta confusione tractari non poterant; eodem autem ordine retento, ab Eruditione ducam exordium.

Primus Inuentionis fons Eruditio.

Primus inuentionis itaque fons erat Eruditio, quæ Græcè dicitur παιδεία Pædia, cui opponitur ruditas, ac imperfectio; idcirco hominem imperitum consueuimus rudem appellare, quamobrem erudio idem est, ac doceo, & instruo: sequemadmodum Eruditio idem, ac Doctrina.

Eruditio Oratori maximè necessaria.

Eruditionem autem Oratori perneceſſariam dicebamus, quandoquidem veriſſimus eſt ingenij cibus; enimvero dedecet paſci corpus exuriente animo; eadem eſt, ex qua ſolida quidem oblectamenta proueniunt, quæ alia ex alijs naſcentia & renouantia nunquam animum deſerunt; ob id homini ſummoperè conſentanea, Oratori tamen neceſſaria omninò, ſiquidem is non utcunque loquitur, ſed ita loquitur, ut dicat; idcirco dicendi ratione perfectus eſſe debet; at verò dictio ex omni parte perfecta eſt Eloquentia, quæ nil aliud, quàm copioſè loquens ſapientia, vel ſapientiæ comes, ſiue miniſtra; ſi autem Oratoris propria quidem eſt Eloquentia, erit etiam & Eruditio, quæ procul dubio ſapientia eſt.

Secundus inuentionis fons Hiſtoria.

His ordine ſuccedat Hiſtoria, græcè ἱστορία quæ nil aliud, quàm rerum geſtarum expoſitio, hoc autem nomine Annales quoque comprehendimus, cum latâ ſumatur uſurpatione: alioquin aliquid inter Hiſtoriam, & Annales diſcriminis intercedit, propterea

Annales quid.

quòd Annales dicuntur eſſe, cum res geſtæ plurium annorum obſeruatio cuiuſque anni ordine, deinceps componuntur, ut loquitur Gellius; à quo non diſſentit Dionedes, ex cuius ſententia Annales inſcribuntur, quòd ſingulorum ferè annorum actus contineant; ſunt autem parum eleganter rudique potius elocutione & ſine ullis ornamentis conſcripti, monumenta ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum dicendi ex Ephemeridibus conflati; adeout Hiſtoriæ quidem infantiam appellare liceat, & ſanè Hiſtoria olim nil aliud erat, quàm Annalium confectio.

Tullius 2. de Orat.

Hiſtoria igitur eſt longè uniuerſalior geſtarum rerum expoſitio, & quidem ornatior, nam, ut ille dicebat, quemadmodum videmus ab optima natura cibos prudenter reiici, cum ſordidius parati ſint: ſic etiam Hiſtoriam, quæ ornatu ſuo ac nitore vacat, contemnendam, ac reijciendam exiſtimamus. Innumera penè ſunt encomia, quæ debentur Hiſtoriæ, cuius vis quanta ſit, vel ex eo facile deprehendes, quòd per ipſam longè magis, quàm per cætera humanitatis ſtudia eruditur; nam per reliqua nos quidem ab ignorationis tenebris, quibus inuoluimur, in aliquam veritatis lucem educimur, at per Hiſtoriam, præteritarum ampliſſimam rerum cognitionem aſſequimur, atque adeo diuerſarum gentium ritus, ac cæremonias cognoſcimus, innumeros bellorum euentus inter alios, atq; alios Reges temerè exultantes audimus, atque ſurgentium, ac reſilientium Regnorum viciſſitudines intuemur; ſiquidem Hiſtoria eſt, quæ in ampliſſimis humanitatis ſpatijs, tam admiranda ſpectacula, tam iucunda theatra vetuſtatis nobis ob oculos conſtituit, adeout unius hominis mens per Hiſtorias ex omnium mentium perfectione coacervatam ſapientiam conſecuta, omnia cognoſcat, videlicet diſiunctiſſimas regiones, omnium ætatum memoriam, res geſtas, facta, & exempla, imperiorum ortus, progreſſus, ſtatus, viciſſitudines, decurſus, exituſque varios unico quidem intuitu contemplatur, & clariſſimarum virtutum, quibus veteres fulgebant, in unam veluti tabulam congeſtas effigies inſpiciens, præterita cum præſentibus confert, alieno damno ſapit, & inde ad omnem vitæ moderationem, culturamq; ſalutaria documenta delibat, ut non immeritò Hiſtoria dicta ſit, magiſtra vitæ, morum gubernatrix, quinimo *Teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis*; Tullius de Oratore

Hæc utique omni Oratori conuenit, ſiquidem inde tantum emolumenti recipit, ut Tullius multis locis neminem ſine Hiſtoria Oratorem fore exiſtimauerit, & ob id eam oratorium munus appellandam crediderit; eoſque pueros, & infantes ſemper futuros eſſe dixerit, qui neſciunt, quid antequam in lucem editi ſint, acciderit. *Neſcire*, inquit, *quid antequam natus ſit acciderit, eſt ſemper eſſe puerum*. Et certè, ſi verum quærimus, cùm Orator quamfrequentiſſimè copiâ exemplorum indigeat, & hæc non niſi ab Hiſtorijs petantur, ipſum in Hiſtoriarum cognitione ſummoperè verſatum eſſe debere, fateamur oportet; idcircò Fabius dicebat opus eſſe, ut præceptor Rhetorices auditoribus ſuis hiſtorias euoluat, eaſdemque diligenter explanet, undè ſibi pueri ad elaborandas orationes argumenta deſumant. Hiſtoria enim eſt immenſum Eloquentiæ horreum.

Tertius inuentionis fons Apologi, & Parabolæ. 2. Rhet. cap. 4.

Quàm autem Oratori ſint utiles Apologi, atq; Parabolę non obſcurè conſtat ex utilitate Fabularum, quibus Oratorem indigere ſatis ex Ariſtotele coſtat, qui exempli nomine comprehendit Hiſtorias, Similitudines, Tabulas, quæ probandi cauſa afferuntur; duo autem facit exemplorum genera, alterum verum, alterum fictum. Verum eſt, quod aliquam Hiſtoriam, ac rem geſtam continet: Fictum autem quod vel collationem, ſeu ſimilitudinem, vel fabulam exhibet, *Collatio eſt ſimilitudo rei*, quæ probandi gratia adducitur. *Fabula verò eſt res olim ab alijs ficta*. Hac Orator ad probandum interdum utitur, ut pro *lege* Manilia, ubi habet; *Primum ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur, quam prædicant in fuga fratris ſui membra in ijs locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipauiſſe, ut eorum collectio diſperſa mærorque patrius celeritatem perſequendi retardaret*. Tria, quæ Philoſophus exempli nomine comprehendit, Tullius ſeorſum tradit, ex cuius ſententia maximam fidem facit ad ſimilitudinem veri, primò quidem Exemplum, deinde introducta rei Simulitudo, tandem Fabula, quæ etſi ſit incredibilis, homines tamen commouet. Fabulis uſi ſunt Philoſophi, & Oratores, & quidem Plato fuit maximè fabuloſus, immò etiam & Demoſthenes, alioquin rigidus atque ſeuerus, aliquando fabulas adhibere non eſt dedignatus. Nec dubium quin varijs ſenſibus accommodatæ multum Orationi ſuauitatis afferant, Creditur Heſiodus fabularum auctor, & Æſopicas di-

ci fabulas, eo quòd Æsopus illas excoluerit, utcunque se res habeat, Aristoteles duntaxat Æsopicas, & Libycas commemorat, nomen enim traxerunt fabulæ à gentibus à quibus inuentæ fuerunt, nam aliæ Libycæ; aliæ Cypriæ, aliæ Ægyptiæ fuerunt appellatæ. Fabulæ autem ducunt animos præcipuè rusticorum, qui voluptate capti, ijs, quibus delectantur, assentiũt. In profanis orationibus liberiùs, in sacris nunquam, in grauioribus rarò sunt admiscendæ; ex commemoratis fabulis, magis decent graviores personas orantes apud populum illæ, quas Æsopicas appellauimus. De Parabolis nil aliud in præsens dicendum occurrit; cum iterum de ipsis futura sit consideratio; solùm id ad memoriam reuocabo in quo Parabola consistit dicendo propriè *Parabolam esse rerum, alioquin diuersarum in una, aut pluribus affectionibus collationem*. Non omnis tamen collatio Parabolæ satisfacit, debet enim cum aliqua esse diuersitate; propterea quòd datur quædam similitudo ex rebus adeò paribus desumpta, ut nulla translationum intercedat mixtura; ut si conferatur Imperator cum Imperatore; Rex cum Rege; Iudex cum Iudice; Poeta cum Poeta; Orator cum Oratore; sed alia est similitudo ad Parabolam requisita, nam elegantior est, & longè quidem ingeniosior, quæ instituitur inter ea, quæ longiùs absunt; ut idcirco Philosophus, siue de Parœmijs, siue de Parabolis, (eadem enim earum est ratio) fieri solet. ἀπ' εἴδους ἐπ' εἶδος. *à forma, ad formam*: ita quidem inter laurum perpetuò virentem, & doctrinæ famam, inter agrum, & ingenium instituit comparatio. Innumeræ autem sunt similitudines, in quibus Parabolæ possunt consistere, ducuntur autem partim à rebus naturalibus, ut à cœlo, stellis, elementis, meteoris, animantibus & cæteris huiusmodi; partim ab artibus, & scientijs rebusque moralibus, atque ciuilibus; tam animâ præditis, quàm animâ carentibus; sic etiam à rebus diuinis, sacris, humanis &c.

bola

Sequitur Adagium, seu Parœmia, sed Adagium ut supra quoque notauimus, cum Parabola confundi solet; quid autem illud sit ex non multò antea dictis perspicuum est, ex quibus constat Adagium, Prouerbium, & Parœmiam idem re ipsâ esse; Parœmia verò ex Erasmo est præclarum siue celebre dictum scitâ quapiam nouitate insigne. Tametsi autem Parœmia sic se habeat, non inficiandum tamen illud addi posse Paræmias optimas eas esse dicendas, quæ translationis pigmenta delectant, & sententiæ prosunt utilitate, cum alioquin aliquæ sint, quæ nulla Metaphorâ tegantur; idcirco non videtur in omni Parœmia requirendum inuolucrum aliquod, quasi ipsa sit quædam Allegoriæ species; licet magis sint commendabiles, quæ tales sunt, quales nuper dicebantur; Parœmia igitur haud necessariò debet aliquâ metaphorâ tegi, nec ad vitæ rationem conducere, licet, quæ tales sunt, præstantiores haberi debeant. Claritas autem, vel celebritas Parœmis contingit, vel ex diuinis oraculis, ut notat Erasmus, cuiusmodi est illud, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτον. *Neque tertij, neque quarti*; vel à sapientum dictis, quæ quidem oraculorum instar antiquitas celebrauit, ut δύσκολα τὰ καλά, *Ardua, quæ pulcra*, vel à Poeta quopiam vetustissimo, ut Homero, cuius est illud, ἦ ῥα καὶ ἀφραδίῃ τε νήπιος ἔγνω. *Rem factam etiam stultus intelligit*, vel a Scena, nempe tragicorum, & comicorum actijs, fabulis, &c. de, quibus consulendus auctor commemoratus, qui hæc diligenter tractat, explicans etiam quibus ex rebus accidat Parœmiæ nouitas; & hanc dicit plerunque non aliunde oriri quàm à re ipsa, quando secum nouitatem affert, quandoque ait ex figura nouitatem conciliari, qua de re copiosiùs differere alienum est ab instituto; Solùm præstat silentio non præterire quid differat inter Parœmiam, & alia ipsi confinia, cuiusmodi sunt Sententiæ, Apophthegmata, & Apologi. Inter Parœmiam, & Sententiam auctore eodem Erasmo talis est ratio, ut utraque cum altera coniungi, & rursus utraque ab altera seiungi possit; ita frequenter consuevit, ut sententia Parœmiam complectatur, non tamen protinus, quod Parœmia fuerit, idem erit & sententia, nec vicissim, ut Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet, Sententia est, non tamen Adagium, quemadmodum & illa σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον. *Sapientia diuitijs possessio pretiosior*. Ex aduerso, *ego in portu nauigo*, ita prouerbium est, ut sententia non sit; & rursus. *Annosam volucrem rete non capit nouum*. Parœmiæ Sententiæque rationem habet, & simul etiam Allegoriæ; Apophthegmata verò ex eodem Erasmo non secus ac Sententiæ discrepant à Parœmijs. Contingit enim adagium simul esse, & Apophtegma, ut illud ad quendam in conuiuio tacentem, εἰ μὲ ἠλίθιος εἶ, σοφὸν ἔφηνας πρᾶγμα ποιεῖς· εἰ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον. *Siquidem stultus es, sapientem rem facis: si verò sapiens, stultam*. Non dum tamen prælegatus Auctor quæsitum discrimen assignauit, ad quod assequendum oportebit Sententiæ, Parœmiæ, & Apologi definitiones perpendere, & easdem inter se conferre; hinc enim innotescet facilè quod in quæstione positum est. Sententiæ siquidem est conceptus mentis, animi sensa, & quicquid animo sentimus, quam latius paulò post explicabimus. Parœmia iam proximè declarata fuit, cum diceretur esse celebre dictum scitâ quâpiam nouitate insigne. *Apologus fabula est in qua Bruta loqui introducuntur ob risum & documentum*; Simul est autem species *Fabulæ*, quæ narratio est rerum, nec verarum, nec verisimilium, ut quòd puer Ciparissus conuersus fuerit in arborem, quæ cupressus appellatur. Daphne autem in Laurum, &c. His autem descriptionibus inuicem collatis, facilè cognoscemus quomodo Sententia, Parœmia, & Apologus inuicem distinguantur.

uitas cum antiquitate Parœmiæ illa quidem originem respicit, hæc autem usum.

F Quin. Ilianus lib. 8. cap. 5.

Quam autem utilis sit Parœmia Oratori, nos docuit Philosophus, dum Parœmias inter Testimonia connumerat, adeout ex eius sententia ad persuadendum quanta vis Testimoniis, tanta Parœmiis insit. Affert exemplum dicens, quemadmodum, si quis suadere velit, ne cum homine sene copulet aliquis necessitudinem, huius Adagij utitur testimonio, μήποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα, *Ne unquam benefacias seni*. Senes enim, vel citò moriuntur, ut referre gratiam non possint, vel semper procrastinant; unde Lyricus de sene. *Dilator spe longus*, Senes enim inter cæteros numeratur, quibus benefacere non est utile; sunt autem senes, mulier, puer, canis alienus, garrulus remex; in his enim beneficia collocare, inutile est.

Vtilitas Parœmiarũ.

2. Rhetor. cap. 46.

Aliud affert exemplum Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει. *Stultus, qui natos, occiso patre, relinquit*. Cum quis igitur patrem alicuius interfecerit, persuasione facile poterit ad interficiendum filium impelli, si carmen illud, quod adagio fertur, ei recitetur, nempe. *Stultus, qui natos occiso patre, relinquit*. Adagiorum Fabius meminit, tanquam diuersa ratione ad persuasionem conducentium enim verò, Parœmias primò inter exempla recenset, quasi eiusdem facultatis cum ipsis. Proinde in argumentorum genere constituit. Tandem Deorum oracula, Parœmijs subnectit, tanquam cum ipsis affinitatem habentia. Parœmiæ igitur inter Testimonia sunt recensendæ, quæ magnam sæpe vim habent ad faciem

Digitized by Google

dam fidem. Huiusmodi porro esse Fabius ait, quæ vulgo recepta sunt, quoniam hoc ipso, quòd incertum auctorem habent, velut omnium fiunt; addens exempla, qnibus hæc illustrantur, ut, *Vbi amici ibi opes; & Conscientia mille testes*; & ex Tullio

Pares, cum paribus facillimè congregantur.

Quantum autem ad persuadendum momenti conferant Testimonia, itemque Sententiæ, cuique perspectum; at inter hæc etiam Paræmiæ collocandæ. Ne commemorem inde quoque Adagii ad persuadendum efficacitatem desumi, quoniam id maxime quidem idoneum ad suasionem, quod est summopere probabile: at quid probabilius esse potest, quàm quòd nemo non dicit, & quàm quod omnibus probatur? Cuique satis enim est exploratum ea vera esse debere, quæ tamdiu durauerint; non enim in aternum durassent, nisi vera omnibus viderentur; quamobrem Paræmiis Orator ad persuadendum uti magna cum utilitate poterit, quandoquidem ad orationis venustatem conducunt, si tamen scitè, ac opportunè intertexantur; sermo enim uniuersus Paræmiarum antiquitate summam amplitudinem, decus, ac maiestatem sibi conciliat, & figurarum, per quas illæ variantur, perbellè coloribus arridet; sententiarum grauiorum splendore nitet; urbanique leporis scitamentis magnoperè blanditur. Paræmiis autem Orator non tanquam cibis, sed veluti condimentis: non ad satietatem, sed ad gratiam uti debet; nec ei quouis sunt loco usurpandæ, propterea quòd gratiam amittit quicquid aut immoderatum est, aut importunum. Sed Paræmiarum usus talis, qualis sententiarum, de quo paulo infra tractatio redibit.

Symbolũ quid sibi velit.

Symbolum græcè Σύμβολον, nil aliud quàm signum, teste Suida; accipitur idcirco Symbolum pro nota rei animo conceptæ. Sumitur etiam ad significandum id, quo aliquid coniectari, & cognoscere possimus & ad plura se quidem extendit. In præsentia tamen sumitur præsâ significatione, definirique potest. *Signum occultæ, atque latentis rei, tanquam imago ingeniosam, ac reconditam similitudinem habens.* Vt *Canis, fidæ custodiæ symbolum esse dicitur: Equus, celeritatis: Mula sterilitatis: Elephans, munificentiæ* &c.

Quomodo hæc sumatur.

Tripartita diuisio.

Multiplex, & varia est symbolorum species, nam alia verbis, alia picturis, ac expressis imaginibus proponuntur, & quædam coniungunt utrunque. Effectis autem, atque cælatis imaginibus sapientes Ægyptiorum usi sunt; quippequi non alterius, quàm animalium figuris secretiora sapientiæ mysteria, & dogmata exprimebant, notaque ignorabiles dici consueuerunt, quia vulgò erant incognitę, illasque templorum valuis, ac pyramidibus insculpebant. Dicta verò fuerunt Hieroglyphica, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod est sculpere; hunc in modum secretiora naturæ arcana palam exponebant, ita tamen ut ab imperitis attingi non possent. Ita quidem ad significandum populum Regi obsequentem pingebant apiculas. Et ad significandum consilia, & cogitationes occultas esse debere Plutonem Galeatum pingebant, Proserpinam, rapientem. Et ad denotandam discordiam, moresque maximè dissimiles finxerunt Ægyptij Lupum, & agnum, aut ouem.

Hieroglyphicorum tripartita diuisio.

Hieroglyphicorum autem tres esse species perhibentur, quarum una est, quæ per imitationem fit. Alia, quæ scribitur, veluti tropicè; alia quidem apertè; tertia demùm allegoricè per quædam ænigmata. Prima contingeret si circulus pro Sole, propter rotunditatem adhiberetur. Et palma ad iudicandum annum, còquòd hæc arbor sola ex omnibus ad singulos Lunæ recurrentis ortus suos, itidem ramos singulos procreet; adeout duodecim ramorum productione, totus expleatur annus; fit igitur per similitudinem, & per affinitatem, quam characterum formæ cum rebus significatis habent. Secunda, quæ per tropos dicitur, & hæc latissimè patet, cum æque à sapientibus, ac sacerdotibus usurpari consueuerit; ab his propter consuetudinem, moremque maiorum: ab illis, quoniam Symbolis significantibus naturæ latentis arcana, rebusque significatis perficitur: nam per conuenientiam traducentes & transferentes, & alia itidem immutantes; alia verò multifariam transfigurantes, varia atque diuersa significabant; ubi conuenientia non penes exteriorem formam attenditur, sed penes eam, quæ intrinsecùs esse deprehenditur, siue ex hominum institutione, siue ex ipsius rei genio, naturâque dimanet; & ut verbo dicam, quandam analogiam hæc species inuoluat, obscurè interdum, quandoque autem apertè. Obscurè quidem, si piscis ad odium significandum usurpetur, eo nomine quòd in piscem, hoc est in genus suum sæuire consueuerit; apertè, si leo ad vitam longam denotandam adhibeatur, eoquòd robore polleat. Tertia tandem allegoricè per quædam ænigmata contingit, cum hæc, quæ imitatiua dicitur, res per characteres rebus ipsis per similes designet. Tropica varias diuersarum rerum, & præsertim animalium formas figurasque transfert ad significandum virtutes, & vitia, fortunas, dignitates, &c. ut Hominis forma prudentiam, atque sagacitatem; Equus libertatem; Piscis odium; Cicada sacris initiatum apud Ægyptios significabat. Ex horum coniunctione, mutuaque permixtione tertia hæc hieroglyphicorum species coalescit; ita quidem Ægyptii ad significandum Nilum, senem pingebant cum urna aquis ex ea manantibus, subtus autem, vel Crocodilum, vel Hippopotamum ad senis brachia, & ad crura non paucis pueribus colludentibus.

Ænigma quid sibi velit, iam declaratum fuit, quanuis enim rei cuiuscunque secretioris nota, *vel imago* possit symbolum ænigmaticum appellari, præcipuè tamen duo recenseri solent genera, nimirum Emblema, ac Ænigma; multiplex autem ænigmatum genus perhibetur, de quibus alibi disserendum.

Sequitur Emblema, quod superiori Sectione ad sextum fontem traduximus, ad quem symbola, quemadmodum & ænigmata retulimus. Quid porrò Emblema, sit ex ibi traditis perspicuum satis; nimirum Ornamentum exemptile, quod innoxiè demi potest vasis aureis, vel argenteis, idemque reponi, *ut* Eustratius dicebat: & superiori quoque Sectione monuimus. Id solùm igitur aduertendum Emblema quidem antiquis ornamentum figuratum in vasis, gemmisq; fuisse, ut aliàs monuimus, nobis tamen hac tempestate *Symbolum est, seu signum ingeniosum constans ex figura, verbisque morale aliquod documentum continentibus*. Sic enim frequenter usurpari solet, quanuis alioquin Emblema diceretur quoque, si solum figurâ constaret. Non rarò siquidem accidit, ut Emblema sit ἄφωνον, *Mutum*. Non enim necesse est in Emblemate semper adiectum epigramma, vel aliud explicationis genus. Per metaphoram Emblemata vocantur etiam carmina, quibus imagines, agalmata, pegmata, & alia huiusmodi, industriè scitèque adinuenta, variè, doctèque explicantur. Emblematum porrò finis is est, ut apponendo hęc ornamenta vasis, vestibus, ędium parietibus, &c. nos animorum sensa tacitis quibusdam notis, & quasi hieroglyphicis literis exprimamus. Prout autem communiter usurpatur, tres habet partes, quales sunt Inscriptio, siue Titulus, Figura, & Explicatio. At *Inscriptio* græcè Ἐπι-

Sect. Emb.

Ἐπιγραφὴ, *Epigraphe*, est Thema supra figuram inscriptum, quo Emblematis adumbratur intentio; *Figura*, est imago delineans conceptum coniecturalem, ac allegoricum. *Explicatio* est quædam subnexa explanatio, quæ morale documentum complectitur. Ex his facile intelliges ad efformandum Emblema, primò quærendum esse Thema, nempe id, quod ponitur, quodque fundamentum est eius, quod animo concepimus, illudque pro inscriptione, siue titulo in fronte ponendum esse; deinde excogitandam esse figuram Themati consentaneam eamque tabulę consignandam; tertiò curandum esse, ut Ἀπόδοσις, supponatur picturam declarans, atque moralem explicationem continens. Figura verò potest esse, vel *Naturalis*, quę animalium naturam exprimit, vel *Artificialis*, quę opus fabrefactum repręsentat. Vel *Mixta* ex utraque; Item *Historica*, quæ rem gestam significat, vel *Fabulosa*. Explicatio potest, vel metricâ, vel solutâ oratione confici, licet longè venustiùs, ac elegantiùs metro quidem efferatur; rarò autem explanatio excedit *Hexastichon*, nunquam superat *Decastichon*, si autem per *Distichon* fiat, longè perfectior erit; nam duobus duntaxat carminibus figuram, & figuratum exprimet, atque laconicâ breuitate delectabit, pręsâque moralitate fortiùs erudiet.

jando ta est le nota opus icatio

Quòd si figura adeo nota fuerit, ut obuia sit eius significatio, tolo Ἡμιστίχιῳ, *Hemistichio*, videlicet *dimidio versu*, vel breui *Lemmate*, italicè *motto* explicationem comprehendere pręstabit. Quanuis autem Emblema in quouis causarum genere, pręcipuè tamen in deliberatiuo locum habere potest; in hoc enim vitium fugiendum, & virtus amplectenda proponitur, adhiberique potest, vel per modum orationis, vel imperij, vel dialogismi, vel prout eius usus fuerit opportunior.

blemâ, Enig- eis dis- encia di imen.

Tametsi autem Emblema videatur Ænigma, reuerâ tamen non est, quanuis plerunque cum Ænigmate similitudinem aliquam obtineat; quandoquidem Emblema propter notas apertas, atque perspicuas clariorem rationem continet: Ænigma verò ex aduerso in verbis ambiguum est, & obscurum, ut etiam plerunque viros alioquin ingeniosos atque solertes impediat, longaque morâ detineat. At in Symbolis & in Emblematibus maior desideratur claritas.

ablema a est sē- tia.

Nec Emblema dici potest Sententia, quin potius longè differt ab ipsa; quanuis enim Emblemata sententias in se contineant, non propterea sententiæ sunt, nisi Emblema pro explicatione sumatur. Illud porro discriminis est, quod Sententiæ sunt signa rerum, Emblemata verò res signatæ, illæ consistunt in verbis, hæc autem in rebus.

nblema n est agium.

Nec tandem Emblema dici potest Adagium seu Paroemia, Emblema siquidem à vulgi captu valdè remotum est, velut nobilem eruditionem redolens. At Adagium per ora omnium vagatur, nec in eo splendet ingenii lumen.

eptimus is Testi- nia.

Testimonia veterum ad suadendum plurimum habere momenti, plurimumque dignitatis, si tamen ab Oratoribus grauibus, ac eruditis, proindeque dignis, ut ipsis fides habeatur, petita fuerint, non multo antea fuit adnotatum.

Octauus ientio- s fons mentię.

Sententiæ plurimum orationi, conferunt ornamenti, sunt enim veluti gemmæ quibus niteat oratio, sunt veluti lumina, quibus eadem ipsa splendescit. Tametsi autem *Sententia*, & *Apophthegma* magnam inuicem affinitatem habeant, eo tamen differunt, quòd Sententia laxiùs plerumque sumitur, dicturque iudicium, conceptus mentis, & quicquid animo sentimus; enimuerò Sententia græcè dicitur γνώμη, à verbo γινώσκω, *nosco*; at verò ἀπόφθεγμα, *Apophthegma* est breuis, & acuta sententia, siue dictum argutum, non cuiuslibet, sed illustrium tantùm virorum; quæ autem à græcis ἀποφθέγματα dicuntur, à Latinis *Dicteria* nuncupantur; sunt enim *Dicteria* nil aliud, quàm dicta salsa, & acuta; *motti pungenti, e piacevoli*. Ex eo etiam Apophthegmati plurimum dignitatis accedit, quod illustribus, clarioribusque personis, Apophthegmata præcipuè tribuuntur.

Sententiæ quædam afferuntur

Sententiarum autem exempla certo numero comprehendi non possunt, sat est pauca quædam ad rem illustrandam in medium afferre, præmisso tamen, sententias non uniusmodi esse, propterea quòd nonnullæ sunt vulgares adeo, ut neminem præterire possint, & propriè dicuntur Adagia, siue Paroemiæ; quales dicebamus esse. *Qui cito dat, bis dat; Obsequium amicos, veritas odium parit*, &c. Huius ordinis sunt, quæ sequuntur. Adagia enim sunt huiusmodi. 1. Καρκῖνος λαγωὸν ἁιρεῖ. *Cancer Leporem capit.* Cadit in rem nequaquam verisimilem, ut si quis diceret ab indoctissimo, doctum superari. 2. Ἄνεμος γεωργοῖς; *Ventos colis*; hoc est agricolationem exerces. Quadrat in eos, qui ex suis laboribus nihil fructùs reportant. 3. Σίδηρον πλεῖν διδάσκεις. *Ferrum fluitare doces.* Dicitur in eos, qui rem conantur, quæ repugnante naturâ nequaquam fieri possit. 4. Αὐτὸς ἔφα. *Ipse dixit.* Hoc usurpatur ad significandum tantam cuiuspiam auctoritatem esse, ut ea vel citra rationem ad quiduis credendum sufficiat. His autem persimilia sunt sequentia. 5. Ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους. *Ab equis ad asinos.* Vsurpatur quando quis ab honestioribus studijs, ad vilia deflectit. 1. ὑπερεάζοντά τι, καθεῖν ἔοικε. *Contumeliosè quidpiam agentem, pati quoque conuenit.* Chi la fà l'aspetti. 2. Μηδὲν ἄγαν. *Ne quid nimis.* Il souerchio rompe il coperchio. Huc pertinet illud. *Omne superuacuum pleno de pectore manat.* 3. Πάρις ἐκ πέτρης κοῖλον ὕδωρ ἐκύρησε. *Assidua stilla saxum cauat.* Chi la dura la vince. 4. Βίου δικαίου γίγνεται τέλος καλόν. *Iustæ vitæ, honestus est finis.* Chi ben viue, ben muore. 5. Τὰ δόλῳ τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' ἐχεῖ σάζεται. *Malè parta malè dilabuntur.* Ciò che viene di ruffa in raffa, sen và di buffa in baffa; vel, *la Scimia ne caua l'acqua*; vel, *Diauol reca, & Diauol porta.* 6. Ὑπὲρ σεαυτῆ μὴ ῥάψῃς ἐγκώμια. *Ne feceris de te ipso encomia*; vel *Laus in ore proprio sordescit.* Chi si loda, s'imbroda. 7. Ἐν ἰχθύσι, φασὶ τοὺς μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι βίου. *Inter pisces, aiunt, minoris absumptionem esse maioris alimentum ac vitam.* Quo pertinet carmen,

Pindarus; Pittacus, & Terentius. Horatius. Menãder. Tribuitur Neuio, vel Ennio. Varro.

Grandibus exigui pisces sunt piscibus esca,
I pesci grossi ingoiano i minuti.

Et aliæ innumeræ sententiæ sunt adeò vulgò iactatæ, ut notæ sint lippis, atque tonsoribus; ex quibus propterea non multum splendoris in Orationem deriuatur. Aliæ verò sunt non adeò communes, cum solùm per ora sapientum circumferantur, quæ proprio nomine Sententiæ dicuntur, quæque ob sui grauitatem, honestatemq; multum dignatis conferunt orationi, & summoperè ad eandem venustandam conducunt.

Sententiæ.

Hæ quoque nullo sunt comprehensæ numero, cuiusmodi sunt, quæ sequuntur. 1. Οἴαξ τοῦ βίου ὁ νόμος θεοῦ. *Gubernaculum vitæ Lex Dei est.* 2. Πλατὺς ὁ κόσμος θεὸν οὐ χωρεῖ. *Amplus mundus Deum non capit.* 3. Τροφὴ ψυχῶν ῥῆμα θεῖον. *Pabulum animarum est sermo diuinus.* 4. Ζῆλος ζῆλον ἔτικτεν. *Æmulatio æmulationem parit.* 5. *Ea est profectò iucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* 6. *Is mihi videtur amplissimus, qui suâ virtute in altiorem locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum, & calamitatem.* Tullius.

Ouidius de Ponto lib. 4. Eleg. 4.
6. *Excitat auditor studium, laudataque virtus,*
Crescit, & immensum gloria calcar habet.
7. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem*
Testa diu

Horatius Idem lib. 1. Epist. 1.
8. *Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,*
Si modò culturæ patientem commodet aurem

Idem ibid.
9. *Virtus est vitium fugere; & sapientia prima,*
Stultitiâ caruisse.

Idem ibid.
10 *Hic murus aeneus esto:*
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ. Item
11 *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*
Et neglecta solent incendia sumere vires.

Apophthegmata forent qualia sequuntur. 1. *Gloria est annorum mater*, quia cum hominis vita sit breuis, honestâ memoriâ in multa sæcula propagatur. 2. *Via proxima, & quasi compendiaria ad gloriam est si quis id agat, ut qualis haberi velit, talis sit.* Sic etiam

Soerates ex Tullio lib. 2. de Offic.

3. *Fœneratores pecunias habent, & non habent.* Dum enim omnia ad usuram trahunt, nihil habent, & quod habent alius habet. 4. *Tantum veritas abest à mendacio, quantum oculi distant ab auribus.* Semper enim certa non sunt quæ sparguntur in hominum multitudine. Fama siquidem mobilitate viget, & vires acquirit eundo, quo fit, ut plerunque falsa veritati adjungantur; ob id veriora sunt, quæ proprijs oculis intuemur, quam quę ab alijs relata audimus. 5. *Si cupis benè audire, disce benè dicere; Doctus benè loqui da operam ut benè agas.* 6. *Aures in linguam defluxere.* In adolescentem garrulum: nam adolescentis est audire multa, loqui autem pauca. Huc pertinent Similia, siue Similitudines. 1. *Vt pisces in mari nati, educatique, nihil tamen sapiunt salis marini: ita quidam inter barbaros geniti, & educati, longè absunt ab omni barbarie.* 2. *Vt Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: ita quidem præter ostentationem, & ventosam iactantiam nihil habent.* Vel *Vt oua plena fident, inania fluitant: ita qui veris virtutibus, aut literis est præditus, minus ostentat se, quàm qui secus.* In Adagiorum, seu Paroemiarum Sententiarum, & Apophthegmatum usu non dissimiliter cauti esse debemus, nimirum ut mediâ viâ incedentes, nec

Lib. 8. cap. 9.

nimium hæc usurpemus, nec plusquàm par est ab ipsis abstineamus, ut rectè notauit Fabius. *Sententiarum densitas*, inquit, *obstat inuicem, ut in satis omnibus, fructibusque arborum nihil ad iustam magnitudinem adolescere potest, quod loco in quem crescat, caret.* Et paulò post. *Quare licet hæc enitere, ut aliquatenus extare videantur, tamen lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris: quæ ne apparent quidem ubi tota lucet Oratio, ut in Sole sydera ipsa desinunt cerni, & quæ crebris paruisque conatibus se attolunt, inæqualia tantùm, & velut confragata, nec admirationem consequuntur eminentium, & planorum gratiam perdunt.* Moderatus horum ergo sit usus; nam Vitium est ubiq; quod nimium est.

Grauis est difficultas, an quæcunque Sententiæ, Adagia, Similia, Apophthegmata, Historię ad Emblemata possint reuocari. Quid hac de re dicendum, aliorum sit iudicium, interim nihil certius, quàm Adagia multa in Emblemata, aut vicissim fuisse traducta; siquidem Adagium illud. *Malè parta, malè dilabuntur* ad Emblema fuit reuocatum, in cuius schemate duo Milui sibi oppositi adsident, quorum alter magno molimine intestina cogitur eucmere, alter tanquam abstetrix parturienti assidet. Ἐπιγραφὴ, *Inscriptio. Malè parta, malè dilabuntur.* Ἀναδοσις, siue ἐξήγησις, explanatio, siue ἐφαρμογὴ explicatio. Est hoc Tetrasticon.

Miluus edax, nimiæ quem nauseator ferat escæ.
Hei mihi, mater, at, viscera abore fluunt:
Illa autem: quid fles? cur hæc tua viscera credas
Qui rapto viuens sola aliena vomis?

Non secus accidit de adagio; *Æthiopem dealbas.* Dicitur de eo, qui in ingratum confert beneficium. Ad Emblema reuocatum fuit, in cuius schemate duo viri circa Æthiopem nudum sedentem iuxta fontem aucupantur, ut eundem alter aspergendo, alter abstergendo, candidum illum reddant. Ἐπιγραφὴ Inscriptio *Inane opus.* Ἀνάδοσις *Explicatio.*

Abluis Æthiopem quid frustra? ah desine: nocti
Illustrare nigræ nemo potest tenebras.

Idem quoque de Sententijs dicendum; enimuerò sententia celebris est illa Iuvenalis.

Iuu. lib. 3.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Frequenter enim usu venit, ut summa ingenia in occulto lateant, quibus nil aliud obest, quàm paupertas, quippequæ caput ipsis exerere, & emergere non permittit, & tamen ad Emblema redigitur in cuius imagine adolescentulus proponitur, cui manu dextra lapis ponderosus pendet, sinistræ verò eiusdem affixæ sunt alæ leuissimæ, adeout quemadmodum hæ partem alteram corporis eleuant, sic alteram onus deprimit. Inscriptio *Paupertatem summis ingenijs obesse ne prouehantur.* Explicatio.

Alc. Emb. 118.
Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas.
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

Sic etiam sententia est apud Ouidium.

4. de Fastis
Ardua per præceps gloria vadit iter.

Et apud Tullium. *Nulla potest esse diuturna gloria, quam labor strenuus, & indefessus primùm non antecesserit.* Vertitur tamen in Emblema, cuius imago exhibet ramosam platanum, in qua nidus conspicitur passerum auicularium genus salacissimum, quorum pulli eiecti à serpente deuorantur. Inscriptio. *Ex arduis perpetuum nomen;* explicatio verò

Tull. Tusc.
Crediderat platani ramis sua pignora Passer,
Et benè, ni sæuo visa Dracone forent.
Glutijt hic pullos omnes, miseramque parentem
Saxeus, & tali dignus obire nece.
Hæc nisi mentitur Calchas, monimenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis eat.

Tam igitur Adagia, quàm sententiæ in Emblemata vertuntur, & vicissim, quod etiam de Similibus, de Apophthegmatis, &c. facile potest intelligi, adeout præstet concludere, hæc solum formâ, & accidentario discrimine secerni, cum alioquin naturâ conueniant, ut ex eorum descriptionibus supra iam traditis, cuique potest esse perspectum. De his tamen hactenus.

Leges inter inuentionis fontes recensuimus, velut illas, à quibus Oratori magna dicendorum copia subministratur, de quibus etsi plura dicenda supperetent, breuitati tamen indulgens nihil addam ijs, quæ superiori Sectione hac de re exhibui.

Nouas Inuentionis Leges

Postremus erat fons, ad quem Sacras Literas pertinere dicebamus, à quibus prodigiosam utilitatem Oratori quidem emanare, suo loco notauimus.

Decimus Locorum fons ex Sacris Literis

DIS-

DISSERTATIO III.

De Probationibus, deque locis Rhetoricis.

QVi solùm id spectant, ut vel ad benevolentiam, vel ad odium, vel ad misericordiam, vel ad severitatem Iudicis animum impellant, probationibus omissis, ea tantùm, quæ sunt extra propositam materiam, persequuntur, atque adeo relinquunt id, quod est præcipuum, & necessarium, tantummodò ijs contenti, quæ aduentitia sunt. Hos autem hanc unam ob causam reprehendit Aristoteles, quoniam hunc in modum nemo potest argumentorum copiam sibi comparare. Horum igitur consilio neglecto, Philosophi vestigijs inhærentes de probationibus, quibus Orator uti debet, sermonem instituemus. Et quoniam probationes oratoriæ sunt duplicis generis, videlicet artificiosæ, & artis expertes; ab artificiosis desumemus initium, si tamen prius animaduerterimus, quid utrumque sit probationis genus, quod mox præstabimus.

Tractationis argumentum.

Probationes Oratoriæ duplicis generis

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Rhetorica probatio?

QVoniam dum aliqua de re verba facturi sumus, primò debemus rem ipsam proponere, deinde rationes, & argumenta ad illam confirmandam afferre, alioquin re propositâ, nullis additis argumentis, nemini licet fidem facere; propterea pars illa, qua res proponitur, ut postea probetur, Propositio nuncupatur, altera verò, qua res iam proposita confirmatur, Probatio dicitur; sub propositione Philosophus narrationem, & sub probatione confirmationem, & refutationem complectitur, hasque duas esse partes orationis contendit, cum reliquas, ut exordium, & perorationem necessarias non putat, non enim ad fidem faciendam, sed ad mouendos animos adhibentur.

Itaque Rhetorica probatio nil aliud est, quàm argumentum. *At verò argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem, seu persuasionem inducens* cum sit ratio, quâ Orator suam propositionem veram esse suadeat. Hæc autem ratio à Dialecticis Medius terminus dici consueuit, quæ tamen ab Oratoribus dicitur Argumentum.

Dicitur autem argumentum, *probabile inuentum* quoniam in orationibus illud esse non debet euidens ac necessarium, proprium enim Dialecticæ, & Rhetoricæ est in utranque partem disputare, & contraria colligere, ut expressit Philosophus dum ait, τῶν μὲν οὖν ἄλλων τεχνῶν οὐδεμία τ' ἀντικεῖσθαι συλλογίζεται. ἡ δὲ διαλεκτικὴ, καὶ ἡ ῥητορικὴ μόναι τοῦτο ποιοῦσιν: ὁμοίως γὰρ ἐστὶν ἀμφοτέρων τῶν ἐναντίων. *Ex alijs autem artibus nulla est, quæ in contrarias partes disserat, verum Dialecticæ, ac Rhetoricæ tantum hoc proprium est. Ambæ enim eodem modo in utramque partem disserunt & contraria colligunt.* Orator igitur probabilia sequitur, & verisimilia tractat, etsi vera etiam adhibeat, immò verior, & melior pars, facilius defenditur. Hæc etiam utraque persequitur Orator, nimirum, & quæ vera, & quæ videntur vera, etsi talia non sint; ità fit, ut quæ necessaria sunt, alijs disciplinis relinquat, contentus ijs, quæ si non vera sunt, veri saltem speciem habent, dummodo ex ijs concludere possit, quæ in quaque re sint ad persuadendum accommodata; & ideo argumentum dicitur probabile inuentum. Oratori tamen cauendum est maximè, ne nimis subtilia tractet, cum potius popularitèr loqui debeat, ad eos enim loquitur audiores, qui exquisitioribus doctrinis excultum non sunt, ideoque res acutè cernere non possunt, & ea, quæ sunt à sensibus valdè remota, nequaquam intelligunt; hæc igitur Rhetorica non persequitur, quę potius accuratioribus doctrinis traduntur.

Aduertendum tamen argumentum, & argumentationem idem esse apud Logicos, ac apud Rhetores, qui per argumentum rationem ad probandam propositionem, & per argumentationem eiusdem argumenti explicationem atque dispositionem in forma syllogistica intelligunt.

Argumentum, & argumentatio idem apud Logicos, & Rhetores.

Probationes autem diuiduntur in duo genera, ut auctor est Aristoteles, dum ait. Τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν, ἄτεχνοί εἰσιν. αἱ δ' ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ διὰ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ πρότερον ἦν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί. *Probationum autem aliæ quidem expertes artis, aliæ verò artificiosæ sunt, expertes artis eas voco, quæ nostrâ operâ non pariuntur, sed extrinsecus assumuntur: ut Testimonia, Quæstiones, Tabulæ,* subdit verò Ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου. τῷ δὲ ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. *Artificiosas autem eas, quæ artis præsidio & industriâ nostrâ parari atque excogitari possunt.* Itaque ex Aristotelis sententia probationes à Rhetorico adhibitę, duplicis sunt generis, propterea quòd aliquę sunt artis expertes, ut propterea dicantur inartificioſę, alię verò artificioſę. Probationes autē, quę sunt prioris generis, artis expertes dicuntur, qualia sunt Testimonia, Tormenta &c. non quòd arte non indigeant, quin potius summis eloquentię viribus tractantur, sed quia non excogitantur ab arte, sed extrinsecus assumuntur; secus autem artificioſæ, nam huiusmodi probationes ab arte denominantur; quatenus igitur ad usum probationes omnes artificioſę sunt, unde Philosophus ad calcem primi libri accuratè docet modum, quo in iudicijs, nos Legibus, Testimonijs, Tabulis, Quęstionibus, Iureiurando uti possimus, traditque artem, quâ nos illas tractare debeamus; quatenus tamen ad inuentionem spectat, propterea quòd non inueniuntur ab Oratore, ob id artis expertes dicuntur; non enim à nobis excogitantur, sed erant in causa, priusquam nos ad eam accederemus. Huius generis quinque facit Philosophus, nempè *Leges, Testimonia, Tabulas, Quæstiones, Iusiurandum.* Tullius nomine testimoniorum omnes artis expertes probationes comprehendit. Quintilianus sex eas esse contendit, scilicet, *Præiudicia, Rumores, Tormenta, Tabulas Iusiurandum, Testes,* de quibus iterum redibit sermo.

Probationes Oratoriæ duplicis generis

Probationes artis expertes, quæ.

Quare dicantur artis expertes.

Quinque genera probationum quæ dicuntur artis expertes.

Docet deinde Philosophus artificioſas eas esse probationes, ut vidimus, quæ artis præsidio, & industria nostra parari, atque excogitari possunt, cuiusmodi

Probationes artificioſę quæ

modi sunt illæ, quæ in Arte traduntur; nimirum illæ, quæ ducuntur à locis, & sedibus argumentorum, ut à definitione, à toto, à partibus, & à cæteris huiusmodi; hæ enim hærent in ipsa re, & nostrâ quidem industriâ possunt reperiri, quoniam ad certam viam, ac rationem reduci possunt. Itaque Orator cogitare debet quopacto ea, quæ dicuntur artis expertia, possit artificiosè tractare; in iis tamen inueniendis nullum laborem subire debet, cum in causa sint posita; quæ verò sunt artificiosa, debet & inuenire, & artificiosè tractare.

Probationes artificiosæ triplici genere continentur.

Probationes autem artificiosas tribus contineri generibus luculenter Philosophus expressit, propterea quòd omnis artificiosa probatio, vel ab Oratore ducitur, vel ab auditore, vel à re ipsa. Probatio autem artificiosa, à Dialectica proficiscitur, nec potest quispiam probandi artem rectè percipere, nisi præceptionibus dialecticis imbutus fuerit. Probationes, quas diximus artificiosas sunt Exemplum, & Enthimema; hæc enim duo sunt instrumenta, quibus Orator suas probat rationes, ac dialecticis probationibus ex altera parte respondent; nam Exemplum est tanquam Inductio, Enthimema verò tanquam Syllogismus. Ex oratoribus autem sunt, qui enthimematibus delectantur, sunt etiam quibus arridet exempla, longè tamen vehementiores, & acriores illi sunt oratores, qui benè enthimematibus utuntur, quàm qui exemplis, quanuis exempla quoque magnam vim ad fidem faciendam habere videantur.

De Locis Rhetoricis proponitur disserendum.

Nunc descendendum ad locos Rhetoricos, nam horum consideratio, magnum in re de qua agitur momentum habet. Rhetores porrò videntur Dialecticos imitati; quemadmodum enim hi res omnes ad decem classes redigerunt, ut unusquisque rei naturam, rationem, proprietatem, affectionemve longè facilius inuestigare, atque cognoscere posset: sic etiam & illi, quo faciliorem argumentandi differendique rationem redderent, in paucas quasdam, veluti sedes, quas communes locos appellant, argumenta omnia quamsagacissimè digesserunt, unde promptiùs, atque commodius ad quæstionem quamlibet confirmandam, vel confutandam, ipsa depromerentur argumenta. Sunt enim loci sedes quædam ac domicilia omnium argumentorum, quæ vel ad confirmandas rationes nostras, vel ad refellendos aduersarios accommodata sunt. Argumenta igitur petuntur à locis. Est autem locus, ἀρχή τις ἤ στοιχεῖον, ἀφ' ἕ λαμβάνομεν τὰς ἑκάστου ἀρχάς. *Principium quoddam vel elementum, ex quo principia rei cuiusque sumimus.* Hoc est, loci sunt principia seu domicilia ex quibus argumenta ad rei cuiusque probationem desumuntur. Hinc Tullio definitur *Locus argumenti sedes.* Locis de quibus loquimur, veluti signis admonemur, quæ nam instituto nostro inseruiant. Non enim fieri potest, quin argumentorum copia suppetat ei, qui mentis oculos per singulos locos circumferat, ac secum expendat, quæ ad rei naturam pertinent, quæ antecedant, aut consequantur ipsam, quæque affinia, aut pugnantia sint, atque alia, quæ ad argumenti inuentionem, siue propositionum copiam conducunt; Locus Rhetoricus à Boetio dicebatur *Id unde ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum*, cum à Tullio diceretur sedes, ac domicilium, unde ad cuiuslibet quæstionis seu confirmationem, conueniens argumentum desumitur.

Locus quid.

Duo argumentandi genera.

Et quoniam locus est argumenti sedes, propterea quot sunt argumentorum, totidem oportet esse locorum genera. Duo autem eorum prima esse genera perhibentur, ob id gemina locorum natura, è quibus argumenta sumuntur.

Primum argumentorum genus Insitum dicitur, propterea quòd hæret in ipsa re, quodque infixum est rebus ipsis. Secundum est, quod Remotum appellatur, puta illud, quod extrinsecùs assumitur; illud artificiosum, hoc artis expers nuncupatur; non quòd sine arte tractetur, id quod artis expers dici solet, sed quoniam illud arte & cogitari, & tractari: hoc arte tantùm tractari, non inueniri debet, & alibi sit eruendum; non enim docet Rhetor quòmodo testes quærendi, scribendæ tabulæ, & alia huiusmodi argumenta extrinsecùs petita, sed qua ratione in causa commodum adhibenda sint. Primum genus. Secundum genus.

Argumentum igitur intrinsecum est, quod petitur à loco, qui est in re, qui propterea intrinsecus dicitur. Argumentum extrinsecum; siue remotum est, quod desumitur à loco, qui est extra rem, qui deinde extrinsecus appellatur. Argumenti vis intrinsecum quid. Argumenti vis extrinsecum quid.

Loci verò intrinseci sexdecim enumerantur. *Definitio, Enumeratio, Notatio, Coniugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effecta, & Comparatio.* At verò loci extrinseci sex recensentur. *Præiudicia, Fama, Tabulæ, Iusiurandum, Tormenta, Testes.* Loci intrinseci sexdecim enumerantur. Loci extrinseci numero sex recensentur.

Prædictorum locorum copiâ prudenter utendum, admonente Tullio in Oratore; sed habendus delectus & expendenda diligenter sunt omnia; non enim semper, nec in omnibus causis ex ijsdem, eadem argumentorum momenta constant. Prudentis igitur Oratoris erit, causis de quibus agitur, argumenta congruentia seligere, ne ijs perperam, & insulsè utamur, atque adeo plus aduersario, quàm nobis præsidio sint. Illud etiam curandum, ne validioribus argumentis relictis, in ijs inutiliter versemur, quæ, vel nihil, vel parum admodum rem nostram promoueant, quæque satius fuisset, præterire silentio, quàm in medium afferre. Quòd si Orator aduersarium habeat paratum ad respondendum, & orationem ipsius refutare nitatur, diligenter aduertat cuiusmodi esse possint argumenta, quibus ille innixus, sit responsurus; si quæ enim videat duriora futura, curabit oppositis firmioribus emollire; aut illa callidè quidem occultare, si forsan videat dilui non posse; vel abducet ab illis auditorum animos; quæ multò magis obseruare debet, cum orationem aduersarij refutaturus fuerit. Præiudicia non neglegenda.

SECTIO SECVNDA.

De singulis Locis insitis, siue intrinsecis.

IN enumeratione insitorum locorum primò commemoratus fuit locus à definitione, à cuius consideratione proindè exordium desumimus.

Locus à Definitione.

DEfinitionis nomine hoc loco intelligimus omnem vocabuli explicationem, & omnem rei alicuius descriptionem, non enim Oratores ità subtiliter definitionem tractant, ut Dialectici faciunt; sed potius quamlibet rei alicuius explanationem Oratores definitionem appellant; siue ea sit vera definitio, naturæque explicatio, siue sit quædam descriptio, & apertior ipsius rei declaratio. Plures definitionis species numerari solent, de quibus agendum. Definitionis nomine hoc loco intelligitur.

Definitio, auctore Tullio, *Oratio est, quæ id, quod definitur explicat quid sit.* Et communiter dici solet, quæ Definitio ex Tullio quid,

Digitized by Google

oratio, quæ naturam rei explicat. Hæc porrò quando fit per genus, & differentiam ipsius rei, est propriè definitio; quando verò fit per quodlibet aliud, propriè dicitur descriptio. Vt definitio hominis per animal rationale, est propriè definitio; at verò definitio eiusdem per causas, per effectus, vel per quodlibet aliud; ut quòd sit animal procreatum ad æternam beatitudinem: quòd sit expressa quædam Diuinitatis imago, est propriè descriptio.

Definitio per genus, & differentiam potius ad Philosophum, quàm ad Rhetorem pertinet. Cauendum tamen præcipuè ne prolixior descriptio rem obscuriorem reddat. Definitio siquidem debet potissimùm esse breuis, dilucida, & propria. Breuitas exposcit, ut in definitione nihil superfluum adhibeatur, & nihil etiam in ipsa desideretur, quod ad rei naturam explicandam conducat. Propria definitio est illa, cui propriè conueniunt, quæ rei definitæ consentanea sunt. Dilucida, quæ clarè, perspicuèque utpotè illa, quæ non constat terminis æquiuocis, ac ambiguis, rei definitæ naturam ob oculos ponit. Hæc autem non melius haberi potest, quàm per genus, & differentiam; ut propterea Tullius dixerit in Topicis. *Cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis cum alijs communia, eousque prosequaris, dum propria efficiatur, quod nullam in aliâ rem transferri possit &c.* hoc est, ut differentiam, seu modum inuenias maximè rei proprium.

Definitio autem minus propria, vel si mauis descriptio, pluribus modis fit.

Primò per causas, vel efficientem; ut *Homo est opus eximium elaboratum à Deo*; vel *Felicitas est præmium Virtutis*; vel per formalem essentiam ut *Homo est animal habens animam solicitudinis, laborisque plenissimam*; vel per formalem exemplarem, seu idealem, ut *Homo est Diuinæ Maiestatis imago*; vel per formalem accidentalem ut *homo est animal implume bipes*. Item *Imago Mercurij est caduceum gestans & alis instructa*; vel per materialem, ut *Homo est animal ex corpore organico constans erecto*; vel *Ira est feruor sanguinis in corde*; vel denique per finalem; ut *Homo est animal ad immortalitatem natum*. Ita se habet Senatûs definitio, quam exhibet Tullius dicens. *Senatus est Orbis, terrarum consilium, templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, Caput urbis, Ara sociorum, portus omnium gentium, Innocentium perfugium*. Per effecta, ut cum dicimus. *Peccatum pestis est animi, conscientiæ labes, vitæ pernicies, bonoris macula, ruina virtutum. Peccatum morborum parens, dolorum artifex, fabricator suppliciorum, fax æterni ignis; Peccatum est Dei odium, terræ clades, naturæ dedecus, totius orbis incendium*; Ita etiam *Magnes lapis est, qui ferrum trahit*; item *Luna sydus, cuius vi fluunt, ac refluunt maria*; Ita se habet ebrietatis definitio ab Ambrosio tradita; *Ebrietas fomentum libidinis; Ebrietas incentiuum insaniæ; Ebrietas venenum sapientiæ &c.*

Per Negationem ubi Orator exprimendo quid res non sit, auditoribus colligendum relinquit quid sit. Vt cum dicitur *Deus non est pulcrum corpus, sed unde in corpora pulcritudo emanat; non est pulcrum pratum, non pulcrum Cælum, sed unde omnis proficiscitur pulcritudo.*

Per affirmationem, ut cum dicimus *Senatus est orbis terrarum consilium, Templum Sanctitatis.* Cuius innumera afferri possent exempla.

Per affirmationem, & Negationem simul. An *tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex ijs, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant Magistratibus, ut obsideant Senatum; optent quotidie cædem, incendia, rapinas, &c. Ille populus est, nempè victor, ac imperator omnium gentium, cuius dignitatem nationes exteræ, ultimæque pertimescunt.*

Per synonimiam, ut *Christi crux est totius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis fundamentum, Christianorum spes, mortuorum resurrectio, desperatorum salus.* Per Synonymiã &c.

Per Accidentia, ut *Homo est speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator.* Vel *Sol Astrorum princeps, Cæli oculus, fons omnis luminis, diei ornatus, distributor horarum, atque viuentium parens, immo totius naturæ moderator.* Huc etiã pertinet superior definitio curiæ ex Tullio relata; & definitio Solis Sol est Cæli oculus.

Per Contraria. An *Romanæ Reipublicæ Senator est Iustitiæ corruptor?* Huc pertinet Virtutis definitio ab Horatio tradita ex contrarijs. Per Contraria.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima.
Stultitiâ caruisse.

Per Ironiam ut superior, Populi Romani definitio ex Tullio desumpta; *An tu Populum Romanum esse illum* &c.

Per Adiuncta hæc definitio fit cum aliquid siue res sit, siue persona ex extrinsecùs coniunctis describitur, ut *Voluptas est teterrimum monstrum ex inferorum claustris erumpens, ardentem præseferens facem, quâ tartareum ignem immortalium pectoribus accendat, venena spargens, quibus hominum animos inficiat ac demum lethali telo instructum, quò minus cautos medijs in amplexibus confodiat*; Sic etiam impuri Amoris definitio. *Amor nil aliud, quàm furor insanus, dulce malum, cæcus ardor, flamma vorax, venenum abditum, placida mors.* Sic etiam Personis aptari potest hoc definitionis genus, unde quamsæpissimè nos illud usurpamus, cum aliquem laudibus nitimur extollere, sic de Platone loquentes dicere consueuimus. *Plato totius Græciæ lumen, Philosophorum princeps, Oratorum ornatus, Sapientiæ oraculum, Eloquentiæ flumen.* Per Adiuncta.

Per similitudinem, vel per similia, ut *Mens irati viri est forum plenum tumultu, ubi multus est euntium, & redeuntium clamor; Camælorum, ac asinorum fremitus, argentariorum, & ærariorum utrinque strepitus.* Contra. *Mens tranquilla, & mitis vertex est quispiam montis, qui clementi rem Cæli auram nactus est, puros Solis radios, limpidas fontium scaturigines, multasque florum amænitates &c.* Vel *Ambitio est subtile malum, secretum virus, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis*; Item *Ingratus est immane monstrum, qui canum Atheonis instar nutrientem dilacerat, immò & crudelis Nero in præceptorem &c.* Per similitudinem. Divus Chrysostomus Tom. 4. homil. 24.

Per Comparationem ut. *Peccatum est omni detrimento perniciosius, omni monstro fædius, omni ignominiâ turpius, omni labe detestabilius.* Per comparationẽ.

Per Partium enumerationem, quæ fit assignando omnes partes, quibus constat res definita, ut si describatur domus dicendo *esse substructionem ex tecto fundamentis, & parietibus &c.* Vbi per partes intelliguntur etiam ij, qui virtute *vel vitio, de quibus* agitur, laborant, atque adeo species tam virtutis, quàm vitij, quibus ipsi affecti fuere. Per partiã enumerationem.

Per Hypotyposin. Hypotyposis proposita quædam est forma rerum sic expressa verbis, ut videri potius, & geri quàm audiri videatur, ut cum definitur Princeps dicendo *Quid est Princeps, an in purpura ardere; in gemmis scintillare; obsequium expetere, in populos dominari; voluptatibus indulgere. Alia profecto Principis est dignitas, alia Maiestas*, quippe quæ *ex virtutibus originem trahit.* Sic Tullius Antonij Hypotyposis quid

com-

comparationes, & luxum, temulentiamque ad honorem, & odium subijcit. Hoc modo; *personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pauimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri in meritorijs, Scorta inter matres familias versabantur.* Et idem alibi. *Quo postquam venerunt, mirandum in modum canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia, & perueſtigabant.* Sed hæc uberiùs tractabimus, cum de figuris erit nobis dicendi locus.

§. Verùm.

Definitionis usus.

Definitionis usus explicandus remanet. Vbi præ oculis habendum non exiguum esse discrimen inter locorum usum apud Dialecticum, & Rhetorem, ille siquidem concisè, & breuiter: hic verò fusiùs, & ornatius utitur locis. Ita fit, ut quando intimæ rerum formæ ignorantur, varios definiendi modos necessitate coactus frequenter Dialecticus adhibeat: Rhetor verò lubens, ac libens id facit, quippèqui delectationem, & pompam quærit.

3. Rhet. Primum exemplũ.

Definitionis usum insinuauit Philosophus, ubi sumit exemplum ex Apologia Socratis, qui cum accusatus fuisset de atheismo, hoc argumento se defendere conatus est. *Ego palàm omnibus perpetuò testatus sum adesse mihi dæmonium quoddam, à quo regor, & prohibeor, si quando contra ius atq; fas aggredi quidpiam paratus sum; sed dæmonium aut Deus est, aut certè Dei quoddam opus. Quòd si in ea sum opinione, ut putem aliquod opus esse Dei, cùm dæmonium adesse mihi profitear, & apertè fatear, necesse est, ut etiam Deum esse putem.* Vides igitur hoc argumentum à dæmonis definitione fuisse desumptum.

Secundũ exemplũ.

Secundum exemplum affert idem Philosophus dum pergit eodem loco hæc habens, Harmodius quidam Iphicratis aduersarius, cum negaret Iphicrati statuam ob res ab eodem gestas erigi debere, præter cætera illud etiam adiunxit, Iphicratem ignobilem esse, minimèque generosum, cui respondens Iphicrates à generosi definitione probat se aduersario suo generosiorem esse, quamuis ille à claris maioribus oriundus foret, & hunc ferè in modum disputabat. *Ille maximè generosus est, qui optimus; non enim aliam ob causam maiores sui Harmodius, & Aristogiton nobilitatem consecuti fuerunt, numquid forsan parentes nobiles, & rerum gestarum gloriâ claros habuerunt? minimè verò; non enim generosi fuerunt priusquàm generosè se gesserint, dum interfecto Tyranno Ciuitatem in pristinam libertatem reuocare studuerunt; quòd si illi non maiorum, sed suâ virtute generosi euaserunt; cur ego generosus non dicar, qui res eas gessi, propter quas multi nobilitate fuerunt affecti?* A generosi igitur definitione sic arguens Iphicrates Harmodij superbiã repressit, ostendens veram, sinceramque nobilitatem, non ex genere, sed ex virtute petendam; nam etsi uniuersa atria, vel vestibula ædificiorum plena sint cereis veterum, & maiorum imaginibus: id nihil tamen ad veram conducit nobilitatem, cum hæc sola atque unica virtus esse dicatur; quod Iuvenalis expressit, dum caneret.

Satyra 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ,
Atria, NOBILITAS sola est atque unica virtus.

Cæterum Harmodius, de quo loquitur Aristoteles, is est, qui ab illo celeberrimo Harmodio, qui primus Athenis meruit statuâ decorari, originem ducebat.

Tertium exemplũ.

Prosequitur Philosophus tertium afferens exemplum; cum enim Harmodius è clarissima prosapia natus esset Iphicrati sæpe sæpius obscuritatem natalium obijciebat, & eius honori, ac dignitati plurimum detrahebat. Iphicrates contra nitebatur ostendere, se generosiorem, & nobiliorem esse, quàm ipse esset Harmodius, argumento deducto à definitione propinqui. Claris enim viris propinquus ille dicendus, non qui sanguine coniunctus est illis, sed qui rebus gestis, & virtute similis. Quasi ipse sic argueret. *Quis illustrium virorum propinquior est? utrum qui coniunctione sanguinis illos attingit, an qui ob preclara gesta ijs simillimus est? Cum igitur communi sapientum consensione virorum illustrium magis credantur propinqui, qui, quamuis obscuro genere nati, virtutem illorum æmulantur, quàm qui è clarissimâ familiâ orti se totos socordiæ, ignauiæque tradiderunt; Mihi profectò citra iactantiam licebit ò Harmodi de maiori generositate, atq; nobilitate gloriari, quàm quæ in te sit, cum tu etsi illustri loco natus, minimè maiorum tuorum virtutibus respondeas; ego autem quantum potui illos æmulari conatus sim.* Satius enim foret, te vilibus, obscuris, turpibus, ignauisq; maioribus ortum filium, vitâ tamen integrum, factisque strenuum esse, quàm ex nobilissimis, optimisq; filium degenerem & ignavum esse, ut Iuvenalis quameleganter eodem cecinit loco, in quo nobilitatem esse positã meritò Satyricus dicebat, dum acriter eos insectaretur, qui maiorum suorum inflati cæteros tanquam ignobiles contemnunt, cum ipsi non modo virtute ijs non præluxerint, sed nec egregium gesserint quidpiam.

Adnexa.

Cæterum locus à definitione hisce legibus conuenitur.

Quod conuenit definitioni, conuenit, & definito.

Quod non conuenit definitioni, neque conuenit definito.

Cui tribuitur definitio, tribuitur etiam definito.

A quo remouetur definitio, etiam definitum remouetur. E quibus primum, & tertium axioma, solent ad affirmationem & ad confirmandum usurpari; at secundum, & quartum ad negationem, & ad refellendum soleat adhiberi.

Quartum exemplũ.

Præterea quartum affert exemplum argumenti pariter à definitione, dum refert Oratorem quendam, cum vellet ostendere Alexandrum minimè intemperantem appellandum, quàmvis Helenæ amore flagraret, argumentum à definitione intemperantis duxisse; quasi ita disputaret. *Quis intemperans dici meretur? profectò ille, qui non unâ muliere contentus est, cuius pulchritudine fruatur; sed modo hanc, modo illam appetit, & quotcunque præstanti formâ liberalique facie videt, eas omnes deperit, ijsdemque frui desiderat. At Alexander una fuit Helena contentus, quâ cum semel potitus fuisset, nullam aliam appetiuit; quis igitur eum intemperantem audebit appellare?*

Quintum exemplũ.

Quintum denique profert exemplum, quod tale est. Socrates ab Archelao Macedoniæ Rege ditissimo, quamuis multis propositis præmijs, & ad opes, & ad dignitatem, inuitatus, ut ad eum accederet, constantissimè recusauit, cùm autem ab amicis reprehenderetur, conatus est ijs persuadere non esse rationi consentaneum ad Archelaum accedere ob imminens ignominiæ periculum, argumento deducto à definitione ignominiæ hunc in modum disputando; *Ignominia est accepta beneficia reddere non posse, non aliter atque non posse iniurias ulcisci; quis igitur inficiabitur me subiturum ignominiam si ad tantum regem accederem? is enim me, & præmijs, & honoribus cumularet, cum tamen ei nihil prorsus pro ijs reddere possem.*

Adnexio.

Vides igitur quâ ratione à loco definitionis desumitur argumentum. Meminisse tamen oportet, quod initio dicebam, longè diuersum esse usum locorum apud Dialecticum, & apud Rhetoricum; quod explicari solet exemplis ex Tullio desumptis, interque illud occurrit, quòd cum Tullius suadere vellet De-

Digitized by Google

labellæ abstinendum esse à prauis facinoribus in Rempublicam conceptis, à definitione Gloriæ; Dialecticus enim hoc argumentum ita tractaret. *Quicumque vult gloriam adipisci, debet à prauis actionibus se abstinere, quoniam gloriam rectè operando consequuntur, cum ipsa sit laus rectè factorum; sed tu gloriam assequi contendis; ergo debes à prauis operationibus abstinere.* At verò Orator, ut facit Tullius, idem argumentum per exclamationem, per apostrophen, per expositionem exornat hunc in modum. *Sed per Deos immortales, te enim intuens Dolabella, qui es mihi charissimus, non possum de utriusque vestrum errore reticere, credo enim vos homines nobiles, magna quædam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoque contempta est; non opes violentas & Populo Romano minimè ferendam potentiam, sed charitatem ciuium, & gloriam concupisse. Ea autem est gloria, laus rectè factorum, magnorumque in Rempublicam meritorum, quæ cum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.* Sic etiam, & illud argumentum, quo usus est idem Tullius pro Marco Marcello desumptum ex definitione illius, qui satis vixisse gloriæ dici potest; Dialecticus enim illud ità tractaret. Non satis gloriæ vixit, qui meritorum famam in suos, non satis magnam est cõsecutus; at tu Cæsar non satis magnam famam es consecutus; ergo non satis gloriæ vixisti; Orator autem longè splendidius illud idem tractat per subiectionem, geminam diuisionem, ac illustrem interpretationem hoc modo. *Parum, ne igitur inquies magnam gloriam relinquemus? immò verò alijs, quanuis multis, satis tibi uni parum. Quicquid enim est; quamuis amplum sit, id certè parum est, tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium Cai Cæsar hic exitus futurus fuit, ut de victis aduersarijs Rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est; vide quæsò, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ. Siquidem gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum vel in suos Ciues vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum; hæc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut Rempublicam constituas, eâque tu in primis compositâ, summâ tranquilitate, & ocio perfruare; tum, te si voles, cum & patriæ, quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris satietate viuendi, satis diu vixisse dicito.*

ione l. ello.

Locus à Notatione.

otio Græ- quid is.

NOtatio nil aliud Græcis, quàm Etymologia, Latinis autem Interpretatio, & Aristoteli Symbolum, quòd verba sint rerum veluti notæ quædam ac symbola, quamobrem notatio definiri solet. *Oratio vim vocabuli explicans* ut Senatus dicitur à Senibus. Consul à consulendo. Talis autem est locus iste, ut ex vi nominis argumentum ducatur, quod cum plus dignitatis habeat, quàm vulgo existimetur; ob id nonnulli plurimum in eo tractando versantur. Præcipuus tamen eius est usus, vel cum in nomine aliquo ludum, & facetias quærimus; vel cum eo ad urbanitates, & acumen, abutimur; vel cum laudem, aut decus conciliare nitimur; vel ad extremum, cum sera quæpiam de nomine disputatio inciderit. Non inficiandũ tamen Notationis usum apud Grammaticos frequentiorem esse, quàm apud Oratores, quorum non est hæc diligentiùs perquirere, licet sæpesæpius contingat, ut expediat Notationem adhibere; quanuis enim hæc nihil, aut parum ad persuadendum roboris obtineat, ad delectandum tamen, & orationem urbanitate quadam suauiter venustãdam, momenti plurimum habet; cum enim in lepido quodam verborum usu, amæna, atque arguta nominum explicatione posita sit, ad urbanitates, argutias, facetiasque tractandas, haud mediocriter confert.

Primò quidem notatio ex nominum origine desumitur, ut *Homo* dicitur ab *humo*; *Mulier* à *mollitie*; *Mare* ab *amaritudine*; *Mensis* à *mensura*, quoniam mensibus metimur annum; Ianuarius ab Iano, & sic de reliquis. Primus notationis modus.

Secundò fit ex nomine, ducendo laudes, quę in genere demonstratiuo frequentes sunt, frigidæ tamen nisi magno cum artificio tractentur, ut *Quid legio martia, quæ mihi videtur diuinitùs, ab eo Deo traxisse nomen, à quo populum Romanum generatum accepimus.* Et hoc per deriuationem contingit. Familiare autem est Poetis ex nominis significatione, commendationem quærere; Ita Martialis, Earinum, puerum lepidissimè commendat, Ver enim per tale nomen significatur, idcirco dicit *Nomen, cum violis, rosisque natum &c.* Secundus modus, quo fit notatio. Tullius Phil. 4.

Tertiò ex nomine vituperium ducendo fit. Sic Tullius in Verrem iocatus est nomen eius à *Verre* seu *porco*, vel à *verrendo* deflectens, eoquòd verrere solitus esset è templis aurum, è domibus supellectilem. Sic *Tiberius Nero* dictus à militibus fuit *Biberius Mero*, propterea quòd vino nimiùm indulgéret. Tertius modus.

Quartò fit notatio ex nominibus æquiuocis, nam ex conuenientia nominum, atque discrepantia significationis iucunda exoriuntur acumina, sic ille iocatus est in Adamum hoc modo. *Quia* Deum non *coluit*, terram *coluit*, nam *colo* significat venerari, & arare; sic lepidè de Christi vulneribus vir summæ pietatis locutus est. Christi *plagæ*, amoris sunt *plagæ*, æquiuocatio enim est in nomine *plagæ*, nam vulnus, & rete aucupii significat. Similiter in illam mulierem, quæ præ nimiâ pænuriâ commeatûs filium comedit obsessâ Ierosolymâ, caderet Notatio ab æquiuocatione hoc modo, *edit*, quos *edit*, propterea quòd *edo* significat *comedere*, & *parere*; sic de iudice quodam gibbo, iusto tamen dictum fuit *Rectus est, & non rectus &c.* Quartus modus. Emanuel Thesaurus

Quintò per nominis circumlocutionem, quæ cuenit, cum utimur aliquo nomine alterius loco, ut dicitur de illo, qui Romam petens casu ad triremem peruenit, nimirum, hic *Romulum* quærens *Remum fratrem eius inuenit*, nempe *remum nauis*. Quintus modus.

Sextò fit notatio ex nominibus consimilibus, quanuis cum alicuius literæ, vel syllabæ variatione, additione, aut detractione. Per variationem, ut si quis occideret aliquem ad eius vineam aucupandam, talis foret, ut in ipsum caderet lepida notatio, *hic non vitem, sed vitam vindemiauit*. Per additionem, ut, *multis calamus calamitates peperit*. Item. *Demus operam ne Patres conscripti, Patres circumscripti videamur.* Per detractationem, puta, *multi ut famam acquirant, fame pereunt.* Sextus modus.

Septimò per Anagramma, quod est quædam literarum mystica explicatio, & multifariam contingit. Primò cum alicuius vocis elementa ordine retrogrado sumuntur, ut cum *Amor* dicitur pro *Roma*, *Arua* pro *Aura*; *Omen* pro *Nemo*. Secundò, cum literæ alicuius dictionis ita permiscentur, ut nomen novum fiat, ut cum *Caligo*, dicitur pro *Logica Adulator* pro *Laudator*. Tertiò ex aliquarum literarum tantum, vel consonantium immutatione, ut *credulitas* pro *crudelitas*. Quartò ex diuisione vocum, ac syllabarum, ut *Dominus* pro *do minus*; *Erasmus* pro *eras mus*. Septimus modus. Anagramma quid.

Parcè tamen Orator hoc loco uti debet, ne ratio- Parcè debet Orator hoc loco uti.

Digitized by Google

num efficaciam, ac maiestatem admittat, plus enim habet leporis, quàm dignitatis, & magis ad delectandum, quàm ad suadendum valet.

Præcepta traditur. Præcepta autem tradi solent ad hunc locum tractandum. Sunt autem huiusmodi.

Primum. Primum; quod uni conuenit coniugatorum, cæteris quoque conuenit. Si Philosophia laudanda est, Philosophi quoque laudandi sunt.

Secundũ. Secundum: quod non conuenit uni coniugatorum, nec alijs, ut Medicina non debet à Republica excludi, nec etiam à ciuitate Medici sunt excludendi.

Tertium. Tertium: cui conuenit uni, cætera quoque conueniunt, ut fortiter semper se gessit Cæsar, ergo fortis fuit.

Quartum. Quartum: à quo remouetur unum coniugatorum, ab eodem cætera remouentur, nihil unquam Cæsar timidè fecit; ergo timidus non fuit.

Cautiones obseruandæ. Aduertendum hunc locum esse cautè tractandum, propterea curandum in primis, ne propter vocis coniunctionem, omnia esse coniugata credamus. Insuper vitanda est vocum ambiguitas; & ad extremum coniugatorum attributa rectè assignanda sunt.

Locus ab enumeratione partium.

Enumeratio Partiũ. *Partium enumeratio est totius in quas habet partes apta distributio*; ut si Zodiacus distribuatur in duodecim signa. Elementum in Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, aut virtus in Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, &c. estque multiplex, pro multiplicitate totius. Amplissimus hic planè locus, ob id accuratè tractandus; ut enim ineptâ partium enumeratione nihil in oratione fœdius: ita nihil eâdem ad persuadendum ornatius, vel efficacius; plurimum enim habet splendoris, plurimumque ad rem amplificandam conducit. Et sanè magni faciendus hic locus, nam indisertus, atque ieiunus admodum foret Orator, si de urbe direpta quidem, ac euersa loquens, dumtaxat ab hostibus ipsam depopulatam assereret, secus porrò si oppressam, ac penitus extinctam expressurus enumeret infestas, funestasque faces in amplissimas domus & antiquissima tecta coniectas, quaquaversum torrentes flammas effusas, fortunarum direptiones, militum concursationem, impetumque mutuâ cæde cruentum, sacras ædes pollutas, puerorum fugaces cursus, virginum nefanda stupra, divulsos è parentum complexu liberos, matronas ad prædam, atque libidinem probrosam abductas; infantium ploratu, fœminarum quæstu, morientium gemitu, tectorum fragore, strepituque considentium, omnia undique personanantia; cæsos per vias exacta senes ætate, funesta viuentium cadaucra in suo cruore natantium. Orator enim hæc enumerando longè vehementiùs audientium animos commouebit, nimirum ad misericordiam erga ciues, & ad iram in hostes incitabit, siquidem armis, flammis, cinere, cadaueribus, luctu compleri omnia demonstrat. Multiplex autem hæc totius est in eas, quas habet partes, distributio, sive enumeratio, prout multiplex totum, videlicet integrale, essentiale, uniuersale, & accidentarium. Enumeratio partium totius integralis fit cum assignantur partes, ex quibus totum ipsum integrale consurgit; ut si diuiseris humanum corpus in caput, manus, pedes, & minutiores partes, domum in fundamenta, parietes, tecta. Exercitum in Ducem, Legatos, equites, pedites: Regnum in prouincias urbes oppida, &c. Enumeratio partium totius essentialis fit, cum assignantur partes, quæ totum intrinsecùs constituunt, ut si diuidatur homo in animam, & corpus. Enumeratio partium totius uniuersalis contingit, quando magis commune diuiditur in ea, quæ sub ipso continentur, ut genus in species, & species in indiuidua, ut si diuidatur virtus in eas, quas habet subiectas partes, videlicet in iustitiam fortitudinem, temperantiã, &c. Enumeratio partium totius accidentarij fit, quando ea, quæ rem nec intrinsecùs componunt, nec sunt eius partes integrantes, nec se habent velut inferiora totius, sed solùm extrinsecùs ad ipsum exornandum concurrunt. Talis enumeratio foret si quæ extrinsecùs terram exornant, ut sunt arbores earumque species variæ, flores, &c. numerarentur. Potest etiam ex alijs fontibus hæc partium enumeratio deduci, ut si fiat per effecta, videlicet singula enumerando; per adiuncta, omnes circumstantias recensendo; per causas commemorando eas omnes, à quibus effecta proueniunt. Per has omnes enumerationes Orator argumentabitur, & quidem per enumerationem partium integralium; ut si laudibus Helenæ pulcritudinem elaturus, per corporis partes excurat, singulas commendans. Hinc etiam desumit argumentum Hieronymus, ut vitæ sanctimoniâ, virtuteque constanti, fortitudinem iuvenilem reddi probet de sene loquens, quem inspectâ ætate centenarium dixeris, puerum autem innocentiâ; *Ecce* inquit, *centenus ætatis circulus voluitur & tu semper præcepta Domini custodiens, futuræ Beatitudinis vitæ per præsentia exempla meditans, oculi lumine vigent, pedes inprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum*, &c. Sic de alijs numerationibus ratiocinandum. Præcipuæ autem sunt figuræ quædam, quibus enumeratio gaudet, cuiusmodi sunt Repetitio, Interrogatio, Subiectio, Prætermissio, Dubitatio, Antitheton, & aliæ huiusmodi. Enumeratio partium essentialium, magis, quàm integrantium confirmat. Cauendum autem quando fit partium enumeratio, ne aut necessariæ partes omittantur, vel diuersæ, aut disparatæ confundantur, vel superfluæ adiungantur, vel eædem sæpesæpius ad nauseam usque repetantur. Summa vero cum venustate partium enumeratio per negationem & affirmationem, vel per quandam contrariorum pugnam tractatur, quod planè contingit quoties negatis partibus, contrarias illicò subijcimus, ut paulo post intelliges.

Hic locus inductioni valdè similis est, vel sub ea continetur, plurimumque valet ad confirmandum totum, vel ad infirmandum, tam ad rem dignoscendam, quàm ad amplificandam summoperè conducit, ut suo loco de amplificatione planum fiet. Ad confirmandum, ut si dixeris. *Quatuor in summo Imperatore desiderantur, scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas; at quatuor hæc in Cæsare mirum in modum splendescunt; ob id Cæsarem Imperatorem summum fateamur necesse est.* Ad infirmandum, ut Philosophus innuit, dicens. Ποία κίνησις ἄψυχῳ ἵππῳ γὰρ ἢ ἄνθρ. *Qualis motio animæ, aut hæc, aut illa*; quasi dicat, Anima non est motio perpetua, ut Plato dicebat, sex enim tantummodo sunt motionis species, generatio, corruptio, accretio, diminutio, alteratio, loci mutatio; at nulla istarum motionum est anima; non ergo anima motio erit. Tullius hoc utitur loco, ut ostendat in Verre nihil esse, quo vitia defendi possint. *Nunc verò quid faciat Hortensius? auaritiæ ne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitatissimum, libidinosum, nequissimumque defendit an ab hac eius infamia nequitiæ vestros animos in aliam partem*

for-

fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres nequam, impudens inter viros muliercula, proferri non potest; at mores commodi? quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? at hæc sine cuiusquam malo? quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior unquam fuit? Aliud exemplum ex Aristotele. *Εἰς ποῖον ἱερὸν παίδευσε; τίνας θεῶν οὐ τετίμηκεν ἐν ἁπάσαις νομίζει. Quale templum violauit? quos Deos non coluit ex ijs, quos ciuitas veneratur?* Theodectes enim orationem scripsit, quam Socratem appellauit, in qua Socratem ipsum impietatis reum defendendum assumpserat; nam aduersarij dicebant Socratem impium esse, Deosque non agnoscere; Theodectes sic arguebat. *Si Socrates impius est, vel aliquod fanum violauit, vel aliquem Deum non coluit; sed quod fanum à Socrate violatum esse dicitur? vel quem Deum Socrates, eorum quos ciuitas nostra veneratione prosequitur, non coluit? sed certè Deos omnes colit, fana non violat; non ergo Socrates impius dici potest.* Tullius etiam hunc locum usurpat. *Possum*, inquit, *omnes latebras suspiciorum peragere dicendo, non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficij spes, non ratio ulla, non vestigiũ maximi facinoris reperietur.*

Fit enumeratio quoque tribuendo singulis membris, quod proprium est per Isocola, ut fecit Tullius. *Sed quoniam*, inquit, *Patres Conscripti gloriæ munus optimis, & fortissimis ciuibus monimenti honore persoluitur: consolemur eorum proximas, quibus optima est hæc quidem consolatio parentibus, quod tanta reipublicæ præsidia genuerunt liberi, quòd habebunt domestica exempla virtutis: coniugibus, quod his viris carebunt, quos laudare, quam lugere præstabit fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident.*

Fit itidem diuidendo genus in suas subiectas species, vel species in indiuidua, ut ad laudandam aliquam virtutem, si quis virtutes enumeraret, ac omnibus illis posthabitis, suam laudibus prosequeretur. Vt si laudatur Iustitiam omnes virtutes recenseret, illisque neglectis, unam iustitiam decantaret.

Solet etiam collatione omnium partium fieri, cum de toto ex ijs conflato instituta est disputatio, ut apud Tullium contra Pisonem, quando neminem ei venisse obuiam probat, quod neque eius Legati, neque Ciues, nec Amici venissent. *Confer*, inquit, *nunc vitissim reditum tuum, quandoquidem amisso exercitu, nihil incolume domum præter os illud pristinum tuum retulisti. Qui primum, quo veneris cum laurea! is tuis victoribus. Quis scit? Quos tu Meandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula, flexionesque quæsisti? Quod te municipium vidit? Quis amicus inuitauit? Quis hospes aspexit? non ne tibi nox erat pro die? Non solitudo pro frequentia? Caupona pro oppido? Non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur; Romam verò ipsam fœdauit aduentus tuus, quemadmodum venisti? Quis tibi non dicam horum, aut ciuium cæterorum, sed tuorum legatorum obuiam venit?*

Affirmatione quoque partium omnium enumeratio fit, ut apud Tullium. *Quid dulcius hominum generi à natura datum est, quam sui cuique liberi? Mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vitâ sunt meâ chariores. tamen non tanta voluptate &c.* Contingit etiam hæc enumeratio collectis omnibus partibus, & unâ tantùm affirmatâ, aut negatâ, ut Tullius. *Quid putem contemptum ne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi posse credidit? Qui ordo clarissimis ciuibus benè gestæ Reipublicæ &c.* Cum autem negasset ab Antonio à senatu se contemptum fuisse, nec Antonium dicendi contentionem secum voluisse suscipere, reliquam partem assumit, & affirmat, dum subdit *Illud profectò est; non existimauit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.*

Per oppositum fit enumeratio, *Non venit huc, ut vobis iniurias inferret, sed ut vos summis honoribus conestaret: non venit ut rixas, & zizania inter vos disseminaret, sed ut vobis tranquillam pacem afferret, &c.* Per oppositum.

Fit etiam enumeratio ducto argumento à toto loci, & temporis, nam duplex adhuc est totum, nimirum loci & temporis. Illud est, quod locum uniuersè significat, ut semper, & nunquam, illius partes sunt loca varia; istius diuersa tempora. Posito toto in loco, vel tempore, ponuntur singulę partes, ut Tullius Athenis integro fuit anno; ergo & singulis mensibus ibi itidem fuit. Positis omnibus partibus, vicissim totum ponitur; ut Tullius fuit Athenis mense Ianuarij, Februarij, Martij, Aprilis, & sic de reliquis mensibus; ergo integro anno fuit. Positâ autem parte, remouetur totum oppositum parti; ut Tullius fuit Athenis adolescens; falsum igitur ibi nunquam fuisse. Hunc locum usurpat Tullius, dum ait, *Omitto illa, quæ si minus necessaria sunt, at certè cum sunt prolata, laudantur, ut viuat cum suis, primum cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum) quem veretur ut Deum; neque enim multo secus parens liberis; amat verò ut sodalem, ut fratrem, ut æqualem. Quid dicam cum patruo, cum affinibus, cum propinquis, eum, &c.* Totum loci & temporis.

Per effecta, fit singulis numeratis effectis, & per omnia causarum genera tractari potest; ita quidem Tullius adhibet enumerationem criminum Verris cum interrogatione & digestione, seu distributione, &c. Per effecta.

Per adiuncta singula, nimirum afferendo omnes circumstantias, sic Tullius. *Ac ne ex facto*, inquit, *solùm sapientes illos iudicetis, sed etiam ex nominibus ipsis, quod ij fecerint, rectissimè, sapientissimè factum probetis, quis Octauio Balbo ingenio prudentior, fide, religione, officio, diligentior, aut sanctior commemorari potest. non absoluit. Quis Quinto Confidio constantior? Quis Iudiciorum, atque eius dignitatis, quæ in iudicijs publicis versari debet peritior? Quis virtute consilio, auctoritate præstantior? Ne is quidem absoluit. Longum est de singulorum virtute ita dicere, quæ quia cognita sunt ab omnibus, verborum ornamenta non quæsierunt. Qualis vir, &c.* Oratione pro Cluẽtio.

Amplius frequenti fit interrogatione, quod gemino modo contingit. Primò singulis interrogatis respondendo; ut *Obijcitur mihi meus ille discessus; cui ego crimini respondere, sine mea maxima laude non possum. Quid enim Pontifices &c.* Secundò fit omni responsione prætermissâ ut *Mitto de amissâ parte exercitûs: sit hoc infelicitatis tuę, dimittendi verò exercitûs, quam potes afferre causam?* &c. Fit etiam communicatione per frequentem interrogationem, per communicationem, &c. per dubitationem cum interrogatione coniunctam, ut apud Tullium. *Quo confugiunt socij? quem implorabunt, quâ spe denique ut viuere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium summat? non est usitatum, non Senatorium; ad Populum Rom. confugient: facilis est causa populi. Legem enim tuliisse se sociorum causa, & vos ei legis custodes, ac vindices præposuisse dicet. Hic locus* Oratione pro sermone sua. Oratione in Pisonẽ.

est igitur unus, quo perfugiant; hic portus, hæc arxs, hæc ara sociorum &c.

Per inductionem. Fit itidem inductione, quo enumerationis genere, quandoque Tullius est usus, præsertim oratione primâ in Catilinam, oratio enim est huiusmodi enumerationibus plena.

Variis autem figuris hic quamelegantissimè tractatur locus, ut apud oratores videre licet. Tractatur etiam per figuras, præcipuè per Anaphoram, quæ nimirum idem verbum in principio repetit, & ab eadem voce frequenter inchoat orationem. Ita quidem dum ait. *Dixi in senatu, in hoc magistratu, me popularem consulem futurum, quid enim est tam populare, quàm pax? quâ non modo ij, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur, quid tam populare, quam libertas? qua non solùm ab hominibus, verum et amà bestijs expeti &c.*

Per figuras. Oratione 2. pro Lege Agraria.

Fit tandem per Antitheta, per prætermissionem, per multas, ac varias exclamationes: & per Asyntheta; Hæc præsertim obseruare quisque potest apud Tullium Catil. secundâ, ut paulo antea notaui.

Locus à Coniugatis.

Locus à Coniugatis. In Topicis. LOcus à coniugatis nullus est apud Fabium, re verâ tamen haud omnino spernendus, cum plerunque vim aliquam ad persuadendum habeat. Tullius appellat *Coniugata, quæ sunt ex verbis generis eiusdem & ab uno orta, variè tamen immutata.* Vt *sapiens, sapienter, sapientia*, à verbo sapio. *Doctus, doctè, doctrina*, à verbo *doceo*. Dici tamen possunt in uniuersum *coniugata, ea, quæ ab eodem vocabulo deducuntur*, ut proximè dicta, & ut *Aureus, aureatus, aurifer*, ab eadem dictione *aurum*. Nuncupantur autem Coniugata, quia quodammodo similiter coniunguntur, quanuis variè commutentur; Græcè dicuntur etiam σύζυγα, hoc est, eodem iugo nexa, vel Paronyma, hoc est denominatiua; & uniuersè huiusmodi sunt omnia Primitiua, cum suis Deriuatiuis. Locus à coniugatis, vim habet ad delectandum, præsertim si per *Alliterationem, Paranomasiam, Congeriem, & Interrogationem* efferatur.

Hinc ducitur argumentum hoc modo. Iustitia præstat fortitudini, si præstabilius est, iustè agere, quàm fortiter; sed præstabilius est iustè agere, quàm fortiter; ergo iustitia præstat fortitudini.

Coniugatis porrò, alia sunt solâ voce, *ut studium, & studiositas*. Alia significatione solâ, cuiusmodi sunt *virtus, bonestas, & paupertas*. Alia tandem voce, & significatione simul, qualia sunt *pius, piè, & pietas*. Exempla sunt apud Tullium, qui locum hunc quandoque usurpauit, præsertim pro Marcello, ubi Cæsarem inuictum esse demonstrat, quòd clementiâ suâ, & æquitate animi, ipsius victoriæ conditionem superauit &c.

Coniugata per Alliterationē. Coniugata per Alliterationem fiunt, quoties in Deriuatiuis, & eorum primitiuis ludimus; ut *non tam nobiliores, quàm mobiliores dici debent. Hic non tam pernici, quam pernicioso videtur ingenio.*

Per Paronomasiam Per Paronomasiā, quæ fit cum lepidè, & quasi per iocum vox aliqua iteratur, non prorsum eodem sed nonnihil immutata per literarum detractionem, adiectionem & mutationem. Exemplum desumi potest ex Tullio. *Ridiculi*, inquit, *inueniebantur ex dolore cum dicerent eum egregium Astrologum, qui non tam Cæli, quam argenti cælati rationem duceret.*

Verrina secunda.

Per Hyperbolem. Per Hyperbolem ut *Mihi* inquit, *non unus homo improbus opprimendus est, id quod Siculi petiuerunt: sed omninò omnis improbitas, id quod populus Ro. iam diu flagitat, extinguenda est*: quasi dicat non est improbus, sed ipsamet improbitas.

Per congeriem multorum coniugatorum, fitque, Per gen dum plura coniugata per interrogationem seriò conglobantur; ut *Quid generosum vocas, quem nulla generositas cohonestat? quid pium dicis, qui pietatem nunquam excoluit? quid sapientem appellas, quem sapientia non exornat?*

Locus à Genere.

GEnus in præsentia non sumitur solùm, quatenus est uniuersale, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid, hoc enim modo considerandum à Logico suscipitur, qui genus, definit, dicens, τὸ κατὰ πλειόνων, καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. Sed accipitur eo sensu, ut genus dicatur quodlibet commune, seu uniuersale, quod sup ambitu atq; significatione complectitur minus commune, siue contenta sub illo, specie, siuè numero differant; nimirum quatenus est, quod sui similis communione quadam, plures sibi subiectas partes continet. Vt virtus, quæ Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Prudentiam, complectitur; hæ siquidem inter se conueniunt, quòd sint virtutes; differunt autem per obiecta circa quæ versantur. Ita quoque Ciuitas comparatione plurium ciuitatum Romæ, Neapolis, Venetiarum &c. Ita Prosapies respectu omnium eiusdem familiæ.

Magnus huius est loci usus in utranque partem, & ingens utilitas cum nulla ferè causa proponatur Oratori tractanda, quæ non ex genere, vel tota vel saltem maiori quidem ex parte, petatur. Vberrimus autem hic locus est argumentorum fons à genere petitus, proindeq; mirum in modum Oratoribus necessarius, quandoquidem cum hypothesis, quæ de rebus singularibus est, negatur, ad thesin, & res uniuersas, siue axiomata, traducitur.

Magnam hanc vim fontis, de quo loquimur, in eo positam esse crediderim, quòd ad res uniuersas præstat quæstionem omnem traducere, quandoquidem ea, de quibus Orator edisserit, singularia sunt, in quibus ratio vim omnem quasi dixerim amittit; nec aliunde roboratur, quàm ab ijsdem in uniuersum acceptis, quę nanque singulatim inspecte perpetnò fluunt, nascuntur, crescunt, intereunt, & eò, veluti firmo, constantiq; circulo, unde prodierunt, redeunt uniuersa; eadem omnino à singularibus abiuncta æternitatem consequuntur. Quamobrem singularium rerum nascentium, & intereuntium perpetuus quidam est circulus, ut ob id firma de ipsis nequeat esse cognitio; Hinc ad æterna quedam fluentium rerum exemplaria, perfugium habendum; quod in omnibus disciplinis contingere facillimum est aduertere, simulque conijcere quid Plato per suas Ideas sibi vellet, non enim aliud quidpiam, quàm naturas uniuersas, de quibus æternę veritatis enunciationes fieri possent; Huc utique diuinus ille vir omnino spectabat, dicens ἀνθρώπων φύσις, βραχύτι. τοῦτο δὲ ἔστως ἐχόντων. ὁμολογητέον δὲ ὄντα τὰ κατὰ ταυτὰ ἔχοντα εἴδει ἀΐδιον καὶ ἀνώλεθρον. οὔτε εἰς ἑαυτὸ οὐδὲ κατὰ μέρος ἄλλο ἄλλοθεν, οὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλοτε ἴον. δόρατον δὲ τῷ ἄλλως ἀναίσθητον τοῦτο ὃ δὴ νόησις ἔλαχεν ἔσχηκεν Quippe, cum hominum singularium genus, sit breue quidpiam, & angustum, statuenda est aliqua natura humanæ speciei, quæ nec quotidie generetur, & corrumpatur, ut cætera, nec tot adscititijs conditionibus contrahatur: hæc autem corporeis oculis, aut alijs sensibus non subiacet, sed eius cognitionem sortitus est intellectus. De industria

Plato Timæo

porro

porro dixit, τοῦτο δ' ἐστὶν ὕλην ἐπισκοπεῖν. Eoquòd mentis non est munus naturas uniuersas efformare, sed eaidem etsi tantum in singularibus existentes, inspicere. Hæ porrò sunt quas veteres præsertim Plato Ideas appellarunt. Sed hæc episodij loco dicta sint. Re leuntes interim in orbē sermonis, quid genus Tullio foret, videamus, & certè nil aliud, quàm notio ad plures differentias pertinens. Ex hoc autem loco desumitur efficax argumentum, quoniam quod tribuitur, vel denegatur generi, id quoque speciei siue parti subiectæ tribui, denegarique necesse est. Amplius sublato genere, tollitur species, ut sublatâ virtute neque iustitia, nec fortitudo, nec temperantia, &c. esse potest; sicut ex aduerso posito genere, ponitur aliqua species, quanuis incerta. Genus tamen ad probandam speciem, nullam vim habet, etsi ad refellendam magni momenti sit, non enim valet, *animal est; ergo æquus est*, cum infinitæ sint animalis propemodum species, nec uni magis, quàm alteri animalis ratio conueniat; ex genere tamen incertam speciem colligere nihil prohibet, certam tamen, atque determinatam inferre non possumus. Negato autem genere nulla species potest esse superstes.

Hic locus latissimè quidem patet, prudentis tamen Oratoris est amplitudinem eius quibusdam limitibus finire, idcirco mos eorum improbandus, qui statim, ex Hypothesi ad Thesin, hoc est à minus communi ad magis commune se conferunt, etsi res postulare minimè videatur. Non enim est opus ubi de prudentia disseritur, se in virtutis laudes effundere, naturam eius perquirere, viresque diligenter euoluere; cum satiùs sit ea tantùm oratione complecti, quæ ad prudentiam ipsam pertinent, atque totam argumentorum phalangem ex virtute desumptam, respuere; præstat igitur statim peruidere, quid ad rem, causamque pertineat, & uniuersum illud inutilium argumentorum apparatum ex genere desumptum abijcere. Hoc equidem vitium quanuis à sapientum virorum iudicio consilioque disiunctum sit, ijs maximè tamen arridet, qui multa dicere cupiunt, cum tamen ipsis pauca suppetant, quæ ad institutam causam faciant; penuria siquidem rerum, quæ ad proprium pertinent, cogit illos in communi versari; quod tamen ab ipsis inconsideratè fit, cum longè quidem optatius longeque præstantius videatur pauca, sed ad rem dicere, quàm nimis prolixâ, & inani oratione complecti, quæ communiora, quæque multorum sunt omnino trita vestigijs, quibus haud ego fallor, diutiùs nefas est inhærere, ne forsan hæc una videatur in nobis honoris cupiditas, ut nihil aut nobis, aut alijs dicendum supersit.

Hic locus multum valet ad laudandum, vel vituperandum; faciendo enim ascensum ab hypothesi, ad thesim, seu à specie ad genus, Orator facilè rem propositam laudibus extollet, aut opprobrium deprimet. Ita quidem Archiam Poetam exornaturus Tullius, orationis initio quàmamplissimè studia laudat humanitatis, artesque liberales magnoperè commendat, circumstantijs nanque temporis, atque personæ orationē penitus absolutā, hæc habet. *Sit igitur iudices sanctum apud vos humanissimos homines, hoc Poetæ nomen, quod nulla unquam Barbaria violauit &c.* Non dissimiliter Roscium Amer. parricidij accusatum defensurus Orator, prætermissa Roscij personâ multa de sceleris grauitate in medium afferens, ait. *Etenim quid tam est commune, quam spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuunt &c.* Maximè hic locus à genere adhibendus, ob dicendorum penuriam; quanuis enim difficile sit eos laudare, qui dignitate virtutumque splendore cæteris antecellunt; difficillimum adhuc eos laudibus efferre, qui nullis prærogatiuis elucent. Vnde Isocrates ὁμοίως γὰρ ἔστι χαλεπὸν, ἐπαινεῖν τοὺς ὑπερβεβηκότας τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς, ὥσπερ τοὺς μηδὲν ἀγαθὸν πεποιηκότας. *Æquè enim difficile est eos laudare, qui aliorum virtutes superarunt, ac illos qui nihil præclari gesserunt.* Rationem reddens ait, τοῖς μὲν γὰρ ὑπάρχουσι πράξεις, πρὸς δὲ τοὺς ἐκ τοῦ μὴ ὑπάρχειν ἁρμόττοντες λόγοι. *Nam alteris res desunt, alteris apta verba reperiri non possunt.* Quamobrem quâ parte laborandum Oratori ad rem illustrandam, quæ luminibus est prorsus destituta, præsidium ex hoc loco desumet non inefficax, per ascensum videlicet ab Hypothesi ad Thesin; tantam siquidē in genere dicendorum feracitatem inueniet, quantam in specie sterilitatem, atq; penuriam experitur, dummodo tamen curet, ut multa simul à se dicantur, & opportuna.

In Panegyrico.

Valet plurimum ad excusandum, & accusandum; cum enim alicuius vitium est excusandum, prudenter Hypothesis reuocatur ad Thesim, quod factum non semel à Tullio cuiq; perspectum, ac exploratum, præsertim cum Cœlium defendendum assumit, ab accusatione, quòd adolescentiam nimis lasciuientem, improbisque studijs, utpotè ab omni honestate remotis, implicatam traduceret; adolescentiæ siquidem cupiditates, ac ludos in uniuersum excusat. *Datur enim*, inquit, *consessu omnium, huic aliquis ludus etati, & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates &c.* Et paulò post. *Hæc igitur*, inquit, *est tua disciplina &c.* Eò igitur descendit Orator, ut ostendat adolescentiam turbulentissimis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus; hinc enim gressum facit ad excusandum & vindicandum à vitiorum maculis, Cœlium, quibus notatus fuerat.

Ad excusandum & accusandū

Pro Cœlio.

Quæ autem de excusatione diximus, accusationi accommodari possunt; quamobrem si quis intemperantiam detestari velit, exordiatur à vituperatione vitij, & si velit adolescentium in studijs literarum socordiam reprehendere, negligentiam, & otium plurimis argumentis infectetur.

Eadem de accusatione intelligenda.

Illud tamen aduertendum, quòd cum aliquem nobilitate præclarum, & auctoritate spectabilem reprehendere velimus, non tam ipsum, quàm potius eius studia debemus increpare; ne illum attingendo imprudentiores, quàm ingeniosiores videamur &c.

Aduertenda quædā.

Valet ad docendum, enimverò sæpe locus hic utiliter assumitur, quando nimirum de re quapiam acturi, primò in eas, quibus constat, partes rem distribuimus. Exemplum inter cætera est apud Tullium in oratione pro P. Sextio ab illis verbis. *Nimirum hoc illud est, quod de me potissimum &c.* Et Verrina quintâ, ubi habet, *Atq; hæc ego plus oneris, quam qui &c.* Non rarò cogitur Orator ab Hypothesi ad Thesim ascendere quando nimirum debet refutandi prouinciam suscipere; refutationis autem exemplum oratio pro Milone subministrat, ubi dicitur. *Negant intueri lucē esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur.* Hanc aduersariorum sententiam refellit dicens, *in qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea &c.*

Valet etiā ad docendum.

Hoc tamen loco prudenter utendum Oratori, eidemq; cauendum ne longius abeat, quàm ratio causæ postulat, quandoquidem haud operosum est communes locos refellere, quod à Tullio præstitum fuisse, ab alijs etiam adnotatum fuit, præcipuè in oratione pro Cælio, cum ait. *Sed tu mihi videbare ex communi infamia iuuentutis &c.*

Quid in usu huius loci sit obseruandū.

Locus autem, de quo loquimur, hisce ferè præceptis continetur. Primum. Quod conuenit generi, singulis

Præcepta, quibus hic locus continetur.

gulis quoque speciebus conuenit. Secundum: cui conuenit genus, & singulæ partes eius conueniunt. Tertium; cui non conuenit genus, nec singulæ species eius conuenire possunt. Quartum; quod generi non conuenit, nec singulæ eius species conueniunt.

Præcipuus est huius loci usus in propositionibus, & in exordijs, si contingat, ut sententia quædam præmittatur multa complectens, atque adeo sternens ad hypothesim, viam, hoc modo locum hunc ab omnibus oratoribus tam latinis, quàm græcis usurpatum cernimus.

De Loco à Specie, seu Forma.

Quomodo species hoc loco sumatur.

SPecies apud Rhetores non ea tantùm est, quæ de pluribus differentibus numero prædicatur in quid, siue essentialiter, adeo ut singularia duntaxat complectatur, quo sensu à Logicis usurpari consueuit, *sed est omne id, quod sub genere, nuper explicato, continetur*, ut iustitia, fortitudo, temperantia virtutis species dicuntur. Tullius autem cum generis definitionem tradidisset, dicens, *genus esse notionem ad plures differentias pertinentem*, ut non multo antea notauimus, speciei, quam formam appellant, definitionem hanc subiunxit. *Est notio, cuius differentia ad caput generis, quasi ad fontem referri potest.* Mox formas vocat illas, in quas genus sine vllius prætermissione diuiditur.

In Topicis.

Species Tullio quid sit.

Hic locus Oratori quàmmaximè utilis.

Hic locus Oratori quammaximè deseruit, quod ex dictis de genere facillimum est intelligere, quemadmodum enim à specie fit ascensus ad genus, ut inde liceat dicendorum copiam comparare: sic in eundem finem de genere ad speciem descensus fit, adeout Orator communem aliquam sententiam, ut rationibus confirmet, ad contenta sub uniuerso genere descendat; ita Socratem exornaturus argumentis ex virtute depromptis, non ineptè ad iustitiam, fortitudinem, temperantiam, aliasque virtutis species descendet, ut ex ipsis dicendorum supellettilem assequatur. Ducitur igitur argumentum à specie, cum laudantur species ad laudandum genus, ut cum ad exornandam virtutem, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, &c. laudibus prosequimur.

Huius autem loci vis maximè splendet, si per figuras tractetur, adeout reddatur oratio figuratè compacta.

Per congeriem.

Primò per congeriem multarum specierum, eas ostendendo alicui inesse; ut si quempiam ex virtute laudibus efferre velimus, ostendamus ei prudentiam, iustitiam, temperantiam inesse. Vel si virtutem ipsam exornare propositum nobis sit, attributa specierum ei conuenire demonstremus.

Per negationem.

Secundò per negationem, ut si aliquem vitio destitutum probare velimus, ab eo plurimas vitiorum species remoueamus.

Per inductionem.

Tertiò per inductionem; hoc autem contingit, cum uniuersalis quædam propositio numerando singulas alicuius communis subiectas partes, tractatur; ut si quis probaturus elementum sui naturâ mole constare, discurrendo per singula, de quolibet id probaret ut inde in uniuersum rem sic se habere ostenderet; sic Orator hunc locum usurpauit, dum ait, *ecquid est, quod tam propriè dici possit actum eius, qui togatus in Republica tum potestate, imperioque versatus sit, quam lex? quare, &c.*

Oratio pro Milone.

Maximum habet usum in exordijs, cum pars seu species præponitur, aut una, aut plures, quibus totum seu genus adiungitur; ut si quis orationis initio non in uniuersum præmitteret, quod causa, quàm patrocinatur, in foro plurimum obesse valet, sed potius speciatim illa recenseat, quæ incommodo esse possunt.

Quæ autem de subiectis partibus in ordine ad id, sub quo continentur, atq; adeo de inferioribus in ordine ad superius, hucusq; dicta sunt, partibus etiam integrantibus in ordine ad totum accommodari possunt; sic Orator contendens ostendere sibi nullum timorem incuti ab uniuerso Catilinæ exercitu, per singulas eius partes excurrit, ut probè concludat intentum.

Locus autem his ferè præceptis continetur. Primum: de quo dicitur aliqua species dicitur etiam genus, & contra. Secundum: quicquid dicitur, aut negatur de omni specie, dicitur, & negatur etiam de genere. Tertium: quod dicitur de aliqua tantùm specie, de genere itidem ex parte dicitur.

Locus à Similitudine.

MIrum est à plerisque locum hunc neglectum, & ex locorum catalogo reiectum, tanquam nullius efficacitatis fuisse, cum alioquin splendidè constet, ei plurimum, & utilitatis, & voluptatis inesse; tum quoniam ea, quæ tractantur, illustrat, & vim argumentorum promouet, & audientium animos excitat; tum quia varijs imaginibus eosdem hilaritate perfundit; eruditam autem, & amœnam amplificandi materiam Oratori subministrat, cum in hac rerum uniuersa compage, nihil sit à quo similitudo duci non possit. Similitudo autem definitur à Tullio, *Oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dissimili*, dicique solet rerum inter se diuersarum conuenientia quædam in proprietate quapiam, seu qualitate, expressa hisce particulis, *ita, velut, quemadmodum, & alijs huiusmodi*; diciturque oratio rerum diuersarum, in aliquo tamen conuenientium; quæ nanque nullo modo conueniunt, disparata dicuntur. Instituitur autem inter plura, quæ in aliquo conueniunt, etsi aliunde discrepent. Differt à comparatione, quod comparatio fiat in quantitate; similitudo in quantitate.

Operosum autem non est similitudines inuenire, obseruando dictiones, in quibus similitudines latent; ut si constantiam quispiam laudibus afferre velit, obseruet id, quod maximè constans perhibetur, nimirum scopulum in medio aquarum, statim enim poterit inter constantem virtutem, & scopulum, similitudinem instituere. Si de ardenti desiderio, quo quis flagrat erga virtutem, sermonem quispiam habuerit, similitudine usurus, illam inter ignem, & desiderium instituat. Multifariam autem effertur similitudo, ut ex infra dicendis perspicuum fiet.

Primò similitudo simplex instituitur, cum simpliciter extrema similitudinis proponuntur medijs particulis, *sicut, itaut, sicut &c.* Et est duarum, vel plurium rerum in una duntaxat affectione consensus, ut auari & hydropis in cupiditate potûs; umbræ, & gloriæ, quæ quanuis maximè diuersæ, in eo tamen conueniunt, quod ut umbra corpus, ita gloria virtutem comitatur, ex. gr. 1. *Sicut oculus in quem humor, aut phlegma illapsum, parum videt: sic animi acies, quem amor inumbrat.* Vel, *Sicut nautis, eminus conspecta Pharus, lucem, & solatium affert; sic nobis afflictis absentium amicorum affectus.* 2. *Sicut Luna, quo propriot est Soli, eo minus habet luminis: ita plus fructus, ac dignitatis est ijs, qui procul absunt à magnis principibus.* 3. *Vt ignaui canes omnibus ignotis allatrant: ita barbari, quicquid non intelligunt, carpunt, ac damnant.*

Alia

Alia est multiplex, qui modo res multæ cum multis in eadem Parabola comparantur, modo una cum multis, modo duæ quidem inuicem conferuntur, sed in affectionibus pluribus, & hoc similitudinis genus magnum habet decoris, & iucunditatis, quia summâ celeritate animum transfert in varia, unde prouenit delectatio. Vulgaris tamen satis est illa distributio similitudinis in *Parabolam*, *Inductionem*, & *Exemplum*. Est autem Parabola rerum alioquin diuersarum in una, aut pluribus affectionibus collatio, & continet metaphoras, & allegorias de quibus suo loco dicendum. Illustria quidem exempla parabolæ non pauca sunt apud Tullium, cum ijs frequenter sit usus, & eas aliquando diffundit. Parabola verò est quadruplex. Prima quidem διαθέσεως. *Habitudinis*, ut *Agri cum ingenio*; Secunda πάθους. *Affectûs*, ut *Auari, cum sitiente, siue Hydropico*; Tertia φύσεως. *Naturæ*; ut *Formicæ cum prouido*; Quarta πράξεως. *Actionis*, ut *Irati leonis cum furioso*; *mansueti agni, cum humili*.

Quanuis autem similitudo differat ab allegorijs, & metaphoris, in illis tamen continetur, licet non expressa, sed tacita. Ita quidem Tullius sæpè Clodium Reipublicæ pestem, bustum, ac sicarium vocat, non secus ac si diceret, quemadmodum pestis serpit grassatur pedetentim, diffunditur & omnia demolitur: ita quoque Clodius per urbem impunè volitat, grassatur, ciuium strages efficit, &c. Et hic est modus aptissimus, & maximè accommodatus ad locupletandam orationem.

Inductio est multorum similium collectio; & est quædam coaceruatio rerum multarum, atque similium ad aliquid concludendum, & interrogationibus præsertim solet illustrari. Vt. An ijs qui naues aliorum merserint, facilè quis suam committet? An ijs, qui negligenter alienum gregem curauerit, suam tradet quispiam? An ijs qui parum diligenter proprium prædium excoluerint, crediderit quispiam suum &c. Hoc disputationis genus, olim Socrati perfamiliare fuisse, memoriæ, literisque proditum est; is enim per huiusmodi interrogationes, quicquid assumeret probandum, oculis subijciebat, adeòut ad extremum hac arte ab antigonista extorqueret assensum. Non dissimiliter, instituetur inductio hoc modo. Sapientia ditissimus thesaurus est, adeòut in eius conspectu aurum vilescat, idcirco Crates, ut eam assequeretur contempsit opes; ut eâdem Cato potiretur, sanguinem gloriosè profudit; ut eam Diogenes acquireret, omnia despexit; ut eamdem Pythagoras, Plato, alijque naturæ sagaciores interpretes obtinerent, longas peregrinationes instituerunt, ac ob id summa pertulerunt incommoda, & vos, qui proprijs laribus illam hospitantem habetis, non amplectimini?

Exemplum est alicuius facti, vel dicti cum certi auctoris nomine expositio, & summam habet efficacitatem ad suadendum, cum exempla magis, quam verba moueant, atque adeo plurimum in consultationibus valent, eorumque conglobatio non solum firmiorem, sed etiam illustriorem orationem reddit. Ideo frequenter exemplis utitur Romanæ Eloquentiæ Parens. Quemadmodum etiam idem sæpe sæpius per comparationem similitudinis suam exornat orationem.

Plerunque conditionalis particulæ usu fingimus nobis ipsis similitudinem, quæ præsertim in moribus posita, non mediocrem voluptatem affert. Hoc similitudinis genus, tum ab Oratoribus, tum à Poetis usurpari consueuit, quorum imitatione, cuique licebit illam adhibere. Fit autem si, supposito aliquid contigisse, & interrogatione, vel aliquò alio modo concludatur inde quidpiam oriri, mox per similitudinem ratiocinemur concludentes de alio quopiam futurum idem.

Similitudo non semper adhibetur ad probandum, sed interdum ad ornandum, non ratò ad apertiùs dicendum, & velut oculis id, de quo agitur, subijciendum. Idcirco Fabius. *Præclarè verò*, inquit, *ad afferendam rebus lucem repertæ sunt similitudines, quarum aliæ sunt, quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur; aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ*. Quo in genere non inceptè præcipit custodiendum esse præcipuè, ne id, quod similitudinis gratia adsciscimus, aut obscurum sit, aut ignotum, quod enim alterius rei gratia illustrandæ assumitur, debet ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Valet etiam ad reprehendendum. Fabius lib. 8. cap. 3.

Non una est similitudinis tractatio; pluribus enim fit modis, è quibus primus contingit quando similitudines per translationem fiunt, omissâ quacunque similitudinis notâ, ut *Accbilles Leo est*: *ira est equus indomitus*. *Tullius est eloquentiæ flumen*. *Claudius est gloriæ fons*. Hæc porrò similitudinis, non autem naturæ rationem obtinent, quanuis per similitudinem non efferantur. Non enim semper utendum terminis illis, *sicut*, *velut*, *quemadmodum*, *ita*, & alijs huiusmodi, nam absque horum usu fieri similitudines possunt, ut se habet illa satis vulgata Martialis in Leonem qui pueros occiderat. Multiplex similitudinis tractatio.

Exclamare libet crudelis perfide prædo!
A nostra pueris parcere disce Lupa.

Quæ scilicet Remum, & Romulum non solùm non edit, sed nutrijt. Nonnullis gemina est similitudo, una, quam disiunctam, altera quam continuam appellant. Priorem dicunt esse in qua termini quatuor distinguuntur, quale dicunt esse illam apud Tullium. *Sed nimirum, ut quidam morbo aliquo, & sensûs stupore suauitatem cibi non sentiunt: Sic libidinosi, auari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent*. Continuam porro dicunt eam esse, in qua primus terminus ad secundum, & hic ad tertium progreditur, cuius exemplum tale esse dicunt. *Videtis ne Magistratus esse vim, ut præsit, prescribat recta, & utilia & coniuncta cum legibus? Vt enim magistratui leges: ita populo præsunt magistratus*. Termini autem, inquiunt, tres numero sunt. *Lex, Magistratus, populus*. Quanuis autem hęc vera esse dicantur, non huiusmodi tamen, ut de ipsis oporteat peculiares præceptiones tradere, quæ siquidem in uniuersum tractari possunt, non expedit particulatim expendere præceptorum enim multitudo; menti nimiam obscuritatis caliginem offundit. Primus similitudinis modus. 2. Philip. 3. de Legib.

Hoc tamen similitudinis genus ad metaphoram proximè quidem accedit. Quid autem inter metaphoram, & similitudinem differat abundè constat; metaphora siquidem brevior est, quam similitudo: eoque distat, quòd illa comparatur rei quam exprimere contendimus, hæc pro ipsa re dicitur. Comparatio sanè contingit, cum dico *Achillem*, *ut Leonem aliquid feciße*; translatio, cum de Achille dico *Leo est*; sed de his cum de figuris sermo fuerit. Fabius lib. 8 cap. 6.

Secundus modus, quo fieri similitudo potest, tunc est, cum similitudinis nota quidem apponitur, ita tamen, ut similitudo concisè sine ulla partium deductione in unicum membrum contrahatur, cuiusmodi sunt similitudines in parœmijs insidentes, acutę admodum, & salis, & gratiæ, & festiuitatis plenæ ut τοῖς ἱπποκράτους υἱοῖν ἴσον. *Similis est filijs Hippocratis*. *Hipponax similis est vespæ, non magnum quidem murmur excitat, sed acriter pungit*. 2. *Qui metiun-* Secundus modus.

tur

tur amicitiam ex poculis, similes sunt pueris, qui animum in stomacho collocant.

Tertius modus,

Tertius est modus, cum similitudo suis partibus, nimirum Propositione, & Apodosi constat: illæ tamen non adeo abundanter explicantur, quales sunt. 1. *Vt Hirundines æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt simulatque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes.* 3. *Vt apem propter aculeum non odisti, sed propter fructum foues, & tueris: sic amicum propter acerbam obiurgationem ne accuseris, sed propter beneuolentiam ames.* 4. *Nec verò de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpe usu venit, qui cum acriter oculis deficientem Solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent: sic mentis acies seipsam intuens nonnunquam hebescit.* Item alibi Tullius.

Ex Tullio 2. Tusc.

Quartus modus.

Quartus est modus cæterorum ampliſſimus, cum non solum similitudo suis constet partibus, sed illæ copiosâ, & æquabili oratione, summa cum dignitate explicantur, quod fieri præcipuè contingit, cum aliquod dictum, vel factum ex Historia depromitur, cui subnectitur Apodosis, in qua partes partibus respondent. *Quare*, inquit Tullius, *facilè omnes patimur esse quamplurimos accusatores, quòd innocens si accusatus sit, absolui potest, nocens si accusatus fuerit, condemnari non potest.*

Quandoque magna similitudinis pars reticetur, & auditori meditanda relinquitur, una tantùm, aut saltem paucis vocabulis re similis indicatâ. *Quid agam Iudices, quo accusationis me rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur.* Vbi similitudinem inter nomen Imperatoris, & murum relinquit. Sæpe usu venit, ut simile simili non conferatur, sed alterum tantum alterius loco usurpetur, in cuius testimonium afferri solet illud Ciceronis pro Quintio. *Ita fit, ut ego qui tella depellere, & vulneribus mederi debeam, &c.*

Quandoque magna similitudinis pars reticetur, & 7. Vetina.

Tullius Oratione pro Quintio.

Splendida multum perhibetur similitudo, quando duo ita componuntur, ut multæ similitudinis causæ simul consentientes afferantur. Fit igitur quoties instituitur comparatio inter duo, quæ ex multiplici capite similia sunt, & iuxta singula exhibetur similitudo, ut si quid piam affirmandum vel negandum de uno, de altero quoque affirmandum vel negandum, & per singula discurrendo demonstraueris.

Quomodo similitudo instituēda, ut multū splendoris habeat.

Elegans etiam est admodum conglobatio similitudinum, ut si Virginitatem cæteris virtutibus præstare dixeris, ita ratiocinando: *Vt Sol pulchritudine stellas reliquas longe superat; ut Rosa decore Violas excedit; ut Lylium cæteros flores candore vincit; sic Virginitas cæteris virtutibus dignitate præstat, ac antecellit.*

Similitudo fit etiã per affirmationem & negationem.

Similitudo fit etiam per affirmationem, & negationem, cum videlicet primò aliquid negatur esse simile uni, inde tamen affirmatur simile alteri, ut *Modica, ac tempestiua laborum intermissio, non ut desidiosum otium homini vitia subministrat, sed ut placida quies, ad nouos subeundos labores, gratia excolendæ virtutis inuitat.* Præterea semper negando fit etiam hoc modo, *Nec ager sine cultura fructus effundit; nec animus sine virtutum exercitio fructus parit.* Seu *Vt agri non omnes frugiferi sunt, qui colluntur: sic animi non omnes culti fructum ferunt.*

Tull. lib. 2. Tusc. 4.

Non est necesse similitudinem in omnibus esse,

Sed hîc notandum, quod huius artis magistri docent, haud esse opus ut quę similia sunt in omnibus omnino conueniant, cum satis sit, si in uno duntaxat conuenientiam habeant; hinc dici consueuit. *Omnis similitudo claudicat.* Immò similia, Aristotelis testimonio, dicenda sunt, quæ sibi vicissim proportione quādam respondent, ut si aduersarius concluserit *eos, qui iniuriam acceperunt, semper infensos esse, & semper odio prosequi*, hoc veritati minimè consentaneum esse dicemus, arguendo à simili, *Quoniam nec illi, qui beneficium acceperunt; semper solent diligere;* Quanuis enim accipere iniuriam, & accipere beneficium videantur esse contraria; potest nihilominus à similibus deduci argumentum, ut nuper dicebatur. Amplius si quis probare studeat corporis pulchritudinem rem expetendam esse, reprehendi poterit argumento à simili Maronis imitatione qui sic habet.

Similitudo quæ dicatur. 2. Rhet. cap. 4.

O Formose puer nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Virg. Bucol. Adon.

Illud insuper curandum, quod est obseruatione dignum, ut non modo rem, sed etiam, quantum fieri potest in similitudinibus verba transferamus, quod in similitudine paulo antea commemorata cernere licet, qua dicebamus. *Vt hirundines æstiuo tempore, &c.* Et in hac. *Quemadmodum, qui plures habet generosos equos, quorum usum ignorat, nullam inde voluptatem recipit: ita qui multas habet diuitias, quarum ignorat usum; nullam ex ipsis recipit voluptatem.* Item. *Vt hydropicorum desideria nunquam externo humore adhibitio saturantur, aut tolluntur, nisi interna corporis dispositio curetur: ita concupiscentia illa plura habendi, nunquam exsaturatur, nisi internum animivitium aliquâ ratione corrigatur.*

Quomodo à similitudine ducatur argumentum, ex dictis apertè constat, id enim fit afferendo similitudinem dicendo exempli loco, *Vt sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat: ita in rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus.*

Quomodo à similitudine ducatur argumentum. Ad Q. Fratrem Epistola 1. Compositio.

At *comparatio est unius rei cum altera collatio*: sic illam Artifices definiunt, è quorum sententia est duplex nempe *Par* & *Impar*. Collatio par, est quando duo æqualia secum comparantur, *ut decepit te; ergo, & me decipiet.*

Philipp. 10.

Sed impar collatio duobus fit modis; Primò quando argumentamur à maiori ad minus. Ex horum autem sententia Comparatio differt à similitudine, quoniam in comparatione fit duorum collatio respectu tertij. In Similitudine, fit quidem duorum collatio, non tamen respectu tertij; sed unum cuique datur attributum, ut *Licuit Cæsari patriæ libertatem occupare; cur Pompeio idem facere non liceat?* Cæsar, & Pompeius cõferuntur inuicem in ordine ad tertium, nempè ad occupationem libertatis. At cum dicitur. *Vt quidam morbo aliquo & sensûs stupore, suauitatem cibi non sentiunt: sic improbi veræ laudis gustum non habent.* Morbo laborantes cum improbis conferuntur, deest tamen tertium, in ordine ad quod illi conferantur, sed infirmis, & improbis corruptus gustus attribuitur.

Item. *Nam si quatuor exercitus ij, de quibus dixi, propterea laudantur, quòd pro Populi Romani libertate arma cæperunt; quid est cur M. Bruti exercitus non in eadem causa reponatur?*

Differentiæ inter comparationem, & collationem.

Amplius inter σύγκρισιν, *comparationem*, & συμβολὴν, *collationem*, hoc discriminis quidam agnouerunt, quòd cum in utraque duo sint, puta res quæ assimilatur, & cui assimilatur; in comparatione priori loco ponitur id, cui assimilatur, & hæc pars dicitur πρότασις. posteriori verò, quod assimilatur, quæ ἀπόδοσις, appellatur; contra verò in collatione præcedit res, quæ assimilatur. Comparatio erit huius modi;

modi: τὸ μὲ γὰρ χρυσὸν ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τὸς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. *Nam ut aurum igni exploratur: sic amicorum fides rebus aduersis declaratur.* Item, *Vt ignis in aquam coniectus continuò restinguitur, & refrigeratur: sic referuens falsum crimen, in purissimam, & castissimam vitam collatum, statim concidit, & extinguitur.* Negatiua verò comparatio erit: *Vt non frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur.* In his autem exemplis prius est id, cui res assimilatur, & idcirco dicunt in ipsis comparationem institui. At verò collationem ut explicent, exemplum ex Marone desumunt, qui primum Georgicorum librum claudit eleganti quadam assimilatione; absoluit enim illum cum præcatione ad Deos pro salute Augusti, qui potest unus subuenire euerso Orbi, bellorumque tumultibus concusso; hanc verò cladem tum ex malis imminentibus, tum aptissimâ, de qua loquimur, comparatione dilatat; nam tumultuantem Orbem, nec parentem rectori suo quàmeleganter comparat cum curru effuso è carceribus, atque sese circum Metas flectente, tanto quidem impetu, ut nec aurigæ pareat, nec habenis; sic enim canit,

Vt cum carceribus sese effundere Quadrigæ
Addunt in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis Auriga, neque audit currus habenas.

Constat autem posteriori loco poni id, cui aliud confertur, siquidem priùs mundi cladem proposuit.

De Loco à Dissimili.

LOcus à Dissimilitudine, ex dictis de Similitudine satis superque constat, ἀνομοίωσις. *Dissimilitudo est rerum diuersarum dissimilis affectio expressa particulis opportunis*, nimirum, *sicut, ita &c.* Dissimilia porrò sunt *Bonum, & Malum, Virtus, & Vitium, Venus, & Pudicitia, &c.* Fit autem cum ea, quæ comparantur, diuersa esse ostenduntur.

Hic locus plurimùm ad rem illustrandam, & ad amplificandam conducit. Eâdem verò ratione, ijsdemque figuris, ac locus similitudinis, tractatur; præcipuè tamen sequentibus modis.

Primò per negationem, & affirmationem, negando scilicet uni, quod simili conuenit; nempe *Vt homines improbi virtutem infectantur: ita probi mirum in modum illam amplectuntur.*

Tullius ab unius affirmatione, ad alterius negationem, dissimilitudinem hoc modo tractat. *Omnes enim nationes*, inquit, *seruitutem ferre possunt: nostra ciuitas non potest, nec ullam aliam ob causam, nisi quòd illæ laborem, doloremque fugiunt, quibus ut careant omnia perpeti possunt: nos ita à maioribus instituti, atque imbuti sumus, ut omnia consilia, atque facta ad virtutem, atque dignitatem referamus.*

Dissimilitudo præsertim coniuncta similitudini summoperè videtur ad rem illustrandam facere. Et hinc amplificatio, quam à dissimilium frequentatione licet appellare, cum scilicet varia varijs opponuntur.

Quomodo igitur ex dissimilitudine ducatur argumentum, ex dictis facillimum est colligere, nimirum, *Si summæ impietatis est mortalia tantùm curare; nostra consilia debebunt æterna respicere.* Item. *Sicut turpissimum est sensum illecebris irretiri: ita pulcherrimum erit ratione duce vitæ spatium transigere.*

Fit etiam dissimilitudo nullâ adhibitâ nota, ut apud Catullum.

Soles occidere, & redire possunt,
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuò una dormienda.

Locus ab Oppositis.

AMpliſſimus est huius loci usus, plurimumque valet non ad probandum modò, sed ad amplificandum quoque gratâ cum venustate, quandoquidem acutè dicta, præsertim contrarijs innituntur; ab his enim propter pugnam, contemptionemque cuius quisque desiderio afficitur, summam iucunditatem consequuntur. Oppoſita ad quid conducãt.

Oppositio est repugnantia, secundùm quam duo ita inter se repugnant, ut neutrum illorum cum tertio eâdem ratione pugnare possit. Hinc facilè intelliges opposita quidem à disparatis longè, latèque differre, quoniam hæc non tantùm cum uno, sed etiam cum multis modo non absimili pugnant; ut eo modo, quo *aurum* opponitur *homini*, eodem opponitur etiam *Equo, Leoni*, &c. At verò sic *albedo* opponitur *nigredini*, ut cum nulla re alia eodem modo pugnet; quamobrem *albedo nigredini* aduersatur; sed hæc tam subtiliter tractare, Philosophi est, & non Rhetoris, qui de oppositis edisserens quadripartitam eorum facit distributionem; adeout apud ipsum quatuor sint, ut loquitur Tullius, oppositorum genera, nimirum *Aduersa; priuantia; quæ inter se conferuntur, seu quæ sunt affecta ad aliud*; & *contradicentia*; vel ut clarius loquar, alia sunt *Contraria*, alia *relata*, alia *priuatiua*, alia *contradicentia*.

Aduersa, seu contraria sunt, quæ in eodem genere plurimum differunt, quæque se mutuò expellunt ab eodem subiecto, eiusmodi autem sunt virtus, & vitium, quæ etsi sint animi habitus, plurimum tamen inter se differunt, maximè enim distant in genere habitûs, & ab eodem subiecto, videlicet anima se mutuò expellunt; virtutis nanque præsentia, vitij est interitus; sic etiam aduersa sunt *bellum*, & *pax*, *sapientia*, & *stultitia*. Grandis autem assurget oratio suffulta loco à contrarijs; contraria nanque contrarijs opposita magis eluceſcunt, adeout hinc argumenti ratio maiestatem incomparabilem consequatur. Aduerſa ſeu cõtrariè oppoſita.

Relata, seu affecta ad aliud sunt ea, quorum natura in hoc posita est, ut ad aliud referantur. Ita planè sunt *Pater, & Filius*, nam Pater ut pater, siue filio nequit intelligi, & viciſſim; ita etiam amicus sine amico intelligi non potest, & posito uno, ponitur & alterum, iuxta illud. Relata ſeu relatè oppoſita.

Tum seruum scis te genitum, blandèque fateris,
Dum dicis dominum Sosibiane patrem.

Et remoto uno, remouetur & alterum,

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite: de magno est præda petenda grege.

Priuatiua sunt ea, quorum alterum est habitus, seu res ipsa habita; & alterum priuatio eiusdem rei. Ita planè sunt *visus*, & *cecitas in oculis, auditus*, & *surditas in auribus*; *vita*, & *mors in animali*. Priuãtia ſeu priuatiuè oppoſita.

Contradicentia sunt ea, quorum alterum id negat, quod alterum affirmat. Contradicentia, ſeu contradictoriè oppoſita.

Ducitur autem à contrarijs argumentum hoc modo. *Si vitium fugimus, quia malum virtutem sequamur, quia bona. Si bellum detestamur, quoniam ad calamitates ducit; pacem amplectamur, cum ad solatia conducat.* Sic Tullius. *Quid? cum fateamur satis magnam vim in vitijs ad miseram vitam; nonne fatendum est, eamdem esse vim virtuti ad beatam vitam?* Quomodo à contrarijs ducatur argumentũ.

Sed aduertendum ex contrarijs quædam esse, quæ nullum intermedium admittunt, ut *virtus, & vitium; sanitas, & ægritudo*; Alia verò, quæ medium aliquod patiuntur; ut *nigrum*, & *album*; nam inter utrunque, Adnotatio.

varij sunt colores medij, *flavus, purpureus, viridis*, &c. Vt argumentum à contrarijs vim habeat, ducendum à contrarijs medium non habentibus; horum enim contraria sunt consequentia; nempe, quod uni contrario conceditur, alteri negari potest. *Virtus prosequenda; vitium fugiendum. Si labor susceptus ad acquirendam virtutem gloriam inclytam parit; necesse est, ut ignauia torpens probrosum dedecus progignat.* Hæc etiam de priuantibus intelligenda, ut paulo infra dicetur.

In ijs verò, quæ medium non habent, hoc obseruandum, quòd si unum inest, alterum abest; ut si quidpiam est calidum, non est frigidum; dici tamen non potest, si non est calidum, est frigidum, quia potest esse tepidum. Et in quo non est unum contrariorum, in eo inest alterum, si subiectum sit capax.

Pluribus autem modis perficitur. Primò, per expositionem, ut fit à Tullio, dum ait. *Omnes qui alterum Iudices, nullis impulsi inimicitijs, nullâ*, &c. usq; ad illa verba, *ego in uno homine* &c. Secundò per oppositionem unius verbi cum alio, seu cum verbo verbum contrarium redditur, ut *Reus innocenti impunè illudit, ignauus, fortissimo; stultus, sapientissimo; vigilanti, dormiens; ebriosus, sobrio; nequissimus, sanctissimo*. Sic etiam Orator alibi. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc fides, illinc fraudatio, hinc pietas, illinc scelus, hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido*: denique *æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum temeritate, cum vitijs omnibus*. Tertiò fit opponendo periodum periodo. Quartò fit etiam cum singulis membris, singula statim opponuntur. *Olim adolescentes sapientiæ consequendæ gratia se conferebant eò, ubi florent literarum studia: nunc inde proficiscuntur, & eò petunt ubi sapientia negligitur. Olim omnem laborem ad excolendam virtutem perferebant: nunc laborem nullum virtutis causa subire dignantur. Olim fortunæ bona quærebant, ut commodius studio veritatis possent operam dare: nunc eadem curant, ut faciliùs sensuum oblectamentis inseruiant, illudque studium despiciunt. Olim abstinebant à Lautiori victu, ut longè melius possent castitatem seruare: nunc gulæ indulgent, ut ad Venerem promptiores fiant*. Quintò per affirmationem, & negationem. Et quidem per affirmationem nō unus est contrariorum usus. Hic porrò contingit, cum ex unius affirmatione negationem alterius, aut contra colligimus. Fit quoque per subiectionem interrogando videlicet se sibique respondendo, quod aliquando fecisse Tullium iam ab alijs adnotatum fuit.

Verrina quinta in principio.

Secunda in Catilinam.

Per affirmationē, & negationem.

Verrina 4.

Elegans est huius loci usus in argumentatione, cum contraria, contrarijs opponuntur.

Elegans huius argumentationis usus.

Per negationem adhibetur locus contrariorum ad locutionum varietatem, fit autem cum pro aliqua qualitate, contrariæ qualitatis negationem adhibemus; ut si ad significandum aliquem esse diligentem, dicamus eum esse non negligentem; & ad significandum illum esse humanissimum, dicamus eum non inhumanum esse.

Argumentum autem à relatis hunc ferè ducitur in modum. *Pater fuit valdè propensus ad iustitiam; cur igitur filius eadem propensione præditus esse non debebit? Si Pater id fecit impunis, cur filius plecti debebit?*

Argumentum à relatis.

Argumentum à priuatiuis ita deduci potest. *Facultas aspectus magnoperè iuuat ad scientias proprio marte comparandas; idcircò cæcitas magnum incommodum ad earundem consecutionem affert.* Item. *Serena lux, cælique puriores aspectus, mortalium animos incomparabili voluptate perfundunt; ob id nigricantes tenebræ molestiæ plurimum ingerunt.*

Argumentum à priuatiuis.

A contradicentibus tandem argumentum desumi potest, ut si dicamus, *Hoc ad vitam summoperè conducit; non ergo ducit ad mortem.*

A contradicentibus.

Huc pertinent etiam repugnantia, seu dissentanea, qualia sunt, quæ non directè, sed indirectè ratione affectionum contrarijs conuenientium dissident, ut nocere, & diligere. Ex his autem duceretur argumentum hoc modo. *Si Cæsar diligebat Brutum, quomodo illi poterat nocere?* Ad hunc autem locum tractandum oportet diligenter expendere proprietates eorum, de quibus agitur, ut Dilectionis affectiones sunt, *laudibus extollere, beneficia conferre, & inire gratiam officijs*. Sicut ex aduerso Odij affectiones sunt, *conuicijs afficere, molestias inferre, omneque malignus precari*. Ducitur autem argumentum à repugnantibus hoc modo. *Qui fieri potuit, ut Cæsar odio haberet clementiam, cum id solùm spectaret, ut inimicis parceret, eosdemque summis honoribus afficeret, beneficijs, muneribusque magnis cumularet?*

A repugnantibus.

De Loco ab Adiunctis.

LOcus, de quo tractatio præsens à nobis instituitur, tam utilis est Oratori, quàm qui utilissimus; mirum est enim quantum splendoris, dignitatisque conferant orationi, perspecta quidem ubique rerum, ac personarum adiuncta; quæ non aliam ob causam talia dicuntur, nisi quia cum re, vel persona etsi non necessariò, coniuncta sunt. Hæc in probationibus tantum ponderis habere creduntur, ut eorum locus argumentorum seminarium appellari consueuerit. *Adiuncta porro dicuntur, quæ cum re, etsi non necessariò, coniuncta sunt*. Quanuis enim rem non componant, vel necessariò comitentur, cum illa tamen sunt coniuncta, ut Locus, Tempus, & ea, quæ rem circumstant, & cum ea quandam connexionem habent, cuiusmodi sunt arma, &c. Aut verò præcedentia, ut iniuria accepta, promissa, & quæ spectant ad futurum spectant. Consequentia ea sunt, quæ habent cum re coniunctionem habent, ut ambitus, patrimonium, cruentus, &c. Ea autem signa sunt eorum, quæ cum vulnere, sed probabilia colloquia, armorum, bona autem, &c. Bona animi sunt, vires, sanitas, bona corporis, quo Cornelium nobilitate, sed ingenio.

Hic locus profanus, vel illa bona, bac, vel diuerso.

Quid, negotium ipsum circumstantias.

Vbi locus differentias, angustus, salubris, pestilens, vel non factam.

Auxilia comprehendunt, instrumentum, ut sunt instrumenta piscatio, & ita de cæteris.

Cur, causam comprehendit, præsertim efficientem, efficiens allicitur.

Quomodo; varios contigerit sacrificia, si cæremonias denotant, aut anni partes, quæ quidem nempe dies festi.

Quando; indicat tempus, in tempore vocem denotant, aut anni partes, quæ quidem nempe dies festi.

Hic locus Oratoris quam fecundus.

Ad tempus referuntur, vel illa bona, bac, vel diuerso.

Ad modum referuntur, propter quas facultates, vel sint arma, &c.

Quis persona qualitates & conditiones indicat, in persona verò spectantur adiuncta quidem animi, corporis, & fortunæ; in animo autem expenduntur affectiones, ut *amor, odium, iracundia, virtutes omnes, & vitia, itemque artes, ac disciplinæ, earumdemque ignoratio*. In corpore *figura speciei, deformitas, pulchritudo, sanitas, ægritudo, debilitas, tarditas*, &c. In externis fortunæque bonis, *nomen, generis conditio, virtus, vestitus, consilia, facta, casus, sermones, diuitiæ, honores, sexus, ætas, natio, patria, fama*, &c.

Quis.

Quid

Quid, *negotium ipsum significat, quod geritur, ac eius indicat circumstantias.*

Vbi; loci *differentias complectitur, nempe quòd locus sit amplus, angustus, vicinus, vel remotus, maritimus, vel amari distans, sacer, profanus, planus, montuosus, salubris, pestilens, cultus, incultus, opacus, apricus &c.* hæc autem omnia plerunque rem aut factam esse, vel non factam, fieri potuisse, vel non potuisse, arguunt.

Auxilia *comprehendunt non solùm ministros, sed etiam socios, instrumenta varia ad rem gerendam necessaria, ut sunt instrumenta quibus indigent, venatio, vel piscatio,* & ita de reliquis.

Cur; *causam complectitur, siue unam, siue plures, & præsertim effectrices & adiuvantes, itemque finem à quo efficiens allicitur ad operandum.*

Quomodo; *varios modos indicat facti, nimirum si in illo contigerit sacrificium, triumphus, si solemnis pompa, si tumultus, si cædes, & id genus alia.*

Quando; indicat tempus, omnesque differentias ipsius, in tempore verò considerantur ea, quę temporis naturam denotant, ut *Hyems, Ver, Æstas, Autumnus, aut anni partes, ut mensis, hebdomada, dies, nox, hora,* quæ quidem naturâ eueniunt, aliæ verò differentię, nempe *dies festi, nuptię* &c. fortuitò contingunt.

Ex aliorum consilio dies sunt adiunctorum genera, nam alia rem præcedunt: alia comitantur, & alia consequuntur; Et rursus alia sunt rei signa: alia sunt bona ipsius rei, vel mala: alia denique sunt eiusdem perfectionis, vel imperfectionis. Ex horum sententia, quę comitantur sunt, *locus, tempus, occasio, modus, facultas, instrumenta.* Ad locum referunt, quòd sit *campus, mons, mare, domus, templum, atque adeo sit locus profanus, vel sacer, item frequens, infrequens, amplus, angustus, priuatus, publicus, &c.*

Ad tempus referunt, quod factum sit quidpiam *hac vel illa hora, hac, vel illa die, vel tempore nocturno, vel diurno.*

Ad modum referunt *consilia, finem, intentionem, causas, propter quas, &c.*

Ad facultates referunt *Socios instrumenta, cuiusmodi sunt arma, &c.*

At verò præcedentia dicuntur *causæ, consilia, colloquia, iniuria accepta, vel illata;* item *consuetudo, minæ, promissa, & iter susceptum, & quæcunque ad apparatum spectant.*

Consequentia censentur, quæ ad rem gestam consecutionem habent. Vt *pallor, rubor faciei, incessus titubans, anhelitus frequens, hæsitatio, publica reprehensio, patrimonium exhaustum, clades, supplicium, gladius cruentus &c.*

Rei autem signa duplicis esse generis affirmant, alterum eorum, quę cum re necessariò cohęrent, ut cicatrix cum vulnere; alterum eorum, quæ non necessariò, sed probabiliter tantum cohærent, ut *præcedentia colloquia, minæ auditæ, pedum strepitus, hominum rumor, armorum sonitus,* &c.

Bona autem, vel mala animi corporis, & fortunæ. Bona animi sunt *virtutes,* corporis vero *ætas, forma, vires, sanitas, pulchritudo;* Bona fortunæ sunt *diuitiæ honores,* &c. mala autem sunt ijs aduersa.

Qualis porrò sit huius loci usus intelligi potest exijs, quæ memoriæ, literisque in arte dicendi clariores Magistri prodiderunt. In exemplum adduci solet argumentum ab adiunctis animi, fortunæ, & corporis, quo Crispus Sallustius est usus in Catilinam ex Corneliorum genere natum. *Lucius* inquit, *Catilina nobili genere natus fuit magna vi, & animi, & corporis, sed ingenio malo, prauoque huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis grata fuere: ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdulus, varius, cuiuslibet rei simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.*

Sic ab adiunctis corporis ad iram detestandam cum Seneca liceret argumentum desumere. *Flagrant, & spirant oculi, vultus ore toto rubor ex æstuante ab imis præcordijs sanguine labia patiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur, capilli, spiritus coactus, ac stridens articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum exclamatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsatu humus pedibus, & totum concitum corpus magnasque iræ minas agens, fœda visu, & horrenda facies deprauantium se, atque intumescentium.*

Huc pertinet illud argumentum ex adiunctis corporis desumptum à Tullio: *Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa pollere malitiam, & clamitare crudelitatem videntur? nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum si quam coniecturam affert hominis tacita corporis figura ex fraude mendacijs, & fallacijs constare videtur, qui idcirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne pilum ullum boni viri habere videatur.*

Tanquam itidem à corpore ductum argumentum afferri solet in exemplum illud Martialis.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus
Rem magnam præstas Zoile si bonus es.

A varijs etiam adiunctis, argumento desumpto, licet strenuum bellatorem ostendere cum Plinio. *Hæc tibi apud hostes veneratio? Quid apud milites? Quam admirationem quemadmodum comparasti, cum tecum inediam, tecum ferrēt sitim, cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudoremque miscere, nihil à cæteris, nisi robore ac præstantiâ differens, cum libero Marte nunc cominus tela librares, nunc librata susciperes, alacer virtute militum, &c.* In Panegirico ad Traianū.

A loco desumpsit Tullius argumentum contra Clodium. *Videamus* inquit, *nunc id, quod caput est, locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id verò Iudices etiam dubitandum, & diutius cogitandum est? Ante fundum Clodij, quo in fundo propter insanas illas substructiones, facilè mille hominum versabatur valentium. At qui excelso loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam causam eum locum ad pugnam potissimum delegerat; an in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitaret? Res loquitur Iudices, quæ semper valet plurimum.* Tullius pro Milone.

Sumit etiam argumentum à loci conditione ad excitandum odium, & inuidiam aduersus Clodianos dum ait. *An ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab uniuerso Populo Romano concessam uni ordini inflammari, excindi, funestari.* Pro Milone.

Sic etiam à conditione loci sumit argumentum aduersus Antonium dum in ipsum inuehitur, quòd tantum vini in Hippię nuptijs exhauserit, ut postridie in conspectu populi Romani illud euomere coactus fuerit. Et alibi etiā eodem probationis genere idem Orator utitur dum ait, *Sed hæc quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus, loquemur potius* Philip. 2.

de iniquissimo genere leuitatis. *Tu istis faucibus, &c.*

Ducit argumentum à tempore. *Videte*, inquit, *nunc illum primum egredientem, e villa subito, cur vesperi? Quid necesse est tardè? Quid conuenit præsertim id temporis.* Non dissimiliter à temporis adiunctis Pompeij victoriam commendat. *Tantum bellum*, inquit, *tam diuturnum, tam longè, latèque dispersum; quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extremâ hyeme apparauit, ineunte vere, suscepit æstate confecit.*

Pro Milone.

Pro Lege Manilia.

Huc pertinent temporum euentus, ut si Cælum fuerit nubilum, sudum, si tempus fuerit difficile, periculosum, longum, calore, vel frigore molestum &c.

Modus.

A modo etiam licet arguere, ad modum autem referri dicebamus consilia, finem, intentionem, & omne causæ genus. Ab his igitur plurimum efficacitatis desumptum argumentum habet ad laudem, vel vituperationem; ut si dicatur aliquid factum fuisse gratiâ alicuius rei honestæ, amoreque virtutis, citrà spem lucri, vel honoris, vel alterius cuiuslibet præmii: vel contra, factum fuisse inuidiâ, odio, perturbatione, pecuniarum spe; insuper fuisse factum egestatis metu, clam, palam, audacter &c. Expedit autem locum hunc adire post narrationem præclari alicuius facinoris, tum enim Orator expendendo consilium, finem, intentionem auctoris, ad laudem dicendorum copiam assequitur, quemadmodum etiam dum sibi quempiam conuiciis urgendum, atque vituperandum proponit, quando scilicet ostenderit aliquid turpi causâ factum fuisse, nimirum auaritiâ, superbiâ, &c. Vt enim cum causa fuerit honesta, laudabilis, intentio recta, factum meretur summis laudibus extolli: sic ex aduerso, cum causa fuerit turpis, finis improbus, intentio mala, factum esse detestabile oportet.

Huius loci utilitas.

Plurimum igitur habet efficacitatis ad laudandum, & vituperandum, & multum itidem in narrationibus dignitatis obtinet, cum scilicet consilium, & intentio alicuius inquiritur; insuper in coniecturis non parum valoris habet.

Facultas.

Facultas etiam est consideranda, quo nomine instrumenta, quibus ad aliquod facinus perpetrandum utimur, intelligenda sunt, cuiusmodi sunt arma, necnon & socii & milites; ducimus hinc argumentum summa cum utilitate; non enim melius, vel efficaciùs ostendi potest ab aliquo scelus perpetratum non fuisse, quàm ostendendo ei defuisse facultatem, hoc est arma, socios, milites; & plurima ei obstitisse impedimenta, quibus ad huiusmodi facinus opus erat; quemadmodum contra efficaciter admodum probamus scelus ab aliquo perpetratum fuisse, quando luculenter ostendimus eum facultatem habuisse, nempe copiam armorum, sociorum, militum, & nihil eorum defuisse, quibus ad perpetrandum scelus est opus. Hoc obseruatum fuit à Tullio, dum hinc argumento petito summoperè Milonem tuetur, & Clodium offendit. Auget autem huius argumenti robur ostendere, non defuisse, vel defuisse id, à quo quispiam impelli ad facinus peragendum potuerit.

Consequẽtia.

Ab iis porro, quæ rem gestam subsequuntur, cuiusmodi sunt faciei rubor, pallor, incessus titubans, frequens anhelitus, hęsitatio, parentes, diuitiæ, turpis infamiæ nota, publica reprehensio, & alia, quæ supra retulimus, quæ nempè in facti suspicionem facilè possunt inducere; ab iis inquam argumentũ sumi potest, ut Tullius fecit commendaturus proprium consulatum, & à se gesta in prouincia sibi credita; nam se conuertit ad honorem, quem à populo Romano habuit, inde siquidem arguit se commẽdatione dignum.

Oratione in Pisonẽ.

Signa quoque præstat ad fidem faciendam accersire; non uniusmodi tamen sunt, cum pleraque reperiantur, quæ cum re necessariò cohærent, ut fumus cum igne; timor cum amore; alia verò sunt, quæ non ita cum re necessariò cohærent, dicunturque probabilia tantùm, & verisimilia, quæque per se infirma sunt, & parum habent efficacitatis ad probandum; licet si plura sint, & in eamdem causam conspirantia, & per sindromen fuerint accepta, plerunque vim ad facti suspicionem mouendam præbeant; enitendum propterea ut plura quoad fieri potest, coaceruentur, eo enim robustiora sunt, quo plura, & eo debiliora, quo pauciora. Itaque prioris generis signa tutò licet ad suspicionem mouendam usurpare; possumus enim arguere à negatione cicatricis ad negationem vulneris. nam cicatrix cum vulnere necessariò cohæret; at signa secundi generis si non singulatim, coaceruatim tamen concludunt.

Signa.

Quamobrem probabiliter ostendes cædem ab aliquo perpetratam fuisse, si dixeris, quòd non multo antea fuerit ab occiso contumeliis vexatus; & præter morem cum sicariis conuersari sit visus; quòd statim festinans domum petierit; inuentus autem expalluerit, & quod ab eo tempore nonnisi militibus ægregiè munitus de domo exierit, & quidem rarò, & clarâ luce; quòd forum non amplius frequentauerit, vesperi perpetuò domum redierit.

Sunt etiam & alia, ex quibus argumenta desumuntur, quorum singula ad hunc locum spectant; huiusmodi porrò tribus generibus continentur, quorum primum fortunæ bona complectitur, cuiusmodi sunt diuitiæ, dignitates, affinitates, & id genus alia. Secundum corporis bona & mala comprehendit, talia verò sunt sexus, ætas, forma, robur, valetudo, ingenium, & alia huiusmodi; itemque mala, ut ægritudo deformitas &c. Ad hæc autem reuocantur natio, patria varii diuersarum gentium mores. Tertium est ad quod spectant animi bona, vel mala, nempe virtutes omnes tam morales, quàm intellectuales, artes, & scientiæ. Mali autem habitus, nimirum vitia, ut superbia, auaritia, luxuria, &c. ex iis, quæ ad primum pertinent genus ducere licebit argumentum. Pauper hic est, consequens igitur, ut furtum potius ipse fecerit, quàm alter, qui diuitiis affluit. Ex iis verò, quę ad secundum genus pertinent ducetur argumentum, quemadmodum Tullius aliquid Cęlio condonandum probat argumento deducto ab adolescentiæ ætate. Supersunt & reliqua ad tertium genus spectantia, in quibus magna suppeditatur argumentorum copia, cum nihil frequentiùs contingat, quàm à virtutibus, & vitiis argumenta desumi; ita quidem probabis futurum, ut aliquis pacem inconstantem cum altero habeat, quòd pluribus vitiis, præsertim superbiâ laboret, dominandique cupiditate nimium ardeat. Non dissimiliter Cicero probabilius ostendit esse, ut Clodius contra rationem nefarium facinus perpetrauerit, quàm Milo, quòd ille perpetuò leges despexisset, & iura conculcasset: contrà verò Milo hæc omnia summoperè veneratus fuisset. Sic etiam probabitur quempiam ab omni voluptatis genere abhorrere, propterea quod impensè literarum studiis operam nauet.

Alia.

Idem locus, qui supra, plurimum valet ad exponendum, & ad laudandum, & ad vituperandum, immo & ad exornandam orationem, cum hæc ex adiunctis plurimum splendoris, ac dignitatis hauriat, præsertim si per negationem tractetur.

Locus

Locus ab Antecedentibus, & Consequentibus.

HIc locus magni faciendus eo nomine saltem, quod in omni genere causarũ possit adhiberi, antecedentia porrò, & consequentia vocantur à Tullio, quæ rem aliquam necessariò antecedunt, vel consequuntur; differunt autem ab adiunctis, quoniam hæc haud necessariò, sed accidentario tantùm vinculo cum re iunguntur. Itaque *Antecedentia sunt ea, ex quorum positione aliud necessariò sequitur, ut vulnus cordis mortem antecedit; utq; vulnus antecedit mortem; eodem modo, Sol antecedit diem; arma, bellum; culpa, pœnam; prudentia, virtutem;* talia igitur sunt antecedentia, nimirum ea, quibus positis necesse est alia consequi. At verò *Consequentia sunt illa, quæ necesse est esse, si ea quorum sunt consequentia, præcesserint, ut mors consequitur cordis vulnus; non dissimiliter dies Solem consequitur.*

His porrò addi solent ea, quæ concomitantia dicuntur, quæ videlicet rem necessariò comitantur, ut locus, tempus, occasio, instrumenta, & id genus alia; sed ineptè, me iudice, cum hæc potius ad locum adiunctorum pertineant. Argumenta verò hunc tractantur in modum, nimirum ab antecedentibus. Sol ortus est; ergo est dies; Vulneratum est cor alicuius, ergo morietur; deliquit aliquis; igitur in pœnam incurret. A consequentibus hoc modò. Est dies; ergo Sol ortus est: est bellum; ergo arma esse necesse est: est fructuum copia; ergo florum copia fuit.

Duplicis autem generis sunt antecedentia, nempè temporis, & illationis, ab iis quæ tempore præcedunt. Sic arguitur; Genitus est; ergo morietur. Huc pertinet carmen.

Constat æternâ, positumque lege est,
Vt conflet genitum nihil.

Et etiam illud pro iis, quæ tempore consequuntur.

Non semper imbres nimbus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium,
Vexant inæquales procellæ.
Vsque;

Illationis autem antecedentia gemino modo tractantur, vel simpliciter, nullâ adhibitâ similitudine; vel similitudinis usu, cum videlicet unâ illatione factâ quæ refellenda sit, aliæ similes afferuntur, quæ risum moueant.

Locus hic utilis admodum est in omni causarum genere, siue per affirmationem, siue per negationem tractetur, præsertim in argumentationibus; alioquin extra illas frequens eius non videtur usus, nisi forsan in definitionibus inde petitis, quibus plurimum illustratur oratio; nam tam ex antecedentibus, quàm ex consequentibus Oratori licet definitiones contexere. In argumento plurimum valet, plerunque verò ex multis antecedentibus, siue per negationem, siue per affirmationem, una elicitur conclusio; quod à Tullio factum non rarò cuique perspectum, qui pariter ex uno aliquando multa deducit, ut in Verrinis obseruare licet. Illud autem præcipuum deductionis, multorum ex uno, ut ad ingerendum terrorem plurimum valeat, siue ab antecedentibus, siue à consequentibus deductio fiat. Hæ sunt etiam huius loci prærogatiuæ, quòd ipsæ ad conciliandum odium ad iedandum dolorem, ad confutanda aduersariorum responsa, ad permouendum, & ad describendum momenti plurimum habet, præsertim si variis figuris, puta repetitionibus, interrogationibus prosopopœijs decoretur, alijsque luminibus illustretur oratio.

Non solum per affirmationem, & per negationem, &c. sed per contraria locus iste tractatur, cum videlicet ex antecedente deducitur consequens & ad dum; & iterum sumitur contrarium aliquod consequenti, ex quo conclusio repugnans priori antecedenti colligitur. Elegantissimus autem huius est loci usus per antitheton. Hæc porrò quàm libentissimè variis exemplis illustrarem; ab hoc tamen cogor abstinere, ne longior, quàm par est, tractatio euadat. per negationẽ &c.

De Loco à Causis.

TRactandi ratio postulat, ut pauca quædam in præsentiarum de causis generatim nostrâ contemplatione persequamur. Causa apud Rhetores est id, cuius vi aliquid fit, vel ut ait Cicero, *quæ id efficit, cuius est causa*; ut vulnus mortis, cruditas morbi ignis ardoris; hanc autem efficientiam dicunt non esse tantùm efficientis causæ, sed & cæterarum, quæ suo modo rem efficiunt; cum enim, inquiunt, causæ in genere sit id quod effectum per se producit, & ad huius productionem materia, forma, efficiens, & finis vario modo influant; consequens fit, ut omnibus ac singulis causæ nomen tribuatur. Subtiliùs hæc tamen Philosophi tractant, de quibus tam accuratè Rhetoris non est differere, propterea nostrum erit rhetoricis finibus præsentem considerationem coercere. Libro de Fato.

Vt verò paucis res absoluatur, dicere iuvabit *Causam esse id, ex quo, vel per quod, vel à quo, vel propter quod fit aliquid*; hoc enim modo quatuor causarum genera comprehendimus, à quibus per se pendet effectus, ad cuius effectionem si quæ sunt alia, quę videntur concurrere, non tam causæ, quàm conditiones, *sine quibus*, dici solent. Ex his porrò una est causa, quæ mouet, nempe *finis*: quæ mouetur, *efficiens*, quæ dat esse *forma*, quæ formam induit *materia*. *Materialis causa ea est, ex qua res sit, aut componitur.* Duplex esse materia dicitur, Naturalis, ac substantialis una, quâ natura utitur in suis moliendis operibus, ut est corpus organicum respectu hominis, & cuiusque viuentis &c. elementa ex quibus componitur Mixtum, & prima materia quâ corpora omnia naturalia constant, de qua Stagirites loquens, hæc habet. λέγω δ' ὕλλω, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνε. τάι τι ἐνυπάρχοντ@ μὴ κατ' συμβεβηκὸς. ἔπειτα φθείρεται τι, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον. *Materiam enim voco primum cuiusque rei subiectum, ex quo insito fit aliquid, non per accidens, siue quid intereat in hoc ultimum abit.* Hęc prima dicitur materia, quę formam recipit, quam se ipsâ non habet, quanquę Synesius τρύγα τὰν κόσμε. *Fecem Mundi* appellat. Sed hanc accuratiùs considerare, non Rhetoris, sed Physici est. Causa quid sit concluditur. Materialis causa quid & quotuplex. 1. Phys. tex. 82.

Artificialis materia est, qua utitur Artifex in operibus suis, ut marmor, vel æs, ex quibus conficitur statua; utraque tam scilicet naturalis, quàm artificialis diuiditur in remotam, & proximam. Remota naturalis est illa, quam diximus; proxima verò est eadem prout varijs induta dispositionibus. Artificialis remota sunt ex. gra. ligna in sylua, comparatione domùs extruendæ: eadem verò recisæ, dedolata, & affabrè facta, proximę materię rationem obtinent. Materia deinde diuiditur in eam, quæ permanens, & eam, quæ transiens dicitur. Materia permanens est, quæ in re effecta manet, ut prima, & secunda materia in naturalibus, nempe corpus organicum in homine, &c. quemadmodum artificialis in artefactis, ut lapides, & ligna respectu domùs; altera verò dicitur transiens, quippe quæ transit in aliud, nec post rem factam remanet, ut farina, & aqua in panem; sed his omissis subtilioribus disquisitionibus, velut alienis Artificialis materia quæ.

Digitized by Google

...instituto ...ulideranda quæ Rhetoris nis ...pria sunt.

Materia triplex.

Oratoribus porrò, quemadmodum etiam Philosophis materia triplex est, ex qua in qua, & circa quam illa; quæ dicitur ex qua, iam declarata fuit, simulque diuisa in remanentem, & transeuntem. Materia in qua est eadem prout in ea recipitur forma, vel quicquid sibi subiecti rationem potest vendicare. Materia circa quam est id circà quod potentia ex. gra. visus, seu aspectus circa colores; vel aliquis habitus, puta Physiologia circa corpus naturâ constans; huiusmodi igitur sunt potentiarum, & scientiarum obiecta, à quibus quanta sit earumdem dignitas, deducitur argumentum.

Obseruãda quædã in argumentis ex à materia ex quæ desumptis.

In argumentis à materia ex qua desumptis, hæc sunt obseruanda. Positâ materiâ, sequi potest effectus, dummodo cætera consentiant; ut sunt lapides ligna, camenta; domus igitur construi potest. Remotâ materiâ permanente, remouetur effectus; ut non est aurum; ergo aurea vasa non sunt. Hic præterire non licet, quod in re proposita aliquod momentum habet, nimirum attributa, quæ à materia proueniunt, enunciari de effectu, quæ illi conueniunt; remoueri autem, quæ, vel illi repugnant, vel non conueniunt; ut statua est ex auro confecta; ergo magni est pretij; opus est factum ex terra; ergo vilioris est pretij; homo factus est ex luto; ergo corruptioni obnoxius.

Ex huiusmodi materijs desumi possunt argumenta ad laudãdum, & vituperãdum.

Ex hisce materijs Orator argumenta desumet, & quidem ad rei alicuius dignitatem, atque præstantiam amplificandam, materia ex qua summoperè conducit; idcirco Tullius ad ostendendam syderum nobilitatem, ad materiam ex qua, conuertit obtutum. Atque *hac* inquit, *mundi diuinitate perspecta, tribuenda est syderibus eadem diuinitas: quæ ex nobilissima, purissimaque ætheris parte gignuntur. Neque ulla præterea sunt admixta natura, totaque sunt calida, atque perlucida*. In uniuersum igitur Laudibus aliquid Orator prosequitur, vel improbat pro materiæ conditione. Hæc enim si pretiosa sit, ex qua aliquid factum fuerit, ab ipsius dignitate nos id laudibus efferimus; si verò contra eadem fuerit vilis, & abiecta, ex obscuritate ipsius quod ex ea factum est, conuicijs insectamur, minusque commodos sermones habemus. Non dissimiliter pro conditione *materiæ ex qua* parui aut magni facere munera solemus. Sic ex materiæ dignitate candelabrum laudibus effertur à Tullio. *Etenim erat*, inquit, *eo splendore, qui ex clarissimis, & plurimis gemmis esse debebat, eâ varietate operum, ut ars certare videretur cum copia, eâ magnitudine, ut intelligi posset non ad hominum apparatum; sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum*. Materia porrò in qua nil aliud, ut nuper dicebam, quàm subiectum formæ, & accidentis, ut paries albedinis, eo quod color illi insit, & humanus animus bonarum artium, atque disciplinarum, eòquòd hæ in ipso recipiantur. Hinc licet argumentari hunc in modum. Sublato subiecto, seu materia in qua, etiam quæcunque illi insunt tolli necesse est, & vicissim; ut remota tabula, remoueri picturam oportet, & hac positâ necesse est illam itidem poni, non enim pictura sine subiecto esse potest.

1. De Nat. Deorum.

Verina 6.

Hæc materia subministrat argumenta in rei laudem, & vituperiũ.

Hæc etiam subministrat in laudem, aut vituperationem argumenta, siquidem pro conditione ipsius commendamus, vel detestamur ea, quæ in ipsa sunt: non enim ex. gra. parum laudis bonis artibus, ac disciplinis humani animi dignitas conciliat, eo nomine, quòd hæ in illo resideant.

Materia etiam circa quam, nimirum id, circa quod actus, habitus, facultatesque versantur in laudem, aut vituperium dicendorum copia suppeditat. Quis enim non intelligit plurimum laudis tribuendum aspectui ex dignitate luminis circa quod ipse versatur? Nec certè licet nobis præstantiorem aliam aliâ animæ, vel cuiusque alterius rei facultatem, vel habitum habitu, puta scientiam scientiâ, nisi ex nobilitate eius circa quod, vel facultas, vel habitus versatur. Hoc etiam Stagirites nouit, ut propterea de scientia loquens dixerit, μᾶλλον δ' ἑτέραν ἑτέρας ἢ κατ' ἀκρίβειαν, ἢ τῷ βέλτιόν τε καὶ θαυμασιώτερον εἶναι. *Magis autem alteram alterâ, vel quod exquisitior, vel quod rerum præstantiorum & admirabiliorum sit*. Hinc desumit argumentum Romanus Orator ad concludendum eloquentiam esse iurisprudentiâ præstantiorem. *Primum*, inquit, *dignitas in tam tenui scientia, quæ esse potest? Res enim sunt paucæ, propè in singulis literis, atque interpunctionibus verborum occupatæ*. Iure idcirco facultatem, vel scientiam aliquam laudaturus Orator, mẽtis aciem ad earumdem subiectam materiam diriget, nam ex præstantia ipsius in laudes ipsarum poterit effundi; quod autem de laudatione dico, de vituperatione intelligendum volo.

Causa formalis.

Succedit causa formalis, quæ profectò quidpiam excellens est penèque diuinum. *Formalis autem causa dicitur ea, per quam res suum esse determinatum sortitur*. Triplex autem esse perhibetur; prima quidem essentialis, quæ causa est operis, quod natura molitur, ut rationalis anima in homine. Secunda accidentaria; quæ rursus bipartitò diuiditur, enimuerò una naturalis est, quæ rei substantiam circumstat, eidemque accidit constitutæ, cuiusmodi est quicquid sensibus usurpatur, ut quantitas, qualitas, & huius species, nempe colores, sapores, &c. Ita quidem corporis pulchritudo in optima partium distributione, cum quadam suauitate coloris consistens, huius, de quo loquimur generis, forma dici debet. Altera est artificialis, nimirum figura quælibet ab artifice in materiam inducta, cuiusmodi sunt figuræ, simulacra quæ in vasis, & aliis huiusmodi cernuntur.

Ex hoc genere causæ sic ratiocinari licet. Positâ formali causâ, ponitur effectus, illaque sublatâ, hic etiam tollitur; ut paries habet albedinem; idcirco est albus; non habet albedinem; ergo non est albus: homo habet rationalem animam; ergo rationalis est; equus non habet animam rationis participem; ergo rationalis non est.

Ex hoc genere causæ quo modo argumentandum.

Illud quoque considerandum occurrit, quòd, quæ formæ conueniunt, effectibus itidem cõueniant oportet: & quæ ab effectibus remouentur, à formis etiam remoueri necesse est; ut si sapientia summum est bonum, sapientem esse summè bonum erit: si diuitiarum affluentia non est summum bonum, nec etiam diuitem esse summè bonum erit. Huc pertinet argumentatio, qua usus est Tullius ad ostendendum homini consentaneum non esse, sensuum voluptatibus irretiri, eoquòd hoc eius ingenio, naturæve consentaneum non sit. Si considerare, inquit, velimus, quæ sit in hominis natura excellentia, & dignitas, intelligemus, quàm sit turpe diffluere mollitie, & delicatè, ac molliter viuere, quanquam honestum sit parcè, continenter, seuerè, sobriè.

Adnotatio.

1. De Officijs.

Quantum sit huius loci vtes.

Tametsi locus hic non admodum firma suppeditet argumenta, eius tamen usus in reliquis fieri magni debet; nam in rerum descriptionibus, & in amplificationibus, mirum est quantum splendoris ac dignitatis à forma recipiat oratio. Audi perelegantem statuæ descriptionem ex Plinio Iuniori; *Ex hæreditate*, inquit, *quæ mihi obuenit, emi proximè Corinthium*

Plinius iunior. lib. 8. Epist. 4.

signum

signum: nudicum quidem, sed festivum, & expressum, quantum ego sapio: qui fortassis in omni re in hac certè per quam exiguum sapio. Hoc tamen signum ego quoque intelligo. Est enim nudum, nec aut vitia si qua sunt, celat; aut laudes parum ostentat. Effingit senem stantem: ossa, musculi, nerui, venæ, rugæ etiam, ut spiranti apparent; rari, & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillæ iacent, recessit venter. A tergo quoque eadem ætas, ut à tergo æs ipsum, quantum verus color indicat, vetus, & antiquum: talia denique omnia, ut possint artificum oculos tenere, delectare imperitorum, quod me quanquam tyrunculum sollicitauit ademendum. Sic etiam Cicero Dianæ simulacrum describit, quod erat apud Segestanos ex ære confectum; itaque ad Dianam verba referens, ait. *Hæc erat posita Segestæ sanè excelsa in basi, in qua grandibus literis P. Affricani nomen erat incisum;* & ad simulacrum verba transferens, paucis interiectis, subdit. *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola, verumtamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus virginalis; sagittæ pendebant ab humero, sinistrâ manu retinebat aurum, dextrâ ardentem facem præferebat &c.*

De causa efficienti sequitur agendum: *Est porrò causa efficiens illa, à qua actio proficiscitur, seu quæ agendo effectum producit.* Duplex autem assignari solet, Artificialis una, & Naturalis altera.

Artificialis est quæ artis ministerio operatur, ut sunt artifices, & rerum auctores.

Naturalis porrò est à qua naturaliter producitur effectus, siue sit causa princeps, & prima, ut D. O. M. naturæ auctor; siue sit causa secunda, ut sunt omnes effectrices causæ, quæ virtutem recipiunt ab ipso: ita quidem progenitores sunt causę filiorum, arbores florum, & fructuum, ignis ardoris, & ita de reliquis.

Aliis autem non eadem est partitionis ratio, nam ex eorum consilio efficiens causa multiplex est, prima quidem procreans, ut Deus, Parentes, quibus adduntur Artifices, quos ad naturalis efficientis genus pertinere contendunt. Secunda est conseruans, quæ rem conseruat. Tertia interimens, quę rei perniciem affert, ut morbus respectu animalis. Iterum ipsis duplex est efficiens causa, Naturalis nempe, seu Physica, cuiusmodi est aliqua ex recensitis, inter quas Artifex respectu operis, quod ipse molitur; vel moralis, quæ rem certè non efficit, sed ad rem illam efficiendam impellit, ut consiliarius; ille siquidem moralis censetur causa homicidii, vel aliquod aliud nefarium facinus, qui illud persuasit.

Hæc de huiusmodi causa dicuntur. Vbi non est causa, nec esse potest effectus. Quæ insunt causis attribui possunt effectibus.

Amplissimus est huius loci usus, præsertim in causis ciuilibus, rebusque cæteris inquirendis, in affectibus, virtutibus, vitiis, ac euentis proponendis, ex quibus Oratori verba, & res enascuntur, tantâ quidem copiâ, ut non aliunde magis, quam hinc fœcundam reddere suam possit eloquentiam. Ab efficienti causa Romanæ Parens Eloquentiæ celebrem illam amplificationem deduxit in Catilinam. *Nihil ne te nocturnum præsidium Palatij? Nihil urbis vigiliæ? Nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora, vultusque mouerunt,* &c. Idem quoq; præstat alibi efficienti causa utens. *Multa enim, & in Deos, & in homines impiè, nefariè que commisit,* &c. usque ad illa verba; *neque iste mihi videtur se,* &c. Non dissimili modo clementiam Cæsaris erga Marcellum pluribus cōmendat, id enim ut faciat, bellicas laudes industriè deprimit, veluti minus Imperatoris proprias, cum illas magna ex parte militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, &c. sibi vendicet; nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriè sint imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, comeatus multum iuvant. Maximam verò partem, quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid prosperè gestum est, id penè omne ducit suum.

Cic. pro Marco Marcello.

Plurimum valet ad hortandum, ut ex Tullio colligitur, is enim ad id hoc utitur loco, quemadmodum etiam, & ad dehortandum, & ad amplificandum.

Hic locus ad hortandum, & amplificandum conducit.

Superest ad extremum *Finalis causa quæ dicitur esse id, cuius gratia aliquid fit, aut ad quod res tota refertur,* ut sanitas medicinæ, victoria belli finis est. Ita quidem aurum auaro est finis; bono autem Beatitudo. Hæc dicitur exitu causarum ultima, destinatione autem prima; Præstantissima quidem est causa, de qua loquimur, nam ut ex radicibus truncus, rami, folia, atque fructus erumpunt: non dissimiliter tota vis, totaque ratio humanarum actionum in fine existit: idcirco finis cuique considerandus, à quo si rerum omnium mensuram sumpserit, feliciorem vitam traducet.

Causa finalis quid.

Duplex autem statuitur, ultimus & non ultimus, de quibus disserere Philosophi munus est.

Huius causę præstantia.

Hæc omnium est optima causa ad suadendum, & ad mouendos affectus, cum omnes propter finem aliquem, vel honestum, vel iucundum, vel utilem agant; ad hæc enim humana respicit industria, cum nemo sit, qui ab honesto, vel iucundo, vel utile ad prosecutionem non alliciatur, quemadmodum à contrarijs non incitetur ad fugam.

Multa dicuntur fine eū ciantur.

Qualis autem finis est, siue bonus, siue malus, talis quoque res, quæ ad finem illum per se ordinatur. Si veritatis inquisitio honesta est, labor etiam eius gratia susceptus, honestus erit: intelligendum autem de eo, quod per se ordinatur, nihil enim prohibet ut ex accidenti secus eueniat, non enim scelus perpetratum gratia finis honesti, dici potest honestum. Insuper cuius finis est bonus, & id bonum: cuius optimus, & id itidem optimum; qui autem finem desiderat, ea debet amplecti media, quorum præsidio potest illū comparare; ut si quis felicitatem desiderat virtutem debet excolere: & si pacem expetit, bellum inire debet, à fine contraria sunt media remouenda, ut si quis gloriam anhelat, labores perferre debet.

Quomodo ex fine arguendū

Ex negatione autem finalis causæ rectè quidem effectūs negatio deducitur; nemo enim operatur, nisi ob aliquem finem, quo proinde remoto, etiam, & operationem illam tolli necesse est; nec admittendum aliquem operatum quidpiam fuisse, citra quamlibet intentionem finis.

Quomodo à fine sumatur argumentum.

A fine sumitur argumentum, ut factum à Tullio facillimum est obseruare, dum nititur suadere insidiatorem Clodium fuisse, non Milonem, quoniam ei magna quidem erat causa, summaque spes in Milonis morte, non mediocris utilitatis. *Quo namigitur pacto, inquit, probari potest insidias Miloni feciſe Clodium? Satis est quidem,* &c.

Oratione pro Milone.

A fine Moralis eleganter admodum speculi usum commendat; *Inuenta inquit, sunt specula, ut homo ipse se nosceret. multi ex hoc consecuti primò sui notitiam, deinde, & ad quædam consilium, formosus, ut vitaret infamiam, deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset, iuuenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex ut indecora canis deponeret, & de*

Senec. lib. 1. quæst. natur. 17.

morte

morte aliquid cogitaret.

Argumentum à fine quomodo tractetur.

Non modo finis utilis Oratori est ad orationis optimam structuram elaborandam in deliberatiuo genere dicendi, sed etiam ad eamdem varijs, & elegantibus ornatibus illustrandam, cum ad id nihil magis, quàm diligens inspectio finis conducat. Si nanique suadere velit Orator amplectendam esse virtutem, profectò non poterit vehementiùs ad id auditorum animos impellere, quàm ijs exponendo finem (æternam scilicet Beatitudinem) suscipiendi laboris, & huius necessitatem ostendendo varijs argumentis, à tam sublimi fine deductis; Quis enim adeo rerum æstimator iniquus; quis est, quem tanta oppressit amentia, cui non abundè constet futurum, ut plurimùm auditoribus oratio probetur illa, quâ contenditur suadere ipsis peropportunum esse virtutis cultum amplecti, quoniam hoc ad æternam felicitatem conducit? Cum enim homo sit is, cui quidem igneus est vigor, & cælestis origo, sitque sacra Diuinæ mentis imago, ægrè admodum fert se miserrimæ sortis esse ludibrium, varijs fortunæ vicibus obnoxium, à lacrymis initium sumere, & cum ijsdem extingui; una eâdemque die nascentem, & morientem conspici; bonum possidere nullum non habens malum admixtum; nihil ob id ei iucundius, nihil antiquius usuvenire potest, quàm aures præbere dictanti viam ad æternam felicitatem, ad vitam omnibus vacuam ærumnis, omnium perturbationum expertem.

Valet hic locus ad improbãdum, & ad dissuadendum.

Nec minoris est roboris huius loci usus in vituperando, & in dissuadendo.

Valet ad amplificãdum.

Plurimum itidem valet ad amplificandum, & ad mouendum, ac excitandos affectus, & ad suadendum; nec in argumentis modò, sed extra quoque summa cum utilitate potest ad periodum amplificandam usurpari, cum vix quicquam reperias, quod per finalem causam amplificari non patiatur.

Plerunq; Finalis causa pro effectu solet adhiberi.

Quandoque finalem ipsam causam pro effectu solet Orator adhibere, ut si pro bello, furorem hostium, vitæ amissionem, fortunarum, bonorumque, ac uniuersæ ciuitatis direptionem usurpet; quanto enim elegantiùs dixeris? hostium furori, fortunæ commoda, templa, coniuges, liberos, vitam eripite, quàm dicendo Patriam suscepto bello conseruate? hoc enim loquendi genere maiestatem quandam Oratio consequitur, proindeque longè validiùs, ac vehementiùs ab audientium animis assensum extorquet.

Locus ab Effectis.

Effecta, quæ sint. Cic. in Topicis.

EX hactenus dictis de causis, operosum non erit effectorum perspectam habere rationem. *Effecta porrò sunt* ut dicebat Tullius, *orta de causis*, quæque inuicem perpetuum commercium habent. Idcirco quot sunt causarum genera, totidem etiam effectorum sunt species. Cuilibet enim causæ proprius respondet effectus, & ex effectibus causas argumentamur.

Tot effecta quot causarum genera.

Ab effectis deducitur causa efficiẽs. Exemplo res illustratur.

Causam efficientem ex effectis deducimus hunc in modum. *Quid in Rep. præclarius? Quid præstantius intelligi potest, quàm id, quod eius dignitatem conseruat, amplitudinem auget, externas gentes ad eius dictionem adiungens? hanc porrò bellicam esse artem neminem præterire crediderim; idcirco nonnisi temerè, quispiam inficias ibit Reip. militarem laborem præsidio esse, & ornamento.* Cum igitur Reip. dignitas ac splendor militiæ velut efficientis causæ sit effectus; vide quàm egregiè ex effectu huiusmodi causæ genus inferatur.

Finis etiam ex suis colligitur effectis: sic ex apparatu rei militaris, nimirum ex eo quòd Princeps militum habeat delectum, eorundem accipiat nomina, lustret cohortes, copias recenseat, easdemque producat, futurum bellum conijcimus, ac argumentamur. Non dissimiliter si quis vidisset Celtas, dum editos in lucem infantes, clypeoque impositos ad flumen Renum referebant, ac proijciebant in gurgitem & conijcisset id ab ipsis fieri ad explorandam virtutem, vel ignauiam sobolis, vel ad roboranda corpora in militiæ usum, ut Aristoteles etiam notauit. Huc pertinet illud Poetæ.

Finis ex suis colligitur effectis.

Durum à stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & undis.

Quibus ille respexit ad firmitatem sobolis assequendam. Claudianus autem ad explorandam virtutem sobolis, faciendumque naturæ periculum.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Nec alterius Poetæ carmen aliò spectat

Κελτοὶ δὲ χρύσοι γίνον᾽ ῥύσιο ῥεῖθρος,
Καὶ χρυσῷ καθαρῷ ἄνδρακὶς εἰσι πλόκες.

Cernitur ut purum prunis ardentibus aurum
Gurgite sic Rheni pignora, Celta probat.

Vtcunque se res habeat; illud certum ex effectis finem utrouis modo colligi. Non dissimiliter si quis ita ratiocinetur. *Princeps à suis ciuitatibus præsidia deducit, dimittit milites, inducias cum hoste pacisciturr, obsidionem soluit, ciuitates calamitatibus leuat, enixè curat studia bonarum artium promoueri; pacem igitur meditatur.*

Licet etiam ab affectu materiam argumentari. *Homo corporeus est, tangitur, sub aspectum cadit, assiduis ex elementis mutationibus est obnoxius: materiâ igitur constet, oportet;* non enim quotidiana ista mutatio, aliunde prouenit hinc

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus.

Et hinc

Circumserit agmine facto
Morborum omne genus;

Nec aliam ob causam.

Νῆσοι δ᾽ ἀνθρώποισιν ἐφ᾽ ἡμέρῃ, ἢδ᾽ ἐπὶ νυκτὶ.

Morbi subeunt mortalibus nocte, & die.

Formæ effectis.

Ab Effectis etiam forma colligitur; *homo ratiocinatur, intelligit, sapit, ac ob id operationes exerit nobilissimas; animâ igitur constare debet præstantissima naturæ cælestis, atque diuinæ.*

Ab Effectis igitur locus est amplissimus, ac fœcundissimus, & quidem in demonstratiuo genere, quod præsertim hoc pertexitur loco, non enim illa rerum gestarum commemoratio in hoc genere dicendi frequentissima, quidpiam aliud quàm effecta continet. Hoc luculenter ostendit, haud ego fallor. Isocratis Oratio in Euagoræ laudes effusa, quandoquidem Orator ille disertissimus Regem incomparabili dicendi copia, & singulari eloquentiâ commendat à rebus gestis; & primò quidem à pia, & strenua Regni recuperatione; secundò à prudentissima administratione; tertiò à defensione, omnia tamen ita tractando, ut exagerationibus, comparationibus, alijsque splendidissimis luminibus rem uniuersam adstuporem illustret. Veritatem eamdem clarissimè Demosthenes ostendit; nam in Oratione aduersus Midiam, & in alijs quoque, non aliunde, quàm ab effectis validissimi roboris argumenta desumit. His etiam summus Eloquentiæ Romanæ Parens astipulatur, qui in Oratione pro Lege Manilia egregijs penèq; diuinis laudibus Cn. Pompeium extollit, quandoquidem in ipso quatuor summi Imperatoris propria, scientiam

Isocrates pro Euagora.

Demosthenes hanc rem uerisimiliter diuinat.

Tullius pro Lege Manilia.

Digitized by Google

etiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, atque felicitatem inesse, illustri orationis genere, loquendique summa facultate demonstrat; quod magnâ tamen ex parte præstat effecta narrando, videlicet Pompeij res gestas oculis subijciendo, hac enim arte declarat, ac ostendit Pompeium esse dignissimum, cui suprema Imperatoris auctoritas conferatur, quò Tullij collimabat industria. Si verò iudiciale genus attendere velimus; nulli dubium quin hic itidem locus ei quammaximè deseruiat, cum præcipuè tam frequentes facti vel infecti quæstiones agitari soleant. Si demùm deliberatiui generis ratio habeatur, multa in eo quoque effecta sæpius exprimenda comperies.

Tria porrò sunt, quibus locus ab effectis accommodatus dici potest, quæ paucis in præsentiarum perstringere conabor.

Primum est, quòd ea, quæ quodammodo tenebris natura inuoluit, quæque proinde minus obuia sunt, effectorum opitulatione, disiectis ignorationis tenebris, si non plenâ, saltem rudi cognitione agnoscimus. Ita quidem ex operibus excelsum rerum omnium Molitorem percipimus; nam ex ipsis infinitam eius virtutem, ac facultatem quotidie cernimus, ubique præsentem intuemur. Secundum est, quòd ad narrationes, descriptionesq; plurimum conducunt effecta, nam per hæc quodammodo res oculis subijciuntur. Cum enim effecta suis sint causis notiora, appositè usurpantur ad rerum descriptiones elaborandas, quoniam omnis descriptio in eum finem adhibetur, ut, quod alioquin in obscurioribus latebris delitescit, tandem aliquando trahatur in lucem, quod certè non meliùs assequi possumus, quàm per effecta, velut per illa, quæ maximè nobis obuia sunt; talis est illa descriptio direptę Ciuitatis, quam non multo antea attulimus. Tertium denique est, quod ad amplificationes mirum in modum effecta conducunt; enim verò amplificatio, nil aliud, quàm plenitudo quædam, quæ omnium rerum adiuncta, terminos, & loca cõmemorando roborat orationem; ne plenitudo autem illa ex inani verborum fuco, vel numerorum strepitu petita videatur; ex effectis, & ex optimis rerum adiunctis desumi debet, quæ ex dicendis de descriptionibus, & amplificationibus clariora fient.

Non omittendum ex effectuum negatione plerunque causas à nobis negari: ita quidem non esse quempiam auarum, ex effectuum negatione probare solemus; ut: Rem alienam non concupiscit; non fœneratur; pecunias non congerit; non igitur rei familiaris amplificandæ cupiditate ardet, non est auarus. Ita quoque non esse negligentem, ex negatione effectuum negligentiæ; non esse iracundum ex negatione effectuum iræ, & ita de reliquis; adeout effecta per negationem tractentur. Quod splendidiùs eueniet, cum ab aduersarijs quædam obiecta fuerint, quæ nullo negotio contrarijs effectis refelluntur.

Huc pertinet Tropus, qui Metonymia dicitur, quę causam per effectum, aut vicissim effectum per causam declarat. Hic autem dicendi modus summoperè confert ad locutionum varietatem, ac proinde ad vitandam nauseam ortam ex frequenti eiusdem vocis usurpatione. Vt si de eodem Cæsare, vel de eodem Pompeio, vel de quouis alio sæpius in eadem Oratione commemoratio inciderit; ad satietatem declinandam præstat ad effecta, & adiuncta confugere, ut pro varietate ipsorum possimus varijs nomenclaturis illum, de quo habetur oratio, nuncupare. Sed ut hactenus tradita, clariùs intelligas, paucis illa perstringam.

Primò, ut superiùs dicebatur, ab effectis arguere causas possumus. Deinde hic locus tractari potest per affirmationem, ut cum per affirmationem effectorum aliquid describimus: Potest etiam per negationem, ut cum à re quapiam effecta remouemus, ut ex proximè dictis non obscurè constat: Potest itidem per affirmationem, & negationem simul; ut cum de re aliqua primò quidem effecta affirmamus, & deinde contraria effecta negamus, vel primò negamus, deinde affirmamus; ut si dixeris: *Non marcet in otio, non vagatur otiosè per urbem, non perfunctoriè, vel obiter suas res agit, sed labores libenter sustinet, quotidie domi manet negotijs intentus, summâ vigilantiâ, curâque in rebus agendis utitur; non ergo negligens.* Vel etiam si dixeris. *Non ad multam diem stertit iners, non tabet in luxu, nullo vitiorum sordescit inquinamento, quin potius pietati, religioni, clementiæ, iustitiæ, ac omnium virtutum generi vehementer indulget.* Hoc enim modo per affirmationem, & negationem quoque locus tractatur. Per affirmationẽ. Per negationem. Per affirmationem & negationem simul.

Huius etiam loci usus contingit, quando causas damnamus, ut: *Otium bonos mores corrumpit, ad omne vitiorum genus adolescentium animos impellit; est igitur cur otium detestemur.* Per damnationem causæ.

Fit etiam per oppositionem, *ut: Ebrietas rationis iudicium offuscat, contentiones, ac bella procreat: robur naturalemque virtutem eneruat, morborum myriadem parit: mortem præmaturam adducit: fortunæ bonis spoliat, & quod caput est, iram diuinam prouocat.* Ex aduerso: *Temperantia prudentiam nutrit: cupiditates passionesque circa tactûs delectabilia frenat, ac moderatur: ponit legem appetitui cibi & potûs, facitque ne ingluviæ nimium indulgeamus, & ut abstinentiam, sobrietatem, castitatem, ac pudicitiam amplectamur.* Per oppositionem.

Per Metonymiam adhibetur, primò nimirum aliquem ex rebus gestis exornando, & præsertim, ad vitandam satietatem repetiti nominis, effecta usurpando. Ita, quoniam Constantino Magno tribuitur, quòd fundauerit quietem, & liberauerit Vrbem, si contingat in oratione, ut eius nomen frequenter sit usurpandum, modò ipsum appellabimus proprio nomine *Constantinum*, modò *Fundatorem quietis*, modo *Liberatorem Vrbis*. Sic etiam si de Scipione Affricano contexta sit oratio, in qua sæpe de ipso fieri commemoratio debeat, modo *Scipionis* nomine ipsum appellabimus, modo *Euersorem Carthaginis*, modo *Victorem Asiæ*; & ita de aliis. Secundò etiam fit causam pro effectu ponendo, videlicet *Bacchum pro vino, Cererem pro frumento, Palladem pro sapientia, Martem pro bello.* Per Metonymiam.

Elegantissimè tractatur hic locus conglobando plures effectus eiusdem causæ. Vt si numeremus omnia bona, quæ ab assiduo virtutis cultu proficiscuntur; vel contra omnia mala, quæ vitio debent accepta referri. Elegans huius loci tractatio.

Speciatim autem hic locus Oratori deseruit ad commendabilem orationis numerum, periodique plenitudinem, adeo ut si plena non sit oratio, conglobando effecta, plenitudinem eiusdem assequamur, eidem illa nempe adscribendo; ut si dicatur. *Scipioni decernendus est triumphus*, tenuis oratio est; quâ longe plenior fiet dicendo, *Scipioni Carthaginis potentissimo Euersori; Patriæ accerrimo Defensori; Numantiæ validissimo Domitori, par est ut in testimonium excelsæ virtutis, quam Ipse laboribus improbis sibi comparauit, triumphali pompâ decoretur.* Alia utilitas.

De Loco à Comparatione Maiorum, Minorum, & Parium.

Locus à comparatione trifariã contingit.

QVandoquidem trifariam potest aliquid conferri cum altero, propterea triplex hic à comparatione locus. Rerum enim aliæ maiores sunt, hoc est verisimiliores, & quibus id, de quo disseritur, maiori de causa conuenit: aliæ minores, hoc est minus verisimiles, quibus nimirum non æquè aliquid conuenit, ac ei cum qua conferuntur: aliæ verò medio modo se habent, adeo ut utris quidpiam potius conueniat cum quibus instituta est comparatio, non facilè constet. Itaque Rhetores per *maius* intelligunt, quod magis est probabile: per *minus*, quod est minus probabile: tandem per *par*, quod est æquè probabile. Comparatio porrò instituta debet intelligi in quantitate virtutis; huiusmodi autem quantitas ad maiorem, vel minorem, vel æqualem probabilitatem refertur. Amplius, quæ comparantur eiusdem ordinis esse debent, alioquin comparatio nulla est. Tunc porrò fit argumentum à maiori ad minus, quando minus probabile, ex minus probabili concluditur. Fit autem à minori ad maius, quando magis probabile ex minus probabili colligitur. Tandem fit à pari, quando æquè probabile ex æquè probabili deducitur.

Rethores quid per maius, per minus, & per æquale intelligant.

Comparatio maiorum quomodo instituenda.

Comparatio maiorum, quanuis minus ingeniosa, non parum tamen ad persuadendum valet, præsertim si adhibeatur apud viros crassioris ingenii, & etiam præstabiles, si tamen eruditionibus referta fuerit.

Locus à maiori ad minus quid.

Locus à maiori ad minus est comparatio rei verisimilioris & conuenientioris cum minus verisimili, & minus conuenienti. Ducitur autem argumentum hoc modo. Si quod magis videtur conuenire non conuenit, ne id quidem quod minus. Vt Rex non potuit castrum expugnare; ergo nec Dux urbem expugnabit, sed hæc abundè in Dialecticis exposuimus.

Pro Domo sua.

Hoc modo etiam arguit Tullius dum ait *Scelerati homines domum meam non concupierunt; consequens sit ut multo minus Dij concupierint.* Hoc loco idem utitur dum probat Syllam non omnia animaduertere potuisse, cum Iupiter ipse non possit, quasi ipse diceret, Iupiter non potest omnia aduertere, mirandum non est si Sylla id facere non possit. Sic enim loquitur. *Etenim si Iupiter Opt. Max. cuius nutu, & arbitrio Cœlum, terra, mariaque reguntur, sæpè ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes deleuit, fruges perdidit, quorum nihil perniciei causa diuino consilio, sed vi ipsa & magnitudine rerum factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus ab eo nobis dari atque impertiri videmus, quid miramur Li Syllam, cum solus Rempub. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperijque maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animaduertere non potuisse, nisi hoc mirum est, quod vis Diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit.*

Pro de Amerino.

Tullius pro Roscio Amerino.

Locus à minori ad maius quid.

Nunc ad locum à minori ad maius gradum faciam. *Locus autem à minori ad maius est comparatio rei minus verisimilis; & minus conuenientis, cum verisimiliori, & magis conuenienti.* Si quod minus est probabile nihilominus verum est; ergo quod magis erit probabile, verum existimandum erit. Vt si Cæsar tribus legionibus potuit hostes superare, profectò sex legionibus easdem superare poterit. Hoc loco utitur Cicero ad suadendum Populo Romano, ut imperij gloriam omnino retineat, ait enim. *Maiores vestri sæpe mercatoribus iniurioſius tractatis bella gesserunt; vos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio, atque tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius Corinthum Patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum Pop. Roman. consularem vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit? Illi libertatem Ciuium Rom. imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos Legatum Populi Rom. omni supplicio interfectum, inultum relinquetis?*

Pro lege Manilia.

Huc spectat illud vulgatum Lyrici.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Vt te ipsum serues, non expergisceris?

Nec minus vulgatum est illud Nasonis

Vt Corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Valet admodum hic locus ad confirmandum, ad mouendum, ad laudandum, & vituperandum, & ad amplificandum.

Supereſt postremus locus à pari, de hoc itaq; disserendum. *Locus à pari est in quo paria cum paribus conferuntur*; eius autem vis in eo posita est, ut parium par sit quoque iudicium, & quod in uno admittitur, in alio quoque admittendum sit. *Vt qui patrem occidit capite multandus; ergo etiam qui occidit matrem eadem pena multandus erit.* Hic autem locus tam per affirmationem, quam per negationem tractatur.

Valet autem ad amplificandum, ad ornandum, ad refellendum, ad laudandum, & vituperandum.

SECTIO TERTIA.

De Locis extrinsecis.

DE hisce locis Aristoteles loquens multa tradit in Rhetoricis, ait autem, περὶ μὲν οὖν ἀδικήματος μόζονος, ἠλάττονος, εἴρηται. περὶ δὲ τῶν ἀτέχνων καλουμένων πίστεων, ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων ἐνθυμημάτων. ἰδία γὰρ αὐτῶν τῶν δικανικῶν εἰσι. πίντε τὸν ἀριθμὸν, νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος. *Ac de Iniuria quidem maiori, minorique dictum est. Deinceps ea percurrenda sunt, quæ ad probationes artis expertes pertinere videantur: nam hæ iudicialium controuersiarum sunt propriæ; numero autem sunt quinque Leges, Testimonia, Tabulæ, Quæstiones, Iusiurandum.* Aggreditur igitur probationes arte carentes, quæ sic appellantur, non quidem ratione usûs, cum maximum artificium requirant, sed ratione inuentionis, & loci: Dici solent *Assumpta*, quoniam ab Oratore nõ excogitantur, sed extrinsecus assumuntur, licet varijs luminibus illustrentur, & summa cum arte tractentur. Sunt autem huiusmodi probationes propriæ controuersiarum illarum, quæ in iudicio tractantur, quandoquidem ad alia genera, vel parum, vel nihil conducunt; quod si forsan usu venit, ut in demonstratiuo, & deliberatiuo genere adhibeantur, ideo est, quia in omni genere dicendi, finis quidem est, qui ad iudicium refertur. Tametsi autem Stagirites quinario numero commemoratas probationes comprehenderit; Fabius tamen tex illas esse contendit, inter quas nec Leges recenset. *Ex illo*, inquit, *priore genere sunt, Præiudicia, Rumores, Tormenta, Tabulæ, Iusiurandum, Testes, in quibus pars maxima contemptionum forensium consistit;* Sed hæc omnia Tullius testimonia vocat, quorum duo genera constituit, Diuinum unum, ut *Oracula, Auspicia, Vaticinationes, Responsa Sacerdotum, Ar-*

spicum, Coniectorum: Alterum humanum, quod ex auctoritate, & ex voluntate, ex oratione libera, aut expressa, spectatur, in quo Scripta, Pacta, Promissa iurata, Quæsita insunt. Hæ autem probationes explicandę supersunt.

De Testimonijs iuvat primò differere, de quibus Aristoteles disputans eorum, ait duo esse genera, quorum alij, ex eius sententia, sunt antiqui, ut Poetæ, Oratores, Historici, ac demùm omnes auctores illustres; alij verò noui, qui vel periculi participes sunt, si contingat ut falsa comminiscantur, quales sunt ij, qui in iudicijs iurati testimonium dicunt; vel sunt extra periculum positi, ut illi, qui iam de re quapiam simili, vel eadem iudicarunt. Cicero tamen duo testimoniorum genera decernit, alterum Diuinum, ut Oracula, Auspicia, Vaticinationes: Alterum humanum, Quod ex auctoritate, & ex voluntate, & ex oratione spectatur. Quanuis autem Stagirites Diuina testimonia videatur prætermisisse, cum allatam partitionem neglexerit, illa tamen attingit, dum ait etiam esse testes futurarum rerum, ut Vates, & Augures. Ipse porro docet antiquos testes esse Auctores claros, & illustres, quorum aperta iudicia sunt. Ad antiquum autem testem duo ipse requirit, ut fide dignus habeatur: primum est ut sit illustris, & clarus auctor, obscuro siquidem Auctori, & ignobili nulla potest haberi fides: secundum, ut eius iudicium sit perspicuum, & apertum, ne in aliam partem traduci possit; hæc autem eleganter exemplis illustrat. Testibus antiquis explicatis de rebus præteritis, docet eos etiam de futuris inueniri posse, quoniam Vates, & Augures, quæ futura sunt, prædicunt.

Testium, de quibus loquimur, usus, ex Tullio colligi potest; is enim orationem de responsis Aruspicum, & tertiam in Catilinam actionem hoc argumenti genere contexuit.

Inter antiqua tamen testimonia recensent etiam Prouerbia, quæ ut suo loco monuimus, ad fidem faciendam non exiguam vim habent; quibus explicatis ad nouos testes accedit; primò de ijs verba faciens, qui sunt extra periculum positi, quales sunt viri clari, ac illustres, qui iam de re aliqua iudicium fecere, quod enim iam probatorum hominum sententia confirmatum est, ijs quammaximè utile ac opportunum est, qui eadem de re litigant. Deinde Philosophus ad nouos illos testes, qui dicuntur periculi participes, gradum facit, affirmans eos esse, qui testimonium in iudicio dicunt; non ratione iudicij in quo reus est, sed alterâ, quia si mentiti fuerint, vel mercede corrupti, vel alicui gratificantes, acerbioribus pœnis urgentur, in quibus tractandis summum patroni laborem perferunt, nam laudandi sunt si nos eis utimur, obiurgandi verò si contra nos dixerint, ut ob id in actionibus communis sit locus à testibus, & contra testes; itaque si nos producimus testes, eorum fidem, religionem, & auctoritatem prædicabimus; si verò contra nos producti fuerint, eorum turpitudinem, scelera, & infamiam notabimus, & enixè conabimur ostendere ipsis nullam fidem habendam esse. Docet autem hos tantùm testari posse de facto, non autem de facti qualitate; vel tantummodo factum esse dicunt id, quod in controuersia positum est, vel non factum, vel esse vel non esse; an verò res illa iusta sit an iniusta, an utilis, vel inutilis, ab ipsis addi non solet, cum hoc, vel ad iudices, vel ad eos, qui magna sunt auctoritate præditos attineat, adeout si hoc tentarint non immeritò possint irrideri.

Testes autem remotos vocat Philosophus præiudicia, vel à Senatu, vel à Iudicibus, vel ab aliquo spectabili viro facta, atque etiam ea testimonia, quæ, vel à Poetis, vel ab illustribus auctoribus desumuntur; hi porrò ex eius placito, à causa remoti, qui antea, vel de eadem re, vel de simili pronunciarunt, de qualitate quoque pronunciasse videri possunt, nimirum ostendisse utrum res sit iusta, an non. *præiudicia.*

Docet porrò quomodo testium auctoritas, vel augeri dicendo, vel minui possit, & primò quo pacto ei detractio facienda sit; cum enim quispiam testes non habet, dicere debebit iudicium non ex testibus, sed ex argumentis faciendum esse; iurati nanque sunt iudices æquissimâ sententiâ se iudicaturos; argumenta siquidem firma sunt, ac certa, nec ullatenus pecunijs deprauari possunt, quod in testibus non raro euenit; nec argumenta mentiri, aut fallere quemadmodum testes consueuerunt. *Quo pacto Testiũ auctoritas augeri, vel minui possit, & primò quomodo sit minuenda.*

Fides autem testibus adiungitur hac arte. Qui testes habet, argumentis credendum non esse dicet, quoniam sine pœna liberiùs fingi possunt; testes autem, cum probè cognoscant pœnę sibi periculum imminere, si falsa dixerint, tantummodo quæ vera sunt, asseuerant. Adde præterea, ideo testes in iudicium adduci solere, quia non existimatur argumentis fidem adhibendam, quòd si verba sufficerent, testibus non opus foret. *Quomodo Fides Testibus adiungi possit.*

Testium verò magnam utilitatem esse Philosophus declarat, nullumque esse, qui in iudicio copiam eorum habere non possit; sunt enim testimonia, vel de se ipso, vel de aduersario; de se ipso, propterea quòd Patronus, & Reus pro una sumutur persona, cum Orator, vel se, vel Reum innocentem esse testibus probet; de aduersario; cum Orator testibus ostendat eum, vel commisisse facinus, de quo accusatur, vel iniquis moribus affectum esse. *Magna testium utilitas.*

In textibus plerunque consideratur an amici, an inimici sint, an neutro, sed medio quodam affecti sint modo; amici siquidem testimonio suo conantur amicum subleuare; inimici ex aduerso deprimere inimicum contendunt; qui verò nec amici, nec inimici sunt, sæpesæpius veriores esse solent. Consideratur amplius num testes probatæ sint fidei, an infames, an medio modo se habeant, propterea quòd probi, religiosiq; viri nunquam, nec pro amico quidem mentiuntur, cum ipsi putent seruandum illud Periclis: *Amicis adesse oportet usque ad aras*, hoc est, ut ne pro amicitia imminantur religio; idcircò qui testes producit, debet eos probos esse viros ostendere. Qui autem infames sunt, ac improbi homines, nullo negotio ad fidem, & iusiurandum negligendum inducuntur, nec testimonij religionem curant. Qui autem medio modo sunt affecti, vel propter amicitiam, vel propter magnum pretium ad falsum dicendum citra difficultatem inducuntur. *Quæ in testibus consideretur.*

De testimonijs acturi talem ordinem seruandum operæ pretium duximus, ut primò, quæ ad antiquam gentilitatem pertinerent, postea verò, quæ decent christianam pietatem explicemus. Ex veterum igitur consilio Testimonium, vel est Diuinum, vel Humanum: Testimonium Humanum, vel est Oraculum, vel Auspicium, vel Vaticinatio, vel Responsum. Oraculum est vox Dei. Sed Auspicium, seu Augurium, est Testimonium captum ex auium cantu, volatu, & pastu. Vaticinatio nil aliud, quàm Vatum responsum; At responsum est triplex: vel sacerdotũ, nam olim sacerdotes de obscuritate Oraculorum, Auspiciorum, & Vaticinationum consulebantur: vel est Aruspicum, qui ex inspectione extorum, seu viscerum conijciebant: vel tandem Coniectorum, quorum erat somnia interpretari. Hæc sunt deliramenta vete- *Antiquis testimonium vel diuinum, vel humanum. Humanũ quotuplex. Oraculũ quid. Auspiciũ. Vaticinatio. Responsũ triplex.*

veterum, & insulsæ gentilitatis.

Quid de his iuxta christianã pietatem dicendũ.

Nobis porrò hac de re ita ratiocinandum, ut Testimonium Diuinum sit illud, cuius Deus est auctor, siue per se ipsum, siue per alium. Angelicum autem quod est ab Angelo, Humanum quod ab homine. Inter humana testimonia hæc recensèri solent. 1. Ius Ciuile scriptum quod Leges, Plebiscita, Senatus consulta, Principum placita, Magistratum Edicta & Responsa prudentum, complectitur. 2. Præiudicia, quæ continent Testamenta, Tabulas, Chirographa, Libros scriptos Theologorum, Philosophorum, Oratorum, Poetarum, & Historicorum. Humana verò testimonia in oratione posita sunt illa, quæ Testimonia libera, & extorta comprehendunt. At verò Testimonia posita in aliqua re sunt illa, quæ omne ius scriptum, usus, & consuetudines approbatas complectuntur.

Testimonium diuinum quid.

Angelicũ. Humanũ.

Inter testimonia humana, quæ recẽsenda.

Ius ciuile.

Præiudicia.

Testamẽta Tabulæ &c.

Humana testimonia in oratione posita.

Ad Humana verò Testimonia referri possunt, primò quidem ea, quæ ex auctoritate, aut eruditione, aut opibus, aut virtute virorum illustrium pendent; secundò ea, quæ pendent atque proficiscuntur à Regum, Principum, & Rerumpublicarum voluntate. 3 Tandem ad Humana Testimonia referuntur ea, quæ sunt ab oratione, quam homines liberè protulerunt, vel quam cruciati confessi sunt. Ad primum genus pertinent Exempla, Sententiæ, Prouerbia, Symbola, & alia, quæ ex veterum libris eliciuntur; Ad secundum genus, Leges, Edicta & Præiudicia pertinent. Ad tertium tandem pertinent Testes, Ius-jurandum, Pacta, Conuenta, & quæsita, seu cruciatibus extorta.

Quæ ad humana testimonia referantur.

Sequitur Exemplum, quod est rei gestæ, vel quasi gestæ commemoratio; de eius autem requisitis infra disserendum.

Exemplũ quid.

Succedit Symbolum, de quo & de eius speciebus supra disseruimus, & iterum aliqua breuiter infra dicemus.

Symbolũ.

Amplius recensetur Lex, quæ vel est æterna, vel naturæ, vel humana. Æterna est à Deo. Naturæ est ab eodem, sed ut ab auctore naturæ, & humana est ab homine. Lex humana, vel est Ecclesiastica, vel Ciuilis; prima est ab Ecclesia, secunda à Magistratibus.

Lex.

Lex alia æterna, alia naturæ & alia humana.

Ius vel est commune, seu gentium, vel est proprium, seu Ciuile. Ius commune ad omnes gentes, proprium ad certum aliquod Regnum, vel Prouinciam, vel Ciuitatem pertinet. Ius Ciuile, vel est scriptum, vel est longâ consuetudine receptum.

Ius quotuplex.

Testes qui & quot modis dicantur.

Testes sunt, qui quocunque modo aliquid testantur. Ex ipsis autem aliqui dicuntur oculati, alii auriti, alii iurati. Testis oculatus est, qui propriis oculis vidit; auritus, qui auribus propriis audiuit; Iuratus tandem, qui se iureiurando adstrinxit.

Pactum.

Pactum, siue conuentum est id, quod inter aliquos conuenit.

Tabulæ.

Tabulæ sunt testimonia ex scripto prolata.

Signa.

Signa comprehendunt Chirographum, subscriptiones, atque sigilla tabulis impressa.

Quæstio.

Quæstio, prout ad præsens attinet institutum, est cruciatus, quo Reus ad sceleris confessionem adigitur.

Iusiurandum.

Iusiurandum est affirmatio, vel negatio rei alicuius religioso ritu peracta.

Præiudicia.

Præiudicia sunt iudicia facta ante causam, de qua agitur.

Rumor.

Rumor tandem est fama, siue sermo sine ullo Auctore dispersus. De his in præsentia breuiter disputandum; & primò de Testimonio Diuino, iuxta tamen christianam religionem accepto, sermonem instituemus.

Testimo-

Testimonium Diuinum ad rei confirmationem, sumum, ac incomparabile momentum habet: tum propter excelsæ naturę dignitatem, quæ Deo magnam veneratioñem, & auctoritatem conciliat: tum propter eius sublimem, & infinitam sapientiam, quæ nec ipsum falli, nec in prauos errores prolabi sinit: tum ad extremum propter bonitatem immensam, quæ facit ut is nec fallere, nec mentiri ullo modo possit. Huiusmodi autem testimonium contingit cum Deus ailcui fidem facit, vel nullo intermedio, vel mediis creaturis, ex quo sic licet arguere. *Deus hoc vel per se, vel per alios dixit; ergo verum esse oportet*, cum ille mentiri non possit; multifariam autem hoc testimonium contingit, prout multiplex est modus, quo Deus fidem potest mortalibus facere.

nium &. uinum. summum habet au ctoritat.

Argumentum à Diuina auctoritate deducitur.

Primò si Deus per se ipsum nobiscum verba faciat, diciturque Oraculum. Secundò per aues, per creaturas irrationales, cuiusmodi sunt portenta Cometes, vel aliud simile recèns in Cęlo apparẽs, Auguria, &c. Per homines, quod trifariam euenit; primò quando nullo externo signo, sed vi quadam internâ homines futura præsentiunt: hinc Vaticinia, & Prophetiæ; secundò per homines qui libros sacros interpretentur, & sunt sacerdotum responsa; tertiò per eos, qui à portentis, viscęribus, & ignis quibusdam insolitis futura coniiciant; & huiusmodi sunt Aruspicum responsa, vel per eos, qui somnia interpretentur, & Coniectorum responsa dicuntur. De his multa dicenda forent, quæ tamen magnâ ex parte silentio præteribo, tum quia Testimonia iuxtà Veteres utpotè deliriâ iam in aniles fabulas defecerunt; tum quia valdè properamus ad Physicam, ut propterea nobis sit opus quamprimum præsenti Tomo finem imponere; facere tamen non possum, quin eruditionis gratia paucis quædam attingam, ex iis, quæ de his antiqua Gentilitas dicebat, gradum facturus ad breuiter etiã tractanda, quæ in re proposita Christiana religio permittit.

Mult tiam co tingu.

Duo fecerunt veteres diuinandi genera, alterum naturale, quod animos arriperet, atque diuinitùs afflaret: alterum artificiale, quod extrinsecùs assumeretur, partim coniecturâ, partim diuturnâ obseruatione constans; ad primum genus pertinet Oraculum, quod in eo Deorum insit ratio, seu potius Dęmonum præstigium, dum responsa petentibus modo infra dicendo, dabant. Plura sunt, quæ prædictis Oraculis auctoritatem conciliarunt, nimirum summus nationum consensus, vix enim ullam earum reperies Oraculis destitutam; illud etiam quòd pœnas fuerint illi, qui ea neglexerunt; & contra, quòd prospera euenerint iis, qui ea coluerint. Amplius quòd casu aliqua prędixerint, quæ cum veritate consenserint. Oraculum porrò ut dicebam, idem est, ac diuinum responsum, ex eo dictum, quòd illic velut insit diuina ratio, alioquin oracula, vaticinia, χρησμοὶ, μαντεύματα, Demonomantiæ, pro iisdem usurpari consueuerunt: omnibus enim commune est, quòd in iis Theomantiam veram, siue Prophetiam Dęmon conatur imitari, dando nimirum responsa petentibus, ex antris, statuis, hominibus, specubus, quod nullam causam naturalem habet. Huiusmodi autem fuerunt Oracula Iouis Dodonei, atque Dodonandum à posteris institutum, cuius ministræ Magi fuerunt, Quercus conscerarunt, & pelues pulsare instituerunt. Item Iouis Trophonii, item Apollinis Delphici, Clarii, Delii, Smynthei, & alia Oracula nullo ferè numero comprehensa, quorum pleraque Dęmon per maleficas depromebat, quales erant fœminæ dictæ Dodonides Columbæ. Item Gallicenæ (sic dictæ mulieres quædam antistites Gallici numinis, in Sena Britannici maris

Duo g veteres uinand genera Naturã Artific le.

Cicero Topic

Cæl. R rog. lect Ortũ.

Pomp in Am

maris Insula) quæ magici Carminis vi, facultatevè tempestatem ciebant, futura prædicebant, & insanabilia curabant. Item, & Phythiæ Delphis tales etiam fuere. Huc pertinet Omen, & Augurium, quod ore fit, & est rei futuræ enunciatio, quod ex ore loquentis capitur, diuino tamen id numine procurante; adeo humano generi diuinatio semper arrisit, ut ob id Cicero aliquando dixerit. *Gentem, quidem nullam video, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi prædicique posse censeat.* Familiare idcircò summoperè fuit veteribus quodlibet Diuinationis genus, ut idem notauit. *Nec unum*, inquit, *genus est Diuinationis publicè, priuatimque celebratum, nam ut omittam cæteros populos, noster quam multa genera complexus est.* Innumera penè sunt exempla. Celebre illud augurium de Dionysio est. Hic enim cum Magistratus per literas fortè crearentur, & ipsi contigisset litera μ, dicenti cuidam per iocum μωρολογεῖς, id est, stulta effers Dionysi; immò, inquit, μοναρχήσω, Monarcha ero, & adeptus magistratum protinus Imperator electus est à Syracusanis. Nec minus præclarum est alterum de Nerone. Hic enim in Oedipode fabula, quam nouissimè recitauit, in hoc versu decidisse fertur

Θανεῖν μὲ ἔκτεσ' σύγγαμβρ', μητέρ', πατέρ'.
Iussit mori me mater, uxor, & pater.

Nam Oedipus patrem insciens occiderat, matrem uxorem duxerat. Ita Nero sciens Claudium patrem occiderat, matrem constupratam interfecerat, & Octauiam Vxorem pessimè tractauit. Horum tamen quanta sit vanitas, nemo non videt. Oraculo usus est Tullius, non uno in loco, præsertim ubi auaritiam inde plurimum insectatur; sed hæc vel eo nomine saltem detestanda, quòd eorum auctor sit mendacii pater, & ideo obscura, dubia, incerta, & ambigua semper illa dare cogebatur. Quantum autem spernendum Oraculum Ethnicorum, tantumdem venerandum, quod Christianorum est, cuius auctor est ipsa Veritas.

Vaticinationes porrò sunt Vatum, ac Poetarum, quos cum semel furor incesserit, eorundemque mentes agitauerit, facit illos in posterum præsentire, non ita tamen, quòd oracula dici possint, quoniam in his, vel per se Numen loquitur, vel homines vi quapiam, è Cælo nouiter delapsa, in illis autem non item His augurijs Pythagoras magnam auctoritatem tribuisse dicitur; *cum ipse augur adhuc vellet esse*, ut ait Tullius, *plurimisque locis grauis auctor Democritus præsensionem rerum futurarum comprobaret, Dicæarchus Peripateticus cætera diuinationis genera sustulit, somniorum, & furoris reliquit.* Ex hoc, de quo loquimur, loco videlicet Oraculum, & Vaticiniorum tam veteres, quàm recentiores oratores in omni dicendi genere, & præsertim exornatiuo, argumentorum copiam, desumere consueuerunt, ut cuique satis est exploratum. Non enim exigua laus, nec in postremis habendum, aut vituperium felici vel infelici omine natum fuisse; speciatim in proœmijs exornatiui generis hæc solent usurpari; sed ad suadendum, ac dissuadendum frequens huius est loci usus, ut ex Tullio colligitur, præcipue ubi ait. *Hortensij, & mea, & Luculli sententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non potest) sed &c.* Respicit autem ad Sybillinam sententiam, quæ præcipiebat, ne Rex cum exercitu reduceretur; sic enim habebat, referente Dione. *Cum libros Sybillinos adijssent sacerdotes, ita scriptum inuenerunt, Si Rex Ægypti à vobis auxilium petiturus accesserit, amicitiam quidem ei ne denegate, sed ne ad eius auxilium mittatur exercitus; si secus feceritis, & labores & pericula consequentur.* Immo etiam & Poetæ Oraculis &c. usi sunt, Lucanus enim Pompeij mortem ex hoc loco mirificè satis exornat. Lucanus lib. 8.

Haud equidem immeritò Cumanæ carmine Vatis.
Cautum, ne Nili, Pelusia tangeret ora.
Hesperius miles, ripasque æstate tumentes.

Exitium enim illud Romanis impendere, è carmine Sybillino quindecim Viri interpretati sunt, si Ptolemæus Auletes à Gabinio, qui tum Syriæ præfuit, ex auctoritate Pompeij & S. C. reduceretur; Lucanus autem ad rem Pompeij præsentem refert.

Hunc autem furorem quàmelegantissimè Tullius irridet. *Quid habet*, inquit *auctoritatis furor iste, quem Diuinum vocatis, ut quæ sapiens non videat, ea videat insanus, & is qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit? Sybillæ versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres, nuper falsa quædam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem re verâ Regem habebamus, appellandum, quoque esse Regem, si salui esse vellemus. Hoc si est in libris, &c.* His porrò non esse fidendum vaticinijs multa nos erudiunt, interquę non in postremis illud quod de Philippo Macedone memoriæ proditum est, videlicet ipsum monitum fuisse, ut à quadrigo sibi caueret, cum tamen delusus fuerit; curauit enim à se currus omnes ammoueri, irritum tamen laborem pertulit, siquidem confossus fuit Pausaniæ gladio, cuius in manubrio quadriga ad ornatum incisa fuerat. Tullius a. de Diuinat.

Sunt & Auspicia, quæ non tantùm pro inspectione auium, sed etiam rerum omnium, ex quibus ad cognitionem futurorum venire possumus, usurpari solent. Augurium etiam dicitur eò quòd ex huiusmodi inspectionibus Augures Deorum consilia colligeret. Quinque eorum genera statuuntur. Primò enim sumebantur à Cælo, cum nimirùm Augures de signata Cæli regione captabant auspicium, nempè quòd Tonitrum, siue Fulmen à sinistra, ad dextram emicuisset, auspicium optimum erat, sine quo nefas credebatur cum populo agere. Hoc utitur Cicero. Secundò sumebatur auspicium ab Auibus. Tertiò ex Tripudijs. Quartò ex Quadrupedibus, & Reptilibus. Quintò ex Diris, seu Ominibus; ut si quis pedes limen offendisset, si quid triste vel feriret aures vel oculis obijceretur. Sed de his, & alijs similibus plura tractare alienum est ab instituto; de his enim alibi dabitur nobis differendi locus. Auspicia quid. Augurium quid. Quinque species Augurijs

Horum summa hæc est, ut his utatur Orator, hac tamen animaduersione, quòd si fuerint illa, quæ à Veteribus usurpabantur, ea solum eruditionis gratia in medium afferat, nec illis utatur ad faciendam fidem, ne æstimationem amittat, se nimis credulum ostendendo. At quæ vera Religio commendat, ad probandum adhibeat, tanquam diuinum testimonium, quo nihil certius, nihilque firmius esse potest. Diuinum autem testimonium, pluribus modis contingit, cum is mutatiam possit mortalibus fidem facere; ut non multo ante dictum fuit; itaque omnibus ijs modis Orator diuinum testimonium poterit usurpare summa cum laude. Quare innixus Diuino testi poterit Orator multa dicere, quibus auditor persuasum habebit, quicquid ille voluerit; siue id affirmet à Deo nullo intermedio dictum fuisse, ac ob id ab Oraculo desumat argumentum; siue per creaturas irrationales, cuiusmodi sunt, Portenta, Cometes, Aues, Auguria &c. siue per homines, ut sunt Prophetæ ac ob id Prophetiæ, Responsa Sacerdotum, Auruspicum, Supra sic dictorum summa. Prophetię

& Co-

Digitized by Google

& Coniectorum, siue per sacras paginas. Est autem Propheta is, qui ex Dei instinctu rem prædicit antequam eueniat, iuxta propriam huius vocis notionem, ac originem; alioquin Prophetæ nomen extenditur ad significandum cum, qui cordis arcana, aut alia secreta reuelat, & eum, qui Diuinæ mentis est conscius, &c. *Prophetia porro dicitur Diuina quidem inspiratio rerum à nobis procul distantium summa cum veritate, certitudineque futura prædicens.* Contingit autem, cum qui diuino quodam impulsu agitatus prædicendo futura loquitur. Responsa verò Sacerdotum sunt interpretationes diuinarum scripturarum. Responsa Aruspicum sunt obseruationes quibus ex extis victimarum in ara vaticinantur. Responsa, tandem Coniectorum sunt somniorum interpretationes, de quibus omnibus in Physicis futura nobis est disputatio.

Propheta quis dicatur propria significatione.

Propheta quis dicatur latiori significatu.

Pium autem Oratorem summopere decet uti testimonio ex sacris literis deprompto, illæ siquidem diuinam continent legem, quæ duplex est, scilicet Mosaica, & Euangelica. Sacrarum porrò literarum sensus non unus, sed quadruplex. Primus dicitur *Literalis*, quo nimirum explicantur scripturę, ut verba sonant: Secundus est, *Tropologicus*, siue moralis, qui moralia explicat documenta, quibus homo instructus quid sibi agendum sit iuxta rectam rationem cognoscit: Tertius est *Allegoricus*, qui fidei Mysteria: interpretatur manifestando, quid iuxta fidem orthodoxam credendum sit. Quartus est *Anagogicus*, qui arcana Dei atque Cælestia secreta referendo singula ad æternam Beatitudinem sperandam à nobis ostendit, iuxta carmen.

Testimonio uti diuino summoperè piũ Oratorẽ decet

Litera gesta docet; quid credas Allegoria,
Moralis quid agas; quò tendas Anagogia.

Quadruplex iste sensus in hanc vocem HIERVSALEM cadit; enimverò, iuxta sensum *Literalem* est ciuitas in Palestina; sensu autem *Tropologico* est humanus animus virtutibus exornatus; *Allegoricè* est Ecclesia militans; *Anagogicè* tandem triumphans Ecclesia est.

De Testimonio autem Humano pauca quædam subijciam. Humanum Testimonium in hominis fide positum est, cuius tria genera Tullius decernit. Primum quod ex auctoritate, aut eruditione, virtuteque illustrium virorum pendet. Alterum à voluntate Regum, Principum, ac Rerumpublicarum. Tertium ab Oratione tum libera, hoc est, illâ, quam homines nullâ vi coacti proferunt, ut cum reus crimen sponte fatetur commissum: vel testes iurati coram Prætore confirmant: tum voluntate non liberâ, sed expressâ tormentis; is enim reus dum ad sceleris confessionem torquetur, fatetur id, quod nunquam liberâ voluntate fassus esset.

Humanũ Testimonium in quo consistat.

Eius tria sunt genera.

Ad primum genus pertinent Exempla, Sententiæ, Prouerbia, seu Parœmiæ, Apophthegmata, siue Adagia; Symbola, ad quæ reuocantur Hyeroglifica, Impresiæ, Emblemata, & Ænigmata.

Quæ ad primum genus pertineant.

Ad secundum genus pertinent Leges, Edicta, Præiudicia.

Quæ ad secundũ.

Ad Tertium denique genus pertinent Testimonia, Iusjurandum, Pacta, Conuenta, Quæsita. Primo autem de Exemplo dicamus.

Quæ ad tertium.

Exemplũ quid.

Exemplum, teste Fabio, est rei gestæ, vel quasi gestæ commemoratio, utilis ad persuadendum id, quod intenderis. Duo autem Aristoteles facit exemplorum genera, alterum verum, alterum fictum, ut est illud, quo usus est Tullius pro Lege Manilia, dum ait, *Legati, quòd erant appellati superbiùs Corinthum Patres &c.* Et sic etiam quodcunque aliud ex Historiis; atque adeo ex gestis hominum particularium desumptum. Fictum autem Exemplum est, quod Collationem, vel Fabulam continet. Est autem Collatio nil aliud, quàm similitudo rei, quæ probandi gratia adducitur. Vt *quemadmodum corpus animâ carens cadit: sic Ciuitas nullis administrata legibus euertitur.* Vel ex Tullio hoc modo, *Vt corpora nostra sine mente, sic Ciuitas sine lege, suis partibus, & neruis, ac sanguine, & membris uti non potest.* Vel ex Demosthene non expressâ similitudinis notâ, *Nullus est usus Ciuitatis, quæ neruos ac vires aduersus sceleratos, & iniurios non habet: neque Reipublicæ, in qua venia amicorum preces plus valent, quàm leges.* Fabula est res olim ab aliis ficta, quâ Orator sæpesæpius utitur ad probandum. Ita Demosthenes Apologo de canibus, lupis & pastoribus, suasit Atheniensibus, ne oratores Macedonum Regi traderent.

Hæc etiam Cicero cognouit, ut propterea hoc exempli genere utatur, dum ait. *Itaque hoc Iudices, non sine causa, fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris ulciscendi causâ matrem necauisset variatis hominum sententijs, non solum humanâ, sed etiam sapientissimæ Deæ sententiâ liberatum.* Respexit ad Orestem; Fabula siquidem hæc est. Agamnenon Græcorum Imperator Troiam profecturus, Ægistho Clytemnestram uxorem, & regnum commendauit; ille porrò cum hac adulterium commisit; & hæc ipsa Agamnonem reuersum interfecit; at Orestes filius septimo anno à cæde, ut patrem ulcisceretur, matri Clytemnestræ & Ægistho adultero, vitam, Oraculo impellente, eripuit. Vtitur etiam eiusdem generis exemplo hoc modo. *Primum*, inquit, *ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medæa illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga, fratris sui membra in ijs locis, quâ se parens persequeretur, dissipauisse, ut eorum collectio dispersa, mœrorque patrius celeritatem persequendi, retardaret.* Ex his autem maximam fidem facit Exemplum verum, cui succedit Similitudo, atque tandem fabula, quæ quanuis incredibilis, homines tamen haud mediocriter commouet. Itaque licet Oratori exempla ex poeticis fabulis desumere, ut etiam Fabius notauit, nisi quòd ijs, ut ipse ait, minus affirmationis adhibetur.

Exemplum vel eo nomine commendabile, quòd efficax sit probationis genus, quod enim exemplo fit, rectè fieri putatur. Et idcircò Philosophus dicebat Orationes, quæ constant exemplis, esse quidem ad persuadendum accommodatas, non minus, quàm alias; licet quæ sunt enthymematibus refertæ, maiori quodam impetu animos commoueant. Exempla verò maxime etiam delectant: tum quia homines per exempla facilè, & celeriter discunt; de singularibus enim sunt, quæ facilius, quàm uniuersalia cognoscuntur, ex quibus enthymemata fiunt: tum quia exempla similia sunt testibus, quibus facilè fidem adhibemus: tum quia cum suauitate quadam, quod simile est, percipimus. In exemplis autem maximè similitudo inuoluitur, cum sine hac minimè possint illa consistere. Hæc nouit etiam Cicero, qui propterea *Commemoratio autem, inquit, antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione, & auctoritatem orationis affert, & fidem.* Hinc satis illud vulgatum, nimirum longum iter esse per præcepta, breue autem, & efficax per exempla; non propterea tamen exemplis nimium scateat Oratio, sed cum delectu ea sunt adhibenda.

Exemplũ quid. 2. Rhetor. cap. 42.

Exemplũ efficax est ad probãdum. 2. Rhetor. cap. 20.

Sectio. 18. Probl.

Exemplũ cum delectu adhibendum.

Curandum quoque, ut exempla verbis, sententiis, figurarumque luminibus, quantum res patitur, illustrentur, & præsertim, quæ grauissima sunt, quæque exitus

Exempla sunt exornanda.

Digitized by Google

exitus habent inopinatos, usurpentur; adeout non sine animorum suspensione audiantur, quod pluribus in locis à Cicerone factum quisque poterit obseruare, præcipuè verò ubi seipsum ad omnia pro Republica fortiter perferenda non mediocriter hortatur.

Elegans etiam erit exemplorum usus, & in ipsis maior dignitas elucebit, si epiphonemate, vel exclamatione concludantur. Iuvat etiam ea esse amplificata per adiuncta, per antitheta, & variis etiam circumstantiis induta, variisque modis exornata, quæ passim in orationibus Ciceronis quisque poterit intueri.

Præter exempla, ut non multo anteà dictum fuit, ab auctoritate petuntur Sententiæ; Prouerbia, & Symbola, de quibus, cum suo loco disputatum à nobis fuerit, non est cur hîc sermonem habeamus, ob id ad quæ sequuntur gradum facere iuvabit.

SECTIO QVARTA,

De Argumentatione.

TRia sunt Aristotelis testimonio, quibus suasio omnis perficitur, mores Oratoris; motus Auditoris, & argumentorum Tractatio. In argumentis autem quam maximam suadendi spem habere debet Orator; quanuis enim duo priùs commemorata ad id summoperè conducant, longè tamen magis argumentum. Quoniam autem hoc nunquam audientium animis vulnus infligit, nisi robustæ argumentationis vi ab Oratore vibretur, ac torqueatur, ob id operæ pretium est diligenter aduertere, cuiusmodi debeat esse argumentatio, qua ad persuadendum uti debeat Orator.

Argumentatio nil aliud videbatur Tullio, quàm argumenti explicatio; quod aliis etiam arrisit, eò quòd argumentum, antequam fusiùs per argumentationem explicetur, gladius, quasi vaginâ inclusus dici possit, qui ut vim sortiatur, educendus est, & per argumentationem ad usum adhiberi debet. Nam ex locis argumenta sumuntur, magni tamen refert quo pacto ipsa tractentur, hoc autem in argumentatione positũ est. Probandum sit *Castitatem amplectendam esse*; Ad hoc oratoriè tractandũ oportet petere rationes à communium locorum fontibus, videlicet à definitione, à partium enumeratione, à notatione nominis, à coniugatis, à genere & forma, à simili, à dissimili, à causa, ab effectis, à contrario, ab antecedentibus, concomitantibus, consequentibus, ab exemplo, & à comparatione; ex his autem quælibet deducta ratio argumentum dicitur, nondum tamen explicatum, adhuc enim veritas verborum tecta plurimis inuolucris, propriæ lucis radijs, quantumuis fulgentissimis, auditoris animum ferire non potest; hæc eadem tamen latiùs explicata, dicendique præceptionibus effusa, atque detecta, non immeritò argumentatio vim ad mouendum animum adepta dicetur. Videas igitur Oratori, quid argumentatio dicatur.

Hæc autem explicatio nil aliud, quàm quædam dispositio in aliqua arguendi forma, per quam unum ex alio deducitur; itaque Dialecticis, Argumentum & Argumentatio quantumuis reipsâ sint idem; Rhetoribus tamen, tanquam materia, & dispositio secundum formam discriminantur. Argumentationis autem species, Oratori, sunt, quæ sequuntur *Ratiocinatio, seu Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Dilemma, Inuersio, Sorites, Comparatio, & Enumeratio.* Ad primas autem quatuor species, quas Orator à Dialectico mutuatur, reliquæ reducuntur, immò tandem omnes ad syllogismum reuocantur.

In quo tota Argumentationis vis posita sit.

Sed quoniam argumentationis tota vis in eo planè consistit, ut de re quapiam aliquid affirmetur, aut negetur, dumque hoc fit duo spectanda sunt, ob id hæc oportet expendere. Primum est id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur; alterum id, quod affirmatur, aut negatur; affirmando autem, vel negando, quæ sequuntur quæstiones fieri possunt. Quarum prima est *an sit*, vel *fuerit*, vel *futura sit*, vel *esse possit*; hæc autem quæstio vel per affirmationem, vel per dubitationem, vel per negationem tractari potest. Secunda *quid res sit*, cui fit satis per definitionem, vel descriptionem. Tertia *à quo res illa sit, & ex quo constet.* Et explicatur per demonstrationem à causa efficienti, & materiali. Quarta est, *quanta res sit*, & disputatur per rationem magnitudinis, aut paruitatis, vel multitudinis, vel per comparationem cum aliquo alio. Quinta est, *quid res sit;* & explicatur, vel per differentias essentiales, vel per proprietates eiusdem, vel demùm per accidentia, quæ rem ipsam circumstant, & ab alijs distinguunt. Sexta est *quando res fuerit*, aut *futura sit*, & hæc tractatur per temporis adiuncta, & per circumstantias. Septima est *ubi res sit, fuerit*, aut *futura sit.* Exponitur autem per descriptionem loci. Octaua est, *cur res facta sit.* Et huic fit satis per rationes, quarum impulsu res facta sit, vel futura sit. Nona est, *quibus auxilijs res facta fuerit*, vel *fieri debeat.* Explicatur per descriptionem instrumentorum, vel eorum à quibus auxilia afferri possint, aut potuerint. Decima est, *quomodo res sit.* Declaratur autem proponendo modum quo res fieri possit. Hæ sunt quæstiones, quæ solent, ac possunt de re quapiam fieri, & in quibus vis argumentationis exercetur ex Rhetoricis locis desumptę, quatenus ex ipsis res certæ, aut probabiles, quæ valent ad argumentationem extruendam sumuntur. Certæ autem res dicuntur, quæ sensibus patent, quæ communi omnium opinione comprobantur, quæ causæ legibus, moribusque receptæ sunt, quæque iam probatæ, & ab aduersarijs concessæ fuerunt. Probabiles autem, quæ semper eueniunt, quæque speciem veritatis præseferre videntur.

Quæstiones, quæ de re quapiam fieri possunt.

De Ratiocinatione, seu Syllogismo.

RAtiocinatio, siue Syllogismus est argumentatio constans ex tribus enunciationibus inuicem ita connexis, atque dispositis, ut ex duabus primis, deducatur tertia: Earum autem prima à Dialecticis Major; secunda Minor; tertia Conclusio nuncupatur; sed à Rhetoricis, prima dicitur Propositio; secunda Assumptio; tertia Complexio, quibus addendo probationes Propositionis, & Assumptionis, quinque ratiocinationis partes constituuntur, quarum prima est propositio, quæ à Dialecticis vocatur maior; secunda est propositionis ratio, tertia assumptio, quæ nuncupatur minor, quarta ratio assumptionis, quinta est complexio, quæ conclusio dici solet.

Ratiocinatio, siue Syllogismus quid.

Syllogismi partes quæ à Dialecticis, & quę à Rhetoricis statuantur.

Non eodem modo, Syllogismus, à Dialectico, & à Rhetore conficitur; enimverò ille, ut in cæteris, sic in syllogismo parcus est, & adstrictus; hic autem solutior, ac liberior. prout Dialectica adstrictæ manui, & in pugnum collectæ: Rhetorica verò eidem expansæ persimilis est.

Ad ostendendum de pace cum Antonio nullatenus agendum esse, Cicero pressus loquens, hunc ferè in modum argumentari potuisset. *Nulla cum aliquo pax turpis Populo Romano habenda est; sed quæcunque pax à Populo Rom. habeatur cum Antonio, turpis est;*

Tullius Philippica septima.

ergo

Ergo nulla pax à Pop. Rom. cum Antonio haberi debet. Tullius autem aduertens Oratoris personam se gerere peropportunum duxit ratiocinationem sic arte tractare, ut varijs ornatibus cluceret; idcircoita loquitur. *Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest, quæ tria dum explico, peto à vobis P.C. ut eâdem benignitate, quâ soletis verba mea audiatis. Quid est inconstantiâ, mobilitate, leuitate cum singulis hominibus, tum verò uniuerso senatui turpius? Quid porrò inconstantius, quàm, &c.* Quibus latè se admodum effundens, pluribus luminibus argumentum exornat. Nos autem vestigijs ipsius inhærentes, rem possumus exemplo sic illustrare. Superiùs dicta exẽplo illustrantur. Propositum sit nobis ostendere. *Iustitiam in primis amplectendam esse*: Si Dialecticis legibus adstricti nos id facere velimus, sequentem in modum argumentabimur. *Illa virtus, quæ perneccssaria est homini ad ciuilem vitam traducendam, cuilibet summoperè amplectenda est; sed huiusmodi est Iustitia; ergo Iustitia cuilibet summoperè est amplectenda.* Ratiocinationem eamdem oratoriè, splendidèque sequentem in modum efferemus. Virtus illa par est, ut in delicijs habeatur, sine qua nemini licet ciuilem vitam traducere; quandoquidem cuicunque mortalium inditum est à natura, ut id vehementer expetat, quod ei, summæ necessitatis est, & sine quo esse nullo modo potest; neminem autem præterit Iustitiam esse, quam dixi, virtutem; quis enim adeo rudis, ac indisertus, ne dicam exors, cui perspicuè non constet, luceque clarius non videatur, ad honestam hominum societatem, in qua ciuilis vita planè consistit, opus esse Iustitiâ, sine qua nihil laudabile esse potest, & quæ illa est ad quam virtutes omnes referuntur, quibus vitæ dignitas omnis continetur? non est igitur cur quispiam inficietur iustitiam esse virtutem in primis expetendam. Varijs autem modis hæc tractari possunt, non enim una est exornationis ratio, sed multiplex pro varietate figurarum, & transitionum, quibus illa fieri potest.

Adnotatio. Non est porrò silentio prætereundum esse liberum Oratori ab una, vel ab altera ratiocinationis propositione initium sumere, & alteram propositionum omittere; liberumq; esse aliàs à conclusione, plerunq; ab assumptione, & nonnunquam à probationibus etiam exordiri; quinimò unica tantùm uti propositione, aut assumptione, aut altera, quæ proprio nomine propositio dicitur, ut: *Cur non videbitur capax felicitatis, quod ratione est particeps?* Adiunctâ siquidem assumptione una cum complexione, tota prorsus ratiocinatio absoluitur, dicendo videlicet. *Quicquid est rationis particeps, est felicitatis capax; homo autem rationis est particeps; ergo homo est felicitatis capax.* Quandoque sola potest assumptio adhiberi, itaut adiectâ propositione, & complexione, integra fiat ratiocinatio. Vtrunque factum à Tullio manifestum est.

In Orat. pro Planco. Præstat autem hunc ratiocinationis modum adhibere, ut inseruire breuitati videamur, proindeque ad satietatem declinandam; quam præcipuè vitabit Orator in propositionum expositione, crebras sententias atque figuras usurpando; itaut expediat ei non rarò propositionem explicare, vel optatione, vel exclamatione, vel interrogatione, seu percontatione, vel alijs modis, quos prudens Orator existimauerit opportunos.

Adnotatio.

De Enthymemate.

Magna Enthymematis laus. MAgni fieri ab Aristotele Enthymema in Arte dicendi perspicuè colligitur, ex eoquòd ad ostendendum huius artis scriptores ea prætermisisse, quæ sola artem ipsam constituunt, rationem reddit, quoniam de Enthymematibus nihil præceperunt, cùm tamen ex ipsis uniuersa probandi vis, ac fidei faciendæ ratio dimanet, ait enim *οἱ δὲ περὶ τῶν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. At isti nihil de Enthymematibus loquuntur, quod corpus est fidei faciendæ*, ubi eleganti metaphorâ Philosophus Enthymema vocat *σῶμα τῆς πίστεως. Corpus fidei faciendæ*, ut enim corpus est rei natura, cætera verò illud circumstant: sic Enthymema est substantia artis, reliqua verò sunt extra rem posita, & solùm persuasionem adiuuant. Non dissimulandum tamen Enthymema sumptum ab Aristotele fuisse non ad excludendum omnino syllogismum perfectum, qualis est, qui duabus sumptionibus constat, ex quibus complexionem deducit, sed ad significandam ratiocinationem, quam maluit Enthymematis nomine nuncupare, quoniam Oratori familiarissimum est, ut propterea Oratorius syllogismus appellatus fuerit; & rectè quidem syllogismus dicitur, licet imperfectus, ut Aristoteles loquitur dicens Enthymema esse *ἀτελῆ συλλογισμὸν. Syllogismum imperfectum*, quo usum esse præcipuè Chrysippum accepimus, eoquòd Enthymemata punctim feriant; iisdem porrò frequentiùs, quàm syllogismo utitur Orator, quoniam expeditius & efficaciùs eius usu concludit, ac eiusdem aculeo vehementiùs animos ferit. Enthymema verò est argumentatio solùm ex duabus propositionibus constans, quarum prima antecedens, siue assumptum; altera verò consequens nuncupatur, ut: *Omnis virtus est amore prosequenda; ergo & Iustitia amore prosequenda erit*, adiectâ autem hâc propositione *Iustitia est Virtus*, perfectus fiet syllogismus hoc modo. *Omnis virtus est amore prosequenda; sed Iustitia est virtus; ergo Iustitia est amore prosequenda.* Sic etiam enthymemate ostendi potest *Nullum periculum homini subterfugiendum pro patria. Homo non sibi tantùm, sed parentibus, filijs, amicis & patriæ natus est; nullum igitur ei pro patria subterfugiendum periculum.* Hoc utitur argumentationis genere Tullius dum ferire studet Antonium. *Pacem vult M. Antonius, arma ponat, roget, deprecetur*; & paulo post, *Nihil est profectò, quod dari possit bellum gerenti; erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti.*

Enthymema duplex. *Enthymema verò duplex, quorum unum simplex, & est quod uno, & unico consequente constat, ut: Virtutem amas; subeundus igitur tibi labor est*; cuius usus est frequens, quando post Thesin subinde tractatur Hypothesis, *Enthymema verò compositum est, quod pluribus propositionibus inuicem conglobatis constat*, fierique gemino modo potest: Primo deducendo ex uno antecedente plura consequentia hunc in modum. Obeunda mors est; spernenda sunt ergo caduca, æterna sunt meditanda, Dei sunt colenda mandata, & eidem ardentius famulandũ. Secundo: *Compositum fit Enthymema ex pluribus antecedentibus consequens unum deducendo*, ut: Æternitatem spectas, animoque reuoluis, Diuina præcepta seruas; ergo sperandum tibi futurum, ut æternam beatitudinem consequaris; vel, ut dixi, cum ex una propositione plures conclusiones deducuntur. Enthymema, quemadmodum de syllogismo dictum fuit, exornandum est figuris varijs, atque Rhetoricis luminibus illustrandum, ne nauseam pariat, atque dialecticum Enthymema videatur.

1. Rhet. cap. 2.

1. Prior.

Enthymema dupl.

Digitized by Google

De Inductione.

INductio græcè ἐπαγωγὴ, est argumentatio, quæ ex *pluribus particularibus sufficienter enumeratis universale colligit*. Per hanc enim argumentationem veritas in singularibus manifesta, universè colligitur, ut *Nero, Dionysius, Calligola, & sic de reliquis Tyrannis, infelicem exitum habuerunt; ergo Tyranni omnes eumdem exitum debeant pertimescere.* Hæc argumentatio dici Socratica solet, eoquòd Socrates illa præ cæteris plurimùm uteretur, tanquam aptiori ad suadendum, atque mouendum, ut apud Platonem in Theagete, ubi de sapientia edisserens, probat *hominem sapientum consuetudine; agricolam agricolarum conuictu; militari contubernio, militem fieri*. Talis autem Socrati quidem erat inductionis idea, ut cum plura interrogasset, quæ fateri aduersario necesse foret, nouissimè id, de quo quærebatur, inferret, cui simile concessisset, ut Fabius loquitur, qui rem sic illustrat exemplo, *Quod est pomum generosissimum, nonne quod optimum? Concederetur. Quid equus? Qui generosissimus? nonne qui optimus? Et plura in eumdem modum*; deinde cuius rei gratia rogatum est, *quid homo? nonne is generosissimus, qui optimus fatendum erit?* Commendat hoc Fabius in testium interrogatione: in Oratione perpetua non item; *etenim*, inquit, *sibi ipse respondet Orator. Quod pomum generosissimum? puta quod optimum: & equus, qui velocissimus: ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui virtute maximè excellet?* Vel clarius hoc modo. *Si pomum generosum idest, non quod ex pulchra sit arbore decerptum, sed quod sit pulchrum, & suaue, & equus generosus est, non qui sit ex nobili equa natus, sed qui viribus, cursuque reliquis antecellit: ita vir ille generosus est, non qui generis claritate, nataliumvè splendore gloriatur, sed qui præclarâ virtuteque præditus sit.* Omnia igitur, ut idem ait, ex hoc genere sumpta, necesse aut similia esse, aut dissimilia, ut mox intelliges. Hoc argumentationis genus, ut nuper dicebam, Socrati plurimum arrisit, quoniam nihil afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo quod sibi ille dederat, qui cum disputabat, aliquid conficere malebat, ex eo quod iam concessisset approbare necessario debebat, quanuis dissimile sit in Oratione, ut non multo antea ex Fabio notaui, cum sibi ipse respondeat Orator. Videtur inductio à Parabola, & Exemplis non differre, nisi quòd illa uno duntaxat claudi, hæc nonnisi multis similibus perfici comprehendique potest.

Pluribus modis inductio fit. Aristoteles autem quatuor recensет, & exemplis declarat quomodo scilicet ab inductione ducantur argumenta, & primò quidem per exemplorum congeriem inductionem facit, ut videre licet apud ipsum, cum ait. Ἄλλος ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. Οἷον ἐκ τῆς Πεπαρηθίας κ.λ. *Alius locus ab inductione, ut illud ex Peparethia, &c.* In oppido enim, quod dicebatur Peparethia, cum de puero quodam nato esset controuersia, cuius nam filius esset, si quidem eius mater cum pluribus viris rem habuerat, Orator id censebat à matre petendũ esse, quoniam ea sola verum posset aperire, idque inductione probat ductâ ab exemplis, dicens hoc contigisse Athenis, & Thebis. Hunc eundem locum usurpat Cicero pro Milone, probaturus sceleratos ciues iure interfici posse, quinque autem congerit exempla, & velut unico fasce complectitur. *Neque enim posset aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule Senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset.* Secundum quod affert exemplum est Inductionis à similibus, *ut: Si nullus est tam insipiens, qui proprios equos illis curandos tradat, à quibus videt alienos negligẽter curari, neq; quisquam ita fatuus, ut ei suas gubernandas naues tradat, à quibus videt aliorum euersas, & hoc omnibus in rebus obseruari solet, quid est, quod in salute nostra tuenda nos illis utamur, qui aliorum salutem malè defendere consueuerunt.* Hoc modo Theodectes Aristotelis socius disputabat. Tertium, quo usus est idem Philosophus exemplum ex Alcidamo celebri Oratore desumpsit; cum enim is probare vellet sapientes homines, ubique magno in pretio ac honore haberi, tali usus est inductione. *Archilochus apud Parios, quanuis Poeta maledicus esset; tamen in magno honore fuit & Homerus apud Chios, quanuis eorum ciuis non esset, & Sappho licet mulier esset ad Mytilenæos, & Chilo, qui connumeratur in septem sapientibus, apud Lacedæmonios, quanuis hi studia literarum pene contemnerent, & Pythagoras apud Italos & Anaxagoras apud Lapsacenos, quanuis peregrinus foret, sepulchro satis honorifico publicè decoratus fuit, & ad hunc usque diem cultus; quis igitur non fateatur ubique sapientes homines magno in pretio esse?* Vt autem firmior inductionis vis appareat, singulis exemplis exceptionem apposuit, nimirum Archiloco Poetæ, quòd maledicus esset; Homero, quòd non esset Chiorum ciuis. Sapphoni quòd esset mulier; Chiloni, quòd apud literarum contemptores lucis usurâ frueretur; Pythagoræ, & Anaxagoræ, quòd apud peregrinos habitarent. Quartum exemplum Philosophus affert, quo probat sententiam Platonis, tum scilicet beatas ciuitates fore, quando vel sapientes imperant, vel qui Reipublicæ præsunt sapientum consilijs utuntur, sed hæc inductio quoque ab exemplis ducitur. Vt autem hactenus dicta paucis complectar. Tres sunt præcipuæ inductionis species, quarum prima ab exemplis ducitur, Oratoribus familiarissima, quæ superius ex Aristotele, & etiam ex Cicerone fuit explicata, qualis etiam, & illa. *Si Q. Metellus, si L. Sylla, si C. Marius, si Senatus, si P. Romanus iure fœderatos homines ciuitate donarunt, etiam Cn. Pompeius L. Cornelium fœderatum iure, meritoque potuit ciuitate donare.* Secunda quoque iam explicata, quæ à similibus ducitur, cuius exemplum vulgatum est, nempe *Si Agricola bonus est ille, qui fertiliores, & meliores agros reddit; si Pastor ille probari debet, qui meliores pecudes efficit: ita Princeps quoque laude dignus existimandus, qui subditos suos facit meliores.* A similibus est illa Ciceronis. *In ipso Cn. Pompeio, in quo noui constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint noua summâq; Catuli voluntate, &c.* usque ad illa verba. *Quare videant ne sit, &c.* Tertia species inductionis est, quæ à partibus colligit totum, vel à singularibus ad generalia procedit, *Vt si Iustitia est habitus benè animum afficiens, & prudentia, & fortitudo, & temperantia; ergo omnes virtutes sunt habitus benè animum afficientes.* Amplius. *Si Pompeium eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna exornat; ergo Pompeium imperatoria maiestas illustrat.* Quæ tamen interrogatione magis elucebunt, dicendo nimirum. *Dubitatis ne in Pompeio summam amplitudinem, ac imperatoriam dignitatem inesse, quæ ad Rempub. conseruandam requiritur? in eo sunt &c.*

Frequenter Tullius inductione per enumerationem est usus. Primò quidem singulis distributionis membris aliquid per figuram Isocolon distribuendo, ut: *Sed quoniam P. C. gloriæ munus optimis, & fortissimis ciuibus monumenti honore persoluitur, consolemur eorum proximos, &c.* usque ad illa verba, *atque utinam*

Lib. 6. de Rep.

Tres inductionis species.

Pro Lege Manilia.

Philipp. 4.

bis omnibus, &c. Secundò per aculeatas interrogationes faciendo distributionem, quæ in contentionibus momenti plurimum obtinet. *Habes reditum mecum. confer nunc vicissim tuum, quando quidem amisso exercitu nihil incolume*, &c. usque ad illa verba. *O familiæ non dicam Calfurniæ, sed Caluentiæ*. Distributio porrò si præter interrogationem anthitheta quoque contineat, multò robustior fiet. Et adhuc maiorem dignitatem per vibratam interrogationum congeriem adipiscetur; *Tu te collige & qui sis, & quid facere possis, considera. Putas ne, &c.* usque ad illa verba *magna sunt ea, quæ dico, mihi crede, &c.* Inductione autem non solùm Oratores, sed etiam Poetæ utuntur. Cuius rei vulgatum esse potest exemplum ex Ouidio desumptum, dum cecinit,

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,

cum ijs quæ sequuntur.

In L. Pisonem.

Diuinatione in Verrem.

Li. 4. Trist. Eleg. 3.

De Exemplo.

Exemplū quid.

EXemplum græcè παράδειγμα. *est argumentatio, quæ unum particulare, ex alio simile, vel ex paucis deducit*; ita quidem exemplo argumentatur Tullius pro Milone disputans. *Negant*, inquit, *intueri lucem esse fas ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortissimi viri: qui non dum libera ciuitate, tamen P. Romani comitijs liberatus est, cum sua manu sororem interfectã esse fateretur* &c. Vbi Tullius probat exemplis liberatos esse plures interfectores, qui homicidia confessi sunt; exordium porrò ducit ab Horatio, facitque argumentum à maiori ad minus: maius enim est fateri interfeciisse sororem, quàm alium sibi nulla sanguinis affinitate coniunctum, quod ab Horatio factum esse perspicuè constat. Sed exemplorum usum eleganter explicat Aristoteles prius de vero, deinde de ficto exemplo verba faciens; hæc autem habet. Olim Persarum Rex Ægyptum inuasit, ut eam regionem in potestatem, ditionemque suam redigeret. Ægyptij verò ab Athenienſibus auxilium contra Persas petiuerunt; at Athenienses deliberant utrum Ægyptijs auxilium ferant, an potius eos in Persarum ditionem redigi patiantur. Orator quidam Athenienſis suadere conatur suis ciuibus ut Ægyptijs auxilium ferant, neque patiantur Ægyptum à Persis occupari, quoniam id toti Græciæ summoperè periculosum foret; ait enim futurum, ut, si Rex Persarum Ægyptum sibi armis subijgeret, protinus in Græciam veniat, Græciſque bellum inferat. Hoc autem gemino probat exemplo. Primò quòd Darius non ausus est priùs tentare Græciam, quàm Ægyptum occupasset. Secundò quod Xerses idem effecit, siquidem postquam Ægyptum subiecit, ad Græciam expugnandam se contulit; ergo hic etiam Persarum Rex, qui aduersus Ægyptios bellum gessit, si debellare illos potuerit, postea Græciam inuadet. Rursus hæc eadem Aristoteles declarat hoc modo. Quidam probandum assumit magistratus non sorte, sed electione creandos esse, & exemplo à similibus ducto id suadere conatur, dicens; sicuti Athletæ non illi in certamen veniunt, quoscunque sors obtulerit, sed qui pugnæ periti sunt, & in pugnandi munere obcundo valent; & sicut Nautæ sorte non eligunt, cui nauis gubernacula tradant, sed eum, quem gubernandi peritum esse cognoscunt: ita magistratus non sorte creandi sunt, sed illi potius, qui Reip. benè administrandæ rationem habent.

Oratione pro Milone.

2. Rhetor. cap. 41.

Similitudo in exẽ.

Hęc autem similitudo quâ constant exempla in contrarijs, & in paribus, & in ijs, quæ sub eandem rationem credunt, præcipuè spectatur, ut notat Cicero primo lib. de Inuentione, dum ait, *Similitudo autem in contrarijs*, &c. ubi rem illustrat exemplis.

Aristoteles porrò se confert ad explicandam secundam speciem exempli, quod fictum est, sub quo Fabulæ, Apologi continentur, quorum utilitatem, & usum loco paulo antea laudato cumulatè declarat, hæc itaque apud ipsum videnda relinquimus, contenti tantùm in præsentia superiùs traditis adiungere, videlicet exemplum inductioni persimile esse, & illud ad commouendos animos plurimum valere, præsertim apud plebem, quæ cum minus sit erudita, maximè singularibus, cuiusmodi sunt exempla, gaudet. In uniuersum tamen exempla prudentiam acuunt, & suasioni maximè conuenit, ut ob id Orator debeat exemplis abundare; sed ad exemplum quatuor requiri solent. Primum ut sit, tanquam pars ad partem; deinde ut ei sit simile, de quo agitur; tum ut ambo sub eodem genere constituta sint; tandem, ut id quod sumitur sit notius, ac manifestius, quàm id, quod est probandum, si autem horum aliquid desit, exemplum nihil concludit. Quatuor enim modis contingit colligere, vel totum ex partibus, quod in Dialectica inductione fit; vel partem ex toto, quod syllogismo fit, in quo sit una singularis propositio, quam singularis conclusio consequitur; vel totum, ex toto, quod fit in primo modo primæ formulæ syllogismorum, in quo uniuersalis propositio ex duabus uniuersalibus propositionibus colligitur; vel partem ex parte, quod exemplo tantummodo fit.

Tametsi autem exemplum simile sit inductioni, ab illa tamen differt, quoniam inductio ex pluribus particularibus colligit uniuersale; at exemplum ex uno, vel paucis singularibus, aliud singulare simile infert.

De Dilemmate.

DIlemma nil aliud quàm *argumentatio in duas oppositas partes diuisa*. Dictum est autem Dilemma, quòd ita præmat, ac urgeat utrinque, ut ex alterutra parte aduersarium capiat; hinc etiam Syllogismus cornutus appellatur, propterea quòd sic argumentationis cornua in eo disponuntur, ut qui alterum vitarit, in alterum incurrat; tale igitur Dilemma est, ut in eo utrum concesseris, reprehendatur. Talis argumentatio est illa cuius meminit Aristoteles de adolescente loquens, qui Orator fieri cupiebat, & in concione de publicis rebus verba facere summoperè desiderabat, cum tamen eius mater, quę sacerdos erat, hoc illi dissuadere niteretur, eo nomine quòd plerique concionatorum malè audiebant, sic autem ipsâ filium perstringere conabatur. Compesce desiderium fili, & cura ne tibi res cum populo sit, propterea quòd necesse est, ut aut iusta, aut iniusta dicas, si primum tentaueris, homines te magno prosequentur odio, si secundum, Deorum indignationem non effugies. Hoc argumento usus est Tullius dicens. *Si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas. Sin autem exorabiles, summa leuitas*; sic etiam alibi. *Quamobrem*, inquit, *discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam*. Elegantissimum est illud exemplum Dilemmatis in Astrologos. *Si prospera pollicentur, & fallunt, miser fies frustra expectando: si aduersa dicunt, & mentiantur, miser fies frustra timendo; si vera respondent ea, quæ sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies antequam effato fias: si felicia promittunt ea, quæ ventura sunt, tum planè duo erunt incommoda,*

Dilem. quid.

&

Digitized by Google

& expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam defloruerit. Hanc argumentationem Cicero complexionem appellat, quomodo autem Dilemma solui possit, statim intelliges, nam per inuersionem fit, de qua proximè disputandum.

De Inuersione.

erſio

INuersio est *argumentatio in aduersarium retorta*, gemino autem modo fieri potest. Primò cum totum Dilemma inuertitur, ut vulgatum est exemplum illud de rege Antigono, cum enim ab ipso frater peteret, ut causa, quam habebat non in foro, sed domi cognosceretur, sic ille ratiocinatus fuit. *Si causam iniustam habes, cur litigas? si verò iustam, cur hominis conspectum fugis*; at ille respondere potuisset argumenti partem utranque inuertendo hoc modo. *Si causa est iusta; longè melius, & facilius domi cognoscetur; si autem iniusta, minorem infamiam priuatim, subibo, quàm publicè.* Hoc argumentationis genere usus est Varro apud Tullium, ut probaret non esse Philosophiam alioquin diligentissimè à Græcis traditam græcis literis explicandam; nam *si qui de nostris eius studio tenerentur essent græcis literis instructi, græca potius, quàm nostra lecturos crediderim: sin à græcorum artibus, ac disciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ sine eruditione græca intelligi non possunt, quamobrem scribere nolui, quæ nec indocti possent intelligere, nec docti legere curarent.* Tullius porrò Dilemma soluit per inuersionem hunc in modum. *Immò verò & hæc, qui illa non potuerunt, & qui græga, poterunt non contemnent sua.* Diluetur etiam hac arte Dilemma superius ex Aristotele depromptum, nempe dicendo. *Immo verò mater mihi per utile erit concionari, si nanque iusta dixero, Deos amicos, & propitios habebo; si autem quæ iniusta sunt defendero, mihi hominum amicitiam conciliabo.*

Sed altera est solutionis ratio, nimirum illa, quæ fit unam duntaxat ex partibus infirmando hoc modo, in persona famuli. *Si improbus, cur me uteris? si autem probus, cur me plectis, posset responderi à Domino; Non plecto te, quia probus sis, sed quia improbus es, ut te probo uti possim.* Vel in persona Domini. *Perperam de me quæreris, quasi te oderim, quia te verbero: odissem potius si te non verberarem, lunaque te corrumpi sinerem.*

De Sorite.

tites

SOrites græcè Σωρίτης, latinè autem coaceruatio propositionum est, & fit per plures propositiones, quibus veluti gradibus ad conclusionem descenditur, hoc modo. *Intemperantia gignit animi, & corporis ægritudines; ægritudo vitiat, atque corrumpit ingenium; Ingenia vitiata idonea non sunt ad capescendas disciplinas; ergo intemperantia est id, à quo homines habent ut disciplinas assequi non possint.* Hac argumentatione utebatur Themistocles, dicebat enim *Filius meus matri imperat, illa mihi, ego Athenienſibus, Athenienses toti Græciæ; ergo meus filius toti Græciæ imperat*; In hac autem argumentatione necesse est attributum, seu prædicatum, ut aiunt, primæ propositionis fieri subiectum secundæ & ita deinceps, quousque perueniatur ad complexionem, in qua subiectum primæ cum prædicato propositionis extremæ iungi debet, ut constat, ex allatis exemplis, & ex eo, quod habetur apud Tullium, dum ipse contendit honestum duntaxat bonum esse; *etenim quicquid est, quod bonum sit, id expetendum: quod autem expetendum, id certè approbandum, quod verò approbandum, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam, dignitas ei tribuenda est; quod si ita est, laudabile sit necesse est; bonum igitur omne laudabile ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solum bonum.*

Quinto Tusculan. quæstionum.

Hoc argumentum vocatur captiosum, atque multiplex argumentandi genus, velut illud, in quo ex uno concesso ad multas conclusiones connexas arguens assurgit. Dicitur autem Sorites, ἀπὸ τοῦ σωροῦ. Quod Græcis acervum significat, eo quòd semper hæc argumenta in tumulum ascendunt; ob id argumentatio hæc Tullio accerualis dicenda videbatur. *Quamobrem*, inquit, *Soriti resistamus, quem si necesse sit latino verbo, liceat acerualem appellare.* Hinc hæc argumentatio dici solet à primo ad ultimum, eamque plerique Zenoni, alij vero Chrysippo tribuerunt; vel saltem Chrysippus Sorite, quemadmodum Socrates inductione delectatus fuit. Hac argumentatione usus est etiam Cicero, quanuis minus frequenter, & nominatim in oratione pro Sex. Roscio, contendens ostendere omnia scelera à Ciuitatibus ortum ducere, *Ciuitas in causa est, ut vitam homines luxuriosè traducant; dissoluta porrò viuendi ratio procreat auaritiam, sed auaritia gignit audaciam, ab audacia verò, quodcunque sceleris genus proficiscitur; causa igitur scelerum omnium ciuitas est.* Lubricum tamen hoc argumentationis esse genus idem Tullius fatetur, nam *Sorites* inquit, *nos vocant, qui acervum efficiunt, uno addito grano, vitiosum sanè, & captiosum genus.* Nec mirum, nam facilè potest contingere, ut in illa excursione aliquid non legitimum, & malè deductum admittatur? ob id cauendum in primis, ne decipiamur; quandoquidem coaceruatis plurimis consequentijs, ex perexiguo errore in principio, maximus in fine contingit; propterea non admodum oratoribus frequens hic est argumentandi modus; cum ad captiosas quæstiones maximè accedat, adeout Vlpianus illum inter cauillationes recenseat. *Natura*, inquit, *cauillationis, quam Græci σωρίτην appellarunt, hæc est, ut ab euidenter veris, per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.*

Cicero de Diuinatione.

Cicero in oratione pro Sex. Roscio Amerino.

Idem lib. 4. quæst. Tuscul.

Vlpianus, de verborum & rerũ significatione.

Huius argumentationis ratione iam explicatâ, proximum est ut illegitimam eius formam explicemus; quod exemplo trito admodum, præstabimus. *Bibliopola multos habet libros, qui autem multos libros habet, sæpe illos euoluit; qui sæpe id facit, impensè studet; qui verò multum studet, euadit doctus; ergo Bibliopola euadet doctus.*

Ad amplificandũ hęc arguendi forma moduſq; valde conducit, fit autem multas conclusiones iam probatas coaceruando; quod ornatè, splendidèque fieri debet, ut inde oratio dignitatem consequatur. Hęc argumentatio à primo ad ultimum dici consueuit.

De Enumeratione, & Comparatione.

ENumeratio græcè ἐξαρίθμησις, seu καταλογὴ. *Est argumentatio, quæ ac partium sufficienti enumeratione, vel necessariò excludit, vel aliud efficacius confirmat.* Duobus enim modis conficitur; primò cum expositis, ac infirmatis omnibus partibus, aliquid necessariò excluditur. Vt *Rhetorica non est Iustitia, non Temperantia, non Fortitudo, non Prudentia; ergo Virtus moralis non est.* Secundò fit cum reliquis partibus infirmatis, una necessariò concluditur, ut *furtum in domo Cæsaris factum fuit, oportet igitur id vel à te, vel à Clodio, vel à Sempronio, vel à Lucio factum*

Enumeratio quid.

Duobus modis efficitur.

Digitized by Google

tum fuisse, quoniam præter hos ibi nemo erat, at mihi splendide constat nec à Clodio, nec à Sempronio, nec à Lucio factum illud fuisse; consequens igitur, ut tu furtum feceris. Hic argumentationis modus à sufficienti partium enumeratione solet appellari, & ab Aristotele commoratus ubi. *Ἄλλος ἐκ τῶν μερῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς. Alius locus ab enumeratione partium, sicut in Topicis;* & à Tullio non semel usurpatus fuit; eius quidem Philosophus meminit, cum Platonem redarguere vellet, eò nomine quòd ipse dixerit, animam esse perpetuam motionem, factâ siquidem motionum enumeratione, ac demonstrato, nullam ex ipsis animam esse, concludit, animam non esse motionem, dum ita loquitur, *ποία κίνησις ἡ ψυχὴ ἥδε γὰρ ἥδε. Qualis nam motus anima? vel enim hic, vel ille.* Hoc eodem eleganter utitur loco Tullius ad ostendendum in Verrem, nihil esse, quo vitia defendi possint. *Nunc verò quid faciat Hortensius? auaritiæ ne crimina &c.* usque ad illa verba: *in hoc homine, atque in eiusmodi causa &c.* Iterum Aristoteles hoc declarat, in exemplum afferens argumentum Theodecti dum hic Socratem, ab impietatis calumnia vindicare niteretur; sic etiam alibi Tullius hac eadem utitur argumentatione. Rectè tamen Fabius aduertit hoc argumentationis genus, quod à remotione partium appellat, periculosum esse, eoquòd si in proponendo, unum quodlibet omissum fuerit, cum risu tota res quoque soluitur; rectiùs proinde iudicat interrogare, si hæc actio non sit, quæ nam sit; simul enim omnia remouentur, vel cum duo ponuntur inter se contraria, quorum utrumlibet tenuisse sit satis.

2. Rhetor. cap. 45.

Action. 4. in Verr.

In oratione pro Cœlio &c.

Comparatio græcè σύγκρισις. est cum ex uno facto aliud concluditur, siue à Maiori, quando scilicet persona, siue res maior probationem præstat, minor autem concluditur, ut *Qui parentes contumelijs vexauit, multò magis cognatos, atque amicos vexabit.* Amplius. *Si disertissimus vir summâ eloquentiâ populo non potuit pacem suadere, multò minus vir planè rudis, ac indisertus; Et qui sacrilegium facit, multò magis furtum faciet,*

Comparatio quid.

A maiori.

A minori. A minori ducitur argumentatio, cùm persona, siue res minor probationem præstat, maior verò concluditur: ut. *Si imbelles virgines pro Patria mortem contemnunt, multò magis vir strenuus, atque bellator contemnere debebit.* Huc pertinet illud Lyrici.

Nam cur
Quæ lædunt oculos, festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum.

A pari. Tandem à pari sumitur argumentatio quotiescunque paria inter se conferuntur: ut. *Si uxor viro fidem præstare debet; ergo etiam uxori vir ipse debet.*

Inter species argumentationis recensetur etiam *Submissio*, in qua nos ipsi rationem petimus, cur aliquid dicamus; item *Subiectio*, in qua quærimus quid pro aduersario, vel contra nos dici possit, mox verò per singulas interrogationes orationem continuò subijcimus, quâ id, quod dictum est falsum esse contendimus. Amplius & *Violatio*, in qua utimur rationibus aduersariorum contra ipsos, cuius duplex idea est. Vna cum aduersarium secum pugnare ostendimus: Alterum cùm rationes aduersarij detorquemus ad sententiam, quam impugnat. Est etiam *Oppositio*, in qua propositioni contrarium aliquid est; horum autem exempla quamplurima ex Cicerone deprompta iam ab alijs fuerunt, ad quos lectorem remittimus.

Epicherema quid.

Assignari quoque solet *Epicherema* tanquam argumentationis species. Si vocem attendas, illa profectò ratiocinationem significat; quâ aduersarium vehementer urgemus; plerunque sumitur pro ratiocinatione breui, quæ unicâ propositione continetur; in qua tamen integer syllogismus comprehenditur: ut. *Quis adeo hebeti ingenio, ut animo pendeat, mundum, quo nihil melius regitur, consilio, & prudentia administrari?*

Assignatur etiam collectio, tanquam argumentationis species quinque partibus constans, quarum prima est propositio; secunda propositionis ratio; tertia rationis confirmatio; quarta exornatio, seu amplificatio confirmationis; quinta demùm complexio, siue conclusio. Propositio continet quod probandum assumitur. Ratio est causa demonstrans id verum esse, quod proponitur. Rationis confirmatio complectitur argumenta, quibus breuiter exposita ratio comprobatur. Exornatio varijs figuris rationem allatam locupletat, & amplificat. Conclusio denique argumentationis partes colligit.

Collectio quid.

SECTIO QVINTA.

Quædam ad locorum, & argumentorum usum spectantia traduntur.

ORator in arenam descensurus, primò debet mentis aciem dirigere in ea, quę rem probare, quęq; amplificare possunt, atque adeo diligenter debet aduertere, quæ rei, de qua agitur, aliquâ ratione conueniant, & quæ aduersentur, cum ipse paratus esse debeat ad laudandum, non minus, quàm ad vituperandum. In hæc porrò cum ingenij neruos contenderit, facilè reperiet quædam esse, quæ intrinsecùs, & quædá quæ extrinsecùs conueniunt. Intrinsecùs porrò conuenire dicuntur genus, species, differentia, proprium, accidens, pars, totum, causa, & effectus, nihil enim est, cui hæc tribui non possint; inter accidentia verò adiuncta solent numerari, quæ ratione temporis diuiduntur in antecedentia, concomitantia, & consequentia. At verò extrinsecùs rei similia, & dissimilia maiora, minora, paria, exempla, testimonia, & oracula conueniunt. Cum autem hæc Orator sedulò mente perpenderit, poterit appellere animum, ad probandum, vel amplificandum quicquid voluerit, siquidem animaduersis hactenus allatis dicendorum inopiâ minimè laborabit, propterea quòd ex recusis fontibus paulo antea dessignatis, argumenta quàm felicissimè poterit haurire. Solùm ei curandum, ut non quæcunque sibi obuia facta ad dicendum adhibeat, sed robustiora eligat argumenta, quæque maiorem splendorem orationi possint afferre.

Quid orator primùm præstare debeat.

Intrinsecùs rei quæ conueniant.

Quæ extrinsecùs conueniant.

Quamobrem, si fuerit Oratori propositum aliquid persuadendum, primò obseruet genus, ad quod res tractanda pertineat, deinde consideret speciem, seu definitionem eiusdem, & ex his argumenta desumat quemadmodum etiam à causis, puta efficienti, formali, finali, & materiali, ab effectis, à partibus, ab adiunctis, à similibus, &c. Verbo dicam locos iam recensitos animo diligenter euoluat.

Argumentationis usus.

Argumentationis autem usus satis ex dictis manifestius esse potest; solùm id videtur adnotatione dignum, nempè summoperè curandum esse, ut in argumentatione varietas habeatur, quandoquidem rebus in omnibus, nihil est, quod magis nauseam, & satietatem pariat, quàm similitudo, ut propterea Tullius quandoque dixerit. *Variare autem orationem magnoperè oportet: nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater;* & alibi ait, tractationem variam esse debere, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut similitudinis satietate defatigetur. *Tractatio autem, inquit, varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat,*

Primo de Inuentione.

Tul. 2. de Oratore.

diat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponere oportet quid afferas, & id quare ita sit, ostendere; & ex ijsdam illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque transire: sæpè non proponere, ac ratione ipsâ afferendâ, quid proponendum fuerit declarare; si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes; deinde quod agitur, adiungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur. Docet ergo hæc esse seruanda primum, ut ars abscondatur, secundum ut satietas videtur. Ex his planè constat, quanti fieri debeat varietas in eloquentia, ut propterea Cicero summoperè illam commendauerit in Carneade, quem ubique deprædicat eloquentissimum, diuinisque laudibus extollit, de ipso siquidem loquens. *Carneadis verò, inquit, vis incredibilis illa dicendi, & varietas per quam esset optanda nobis, qui nullum unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit.*

Artificis autem industria, quam Cicero vehementer desiderat, videtur his præceptionibus contineri. Primò nimirum, ut in oratione fiat optima argumentorum dispositio, adeòut decenti ordine proponantur: deinde in his, quæ diximus magnoperè varietas quæratur: postea figuris elegantissimis omnia illustrentur: atque tandem summâ diligentiâ, curâque partes omnes illigentur transitionibus illis, quas artificiosus nexus exposcit.

Prima variationis ratio non ineptè Ciceroni visa est in eo constituta, ut ad quæstionem tractandam non ijsdem argumentationibus utamur, quin potius cum plura excogitauerimus argumenta, varijs modis ea tractare debeamus, adeout unius explicatio sit Enthimema, alterius Inductio &c. & ita variando, diuersis oratorijs luminibus utentes, quod nobis propositum est, ostendamus; eadem enim argumentationis ratio frequentius, quàm par est, usurpata similitudinis nimiâ satietate sic auditorum animos fatigat, ut vix Oratori sperandum sit, eorum sibi, vel attentionem, vel beneuolentiam conciliare posse, quod tamen ei summoperè curandum, cum magni referat ad persuadendum audiri ab iis, qui benevolo æquè, ac attento animo sunt. Quærendum itaque primòè quibus locis argumenta depromere liceat, & quomodo illa tractanda sint, quòd dum faciet Orator, geminam variationem offendet, unam scilicet à locis, alteram ab argumentandi formis nascentem. Enimverò à varietate locorum, formarumque argumentandi quæsita varietas enascitur, siquidem à varijs locis, varia ducuntur argumenta, & à varijs argumentandi formis, varia etiam ratio tractandorum argumentorũ enascitur, propterea quòd Oratori quodlibet argumentum unâ, vel alterâ argumentationis formâ liberum est induere, & his, vel illis oratoriis ornatibus illustrare; hoc tamen Oratori præstandum est, ita ut modo nudis, & non expolitis utatur, sed paucis tantum, quæ aperta sunt, exponat. Non enim augenda semper oratio, sed nonnunquam submittenda, nam rebus quandoque vim & ipsa verborum humilitas affert: modò exculta utatur argumentatione; nunc nihil concludat, sed auditoribus concludendum relinquat; nunc conclusionem addat; plerunque singularium propositionum rationes afferat, quandoque non item.

Varietas autem in argumentatione tantoperè desiderata, potissimum his tribus continetur, nimirum ut ordo partium sit varius; ut aliqua minuantur, & aliqua augeantur; ut artificium sit varium; his enim obseruatis, Orator proculdubio summam eloquentiæ dignitatem unius varietatis opitulatione consequetur. Ad ordinis autem varietatem duo plurimum faciunt, naturalis videlicet, & legitimus ordo, & artificiosa quædam eiusdem permutatio. Naturalis porrò tunc erit ordo, cum propositio maior præcedat, eamdemque subsequatur probatio; mox autem assumptio, siue minor eiusdemque probatio; deinde verò conclusio, siue complexio, cui quidam probationem subnectunt; ineptè tamen cum eius probatio in assumptionibus posita sit, adeout solùm videatur supereſſe consecutionis comprobatio, quæ tamen superflua est, argumentationis forma ritè celebrata cum fuerit. Artificiosa verò quam diximus ordinis permutatio, quâ ordo non naturalis sit, sed arte quæsitus, illa est, iuxta quam ordo postulat, ut modo ab assumptione, modo à conclusione, & sæpesæpius ab assumptionis probatione ducatur initium, adeout propositio, quæ maior dicitur, quam sæpissimè medium obtineant locum. Hoc etiam ad variationem pertinet, quòd in argumentationis propositionibus tot varietates contingunt, quot sunt sententiarum figuræ, cuiusmodi sunt illæ, quæ fiunt per interrogationem, exclamationem, præteritionem, communicationem, &c.

Tria sunt quibus varietas perficitur.

Redeo ad id, quod erat in partitione secundum; videlicet variationem fieri aliqua minuendo, vel augendo, in cuius gratiam aduerto præsertim hoc à nobis fieri posse, vel alteram ex propositionibus omittendo, vel conclusionem negligendo, vel si tres propositiones adhibeamus, de ordine solliciti minimè videamur; idcirco duabus propositionibus constitutis, alterutram dumraxat cum conclusione probabimus, vel etiam nullâ præmissâ propositione simplicem rationem explanabimus, ita tamen rem ipsam tractando, ut ratiocinatio sit inuoluta verbis, solùmque virtute niteat, simulque conclusio lateat; non enim est opus conclusionem adijcere ijs, quæ claritate omnibus obuia sunt.

Aliqua minuẽdo vel augẽdo fit.

Non inutile est variationem quoque ex ingressibus & ex transitionibus desumere, horum siquidem non una est ratio, ut apud Tullium cuique licet obseruare, quandoquidem ipse non rarò simpliciter, ac ingenuè dicendi prouinciam suscipit; quandoque superiorum breui quadam repetitione ad consequentiam pergit; nonnunquam simplici conclusione præcipuè dum ad exitum properat, dicenda prosequitur; sæpesæpius per simplicem propositionem, nempe cum certò scit propositum à se posse demonstrari. Modo causam reddit, à qua habet, ut ad cætera se conferat. Plerunque conclusione viam ad sequentia sibi parat, atque alijs etiam innumeris penè modis rem tractandam aggreditur.

Ex ingressibus, & transitionibus desumitur. Ex ingressibus.

Non solùm ab hactenus dictis, sed à transitionibus itidem Oratori petenda variatio est, quam quisque poterit imitatione scriptorum melioris notæ copiam sibi comparare; at de transitionibus in sequentibus nobis futurus est sermo.

Ex transitionibus.

Supereſt exemplis explicare locorum usum; sed hoc ab alijs iam copiosè factum aduerto; idcirco ab hoc munere ne actum agere videar abstinebo, contentus tantummodo pauca quædam ad propositum conducentia subijcere.

Locorum Rhetoricorũ usus. Locorum Insitorũ.

A definitione sumendum argumentum hoc modo. Animal rationis particeps sentientis partis affectibus debet frænum injicere; at homo rationis est particeps; ergo homo sentientis partis affectibus frænum debet injicere.

A Definitione.

A notatione, siue etymologia nominis. Si Consulis est patriæ consulere; non ergo Piso consul erit, quia

A Notatione.

quia non consuluit, sed patriam euertit.

Ab Enumeratione partium. Ab enumeratione partium. Quatuor sunt ea, quibus maiestas imperatoria constat. Nempe Scientia rei militaris, Virtus, Auctoritas, & Felicitas, sed his præditum esse Pompeium neminem præterit; eum igitur summum Imperatorem esse cuique fatendum; Sic etiam per negationem hic locus tractari potest. Vt quatuor sunt rerum primordia terra, aqua, aer, & ignis, sed corpus cæleste nullum istorum est; ergo cæleste corpus nequit elementaris esse naturæ.

A coniugatis. A coniugatis. Doctus est, qui doctè loquitur, sed qui nihil dicit, nisi, quod consentit cum veritate, doctè loquitur; ergo qui nihil dicit, nisi quod cum veritate consentit, doctus est.

A genere. A genere. Omne vitium est fugiendum; auaritia est vitium; ergo auaritia est fugienda.

A Forma. A Forma. Quicquid est contra rectam rationem, est vitium, sed auaritia est contra rectam rationem; ergo auaritia, est vitium; ergo auarus est vitiosus.

A similibus. A similibus. Vt ignis in aquam coniectus, continuò restinguitur, atque refrigeratur: sic falsum crimen in purissimam castissimamque vitam collatum, statim concidit, & extinguitur.

A differentia. A differentia. Rudium hominum est solum caduca spectare; ergo sapientum erit cælestia respicere.

Ab Adiunctis. A contrarijs. Nihil est, quod magis expetatur quàm vita; ergo nihil quod magis timeatur, quàm mors.

Ab Antecedentibus. Ab adiunctis. Principem omne solitudinis genus circumstat; ergo ipsum varijs animi perturbationibus agitari necesse est.

A Consequentibus. Ab antecedentibus. Vulneratus est; ergo cicatricem habebit.

A Causa efficienti. A Consequentibus. Cicatricem habet; ergo vulneratus fuit.

A Causa finali. A repugnantibus. Socrates Alcibiadem amat; ergo illum conuiciis nunquam illum urgebit.

A Causa formali. A Causis. Nihil potest se ipsum efficere; ergo datus est vus rerum omnium Molitor. Item. Homo non viuit ut edat, sed edit ut viuet; ergo non debet ut bellua ventris penitus inseruire. Item humanus animus est immortalis naturæ; ergo homo debet immortalitatem spectare.

Tandem. Hominis corpus pronum est ad malum; ergo à corporis contagione animus eius est cuocandus.

Ab effectis. Ab effectis. Virtus ducit ad gloriam, voluptas ad ignominiam; amplectenda igitur virtus, & fugienda voluptas.

A Comparatione maiorum. A Comparatione maiorum. Hic parentes violauit; ergo multò magis amicos, atque cognatos violabit.

A Comparatione minorum. A Comparatione minorum. Virgines athenienses mortem pro patria contempsisse dicuntur, ergo vim consularis, multo magis contemnere mortem debebit.

A pari, ut: A pari, ut: Licuit Catoni ciuile bellum sequi; ergo Tullio etiam licebit.

Hucusque de insitis argumentis, nunc de remotis.

Præiudicium primum est, à quo sic arguendum. Parricidæ, quotiescunque præiudicati ab incorruptis iudicibus fuerint, semper capite damnati fuerunt; ergo qui modo sub iudice sunt, impuniti esse non debent.

A fama. A fama. Nihil est tam vulgatum apud omnes quàm Socratem innocentem esse; ergo puniri non debet.

A Tabulis. A Tabulis. Perspicuè constat publicis tabulis à reo plus acceptum fuisse, quàm datum; cogendus igitur, ut rem in integrum restituat.

A Tormentis. A Tormentis. Nihil à Socrate in quæstionem vocato tormentis potuit extorqueri; reus igitur non existimandus.

A Iureiurando. A Iureiurando. Nullam in se culpam habere iuratus affirmauit. consequens igitur ut culpæ reus non sit.

A Testibus. A Testibus. Plerique sunt, non obscuri nominis viri, qui constanter testatum faciunt Socrati nullam inesse culpam; credendum igitur eum in errorem nullum fuisse lapsum.

DISSERTATIO IV.

De Dispositione.

Eloquentia quinque partibus constat. Lib. 7. in Præfatione. *Eloquentiæ partes quinario comprehendi numero ex communi omnium sententia iam suo loco nos tauimus, quarum primam diximus Inuentionem esse, de qua nos hactenus locuti sumus; huic proximè Dispositio succedit; itaut secunda Oratoris cura in ijs, quæ inuennit, aptè disponendis tota versetur; nam, Fabio teste; ut opera extruentibus, haud satis est saxa, atque adeo materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis ijs collocandisque industriosa manus artificis adhibeatur: sic Orator in dicendo abundans qualibet rerum copiâ cumulum dumtaxat, atque congestum habebit, nisi res easdem aptè in ordinem digestas, atque inter se commissas deuinxerit, adeout Inuentionem sine Dispositione nihil penitus valere dicendum sit; & re verâ nulla erit statua quanquam fusis omnibus membris, nisi hæc elegans quidam ordo coniunxerit. Ita si quam in hominis, vel cæterorum animalium corporibus partem è propriâ sede dimoueris, locoque transtuleris, non animal, sed naturæ prodigium intueberis, quando nimirum*

Lyricus in Arte poetica. *velut ægris somnia vanæ*
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddantur formæ.

Ordinis Laudes, Ibidem. *Non dissimiliter Oratio dispositionis ornatu destituta tibi monstrum artis videbitur. Vtque natura stare ordine videtur, quo confuso peritura sunt omnia: sic Oratio carens ordinis virtute, ut idem Fabius dicebat, tumultuetur oportet, & sine rectore fluitet, nec sibi cohæreat, multa repetat, multa transeat, velut noctu in ignotis locis errans, nec initiò, nec fine proposito, casu potius, quam consilium sequatur, nec propositum, quod est persuadere dictione, nanciscatur. Tandem in omni re,* Athenæus lib. 14. λὸν ἰυχημοσύνη. διχρὸν ὃ ἀταξία. *Pulcrum est quidpiam, decens habitus, at fœdum quidpiam inordinatio est; Idcirco ut nil benè dispositâ oratione præstantius; ita inordinatâ, nil turpius, ac fœdius.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Dispositio.

DIspositio græcè διάθεσις. *Est rerum inuentarum in ordinem distributio*; sic illam definit Tullius; At Cornificius hoc modo. *Ordo, ac distributio rerum, quæ demonstrat, quid, quibusque locis sit collocandum*, quæ distributio, ut idonea sit definitio, fieri verbis intelligenda est. Vt autem inuentio ingenij, sic iudicij dispositio proles existimatur; prudentis enim ut est aciem ordinatè disponere, ne bellantium ardor tepescat; ita prudentis est orationem benè dispositam contexere, ne Oratoris labor ad suadendum irritus fiat.

Duplex est autem dispositio, videlicet naturalis una, & artificiosa altera. Hanc partitionem agnouit Cicero, qui sic habet. *Itaque redeo ad ordinem, collocationemque rerum ac locorum, cuius ratio est duplex. Altera quam affert natura causarum: Altera, quæ oratorum iudicio, & prudentiâ comparatur.* Naturalis porrò est, quæ naturæ ordinem sequitur, quippè quæ instinctu quodam naturæ fit, cum omnes ita sint à natura comparati, ut si quis apud aliquem dicturus sit, exordij vice præmittat aliquid, quo sibi, & beneuolum, & attentum auditorem, & eumdem docilem explicando causam reddat; mox verò propositum exponat, explicatum rationibus confirmet, & ad extremum ijs utatur, quæ ad flectendos, & mouendos animi affectus accommodata sunt, quanuis artis præsidijs destitutus omninò sit. Ordinem autem naturæ seruabit Orator si eo ordine de rebus edisserat, quo eas natura ipsa disponit, ut si de rebus aliquibus acturus, ea prius pertractet, quæ naturâ cæteris antecedunt, ut si de homine verba facturus, primò quidem de pueritia, quàm de adolescentia, deque cæteris ætatibus disputationem instituat. Quatuor autem modis hæc dispositio contingit. Primò si res iuxta ordinem temporis disponantur, ut si prius tractentur quæ tempore anteceſſerunt, postea verò, quæ sequuntur. Secundò iuxta naturæ ordinem, ut si prius de causis, deinde verò de effectis tractatio habeatur. Tertio iuxta ordinem loci, ut si primò de loco supremis, deinde de infimis disputetur. Quarto iuxta ordinem dignitatis, ut si quæ digniora sunt prius, quàm quæ minus digna tractentur.

Artificialis dispositio est, quæ utilitatis, & voluptatis gratiâ res in oratione sic artificiosè distribuit, ut, naturæ ordine neglecto, nunc à medio, modò à fine, & modò ab initio ducat exordium; Iuxta quam dispositionem non semper cuilibet causa, & pars eadem, ac dispositio conuenit.

Supra positis duabus dispositionis speciebus, plerique tertiam addendam crediderunt, nempe dispositionem, quam arbitrariam appellant, & est illa, quæ nullum certum ordinem habet, sed tota pro causæ necessitate ex Oratoris voluntate dependet. Ita quidem Tullius cum alibi sæpè, tum præsertim in Oratione pro Milone, ubi non seruat naturæ ordinem, nec artificialem, ut ipsi dicunt, quia prudenter conijciebat fore, ut rem gestam narrare non posset, nisi quæ inuidiosa erant, prius seiunxisset à reliqua narratione postmodum instituenda. Hi tamen faciunt, ut nimis intelligendo nihil intelligant, quid enim est artificiosa dispositio, nisi illa, quam ipsi describunt, & quam arbitrariam esse volunt; itaque subindè fatentur, quod negandum esse contendunt.

Artificialis porrò dispositio triplex ab ijsdem assignari solet. Prima dicitur *Analytica*, quæ primò fit, cum à toto ad partes proceditur, ut à laude hominis, ad laudem singularium partium, quibus ille constat, vel à laude alicuius Virtutis ad laudes partium integralium eiusdem, ut si quis à Fortitudinis laudibus, gradum faciat ad laudandam Fiduciam, Magnanimitatem, Securitatem, Magnificentiam, &c. Quatenus hæ sunt Virtutes à fortitudine distinctæ. Secundò contingit eadem Analytica dispositio quando res in ea, quibus constat principia, resoluitur; ut si dicamus tolerandum esse dolorem, quoniam honestum est, & honestum esse, quoniam est cum virtute coniunctum &c. Tertiò cum à fine ad media regressus fit, ut si dicamus Rhetoricæ finem esse nil aliud, quàm benè dicere ad persuadendum, hoc autem sine elocutione haberi non posse; proindeque ab elocutione ducendum initium esse.

ab Artificiali.

Artificialis dispositio triplex.

Analytica triformis fit.

Secunda ex eorundem sententia Dispositio dicitur *Synthetica*, fitque modis contrarijs Analyticæ, nimirum à partibus ad totum, à principijs ad principiatum, à medijs ad finem.

Synthetica.

Tertia tandem *Definitiua* nuncupatur, quæ nimirum utranq; commemoratam, nempè Analyticam, & Syntheticam complectitur. Ita disputant nonnulli, quibus placuit accuratiùs dispositionem considerandam assumere, cum tamen nihil noui addant ijs, quæ de ordine suo loco tractauimus; ob id satius est illa consulere, ne iterum ad nauseam hactenus dicta reperantur.

Definitiua.

In ipsa verò dispositione Oratori summoperè curandum, ut diligenter aduertat, an propositio quam assumit, simplex sit, an composita; hoc enim magni refert, ut si composita fuerit, possit aduertere quæ pars priùs, quæ posteriùs tractanda sit. Secundo quoq; de argumentorum delectu sollicitus esse debet, enimverò quæ robustiora sunt, à principio adhibeat, quoniam auditores animo tunc attentiori sunt; infirmiora deinde addat, ita ut medium Orationis locum obtineant, propterea quod auditores tunc minus attendunt; validissima tandem in Orationis fine proponat, quoniam auditores tunc aduertentes oratorem ad finem properare, longè maiorem attentionem adhibent, siquidem putant ab Oratore tunc omnes ingenij neruos contendi ad probandum, ac suadendum intentum, ac ob id operæ esse pretium attendere, ut resarcire sibi liceat attentiùs audiendo, temporis iacturam ex aurium præteritâ negligentiâ subortam. Hæ sunt dispositionis leges, quibus etsi nemo possit aptiores tradere, quàm quę ab ipso cuiuslibet ingenio præscribantur, non propterea tamen artis præceptiones præteriri debent; Ex his porrò constat orationem uniuersam quatuor in partes distribui, videlicet in Exordium, Narrationem, Confirmationem, & Peroratione, quod ex totius orationis fine cuique quàm facillimum est colligere, quandoquidem finis est persuasio, sed hæc duabus præcipuè rebus nititur, fide, quæ argumentis conciliatur, & motu, qui ex commotis animi affectibus excitatur. Hinc orationis quadripartita diuisio; propterea quòd ex proximè dictis luce clarius orationis partes alias esse, quæ ad fidem, alias quæ ad motum, & alias quæ ad utrunque pertinent; Narratio siquidem, & Confirmatio ad rem docendam valent: Exordium verò, & Peroratio ad impellendos animos conducunt; si res perspicua tamen sit, non semper priores duæ partes adhibendæ: si verò auditorum animi sua sponte sunt excitati, non semper posteriores usum habent.

Quid oratori summoperè curandū.

Sed hic non prætercundum fidei duplicem esse viam, quarum una in solius rei expositione consistit, altera

Ad fidem consequēdam duplex est via.

Digitized by Google

altera verò in probatione: prior ad Narrationem, posterior ad Confirmationem pertinet. Considerandum etiam occurrit, motum esse bipartitò diuisum, quorum unus est lenior, alter verò grauior; primus ad Exordium, in quo gratia conciliatur: secundus ad Perorationem, cuius est finis auditorum animos flectere atque mouere, præcipuè spectat.

Quatuor sunt orationis partes.

Ex his, haud ego fallor, neminem præteribit quatuor esse orationis partes, nimirum Exordium, Narrationem, Contentionem, vel Confirmationem, & Perorationem, vel si mauis Epilogum.

Non omnes sunt necessarię

Non dissimulandum tamen Orationi commemoratas partes assignari, tanquam illas, quibus ipsa constare potest, non ita tamen, ut omninò necessariæ sint, cum nihil prohibeat quo minus duas dumtaxat Orationis partes esse dicamus, Narrationem videlicet, quæ rei gestæ est expositio, & Contentionem, in qua ius discutiendum assumitur; hoc autem ideò cõmodè dici potest, si per partes Orationis intelligamus illas, sine quibus Oratio nulla existat; cum alioquin sine aliis duabus nihil prohibeat. Nec maior euadit numerus partium quaternario, eò quòd præter confirmationem, refutatio quoque sit concedenda, propterea quòd ad unam eandemque partem Orationis, tam confirmatio, quàm refutatio pertinet. Nec etiam negotij quicquam facessit, quod ab aliquibus aduersus quaternarium numerum partium afferri solet, nimirum, quod præter has, etiam Propositio, Digressio, Amplificatio concedendæ sint, non enim ex his aliqua habetur noua orationis pars, propterea quòd propositio postremã Exordii, vel primam Narrationis partem occupat; digressio ad eam orationis partem à qua proficiscitur, referri debet. amplificatio singulis partibus orationis communis est: Proximum est, ut Orationis rhetoricæ naturam aperiamus, quod ut nobis assequi liceat, ad rei, de qua agitur, definitionem oportebit confugere, quæ sequentem in modum tradi solet. *Oratio rhetorica est sermo perelegans, ex rebus veris optimisque sententijs ad suadendum, vel dissuadendum artificiosè compositus.* Talis Oratio est, cuius partes quatuor esse diximus, propriisque nominibus designauimus, & quales sint earum characteres explicuimus, cum diceremus Beneuolentiam, Expositionem, Probationem affectuumque Motionem, singulis commemoratis partibus respondere.

Præcipua quędam Rhetoricę Orationis est species, quæ Panegyris appellatur, quæ exordio, narratione, breuique epilogo, si lubet, perficitur; de quo suo loco disputandum. Tributum hoc nomen fuit nundinis, quæ quinto quoque anno Athenis celebrari solebant, vox enim πανήγυρις panegyris componitur ex πᾶν & ἀγύρω, quod significat conuenio, quasi dicas uniuersalem conuentum; hinc Panegyrici sermones sunt laudatiui, qui in conuentu populi, sacrisque celebritatibus habentur, cuiusmodi sunt, in quibus celebriores viri laudantur; hinc Panegyricon Rhetores tertium dicendi genus, latinè demonstrativum constituerunt.

SECTIO SECVNDA.

De Exordio.

Exordiũ quid.

EXordium est prima orationis pars, quæ auditoris animum ad reliquam orationem præparat, quod tunc fit, cum per ipsum auditoris beneuolentiam, attentionem, atque docilitatem auditoris comparamus, Ciceroni autem est *Orationis principium, per quod animus auditoris, vel iudicis paratus ad audiendum redditur*, sed exordium, quod Græcè dicitur προοίμιον, vel Aristotelis testimonio Proœmium in Oratione idem est, quod prologus in Poesi, & proaulium in cantu; addit Philosophus Proœmium esse viæ munitionem, ut propterea Marcus Antonius diceret hoc idem hisce verbis. *Omne autem principium, aut rei totius, quæ agitur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam, & mutationem, aut quoddam ornamentum, & dignitatem*, hæc enim ex Aristotele desumpsit, ubi Philosophus ait. Τὸ δὲ οὖν προοίμιον ἔστιν ἀρχὴ λόγου. ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσὶ, καὶ οἷον ὁδοποίησις τῷ δηλώσει. *Proœmium igitur principium est orationis, sicut in poesi prologus, in tibicinis cantus proaulium... nam hæc omnia principia sunt, & quasi viæ munitio ei, qui pertransire velit.*

Exordij quando necessitas.

Ad exordij necessitatem quod attinet. Cùm causarum genera à Rhetoribus numerentur, honestum, admirabile, dubium, humile, obscurum; plerique volunt non in quolibet ex huiusmodi generibus adhibendum exordium esse, quin potius illud in honesto, & admirabili posse prætermitti, cuius rei ratione dicunt, quoniam ipsius causæ dignitas, satis ad audiendum excitat: in dubio autem requirenda, præsertim iudicis beneuolentia, quam nutantis causæ ambiguitas non admodum certam policetur: in humili verò exoranda potissimùm attentio, ad quam tenuitas materiæ non inuitat: in obscuro tandem, summopere flagitandum, ut de integra causa edoceri se auditor patiatur; proinde, inquiunt, in his generibus causarum, puta dubio, humili, & obscuro, exordium omninò necessarium est; sed hac de re cumulatiùs agemus, cum de singulis ipsis generibus, sese obtulerit disputandi occasio; Interim quid his de rebus senserit Aristoteles, videamus. De partibus orationis ipse loquens affirmat, duas tantùm ex partibus esse necessarias, *Propositionem*, & *Probationem*, eoquòd de re quapiam verba facturi, primò nos oportet rem ipsam proponere, deinde rationes, & argumenta in eiusdem confirmationem afferre; non propterea tamen alias neglexit, duas enim tantùm commemorauit, velut illas, quæ omninò sunt necessariæ, & sine quibus nulla esse potest Oratio; Exordium enim non semper adhibetur, sicut nec Peroratio; eas tamen agnouit, ut propterea non multò post Philosophus Proœmium, & Perorationem adiunxit, quibus etsi non semper, frequenter tamen Oratores utuntur, in quam sententiam abijt quoque Tullius, quippequi quadripartitam hanc diuisionem amplexus est. Aristoteles porrò diuisionem orationis ab antiquis institutam reprehendit dicens, nec narrationem, nec refutationem, nec perorationem, nec ullam aliam, præter illas duas, quas ipse posuit, orationis partem esse necessariam, propterea quòd in iudiciali tantum genere narratio versatur; ubi & accusator, & defensor ita rem gestam narrat, prout suæ causæ utile esse arbitratur; in demonstratiuo autem, & deliberatiuo genere nulla talis esse narratio solet, quales antiqui Rethores esse voluerunt, nimirum quæ sit ab alijs partibus distincta, & in qua res gesta narretur, ut postea argumentis possit confirmari. In deliberatiuo genere non est opus proœmio, nisi quando inter eos, qui sententiam dicunt, dissensio est, alioquin non requiritur; nam qui deliberant, sua sponte parati sunt ad audiendum, nec perpetuò requiritur Epilogus, quando enim res adeo sunt paruæ, ut memoriã comprehendi facilè possint, non est opus Epilogo. Concludit ob id Stagirites duas tantùm esse necessarias

Exordiũ quid Ciceroni esset.

Digitized by Google

cessarias partes in oratione, tanquam eius proprias, puta propositionem, & probationem, quod si aliæ partes adiungendæ sint, in prima parte proœmium addendum est, & in postrema debet Peroratio collocari, adeout quatuor sint Orationis partes, quibus, ait, non esse Refutationem addendam, tanquam partem, quoniam ea, quę ad reprehendendum aduersarium attinent, probationi subijciuntur. Docet etiam nec Cõtentionem unam esse partem Orationis, quia non alia de causa Contentionem adhibemus, nisi ut nostras rationes amplificemus, & ex comparatione aliorum veras esse demonstremus, adeout contentio, vel comparatio pars quædam sit probationis in eum enim finem omnis instituitur comparatio, ut aliquid demonstretur, quoniam quæ inter se comparantur longè melius cognoscuntur, ut fatetur Tullius, dum ait. *Summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per se cognosci, atque intelligi possunt.* Addit Proœmium, & Perorationem inter Orationis partes recenseri, cum nequeant Probationi subijci ut contentio, nec idem quod comparatio efficiunt, sed Proœmium conciliandi gratia orationis initio solet adhiberi, Peroratio verò dumtaxat, ut quæ iam probata sunt, in memoriam reuocentur. Reprehendit Theodori Bizantij assecias, quòd nimis minutè Orationem partiti sint, nam non contenti narratione inter partes ponere, addebant etiam supernarrationem, & prænarrationem, nec tantum reprehensionem, sed etiam superreprehensionem Orationis esse partes volebant. Tametsi autem dictum ab Aristotele fuerit Orationi haud semper proœmium assignandum esse, id tamen intelligendum quantum ad necessitatem, quoniam plerunque res de qua agitur, proœmio non indiget, cum per se ipsam auditorum animos alliciat, ratione tamen ornatûs proœmium perpetuò requiritur, nam Oratio destituta proœmio, corpus ἀκέφαλον, hoc est sine capite videtur, & ideo Stagirites contra Gorgiam strependo insurgit, eoquòd encomium fecit in Eleos proœmio neglecto. Sic enim loquitur, *τούτων δ' ἕνεκα προοιμίου δεῖται, ἢ κόσμε χάριν ὡς ἀυτο καβδελα φαίνεται, ἐὰν μὴ ἔχη. τοιοῦτον δὲ τὸ Γοργίου ἐγκώμιον εἰς Ἠλείους οὐδὲν γὰρ προέλεγχοντος, ἢ διὰ τί θαυμαστὸν, οὐδὲ ἄρχεται. Ἠλεία πόλις ὀλβία. Horum autem causa proœmio indiget, aut ornatus gratia, quod abrupta videantur, nisi illud habeant. Eiusmodi enim est Gorgiæ Encomium in Eleos: nullo enim connexu, nulloque motu antè adhibito confestim incipit, Elis ciuitas beata.* Idcirco decepti sunt, qui dixerunt Aristoteli placuisse Orationem proœmio destitutam, eoquòd magis ad auditorem, quam ad causam pertineat, & Areopagitæ exordia vitauerint, ne verborum lenocinijs Iudices caperentur. Hi sanè toto Cælo aberrant, nam solum Aristoteles voluit proœmium esse extra causam, adhuc tamen saltem ornatûs gratiâ magnificiendum esse, & antiquos reprehendit, quòd relictis probationis præceptionibus, de proœmijs tantum, atque epilogis præcepta traderent. Areopagitæ verò solum detestabantur commotiones affectuum, siue in proœmio siue in alijs Orationis partibus adhibeantur. De his tamen uberius infra.

Et re verâ proœmij quandam necessitatem quisque fatebitur si non nihil cum Polybio aduerterit fieri non posse, ut finis obtineatur ab eo, qui principium minus commode auspicatus fuerit, quod nemo faciet, ut opinor, nisi aperiat qui sit Orationis finis, & quibus de rebus disputatio futura sit, quod proœmij munus est proprium; idcirco quando res est aperta ac planè manifesta, vel Oratio perbreuis, licet nobis proœmium tanquam non necessarium omittere, & hæc de proœmij natura, deque ipsius necessitate in uniuersum dicta sint; reliqua persequamur.

Quatuor proœmij partes ex quorundam opinione statuuntur.

Exordij, siue proœmij quatuor esse partes, Artifices statuerunt; huiusmodi porrò sunt *Expositio*, siue explicatio rei, de qua agitur, *Ratio*, quæ nil aliud quàm causa propter quàm res hoc vel illo modo se habeat, *Redditio*, quæ est quasi assumpta conclusio expositionem, & rationem consequens. *Comprobatio* quæ huius assumptæ conclusionis causa est. De his tamen partibus non ita sentiendum, quasi quatuor commemoræ in omni exordio reperiri debeant, secus enim se res habet, cum plerunque accidat, ut pauciores sint; id tamen omnibus est exploratum, ut ex his duabus una sit necessaria videlicet, *principium*, vel *insinuatio*; Quid autem differat inter *Principium*, & *Insinuationem* iam ab alijs adnotatum fuit; *Principium* enim tunc sanè contingit, cum statim, & apertè citraque metum Orator sermone auditorem idoneum ad audiendum reddit *Insinuatio* verò est, per quam idem callidâ quâdam verborum ambage, & subobscurâ circuitione in auditoris animum nihil minus cogitantis, acutè, & veteratoriè dicendo irrepit.

Quid Oratori taciẽdum ad proœmiũ probe elaborãdum.

Vt autem Orator probè valeat exordium elaborare, debet animo primùm euoluere causæ naturam Vbi causæ nomine per translationem intelligo omnem actionem quæ in Senatu, vel in Foro habetur; item, & circumstantias personæ, rei, & temporis debet perpendere, simulque statum quæstionis accuratè notare, de quo non multò post futurus est sermo. Nec omittenda consideratio de ipsius causæ qualitate, qua de re quædam paulo supra tetigimus, dum innueremus è quorundam sententiâ, causam esse posse multiplicem, nimirum honestam, turpem admirabilem, dubiã, humilem, & obscuram; pro huiusmodi enim varia causæ qualitate, varia, quoque est exordij contexendi ratio & præsertim prout causæ genus fuerit Demonstrativum, Deliberativum, & Iudiciale, variam proœmij conditionem requirit. Hæc igitur Oratori in re proposita magnoperè præ oculis habenda sunt.

Exordium enim honestæ causæ conueniens, alteri cui nulla honestas inest, consentaneum non est, quæ clarius intelligentur, cum speciatim his de rebus sermonem instituemus.

Duo exordiorũ genera.

Exordiorum autem duo esse genera proximè fuit à nobis adnotatum, cum diceremus unum esse principium, alterum verò insinuationem. *Principium* est quod statim apertè disponit, ac præparat auditores ad orationem reliquam audiendam. *Insinuatio* est oratio suauis, ac blanda, quæ quadam dissimulatione, verborumque circuitione clam, ut ita dixerim, auditoris animum subit. Vtrunque verò exordij genus tale est, ut per ipsum Orator possit *Benevolos*, *Attentos*, ac *Dociles* auditores reddere, quæ quanuis per uniuersam orationem summoperè custodienda sint, & frequenter instauranda, quia tamen præcipua sedes eorum in exordijs est; idcirco de his tribus exordij dotibus in præsentia differendum, quoniam auditoris animus ad audiendum non alia ratione præparatur, quàm, quatenus ipse benevolus, attentus, ac docilis reditur, propterea quòd *Benevolentia* facit ut libenter; *Attentio* ut diligenter; *Docilitas* ut intelligenter mentem, ac aures erigat auditor.

Vnde benevolentia capietur.

Benevolentia porrò, vel à persona, vel à re capitatur; persona verò triplex est, nimirum Oratoris, Aduersariorum & Auditorum. Sed tam Oratoris, quàm Aduersarij, persona duplex est, quoniam utrique proprium clientem, nimirum actorem, & reum adiungimus. Orator à propria persona benevolen-

Quomodo Orator beneuolentiã à propria persona contrahat

tiam contrahit, si quo fungitur munus citra quamlibet arrogantiam laudauerit; vel si cognatione, amicitia, publicâ utilitate, vel aliâ quauis honestâ causâ, nulloq; odio, aut maleuolentiâ, aut ambitione, aut quęstu affirmauerit ad dicendum se adductum esse. Amplius si suum ingenium, dicendique facultatem deprimat, adeo ut magis in causæ conditione, auditorumque studio, quàm in suæ eloquentiæ præsidijs spem omnem habere videatur.

Quomodo à persona rei siue clientis Orator sibi beneuolentiam conciliabit;

primò quidem à probitate ipsius, ostendendo scilicet eum esse virum probum, liberalem, fortem, & iustum; probi enim summoperè amantur, cum amor probitatem respiciat; liberales etiam siue in erogandis pecunijs, siue in salute danda, nam rectè Philosophus ait liberales vulgò plusquam cæteros omnes amari, quòd multis emolumento sint, sic etiam fortes, eiusdem testimonio magnos honores apud omnes gentes consequuntur. Non dissimiliter iusti summoperè amantur, & uniuersè multitudinis amor comparatur, famâ, opinione liberalitatis, beneficentiæ, iustitiæ, fidei, omniumque virtutum earum, quæ ad morum manſuetudinem, facilitatemque pertinent; talem igitur oportet clientem ostẽdere; quemadmodum etiam dicere ipsum esse indignum tali calamitate, & miseriâ, & in hanc eum non sua culpâ, sed aliorum iniuriâ, perfidiâq; incidisse. Captabit ur etiam auditorum beneuolentia ex eiusdem clientis infirmitate, inopia, solitudine, aliaue misera conditione, ut si senex fuerit, pupillus, captus oculis, valetudinarius, vel si fœmina, virgo, vidua, &c.

3. Ethic.

Beneuolentia ab aduersariorum persona.

Ab aduersariorum quoque persona beneuolentiam captabit Orator si aduersarios aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducet: In odium adducentur, si quid ab ipsis inhonestè, superbè, crudeliter, malitiosèque factum ostenderit: In inuidiam si eorum vis, potentia, amplæ fortunæ, gratia, cognatio ab ipso repræsentetur, eorumque usus arrogantiæ, temeritatisque plenus demonstrabitur, adeo ut his rebus, magis quàm iustitiæ causæ confidere videantur: In contemptum porrò adducentur si eorum segnities, ignauia, desidiosum studium, atque luxuriosum otium patefiet. In his tamen oportet summoperè nos cautos esse, ne ultra modum progredientes, auditoribus suspicandi occasionem præbeamus homines potius, quàm eorum scelera habere odio.

Asseqꝫtur Orator à Iudicum, siue ab Auditorũ persona beneuolentiam.

A Iudicum, vel ab Auditorum etiam persona beneuolentiam assequetur. Si eos laudibus efferet, omnes enim suis laudibus fauent, eumque diligunt, à quo se, suaque bona laudari intelligunt, trahimur enim omnes laudis studio, & optimus quisque gloriâ ducitur, ut eleganter Cicero dicere solebat; quæ quidem aduertens Isocrates, Demonico præcipit, ut cum in alicuius amicitiam aggregare se velit, eum vehementer laudibus prosequatur, coram eos, qui possint illi, quæ dicta fuerunt, nunciare, quoniam, ut ipse ait, *Laus initium est amicitiæ, vituperatio autem inimicitiæ*. Ab eorumdem etiam persona beneuolentiam contrahimus si nos eorum utilitati, existimationi, & auctoritati studere demonstremus.

A rebus beneuolentia.

A rebus ipsis beneuolentiam comparare possumus, causam nostram laudando, in quo modestia præ oculis habenda est; & aduersariorum causam contemnendo, quod etiam modestè fieri debet.

Attentos porrò auditores facies Orator quatuor obseruando,

A ttentos porrò auditores facimus, quatuor obseruando, quibus auditorum comparatur attentio, huiusmodi autem sunt res magnæ, deinde res propriæ, tum res admirabiles, postremò res iucundæ; ad comparandam igitur attentionem, Orator polliceri debet se de huiusmodi rebus verba facturum. Nam res magnæ animos mouent. *Sic enim* ut Tullius dicebat, *existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam, rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neque à Tribuno Plebis susceptam, neq; à Consule defensam.* Hoc idem obseruat Poeta in Bucholicis.

Sicelides Musæ paulo maiora canamus,
Et idem. *— — maior rerum mihi nascitur ordo;*
Maius opus moueo.

Res propriæ sunt quę ad ipsos pertinent, apud quos res agitur, tunc enim attentiores homines fiunt, eum de suis proprijsque rebus agi intelligunt. Ex his igitur Orator attentionem sibi conciliabit; quod obseruatum à Tullio, cuique notare licet; *Quod erat*, inquit, *optandum maximè, Iudices, & quod unum ad inuidiam vestri ordinis, infamiamque iudiciorum sedandam maximè pertinebat, id non humano consilio, sed propè diuinitùs datum, atque oblatum vobis summo Reip. tempore videtur*, & Poeta.

Quæ nam vos tanta fortuna indigna latini.
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?

Res itidem admirabiles quammaximè reddunt auditores attentos, cum quia, quicquid admirabile est summoperè delectat; tum quia nemo est, qui causas admirabilium rerum audire, ac intelligere non cupiat; hinc Cicero etiam conatus est auditorum attentionem sibi conciliare. *Hæc*, inquit, *non modo admirabilia, sed prodigijs similia quæ dicam*. Et Poeta.

Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Ex iucunditate causæ conatus est etiam Cicero attentionem sibi comparare; ita quidem dum ait. *Quæso à vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, &c.* usque ad illa verba, *& in cuiusmodi persona, quæ propter otium, &c.* Idem assequetur Orator auditorum beneficia commemorando, quod Cicero etiam obseruauit non uno in loco.

Tametsi autem conueniat ab auditoris persona sic exordiri, ut eum nobis conciliemus, & alienemus ab aduersario, non semper tamen id à nobis fieri debet, attentũ enim reddere debemus quando oportet; quando verò non oportet à re proposita potius deducemus, cum nimirum utile est ipsum non esse attentum, quod notauit etiam Stagirites, dicens, *διὰ γὰρ τὸ δοκεῖν σπουδαῖον εἶναι τὸν σπουδάζοντα. διὸ πολλοὶ εἰς γέλωτα τιθέντες τὸ πρᾶγμα, non enim semper prodest attentum reddere, quare multi risum conantur excitare*. Hoc etiam docuit Fabius. Quamobrẽ quoties Orator, vult animos auertere à re proposita, & efficere, ut minimè attendant, tunc contrariam rationem afferet, ut ostendat res esse pusillas, & nihil ad eos qui audiunt, pertinentes, eaidemque odiosas, atque molestas. Frequenter itidem comparatur attentio, si, quod etiam Tullius frequenter facit, rogemus auditores, ut attentè nos audiant.

Docilitatem deniq; sibi comparabit Orator, si breuiter, atque dilucidè summam rei de qua dicturus est, exposuerit: insuper si attentos fecerit, quandoquidem is maximè docilis est, qui attentissimè paratus est audire. Docilitas enim, quam Stagirites *εὐμαθίαν* appellat, ingenij quædam facilitas est à natura proueniens, cum ea, quæ audiuntur, aut leguntur, sine difficultate percipiuntur, at quandoque auditor alio intentus, nisi fuerit admonitus, non aduertit; ob id Orator tunc arte debet curare, ut ille aures attentas exhibeat, atque adeo docilis fiat.

Sed ad cognoscendam exordij conditionem, qualitates causarum oportet expendere; dictum est autem causas senario numero comprehendi, sunque

Digitized by Google

communi Rhetorum consensu causæ qualitate inspecta, quæ sequuntur. *Honesta, Turpis, Dubia, Admirabilis, Humilis, Obscura.* Honesta causa est cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur; aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnandum; ut pro viro strenuo contra parricidam. Turpis causa est, cum honesta res oppugnatur, vel turpis defenditur; ut si quis ignorantiam laudibus efferat; aut virtutis cultum vituperet. Dubia causa est, cum habet in se honestatis & turpitudinis partem; ut si quis patrem alicuius sceleris accusatum defendat, vel amici causam aduersus fratrem, seu cognatum suum. Admirabilis, siue dissentanea est, quæ præter auditorum opinionem, vel à qua eorum animus alienior esse videtur; ut si castitatem laudes apud adulteros, liberalitatem apud auaros, fortitudinem apud ignauos, lenitatem, apud crudeles & atroces. Humilis causa est cum vilis, & contempta res laudibus extollitur; ut cum laudantur culices, muscæ, &c. Obscura causa est, cum res difficilis agitur, atque de re differitur, quæ ab hominum intelligentia quamplurimum elongatur; ut si quis de abditis rerum causis verba faciat, puta de stellarum viribus, de ventis, de terremotu, & aliis absturfioribus naturæ arcanis, quorum accurata consideratio ad Philosophum pertinet.

Exordij porrò duplex est genus, alterum dicitur *Principium*, alterum verò *Insinuatio*. Alia etiam est exordij partitio, nam aliud dicitur *Ex abrupto*, & alterum *Iustum*, atque *Legitimum*. Priorem exordij distributionem superiùs tetigimus, & utrunque membrum explicuimus; quæ autem causæ conditio Principium, vel Insinuationem requirat, paucis verbis aperiam. Si causa fuerit honesta, cum huic suâ sponte auditores assentiantur, potest Orator exordium præterire, & vel à narratione, vel à partitione, vel ab ipsa confirmatione initium dicendi sumere, eò vel maximè si causa breuis est, & paucis verbis absolui potest: ita planè Historicorum, & Poetarum conciones ferè omnes se habent. Si forsan autem placet exordium adhibere, principio utens desumpto, vel ab ipsius rei honestate, vel ab officij, quo fungitur, excusatione, beneuolentiam captabit. Si causa porrò dubia fuerit, modo non dissimili beneuolentiam sibi conciliabit, ut ea pars, quæ aliquam habet turpitudinem, diluatur, ac ob id tota causa honesta prorsus videatur. Cum verò causa fuerit humilis, ad contemptionem declinandam, curabit auditorem attentum reddere, si obscura, docilem: si turpis, vel admirabilis, quando auditores infestos omninò non videat, uti principio poterit beneuolentiam sibi comparando, quod si notauerit eos abalienatos esse, poterit insinuationem usurpare.

Itaque insinuatione utendum est Oratori quotiescunque aduerterit animum auditoris infestum esse, & ab audiendo quammaximè abhorrere; hoc autem tribus ex causis contingit; primò si res ipsa, de qua agitur, turpis videatur: secundò, si auditores ante capti, & persuasi ab aduersarijs fuerint: tertiò tandem si defessi sint audiendo eos, qui ante nos dixerunt.

Si contingat, ut causæ turpitudo auditorem infestum reddat, tunc, aut pro homine, in quo ostenditur, alium, qui diligitur, hominem interponere oportet, aut pro re, in qua ostenditur, rem aliã, quæ probatur, aut pro re hominem, aut rem pro homine, ut hoc artificio ab eo, quod odit, ad id, quod diligit auditoris animus transferatur; sed illud amplius addendum, summæ quidem utilitatis Oratori, si dicat se id non esse defeniturum, quod alioquin defensurus existimatur; dissimulabit autem dicendo nec sibi placere, quæ ab aduersarijs facta dicuntur, immò illa detestabitur, atque nefaria esse demonstrare contendet, factique turpitudinem ac auctoritatem amplificabit; cum autem auditorem mitiorem, atque placidiorem nouerit, sensim ad defensionem se conferet, dicens nihil unquam simile à se factum fuisse. Egregiè quoque se insinuabit Orator si negauerit se quicquam de aduersarijs esse dicturum, nec apertis verbis eos læserit, qui diliguntur, eâ tamen arte, ut quantum fieri potest, id obscurè faciens ab iis auditorum, & iudicum voluntates alienet.

Quando autem compertum fuerit auditorem persuasum esse, tunc exordium commodè ab aliquo aduersarij dicto sumi potest, præsertim ab eo, quòd auditor non multo antea dixerit, aut in dubium reuocabit, unde exordium ducat, & ostendat se in ancipiti versari, quid potissimum dicat, aut cui loco primò sit respondendum: quòd si id cum admiratione fecerit venustior in dicendo videbitur: aut etiam apertis verbis, citra quemlibet metum, & hæsitationem pollicebitur se primò de eo esse dicturum, in quo aduersarius spem omnem constituit, sibique summo adiumento esse arbitratur; audita enim aduertens eum, quem aduersarij sua Oratione existimant perturbatum reddidisse, animo firmiori contra dicere paratum, facilè se potius temerè assensisse, quàm illum sine causa confidere existimabit. Quòd si auditores erunt audiendo defessi, multum iuvabit polliceri te paucis rem esse complexurum, atque adeo breuius, quàm cogitaueras. Nec inutile erit, si per occasionem licuerit, initium ducere à re quapiam recenti, & iucunda, undecunque nouitatem, & leporem habeat, siue nimirum apologum, siue fabulam, siue lepidam aliquam, plenamque festiuitatis narrationem Oratio ipsa contineat. Quòd si causæ dignitas, à loco, ridiculoque exordiri non permittat, confugiendum ad aliquod triste, novum, & horribile, adcout, quod Orator à ridiculo obtinere non potest, à serio facilitate summâ consequatur.

Ad exordij partitionem alteram quod attinet, qua dicebatur exordium unum esse ex abrupto, alterum verò iustum, atque legitimum, solùm id adnotandum, exordium ex abrupto dici quidem illud, quod sine præparatione animi est, hoc est sine animi conciliatione, illudque fit. Partitio Exordij in illud quod est ex abrupto &c.

Primò per quandam dicendi libertatem. Secundò per deprecationem initium ducendo à precibus. Tertiò per increpationem in ipso Orationis limine arguendo eum, quem alloquimur. Quartò per expostulationem conquerendo de re aliqua. Quintò per Emphasim rem verbis augendo. Sextò per commiserationem. Septimò denique per exclamationem, lætitiæque motum, quorum exempla operosum non est obseruare apud Oratores melioris notæ, & præsertim apud Tullium.

Exordium verò iustum, atque legitimum perhibetur illud, in quo animi auditorum per insinuationem quamdam ad reliquam orationem præparantur. Quid autem insinuatio sit, superiùs vidimus. Exordium porrò, de quo loquimur, duci potest à pluribus rebus, & primò quidem *ab opinione ac sensu eorum apud quos agimus*, ut cum nos ad eorum sententiam flectere videamur, ipsos facilius ad nostrum cõsilium trahere possimus. Secundò *à diuisione*, quæ tunc contingit, quando ex multis consideratis, unum dum taxat elicitur, quòd præcipuè in demonstratiuo genere contingit. Tertiò *ab adiunctis*, quod multifariam fit, vel nimirũ à persona aduersarij, vel à propria persona Oratoris, vel à tempore, vel à loco, vel ab alijs adiunctis. Quartò *à celebri, ac insigni quæstione proposita*. Exordiũ legitimũ.

Digitized by Google

Quintò. *A contrario rei, quam proponere volumus.* Sextò. *A similitudine.* Septimò. *A dissimilitudine.* Octauò. *A consuetudine.* Nonò. *Ab Historia*, quę cum re de qua agitur, affinitatem habeat. Decimò *Ab Apophthegmate*. Decimo primò. *Ab aliquo facto, inaudito, ac memorabili, quod rem augeat, vel minuat*, prout causæ ratio requirit. Decimo secundò plerunque ducitur etiam exordium. *Ab Ænigmate*. Decimo tertiò. *Ab exemplo vero aut ficto*, siue *fabula*. Decimo quartò. *Ab aliquo insigni pronunciato*; præcipuè verò quando Oratio ad deliberativū genus pertinet. Decimoquintò *A Fictione*, quando nimirum Orator, ut auditoribus aliquid voluptatis afferat, ingeniosè comminiscitur sibi, vel alijs contigisse quidpiam, unde sumat exordium dicendi, in quo curandum ipsi, ut fictio ad finem accommodata sit, atque adeò veritati persimilis, admonente Lyrico

In arte Poetica

Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet poscat sibi fabula credi.

Idcirco Plato vehementer Hesiodum, & Homerum insectatur, quòd nimis de Dijs absurda finxissent; itaque ad delectandum fictio summoperè confert, dummodo tamen quàm proximè ad veritatem accedat.

Alia etiã insinuantur.

Præter hæc autem, quæ sedulò debet Orator aduertere, sunt etiam, & alia non exigui momenti, præsertim illud, ut omni studio, & sententiarum, & verborum delectu, alijsque modis se virtutis studiosum esse, & speciatim in Exordio demonstret, quanuis hoc idem in uniuersa oratione præstare debeat, quoniam nihil est, quod auditores, ac Iudices magis alliceat, & ab eorum animis beneuolentiam extorqueat, quàm si se probum Orator ostenderit.

Adnotatio.

Non est autem prætereundum, quod summoperè Oratori utile est, nempe quòd ab eo reprehendi non debeat is, à quo velit audiri; si quem igitur debet arguere, vel in aduersarium vel in quamlibet aliam causam traducat. Amplius excusatione toties utatur, quoties ei opus fuerit acriorem, ac vehementiorem motum exprimere. Nec ei prætereunda est ratio cur in aliquem inuehatur, sic enim declinabit iram, ad quam alioquin Iudex excitaretur. Quòd si cogatur nonnihil iracundiam, & odium proferre, id fine præmissa laudatione non faciat. Alia etiam sunt obseruatu digna, quæ breuitatis causa iuvat præterire.

Vitia exordij considerãtur.

Hucusque quales Exordij dotes esse debeant, explicuimus. Supereſt, ut breuiter qualia sint eius vitia declaremus; grauiora verò, & frequentiora diligenter cauenda sunt, quæ sequuntur. Primum insigne

Primum.

vitium Exordij est ipsum posse pluribus causis accommodari; probatissimum enim erit si ex ipsa causa, velut natum, & à proposito non alienum videatur. Secundum, si tam reo, quàm accusatori, tam laudi, quàm vituperio, tam suasioni, quam dissuasioni, tam defensioni, quàm accusationi accommodari possit, adeout paucis mutatis in contrarium commodè possit adhiberi. Tertium si longus sit, quàm oporteat, vitiosum erit, siquidem orationi, tanquam corpori caput proportione debet respondere. Quartum est etiam Exordij vitium, quòd nullam habeat cum reliqua oratione connexionem. Quintum est etiam Exordii vitium si nimio verborum apparatu, ac verbis elaboratum fuerit inusitatis, aut insolentibus constet. Sextum curandum ne sit contra præcepta, ut si docilitatem conciliet, cum opus est beneuolentiã, vel attentione. Septimum tandem detestandum est illud, quod nec beneuolos, nec attentos, nec dociles auditores reddit.

Secundũ.

Tertium.

Quartum

Quintum.

Sextum.

Septimũ.

Figuræ in exordijs adhibẽdæ.

Ex figuris autem, quę maximè possunt in exordijs usurpari sunt, quas hic breuiter subijciemus; nam hactenus, quibus ex locis petenda sint exordia, docuimus; supereſt explicandum, quibus figuris illa exornari debeant; non solùm enim quid dicendum, sed etiam quomodo dicendum Oratori perspectum esse debet; nec solùm is exordij materiam ex communibus locis petitam, sed etiam formam ex figuris desumptam debet cognoscere.

Figuræ exordijs adhibendæ.

Prima figura est *Dubitatio*, cuius in defensione, vel accusatione frequens usus est, ut auditoris animus suspensus remaneat. Secunda est *Hypothyposis* præsertim si cum aliqua fictione fiat, hæc enim figura plurimum habet dignitatis, si tamen fuerit cum fictione iuncta, quandoquidem ingenij opinionem gignit. Tertia est *Occupatio*, quæ præsertim in causis iudicialibus locum habet, magniq; fieri debet, utpotè aptissima ad euellendas ex animis iudicum suspiciones, quæ rei maximum possunt detrimentum afferre, eiusq; usus precipuus est in exordijs à iudicum opinione deductis. Quarta figura est *Licentia*, quæ est liberius pronunciata sententia, commonefaciendi, obiurgandi, excusandi, vel etiam adulandi causa; ut si quis liberè se accuset; hoc enim modo maiorem suæ causæ fauorem conciliat, quàm si defenderet, vel purgaret. Quinta *Distributio*, hæc enim ornamentis dignitatisque plurimum affert exordio, non solùm propter amplitudinem, summamque copiam orationis, sed etiam propter claritatem, & perspicuitatem eiusdem. Sexta est *Antithesis*, ex qua exordium plus habet solemnis apparatus, quàm roboris, ac virium, fit enim per contrapositionem verborum, ut suo loco videbitur, solet autem ob eam, quam habet pompam, in panegyricis potius, quàm in alijs orationibus usurpari. Septima, *Suspensio* figura est in primis opportuna, ut in exordiis adhibeatur, cum enim ea sit, quâ magnum aliquid promittitur, nihil eâ potest illustrius esse; propterea quòd mirum in modum auditoris animũ, rei alicuius magnæ, quadam expectatione præparat, & in eodem vehementem quandam sciendi cupiditatem excitat, quid nimirum sit id, quod Orator pollicetur. Octaua tandem figura est *Apostrophe*, quæ summam utilitatem habet, eo quòd sermo fit acrior, & vehementior, si ab eo qui cum loquimur, vel à re de qua loquimur ad alterius personam, vel præsentem, vel absentem, vel defunctam, vel ad res inanimas directus fuerit.

Motus exordijs adhibẽdi.

Varij sunt motus Exordijs accommodati, qui tamen vel sunt leuiores, vel si grauiores sunt, profectò nonnisi incepti, non autem absoluti. Ad motus pertinet, ut oratio sit morata, seu ut bonos Oratoris exprimat mores; & ut sit pathetica hoc est, ut quodammodo auditoris animum afficiat in eum varios affectus inducendo, nimirum, vel lætitiæ, vel doloris, vel spei, vel timoris, vel amoris, vel odij, ac indignationis; dum igitur is orationem aggreditur, per totum exordium, unum, vel alterum ex hisce motibus commodè poterit in auditorum animis excitare.

Ratio exercendi.

Ex hactenus dictis cuique satis exploratum esse potest, artificium adhibendum in Exordij compositione. Primò quidem est opus, ut aliqua propositio proponatur, quæ sit adeo causæ accommodata, ut ex eius viscribus deprompta videatur. Secundò, ut exhibeatur eiusdem propositionis ratio, ex non dissimili fonte deducta. Tertiò, ut hæc amplificetur varijs amplificationis modis. Quartò, ut conclusio quædam propositioni cognata afferatur. Quintò tandem, ut adducatur ipsius confirmatio, quæ luculenter eiusdem veritatem ostendat.

SE-

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De Narratione.

CIceroni videbatur. *Narratio nil aliud, quàm explicatio rei, & quasi quædam sedes, ac fundamentum constituendæ fidei.* Vel clarius hoc modo. *Narratio est rerum gestarum, vel quasi gestarum expositio,* & quidem rerum gestarum est Historia, at quasi gestarum est Fabula.

Duplex autem narratio est, Fabio teste, una quidem ipsius causæ, & est quæstionis, seu rei de qua agitur, expositio; huiusmodi verò narrationi locus est post exordium; At altera est rerum ad causam pertinentium, quæ ubique potest incidere, proindeque certum in Oratione locum non habet; Vtriusque autem præcepta ex ijsdem locis petenda sunt. Vtraque duobus modis tractari potest, vel nimirum simplici quodam stylo, nullâ prorsus amplificatione adhibenda; aut varijs ornatibus illam illustrando, pluribusque modis exornando, ità tamen, ut artificium haud facilè cognoscatur, styluque sit veluti per incisa, non autem per periodos.

Sæpesæpius præmitti solet narrationi verborum quidam apparatus, qui propriè narrationis præparatio, & ad ipsam ianua dici solet, quam Oratori sumere licet, vel ab antecedentibus, vel à consequentibus, vel ab alijs locis, puta timoris, admirationis, &c. Hæc præparatio frequenter omittitur, orationis initio ducto à descriptione, vel temporis, vel personæ, vel alicuius alterius rei. Plerunque aliqua solet digressio adhiberi, præsertim cum causa plurimum horroris audientium animis potest incutere. Elegans illa præparatio videtur, qua usus est Tullius. *Forsitan quæratis,* inquit, *qui iste terror sit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros impediat, quo minus pro capite, & fortunis alterius, quemadmodum consueuerunt causam velint dicere, quod adhuc vos ignorare, &c.*

Narrationis quædam sunt ornamenta, tanquam sales, quibus cum fuerit destituta, insulsa prorsus videbitur. Hæc porrò sunt apud artifices melioris notæ. Primum, ut multa verba infinitiui modi adhibeantur, suppresso verbo à quo regi possint. Secundum, ut phrasis concisa sit Historiæ accommodata, & pro præterito, tempus præsens usurpetur. Tertium, ut plures, variæque sententiæ sine coniunctione conglobentur. Quartum, ut participia frequenter adhibeantur. Quintum, ut relatiua particula interseratur, hæc enim narrationi venustatis plurimum affert. Sextum. Narrationi non vulgarem elegantiam conciliat, eorundem temporum frequens usurpatio. Septimum. Non sine quadam elegantia, venustateque inseruntur voces, *inquit, ait, ut loquitur,* &c. Octavum. Facit etiam ad elegantiam narrationis omissio quarundam vocum, sic enim splendet breuitas, quæ in oratione gratia singularis esse videtur.

Figuris porrò plurimis indiget narratio, ne nimis ieiuna, proindeque puerilis videatur. Hæ autem sunt Hypothyposes, quæ maximè est narrationis propria, velut illa, in qua res, perinde ac si gerantur, sub aspectum subijciuntur. Suspensio narrationis valdè conuenit, nam animorum suspensiones dignitatis non modo, sed etiam voluptatis, plurimum narrationi afferunt. Ethopœia maximè conuenit narrationi, velut illa, in qua alicuius natura certis indicijs, ac signis describitur, vel est vitæ, ac morum alienorum imitatio.

Inter has etiam figuras recenseri solent Exclamatio, & Admiratio, ita tamen, ut utraque post narrationem rei alicuius minimè vulgaris, siue in laudem, siue in vituperium id fiat, &c. Epiplexis opportuna est figura, quæ in increpatione vehementi consistit; per ipsam enim obiurgamur, aut coarguimus; quod maximè conuenit Oratori, quotiescunque graue aliquod facinus exponendum assumit, cuiusmodi est illa, quam adhibet Tullius dum ait. *Patere tua consilia non sentis, constrictam iam omnium horum conscientia teneri, coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiori nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid consilij ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* Communicatio quoque multum habet momenti, narrationique plurimum deseruit ad aduersarij consilium aperiendum.

Narrationis pariter, motus quidam sunt proprij; prout tamen argumentum postulat; debent igitur in narratione quædam adhiberi, quæ auditorum animos possint commouere, quod præcipuè fit, si stylus Orationis sit accommodatus motui excitando. Huiusmodi autem motus plerunque sunt moderati; ad exagerationem tamen sæpesæpiùs animi perturbationem narratio requirit.

Præter figurarum usum, alia sunt, quæ in narratione desiderantur, quæque ipsius virtutes dici solent. Tres autem censentur, nempe *Breuitas, Perspicuitas,* & *Probabilitas.* In breuitate non omittenda est elegantia, quam ne putes cum breuitate cohærere non posse; quandoque enim narrationis eo maior est elegantia, quo paucioribus verbis continetur; liceat igitur phalera, & lenocinia verborum sint omittenda, supellex tamen necessaria non negligenda. Breuis erit narratio, si rem non altiùs, quàm unde erit necesse repetamus, nec longius, quàm par est, sermonem protrahamus; si nihil extra causam intrudamus; tandè si summatim, non particulatim narremus. Dum autem narrationem breuem desidero, non propterea mancam, vel nimis recisam volo, & multo minus intrigatam, & obscuram; satis enim breuis dici poterit, si nihil superfluum contineat. Diuisio etiam breuitati confert. Ad idem conducunt interlocutiones, atque tandem interrogationes quædam, quibus amputetur sermo.

Dilucida, siue perspicua debet esse narratio, nam cum in reliqua oratione, tum præsertim hæc in narratione cerni debet. Erit autem huiusmodi si verbis propriis, & usitatis, si temporum ordo conseruetur; si nihil contortè, vel sinuosè, nihil perplexè dicatur. Hæc narrationis virtus non tantùm ab ingenii præstantia, dignitateque, sed etiam ab artis industria præcipua, singularique proficiscitur, quâ certè destituti sunt illi, quibus tota de sonitu verborum est cura, de significatu nulla, nec aduertunt se præceptionibus artis abuti, quibus præcipitur Oratori, ut curet quantum potest orationem contexere, quæ instar Solis in auditorum sensus incurrat, hi quantumuis in eam non intendantur; talis autem erit narratio, si omnis sermonis ambiguitate reiectâ fluat non nimis longâ verborum continuatione, nec nimis producto membrorum ambitu, non discerptis sententijs, non confusis personis, non præposteris temporibus, nec ullo tandem ordine perturbato. Curandum porrò, ne voces barbaræ sint, & externæ, nihil enim magis, narrationis perspicuitati, quàm peregrinæ voces possunt officere. Hæ siquidem non splendorem afferunt Orationi, sed potius tenebras offundunt. Tertia virtus est narrationis probabilitas, eique tam necessaria, ut nihil magis; ea nanque collimat Oratoris labor omnis, ac omnis industria, ut fidem sibi conciliet,

Epiplexis. In Catil. Orat. 2. Communicatio. Motus narrationi conuenientes. Narrationis virtutes tres. Breuitas, Perspicuitas, & Probabilitas. Dilucida. Probabilitas.

Digitized by Google

liet, at si narret, quæ fidem superant, nullam profectò fidem poterit apud auditores inuenire. Probabilis igitur esse debet narratio; erit autem huiusmodi, si personis, si temporibus, si locis consentiant ea, quæ narrabuntur, si cuiuscunque facti & euenti causa proferatur, & alia demum adhibeantur, quæ ad audientium opinionem accommodata sint. Conducit etiam ad probabilitatem, si Oratio simplex sit, & non fucata; si nihil afferatur, quod à communi hominum sensu nimis abhorreat. Cicero de narrationis probabilitate loquens hæc habet. *Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis ea, quæ narrabuntur, consentient, si cuiusque facti, & euenti causa ponetur, si testata dici videbuntur, si cum hominum opinione, auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta, si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si Orationis veritas, & vitæ fides;* quæ autem ad probabilitatem conducant, plura sunt, quæ paucis hoc modo perstringam.

In partitionibus oratorijs.

Primum. Quæ probabilia reddant narrationem.

Primum est fides, & probitas Oratoris, hæc enim summoperè probabilem Orationem reddit. Secundum, quòd Orator vera dicere soleat, valdè siquidem est probabile, ut ipse à mendacio abstineat: ut contra, mendaci nunquam habetur fides, quamuis vera dicat. Tertium in eo consistit, ut rem verbis propijs Orator exponat, & ut non sordidis: ita nec exquisitis, & à communi usu remotis. Quartum. Nihil contra decorum dixerit, sed personas constituet tales, quales esse debent, ut ijs conueniant, quæ persuadere vult; ut si furti reum constituere velit, prius ostendat eum cupidum auri fuisse, itemque egentem, luxurijs deditum, alijsque vitijs, quæ secum bonorum direptionem trahunt. Quintum prudens quædam est simplicitatis imitatio; hæc enim magnam orationem probabilem efficit. Sextum in circumstantijs positum est, cuiusmodi sunt nomen, natura, an aliquis timidus sit, an audax, robustus, an potius valetudinarius, an diues, liberalis, an auarus, aut prodigus. Victus, num scilicet quispiam lautè viuere consueuerit, vel etiam crapulis deditus, an potius frugali victu contentus fuerit. Fortuna, an scilicet illi fortuna fauere soleat, an potius inimicam fortunam habeat. Habitus, nimirum aut animi, aut corporis, constans quædam in aliqua re perfectio studio temperata, quâ quis benè, vel prauè ad quamlibet actionem exercendam afficitur. Effectio, quæ mutationi facilè obnoxia est, ut lætitia, mœror, spes, timor, & id genus alia, quicquid nimirum facile mutari potest; hæc igitur si repræsententur ut oportet, probabilem narrationem reddunt. Ad hæc etiam accedit studium ordine Septimum, nimirum vehemens quædam animi contentio, in re quapiam agenda; sic etiam alia sunt à quibus desumitur probabilitas narrationis, nempe consilia, orationes, locus, tempus, &c. Si quid autem est creditu difficile, de quo sit Oratori disputandum, illudque nullatenus ex allatis locis probabile reddi possit; omittendum ei est, ne tantam dignitatis iacturam patiatur ex improbabilitate causæ, quantam accessionem ex probabilitate speraret.

Quintũ. Sextum. Septimũ.

Iuuat narrationem per aliquod Epiphorema concludere.

Absoluta narratione, quod præsertim per aliquod Epiphorema fieri debet, ferè semper digressiones, opportunæ videntur, quoniam per ipsas fit gradus ad ea, quæ Oratori prodesse possunt, antequam ad confirmationem, vel confutationem se conferat; & hinc etiam Oratio si tempestiuè fiat, plurimum splendoris acquirit, quandoquidem elegans digressio, ad rem, de qua agitur, pertinens, lumen quoddam effundit, quo tota clarescit Oratio.

Tametsi autem utilissima narrationis præcepta sint, magis tamen ad res Historicas, & quotidianos sermones, quàm ad Orationes elaborandas conferunt; propterea quòd in demonstratiuo genere nulla propria interuenit narratio, nisi hoc nomine placeat confirmationem intelligere, in qua laudes exponuntur amplificando, & exornando. In genere autem deliberatiuo, nulla videtur esse narratio, siquidem hæc est præteritorum expositio, at deliberatiuum futura respicit. Superest genus iudiciale, in quo re verâ potest esse narratio, non ita tamen, ut Oratio, ad hoc genus pertinens, sine narratione esse non possit. Quamuis igitur rectè dicat Cicero, de oratione loquens, *quatuor eius esse partes, quarum prima, & postrema ad motum animi valet, is enim initijs est, & perorationibus concitandus; secunda narratio; & tertia confirmatio fidem facit Orationi;* Id tamen non intelligendum, ut Oratio semper omnibus hisce partibus constare debeat.

Quando autem narratione sit opus, quomodo ea sit perficienda, satis ex hactenus dictis notum esse potest, quæ sumatim exposita in his, quæ sequuntur, omninò consistunt.

Debet igitur Orator primò temporum ordinem diligenter aduertere, eumdemque seruare. Secundò debet à digressionibus, minus ad rem facientibus, abstinere. Tertiò ab eo sunt usurpanda verba usitata, & peregrina reijcienda. Quartò nihil assumat, quod probabile non sit, sed decorem respiciat, adeo ut nihil usurpet in Oratione, quod à rei natura discrepare videatur. Quintò, si quid est, quod sibi dicendum occurrat factum iam fuisse, id non pronunciet, nisi rationibus undecunque petitis egregiè suffultus. Sextò non adeo breuitati studeat, ut obscurus fiat, sed ea narret, quæ ad claram plenamque notitiam facere videntur, si quid est autem superfluum, omittat, nam hoc etiam claritatem inficit, quatenus confusionem parit; ob id non altiùs rem propositam repetat, nec ulteriùs magis progrediatur, quàm oporteat. Septimò in exponendis ijs, quæ ad narrationem pertinent, solùm ea persequatur Orator, unde narratio potest robur ad intentum obtinendum acquirere; idcirco debet à minutioribus abstinere, cum hæc narrando, commodi nihil consequi possit, eique timendum ne his potius sit auditoribus tædium allaturus. Interest plurimum Oratoris narrationi suauitatem conciliare, quam, ut assequatur ei sunt obseruanda, quæ Cicero tradidit. *Suauis autem, inquit, narratio est, quæ habet admirationes expectationes, exitus inopinatos, si interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.* Quæ breuiter hic explicabimus. Hoc tamen in uniuersum præmisso, ut Oratio concidatur, itaut non pleno sermonis orbe semper decurrat, quod pluribus modis fiet. Primò quidem per exclamationem. Secundò fit Orationem illustrando figuris, colloquijs, suspensionibus, & sermocinationibus. Tertiò proponendo, quæ magna sunt & inaudita, & inopinata; hinc enim admiratio, ex qua singularis in narrationem emanat suauitas. Quartò adhibendo infinita pro finitis, idque coacernatim faciendo. Quintò exprimendo mores hominum, & affectiones, videlicet lætitiam, metum, suspicionem, desiderium, dolorem, &c. Sextò comparatur etiam narrationis suauitas Apologorum usu. Septimò suauem eamdem facit Historia. Octauò Iucunditas etiam dummodo grauitati permixta sit, narrationi suauitatis plurimum affert, & alia id genus ad narrationis comparandam suauitatem conducunt.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

De Contentione, deque duplici eius parte, Confirmatione, & Confutatione.

VNiuersa contentio tribus continetur, videlicet propositione, confirmatione, & confutatione: *Propositio autem generatim breuis est quædam comprehensio statûs, & summæ totius causæ*, eiusque partes duas fecerunt artifices, nempe seiunctionem, & distributionem. Seiunctio breuis est Oratio, declarans quid cum aduersarijs conueniat, & quid in controuersia supersit. Distributionem autem dicunt esse orationem, qua proponitur quibus de rebus dicturus sit Orator, estque explicatio ordinis in tota oratione seruandi. Vtriusq; porrò sunt conditiones præcipuę. Prima ut sit breuis; secunda, ut sit absoluta; tertia, ut non sit multiplex; quarta denique, ut sit clara. Breuem efficies nihil superfluum interserendo; absolutam enumerando omnia, quæ ad causam pertinent; multiplicem neq; speciem cum genere, nec partem cum toto, nec effectum cum causa permiscendo; claram denique reddes proprijs verbis utendo. Vtranque propositionem dicendi Magistri talem esse decernunt, ut neutra minutiora quædam complectatur, nec ad plura, quàm ad tria capita sese extendat.

Propositio autem particularis, quam causæ statum appellant sic explicant, ut status à stando dicatur, eo quòd sit id, in quo Orator insistit. *Status porrò ipsis est constitutio, vel quæstio, vel quod in quæstione positum est; vel est causæ caput, ad quod cætera omnia reuocantur*, diciturque quodammodo primus causæ congressus; nascitur ex intentione acculatoris, & depulsione defensoris, ut Milo occidit Clodium: Milo non occidit Clodium, & duplex contentio est, ex qua status oritur causæ; An Milo Clodium occiderit, itaque: *Status est illa præcipua quæstio, quæ causam continet*, & quò, tanquam ad scopum tota Oratoris industria tendit, & de qua demùm iudici ferenda sententia est. ea non solùm in genere iudiciali, quanquam in hoc maximè; sed etiam in laudationibus, & deliberationibus locum habet. Dici etiam constitutio solet, quia est veluti fundamentum orationis, in quo causa tota consistit.

Quoniam verò tria sunt, quæ in unaquaque disputatione quæri possunt *An sit, quid sit, quale sit*. Sic enim Tullius. *Quoniam igitur*, inquit, *omne, quod in controuersiam venit, id aut sit, necne sit, aut quid sit, aut quale sit quæritur. In primo coniectura valet, in altero definitio, in tertia ratio*. Tres propterea sunt status, nempe Coniecturalis, Definitivus, & Qualitativus.

Coniecturalis status is est, in quo quæritur. An aliquid factum sit, necne. Hic igitur status ad facti quęstionem pertinet, nempe, An res facta sit: ut, An Pompeius Regnum affectauerit. Status definitivus est is, in quo quæritur quid sit id, quod est factum, & quo nomine sit appellandum; itaque spectat ad quæstionem nominis, ut *Cæsar fuerit ne dicendus Rex, an Tyrannus, an Dictator*. Qualitativus est ille, in quo queritur quale sit id, quod arguitur, ut *iure ne, an iniuria factum esse videatur*, ut *An omicidium iure, an iniuria factum sit*. In primo Coniectura valet; in altera Definitio; in tertio denique Ius, atque Ratio.

Status coniecturalis complectitur omnem differentiam temporis, nam comprehendit tempus præteritum, *An aliquid factum sit*. Tempus præsens, *An bono animo factum sit;* Poltremò tempus futurum, *An aliquid faciendum sit*. Coniectura firmitatem à voluntate, facultateque rei faciendæ consequitur: Voluntas porrò impulsione, seu explicatione affectuum amoris, odij, iræ, &c. qui ad rem faciendam impulerunt; probata redditur: Facultas & lucri, atq; commodi expositione stabilitur, varijs signis, varijsque rei circumstantijs comprobatur.

Status definitivus, non meliùs, quàm definitione fulcitur, ut superiùs quoque dictum fuit.

Qualitativus duplex esse perhibetur, nempe iudicialis, & negotialis, primus quærit, quid Ius postulet in hoc, vel illo facto. Secundus quid constitutio ciuilis, & consuetudo præscribat. Iudicialis autem duplex, nempe Absolutus, & Assumptivus; primus absolutè factum defendit, vel damnat; secundus absolutè factum non defendit, sed talibus positis adiunctis. Vt, Orator fatetur; *Non licet hominem occidere*, negat autem à Cliente insidias paratas fuisse. Status assumptivus continet, vel criminis concessionem, ita tamen ut veniam postulet, voluntatem excuset, totumque crimen imprudentiæ, aut casui, aut necessitati acceptum referendum dicat: vel criminis remotionem continet: vel eiusdem relationem, reiectâ videlicet illius causâ, in alium, à quo vel lacessitus, vel coactus crimen quispiam perpetrauerit: vel tandem comparationem ex duobus criminibus, demonstrando necessarium alterutrum fuisse, quod tamen est factum, id minus esse.

Præcipua quidem Orationis est pars, quæ dicitur Confirmatio, velut illa, in qua tota vincendi spes, ac tota persuadendi ratio posita est, ut propterea non ineptè dicantur cæteræ Orationis partes ad ipsam confirmationem referri, velut ad illam, quæ neruos omnes eloquentiæ continet; in hac igitur tota vis Orationis videtur constituta, nostris enim adiumentis expositis, atque contrarijs dissolutis Oratoris munus obijsse dicimur. Confirmationem Tullius definitam reliquit, ei siquidem Confirmatio videbatur *præcipua quædam Orationis pars, per quam argumentando nostræ causæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit Oratio*, vel & in idem recidit. *Illa est in qua causam nostram ostendimus argumentorum præsidio*.

Tametsi autem Confirmatio, & Confutatio diuersæ partes esse videantur, eadem tamen est augumentorum species, quibus, & confirmamus, & refellimus, & ab eisdem locis tam ad refellendum, quàm ad confirmandum sumuntur, ut egregiè Stagirites notauit eâ ratione ductus, quoniam gemino modo possunt argumenta dissolui, vel *per demonstrationem*, vel *per reprehensionem*, priori modo rem aliter se habere ostendimus, quàm aduersarius dixerit, & contrarium probamus, ut si ille dixerit esse rem factam, nos autem non factam esse demonstremus. Vt Milonis aduersarij dicunt ab eo insidias paratas fuisse Clodio, idque pluribus argumentis nituntur ostendere; at ex aduerso Tullius Milonis defensor nō esse ab ipso factas insidias Clodio contendit; in cuius gratiam multis utitur argumentis. Ita quoque si aduersarius dixerit rem non esse factam, nos ex aduerso factam esse demonstrabimus. Vt si quis dicat *Pompeius non est dignus triumpho, quia præclaris gestis imperium non auxit, &c.* Orator dicet *Pompeius est triumpho dignus, quoniam imperium plurimum auxit*. Itaque nulla est differentia in argumentandi ratione, siue quispiam affirmet, siue refellat, siue accuset, siue defendat, propterea quòd ambo ijsdem argumentis utuntur.

Si autem per reprehensionem argumenta dissoluenda

complectitur. Voluntas.

Facultas & lucri, atque commodi expositione stabilitur.

Qualitativus duplex, nempe iudicialis, & negotialis.

Iudicialis duplex absolutus, & assumptivus.

Omnes Orationis partes ad confirmationem referuntur.

1. de Inu.

Eadē species argumentorū confirmationi, & confutationi deseruit.

Quando per demōstrationē.

Quando per reprehensionē

uenda sunt, non per aliam argumentorum speciem refelluntur, ab ijs per quæ fuit facta confirmatio, quandoquidem ipsa reprehensio, nec est enthymema, nec argumentatio: gemino autem modo fit, vel cum opinionem in medium adducimus, qua probemus non benè ab aduersario conclusum fuisse, vel cum ostendimus aliquid pro vero, sumptum ab eo esse, quod falsum sit.

Confirmatio quid.

Confirmatio porrò contentionis est pars, in qua rem à nobis propositam confirmamus, & est probatio rei à nobis propositæ; & hoc modo confirmatio à confutatione distinguitur, nam alioquin, sumitur latiori quadam significatione, iuxta quam confirmatio dicitur Oratio quâ firmantur propria, & confutantur aduersa, in quibus tota vincendi vis posita est.

Qui nam optimus argumentorum ordo in cõfirmatione.

Confirmatio autem de qua loquimur, opportunam argumentorum dispositionem requirit, & ille quidem ordo communis ac optimus est, quo firmiora primùm collocentur, quoniam tunc maximè auditor intentas porrigit aures, quemadmodum etiam in fine, nam quæ postremo loco dicuntur, altius inhærent animo; infirmiora verò medium locum obtinebunt, propterea quod eorum infirmitas sermonis orbiti decurrente, non tam exquisitè percipitur. Hæc dispositionis ratio eo nomine plurimum utilitatis habet, quoniam hac arte præponendo scilicet argumenta validiora, fit ne Auditor leuem causam suspicari incipiat: & validiora itidem posterius adhibendo, fit ut altiores in auditorum animis radices agant; reliqua verò minoris momenti stipando, & adhibendo fit, ut quodammodo, si non pondere, multitudine saltem, causæ opitulari videantur.

Quod si forsan usu veniat, ut causa duobus argumentis innitatur, quorum unum validius, aliud verò sit efficacitatis minoris, quod robustius est adhuc priori loco est adhibendum, & eidem subijciendum infirmius, ita tamen ut confestim ad validius, regressus fiat, quod à Tullio aliquando affirmatum obseruauimus, præsertim ubi ait. *Cum animus primâ aggressione occupauerit, infirmabit, excludetque contraria: de firmissimis alia prima ponet, alia posteriora, inculcabitque leuiora.* Fit etiam per gradus ascendendo, ita ut primò firmetur res in quæstione vocata, deinde remittatur aliquid, ut subinde liceat audacius contra aduersarium insurgere.

In Oratore.

Confutatio quid.

Confutatio autem contentionis est pars, in qua, quæ ab aduersario allata sunt, dissoluuntur, sed ut maximè utilis est confutatio, ita maximè difficilis, & eo quoque maiori artificio eget, quo facilius est obijcere, quàm obiecta refellere. Confirmatio siquidem, ut lepidè ille dicebat, vulnus infligit, confutatio medelam adhibet.

Ordo seruandus in confutatione cõtrarius ordini confirmationis.

Ordo seruandus in confutatione contrarius est ei, quo in confirmatione utimur; plerunque nos aduersarium tantum refutamus: quandoque post nostram propositionem confirmatam ad confutationem progredimur: non rarò euenit, ut prius aduersarium confutemus, deindè verò causam nostram confirmatam reddamus.

Obseruatis ijs, quæ sequuntur, facilius licebit aduersarium confutare; quæ autem illa sint paucis explicuit Tullius dicens. *Aut totum est negandum, quod in argumentatione aduersarius sumpserit si fictum, aut falsum esse possit dicere, aut redarguenda ea, quæ pro verisimilibus sumpta sunt: primum dubia sumpta esse pro certis; deinde etiam in perspicuè falsis eadem posse dici: tum ex ijs quæ supersint, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad singula, sic uniuersa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit; conquerenda conditio communis periculi; si ingenijs hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.*

Hæc autem breuiter explicare iuvabit. Primò quidem à repugnatibus infirmari potest crimen, ostendendo reum, aut non esse moribus, aut non eâ vitâ, aut in illo, nullos animi motus, aut non tam potentes fuisse; hac enim arte ab ijs quæ ipsi, fuerunt imposita facinora, demonstrabimus eum prorsus alienum; nam iuxta opinionem de cuiusque moribus, iudicium fiet de ijs, quæ ipse perpetrauerit, nimirum quòd aliquid fecerit, vel non fecerit. A personarum etiam adiunctis.

Et quidem confutatio callidè fiet ostendendo causas adiunctorum, puta cruoris in manibus, palloris in vultu, tremoris in actibus &c. diuersas esse ab ijs, quas aduersarius affert. Non dissimiliter à circumstantijs optimè desumetur argumentum ad confutandum, scilicet causarum efficientis, ac finalis remotione Clienti nullam fuisse perficiendi sceleris facultatem, ac ob id ab eo rem fieri non potuisse, vel non posse aut contra potuisse. A consequentibus argumentamur etiam ostendendo multa incommoda secutura fuisse, si ab eo, quem defendimus, admissum crimen fuisset, vel fieret, neque esse credendum, cum ille sit vir adeo prudens, ut in tanta pericula se conijcere noluisset. A negatione sumere quoque licet argumentum ad confutandum; absolutè videlicet negando si tutò fieri possit; cum enim crimina gratis ab accusatore obijciuntur, negari quoque gratis debent, quod fit præsertim rei causam tollendo; hac tamen arte, ut, quod initio subobscurè videmur fateri, sublatâ causâ possimus apertè negare. Contemptus etiam criminis leuiter obiecti ab aduersario, plurimùm facit ad confutandum, quemadmodum etiam, & aliquis communis locus, cuiusmodi est quærela de misera temporum conditione, de communi omnium bonorum periculo, si exposita fuerit calumnijs innocentium vita; hoc enim modo rem saltem infirmabimus, & excusabimus, si negari non possit; fit etiam destruendo argumentorum sequelam confutatio, quam dicimus. Si autem res nimis apertè constet, eam alio præstat detorquere, ut in alios reijciamus. Si crimen autem inficiari non liceat, iuvat uti compensatione afferendo virtutes oppositas crimini, & easdem affirmando de eo, quem defendendum assumpsimus; præstat etiam, quod crimini ab aduersario vertitur, diligenter ostendere id à virtute recognoscendum esse. Aliæ etiam sunt à quibus potest confutatio desumi, quæ breuitati studens omitto, & apud alios videnda relinquo.

Conf. tio à pugnantibus.

Ab adiunctis.

A coniunctis.

A negatione.

A contrario seu crimis.

A contrario loco.

A destructione argumentorum.

Fit etiam per compensationem.

Fit etiam ostendendo virtutem acceptum esse referendi sibi.

Sunt etiam, & figuræ confutationi quam maximè aptæ, videlicet. *Hypothypoſis, Sermocinatio, Exclamatio, Subiectio, Interrogatio, Indignatio*, & aliæ omnes, quarum præsidio vis, ac robur augeri potest, de quibus dissertatione de Elocutione agemus.

Figuræ confutationi magnoperè conferentes.

Contentio, quam in duas partes esse diuisam asseruimus, existimari solet tribus constare partibus, Cõfirmationi siquidem, & Confutationi Diuisio quoque solet adiungi, quæ tamen sæpe sæpius omittitur, quanuis aliquando necessaria, tunc videlicet cum Orator debet ostendere, quid in controuersia positum sit, vel in quo is cum aduersario conueniat, aut discrepet, & ut etiam facilius quid sit de rebus dicendum intelligatur.

Contentionis artificium.

Contentio tribus partibus constare dicitur, confirmatione, confutatione, & diuisione.

Diuisio illud commodi affert, quòd per ipsam proponuntur ea, quæ sunt communia, & quæ in controuersia sunt posita seiungit. Eadem diuisio itidem

Diuisionis commodum.

Digitized by Google

dem res exponit, expositas postmodum enumerat.

Confirmatio verò succedit, quæ utitur locis superiùs à nobis expositis, tam nimirum intrinsecis, quàm extrinsecis, siue assumptis. Per locum à causis in accusatione voluntas, & facultas in eo quem accusamus, ostenditur. Voluntas colligitur primò ex rei utilitate; Secundò ex aliqua iam nota animi perturbatione, puta ex voluptate, timore, odio, &c. Tertiò ex conuenientia cum moribus consuetudineque personæ accusatæ. Facultas colligitur primò ex spe rei faciendæ; Secundò ex spe impunitatis; Tertiò ex leuioris pœnæ contemptu. Quartò ex eo quod maior voluptas existimatur in facinore, quàm in pœna tristitia.

Ex adiunctis quoque argumenta sumuntur ad confirmandum, quæ vel sunt antecedentia rem, vel comitantia, vel consequentia, qualiacunque sint, optimè ad confirmandum adhiberi possunt.

Confutationis autem artificium ex dictis de confirmatione constat. Confutatio quidem duplex esse potest; vel enim ita defensor confirmat reum non esse eum, cuius causam agit, ut tum confirmatio fiat confutatio aduersarij, quamobrem altera confutatio, & defensio simul est confirmatio; quoniam probat alterum esse reum, non autem eum, quem propugnat. Vel altera est propriè confutatio, & hæc est argumentorum, quæ ab aduersario adhibentur, vel negatio, vel refutatio, vel infirmatio, vel solutio, vel reprehensio, vel obiecti criminis per aliud oppositum crimen non minoris momenti compensatio.

Ordo autem erit optimus quidem in confutatione, ut initio aduersariorum argumenta clarè diluantur, hinc enim auditores sibi persuasum habebunt cætera, etsi robustiora, ab Oratore dilutum iri. Quia tamen validiora præteriri non possunt, ex hac enim præteritione aduersarij rationes efficaciores redderentur; propterea curandum Oratori, ut ipsis fiat satis; hac tamen animaduersione, ut quæ fortiora sunt maximèque perspicua, vel pluribus conglobatis rationibus, ac argumentis callidè obruat, vel irridendo negligat, vel obscurioribus verbis, ac pluribus ambagibus tenebris inuoluat, vel rationibus tandem destitutus varijs animi motibus eneruet.

SECTIO QVINTA.

De Peroratione.

EXtrema orationis pars græcè ἐπίλογος. Epilogus, quo vocabulo etiam latini utuntur, quibus tamen eadem orationis extrema pars Peroratio dicitur. *Peroratio autem artificiosus dicitur Orationis terminus.* Et quidem Ciceroni nil aliud, quàm *exitus, & terminatio totius Orationis*, & rectè, propterea quòd Peroratio est ultima pars Orationis iam exeuntis; in ea sanè omnes eloquentiæ fontes recludere debet Orator, omnes verborum suauitates aspergere, omnia grauiorum sententiarum lumina inducere, omnes in auditorum animis affectus commouere, atque demum quicquid habet artis, in hac debet effundere, nam cæterarum partium est præparare, munire, ac pungere, huius autem est triumphare. Hæc ex communi Rhetorum sententia cum procœmio magnam affinitatem, ac similitudinem habet, eo nomine saltem quòd hæ duæ Orationis partes auditoris gratia sint comparatæ, nimirum ut eius animus moueatur, licèt hoc in procœmio dicant leniùs, & sedatiùs agendum esse, in peroratione verò multa vehementiùs, & concitatiùs, quemadmodum autem dedecet Oratorem in exordio omnem adhibere curam, ut illud elegantioribus eloquentiæ floribus exornatum reddat, sic eumdem ex aduerso decet nihil in peroratione negligere, quin potius ad illam omnes admouere conatus, ut omnibus eloquentiæ præsidijs instructa iudicetur. Exordio siquidem Orator allicit auditores, ut eorum animis intimiora sensa paulatim infigat; at peroratione, ut eadem longè firmiùs inurat; in quo plurimum valuisse Tullium ex eius verbis colligitur, *Quid ego*, inquit, *de miserationibus loquar? Quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo ut viderer excellere, non ingenio sed dolore assequabar.* Aristoteles porrò perorationem ex quatuor constare partibus asserebat, nimirum ex beneuolentia auditoris; deinde ex amplificatione, tum ex commotione animorum, postremò ex enumeratione, sic enim loquitur, ἐδ' ἐπίλογος σύγκειται ἐκ τεττάρων, ἔκτε τὸ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάζειν εὖ τὸν ἀκροατὴν ἢ τὸν ἐναντίον φαῦλον, ἢ τὸ αὐξῆσαι, ἢ ταπεινῶσαι, ἢ ἐκ τοῦ ἦθος τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν κατασῆσαι, ἢ ἐξεναμνήσεως. *Iam verò peroratio, quatuor ex partibus constat; primum ex ea, quæ efficit ut auditor nobis benè velit, aduersarius malè; deinde ex amplificatione, & diminutione, tum ex animorum commotione, ut auditor afficiatur; postremò ex enumeratione.* At verò Cicero duas tantum perorationi partes tribuit, hoc est amplificationem, & enumerationem. *Facilior est*, inquit, *explicatio perorationis, nam est diuisa in duas partes; amplificationem, & enumerationem.* At verò Tullius sub amplificatione beneuolentiam, & commotionem animorum constituit, adeout ab Aristotelis sententia solùm in distinctione partium differat. Oratori proinde laborandum summoperè in peroratione, ut ei Iudices, ac auditores benè velint, quod ad victoriam plurimum habet roboris; deinde videndum quæ sint extollenda, & amplificanda, & contra quæ extenuanda, atque deprimenda, propterea quòd Oratoris vis omnis in augendo, minuendoque posita est; tum efficiendum, ut auditor, vel ad iram, vel ad misericordiam, vel ad aliquem alium affectum moueatur, & sic afficiatur, ut causa postulat, & ad extremum, si opus fuerit, ei sunt paucis repetenda, ac enumeranda, quæ sparsim in uniuersa Oratione dixerit. Probat autem Philosophus, quod affirmauerat, nempè curandum Oratori, ut auditor ei benè velit; hoc enim, inquit, quasi naturale est, ut, cum Orator probauerit ea, quæ dicit esse vera, & quæ dicta fuerunt ab aduersario esse falsa, tunc se ipsum, aut eum, quem defendit laudibus extollat, aduersarium autem vituperet, & in hoc plurimum laboret atque desudet. Docet etiam, cum aliquem laudamus, duobus modis id à nobis fieri posse, vel quatenus ostendimus eum fuisse bonum ipsis auditoribus, eisque multa beneficia contulisse, quod in iudicijs frequenter usurpatur; vel si hoc à nobis fieri non poterit, ostendemus in uniuersum, eum esse bonum, & in omnibus actionibus suis honestè, præclarèque se gerere; quod si utrunque facere nobis datum sit, longè maiorem vim Oratio consequetur. Et quoniam docuerat secundam perorationis partem amplificationem, vel diminutionem esse, ob id hoc explicat, & ex eius sententia, postquam aliqua demonstrata fuerint, naturæ ordo requirit, ut ea vel augeãtur, vel diminuantur; oportet enim res esse concessas prius quam de earum quantitate disputari possit; *nam* inquit, *corporum etiam accretio fit ex eis quæ iam prius aderant*; sed quæ de peroratione dici possunt, ut paucis complectamur, quædam adnotabimus, videlicet

In Oratore ad Brutum.

3. Rhetor. cap. 49. alias 19. Aristoteles quatuor perorationis partes assignat.

Cicero nõ dissentit quanuis duas assignare videatur.

In oratorijs partitionibus.

Digitized by Google

Peroratio tribus cõstat. Enumeratione in dignatione, & cõquestione.

Perorationem tribus constare; hæc porrò sunt *Enumeratio, Indignatio, & Conquæstio. Enumeràtio, est illa in qua res omnes in uniuersa Oratione dissperſæ, decenti breuitate congeruntur*, quæ variis modis fieri potest, ut paulo infra dicetur. *Indignatio est, in qua concitatur odium in aduersarios. Conquæstio, in qua commiseratio excitatur*, quam alii commiserationem, alii indignationem, vel amplificationem appellant; per hanc auditores ad amorem, ad iram, ad misericordiam, & ad quenuis alium animi motum vehementer impelluntur.

Enumeratio quid. Indignatio quid. Conquæstio quid.

Quibus modis enumeratio fiat.

Ad enumerationem redeo, quam dico fieri posse, vel præcipuis tantummodo causæ capitibus allatis unà cum suis firmioribus rationibus; vel retrogrado ordine, quæ in uniuersa argumentorum serie discussa sunt; vel omissis causæ capitibus firmioribusque tantummodo rationibus prolatis, orationem tribuendo, vel personæ nostræ, vel alienæ, vel si commodum fuerit etiam rei inanimatæ, quæ plurimum grauitatis, ac dignitatis habeat, & quidem per prosopopeiam.

Quæ in Indignatione adnotanda.

In indignatione porrò sunt præsertim adnotandæ circumstantiæ quæstionis, hoc est rei, & personæ, de qua suscepta est disputatio, cuiusmodi sunt illæ quas suo loco commemorauimus. Maximè autem ad indignationem quid faciat statim intelliges, si quid ipsa sit cognoueris, ea porrò sic à Tullio definitur. *Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offensio concitetur. Declarat porrò* quibus ex locis tractetur. *In hoc genere*, inquit, *illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex locis ijs, quos in confirmandi præceptis posuimus, tractari indignationem; nam ex ijs rebus, quæ personis, atque negotijs attributæ sunt, quæuis amplificationes, & indignationes nasci possunt.* Indignatio toties adhibenda, quoties ea tractamus, quæ sunt contra religionem, & honestatem, plena impietatis, & turpitudinis, & magnam debemus indignationem ostendere, & illa tam cautè, ac timidè proferre, ut ab iis toto animo, ac omni cogitatione abhorrere penitus videamur. Ita notauit Philosophus. Ἐὰν δὲ ἀσεβῆ, καὶ αἰσχρὰ δυσερμήνευτος, καὶ δειλαβεμένως λέγειν *Quod si impia, & turpia facta tractanda sunt, id cum indignatione, cautèque, & quasi timidè faciendum est.* Cicero autem de indignatione loquens hæc habet. *Primus locus sumitur ab auctoritate cum commemoramus, quantæ curæ res ea fuerit, aut Dijs immortalibus, aut eis quorum auctoritas grauissima debeat esse, qui locus sumetur ex Sortibus, Oraculis, Vatibus, Ostentis, Prodigijs, Responsis, similibusque rebus. Item ex maioribus nostris Regibus, Ciuitatibus, Gentibus, Hominibus sapientissimis, Senatu, Populo, Legum Scriptoribus.* Secundus per quem res illa, ad quos pertineat cum amplificatione per indignationem ostendamus, *an ad omnes, an ad maiorem partem, quòd atrocissimum est, an ad superiores, quales sunt ij, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum est, an ad pares animo, fortunâ, corpore, quod iniquissimum est, an ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius per quem quærimus quidnam sit euenturum, si idem cæteri faciant, & simul ostendimus huic si cõcessum sit multos æmulos eiusdem audaciæ futuros ex quo quid mali sit euenturum demonstrabimus. Quartus est per quẽ demonstramus, multos alacres expectare quid statuatur, ut ex eo quòd uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat intelligere possint. Quintus est per quem ostendimus res ceteras perperã constitutas, intellectâ veritate, commutatas corrigi posse, sed hanc esse rem, quæ si sit, si semel iudicata, neque commutari alio iudicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus est per quem consultò, & de industria factum esse demonstratur, & illud adiungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere, imprudentiæ concedi nonnunquam conuenire. Septimus est per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum esse dicamus per vim, per manum oppulentam, quæ res à legibus, ab æquabili iure remotissima sit. Octauus est, per quem demonstramus non vulgare, neq; factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus id maleficium, de quo agitur, atque id à feris quoque hominibus & à barbaris gentibus, & immanibus bestijs remotum esse.* Alios etiam locos Tullius recenset usque ad decimum quintum. De Indignatione hactenus; sequitur de Conquestione dicendum. *Conquæstio est oratio auditorum misericordiam captans;* ita ipsam definit Tullius, ex cuius sententia in hac primum animum auditoris mitem, atque misericordem oportet conficere, quo facilius conquæstione commoueri possit. Præcipit autem, ut id communibus locis efficiamus, per quos fortunæ vis in omnes & hominum infirmitas ostenditur, quâ habitâ ratione grauiter, sententiosèque maximè demittitur hominum animus, & ad misericordiam comparatur, cum in alieno malo suam infirmitatem considerauerit. Hæc ipse habet, *Cui Primus locus est misericordiæ, per quem quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis sint ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem quibus in malis fuerint, & sint, & futuri sint demonstratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filij pueritiæ delectatio, amor, spes, solatium, educatio, & si qua simili in genere quolibet de incommodo per conquæstionem dici poterunt; Quartus per quem res turpes, & humiles & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortunâ, pristino honore, beneficijs, quas passi perpessurive sint; Quintus est, per quem omnia ante oculos singillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, & re quoque ipsâ quasi adsit non verbis solùm ad misericordiam ducatur. Sextus per quem præter spem in miserijs demonstratur esse, & cum aliquid expectaret non modo id non adeptum esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus per quem ad ipsos, qui audiunt similem casum conuertimus, & petimus ut de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat esse nos cum videant, recordentur. Octauus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum quod oportuerit hoc modo; non afui, non vidi, non postremam eius vocem audiui, non extremum eius spiritum accepi. Item inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter iacuit insepultus, à feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit.* His alios etiam adiungit locos Tullius usque ad decimum sextum, quos apud ipsum videndos relinquo.

De Inuẽt. lib. 2.

§. Rhetor. cap. 14. alias 7.

Cic. lib. 2.

Perorationis autem munera, duo perhibentur; Primum est ea, quæ per uniuersam orationem sparsa sunt, quasi in unum colligere, quod fit repetendo. Huiusmodi autem repetitio fit vel conferendo aduersariorum argumenta cum nostris, vel enumerando tantum, quæ ab aduersario dicta fuerunt, quod fieri potest aut per Ironiam, aut per interrogationem, aut per simplicem repetitionem rerum, quæ dictæ sunt, per quam tamen repetitionem, ea tantùm afferri debent, quæ in auditorum animos, atque memoriam altiùs Orator imprimi velit.

Duo Perorationis munera. Primum est repetitio. Quando fit repetitio.

Iuvat aliquando in re proposita dubitatio, cum scilicet Orator dubitat an aliquid prætermiserit. Iuvat etiam, & præteritio ne omnia repetere voluisse iudicetur. Quod si repetitio fiat casim, atque membratim, longè quidem erit opportunior.

Dubitatio quando. Iuvat. Præteritio.

Secun-

Digitized by Google

Secundum est perorationis munus, excitatio motuum, & affectuum animi, qui autem sint motus excitandi diligenter oportet aduertere; non sunt autem semper ijdem, sed varij pro varietate causæ. Primò nanque cum laudamus amoris, gratulationis, letitiæ admirationis motus excitari debent, sicuti cum vituperamus, motus opportuni sunt odij, inuidiæ, contemptûs atque pudoris. Secundò cum deliberamus de re facienda, est excitanda spes; de re autem non facienda, debet timor, & periculi metus excitari. Tertiò cum accusamus, moueri debet odium, inuidia, indignatio; cum verò defendimus, mouere debemus amorem, & misericordiam. In affectibus tamen mouendis necesse est, ut Orator eo motu afficiatur, quo alios affici velit, nam

Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

In his autem oportet uti elegantioribus verbis, sententijsque varijs; in commotione tamen affectuum summoperè cauendum, ne in leuioribus rebus vehementiores motus excitentur. Studendum est etiam breuitati, ne Iudex alioquin accensus, temporis longitudine tepescat, commotis enim animis diutius in conquestione morari non oportet, ut Cicero dicebat, cui probatur illius Rhetoris dictum, Lacrymâ nihil citius arescit. At in commouendis affectibus. Perorationis perficiendæ ratio, paucis hisce continetur. Orator cum ad perorationem deuenerit, primò per enumerationem præcipua quædam repetat, post nimirum confirmationem, & confutationem, quando hæ longiores fuerint. Secundò indignationem concitet. Tertiò conquestionem instituat, per quam in auditoribus misericordiam moueat. Nusquam enim magis, dicebat ille, vis Oratoris apparet, quàm cum in perorationibus iudices, vel inuitos, & pugnantes lacrymare compellit; hoc tamen non faciat nisi rei magnitudo postulet. Quartò si opus fuerit Apostrophe adhibeat. Quintò rem auditoribus enixè commendet. Sextò eoldem plurimum deprecetur.

Summatim proponuntur, quę ad elaborandā perorationē faciūt.

Hoc enim modo seruasse decorem videbitur, quod quanti fieri debeat in omnibus, & præsertim in eloquentia, nemo est, qui non videat. Supereſt ut hinc ad præcipuam eloquentiæ partem, nimirum ad elaborationem elocutionis, gradum faciamus.

DISSERTATIO V.

De Elocutione.

Tria sunt, ut Aristoteles ait, quæ totam dicendi artem perficiunt, nimirum Inuentio, Elocutio, Dispositio. *Primò siquidem excogitandum quibus argumentis id probaturi sumus, quod propugnare contendimus; deinde quo ordine iam inuenta disponi debeant; tandem quibus verbis, & ornamentis inuenta iam, atque disposita nos explicare possimus, quod etiam Tullius notauit, cum affirmaret Oratori videndum esse,* quid dicat, & quo, quidque loco, & quomodo. *Quæ quamuis vera sint, rectè tamen Fabius aduertit duo esse præcipuè ab Oratore spectanda, nempe* res, *&* verba, *nam ut ipse ait, omnis Oratio constat ex ijs* quæ significantur, *& ex ijs* quæ significant. *Quæ significantur sunt res, & sententiæ; quæ significant sunt ipsa verba, quandoquidem hæc sunt quædam, quodammodo rerum notæ. Hoc etiam Tullius aduerterat, cuivis Oratoris, quæ potissimum naturâ constat, quamuis arte perficiatur, & utraque usu ac exercitatione adiuvetur, in rebus, & verbis posita videbatur; nemo siquidem vim oratoriam potest adipisci, nisi rerum multarum scientiam cognitionemque comprehenderit, Rerum enim copia, verborum copiam alit, quo pertinet Lyrici carmen.*

Scribendi rectè sapere est & principium, & fons
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ
Verbaque prævisam rem non inuita sequentur.

Sed quamuis verba quoque inueniantur, rerum tamen propria inuentio est, sicut propria est verborum elocutio, quæ non solum in Rhetorica, sed etiam in alijs disciplinis nescio quid necessitatis habet, ut rectè Stagirites notauit, quoniam ad mentis interpretationem, & ad animi sensa exprimenda, magni refert, utrum quis uno, vel altero dicendi genere utatur; præcipuè tamen in hac Arte, quam ob causam Eloquentia sola videtur Oratoris propria; eo vel maximè, quòd alij etiam Artifices inueniunt, disponunt, memoriæque mandant, at solus Orator eloquitur, & Orationem exornat. Cum autem hactenus de inuentione, deque dispositione copiosè disputatum fuerit, reliquum est ut de Elocutione sermonem instituamus; in cuius considerationem eo diligentius iuvabit incumbere, quo Oratio nisi splendidis verbis induta sit, in quibus oratoria elocutio consistit, & est pars eloquentiæ potissima, à qua idcircò ipsa nomen accepit, nimis plebeia est.

Tria sunt, quæ totā dicendi artem perficiunt. 3. Rhetor. in Principio.
In Orator ad Brutū.
Dio ex Fabio sāt maximè Oratori spectāda. Aristot. 1. de Interpretatione.
Lib. 3. de Orat.
Horatius in Arte Poet.
3. Rhetor.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit Elocutio.

VNdè orta sit Elocutio, nos docuit Aristoteles dicens, Ἤρξαντο μὲν οὖν κινῆσαι τὸ πρῶτον, ὥσπερ φύσει αἱ ποιηταὶ τὰ γὰρ ὀνόματα μιμήματά ἐστιν· ὑπῆρξε δὲ, καὶ φωνὴ πάντων μιμητικωτάτη τῶν μορίων ἡμῖν. διὸ καὶ τὴν τε ῥαψῳδικὴν, καὶ τὴν ὑποκριτικὴν, καὶ ἄλλας. *Cæperunt quid movere primum, ut natura tulit Poetæ, nomina enim imitationes sunt. Tributa verò etiam est vox nobis omnium partium aptissima ad imitationem. Quamobrem & artes constitutæ sunt, tum Rhapsodia, tum Histrionica.* Ait igitur Poetas fuisse primos, à quibus nata sit elocutio, quod eâ ratione probat, quia Poesis nil aliud est, quàm imitatio. At nomina rerum simulacra sunt, ac imagines, siue imitationes, ut Plato etiam dicebat affirmans nomen esse imitationem vocis eius rei, quam imitatur, ac nominat; adeo ut diuinum quidpiam in nominibus esse arbitraretur, & apud ipsum Socrates

Aristot. in Arte Poeticâ.

Digitized by Google

nefas duceret diuina nomina, vel tantillùm immutare, quòd iam olim rebus singulis sua nomina consecrata fuerint. Cum itaque homini usque ab infantia imitandi cupiditas incesserit, ac omnium animalium sit maximè aptus ad imitandum, nihilque habeat præter vocem, per quod magis id assequi possit; ob id ab imitatione vocis plurimæ artes prodierunt, ut Epica quæ Ducum, Regum, Imperatorum, res gestas, & bella carminibus exametris exponit, & Historica, quæ Comœdias, Tragœdias, Satiras, mimosque complectitur, & cuiuslibet ætatis, ordinis, conditionis, hominum mores, & vitas eloquitur. Poetæ igitur primi fuerunt, qui primò elocutionem conformarunt, immo etiam & qui scribere solutâ oratione cœperint, quandoquidem Pherecydes, atque Hecatæus primi fuerunt, qui scribere solutam orationem aggressi sint, cum antea scribi tantùm carmine moris fuisset; quamobrem omne dicendi genus à Poetis rectè dixeris emanasse; dum enim ipsi fingerent, & ficta suauiter, atque magnificè loquerentur, alios eloqui docuerunt; qui eos imitati sunt postea, & causas egerunt, & in Senatu de Consilijs capiendis disseruere, resque gestas memoriæ literisque mandarunt, atque adeo solutam, & vagantem orationem perfecerunt. Hinc veteres Oratores, qui ornatam orationem affectarunt, poeticam elocutionem retinuerunt, (cum tamen id vitio non careat;) quoniam Poetæ propter solam elocutionem sibi magnum honorem, gloriamque peperisse videbantur, etsi quæ ab ipsis tractantur, inania sint, & commentitia, demùmque talia, ut potius irridenda, quàm habenda in pretio reputari debeant. Cum itaque gloriam Poetæ sibi comparârint, & in magna æstimatione habiti sint, propter poemata sua, quæ ex rebus, & verbis constant, res autem tanquam futiles, & inanes ipsis nullam dignitatem attuliſſe quisque fateatur oportet; consequens igitur, ut verba sint, quæ Poetis gloriam attulerint; hoc itaque modo priores in arte dicendi periti, ratiocinando colligerunt poeticam elocutionem id esse, à quo summum honorem, gloriamq; sibi futuram sperare possent. Toto cælo tamen aberrarunt, nam poetica Elocutio in soluto dicendi genere absque nota defectûs usurpari non potest, ut propterea non parum decepti sint, qui Oratoriam artem profitentes undique poetarum flosculos delibant, & petulanti hâc verborum licentiâ plurimum exultant, non aduertentes, quod poeticum est, Poetis, non Oratoribus accommodatum esse; immò primos illos Oratores qui in soluta oratione poeticam elocutionem adhibebât, Philoſ. ita perstringit; Tragigi poetæ non amplius hac tempestate sequuntur priscum illud orationis genus à consuetudine vulgaris sermonis remotum; ergo multo minus Oratores illud sequi debent; idcirco decipiuntur Oratores illi qui poeticam locutionem imitantur, quam etiam ipsi Poetæ repudiarunt, non enim minus Oratoribus, quàm Poetis vitium est à vulgari genere orationis, & à consuetudine communis sensus abhorrere. Tametsi igitur elocutio suum duxerit ortum à Poetis, & hi primi fuerint auctores orationis conformandæ, non ob id Orator poetica debet elocutione uti, sed illâ tantum, quâ expollitur soluta oratio, & qua Oratores ipsi uti debent.

Elocutio quid. Lib. 1. de Inuent.

Quid Elocutio sit, nos docuit Cicero, apud quem *Elocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio.* De hac Orator summopere debet esse sollicitus, non propterea tamen in hoc totus esse debet, adeout contemptis grauioribus sententijs, omnes in verborum structuram, cogitationes, atque curas intendat, quin potius ipsi maximè cauendum ab hac nimia sollicitudine, nec tantopere curandum, ne collidantur literæ, ne hiatus vocalium incurrant, ne asperos auribus sonos contumaces, ut ita dicam, syllabæ efficiant. Nec ei tam enixè elaborandum, ut Periodi longiores fiant, ut comptiùs particulis interstincta cola, oratorijsque pedibus concinnè elaborata, auribus percipiantur; sed potius his neglectis tanquam ineptijs Orator debet ea sectari, ex quibus eloquentiæ sublimem vim, dicendique facultatem sibi comparare possit. Quæ tamen à me non ita dicta putes, ut omnem verborum ornatum contemnendum existimem, nam Elocutionis culturam non in postremis habendam arbitror, sed cauendum esse duntaxat mihi persuasum habeo, ne Oratio, quæ alioquin ut flumen debet excurrere, ab hisce ineptijs retardetur.

Elocutio autem tribus constat, nimirum. *Elegantiâ, Compositione*, ac *Dignitate*, Ita quidem Tullius dum ait. *Tres res in se debet habere elegantiam, compositionem, dignitatem.* De his in præsentiarum paucis agendum.

Lib. 4. Her.

Elegantia est, ut ait Cicero *quæ facit, ut vnumquodque purè, & apertè dici videatur.* Hæc autem eiusdem testimonio, in latinitatem, & explanationem distribuitur. Latinitas purum sermonem conseruat ab omni vitio remotum. Vitia in sermone, quo minus is latinus sit, quæ tanquam scopulos Orator vitare debet, duo possunt esse. Sed de virtutibus Elocutionis primò disseramus. Prima quidem virtus oratoriæ locutionis est ut sit dilucida, atque perspicuâ. Hoc eleganter notauit Aristoteles dicens, Ἔστω οὖν ἡ λέξις ἡ τεθεωρημένη, ἐὰν ὁρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι. σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. *Sint igitur illa considerata, & sit determinata elocutionis virtus, ut aperta sit, atque dilucida, cuius rei signum est, quod nisi Oratorem declaret, finem suum non assequetur.* Docet igitur Stagirites oratoriæ quidem Elocutionis summam virtutem esse perspicuitatem, cuius rei rationem addit, quoniam ea de causa nata est oratio, ut sensa mentis aperiat, quod si obscura fuerit; finem suum assequi non poterit. Quod vult etiam Tullius, nam dum quinque recenset, veluti lumina, claritatem, breuitatem, probabilitatem, illustrationem, & suauitatem, primo loco perspicuitatem, seu claritatem constituit, adeout, si in his quinque rebus eloquentiæ tota virtus elucet, præsertim in claritate id maximè sit. Claritatem in oratione usitatis verbis proprijs, benèque dispositis comparari docet. Verum enimverò necesse est ut Orator, & rerum, & verborum claritatem sequatur, ne ea tractet, quæ ab auditoribus intelligi non possint, aut ne ijs utatur verbis, quæ à communi loquendi consuetudine abhorrent. Hæc, de qua loquimur claritas, ex eo magnopere confirmatur, quòd optimus quisque scriptor, etiam clarissimus est, & eo quidem obscurior, quo quisque deterior. Tametsi autem perspicuitas totius orationis sit lumen, maximè tamen exponendis rebus conuenit. Triplex esse perhibetur, prima rerum, altera verborum, tertia rerum, & verborum simul. Enimverò potest esse res aperta, sed verba, quibus ea res exprimitur, obscura, quod explicari solet exemplo testudinis, de qua Amphio apud Pacuvium.

Eleg. quid. Cic. Her.

In Partitionibus Oratoriis.

Quadrupes tardi grada, agrestis, humilis aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci.

Tullius Druention.

Verba etiam esse possunt clara, & aperta, res tamen obscuræ, qualia dixit Tullius esse Aristotelis opera, in quibus, ut ipse loquitur, aureum est orationis flumen;

men; sed magna rerum obscuritas; at verò Orator, & rerum, & verborum claritatem debet summâ curâ, diligentiâque seruare. Quomodo claritas comparanda sit, egregiè Tullius explicuit. *Dilucidum fit*, inquit, *usitatis verbis, propriis, dispositis, aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum*. De quibus quoque Philosophus nonnulla tradidit. Vsitata verba dicuntur ea, quæ à bonis auctoribus frequenter usurpantur. Propria sunt sua rerum vocabula, non translata, nec aliunde ducta. In coniunctis verbis triplex consideratur dispositio. Vel enim circumscriptione concluduntur, vel intermissione, vel concisione; Circumscriptio, græcè Periodus, latinè Ambitus, circuitus, comprehensio, & continuatio verborum dicitur. Aristoteles de Periodo ait, λέγω δὲ περίοδον. λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν καθ' αὑτὰ, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον *Periodum voco orationem, quæ principium, & finem ex se habet, & eam magnitudinem, quæ facilè perlustrari possit*; si fuerit autem huiusmodi, etiam iucunda & facilis erit. At Intermissio hoc loco dicitur, id quod alibi membrum orationis appellatur, quod aliquando periodi pars est; periodus enim ex membris, & incisis constat, nam incisa sunt quædam membrorum partes. Concisio verborum dicitur alio nomine incisum, & græcè Comma nuncupatur, fitque plerunque singulis verbis, ut abijt, excessit, euasit, erupit; plerunque fit pluribus verbis, ut Domus ibi deerat? At habebas; pecunia superabas? At egebas. Dilucido aduersatur obscurum, quod est elocutionis vitium, quod explicat Tullius, non ut illud affectemus, sed ut quantum fieri potest, declinemus. *Obscurum autem*, inquit, *aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut implexione, atque immutatione verborum*.

Secundam elocutionis virtutem explicat Aristoteles, & est ut sit apta, & rebus ipsis conueniat; sic enim loquitur. Καὶ μήτε ταπεινὴν, μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ οἰκείαν. ἡ γὰρ ποιητικὴ ἔστιν οὐ ταπεινὴ, ἀλλ' οὐ οἰκείαν τῷ λόγῳ *Sed nec humilis, nec nimis elata esse debet, verum ipsis rebus conueniens. nam poetica locutio non humilis quidem est, sed tamen solutæ orationi non conuenit*. Ponit alteram Elocutionis virtutem in eo positam, ut neque humilior, nec elatior sit, quàm res postulet; non enim elocutio poetica, ideo ab Oratore reijcienda, quia humilis, sed quia accommodata solutæ orationi non est; ut propterea is eloquens Tullio videretur, qui & humilia subtiliter & magna grauiter, & mediocria temperatè potest dicere; quod ideo est, quoniam elocutio, ut rectè possit res significare, rebus consentanea esse debet; cum itaque tria sint rerum genera; nam aliquæ sunt humiles, aliquæ magnæ, & aliquæ mediocres; tria pariter elocutionis genera esse debebunt; adeo ut elocutiones rebus proportione respondeant, unde res humiles tenuiter, subtiliterque tractari debeant; magnæ verò subtiliter, atque grauiter, mediocres denique leuiter, ac temperatè. Et re verâ, nihil est quod magis Oratoris prudentiam testetur, quàm in dicendo elocutione uti, quæ rebus accommodata sit; amplissimis nanque verbis, ac locis si de re humili disputans Orator utatur, de re graui autem submissè, ac humiliter dicat, non poterit non irrideri tanquam agens id, quod maximè quidem indecorum existimatur. Apta igitur oratoria esse debet elocutio, adeout personæ, tempori, loco, cæterisque circumstantijs congruè respondeat, & verba rebus, nempe læta lætis, mæsta mœstis, accommodata sint.

Ornatus etiam in oratoria elocutione desideratur, sed in quo ille consistat, explicatu non facile, communi tamen consensu videtur receptum, non in quadam verborum elegantia fucata, positum ornatum esse, sed in proprietate verborum, concinna structura, ac numerosa periodo, de qua paulò post verba facturi sumus, ubi planè constabit, qualis debeat esse periodus, & cuiusmodi esse debeat oratorius numerus ad aurium captandam voluptatem.

Emendata esse debet elocutio; nam Grammaticus non modo, sed etiam Rhetor de elocutione emendata sollicitus esse debet, siquidem utrique commune est orationis quatuor illas virtutes, & opposita vitia, considerare; nam apud Grammaticum oratio quoque debet emendata, dilucida, ornata, & apta esse, quemadmodum, & apud Rhetorem, etsi Fabius omnis orationis tres esse partes dicat, nimirum, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit, eoquòd assentiatur illis, qui dicere aptè, quod est præcipuum, ornatui subijciendum existimant. emendata elocutio eiusdem testimonio, exigitur verbis primùm singulis, deinde coniunctis, ubi verba vult generatim intelligi, prout idem sunt ac voces, dictiones, locutiones. In singulis considerandum an latina sint, peregrina, simplicia, composita, propria, translata, usitata, aut ficta. In coniunctis ait laudari verba benè rebus accommodata, in quibus meritò placeat bona vocalitas, quam Græci Euphoniam appellant. Statuit etiam esse duo emendatæ orationis vitia Solœcismum, & Barbarismum. *Solœcismus est cum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur*. Hoc vitium maximè declinandum, atque curandum, ut verba efferamus ea, quæ nemo iure reprehenderit, & ea sic casibus, & temporibus & genere, & numero, ut ne quid perturbatum ac discrepans, aut præposterum sit. Solœcismus porrò pluribus fit modis, præsertim autem quatuor, videlicet. 1. *Adiectione*, ut *scribo cum calamo*, pro *scribo calamo*. 2. *Detractione*, cum aliquid eodem modo detrahitur, ut *redeo agro*, pro, *ex agro*. 3. *Transmutatione*, cum partium orationis ordo turbatur, ut *enim hoc voluit*; pro *hoc enim voluit*. 4 *Immutatione*, cum pars una orationis, pro alia ponitur; ut *urbani graue ferunt rusticorum labores*, pro *grauiter*, videlicet nomen pro aduerbio. Fiunt etiam Solœcismi per cæteras orationis partes, & per ea, quæ cognata, siue eiusdem generis sunt, tandem per ea, quæ partibus orationis accidunt, quæ ex Grammaticorum officina petenda sunt. *Barbarismus est cum verbum aliquod vitiosè effertur*, ut loquitur Cicero; Est autem Barbarismus, quem antiquiores Romani sermonem rusticum nuncuparunt, est inquam dictio aut omninò barbara, aut latina quidem, sed vitiosa scripto, vel pronunciatione. Barbara omninò & peregrina vox est si dicatur *auuiso*, pro *admoneo*, & alia id genus, licet nonnullę sint usu receptę, quæ apud Grammaticos videri possunt. Latina autem dictio pluribus modis vitiosa redditur, de quo etiam Grammatici consulendi sunt.

Emendata elocutio.

Solœcismus quid & quot modis fiat

Tullius ad Herennium lib. 4. Gell. lib. 10. cap. 6.

SECTIO SECVNDA.

De Elocutionis ornatu, & primò de Tropis.

Elocutionis figuratæ commendatio.

Παρίωσις, *Adæquatio* & Σχήματα, *Figuræ*, ut Hermogenes dicebat, pulchram, atq; suauem orationis dictionem efficiunt, & in his orationis splendorem, & venustatem Philostratus constituebat: in his omnis Eloquentiæ dignitas, ornatus, atque festiuitas Ciceronis testimonio, consistit, & ijsdem Isocrates tantùm roboris tribuit, ut non aliun-

aliunde velit ab Oratore plausum, atque clamorem obtineri; de huiusmodi ig tur oratoriæ elocutionis ornatibus nobis in præsentiarum agendum. Cum autem Elocutio sit idoneorum verborum, ac sententiarum ad inuentionem accommodatio, propterea cogitur Orator geminam ubertatem, atque copiam recognoscere, alteram verborum, quæ in Tropis, altera autem rerum, quæ in congerendis, ac dilatandis argumentis posita est. Idcirco de his Rhetori disputandum initio facto à Tropis.

Duo ad oratoriam elocutionē faciunt

Omnis enim oratoria elocutio ex duabus præcipuè constat Figura, & Numero; de Numero postea dicendum, ad figuram quòd attinet, certè *Figura nil aliud quàm nouata quædam dicendi forma, supra vulgarem, & quotidianum loquendi consuetudinem ex arte facta* quæ cum in verbis, vel in sententijs, vel in utrisque possit contingere; ob id Figuræ tripartitò diuiduntur, adeo ut aliæ sint verborum, aliæ sententiarum, & aliæ, mistæ. Ex his autem primæ maximè valent ad orationem illustrandam, secundæ ad augendam, tertiæ ad ornandam: primæ in solo dictionum ordine, structuraque positæ sunt; alteræ in orationis sensu cernuntur; tertiæ tam in verbis, quàm in sententijs mutationem aliquam inuolvunt, quæ propterea Tropi nuncupantur.

Figura Rhetorica, quid & quotuplex.

Tropus quid sit. Fabius lib. 8. cap. 6.

Quod Τρόπος græcè à verbo Τρέπω, latinè *Versio* dicitur, & *est verbi aut elocutionis à propria significatione in aliam minus propriam, cum virtute mutatio*. Ex hac porrò definitione gemina Troporum species consurgit, altera *Verborum*; altera *Sententiarum*. Prima est, quæ in unius dictionis mutatione consistit, ut *Mars* pro *Bello*; *Pallas* pro *Sapientia*. Secunda est, quæ in Orationis mutatione posita est, ut. *Lupus est in fabula*. Rectè autem notat Fabius huius translationis causam. *Transfertur*, inquit, *ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut, ut dixi, quia decentius. Vbi nihil horum præstabit, quod transferetur, improprium erit*. Hæc autem eleganter explicat, dum ulterius pergit. Ex eius autem sententia necessitate rustici dicunt gemmam in vitibus, sitire segetes, & fructus laborare; sic etiam nos dicimus incensum irâ, & inflammatum cupiditate, & lapsum errore, significandi gratia. Ad ornatum autem cum dicimus, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ flumina. Crassus autem duas causas affert, cur translatio sit inuenta, necessitatem, & delectationem. Vt enim vestis dicebat ipse, frigus depellendi gratia primo reperta, post adhiberi cæpta est etiam ad corporis ornatum, ac dignitatem; ita primò inopiæ causa translatio inuenta fuit, deinde propter delectationem, frequentem usum obtinuit. Necessitas quandoque nos cogit verbum transferre, cum proprium deest, & tunc mutatio quædam fit, cum quod non habemus, aliunde sumimus; ita quidem lætas segetes rustici dicunt, sitire agros, & fructus laborare, ut cum Fabio notauimus, quemadmodum, & durum hominem, & asperum dicimus, quoniam nomen aliud nobis non suppetit, quo illas affectiones exprimere valeamus. At delectationis translatio est, quæ vel clariorem orationem, vel significantiorem, vel decentiorem, vel breuiorem efficit. Clarior autem translatio ad ornatum facit, ut lumen Orationis, splendor generis, &c. significantior translatio, ad dicendi sublimitatem conducit, ut cum dicimus irâ incensum, cupiditate inflammatum; decentior translatio adhibetur, ad ea significanda, quæ parum speciosa dictu videntur; In cuius declarationem Fabius affert Virgilij carmen.

Hoc faciunt nimio, ne luxu obtusior usus,
Sit genitali acu, & sulcos obtinet inertes. Lib. Georg.

Vbi Poeta translationem ad euitandam obscenitatem adhibuit, breuior translatio vim habet maximam. Cuiusmodi est illa translatio, qua dicimus telum manu fugit; item Telumque armæ renem, unde autem translata ducantur, paulò post intelliges. Troporum omnium conspectus hic est.

TROPI VERBORVM.

1 Μεταφορά.	*Metaphora.*	*Translatio.*
2 Συνεκδοχή.	*Synecdoche.*	*Comprehensio.*
3 Μετωνυμία.	*Metonymia.*	*Transnominatio.*
4 Ἀντονομασία.	*Antonomasia.*	*Pronominatio.*
5 Ὀνοματοποιία.	*Onomatopœia.*	*Fictio nominis.*
6 Κατάχρησις.	*Catachresis.*	*Abusio vocis, cum pro alia usurpatur.*
7 Μετάληψις.	*Metalepsis.*	*Transumptio.*

TROPI SENTENTIARVM.

1 Ἀλληγορία.	*Allegoria.*	*Inuersio.*
2 Περίφρασις.	*Periphrasis.*	*Circumlocutio.*
3 Ὑπέρβατον.	*Yperbaton.*	*Transgressio.*
4 Ὑπερβολή.	*Hyperbole.*	*Superlatio.*

De Metaphora.

Quid sit Metaphora.

Tribus ex causis tãslationes, siue

Μεταφορά, *Metaphora*, latinè *translatio* omnium translationum præstantissima, & aptissima quoque ad splendidam efficiendam orationem. Definitur *Translatio verbi à propria significatione ad minus propriam, sed valde similem*: Vt *videre* pro *intelligere*, *audire* pro *obtemperare*, *rem tenere* pro *animo comprehendere*. Tribus ex causis fieri solet. Primò quidem ob necessitatem defectu nimirum proprij nominis, ut *Prata rident*; *segetes sitiunt*. Secundò ob maiorem expressionem, ut *Inflammatus cupiditate*; *Accensus irâ*. Tertiò tandem propter delectationem, & orationis ornatum, ac venustatem, ut *generis claritas*, *lumen ingenij*, *flos ætatis*. Ita quidem hac utimur translatione, quando Tullium appellamus *eloquentiæ flumen*, & Aristotelem dicimus *ingeniorum Phœnicem*. Hoc modo idem Tullius Clodium appellat *fontem gloriæ Milonis*, *segetem*, *ac materiam laudis*, & Aristotelis doctrinam, *aureum orationis flumen* dicere consueuit, sic Pericles Orator dictus est *Tonare, fulminare, permiscere totam Græciam*.

Tria

Metaphora quibus rebus fiat solet.

Tria maxima commoda secum affert opportuna translatio. Primum est, quòd orationem apertam, ac dilucidam reddit. Secundum, quòd magnam habet suauitatem, vel quoniam est quoddam ingenij specimen transilire ante pedes posita, & alia longè petita sumere; vel quoniam is, qui audit alio cogitatione ducitur, nec tamen aberrat, in quo summa delectatio posita est. Tertium, quòd facit, ut oratio peregrina videatur, atque adeo plurimum admirationis excitet; translatio siquidem mutatio quædam est, cum quod non habetur, aliundè sumatur, & eo præsertim quia translatio nouitatem requirit, est enim opus, ut ingenij nostri acumine excogitetur, dum à propria significatione per similitudinem quandam verbum, ad rem aliam deducitur. Orator autem in translationibus non solùm optimis vocabulis uti debet, sed etiam opportunè & accommodatè uti; atque adeo addita ad nomen, siue epitheta, quæ à Grammaticis adiectiua dicuntur, ac translationes accommodatas adhibere oportet, & idcircò duci debent ex proportione, quâ sublatâ confestim apparebit id quod indecorum est; quæ nanque contraria sunt, minimèque conuenientia, cum inuicem conferuntur, perspicua magis euadunt. At ad proportionem seruandam in epitheis ea statuitur regula. Si contrarium epitheton, contrario nomini conueniet, etiam & id, quod apponendum volumus, consentaneum erit. Vt si tranquillam pacem appellare voluero, considerabo an turbulentum bellum rectè dicatur; & si læta iuuentus rectè dicitur; rectè quoque tristis senectus appellabitur. Quod si contrarietate nomina careant, obseruandum an contrarium epitheton eidem nomini conueniat; tunc enim quod addere volebamus, accommodatum, vel opportunum non erit. Vt si quis rectè dixerit, Solem igneum, ac laudum, perperam dicet, qui Solem aqueum, atque tenebricosum appellauerit. Non rarò eidem contraria epitheta conueniunt, si tamen qualitates, aut quantitates mutentur, quandoque plura epitheta eidem nomini adduntur. Sæpe epitheta vim efficientis causæ exprimunt, præsertim apud Poetas. At verò diligenter obseruando, quæ opposita sunt, proportionem quoque seruare licebat. Vt iuuenis, & senex opponuntur, non igitur eadem ambobus conueniunt, puta non eadem vestis, ut Philosophus loquitur; idcircò si iuueni purpura conuenit, non eadem sed alia senem decebit. Hoc etiam in translationibus aduertendum: nam si adolescentia rectè flos dicitur ætatis, non eodem modo senectus poterit appellari. Sed senectus dici debebit ætas matura, vel ingranescens &c. Si pax dicatur tranquilla, bellum dicetur turbolentum.

Metaphora potest contingere tam in *Nominibus*, quàm in *Verbis*, tunc est in Nominibus, quando in nomine, siue *Substantiuo*, ut *Mars* pro *Bello*, *Aquila*, pro *Perspicaci*, siue in *Adiectiuo*, ut si dicatur *Pectus adamantinum*, pro *Durissimo*, *Florida ætas* pro *Iuuentute*, *Mare iratum*, pro *Mare procellosum*. Contingit autem in Verbis, cum in ipsis ita translatio est, ut unum pro alio sumatur, ut *videre*, pro *intelligere*; quod etiam exponi potest per participium, ut *videns*, pro *intelligens*; sic dicere solemus *Mare feruens*, *Vnda niteſcens*, quæ etiam, per varia tempora, & modos efferri possunt. Huc pertinet metaphora ex aduerbijs, ut *Regificè viuere*, *pro lautè viuere*.

Hoc autem differt inter translationem, & similitudinem, quòd similitudo rem alteri comparat medijs hisce particulis *ita*, *ut*, *sicut*, ex gra. *Fecit*, *ut Leo*; at verò translatio rem unam pro alia ponit, ut cum aliquem puta Achillem nos Leonem appellamus. Hoc egregiè notauit Aristoteles dicens, Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά διαφέρει δὲ μικρόν. ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα, ὡς λέων ἐπέπεσεν, εἰκών ἐστι· ὅτι δὲ λέων ἐπέπεσε, μεταφορά. διὰ γὰρ, τὸ ἄμφω ἀνδρείους, εἶναι προσηγόρευσε μετενεγκὼν λέοντα τὸν Ἀχιλλέα. *Imago verò etiam ipsa translatio est, parum enim ab ea differt, nam cum Poeta de Achille dicit*, tanquam leo irruebat *immago est: cum autem* Leo irruebat *est translatio. Quoniam enim ambo fortes sunt, translato nomine Achillem vocauit Leonem.* Quid inter metaphoram, & imaginem differat ex earum descriptionibus liquet. Quid metaphora sit iam dictum fuit; quid autem imago declarat Cicero. *Imago est Oratio* inquit *demonstrans corporum, aut naturarum similitudinem*; & Cornificius hac de re loquens sic ait. *Imago est formæ cum forma, cum quadam similitudine collatio*, hæc exemplis non est opus explicare, cum tam apud Oratores, quam Poetas passim videri possint. Elegans illa est, qua utitur Maro

In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores
Præcipitesque trahit syluas.

Adnotandum porrò, quod Aristoteles nos docuit, ex eius enim sententia utilis est imago etiam in soluta oratione, sed eâ rarò utendum, quoniam magis Poetas decet, quod sic intelligendum, ut fusior, & ornatior magis Poetas, quam Oratores deceat; si tamen rarò adhibeatur, eaque sit breuior & simplicior etiam in oratione soluta utilis est; ideo breues similitudines ab Oratoribus usurpatas videmus, cuiusmodi esset illa, *gloria virtutem tanquam umbra sequitur*, quâ usus est Tullius. Imago igitur nil aliud, quàm translatio addito aduerbio similitudinis.

Quintilianus dicebat quadruplicem esse metaphoræ vim, vel enim verbum ab animato ad animatum transfertur; vel ab inanimato ad inanimatum, vel ab animato ad inanimatum, vel ab inanimato ad animatum, sed utrunque se res habeat; varij sunt fontes, ex quibus metaphoras cuique licet haurire, qui tamen ad tres reuocari solent, cuiusmodi sunt res *Animatæ*, *Inanimatæ*, *& Artefactæ*.

Metaphoræ ab animatis ad alia animata duci solent; ut cum dicitur. *Pontifex Piscator*. Quoniam autem præter homines, etiam bruta, plantæ, & flores animi constant, ab his quoque translationes commodè fieri possunt, ut cum *Homo dicitur Leo, Aquila, Canis, Agnus*, &c. Item dicitur *latrare, pascere*. A plantis ut *Pullulare, ac germinare, pro nasci grandeque fieri; Florere*, pro *Esse in pretio*. Item *Delegit à florentibus ordinibus ipsa lumina*. Item *Nostrum opus tibi probari lætor, ex quo ἄνθη ipsa potuisti quæ mihi florentiora sunt visa tuo iudicio*, & ab animatibus communiter, ut cum *caput cœnæ* ponitur pro primo cœnæ *ferculo*. Vel cum fluvio tribuitur pes.

Cælestia, & resonans liquido pede labitur unda.

Et Lyricus. *Leuis crepante lympha desilit pede.*

Ab hominibus, ut

Me ne salis placidi vultum, fluctusque quietos.
Ignorare iubes?

Et ad hoc genus translationis reduci possunt, quæ desumuntur à Deo, siue à rebus diuinis ut *Homini Deus est, si suum officium sciat*, & cum pro *excellentia ingenij*, dicimus *diuinitatem ingenij* & pro *ingenio excellenti*, dicimus *diuinum ingenium*; sic etiam à cælestibus, ut si quis ob magnitudinem rerum præclarè gestarum *Olympum* dicatur, ut de Pericle fertur, sic etiam *Cælestem vitam* pro *pura & sancta*. *Paradisum*

pro

translatio
portuna
, tria
na secũ
ert.

etapho-
poteſt
ntingere
n in no-
nibus,
àm in
rbis.

Quid dif-
fert inter
nilitudi-
m, &
letapho-
am?

3. Rhetor. cap 5. alias 4.

Lib. 1. de Inu imago quid.

Ad Heren. lib. 4.

2. Æneid.

Adnotatio

Fabij sententia de Metaphora.

Varij sunt fontes, ex quibus licet metaphoras haurire.

Metaphoræ ab animatis.

Lib. Epod. ode 10.

Virgil. 5. Æneidum.

Digitized by Google

pro loco saluberrimo, & amœnissimo, dicimus. Vel, cum, quæ animatis conueniunt, ad inanimata transferimus, ut cum dicimus, *parietes loquuntur*, locutio siquidem est hominis, atque adeo rei animatæ propria, sed ad parietes, qui inanimati sunt, transfertur.

Ab inanimatis. Ab inanimatis metaphoræ quoque ducuntur, primò quidem à Cælo, & Stellis, ut cum dicitur, *Christus Sol Iustitiæ*; *Rosa inter flores stella*. Secundò ab Elementis, & primò sumitur ab igne ut *ardor animi, bellorum incendia*; sic etiam *excandefacere annonam*, seu à Meteoris ac eorum effectis, puta, ab aere, vel ab ijs, quæ in aere fiunt, ut *serenitas frontis*, vel *mentis, tempestas, atque calamitas Reipublicæ: nubecula suspicionis, verborum fulmina: Ducem aliquem esse Belli fulmen*. Ab aqua, ut *flumen eloquentiæ; mare sapientiæ; doctrinam à summis viris haurire; diffluere voluptatibus*, sic Virgilius *Mane salutantum totis vomit ædibus unda*. A terra ut *fœcunditas memoriæ, feracitas ingenij*, vel *ingenij sterilitas; seculum illustrium virorum ferax*. A mixtis, & præcipuè à lapidibus pretiosis, & mineralibus, ut *Æneum pectus: Seculum aureum, Ætas ferrea* sic *Marti tunicam adamantinam* tribuit Lyricus. Ita etiam *lapis* ponitur pro *stupideo*.

Ab Elementis. Ab Igne. Ab Aere. Ab Aqua. A Terra. A mixtis.

Terentius in Heat. act. 5. Sc. 1

Quot res dedere, uti possem persentiscere;
Nisi essem lapis.

Ab artefactis, & quidem, ab artibus tam mechanicis quam liberalibus. Vt à militari, & re militari; nempe *literarium certamen; Machinas ad pertinaciam expurgandam adhibere. Causæ arcem inuadere; Aduersarium dictis iugulare*, & de aduersario triumphum agere.

Ab artefactis.

Ab Arte, & re nautica, ut *Secundo vento nauigare; Velis, remisque contendere; In scopulos voluptatum incurrere; Naufragium facere; Tenere portum*. Ab Agricultura ut *Excolere ingenium; Præceptis animum irrigare; Serere beneficium; Messem suorum laborum metere*. Ab arte, & re medica, ut *Reipublicæ vulnus curare. Putridum membrum rescindere; Pestem è ciuitate expellere & Rempublicam ad sanitatem reducere*. Ab arte, & re culinaria, ut cum dicitur *Magnus librorum helluo, sermonem facetijs, & urbanitate condire; Rem decoquere*. Ab Arte, & re equestri, ut *Laxare habenas*; huc pertinet.

Ab arte, & re nautica. Ab agricultura. Ab arte, & re medica. Ab arte, & re culinaria. Ab arte, & re equestri.

Virgilius 2. Aeneid. & 6. libr. eadem.

Infrænant alij currus,

& alibi

Classique immittit habenas.

A Venatione. A Cæmentaria. A Lignaria. A Ferraria. A Textoria.

Admouere calcaria currenti, Frænum injicere cupiditatibus, Domare iram. A venatione, ut *Aucupari verba; Laqueos intendere; Odorari vestigia; Animum voluptatibus irretire*? Sic ab alijs artibus, & maximè à cæmentaria ut *Fabricare insidias*, A Lignaria, ut *Orationem construere*, à Ferraria, ut *Limare poema*, à Textoria, ut *texere historiam*, & alia ferè innumera, ut cum dicimus *habere in numerato*, translatio fit à pecunijs, ad significandum aliquem esse solerti ingenio ad res omnes ex tempore conficiendas. Sic etiam poeta dixit *Remigium alarum*.

Tullius in Oratore.

Hactenus tradita de Metaphora sumatim expositа sic se habent. Non ignorandum Metaphoram usurpari posse latâ significatione, quo sensu, teste Tullio, accepit illam Aristoteles libro tertio Rhetoricorum. Hoc autem loco sumitur angustius metaphoræ nomen pro tropo, quo nullus est præstantior; cuiusmodi est ille, qui voces à propria significatione ob similitudinem ad alienam deflectit, talis est ergo Metaphora de qua loquimur, ad quam tria requiri solent, puta significatio propria, aliena, & similitudo atque proportio. Differunt porrò similitudo, & proportio, quòd similitudo sit inter duo, ut inter Socratem vivum, & pictum; unde est, ut picturæ tribuatur nomen Socratis; at proportio sic se habet, ut in ea bina binis respondeant, cuiusmodi est illa, cuius meminit Stagirites, dum ait, *plantarum radicem ori animalis analogam esse*, ut enim *os se habet ad animal*, ita *radix ad plantam*, ubi gemina intercedit similitudo, unde proportio, siue Analogia oritur, quæ est rationum, seu similitudinum similitudo, cum per simplicem similitudinem *porcus* de *homine corpulentiore*, *habitioreque* dicitur. Quo pertinet illud Catulli.

Aut porcus Vmber, aut obesus Etruscus.

Longe tamen est ratio eorum diuersa, quæ à proportione sumuntur metaphoræ, e quibus ea sit, quam Aristoteles affert, cum videlicet ἀσπίδα, *scutum* vocamus φιάλλω Ἄρεως, καὶ φιάλλω ἀσπίδα Διονύσου. *Scutum phialam Martis, & phialam scutum Bacchi*. Nam ὅμοιόν ἐστι φιάλη πρὸς Διόνυσον, καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρη. *Similiter se habet phiala ad Bacchum, atque scutum ad Martem*.

Alia solet Metaphoræ quidem distributio afferri, cum altera dicatur utrinque commutabilis, altera verò unius partis; Prima videtur superior, quam etiam & in nominibus *Campi*, & *Æquoris* obseruare licet, in quibus Poetæ principes significationes mutarunt; quandoquidem Virgilius ait de Æquore loquens

Campos salis æra ruebant. 1. Æneid.

Et vicissim de *campis* loquens, ait

At priùs ignotum ferro, quàm scindimus Æquor. 1. Georg.

Et coniunctim quoque, ut

Voluitur, & plani raptim petit Æquora Campi. Lucret. lib. 1.

Sic etiam *flores* pro *stellis*, & *stellæ*, *ac sydera*, pro *floribus*, usurpantur, quia quòd in Cælo sunt *stellæ*, in terra sunt *flores*.

Metaphora autem unius partis obuia satis est, qualis è multis ea, quâ inferiorem montis partem, pedem appellamus, voce ab animalibus desumptâ; at non licet vicissim animalis pedem appellare radices montis: Ex dictis cuique perspectum optimas esse Metaphoras, quæ ex proportione ducuntur, e quibus aliæ, alijs antecellunt; cæteris autem præferenda videtur; ἢ κατ' ἐνέργειαν καλοῦσιν, ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται καθάπερ ἔμψυχα. *Quæ in actu est, atque ita vocatur, eoquòd res inanimas aliquid agentes inducat, tanquam animâ, ac sensu præditas*. Nam, ut cum Fabio loquar, *Præcipuè ex his oritur mira subtilitas, quæ audaciæ proxima, periculo translationis attolluntur. Vt cum rebus sensu carentibus actum quendam, & animos damus, qualis est; Pontem indignatus Araxes*, & illa Ciceronis. *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica, gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* Hæ igitur metaphoræ cæteris præstant. In metaphoris tamen cauendum à vitijs iam explicatis; præsertim verò curandum ne sint duriores, cuiusmodi sunt, quæ petuntur à re dissimili; non facilè tamen cognoscitur metaphoræ durities. Sunt qui putant τὸ ῥᾴδιον, *sternere* durius à Thucydide, ad animum transferri, dum ait, ἵνα Πελοποννησίων τοῦ θράσους τὸ φρόνημα *ut animos prosternamus Peloponnesiorum*. Sed ineptè, nam hoc sensu fuit vox illa usurpata à Tullio. *Abijcere* inquit *se, atque prosternere* id est, animum despondere, seu melioris fortunæ spem abijcere. Potius dura translatio, quam supra innuimus, *Iuppiter hybernas cana niue conspuit Alpes*; Et dura illa, qua utitur Plautus, dum ait *dentes famelicos lippire*. Aduertendum hoc ab eo dictum, quoniam humor lentus

Thucyd. lib. 6.

Cicero in Paradoxis.

Digitized by Google

tus dentes obsidens lippientium oculos quodammodo imitatur: Huc pertinet durities illa.

Quid attinet ora nauium graui
Rostrata duci pondere.

Vel contra: rostrum *fluvij*, pro *ore* durum est; ut etiam *Cæli ingentes fornices*, quod Vossius etiam notauit. De his tamen hactenus.

De Virtutibus, & Vitijs Metaphoræ.

TRanslationes, siue Metaphoræ, & addita grandem & illustrem orationem efficiunt, dummodo tamen ijs legibus efformentur, ut ijs virtutibus præditæ sint, quas mox intelliges, à quibus venustatem recipiunt, quemadmodum à vitijs oppositis turpitudinem contrahunt. Prima igitur virtus erit, ne longè petita sit Metaphora, alioquin vitio laborabit; quamobrem ineptè dicitur *Syrtis patrimonij, Charybdis bonorum*, ut notauit Philosophus, & rationem reddit dum ait, Ἀσαφεῖς δή, ἂν πόρρωθεν· οἷον Γοργίας χλωρὰ, καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα, σὺ δὲ ταῦτα διαχρῶ ἐπὶ ἔσχατον κακῶς δὲ διώρισας, ποιητικὴν γὰρ ἄγαν. *Quin etiam obscuræ fiunt, si longè petantur, ut Gorgias; pallida, atque exanguia negotia. Tu verò hæc turpiter seminasti, male autem messuisti, nimis enim poeticè dicta hæc sunt.* Translationes enim ad illustrandam orationem adhibentur, semper propterea vitiosæ sunt, cum sunt obscuræ, tales autem fiunt, cum nimis longè petuntur, ideo Gorgiæ Leontini translationem illam Philosophus reprehendit, videlicet *pallida, atque exanguia negotia*, quoniam metaphoram duxit ab animalibus ad facta, quod nimis è longinquo fit, propterea quòd animalia pallida propriè atque exanguia dici debent, quibus sanguis deest, at à negotijs quibuscunque animalia pallida, ac exanguia nimis remota sunt. Reprehendit alteram eiusdem Gorgiæ ab Agricolis deductam. Sic longè petita est illa, *astrorum populus*; ita quoque Εὖτε δὲ ἀγρεῖον ποιμάνεται ἔθνος ὀνείρων, *cum veracium pascitur populus*; nempe cœtus, seu turba somniorum; *Tu verò hæc turpiter seminasti, malè autem messuisti*, hanc explodendam, tanquam poeticam affirmat; cur autem, non ita constat; nam non admodum illi dissimilem usurpauit Cicero. Sed Aristoteles forsan putat huiusmodi translationem nimis poeticam esse, quoniam ad orationis amplitudinem, atque granditatem non conducit; non igitur metaphora longiùs petenda, quin potius rei debet affinis esse, à qua desumitur. Translationes deduci debent ex propinquis, ac eiusdem generis, ut quæ proprium nomen non habent, eis illud imponatur, quod statim affine esse videatur; sic Achilles dicitur *Leo*, quoniam uterque sub genere *fortis* continetur. At non rectè dixeris *fructum haurire*, pro, *capere*; Nec etiam rectè dixeris *illotis manibus aggredi*, pro *attingere*, vel *illotis pedibus attingere*, pro *aggredi*. Quo igitur ex genere cepta fuerit translatio, hoc itidem desinendum; non enim à tempestate licet exordiri, & igne postea finire. Hoc tamen ne putes perpetuò verum, cum aliquando liceat diuersas coniungere metaphoras.

Secunda Metaphoræ virtus erit, ut sit consentanea rebus, quibus tribuitur, ita ut nec sit humilior, nec sit altior, quàm res exposcat; hoc notauit Aristoteles, apud quem quoties maior est, aut minor translatio, quàm conueniat, reijcienda est, eo quod proportionem non seruet.

Affert in exemplum translationem vitiosam desumptam ex Euripidis fabula, quæ Telephus inscribebatur, & Euripidem reprehendit, eo quòd dixerit *remo imperare*, quoniam verbum *imperare*, vel regnare maius est, ut græcum verbum sonat, quàm remo conueniat; maior igitur est, quàm res postulat, nec debet esse minor, ut *scintilla proditionis*.

Tertia: Elegans erit translatio, si fiat per verba, ac voces suaues, ac lenes, adeòut vitiosa sit translatio si oppositio modo fiat, atque peccetur non tantùm in rebus, sed etiam in verbis, immò & in syllabis ipsis, sonoque verborum, ut si voces, quæ transferuntur, syllabas habent insuaues, ac asperas, & res ipsa potius iucundas, ac suaues requirat, quod etiam Philosophus aduertit. Tertia ut fiat per verba, & voces suaues.

Quarta: Laudabilis erit translatio, quæ à pulchris rebus ducitur, ut Aristoteles notauit dicens, Καὶ ἀπὸ καλῶν, *& à pulchris*. Deformitas igitur omnis est fugienda, atq; adeo pulchritudo, & elegantia quærenda est. Quamobrem in translatione fugienda est omnis turpitudo rerum earum, ad quas audientium animos similitudo trahit; ob id Crassus, *nolo*, inquit, *morte dici Affricani Castratam Rempublicam, nolo stercus curiæ dici Glauciam*, quanuis sit simile, tamen deformis est in utroque cogitatio; non debet igitur esse deformis, ut dixi, non sordida, nec obscœna. Quarta ut fiat à rebus pulchris & nõ fœdis.

Quinta: Translatio non debet esse dura. Verba tamen iratis conceduntur, quæ si animo quieto pronunciarentur, reprehensione non carerent, quod etiam notauit Philosophus dicens, συγγνώμη γὰρ ὀργὴ. ζομένῳ κακόν φάναι ὑβριστικὸν, ἢ φαῦλον εἶναι τὸν. *Ignoscitur enim irato si dixerit, se passum esse malum cœliuagum, aut pelorium.* Dura erit itidem Oratori translatio *capitis niues*, non tamen Poetæ, ut propterea Fabius haud benè reprehenderit Lyricum, eo quòd illam adhibuerit, dicens Quinta ut nõ sit dura. 3. Rhetor. cap. 16. aliàs 7. Horatius lib. 4. od. 13.

Te quia rugæ
Turpant, & capitis niues.

Sed ea quidem dura, nec permittenda Poetis, quæ apud eundem Lyricum habetur. Epodo, ode 4.

Quid attinet tot ora nauium graui
Rostrata duci pondere.

Duobus tamen modis licet Metaphoræ duritiem adimere, ut Demetrius notauit, quorum primus est per *adiectionem epitheti*: ut *arcus* durè dicitur *Lyra*; at securè, ac rectè *Lyra cordarum expers*. Non dissimiliter *Arbores stantes abietesq; trabes* malè appellantur; sed benè dici possunt *viuæ trabes*, ut, italicè tamen, Dantes in suo poemate locutus est.

Remedium alterum est mutatio Metaphoræ in imaginem, quam Demetrius εἰκασίαν appellat, sed breuem, alioquin, non tam imago, quàm collatio poetica erit. Ex Metaphora porro, teste Demetrio, fit imago solùm addendo similitudinis notam ὥσπερ, hoc est, *quasi, tanquam, velut &c. Ignoscitur enim irato si dixerit se pascum esse malum cœlivagum, aut pelorium*; Ita duæ translationes irata conceduntur; ut illa apud Tullium, *Atque adeo vos geminæ voragines, scopulique Reipublicæ* & non multo post, *nunquam te in tot flagitia ingurgitasses*. Dura etiam & illa *Iuppiter Hybernas cana niue conspuit alpes*. Sexta, ne sit nimis poetica.

Sexta: Translatio non debet esse nimis poetica, ut *Pastor populi*, pro *Rege*. Septima, ut transferatur præstantissima in aliquo genere ad laudandũ; contra verò ad vituperandum.

Septima præcipua conditio erit, ut quotiescunque laudationis gratia translationes volumus usurpare, transferamus ea, quæ in eodem genere præstantissima sunt: si autem causa vituperationis, ea transferamus, quæ omnium sunt deterrima.

Octaua conditio erit, ut ducatur à simili, non autem à dissimili, ut non benè diceretur *senectus florida*, nihil enim senectus cum floriditate commune habet. Octaua, ut ducatur à simili.

De Synecdoche.

Synecdoche quid. Μετωνυμία Synecdoche, latinè *Comprehensio, Conceptio. Tropus est in quo totum pro parte, vel pars pro toto intelligitur*, ut *Annus*, pro *Hyeme* ex. gra. & *Tectum*, pro *tota domo*, &c. totum enim partes suas comprehendit, & partes comprehenduntur à toto. Cum autem totum, & pars trifariam sumantur tot quoque erunt modi, quibus Tropus de quo loquimur, fieri possit. Totum enim vel est integrale, cui respondet partes, ex quibus illud consurgit; vel est essentiale, nempe integra essentia, cui respondent partes essentialiter componentes; & prout totum fuerit physicum, aut metaphysicum, sic etiam partes erunt physicæ vel metaphysicæ. Vel est totum uniuersale, cui respondent inferiora, tanquam partes, & subiectæ partes appellari solent. Et prout totum fuerit vel genus, vel species, sic etiam inferiora erunt, vel species, vel indiuidua; in his omnibus potest fieri Synecdoche.

Sex autem modis contingit; Primò cum sumitur pars pro toto, ut *Puppis* aut *Carina* pro *tota naui*, *Tectum* aut *Paries pars domûs*, pro *tota æde*; hoc tropo utitur Cicero, dum ait, *O tecta ipsa miseræ quàm dispari Domino tenebantur.* Item *Mucrones eorum à iugulis vestris reijciemus*, ubi *mucrones* sumit pro *gladijs*. Philip. 2. De Profligato. Exercitu Catilinæ. Amplius. *Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superauit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, & dubitare utrum in ciue, an in hoste figantur*, sic etiam quandoque *Achaiam* ponit pro *tota Græcia*, sic Persius *Vmbonem* pro *Toga* posuit.

Totâque impunè Suburrâ
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.

Persius Satyra 5. Secundo, cum sumitur totum pro parte, ut *fons*, & *flumen* pro *parte fontis*, & *parte fluminis* ut

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin,

Virg. Ecl. 1. Synecdoche quoque est illa apud Poetam, dum ait, *Fontemque ignemque ferebant*, sumit enim totum pro parte. Quemadmodum alibi dicens. 12. Æneid.

In foribus pugnam ex auro, solidoque Elephanto,

Et iterum alibi 3. Georg.

Dona dehinc auro grauia sectoque Elephanto.

9. Æneid. Vbi ponit Elephantum pro Elephanti dente, nempe totum pro parte. Non dissimiliter, cum Homerus fingit Deos, ac bellaces viros totam noctem dormire, significare volens eos dormisse magnam noctis partem, totum integrale pro parte sumit à Virgilio, *Annus frigidus* pro *Hyeme sumitur.*

6. Æneid. *Quam multæ glomerantur aues, ubi frigidus anTrans portum fugat.* (nus.

Quæ autem de Synecdoche in toto, & parte integrali: de eodem tropo in reliquis modis totius, & partis intelligi possunt.

Tertiò, cum ex specie intelligitur genus, ut *Eurus*, vel *Auster* pro *quouis vento*, ut, *Mare Adriaticum*, vel *Mirtoum* pro *quouis mari*. Et *parricida*, pro *quouis interfectore hominum*; Ita Cicero: *Etenim si summi viri & clarissimi ciues Saturnini, & Gracchorum, & Flacci & superiorum complurium sanguine, non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certè verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi, in posteritatem redundaret*, & Poeta Tullius oratione 2. in Catil.

Poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis.

Virgilius 1. Georg. Ideſt vino aquam, nam per pocula Acheloia, intelligit pocula aquis repleta, seu denotat aquas, & per uuas denotat vinum. Sic dicitur *iracundior Hadria* pro *quouis tempestuoso mari*; ita quoque idem Tullius accipit stuprum prout complectitur etiam adulterium, adeout accipiat speciem pro genere. In Pisonē.

Quartò cum ex genere species intelligitur, ut *ales* pro *Aquila*; *animal* pro *homine inurbano*. Sic Tullius *Cum omnes*, inquit, *boni abditi, inclusique mærerent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent, complexus es illud funestum animal ex nefarijs stupris, ex ciuili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum*; vbi *animal*, pro *Clodio*, & *impuro homine* ponitur, sic etiam *quadrupes* pro *equo* solet usurpari; Ita Virgilius. Ibid.

Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. Lib.

Quintò cum *plura* pro *uno* intelligimus, ut *Antonios*, pro *Antonio*, *Cassios*, pro *Cassio*, *Pompeios*, pro *Pompeio*, sic dicimus *vos*, pro *tu*, & *nos* pro ego. Ita quidem Cicero. *Populo* inquit, *imposuimus, & oratores visi sumus*, cum de se tantummodo sermonem haberet. Huc pertinet illud Tibulli

Nec nos sacrilegos templis admouimus ignes:
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.

Sextò cùm intelligitur unum pro pluribus. Vt *Romanus prælio victor*, pro *Romani victores*. Ita Poeta.

Hostis habet muros.

Ideſt *hostes*. Item. *Vterumque armato milite complent.* pro *Armatis militibus*. Insuper *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin*. Quandoque numerus certus, pro incerto ponitur, ita Horatius

Hunc si mobilium turba Quiritium
Certant tergeminis tollere honoribus.

Ponit enim tergeminos honores, pro plurimis, aut maximis; tres autem honores sunt *Ædilitas*, *Prætura*, & *Consulatus*. Non dissimiliter intelligendus Poeta dum ait.

O terque, quaterque beati

Numerus etiam rotundus quandoque sumitur pro maiori, aut minori, ut apud Poetam

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Et apud Solmonensem.

Nempe ego mille meo protexi pectore puppes.

Et Lyricus.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula.

Fit etiam hic tropus, cum proprietas accusatiui casûs alicui toti per adiectivum tribuitur, ut *Æthiops albis dentes*. *Æneas os, humerosque Deo similis. Virgo scissa capillos*, hoc est *Æthiops habens dentes albos*. *Æneas habens humeros similes Deo. Virgo habens scissos capillos*. Fit etiam synecdoche per verbum passivum, ut Grammatici aduertunt, ex. gra. *verberor manum, polluor faciem, lædor pedem*, in cuius confirmationem afferunt illud Lucani.

Pluribus ille notis variatam tingitur alvum.

Sed de his Grammatici consulendi.

De Metonymia.

Μετωνυμία. *Metonymia*, græcè, latinè verò *transmutatio, est Tropus, in quo una res pro alia, quæ ei sit affinis, ponitur*; ut cum ponitur *inuentor* pro *re inuenta*.

Fit autem quatuor modis; Primò ponitur causa pro effectu. Secundò effectus pro causa. Tertiò subiectum pro re adiuncta. Quartò adiunctum pro re subiecta.

Metonymia causæ duplex est, alia efficientis, alia materiæ. Efficientis Metonymia contingit cum inuentor, & rerum auctor, pro rebus ipsis inuentis usurpatur, ut *Mars* pro *Bello*; *Bacchus* pro *vino*. *Aristoteles*, aut *Demosthenes*, pro *illorum scriptis*. Martem, pro bello sumpsit Tullius. *Vidimus*, inquit, *tum victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina*

ea vacuum in urbe non vidimus: quos amissimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ. Sic Martialis auctorem sumit pro scriptis.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum biblioteca capit.

Metonymia autem materiæ est, cum materia sumitur pro re confecta ex materia, ut *ferrum* pro *gladio*, aut vomere *aurum* pro *aureis*, vel *argenteis vasis*, aut *pecunia*; ferrum pro gladio sumitur cum dicimus *interimere ferro*; ferrum pro vomere sumpsit Poeta dicens

At prius ignotum ferro, quàm scindimus Æquor.

Aurum pro *re facta* sumpsit idem dum accipit aurum pro Phiala aureâ. Argentum pro vasis, & vestibus argenteis Tullius usurpauit; *Cum essent*, inquit, *triclinia strata, argentumque expositum in ædibus*. Ita quoque Ouidius sumpsit *æs* pro *tabula ex ære*,

Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Hoc est leges tabulis æneis non incidebantur.

Maximè tamen controuersum est, an admitti debeat Metonymia materiæ, propterea quòd materia comparationem rei materiatæ, partis rationem induit, idcirco materia dum accipitur pro re materiata videtur fieri Synecdoche, cuius unam speciem diximus contingere, quando *pars essentialis* pro *toto* sumitur. Leuis tamen difficultas, propterea quòd quemadmodum alia est ratio totius, & effectûs, sic alia est ratio partis, & causæ, quod igitur materia est, si spectetur ut pars, ad Synecdochen, si ut causa ad Metonymiam pertinebit, nec ullum sequitur incommodum, si tropus uterque dicatur ex eodem fieri, ratione tamen diuersa.

Metonymia effecti est priori contraria, atque contingit, cum per effectum intelligitur causa, videlicet cum effectum sumitur pro efficiente, ut *pallida mors, pallentes morbi, tristis senectus, audax iuuenta, præceps furor siue ira, insolens, & superba victoria, hilaris adolescentia, segne otium*, non enim hæc sunt per se talia, sed dicuntur talia, quoniam tales effectus gignunt; ita quidem mors dicitur pallida, eo quòd homines pallidos reddat. Ita Lyricus pallidam mortem appellauit.

Pallida Mors æquo pulsat pede pauperũ tabernas,
Regumque turres:

Sic etiam *canities* pro *senectute*.

Donec virenti canities abest
Morosa.

Non dissimiliter Virgilius,

Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

Morbos appellat pallidos, quia reddit homines pallidos, & senectutem appellat tristem, quia senectus reddit homines tristes, hoc est mæstos, sumitur enim tristis pro mæsto; sic Tullius quæcunque *quærerem ex te quid tristis esses?* vel sumitur pro sæuo, quia senectus sæuitiam hominibus affert

—— illi mea tristia facta
Degeneremque Neptolemum narrare memento.

Vel sumitur pro *graui*, quia senectus reddit homines graues, vnde Cicero. *Grauitatis suæ liquit illum tristem, & plenum dignitatis sonum* &c. Huc pertinet Claudiani carmen.

Nutrix discordia belli
Imperiosa fames, letho vicina senectus
Impatiensque sui morbus, liuorque secundus
Anxius, & scisso mærens velamine luctus.

Solet etiam metonymia materiati, usurpari

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.

Vbi serta ponit pro floribus.

Metonymia non solùm causæ efficientis, & materialis, sed etiam finalis concedenda, nam plerunque sumitur finis pro destinatis ad finem; ita sumitur custodia, pro custodibus

—— Noctem custodia ducit Virg. 9. Aeneidũ.
Insomnem.

Item, *vigilat custodia*, pro *vigilant custodes*. Ita dicimus *sanitas caro venditur pretio*, ubi *sanitas*, pro medicamentis ad sanitatem destinatis accipitur. Non rarò contrarium euenit, adeo ut per destinata ad finem, nos finem intelligamus. Sic nos dicimus *dare operam gloriæ* eum, qui militiam exercet. Catullus in carm. nuptiali.

Vt autem in commemoratis causarum generibus, sic etiam in formali causæ genere videtur admittenda Metonymia; quid enim prohibet formam pro effectu formali, & vicissim usurpare? Metonymia etiam formæ.

Metonymia subiecti sequitur explicanda, ubi subiecti voce sumitur id, cui, vel aliquid inest, vel adest, vel circa quod aliquid versatur, adeout subiecti Metonymia è Neotericorum sententia triplex concedenda sit, Vna *recipientis in se*: Altera *ad se recipientis*: Tertia *obiecti, siue subiecti occupantis*. Metonymia subiecti.

Metonymia subiecti triplex.

Metonymia *subiecti, cui aliquid inest*, non unius est notionis. Ad hunc Metonymiæ modum pertinere dicitur illa, quæ fit, cum *Iecur* ponitur pro *libidine*, eo quòd iuxta Platonẽ iecur sit sedes cupiditatis; quemadmodum idem *Iecur* sumptum à veteribus pro sapientia fuit; pro qua, & *Cor*, & *Cerebrum* accipere consueuerunt. Non dissimiliter *frons*, & *os*, pro *pudore* frequenter usurpatur, eo quòd in vultu pudor eluceat, quorum exempla breuitatis gratia silentio præteribo. Fit hæc Metonymia cum ponitur continens pro contento, Vt *Bibere poculum*, pro *Liquorem in poculo*. Ita dicitur *Ciuitas sapiens*, pro *eius ciuibus*. Sic Cicero. *Vt omittam*, inquit, *illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas; in quibus summa dicendi vis, & inuenta est, & perfecta*. Athenas pro Athenienſibus dixit. Huc pertinet illud Poetæ. Metonymia subiecti, cui aliquid inest unius notionis non est. De Claris Oratoribus.

Inuadunt urbem somno vinoque sepultam.

Et illud quoque

Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Metonymia subiecti ad se recipientis, & pariter occupantis contingit, cum possessor pro re possessa ponitur, ut

Iam proximus ardet 2. Aeneid.
Vcalegon.

Vbi Poeta *Vralegontis* nomine, non personam, qualis erat senex ille nobilis Troius, sed eius domum intelligit; hæc enim ardebat, non ille. Sic dicimus *hominem deuorari, cuius patrimonium deuoratur*. Et *ab Annibale apud Cannas cæsa sexaginta millia dicimus*, ideſt *ab eius copijs*. Eàdem significatione dicimus *Cæsar Galliam, Pompeius Asiam edomuit*, hoc est utriusque classes, ac exercitus. Dux enim, aut Imperator pro militibus eius imperio subiectis, usurpatur. Eodem modo *Patronus* accipitur pro *Cliente*, *Aduocatus* pro *Reo*.

Huc aliqui referunt Metonymiam signi, & signati, iuxta quam res pro signo accipitur; exemplum afferunt, *ideo debet mulier habere potestatem supra caput*; hoc est *velamen*, quod signum est potestatis, quam vir in mulierem habet; Hanc Metonymiam dicunt esse subiecti adhærentis. Et ex eorundem sententia, dum *signum* pro *re signata* accipitur fit Metonymia adiuncti adhærentis, de qua paulò post futurus sermo.

At Metonymia *subiecti occupantis*, seu materiæ circa quam non rarò fit, nempe cum sumitur aliquid pro re, quæ circa illud versatur, ita quidem Cicero, dum ait, *inter arma silent Leges*, ibi nanque *Leges* pro Metonymia subiecti occupantis seu materiæ circa quam.

Iudicibus usurpat: horum enim est iuxtà leges sententiam ferre. Huc spectat illud Maronis

Eccl. 2. *Formosam resonare doces Amaryllida syluas*

Ideſt *carmen de Amaryllide*.

Claudian. lib. 9. Huc referunt aliqui metonymiam continentis pro contento, ut

Pharsalia nostra
Viuet, & à nullo tenebris danabitur æuo.

Pharsalia siquidem ponitur pro prælio in Pharsalicis campis commisso, ad significandum Poema de Pharsalia semper duraturum.

Metonymia adiũcti inhęrentis. Duplex perhibetur. Metonymia sequitur *adiuncti inhærentis*, vel *adhærentis*, vel *circa suum obiectum occupati*. Et quidem Metonymiam adiuncti inhærentis geminam esse volunt. Vna est contenti pro continente, ut cum *libros* pro *taberna libraria* sumimus. Altera cum virtutes, ac vitia pro personis ipsis usurpamus; & hominibus probis ac improbis virtutum, atque vitiorum nomina imponimus. Horatius hanc Metonymiam adhibet dicens

Narratur, & prisci Catonis
Sæpe mæro caluisse virtus.

Vbi virtus pro Catone ponitur.

Hic idem tropus est usurpatus à Poeta, cum ait;

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

Vbi crimen Poeta ponit pro reo, quasi dixerit *Ex uno Simone disce omnes Græcos esse insidiatores*.

Aliqui tamen hanc non Metonymiam adiuncti, sed Syllepsim, alij verò formæ Synecdochen esse contendunt; sed res parui momenti est, enim verò, ut non multo antea notaui, nullum incommodum sequitur, si dicatur aliquid ad duos pertinere tropos; crimen enim hic sumitur pro scelere, Vt apud Terentium. *Vbi illic scelus est, qui me perdidit? at scelus* relatum ad hominem, habet rationem adiuncti, proinde spectat ad Metonymiam adiuncti inhærentis: relatum ad sceleſtem, pertinet ad Synecdochin formæ. Et etiam dici potest pertinere ad Metonymiam causæ formalis, nam ut supra dixi, potest aliquid considerari, vel ut pars, vel ut causa, non enim eadem utriusque ratio.

Metonymia adiũcti adhærentis. Metonymia adiuncti adhærentis fit, è quorundam sententia, cum tempus ponitur pro eo, quod est in tempore, ut, *Væ ætati tuæ*. Ideſt tibi.

Huc referunt, cum signum pro signato ponitur. Vt quando nomen, quod est rei signum, pro re ipsâ sumitur, quod à Græcis usurpatum asseuerant, à quibus καλειδζ dici, usurpatur pro εἶναι esse & τὸ Θηβαῖον ὄνομα, *Thebanum nomen* pro *Thebanis*, & à Latinis *nomen Romanum* pro *Romanis*. Eodem modo cum *Fasces* usurpantur pro *Magistratu*, *Sceptrum* pro *Regno*, *Arma* pro *Bello*, *Toga* pro *Pace*, *Luna* pro *Turcis*, &c.

Cicero in Pisonem. & sanè Tullius. *Arma* pro *Bello*, *Togam* pro *Pace*. Sumpsit dicens. *Cædant arma Togæ, concedat Laurea Laudi*, alias *Linguæ*. Huc referunt illud Iuvenalis

Satira 14. *Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras*
Maiorum leges, aut vitem posce libello.

Nimirum ut Centurio fias da libellos, hoc est militia, nam vitis est Centurionum insigne, olim inuentum à Patre Libero, qui primus triumphauit, & vitis inuentor est.

Metonymia adiũcti occupantis. Metonymia tandem adiuncti occupantis, ea censetur, quâ ponitur aliquid pro obiecto; ut quando *fides* ponitur pro *eo, quod creditur*; *amor* pro *eo quod amamus*, & *spes* pro re *sperata*, quo sensu dicitur *spes quæ differtur, affligit animam*, sic Tullius dixit, Lib. 14. Epist. 14. *Hem mea Lux, meum desiderium*, hoc est *Terentia mea, quàm sic desidero*. Lyricus, *O & præsidium ac dulce decus meum*.

De Metonymia supereſt illud adnotandum, scilicet ipsam non tam necessitatis aut illustrandi causa inuentam fuisse, quàm ut copiam pariat, nouæ autem fingi non debent, sed usurpandæ, quæ à clarioribus viris fluxerunt, & longè parciùs, quàm metaphoræ sunt adhibendæ. Hic tropus multis fit igitur modis, præsertim autem sequentibus. Primò cum inuentor pro inuento ponitur, ut *Bacchus* pro *vino*, *Ceres* pro *pane*, ita dicere solemus *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Continens pro re contento, ut *Cæsar uniuersam Galliam decem annis domuit*, aut vicissim, contentum pro re contenta. Tertiò cum signum, pro re signata ponitur, ut *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ*. Quartò cum ab effectu res aliquid denominatur, ut *Ira præceps*; *Pallida Mors*; *Tristis senectus*. Quintò cum instrumentum pro re ipsa ponitur, ut, *Arma atque tela* pro *bello*, sic dixit Poeta. *Arma virumque cano*. Sic etiam dicimus *tractare libros*, hoc est *dare operam studijs*. Sextò cum auctor, pro opere ponitur, ut *Aristotelem diligenter oportet euoluere*, hoc est *eius opera diligenter versare oportet*. Septimò cum virtutes, & vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, usurpamus, ut *Clemētia Cæsaris etiam inimicis pepercit. Nefarium Catilinæ scelus Romanam rempublicam subuertit*.

Hic tropus multis fit modis.

De Antonomasia.

Antonomasia quid.

Ἀντονομασία, *Antonomasia* græcè, latinè verò *Pronominatio*; *Tropus est, in quo loco proprij nominis aliud usurpatur: vel in quo nomen alicui rei per excellentiam tribuitur*; vel ut ait Diomedes *Vocabulum est, quod sine nomine positum, loco eius fungitur*.

Antonomasia ex Fabio, Isidoro tripler. Fabius, & Isidorus triplicem Antonomasiam fecerunt, modo tamen diuersò, nam Isidorus triplicem esse volebat, quoniam, vel ab animo sumitur, ut

Magnanimusque Anchisiades

Virg. 5. Aeneid. Vel à corpore, ut, *ipse*
Arduus, ideſt *Polyphemus*.

8. Aeneid. Vel extrinsecùs, ut,

1. Aeneid. *Infelix puer, atque impar congressus Achilli*,

hoc est *Troilus*.

At verò Fabius, primum Antonomasiæ genus fieri contendit per Epithetum, cuiusmodi ait esse *Thucydides* pro *Diomede*; *Pelides* pro *Achille*. Omne igitur nomen Patronimicum tale erit. Alterum per ea, quæ in uno quoque præcipua sunt, cuius exemplum facit Virgilianum illud

Diuûm Pater, atque hominum Rex. Ideſt Iupiter; hic enim Deorum pater, hominumque rex dici consueuit. Tertia demum ex factis, quibus persona signatur, ut

Talamo quæ fixa reliquit
Virgil. 4. Aeneid. *Impius*.

Frequens antonomasiæ distributio in duo genera. Primum genus. Sed frequens est Antonomasię distributio in duo genera, itaut ad primum pertineat illa, quæ fit, cum proprium nomen ponitur pro communi, & ut vulgò dicitur, pro appellatiuo; alterum verò sit, ad quod pertinet Antonomasia, quæ fit cum commune usurpatur pro proprio. Prioris generis exempla sunt, *Philosophus* pro *Aristotele*, *Poeta* pro *Virgilio*. *Orator*, seu romanæ eloquentiæ princeps, pro *Marco Tullio*, *Vrbs*, pro *Roma*; nomen enim commune transferimus ad significandum aliquod particulare propter excellentiam rei communis, quæ in ipso particulari reperitur; dicendo igitur *Philosophus*, intelligitur *Aristoteles*, propter excellentiam doctrinæ in eo repertæ.

Secundi generis, quando scilicet proprium nomen pro appellatiuo, seu communi usurpatur; exempla sunt

Secundi genus.

Digitized by Google

sunt *Crassus* pro *Diuite*, *Cræsus* pro *homine fortunato*, *Nero* pro *Crudeli* *Alexander*, vel *Cæsar* pro *strenuo bellatore*. Adhoc genus reducitur Epitheton, ut *Alma Venus*, etsi propriè tropus dici non debeat, cum nihil vertat, benè tamen ornamentum nominis dici potest.

His tertium genus addi solet, ad quod pertinet Antonomasia, quæ fit cum nomen notum ex effectu, loco proprij nominis ponitur, ut *Euersor Carthaginis*, & *Numantiæ* pro *Scipione*. Semper autem oportet, ut id, quod est oppositum, si à proprio diuisum fuerit, per se significet, & Antonomasiam faciat; si quis enim dixerit, *Ille, qui Carthaginem & Numantiam euertit*, Antonomasiam faciet; si autem adiecerit *Scipio*, appositum, siue epithetum efficiet; non adhibendum Oratori, nisi aliquid per ipsum efficiatur, alioquin redundat, ut *humida vina*, quod Poetis tamen permittitur. Appositum aliquid efficit, si sine ipso, quod dicitur, minus est, ut *ò scelus exectabile*, *ò nefandam libidinem* &c.

De Onomatopœia.

Ὀνοματοποιία *Onomatopœia* latinè *nominis fictio*. *Est enim Tropus, quo nomen effingitur imitando sonum alicuius vocis* ut *Turtur trutilat*, *Bubo bubulat* Huiusmodi sunt stridere, sibilare, rugire, rudere, pipillare &c. quæ cum ad res alias transferuntur, figurata sunt.

Hic tamen Tropus, quanuis priscis familiaris fuerit; hac tamen tempestate non item, quod si contingat fieri, rarus admodum eius debet esse usus, ut inde ornatum, non odium Orator acquirat. Innouari autem verba possunt ad hunc tropum efformandum tribus modis: Primò per similia, ut cum ad unius similitudinem aliud effingimus, ita imitatione vocis græcizzo, fit *latinizzo*; vel per verba frequentatiua, ut *scriptito*, *lectito*; vel per inchoatiua, ut *vireſco*, *splendeſco*, *madeſco*, *frigeſco*. Secundò per imitationem proprietatum rerum, ut *rugitus leonum*, *mugitus bouum*, *vagitus infantium*: Tertiò per adiunctionem ex diuersis nominibus aliud componendo, ut *stultiloquium*, *multiloquium*, pro co nimirum, *qui multa*, *& malè loquitur*.

De Catachresi.

Κατάχρησις *Catachresis*, græcè, latinè autem *Abusio Tropus est, quo rebus non habentibus nomen proprium, aliud ei consimile accommodatur*. Abusio igitur est, quæ verbo simili, & propinquo, pro certo, & proprio abutitur. Interdum necessaria est, quoniam non habentibus suum nomen accommodatur, quod in proximo est.

Hæc autem abusio contingit, cum *vires hominis breues sunt*, aut *parua statura*, aut *longum in homine consilium*, aut *pauco sermone uti*, aut cum *orationem grandem*, pro *magna*, *minutum animo*, *pro paruo*, dicimus. Sic etiam Poetæ, hoc utuntur tropo Virgil.

Instar montis equum diuinâ Palladis arte
Ædificant

Vbi Poeta abutitur verbo *ædificant*.

Sic etiam, cum ait.

Et quin protinus omnia
Perlegerent oculis

Vbi abutitur verbo *perlegerent*.

Sic Parricida ponitur, non solùm pro parentum interfectore, aut pro eo, qui suæ Patriæ, vel cuicunque quod parentis est loco, excidium, aut vim intulerit, sed etiam pro eo, qui qualemcunque hominem occiderit. Eadem abusio euenit dum frons nauis, pro superiori eius parte accipitur. Abutimur autem propinquis verbis, non solùm in ijs, quæ nomen non habent, sed etiam in ijs, quæ habent, ut cum *grandem orationem*, pro *magna*, *minutum animum* pro *paruo* dicimus, & *parricidam*, pro *matricida*, quod propriè matris interfectorem significat. Hoc interest inter abusionem, & translationem, quod abusio, etsi impudens non sit, licentior tamen est. Sed rarò abuti verbis oportet, ne impropria, ac nimis licentiosa elocutio fiat.

De Metalepsi.

Μετάληψις. *Metalepsis* græcè, latinè verò *Transumptio; fit autem hic tropus, cum usus unius nominis ducit nos in cognitionem alterius*, est enim transumptio, teste Fabio, quæ ex alio in aliud velut viam præstat, & ut ipse ait *Tropus est rarissimus, & maximè improprius, Græcis tamen frequentior, qui Centaurum Chirona*, *νῆσος δοὰς ὀξείας dicunt*. Rem apertius declarat dicens, *Est enim hæc in Metalepsi natura, ut inter id, quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed præbens transitum*. Metalepsis etiam illa censetur apud Homerum Metalepsis quid.

Στηθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν.
In pectoribus hirsutis bifariam cogitauit. Illiad. 1.

Quod Vossius pariter aduertit, addens, μετάληψιν non tam tropi alicuius primarij speciem esse, quàm troporum accidens, eoquòd ut in Allegoria, ita & in Metalepsi, quanuis diuersimodè, troporum sit continuatio, quam accidens esse, nemo inficias ibit, hæc autem exemplis illustrat, & primò quidem ostendit Metalepsim fieri ex Metonymia, & Metaphora, considerando Virgilij carmen.

Sæpe etiam effossis, si vera est fama latebris
Sub terrâ fodere larem. 4. Georg.

Vbi Poeta *larem*, quoniam Deus domesticus erat, pro domo ipsa μετωνυμικῶς, *metonymicè* ponit; at verò *domicilium*, de cauernis apum μεταφορικῶς *metaphoricè* dicitur.

Idem probat expendendo carmen aliud Maronis.

Tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrum nemus imminet umbrâ. 1. Aeneid.

Hinc propositum redditur manifestum; enimverò *nemus* dicitur atrum pro *tenebricoso*, tenebricosum autem ponitur pro *denso*: densitas verò causa est, cur nemus sit opacum, atque adeo atrum. Sed clarius ex alio Virgilij loco per synecdochen, & metonymiam fieri metalepsin intelliges.

Post aliquot mea regna videns, mirabor aristas. Eccloq. 1.

Vbi per aristas intelligitur annus, hoc tamen modo, nam ex Aristis per synecdochen partis significantur segetes, siue messes, ex messibus per metonymiam subiecti (nam res, quæ in tempore est, temporis subiectum dicitur) designantur æstates, & ex æstatibus per synecdochen intelliguntur anni. Hoc Tropi genus frequentius est apud Poetas, quàm apud Oratores, sed reuerâ usus ipsius nec Oratoribus, nec Poetis consentaneus est, quoniam si nimis longè ducatur, nimisque condensetur, Metalepsis orationi claritatem tantoperè desideratam, adimit.

De Tropis sententiarum, & primò de Allegoria.

Ἀλληγορία, *Allegoria*, græcè, latinè verò *Inuersio. Allegoria autem est sermo aliud verbis, aliud sensu* Allegoria quid.

sensu ostendens, & certè cum sermo per metaphoram continuatur, pluresque translationes in unam sententiam coheunt, illa verè, ac propriè allegoria dicitur, videlicet oratio aliud dicens, aliud significans. Allegoria enim ἄλλο μὲ ἀγορεύει, ἄλλο δ' νοεῖ. *Aliud dicit, aliud verò intelligit.* Hæc censetur præter Metalepsin alia primorum troporum affectio, siquidem huiusmodi affectiones censentur *Metalepsis, Allegoria, Catachresis, Hyperbole,* & *Emphasis;* è quibus Allegoria, ut dicebatur, est continuatio eorum, quæ per Metaphoram, Metonymiam, aut Synecdochen dicuntur. Hoc tamen discrimine, quòd Catachresis Tropi qualitatem, puta duritiem respicit, reliquæ autem nimirum Allegoria Hyperbole, & Emphasis quantitatem respiciunt, quandoquidem tam Allegoria, quàm Metalepsis ex plurium Troporum coniunctione provenit; at verò coniunctio, siue continuatio, ac numerus ad quantitatem attinet; sed Hyperbole, & Emphasis magnitudinem respiciunt, eò quòd utrâque rei excessus exprimitur, at magnitudo rei quantitas est. Non ineptè tamen Allegoria diceretur diuersiloquium. Cæterùm Allegoria, ut notat ex Plutarcho Vossius antiqua vox non est, siquidem, quæ Plutarchi tempore ἀλληγορίαι dicebantur, veteres ὑπονοίας appellarunt: Exemplum Allegoriæ sumi potest ex Tullio, ubi ait. *O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, & inanes nostras cogitationes, quæ in medio spatio sæpè franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt.* Allegorijs sæpe Oratores utuntur, ita Cicero, dicens. *Et quidem cæteras tempestates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putaui Miloni esse subeundas.* Apud Virgilium itidem elegans est allegoria illa, nempe

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt,

hoc est, definite iam plura canere, vel loqui, quia satis audiuimus.

Sic etiam apud Terentium.

Scælesta, quem lupo commisisti.

Et apud Horatium, qui integram ex Odibus unam per allegoriam scripsit, nempe

O nauis referent in mare te noui
Fluctus? ò quid agis? fortiter occupa
Portum &c.

Vbi *nauim* Lyricus, pro *Republica*, & *fluctuum tempestates*, pro *ciuilibus bellis*, *portum* pro *pace* atque *concordia* usurpat.

Allegoria pariter est apud Maronem.

Sed vos immensum spatijs confecimus æquor,
Et iam tempus equum fumantia soluere colla.

Hoc itaque modo Georgicorum libro secundo finem imponit, scilicet eleganti allegoriâ, in qua habetur metaphora desumpta à quadrigis equorum, quibus post longum confectum cursum, præ labore colla fumantia, atque defatigata solvuntur. In hac autem clausula videtur Poeta Callimachum imitatus, qui hymnum ad Palladem non dissimiliter absoluit.

Ἀλλὰ πολὺ πρήτιστον ὑφ' ἅρματι δυσχίλιας ἵππους,
Ἀνσαμένα παγᾶς ἴκλυσεν ἀκτάφ
Sed prius illa iugis fumantia soluit equorum
Colla, lauans alti fluctibus Oceani.

Talis etiam est finis, quem operi de Arte amandi, Ouidius imposuit, dum iubet cycnos, qui sunt Veneris, discedere.

Lusus habet finem, cycnis discedere tempus
Duxerunt collo, qui iuga nostra suo.

Et idem opus de Remedio amoris, modo non absimili, nimirum allegoricè finit.

Hoc opus exegi, fesse date serta carinæ:

Contigimus portum: quò mihi crusus erat.

At verò sagaciores huius artis magistri geminam recognoscendam Allegoriam existimant puram videlicet, & mixtam, quæ proprium ad maiorem claritatem adiungit. Puram esse volunt illam Ciceronis; *Ita fit, inquit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus me deri debeam; tum id facere cogar, cum etiam telum aduersarius nullum iecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit; etsi qua in re, id quod parati sunt facere, venenatum aliquod telum iecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.*

Mixta verò ea est, quam Tullius in exordio Milonianæ orationis usurpat, *Equidem*, inquit, *cæteras tempestates, & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum semper putaui esse Miloni subeundas.* Mixta verò est hæc allegoria, ut Vossius aduertit, quoniam Cicero non *fluctibus*, sed *fluctibus concionum* dicit. Huic persimilem illam, non ineptè affirmat Vossius, dum idem Tullius habet, *Videre se ait consurgentem in Italia nubem illam trucis, & cruenti belli: videre tonantem, ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam.* Eadem foret pura allegoria si simpliciter diceretur *nubes, tempestas, imber:* fit autem mixta cum ait, nubē cruenti belli, victoriæ tempestas, cruoris imbre; Egregia est etiam allegoria permixta cum similitudine, & translatione, *Quod Festum, quem Eurijum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum.*

Plerique recensent Ironiam inter Allegoriæ species; ineptè tamen, quoniam Ironia tropus primarius est, nec species ipsius, nam ut non multo antea dictum fuit, troporum quædam est continuatio; non inficiandum tamen Ironiam allegoricam dari posse, qualem illam Tullij esse volunt. *Publij Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest, luget Senatus, mœret equester ordo; tota Ciuitas confecta senio est; squallent municipia, afflictantur Coloniæ, Agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum ciuem desiderant.* Sic & illa Plauti

Is etiam sese sapere memorat malleum
Sapientiorem, scilicet esse manubrio.

Allegoria, ut proximè dictum fuit, nil aliud, quàm trium troporum, vel eorum continuatio, quæ per metaphoram, Metonymiam, aut Synecdochen dicuntur, proinde nulli dubium quin à Metaphora distinguatur, tanquam contingens à contento; & quamuis per solas translationes fieret, adhuc à translatione, atque adeo à Metaphora differt, quoniam Allegoria pluribus translationibus constat, præsertim verò quia Allegoria omnibus vocabulis utitur translatis, cum tamen Metaphora partim propriis, partim translatis verbis confici possit.

Illud præcipuum in Allegoria censeri solet, nimirum ut semper inhæreat assumptæ metaphoræ, adeo ut quo genere translationis cœperimus, eodem desinamus, ne incipientes ex. gr. à tempestate, in incendio faciamus finem. Cauendum insuper est ab obscuritate ne scilicet Allegoria desinat in Ænygma. Ænygmata siquidem nonnullis nil aliud quam Allegoriæ obscuriores videntur. Et sanè ad hoc tropi genus referri solent Pythagoreorum Symbola, ut *A Fabis abstineto; Quæ sunt uncis unguibus, ne nutrias; Irundinem sub eodem tecto ne habeas* &c.

Allegoria Hyperbole, & Emphasis quantitatem respiciūt.

Allegoria dici potest Diuersiloquium. Lib. 3. de Orator.

In oratione pro Milone.

Pro Milone.

Eccleg. 3.

lib. 1. Ode 14.

2. Georg. in Fine.

De arte Amandi.

In lib. de remedio amoris.

De Periphrasi.

Περίφρασις. *Periphrasis*, græcè, latinè verò *circumlocutio*. Tropus est cum pluribus verbis explicatur, quod uno vel paucioribus exponi potest, ut si dicatur ex: gra: *Romanæ conditor urbis* pro *Romulo*, *Natale solum*, pro *Patria*; cum igitur aut necessitatis, aut honestatis, aut etiam ornatûs gratia pluribus verbis explicatur id, quod uno, vel paucioribus absolui poterat, Periphrasis est tam Oratoribus, quàm Poetis frequentissima, quanuis rariùs ab Oratoribus usurpetur, & quidem semper astrictior, nam quicquid paucis explicari potest, ornatu tamen latiùs ostenditur, Periphrasis est. Ita Cicero ut Cæsarem nominet sic habet. *Hic, cuius in potestate sumus*. Sic etiam cum pro Iuventute *annos meliores*, & pro senectute *malam ætatem*, dicimus Periphrasis est illa apud Plautum

Di faciant, ut id bibatis, quod vos nunquã transeat

Est enim veneni Periphrasis, quæ in illo etiam est Ouidij

Cum lacte coagula passo
Caseum nanque circumscribit

Poetæ frequenter hac verborum circuitione in explicandis proprijs nominibus utuntur, ita Iuvenalis circumscribit Philippum magni Alexandri patrem; dum ait

Biberat quo pallidus emptor Olynthi

Emptorem enim Olynthi appellat Philippum, quoniam huic Olynthum Macedonię ciuitatẽ Lasthenes, & Eutycrates prodiderunt; hos enim pecunia illecebris corruperat, datoque præmio, ab ipsis, Olynthum emerat, qui cum à Philippo proditore se nuncupari frequenter audissent, vitam laqueo finierunt.

Catonis etiam Vticensis Periphrasis, ut apud eundem.

Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus usquam.

Lyricus circuitione utitur, ad significandum Homerum

Troiani belli scriptorem maximè Lolli
Dum tu declamas Romæ, præneste relegi.

Hanc verborum circuitionem usurpat etiam Virgilius, ad significandum Æneam

Arma virumque cano Troiæ, qui primus ab oris.
Italiam, fato profugus, lauinaque venit &c.

Hoc idem ab Homero factum, apertè constat, ut Vlyssem significaret.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπὲὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε. κ) λ.
Virum dic mihi musa versutum, qui valdè multùm
Errauit, postquam Troiæ sacram urbem euertit &c.

Sic etiam Propertium circumloquitur Ouidius

Vel tua, cuius opes Cynthia sola fuit.

Circumloquitur autem Propertium, quia hic solum de Cynthia canere voluit.

Rectè autem nonnulli Periphrasin è troporum numero reijciendam voluerunt, eoquòd, possit, proprijs constare verbis; at verò tropi naturæ hoc planè aduersatur; Sed periphrasim dari proprijs verbis constantem, tam certum, est quàm quod certissimum; si nanque pro Cicerone dixeris. *Eloquentissimus Romanorum*, & pro Varone; *Romanorum Doctissimus*, proculdubio circumscripseris utrunque, omni tamen verborum proprietate retenta; in his igitur nullus est tropus, quemadmodum nec etiam, cum Virgilius ait

quo sæpè solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus

ubi *ouium teneri fœtus* est agnorum Periphrasis, cum nulla tamen intercedat impropriorum verborum usurpatio.

Ingenuè tamen fatendum quamplurima esse, quæ σχηματικῶς dicta videntur, cum tamen μετωνυμικῶς dicta sint. Ita quidem apud Lyricum legimus. Quid hac de re dicendum.

Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli

Horat. lib. 2. Sat. 1.

Ponuntur enim *virtus Scipiadæ*, & *sapientia Læli*, pro *Scipione*, & *Lælio*, quod ad μετωνυμίαν adiuncti petinere videtur, ad quam spectat etiam illud

Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oeteis grandia prima iugis.

Propertius lib. 1. eleg. 13.

Vbi *amor Herculis* pro Hercule amante ponitur, quod vel ad μετωνυμίαν vel ad Συνεκδοχὴν pertinet; enim verò, quod supra quoque tetigimus, forma accidentaria relata ad subiectum, dici debet adiunctum; sed relata ad totum, gemino modo spectari potest, vel ut pars constituens; vel ut causa formalis constituens totum tanquam effectum; relata ad subiectum, cum habeat rationem adiuncti, ad Metonymiam adiuncti pertinet; sed relata ad totum ut pars, ad Synecdochen spectat, relata demum ad totum tanquam causa formalis ad effectum, dici potest ad Metonymiam causæ formalis pertinere. Cum itaque dicitur βὶη Πριάμοιο νἱὸς *Priami* non Periphrasis est, ut Grammatici putant, sed Metonymia, vel adiuncti, vel causæ formalis, vel demum Synecdoche, iuxta varia mea consideration em, ut proximè fuit explicatum. Non dissimiliter si dicatur τὸ Τηλεμάχοιο, *robur Telemachi*, ad unum vel alterum ex prædictis tropis pertinet.

Illud addendum, quòd si sumatur, ut Sinecdoche & pro Metonymia causæ, redditur sensus *vis seu robur Priami robusti*. Item *vis seu robur Thelemachi robusti*. At si sumatur tanquam Metonymia adiuncti, sensus erit, *vis seu robur Priami*. Item *vis seu robur Thelemachi*. Adnotatio

De Hyperbato.

Ὑπέρβατὸν *Hyperbaton*, verborum & constructionis ordo turbatus est, ut ait Gazza. *Est itaq; Hyperbaton transgressio, quę verborum ordinem perturbat*. Hic autem tropus gemino modo contingit *peruersione* videlicet, ac *transiectione*. Peruersione, fit ordine Grammaticæ neglecto, præponendo, vel nectendo verba alijs vocibus interiectis; ut *Mecum*, pro *cum me*; & *qua de re*, pro *de qua re*, sic apud Virgilium *Maria omnia circum* pro *circum omnia Maria*. Transiectiones, ut *Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes*. Prior modus magna ex parte oratoribus conuenit, secundus etiam accommodatus est, nisi diuisione, transgressioneque fiat, ut L b. 4. 1. Aeneid. Pro Cluẽt. 3. Georg.

Hyperboreo septem subiecta trioni.

De Hyperbole.

Antiquis dicendi magistris Ὑπερβολὴ Hyperbole erat *exuperatio*. Tullio autem est *superlatio*, à Fabio *superiectio* nuncupatur. Alij tandem *excessum*, quemadmodum ἔλλειψιν *defectum*, vertere caperunt. Hyperbole tamen rectè dicetur tropus, qui aliquid, quod nullo modo fieri possit, augendæ rei gratia, aut minuendæ dicit. Hyperbole tam Oratores, quàm Poetæ, hi tamen præcipuè, utuntur. Tullius hunc tropum usurpat, dicens. *Quæ Charybdis tam vorax? Carybdim dico, quæ si fuit, fuit animal unum: oceanus medius fidius vix videtur, tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse*. Virgilius autem hyperbolen usurpat, dum ait

Ge-

1. Aeneid. *Geminique minantur,*
In Cælum scopuli.

Duplex tamen est hyperbole, una quidem αὐξητικὴ *augens*, altera μειωτικὴ *minuens*. Hyperbole itaque comprehendit excessum, tam scilicet, qui tendit ad exuperantiam, qui propriè dicitur hyperbole, quàm, qui vergit ad defectum, dicique solet ὑπερβολισμὸς, cum utroque modo excedatur medium. Hyperbole iuxta priorem usurpationem, est utraque superiùs tam ex Tullio, quàm ex Virgilio commemorata; quibus addi potest illa eiusdem Poetæ. *Credas innare revulsas, Cycladas.* Sed hyperbole per defectum erit, quæ apud eundem habetur. *Vix ossibus hæret*; Erant enim naues magnitudinis immensæ, non tamen singulæ insulis poterant æqui parari.

1. Æneid.

2. Aneid.

Cui non absimilis altera.

Iuvenalis Sat. 6. *post minor est &c. breuiorque videtur*
Virgine Pygmæâ, nullis adiuta cothurnis.

Loquitur enim de virgine exigua, quæ ob rutulum, siue comæ fugestum à fronte Andromachen refert; id autem omnem superat fidem, puta virginem commemoratam breuiorem semper Pigmeis, quorum statura cubitum non excedit, visam fuisse, nisi quando breuem staturam iuvaret induendo altis è subere calceamentis suram ambientibus, quibus in Tragœdijs utebantur, ut personæ heroum, quas inducebant, grandiores apparerent, adeo ut personarum maiestas, & proceritas, huiusmodi calceamentis adiuvaretur.

Quibus autem Hyporbolæ conueniant, satis est exploratum, enimverò nemo est, cui probè non constet hyperbolas iuvenibus magis, quàm senibus conuenire, quoniam iuvenibus non est modus in rebus, quin semper iuvenilis ætas modum excedit, quod optimè nouerat Stagirites, ut propterea dicere consueuisset, εἰσὶ δ' ὑπερβολαὶ μᾶρακικῶδεις· σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν. *Sunt autem iuveniles; nam vehementiam indicant.* Est autem vehementia iuvenum propria; idcirco Hyperbole ijs quoque congruunt, quibus animus commotus est, quod Achillis exemplo Philosophus declarauit. Is enim Agamemnoni iratus oblata munera respuens, negauit ab eo suum animum placari posse, si vel donentur quæcunque arenâ maris, terræque occultantur, atque etiam cum pollicerentur Oratores Agamemnonem Regem Filiam ei daturum coniugem, negauit se eam ducturum, quanuis vel formâ, cum Venere, & industriâ, atque artibus cum Pallade certaret.

Lib. 3. Rhet cap. 11. alias 30.

Reprehendit autem Atticos oratores, quòd in superlationibus, hoc est in hyperbolis nimis iuveniliter exultarent, cum ea res gravitatem non habeat, nisi quando causa ipsa postulare videtur; quamobrem nec senem hominem hyperbolis uti decet, propterea quòd sedatum, atque tranquillum ab omni perturbatione senex animum habere debet; at hyperbole vehementem animi motum indicat, quod tamen Tullio minimè placuisse credendum, cum is non modo iuvenis, sed etiam senex hyperbolis usus sit; eâ forsan ratione ductus, quoniam tota vis Oratoris in augendo minuendoq; consistit, & hyperbole ad utrunque maximè accommodata est. Sed forsan Aristoteles docere tantum voluit hyperbolen frequentiùs à iuvene, quàm à sene posse usurpari. Neque perturbet, quòd in hyperbole veritatis limites excedamus, eiusque usus propterea minus Oratorem deceat, nam Hyperbole ad verum mendacio venit, non enim adhibetur, ut credatur, quod dicitur, sed ut excessus aliquis animo conceptus, suadeat id, quod intenditur, si nanque tantum est quod credi non possit, saltem prope est quod credi possit.

In hyperbolis tamen est modus adhibendus, si nanque fuerint admodum excedentes adeo, ut ijs tumida nimirum reddatur oratio, præmuniendæ sunt hisce particulis *instar, ferè, prope*, atque similibus, ut fecit Cicero de suo reditu glorioso disputans, ait enim, *Vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, quo in patriam veni, cum Senatum egressum vidi, Populumque universum cum mihi ipsa Roma prope sedibus convulsa, ad contemplandum conseruatorem suum procedere visa est, quem ita accepit, ut etiam mœnia ipsa viderentur, ac tecta Vrbis, ac Templa lætari.* Emoliuntur etiam hyperbolæ per correctionem, quando nimirum quispiam audaciori hyperbole usus, seipsum quodammodo reprehendens, addit aliquid tantam audaciam minuens.

Non prætereundum quod Aristoteles docuit, videlicet imagines, siue comparationes, & superlationes, siue hyperbolas genere dicendi tantum inter se differre, atque adeò facillimum esse, ex immaginibus superlationes fieri.

3. Rhet. cap. alias

SECTIO TERTIA.

De Schematibus, siue Figuris.

Schematis vox multifariam accipitur, multiplici tamen eius neglectâ significatione, dumtaxat in præsentia ipsam usurpabimus prout à Rhetoribus accipi solet. Quanuis autem apud Rhetores schematum, seu figurarum nomine tropi quoque comprehendi soleant; maximè tamen differunt, propterea quòd, ut suo loco monuimus, Tropus est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio, siquidem Tropus modum quoque significat; sed Figura etsi aliquam immutationem orationis requirat, non tamen illam, quæ verbi sermonisque proprietatem omninò recusat, cum schema, siue figura, tam proprijs, quàm improprijs vocibus fieri possit.

Schemata non eadem est apud omnes definitio. Quibusdam enim *Schema dicitur quædam arte nouata, tum dicendi, tum scribendi ratio*; Alijs *est elocutio, qua orationis habitus à recta, simplicique consuetudine mutatur*. Eo tamen nomine utraque definitio peccat, quòd contra benè definiendi leges, tropo, atque adeo alteri à definito conuenit; qui nanque utitur allegoriâ, proculdubio à communi loquendi, scribendique forma recedit, & nihilominus Allegoria inter figuras recenseri non debet. Speciatim autem aduersus secundam schematis definitionem illud facit, quòd schema ineptè dicitur elocutio, quasi hæc generis loco haberi debeat, cum schema sit potius elocutionis affectio, proindeque non possit elocutio tanquam genus in definitione schematis usurpari.

Alexander Rhetor videtur schematis definitionem non ineptè tradidisse dicendo. Σχῆμα λέξεως ἀλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον καὶ λέξιν, ἢ καὶ διάνοιαν, ἄνευ τρόπου. *Figura est immutatio orationis in melius, ratione verborum, aut sententiæ absque tropo.* Cuius definitionis intellectus est, ut schema, siue figura sit orationis immutatio in ornatiorem dicendi formam, siue intercedat vocum modificatio, siue non. Quod enim essentiale tropo, nempe verbum, siue sermonem à propria significatione ad aliam cum virtute mutari, figuræ accidentarium est, propterea quòd modificatis verbis figurari etiam oratio potest, quanuis citra huiusmodi modificationem idem possit obtineri. Ex quo facilè intelliges, quid differat

sat inter tropum, & figuram, tropo siquidem semper inuertitur significatio: Figura verò siue permanente, siue mutatâ significatione; tam enim translatis, quàm proprijs oratio figuratur, & alio habitu vestit orationem. Non omittendum, quod in re proposita plurimum habet momenti, nimirum plerunque contingere, ut Figuræ ac Tropi inter se misceantur, adeo ut Figura non sit sine Tropo.

Cæterum figuratæ elocutionis auctor fertur Isæus extitisse, & ab eo vim suam, tanquam à fonte Demosthenes hausisse. Sed hoc difficile est creditu, cum etiam rudes homines, & vulgares figurato sermone utantur; immò si hoc non esset, nec oratoribus eo uti liceret; solum igitur id admittendum, ut Isæus in vulgari sermone certas loquendi formas, quas schemata nuncupamus, cæperit aduertere easque frequentauerit, ubi imperiti rudesque simplici sermone uti solent.

Figurarum aliæ ad materiam, seu corpus orationis pertinent: aliæ ad formam, & velut animam, hoc est ad sententiam, ut cum Vossio loquar. Illæ dici consueuerunt, σχήματα λέξεως *schemata seu figuræ dictionis*; hæ verò διανοίας *sententiæ*. Cum enim omnis Oratio, Fabio teste, constet aut ex his, quæ significantur, aut ex his quæ significant; idcirco duplex figurarum genus dari necesse est, utrunque tamen Orationem exornat, ut nos Tullius admonet; *Erant*, inquit, *& verborum, & sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci* Σχήματα, *quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio*. Et alibi, Σχήματα *enim*, inquit, *quæ vocant Græci, ea maximè ornant orationem, eaque non tam in verbis pingendis habet pondus, quàm illuminandis sententijs*.

Id porrò differt inter Schemata verborum, & sententiæ, quòd illa pereant verborum ordine variato, aut voce quapiam eiusdem significationis subrogatâ: at hæc nullâ verborum immutatione extingui possint; Hoc eleganter expressit Tullius dicens. *Sed inter conformationem verborum, & sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris: sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis.* Itaque dictionis figura differt à figura sententiæ, quòd quæ dictionis est, si voces loco dimoueantur, reseruato schemate, pereat: at in ea, quæ est sententiæ, licet locum vocabula mutent, licet alia vocabula adferas, res eadem manet, ut Alexander Rhetor dicere solebat. De utroque igitur schematum genere nobis in præsentia differendum, nimirum de Figuris verborum, & sententiarum, & prius quidem de illis, posteriùs autem de istis sermonem instituemus. Quoniam autem verborum figuræ in *Additione*, *Detractione*, & *Similitudine* dictionum consistunt; ob id usus obtinuit, ut à dicendi Magistris in tres classes distribuerentur, in hoc enim conueniunt, quanuis in earum numero plurimum inter se discrepent.

Quid differat inter schemata verborum & sententiarum. M. Tul. in

PRIMA CLASSIS SCHEMATVM SEV FIGVRARVM,
Quæ Verborum per additionem dicuntur.

1 Ἀναφορά.	*Anaphora.*	*Repetitio.*
2 Ἀντιστροφή.	*Antistrophe.*	*Conuersio.*
3 Συμπλοκή.	*Simploce.*	*Complexio.*
4 Ἀναδίπλωσις.	*Anadiplosis.*	*Reduplicatio.*
5 Πολυσύνδετον.	*Polysyntheton.*	*Multicopula.*
6 Πολύπτωτον.	*Polyptoton.*	*Traductio.*
7 Κλίμαξ.	*Climax.*	*Gradatio.*
8 Συνωνυμία.	*Synonymia.*	*Eadem significatio.*

SECVNDA CLASSIS SCHEMATVM,
Seu Figurarum, quæ Verborum per detractionem dicuntur.

1 Ἀποσιώπησις.	*Aposiopesis.*	*Reticentia.*
2 Ἀσύνδετον.	*Asyndeton.*	*Dissolutio.*
3 Ζεῦγμα.	*Zeugma.*	*Adiunctio.*

TERTIA CLASSIS SCHEMATVM,
Seu figurarum, quæ verborum per similitudinem dicuntur.

1 Παρανομασία.	*Paranomasia.*	*Agnominatio.*
2 Ὁμοιόπτωτον.	*Homœoptoton.*	*Similiter cadens.*
3 Ὁμοιοτέλευτον.	*Homœoteleuton.*	*Similiter desinens.*
4 Ἰσόκωλον.	*Isocolon.*	*Compar.*
5 Ἀντίθεσις.	*Antithesis.*	*Contrapositio.*

Sequuntur explicanda schemata, siue figuræ verborum per additionem, cuiusmodi sunt quæ vocem eandem varijs modis repetunt. Ex his porrò initio occurrit Anaphora.

De Anaphora.

Ἀναφορὰ *Anaphora* græcè, latinè autem *Relatio*, sed auctori ad Herennium est *Repetitio*, alijs autem ἐπαναφορά, & alijs ἐπιβολή & alijs, alia sunt huius figuræ nomina. Tullio autem est *eiusdem verbi crebra à primo repetitio*. Itaque huiusmodi figura est repetitio, cum ab eodem verbo ducitur sæpius oratio. Talis est illa, quam Tullius adhibet, dum ait, *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam, planèque sentiam*. Talis etiam est illa apud Sillium

Oratione 1. in Catilinam.

Mantua mittendâ certauit pube Cremonæ
Mantua Musarum domus, atque ad sydera cantu
Euecta Andino, & smyrnæis æmula plectris. Lib. 8.

Fit autem repetitio non solùm bis, sed etiam amplius ut

Te dulcis coniux, Te solo in littore secum
Te veniente die, Te decedente canebat,

Et non solùm uniusverbi, sed plurium. Qualis est illa apud Tullium. *Quid enim est tam populare, quàm pax? quâ non modo ij, quibus,* &c. Et clarior illa est, quam idem usurpat, dicens

In oratione contra Rullum. Tullius pro Qu.

Ad vadimonium non venit, quis? propinquus? Si res ista grauissima sua sponte videretur, &c.

Virgilius etiam hâc utitur figurâ modo non absimili

Virg. Ecl. 5.

Pan etiam Arcadia mecum si Iudice certet
Pan etiam Arcadia dicat se Iudice victum

Hoc autem schema venustatis plurimùm affert, si cum interrogatione fiat, ut *Vbi generis dignitas, ubi splendor virtutis, ubi amicorum copia, ubi diuitiarum affluentia* &c. Plurimum quoq; roboris habet adiunctum, si acriter, & instanter efferatur, sic illa superior apud Tullium

Nihil agis, nihil moliris, &c.

& apud Maronem.

Virgil. 2. Aeneid.

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere Diuum.

Et apud eundem

Virgilius 2. Æneid.

Sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa:
Sanguine quærendi reditus.

Fieri etiam solet alternatim vocibus repetitis. Hoc enim pacto vim non vulgarem adipiscitur. Fit etiam non inuenustè voce prout opus est immutatâ.

Demost. Philip. 2.

Vocis immutatione figuram hanc apud Demosthenem licet obseruare. Ταύτῃσι φυλάττετε, ταύτῃσι ἔντι χρᾶσθε. ἐν ταύτῃσι σώζητε. ἐὰν δ' ἄλλον μὴ πάθητε. *Hanc custodite, huic adhærete, si hanc conseruabitis, extra omne eritis periculum.* Sic etiam Tullius. *Nullæ contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus, nulla expectatio suffragiorum.*

De Antistrophe.

Antistrophe quid.

Ἀντιστροφή. *Antistrophe* græcè, at latinè *Conuersio*, ut Hermogenes interpretatur. Hæc igitur figura conuersio est, atque adeo species superiori contraria, cum scilicet pura eodem verbo claudimus, & ad eamdem vocem crebro reuertimur; talis est apud Tullium. *Doletis tres exercitus P. Romani interfectos? Interfecit Antonius: desideratis clarissimos ciues? eos quoque arripuit vobis Antonius. Auctoribus huius ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.* Sic apud Maronem

Eclog.

Surgamus: solet esse grauis cantantibus Vmbra
Iuniperi grauis Vmbra: nocent & frugibus Vmbræ.

Hæc plurimum acrimoniæ affert orationi; adeo ut præstet aliquando grauiter, & instanter illam efferre.

De Symploce.

Symploce quid.

Συμπλοκή. *Symploce* græcè, latinè verò *Complexio. Figura est, quæ superiores duas complectitur & eamdem vocem tam in principio, quàm in fine frequenter usurpat;* Huiusmodi est illa. *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem P. Romani suffragijs priuauit Rullus, quis comitijs est præfectus, ideam Rullus.*

De Anadiplosi.

Anadiplosis quid.

Ἀναδίπλωσις. *Anadiplose* græcè, latinè, *Conduplicatio*, Hermogini, verò ἐπαναστροφή, hæc est figura, *per quam iteratur eadem vox in fine carminis, aut clausulæ præcedentis.* Talis est figura, qua utitur Tullius in Catilinam: *Hic tamen viuit, viuit? immo etiam in senatum venit.*

Multifariam hæc figura contingit, prout variis modis repetitio fieri potest; aut enim idem verbum iteratum additur, aut idem ad extremum refertur, aut continenter, non in eadem sententia ponitur; aut post aliquam interiectionem fit repetitio, &c. Quorum exempla tam apud Oratores, quàm apud Poetas plurima extant, nam præter superius allatum ex Tullio, alterum ex eodem afferri potest, dum ait. *Erit tamen tibi fortasse de nobis aliquid; aliquid & de C. Mario audiendum.* Cui similis extat apud Maronem

M. Tull. pro Plancio.

Addit se sociam, timidisque superuenit Aeglæ,
Aeglæ Naiadum pulcherrima.

Virg. Ecl. 6.

Et apud eundem

Certent & Cygnis ululæ sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis.

Ecl. 8.

Vulgata satis est etiam & illa Anadiplosis

Pyerides, vos hæc facietis maxima Gallo.
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

Ecl. 10.

Refertur autem repetitum verbum ad extremum, ut fit à Tullio. *Multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi.* Non in eadem sententia hoc modo *ut Principum dignitas erat pænè par, non par fortasse eorum, qui sequebantur.* Vel etiam paucis interiectis fit verborum repetitio, & idcirco eadem, de qua loquimur figura. *Bona miserum me (consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæreat dolor) Bona, inquam C. Pompei acerbissimæ vocis subiecta præconijs.* Integræ quoque sententiæ fit repetitio. *Quid Cleomenes facere potuit? Non enim possum quemquam insimulare falso. Quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?* Huc pertinet illud Homeri

In Ver.

Pro Leg. Manil.

Philip. 2.

In Verr.

Τὸ δ' ἐγὼ ἐναντίον εἶμι, εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν.
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' ἀΐδηλον σιδήρῳ.

Homer. Iliad. 11.

Huic ego contrarius vado, etsi ignis manibus similis esset, si igni manibus similis esset, robore autem ardenti ferro.

Censetur adhuc hæc eadem figura quamuis fiat quædam exigua vocis mutatio, ut in illo exemplo. *Quæ potest maior esse discordia? In discordia autem pax ciuilis esse non potest;* ubi mutatio fit per casum; sic etiam & illa. *Iniuriam nouo scelere conflatam putant oportere defendi. Defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent.* Vbi variatio est in temporis modo.

Philip. 2.

De Polysyndeto.

Polysyndeton quid.

Πολυσύνδετον *Polysyndeton* græcè, latinè, *Multicopula*, figura enim est, cum multæ simul conjunctiones ponuntur, ut Rutilius Lupus dicebat; hæc autem plurium coniunctionum abundantia ad sententiæ maiorem expressionem fit. Hæc figura ut orationem, ita rem ipsam amplificat, facit enim, ut cum idem, aut penè idem dicas, plura tamen, atque diuersa dicere videaris. Illud commodi hæc figura itidem affert, ut per ipsam, ea, quæ diuersa dicuntur, retardato sermonis cursu, longè magis animum afficiant. Hac est usus figura Tullius dicens: *Asia verò tam optima est, & fertilis, ut & Vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Huc pertinet illud Pauli: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & Blasphemia tollatur à vobis:* & Virgilius

Pro Leg. Manil.

Tectumque laremque
Armaque Amiclæumque canem, Cressamque pharetram,

3. Geo.

De

De Polyptoto.

Πολύπτωτον. *Polyptoton* græcè, latinè verò *casuum multiplicatio*, Sed Cornificio *traductio*, figura est, qua eadem vox variatis casibus repetitur; facit autem, ut cum idem verbum crebriùs usurpetur, non modo non offendat animum, quin potius concinniorem orationem reddat. Casus autem in præsentia non grammaticè, sed logicè debet intelligi, prout immutationem terminationis rationes numeri graduum, comparationis, generis, modi, temporis, aut personæ comprehendit, verbo dicam, per casum intelligitur, quiuis exitus, quo verbum desinit, voxque repetitur eadem diuerso casu, aut genere, aut numero. Multifariam hæc figura contingit, propterea quòd, modò nunc disiuncta est repetitio, modo coniuncta; præterea modò unius est verbi, modò autem diuersorum. Varia quoque est prout semel aliquid repetitur, vel sæpius.

Simplex, & unius verbi repetitio sit continua tamen si dicatur *Vero verius*; *Certo certius*, &c. At verò potest etiam simplex esse, quatenus unius fit verbi repetitio, sed cum disiunctione hoc modo, *Vix tota vita sufficit, ut hoc unum discas, vitam contemnere.*

Sæpius eadem vox partim coniunctim, partim disiunctim repetitur, ut

De nihilo nihilum, in nihilum, nil posse reuerti

Disiunctim autem repetitio fiet eiusdem vocis variatis aliquo modo casibus si dicatur. *Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. At erat inimicus; ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipsi tibi reperiretur inimicus.* Sic apud eundem: *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.* Eadem figura est. *Eius me miseret, Ei nunc timeo, Is nunc me retinet.*

Continua repetitio diuersarum vocum est apud Ouidium

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi;
Congestaque auidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem, animantis viuere leto!

Vt autem tergeminam vocum diuersitatem ostenderet Vossius, superius exemplum attulit, cui ad quadruplicem declarandam adiungit illud Homeri.

Οὐχὶ ἐπ' Οὐχὶ γηράσκει μῆλον ἐπὶ μήλῳ
Ἀὐτὰρ ἐπὶ σαφυλῇ, σαφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Pyrum sub pyro matureſcit, pomũ verò sub pomo:
Sed sub uva, uva, ac ficus sub ficu.

Versionem hanc retinendam puto, non autem vulgarem, quâ dicitur Pyrum post pyrum &c. non enim hæc versio Homeri consilium exprimit; siquidem is significare volebat, nouos fructus, antiquis superuenire, & matureſcere illis adhuc arbori adhærentibus. Præclarè figura hæc disiunctim pluribus vocibus iteratis elucet in memorabili dicto Scipionis. Nunquam se minus otiosum esse, quàm cùm otiosus: nec minùs solum, quàm cùm solus esset; quod is frequenter usurpabat ad significandum se & in otio de negotijs cogitare, & in solitudine, secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret, ut loquitur Tullius. Alia autem exempla huius figuræ extant, & simplicis & geminatæ, & tergeminæ.

De Climace.

Κλίμαξ *Climax*, græcè, latinè *Gradatio*. *Figura est, qua ab uno ad aliud, quasi quibusdam gradibus fit transitus*; eâ tamen lege, ut verbum prioris verbi sit posterioris initium, hæc enim figura eodem verbo inferiora connectit superioribus. Definiri quoque solet, ἐπαναφορὰ πλειονάζουσα. Hermogenes hanc appellabat κλιμακωτὸν, alij ἐπιπλοκὴν, & ἐπικοδόμησιν. M. Tullius *Gradationem* vocat, alij autem *Ascensum*. Gradatio est illa apud M. Tullium. *In urbe luxuries creatur; ex luxurie existat auaritia necesse est; ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera, ac maleficia gignuntur.* Quandoque gradatio cum interrogatione effertur, ut *Quid enim, per Deos immortales, potest Reip. prodesse nostra legatio? Prodesse dico, quid si etiam obstuara est? Obstura dico? quid si etiam nocuit.* Hoc autem modo plurimum grauitatis gradatio acquirit, cum alioquin non admodum grauis habeatur. Ad grauitatem porro consequendam per hanc figuram, oportet, ut ait Demetrius, seruare gradus, nam his fractis, omnis figuræ vis peribit; puta si quispiam non repetitis ijs, quæ iam dicta sunt, & quæ sequuntur tantum ediderit, simplex, & insulsa erit narratio. Ex quo facilè intelliges immeritò quosdam huic schemati omnem grauitatem denegasse, quasi in re magni momenti non liceat illam usurpare; propterea Demosthenes huiusmodi schemate in re seria usus fuit, ut idem Demetrius aduertit; Demosthenis verba sunt. Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ· οὐδ' ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ· οὐδ' ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους. *Non dixi quidem hæc, non sumpsi autem: neque scripsi quidem, non obii autem legationem: neque legationem quidem obii, non persuasi autem Thebanis.*

Oratione pro Roscio Amerino. Philip. 12. Demetr. Phalereus

Obseruandum tamen haud necessarium esse ad hanc figuram iterum, ac tertiò repetitionem fieri, cum simplex ei repetitio sufficiat, ut videre licet apud Tullium, ubi habet: *Famam ingenij expectatio hominis, & expectationem ipsius aduentus admiratio que superaret.* Nec huic dissimilis est altera apud Maronem

Oratione pro Archia Poeta.

Atronium Salius, Saliumque Neacles.

Ob id insulsè plerique crediderunt figuram hanc, de qua fit sermo, pluribus gradibus continuatam esse. Immo nec est opus gradationem fieri mutato casu in sequenti membro, cum sæpè eodem in casu fiat idque nunc recto, nunc autem obliquo; exemplum Vossius affert ex Ausonio ad probandum figuram hanc fieri per repetitum casum rectum.

Res hominũ Fragiles agit, & regit & perimit fors.
Fors dubia, æternumque labens, quam blanda fouet spes.
Spes nullo finita æuo &c.

Sed per casum repetitum obliquum fieri multis exemplis ostendi potest, è quibus illud celebre est. *Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maiestatis: neque maiestatis magis, quàm Plautiæ legis: neque legis Plautiæ magis, quàm ambitus: neque ambitus magis quam omnium legum iudicia perierunt,* Simile huic, illud pro Milone, mox afferendum. Fit etiam variatis casibus, hoc est, mutato casu in sequenti membro. *Aphricano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.* Huc pertinet illud. Τὸ λεπτομερέστερον ἀὴρ, ἀέρος δὲ ψυχὴ· ψυχῆς δὲ νοῦς, νοῦ δὲ θεός. *Materia subtilior aer; aere anima, animâ mens, mente verò Deus.* Illud etiam est animaduersione dignum, quòd hæc figura longè verius notatur græco nomine Κλίμαξ, quàm latino, quia non semper fieri debet ad maiora, cum neri possit tam ascendendo, quàm descendendo, quod græco nomine significatur, hoc enim sibi vult Κλίμαξ, ut notum est; sed etiam descendendo fieri, constat ex

Oratione in Vatinium.

Oratio in Vatinium

Tullio. *Si debuisset Sexte petisses statim, si non statim, paulò quidem post, si non paulo, at aliquando sex quidem illis mensibus profectò.* At splendidè constat his gradibus utentem descendere. Figura igitur in Ciceronis exemplo cernitur solùm in repetitione vocum; quanuis nullum fiat sententiarum incrementum, cuiusmodi foret si diceretur cum Tullio, ut nu-

Oratione pro Milone. per innuimus. *Neque verò se populo solùm, sed etiam senatui tradidit: neque senatui modo sed etiam publicis præsidijs, & armis: neque his tantum, verum etiam eius potestati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubem cuncta populi Romani arma commiserat.* Et alia penè innumera exempla extant, quibus quod diximus, apertè redditur confirmatum. Rectè autem

Fabius lib. 9. cap. 3. de hoc schemate loquens Fabius ait. *Gradatio, quæ dicitur Κλῖμαξ, apertiorem habet artem; & magis affectatam, ideoque esse rarior debet;* Eius igitur usus frequens minimè sit.

De Synonimia.

Synonymia quid. Fabius lib. 8. cap. 3. Συνωνυμία *Synonimia* græcè, latinè *eadem significatio* seu *communio nominis*; contingit autem Fabio teste *cum plura idem significant*; fit igitur hæc figura cum plura iunguntur nomina idem, vel penè idem significantia. Sunt tamen qui putant, nomina, quæ vulgò *synonyma* dicuntur, rectiùs dici *polyonyma*, eo quòd sint plura nomina unius rei; sed non recedendum ab inueterata consuetudine; quandoquidem vel coniunguntur res plures cum eodem nomine, vel plura nomina cum eadem re. Hæc figura, ritè tamen usurpata, grauitatem & acrimoniam addit orationi, cuius usus in fuso dicendi genere Tullio quammaximè familiaris est; & meritò, nam huius figuræ præsidio, ut ille dicebat, oratio modò velut ingens fluvius affluentium undarum accessione voluitur; modò incisis velut iaculis armata vibratur. Ratione itaque illius coniunctionis quâ plura nomina cum re iunguntur, eadem synonima dici possunt nomina, quæ idem vel penè idem significant. Synonymia est apud Tullium, *Abijt, excessit, erupit, euasit:* Et apud eundem. *An verò vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures, nequè in hoc peruagato sermone versantur.* Elegantissimè

Cicero. Oratione pro L. Murena. idem Cicero hac utitur figura dum summa verborum affluentia hunc loquitur in modum. *Quæ deprecatus sum à Dijs immortalibus, Iudices, more institutoque maiorum illo die, quo auspicato comitijs centuriatis L. Murænam consulem renunciaui, ut ea res mihi, Magistratuique meo, Populo, Plebique Romanæ benè, atque feliciter eueniret; eadem precor ab ijsdem Dijs immortalibus ob eiusdem hominis consulatum una cum salute obtinendum; & ut vestræ mentes, atque sententiæ, cum P. Romani Voluntate suffragijsque consentiant; eaque res vobis, Populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.* Quanta sit huius Periodi grauitas nemo non videt, cum tamen ea non aliunde, quàm à Synonimia multiplici proueniat. Armata iaculis Oratio est apud eundem. *O tenebræ, ò lutum, ò sordes! Et ego te non vecordem, non furiosum, non mentecaptum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem?*

Poetis etiam hæc figura valde familiaris est, ita quidem Virgilius

Quadrifidasque sudes, & acuto robore vallos

Virgil. 1. Georgic. Synonymia est in vocibus *Sudæ*, & *Vallos*, siquidem *Valli*, & *Sudes* idem sunt.

Dum autem orationes idem significantes nectuntur, censetur fieri Ἐξεργασία; hoc est elaboratio absolutio, siue expolitio, in cuius declarationem afferunt illud Ciceronis, *Veterem consuetudinem Fori & pristinum morem iudiciorum minimè vident.* Immo & illud Maronis.

Quem si fata virum seruant, si vescitur aurâ
Ætheriâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris

In exemplo Tullij synonymia apparet, ex eo quia vetus consuetudo, & pristinus dicendi mos idem planè significant; sic in exemplo Maronis, nam non dicit aliud, quàm si Æneas viuit, affectus tamen erga Regem suum cogit hoc ipsum alijs, ac alijs verbis repetere.

Ad eandem Ἐξεργασίαν pertinet Ἐπιμονὴ ut ipsi loquuntur, quam affirmant contingere, cùm idem ad auditorem diutius detinendum diuersis modis exprimitur, adeo ut in eadem commoremur sententia, ita tamen, ut aliud atque aliud nos dicere videamur, quod exemplo illustrant desumpto ex Ouidio

Nata iaces, videoque meum, tua vulnera pectus.
Et ne perdiderint quemquam sine cæde meorum.
Tu quoque vulnus habes, at te quia fœmina rebar,
Afferro tutam cecidisti, & fœmina ferro:

Et non multo post.

Postque tot amissos tu nunc, quæ sola leuabas,
Maternos luctus, hostilia busta piasti &c.

Quòd si vel immodicè, vel nulla urgente necessitate utamur συνωνυμίᾳ, aut Ἐξεργασίᾳ dicitur, ut ait Vossius, Βαπτολογία: Sed hæc curiosiùs quàm oporteat, considerantur, oratoris enim imprudentiam potius respiciunt.

Non verba modo, sed etiam sententiæ acceruantur eædem, at non propterea figuræ multiplicandæ, sed omnes ad συνωνυμίαν, pertinent, hoc tamen discrimine, quòd sit χῆμα λέξεως, cùm eadem usurpatur dictio, quod Ταυτότητα & fit χῆμα διανοίας, cum eadem repetitur διάνοια hoc est *sententia.*

De Figuris Verborum per Detractionem.

Verborum figuræ detractionem quæ. VErborum figuræ per detractionem sunt, quæ vocem aliquam communiter exprimendam detrahunt, breuitatis, vel dignitatis gratia.

De Aposiopesi.

Aposiopesis quid. Ἀποσιώπησις *Apesiopesis*, græcè, latinè, *Reticentia* seu præcisio. Vox est è castris in Rhetorum Scholas deriuata, enimverò qui in prælijs occubuissent, neque in recitatione Cathalogi numerarentur hi secundum Aposiopesin nominati iudicabantur; & vicissim prælio credebantur interfuisse, quorum nomina ductor ordinum retulerat in numeros, tametsi eorum mentio nulla facta esset. Huius vocis interpretatio est ex Tullio initio allata, quanuis aliæ alijs placeant; adeout obticentia, præcisio, interruptio dici soleat, huius figuræ non eadem definitio apud omnes; difficultas in eo est, quòd si dicatur sermonis præcisio, non videtur ab eclipsi differre, sunt qui putant hoc discriminis esse, quod Eclipsis sit quadam suppressio; at Aposiopisis sit totius rei defectus. Alijs verò placuit id interesse discriminis; quod orationis præcisio in Aposiopesi fiat ob affectum; in Eclipsi autem non item. Vtraque tamen explicatio difficultate laborat; prima quidem, quia non satis declarat quid sit totius rei defectus. Secunda quoniam angustior, siquidem citra quemlibet affectum huius schematis exempla suppetunt; si vocem spectemus profectò Aposiopesis à verbo, ἀποσιωπάω. deducitur, quod obticeo, siue taceo significat, at verò

rò non vocis, sed Solis; Lunæve ex usu, consuetudineue defectum significat, quanuis omnem defectum denotet, nam vox ἔκλειψις, à verbo ἐκλείπω *intermitto, omitto*, seu *desero*, deriuatur. Rectius igitur dicetur hoc inter has figuras discriminis intercedere; quòd in eclipsi unicum duntaxat verbum, illudque manifestum, vel quod saltem nullo negotio subintelligitur; at in Aposiopesi, quod omittitur, minus certum est, & non nisi longiori verborum apparatu potest explicari. Itaque eclipsis erit *Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum*, subintelligitur *venerit*. Item *Quid mibi authores?* subintelligitur, (*ut faciam*) *adnolone, an maneo?*

Amplius. *Cum senatus ad Apollinis habitus esset*, hîc subintelligitur *templum*. At verò Aposiopesis erit, si dicatur.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Subintelligitur, iuxta interpretes melioris notæ, *non itidem castigabimini verbis*, hoc loco habetur affectus iræ. Præterea.

Dixerat, atque illam media inter talia ferro,
Collapsam aspiciunt.

Vbi Poeta omisit *explicare modum, quo Dido sibi mortem conscierit*, & hoc loco habetur affectus amoris.

Aposiopesis etiam erit illa apud eundem

Ni iam præmissus Achates
Afferet

Vbi de industria Poeta silentio præterierat Achatem præmissum esse, quod ad extremum post regressum cognoscitur.

Eadem aposiopesis habetur in illo Iuuenalis

Tunc duos una sæuissima vipera cœna.
Tu ne duos?

Nunc figura continet indignationis affectuum.

Sed non omnis Aposiopesis affectum continet cum plerunque contingat ipsam citra quemlibet affectum fieri, quod notat Vossius in exemplum afferens illud Ciceronis. *Si perficitis, quòd agitis, me ad vos venire oportet. Sin autem, sed nihil est opus reliqua scribere*, ubi Tullius præterit *sed si non perficitis, actum est de me*, vel quid simile. Altero etiam exemplo Vossius dari aposiopesin nullo intercedente affectu Virgiliano illo egregiè confirmat

Nec requieuit enim, donec Calchante ministro.

ubi Vates aliquid prætermisit, nempe, *me aræ destinaret*. Quandoquidem apud Poetam hæc Sinon habet. Tam studiosè tam sedulò contra me Vlysses pertentare omnia cæpit, donec usus Calchante egregio scelerum ministro me aræ destinet; hoc est immolari me tanquam victimam faciat. Sinon autem hâc utitur figurâ ut audientium animis maius ingerat desiderium sciendi quod is dicere volebat, atque adeo maiorem attentionem assequatur; An autem in Virgiliano illo;

Nouimus & qui te transuersa tuentibus hirquis
Et quo (sed faciles Nimphæ riserc) Sacello.

An, inquam, sit Ἀποσιώπησις, an Ἔλλειψις, seu ἔκλειψις, non facile dictu. Fabius contendit in hoc exemplo Aposiopesin esse figuram, quâ utitur vates: alij negant quoniam huiusmodi figura fit, cum quod tacetur incertum est, vel longiori sermone explicandum; ut in præsentiarum unicum tantum verbum, illudque satis obuium, puta *corruperit*, desideratur, ut propterea Ec ipsim à Poeta credant usurpatam fuisse, cum re verâ aliquid in carmine desit. At si dicamus per verbum *corruperit* non significari quid certum, ut re verâ dicendum, siquidem huiusmodi verbum ad varia significata potest adhiberi, atque adeo non satis explicari sententiam, quin potius in eius gratiam esse subaudiendum, *corruperit nefando præposteræ libidinis crimine*, & ob id aliquid amplius, quam unicum verbum desiderari; herclè non satis intelligo, cur dicendum non sit à Poeta Aposiopesin hoc loco usurpari.

Tandem ut admonet Vossius, exempla, de quibus hactenus, siue Ἐλλείψεως, siue Ἀποσιωπήσεως, sunt eius figuræ, quæ fit per se. Alterum tamen est figuræ genus, quo per accidens aliquid silentio inuoluitur, ut cum sententiæ pars apud Comicos ob personæ interuentum non effertur. Exemplum est apud Terentium. Admonitio.

Si quis me quæret Rufus D. Præsto est. Desine. Et apud Plautum. Act. 1. Sc. 3.

De argento si mater tua sciat, ut sit factum. A P. Heia
Benedicite. Ascin. Act. 3. Sc. 3.

De Asyndeto.

Ἀσύνδετον, *Asyndeton* græcè, latinè verò *dissolutio*. Schema est, in quo demptis coniunctionibus plura, siue verba, siue sententiæ dicuntur. Asyndeton quid.

Geminum huius usum ex Plutarcho recentiores Rhetores esse affirmant, quorum prior est ut expeditè, & quodammodo volubilis, & concitatæ oratio rerum celeritatem indicet. Alter verò est, ut per orationem huius figuræ præsidio aliquid possimus significantius exprimere, quod ἔμφασιν, *emphasin* appellant. Lubet audire Plutarchum, Ἀσυνδέτου ἡ μὲν τάχους ἀλλὰ καὶ ἐμφάσεως παθητικῆς χάριν γίνεται. *Asyndeton fit non solùm ob celeritatem, sed ad maiorem etiam affectûs efficaciam.* Eius duplex usus ex Plutar. Primus.

Figuram hanc *Cæsar* videtur ad rerum celeritatem innuendam usurpasse, quando dixit referente Suetonio *veni, vidi, vici*, de sua pontica victoria loquens. Non dissimiliter Virgilius, dum ait

Ferte citi flammas, date tela impellite remos 4. Aeneid. Secundus.

Alter autem huius figuræ usus, quem diximus nimirum ad vehementius commouendos affectus, exemplis potest illustrari, siue per synonyma, vel penè synonyma, siue per rerum diuersarum enumerationem figura, de qua loquimur, fiat, & fanè priori modo fit apud Demosthenem dicentem, ἡγοῦμαι δεῖν πρῶτον ποιεῖσθαι, τοῦτον τοὺς ἄλλους Ἕλληνας συγκαλεῖν, διδάσκειν, νουθετεῖν. *Et primos officio fungi, ac tum demum cæteros græcos conuocare, docere, admonere.* Verba enim illa συγκαλεῖν, διδάσκειν, sunt penè synonyma. Demosth. Philip. 3.

Et apud Tullium dicentem *abijt, excessit, errupit, euasit*, cui persimile Terentianum est illud. Act. 1. in Catilinam

In me quidnis horum conuenit. Act. 3. Sc. 1

Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus.

At per diuersorum enumerationem fit à Tullio. *Sic in eius tutela Gallia, cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est*, Et alibi. *Cuius ut omittam innumerabilia scelera vrbani Consulatus, in quo pecuniam publicam maximam dissipauit, exules sine lege restituit, vectigalia vendidit, prouincias de P. Romani imperio subtulit, regna addixit pecunia Leges Ciuitati per vim imposuit, armis obsedit, aut exclusit Senatum.* Ita quoque dum ait *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium, & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Non dissimiliter dum hæc habet. *Non enim ille sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur; labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo.* Eadem figura fit dicendo De Oratore lib. 3. Philip. 7. Pro Archia Poeta Pro Lege Manil.

Non

Terentius in Eun. act. 5. Sc. 4 *Video, sentum, squalidum, ægrum pannis, annisq; obsitum*

Idem act. 3. sc. 4. Non dissimiliter *ignotum est, tacitum est, creditum est.*

Idem act. 5 sc. 4. Ita quoque *Ego ille agrestis, severus, tristis, parcus, truculentus, tenax.*

De Zeugma.

Zeugma quid. Ζεῦγμα. *Zeugma* græcè, latinè. *Adiunctio*, siue iugatio; *est figura quæ plures sententias unico verbo copulat.* Fit itaque huiusmodi figura, cum diuersæ clausulæ, uno verbo aptâ connexione concluduntur. Dicique etiam solet hæc figura contingere, cum id, quod in oratione desideratur è proximo assumitur, manente eodem genere, numero, & casu, exterisque attributis. Triplex est huius figuræ modus. Primò enim fit præposito verbo, ad quod reliqua respiciant, diciturq; Protozeugma. Et ut utar vulgatis exemplis, sit unum ex illis. *Egit pater, & filius, ut tibi responderem.* Item. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Triplex est huius figuræ modus. Primus.

Cic. ad Atticum.

Sic illud Maronis

Virg. Ecl. 3. *sunt nobis mitia poma*
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Secundus. Secundò fit postposito verbo, diciturq; Hypozeugma, ut, *Quem discordia, quem cædes ciuium, quem ciuile bellum delectat.* Item. *Neque enim Catilina is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio*

Secundus. Philip. 13. In Catil. act. 1. Verina 2. *à furore reuocarit*, & apud eumdem Tullium. *Huius Iudicij, & Laudis fructum, & offensionis periculum vestrum, laborem sollicitudinemque nostram, scientiam quid agatur memoriamque, quid, à quoque dictum sit omnium puto esse oportere.* Zeugma est, nam ad singula verba subaudiendum *puto esse oportere.*

Et apud Maronem

Virg. Ecl. 5. *Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.*

Tertius. Ad Herennium lib. 4. Tertiò fit hæc eadem figura in medio sensuum posito verbo, ut *formæ dignitas, aut morbo defloruit, aut vetustate.* Item. *Miro desiderio me urbs afficit, & omnes mei, tuque in primis.*

Et apud Maronem

Lib. 10. Æneid. *Cui pecudum fibræ, cæli cui sydera parent,*
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.

Sunt quibus ζεῦγμα & συνάντησις materiâ conuenire videntur, quatenus utriusque est partes orationis disponere: differre tamen formâ, quoniam in Synantesi à posteriori incipit reditio, & in primo desinit; in Zeugmate recursus fit eo ordine, quo ceptum est. συνάντησις, ut explicent, in exemplum afferunt illud Maronis

Virg. Ecl. 7. *Compulerant que greges Corydon, & Thyrsis in unum,*
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte Capellas.

Sed hîc fieri προλήψιν alij contendunt; Iniuriâ tamen propter eaquòd Prolepsis siue grammaticè, siue rhetoricè, siue poeticè longè diuersa est à præsenti figura, quæ potiùs συνάντησις dicenda, cum hæc à verbo ducatur συνάντω. *obuiam eo, vel progredior.* quod in præsentia contingit.

Sunt autem quibus placet quinque schemata esse, quorum præsidio secundùm situm oratio figuretur, è quorum numero est Zeugma; reliqua verò Hyperbaton, Epemboli, Parenthesis, Sinantesis. De Zeugma iam dictum, & cuiusmodi sit Hyperbaton fuit explicatum; erat enim nil aliud, quàm verbi transgressio. Solùm hic adnotandum huiusmodi transgressionem fieri maiorem, vel minorem posse, quatenus post verbum ad calcem usque transfertur, & sanè maiores

Horat. lib. 1. ode transgressiones apud Poetas videri possunt. His enim magis familiares sunt, cuiusmodi apud Lyricum illa est, quam adhibet dum ait. *O Diua gratum, quæ regis Antrum*, &c. Post enim viginti sex verbis subiungit *Serues iturum*, &c. Nec exigua transgressio est, quam usurpat Maro, dum ait. *Interea Reges* &c. pendet enim sententia usque ad verbum *Procedunt*, ut dicat *Reges procedunt.* Medij septem interserti carminibus, prius quàm subijciatur verbum. Parambole, vel ut alijs placet, Etemboli in Orationis medio rei cuiusam vel circumstantiam aliquam interponit, cuius exemplum extat apud Tullium. *Diuturni silentij P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit.*

Parenthesis autem fit, cum inseritur orationi aliquid totâ materiâ alienum. Hæc figura est, qua breuiter à proposito declinamus, ut. *Videte, Iudices, qualem (nolo enim grauiori appellatione uti) accusatorem in medium adduxerit.* Vocari etiam solet Intercluso. De hac tamen paulo post sermo redibit.

De Figuris verborum per similitudinem.

VErborum figuræ per similitudinem censentur, quæ pari vocum sono, licet sensu dissimili incedunt.

De Paronomasia.

NVnc de figuris, quæ secundum qualitatem variantur, in quibus vel similitudo spectatur, vel orationis flexus.

Παρονομασία, *Paranomasia* græcè, latinè, ut Cornificio placuit *Annominatio*, qua nuis alij, *alliterationem* vocent, & est figura, quæ aliam efficit sententiam unius elementi, pluriumque adiectione, detractione, transpositione, vel immutatione.

Et quidem adiectione ut Cicero. *Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua pernicioſissima flamma*

Pro Cluentio. Et apud Terentium

Terent. Heaut. act. 1. sc. 1. *Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.*

Sic & illud

Martial. lib. 9. Epigram. 1. *Nam vigilare leue est, peruigilare graue.*

Detractione quoque figura fit hoc modo: *Si tu & aduersus, & auersus impudicus es.*

Tul. lib. de Orat. Item *Magis illectum tuum, quàm lectum metuo*

Huc pertinet illud Claudiani

Terent. Eunch. act. 1. sc. 1. *Erret, & extremos alter scrutetur Iberos:*
Plus habet hic vitæ: plus habet ille viæ.

Claudian. Epig. 1. Ita Claudianus suum epigramma secundum, eleganter concludit.

Transpositione quoque fit Paronomasia hoc modo *Paruo es animo, non prauo* & Cicero, *Videte, Iudices, utrum homini nauo, an vano credere malitis.* Vel etiam immutatione, *Non est hoc amantium, sed amentium.*

Transpositione cum additione est illud Ciceronis. *Consul autem ipse paruo animo, & prauo, facie magis, quam facetijs ridiculus.*

Immutatione tandem fit hæc figura non modo in nominibus proprijs, sed etiam in alijs. Fit in proprijs nominibus dicendo ex. gra. *Biberium Caldium Meronem* ad significandum *Tiberium Claudium Neronem* eoquod affatim merum caldâ mixtum biberet.

Innumera autem extant exempla apud Poetas, ut apud Ennium.

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis

Eodem modo se habet illud Plauti

In prologo Aulu. *Amen, amanſve utut animum obſirmo meum*

Cui

Cui non dissimile illud Terentij

Inceptio est amentium, haud amantium

Hæc figura nisi sententiæ grauitate roboretur, rarò est usurpanda, cum maximè puerilis videatur, atque adeo in re seria vix locum habere possit.

Ad hanc reuocari solet Ἀνταπόδοσις, hoc est *reflexus*, seu *reciprocatio*, vel ut alijs placet *Reuerberatio*; figura autem est, in qua eadem vox iterata diuersam significationem habet, ut si dixeris. *Veniam ad vos, si mihi detis veniam*; Item. *Cur rem eam tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas.* Amplius. *Cum ad me veneris, dabo operam, ut à studio Veneris abstineas.* Hæc figura dicitur etiam Διλογία, *Dilogia*, nempe sermonis ambiguitas; quæ differt à Συλλήψι, oratoria, nam in illa aliter priori, quàm posteriori accipitur loco: in hac autem vox ambigua semel posita, utrâque sumitur significatione. Itaque Διλογία est cum dicitur

Vt vidi, ut perij, ut me malus abstulit error?

Nam primum *ut* est *postquam*: sed *ut* duobus posteribus locis, est *quantopere*.

De Homœoptoto.

Ὁμοιόπτωτον, *Homœoptoton* græcè, latinè, *Similiter cadens*, Figura est, *quæ venustatis gratia plures voces in ijsdem casibus adhibet*. Sed obseruandum, ut hæc paulo diligêtiùs perscrutemur, Ὅμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον rectè species censeri schematis, quod dicitur ὁμοιοκατάληκτον, quo nomine intelligitur figura, in qua voces similiter desinunt, sed illæ duæ commemoratæ species, ita se habent, ut Homœopteton sit cùm voces declinabiles, siue nomina, siue verba ijsdem casibus (quo referenda sunt etiam tempora in sententiæ, vel initio, vel medio, vel fine) coniunguntur, siue sint soni similis, siue dissimilis. Neque mirum nam idem casus dissimili potest esse terminatione, atque dissimilis terminatio in casibus similibus; itaq; figura hæc solum casuum similitudinem requirit, quanuis eorum desinentiæ sint dissimiles ut. *Cæsar plurimum existimatione valet, diuitijs affluit, amicis abundat.* In hac exemplo *valet, affluit, abundat.* Item, *existimatione, diuitijs, amicis*; casum quidem eundem, nõ tamen eandem desinentiam habent. Huc pertinet illud Ciceronis. *Qui in his rebus non ita defendatur, ut mediocris Prætor, sed ita laudetur, ut optimus Imperator.* Item. *Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?* Figura est in illis tribus *diligam, admirer, putem*, ut enim concinna sic & verba suos casus habent.

De Homœoteleuto.

Ὁμοιοτέλευτον *Homœoteleuton* græcè, latinè autem *Similiter desinens*. Ad hanc requiritur figuram, ut in fine ijsdem sint, siue nominum, siue verborum casus, & ij ipsi casus similem omnino desinentiam, atque sonum habeant. Tullius *Vt eius semper voluntatibus non modo ciues assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint.* Huic simile illud. *Non modo ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam*, sic etiam; *Vt & sine inuidia culpa plectatur, & sine inuidia culpa ponatur.*

Illud porrò notandum discriminis inter hanc, & superiorem figuram, quòd superior casus dumtaxat habet similes, etiamsi dissimilia sint, quæ declinantur; at hæc, de qua loquimur, in eosdem exitus cadit. Hinc similiter cadens verbis, & nominibus tantum confici potest: similiter autem desinens ijs etiam conficitur, quæ declinari non possunt ut. *Qui agit fortiter, nequit viuere turpiter.*

De Isocolo.

Ἰσόκωλον *Isocolon* græcè, latinè *Compar*; fitque cum paribus, etsi non pugnantibus verbis, utimur. Hęc enim figura habet orationis membra, quæ constant ex pari ferè numero syllabarum. Quòd si membra non tantùm æqualia fuerint, sed etiam pugnauerint ἀντίθετα nuncupantur: quemadmodum si neque planè fuerint æqualia, neque pugnauerint, paria tamen propemodum sint, ut cum membrum unum paulo plus altero producitur, ἀδιόρθωτον dicitur. Hoc autem fieri debet non sedulâ quâdam enumeratione, siquidem id puerile foret, sed potius ex usu exercitationeque facultatis. Figura hæc suauitatis plurimum habet, & sese in animum penitus insinuat. Cicero hanc figuram usurpat, dum ait. *Pompeius bellum extrema Hyeme apparauit, ineunte Vere suscepit, media Æstate confecit.* Huiusmodi est illud apud eundem *Hæc sentire prudentia est; facere fortitudinis, & sentire verè & facere, perfectæ cumulataque virtutis.* Item. *Quas res luxuria in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in contumelijs efficere potuisset.* Amplius quandoque figura tribus constat membris, ut *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Pro Lege Manilia.

Idem.

3. de Oratore.

Quandoque etiam plurib⁹, etsi singulis verbis, ut *abijt, excessit, erupit, euasit.*

Act. 2. in Catil.

De Antithesi.

Ἀντίθεσις, *Antithesis* græcè, latinè *Contrapositio* Quidam Antithesin, sub Antithetis comprehendunt, illud tamen discriminis agnosci solet, quòd in Antithetis nomina, & verba opponuntur, in Antithesi verò non verba, aut nomina ipsa, sed eorum epitheta, ut apud Liuium. *Sed quàm urbs ipsa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hostium animi.* Geminatæ ἀντιθέσεως, *Antitheseos* exemplum Vossius ex Varrone affert. *Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.* Alijs visum est hoc discriminis inter has figuras intercedere, quòd in Antithesi verba; in Antitheto sententiæ opponantur, sed de Antitheto mox agendum erit, Poetis quoque figura hæc familiaris est, Vnde Plautus.

Antithesis quid.

Quid à quorundam sententia differat inter Antith. sin & Antitheton.

Liuius li. 33.

Vbi viuos homines mortui incursant boues.

Asin. act. 1. Sc. 1.

Ἀντίθετον. *Antitheton* græcè, latinè verò, *Contrapositum*, siue ut Ciceroni placet *Contentio*, tunc sanè contingit, cùm contrarijs contraria opponuntur, nec uno fit modo: Talis figura est illa facta singula singulis opponendo, nempe, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia*, vel etiam bina binis, ut *Non nostri ingenij, vestri auxilij est*; Vel sententias sententijs, ut *dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs.* Hęc eadem figura alio etiam illustrari potest exemplo ex Tullio: *Conferte*, inquit, *hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria; huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto; huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cœpit conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.* Illud quoque celebre ob sui breuitatem, cuius aliâ occasione meminimus, *Domus tibi deerat? At habebas, pecunia superabat? at egebas.* Tale etiam foret illud Ciceroni adscriptum. *In pace ad vexandos ciues acerrimus: in bello ad expugnandos hostes inertissimus.* Quibus addendum, & aliud. Ne-

Tullius in Orato re.

Cic. pro Cluen.

Ibidem.

In Orat. ad Brutũ.

Tullius.

que

que vero me penitet mortales inimicitias, amicitias sempiternas habere

Huc pertinet illud Martialis

Lib. 4. Ep. 42. *Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem.*

Huic adiungi solet, tanquam species figura, quæ distinctio dici consueuit, cuius exemplum esse volunt: *Odit Populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Non dissimiliter. *Quod in tempore mali fuit, nihil obsit: quin quod in causa boni fuit, nihil prosit*; in hac autem sunt similes casus; sententiæ verò postremo loco positæ.

Antimetauoli seu Metathesis quid. Ἀντιμεταβολὴ vel Μετάθεσις *Antimetauole*, vel *Metathesis* græcè, latinè, ut Cornificio placet *Commutatio: est contrarietas sensus, cum verborum transpositione.* Vel ut alijs arridet, fit hæc figura, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ita efferuntur, ut à priori posterior contraria proficiscatur; & quanuis ratione transpositionis ad *Epanodon* pertineat, ratione tamen sensus, ad hunc locum spectat. Talis est figura, quam diximus, cuius exemplum est vulgatum illud. *Non ut edam viuo, sed ut viuam, edo.* Huc pertinet illud Plutarchi. Ἐκεῖνο δρυμύθμον, ζωγραφίαν δὲ εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν ἢ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν. *Sermone illud tritum, quo picturam esse aiunt loquentem poësin, & poësin esse tacitam picturam.* Huic simile illud Ciceronis. *Vereque dici potest, magistratum esse legem loquentem; legem autem mutum magistratum.* Geminam hanc eandem figuram illustrat Vossius exemplo pereleganti. Ἄν τι φάγῃς καλὸν μετὰ πόνου· ὁ μὲν πόνος ἔρχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει· ἂν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. *Si quid feceris pulchri cum labore; labor quidem abit, sed pulchrum manet: Si turpe quid feceris cum voluptate, voluptas abit, & turpe manet.*

Plutarchus de audiendis poetis.

Epanorthosis &c. quid. Ἐπανόρθωσις, seu Ἐπιδιόρθωσις, vel ut alijs placet μετάνοια. *Epanorthosis*, seu *Epidiorthosis*, siue *Metanta* græcè, latinè, ut Cornificio videtur, *Correctio. Figura dicitur, quæ tollit, quod dictum est, & pro eo, quod magis videtur, reponit.*

Duobus autem fit modis figura de qua fit sermo, nam interdum tollitur verbum, interdum verò sententia. Prior correctio ad figuram dictionis pertinet; eius exemplum esse potest illud Ciceronis. *In hoc ferendus meus error, ferendus autem? immo etiam aduandus.* Et alibi. *Vbi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuisses (si hoc est explere: quod statim effundas) aduolas egens ad tribunatum, &c.* Item, *Patrimonium suum effudit; quanquam non sumus usi eo verbo, quod decuit. Non effudit, sed in salutem Reip. collocauit.* Amplius: *O clementiam P. Romani, seu potius patientiam miram, ac singularem, Filium unicum adolescentulum habeo, ah quid dixi habere me? Immo habui.* Altera est correctio, quæ ad sententiæ figuram pertinet.

Ad Attic. 5. Ep. 21.

Cic. Phil. 2.

De Sententiarum schematibus, siue figuris.

EXpositis verborum schematibus, siue figuris, ad eas, quæ sententiarum dicuntur, nobis est accedendum. *Est autem sententiarum schema, quod non in verbis, sed in ipsis rebus quandam dignitatem habet.* Vt propterea sententiarum hoc genus plurimum splendoris afferat orationi, quod cum Tullius aduerteret, dicebat non tam in verbis pingendis schematis esse pondus, quàm in illuminandis sententijs; & re verâ nil aliud est quicquam dicere, nisi omnes vel certè plurimas aliqua specie illustrare sententias; in quo Demosthenes cum cæteris longè præstaret oratoribus, ob id eorum princeps habitus fuit, adeout, quemadmodum Isocrates in verborum figuris palmam cæteris præripuit, sic in figuris sententiarum Demosthenes omnes longe superauerit. Quid autem discriminis inter hæc duo figurarum genera sit agnoscendum, non multo antea declaratum fuit. Non ita tamen inter se distinguuntur, ut simul cohærere non possint, quin potius frequenter usu venit, ut idem, dictionis, & sententiæ exornatione illustretur.

Sententiarum schemata varia à varijs diuidi solent, præsertim tamen apud quosdam talium schematum inualuit distributio, ut quædam sint, quæ plus dicunt, quàm in re est; quædam minùs, quædam æquè. Alij verò partitionis omni ratione neglectâ, statim de his tractationem instituunt. Alij demum distributionis rationem omnem ex ipsorum schematum viribus desumunt; his igitur tripartita figurarum, de quibus fit sermo, distributio est ex earum viribus deprompta, nam earum quædam sunt aptæ ad flectendum animum, quædam ad docendum, & quædam indiscriminatim ad utrumque valent. Figuræ autem, quæ ad commouendos auditorum animos longè maiorem vim habent sunt, quæ sequuntur.

CATALOGVS FIGVRARVM, quæ ad animi affectus commouendos conducunt.

1	Ἐρώτημα.	*Erotema.*	*Interrogatio.*
2	Προσωποποιία.	*Prosopopœia.*	*Personæ fictio.*
3	Ἠθοποιία.	*Ethopœia.*	*Morum fictio.*
4	Ὑποτύπωσις.	*Hypotyposis.*	*Illustris rerum explanatio, & penè sub aspectum subiectio.*
5	Ἀποστροφὴ	*Apostrophe.*	*Auersio.*
6	Ἐπιφώνημα.	*Epiphonema.*	*Explanatio rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio.*
7	Δέησις.	*Deesis.*	*Deprecatio.*
8	Ἀρά.	*Ara.*	*Imprecatio, siue Execratio.*
9	Εἰρωνεία.	*Ironia.*	*Dissimulatio, siue Dissimulantia.*
10	Ἀντίφρασις.	*Antiphrasis.*	*Contralocutio.*
11	Ἔμφασις.	*Emphasis.*	*Declaratio.*
12	Παράλειψις.	*Paralipsis.*	*Præteritio.*

De Interrogatione.

Interrogatio quid. ΕΡώτημα *Erotema*, græcè, latinè *Interrogatio*, figura est quoties non sciscitandi gratia, sed instandi, & urgendi causa assumitur, vel etiam in laudationibus, vituperijs, desiderijs, aliisque similibus animi motibus exprimendis adhibetur. Hæc enim figura, ut nuper dicebam, rem dubiam non quærit. Hæc diuersè considerata quibusdam, & dictionis, & sententiæ schema est. Dictionis schema esse colligitur ex eo quia si in rectam orationem conuertatur, sententia manet, & schema perit, quod Virgiliano illo declarat Vossius

Quid

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Hoc autem oratione rectâ si dicatur, figura quidem amittitur.

Nil non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.

Qui autem sententiæ figuram esse volunt, eâ ratione utuntur, quia interrogatio primò rei inest, non autem verbis; quod inde confirmant, quoniam factâ quâcunque verborum variatione, adhuc sententia remanet. Novum tamen non est ratione diversâ figuram eamdem esse dictionis, & sententiæ. Si itaque interrogationi subijciatur responsio, figura erit sententiæ, sin autem, dictionis simplex interrogatio, qualis apud Tullium. *Quousque tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ? Quam diu nos etiam furor iste tuus eludet? &c.* Et elegans admodum illa videtur apud eundem. *Estne hæc vera contentio? placet ne sic agi? non possum magis pedem conferre, ut aiunt, aut propiùs accedere. Quid taces? Quid dissimulas? quid tergiuersaris? Etiam, atque etiam insto, atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen, quancunque tribum inquam delegeris, quam tulerit Plancius; tu ostendito, si poteris vitium.*

Illa quoque interrogatio est, quæ maximè aduersarium urget. *Quid dicam Consules? hoccine, ut ego appellem nomine euersores huius imperij? proditores vestræ dignitatis? hostes bonorum omnium? qui ad delendum &c.* Valida itidem ea est interrogatio, qua idem utitur Tullius dicens, *Quid est? quid ad hæc cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere istis defensoribus tuis audes?* Quandoque per interrogationem affectus animi dumtaxat exprimimus. *Quid expectamus? aut cur non ducibus Dijs immortalibus eidem, cui cætera summa cum salute Reip. commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?* Non absimilem expressionem continet illa interrogatio, licet, ex Vossij sententia, cum subiectione sit, & ad Ἀνθυποφορὰν, *exceptionem* pertinere dicat. *Quid tam novum, quàm adolescentulum priuatum, exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere; confecit. Huic præesse? præfuit. Rempublicam optimè suo ductu gerere? Gessit. Quid tam præter consuetudinem, quàm homini adolescenti, &c.* Ad eandem expressionem affectuum facit illa, quàm idem Orator usurpat, in qua nulla intercedit subiectio. *Quis L. Philippum summo ingenio, operâ, gratiâ, nobilitate à M. Erennio superari posse arbitratus est, quis Q. Catulum humanitate, sapientiâ integritate antecellentem à C. Manlio? Quis M. Schaurum hominem grauissimum, ciuem egregium, fortissimum senatorem à Q. Maximo?* & alibi. *Quid dicam aduentus meos? Quid effusiones hominum ex oppidis? Quid concursum ex agris patrum familias cum coniugibus, ac liberis? quid eos dies &c.* Cum subiectione verò est. *Quibus autem hostibus? nempe ijs, quos tu Ambraciæ sedens, primo tuo aduentu ex oppidis Agrinarum &c.* Sic etiam illa. *Quid ergo audacissimus ego ex omnibus? minime. At tanto officiosior, quàm cæteri? ne istius quidem laudis, ita sum cupidus, ut alijs eam præreptam velim.* Item & illa: *Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me ante quam vidit Reipub. reddidit.* Aliæ etiam sunt interrogationis formæ, quæ passim apud Oratores videri possunt; immo etiam apud Poetas intueri licet interrogationes figuratas, quæ videlicet non fiscitandi gratia fiunt, sed instandi, vel arguendi, vel commouendi; hæ porrò quàm sæpissimè indignationem, aut miserationem, aut admirationem, aut aliquem alium huiusmodi animi motum apud Poetas designant. Indignationis interrogatio est apud Maronem

Me ne incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem? 1. Æneid.

Item.

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras? 2. Aeneid.
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?

Miserationem designat illa, quam idem usurpat, dum canit.

Ea quæ nunc tellus, quæ me Æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat. 2. Aeneid.

Item. *Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras,*
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcam Ecl. 2.
Quamuis ille niger? Quamuis tu candidus esses?

Et apud Propertium.

Nonne fuit melius dominæ peruincere mores?
Quamuis dura, tamen rara puella fuit. Lib. 1. Eleg. 17.

Idem

Non ne fuit satius duro seruire Tyranno?
Et gemere in tauro sæue Perille tuo? Lib. 2. Eleg. 25.

Vulgata est illa etiam admirationis interrogatio apud eumdem.

Quid non mortalia pectora cogis.
Auri sacra fames? 3. Aeneid.

Fieri igitur potest vel indignationem, vel miserationem, vel admirationem excitando. Fieri etiam potest dubitando, ut *Eloquar ne, an fileam?* Omitto illam, quæ fit ad perficiendum ignotum, quoniam figurata non est.

De Prosopopœia.

Προσωποποιία. *Prosopopœia* græcè, latinè Ciceroni est *fictæ personæ inductio*; Cornificio autē; *conformatio*, & Fabio *personæ fictio*. Fieri autē dicitur, *cum aliqua, quæ non adest, persona confingitur, quasi adsit; aut cum res muta, aut informis sit eloquens, & formata, & ei Oratio tribuitur ad dignitatem aut actio quædam*, ut Cornificius loquitur. Ex aliquorum autem sententia duplex est motus Prosopopœię, unus quo è non persona facimus personam, siue rei mutæ sermonem attribuendo, siue rei brutæ assignando sensum, siue rem brutam aloquendo, quasi ipsa intelligat: alter modus est, quo mortuos loqui fingimus, dicique Idolopœia solet. Alijs placuit hanc figuram quoque contingere, cum loqui personam fingimus, quæ quamuis sit, non tamen adest; his tamen controuersijs omissis, rem paucis complectar, primò ac præcipuè schema de quo fit sermo, contingit, cum mortuos inducimus loquentes, ut facit Cicero dicens: *Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestrâ, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis. Dicat se non imperitum fœderis &c.* Huc pertinet illud Cornificij. *Quòd si nunc L. ille Brutus reuiuiscat, & hîc ante pedes vestros adsit, non hâc uteretur oratione? Ego Reges eieci; vos Tyrannos introducitis; Ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam seruare non vultis; ego capitis mei periculo patriam liberaui; vos liberi sine periculo esse non curatis.* Itaque in hoc genere dicendi mortuos excitari compertum est.

Prosopœia quid. Lib. 4. ad Heren. Orat. pro L. Balbo. Lib. 4. ad Eren.

Censetur etiam personæ fictio, cum sermo Patriæ vel Reipublicæ, aut Vrbi, vel Regioni tribuitur; adeout per figuram hanc, quæ modo diximus, vocem accipiant. Cicero patriam & Rempub. loquentem inducit. *Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos facinus, nisi per te nullum, &c.* Et iterum ibidem. *Etenim si mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multo est carior, si cun-*

Quando Patria, vel Resp. loquitur &c. Act. 1. in Catilinā. Ibid. Ibid.

cta Italia, si omnis Respublica sic loqueretur M. Tulli Quid agis? Tu ne eum, quem esse hostem, &c.

Quandoque sermo tribuitur absenti, hoc est absens inducitur loquens; ita Cicero. *Quamobrem si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, adeste quæso, atque audite cives &c.* Et alibi. *Qui si tecum congrediatur, & si una voce loqui possit, hæc dicat. Ego tibi Laterensis Plancium non anteposui.*

Orat. pro Milone.

Orat. pro Plancio.

Prosopopœia in quibus locis habeat.

Prosopopœia frequenter in suasionibus, obiurgationibus, laudationibus, quæstionibus, & commiserationibus, ut ex allatis exemplis cuique potest esse perspectum. Est autem magnum eloquentiæ decus, & lumen augendi splendidissimum, ut in proximè dictis magnopere proficiat, plurimumque dignitatis afferat orationi.

De Ethopœia.

Ethopœia quid. Alicarnasseus in vita Lysiæ.

Ἠθοποιία *Ethopœia* græcè, latinè *morum & affectuum fictio, siue expressio*. Hæc enim figura in imitatione vitæ, ac norum alienorum planè consistit. Magnum est orationis ornamentum in primis aptum ad animos conciliandos, & sæpe sæpius ad permouendos. Contingit autem Ethopœia, cum certis quibusdam personis, non quæ nunquam sunt, verba accommodatè adfingimus, vel ad improbitatem earum demonstrandam, vel ad dignitatem, adeout dici possit alienorum affectuum, quorumcunque atque dictorum imitatio non sine reprehensione. Huiusmodi esse censetur schema, quo utitur Tullius dum ait, *Quid S. Nevius ad hæc? Ridet nostram amentiam, scilicet, cum ab eo officia boni viri desideramus, & quemadmodum natus, inquit, & quemadmodum educatus sum, memini. Vetus est, de scurra diuitem facilius multo, quam P. familias fieri posse.* Ethopœia etiam est illa apud eundem. *Ineunt tandem magistratus tribuni plebis: concio tandem expectata P. Rulli, quòd & princeps erat agrariæ legis, & truculentius se gerebat, quàm cæteri: iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur: vestitu obsoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior, quàm ante; barbaque maiore: ut oculis, & aspectu denuntiare omnibus vim tribunitiam: & minitari Reipub. videretur.* Ethopœia notam personam complectitur, mores tandem effingit, ex quo censetur suam nomenclaturam accepisse, ut si quispiam commiscatur, quibus nam sit usus verbis Ercules imperante. Eurysteus est, ut Cælius aduertit, apud quem Ethopœiarum variæ sunt species, aliæ nanque sunt pathetica, quæ nimirum perturbationes, affectusque exprimunt; aliæ vocantur ethicæ nempe morales; aliæ denique mixtæ, quæ utrunque præstant.

Cic. cõtra Rullum.

Ibidem.

Cælius Rodig. lib. 36 cap. 28.

De Hypothypoſi.

Ὑποτύπωσις *Hypotyposis*, græcè, latinè, *descriptio. Est autem figura, quæ rem sic ad vivum & egregiè verbis describit, ut potius cerni, quàm audiri videatur.* Hanc Tullius descriptionem appellat, eoquòd rerum, quæ geruntur sub aspectum penè subiectio sit Fabio est forma rerum expressa verbis. Talis est illa Ciceronis: *Ipse, inquit, inflammatus scelere, ac furore, in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat, expectabant omnes quò tandem progressurus, aut quid nam acturus esset: cum repentè hominem proripi, &c.*

Action. 7. in Verrē

Tria schemata in re proposita ab aliqui.

Sunt tamen, qui accuratius propositum tractare profitentes tria schemata recognoscenda putent, quibus ea, quæ sunt in re explicentur, huiusmodi porrò sunt, αἰτιολογία, διατύπωσις, & ὑποτύπωσις; hoc est, *Ætiologia, Diatyposis, & Hypotyposis*; his enim dicunt, ratione eorum, quę sunt in re, orationem figurari, cum hunc in modum ea explicentur, quæ etsi non sint de rei essentia, naturali tamen vinculo cum re cohærent. In Ætiologia dicunt causam impulsiuam esse, quinimmò omne id unde aliquid colligitur, atque probatur. In Diatyposi, ac in Hypotyposi, tum causas impellentes afferri, tum affecta, reique adiuncta, ac circumstantias.

Hus statuitur Ætiologia Diatyposis, & Hypotyposis.

Ætiologia, ex horum consilio, efficitur ratione breui, & sententiosa, itaut, quod dubium est visum, ad certam fidem adduci videatur. Vt in illo M. Tullij. *Intelligo, quàm difficili scopulosoque verser loco. Nam cum omnis arrogantia sit molesta, tum illa ingenij, atque eloquentiæ multò molestissima.* In allato exemplo ratio subsequitur.

Ætiologia quomodo fiat

Cic. pro Cæl. in Vatin.

Potest etiam fieri, ut ratio præcedat, *Etenim si vectigalia nervos esse reipub. semper duximus, eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè dicemus.*

Pro Lege Manil.

& quidem intra ut

At Regina dolos (Quis fallere possit amantem?) Præsensit &c. 4. Æneid.

At verò extra, ut: *Hic, in ipso illo malo, grauissimaque belli occasione L. Lucullus &c.* Vel medium obtineat locum, siue intra, siue extra Parenthesin; reliqua exempla breuitati studens omitto, apud Vossium videnda relinquo. Ex cuius opinione Tullius Diatyposin vocat *subiectionem sub aspectum*. Fabius *formam rerum expressam verbis;* fieri autem hoc schema putat, cum rem ob oculos luculentâ narratione ponimus, prosequentes diligenter ea, quæ morum, ac affectuum distributione cuiusq; maximè comprehendunt, & locorum notabiles dispositiones complectuntur. Id porrò discriminis inter Diatyposin, & Hypotyposin, quòd hæc sit minutior, dilutior, atque simplicior, illa verò longè sit accuratior, & idcirco splendidiorem, & quasi actuosiorem orationem reddat. Quamobrem superius desumptum exemplum ex Tullio nimirum. *Ipse inflammatus scelere, & furore in forum venit, &c.* ad Diatyposin pertinere contendunt; quemadmodum etiam & alterum apud eundem Tullium: *Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pauimenta vino, madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur*; & alia etiam exempla in schematis huius illustrationem afferri possunt. Non dissimulandum tamen tam allata, quàm quòd id genus alia, tanquam Hypotypoſios exempla plerisque visa esse recipienda, ut propterea schemata prædicta promiscuè fuerint usurpata. Et re verà non facile discrimen agnoscere; nam si voces attendas, διατύπωσις deducitur à διατυπόω, quod est, *dispono, conformo, informo, animo concipio, & fingo, describo, exprimo*, adeout διατύπωσις, *fit rei quædam fictio, descriptio, expressio*; At eiusdem significationis est ὑποτύπωσις nam fit ab ὑποτυπόω, siue ὑποτυπόομαι, quod est *informo, delineo, & oculis subijcio, repræsento, & rei speciem informo*, iuxta quam significationem verbum hoc Philosophus usurpauit. Licet ὑποτύπωσις, Ciceroni sit *illustris explanatio, rerumque basi gerantur sub aspectum penè subiectio*, itaut *Hypotypoſis*, per id solum discrepet à *Diatyposi*, quòd hęc res sit minus, illa verò magis accurata descriptio, & idcirco splendidior, atque præstantior; adeout *Dyatyposis* detractis aliquibus, vocabulis, quibus redditur accuratior, ac illustrior, euadat *Hypotypoſis*.

Cic. Ver.

Ide Phil. 8

L. 6. n. Edit. c. 7.

Huiusmodi schemata promiscuè fere sæpe fuerunt usurpata.

Præclara, & singularis admodum est illa, quam

L. 3. Oratore

adhi-

adhibet Demosthenes Diatyposis, ut ob id silentio prętereunda non sit, quanuis eius quoque Vossius meminerit de rebus enim anteactis Demosthenes loquens ait, Θέαμα δεινὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ἐλεεινὸν, ὅτε δὲ παῖς παρεμόμεθα εἰς Δελφοὺς, ἐξ ἀνάγκης ὧν ὁρᾶν ὑμῖν πάντα ταῦτα, οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ γεγενημένων, καὶ παῖδια ὀλίγα, καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς. ὅλως δὲ ἄν τις ἐρικλαύσαιτο διὰ τὸν λόγον τῶν ἐκεῖ κακῶν γεγενημένων. *Spectaculum, Athenienses, crudele, & miserabile. Cum enim nuper Delphos proficiscerемur, necesse nobis erat videre omnia illa, domus dirutas, mœnia prostrata, regionem iuventute desolatam, mulierculas duntaxat, & paucos puerulos, & senes homines miserandos.* Si vera sunt, quæ diximus, hoc loco Demosthenes διατύπωσιν potius, quàm ὑποτύπωσιν, adhibuit, cum accuratè satis rem explicet &c. non ita tamen ut etiam accuratiùs explicari non potuisset; & hinc forsan ὑποτύπωσις, existimata fuit. Non multo post idem Demosthenes adhibet διττολογίαν cum amplificatione per collationem, cum priùs per extenuationem amplificasset.

Cæterum etsi tam Diatyposis, quam Hypotyposis summoperè videri possit affinis Ethopœiæ, & Prosopopœiæ, ab ipsis tamen longè discrepant, quoniam Prosopopœia personas fictas, vel inanimatas, vel morte quoque peremptas ad loquendum inducit; Ethopœia verò animi mores exprimit; at Diatyposis, & Hypotyposis actiones describunt, vel res ipsas ad vivum delineant, illa quidem parciùs, ac negligentiùs; hæc autem uberiùs, & accuratiùs.

Tametsi autem pictoribus rerum imagines ad vivum exprimentibus figura hæc videatur accommodata, proindeque tam ipsis, quàm Poetis, & Oratoribus communis, quatenus tamen à Pictoribus lineamentis, & coloribus expressio fit; à Poetis autem, & Oratoribus perficitur vocibus; non eadem est apud omnes commemoratos huius expressionis ratio, licet Oratores, præsertim autem Poetæ mirum in modum Pictores æmulentur; Siquidem Poetæ pictorum instar, vocibus tamen, aeris, marisque tempestates, armorum conflictus, agrorum ubertatem, florumque amœnitatem delineant, atque colorant. Sic etiam, & Oratores, qui præclaram ædium formam, Vrbium condecentiam, earumdem, atque regnorum positum, omniumque rerum naturam, atque concinnitudinem satis pro dignitate describunt. Hæc autem expressio præteriti, præsentisque temporis differentiam admittit.

De Apostrophe.

ποστροφὴ *Apostrophe* græcè, latinè *auersio*, siue *auocatio*, ut loquitur Tullius; & auersatio, ut Fabio placet; ab ἀποστρέφω, hoc est auerto, & alio flecto; & quanuis Hermogenes ἀποστροφὴν, inter χήματα λέξεως, inter figuras dictionis reposuerit, reuerâ tamen χῆμα διανοίας, censeri debet. Non rectè definitur sermo à iudice conuersus, cùm non semper coram iudice habeatur oratio. Neque rectè dicitur sermo conuersus ad personam aliam, ab ea, quam instituta requirit oratio; cum sæpe sæpius conuersio sermonis fiat ad res inanimas.

Rectius igitur Apostrophe dicetur fieri, cum sermonem ad aliam personam, vel quasi personam auertimus, quàm instituta requirat oratio, hanc enim, vel ad Deum, vel ad hominem, vel ad res inanimas, quas uti personas quasdam compellimus, nobis licet conuertere. M. Tullius orationem conuertit ad Deum hoc modo cum enim dixisset: *Orem, quam homines soluti à cura liberati redire non desinant: tristiores autem sine maximo dolore audire non possint? P. ne Clodius, qui ex Pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? Hunc, inquam, etiam vos, qui estis antistites ceremoniarum, & sacrorum, auctorem habetis, & magistrum publicæ religionis?* Cicero pro domo sua ad Pontifices

Mox progreditur dicens: *O Dij immortales (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? Vestrum numen horret? Res omneis humanas religione vestra contineri putat? Hic non illudit &c.* Ab hominibus etiam ad Deum conuersionem facit. Cum enim dixisset: *Hinc omnibus Catilina cupio summa Reipub. salute, & cum tua peste, ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere, parricidioque iunxerunt proficiscere ad impium bellum, ac nefarium*; statim subdit: *tum tu Iupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs auspicijs à Romulo es constitutus, quem Statorem huius Vrbis atque Imperij &c.* Vbi repetitur complexio cum Apostrophe, & dira increpatione in Catilinam. Sic etiam ab homine ad hominem quando ait. *Cupio P.C. me esse clementem, cupio in tantis Reip. periculis non dissolutum videri: sed, &c.* Mox à P. C. ad Catilinam Orationem conuertit hoc modo: *Si te iam Catilina comprehendi si interfici iussero, credo erit verendum mihi, ne, non hoc potius omnes boni serius à me quàm quisquam crudelius factum esse dicant, &c.* Poetis etiam hæc figura valde frequens. Vulgatum est illud exemplum Maronis, qui Georgicorum initio cum cecinisset

Quid faciat lætas segetes, quo sydere terram
Vertere Mœcenas, ulmisque adiungere vites.

Paucis interiectis subdit.

Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem Cælo, quæ ducitis annum
Liber & alma Ceres.

Conuertit Tullius orationem etiam ad res sensu carentes; cum nanque dixisset: *Non est humano consilio, nec mediocri quidem, Iudices, Deorum immortalium curâ res illa perfecta, me hercule ipse cum illam belluam cadere viderunt, commouisse se videntur, & ius in illo suum retinuisse*; Eleganti quidem Apostrophe, ad religiones ipsas, tanquam vitali sensu præditas orationem conuertit, dicens; *Vos enim albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obtestor vosque albanorum obrutæ arę, sacrorum P. Romani sociæ, & æquales, &c.* Huc pertinet Virgilianum illud

Troiaq; nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Non omittendum aduertere plerunque metri causa dumtaxat à Poetis figuram hanc usurpari.

Ab alijs exemplis supersedeo, cum tam apud eumdem Poetã, quàm apud alios videri possunt. Hæc autem figura in omni orationis parte locum habet, quamuis initio ipsam usurpari posse Fabius inficietur, immemor forsan primæ Catilinariæ, quam Tullius ab hac exorditur figura dicens; *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra &c.*

Plerunque contingit ut quispiam ad se ipsum Oratione conuertat, ut in Virgiliano illo.

Insere nunc, Mœlibœe pyros, pone ordine vites.

Quanuis hoc cum ironia Poeta dixerit.

Hoc autem schema plurimum mouet, summæque grauitatis est ad aduersarium urgendum, ut alij quoque notarum edocti à Tullio, qui in hunc finem schema istud usurpat, dum ait. *Quid enim Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro &c.*

Valet etiam plurimum ad increpandum aduersarium, nam ne utar exemplo paulo antea commemorato

Cicero pro domo sua ad Pontifices. Ibid. Act. 1. in Catil. Ibid. Ibid. Ibid. Lib. 1. Georg. Ibid. Cic. Orat. pro Milone. Orat. 1. in Catil. Ecloga 1. Orat. pro Ligario.

Digitized by Google

Orat. 1. in Catil. rato ex Tullio in Catilinam. *Quousque tandem*, &c. Illud præcipuum est apud eundem, *Iam ne vides bellua? Iam ne sentis? Quæ sit hominum quærela frontis tuæ? Nemo queritur Syrum nescio*, &c. Plurimum quoque momenti habet hoc idem schema ad commendandum, cohortandum, &c.

Orat. in Pisonem.

De Acclamatione.

Epiphonema quid lib. 8. cap. 5.

Ἐπιφώνημα, *Epiphonema* græcè, latinè, *Acclamatio* rei narratæ, vel probatæ, ut Fabius interpretatur. Quod etiam Hermogenes docuerat, fit autem cum post rem, aut factum oratio subditur & est velut sermonis extrinsecus assumpta coronis, non omninò tamen aliena à subiecta materia. Exemplum sit illud Ciceronis, dum ait. *Senectutem ut adipiscantur, omnes optant, eamdem accusant adepti.* His autem dictis illico per acclamationem subdit: *Tanta est inconstantia, stultitia, atque peruersitas.* Et alibi.

Tullius in Catone maiori.

Idem in Pisonem. *Sic odium, quod in ipsum attulerant, id in eius imaginem, ac simulacrum profuderunt.* Frequens etiam hoc schema Poetis est, ut apud Maronem, qui cum cecinisset.

Virg. lib. 1 Æneid. *His accensa super iactatos æquore toto*
Trohas, reliquias Danaum, atq; immitis Achillei
Arcebat longe latio: multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.

Subdit acclamando

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et apud eundem

Lib. 3. Æneid. *Fas omne abrumpit Polydorum obtruncat & auro*
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.

Huc pertinet, Ἐκφώνησις, græcè, latinè autem *pronunciatio*, siue *enunciatio*, hoc est, *exclamatio*, quanuis enim simplicem enunciationem hoc nomine significemus; attamen in Rhetoricis exclamationis nomen

Auctor ad Heren. lib. 4. & Tul. 3. de Orat. sumimus eo sensu, ut ipsa dicatur *quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius per hominis, aut urbis, aut rei cuiusplam compellationem*, hoc modo: *Te nunc alloquor Affricane, cuius mortui quoque nomen splendori, ac decori est Ciuitati*; fit igitur, quandocumque vox attolitur ad rei magnitudinem indicandam. Est exclamatio in illo Ciceronis: *O*

Act. 1. in Catilina Phil. 2. *tempora? O mores?* Et alibi. *O miserum me? Consumptis enim lachrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Quandoque ex graui indignatione licet in exclamationem erumpere, quanuis indignationis explicatio non præcesserit; quod in rebus grauibus fieri solet, ut exclamatio maiorem vim adepta, in audientium animis vehementiores affectus cieat. Huc pertinet exemplum illud ex Tullio. *O diem illum, Iudices, funestum senatui, bonisque omnibus Reip. luctuosum mihi*

Oratione pro P. Sextio. *ad domesticum mœrorem grauem, ad posteritatis memoriam glorioſum!* Et alibi. *O imprudentiam singularem!*

Philippica 2. *quid videras? quid senseras? quid audieras? neque &c.* Quandoque fit exclamatio præmissa indignationis

Ibidem. causa ut *Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam! ò imprudentiam prædicandam!* Et alibi: *Ad eiusdem ædes etiam, & hortos.*

Ibidem. *O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare, tu illarum &c.*

Ibidem. Exclamatio fit aliquando cum ironia, ut. *O præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid fœdius? quid &c.*

Oratione pro Cœlio. Fit etiam cum dubitatione. *O stultitiam, stultitiam ne dicam, an impudentiam singularem? auditis ne, cum ab ea muliere &c.* Non dissimiliter in illo Terentij.

Adelphi act. 5. sc. 3 *O Cælum? O Terra? O Maria Neptuni?*

Nec est semper opus interiectione, cum adhuc sine hac exclamatio fieri possit; enimverò, ut exclamatio est, *O miserum me?* ita quoque *Miserum me?* itaque hoc loco exclamationis nomine utimur pro oratione in qua interiectio expressa, aut intellecta, indicat animi affectum; intenditur autem pronunciatio ad rei magnitudinem significandam. Fit etiam per ἐρώτησιν Interrogationem, ut

Fit etiam per interiectionem.

Virgil. 4. Æneid. *Eu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt*
Accipere? Aut quid iam misero mihi deniq; restat.

Conducit ad misericordiam mouendam, Tullius in

Oratio pro Sylla. hunc finem illam usurpat. *O miserum, & infelicem diem illum, quo consul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus? O falsam spem? O Volucrem &c.* Ad iracundiam quoque ciendam. *O pestis? O labes? O tenebræ? O lutum? O sordes? O portentum in ultimas terras deportandum.*

Ibid.

De Deprecatione.

Δέησις. *Deesis* græcè, latinè, *Deprecatio*, figura est, *cum opem alicuius implor amus.* Ab alijs obsecratio, vel obtestatio dici solet. Talis est illa, quâ utitur Tullius: *Quæ cum ita sint, primum*

Cic. pro Rabirio. *quod in dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est ab Ioue optimo maximo, cæterisque Dijs, Deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio magis hæc Respublica, quàm hominum & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, præcorque ab ijs ut hodiernum diem &c.* Non dissimiliter alibi: *Quamobrem*

Cic. Deiotaro. *hoc nos primum metu C. Cæsar per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspiciemur: per dexteram te istam oro, quam Regi Deiotaro, &c.*

6. Æneid. Obsecratio etiam est illa apud Virgilium.

Quod te per Cæli iucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli
Eripe me his inuicte malis.

Schema hoc adhiberi solet ad incutiendum timorem animis audientium, hoc enim fit præcipuè si à Deo petatur auxilium, & causæ mætus, atque timoris esse-

Schema hoc adhiberi solet ad incutiendum timorem. rantur; & eo magis, quo non tam in aliorum animis, quàm in suo videatur Orator timorem imprimere. Ad obsecrationem reuocantur etiam inuocationes, quas Poetæ suis operibus prætexere solent. Ita Virgilius.

1. Æneid. *Musa mihi causas memora quo numine læso,*
Quidve dolens Regina Deûm tot voluere casus
Insignem pietate virum tot adire labores
Impulerit.

Nec minus eleganter alibi.

1. Geor. *Vos ò clarissima mundi*
Lumina labentem Cælo, quæ ducitis annum
Liber & alma Ceres.

Huc pertinet illud Claudiani.

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Voluis inexhausto redeuntia sæcula motu
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone Iugales
Efflantes roseum frænis spumantibus ignem.

Adhibetur hoc schema etiam ad misericordiam concitandam.

Ad misericordiam concitandam.

Optatio etiam & Salutatio, nempe vehementis alicuius desiderij significatio tam ab Oratoribus, quam Poetis solet usurpari. Conuenit autem dolenti timenti, & imperanti; quod exemplis illustrare facillimum est.

Optatio, Salutatio. Conuenit dolenti timenti & imperanti.

De

De Execratione.

Κατάρα *Catara*, græcè, latinè autèm *Execratio*; schema igitur est, *quo malum alicui præcamur*; idcirco dicitur etiam imprecatio. Ita Cicero: *Dij te perdant fugitiue ita non modo nequam & improbus, sed etiam fatuus & amens es.*

De Ironia.

Εἰρωνία, Ironia græcè, latinè autem *Irrisio*, seu potius *Illusio*. Si quid autem apud Rhetores controuersum, id sanè an omnis Ironia Tropus dici debeat. Fabius existimat geminam esse, nempe tropum, & schema: Immo & Ironiam Allegoriæ speciem esse contendit; cum in ea aliter intelligi volumus, quàm enunciamus; at schema, tam proprijs, quàm figuratis verbis instituitur, idque confirmat exemplo ex oratione pro Milone, desumpto; cuius, quoque supra meminimus; nempe: P. *Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest, luget senatus, mœret, equester ordo, tota ciuitas confecta senio est. Squalent municipia, afflictantur coloniæ agri deinque ipsi tam beneficum tam salutarem tam mansuetum ciuem desiderant.* Rectius tamen Ironia dicetur longè diuersa ab Allegoria, & à translatione, quoniam irrisionis gratia reperta est, quod in Allegoriam non cadit. Alijs placuit Ironiam esse schema, non tam λέξεως, quàm διανοίας, schema verò sententiæ esse conuincitur ex eo, quia mutatis verbis, & uniuersâ elocutione aliter explicata, manet itidem Ironia, nec leditur verborum immutatione; ut paulo post intelliges. Horum igitur consilium secuti, de Ironia nunc sermonem instituendum duximus; diuersâ enim consideratione potest ad schema dictionis, & sententiæ reuocari, sicut interrogatio ad utrunque schematis genus diuersâ tamen ratione pertinere dicitur. Ironia igitur est, cum per id, quod dicitur, contrarium intelligitur. cognoscitur porrò, vel pronunciatione, vel è rei natura. Neque perturbet, quòd aliquibus εἰρωνεία, sit *simulatio* vel *dissimulantia*, non enim sic à Rhetoribus usurpatur; nam ab alijs iuxta significationem illam accipitur, adeo ut hoc sensu familiaris Socrati foret Ironia, unde appellatum eum esse εἴρωνα, accepimus, quòd in dissimulando plurimum leporis, & venustatis haberet, quam ob causam scurram Atticum appellarunt; At Rhetoricis εἰρωνία nil aliud quàm id schema, quod fit, cum per id, quod dicimus, contrarium signamus; latine tamen non meliùs, quàm illusio dici potest. Ad rem autem quod attinet, nam hucusque de nomine, definiri solet Ironia, hoc modo, *Ironia est, cum aliud in pectore reclusum, aliud in lingua promptum habemus, & enunciationis sententia in contrarium à verbis excipitur*. Vel breuius, Tropus est, vel ut alijs placet, *Figura est per contrarium, quod conatur ostendens*. Ironiam tamen nisi grauitas pronunciationis adiuvet, confiteri videtur, quod negare contendit; itaque vim omnem habet in pronunciatione, ac risu, alioquin contrarium sensum rei intentæ explicat. Ironia est illa. *O præclarum iuris interpretem, auctorem antiquitatis, correctorem atq; emendatorem nostræ Ciuitatis!* ad significandum hominem nequã. Et alibi *Novum crimen (Cæsar, & ante hunc diem inauditum) propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Affrica fuisse idque.* Incipit ab ironia ad eleuandam criminis delationem. Locus totus ironicus est, & ad remittendam Cæsaris attentionem pertinet; Hîc explicandum quo superius innuimus, ut nimirum ostenderemus Ironiam esse figuram sententiæ; quia mutatis verbis eadem remanet; ex hoc enim exemplo Tulliano colligitur; dum enim ipse dicit. *O præclarum iuris interpretem auctorem antiquitatis, correctorem nostræ ciuitatis!* Possum idem aliter referre, nimirum. *Hic enim egregius auctor communium commodorum custos, & Reipublicæ defensor, salus, & columen ciuitatis*; de quo tamen contraria intelligi velim. Possum etiam aliter enunciare, dicendo *Vir iste præclarus est, cuius ope & auxilio suffulta Respub. penitus dici potest*. Vides itaque mutatâ prorsus elocutione, adhuc illæsam remanere ironiam; quòd inditio est, eam λέξεως esse figuram.

Huius autem species esse dicuntur χλευασμός, *cauillatio* χαριεντισμὸς *dictum salsum, & facetum*, siue scomma, Ἀστεϊσμὸς *urbanum dictum*. Διασυρμὸς, *irrisio, siue obtrectatio, seu ambigua dictio*, Ἐξουθενισμὸς, *extenuatio, siue contemptio rei*. Σαρκασμὸς, irrisio *amarulenta, atq; hostilis*. Singula hæc schemata exemplis declarare, superuacaneum puto.

De Antiphrasi.

Ἀντίφρασις *Antiphrasis* græcè, latinè verò è quorundam opinione est figura sententiæ, *cum quædam negamus nos dicere, & tamen dicimus* ut: *non tangò quòd auarus homo est, quodque improbus omitto*, & apud Maronem — Antiphrasis quid.

An memorem portus Lucrinoque addita claustra? — 2. Georg.

Sed hæc potius præteritio, de qua postea

Antiphrasis autem aliâ sumi debet significatione iuxta quam in abusu nominis, etymologiæque consistit, ut *Parcæ* dicuntur, quia nemini parcunt. *Bellum*; eoquòd nihil habeat belli, *Lucus* quia luce caret. — Alia huius schematis acceptio.

Discriminis aliquid est inter Antiphrasin, & Ironiam, quoniam per hanc solâ voce cum irrisione contrarium intelligitur; per illam autem non item, cum contrarietas per verba, à quibus originem ducit, declarari debeat; sumptâ tamen Antiphrasi iuxta secundam usurpationem. Discrepat etiam ab *Antithesi*, & *Antitheto*, nam in his verba verbis, vel sententiæ sententijs opponuntur; at in Antiphrasi nomen solum contrarium est ei, à quo originem ducit.

De Emphasi.

Ἔμφασις, *Emphasis* græcè, sed latinè *efficacia, significatio, vel demonstratio*. Fit aliquibus, *cum vocabulum adhibitum singularem vim habet*. Alijs autem vox est modificata vim orationis magis intendens, quàm si propriâ usi fuissemus. Alij fit, cum plus ostenditur menti, quàm verba ipsa declarant, nam, inquiunt, subest in verbis tacita quædam significantia, ut propterea quibusdam sit Emphasis, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. Tullio autem fit cum plus ad intelligendum, quàm dixeris, significatur. Sed à Fabio tandem rectè definitur, *Virtus altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per se ipsa declarant*; hoc enim modo rectè diuiditur in duo genera, quorum unum est quo plus significatur, quam dicitur, ut apud Maronem. — Emphasis quid.

Inuadunt urbem somno vinoque sepultam. — 2. Aeneid.

Plus enim significat, quam si dixisset *oppressam*; sic apud Terentium.

Tu quantus quantus nihil, nisi sapientia es. — Adelph. act. 3. sc. 3.

Hac locutione plus significat Poeta, quàm si dixisset.

Tu quidem sapientiâ summâ es ornatus.

Alterum huius est schematis genus quo significatur

Pro Milone. tur id, quod non dicitur, ut si dicas. *Tu Cretensi fidem habes?* Hæc locutio non significat simpliciter hominem in Creta natum, sed ut Fabius ait (pro gentis illius ingenio) perfidum. Sic Tullius. *Vota enim feceratis, ut potius mitteret, quàm in vestras possessiones &c.* Non longè abit Virgilianum illud

Æneid. *Demissum lapsi per funem.*

Quanuis enim equi magnitudinem non dicat, illam tamen significat dicendo esse opus fune ad descendendum. Huic non dissimile admodum est illud Homeri.

Odyss. 2. εἰς ἵππον καταβαίνομεν.
In equum descendimus.

Sic & Lucretius.

Lib. 2. de Rerū natura. *Mortalia secla superne*
Aurea de Cælo demisit funis in arua.

Quintus Curtius lib. 4. Hoc enim loquendi genere magnam distantiam inter Cælum, & terras indicauit.

Alibi etiam Virgilius hanc adhibuit figuram, nam de Cyclope loquens, eius prodigiosam magnitudinem significat hoc schemate, utens dum ait

L. 3. Aen. *iacuitque per antrum*
Immensum.

Illud etiam in huius, de quo loquimur, schematis illustrationem adduci solet, quod apud eundem Poetam habetur.

3. Georg. *Cum iam grandes, atque arbuta sacra*
Deficerent syluæ.

Nempe non solum alijs, sed & sactæ quoque. Insignis pariter est Emphasis, cuius meminit Curtius in persona Darij loquentis ad milites hoc modo. *Terrarum quas Oceanus &c.* paucis interiectis subdit. *Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet &c.*

Inter schemata *διανοίας* recensui Emphasin eâ ratione ductus, quia variatâ elocutionis formâ remanet, semper Emphasis, nam Cicero ad significandum telum esse impudentiâ emissum ait; *si telum manu fugit*, huius autem variatâ locutione remanet Emphasis, ut si dicas, *si manu fugit telum*; vel *si fugit manu telum*, vel *telum si manu fugit*; utcunq; tamen se res habeat, res nullius momenti est.

De Præteritione.

Præteriti quid. Παράλειψις. *Paralipsis* græcè, latinè autem *Præteritio* figura est, *cum simulamus nos omittere, quod maximè dicimus*, vel *nolle dicere affirmamus, & tamen dicimus.* Tribus autem ex causis Hermogene docente, hoc schema fit, vel quia res sunt paruæ, vel quia notæ, vel quia ingratæ, ac molestæ sunt, non omninò tamen prætermittuntur, quoniam Oratori speciem aliquam utilitatis afferunt. Exemplum Præteritionis esse potest illud apud Tullium. Orat. pro Lig. *Prætereo illa, quæ prætereunda non sunt, nullum huius in priuatis rebus factum auarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari sordem posse proferri.* Exemplum alterum sit apud eundem. Orat. contra Rull. *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ, atque damni, prætermitto illa, quę nemo est, quin grauissimè, & verissimè conqueri possit; nos caput patrimonij publici &c.* Item apud eundem. *Omitto socios extra nationes reges tetrarchas (vota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quàm in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias) pecunias dico, à liberis &c.*

Schemata apta ad docendum.

Schem. ad docendum. Superiora schemata nobis visa sunt præcipuè tractanda ex innumeris, quę iam excogitata sunt, & etiam excogitari possunt; sunt, autem nonnulla, alia schemata obiter saltem explicanda, è quibus aliqua faciunt ad docendum, cuiusmodi sunt sequentia.

SCHEMATVM DOCENTIVM CATALOGVS.

1 Ὑποφορά.	*Hypophora.*	*Subiectio.*
2 Ἐπιτροπή.	*Epitrope.*	*Concessio.*
3 Πρόληψις.	*Prolepsis.*	*Præoccupatio.*
4 Συναθροισμός.	*Synathroismus.*	*Congeries.*
5 Ἀνακοίνωσις.	*Anocœnosis.*	*Communicatio.*
6 Κατοχή.	*Catoche.*	*Commoratio.*

De Hypophora.

Hypophora quid. Ὑποφορά *Hypophora* græcè, latinè *Subiectio*. Figura est cum Orator se ipsum interrogat, sibique respondet, vel subiicit, quod obiici posset, ut, *Quid ergo audacissimus ego ex omnibus? Minimè, at tanto officiosior, quàm cæteri, ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut alijs eam præceptam velim.*

De Epitrope.

Epitrope quid. Ἐπιτροπή *Epitrope*, græcè, latinè *concessio*, fit cùm quidpiam petimus, quod si impetrare non possumus, nihilominus etsi iniquum videri queat partem concedimus, ut reliquum feramus; non propterea tamen ista concessio dici παρομολογία confessio potest; id enim interest inter hæc, quod ἐπιτροπὴ partem, at παρομολογία totum, concedit. Alia est seria, quæ videnti conuenit, & hâc utimur cum parte quantumvis concessâ nos tamen superiores fores confodimus, atque particulis *est*, *sit*, *ita*, *fac*, &c. exprimi solet. Concessio illa est apud Tullium de Inuidia loquentem. *Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs.* Item *Verum est ripe hæreditatem propinquis*, &c. sic etiam alibi. *Vtrum quid agatur non vides? aut &c.* Et paucis interiectis. *Esto causam proferre non potes tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure &c.* Et apud eundem. *Quæ quidem si potentia est appellanda potius, quàm propter magna in Rempub. merita, me diocris in bonis causis auctoritas, aut propter officiosos labores, meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita sanè; dummodo &c.* Datur etiam concessio Ironia, ut apud Tullium. *Qua in re illud primum reprehendo, & accuso &c.* Datur & σύγχωρησις permissio; quę concessio non est, quin ab ea differt, quòd concessio dictorum sit, permissio autem factorum, & est vel vera, vel ficta; vera quidem, ut apud Cornificium: *Quoniam omnibus rebus ereptis, solum mihi superest animus, & corpus; hæc ipsa, &c.* Ficta etiam est illa: *Sitfur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps; at est bonus imperator, & felix, & ad dubia Reip. tempora præseruandus.* Sic apud Terentium

Tibi

Tibi si istoc placet
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.

De Præoccupatione.

Πρόληψις. *Prolepsis*, græcè, latinè verò *Præoccupatio*, figura est, *cum quæ nobis obijci posſùt præuenimus, atq; dissoluimus.* Sed non eodem modo usurpatur à Grammaticis, Rhetoricis, & à Poetis. Enimverò Grammaticis est, cum ubi de toto diximus partibus subijcimus, vel cum res sub una proprietate; ad res diuersas absque copula distribuuntur; adeo ut quædam incongruitas appareat. Exemplum huius prolepseos apud Grammaticos est illud ex Liuio. *Consules profecti Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem gaurum, hic ad Saticulam castra ponunt.* Et apud eundem. *Ita duo deinceps Reges, alia uiâ, ille bello, hic pace ciuitatem auxerunt.* Fit autem in tribus accidentibus. Primò in genere ut, *Duo sibili mihi auditi, unus subtilis, alter acutus*, In numero, ut. *Principes utrinque pugnam ciebant, ab Samnitis Mutius curtius, ab Romanis Hostius Hostilius.* In persona ut: *Ego crapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus.*
Et apud Maronem.

——— conuenimus ambo
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Sed Rhetoricis hoc schema fit, cum id, quod contra nos dici potest, callidè anticipamus, atque diluimus, vel ut alijs placet, (& in idem recidit) cum id, quod in aduersarij causa, aut iudicis opinione esse, aut fore arbitramur, nobis contrarium præoccupamus dicere, & ratione dissoluere. Non una est Prolepseos formula, una quidem est elegans apud Tullium. *At audistis Patres Conscripti Philosophi vocem negauit, se triumphi cupidum unquam fuisse. O scelus, ò pestis, ò labes, &c.* Insignis est etiam illa apud eundem. *Etsi vereor, Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere; minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quàm de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse.* Vbi statim adnectit Prolepseos solutionem dum ait, *tamen hæc noui iudicij* &c. Non dissimiliter cum ait: *Dicet aliquis, hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes?* &c. Vbi respondet: *ego si quis Iudices, hoc robore animi, atq; hac indole virtutis, ac continentiæ fuit ut respueret, &c.*

De Synathrœsmo.

Συναθροισμὸς, *Synathrœsmus* græcè, latinè *congeries*, *est coaceruatio plurium dictionum res diuersas significantium*; pleriſque tamen distributionis nomine visum est congeriem etiam comprehendere; at reverâ distributio vel pro genere suas ponit species, quo pacto διαίρεσις est; vel pro toto essentiali, aut materiali, seu quantitatiuo, partes affert, quæ ei respondeant, quâ ratione μερισμὸς nuncupatur. At verò congeries propriè varias personas, actiones, aut res enumerat, & in unum quasi acervum congregat atque condensat; ideoque dicitur, συναθροισμὸς *Synathrœsmos*, qui à synonymia differt, quod hæc plura æqualia; congeries autem plura omninò diuersa congerit. Exemplum ex Tullio. *Quæ enim tanta potest existere ubertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum, atque incredibile genus orationis, quo quisquam* &c. Item. *An vos aliam causam esse ullam putatis, cur inatantis præmijs eloquentiæ tantâ voluptate dicendi, tantâ laude, tantâ gloriâ,* &c. Item. *Vide quam sit varia vitæ commutabilisque ratio, quàm vaga volubilisque fortuna: Quantæ infidelitates in amicis*, &c.

Orat. pro Milone.

Sed aliquibus hæc figura videtur multiplex, ut videlicet verborum, aut rerum, aut argumentorum collectio, quam non iniuria magni faciunt, tanquam illam, quæ præcipiti quadam volubilitate, sic orationem incitat, ut instar torrentis auditorum animos vehementer abripiat. Multa hîc dicenda forent, quæ breuitatis gratia cogor præterire; solùm id adnotabo, scilicet ad congeriem, interpretationem reuocari, quæ planè contingit, *cum ornandi, vel augendi causa rem eandem pluribus modis enunciamus.*

De Communicatione.

Ἀνακοίνωσις, *Anacœnosis* græcè, latinè *communicatio* est deliberatio, *cum ijs ipsis apud, aut contra quos dicimus.* Duplex esse perhibetur. Primò enim, quoniam inficiari, vel culpam transferre non possumus, participem vel consilij, vel facti nostri aduersarium facimus. Fabius rem exemplo sequenti declarat; *At illa*, inquit, *nescit trepida, quid liceat fœminæ, quid coniugem deceat. Forte vos in sollicitudine obuios, casus miseræ mulieri obtulit. Tu frater, vos paterni amici, quod consilium datis.* Tullius: *Quando enim frequentissimo Senatu quatuor, ad summum quinque sunt inuenti &c.* Et hoc cum interrogatione factum vides, plerunq; consilium nostrum cum auditoribus ita commune facimus, ut ab ipsis quid agendum petamus; ut *cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud feciſſetis?* Elegans est illa communicatio etiam, quàm usurpat Cicero; dum ait; *Est hæc res posita, quæ ab aduersario non negatur: Cecinnam cum ad constitutam diem, tempusque veniſſet, ut ius, &c.* Et alibi auditores consulit, cum ipsis deliberat, & Iudices rogat: *Tu denique Labine quid faceres tali in re, ac tempore? Cum ignauiæ ratione, fugam, &c.* Item: *Quæro si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modo limine, tectoque ædium tuarum? sed primo aditu*, &c. Interdum enim communicationi coniuncta est responsio, & propositæ dubitationis expeditio.

Communicatio quid.

Orat. pro Cæcinna.

Orat. pro Rabirio.

Orat. pro Cæcinna.

De Commoratione, seu Mora.

Κατοχὴ, *catoche*, græcè, latinè, *Mora* seu *Commoratio* est, cum in aliquo loco firmissimo, in quo causæ robur uniuersum consistit, diutius immorantes frequenter ad eum reuertimus, ut melius insinuemus quod ad probandum assumptum fuit.

Commoratio quid.

De Communibus figuris.

Schemata quædam siue figuræ sunt, quæ cuilibet orationi singulisque partibus eiusdem aptari possunt. Huiusmodi porrò censentur quæ sequuntur.

Figuræ cõmunes quæ dicantur.

1. Ἐπιτομὴ. *Breuitas* 2. Διόρθωσις. *Correctio* 3. Παρρησία. *Licentia* 4. Παράδοξον, seu ὑπόμνησις. *Sustentatio* 5. Διαπόρησις. *Dubitatio* 6. Μερισμὸς. *Distributio.* 7. Μείωσις. *Diminutio* 8. Ἔπιδοσις. *Incrementum* 9. Ἐπιτροπὴ *Permissio.* 10. Μετάβασις. *Transitio.*

Ἐπιτομὴ. *Epitome*, græcè, latinè, *Breuitas*, est *cum res verbis tantummodo necessarijs expedimus;* Breuitate autem utimur, vel temporis angustia coacti, vel quia res, de qua agitur copiosiùs tractari reculat. Non est opus exemplis. Cauendum tamen cuique ne dum breuis esse vult obscurus fiat.

Breuitas quid.

Διόρθωσις. *Diorthosis*, græcè; latinè *Correctio*, est *qua verbum, aut sententiam aliquam iam dictam tollimus*

Correctio quid.

Digitized by Google

In Verrē. Orat. pro Cœlio. Licentia quid.

mus vel aliâ quâpiam emendamus, atque corrigimus. Tullius ea utitur dicens. *Non enim furem, sed raptorem, non sacrilegum, sed hostem.* Item. *O stultitiam! ne dicam impudentiam singularem!*

Παῤῥησία. *Parrisia*, græcè, latinè *licentia* fit, *cum liberius Orator obiurgat ea, quæ grauia, & periculosa sunt, citra quamlibet offensionis notam*, cum nimirum apud eos, quos, aut vereri, aut metuere debet; aliquid tamen pro suo iure dicit, quod eos minimè possit offendere, ut *Verum, & tu forsan audire nolis, & ego nisi nunc dixero, aliàs nequaquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitûs, hæc tot gentium, & totius Orientis excita sedibus suis moles finitimis potest esse terribilis*, sic Atheniensis ille coram Dario locutus est; Tullius quoque non semel hanc figuram adhibuit. *Vos Patres*, inquit, *Conscripti (graue dictu est, dicendum tamen) vos, inquam, Suplitium vita priuatis.* Item. *Vide quàm non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ*, &c. Correctio etiam est, dum Tullius ait (*Vota enim feceratis, ut in eas se potius mitteret, quàm in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias*) *pecunias dico? &c.*

Q. Curtio lib. 3.

Philip. 2. Pro Ligario.

Sustentatio quid.

Philip. 2.

Ἑπομονή *Epomone* græcè, latinè, *Sustentatio*. *Figura est, quâ diu auditorum animos suspensos tenemus minora quædam recensendo, mox aliquid inexpectatum, vel graue vel ludricum subiungimus.* Hoc itaque modo auditoris animum aliquandiu suspensum tenemus, antequam ipsi, rem pectore seruatam exprimamus. Valet ad exagerãdum tum in vitnperium, tum in laudem, ut: *Quid putem contemptum ne meî non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis &c.* Idem alibi: *Quod igitur est remedium? quod? ne liceat pupillo redimere.* Adhiberi etiam solet ad laudandum, ad minuendum, ad iocandum &c.

Vituperationis causa solet adhiberi.

Verrina 2 Diaporesis quid.

In oratore ad Brutũ.

Διαπορησις, siue Ἀπορία, *Diaporesis*, siue *Aporia* græcè, latinè, *Dubitatio*, figura est, quæ fit cum in ancipiti versamur, animo vè pendemus, eo quod nescimus quid è duobus, aut pluribus dicendum, aut agendum sit, cumque nos quærimus unde incipiendum, desinendumq; sit, quid præcipuè dicendum, & an omninò dicendum sit. Cicero. *Vtrum difficilius, aut maius esset negare tibi sæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multumque, Brute, dubitaui. Nam & negare ei, quem unicè diligerem, cuique me, &c.* Pierunque per interrogationem instituitur, ut apud eundem. *Quid primum querar? aut unde potissimum, Iudices, ordiar? aut quod, aut à quibus, &c.* Item. *Quid primum, aut quæram, Iudices?* Item. *Equidem quod ad me attinet, quo me vertam nescio, negem fuisse, &c.* Elegans etiam & illud: *Nunquam mihi defuturam orationem, quâ exercitum meum alloquerer, credidi, non quo verba unquam potius, quàm res exercuerim, sed quia, &c.*

Oratione pro Roscio Amerino. Act. 7. in Verrem. Orat. pro Cluentio. Liuius lib. 8. num. 27

Μερισμὸς *Merismus* græcè, latinè *Distributio*, fit *cum negotia aptè in plures personas distribuimus, aut rem aliquam in plura munera, aut ornamenta diuidimus.* Illud ex Tullio exemplum esse potest: *Sed ego Atracino humanissimo, atque optimo adolescenti meo necessario ignosco, qui habet, &c.* Vulgatum est exemplum utpotè ab alijs usurpatum. *Alexandro Macedoni neque in deliberando consilium, neque in præliando virtus, neque in beneficio, benignitas deerat*, &c. Hoc itaque modo figura ista perficitur.

Merismus quid.

Oratione pro Cœlio.

Μείωσις *Miosis* græcè, latinè *Diminutio*, fit *cum aliquid egregium de nobis dicendum est, id verbis attenuamus, ne videamur arrogantes.*

Miosis quid.

Ἔπιδοσις. *Epidosis* græcè, latinè *Incrementum* fit *cum* sententia paulatim excrescit, ut apud Tullium. *Facinus est Ciuẽ Romanũ vinciri, scelus verberari, propè parricidium, necare, quid dicam in crucẽ tollere?* Et alibi. *Vt hoc cogitetis nisi in hac causa, qui vester animus sit ostendatis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, ut non modo clam, verum etiam hîc in foro ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint.* Ex hisce gradibus continuò crescentibus infimus est *clam*, alter *in foro*, tertius *ante tribunal*, quartus, *ante pedes*. Quintus, isque summus *inter subsellia*, quo nomine intelligenda sunt illa, quæ Iudicibus, accusatoribus, & reis destinata erant.

Epidosis quid. Act. 7. in Verrem.

Epitrope quid.

Ἐπιτροπὴ, *Epitrope* græcè, latinè *Permissio*, figura est, quæ fit, quando alicui vehementer aliquid confidimus, & ostendimus nos id tradere, atque concedere voluntati ipsius.

Μετάβασις. *Metauasis*, græcè, latinè *Transitio*, vulg òdici solet, figura, *quâ breuiter monemus, & quid dictum sit, & quid restet.* Hæc tamen definitio minus eo nomine placet, quòd non nisi perfectæ transitioni conueniat. Perfecta autem transitio est, quâ utrunque exponitur, & quid dictum sit, & quid dicendum: imperfecta verò, cum tantùm horum alterum exprimitur è quibus aliquæ priorem tantummodo partem commemorant, aliquæ verò posteriorem. Rectiùs ergo dicetur Transitio figura, per quam aliud præter rem propositam dicimus, quo digressi ab antea dicto, quid piam aliud adijciamus, ad quod accedimus; multiplices utriusque sunt transitionis formulæ, quæ apud scriptores videri possunt. Ad transitionem perfectam, quod attinet, considerandum illud occurrit, non omnes ab eodem fonte deriuari, quandoquidem sumi possunt ab æquali, ut: *quæ de Alexandro dicebamus, erant scitu planè dignissima, non minus tamen voluptatis afferent, quæ de Cæsare dicturi sumus.* Interdum ab inæquali, ut; *Hucusque præclara facinora Pompeij sum persecutus, nunc ad exponenda longè clariora descendam.* Sumuntur etiam transitiones à simili, ut: *Hactenus exposita magna sunt scelera Neronis; nunc eiusdem generis in medium afferre contendam;* A contrario, ut: *Sed hæc priuatim à Cæsare sunt facta, quæ autem publicè gesserit, explicanda superstant.* Alijs etiam ex fontibus perfectæ transitiones deriuantur, quales autem Tullius adhibuerit ex eius monumentis cuique licebit colligere, nam eius sunt, quæ sequuntur. *Persolui primæ epistolæ, venio ad secundam.* Item *Rescripsi epistolæ maximæ, audi nunc de minuscula.* Item. *Respondi tuæ paginæ postremæ, primâ meâ, nunc ad primam reuertar tuam.* Item. *Antemeridianis tuis literis heri statim rescripsi, nunc respondebo vespertinis.* Amplius. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Item. *De Exordio satis dictum est: deinceps ad narrationem transeamus.* Imperfectæ verò transitiones erunt huiusmodi. Et quidem tales ut primum duntaxat membrum commemorent. *Quod ad definitiones hactenus, reliqua videamus.* Item. *Quæstura istius demonstratâ, reliqua attendite.* Hæ porrò, quæ sequuntur tantùm posterius membrum exponunt; *Nunc reliquorum Oratorum ætates persequamur*, Item *Age nunc illa, videamus, Iudices, quæ consecuta sunt.*

Lib. 16 Epist. 15. Lib. 3. Epist. 1. Lib. 6. Epist. 2. Lib. 6. Epist. 13. Prolege Manilia. Lib. 1. ad Heren. Tullius in Topicis. Actione 1. in Verrem. Tullius in Bruto. Pro Marcello. Eloquentiæ in arte dicendi, præcipuam habet.

SECTIO QVARTA.

De alijs ad Elocutionem spectantibus.

NEminem admiratio subeat, si nos in Elocutione tractanda nonnihil adhuc persistendum arbitremur, nihil enim in hac arte comperies Elocutione

Digitized by Google

sie præstantius, nam cæterarum rerum, quæ in Oratore sunt, quisque partem aliquam sibi potest vendicare; at verò eius, quæ est dicendi; siue eloquendi sapientum omnium consensu, non potest; cum hoc Oratori sit proprium; eloqui nanque nil aliud, quàm omnia quæ mentis agitatione sunt animo fideliter consignata, promere, & aperire, & audientibus patefacere; sine quo rectè dixeris nullam eloquentiam esse, cum hæc sit copiosè loquens sapientia; eloquens enim is est, qui ita dicit, ut probet, ut delectet, ut flectat, sed hoc à verborum delectu proficiscitur, cum omnis Eloquentiæ dignitas in aptè, ac ordinatè dicendo, non immeritò posita esse iudicetur: At in Elocutione quatuor attendenda esse Rhetores decreuerunt; nimirum, ut limpidè pro Idiomatis conditione; ut planè; ut ornatè; & ut ad id, de quo agitur, appositè, congruenterque dicamus.

Quatuor elocutione spectanda.

Oratori gantia id. ist. 10.

Ex quatuor autem, quæ diximus in elocutione spectandis, priora duo sunt, ex quibus orationis præcipua virtus, nimirum elegantia consurgit; græcè siquidem elegantia dici solet θιλοκαλία, vel potius Κομψότης; nam θιλοκαλία potius elegantiæ studium honestique amorem significet, ut ob id rectius Κομψότης dici debeat; etsi nanque Κομψότης Platoni sit lepor, festiuitas, urbanitas, subtilitas, & argutia; nihilominus τῦ λόγυ κομψότης, dici potest, cum elegantiæ nomine hoc loco, nos intelligi velimus leporem, aut venustatem, quâ duplici nomine splendet oratio; ut idcirco duæ sint eius partes: Latinitas (loquimur enim de latini idiomatis elegantia, quæ tamen cæteris idiomatibus accommodari potest) & Explanatio. Latinitas est, quæ sermonem purum ab omni penitus vitio seruat, & in Grammaticis officinis quærenda est: at Explanatio apertam atque dilucidam orationem reddit. Elegantia è duabus prædictis partibus efflorescens, rectam orationem reddit, licet ornamentis destitutam, quæ à tropis, atque figuris enascuntur, adeout oratio talis sit, qualem Cæsaris in commentarijs vult esse Tullius hoc modo loquens. *Orationes quidem eius mihi vehementer probantur, complures autem legi, atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti, & venusti; omni ornatu orationis, tanquam veste detracta*, &c. Quasi minime illi placeret orationem inflectere, nec unquam à viâ rectâ discedere, eoquòd summam dementiam crederet orationem detorquere, cui rectam esse liceret. Tametsi autem nemini sanæ mentis nimium calamistrata probari possit oratio, veluti plus æquo luminibus illustrata, omnibus tamen ornatibus destituta, matrona est, ijs exuta vestibus, quibus pro conditione personæ induta esse debet. De huiusmodi ornatibus multa diximus, quibus decorari debet oratio. Pauca quædam addenda supersunt, sed non eadem est, epistolam, historiam, & orationem scribendi ratio; ob id non idem in his elocutionis genus indiscriminatim usurpandum; quod enim Tullio in Cæsaris commentarijs probatur, in epistolis, multoque magis in orationibus displiceret; quoniam autem de elocutione generatim dixi, nunc de eadem speciatim pauca dicam.

atinitas id.

xplana- quid. legantia id.

Bruto

Prima locutionis virtus erspicuitas.

Primam quidem elocutionis virtutem, cum Aristotele dictum à nobis fuit in eo positam esse, ut sit perspicua: alteram in eo, ut rebus ipsis conueniat, sed ex eiusdem Philosophi sententia supereſt illud addendum, quod nimirum Oratoria elocutio sit emendata, hoc autem quinque rebus à nobis obtineri posse, luculenter ipse declarat. Primò; ut rectè coniunctionibus utamur. Secundò; ut proprietatem seruemus. Tertiò; ut ambiguitatē declinemus. Quartò; ut genera distinguamus. Quintò; ut numeros obseruemus. Aduertendum autem coniunctionum nomine à Philosopho etiam pronomina coniunctionibus appolita intelligi; nam tres tantùm veteres orationis partes esse voluerunt, *Nomen, Verbum, & Coniunctiones*; sed harum partium numerum posteritas auxit; docet igitur coniunctiones ita se habere, ut aliæ præponi, aliæ verò postponi debeant, & quædam etiam sibi vicissim respondere. Oportet igitur ijs uti, sicut eatum natura postulat, adeout ordo peruertendus non sit. Affert exemplum de his duabus coniunctionibus, *quidem*, & *ego quidem*. Hæ nanque præponi solent, & post se duas illas *verò*, & *ille verò*, postulat. *Principis est imperare; subditi verò obtemperare. Ego quidem hoc iuxta rectam rationem feci, ille verò voluptatem spectauit*. Non solùm opportunè debemus coniunctiones collocare, sed etiam aduertere, ne nimis longo interuallo sibi respondeant, nam hoc memoriam impedit, & orationem confusam reddit; ideo ait. Δεῖ δὲ ἐως μέμνηται, ἀντακολουθεῖν ἀλλήλοις. τὸ μήτε μακρὰν ἀπαρτᾶν. *Oportet autem, quoad meminerit referri inter se, & non longè separare*. Grauiter itaque peccant, qui periodos usque eo protrahunt, ut uno spiritu pronunciari non possint, & multa sæpe in media periodo interserunt, quæ confusam ac perturbatam orationem reddunt. Nec etiam coniunctiones coniunctionibus accumulandæ sunt, priùs quàm absoluta sententia sit, hoc enim summam obscuritatem parit, atque molestam orationem reddit. Non itaque, ut ab aliquibus fieri solet, multæ sunt coniunctiones interponendæ, nec inculcandæ prius quàm, necessaria coniunctio reddatur. Vt si quis diceret. *Cum primum Româ discessi, in cuius omnes partes, si non nihil oculos conuerteris facilè videbis, quantum hæc Vrbs cæteris præstet, ac antecellat; magna enim ex parte in plano quidem loco explicatam conspicies, fontibus irrigatam, vijs amplis, perpetuisque diuisam, tam multis ornatam, atque distinctam domibus, ac templis, ut ornamentum totius orbis illam appellaueris; in summas profectò angustias adductus sum, adeout nunquam fortuna se mihi facilem, atque benignam præbuerit*. Vbi coniunctiones illæ *cum primum*, & *profectò*, nimis longo interuallo distant.

quinque rebus cō paratur.

Lib. 3. Rhet. cap. 10. alias 5

Altera elocutionis emendatæ pars, ut res proprijs, atque suis nominibus appellemus, non autem multis ambagibus circumscribamus, alioquin in obscuritatem incidimus.

Altera elocutionis emendatæ pars.

Ad emendatam etiam elocutionem quammaximè conducit ambiguitatis remotio, nihil est enim, quod magis obscuram orationem reddat, quàm ambiguitas, quippe quæ tanto pere desideratam perspicuitatem in oratione destruit. Ambo tamen præcepta Oratori seruanda, nisi is intelligat contraria sibi prodesse posse, tunc enim & verborum ambagibus, & ambiguitate uti poterit, necessitate coactus, cum scilicet non aliter se in causa superiorem esse posse cognouerit. Orator enim ex verborum circuitu, quemadmodum ex ambiguitate aliquam utilitatem consequitur. non minus ac ex ambiguitate, propterea quòd auditores, dum multa verba audiunt, grauiter serioque prolata, facilè putant quæ dicuntur, vera esse, & idcirco ijs temerè assentiuntur, cum quæ ambigua verba proferri audiunt, non secus afficiuntur ac ij, qui Ariolorum, & Oraculorum prædictionibus aures præbent, quas etiam rudiores homines se intelligere existimant, cum tamen in ijs quàm facillimè decipiantur. Nam hæc est diuinantium ars, ut generatim

Ambiguitatis remoto ad emendatā elocutionem fac.

Secunda ut sit apta ebus.

mendata locutio

Digitized by Google

non particulatim in posterum præsentiant, quia minus peccatur in generibus, siue uniuersalibus, quàm in particularibus, ut qui ludit par impar, cum ignoratur à socio, quid manu teneat, facilius diuinat, cum dicit esse paria, vel imparia, quàm si dicat esse tria, aut sex; & ideo vates ac augures facile sic prædicendo possunt ab adstantibus sibi fidem conciliare. Eoque magis, quia non dicunt quando id euenturum sit, quod ipsi prædixerint, quoniam hoc modo minus peccant; puta minus peccant si dixerint simpliciter futurũ aliquid, quàm si prædixerit hoc vel illo tempore id esse futurum. Ad ambiguitatem quod attinet; Ambigua dictis generalibus similia sunt, & ad fallendum idonea, ob id Oratori summopere declinanda, nisi necessitas cogat.

Quartum, quod ad emendatam elocutionem conducit.

Erat ordine quartum, ad emendatam elocutionem conducens generum distinctio, adeo ut non confundantur, sed quæ virilia sunt, viris accommodentur, quæ muliebria mulieribus, quæ neutra, neutris. Tullius consecutionem fieri dicit, cum genera, numeri, tempora, personæ, casus, diligenter obseruantur. Itaque si quis diceret *illa autem reuersa, & collocuta discessit*, (est autem exemplum consecutionis in genere) benè diceret, secus si diceret, *Illa autem reuersa, & collocutus discessit*, malè nanque loqueretur, orationem enim genere perturbatam faceret.

Quintũ, quod emendatã elocutionem facit.

Quinta tandem res erat emendatam orationem reddens, numerorum obseruantia, nam ex numeris prouenire potest orationis perturbatio. itaque, ut Philosophus ait, bene quis diceret, *Hi, cum accessissent, me percusserunt*. Secus si diceret *Hi, cum accessissent, me percussit*. Cæterum hæc duo præcepta, ex Grammatico fonte dimanant, ad regulas enim concordantiarum pertinet.

Hæc ad Grammaticos pertinent.

Curandum Oratori, ne oratio sit obscura, nec solœcismi vitio laboret; qua de re supra nos multa diximus, quibus nihil addendum, cætera enim à Grammaticis petenda sunt.

Quæ supersunt adnotanda.

Solum itaque supereſt ut hîc breuiter adnotemus, quibus rebus fiat grandis oratio; Primum hac in re docet Philosophus illud esse, ut definitio loco rei definitæ ponatur; hoc enim ex eius sententia, ad orationis amplitudinem, & granditatem p'urimum habet momenti. Quia tamen in ciuili oratione omnis est vitanda obscœnitas, ac turpitudo; & plerunque nos cogimur de rebus parum dictu speciosis verba facere, tunc ob id oportet aduertere num illa obscuritas sit in verbo, an vero in definitione; si nanque in verbo fuerit, adhibenda est definitio, sin autem, contrarium oportet facere.

Quæ grãdem orationem efficiunt.

Quæ autem orationem grandem, & illustrem efficiunt, præcipuè sunt translationes, & addita ad nomen, hoc est epitheta, ex quorum usum cauendum in primis ne poetica euadat oratio.

Ad augẽdam orationem quid etiã faciat.

Ad augendam orationem facit etiam si plulari pro singulari utamur, atque adeo synecdochen usurpemus; Conducit quoque distinctio nominum, & membrorum, quæ quanuis copulari possint, disiunctim tamen adhibentur, ut cum dicere possimus *nostræ mulieris ornatum abstulit*, potius dicamus, *eius mulieris, quæ nostra est, ornatum abstulit*; & est Aristotelis exemplum. Fit itidem granditas orationis, atque adeo ipsa dilatatur, si copula iungatur, quemadmodum ex aduerso minuitur, atque contrahitur, si copula adimatur, dummodo tamen oratio dissoluta non fiat, ut cum dicere possemus in puppi sedentes Clavum tenebamus, potius diceremus in puppi sedebamus, clavumque tenebamus.

Decorum orationis

Hęc igitur ad amplitudinem orationis conducunt.

Supereſt considerandum eiusdem requisitum decorum, quod in tribus rebus positum esse Stagirites decernit; nimirum in motibus animi, in moribus exprimendis, & in subiectis rebus, quorum primum ad Auditores; secundùm ad Oratorem; tertium ad eam, de qua agitur, causam pertinet. Hoc à Tullio didicimus cum ita loquitur. *Semperque in omni parte orationis ut vitæ quid deceat est considerandum; quod, & in re de qua agitur positum est, & in personis, & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt.* Decet autem postulante causa, miscere motus animi, ut Iudices aduersus improbos incitentur, eos odio prosequantur, illis irascantur, seuerè condemnent, & puniant; vicissim verò tueantur innocentes, eos diligant, & erga eosdem comes, ac misericordes sint, ut benignè tandem absoluant. Decet itidem in oratione mores amabiles, quantum fieri potest, exprimere; quod fit nihil arroganter de se dicendo, nec se nimium deprimendo, sed beneficium, ac officiosum demonstrando. Decet ad extremum seruare analogiam earum rerum, quę tractantur, videlicet ut humilia demisse, mediocria temperatè, & magna subtiliter dicantur. Debet Oratio rebus omninò conuenire, quod erat primum; dedecet enim res amplissimas, grauissimasque tenui summissâque elocutione tractare, sicuti contra dedecet res tenues & parui momenti graui, sublimique stylo exprimere. Dedecet etiam vilibus, & abiectis nominibus ornatum aliquem excellentiorem adhibere; ut, & est exemplum quo Philosophus utitur, si quis diceret, *veneranda ficus*, quod Comicis ait cõuenire, ut risum concitent, ipsi enim sæpe numero supra decorum ad risum concitandum res aliquas exornant. Vide ha beatur. In Oratore ad ha tum.

Quid Aristoteles elocutionẽ secerni rit. 3. de Rhet. cap. 2. alias 3.

Sed quoniam de elocutione agimus, par est, ut quid Aristoteles de ipsa protulerit, paucis explicemus. Geminam is elocutionem facit, alteram pendentem *ἐιρομένην*, alterã ambitu comprehensam *κατεστραμμένην*; Prima est elocutio soluta, & libera, cuius subsequentes partes semper à superioribus pendent, & ita trahuntur, ut coniunctionibus copulentur; quamobrem oratio quoque perpetua dici consueuit; altera est apta, & suis, membris, periodisque coniuncta. Prior est elocutio, quam in familiaribus sermonibus, in epistolis, in historijs, in annalibus adhibemus, hæc enim sua sponte fusâ quodammodo ad finem perpetuo cursu feruntur, nec priùs insistunt, quam res ipsa fuerit explicata. Atverò altera longè præstantior est, atque sublimior, quippequæ certo ambitu comprehenditur, & aures implet, & velut in se ipsam suis conuertitur numeris, ac inter se partes, quàm elegantissimè connexas habet. Hæc dicitur etiam Elocutio conuersa, velut illa, quæ periodis suis in se quodammodo conuertitur, in cuius gratiam Philosophus quid sit periodus declarat dicens primò cuiusmodi sit elocutio, de qua fit sermo; ait enim. *Κατεστραμμένη δὲ ἡ ἐν περιόδοις. Versa verò, quæ in periodis cernitur.*

Arist. 3. Rhet. cap. 10. alias Oratoris ornamẽta serò adin uenta.

Gorgias Leontinus Isocratis præceptor tum primus ora tionẽ do cuit

Priùs tamen aduertendum periodum, oratorium numerum, ac orationis ornamenta serò in lucem edita fuisse, cum multis sæculis ante nuda quidem, ac rudis oratio ad exprimenda dumtaxat animi sensa fuerit adinuenta, quàm ornandi ratio causa delectandi aures excogitata fuerit. Gorgias enim Leontinus Isocratis præceptor, orationem primò expolire, figurisque variare cœpit, verborumque concinnitatem ex comparibus, ex similiter definentibus, & ex contrarijs prodeuntẽ excogitauit, at verò Thrasymachus Chalcedonius oratorium numerum adinuenit, quos deinde secutus est Isocrates, qui ita scienter, moderatèque rem uniuersam temperauit, ut multis visus sit auctor.

huius

concinnitatis auctor, ac princeps ex cuius disciplina plurimi dicendi magistri prodierunt, cuius gloriâ commotus Aristoteles pomeridianis horis cæpit oratoriam artem profiteri, atque iuvenes in ea plurimum exercere. Aristoteli porrò hęc efformandæ orationis ratio sic arrisit, quemadmodum cæteris oratoribus, ut etsi versum in oratione prohibeat, numerum tamen iubeat adhiberi. Huius tam prędari quidem inuenti causam attulit Tullius. Ex eius enim sententia humanus animus aurium nuncio naturalem quandam in se vocum omnium dimensionem continet, quamobrem longiora, & breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata semper expectat; nonnulla mutila, & quasi decurtata sentit, quibus, tanquam debito, si fraudetur, offenditur: alia verò productiora, & velut immoderatiùs excurrentia, magis etiam aures aspernantur. Cum igitur casu, frequenter ut fit, initio aliquid concinnè aptèque diceretur, curarunt homines intelligere id unde foret; at verò causam adepti artem tanquam sedulæ animaduersionis filiam tenuerunt. Quid autem de Periodo dicendum videamus.

Quid ergo sit periodus explicandum sequitur. Hermogeni periodus nil aliud, quàm *Oratio unâ, eádemque verborum circumductione argumentum, & conclusionem comprehendens*. Ex eius itaque sententia periodus duo præstare debet, videlicet argumentationem perficere, & argumentum, atque conclusionem in locum unum cogere, ipsi nanque definitur, περίοδος ἡ ἀπαρτίζουσα τὸ ἐπιχείρημα καὶ συνάγουσα. *Periodus est, quæ absoluit argumentum, atque colligit, siue concludit*. Demetrio tamen Periodus est, σύνθεσις ἐκ κώλων καὶ κομμάτων πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ἠρτισμένων. *Compositio membrorum volubilium, quæ absoluuntur accommodatè, ad sententiam subiectam, atque propositam*. Sed Aristoteles exquisitius rem explicans ait, λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. *Dico Periodũ orationem, quæ principium, & finem ex se habet, & eam magnitudinem, quæ facilè perlustrari possit*. Hujusmodi autem erit, si duobus, vel tribus, vel ad summum quatuor membris constauerit, quæ verò est quatuor membris contenta, cæteris perfectior est, ut nos docuit etiam Tullius in Oratore; is autem, ut Maioragius aduertit, periodo, duorum membrorum exorditur Orationem pro Quintio; trium, Philippicam primam; quatuor verò, orationem pro Cecinna.

Comprehensam periodis orationem geminâ virtute præditam Aristoteles affirmat, è quibus prima est, quòd huiusmodi oratio suauis est, atque iucunda: altera quòd facilè percipi, atque intelligi potest. Suauis est, quoniam orationi aduersatur, quæ nullis finibus coercetur, qui siquidem illam audit, nihil præuidere posse cognoscit, nihilque absolutum habet; eaque perennis, ac profluens loquacitas dici consueuit; at altera ita conficitur, ut qui auidit, semper tenere aliquid arbitretur, quoniam periodi finem, terminumque videt, & absolutam sententiam esse intelligit, quod animum recreat, & ad sequentia disponit, hoc autem plenum suauitatis est.

Secunda virtus dicebatur huius elocutionis propria, quòd nullo labore percipitur, hoc autem quia nullo negotio memoriæ mandatur propter numeros, quibus colligatur; numero nanque summopere memoriam iuvari, vel id nobis inditio est, quòd carmina citiùs ac firmiùs addiscimus, quàm solutam orationem numero carentem; quam forsan ob causam veteres carmine tantùm scribebant, nimirum ut melius possent meminisse, nam ante Pherecidem Syrum Pythagoræ Magistrum, nemo ut accepimus, solutam scripsit orationem, cum omnes carmine scriberent, Pherecides autem & Hæcateus primi solutæ orationis auctores fuerunt, ac eius introduxerunt usum.

Illud quoque magnopere Philosophus commendat in verborum ambitu, ut is non tantùm suis numeris perfectus, & absolutus sit, sed etiam habeat sententiam integram, ut nihil interijciatur, aut inculcetur, nihilque addatur, quo abrumpi sententia videatur; hæc enim periodorum abruptio, præter cætera vitia, illud itidem habet, quòd non rarò contrarium sensum efficit ei, quem scriptor intendit.

Ad exatius periodi naturam introspiciendam, quid ad ipsam requiratur explicandum supereſt. In oratoria compositione, duo spectanda sunt, quorum unum breuitas, & longitudo partium orationis, quod Græcis est σωμάτιον. Alterum est ordo, & qualitas in sonis, quod Græcis σώθεσις dicitur: primum igitur circa periodos: secundum circa numeros versatur. Sed de his non eadem est grammatica, & rhetorica tractandi ratio; nam Grammatici eò colimant, ut artem interpungendi tradant. Rhetores verò, ut orationem perspicuam, atque suauem reddant. Nec eadem est harum vocum utriusque significatio; Grammaticis enim Comma, imperfecta sentẽtia est, vel pars periodi composita sine verbo: Colon ijsdem est sententia perfecta, sed relata, nimirum periodi pars est suo verbo innixa, adeout non sibi, sed periodo sententiam efficiat. Amplius Grammaticis periodus est sententia aliquid perfectè absolutèque significans, at Rhetoricis modo Colon, modo Comma est, quod Grammaticis periodus dicitur. *In oratoria compositione duo spectanda sunt.*

Ad periodi nomen quod attinet, ut hinc exordiar, quod Græcis est περίοδος, Latinis *ambitus, circuitus, cõprehensio, continuatio, siue circumscriptio dicitur*; Ambitus nimirum certâ quâdam descriptione sententiam definit, atque determinat. In unaquaque autem periodo, ex communi Rhetorum sententia, recognosci debet tum φόρασις *pronunciatum siue propositio*, tum ἀπόδοσις, *redditio, siue reflexio*, vel si mauis καμπὴ καὶ συστροφή. *Articulus, & conuersio, contorsio, siue reflexio*. Ita quidem in hac periodo. Χρὴ μὲ πρῶτον εἰς παιδείαν ὁδὸς, ἀλλ' ἔπειτα ἐμαλὸς ὑπάρχει. *Aspera quidem primum ad eruditionem via est, sed postea fit plana*, cernere licet pronunciatum, & redditionem. Quanuis igitur verbis perficiatur sententia, non propterea fit periodus, nisi quædam intercesserit diuisio, ac reflexio, ut, Παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος. *Post mala cautior*. Πάντα λίθον κινεῖν. *Omnem lapidem mouere*; & aliæ similes sententiæ, non ob eam causam pro periodis habendæ sunt, quia sibi sententiam perficiant; propterea quod ijs diuisio, & reflexio deest. Non inficiandum rectè quoldam dixisse periodos esse unius membri, nam aliqua περίοδος est μονόκωλος. *unius membri*, quàm ἁπλῆν, Philosophus appellat. Hoc tamen nihil est; nam ut præteream Tullio non arrisisse Aristotelis illa verba, Ἁπλῆν δὲ λέγω, τὴν μονόκωλον. *Simplicem periodum dico, quæ ex uno membro constat*, adnotabo duo esse κώλων *membrorum*, genera, unum simplex, ut Ζῆλος ζῆλόν ἐστι τίκτων. *Æmulatio æmulationem parit*. Οὐθὲν τὸ πᾶν. *Curæ nihil impossibile*: Item. *Veritas odium parit*: Alterum verò flexum habens, ut

O formose puer, nimium ne crede colori. Virg. Ecl.

Hoc enim membrum reflexionem habet, & hoc solùm potest re verâ constituere periodum simplicem; quanuis autem prius illud membrum absolutè perfectèque aliquid significet, non propterea dici debet periodus; hoc enim periodo non sufficit; nam non solum κώλον, *colon*, quin etiam κόμμα, *comma*, perfectam

sententiam significare potest; hæc autem solum magnitudine differunt, enimverò quod intra septimam, vel octauam syllabam se continet, Comma censetur; quod autem octo syllabarum numerum excedit, Colon, existimatur. Itaque. Ὅρος τῶν, Comma erit; at ὀλίγα ἀλλὰ τοῖς μικροῖς ἄρκει, Colon dici debet; si autem modum excesserit, colon oblongum dici solet, quod Hermogeni χρονοτριβὲς dicendum videbatur.

Præter illam distributionem periodi in simplicem, & compositam datur etiam, & altera multiplex eius usurpatio, prout videlicet est, vel composita, vel bimembris, vel trimembris, quadrimembris &c. bimembris autem habet propositionem, unius membri, & redditionem alterius. Rursus cum pluribus membris periodus constat, tripartitò diuiditur, nam alia est ἰσόκωλος, cuius membra sunt paria, vel saltem esse videntur, ut cum syllabarum numerus in uno colo, tempore, seu quantitate earundem in altero compensatur. Alia Μακρόκωλος, cuius finis longior est; alia denique Βραχύκωλος, quæ finem breuiorem habet. Quando autem periodus trimembris fuerit, habere poterit, vel φάσιν, *propositionem* duorum membrorum, & ἀπόδοσιν, *redditionem* unius; vel contra &c. Prioris modi exemplum afferri solet, illud pro Milone. *Postremo, nisi eum Dij immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempub. nullam haberetis.* Modi verò posterioris exemplum desumunt itidem ex Tullio, ubi habet. *Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, hæc contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia.*

M. Tul. oratione pro Quintio.

Insigne quidem periodi accidens est oratorius numerus, qui ab aliquibus dicitur certa pedum dimensio, & vocum conglobatio, ad aurium voluptatem captandam. Alijs autem, *est conueniens sententiæ sonus existens ex compositione, & dispositione partium. Compositionem appello verborum ex elementis, & syllabis, ac membrorum ex verbis; Dispositionem, rationem, modumque compositionis. Oportet enim verba, & esse talia, & tali ordine collocata.* Sed hæc prolixior est, quàm deceat explicatio. Rectius tamen ab alijs disputatum hac de re fuit. Enimverò initio aduertunt numerum oratorium esse, qui à Græcis ῥυθμός, *Rhytmus*; poeticus verò μέτρον, *Metrum* vocatur. Hoc etiam ab Aristotele traditum fuit cum ait; Διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μὴ, ποίημα γὰρ ἔσται. *Quo circa in oratione soluta rhythmum esse conuenit, non metrum; sic enim foret poetica.* Hæc cum ita sint, oratorij numeri definitio erit. *Numerus oratorius, est vocum elaborata coagmentatio, ex quadam licet dissimulatâ, aptâ tamen certâque syllabarum comprehensione, unde habet oratio, ut, quanuis non canora, propterè nihilominus fluat, atque dulcius in auditorum animos illabatur.* Hoc pacto, ni fallor, oratorius numerus videtur non ineptè definitus, quatenus à poetico numero distinguitur, per dissimulantiam enim oratorius numerus à poetico secernitur; nam numerus poeticus est vocum coagmentatio ex apta, certaque syllabarum, aperta conspicuaque comprehensione. Itaque rectè Fabius dicebat, ut exemplum ab inductione, & enthymema à syllogismo differt; ita rithmum à metro differre. *Rithmus enim quædam est pedum absque poetica lege, grauis, suauisque iunctura;* sed metrum *est certa quædam, & apta syllabarum comphehensio.* At numero oblectamur, adeout numerosa oratio, blandius nobis arrideat, quoniam humanus *animus*, ut paulo suprà notaui, humanus inquam animus, aurium nuncio naturalem in se vocum dimensionem continet, & idcirco numerosâ oratione delectetur, oportet. Et re verâ numerus oratorius à poetico pluribus nominibus differt, propterea quòd, etsi conueniant, in eo quòd uterque sub aurium mensuram cadit, & uterque pedibus constat, multifariam tamen discriminantur. Poeticus enim numerus æqualiter ubique seruatur: at oratorius minus seruatur in medio, magis in principio, maximè verò in fine. Amplius: Poeticus sui similis est, Oratorius non item, alioquin sui similitudine fastidium parit; nam ut nihil magis, quam varietas delectat: ita nil magis, quàm similitudo fastidit. In Rhytmo spatia temporum attendi debent; in Metro autem pedum quoque ordo seruandus; non enim in Rythmo quicquam refert Dactylus sit, an Anapæstus, cum eodem temporum spatio constet; nam uterque tribus syllabis componitur; at in Metro pro Dactilo nequit Anapæstus adhiberi. Amplius, metri idem est cursus; ut in Hexametro, Dactyli, & Spondæi. Sed in oratione soluta, non ita se res habet, cum alius atq; alius numerus sit usurpandus. Quanuis igitur oratio numerosa sit, non propterea solutę orationis terminos transcendit. Quandoquidem Poetica oratio certis legibus adstricta est, adeo ut ijs obtemperare debeat: at oratio soluta, quanuis numerosa, non adeò tamen certis præceptis alligatur, nisi ut aptè verbis comprehendatur sententia. Itaque tam Poeta, quam Orator pedibus utitur; est enim pes nil aliud, quàm certa quædam, & apta syllabarum comprehensio, non tamen ijsdem; prætermissis ijs, qui sunt omnium proprij, illos, quos Orator usurpat, breuiter explicabo. Hi porrò non unius sunt generis, nam quidam sunt dissyllabi, quidam trissyllabi, & quidem tetrassyllabi.

Scaliger lib. 4. Poet. cap. 1.

Numerus oratorius ex Auctoris sententia quid.

M. Tul. in oratore.

Pedes dissyllabi sunt sequentes 1. Spondæus est, qui constat ex duabus longis ut *coniux* 2. Pyrrhichius ex duabus breuibus ut *Deus* 3. Choreus, siue Trocheus ex prima longa, & secunda breui ut *arma* 4. Iambus ex prima breui, & secunda longa, ut *viros*.

Pedes trissyllabi. 1. Dactylus ex prima longa, & secunda, & tertia breui constat, ut *carmina*. 2. Anapęstus ex prima, & secunda breui, & tertia longa, ut *pereant*. 3. Amphibrachys, seu Lesbius, ex prima breui, secunda longa, & tertia breui, ut *amare* 4. Amphimacrus, seu Creticus ex prima longa, secunda breui, & tertia longa ut *castitas*. 5. Bacchius ex prima breui, & duabus longis, ut *dolores*. 6. Antibacchius, seu Rhodius ex prima & secunda longa, & tertia breui, ut *dicere*. 7. Tribachus, seu Brachysyllabus ex tribus breuibus ut *facere*. 8. Molossus, seu Heroicus ex tribus longis ut *prudentes*.

Pedes tetrasyllabi. 1. Dichoreus constat ex prima longa, secunda breui, tertia longa, & quarta breui, ut *disputare*. 2. Dispondæus ex omnibus quatuor longis ut *præceptores*. 3. Pæon, seu Choropyrrichus ex prima longa, & tribus reliquis breuibus, ut *aspicere*. Sic etiam, & alij supersunt, quos tanquam satis obuios prætereo. Oratoris igitur est hos pedes considerare, ac eosdem inter se disponere, ut oratio ex illis contexta placidè, molliterque fluat, ne aures offendat, quod etsi ipse debeat in uniuersa periodo numerosa quàmdiligenter obseruare, maximè tamen hoc ei curandum in fine, adeout hunc præcipuè debeat attendere, & in eodem maiorem diligentiam adhibere, ut cum amœnitate concludat; quia tunc auditores attentiores sunt, & maximè extremum expectant, in quibus hæc obseruanda. In principio pedes omnes idonei sunt, aptiores tamen Dactylus, Creticus, Dichoræus, quemadmodum, & Spondęus, in medio autem miscendi, in fine tandem grauiores usurpandi, ut Iambus, & Dispondæus, vel Creticus, & Dactylus.

Pro-

Proponitur de charactere, stylo-que dissecandam.

Proximum est, ut præcipuam Elocutionis partem aggrediamur, quæ de orationis charactere, siue stylo, & eius affectionibus edisserit, qua de re, quanuis multa dicenda forent, paucis tamen volumus esse contenti, ut tandem aliquando huic Tomo extremam manum imponere valeamus.

Character unde dicatur. Lib. 11. cap. 22.

Vt autem à characteris voce ducam exordium, ea quidem sumpta est ab ijs, quibus nota imprimi, insculpi, aut inuri solet, hoc enim sensu vocem hanc usurpat inter cæteros Columella, dum ait, *nec minus maiora quadrupedia charactere signari debent*, quod etiam Vossius aduertit. Præter autem Characteris vocem, aliæ sunt etiam appellationes, quibus orationis facies exprimitur. At vero stili, seu styli, utcunque scribatur, vox unde fuerit desumpta, non satis constat. Illud omnino certum, hac voce nil aliud significatum olim fuisse, quàm instrumentum ex una parte acutum, ex altera verò non mediocriter latum; cuius usus antiquis erat signare ac sculpere characteres in tabellis cerâ illinitis, verbo dicam, scriptorium instrumentum erat. Hoc illud quod hisce carminibus expressum fuit.

Stylus unde dicatur.

De summo planus, sed non ego planus in imo;
Versus utrinque manu diuerso munere fungor
Altera pars reuocat quicquid pars altera fecit.

Vates enim respexit ad usum, quem aliqui dixerunt in eo positum ut pars acuta ad scribendum, obtusa verò ad obbliterandam scripturam destinata foret. Ex instrumento, quo scribebatur, translata significatio fuit ad scribendi exercitium, & ad instrumenti usum; verumenimverò stylum sumptum hac significatione fuisse, constat ex Tullij verbis, qui de modo perfectam acquirendi eloquentiam loquens, ait. *Caput autem est, quod (ut verè dicam) minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quamplurimum scribere, Stylus optimus, & præstantissimus dicendi effector ac magister &c.* Itaque Stylum pro exercitio eiusdem usurpauit, cui adstipulatur Fabius dicens, *In ijs autem, quæ nobis parandæ sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert Stylus. Nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem, ac magistrum dicendi vocat.* Sumpsisse stylum hoc sensu paulo post sequentibus verbis declarat dicens, *scribendum ergo diligentissimè, & quamplurimum*, cuius rationem reddit dum subdit. *Nam ut terra altè effossa, generandis, alendisque seminibus fœcundior est; sic profectus non à summo petitus, studiorum fructus effundit uberius, & fidelius continet.* Et paucis interiectis addit, *sed cum sit duplex quæstio, quomodo, & quæ maximè scribi oporteat, iam hinc ordinem sequar: sit primò, vel tardus, dum diligens Stylus: quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus, adhibeatur iudicium inuentis, dispositio probatis.* Vbi Tullius videtur sumpsisse Stylum pro exercitatione scribendi non solùm, sed pro exercitatione, atque scribendi modo, itaut ad extremum ex Tullio sit nobis concludendum Styli nomine in re proposita, non elocutionem, sed eiusdem formam, dicendique genus intelligendum esse; hoc enim ad Styli partem acutam spectare volebat Tullius, nempe diligenter aduertere quid, & quomodo scribere oporteat, ut propterea Fabius notaret scribendum esse quamdiligentissimè, & quàm sæpissime, quæ iusto tempore excogitata erunt, & benè collocanda, cum rerum, & verborum certò quodam delectu repetenda frequenter, & sub incudem reuocanda, inuentionis calore nonnihil refrigerato, atq; etiam si opus fuerit, retractanda, quæ semel composita erunt; Styli autem significationem allatam confirmat idem Fabius non multo post dicens: *Sequitur emendatio, pars studiorum longe vtilissima, neque enim sine causa creditum est, Stylum non minus agere cum delet*, quod cum ad scribendi formam, dicendique genus pertineat, nulli dubium, quin etiam Fabius Ciceroni adstipulatus nomine Styli characterem ac ideam orationis cum Plutarcho, & Hermogene; formam, genusque dicendi cum Tullio, & elocutionis figuram cum Cornificio intelligere voluerit.

Tul. lib. 1. de Orat.

Fabius lib. 10. c. 1.

Pro varia rei tractandæ materia, &c.

Quoniam autem pro diuersitate rei tractandæ, & pro varia auditorum etiam indole, varia etiam esse debet dicendi ratio; idcirco breuiter hic adnotanda sunt capita, ad quæ omnis dicendi modus possit reuocari.

Varius character orationis.

Primò quidem Characteris, seu Styli vulgata est illa distributio in Scholasticum, Poeticum, & Oratorium.

Triplex character Scholasticus, Poeticus, & Oratorius.

Scholasticus græcè διδασκαλικὸς, perhibetur ille, qui eloquentiæ floribus neglectis, in præceptionibus, & speculationibus nitidè versatur. Huiusmodi porrò stylus est frequens Philosophis, atque Theologis, qui in suis scholis, atque palestris veritatem quærentes, verborum leporem, ac venustatem aspernantur; quoniam autem res tractantur innumeris difficultatum tricis implicatæ, stylus debet esse clarus, & apertus, sine translatis alijsque luminibus, quibus alioquin splendescit oratio; nam in rebus arduis, ac difficillimis magnus est sermonis ornatus verborum proprietas, sententiæ claritas, præsertim si hoc omni reiectâ barbarie contingat.

Scholasticus.

Poeticus censetur, qui certis numerorum legibus adstringitur, ordineque pedum alligatur, quo Poetæ omnes utuntur, eius autem varia sunt genera, de quibus huius non est loci verba facere.

Poeticus.

Oratorius tandem ille dicitur, qui verba sententiasque iuxta Rhetoricas præceptiones in soluta oratione continet; hic maximè ornari desiderat, plus tamen, vel minus pro varietate, quàm subit; triplex enim est oratorium dicendi genus, non enim idem in paruis causis, in mediocribus, & in grauibus; hinc ob id non unius rationis est dicendi genus, quin etiam, & aliunde; non enim solùm variæ causæ, varium dicendi modum requirunt, sed etiam diuersæ orationis partes, diuersam itidem orationis formam efflagitant, de quibus in præsentia quædam tradenda sunt.

Oratorius.

Tria sunt orationis genera.

Tria porrò sunt orationis genera, in quibus Orator versari debet, ut non immeritò ille pronunciauerit. *Trinum dicendi genus est, sublime, modestum, Et tenui filo.*

In Orat.

Vnum subtile est, acutum, & tenue: alterum vehemens, copiosum, & graue: tertium est interiectum, intermedium, & quasi temperatum, in quo nec primi generis acumen cernitur, nec posterioris vis locum habet, vel, & in idem recidit, aliud est genus dicendi tenue, aliud magnificum, & aliud mediocre. Hæc arrisisse Tullio satis cuique perspectum, quoniam is ab hoc triplici charactere, stylo que definit, eloquentẽ dicens eum esse qui, & *subtilia humiliter, & magna grauiter, & mediocria, temperatè possit dicere*; quibus omnibus Demosthenem usum fuisse testatur Cicero. Horum autem talem indolem esse decernunt, nimirum ut subtile dicendi genus in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo versetur; hæc enim oratorem decent, cum eius officia sint docere, mouere, ac delectare. Quæ tamen non sic accipias velim, quasi uniuersa quædam oratio uno, eodemque charactere, stylove tractari debeat; secus enim se res habet; enimverò non ineptè scriptum ille reliquit, *Figuram in dicendo commutari*

Cornificius.

opor-

Digitized by Google

oportet, ut grauem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. Deinde identidem commutentur, ut facilè satietas varietate vitetur. Quæ quanuis vera sint, adhuc tamen cuilibet orationi proprius character accommodari potest, quod fiet, cum integræ orationes inter se conferentur, quod ex paulo infra dicendis perspicuè constabit; nunc de triplici charactere, styloue disputandum, primò quidem de grandi & amplissimo; deinde de tenui, ac subtili; tandem de mediocri.

Triplex character grandis, tenuis, & mediocris tractandus proponitur.

Character grandis, multis nominibus significatur, enimverò, cum apud Latinos, tum etiam Græcos varias appellationes obtinuit, & certè ex Latinis quidam characterem hunc appellarunt *magnificum*, vel *magniloquum*, vel *altiloquum*: alij *magnum*, vel *altum*, vel *summum*, vel etiam *sublimem*, quanuis hoc modo quoque à Græcis appellatus fuerit. Alij deinde ipsum dixerunt *plenum*, vel *uberem*. M. Tullius eundem appellat *copiosum*, & etiam *ornatum*. Ali eum dixerunt *grauem*. Alij *validum*. At verò à Græcis hic, de quo loquimur, character, Μεγαλοπρεπὴς *magnificus*, *clarus*, appellatus fuit, eoquòd in eo omnia exquisita sint, minimèque vulgaria, proindeque non secus ac diuitum splendida quidem ædificia, magnificentiam quandam præseferunt; ab alijs dictus fuit ἀδρὸς, *plenus*, *maturus*, ab alijs etiam λόγιος, *eloquens*, *doctus*, *verbosus*, *diserus*; postremum hoc nomen valde accommodatum est; illud nanque Mercurio tribui soiet ad exprimendum ipsum studiorum, eloquentiæque præsidem esse; quanuis dici possit cum aliquibus, characterem hunc sic appellari, eò quòd sit extimatione dignus; maximè nanque homines admirantur eos, qui de rebus copiosè, ac amplè dicere possunt; sed hucusque de nominibus, nunc de re dicamus. Sublimis iste character est, is, cui grauia dicendi ornamenta conueniunt, plurimumque continet grauitatis. In hoc verborum splendor elucet, sententiarumque lumina nitent, ornatum habet amplum, graue, copiosum, plenus is est interrogationibus, exclamationibus, aliarumque figurarum ornatibus ad concitandos affectus idoneis.

Dionysius Longinus quinque fontes affirmat magniloquentiæ.

Huius autem magniloquentiæ quinque fœcundissimos fontes esse decernit Longinus, substrato, veluti quodam communi solo, his omnibus formis ipsâ dicendi facultate, sine qua omninò nihil fit; ait enim. Ἐπεὶ δὲ πέντε ὡς ἂν εἰπόιτις, πηγαί τινές εἰσὶ τῆς ὑψηγορίας γοιμώτατοι. *Cum autem quinque sint, ut aliquis diceret, quidem uberrimi magniloquentiæ fontes &c.*

Sect. 6.

Primum est, ac potentissimum, quod in fœlici quadam sententiarum ubertate, & amplitudine consistit: *Secundum* animorum commotio, atque affectio, quæ vehemens est, ac animi rapiendi, atque incitandi vim maximam habens. Hæc tamen duo, ut ipse ait, maiori ex parte naturales sunt; reliqua verò iam ab arte profecta iuntur: *Tertium* est quædam exornationum conformatio, quæ duplices sunt; aliæ nanque sententiarum, aliæ verò verborum. *Quartum* est in his præclara quidem elocutio, cuius rursum sunt partes verborum delectus, & immutata factaque dictionum structura. *Quintum* est pars magnitudinem efficiens, & omnia, quæ ipsi anteeunt, inclusa in se continens, estque compositio dignitate, ac amplitudinis ornatu nitens; quæ latè prosequitur Longinus; sed alijs quid arriserit, videamus.

In quolibet charactere tria sunt spectanda, Compositio, Verba, & Res.

In quolibet charactere, proindeque in hoc de quo loquimur, tria spectanda sunt, *Compositio*, *Verba*, & *Res*. Primum, quod sublimem & grandem characterem atque magnificam orationem reddit *numerus* est; quandoquidem Rhythmo Dactilo assurgit, atque grandis oratio fit; cauendum tamen, ne dum Dactilis utimur, versus cudere videamur. Præter Dactilium, est etiam Pæan, qui ob longam syllabam, grauitatem, & tres breues, aptitudinem affert orationi, ut Demetrius Aristotelem sequens testatur; licet non omnes ei probentur Pœanes, nam cum huiusmodi pes, teste Diomede, quadruplici formâ constet, prout fit ex prima longa & tribus breuibus, ut *obtinuit* diciturque, *Chorepyrrhicus*; vel ex breui, & longa, atque duabus breuibus, ut *facillimus*, & dicitur. *Iam-bipyrrhicus*; vel ex duabus breuibus, & longa, & breui, ut *faciebat*, & appellatur *Pyrrhichoræus*, vel tandem, ex tribus breuibus, & longâ ut, *docuerunt*, & nuncupatur *Pyrrhiambus*. Demetrius putabat, duobus tantum ex his, putà illo, qui incipit à longa, & illo qui desinit in longam, magnificam orationem reddi; priorem, dicitur originalis, qui in principijs vult adhibendum esse, velut illum qui productione suâ quodammodo impetum facit, ut *lætitia*, *aspicite*, posteriorem verò in fine tanquam illum, qui productione vim suam exerens, aliquo modo aculeum relinquit, ut *calamitas*, *domuerant*: Hæc à Tullio obseruata fuisse, ex eius orationibus nullo negotio deprehenditur.

Primum, quod sublimem, dicendi genus cõstituit.

Secundum, quod magnificam orationem reddit, est *membrorum magnitudo*; horum nanque tria sunt genera, alia enim sunt breuissima, quæ nimirum intra octauam syllabam consistunt; alia ultra octauam, & nonam excurrunt; alia demum ulteriùs etiam extenduntur, & oblonga nuncupantur.

Secundũ.

Tertium quod ad orationis magnificentiam facit est *genus sermonis circumductum*, & *accumulatum*, quo videlicet res non simpliciter, nudèque proponuntur; sed ea, quæ pluribus periodis, ac sæpius respirando alioquin possent efferri, sic unâ periodo concludimus, ut non detur toties respirandi spatium; hoc itaque grandem orationem reddit, sublimemque characterem constituit.

Tertium.

Quartum ad idem facit *compositionis asperitas*, nimirum collocatio verborum, quæ dura sunt, & aspera, hæc porrò duplicis sunt generis. Quædam enim sunt, quæ asperitatem ab arte respiciunt cuiusmodi sunt asperæ translationes. Quædam verò, quæ naturâ sunt tales, vel ob natiuam significationem, vel ob difficiliorem sonum, cuiusmodi sunt illæ in quibus asperitatem R, geminata efficit, aut cum alia consonente coniunctio parit.

Quartũ.

Quintum est *verborum ordo*, *siue structura*, qui in magnifica oratione talis esse debet, ut quæ illustriora, atque significantiora sunt, sententiam claudant. Sed in hoc quædam sunt attendenda. Primum, ne nimis accuratè huiusmodi ordo seruetur, nam id non magnificentiam orationis, sed abiectionem animi denotaret. Secundum ut adhibeatur copulæ repetitio, hac enim res, alioquin humiles & abiectæ, possunt amplæ grandesque reddi. Tertium est usus expletiuarum coniunctionum, hoc enim modo magnifica etiam reddi potest oratio.

Quintum.

Sextum ex ijs quæ magnificentiam Orationi conciliant, sunt dictonis quædam figuræ Ἀνθυπαλλαγὴ, *Anthypallage*, hoc est *mutua commutatio*, siue Ἀντίπτωσις, *Antiptosis*, nempe *casus pro casu positio*. Quod enim hoc modo figuratum est, tanquam à consuetudine remotum, orationi granditatem affert; nam πᾶν σωίνδες τὸ μικροπρεπὲς, διὰ τὴν θαύματον. *Omne familiare vile*, & *abiectum est*, & *obid admirationem non gignit*; Ad idem quoque conducunt illæ figuræ de quibus egimus, videlicet Ἐπαναφορὰ *Epanaphora*, & Ἀσύνθετα, *Asyntheta*; hæ siquidem non modo ad

Sextum.

bre-

Digitized by Google

breuitatem, sed etiam ad vehementiam, & ad magnitudinem orationis conducunt. Sic etiam Exclamationes, Interrogationes, aliæque figuræ ad affectus concitandos idoneæ, maximè, ad orationis magnitudinem, atque sublimitatem conducunt.

Ad idem etiam facit casuum variatio. Nec parum valet Ἀναδίπλωσις, *reduplicatio*, *repetitio*, cui sit adnexa Ἐπανόρθωσις, *correctio*, præsertim si ἐρώτημα, *interrogatio*, & κλῖμαξ *gradatio*, accesserit, ex his enim orationis amplitudo, atque sublimitas proficiscitur.

imũ. Septimum tandem ad magnificam compositionẽ, roboris plurimum habet, *plurium vocalium concursus*; hic enim si non suauem, grandem tamen orationem efficit. In exemplum adduci solet exordium primæ epistolæ familiarium, ubi Tullius ait. *Ego omni* b. 1. *officio, ac potius pietate erga te, cæterùs satisfacio omni-* lo. *bus, mihi ipse nunquam satisfacio.* Sed hoc exemplum minùs idoneum est, non enim id credendum à Tullio factum fuisse ad orationis magnificentiam comparandam, cum Epistolicus character hoc non requirat, sed totum id negligentiæ tribuendum, quæ in epistolis conscribendis vitio minimè verti debet, tantum enim est in ipsis familiaribus commendabilis, ut quod in orationibus alioquin detestabile esset, in Epistolis laudari debeat. Ex Tullij, & Demosthenis orationibus innumera ferè possunt exempla desumi.

ícta- cõ io. Hactenus tradita ad magnificum characterem faciunt, sed non absolvunt, alia requiruntur, ut initio monuimus: huiusmodi verò sunt sententiæ, quandoquidem hæ graues cum fuerint, momenti plurimum habent ad grandem, atque sublimem orationem efformandam.

ntię e Sententiæ porrò sunt graues, quæ sublimi grandiq; characteri conueniunt, cuiusmodi sunt de Deo, de rebus naturalibus, aut ciuilibus; de rebus igitur magnificis esse debent illæ sententiæ, quæ in sublimi genere dicendi sunt usurpandæ, quod tamen non satis, nisi grauiter res ipsę tractentur, adeout factis dicta consentiant; ad hæc autem summopere conducit Oratoris animum assueuisse ad res magnas concipiendas, cum ex magnitudine animi sublimitas orationis oriatur; hoc enim sine vehementi phantasia esse non potest, non enim aliunde nobis elegantiores metaphoræ, præclarissima verborum, sententiarumque lumina occurrunt; & hæc est, quæ varias, nobilesque translationes suppeditat, varia itidem sententiarum lumina, è quibus aptissima quædam Demetrius commemorat dum ex his grauitatem orationis fatetur oriri, dicens, Ὡς δ' ἂν ἡ ἐκ σχημάτων γένοιτο δεινότης, λέξομεν. ἐκ μὲν οὖν τῶν τῆς διανοίας σχημάτων, ἐκ δὲ τῆς παραλείψεως ὀνομαζομένης. *Vt autem è figuris nasceretur grauitas, dicemus, ex figuris igitur sententiarum, ex omissione quidem vocata;* vult igitur Demetrius παράλειψιν, *omissionem*, plurimum ad orationis grauitatem conferre, idque conatur exemplo illustrare, dum ait, Ὀλυνθον μὲν δὴ καὶ Μεθώνην καὶ Ἀπολλωνίαν, καὶ δύο καὶ τριάκοντα πόλεις, τὰς ἐν Θράκῃ, ἐῶ: *Olynthum quidem & Methonem & Apolloniam, & trigintaduo oppida Thraciæ, omitto:* Sed hoc prætermisso ex Tullio innumera propemodum desumi possunt exempla, e quibus non in postremis illud admonente Victorio, cum ait: *Cuius, ut omittam innu-* ip. 7. *merabilia scelera urbani consulatus in quo pecuniam publicam maximam dissipauit, exules sine lege restituit vectigalia vendidit, prouincias de P. Romani Imperio sustulit, regna addixit pecuniâ, leges ciuitati per vim imposuit, armis aut obsedit, aut exclusit Senatum, ut hæc inquam, omittam, &c.* Declarat autem causam efficacitatis huic schemati adscriptæ, dum ait hoc modo à nobis dici omnia, quæcumque volumus, & omittere illa affirmamus, tanquam remaneant adhuc alia grauiora & acerbiora dicenda; agens nanque de eo, qui ita loquitur, hæc habet: ἐν δὲ τούτοις τὴν ἔφησε πάντα, ὅσα ἐβούλετο, τὴν παράλειψιν δυτά φησιν, ὡς δεινότερα εἰπεῖν ἔχων ἕτερα τῆς πικρότερα. *In his enim, & dixit cuncta, quæ voluit & se omittere illa ait, ut cui restarent dicenda alia & amariora.* Commendat paulo post alias figuras, ad grauitatem orationis consequendam; huiusmodi porro sunt Ἀποσιώπησις: Προσωποποιία, quam ait à Platone usurpatam fuisse in ea oratione, qua Socratem facit laudasse eos, qui fortiter pugnantes pro patria interfecti essent in prælio: Laudat itidem, ἀναδίπλωσιν; ἐπαναφοράν. Addit insuper dissolutionem maximè omnium, opificem esse grauitatis, Μάλιστα δὲ πάντων ἴσιον τὴν διάλυσιν δεινότητος ἐργάτιν. *Scire autem oportet dissolutionem maximè omnium opificem esse grauitatis.* Hoc declarat exemplo, dum subdit. Περιέρχεται διὰτῆς ἀγορᾶς τὰς γνάθους φυσῶν, τὰς ὀφρῦς ἐπηρκὼς, ἴσα βαίνων πυθοκλεῖ, ut *Ambulat per forũ, buccis inflatis, sublatis supercilijs æqualiter vadens Pythocli.* Hæc est figura, quæ ἀσύνδετον, *dissolutio* dicitur: quàm ait esse magnæ efficacitatis ad grauitatem orationis, adeout superiori exemplo addat, εἰ γὰρ συναφθεῖη ταῦτα συνδέσμοις φαύλοις ἴσως. *Si nanque copulata hæc fuerint coniunctionibus, mitiora erunt.* His simile Ciceronianum illud. *His vos teterrimis fratribus portas aperietis? hos unquã* Philip. *in urbem recipietis? non tempore oblato ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Romano conspirante, Italiâ totâ ad libertatem recuperandam excitata deorum immortalium beneficio utemini?* Itẽ. *Cum extinguebas senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas tribuno plebis consulatum tuum, Rempeuertebas, prodebas caput, & salutem meam una mercede prouinciæ.*

Et adhuc, ut obseruat Victorius, simplicius est illud apud eundem. *Vastantur agri, diripiuntur villæ;* In Pisonẽ. *matres familiæ, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur.* Alia quoque figura ex Demetrio, grauem reddit orationem puta Κλῖμαξ, *gradatio*, de quo suo loco disputatum fuit.

Verba itidem spectanda sunt oratori ad orationis grauitatem obtinendam; non enim quæcunque verba licet in quouis dicendi genere usurpare, cum non quibuslibet verbis, quælibet res exprimi possit, sed potius res quædam requirunt verba leuia, alię, aspera; alię, mollia; alię, dura; alię, breuia; alię, longa. Sæd hæc non minus grauis orationis artifex notare debet, quàm faber lignarius omnia lignorum genera debet habere perspecta. Verba itidem ad orationis grauitatem faciunt.

Grandem oratorem grandia verba decet, quæ nimirum à vulgari consuetudine loquendi quam maximè distant, non quasi reliqua omnia ab eo sint negligenda, sed quoniam grandibus præcipuè debet uti pro rei conditione, & loco, quod Oratori tamen haud semper faciendum est; artificium enim latere non posset; quin omnia fierent aperta, proindeque fidem nobis omnem abrogarent, quod in reliquis etiam rebus intelligendum, quanuis enim numerosam orationem efficiant; attamen quod nimium est, semper aures offendit. Verba grandia grandem orationẽ faciunt.

Primò autem ex verbis, quæ suâ facultate, grauitatem aspergunt orationi, & simul etiam inflammatum dicentis animum declarant, sunt translationes, seu metaphoræ, hæ nanque minimè vulgarem orationem reddunt, eoque augustiorem, quo sui admirationem auditorum animis ingerunt, tacitamque volup- Translationes maximè grandem orationẽ reddunt.

Digitized by Google

voluptatem affundunt.

Breues imagines, grandem orationē faciunt.

Ex Demetrij sententia grandem, & actem orationem reddunt breues imagines, quod exemplo desumpto ex Demosthene declarat in oratione pro Ctesiphonte, ubi habet, Τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότ' ἐπιόντα τῇ πόλει κίνδυνον παρελυσεν ὥσπερ νέφος. *Plebiscitum hoc, periculum, quod tunc imminebat Ciuitati, ut preteriret fecit tanquam nimbum.* Cui Tullianum illud, citra tamen imaginis notam, hoc est citra particulam, quâ imago exprimitur, apprimè respondet: *Quid autem iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum citò transisse lætor*: eodem modo idem

Pro Sexto Roscio.

auget orationem, dum ait: *Quem tu è patrimonio, tanquam è naufragio nudum expulisti.* Et alibi. *An is non reddet, quid homini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum Draco, &c.* Addit Demetrius non propterea à parabolis eamdem esse grauitatis orationem expectandam; & rationem reddens ait id euenire ob longitudinem, accuratamque totius facti expositionem, quæ in collationibus perspicitur.

Verba ex coniunctione facta ad orationis magnificentiam conducit.

Grandem etiam orationem reddunt verba ex conjunctione facta, itemque verba iuncta. Horum duo sunt genera, prius quidem contingit, quando ex duabus, pluribusve vocibus notis unum aliquod conflatur: alterum, cùm descriptionis loco nomen usurpatur.

Verba itidem soluta idem præstant. In Pisonē.

Amplius ad sublimem stylum verba soluta faciunt; hoc autem contingit, cum definitio, vel descriptio pro nomine ponitur. In hoc etiam charactere locum obtinent verba facta, quæ à Græcis ὀνοματοποιούμενα, quoniam hoc acuti sapientisque esse hominis iudicatur, & quodammodo referentis eos, qui fuerunt primi vocabulorum inuentores.

Allegoriæ maximè conferunt orationi maiestatē.

In eundem finem adhiberi possunt Allegoriæ; ex his enim oratio maiestatis plurimum contrahit.

Ad hoc etiam valdè confert succincta verborum breuitas, & præcipuè reticentia, quæ quomodo fiat, suo loco visum est.

Vocum earumdē iterationes orationi magnificentiam conciliant, si tamen in principijs fiant.

Vocum earumdē iterationes quando idem efficiant.

Deinde plurimum habet momenti in re, de qua agimus πλαγιασμός. ut Hermogenes loquitur, videlicet obliquatio, quâ vel ab obliquo casu incipimus, vel à recto exordientes, nos plures obliquos subiungimus, hanc idem Hermogenes affirmat orationi plurimum claritatis afferre.

Casuum obliquatio, & idē valet.

Verba consentanea rebus idem præstant.

Ad orationis magnificentiam pariter summopere verborum similitudo, & asper eorundem sonus conducit, ubi per verborum similitudinem intelligenda sunt verba rebus consentanea, quod etiam testatur Demetrius dicens: Ad consequendam characteris magnitudinem opus esse, ut rebus, materiæque de qua disseritur, aptis nominibus utamur, ut si exprimere velimus rem asperam, expedit uti verbis asperis; hoc eleganter docet Demetrius dicens, συμβιβάσεται δὲ καὶ ἡ ὁμοιότης τῶν ὀνομάτων καὶ ἡ δυσφωνία ἡ φαινομένη. *Contulit autem & similitudo nominum, & asperitas vocis, quæ apparet.* Rem porrò declarat exemplo, cu-

Homerus Iliade 8.

iusmodi est illud, quod subdit. Αἴας δ' ὁ μέγας ἄιεν ἰὼ Ἔκτορι. Carmen Homeri est, hic enim describens Aiacis studium in Hectore vulnerando, cum res aspera foret similibus, hoc est, asperis vocibus utitur, huiusmodi porrò voces illas esse Αἴας, & ἄιεν, Demetrius testatur.

Epiphonema summopere maiestatem

Ad rem præsentem confert etiam epiphonema; mirum est enim, quantum hoc orationi conferat maiestatis.

Tandem, quod poeticum est, tantum dignitatis habet, ut orationi summam grauitatem, atque magnificentiam præstet. Sed hoc duobus modis contingit, puta μεταθέσει, siue transpositione, & μιμήσει, siue imitatione. Primum in eo consistit, ut in oratione carmina inserantur. Secundum in eo positum, ut orationi sic versus inferciantur, ut illa non Poetæ, sed Oratoris esse videatur. Exemplum grandis characteris esse potest Ciceronis oratio pro C. Rabirio, ut alij quoque notarunt.

Magis innotesceet explicatum hucusque graue, magnificumque dicendi genus ex consideratione alterius, quod ei penitus aduersatur, diciturque Tumidum, vel Frigidum, ut alijs placet; hoc autem genus dicendi plerunque minus versatos decipit, siquidem ijs non rarò usu venit, ut oratio grauis ea videatur, quæ turget, & inflata est, id undecunque proueniat.

Hoc genus dicendi in rebus, verbis, & compositione positum est.

Et sanè in rebus orationis tumor, frigusq; cernitur, si illæ modum excedant, adeout nimis sint hyperbolicæ, nam in uniuersum quælibet hyperbole frigida existimatur, eo quòd rem supra fidem extollit, ut ob id ad risum captandum adhiberi soleat, & à Comicis in hunc finem usurpetur. In idem vitium impingit ille qui personam gerens Oratoris, rem poeticè tractat. Quemadmodum etiam & ille, qui de rebus exiguis agens, ut de maximis sermonem habet.

Huiusmodi autem stylus, tumidus dicitur, quia ut corporis bonum habitum sæpè tumor imitatur, ita grauis oratio sæpè rudibus, ac indisertis, videtur ea, quæ turget & inflata est. Dicitur etiam stylus ψυχρὸς, *frigidus*, à contrario effectu; magnificus nanque audientium animos inflammat; hic autem gelidos reddit.

Cæterum verba quatuor modis frigidam reddere possunt orationem. Et primò quidem si fuerint tumidè iuncta, vel ab usu longè remota. Secundò frigida itidem redditur oratio verbis externis, ac peregrinis. Tertiò idem præstant epitheta, aut longa, aut intempestiua, aut crebra. Tandem eadem fit characteris frigiditas translationibus indecoris, cuiusmodi sunt nimis humiles, quæ risum prouocant; aut nimis grandes, quæ temeritatem præseferunt.

Erat ordine tertium compositio, quæ tunc frigidum characterem reddit, quando numero destituitur, velut illa, quæ solum longis syllabis constat, quibus accedit & illud, nempe versuum continuatio.

His porrò succedit stylus tenuis, qui à Græcis ἰσχνὸς, *macer, exilis, strigosus, tenuis gracilis* dici solet; unde Aristophani ἰσχνὸς χαράκτηρ *tenue dicēdi genus est.* Hic autem stylus, characterve parciùs utitur tropis, atque figuris, præsertim vehementioribus, quæ propterea grandis sunt characteris propriæ; non multùm curat numerum oratorium; negligit magna, & idcirco longorū membrorum periodos reculat, quemadmodum etiam, & respuit longarum vocalium, ac diphtongorum concursum, cum ab his orationis magnificentia, grauitasque proueniat, quanuis hæc non tam religiosè seruanda sint, ut nullus admitti possit prædictarum vocalium concursus.

Res autem, in quibus character iste versatur, humiles, tenuesque sunt; præsens verò character sententiarum acumen desiderat; est itidem tenui, simplicique sermone contentus; grandior siquidem sermo, grandiori quoque stylo accommodatur.

Primum, quod in hoc stylo desideratur, est proprietas, quâ natiuam significandi vim ex usu doctorum voces habēt, quanuis in omni stylo hæc esse debeat, ita ut huius peculiaris non sit, quippeq; cuilibet stylo con-

sentanea

sentanea est. Potius igitur sermonis nuditas in hoc de quo loquimur, charactere necessariò cohæret, nuditatis nomine intelligendo id per quod sermo quolibet ornatu caret, idem est enim sermo nudus, ac inornatus. Hæc nuditas aliquibus dicitur puritas, hâc tamen acceptâ non pro orationis nitore, quo pacto à Tullio dicitur καθαρότης, ut aliquibus visum est; propterea quòd nitor idem, ac splendor est, qui certè magnifico stylo quammaximè consentaneus existimari debet; sed pro negligentia cultûs.

Secundum huius itidem styli proprium est perspicuitas, vel ut alijs placet, claritas, nimirum orationis illa facilitas, qua res nullo negotio intelligitur, quanuis hæc etiam in omni oratione sit necessaria, adeout tenuis, de quo loquimur, characteris propria non sit, nisi sumatur pro ea, quæ ducit ortum à vocibus maximè familiaribus; sæpe enim usu venit, ut res eadem pluribus vocibus significari possit, ut utilitas, dici potest fructus, emolumentum, quæstus, locorum opportunitas, commmoditas, commodum. Ex his autem familiarissima est vox utilitas, & hæc maximè huic stylo conuenit. Hoc itaque modo perspicua redditur oratio huic stylo accommodata, quemadmodum etiam fugiendo voces homonymas, & ambiguas, & earum loco adhibenda verba propria, atque usitata; conciliabitur etiam orationi facilitas, si translata vitentur, nisi hæc æquè clara sint ac vocabula propria. Et ad eamdem perspicuitatem conducit opportunus usus particularum, quæ præpositiuæ, & postpositiuæ dicuntur. Opportunus autem usus hic in eo planè consistit ut cum earum una fuerit prolata, auditor alteram expectare possit; hoc enim modo oratio rectè distinguitur; at nihil magis ad perspicuitatem orationis, quàm ipsa distinctio confert.

Stylus hic itidem euidentiam requirit, quâ scilicet res quasi ante oculos ponuntur; consequitur autem Orator euidentiam, accurratâ quâdam rerum expositione, quâ ut nihil deest, ita nihil redundat.

Tandem in hoc desideratur charactere, ut quod dicitur probabile sit, at ad probabilitatem assequendam nihil est, quod magis conducat, quàm aduertere, ne verba sint à communi usu remota, nec sint inflata, atq; adeo, ne videatur Orator ampullas ac sexquipedalia verba proijcere; quoniam id probabile, quod facilè creditur, facilè autem creditur, quod cum veritate commercium habere videtur, & Ἁπλᾶ χαίρει τοῖς ἀληθείας ἔπη. *Veritatis verba simplicissima sunt.* Idcirco summopere curandum hunc stylum affectanti, ut verba simplicia sint, eoque magis quo, etsi Ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τ' ἀληθῆ λέγειν. *Semper est optimũ vera loqui.* Hoc tamen in stylo tenui præcipuum est. Sed de Epistola nonnulla dicamus: & sanè eius materiam quod attinet, exploratum est satis epistolas, esse de rebus priuatis, aut publicis; non autem de naturæ mysterijs aut quibuscunque disputationibus acutis; & abstrusis; alioquin epistolæ nomen amittunt, ut apertè Demetrius testatur, & ex Philosopho colligitur dicente, τοῦτο δὲ γράφω σοι οὐ διὰ τοῦτο ἐπιστολικόν. *Hoc autem non scribo tibi: neque enim est epistolæ consentaneum*, seu accommodatum.

Hic autem stylus conuenit epistolis, cum ipse rebus tenuibus maximè accommodatus sit; at de hujusmodi rebus epistolæ tractare debent, ob id consequens sit, ut stylus tenuis ijs valdè sit consentaneus; epistolæ siquidem familiari sermone uti debent, ut Demetrius dicebat, Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ἐπιστολικὸς χαρακτὴρ δεῖται ἰσχνότητος, καὶ περὶ αὐτοῦ λεκτέον. *Quia autem & nota epistolaris eget tenuitate, & de ipsa dicemus.* Hujusmodi autem sermo tenuem stylum exposcit; excluduntur enim verba duplicia facta, & quæcunque magnificentiam habent; idcirco debent esse verba ex consuetudine, nam, quod extra consuetudinem est, magnificum est, idcirco Moralis. *Qualis*, inquit *sermo meus esset, si una sederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales esse epistolas meas volo*; hic enim dicendi modus epistolarum est proprius, quanuis aliquando in orationibus usurpetur, ut constat ex Tullio in oratione pro Milone dum ait. *Milo autem cum in senatu fuisset, eo die, quo ad senatus demissus est, domum venit, calceos, ac vestimenta mutauit, paulisper dum se uxor comparat, ut fit, commoratus est, deinde profectus est, id temporis*, &c. Compositio epistolæ accommodata verborum numerum, ac ambitum respuit, quod etiam Demetrius notauit. γελοῖον φαίνεται, ὥσπερ ἐν ἐπιστολῇ, ἀλλὰ δίκην γράφοντα. οὐ δεῖ γελοῖον μόνον, ἀλλὰ δεῖ φιλικόν. *Ridiculum enim est verborum ambitu uti, tanquam non epistolam scriberes, sed causam iudicialem, ac non ridiculum modo, sed nec amicum.* Non inficiandum tamen aliquas epistolas assurgere non nihil, quæ nempe Regibus, alijsque principibus viris, aut Ciuitatibus mittuntur.

Breuitas etiam in epistolis maximè commendatur, ut idem Demetrius affirmat; difficilis tamen est talis mensuræ determinatio, videtur enim epistola ratione multitudinis, ac magnitudinis rerum scribendarum longior, vel breuior esse posse; cum eodem ferè modo peccet, qui multa paucis contrahit, quo qui pauca diffundit in multa. Ea igitur in epistolis breuitas commendanda, quâ dicitur quantum est satis ad animi sensa clarè manifestanda sine tædio legentis, adeout eius sinistram manum, ut Seneca dicebat, non impleat. Sen. Epist. 45.

Magnam cum epistola Dialogus affinitatem habet, & sanè tantam, ut Demetrio teste, non defuerint, qui dixerint, ὅτι δεῖν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου. *Oportet eodem stylo dialogum scribere, & Epistolas: esse nanque epistolam tanquam alteram partem Dialogi.* Cui tamen Demetrius non assentitur, nam ait; Καὶ λέγει μέ τι ἴσως, οὐ μὴν ἅπαν. *Et dicit aliquid fortasse non tamen omne.* Vbi docet epistolam esse aliquo modo magis factam, hoc est magis expolitam, quam dialogum, quoniam hic imitatur subitò dicentem, & idcirco texi debet verbis sententijsque, quæ possint in dicendo occurrere, atq; cuilibet in mentẽ venire, at epistolæ scribuntur; quæ autem ita se habent, ut monumentis literarum mandentur, accuratiora esse debent; dialogi igitur tenuis character maximè conuenit, etsi Tullius quandoque mediocri utatur, & Plato etiam ad sublimem assurgat. Opinio de charactere dialogi. Dissentit Demetrius. Demetrij sententia approbanda.

Si Dialogi materiam quæras, certis limitibus illam coercere non licebit, nisi dicas re non differre ab ijs, quibus uniuersa continetur Philosophia; propterea quòd etiam dialogi de disserendi arte disputant, de rebus naturâ constantibus, de quibus Physicus edisserit, ac demum de omnibus ijs quorum consideratione moralis Philosophus detinetur. Gemina siquidem est scribendi ratio, quæ potest à sapientibus usurpari in re quacunque tractanda, e quibus una αὐτοφώτου altera διαλογικὴ, dicitur. Prior ille modus unicâ est personâ contentus, secundus autem non item; uter autem ipsorum præstantior sit, & accommodatior, non plane constat, nec facilè dictu, cum quisque unum vel alterum pro ingenij indole commendet, prior mihi magis probatur; secundus enim quantumuis magis delectare videatur, & multa esse, quæ duorum altercatione melius, quam Dialogi materia qualis.

unius expositione tractentur, nihilominus dissimulare non licet hunc differendi modum minus ad capessendam veritatem idoneum esse, qui enim hac utitur disputandi ratione, magis ad pugnam, quàm ad victoriam certant; at qui priori modo philosophantur, longè diligentiùs, & accuratius veritatem inquirunt.

Dialogi duæ partes assignantur. Quid Dialogus sit.

Si quis tamen dialogo uti velit, præ oculis habeat, oportet eius duas esse partes, quarum una, προκατασκευὴ *Præparatio*: altera ἀγὼν *Contentio*; dialogus enim, ut Fabio placet, nil aliud, quàm *Sermo ex interrogatione responsioneque compositus, ea de re, quæ vel Philosophiam, vel Reipub. partes attingat, discep-*

Tullius de claris Oratoribus.

tans, quod à Tullio didicerat, cum aliquando dixisset, *Cum disputatio est inter eos, ut est consuetudo dialogorum.* Et reverâ Διάλογος Græcis, idem est ac Latinis *Collocutio*. Διάλογος enim dicitur à διαλογίζομαι, quod est *colloquor, ratiocinor, discepto*. Hæc tamen collocutio geminâ parte constat, ut nuper dicebam,

Prædictæ dialogi partes sunt Præparatio, & Contentio.

quarum una præparat, atque disponit ad præcipuum argumentum rei tractandæ, siquidem in ea exponitur, quando, ubi, à quibus, quâ occasione sermo habitus fuerit; posterior autem rem ipsam aggreditur, ac disputationem instituit; curandum porrò, ut in uniuerso dialogo diligenter obseruetur quid verisimile sit, quidque decorum. Verisimile omninò necessarium est, ne ineptias, nugasque sectari videamur. Requiritur etiam decorum, hoc nanque magnopere sapientem decet, illudque in eo positum est, ut in dialogo non inducantur personæ, quæ ignaræ sint rerum earum, de quibus disputandum suscipitur, quod

Cicero in academicis quæstionibus.

à Tullio præsertim obseruatum fuisse iam adnotatum fuit; propterea quod, cum priùs Lucullum, Catulumque loquentes introduxisset; postea verò adnotasset adeo subtiles disceptationes in istos viros non cadere, Varronem ijs de rebus postmodum disputantem induxit. Ad huiusmodi decus à plerisque sapientum desideratur, ut personæ in dialogo introductæ eodem tempore vixerint, in quo reprehenditur Plato, quippequi frequenter in hunc errorem est lapsus, cuius exemplo quoque Macrobius alioquin clari nominis vir, deceptus fuit. Cur autem id requirendum videatur, ea forsan est ratio, quoniam ut dicebatur, à dialogo verisimile desideratur, at longè magis erit sermo verisimilis, si loquentes introducti eodem tempore inter viuos fuisse dicantur, & magis etiam si eodem loco. Verisimile quoque est si introductæ personæ de iis verba faciant, à quibus talium personarum conditio non abhorreat.

Initium porrò sumi potest, vel à re de qua agitur, vel à re quapiam simili, vel à re longè alienâ, liberum enim est cuique undecunque voluerit dialogi quidem exordium desumere; hoc autem inde est, quoniam nihil apparet, à quo determinatum collocutionis exordium sumi debeat.

Qualis persona in dialogo princeps.

Illud est potius consideratione dignum, nempe qualis debeat esse persona, cui sermo princeps tribuatur. Sed extra controuersiam hoc reputandum; enimverò neminem præterire potest personam hanc excellentiorem ratione vel ætatis, vel doctrinæ, vel prudentiæ, vel gradûs, seu dignitatis esse debere; hæc igitur in persona, quæ principes partes agit communi sapientum consensu desiderantur, quoniam non aliunde melius ei potest auctoritas conciliari; quod obseruatum à Platone fuisse neminem fugit, propterea quòd Socrates apud ipsum docentis personam gerit, dum autem quispiam dialogum instituit inter collocutores se constituat; & sibi aduersarium nactâ quâdam occasione assumat, ne videatur solùm eò collimasse, ut illum disputando superaret, & potius propriæ, quàm alienæ gloriæ consuleret, quod quantum sapientis modestiæ aduersetur, cuique perspectum. Illud etiam in re proposita consideratione dignum est, quòd siquis principes obtineat partes, moderatè debet rogari prius quàm ad contentionem deueniatur, ut velit disputationis prouinciam suscipere, ne præcibus adductus, sed sua sponte potius onus illud subire voluisse iudicetur, hoc enim in honorem eius, quammaximè cedit, qua de re dialogi institutor sollicitus in primis esse debet.

Materia dialogi ampissima est.

In dialogi autem disputatione quæcunque eius materia sit, nimia argumentorum seueritas, non ubique probatur, cum non rarò sit ea remittenda, minusq; subtiliter res ipsa tractanda, ut nempe dialogus characteris illam quam debet, redolere possit amœnitatè, quâq; dialogus debet esse refertus; idcirco non semper utendum subtilibus argumentis; sed non rarò probabilia sunt adhibenda, & ita quidem, ut ijs moratæ quædam orationis fœcunda semina permisceantur, itemque cicantur, vel sedentur affectus, quædam extollantur, quædam attenuentur, atque demùm argutijs, facetiisque, cum opus fuerit, aditus recludatur; horum enim permixtione sic oratio insolens altercationibus, festiuitatem adepta, blandè admodum, atque suauiter animum detinet, itaut hic facilè patiatur varijs difficultatibus agitari, quibus alioquin laxus redderetur.

Dialogi character quanuis epistolico affinis, ab eo tamen nonnihil differt, ut ex Demetrio superius aduertimus, non enim ille probatur, quo usus est in suis dialogis Plato, utpote nimis poeticè locutus, si tamen Dialogum illum excipias, in quo Socrates, tanquam collocutor inducitur, ita enim ibi sagax ille Philosophus intra dialogi cancellos sese continere nouit, ut stylum adhibuerit imitandum.

Dialogi character non idem ac epistolicus.

Stylus cos, ch rius ex plicand

Hactenus de tenui stylo, nunc pauca quædam de sicco, & arido dicenda, quoniam hic illi aduersatur. In hunc facilè incurrunt nonnulli, qui stylum inflatum fugere conantur, eo nanque religionis deueniunt, ut omnem ornatum orationis detestentur, omnem metaphoram abiiciant, omnia etsi liquidè exiliter tamen ita dicunt, ut nullo penitus cultu placidius unquam fluat, nullis illustrata luminibus excitatius sese oratio extollat; in hos ob id cadit illud

In vitium ducit culpæ fuga, qui caret arte
Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

A tribus autem, quemadmodum tenuis character, præsens etiam proficiscitur, nimirum à sententia, verbo, & compositione.

Sicca autè à sententia dicitur oratio, si omni ornatu est destituta, ita ut Idiotę cuiusdã sermo esse videatur, & rem imminuat, cum potius deberet augere.

Verba sicca quæ.

Verba etiam sicca sunt, quæ minus feliciter dicentis mentem exprimunt, ut si quis ad alicuius crudelitatem significandam, non crudelitatis, sed incommodi vocem usurparet.

Compositio verò sicca existimatur, in qua commata quidem abundant, est etiam talis, cum periodi posterius membrum intempestiuè abscinditur. Exemplum afferri solet ex Lysia in oratione pro Pherenico, quam huc transferre piget; satis enim illam insinuasse, eius autem initium est. Ἀναγκαῖον μοί δοκεῖ εἶναι, ὦ ἄνδρες δικασταὶ περὶ τῆς φιλίας ἧς ἐμοὶ πρὸς τὸν Φερένικον ἐστὶν εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς κ.λ. *Necessarium enim videtur, Iudices, de amicitia quæ mihi est, cum Pherenico primum dicere apud vos, &c.* Vbi obseruare licet quanta sit iciunitas Lysię, non solum enim apud ipsum nullũ metaphoram reperies, sed commata tam frequenter, & tam

Compositio sicca.

Lysiæ oratio pro Pherenico.

inop-

inopportunas periodorum abscissiones inuenies, ut is auditoribus nauseam moueat, eosdemq; tedio fatiget.

Hi porro sicci cum sint se acticos dicunt, cum tamen atticè loqui, non sit absque ornatu dicere, ut rectè notauit Tullius in Bruto.

Tullius in Oratore.

Tandem Stylus occurrit mediocris, qui alioquin, æquabilis appellatur; hunc, ut accepimus, Thrasymachus Calcedonius inuenit, Plato, & Isocrates expoliuerunt, Demosthenes tandem extremam ei manum imposuit, omnibusque numeris absolutum reddidit. Cuiusmodi autem sit, nomen eius non obscurè declarat; *Mediocris* enim dicitur, eo quòd inter duos extremos, medium locum obtineat, neque enim verborum maiestatem habet, aut sententiarum grauitatem, quæ in graui charactere conspicitur, nec est subtili præsâque limatus oratione, aut facetiis refertus, floribus exornatus, cuiusmodi esse characterem humilem dicebamus, sed in utriusque confinio rectè dixeris eum esse constitutum, quod à Tullio in Oratore expressum legimus: *Est interiectus*, inquit, *inter medius, & quasi temperatus, nec acumine posterioris, nec fulmine utens superioris, vicinus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque (si verum quærimus) potius expers*. Hinc facile intelliges huius, de quo sit sermo, characteris indolem, in cujus explicationem non est operæ pretium diligentiùs incumbere, cum ex hactenus dictis de grandi, ac tenui charactere satis constare possit cuiusmodi sit ille, qui Mediocris nuncupatur.

Adnotatio.

Non præteribo tamen aduertere hoc etiam dicendi genus habere contrarium, illudque esse Fluctuans, & incertum, de quibus alij Auctores consulendi sunt.

DISSERTATIO VI.

De causarum generibus: de animi affectibus, & de amplificatione.

Quæ sint Oratori præcipuè tractanda.

Causarum genera nunc se nobis tractanda offerunt, de his autem operæ pretium est Oratorem esse sollicitum, propterea quod in his uniuersa eius facultas consumitur, ab his enim discit Orator, & benè dicere, & honestè viuere, quibus tota vis oratoria continetur. Quoniam verò necessitas postulat, ut Orator non tantùm argumenta perquirat, quibus orationem suam probabilem efficiat, sed etiam probè cognoscat, qua ratione se ipsum afficere, atque mouere, & quomodo iudicum animos concitare, & quocunque voluerit impellere possit; idcirco peropportunum duxi post doctrinam traditam de causarum generibus, illicò de ciendis affectibus verba facere. Et quoniam ad extremum uniuersæ quidem eloquentiæ facultas in amplificatione posita est, ex Fabij enim sententia, vis oratoris omnis, in augendo, minuendoque consistit, in hac obid postremus noster sese labor exercebit.

SECTIO PRIMA.

De causarum generibus.

Materiæ omnes, in quorum consideratione versari potest Orator, ad quædam capita redactæ fuerunt; in controuersia tamen est positum quot illa sint. Aristoteles tria esse decernit, atque ternarium hunc numerum ex eo colligit, quod auditorum genera tria sint, nempe auscultator, iudex, & sententiæ moderator; is enim, qui audit, aut sonum auscultat, aut etiam iudicaturus est, qui Tullio disceptator dicitur, quod si iudicaturus est, aut de præteritis, aut de futuris statuit; si de præteritis iudex dicit; si de futuris sententiæ moderator appellatur, græcè autem Ecclesiastes, qui tantum auscultat is de oratoris facultate iudicium fert, & auscultator, à Tullio vocatur. Concludit autem Stagirites, ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν. *Quare necesse est tria causarum esse genera, Deliberationis, Iudicij, Exornationis.* Eumdem hunc numerum approbat etiam Cicero, immò etiam, & Fabius, qui geminâ partitione conatur illud adstruere; prima verò diuisio hæc est: Oratoris officium, aut est in iudicijs, aut extra iudicia, in iudiciis genus est iudiciale, extra iudicia, vel præteritum tempus spectat, vel futurum. Præterita vel laudamus, vel vituperamus, de futuris deliberamus, ita fiunt tria genera. Altera diuisio hæc est: Ea, de quibus dicendum est, aut certa sunt, aut dubia. certa laudantur, aut vituperantur. dubia vel in nostra potestate sunt, ut ea sequamur, aut fugiamus de quibus est deliberatio. vel aliorum sententiæ commissa, de quibus est iudicium. Quanuis igitur alij plura, alij pauciora Rhetoricæ genera decreuerint, tria tamen statuenda sunt, ut nuper cum Aristotele, Tullio, & Fabio dicebamus. Quæ autem illa sint postremis verbis paulo antea relatis explicuit; enimverò dicebat, συμβουλευτικὸν δικανικὸν. ἐπιδεικτικόν. *Deliberatiuum, Iudiciale, & exornatiuum.* De his igitur sigillatim nunc est nobis disserendum.

Quodlibet genus duas habet partes

Tria autem sunt genera prædicta, sed quoniam oratoria facultas disputat in utranque partem, idcirco fit, ut unumquodque Rhetoricæ genus duas contrarias partes omninò obtineat, & primò deliberatiũ habet suasionem, ac dissuasionem, ut Aristoteles notauit dicens συμβουλῆς δὴ, τὸ μὲ. προτροπὴ. τὸ δὴ, ἀποτροπὴ. *Deliberationis autem duæ sunt partes; altera suasio, altera dissuasio.* Quod inductione probat hoc modo: Qui consilium dant, id vel priuatim faciunt, vel in concione publica; sed qui priuatè, & qui publicè consulunt semper vel suadent, vel dissuadent; ergo duæ sunt partes deliberationis Suasio, & Dissuasio.

Iudicium duabus etiam partibus constat, ut Philosophus idem aduertit dum ait, δίκης δὴ. τὸ μὲ κατηγορία τὸ δὴ ἀπολογία. *Iudicij verò partes sunt accusatio, & defensio;* quod ex eo probat, quia qui in iudicijs versantur, necesse est, ut vel accusent, vel defendant, quo fit ut accusatio, & defensio iudicialis sint generis partes, quibus etsi Tullius alicubi duas alias adiungendas crediderit, videlicet petitionem, & recusationem; alibi tamen Philosophi consilium secutus est; petitio nanque cum accusatione coniungi-

tur eam ob causam quia, qui petit, reum in iudicium vocat, tanquam ab eo læsus, quod speciem accusationis est, ut Cicero quoque notauit dicens. *Sed accusatorem pro actore, & petitore appello.* Ita quoque recusatio cum defensione coniungitur.

Tullius in Partitionibus.

Proximè dictis generibus exornatio persimilis est, quandoquidem hæc itidem duas habet partes, laudem, & vituperationem, quod cum Aristoteles aduerteret rectè dicebat, Ἐπιδεικτικὸν δὲ, τὸ μὲν ἔπαινος, τὸ δὲ, ψόγος. *Exornationis denique duæ sunt partes Laus, & Vituperio;* siquidem quod duplici ratione constat, boni, & mali, capax est laudis, & vituperationis; quâ enim parte aliquid est bonum, laudamus, quâ verò malum, vituperamus, ideo quod est tantummodo bonum, vituperari non potest. Hoc autem genus cuiusmodi sit non multo post, breuiter tamen, explicabimus.

Genus De lib. Iudic. & Demonstrativum.

Deliberativum igitur genus est quo suademus, vel dissuademus. Iudiciale, quo defendimus vel accusamus. Demonstrativum tandem est, quo laudamus, vel vituperamus.

In quolibet genere tria spectanda sunt.

In unoquoque autem genere tria spectanda sunt, Tempus, Finis, Motus, per quæ alterum ab alterò distinguitur; enimverò in genere demonstratiuo, ut hinc exordiar, ratio habetur temporis præsentis, & præteriti; Finis ipsius est honestas: Motus est admiratio, siue amor, vel detestatio, propterea quòd mouendi sunt auditores, vel ad virtutis admirationem, & amorem, vel ad vitij detestationem. In deliberatiuo tantummodo spectatur tempus futurum, non enim de præteritis est deliberatio. Finis est utilitas, Consultores verò mouendi sunt ad spem, aut reformidationem. In iudiciali præcipuè spectatur tempus præteritum, de rebus enim actis iudicium instituitur; Finis est æquitas: Iudex mouendus est vel ad clementiam, vel ad seuitiam.

De singulis prædictis generibus proximè disputabimus, & singulorum proprios locos innuemus, ex quibus Orator argumenta quidem ad laudationes, ad consultaiones poterit desumere. Hæc omnia elegantissimè Philosophus est persecutus; ait enim, χρόνοι δὲ λέγεται τούτων εἶσι, τῷ μὲν συμβουλεύοντι, ἐμέλλων, περὶ γὰρ τῶν ἐσομένων συμβουλεύει. ἢ προηρῆσθαι, ἢ ὑποπίπτειν. *Tempora etiam unicuique horum accommodantur. Deliberanti quidem futurum, nam de futuris deliberat, aut suadens, aut dissuadens.* Futurum deliberationibus accommodatur, nulla siquidem de præterito potest esse deliberatio, quod etiam Demosthenes pro Ctesiphonte notauerat; hoc autem ideo, quoniam mutari non potest, id, quod præteritum est; immo neque tempus præsens idoneum est deliberationibus, nisi quatenus futuro deseruit, quoniam deliberatio semper factum præcedit, idcirco omnis deliberatio de futuro est, quod Tullius significare volebat cum diceret, deliberationem esse in posteris temporis prouisione. De iudicio autem Philosophus loquens ait, τῷ δὲ δικαζομένῳ, ὁ ἡμίσεμβρος, περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται. *Iudicia verò tractanti, præteritum; nam de factis semper unus accusat, alter defendit.* Cum enim in iudicio vel accusemus, vel defendamus, necesse est, ut ea iam facta sint, quę quispiam aut accusat, aut defendit; hoc itaque genus in præteriti disceptatione versatur: & quanuis aliqui de futuro videantur posse accusari, quatenus aliquod scelus perpetraturi sint; id nihilominus ex præteriti disceptatione iudicatur, prout aliquid in ordine ad illud machinati fuerint. De genere tandem exornatiuo Philosophus edisserens, ait τῷ δ' ἐπιδεικτικῷ, κυριώτατος μὲν ὁ παρὼν κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα σπουδάζουσι. ἅπ ψόγους, πάντες, προφέρονται δὲ πολλάκις, καὶ τὰ μὴ ὄντα ἀναμιμνησκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προσκάζοντες. *At demonstratiuo maximè proprium quidem est præsens (ex ijs, enim, quæ insunt, laudant, aut vituperant omnes) sed assumunt sæpe etiam præterita, quæ in memoriam reuocant, & futura quæ coniectant.* Exornationi porrò tempus præsens maximè accommodatum esse, ex eo planè intelliges, quoniam dum aliquem adhuc inter viuos laudibus prosequimur, aut improbamus, certè non id primò spectamus, qualis is antea fuerit, vel qualis futurus sit, sed qualis in præsentia, propterea quòd, si quispiam bonus antea fuisset, in præsentia verò malus, profecto laudibus efferri non posset; quemadmodum nec etiam eo nomine laudandus est aliquis, quòd bonus futurus sit; consequens igitur ut præsens tempus exornationi quammaximè dicatur accommodatum.

Deliberatiui generi tempus futurum assignatur.

In partitionibus oratorijs.

Iudicialis generis præteritũ tempus est proprium.

Singulis autem commemoratis generibus præcipui debentur fines, non enim idem communis omnibus τέλος δ' ἑκάστοις τούτων ἕτερον ἔστι. *Finis præterea singulis his diuersus est.* Declarat autẽ hoc amplius Philosophus, dum subdit τρισὶν οὖσι τρία. *Et tribus sunt tres,* quasi dicat, cum tria sint genera, necesse est, ut etiam tres sint fines. Deindè verò prosequitur, docetque primò, qui finis sit deliberationis, & ait utilitatem, ac detrimentum esse, nimirum ut illam sequamur, hoc verò fugiamus; cum enim Orator suadere aliquid vult, melius id esse, quam reliqua, de quibus deliberatur, ostendit; cumque dissuadere conatur, deterius illud esse demonstrat; quòd si forsan de iusto, vel iniusto, de honesto, ac turpi in deliberatione verba fecerit, id proculdubio non ideo facit, quia iustitia, vel honestas præcipuus sit deliberationis finis, sed ut faciliùs quod vult, suadere, vel dissuadere possit, quoniam, quæ iusta, ac honesta sunt, meliora itidem, ac utiliora existimantur, præsertim apud viros probos, quibus nihil utile, quod honestum non sit. Non dissimulandum tamen Aristotelis consilium Tullio non probari, propterea quòd disertis verbis testatur in hoc ab eo nonnihil recedere dicens: *In deliberatiuo autem Aristoteli placet utilitatem, & honestatẽ, & utilitatem finẽ esse.* Et licet alibi dixerit: *est igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia, referuntur in consilio dando, sententiaque dicenda;* nomine tamen utilitatis, honestatem etiam comprehendit, nunquam enim discrepat utile à decoro, adeo ut Socrates illum execrari soleret, qui primus utilitatem ab honestate disiunxisset; quia tamen in deliberando non per se consideratur honestas, sed ut ad aliquem fructum, vel fortunarum vel dignitatis, vel gloriæ; propterea finis deliberationis utilitas, non autem honestas assignatur; quod enim turpe apparet, id ne utile quidem existimari solet. Hoc idem sensisse Tullium nemini dubium, nam ex eius sententia. *Vtile nihil, nisi quod honestum.* Hoc etiam expressit M. Ant. dicens: *Ergo in suadendo nihil est optabilius, quàm dignitas, nam, qui utilitatem parat, non quid maximè velit suasor, sed quid interdum magis sequatur videt;* A quibus non dissentit Fabius, dum ita loquitur: *Ne his quidem acceserim, qui laudatiuam materiam honestorum, deliberatiuam utilium, iudicialem iustiorum quæstione contineri putant; celeri magis, ac rotunda usi distributione, quàm verâ. Stant enim quodammodo mutuis auxilijs omnia, nam & in laude iustitia, utilitasque tractantur, & in consilijs honestas, & rarò iudicalem inueneris causam, in cuius non parte aliquâ eorum quid quæ supra diximus, reperiatur.*

L. 1. Rhet. cap. 16. alias 3.

Iudi-

Iudicialis generis finem significat dicens, Τοῖς δὲ δικαζομένοις, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον; τὰ δ' ἄλλα, καὶ οὗτοι συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα. *In iudicijs autem quid equum, aut iniquum sit quæritur, si qua verò sunt alia, huc referuntur.* Et rectè quidem, nam qui accusat æquitatem esse violatam docet: qui autem defendit id inficiatur, & ab æquitate nec latum unguem esse discessum contendit; at si aliud quidpiam in iudicio quidem inciderit, nimirum de utili, aut, inutili, de honesto, aut turpi, id solet ad æquitatem referri, quod etiam Tullius expressit dicens. *Rectè intelligis, atque eius quidem generis finis est æquitas*, &c. Nec immeritò, nam æquitatis seruandæ gratia iudicia constituta sunt, ut scilicet maleficia puniantur, &c.

Tandem Philosophus exornatiui generis finem decernit dicens, Τοῖς δὲ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι, τὸ καλὸν, καὶ τὸ αἰσχρὸν, τὰ δ' ἄλλα καὶ οὗτοι πρὸς ταῦτα ἐπαναφέρουσι. *At laudationibus, & vituperationibus honestum & turpe alia autem, & hi ad hæc referunt.* Demonstratiui generis finem vult honestum esse, nam qui laudant, honesta facta celebrant; quòd si forsan quidpiam utile, vel iustum esse factum dicant, id certè ob eam causam faciunt, ut eius, quem laudant, honestatem, ac dignitatem amplificent, adeout ut omnia ad honestatem referant. Nec Cicero dissentit: *Omnia enim*, inquit, *sunt profectò laudanda, quæ coniuncta cum virtute sunt, & quæ cum vitijs vituperanda; quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo.*

Superioribus quoq; generibus assignantur animi motus vel affectus; debet enim Orator se ipsum afficere, ac mouere, & auditorum animos concitare, ut quocunque voluerit possit impellere; itaque, ut initio dicebatur, in exornatiuo genere mouendi sunt auditores vel ad virtutis amorem, vel ad vitij odium: in deliberatiuo verò consultores ad spem, aut reformidationem: in iudiciali mouendus iudex ad clementiam, vel æquitatem.

SECTIO SECVNDA.

De Genere demonstratiuo.

DEmonstrativum, seu exornativum genus græcè Ἐπιδεικτικὸν, vel Ἐγκωμιαστικὸν. *Epiditicum*, siue *Encomiasticum* est illud, quo aliquem laudamus, vel vituperamus, continet enim laudem, & vituperationem, quod Quintilianus laudativum appellat. Demonstrativum dicitur à demonstrando, quoniam aliquid laudando, vel vituperando cuiusmodi sit, ostendit: dicitur exornativum, eo quod rem laudibus exornat. Ad hoc genus pertinent gratiarum actiones, expositiones historicæ, gratulationes, lamentationes, commemorationes beneficiorum, exprobrationes, inuectiuæ, & si quæ sunt alia generis eiusdem. Genus hoc dicendi maximè copiosum est, & in omnia genera spargitur; rarò autem per se tractatur, unde iudicialis generis apud Tullium multę sunt Orationes, ut Actiones in Verrem, Orationes pro Milone, pro Roscio, pro Murena. Deliberatiui quoque generis multæ sunt, ut omnes ferè Philippicæ, item pro Lege Manilia, & in Catilinam. Demonstratiui autem pauciores, quanuis ad hoc referatur illa, quam in senatu post Reditum habuit, & quam habuit ad Quirites, quæ gratiarum actiones continet; secunda etiam Philippica, quæ in vituperatione versatur, ut & illa in Pisonem. Sunt porrò aliquæ mixtæ, cuiusmodi est illa, quam habuit pro Lege Manilia, quæ in Pompeij laudes se effundit; ita etiam, & 9. Philippica, in qua S. Sulpicium laudibus effert. Exornatio omnibus causis iudicialibus admiscetur; nulla enim est iudicialis causa, in qua alicuius laus, aut vituperatio non habeatur, quod aduertens Isocrates dicebat in omni orationis genere laudem, ac vituperationem inesse; ita quidem Cicero in Miloniana oratione Milonem summis laudibus extollit, Clodium autem vehementer deprimit, accerrimèque vituperat; tam igitur hoc genus late patet, quàm quæ laudari, vituperarique possunt.

Si quæras autem cur genus hoc nomenclaturâ à laudatione sumat, cum in eo non minus vituperatio sit, pelletur. Cur sic appellatur.

quàm laudatio, facilis est dubitationis solutio, semper enim ab eo, quod maximè excellit in re quapiam uniuersa, res appellatur; at longè frequentius in publicis orationibus laudamus, quàm vituperemus. Hoc est, quod Tullius significauit dicendo, *Quia in laudationes maximè confertur*. Cumque genus hoc repertum fuerit, ut præstantiores viri, qui rerum gestarũ gloriâ summopere floruerunt, dignis laudibus exornarentur; idcirco etiam exornativum dici consueuit.

Tametsi laudentur, quæ bona sunt, quæque mala vituperentur, ea tamen in quæ omnis laudatio, aut vituperatio cadit, iure dicuntur *Personæ*, *Facta*, & *Res*. Personæ quidem, ut Alexander, Cæsar, Annibal, Plato, Aristoteles, Demosthenes, Tullius, Helena, Lucretia, &c. Facta, ut factum Horatij Cocliti, aut Mutij Scevolæ, aut Annibalis, cum scilicet rursus collectis viribus P. Æmilium, & Terrentium Varronem nouos consules creatos apud Cannas vicit, eo in prælio, in quo ad quadragiuta millia peditum, & duomillia supra septingentos equites cæsa dicuntur, adeo ut tres modios, & dimidium annulorum Carthaginem miserit, &c. Rerum autem nomine intelliguntur omnia, quæ neque personæ sunt, neque facta; ut Philosophia, Eloquentia, Ius ciuile, seu Iuris prudentia, Pax, Bellum, Agri, Vrbes, Templa, Flumina, Fontes, &c. Quæ laudem reciptunt.

Et ut ab hominis laudibus exordiar; homo spectari potest vel uniuersè, vel singulatim quo pacto persona dicitur. Priori modo inspectus laudibus efferri potest in considerationem vocatis ijs, quæ sequuntur. Primò quidem est anima immortalis, quâ constat, eiusque facultates; tanta siquidem est illius dignitas, ut diuinæ auræ particula credita sit. Secundò: Corporis elegantia, ac excellentia, cui peculiare illud, ut *Os sublime habeat, vultusque ad sydera tollat*. Tertio: Armonia illa, quâ partes, naturâ diuersæ conspirant in unum. Duplex exornatio hominis.

Particulatim verò inspectus homo, quo pacto persona dicitur, laudari potest, vel ordine naturali, vel artificiali seruato, prout dicendorum series gemina esse potest, vel scilicet artificialis, vel naturalis. Duplex exornationis ordo. Artificialis ordo.

Artificialis quidem series est, cum temporis ordine neglecto, omnia ad certa quædam capita referuntur. Hanc ferè Tullius respexit in Pompeij laudibus; ad quatuor enim capita omnia retulit, nimirum ad scientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, & ad felicitatem. Non dissimilis foret ordo si alicuius laudes referemus ad bona animi, corporis, & ea, quæ dicuntur externa, quanuis reliqua bona comparatione horum, quę ad animum pertinent, nullius ponderis existimari debeant; ea siquidem in virtute sunt posita, cuius tantum momentum est, ut cæteris propendeat, ei tamen reliqua bona, corporis, & externa creduntur adiungi, ut in eorum usu prudentia eluceat.

Naturalis autem series est, in qua temporis ordo seruatur, quem ut alij quoque notarunt, secutus est Naturalis ordo.

Isocra-

Isocrates Euagoram laudibus efferens. In tria verò tempora distribui solet, nimirum in id quod vitam anteceſſit; in id, quo quis inter mortales egit, si forsan naturæ conceſſerit, in id, quod hominis mortem est consecutum. Hæc distribuitio maximè ob breuitatem commendatur, cum alioquin altera tradi soleat in quinque partes, scilicet ante natiuitatem, in natiuitate, in vita, in morte, & post mortem. Priorem distributionem amplexus est Vates, cum triplex illud tempus respiciens, ordine tamen inuerſio laudes Didonis pertractat. Primò respiciens ad secundum tempus canit.

O sola infandos Troiæ miserata labores!

Dumque respicit ad primum, ait

— quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Tandem primum attendit, dicens

In freta dum fluvij current dum montibus umbræ
Lustrabunt conuexa, polus dum sydera pascet.
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Et alii ferè innumeri huiusmodi ordinem in laudando retinent; nec ineptè, personæ siquidem laudes desumuntur ex Cauſis, Effectis, Adiunctis, Comparatione, Similitudine: sed ex his quædam ad primam, quædam ad secundam, & quædam ad tertiam prædicti temporis partem spectant.

In prima temporis parte hæc sunt. Personæ adiuncta, Natio, patria videlicet, Familia, seu Parentes, Maiores, Auguria, & Oracula, si qua natiuitatem anteceſſerint.

Patria, & Parentes decantantur, ut in auctoris commemoratione succeſſoris dignitas exaggeretur. Patriæ tamen nomine intelligi debet non modo natale solum, sed & locus, unde sumus oriundi. Nonnulli addunt & locum, ubi nos commodè viximus.

Laus à natione sumitur.

A natione sumitur laus, & in ea spectari debet, an generosa sit, & illustris, an verò contra. Hinc Vates egregijs laudibus desumptis, Æneam quàm elegantissimè prosequitur, nimirum ex Troianæ gentis honore, laudes illius paucis complectitur canens.

Virg. 4. Æneid.

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos.

Tanti fecit honorem gentis, ut crederet eum grauissimæ curæ, aliti vulneris, amoris cæci Didonis erga Æneam, præcipuam cauſam fuiſſe; desumpsit autem laudem ex honore gentis, quàm Vossius cum Patria confundit; cauſam autem non intelligo, propterea quòd mihi compertum non posse aliquem forsan ex patria, utpote obscura, ac ignobili desumptis laudibus exornari; ex gente seu natione tamen illustrari quàm optimè posse.

Ab Auguriis.

Ab Auguriis quoque, & Oraculis natiuitatem antecedentibus laudes desumuntur. Ita quidem Astyages cum in somnio vidiſſet, ex filiæ naturalibus vitem enatam, quæ palmitibus vniuersam Asiam obumbraret; Arioli respondérunt, nascituri nepotis Cyri, magnitudinem prænunciari. Patria ut nuper dicebam, & parentes, ideo prædicantur, ut in auctoris commemoratione succeſſoris dignitas exaggeretur. In Patria verò considerandum qualis sit, clara ne, & magnorum heroum fœcunda genetrix, an obscura, & abiecta: rursus an sit abundans, ac fertilis; & ubi, & quomodo sita; magni autem refert aduertere cuiusmodi patria sit, nam ea summum censetur fortunæ bonum; ut idcirco Hierocli Patria erat velut alter quidam Deus, & primus maximusque parens. Est unum è fortunæ bonis, & eorum sanè maximum; nam Πολλῷ γὰρ χρυσῷ καὶ πλούτου κρείσσων πάτρα. *Multo enim auro, & opibus antecellit patria*, propterea Tullius *Patria*, inquit *nihil dulcius, nihil charius in vita esse debet. Nullus locus est domestica sede iucundior. Cari sunt liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates Patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitat mortem oppetere si ei sit profuturus?* aliquid igitur est Patriæ splendor. Quod certè confirmat vulgatissimum illud de Menestheo, qui cum interrogatus foret, utrum parentum maioris faceret, matrem respondit, cæteris autem admirantibus, rationem attulit, quòd pater ducendo Threissam, quantum in se fuit, Thracem genuisset; mater nubendo Athenienſi, Athenienſem.

Ex Patria sumitur laus.

Sed quoniam non rarò contingit, ut quispiam ignobili patriâ natus fuerit, propterea videndum quid Oratori expediat, & certè nil aliud, quàm ostendere ab eo, quem laudibus prosequitur, loci natalis obscuritatem proprię virtutis radijs illustratam fuiſſe. Huc etiam pertinet, quod Aristoteles dicebat cuidam glorianti quòd esset ortus magnâ, celebrique Patria, nimirum, hoc nihil referre, sed, an celebri Patria dignus esset; sic enim loquitur, Μὴ τοῦτο σκοπεῖ, εἰ μὲ ὅς τις μεγάλης πατρίδος ἄξιος ἐστί. *Noli hoc considerare, sed utrum præclarâ patriâ dignus sis.* Ad hoc etiam facit, quod à virtutibus prædito quærendum non est, cuias sit, cum optimè respondere possit, sapienti viro omne solum Patriam esse. Ideo Anacharsis exprobranti cuidam Attico, quod esset natus in Scythia: mihi, inquit, probo est Patria, tu Patriæ; & egregiè est inculpatus, cui nihil potest præter Patriam obijci; at ut Laudi est apud Barbaros natum Græcorum disciplinas callere: sic turpe quidem apud Græcos natum ad Barbarorum mores degenerasse. Hinc Agesilaus, cum ei puero Choragus in ludis Gymnicis minus honoratum locum tribuiſſet; præsto fuit ad nutum, sed dixit benè equitem se rem habere, ostensurum enim se non loca viris, sed viros locis honorem conciliare. Ad quæ respiciens Ouidius cecinit.

Quando quispiam obscura Patriam fortitus fuerit.

Non illa loco, nec origine gentis
Clara, sed arte fuit.

Ouid. Metam. Fab. 1.

Et Claudianus ad hæc etiam respexit canens.

Et meritum non quæ cunabula quæris;
Et qualis non vnde satus.

Claud. libro 2. de laudibus Stilichonis.

Si patria dedecore oppreſſa fuerit, satius erit illam silentio præterire, solamque gentem commemorare quòd si Ciuitas illustris sit, abiectus verò locus, ut pagus in quo quispiam natus fuerit, solius ciuitatis commemorationem facere iuvabit. Quòd si placeat etiam commemorare, vel ciuitatem, vel pagum quorum nullus sit splendor, id fieri poterit aduertendo Apuleij dictum: *Apud socordissimos scythas, Anacharsis sapiens natus est: apud Athenienses catos, Meletides* fatuus; sic Abderitis nihil stupidius, & tamen Democritus Abderita, Physicus acutissimus fuit.

Quando Patria fuerit infamias. Oratori quid agendum.

A genere laudes desumuntur.

A genere quoque per quod parentes, aui, affines intelligi debent, laudes trahuntur. Si genus enim illuſtre ac splendidum fuerit, à claritate natalium maiorumque gestis præstantissimis laudes desumere licebit; hæc enim, χρυσία κρηπὶς, καὶ Πίνδαρος. *Iuxta Pindorum sunt aureum fundamentum*, propterea quòd, Εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτόνων. *Verisimile est præstantiores, ac meliores esse eos, qui ex melioribus.* Nam ut Venusinus ait

Aristot. Poet. c. 6.

Fortes creantur fortibus, & bonis.

Laudes.

Quandoquidem, ut ipse subdit

Doctrina sed vim promouet insitam,

Recti-

Reliquæ cultus pectora roborant.

Nimirum rectæ disciplinæ, & bonæ institutiones, mentem muniunt & robustam reddunt.

Ex aduerso autem, Οὐκ ἀγαθὸς χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. *Ex Patre prauo nemo nascitur bonus*; nam Κακῆ κόρακι κακὸν ᾠόν. *Mali Corui malum ouum*; quo pertinet vulgatum illud, Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑακίνθοις. *Haud nanque è scilla rosa nascitur, aut hyacinthus*, ut non immeritò Lyricus, ubi supra, cecinerit

Neque imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Quod cum aduerteret Isocrates Euagoram laudaturus, initium ducit ab eiusdem genere, siue maioribus, hæc enim habet, Πρῶτον μὲν οὖν περὶ τῆς φύσεως τῆς Εὐαγόρου, ἣν τίνων ὢν ἀπόγονος, ἵν' μὴ πολλοὶ προσῆκαν τοῦτο, δοκῶμοι φιλονεικῆσαι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἕνεκα διελθεῖν περὶ αὐτοῦ τὰ λ. *Ac primum de ortu, atque natalibus Euagoræ, tametsi complures ante norunt, & mihi tamen aliquid cæterorum causa dicendum esse videtur &c.* Nec immeritò, namque maiorum ille splendor non solùm eos, qui heroicis gestis gloriam sibi peperunt, sed etiam posteros mirum in modum illustrat.

crates uago

Si verò laudandus obscuro sit genere natus; genus ipsum præstabit silentio inuoluere, quod si nihilominus de ipso iuvet mentionem facere, subsidium ex eo emendicabit Orator, quod non ex natalibus nobilitas desumi debeat; ex his enim inter mortales nullum discrimen, nam, *Omnes pari sorte nascimur, solâ virtute distinguimur, non enim ab ortu nobilitas, propterea quòd optimus quisq; nobilissimus.* Quibus addi potest, quod Seneca dicebat: *Non facit nobilẽ atriũ plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit. hæc, quod ante nos fuit, nostrum est, animus facit nobilẽ, cui, ex quacunque conditione, supra fortunam licet surgere.* Addi etiam potest, quod Satyricus cecinit Satyra Octaua, scribens in quosdam nobiles Romanos, qui nobilitate maiorum suorum confisi, intumescebant, cum ipsi tamen vecordes, & ignaui, nihil vera nobilitate dignum agerent, sic enim scribit.

enalis a 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum &c.

Atque tandem egregiè concludit

em.

Tota licet veteres exornent undique ceræ,
Atria; Nobilitas sola est, atque unica virtus.

Ad hæc etiam accedit quod

ecæ lercutente.

Qui genus laudat suum,
Aliena laudat.

Quo pertinet illud frequenter ab omnibus usurpatum.

l. lib. Met. la 1.

—genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Vt propterea Iuvenalis non immeritò ubi supra cecinerit.

----- Miserum est alienæ incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subiectis tecta columnis.

Hactenus tradita usui esse possunt Oratori ad ostendendum nobilitatem ab ortu non pendere, vel saltẽ

Pulchrius multo parari, quàm creari nobilem

Pulchrum est enim posse maiorem nobilitatem iactare, sed longe pulchrius ijs præluxisse virtute; nec minoris est laudis abiectam, & obscuram familiam è tenebris in lucem vocasse, quam è nobili stirpe, præstantique genere ortum duxisse tuum; & longè præclarius est initium dare generi præstanti, quàm finem imponere.

Non modo laudibus extolli possunt, qui humili sunt loco nati, sed etiam ij, quorum genus ignominiosum est, & ex dictis facilè potest intelligi, quemadmodum deprehendere quoque licet qua ratione vituperare valeamus.

Laudari etiam possunt ij, quorum genus ignominiosum est.

Hactenus autem dicta pertinent ad genus eorum, quæ vitam antecedunt; proximum est, ut ea tractemus, quæ in vita ipsa contingunt, è quibus primò quidem sexus occurrit. Nõ ex eodem fonte ducuntur laudes utriusque sexus, quandoquidem mulieres præcipuè laudantur à forma, proceritate, pudicitia, quę singularis est mulieris ornatus; à modestia, quæ pudicitiam testatur, à liberalitate, quæ rarò in hoc tenui reperitur, à rei domesticæ familiarique peritia, amore erga maritum, prudentiâ in liberis educandis. Sed mulierẽ optimam declarat Stobęus dicens, τὴν ἁρμόζουσαν γυναῖκα, ἱκανὸν σεαυτῷ δεῖ φρονήσασθαι τὴν σωφροσύνης πλεῖστον, κάρτα δὲ ψυχῆς πεπνῦσθαι δεῖ εἰς ἀρετήν. ὥστ' ἔστω καὶ δικαία, καὶ ἀνδρεία, καὶ φρονίμη, καὶ ἀυταρκὴς καλῶς νομίσῃ, καὶ κεκτῆσθαι δόξαν μισίσῃ. *Harmoniam ò mulier absoluere oportet, ut prudentia & modestia impleatur. Omninò enim opus est ut ingenium ad virtutem sapiat. Itaque erit iusta, fortis, prudens, sorte suâ, contenta, & inanem gloriam odio habebit.* Tametsi autem species, siue forma sit in muliere summopere commendabilis præcipua tamen inesse debet pulchritudo, quam ei prudentia parit; hæc enim est, quæ non externis accersita ornamentis, mulieribus honestè natis, arridet; Silentium autem præcipuè mulierem exornat, γυναιξὶ κόσμον σιγὴ φέρει. *Silentium ornat mulieres;* ut Sophocles asserebat; & meritò nam pudicæ mulieris, dicebat ille, non cubitus modò, verum nec oratio publica esse, nec minus sermo, quàm nudatio corporis formidari, caueriq; ab externis debet; propterea quòd affectus, & mores, animique dispositio, in sermone planè conspiciuntur; ut obid Elisiensibus Phidias Venerem fecerit testudinem calcantem, significare contendens munus esse mulierum, & ædes custodire, & silentium; atque demum commendari mulieres possunt ab omnibus ijs, quæ utrique sexui communia sunt. Sed præcipuè notari debet an mulieres laudandæ suis egregijs dotibus sexûs conditionem superauerint; siue illæ ad intelligentiam, ut linguarum peritia, ac exquisita eruditio, siue ad voluntatem, ut morales virtutes, pertineant, nempè sagax prudentia, atque consilium, animi magnitudo, aliæque dotes, quibus fœmineum sexum decorari frequens minimè sit; quales illę sunt, quibus Helena Lucretia Cornelia Piscopia egregium Venetæ nobilitatis decus, mirum exornatur in modum, adeo ut Venetiarum non solùm, verumetiam Italiæ, ne dicam Europæ totius dignitas, ac splendor dici mereatur; enimverò, ut ingenuè loquar, præter singularem omnigenæ virtutis eruditionem, tam excelsas animi dotes est assecuta, ut fœminei sexûs omnes longè latèque superauerit; Hinc iure, ac merito Patauinæ hujus uniuersitatis magnum, sublimeque Collegium à me philosophicâ laureâ, frequentissimo populo decorari voluit, quod alijs fœminis eundem dignitatis gradum anhelantibus, aut nunquam, aut rarò admodum ab hominum memoria contigisse cuique satis est exploratum.

Sophocles

Helena Lucretia Cornelia Piscopia fœminei sexus conditionem superauit.

Laudes quoque sumuntur à natalis die, & ab ijs, quę in ipsa prodigiosè contingunt, & ex eo etiam, quod nato impositum est, nomine. Auguria si qua natiuitatem, vel infantiam illustrant, magnam Oratori dicendi copiam suppeditant; ita quidem Virgilium nobis liceret summis, amplissimisque laudibus extollere, desumptis ex ijs miraculis, quæ in eius ortu contigerunt, nimirum quòd admoneatur in somnis mater

Stobæus.

Ex Auguriis quoque laudes desumi possunt.

Digitized by Google

ter futuri Poetæ, siquidem videt se parere ramum lacuri, quam vetustas Apollini sacrã voluit: natus puer non plorat, quòd vel Regibus ipsis familiare est: apes ad eius os velut agmine facto, confectimque conuolant, quod & Pindaro, & Platoni, & Ambrosio contigisse, memoriæ proditum est; eodem die quo nascitur puer, mirificè pangitur populus, quæ statim in prodigiosam altitudinem excrescit; arbor, quæ deinde puerperarum votis colitur, atque donis decoratur. Sic etiam mirabile est, quod de Midæ natali fertur, huius enim parvuli cunabulis formicæ tritici grana congerebant; unde licuit coniicere futurum, ut diuitijs afflueret, & alia innumera extant exempla, quæ apud Historicos videri possunt.

Laudes ex corporis forma.

Ex corporis etiam forma laudes deprómere licebit; nam prætermissis notis, quæ corporibus ingenitæ esse solent, cuiusmodi fuit Capricorni sydus in Augusto, & in Seleucidis corpore expressa ancora, considerari debent in uniuersum corporis dotes, cuiusmodi censentur sanitas, robur, agilitas; quamuis enim humana mens præclarissimis eximijsque dotibus instructa sit; nisi tamen in corpore sedem obtineat ijs, quas diximus prærogatiuis exculto, felicem vitam homo traducere minimè potest, quod adeo verum, ut Satyricus ille cecinerit;

Iuvenal. Sat. 10.

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Et reverâ

Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχειν ἐν βίῳ
Τῷ ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.
Hæc enim summa virtus existit in vita,
Corpus habere, quod res pulchras mereatur.

Mulieri summoperè corporis pulchritudinem conuenire inficiabitur nemo; hinc Isocrates in Helenæ encomio adeo pulchritudinem extollit, ut rem omnium maxime diuinam esse contendat; enimverò quæ pulchritudine carent, ab omnibus contemnuntur, at quæ pulchra sunt ab omnibus commendantur. Illud autem mirabile de pulchritudine, quod bona omnia inuidiæ sint exposita, pulchritudo non item, pulchris enim hominibus nemo inuidet, sed eos potius admiratur; idcirco non solum in mulieribus, sed etiam in hominibus pulchritudo summoperè cõmendatur; omne siquidem pulchrum, honestum est, & amabile, quoniam naturæ diuinæ quandam imaginem habet, ut ob id hominum mentes ad se alliciat ac trahat; nam ut ille dicebat, ἰσχυρόν τι πρὸς τῶν ὁρώντων ἴυγγας τὸ κάλλος. *Quandam ad conciliandam aspicientium beneuolentiam, pulchritudo vim habet.* Hinc Carneades speciem siue formam appellabat, ἀδορυφόρητον βασιλείαν, *regnum absque satellitio*, quia

Plato in Gorgia.

nimirum, quod vult, citra violentiam suadet; Idcirco Plato credebat pulchritudini secundum locum inter corporis bona deberi, Τὸ μὲν ὑγιαίνειν ἄριστον, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως. *Optimum quidem sanum esse. Secundum verò esse pulchrum. Tertium autem absque dolo diuitem esse.* Et ideo veteres, ut accepimus, eos qui pulchritudine excellerent, ad regium Fastigium euehebant, Vt

Tacitus li. 2. Anal.

Ariobarzanes, tum ob insignem corporis formam, tum ob præclarum animum apud Armenios Rex electus fuit. Sic etiam Aristocrates Rhodiorum Rex, quòd ei vultui quædam inesset dignitas, ac veneratio, vitius est imperio dignus. A corporis etiam pulchritudine Scipio Africanus commendatus fuit, & Homerus Heroes suos à puchritudine mirum in modum commendat. Nam Achillem pulcherrimum omnium fuisse ostendit, & Virgilius Æneam pulcherrimum appellat.

Virgil. 4. Æneid.

Ipse ante alios pulcherrimus omnes.

Infert se socium Æneas.

Duo tamen sunt pulchritudinis genera, quorum in altero venustas conspicitur, in altero dignitas; prior est pulchritudo muliebris: secunda verò virilis. A quo non dissentit Tullius, nam ait, *Pulchritudinis genera duo: unum virile, quam dignitatem dicimus; alterum muliebre, quam venustatem appellamus.* Et in Oratore perfecto utrumque desiderat; *Vultus verò, inquit qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert, tum dignitatem, tum venustatem?* Virilem pulchritudinem secundum ætates Aristoteles distinguit; enimverò ex eius sententia, non eadem est in omni ætate pulchritudo, sed diuersa, alia scilicet adolescentis, alia viri, & alia senis. Adolescentis pulchritudo est, si corpus ita constitutum habet, ut ad labores sustinendos sit utile, vel ad cursum, vel ad inferendam vim, & si quamdam ore suauitatem præferat, quæ spectantes voluptate compleat.

Adolescentis itaque pulchritudinem omnem duabus in rebus positam esse docet, nimirum in robore corporis, & in oris suauitate; robur autem corporis in eo consistit, ut adolescens sit aptus ad tolerandos labores, ad cursum, ad vim inferendam. Suauitas autem oris in eo, ut oculos vehementer moueat, atque delectet. Ità sanè Philosophus, de adolescentis pulchritudine disputat, quę non contentus dixisse, addit διὸ, οἱ πένταθλοι κάλλιστοι, ὅτι πρὸς βίαν καὶ πρὸς τάχη ἅμα πεφύκασιν. *Idcirco Pentathli pulcherrimi sunt, quòd ad vim, & ad celeritatem apti simul sint;* Probat itaque à robore corporis pulchritudinem adolescentis pendere; tunc porrò corporis robore adolescentes præstare dicuntur, cum vim inferre, ac celeriter currere possunt. Pentathli autem dicebãtur, qui ex quinque certaminibus victoriam, ac præmium reportabant, hoc est ex luctatione, cursu, saltu, disco, iaculatione. Hos autem Latini Quinquertiones, à quinque artibus appellare consueuerunt, & exercitationem illam, quam Græci πένταθλον vocant, Quinquertium Latini dicunt. Addit autem Philosophus viri pulchritudinem in eo constitutam esse, ut corpus robustum habeat; atque ita constitutum, ut militares labores commodè sustinere possit, & faciem habeat quidem decoram, eiusmodi tamen, ut aliquid terroris habere videatur, qualem fuisse Cæsaris pulchritudinem dicunt.

Senes quoque Philosophus suam habere pulchritudinem ait in eo positam, ut aliquid in se roboris habeant sensibusque sint integri, neq; sint adeo debilitati corpore, quin necessarijs laboribus sufficere possint. Itaque ex eius sententia duo sunt, quæ senem pulchrum efficiunt, commoda corporis valetudo, & oris lætitia.

Ad pulchritudinem pertinet statura corporis, de qua Stagirites hæc habet. Ἐν μεγάλῳ γὰρ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι. Οἱ μικροὶ δ' εὐσχήμονες μὲν σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. *Magnanimitas enim in magnitudine, sicut & pulchritudo corpore in magno est. Parui verò, urbani quidem sunt, & membris commensum habentibus, sed non pulchri.* A proceritate staturæ sumitur commendatio; nam apud quasdam gentes in Æthiopia regna deferri solebant ad eos, qui magnitudine cæteris præstarent. Procritatem in Regibus adeo desiderabant Lacones, ut Archidamus ab ipsis pecuniâ multatus fuerit, quòd paruam uxorem duxisset, ideoque procreaturus foret, οὐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίσκους. *Non reges, sed regulos.* Et sanè verissimum illud, quòd animi pulchritudo, maior sit pulchro corpori iuncta.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Non

Non omni tamen sunt laude destituti, qui exiguę staturæ sunt, à magnitudine siquidem eos commendandos dictum illud præclarum facit, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖσθαι, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα *Non in magnitudine sita est rei bonitas, sed in bonitate magnitudo*; non enim quod magnum, est bonum, sed quod bonum, magnum est; hoc adeo verum, ut in apophtegma quidem abierit, ac obid ab omnibus usurpatum; præsertim ab eruditis viris, è quorum numero Demosthenes est, qui cum audiuisset quemdam Oratorem magnâ voce concionantem lepidè dixit, θαυμάζω τινα δημαγωγὸν ἀφωνῆ μέγα βοῶντα ἕστηκεν, ἀλλ' οὐ τὸ μέγα εὖ ἐστι, τὸ δὲ εὖ μέγα. *Cùm vidissem quendam Oratorem ineptum voce magnâ clamantem, dixit, non quicquid magnum id bonum, sed quicquid bonum, id magnum.* Et certè si pulchrum id, quod nos in admirationem adducit, quid est quod magis admirationem mortalium animis ingerat, quàm rerum paruitas; magis enim quisq; miratur formicam exiguam, quàm elephãtem ingentem, nihilque Thebanos magis in admirationem trahebat, quàm quòd Tydeus corpore quidem parvus, sed bellator egregius foret. Τυδεὺς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής. *Tydeus parvus erat corpore, sed bellator.* Quo pertinet illud.

Vtilior Tydeus, qui si quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.

Ad quod Poeta respexit dicens

Totosque infusa per artus
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

In hos autem cadit Virgilianum illud de apibus

Ingentes animos angusto, in pectore versant.

Et sanè nihil mirabilius, quàm ex exiguo semine prodigiosæ magnitudinis plantam enasci; nunquam profectò nos maiori capimur admiratione, quàm, cum annosam quercus molis ingentis intuentes aduertimus ex parua glanda surrexisse. Et hæc præcipua paruitatis laus:

Ἐκ πάρτα βαιῶν γνωτὸς ἂν ἡρῴτ' ἀνήρ.
Ex valde paruis clarus vir potest euadere.

Ex dictis hactenus cuique potest exploratum fieri, quo artificio liceat utranque staturam improbare, nam id à contrarijs fontibus deducendum; Nimirum nimia proceritas eo nomine detestari licebit, quòd inditio sit tarditatis ingenij: exiguam verò corporis magnitudinem facillimum erit improbare ex defectu prudentiæ; ut enim homo longus rarò sapiens; ita breuis rarò prudens.

Deformitatem laudibus efferre inepti Oratoris non est; unicum tamen præsidium in eo positum, quod *nimia est miseria, pulchrum esse hominem nimis*, nam τὸ καλὸν δυσυχές *quod pulchrum, idem est infelix.* Nec parui refert, si forma dicatur detrimentum eburneum, quod aspectu quidem iucunda; multis tamen sit malorum causa. Itaque detestando pulchritudinem, deformitatem laudamus: Sed illud in primis deformitatem commendat, quòd natura pulchritudinem alicui non dedit, quia ei dare noluit, quod delectat; nam si quod prosit illi dedit, satis est, nec dare voluit quod ægritudo corrumpit, quod senectus eripit, sed fortasse dedit, quod nec mors contingere audet, quasi erubuerit dare, quod quotidie mutatur, minuitur, ac perit.

Nec exiguam deformitati conciliat laudem commemoratio multorum, qui non dissimiliter affecti fuerunt, ac ille, in cuius laudatione versamur, cum tamen præstantissimi extiterint. His igitur, & similibus modis deformitatem laudamus: Ad hæc accedit, quòd deformes naturâ nemo reprehendit, sed eos, qui ob otium, vel negligentiam tales euaserunt.

At si deformitatem vituperare velimus, facilè id certè nos efficere poterimus, non enim parum deformitatem vituperat, quòd in distorta membra cadere nulla virtus possit, nam rectè ille dicebat, τῆς ψυχῆς τὴν σοφίαν τεθαύμακα, καὶ ἵνα ψυχὴ σώματος ἀνάξιον μὴ πιστεύσασαν. *Naturæ sum admirata sapientiam, quæ pessimæ animæ corpori venustatem non tribuerit;* Idcirco Sulmonensis cecinit

Sed non ex vultus in illo,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ
Vt timeam fraudem, meritique obliuia nostri

Hinc apud Galenum animi mores corporis temperaturam sequuntur, & ideirco non iniuria Physiognomus ex corporis constitutione latentes animi affectus, moresque conijcit, ut egregiè Stagirites notauit, nam re vera ex corporis, & vultus aspectu non admodùm operosum est prociuem animum ad virtutem, aut vitium conijcere. Ita Pythagoras ex corporis constitutione discipulorum indolem explorabat; nec immeritò, nam rectè Philosophus dicebat. Ὅτι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι, καὶ ἐκ τοιῶν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς παθῶν ἔνιαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων, τοῦτο δῆλον πάνυ γίνεται, ἔν τε ταῖς μέθαις, καὶ ἐν ταῖς ἀῤῥωστίαις. πολὺ δὲ ἐξαλλάττουσαι φαίνονται αἱ διάνοιαι ὑπὸ τῶν τοῦ σώματος παθημάτων. καὶ τετάρτιον δὴ τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχον, φανερὸν γίνεται περὶ τοὺς ἔρωτας, καὶ τοὺς φόβους τε καὶ τὰς λύπας καὶ τὰς ἡδονάς. *Quòd animæ sequuntur corpora, & ipsæ secundum se ipsas non sunt impassibiles à motibus corporis, id manifestum fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus: multum nanque animæ mutatæ videntur à passionibus corporis. Et ex aduerso quòd corpus compatitur passionibus animæ manifestum circa amores, & timores, & tristitias, & delectationes.*

Huc pertinet vulgatum illud.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σημαίνει τὰ ἔξω.
Clauda tibi mens est, ut pes: natura notasque
Exterior certas interioris habet.

Quamobrem Iatrosophista, miratur, & tamen fatetur, mutuum nexum inter animum & corpus, dicens. Διατί τερατόμορφοι καὶ ἄφρονες; ὅτι τοῖς σωματικοῖς τὰ ψυχικὰ συμπάσχει, ὥσπερ τοῖς ψυχικοῖς τὰ σωματικά. *Quamobrem homines monstrosi, etiam decipiunt? Quòd, quæ animæ sunt, concitant cum ijs, quæ sunt corporis, haud secus atque ea, quæ sunt corporis, conspirant cum illis, quæ ad animam pertinent.* Non tamen erat, cur miraretur: enimverò scitè Martialis

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Noui hominem quendam staturâ procerum, nonnihil blesum, valde gibbum, cui erant inferiores palpebræ varijs fosficulis distinctæ, praui hominis signum; erat hic pessimus vir, in quem optimè quadrasset.

Non equidem ex isto sperauì corpore posse
Tale malum nasci; formâ vel sydere fallor.

Non solum à corpore, sed multo magis ab animo, eiusque dotibus laudes desumi possunt, ubi fit sermo non de ijs dotibus, quas aliquis industriâ pertinacique labore sibi comparauit, sed de ijs potius, quæ naturæ tantùm acceptæ referri debent; itaque de animi indole hic disseritur, antequam excolatur, & varijs habitibus instruatur; ea porro bona esse potest, vel mala; bona est, quæ unum est ex principijs virtutis, quemadmodum mala, quæ est unum ex vitij principijs. Ita quidem sentiebat Philosophus, qui propterea dicebat principia tria esse virtutis, Φύσιν, ἔθος, καὶ λόγον: *naturam, consuetudinem, & præcepta.* Sed

Etiam à
orporis
ruitate
udes de-
mi pos
nt.
Dictum
pheſiæ
bicinis.

Quomodo deformitas vituperanda

Ouid. 7. Meramor Fab. 1.

Galen. in lib quod animi mores corporis temperaturam sequuntur In libello Physiognomia.

omerus
adę 5.

g. lib.
Geor.

Martialis epig. 54. lib. 12.

Ab animo laudes desumuntur

Digitized by Google

bona indoles ab optima corporis constitutione proficiscitur, partim autem intellectum, partim voluntatem respicit; sed de his alibi latius disputandum.

A fortunæ bonis desumantur laudes.

Fortuna quoque segetem laudum subministrat, ad ipsam verò opes à maioribus relictæ pertinent, quæ vel cum imperio, vel priuatæ sunt; à priuatis autem opibus laudes deducuntur trifariam, quatenus tribus modis aliquem à diuitijs possumus commendare; ostendendo nimirum si habuerit, benè his usum: si non habuerit sapienter his caruisse: si amiserit moderatè tulisse, & multa de his dici possunt. Commendatio quoque fieri potest à diuitijs cum imperio, arte non absimili.

Vt autem à diuitijs sumuntur laudes; ita quoque vituperationes; hoc autem fiet detestando diuitias, quod facillimum est. Præcipuè si non habeatur earum usus, nam rectè Philosophus, *Omnino diuitem esse consistit in eo, ut utatur magis, quam in eo, ut possederit.* Et Cicero, *Diuitiæ opportunæ sunt, ut utare*, qui pariter addit, *Expetuntur autem diuitiæ tum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates, quod si quis multa quidem possideat, sed eis non utatur, nullo modo potest diues appellari. Qua ratione auari omnes, quanuis possideant, mendici sunt.* Vnde Bias Prienensis. *Quis diues? qui nihil cupiat. Quis pauper? auarus:* quod egregiè Philosophus notauit dicens, Ὅλως δὴ, τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι, ἡ γὰρ ἐνέργειά ἐστι τῶν πλούτων, ἡ δὲ χρῆσις, πλοῦτος. *Omnino diuitem esse magis in usu, quàm in possessione situm est; nam huiusmodi rerum actus, atque usus, ipsæ diuitiæ sunt.* Hactenus de spectantibus ad omnem hominis ætatem; nunc pauca subijciemus de ijs, quæ ad varias eiusdem partes attinent; & primò de spectantibus ad pueritiam, cuiusmodi est educatio à qua insignes laudes peti quidem possunt, quarum præcipua videtur, in eo posita, quòd puer nullũ laborem recusauerit, immò libenter omnẽ eruditionis gratiâ subierit: non enim exiguæ laudi est puero, vel adolescenti sponte voluisse labores illos perferre, à quibus cæteri deterrentur molestiâ; siquidem plenum est honestis præceptis exerceri, ac bonis artibus erudiri. Plurimum itaq; commendationis momentum habet, quòd quispiam à pueritia, vel adolescentia, discendi ardore flagrauerit; spes enim inde splendidę doctrinæ magnarumque virtutum, quibus alioquin nunquam instructus euaderet, enimverò egregiè dictum fuit. Θεοὶ τ' ἀγαθά τοῖς πόνοις πωλοῦνται. *Dij laboribus bona diuendunt.* Nec minus eleganter cecinit ille,

Lib. 1. Rhet. cap. 24. alias.

Pueritia, & adolescentia.

Virtutem posuere Dij sudore parandam.

Ætas cõsistens.

Vitam quoque consistentem oportet aduertere, cum ex conditione ipsius multa desumi possint, quibus licet aliquem copiosè laudare; consideranda sunt igitur ea, quæ talem ætatem decent, ac luculenter ostendendum nihil ei defuisse ex prærogatiuis, quibus ætas consistens decorari debet; & præsertim (quanuis hoc in omni ætate spectandum sit) non religionem, non pietatem, non alias virtutes, quæ maximè huiusmodi ætatis esse videntur propriæ. Confert etiam plurimum gesta quidem aduertere, splendidèque demonstrare quicquid præclarè ab eo factum fuerit, non proprij emolumenti, sed honesti causa factum ab eo fuisse. Et ex eo plurimum augetur commendatio, si præter spem, & præter communem opinionem, quod est ab eo factum, acciderit.

Laus ab inimicis petita.

Nec spernenda sunt ea, quæ non mediocriter laudantur ab illis, quibus cum nobis conflictus aut inimicitiæ fuerunt; magna siquidem laus est quæ ab inimico proficiscitur, inimicus enim non laudat nisi à veritate coactus, nemo siquidem inimicum suum ex animo laudat, nisi cum in eo sint res eiusmodi, quas omnes unanimi consensu bonas esse confitentur, quod enim omnibus patet, negare impudentiæ est. Hinc Tullius laudat Pompeium eleganter hoc modo: *Fidem verò eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam esse iudicarint? Humanitas iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnates timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.* Sic etiam Virgilius Æneam hoc laudationis genere prosequitur, Diomedem enim Troianorum omnium, atque adeo Æneæ præcipuum hostem de eodem Ænea ita loquentem inducit.

Prolegom. Manilij.

Munera quæ patrijs ad me portatis ab oris 11. Æneid.
Vertite ad Æneam, stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus, experto credite, quantus
In Clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastã.
Si duo præterea tales Idæa tulisset.
Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus & versis lugeret Græcia fatis.

Et non multo post

Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis Ibidem.
Hic pietate prior.

Tanti refert Æneam ab inimicissimo Diomede laudatum fuisse, ut his auditis, Latinus Rex suos ciues hunc in modum sit allocutus.

Bellum importunum ciues cum gente Deorum,
Inuictisque viris gerimus.

Atque etiam Dido

Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat. Lib. 1. Æneid.

Et Lyricus, ut Romanor. virtutem egregiam esse demonstret, Annibalem inducit sic de ipsa loquentem.

Dixitque tandem perfidus Annibal Lib. 4. ode 4.
Cerui luporum præda rapacium
Sectamur ultro quos opimus
Fallere, & effugere est triumphus.

Quo pertinet illud Ouidij

Quod mallem posse negare. Lib. 13. Metam. fab. 6.
Sed neq; Deiphobum, nec Polydamenta, nec ipsum
Hectora laudamus. Quis enim laudauerit hostem

Hoc modo Poeta Nestorem loquentem inducit; maxima igitur necesse est esse ea, quæ hostes laudibus extollere coguntur. Quod etiam à contrario argumento Philosophus ostendit; nam, inquit, ut improbi sunt, quos amici vituperant, ita illi sunt probi, quos inimici laudant; tanta siquidem est veritatis, ac honestatis vis, ut amicorum vitia, & inimici virtutes inimicorum laudare cogantur; ideo Lucianus de Demosthene loquens, τὰ καλὰ καὶ παρ' ἐχθροῖς καλὰ, καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς πανταχοῦ τίμιον. *Honesta etiam apud hostes dicuntur honesta, ac virtus ubique honore digna censetur.*

Lucianus in Encomio Demosthenis.

Illud tamen curandum in primis Oratori, ut quantum potest ijs utatur in laudando, quę peculiaria sunt eius, quem commendandum suscepit. Vel saltem si communia quædam attulerit, subijciat, quæ propria, ne dum alienis laudibus studet, idonei Oratoris partes neglexisse videatur.

Laudi vicinas rebus detegere.

Callidi autem Oratoris erit si vitia pro virtutibus venditet, tanta siquidem est virtutis affinitas cum vitio, ut sæpè se vitia ingerant atque esse virtutes mentiantur, adeout nullius ferè sit laboris vitium virtutis vestem induere; hoc eleganter docuit Philosophus, ubi tradit modum, quo virtutes vituperare, & vitia laudare possimus; videlicet si assumamus ea, quæ rebus ipsis vicina sunt, & proxima laudemus, aut vituperemus; sunt enim quædam vitia virtutibus finitima, & quasi similia; ita quidem vir cautus, videtur timidus; & sibi fidens, videtur insidiosus; fatuus videtur

Aristotel. 1. Rhet. cap. 9. alias 8.

tur bonus; qui lentus, videtur mansuetus; quamobrem si volumus laudare timidum, dicemus eum esse cautum, & insidiosum esse sibi fidentem; item fatuum, ac stolidum, esse bonum, ac simplicem, item lentum nos mansuetum vocabimus.

Sed contrarium in vituperatione seruandum; itaque cautum appellabimus timidum, & eum, qui sibi fidens est, insidiosum vocabimus &c. Docet itaque Stagirites artem quâ, & virtutes improbare, & vitia laudibus extollere possimus, nimirum assumendo, quæ rebus ipsis vicina sunt, &c. Hoc etiam Fabius notauit; nam de Aristotele loquens ait: *Idem præcipit illud quoque, quia sit quædam virtutibus, ac vitijs vicinitas, utendum proximè derivatione verborum, ut pro temerario, fortem, pro prodigo, liberalem, pro auaro, parcum vocemus, quæ eadem contraria valent*; hoc etiam Venusinus docet.

Parcius hic viuit, frugi dicatur ineptus
Et iactantior hic paulò est, concinnus amicis
Postulat, at videatur, at est truculentior, atque
Plus æquo liber; simplex, fortisque habeatur
Caldior est acres inter numeretur. opinor
Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.

Hæc omnia prius nouerat Plato, ut propterea diceret, ὕβριν παίδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δ' ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν, μεγαλοπρέπειαν, ἀνάδειαν δ' ἀνδρίαν. *Contumeliam, institutionem vocantes: solutam licentiam, libertatem: prodigalitatem item magnificentiam: imprudentiamque strenuitatem.*

Ex consequentibus, & adiunctis etiam Aristoteles ait vitia laudari posse, & vitia vituperari, quod duobus exemplis illustrat, primum si quis est iracundus, & truculentus, homo simplicis dicetur ingenij, quoniam iracundam naturam, morum simplicitas, indolisque bonitas consequitur; probi enim, & ingenioſi homines, ad Platonis testimonio, facilè solent irasci. Exemplum alterum est; si quis contumax fuerit, ut eum magnificum grauemque dicamus; est autem contumax, qui potentiores, & meliores contemnit, ob id vitio laborat; qui contumacem ergo laudare voluerit, grandem, & magnificum vocabit; hæc enim naturæ contumaciam, quodammodo consequuntur. Reliqua vide apud Aristotelem hac de re disertè admodum disputantem.

Laudatio sumitur etiam ab ijs, quæ in morte, vel paulo ante, vel mox ab obitu contigerunt; immo si verum quærimus, ante mortem, ut vir sapiens dicebat, *nulla est perfecta laudatio. Neque quisquam in hac vita potest definito præconio prædicari, cum posteriora eius incerta sint.* Rhetores tamen quæ paulo ante, vel paulo post mortem contigerunt, considerandа præcipiunt; quæ autem de hoc plura in medium afferri possent, paucis perstringam dicendo præ oculis habendum genus mortis, honestum ne fuerit, an inhonestum; ab honesta morte laudes petuntur, ab inhonesta verò vituperationes; ut si quis gladio pereat, honestâ morte, si autem laqueo, morte inhonestâ interire dicitur.

In hoc tamen præcipuè causa debet attendi, nam honesta mors, cuius causa honesta est; itaque aliquem pro patria, pro libertate morte occubuisse, honestissimum erit; idcirco Tullius *Omnes*, inquit, *omnium charitates Patria complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere?* Et re verâ, *Pulchrior est*, ut eruditus ille vir dicere solebat, *miles in pugna amissus, quàm in fuga salvus*. Hoc planè cognouit Plato, qui summis penèque diuinis laudibus eos est persecutus, qui pro Patria strenuè dimicantes in bello, mortem oppetere non formidarunt. Nouerat etiam Solon Athenienſium legislator, qui ad bonam Reipublicæ institutionem opportunum duxerat filios eorum, qui pro Patria in bello forent extincti, publicâ munificentiâ nutriri, ac educari, eorumque progenitores senio confectos sustentari.

Eleganter admodum hoc hisce carminibus expressum legimus.

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἀνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.
Pulcrũ enim virum fortem inter eos, qui in prima Acie stant, pro patria pugnantem, & cadentem mori.

Et etiam non exiguæ laudis est vulnera pro Patria accepisse; ita M. Antonius, ut M. Aquilium defenderet, eximium Imperatorem, atque fortissimum esse probauit cicatricibus ostensis in pectore vulnerum, quæ pro Patria strenuè dimicans acceperat; sic etiam Crassus apud Tullium de S. T. Caruilio loquens dicit; *Nam quod S. T. Caruilio grauiter claudicanti ex vulnere ob Rempub. acccepto, & ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, quin prodimi Spuri, ut quotiescunque gradum facias, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem. Præclarum, & graue est* &c. Cic. 2. de Oratore.

Ex hactenus traditis operosum non erit intelligere quomodo laudes tractandæ sint ex ijs, quæ obitâ morte contigerunt; huc itaque pertinent pompa funebris, quærelæ bonorum hominum, mausolea & monumenta in defuncti honorem constructa, & in iisdē vel metro, vel solutâ oratione illustria epitaphia insculpta; hoc enim magni fieri debere, vel ex eo facilè cuicunq; potest exploratum esse, quòd Lycurgus prohibuit defunctorum quicquam monumentis inscribi, præter quàm eorum, qui in bello interijssent. Quærimonijs autem subijcitur consolatio, tum ab ipsis defunctis desumpta, nimirum à summa felicitate, quæ illis obtigit; tum ab ijs, qui superstites sunt, quod sit vel dicendo iacturam resarciri posse incomparabili successoris virtute, vel aliâ quapiam opportuna ratione. Quomodo Laudes tractandæ sint ex ijs quæ obita morte cõtigerunt.

Ex his laudandi modus apertè constat non solùm sed etiam vituperandi ratio. Ad laudandam verò mortem inhonestam multa conducunt, præsertim commemoratio præstantium virorum, qui morte non absimili occubuerunt. Mors inhonesta quomodo laudanda.

Sed ut sumatim dicam, personarum laudes ex bonis Fortunæ Corporis, & Animi desumuntur. Fortunę bona censentur diuitiæ, dignitates, & alia quæ hoc distico comprehenduntur. Fortunarum Laudes sumatim exponuntur.

Patria, Gens, Patres, & Opes, & Copia rerum
Copia seruorum, munus, amicus, opes.

Fortunæ bona.

Corporis bona dicuntur robur, pulchritudo, ac venustas, & reliqua ad corporis optimam constitutionem, ac elegantiam spectantia, cuiusmodi sunt Corporis bona.

Forma, valetudo, vis, pes celer, osque suaue,
Sic pulchrum virtus corpus habere solet.

Animi bona, quæ longè quidem cæteris antecellunt, existimantur perfectiones, ac omnes habitus intellectus, & voluntatis, atque demum omnia, quæ virtutis, scientiarum, artiumque nomine comprehendi possunt, ut Animi bona.

Ars, pudor, ingenium, virtutis, quæque facultas,
Integra vita, modi quicquid & huius erit.

Hi sunt uberrimi fontes, ex quibus copiosissimæ laudes hauriri possunt.

Et quoniam non exigua laus est illa, quæ à nobilitate sumitur; aduertendum, ut supra quoque monuimus, geminam esse nobilitatem, scilicet aut totius gentis, aut unius priuatæ familiæ, ut Philosophus 1. Rethor. cap. 14. nota-

notauit; primo est, si ciues, aut indigenæ sunt, hoc est ab initio ibi nati, aut ibi multis ante sæculis vixerunt; sed vera nobilitas non tantùm à generis vetustate, quantum à maiorum splendore, dignitateque proficiscitur; priuata verò nobilitas, ut idem Stagirites notauit, vel à viris, vel à mulieribus pendet, cum utrique legitimè coniuncti sunt. Quod autem in publica nobilitate, idem in priuata spectandum, utrum scilicet primi auctores clari fuerint; huiusmodi porrò sunt, vel propter virtutem, ac probitatem, vel propter diuitias, vel propter scientias, ac artes, vel propter res alias, quæ in pretio, atq; honore sint. Quanto autem plures in aliqua familia fuerint, & viri, & mulieres præstantes, tanto ipsa quoque nobilior existimabitur; hoc plurimum in genere demonstratiuo valet, ut cum aliquem laudibus efferimus, eius maiores, qui in re quapiam fuerunt illustres, commemoremus.

Nobilitas publica, & priuata.

Laudari etiam possunt muta animantia tam uniuersè, quàm singulatim; modus tamen laudationis dissimilis non est illi, quem in laudandis personis adhibendum statuimus. Ita quidem Poeta modò commendat equum à natalibus, modò à corporis dotibus, modò à fortitudine modò à fidelitate &c. Laudatio prædictorum animantium institui potest generatim, hac tamen animaduersione, ut laudes generatim expositæ, nihil proprium contineant, sed ea tantùm complectantur, quæ pluribus eiusdem generis communia sunt; vel singulatim quo pacto tractatæ, quæ rei laudatæ propria, & peculiaria sunt, maximè quidem declarant.

Muta animantia, quomodo laudãda. Li. 7. Æn. Lib. 5. & 12. Aenei. Lib. 11. Aeneid.

Factorum laudes explicantur.

Facta quoq; laudantur, & quidem gemino modo, nempe probando, & amplificando. Probationes factorum desumuntur ab utili ab honesto, à difficili à glorioso &c. In laudandis factis considerandum in primis est Oratori factum quâ speciem honestatis, vel turpitudinis habeat; an aliquam utilitatem præseferat, an potius nullius utilitatis sit: deinde an facile, vel difficile: iucundum, vel iniucundum, & ab his argumenta petenda sunt. In uniuersum autem in exornatiuo, & deliberatiuo ijdem sunt loci, à quibus, laudes petuntur, quibus enim utimur in laudando ut aliquid fiat, utimur etiam ad laudandum factum, ut Stagirites etiam notauit.

Ab Amplificatione laudes petuntur.

Sed ab amplificatione ad laudandum plures sunt loci, præcipui tamen videntur Definitiones conglobatæ, Partium enumerationes, Contraria, Adiuncta, Similitudines, Causæ, Effecta, Fabulæ, Apologi, Oracula. Quoniam verò demonstrativum hoc genus, potissimum amplificatione constat; ob id paulo diligentius exquirenda sunt, quæ vim amplificandi habeant; Octo autem modos amplificandi Stagirites tradidit, è quibus primus est si solus is, quem laudibus efferrimus, aliquid fecit, cuius innumera sunt exempla, inter quæ præcipua sunt hæc, quod Horatius Cocles solus contra Porsenæ Regis Etruscorum exercitum in ponte constitit. Mutius Scæuola solus Porsenæ castra ingressus eum obtruncare voluit. Huc etiam pertinet, si quispiam solus honorem aliquem acquisierit, ut Gorgias Leontinus, solus auream statuam in Templo Delphico obtinuit; creditur enim plenum laudis, ac dignitatis id efficere, vel assequi, quod nullus alius potest; ita quidem singulari virtute aliquem præditum esse dicimus ad summopere illum laudandum, eo nomine, quòd in ipso adeo eximia sit virtus, ut sola esse videatur. Alter est amplificationis modus, si quispiam primus aliquid effecerit; ita sanè primi rerum inuentores magno in honore habiti sunt; idcirco Stagirites primos inuentores, maximis laudibus dignos iudicauit. Tertius modus est, si cum paucis socijs, is, qui commendatur, aliquid egregiè fecisse dicatur. Quartus modus amplificationis est, quod quis præcipuè fecerit, ut quod Epaminondę virtus præcipuè in bello Tebano contra Spartanos eluxerit, etsi in eo bello interfectus fuerit, cuius meminit Tullius. Quintus modus est desumptus à tempore, vel occasione, quòd quis præter expectationem aliquid tempore maxime opportuno fecerit; ita quidem Cicero Octauij Augusti virtutem extollit. *Cai*, inquit, *Cæsar adolescens, penè potius puer, incredibili ac diuinâ quâdam mente, atque virtute, &c.* Sextus est modus amplificationis, quod sæpius eadem in re se rectè quispiam feliciterque gesserit. Rationem reddit Philosophus dicens, μέγα γαρ, ἡ δυνατὸν τύχης. ἀλλὰ διάνοιας ἄν δίκαιον. *Hoc enim magnum, & non à fortuna sed ab eius consilio factum.* Septimus modus est, quod quispiam virtutis causa nouos sit honores consecutus, itaut honor inuentus sit propter eum, quem laudamus, atque adeo nouo is honore decoretur, quod Aristoteles duobus exemplis illustrat, unum Hyppolochi, qui primus publicè laudatus fuit; alterum est Harmodij, & Aristogitonis, quibus primis in foro statuæ collocatæ fuerunt, quod Athenas regio dominatu liberassent, cum antea Dijs tantum immortalibus is honor haberetur. Octauus, atque postremus modus amplificationis est, si quis ita cum alijs conferatur, ut ijs præferendus iudicari debeat. Hoc laudationis genere plurimum utebatur Isocrates non quod ea sit optima, cum longè melius sit per se aliquem laudare, quam ex aliorum comparatione, sed quoniam Isocrates, ut alij Rhetores, ea docere solebat, quæ ad iudiciale pertinent genus, in quibus frequentes oportet esse contentiones, ac comparationes. In Vituperationibus contrariâ viâ incedendum. Diximus iam supra, quæ non sunt personæ, neque facta, nomine rerum appellari, & ad duo genera reuocauimus, animalibus exceptis, quæ ad personam reuocari dicimus, & factis etiam exclusis, de quibus egimus; genera verò sunt corpora, siue substantiæ, quibus nullus insidet sensus, & accidentia. Substantia nullo sensu prædita, vel est corpus cæleste, vel elementare. Ad primum genus pertinent Stellæ, ut Sol, Luna, Canis Syrius &c. & hæc ab eorum præstanti natura, & ab effectis commendantur. Ad secundum genus pertinent elementa, & ex his conflata, Cælestia corpora, & elementa præter communes laudes, quibus efferri possunt, nam in aliquibus conueniunt, suas sibi vendicant peculiares, ac proprias.

Octo modi amplificandi Arist. 1. li. Rhet. cap. 34. alias 1. Primus. Secũdus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octauus. Primum genus. Secundum genus.

Sed ex elementis constantia trium sunt generum; propterea quod alia sunt naturæ opera, alia artis, & alia utriusque: Naturæ quidem sunt mineralia, semimineralia, fossilia, fluvij, nubes, venti, & id genus alia. Artis autem sunt naues, currus, templa domus. Vtriusque tandem censentur balnea, viridaria, regiones. Sed hæc non dissimiliter, ac personæ laudantur.

Compositorum cælestium, & elementarium genus, quo modo laudetur.

Plantæ quoque laudantur eodem artificio, quo supra dicta, præsertim eo nomine, quòd alicui Numini dicatæ sint.

Plantæ quomodo laudentur.

Maria, ut ab animâ constantibus, ad inanimam gradum faciamus, egregijs laudibus exornari possunt desumptis à magnitudine, à pulchritudine, à nitore, utilitate, quam regionum incolis afferunt, à magna turtorum portuum frequentia, copiaque piscium non exigui valoris.

Maria quo modo commendanda.

Flumina laudibus prosequimur ab origine, à genere

Flumina commendanda.

nere piscium, ab aquæ salubritate, à nauium frequentia, ab amplitudine, à cursu veloci, à fluvijs quos recipit, à locis per quæ perfluunt.

Fontium laudes.

Nec artificio absimili fontes laudibus efferri possunt, siquidem à scaturigine, ab aquarum copia, ab earumdem puritate, salubritateque maximè commendantur; sed in aquarum laudibus præcipuè spectandum, utrum aquæ sint pluviæ, quæ optimæ censentur, an fontanæ, quæ proximè bonitate succedunt, deinde fluviales quæ pro conditione telluris bonæ esse possunt; puteales autem insalubres, peximæ verò stagnantes.

egiones omodo udentur

Ab aquis ad terras gradum facimus. Regiones & insulæ laudantur à situs amænitate, aeris clementia, atque salubritate, à cæli, solique natura, à fertilitate, fluminibus, maribus, fontibus, montibus, syluis, feris, metallis, &c. Sumuntur etiam laudes ab antiquitate, à primis cultoribus, ab urbibus multis, atque magnis, ab imperij genere, à Legibus, quibus Imperium regitur, ab incolarum conditione, nimirum à studijs, quibus operam nauant, cultuque diuino, &c.

rbes omodo nmen- tur.

Vrbes quoque laudantur ab antiquitate, à conditoribus, à Principibus, à Legibus, à Religione, ab Academijs, à magnificis ædificijs, à pulcherrimis fontibus, &c.

rorum nmen- o.

Agri laudantur à fertilitate, & amænitate, à fructuum varietate, ab aquis saluberrimis, nimirum à balneis, &c.

ntium s.

Montes laudantur à situ, ab ijs, quæ in illis nascuntur, videlicet herbis, arboribus, vel etiam ab ijs, quæ ibi effodiuntur, ut à metallis, item à feris quæ in illis degunt, à turribus, ac arcibus, quæ in ipsis existunt, à fontibus etiam inde nascentibus, & à rebus memoratu dignis, quæ in ipsis reperiuntur.

cidem- quo- do lau ur.

Ad accidentia deueniamus. Quantitas laudari potest, ut procera statura, sic etiam & tempus, & numerus, præsertim autem habitus animi, siue ad intellectum, siue ad voluntatem pertineant; ob id omnes virtutes morales, itemque bonæ artes, ac disciplinæ diuinis propemodum laudibus extolli possunt; earum autem encomia non uno ex loco sumuntur, præcipuè tamen ab ijs, circa quæ versantur, insuper ab earum cultoribus, & præsertim ab earum utilitate; & si ad intellectum pertineant, præcipuè commendantur à certitudine demonstrandi, firmissimoque procedendi modo.

ispos- lemō ini ctis.

Dispositio autem generis demonstratiui cum exornatio sit solùm quædam perpetua narratio cum amplificatione, talis est, ut, ordine naturæ seruato in ea ducatur initium à Patria, deinde à maioribus, a parentibus consanguineis, & ab utriusque lineæ familia, postmodum descriptâ natiuitate, fiat descensus ad pueritiam, adolescentiam, iuventutem, virilem ætatem, senectutem, donec deueniatur ad mortem. Talis est ferè dispositio, qua usus est Isocrates in Euagora; Primò enim ibi habetur genus Euagoræ. Secundò, ea, quæ natiuitatem antecesserunt; Tertiò indoles, modestia, pulchritudo, atque robur corporis. Quartò ea, quæ virilis ætatis, fortitudo, sapientia, iustitia. Quintò, res gestæ, & primò pia, & strenua regni administratio. Secundò regni administratio præclara. Tertiò narratio explicans virtutem, qua regnum contra Persas defenderit, &c. Quandoque autem, ut supra notauimus, ad aliqua certa capita laudem referrimus, sumendo nimirum aliquas virtutes, quæ in persona, quam laudamus, præcipuè relucent, easque uniuersa oratione complectimur, dicturq; artificialis ordo, cum scilicet ordine temporis neglecto, omnia ad certa quædam capita referimus, ut si quis priscum Catonem Laudibus prosecuturus, omnia ad tria hæc capita referret, nempe, quod optimus fuerit Senator, optimus Orator; atque demum optimus Imperator.

gomo- ttifi. isordo ætur.

Procœmiū in genere exornatiuo quale. 3. Lib. Rhet cap. 36. alias.

In hoc genere procemium est valdè liberum, ut Aristoteles admonet, adeout undecunque possit Orator demonstratiuam orationem exordiri, etiam si principium à re proposita penitus remotum sit, dummodo in orationis progressu paulatim ad id, quod propositum est, deueniatur, quod Philosophus exemplo confirmat dicens tale esse procœmium illud Isocratis in Encomio Helenæ; rationem reddit, quia nihil habent commune Sophistæ cum Helena, & nihilominus Isocrates orationis initio contra Sophistas copiosè disputat; qui igitur aliquid laudare, aut vituperare sibi proponunt, pro arbitrio suo possunt unde voluerint, orationis principium desumere, quanuis huiusmodi exordium nullam cognationem habeat cum ea re, quæ laudatur aut vituperatur, dummodo progredientes ad causam paulatim veniant, atque postremam exordii partem laudationis principio bene copulent.

Præcepta procemij in genere demonstratiuo. 3. Rhetor. cap. 36.

Tametsi libera sint exordia demonstratiui generis, non propterea tamen omnibus præceptionibus destituta sunt, nam, quibusdam etiam legibus adstringuntur; enimverò tres assignantur loci, unde ducuntur; propterea quòd, vel à laude, aut vituperatione, vel à consilio, vel à persona duci solent, ut Philosophus docet, qui totum hoc exemplis illustrat, ut apud ipsum videri potest. In exemplum exordii ducti à laude affert illud, quo usus est Gorgias in Olympico, in tali enim exordio laudat eos, qui huiusmodi celebritates instituerunt, nā sic exordiur. *Apud multos admiratione digni sunt viri græci*, &c. At Isocrates Panegyricum suum à vituperatione incipit, puta, quòd non satis prudenter fecissent ij, qui celebritates instituerant, quoniam tantum corporis, non autem animi virtutibus præmia statuissent, cum tamen virtutes animi sint longè præstantiores. Secundus locus exordij, de quo loquimur, est à consilio, eiusque exemplum affert Philosophus dicens huiusmodi esse, si quis Aristidem velit iustissimum virum laudare, & ita exordiatur. *Quoniam probi viri sunt honorandi, ideo mihi Aristidem laudandum proposui*: Vel si dicat, non opus esse laudare illos, qui iam sunt omnibus cogniti, & ubique celebrantur, non enim de eorum laude potest esse dubitatio, nec eos qui sunt improbi, tales enim potius vituperandi sunt. Tertius exordii demonstratiui locus est ab auditoris persona; videtur autem hic locus iudicialis generis proprius, in quo non aliam ob causam exordia sumuntur, nisi ut Orator sibi auditorum conciliet animos, & ad audiendum præparet, quo exordij genere utimur, cum de re incredibili, vel ardua, vel pervulgata nos verba facturi sumus, tunc enim petenda est ab auditoribus venia, ut nobis permittat de re proposita sermonem instituere posse.

Ad genus demonstratiuum variæ orationes reuocantur. Panegyricus unde dictus, & qualis.

Cæterum ad demonstrativum genus variæ orationes reuocantur, è quibus prima est, quæ dicitur πανηγυρικὸς. Panegyricus, quanuis hæc vox græcis sit celebris festus à πανήγυρις, hoc est conuentus uniuersalis, seu nundinæ, ludi publici, publicus conuentus, ac celebritas; erat enim olim publicus conuentus, in quo nundinæ habebantur ad publicam utilitatem, & ludi, qui quinto quoque anno celebrabantur ad animos recreandos, & ad spectantium solatium à Mercurio, vel à Musis instituti, in hunc enim locū Athletę, Musici, & Oratores conueniebant, qui suos quoque

Digitized by Google

que Deos laudibus prosequebantur; Panegyricus ideo sonat idem, ac laudativus, popularis, plausibilis, splendidus, ac ambitiosus; unde Plutarcho πανηγυκὴ θέα, *spectaculum celebre est*. Hoc itaque loco. *Panegyricus est sermo laudativus, qui in conuentu populi, sacrisque celebritatibus habetur*. Cuiusmodi sunt illæ orationes, quibus Cœlites commendantur, & Principes, ac alij illustres viri laudibus extolluntur.

Huius orationis talis est dispositio, ut præmisso 1. *Exordio* deducto à circumstantiis loci, temporis, & personæ; à publicis notis, à sacrificiis, à præcibus, non statim habeatur. 2. *Narratio*, sed hæc duntaxat inter laudandum adhibeatur. 3. *Confirmatio* verò perpetua quædam est narratio personæ laudes amplificans. 4. *Peroratio* solùm oblectationis fit gratia. At si unquam Orator veridicus esse debet, tunc maximè, cum aliquem laudibus prosequitur. Laudis enim fundamentum est veritas. Discriminis tamen aliquid esse censetur inter laudem, & laudationem, ut apud Græcos inter ἔπαινον & ἐγκώμιον. Nam laus debetur virtuti, sed laudatio virtutis operibus: quamobrem *Laus oratio est, quæ virtutis magnitudinem explicat. Laudatio verò est oratio, quæ præclaras virtutes, & opera commemorat*. Vt itaque virtus ab actione differt, quoniam bonæ actiones à virtute nascuntur: sic Laus à laudatione secernitur, quoniam vera laudatio à laude proficiscitur; promiscuè tamen usurpantur. Sed in uniuersũ *Laus dicitur oratio rei alicuius bona cum veritate enumerans. At vituperatio est sermo verus mala rei, quæ vituperatur, exponens*. Ad quę summopere conducit intelligere, qui sint mores audientium; hoc enim modo laudare poterimus ea, quæ eorum auribus grata fore cognoscemus; nam Athenis Athenienses laudare, nullius laboris est, quod tamen apud Lacedæmonios operosissimum foret.

Laus quid. Laudatio quid.

Laus in uniuersũ, & Vituperatio quid.

Quæ ad laudem cõducunt. Aristot. 1. Rhet. cap. 22. alias 5.

Stylus Panegyrico consentaneus.

Stylus Panegyricus grandis ac plenus est maiestatis, omnium ornamentorum genera continens.

Oratio, quæ in collatione doctoralis laureæ solet adhiberi.

Oratio altera est, qua nos in doctoralis Laureæ collatione utimur, quæ à nonnullis dicitur Paranymphica, coquòd, inquiunt παρανυμφίου, seu παράνυμφος, dicebatur ille, qui iuxta Nympham sedebat auspex; Re verâ tamen oratio potius ad nuptias pertinens sic appellari deberet, nam νύμφη siue νύμφα. Græcis est sponsa, noua nupta, & παρανυμφίου ijsdem est, qui eodem curru, cum sponso, & sponsa sedens, eos sponsi domum deducit. Potius itaque oratio, de qua fit sermo, dici posset λόγος Δαφνοστεφανωματικὸς, vel Δαφνοστεφανωτικὸς, si tamen hoc nomen dithyrambicum citra reprehensionem liceat nobis effingere.

Quomodo sit appellanda.

Huius orationis præcepta.

Hæc etiam oratio suis constat partibus, è quibus prima est *Exordium*, quod ab insigni quapiam sententia, vel ab exemplo, vel ab antiquis militum, flaminumqne ritibus desumi potest, ut egregiè notauit Reuerendiss. P. Fœlix Rotundius præclarissimis virtutibus instructus, Seraphici Ordinis decus, & huius Patauinæ Vniuersitatis Sacræ Theologiæ subtilissimus Professor. A loco itidem, & ab anni tempore, puta veris, æstatis, &c. & ab alijs quoque circumstantijs, quas facile quisque potest animo comprehendere. Secunda pars est *Narratio*, quæ tota in Candidati commendatione versabitur; & idcirco prosapiam ipsius, maiorum virtutes, præclarissima gesta, splendoremque pluribus amplificabit, & etiam si opus fuerit, ad natalitium stemma respiciet, si tamen is fuerit nobili loco natus; sin autem maiorum conditionibus prætermissis, Orator veteratorio silentio generis obscuritatem inuoluet, atque curabit, ut tertia orationis pars nempè *Confirmatio* in Religionis, atque pietatis, optimorumque morum commemoratione tota sit occupata, simulque in stemmatis nominisqu consideratione versetur. Quarta pars est *Epilogus* qui singula prædicta insignibus appositè applicabit; summaque cum grauitate, nimirum eâ, quæ præceptorem decet, doctoratûs, ac ob id virtutis ornamenta candidato peramanter impertiet.

In hoc orationis genere stylus grandis, proindeque sententijs grauibus, multisque salibus, elegantium figurarum varijs luminibus illustris, est adhibendus.

Stylus qualis in hac oratione debet.

Oratio sequitur Postulatoria, qualis est illa, quâ nos aliquid iustè, & honestè petimus; enimverò tritum adagium est, *Ab amicis honesta petamus*. Huius præcepta, satis exhactenus dictis, manifesta sunt. Exordium ducendum vel à commendatione iustitiæ, singularisque munificentiæ personæ, à qua petimus, & ab alijs eiusdem adiunctis, cuiusmodi sunt nomen, regimen, præclarę animi dotes, stemma & id genus alia. Sequitur Narratio, quæ petitionis causas explicabit, quibus ille, cui fit petitio, ad concedendum impellatur; idcirco petens modestè citraque iactantiam, quos pertulit labores, virtutis intuitu, atque adeo propria merita, paucis tamen, commemorabit. Confirmatio porrò iustæ petitionis causas validissimis rationibus comprobabit, & quantum fieri poterit efficaces reddet. Epilogus tandem gratum animum, ac ob id accepti beneficij memorem pollicebitur.

Oratio quæ dicitur Prolocutio. Huius tres partes.

Præfatio græcè, προοίμιον, seu πρόλογος est Oratio, qua proloquimur antequam ad rem deueniamus, huiusmodi porrò sunt præfationes, quæ publicis disputationibus præmittuntur. Huius tres assignantur partes, quarum prima est Expositio rerum tractandarum; curandum enim initiò auditorum animos de rebus disputandis certiores fieri, ut eorum docilitas comparetur. Secunda pars est dicendorum Explanatio luculenter ostendens ea esse magni momenti, vel non exiguæ necessitatis ad aliquem finem consequendum, summamque coniunctionem habere cum ijs, apud quos agitur; hac enim arte conciliari attentionem Cicero docet in Partitionibus. Tertia denique pars est, in qua Orator suam imbecillitatem fatetur, per quod summam auditorum sibi comparat beneuolentiam, præsertim si spem uniuersam in auditorum, vel alicuius Mœcenatis patrocinio constituat, eâ utens industriâ, quâ ostenditur adstantium dignitas, eruditio atque doctrina, hoc enim pacto laudantur, quod maximam beneuolentiam parit; laus enim quoddam est amicitiæ primordium, proindeque beneuolentiæ; trahimur enim omnes laudis studio, & optimus quisque gloriâ ducitur. Tametsi autem omnes quamlibentissimè laudes audiamus, illas tamen præcipuè, quæ non planè sunt in nobis, quæ nanque bona in nobis firma esse putamus, & iam plurimis perspecta, ea non egere testimonio existimamus; at quæ sunt adhuc incerta, nec vulgo satis nota, cuiusmodi est eruditio, bonarumque artium, atque disciplinarum possessio, ea cupimus quammaximè prædicari.

Stylus huic Orationi conueniens.

Stylus Præfationibus accommodatus, videtur mediocris, quanuis descriptionibus, & adagijs gaudeat, nec ornatum sententiarum omninò recuset.

Oratio quæ proluſio dicitur.

Præludium dicitur.

Proluſio, siue Proloquium, aut Præludium, dicitur à verbo proludo, græcè προγυμνάζομαι, hoc est exercendarum virium causa confirmandique animi, veluti simulacrum quoddam certaminis inco; hinc proluſio, & proludium, id est præludium, & initium orandi causâ, sed hoc per translationem, ut patet, quo sensu sumitur à Tullio, dum ait, *Eiusmodi illa pro-*

prolusio debet esse. Et suam diuinationem prolusionem Verrinæ accusationis vocat, quòd in ea de constituendo accusatore Verris agebatur. Eâdem significatione sumitur à Gellio, quando ait. *Sed maius mihi in ista ciuitate proludium est, cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco*. Non est igitur prolusio tantummodo iusti certaminis, sed etiam cuiusque causæ literariæ initium. Huiusmodi est oratio illa, quæ in publicis habetur Academijs, studiorum initio. Iisdem verò præceptis Prolusio perficitur, quibus omnis oratio ritè contexitur.

Huius orationis præcepta.

Oratio, quæ Εὐχαριστικὸν, latinè *grata*, hoc est gratam beneficiorum recordationem continens, hisce præceptis absoluitur. Primo: Beneficium acceptum, ac eiusdem amplitudinem commemoret, florentissimisque laudibus prosequatur ab eius dignitate, præstantia, & à temporis, aliarumque rerum circumstantijs, & modo, quo gratias agens, obtinuit. Secundò: Benefactorem ab animi magnitudine, ab urbanitate, liberalitateque summoperè commendet. Tertiò: Gratias pro conditione ac magnitudine accepti beneficii referat, immortalemque memoriam eius, qui gratiam recepit abundè testetur. Hæc gratiarum actio summoperè commendabitur, si dicto quodam præclaro, memoratuque dignissimo concludatur.

Oratio, quæ græcè Ἐπινίκιον, latinè ad victoriam pertinens, *ea est, quâ debellatis hostibus, victoriamque consecuti gratulamur*. Non adeò tamen seuerè victoria debet hic usurpari, prout videlicet felicem duntaxat euentum ex armis denotat, quin potius prout undecunque fortunatum significat: idcircò genus hoc orationis omnem illam comprehendit, quæ felicis alicuius euentûs occasione habetur; quamobrem oratio inter quæcunque solemnia, siue nempe, dum quispiam ad præclarum aliquem dignitatis Pontificiæ, vel Imperatoriæ, vel Regiæ &c. gradum euehitur: siue dum à quopiam imminenti periculo, vel ad vitam, vel ad honorem spectante subripitur; hinc omnis oratio inauguralis appellata, consueuit ad hoc genus reuocari. Cum enim apud veteres nefas esset, quempiam in aliquam dignitatem, aut sacerdotium assumi, aut etiam Ædem alicui Deorum consecrari, nisi auguratò, hoc est addictis auibus, ob id oratio, quæ inter hæc habebatur solemnia, consueuerat inauguralis appellari; hinc ad hoc genus reuocari debet.

Oratio nuptialis. Huius orationis præcepta.

Orationis, de qua in præsentia fit sermo, præcepta sunt quæ sequuntur. Primò sumendum exordium ab augurijs, si quæ præcesserint, à communi lætitia, fortunæque plausu, ab electionis utilitate, vel necessitate, ab electæ personæ insigni quadam prærogatiua, à populi expectatione, ac votis, à solemnitatis pompa splendoreque, à loci dignitate, cæterisque circumstantijs. Secundò, succedat narratio, cui permixta sit confirmatio, cum hoc exornatiui sit generis proprium, hæc autem orationis pars narratione, confirmationeque constans, si habeatur oratio occasione victoriæ, supremo numini gratias ob triumphum ex hostibus agat, ut in hoc uniuersa consumi videatur, quod Orator faciet laudibus illos extollendo, qui primas habuerunt in prælio, laudandoque milites tum uniuersè, tum particulatim insigniores initio ducto ab Imperatore, & reliquos etiam duces cuiusque ordinis, eorum scilicet glorioſa facinora per descriptiones, comparationes, hypotyposes, adiuncta, nobilesque figuras, amplificando.

Oratio, quæ græcè ὀδυρμὸς, latinè *lamentatio* dicitur, est superiori contraria, ijsdemque præceptis, ordine tamen inuerso tractanda. In ea quidem esse debet exordium ex abrupto, per quod Orator concitet auditores ad mæstitiam, & ad lachrymas, & sibi quoque plurimum attentionis conciliet; hoc enim proœmij genus quandam granditatem præfert, at si quid est, quod attentionem moueat, rei quidem est magnitudo. Secundò, succedit narratio, in qua præstat seruare naturæ ordinem, exponendo videlicet priori loco primas ærumnas, posteriori verò alias; hoc enim pacto, quæ narrantur longè facilius auditorum animis ingeruntur. Tertiò succedit confirmatio, in qua debet Orator validissimis rationibus uti ad leuandum dolorem, & ad misericordiam excitandam. Quartò habendus Epilogus, qui complecti debet breuiter hactenus dicta, & simul ea, quibus doloris, mæstitiæ, atque pietatis affectus excitantur; quemadmodum & in eo præces effundendæ sunt, quibus à diuina misericordia præseruationem ab omni calamitatum genere quàmefficaciter imploremus.

Oratio nuptialis. Huius orationis præcepta.

Oratio quâ nuptiæ commendantur, græcè λόγος ἐπιθαλάμιος *sermo iugalis*, seu *nuptialis* dicitur. Huius autem exordium à communi lætitia, plausuque nuptiarum, hoc est, ab earum encomijs, vel ab ijs ritibus, quibus in nuptijs antiquitas utebatur, quamoptimè desumi potest; ex his enim plenum eruditionis licet exordium deducere, & non immeritò, nam, ut res, de qua agitur, summâ quidem abundat iucunditate; sic etiam par est sermonis initium festiuitate leporeque condire. Exordium porrò subsequitur pars altera narratione, confirmationeque constans, in qua debet Orator sponsos egregijs laudibus efferre, præsertim ab utriusque genere, prosapiaque desumptis, quòd percommodè faciet illorum virtutes, atque præclara gesta recensendo, & simul eadem illustribus figuris amplificando, mox descendendo ad sponsos ipsos, quos tam à corporis dotibus pulchritudine venustate, & elegantia, quàm ab animi prærogatiuis commendabit. Nec silentio præteribit laudes, quibus efferri potest conuiuij splendor, atque pompa, seruatis legibus, quas de genere exornatiuo in uniuersum tradidimus. Epilogus tandem hactenus expositа paucis complectetur, & in hoc Orator sese conuertens ad sponsos, eorum utrique prosperam fortunam, atque nestoreos annos præcabitur, futuræque soboli supremam ominabitur felicitatem.

Oratio natalitia. Huius orationis præcepta.

Sequitur oratio altera, quæ λόγος γενεθλιακὸς, *sermo natalitius*, dicitur; *est autem oratio, quâ alicuius, & præsertim Herois, virique principis natalem diem celebramus*. Exordium ab ijs, quæ natiuitatem præcesserunt, nimirum à publicis votis, ab augurijs, à loci, temporis, personæque circumstantijs desumi potest. Altera verò quæ sequitur orationis pars majorum commemorationem continebit, exponet eorum gloriam, quam mirum in modum amplificabit, natique futuram felicitatem pollicebitur; eidemque vitam longeuam, Epilogus immò etiam & honores atque diuitias ominabitur.

Oratio funebris. Huius orationis præcepta.

Oratio, quæ λόγος ἐπικήδιος, sermo funebris dicitur, *est illa, quâ in alicuius morte mæstitiam, atque dolorem exprimimus*. Exordium commodè sumi potest ab acerbitate doloris, quo agnati, affines, sanguineque coniuncti miserrimè torquentur, ab inuectiua in mortis crudelitatem, à nascendi, moriendique infælici hominum sorte, ab exclamatione fragilitatis humanæ vitæ, ab aliqua sententia moralitatis plena, à conditionibus temporis & loci, ab occasione, causaque mortis, ab augurijs, atque prodigijs, alijsque similibus. Narratio, quæ simul est confirma-

tio

tio explicabit, & simul amplificando confirmabit virtutes, & præclara facinora illius, qui morte occubuit, quando is fuerit adultus, nam si adolescens foret, in sola, firma tamen, spe versabitur eorum, quæ ex præstanti indole nati coniicere licet; superstitum affinium præclaras dotes explicabit, eosdemque summis laudibus prosequetur. Epilogus hæc omnia breui sermone complectens æternam fælicitatem, gloriamque defuncto præcabitur, gratulando posteris quòd eum habuerint, cuius vestigiis possint insistere ad nominis, & honoris immortalitatem assequendam.

Oratio in qua dedicatio habetur. § Huius orationis præcepta.

Oratio tandem, in qua habetur græce ἀνάθεσις, latinè *dedicatio* est, quâ in obsequium aliquod opus alteri dicamus, cuiusmodi sunt epistolæ, quas libris præfigimus, dum illos in lucem emittimus. Præcepta potius ad artem conscribendarum epistolarum pertinent, quorum summa tamen hæc est. Primò quidem occasio, vel causa exprimenda est, quæ nos ad opus dedicandum compellit. Secundò iuvat ut summis laudibus illum efferamus, cui fit dedicatio. Tertiò tandem obsequium, atque constantem fidem polliceri debemus.

De Exornativo genere, quædam notatu digna.

Cæterum uniuersè demonstrativum genus orationis (hæc autem libenter subiicio, quoniam hactenus orationes recensitæ ad exornativum genus reuocantur) illustrem atque magnificam elocutionem requirit, ac ob id omnium ornamentorum genera contineat, oportet. Huiusmodi porrò, de quo loquimur, genus orationis in scribendo, primas; iudiciale, secundas; deliberativum, tertias ex Aristotele tenent; is enim ita scribit. Ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη. τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀναγνῶσις ἐστίν· ἡ δὲ δικανικὴ. *Demonstratiui igitur generis oratio, maximè ad scribendum idonea est, quoniam eius officium est, ut legatur, proximaque ab ea iudicialis est.* Hoc autem nemini admirationem ingerat, propterea quod orationes demonstratiui generis haud publicè habebantur, sed potius scribi solebant, ut deinde in manus receptæ legerentur; idcirco Stagirites huius orationis officium esse ait, ut legatur, quamobrem omnia ornamentorum genera debet in se continere, cum ad ostentationem ingenii magis, quàm ad veritatem inscribatur, ut propterea Tullio dulce diceretur genus orationis, itemque solutum, & affluens, ac sententijs argutum, verbisque sonans. Huic proximè iudicialis oratio succedit, quæ maximè accurata, diligens, & exquisita desideratur; cùm enim ad paucos, & quidem doctos, atque frequenter ad unum agatur, si quidpiam negligentius dictum fuerit, occultum id esse nequit, propterea non exigua est opus industriâ ad illam ita construendam, ut idonea sit ad iudices captandos, & forsan etiam fallendos. At verò deliberatiua oratio, cum sæpe apud imperitam multitudinem habeatur, & actionis vocisque viribus, quodammodo substentetur, non est, cur exquisita sit, quin potius minus accurata sufficit; multa siquidem audita delectant, atque persuadendi vim habent, quæ si scribantur insulsa, & inepta penitus existimatur, hæc de genere demonstratiuo dicta sufficiant.

Aristot. 3. Rhet. cap. 12. aliàs 12.

SECTIO TERTIA.

De Genere Deliberatiuo.

Tractationis ordo.

QVanuis Aristoteles primo loco de συμβουλευτικῷ hoc est, deliberatiuo genere disputauerit, ob eius fortasse dignitatem, opportunius tamen est nobis visum de hoc post exornativum disserere, quoniam deliberationi ferè semper, & iudicio admiscetur; hoc orationis genus alio itidem nomine appellatur, nempe Δημηγορικὸν, & Ἐκκλησιαστικὸν, siue concionale, propterea quòd moris sit apud Græcos in concione consultari, quod apud Romanos in senatu fieri solebat, siquidem hi iudicia exercebant in foro, & consilia habebant in curia; sed hæc utpote parui momenti, missa faciamus.

Deliberatiui generis materia censentur omnia, quæ in manu, ac arbitrio nostro sunt posita; hoc eleganter expressit Aristoteles dicens, τὰ φαινόμενα ἀμφοτέρως ἔχειν, *Quæ videntur in utranque partem cadere.* Et iure quidem, non enim deliberatio versatur in omnibus, ut Philosophus ait dicens, οὐδεὶς περὶ ἅπαντα, *neque enim versatur in omnibus*; ut nemo deliberat quâ ratione nunquam moriatur, cognoscit enim id necessariò venturum; nec deliberat de volandi modo, quoniam cognoscit id à se fieri non posse, sed ut Philosophus loquitur, ἀλλ' ὅσα ἐνδέχεται καὶ γίνεσθαι, καὶ μή. *Sed in eis tantum, quæ & fieri, & non fieri possunt.* Quisque nanque deliberat de ijs, quæ in sua habet potestate; cum itaque tria sint rerum genera, videlicet necessaria, contingentia, & impossibilia; ex his unicum est, quod in deliberationem cadit, nimirum id, quod contingens, aut possibile dicitur, reliqua verò duo à deliberatione excluduntur; hæc etiam docuit Tullius. *Neque enim*, inquit, *quisquam deliberat qua ratione perpetuo victurus sit, quoniam intelligit sibi moriendi necessitatem incumbere: neque quisquam deliberat quomodo volare possit, scit enim sibi alas non adesse.*

Deliberatiui generis materiam speciatim Aristoteles declarat dicens, Σχεδὸν γὰρ, περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν ἐκ συμβουλίου τε, τὰ μάλιστα τυγχάνει πάντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα ταῦτα δ' ἐστὶ, περὶ τε πόρων, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, καὶ τῶν εἰσαγομένων, καὶ ἐξαγομένων, καὶ νομοθεσίας. *Resgitur maximè, de quibus omnes ferè consultant, & de quibus deliberantes in concione sententiam dicunt, quinque numero sunt; hoc est, de vectigalibus, de bello, & pace, de custodia regionis, de rebus, quæ importantur, & exportantur, de ferendis legibus.* Cum enim docuisset nec de rebus necessarijs, nec de iis, quæ fieri non possunt, deliberationem esse, sed tantum de rebus contingentibus, & cum res contingentes vel à natura, vel à fortuna, vel à facultate nostra esse possint, deliberationē non esse de iis, quæ à natura, nec de ijs, quæ à fortuna, sed de iis, quæ à potestate nostra proficiscuntur; descendit nunc ad explicandum, quæ sint res contingentes, quas in nostra potestate nos habemus, ut eas aggredi, vel non aggredi debeamus, & primò de rebus publicis, postea verò de priuatis. Ait autem Philosophus res publicas, quæ præcipuè in deliberationem cadunt, quinario numero comprehendi, tot enim sunt res, quibus omnis Reipublicæ status continetur, nempe vectigalia, quæ Tullius Reipublicæ neruos, & pacis ornamenta, & subsidia belli prudenter appellat. Secundò sunt bellum, & pax, res planè magni momenti; ut propterea moris fuisset apud Romanos constituere Ius feciale, & feciales sacerdotes, ac Patrem patratum, qui de bello, & pace religiosissimè consultarent. Tertiò prædictis succedit custodia regionis, cum non satis sit imperium acquirere, & ampliare, nisi optimè quoque custodiatur. Quartò sunt ea, quæ importantur, & exportantur, propterea quòd nulla forsan est regio, quæ omnia ad vitam degendam necessaria ferat; quæ autem

huiusmodi

Digitized by Google

huiusmodi sunt rerum externarum, egent importatione; quæ verò sunt adeo feraces, ut alijs etiam regionibus Annonam suppeditare possint, egent exportatione; unde est, ut qui consulendi munere funguntur, probè debeant cognoscere quæ in suam ciuitatem, vel importanda, vel exportanda sint. Quintò ea, quæ in deliberationem veniunt, sunt leges, de his enim ferendis est consultatio; nam in illis salus est Ciuitatis, & sine illis nulla Ciuitas diutiùs potest perseuerare. Singula hæc Philosophus copiosè disertèque persequitur, quæ apud ipsum videri possunt.

fine deliberan-

Deliberatiui generis iam explicatâ materiâ, nunc de fine, de tempore, de animi motibus differendum foret, sed partim hæc in antegressa sectione tractauimus, & partim in sequenti persequemur, ubi de commouendis affectibus disputabitur; ibi autem de uniuscuiusque generis partibus differentes, diximus deliberatiui generis duplicem esse partem, quarum una erat προτροπή, *suasio*, altera ἀποτροπὴ, *dissuasio*. Solùm his addendum in huius generis gratiam, cum Aristoteles ait, τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον, καὶ βλαβερόν. *Nam in deliberando finis est utilitas & detrimentum*, ipsum utilitatis nomine honestum itidem complecti voluisse, quod erat operæ pretium aduertere. Assignauimus etiam singulis generibus proprios fines, & quidem generis deliberatiui finem esse diximus, *Vt constet id, de quo deliberatur esse utile vel perniciosum*. Iudicialis verò finem esse, *Vt constet id, de quo est iudicandum, esse iustum, vel iniustum*. Demonstratiui generis finem esse, *Vt ostendat ea, ex quibus alicuius sit laudatio, aut vituperatio esse honesta, vel inhonesta*. Superest, ut hic pauca quædam ex Aristotele de fine dicamus, quem deliberantes intendunt, nimirum de felicitate, & eius partibus; ut enim Orator habere possit facultatem suadendi, vel dissuadendi quippiam deliberantibus, non solùm scire debet, quibus de rebus homines deliberent, sed etiam ex quibus id faciant; at verò homines de agendis deliberant ex fine; sibi nanque præscribunt aliquem finem, ac bonum, & eligunt, quæ existimant, ad talem finem conducere, contraria verò repudiant, aduersantur ac fugiunt; ob id Orator scire debet, quem finem homines intendant, & in quo talis finis consistat; finis autem, quê homines in suis deliberationibus sibi præfigunt, est procul dubio felicitas eiusque partes; idcircò debet Orator saltem superficietenus cognoscere quid sit felicitas, eiusque partes, & quia ii, qui sibi finem constituunt, eundem assequi desiderant, ob id viam, ac rationem quærunt, quâ possint ad eum peruenire; propterea non de fine, sed de iis quæ possunt ad finem perducere deliberant, quamobrem omnes suasiones erunt de iis, quæ ad felicitatem conducunt, & omnes dissuasiones contrario modo se habebunt, ob id pernecessarium est Oratori ad habendam facultatem suadendi, ac dissuadendi, ut sciat crassâ Mineruâ saltem, quid sit felicitas eiusque partes, nam perfecta felicitatis cognitio ad Moralem disciplinam pertineat. Explicandum igitur breuiter, primò quid sit felicitas, secundò ex quibus partibus constet, tertiò quid sit unaquæque iplarum.

Ciuilis beatitudinis variæ definitiones afferuntur.

Ad primum quod spectat, plures sunt felicitatis definitiones. Primò nanque felicitas dici solet, εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς *Bonus rerum successus cum virtute coniunctus*, vel ut aliis placet, *Bene agere cum virtute*, sic Aristoteles alicubi. Atverò alibi eidem definitur, ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ. *Operatio, seu actio animæ rationalis, secundum virtutem optimam, & perfectissimam in vita perfecta*. Et alibi quoque εὐδαιμονία ἐστὶν ἀγαθὸν τέλειον καὶ ἄριστον. *Beatitudo est bonum perfectum, & optimum*. In idem ferè recidunt illæ definitiones, quæ de ciuili beatitudine afferri solent, & quas Aristoteles commemorat, dum ait. Ἔστω δὴ εὐδαιμονία, εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς. *Sit igitur felicitas vitæ prosperitas cum virtute coniuncta*. Item. Ἢ αὐτάρκεια ζωῆς. *Vel possessio earum rerum, quibus vita contenta sit*. Item. Ἢ ὁ βίος μετὰ ἀσφαλείας ἥδιστος. *Vel vita cum securitate iucundissima*. Item. Ἢ εὐπορία κτημάτων, καὶ σωμάτων μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τε, καὶ χρηστικῆς τούτων. *Vel bonus, firmusque status possessionum, & corporum cum facultate custodiendi, atque amplificandi*; de his tamen accuratiùs in Moralibus.

Ciuilis Beatitudinis partes.

Sequitur ordine secundum, nempè quæ sint ciuilis beatitudinis partes; Aristoteli autem sunt nobilitas, multorum amicitia, & gratia, præsertim proborum, diuitiæ, bona proles, & multa, commoda senectus; quibus accedunt corporis virtutes, nempè sanitas, pulchritudo, robur, magnitudo, vires ad certandum; insuper gloria, honor, prospera fortuna, atque demum animi virtus, cuius partes sunt Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iustitia. Quorum ratio, quoniam felicitas vita est per se sufficientissima, & securissima; at sufficientissima vita requirit tum bona interna, quę consistunt in bonis, ac virtutibus corporis, atque animi; tum externa, cuiusmodi sunt nobilitas, amici, pecuniæ, & honor; securissima verò vita potentiam, prosperamque fortunam exposcit; hæc igitur omnia sunt felicitatis partes.

Partes Ciuilis Beatitudinis definiuntur.

Sequitur tertium; singulæ nanque prædictæ partes definiendæ sunt. Nobilitas Aristoteli gemina est, nempe publica & priuata. Publica quæ totius gentis dicitur ac definitur. Εὐγένεια μὲν οὖν ἐστὶν ἡ, καὶ πόλεως, τὸ αὐτὸ χθονὸς, ἢ ἀρχαίους ἔσχε. *Nobilitas gentis, & ciuitatis ea est, si ipsa ex se se suos ciues genuit, vel saltem vetustam originem habuit*. Dum autem prosequitur, docet nobilitatem hanc non tantùm esse in generis vetustate, quantum in maiorũ splendore, ac dignitate, qua de re quoque supra locuti sumus. Transit autem ad priuatam nobilitatem quæ Aristoteli est. Ἡ δὲ ἰδίᾳ εὐγένεια ἢ ἀπ' ἀνδρῶν, ἢ ἀπὸ γυναικῶν καὶ γυναικίτης ἀπ' ἀμφοῖν. *Priuata verò nobilitas, vel à viris, vel à mulieribus pendet, & cum utrique legitimè coniuncti sunt*. Quid autem sit bona proles, aut multa, neminem præterit. Potest autẽ bona proles considerari, tum respectu ciuitatis, aut gentis, tum respectu priuatorum. Gens autem, ac ciuitas tum bona, ac multa fruitur prole, cum multa, ac proba illi iuventus est. Iuventus autem proba dicitur, cum animi corporisque virtutibus excellit, nempe magnitudine, pulchritudine, robore, & potentia certandi, quæ corporis virtutes sunt, itemque temperantiâ, ac fortitudine, quæ sunt virtutes animæ, iuvenum propriæ. Proles autem priuatorum tunc dicitur proba, ac multa, cum priuati multos habent filios masculos, ac fœminas, ac præterea tales, quales esse oportet. Masculorum virtutes iam explicatæ fuerunt; fœminarum autem spectantes ad corpus sunt magnitudo, & pulchritudo, sed spectantes ad animam sunt temperantia, & studium operandi absque illiberalitate; Docet autem Stagirites curandum esse, tum priuatim, tum publicè, ut mulieres, & viri sint quales oportet, nam ciuitates illæ in quibus quæ ad mulieres spectant, malè se habent, qualis est ciuitas, inquit, Lacedæmoniorum, secundum dimidiam sui partem non sunt felices.

Nobilitas duplex publica, & priuata.

Publica nobilitas, quæ.

Priuata nobilitas, quæ.

Bona proles, quæ.

Duplex eius considerandi.

Proles priuatorum quãdo bona, & multa dicatur.

Diuitiarum autem partes sunt pecuniæ, multitudo agrorum, possessiones villarum, insuper possessio sup-

Diuitiarũ partes.

Digitized by Google

Tres conditiones ad bona diuitiarũ requisitæ.

pellectilis, armentorum, & mancipiorum, multitudine, magnitudine, & pulchritudine excellentium. Hæc bona tres conditiones habere debent, nempe ut sint secura, liberalia, & utilia; at verò fructuosa utiliora sunt infructuosis, quæ autem (licet infructuosa) adhuc multum ad voluptatem deliciasque conferunt, sunt magis liberalia, quàm fructuosa. *Fructuosa verò dicuntur ea, ex quibus prouentus existunt*, quemadmodum *delicioſa, ex quibus nihil præter usum capitur, quod in estimatione sit habendum*. Bonorum securitas in eo consistit, ut illa in tali loco sita sint; talique modo possideantur, ut in potestate possidentis sit ijs uti. At bona propria possidentis dicuntur, cum in eius potestate est illa alienare, donando vel vendendo, propterea quod alienatio in donatione, venditioneque posita est. Diuitem verò esse, magis in libero usu eorum, quæ possidentur, quàm in possessione; talium enim rerum actus atque usus diuitiæ sunt.

Fructuosa bona quæ dicantur. Delicioſa bona quę. Securitas bonorum. Bona propria possidentis quæ. Alienatio quid. Diues qui dicatur.

Gloria, seu bona existimatio benè definitur hoc modo, Εὐδοξία δ' ἐστὶ τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαίων ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν, οὗ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοί, ἢ οἱ ἀγαθοί, ἢ οἱ φρόνιμοι. *Gloria est virtute præditum ab omnibus iudicari, vel tale aliquid in se habere, quod omnes expetant, aut multi, aut boni viri, aut prudentes.* Talis igitur gloria est, summa verò & perfecta ex his tribus constat: ut multitudo diligat, ut fidem habeat, & ut cum admiratione quadam honore nos dignos arbitrentur. At verò multitudo diligit beneficos, & liberales, & etiam beneficâ voluntate mouetur, quanuis res fortè non suppetant; ipsa itidem multitudo mouetur famâ & opinione liberalitatis, iustitiæ, fidei, omniumque virtutum illarum, quæ alijs prosunt. Fides acquiritur prudentiâ, iustitiâ quoniam iustis prudentibusque viris omnes facilè fidem præstant. At eos admirantur, quos anteire cæteris virtute putant & magno, summoque animo esse arbitrantur. Honor, quid sit, hisce verbis Aristoteles declarat; ait enim, Τιμὴ δ' ἐστὶν ἢ συμβούλου εὐεργετικῆς δόξης. *Honor autem est signum gloriæ ex plurimis in alios meritis comparatæ.* Qui verò sint honore digni, sic explicat. Τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν οἱ μάλιστα ὀφλισκάνοντες εὐεργεσιῶν. *Iustè verò maximèque honore afficiuntur ij, qui iam beneficia contraxerunt.* Sed addit quod maximè dignum est, ὀφλισκάνει δὲ μάλιστα τιμᾶσθαι, ὃς ἂν δυνάμενος εὐεργετεῖν. *Sed ille solet honorari, qui alijs benefaciendi facultatem habet.* Beneficientia verò præcipua est illa, quæ salutis est causa, & ut sumus; altera minus præcipua, quæ diuitiarum, vel alterius boni, quod vel omnino, vel hic, vel aliquando non sine difficultate acquiritur; multi siquidem honorem adepti sunt, quanuis parua præbuerint, modus tamen, & occasio conferendi, aliæque plurimæ circumstantiæ in causa fuerunt, ut magna censerentur. Honoris autem species sunt sacrificia, commemorationes, carminibus, aut solutâ oratione expositæ, præmia, delubra, primus locus in conseſſibus, sepulchra, imagines alimenta ex publico: Barbarica quoque illa, nempe veneraciones per corporum inclinationes exhibitæ, & honor assurgendo datus, & insuper munera, quę apud unamquamque gentem in pretio sunt. Munus autem est rei alicuius donatio, confert enim aliquid, cuius possessio est utilis, & est honoris signum; idcirco tam auari, quam ambitioſi donari cupiunt, siquidem in donatione est id quod utrique appetunt, nam in ea res est, quam auari desiderant, & est itidem honor, quem ambitioſi expetunt.

Gloria quid. Tul. 2. de officijs. Fides quo modo acquiratur. Honor quid. Honoris species. Munus quid.

Hucusque sunt explicata bona, quæ extrinsecùs adueniunt, quorum tres species ad corpus referuntur, puta nobilitas, bona itidem proles, & diuitiæ: ad animum verò gloria, seu bona existimatio, & honor. Supersunt bona, quæ inhærentia dici consueuerunt, quorum tria sunt genera, nam quædam inhærent corpori, ut bona valetudo, pulchritudo, vires, certandi robur, & bona senectus; quædam insunt animo, ut virtutes; quædam autem media sunt; & non absolutè inhærentia, sed quodammodo, ut amicitia, bona fortuna, quæ apud Aristotelem videri possunt, quemadmodum & boni ratio, eiusque definitiones variæ, locique certorum bonorum omnium.

Supereſt igitur ut alia persequamur ad deliberativum genus spectantia, è quibus est status, de quo commodius infra de Iuridiciali genere agentes, loquemur.

Quæ in ſtatu ſuperiora.

In deliberatiuo genere quæ sint magnopere consideranda paucis complectar, ea porrò sunt, Orator suadens, Persona, cui aliquid est suadendum, & loci, ex quibus suadendi argumenta petuntur.

In deliberatiuo genere quæ ſint magnopere conſideranda.

In Oratore autem suadente multa requiruntur, omnia videlicet quibus Oratorem Tullius præditum esse contendit, *& quibus fit, ut Orator sit, qui accommodatè ad persuadendum potest dicere ex opinione, & usu ciuitatum vulgari, ac forensi*, Vt autem Orator talis fiat, debet varias artes, & scientias callere, nulla enim est ars ingenua, quæ Oratori aliquo modo prodesse non possit, debet exemplis, & veteribus, & nouis abundare, his enim instructus dici poterit perfectus Orator, quippequi de rebus omnibus poterit variè copiosèque dicere, poteritque docere, delectare, ac promouere, licet nunquam tamen talis euadere possit nisi in eo fuerit ingenium, doctrina, otium atque studium acerrimum. Semper autem utillimum est, ut Orator vir bonus esse videatur, sed tum præcipuè, cum in deliberatiuo genere versatur, & aliquid suadere, vel dissuadere contendit; enimuerò duo in Oratore esse oportet, ut audientes in sententiam suam trahat, & quicquid voluerit ipsis persuadeat; primum est vitæ dignitas, morumque probitas non enim ei credimus, quem improbum ac perfidiosum esse putamus, sed viris probis, quoniam in eis nulla est mendacii, nulla fraudis, nullaque iniuriæ suspicio; itaut his ultrò salutem nostram, fortunas, liberos quamrectissimè committi existimamus. Alterum est animi commotionum intelligentia, quas cognoscere valeamus quod nam sit orationis genus, cuius vi animi moueantur; probus igitur Orator videri debet; hinc enim enascitur auctoritas, quæ summopere in ipso desideratur, quandoquidem ex hac vim maximam habet ad fidem faciendam, vel in eo, qui dicit, vel in eo de quo dicitur. Magnâ siquidem auctoritate præditis hominibus facilius creditur, quoniam in eis nulla est mendacij suspicio, quæque de ipsis dicuntur, facilè probantur; auctoritas enim in quadam veneratione, vel imitatione, ut alicui cedamus pro dignitate, consistit; hinc etiam & amor, quem in Oratore requiro, propterea quòd cum Remp. amauerit candide loquetur, & omne id moliri studebit, quod prodesse Reip. possit.

Secundum erat persona, cui debet aliquid suaderi, in qua considerari debet conditio, status, propensio præcipuèque mores expendi debent, non enim iisdem mediis uti debet Orator ad persuadendum aliquid omnibus indiscriminatim, sed pro conditione auditorum mediis uti debet plebi videlicet proponet lucrum, præstantibus autem, ac Senatorij ordinis viris gloriam, & honorem.

Nec minus Orator esse debet versatus in cognitione re-

ne regnorum; oportet igitur, ut probè cognoscat earum genera, quæ tria legitima esse constat, videlicet Monarchiam; Aristocratiam, & Democratiam, totidem autem prava his tribus aduersa, puta Thyrannidem, Oligarchiam, & Ochlocratiam, quibus addi solet Anarchia, nimirum ubi nullus est magistratus, de his autem pauca quædam subijciemus, est enim operæ pretium, immò maximum, & potentissimum omnium ad suadendum, beneque consulendum, si quis omnes Respublicas perspectas habeat, & uniuscuiusq; mores, instituta, atq; utilitates cognoscat; enimverò omnes utilitate mouentur, urile porro est, quod statim Ciuitates egregiè conseruat. Monarchia, græcè μοναρχία est principatus unius tantum regnantis, qui μονάρχης. & à Platone μόναρχος dicitur à μοναρχῶ *solus impero*, ut Aristoteles illud usurpat in Politicis. Est porrò legitimus Principatus, ac iustus, qui communem respicit utilitatem, ut Aristoteles loquitur, qui de monarchia sermonem habens ita scribit, μοναρχία δὲ ἐστὶ κατὰ τὸ ὄνομα, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστι. *Monarchia est, ut nomen indicat, in qua unus omnium dominus est.* Tyrannis græcè τυραννὶς. Dominatio est unius tantùm, & est imperium sævum, ac violentum, de quo Iuvenalis

Quid Nero tam sæua, crudaque tyrannide fecit?

Duplex est Monarchia, aut enim legitima est, ac ordinata, quo pacto Regnum dicitur: aut est contra ordinem, & leges, cum nimirum Princeps ex sua libidine dominatur, & vocatur Tyrannis, hoc itaque differt inter Regem, atque Tyrannum, quòd Rex quantumuis legibus potentior, legitimè tamen imperat, & æquabiliter omnibus iustitiam distribuit, prudentum, ac sapientum consilio utitur, nec tantum propriam, sed etiam populorum, sibi subditorum utilitatem querit. Ex aduerso autem tyrannus, leges contemnit, iustitiam irridet, sapientum consilia negligit, & ab illis, quamplurimum abhorrens ad propriam libidinem omnia dirigit. Hæc paucis Aristoteles complectitur de monarchia loquens, τούτων δὲ, ἢ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ, βασιλεία ἢ δ' ἀόριστος, τυραννίς. *Quæ si definita est ordinem seruans, Regnum vocatur, si verò contra, Tyrannis appellatur.*

Aristocratia græcè ἀριστοκρατία, est optimatum principatus à verbo ἀριστοκρατῶ, *optimè impero*, unde ἀριστοκρατικὴ Aristoteli est optimatũ respublica, Ἀριστοκρατία δὲ, ἐν ᾗ κατὰ παιδείαν. *Aristocratia dicitur illa in qua magistratus distribuuntur ijs, qui disciplinam perceperunt.* Aristocratia ut nuper dicebam, latinè optimatum imperium significat. Itaque paucorum gubernatio si bona fuerit, Aristocratia, vel optimatum principatus dicitur. Optimates enim sunt, qui primum in Ciuitate locum tenent, optimèque de Rep. sentiunt, & idcirco Tullius optimates esse dicebat, qui ita in Rep. se gerunt, ut sua consilia optima cuique probentur: populares autem, qui ea faciunt ac dicunt, quo multitudini iucunda esse volunt. In hoc principatu iustissimi quique, ac prudentissimi, æquali inter se potestate prediti ad Rempub. gubernandam eliguntur, teste Polybio, ex cuius sententia Aristocratia malè administrata in Democratiam delabitur; qui autem tales sunt, qualis in Aristocratia esse diximus, necesse est eos esse optimos, unde deductum est Aristocratiæ nomen, diciturque optimatum imperium. Veneta Resp. hoc tempore Aristocratia est, non enim in ea permittitur quẽpiam ad magistratum aliquem promoueri, nisi sit probatis moribus instructus, ciuitatisque suæ disciplinam perceperit.

Oligarchia, græcè Ὀλιγαρχία, *paucorum regimen*, ut apud Demosthenem, ab ὀλιγαρχέω *dego sub statu paucorum*, ut apud Thucydidem; itaque paucorum dominantium si mala gubernatio fuerit, Oligarchia nuncupatur, & Aristocratiæ opponitur; est itaque imperium, in quo potentiores tantùm dominantur, quoniam ex censu magistratus eliguntur; nam constitutæ sunt leges, ut nemo possit imperare, nisi, qui tantam pecuniæ summam possederit, at pauci ubique sunt locupletes; ideo Aristoteles de hac imperij forma loquens ait, Ὀλιγαρχία δὲ, ἐν ᾗ διὰ τιμημάτων. *Oligarchia verò est, in qua ex censu magistratus eliguntur.*

Democratia græcè Δημοκρατία. Principatus populi, siue status popularis à verbo δημοκράτεομαι; *regor à populo*, est itaque bona multorum gubernatio, quæ apud Aristotelem communi Reip. nomine appellatur; in hac autem gubernatione nobiles simul, & ignobiles, ex populo tamen selecti, ad commune bonum legem ferunt; de hac imperij forma loquens Aristoteles ait. Ἐστὶ δὲ δημοκρατία μὲν, πολιτεία, ἐν ᾗ κλήρῳ διανέμουσι τὰς ἀρχάς. *Democratia autem est Reipublicæ status, in quo sortione tantum magistratus distribuuntur*; In hoc igitur statu non unus tantùm est princeps, nec tantum potentiores, aut optimates dominantur, sed omnes æqualiter capiendorum magistratuum ius habent, siue nobiles sint, siue ignobiles, siue diuites, siue pauperes; magistratus autem, vel per sortes, vel suffragia distribuuntur; Populus enim eligendi potestatem habet, quamobrem, vel per tabellam, vel per voces, vel per calculos eligit, quem velit aut Prætorem, aut Consulem esse, aut alio quouis munere fungi; quòd si contingat, ut plures sint, qui in honoribus petendis concurrant, sortes iaciuntur, adeo ut arbitrio fortunæ committatur quod summæ prudentiæ deberet acceptum referri. Democratia quid.

Ochlocratia græcè ὀχλοκρατία, Democratiæ contraria est, quatenus status popularis est; sed malus, unde ὀχλοκρατεῖσθαι dicuntur, *qui impetu plebeio non legittimâ democratiâ reguntur*. Ochlocratia quid sit.

His addi solet ἀναρχία, nempe status popularis, in quo nulla potestas. Hæc itaque debet Orator probè cognoscere, & singula prædicta Reip. genera perspecta prorsus habere; sed præterea debet etiam cognoscere fines cuiusque, quò videlicet omnia diriguntur, nam de iis quælibet Respublica deliberat, summâque diligentiâ quærit ea, quæ possint ipsam ad finem suum perducere. Est autem finis Democratiæ Libertas; Oligarchiæ, Diuitiæ; Aristocratiæ, Disciplina Ciuitatis & Leges; Tyrannis autem Custodia. Reliqua apud Aristotelem vide, qui solum quatuor hæc genera in Rhetoricis commemorat.

Ea porrò, quæ nos persuadere debemus debent vera esse, & bona, omnium enim animis natura indidit, ut verum, & bonum persequantur, quod si iis ea suadenda sunt, ad quæ naturâ ipsi sunt procliues, nulli dubium quin talia sint quæ diximus.

Loci autem, in quibus resident argumenta ad suasionem, & dissuasionem idonea generatim esse censentur à causis, effectis, consequentibus, contrarijs, comparatione, adiunctis, & similibus; præcipuum tamen instrumentum in hoc genere adhibendum est exemplum. Hoc eleganter expressit Aristoteles dicens, τὰ δὲ παραδείγματα τοῖς συμβουλευτικοῖς, ἐκ γὰρ τῶν προγεγονότων τὰ μέλλοντα καταμαντευόμεθα, χρήσιμα. *Exempla verò deliberatiuo generi maximè accommodata sunt, nam ex præteritis futura conijcientes, quid sit agendum statuimus.* Experimentum nanque rationis testimonium est. Loci unde petantur argumenta ad suadendum.

Speciatim verò ad suadendum argumenta desumi solent à bono, scilicet honesto, iucundo, & utili, sicut ab oppositio malo nempe turpi, molesto, & 1. Rhet. cap. 34.

Digitized by Google

damnoso, ad dissuadendum argumenta sumuntur; deliberatiui enim generis adequatus finis est bonum, quo comprehenditur, tum quod propter se expoſci debet, cuiusmodi est honestum; tum quod propter commodum expetimus, quale est utile, tum quod cupimus voluptatis causa, quod iucundum nuncupatur. Apud sapientes autem ac probos viros plus argumenta valent, quæ ab honesto ducuntur; apud vulgus verò maioris sunt efficacitatis, quæ desumuntur ab utili, aut iucundo. In deliberatiuo autem genere argumenta ducuntur a bono, ac utili, nam deliberatio etsi de fine non sit, qui habet rationem boni; de iis tamen est, quæ ad ipsum perducunt, hoc est, quæ prosunt in actionibus singulis, & ob id bona sunt, quoniam prosunt, qui autem suadet ea omnia cognoscere debet, quæ profutura sunt, bonique rationem obtinent; sicut ad dissuadendum, malum considerandum. Boni autem rationem varijs descriptionibus Aristoteles explicuit, è quibus prima est, ἔστω δὴ ἀγαθὸν, οὗ ἂν ἕνεκα ἡ αἵρετον, καὶ οὗ ἕνεκα ἄλλο αἱρούμεθα, *Sit bonũ id quod propter se est expetendum & cuius gratia solemus aliud expetere*. Secunda. Καὶ ὅσα ἑκάστοις νοῦς ἀνεδίδωσιν ἑκάστῳ, τοῦτο ἐστὶν ἑκάστῳ ἀγαθόν. *Et quæcunque singulis in rebus unicuique ratio tribuit, atque assignat, ei unicuique bona sunt*; Item. Καὶ οὗ παρόντος εὖ διάκειται, καὶ δυτάρκως ἔχει, καὶ τὸ αὐτάρκες. *Illud quoque bonum, quo præsente, res bene se habet, nec aliud quidquam amplius exoptat, & quod per se sufficiens est*. Amplius. Καὶ τὸ ποιητικὸν, καὶ φυλακτικὸν τῶν τοιούτων. *Quin etiam quod hæc ipsa conficiendi, & custodiendi vim habet, bonum est*. Amplius. Καὶ ᾧ ἀκολουθεῖ τὰ τοῦτο, καὶ τὰ κωλυτικὰ τῶν ἐναντίων, καὶ τὰ φθαρτικά. *Et quod hæc eadem consequuntur, & quod contraria depellit, atque interimit*. Egregiè profectò, nam id omne bonum est, unde res bonæ originem trahunt. Vt, ab agrorum cultu, prouenit humanus victus; ergo bonus est cultus agrorum. Studium assiduum scientiam parit, quæ summopere bona est; ergo assiduum studium est bonum. Bona igitur sunt, quæ bonorum sunt consequentia, vel simùl, vel postea, quemadmodum Stagirites notauit, qui pariter addit alibi in quo boni ratio consistat dicens, διὸ καλῶς ἀπεφήναντο ταγαθὸν, ἃ πάντα ἐφίεται. *Idcirco bene id esse bonum affirmarunt, quod omnia appetunt*. Varijs boni diuisionibus omissis, unam silentio præterire non possumus, cuius non multo antea meminimus, qua bonum diuiditur in illud, quod est honestum, iucundum, & utile, in cuius diuisionis gratiam ad memoriam est reuocandum, quid sit ens morale videlicet quicquid spectat ad personam rationalem, ut rationalis est, quod diuidi solet in bonum, & malum morale, seu honestum, & turpe. Bonum autem morale duplex esse perhibetur, alterum latè, alterum presè sumptum: Primum est ens spectans ad personam rationalem, ut rationalis est: secundum est quod conuenit personæ rationali, quatenus utenti appetitu agente cum ratione, seu quatenus potest actiones morales producere; diciturque bonum honestum presâ significatione acceptum. Hanc honestatem nouit etiam gentilitas, nam Persius id luculenter insinuat.

At bona pars procerum tacita libauit acerra
Haud cuiuis promptum est, murmurque humileſque susſurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes
Illa sibi introrsum, & sub lingua murmurat, &c.

Bonum autem honestum naturale dicitur quod per se conuenit naturis rerum, & etiam ipsi naturæ rationali, licet non ut utenti ratione, ita plane sanitas vita, & reliqua hominis commoda naturalem hanc honestatem habere dicuntur. Bonum iucundum censetur id, quod præter ennuenientiam delectabilitatem importat. Bonum utile est, quod non ratione sui, sed alterius bonum est, quatenus ad illius consecutionem conducit.

Partitionis allatæ ratio gemina solet afferri, quarũ una, ut aiunt, est à priori, desumpta ex ratione entis, prout ens rationem dicit conuenientiæ, quod enim alicui conuenit, aut per se conuenit, aut non per se ipsum, sed solùm ratione alterius, quod per ipsum obtineri potest. Quod autem per se conuenit, aut præcisè spectatur sub hac ratione, ut conueniens est appetitui, aut præter conuenientiam inuoluit delectabilitatem, quæ tanquam passio à conuenientiæ ratione proficiscitur, quia quod actu appetitui conuenit, cum actu possidetur, delectationem parit, antequam igitur possideatur potens est delectationem procreare, quod est delectabile esse. Quod autem per se conuenit ut conuenit præcisè, bonum dicitur honestum; quatenus verò præter conuenientiam delectabilitatem importat, bonum est delectabile, quod verò solùm conuenit ratione alterius, quod per ipsum acquiritur, ut animali medicamentum ratione sanitatis, bonum utile nuncupatur. Altera huius distributionis ratio à posteriori desumitur, nimirum ab appetibilitate, quæ est in bono, quòd quâ tale, est appetibile, & à motu, seu quasi motu, appetitûs ad bonum: nam ut in motu naturalis corporis est, & ultimum, ad quod simpliciter motus terminatur, & medium ad quod terminatur quodammodo, & ex parte; in ultimo autem duo sunt, & res illa, ad quam motus terminatur, ut est *Vbi*, in motu ad locum, & qualitas in alteratione, id nimirum in quo mobile quiescit. Non absimili modo in motu appetitûs, datur id quod est appetibile terminans quodammodo & ex parte motum appetitûs, ut medium per quod tenditur ad aliud, & appellatur utile; id verò, quod appetitur ut ultimum, & ut id, ad quod appetitus per se tendit, vocatur honestum; quod verò terminat motum appetitûs ut quies in re desiderata, vocatur delectatio. His autem locis addi solent, & alij, videlicet à necessario, possibili, facili, iusto, & laudabili cum oppositis suis, quos tamen alij prætermittunt, velut illos, qui ad supra commemoratos facilè reuocari possunt.

At verò quatuor huius generis à Dionysio Alicarnasseo statuuntur loci, ἡ ζήτησις ἐν τέτρασι τοῖς τῆς συμβουλῆς κεφαλαίοις, τῷ δικαίῳ τῷ συμφέροντι τῷ καλῷ, τῇ δυνάμει. Itaque ex Dionysij sententia loci sunt. τὸ δίκαιον τὸ συμφέρον. τὸ ἔνδοξον. τὸ δυνατὸν. *Iustum; utile; gloriosum siue honestum; possibile*; ab Hermogene tamen sex numerantur, τὸ νόμιμον. *legitimum*; τὸ δίκαιον, *iustum*; τὸ συμφέρον *utile*; τὸ δυνατὸν, *possibile* τὸ ἔνδοξον, *honestum*, τὸ ἐκβησόμενον ἀγαθὸν, *bonum euenturum*. Ex his porrò sunt valde proprij utile, & inutile, sensu iam explicato; nam honestum sumitur à genere deliberatiuo. Possibile communis est locus omnibus generibus, & sub eo facile difficileque continetur, quibus addi solent iucundum, & iniucundum, quæ tamen sub utili, & inutili comprehendi possunt. Necessarium ad utile reuocatur, illud enim est quoddam utile, nimirum id, sine quo res esse non potest. At verò utile, honestum, ac possibile sunt loci à quibus præcipuè argumenta ducuntur. Quæ autem de suasione dicta sunt, aptari dissuasioni possunt; si tamen ut res contrario modo tractari intelligatur, nimirum à contrarijs locis argumenta

2. Rhetor. cap. 16. aliàs 6.

Lib. 1. Rhet. cap 26. aliàs 6 lib. 1 de Moribus cap. 1.

Bonũ triplex honestum, iucũdum, & utile.

Ens morale quid.

Bonũ morale duplex latè, & presè sumptum. Quid utrũque.

Bonũ honestũ presè acceptũ Persius Sat. 2.

Bonũ honestũ naturale quid.

Bonũ iucundum quid.

Bonũ utile quid.

Diuisio allatæ ratio gemina.

Prima ratio.

Secunda diuisionis ratio.

Loci huius generis propriè.

menta à dedueendo. Tullius à tribus locis puta ab inhonesto, noxio, & impossibili argumentatur ad pacem dissuadendam cum Antonio; hæc enim habet. *Ego ille (dicam sæpius) pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo.* Mox verò addit: *Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest; quæ tria dum explico, peto à Vobis P. C. ut eâdem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis.* Vides confirmationem hanc tribus constare partibus, quarum prima incipit: *Quid est inconstantiâ, mobilitate, leuitate, cum singulis hominibus, tum verò uniuerso senatui turpius?* Secunda: *Dicam deinceps, ut proposui*, &c. Tertia: *Dixi de periculo, docebo, ne coagmentari quidem posse*, &c.

Et sanè locus à necessitate plurimum efficacitatis obtinet, nihil enim magis deliberationem urget, quàm necessarium. Hinc Tullius arguit acerrimè; *Vobis*, inquit, *est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus præter miseram animam? Quin igitur, expergiscimini?*

Possibile quoque summoperè considerandum, ut Cicero quoque notauit; nempe an res fieri possint; Possibili autem additur facile, nam hoc etiam in consideratione venit, quod enim summè difficile est ac arduum, perinde est, ac impossibile; iustum & laudabile ad honestum reuocatur, quod valet ad persuadendum, quemadmodum inhonestum ad dissuadendum. Honestum apud viros probos egregijsque, virtutibus excultos uberrimè suppeditat argumenta.

Deliberatiui autem generis dispositio non satis constat; hac enim de re si Tullium requiras, audies illum dicentem in hoc orationis genere initium esse ducendum à confirmatione, & huic perorationem esse subijciendam, exordio neglecto, tanquam non requisito, eo nomine, quòd qui deliberant sua sponte sunt ad audiendum parati: Quandoque tamen Aristoteles in hoc dicendi genere exordium exposcit. Ex huius enim opinione Procemium, Contentio, & Enumeratio tunc in deliberatiuo genere adhibentur, quando inter eos, qui sententiam dicunt, controuersia est, propterea quòd etiam accusatio, & defensio adhibetur, non quatenus tamen tunc habeatur deliberatio; cum enim, quasi in iudicio res agatur, procmio non tantum est opus, verum etiam argumentorum collatione, ut intelligatur quæ firmiora sint, & quæ minorem efficacitatem habeant. Est etiam opus enumeratione, ut sub unum aspectum quodammodo rationes omnes constituantur, quinimmo tunc & accusationes, & defensiones usurpari solent in genere, de quo loquimur, non quatenus in eo tamen est deliberatio, sed prout per ipsum oportet aduersarios tanquam in iudicio refellere.

De Procemio deliberatiui generis Tullius hæc habet. *Principia, vel non longa, vel sæpe nulla; sunt enim ad audiendum qui deliberant sua causâ parati.* Immo nec narrationem ipse necessariam existimat, ut propterea statim subijciat; *Nec multum sanè sæpè narrandum est, est narratio præteritarum rerum, aut præsentium; suasio autem futurarum; quare ad fidem, & ad motum adhibenda est omnis oratio.* Hæc igitur Tullius de procmio habet, in eo, de quo loquimur, genere dicendi. Res tamen non exigui momenti est, propterea diligenter curandum, ut ea pro dignitate tractetur, hoc enim dicendi genus magni fieri debere testis est Aristoteles, qui conferens hoc cum genere iudiciali, illud huic præferendm duxit, tanquam longè dignius, atque præstantius, appellat enim illud speciosius, in quam sententiam abiit etiam M. Antonius. *Suadere*, inquit, *aliquid, aut dissuadere, grauissimæ mihi videtur esse personæ. Nam, & sapientis est consilium explicare suum de maximis rebus: & honesti, & diserti, ut mente prouidere, auctoritate probare, oratione persuadere possit.* Ne igitur de his videar nimis oscitanter locutus, nonnulla subijciam. Res ipsa profecto per se non requirit exordium, adeout quâuis occasione Orator eo uti debeat ad suadendum, vel dissuadendum accedens, quandoque tamen secus euenit. Primò nempe quando commodum est orationi nonnihil auctoritatis acquirere, propterea quod ad hoc summopere confert non temerè, nec sine ratione exposita dicendi prouinciam suscipere, quandoquidem exordium plurimum, & auctoritatis, & ornatûs orationi affert, cum oratio destituta procœmio, capite diminuta videatur, ut propterea Stagirites grauiter criminetur Gorgiam Leontinum, quòd Ælienses laudaturus, initium ab ipsa ciuitate desumpserit. Eiusdem sententiæ fuisse Tullium non obscurè constat, cum aliquando sic in arenam descenderit: *Vellem*, inquit, *Dij immortales fecissent P. C. ut viuo potius S. Sulpicio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. Nec verò dubito quin si ille vir renuntiare legationem potuisset*, &c.

Primo quando sit opportunum exordium adhibere.

Cic. Ph. 9.

Debet etiam Orator exordium adhibere, quando non satis auditoribus constat, qualis, & quanta sit res, de qua proponitur deliberandum; expedit enim tunc eos de re proposita certiores facere, ut auctor est Tullius, qui propterea peropportunum duxit aliquando sic exordiri. *Serius omninò P. C. quam tempus Reipublicæ postulauit, aliquando tamen conuocati sumus: quod flagitabam equidem quotidie: quippe cum bellum nefarium contra aras, & focos, contra vitam, fortunasque nostras*, &c. Huius enim orationis tres sunt partes, Exordium, Confirmatio, hoc est Suasio, & Peroratio; orditur à periculo Reipublicæ & censet primo quoque tempore Antonij armis occurrendum esse, hoc autem initium ad conciliationem animorum, mirum in modum accommodatum est. Non dissimiliter idem Orator alibi exorditur. *Paucis de rebus, & fortasse necessarijs consulimur, P. C. de Appia via, & de Moneta, Consul de Lupercis Tribunus Plebis referunt, quarum rerum, etsi facilis explicatio videtur*, &c. Orationis huius hę sunt partes Exordium, Refutatio, Partitio, Confirmatio, Peroratio; plerunque igitur adhibendum exordium, præsertim cum, nec dum auditorem comparatum habemus, quod accidit, cum ultro, & non rogati ad dicendum venimus; vel aliquid obtinere cupimus, de quo cum alijs dicendo certamus. Vnde sumenda sint exordia in re proposita, docuit Aristoteles, nimirum à persona nostra, vel aduersarij, vel ab ipsa re, quæ scilicet maior, vel minor appareat, quàm existimetur. A persona propria sumpsit exordium Tullius dicens: *Nam cum antea per ætatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem*, &c. Hoc autem ipse fecit ad auctoritatem sibi conciliandam, quæ in consilijs plurimum valet, ut Fabius ait, quam quisque comparare sibi potest, vel modestiâ sui commendatione, vel grati animi significatione, quasi ad referendam gratiam primum venerit, cum esset dicturus, quod non semel à Tullio factum perspicuum est, is enim cum de consuetudine eorum, qui ad habendas populo gratias, orationes contexunt, hæc habet. *De me autem ipse vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere, ingrati, tacere: nam & quibus studijs hanc dignitatem consecutus sim, memetipsum commemorare, per quam graue est, & silere de tantis vestris beneficijs nullo modo possum.* Exageratis autem beneficijs, quæ ab uniuerso populo recepit, gratiarum vice

Secundò quando sit opus exordio.

Philip. 3.

Philip. 7.

Pro Lege Manilia.

Pro Lege Agraria.

Pro Lege Agraria.

se consulem popularem futurum pollicetur, atque sensim se in agrariam legem insinuat dicendo. *Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, cum ad animi mei fructum, atque lætitiam duco esse permagnum; tum ad curam, sollicitudinemque, &c.*

Tertiò unde desumi possit exordium.

Sumi etiam potest exordium à professione sui amoris in ciues, & charitatis in patriam, quorum salutem Orator propriè se præferre dicat; Item à desiderio benè consulendi.

Vel à persona auditorum.

Ab aduersariorum quoque persona desumi potest exordium, eorum detegendo consilia, atque fines, quos in re, de qua agitur sibi pro libertate præfigunt, ut vel dicantur iniustè agere, vel utilitati publicæ inuidere. Insuper dicendo ipsos minus rectè sentire, vel consulere. Atque demum ipsos aduersarios potius proprium commodum, quam bonum Reipublicæ spectare.

Vel à re ipsa.

Sumitur etiam in hoc genere procœmium à re ipsa, quatenus ex hac conciliari potest attentio, demonstrando eius magnitudinem, dignitatem, vel quidpiam simile.

In dissuasione magis requiritur procœmium.

In dissuasione forsan requiritur magis procœmium, nam Orator debet in dissuasione aliorum ex animis opinionem euellere, quod non tam facilè fit, ut aliquâ non sit opus industriâ; eo vel magis si dissuadere oporteat ea, quæ iis, apud quos dicimus, iucunda sint, & utilia.

An narratio in genere deliberatiuo danda sit. Arist. 3. Rhet. cap. 42. alias. 16.

In hoc genere videtur Arist. nõ necessaria narratio, sic enim loquitur, ἐν ᾗ δημηγορίᾳ ἥκιστα διήγησις ἔστ. ὅτι οὐκ ἔστι τῶν μελλόντων οὐδεὶς διηγεῖται. *In deliberatione non est narratio, quia de futuris nemo narrat.* In eandem sententiam abiisse Tullium superiùs notauimus; immo etiam & Fabium, qui hac de re ita loquitur. *Narrationem numquam exiget priuata deliberatio eius duntaxat rei, de qua dicenda est sententia, quia nullus ignorat id, de quo consulit.* Attamen inficiandum non est etiam in hoc genere dicendi, narrationem aliquam recognosci posse; velut orationis partem in qua narrentur quædam, velut exempla rerum gestarum, quibus utatur Orator, tanquam argumentis ad suadendum, vel dissuadendum, ut auditores ad memoriam præterita reuocantes, melius de futuris consultare possint: licet tunc præterita sint laus, ac ob id non deliberantium, sed exornantium officio potiùs ipsi fungantur. In demonstratiuo igitur, & deliberatiuo genere non ea potest esse narratio, quæ sit ab alijs partibus distincta, & in qua res gesta narretur, postea verò possit argumentis confirmari; tametsi nanq; in demonstratiuo genere perpetua sit quædam rerum laudabilium narratio, cum amplificatione, hujusmodi narratio tamen pars dici non potest orationis demonstratiuæ, quod etiam de deliberatione sentiendum; in hac enim, etsi quandoque narrandum, non tamen semper, nec eo modo, quo in genere iudiciali, in quo propriè narratio locum habet. Quę de exornatiuo genere diximus, satis constat habere cum veritate commercium, cum id ab Isocrate factum sit in Euagora, & Helenes encomio, & etiam à Plinio in Panegyrico quam Traiano dixit; propterea quòd uterque proponit ea quæ laude digna videntur, cum amplificatione, quæ probationis vim obtinet, omni narratione neglectâ, quæ pars sit à cæteris distincta; quod etiam de genere deliberatiuo sentiendum, cui tamen non inficiandum aliquando narrationem conuenire; primò quando præteritorum commemoratione volumus acriùs instigari, faciliusque moueri auditores ad aggrediendum id, quod suademus, quod à Tullio factum obseruare licet; is enim pro Pompeio narrat, quæ crudeliter aduersus Romanos à Mithridate gesta fuerunt. Secundò cum auditor docilis fieri debet, si non dum satis assecutus fuerit in quo tota controuersia sit posita, quomodo ei finis possit imponi, vel cum periculum, aut rei difficultatem, ac magnitudinem ignorat; vel cum expedit aliqua de nobis narrare, ut facilius auditorum animos nobis conciliare possimus, quo artificio usus Tullius aliquando est, siquidem. *De me autem*, inquit, *ipse vereor, ne arrogantius sit apud vos dicere: ingratum tacere, nam & quibus studijs &c.* Quod si nulla sit opus narratione, statim exordio subiicienda propositio, atq; sententia, quam explicare copiosè oportet, ut facit Tullius, cum alibi sæpè, tum præsertim, ubi ait. *Primum igitur acta Cæsaris seruanda censeo; non quo probem; quis enim id quidem potest? sed quia &c.*

Confirmatio in hoc dicendi genere semper adhibenda, eâ siquidem rationibus, & argumentis nostræ causæ in genere iudiciali fidem adiungimus, & aduersariorum argumenta refellimus; sed in genere deliberatiuo vim omnem suadendi continet; augent autem ipsam confirmationem sententiæ & exempla, siquidem precipuum exornatiui generis instrumentũ est amplificatio, ut Aristoteles luculenter expressit, dicens. Ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις μᾶλλον ἁρμόττει αὔξησις ἐπιδεικτικοῖς. *Omninò autem ex omnibus dicendi formis, quæ tribus generibus conueniunt, amplificatio demonstratiuo generi maximè accommodata est.* Cum enim tria sint, quibus utimur in omni orationis confirmatione, Amplificatio, Exemplum, Argumentatio; cumque tria sint causarum, seu Rhetoricæ genera demonstrativum, deliberativum, & iudiciale, amplificatio maximè demonstratiuo generi conuenit, exemplum deliberatiuo, argumentatio iudiciali; quòd non sic usurpes velim, quasi exemplis, & argumentationibus, & amplificationibus, in omni causarum genere non utamur, nam utimur, sed quòd aliud, alij magis consentaneum sit. De genere exornatiuo id planè constat, nempe quòd amplificatio ei maximè accommodata sit, qui nanque laudat, sumit res gestas tanquam certas, ac manifestas, omnibusque notas, ob id probationibus, scilicet argumentis, vel exemplis non indiget, ut amplificando splendorem, ac dignitatem illis, adiungat. Quod etiam Tullius notauit, sic enim loquitur. *Non enim dubia firmantur, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt, augentur.* Sed deliberatiui generis proprium exemplum esse declarat Philosophus dicens. Τὰ δὲ παραδείγματα τοῖς συμβουλευτικοῖς ἐκ μὲν τῶν ἐμπροσθεν γεγονότων τὰ μέλλοντα κατα μαντευόμεθα, κρίνομεν. *Exempla verò deliberatiuo generi maximè consentanea sunt: nam ex præteritis futura coniectantes, quid sit agendum statuimus.* De futuris enim deliberamus, exempla verò sunt de præteritis; at ex præteritis de futuris coniecturam facimus. Orator igitur in confirmatione uti debet exemplis, præsertim apud multitudinem, quæ aliorum experimento edocta, ut supra quoq; notauimus, quid agendum deliberat, nam successu alienæ fortunæ auditorum animi, vel demittuntur, vel eriguntur. Hoc notauit Cicero, nam. *Vterque verò*, inquit, *ad augendum habeat exemplorum, aut recentium quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habent, copiam &c.*

In partitionibus oratorijs. Fab. lib. 3. cap. 8.

Ita quidem Fabius Max. suadere nititur in Senatu ne P. Scipio in Aphricam traijciat. *Dies*, inquit, *me deficiat si Reges, Imperatoresque temere in hostium terram transgressos, cum maximis cladibus suis, exercituumque suorum numerare velim.* Postmodum Atheniensium exemplum affert, qui classe in Siciliam transmissâ Remp. suam in perpetuum afflixerunt, &

no-

novum M. Attilij, qui in ea ipsa Aphrica annis ante quadraginta victus, & captus in prælio est. In horum autem dispositione cautus Orator sit; itaque comparatâ per exordium beneuolentiâ si opus fuerit, totiusque causæ ratione breuiter explicatâ, sententiam proponat, & probationem itidem in certa quædam capita distribuat, ordineque tractet Ciceronis imitatione; Hic enim sic loquitur: *Pacem cum M. Antonio esse nolo, cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest; quæ tria dum explico, peto à vobis P. C. ut eâdem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis. Quid est inconstantia, &c.* Et alibi. *Causa*, inquit, *quæ sit videtis, nunc quid agendum sit considerate, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim eiusmodi*, &c. Orator etiam prætermissâ distributione potest confirmationem aggredi; ita Cicero: *Primum igitur*, inquit, *acta Cæsaris seruanda censeo: non quo probem; quis enim id quidem potest? Sed quia rationem habendam maximè arbitror pacis, & otij. Vellem adesset Antonius, &c.*

Peroratio in hoc genere colligit, ut in reliquis generibus, antea dicta, non omnia, sed magis præcipua & pro rei, de qua agitur, conditione, atque natura; motus spei, amoris, & desiderij in rem persuadendam, aut odii, desperationis, timoris, ac fugæ in rem dissuadendam excitat. Memento tamen aliter cum imperita multitudine, aliter cum prudenti consilio agendum esse.

Dissuasiones, atque dehortationes à contrarijs locis turpi, pernicioso molesto, difficili periculoso, & impossibili facilè colliguntur.

Characterem autem huic dicendi generi accommodatum, docuit Aristoteles; hic enim exornatiuo consentanum, ut ex eodem superiori Sectione retulimus, vult esse talem, ut omnium ornamentorum genera contineat, sitque genus orationis solutum, & effluens, sententijs argutum, verbisque sonans; at de deliberatiui characteris genere loquens, ita scribit, Ἡ μὲν δὴ δημηγορικὴ λέξις . . . ἥκιστα ἔοικε τῇ ἀγωνιστικῇ. *At verò deliberatiui generis elocutio, simillis est umbratili picturæ.* Explicans proprium consilium rationem reddit, quia quanto maior fuerit eorum, quæ depicta sunt, turba, tanto longius spectatur; quamobrem, quæ exquisita sunt in utrisque superuacanea, atque deteriora videntur, & re verâ sic se res habet, nam in deliberatiuo non debet elocutio exquisita, ac minuta esse, sed grandior, & consonantior, cum hoc elocutionis genus turbę, ac imperitæ multitudini accommodetur, siquidem hæc ea nequit aduertere, quæ subtiliter, & exquisitè dicuntur, sed illa tantum attendit, quæ extant, ac eminent, quæque ad vulgarem sensum accommodata sunt, & quæ itidem talia, ut omnes ea possint percipere, vel ad utilitatem, vel ad honestatè spectare; & ingeniosè admodum Philosophus deliberatiui generis elocutionem umbratili picturę similem facit; ut enim quæ in picturâ subtiliter, & ingeniosè picta sunt, procul spectari nequeunt, sed à peritis duntaxat huiusmodi artificij in propinquo loco adspiciuntur; qui autem ampliori magnitudine, frequentiorique numero sunt depicta, possunt ab aliis etiam, qui longinquo sunt in loco spectari; non dissimiliter Philosophus ait in deliberatione contingere, quæ nanque subtiliter tractantur, minuteque disputantur, à turba non intelliguntur, sed inaniter in oratione iactantur, quæ autem vulgò, ac populariter efferuntur, dummodo id elatâ voce fiat, sæpe cum plausu excipiuntur. Stagirites autem in Arte Poetica Poesin picturæ similem facit, quod etiam & Lyricus præstitit dum canit

Vt pictura poesis erit, quæ si propius stes
Te capiet magis; & quædam si longius abstes.
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri
Iudicis argutum, quæ non formidat acumen.

Horatius in arte Poetica.

Quamobrem tam in pictura, quàm in deliberationis genere, ea quæ exquisitè fiunt, apud populum superuacanea, longeque deteriora existimantur. Ab Aristotelis consilio Tullius non dissentit, cui in hoc genere dicendi tota oratio simplex, & grauis, & sententiis debet ornatior esse, quàm verbis, adeo ut in deliberatione nihil optabilius, quàm dignitas videatur. Ad hoc genus reuocantur *Adhortationes, Reprehensiones, & Consolatorij sermones*, &c.

SECTIO QVARTA.

De Genere Iudiciali.

Iudiciale genus tractandum proponitur.

TRia sunt ut vidimus causarum, vel potius Rhetoricæ genera, quorum duo ἐπιδεικτικὸν, & συμβουλευτικὸν, Demonstrativum, & Deliberativum copiosè tractauimus. Superest ordine postremum δικανικὸν, Iudiciale considerandum; de hoc propterea in præsentiâ futura nobis est disputatio.

Quid iudiciale sit genus. Tul. in Partitionibus oratorijs.

Ad Iudiciale genus explicandum, primò videndum quid ipsum sit; est autem. *Iudiciale genus illud, quo aliquem accusamus, vel defendimus, iudicis sæuitiam, vel clementiam exquirentes.* Quæ autem sint partes, quibus hoc genus dicendi constat, quod eius sit tempus, & finis, iam Sectione secunda explicuimus: reliqua persequamur.

Materia generis iudicialis Cicero in Partitionibus.

Materia iudicialis generis est quicquid sub controuersiam cadit, & de quo iudicium ferri potest.

Quas res sibi proponat Orator in hac genere docet Cicero; ex cuius sententia Orator proponit sibi sæuitiam, aut clementiam iudicis, quemadmodum delectationem in exornatione, & in deliberatiuo spem; aut reformidationem deliberatis; Tullii verba sunt hæc. *Delectationem in exornatione, in iudicio autem sæuitiam, aut clementiam iudicis, in suasione autem, aut spem, aut reformidationem deliberantis:* nempe in istis generibus sibi proponit Orator. Duo siquidem in unoquoq; genere sunt fines quorũ alter est, qui ad genus ipsum pertinet; alter qui ad animorum motus adhibetur, ut in genere demonstratiuo, finis ad genus ipsum relatus, est honestas, sensu iam explicato: sed finis ad motus animorum accommodatus, est delectatio. In deliberatiuo finis, qui ad genus refertur, est utilitas honestatem complectens; sed finis mouendi est in suasionibus spes, in dissuasionibus reformidatio. Tandem in iudiciali genere, finis ipsius generis est æquitas; finis autem mouendi seu ad animorum motus pertinens est in accusationibus sæuitia; in defensionibus clementia. Hęc autem erat operæpretium aduertere, in quorum consideratione iuvat non nihil immorari, cum hinc plurimum eluceścat singulorum generum, & præsertim huius de quo loquimur, natura, atque conditio.

Duo sunt in unoquoque genere fines.

In demõstratiuo genere fines mouẽdi est delectatio.

Et sanè in demonstratiuo genere Orator sibi delectationem proponit, quod adeo certum, ut nihil supra, quandoquidem ij, qui audiunt, nulla de re sententiam laturi sunt, nisi de Oratoris ingenio, ac facultate; idcirco nihil Oratori magis curandum quàm ut audientium animos summâ quidem afficiat iucunditate, ac voluptate; hac enim industriâ eos in sui admirationem traducet; oratio siquidem exornatiua potius ad ostentandum ingenium dicentis, quàm ad aliud quidpiam comparata videtur, ut propterea ne-

necesse sit eam omni ornamentorum genere, floscu-
lorum amænitate scatere, & venustis amplificationi-
bus quamuberrimè cumulari; adeout in hoc gene-
re ostentare præstet ingenium, atque virtutem artis,
cum hanc in alijs ex aduerso operæ sit pretium occul-
tare; propterea quod ille non ineptè cecinit

Si latet ars prodest, affert deprehensa pudorem.

In Exornatiuo genere dicendi Oratori quid agendum.

Quamobrem in exornatiuo genere dicendi ea perse-
qui debet Orator, quæ magna sunt, quæ admirabilia,
quæ magnifica, quæ præclara, quæque homini inge-
nuo digna, atque demùm quæ summam redolent ho-
nestatem, cum hæc sit finis, quem in hoc orationis ge-
nere præscribere sibi debet Orator: sed in deliberatiuo, cum is omnes ingenii neruos ad suadendum contendat, spem proponere sibi debet, quæ procul dubio commodorùm enumeratione concitatur, eorum scilicet quæ successura dicuntur, ut utilitatis, præmiorum, dignitatis, & gloriæ: aut contrariorum fugâ; quemadmodum in dissuasionibus Orator debet metum, ac reformidationem audientium animis incutere, incommoda proponendo, ac damna & ignominias, atque dedecora eorumdem oculis subiiciendo. In iudiciali tandem genere, primò sæuitia quæritur ab Oratore, quia prius est accusare, quàm defendere; & tanto maior sæuitia concitatur in reum, quanto pluribus sceleribus maculatus ostenditur. In defensionibus porrò contrario modo se res habet; clementia siquidem comparatur commemoratione, & amplificatione singularium virtutum, quæ splendent in reo. Iuridiciale genus difficillimum omnium existimatur, ut propterea M. Antonius diceret multò difficiliùs, quàm deliberatiuum tractari. *Omnium*, inquit, *cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum, & politioris humanitatis experti; in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud scio, an de humanis operibus longè maximum, in quibus vis Oratoris plerunque ab imperitis exitu, & victoriâ iudicatur, ubi adest armatus aduersarius, qui sit, & feriendus, & refellendus &c.* At si quod difficile, ac arduum, illud idem præclarum; nemini licebit inficiari Iudiciale genus omnium dignissimum esse. Ne commemorem eius quoque præstantiam, ex fine, videlicet iustitia, & æquitate, quem sibi vendicat, apertissimè colligi; Nam fortitudinis nulla quidem utilitas absque iustitia; nec si omnes euaderent iusti, fortitudine opus foret: eximia igitur iustitiæ dignitas; præclarum itidem iudiciale genus, utpote custos illius, eius enim custodiendæ causa, reges constituti sunt;

In Deliberatiuo quid præstare debeat.

In iuridiciali genere quid primò quæratur.

Iuridiciale genus omniũ difficillimũ. Lib. 2. de Oratore.

Tullius de Orat.

Τέκνα γὰρ βασιλῆες ἰχέφρονες, ὔφρα μὲν ἄλλοις
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.

Hesiodus in Theog.

Nam sunt propterea reges, ut dicere læso
Ius populo possint, iustitiæque mederi.

Idcirco nulla fuit gens tam ferox, tam inculta, quæ, si tamen animo aliquam Reip. speciem habuerit, statim leges, & iudicia ad Iustitiæ præsidium non erexerit, ac propterea nulla gens tam barbara tam expers humanitatis extit, quæ iudices, utpote Iustitiæ sacros antistites, tamquam terrestres Deos venerata non fuerit, & quæ nihil ad sapientiam grauius, aut ad honestatem præclarius, aut ad omnium utilitatem melius esse putauerit. Deliberativum genus dignissimum est, ut propterea Philosophus aliquando dixerit deliberationes, & iudicia eadem methodo tractari, ita tamen, ut deliberationum tractatio maiorem habeat dignitatem, multoq; magis prosit Ciuitatibus, quam si quis in iudicijs, hominumque conuentis assiduè versetur; deliberationes autem speciosiores, ac utiliores esse posset hunc in modum. Quispiam sibi persuasum habeat id, quod bonum est, quantò communius, tantò pulchrius, ac utilius; at deliberationes plerumq; de rebus communibus sunt, & ad Reip. statum pertinentibus, iudicia verò de priuatis rebus maiori fiunt ex parte, atque de ijs, quæ vel ad unum tantùm, vel saltem ad paucos pertinent; unde est, ut pulchriores, honestioresq; sint deliberationes, quàm iudicia; attamen iudiciale genus difficillimum est, proindeque dignissimum; summam hanc difficultatem esse agnouit Philosophus eo nomine quòd in iudiciali oratione debet exquisitius esse dicendi genus, quod si coram uno tantum Iudice res agatur, tanto magis elaborandum est, præsidijs enim artis minus uti licet, atque facilius intelligi potest quid causæ sit proprium, & quid alienum, ipsumque contentionis studium abest, atq; adeo iudicium incorruptum est; maior igitur difficultas huius generis in eo posita, quòd pauciores auditores, quàm in concionibus; quando verò quæstionis unus est iudex, longè maior diligentia requiritur, cum tunc non liceat uti præsidijs artis in animis concitandis, affectibusque mouendis, sed de ijs tantum, quæ ad causam pertinent dicere quidem oportet, quoniam unus iudex citra laborem intelligit, quid causæ conueniat, & quid ab ea remotum sit, adeout Orator à causa digredi, atque certamine, contentionisque studio niti minimè possit, ut propterea iudicium purum, atque syncerum relinquatur. Et hoc est, quod Tullius negotii plurimum sibi facessere dicebat, nimirum apud unum Cæsarem, locoque priuato dicere; unde Orationem pro Deiotaro orditur à perturbatione sua, cuius causas ad conciliandum fauorem enumerat, inter quas illam à loco desumptam dicens: *Moueor etiam loci ipsius insolentiâ, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua orationum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquiesco, te unum intueor: ad te unum omnis mea spectat oratio, &c.* Et sanè longè maioris est operæ iudicem conuincere, quàm multitudinem in sententiam suam adducere, in qua licet multi à nobis dissentiant, non pauci tamen assentiunt, quod in iudiciali genere non contingit; unum enim, vel alterum si minus æquum, aut aduersarium habeas, nihil proficies. Vt propterea Fabius dixerit. *Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantùm cum singulis loqueremur.* Neque refert, quòd deliberativum sit de futuris atque adeo notitia longè præstantior: iudiciale verò de præteritis; nam iudiciale aliunde redditur deliberatiuo nobilius, cognitioque præclarior.

Obiectio occurrit.

Ex variis autem orationibus Fabius varias iudicialis generis formas deducit, quarum primam, *simplicem* appellat, alteram coniunctam, tertiam comparatiuam. Simplex est, cum rem unam, seu crimen unum tantummodo prosequitur Orator, puta furtum, aut homicidium. Coniuncta ea est, in qua plura genera, vel eiusdem generis, ut in pecuniis repetundis multa furta; in homicidiis, multæ hominum cædes obiiciuntur. Aut generis diuersi, ut cum simul homicidii, & sacrilegii quispiam accusatur. Comparatiua est, in qua quæritur non quid æquum, sed quid æquius sit, puta uter de duobus, qui æquali iure disceptare videntur de hereditariis bonis, iis dignus existimari debeat. Hæc Fabius, de quibus Tullius multo antea in partitionibus disputauerat. Idem autem Fabius aliam aduertit formam iudicialis generis,

Fabius lib. 3. cap. 6.

Digitized by Google

neris, eamque vocat mutuam accusationem, cum alter alterum accusat, eiusque duas species decernit, de quibus ipse consulendus.

Quoniam verò in iudiciali genere iustum, & iniustum spectatur, τοῖς δὴ δικαζομένοις, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. *In iudicijs, quid æquum, aut iniquum sit quæritur.* Idcirco Iustum, & iniustum principalis est locus, de quo, & aliis de locis in præsentia differendum. Iustum porrò à iustitia dicitur, est verò Iustitia, qualis ab Aristotele dicitur, Ἔστι δὴ δικαιοσύνη μὲν, ἀρετὴ, δι' ὧν τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος, ἀδικία δὲ, δι' ὧν τὰ ἀλλότρια, οὐχ ὡς ὁ νόμος. *Est autem iustitia virtus, per quam singuli res suas habent, & eo modo, quo lex præcipit; Iniustitia verò, per quam aliena contra legem possidentur.* Mar. Tullius porrò ita illam definit: *Iustitia est habitus animi communi utilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem.* Sed Vlpianus hoc modo. *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens.* Huius duo recensent munera Tullius. Primum, ut nemini quis noceat, nisi lacessitus iniuriâ: deinde ut communibus pro communibus utatur, priuatis autem ut suis. Aristoteli tria sunt iustitiæ genera. Prima quædam est communis iustitia, quæ ad omnes virtutes refertur, de qua illud effertur. *Iustitia in se se virtutes continet omnes,* & hæc in hominum tuenda societate versatur, à qua viri boni denominantur: Altera huic tanquam species subiecta est, suum cuique tribuens, diciturque distributiua. Tertia, quæ in pactis, contrahendisque rebus versatur, & commutatiua nuncupatur; quid itaque iustum ex his manifestum; hoc autem ab æquo discriminatur, quòd æquitas, quam Græci ἐπιείκειαν appellant, & quam Cicero lenitatem in decernendo nuncupauit, à nimio iustitiæ rigore multùm remittit, eo quòd sit quædam lenior iuris interpretatio; unde est ut Iudices plurimum iustum, arbitri verò æquitatem respiciant; sed de his in Moralibus.

In iudiciali autem genere princeps est locus, qui à iusto, & iniusto desumitur; variè tamen ab Oratore pro varietate statuum tractatur. Videndum itaque, quid sit status, qui græcè στάσις, dicitur nomen primò inuentum vel ab Hermagora, vel ab Eucrate Socratis discipulo, vel à Zopyro Clazomenio &c. & est Cornificio *Vertex* Celso verò *Cardo*; Tullio denique *Quæstio distincta gradibus* quos tres ipse facit, nam in omnibus causis, Tullio docente, tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non quæras ad resistendum, ut inferiùs explicabo; *Status* porrò dicitur *à stando*, quoniam in ipso sistit Orator ducta similitudine à loco, in quo miles firmiter stat ad existendum; seu à gladiatoribus, ac pugilibus sumpta vox est, quia ibi Orator velut ad dimicandum ἵσταται consistit. Vnde Æschines: ἐρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως; πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιζομένους, *Cernite pugiles de statione, ac loco inter se contendentes.* Definiri autem solet hoc modo, *Status in genere iudiciali est quæstio illa præcipua, quæ causam continet, & ad quam, tanquam ad scopum omnes orationis probationes referuntur,* Additur *in genere iudiciali*, quoniam status in quouis genere dicendi locum habere potest, in præsentia fit sermo de illo, qui proprius est iudicialis generis; Ab aliquibus igitur cum Fabio dicitur, *Status est quæstio, quæ ex prima causarum constitutione oritur*; quanuis Tullio sit *prima causarum conflictio ex depulsione intentionis profecta.* Re verâ tamen status non videtur conflictio; sed potius, ex conflictione ortus. Propterea quod nascitur status ex intentione accusatoris, & depulsione defensoris; diciturque constitutio, vel à sistendo, vel à stando, quoniam utraque pars stat, pedemque figit ad resistendum. Est autem status non quælibet quæstio, sed primaria, quæ Græcis est, ζήτημα, & κεφάλαιον γενικώτατον, latinis verò *summa quæstio*, quo pertinet illud Iuvenalis.

Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diuersa parte sagittæ
Nosse volunt omnes. Iuvenalis lib. 3. Sat. 1.

Eius autem ortus huiusmodi est, S. Sulpicius Murenam accusans, ait. *Murena ambitum*, hoc est *ambitionis crimen commisit*; Tullius defensor, immo verò *Murena ambitum non commisit*; quæritur an commiserit; hæc quæstio dicitur Status, vel Constitutio, quoniam in ea tota causa consistit. Huic similis est, *Crasse coniurasti cum Catilina; Non coniurauì*, inquit; quæstio igitur est utrum coniurauerit nec ne.

Magni autem refert hanc de statibus, seu causarum constitutionibus callere doctrinam; non enim satis patronum & Iudicem, illum eruditionis, & eloquentiæ, hunc verò iustitiæ, æquitatis, pietatis, clementiæque præsidijs instructum esse, nisi uterque causarum notitiam, tractationemque perfectè teneat; ut Antonius ait, ita loquens: *Hoc primum præcipiemus, quascunque causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusque cognoscat.* Considerationis de statibus magni momenti est.

Quotuplex verò sit status non planè constat, nã Stagirites de contentione disputans quadruplicem fecisse videtur, ait enim, περὶ τεττάρων, ἢ ἀμφισβήτησις, ὅτι γέγονεν, ὅτι οὐ βλαψε τοῦτο ἢ ὅτι τοσόνδε ἢ ὅτι δικαίως. *De quatuor rebus est controuersia; quòdquid non fecerit, aut quod non nocuerit eo, aut quod non tantopere nocuerit, aut quod egerit iustè.* Paucis autem interiectis, subdit, ὧν τοῖς δημοσιοπρεπέσι, ἢ ὡς οὐκ ἔστι ἀμφισβητήσειν ἄν τις. ἢ ὡς ἔστι μὲ ἀχρεῖον; ἀλλ' οὐ δικαίως ἢ οὐκ ὠφέλιμα, ἢ οὐ τηλικαῦτα. *In deliberationibus, aut non futura esse, condenderit aliquis; aut futura quidem, quæ censet, at non esse iusta aut non utilia; aut non tanta.* Re verâ tamen Aristotelis tempore non dum statûs nomen iuxta significationem hanc in usu erat, nec adhuc hæc statuum, siue constitutionum distinctio, quâ ferè omnes Rhetores usi sunt, videtur excogitata fuisse, propterea quòd in Rhetoricorum libris non extat; quò non mirum si Philosophus illam non usurpauerit, nec eius meminerit. Ex hactenus autem recensitis, nil aliud nobis licet colligere, quàm ibi Stagiritam quantitatis causam insinuasse; non tamen tanquam spectantem ad alium statum, à cæteris distinctam. Fautores enim contrariæ sententiæ ita disputant. Quadruplex est controuersia. Prima quidem coniecturalis est, quâ quæritur ecquid factum sit, fiat, aut futurum sit: altera est definitiua, qua de nomine facti quæritur: Tertia est qualitatis, quâ quæritur ecquid sit honestum, aut utile, aut iustum, vel contra: Quarta est quantitatis, ubi quæstio sit de magnitudine, ut tanta ne iniuria sit, tanta sit facti dignitas. Nulli dubium, quin fieri quæstio de rei magnitudine possit, nisi tamen rei magnitudo specie differre faciat; non satis intelligo cur diuersum statum constituat, quòd si prædictam differentiam inducat, controuersia ad statum definitivum pertinebit, ut ex. gra. constet furtum esse factum, ideoque coniecturali statui nullum esse locum: quæratur verò an sit sacrilegium, ac ob id furtum commissum tam magnum scelus sit, ut sacrilegium dici possit, at hæc controuersia ad statum definitivum pertinet. Si quis tamen velit adhuc quartum hunc statum recognoscendum, quatenus, si exempli gratia, de furto constet, sed de quantitate rei surreptæ

Quotuplex sit status in dubium vertitur.

quæstio esse possit, non omnino repugno quanuis furtum parvum, & magnum specie non differant.

De Statu Coniecturali.

TRes igitur status, siue constitutiones recognoscí debent, cum Tullio dicente: *Quoniam igitur omne, quod in controuersiam venit, id aut sit, nec ne sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur, in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.* Et rectè quidem, quoniam de unaquaque re tria quærere nobis licet. Primum an sit, nec ne sit; ut si de re quapiam disputandum proponatur, primò quæritur *an ea res sit*, ut an Pompeius regnum affectauerit. Mox in quæstionem vocatur *quid sit*, ut postquam ostensum fuerit rem illam esse, natura quidem eiusdem explicetur, & quid denique sit aperiatur, ut an I. Cæsar fuerit Rex, an Tyrannus, an Dictator: Tum quæritur *qualis sit*; nam si planè constet rem illam esse, & intelligatur quid sit, hoc unum supereſt ut qualis sit demonstretur, ut an Tullius rectè fecerit, dum indictâ causâ coniuratos interfici iussit; & hac ratione Rhetores suas distribuunt causas. Quandoquidem primò quærunt, sit nec ne id, de quo est controuersia, & hunc statum coniecturalem appellant *à coniectu*, hoc est *à directione quadam rationis ad veritatem, unde etiam somniorum atque hominum interpretes coniectores vocamus*. Hoc autem ideo, quia hic status est, in quo obscura est iudicatio, proindeque opus est coniecturâ, & ob id græcè στοχασμὸς, latinè verò coniecturalis dicitur. Eumdem Cicero vocat *inficialem*, eo quòd fiat à respondente, & inficiante crimen, atque negante, & hunc statum Rhetorum esse proprium arbitrantur. In eo porrò sunt omnes causæ, in quibus factum negatur, ut pro L. Murena, pro Flacco, pro Sylla, pro R. Amerino, &c. Secundò Rhetores quærunt quid sit, dicturque status definitivus, qui tunc accidit, cum factum quidem conceditur, sed tota de facti nomine controuersia est. Vt Labienus eo nomine Rabirium accusat, quòd arma contra Saturninum sumpserit, & ideirco maiestatem læserit; Tullius autem Rabirium defendés ultro fatetur arma à Rabirio contra Saturninum sumpta fuisse, non propterea tamen læsam dici posse Maiestatem. Quæritur igitur quid sit maiestatem ledere, seu quid sit crimen læsæ maiestatis, quemadmodum in oratione pro R. Cecinna, quæritur, quid sit deiicere, & in ea, quæ est pro Murena quæritur quid sit ambitum committere. Tertiò tandem Rhetores quærunt quale sit, tunc nimirum cum de facto, & de facti nomine constat, sed ad qualitatem controuersia deuoluitur, utrum iustum sit, an iniustum: Vt *rectè ne Milo Clodium interfecerit: potuerit ne iure Flaccus à Græcis pecunias exigere, ad classem instruendam. Iuste ne Rabirius arma contra Saturninum sumpserit*. Et ut hæc paucis complectar, Status coniecturalis quærit factum ut, *An furtum sit factum*. Status definitivus quærit substantiam facti, ut *an furtum admißum sit sacrilegium*. Status tandem qualitativus, siue status iudicialis facti qualitatem quærit, ut *an aliquid iure, vel iniuria sit commissum*. De singulis autem hinc tribus statibus pauca quædam subiiciemus.

Tres loci status coniecturalis statuuntur.

Statûs coniecturalis tres loci statuuntur, *Voluntas, Facultas, & Signa*, oportet enim, cum aliquem accusamus, probare id, quod arguimus, eum voluisse & potuisse facere; contra si defendimus, noluisse, & & si voluisset, non potuisse. Voluntas autem, *Impulsionem, & Ratiocinationem, Signum ac personarum attributa* continet. Impulsio verò comprehendit. *Affectus* qui causæ efficientis locum habent, ut sunt Ira, Odium, Inuidia, Amor, Spes perficiendi, celandi, & quæcunque homines ad aliquid faciendum impellunt. *Ratiocinatio* à finali causa desumitur, & in ipsa spectantur duo, puta Adeptio bonorum, ut honoris, voluptatis, utilitatis; & Euitatio malorum, ut damni, doloris, & infamiæ. Ad facultatẽ pertinent vires corporis, animi promptitudo, copiæ, opes, loci, ac temporis opportunitas & alia rei adiuncta ac circumstantiæ, de quibus mox loquemur. Signorum autem tria sunt genera; nempe, Antecedentia, Comitantia, & Consequentia. Quæ factum antecedunt; Antecedentia dicuntur, ut in Homicidio, Iniuriæ, Contumeliæ, Inimicitiæ. Quæ verò comitantur, Comitantia nuncupantur, ut Strepitus, Clamor, Armorum sonitus; quæ denique consequuntur, Consequentia dici solent, ut Vestis cruentatio, Metus, Tremor, & id genus alia. Personarum attributa sunt, Natio, Patria, Educatio, Vitæ genus, & alia plura.

Status coniecturalis seu finita, seu infinita quæstio spectetur, bipartitò diuidi solet, vel enim directè quæritur de persona, aut re, utrum nempe res fuerit, vel sit, vel futura sit: vel indirectè, & ex consequenti. Quæstio directa absolutè quærit an res sit, ut an sint Antipodes, an Pygmei, an fuerit Orpheus, an Hercules, an Vlysses Aiacem occiderit. Quæstio autem indirecta rei causam quærit, ut unde oriatur ferri accessus ad magnetem; perinde enim est, ac si quæritur an insita quædam vis in magnete residens, tanquam accidentaria forma, vel minimarum particularum ex magnetico corpore effluxio sit huiusmodi attractionis causa, vel aliud quidpiam; sed hæc, ut ipsi dicunt, qui bipartitam hanc diuisionem adstruunt, statum coniecturalem uniuersè respiciunt, in aliis enim generibus hunc statum recognoscendum arbitrantur; in præsentia tamen agendum, inquiunt, de ijs, quæ solùm ad iudiciale genus pertinent.

Status coniecturalis seu finita, seu infinita quæstio spectetur, bipartitò diuidi solet.

Quæstio directa absolutè quærit.

In hoc statu Aristoteles videtur quatuor attendisse, huiusmodi autem sunt *causæ, quæ ad iniuriam faciendam compellunt; qui alios iniuria afficiunt; quos afficiunt; & in quibus afficiunt*. Iniuriarum causæ numero septem perhibentur, *fortuna, vis, natura, consuetudo, ratio, iracundia, cupiditas*; de quibus Aristoteles ipse consulendus. Cuius doctrinæ alia quædam addiderunt, quæ capita nuncuparunt, eo quod propriam argumentationem, atque confirmationem ab aliis diuersam contineant, ut Hermogenes, qui decem capita coniecturalis statûs fieri voluit, quæ apud ipsum videri possunt.

Fabius tres partes statûs coniecturalis facit, nimirum, *an quis voluerit, an potuerit, an fecerit*. Voluntas, ut supra dicebamus, impulsionem, & ratiocinationem comprehendit; impulsio verò affectus continet, ut ibi dictum fuit, affectus autem efficientis causæ locum obtinet; in exemplum Ciceronis illud adduci solet. *Clodius Milonem odio prosequebatur; ergo mortem eius concupiuit*. Huc etiam referuntur animi morbus, furor, ebrietas, & id genus alia, quibus urgentibus ad omne facinus homo quidem impellitur. Ratiocinatio desumitur à causis finalibus, ut *Clodio mors Milonis proderat, non vicissim; ergo Milonis mortem Clodius desideravit, & non contra*.

Fabius tres partes statûs coniecturalis facit, nimirum, *an quis voluerit, an potuerit, an fecerit*. Voluntas, ut supra dicebamus, impulsionem, & ratiocinationem comprehendit; impulsio verò affectus continet, ut ibi dictum fuit, affectus autem efficientis causæ locum obtinet; in exemplum Ciceronis illud adduci solet. *Clodius Milonem odio prosequebatur; ergo mortem eius concupiuit*. Huc etiam referuntur animi morbus, furor, ebrietas, & id genus alia, quibus urgentibus ad omne facinus homo quidem impellitur. Ratiocinatio desumitur à causis finalibus, ut *Clodio mors Milonis proderat, non vicissim; ergo Milonis mortem Clodius desideravit, & non contra*.

Hæc docuit Tullius, dum ait; *In coniectura igitur, cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima sunt (sed accusatorem prooemio actore, ac petitore appello,*

pello, possunt enim etiam sine accusatore in causis hæc eadem controuersiarum genera versari) causa, & euentus, causam appello rationem efficiendi; euentum id, quod est effectum; ubi Tullius de ea coniectura agit, quæ ad iudicia pertinet, nam in omni causarum genere esse potest. Causam autem hoc loco rationem ipsam, seu voluntatem appellat, quâ aliquid efficitur, eamque geminam facit, ut superius dictum fuit, nimirum impulsionem, & ratiocinationem, quibus facti suspicio confirmatur, siquidem in reo causæ reperiuntur, & facultas; ad impulsionem autem pertinent, quæ ab animorum motibus proueniunt, ut si probatum fuerit, aut recentem iram, aut vetus odium, aut ulciscendi libidinem, aut acceptæ iniuriæ in aliquo dolorem fuisse, conijcere facilè licebit eum esse cædis admissæ reum; quod docuit Tullius, dum ait. *Spectantur etiam ad causam facti: ad motus animorum si ira recens, si odium vetus, si vlciscendi studium, si iniuriæ dolor*; hæc enim ad impulsionem pertinent, quæ à motibus animorum proueniunt, quibus additur: *si honoris, si gloriæ, si pecuniæ cupiditas*, Amplius: *si periculi timor; si angustia rei familiaris*. Præterea; *si audax, si leuis, si impotens*; reliqua apud Tullium videnda relinquo.

Alter erat Locus facultas, hoc tamen nomine latiùs accepto, prout etiam potestatem comprehendit; alioquin potestas propriè personæ naturam respicit, quâ aliquid ei inest, aut deest, quo pacto negamus homini ignauiæ pleno vires, potestatemque male multandi virum strenuum, atque fortissimum. Facultas autem respicit ea, quæ extrinsecus veniunt, nempè locum, tempus, & id genus alia, sine quibus nobis facultas non est aliquid operandi, quo pacto Clodius iure negabat sibi facultatem fuisse Cæsaris coniugem violandi, cum in Vrbe non esset. Huc pertinent circumstantiæ, quæ non solum ad probandum, sed etiam ad amplificandum, ac permouendum conferunt. Circumstantias autem alibi commemorauimus, quas septem esse numero dicebamus; huiusmodi porrò sunt. *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando*.

Quis, Significat hominis naturam, & conditionem, nempè quod sit nobili genere natus, appetens honoris, famæ cupidus, vulgi inimicus: iræ tenax, insolens, &c. hæc enim si probare poteris in aliquo esse, quem conijciendo velis in alicuius criminis suspicionem trahere, nullo id negotio facies; si nanque constauerit eum esse ex nobili prosapia ortum, honoris appetentem, popularium inimicum, promptum ad iram, facilè suadebis eum esse, qui hunc, vel illum hominē humili loco natum verberauerit læserit, & morte etiam interemerit, à quo verè, vel falsò offendi se putabat; si verò constauerit eum esse famæ cupidum, & summoperè domesticæ gloriæ amplificandæ studiosum, nullo ferè labore suadebis ab eo facinus aliquod perpetratum fuisse, ex quo in eum, eiusque posteros gloria possit redundare.

Ad hunc eumdem locum pertinent Gens, & Patria, quando palam sit, & apertum quædam alicui nationi vitia, & quosdam prauos affectus conuenire, nam ijsdem obnoxii creduntur ij, qui inde ortum duxerunt, licet enim arguere. *Asiaticus est; ergo est cur habeatur suspicio de ipso, quòd in admissum libidinis crimen lapsus fuerit*; siquidem Asiatici omnes molles sunt, & lasciui. Ita quoque: *Syrus est; ergo furtum hoc admisit*; enimverò natio illa facilè ob summam, quâ laborat, auaritiam, impensè admodum ad furtum procliuis est. Vel Zeugitanus est; ergo fur. Item: *est Thrax; ergo hunc hominem interfecit*. Thraces enim tetri adeo immanitate sunt, ut quamfacillimè in hominum pernicies, in clades, in cædes erumpant. A parentibus etiam, cum eorum mores in posteros transferantur, licet arguere. Fur erat pater; ergo filius fur erit; Item: Pater sicarius fuit; ergo filius sicarius erit.

A moribus quoque; nam si quempiam optimis moribus præditum esse constauerit, optimè licebit ab eo crimen atque scelus auertere; & contra si palam sit, & apertum quempiam prauis sordidisque moribus imbutum esse; difficile non erit concludere præclarum opus ab eo factum non fuisse; sic Tullius describendo indolem, ac mores Roscii, ab eodem paricidij crimen auertit.

Quid, Ex hoc loco arguimus, atque coniecturam facimus expendendo crimen, illudque cum moribus eius, qui defenditur, vel accusatur, comparando, ut in illum cadere, ab hoc abesse quam longissimè demonstretur. Secundus locus.

Vbi succedit. Hinc ducimus argumenta expendendo locum ubi facinus perpetratum fuit, ut ostendatur locum opportunum, vel non opportunum crimini fuisse, aut ibi fuisse, ubi non fuit ille, qui accusatur. Huius loci usus est apud Tullium in Miloniana oratione, siquidem ex eo probat Clodium potius Miloni, quàm Milonem Clodio insidias struxisse, quoniam Clodius erat in proprio fundo, ibique Miloni occurrit; hinc enim Tullius conijcit intentū. Tertius locus.

Quibus auxilijs; Huiusmodi sunt instrumenta, arma, satellites, & si quæ sunt alia, quæ opem ferre possunt ad rem perficiendam. Quartus locus.

Cur; Hinc ducimus argumentum conijciendo quid in perpetrando facinore sibi reus proposuerit, quid utilitatis, quid commodi ipse sperauerit. Quintus locus.

Quomodo. Hic locus suppeditat argumentum, quatenus perspicuâ narratione rem sic exponimus, ut inde cuique facillimum sit colligere tam eum, quem accusamus reum esse, quàm quem defendimus innocentem. Sextus locus.

Quando Hinc etiam coniecturam facimus temporis opportunitatem expendendo, an scilicet de die, an noctu, mane, vel sero, hac, vel illa hora res acta fuerit. Hic locus est, quem usurpat Tullius pro Milone contendens ostendere Clodium insidiatorem fuisse, dum ait: *Age sit ita factum, quæ causa cur Romam properet? Cur in noctem se conijceret? Quid efferebat festinationem? Quod &c.* Septimus locus. Pro Milone.

Dicebat Cicero, ut superius retulimus, in coniectura cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima esse, Causam, & Euentum; de causa diximus, nunc de euentu, qui quidem ea amplectitur ex Tullio, quæ post rem actam remanent, quasi quædam impressa vestigia rei perpetratæ, & maximè suspicionem mouent, & quasi tacita sunt criminis testimonia, quæ etiam signa vocantur. Hæc porrò vel sunt antecedentia, ut ad locum profectio, communicatio, seu verbo, seu literis cum alio, minæ, contentiones, iurgia, iniuriæ, contumeliæ, inimicitiæ, & id genus alia; Vel comitantia, quæ rei coniuncta sunt, ut strepitus, clamor auditus, verba notata, armorum sonitus, occultatio cadaueris, &c. Vel consequentia, quæ post rem ipsam contigerunt, ut si paulo post ille, qui homicidio accusatus fuit, visus est cruentus, aut gestans telum cruentum, si rogatus expalluit, tremuit, hæsit, vel ineptè respondit, fugit, &c. Hinc enim desumi possunt argumenta ad conijciendum illum esse homicidij reum. Huiusmodi autem argumenta iuris consulti *Præsumptiones* appellant. Coniecturæ autem modum præscripsit Ci- Tullij sententia de huiusmodi statu.

2. Lib. de Oratore. cero: *Si & ferro, inquit, interfectus ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento deprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi visus est, & causa nemini, & tu semper audax; quid est quod de facinore dubitare possimus?*

Signorum duo genera. Non ignorandum rectè signorum duo fuisse genera constituta, quandoquidem alia sunt necessaria, græcè τεκμήρια, alia non necessaria græcè, σημεῖα, priora dicuntur illa, quæ aliter se habere non possunt, ut cicatrix perpetuum vulneris indicium est; & vulnus in corde, futuræ mortis certum est signum. At verò posteriora sunt, quæ licet sola non sufficiant ad tollendam dubitationem, per syndromen tamen, hoc est per concursum aliorum, plurimum habent momenti; huiusmodi est mutatio coloris in vultu, vacillantis animi signum; tremor timoris indicium; titubatio consternatæ mentis testis; inconstans oratio, mendacij character, & sic de reliquis, quibus interiores affectus licet conijcere, & quodammodo mentis tacitus quidam est sermo, nam.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Sen Epist. 52. In hoc enim cuique licet mentem arcanam intueri; ut proterea Moralis dixerit, *omnia rerum omnium si obseruantur indicia sunt*: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum, & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum, Improbum risus, insanum vultus, &c. Propterea Lyricus

Hic murus æneus esto
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ

Lib. 1. Epist. 1. Num. 16. Num. 29. Num. 57. Num. 95. Signorum antecedentium exemplum suppeditat Cicero in oratione pro Milone. Quemadmodum signorum comitantium, & consequentium, & in oratione pro Roscio Amerino.

In defensione quid agendum. In defensione autem hæc omnia sunt infirmanda, ac diluenda; propterea conabimur ostendere nobis non fuisse voluntatem, rationes allatas quibus aduersarius dicebat nos impulsos fuisse, flocci faciendas esse, nulliusque momenti; neque nos tam prauis esse moribus imbutos, ut tam facile à recto tramite abduci possimus.

Notanda quædam. Non prætermittendum quod Aristoteles eleganter notauit, in statu conjecturali vel reum, vel accusatorem ex necessitate improbum esse, quod in alijs statibus non contingit, propterea quod in ipsis peccari potest per ignorantiam iuris, at in conjecturali statu, vel reus fecit, vel non fecit id, quod ei accusator attribuit: Si fecit vel scit se fecisse, vel nescit; si scit, reus mentitur negando: Si nescit, per imprudentiam fecit; idcirco status non conjecturalis, sed qualitatis assumptivus erit. Si autem reus non fecit, vel improbus est accusator, falsò accusando, quem innocentem esse constabat; vel leuis est accusando eum, de quo certò non constabat, &c.

De Statu Definitiuo.

Status definitiuus explicatur. CONiecturam definitio subsequitur, qui nanque factum inficiari non potest, reliquum est, ut neget id, quod ab aduersarijs objicitur; sed aliud quidpiam infirmius, ac leuius, quod per eius definitionem Oratoris est demonstrare. Vt si quis rem profanam ex loco sacro subripuerit, sacrilegij autem accusetur, ille se defendet fatendo se rem propositam abstulisse, negando tamen sacrilegium perpetrasse, sed furtum; proindeque non reculare, quo minus quadruplum soluat, ut fures ex lege iubentur: non autem exilio, aut morte plecti, pœnâ videlicet sacrilegis constitutâ. Eò igitur controuersia deducta est, ut tam accusatori, quam defensori videndum sit quid furtum, & quid sacrilegium dici debeat; utriusque propterea definitio est explicanda, varijs argumentis fulcienda, varijs figuris amplificanda.

Huius status duodecim loci Hermogenes assignat. Huius autem status, qui Græcis ὁριστικὸς, dicitur, duodecim capita recenset Hermogenes, ad quem lectorem remittimus sunt autem. 1. προβολή. *Intentio.* 2. ὅρος. *Definitio.* 3. Ἀνθορισμός. *Contraria definitio.* 4. Συλλογισμὸς. *Ratiocinatio.* 5. Γνωμοδότης. *Sententia* legislatoris. 6. ποιότης. *Rei quantitas* 7. τὰ πρός τι. *Relatum* 8. ἀντίθεσις seu ποιότης ἀντιθετικὴ. *Status assumptivus.* 9. μετάληψις. *Translatio.* 10. ἀντίληψις. *Status absolutus.* 11. ποιότης. *Qualitas.* 12. γνώμη. Sententia, siue voluntas.

Ad hunc statum paucæ quædam Ciceronis orationes pertinent, nam solùm Philippica nona, oratio pro Rabirio; & secunda pro lege Agraria, saltem eius initium, ad definitivum statum reuocari potest.

De Statu Qualitatis.

Status qualitatis explicatur. STatus qualitatis à Tullio dicitur etiam status generis, siue generalis, eam ob causam, quia in eo controuersia sit de vi, & genere, hoc est de qualitate negotij, facti, legis, scripti, vel actionis, de quibus in hoc statu disputatur.

Celebris huius status diuisio. Celebris huius est status diuisio, quam Tullius, & Hermogenes tradiderũt in Πραγματικὸν, *Negotialem*, & Δικανικὸν, *Iuridicialem*. Priorem dicunt esse de re facienda, & in publico negotio ad Senatum pertinere: Alterum iudicijs conuenire. Sunt tamen, qui putant negotialem statum sub iuridiciali comprehendi, eo nomine, quòd solùm inter hos discriminis id intercedat, quòd negotialis sit de negotijs publicis; Iuridicialis verò de priuatis. Toto cælo tamen aberrant; nam, ut consultationes non solùm de publicis, sed etiam de priuatis negotijs esse possunt; ita & negotialis status de negotijs utriusque generis haberi potest; Illud potius discriminis est, quòd negotialis maiorem habet difficultatem, quàm iuridicialis, eo quòd plus negotij exhibet futurorum coniectatio, quàm asseueratio præteritorum. Deinde in Iuridiciali statu principium est, ex quo citra laborem potest Orator conclusiones elicere; in Negotiali autem non item. Præterea in negotiali diuerticula habere non possumus, nisi ad aliud genus confugiendo; secus autem in Iuridiciali, propterea quòd in hoc multa de persona, & nostra, & aduersarij, & iudicum possumus in medium afferre. Discrimen tamen præcipuum illud est, quòd Negotialis est de futuris, & est deliberatiui generis proprius. Iuridicialis autem de præteritis esse solet, & iudiciis conuenit. Quomodo autem status Negotialis tractari debeat, docuit Hermogenes, qui propterea sex locos in eius gratiam assignat, quorum meminisse, non fuisset abs re, cum de genere deliberatiuo ageretur, siquidem eius proprij, atque peculiares sunt, nisi nobis visum fuisset peropportunum eorum considerationem præsentem in locum differre.

Primus locus. Primus sex horum locorum assignatur νομιμόν, *legitimum*, is partim spectatur in scripto, & ad status legitimos pertinet, ut an Archias ex Lege Papinia, sit in ciuitate retinendus; partim consuetudinem, tanquam legitimum, considerat, ut an aliquid contra consuetudinem faciendum sit. Ita Cicero ex hoc loco sumit argumentum ad ostendendum non esse contra consuetudinem Populi Romani permittendum,

Digitized by Google

dum, ut omnia ad vnum deferantur.

Secundus locus. Alter locus est δίκαιον, *Iustum*; nomine autem Iusti utimur ad significandum æquum, est enim quædam seuerior acceptio vocis, cum alioquin laxior usus eiusdem legitimum quoque comprehendat ad primum pertinens locum; hic igitur pro æquo accipitur, quod ad legem non spectat; nam æquitatis vox non legis, non consuetudinis, sed naturæ, vel supremi conditoris esse non iniuria perhibetur.

Tertius locus. Tertius locus est συμφέρον; *Vtile* quod geminum esse dicitur; vel enim est tantùm conducibile; vel etiam necessarium, illud Græci dicunt χρήσιμον, hoc autem, ἀναγκαῖον. Primum gemino modo spectatur, prout, vel consideratur quid consecuturum sit, si fiet; vel quid futurum si non fiet. Vtrunque quadrifariam consideratur, ut Vossius aduertit.

Quartus locus. Quartus locus est δυνατὸν, *quod fieri potest*. Vtimur hoc loco præsertim ad ostendendum aliquid faciendum ob facilitatem, quâ fieri potest; cum enim ostensum fuerit aliquid fieri posse, nullum habet momentum ad suadendum ostendere id citra difficultatem fieri.

Quintus locus. Quintus locus est ἔνδοξον, *glorioſum, siue honestum*, cuius tractatio non differt ab ea, quæ est utilitatis; hinc argumenta desumpta vim omnem ab honestate recipiunt; nempe si aliquid fiat, vel non fiat hoc modo. Si Tullius patriæ libertatem defenderit, præsentem dignitatem seruabit, speratam consequetur, dedecus imminens auertet, & infamiam, quam metuit, euitabit. Contra verò si non fecerit, contraria euenient.

Sextus locus. Sextus, atque postremus locus est τὸ ἐκβησόμενον. *Euentus*. Huius autem loci non eadem apud omnes est explicatio, quandoquidem plerisque videtur argumentatio ex hoc loco deducta sic se habere, ut per eam liceat utilitatem colligere siue in unam, siue in alteram partem euentus cadat, ut siue Romani superent Carthaginenses, siue non, utile, gloriæque plenum erit, aduersus illos bellum suscepisse. Aliorum verò interpretatio est longe diuersa, propterea quòd per euentum intelligunt utilitatem, & gloriam inde prodeuntem.

Status Iudicialis erat tandus, qui ab Aristotele duobus modis fuit consideratus. Nunc ad statum iuridicialem deueniendum; quem videtur Aristoteles duobus modis considerasse, nempe generatim, & speciatim. Sed priori consideratione gratiâ breuitatis prætermissâ, paucis secundam persequemur. Duæ solent iuridicialis species assignari, quarum prima in iudicio, altera verò ante iudicium habetur. Posterior dicitur status translativus, Primus Iuridicialis presâ significatione sumptus, qui diuidi solet in rationalem, & legalem.

Status rationalis duplex absolutus, & assumptivus. Aliquibus sex sunt loci huius status. Hermogeni quindecim. Status porrò λογικὸς, *rationalis* est duplex, absolutus, & assumptivus. Absolutus est, cum probamus aliquid iure factum esse, nihil foris, vel extra causam assumentes; sed aut ex rei natura, aut ex lege, aut ex pacto. Aliquibus absolutæ controuersiæ sunt sex. *Ius naturæ, Lex scripta, siue diuina, siue humana; Consuetudo; Æquum & bonum; Iudicatum, siue exemplum, & Pactum.*

Hermogeni autem quindecim. 1. προβολὴ. *intentio* 2. τὰ μέρη τῦ δίκαιυ. *partes iuris* 3. πρόσωπον *persona* 4. ὅρος *definitio* 5 συλλογισμὸς *ratiocinatio* 6. γνώμη νομοθέτυ *sententia Legislatoris* 7. ποσὸτης *quantitas rei* 8. πρός τι. *comparatio* 9. ἀντίληψις *contrasumptio* 10. μετάληψις, *translatio* 11. ἀντίθεσις *oppositio* 12 Ἑτέρα μετάληψις, *altera transumptio* 13 θέσις *positio* 14 ποιότης *qualitas personæ siue rei* 15. γνώμη, *animus siue sententia*.

His prætermissis, ad probationes, ex aliorum sententia desumptas, aut *ex rei natura*, aut *ex lege*, aut *ex pacto*, deueniamus. Probabimus aliquid iure factum esse ex rei natura probationem sumentes, si quispiam alium verberauerit, eo quòd sit eius pater, vel magister, vel Præfectus, in cuius custodiam ille traditus fuerit: ex lege, si quis exulem occiderit eo quod ex principis edicto liceret illum interficere: ex pacto si quempiam dicamus tibi quidem debere pecuniam, eo quòd tecum pacto conuenerit is, à quo volumus pecuniæ solutionem fieri, si operam illi præstiteris se tibi pecuniam soluturum. Diuidi autem solet status absolutus in simplicem, & duplicem, simplex bipartitò diuiditur, quatenus vel factum propter se in iudicium venit, vel propter euentum. Status etiam absolutus duplex appellatus, est bipartitus, nam unus est, qui coniunctione instituitur, alter diuisione.

Status absoluti diuisio. Status duplex appellatus bipartitò diuiditur.

Status assumptivus quando contingat. Status assumptivus contingit, cum per se debilis est defensio, & proinde nos aliunde sumimus argumentum ad probandum; ut si quispiam accusetur, quòd alium necauerit, nec se tueri, nec iustè factum potest ipse defendere, nisi aliquo extrinsecùs assumpto, quod ei opituletur, quatenus rei æquitatem declarat, ut si dicat sibi ab aliquo insidias paratas fuisse, mortemque denunciatam, proindeque illum non iniuria interfecisse.

Assumptiuæ controuersiæ, status; partes octo recenseri solent. Huius controuersiæ partes octo recenseri solent 1. *Inficiatio*, nempe facti præcisa negatio, in qua cogitur accusator ad coniecturas confugere, ut id probet esse factum, quod ille tanquam certum assumpserat, 2. *Extenuatio*, cum nempe culpam ex definitione leuiorem facimus, ut cùm dicimus quempiam non sacrilegium, sed furtum perpetrasse, quo artificio, à iuridiciali statu, ad definitivum aduersarius retrahitur 3. *Remotio criminis*, cum culpam excusamus dicendo vel aliquid fortuitò accidisse, vel ad alium quempiam esse referendam; ut si quis dicat non venisse, quò debebat, ad constitutam diem, quoniam morbo perculsus viæ se committere non poterat; vel dicat se fecisse non suâ sponte, sed Prætoris iussu 4. *Reiectio*, siue *Translatio* actionis, loci, temporis, aut iudicis, ut si Sempronius fateatur se debere, sed Titio non competere actionem aduersus ipsum: Dicat se debere sed non hoc in loco, non hoc tempore, non sub hoc iudice 5. *Comparatio* cum de duobus malis minus eligitur, ut si Virgo dicat hominem occidere maluisse, quam pudicitiam amittere. 6. *Casus*, siue *imprudentia*, ut si quis dicat se inferam intorsisse sagittam, casu tamen hominem ibi latentem interfecisse. 7. *Vis*, siue *necessitas*, ut si quis dicat latronibus pecuniam dedisse, sed ob imminens mortis periculum. 8. Tandem *Deprecatio* cum perpetrati sceleris venia petitur, quæ non in iudicium venit, sed apud principem sæpe tractatur. Deprecationis septem præcipuæ enumerari solent causæ.

Deprecationis autem causæ plures sunt, septem autem præcipuæ, atque communes, ad quas reliquæ possunt reuocari. 1. Si rei plura, vel maiora beneficia, quàm maleficia constare videantur. 2. Si qua virtus illustris, maximèque singularis aut summus nobilitatis gradus in supplice erit. 3. Si qua spes demonstretur, eum aliquando usui futurum. 4. Si reus ipse modestus, maximèque temperatus, plenusque misericordiæ in potestatibus fuisse probetur. 5. Si reus dicatur non odio, neque immanitate, sed officio, ac studio quopiam commotus, vel ab aliquo summopere deprauatus, peccasse. 6. Si tali de causa alius pariter ante id fuerit ignotum. 7. Si nullum periculum eo dimisso reliquum esse videatur, nec ulla reprehensio, vel suspicio futuri mali esse posse.

In

In præsens aliqua de statu quantitatis dicenda supereſſent, de quo supra loquentes dicebamus non videri prorsus à tribus communi omnium consensione receptis esse distinctum; si quis tamen, ut ibi monuimus, velit illum reliquis addendum, non pugnamus. Status quantitatis in oratione pro Ligario videtur admittendus; oratio siquidem illa ad iudiciale genus pertinet, accusatur enim Ligarius, quòd contra Cæsarem in Aphrica fuerit, & in ea præsertim est status iuridicialis, & quidem assumptivus, nam in illa causa conceditur factum, nempe Ligarium in Aphrica fuisse, sed an id iniuriâ Cæsaris factum sit, quæritur, quod affirmat Tubero, sed Cicero pro Ligario contradicit; status ergo iuridicialis est, sed assumptivus; cum enim per se defensio infirma esset, assumitur necessitas mansionis in Aphrica una cum concessione & purgatione, siue excusatione. Intercedit etiam status coniecturalis quoniam conijcitur Ligarij voluntas qualis fuerit. Immò & status quoq; definitivus; quæritur enim, an scelus dici possit, quòd Ligario adscribitur; nimirum Pompeij partem ipsum esse secutum; hinc status etiam quantitatis deducitur, quæritur enim uter duorum, an Ligarius, an Tubero magis Cæsari contrarius fuerit, &c. Vtcunque tamen se res habeat ex hactenus disputatis quid de statu quantitatis dicendum sit, manifestè patet.

Dispositio generis iudicialis qualis esse debeat.

Huius generis dispositio ea est, ut primò loco adhibeatur exordium, quod in accusatione sit plenum seueritatis; in defensione verò mansuetudinis, atque clementiæ. In causis ciuilibus Orator ducere potest exordium, vel à dicentis officio, propriaque persona, vel à persona Iudicis, vel à decretis Principum, quorum prudentiam, Iustitiam, atque clementiam, erit operæ pretium plurimum commendare, summisque laudibus extollere; tale proœmium esse debet huic generi deseruiens, ut in eo semper auditor docilis, attentus, atque benevolus reddatur. Pro diuersitate autem causarum, curandum est, ut conciliandæ benevolentiæ, vel attentionis, vel docilitatis ratio in exordio prævaleat.

In causis ciuilibus unde duci possit exordium

A propria verò persona ducet exordium Orator dicendo se imparem esse causæ tam graui, ingenijque viribus minus valere firmis, ad Oratoris munus obeundum in re plena difficultatibus, ut facit Tullius dum ait; *Quæ res in Ciuitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt, &c.* Vel dicendo se præmi non exiguâ difficultate agendi, vel officio accusandi, siquidem non vulgaris ingenij est innocentem defendere, vel reum accusare in sacro publici consilij templo, ubi senatus ingenti maiestatis fulgore, sæpe sæpius agentis oculos perstringit, & mentis aciem obtundit, quod aliquando præstitisse Tullium cuique perspectum: Poterit etiam exordium ducere à magnitudine partis oppositæ, si dicat quodammodo se opprimi auctoritate ipsius, aut, quo fungitur, officium commendet, quòd ad dicendum impulsus venerit, ne credatur ad defendendam causam officio cognationis, aut amicitiæ, & ad accusandum odio, vel ambitione ductus veniſſe. Orator etiam poterit exordium ducere ab aduersariorum, vel iudicum persona, vel etiam à causa ipsa, seu à re de qua agitur; ab adiunctis tempore scilicet, loco, atque reliquis circumstantiis; à tempore quidem Tullius ducit exordium pro Cælio, nempe quòd die festo esset dicturus: à loco pro Deiotaro, quòd inter domesticos parietes sibi dicendum esset, à causæ magnitudine, eoquod coniunctam habeat, & Reip. & Ciuium salutem, adeout non tam res oratoris propria, quàm iudicum, & auditorum agi videatur, ut facit Tullius in oratione pro domo sua; sic etiam à conditione causæ licebit exordiri. In causis autem criminalibus sumi poterit exordium à grauitate delicti, ab insolentia, ab audacia reorum, &c.

A propria persona quomodo ducatur exordium

In oratione pro Quintio.

Act. 3. in Verrem.

Ad parandam attentionem conducit dicere agendum esse de re noua, atroci, magna. Ad docilitatem facit clara dicendarum rerum distributio, præsertim, cum causa videbitur pluribus difficultatibus inuoluta. Quandoq; tamen expedit nimiam iudicum attentionem negligere, ut suo loco vidimus. Ad benevolentiam captandam plurimum facit extenuatio propriæ eloquentiæ propriæq; imbecillitatis confessio.

Narratio in genere iudiciali qualis esse debeat.

In genere iudiciali narratio desideratur breuis, perspicua, & vera, siue probabilis; quanuis enim perspicuitas, & probabilitas narrationis in quolibet genere dicendi desideretur, maximè tamen in eo, de quo loquimur. Curandum in primis, ut narratio generis iudicialis æquitatem causæ oculis subijciat, inimicorum nequitiam declaret; cuiusmodi est illa, qua usus est Tullius pro Milone. Esse debet etiam narratio conformis iudicum moribus, & auditorum; & luculenter ostendendum est in eo præsertim aduersarios peccasse, à quo omnes potissimum abhorrent. Iuvat etiam ea quidem exprimere, quæ oriuntur à moribus, & affectibus eorum, qui aliquid agunt, ut lento, vel concitato gressu incedebat, furens excurrebat per vias, titubans loquebatur, &c. hac enim arte singulis vitijs proprias notas adscribendo, licebit quodammodo rem uniuersam oculis subijcere. Si narret Orator aliquid non facile creditu, tali in eius expositione uti debet industriâ, ut iudicum, & auditorum animis nullus supersit hæsitationis locus. Narratio porro debet animorum grauiores affectus concitare, pro conditione tamen causæ, puta per exclamationes, obiurgationes, ac reprehensiones, propter animi perfidiosi fraudem, itemque per comminationes, increpationes, aliosque similes affectus, propter aliquid nefarium scelus; adeout auditorum nemo sit, cui non probè constet eum, de quo sit sermo, plenum iniquitatis esse, & simul exhoreſcat, & moueatur ad odium, ad iram, &c. quando tamen Orator accusatoris partes agit, nam si defendat, alios animi motus in auditoribus excitare debet, nimirum pietatem, misericordiam &c.

Narratio duplex.

Cæterum duplex narratio à dicendi magistris recognoscitur. Altera quæ summa rerum genera exponit; altera verò, quæ singulatim omnia persequitur, una, vel altera Oratori adhibenda est, prout opus fuerit; enimverò prior illa narratio tum solùm est usurpanda, quando expedit rerum gestarum seriem dumtaxat ob oculos ponere, aut quia communis, ac trita sit, aut quia nobis non multum faueat; aut quia demum auditoribus iucunda esse non possit. Nec id silentio prætereundum, quod expressum apud Aristotelem legimus, videlicet defensori non multum narrationem esse necessariam, eo nomine quòd ab accusatore iam antea res omnis copiosè narrata fuerit; solùm propterea defensori opus est narratione, cùm forsan aduersarius, vel dolosè rem exposuerit, vel quidpiam silentio inuoluerit; tunc enim oportet omnia fideliter narrare, & accusatoris dolum detegere, & si quæ vel datâ operâ, vel aliquâ aliâ ratione prætermiserit, abundè supplere.

Confirmatio cuiusmodi in hoc genere esse debeat.

Confirmatio autem in iudiciali genere continere debet argumenta, quibus causa probetur, hæc diuersâ ratione proponuntur, prout causa simplex est, vel coniuncta; simplex cum fuerit causa, hoc est unius criminis, ordo seruandus à Tullio præscriptus Oratori pro collocandis argumentis: *Firmissimum quo-*

que,

Digitized by Google

que, inquit, *sit primum; dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quæ excellent, ferantur etiam ad perorandum: si quæ erunt mediocria (nam vitiosis nusquam esse oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem conjiciantur*; hoc igitur in confirmatione, de qua fit sermo ab Oratore præstandum eam ob causam, ut iudices, quæ robustiora sunt argumenta firmiter memoriâ tenere possint; sic enim naturâ comparati sumus, ut prima, & ultima recordemur, media verò non item. Si autem fuerit coniuncta causa, videlicet illa, quæ plura complectitur, talis in ea seruandus ordo, vel qualis à Tullio fuit approbatus, nimirum, ut si accusemus, rerum teneamus ordinem, adeout quæ à reo fuerunt primò crimina admissa, non dissimiliter a nobis primo loco referantur: Vel si talis ordo minus arridet, eo quòd usu venire potest, ut leviora postremò reus admiserit, cum tamen hæc in mediam turbam conijcienda sint; alter erit seruandus ordo, nimirum ille, quem non multo antea expressimus; Cicero tamen naturalem ordinem amplexus est, ita ut, quæ priora fuerunt, priùs, quæ posteriora posteriùs commemorauerit; in hac autem commemoratione notanda sunt tempora, loci, aliæque circumstantiæ, nempe dignitates, & officia, quibus functus est ille, de quo fit sermo. Debet autem Orator confirmatione miram affectuum varietatem complecti, & quæ crimina fuerint congesta, vehementer probare, & confirmare tabulis, decretis, testimoniis: In singulis verò præstabit nonnihil commorari, quod non meliùs citra nauseam iudicum, & auditorum fieri poterit, quàm crimina vehementiori quodam motu augendo; ad quod summopere figuræ quædam conducunt, de quibus paulo post sermo fiet. Ad acriùs etiam urgendum, summopere iuvat interrogare, quandoque etiam minari, vel abblandiri; plerunque rationibus propositis Oratori præstat assurgere, grauiter amplificando; sic enim auditorum animos longe magis commouebit.

Amplius Oratori obiecta diluenda sunt, quæ si valida fuerint, eorum vis dissimulanda est, proindeque tanquam leuia, & veluti per contemptum tractanda, si verò leuia, fortiter, & acriter tractari debent, quod faciet ostendendo incerta, ac dubia esse, nullumque habere, cum veritate commercium.

Quæ autem dicta sunt intelligi debent de accusatione, nam de defensione loquens Tullius docet nos eodem ordine uti debere, quo aduersarius est usus; adeout argumenta eo quidem ordine soluere debeamus, quo ab eo proposita sunt. Vel si placet ordinem immutare, iuvabit primò leuissima refellere, partim verò ad extremum remittere, firmiora verò medium in locum conijcere. Sed in his debet Orator diligenter aduertere quid iudex, & quid res ipsa postulet.

Epilogus, seu peroratio paucis antea dicta comprehendit, simul duos in iudice præcipuos motus excitando, videlicet iræ, & indignationis cum Orator accusauerit; nam cum defenderit, peroratio eundem ad amorem clementiam, atque misericordiam impellere debebit, & quoniam nusquam magis vis Oratoris elucet, quàm, cum in hac orationis parte iudices vel inuitos & repugnantes ad lachrymas compullit: ob id præsertim in eadem oportet in iudicum animis misericordiam concitare; sed quoniam lachrymâ nihil arescit citius; idcirco iuvabit Oratorem breuitati plurimum indulgere.

Stylus, siue character huic generi consentaneus iam ex Aristotele suo loco fuit explicatus; debet enim esse valde accuratus, ac perpolitus, purus tamen, & planus absque verborum, & figurarum fuco, & absque longa historiarum serie, debet esse vehemens, adeout quemadmodum demonstrativi exculta, & copiosa est dicendi forma; deliberativi verò grauis, & prudens; iuridicialis tandem vehemens, & concitata esse debeat, ita tamen, ut amplificationes & exempla quamsæpissimè adhibeat.

Ad Iudiciale genus quæ Orationes reuocentur.

Ad Iudiciale genus variæ species orationis reuocantur, puta Reprehensiones, Obiurgationes, Excusationes, seu Purgationes, &c. illustriores tamen sunt, quæ sequuntur.

Accusatio.

Accusatio est alicuius criminis coram Iudice competente iusta delatio. Curandum tamen accusatori, ut à se dicta, vera sint, alioquin calumniator euadet.

Apologia.

Apologia, quæ etiam purgatio dicitur, est defensio, quâ vel nos ipsos, vel alios ab aduersariorum accusatione purgamus, & eorum obiectis validâ confutatione occurrimus: Triplex perhibetur, Facti scilicet, Manifesti criminis, & Calumniæ. Defensio facti contingit, cum factum negari non potest; solumque licet ostendere non ineptè, nec temere, quin potius prudenter, scitèque perpetratum fuisse, vel saltem debet illud solum ex circumstantiis extenuari. Defensio manifesti criminis euenit quoties notum crimen, vel aliquo modo excusatur, vel diminuitur. Defensio calumniæ, quæ Apologia propriè nuncupatur, est oratio plena quidem aculeis ad opprimendos calumniatores idonea. Huius dispositio hæc est. Primò præmittendum exordium defensionis, & confutationis rationem exponens. Secundò narratio subijcienda est aduersariorum sententiam iisdem pænè verbis conceptam, & citra dolum referens. Tertiò habenda est confutatio, quâ singula discutiantur, & omnia salibus permixta, non sine modestia tractentur. Inuectiua est oratio, qua in alicuius mores, vel ingenium, aut viuendi genus inuehimur. Hæc oratio sic reprehendit hominum mores, ut quodammodo mordere videatur, & à Poetis Saryra nuncupatur, cum hęc nil aliud sit, quàm carmen varia hominum vitia carpens. Obiurgatio est post turpe factum reprehensio. Exprobratio est oratio quâ ingrati animi vitium detestamur. Expostulatio est quædam grauis querimonia de illata nobis iniuria; hæc oratio expressionem iniuriæ continere debet, simulque petere, ut nobis iniuria affectis satisfiat. Deprecatio est, ut ait Tullius, in qua ignoscendi postulatio continetur.

Inuectiua.

Obiurgatio.

Exprobratio.

Expostulatio.

Deprecatio.

Supereset hic de mixto siue sacro dicendi genere disputandum, sed de hoc, cum adeo diserte Reuerendiss. P. Rotundius in suo Encheridio locutus fuerit, ut quicquid de ipso dici potest abundè sua contemplatione sit persecutus, non est in præsens cur verba facere studeamus.

Ad hucusque doctrinam traditam illustrandam non aliunde magis, quàm ex Tulliano fonte in orationibus reclusio hauriri possunt exempla, licet nullum in exornatiuo genere suppeditauerit; nulla siquidem apud ipsum obseruari potest oratio, quæ in genere tantùm exornatiuo dici possit, si quæ nanque talis maximè dici meretur, præcipuè foret pro Lege Manilia, cum tamen ista non sit; tametsi nanque Tullius Pompeium laudibus prosequatur, hoc tamen ideo facit, ut longè facilius persuadere possit cum summum Imperatorem esse, maximeque dignum, cui gerendi bellum aduersus Mithridatem cura demandetur; sic etiam, & nona Philippica, qua S. Sulpitium laudibus extollit, ut facilius nimirum suadeat ei statuam auream erigendam esse; sed cum hoc genus laude, vituperationeque constet, & Philippica secunda tota in Antonii vituperatione sit occupata,

pata, quibusdam videtur minimè dissimulandum ad hoc orationis genus posse reuocari. Re tamen diligentius introspectâ, cuilibet facillimum erit deprehendere potius orationem illam ad iudiciale genus esse referendam, eius enim tota vituperatio ad iudicium pertinet. Immò nec etiam actiones in Catilinam exornatiuæ sunt, quanuis genus omne vituperationis contineant, ad deliberativum enim reuocari debent; siquidem Tullius in ipsis plurimum in suasione desudat. Rectius diceremus orationem tam habitam ad Quirites, quàm habitam in Senatu post Reditum ab exilio, demonstratiui generis esse, nisi quædam utraque haberet admixta, quibus à perfecta, synceraque exornatione deficeret. Si quis igitur demonstratiui generis prototypũ cupiat, adeat Isocratem; nam apud ipsum in huiusmodi genere perelegantes orationes reperiet, quarum una est, quâ Euagoram pluribus egregiè commendat; altera verò, qua Helenam diuinis propemodum laudibus extollit; deinde obseruet panegyricum Plinii Traiano dictum, & alios etiam aliis imperatoribus itidem dictos; In genere autem deliberatiuo, quæ aliquid priuatim suadeat, inuenitur apud Isocratem, ut oratio ad Demonicum, & oratio ad Nicoclem, sed nulla quidem est apud Tullium, quâ is priuatim aliquid suadeat, multæ tamen quibus hoc publicè præstat; huiusmodi est oratio pro L. Man. eâ nanque suadere nititur Populo Romano, ut Pompeium aduersus Mithridatem eligat Imperatorem; sicut & altera, quâ contra Rullum Populo Agrariam Legem dissuadet; Item Philippicæ ad hoc genus reuocari possunt; verumenimverò iuvat nonnullas Ciceronis orationes cursim expendere, & cuiusmodi sit earum genus, ac status aduertere. Oratio pro P. Quintio, ut hinc exordiar, in genere est iudiciali, quandoquidem habet petitionem cum defensione. Eius Status, siue constitutio iuridicialis est absoluta, Nævius enim se iure fecisse quod fecerat in Quintij bonis asserebat; contra verò Quintius non iure, sed iniuriâ fecisse affirmabat. Oratio pro S. Roscio Amerino ad genus iudiciale pertinet, nam accusatur S. Roscius, quòd parentem necauerit, id autem à Tullio negatur, causa quidem honesta est, nam defenditur innocens. Status siue constitutio est coniecturalis. Oratio pro Q. Roscio Commedo, in genere est iudiciali, causa est priuata, Status verò coniecturalis. Oratio pro Marco Fronteio, ad genus pertinet iuridiciale, Status eius est coniecturalis. Oratio de diuinatione in Verrem, vel ad genus deliberativum pertinet, cum sit de eligendo accusatore, Status autem qualitatis, sed negotialis, & comparativus, an Tullius, & Cęcilius eligi debeat accusator, confertur autem accusator cum accusatore, & deliberatur uter accusare debeat; vel est iuridicialis, ita tamen, ut cum deliberationibus communicet. Secunda actio postulationem de nouo agendi genere continet, quid autem de reliquis in Verrem dicendum, patet. Oratio pro Aulo Cecinna, ad iudiciale genus reuocatur, grauẽ, & subtilem disputationem continens; in hac tamen Orator multa permiscet; utitur autem genere didascalico, de quo suo loco locuti sumus, ac ob id quædam definit, & multa sumit ex demonstratiuo genere, quando vituperat Eubutium, Fidiculanum, aliosque testes; contra verò laudat Cecinnam, Aquilium iureconsultos, & ius ipsum. Status existimatur Legalis, hoc est finitivus ex translatione, quam Iuris prudentes exceptionem appellant, quando non respondetur ad rem, sed opponitur exceptio aliqua, ac disceptatur de actione commutanda, aut infirmanda, ut quod uti hac actione non oportuerit. Alij autèm in hac oratione causæ genus dicunt obscurum, ac dubium esse propter variam, & dubiam iuris rationem, de qua hic disceptatur, & aiunt consistere præcipuè in statu qualitatis an rectè sponsionem fecerit Ebutius: deinde in statu Legali ex sententia, & voluntate; Genus dicendi simplex est, & submissum, humile, & ab omni fastu remotũ, quotidianam loquendi formam imitans. Oratio pro L. Manilia, quæ ad genus partim deliberativum, partim demonstrativum spectat, prout est in genere deliberatiuo, videtur causæ constitutio coniecturalis, cum ea deliberari de euentu videatur, doceriq; omisso, neglectoq; Mithridatico bello, quantum incommodum sit ad Rempublicam peruenturum; quatenus ad demonstrativum genus Oratio pertinet, siquidem in Pompeii Laudes effunditur, cum futuræ victoriæ magnam coniecturam afferat, Constitutio coniecturalis; videtur absolutè; tamen in genere deliberatiuo dici debet. Oratio pro Aulo Cluentio Iuridicialis generis dici potest; habet enim accusationem cum defensione, accusatus enim Cluentius, hac oratione defenditur, quanuis aliquid de demonstratiuo participet, quatenus Oppianij vituperationes, Cluentijque laudes continet. De Constitutione causæ magna est difficultas; quibusdam, cum simplex hoc loco sit negatio facti in depulsione, ad principalem intentionem accusatoris, princeps constitutio coniecturalis videtur; iuridicialem autem absolutã, & legitimã ex scripto, & sententia hîc aiunt constitutiones incidere, adeo ut has minus esse præcipuas existiment. Oratio pro C. Rabirio perduellionis reo ad Iudiciale genus refertur, status iuridicialis est, quanuis alij coniecturalem esse crediderint; quæstio enim erat, an Rabirius à crimine perduellionis sit absoluendus, quod Cicero affirmat. Vel, & in idem recidit, an Rabirius iure arma sumpserit. Oratio pro L. Murena generis est iuridicialis. Oratio pro L. Valerio Flacco generis est iudicialis; habet enim accusationem, cum defensione, nam accusatur L. Flaccus à Lelio, & à Tullio defenditur eius Status, siue constitutio principalis est coniecturalis, cum ferè omnia, quæ Flacco obijciuntur, per simplicem negationem depellantur, alicubi tamen constitutio variatur. Oratio pro P. Sylla præcipuè ad Iudiciale genus pertinet, nam habet accusationem cum defensione; Sylla enim accusatus à Torquato defenditur à Tullio, ex parte tamen ad genus demonstrativum reducitur; causæ Status coniecturalis est. Oratio pro Archia Poeta præcipuè ad genus iudiciale pertinet, licet multa de poeticę laudibus interiectis contineat, speciem enim aliquam actionis habet cum defensione, in demonstrativum tamen genus incurrit; Causæ constitutio iuridicialis absoluta, æquè tamen coniecturalis videtur, utra sit principalior, non satis constat. Oratio antequam Tullius iret in exilium, patetica est, & ad genus pertinet deliberativum; Constitutio verò coniecturalis. Eius character grauis est. Oratio ad Quirites post Reditum ad demonstrativum genus pertinet. Constitutio coniecturalis est. Dispositio confusa, & arbitraria non à præceptionibus Artis profecta, sed ad casum temporis, oratoris iudicio accommodata. Genus dicendi amplum, & copiosum, & in graui figura; sententiarum, atque verborum splendidissimo ornatu illustre. Oratio post Reditum in Senatu, demonstratiui generis est; continet gratiarum actionem, multa tamen habet admixta. Oratio pro T. Annio Milone est in genere iudiciali, habet enim accusationem cum defensione, causæ Constitutio iuridicialis est. Oratio pro

Mar-

Digitized by Google

Marco Marcello ad genus demonstrativum pertinet, etsi partim ad demonstrativum, partim ad iudiciale genus pertinere videatur Causæ constitutio iuridicialis videtur, cum Tullius Cæsarem laudet, quòd in restituendo Marcello, id clementer fecerit, quod non solum iure, sed etiam piè, ac sanctè facere debuerit. Oratio pro Q. Ligario, generis est iudicialis, habet enim accusationem cum defensione, status eius non unus est, ut superius notaui; in eo enim primò habetur iuridicialis assumptivus à necessitate, coniecturalis à voluntate, item alter est definitivus, atque demum in eadem habetur status quantitatis. Orationes in Catilinam, quanuis plurimum habeant demonstrationi generis, eoquod eum vehementer vituperent, in deliberatiuo tamen sunt reponendę, nam in prima suadet Catilinæ, ut vel Româ discedat, vel resipiscat: in reliquis suadet populo Romano, ut bono sit animo, simulque docet quid faciendum, ut Respublica seruetur.

Non erit autem abs re si paucis explicemus quo pacto genus orationis inuestigandum sit; rarò enim usu venit, ut tota integra oratio in uno genere consumetur, sed pleræque ex pluribus mixtæ sunt; propterea quòd & in iudiciis laudamus, & in deliberationibus accusamus, & in ipsis etiam laudationibus frequenter euenit, ut aliquid redarguere aut defendere debeamus. Ad cuiuslibet itaque causæ genus dignoscendum diligenter oportet attendere, qui nam sit scopus, atque consilium ultimum Oratoris, ad quod cætera reuocantur, quandoquidem finis est, à quo nomen, & genus orationis desumi debet, non enim quicquid per transennam tangitur, potest nomen orationi, genusque tribuere; ut oratio pro M. Marcello, qua Tullius pro eodem, Cæsari gratias agit, sub demonstratiuo genere reponenda est, quanuis interagendum redarguat ea, quæ Cæsar de suo periculo obiecerat, qua ratione videri posset ad iudiciale genus pertinere. Oratio pro Lege Manilia, quanuis in Pompeii laudes effusa, ad deliberativum genus pertinet, quoniam est de Imperatore deligendo, & Pompeius ideo laudibus effertur, ut idoneus ad id bellum administrandum iudicetur. Amplius oratio pro Milon. ad iudiciale genus pertinet; habet enim accusationem cum defensione, quanuis in ea alia sint admixta genera, utpotè demonstrativum pro utraque sui parte, cum ibi vituperetur Clodius, & laudetur Milo; videtur etiam in ea genus deliberativum, quoniam aliquo modo in consultationem vocatur, an Milo absoluendus, an de homicidio, & scelere condemnandus; neq; hoc mirum videri debet, nam sic oratio pro Archia poeta iudicialis est generis, quanuis magna ex parte in Poeticæ laudibus, versetur, nam quodlibet causæ genus, etsi habeat proprium, & distinctum finem, coassumit tamen plerunque aliorum generum fines, & unaquæque causa, etsi habeat proprium, & distinctum genus, alia plerumque genera coassumit, &c. ut enim finis est directivus generum, sic genus est directivum causæ.

Non dissimiliter de statu, siue constitutione philosophandum; constitutio siquidem ex prima causarum conflictione prouenit, & in genere iudiciali ex prima accusatoris intentione, & defensoris depulsione nascitur. Vt si dixerit accusator, *occidisti*, defensor respondet, *non occidi*, nascitur constitutio coniecturalis, quoniam est de facto, vel non facto, non qualibet autem constitutio princeps est in oratione, sed illa, quæ primò intenditur, multiplex enim quandoque in oratione contingit, ut in ea quæ est pro Ligario, quod superius etiam aduertimus.

SECTIO QVINTA.

De animi affectibus, eorundemque commotione.

Huius tractationis necessitas.

DE affectibus doctrinam Oratori perneceſſariam esse ex eo quidem intelliges, quòd tres sunt probationum species, quas dicendo acquirimus; quarum una est in vita ac moribus Oratoris; altera in animi permotione; tertia in argumentis; cum itaque iam explicatum fuerit quibus argumentis in unoquoque dicendi genere utendum sit; & quomodo possit Orator se bonum esse virum demonstrare; reliquum est, ut de animi affectibus disputemus; eo vel maximè quòd ex his probatio desumpta magnam vim habet. Quis enim unquam auditorum animos concitabit ad iram, nisi probè cognoscat quid ira sit, & unde oriatur, & alia quæ ad ipsam pertinent? Quis unquam impellet illos ad odium ignoratâ odij naturâ, & alijs ad ipsam attinentibus? Et quamuis iniustum videatur Philosopho iudicis animum distorquere, ac inflectere ad indignationem, vel misericordiam, vel inuidiam &c. id tamen Oratori ad vincendum omnino permitti debet.

Quid sit affectus.

Affectus, quem Tullius permotionem, alij verò motum & passionem appellant, ab Aristotele definitus fuit sequentem in modum, Ἔστι δὲ τὰ πάθη δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις. οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή. *Sunt autem perturbationes illæ, quæ efficiunt ut homines immutati non eodem modo iisdem de rebus sentiant, quas ægritudo, atque voluptas consequitur.* Ait ea esse permotiones animi, quibus homines immutati, etiam sententiam mutant, adeout vel ægritudinem, vel voluptatem sentiant. In allata definitione, tria sunt adnotanda. Primum est ipsi homines immutentur, quoniam etsi res immutationem subeant, & ob id homines sententiam mutare cogantur; attamen id sine ulla animi perturbatione facere possunt; non itaque satis ad affectum, ut homines immutentur, hoc est ut sententiam mutent, eo quòd res mutatæ sint. Secundum, ut homines sententiam mutent, nihil enim obstat quo minus aliquis aliquo modo perturbetur, & nihilominus in eadem sententia constet. Tertium, ut ex ea mutatione animi, vel dolorem vel lętitiam percipiant, affectuum nanque pediſęque sunt molestia & voluptas, licet non semper ab affectu sit, ut à priori iudicio recedamus, sed id plerunque contingit, tunc nempe, cum animo rem diligentius, atque diutius euoluimus, nam. Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. *Curæ secundæ sapientiores.* Non igitur ex Aristotele affectus est, quandocunque de eadem re, nos aliter iudicamus, sed quando insuper voluptas aut dolor animi commotionem subsequitur. Hæc itaque tria requiruntur, ut homines aliter sententiam ferant, quam initio constituerant, hoc enim accidit, cum vel irascuntur, vel misereantur, vel metuunt, vel tandem aliquo alio modo, videlicet amore, odio &c. commouentur: siquidem humanus mens aliud affectuum fluctibus æstuans, aliud iam sedata dictat; signum euidens animum affectibus mutari. Hoc testatur Parmeno apud Comicum in Eunucho.

Aristot. 2. Rhet. cap 14. aliàs 1.

Terentius in Eunucho Act. 2. Sc. 1.

Quid hoc morbi est? Adeon' homines immutarier,
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? &c.

Hoc hominibus valde familiare esse testatur M. Antonius apud Tullium. *Plura enim* inquit, *homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore,*

Lib. 2. de Orat.

Digitized by Google

aut errore, aut aliquâ permotione mentis; quam veritate &c. Hinc, ut Aristoteles ait, non licebat Oratoribus Athenis apud Areopagitas quidquam extra causam dicere, aut animi motus miscere, quod Fabius etiam hisce verbis confirmat. *Athenis affectus mouere per præconem prohibebatur Orator;* hic enim cum apud Areopagitas esset dicturus, præco ita proclamabat, *ἐκτὸς προοιμίων, καὶ πάθους*, hoc est, *sine exordijs, & affectibus*, Nam ex affectuum commotione, Solon egregiè iustitiam læsum iri prænouerat. Propterea Cæsar apud Salustium, inquit, *Omnes homines P. C. qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet, haud facile animus, verum prouidet ubi illa afficiunt.* Ob id Accusator ad iram, & odium conatur iudices impellere, nimirum, ut reum condemnent. Defensor autem ad clementiam, atque beneuolentiam, ut absoluant. Hoc etiam inde perspicuum, quòd nullum est tam graue, tam execrandum scelus, in quod homines affectuum fluctibus agitati præcipites non ferantur, quo tamen perpetrato eos non peniteat se illud commisisse, vel non aliter sentiant, quàm initio iudicassent.

Aristlib 1 Rhet. c. 1.

Οὐδεὶς ξυνοίδεν ἐξαμαρτάνων, ὅσον
Ἁμαρτάνει. τὸ μὲν γὰρ ὕστερον δ' ὁρᾷ.

Quantum suum sit crimen, haud quisquam videt,
Dum peccat: istud re peractâ conspicit.

Quod accidisse Neroni testatum reliquit perspicuè Tacitus, qui de illo sic loquitur. *Sed à Cæsare, perfecto demum scelere, magnitudo eius intellecta est.* Aristoteles ad affectûs definitionem illustrandam affert exempla dum subdit, *οἷον ὀργὴν, ἔλεος, φόβος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, καὶ τὰ τούτοις ἐναντία: ut sunt ira, misericordia, metus, & alia huiusmodi; & quæ ijs contraria sunt.*

Quotuplex sit affectus videndum.

Quotuplex autem sit affectus, videndum sequitur. Sunt qui affectus affirment duplicis esse generis, adeout alij dicantur *Mites*, alij vero *Acres*. Ineptè tamen, quoniam εἴδει differunt, ut mox intelliges. Celebris potius affectuum distributio est, quam tradunt Philosophi, dicendo alios esse, qui in facultate ἐπιθυμητικῇ, siue *concupiscibili*, alios verò qui in facultate θυμοειδεῖ siue *irascibili* residen, enimverò affectuum causa est omne bonum, vel malum ritè propositum, ad bonum autem prosequendum auditores excitantur, ut ad malum fugiendum; siquidem; *Bonum est, quod omnia appetunt; Malum verò, quod omnia fugiunt*, utrunque verò potest ad animal referri, quo pacto tam bonum, quam malum facultatem concupiscibilem, & irascibilem mouet, atque adeo omnium affectuum facultates, quæ bonum, & malum tanquam proprium obiectum adæquatè respiciunt, erit prædictarum utraque, nempe concupiscibilis, quæ circa bonum, vel malum simpliciter; irascibilis verò, quæ circa bonum, vel malum arduum, aut difficile versatur.

Duo prima sunt passionum genera.

Passionum enim, ut clarius & apertiùs res intelligatur, duo prima sunt genera, scilicet prosecutio, & fuga, iuxta duplex obiecti genus, nempe bonum, & malum, circa quæ se appetitus exercet. Sed quoniam tam bonum, quàm malum relatum ad appetitum gemino modo se habet, vel scilicet absolutè, quâ bonum, & malum est, vel quâ bonum, & malum est arduum, ita dictum quoniam difficile possit obtineri, idcirco secundo loco passiones diuiduntur in quatuor genera, ut aiunt subalterna, quorum Primum est prosecutio concupiscibilis circa bonum absolutè acceptum. Secundum est fuga huic prosecutioni contraria circa malum absolutè. Tertium est prosecutio irascibilis. Quartum est fuga irascibilis circa malum arduum; appetitus autem sensitivus dicitur concupiscibilis, prout circa bonum, vel malum absolutè versatur; dicitur irascibilis, prout versatur circa bonum, vel malum arduum, nempe bonum connotans aliquid impediens eius consecutionem, malum verò, quatenus connotat aliquid illud inducens.

Quadritita diuisio.

Primũ genus subalternum,

Quatuor passionum genera, in quatuor species diuiduntur

Quatuor prædicta passionum genera subalterna in suas species diuisionem subdit. Prosecutio concupiscibilis, quæ nempe circa bonum absolutè sumptum est occupata, tres habet species, amorem, concupiscentiam, & delectationem, prout bonum prosequitur absolutum, vel absolutè, vel absens, vel præsens. His tribus speciebus totidem opponuntur fugæ odium, abominatio, tristitia; prosecutionis autem tripartitam distributionem non solum experientia, sed etiam ratio confirmat.

Ratio tripartitæ prosecutionis.

Ratio igitur prosecutionis tripartitæ ea est, quod ut se habet naturalis appetitus, inclinatione, seu naturali potentiâ ad sibi consentaneum obiectum: ita se habet sensitivus appetitus inclinatione elicita ad bonum suum. At in naturali appetitu tria numero sunt, videlicet ipsa potentia, quæ inclinatio quædam est ad obiectum; localis motus itidem ad obiectum absens; & quies in obiecto possesso: non dissimiliter in appetitu sensitiuo tres debent actus eliciti recognosci, amor, qui est inclinatio elicitâ: desiderium, quod est quidam motus; delectatio, quæ est quies elicita.

Secundum genus subalternum, scilicet fuga, prosecutioni iam explicatæ contraria, ut nuper dicebamus, tres continet fugas, totidem prosecutionibus contrarias odium, abominationem, & tristitiam.

Secundum genus subalternum

Tertium genus subalternum, nempe prosecutio irascibilis, quæ est circa bonum arduum, quodq; difficile obtineri potest, tres habet species spem, audaciam, & desperationem; bonum enim arduum, vel præsens est, vel absens; at vero absens, vel putatur possibile, ut obtineatur, vel impossibile. Circa bonum arduum præsens, nullus est necessarius actus appetitûs irrascibilis, sed circa illud versatur concupiscibilis actu delectationis; enimverò non absimili modo, inquiunt, se habet bonum, cum est præsens, siue facilè siue difficilè possit obtineri. At verò circa bonum arduum absens; hoc est non dum obtentum, sed quod obtineri possit, spes, & audacia versatur. Et quidem spes illud ut finem, ac terminum respicit. Audacia verò neglecto malo imminenti, progreditur ad media, quæ possunt ad boni difficilis consecutionem perducere. Circa bonum impossibile desperatio versatur. In huius autem obiecto duo sunt, & bonum, & impossibilitas illud obtinendi; atverò impossibilitas ad formalem rationem pertinere videtur, quæ cum mali naturam habeat potius ad fugam spectabit, quàm ad prosecutionem, proindeque ratione materialis partis ad hoc, de quo loquimur, tertium genus, ratione verò partis formalis, ad quartum subsequens reuocabitur.

Tertium genus subalternum

Quartum genus, quod est fuga irascibilis, & cuius obiectum malum arduum esse diximus, duas habet species iram videlicet, & timorem. Propterea quod malum arduum, hoc est malum euitatu difficile, vel est præsens, & hoc pacto excitat tristitiam, quæ ad secundum genus, nimirum ad fugam concupiscibilem pertinet: vel est absens, & hoc modo timorem excitat audaciæ contrarium. A malo etiam arduo excitatur appetitus vindictæ, nempe motus ad vindicandum malum iam acceptum, malũ rependendo vi-

Quartum genus.

Digitized by Google

do vicissim aliud malum, & hic motus ille qui dicitur ira; at verò ira inspecta secundùm materialem rationem, quæ malum est, quod rependitur, ad quartum hoc genus pertinet; at secundum rationem formalem, quæ est ipsa retributio, & æqualitas vindictæ, quæ quandam boni rationem obtinet ad tertium genus potest reuocari; hinc ex Philosophorum sententia undecim sunt passiones animi; sex nempe concupiscibiles, *Amor*, *Concupiscentia*, *& Delectatio*; tres verò fugæ. *Odium*, *Abominatio*, *& Tristitia*. Quinque Innascibiles, *Spes*, *Audacia*, *& Ira*; duæ verò fugæ. *Timor*, *& Desperatio*. Alij etiam sex dicunt esse perturbationes irascibiles, quoniam quinque commemoratis addunt mansuetudinem, quatenus in malum non insurgit potentia, nec fertur ad vindictam, sed quiescit in illo.

Animi passiones undecim.

A commemoratis affectibus alii prosciscuntur. Ab Aristotele sequentes recensentur; & quidem hoc ordine. Ira, Lenitas, Amor, Odium, Metus, Confidentia, Verecundia, Inuerecundia, Gratia, Misericordia, Indignatio, Inuidia, & Æmulatio.

In his affectionibus duæ sunt considerandæ personæ, & causa affectionis.

Cum de his affectibus tractatio instituitur, duæ sunt personæ, quæ in considerationem veniunt, altera nempe, quæ afficitur, & altera, quam respicit affectio, & insuper affectionis causa, ut quæ persona irascatur, cui, & quam ob causam irascatur. Hæc in singulis affectionibus Aristoteles, quam accuratissimè tractat, eiusque doctrinam paucis mox perstringemus, præmissâ ratione, modoque excitandi affectus generatim, quam in præsens aggredimur; In uniuersum porrò excitabit Orator affectus in auditorum animis si eos in se voce, gestu, totiusque corporis habitu esse demonstrauerit, quibus auditores afficere cupit; oportèt enim, ut non tantùm Orator auditores mouere studeat, sed ut etiam se ipsum afficiat, quod à Tullio nos obseruatum legimus, nam, *Vt mihi*, inquit, *non solùm tu inuere iudicem, sed ipse ardere videaris. Neque enim fieri potest ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamque deducatur, nisi omnes is motus, quos Orator adhibere volet iudici, in ipso Oratore impressi esse, atque insisti videbuntur*; nulla siquidem mens tam est ad comprehendendam vim orationis parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit, propterea Lyricus cecinit

Quomodo Orator uniuersè possit affectus excitare in auditorum animis. Lib. 2. de Orat.

Horatius in Arte.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus, si vis me flere dolendum est
Primùm ipsi tibi, tum tua me infortunia lædent.

Sed quoniam oratio est interpres mentis, verbis discrepans, sententiis congruens, ut Cicero dicebat; idcirco summopere curandum Oratori, ut pathetica, & affectu plena sit, quam adhibet oratio; hoc enim modo facilè concitabit in auditorum animis affectus; ut concitet enim iudices ad indignationem oratione uti debet irarum plena, ut Aristoteles notauit; itaque motum animi plurimum miscebit oratio irarum plena, cum de aliqua agitur contumelia. Si autem impia, & turpia facta tractanda sint, id cum indignatione, cautèque, & quasi timidè faciendum; si verò laudabilia, cum animi voluptate; si autem miserabilia, demissè, & humiliter, & ita de reliquis. Rationem reddit Philosophus, quoniam locutio rebus accommodata momenti plurimum ad persuadendum habet, propterea quòd auditoris animus in errorem trahitur, qui ea verè dici existimat; nam in huiusmodi rebus homines hunc se habent in modum, quamobrem etsi res non ita sit, ut Orator affirmat; attamen sic se habere arbitrantur, prout enim affectus est Orator ipse, ita etiam auditor afficitur, neque refert utrum vera, vel falsa dicat; sic enim in fictis rebus, ut in veris afficitur. Hinc multi Oratores ita vehementer auditorum animos commouent, ut eos quasi attonitos reddant, quod ut cæteros omittam, Pericles fecisse dicitur, quem tonare, fulminare, permiscere Græciam dixit Eupolis, qua de re summopere gloriatur Tullius, dum ait. *Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe aduersariorum de statu omni deiecimus*. Interest autem plurimum Oratoris diligenter aduertere auditorum conditionem, sexum, ætatem, gradus, ac dignitates; non enim eadem est ratio pro omnibus horũ commouendis affectibus; oportet igitur habere perspectam indolem eorum, quibus motum aliquem perturbationis imprimere voluerit; vix enim concipere licet quam magna sit animorum dissimilitudo. Quidam enim sic naturâ languent, ut ad commiserationem sint proclives, ad iracundiam tardi. Alii verò facilè quidem excandescunt, à misericordia autem abhorrent, & in reliquis eodem modo; de his autem alibi dabitur nobis disputandi occasio, non enim præsentis est instituti, quemadmodum pro accurata rei consideratione opus foret, populorum, sexuum, ætatum, conditionumque varias propensiones expendere. Sat igitur sit adnotasse hæc esse Oratori præoculis habenda; pueris enim, & adolescentibus proponenda sunt læta, & iucunditatis plena; mulieribus exempla; tumidis, ambituque laborantibus splendida magis arridebunt, seriis, seria, & eruditis, quę quampiam eruditionem redolent. Et ut verbo dicam, singulis singula accommodanda, quæ autem ætatibus conueniant, Lyricus eleganter explicuit, ubi hæc eadem Poetis præcipit, dicens,

In Orat. ad Brutũ.

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.

Horatius in Arte.

Quæ non modo sunt Oratori consideranda, ut possit adhibere ea quæ sunt ad persuadendum accommodata (facilius enim Orator exempli causâ, iuuenibus persuadebit, quæ velit, si ijs utatur, quibus Iuuenes delectantur.) Sed etiam ut, si opus fuerit, personas inducat cum decore loquentes, itaut puer, non ut vir, vel ut senex loquatur.

Nam egregiè Lyricus,

Intererit multum Davus ne loquatur, Eros ne
Maturas ne senex, an adhuc florente iuventa
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli,
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Agris.

Horatius in Arte.

Vbi postea singularum ætatum mores eleganter describit, initio à pueritia ducto, dum ait.

Reddere, qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum; gestit paribus &c.

De quibus in dissertationibus poeticis aliqua dicam; De gentium verò moribus, quos optimè callere debet Orator (non enim omninò eadem adhibenda Oratori, dum ad Gallos, vel ad Hispanos loquitur, ut ab ipsis assensum extorqueat) in dissertationibus de rebus cælestibus verba facienius. Ex quo facilè intelliges Oratorem egregium esse non posse, nisi ex varijs artibus, ac scientijs multa didicerit; probè siquidem instructum oportet eum esse, ut ex pluribus ea seligere possit, quæ sint ad persuadendum accommodata.

1. Lib. de Legibus.

Lib. 3. Rhet. cap. 14 alias 5.

Conditio itidem, sapientia, & probitas Oratoris multũ ad commouendos affectus in auditoribus conducit; nam rectè Phil. τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον, ἢ ἁπλῶς, ἢ παντελῶς. ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μηδέν ἐστι, ἀλλὰ τὸ ἀμφισβητεῖν, ἢ παντελῶς. *Probis enim viris*

Conditio Oratoris multum facit ad commouendos affectus.

viris & magis, & celeriùs credimus generatim quidem in omnibus rebus: sed in iis præcipuè, quæ certò sciri non possunt, sed variè traduntur. Hoc adeo verum, ut Menander affirmaret mores esse dicentis, qui persuadeat, non autem orationem; sed re verâ id etiam ipso orationis genere consequi oportet, ut ipse Philosophus ait; non enim satis Oratorem, ante conceptam de se bonam opinionem ad dicendum afferre, sed optimis moribus oportet eum instructum esse, alioquin non facilè persuadere poterit, nec affectus mouere; ut ob id definitus à Catone fuerit Orator, vir bonus dicendi peritus: Nec esse potest tam graui, sublimique nomine dignus, nisi qui probus vir fuerit; hoc tamen non sufficit, si nanque sit bonus, at verò malus existimetur, nunquam suadebit, neque concitabit affectus; opus est ergo, ut eo genere orationis utatur, quo vir bonus esse videatur.

Loci ex quibus affectuum concitatio desumi possit. Primus locus.

Loci autem à quibus affectuum concitatio petenda sit, qui nam sint, paucis aperiam.

Primus ex his locis occurrit Descriptio, hæc enim plurimum valet ad commouendos affectus; Orator enim si pro dignitate teterrimum alicuius vitium descripserit, citra laborem in auditorum animis iram, ac indignationem excitabit; si autem virtutem alterius ob oculos eleganti descriptione posuerit, ad amorem, vel ad misericordiam, aut aliquem alium affectum, pro virtutis conditione, mouebit. Vt si Orator ad vivum descripserit Superbum, quis erit auditorum in quo aduersus illum indignatio non excitetur? Si autem humilem eleganter descripserit, quis ad illum amandum non inflammabitur? Si miserum, & fortunæ ludibrium repræsentauerit quis erit, cuius animum miseratio non subeat?

Secundus locus:

Secundus locus est similitudo, & exemplum; hoc enim est summopere multitudini accommodatum, atque deliberationi quammaximè conueniens; hoc plurimum valet ad affectus commouendos, quod enim exemplo fit, id fieri rectè putatur, magisque delectat exemplum, quam enthymema; hæc itaque plurimum commouent, magisque mouent, quàm verba, ut notat Tullius in partitionibus, & Macrobius in Saturnalibus. *Plebeia*, inquit, *ingenia magis exemplis, quàm oratione capiuntur.* Exemplis autem adiungi possunt & Fabulæ; sic Orator ad laborum tolerantiam, ac perpessionem honestatis, aut utilitatis causa, formicæ quidem exemplo in auditoribus affectum commouebit, & ideo illis, quod expressit Lyricus, proponet

Macrobius lib. 7. Saturnal.

Hor. lib. 2. Sat. 1.

Parvula nam exemplo est, magni formica laboris.
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud &c.

Similitudo etiam & comparatio ad idem quammaximè conducit.

Tertius locus.

Tertius locus est ab adiunctis, his enim de aliquo auditis, mouentur auditores non parum pro conditione illorum. Vt miserationis affectus vehementer excitatur in illo, qui audit iniustè ex iudicis sententia mulierem bonis fuisse multatam, sed longè plus si intelligat eam esse virginem, esse teneræ ætatis, esse nobili genere ortam, esse orphanam, esse rebus omnibus egentem, & aduersâ valetudine utentem; huiusmodi igitur adiuncta plurimum faciunt ad commouendos in auditoribus affectus; quemadmodũ circumstantiæ & loci, & temporis, finis, & modi, quo aliquid fit, magnam vim ad affectuum commotionem habent.

Figuræ quæ plurimùm valent ad excitãdos affectus.

Ex figuris autem præcipuę quædam sunt aptiores ad concitandos affectus.

Tales profectò sunt *Exclamatio*, *Apostrophe*, *Acclamatio*, *Obsecratio*, *Interrogatio*, *Imprecatio*, *Admiratio*, *Repetitio*, *Conuersio*, *Congeries*, *Hyperbole*, & maximè omnium *Hypotyposis*, *Prosopopœia*, *Ethopœia*, *Idolopœia*, de quibus suo loco disseruimus.

Hucusque de affectibus generatim, nunc de iisdem speciatim pauca quædam subiiciam, & quidem hoc ordine, ut primo *definitionem*, *ac diuisionem eorum afferam*; deinde *illa*, *quibus excitantur*, postea verò *remedia*, quibus comprimuntur, atque demum *effectus*, quibus amplificantur, & ab Ira cum Aristotele ducam exordium.

Propon[illegible] ear de affectibus sp[illegible] eiar in agendu[illegible]

De Ira.

De Ira.

IRa græcè Ὀργὴ, ab ὀργίζομαι, *irascor* dicitur; atverò ira, iracundia, furor, animi, excandescentia in corde residens ita dicitur à verbo *ire*, quod Irati, & Iracundi, quamdiù furor ille durat, non apud se sint, sed extra iuerint, & pacati ad se redierint; & hæc huius censentur Vocis etymologia.

Multiplex definitio Iræ.

Ira multifariam definita fuit. Stoicis ira definitur. Ὀργὴ ἔφεσις τιμωρίας ἐπιθυμία τοῦ δοκοῦντος ἀδικεῖσθαι ἢ προσηκόντως. *Ira est cupiditas puniendi eius, qui iniuriâ læsisse videatur.* Ab aliis etiam modo non nihil diuerso, & quidem à Tullio Stoicorum imitatione definitur. *Libido puniendi eius, qui læsisse videtur iniuriâ.* Aristoteles variè illam definit, nam alicubi ait esse, ὀρεξιν ἀντιλυπήσεως ἤ τι τοιοῦτο ἀδ. *appetitum mutuum doloris, aut tale quidpiam*; quæ definitio dialectica est, utpote tradita per formam, nam ratio est rei forma. Dialectica verò definitio per solam traditur formam, quia cum Dialecticus certam non habeat, in qua versetur, materiam, nec alicui sit generi adstrictus, materiâ neglectâ, solam formam considerat: Eidem etiam definitur, ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος, *Feruor sanguinis circa cor*, quæ definitio est physica, sed imperfecta, cũ solam materiam explicet. Perfecta definitio ex utraque constat, nempe *Appetitus vindictæ ob feruorem sanguinis circa cor*: In Rhetoricis autem Philosophus iram definit hoc modo. Ἔστω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς ἅ τις αὐτῷ προσηκόντως. *Sit igitur ira, libido cum dolore sprætæ punitionis, propter apparentem contemptum vel in se, vel in suorum quempiam, contra id, quod oportebat.* Triplex assignari solet, 1. *Bilis*, quâ aliquis ob leue dictum vel factum statim excandescit, & statim sedatur, qualem se fuisse Horatius testatur.

Iræ definitio à Stoicis tradita.

Tullius quomodo iram definierit.

4. Lib. Tusc.

2. Lib. de Anim. cap. 15.

Lib. 2. Rhet. cap. 1.

Corporis exigui, præconum solibus aptum
Irasci celerem tamen, ut placabilis esssem

Et quales esse solent omnes, qui acri pollent ingenio 2. *Furor* qui præceps, ac insana quædam est perturbatio mentis ad vindictam, 3. *Iracundia*, quæ est permanens, ac incitata ultionis appetitio, & propriè Ira dicitur, quæ à virtutis amore proueniens in improborum vitia, bona est, & dicitur *Zelus*, si tantùm in homines, quatenus infensos, dicitur *Vindicta*: Vel, ut alijs placet, ab ira veniunt irascor, iratus, & iracundus, quæ ita differunt, quòd iratus est, qui ex aliqua re lacessitus excandescit; iracundus, qui ex quacunque etiam leui causa semper mouetur ad iram.

Quòd si ira est huiusmodi, inquit Aristoteles, necesse est, eum qui irascitur, singulis semper hominibus irasci, ut Cleoni. (Erat Cleon homo garulus, inquietus, & audax, & in seditione ex coriario factus Imperator) non autem homini, quia aut ipsum, aut quempiam suorum vel contempsit, vel id facere cogitauit, nempe fieri non potest,

ut

ut quispiam naturæ humanæ irascatur, aut universis hominibus, sed qui irascitur, aut uni, aut aliquibus certis hominibus irascitur, ut Socrati, aut Athenienſibus eam ob cauſam, quia vel ipſe contemptus ſit, vel aliquis eorum quos amore proſequitur, & caros habet; irascimur autem ſingulis hominibus, eoquòd ira naſcitur ex contemptu, at verò contemptus quædam eſt actio, ſed omnes actiones ſingularium hominum, aut rerum ſunt; oportet igitur iram omnem eſſe in ſingulos homines; non autem in uniuerſos; quod ſi contrarium eueniat, non ira, ſed odium erit.

Res propter quas in mouetur. 1. Rhet. Negligentia quid.

Res autem propter quas ira mouetur, Ariſtoteles declarat, cumque propter negligentiam apparentem ira moueatur explicat, quid negligentia ſit, quæque ſint eius partes, & ait, Ἐπεὶ δ' ἡ ὀλιγωρία ἔστιν ἐπιλογισμὸς δόξης περὶ τοῦ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον. *Quandoquidem negligentia eſt opinionis actio, quæ nullius eſſe momenti videatur;* Itaque ex eius conſilio, negligentia eſt actus opinionis in ea re, quæ nullius eſſe momenti videtur, ut enim diligentia, ſic negligentia ab opinione naſcitur; enimverò iis in rebus diligentiam adhibemus, quas noſtra permagni intereſſe vel in acquirendo bono, vel in euitando malo exiſtimamus; ex aduerſo autem negligentes ſumus in rebus, quas nullius eſſe ponderis arbitramur; declaratur igitur negligentiæ definitio ex contraria diligentiæ definitione; diligentia nanque in iis rebus verſatur, quæ bonæ, vel malæ ſunt, vel ſaltem ad bona, & mala referuntur; idcirco neceſſe eſt negligentiam verſari in iis, quæ nullius eſſe momenti putantur, vel valde exigua, vel nullo in pretio habentur. Tria autem negligentiæ genera commemorat, καταφρόνησιν, *Contemptionem* ὕβριν, *Violentiam*, ὕβριν, *Contumeliam*. Eſt igitur Contemptio negligentiæ ſpecies, quia homines negligunt ea, quæ contemnunt. Altera ſpecies eſt Violentia, quæ ſtudium alicuius eſt impediendi voluntates alienas, non ut is aliquid acquirat, ſed ne alii, quod volunt, aſſequantur; violentus autem homo negligit eo quòd nec timet illum cui incommodat, nec ab eo aliquid ſperat, ut propterea longè potentiores violenti ſæpe eſſe ſoleant. Tertia eſt Contumelia, quæ planè contingit, cum quis lædit, ac dolore afficit quempiam eam in re, ex qua illi, qui patitur, ignominia naſcitur, non ut contumelioſus aliquid plus habeat, quàm ante haberet, ſed tantùm ut voluptatem capiat; addit Philoſophus aliud eſſe vlciſci, & aliud contumelioſum eſſe, nam qui, inquit talionem reddunt, non contumeliam inferunt, ſed vlciſcuntur; quare autem contumelioſi voluptatem ex contumelia percipiant, cauſa ex Philoſopho eſt, quoniam tales exiſtimant iis, quibus malefecerint ſe magis præſtare; omnes enim cupiunt aliis præſtare, & ſuperiores videri, qui autem malefaciunt alicui videntur in ea re ſuperiores eſſe, propterea voluptatem ex contumelia percipiunt; hinc iuuenes, & diuites contumelioſi ſunt, quoniam in contumelia inferenda ſe cæteris antecellere arbitrantur. Conſtat etiam contumeliam eſſe negligentiæ ſpeciem, quoniam contumeliæ proprium eſt infamiã, & ignominiam alicui inferre, at qui hoc facit, proculdubio negligit, eoquòd eum nihili facit, & neque bonum, neque malum ſibi eum afferre poſſe opinatur. Omnem etiam iram ex apparenti negligentia prouenire probat; nam omnes homines indignantur, cum ſe negligi intelligunt, & contra gaudent, cum ſe magni fieri cognoſcunt; idcirco quoties aliqua in re præſtans, ab eis obſeruari contendunt, qui eadem in re inferiores ſunt; ut ſi quis ſuperior ſit aut nobilitate, aut opibus, aut virtute, facilè quidem irascitur, ac indignatur, niſi ab eo, qui inferior eſt, obſeruetur, aut ab ipſo ſuperetur, hoc quatuor exemplis Philoſophus confirmat. Amplius quiſque vult ab illis obſeruari à quibus exiſtimat ſe beneficiis affici oportere, ii porro ſunt, de quibus alias benemeritus eſt; vel quibus in præſens, aut ipſe, aut propinquus eius aliquis, aut alius quiſpiam ipſius gratia benefecit. Immo etiam cum animum noſtrum promptum ad obſequendum alicui demonſtrauimus, illique gratificari conati ſumus, & ſi res non euenerit, iam illum nobis debere exiſtimamus, & ideo irascimur, niſi nos obſeruet; hæc porrò à negligentia prouenium.

Qui, & quomodo affecti irascantur.

Qui nam, & quomodo affecti ſint, qui irascuntur, declarat Stagirites, ex eius autem ſententia tunc homines ad iram ſunt procliues, cum aliquo dolore, vel ægritudine laborant, nam qui animo dolent ſemper aliquid cupiunt, quo huiuſmodi moleſtiâ liberentur; ſi quem igitur arbitrantur ſibi impedimento eſſe, quo minus talem ægritudinem deponant, illi vehementer ſuccenduntur, quin immò putant omnes cupiditati voluntatique ſuæ aduersari, qui cum eis non dolent, ac eodem modo, quo ipſi, afficiuntur; qui igitur morbo laborant, aut paupertate præmuntur, aut amant, aut ſitiunt, aut aliquid cupiunt, & id aſſequi non poſſunt, iracundi ſunt.

Primum genus eorum qui irascuntur

Secundũ

Ii quoque irascuntur, qui dolent ſe, aut ſuos non eo reputari loco, quo oportet.

Tertiu

Inſuper & illi vehementer irâ concitantur, qui aduertunt eum, in quo ſunt, ſtatum negligi, atque adeo negligentibus irascuntur, ut ægrotans ei, qui morbum ſuum non curat; pauper ei, qui paupertatem; miles ei, qui bellum; amans ei, qui amorem & ita de reliquis. Rationem reddit Philoſophus in eo poſitam, quòd unuſquiſque ducitur ab animi perturbatione, in qua prius erat, ad iram, quæ ſingulis in rebus excitatur: cum enim homo in aliqua eſt perturbatione, & ei quidpiam occurrit, quod iniuriæ ſpeciem obtineat, animo ſtatim exardeſcit.

Quartum,

Inſuper & illi, quibus mali aliquid præter opinionem euenit, quoniam, ut Philoſophus ait, maiorem dolorem, magnum & inſperatum incommodum affert: ut magnum & inſperatum bonum magis delectat, cum ex animi ſententia ſuccedit.

Circumſtãtiæ, quæ promouẽt iram.

Ad extremum in iis, qui facilè irâ concitantur, conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, quæ ex dictis intelligi poſſunt, nimirum quo tempore, & qua affectione & qua ætate ſint homines procliuiores ad iram, mane ſiquidem dum adhuc ieiuni ſunt homines, facilius irascuntur; pranſi verò, ac cænati, mitiores fiunt. Ætates autem diuerſo modo iram concipiunt, pueri ſiquidem, & adoleſcentes ob ætatis feruorem breui de causa irascuntur, etſi facilè placentur, ut notat Lyricus.

In arte Poetica.

& iram
Colligit, ac ponit temere & mutatur in horas.

At verò ſenes grauiores concipiunt iras, nec eas facilè deponunt; adſunt etiam, & circumſtantiæ conſiderandæ, quibus ira vehementius accenditur, nempe quando, & quo in loco magis homines irascantur, cum enim quidam nobis incommodant rem ſeriam acturis; tunc eis irascimur.

Ira ſuos habet gradus.

Et quoniam ira ſuos habet gradus, nam aliquando minus, aliquando magis homines irâ concitantur; ob id planum eſt etiam, ut Philoſophus ait, omnes magis ad iram eſſe pronos, cum magis iis, quas diximus, rebus tenentur; ita quidem quo quis magis

ali-

aliquid concupiſcit, eo etiam illi grauiùs irascitur, à quo nimirum impeditur, quominus quod habet in votis, aſſequatur, &c.

Quibus hominibus, & quibus de cauſis homines irascãtur. Primũ genus eorũ, quibus homines irascuntur.

At quibus hominibus, & quibus de cauſis nos irascamur cum Ariſtotele breuiter explicabimus; ex eius autem ſententia nos iis irâ ſuccendimur, qui vel derident, vel ludibrio habent, vel dictis laceſſunt, quoniam, ut ipſe ait, hæc facere contumelia eſt.

Secundũ genus.

Ira itidem grauis in eos concitari ſolet, qui contumeliæ tantùm gratia lędere videntur, qui nanque alium offendit, vel ut talionem reddat, & acceptam ulciſcatur iniuriam, vel ut quidpiam utilitatis aſſequatur, is profectò contumeliam facere non videtur, cum hæc ex ſupra diſputatis, ſit alterius læſio ſine ultione, vel utilitate.

Tertium genus.

Iis etiam vehementer omnes irascuntur, à quibus intelligunt ſe vituperari ea in re, cuius ſunt ſtudioſi; nemo enim eſt, qui in arte, ſtudioque ſuo non cupiat excellens magnopere videri; ut ſi quiſpiam ſtudio Sapientiæ deditus aduertat in ea ab aliquo contemni, & Philoſophiæ ignarum reputari, ſtatim illi vehementer irascetur. Vel ſi quis pulcher, atque formoſus videri deſiderat, & intelligat ab aliquo deformem haberi, in illum ſtatim ira vehementer exardeſcet; & hi multo magis, ait Philoſophus, irascuntur, quando ſuſpicantur ea ſibi non adeſſe, quibus ſtudent, vel omninò ſe eſſe expertes, vel etiam ſi teneant, non exiſtimari. Ira nanque plurimum augetur in eo, qui honorem ex quopiam ſtudio maximè cupit, in quo non multum adhuc profecit, ſi ſe vituperari aduertat, & præcipuè ſi non dum in eo nomen, famam, & exiſtimationem acquiſierit; nemo enim eſt, qui ſtudio ſuo fauere non cupiat. At ex aduerſo qui exiſtimant ea ſibi firmiter adeſſe, parui faciunt eos, à quibus ſe in ea parte vituperari ſentiunt. Amplius homines cum ab amicis lęduntur, vehementius irâ concitantur, quàm ſi ab inimicis offendantur; putant enim conuenire magis ab amicis ſe benè tractari, quàm contra; cum enim non ſolum beneficio fraudari, ſed etiam offendi vident ab ijs, à quibus beneficium ſibi deberi exiſtimant, vehementi commouentur irâ.

Frattum acerbæ irę

Hinc fratrum acerbiſſimæ iræ, ut adagio fertur, quoniam qui impensè amant, iidem etiam impensè oderunt, tam ut Stagirites dicebat, pars ea animi, in qua irarum ardor exiſtit, eadem eſt, quæ amicitiam gignit; hæc enim eſt animi pars, quâ ad amorem impellimur, quod ex eo innoteſcit, quia magis in familiares, & amicos pars illa concitatur, quàm in ignotos ſi ſe contemptam arbitretur.

Quartum genus.

Illis itidem homines irascuntur, qui vel ipſos honore afficere, vel de ipſis curam ſuſcipere conſueuerant, ſi poſtea non idem efficiunt; ab eis enim tunc ſe contemni putant; enim verò niſi hoc eſſet, idem eos eſſe facturos arbitrantur; contemnere nanque videntur qui non exhibent honorem, quem ſolebant.

Quintum genus.

Iis etiam irascuntur qui accepta beneficia non reddunt, aut æqualem gratiam non referunt, nemo enim eſt, qui non excandeſcat irâ aduerſus eum, qui cum facultas datur, beneficium acceptum reddere iniuſtè renuit; nec immeritò, nam re verâ, nihil turpius ingrati animi vitio, nam in hoc nihil mali non ineſt; *Nihil eſt*, dicebat Tullius, *tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio, non dicam indignus, ſed victus eſſe videare.* Is tanti gratum animum faciebat, ut crederet non ſolum gratum eſſe debere, qui beneficium accepit, ſed cum quoque, cui poteſtas accipiendi fuit. Immo ex eius ſententia, cui gratia referri non poteſt quanta debetur, habenda tamen eſt quantam maximam animi noſtri capere poſſunt; & nihilominus non deſunt, qui quo plus debent, magis oderunt; beneficia enim ipſis eo uſque læta ſunt, donec perſolui poſſe videantur, ubi multum anteuenere, odium pro gratia reddunt.

Homines iis itidem irascuntur, qui conatibus eorum reſiſtunt, & impedimento ſunt quominus genus ſuos conatus peragere poſſint, quanuis inferiores ſint; hac enim ratione videntur ſuperiores eſſe velle, ac ob id ipſos deſpicere.

Illis itidem qui in nulla ſunt exiſtimatione, ac ob id viles, & abiecti, facilè nos irascimur, ſi in re quapiam ab ipſis parui fieri cognoſcamus, quod ex ita definitione conſtat; dictum eſt enim iram excitari propter negligentiam in eos, quos non conuenit, at inferioribus non conuenit ſuperiores negligere, quin potius colere, & obſeruare.

Amicis etiam irascimur, niſi vel benè dixerint, vel benè fecerint, quoniam tunc fungi officio ſuo videntur; amicorum ſiquidem eſt amicos laudibus efferre, ac in eos beneficia conferre, qui autem id non faciunt, negligere videntur; ex huiuſmodi autem negligentia oritur ira, & multo magis ſi contraria fecerint, nempe vel vituperauerint, vel læderint.

Irâ nos itidem exardeſcimus in eos, quos intelligimus lætari, cum aliquod nobis infortunium accidit, & ſecuro eſſe animo in noſtris calamitatibus, hoc enim vel inimici vel negligentis inditium eſt.

Irascimur etiam & illis, qui nobis dolorem afferunt, nec præcauent moleſtiam noſtram, ut ei obuiam eant, quin potius non curant etiamſi dolore nos afficiant; hinc ijs, qui nobis mala nunciant, ſuccenſemus, & iis qui pacato animo vituperati nos audiunt, & ijs qui noſtras ęrumnas citra moleſtiam intuentur; ut enim eos præmio dignos exiſtimamus, qui primi nobis iucunda nuntiant, ita penè multandos arbitramur, qui ardenti ſtudio mala nobis perferunt, ut non immerito dictum fuerit.

Nemo eſt malorum nuncium, qui diligat.

Iis autem ideo irascimur, quia aut nos ipſi negligunt, aut inimici ſunt; enimverò ſi amici forent æquè ac nos, in dolore, atque mœſtitia eſſent; at nemo eſt animo tam forti, qui dolore non ingemiſcat, cum proprias calamitates percipit.

Nunquam homines ęquo animo negligi patiuntur, præcipuè tamen apud quinque hominum genera. Primò apud eos cum quibus de honore, & gloria contendunt, deſiderio ſiquidem flagrant aduerſarios ſui nominis amplitudine, ſplendoreque deterere; ęgrèque permittunt ſe illis inferiores videri. Secundo apud eos, quos admirantur, illos enim ſibi conciliare ſua veneratione amicoſque facere conantur; at cum apud eos contemnuntur ſuâ ſpe timent ſe deiectum iri. Tertiò apud eos, quibus cupiunt ſe admirationi eſſe; res enim plena iucunditatis eſt, multos habere, qui nos, & noſtra ſuſpiciant, quoniam hoc firmum eſt præſtantiæ ſignum: at qui nos coram ipſis negligunt, nobis huiuſmodi iucunditatem arripiunt, atque dolorem inferunt, ut ob id in illos non immeritò iraſcamur. Quartò apud eos quos verecundantur, ut apud magnates, & apud graues, atque ſapientes homines, cum enim apud hos parui fieri cognoſcunt, irâ vehementer accenduntur. Quintò atque poſtremo apud eos, quibus ipſi ſunt veneratione, ut ſi quiſpiam parentes apud filios, aut præceptorem apud diſcipulos, aut dominum apud ſubditos parui faciat, illi nanque & patentes, & dominus

Digitized by Google

minus irascentur.

cimum
ndum

Amplius etiam & iis, qui negligunt eas personas, quas non tueri turpe esset; nemo enim est, qui tamen quæcunque agit, ad dignitatem referat, quin inflammetur irâ, grauissimèque ferat, cum eas personas contemni videt, quibus nisi opem ferat, ignominiosus euadit, ut cum parentes suos, aut uxorem, aut imperio subditos vel offendi, vel contemni intelligit.

cimum
num.

Irascimur etiam vehementer iis, qui cum à nobis beneficium acceperint, gratiam tamen referre non curant.

cimum
rum.

Iis frequenter irascimur, qui dissimulatione utuntur, cum seriò agimus, quoniam neglegi arbitramur, dissimulatio enim signum contemptionis est.

cimum
rum.

Insuper homines iis irascuntur, qui sunt in alios benefici, ac liberales, nisi etiam ipsis benefaciant; contemptionis enim est signum, non ijsdem rebus aliquem dignum iudicare, quibus omnes alios iudicant; nam irascimur illi, qui nobis negat, quod alijs quamlibentissimè concedit; iræ autem causa est, quia nos contemnere videtur eo quòd eâ liberalitate nos minimè dignos existimat, quâ in alios generosissimè utitur.

cimum
um.

Obliuio etiam iram concitat, ut si quispiam alicuius nomen penè fuerit oblitus, siquidem obliuio negligentiæ signum esse videtur: quandoquidem obliuio ab incuria proficiscitur, incuria verò negligentia quædam est; qui nanque rei alicuius obliuiscitur, eam videtur contemnere, cuius enim rei curam non habemus, eius itidem obliuiscimur; at incuria negligentia putatur, ut dictum est.

Supradictorum autem de ira tractatio non nihil habet utilitatis, admonente Philosopho, videlicet ut Orator iudices ad iram procliues reddat, & ut aduersarios iis esse criminibus culpandos ostendat, quæ omnium in se iram commouere debeant.

Vberius tamen hactenus exposita, summatim tractata sequentem in modum se habebunt. Primò considerandi sunt homines, qui irâ concitantur. Secundò ij, quibus irascantur. Tertiò causas propter quas irâ soleant escandescere.

ria ho-
num ge
es qui
a conci-
ntur.

I. Primò irascuntur illi, qui dolent se, aut suos inferiori haberi loco, quàm oporteat. II. Ii, quibus quomodolibet aliquis resistit, ac aduersatur. III. Qui morbo torquentur, aut paupertate præmuntur, aut amore flagrant, aut fame, aut siti vexantur, aut aliud quidpiam vehementer cupiunt, cum tamen id minimè consequantur IV. Excandescunt itidem irâ, quorum quis præsentem statum contemnit, ut quod ii minus benè valeant, aut paupertate, aut alijs miserijs urgeantur V. Ii pariter irasci solent, quibus aliquid mali præter expectationem euenit.

, quibus
omines
scuntur

Ii porrò, in quos homines irâ succenduntur, sunt quos subijcimus I. Primò est aliquis singularis, non enim homini, in uniuersum, sed Socrati vel Calliæ irascimur II. Sunt ii qui deridēt, & subsannant. III. Qui lædunt solùm voluptatis causa IV. Qui vituperant ea, quibus homines delectantur V. Qui necessitudinis vinculo coniuncti sunt, cum tamen beneficentiæ nullum testimonium præbeant VI. Qui honorare desinunt VII. Qui beneficio affecti, ingrati animi vitio laborant VIII. Qui aliorum conatibus aduersantur quanuis inferiores sint; hi nanque superiores negligunt IX. Ii etiam sunt, quibus homines irascuntur, qui cum amici sint, vel saltem haberi velint, non tamen laudant, aut benè de nobis merentur X. Qui miseriis, ac infortunijs nostris gaudent, aut in ijs securo sunt animo, illud enim inimici, hoc verò contemptoris inditium est XI. Qui non curant, num molestiam nobis exhibeant, aut dolorem inferant; ut propterea mala nunciantibus homines irascantur XII. In eos quoque irâ succendimur, qui nos negligunt apud quinque hominum genera, videlicet apud eos, quibus cum de honore, dignitateque contendimus: aut quos admiramur: aut à quibus suspici volumus: aut quos veremur: atque demum apud eos qui nos verentur XIII. Qui contemnunt illos, quos nobis turpe est non defendere. XIV. Irascuntur homines etiam ijs, qui dissimulatione utuntur, apud eos, dum serio agunt. XV. Qui cum benefici sint erga alios, de nobis tamen benemereri nolunt. XVI. Iis etiam irascimur, quos adeo præmit obliuio, ut eorum memoria nostrum penè excidat nomen.

Irarum causa negligentia est, cuius tres assignantur species Contemptio, Violentia, & Contumelia.

De iræ tamen natura, deque aliis ad ipsam spectantibus, in Morali Philosophia copiosè differendum.

Alia quæ iram incẽdunt.

Præter allatas causas, quibus ira concitatur, sunt etiam & alia, quæ idem præstant, & quorum usu potest Orator iram augere, huiusmodi autem sunt figuræ nonnullæ, quas suo loco tractauimus, nimirum *Ethopœia*, *& Hypotyposis*; per has enim oculis illatæ iniuriæ damna subiiciendo, vel dedecoris signa luculenter explicando, atque demum ostendendo nullam existimationis, dignitatisque partem relictum iri, nisi debitam pœnam quispiam repetierit, iram augebimus.

Quæ sin
Remed
iræ.

Ira tamen mitigabitur in irato misericordiam excitando, & proponendo iniuriam non ex animo, sed casu illatam fuisse, non malitiosè, sed inopinatò; non ex negligentia, sed inuoluntariè, & si quæ de culpa potest esse suspicio, curandum, ut veneratione, obsequio, confessione, & veniam quamhumillimè petendo, minuatur; hoc tamen intempestiuè fieri non debet, nempe cum irâ feruet animus, sed potius cum iratus iram deposuerit, quod quando contingat, paulo infra dicetur; cum de lenitate disputabitur. Facit etiam ad iræ extinctionem, clementiæ laus, & etiam amplificatio malorum, quæ ab ira proueniunt, ac turpitudinis, quæ est propria ipsius, ostendendo exemplis, & rationibus animi generosi non esse irasci, sed iram sedare, plusque dignitatis & gloriæ parcendo, quàm ulciscendo comparari.

Effectus iræ.

Effectus autem iræ ex parte quidem corporis sunt vultûs deformatio, oculorum Ardor, totiusque corporis motus indecorus, Maledicta, Contemptus, Loquacitas, Minæ, Imprecatio. Ex parte verò animæ sunt rationis Perturbatio, Inopia consilii, Cæcitas mentis, ulciscendi Cupiditas, &c.

De Lenitate.

De leni-
tate agen-
dum.

LEnitatem ex altera parte iræ respondere, ac aduersari manifestum est, irasci nanque & leniri contraria sunt; propterea de hac proximè disputandum, itaque videndum qui, & quomodo affecti homines lenes sint, & erga quos se leniter gerant, & quibus de causis lenes fiant.

Lenitatis
definitio.
2. lib.
Rhet. cap.
3. alias 3.

Definitur autem lenitas ab Aristotele hunc in modum. Ἔστω δὴ πραότητος κατάστασις, ἡ ἠρεμήσεις ὀργῆς. *Sit autem lenitudo sedatio animi, atque ab ira cessatio.* Nõ dissimulandum significatum illius vocis πραότητος melius exprimi voce *lenitio*, quà tamen latini non utuntur. Cum autem lenitas aduersetur iræ, à contra-

Digitized by Google

Primũ genus eorũ, in quos, lenes sunt homines.

trarijs causis proueniat; si itaque homines irascantur negligentibus, negligentia verò voluntaria sit, apertè constat, ut Philosophus ait, esse lenes aduersus eos, qui aut nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut saltem facere videntur. Quamobrem si homines irascuntur eis, à quibus contemnuntur, lenes profecto in eos erunt, à quibus in pretio habentur, & nulla in re læduntur; si verò læduntur, qui lædunt inuiti faciunt, aut saltem videntur facere.

Secundũ genus eorũ in quos lenes esse solemus.

Lenes etiam sunt homines erga illos, qui contra voluntatem aliquid fecerunt.

Insuper in eos quoque lenes esse homines solent, qui in se ipsos eadem committunt; nemo enim se ipsum negligere videtur; neque est cur homines irascantur ijs, qui tales sunt in alios, quales in se ipsos esse solent.

Tertium genus.

Iis quoque lenes sumus, qui peccatum quidem fatentur, sed fecisse penitet; rationem Philosophus reddit, quia cessamus ab ira non secus, ac si illis, quos penitet, eius rei, qua dolemus, pœnas iam dedissemus. Hoc autem Philosophus exemplo probat, & ait ex punitione seruorum intelligi posse, nam, inquit, eos, qui negant, & contradicunt, atrociùs punimus; sed in eos, qui fatentur, se iustè puniri, mitiores sumus, & ab ira desistimus. Rationem reddit, quia manifesta negare, impudentia est; impudentia verò est negligentia, atque contemptio quædam, quos enim parui facimus, valdeque contemnimus, & eos non veremur.

In eos itidem lenes sumus, qui se humiliter, atque demisse gerunt, nec audent contradicere. Rationem affert Philosophus, quia videntur se inferiores confiteri, & qui sunt inferiores timent, at verò nemo timentibus irascitur, quod exemplo canum confirmat; nam, inquit, canes etiam prostratos non mordent.

Quartum genus.

In eos itidem lenes esse solemus, qui nobiscum serio agunt, cum nos itidem ipsi serio agimus, cuius rationem Stagirites affert, quia videntur nostri esse studiosi, non autem contemnere.

Quintum genus.

Et in eos quoque, qui pluribus in rebus, quam petieramus nobis gratificari student, quisque nanque licet iratus, alicui statim lenis fit, cum ab eo plura beneficia accipit, quàm petierat. Lenes pariter in eos sumus, qui rogant, & deprecantur; Si qui nanque fuerint, quibus irati simus, nobis tamen supplicent, & opem à nobis efflagitent, statim iram deponimus, quoniam, ut Philosophus ait, illi humiliores demissioresque fiunt, at his non irascimur.

Sextum genus.

Solent etiam homines in eos esse lenes, qui neque contumelioſi sunt, nec derisores, neque contemptores aut unius hominis, aut bonorum, aut eorum, qui nobis similes sunt; ex contrarijs enim rebus licet nobis intelligere, quæ lenire animum possint; si nanque contumelioſis, & derisoribus, & contemptoribus succensemus, iure in eos, qui tales non sunt, lenes esse solemus.

Septimum genus.

Homines etiam in eos sunt lenes, quos timent, & quos verētur, donec sic affecti sunt, nam illis irasci minimè solent, non enim fieri potest ut quempiam aliquis timeat & eidem simul irascatur.

Octauum genus.

In eos quoque multò leniores esse solemus, qui irâ perciti, peccatum aliquod commiserint, quia non propter negligentiam, aut contemptionem peccasse videntur; nemo enim iratus negligit; ira nanque sine animi dolore nequit existere; negligentia verò dolore caret.

Nonum genus,

Sumus etiam leues in eos, qui nos verentur; hi siquidem non negligunt, at iis, qui huiusmodi sunt non irascimur.

Addit etiam Philosophus eos esse ad lenitatem procliues, qui contrario modo sunt affecti, quàm cum irâ sunt incensi, nam quando nos animo dolemus, omnibus facilè quidem irascimur; idcirco cum procul est omnis à nobis molestia, facilè in omnes lenimur; propterea cum ludimus, cum ridemus, cum dies festos agimus, & cum aliquid labore, ac industriâ nostrâ præclarum opus confecimus, & cum aliquid arridente fortunâ ex animi nobis sententia successerit, & cum cibo, potuque sumus expleti, lenes esse solemus, hæc enim omnia ex animo facilè molestiam depellunt, & hilaritatem inducunt.

Decimus genus.

Lenes etiam sunt homines, quos nullus dolor vexat, quique voluptate non contumeliosâ fruuntur, quique bonâ spe detinentur, & qui iam pridem iram conceperunt; nam paulatim ira temporis diuturnitate deferuescit; tempus enim mitigat iram.

Decimus primus.

Insuper si quis duobus iratus fuerit, ab altero prius sumptâ pœnâ, maiorem in alterum iram minuit, ac sedat.

Decimus secundus.

Præterea leniores fiunt homines, si iudicio conuicerint, dum enim litigant inter se plerumque mutuâ irâ concitantur, sed qui iudicio superiores euadunt, iram sæpe remittunt, & erga victos mitiores fiunt, quoniam in eo iam pœnam dedisse putant aduersarios, quòd victi fuerint.

Decimus tertium.

Et in eos itidem homines sunt lenes, qui maius aliquod incommodum acceperint, quàm illis irati ipsi attulissent, nam arbitrantur idem esse, ac si ipsi pœnas de eis sumpsissent.

Decimus quartum.

Amplius, si priores se læsisse putent, ac se iustè pati intelligat, non valde irascuntur ijs à quibus offenduntur, non enim contra id, quod iustè factum est, ira concitatur, propterea quòd non amplius se contra quam oportebat, pati arbitrantur, unde solet ira commoueri. Hinc cum aliquem punire volumus, à quo iniuriam accepimus, prius oportet illum oratione castigare, & iniuriam in nos illatam ad memoriam reuocare, eamdemque augere; hoc enim modo ille non irascetur, cum intelliget se iustè pœnam luere.

Decimus quintum.

Desistunt etiam ab ira, & lenes fiunt, qui putant non intellectum iri ultionem à se profectam, vel non propter illa, quæ passi sunt; ira siquidem contra singulas personas accenditur.

Decimus sextum.

Lenes etiam sunt homines in eos, quos existimant nihil omninò sentire, cuiusmodi sunt mortui, qui neque dolere, nec sentire pœnam possunt, cum iam extremum malorum omnium subierint; at verò irati cupiunt eos, quos puniunt, & sentire, & dolere, idcirco mortuis non irascuntur.

Vsus præcedentium dictorum.

Qui igitur velint iratos iudices lenire à commoratis locis argumenta deducant, atque hactenus dicta diligenter expendant, hâc enim arte poterunt iratorum motus compescere, ac iram ipsam sedare. Multum quoq; iuvabit, de illis quibus irati sunt, dicere; si licuerit enim ostendere vel eos esse terribiles, ut non expediat cum eis inimicitias inire, vel summâ veneratione dignos, vel benemeritos, vel inuitos fecisse, vel factorum summopere penitere, statim in eos ira deferuescet. Lenitatis inuitamenta, atque causæ, itemque remedia cum ipsa nimia fuerit, quemadmodum & effectus ex dictis de ira facilè constant, contrario enim modo se habent. Summatim autem hactenus dicta exponere iuvabit. Considerare igitur oportet homines, qui lenes sunt erga alios; insuper & erga quos sint lenes, & quibus de causis tales sint.

Homines, qui leues sunt.

1. Primo Lenes sunt homines, qui versantur in Iudo,

ludo, in risu, in die solemni, in summo otio, atque tranquillitate, nimirum in felici alicuius rei euentu, ex qua laudem sunt consecuti. II. Qui inueteratam iram habent. III. Qui de alio sumpserunt supplicium; hinc enim sedatur ira. IV. Qui iam iudicio vicerunt. V. Qui cognoscunt aduersariis maius damnum contigisse, quàm irati iis infligere cogitassent. VI. Qui arbitrantur se iure puniri. VII. Qui putant futurum, ut non sentiant, à quo vindicta proueniat, unde est, ut mortuis nemo irascatur.

Homines, in quos lenes esse solemus,

Lenes sunt autem homines in eos.

I. Primò. Qui nunquam eos læserunt, aut neglexerunt, aut si id fecerunt, certè non nisi inuiti, aut inuiti fecisse videntur, quique diuersa facere voluerunt ab iis, quæ fecerunt. II. Qui in se etiam tales sunt; nemo enim videtur se ipsum contemnere. III. Qui culpam confitentur, & criminis perpetrati pœnitentiam agunt. IV. Qui se facile submittunt, nec reprehensi, dicunt se iniuriâ incessi, vel puniri, hoc enim pacto videntur se inferiores fateri. V. Qui seriò cum seriò agentibus agunt, tales enim videntur nos æstimare, & non contemnere. VI. In eos quoq; lenes sumus, à quibus aliquando maiora beneficia in nos prodierunt, quàm damnum ab ipsis illatum. VII. Qui rogant, ac deprecantur. VIII. In eos etiam, qui neminem, aut saltem non improbos, vel certè tales, quales nos sumus per contemptum quicquam committere volunt. IX. In eos etiam, quos veremur, aut timemus. X. In eos pariter, qui aliquid irâ fecerunt; hi nanque non contemptu, sed impetu id fecisse videntur; ira nanque cum dolore est; contemptus autem non item.

Causæ lenitatis, hoc est ea, quibus ira compescitur, tres perhibentur, contrariæ nimirum iis, quibus ira concitatur, ut non Contemptio, non Violentia, non Contumelia.

De Amore.

De amore instituitur tractatio.

PRogrediens Philosophus Amorem considerandum assumit, de odio Amoris oppositio statim verba facturus. In hac tractatione retinet eundem, quem superius seruauit ordinem præmissâ tamen amoris definitione, quanuis non amorem, sed amare explicare maluerit dicens, Ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν, τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ εἶναι ἕνεκα ἐκείνου, ἀλλὰ μὴ αὐτῷ, ἢ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων *Sit igitur amare, velle alicui bona euenire, non sibi, sed illius ipsius causâ, quem diligit, & quantum in eo est, efficere, ut illa eueniant.* Opportunius duxit Philosophus explicare quid sit amare, quàm quid sit Amor, siquidem amare, quid clarius est, quam amor, & ex illius declaratione facile huius explicatio innotescit. Ex Philosophi autem sententia, is aliquem amare dicitur, qui cupit ei multa bona contingere, non suæ utilitatis gratia, sed potius causa illius, quem diligit; & qui quantum in se est, facit, ut ei talia bona eueniant. Hinc perspicuè constat in amante tres conditiones requiri, ut velit alteri, quæ ipse bona existimat, etsi fortasse talia non sint: ut amici gratia velit, non autem propriæ utilitatis causâ: & ut denique adsit huius beneuolæ voluntatis expressa quædam significatio, priores duas illas conditiones tetigit etiam Tullius dicens. *Quid autem est amare, ex quo nomen amicitiæ ductum est; nisi velle bonis aliquem affici, quammaximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat?* Hinc non obscurè colligitur quid sit amor, enimverò amor, quantum ex proximè disputatis conijcere licet, est, quo alicui optima optamus; & eorundem auctores esse volumus, non nostri, sed gratia ipsius. Tametsi autem, admonente Tullio, amare hic id, ex quo amicitiæ nomen ductum est; non idem tamen est amor, ac amicitia, propterea quòd *ἐστὶα, amicitia* in redamando posita est; at *ἡ φίλησις, amor* non item, nam etiam in res animi destitutas fertur, ut propterea ab ipsis redamatio expectari non debeat. At amicitiam eam esse, quam diximus, notat etiam Philosophus dum ait, φίλος δ' ἐστὶν ὁ φιλῶν, καὶ ἀντιφιλούμενος. *Amicus verò est, qui amat, & redamatur.* Vt quis igitur amicus dicatur, opus est ut adsit amoris vicissitudo, adeout amor ultro, citroque conet, quod cum animaduerteret Tullius, rectè dixit; *Amicitia est voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate.* Propterea Stagirites concludit eos existimari amicos, qui inter se mutuo sic affecti esse videntur. Atq; tandem ex his ita positis infert necesse esse illum amicum dici, qui gaudet alicuius rebus bonis, dolerque malis non aliâ, sed causa dumtaxat illius; quod ex eo probat quoniam omnes, ut ipse ait, magnam animo lætitiam capiunt, cum ea, quæ volunt euenerunt, & cum accidunt contraria, dolent; unde est, ut dolores, & voluptates certa sint voluntatis indicia. Non unum tamen est amicitiæ genus; ex amicitiis enim una dicitur *Sodalitas*, eaque est in rebus leuioribus, puta in conuiuijs, ludis, & iocis; altera est *Familiaritas*, quæ arctior est amicitia quædam ex assidua consuetudine contracta; alia est *Cognatio*, quæ nil aliud, quàm amicitia eorum, qui eiusdem sunt gentis, atque familiæ; de his tamen alibi.

1. Rhet. c. 9. alias 4. Amare quid sit.

Tres in amante cõditiones requisitæ.

1. Lib. de Finibus.

2. Lib. de Inu.

Pergens Aristoteles ait omnes amicos esse iis, à quibus beneficia percipiunt, vel ipsi, vel ij, quos diligunt, carosque habent; huiusmodi sunt cognati, ac necessarij, præcipuè si beneficia fecerint, quæ vel magna, vel prompto animo collata sint, vel opportuno tempore, hæc enim amicitiam testantur; rectè autem Stagirites in re, de qua agitur, animi promptitudinem atque temporis opportunitatem requirit, enimverò

Quibus homines amici esse soleant. Primũ eorum genus.

Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit. Ausonius.

Subdit Philosophus eos esse necessitudinis vinculo coniunctos, qui eâ sunt conditione, ut eadem bona, & eadem mala sentiant, & qui eosdem amicos, & eosdem inimicos habent; propterea quòd necesse est ut in eis, eadem sit voluntatum coniunctio; ambo siquidem eisdem benè volunt, & eisdem malè; cum itaque pares voluntates habeant, amici non insulsè putantur, si quis enim eadem velit alij, quæ sibi ipsi; profectò illi amicus existimari debet; omnes enim sibi benè volunt, ac amore se ipsos prosequuntur.

Secundum genus eorum, qui amari soleot.

Omnes etiam homines amicorum amicos amant, cum enim cognoscimus quempiam nostris amicis amicum esse, statim illum beneuolentia complectimur, & qui eosdem amat, quos in deliciis habemus, nobis amicus est, & qui etiam ab eo amatur, qui amatur à nobis amicus itidem existit.

Tertium genus.

Insuper & eos, qui eisdem sunt inimici, cum enim aliquem esse inimicum inimico nostro cognoscimus, statim illum amamus, quique illos odio prosequuntur, quos ipsi oderunt; qui enim eos odio prosequitur, quos etiam nos odimus, nobis amicus est. Et ad extremum, qui ab illis odio habetur, qui nobis odio sunt, is nobis amicus est. Quorum ratio ea est, quoniam omnibus iis eadem esse bona videntur; idcirco benè illis velle coguntur, quod amicorum est proprium.

Quartum genus.

Amare itidem solemus eos, qui benefici sunt, vel

in pecuniis erogandis, vel in salute danda, nempe illos, qui nobis pecuniâ prosunt, vel qui quomodolibet nobis auxiliantur; ut propterea, & liberales, & fortes viros, atque etiam iustos nemo sit, qui laudibus cumulare non studeat. Iusti porrò sunt qui non aliena sibi vendicant, sed proprio labore, & industriâ ad usum vitæ necessaria comparant.

Quintum genus. Eos itidem amare solemus, quos temperantes esse cognoscimus, propterea quòd nobis est exploratum eos ab omni quidem iniuriâ abhorrere, minimèque esse iniustos, quam ob causam diligimus etiam eos, qui à negotijs procul vitam traducunt.

Sextum genus. Eos etiam in oculis ferimus, quibus amici fieri cupimus, dummodo se id velle significauerint; cum enim amicitiam alicuius inire studemus, si modo id eum velle cognouerimus, statim eius amore capimur; huiusmodi porrò sunt, qui præclarâ quâpiam virtute valent, vel qui in honore, ac precio apud omnes esse videntur, siue apud optimos viros, siue apud eos, quos admiramur, siue apud eos, qui nos suspiciunt.

Septimum genus. Amamus itidem eos qui morum suauitate præstant, quique comes, benigni, faciles, atque suaues in sermone, & in vitæ consuetudine iucundi sunt; nemo enim est, qui cum homine tristi, morosо, & querulo, diu agere vitam possit. Huiusmodi autem sunt homines ingenio placidi, nam iracundi plerunque absque causa excandescunt, & amicitiam abrumpunt, nec si quid peccatum est, faciles sunt ad reprehendendum &c. amicitia nanque multa tolerari iubet. Nec amantur, qui controuersi sunt, & litium amatores, qui nempe semper aliquid controuersiâ quærunt, ut superiores in dicendo videantur; qui autem huiusmodi sunt, pugnant, & aduersantur alijs; qui tales autem sunt, velle contraria videntur, proindeque amici esse non possunt, nam amicorum proprium est idem velle.

Octavum genus. Eos etiam amamus, qui iocosè, facetèque alios, suis dictis mordent, dummodo id sine contumelia faciant, & æquo animo se morderi patiuntur; Videntur enim ad eundem finem tendere, cum & inuadi æquo animo & inuadere acutè, ac ingeniosè possint.

Nonum genus. Eos amamus etiam, qui bona nostra laudant, & ea præsertim, quæ non planè sunt in nobis, hoc est, quæ firma esse in nobis non putamus, quin veremur ne in nobis ea sint; nam quæ talia sunt, ut non dubitemus ea in nobis esse idque omnibus certò constare, nullo testimonio egere arbitramur, atque adeo negligimus hæc ab alijs laudari; diligimus autem eos, à quibus nos, & nostra bona laudibus efferri cognoscimus, quia nemo est, qui suis laudibus non faueat; idcirco ad alicuius amicitiam sibi conciliandam nihil aptius, quàm illum vehementer laudare, coram tamen eis, qui sint de hoc illum certiorem facturi; ut enim vituperatio inimicitiæ, ita laus amicitiæ initium est.

Decimum genus. Amamus etiam eos, qui mundi sunt, ac elegantes in apparatu, in vestitu, ac in uniuersa denique vita; ut enim sordes ad vituperationem; ita mundities, nisi tamen odiosa sit, ad amorem allicit.

Decimum primum genus. Eos itidem amore prosequimur, qui nec vitia, nec beneficia exprobrare solent. Suorum vitiorum enim commemoratio nemini probatur, nam species quædam negligentiæ est: Nec beneficiorum exprobratio, siquidem hæc ingrati animi vitium accusat, & qui hæc faciunt, controuersi sunt, ac litigiosi, qui facilè in hominum odium incurrunt.

Decimum secundum genus. Amamus, & illos, qui non recordantur iniurias, neque curiosi sunt, ut aliorum delicta cognoscant, quales enim erga alios esse videntur, tales etiam futuros in nos existimamus.

Decimum tertium genus. Et illos etiam, qui à maledictis abstinent, & qui mala nostra, vel propinquorum nostrorum scire non cupiunt, sed bona tantum, hoc enim boni viri proprium est.

Decimum quartum genus. Et eos, qui non aduersantur iratis, aut aliquid seriò agentibus, nam qui iratus est, vel aliquid seriò agit, cum odio prosequitur, qui sibi aduersari cognoscit; ut ex aduerso cum amat, qui cedit, nullaque ex parte molestus est.

Decimum quintum genus. Omnes etiam solent amare illos, quos sui studiosos esse deprehendunt, cuiusmodi sunt ii, qui ipsos admirantur, & esse bonos existimant, & qui consuetudine eorum delectantur; eos tamen præcipuè, qui hoc in iis rebus faciunt, in quibus ipsi admirationi dignos videri cupiunt, vel viri boni, vel suaues, & iucundi; ita si quis Orator fuerit, eos præsertim caros habebit, quibus intelligit in dicendi facultate admirationi esse, si Philosophus, in Philosophia, & sic in reliquis.

Decimum sextum genus. Pares etiam paribus amici sunt, similitudo enim est mater amoris; sic etiam iisdem studiis dediti plerunque inter se sunt amicitiâ coniuncti; pares enim cum paribus facilè congregantur, nisi tamen nobis molesti fuerint, vel ex eadem arte victum quæsierint, inter hos enim mutuus amicitiæ nexus intercedere non potest, nam semper inter hos inuidia viget.

Et figulus figulo inuidet, & faber fabro.

Decimum septimum genus. Sunt etiam amici, qui res easdem desiderant, dummodo res eiusmodi sint, ut eas æquè ambo consequi possint; ita quidem, qui urbanam vitam caram habent, mutuo se amore complectuntur, & qui rusticam non dissimiliter, eadem enim videtur amborum voluntas, qualis amicorum est; at si res eiusmodi sunt, ut duobus eas consequi non liceat, tunc qui earum cupiditate flagrant, nullatenus possunt amicitiam inter se retinere, quin potius hæc recedat, oportet, nam eis idem, quòd artificibus accidit, de quibus nuper dicebatur.

Decimum octavum genus. Homines etiam studio prosequuntur eos, quibus cum adeo sunt fami iares, ut non pudeat coram ipsis illa facere, quæ quanuis turpia non sint, vulgò tamen turpia creduntur, ut ructare, ventrem exonerare, & id genus alia, quæ plerumque necessaria sunt, quod intelligendum vult Philosophus, nisi forte eos contemnant, nam qui contemnuntur, non amantur.

Decimum nonum genus. Insuper eos amare solent, apud quos verentur illa committere, quæ re vera turpia sunt; qui nanque sunt honoris gloriæque studiosi, turpia ubique vitare nituntur, maximè tamen coram eis, apud quos in honore ac precio esse desiderant.

Vigesimum genus. Qui sunt in aliquo artis genere præclari, summopere cupiunt, æmulos, ac imitatores rerum habere suarum, qui tamen non obtrectatores, sed potius æmulatores sint; idcirco beneuolentiâ complectuntur illos, & in sui amicitiam ascribere desiderant, quos volunt suorum studiorum imitatores esse; ita si quis Orator fuerit, amabit eum, quem videt in dicendi facultate sui velle imitatorem esse. Sed qui sunt inuidi, & obtrectatores, quanuis nos imitari atque nostras virtutes exprimere conentur, eos tamen amare, nullo modo possumus.

Vigesimum primum genus. Et quos in aliquibus acquirendis bonis auxilio essent, nisi timerent sibi grauius detrimentum euenturum; hi nanque sunt amici habendi, etiamsi auxilium non ferant, non enim ei voluntas deest, sed grauius malum pertimescunt.

Omnes etiam eorum amicitiam desiderant, quos aduer-

Digitized by Google

eduertunt tali esse ingenio, ut non minus absentes, quam præsentes amicos diligant, hoc enim probo-rum hominum proprium; mali nanque tantum præ-sentes amicos amant, & colunt, in quos cadit illud Propertij

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Hinc Stagirites infert omnes illos, qui mortuorum amicorum curam habent, ab omnibus diligi.

Illos non mediocriter amare solemus etiam, qui omninò amicis valde amici sunt, nimirum qui in amicitia colenda solent acres, & diligentes esse, quos græci φιλοφίλους *amicis amicos* appellant, & eos, cum opus est, non deserunt; & quanuis in uniuersum bonos omnes amare soleamus, eos tamen præcipuè, qui boni sunt amici, quique nihil fingunt, quin po-tius simplicem veritatem amore prosequuntur.

Amici etiam sunt magno in pretio habendi, qui nobis mala sua narrant & aperiunt, ut eis remedium quærant, nam, ut paulo antea dicebatur, nullus nobis est pudor cum amicis, ea dicere, ac etiam facere, quæ vulgo turpia videntur, proinde Philosophus ita col-ligit. Si is non est amicus, cuius nos pudet, certè quem non pudet, is amicus erit.

Eos etiam amare solemus, qui formidolosi non sunt, non enim fieri potest, ut cum aliquem metui-mus, eundem benevolentiâ complectamur, nemo enim quem metuit, diligit.

Varias recenset amicitiæ species, quas initio nos etiam innuimus, cuiusmodi sunt sodalitas, necessitu-do, & aliæ similes; addit autem, quod est notatu di-gnum, videlicet conficiens amicitiæ beneficium esse, & præsertim quod ultro defertur, hoc est, quod quis non rogatus sua sponte confert, non expectatis pre-cibus; & quod quando is contulerit, non commemo-rat, hoc enim odiosum iure censentur, & à quadam animi leuitate proficiscitur, potius enim silentio de-bet inuolui, nam tunc palam est, & apertum non alia de causa beneficium collatum fuisse, nisi eius ipsius, cui datum est, gratia, non mirum propterea si gratissimum haberi soleat.

Sed amoris naturam explorans, ne de tabula ci-tius, quàm par est manum tollere videar, breuiter ortum eius explicabo, mox eiusdem partitionem in medium allaturus. Genesim amoris eleganter Ari-stoteles declarat dicens *Amorem excitari, cum aliqui non tantùm præsenti pulchritudine delectantur*, hoc enim omnes faciunt, sed cum absentem ad memo-riam reuocant atque de illa cogitantes ad cupiditā-tem excitantur, eamque dirigunt, atque dolent abes-se; quamobrem amor originem habet ex aspectu, in-crementum ex cognitione & absentis desiderio, quæ quanuis præcipuè de amore animali dicta sint, etiam rationali aptari commodè possunt. Celebris enim amoris est distributio in Naturalem, Animalem, & Rationalem. Naturalis amor, quædam est rerum etiam ratione sensuque carentium propensio, ac in-clinatio in suum bonum, ac perfectionem nullâ præ-eunte notitiâ, hic enim amor nullam præsequirit cognitionem. Hoc amoris genere dicitur unum-quodque amare locum sibi consentaneum, ut terra locum infra aquam, aqua supra terram &c. eodem amore magnes amat ferrum, electrum paleam, vitis ulmum &c.

Animalis amor est vehemens rerum sensu prædi-tarum in suum bonum præeunte notitiâ propensio; quo a moris genere se amant animantia bruta, & ho-mines etiam sensuum voluptatibus irretiti.

Rationalis tandem est voluntatis in verum bonum inclinatio præeunte cognitione obiectum ipsum, rapræsentante tanquam bonum, atque conueniens; cuiusmodi est ille, quo homines ratione duce, vir-tutem, honores, sanitatem, & id genus alia prose-quuntur.

Naturalis amor consueuit insitus, & instinctus appellari, non in sola propensione consistit; nec exercitium eius aliquem elicitum actum expostit, at amor tam animalis, quàm rationalis, per actum elicitum exercetur, qua de re copiosiùs differere; alienum est ab instituto. Amor rationalis geminus esse perhibetur; unus enim amicitiæ, seu benevo-lentiæ dicitur, alter concupiscentiæ siue utilitatis. Amor amicitiæ est, quo bonum volumus alteri; non nostri, sed eius causâ; cum enim amor sit actua-lis quædam propensio appetitus in bonum, absolutè æstimatum tanquam conueniens, subdit diuisionem prædictam in amorem amicitiæ, & concupiscentiæ, adeout *Amor amicitiæ dici debeat inclinatio appeti-tûs in bonum secundum se ipsum, & tanquam termi-num. Amor concupiscentiæ inclinatio est in bonum, ut relatum ad alterum*, seu ut alteri applicatum, vel applicandum. Vt Amore amicitiæ homo amat se propter se ipsum, sed amore concupiscentiæ amat ci-bum propter sui conseruationem; idcirco concu-piscentiæ amor est illa inclinatio, uti dicebamus, in bonum, tanquam relatum ad alterum, &c. Hic autem amor cum fuerit rectæ rationi conformis, quatenus cuncta ad ultimum finem referuntur, dicitur ordina-tus; alioquin inordinatus appellatur.

Amor naturalis dicitur etiã insitus.

Amor rationalis duplex.

Amor amicitiæ quid.

Altera quoque est amoris distributio in eum, qui pudicus & in alterum, qui impurus nuncupatur, ille quidem est honestate commendabilis; hic autem dedecore detestabilis, de quibus in moralibus agen-dum.

Altera amoris distributio.

Incentiua quidem amoris ad tria capita reuocari solent, videlicet ad bonum cognitione perceptum, ad similitudinem amantis cum re amata; & ad amorem ipsum, ut mox intelliges. At bonum tripartitò diui-ditur, nam aliud est honestum, alterum iucundum, & alterum utile.

Incentiua amoris ad tria capita reuocãtur ad Bonũ, ad Similitudinẽ, & ad Amorẽ ipsum.

Ab honesto autem argumenta sumuntur ad exci-tandum amorem, demonstrando personæ probita-tem, æquitatem, pietatem, clementiam, urbanitatem, cæteraque virtutes inesse, tanta siquidem est virtutis pulchritudo, ut cum quis eam in aliquo elucere conspexerit, eum cogatur benevolentiâ complecti.

A Bono, & quidẽ ho-nesto quo modo sint argumen-ta sumenda ad inci-tandum amorem.

A iucundo quoque sumi argumenta possunt ad amorem excitandum, exponendo scilicet eius de quo fit sermo, pulchritudinem, elegantiam morum, studiorum similitudinem, bonorum communionem, iniuriarum obliuionem, & singulatim explicando omnia, quibus amor incenditur, quatenus iucundita-tem habent.

A iucundo.

Vtile quoque plurimum amorem accendit, pro-pterea iuvat explicare alicuius liberalitatem, singula-rem beneficentiam, gratique animi significationem; maximè nanque ad excitandum amorem beneficia valent, ratio enim amandi alterum est amor nostri, beneficia verò in nos ab alio collata, fiunt maximè bonum nostrum.

Ab Vtili.

Erat secundum caput similitudo amantis, & con-uenientia cum re amata; hinc enim deduci possunt argumenta ad excitandum amorem.

A Similitudine.

Postremum erat inuitamentum amoris, amor alte-rius erga nos, tum quia is amor fons est benevolen-tiæ, ac beneficiorum alterius erga nos, tum quia nos ipsos multo magis amamus, quam alia nostra bona, amoris autem alterius erga nos obiectum sumus nos ipsi.

Ab amore ipso.

Digitized by Google

Amicitiæ amor præcipuè à quibus efficiatur

Præcipuè autem amicitiæ amor à multis efficitur, ut supra cum Aristotele notauimus, quorum primum est gratia, seu beneficium, alterum est non rogatum benefecisse, tertium est beneficium præstitum cælare, qui nanque non cælat, suâ non alterius causâ fecisse videtur.

Remedia amoris.

Amoris autem motus præsertim reprimitur, vel eius ardor extinguitur, vel saltem acrimonia temperatur à contrariis, ut enim ex assidua recordatione nascitur amor, sic ex aduerso cessatio, à cogitatione rei amatæ, eumdem interimit, vel saltem reprimit, ac eius acrimoniam temperat. Speciatim verò cum tria essent, quibus ipse incitaretur, tria itidem contraria sunt, quibus eius vires labefactantur, scilicet Inhonestum, Iniucundum, & Inutile.

Tria sunt quibus Amoris vires labefactantur.

Ab Inhonesto.

Ab Inhonesto desumentur argumenta demonstrando personæ vitium, atque deformitatem, & ad varias vitiorum species descendendo, quibus persona illa afficitur, & præsertim inculcando deformitate eorum, quibus improbus amor fouetur, atque nutritur.

Ab Iniucundo.

Ab Iniucundo etiam argumentabimur, demonstrando quàm remota sint ab omni iucunditate, varia tormenta cuiusmodi sunt fraus, infidelitas, ac seruitus, quæ amantes perferre coguntur.

Ab Inutili.

Ab inutili tandem reprimere amorem conabimur ostendendo quammaxima esse incommoda, ut sunt rixæ, excidia, & erumnarum myriades, in quæ amantes coguntur incidere. Amoris effectus varii sunt, nimirum, & intentionales, & reales, de quibus, & de ipso amore in uniuersum copiosè disputandum in morali nobis erit Philosophia.

De Odio.

MOdis explicatis, quibus homines amicitiam inter se concilient, nunc ex contrarijs locis explicandum sequitur, quæ sint inimicitiarum, & odij causæ, & cuiusmodi sint loci, qui ad hanc tractationem pertinent.

Odiũ quid

Odium, græcè μῖσος *est vitalis quædam appetitûs dissonantia, siue auersio, siue fuga, ab eo, quod malum æstimatur.* Cuius naturam latiùs in Moralibus persequemur; odio enim habere primo est velle alicui, quæ putantur mala, deinde velle illius causâ, tandem eorum pro viribus effectorem esse. Ex Aristotelis autem sententia, ποιητικὰ δὲ ἔχθρας ὀργὴ ὑπηρασμὸς, διαβολή. *Inimicitiæ autem conficientia sunt ira, violentia, criminatio.* Tria sunt ex quibus inimicitiæ proueniunt, videlicet Ira, quæ est ulciscendi libido, & est appetitio reddendi malum, seu inferendi malum ei, quod malum infert; hæc enim dum prorumpit, confestim seditiones, vulnera, ac cædes eam subsequuntur; deinde est Violentia, quæ ludibrii causâ fit, ut alicui importentur incommoda; tandem est Criminatio, seu contemptiosa contumelia, ut enim laus amicitiæ initium est, ita criminatio est inimicitiarum siue odij principium. Tametsi autem ira sit, quę frequenter inimicitias parit, discriminis aliquid tamen inter iram, & inimicitias, siue odium recognosci debet: Primò nanque ira ex iis tantùm rebus excitatur, quæ unusquisque ad se vel ad suos pertinere putat; at inimicitia, atque odium ex improbitate, atque ex aliis rebus etiamsi ad ipsum non pertineant; plerumque nos enim aliquem odio prosequimur, cum intelligimus eum esse, vel furem, vel impium, vel latronem, & inimicum habemus, quamuis nos nunquam læserit; ideo Plutarchus. Γινεῖται τὸ μῖσος ἐκ φαντασίας τοῦ ὅτι πονηρός, ἢ κοινὸς, ἢ πρὸς ἑαυτὸν ἐστὶν ὁ μισούμενος. *Gignitur odium, quòd eum, quem quis odio habet, imaginetur, vel simpliciter, vel erga se, malum esse.*

Differentiæ inter iram, & odium. Prima.

Altera differentia iræ, & odii, seu inimicitiæ hæc est, quòd ira semper est aduersus singularia, ut Socratem aut Calliam, odium verò, & inimicitiæ non solùm contra singularia; sed etiam contra uniuersum aliquod genus exerceri possunt; ita quidem fures, & calumniatores, & insidiatores, & sicarios, ac reliquos improbos homines odio prosequimur; hinc si alicuius nos amici, atque familiares fuerimus, & ille proditor, ac sicarius fiat confestim, ab eo recedimus, & ipsum nobis factum inimicum esse putamus, quamuis nos nullatenus læserit, non aliam ob causam, nisi quia tales homines odio habemus. Secunda.

Tertia differentia est inter iram, & odium, quòd ira est tempore sanabilis, temporis enim longinquitate deferuescit; odium autem sanari non potest, quoniam homini natura insitum est, ut quæ contra honestatem fiunt, verâ is beneuolentiâ complecti non possit. Tertia.

Quarta iræ, & odii differentia est, quòd illa dolorem afferre, ac inurere cupit, qui sentiatur, non raro enim usu venit, ut irâ commotus sit contentus par pari referre, quod eum cui est iratus, mordeat, etsi damnum non intulerit, attamen ab ira cessat, cum aduertit à se magno dolore affectum illum, cui fuerat iratus, atverò odium præter dolorem vult etiam detrimentum afferre, quem quis enim odio habet periisse desiderat, quandoquidem iratus, ut ait Philosophus non acquiescit nisi cum ulciscitur, ille, cui dolorem infert, lædi se sentiat, & à quo lædatur, & qua de causa intelligat, sed qui odit, ac inimicus est, non curat utrum ille, quem offendit, sentiat à se offendi, nec rei nam susque deq habet, sed agit occultiùs, & omni ratione, quê odit periisse cupit. Iratus autem dolorem inferre cupit, quoniam vult quęcunque vim habent inferendi doloré, & omnino sensum mouere solent, ut iurgia, contumeliæ, maledicta, verbera, vulnera & id genus alia; at verò sunt pleraq; mala, saneque maxima, quæ quamuis insint alicui, non propterea tamen illi dolorem afferunt, nec ab eo sentiuntur, cuiusmodi sunt improbitas, & amentia; hæc autem iratus non optat ei, quem ulcisci desiderat, sed odio commotus, ac inimicus hæc maximè cupit inimico contingere. Quarta.

Quinta est differentia, quòd ira numquam sine molestia dolore, atque ægritudine esse potest ob iniuriam acceptam; odium verò plerumque sine dolore est, nam iratus contemptum se esse putat, ac iniuriam accepisse arbitratur; ex quorum recordatione maximè concitatur, ac angitur; sed qui odio habet sæpè nihil doloris experitur; improbos enim, atque sceleſtos homines habere odio solemus, etsi nunquam nobis iniuriam fecerint, illosque propter scelera sua perditos exoptamus. Postrema differentia, inter iram & odium ea est, quoniam non raro euenit, ut iratus aduersarium cum viderit multis calamitatibus oppressum misericordiâ tandem commoueatur, eiusq; misereatur, eidemque si facultas datur opituletur; sed qui odit nunquam misericordiâ mouetur; quin potius gestit, lætaturque, cum eum, quem odio habet, pessundari, extingui, opprimi, atque demum perire intelligit, nil enim habet aliud in votis, quàm eum non esse, atque nomen illius aboleri. Quinta.

Ex hactenus dictis docet Philosophus perspicuum esse quomodo quis amicos, & inimicos, tum qui non sunt ostendere, tum qui non sunt, efficere, & qui se esse Conclu.

Digitized by Google

esse dicunt, dissoluere possit, & eos qui an ob iram, an ob inimicitiam siue odium factum sit, controuersantur, in utram partem quispiam præeligat, ducere. Nostra siquidem nō parum interest, dum oratoris partes agimus, orationem ita conformare, ut ii, quoscunque voluerimus, amici, vel inimici videantur, & iudicum animis nouas amicitiæ, vel odii opiniones ingerere, & insitas penitus euellere, qua superioribus præceptionibus instructi, citra laborem efficere poterimus.

Sed ut de amore, ita de odio sentiendum, ut enim ille, sic & istud multiplex censeri debet: adeout odium quadruplex sit, nempe Naturale, Melancholicum, Ferinum, & Rationale.

Naturale odium, quod græcè, Ἀντιπάθεια, latinè *naturalis dissidentia*, atque contraria affectio, nil est aliud, quàm fuga, quâ quidpiam, siue cognoscendi facultate sit præditum, siue non, occultâ naturæ vi ab alio dissidet, ut brassica à ruta, lupus ab agno, immò etiam & homo ab homine. Quid autem sit, Ἀντιπαθεία, cuius oppositum est Græcis Συμπάθεια, in Physicis explicabo. Hac de re copiosissimè & accuratissimè scripsimus, quanuis olim nobis liber abreptus fuerit, ut ob id cogamur iterum ad tabulam manum admouere. Naturale itaque odium, ut proximè dictum fuit, ex arcano quodam dissensu occultaque facultate proficiscitur, adeout hinc alii ad res alias minus affecti sint, & suaptè naturâ auersentur, licet odii materiam ignorent.

Naturale odiū vnde oriatur.

Odiū Melancholicum quid.

Melancholicum odium auersatio est non solum ab alijs, sed, quod mirum est, etiam è se ipso ex atræ bilis redundantia proueniens, quæ ita quosdam sæpesæpius inuadit, & ita miseros agit, ac versat, ut loca deserta, vastasque solitudines quærere, & honestas voluptates, lucem, & homines, immò & se ipsos habere odio, vitæque tedio cogat miserabiliter extabescere.

Ferinum odiū quid.

Ferinum odium est rabiosa quædam nocendi cupiditas, adeo dira, ut nullis pœnis expleri possit, & in mortuos audeat etiam sæuire.

Rationale odiū quid.

Rationale odium est auersatio in hominibus ob causas eorum, quæ ad ciuilem pertinent vitam, cuiusmodi est odium ex illata iniuria, vel ex nefario scelere perpetrato.

Incentiua odij quæ.

Incentiua porrò, videlicet ea, quibus odium accenditur, varia sunt. Vniuersè tamen odium, ac inimicitiam gignunt actiones inimiciter aduersantes bono, quod amamus; idcirco quisque, cum intelligit ab alio despici, non ei solùm irascitur, sed odio etiam hominem habet. Præcipuè verò maximèque concitatur odium, si ab iis inimiciter nobiscum agatur, à quibus magnopere nos opportebat amari. Hinc inter coniunctissimos acerbiora sæpesæpius accenduntur odia, quod eleganter Stagirites adagio confirmat, χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν. *Bella inter fratres difficilia sunt*; propterea quòd εἴ τοι πέρα φίλεσαν τες, ὀιδὲ κὴ πέρα μισέουσι; *Qui vehementer amant, ijdem & vehementer oderunt*; adeout rectè dictum fuerit, quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum sunt apud offensos. Ad odium verò facilè concitantur animi demonstrando tales esse homines, quales inimici esse solent; præsertim itaque ex hominum moribus, vel ex naturæ vitio duci possunt argumenta ad ciendum odium. Et quidem ex moribus ostendendo quempiam prauis moribus affectum esse, videlicet ingratum, superbum, auarum, impudicum, obtrectatorem, inuidum, proditorem, sicarium, &c. Ducuntur etiam ex naturæ vitijs argumenta, demonstrando corporis deformitatem, indolem abiectam, ac prauam animi inconstantiam, vilem educationem, & id genus alia. Et ad augendum odium iuvat etiam commemorare incommoda, & clades, ac alia damna inde peruentura.

Remedia verò quibus odium licet extinguere, vel saltem emollire, primò sunt iniurias, incommoda, ac damna minuere, & efficaciter hortari, ut quæ inimicus egerit, æque bonique fiant, & asserere ea ex inculpabili aduertentia contigisse, aut ostendere graui penitentiâ retractata fuisse. Conducit etiam ad odium sedandum commemoratio miseriarum, atque calamitatum, quibus hostis vexatur, hoc enim pacto commiserationis affectum ciendo, odium propellitur.

Remedia quibus extinguitur, vel saltem emollitur odium. Primum.

Secundò etiam ad hoc idem confert luculenter ostendere excelsi animi non esse homines habere odio, sed vilis, atque degeneris, licet æquum sit odisse vitia, quibus minime laborare illum, de quo loquimur, enitendum est demonstrare.

Secundū.

Tertiò maximè iuvat res lætas, ac iucunditatis plenas narrare, atque de his amœnas historias referre, hac enim arte seuities, odij non mediocriter emolitur.

Tertium.

Quartò plurimum itidem facit ad id, de quo agitur ostendere virtutes in magno esse pretio habendas, & præter illas omnia contemnenda.

Quartum.

Quintò valent itidem figurarū usus, earum tamen quæ sint opportunę, ut Hypotyposis, Exclamatio, Exprobratio, Antistrophe, Descriptio, insuper locus ab effectis, à comparatione; his enim efficaciter Orator poterit in auditorum animis odij motum contra vitia ciere; horum siquidem fœditatem, si ob oculos ipsorum auditorum posuerit & efficaciter improbauerit, nulli dubium quin odium aduersus animi labes sit concitaturus. Odij autem effectus multi sunt, ac varij, videlicet simultates, minæ, fraudes, insidiæ, ultiones, & alia id genus.

Quintum.

De Metu.

Metus quid.

Metum Philosophus definit dicens. Ἔστω δὴ φόβος λύπη τις, ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. *Sit autem metus ægritudo quædam, vel perturbatio ex opinione impendentis mali, quod aut interitum nobis, aut dolorem afferre possit.* Rectè autem Philosophus notauit non quodcumque malum esse, quod homines metuunt; nemo enim timet ne iniustus, aut hebeti, tardoque ingenio fiat, sed ea tantummodo, quæ vel magnos dolores, vel interitum afferre possunt.

Mala quæ propinqua esse videntur, ea metuunt incautiùs.

Mala autem illa præsertim nobis metum incutiunt, quæ propinqua esse videntur, quæ enim procul sunt, non metuuntur, atque propinqua maximè reformidamus, quia parua spes est ea vitari posse, nisi magna festinatione adhibita, at quæ longinqua sunt, non magnum solent hominibus metum inicere, quod exemplo Stagirites ostendit; nemo enim, inquit, est, qui non intelligat aliquando sibi moriendum, quia tamen diu se victuros sperant longeque mortem abesse, propterea, vel nihil vel parum mortem quanuis ultimum terribilium metuunt. Superest ut, quæ nam homines metuere cogant, & qui sint & qui non sint timori obnoxii, breuiter cum Aristotele videamus.

Primum genus eorū quæ hominibus metum incutiunt.

Ea orribilia atque pertimescenda sunt, quæ nos perdendi magnam vim habere videntur, quemadmodum etiam, & ea, quæ talia detrimenta possunt afferre, & acerrimos animi dolores procreare possunt, ut amissio parentum, coniugum, liberorum, fratruū, for-

fortunarum, insuper, & ignominia, carcer, exilium, & alia huiusmodi.

Secundũ genus. Malorum etiam impendentium signa nobis timorem incutiunt. Vt Principibus, ac Regibus cometarum ortus, Agricolis tonitrua, nubes tetræ murmur facientes: Nautis Helenæ, quod sydus appellant; & id genus alia; tunc enim quod horribile est, proximum esse videtur; sed hoc ipsum est periculi metus, nam periculum nil aliud, quàm approximatio rei pertimescendæ.

Tertium genus. Timorem etiam incutiunt inimicitiæ, ac iræ illorum, qui malum aliquod possunt importare, cuiusmodi sunt Principes, diuites, potentes, gratiosi, eloquentes, robusti, & alii huius ordinis, constat enim eos, & velle, & posse cum inimici sunt, proindeque datâ occasione ad inferendum malum parati sunt, & nisi quicquam obstet, id facere aggrediuntur.

Quartum genus. Homines etiam iniusti, cum offendendi facultatem habent, timendi sunt, malum enim inferunt, cum iniustus ille dicatur, qui consultò se iniustè gerit, itaut non casu, aut imprudentiâ peccet, proinde de voluntate eorum nulla est dubitatio, si itaque ipsis facultas data erit, nullum dubium quin mala sint illaturi.

Quintum genus. Virtus itidem, affecta cum fuerit contumeliâ, horribilis est, cum enim is iniuriam accipit, qui fortitudine plurimum potest, ulcisci desiderat, quanto enim quispiam maiori virtute, animique magnitudine valet, tanto quidem contumeliâ affectus horribilior est, tantoque propensior ad ulciscendum; facultatem propterea nactus, statim animum explet.

Sextum genus. Inimicitiæ non solum, iræque potentium hominum horribiles sunt; sed etiam metus eorum, quoties enim aliquem metuunt, cum omninò de medio tollendum decernunt, semper enim huiusmodi homines ad offendendum parati sunt.

Septimũ genus. Periculum est etiam alicui fidere & arcana communicare, quibus patefactis vitæ periculum imminet; hoc enim horribile, cum sit in eius potestate vitam suam collocatam habere; tum quia plurimi sunt improbi, ac infideles, qui quacunque de causa etiam leui, secreta patefaciunt: tum quia pauci sunt, qui cupiditatis siti non trahantur, lucrique spe socios, & amicos non decipiant: tum demum quia plurimi sunt, qui in periculis timore perculsi ut periculum euadant, amicos produnt; idcirco summopere timendi sunt illi, qui magni sceleris alicuius sunt conscii; non rarò siquidem usu venit, ut vel propter propositum nuncianti præmium, scelus illud manifestent, vel ob periculi timorem eos deserant, fidemq; frangant ijs, qui usi fidem se præstituros detulerant.

Octavum genus. Insuper & qui iniuriam facere possunt, semper eis formidabiles sunt, & ab iis timentur, qui sunt ad iniuriam expositi; ita quidem superiores timentur ab inferioribus, ut nobiles, ab ignobilibus; urbani à rusticis, &c. Iinanque facultatem nocendi habent, at plerunque homines facultatem nacti iniuriam inferunt.

Nonum genus. Qui verò iniuriam acceperunt vel se accepisse arbitrantur, maximè timendi sunt, semper enim ultionis sunt cupidi, & ulciscendi tempus opportunum obseruant, adeout iniuriæ auctor nunquam securus esse possit.

Decimum genus. Et qui iam iniuriam fecerunt horribiles sunt, si potestatem habent, semper enim talionem reformidant, quod certè horribile est; itaque metuendi sunt non minus, qui nobis iniuriam fecerunt, quàm qui à nobis acceperunt iniuriam, propterea quod iniurius homo semper extimescit, ne ab eo qui fuit iniuriâ affectus talionis pœnâ multetur, atque adeo ne ille perseueret in inferenda iniuria, adeout quomodocumque potuerit, eum, quem sui putat inimicum, opprimere conetur.

Semper etiam inimici sunt, & semper odio se prosequuntur illi qui de ijsdem honoribus, aut præmiis, contendunt si eadem ambo consequi non possint; alter enim alteri formidabilis est; quandiu siquidem durat illa contentio, alter in alterum male affectus hostilem animum gerit, adeout sibi mutuò insidias tendant, veneniſque necem afferre nitantur, donec inter ipsos acerbum, funestumque odium vigerit. Decimum primum genus.

Insuper qui sunt horribiles iis, qui potentiores sunt, infirmioribus etiam sunt horribiles, nam facilius infirmiores, quàm fortiores ladere possunt; qui nanque plus possunt, etiam, & minus possunt, ut qui Leonem prosternit, multo magis Cervum prosternet. Decimum secundum

Et ob eamdem causam horribiles illi sunt, quorum vires, etsi minus potentes, ab iis tamen timentur, qui nobis firmitate præstant, ac antecellunt, hos enim metuere debemus, eo vel maximè, si quempiam necauerint, à quo nos potentiâ superemur. Decimum tertium.

Timendi pariter illi sunt, qui minores aggredi solent, seu minoribus iniuriam faciunt, quia forsan vel huiusmodi sunt, ut etiam nobis malum inferre possint, vel statim elati animo, hoc est audaciores facti, nos aggredi non formidabunt, impunitate siquidem audacia nutritur. Decimum quartum.

Modica differentia non est inter eos, quos inimicos, vel aduersarios putamus, propterea quòd ex ipsis nonnulli sunt ad iram procliuiores, ut qui liberè, & inconsideratè loquuntur adeout animum suum aperiant; horum autem inimicitia parui facienda est; quoniam eorum ira facilè sedatur, ac proinde minas non excedunt; & eo minus etiam timendi, quoniam ab ipsis facillimum est cauere, siquidem eorum consilium nobis apertum est. Alii verò sunt dissimulatores, animoq; sedati cum non se foras declarẽt, & operosum est coniicere quomodo erga nos sint affecti; cum enim alios spectare credimus, tunc præcipuè nobis insidias parant, unde est ut aduersus ipsos parati satis esse non possimus. Non est quia inimicorum differentia.

Illa etiam Aristoteles ait omnium esse horribilium maxima, in quibus si quid peccatum fuerit, corrigi nullo modo possunt, nec ullus est emendandi locus, sed vel omninò corrigi non patiuntur, vel remedia non in nostra, sed in aduersariorum sunt potestate, & quæ vel nullo possunt auxilio subleuari, vel summâ cum difficultate correctionem admittunt; de rebus igitur illis in quibus etsi semel, aut iterum erratum fuerit, emendari tamen possunt, non est cur multum timeamus, ut contractus, pecunia, merces, & id genus alia; at res, in quibus, si quid erroris commissum fuerit, corrigi nullo modo pati untur, magni fieri à nobis debent, ac de illis oportet nos esse solicitos, ne vitam in discrimine ponamus, vel in aliquod incurramus periculum, præsertim autem horribilia sunt illa, in quibus vel nulla sunt auxilia, vel nonnisi summa cum difficultate corriguntur. Decimum sextum.

Ad extremum concludit Philosophus, quæcunque misercordiam excitant, cum al iis euentunt, vel impendent, quammaximè horribilia esse. Decimum septimum.

Explicat deinde qui nam sint timori obnoxij, & quo nam pacto in iudicum animos timor induci possit. Declarat igitur primò quomodo affecti sint animo, qui timent, vel qui non timent. Hoc autem colligit ex metûs natura; at verò metus mali semper expectationem habet adnexam, si quis igitur nihil Quinam sint timori obnoxij.

mali

mali credat se perpessurum, nec ullum sibi incommodum imminere posse, ille nunquam in metu erit.

Qui autem contrario modo se habent, hi sunt qui metuunt, necesse est enim eos in metu esse, ex natura metûs, qui se mali quidpiam passuros putant à certis personis, & qui, quæ passuri sunt, & quo tempore, cogitant.

Deinde qui fortunæ bonis affluunt, vel affluere se putant, non timent; non enim existimant aliquem esse posse, qui malum eis inferat, quin alios potius à se, quàm se ab alijs formidari oportere arbitrantur; propterea non dubitant alios contumeliis afficere, & negligere, siue contemnere, quin etiam audaces sunt, & confidentes. Quatuor autem sunt res, quibus tales ipsi redduntur, nimirum Diuitiæ, Robur corporis, Amicorum copia, & Potentia.

Alij etiam sunt, qui non timent, nempe qui se iam grauissimas calamitates perpessos arbitrantur, & qui iam omnem futuri spem abiecerunt, ut qui ad extremũ supplicũ adducantur, quique ad priorem ordinem pertinent, non modo nihil formidant sed etiam oppete re mortem desiderant. Ad secundum verò ordinem spectantes, desperati dicuntur, qui nimirum extremum suplicium passuri sunt, nec salutis spem ullam habent: hi nanque non timent, quin constanti animo supplicium, atque mortem subeunt; nam ab eorum animis timor cum spe saluris abit; atque recedit, non enim potest esse metus, ubi nulla spes remanet; nam, ut Philosophus ait, qui timet necesse est salutis aliquam spem ea in re habeat, de qua sollicitus est; quod ipse probat ab effectu, nam cum homines in metu sunt, longè diligentius quid agendum, aut fugiendum consultare solent; at cum nulla spes reliqua est, nemo amplius deliberat.

Tandem explicat, quomodo possit Orator iudices in metum conijcere, & ait, cum utile fuerit timorem iudicibus inducere, tunc iis rationibus nobis utendum, quibus ostendamus eos esse tales, ut pati possint; nempe demonstrandũ maiores etiam, quàm ipsi, mala perpessos fuisse, vel eis pares, vel nunc pati, vel alias esse perpessos, & ab iis, à quibus nihil mali metuebant, quanuis eos offenderint, & quibus in rebus minimè expectabant, & quo tempore se arbitrabantur securos.

Superior Aristotelis doctrina de metu distinctiùs aliquibus visa est tractanda hoc ordine. Primò enim quærunt qui metuant, & in quos metus non cadat; Secundò qui metuantur; Tertiò quæ res metum incutiant; Quartò quomodo Orator possit metum inducere, & ita disputant.

1. Ii metuunt, qui prosperâ utuntur fortunâ, & câ uti existimantur. 2. Qui desperatæ sunt salutis.

1. Metuuntur autem quorum in manu salus nostra est. 2. Qui possunt iniuriam facere. 3. Qui eandem rem affectant, cum tamen fieri non possit, ut simul câ potiantur. 4. Metuuntur etiam, qui formidabiles merito sint præstantioribus. 5. Ii pariter, quos re ipsâ metuunt præstantiores. 6. Qui nobis præstantiores sustulerunt. 7. Qui nobis inferiores inuaserunt. 8. Præterea timentur etiam amici eorum, qui iniuriam sunt passi, aut aduersariorum, non qui sunt ad iram præcipites, liberiùsque loquuntur, sed mansueti, dissimulatores, & versipelles.

Metuenda verò sunt quæ interimunt, quę magnam afferunt molestiam, quæque rerum metuendarum sunt signa, & ad quatuor capita reducuntur, ê quibus 1. Quæ corrigi nullo modo possunt 2. Metuenda sunt etiam, quæ emendare non sit in nostra potestate 3. Non dissimiliter, quę nonnisi summa cum difficultate corrigi possunt, 4. Tandem horribilia sunt ea omnia, quæ nos in miserationem possunt conjicere, quòd statuamus ea nobis posse contingere.

Orator timorem incutiet iudicibus ostendendo aliquid eos imminentis mali subire posse, itemque conferendo illos cum aliis, qui quanuis maiores, iisdem tamen calamitatibus affecti fuerint, & quòd etiam æquales passi sint, vel patiantur. Ea quæ non putabant, ab iis à quibus non putabant, atque tunc cum minimè putabant. Quando Orator Iudicibus irã incutiat.

His pauca quædam addenda. Duplex timor agnoscitur, naturalis unus, & rationalis alter; ille quædam est animi affectio, naturâ mortalibus insita, quâ nos à malo vix audito deflectimus; huiusmodi autem mala sunt tonitrua, fulmina, pestilentiæ, omniaque malorum portenta; horum enim nomen dumtaxat nobis timorem incutit: Timor alter est animi quædam commotio ex opinione imminentis mali proueniens, quatenus illud nobis dolorem, vel damnum potest afferre; ita quidem hostem, cui nocendi potestas, & voluntas est, pertimescimus. Duplex timor naturalis, & rationalis: Timor naturalis. Timor rationalis.

Duplex etiam timor agnosci solet, utilis, & vilis, ille censetur virtutis indicium; hic autem ignauiæ argumentum; ille amicitiam seruat, hic autem interimit. Duplex timor utilis, & vilis.

Ad excitandum timorem præter hactenus dicta, faciunt etiam figuræ nonnullæ, quarum præcipua est Hypotyposis; per hanc enim oculis subiiciendo imminens malum, bonorum scilicet iacturam, cruminarum viciniam, detrimentorum grauitatem, pro vario auditorum genio metum eorum animis incutimus, non enim æquè omnes timere solent, nam superbo dignitatum, auaro diuitiarum amissio plurimum terroris incutit, cum quisque metuat, iis destitui, quibus gaudet. Figuræ faciũt ad excitandũ timorem.

Ad compescendum timorem plurimum facit spes melioris fortunæ, amicorum studium, potentium virorum gratia. Ad compescendũ timorem quæ conducant.

Effectus timoris sunt pallor, tremor, suspiria, sudor, fuga, lachrymæ. Orator tamen ne sit nimius in istius affectus commotione, nec crebrò in hunc finem iis utatur præsidiis, quæ paulo antea diximus opportuna, eorum enim assidua frequentia timorem potius in auditorum animis extinguet, & audaciam parìet. Effectus timoris.

De Confidentia.

QVæ de animi motibus supersunt, paulo breuiùs explicabo, ne præsens tomus in immensum excrescat, eo vel maximè, quod qui plura desiderat, apud alios, videre poterit. Breuitatis excusatio.

Confidentia, vel si mauis, Audacia definitur ab Aristotele. Θάρσος, μετὰ φαντασίας ἢ ἐλπὶς τῶν σωτηρίων ἐστὶν ὡς ἐγγὺς ὄντων· τῶν δὲ φοβερῶν ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόρρω ὄντων. *Confidentia est spes quædam coniuncta cum opinione rerum salutarium ferè præsentium; metuendarum autem, quæ aut non sint, aut procul absint.* At verò Tullius vult confidentiam esse, per quam magnis, & honestis rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit, vel ut aliis placet: *Est quædam animi securitas, quâ quis nullum pertimescit malum, quin potius contemnit, spemque superandi habet.* Moderata verò confidentia laudabilis est; in hanc enim cadit adagium. Lib. 2. Rhet. c. 5 Confidentia quid. Lib. 2. de inuent.

Audaces fortuna iuuat, timidosque repellit.

Altera est detestabilis, cui congruit illud,

Qui amat periculum, peribit in illo.

Duo porrò sunt, quibus præcipuè animus confirmatur; Duo sunt præcipua, quę confidentiã pariunt.

Digitized by Google

tur; primum cum mala longè absunt; ab iis nanque mali quidpiam haud facilè se perpessurum existimat; alterum, cum non procul sunt, quæ auxilio esse possunt.

Quæ plurimum augeant confidentiam.

Confidentiam quoque plurimum augent auxilia, vel multa, vel magna, vel utraque simul si adesse videantur; hoc enim modo confidentiores homines fiunt: sicut ex aduerso cum in periculo sunt, si auxilio destituantur, animo cadunt, atque timore concutiuntur.

Aliud etiã ad idem conducens.

Aliud etiã ad idem faciens.

Similiter qui neque læsus fuerit à quopiam, nec ipse quempiam læserit, confidens esse solet. Amplius confidentiores simus, omnemque timorem abiicimus, si vel nulli sunt aduersarii, vel si sint, nullam lædendi facultatem habent; vel etiam si habeant, sunt nobis amicitiæ vinculo coniuncti. Confidimus quoque, si vel beneficia in nos contulerunt, aut à nobis acceperunt, qui aduersarii sunt, cum prius essent amici, eos nobis haud nocituros esse; qui nanque beneficium contulit, solet amicus esse, plurimumque studere, ne suæ beneficia demoliatur; qui vero beneficia recepit, ingratus videri non patitur, eaque laborare infamiâ; in quam incurreret, si eos contumeliâ afficeret, à quibus iam beneficiis affectus fuerat.

Aliud etiã confidentiã auget.

Tunc etiam nos in periculis confidere solemus, quando cognoscimus nos esse plures, quàm sint aduersarii, aut quando viribus nos aduersariis ipsis antecellere cognoscimus, vel quando etiam utroque nomine iis superiores nos esse intelligimus.

Qui homines, & quibus in rebus confidant.

Qui autem confidant explicat Philosophus dicens, homines confidentes esse solere, si multis in rebus prosperè se gesserint, aut nullum incommodum, vel rarò saltem perpessi fuerint, quia fortunæ mutationem non timent.

Primum genus.

Insuper & illi, qui etsi in pericula frequenter inciderint, incolumes tamen euaserunt.

Secundum genus.

Præterea in magnis periculis, duabus de causis præcipuè solent homines confidere, vel quia talia pericula nunquam experti sint, nec intelligunt quid in se calamitatis habeant: vel quia se facilè ex illis euasuros arbitrantur, eo quòd auxilia prompta sibi esse intelligant.

Tertium genus.

Quartum genus.

Confidunt etiam homines, cum vident periculum illud paribus, & similibus metum non afferre, nec inferioribus, & iis, quibus se præstantiores existimant, timorem ullum incutere; ex his enim magnam confidentiam acquirunt. Præstare autem se hominesillis arbitrantur, quos vicerunt, aut quibus, vel potentiores vel similes, superarunt.

Quinque sunt, quibus homines instructi confidentes fiunt.

Quinque autem numero sunt, quibus homines, cum se vident instructos, præstare cæteris existimant, cum res tales sint, per quas homines horribiles esse solent. I. Huiusmodi porrò sunt pecuniarum copia; Pecuniæ siquidem obediunt omnia II. Militum robur, milites enim strenui sæpesæpius de hostibus triumphum agunt III. Amicorum firmitas; non enim potentia illi deesse potest, qui potentibus amicis abundat, nam: Vbi amici, ibi opes; & sanè per amicos tanquam per instrumenta licet multa nobis perficere IV. Regionis firmitas; tanto enim potentior est Princeps, quanto & urbes, & arces, & regionem universam validioribus præsidiis instructam habuerit. Tandem belli apparatus, si copiosus fuerit, si validus, in causa est, ut aliquis se superiorem reliquis futurum speret; solent etiam esse confidentes homines, si aut nemini, aut paucis, aut non talibus hominibus, quos timere debeant, iniuriam intulerint.

Quintum genus.

Sextum genus.

Confidentes etiam fieri solent sperando sibi Deos fore propitios; & aliquod boni sibi portendere ex signis, vel oraculis, vel aliis rebus similibus coniiciendo.

Septimum genus.

Declarat Philosophus, cur ii, qui Deos sibi propitios fore sperant, confidentiores sint, & ait id esse in causa, quoniam iracundia solet homines confidentes reddere, est enim fortitudinis cotes; at innocentes, cum neminem læserint, iniuriâ affecti vehementius irascuntur, & conscientiâ sua confidentiores fiunt, pro comperto habentes Deum iis auxilio esse, qui iniuriâ fuerint lacessiti.

Octavum genus.

Hæc ea summatim exponuntur nonnihil ordine mutato.

Maxima est animi confidentia iis, qui ad prælium prouocant, & priores adoriuntur, plus enim animi est inferenti periculum, quàm repulsanti. Hactenus dicta de confidentia summatim exponere quibusdam, ordine non nihil immutato, sequentem placet in modum. I. Ii confidunt, qui mala nunquam experti sunt. II. Qui damna sunt experti, sed ex illis euaserunt III. Qui periculum aduertunt non metui ab æqualibus, vel inferioribus, vel prorsus ab iis, quibus se superiores, præstantioresque putant IV. Qui rebus illis abundant, quibus formidabiles excellunt, nempe corporis robore, pecuniarum affluentiâ, regionis firmitate, amicorum potentiâ, militum strenuitate V. Qui iniuriam intulerunt, aut nemini, aut paucis, aut non iis, à quibus metuere deberent. VI. Qui vel ex signis, vel ex Auguriis, vel ex Oraculis Deum futurum sibi propitium coniiciunt. VII. Confidentiores sunt, qui prouocant, & priores adoriuntur.

Fiduciæ causa.

Fiduciæ causæ sunt I. Mala multum remota II. Præsentia eorum, quæ salutem possunt afferre, quorum genera quatuor I. Illa quibus emendationis innititur spes II. Auxilia vel multa, vel magna, vel utraque III. Salutis quoque spem proximam nobis affert, nos nec iniuriam accepisse, nec intulisse IV. Eamdem quoque proximam spem declarat aduersarios à nobis beneficium accepisse, vel in nos contulisse V. Multam fiduciæ spem in nobis auget aduertere nos esse, vel plures, vel præstantiores, aut esse tales, qui & multitudine, & viribus aduersarios superamus.

Quomodo Orator possit audaciam mouere.

Orator audaciam fouebit commemorando maiorum egregia facinora; rei bellicæ amplissimum apparatum; insigne militum robur repræsentando, & eorumdem supremam animi virtutem, corporisque vires proponendo, egregièque amplificando, & firmissimam quoque victoriæ spem variis coniecturis, atque rationibus firmando. Augebimus etiam audaciam ostendendo nos omnibus rebus præstare iis, quibus cum bellum gerimus.

Quomodo audaciam possit reprimere.

Ex aduerso retundet Orator audaciam oculis subiiciendo imminentia pericula, virium imbecillitatem, fortunæ lubricitatem, ac inconstantiam, & simul demonstrando temerariam virtutem (si ita loqui fas est) semper fecundam esse calamitatum matrem; & ad extremum incutiendo timorem iis artibus, quas non multo antea expossuimus. In his autem peragendis Orator uti debet iis figuris, quæ ad incutiendum timorem opportuniores videntur, & omnem adhibere debet industriam ad periculorum magnitudinem explicandam.

De Pudore, & Impudentia.

Pudor quid sit.

PRætermissis iis, quæ de vocabulo pudoris dici possent, quid Pudor, seu Verecundia sit primo videndum.

2. Rhetor. cap. 15. alias 6.

Pudor Aristoteli definitur, Λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ

φησι, ἡ παρὰ καιρὸν περὶ τὰ εἰς δόξαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἃ παρόντων, ἃ γεγενημένων, ἃ μελλόντων. *Sit igitur verecundia dolor quidam, & animi perturbatio in eis malis, quæ ignominiam, ac dedecus ferre videntur, cum aut sunt, aut fuerunt, aut futura sunt.* Stoicis porrò, *Est metus infamiæ, qui animum reprimit, ne procaciter, aut inordinatè, vel turpiter quid agat.* Quibusdam tamen eo pudor differt à verecundia, quòd ille est rei turpiter actæ, hæc autem rectè etiam facti, ac honesti. Sed re verâ non parum illa est vitiosa verecundia, quàm græci δυσωπίαν appellant; cum nempe quispiam in rebus etiam honestis pudore afficitur; ut enim dedecet audacem esse, durique oris, atque perfrictæ frontis: ita pariter fœdum est nimium erubescere. Hinc non iniuriâ Philosophus inficiatur pudorem esse virtutem, dicens quandam esse speciem timoris, & in adolescentibus affectionem esse probam; & spei optimæ indolem, nam ornamentum virtutis pudor est, & ferax seges immortalis gloriæ, veræque doctrinę; pudor enim formam honestat, velut inclitæ virtutis color, & sine ipso nihil rectum perfici potest, nihil honestum absolui: in iuvenis enim animo pudor, & in vultu rubor, nitidæ semper gemmæ habitæ sunt, ut propterea Cato sit laudibus extollendus, quòd dixerit sibi magis adolescentem placare, qui erubesceret, quàm qui palleret. Et Diogenes, quòd adolescentem videns erubuisse, dixerit.

Stoicis id pudor.

Euge adolescens, talis est virtutis color.

Impudentia verò definitur, Ἡ ἀναισχυντία, ὀλιγωρία τις, ἢ ἀπάθεια περὶ ἀυτὰ ταῦτα. *Inverecundia verò negligentia quædam est, & animi securitas in eisdem illis malis;* Quamobrem impudentia nil aliud, quàm honoris, famæque contemptio, cum videlicet quispiam securo animo dedecus, ac ignominiam subit.

Impudentia quid.

Gemina tamen impudentia esse perhibetur, altera quidem laudabilis, quæ rusticum pudorem expellit: altera verò detestabilis, quæ semper omnium morborum maximus habita est, velut illa quæ ad omne turpitudinis genus quamacerrimè ducit.

Impudentia duplex

Aristotelis vestigijs insistentes primò explicabimus, quibus rebus homines verecundari cogantur, in cuius gratiam repetendum memoriâ est mala duplicis esse generis, quædam enim metum incutiunt, cuiusmodi sunt, quæ dolorem, aut interitum afferunt, de quibus paulo supra disputatum fuit: alia verò quæ turpitudinem, ac infamiam dumtaxat important, vel nobis, vel iis, quos beneuolenti complectimur. Hæc autem sunt mala, in quibus verecundia versatur; verecundia porrò, semper ob aliquod vitium excitatur cum semper habeat turpitudinem adnexam; turpitudo autem omnis ab animi vitio est. Idcirco in pueris & adolescentibus commendabilis, dum enim erubescunt, dedecus fugiunt, in quod nimium & libidini & aliis vitijs indulgendo, inciderent; ab his autem ob solam verecundiam deterrentur: senes autem dedecet pudor, quoniam supponitur ab ipsis nihil fieri, ex quo ille possit oriri.

Res quibus homines verecundari cogūtur. Duo sunt malorum genera.

Mala autem propter quæ homines verecundantur, sunt quæ ab aliquo animi vitio proficiscuntur, ut in prælio Clypeum abiicere, vel in fugam verti, hoc enim à timiditatis nascitur vitio; erat autem apud Græcos dedecoris, & igominiæ in prælio clypeum abiicere. Lex enim vetat, non deserere ordinem, non in fugam verti, non arma proiicere. Inter ea, propter quæ homines verecundantur est depositum non reddere, hoc enim ab insigni animi vitio, scilicet ab iniustitia nascitur, qui nanq; depositum accepit, debet bonâ fide semper reddere, nisi forsan aliquid accidat, propter quod honestum sit depositum non reddere.

Mala propter quę homines verecundantur ab animi vitio proueniūt. Primum exemplum Secundum exemplum

Aliqua etiam, quę ad intemperantiam pertinent, sunt quæ homines verecundantur; Sunt autem intẽperantes, qui vel gulæ, vel rebus venereis nimium indulgent; non omnis autem venus est improbanda, sed illa tantum, quæ neque personas neque locum, neque tempus respicit, non enim cum omnibus mulieribus rem habere decet, ut cum cognatis aut affinibus, aut alienis uxoribus; nec in omni loco, ut in templo, in platea; nec in omni tempore, ut diebus festis, cum sacrificia peraguntur. Tertium exemplum

Ex minutis etiam rebus quæstum facere, turpe est, ac indecorum, ut quęstus quem ex urinis Vespasianus fecerat; aut ex turpibus rebus, ut sunt meretricum, lenonum, & scurrarum, & circumforaneorum quæstus, aut ex iis, ex quibus non posse fieri videatur, ut à pauperibus, & mortuis, unde prouerbium *A mortuo quoque tributum exigere*, hæc enim à vitio proueniunt, scilicet ab auaritia, & illiberalitate, & ideo verecundiam afferunt. Primum genus malorum unde excitatur pudor.

Verecundiam etiam affert non subuenire ijs, qui indigent pecuniâ, cum possis; aut si minus quàm oporteat, id facias, hoc enim ab auaritia, est siquidem auarus ille cum opibus ille affluit, & alterius paupertatem facilè possit subleuare, nihil tamen porrigit; aut si quid exhibet, ac tribuit, pusillum est adeo ut accipienti nullam alleuationem afferat. Hoc autem huiusmodi hominibus summo dedecori, ac infamiæ est, cum beneficientiâ, & liberalitate nihil naturæ hominis accomodatius reipsâ sit, auctore Tullio, ex cuius sententia si quæ virtus principem virum decet, præcipuè liberalitas est. Secundum genus. Auarus qui. Beneficentia quâ maximè homini accommodata. Tertium genus.

Hoc etiam tanquam turpe est detestabile, propter quod homines verecundiâ affici debent, à tenuioribus, minusque abundantibus auxilium & pecuniam petere; hoc enim contra naturæ genium esse videtur, cum tamen ita comparatum sit, ut qui minus habent, semper ditioribus aliquid addant, quod si contrarium eueniat, id ex necessitate est; diuites enim nonnisi necessitate coacti à tenuioribus auxilium petunt.

Sunt qui ut illiberalitatem suam facilius occultent, se pecuniâ semper egere simulant, cumque amicus pecuniam ab eis mutuò petiturus est, ipsi præoccupant, & ab alio mutuò sumunt; hoc autem turpissimum esse, magnoque dedecori Aristoteles ait. Quartum genus.

Turpe itidem & illud, nempe iterum petere, cum aliquis, quos dedit nummos, repetiturus est; sunt enim, qui cum pecuniam mutuò sumptam reddere non possunt, scientes eum, qui dedit, repetiturum, præoccupant alias pecunias petendo, atque restituendi tempus prorogari efflagitant, quod est turpitudinis plenum, summèque detestabile apud eos, qui fidei, dignitatisque rationem habent. Quintum genus.

Turpe quoque, etsi non tantum, cum enim detegitur dolus, pudorem inducit, estque superiori contrarium, nempe mutuò datum repetere, cum iterum ille petiturus est, sæpe nanque qui semel pecuniam dedit, videns eum egere, cui dedit, veritus ne ille iterum petat, eam repetit, quam antea mutuò dederat, non quia se illam recuperaturum arbitretur, sed ut ab ulteriori molestia caueat, atque novum incommodum declinet. Sextum genus.

Turpe est etiam aliquid coram eius domino vehementer laudare, & admirari, adeout illud poscere videaris. Septimum genus.

Nec minoris est turpitudinis idem iterum, ac sæpius Octavum genus.

Digitized by Google

pius ab eo petere, qui semel se daturum negauit; hæc enim, ut ait Philosophus, omnia sordium, ac illiberalitatis inditia sunt.

Nonum genus. Nec minoris est infamiæ in præsentia, & coram laudare quempiam, nam hoc adulationis est.

Decimum genus. Adulatoris est etiam proprium, ut, si quæ bona sint in eo, quem laudat, plusquam satis laudet, & vehementer amplificet, & admiretur; si verò sint mala in eodem, silentio prætereat, vel occultare, dissimulare, atque penitus abolere studeat ne appareant; hoc enim turpe, nec ingenui hominis est.

Decimum primum genus. Illud etiam adulatorum esse videtur, cum quis dolet, maiorem, quàm ille dolorem ostendere, & alia quæcunque sunt eiusmodi; non solùm enim lætantur, gestiunt, ac rident, cum aduertunt eos, qui laudantur, lætari, gestire, & ridere, sed etiam cum flentes vident, maiorem, quàm illi dolorem ostendunt; hæc autem, & id genus alia turpia sunt, & ignominiæ plena, utpote adulationis inditia.

Decimum secundum genus. Inhonestum quoque Philosopus existimat eos labores ferre non posse, quos alii sustinent, qui vel seniores sunt, vel qui delicatè vivunt, vel qui in aliqua sunt dignitate constituti, vel qui demùm imbecilliores, ac infirmiores aliquo modo sunt; qui igitur huiusmodi labores sustinere non possunt, iustam infamiam subire coguntur; ut ex aduerso egregias laudes merentur, qui corpus, & animum assuefacere conantur ad magnos perferendos labores, quoniam. *Labor est gloriæ pater.*

Decimum tertium genus. Flagitiosum est etiam ab alio beneficium accipere, quoniam qui accipiunt, in eo, quòd accipiunt, inferiores esse videntur; ut propterea liberalis viri sit beneficium facere potius, quàm accipere; quòd si inhonestum est beneficium accipere, longè quidem inhonestius erit sæpius accipere; quanuis Tullius aliquando dixerit animi ingenui esse, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere; sed forsan ei tunc de hoc expediebat ita sentire.

Decimum quartum genus. Iure etiam illud fœdum existimatur, alicui nempe beneficia exprobrare; hæc enim sunt signa pusilli animi, & abiecti; nimirum libenter beneficium accipere, & aliis exprobrare collatum, hoc enim hominum genus odiosum est: *Odiosum sanè*, dicebat Tullius, *genus hominum beneficia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.*

Decimum quintum genus. Infame quoque est de ipso prædicare, & magna quædam polliceri, *Laus enim in ore proprio sordescit*; quòd animum iactabundum, quo nihil odiosius, declaret.

Decimum sextum genus. Nec minus deforme videtur, quæ aliorum sunt, sibi vendicare; hoc enim arrogantiam testatur. Nihil autem minus decet hominem antiqui officii, quàm hoc inanis gloriæ vitium, ut propterea summum scelus sit existimandum, propter quod homines verecundiâ teneantur.

Alia quæ turpia sũt exemplis explicãtur

Primum exemplum

Secundum exemplum

Tertium exemplum Docet non dissimiliter, turpia esse & verecundiam gignere omnium aliorum vitiorum opera, & signa, nec non quæ quandam cum vitiis affinitatem habent; omnia siquidem talia efficiunt, ut homines erubescant, cum in eis deprehenduntur, huiusmodi autem sunt primò quidem vitiosa opera, actionesque turpes; ut si quis deprehendatur in furto. Secundò vitiorum notæ ac indicia; ut si quis coram populo, propter crapulam, aut ebrietatem vomere cogatur. Tertiò, quæ vitiis similia sunt, etsi nec vitia, nec vitiorum sint notæ, ut si iuvenis seniori debitum obsequium non præstiterit, nempe non assurrexerit, aut de via non cesserit, &c.

Ex Aristotelis sententia fœdum est etiam non esse participem earum rerum honestarum, quarum participes sunt vel omnes omninò, vel omnes similes, aut saltem ex similibus plerique. Similes autem dicit Philosophus eos, qui eiusdem sunt nationis, atque ciuitatis, aut ætatis, aut uniuersè in aliquo æquales. Hoc autem ideo, quia turpe est nec mediocriter detestabile, honestis carere, quibus æquales non carent, ut carere eruditione, cuius omnes penè æquales participes sunt. Hæc autem maiori adhuc dedecori videntur esse; cum quispiam sibimet harum turpitudinum causa videatur extitisse, ex vitio enim, atq; culpa hominis magis prouenisse censetur, cum ipse sibi præsentium, præteritorum, ac futurorum malorum causa fuerit.

Decimum septimum genus.

Aliquæ etiam sunt perpessiones turpes, & flagitiosæ. Pudet igitur homines cum ea perpetiuntur, aut perpessi sunt, aut perpetientur, quæ patienti infamiæ notam inurunt. Vt cum quis corpore, vel fœdis muneribus alteri inseruit, ex quibus patienti suboritur dedecus. Quæ autem ad intemperantiam spectant, tum voluntariè, tum inuoluntariè homines quandoque patiuntur, & utrolibet modo patiantur, turpe est illis pati.

Genus de eis rũ quæ fiũt.

Si vim atque violentiam ultrò subimus, ut, cum inter ludendum, ab amicis verberamur, aut quâuis aliâ ratione lacessimur, nullam ignominiam incurrimus. Sed cum voluntariè, & non inuiti patimur; atque violentiam æquo animo ferimus, certè dedecus & infamiam effugere non possumus; talis enim tolerantia non ab aliqua virtute, sed à vili, timidoque animo proficiscitur, qui vim vi repellere non audet. Hæc igitur, & id genus alia sunt, quæ homines verecundantur.

Decimum nonum genus.

Quales autem sint illi homines quos veremur, & propter quos verecundiâ afficimur, breuiter cum Aristotele videndum supereſt. Et primò suppositâ verecundiæ definitione, scilicet eam esse opinionem, vel timorem ignominiæ, & ipsius quidem ignominiæ tantum, non alterius rei gratia; qui nanque verecundantur, nil aliud timent, nisi ut bonam famam, & existimationem amittant; hinc necesse est homines affici verecundiâ propter illos, quorum rationem ducunt.

Quales sint homines quos veremur.

Horum quinque numerat genera, quorum primum eorum est, qui nos admirantur, & magnos, ac excellentes viros esse nos arbitrantur; necesse est enim, ut eos nos vereamur, ne à pristina sententia desciscant. Secundum est eorum, quos ipsi admiramur, atque præclaros esse viros existimamus, hos enim colimus, quia de nobis eos benè existimare cupimus; nam, *Vera laus est, quæ à laudato viro proficiscitur*; nostra igitur interest iis obsequium præstare. Tertium eorum est, quos in admirationem nostri trahere volumus, & à quibus præstantes iudicari desideramus; hoc autem euenit, vel cum primum aliquod negotium aggredimur, vel cum ad alicuius dignitatis petitionem aspiramus, vel novum aliquem magistratum gerimus. Quartum eorum est, quibus cum de honore, ac dignitate contendimus; etsi nanque eos superare nitamur, non tamen negligimus, si modò esse tales arbitramur, qui nobiscum comparari mereantur, sed potius eos veremur, tanquam socios, & consortes glorioſi laboris. Quintum eorum ad extremum est omnium, quorum existimationem de nobis magni facimus; eos enim magna cum obseruantia colimus, & veremur, & ut de nobis bene sentiant, curamus.

Quinque hominum genera quorum rationem ducere soleamus.

Primum genus.

Secundum genus.

Tertium genus.

Quartum genus.

Quintum genus.

Qui nos admirantur, & quos ipsi admiramur, declarat

Qui nos admirantur, & quos ipsi admiramur.

clarat Philosophus dicens illos esse, in quibus est aliquod bonum honore dignum; huiusmodi autem bonorum varia sunt genera, aliqua enim dicuntur veneranda, utpote præstantissima, ut sapientia, variarumque rerum cognitio; aliqua laudabilia, ut actiones honestæ, rectèque factæ; aliqua præstantia, ut Dignitates, Magistratus, & Imperia, eò quòd in iis existentes reliquis præstant; aliqua utilia, eoquòd ex iis emolumentum consequimur, ut diuitiæ; aliqua denique iucunda, quæ nimirum voluptatem nobis pariunt, ut oblectamenta sensuum, quies, & animi relaxatio; ex his tamen nullum maiorem admirationem mortalium animis ingerit, quàm, quod venerandum est, nempe sapientia.

Declarantur duo priora genera.

Illis etiam cupimus admirationi esse, eosque vicissim admiramur, qui possident bonum aliquod ex honorabilibus, vel à quibus vehementer desideramus impetrare aliquid eorum, quorum ipsi sunt domini, & ob id amantes admirantur eos, quos amant.

Qui sint, cū quibus de dignitate contendimus.

Cum diceremus nos eos vereri, quibuscum de dignitate contendimus, declarat, qui nam sint tales, & ait esse æquales, ac similes.

Cur prudentes veteri soleamus.

Cur autem prudentes homines vereri soleamus eorumq; rationem habeamus, explicat dicens causam esse, quoniam hi in suis opinionibus falli non solent, cuiusmodi sunt senes, & eruditi.

Quæ in cōspectu hominum sint verecundiam mouent.

Illa etiam verecundiam mouent, quæ in omnium oculis sunt, ex quo palam fiunt, unde adagio fertur, pudorem in oculis esse; ideo qui coram multis peccat, plurimum erubescere solet, quòd erroris sui plurimos testes videat; hinc plerique coram multitudine verba facere non audent, timidique sunt in concione quòd infamiam subire vereantur, si concio forsan auditoribus non arriserit.

Duo hominum genera, quæ præcipuè nos verecundamur

Idcirco duo sunt hominum genera, quos maximè veremur, nempe qui semper nobiscum futuri sunt, & qui nostras actiones aduertunt, non aliam ob causam, nisi quoniam hęc utraque in oculis sunt; externos enim, & peregrinos à nobis breui discessuros, præsertim ignotos, non multum verecundari solemus, quemadmodum nec illos qui nobiscum una versantes suis negotiis ita sunt occupati, ut nequeant aduertere quid à nobis fiat.

Homines qui inter se non verecundantur.

Qui eiusdem flagitij, sceleriſque sunt participes inter se non verecundantur, at qui in aliquo est crimine, verecundatur eum, qui huiusmodi peccato minime obnoxius est.

Homines etiam quos non multum verecundamur.

Nec eos multum verecundamur, qui lenes sunt, & ad ignoscendum procliues: sed eos qui seueri sunt, nec facilè ignoscunt; cum enim iisdem criminibus non sint obnoxii, necesse est, ut contraria nobis sentiant, & sequantur, atque adeo nostra crimina ipsis minimè probentur. Verecundantur siquidem eos, qui non ignoscunt iis, in quibus peccare videmur, at pauci sunt, qui ea damnent, & aliis vitio vertant, quibus ipsi dediti sunt, propterea non veremur eos, qui iisdem criminibus sunt obnoxii, sed eos, qui à talibus vitiis plurimum abhorrent.

Ratio cur id contingat.

Qui sint etiam quos verecundamur, nempe qui facilè enunciant.

Eos itidem verecundamur, qui, si quid flagitii in nobis deprehenderint, statim illud evulgant, multisque manifestant, siquidem, nostra scelera quam occultissima esse cupimus, quorum enim peccata non evulgantur, illi plerunque minime peccasse videntur, at quisque desiderat se probum existimari.

Qui sint, qui facilè nunciant, nempe qui iniu-

Ex Philosophi autem sententia illi facilè enunciant, qui à nobis acceperunt iniurias; ii namque diligenter obseruant, si quid à nobis peccatum fuerit, ut illud cæteris manifestent; hoc enim modo putant se acceptam iniuriam ulcisci. Alii quoque sunt qui facilè enunciant, puta maledici, nam ut Philosophus ait, si nihil peccantibus detrahunt, quantò magis peccantes inuadent?

riam acceperunt.

Derisores &c. Veremur, & quare.

Eos etiam vereamur oportet, qui in proximorum peccatis notandis occupati sunt, ut derisores, comici, & Poetæ sunt; nam hi quodammodo maledicos imitantur, dum aliorum flagitia diuulgant, licet in eo differant, quòd maledici solùm id sibi proponunt, ut alicui malè dictis suis infamiam afferant; derisores autem ac Poetæ, ut risum audientibus moueant, veraque vitia designent.

Aliud genus eorū quos veremur, qui in re quacunque nobis assentiunt.

Et qui in re quacumq; nobis assentiunt, nec unquam refragantur; videntur nos admirari, idq; facere solùm, quadam nostri admiratione ducti, quòd de nobis optimè sentiant, hos autem homines vereri solemus ne abiectâ veteri sententiâ, nouam suscipiant.

Causa adducitur.

Eadem quoque ratione homines verecundantur eos, qui primò ab ipsis aliquid petunt, adeò ut pudeat id illis negare; videntur enim qui rogant benè de ipsis sentire, & probos, ac officiosos existimare, at si negent id quod petitur, statim existimatio de ipsis habita imminuitur, quod minimè vellent. Vereri quoq; solemus eos, qui nostram amicitiam inire volunt; ideò enim nostram amicitiam expetere videntur, quoniam in nobis conspexerint quæ bona sunt; nam si malè de nobis sentirent, non tantoperè in amicitiam nostram se insinuare studerent; sed hos ideò veremur ne institutæ cursum opinionis aliò conuertant, & hanc præclaram existimationem amittamus.

Alii quos verecundamur, nempe qui primùm aliquid à nobis petunt Et qui nostrā amicitiam inire volunt.

Causa affertur.

Ex familiaribus quos vereamur.

Ex iis porrò qui iam dudum nobis familiares fuerunt, eos potissimùm verecundamur, qui nullius nostri criminis conscii sunt; illos enim qui nostra crimina perspecta habent, non veremur, sed potiùs timemus.

Quæ verecundiam mouent.

Ex iis quæ verecundiam mouent, alia sunt obscæna, & turpia, ut stuprum, incestus, adulterium; alia turpitudinis tantummodo signa, ut impudica locutio, osculum, attrectatio mulieris & alia huiusmodi; non solùm igitur homines turpia facta verecundantur, sed etiam turpium factorum signa.

Non solùm facta, sed etiam factorum signa homines verentur.

Quemadmodum non solùm facta turpia, sed etiam eorum signa verecundamur; ita non solùm prædictos homines veremur, sed etiam eos, qui possunt illis nostra facta enunciare, quales sunt eorum serui, & amici.

Qui nam sint, quos minimè verecundemur.

Dixit Philosophus, qui nam sint quos verecundamur, modo docet qui nam sint, quos minimè vereamur; & ait esse illos quos contemnimus, propterea quòd verecundia propter infamiæ metum excitatur, sed timemus infamiam incurrere apud eos, à quibus cupimus existimari; at apud eos, quos contemnimus non cupimus in honore esse; idcircò ab eis non timemus infamiam, proindeque nos illos vereri minimè solemus; huiusmodi sunt pueruli, & beluæ, ut Aristoteles ait, quibus addi possunt homines viles nullius que pretii.

Non eadē sunt quorum nos pudet apud notos, & ignotos.

Tandem non earumdem rerum, nos pudet apud notos, & apud exteros, & ignotos, nam apud notos maximè quidem pudet eorum, quæ reuera sunt turpia; at apud exteros, & ignotos pudore quidem eorum afficimur, quæ re ipsa turpia non sunt, sed solùm existimantur, & ex opinione turpia esse censentur.

Qui, & quomodo affecti pudore afficiantur.

Qui autem, & quomodo affecti homines, qua verecundia afficiuntur, sequitur cum Aristotele explicandum.

Quos homines vereri soleamus.

Nos autem pudor inuadit, cum sumus præsentes

Digitized by Google

iis, quos, ut nuper dictum fuit verecundamur, & primò quidem, cum sumus præsentes iis, quos admiramur, vel propter sapientiam, vel propter dignitatem, vel propter morum elegantiam, ac probitatem. Secundò cum sumus presentes iis, quibus nos sumus admirationi, quòd in nobis putent aliqua esse bona excellentia; cupimus enim eos in huiusmodi sententia constare. Tertiò cum sumus præsentes iis, quibus admirationi esse cupimus, quod adhuc virtutes nostras perspectas non habuerint, & illis nos desideramus manifestas reddere. Quartò cum sumus præsentes iis, quorum ope indigemus, interest enim nostra ut benè de nobis sentiant, alioquin si nos improbos crederent, certè quod ab ipsis expectamus, non præstarent.

Homines debent esse præsentes, vel in propinquo loco, ut eos nos verecundemur.

Homines autem quos diximus, vel debent adesse præsentes, ut videant, vel in propinquo loco; nam si locorum interuallo disiuncti fuerint, nos eos non verebimur. Hanc ob causam Cydias Orator cum apud Athenienses de Colonia Samum deducenda sermonem haberet, ut in iis verecundiam excitaret petiit ut universos Græcos imaginarentur circumstare; atque ea, quæ decreuissent, non solùm audituros, verum etiam visuros.

Non solùm nos pudet præsentium, sed eorum etiam, qui vicini sunt, facilèque possunt ea percipere, quæ turpiter acta fuerunt; hinc prouenit, ut qui calamitatibus præmuntur, cum prius essent felices, eorum conspectum fugiant, à quibus olim prosperâ utentes fortunâ cognoscebantur; qui nanque benè de aliquo sentiunt, eum æmulantur, & admirantur; cum autem ærumnis oppressum vident, statim à veteri opinione recedunt, nec amplius æmulantur, nec eius admiratione capiuntur.

Secundò etiam pudore homines afficiuntur, cum aliquid habent, quod ipsi dedecus affert, vel à se commissum, vel à maioribus suis, vel ab aliis, cum quibus propinquitate coniuncti sunt, atque demum quorum infamiam ad se pertinere arbitrantur. Cum itaque aliquid est huiusmodi, ut dedecus possit afferre, id etiam pudoris est causa cum obiicitur, siue commissum scelus sit ab eo, cui obiicitur, siue ab aliis iam dictis.

Crimina eorum, qui à nobis pendet pudorem excitant.

Nec solùm crimina maiorum, cognatorum, & affinium pudorem afferunt; sed etiam eorum qui à nobis pendent, ut eorum quos erudiuimus, aut quibus consilium dedimus.

Qui pares habent ac similes pudore etiã afficiuntur

Tertiò pudore itidem afficiuntur illi, qui pares aliquos, ac similes habent, cum quibus de honore, dignitateque contendunt, si quando superantur; æmulorum enim causa ex pudore multa faciunt, quæ sine æmulo nunquam facerent, & multas etiam voluptates omittunt, quas nisi æmulum haberent, omninò sequerentur.

Quartò multo adhuc maiori afficiuntur verecundiâ ii, qui postquam ignominiam perpessi sunt cum ipsi, in eorum conspectu esse debent, & cum iis versari qui sceleris sunt conscii; hinc sæpe, qui aliquam ignominiam patiuntur, patriam deserunt, & in longinquas regiones migrant.

Hæc eadem breuiter, & summatim, quibusdam placet sequentem in modum exponere.

Qui sint, quos pudet.

Ii sunt, quos pudet, nempe, qui dignitatis, & honoris lasione dolent, & quidem I. Qui apud se habent, quos honore prosequantur, cultuque dignentur, siue præsentes, siue vicini, siue cognituri sint id, quod præter decorum dicimus, aut agimus II. Qui eo sunt loco constituti, ut eorum existimatio in discrimine versetur III. Quoniam egerunt, quæ dedecori futura sunt IV. Idem accidit, si similes habeant, quibuscum de honestate certent V. Si putent futurum, ut familiariter uti debeant suorum peccatorum conscii.

Homines autem apud eos pudet, apud quos exoptant propriam dignitatem, ac existimationem illæsam conseruari, huiusmodi autem sunt I. Tum qui grandeuâ sunt ætate, tum qui plurimum sapientiâ valent II. Apud eos etiam verentur, qui semper affuturi sunt, & qui diligenter eorum actiones obseruant III. Qui non sunt iisdem obnoxii criminibus IV. Qui non facilè delinquentibus ignoscunt V. Qui facilè enunciant, apud hos enim pudet; nam vulgo nil distare putant, num id factum non sit, & num quod peccatum est, ignoretur VI. Et apud illos, à quibus nunquam repulsam habuerunt VII. Apud eos, qui dicta, factaque nostra iis indicaturi sunt, quos veremur, cuiusmodi famuli, eorumdemque amici sunt I. Eorum autem pudet, quæ sunt opera, ac signa vitiorum, siue in nobis, siue in nostris II. Pudet itidem si opus, aut signum iniustitiæ sit, ut depositi fraus, seu depositi quempiam fraudare III. Intemperantiæ IV. Illiberalitatis V. Pudorem etiam excitant opera, ac signa adulationis VI. Mollitiei VII. Pusillanimitatis VIII. Arrogantiæ.

Orator autem pudorem excitabit facti turpitudinem proponendo, vitiorum fœditatem detestando, quibus, de quo loquimur, laborat; quisque nanque ob dedecoris, & infamiæ notam verecundiâ afficitur.

Minuitur exemplis eorum, quibus etsi primò pudor detrimento fuerit, postea tamen profuit. Extinguitur pudor demonstrando rem exprobratam non esse turpem, quin potius commendatione dignam, ac laudabilem; vel eam non nostrâ, sed alienâ culpâ contigisse, verbo dicam, pudor iisdem legibus ac timor tractatur.

Effectus pudoris sunt Rubor in vultu, silentium, submissio, obseruantia, & id genus alia.

De Gratia, seu Beneficio.

AD cognoscendum quibus hominibus gratiam habeamus, & quibus de causis, & quomodo simus affecti Philosophus gratiæ definitionem premittit dicens. *Ἔστω δὴ χάρις, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν ἑτέρῳ, μὴ ἀντί τινος μηδ' ἵνα τι ἀντὶ τοῦ ὑπουργοῦντος, ἀλλ' ἵνα ἐκείνῳ τι. Sit igitur gratia, per quam is, qui habet, dicitur gratiam egenti beneficium suppeditare, non ut aliquid gratiæ referatur, aut quo ille, qui tribuit utilitatem ex eo consequatur, sed solùm, ut illi cui gratificatur, aliquid boni contingat.* Ad gratiam ergo Philosophus quatuor requirit. Primò, ut beneficium egenti detur. Secundò, ut alicui non detur eo quòd ab eo aliquid acceperimus, alioquin gratia non est. Tertiò, ut non speretur aliqua utilitas ex gratia collata. Quartò, ut sit ab animo commodandi, & benefaciendi. Gratia igitur est, cum indigenti opitulamur à quo nihil accepimus, & à quo nihil speramus, & hæc propriè gratia dicitur. Rectè autem inter affectus, atque perturbationes numeratur, quamuis hoc aliqui negarint, nam eadem est de gratia, ac de misericordia ratio, non alio enim ab hac illa differt, quàm, quod hæc creatur, quia quispiam se, suorumve quempiam similia perpeti posse censeat: gratia verò benigno animo citra quemlibet doloris sensum opituletur. Tullius autem gratia eam esse dicit, quæ in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitia-

sum

rum obseruantiam teneat; sed non mirum gratia enim communiter accipitur, quo pacto in remuneratione, & remunerandi voluntate consistit.

Magna gratia, quę existatur.

Magna autem censetur illa gratia, quę valde egentibus præstatur, quanto enim magis indiget is, qui accipit, tanto maior gratia, seu beneficium videtur, Secundò, quantò maius, aut difficilius est, quod datur, tantò maius est beneficium. Tertio eò maius est beneficium, quo opportunius confertur. Quarto, qui confert beneficium auget illud, si solus, vel primus, vel omnium maximè conferat.

Magnæ indigentiæ quæ sint.

Sequitur explicandum, quæ nam sint magnæ indigentiæ, & quando nam homines valde indigeant. Indigentiæ porrò sunt appetitiones, atque illæ præcipuè quæ nos plurimum torquent, cum eas nobis explere non licet; itaque non tantùm pauperes sunt indigentes, sed quicunque aliquid vehementer appetunt, quamobrem omnis appetitio, quædam est indigentia, cum ea tantùm nos appetere soleamus, quæ non dum obtinere potuimus; appetitiones autem quæ nobis dolorem afferunt cum eas explere non possumus, indigentiæ dicuntur; ut si quis auidè exuriat vel sitiat, nec tamen cibo, aut potu possit molestiam utramve depellere; huiusmodi autem sunt omnes cupiditates, ut amor; ob id amans vehementer dolet, nisi id quod amat consequatur; propterea se magnum accipere beneficium arbitrantur ii, qui cum amore flagrant, auditores habent, ut re amatâ potiantur. Non dissimiliter, qui cruciatus corporis patitur, aut in periculis versatur, summopere concupiscit sanum, ac incolumem fieri; idcirco magni faciunt eos, quorum præsidio à morbo, aut à periculo liberantur, & ideo qui in paucis etiam rebus adiumento sunt hominibus, vitam degentibus in egestate, vel à Patria eiectis ob indigentiæ magnitudinem, ac temporis opportunitatem magnum contulisse beneficium existimantur; ut qui stoream, in Lyceo præbuit (erat autem Lyceum Athenis Gymnasium) in quo cum exulem & pauperem quendam humi cubantem aduertisset, misericordiâ commotus stoream illi præbuit, quam exul, & pauper ille pro lectulo sibi substerneret, quod ab eo magnum beneficium existimatum fuit; qui autem sibi quempiam magno deuenire beneficio cupit, tria debet obseruare gratificandi tempora I. Vel cum ille vehementer aliquid desiderat II. Vel cum corporis dolore præmitur III. Vel cum in periculis versatur; in his enim temporibus opitulatio est optatissima, atque gratissima. Quòd si alia contigerint, quæ si non eadem, iis tamen sint æqualia, vel maiora, statim subueniendum est, ut cum de honore agitur, vel cum de absentis fama citra causam detrahitur, & id genus alia, optimum est egentibus opem ferre, & beneficium magni extimatur.

Hactenus dicta quomodo prosint Oratori.

Hactenus dicta maximè prosunt Oratori ad augendum vel minuendum beneficium collatum; hæc enim qui nouerit, facilè poterit eorum præsidio auditores præparare, ac illis persuadere magnum beneficium collatum fuisse; ut si dixerit eos, qui acceperunt, in summo dolore, aut maxima egestate fuisse; qui autem dederunt, statim id præstitisse, suoque auxilio eosdem subleuasse.

Quomodo Orator beneficiũ tollere, vel immiuere possit.

Poterit etiam Orator beneficium prorsus tollere, vel saltem imminuere, adeout beneficium minimè aliquis dedisse videatur probando eum qui aliquid dedit sui gratiâ tantummodo dedisse, cum qui beneficium dat commodum, & utilitatem eius cui dat, non suam spectare debeat; si quis enim ei subueniat, à quo longe plura sit reportaturus, ei beneficium non dat sed fœnerat. Idem etiam assequetur Orator dicendo id casu, ac fortuitò accidisse, proindeque beneficium dici non posse, cum hoc non casu, sed consultò, & deditâ operâ fieri debeat. Vt si quis carcerem disrumpat ad liberandum amicum, & una cum hoc alii liberentur, hi ab eo nullum beneficium recipiunt. Dicet etiam Orator id, quod factum est, ex necessitate factum fuisse, proindeque non esse beneficium appellandum, quoniam hoc voluntarium esse debet, cuiusmodi non est, quod ex necessitate contingit. Vt si quis vicinum incendium extinguat, ut ab eo propriam domum tueatur, vicino nullum beneficium affert, quoniam hoc necessariò fit; tametsi enim ille vicino opem tulerit, tamen id necessitate coactus, non autem voluntariè fecit.

Quomodo poterit Orator beneficium etiam exrenuare.

Nam tua res agitur paries cum proximus ardet, Hor. l. 1. Epist. Ep. 18.

Orator etiam beneficium extenuabit dicendo eum, qui benefecit, beneficium reddidisse, non autem dedisse, quoniam propter merita in se aliàs collata id facere debebat, ne ingrati animi culpam incurrere videatur; nihil autem refert an ille sciat, an nesciat se debere, utcumque enim sit, reddere videtur; ut propterea beneficium dici illud non possit. Iure idcirco dictum fuit ab Aristotele, communique sapientum consensu firmatum, nos, parentibus, & magistris pares gratias referre non posse; quanuis enim pluribus in rebus nos illos adiuvemus; non propterea tamen propriè dici possumus iis beneficium conferre, quoniam nihil est, quod ipsis non debeamus.

Iuvat per singulas categoria excurrere; siue ad augendum, siue ad minuendum beneficiũ.

Siue autem beneficia nos augeamus, siue minuamus, per singulas rerum categorias excurrere debemus; propterea quod gratia, seu beneficium consistit, vel in tribuendo hoc, vel in tribuendo tantùm, aut tale, vel in tribuendo hoc loco, & tempore, &c. Tempus autem plurimum valet in beneficio conferendo, ut illud Ausonij manifestat.

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia nanque,
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Et hinc adagium,

Qui citò dat, bis dat.

Indicia quibus deprehenditur num aliquid beneficio animo datum sit.

Sunt porrò signa quædam, quibus deprehendere cuique licet eum, qui nobis aliquid dedit nequaquam benefico animo dedisse; ut si rem aliàs maiorem nobis concessit, deinde verò nobis nolit minorem concedere; hoc enim signum est euidens, nec priorem illam nobis benefaciendi gratiâ tribuisse, sed aliam forsan ob causam. Qui nanque maius beneficium dat, longè facilius quod minus est, concedet; ut qui vitam amici causâ periculis exponit, multo facilius in eiusdem gratiam, fortunæ bona periclitabitur. Quamobrem, si quis profiteatur pro aliquo vitam in discrimine posuisse; eidem autem roganti pecuniæ subsidium, recuset, signum euidens pro illo nequaquam vitæ periculum subiisse. Amplius si vel eadem, vel æqualia, vel maiora, quispiam inimicis concessit, existimari non debet nobis beneficium contulisse. Nec etiam ille dicitur beneficium dare, si sciens res viles, & abiectas alicui tribuat; nemo enim est, qui se rebus inutilibus, nulliusque pretii indigere profiteatur, at beneficium dicitur solum, quod confertur indigenti.

Paucis hęc eadem cõprehensa exponuntur.

Hæc eadem paucis comprehensa, & clarius etiam ordinata sic se habebunt.

Qui gratificentur.

I. Primo ii gratificantur, in quorum manu positum est id, quo alii egent II. Ad gratificandum mouentur erga indigentes; III. Mouentur autem aliorum animaduersâ indigentiâ. Indigent verò qui appetunt.

Ad amplificandum

Ad amplificandum beneficium trifariam procedi-

tur

beneficiũ tribus modis procedit.

tur I. Ratione eorum quibus beneficium confertur, ut quòd sint valde indigentes II. Ratione eorum quæ dantur, ut quòd magna sint, & plurimis difficultatibus inuoluta, & quòd opportuna sint III. Ratione eorum, qui beneficium præstant, ut quòd id faciant aut soli, aut sine mora.

Ad minuẽdum totidem modis procedit.

Ad minuendum beneficium totidem modis proceditur. Primus beneficium minuendi modus in eo consistit, ut dicamus quempiam non benefaciendi gratia, sed proprij tantùm commodi opem tulisse. Secundus modus in eo positus est, ut dicamus aliquem casu & fortuito opem præstitisse, vel ostendamus id fecisse coactum, vel dicamus magis reddidisse beneficium, quàm dedisse, ad quod conducit per singula ire categorias, & primò per eam, quæ substantiæ est, dicendo dedisse hoc, & non illud: Quantitatis; dedisse, non tantum, quantum opus erat: Qualitatis; non tale, quale dare oportebat: Temporis non quando erat opus: Loci; non ubi oportebat, & sic de reliquis categoriis. Tertius modus beneficii vel negandi, vel saltem minuendi est desumendus à tribus animi parum amici signis. Et I. Quòd ne rem minorem tribuerint. II. Quòd inimicis, aut paria, aut maiora etiam tribuerint. III. Quòd tribuerint res viles, & abiectas.

De Misericordia.

Tractationis continuatio.

ERat operę pretium, ut Aristoteles de misericordia verba faceret, nam huius commotio in peroratione plurimum valet, adeout Tullius huiusmodi affectus commotionem in epilogis adhibendo Iudices etiam ad fletum impelleret. Misericordiam Aristoteles definit. Ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ τῷ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ ἢ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν. *Sit autem misericordia quædam ægritudo, suscepta ex opinione mali, quod aut interitum, aut dolorem afferat ei, qui illâ fortunâ sit indignus.* Tullius verò misericordiam non multo aliter definit dicens, *Misericordia est ægritudo ex tristitia alterius iniuria laborantis.* Nam, ut rectè ipse ait, nemo ob parricidæ, aut proditoris supplicium misericordiâ commouetur. Misericordia siquidem species doloris est, ut mox intelliges, & nascitur ab opinione non cuiuslibet mali, sed eius tantùm, quod vel interitum affert, vel dolorem; interitum, ut si virum innocentem contra fas torqueri conspiciamus; vel acerbè ab hostibus vitâ spoliari, protinus enim eius miseratione commouemur; dolorem, ut si quispiam in exilium eijciatur, seu domo, vel patriâ priuetur à parentibus amicisque distrahatur, aut incommoda, sæuoque fato agitetur. Ad melius autem misericordiæ naturam introspiciendam, doloris est expendenda tripartita diuisio; primo nanque distribuitur dolor in eum, qui sequitur sensûs apprehensionem, quæ à brutis etiam participatur, & in eum, qui sequitur hominis imaginationem rationi coniunctam, qui proinde proprius est hominis, & præcipuè tristitia nuncupatur. Secundò diuiditur, in interiorem, & exteriorem; interior est qui solam imaginationis apprehensionem sequitur: exterior qui non solùm imaginationem, sed apprehensionem etiam exterioris sensûs consequitur, ut cum reipsâ malum aliquod lædit. Tertiò quod diuiditur tristitia est, quæ propria censetur hominis, quæque multiplici varietate eorum, quæ connotantur, in plures quasi species distribuitur, quarum prima est misericordia, secunda verò inuidia, tertia nemesis, quarta zelus, quinta anguſtia, siue anxietas, sexta accedia, septima est pœnitentia. Ex his facilè intelliges quid sit misericordia, de qua fit sermo, actus misericordiæ quidam est dolor; obiectum ad misericordiam mouens est malum, quod aut interitum, aut dolorem affert; conditio personæ, cui miseremur est, ut sit indigna malis, quæ patitur.

Misericordiæ quid.

Doloris tripartita diuisio.

Conditiones personæ miserentis.

Dum pergit Philosophus, explicat conditionem personæ miserentis, & est ut existimet se quoque, vel aliquem suorum posse ea mala perpeti, in quæ alter incidit, & ut opinetur huiusmodi mala non longe à se, vel à suis abesse.

Quomodo se habeam qui miseretur.

Ex hactenus dictis infert quo pacto se habeant qui miserentur, putat enim Philosophus misericordiam ex conscientia proprię infirmitatis oriri; Idcirco primò, qui talis est, arbitratur nullum se malum perpeti posse, & quidem malum eiusmodi, quale in definitione dictum est, aut simile, aut propinquum. Alterius misericordiâ non mouentur ii qui sunt tyranni, & homines feroces, ac sibi nimium arrogantes, vel qui nunquam mali quidpiam perpessi sunt. Ex aduerso autem, qui cognoscit, & se, & suos iniquæ fortunæ telis obiectum esse, facilèque posse contingere, ut aut ipse, aut ii, quos caros habet, in similem incidant calamitatem, is ad misericordiam solet esse procliuis. Secundò hinc infertur aliorum nos misereri, qui penitus afflicti sunt, ac se omnino perditos arbitrantur, & qui se supra modum beatos esse credunt. Quorum ratio in eo est quia, qui se omninò miseros existimant, & malis ingentibus oppressi sunt, cum nullum amplius malum grauius pertimescant, omnem prorsus humanitatem exuunt, & obid immites, efferatique fiunt, atque desperatione ducti, neminem verentur; idcirco nullius miseratione tenentur; qui autem se putant supra modum beatos, existimant se bonis omnibus affluere, at verò securitas ab omni malo bonum est quoddam; idcirco putant se nihil passuros mali, & ideo ad contumelias potius inferendas, quàm ad miserendum procliues sunt.

Qui etiam aliorum non misereatur.

Tertiò, qui putant se aliquid mali subire posse, & iam perpessi sunt, & euaserunt; & senes propter prudentiam, ac experientiam; præterea debiles, ac timidi, itemq; disciplinis exculti, quoniâ rerum humanarum inconstantiam, atq; mutabilitatem considerant. Amplius, & qui parentes habent, aut filios, aut uxores de his enim non possunt non esse solliciti, cum intelligunt eos multis malis expositos esse, ex se tamen pendere; inde est, ut cum aliorum parentes, aut liberos, aut coniuges in miseriis vident, de suis cogitantes illicò misericordiâ moueantur, & ideo omnes commemorati ad misericordiam sunt procliues.

Qui alium miserentur.

Quartò sunt etiam ad miserandum proni, qui nec in iis sunt affectibus constituti, qui ad fortitudinem pertinent, cuiusmodi sunt magni affectus iræ, vel audaciæ; qui nanque tales sunt de futuris non cogitant, hoc est non aduertunt, quæ sibi mala possint euenire; ubi Philosophus iracundiam, & confidentiam, affectiones fortitudinis appellat, quia credit iracundiam esse cotem fortitudinis, animique commotiones utiliter hominibus naturam fuisse largitam; sed ad miserendum opus est, ut quispiam cogitet ea sibi mala euenire posse, quæ alter subit, nec in affectibus constituti sunt ad inferendam contumeliam incitantibus; hi nihil enim se passuros arbitrantur, nec in affectibus extremè contrariis, in quibus sunt, qui vehementi timore concutiuntur, sed medio modo ad miserationem procliues se habent, hi nanque propriis malis occupati, alienis commoueri non possunt.

Alij ad miserendum proni.

Quin-

Alij ad miserendum proclives.

Quintò ad miserendum citra difficultatem inclinant, qui putant aliquos esse viros equos, ac bonos, ideoque malis indignos; qui autem ex aduerso neminem putant esse bonum, ac neminem existimant esse malis indignum, nullius miseratione tenentur.

In Vniuersum quo modo homines ad misericordiam sint dispositi.

In Vniuersum tum nos sumus ad misericordiam dispositi, cum tria nos animo reuoluimus, nempe, ut eum, qui patitur bonum esse virum putemus: ut recordemur, aut nos, aut nostros in similem incidisse calamitatem: ut cogitemus euenire posse, ut aliquando, vel nos ipsi, vel quispiam nostrum in idem malum incidat. Nihil tamen magis ad miserendum compellit, quàm videre innocentes homines propter improborum scelera summis calamitatibus vexari. Hucusque fuit demonstratum qualiter oporteat eos affectos esse, qui moueri misericordiâ debeant, quovè pacto se habeant, qui miserentur.

Quæ res iuuent, quæ in nobis misericordiam moueant.

Ex misericordiæ definitione potest etiam constare, quæ nam sint res, quæ in nobis misericordiæ affectum possint excitare, quæque miserabiles dicuntur. Hæc autem Aristoteles ad quatuor genera calamitatum reuocat, quorum primum est rerum earum, quæ ægritudinem afferunt, ut exilia, spoliationes, propinquorum mortes, infamiæ, &c. Secundum earum, quæ corpori dolorem incutiunt, & cruciatum important, ut cruciatus, siue tormenta, laniationes membrorum, mutilationes. Tertium earum, quæ perdendi vim habent, ut grauiores morbi magna pericula. Quartum earum, quæ ab iniqua fortuna proueniunt, præcipuè si magna sint.

Ad quatuor genera reuocãtur.

Ad res miserandas faciliùs explicandas exempla quædam in medium adducit; ex eius autem sententia, quæ dolorem afferunt & interitum, sunt mortes, verbera, corporum vexationes, senectus, morbi, & cibi penuria; & quidem morte misericordia excitari solet, vel eorum qui mortui sunt, vel eorum qui sunt in luctu, non solum enim mortuorum vicem dolere, & eos miseros appellare solemus, sed etiam miseremur eorum, qui sunt in luctu, ut sunt affines mortuorum, serui, &c. Verbera itidem, & corporum vexationes dolorem, & interitum afferunt, idcirco misericordiam excitant. Senectus pariter calamitosa ad miserendum mouet. Morbi etiam qui sæpe interitum afferunt, miserabiles esse solent, proinde nos ad misericordiam compellunt. Fames itidem, cibique penuria, immo etiam & inopia miserabilia sunt, proindeque nos ad miserationem inuitant.

Sæpiùs fœliciora illustrantur.

Fortunæ mala.

Fortunæ autem mala sunt amicis penitus spoliari vel cum paucis relinqui, adeout miserabile sit ab amicis, & familiaribus distrahi, quantò enim optabilior est bonorum virorum amicitia, tantò est acerbior eorum priuatio.

Corporis deformitas.

Corporis deformitas, ac imbecillitas, & alicuius membri priuatio inter res miserabiles non immeritò recensentur, ac proinde ex eorum genere sunt, quæ ad misericordiam excitant.

Corporis deformitas est miserabilis.

Miserabile quoque est cum quis ex ea re malum experitur, unde bonum sperabat, ut cum quis propter egregium factum in plurimas, ac turbolentissimas tempestates incurrit.

Aliud genus eorũ, æ miserabilia sunt.

Illud etiam haud mediocriter miserandum, cum bonum aliquod tunc accidit, cum iam prodesse non potest; exemplum affert Philosophus de Diopithe; hic enim cum longo tempore egestatem, & multa mala perpessus esset, tandem ad eum Persarum Rex magna munera destinauit, atque transmisit, quibus lautè, copiosèque vitam traducere potuisset; sed antequam ad eum munera deferrentur, extremum diem obijt, adeout Regiâ munificentiâ frui non potuerit, quod est planè miserandum.

Item & aliud.

Aliud.

Est etiam valde miserum nihil unquam boni percipere, sed longè miserius, cum bonum aliquod euenit, eo frui non posse; hæc itaque sunt, & alia huiusmodi, quę homines ad misericordiam mouent.

Primũ genus eorũ quorũ homines misereri solent.

Ii autem, quorum homines misereri solent recensendi supersunt. Primò quidem homines miserentur familiarium, atque notorum, nisi valdè sint ipsis coniunctione sanguinis propinqui, nam erga istos eodem modo, ac erga mala propria afficiuntur, idcircò non tam miserentur, quàm eorum mala sua putant; hinc Amasis, vel potius eius filius Psamenitus cum à Cambyse Persarum Rege captus fuisset, in ea misera fortuna videns Filiam seruili modo affectam, & filium miserè ad extremum supplicium duci, nullas effudit lachrymas; sed videns amicum antiquum spoliatum omnibus bonis, quibus prius affluebat, & in exercitu cibum mendicare, tam vehementer indoluit, ut non modo lachrymas copiosissimas funderet, sed frontem quoque percuteret; interrogatus autem quid ita? respondens inquit, quia mendicitas amici videtur amico miserabilis, filii autem mors atrox est, atque adeo domestica mala multo maiora sunt quam ut ea deflere possem, amici verò fortuna digna lachrymis fuit, cum in senectutis extremo ex opibus plurimis ad summam inopiam venerit; & rectè quidem, nam atrox differt à miserabili, & quandoque vim habet misericordiam excitandi, quandoque verò in contrarium affectum perducendi.

Atrox à miserabili differt.

Secundũ genus.

Homines autem familiarium miserentur, non solùm quando ipsi mala miserabilia patiuntur, sed etiam cum huiusmodi mala proximè illis imminere aduertunt; hinc Rhetores in Epilogis ponunt ante oculos quot reo sint miseriæ repentè quidem euenturæ, si fortè condemnatus fuerit.

Tertium genus.

Solent etiam homines plurimum eorum misereri, quos sibi pares ac similes esse intelligunt, quoniam se iisdem periculis expositos vident; vniuersè nanque tunc nos præcipuè miseremur, cum quæ nobis timemus, aliis videmus accidere; deinde probat Philosophus oculis subiecta multo magis concitare, & misericordiam mouere, quàm quæ tantùm auribus percipiuntur, iuxta illud Lyrici

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Quæ sunt oculis subiecta magis misericordiam mouent. Horat. in Arte Poet.

Quoniam, ut ipse ait, res acerbæ tunc misericordiam excitant, cum propinquæ esse videntur, quæ autem longinquæ, non item; nam quæ iam diu præterierunt, vel memoriâ exciderunt, vel etiam si in ipsa sint, haud animum mouent; futuræ autem si longè abesse creduntur, non reformidantur, & ob id animos mouere non possunt; at vicinæ, vel præsentes acerbitate suâ animos necessariò mouent, & ideo ad excitandam misericordiam, seu rerum præteritarum, seu futurarum iuvat omnia oculis subiicere, quasi tunc accidere videantur, quod Oratores obseruant in suis Epilogis; in ipsis enim reos sordidatos, aut infantes, aut eorum tumicas laceratas, vel cruentas, & id genus alia proferre solent, ut iudicibus maiorem misericordiam moueant, & eosdem ad lachrymas sæpesæpius compellant.

Quinque rerum genera, quibus misericordia cõcitatur. Primum. Secundũ.

Tandem quinque rerum genera recensct, pauciscque complectitur, quæ misericordiam validissimè mouent. Primò sunt quæ paulo antea acciderunt, quasi enim adhuc præsentia sint, animum mouent. Secundò quæ breui futura sunt, possunt enim oratio-

mus

Tertium. nes repræſentari, non ſecus ac ſi adeſſent. Tertiò rerum miſerabilium indicia plurimum ad miſericordiam concitandam valent, ut effuſus cruor, veſtes cruentę, membrum aliquod avulſum, cicatrices in
Quartũ. pectore, & huius generis alia. Quartò honeſtæ actiones eorum, qui funeſtos caſus perpeſſi ſunt,
Quintũ. ſummoperè miſericordiam mouent. Quintò miſerabiles orationes eorum, qui calamitatibus præmuntur.

Quartum genus eorum, qui miſericordiam mouent. Qui autem magno, conſtantiq; animo ſubiit acerbiſſimos caſus, grauęſque miſerias pertulit, non exiguam miſericordiam mouet, enimverò miſeratione dignus videtur ille, quâ talis eſt, quoniam vir fortis, atque adeo ſummâ virtute præditus, tam infelici ſorte videtur indignus: Accedit, quòd illa calamitas, ſortis crudelitas, atque casûs acerbitas ita repreſentatur, ut oculis quodammodo poſſit uſurpari, quod ad miſerationem excitandam momenti plurimum habet.

Summa ſupradictorum. Supradictorum ſumma hæc erit.

I. Infelices omninò non miſerentur, mala enim omnia ſe paſſos exiſtimant. II. Nec etiam omninò felices, ac fortunati miſericordiâ afficiuntur; quia nullum malum ſibi aduenire poſſe arbitrantur.

Qui facilè miſericordia afficiantur. I. Qui autem mala perpeſſi ſunt, ita tamen, ut ex ipſis emerſerint, facilè miſericordiâ afficiuntur II. Miſerentur etiam & ſenes III. Item & miſericordia afficiuntur debiles, & præcipuè timidi IV. Homines etiam eruditi, varijſque diſciplinis exculti, ac rerum periti V. Qui parentes uxorem, aut liberos habent, quos malis arbitrantur obnoxios VI. Qui nec irati, nec fidentes ſunt VII. Non contumelioſi VIII. Non admodum metuentes IX. Qui aliquos eſſe pios, ac probos non inficiantur.

In quotũ homines miſeretur. Ii porrò quorum homines miſerentur, qui indigni malo, atque calamitatibus ſunt. Et quidem I. ſunt familiares neceſſitudinis vinculo, vel nihil, vel parum coniuncti II. Quibus atrox aliquod malum propinquum imminet. III. Ii qui ætate, moribus dignitate, genere &c. ſimiles ſunt. IV. Qui homines plenos calamitatis, corporis habitu, voce, veſtitu, actione, & quouis alio ſimili modo repræſentant. V. Ii ſunt quibus mala non multo antea acciderunt vel propè diem ſunt euentura. VI. Hi etiam, quorum miſeriæ ſignis exprimuntur, ut ſunt indumenta, & alia eorum, quæ miſeram ſortem pertulerunt VII. Illi quoque concitant miſericordiam, quorum in infelici ſorte auditur, quam expreſſerint, oratio. VIII. Maximè quoque miſericordiam mouent ii, quos mala perpeſſos cognoſcimus eſſe probos, & virtutis ſtudioſos.

Cauſæ, ob quas homines miſereantur. Cauſæ autem, ob quas homines miſereantur, ſunt. I. Quæcunque habent vim tollendi vitam, cuiuſmodi ſunt morbi graues, & magna pericula. II. Mala quæ ſorte quidem eueniunt.

Quid agẽdum Oratori ad miſericordiã excitandã. In excitanda miſericordia, ſiue commiſeratione Orator debet plurimum operis impendere, propterea quòd non melius poteſt aſſenſum à Iudicum animis extorquere, quàm hunc, quem diximus in modum, quòd ut faciat, florentis debet fortunæ in aduerſam eorum oculis mutationem ſubiicere, & amicorum calamitates, & parentum mortes, & cæteras demùm ærumnas luculenter exponere. Ad hunc eumdem affectum ciendum ſummopere modeſta petitio, & quamhumillima deprecatio conducit; ſed omnium maximè loquentiũ ſermocinatio per Æthopœiam introducta, videlicet eorum, qui incommodę ſortis acerbitatem experti ſunt, adeout ęrumnoſam vitam traducant; vel iniurias acceperunt, variiſque miſeriis vexati iniquæ fortunæ ludibrium facti ſunt. Ad commiſerationem quoque mouendam, haud mediocriter facit, ſi auditoribus ob oculos quodammodo ea proponantur mala, quæ vel in ſe, vel in ſuorum quopiam perpeti poſſunt, & præcipuè ſi mala repræſententur ingentia, & curetur diligenter, ut iis vexari perſonæ conſpiciantur, quæ ea perpeti minimè merentur.

Miſeratio quomodo minuenda. Ad remiſſionem autem miſericordiæ contraria faciunt; ob id Orator illam imminuet probando quempiam calamitatibus non immeritò præmi, atque torqueri.

Effectus miſerationis qui. Effectus verò ſunt, quærelæ, gemitus, lachrymæ, lugubris habitus, ſqualor, deliquium, ac reliqua omnia, quæ animi mæſtitiam teſtantur.

De Indignatione.

HActenus de miſericordia, nunc de altera animi perturbatione, quæ Nemeſis appellatur, cum Ariſtotele diſſerendum. Nemeſis vox græca Nemeſis quid. eſt, quæ apud Latinos nomen non habet, commodè tamen dici poteſt indignatio; eoquòd vir bonus, cum improbos homines uti proſperâ fortunâ videt, perturbatione afficitur, quæ dicitur indignatio, nam tunc re verâ indignatur, quia iniuſtum putat improbos feliciter viuere, bonis autem miſerè. Nemeſis autem, ſiue indignatio Miſericordiæ opponitur, non propter ſe, nam bonum non aduerſatur bono, ſed propter res ſubiectas, quia Miſericordia eſt in malis rebus, Nemeſis verò in bonis, quamuis cum ea in aliquo conueniant, in eo autem conuenientia eſt, quòd utraque ſit virorum bonorum, & abeiſdem moribus proueniat, atque demùm in utraque dolor quidam ſit; diſcrepant verò, quod Miſericordia dolet infortunio hominis innocentis; at verò Nemeſis dolet felicitate hominis improbi; ex hoc itaque capite inter ſe maximè aduerſantur. Nemeſis definitur, Νέμεσίς ἐστι λύπη τις ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις. *Indignatio eſt dolor, ob alterius fœlicitatem, qui eâ indignus eſt*; itaq; miſericordia eſt dolor ἐπὶ κακοπραγίᾳ ἀναξίᾳ, *ob res aduerſas eius, qui indignus eſt*, ſed indignatio eſt dolor ἐπ' εὐπραγίᾳ ἀναξίᾳ, *ob res proſperas eius, qui talem non mæretur fortunam*. Nemeſis ſeu Indignatio quid.

Tam miſericordia quàm indignatio ab optima indole proueniũt. Vtraque perturbatio à bona ſunt indole, atque natura, quod rectè Philoſophus notauit, dicens, ἄμφω τὰ πάθη (ἔλεον καὶ νέμεσιν) ἤθους χρηστοῦ. *Miſericordia, & indignatio bonæ ſunt indolis*, & ideo Peripatetici magiſtrum ſecuti Nemeſim, & miſericordiam ἀρεῖα πάθηματα, *ciuiles perturbationes* appellant, quoniam ciuilis, & manſueti animi indicia ſunt.

Propterea Stagirites utranque commotionem, utpote à bona indole prouenientem commendat; hunc enim diſputat in modum; ſicut decet eius miſereri, qui malum indignè patitur: ita decet indignari cum quis indignus feliciter agit; probat autem Nemeſim laudabilem eſſe, quoniam quod Deis tribuitur, laudabile eſt; ſed hæc commotio Deis tribuitur, dicimus enim eos contra ſuperbos, & arrogantes homines indignari; propterea laudabilem eam eſſe neceſſe eſt. Nemeſis eſt laudabilis.

Nemeſis & inuidia differunt. Tametſi autem hæc perturbatio miſericordiæ aduerſetur, quemadmodum & inuidia, adhuc tamen ex Ariſtotelis ſententia Inuidia à Nemeſi differt, habent quidem aliquam ſimilitudinem, cum utraque ſit ęgritudo, quæ ob alicuius res ſecundas animum perturbat; differunt tamen, quòd Nemeſis triſtitia eſt de bono alieno, quatenus iudicamus alterum

eſſe

Digitized by Google

esse illo indignum; sed inuidia est tristitia de bono alieno existimato ut malo proprio, quatenus per alienum bonum apprehendimus nos ab altero superari; nam inuidia est ægritudo, quæ animum perturbat, ob alterius res secundas; non tamen ob eius res secundas, qui sit indignus, sed qui sit æqualis, aut similis, quod etiam vulgo dicitur; nam adagio fertur, *Inter pares semper est inuidia*; indignatio igitur differt ab inuidia, & indignatio est honesta, inuidia autem est turpis.

In quo conueniãt inuidia & indignatio.

In eo tamen conueniunt huiusmodi affectus, quòd uterque de prosperitatibus alterius dolet, quoniam illius prosperitates sunt, & non quia ex huiusmodi prosperitatibus mali quidpiam sit nobis obuenturũ; affectus autem, quo dolemus, de alterius prosperitatibus, quoniam ex ipsis mali aliquid nobis obuenturum sit, nec est indignatio, nec ira, sed potius timor.

Diligentius inquiritur differentia inter indignationẽ, & inuidiã

Diligentiùs adhuc inquirit differentiam inter indignationem, & inuidiam, & primò ait indignationem tantùm in viris bonis reperiri; deinde verò inuidiam tantùm in malis hominibus existere, vir enim probus nemini inuidet; hinc diuersæ sunt indignationis, & inuidiæ affectiones; nam is qui indignatur, ita est affectus, ut etiam misereatur, cum homines innocentes urgeri calamitatibus videt, & lætetur, vel saltem dolore careat, cum homines improbos videt variis infortuniis agitari, ac debitis suppliciis puniri; non enim vir probus, ut ait Philosophus, dolorem concipiet, cum parricidas, aut sicarios extremum pati supplicium cognouerit; sed potius tunc gaudebit, non aliter, ac dum videt probis, atque integris viris res suas prosperè atque feliciter, & ex eorum sententia succedere; rationem reddit, quoniam ambo iusta sunt, & viro bono lætitiam afferunt; vir enim bonus, ac iustus tunc maximè gaudet, cum iustitia seruatur, hoc autem ideo, quia sibi conscius suam probitatem agnoscit, protinus idcirco in spem erigitur futurum, ut, quod sui simili contigit, idem quoque sibi contingat.

Quæ contraria sint mores cõtrarios indicant.

Quæ contraria sunt, contrarios mores indicant; sed misericordia, & inuidia; honesta lætitia, & turpis lętitia, sunt contraria; ergo ut misericordia, & honesta lætitia, probitatem; ita inuidia, & turpis lætitia, improbitatem hominis testantur; & sanè, qui inuidiæ labe fœdantur, & ob aliena bona dolore præmuntur, iidem pariter alienis malis gaudere solent; hæc enim duo vitia, nimirum inuidia, & peruersa lætitia, quamuis distincta, ferè semper in eodem homine sedem habent; qui nanque dolet, & re quâpiam ángitur, cum eam oriri, aut adesse conspicit; idem pariter gaudet cum rem eamdem euanescere, ac interire videt; at qui mœret alieno bono, cum illud intelligit adesse, est maligno liuore confectus, qui verò lætatur, cum quempiam videt bono spoliari, maleuolus est; idcirco qui inuidiæ stimulis agitatur, idem quoque maleuolus est.

Ad misericordiam auertendã à iudicũ animis quæ conducant.

Hæc omnia ponderis plurimum habent ad misericordiam ab animis iudicum auertendam; si nos enim in aduersarios nostros, vel indignationem, vel inuidiam, vel maleuolentiam excitauerimus; citra laborem omnem misericordiam auertere poterimus; quamuis enim indignatio, inuidia, & maleuolentia re ipsâ differant, omnia tamen æqualiter utilia sunt ad efficiendum, ne res aliquæ miseratione dignæ videantur, & æqualiter auertendæ misericordiæ vim habent.

Quos ob res, & in quos perficiatur.

Ex hucusque disputatis, cuique facilè potest esse

fis, seu indignatio excitetur; nam ex eius definitione, luce clarius est nullo modo fieri posse, ut propter omnia bona, quæ alicui eueniunt Nemesis excitetur: nemo enim ei, qui iustus, aut fortis euadit, aut virtutem quampiam acquirit, indignatur, sed solùm dolet prosperà fortunâ illius, qui sit indignus; ut si peruersus homo diuitiis affluat, dignitatibus floreat, eique feliciter omnia succedant; hoc autem ideo, quoniam bona ob quæ non excitatur indignatio, labore, studio, vigiliis, & curis acquiruntur, nec à fortuna pendent. A contrario etiam probat Stagirites propter virtutem non compelli hominem ad indignationem, eoquòd, nec propter vitia ad miserendum mouetur; nemo enim est, qui misereatur alicuius, quòd superbus, quòd ignavus, quòd impius, quòd proditor, sed potius eum odio habet, nec cum huiusmodi hominibus mala contingunt, quispiam eorum miseretur, eo quòd dignos grauioribus suppliciis existimet.

quos homines Nemesis excitetur.

Libera autem indignatio nascitur ex diuitijs, & potentia, cæterisque huiusmodi rebus, quibus boni tantum viri digni re verâ sunt; tum enim indignamur cum viles, & abiectos, ac improbos homines videmus ingentes diuitias atque potentiam sibi comparasse, quoniam huiusmodi bonis ii prorsus indigni sunt, & ex aduerso cum ea mereantur homines probitate conspicui, & illi, qui naturâ nobilitatem, pulchritudinem, & id genus alia obtinuerunt; qui nanque sunt nobili loco nati, generisque præstantiâ gloriari meritò possunt, quanuis maximas diuitias, & potentias acquirant, nullam indignationem in se concitant, quia nemo est, quin fateatur iis, huiusmodi bona deberi; non diffimiliter, qui corporis pulchritudine, dignitateque summopere nitent, quantumvis iis immortales deferantur honores, nullam tamen indignationem in aliorum animis excitant, propterea quòd nemo est, qui pulchritudine non capiatur, & cui cęleste quidpiam, atque diuinum esse non videatur.

Indignatio libera ex quibus nascatur, & in quos cõcitetur, vel non cõcitetur.

Item & alij in quos indignatio nõ cõcitatur.

Nec etiam concitatur indignatio in eos, qui iam pridem nobiles sunt, ac diuitiis affluentes; tales enim à natura creduntur, *Quod enim antiquum est, parum ab eo, quod est naturale distare videtur*; sed iam ostensum fuit in eos, qui à naturâ sunt aliqua bona consecuti, nullam indignationẽ concitari; superest igitur ut indignationis concitatio habeatur in eos, qui nuper bonum idem adepti sunt, & propter quod honorificè, feliciterque vitam traducunt.

Exemplo superior veritas cõfirmatur.

Hæc veritas confirmatur exemplo; maiorem enim, inquit Aristoteles, dolorem incurrunt qui nuper diuites facti sunt quàm qui diu in amplo patrimonio vixerunt; nemo enim dolet, quòd aliquis amplo patrimonio sit natus, sed quòd præter dignitatem repentè diues euadat, cum egestas ei prius imperaret, vilis, & abiectus esset; ut si ab aliquo Principe fuerit amplissimis muneribus affectus, vel thesaurum inuenerit, vel quovis alio modo protinus ex misero felix euaserit.

Quod autem de diuitiis dicebatur, de cæteris bonis intelligendum, dummodo nuper contigerint, ut si quis præter dignitatem nuper magistratum quempiam, & potentiam, & amicorum copiam, & multos, ac probos filios, cum alioquin is forsan esset improbæ indolis, adeptus fuerit.

In quos præcipuè cõcitetur indignatio

Præcipuè verò concitatur indignatio, cum propter hæc nuper acquisita quispiam aliquod aliud bonum consequitur, nempe si propter diuitias recẽtes, honores, & magistratus nanciscitur, longè enim magis indignatione accendimur, si videamus quempiam

præter nuper diuitias acquisitas ad aliquem magistratum, aut dignitatem promoueri, quàm si animaduertamus ad eundem dignitatis gradum illos euehi, qui iam pridem diuites erant.

Rationem reddit Philosophus, cur nemo indignetur propter veteres diuitias, sed solùm propter nuper acquisitas, & eam ait esse, quoniam nemo est, qui indignatione concitetur, quòd res suas aliquis occupet, cum omnis indignatio proueniat ex eo, quòd quis non suas, sed alienas res possideat; at qui iam dudum diuites fuerunt, & in eodem statu perpetuò manserunt, res alienas non occupant, sed suas; idcirco æquum est ut honores, ac dignitates assequantur, suisque diuitijs, fortunæque bonis fruantur, propterea in eos nulla concitatur indignatio; at qui repentè ex miseriis emerserunt, beatique facti sunt ob nouitatem, res alienas videntur usurpasse; ob id indignationem mouent, cum ab omni æquitate videatur esse remotum ut quispiam res alienas occupet, illisque fruatur.

Nõ solùm contra improbos, sed etiam contra probos in dignatio cõcitatur.

Non solùm contra malos, & improbos, sed etiam contra probum virum indignationem concitari Aristoteles probare conatur; eo quòd in bonorum distributione proportio seruanda sit, adeout unicuique dentur bona congruentia, cum non omne bonum cuiuis homini congruat; idque duobus exemplis Philosophus illustrat; quorum primum est, si duo sint probi viri, quorum unus iustitiâ, alter verò fortitudine sit illustris, & ambo de speciosis armis contendant; nemo non indignabitur aduertens ea deferri iusto, & non forti. Secundum est de duobus iuvenibus, qui ambo probi, & diuites sint, quorum alter sit illustri loco natus, alter autem humili, & abiecto, licet diues nuper factus, & ambo puellam virginem sublimi genere ortam, uxorem petant, nemo non concitabitur irâ si viderit in matrimonium dari puellam iuveni obscuris parentibus nato.

Quid etiã indignationem mouet.

Illud etiam indignationem mouet, quòd nimirum inferior cum superiori contendat, & præsertim si eadem in re, siue eodem studio, ac artificio disparés fuerint, ut si obscurus pictor ad certamẽ prouocaret Apellem, & indisertus Orator, Demosthenem, vel Tullium, & indoctus Poeta Homerum, aut Virgilium. Hoc autem non tantùm in eodem studio intelligendum vult, sed in re quacunque siue simili, siue dissimili, quoties minor cum superiori contendit, indignationem moueri ait, quod exemplo declarat, nempe si musicus cum iniusto viro de dignitate contendat, nam iustitia musicæ arti dignitate longè præstat, ac antecellit.

Quomodo affecti homines indignentur.

Quomodo autem affecti homines indignentur, breuiter dicamus. Primò autem, ii maximè sunt ad indignationẽ procliues, qui ita cæteris præstant, ut, qui maximis bonis digni sunt, & ea possident. Iniquum enim putant eadem bona possideri ab iis, qui huiusmodi bonis indigni sunt, adeout dissimiles homines, paribus bonis accumulentur. Secundò mouentur etiam ad indignationem homines, qui probi sunt, ac studiosi; rectè siquidem iudicant, & quæ iniusta sunt, oderunt, & idcirco, dum vident improbos ea obtinere bona, quibus indigni sunt, indignatione concitantur. Tertiò: Qui honores appetunt, elatoque sunt animo, & quarumdam rerum studiosi, ac appetentes, adeout res quasdam sibi mandari cupiant, non possunt non indignari, eoque magis cum tales honores assequi facilè non possunt, quos tamen vident ab hominibus longè inferioris notæ obtineri. Quartò. In uniuersum quicunque sibi multum arrogant, seque virtutis dignitate cæteris anteire arbitrantur, se dignos bonis existimant, quibus alios censent indignos, summoperè sunt ad indignationem procliues.

Tria sunt hominum genera qui non sunt ad indignationem proni.

Tria autem sunt hominum genera, qui minimè sunt ad indignationem proni. Primum eorum est, qui seruili sunt indole, proindeque facilè patiuntur alios, quanuis nobilitate generis inferiores, animum ad res excelsas extollere, & quæ præclara sunt, anhelare. Secundum eorum, qui viles sunt, ac demissi, mechanici, opifices, aliique homines huiusmodi, vel etiam improbi, perditi, & mancipii, quibus non obscurè constat denegatum sibi esse omnem dignitatis gradum. Tertium eorum est, qui licet egregiæ sint indolis, honores tamen non magni faciunt, quin potius negligunt, atque contemnunt; hi nanque, etsi videant homines inferioris conditionis ad summos honores euehi, non indignantur.

Quando gaudere, vel saltem dolere non debeamus cum aliqui iniquè ut videntur fortuna.

Ex hactenus dictis facilè quidem est colligere, quando vel gaudere, vel saltem non dolere debeamus, cum nonnulli homines iniquâ sorte prȩmuntur, resque suas infeliciter agunt, aut ea, quarum desiderio flagrant, obtinere non possunt; nam ex contrariis contraria dignoscere facillimum est; propterea qui benè cognouerit, quando debeamus indignari, idem etiam cognoscet quando nobis gaudendum sit, vel saltem non dolendum, cum aliqui fortunæ incommodis agitantur.

Et hactenus dictis quid colligendum.

Et ex hucusque traditis docet Philosophus constare, quem in modum Orator iudices ita suâ possit oratione disponere, ut, eos, qui sui misereri dicunt æquum esse, doceat esse indignos, qui misericordiam obtineant, nemo enim eorum miserabitur, qui misericordiâ indigni demonstrantur; cum itaque reus Iudices rogauerit ut sui misereantur; ex aduerso actor iam allatis ab Aristotele rationibus instructus, ostendere debebit, eum nulla miseratione dignum esse; hâc enim arte facilè misericordiam auertet, cum nemo putet eius hominis miserendum esse, qui nullâ misericordiâ dignus videatur.

Homines qui indignantur.

Itaq; ut hactenus tradita paucis, more solito, exponam, ij, qui indignantur sunt, quos subiicimus. Primò nimirum, qui digni sunt rebus maximis, & eas iam obtinuerunt; Secundò, qui boni sunt, & virtutibus exornati; Tertiò si honoris sint studiosi, & præsertim si ea desiderent, quæ alii, quantumvis indigni consecuntur; Quartò si rebus illis se dignos putant, quibus alios indignos existimant.

Quibus homines indignentur.

Homines autem indignantur iis primò 1. Qui bonum aliquod recèns adepti sunt, ut qui non ita pridem diuitiis abundans euasit. II. Qui bona possidet, quæ ipsis non congruunt III. Qui cùm sint inferiores, cum superioribus tamen certare nituntur.

Quomodo Orator possit indignationẽ excitare.

Orator autem indignationem excitabit, exponendo alicuius insolentiam, atque superbiam ob secundam, quâ immeritò utitur, fortunam, & ob oculos ponendo; ad quod maximè conducit Hipothyposis, eiusdem in conuiuiis, ludis, & libidinibus prodigalitatem, & eorum, quibus is extremè laborat vitiorum fœditatem, & ostendendo ei plurima bona contigisse, ut honores, diuitias, &c. quibus ille minimè dignus existimari possit, verbo dicam, demonstrando nihil in aliquo esse, merito cuius is possit bona mereri.

Indignatio quomodo mitigetur.

At ad minuendam indignationem summoperè facit ostendere hominis, de quo loquimur, egregiam indolem, modestiam, & moderationem rebus in omnibus, illustres virtutes, præclara facinora, & præ-

præsertim demonstrare prosperæ fortunæ bona eum proprio marte, sudoribus, vigiliisque comparasse.

De Inuidia.

Inuidia, vnde dicta.

QVoniam inuidis ob alienum bonum oculi plurimum dolent, atque adeo ægrè vident, & inuiti, propterea ægritudo, quâ ipsi laborant, inuidia dicta fuit ab inuidendo scilicet, hoc est, non videndo. Vel ut aliis placet, ab inuidendo, hoc est, nimis intuendo, nomenclationem accepit. Maluit autem Tullius ad vitandam ambiguitatem hanc animi perturbationem potius inuidentiam, quàm inuidiam appellare; hanc sic Aristot. definit, φθόνος ἐστὶ λύπησις ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τοιαύτῃ ἀγαθῶν ἐπὶ τοὺς ὁμοίους, μὴ ἵνα τι αὐτῷ ἀλλὰ δι' ἐκείνους. *Inuidentia ægritudo quædam est, ob prosperitatem apparentem in bonis prædictis erga similes, idque non ut aliquid commodi contingat ei, qui inuidet, sed propter illos, quibus inuidetur;* Bona autem prædicta sunt, quæ nemesin mouent. At de hac loquens Tullius. *Inuidentiam*, inquit, *esse dicunt ægritudinem, susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti.* Et quoniam dictum fuit inuidentiam ægritudinem esse conceptam ex bonis, quæ paribus, ac similibus eueniunt, propterea declarat, qui pauci intelligendi sint, aut esse videntur; hi nanque nullo labore ad inuidiam excitantur; sex autem modis ait aliquos pares dici; ex eius enim sententia pares sunt, aut genere, aut cognatione, aut ætate, aut habitu animi, aut dignitate, aut fortunis.

Primũ genus inuidentium, si habeãt res &c. hoc modo aliqui tantur res, seu quales. Secundũ hos inidentiũ.

Procliues ad inuidiam sunt, qui omnibus ferè bonis affluunt, soli nanque vellent abundare, propterea cum aliis eadem bona pariter euenire cognoscunt summoperè tristantur, quoniam ea bona, quæ aliis contingunt sibi quodammodo eripi, ac extorqueri putant.

Tertium ous.

Inuidi quoque sunt, qui eximios honores aliqua in re, scilicet arte, aut studio sunt adepti; quoniam se solos in ea re laudibus dignos esse arbitrantur, & cæteros quasi longè inferiores contemnunt, ac ob id iis honoris nihil exhiberi volunt, eoque magis inuidiâ torquentur, quo sapientiores, & beatiores existimantur.

Quartum nus.

Qui etiam gloriæ sunt appetentes magis inuidi sunt, quàm qui vel ob ignauiam, vel ob egregiam sapientiam gloriâ non commouentur, & ideo illi dolent pares, ac similes altius extolli, ut propterea laudum alienarum obtrectatores sint, aliosque deprimant, sæque ipsos extollant. Sunt etiam magnoperè inuidi, qui non tam sapientes esse curant, quàm videri tales, cum eius gloriæ sint appetentes, quæ sapientiæ debetur. Insuper & illi, qui in aliquo studio laudem assequi conantur omnibus inuidere solent, qui in eodem sunt occupati; qui nanque cupit in re quapiam excellere, facilè omnibus inuidet, qui eadem in re versantur; dubitat enim sibi aliquem præponi, aut æquari, quod æquo animo ferre non possunt. Amplius, qui angusto pusilloque animo sunt haud mediocri solent inuidentiâ laborare, res enim omnes magnas existimant, quamvis paruæ sint, & cum vident aliquem illas adeptum, summoperè tristantur.

Quintum nus.

Sextum nus.

Septimũ nus.

Pergit Philosophus, & explicat ea bona, quæ inuidiam mouent, & ait illa esse, ex quibus laus, honor, gloria quæritur, & insuper ea, quæ felici sorti accepta referri solent, ut diuitiæ, opes, ac demum, quæ magnoperè homines cupiunt, adeout sine illis commodè viuere non posse arbitrentur.

Quæ bona inuidiã mouent.

Concitatur etiam inuidia ob eas res, quibus, aut paulò superiores, aut paulò inferiores se homines esse vident, nam quanuis etiam pares paribus inuidere soleant; adhuc etiam homines inuideat illis, qui vel paulò superiores sunt, vel paulò inferiores; at qui cæteris longè præstat, ac antecellit inuidiam superasse dicitur, adeout ei nemo inuideat, cum nemo speret ad tantam excellentiam se peruenturum, ad quam se peruenisse Lyricus profitebatur, cum de se diceret.

Quomodo etiam cõcitetur inuidia.

Et iam dente minus mordeor inuido. Horatius in epist.

Sed re verâ Iuvenalis illud, in eum quadrat.

Rara auis in terris, nigroque simillima cygno. Iuvenalis lib. 2. Sat. 6.

Nam haud hoc in viuis frequenter usu venit, cum omnes omnium firmâ spe teneri soleant.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit. Ouidius.

Superiores autem longè inferioribus non inuident, quoniam non timent fore, ut ab ipsis supertentur.

Qui sint, quibus homines inuident. Primum genus.

Hæc etiam diligentiùs persequitur Philosophus declarans amplius, qui nam sint, quibus homines inuideant; & ex eius sententia homines inuident illis, qui propinqui sunt, aut tempore, aut loco, aut ætate, aut gloriâ, unde celebre adagium *Vicinus inuidere vicino solet.* Vbi aduertendum quatuor præcipuè modis aliquos propinquos dici, primò quidem tempore, ut qui dignitatem, vel unà adepti sunt, vel parum tempore diuerso, eorum enim alter si maiorem gloriam fuerit adeptus, alterius in se prouocat inuidiam; vel qui eodem tempore alicui studio, arti, aut disciplinæ operam nauare cœperunt; cum alter magis in re proficit, maioremque sibi plausum comparat, protinus ei alter inuidet, quod certè non contingeret, si is qui peritior, atque doctior est factus, multo ante alterum in illud studium incumbere cœpisset. Secundò propinqui loco censentur qui vicini dicuntur, nam qui longo interuallo distant, inuidentiæ non ita sunt obnoxii. Tertiò propinqui dicuntur ætate, parum enim ætate discrepantes sibi vicissim inuident, qui autem multum ætate discrepant, ratò admodum inuidentiæ vitio laborant, ut puer, & senex. Quartò tandem gloriâ propinqui dicuntur, cuiusmodi sunt, qui æque præclarè se gerunt, & ad summum honoris fastigium gradiuntur, alter enim timet ne ab altero superaretur. Itaque, cum dicitur *vicinus vicino inuidet*; non tantùm ad loco propinquos pertinet, sed ad omnes, qui aliquo ex supradictis modis, vicini dici possunt.

Secundũ genus.

Homines etiam inuident illis, quibus cum de honore certant; huiusmodi nanque certamen inuidiam excitat; at verò homines de honore certant cum iis, quos antea dictum est esse aut tempore, aut loco, aut ætate, aut gloriâ propinquos; nemo enim cum iis, qui multis antea seculis inter viuos agebant, aut postea sunt orituri, vel qui iam è vitâ decesserunt, de honore contendit, neque cum eis de honore certat, qui magno locorum interuallo disiuncti sunt.

Qui sint, aduersus quos certare solemus.

Declarat porrò qui sint illi aduersus quos inire certamen soleamus, & quos vincere, ac superare nobis gratum sit, atque iucundum.

Varii autem sunt cum quibus homines certant. Primò sunt studiorum suorum æmuli, nihil est enim quod magis hominum animos ad victoriam excitet, quàm æmulatio. Secundò sunt rudes, nempe qui eiusdem rei amore flagrant. Tertiò denique omnes qui eiusdem rei desiderio tenentur; cum igitur hi omnes, conentur alios superare, necesse est etiam, ut iisdem inuideant, ac ex eorumdem bonis dolore plurimum afficiantur.

Digitized by Google

Tertium genus eorum, quibus homines inuidens.

Ii pariter qui tardè, vel nunquam id cuius desiderio flagrant; assecuti sunt, inuident iis qui celeriter idem, ac facilè adepti sunt. Amplius & illis inuident, qui si aliquid consequi potuerint, dedecori nobis futurum est; ut si propinqui, ac similes quædam egregia bona consequantur, nobis dedecori est, quoniam inde apparet nostra nos culpâ, & ignauiâ similia bona consequi non potuisse, quod molestum est, & propterea inuidentiam efficit.

Quintum genus.

Homines etiam solent inuidere iis, qui ea possident, quæ iam ipsis conueniebant, vel quæ ipsi quondam possidebant, & propterea senes iunioribus inuident.

Sextum genus.

Tandem, qui magnos sumptus in re quapiam comparanda fecerunt, inuident iis, qui paruo sumptu rem eandem adepti sunt.

Qui autem probè cognouerit, quibus rebus maleuoli, & homines criminum labe prorsus infecti, dolent, & cruciantur, idem intelliget etiam quibus iidem homines lætentur; inuidi nanque bonis alienis dolent, & malis gaudent; ut enim inuidi dolent dum ipsi bonis carent, quæ à similibus possidentur: sic ex aduerso gaudent, cum ipsi bona habent, quæ in similium potestate non sunt; quamobrem si Orator industriè disposuerit iudices eo modo, quo affecti sunt inuidi, ostenderit autem eos, qui misericordiam implorant, atque petunt ad aliquod bonum, tales penitus esse, quales esse dicebamus eos, quibus inuidemus, nunquam ad misericordiam commouebuntur, quanuis antea putassent eos esse misericordiâ dignos, vel tales, ut eorum habere rationem opus foret.

Eadem summatim exposita.

Hæc autem paucis comprehensa sic se habent.

I. Primò, Ii mouentur inuidiâ, quibus aliqui pares sunt, aut pares esse videntur, inuidia siquidem dolor est de prosperitate similium, similes autem sunt qui conueniunt genere &c. II. Ii etiam sunt ad inuidendum procliues, qui quasi omnia possident, quoniam autem qui magna gesserunt, felicique utuntur fortunâ ita se habent, ut parum videatur abesse, quin omnia possideant, ideo maximè sunt inuidentes; putant enim sibi eripi, quicquid alijs acceserit III. Sunt inuidiâ affecti qui ob rem aliquam, & præcipuè ob sapientiam summopere honorantur IV. Honoris studiosi maximè inuidi sunt, & qui sapientes videri cupiunt VI. Et qui uniuersaliter ex re aliqua gloriam quærunt. VII. Pusilanimi sunt inuidentes. Bona vero, circa quæ versatur inuidia hæc sunt:

I. Primò inuidia circa bona & opera versatur, in quibus homines cupiunt haberi primi, & pro quibus de honore certant &c. II. Inuidemus alijs ea bona quæ nos quammaximè desideramus.

Ii porro, quibus homines inuident sunt, qui sequuntur.

I. Homines inuident propinquis, tempore, loco, ætate, æstimatione. II. Quisque inuidet iis, cum quibus de honore certat. III. Qui serò multisque laboribus vix aliquid obtinuerunt, inuident iis, qui illud idem quamceleriter, & nullo ferè labore consecuti sunt. IV. Inuidemus iis, qui si quidpiam obtinuerint, dedecori nobis futurum est. V. Inuidemus etiam iis, qui ea possident, quæ nobis conueniebant, & quæ olim in nostra potestate erant. VI. Qui magnus sumptus in re aliqua acquirenda fecerunt, inuident iis, qui paruo sumptu rem eandem adepti sunt.

Oratori quid agendum ad concitandam inuidiam.

Orator autem inuidiam concitabit exponendo bona similibus contigisse, & alia de quibus supra locuti sumus.

Orator itidem inuidiam sedabit à contrarijs argumenta desumendo &c.

Effectus inuidiæ.

Effectus inuidiæ sunt inanis sui iactantia, & aliorum contemptus, inuidus enim talis est indolis, ut de se ipso præclarè sentiat, magnificè loquatur, & alios facilè negligat.

De Æmulatione.

MIrum est quantum utilitatis hominibus afferat æmulatio, hæc enim est calcar ad capessendam virtutem, nam rectè dictum.

Tunc benè fortis equus reserato carcere currit,
Cum quos prætereat, quosve sequatur habet.

Quidius lib. 3. de Arte.

Et re vera, ut non est verus amor, qui zelotypiâ caret: ita non ardet amore virtutis, nisi flagret æmulatione rectè factorum ab alijs; sed quid ipsa sit cum Aristotele videamus.

2. Rhe c. 27. alij 11.

Æmulatio definitur, Ἐστὶ γὰρ ὁ ζῆλος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐφικτῶν αὐτῷ λαμβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ ἀλλ' ὅτι οὐχ ἑαυτῷ ἔστι. *Æmulatio enim est ægritudo quædam, quoniam bona, & honorabilia, quæ ipse quoque assequi possit natura similibus adesse videantur; non quòd alij bona illa euenerint, sed quòd ea ipse careat.* Quamobrem æmulatio dolor est ortus ex eo, quòd honorabilia quædam bona, quibus nos caremus, & quæ possumus assequi, naturâ similibus videantur inesse, itaut non ideo ardeamus dolore, quia talia bona similibus insunt, sed quia nobis non insunt. Æmulatio tamen ex Tullio duplex est, altera quidem mala, de qua Plinius dicebat: Nihil est tam pronum ad simultates, quàm æmulatio in fœminiis præsertim. Ea porrò maximè nascitur ex coniunctione, alitur æqualitate, ardescit inuidiâ, cuius finis est odium: altera autem est bona, quæ virtutis est imitatio, de qua in præsentia Philosophus sermonem habet.

Æmulatio quid.

Æmulatio duplex.

Cum autem æmulatio ea sit, quam diximus, fit ut ipsa bona sit, & bonorum virorum affectio; sed inuidia mala est, & malorum hominum: æmulatio verò compellit hominem ad bona consequenda; at inuidia proximum huiusmodi bonis spoliare conatur. Æmulatio igitur conuenit cum inuidia, & ab eadem discrepat. Conuenit autem cum inuidia in eo, quòd utraque dolet, cum quædam bona, quibus nos caremus, similibus adsunt; discrepat autem quoniam inuidia dolet, quòd huiusmodi bona similibus adsint; æmulatio verò non dolet, quòd similibus adsint; sed quòd etiam nobis non adsint; manifestum est etiam ex allata definitione bonum æmulationis affectum esse, propriumque viri probi; affectum autem inuidiæ esse malum, ac proprium improbi. Quorum ratio in eo est, quod vir probus æmulatione excitatus, etsi bona sibi procuret, alteri tamen non impedit; improbus contra ex affectu inuidiæ aliis bona impedire studet.

Quomodo affecti sint, qui æmulantur.

Quomodo autem affecti sint, qui æmulantur docet Philosopus, & ait primò eos esse ad æmulandum procliues, qui se iis bonis, quæ non habent, dignos existimant; hoc est qui putant se esse dignos; ut ea bona, quæ ab aliis possideri vident, & quibus ipsi carent, nanciscantur, dummodo talia sint bona, ut ab ipsis possint acquiri; nemo enim est, qui putet ea sibi bona deberi, quæ nullo pacto consequi potest.

Idcirco adolescentes, quorum est sibi magna polliceri, ac de se bene existimare, solent illos æmulari, quorum admiratione capiuntur. Sic etiam viri magni animi qui laudis, gloriæque bonum præ cæteris appetunt, æmulatores sunt; quemadmodum & illi qui bonis eis abundant, quæ viris honestis videntur conuenire, cuiusmodi sunt diuitiæ, amicorum copia, magi-

magistratus & cætera huius generis; æmulantur enim eos, qui huiusmodi bonis affluunt; nam hæc bona præcipuè conueniunt eis qui præstanti sunt animo, quia conueniunt probè se habentibus, ideoque talia bona æmulantur.

Alij qui sint ad æmulandum proclines.

Sunt etiam ad æmulationem procliues, ii quos aliis bonis dignos existimant; frequenter enim euenit, ut aliquis magis de se aliis, quàm sibi credat, ideo cum aduertit ab aliis se dignum existimari, qui aliqua bona consequatur, ad æmulationem excitatur eorum, qui iam huiusmodi bona consecuti sunt.

Item & alij, qui æmulantur.

Amplius ii, quorum proaui, aut cognati, aut domestici, aut gens, aut patria in aliquo bonorum genere floruerunt, magnoque in pretio, honoreque habiti sunt, in eodem genere ad æmulandum singularem propensionem habent; existimant enim huiusmodi bonis, utpotè domesticis, ac propriis esse dignos, vel se illis dignos præstare debere, & ea sibi apprimè conuenire.

Bona circa quæ æmulatio versatur.

Et quoniam æmulatio circa bona honorifica versatur; videndum quibus bonis honos debeatur. Philosophus autem primo loco virtutes recenset, quibus proculdubiò debetur laus, & honor, ut propterea dignæ quoque sint, quas æmulemur. Secundo loco recenset utilia; hæc enim præter virtutes etiam honorabilia sunt, velut illa, quæ ad benefaciendum sunt apta, quod ex eo colligitur, quoniam non tantùm boni viri, virtuteque præditi laudem, honoremque consequuntur, sed ii pariter, qui multis utiles sunt; propterea æmulatio versatur etiam circa ea, quæ aliis sunt utilia, & ad benefaciendum idonea. Et in uniuersum omnia bona sunt æmulanda, quibus etiam propinqui frui possunt; huiusmodi sunt diuitiæ; nam qui diues est, multis præsidio esse potest, talis est etiam pulchritudo, quę plurimum adspicientium oculos mouet, plurimumque delectat; hæc itaque magis æmulanda est, quàm sanitas, seu bona valetudo, nam hæc habenti tantùm prodest, atque delectationem affert; illa verò omnes delectatione perfundit, tanquam maximum bonum, penèque diuinum.

Quæ ex dictis Philosophus colligat.

Subdit perspicuum esse, qui nam sint æmulandi, & ait eos esse, qui prædicta bona possident, nempe fortitudinem, sapientiam, & magistratum; quamobrem, qui fortitudine præstant, aut qui in aliquo sunt magistratu cõstituti debemus æmulari. De iis qui in magistratu sunt, rationem affert, quoniam ipsis magistratus de plurimis benemerendi multiplicem opportunitatem suppeditat; at mortalium generi nihil præclarius, nihilque gloriâ plenius, quàm de aliis benemereri; hoc enim hominem Deo simillimum reddit, quod etiam de fortibus, ac de sapientibus intelligi commodè potest.

Duæ sunt artes hac in re præcipuæ.

Duæ porrò sunt artes, quarum in re de qua agitur ratio præsertim habenda est, quippequę reliquis omnibus antecellunt, hoc est Imperatoria, & Eloquentia; ambæ siquidem possunt hominem in amplissimo dignitatis gradu constituere, scilicet Imperatoris, & Oratoris, quibus nemo illustrior; ab Oratore siquidem ornamenta pacis retinentur, ab Imperatore verò belli summa pericula repelluntur, hi propterea maximè sunt æmulandi.

Qui etiã sint, quos æmulari debeamus.

Illi pariter æmulatione digni sunt, quibus plurimi similes, familiares & amici student; hoc enim excellentiæ cuiusdam inditium est de quo summoperè Tullius contra Pisonem, & Vatinium gloriatur.

Alii etiam æmulatione digni.

Æmulandi sunt etiam & illi, quos multi suspiciunt, aut quos illi ipsi admirantur; cum enim perspectum fuerit quempiam in sui admirationem multos homines trahere, protinus existimandum est eum esse dignum, quem imitemur, atque etiam illos iuvat æmulari, quos cognoscimus, vel à Poetis, vel ab Oratoribus celebrari, ac laudibus efferri, siue viui, siue mortui sint.

Summatim hactenus dicta more solito paucis complectemur.

Brevis suprædictorum explicatio.

Æmulatores sunt qui bonis dolent similium, eo quòd ipsi non habeant. Hi porrò sunt. I. Qui se dignos iis bonis putant, quæ non habent, ut iuvenes, & magnanimi. II. Qui bona habent, quæ debentur præclaris viris, ut diuitiæ, amicitiæ, &c. III. Quos alii dignos iis bonis arbitrantur propter quæ dolent. IV. Ii quoque sunt, quorum maiores cognati, aut domestici, aut natio, aut gens, aut ciuitas honoribus fulget.

At verò ii, quos homines æmulantur, & quam ob causam ad æmulationem concitantur sunt. I. Qui bona habent talia, qualia sunt fortitudo, sapientia, magistratus, &c. II. Ii etiam quibus multi se similes esse cupiunt, itemque familiares, & amici esse lætantur, aut quos multi admirantur, aut ii quos ipsi admirantur. III. Ii etiam quorum laudes à Poetis, & aliis celebrantur.

Quomodo Orator excitare possit æmulationem.

Excitatur autem æmulatio proponendo maiorum virtutes, & illustrium virorum præclara facinora, quibus immortalitatem nominis, & honoris, vel in eloquentia, vel in militari disciplina sunt consecuti, & afferendo præsertim exempla eorum, qui solum æmulatione virorum illustrium ad summos honoris gradus ascenderunt.

Quomodo æmulatio minuatur.

Minuitur autem æmulatio detestando laudem, & gloriam tanquam res caducas & inconstantes, & afferendo exempla eorum, qui de hisce rebus solliciti esse noluerunt, quin potius generoso fastu hæc omnia contempserunt.

De Contemptu.

Contemptus explicatur.

QVemadmodum honorabilibus bonis instructos, atque cumulatos homines æmulamur, sic ex aduerso iisdem destitutos, vel etiam contrariis vitiis inquinatos despicimus, nostrâque consuetudine indignos arbitramur; æmulari nanque, & contemnere, proindeque æmulatio, & contemptio inuicem aduersantur; ut propterea contemnendi sint ii, qui æmulatione dignis contrarii sunt, quod eleganter Philosophus aduertit dicens. Καταφρονοῦσι δὲ τῶν ἐναντίων. ἐναντίον γὰρ ζήλῳ καταφρόνησις ἔστιν· τὸ γὰρ ζηλοῦν, τῷ καταφρονεῖν. *Contemnunt autem eos, qui his contrarij sunt;* contemptio enim æmulationi contraria est, & æmulari, atque contemnere sunt inter se contraria.

Necesse est etiam eos, qui alios æmulantur, vel aliis propter bona honorabilia æmulationi sunt, eorum contemptores esse, qui oppositis malis affecti sunt; quamobrem despicere solemus etiam homines prosperâ utentes fortunâ, cum hi tamen honorabilibus bonis careant.

Superesset autem de nonnullis aliis animi perturbationis differendum, de quibus tamen in Moralibus præstabit disputationem instituere.

De Auditorum moribus.

Tractationis continuatio.

CVm Aristoteles egisset de perturbationibus animi, ac docuisset quomodo animis auditorum inseri aut euelli possunt ad fidem faciendam quod spectat, eo quòd animi commoti facilius quàm

sedati

sedati ad credendum inducuntur. Pergit declarans cuiusmodi sint hominum mores, cum hi non iidem in omnibus sint, sed varientur pro quatripartita rerum varietate, cuiusmodi sunt animi commotiones, habitus, ætates, & fortunæ; ubi mores appellat non eos, qui à virtutibus, aut vitiis oriuntur, sed quasdam veluti hominum proprietates, quæ Plutarcho qualitates sentientis animæ videbantur; quoniam verò de duobus, nempe commotionibus animi & habitibus disputauit, de reliquis duobus, ætatibus, nimirum, & fortunis agendum sibi proponit explicans utrunque, & de ætatibus loquens tres eas esse constituit, adolescentiam, videlicet, mediam ætatem, & senectutem, non quòd plures esse non arbitraretur, sed quoniam in his potissimum variantur mores.

Mores Iuvenum.

Iuvenis mores quales sint.

I. PRimò iuvenes sunt cupidi, & ad ea, quæ cupiunt efficienda parati. Maximè autem ex cupiditatibus, eius sequaces sunt, quæ ex rebus venereis oritur, & in hac sunt incontinentes. In suis autem cupiditatibus sunt inconstantes, atque mutabiles; & ea, quorum cupiditate trahuntur, citò fastidiunt, adeout quod antea summopere cupiebant, postea contemnant. Cupiditates enim eorum, quanuis acres sint, ac vehementes; instabiles tamen sunt, paruoque tempore perseuerant; eorum enim voluntates acutæ quidem sunt, non tamen diuturnæ, qualis ægrotorum sitis. II. Iuvenes sunt ad excandescendum procliues, leuique de causa in iram prorumpunt; atque illum animi motum sequuntur, nec si velint, iram coercere facilè possunt. Sunt etiam irâ inferiores, & ab ea ferè semper vincuntur, & idcirco ferre non possunt ut ab aliquo negligantur, quod accidit primò propter sanguinis feruorem, qui maximus est in iuventute; deinde propter ambitionem, nam cupiunt, honores, ac dignitates, cumque id, quòd cupiunt assequi non possunt, quasi neglecti, & iniuriâ affecti, vehementer indignantur. III. Iuvenes sunt etiam ambitiosi, vel potius victoriæ cupidi; iuventus siquidem cæteris antecellere cupit; victoria verò quædam excellentia est; honori autem ac victoriæ magis student, quàm pecuniis, parum enim sunt pecuniarum studiosi, quoniam non dum pecuniarum indigentiam sunt experti, nec satis aduertunt, quàm sit interdum eorum vita misera, qui necessariarum rerum ad vitam indigent, quod Pittacus Mitylinæus, quodam in Amphararum dicto suo comprobauit. Cæterùm hæc ambitio in adolescente maximè laudabilis est; quanuis enim per se vitium sit, sæpesæpius tamen fœcunda est virtutum mater; commendabilis igitur adolescens ille, quem laus excitat, quem gloria iuvat, qui victus discruciatur. Cur autem in adolescente sit laudabilis ambitio, declarat Tullius, dum hæc habet: *Non loquor de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem; de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ studia in his iam ætatibus nostris contractiora esse debent, in iuventute verò, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ sint futuræ.* IV. Iuvenes non sunt malitiosi, nec improbi, sed potius simplices, & aperti, atque tales, ut ab improbis hominibus in fraudem allici quàmfacillimè possint, quia non dum aliorum improbitatem cognouerunt, nec exemplaria in animo habent earum rerum, quas improbi sceleste; homines perpetrare solent, ad quæ respicientes, euadere cautiores esse possint. Sunt etiam creduli, quoniam adhuc in multis non fuerunt decepti. Et bona quidem spe aluntur, spe que pleni sunt, sibique magna pollicentur, eo quòd naturâ calidi sint; ingens enim ille calor magnos procreat spiritus, quod in ebriis obseruare licet, qui spem magnam concipiunt, unde Lyricus

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas.

Illud etiam accedit, quòd paucis adhuc in rebus frustrati sunt; idcirco sibi persuadent facilè se omnia consecuturos v. Iuvenes magna ex parte spe vivunt, spes enim futuri temporis est; memoria verò præteriti, iuvenibus autem quod futurum est tempus, longum est, multumque videtur superesse vitæ futuræ; præteritum autem breue, & præteritæ vitæ parum antecessit, quare in iuvenibus maior est spes, quàm memoria; non enim recordari, aut meminisse quidpiam primis temporibus possunt, cum nihil adhuc memoriâ dignum agere potuerint; possunt tamè omnia sperare, cum se diu victuros existiment, & aliorum prosperos euentus aduertant, & ob eandem causam facilè decipiuntur, quia nimirum facilè sperant VI. Fortiores sunt etiam aliis adolescentes, quoniam iracundi sunt, ac spei semper pleni; ad iram enim propensi sunt, nec spes eos unquam destituit; iracundia verò reddit hominem intrepidum, ac fortem, metum siquidem pellit, non enim fieri potest, ut quispiam simul timeat, & sit iratus; spes verò confidentiam, & audaciam parit, qui nanque victoriam sperat, audaci fit animo, & in rebus dubiis fortior euadit VII. Sunt etiam iuvenes verecundi, atque magnanimi. Sunt autem verecundi, quoniam non alia cognoscunt honesta, quàm ea, in quibus per legem, ac disciplinam sunt eruditi, ideoque censent honesta, & turpia solùm, quæ talia esse ex institutione, legeque didicerunt, propterea magnifaciunt opinionem, quod verecundi proprium est. Sunt etiam magnanimi, quia non dum vitæ calamitates nec rerum usum perceperunt; non enim labores, molestias, curas, quibus homines frequenter vexantur, experti sunt, proindeque non intelligunt quam operosum sit, ea sibi comparare, quæ ad liberaliter honestèque viuendum necessaria sunt. Accedit etiam quòd pleni sunt spei, ac de se præclarè sentiunt, magnisque rebus se dignos existimant, idcirco magnanimi sunt, quoniam id magnanimitatis est proprium VIII. In agendo honesta potius amplecti volunt, quàm quæ utilia sunt; in hac enim ætate pauci sunt, qui diuitias accumulare studeant, & utilia sequantur; causam reddit Philosophus, quia naturam, atque morum institutionem potius sequuntur, quàm ratiocinationem; qui nanque ratiocinatione utuntur, utilitatem considerant, at verò indoles, ac virtus honestatem, ac dignitatem spectat, quod ab animi magnitudine prouenit; nihil enim auctore Tullio, tam magni, ac excelsi animi est, quàm diuitias contemnere IX. Quanuis omnes homines in omni ætate constituti amicos, & sodales ament, eorumque studiosi sint, maximè tamen in iuventute id faciunt, amicorum enim consuetudine delectantur, & non dum quicquam ad utilitatem referunt, quam nec in amicitia quærunt; idcirco viuere solitariè non possunt, nec diu procul ab æqualibus vitam traducere, cum ex eorum consuetudine summam voluptatem capiant; unde Lyricus.

Gestit paribus colludere.

X. In omnibus iuvenes per excessum, & in eo quod nimium est, peccant, nunquam autem in eo, quod

parum

parum, contra dictum Chilonis, *Ne quid nimis;* Omnia itaque nimis faciunt, nimium enim amant, nimium oderunt, omnia se intelligere putant, de omnibus asseueranter enunciant, unde est ut nimis, etiam omnia faciant. XI. Iuvenes iniuriam inferunt ad contumeliam, non ad malitiam, adeo ut eorum iniuriæ potius ad violandam dignitatem, quàm ad aliud detrimentum afferendum tendere videantur. XII. Sunt etiam ad miserendum procliues; cæteros enim suâ innocentiâ metiuntur, ac ob id omnes existimant probos, & meliores, quàm re ipsâ sint; ideoque illos indigna pati iudicant. XIII. Læti sunt etiam Iuvenes, risum undique libenter captantes, itaque iocis, salibus, atque facetiis mirificè student, & contumeliam, cum eruditione permiscent, urbani propterea sunt. *Vrbanitas enim erudita quædam contumelia est.*

Senum Mores.

MOres Iuvenum hactenus cum Aristotele tractauimus, nunc cum eodem ad senum mores gradum facimus; nec immeritò Philosophus hunc ordinem seruauit; nam ut ipse ait, senes & iuvenes moribus ferè contrariis affecti sunt; satis autem constat contrariis, contraria collata, longè melius intelligi; iure autem contrarietatem inter prædictos mores adstruit; adolescentes enim, & senes plurimum differunt, enimverò illi in principio sunt vitæ, hi autem in fine, illi in ortu; hi verò in occasu; illi feruidâ, hi autem gelidâ naturâ constant, proindeque contrarias naturas habent; ergo etiam & mores, cum hi necessariò illas comitentur.

I. Primò senum mores ab experientia prodeuntes, tales sunt, ut ipsi nihil planè soleant affirmare, sed de omnibus ferè dubitare; cuius rei triplex ex Aristotele causa est. Prima, quòd ab aliis frequenter, ac plurimis in rebus decepti sunt, ut de aliis nihil sibi certi audeant promittere. Secunda, quòd non semel aberrarunt, suâque culpâ in errores deducti sunt, adeout de se ipsis adhuc dubitare cogantur. Tertia, quòd in rebus atque negotiis plurima contra nostram voluntatem accidant mala; ut propterea nullum negotium sit de quo securi esse possimus; senes his de causis cùm experientiâ edocti sint, nihil planè audent affirmare, semperque in negotiis administrandis timidiores sunt, longèq; minus, quàm oporteat omnia faciunt, & se opinari, nescire quicquam prædicant, quo fit, ut illa aduerbia dubitandi, *forsan*, & *fortasse*, frequenter usurpare soleant, ut itaque Iuvenes in eo quod nimium, ita senes in eo, quod parum est, peccant, quod Lyricus etiam tetigit dicens.

Vel quod res omnes timidè, gelidèque ministrat.

II. Sunt etiam senes malitiosi, prauo ingenio, atque moroso, ut enim Iuvenes aperti sunt & simplices, ita senes maleuolam prauamque naturam habent; nihilque putant bono animo factum, sed in deterius omnia trahunt. Est autem malitia, per quam omnia deteriorem in partem accipimus, sunt itidem suspicioni propter incredulitatem, increduli verò propter experientiam, per quam recordantur se non semel fuisse deceptos. Hinc etiam nec vehementer amant, nec vehementer oderunt, sed iuxta præceptum Biantis, amant tanquam osuri, oderunt tanquam amaturi. III. Senes sunt parui animi, quoniam longa ætas eorum spiritus fregit, eosque docuit humiliter, ac demisse de se sentire, proindeque nihil magnum, aut eximium; sed eâ, tantum quæ necessaria sunt ad vitam concupiscunt. Hinc etiam auari, cum enim necessaria ad vitam desiderent, opes autem ad viuendum necessariæ sint, obid opes maximè cupiunt, quod est auaritiæ proprium; illud etiam eorum auget auaritiam, quod eos experientia docuit, quàm difficile sit opes parare, quàm facilè verò illas amittere. IIII. Senes etiam sunt timidi, & mala antequam adueniant, expectant, & ad pertimescendum cuncta parati sunt; contrariò enim, ac iuvenes disponuntur; idcirco sicuti iuvenes calidi, ita senes frigidi sunt, quamobrem sen. ctus in ipsis viam timori præparauit; timor enim refrigeratio quædam est. V. Senes valde cupidi sunt viuendi, & quo magis vitæ finis appropinquat, eo maiori desiderio prorogandi vitam tenentur. Desiderium enim eorum est, quibus ita caremus, ut iis indigeamus, senes autem vitâ indigent, & eâ proximè sunt carituri. VI. Senes queruli sunt magis, quàm oporteat hoc autem ex pusillanimitate ortum ducit. VII. Senes utilitatem potius, quàm honestatem respiciunt in vita, quoniam sunt sui amatores magis, quàm oporteat; sed qui huiusmodi sunt, non tam prosequitur quod est bonum simpliciter, quàm quod sibi bonum est; idcirco ita sunt senes, sed honestum est bonum simpliciter, utile autem est bonum nobis, senes propterea magis prosequntur utile, quàm honestum. VIII. Senes potius sunt inuerecundi, quàm verecundi, quoniam sunt magis solliciti de bono utili, quàm de honesto; idcirco aliorum opinionem negligunt, nec sua interesse putant, quales aliis esse videantur. IX. Senes difficile admodum de rerum euentibus ad benesperandum inducuntur, quoniam experientia edocti cognouerunt res humanas ut plurimum scatere malis, & ad peius tandem deuenire. Illud etiam accedit, quòd senes naturâ timidi sunt, timiditas autem eorum animos à benè sperando auertit. X. Senes memoriâ magis, quàm spe vivunt; memoria siquidem præteritorum est, spes autem futurorum, senibus autem vitæ futurum breue est, præteritum autem multum, idcirco magis in præteritorum cogitatione, quàm in spe futurorum vitam traducunt, quod ipsis causa est etiam loquacitatis; sermones enim habent de multis præteritis, quoniam hæc recordantes magnopere delectantur. XI. Senum iræ sunt acres, & acutæ, imbecillæ tamen, ac languidæ, eorum cupiditates partim sunt omnino extinctæ, partim debilitatæ, ac fractæ; idcirco nihil cupiditatis, sed lucri causâ tantùm operantur; quamobrem temperati videntur, nam cupiditates deferuerunt, & ipsi lucro seruiunt; ob id magis ratiocinatione, quam moribus vivunt; ratiocinatio siquidem ad utilitatem, mos vero ad virtutem, & honestatem impellit. XII. Senes cum alios iniuriis afficiunt, non tam eorum dignitatem, per contumeliam lædunt, quàm rei familiari detrimentum inferunt. XIII. Senes ad miserendum sunt propensi non minus, quàm iuvenes non eadem tamen ex causa, nam iuvenes aliarum malis discrutiãtur, quoniam ex quadam ingenitâ humanitate nollent quempiam calamitatibus urgeri; senes verò, quia imbecilli sunt, omnia sibi mala propinqua esse & imminere arbitrantur; propterea alienorum malorum aspectu commouentur, quod est miserentis proprium; unde est ut queruli sint, & amatores fletûs, atque adeo contrario modo se habeant, ac iuvenes, qui faceti sunt, & amatores risûs.

Vt autem similitudo morum ad beneuolentiam conciliandam plurimum habet momenti, ita etiam oratio, quæ similes exprimit mores, nemo siquidem est, Adnotatio.

est, cui non probetur oratio, quæ moribus accommodata sit, quibus affectum se ipse cognoscit. In hoc igitur desudet Orator, nam si probè norit hactenus dicta de singularum ætatum moribus, ita dicere quamfacillimè poterit, ut auditorum animos demulceat, atque detineat, eorundemque voluntates deuinciat, & eorum apud quos dicendi munere fungitur, similis omninò esse videatur; hac enim arte adolescentum, & senum benevolentiam sibi conciliabit, adeout ab ipsis libenter audiatur, quod Lyricus eleganter expressit, dum cecinit.

In Arte Poetica.

Si plausoris eges, aulæa morantis & usque
Sessuri, donec cantor Vos plaudite dicat
Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores
Mobilibusque decor naturis dandus & annis.

Mores eorum, qui sunt in media ætate constituti.

Mores mediæ ætatis.

EOrum, qui constituti sunt in media ætate, medii quoque sunt mores, & quod in ætate utraque nimium est, à se ipsis eiiciunt.

Primò quidem nec valde sunt audaces, audacia siquidem excessus est; nec valde sunt timidi, nam timiditas est quidam defectus, quamobrem qui in ætate sunt media, quæ constans, & virilis dicitur, neutro laborantes vitio, tum in audendo, tum in timendo rectè se gerunt, quod enim in iuventute, & senectute nimium est, resecant, quodque utrique deest, supplent; morumque mediocritatem seruant; neque omnibus temerè credunt, ut iuvenes; nec omnibus fidem abrogant, ut senes; sed potius ex veritate omnia iudicant; accuratè siquidem considerant, quid veritas postulet, & quid cum veritate consentiat, quidque ab ea dissentiat; nec ad solam dignitatem, & honestatem vitam dirigunt, ut iuvenes; nec ad solam utilitatem, ut senex; sed ad utranque simul respiciunt, qui enim huius sunt ætate in actionibus suis, honestatem, ac utilitatem respiciunt, quod Lyricus quoque notauit.

Conuersis studijs, ætas animusque virilis.
Quærit opes, & amicitias, inseruit honori
Commisisse cauet, quòd mox vitare laboret.

IV. In sumptibus, nec nimis parci, nec nimis profusi, sed quod congruit personis, ac temporibus seruant. Mediocres etiam sunt in ira, & cupiditatibus V. Sunt quoque modesti cum fortitudine, & fortes cum modestia; hæc enim in iuvenibus ac senibus disiuncta sunt; illi nanque fortes, ac immodesti, hi verò modesti, ac timidi VI. In uniuersum res quas iuventus, & senectus inter se diuiserunt, simul ætas media complectitur, & quibus in rebus illæ ætates, vel excedunt, vel deficiunt, media ætas mediocritatem & conuenientiam seruat. Corpus autem ab anno trigesimo, usque ad trigesimum quintum viget; sed mentis vigor ab ineunte trigesimo usque ad finem quadragesimi noni, validus perseuerat.

Nobilium mores.

Nobilium mores qui sint.

I. PRimò nobiles magis quàm alii honoris sunt studiosi, commune siquidem est omnium hominum, ut bona, quæ possident, augere nitantur; Nobilitas autem est maiorum dignitas, qui summis honoribus affecti fuerunt; idcirco nobiles dignitatem à maioribus partam augere conantur. II. Nobilium est proprium despicere non solùm homines abiectos, & viles, sed etiam illos, qui recèns ea bona sunt consecuti, quæ iam dudum nobilium progenitores obtinuerant; hæc enim bona iam diu habita, magis, quàm nuper acquisita solent honorari, maiorique gloriâ digna existimari III. Discrimen est aliquod inter nobile, & generosum, quanuis inter se non exiguam affinitatem habeant, nobile siquidem ad inclytam familiæ virtutem spectat; generosum autem ad eum, qui maiorum suorum affectionem animi constantem, atque conuenientem, quâ laudibus digni reddebantur, hoc est, virtutem, imitatur, & à natura, ac ingenio eorum non degenerat; ideoque ii sunt generosi, ac maioribus similes, qui ex nobili familia orti, maiorum virtutem adumbrant. Præclarius est autem generosum esse, quàm nobilem; nobilis enim maiorum duntaxat virtute, gloriâque illustris est; at verò generosus non solùm maiorum, sed etiam integritate suâ dignus est, qui celebretur; unde est ut omnes generosi sint nobiles, non autem vicissim, cum nobilium pauci non sint, qui à maioribus suis deflexerint, eorumdemque laudes obtinuerint, & humili, atque demisso animo facti ad ignauiam, atque socordiam delapsi sint. Rem exemplo Philosophus declarat, nam, inquit, ut in agris, & iis quæ terrâ nascuntur, ita in familiis plerunque fœtus uberior existit, sæpesæpius tamen in ea quantumuis bona, multi eximii, præstantesque viri nascuntur, deinde paulatim iterum illa se remittit, & ex ea oriuntur, qui patribus non similes sed longè deteriores sunt, quemadmodum terra fœcunda, atque frugiferæ arbores, non rarò multis annis uberes fructus emittunt, deinde paulatim sterilescunt, & omnia deteriora progignunt; illæ autem familiæ, in quibus viri acri, ac viuido floruerũt ingenio, in homines quodammodo insanos degenerant; non secus ac Alcibiadis generi contigit, superioriſque Dionysii; illæ verò, in quibus plurimi fuerunt stabili paratoque ingenio præstantes, in quandam socordiam deflectunt, quemadmodum in familiis Cimonis, Periclis, & Socratis contigisse memoriæ, liberisque proditum est.

Diuitum mores.

Diuitum mores qui sint.

I. PRimò diuites contumelioſi sunt, ac superbi, prauisque moribus ex diuitiarum possessione affecti, non secus enim se habent, ac si omnia bona possiderent; diuitiæ nanque sunt pretium, quo cætera bona æstimantur; qui porrò diuitias possident, videntur omnia bona pecuniis in suam potestatem posse redigere; idcirco ita sunt inflati, ac si omnia possiderent. II. Molles sunt, seu delicati, & salacones, hoc est nimium arrogantes; delicati verò sunt, cùm propter ipsas delicias, in quibus versantur, tum quia beati videri cupiunt, suamque felicitatem ostentare gaudent, cum in victu, tum in vestitu, & magnificis apparatibus; illud etiam accedit, quod à teneris unguiculis molliter, ac delicatè enutriuntur. Sunt etiam suorum bonorum ostentatores, quoniam omnibus commune est in iis cogitatione sermoneque versari, quæ vehementer amant, & admirantur, tantoque magis si hæc eadem aliis etiam æmulationi, & admirationi esse putent; at verò diuites, vehementer amant, ac admirantur diuitias suas, easdemque aliis admirationi esse arbitrantur; consequens propterea fit, ut suarum diuitiarum sint ostentatores; nec immeritò sic affecti diuites sunt, eorum enim auxilio quamplurimi egent, propterea non sine causa gloriari videntur; ad eos enim auxilii gratia confugere multos necessitate coactos, egregium quid est, quid enim gloriosius.

Digitized by Google

riosius, quam opibus suis posse, quamplurimis hominibus præsidio esse ac adiumento? In cuius confirmationem Philosophus dictum illud Simonidis de diuitibus, ac sapientibus affert; ille siquidem à Hieronis Syracusarum Regis uxore interrogatus, utrum melius foret sapientem, an diuitem fieri? Protinus ille respondit præstare diuitem esse, quod ab euentis demonstrabat; nam dicebat se passim videre sapientes præstolantes ad fores diuitum, non autem vicissim. Auget etiam diuitibus superbiam, quòd se dignos imperio esse arbitrantur, cum enim amplas diuitias, ac opes ingentes possidere se videant, se cæteris præesse oportere dignum existimant, adeout nec magistratibus obtemperare velint. III. Et ut rem paucis comprehendam, mores diuitum sunt quales forent insipientis, qui bonis omnibus affluëret, ac beatam vitam traduceret IV. Diuitum mores, qui recèns diuitias adepti sunt in eo differunt, à moribus eorum, qui diuitias à maioribus acceperunt, quòd; qui nuper diuites facti sunt, omnia vitia maiora habent, atque deteriora, propterea quod datur quædam utendi diuitiis disciplina, quâ præditi esse non possunt, qui nuper diuites euaserunt, secùs verò, qui amplo patrimonio sunt nutriti, & à maioribus suis ingentes opes acceperunt; non mirum propterea, si nuper locupletati peximè diuitiis utantur. V. Diuites maximè contumelioſi sunt, ac iniurias inferre solent, non ex malitia, & ex animo lædendi, sed partim ex contumelia, ut aliis excellere videantur; partim ex intemperantia, ut suas expleant cupiditates, ut cum ad inferendam contumeliam, virgis cædunt, & ad libidinem explendam adulterantur.

Potentium, & Fortunatorum Mores.

Potentiũ & fortunatorum mores qui sint.

QVales sint potentium mores ex dictis facile constat, hi nanque partim iisdem quibus diuites præditi sunt moribus, partim verò melioribus; potentes enim in eo diuitibus sunt præstantiores, quòd magis honori gloriæq; seruiunt, & sunt animo magis elato, resque illas gerere studeant, quas propter eam, quam habent potentiam, benè se administraturos confidunt; sunt etiam studioſiores diuitibus; cum enim semper cogantur de iis cogitare; quæ ad retinendam potentiam conferunt, coguntur etiam in assidua quadam cura, meditatione, studioque versari. II. Excelso potius sunt animo, quàm graui, quoniam dignitas eos longè conspectiores reddit, proindeque grauitatem quandam, curamque tuendæ dignitatis custodire, atque mediocritatem, & modum in rebus summâ religione seruare coguntur. Est porrò excelsitas animi, nil aliud, quàm lenis quædam, & honesta grauitas; quædam enim in principe debet esse grauitas, quæ tamen sit lenis, & honesta, ut quandam præseferat maiestatem cum elegantia, ac lenitate. IV. Si quempiam verò potentes iniuriam affecerint, non paruis in rebus, sed in magnis id faciunt; fortunati autem hominis mores, non meliùs cognoscuntur, quàm aduertendo, quas ob res homines prosperâ utentes fortunâ existimantur; hoc enim modo non obscurè constabit cuiusmodi sint fortunati hominis mores, quandoquidem fortunatus ille creditur, qui nobilis dines, & potens fuerit; horum igitur mores iidem, ac fortunatorum erunt. Magna nanque prosperitas tria præsertim exposcit nobilitatem, diuitias, & potentiam; sed nobilium, diuitum, atque potentium ex proximè dictis mores perspicuè constant; idcircò fortunatorum mores ignorari non possunt. Ad cumulatiorem autem prosperitatem reddendam, plurimum bona, magnaque liberorum copia facit, & insuper ad idem est opus, ut quæ corporis bona sunt, nulla quidem ex parte deficiant, nimirum sanitas, pulchritudo, robur, &c. hæc enim omnia videntur à fortuna prouenire. Duo porrò sunt mala, quorum causa prospera fortuna esse perhibetur, primum quidem est, quod hominem se animo efferentem reddit; alterum verò quòd hominem inconsideratum, ac imprudentem efficit, propterea quod suæ fortunæ confidit, nec mirum, nam, utrumque à mentis quadam cæcitate proficiscitur, sed fortuna non modò ipsa est cæca, sed eos etiam, quos amplectitur, cæcos efficit; res enim secundæ sapientum etiam animum fatigant, nam reuerâ.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Illud autem in prosperitate fortunæ summopere commendabile, quòd fortunati benè erga diuinum cultum sunt affecti; bene siquidem de Deo sentiunt, atque credunt, eòquòd arbitrentur fortunæ prosperitatem Dei beneficio, voluntateque se consecutos fuisse. Hæc porrò sunt, quæ de moribus profectis ex ætatibus, & fortunis dicenda erant. Contraria autem ex contrariis possunt intelligi, videlicet, cuiusmodi sint pauperis, infortunati, & impotentis mores.

SECTIO SEXTA.

De Amplificatione.

Proponitur de Amplificatione disserendum.

AMplificatio est, in qua tota vis residet Oratoris, idcirco ab eo magni facienda, & frequentanda; & quanuis apud Poetas absolutus eius sit usus, adhuc tamen Oratori maximè familiaris est, cum in ea summa sit eloquentiæ laus; tametsi nanque solùm in genere demonstratiuo locum habere videatur, reipsâ tamen communis est omnium generum dicendi, præsertim in epilogis, in his enim opportuniùs adhibetur; ut paulo infra manifestum fiet.

Tametsi autem rectè dictum ab Isocrate existimetur, Rhetoricam esse artem, quâ ex paruis magna, ex magnis parua fieri possunt, eius enim hæc de re verba sunt, τὰ μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ, ποιεῖν. Re tamen verâ non tam Rhetoricam, in uniuersum, quàm eius præcipuam partem, videlicet amplificationem respexit; nam hæc ex paruis ampla, ex angustiis, extensa, & lata, ex coactis compressisque diffusa, & explicata fiunt; non dum tamen satis amplificationis est explicata natura. Aliis autem amplificatio, Dionysius longinus de sublimi genere dicendi. visa est, λόγος, μέγεθος πραγμάτων τοῖς ὑποκειμένοις. *Oratio rebus subiectis magnitudinem concilians.* Sed ex Longini testimonio hoc etiam aliis ab amplificatione conuenit, enimverò granditas, tropi, & affectus, magnitudinem quandam afferunt orationi. Ab aliis amplificatio dicitur, συμπλήρωσις ἁπάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασιν ὁρίων, καὶ τόπων ἐχυροποιοῦσα τῇ διανοίᾳ τὸ κατασκευαζόμενον. *Plenitudo quædam, quæ ex omnibus rerum adiunctis, terminis, & locis, commoratione roborat orationem.* Hęc proculdubiò cum veritate consentiunt, nam amplificatio, meritò plenitudo dicitur, non tamen redundantia, siquidem amplificationis est orationis corpus venustâ quâdam plenitudine consurgens, sed non tumore distentum reddere, quod non inani verborum fuco, vel numerorum strepitu; sed optimis quibusque rerum adiunctis efficitur; at verò quid Amplificatio sit, perspectum habere non licebit, nisi quæ de

ipsa loquens Tullius, breuiter hic afferantur in medium. Is porrò de Amplificatione sermonem habens, ita loquitur; *Est enim Amplificatio vehemens quædam argumentatio, ut illa docendi causa sit, hæc commouendi.*. Putat igitur Amplificationem esse quandam argumentationis speciem, cum illa definiens dicat. *Amplificatio est vehemens quædam argumentatio*; mox verò differentiam addit in eo positam, quòd argumentatio docendi tantùm causa sit, at verò amplificatio etiam commouendi, quo fit ut duplici potestate constet, nam ad fidem, & ad motũ ponderis multum habet; hoc idem ipse paulo post explicat dicens: *est igitur Amplificatio grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*; Tullio igitur Amplificatio est quædam grauior affirmatio, quæ non tantum fidem facit, sed etiam animos commouet; per hoc enim ab argumentatione secernitur, quòd argumentatio tantummodo quærit fidem facere; at verò Amplificatio præter fidem, quærit etiam animorum motus, unde est ut grauior affirmatio dicatur, quoniam maiorem vim, & grauitatem habet, quàm simplex argumentatio.

In Partitionibus Oratoriis. Amplificatio quid ex Tullio.

Tria verò sunt apud dicendi magistros, quibus Amplificatio ab argumentatione secernitur, quorum primum est materia ipsa; propterea quòd argumentatio ad omnia quæstionum genera, de quibus potest esse dubitatio, adhibetur; sed Amplificatio nonnisi ad magnas, graueisque causas, in quibus Oratoris interest copiosè demonstrare quidpiam in genere suo præclarum esse amabile, optandum &c. vel indignum, miserabile, detestabile fugiendum &c. Secundum est tractationis ratio, nam argumentatio dicendi genus usurpat argumentis explicandis valde accommodatum, concisum videlicet, ac tenue; sed Amplificatio magno sententiarum pondere, mirabili orationis ubertate, ambitûs magnitudine, summoque complexionis momento, vehementer impellit, ac urget. Argumentatio fertur instar amnis leniter fluentis; sed Amplificatio instar eiusdem, qui modò adeo quidem intumescit, ut proprios fines transiliat, modò vix metas attingat, modo præceps dehiscat, & varias in plagas elabatur. Tertium est finis, hic enim argumentationis proximus cognitio est; amplificationis autem motus, quo fit, ut non nisi re iam expositâ adhibeatur, nam in orationis cursu, frequenter usurpari solet, post validam aliquam argumentationem, quâ vel quidpiam confirmatum sit, vel reprehensum. Amplificatio sit igitur oratio, quæ id, quod simpliciter argumentatione conclusum esse videtur, ac parvum, variâ ratione auget. Aliquibus Amplificatio est rhetoricum artificium, quo ostenditur aliquid maius esse, quàm primâ fronte videatur, cuius proprium est animi affectus commouere. Sed longè melius eius percipietur natura, considerando sententiam aliquam pressè, & citra quemlibet ornatum expressam, mox perelegantèr amplificatam. Tullius, ut hoc utar exemplo, si dicere voluisset Clodium esse, in quem odium haberi debeat, utrique dicere potuisset odio esse Clodium habendum; & ex Republica abiiciendum, nemo enim pessimis moribus præditus in Republica retinendus, non est igitur cur Clodium iniquitatis plenum vos Ciues diutiùs perferatis; sed Orator eleganti amplificatione utens, rem voluit hunc in modum tractare; *Dura*, inquit, *mihi medius fidius, iam fortuna Populi Romani, & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Rempublicam insultare videret, & pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones: Senatûs grauissima decreta perfregerat &c.*

Quid differat inter Argumentationem, & Amplificationem.

Pro T. Annio Milone.

Amplificationis autem propria sedes, quæ nam sit disertis verbis Tullius declarat; sic enim loquitur; *Sed amplificatio quanquam habeat proprium locum, sæpe etiam primum, postremum quidem ferè semper, tamen reliquo incursu orationis adhibenda est, maximèq; cum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum, itaque ad fidem quoque vel plurimum valet.* Quamobrem ex Tullii sententia Amplificatio non est peculiaris orationis pars, sed argumentatio iam explicata, quæ ad animos vehementius commouendos, & ad fidem quoque faciendam adhibetur. Proprius eius locus in peroratione est, eoquòd in orationis fine animi vehementiùs concitandi sunt, quod etiam & ipse passim obseruauit, ut in orationibus pro Milone, pro Plancio, pro Sylla, pro Flacco. Non inficiandum tamen in exordiis interdum etiam amplificationem usurpari, quòd ab eodem Tullio factum cuique potest esse perspectum, si nonnullas eius aduerterit orationes, ut illam in Catilinam quæ est ordine prima, & eam, quæ est post reditum in Senatu, insuper & illas, quas habuit pro Marcello, pro Murena, pro Plancio, &c. In his igitur locis Amplificatio præsertim usurpari consueuit; quæ quanuis vera sint, adhuc tamen iuvat inter argumenta singula Amplificationis quædam semina spargere, & iacere velut in viam tela, quæ mox pugnaturus torqueat Orator, & maximè tunc, cum aliquid confirmauerit, aut reprehenderit; tribus enim rebus omnes, dicebat Tullius, ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo; sed quanuis curandum in primis, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur, adeant ex tribus rebus hæc sit magis præcipua, reliquæ tamen duæ, quemadmodum sanguis in animalibus, sic in perpetuis orationibus fusæ esse debent, in quo tamen Oratori habendus modus ne in errorem labatur cum Isocrate, de quo Longinus ita scribit, Ἰσοκράτης, οὐκ οἶδ' ὅπως, παιδικῶς φρόνημα ἔπαθεν, διὰ τὸν τοῦ πάντα αὐξητικῶς ἐνθυμεῖσθαι λίαν φιλοτιμίαν. *Isocrates igitur nescio quomodo pueriliter egit ambitioso quodam cuncta amplificandi, & exagerandi studio.*

Quæ nam in Oratione sit propria amplificationis sedes. In Partitionibus Oratoriis.

Duplex autem à dicendi magistris recognoscitur Amplificatio, quarum una verborum, altera rerum dicitur, quod etiam Tullius affirmat dicens; *Est igitur Amplificatio, grauior quædam affirmatio quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem, ea & verborum genere conficitur, & rerum.* Amplificatio igitur quemadmodum, & reliquæ orationis partes, ex verbis, & rebus constat.

In Partitionibus Oratoriis.

Amplificatio in verbis consistens verborum delectu, ac elocutionis genere perficitur, quatenus hunc in modum res augentur. Qualia autem sint verba, summus Artifex eloquentiæ declarat, dum ait. *Verba ponenda sunt, quæ vim habent illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, grauia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primisque tranflata; nec in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quæ dicuntur sine coniunctione, ut plura videantur.* In amplificatione igitur primò quærenda sunt verba, quæ vim illustrandi habent, propterea quòd illustris oratio rem ante oculos constituens plurimum valet ad commouendum. Illustria porrò debent esse verba, ut ab usu tamen non abhorreant, sed potius ab omnibus intelligantur; qualia sunt illa, quibus utitur Tullius dicens, *O acerbam mihi, Iudices, memoriam temporis illius, & loci, cum hic in me incidit, complexus est, con-*

Amplificatio in verbis consistens.

Tullius pro C. Plancio.

sper-

sperfitque lachrymis, nec loqui pro mœrore potuit? ò rem, cum auditu crudelem, tum visu nefariam? ò reliquos omnes, &c. Grauis esse debet in augendo, ut: *Sed tamen ex omnibus præmijs virtutis si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium gloriam, esse hanc unam, quæ breuitatem vitæ, posteritatis memoria consolaretur, &c.* Et alibi. *Agitur Populi Romani gloria, quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est;* Plena etiam verba esse debent; qualia illa. *De me semper Populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas.* Sonantia, ut: *Pollueret stupro sanctissimas Religiones, senatûs grauissima decreta perfregerat.* Iuncta verba dicuntur composita, quæ maiorem sonum habent, ac longe vehementius mouent cuiusmodi sunt, *pertimesco, persoluo, contrucido*, ut: *Omnia tibi illorum laborum præmia pro me persoluturos.* Facta censentur quæ Orator ipse fingit, ut acriùs, ac vehementius dicat: etiamsi noua sint, & à communi usu remota, talia sunt, quæ adhibet Tullius, dum ait. *Vllam ne Appietatem, aut Lentulitatem, valere apud me, plusquam ornamenta virtutis existimas?* similis huic foret hæc. *Vllam ne Aristoteleitatem, aut Platoneitatem valere apud me plusquam veritatis candorem existimas?* Vbi duo sunt verba, quæ quasi contemptionis gratia finguntur. Cognomina, verba illa dicuntur, quæ eandem habent significationem, ut. *Hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur.* Non vulgata dicuntur illa, quæ supra vulgarem sermonem efferuntur ad humilitatem orationis vitandam, & eiusdem sublimitatem consequendam, ut, *quas ille præceps amentia cæsis, prostratisque sanctissimis lucis substructionum, insanis molibus oppresserat.* Superlata nuncupantur ea, quæ veritatem excedunt, ut. *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam si ejecerit, miseram si amiserit*, & alibi: *Saxa, & solitudines voce respondent, bestiæ sæpè immanes cantu flectuntur, atque consistitunt.* Talia etiam sunt illa: *Domuisti gentes immanitate per barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas; omni copiarum genere abundantes:* Talia etiam & illa: *Qui extremâ pueritiâ miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maxima ipse exercitus imperator, qui sæpius &c.* Translata multum ad augendum conducunt, ut; *Quid odisset Clodium Milo segetem, ac materiam gloriæ suæ?* Item. *Et quidem cæteras tempestates & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum, semper putaui Miloni esse subeundas.* Talia etiam sunt illa, *Omnes in me mesque redundant ex illo fonte dolores.* Addit etiam Tullius *nec in singulis verbis, sed in continentibus &c.* Dissolutum siue disiunctio fit cum plura membra sine coniunctione proferuntur, & ita eorum fit dissolutio, ut unumquodq; membrum suum verbum habeat, & suum integrum sensum obtineat, ut: *Studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium, ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur*; Item: *Me patria expulerat, bona diripuerat, domum inuaderat, liberos, coniugem meam vexauerat, P. Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat.* Quandoque in singulis verbis solutio fit, ut: *Abijt, excessit, euasit, errupit.* Item: *Cum illa inditia communis exitij, indagaui, patefeci, protuli, extinxi*, quæ soluta coniunctionis defectu dicuntur, ut esse plura videantur. Item; *Nos pœnates aras, focos, sepulcra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus.* Hæc ex Tullii sententia verba sunt, quibus amplificatio perficitur. Cæterum iis exemplis, quibus alii, nos usi sumus, quoniam explicationem rei de qua agitur, potius auctoritate præstantissimorum virorum confirmare, quàm nostrum ostentare laborem in novus inueniendis exemplis maluimus. Supradictis tamen aliqua supersunt addenda; idcirco Tullius subdit. *Augent etiam relata verba, iterata, duplicata.* Hæc autem verba uniusmodi non sunt sed variationem subeunt. Primò quidem cùm paria paribus referuntur ut; *Est enim hæc iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus &c.* Secundò cum contraria contrariis referuntur ut: *Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non malè aliquando de me meriti, sed semper optimè.* Tertiò cùm ad unum verbum multi referuntur casus, & huiusmodi exornationis genus adiunctio dici consueuit, ut: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Iterata autem verba nuncupantur, quæ sæpiùs membrorum initio repetuntur; ut *Sit fur; sit sacrilegus; sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps:* Item. *Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo; tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus &c.* Item: *Vbi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit tui? vbi studia municipiorum? vbi Italiæ voces?* Huc pertinent illa. *Testes enim sunt qui in consilio fuerunt; testis publicæ tabulæ: testis splendidissima ciuitas Lilybetana, testes honestissimus, maximusque conuentus Ciuium Romanorum.* Duplicata dicuntur illa, quæ geminantur, ut *Aspicite, aspicite Iudices squalorem, sordesque sociorum, ille ille inquam est nefarius Patriæ Proditor.* Item. *Vos vos appello fortissimi viri, valeant, inquit, valeant, ciues mei, excitate excitate eum, si potestis ab inferis.* Dum autem Cicero pergit hæc habet: *Et ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora.* Gradationem igitur putat eloquentiæ magister ad splendorem orationis plurimum facere; gradatio autem est incrementum, de quo suo loco egimus, simulque notauimus fieri, cum paulatim ascendit oratio ab humilioribus verbis ad superiora, talis est illa gradatio apud Tullium pro Milone; *Sapere eius amentiam ciuitas, Italia, Prouinciæ, Regna non poterant.* Item. *Vt P. Clodius non modo viueret, sed etiam Prætor Consul, Dictator esset.* Vulgatum est exemplum, quo Fabius etiam utitur, desumptum ex Tullio in Verrem; quod nos attulimus, cum de incremento loqueremur; *Facinus, inquit, est vinciri ciuem Romanum; scelus, verberari; prope parricidium, necari, quid dicam in crucem tolli?* Subdit autem Cicero de Amplificatione itidem loquens, *Omninoque semper quasi naturalis, & non explanata oratio, sed grauibus referta verbis ad augendum accommodatior.* Ex Tullii sententia tria sunt quæ ad verborum amplificationem pertinent. Primo ut sit oratio quasi naturalis, non tucata, non dissimulatrix, sed potius, quæ veros, atque synceros affectus indicet. Secundo ut non sit explanata, sed interciſa quodammodo, & præ dolore interrupta, ut *Quid iam restat? Quid habeo? Quid dicam? Quid faciam? pro tuis in me meritis missi*, &c. Tertio ut grauibus sit referta verbis, huiusmodi autem sunt aspera, molesta, & quodammodo odiosa, ut sunt luctus, acerbitates, lachrymæ, squalores, exterminationes, &c. & quoniam verba non satis est, ad amplificandum esse accommodata, propterea subdit Orator dicens: *Hæc igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, & gestus congruens, & aptè ad animos permouendos, accommodata est*, nec immerito, quandoquidem actio decens orationi vitæ ipsi-

Pro Milone. Pro Lege Manilia. Plena. Sonantia. Iuncta verba. Facta. Cic. Lib. 5. Epistolarũ ad Appium. Cognomina. Tullius pro Milone. Non vulgaria. Superlata. Pro Milone. Pro Archia Poeta. Pro Marcello. Pro Pompeio. Translata. Pro Milone. Ibidem. Pro Arch. Poeta. Pro Milone. Act. 1. in Catil. Pro Milone. Iterata. Tullius in Verrem. Pro Milone. In Verrẽ. Duplicata. In Verrẽ.

Digitized by Google

ritum impellitur, eiusque tanta vis est, ut quantumuis oratio reliquis omnibus constet, quibus ad animos permouendos apta redditur, nullius sit roboris, nisi vis actionis illam foueat, atque sustentet. Præclariores autem eloquentiæ antistites tria in actione spectanda iubent, vocem, vultum, & gestum, ad mouendos enim animos oportet vocem talem esse, qualem conditio causæ requirit; enimverò defensio vocem flebilem, vultum mœstum, gestum miserabilem, sed accusatio vocem intensam, & vehementem, vultum iratum, gestum minacem exposcit.

In partitionibus Oratorijs.

Quod autem in his summopere curandum breui oratione complectitur Tullius dicens: *Sed & in verbis, & in actione, causa erit tenenda, & pro re agenda. Nam hæc quia videntur perabsurda, cum grauiora sunt, quàm causa, diligenter ferè, quid quemque deceat, iudicandum est.* Egregiè profectò, non enim omne genus argumenti capax amplificationis est, quædam enim sunt argumenta, quæ nullo negotio deduci, fundique possunt; alia verò longe exiliora, quæ nullo orationis cultu splendorem possunt effundere; ad grauem enim amplificationem materia etiam vel re ipsâ, vel hominum saltem apud quos agitur, opinione grauis requiritur; grauiora igitur verba esse non debent, quàm causa postulet, nec actio ac pronunciatio vehementior esse debet, quàm rei, de qua agitur, conditio requirat, quam enim, dicebat Tullius, indecorum est de stillicidijs cum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis locisque communibus uti, de maiestate verò populi Rom. submisse, & subtiliter? omnibus igitur in rebus diligenter inspiciendum quid deceat.

Ad verborum splendorem pertinent adiuncta, hæc enim orationi splendoris plurimum afferunt, in quo summopere Tullius excelluit, si quis enim dicere velit se acturum de Cæsaris virtute, latinè quidem dicet, sed parum splendidè, longè siquidem illustrius Epithitis utens dicet se acturum de Cæsaris eximia, peneque diuina virtute, quemadmodum Tullius pro Lege Manilia de Pompeio loquens. *Dicendum est enim de C. Pompeij singulari eximiaque virtute.*

Verborũ & sententiarum idem penè significantium.

Verborum etiam, & sententiarum congeries idem pene significantium non parum orationem illustrant. Verba etiam talia sunt, quæ actionem imitantur, ut: *Nullus gemitus, nulla vox alia miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc; Ciuis Romanus sum.* Ita summam amplificandi vim habet, verborum congeries, hoc est, coaceruatio dictionum idem significantium, ut. *Verres totam Ciciliam depopulatus est, dicitur, Siculorum ciuitates vastasse, domos exinaniuisse, famã spoliasse.* Et aliæ similes verborum coaceruationes, quarum exempla innumera extant apud Tullium; & alios, ut illa apud Plautum: *Stulti, stolidi, fatui fungi, bardi, blenni, bucones.*

Ad verba consonantia quod spectat, considerandа sunt quæ sequuntur. Consonantiora sunt superlatiua, quàm absoluta; propterea Tullius orationem pro Lege Manilia exorditur superlatiuis pro absolutis utens. *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites.* Videas quæso quantum dignitatis amitteret huiusmodi principium, si pro superlatiuis absoluta adhiberentur hoc modo, *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester iucundus, hic autem locus ad agendum amplus, ad dicendum ornatus est visus Quirites.* Sunt etiam consonantiora verba, quæ non singulari, sed plurali numero efferuntur. Sunt itidem nomina verbalia consonantiora absolutis, ut *Vitæ Philosophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, & artium procreatrix*; consonantius dicitur, quàm si nominibus absolutis uteremur. Præterea verba composita maiorem habent consonantiam, & granditatem, ut contrucidare, consonantius est, quàm trucidare, constringere, quàm stringere, compellere quàm pellere. Amplius verba, quę pluribus syllabis constant, consonantiora sunt, quàm quæ pauciores habent, ut illustris, quàm clarus, candidus, quàm albus, tempestas, quàm tempus; insuper, quæ verba syllabas habent longiores, & numero pares consonantiora videntur, ut porto, quàm fero princeps, quàm primus.

Ad verborum grauitatem quod spectat, grauiora verba censentur, quæ maiorem bonitatis vim ostendunt; ut charitas, & pietas grauiora sunt verba, quàm amor & beneuolentia; item clementia, quàm lenitas, magnificentia quàm liberalitas. Tum grauiora, quæ maiorem vitiositatis vim declarant, ut latro, prædo, raptor, sacrilegus, quàm fur? impius, ac netarius, quàm improbus, profligator, quàm malus, carnifex, quam sicarius; parricida, quàm homicida.

Amplius, quæ maiorem nocendi vim obtinent grauiora sunt, ut mendicitas grauiùs sonat, quàm paupertas: exterminare, quàm eiicere: vulnerare, & ferire, quàm percutere: trucidare, quàm occidere. Periphrasis etiam ad orationis grauitatem spectat, quatenus verbis grauitas ipsa comparatur; verborum enim circuitu explicare, quod paucioribus absolui posset, grauem orationem reddit. Ad hoc idem, verba dissoluta conducunt, ut supra monuimus. Insuper & numerus grandior, quippè qui compositionem sublimem, ac magnificam efficit, ut idcircò Dactyli, Paeanes, & qui parùm distant ab ipsis, commendentur. Vitandus est frequens pedum quorumdam usus, cui usmodi sunt Spondæi, Iambi, Tribrachi &c. non fugiendus vocalium concursus, aut sonantium litterarum collisio, vnde cultus, & suauitas orationis, cuius potius asperior debet esse structura, itemque naturalis non fucata, nec nimis artificiosa, potiùs enim enitendum, ut ipsa veros indicet affectus.

Amplificatio rerum explicanda suscipitur.

In Partitionibus oratoris.

Superiùs cum Tullio iam dictum fuit amplificationem, ex verborum genere confici, & rerum; cum itaque de verbis, quæ vim habent amplificandi fuerit proximè disputatum, de rebus agendum superest, de quarum amplificatione loquens dicendi magister hæc habet; *Rerum amplificatio sumitur ex eisdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem, maximèque definitiones valent conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quæ sunt de causis orta, maximèque similitudines, & exempla; fictæ etiam personæ; multa denique loquantur.* Itaque Tullius locos undecim in præsentia recenset, qui in amplificatione sunt frequentiores maximamque vim mouendi animos habent; ubi definitionis nomine intelligunt Rhetores rei quamlibet explicationem, quæ aut ipsius rei naturam, aut partes, aut causas, & effecta, aut officia, & adiuncta continet, & ea vel propriis vocibus, vel translatis declarat; definitionum autem conglobatio summa ad amplificandum vim habet; siue vituperando insectari, siue ornare laudando velis, in utramque siquidem partem ab oratoribus consueuit usurpari; potest autem conglobata definitio per omnes locos

Primus locus.

com-

commodè fieri; per partes etiam possumus describere, per effecta, per accidentia per similia, per negationem; sed utcumque definitiones contextæ sint, conglobatio earum fieri poterit; talis est illa qua M. Antonius per amplificationem commendat Historiam: *Historia verò testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis:* vbi plures sunt historiæ definitiones ut patet. Item: *Ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret, quæ in tempestate sæua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis umquam sordibus obsolescit;* ubi virtutis plures conglobantur definitiones. Talis etiam est conglobatio illa, qua utitur Orator ad gloriam amplificandam: *Esse hanc unam quæ breuitatem vitæ, posteritatis memoria consolaretur, quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui viueremus, hanc denique; esse cuius gradibus etiam homines in Cælum videantur ascendere.* Item Curiæ incendium per definitiones conglobatas hunc in modum amplificat. *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium sedem ab vniuerso populo Romano confessam uni ordini inflammari, excindi, fi..estari.* Elegans est etiam illa Crucis definitionum conglobatio. *Crux totius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium copiosa largitio, salutis indicium, Sol iustitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, consolatio pauperum, frænum diuitum, euersio superborum, triumphus &c.* Aduertendum autem rarò admodùm ab Oratore definitionem ad amplificandum adhiberi, quæ genere constet & proprietate; cùm potiùs rei quælibet explicatio, ut nuper dictum fuit, tamquàm ad id idonea soleat vsurpari.

Secundo de Oratore.

Tullius pro Sext.

In oratione pro Milone.

Idem.

D. Chrysostomus in descriptione Crucis.

Annotatio

Secundus locus.

Secundus locus ex quo rerum amplificatio sumitur, tunc est, cùm frequentatio consequentium ponitur, nempè cùm ea congeruntur mala, aut bona, quæ consecutura sunt. Hic locus est singularis efficacitatis, ad virtutes, aut vitia exageranda, siue suadere siue dissuadere velis, cum ea nimirùm, seu bona, seu puta mala, commoda, vel incommoda sunt virtutem, aut vitiũ, aut rem aliam omninò ut plurimùm comitantia, seu consequentia enumeramus, ut: *Si (quod Iuppiter omen auertat) hunc vestris sententijs afflixeritis, quò se miser vertet domumnè, ut eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eamdem deformatam ignominiâ lugentemque videat? an ad Matrem? quæ misera modo Consulem osculata filium suum, nunc cruciatur &c.* Item: *Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum qui consequitur redundarint. Illa pestis immanis, importuna Catilinæ, prorumpet, quà poterit, & iam populo Rom. minatur, in agros subarbanos repentè aduolabit, versabitur in castris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omnia autem in sede, loco, ferrum, flammamque metuemus:* Item: *Constitue nihil opis esse in hac voce, Ciuis Rom. sum; Iam omnes Prouincias, iam omnia Regna, iam omnes liberas Ciuitates; iam omnẽ orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maximè patuit, Ciuibus Rom. ista defensione præcluseris;* Itẽ per hypotyposim: ut: *Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subitò uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros, atque insepultos aceruos Ciuium; versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra sede bacchantis.*

Cic. pro Murena

Cicero in Verrem.

Cicero 2. 4. in Verr.

At occasione eorum, quæ Tullius de frequentatione consequentium disputauit, quædam hac de re notatu digna in medium afferre iuvabit. Præstat tamen hoc ad calcem eorum quæ Tullius habet, differre.

Tertius locus.

Tullius pro Milone.

Pro L. Murena.

Tertius est locus cùm ponuntur contraria, dicturque contrariorum congeries ut: *Nec verò si mihi eriperis reliqua est illa tamen ad consolandum querela, ut his irasci possim à quibus tantùm vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi: non malè aliquando de me meriti, sed semper optimè.* Item: *Cedere patriâ seruatorem eius, manere patriæ proditores?* Item: *Habet magnum dolorem undè cùm honore discesseris, eodem cum ignominia reuerti.*

Quartus locus.

In Verrẽ.

Pro Sextio.

Pro C. Rabirio.

Quartus locus est cùm adhibentur dissimilia ut: *Sic habete Iudices plures à Syracusanis istius aduentu Deos, quàm victoria Marcelli homines esse desideratos:* Item: *Quid enim simile fuit in Q. Metello, cuius causam, etsi omnes boni probant, tamen neq; Senatus publicè &c.* Item: *Hic se popularem dicere audet, me alienum à commodis vestris cum iste omnes & suppliciorum, & verborum accerbitates non ex memoria vestra, ac Patrum vestrorum, sed ex annalium monimentis, atque ex Regum commentarijs conquiescit:* Item: *Sed ut hoc omisso ad studiorum, atque artium contentionem reuertamur; qui potes dubitare, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quam rei ciuilis gloria? vigilas tu de nocte &c.*

Pro I. Murena.

Quintus locus.

Act. 7. in Verrem

Quintus locus est à repugnantibus, præsertim cùm singula singulis opponuntur: ut: *Vide quid interfit inter tuam libidinem, maiorumque auctoritatem; inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum littoris Syracusanis ademerunt: tu maritimum imperium &c.* Item: cum multa conglobata multis conglobatis opponuntur: ut: *Tunè es ille quo Senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem Resp. desiderauit? &c.*

Pro dom. sua ad põtif.

Sextus locus.

Sextus locus est à causis desumitur. Hic autem amplificationis modus fit, cùm rem non nudam exponimus, sed etiam causas altiùs repetimus, & à quibus initiis profecta copiosè declaramus: ita quidem Tullius non contentus dicere Clodium insidiatum fuisse Miloni, id probat amplificando per conglobationem causarum; quia nimirùm sceleſtus Clodius fuit, quia Milonem odio prosequebatur, quia honores ambiebat, ad quos consequendos putabat Milonem sibi esse impedimento, & quia sperabat impunitatem. Ab eodem hoc loco desumit amplificationem ut ostendat, bellum de quo ibi loquitur, scatere quamplurimis difficultatibus, quia potentissimi reges illud coniungunt, agitatæ nationes renouant, gentes integræ suscipiunt, novus Imperator est, qui resistit. Elegans amplificatio causarum conglobationis fit à Tullio per admixtionem tamen allegoriæ, dum plures variasque causas iungit, propter quas multi ab eo facti essent alieni. *Cum verò, inquit, in hanc Reip. nauem ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum, ac discordiarum, armatæ tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursuræ viderentur; cùm proscriptio, cædes, direptio denuntiarentur: cum alij me suspicione periculi sui non defenderent: alij vetere odio bonorum incitarentur: alij inuiderent: alij obstare sibi me arbitrarentur: alij ulcisci dolorem suum aliquem vellent: alij rem ipsam publicam &c.*

Pro Milone.

Pro Lege Manilia.

Pro P. Sextio.

Septimus locus.

Act. 3. in Verrem.

Septimus est locus ab iis, quæ sunt orta de causis, quæ solent effecta vel euenta nominari, ut: *Nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines,*

Digitized by Google

nes, expugnabuntur domus, ciuitates non modo paratæ, verum etiam ſociorum, atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, ut ab ſe, atque à liberis ſuis, legati populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare
Philip. 2. *poſſint.* Item: *Doletis tres exercitus P. R. interfectos? interfecit Antonius: deſideratis clariſſimos Ciues? eos quoque vobis eripuit Antonius: auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius: omnia denique, quæ poſtea vidimus mala (quid autem mali non vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio.*

Octauus locus. Pro Arch. Poeta. Octauus locus à ſimilitudine deducitur, ut: *Saxa & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt, nos inſtituti rebus optimis, non Poetarum voce moueamur?* Item: *Iam diù in his periculis coniurationis, inſidiiſque verſamur: ſed neſcio quo pacto &c.* & paulo poſt ſubdit. *Vt ſæpè homines ægri morbo graui, cum æſtu, febrique iactantur, ſi aquam gelidam biberint primò releuari videntur: deinde multò grauiùs, vehementiuſque afflictantur: ſic morbus qui eſt in Rep. releuatus iſtius pœna, vehementius viuis reliquis ingraueſcet.* Quandoque pereleganter ex conglobatis pluribus ſimilitudinibus rem nouam colligimus, & hoc ad amplificandum magnam vim habet.

Act. 1. in Catil.

Nonus locus. Pro Archia Poeta. Nonus locus ab exemplis; quibus homines præſertim vulgares moueri ſolent: huiuſmodi autem eſt amplificatio Ciceronis: *Homerum Colophonij Ciuem dicunt eſſe ſuum, Chij ſuum vendicant; Salaminij repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant, itaque delubrum etiam eius in oppido dedicauerunt, permulti alij præterea pugnant inter ſe, atque contendunt; ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui & voluntate & legibus noſter eſt, repudiabimus?* Item: *Quamobrem uteretur eadem confeſſione T. Annius, qua Hala, qua Naſſica, qua Opimius, qua Marius, qua noſmetipſi.*

Pro Milone.

Decimus locus. Philip. 5. Pro Milone. Decimus locus à perſonis fictis, quæ græco nomine Proſopopœa nuncupatur, ut: *Hoc qui non videt: excors: qui non videt, decernit, impius; tu Ciuem ſceleratum, & perditum Gallorum & Germanorum exercitu, pecunia &c.* Item in oratione pro Milone; ubi Milonem ipſum ita loquentem inducit: *Valeant*, inquit, *valeant Ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati; ſtet hæc urbs præclara mihique patria cariſſima &c.*

Decimus primus locus. Act. 1. in Catil. Decimus primus locus eſt, cum muta loquentia inducuntur; ita quidem Cicero patriam inducit loquentem hoc modo. *Etenim ſi mecum Patria, quæ mihi vitâ meâ multò eſt carior; ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, Marce Tulli quid agis? tu ne eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futuri vide &c.*

Quatuor fontes amplificationis ex Fabio. Primus fons. Congeries duplex. Cicero in Piſonem. Ad ſuperiora reuertor. Amplificationis de qua loquimur, quatuor eſſe fontes uberrimos Fabius dicebat, nempè Congeriem, Incrementum, Ratiocinationem, & Comparationem. Præter ea quæ de congerie cum Tullio diximus, aliqua conſideranda occurrunt: Congeries bipartitò diuiditur; quarum una verborum, de qua ſupra multa diximus, altera ſententiarum; illa eſt, cùm plura verba idem ſignificantia congeruntur; hæc cùm orationes, ſiue ſententiæ plures eiuſdem itidem ſignificationis componuntur. Quandoque miſcentur, & utraque ſimul uſurpatur, ut celebris illa eſt apud Tullium. Hic enim in Piſonem ubi Piſonis inſaniam quibuſdam veluti ſynonymis oratione ſenſim creſcente plurimùm exagerat. *Ego*, inquit, *te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem, qui ſis auſus &c.* ubi etiam gradatio quædam interuenit. Sententiarum eſt elegans illa congeries, quæ legitur apud eumdem, ibidem. *Quos tu Mœandros, dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diuerticula, flexioneſque quæſiſti? Quod te municipium vidit? Quis amicus inuitauit? Quis hoſpes aſpexit? Nonne tibi nox erat pro die? Non ſolitudo pro frequentia? Caupona pro opido? &c.* Vide quàm egregiè ſynonymis rem Tullius exageret. Plura verò ſunt commoda, quæ huiuſmodi amplificationis genere conſequimur. Primò ſiquidem priora poſterioribus explicando, diſcutimus obſcuritatis tenebras, quibus res obuoluuntur. Deinde leniorem, ac modulatiorem orationem reddimus, in cuius exemplum Ciceronis illud afferri ſolet in Piſonem: *Non enim*, inquit, *nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Oculi, ſupercilia, frons, vultus, denique totus &c.* Tertiò ſic amplificando haud mediocrem orationi grauitatem afferimus, & granditatem conciliamus; nam quæ tractamus nos utentes hac arte, profectò cum orationis dignitate, cum graui verborum copia dicimus; etſi namque ferè eadem ſint, & ex una quapiam ſententia ſuam quaſi originem trahant, plura tamen putantur, eò quòd & aures, & animum ſæpè ſæpiùs feriant. Itaque ad inſtandum, vel exprobrandum crimen, hæc amplificandi ratio ſingularem vim habet; quod exemplo declarari ſolet ſatis accommodato, quale illud eſt apud Tullium. *Quid enim*, inquit, *Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus &c.*

Plura ſunt commoda huius amplificationis.

In Piſon.

Pro Q. Ligario.

Quòd ſi propriarum vocum copia deficiat, utendum eſt vocibus metaphoricis, vel allegoricis, nam hoc modo longè venuſtior amplificatio reddetur. Cauendum tamen Oratori ne in re quantumuis nullius momenti, amplificationem adhibeat, & ne in re graui pluſquàm par eſt amplificãdo urgeat; ſed ei curandum dumtaxat, quod paulò anteà dicebamus, nimirùm, ut, vel poſteriora verba, ſententiæque prioribus aliquibus claritatis afferant, vel plùs roboris, ac vehementiæ contineant, longèque acriùs auditorum animos commoueant, ac urgeant; & in hoc maximè Oratoris dexteritas elucet, præcipuè ſi curauerit, ut potius rerũ fiat congeries, quàm unius vocis multiplicatio: plùs enim valet ad aliquem infectandum criminandumque plura vitia congerere, quàm vitium unum pluribus nominibus appellare.

Anima uerſio.

Congeriei definitio num. Congeriei partium

De congerie, ſiue conglobatione definitionum iam ſupra dictum fuit. Sequitur congeries partium quæ procul dubio in re de qua agitur, pluris facienda eſt, cùm maximè latè pateat; nullum ſiquidem argumenti genus reperies, nullam ſententiam, nullamque propoſitionem, quæ cum ſit totum quoddam ſeu phyſicum, ſeu morale, ſuis non conſtet partibus, vel phyſicis, ac veris, vel moralibus, hoc eſt ratione diſtinctis: proindeque licet hinc amplificationem deducere; quæ ſiquidem in re quapiam confuſa ſunt, & quodammodo pluribus tricis implicata latent, amplificando omnium oculis exponimus. *Amplificare nanque nil aliud, quàm quæ latent in re, aut affinitatem habent cum ipſa, euoluere, explicare, ſubijcereque ſub aſpectum dicendo.* Ita quidem Cicero totum in partes diſtribuendo Catilinam urget, ut animos vehementiùs commoueat; *Rempub.* inquit, *Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſque veſtros &c.*

Amplificare quid. Tol. act. in Catil.

Eſt etiam cauſarum, & effectorum congeries quèadmodum comitantium, & conſequentium de quibus paulò ſuperiùs iam locuti ſumus, ubi & con-

congeriem contrariorum explicuimus; superest congeries adiunctorum in qua frequens, iuxta, ac plenissima amplificatio consistit ab omnibus, seu rerum, seu personarum adiunctis ac circumstantiis deducta: adiuncta autem sunt quæ cum re sunt coniuncta; sed hæc ternario numero comprehendi Rhetores non ineptè notarunt. Primò namque sunt adiuncta rei gestæ, ut locus, tempus, vestitus, comitatus: Secundò adiuncta animi, ut vitia, & virtutes. Tertiò adiuncta corporis; ut pulchritudo, deformitas, & robur. Sed Rectius tamen alij ternarium hunc numerum sic explicant, ut dicant triplex adiunctorum esse genus, & primum quidem eorum, quæ rem, & negotium præcedunt ut plurimum, nempè causæ, consilia, colloquia, iniuriæ, consuetudo, minæ, promissa, susceptum iter, aut demùm quicquid aliquo modo rem antecedit; secundum eorum quæ rem ipsam comitantur; ut locus, tempus, occasio, modus, facultas, siue instrumenta, & id genus alia; tertium eorum quæ tempore, vel ordine posteriora sunt, quæ videlicet rem gestam subsequuntur; ut rubor, pallor, incessus titubans, frequens anhelitus, hæsitatio, & alia conturbationis signa; insuper ignis extinctus, gladius cruentus, & alia huius generis. Hinc Tullius amplificat vomitum Antonii; videlicet ab adiunctis, qualia sunt persona, locus, tempus, circumstantes hoc modo: *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Rom. conspectu, vomere postridie*; & ut robustiorem amplificationem reddat exclamationem addit; *Orem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! si inter cœnam &c.*

Adiuncta quid.

Phil. 2.

Secundus fons erat incrementum per quod amplificatio fit, cum oratio gradatim crescit, & ad summum peruenit: à congerie autem differt, quòd hæc satis habeat plures, aut voces, aut sententiam ad idem propositum colligere; incrementum autem est quo oratio crescat oportet; quod gemino fit modo; primò cum in orationis cursu aliquid semper sequitur antecedente grandius; ita Cicero; *Vt non modo clam, verùm etiam hic in foro ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint.* Primus enim, & infimus gradus est *clam*; alter *in foro*; tertius *ante Tribunal*; quartus *ante pedes*; quintus atq; summus *inter subsellia*, quod etiam ab aliis adnotatum fuit. Huc pertinet illud eiusdem, in lib. de Senectute; *Contemni se putat, despici, illudi.* Secundo fit non modo clarius, & apertius, sed etiam efficaciùs, cùm singulos diuidimus gradus, & in singulis hæremus; atque ea, quæ, utpotè minora, in inferiori sunt gradu, magna facimus, ut quod postremo constituitur loco, maximum esse videatur; frequentia sunt exempla apud Tullium, è quibus illud vulgatum. *Facinus est vinciri Ciuem Rom. scelus, verberari; propè parricidum, necari; quid dicam in Crucem tolli?* Quatuor tamen fit modis; Primò cum ad summum aliquod ascenditur, aut descenditur ad infimum per quosdam gradus; itaut prima perpetuò repetita posterioribus tanquàm gradus quidam substernantur. Hoc incremento utitur Cicero dum ait: *In Vrbe luxuries creatur; ex luxuria, existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera, ac malificia gignuntur.* Eandem adhibet dum studet ostendere Milonis consilio factas Clodio insidias non fuisse: *Quod si non satis cernitis, cum res ipsa tot tam claris argumentis, significque liceat, purâ mente, atque integrâ Milonem, nullo scelere imbutum &c.*

Secundus fons.

Pro Rosc. Amerino.

Act. 7. in Verrem.

Pro Rosc. Amerino.

Pro Milone.

Secundò modo fit cum quæ leuiora initio subiiciuntur, & semper grauioribus ad summum ascenditur prioribus non repetitis. Ita Cicero. *Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserus iniuriâ; accerbum est ab aliquo circumueniri; accerbius à propinquo &c.*

Pro Quinctio.

Tertiò fit cum per quasdam suppositiones res in maius quidpiam euehitur, nempè cùm aliquo admisso, reliqua supponuntur semper fieri per incrementum, ut: *Si magni facias Cæsarem quod inimicorum iniurias neglexerit; quid si despexerit? Quid si illuserit? &c.*

Quartò fit etiam cum nosmetipsos interrogamus num satis res excreuerit, vel ostendimus nondùm satis eam ascendisse; ut si quis diceret de Verre loquens: *Quid ad extremum de eius animi peruersa indole dicam? Qui adeo est odio Ciuem Rom. prosecutus, ut pro nihilo habuerit illum vinciri; non ne diceres ipsum barbarie feris animantibus antecellere? Leue est: curauit eum verberibus castigari, variisque modis torqueri: ne dùm satis? quid si dixero ab eo curatum fuisse ut tolleretur in crucem?* Caue tamen ne nimis artem affectare videaris; imitandus est Tullius, qui præceptionibus hisce mirum in modum instructus, artificium dissimulare quàm optimè nouit dum de Verre loquens ait: *Verum esto: si tibi illud liberum omne tempus, quoad cum imperio fuisti. Etiamne priuatus? Etiamne reus? Etiamne penè damnatus? Hostium duces &c.*

Tertius fons.

Tertius Fabii erat fons ratiocinatio, cum ut unum crescat, alterum augetur, adeò ut ad id quod extolli cupimus, ratio deducatur; talis esset amplificatio si Alexandri virtutes laudibus prosequeremur ad ostendendum clariores esse illas, quibus Darius florebat; qui ab eo superatus fuit.

Quartus fons.

Postremus erat fons comparationis, quâ diuersa inter se, & minora cum maioribus conferuntur, non tantùm ad rem comprobandam quem in modum sæpè sæpiùs arguendo ex minoribus maiora colligimus, sed ad exagerandum, ac dilatandum atque maiorem vim explicandam; exemplis igitur utimur, atque comparationes instituimus, ut id, quod commendare studemus, ex comparatione cum altero inferioris notæ præstantius esse videatur; talis est amplificatio apud Tullium ex circumstantijs virtutum, & vitiorum comparatione facta inter Cassium, Cæsarem, & Clodium. *Quæso, inquit, Pontifices, & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat summa modestia, grauitate Censor, hic Tribun. pleb. scelere & audacia singulari; tempus illud &c.* Eâdem amplificandi ratione utitur, dum ait: *An verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex Maximus T. Gracchum mediocriter labefactantem, statum Reipub. priuatus interfecit? Catilinam orbem terræ atque incendijs vastare cupientem, nos Consules perferemus?*

Pro Domo sua.

Act. 1. in Catil.

Nunc ad Ciceronem reuertor, qui pergit, dum ait. *Omninoque ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur, quorum est duplex genus. Alia enim magna naturâ videntur, alia usu: naturâ, ut cælestia ut diuina, ut ea, quorum obscuræ causæ, ut in terris, mundoque admirabilia quæ sunt, ex quibus, similibusque si attendas, ad augendum permulta suppetunt.*

In partitionibus oratoriis.

Docet hoc loco Cicero, quod superiùs insinuatum à nobis fuit; videlicet non omne genus argumenti capax amplificationis esse; cum nonnulla mirificè nata sint ad incrementum, & ita se habeant, ut si vel digito leuiter studeas attingere, confestim suapte natura fundantur, quam rationes molioris diffusionis firmitèr implicatas in se cohibeant. Alia verò ex aduerso

Non omne genus argumenti amplificationis est capax.

Digitized by Google

uersò sunt adeò tenuia, ut vix Oratoris conatu patiantur expoliri, fulgidisq; luminibus artis illustrari; hęc itaq; talia sunt, ut nulla sit tàm operosa industria, quæ illa possit extollere; quamobrem causarum non una quidem est ratio, cùm aliæ sint pressæ, ac humiles, quæ tenui stylo tractandæ sunt; aliæ mediocres, quæ temperatum, æquabileque dicendi genus exposcunt: aliæ tandem præstantes, atque sublimes, quibus ea congruunt, quæ magna sunt; hæc autem Tullius, si causa patitur, iubet semper adhiberi, quæ duplicis vult esse generis, nempè alia, quæ propter suam naturam esse magna videntur: alia quę propter usum. Prioris generis ea sunt, quæ mortalium animis non exiguam admirationem ingerunt, cuiusmodi sunt cęlestia, nimirùm quæ in cælo nascuntur, ut tonitrua, tempestates, cometæ, capræ saltantes, lampades, parelii & id genus alia; præterea diuina; ut aruspicum responsa, vaticinationes, oracula, & quorum sunt obscuriores causæ, ut terræ motus, eiusdemque hiatus, monstra, prodigia, portenta, Solis, Lunæque deliquia, & alia insolita. Quæ igitur magna sunt ad tria reuocantur capita, cælestia videlicet, diuina, & quorum obscuriores sunt causæ; & hæc maximè possunt amplificatione tractari, quæ naturâ esse magna dicuntur. Aliud genus ex Tullio eorum est, quæ propter usum dicuntur magna, de quibus hæc habet. *Vsu, quæ videntur hominibus aut prodesse, aut obesse vehementiùs, quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam, aut caritate mouentur homines, ut Deorum, ut patriæ, ut parentum: aut amore, ut fratrum, ut coniugum, ut liberorum, ut familiarium: aut honestate, ut virtutum, maximèque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent.* Explicatis iis, quæ naturâ sunt magna, nunc declarat ea, quæ talia sunt usu, dicens esse, quæ vel magnam utilitatem, vel magnum detrimentum hominibus, afferre possunt, & quidem, utilitatem, si retineantur, & obseruentur: detrimentum verò si contrarium fiat. Tria docet, plurimùm ad amplificandum valere, primò caritatem, hoc est pietatem, quæ quatenùs erga Deos exercetur; propriè religio dicitur; erga verò patriam, & parentes, pietas nuncupatur. Si igitur Orator visus fuerit tractare quæ ad immortales Deos, quæ ad patriam, quæ ad parentes pertinent, in iudicum, & auditorum animis non vulgaris affectuum permotio fiet. Deinde ait amorem, & honestatem ad idem conducere. Dum vero subdit. *Ex ijs & cohortatione, sumuntur ad ea retinenda, & in eas à quibus ea violata sunt, odio incitantur, & miseratio nascitur.* Docet usum magnarum rerum, quas hactenus exposuit; non enim satis habuit eas declarasse, sed operæ pretium existimauit Orator em instruere præceptis, quibus in amplificando res magnas tractare possit; primò namque docet illas valere ad cohortandum, & inflammandum ut earum habeatur ratio, summâque cura, diligentiâq; retineantur; valere itidem ad concitandum odium in illos, qui res huiusmodi violare ausi sint, atque adeò ad miserationem excitandam; nam ex his miseratio nascitur. Et ut prædictarum rerum cumulatiùs declaret usum, prosequitur dicens: *Proprius locus augendi in his rebus, aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tàm miserabile, quàm ex beato miser. Et hoc totum quidem moueat, si bona ex fortuna quis cadat, & à quorum caritate diuellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breuiter. Citò enim arescit lachryma, præsertim in alienis malis.* Cùm ergo Orator animos mouere vult, recensere debet omnia mala in quibus ille sit constitutus, pro quo miserationem excitare desiderat exponendo prosperam fortunam à qua deciderit, à quibus diuellatur, quæ sint illa quæ amittat, aut quæ iam amiserit, quæ mala perpetiatur, aut postea sit perpessurus; hoc enim miserabile est, *cum nihil sit miserabilius, quàm ex beato miser*, quod propterea representando summam Orator in auditorum animis miserationem excitabit, rectè autem aduertit horum expressionem quàm breuissimè fieri debere, quoniam lachrymæ diù durare non solent, nam lachryma, ut dixi, nihil arescit citiùs; præsertim ob aliena mala. Cum autem docuisset quæ in amplificatione sint amplectenda, ut explicet quæ sint fugienda, subdit: *Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia, hic autem locus grandia requirit.* Præcipit ne in amplificando omnia recenseamus, nec de singulis commemorandis sollicitì esse velimus, quoniam amplificatio tantummodo magna desiderat, sed diligentia, minima etiam persequitur, ideoque qui diligens est, minutiora quoque sectari debet, quod potius in narratione, & confirmatione faciendum. Quæ autē Cicero prosequitur apud eumdem videri possunt.

In partitionibus oratoriis.

Quæ magna sunt usu.

Figurarum etiam in amplificando summa est habenda curâ, quoniam hæ plurimùm ad amplificationem conducunt; præsertim Hypotyposis, seu Descriptio, quæ vel est rerum, vel personarum; quibus passim utitur Tullius: ut pro Roscio Amerino. *Nonne vobis hæc quæ audistis cernere oculis videmini Iudices? Non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem à cœna videtis? Non positas insidias? Non impetum repentinum? Non verfatur ante oculos &c.* Item in Pisonem. *Erant illi compti capilli, & madentes, cincinnorum fimbriæ, & fluentes, ceruſſataque buccæ, dignæ Capua &c.* Item actione prima in Catilinam. *Quid est Catilina? ecquid? attendis, ecquid? animaduertis horum silentium? patiuntur, tacent: quid expectas &c.* Item act. secunda. *Iacet ille nunc prostratus Quirites, & se perculsum, atque abiectum esse sentit* &c. Ibidem. *Hos quos video volitare in foro: quos stare &c.* Prosopopœia splendidissimum est augendi lumen, atque magnum eloquentiæ decus, cum insuadendo, quærendo, obiurgando, miserendo plurimùm valeat, sed maximè in laudando, ac amplificando, ut idcircò nō semel illam Tullius usurpet; ita quidem pro M. Cœlio. *Exístat igitur, ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimùm Cæcus ille; minimum enim &c.* & actione primâ in Catilinam. *Etenim si mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multo est charior; si cuncta Italia &c.* Splendida est etiam illa exclamatio, quam habet pro P. Sextio. *O diem illum, Iudices, funestum senatui, bonisque omnibus, Reipublicæ luctuosum, mihi ad domesticum mœrorem grauem, ad posteritatis memoriam glorioſum!* Apostraphe quoque in amplificatione plurimum valet. Tullius actione prima in Catilinam. *Quousque tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ? quamdiu nos etiam &c.* Et pro M. Cœlio. *Proh Dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conniuetis, aut præsentis fraudis pœnas in die reseruatis?* &c. & pro Ligario. *Quid enim Tubero distinctus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* &c.

Pro Sex. Rosc. Amerino n. 98. N. 25. N. 30. N. 6. N. 51. Pro P. Sext. n. 27. Act. 1. in Catil. in. Pro M. Cœlio. Pro Ligario n. 5.

Interrogatio etiam figura est in amplificationibus maximè usurpanda; solet autem in laudationibus, in vituperiis, votis, desideriis, & aliis huiusmodi motibus exprimendis adhiberi; & præsertim ad aduersarium urgendum, ut apud Tullium. *Quid enim*

Act. 2. in Catil.

Digitized by Google

enim mali, aut sceleris fingi? aut excogitari potest? quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum &c. Sic etiam Obsecratio, Optatio, & aliæ huius generis figuræ plurimùm in amplificando proficiunt. Duo porrò sunt amplificationis genera, prout gemino modo amplior potest oratio fieri; primum græcè dicitur αὔξησις, *incrementum*; alterum δίωσις, *exageratio*. Commune est utrique ampliorem orationem reddere; hoc tamen differt inter ipsas, quòd αὔξησις, est amplificationis forma tumens admodùm, latèque subsultans, multum diffusionis, ambitiosiq; circuitûs habens; at δίωσις pressioribus illigata rationibus, & validioribus argumentis innixa, non tam verbis, quàm rerum adiunctis, atque ponderibus amplam, atque magnificam orationem reddit. Prioris generis amplificatio noui plerumque nihil affert, quin potiùs unum, ac idem sententiarum variis luminibus illustrat, & in eodem perseuerans amœnioribus id figuris decorat: sed posterioris generis amplificatio paucis quandoque rem in supremam extollit magnitudinem, sublimi quadam exagerationis formâ, quatenus varijs adiunctis, diuersis epithetis aliud, atque aliud significantibus, utitur; eademque, tanquam validissima tela frequenter immittit; Exemplum prioris generis afferri solet amplificatio, quâ utitur Tullius act. 7. in Verrem, ubi habet. *In Tricalino quem locum fugitui iam ante tenuerunt. Leonide cuiusdam Siculi familia in suspicionem vocata est &c.* usque ad illa verba; *Quis dubitet, quin seruorum animos &c.* Et reuera hæc fusa, videtur admodum amplificatio; ut non immeritò ad primum è duobus superioribus generibus pertinere dici debeat. Sed posterioris generis, ut omittam illam celebrem Demosthenis, præcipuè censetur illa, quæ apud Ciceronem legitur oratione pro A. Cluentio, ubi habet. *Vestramque simul Iudices æquitatem, & mansuetudinem, una mater oppugnat; at quæ mater? quam cæca crudelitate &c.*

Vtra sit præstantior amplificationis ratio, adhuc sub Iudice lis est; alia enim alijs arridet magis. Mihi tamen summoperè probatur illa, quæ nec serpit humi, nec nimia verborum pompâ luxuriat; adeòut non modò rem proprijs verbis, crebris sententijs, atque nouis adiunctis exponat; sed etiam varijs figurarum luminibus collustrat: cuius generis apud Oratores, & præsertim apud Tullium, videri possunt exempla.

Quanuis enim amplificatio, quam magni faciendam diximus, utpotè nec nimis fusam, nec nimis constrictam, nonnihil orationem prolixam reddat, non propterea solius breuitatis causa ab ea declinandum, ieiunèq; dicendum. Breuitatem summoperè custodiendam nemo ibit inficias, si tamen causa ipsa permittat, alioquin ut ille dicebat, præuaricatio est transire dicenda; quemadmodùm cursim, & breuiter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda; *nam*, ut idem asserebat, *plerisque longiori tractu, vis quædam, & pondus accedit; utque corpori ferrum, sic oratio animo, non ictu magis, quàm morâ imprimitur*. At verò nequit hoc commodiùs, quàm per amplificationem fieri, quæ quo magis culta, magis etiam placet, si non omnibus, saltem quamplurimis, vel magna quidem parte, quo debet Orator esse contentus, quandoquidem varia sunt hominum iudicia, ut ingeniorum variæ sunt formæ, diuersæ itidem voluntates; quot enim homines, tot sententiæ, & suus cuique mos est; ita fit, ut qui causam eandem simul audierunt, sæpènumerò diuersum nonnunquam idem, sed ex diuersis animi motibus sentiant; de his tamen non oportet Oratorem nimis esse sollicitum, nam scitè Lyricus

——neque te ut miretur turba labores Lib. 1. Sat. 10.

Scitè inquam,

Nam doctis placuisse viris, non ultima laus est.

Nemini autem dubium quin futurum, ut hominibus emunctæ naris, oratio lata, & magnifica, variis amplificationibus exculta, longè magis placeat, dummodo in ea sit modus, quàm amputata, & ornatibus destituta. Sed ad ornatum summoperè facit frequens troporum, & figurarum usus, de quibus iam supra locuti sumus, quatenus his utens Orator egregiè potest amplificando grandem eloquentiam reddere, & vehementes affectus, & latera, & spiritum commouere; si tamen à Longino edoctus, id per ἐπίβασιν faciat, & veluti sensim per scalarum gradus, ad maiora quidem ascendat; nam ut hoc nihil melius, ita nihil deterius, quàm à grauioribus ad leuiora descendere; hoc enim modo ardens flamma priùs in auditorum pectoribus accensa, tamquàm destituta pabulo restinguitur. Tametsi autem præcipuæ sunt figuræ illæ non multò anteà commemoratæ, quibus amplificatio perficitur, reliquæ tamen orationis haud mediocri splendori sunt, & ornamento; quod ut melius intelligas, breuiter earum usum subiiciam, exordio ducto à Tropis.

Troporũ usus.

1. Metonymia quidem adhiberi potest, vel in laude, vel in vituperatione, vel etiam cum res inanimis oculis subiiciẽda est. 2. Ironia ut tropus potest usurpari cum aliquem irridemus, aut cum, ne aduersaria argumenta valeant, ea volumus in risum conuertere; quod multis fit modis. 3. Metaphora quamplurimùm ad laudem, vel ad vituperium conducit. 4. Allegoria ad delectationem facit. 5. Epitheton mirùm in modum orationem exornat, si rebus, & nominibus accommodatum fuerit. 6. Synedoche, ut tropus est, pro multiplici sui usurpatione varijs modis orationem decorat. 7. Hyperbole usurpatur, vel ad aliquid augendum, vel minuendum, tàm in laude, quàm in vituperio. Reliqui autem Tropi, ut Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis, &c. nihil peculiare habent.

Figurarũ usus quæ per additionem.

Ad figuras quod attinet, usus earum, quæ per additionem fiunt, talis erit. 1. Conuersio momenti plurimum ad motum excitandum habet. 2. Quemadmodùm & Repetitio, quæ etiam ad vehementiam orationis facit. 3. Et Complexio, de quibus suo loco egimus. 4. Conduplicatio, vel ad vehementiam, vel ad suauitatem orationis conducit. 5. Synonimia orationi grauitatem, & acrimoniam confert. 6. Polysynteton ad instandum, & urgendum conducit. 7. Gradatio ad venustandam orationem, vel ad eius vim augendam adhibetur.

Figurarũ usus quæ per detractionem.

Figurarum usus, quæ per detractationem fiunt, talis est.

1. Synedoche prout figura, vel ad orationis ornatũ, vel ad aliquem affectum permouendum facit. 2. Dissolutio vim orationis, eiusdemque concitationem auget. 3. Adiunctio vehementiorem orationem reddit.

Vsus figurarum quę per similitudinem vocum.

Figurarum usus, earum scilicet quæ fiunt per similitudinem, hic est.

1. Paranomasia, vel ad delectandos auditores, vel ad aduersarium pungendum facit. 2. Homœoteleuton quammaximam suauitatem orationi conciliat. 3. Antitheton urget, & delectat. 4. Commutatio urgendi causa adhibetur. 5. Correctio in eumdem finem usurpatur. 6. Dubitatio adhibetur, vel ad ali-

Digitized by Google

quid remouendum; vel ad liberiùs id dicendum, ita tamen, ut id asserere non videamur. 7. Similiter desinens delectat, & ad periodi numerum plurimum habet momenti.

Vsus figurarum quæ sunt sententiarum

Figurarum usus, quæ sunt sententiarum, talis erit. 1. Interrogatio in laudationibus, vituperiis, deliberiis, & aliis huiusmodi motibus commodè potest adhiberi. 2. Responsio vim eamdem ac interrogatio habet. 3. Subiectio plurimum exornationis affert orationi, atque præcipuus est eius usus ad amplificandum, vel in laude, vel in vituperio, vel etiam ad aliquid urgendum, suadendum, vel dissuadendum. 4. Correctio cùm inter figuras sententiarum locum habet ad urgendum non mediocriter valet. 5. Occupatio, seu Prolepsis præsertim in exordiis, deinde in refutationibus, & probationibus locum sibi arrogat. 6. Dubitatio opportunè adhibetur, cùm ad exagerandum præstat auditorum animos tenere suspensos; valet etiam in contemptionibus, & ad laudem & vituperationem conducit; item usurpatur occasione timoris & doloris, & non rarò etiam hortationis. 7. Communicatio adhibenda cùm expedit ostendere confidentiam, quam in nostra habemus causa, & aduersarium refellere nitimur. Vsurpatur etiam ad fidem faciendam, & ad iracundiam cohibendam, ad commiserationem, & admirationem excitandam. 8. Prosopopœia in suasionibus, laudationibus, obiurgationibus non incommodè potest adhiberi. 9. Apostrophe Oratori est usui ad urgendum aduersarium, vel increpandum, insuper ad laudandum, & vituperandum, cohortandum &c. Et præcipuum habet in amplificationibus usum, ut superiùs notauimus. 10. Hypothyposis valet ad describendum, narrandum, amplificandum, & exornandum. 11. Aposiopesis, seu Reticentia, præcipuè solet in motibus iracundiæ, sollicitudinis doloris, molestiæ, &c. adhiberi. 12. Ethopœia, ad ornandum, & ad motus varios excitandos maximè valet. 13. Emphasis, ad exagerandum, siue in laudem, siue in vituperium, plurimùm confert. 14. Sustentatio, sæpè in exordijs, præcipuè verò in narrationibus, & nonnunquam ad rem exagerandam, siue in laudem, siue in vituperium solet adhiberi, quandoque expedit ipsam ad rem imminuendam, usurpare. 15. Prætermissio potest in transitionibus, in exagerationibus, in obiurgationibus habere locum; eius etiam est usus, cum id quod dicimus, parum decoris habet, & cum suspicionem rei mouere contendimus; conuenit etiam illam adhibere, hoc est maximè dicere ea, quæ nolle nos dicere fingimus in consultationibus, cum argumenta minoris momenti sunt. 16. Licentia valet ad minuendam inuidiam, Orator enim pro suo iure, dicèdo aliquid apud eos, quos metuere deberet inuidiam imminuit facti, quod liberè prædicatur. Vsurpatur etiam ad minitandum, ad inducia ostentandam, ad insultandum aduersario &c. 17. Concessio usurpari à nobis solet cùm nostræ causæ confidimus, & aduersarium contemnimus. 18. Parenthesis quàmmaximè facit ad rem magis explicandam, rationemque breuiter subijciendam. 19. Ironia prout figura, vim eam habet, quam supra diximus. 20. Permissio, quæ certè à concessione distinguitur, nàm concessio est in qua ferre aliquid, vel concedere videmur; permissio verò in qua cum fiducia aliquid permittimus, quando vel nobis, vel auditoribus, vel iudicibus confidimus, nec mali aliquid vereri nos ostendere volumus. 21. Deprecatio, siue Obsecratio figura est quam usurpamus, cum alterius ope nos indigemus, vel motum aliquem, siue timoris, siue audaciæ nitimur temperare. Locum etiam habet in admonitionibus, hortationibus, aliisq; motibus excitandis &c. 22. Optatio vim habet ad dolorem, timorem, spē &c. significandam. 23. Execratio, siue Imprecatio valet ad odij, & indignationis motus excitandos. 24. Epiphonema, siue Acclamatio adhiberi solet in admiratione, & plurimùm valet ad commiserationem excitandam. 25. Exclamatio, rei alicuius præclaræ terminus est, & ad indignationis, misericordiæ, iracundiæ motus commouendos egregiam, ac singularem vim habet.

Dimissionis ratio quando perficienda.

Hactenùs amplificationis formam exposuimus, quam si quis probè nouerit, nullo ferè labore diminutionis rationem intelliget, quod forsan in causa fuit cur dicendi magistri nihil, aut parùm, de diminutione attingerint; enimverò cui perspectum fuerit quanam arte possit argumentum extolli, eidem planè constabit quomodo deprimi queat; & hæc de arte dicendi; nunc de Poetica.

Dissertationum Rhetoricarum Finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONES
POETICÆ
RATIONALIS PHILOSOPHIÆ
PARS TERTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI RENALDINII

DISSERTATIONES POETICÆ

Rationalis Philosophiæ

PARS TERTIA.

DISSERTATIO PRIMA

De Natura Poetices.

EXplicatis hucusque duabus prioribus rationalis Philosophiæ partibus Dialecticâ, & Rhetoricâ, tandem, fauente Deo, ad postremam scilicet Poetisen peruenimus, quæ quanuis copiosè tractanda foret, paucis tamen cogimur illam perstringere, ob causam non semel traditam. Breuiter igitur attingemus ea, quæ sunt magis huius artis præcipua; primòque de natura ipsius disseremus, ordine seruato, quem initio statuimus nonnullis prætermissis de quibus in dicendi arte disputauimus; quod immeritò factum ne putes, quoniam Ars Oratoria, & Poetica germanæ sorores perhibentur; Omnis eloquentia, dicebat Fabius, aliquid commune habet; quod inditio est eas esse, quas diximus, etsi non eodem tempore ortas, cum oratoria vetustior habenda sit: quanuis enim admittatur libros carmine priùs, quàm oratione solutâ scriptos apud Græcos fuisse; non tamen id de cæteris gentibus concedendum; nec subinde putandum priùs carminibus homines locutos quàm oratione solutâ: quid enim magis à veritate videri potest alienum, quàm priùs hominibus perspectam fuisse rationem poeseos, quàm solutæ orationis? Cumque triplex statuenda sit cura sermonis, videlicet ut sit emendatus, ut ornatus, ut modulatus; quis est qui non intelligat in his eum esse ordinem, ut emendatio ornatum, & hic modulationem præcedat? & prior Grammatici labor, quàm Rhetoris, & huius quàm Poetæ esse debeat? Quamobrem soluta oratio carminibus illigata, ut naturâ, sic tempore antecedit, quæ propterea utrique communia sunt, ibi tractanda erant, ubi de oratione soluta disputandum fuit. Nec putes negotij quidquam facescere, quod Strabo dicebat, ut ligatam orationem solutâ vetustiorem esse probaret, nimirum Καὶ ἐντὸ ὃ τὸ πεζὸν λεχθῆναι τὸν ἄνευ τοῦ μέτρου λόγον. ἰμφαίνει τὸν ἀπὸ ὑψους τινὸς καταβάντα τῷ ὀχήματι εἰς τέδαφος. Etiam illud quod oratio dicatur pedestris, argumento est, orationem sublimi, & quasi vehiculo descendisse ad imum. *Strabo enim ineptè concludebat, cum non magis quod ipse intendit, quàm oppositum sic arguendo cuique liceat colligere.*

C. Operis continuatio.

Lib. 10. cap. 2.

SECTIO PRIMA.

Poetices, Poetæ, item Poeseos, & Poematis nomina explicantur. Et quid singula sint, declaratur.

Poetica unde dicatur.

FAcultas, ut à nomine ducam initium, quæ græcè ποιητικὴ, latinè Poetica dicitur, à verbo ποιέομαι, vel ποιῶ, quod est facio, à quo etiam Poetæ nomen deducitur; constat enim poetas dici ἀπὸ τῦ ποιεῖν, quod est *facere*, vel *fingere*. *Poetica verò quum & speciosius quæ sunt, & quæ non sunt, eorum speciem ponit, videtur sanè res ipsas non ut aliæ, quasi Histrio, narrare, sed velut alter Deus condere*, ut vir egregius dicebat, *unde cum eo commune nomen ipsi non a consensu hominum, sed à naturæ prouidentia inditum videatur*. Et cum Græci sapientes commodissimè nomen illud παρὰ τὸ ποιεῖν effinxissent; miratur maiores nostros, sibi tam iniquos fuisse, ut factoris vocem, quæ illam exprimeret, maluerint olearíorum cancellis circumscribere; & quoniam plerisque verbum ποιῶ est *fingo*; idcirco iisdem Poeta est fictor. Sunt igitur, qui putant Poetæ nomen non unius esse notionis, quemadmodum nec verbum, à quo deducitur, quamobrem aliquibus Poeta est factor; aliquibus autem fictor; & quidem factor, eoquòd Poeta is est, qui Poeticam artem callet; at verò Poetice, huius sententiæ fautoribus, ars est conscribendorum versuum. Fictor autem Poeta dicitur, quoniam ars, à qua Poeta denominatur, docet effingere, unde Poeta fictor dici debet; exquisitius tamen hæc explicari non possunt, nisi diligenter inquiratur, in quo huius artis natura posita sit. Interim exploratum id esse debet, nimirum à quo fonte Poetices, & Poetæ nomen deducitur, ab eodem quoque Poeseos, & Poematis nomen deriuari. Superest, ut sigillatim quid hæc omnia sint, paucis explicemus.

Iulius Cæsar Scaliger Lib. 1. Poetices Cap. 1.

An Poeta à faciendis versibus, an à fingendis fabulis dicatur.

Admisso autem Poetas dici ab eo quòd est facere, vel fingere, celebris est controuersia, utrum Poetis à faciendis versibus, an à fingendis fabulis nomen inditum sit. Si Platonem audieris, facilè intelliges posteriorem sententiam ei probabiliorem visam fuisse: nam aliquando dixit, ποιητὰς δεῖ ἥπερ μέλλοι ποιητὰς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' ἐ λόγους. *Si debet esse poeta, fingere fabulas, sed non sermones*; in quo Stagirites, magistrum secutus, dicebat imitationem esse poeseos animam: & Empedoclem, qui de rerum natura carmine scripsit, Philosophum magis quàm poetam esse; nec Erodoti historiam poema futurum, si carminibus explicaretur; quantumuis enim poeticis numeris illigata, adhuc esset historia; à quibus nō dissentit Plutarchus, quippè qui iudicat Empedoclem, & Parmenidem in Physicis, Nicandrum in Theriacis, Teognidem in sententiis moralibus non poema sed carmen condidisse; à Poetis verò numeros mutuò accepisse, ut styli pedestris humilitatem declinarent: ait enim, θυσίας μὲ ἀχόρυς, ἢ ἀναύλυς

Plato in Phædone

ἱερὰ, καὶ ὅσια δὴ ἄμουσον, καὶ ἀψυχῆ ποιοῦσιν. *Sacrificia nouimus choris & tibijs carentia; Poesin verò fabularum, & figmentorum expertem non nouimus.* Itaque poeticen appellat, τέχνην μιμητικὴν, *artem imitatricem*; ex vulgi sententia addens, ζωγραφίαν δ' εἶναι φθεγγομένην τῷ ποιεῖν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τῷ ζωγραφίᾳ. *Picturam esse poesin loquentem: poesin autem tacitam picturam.*

In arte poetica Cap. 7.

Ad controuersiam tamen diximendam crediderim non meliùs dici posse quàm longè aliquid præstantius in poeta desiderari quàm metrum, cum solùm hoc haud illum posse constituere videatur: nam rectè Stagirites, ὁ γὰρ ἱστορικὸς, καὶ ὁ ποιητὴς τῷ ἢ ἐμμέτρους λέγειν, ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν. *Historicus enim & poeta non propter hoc inter se differunt, quòd metrica, vel non metrica proferant.* Non enim Historicum, atque Poetam carmen, & soluta oratio declarant: nam ut ipse subdit, εἰ γὰρ ἂν τὰ Ἡροδότου εἰς μέτρα τεθείη, οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία τις μετὰ μέτρου, ἢ ἄνευ μέτρων. *Liceret enim, quæ sunt Herodoti, in metris ponere, & nihilominus esset Historia quædam, cum metro, ac sine metro.* Vtriusque verò differentiam declarat dicens: ἀλλὰ τούτῳ διαφέρει, τῷ, τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν. *Sed hoc differunt, quod hic quidem res gestas,* ille ut geri potuerunt, *exponit*; hinc verò concludit, διὸ καὶ φιλοσοφώτερον, καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστὶν *Quamobrem & sapientius, & præstantius quidpiam poesis est, quàm historia.* Itaque ex Philosophi sententia metrum haud poetam constituit, nam in hoc longè quidpiam præclarius ac augustius requiritur; quod cum aduerteret Lyricus cecinit.

Horatius lib. 1. Sat. 4.

Primùm ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos
Sermoni propiora: putes hunc esse poetam,
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Propterea subdit nonnullos quæsijsse an comedia dici poema queat. Erat porrò ipsis dubitandi occasio, quandoquidem comœdiæ stylus prosæ orationi persimilis est; adeò ut eius nec verbis, nec rebus ardens ac vehemens spiritus insit, solumque ab oratione soluta definito numero diffideat; cum alioquin poeticus stylus maximè quidem eruditus, floseulis, hoc est figuris & figmentis decenter ornatus esse debeat; sic enim loquitur.

Idcircò quidam comœdia, necne poema
Esset, quæsiuere: quod acer spiritus ac vis
Nec verbis, nec rebus inest, nisi quòd pede certo
Differt sermoni sermo merus.

In eo igitur, qui Poeta dicendus, præstantem, ac excelsam indolem exposcit; adeòut verbis, quibus utitur, & rebus de quibus agit, spiritus ardens, ac vehemens insit: ac dicere de semetipso loquens possit.

Ouid. lib. 6. fast.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo.
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Poeta namque mentem diuiniorem quàm cæteri, habet, quippequi poetico furore, sacroque impetu raptam ad altiora mentem habent, quàm ut humana dici possint; ostendit numen inesse sibi, seque celitùs esse delapsum, ut propterea iactare possit qualem se esse Lyricus dicebat, dum caneret.

Horatius lib. 1. Carminum. Ode 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis: me gelidum nemus
Nympharumque leues, cum satyris chori
Secernunt populo.

Videas amabò quàm diuinum sit Poetæ nomen; quātumuis enim quispiam probè calleat artem cudendi versus, non propterea tamen est tàm excelso nomine dignus. Et rectè non idem versificator ac Poeta. Præter igitur metrum alia sunt in Poeta, & quidem minimum in eo, non vulgaris dictio requiritur, quæ adhùc talis esse debet, ut spiritu ferueat, sitque maiestatis plena: & quanuis ad Poetam constituendum metrum non sufficiat, sine eo tamen nullus Poeta perfectus erit, nec ulla poesis, nisi carminibus contexta fuerit. Nec oppositum Aristoteli placuisse credendum, licèt id alicubi visus sit affirmasse; cum ibi non aliò collimet, nisi ut insinuet Epopœiç nomine geminam imitationem comprehendi, videlicet & illam, quæ solutâ fit oratione, & illam, quæ est illigata carminibus, metricoque modo composita; non enim ipsum latebat poema modulis necessariò constringi, ut cani possit, quod sine metro non fit. Praeter igitur metrum, ut iure quispiam poetæ nomen possit sibi vendicare, ne versificator dumtaxat appellari debeat, imitatio requiritur, sine qua decorum perfectumque poema esse non potest, quemadmodum nec sine metro, si poematis nomen seuerè fuerit usurpandum. Quòd si poema in prosam redigatur, poematis perfecti nomen amittet, cum hoc certè imitationem decenter expressam significet, licèt minùs propriâ significatione acceptum, retineat, & imperfectum poema possit appellari; quod de historia minimè dicendum, si videlicet ex prosa fiat carmen; historiæ siquidem nomen retinebit, & induet poematis nomen impropriâ significatione acceptum; erit enim impropriè poema, adhuc tamen historia, licet decore destituta. Itaque ut rem paucis comprehendam, & puerilem hanc altercationem dirimam, poema perfectum, seuerèque sumptum & metrum, & imitationem exposcit; imitationem, tanquam aliquid essentiale, metrum, tanquam ornatum, & accidentarium.

Ad Poesim constituendam, metrum, & imitatio requiritur.

Poema seuerè acceptum metro, & imitatione cōstat.

Ratio autem, quâ præsertim ad ita sentiendum compellor, in eo planè consistit, quòd verbum ποιεῖν idem significat, ac *facio*, quod tàm ad carmen, quàm ad prosam referri potest; & idcircò à verbo, iuxta significationem hanc usurpato, non minùs Orator, qui prosâ, quàm Poeta, qui carmine utitur, dici potest. Alia igitur huiusmodi verbi est significatio, cùm ab eo Poetæ nomen deducitur, nimirum eadem ac verbi πλάσσω, vel atticè πλάττω, hoc est *fingo*; nec immeritò, nam verbum, unde prædictum nomen deriuatur, eo usurpari debet significatu, quo derivatio sic Poetæ reddatur propria, ut Oratori accommodari minimè possit.

Ratione suadetur hactenus dicta.

Et hoc inde confirmatum remanet, quoniam siue prosâ, siue carminibus elaborata sit epistola, semper epistola est; non enim ipsa per carmen poema constituitur, nisi imitatio, & effictio accesserit; idem de oratione sentiendum, si carminibus exaretur, vel poema solutâ oratione scribatur; ita fit ut prosa ad orationis honestatem faciat, & carmen ad poematis decorum conducat. Quod sic intelligas velim, ut Poema ad prosam redactum, poema sit, sed decenti sibi debito ornatu destitutum; Oratio carminibus contexta sine figmentis oratio sit; eadem imitatione constans, non tamen carminibus alligata, poema sit, sed imperfectum. Quod exemplo felicitatis explicari potest. Felicitas in actione virtuti consentanea consistit; sine corporis, & fortunæ bonis, felicitas est, sed imperfecta, cum illis autem perfecta. Quod de accidente ad quod plura concurrunt, quodque pluribus constat partibus, admitti potest, secus de substantia, & aliquo accidente simplicis omninò naturæ.

Confirmatio rationis.

Neque

Digitized by Google

Præcessionis difficultatis eiusdem quæ solutio.

Neque dicas in poemate fabulam non requiri eo nomine quòd carmina, siue cantica pènè cum mundi incunabulis cæperint, multisque seculis duraverint, antequam hominum mores, per fabularum figmenta carmine tractarentur: Non inquam id dicas nam carmina illa, quibus veteres, aut suos amores canebant, aut Deorum, & Heroum laudes explicabant, velut illæ in quibus nulla erat imitatio, & à quibus omnis fabula exulabat, poematis perfecti nomen, propriâque significatione sumptum vendicare sibi non poterant. Et ea sunt carmina de quibus loquitur Tullius: *Numerorum vis aptior est in carminibus, & in cantibus, non neglectâ à Numa Pompilio, Rege doctissimo, maioribusque nostris. Vt epularum solemnium fides, & tibiæ, saliorumque versus indicant.* Ne commemorem nihil fere à Græcis præsertim, de Dijs fuisse carminibus explicatum, quod fabulosum non esset; quanuis hoc à Romanis parciùs fieri soleret. Quod etiam de Deorum laudibus, & de præstantium virorum quoque præconijs intelligendum; non enim huiusmodi carminibus poematis nomen accommodatum est, videlicet illis, quæ Tullius etiam commemorat dicens. *Quanquam est in Originibus, solitus esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus*: quod alibi etiam inculcat dum ait: *Vtinam extarent illa carmina, quæ multis sæculis ante suam ætatem in epulis esse cantata à singulis conuiuis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato.* De his tamen hactenus.

Tertio lib. de Oratore.

Lib. 2. Tusculanarum quæstionum.

SECTIO SECVNDA.

De Metro, & Imitatione.

Cvm autem & Metrum, & Imitationem in Poeta desiderari paulo supra dixerimus; proximum est ut de his pauca quædam afferamus in medium. *Metrum*, prout ad præsens attinet institutum, dici solet, *pedum connexio quædam, atque ordinatio ad aurium delectationem inuenta*, & hoc Poetæ proprium est, sicut Oratoris est numerus, *Qui pariter quædam est pedum dimensio vocumque conglobatio ad aurium voluptatem captandam*; Numerus oratorius græcè dicitur Rithmus, definirique potest *quædam pedum absque uniformitatis lege, incerto numero, modoque, grauis, suauisque iunctura, ad mulcendas aures inuenta*. Quemadmodum. *Metrum quædam pedum legitima constitutio certo numero, modoque finita ad eundem delectationis finem excogitata. Pes verò est certa quædam, & apta syllabarum comprehensio.* Hæc de Metro.

Metrum quid.

Numerus Oratorius quid.

Imitatio est sermonis, aut rationis expressio iuxta ea, quæ facta sunt ab illo, quem imitandum proponimus. Imitatione igitur nos ad alterius exemplum loquimur ut ei similes reddamur: itaque in imitatore duo distinguamus, oportet, officium, & finem; officium est se ad alterius naturam effingere; finis autem similitudo eiusdem. Imitatio porrò tam Poetæ, quàm Oratori conuenit; idcircò non ineptè tractari à nobis potuisset cum dicendi artem traderemus, opportunius tamen duximus præsentem in locum eius considerationem differre.

Imitatio quid.

Quatuor de imitatione sciendi inquiri.

De imitationis opere quatuor inquiri solent: an præstet alios imitari: quinam imitationis causâ sint eligendi: quomodo eorum fieri debeat electio: atque demum qua ratione sint imitandi. Ad primum quod attinet; non defuerunt quibus ariserit nullius nos imitatores esse debere, sed suam cuique indolem sequendam esse. Sed horum consilium quantùm à vero deflectat, neminem fugiet, si non nihil aduerterit perpaucos admodum esse, qui in erudito puluere nullo doctore, ductoreque indigeant: quotus enim quisque est qui tàm feliciter natum se gloriari possit, ut ad capessendas bonas artes ac disciplinas nullius opitulatione penitùs indiguerit?

Maxima itaque potius existimari debet imitationis utilitas: ut enim luscinia, quæ iuxta sepulcrum Orphei nidificabant, mollius, atque suauius canebant, quasi ex demortui Poetæ cineribus suauitate conspersis, iucunditatis genium absorberent: ita, qui in illustrium virorum monumentis, quasi cineribus doctrinâ refertis commorantur, sapientiæ vim, & afflatum exhauriunt: quod cum in omnibus quidem artibus perspicuum sit, tùm in ipsa eloquentia, & poetica longè clariùs elucet; in utraque siquidem unusquisque post mentis multiplicem agitationem, pertinaci quodam imitandi studio ex humilioribus utriusque facultatis primordiis ad summum perfectionis gradum ascendit; regiam igitur tam ad Eloquentiam, quàm ad Poeticen terit viam, qui præstantissimorum Oratorum, & Poetarum vestigiis insistit, & ex eorum monumentis viuas expandit imagines. Habet enim hoc modo in eo quem imitatur ob oculos positam effigiem, quàm possit adamussim exprimere: Quod nec duarum prædictarum facultatum est proprium, cum id in cæteris etiam usuveniat: ad quascunque siquidem imitatione, tanquàm compendiosâ nos utimur viâ, & sanè in scribendo, in pingendo, & in omnibus liberalibus artibus nemo securiorem imitatione ducem habere potest: ut propterea Plato aliquando dixerit nihil sine exemplo rectè, certò, aptèque fieri posse: & idcircò Deum ipsum in hoc mundo elaborando mentis suæ ideam expressisse: Vnde Longinus magnorum Poetarum, & Oratorum imitationem optimam viam esse dicebat. Multi siquidem alieno spiritu, quasi cælesti quoddam incitantur afflatu, atque Sybillam imitantur, quæ vaticinabatur in Tripode. Illic est terræ hiatus, & ingens latebra, quæ ut aiunt, diuinum quemdam spirat, ac egerit halitum, quo vatis mens afflata cælesti quadam affluebat virtute. Simile quidpiam in eruditissimorum hominum libris euenit, quos dum legimus, quoddammodo ex sacris quibusdam spiraculis halitus erumpunt in animos, qui inde agitati, diuinoque furore perciti, effata haud citra stuporem pronunciant. Neque dicas, cum Politiano, te potiùs hominem esse velle quàm Simiam, non enim hic de ridicula, deformique imitatione fit sermo; sed de natiua, qualis est liberorum, qui parentes referunt, ut cum Lyrico dici possit.

Laudantur simili prole puerperæ

Et certè ad Poesin, quòd spectat, ea tàm similis est picturæ, ut non immeritò Simonides dixerit. *Picturam esse Poesin loquentem; Poesin autem tacitam picturam.* At pictores non meliùs, quàm imitando proficiunt, nec tutiorem viam eâ, quæ est imitationis, calcare se confidunt ad gloriam consequendam in arte; quoniam dum præstantissimorum virorum vestigiis insistunt, si nonnihil cum ipsis à recto pingendi tramite defecerint, obseruando naturæ opera, facilè redire possunt in viam, & aliquid eorum inuentis addere. Ita quidem in ijs de quibus loquimur, artibus contingit; nam orationem solutam si spectes, rem sic se habere comperies; enim verò Tullius in Orationibus, Demosthenem; in Officijs, Panætium; in Dialogis, Catonem, non absque summa laude est imitatus. De Poetis hoc idem dicas opor-

Digitized by Google

tet; propterea quòd Virgilius in Eclogis, Theocritum; in Georgicis, Hesiodum; In Æneide, Homerum sibi imitandos proposuit.

Ad imitãdũ oportet egregium, vel Oratorẽ, vel Poetã eligere.

Ad imitandum eligere quidem oportet egregium quendam, vel Oratorem, vel Poetam. Vecordis enim esset malle deteriorum esse similem quàm meliorum. Controuersum tamen est an in prosa, vel in carmine, unus an pauci vel multi, aut etiam permulti, imò & omnes qui in huiusmodi facultatibus ad aliquem ascenderint honoris gradum, sint nobis æmulandi.

An vnus vel pauci siue iam prosa siue in carmine sint imitandi.

Nihil videtur certiùs, quàm à multis exordium petendum non esse; dum enim nitimur multos imitari, manifestum incurrimus periculum exprimendi neminem, quando vaga & instabilis illa multorum quantumuis diligens obseruatio legendo, vel audiendo facta, non permittit eorum quempiam nobis familiarem reddere, eiusque indolem penitùs introspicere; quòd cum obseruasset Moralis dicere solebat: *Certis ingenijs immorari, & intueri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est ijs qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properanter transmittunt.* Et hoc deinceps multiplici similitudine declarat, scitè admodùm, ut opinor, vir hic celebris loquitur, dum enim tàm multos eosque naturâ diuersos nitimur imitari, fieri profectò non poterit, quin, ubi manum ad tabulam admouerimus, multiplici admodùm utamur dicendi genere, proindeque studentes præclarum quidpiam moliri, prodigiosum monstrum efformemus. Ad emulandum igitur deligendus est unus, & is eximius ac optimus, eâ tamen lege, ut ubi eius monumenta, ac exemplaria aliquandiù tractauerimus; aliorum etiam commentarios præ manibus habeamus, diligenterque versemus; adeòut nobis familiares reddamus conceptibus, dictioneque similimos, non ita tamen, ut, quem elegimus coriphæum, deseramus, quin potius eius eruditionem, ac stylum animo semper euoluendo in nostram vertamus naturã oportet, donec ei persimiles facti simus, reliquis, etsi inferioris ordinis, nõ neglectis; non enim omnia uni natura largita est, ne adeò feliciter cum humanis rebus ageretur. Verum enimverò quicumque secuturus est aliquem imitando, studiosè debet expendere, an viribus adeò sit validis instructus, ut ei se possit æqualem reddere; non enim omnia possumus omnes, quantacumque fuerit industria, & pertinacia laboris, propterea quod.

L. Seneca epistolarum lib. 1, epist. 2.

Horatius lib. 1. Epi. 17.

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Idcircò fit, ut non cuicumque liceat quiduis imitatione sectari, sed opus sit aduertere quò ingenium ducat; enim verò

Horatius in arte Poetica.

Tu nihil inuitâ facies, dicesve Minervâ.

ut possis dictionem rebus accommodare, quod non nisi tentando discimus; de viribus ingenii oportet ergo periculum facere; hoc enim modo quid ingenium valeat, assequemur; si namque suscepto argumento vires impares esse nostras aduerterimus, ei multã dictâ salute præstabit aliò mentis aciẽ dirigere; quod tamen non illico faciendum, frequenter enim usuvenit, ut initio vires ad suscipiendam prouinciam minus idoneæ videantur, cum tamen tractu temporis longè robustiores appareant. Periculo autem non semel facto (si tandem deprehensum fuerit infirmioribus quàm oporteat nos ingenii viribus uti ad imitandum illum, quem cæteris præstare cognouimus) animum ad alium oportebit conuertere, cuius vestigiis valeamus insistere, & gloriam illam adipisci, quàm celebrioris æmulatione nunquam assequi potuissemus.

Quo autem pacto sint eligendi ii, quos nobis in animo est æmulari, sequitur explicandum. Tria autem sunt quæ in re de qua agitur desiderari solent, scilicet amor eius, quem imitandum suscipimus; laboris in eius legendis monumentis constantia; & eorum quæ legimus imitatio. Ad excitandum amorem iuvat in primis cognoscere singulares prærogatiuas, quibus ille præditus est, cuius vestigiis insistere peropportunum duximus, hinc enim desiderium oritur ad gerendam speciem ipsius, & ad eorum lucubrationes, ac exemplaria tractanda, in quo laboris constantia requiritur; susceptus enim labor nisi constantiâ firmetur, irritus est. Ad constantiam pertinet reiterata lectio; semel enim legisse non satis, quinimò nec etiam sæpiùs, nisi atentè serioque fiat; idcircò meditatio requiritur, quæ non circa verba tantum occupata esse debet, sed ad animi sensa scriptoris se extendat oportet, inuentionem, dispositionem, & elocutionem attingens; non tamen minutiora, sed illustriora sunt imitanda, cuiusmodi sunt verborum, & sententiarum grauitas, figurarum, varietas, affectuum permotiones, rationumque pondera, atque omnia, quæ ad inuentionem, dispositionem, & elocutionem pertinent.

Quomodo sunt eligendi quos æmulari volemus.

Inuentionem autem imitamur, cùm propositiones, & argumenta, ab aliis excogitata, non in eadem materia, sed diuersa persequimur.

Quomodo inuentionem imitemur.

Dispositionem effingimus, ac æmulamur, cùm aliorum ordinem retinemus.

Quomodo dispositionem imitemur.

Elocutionem denique nos imitatione sequimur, cum aliorum verbis, sententiis, aut figuris orationem solutam, vel carminibus illigatam constituimus. Non una tamen est imitandi ratio.

Quo pacto elocutionem imitari possimus.

Primus imitandi modus in eo sanè consistit, ut variatâ sententiâ, præclariora verba locutionisque retineantur.

Multiplex imitandi modus.

Secundus est imitandi modus, cùm retentâ sententiâ, verba mutantur.

Primus.

Tertius, cum eadem penè, scilicet sensus, & verba retinentur.

Secundus.

Quartus cum aliquam figurã in aliã commutamus.

Tertius.

Quartus.

Res planè ardua multisque difficultatibus inuoluta est facere sua ex alienis, quoties ex uno tantum omnia petantur, nimis enim est euidens imitatio, cum tamen hæc tenebris occultata laudetur; alioquin imitator in plagiarium facescit, quamobrem iis in quibus alterius labor se priùs exercuit, alia erunt addenda, alia verò demenda, quædam mutanda, pleraque demum ordine longè diuerso tractanda, aliarumque figurarum coloribus, & amplificationibus exornanda. Ita Ennius aloquitur Hectorem pedestri admodum stylo dicens.

O lux Troiæ germane Hector
Quid ita cum tuo laureato corpore miser?

Audias Maronem amabò, ut intelligas quid distent aera lupinis.

Horatius lib. 1. ep. 2. Ascil.

O lux dardaniæ, spes ò fidissima Teucrum
Quæ tantæ tenuere moræ, quibus Hector ab oris
Expectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque, urbisq; labores
Defessi aspicimus? quæ causa indigna serenos
Fœdauit vultus, aut cur hæc vulnera cerno.

Ita quidem Tullius Demosthenem imitatur; nam longè splendidius atque magnificentius rem tractat dicendiq; copiam ostentat. Demosthenes enim hæc habet. Πρῶτον μὲν ὦ Ἄνδρες Ἀθηναῖοι θεοῖς εὐχομαι πᾶ-

Digitized by Google

ὅτι τὴ φάσαι, ὅσῳ ἔυνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇτε πόλει τὴ φέρειν ὑμῖν, τοσαύτῳ ὑπάρξαι μοί παρ' ὑμῶν εἰς τοῦτο τὸν ἀγῶνα. ἔπειθ' ὅπερ ἔτι μᾶλλον ὑπὲρ ὑμῶν τὴ τῆς ὑμετέρας ἐυσεβείας τὴ δόξης, τοῦτο παρέσῃται τοῖς θεοῖς ὑμῖν, μὴ τὸν ἀντίδικον σύμβουλον ποιησαμένοις περὶ τῶν ἀτόπων ὑμᾶς ἐμοῦ. *Primò Deos, & Deas precor Athenienses, ut quantam ego beneuolentiam, erga Remp. & vos uniuersos constanter habeo, tanta à vobis in hoc iudicio mihi tribuatur. Deinde, ut Dij, id quod maximè vos vestramque religionem, & gloriam tuebitur, in eam vos sententiam adducant, ne aduersarium, quomodo sim audiendus, in consilium adhibeatis.*

Tullius pro Murena. Audi nunc Tull. imitantem ad eum, qui sequitur modum. *Quod precatus sum à Dijs immortalibus, Iudices, more, institutoque maiorum, illo die, quo auspicato comitijs centuriatis L. Murænam Consulem renuntiaui, ut ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romanæ benè, atque feliciter eueniret. Eadem precor ab ijsdem Dijs immortalibus, ob eiusdem hominis consulatum, una cum salute obtinendum, ut vestræ mentes atque sententiæ, cum populi Romani voluntate suffragijsque consentiant, eaque res vobis, populoque Rom. pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.* Perelegantem hanc imitationem Causinus etiam aduertit, latèque prosequitur. Interim attende, quanti referat Oratoris amplo, magnificoque dicendi genere uti; quanto enim plùs in Marci Tullij, quàm Demosthenis verbis energiæ, vel efficacitatis ad delectandum, ad commouendum ineſt? Sed, ut idem Causinus aduertit, exordium uterque ducit à precatione; Demosthenes tamen duo postulat, beneuolentiam erga se ciuitatis tantam, quantam habet in uniuersum populum: deinde ut mentes Athenienſium, & in suam causam, & in populi gloriam inclinent. Tullius autem ne nimis manifesta foret imitatio, noluit utrumque unico exordio complecti; quod forsan altero est consecutus, dum ad Quirites post reditum sic exorditur.

Tullius ad quiritꝫ post reditum &c. *Quod precatus à Ioue Opt. Maximo, cæterisque Dijs immortalibus sum, Quirites, eo tempore, cum me fortunasque meas, pro vestra incolumitate, otio, concordiaque deuoui, ut si meas rationes unquam vestræ saluti anteposuissem, sempiternam pœnam sustinerem, mea voluntate suscepta. Sin & ea, quæ antegesseram, conseruandæ Ciuitatis causa gessissem, & illam miseram profectionem vestræ salutis gratia suscepissem; ut quod olim scelerati homines & audaces, in Rempub. & in omnes bonos conceptum iam diu continerent, id in me unum potius, quàm in optimum quemque, & in uniuersam Remp. deflecterent, hoc si animo in vos, liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, Patresque conscriptos Italiamque uniuersam memoria mei, misericordia, desideriumque teneret.* Rectius igitur Tullius dum splendidum dicendi genus usurpat. Non enim ita comparati sumus, ut cuicumque nostrum datum sit Periclem imitando sectari, quandoquidem natura sic illum effinxit, ut de ipso Plinius dicere potuerit. *Verum huic ipsi Pericli nec illa deerant, nec illud ἰκνῆσαι, breuitate, vel velocitate, vel utraque (differunt enim) sine facultate summa contigisset;* Tanta siquidem ei erat dicendi facultas, ut in eius labris quamdam persuadendi Deam insedisse

Plin. lib. 2. Epist. 19. ad Cor. Tac. dicerent; *nam* ut idem Plinius addit, *delectare, persuadere, copiam dicendi, spatiumque desiderant: relinquere verò aculeum in audientium animis is demùm potest, qui non pungit, sed infigit.* Tametsi autem Pericles talis esset, nimirùm, ut eius labris suadela quædam insideret; adhuc tamen copiosè loquebatur; audi quid Plinius subdat: *Adde, quæ de eodem Pericle Comicus alter, ἤστραπτ', ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. Fulgurabat, Tonabat, Græciam perturbabat.* Audi Plinium. *Non enim amputata oratio, & abscissa, sed latè & magnifica, & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac miscet.* Quanuis autem Pericles talis naturâ foret, qualem esse dictum fuit, adhuc tamen magnifico dicendi genere ad fidem faciendam, & ad suadendum utebatur; quantò igitur magis illud à nobis usurpandum erit, quibus natura non tantam dicendi facultatem largita est? Cauendum tamen ne memoriâ excidat, quod egregiè notauit idem Plinius, qui postquàm hunc orandi modum commendauit, illicò subdit: *Sed non minùs non seruat modum, qui infra rem, quàm qui supra: qui adstrictiùs, quàm qui effusiùs, dicit.* Tenendus est modus in oratione; ut itaque non immodicè, vel redundanter: ità nec ieiunè, vel infirmè dicendũ.

Imitationis vitia expendũtur. Aristoteles 1. de anim. text. 85. Hactenùs de imitatione, sequitur de vitijs in imitando disputandum. Et quanuis hoc ex proximè dictis constare posset; nam, ἡ δ' τῷ ἰυδεῖ ἡ αὐτὸ, ἡ τὸ καμπύλον γενόμενον ἐρεθ. κριτὴς δ' ἑμοῖν ὁ κανών. *Etenim recto, & ipsum, & obliquum cognoscimus, norma enim est utriusque iudex;* aliqua tamen, etsi breuiter, claritatis gratia subijciam; eò vel maximè quòd imitari facillimum quidem est, benè tamen imitari non item; sæpè namque dum præclaros viros imitatione sectari contendimus, in peruersam imitationem incidimus, quæ Græcis est κακοζηλία, *mala affectio*, seu *praua æmulatio* de qua Lucianus loquens hæc habet. γίγνεται δὲ ὥσπερ ἐν λόγοις, οὕτω ἐν ὀρχήσει ἡ πρὸς τ' πολλῶν λεγομένη ἡ κακοζηλία ὑπερβαινόντων τὴς μιμήσεως τὴ τέρα τ' δέοντ' ἐπιτείνοντων. *Contingit in orationibus, sicut in saltatione, ea, quæ praua à multis imitatio appellatur, eorum qui mensuram excedunt imitationis, & ultra decorum extendunt.* Huiusmodi autem vitiũ in tribus contingere Demetrius testatur, nempe in sententia, in verbis, & in compositione verborum.

Lucianus lib. de saltatione.

Primum. Primum autem imitationis vitium erit nimia in imitando diligentia; sunt enim, qui præclaros auctores imitari studeant; sed adeò diligenter, & accuratè, ut totos penè videantur exscribere.

Secundũ. Secundum vitium eorum est, qui, cum vnam, vel alteram Ciceronis, aut alterius cuiusvis orationem, vel poema legerit, omnia quæ ipsi tractant argumenta, orationibus, & poematibus illis accommodare nituntur, non sine magno incommodo contendentes alienos sensus intrudere; adeò ut non verba rebus, sed res verbis aptare conentur. Itaque vitium hoc dici potest nimia quædam in imitando affectatio, qua quispiam alienis inuentis, nonnulla, siue ad verba, siue ad sententias pertineant, alienis laboribus addendo vel detrahendo, alienum dicendi modum rebus, quas tractat, infeliciter satis.

Tertium. Tertium vitium eorum est, qui dum carmina cudere volunt, audẽt oratoris phrasibus uti, existimantes se stylum attollere; & eleganter carmina pangere, & vicissim dum solutam orationem contexunt, poetarum floribus illas exornant; credentes hoc modo, amœnam orationem contexere.

Quartũ. Quartum est eorum vitiũ, qui sensus rerum ac mysteria negligunt, solis verbis intenti, de quibus adeo solliciti sunt, ut solum in his omnem, vel prosæ, vel carminum vim elegantiam, & maiestatem constitutam existiment, proindeque summâ diligentiâ eligunt, quæ sonantiora sunt, quæcunque germana sit eorum significatio, maximeque religiosè cauent, ne minimum quidem verbum adhibeant, quod apud eum, quem imitari cupiunt, non reperiatur. Ea hoc præcipuum est puerorum vitium.

Quin-

Digitized by Google

Quintus. Quintum est vitium, eorū, qui characteris amplitudinem à se parùm, vel nihil intellectam aucupari conantes, aliorum sententias appositè accommodatas, plùs æquo studeant augere, eò quòd illas mediocres arbitrentur.

Sextum. Postremum est vitium eorum, qui cùm semel aliquid probarint apud eos, quos imitando sequuntur, illud tàm auidè arripiunt, eodemque tàm vehementer delectantur, ut nihil frequentius, & usque ad nauseam usurpent.

Exercitatio imitationē comitatur. Imitationis aſecla est exercitatio, quæ quantùm, & in eloquentia, & in poetica valeat, declarat Græcorum adagium, μέλέτη πάντα δύναται *exercitatio omnia potest*: quod à Periandro frequenter usurpatum fuisse accepimus; huic simile erat, quod Antiphanes dicebat, τῆς ἐπιμελείας πάντα δῶρα γίνεται. *diligentiæ omnia seruiunt*. Egregiè Moralis: *Nihil est* inquit *tam difficile, ac arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem producat ipsa meditatio.* Et re verâ nemo, quamuis benè præcepta fuerit assecutus, quidpiam magnâ laude dignum, sine usu, & exercitatione consequi potest; ut Ouidius non ineptè dixerit.

Græcorū adagium.

Diogenes Laertius.

Artifices omnes, qui facit usus erit.

Cuius magna vis est; nihil enim tàm ad comparandum facile, quod breui non intereat, si desit exercitatio, & cuius opitulatione præsidiovè non roboretur, longèque mirabilius efflorescat. Non solùm ipsa prodest, sed etiam prorsùs necessaria est; nihil enim aut parùm artes ad eloquentiam, & ad poeticen conducunt, nisi non intermissa & penè quotidiana dicendi exercitatio opituletur; & sanè plurimum natura potest; longè tamen plùs si ad ipsam usus & exercitatio frequens accesserit; & ideò Plinius assiduè dicere solebat: *Nec me præterit ipsum, & esse, & haberi optimum dicendi magistrum. Video etiam multos paruo ingenio, literis nullis, ut benè agendo consecutos. Proinde multùm lege, scribe, meditare, ut possis cùm voles dicere.* Quamuis autem de eloquentia sermonem hic auctor habuerit, arti tamen Poeticæ iure potest accommodari.

In quibus exercitatio versetur. At exercitatio in his versari debet. 1. In audiendis laudatissimis oratoribus, atque poetis. 2. In legendis, non cursim, sed attentè eorum libris. 3. In adnotandis iis, quæ videntur scitu digna, siue audita siue lecta. 4. In assiduo siue soluta, siue metricâ oratione componendi labore.

SECTIO TERTIA.

Poetices definitio traditur, & quomodo Poema, Poesis, & Poetice *differant.*

Poetice duobus sumitur modis. POetice gemino sumitur modo, laxâ nimirùm, & pressâ usurpatione, iuxta laxam significationem est ars scribendi carminis; at iuxta secundam est ars oratione metricâ imitandi actiones; sic videtur Poetice generatim definitione, explicanda, non ad eum modum, quo Diomedes putauit esse definiendam; nam definitio ab ipso tradita Poesi potius, quàm Poeticæ congruit, cum tamen plurimum differant; enimverò discriminantur inter se Poema, Poesis, & Poetice; ut mox intelliges; Poema quidem materia est, vel si mauis opus, ut Comœdia, Tragœdia; & Epica compositio, ut Æneis; at verò Poesis est actio, siue operatio, quâ Poema contexitur; Poetice tandem est habitus ipse præcepta ad Poesin disponens; quamuis non raro Poesis pro Poemate fuerit usurpata.

Silentio tamen hîc prætereundum non est, quod à Platone didicimus, videlicet apud Græcos Poeseos nomen significasse cuiusque generis effectionem: Poetæ autem nomen quemlibet effectorem: atque demùm nomen Poematis quodlibet opus factū, quod tamen, teste Piccolomineo, usu contractum fuit ad Poema significandum, cum imitatio celebrata verbis opus excellentissimum sit, velut illud quo animi sensa deteguntur, ita ut hoc opus factum debeat Poema per Antonomasiam intelligi; ne commemorem aliquos dixisse Poetis factoris nomen à Græcis inditum esse, eò quod Poetæ ita res describūt, ut quodammodo oculis subiiciant, fieriqui videantur.

Plato in Sympos.

Non tantùm, ut dici videantur, sed fieri res
Vnde ipsis nomen Grai fecere Poetis.

Quibus addit Scaliger cæteras scientias esse instar histrionum narrantium opera à Deo facta, at verò Poeticen, & Poesin elegantius, quæ sunt, narrare, & Dei quodammodo instar facere, quæ non sunt.

Difficultas tamen in superiori Poetices definitione quibusdam esse videtur eò quòd dictum fuerit Poeticen artem esse; talis enim non apparet, eo nomine quòd ipsa non dirigatur præceptis, sed potiùs uniuersa debeatur naturæ; in quam sententiam abijt Plato, velut ille, qui non semel hanc doctrinam expressit; nam in Socratis Apologia: ἔγνων οὖν αὖ ἐφ' ὧδε τῶν ποιητῶν τὴν ἐλάγω τέχνα. ὅτι ἃ ποιοῖεν, οὐ τοιοῖεν, ἀλλ' φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί. *Deprehendi igitur breui id in Poetis, eos videlicet non sapientiâ facere, quæ faciunt, sed naturâ quâdam ex Diuina animi concitatione, quemadmodum & hi, qui Diuino furore afflati vaticinantur.* Et tertio etiam de Legibus hæc habet: θεῖον γὰρ οὖν δὴ τὸ ποιητικὸν ἐνθεαστικὸν ὂν ᾄδῃ μουσικῇ πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξυὶ τισι χάρισι μιμεῖσθαι ἐπιχειροῦσα. *Diuinum enim poetarum genus est. Dijs agitur, & sacros concinit hymnos, vera passim cum musis, atque gratijs tangere solent.* Item in Ione. Πάντες γὰρ οἱ τε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοί ὄντες καὶ κατεχόμενοι, πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα. *Omnes itaque carminum poetæ insignes, non arte, sed diuino afflatu mente capti omnia ista præclara poemata canunt.* Alibi etiam. Οὐ χ ἑκόντες εἰσὶν οἱ ταῦτα λέγοντες, οἷς νοῦς μὴ πάρεστιν, ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων. *Non ipsi sunt Poetæ, qui illa dicunt, ipsis enim non est mens, sed Deus est, qui ipse hæc dictat.* Platonem secutus est Tullius dum ait. *Sæpè enim audiui poetam bonum neminem (id, quod à Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu, quasi furoris.* Et alibi etiam hoc idem affirmat dicens. *Poetam graue, plenumque carmen caelesti aliquo mentis instinctu fundere*: Et præclarè quoque dum ait, *Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisque accepimus: cæterarum rerum, studia, & doctrinâ, & præceptis, & arte constare: poetam naturâ ipsa valere; & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari; quare suo iure noster ille Ennius, sanctos appellat poetas, quòd quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.*

Plato in Apologia Socratis.

Plato de legibus.

Idem in Ione.

Idem ibidem.

Tul. de Oratore lib. 1.

Idem 1. Tusc.

Idem pro Archia Poeta.

Tametsi autem hæc præclarè dicta sint, nobis tamen suadere non debent Poeticen haud esse artem, nec firmis præceptis constare; Sit quidem Poesis res quædam sacra, atque diuina, animi nanque in ea diuino quodam afflantur furore, venustèque omnia parturiunt quicumque pierio calore correpti sunt, velut illi, quos vehementer entheus ardor inuasit; non subinde tamen inferas velim Poeticen præceptionibus

Poetice Artis tamen nomen sibi vendicat.

tionibus artis non contineri. Quanuis enim poeta naturæ plurimùm debeat, arti tamen non parùm.

Difficultas proponitur simulque diluitur.

Nec illud nobis molestum sit, quòd plerique scitè admodùm poemata condant, nullis etsi huius artis præceptis instructi; Nam, ut præteream frequenter illos in errores labi, assiduè legendo poemata iuxta præceptiones artis constructa, & eadem diligenter aduertendo, egregiè quidem artem addiscunt, non secùs ac si ei iugiter operam nauassent.

Ratione badetur.

Satis autem perspicuum unde sit ut hanc artem inficiari non liceat; id enim ijsdem rationibus euincitur, quibus dicendi artem concedendam ostendimus, sic enim licet ratiocinari. Ex magno poetarum numero, quidam meliùs, & quidam deteriùs suo munere funguntur; hoc autem si temerè duntaxat casuque contingeret, nulla profectò de his ars concedenda foret; non enim fortuita, quorum causa nulla proferri potest, præceptis documentisve comprehenduntur: nec quòd temerà semper fit, artificiosè fieri permittitur; Quòd si quodam usu duntaxat, atque consuetudine id accideret, artificium nullum esset concedendum; non enim eorum, quæ usu tantummodo constant, ratio aut causa firma deprehenditur, quam ad artem licet redigere; at verò cùm utroque modo res eueniat, videlicet ut aliqui temerè, casuque; aliqui verò ex consuetudine habituque meliùs, quàm alii carminibus ludant, non erit sanè, haud ego fallor, cur quispiam de poetico artificio sit anceps. Cum enim hæc non tantùm fortuitò, nec tantùm consuetudine fiant, inuestigare, & inuenire licet causam, cur utrique, quod habent in votis, efficiant; at cognità causâ protinùs ars prodit in lucem; hæc enim nil aliud, quàm. *Facultas, quæ cognitis penitusque perspectis, & in unum exitum spectantibus, & numquam fallentibus rebus continetur*; quippè quæ causas eorum affert, quæ dirigendo molitur; nam artis præsidio, causarumque perceptione, qui naturâ valent, longè plus valent: & qui non æquè ac alii felici pollent ingenio, defectum arte quidem, & imitatione supplent alienâ; adeò ut, quod plerique hominum ingenii tantùm viribus fecerunt, præceptis artis muniti, partim ingenio, partim labore, diligentiàque consequantur.

Circa quæ Poeta versatur.

Inter artes igitur Poetice recensenda, sed circa quæ ipsa versetur non leuis difficultas. Frequens opinio est dicentium ea in omnibus rebus occupari; quod forsan à Tullio didicerunt, propterea quòd: *Est*, inquit, *finitimus Oratori Poeta, numeris adstrictior paulò, verborum autem licentiâ liberior, multis ornandi generibus socius, ac pænè par: in hoc quidem certè propè idem, nullis ut terminis circumscribat, aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eâdem illâ facultate, & copiâ, vagari, quâ velit.* Aliis placuit varia esse distinguenda rerum genera in quibus Poetice sit occupata, ad quorum primum dicunt res Diuinas pertinere, de quibus sunt hymni &c. Ad secundum res naturâ constantes, de quibus Xenophanes, Parmenides, Empedocles egerunt versibus inscribendo, utentes; Ad tertium autem res gestas, siquidem Poetæ quoque historiam tractarunt, ut Polycritus, qui res siculas heroico carmine consignauit; Hegemon qui bellum Leutricum carmine explicuit, & ex latinis Lucanus de Bello Pharsalico, & Silius de Aniballico egerunt; Ad quartum actiones hominum ut prudenter exerceantur, de his enim præcepta Moralia, & Ciuilia traduntur carminibus explicata; & quidem Moralia, ut Theocnide, ciuilia verò, ut Solonis præcepta fuerunt; Ad quintum genus pertinere dicunt ea, quorum opus relinquitur, cuiusmodi Lyrici epistolam &c. ad Pisones esse affirmant.

Tullius de Oratore.

Quid hæc de re sentiendum.

Hi tamen meâ sententiâ, rem non satis attigerunt, crassâque Minerua philosophati sunt. Hoc idcirco altiùs repetendum, & ad memoriam reuocandum Poeticen non minùs ac Rhetoricen rationalis esse Philosophiæ partem, & ambas Dialecticę particulas, eiusdem affines, & eidem ex altera parte respondere; hoc verò de Rhetorica quomodo sit intelligendum non obscurè suo loco explicuimus. Illud idem autem nunc de Poetica intelligendum volumus, quod ibi de arte dicendi statuimus. Vt itaque dicendi ars, quippè quæ Dialecticæ naturam sapit, mentem humanam instruit tradendo præcepta quibus argumenta construi possint ad persuadendum idonea: ita etiam, & Poetices ars mentem eamdem dirigit, præcepta tradendo ad conficienda argumenta quibus suadere possit; Rhetorice quidem in materia ciuili; Poetice verò in materia ficta ad mores hominum corrigendos, & ad persuadendum illis, ut resipiscant, ostendendo qualis sit, vel esse homo debeat. Rhetorice præter enthimema, præsertim utitur exemplo, ita etiam, & Poetice, hoc tamen discrimine, quòd illa utitur exemplis veris ad intentum finem assequendum, hæc autem exemplis fictis.

Figmenta quibus Poeta uritur, qualia.

Figmenta itaque illa tamquàm exempla sunt instrumenta, quibus hæc ars utitur ad suadendum, Poetice igitur humanam dirigit mentem, quatenùs ei tradit præcepta huiusmodi conficiendi instrumenta. Hoc voluisse Platonem mihi semper exploratum fuit, cum de Poeta loquens diceret, hunc non versari circa ea, quæ re verâ sunt, sed circa eorum symbola, sic enim ait: οὐκ περὶ τὰ ἐν ὄντως ὄντα, ἀλλὰ τῶν ὄντων εἴδωλα. *Non circa ea, quæ reuerâ sunt; sed eorum, quæ sunt symbola.* Platonem hac de re ita sensisse colligitur etiam ex quarto de Legibus, ubi ita loquitur. Καὶ τὴν τέχνης ἕνεκα μιμήσεως, ἀναγκάζειν ἐναντίους ἀλλήλοις ἀνθρώπους ποιῶν διαθεμένους ἐναντία λέγειν αὐτῷ πολλάκις. εἶδε δὴ, ἴσως εἰ ταῦτα ἢ εἰ θάτερα ἀληθῆ τῶν λεγομένων. *Cumque ars eius imitatio quædam sit, & contrarios affectus hominum exprimat, sæpe cogi poetam sibi ipsi contraria dicere, neque scire utrum hæc an illa vera sint.* Platonem secutus est Aristoteles, qui, ut aliàs diximus, poetam arbitratur, in eo totum esse positum, ut homines doceat virtutem, (hoc enim commune habent Poetæ, Philosophi, & Historici) & id fictis quidem fabulis præstare. Ex horum itaque sententia, ἡ ποιητικὴ ὕλην ἔχει τὸ ψεῦδος. *Poetica mendacium pro materia habet.* Et ideo hæc ars modò μιμητικὴ imitationē instituens, modò εἰκαστικὴ, *simile efficiens, ac repræsentans*, modò εἰκονοποιός, *effectrix imaginis*, aut εἰδωλοποιητικὴ, *effectrix simulacri*, dici solet; adeout Stoicis Poetis videretur σημαντικὸν τέλημα μίμησιν περιέχον θείων, καὶ ἀνθρωπείων. *Opus significativum, imitationem continens rerum diuinarum, & humanarum.* Talis ergo Poetice, qualem antea nos esse dicebamus.

Pluto de legibus.

Stoicorum sententia de Poesi.

Quemadmodum igitur (ut hactenus tradita paucis complectar) Dialectica certam habet determinatam materiam, licet quoad usum nulli sit addicta. Ita Rhetorice, & Poetice, quarum illa quoad usum nullam habet peculiarem, quàm tractet materiam, licet præcipuè in ciuili versatur, Hac verò quoad usum nullam peculiarem materiam tractat, hactionem adhibens, præcipuè tamen hominum respicit mores, quos omninò satagit emendare.

Finis Poetices quis sit.

Nunc de huius artis fine disserendum, quem alii dixerunt esse delectationem. Alij utilitatem. His dicendi modis prætermissis, quid asserendum sit, breuiter aperiam.

Poe-

Digitized by Google

Et morũ correctio figmẽto rum præsidio assequenda.

Poetices quidem finem arbitror esse morum correctionem, & affectionum purgationem, si tamen Poetice sumatur presså significatione, quo pacto imitationem verbis faciendam considerat, eâdemque utitur ad finem assequendum.

Ratione suadetur.

In hanc sententiam adducor, quia Poetice seuerè accepta, præcepta tradit, ad exempla fingenda, quibus nos persuadere possimus, hoc vel illo modo vitam esse traducendam; vitium scilicet esse declinandum, & amplectendam virtutem; finis igitur Poeticæs erit, quem diximus. Delectatio autem est conditio ad finem facilius obtinendum; primarius, nempè finis artis poeticæ, prout hæc est imitatrix; utilitas est ex prauorum morum emendatione proueniens; delectatio verò conditio est, ad finem assequendum; Huc pertinet illud Horatij.

In arte Poetica.

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ
Aut simul iucunda, & idonea dicere vitæ.

Hoc enim vigesimum primum præceptum est Lyrici quod non utcunque intelligendum, quasi Poetæ sit satis aut prodesse, aut delectare, sed Poeta debet vel prodesse, vel delectare, vel utrumque simul efficere, quod ab eo præstandum; Tametsi nanque disiunctim Lyricus loquatur, hoc tamen nihil, quoniam id Lyricus fecit, ad innuendum quanti referat utrunq; seperatim, ut inde cognosci possit quanti momenti sit utriusq; coniunctio; quam ipse summopere commendat dicens;

Ibidem.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Quomodo Poeta prosit. Lib. 2. c. 17.

Prodest autem Poeta docendo, docendique modo delectat, quatenùs documenta tradit carminibus explicata: nam rectè Fabius: *Ipsa vitæ præsepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamens ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum, claritas orationis illuminat.* Poeta igitur ille summis laudibus dignus existimatur, qui hæc duo præstat, à quibus Maximus Tyrius Homerum, & Hesiodum summoperè comendari dicebat; Præsertim autem vtilitas præ oculis habenda Poetæ; nullam enim maiores nostri artem esse crediderunt, quæ non aliquod Reip. commodum afferret; idcirco Plato cogendos existimauit Poetas, ut bonos viros, felices appellarent, malos autem miserrimos, siqui verò secus fecissent, extra omnem Remp. eliminandos esse putabat. Strictè igitur accepto poetices nomine, fatendum omninò finẽ poetis esse fictis fabulis iucundè, ac suauiter ea docere, quæ homines à vitiis ad virtutes adducunt, quod assequitur poeta imitatione & carmine, his enim docet, & delectat, unde Lyricus.

Vtilitas à Poeta spectanda.

Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error, ut mortalium.

Lactantius lib. 2.

Delectat verò metricè loquendo, atque tunc probè suo munere fungitur, nam: *officium poetæ est in eo, ut ea, quæ gesta sunt verè, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa traducat.* Præcipuè verò poetæ spectandam utilitatem nouit etiam Tullius, cum diceret sibi magis placere; *indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem.* Quò pertinet Lyrici carmen.

Lib. 3. de Orat.

Horat. in arte Poet.

Fabula nullius veneris morataque rectè
Quàm versus inopes rerum, nugæque canoræ.

Quo poeta collimet.

Eò igitur poeta collimet, ut auditorum, vel lectorum animis inclytam virtutem ingerat, quod ut assequatur debet ipse vir bonus esse, alioquin ei virtutem docere non licebit; immò nisi sit bonus, nec bonus poeta fiet, si vera sunt quæ docuit Strabo, οὐχ οἷόν ἀγαθὸν γενέσθαι ποιητὴν, μὴ πρότερον γενηθέντα ἄνδρα ἀγαθόν. *Neque bonum posse poetam fieri, qui non prius vir bonus.* Sicut ut possit virtutes docere, prius oportet eum esse virtutibus excultum; præstat tamen eum esse magis prudentem, quàm re ipsâ bonum; nam ut probè suum possit obire munus, prudens esse debet; adhuc enim id faciet, quamuis bonus re ipsâ non sit, dummodo tamen esse talis videatur.

Poeticæ dignitas.

Poetice quàm præclara sit ars, ex hactenus disputatis non obscurè constat; Nulla siquidem ars, nullaque disciplina est, quæ magis quàm Poetice suorum affectatorum nomen immortalitati commendet; cuius rei certissimum potest symbolum esse, quòd Poetæ coronantur *edera* semper indutâ foliis, proindeque vetustatis gloriosa victrice; quemadmodùm & *lauro*, semper quoque virenti, ad significandum nunquam futurum, ut poetarum nomen, tanquam æternitati sacrum, interitum subeat, vel ullâ umquam deleatur obliuione. Aut ex eo saltem, quòd vel Platonis testimonio, poetarum genus ab hominum consortio abdicandum, & inter superos est referendum; ad quàm sententiam ne putes diuinum illum Philosophum, temerè, ac inconsultò prolapsum; enim verò à sapientissimo Socrate illam didicerat; solitus enim is erat crebris usurpare sermonibus. *Vates non nisi diuino quodam spiritu incitatos singularia viuendi, documenta hominibus prodidisse.* Ita fit, ut huius artis studio conspicui, non plus æquo per insolentiam arrogent, dum honores, sibi propè diuinos deferendos existimant, seque sacros, atque diuinos cupiunt appellari. Maxima igitur Poeticæ facultatis dignitas, cum ex ea tantùm in homines honoris deriuetur, ut se per ipsam cum Diis affinitate deiungant, arctâque fiant propinquitate coniuncti.

Nec Poetice parui facienda, cum aliquibus, tanquàm inutilis, nam ex ea non exigua commoditas in hominum genus effunditur. Vt enim omittam, hanc esse, quæ summâ voluptate intimos hominum sensus afficit, atque mirùm in modum recreat, non vulgaria confert emolumenta, cuius rei poetæ non pauci testes esse possunt, Ennius enim à Scipione; Marius à Lucullo, Virgilius ab Augusto: Horatius à Mœcenate: Papinius à Domitiano, aliique Vates illustres à principibus viris ingentes opes, & emolumenta maxima reportarunt, præciosisque muneribus quamliberalissimè fuerunt affecti.

SECTIO QVARTA.

De causis Poeseos effectricibus; ubi de furore Poetico.

Tres Poeseos causæ.

REctè quidem Aristoteles tres Poeseos causas assignat, τὴν φύσιν, τὰ ἀντεισοδιάσματα, καὶ τὴν τέχνην. *Naturam; initia quædam quasi extemporalia, & artem.* Naturæ autem nomine ingenii tum summam felicitatem, quàm Græci εὐφυΐαν, appellant, tum impetum siue furorem, de quo paulo post disserendum, quem Græci ἐρμὴν dixerunt, Philosophus intelligit. Ad ingenii felicitatem pertinet alacritas, itemque facilitas concipiendi animo ideam imitatione exprimendam, quam plerique partim ab imitandi amore, partim à voluptate orta ex imitatione, prodire contendunt; quæ profectò non temerè dicta fuisse putandum; enimverò naturæ nomine potest intelligi tum ingenii bonitas, & facultas excogitandi, à naturæ primordiis homini concessa; tum etiam eiusdem naturæ impetus, quo ad poemata condenda rapimur; hæc autem ingenita

Primum poeticæ principium.

nobis

nobis facultas, translatè, Furor appellari consueuit; quoniam dum entheus ardor homines vehementer inuadit, ac impetus ille sacer, plurimùm eorum pectora nutrit, tanquam cælestis vigor, ad laboriosa opera compellens, eos à mente, seu à se ipsis, ut ita dicam, alienos reddit, facitque ut homines extra se rapti suique immemores, aliorum hominum naturam induant, eorumdemque cogitationes, ac sermones aliis exponant. Naturâ siquidem homini duo insunt primordia, à quibus ars omnis suum esse recognoscit, quæ non ineptè ἀρχέτυπα στοιχεῖα γενέσεως, *prima elementa generationis*, dicuntur, quoniam ab illis quælibet ars, tanquàm à semine originem trahit; ut ob id Philosophus dixerit, Διὸ ἐνθουσιαστικὴ ἔστιν, ἢ μανικόν· τούτων δὲ ἔμφυτοι εἰσὶ δυνάμεις, αἱ δημιουργικοί εἰσι. *Quamobrem ingenioſi eſt Poetica, aut furioſi: nam horum illi quidem ad fingendum idonei ſunt, hi verò facilè extra ſe rapiuntur.* Itaque geminam in homine causam poeticæ facultatis Philosophus agnoscit, quarum una est illi quidem ingenita, & ab ortu naturæ conueniens: altera verò extrinsecùs aduenies. Prior illa est alacritas, atque facilitas, seu ingenij dexteritas, ac bona indoles, græcè εὐφυΐα, nuncupata; quâ fit, ut alii, aliis, à pueritia ingenio præstent, & ad fingendum magis idonei sint. Posterior causa est insania, græcè μανία, siue ἔκστασις, quâ fit, ut homo à mente, siue à seipso discedat, & extra se rapiatur, suique oblitus, alterius hominis indolem induat, ac eius cogitationes atque sermones aliis representet. Harum utraque ad se accersit exemplar, vel ἰδέαν, siue παράδειγμα: quandoquidem & natura & impetus agens est ex eorum genere, quæ non nisi præeunte notitiâ operantur; at quæ huiusmodi sunt, per ideam agunt. Idea verò, ut aliàs docuimus, nil aliud, quàm exemplar operis faciendi; Hæc nascitur ab imitandi studio quod ingenitum homini naturâ est; & à blanda voluptate imitationis magnum suscipit incrementum.

Ad naturam pertinet φαντασία, *phantasia* hęc enim est imaginum, atque poeticorum idolorum formatrix, idcirco hæc valida in Poeta esse debet, adeo ut in eo desideretur, ut sit εὐφαντασίωτος, constat autem hominem phantasiæ vigore, ac robore multis animâ constantibus anteire. Hinc homo præceteris animalibus est maximè aptus ad imitandum, ad quod etsi natura sit magnoperè procliuis, & in primis alacer, procliuior tamen, & alacrior efficitur per voluptatem ex operibus imitatione quidem expressis, sine hac enim nunquam ei foret subeundus imitationis labor; cuius rei non leue inditium est, quòd pueri, quippè qui haud libenter literariæ vacant imitationi (quæ siquidem ad prima pueorum rudimenta pertinent in literarum studiis, quemadmodum, & alia plura sedulò nos imitando addiscimus,) ægrè admodum huiusmodi imitationis opere capiuntur. Tametsi autem omnibus imitandi facultatem naturâ largita sit, non æquè tamen, ut nec ingenii aciem; nam aliquibus parciùs, aliis autem uberiùs; non enim ut benigna mater, sed ut sæua nouerca se gessit. At verò ii quos natura parens egregio instruxit ingenio, alacriores etiam ad imitandum effinxit; quales credendum poetices inuentores fuisse, videlicet eximiis ingenii dotibus floruisse, & in imitando cæteris præstitisse.

Alterum erat naturæ primordium, θεῖον πνεῦμα, siue ἐνθουσιασμός; cum enim tria in poeta, & philosopho desiderari solent, *Ingenium*; *Studium sapientiæ*; & *Otium*. His tribus alia tria ex altera parte respondent, *Dei spiritus*, *Amor*, & *Tempus*; Per Dei spiritum intelligenda mentis opportuna quædam excitatio, græcè ἐνθουσιασμός appellata, sine qua nemo poeta fit; pro comperto siquidem habendum, cum Tullio, *Poetam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari*; Nam apud ipsum, re sunt idem viribus mentis excitari, & diuino afflari spiritu; Furorem ergo, poeticum tamen, ad poemata condenda requirit Tullius, Democritum Abderitam secutus; nam hunc in eadem opinione fuisse testatur Lyricus dicens

Ingenium miserâ quia fortunatius arte
Credit, excludit sanos Helicone poetas
Democritus.

Poesin ergo solius naturæ opus Democritus credebat, forsan eâ ratione ductus, quia cum primi homines in syluis, & umbraculis lucem intuerentur, non solùm arborum perstrepentium sibilis, vel auicularum canentium imitatione, sed maximè naturæ quidem impulsu pastoritium carmen protulerunt, quo mutuò certarent si inter aliquos emulatio foret, vel propter opimos greges, vel propter amicas &c.

Et quoniam de furore agitur, non prætereundum ex Platonis consilio eum quadripartitum esse, nimirum à Phebo, à Baccho, à Musis, atque demum à Venere; & Amore; sed audiendus Plato, μανίαν γάρ τινα ἐφάσαμεν τὸν ἔρωτα· ἦ γάρ, φαῖ; Ναί. Σω. Μανίας δὲ γε εἰδῆ δύο, τήν τε ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων, τήν τε διὰ θείας ἐξαλλαγῆς τῶν εἰωθότων νομίμων γιγνομένην. Φαῖ. πάνυ γε. Σω. τῆς δὲ θείας, τετράων θεῶν, τέτταρα μέρη διελόμενοι, μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν, Ἀπόλλωνος θέντες. Διονύσου δὲ, τελεστικήν. Μουσῶν δὲ αὖ, ποιητικὴν. τετάρτην. δ' Ἀφροδίτης. καὶ Ἔρωτος ἐρωτικὴν μανίαν ἐφάσαμεν. τε ἀριστον εἶναι *Furorem enim quendam amorem vocauimus, an non Phæ. certè. Soc: furoris autem duas ſpecies ponimus alteram abhumanis morbis, alteram ex alienatione diuina, quâ extra conſuetam vitæ conſtitutionem, quis rapitur. Phæ. Omninò. Soc. Diuinæ autem partes, quatuor, ut etiam Dij præſunt quatuor, & vaticinij quidem inſpirationem Apollini, myſteria Dionyſio, Poeticam Muſis, amatorium furorem Veneri, & Amori omnium optimum tribuimus.*

Furor ergo Platoni, ut vides, amor quidam scilicet diuinæ pulcritudinis est, ut inferiùs dicam; sed furoris duas vult esse species, alteram ab humanis morbis, scilicet ab ijs, quorum causa est morbus, alteram ex alienatione diuina, in quorum gratiam considerandum, cuiusmodi sit temperamentum ad ingenij præstantiam conducens, & quale illud sit, quod ad hebetudinem eiusdem facit. Bilis, & Melancholię permixtio est, quâ fit temperamentum ad ingenij acumen, mentis perspicaciam, & ad sapientiâ præ cæteris maximè accommodatum; nam, qui naturâ huiusmodi temperamentum nacti sunt ob bilem facilè apprehendunt, celeriter ratiocinantur, motu etiam sunt agiles, & valdè acres: ob melancholiam autem, cum propter hanc animum ab externis euocent, assiduè in ea quidem incumbunt, quæ apprehendunt, & in ijs, diutinâ meditatione versantur, quæque ratiocinando reperierant, maturè iudicant: cum verò sicciori naturâ constent, recrementis carent, quæ spiritus conturbant, & ex atra bile calente, ac attenuata, tenuissimos æquè, ac lucidissimos spiritus procreant, qui mirum in modum ingenij probè muneribus obeundis deseruiunt. Non prætereundum tamen silentio, duo esse melanchonicorum genera, unum eorum, qui atrâ quidem abundant bile, sed admodum siccâ, frigidâ, densâ, & fęculentę, & qui minus commodè concoctionem celebrant, ut propterea ipsis plumbeus, luridusque sit

Tullius oratione pro Archia poeta

Horatius in Arte poeticâ.

Poeseos origo.

Furor quadruplex est.

Plato in Phædro, vel de pulcro.

Furor poeticus Platonis quid:

Phantasia plurimũ valet ad poesin.

Secundũ poeseos primordium.

Digitized by Google

color; & hi parum, aut nihil ad ſapientiæ, & ad poetices ſtudium idonei ſunt; nam ſtupidi magis, & obtuſi habentur, & iidem ſunt formidoloſi, & ſolitaria loca quærentes, ac ſæpeſæpius in mentis alienationem incurrunt; de hoc loquitur furore Plato, dum ait à morbo prouenire, nam atra bilis, pro ratione menſuræ, qua cum cæteris permiſcetur humoribus, & etiam pro fęculentiæ prauæque conditionis ratione varios effectus progignit. Alterum eorum eſt, qui abundant atrâ bile, ſed calore fotâ, & attenuatâ, quæ purpureo quodammodo colore micat, & qui demum clariori ſanguine redundant; Hi porrò tam ex Platone, quàm ex Ariſtotele, plurimum excellunt ingenio, & ad omnes diſciplinas capeſſendas, atque adeo ad poeticam facultatem ſummoperè apti ſunt.

Diuini autem furoris quatuor ſpecies eſſe decernit, & primo loco conſtituit furorem, quem tribuit Apollini, & hic vatum eſt furor, cuius Virgilius meminit, apud quem ait Sibylla inſtare iam Oraculi tempus, & adeſſe Phębum, ſequentem autem in modum loquitur, in antro agitata furoris plena; hic eſt ille, quo homines correpti præſentiunt in poſterum, atque futura prædicunt.

Primus furor Apollini tributus. Virg. lib. 6 Æneid.

cui talia fanti
Ante fores ſubito, non vultus, non color unus
Non compta manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propriore Dei.

Et non multo poſt de Sibylla itidem loquens, dicit: ante vaticinium Sibyllam furenter agi, rotarique, ut à ſe excutiat Deum magnum Apollinem, qui miſeram contra fatigat &c.

Idē ibid.

At Phœbi non dum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum.

Item. *Stimulos ſub pectore verſat Apollo.*

Secundus furor tributus Dionyſio, ſeu Bacchо, qui poetarum habetur Numen; unde Lyricus,

Secundus furor Bacchо adſcriptus. Horat. lib. 2. Ode 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem; credite poſteri;
Nymphaſque diſcentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Huius numine poetæ afflantur, ac eiuſdem pleni fiunt, unde idem Lyricus canit

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in ſpecus?

Hoc inde quoque confirmatum redditur, quòd Bacchus pro vino, tanquam eius auctor uſurpatur; at quotuſquiſque abſtemiorum eſt, cui ſint faciles in carmine Muſæ? nemo certè, *vel duo, vel nemo*; non enim iis, qui aquæ ſed, qui mero indulgent. Doctus Apollo pocula caſtaleis aquis plena miniſtrat; nec aquę potoribus in Parnaſſo unquam ſomniare licuit; enimverò,

Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Quin potius vinoſis poemata pangere datum eſt; ut Athenæus duorum poetarum exemplo teſtatur; Καὶ Ἀλκαῖος ὁ μελοποιὸς, καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς, μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα, *& Alcæus lyricus, & Ariſtophanes comicus, ebrij ſcripſere poemata.* Et re verâ, *Vina parant animos.* Nam

Athæneus lib. 10.

Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?

Horatius.

Vehemens hic ille furor, qui cogit homines Bacchi atque Cybales ſtatas, ſolemneſque cæremonias, ſiue myſteria celebrare; nam hoc olim Agaue correpta, Pentheum filium ex Echione Thebano, cui nupſerat, ſuſceptum inter Bacchanalia membratim diſcerpſit; quòd abſtemius eſſet, atque adeo Bacchi ſacra deſpicaretur. Hoc eodem actæ furore Bacchantes apud Erebum, Orpheum contempſerunt, & Friſiæ Coribantes per ſyluam Ideam excurrerunt inſani.

Tertius è Platonis conſilio furor Muſarum eſt, unde poetas μεσοπαλάγες vel potius μεσοπαλάκτες, appellant, de hoc Ouidius intelligendus, dum canit.

Tertius furor, qui muſis tribuitur. Oui lib. 1. Eleg. 10.

At ſacri vates, & diuum cura vocamur.
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Alibi verò in eandem ſententiam.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cæli;
Sedibus athereis ſpiritus ille venit.

Ouid. lib. 3. de arte amandi.

Et alibi.

Eſt Deus in nobis agitante calescimus illo
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Idem lib. 6. Faſt.

Hic furor cum ſemel homines correpſerit, illos muſis amicos reddit & ad Helicona compellit.

Quartus eſt Amantium furor, à Venere Cupidineque proueniens, quo correpta Phædra ſyluas Hypoliti ſequebatur veſtigia; & Sappho poetria celebris in ſummitate rupis ſe præcipitem dedit. Hic amor à Venere inſpiratur, quæ propterea Cupidini apud Virgilium præcipit.

Quartus furor veneri, & cupidine adſcriptus.

Occultum inſpires ignem

Qui mandata executus dum eſt

Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.

Hæc de furore diuino iuxta Platonis, & Academicorum opinionem; ſed quanta ſit ipſis habenda fides, ex infra dicendis intelliges; interim illud ſit exploratum, nempe diuinum furorem apud commemoratos Philoſophos eſſe ἕκστασιν, ad quam tanquam ad genus ſupra recenſiti furores, veluti ſpecies reuocantur.

Quid autem Academicos impulerit ad hæc de furore dicenda, paucis aperiam. Sapientiæ veteſtiores antiſtites Pythagoras, Empedocles, & Heraclitus in eam opinionem abierunt, ut crederent hominis animam uti ratione poſſe antequam ingrederentur corpora; cæleſtibus inhabitaſſe tectis, ibique aſſiduâ contemplatione alitam, & ſuſtentatam fuiſſe. Quoniam autem in Diuina natura rerum omnium exemplaria, ſiue ideæ reperiuntur; ob id putabant ab anima Deum contemplante omnia, atque adeo iuſtitiam, ſapientiam, & reliqua attributa, rerumque omnium ideas, ac primas naturas cognoſci, horumque perfectâ notitiâ ipſam nutriri: at animam terrenarum rerum deſiderio preſſam, & in corpus demandatam, cum prius nectere aleretur, lethes aquis hauſtis obliuionem rerum omnium, atque adeo diuinarum quoque contraxiſſe. Nequit igitur animam ad locum, unde cecidit, redire, niſi contemplationis obtutum in ideas primaſque naturas dirigat, quod facere non poteſt niſi duabus inſtructa alis, iuſtitiæ, & ſapientiæ per vitam actiuam, atque contemplatiuam; nam his anima à corpore ſeiuncta, diuinitate repletur, & ad antiquum priſtinumque locum eleuatur. Hæc autem à corpore ſeiunctio, ac abſtractio diuinus eſt ille furor de quo Plato ſermonem habet, & cuius quatuor ſpecies eſſe contendit.

Academicorū conſilium explicatur, & eiuſdē redditur cauſa.

Sed ut hic, quod paulò ſuperiùs dicebam, quam bene cum veritate Platonis doctrina conſentiat, paucis aperiam, Ariſtotelem edibo, qui cum ſemper ex naturæ latebris veritatem ingeniosè depromat, facilè nos docebit, quid hac de re ſentiendum. Stagirites porro excitationem illam, quam Græci, ἐνθουσιασμὸν appellant, non à Muſis, aut à Diis, ſed aliunde proficiſci credebat, nimirum ab humore melan-

An Platonis opinio cum veritate conſentiat. Ari. probl. ſect. 30. probl. 1.

Digitized by Google

melancholico, quem vino persimilem existimabat. Ex huius itaque sententia quicunque diuino quodam spiritu agitari putantur, humore melancholico duntaxat abundant; adeo ut, quæ vulgò spiritibus tribuuntur, Philosophus humori prædicto acceptum referendum arbitraretur. Magna siquidem huius humoris est vis, unde illos, qui in Philosophia, vel in Politica, vel in Poetica, vel in actibus maximè claruerunt, melancholicos fuisse, & ægritudinibus ex atra bile prodeuntibus, puta comitiali morbo &c. laborasse accepimus. Quod Stagirites exemplis ac inductione suadet; tales enim fuisse Herculem inter Heroas, Lysandrum Lacedæmonium, Aiacem inter milites, & Bellorophontem inter strenuos viros affirmat. Alios etiam & quidem ex Philosophis præclaros, iisdem ægritudinibus obnoxios extitisse, videlicet Empedoclem, Socratẽ, & Platonem, & quosdã alios; immò & poetarũ plerosq; melancholicos fuisse testatur. Vniuersè igitur iuxta Philosophi placitum ex viris præstantibus pleriq; vel laborarunt ægritudinibus atræ bilis, vel ad tales ægritudines fuerunt proclives, vel saltem melãcholicam complexionem sortiti sunt. Dum autem pergit, explicat effectus vini, cui similem humorem melancholicum esse contendit, & hanc similitudinem declarat, atque tandem in epilogum hactenus à se dicta colligendo, concludit, primò homines melancholicos esse varios, inæqualibus moribus, & affectionibus præditos, quoniam atra bilis cum facilè incalescat vehementer, ac vehementer refrigeretur, est admodum varia, & inæqualis, hinc huiusmodi homines varij sunt; Docet etiam, quoniam animi affectiones, & mores magna ex parte à calore, frigoreque pendent, atram bilem prout incalescit, vel refrigeratur, efficere in nobis mores diuersos, & varias affectiones, ad eum modum, quo vinum, prout bibitur in maiori vel minori copia, varios mores, ac varias affectiones parit. Docet deinde vinum, & atram bilem conuenire in flatuositate, & ideo ex hoc capite efficere effectus analogos. Docet ad extremum eos, qui moderatam atræ bilis copiam habent, quæ possit facilè incalescere, & refrigerari, & ideo qui melancholici sunt moderatè, non ex ægritudine, sed ex natura, valdè quidem esse ingeniosos atque adeo aptos, partim ad Philosophiæ studia, partim ad Reipublicæ regimen & partim ad Poeticam facultatem, περιττοὶ δὲ ὅσοι φύσεως οἱ μελαγχολικοὶ, οὐ διὰ νόσον, ἀλλὰ διὰ φύσιν. *Melancholici porrò omnes non per morbum, sed per naturam eximio ingenio sunt.* Mira verò narrantur, quæ ab humore melancholico proficiscuntur. Melancholici siquidem valde sunt idonei ad somnia interpretanda, & ad præuidenda futura, quod planè diuinum quid est. Rationem reddit Aristoteles, quia melancholici valde sunt vehementes in cogitando, ut igitur illi, qui habent arcum valdè tensum, collimant in scopum, etiam maximè distantem: ita melancholici, quia intensè cogitant quodammodo cogitationes valdè procul proiiciunt atque adeo futura præuident, etiam non mediocriter distantia. Accedit pariter, quòd Melancholici sunt quodammodo fanatici; at hi ut connectunt egregiè distantia, ità facilè valde distantia intelligunt. Hic enim humor, cum possit multùm incalescere, & frigescere, potest etiam parere in homine effectuum varietatem, si verò fuerit moderatè calidus, efficit homines cæteris prudentiores, & sapientiores. Quanuis autem Philosophus plurimum melancholico humori tribuat, ac ob id, quòd vulgò spiritibus, ac diis acceptum referunt, ab huiusmodi humore prodire arbitraretur; non propterea tamen ex quorundam placito inficiatur Poetas furore corripi, propterea quòd ait Μάρκος δὲ ὁ Συρακούσιος ἐμμανέστερον ἦν ποιητὴς, ὅταν μαίνηται. *Marcus Syracusanus præiantior erat Poeta, cum mente alienaretur.* Hinc tamen nihil concluditur; enimverò Philosophus mentis alienationem à melancholico humore prouenire posse testatur.

Aristot. lib. de diuin. per somn.

Cum igitur quispiam Phantasiâ valuerit, & ad Poesin idoneus naturâ fuerit concitatus, poterit Poemata condere. Huius autem concitationis causam cum Aristotele melancholici humoris acrimoniam statuimus: sed præter hanc adsunt etiam & causæ aliæ, videlicet affectus iræ, vel amoris; nã ab his homines itidem redduntur diserti; deinde vinum, quod liberiùs haustum ingenii torporem non mediocriter excitat: Insuper instrumenta musica; his enim quoque ad carmina pangenda concitamur. Tandem hoc idem præstat excellentium Poetarum lectio; eos namque legendo non absimili furore corripimur. Hic itaque humor est, qui tres in riuulos effusus, tres fontes efformat, à Poetis effictos, ad quos dum homines bibunt, poeticum spiritum concipiunt; fontes verò sunt Hippocrene, Aganippe, & Pirene. Hic humor, unde furor de quo Plato loquebatur dicens, ὃς ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεποιθὼς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος ἀτελὴς αὐτὸς καὶ ἡ ποίησις ἐκείνου τῆς τῶν μεμηνότων καὶ ἀφανιζομένου. *Qui absque Musarum furore ad poeticas fores accedit, persuasus se artis beneficio bonum fore poetam, imperfectus, & ipse est, & poesis illius, qui sanâ mente est, ab illâ, quæ est furentium, absumptæ euanescit.* Nouit hoc etiã Tullius, qui propterea scribens ad Q. Fratrẽ, se purgat, quòd promissum nõ pangat carmen, ait enim: *sed abest etiam iudicium quies*; non enim eum latebat plurimùm in poetâ naturam posse, nam in oratione pro Archia, disertis id verbis affirmat, dicendo *Poetam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari.* Optimum naturæ tamen est artem adiungi, ut propterea Lyricus cecinerit.

Quando quis possit poemata condere.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem, & coniurat amicè;
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer sudauit, & alsit:
Abstinuit Venere, & vino, qui Pythia cantat
Tibicen didicit prius, extimuitque magistrum.

Horatius in arte Poetica.

Itaque verum erit utrumque *Orator fit, Poeta nascitur: & Poeta fit, Orator nascitur.*

Sequitur, quod erat in partitione secundum, cum de causis efficientibus poseos nobis propositum esset disserere, dicebamus enim secundo loco esse carminis rudem conatum, siue carmen subitò, & ex tempore fusum. Hæc porrò cantilena quædam est agrestis & inculta, quæ secundo loco poeseos habetur effectrix causa, quia carmen ex tempore fusum, suauitate suâ auditorum aures demulcendo, ad sui quidem imitationem eorundem phantasiam excitat, quæ deinceps adiuuante curâ, ac diligentiâ, non solùm similia, sed meliora etiam depromit.

Secunda causa poeseos efficiens, carminis rudis conatus.

Horum autem causis deprehensis efficitur ars firmis præceptionibus constans, quibus instructi feliciter Heliconium nos montem concendimus, spe firmâ quidem inixi, ut nobis Apollo coronam imponat contextam ex lauro nostris irrigata sudoribus, atque adeo, ut nos etiam illustres Apollinea in arte, dignique aonio choro videamur.

Tertia causa, Ar

Digitized by Google

De Poetices origine non leuis contentio est.

De Poetices autem origine, scilicet à quibus, & quando fuerit inuenta, non leuis contentio est. Græci, ut perpetuò se magnificè iactant, ita se Poetices inuentores ostentant; quanuis à quo, & quando ipsa fuerit inuenta affirmare non audeant: antiquissimam eius originem esse testatur Plinius, qui ante bellum Troianum fuisse docet. Hoc tamen non satis ijs, qui diligentiùs in rerum considerationem incumbunt, æquo tamen animo ferant, oportet, hac de re certi nihil pronunciari posse; satiùs igitur est dicere Poetices originem præ nimia antiquitate constare nemini posse.

Quomodo Poesis fuerit inuenta, itemque Poetica.

Quomodo autem fuerit inuenta, non facilè dictu. Placuit enim quibusdam casu eam inuentam fuisse. Cum enim, inquiunt, anus quædam à iuuene concitatiùs incedente foret in humero concussa, contumelijs eum incessit, quod cum id seruans orationis mensuram præstitisset, rem iuueni gratam fecit, cui propterea vehemens incessit imitandi cupiditas. Alij verò, alia dicunt.

Initium perfectionis in Græcia.

Verisimile tamen est Poesin repertam à pastoribus fuisse, primitùs in Græcia circa montes, fonteſq; nuper commemoratos gratiâ pascendi greges, quod circa fontes, aut montes fieri solet. Id autem in Græcia contigisse non leuis est coniectura, quoniam montes illi Parnassus, mons quidam est in Phocide duos vertices habens, quorum unum Tithorea, alterum Hyampeum vocari dicunt, à quo Helicon quindecim passuum millia, Citharon verò triginta distant; fontes autem Hippocrene, & Aganippe propè Helicona in Græcia sunt; in hac enim Phocis exigua Regio est sinui Crissæo adiacens Bœotiæ supradictis montibus inclyta; Aganippe, quemadmodum Hippocrene sunt fontes; at Bœotia Regio est in finibus Græciæ, Euboæ insulæ obiecta; sed tàm supradicti montes, quàm fontes Apollini, ac Musis erudita vetustas consacrauit. Hoc tamen intelligendum de origine cultioris Poeseos, atque adeò de perfectiori Poetica, nam alioquin non solùm ante bellũ Troianum, sed etiam ante Cadmi in Bœotiam aduentum, à quo Græcia literas didicit, Poesis, & idcircò Poetice apud Hebræos extabat. Præstabit igitur dicere præclarum hoc inuentum orientis populis acceptum esse referendum; cumque imitandi studium, armoniæque dulcedo homini insint à natura, videtur Poesis mundo esse cœua.

Absolutè multo prius apud alios in usu fuit

Illud etiam addendum tàm celebri inuentioni amorem præbuisse ansam, enimverò antiquitùs ijdem erant Musici, ac Poetæ, idcircò apud Comicum Musica, pro Poetica usurpatur.

Repentè se ad studium hunc applicasse Musicam.

Et alibi.

Terentius in Prologo Heaut. Idem in prologo Phorm. Distributio poeticæs in duas partes.

In medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant Musicã.

At nullum apud veteres tàm celebre adagium, quàm illud. *Musicam docet Amor.* Poesis igitur amoris filia, & ab eodem Poetica ars natale recognoscit suũ; posteritas tamen has facultates seiunxit, cęperuntque dici Poetæ solùm, qui carmen condebant, nempè materiam excogitabant, & eamdem oratione carminibus illigatã congludebant: Musici verò cùm hæc à Poetis accepissent, eadem tibijs adaptabant.

Poetices autem distributio communi calculo recepta est in uniuersalem, quæ poematum omnium communia persequitur, & particularem, quæ speciatim quodlibet poematis genus considerat, ut mox intelliges.

DISSERTATIO II.

De ijs, quæ tanquam communia in Poetica facultate tractantur.

Poetica ars gemina parte constat. Prior pars hac dissertatione comprehenditur.

Poeticam artem geminâ parte constare, non ineptè quidam crediderunt; duo nanque sunt rerum genera, de quibus disserendum, primum eorum est, quæ cuilibet poemati communia sunt, & hæc ad primam artis partem spectant; aliud eorum, quæ singulorum poematum perse sunt propria, & hæc in secunda parte tractantur. Primum è duobus commemoratis generibus, cum & natura, & doctrina, sit altero prius, præsenti nostra Dissertatione persequemur, de altero, mox dissertatione ordine tertiâ, verba facturi.

SECTIO PRIMA.

De ijs, quæ tam generatim, quàm speciatim Poetæ tractant.

Duo sunt à Poeta considerãda, quę iterum bipartitò diuiduntur. Ad tria reuocantur.

DVo sunt Poetæ considerãda, nempe res, & verba; in rebus duo sunt, quæ in considerationem veniunt, nempe, quæ dicenda sint, & ordo seruandus: in verbis itidem duo, puta eorum delectus, & metrum, nisi velis verborum nomine metrum ipsum comprehendi, adeo ut ad tria hæc reuocentur, quæ sint Res, Ordo, & Verba. Vt enim Poetica Rhetoricæ in cæteris affinis est, ita præsertim in eo, quòd utraque debet in tribus occupari. Rhetoricæ nanque partes sunt argumentorum inuentio, inuentorum dispositio, atque dispositorum exornatio, quæ ex verborum delectu, compositione periodica, numerosaque consurgit; sic etiam Poetices partes sunt argumentorum inuentio, inuentorum ordo, seu dispositio, atque dispositorum elocutio, siue dictio, quæ verborum ornatu, metroque constat.

Rem tractandam primò considerare oportet.

De rebus tractandis primò quidem oportet poetam esse sollicitum; non enim poetæ de rebus omnibus est oratio illiganda carminibus: quin potius ei prima debet esse cura de re, quam sibi metrico sermone tractandam assumit, atque adeo de inuentione summoperè anxius esse debet, nam ab hac, & à perfecta imitatione, fabulæque narratione potius, quàm à cudendis carminibus poeta denominatur; sed de fabulis condendis non multo post sermo redibit. Interim ad inuentionem quod attinet illud sit exploratum, poetæ magnoperè desudandum esse in rerum tractandarum inuentione, cum eos imitari nõ de-

debeat, qui præ oculis dumtaxat habendum putant ornatum dicendi genus, quasi res sint propter verba, & non vicissim, cum tamen causâ rerum verba excogitata sint; tametsi namque vocabulorum suauitas plurimum quorundam aures demulceat, summèque reficiat; eruditorum tamen mentem non delectat, nec recreat; nam ut huius oculos verborum splendor, & sonitus aures perstringit, ita sententiarum lumen oculos claritate perfundit, & earumdem acumen aures titillat. Idcircò nemo debet animum ad poesin appellare, nisi priùs variarum rerum scientias fuerit adeptus, multisque disciplinis instructus, nam

Horatius in arte Poetica.

Scribendi rectè sapere est, & principium, & fons,
Non tamen in poeta rerum omnium notitiam requiras, hæc enim humanæ mentis vim longè quidem exuperat, qui namque poetæ πασῶν μάθημα, καὶ πάσαν τέχνην; *Omnem disciplinam, omnemque doctrinam* tribuunt, insulsè id faciunt, totoque cælo aberrant, si de exquisita notitia loquantur, Poeta siquidem cùm in aliis, tùm in hoc præcipuè similis est Oratori. Orator enim, ut probè suo munere fungi possit, ex variis artibus, ac scientiis sat est, ut plura delibauerit, quanuis illa non exquisitè didicerit: sic & Poeta, cum utriq; sit satis de rebus omnibus loqui ex communi opinione posse, de ipsis enim exquisitius differe ad peculiares pertinet Artifices; idcircò irridendi sunt illi qui contrariam sententiam amplectuntur. In poeta igitur talis debet esse notitia, qualè diximus, scilicet non rerum omnium sed plurimarum; earum præsertim quæ potissima sunt, quod aliquibus videtur eleganter Aristoteles explicasse dicens, μάλιστα μὲν οὖν ἅπαντα δὴ τοιοῦτος ἔχειν τις δεῖ μὴ τὰ μάγειρα καὶ πλοῦα. *Maximè igitur opera danda est, ut omnia exprimamus, sin minus, potissima.* Hæc tamen verba ad alium sensum transferri possunt, nimirum, in aliquo argumento tractando, si non omnia, saltem potissima ad illud spectantia poetæ tractanda esse. Nullam igitur scientiam poeta debet negligere, quasdam tamen sat est ut leuiter degustauerit, & cursim percurrerit, saltem in [illegible] partibus, ex quibus possit haurire aliquid ad poematis ornatum conducens; in quibusdam autem alijs debet magis esse versatus, præsertim in ciuili disciplina, qua pariter Oratorem informatum esse oportere, alias aduertimus; debet etiam poeta maximè virtutum vitiorumque præceptis, doctrinaque affectuum, morum, & actionum instructus esse; quemadmodùm & Orator; ideò Lyricus dicebat.

Horatius in arte Poetica.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.
Significare volens poetæ quàmmaximè ciuilem disciplinam esse necessariam; hoc enim pacto subdit futurum, ut poeta probè suum possit obire munus.

Ibidem.

Verbaque præuisam rem non inuita sequentur.
Vbi latè explicat in quibus moralis disciplina versetur, addit enim.

Ibidem.

Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes:
Quod sit conscripti &c.
Hæc enim Poeta non minùs quàm Orator habere perspecta debet, non tamen existimandum æquè in omni argumento vel ingenium, vel doctrinam requiri; cùm frequenter usueniat, ut in aliquo genere poematis possit quispiam excellere, in alio autem non item; ob id quisque debet proprias ingenij vires expendere, & qua ipse doctrina valeat diligenter aduertere; scitè namque Lyricus præcipit.

Ibidem.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus: & versate diù, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res.
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Poesis, & historia differunt.

Si nihil inter poesin, & historiam differret; non esset profectò cur poeta vehementer adeò laboraret, ut se variis artibus, ac disciplinis instrueret; syncerè namque res gestas narrando, suum obiisse munus diceretur: sed poetica ab historia longo dissidet interuallo, nec rhythmo duntaxat inter se discrepant, ut ineptè quidam dixerunt; poeta namque per ambages procedit, Deorumque ministeria permiscet, & fabulas interserit, variis ornatibus, ac lenociniis verborum utitur, plurimisque figuris sermonem illustrat, & præcipiti quodam spiritu ita hæc efficit, ut potiùs furenti, quàm religioso ad verùm intento animo ratiocinari videatur. Vide igitur quàm longè latèque differant Historia, & Poesis, quod enim historico defectus notam inureret, nempè sermonis ornatus, variis figurarum luminibus comparatus, diuersisque figmentis contextus; id poetæ summam gloriam affert, eiusque nomen immortalitati commendat.

Non metrum sed imitatio poeram constituit Aristoteles in arte Poetica part. 1.

Nec tantùm differunt metro, siquidem Aristotelis testimonio, ut non semel inculcauimus, non metrum; sed imitatio poetam constituit; unde ipse ait, Δῆλον ἐν ἐκ τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητής ἐστι τῷ μιμητὴν εἶναι μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις. *Manifestum igitur ex his poetam esse oportere magis fabularum effectorem, quàm metrorum, quatenus poeta secundum imitationem est; imitatur autem actiones.* Quæ non sic intelligenda, quasi poeta veras actiones non possit attingere, ealque tractare; nam ex eius sententia hoc à veritate prorsùs alienũ: propterea quod subdit, κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν· οὐδὲν ἧττον ποιητής ἐστι τῶν γὰρ γενομένων ἐνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι οἷα ἂν εἰκὸς γένοιτο, καὶ δυνατὰ γενέσθαι· καθ' ὅσον οὖν αὐτῶν ποιητής ἐστι *Quamuis igitur contigerit facta pangere, nihilominùs poeta est. Factorum enim nonnulla nihil prohibet talia esse, qualia verisimile est fieri, & possibilia esse, secundum quod illa ipsorum poeta est.* Philosophus enim arguit ab etymologia, nempe ποιητὴς est, qui ποιεῖ; hoc est, fingit; qui ergo fingit poeta est; quatenus igitur quispiam in rebus actionibusque veris, vel ipsas augendo, vel exornando ex verisimili, etsi non narret illas ut reipsâ sunt, adhuc poeta dici debet.

Aristot. ibid.

SECTIO SECVNDA.

De Fictione poetica: ubi de Fabula.

Imitationem primarium esse Poetæ finem initio dictum à nobis fuit; enimverò præcipuum poetæ officium est imitari ac fingere: videndum igitur quid Imitatio, & quid Fictio sit, & quo inter se differant. De imitatione superiùs egimus, cum diceremus, eam sermonis, aut rationis quamdam expressionem esse iuxta ea, quæ perfecit is, quem imitandum suscipimus. Hoc autem loco imitatio aliâ significatione sumitur; quâ nimirum est quædam bonarum actionum, vel malarum adumbratio; Poeta siquidem peculiarem sibi hanc imitationem vendicat, alioquin priori significatione accepta non minùs Oratori, quàm Poetæ conuenit; siquidem ea est, quâ nos inuentionem, dispositionem, & elocutionem alterius, siue prosâ, siue carmine æmulamur; hæc autem ea, qua bonas, vel malas actiones adumbramus. Imitatio igitur in præsens affinis est fictioni, à qua tamen secernitur; enimverò imitatio attendit id iuxta quod facimus aliquid, adeò ut illud æmule-

Imitatio est primarius Poetæ finis.

Quomodo hic sumatur imitatio.

mur;

mur; fictio autem respicit id quod fit; ita quidem statuarius, vel pictor verum hominem, puta Socratem, imitatur, at non hominem verum, sed eius simulacrum efficit. Modo non absimili se habet res, de qua agimus; poeta namque humanas imitatur actiones, sed fingit fabulas, tamquàm actionum humanarum imagines; ita fit ut actio, quam imitatur, vera sit; huic autem sit similis actio, quam fingit. Hinc veritas elucet illius effati, quod Simonides frequenter usurpabat dicendo Poesin esse picturam loquentem; picturam verò Poesin tacentem, cuius etiam supra meminimus.

[Affinitas inter picturam, & poesin.

Affinitas porrò in eo est, quòd pictura ex. gra. imitatur hominem; at poesis actiones & sermones eiusdem. Nec inconsideratò dictum existimes poetam in eo totum esse, ut non mores, sed actiones imitetur, quoniam ciuilem ipse beatitudinem sibi propositam habet, at nemo felix eòquòd in aliquid animo propendeat, sed quoniam iuxta virtutem operatur, vitamque traducat. Ne commemorem imitationem esse non posse nisi eorum, quæ sensibus usurpantur, huiusmodi porrò non mores, sed actiones esse nemo ibit inficias; adhuc tamen quodammodo morum imitatio dici potest, quoniam dum actiones imitamur, mores itidem ostendimus.

Fabulæ utilitas explicatur.

De fabula nunc disserendum, cuius tanta est utilitas, quanta nullius verbis potest explicari, ut non immeritò Plato primam omninò puerorum eruditionem ab honestis fabulis ducendam iusserit: *τὰς δ' ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφοὺς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσί.* *Selectas autem fabulas matres ac nutrices pueris narrare hortabimur, illorum animos fabulis diligentiùs, quàm corpora ipsa manibus informare.* In eum finem, ut de ijs Deorum mysterijs pueri erudirentur, quæ antiquis sub fabulis à maioribus occultata fuerunt, & ut probis etiam moribus redderentur instructi. Summa quoq; fabularum utilitas in eo est, quòd tempestiuè usurpatæ venustæ sunt. Et certè si fabulæ de poetarum scriptis eximerentur, nihil propè foret in ipsis admirabile, nihilque iucundum; tanta est fabularum utilitas.

Plato 2. li. de Rep.

Fabula quid è veterũ sententia.

Quid autem fabula sit, veteres docuerunt, ex quorum sententia Fabula, græcè *μῦθος*, *est narratio ad delectationem, ac utilitatem inuenta, rerum nec verarum nec verisimilium.* Hanc definitionem Tullius etiam amplectitur, cum ei fabula sit, quæ neque veras, neque verisimiles res continet; quanuis Aphthonio Fabula videretur, *λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν.* *Sermo falsus veritatem imitans.* Etsi in præsentia cum Aristotele sumatur fabula, prout integræ alicuius actionis narratio quædam est falsa, verum tamen imitans, quò illud Aristotelis pertinet, *σύστασις τῶν πραγμάτων.* *Constitutio rerum.* Nec immeritò, nam per fabulas, res constituimus esse, quanuis re ipsâ non sint, licèt huiusmodi constitutio debeat esse verisimilis, talis autem fit per imitationem, ut ob id Aristoteli fabula sit *πρῶτον μίμησις.* *Imitatio actionum.* Et poesis in imitatione consistit, adeòut imitatione sublata, poesis corruat; non secùs ac ablatâ animâ interit animal; idcircò Aristoteli fabula est, *ἀρχὴ καὶ οἷον ψυχή* *Principium, ac velut anima* poeseos.

Aphthonio, quid fabula.

Imitatio est anima poeseos.

Fabularũ varia genera.

Ex in rà dicendis intelliges non unum esse fabularum genus; nam ex fabulis quædam à locis in quibus inuentæ fuerunt, quædam ab inuentoribus, quædam ab argumentorum natura, nomen obtinuerunt. A loco dictæ sunt Cypriæ, Ciliſiæ, Sybariticæ, Ægyptiæ, Libycæ, at Libycæ dicuntur, vel quia in Libya fuerint inuentæ, vel quod ibi populi mendaces sint, & multa fabulentur; vel quòd in Libya multa monstra nasci soleant. Ad inuentores quod attinet, cum hi multi fuerint, usus obtinuit, ut omnes Æsopicæ dicerentur, silentio cæteris inuentoribus prætermissis, quòd Æsopus in conficiendis fabulis omnium artifex ingeniosissimus habitus fuerit; fabulæ autem Sybariticæ de brutis agebant, sicuti Æsopicæ de hominibus. Politicæ verò sunt appellatæ, quibus sapientes ad animos potentiorũ demulcendos, & ad informandos homines humaniori viuendi ratione utebãtur. Rursus aliæ sunt fabulæ *Morales*, aliæ *Rationales*, aliæ ex his *Mixtæ*. *Rationalis est cũ fingimus hominem aliquid feciſſe, aut dixiſſe, quod nec fecit, nec dixit. Moralis est cum mores brutorum exprimuntur ad homines probis moribus informandos. Mixta est quando homines cum brutis ſermocinari finguntur.* Horum exempla valdè sunt obuia, idcircò non est cur hic afferantur in medium. Comœdiarum, & Tragœdiarum argumenta consueuerunt inter politicas fabulas numerari, quoniam etsi horum præsidio nequeant homines ciuilibus moribus instrui; euocantur tamen à voluptatum illecebris, & ab omni quidem incontinentia, ad vitæ frugalitatem, conformationemve traducuntur. Ex varietate autem argumentorum, variæ etiam fabularu denominationes deducuntur; nam aliæ à Græcorum pallijs dici palliatæ solent; aliæ tabernariæ pro vestibus conditioneque personarum, quæ in ipsis introducuntur: aliæ planipediæ coquòd neque Soccis, neque Cothurnis, ut in cæteris horum argumentorum histriones uterentur: aliæ Atellianæ iocis, & salibus, quàm proximè ad Satyram accedentes, ab Atellis campaniæ opido, in quo plurimæ actitatæ sunt, nuncupantur quanuis hæ simplici tragœdiarum nomine comprehendantur.

Fabula quid.

Moralis quid.

Mixta quid.

Aristoteles porrò exempli nomine historias, similitudines, fabulasque complectitur, quibus vult oratorem probandi gratia uti posse; duo autem facit exemplorum genera, alterum verum, alterum fictum; verum est, quod aliquam historiam, ac rem gestam continet; sed fictum bipartitò diuiditur prout collationem, vel fabulam complectitur. Collatio est similitudo rei, quæ probandi gratiâ affertur, ut suo loco docuimus; Fabula verò est res olim ab alijs ficta, qua Orator ad probandum interdum utitur, & huius generis ait Aristoteles esse Æsopicas, & Libycas, quas Philosophus ita distinxit, quoniam Libycæ de hominibus, Æsopicæ verò de brutis agunt.

Li. 2 Rhe. c. 41. alias

Duo præcipuè sunt fabularũ genera.

Sed præcipuè duo sunt genera ad quæ fabulæ reuocantur, ad quorum vnum pertinent illæ de quibus Tullius loquebatur, cum diceret fabulis nullam verisimilitudinẽ inesse, cuius generis sunt Apologi, & ad idem genus pertinent illæ, nempè quod Daphne versa sit in Laurum; atque Tantalus apud inferos flumina fugientia captet. Ad alterum spectant illæ quæ veritatem imitantur, seu verisimilitudinem continent. Vtriusque generis fabulis Orator utitur, Poeta tamen spectantes ad secundum genus usurpat, & hæ poeticæ fabulæ nuncupantur; utrumque autem fabularum genus ab omnibus recognoscitur, unde Macrobius de utroque genere sermonem habuit, dum ait: *In quibuſdam, & argumentum ex ficto locatur* &c. quarum distinctionem afferre non pigebit. Apologi vel fiunt solum de brutis, vel cum his homines colloquentes introducuntur, & hæ sunt fabulæ quas diximus cum Aristotele ab Oratore esse solitas adhiberi. At verò fabulæ illæ, quæ simpliciter tales dicuntur, quæque à Græcis *μῦθοι*, nuncupantur

Orator fabulis utriusque generis utitur.

Macrobius lib. 1. in somniũ Scipionis.

pantur sunt illæ, quæ tragœdiarum, & comœdiarum argumenta complectuntur, ac omnem vim Poeseos, quæ per imitationem fit, fictiones complectitur; at quemadmodum apologi vel agendarum rerum, vel omittendarum in concionibus tamquàm exempla probandi gratia usurpantur: ita fabulæ in scenis ad hominum mores corrigendos, vel informandos recitantur.

abularũ æ dicitur duę ut partes præcipuę.

Fabularum autem earum, quæ apologi dicuntur, duæ sunt partes præcipuę, nempè rei explicatio, & id, cuius causa, ut satis obseruanti potest esse perspectum; de altero fabularum genere quid dicendũ, facilè constat, non enim dissimile iudicium ferendum est. Cum enim fabulæ à sapientibus olim non temerè, sed prudenter confictæ fuerint, ut videlicet delectarent simulque homines instruerent, ob id semper allusionem aliquam ad eorum admonitionem contineant oportet, quæ si ad fabulæ calcem adhibeatur, *Affabulatio* si in principio *Præfabulatio* dicitur. Narratio autem ipsius fabulæ exponi potest vel concisè, vel diffusè; priori modo est expositio, quam Æsopus in suis fabulis præstitit. Secundo modo expositio fit personis, & animalibus introductis concinnè sermonem accommodando, ut Aphthonium fecisse constat. Iisdem legibus adstringitur fabula, quibus Chria, vel Narratio, & idcircò in ea laudatur breuitas perspicuitas, suauitas, & probabilitas, non quasi brutorum animantium locutio vera sit, sed admisso ea loqui, non eodem modo omnia loquerentur, sed longè diuerso pro diuersitate naturæ, & hoc ad decorum pertinet.

t Poetę is posquam is utã.

Cur autem poetę fictis potius, quàm veris utantur, egregiè Synesius declarat dicens, τὸ μὲν ῥᾶσον καταγελᾶσται ὁ δῆμος δεῖται δὲ τερατείας, *ridet ac negligit plebs, quod facilè intelligitur: opus est enim ei narratione prodigiosâ*. Eam ob causam igitur ficta veris præferunt, quia magis plebs mirificâ narratione mouetur; proprium igitur poetarum est à verò aberrare, & adeò proprium, ut plerunque fingendi licentiâ abutantur, cumres penitùs inuertant, atque adeò mulierem, quæ meretrix est, pudicam faciant, & vicissim; hinc non rarò inter se pugnant, penitusque dissentiunt, à quo ipsis abstinendum foret, ne fingendi potestate nimium abuti viderentur. Tametsi autem mentiri turpe sit, ac hominem ingenuum dedeceat, poetis tamen permittitur, quoniam eorum mendacia inhonesta non sunt, sed laudabilia; nam καλὸν τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελῇ τοὺς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπτῃ τοὺς ἀκούοντας. *pulchrum est mendacium, cum auctori utile, & audienti non obest*. Id etiam poetam à mendacio plurimum excusat, quòd qui decipit iustior est, quàm qui non decipit, & qui mendax sapientior est, quàm qui non mendax. At re verâ non omne quod fingimus, mendacium dici debet, hoc enim contingit quando fingitur id quod nihil significat; cum itaque poetica fictio ad aliquam significationem referatur, non mendacium, sed veritatis figura nuncupari debet; & ideo poeta debet verisimilia fingere, ita ut eius interfit, ψεύδεα ποιεῖσθαι τύμοισιν ὁμοῖα, *falsa fingere similia veris*; ob id Lyricus.

Calui encoo.

orat. in te poet.

Ficta voluptatis causâ sint proxima veris;
Nec, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.

Quæ autem verisimilia sint in Rhetoricis diximus verisimile enim dictum fuit esse quod plerumque contingit, quo autem sæpiùs, eo magis verisimile; quod præsertim à poeta usurpandum, quamuis ei non denegetur etiam quod rarò euenit, quoniam hoc admirationem parit; non propterea tamen adhibendum, quod humanam fidem excedit, etsi apud poetas aliqua reperiantur, quæ communi sapientum calculo fidem omnem exuperant; sed hæc poetis vitio verti non debent, quoniam allegoricè locuti sunt; de his tamen alibi. At, modum contexendæ fabulæ ad elaborandum poema, scitè admodum Lyricus docuit, dum cecinit.

Humano capiti ceruicem pictor equinam Horatius
Iungere si velit, & varias inducere plumas ibid.
Vndique collatis &c.

Contẽdit igitur fabulæ partes ita contexas esse debere, ut fabula ex ipsis composita non videatur aliquod monstrum ex diuersis inter se pugnantibus naturis conflatum, vel rudis quædam congeries malè cohærentium membrorum potius, quàm corpus artuum congruâ varietate distinctum; ubi admonet etiam ad optimam fabulæ, atque adeo poematis concipiendam ideam, opus esse ut quid in re idoneum sit, poeta videat; itaut fabula, siue poema unum quoddam sit corpus simplex conueniens, & sibi non dissimile, sed ut principium medio, medium fini respondeat, quanuis hæc sit unitas, non simplicitatis, sed compositionis. Videbat autem aduersus præceptum obiici posse prouerbium frequenter usurpatum de pictorum, & poetarum licentia, quòd illis pro arbitratu omnia fingere liceat

pictoribus atque poetis Ibid.
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Dum verò pergit, quosdam ait esse terminos fingendi, quos transilire non licet, propterea quod utrisque data est fingendi licentia, ita tamen, ut ipsis fingenda sint consentanea, & non repugnantia, quod etiam Plato testatur; negat enim permittendum esse poetis dicere quicquid voluerint, sed ab ipsis conuenientiam spectandam esse; ideò subdit

Scimus & hanc veniã petimusq; damusq; vicissim. Ibid.
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

Quasi dicat, non me latet multa permitti ad ornatum, & varietatem, hoc tamen fieri debet prudenter, ut omnia respondeant uniformæ, ne humilibus sublimia, nouis antiqua, vulgaribus peregrina admiscentur contra rerum naturam; non igitur placidis immitia, nec contraria, & repugnantia annecti debent.

Sed ad exquisitiorem rei de qua agitur tractationem oportet aduertere fictionem, in qua tota poetæ industria consumitur, gemino modo posse considerari, vel uniuersè, vel prout in aliquo determinato est argumento. Vniuersè porrò spectata vel in re vna, vel in fabula integra attenditur. Priori modo sumpta, diuiditur in simplicẽ, & fabulosam. Simplex ex media vita desumitur, cuiusmodi sunt adolescentum amores, & similia, quæ in comœdiis usurpantur. Ad notatio. Simplex fictio.

Fabulosam autem fictionem appellant, quæ fidem sapientum excedit; Spectatur hæc in personis, factis, & rebus. Personarum nomine intelliguntur Dii, homines, & monstra. In Diis porrò sapientum fidem superant amores, partus, bella, vulnera, & id genus alia. Fabulosa fictio.

In hominibus talia sunt, transformationes, ut Cyparissi in cupressum, Myrrhæ in arborem sui nominis, Athæonis in cervum, Ius in vaccam, Iouis in taurum, in aquilam, in imbrem aureum. Monstruosæ autem personæ sunt Centauri, Sirenes, Argus, Briareus. Fabulosum verò factum est ab Hercule comprehensam, & interfectam fuisse Aeripedem ceruam habentem cornua aurea; eumdemque ad inferos Explicatur exemplis.

Digitized by Google

feros descendisse, & Cerberum iter prohibentem triplici catenâ victum ad superos traxisse; & alia sexcenta similia: item Cælum Atlantis humeris sustineri. Res fabulosa est Iridem esse Iouis, itemque Iunonis nunciam, & Thaumantis filiam: Sed hæc ad quatuor genera solent reuocari, ut ab Hermogene factum videmus, qui ad genus refert primũ, quæ de Saturno, Titanibus, Gigantibus, Ioue, alijsq; Dijs humano dicuntur affectu. Ad secundum genus refert transmutationes in alias formas, ut Actæonis in Ceruam, Cadmi in Draconem, Alcyonis, Prognes, & Philomenæ in aues; præterea marium in fœminas, ut Cænei, aut contra, ut Tiresiæ; Insuper in homines monstruosos, diuersorumq; animantium mixturas, cuiusmodi sunt homines alis instructi, Pegasus, hoc est equus alatus; Centauri nempè animalia ex natura hominis, & equi constantia; Sirenes, quæ superiori sui parte virginis formam referunt, inferiore in piscis caudam desinunt. Tritones, Cyclopes, & alia huiusmodi. Ad tertium genus refert ea, quæ hominis naturam superant, & de iis prodigiosa dicuntur; ut Ladam Alexandri Macedonis cursorem tantâ fuisse pedum velocitate, ut vestigia eius in arena non apparerent; & Lynceum, unum ex Argonautis, vidisse tantâ oculorum acie, ut parietem visu penetraret, & nouissimam Lunam, primamque eodem die in signo arietis conspexisse; insuper Aiacem, aut Hectorem vastæ adeò molis saxum summâ facilitate proiecisse, & alia huiusmodi; Ad quartum genus refert inanima sensu prædita, & bruta animantia iis attributis affecta, quæ hominis sunt propria, ut equus, vel aliquod aliud brutum loquens. Fictio igitur in re una ex proxime dictis explicata remanet, solùm id superest adnotandum, quæ parum verisimilia sunt, non tam facilè apud poetas reperiri cum hi ea sectentur, quæ sunt proxima vero. Hoc etiam Aristoteles dissertissimis verbis nos docuit, cum diceret, φανερὸν δὴ ἐκ τούτων, ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν. ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, κατὰ τὸ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ ἀναγκαῖον. *Manifestum autem ex ijs, quæ dicta sunt, non esse poetæ munus, facta dicere, sed qualia fieri debent, & quæ fieri possunt, secundum verisimile, vel necessarium*, quæ sic intelligenda, quod poeta, vel assumit veram actionem tractandam, vel illam fingit; si veram actionem considerat, non debet illam narrare, ut re verâ omnino fuit, sed ut esse potuerit, vel debuerit, quod per ficta episodia fit, cum actione tamen connexionem habentia. Si verò actionem ipsam effingit, debet illam comminisci, iuxta leges possibilitatis, aut necessitatis, aut probabilitatis.

Quid in fictione uniuersæ fabulæ obseruare oporteat.

In fictione autem uniuersæ fabulæ illud obseruare oportet, ut priùs fabula concipiamus exutam iis omnibus, quæ non faciunt ad integritatem ipsius, cuiusmodi sunt episodia, ac digressiones, ut verò talis sit fabula, unicam actionem debet exponere; hoc enim modo unum erit poema. Hæc autem fabulæ vnitas, de qua controuersum fuit inter Philosophos, non sic intelligenda, ut actio circa quam fabula versatur, sit vna quasi nullis constet partibus; sed quòd, etsi partibus constet, eas tamen ita connexas habeat, ut unâ positâ, necessariò, aut verisimiliter, altera subsequatur, & unâ itidem sublatâ, uniuersa fabulæ structura intereat. Vnde est, ut una, non unitate simplicitatis, sed compositionis dicenda sit, quod nuper etiam aduerti. Hæc nos docuit Aristot. splendidissimis verbis particulâ quinquagesimâ primâ suæ Poetices, à medio enim ipsius hec habet, Χρὴ δὲ, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς μία μίμησις, ἑνὸς ἔστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι μιᾶς τε εἶναι, καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένων τινὸς μέρους, ἢ ἀφαιρουμένου, διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον. ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν, μηδὲν τοιοῦτον ἀόριστον τυγχάνει. *Decet igitur quemadmodùm una unius imitatio est in alijs imitatricibus artibus: ita & fabulam, videlicet, quæ actionis imitatio sit, unius eiusdemque integræ esse, & ita rerum inter se partes cohærere, ut ne ulla quidem vel transferri, vel subtrahi queat, quin totum illud varietur, planèque immutetur. Quod enim vel additum, vel subtractum totum non immutare videtur, nulla quoque eius erit pars.* Hæc Philosophus de vnitate fabulæ luculenter affirmat, cùm priùs reprehendisset nonnullos, quibus fabula vna videtur, si circa vnum aliquem sit, eò quod ei multa minimèq; determinata genere accidunt, ex quibus profectò quidpiam unum constitui nequit: non dissimiliter unius multæ sunt actiones, ex quibus numquàm una actio fiet; propterea carpit poetas omnes, quicunque Hiracleida, vel Theseida & id genus alia poemata confixere, ut qui, unus cum sit Hercules, unam pariter ipsius esse fabulã crediderunt. Posteà verò commendat Homerum quòd Odysseam faciens, non omnia descripsit, quæcumque ipsi contigerunt, ut eum accepisse vulnus in Parnasso, & insaniam in collectione exercitûs simulasse, quorum unum, cum alterum euenerit, minimè quidem necessarium fuit euenisse; sed circa unam actionem, qualem Odysseam diximus, itemque Iliadem consistit; Philosophus autem quatuor præstat; Primò similitudinem à se priùs positam declarat: Secundò præceptum affert spectans ad constitutionem, & coniunctionem rerum, & partium, quibus fabula constat: Tertiò de non transponendis, & non auferendis partibus fabulæ, unde colligitur qualis debeat esse partium constitutio; Quartò quid ad partem requiratur. Primò similitudo in eo posita est, quòd quemadmodùm in aliis artibus imitatricibus videmus exprimi unam tantùm, ac simplicem unius rei imitationem; sic fabula continere debet unius tantùm rei, & integræ, hoc est unius tantùm integræ actionis imitationem. Secundò ad connexionem rerum, ac partium omnium fabulæ quod attinet; manifestum est, (quoniam una, & integra necesse est ut sit fabula) debere omnes partes inter se cohærere; fabulã namque totum est quidpiam; at verò totum est id quod habet principium, medium, & finem; necesse est igitur ut ex his omnibus fabula constet, cumque tria hæc inter se connexa sint, nam ex principio finis & ex utroque medium pendet, consequens fit, ut fabulæ partes debeant inter se esse connexæ. Tertiò quantùm ad transpositionem, & ablationem partium, nulla difficultas, propterea quòd omnes fabulæ partes sic oportet inter se cohærentes esse, ut nulla ipsarum transponi, aut auferri possit, quin tota mutetur, soluatur, atque corrumpatur fabula. Transpositio autem fit quotiescumque locus in collocatione, & ordine partium mutationem subit: ablatio fit quotiescumque aufertur pars, & totum illud ablatâ parte, imminuitur, mancumque remanet. Quartò atque postremò illud erat inquisitione dignum, quid requiratur, ut aliquid alterius pas appellari possit; duo porrò sunt, unum quidem ut additum cum fuerit omnes cognoscant rem illam, cui illud acceserit grandiorem euasisse: deinde ut eo sublato cognoscant rem illam non integram esse; sed hæc clara sunt, adeò ut ulteriori explicatione non indigeant.

Super-

Digitized by Google

Supereſt duntaxat emollienda difficultas circa ſimilitudinem ab Ariſtotile inter picturam, & poema conſtitutam, quia pictura nequit exprimere tot, quot poema exprimit, ſiquidem pictura repræſentat unicam tantùm motionem, quæ exigua eſt particula totius actionis, quâ plures motiones comprehendi neceſſe eſt; ut certamen Herculis cum Hydra, actio eſt una plures motiones complectens utriuſque, cum tamen pictor unicam tantùm repræſentet, nempè illam, quâ Hercules clauam attollit, & eam quâ Hydra aduerſus Herculem inſurgit. Hanc difficultatem Robertellius tangit, ineptè tamen illam diluit reſpondendo, ſingulas actionis partes, ſingulaſque motiones ſeparatim coloribus effingi aliquo modo poſſe: nam ita dicendo non tuemur unitatem picturæ, & idcircò reſponſio non eſt ad rem, quoniam hîc agimus de pictura, quæ una ſit; ſiquidem de poemate uno loquimur, quod picturæ volumus proportione reſpondere. Rectiùs igitur occurretur dicendo, cum Picolomineo, per picturam non poſſe tàm exquiſitè repræſentari ea, quorum eſſe eſt ſucceſſivum, ut per poema; nihilominus eò peruenire poteſt egregii pictoris induſtria ut repræſentando rem permanentem, eiuſque primariam actionem, ſpectantibus inſinuet quod præteritum, & quod futurum eſt, tali nimirùm expreſſione, ut ex ea utrumque coniicere quamfacillimum ſit. Cæterum fabulæ unitatem iam explicatam Homero, Virgilio cæteriſque præſtantiſſimis poetis ariſiſſe, ex eorum operibus conſtat.

Altera eſt difficultas non ſpernenda; quia non videtur Philoſophus ſibi conſtare, quoniam fabulę unitatem tribuit, & eidem epiſodia concedit, quæ ſimul videntur cohærere non poſſe.

Ad hanc difficultatem diluendam diligenter aduertendum probè actionem conſtitutam non eſſe, ſi benè ſe habitura ſit, aliquâ parte ablatâ, vel etiam traiectâ, & hoc ad fabulæ conſtitutionem atque adeo ad eiuſdem unitatem pertinet; ritè autem fabulâ conſtitutâ duo in conſiderationem veniunt, nempè colligatio, & ſolutio, e quibus tamquàm ex partibus uniuerſa fabula conſurgit, medio tamen tranſitu, quo ſcilicet commemoratæ partes mutuo nexu copulantur. Colligatio, græcè δέσις, extenditur uſque ad eum locum, ubi habetur ſubita quædam varietas, ac in contrarium mutatio, nempè ex felicitate in infelicitatem, vel contra. At verò ſolutio græcè λύσις, eſt à mutationis principio uſque ad finem. His porrò conceptis habetur fabula integra conſtans ex partibus connexis, quarum, ut vidimus, eſt, δέσις *colligatio* altera λύσις *ſolutio* inter quas intercedit μεταβάσις tranſitus. Superſunt epiſodia, quibus narratio dilatatur, & amplior ac illuſtrior fit, ut propterea fabula his induta longè magis delectet. Sed epiſodia extrinſecus aduenium, & ſunt πράγματα ἐξαγώνια, *præter rem de qua agitur*. Sunt enim epiſodia narrationes eorum, quæ ſunt extra rem, nempè extra primariam actionem; nam, Ἐπεισόδιον, latinè dici poteſt *inſertum*, quod abuſione quadam dicimus, πᾶν ἐξαγώνιον πρᾶγμα, *rem omnem, quæ eſt extra cauſam*; quoniam epiſodii nomine intelligi quidem debet narratio eorum, quæ præter rem afferuntur, ita tamen, ut cum ipſa re connexionem habeant, alioquin non conducerent ad eam amplificandam, vel ornandam, ſed ad illam deturpandam. Itaque Virgilius, ut rem illuſtremus exemplo, unam tantùm Æneæ actionem narrandam ſumſit, nempè ut profugus multa, & magna pericula, terrâ, marique perpeſſus oraculo monitus tandem ab Ilio in Italiam venerit, eius que potitus ſit & urbem condiderit, & hæc eſt actio primaria, in qua integra fabula conſumitur, & quam primo libro proſequitur; ſed ad dilatandam, & illuſtriorem reddendam narrationem varijs illâ epiſodijs exornat, idcircò explicat captæ Troiæ hiſtoriam, quæ diſceſſum ab Ilio anteceſſit & ideò ſecundo & ter. lib. Æneam inducit hæc exponentem Didoni; non ſolùm autem Græcorum inſidias excidiumque Troiæ narrat, ſed etiam explicat quo pacto tot annos mari iactatus eſſet uſque dum in Aphricam tempeſtate foret eiectus; & ad aptam connexionem comparandam, cum Æneas appuliſſet in Aphricam, fingit Didonē Æneæ amore captam fuiſſe, ſibi deinde mortem conſciuiſſe eòquòd Æneæ potiri non potuiſſet; his autem interſerit quomodo Æneas cum Helena fuerit collocutus, & quo pacto ad Eliſios campos deſcenderit, per inferorum loca, ut nepotes recognoſcat & cum Anchiſe patre colloquatur; ſic & in alijs libris, alia itidem epiſodia admiſcet: At ſi unum vel alterum horum ex Virgilii poemate auferatur, non imminuitur totum, videlicet primaria actio nuper ſignificata, cum omnia hæc eò, quò actio primaria, referantur, nec prædicta inſerta impediunt quò minùs illa una ſit actio.

Epiſodia verò debent connexionem habere cum fabula, & idcircò nequeunt eſſe longè accerſita, quod explicari ſolet exemplo pereleganti; quemadmodùm in grauidis fœtus eſt matris pars, etſi non eo modo, quo bracchium, caput, manus &c. ſic epiſodium actionis; quamuis enim non ſit actionis primariæ pars, cum ea tamen, atque adeò cum fabula cognationem habet, ut ab his alienum dici non poſſit. Hoc eſt quod Lyricus inculcat dum canit.

Inceptis grauibus plerumque, & magna profeſſis. Hor. in
Purpureus latè qui ſplendeat unus, & alter. Arte poet.
Aſſuitur pannus, cum lucus, & ara Dianæ
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros.
Aut flumen Rhenũ, aut pluuius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus; & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc ſi fractis enatat expes
Nauibus ære dato qui pingitur? Amphora cœpit
Inſtitui currente rota, cur vrceus exit?
Denique ſit quoduis ſimplex duntaxat & unum.

Ad fabulæ demonſtrandam unitatem rationibus pluribus artifices uſi ſunt, prætermiſſis tamen illis, quibus obuiam ire nullius laboris eſt, iuvabit non nullas in medium afferre, quæ maioris eſſe momenti videri poſſunt. Prima autem ratio in eo poſita eſt, quòd fabula finis eſt à poeta intentus, idcircò eâ exiſtente unâ, finis itidem unus erit; ſi autem fabulæ plures erunt, & fines etiam eſſe plures oportebit; at longè meliùs operatur ille, qui unum, quàm qui plures ſibi proponit fines; iuvabit ergo in condendo poemate unicam potius fabulam, quàm plures ibi præfigere. Rationes variæ excogitatæ ſunt. Prima ratio.

In huius confirmationem illud afferri poteſt, quod ex multitudine indeterminatio proficiſcitur, ac ob id proceſſus in infinitum; hic porrò ſub artem non cadit, idcircò fabula una eſſe debebit, ne vitio laborare videatur. Altera verò eſt ratio ex Ariſtotele deſumpta, is enim de Hiſtoria loquens, hæc habet Διὰ τί ποτε τῶν ἱστοριῶν ἥδιον ἀκούομεν τῶν περὶ ἓν συνεστηκυῖαν, ἢ τῶν περὶ πολλὰ πραγματευομένων; *Quamobrem libentiùs eas hiſtorias audimus, quæ rem unam exponunt, quàm quæ plures?* Reſpondens ait. ἢ διότι τοῖς γνωριμωτέροις μᾶλλον προσέχομεν τῷ ἥδιον ἀκούσαι; *an quòd rebus magis attendimus notioribus, eaſque libentiùs audimus?* Mox verò ſubdit, γνωριμώτερον δὲ Confirmatio. Secunda ratio.

τὸ ὡρισμένον τῦ ἀορίστου. τὸ μὲν οὖν ἓν, ὡρισται. τὰ δὲ πολλὰ, τῦ ἀπείρου μετέχει. *Notius autem est, quod definitum: unum itaque finitum est, plura autem infinito participant.* Quod autem Philosophus de historia dicit, fabulæ accommodari facilè potest; enimverò Poeta & prodesse, & delectare debet; sed neutrum ei præstare licet, nisi unicam actionem imitando, proindeque fabulæ unitatem seuerè custodiendo; quoniam humana mens, utpote limitatæ naturæ multiplicem fabulam comprehendere minimè potest, quam ob causam nec emolumenti, nec iucunditatis inde quidpiam potest haurire. Poetæ curandum igitur in primis, ut fabula una sit, unitate tamen compositionis, non autem simplicitatis, ut non multo ante dictum etiam à nobis fuit.

In arte poet. part. 50.

Sed hæc fabulæ unitas non ex unitate personæ sed actionis desumenda est, ut Philosophus docet dicens. Διὸ πάντες ἠμάρτανον, ὅσοι τ' ποιηταὶ ἡρακληίδα, ἢ θησηίδα, ἢ τὰ τοιαῦτα ποιήματα ἐποίησαν ὀιόμενοι γὰρ, ἐπεὶ εἷς ἦν ὁ ἡρακλῆς ἕνα καὶ τὸν μῦθον εἶναι προσήκειν. *Quapropter omnes hic peccasse videntur poetæ, quicumque vel Heracleida, vel Theseida, cæteraque id genus poemata confixere, ut qui unus cum sit Hercules, unam quoque ipsius debere esse fabulam, existimauerunt.* Rectè quidem fabula, siquidem una & simplex esse dicitur, non quæ circa unam personam versatur, sed quæ circa unam unius personæ actionem, nam ab una persona innumeræ, diuersæque inter se actiones oriri possunt, quæ quia propter dissimilitudinem, quam habent, simul cohærere nequeunt, unam, ac simplicem, quam quærimus, fabulam non constituunt; & ideo Philosophus ait peccasse illos qui sua poemata Heracleidem, & Theseidem appellarunt, eòquòd omnes res gestas, & Herculis, & Thesei illo poemate comprehenderunt, quæ cum diuersæ omnino sint, neque simul coniungi queunt, una fabulâ, unoque poemate comprehendi minimè possunt.

Non facilè tamen dixerim cum aliquibus in episodiorum connexione absolutè negligi posse verisimile, nisi quando non sit habenda ratio personarum, locorum, & temporum, aut quando non adsit quædam connexio, qua aliqua ex aliquibus fluant.

Est etiam operæ pretium considerare locum episodijs & digressionibus opportunum, nam quemadmodum non incommodè adhibita, poema summoperè decorant, sic intempestiuè usurpata, valdè illud deturpant.

Appositè adhibentur episodia in colligatione, ubi rerum est perturbatio, adeòut colligatio partim comprehendat quæ sunt rei propria, partim extrinsecùs petita solius amplificationis, & ornatûs gratia. Solutio autem rarò episodia recipit, siquidem tunc primaria actio ad finem properat. Hæc autem esse ad Aristotelis aures, nemini dubium cùm is docuerit, à colligatione ea, quæ sunt extra actionem, hoc est, episodia comprehendi, & quædam etiam quæ in actione sunt, hoc est quæ intrinsecùs ad primariam actionem pertinent.

Fabulæ episodicæ quando dicantur.

Quando autem episodia, aut cum argumento, vel secum necessariò, vel probabiliter non cohærent, fabulæ episodicæ dicuntur, ita docet Aristoteles dum ait, simplicium fabularum, & actionum episodicas quidem esse deterrimas. Vbi subdit episodicam à se fabulam illam appellari, in qua non verisimiliter, neque necessariò mutua episodia nectuntur; sic enim loquitur. λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα, οὔτ' εἰκὸς, οὔτ' ἀνάγκη εἶναι. *Voco autem fabulam episodicam in qua nec verisimiliter, nec necessariò inter se episodia nectuntur.* Et amplius docet huiusmodi fabulas tum ab ineptis poetis suo vitio, tum à probatis quoque histrionum gratia fieri, quoniam in huiusmodi certaminibus, dum fabulas frequenter plus æquo producunt, legitimum ordinem peruertere coguntur.

Solutio fabulæ maxima poetæ curâda. Tullius l. 1. epist. ad Q. Fratr.

At verò non solùm poetæ summoperè curandum, ut connexio fabulæ ritè sit instituta; sed etiam ut probè solutio ipsius perficiatur; quod etiam Tullio perspectum fuisse manifestum satis ex ijs, quæ apud ipsum leguntur.

Est autem Aristotelis præceptum, fabularum solutiones ex ipsâ debere fabulâ obuenire, & non à machina, vel à Dijs; detestabile siquidem est nodum nectere, solutionem cuius perficere non possis; ob id vitio etiã vertitur poetis, si eiusmodi rerũ perturbationẽ inducant, ab ea ut expedire se haud aliter possint, quàm ad Deum confugiendo, cui nihil est impossibile; vel subducendo aliquem per machinam, quod magicũ artificium redolet, à quo morum probitas plurimùm abhorret; non est igitur nec ad machinam cõfugiendum, nec ad descensum Numinis è cælo; nisi cum eo forsan est opus, nempè vel ut res præteritæ, & ignotæ referantur, vel ut futura prædicentur, aut mandentur.

Itaque fabula ex se ipsa soluta reddetur, si ex verisimili, aut necessario exitus petatur. Optima autem fabulæ solutio est, quæ fit per περιπετειαν, hoc est per immutationem vel ἀναγνώρισιν, hoc est per agnitionem; quid autem peripetia sit, Aristoteles explicat dicens. Ἔστι δὲ περιπετεια μὲν, ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολὴ καθάπερ εἴρηται. *Peripetia est eorum, quæ agũtur, quemadmodum dictum est in contrarium mutatio;* quod duobus modis fieri docet, dum subdit, ἢ τοῦτο δὶς ὥσπερ λέγομεν καὶ τὸ εἰκὸς ἢ ἀναγκαῖον. *Id autem (sicuti dictũ est) aut verisimiliter, aut necessariò fit* περιπετεια. *Peripetia* igitur est eorum, quę aguntur, transitus in contrarium, siue hęc mutatio secunda sit, siue aduersa περιπετείας, *peripetiæ*; In aduersam fortunam exemplum est apud Sophoclem in Oedipode tyranno; Nuncius enim Corintho missus ad Oedipodem, ut significaret eum à ciuibus regem pronunciatum fuisse; dum se rem gratam ei facturum sperat, contrarium efficit, & eo rem deducit, ut Oedipus se matris maritum videat, & ex ea liberos esse, quos habet; Περιπετείας, *peripetiæ* verò in prosperam fortunam, exemplum præstat Euripidis Iphigenia in Tauris. Orestes enim, & Iphigenia, felices fiunt. Peripetia verò quemadmodùm & agnitio, de qua mox agendum, ita inseri debent in fabula, ut inter se aptè cohæreant, & altera ex altera consequatur, aut necessariò, aut secundum verisimile; Hanc verò necessariam consecutionem Aristoteles quoque requirit, nempè actiones, in fabula contentas, sic esse inter se debere conexas, ut non casu, aut fortuitò una ad alteram consecutionem habere, sed ex verisimili, aut necessario contigisse videatur. Id autem suadere nititur eâ ratione, quoniam actiones quæ metum, & misericordiam nostris animis debent ingerere, tales apparent necesse est, ut non casu, sed deditâ operâ vna ex altera oriri existimetur; actiones verò, quas fabula complectitur, commemoratos affectus debent in animos inducere; ideirco tales in fabula actiones esse debent, quales nos diximus. Assumptio probatione non eget; propositio verò facilè conuincitur ex eo, quia actiones, quæ nobis admirationem afferunt, præsertim illæ sunt, quæ sic se habent, ut non casu, sed studiosè, datâque operâ, vna ex altera proficiscatur; actiones autem, quæ parere metum, & miseri-

In arte Poet. Part. c. 56. Arist. in arte poet. part. 59. Peripetia quid sit explicatur

misericordiam debent, præsertim illæ sunt, quæ admirationem afferunt; propterea actiones, quæ timorem, & misericordiam in nobis ciere debent, præcipuè sunt tales, ut una ex altera non temerè, sed deditâ operâ nascatur. Assumptio ex eo planè constat, quòd res tunc metum, & miserationem in nobis præsertim pariunt, quando secum habent admirationis causam adiunctam; nunquam enim commiseratio, aut terror admiratione caret, propterea quòd admiratio perpetuò cum rei magnitudine granditateque nectitur: Propositionem verò, nempe quæ veluti sponte, & suopte ingenio prouenire videntur, magis admirabilia sint, quàm quæ a fortuna casuque proueniunt, Philosophus ut probet, ita disputat. Admirabile quidem est id, quod à casu, & illud etiam quod à fortuna prouenit. At si quidpiam spectes, quod casu, alterum autem quod deditâ operâ eueniat, facilè intelliges hoc longè esse admirabilius, quàm illud; quod exemplo suadere conatur dicens, sicuti statua Mityi Argis interfecit eum, qui fuit causa interitûs Mityi, cum in eius incidisset caput, dum is illam spectaret; cum enim ad statuam Mityi interfector staret, cadens statua illum peremit. Hoc idem narrat, licet paulò aliter Plutarchus, apud quem aliud simile recensetur de quodam Callippo, qui cum sub amicitiæ prætextu Dionem amicum suum interfecisset, eodem mense aliquot annis post à suis familiaribus peremptus fuit. Hæc igitur euenta, etsi casu, ex proposito tamen videntur facta; & ideo ex his pulcherrimæ fiunt fabulæ eo quòd habeant, τὸ θαυμαστὸν, τὸ φοβερὸν, τὸ ἐλεεινόν; *admirabile, formidabile, & miserabile*; quæ maximâ vim ad auditorum animos mouendos habent; & ideo Philosophus ait fabulas, in quibus hæc tria reperiuntur, pulcherrimas maximèque artificiosas esse, unde subdit, Ἔοικε δὲ τὰ τοιαῦτα δυσὶν ἐκβαίνειν γενέσθαι. ὥστε ἀναγκαῖον τοὺς τοιούτους εἶναι κάλλιστους μύθους. *Videntur enim talia non temerè facta esse; idcirco necesse est, tales fabulas pulchriores esse.* Fortuiti quidam transitus laudantur causâ tamen necessariâ, aut probabili nixi, cuiusmodi sunt euenta commemorata, non enim temerè, sed ultione diuina esse facta videntur.

Poeta magnoperè de peripetia debet esse sollicitus.

Poeta verò magnoperè de peripetia sollicitus esse debet, propterea quòd nihil magis quàm ipsa delectat, ut Philosophus etiam testatum facit, dum ait, Καὶ τὸ μεταβάλλειν ἡδύ, *& commutatio iucunda res est*; ratione autem reddit in eo positam, quòd commutari naturæ accommodatum est, quod enim semper idem est, in exuperantiam transit; & præsentem habitum corrumpit, & ideo concludit. ὅθεν εἴρηται, μεταβολὴ πάντων γλυκύ; *unde dictum est, omnium rerum viciſſitudo est iucunda*; & rectè quidem, nam omnium rerum viciſſitudo iucunditatem parit, ut Euripides dicebat, cum nihil possit esse tam suaue, quòd aliquando satietatem non gignat, ut ob id lepidè Mimus ille dixisse videatur, bonarum rerum consuetudo pessima est, eòquòd nihil iucundum sit, nisi quod varietas commendat, ut ob id à Tullio, omnibus in rebus similitudo satietatis mater diceretur.

Et ideò ex eiusdem Philosophi sententia, quæ fiunt, interposito temporis spatio, iucunda sunt, & homines, & res post longum tempus delectant, quoniam præsentem statum commutant. Illud etiam accedit, quia id, quod interposito tempore fit, rarum est, quæ autem sunt rara, delectationem pariunt; quod Iuuenalis quoque significat dicens.

Voluptates commendat rarior usus.

Idcirco Philosophus θαυμάσια inter iucunda refert dicens, Καὶ αἱ θαυμάσιαι, ἢ τὸ παράμικρον σώζεσθαι ἐκ τῶν κινδύνων. πάντα δὲ θαυμαστὰ ταῦτα. *Subitæ quoque rerum mutationes iucundæ sunt, & è periculis vix euadere: hæc enim omnia admirationi sunt.* Arist. 1. Rh. c. 11. text. 474.

Non omni tamen mutatione Peripetia contenta est; quin potius ut mutatio possit Peripetia dici, magna debet esse, & inopinata. Magna est autem mutatio illa ex qua rerum fortunarumque omnium immutatio consequitur, cuiusmodi foret illa, quam quispiam subiret, si ex infelici statu ad felicem pertingeret, aut viciſſim. Talis igitur debet esse mutatio illa, cui peripetiæ nomen conuenire possit; nec satis est, magnam esse mutationem, ut Peripetia possit appellari; sed etiam inopinata, & præter expectationem esse debet; oportet enim eam præter expectationem euenire; quod non sic intelligendum, quemadmodum nonnulli perperam crediderunt, nimirum, ut sit præter expectationem respectu auditorum; sed potius respectu illorum, quibus felicitas, vel infelicitas ex huiusmodi mutatione contingit. Illud etiam addendum, cum Aristoteles ait mutationem hanc præter expectationem esse, id non intelligi, debere, ut mutatio illa inter paradoxa recenseri possit, quasi præter omnium opinionem ea esse debeat, sed præter opinionem eorum, ad quos huiusmodi mutatio pertinet, qui tamen illam non expectabant, adeo ut non solùm illam sibi euenturam non arbitrarentur, quin potius contrarium futurum existimarent; cum autem res euenerit, debent cognoscere eam ex iis causis euenisse, verisimiliter, vel necessariò adeo ut dicere teneantur, hoc non putabamus euenturum, quanuis verisimiliter à nobis id futurum existimari debuisset. Nec etiam Peripetia est quæuis mutatio unius statûs in alium, sed esse debet mutatio eorum, quibus præter opinionem, & expectationem talis mutatio contingit.

Peripetia qualis mutatio sit.

Partic. 57.

Nec tandem Peripetiæ nomine intelligenda est propria fabulæ enodatio, nec ille terminus, in quo adamussim cadit mutatio, quanuis in hoc uniuersæ Peripetiæ tota perfectio, ac absolutio posita sit; sed Peripetia sumenda ab ipso mutationis principio, hoc est, à prima inclinatione statûs, & à statu presenti, in eiusdem mutationis extremum.

Peripetia esse debe mutatio magna.

Non solùm verò magna, & inopinata mutatio esse debet, ut Peripetia dici possit, sed oportet eam in iis esse personis, de quibus Fabula præcipuè agit; ita tamen ut ipsa mutatio ex vi rerum antecedentium oriatur; quod superiùs quoque tetigimus, hoc enim ad fabulæ connexionem necessariò requiritur, adeo ut huiusmodi sublatâ consecutione, fabula constare partibus bene cohærentibus dici minimè possit.

Debet esse mutatio inopinata.

Hactenus de Peripetia, nunc de Agnitione disserendum, cuius Aristoteles meminit, dicens. Ἀναγνώρισις δ' ἐστὶν, ὥσπερ καὶ τοὔνομα σημαίνει, ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολὴ, ἢ εἰς φιλίαν, ἢ εἰς ἔχθραν τῶν πρὸς εὐτυχίαν, ἢ δυστυχίαν ὡρισμένων. *Agnitio autem est, ut ex nomine quoque liquet, ex ignoratione in cognitionem mutatio, aut ad amicitiam, aut inimicitiam eorum, qui ad prosperam vel aduersam fortunā definiti sunt.* Hoc itaq; modo Philosophus Agnitionem definit; declarat autem, quæ nam pulcherrima sit, dum subdit, κάλλιστη δὲ ἀναγνώρισις, ὅταν ἅμα περιπέτεια γίνηται, ὡς ἔχει ἐν τῷ Οἰδίποδι. *Pulcherrima autem est, cùm simul peripetiæ fiunt, ut se habet in Oedipode*: Agnitio igitur omnium præstantissima, atq; pulcherrima, qualē Philosophus describit, est unius, pluriumve personarum, post longi temporis ignorantiam cognitio.

Agnitio explicatur Arist. in Arte poet. part. 6.

Quæ nam pulcherrima agnitio

Digitized by Google

Qualis mutatio agnitio de qua loquimur.

Agnitio autē hęc, de qua loquimur, mutatio est ex præcedenti ignoratione in eam notitiam, quæ magnam vel amicitiam, vel inimicitiam declarat inter illas personas, quibus hæc obuenerit mutatio, ex qua felicitas, vel infelicitas earum profiscitur; idcircò, ut huiusmodi notitia, verisimilius possit hunc effectum parere, magni refert ignorationem illam diuturnam fuisse, adeò ut post longum tempus agnitio contingat. Tametsi autem usuvenire possit, ut aliqua cognoscatur persona priùs non cognita, atque adeò videatur talis notitia agnitionis nomen sibi vendicare non posse, eo quòd hoc impositum existimetur ad significandam reiteratam notitiam; nihilominus usus obtinuit, ut agnitionis nomine hoc etiam cognitionis genus comprehendatur, quoniam huiusmodi agnitiones fieri solent de personis, quæ vel aliàs fuerunt cognitæ, vel de ijs, quæ ad tales personas attinent, atque adeò ad felicitatem, vel infelicitatem eorum, qui recognoscunt, vel recognoscuntur; ut si pater filium cognoscat à se priùs non cognitum, quia crediderit, vel eum in ventre matris, una cum ipsa, vel fascibus etiam tùm inuolutum, periisse; adhuc enim filius à patre dici debet recognosci, cuius satis sit eum, utpotè filium, ad matrem attinere, quam priùs pater illius nouerat.

Ales in arte poetica partic. 61.

Obseruandum tamen agnitionem ad personas referri, quanuis alia etiam à personis ut anuli, monilia &c. recognosci possint. Personarum verò nomine intelligendæ sunt illæ, quæ actiones exercent, quas misericordia, & metus respicit, atque adeò huiusmodi personę sint, quæ fortunæ mutationem subeant.

In Arte poet. partic. 62.

Geminam Agnitionem apud Aristotelem reperio, quarum una simplex, altera duplex; prima dici potest non mutua, altera verò mutua; exemplum prioris est in Odyssea, ubi nutrix noscit Vlyssem, sed Vlysses nutricem non agnoscit; Item in Sophoclis Electra, ubi Electra agnoscit Orestem, at non Orestes Electram. Exemplum posterioris agnitionis est in Oedipode Sophoclis, & etiam Senecæ, ubi Oedipodes noscit matrem, & ab ea etiam agnoscitur; Non dissimile est exemplum, quod præbet Euripidis Iphigenia in Tauris, ubi Orestes, & soror eius Iphigenia, se mutuò recognoscunt.

Duplex agnitio fruitua scilicet, & nō mutua.

Peripetia potest esse sine agnitione.

Tametsi autem peripetia sine agnitione esse possit, & etiam aliqua sit agnitio sine peripetia; In præsens tamen agnitio illa spectatur, quæ περιπετειαν, hoc est repentinam in contrarium adiunctam habet mutationem; quoniam huiusmodi agnitio maximè ciet affectus, & summopere delectat, quanuis inficiandum non sit, agnitionem quoque per se ipsam delectationis præcipuam atque potissimam causam esse; quod non obscurè Stagirites testatur, dum ait. Καὶ τὸ μανθάνειν, καὶ τὸ θαυμάζειν, ἡδὺ, ὃς ἐπιτοπολὺ ἐν μὲν τῷ θαυμάζειν τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστίν. ὥστε τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητὸν ἐν τῷ μανθάνειν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν καθίστασθαι. *Et discere, & admirari, iucundum est ut plurimum. Nam in admiratione discendi cupiditas est, quare admirabile desiderium excitat; & in discendo, erigimur in eum statum, qui nobis naturalis est.* Nec mirum, nam omnes cupiditate scientiæ trahimur, in qua excellere pulchrum existimamus, unde est, ut aliquid discere iucundum sit, eam certè ob causam, quoniam cupiditas illa naturalis discendo aliquo modo expletur & ideò *Nihil dulciùs, quàm scire prorsus omnia*, estque discere iucundum, quoniam ad id discendo peruenimus, atque adeo ad eum statum proficiscimur nobis naturâ inditum, hoc est ad quem naturâ contendimus; ideò namque cupiditatem illam discendi nobis natura largita est, ut ad sapientiam peruenire possimus, quâ humanus animus mirificè recreatur, atque nutritur.

Arist. l. 1. Rhe. c. 11. tex. 47.

Adnotatio

At verò quemadmodùm longè præstantior est illa peripetia, quæ vi antecedentium causarum prouenit, quàm illa quæ à fabulæ constitutione plurimùm elongatur, illique tantùm pro poetæ libitu adnectitur: ita & agnitio illa, quam rerum immutatio statim consequitur, quamque ipsa fabulæ textura progignit, multò laudabilior est ea, quæ à fabulæ constitutione disiuncta est, & illi pro arbitratu poetæ adtexitur.

Quæ agnitio præstantior.

Quatuor ab Aristotele numerantur agnitionis modi, quanuis aliquibus, sex esse videantur. Quorum primus, ut est minimè artificiosus, ita quidem à plurimis usurpatur propter penuriam melioris; sit autem per signa; quæ bipartitò diuiduntur, nam vel sunt σύμφυτα *adnata*; vel ἐπίκτητα *aduentitia*. Signum adnatum est, quod cum homine nascitur, & numquam à re separatur; quomodo esse perhibentur illa, quæ antiquorum quorundam Spartanorum posteri à naturæ ortu obtinebant, nam hæ satis à Cadmo Draconis dentibus nati in lucem edebantur, cum lanceæ figura in corpore, & hi Aristoteli dicuntur γηγενῖς, *terrigenæ* quamobrem si quis de Sparti, siue terrigenæ dubitasset natalibus, ex signo lanceæ in corpore certus fieri poterat. Huic simile est illud cuius, Aristoteles etiam meminit, desumptum ex Carcino tragico, hic enim in Thyeste stellæ signum adhibuit ex quo agnitionem faceret. Tale erat signum utpotè naturâ in situm posteris Seleuci, quoniam *filij, nepotesque eius ancoram in phœmore, veluti notam generis naturalem habuere*. Ad hoc genus pertinent etiam neui; notæ genitales; maculæ quæcunque hæreditariæ. Ad hoc signorum genus quidam referunt Herculis clauam, & Leoninam pellem, item Palladis Cassidem, Hastam, & Gorgonem, quia quamuis innata verè non sint, usitata nihilominus adeò erant illis personis, ut numquam aut pictoribus, aut sculptoribus absque huiusmodi signis effingerentur.

Quatuor agnitionis modi. Primus. Ar. in arte poet. partic. 81. Signa adnata.

Signa verò aduentitia duplicia sunt, alia enim eorum corpori quidem inlunt: alia verò sunt extra corpus. Ad primum genus pertinent cicatrices, & si quæ sunt alia, quæ extrinsecus corpori aduenium. Ita quidem cicatrix, ex qua apud Homerum Vlysses à nutrice Euryclea agnoscitur, dum iubente Penelope lauat pedes ipsius. Ad secundum genus spectant, crepundia, monilia, cistellæ, & alia huiusmodi, qualis est agnitio apud Plautum; ex cistella enim desumitur. Prædictorum signorum ad agnitionem conferentium, duplex perhibetur usus, unus χείρων, videlicet minùs probatus, & deterior: alter βέλτιων, hoc est præstantior, & probatior. Deterior usus est, cum fit agnitionis confirmandæ causa, & ut Philosopus loquitur, ἕνεκα πίστεως; ita quidem se habuit agnitio Vlyssis ex cicatrice, qui tamen aliter à nutrice & à subulcis agnitus fuit, nam Euryclea inter lauandum, dum scilicet pedes eius lauaret, ex cicatrice illum agnouit; Eumæus, & Melanthius non agnouerunt Vlyssem, sed ille se agnoscendum præbuit, cum eamdem ipsis cicatricem ostendisset.

Signa aduentia. Hom in Odysse. Plautus in cistellaria.

Secundus modus agnitionis est per signa illa, quæ à poeta non inueniuntur in re, sed verisimiliter finguntur; cuiusmodi est agnitio facta per epistolam, hæc, ut Aristoteles ait, artificio non caret. Ita quidem Orestes in Iphigenia sororem agnouit ex epistola & agnitus ea fuit ex signis. Vt idem Aristoteles loquitur, signa autem ex quibus secunda hæc agni-

Ar. in arte poet. partic. 81. Secundus modus.

agnitio fit, differunt à signis ex quibus prima agnitio desumebatur, quoniam prioris agnitionis signa artificio carent; suppetunt enim per se ex rebus ipsis, nec alia possunt præter illa excogitari, ex quibus cõmodè duci possit agnitio: at verò signa posterioris agnitionis artificio destituta non sunt, quoniam à Poetis secundùm verisimile finguntur, & alia, atque alia excogitari possunt ex quibus agnitio fiat. Huic similis est agnitio illa, in qua Orestes, ut sorori quis esset, testatum faceret, sigillum ostendit; hęc, ut Aristoteles ait pro arbitrio poeta profert, sed non fabula; periculum tamen imminet ne poeta in errorem labatur, non enim omnia conueniunt fabulæ, sed solùm quod verisimile est, & probabile, considerandа sunt igitur, quæ liceat, vel non liceat fingere.

In Electra apud Sophoclem.

Ar. in arte poet. parti. 8.

Tertius agnitionis modus contingit, per reminiscentiam, dum spectando aliquid in animum quidpiam reuocamus, quemadmodùm, ut Aristoteles ait; Illa est in Cypriis Decæogenis, cum enim ille picturam, inspexisset ingemuit, & illa etiam quæ in Alcinoi apologo, cum Citharœdum audiens, recordatus lachrymauit. Itaque tertius hic modus fit, cum ex inspectione eius, quod videmus, vel etiam eius, quod audimus ad memoriam aliquid reuocamus. Prioris generis sunt illæ ex Aristotele depromptæ, quemadmodum agnitio apud Maronem, cum Æneas ex pictura troianorum gestorum, recordatur eorum, quibus interfuerat, benèque sperare incipit de fortuna, quâ alioquin utebatur aduersa. Alteriùs generis contingit, cum quispiam rem aliquam memoriâ repetit ex eiusdem commemoratione ab aliquo facta.

Tertius modus.

Ar. in arte artic. 84.

Quartus est modus agnitionis factus ex syllogysmo; ut est agnitio facta in tragœdia Cœphoris hoc syllogismo. *Accessit quidem similis; nemo similis præter Orestem; ergo accessit Orestes.* Huc pertinet agnitio ex morum, aut staturæ, aut alterius rei similitudine; ratiocinatione siquidem fit.

Quartus modus.

Ib. in art. art. 85.

His porrò addi solet ab aliquibus tamquàm quintus agnitionis modus, nimirùm ex paralogysmo theatri, qui planè verus non est, sed falsus syllogysmus, dicturque ex eo, quod agnitioni repugnat, agnitio petita, qualis censetur illa in tragœdia, cui nomen erat ὀδυσσεὺς ψευδάγγελος, *Vlysses falsa nuncians*. Quæ temporis iniuriâ periit; quidam enim se Vlyssem simulabat, dicens Penelopæ se cognoturum arcum Vlyssis, quamuis arcum anteà non vidisset: hâc enim promptâ exhibitione auditâ Penelope neglexit periculum facere, credens euenire non posse, ut ille tàm promptè se exhiberet, nisi potuisset arcum recognoscere; idcircò recognitionem admisit, atque adeò eum esse Vlyssem pro comperto habuit; itaque poeta dum fingit Penelopen sic esse tali oblatione inductam, ut tamquàm recognitum arcum existimet, eumque putet Vlyssem, facit, ut Theatrum verisimile putet recognitum arcum fuisse, & veluti talem una cum Penelope illum existimet; unde est, ut paralogysmus duabus propositionibus constet, quarum una proponitur ab eo, qui se Vlyssem simulat, & talis est, *ego cognoscam arcum Vlyssis*; altera verò ab auditoribus subintelligitur, nempè; *qui cognoscit arcum Vlyssis, est Vlysses*, & ex his præmissis Theatrum falsum concludit, dum infert; *ergo hic est Vlysses*. Si quis autem hanc explanationem non probet ex Picolomineo desumptam, poterit silentio præterire nomen Vlyssis, & Penelopes, rem sic interpretandò, quidam se arcum quemdam cognoturum aiebat, etsi eum anteà non vidisset, quæ tamen pugnantia sunt.

Ib. in art. 84.

Quartus modus.

Ib. in art. art. 85.

Ix aliquo ſi ſenten-ia quin os agni-ionis mo-lus.

Alter etiam recognitionis modus tamquàm ordine sextus ab aliquibus reputatur, cuius meminit Aristoteles, & ex huius sententia est omnium optima recognitio; sic enim habet, πασῶν δὲ βελτίστη ἀναγνώρισις ἡ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων τῆς ἐκ πλήξεως γιγνομένης διὰ εἰκότων. *Omnium autem optima agnitio est quæ ex ipsis rebus fit, & facta consternatione per verisimilia*; idque explicat exemplo dum ait, ut in Sophoclis Oedipode, & in Iphigenia, nam verisimile est eam velle dare literas; tales enim solæ, sine factis signis, & monilibus sunt; in secundo verò perfectionis gradu sunt quæ per syllogysmum fiunt; itaque hic modus agnitionis contingit, cùm actioni quidpiam inest unde agnitio originem trahit; talis est agnitio illa in Sophoclis Oedipode Tyranno, propterea quòd nuncius, qui Corinthum aduenerat, ut Œdipo Corinthiorum regnum offerret, videns eum teneri metu incestandæ matris, sic enim acceperat ab Oraculo narrat eã, quam ipse matrem putabat, reverâ nõ matrem, sed aliam ignotam esse mulierem, dicens infantulum fuisse in sylua quidem expositum, indeq; Corynthum ad Polybum regem esse perlatum; ibique ab eo educatum: quibus auditis Oedipus se Laii filium, matremque in matrimonium duxisse, & ex ea liberos, quos habet, genuisse cognoscit.

Modus ter agnitionis è quorundã sententia ordine sextus.

Non omittendum tamen quod Alexander Picolomineus adnotauit, scilicet hanc quam aliqui faciunt ordine sextam agnitionis speciem, non tàm agnitionis esse speciem à cæteris distinctam, quàm potiùs perfectissimum modum, quo poeta cæteris speciebus agnitionis melius, vel deteriùs, uti possit, prout plus vel minus ab ipso fiet, ut agnitio ex connexione rerum necessariò, aut verisimiliter nasci videatur; sed de his alibi.

Adnotatio Partic. 8.

Cum Aristoteles duas fabulæ partes Agnitionem, & Peripetiam explicasset, de quibus hactenus verba fecimus, agreditur tertiam dicens, πάθος δὲ, ἔστι πρᾶξις φθαρτικὴ, ἢ ἐλεεινή, οἷον, ὅσοι ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ ὀδυνῶνται, καὶ πράσσεις, καὶ ἅσα τοιαῦτα. *Perpessio verò est actio habens vim interimendi, aut graues dolores afferendi, ut quæ in aperto sunt mortes, & eiulationes, & vulnerationes, & quæcumque talia*. Perpessionis, seu passionis explicationem hanc duxit Philosophus à rebus, quæ ipsam perturbationem cient, est autem tragœdiæ propria perturbatio, & luctus; cum autem huiusmodi mala exponenda sint auditorum oculis Philosophus in præsentia non decernit, ex aliis tamen poeticæ artis locis, non obscurè colligitur id Aristoteli minimè placuisse, tamquàm à ratione penitus alienum, ut Lyricus testatur dicens duo esse rerum genera, nam quædam ait res esse, quæ narrantur, alias autem, quæ repræsentantur in scena.

Ar. in art. poet. part. 63.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.

Sed quamuis ea quæ oculis exponuntur, vehementiùs moueant affectus in auditorum animis, quàm quæ auribus percipiuntur; siquidem, ut ipse ait:

Hor. in art. te Poet.

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Ibidem.

Nihilominùs docet, non omnia esse palam in Theatro peragẽda, sed quædam agenda, quædam verò commemoranda tantùm, perinde ac si intus acta essent; tametsi namque sit acerrimus oculorum sensus, & magis visa, quàm audita moueant, atque delectent, sunt tamen quædam aut tàm atrocia, aut crudelia, aut tàm turpia, ut in scena agi minimè debeant.

non tamen intus
Digna geri promes in Scenam: multaque tolles,

Hor. ibid.

Ex

Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens,
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus
Aut in auem Progne vertatur. Cadmus in anguem
Quodcumque ostendit mihi sic incredulus odi

Præcepti ratio est, quia ad animos commouendos curandum est, ut res veræ quidem appareant, alioquin risus excitabitur; at fieri non potest, ut populo appareat à matre, vel ab alijs filios re ipsa occidi, siquidem id repræsentari non potest nisi exponendo infantes chartaceos, vel ex aliqua alia simili materia confictos, eosque dilacerando, quòd inspectatorum animis, non tam misericordiam, vel terrorem suscitabit, quàm potius illos ad risum commouebit; verum autem homicidium in scena committere intolerabile est; satius ob id hæc narrare, quàm oculis subijcere; tanta enim hinc rerum actarum auditorum animis ingeritur cognitio, quanta sufficit ad illos, ut opus est, commouendos, & in ipsis intentos excitandos affectus. Quæ etsi præsertim vera sint; quatenus perpessio intelligitur esse perturbatio ad spectatores pertinens, qui aliena mala cogitantes perturbantur; adhuc tamen cum veritate consentiũt, si nomen πάθος, dicatur in nobis exprimere non perturbationem ex alieno malo, sed malum ipsum, quod illi, qui à poeta inducuntur, perpessi sint, illudque tertium, quod misericordiam, & metum in fabula ciet, ad spectatores non attinere, eò quod hæc non tàm late pateat, ut hæc illos quoque comprehendat, sed eos qui versantur in fabula, ad quos & peripetia, & agnitio spectat. Quanuis hæc non facilè admitterem, eò quòd à fabula ordinem ad spectatores eximere, sit illam inanem, & nullius utilitatis reddere, cum tamen in eum finem, communi sapientum consensione, sit instituta, ut purgentur affectus eorum, quibus exponitur; atque adeo ii melioribus moribus instructi fiant, Vnde est, ut vox illa πάθος, ad perturbationem significandam, sensu iam explicato, non ineptè fuerit usurpata.

Quid Ar. per mortes in aperto intelligat.

Cæterum quæri solet quid Aristoteles per mortes in aperto, seu manifesto intelligat. Mirum est quantùm interpretes discrepent in huius rei explicatione. Nobis ad veritatem propiùs accessisse videntur, qui crediderunt per tales mortes intelligi illas, quemadmodum & eiulationes, & vulnerationes, quæ quomodolibet manifestæ sunt, dummodò manifestatio in scena non fiat; quamuis apud Senecam Medea filios, quos ex Iasone procreauerat spectantibus omnibus trucidet. Et ut, quæ ad ordinem pertinent, tandem aliquando concludam, breuiter hoc unum addam, scilicet ab actione primaria auspicandum esse ut principium sit illustre, & commemoratu dignum, cuiusmodi forsan non erit, si ab ouo, rei ducatur exordium; enimverò sæpe usu venit, ut à tenuioribus primordijs res magnæ profluxerint.

Sopradisorti con eluſio.

Non ſolũ de principio, ſed etiam de fine habenda eſt ratio,

Et quanuis poeta præ oculis habere debeat quale sit exordium eius, quam contexit, fabulæ, finem tamen despicere non debet; cum potius oporteat de ipso in primis esse sollicitum, ut videlicet principio respondeat; & idcirco quemadmodum principium illustre desideratur, ita etiam finis debet illustris esse, cuiusmodi est exitus inopinatus; qua in re seruanda lex communi consensu recepta, ut poeta progrediatur usque dum fabulæ, gratiæ & venustatis accessio fiat; at verò sistat, cum primum videt progressu futurum, ut fabulæ suauitas, ac lepor defloreſcat.

SECTIO TERTIA.

De Fabulæ, atque adeò Poematis ordine, ac magnitudine.

Poeta ſimilis api.

SI Poeta similis api testimonio præstantium virorum existimari debet; non solùm ei laboris plurimum perferendum erit, maximèque curandum, ut opus efficiat suauitate refertum, sed etiam ut ordinis elegantia refulgeat; enimverò apis non secus opus molitur suum: audi Eustathium in Iliadem secũdam, dum de ape ait, ζῶον εἶναι συγχρὴς τὸ ποιῆσαι, διά τε τὸν ἰσόχθον τὸν ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ, καὶ διὰ τὸ ἡδέως γλυκύτητα, καὶ τὸ τὲ κηρίε ἐυσύνδετον: ὃν πάντων μετέχει, καὶ ἡ ποίησις, πόνου τε φοιβοῦσα. ἴδοι δ' ἄν τὸν καλῶν πίνε χαρὶς ἔχουσα, καὶ γλυκύτητα ἐν ὀλίγῳ, ἐναγκαίζουσαν καὶ τὴ τε μέτρε ἐυρωδίᾳ, *Animal esse poesi cognatum, idque ob fatigationem in operando, & operis dulcedinem, ac ob fauos benè constructos. Quorum omnium est particeps poesis: quippè cum labore procedens; nihil enim pulchrè est absque labore, ac suauitatem habens non exiguam; & metri apta compositione respondens.* Poeta igitur ad laudem consequendam, non solùm in effingendis rebus, ac in earum inuentione laboris plurimum impendere, sed in elocutionis eximia suauitate, & ordinis elegantia summam debet habere curam; quod etiam principium, medium & finem habet, sine ordine pulchrum esse non potest; τὸ δὲ καλὸν ἐν μεγέθει, καὶ τάξει ἐστὶ, *nam ex magnitudine, & ordine oritur pulchrum;* Fabulæ siquidem, atque adeo poematis perfectio in ordine partium, quibus constat, plurimùm elucet; est enim *Ordo parium disparumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, quam dispositionem in fabulæ poematisque partibus desiderari, mox quidem intelliges. Fabula siquidem (quod autem de Fabula dicitur, de Poemate quoque intelligendum) totum est quoddam; nam una quidem est, sed unitate compositionis, idcirco debet principio, medio, & fine constare; at medium componitur ex extremis, ex medio autem extrema minime componuntur; nam si extremum unum, quod est principium, componeretur ex medio, utique principio medium anteponi posset. Oportet igitur absolutâ fabulæ inuentione, ad ordinem animum conuertere, atque diligenter inspicere, unde sit initium ducendum, & ubi finiendum; non enim undecunque licet initium fabulæ desumere, nec ubicunque finire, ut eleganter Aristoteles expressit dicendo, Δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας ἐυ μύθους μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν, ἄρχεδαι μήθ' ὅπου ἔτυχε τελευτᾶν, ἀλλὰ χρῆδαι ταῖς εἰρημέναις ἰδέαις. *Oportet igitur ritè contextas fabulas minimè temerè undelibet initiũ sumere, nec item temerè ubilibet terminare: uti verò supradictis formis.* Cum enim fabula constet principio, medio, & fine, quemadmodum actio, cuius est imitatio, oportet ipsam ita esse constitutã, ut tria illa suis locis aptè disposita contineat; unde est, ut non undelibet sit exordiendum, nec ubilibet finiendum, ne media primis, & ultima mediis anteponantur; idcirco maximè conuenit seruare prædictas ἰδέας, ut Philosophus loquitur, hoc est ideas principii, medii, & finis. Egregius itaque ordo erit ille, qui conformis est actioni, cuius fabula est imitatio, itaut quæ primò fuerunt, primo quoque narrentur, atque adeo naturæ ordine seruato uniuersa absque intermissione procedat narratio; licet nihil prohibeat quominus aliqua per modum episodij interserantur; ita tamen ut primaria actio citra quamlibet intermissionem exponatur, atque iuxta naturæ ordi-

Eustatius in Iliadem.

Ariſt. in arte poet. part. 7.

Digitized by Google

ordinem eius imitatio exhibeatur, quod de primaria actione intelligendum volumus, licet à mediis dici possit exordiri fabula cum episodiis inspecta, quæ ut clarius intelligas, attende. In omni fabula plures actiones sunt, ita tamen inter se connexæ, ut unicæ cæteræ deseruiant, atque adeo ut unica dici possit; quod in historia non fit, cum in hac non semper actiones unum respiciant finem, nec res una est alterius causa, sed potius quamsæpissimè sunt res longè dissimiles, quarum una nihil commune habet cum alia, neque suapte naturâ cohærent; historia quidem, & epopeia multas actiones referunt, cum hac tamen differentia, quod historia id facit sine discrimine; epopeia verò non alias actiones memorat, quàm quę ad unam referuntur; unde est ut ordinatio ac dispositio in historia, maximè perturbatæ atque confusa dici mereatur; nisi igitur actiones inter se cohæreant, & ad unam principem actionem referantur, à poeta, pro condenda fabula, adhiberi non possunt, una siquidem primaria in fabula spectanda est actio, reliquæ verò tanquam episodicę interserendæ.

Quis ordo in fabula seruandus

Maximè controuersum est unde nam fabulæ textura debeat initium sumere. Sunt quibus persuasum fuit ordinem esse peruertendum, adeò ut principium transeat in medium, at verò medium in principium atque dicunt hunc esse ordinem à poeta seruandum, eumque perturbatę, & artificiosę narrationis ordinem appellari. Id autem quibusdam nullius momenti auctoritatibus, & rationibus affirmant.

Quid hac de re sentiendum.

Re tamen diligentiùs introspectâ, quamfacillimè contrariam sententiam amplector, existimans non solùm hunc ordinem in fabula necessarium non esse, sed omninò damnandum, & oppositum potiùs amplectendum, ita ut ordo naturalis, quo partes suis consentaneis locis constituuntur, omninò debeat adhiberi.

Auctorit. adducitur.

Veritatem hanc apud Aristotelem expressam legimus, ut nuper dicebamus, quanuis enim ipse de fabula tragica sermonem habeat. Eam enim ait totum esse, quod principium, medium atque finem habet, talem autem oportet fabulam esse, cum totum quoddam sit, de his tamen tribus sermonem habens dicit principium esse illud, quod non necessariò post aliud est, sed post illud aliud esse contingit: finem huic esse contrarium, illud nimirùm ipsum, quod post aliud necessariò natum est esse, vel plerumque: medium tandem quod aliquo posterius, aliquo prius est; sed hęc attulit ad significandum fabulę ordinẽ debere naturalem esse, itaut in ea, quod sequentis actionis considerate principium est, principii quoq; munere fungatur, & sic de medio, ac fine, ad quæ respiciens dicebat, ritè contextas fabulas non temerè undelibet initium sumere, nec temerè ubilibet terminari, sed oportere prædictis partibus uti, nempe principio, medio, ac fine, tanquã sic se habentibus & non medio tanquam principio &c. alioquin temerè contexeretur. Quod eius interpres non ignobilis Victorius aduertens, ait *debere diligenter attendere Poetam, cum aliquam fabulam orditur, ut initium eius facti inueniat, atq; inde incipiat, non à medio, parteve alia, quæ quidpiam ante se habeat, ordiatur*; Nec minus clarè Robertellius, dum hæc habet. *Quoniam oportet tragœdiam esse totam, totum autem constat principio, medio, & fine; oportet ipsam ita esse constitutam, ut tria illa suis locis collocata aptè appareant, ne media primis, ultima mediis anteponantur.* Et hanc Aristotelis esse sententiam cuique potest adeò esse perspicuum, ut nihil magis; cum verò disertè affirmet principium semper anteire medio, haud potuit in ea opinione versari, ut crederet principio medium anteire. Nec certè poterat is aliter sentire, quoniam ex hac perturbatione, nonnisi monstrum oriri posset.

Rationibus proba tur.

Rationibus etiam superiorem assertionem suadere licet. Primò ars Poetica est imitatrix naturæ perfectè operantis; quæ quidem cuncta numeris omnibus absoluta molitur; at natura perfectè operans ordinem seruat citra quamlibet perturbationem; ergo nec etiam ars poetica ordinem perturbare debet, alioquin naturam perfectè operantem non æmularetur.

Prima ratio.

Secunda.

Secundò: Poesis communi sapientum calculo, dicitur esse aurium pictura, ut pictura oculorum poesis, quod nos superiùs ex Simonide diximus, & consentiunt Plato, Aristoteles, & etiam Plutarchus, cui poesis est loquax pictura; ob id, liceat cum Lyrico cõcludere. *Vt pictura poesis erit.* At si ita est, quis non intelliget à poeta seruandum naturalem ordinem, minimeque perturbatum? Ordinis enim huiusmodi perturbatio, poetæ vitio non minùs verteretur, quàm pictori, dum loco ventris pingeret caput, & vicissim.

In arte.

Tertia ratio.

Amplius ratio illa summoperè videtur intentum conuincere, quoniam, ut non multò antea cum Lyrico dictum fuit

Hor in ar.

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,
Aut utrumque simul, & idonea dicere vitæ.

Nam re vera

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando, pariterque monendo.

At quantum idoneus ordo prodest ad clarè perspicuèque res intelligendas, tantùmdem ordinis perturbatio obest. Dum verò animus egrè res expositas intelligit, tantùm abest ipsum delectatione perfundi, & aliquid emolumenti consequi, ut potiùs magnoperè tristetur; nec ullum utilitatis fructum accipiat. Poeta igitur utens ordine perturbato, nec iuvabit, nec delectabit.

Quarta ratio.

Tandem, quis non intelligit probè dictum à Platone fuisse, & ab Aristotele etiam eius discipulo, orationem omnem & præsertim poema esse animal quoddam; unde Plato dicebat orationem omnem instar animalis constitui debere, ut suum habeat corpus, quod neque sine capite sit, neque pedibus careat, sed habeat media atque extrema sibi inuicem, & toti conuenientia, quod Stagirites ad poema transtulit dicens, poema esse instar animalis perfecti, siue magnitudinem, siue ordinem respicias, eà ratione ductus τὸ δὲ καλὸν, ἐν μεγέθει, καὶ τάξει ἐστὶ, *Quoniam in magnitudine ordineque pulchrum existit*; si igitur ad animalis pulchritudinem partium ordinatio tantùm conducit, ut sine illa monstrum omninò sit, hoc idem etiam de Poemate dicendum erit.

Ordo in fabula vn de sumatur.

Vnde sit fabulæ ducendum initium præclarè docuit Lyricus, dum cecinit

Hor. in ar.

Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Deindè multò post hæc habet.

Nec reditum Diomedis ab interitu Mæleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,
Semper ad euentum festinat, & in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, & quæ,
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Non eadẽ lege ad stringuntur historicus, orator & poeta.

Non enim eadem historicis oratoribus, & poetis ordinis præfinita lex est; propterea quòd historicus nec latum unguem à naturali ordine discedit, sed omnia narrat iuxta temporum seriem, actionesque refert ferè semper nullo inter se nexu connexas, nec ad

unam

unam ordinatas, nihil omittendo eorum, quæ contigerunt, dummodo sit operæ pretium ea commemorasse; exordium verò à determinato tempore ducit, nullo habito respectu ad longam annorum seriem, cum historici nihil intersit, etiam si à remotissimis temporibus ducendum initium sit; atque adeò historia in immensam molem excrescat, ut patet de historia vniuersali, quæ à mundi primordiis exorditur. At poeta rerum delectum habet, alia dicit, & ornat; alia præterit, quæ minimè dicenda iudicauerit, eaque narrat non ut fuerunt, sed ut verisimiliter esse potuerunt, si non quantùm ad primariam actionem, saltem quantùm ad episodia, ut non multò ante dictum fuit; nec à remotis admodùm rebus suum exorditur poema, sed curat ea tantùm complecti, quę limitibus pàulò infra explicandis, comprehenduntur; nec est nudâ narratione contentus, ut historicus, sed amænioribus figurarum floribus illam exornat, & elocutionis variis luminibus illustrat, quoniam in eo totus est, ut vel inuitum detineat auditorem, & suspensum reddat. Si Homerus enim illo decennio gesta persecutus fuisset, prælia prælijs, negotia negotijs connectendo, nullis adhibitis episodijs, in quibus eluceret imitatio ex verisimili, non poema, sed historiam contexisset, ordinem tamen naturalem seruat, cautè repetitionem earumdem rerum vitando, quod ipse consequitur, quicquid alij dicant, quamuis initio propositæ actionis principium ponat, dummodo principium non remotissimum accipiat; non enim inde lõgissimâ narratione sumendum poematis initium, quod Antimachus fecisse dicitur, dum casum Diomedis narraturus ab interitu Meleagri patrui auspicatus est; vitio enim vertitur poetæ nimis altè, longèq; primordium sumere, sed à mediis exordiendum. Ita quidem Homerus Diomedis reditum expositurus à Troiani bello, non à Meleagri obitu ducit initium, atque adeò quicquid nititur explicare, non longiùs repetit, quàm necesse sit; itaque scitè admodùm à præcibus Chrysæ sacerdotis, & ab vltimis rebus Homerus narrationem inducit, quia bellum Troianum non ab appulsu Græcorũ ad Troiam, sed à rebus iis, quas postremo anno illi gesserunt, initium sumit; & Virgilius non ab Ilio diruto, sed à tempestatibus exortis, quibus in Africam Æneas deiectus fuit, atque adeò à secundo anno nauigationis Æneæ sumit exordium; non enim omnem uniuersam nauigationem narrandam suscepit, sed partem illius, videlicet non à Troia, sed à Sicilia, in Italiam, historiæ ordine seruato, plurimis tamen ad ornandum poema episodijs intersertis, ubi opus erat; Et quamuis prioribus verbis

Arma virumque cano Troiæ, qui primus ab oris
Italiam fato profugus, lauinaque venit
Littora.

Significare videatur Æneæ nauigationem uniuersam à Troia in Latium se narraturum; hoc tamen nihil refert quoniam duxit operæ pretium sic poema exordiri, ut innueret narrationem à se tractandam, primam originem à Troia quidem habuisse.

Ab ordine ad magnitudinem fabulæ gradum facimus; ut enim uniuscuiusque rei, sic & fabulæ pulchritudo, ac elegantia his duobus continetur, nam ex magnitudine, & ordine, ut proximè dictum fuit, pulchrum oritur; hoc eleganter Stagirites exprimit dicens. Ἔτι δ' ἰσπερ τὸ καλὸν καὶ ζῶον, καὶ πᾶν πρᾶγμα, ὅσα συνέστηκεν ἔκ τινων, οὐ μόνον ταῦτα τεταγμένα δεῖ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ μέγεθος ὑπάρχειν μὴ τὸ τυχόν. τὸ γὰρ καλὸν, ἐν μεγέθει, καὶ τάξει ἐστί. *Ad hæc pulchrum siue animal, siue quodcunque ex aliquibus compositum, non ordine tantùm, verum etiam congruenti magnitudine constare debet, siquidem ex magnitudine ordineq; pulchrum oritur.* Plato etiam hoc idem fatetur non vno in loco dicens corporis elegantiam, seù pulchritudinem esse quandam symmetriam cum quadam colorum suauitate coniunctam, at συμμετρία, *Symmetria*, utroque constat, nam habet μέγεθος & τάξιν. Aptè autem similitudinem ex animali ad poema traduci testis est Plato paulò supra relatus, qui clarè perspicuèque testatur oportere orationem omnem, tanquam animal quoddam constitui, ut formam, & collocationem partium talem habeat, qualem corpus, quod neque capite, neque pedibus careat, quodque habeat membra sibimetipsis, totiue corpori conuenientia. Hoc itaque modo Stagirites pulchritudinem constituit ἐν τῇ συμμετρίᾳ, quæ τάξιν & μέγεθος, comprehendit, quandoquidem sit proportio quædam inter membra media, & extrema, cui aduersatur ἀσυμμετρία, ex qua omnis turpitudo, ac deformitas proficiscitur. Decentis quantitatis in fabula Stagirites per similitudinem ostendit; quia sicuti fieri non potest, ut perexiguum omninò animal pulchrũ appareat, quoniam quæ in imperceptibili tempore speculatio fit, confunditur: ita nec illud quod omninò sit permagnum; ipsa namque speculatio simul fieri non potest; illudque totum ac unum ex intuentium consideratione potius elabitur, ut si animal decem millium stadiorum foret. Vnde concludit, quemadmodùm tum in corporibus, tùm in animantibus magnitudinem inesse decet, eam scilicet quam probè oculis usurpemus: ita & in fabulis longitudo inerit, quam quidem memoriâ facilè complectamur.

Symmetria ex quibus constet.

Præfinire autem in uniuersum fabulæ magnitudinem non est facile; videtur tamen non melius id fieri posse, quàm dicendo δυνάσθαι δὲ δεῖ συνορᾶσθαι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος; *Oportet enim principium, simulq; finẽ cõspici posse.* Sed de Tragica, & de Epica fabula infra disserendum; nunc satis sit adnotasse eatenùs extendendum esse terminum magnitudinis, quæ debetur fabulæ quatenùs extrema sic distant à primis, ut simul cognosci, & eodem veluti intuitu perspici, intelligique possint.

Præfinitio fabulæ magnitudinis in vniuersum, quo modo possit. Virg. Æn. lib. 1. ibid.

SECTIO QVARTA.

De alijs Fabulæ proprietatibus.

FAbula præter hæc, alia etiam quædam requirit. Oportet enim fabulam non esse episodicam, quod superiùs itidem, cursim tamen, adnotauimus, ubi cum Aristotele diximus episodicam fabulam esse in qua episodia, nec verisimiliter, nec necessariò connexa sunt. Episodia verò hoc loco significant res singulas à poeta excogitatas ad ostendendam naturam facti, quod compendio cognoscitur. Episodia verò fabulam episodicam reddunt, si nec verisimiliter, nec necessariò nexa sint: aut actionem non reddunt episodicam, ut si eorum nexus sic verisimilis, aut necessarius. Vt in Æneide, factum summatim expositum Æneæ in Italiam est nauigatio. Ad huius autem facti naturam uberiùs explicandam, inuentum est episodium de Libyci maris procella, quâ Æneas ad Aphrici maris littora, immò & Carthaginem, ubi Regina Dido, delatus est. Cum hoc autẽ episodio alia sunt etiam adnexa, videlicet, de Troiæ excidio Didoni narrato; de Troianorum usque ad Siciliam nauigatione eidem expositæ; de amore eiusdem insano erga Æneam, de huius reditu in Siciliam

Fabula non debet esse episodica.

Quomodo intelligendum fabulam non esse episodicam.

Aristot. in Arte poet. part. 18.

siam de ludis in Anchisæ patris mortui honorem celebratis, de aduentu ad Cumarum oras, deque descensu ad inferos, de Caieta nutrice sepulta &c. Hæc autem episodia tam cum Æneæ nauigatione in Italiam, quàm inter se ita connexa sunt, ut omnia verisimilia aut necessaria videantur, unde est ut Æneidis fabula non debeat episodica dici.

Fabula debet esse admirabilis. Part. 122. art. poet.

Debet etiam fabula admirabilis esse, hoc autem Tragœdiæ conuenit, magis tamen Epopœiæ, quod Aristoteles notauit. Δεῖ μὲ ἂν ἐν τοῖς πραγμάσιν ποιεῖν τὸ θαυμασὸν. μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ ἱστορίᾳ τὸ ἀνάλογον. *Sanè conuenit Tragediæ ipsum prebere mirandum, magis autem Epopœiæ, quòd videlicet proportione respondeat.* Magis autem admirationem in Epopœia requiri probat, quoniam narrationes videri possunt admirabiles, tùm propter res quæ narrantur, tùm propter amplificationem, quâ grandiores sublimioresque redduntur: at huiusmodi ornatus, ac fucos, epicum poema longè magis recipit, quàm tragicum, quoniam in eo non exprimuntur homines agentes, ut in tragœdia; idcircò poetæ licet præter personarum loquentium imitationem, ex suo etiam ingenio multa quidem addere, quæ ad exprimendam, ac exornandam actionem pertinent, quod eleganti declarat exemplo. Paulò post autem rationem admirationis reddit, dum ait, Aristot. ibid. τὸ δὲ θαυμασὸν ἡδὺ σημεῖον, δι' πάντες γὰρ προσθέντες ἀπαγγέλλουσιν ὡς χαριζόμενοι. *Cæterum mirandum ipsum per se esse, gratum signum est, quòd omnes huiusmodi aliquod dum nunciant, veluti dicturi ingratiam id semper exagerant.* Narratio igitur hominis debet admirabilis esse, quoniam omne admirabile iucunditatis est plenum, voluptatemque parit. Vt enim cum elegantem ac insignem intuemur picturam, felicem admiramur laborem, simulque blandâ voluptate perfundimur, vnde Virgilius de Æneæ loquens cecinit

Virg. Æn. lib. 1. Ibid.

Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur

Et non multò post.

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur.
Dum stupet obtutuque hæret defixus in uno.

Non dissimiliter cum aptè, ornatèque poesin exultam audimus, poetæ singularem admiramur industriam, magnamque voluptatem percipimus. Sermonis autem ornatum, & amplificationem delectationis esse causam inditio est, Aristotele teste, quòd omnes aliquid nunciantes, rem ampliorem, variis ornatibus, fuciisq; reddere nituntur, ut gratiorè, atq; suauiorem suam narrationem reddant, qua de re plura explicabimus cum de Tragœdia sermo fuerit. Interim adnotandum ex tribus rebus admirationem oriri posse. Primò ex hominibus. Secundò ex brutis. Tertio tandem ex rebus sensu carentibus. Ab hominibus admiratio originem ducit quando quis incidit in id, quod omni studio fugiebat; quod utique contigit Oedipo, qui cum vitaret matris incestum, in illum, & in parricidium incurrit. Ex brutis etiam nascitur admiratio, quando hæc dum operantur uti videntur ratione; ita quidem legimus de quodam equo, qui cum renueret habere rem, cum equa, quam sui matrem cognoscebat, deceptus tenebris cum ea coiuit, quod cum postmodùm aduertisset, dolore tàm graui correptus fuit, ut, magnâ tristitiâ affectus violenter saxo caput impingens, vulnus contraxerit, ex quo denique mortem obierit. Nec minorem admirationem ingerit, id quod, de pisce illo memoriæ proditum est, qui cum anulum amissum à Polierate reperiisset, eundem ad illum detulit. Admirationi quoque est quod de Bucephalo fertur; hic enim neminem præter Alexandrum supra dorsum patiebatur. Ex rebus etiam sensu destitutis admiratio prodit; ut cum statua Mityi Argis interfecit cum, qui causa fuit interitus Mityi incidens in eius caput, dum ipse statuam spectaret, cuius euentus supra quoque meminimus. Nec minoris admirationis fuit, quòd columna illius tumuli, in quo erat Nouercæ cadauer, quæ in caput Priuigni lapsa illum occidit, quo pertinet illud Callimachi.

Admiratio ex tribus rebus profisiscitur.

Cippum Nouercę parvum lapidem coronauit puer
Vt Vitam, sic mutasse & mores existimans,
Hic verò sepulcro inclinatus interemit puerum cadens
Fugite Nouercæ, & tumulum ò Priuigni.

Obsunt autem admirationi quæ maximè vulgaria sunt, admiratio siquidem nouitatis est filia, at, quæ passim occurrunt, nouitate carent. Furta quoque admirationi plurimùm officiunt, quæ namque sunt huiusmodi, iam aliàs innotuerunt, proindeque haud possunt nouitate admirationem parere, quoniam noua non sunt, quæ ab aliis animaduersa fuerunt. Inprimis autem poetæ curandum, ut admiratio conseruetur, & præsertim in fabulæ solutione, ac episodijs; ideoque de his oportet poetam esse magnoperè sollicitum, in quorum gratiam opportunum erit quædam ad memoriam reuocare, nimirum fabulæ solutionem gemino modo fieri posse, vel per aliquid intrinsecum fabulæ, vel per aliquid extrinsecùs petitum. Priori modo fabula soluitur, quando vel res, vel personæ, nodum solvunt, quæ eiusdem causæ fuerunt; & hic est optima solutionis ratio. Secundo modo soluitur, quando personæ vel res, non prius, sed introductæ nouiter, fabulæ enodationem absolvunt. Huius solutionis innumera extant exempla, quibus constat per externa media sæpesæpiùs fabulas enodatas fuisse. Ad hunc solutionis modum pertinet etiam illa solutio, quæ per machinam fit, cuius sectione superiori meminimus: Præcipuè verò hæc solutio in eo consistit, ut per machinam numen aliquod è Cœlo descendat in terram, vel ex inferis attollatur supra terram, ut fabulæ nodus euoluatur. Hæc autem solutionis ratio à poetis tunc usurpari solet, quando ipsis deest alius modus soluendi nodum. Huc pertinet illud Platonis dicentis tragœdiarum auctores, si cubi aliqua in re hæserint, ad machinas confugere extollètes Deos; unde adagium, *Deus ex machina apparens.* Talis est solutio in Iliade apud Homerum, dum Græci Troiæ expugnationem desperantes de discessu cogitant, & interim Minerua à Iunone missa ad Vlyssem per machinam de Cœlo descendit, ad suadendum ei, ut in obsessione Ciuitatis persistat. Huic non absimilis est solutio fabulę Euripidis in Oreste, quando Apollo sedat tumultum Meneleo de raptu Helenæ loquente. Sumitur etiam machina non solùm pro numine, quod sit instrumento vectum, sed etiam pro numine ipso apparente nullius instrumenti opitulatione, dum illud inter mortales versatur, ijsdemque familiariter utitur, ut ipsis præsidio sit, cum opus fuerit. Ita quidem apud Homerum plerumque Minerua nubibus Vlyssem operit, ut à periculis illum eripiat. Machinæ quoque nomine intelligitur quodlibet auxilium supra humanum, atque tandem omnia id genus, quanuis non interueniat machina cum numine, nec numen cum machina, cum sit satis, ut aliquid inducatur, vel diuinitatem redolens, vel portenti naturam habens, cuius beneficio aliqua tollatur difficultas, atque tricis negotium liberetur. Cæterum machina à Poetis fuit adinuenta, & in sce-

Quæ admiration obsint.

Fabulę solutio gemino modo fieri potest, vel per interna fabulę, vel per extrinsecùs petita,

Solutio per machinam quid, & quotuplex.

Machina quare a

Digitized by Google

Poëtis introducta in scenam

nis adhibita præsertim ad significandum spectatoribus Deos de rebus humanis esse sollicitos.

Solutio per machinam tolerabilis, sed ratò adhibenda.

Hoc solutionis genus, quanuis tolerabile, non tamen frequenter admodùm usurpandum, tùm quia in eo poetæ parùm elucet ingenij, quod certè multò magis in ea solutione splendescit, quæ è fabulæ visceribus depromitur. Tum quia huiusmodi enodatio delectationem non parit; auditores enim, aliquid præsidio diuino fieri aduertentes, cognoscunt id esse factum ab eo, cui nihil est impossibile, proindeque nullâ capiuntur admiratione.

In arte poet. part. 79.

Aristoteles autem fabularum solutiones commendat illas, quæ deducuntur ex præcedentibus moribus, non quibuscumque, sed ex ijs qui magis accommodati ad soluendam fabulam videbuntur; sic enim loquitur, *φανερὸν δὲ, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶ μύθων ἐξ αὐτῆς δεῖ τῆς μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ ἀποπλοιαν. Quare manifestum est, fabularum solutiones ex ipsismet potissimùm fabulis proficisci debere, non autem ex aliquo artificioso, ut in Medea, & in Iliade, ea quæ sunt nauigatione.* Quòd si fabulæ exitus videatur ex præcedentibus deduci non posse, solers poeta curabit aliquid verisimile excogitare, quod cum antedictis tamquàm pars coniunctum sit, ex quo fabulæ solutionem deducat, quod multifariam fit, sed præsertim inducendo in scenam personam aliquam, quæ ante inducta non fuerit, modo eiusmodi sit, ut sermo ipsius ob quandam probabilem causam cum aliis ante dictis coniungi possit. In exemplum afferri solet ex Aiace Sophoclis desumptum; cum enim Aiax sibi mortem conscisisset, & fabulæ solutio perficienda esset, nec à persona Teucrum captiuæ deduci posset; nec à persona filioli, tum propter teneram ætatem, quę omni sensu, ratiocinationeq; caret earum rerum, quæ aut voluptatē, aut dolorem afferunt; tum quia ex captiua natus ille erat, nec ex persona Teucri fratris, cui quòd vir esset, lugere consentaneum non erat; accedit, quòd Sophocles satis lugentem dolentemq; Teucrum facit; ideo fuit opportunum fabulę solutionem sumere à persona Menelai, & Agamemnonis, quorum uterq; cum infensus esset Aiaci, prohibebat ne Aiax humo conderetur, quanuis postea impetrante Vlisse per eos licuerit. Hic fabulæ exitus non extrinsecùs, sed ex moribus iuxta verisimile desumitur, quod Aristoteli summoperè probatur, quanuis extrinsecùs id fieri concedat, dummodo necessitas vrgeat ad res præteritas, multo antea tempore, & in locis longinquis factas declarandas; aut ad manifestandas res futuras proximè faciendas; hæc enim verisimile est non aliâ viâ, quàm diuinâ sciri posse, hoc luculenter docet dum ait, Aristot. in arte poet. partic. 79. *Ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον περὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γίγνεται, ἃ οὐκ οἷόν τε ἀνθρωπον εἰδέναι· ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως, καὶ ἀγγελίας· ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν. Sed machina uti opus est ad ea, quæ sunt extra actionē, aut quæcunque ante facta sunt, quæ fieri non potest, ut homo sciat, aut quæcunque postea, quæ egent prædictione, & enunciatione: omnia enim videre tribuimus Dijs.* Machina igitur pro fabulæ solutione poterit adhiberi, cum aliquid inciderit, quod hominum labore, industriâque confici non possit. Ita Claudianus fingit separationem Ciciliæ ab Italia à Nereo factam fuisse, dum canit:

Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit, sed pontus, & æstus,
Mutauere situm: Rupit confinia Nereus,
Victor, ut abscissos inter iuit æquora montes.

Ita etiam Olympum Thessalię montem fingit diu cum Osse iunctum fuisse, interiectu autem fluminis Penei per Neptunum disiunctos fuisse.

Sic cum Thessaliam scopulis inclusa teneret,
Peneo stagnante palus, & mersa negaret
Arua coli, trifida Neptunus cuspide montes
Impulit aduersos Tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Osseus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu,
Redduntur fluvij mari tellusque colonis.

Quæ itaque adeo sunt operosa, ut humano labore absolui non possint, Numinis alicuius operam requirunt, ac ob id machina in fabulæ solutionem, non iniuriâ solet adhiberi; quod etiam placuisse aliis poetis prater commemoratum, satis est exploratum; idcirco qui duos montes Abilam & Calpem disiunctos fuisse ad præbendum aditum Oceano, non Oceano sed Neptuni tridenti acceptum referendum esse voluerunt.

Sic pelago pulsante reor, Neptunia quondam
Cuspis, & aduersi longus labor abscidit æui
Vt siculum, lybicumque latus, stupuitque fragore
Ianus, & occiduis regnator montibus Atlas.

Tametsi autem plerunque solutionem per machinam modis variis supra traditis explicatam, rationabile sit aliquando adhibere; id tamen non inconsideratè faciendum, sed quam diligenter obseruandum, num sit opus adeo arduum fabulæ solutio, ut nisi diuino possit opere perfici; alioquin hoc solutionis genus non permittendum, quo pertinet Horatianum illud.

Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Numen igitur nullum adhibitâ machinâ, nisi ad exitum difficilem reperiendum, accersiri debet. Itaque Tragici poetæ, cum exitum fabulæ explicare non possent, iure ac meritò fingebant aliquem Deum interuenire, cuius patrocinio omnia solueretur, non quòd ipsum Deum in Scenam inducerent, sed quibusdam machinis è sublimi loco repentè ostendebant eum, ut tanquam de Cælo delapsus crederetur, & ideo Tullius Velleium quendam Epicureum loquentem sic facit in eos, qui mundum à Deo factum esse dicebant. *Quod quia quemadmodum Natura efficere sine aliqua mente posse non videtis, ut Tragici poetæ cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum:* Non dissimiliter Euripides cum Helenam ab Oreste, & Pylade occisam esse fingeret, & Hermionem iam ad cædem rapi, & Menelaum patrem fidem, & opem suorum implorantem ad defendendam filiam, nullum alium enodationis modum reperiens, Apollinem extemplò apparuisse commentus est; & Menelaum prohibuisse Hermionem dari vxorem Pyrrho, & iussisse Oresti, lepidè quidem effinxit. Lib. 1. de natura Deorum.

Non dissimulandum tamen huiusmodi rationem enodandi fabulam solum in Episodiis, non autem in primaria esse actione adhibendam, saltem delectationis, si non admirationis causâ, per machinam siquidem solutio facta secum habet plurimum varietatis adiunctum; at *Nihil est*, ut Cicero dicebat, *quòd magis quàm varietas delectet.* Nam *similitudo satietatem parit, Vt* enim *qui locis æqualibus ambulant, magis defatigantur, quam qui in inæqualibus; ita laboriosius est semper eadem, aut similia repetere, quàm in varijs versari negotijs.* In episodiis hunc solutionis modum celebrioribus poetis arrisisse, ex eorum monumentis cuilibet facillimum est colligere, & forsan magis in Epopœia, quàm in Tragedia. Nec refert, quòd Polybius historicos reprehenderit, qui Annibali Alpes transeunti, Deum aperuisse viam

com-

Digitized by Google

commoſtrantem affirmarunt, non enim eadem Hiſtoriæ, & Poeſeos eſt ratio.

Arist. in arte poet. part. 134. Fabulam autem ciuſmodi eſſe debere, ut fieri potuiſſe videatur, teſtis eſt Ariſtoteles, cui poetæ quidem munus non eſt facta dicere, ſed qualia fieri debent, & quæ ſecundum veriſimile vel neceſſarium fieri poſſunt. Facta ſiquidem pertinent ad hiſtoriam, vel eccleſiaſticam, ſi ſunt Dei facta; vel naturalem, ſi naturæ; vel humanam, ſi hominum. Quæ autem fieri poſſunt, poeſeos ſunt propria, ſiue ſint veriſimilia, ſiue neceſſaria; talia igitur ſunt, quæ à poeta fingi debent. Hoc tamen dubitatione non caret, à nobis etiam ſuperius tactâ; conſtat enim à poetis ficta etiam fuiſſe quædam, quæ fieri minimè poſſunt; nempè viam ad inferos hominibus adhuc viuis patere, inſuper eſſe Cyclopes, & Syrenes, nebulas loqui, ut apud Ariſtophanem videre licet; poculoque Circeio mutari homines in feras; Deos ambroſiâ veſci, nectar bibere, vulnerari, & id genus alia. Difficultas tamen diluitur reſpondendo, quæ modo diximus, ſi non ex rei veritate, ſaltem ex vulgi opinione fieri poſſe.

Adnotatio. Non diſſimulandum tamen Ariſtoteli viſum fuiſſe, potius impoſſibile, quod tamè credatur, quàm poſſibile, quod non credatur, attendendum eſſe; ut ſupra tetigimus, ab eo quidem edocti, dum hęc habet, φαίνεσθαι τε δυνατὰ ἢ μὴ ὄντα μᾶλλον, ἢ δυνατὰ ἢ μὴ πιθανά. *Eligenda autem ſunt quæ fieri non poſſunt & veriſimilia ſunt, magis, quàm quæ fieri poſſunt*, & parum apposita ſunt ad perſuadendū. Vt propterea Fabius dixerit, poetarum genus non modo falſa, ſed etiam quædam incredibilia ſectari.

Ibid.

Quotundam doctrina explicatur. Sed quę ex aliquorū placito, aliquid reddant credibile, ſeu veriſimile paucis aperiam; hæc porrò ſunt. Inueterata Fabula; Opinio integræ ſectæ auctoritate comprobata; Philoſophantium doctrina; & Allegoria: Fabula ſenectute confecta facilè, inquiunt, ſibi fidem conciliat, enimverò, quanuis nos minimè lateat impoſſibilem eſſe, adhuc tamen illam, tanquam veriſimilem recipimus. Sectæ pariter auctoritas ad idem conducit; hac enim ratione credimus Cepas, Feles, & Crocodilos, eſſe Deos, apud Ægyptios; Columbas apud Syrios, Leones apud Leontopolitanos; Aquilas apud Thebanos; unde in Ægyptiorum ridiculam ſuperſtitionem Iuvenalis elegantèr inuehitur, & in immanem eorumdem crudelitatem, qui præpoſterâ religione feras colunt, homines verò iugulant feriniſque carnibus abſtinent, humanis veſcuntur. Philoſophantium autem doctrina multa nobis ſuadet, tamquàm digna, quibus habeatur fides, quamuis veritas ab ipſis multùm abhorreat; ita quidem Platonicis credimus dicentibus vniuerſum orbem quoddam animal eſſe, & Pythagoreis aſſentimur docentibus Animas de corpore in corpus migrare, itemque Cælos ſua perenni vertigine ſonorum concentum edere. Hæc tamen non tam fidem conciliant, quàm riſum mouent. Potiùs, quod erat in partitione quartum, ad id de quo agimus momenti plurimùm habet, nimirum Allegoria, ſiquidem huius ope impoſſibile fide reditur dignum. Allegoria enim eſt, ut Fabio placet, Inuerſio quædam, cùm aliud verbis, aliud ſenſu oſtenditur, & ex continuata, perpetuaque metaphora naſcitur, ut in Rhetoricis ſermonibus dictum à nobis fuit. Sic apud Tullium. *Neque tam fuit timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem; ſaluamque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum, ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas; alias impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed unum me pro omnium ſalute obtuli.* Vbi vides à Tullio nauim pro Repub. fluctus, pro populo, procellas, pro ſeditionibus, nautas, remiges, & gubernatores, pro magiſtratibus, translatè uſurpari: At quanuis in cortice quidpiam literali aliquid incredibile appareret, adhuc tamen aliquid fide dignū allegoricè contineret. Ideoque Proclus non irrationabiliter, omnia, quæ in Homero, tanquam impoſſibilia notauit, per allegoriam excuſat.

Non deſunt tamen, quibus minus probetur allegoriarum uſus apud poetas; contendunt enim haud ipſas adhibendas, eo nomine quòd Ariſtoteles has non commemorat, dum Poetas à calumniis nititur vindicare. Opinio de Allegoria.

At caueant ne allegorias deteſtando, ſacræ ſcripturæ turpem impietatis notam inurant; quandoquidem in ea, nihil frequentiùs, quàm allegoriarum uſus; ſacrarumque literarum interpretes non ineptè concludunt ſub una litera geminum ſenſum ſcilicet, *Hiſtoricum*, & *Spiritualem* admittendum eſſe, quia huiuſmodi ſcientiæ proprium eſt, ut in ea non ſolùm voces quemadmodum in aliis ſcientiis, ſed etiam ipſæ res ſignificatæ per voces aliquid ſignificent; prior autem ſignificatio ad ſenſum hiſtoricum, ſecunda verò, qua res ſignificatæ per voces, iterum res alias ſignificant, ad ſenſum pertinet ſpiritualem. Sed ſenſus ſpiritualis ipſis eſt triplex, nimirum *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*. Allegoricus eſt in ſacris literis, cum ea, quæ ſunt veteris legis, ſignificant ea, quæ ſunt in noua lege, ut Theologi dicunt. Tropologicus, cum ea, quæ in Chriſto ſunt facta, vel in ijs, quæ Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum, quæ agere debemus. Anagogicus eſt, cum iam prædicta ſignificant, ea, quæ ſunt in æterna gloria. Quòd ſi ſenſus allegoricus in ſacris literis concedendus, non ſatis intelligo, cur, à poeſi remoueri debeat. Sed quid ipſos deceperit, eſt facile dictu; nam crediderunt in omnibus illis rebus, peccaſſe poetas, in quibus fides exceditur, ſed hoc ideo, quia Philoſophi mentem aſſecuti non ſunt, dum ait poetas imitari, κατὰ τὸ δυνατὸν *ſecundum poſſibile*, hoc tamen non ſolum id quod ſapientes putant, ſed etiam quod vulgus à Diis fieri poſſe arbitratur; quorum vires nullis terminis contineri putat, adeout quæ ſui naturâ fieri nequeunt, ab iis fieri poſſe pro comperto habet: Sat enim vulgo, quòd ita ab antiquis acceperit, quanuis ἀδυναμία, *impotentia conſiſtere*, ſint, dummodo talia non videantur, adhuc enim his fidem habent: neque mirum nam, vel Ariſtotelis teſtimonio, non id ſolum eſt veriſimile, quòd ſapientibus, aut omnibus, aut pluribus, aut maximè excellentibus videtur tale, ſed ètiam quod vulgus tale iudicat; quod cum ita ſit, ſatis quidem poetæ, ut vulgus ita ſentiat, huius enim opinioni ſe accommodat, ad quæ reſpiciens egregius vir Syneſius. Reiicitur. 1. Topic. cap. 1.

Ἔοικασι ποιητικὴ τε καὶ πλαστικὴ, καὶ τὸ μιμητικὸν ἅπαν ἀληθείας μὲν ἧττον φιλαλήθεις ὄντες, γοητικοὶ δὲ ὡς μάλιστα, καὶ ποιεῖν ἅπερ ποιεῖ πρὸς δόξαν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν. *Videntur poetice, & plaſtice, & omne artium genus, quod in imitando, ſe exercet, minimè habere veritatis curam, eſſeque maximè populares, quæque faciunt, iuxta opinionem, non veritatem, facere.* In Caluici encomio.

Quibus illud fauet effatum ab Ariſtotele commendatum, εἰκὸς γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός; *veriſimile eſt, & multa fieri prater veriſimile.* Huiuſmodi autem ſunt, quæ vulgò receptæ fabulæ, tanquam ſenio confectæ diuturnitateque temporis comprobatæ, quibus dum poeta utitur, & etiam aliquid addit, dum-

Digitized by Google

modo iis sit consentaneum, nullam culpam incurrit; Lyrico siquidem obtemperat præcipienti.

Horatius in Arte poetica. *Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.*

Difficultatis præoccupatio. Nec propterea quòd prioribus consentanea fingat, erroris notâ poeta damnandus, nam rectè ille, τὸ ἀνεῖσθαι αὐτοῖς ἐκ ἔστι ῥάδιον, ἐπειπερ ἐκωλύθη, ᾗ ὁμοίᾳ ἔστι τῇ συγχωρηθείσῃ ἀρχῇ; *fidem ijs abrogare non est facile; quia illa à principio priùs concesso non discrepant.* Sed quoniam hæc omnia poeta debet imitando facere, non erit ab instituto penitùs alienum, memoriâ repetere, quod Aristoteles testatum reliquit, dum de imitatione subtiliter disputans literis committit, eam duplici modo fieri, nempè κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, *secundum verisimile, vel secundum necessarium.* (Nihil enim prohibet à poeta secundùm necessarium materiam fingi, cùm non idcirco materiam necessariam tractet) at secundum hæc, puta verisimile, & necessarium non eadem imitandi ratio. Aut enim res imitamur prout sunt re ipsâ, quanuis, ut tales vulgò non habeantur: aut prout vulgò creduntur, quanuis longè aliter se res habeant: aut denique prout esse debebant, etsi nec eiusmodi sint, nec eò se habere modo vulgò existimentur, hæc tamen longiùs prosequi superuacaneum duco; alia enim quædam paulò post de poetarum erroribus agentes, affetremus in medium.

Admotatio Cæterum præter hactenùs dicta, vnum vel alterum paucis explicandum, quorum primum est audaciores hyperbolas à decenti modo nimium abertrantes, esse vitandas; quoniam, ut possibilitatis fines: ita humanæ fidei limites transiliunt, etsi à præstantissimis poetis Homero, & Virgilio fuerint vsurpatæ, de quibus, loco paulò antea commemorato, nonnulla dicemus. Alterum, quod poetæ declinandum, est Anactonismus nempè temporis transpositio, quanuis in hanc celebriores poetæ incautè admodum incidisse videantur.

SECTIO QVINTA.

De Moribus.

De more disserendum. DOctrinæ ordo postulat, ut nunc de moribus disseramus, mox de sententia verba facturi, quoniam fabula, actionis & agentium est imitatio; actiones enim ab aliquibus exerceri debent, quos certè necesse est tum moribus, tum sententiâ omnino tales esse, cum ob has ambas causas, tales existimemus actiones; hinc propterea sequitur, duas actionis esse causas, sententiam, & mores. Philosophus autem ab his non dissentit, cum dicat. Ἐστὶ δὲ πράξεως μὲν μίμησις, πράττεται δὲ ὑπό τινων πραττόντων, οὓς ἀνάγκη τοιούς τινας εἶναι κατὰ τὸ ἦθος, καὶ τὴν διάνοιαν (διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναι φαμὲν πολλὰς τινὰς) πέφυκεν αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοια καὶ ἦθος; *Et quoniam actionis est imitatio, atque agitur à quibusdam agentibus, quos necesse est cuiusdam modi esse, & secundùm mores, & sententiam (propter hæc enim actiones etiam cuiusdam modi esse dicimus) naturaliter duæ sunt causæ actionum Sentia, & Mos.* Vbi addit secundùm has tùm fortunatos, tùm infortunatos omnes esse; licet ibi Philosophus de Tragœdia loquatur; cuius sententiam, & morem contendit esse partes. Mos autem definitur. Ἔστι δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποία τις ἐστίν, ἐν οἷς ἐκ ἔστι δῆλον ἢ προαιρεῖται ἢ φεύγει οὐδὲν; *Mos verò talis est, qui ostendit, cuiusmodi sit voluntas ijs in rebus, in quibus satis non est manifestum, utrum dicens fecletur aliquid, an fugiat.* Non omnes autem poetæ, Aristotelis etiam testimonio, moratâ oratione vsi sunt, sed eos se habere pictorum instar affirmat, è quibus aliquis, puta Zeuxis mores non exprimebat, sed Polygnotus erat bonus morum descriptor; & alibi ait Polygnotum solitum fuisse meliores mores exprimere: Pausonem, deteriores. Quanuis autem fabula sit primum principium, & veluti anima tragœdiæ, ut paulò infrà etiam ex Aristotele dicetur, attamen tragœdia sine actione fieri non potest, sine moribus potest; sed hæc de re plura cum de Tragœdia. Ex definitione autem alata satis apertè colligitur propriè morem eum esse, qui personam aliquid amplecti, vel repudiare designat.

Arist. in arte poet. partic. 47. Fabula est primum principij, & anima tragœdiæ.

Ibid part. 77. Quatuor conditiones in more Philosophus requirit. Quarumdam sententiæ de moribus. Reuocatur.

Quatuor autem conditiones in more Philosophus requirit; περὶ δὲ τὰ ἤθη, τέτταρά ἐστιν ἃ δεῖ στοχάζεσθαι; *Cæterum de moribus, quatuor sunt spectanda.* Huiusmodi autem sunt bonitas, conuenientia, similitudo, & æqualitas.

Primum requirit ut mores boni sint. Hoc autem sic intelligendum plerique volunt, ut per bonos mores intelligamus honestos, & iuxta rectam rationem, quoniam, inquiunt, poetæ sunt morum doctores, nihil expedit moribus malis Ciuitatem imbuere, quod poeta utique faceret, si potiùs malos, quàm bonos mores refferret. Hi tamen Aristotelis consilium hac in re minimè videntur attigisse, propterea quòd hâc interpretatione admissâ, multa sequerentur incommoda; non enim foret mos bonus in Iliade, quoniam in ea quidem Helenæ cum Paride adulterium exprimitur, nec in Vlissea, eo quòd ibi habetur commercium Calipsonis cum Vlisse, nec in Oreste, quoniam huic Menelaus Tyndarei meta opem suam negat, quam ei debebat, partim quia patruus esset, partim quia causa Orestis mala non esset, cùm potius huiusmodi supplicio Clytæmnestra digna videretur; Euripidem tamen poetam excusant, quòd sibi Menelaum tanquàm exemplum singularis probitatis habendum esse voluerit. Nam, inquiunt, magnum est integritatis argumentum, sic à parricidio abhorrere, ut & fratris filium, eo crimine se inquinantem, asperiùs admoneret; sed hunc in modum respondendo, ut mox intelliges, nobiscum planè consentiunt. Iniuper malus foret in Æneide mos, quoniã ibi Æneæ cum Didone commercium exprimitur.

Alij de moribus opinio

Alij propterea crediderunt eò solum Aristotelis consilium spectare, ut nos doceret in præsens à se bonitatis nomine intelligi nil aliud, quàm moris quandam in unoquoque genere præstantiam, ac excellentiam, nimirum, ut si poeta callidum quempiam simulare studeat, calliditatem in eo summam, ac singularem ostendat: si iracundiam in aliquo ostentandam assumat, in eo quidem exuberantem esse declaret, & hæc de aliis tam virtutibus, quàm vitijs, adeò ut persona quælibet in suo genere repræsentata, tamquàm exemplar auditoribus in eo genere possit inseruire.

Reiicitur. Hæc tamen quamuis ex parte possint admitti, nisi tamen iis aliquid addatur, minimè veritati consentanea existimari possunt, eo nomine quòd nimis Aristotelis consilium coarctant, siquidem eò Philosophi spectat industria, ut nobis testatum faciat in his verisimile, atque adeo decorum esse tuendum; ut si moderatè astutum simulare velis, in eo moderatam, non excedentem astutiam esse declares si verò impensè quempiam versutum haberi desideres, in eo summum calliditatis gradum esse demonstres; alioquin si virtutis, aut vitij excessum in aliquo repræsentes, in quo tantum alterutrum cum moderatione repræsentari debet, profectò verisimi-

Arist. in arte poet. partic. 44. Mos quid sit, explicatur.

lis

lis fines trànsilies nec eius legibus obtemperasse videberis. Quòd si Homerus dicatur in his excessum simulasse, hoc ideo quoniam ei sic expediebat; ita quidem Vlissem summè versutum facit; Achillem maximè ad iram propensum, Aiacem in primis ferocem; Nestorem eloquentem; Tersitem arogantem; Paridem impudicam. Et hoc idem obseruatur, ubi de aliis personis agitur; Hercules enim maximè fulgens repræsentatur, Atreus vindictæ percupidus, Pylades amicitiæ custos, Hippolytus castitatis. Nec Aristoteles oppositum voluisse credendum dum ait,

Arist. in arte poet. partic. 80. Ἐπεὶδὴ μίμησις ἐστὶν ἡ ποιητὴς βελτίονας, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν ἰδίαν μορφὴν ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον ὀργίλους, ἢ ῥαθύμους, καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἐπιεικέας ποιεῖν παράδειγμα, ἢ σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα ἀγαθὸν ἢ ὅμηρος. *Cum verò Tragœdia præstantiorum imitatio sit; par fuerit quoque nos ab excellentium pictorum more non discedere: quidum proprias, verisque simillimas imagines referre studentes, pulchriores sanè depingunt, ita etiam poeta, iracundos videlicet, desidesque dum imitatur, huiusmodique alia circa mores habentes probitatis quidem, atque iracundiæ sibi exemplum proponere debet, velut fortem Achillem, ut ipse Homerus.*

Hoc enim loco Philosophi sententia, in eo posita est, ut nos doceat, quod supra dicebamus, quodq; Alexander Picolomineus rectè aduertit dicens, poetam in exprimendis moribus per imitationem, respicere semper debere ad ideam, & ad uniuersale, ut alicui volens iracundiam, aut crudelitatem, aut clementiam tribuere, non debet considerare quales ad unguem fuerint mores in illo, sed cuiusmodi sunt in uniuersum, & in summo gradu, quod optimè cohæret cum ijs, quæ Philosophus de verisimili protulit, cum non idem sit alicui morem quemdàm tribuere, quo ille numquam affectus fuerit, quique illi nullatenùs conueniat (hoc enim modo contra verisimilis leges peccaretur) non idem, inquam, ac est morem in aliquò repertum, maiorem ostendere; vt si quis Achillem fingeret mansuetum, cùm in a perto sit eum iracundum fuisse, verisimilis leges violaret, sed si faceret illum iracundum, respiciens ad ideam hominis ità vehementer accensi, fingendo in Achille, maiorem esse iram, quàm in eo re ipsâ fuerit, nullam vitii culpam incurreret. His autem habitis; scitè admodùm aduertit, quod nuper dicebamus, nimirum quæ Aristoteles habet in præsentia, non esse eo sensu usurpanda, ut poeta semper debeat simulare personam affectam supremo gradu qualitatis, quam illi adscribit, cum fingere plerunq; non debeat summè iustum, summè crudelem &c. sed quandoque debet personam mediocri, vel etiam minori qualitatis gradu specie similitudinis ostendere; et nanque in imitatione præoculis habèdum est verisimile; quia teste Philosopho, in moribus, sicut in ipsa rerũ compositione tum necessarium, tum verisimile exquirendum est; cum enim personæ veræ sunt, quemadmodum, & facta ab ipsis, & euenta rerum, quæ narrantur, tunc poeta debebit personarum mores exprimere secundum necessarium, hoc est secundùm veritatem, hoc enim ad honestatem pertinet; at si personæ fuerint nouiter fictæ, mores ipsarum erunt iuxta verisimile, hoc est iuxta plurimorum opinionem exprimendi; Sed usu quandoque venire potest, ut aliquis iuxta verisimile mediocriter iratus, aut timidus, aut aliquo alio modo affectus esse debeat; tunc ergo si quispiam eum irâ vehementi accensum, vel summo timore perculsum repræsentaret, utique contra verisimilis leges aliquid committeret. Oportet itaque, ut poeta respiciens ad ideas earum rerum, quas animo euoluit imitando, plus, vel minus ad illas accedat, prout verisimile ipsum requirit. Nec aliud Aristotelem voluisse credendum loco nuper citato, dem ait; *oportet nos imitari egregios pictores, qui dum proprias, verisque simillimas imagines referre student, pulchriores depingunt*; hoc enim faciendum seruatis verisimilis legibus decernit, cùm poeta in suo quasque genere personas imitari debeat, eiusque sit summa virtus rerum formas fingendo exprimere, prout verisimilis legibus adstringitur. Quæ inteligeenda sunt in omni genere morum, siue nimirum boni, siue improbi sint; sem per enim iuxta verisimile, atque decorum ii repræsentari debent, ita ut boni non meliores, nec improbi deteriores fiant, quàm necesse sit.

Non semper tamen poeta huiusmodi conuenientiæ præceptis alligatur; quin potiùs frequenter usu venit, vt citra criminis notam possit illa violare. Et primò quidem si ab historia cogatur; ita planè Amazones bellicosissimæ fœminæ Scythiam, iuxta Tanaim primò, deinde ad Themodoonta incolentes, quæ magnam Asiæ partem occuparunt, allarum fœminarum legibus subijciendæ non sunt. Secundò licet etiam poeta conuenientiæ decreta negligere, quando lectorem præmonuerit personam, cui mores minimè consentaneos vel ætatis, vel sexûs, vel aliquâ aliâ ratione tribuere decreuit, non viuere iuxta communem consuetudinem personarum eodem genere conuenientium; ita sanè Virgilius Camillam belligeram mulierem constituit, ostendens eam se in pugna fortiter exercere, ut cuique liceat conijcere eius indolem muliebrem non esse, veluti summè propensam ad arma tractanda, & idcircò cecinit.

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla, Virg. l. 7. Æneid.
Agmen agens equitũ, & florentes ære catervas
Bellatrix, non illa colo calathisve Mineruæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo,
Dura pati: cursuque pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret,
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas,
Illam omnis tectis, agrisque effusa iuuentus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat eũtem,
Attonitis inhians animis, vt regius ostro,
Vellet honos leues humeros, vt fibula crinem,
Auro internectat, Lyciã, vt gerat ipsa pharetram
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

At quis non intelliget huic non fœmineam, sed plùs quàm virilem indolem contigisse, adeò ut ei mores, non quales fœminarum Virgilius possit adscribere?

Secunda erat moris conditio, e quatuor supra commemoratis, *Conuenientia* dicuntur autem τὰ ἤθη ἁρμόττοντα. *Mores autem conuenientes*, atque decori contingunt, cum personis tribuuntur actiones, & verba, quæ officio earum generi, ætati, conditionique congruunt; nempè opus est, ut eam cuique virtutem tribuamus, quæ illi conueniat; poeta siquidem à Lyrico commendatur, qui

Reddere personæ scit conuenientia cuique

Nam rectè Philosophus dicebat, ἔστι γὰρ ἀνδρεῖον μὲν τὸ ἦθος, ἀλλ' οὐ γυναικὶ, τὸ ἀνδρεῖον, ἢ δεινὸν εἶναι. *Fortitudo enim mos est, sed esse vel fortem, vel prudentem, utique mulieri non conuenit.*

Quod poetæ curandum in primis: nam rectè quidem

Digitized by Google

dem Horatius cecinit.

Intererit multùm, Davusne loquatur, an heros;
Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis:
Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor.

Morum conuenientia. Morum conuenientiam elegantissimè Lyricus est prosecutus, cum caneret de singularum ætatum moribus; ducto initio, ut par erat, à pueritiæ moribus, hoc modo

Reddere, qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere: & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Iuventutis autem mores ita describit.

Imberbis iuvenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper:
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris:
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.

Virilis ætatis.

Conuersis studijs ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitiam; inseruit honori:
Comisisse cauet, quod mox mutare laboret.

Senilis ætatis.

Multa senem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timidè, gelidèque ministrat
Dilator spe longus, iners, auidusque futuri:
Difficilis querulus: laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorque minorum.

Terentius in In his autem Terentius plurimum est gloriæ consecutus, quoniam, Varrone teste: *in argumentis Cæcilius palmam posçit; in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.* Sed Euripides in his grauiter peccat cum Vlissem in Scylla eiulantem facit, propterea quod sapientes, atque cordatos viros eiulare non decet, cum hoc non sit in affectibus mediocritatem seruare; de iis tamen, quæ ad morem pertinent, vide quæ nos ex Aristotile in Rhetoricis dissertationibus diximus.

Tertia morum conditio. Tertia erat conditio, similitudo puta, ut exprimantur mores iuxta opinionem, quæ de personis habetur; ita quidem oportet Aiacem fortem, sed iracundum. Vlissem timidum, sed vafrum. Paridem impudicam &c. inducere; hoc eleganter expressum apud Lyricum legimus.

Horat. in Arte Poetica. *Scriptor, honoratum si fortè reponis Achillem*
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata; nihil non arroget armis.
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Oreste.

Non semper tamen morum similitudo requiritur, eâ namque non est opus nisi cum inducitur persona iam cognita, ita, ut eius mores non lateant; at si poeta personam fingat, nullus erit similitudini locus.

Quarta morum conditio. Quarta conditio est *æqualitas*; seruatur autem æqualitas in moribus, quando à fabulæ principio usq; ad finem semper est idem, nullamque variationem subit, adeo ut persona iisdem semper moribus affecta repræsentetur, non enim licet Aiacem primò fortem, & iracundum inducere, postea verò timidum, & mitem. Huc pertinet illud Horatii. *Aut famam sequere.*

Nempe semper est repræsentanda persona, iuxta famam, quæ si illam declaret perpetuò fortem, & iracundam, est etiam semper ut talis inducenda in fabula; si variam, etiam varia representanda, dummodo semper eodem modo se habens repræsentetur; idco subdit

aut sibi conuenientia finge

Quod clarius explicat paulò post dicens

Si quid inexpertum scenæ comittis, & audes
Personam formare nouam: seruetur ad imum
Qualis ab incæpto processerit.

In hoc autem ait Aristoteles Euripidem in Iphigenia peccasse, cum hanc priùs inducat patri supplicantem ne macletur Dianæ; mox paratam, & alacrem ad moriendum pro salute Græcorum; quanuis Euripides forsan excusari posset, quoniam fœmina dum in fabula inducitur, non nisi ut inconstans repræsentari potest, quippeque varia semper est, atque mutabilis fœmina. Quòd si nobis affirmare non placet tunc morem seruari æquabilem; licebit saltem asserere mores duntaxat æquabiles effingendos, cum nulla suppetit ratio, cur mores quispiam mutaret; quanuis non videatur inficiandum æquabiliter quempiam induci, atque repræsentari, dum, ut inæqualis, qualis est, describitur. Ita quidem apud Euripidem in Phœnissis, Creon primò temperans, videlicet ante regnum, at post regnum adeptum, maximè ferox. Non dissimiliter apud Terentium in Adelphis Demea ex duro lenis, & ex auaro prodigus fit; Æqualitatem in moribus omnino seruandam ex eo colligitur, quoniam mores actionesque proueniunt ex habitu; hic autem constans est, semperque eodem modo se habens; idcirco mores in omni persona debent æquabiliter exprimi. Ratione suadetur in moribus æqualitas.

Quid poetæ summopere curandum. Poetæ tamen summoperè curandum, ut cum virtutem aliquam exprimere voluerit, primò personam constituat, cui virtus illa splendori sit, & ornamento, proindeque possit ab ea meritò commendari; ut cantori egregiè canere laudi tribuitur; Regi autem non item.

Rectè Stagirites dicebat, Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας· δεύτερον δὲ τὰ ἤθη, πρῶτον δὲ ἡ διάνοια. *Ac principium quidem, & tamquam animus Tragœdiæ Fabula est. Secundum autem mores. Tertium verò sententia.* Tertia igitur Tragœdiæ pars est Διάνοια *Sententia.* De qua Philosophus loquens ait, Τρίτον δὲ ἡ διάνοια, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα καὶ τὰ ἁρμόττοντα, ὅπερ ἐπὶ τῶν λόγων τῆς Πολιτικῆς καὶ Ῥητορικῆς ἔργον ἐστίν. *Tertium verò sententia. Id autem est dicere posse insita, & conuenientia, quod in orationibus Politicæ, & Rhetoricæ opus est.* Quâ homines aliquid esse, vel non esse, vel simpliciter significant, Διάνοια δὲ, ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι ὡς ἔστιν, ἢ ὡς οὐκ ἔστιν, ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται, *Sententia verò est in illis, in quibus demonstrant aliquid aut esse, aut non esse, aut enunciant aliquid in vniuersum.* Illa igitur intelligitur esse sententia, quæ per elocutionem expressa, conceptum indicat mentis, non quemcunque, sed complexum, atque talem, qui secum habeat assensum, vel dissensum adiunctum. Tametsi autem sententia cum moribus in significando conueniat; mores enim quoque in elocutione sparsi aliquid indicant; nihilominus in eo discrepant, quòd Mores facultatis oppetentis, & præsertim voluntatis operationes declarant, significando eius electionem, vel in re quapiam prosequenda, vel fugienda; at verò Sententia mentis operationem significat, modo nuper insinuato ut luculenter Aristoteles expressit, ἔστι δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποία τις ἐστίν, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον, ἢ προαιρεῖται, ἢ φεύγει ὁ λόγον, Διάνοια δὲ ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι ὡς ἔστιν, ἢ ὡς οὐκ ἔστιν, ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται. *Iam mores sunt tale quiddam, quod aperit præelectionem, qualis sit in illis, in quibus non est manifestum, utrum dicens eligat, aut fugiat. Quapropter nonnulli sermones moribus carent. Sententia*

Arist. in arte poet. part. 45.

Arist. in arte poet. partic 44.

Arist. ibid.

Arist. ibid.

tentia verò est in illis in quibus demonstrant aliquid aut esse, aut non esse, aut enunciant aliquid in uniuersum. Sententia igitur, prout hîc accipitur, intelligenda est illa, quæ per elocutionem expressa indicat aliquem conceptum mentis, non quemcumque, sed complexum atque talem, qui secum habeat assensum vel dissensum adiunctum. Non sunt hæc autem in animo, sed mores, & sententiam eius indicant; nec in elocutione; nam ex hac potius sunt enascentia, quædam inditia, quæ hominis mores, animique sensa manifestant, & horum sunt imitationes, quemadmodum fabula est orationis imitatio. Modo non absimili sententiam declarat Aristides dicens, Γράμμω λέγω τὸν νοῦν, καὶ τὰ διανοήματα ἐν οἷς ἐνίσχεται τὰ πράγματα. ἀπαγγελία δ' αὐτῶν ἡ λέξις. δι' αὐτῶν δ' ἀπαγγέλλεται τὰ διανοήματα. *Sententiam verò voco mentem, & eius conceptus, in quibus res reperiuntur: elocutionem autem dico ipsam dictionem: per hanc enim eloquimur animi conceptus.* Aristides in arte poet. partic. 44.

Sententiæ usus.

Sententiæ autem usus in his Aristoteli videtur consistere, scilicet in probando, refellendo, commouendo, amplificando, atque imminuendo, adeo ut sententiâ nos incerta probemus, aduersa refellamus, affectus commoueamus, exigua amplificemus, & grandia imminuamus; unde fit ut sententia his quinque partibus constet, quæ tamen ex natura earum rerum ducenda sunt, quarum instituta est imitatio; quam ob causam oportet diligenter inspicere, tum quæ rebus insunt, tum, quæ ijs consentanea existunt, & hæc tractanda sunt elocutione decenti, pro rerum, de quibus agitur, conditione. Huc pertinent acutè dicta, hæc enim haud mediocrem vim ad reddendam orationem moratam & affectibus plenam habent, cum humani Oracula hæc loco sint, & eo magis, quo ex ore dicentis prouenit, de quo magna est apud gentes existimatio. Sententiarum usus frequens esse non debet, omnis enim frequentia, satietatem parit. Nec etiam in magnis affectibus adhibendæ sententiæ, propterea quòd, omnis sententia ratiocinatione constat, at ubi viget affectus animi, ratio proculdubio langueſcit. Poesis non recipit argutiola, & frigidiora dicteria, cum hæc declamatori relinquat; eo vel maximè quòd illustrioribus sententiis plurimum splendoris, & honestatis adimunt.

Prima sententiæ conditio est veritas.

Prima sententiæ conditio est *Veritas*, hoc est ut sententia sit vera huiusmodi autem esse perhibetur, quando ipsa nullum continet errorem in scientiis, artibus, historiis, fabulis &c. Tametsi autem Philosophus in his poetam peccare dicat per accidens; hoc tamen intelligendum de scientiis valdè remotis ab ipsa poesi; alioquin ei debet ad culpam error imputari; sed non dissimulandum ad sententiæ veritatem sufficere, ut ab aliquibus non obscuri nominis ea fuerit usurpata; non enim est opus, ut sententiæ veritas iuxta demonstrationis leges probata sit, cum poetæ sufficiat illam probabili aliqua ratione, vel communi consensu receptam esse. Ideoque permittitur Virgilio dixisse ceruos in Aphrica esse, quantumuis ab aliquibus ibi non esse credantur. Ita conceditur Pindaro dicere potuisse ceruas cornibus esse naturâ instructas.

Secunda conditio Cõcordia.

Secunda sententiæ conditio est *Concordia*, tunc autem concors est sententia, quando auctor ipsius sibi constat, & non contradicit, cum semel animi sensa deprompserit.

Tertia cõditio Proprietas.

Tertia sententiæ conditio est *Proprietas*, hoc est ut sententia sit propria; tunc porrò censetur talis, qua poeta sui alacritate ingenij curat, ut à fabulæ visceribus oriatur, nec illam aliunde desumit; Furtum nihilominus poetæ permittitur, quando ipsius industriâ, illud nouâ formâ indutum non apparet; quin potius deliteſcit in tenebris, atque adeo nemini perspectum est. In hoc celebriores poetas peccasse, neminem fugit: præsertim autem Virgilius de hoc accusatus fuit crimine, eo quòd Homero, & Ennio plurima furatus fuerit; cumque de hoc ab æmulis reprehenderetur, respondere solebat, non minori esse opus industriâ ad arripiendam Herculi clauam, quàm versum Homero.

Quarta conditio Nobilitas.

Quarta sententiæ conditio est *Nobilitas*, hoc est, ut sententia sit illustris; nobilis autem sententia non aliunde quàm à bonis artibus, ac disciplinis desumi potest; idcirco poetam in omni scientiarum genere oportet esse versatum, qualem & Homerum, & Virgilium fuisse, memoriæ proditum est.

Quinta conditio Sufficientia.

Quinta atque postrema sententiæ conditio est *Sufficientia*, hoc est, ut sententia sit sufficiens; Tunc autem sufficiens existimatur sententia, quando neque redundat, neque deficit; Huc pertinet etiam inadæquata, & praua consecutio.

Sententiarum duplex modus.

Sententiarum duplex modus perhibetur, quorum primus est in simplicitate positus, adeo ut sententia dicatur simplex, ut si dicas *Mors bonos beat*, Scaligeri utor exemplo. Alter autem in complexione residet, ut si eandem sententiam dicas hoc modo. *Ne credatis bonos interitum subire, quorum animus per se immortalitati commendatus, ad eas sedes unde profectus fuerat, ex hac valle miseriarum, euolat.*

SECTIO SEXTA.

De Dictione, siue Elocutione.

Aristot. in arte poet. part. 35.

ARistoteles de Dictione loquens ait, λέγω δὲ λέξιν μὲν αὐτὴν τὴν τῶν μέτρων σύνθεσιν. *Dico, autem Dictione ipsam metrorum compositionem*, si tamen Dictionem apertius explicare placet rectè dicetur *explicatio sensus per verba*; Dictio siquidem in verbis posita est. Magni autem interest poetæ in Dictionis studium incumbere, propterea quòd, *Graues sententiæ inconditis verbis elatæ offendunt aures*; *quarum est iudicium superbissimum*. Vt enim leuia verborum honestate, vigoreque plurimum attolluntur: ita eorundem ignobilitate non mediocriter deprimuntur. Sed quanti referat poetæ Dictionem in primis excolere, vel ex eo planè conuincitur, quia poetæ olim, cum res parum graues tractarent, tereque pueriles, excellere tamen visi sunt, eo solùm nomine, quòd verbis ornatis, uterentur, eorumdemque splendorem, atque delectum in deliciis haberent; quod Aristotelis testimonium confirmat, dum ait, Ἐπειδὴ δ' οἱ ποιηταὶ λέγοντες ἐνῆθη, διὰ τὴν λέξιν ἰδίαν ποιοῦσαν τὴν δι' αὐτῆς δόξαν. Διὸ τοῦτο ποιητικὴ φράσις ἐγένετο λέξις. οἷον ἡ Γοργίου. καὶ νῦν ἔτι οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων, τοὺς ποιητὰς οἴονται διαλέγεσθαι καλλίστα. *Quoniam verò poetæ dicentes inania, ac nugatoria, rationis tamen, ac verborum ornatu consecuti id nomen videntur; quod obtinent: etiam eo poeticum fuit, primum dicendi genus, cuiusmodi est Gorgiæ. Et nunc etiam vulgus imperitum censet, tales optimè de rebus disserere.* At Poetica dictio minimè vulgaris, sed grandis est, atque sublimis; ut propter ipsam solam poetæ magnum sibi honorem, & gloriam compararint, quanuis res de quibus agunt inanes sit, & commenticiæ. Hinc non iniuria Tullio poetæ aliâ loqui linguâ videbantur, non quòd voluptati magis poeta studeat, sed quo-

Aristot. 3. lib Rhetor. cap 3. text. 19.

Tullius in Oratore.

quoniam officium eius in imitatione consistit; elongatur igitur plurimum à dictione plebeia, atque vulgari; & sanè tantùm, ut inter poeticam, & vulgarem dictionem, oratoria elocutio medium obtineat locum, itaut quantum oratoria dictio à vulgari, tantundem poetica ab oratoria distet; quamobrem Plato recte ait, Ποιηταὶ ἀπὸ κρηνῶν μελιρρύτων, ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν ἁρπάζοντες, τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσι. *Poetæ à mellifluis fontibus, ex musarum hortis, ac viridariis carmina decerpunt, quæ nobis offerunt*, Hinc Tullius dicebat. *Grandis & ornata vox est poetarum, atque maiorem licentiam habent faciendorum, iungendorumque verborum: voluptati enim inseruiunt aliquando magis, quàm verbis.* Ideo Lyricus cecinit,

Plato in Ione.

Horat. in libri, sat. 4

Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat uti nos
Sermoni propiora putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens diuinior atque os
Magna sonaturum; des nominis huius honorem.
Idcirco quidam, comœdia nec ne poema
Esset, quæsiuere,
Quod acer spiritus ac vis.
Nec verbis, nec rebus inest, nisi quòd pede certo,
Differt sermoni, sermo merus.

Itaque poetarum locutio non ea est, quâ quispiam in sermone communi loqueretur soluto metro. Hoc splendidè admodum declarat Horatius, & rem illustrat exemplo, dicens

at pater ardens
Sæuit, quod meretrice nepos insanus amicâ
Filius: uxorem grandi cum dote recuset
Ebrius & magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus: numquid Pomponius istis
Audiret leuiora pater si viueret?

In his autem versibus poeticam dictionem non esse, cuique licebit ex resolutione colligere; soluto namque metro, talis erit locutio. *Sæuit, quod filius, meretrice amicâ nepos insanus, uxorem cum grandi recusset dote: & quod magnum dedecus, ebrius ante noctem cum facibus ambulat. Num quid leuiora istis Pomponius audiret, si viueret pater?* Huiusmodi locutio poetæ non congruit, quippequi dedignatur uti sermone tam abiecto, ut resolutus cum fuerit, nihil amœnitatis poeticæ redoleat; & ideo Lyricus continuò cecinit, ergo.

Non satis est puris versum perscribere verbis
Quem si dissoluas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater.

Cuiusmodi esse debeat poetica elocutio.

Poetica igitur elocutio variis dictionis floribus expolita, varijsque tum verborum, tum sententiarum luminibus illustrata esse debet, quoniam hæc magnificentiam in poesi magnoperè desideratam pariunt. Hinc poetis nobilioris famæ, frequens est figura Synedoche, & omnis alia quæ plurimum orationi splendoris, ac dignitatis affert, cuiusmodi est Allegoria, & præsertim Hypothyposis, quæ maiestatem singularem habet adnexam, ut propterea sæpe videamus à poetis usurpari descriptiones amoris, tempestatis, doloris, furoris, nauis, hominis, solis &c. & aliorum, de quibus eorum est cura sermonem instituere. Poetę igitur, ut probè suo munere fungi possit, paranda est in primis magna supradictorum copia, nobilisque poeticæ dictionis supellex, ut ex ea delectum cum varietate faciat, quibus omnis, non solum oratoria, sed poetica etiam eloquentia continetur. Varietas enim satietati obsistit; delectus verò splendorem dictioni conciliat. Quanuis autem locutionis ornatus, magnoperè sit commendabilis; non tamen ubiq; locum habere potest; enimverò quædam sunt, quæ locutionis flosculos dedignantur; verborumque dignitatem recusant; Non rarò enim,

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Quando tamen res humiles, & exiles fuerint, variis ornatibus illustrandæ sunt, plurimumque splendidis verbis decorandæ; cum enim se ipsis nitere non possint, aliundè, videlicet, ab elocutionis ornatu splendorem emendicare coguntur. At ubi res grauitate vel nouitate suâ audientium aures titillat, non indiget splendidâ verborum pompâ; quemadmodum nec etiam quando commouentur affectus; hæc enim omnia per se delectant, & auditorum animos iucunditate perfundunt; similiter poetam dedecet in rebus sacris tractandis, verborum flosculos adhibere. Vbi nanque rei maiestas undequaque splendescit, lumine non est opus alieno. Sed quæ ornari haud facilè patiuntur, non omnem ornatum respuunt, quin potiùs decentem recipiunt, cuiusmodi est ille, qui parcius usurpatus, poemati dignitatem affert, quam copiosius adhibitus interimeret. Quod in comœdijs, satyris &c. contingit, nam in his dictionis floridus apparatus non commendatur, cum potius pedestris, ac popularis elocutio laudetur. Sed reuerâ nequit una in omnibus poematibus esse dictionis forma, cum alia sermonis tragici, alia epici, alia lyrici, alia elegiaci & sic de alijs, forma, ac idea sit. Non solùm autem hinc sermonis varietas, sed etiam aliunde, adcout in eodem poemate varia esse locutio debeat; quandoquidem alia in eodem poemate est adhibenda locutionis forma cũ de rebus agitur magnis, alia cum de humilibus, alia cum de grauibus, alia cum de leuibus, alia cum de serijs, alia cum de iocosis.

Manilius Astron. lib. 1.

Elocutionis autem omnis tres virtutes esse perhibentur, nempe Puritas, Claritas, & Ornatus; Ita Fabius dicens, *Omnis oratio tres habet virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata.* De quibus, tametsi nos in Rhetoricis dissertationibus multa dixerimus, paucis tamen hìc iuvabit eadem perstringere.

Elocutionis tres virtutes numerantur. Fabius lib. 8 cap. 3.

Prima igitur elocutionis virtus est *Puritas*, quæ comparatur obtemperando legibus illius idiomatis quo in scribendo utimur.

1. Elocutionis virtus.

Duo sunt quæ puritati sermonis officiunt.

Duo porrò sunt, quæ puritati officiunt, nempe Barbarismus, & Solœcismus, est autem Barbarismus duplex, puta Grammaticus, & Poeticus; Barbarismus Grammaticus est error unius dictionis contra idiomatis præcepta, qua de re consulendi Grammatici; error hic maximè vitandus; quanuis ex accidenti Aristoteli videatur. Barbarismus verò poeticus in usu perigrinarum vocum consistit; hic non est error adeo detestabilis, ut omnino sit poetæ vitandus, cum potius ab eo, vel Aristotelis testimonio, possit in epico poemate usurpari, quoniam huiusmodi vocum frequentia, poemati non vulgarem magnificentiam conciliat; Dictionis enim virtus est, ut perspicua sit, non tamen humilis; at verò dictio quæ ex propriis nominibus constat, perspicua erit, sed humilis. Λέξεως δὲ Arist. inquit ἀρετὴν σαφῆ, καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι σαφεστάτη μὲν οὖν ἐστὶν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἀλλὰ ταπεινή, παράδειγμα δὲ, ἡ Κλεοφῶντος ποίησις, καὶ ἡ Σθενέλου. *Dictionis autem virtus, ut perspicua sit, non tamen humilis, quæ igitur ex propriis nominibus constabit, maximè perspicua erit, humilis tamen, exemplum sit, Cleophantis, Sthenelique poesis.* Quamobrem permittendum poetæ, quicquid potest elocutioni splendorem afferre; huiusmodi autem est usus peregrinarum vocum, hinc enim in elocutionem summa dignitas deriuatur, quod egregiè Stagirites notat,

Arist. in arte poet. part. 16.

Tertia elocutionis virtus vitium.

notandum ait. Σεμνὴ δὲ καὶ ἐξαλλαττουσα τὸ ἰδιωτικὸν, τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη. ξενικὸν δὲ λέγω, γλῶτταν, καὶ μεταφορὰν, καὶ ἐπέκτασιν, καὶ πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον. *Illa veneranda, & omne prorsus plebeium excludens, quæ peregrinis utetur vocabulis. Peregrinum voco varietatem linguarum, translationem, extensionem, tum quodtumque à proprio alienum est.* Hoc autem poetis epicis familiare creditur esse, quia hoc modo insinuant se poemata cudere dictantibus musis, quæ quodlibet idiomatis genus probè callere dicuntur. Solœcismus quoque non mediocriter elocutionis puritati aduersatur. Est autem vitium Syntaxeos in oratione contra Grammaticæ præcepta; Quid autem differat inter Barbarismum, & Solœcismum Grammatici norunt, apud quos eo differunt, quòd Solœcismus in verborum sententia, Barbarismus verò in unica voce contingit; iuxta illud *Solœcismus in sensu, Barbarismus in voce fit.*

Secunda elocutionis virtus est claritas.

Secunda elocutionis virtus est *Claritas*, seu *Perspicuitas*; adeo autem hæc in elocutione desideratur, ut in adagium abierit. *Quantumuis rudiùs dicito, modo clariùs.* Et re verâ nullum elocutionis genus ænigmati affine esse debet, quod Sphinx apud Thebas, Oedipo soluendum proposuit, ne quicumque audit, vel legit Davus esse cogatur. Ideo Stagirites dicebat. Ἐσῶ οὖν ἐκεῖνα τεθεωρημένα καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι. *Sunt ergo illa cogitata, & definita; sit elocutionis virtus, ut perspicua sit.* Cuius vult signum esse, quia σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ ἃ ποιεῖ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. *Cuius rei signum est, quòd nisi Oratio rem declaret, finem suum non assequetur.* Idcircò Fabius, *Oratio*, inquit, *cuius summa virtus est perspicuitas, quàm sit vitiosa si eget interprete?* Et sanè optimus quisque scriptor, clarissimus est, & erit eo obscurior, quo quisque deterior.

Aristot. lib. 3. Rh. cap. 3. text.

Sermonis obscuritas à pluribus causis proficiscitur.

Sermonis autem obscuritas à pluribus causis proficiscitur; Primò quidem à nimis implicata verborum textura, atque temeraria transpositione. Secundò à nimia prolixitate ignorationis filia. Tertiò à nimia breuitate; curandum enim in oratione, non ut minus, sed ne plus dicatur, quàm oporteat; non enim ad vitandâ prolixitatem, obscuritas est amplectenda. Quartò ab antiquorum, & obsoletorum vocabulorum usu; nam obscuritas orationis præsertim fit verbis ab usu remotis; Itaque perspicuitatis, claritatisve studio prisca vocabula fugienda sunt; licet poetis moderatus eorum usus concedatur, quoniam ea poemati maiestatis plurimum afferunt. Quæ de priscis autem vocabulis, de nouis quoque intelligenda sunt. Eadem enim de ipsis est habenda ratio.

Tertia elocutionis virtus ornatus.

Tertia elocutionis virtus est *Ornatus*. Ornata quidem elocutio tantum esse debet, quantum sat est, ne sit plebeia, neque vulgaris. Enimverò qui nimis affectat ornatum, procul dubio delectat, sed delectando satietatem affert; magnus ornatus repentè auditorum animos reficit, illico tamen eosdem tædio afficit; Omnibus enim in rebus, voluptatibus maximis, fastidium finitimum est. Interest quiddam ad eloquendum, itane, an ita dicas, non tamen tantopere; non enim in hoc sunt omnia, cum potiùs de rebus, quàm de verbis cura habenda sit.

Ornatus orationis præcipuè ab adiunctis originem trahit. Adiuncta porrò nil aliud sunt, quàm nomina adiectiua quæ substantiuis iunguntur. Sed ex adiunctis præcipuè vitanda sunt otiosa, siue superflua, quàuis apud poetas, etiam melioris notæ, oppositum videamus. Hoc sanè factum à Virgilio fuisse, nemine præterit, cum aliquando vmbram appellet ob scuram. *Agnouitque per umbram obscuram.* Et Ouidius niues appellet gelidas. *Nec noua per gelidas usta sit herba niues;* Permitti quoque potest hoc idem oratori, ad efficaciùs rem explicandam. Sed in adiunctorum usu id præsertim spectandum, ut ipsum sit formalis ratio, cur aliquid effectum aliquem pariat. Vt non benè dixerimus, *In herba virenti conquieui*, dicendum enim. *In molli herba conquieui.* Quoniam herbæ duo sunt adiuncta, nempe viriditas, & mollities; sed quòd quis fessus conquiescat, magisq; stratus, nõ est causa viriditas, sed mollities; nam perinde quietem nobis afferret, quamuis alio quouis colore herba foret affecta; at si de visu loqueremur, optime viriditatis adiunctum possemus usurpare, dicendo *Viridis herba meum oculorũ aspectum recreauit.* Adiunctum perpetuò commendabile censetur, quando ab vno ex quatuor causarum generibus desumitur. Quamobrem egregiè dicitur, à causa formali, adiuncto desumpto, *Nix alba.* A causa materiali, *Statua aurea.* A causa finali, *Indumenta sacra.* Eoquòd ad sacra peragenda sint efformata. A causa efficienti, *Mens hominis diuina*, quoniam à Deo condita sit, & non naturalis agentis viribus elaborata.

Metaphora plurimum ad ornatum conducũ.

Sed maximè ad elocutionis ornatum facit Metaphora, quæ Musarum lingua consueuit non immeritò nuncupari; sed de Metaphora cumulatè in Rhetoricis dissertationibus locuti sumus. Ibi siquidem opportunum erat hac de re cumulatè differere, cum non aliunde magis, quàm à metaphoris Orator splendorem possit elocutionis arcessere.

Isocrates in Euag.

Et in hoc poeta superat oratorem, propterea quòd ei, quæ tractat, datum est pluribus exornare, quod oratori non conceditur, ut Isocrates ait, dicens. Καὶ περὶ τούτων δηλῶσαι, μὴ μόνον τοῖς τεταγμένοις ὀνόμασιν, ἀλλὰ καὶ ξένοις, καὶ μεταφοραῖς, καὶ μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλὰ πᾶσι τοῖς ἰδίοις διαποικίλαι τὴν ποίησιν. *Atque hæc eadem explicare verbis non tantùm usitatis, sed alia peregrinis, alia nouis, alia translatis, nihil denique prætermittere, quo poesin queant figurarum omni genere variare.*

Vocalium & consonantium conditio spectãda

Præter hactenus dicta, in elocutione spectatur etiam vocalium, & consonantium natura; itemq; rerum & verborum ordo, quibus appositè ad res tractandas uti debemus; & ideo quandoque crebra vocum adhiberur elisio; plerunque voces confragosæ usurpantur; non rarò verba traiiciuntur. Cauendum tamen hæc ne fiant, nullâ urgente causâ, non enim tunc vitio carerent, ut ex aduerso causâ postulante si fiant, orationi plurimum splendoris, ac honestatis aferunt.

Dictio numerosa esse debet Rhytmus quid.

Dictio etiam numerosa esse debet, pro rerum de quibus agitur, conditione. Sed numerus bipartitò diuiditur; propterea quòd unus dicitur Rhythmus, alter autem Metrum. Rhytmhus in syllabarum solùm numero consistit; ad quem propterea pedum quantitas non pertinet; vel saltem illa tantummodo, quæ inconstans est, nec ubique usurpata. At metrum tum in syllabarum numero, tum in pedum quantitate, certus legibus ubique adhibitis, positum est.

Metrum quid.

Isocrates quid in Euagora.

Metrum igitur poetæ dicendum proprium, & adeo proprium eius esse perhibetur, ut Isocrates faciens comparationem inter poetas, & oratores, dicat. Πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι μὲν μετὰ μέτρων καὶ ῥυθμῶν ἅπαντα ποιοῦσιν, ὁρῶ καὶ δῆλον τούτων ποιοῦντα. ἀποδέχομαι ἔγωγε, ὅταν καὶ τῇ λέξει καὶ τοῖς ἐνθυμήμασιν ἔχῃ καλῶς, ὅμως ταῖς γε ἁρμονίαις καὶ ταῖς συμμετρίαις ψυχαγωγεῖσθαι τοὺς ἀκούοντας. *Iam illi versibus & numeris deuinciunt omnia.*

Digitized by Google

hi nullum tale adiumentum habent. Quibus in rebus tantum venustatis inest, ut, etsi neque verba poematum; neque sententiæ præclaræ fuerint, ipsa tamen concinnitas numerorum, aptæque dimensiones demulceant auditores. Vtque magis inter poetam, & oratorem discrimen ostendat, continuò subdit; quæ sequuntur. Isocrates ibid. Καταμάθοι δ' ἄν τις ἐκεῖθεν τὴν δύναμιν αὐτῶν· ὧν γὰρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων, τὰ μὲν ὀνόματα καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δ' μέτρον διαλύσῃ· φανήσεται πολὺ καταδεέστερα, τῆς δόξης, ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν. *Quæ quid valeant vel ex eo perspicitur quòd etiam laudata poemata, si quis eorum verba, sententiasque reliquerit, versum autem dissoluerit, ea, quam nunc de eis habemus, opinione, multò deteriora videntur.* Habenda item cura de periodorum, commatum &c. magnitudine, qua de re iam suo loco disputauimus. Solum hîc ad memoriam reuocabo in his mediocritatem summoperè commendari; ut enim hæc in cæteris, ita in his momenti plurimum habet.

Non minus in carmine, quàm in oratione, pro rei tractandæ conditione, character variatur, & elocutio; exiles enim res dictione leni, magnæ verò magnificâ tractandæ sunt, quandoquidem in his verborum est adhibenda maiestas, sententiarum grauitas, atque demum illustre quodais ornamenti genus usurpandum. At res quæ medio modo se habeat, similem dictionem, tanquam sibi consentaneam expoſcunt. Quod non sic accipias velim, quasi vnius poematis idem sit character, eademque dictio; sed quia in eodem poemate, & pro diuersitate rei de qua agitur, & pro varietate personæ loquentis, poeta nunc se debet attollere, nunc verò dimittere. Immo si quæ persona fuerit in fabulam inducta, conditioni fabulæ se accommodare debebit: ita quidem Satyrus in Tragœdiam inductus, non agresti dictione, sed mediâ inter tragicam, & comicam utetur, ad quod respiciens Lyricus canit

Horat. in arte poet.

Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit Davus ne loquatur, an audax,
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An custos famulusque Dei Silenus alumni
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quiuis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret,
Ausus idem, tantum series, iunctura pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Ex his facilè intelliges plurimùm interesse poetæ animo diligenter euoluere cuiusmodi sit rerum ordo, verborumque collocatio; his enim duobus tota continetur difficultas, quam orator in oratione conscribenda, & poeta in cudendo poemate experitur. Sæpè nanque

sectantem leuia nerui
Deficiunt, animique professus grandia turget
Serpit humi tutus nimium, timidusque procellæ.

Quod artis defectu contingit; enimverò nisi quis probè sit præceptionibus instructus, quibus luculenter inspiciat quâ viâ debeat incedere, necesse est, ut in errores labatur, dum illos declinare studet, nam,

Horat. ibi.

In vitium ducit culpæ fuga si caret arte.

Ad elocutionem pertinet etiam suauitas, est autem suauis sermo, teste Aristotele, in quo numerus, harmonia, & melos inest; ait enim, Λέγω δὲ ἡδυσμένον μὲν λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος. *sermonem suauem appello, in quo numerus, harmonia, & melos inest.* Id autem affirmat esse genere distinctum, cum metro tantùmmodo quædam absoluantur, quædam rursus melodiâ; ibi tamen de tragœdia loquitur, de qua infra.

Ad elocutionē pertinet suauitas. Arist. in arte poet. part. 35.

SECTIO SEPTIMA.

Quotuplex sit Fabula.

HActenus fabulam uniuersam tractauimus; reliquum est, ut ipsam in subiectas distribuamus partes: qua de re Philosophus loquens ait, Ἐτοὶ δὲ τῶν μύθων οἱ μὲν ἁπλοῖ, οἱ δὲ πεπλεγμένοι. *Fabularum aliæ simplices, aliæ implexæ.* Ex Aristotelis ergo sententia, fabula alia est simplex, & expedita; alia implicita, & connexa. Hanc porrò fabulæ distributionem, ex actionis distinctione desumit, ait enim, ἡ γὰρ πρᾶξις, ὧν μιμήσεις οἱ μῦθοί εἰσιν, ὑπάρχουσιν εὐθὺς ἔνιαι τοιαῦται. *Quemadmodum & actiones, quarum imitationes sunt ipsæ fabulæ, talem illico speciem ipsæ se ferunt.* Cum enim Stagirites ante docuisset in tragœdiis tria inesse τὸ ἐλεεινὸν, *miserabile*, τὸ φοβερὸν, *formidabile*, τὸ θαυμαστὸν, *admirabile*, infert ex his duo esse fabularum tragicarum genera, dicens alias esse simplices, & alias implexas; propterea quòd aut tria illa omnia insunt in fabula, aut aliqua separatim, ut τὸ ἐλεεινὸν *miserabile*: Si verò simul, aut duo, ut τὸ ἐλεεινὸν, *miserabile*, & φοβερὸν, *formidabile*; aut tria omnia iam commemorata contineantur. Vnde fit fabularum quadripartita diuisio, quæ quidem sic Robertellio ostendi posse videtur. Quot sunt actionum genera, tot etiam sunt genera fabularum; quoniam fabulæ sunt actionum imitationes, aut verarum, aut verisimilium; sed actionum duo sunt genera, cum alia sit actio simplex, alia verò implexa; ergo etiam fabularum duo erunt genera, nimirum actio simplex, & implexa. Quoniam autem apertè constare non potest quid sit fabula simplex, & quid complexa, nisi actio utriusque conditionis explicetur, idcirco subdit utriusque actionis definitionem dum ait, Λέγω δὲ ἁπλῆν μὲν πρᾶξιν, ἧς γενομένης, ὥσπερ ὥρισται, συνεχὴς ἡ μία, ἄνευ περιπετείας, ἢ ἀναγνωρισμοῦ ἡ μετάβασις γίνεται. *Simplicem actionem dico, in qua quidem (ut dictum est) continua una, absque peripetia, vel agnitione fit transitus*, nempe illa, in qua absque peripetia, vel agnitione, fit actionis, atque adeo fabulæ exitus, vel ut aliis placet, καταστροφὴ, *catastrophe*. Ex Philosophi igitur sententia, fabula in qua fit actionis declinatio, sine omni peripetia, & agnitione, simplex appellatur. Definiens autem actionem complexam ait, πεπλεγμένη δὲ, ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ, ἢ περιπετείας, ἢ ἀμφοῖν, ἡ μετάβασις ἔστι. *Implexa est, ex qua cum agnitione, aut peripetia, aut ambabus transitus fit.* Implexa igitur fabula erit, quæ post agnitionem, vel peripetiam vel utranque simul habet exitum, & in catastrophen terminatur; talis igitur est implexa fabula. Vtraque tamen fabula suam unitatem habet tam scilicet, quæ peripetiam, & agnitionem habet, quàm quæ non habet: Sed quia fabula sine peripetia, vel agnitione citiùs quàm cum his ad exitum properat; ideo ducitur una magis & continua fabula, quæ est destituta peripetiâ, vel agnitione, vel utrâque, eoquòd magis rectâ ad catastrophen tendit, quàm iis implicata; nam peripetia & præsertim per agnitionem facta, episodium unum occupat; & quanuis episodia cum re ipsa cohæreant, nihilominus fabulam protrahunt, atque prolixiorem reddunt, & idcirco obliquiori viâ ad exitum tendere videtur.

Fabulæ partitio. Arist. in arte poet. part. 58.

Quadripartita fabulæ diuisio probatur.

Arist. ib. Simplex actio quæ.

Actio implexa quæ.

Ex quatuor fabularum modis, duo simplices, & duo cōplexi.

Ex quatuor autem fabularum modis, duo sunt simplices; duo verò implexi. Prior modus simplex est, qui habet, τὸ ἐλεεινὸν, *miserabile* tantum, qualis perhibetur esse illa in Philoctete, in Trachinijs, in Me-

Digitized by Google

Duplex simplicitatis modus.

Medea, & in Hecuba. Secundus modus simplex est, qui habet, τὸ ἐλεεινὸν, καὶ φοβερὸν, *miserabile, & formidabile*, cuiusmodi est illa, quæ in Aiace, quoniam quilibet commiseretur hominem, & sibimet timet, ne Deorum irâ aliquid simile sibi eueniat. Prior modus implexus censetur ille, qui habet, ἐλεεινὸν, καὶ θαυμαστὸν. *miserabile, & admirabile*, qualis putatur fabulæ modus in Iphigenia in Tauris, eò quòd miseratione digni sint inactandi hospites; & agnitio illa fortuita, ac peripetia videtur planè admirabilis, qualis in Sophoclis Electra, quoniam ipsa lugens maximè commiserationem mouet, & eadem agnitio est summoperè admiratione digna, cum præter spem fiat, & commodũ afferat. Secundus modus implexus qui habet, τὸ ἐλεεινὸν, τὸ φοβερὸν, καὶ τὸ θαυμαστὸν. *Miserabile, formidabile, admirabile*. Qualis censetur fabula, quæ inscribitur Oedipus Tyrannus, quoniam is cum miseratione dignus est; atque irâ Deorum immissa pestis, Apollinis oraculo, vaticinioque Tiresiæ detectum scelus, quod ab inscio patratum fuerit, timorem incutit, atque pietatis plurimum ingerit. His accedit, quòd illi rerum euentus, qui à fatali necessitate oriri videntur, longâ quâdam serie ducti multum admirationis afferunt. Aliæ igitur sunt fabulæ in quibus tantùm agnitio inest, ut est Euripidis Iphigenia in Tauris, & Terentij Hecyra. Aliæ in quibus peripetia tantùm, qualis Antigone Sophoclis, ubi Creon, interremptâ Antigone, arbitrabatur magnâ se liberatum iri molestiâ, atque omnia sibi prospera euentura sperabat; in maximas tamen incidit calamitates, siquidem Hamon, morte eius cognitâ, manum sibi intulit; Eurydici autem Creontis coniux, auditâ Hæmonis morte, impatientiâ doloris, laqueo vitam finijt. Hoc idem cernere licet in Plauti Milite glorioso. Aliæ sunt fabulæ in quibus, est simul peripetia, & agnitio, qualis est Oedipus Tyrannus Sophoclis. Propterequòd nuncius Corintho missus, ut lætitiâ Oedipum afficiat, eum à Corinthiis regem pronunciatum esse nunciat. At ille, ab Oraculo admonitus, ait se in magno esse metu incestandæ matris, quam esse putabat Meropeam, Polybi Corynthiorum regis uxorem. Nuncius porrò dat operam, ut eum hoc metu liberet: sed dum hoc pro viribus curat, ea refert, unde Oedipus luculenter cognoscit se iam cum matre Iocasta concubuisse, & Laium patrem

Duplex implexionis modus.

à se inscio interemptum fuisse. Apud poetas latinos reperiuntur etiam fabulæ, in quibus concurrunt peripetia, & agnitio, cuiusmodi est Terentij Andria; nam interuentu Critonis agnoscitur Glycerium pro ciue Attica; resque turbolentæ in tranquillum reduçuntur, &c.

Fabula autem complexa, atque connexa, quoniam argumento per se delectat, minus industriæ requirit. Sed ut omnis fabula complexa gratior est simplici: ita ex implexis ea iucundior est, in qua immutatio, & agnitio reperitur.

Alia fabulæ distributio.

Alia etiam institui fabulæ diuisio solet; nam quædam dicitur simplex, ut illa in qua persona ex infelici fit felix, vel contra; quædam duplex, videlicet illa, in qua euentus in plures personas cadit. Hujusmodi autem fabula consueuit duplex appellari, quoniam personæ geminantur, ut duæ virgines, duo iuuenes, duo senes & pro his duplex euentus. Quanuis tamen hæc fabula ex hoc capite dicatur duplex, adhuc tamen una est, quoniam princeps actio una est, una solutio, & una peripetia, quoniam unius immutatâ conditione, alterius quoque conditio mutatur; hinc fabula ob huiusmodi consensum una est.

Ibid.

Alia est etiam fabulæ partitio, in ἠθικὸν, *moratam*, παθητικὸν *patheticam* & μικτὸν. *mixtam*. Morata quidem exprimit mores, siue hi naturâ insint, siue consuetudine sint comparati, adeò ut hæc in naturam verterit, qualis præcipuè comœdia est & etiam Odyssea magna ex parte existimatur. Patetica verò dolorem habet acerbum, ac miserabilem casum, cuiusmodi est tragœdia, talisque perhibetur etiam Aiax Sophoclis; & Hercules furens Senecæ magna etiam ex parte Ilias Homeri. Mixta verò fabula censetur comœdia; & tragœdia, illa si vehementiores affectus recipiat, hæc autem leniores. Mixti itidem generis putatur Æneis; cum tres eius priores libri una cum quinto, & sexto magis videantur morati; quartus verò & sex posteriores potius videntur pathetici.

Hactenùs varias fabulæ distributiones explicuimus, & eam Poeticæ partem absoluimus in qua generaliora tractantur. Reliquum est ut sequenti Dissertatione paucis complectamur, quæ speciatim ad eandem facultatem pertinent, & in quibus Poeta præcipuam exercet industriam. Hæc autem consideratio tot constat partibus, quot primariæ sunt poematum formæ, de quibus mox differendum.

DISSERTATIO III.

De ijs, quæ speciatim Poetica facultas considerat.

QVæ generatim poetica facultas assumit considerandaque hucusque nostrâ contemplatione persecuti sumus; reliquum est ut in præsens ea breuiter disputemus, quæ speciatim ad eandem facultatem pertinent, & in quibus Poeta præcipuam exercet industriam. Hæc autem consideratio tot constat partibus, quot primariæ sunt poematum formæ, de quibus mox differendum.

Quæ speciatim ad poeticam pertinent.

SECTIO PRIMA.

Diuisio poematum explicatur.

Poeseos partes trifariam distinguuntur

POeseos partes trifariam distinguuntur, nempe re, quâ imitamur; re, quam imitamur; & modo, quo imitamur, ut Philosophus initio artis poeticæ testatum reliquit, dum ait. Διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τριῶν· ἢ γὰρ τῷ ἑτέροις μιμεῖσθαι ἢ τὰ ἕτερα, ἢ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον. Tribus autem differunt inter se; aut quòd genere diuerso imitantur, aut quòd res diuersas, aut quòd modo diuerso imitantur. Hæc autem Stagirites per inductionem inuenit, ut paulò infra planum fiet.

Ari. in arte poet. part. 3.

Res autem, quâ imitamur, triplex est. *Sermo, Harmonia, & Rhythmus*: quod Aristoteles docuit, cum diceret, τὰ μὲν ἐν τοῖς ἔργοις συγκείμενον λόγῳ τε, καὶ ἁρμονίᾳ, καὶ ῥυθμῷ· *Melos ex tribus constat; sermone, harmonia, & rhythmo*, siue numero. At Sermo constat vocibus ad placitum significantibus. Harmonia verò in concentu, tum vocum, tum instrumentorum consistit: Rhythmus, tandem in dimensione temporis positus est. Est autem Rhythmus metri comparatione, tanquam aliquid latius patens, adeo ut metrum censeatur eius pars, vel ut alijs placet, est eius veluti proles; tam Rhythmus autem, quàm Metrum à sermone distinguitur & longè latèq; differt. Sermo autem primariò consideratur, rhythmus, & metrum, per ordinem ad illum. Ῥυθμὸς dicitur à verbo ῥυθμίζω, *modulor, apto, dispono ad modulationem* & ideo, quicquid certo modo, ordine, & proportione fit, κατὰ ῥυθμὸν, fieri dicitur.

Sermo quibus cõstet.

Rhythmus qualis.

Hactenus expoſuimus ea ex quibus oritur poeſeos diſtributio, propterea quòd cum tria ſint, quibus imitamur, puta *Sermo, Harmonia, Rhythmus*, triplex etiam eſt poeſis, nam hæc, vel uno eorum utitur, vel duobus, vel tribus. Vno quidem, ut *Epopœia*, quæ ſolo eſt ſermone contenta; vel ſaltatoria, quæ ſolum adhibet rhythmum ſine harmonia; ſaltatores enim per figuratos numeros imitantur, & mores & perturbationes, & actiones, adeo ut ſub apta motione corporis, tacita ſignificatio morum, & affectuum animi lateat. Vel duobus, ut poeſis *Auletica, & Citharistica*, quarum utraque rhythmum, & harmoniam uſurpat. Vel tribus, ut *Dithyrambica, Nomorum poësis, Tragœdia, & Comœdia*. Non quòd in Dramate hæc olim tria ſimul, eodemque tempore frequentarentur; ſed quia ſecundum ſui partes id obtinebant; quoniam alia tantùm referebantur; alia canebantur, & alia ad chorum pertinebant; unde orta eſt illa tripartita dramatis diuiſio in *Diuerbium, Canticum, & Chorum*. Vt Voſſius quoque notauit.

Ea, quibus poeta imitatur.

Ariſt. in arte poet. part. 4.

Hucuſque rem, quâ imitamur, expoſuimus; ſupereſt res quam imitamur; & hæc nil aliud quàm materia ex qua poema conficitur, ratione cuius triplex habetur poema; quia, vel res præſtantiores imitamur, vel ſimiles, vel deteriores, ut enim in alijs, ita etiam in hoc poeſis eſt picturæ ſimilis; pictura nanque tripartitam hanc diuiſionem admittit; nam Ariſtotele teſte, Polygnotus præſtantiores, Dionyſius ſimiles ſuæ ætatis homines, Pauſon verò deteriores, imitabatur. Non diſſimiliter Homerus, heroes Cleophon, ſimiles; Hegemon Thaſius, & Nicocharis Athenienſis, viles homines exprimere conſueuerunt.

Res, quam poeta imitatur.

Sequitur ad extremum modus imitationis, quæ triplex itidem perhibetur; nempe ἐξηγηματικὴ, *narratiua* διαλογικὴ *ſermocinatrix*, quæ δραματικὴ. ſiue actiua, ubi collocutiones inducit; & μικτὴ, *mixta*. Hæc autem diſtributio ex eo ortum duxit; quoniam in poemate plerunque ſolius eſt poetæ perſona, & quidem narrantis, ſubinde tamen in aliam, atque aliam perſonam ſe mutantis, & aliorum ſermonem referentis, quandoque nulla eſt poetæ narrantis perſona; ſed alios vix duntaxat loquentes, & quaſi negotiantes induxit: non rarò tum in iis eſt perſona poetæ, aliquid de ſuo intermiſcentis; tum aliorum, quos poeta loquentes induxit.

Imitationis modus

Hactenus dicta Platoni placuiſſe videntur.

Hanc fuiſſe Platonis hac de re ſententiâ, frequens opinio eſt; ipſi nanque, διήγησις, ſiue ἁπλῆ διήγησις, *ἢ ἀπαγγελία*, eſt enim genus poeſeos, in qua habetur ſimplex narratio, ubi poeta ipſe rem proprio nomine refert. Altera verò poeſis eſt eidem Platoni, διήγησις διαμεμιγμένη, *narratio, quæ fit imitando*, & ideo μιμητικὴ, ſeu δραματικὴ, actiua conſueuit appellari. Eſt autem imitatio, quâ poeta non ipſe loquitur, ſed ſolùm perſonas repræſentat, quas induxit loquentes. Huiuſmodi porrò eſt imitatio, quæ habetur in Comœdijs, atq; Tragœdijs. Tertia tandem Platoni eſt poeſis ἡ ἐξ ἀμφοτέρων τοῦτων, *utroque modo perficiens*. Cuiuſmodi ſunt Ilias Homeri, Æneis Virgilij, Lucani Pharſalia, & alia huiuſmodi, in quibus Heroum, atque præſtantium virorum geſta exponuntur. Hæc ſunt ad aures Platonis, ex cuius ſententia, poeſis narratiua eſt, in qua poeta frequenter habitæ orationis ſententiam narrat; at verò dramatica, eſt in qua ſæpius perſonas directâ oratione loquentes inducit. Mixta verò eſt utriuſque particeps.

Hanc partitionem aliqui tanquam inſufficientem reſpuunt, & ideirco aliam ſubſtituunt, quinque facientes poetarum genera, nempe *Comicos, Tragicos, Epicos, Dythyrambicos, & Melicos*. Sed hæc etiam eſt inſufficiens, cum in ea nulla fiat commemoratio poetarum aliorum, cuiuſmodi ſunt Iambici, elegiographi, & eorum qui epigrammata, ſatyras, &c. ſcribunt.

Superiorum poematũ diuiſionẽ aliqui tanquã minus rectam reijciunt.

In re tam perplexitatis plena, videtur potius dicendum poetarum diſtributionem non aliunde melius deſumi poſſe, quam à verſuum varietate, quibus poeta utitur in cudendis poematibus ſuis. Sed res parui momenti eſt, adeo ut non ſit operæ pretium diligentius in eius conſiderationem incumbere, cum potius præſtet ad poematis ſpecies explicandas particularum deſcendere. Silentio tamen prætereundum non eſt, quæ Philoſophus docuit de huiuſmodi differentiis, ratione comprobari facilè poſſe; ſed is ſimilitudine quidam eleganti rem declarare peropportunum & operę pretium duxit. Hæc autem ſimilitudine Philoſophus oſtendere quidem intendit poeſeos ſpecies differre meritò quorundam inſtrumentorum, quibus ipſa imitatur, quoniam aliæ artes imitatrices eâdem ratione diſcriminantur, quod autem rem eandem imitentur, vel non imitentur, nihil refert, ut propterea toto cęlo aberrauerint interpretes dicentes id in præſens attendendum eſſe. Ariſtoteles autem ita diſputat, ut coloribus, atque figuris pleraque imitantur, hi quidem arte, illi conſuetudine; alii verò id voce præſtant, ita in prædictis artibus accidit, cum omnes imitationem efficiant, rhythmo, ſermone, & harmoniâ, & quidem his vel ſeparatim, vel promiſcuè; & harmonia ſimul & rhythmo tantùm utuntur illæ, quæ ad tibias, & ad citharas pertinent: & etiam ſi aliæ ſunt, quibus talis facultas ineſt; cuiuſmodi eſt illa, quæ ſiſtulis utitur. At rhythmo ſine harmonia ſaltatoria imitatur, nam ſaltantes geſticulationis varietate mores, perturbationes, & actiones imitantur, nudis verò ſermonibus epopœa in imitando contenta eſt, &c.

Contentio de diſtinctione poematum, res parui momenti eſt.

SECTIO SECVNDA.

De Poeſi dramatica in uniuerſum.

Poeſis dramatica de diſtu.

POematis genus, Drama, ob imitandi præſtantiam generali vocabulo μιμητικὸν, *imitatiuum*, & ob eam cauſam, quia perſonas agentes imitatur, δραματικὸν, *factiuum*, appellari conſueuit, quandoquidem δρᾶμα, poematis genus, hoc nomine appellatur, eo quòd poeta per illud non narrando, ut poeta epicus, ſed agendo imitatur; Poeta dicitur *facere*, hiſtrio autem *agere*: unde actor dici ſolet, licet non totum argumentum ab ipſo agatur, cum partim agatur, partim autem referatur, Hiſtriones po-

Digitized by Google

ro sunt, qui personati in scenis fabulas agunt sic appellati vel ab Histria regione, unde primum venisse, indeque nomen sortitos fuisse dicunt, siue quia hister, tusco verbo vedio vocabatur. Hi autem in scenis partim agunt, & partim referunt; quo pertinere non nulli credunt illud Lyrici

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.

Sed aliò spectasse Lyricum dum ita caneret, non multo antea docuimus. Tametsi verò histrionica fabula, partim rem agat, & partim referat; adhuc tamen pars illa, quâ acta referuntur, debet actiua nuncupari, quoniam relatio ab agentibus fit; quemadmodum etiam & epopœia debet narratiua dici; nam quanuis in ea quædam à poeta narrentur, & quædam ab iis, qui loquuntur; quia tamen poeta est, qui narrat eos sic esse locutos, idcirco narratiua simpliciter dicenda.

Dramatis initium unde sumatur.

Vnde verò dramatum initium desumptum fuerit, satis est exploratum; cum neminem prætereat illud à diebus festis ductũ fuisse, enimverò moris erat apud veteres, frugibus collectis conuenire, partim ut Deo sacra facerent, partim, ut paulisper animum relaxarent; hoc enim modo refectis viribus, alacriùs negotiis operâ nauare poterant. Hinc porro gemina suborta est poesis, quarum una serior: altera iocosior; illa Deorum laudes; hæc autem iocosa dicteria tractabat. Ad primum poeseos genus pertinent Dithyrambi Dionysii, seu Liberi patris, Deorum hymni, Herorum encomia. Ad secundum referuntur iambica, & phallica; ex priori genere originem duxit poesis tragica; ex altero satyrica, comica, & mimica, Iambica, & phallica. In his tamen non secus, ac in cæteris ortum habentibus contingit; initio enim rudia sunt, tractu verò temporis excoluntur; sic & poemata; (poesis enim primò ἀυτοσχεδιαστικὴ, subita nimirum & extemporalis fuit, idcirco nonnisi inculta esse poterat.) Primò enim præ nimiâ ruditate, vilia, nullíusque pretij erant. Sed paulatim artis industriâ, venustatem atque splendorem obtinuerunt; atque adeo tàm ea, quibus Deorum laudes, Heroumque præclara gesta exponuntur, quàm, quæ iocis, facetijsque plena auditores detinent, eorundemque animis iucunditatem ingerunt, in magnas fabulas excreuerunt. Ex horum priori genere Tragica poesis originem duxit; ex posteriori verò Satyrica, Comica, & Mimica effluxerunt.

Vtriusque dramatis auctor, quis Platoni dicat.

Vtriusque autem dramatis, auctor Platoni est Homerus, de hoc enim loquens dicebat. Ἔοικε τῶν καλῶν ἀρχηγὸς τούτων τραγικῶν φανῆναι καὶ διδασκαλος τοῦ ἡγεμὼν φανῆναι. *Videtur ille præclarorum illorum tragicorum primus magister, ac dux fuisse.* Sed res maximè controuersa est; utcunque se res habeat, nostra parum interest, cum solùm de præceptis debeamus esse solliciti, quæ paucis perstringere tentabimus. Poema dramaticum, ut sit huiusmodi; non debet in eo poeta loqui, sed solum personæ agere absque poetæ interlocutione, ut à principio notauimus. Deinde verò dramatis actio vna & ea quidem perfecta, ac tota esse debet: atque adeò quæ principium, medium, ac finem, & ob id ἀρχὴν, μέσα, τέλη, καὶ τὰ τούτων, habeat, ut de fabula in vniuersum dictum fuit. Eius finis morum est emendatio.

In Drama ne consideratur magnitudo. Terminus inartificialis.

In dramate consideratur magnitudo, quæ duplici ratione spectatur; vel nempe ratione termini, quem ab aspicientibus accipit; & hic dicitur terminus inartificialis; vel illius, quem suapte natura sibi vendicat, & artificialis appellatur. Terminus magnitudinis priori ratione sumptus, ad artem non pertinet; nihilominus ex communi sapientum consensu statuendũ drama non debere senas horas transcendere, nec paucioribus, quàm tribus præfiniri. Curandum ergo præcipuè ne fabula nimis longa, vel nimis breuis videatur, alterutro nanq; vitio laboret, laudari non potest: nimia enim longitudo, auditorum animos tædio fatigat, & satietate replet; siquidem eorum lumbi sedendo, ut Poeta ille dicebat, & oculi spectando dolent; nimia eiusdem breuitas minimè commendabilis, cum in spretum poetæ cedat; spectatoribus enim argumento est, eum haud multum esse versatum, nec eo furore plenum, quem in poeta vehementem esse decreuimus. Terminus autem artificialis quem drama suâ naturâ requirit, idem est, ac Tragœdiæ ab Aristotele præfinitus, videlicet spatium vnius diei, vel paulo maius; docet enim tragœdiæ epopœiam duntaxat similem apparere, quòd metrico sermone præstantium imitatio sit; hoc verò differre, quòd epopœia simplici utitur metro, eoquòd narratio sit; & etiam longitudine, quoniam tragediæ quidem intra vnius potissimum Solis, vel paulò plus minusve periodum actio est; at verò epopœia temporis spatio non urgetur; de tragœdiæ siquidem longitudine loquens ait, Πειρᾶται ὑπὸμίαν περίοδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν. *Conatur intra unicum Solis ambitum consistere, aut sanè paulùm excedere.* Quanuis autem epopœia termino præfiniri magnitudinis certè non patiatur eáque ὁρισμὸν τοῦ χρόνου *indefiniti temporis sit*; aliquè tamen eius deberi partibus, quas Græci alphabeti *notis* designant, Latini verò *libros* appellant, & Itali *canto* nuncupare consueuerunt, communi consensu receptum est; terminum autem eius duodecim horarum spatium esse volunt, quoniam epicus nequit canendi spiritum diutiùs protrahere, nec populus audire.

Fabula nec nimis longa, nec nimis breuis esse debet.

Terminus artificialis Arist. in arte poet. part. 31.

Partes dramatis ratione qualitatis & quãtitatis.

Dramatis verò partes decernuntur, vel ratione qualitatis, & ut alij dicunt, essentiæ; vel ratione quantitatis, siue molis aç estensionis; de hac secunda iam aliquid dictum fuit, & iterum plura dicentur. At si priorem rationem spectemus, partibus drama constare comperiemus, quæ vel ad poetę, vel ad aliorum operam pertinent: Partes ad poetam spectantes quatuor esse non immeritò censentur, Fabula, Mores, Sententia, & Dictio. Sine his enim drama esse non potest. Primò nanque poeta rem debet excogitare, hoc est fabulam contexere; quæ cum in imitatione consistat, hominum mores, animique sensa debet exponere; & hæc omnia accommodatâ dictione pereleganter, pro rei de qua agitur conditione, exprimere. Quæ verò ad poetam non pertinent, sunt Apparatus, & Modulatio, in quibus Choragus, Histrio, Cantor, & Tibicen occupatur, & hæc extra scriptionem esse dicuntur. De his tamen infra plenius disputabitur, cum de tragœdia sermo fuerit, quam dicemus sex constare partibus, cuiusmodi sunt *fabula, mores, dictio, sententia, apparatus externus, & modulatio*; e quibus duæ pertinent ad ea, quibus imitamur, una solùm ad modum, quo imitamur; reliquæ tres ad ea quæ imitamur; ex his porrò sex partibus, quatuor à poetæ pendent industria; *fabula, mores, sententia, & dictio*, duæ verò ab aliorum artificum opera, nimirum *apparatus externus, & melodia*, siue *modulatio*; de his tamen suo loco plura.

Quæ ad poetam pertinent, & non pertinent.

Primum ac præcipuũ opus poetæ tuendum.

Primum, ac princeps est opus rem animo serius euoluendo, fabulam contexere; huius porrò conditiones sunt, quas fabulæ in vniuersum adscripsimus. Hoc autem absoluto, nomina personis imponenda sunt; vel ab Historiis petita, vel proprio Marte adinuenta, quæ tamen non casu, aut temerè fingenda sunt, quin potius vel à simili Historia desu-

mi

mi debent, si tamen summâ cum dexteritate id fiat, vel græcum etymon attendendum, quod euentum, aut mores designet; vel munus, ac officium, aut ætas, aut natio &c. attendi debet.

Persona aut in argumento aut extra.

Persona verò, cui nomen imponitur, aut in argumento est, aut extra illud. Insuper ex personis, quædam sunt, quæ aliquid non in scena, sed intus dicunt, & quædam sunt, quæ nihil dicunt, sed aliquid ipsis dicitur. At argumentum non uniusmodi est, quoniam vel simplex, vel geminum habetur.

Quæ turpia sunt narranda tantùm, & non oculis exponēda.

Pertinet autem ad decorum dramatis, quæ turpia sunt visu, tantummodo narrare, & oculis non exponere, aut voce quapiam interius clam prolatâ significare, ita ut ex eâ auditâ populus intelligat, quod non videt. Dramatis mores tales sunt, quales fabulę in uniuersum tribuimus. Dictio non uniusmodi, sed varia, pro varietate personæ, & hoc etiam decorum respicit, licet uniuersè non debeat elocutio admodum ornata esse, qualis in epopœia, cùm potius deceat eam esse magis popularem, mediâ tamen inter sublimem, & humilem; verbo dicam, ferè pedestrem. Ad dictionem pertinet metrum, drama siquidem, siue tragœdia, siue comœdia sit, metrum exposcit. Metrum verò aptissimum ad drama est iambicum, quoniam hoc in omnem ferè sermonem incurrit; rectè nanque dicitur natum rebus agendis iambicum enim cum pedestri sermone magnam habet assimilitatem. Huiusmodi siquidem versus, nimirum iambici, tam parum à familiari sermone distant, ut sæpe vix eos esse versus cognoscere possis; nec mirum, nam plurimis iambis in colloquio utimur, ut Aristoteles dicebat. Huius autem versus variæ sunt species, omnes tamen valdè familiares, ut ex prosodia notum est; iambicus autem versus olim inuentus est nascente poesi; Auctor eius fuit Archilochus, de quo Lyricus

Dramatis mores qualis.

Dramatis metrum.

Fletat. in arte poet.

Archilocum proprio rabies armauit iambo
Hunc Soeci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Arist. lib. 3. Rhet. text. 146.

Aristoteles autem de Iambo loquens hæc habet, τὸν δὲ ἰαμβεῖον ῥυθμὸν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δὲ ἰαμβος, αὐτὴ ἔχει ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα φαίνεται τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθεγγόμενοι λέγοντες. *Ex numeris autem herous grandis est, & elegans & indigens harmoniæ, iambus autem ipsa est imperitorum oratio, ideo ex omni genere carminum, in iambica maximè loquentes incurrunt.* Cum igitur oportet in dicendo granditatem efficere, & auditores in admirationem adducere, & huic rei iambicus numerus non sit accommodatus; ob id, ait Philosophus, oratori alium numerum adhibendum esse, nimirum heroum, quem putat grandem esse, & elegantem, & in primis aptum ad oratoriam granditatem, ac maiestatem comparandam; harmoniâ tamen atque temperatione aliorum pedum humiliorum indigere; Heroum autem pedes Tullius putat esse non tantum Dactylum, ut Fabius arbitratur, sed Spondæum, & Arapæstum; hos enim omnes inter heroum numeros collocat, cum hi tres paria habeant interualla; constat igitur Iambum esse numerum valdè popularem, ideoque versus iambicos eiusdem esse naturæ. Dramati autem numerum iambicum summopere congruere, testis est idem Stagirites, eo quòd, ut ipse ait, valdè similis est sermoni familiari, quod antea docuerat ad ostendendum in soluta oratione, quod poeticum est, apud peritos homines laudem habere non posse, non enim oratores egregiè putandum dicere, qui poeticâ verborum licentiâ exultant, & poetarum flosculos undique decerpunt, hoc autem ut probet à comparatione desumit argumentum, aduersus illos, qui in soluta oratione poeticam locutionem probant; Tragici, inquit, poetæ non amplius hac tempestate sequuntur illud priscum dicendi genus à consuetudine vulgaris sermonis remotum; ergo multo minus id oratori faciendum. Ostendit autem non exiguam mutationem in poetis factam; quia tragici tetrametros versus prius usurpabant, cum adhuc poesis esset satyrica, & ad saltandum accommodatior, & ideo versibus ad saltandum accommodatis uti opus erat; cuiusmodi sunt tetrametri, qui octonarii dici solebant, quòd octo pedibus constarent; quique nec tantùm iam bos, sed etiam choraeos, & tribrachos pedes continebant, eoquòd hi sint pedes celeres; at postea, tragici ijdē poetæ cupientes pondus, & grauitatem suis fabulis addere, relictis celeribus & lasciuis tetrametris, ad iambicos se contulerunt, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν διὰ τὸ τὸ λόγῳ τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων. *Sed quemadmodum tetrametros versus reliquerunt, & ad iambos se contulerunt, eo quòd ex omni metrorum genere iambicum est solutæ orationi simillimum,* ac quorum numero trimetros præcipuè, atque dimetros frequentarunt, quoniam nullum carminis genus orationi solutę similius est, quàm iambicum, & ideo in comœdiis, & tragœdiis erat opportunus horum carminum usus, quia verisimile est, ut ii, qui fabulas agunt, quodammodo loqui naturaliter appareant. Itaque, ut superiùs innuimus, heroici sanè magniloquentiam sequuntur, comici verò ac tragici quotidianum sermonem imitantur; nec immeritò, nam in scenas personas inducunt, puta seruos, ancillas &c. quibus non nisi familiaris sermo accommodatur. Hanc eandem doctrinam Philosophus inculcat alibi, ubi iambicum maximè aptum sermonibus alternis esse dicit. Ex his facilè intelliges in dramate iambicos, vel dimetros, vel trimetros, maximè quidem usurpandos esse.

Arist. in 3 arte poet. part.

Partes autem fabulæ ratione quantitatis sunt Diuerbium, & Choricum. Diuerbium contingit, quando diuersi verba faciunt; diuiditur in Actus, & Scenas, illi sunt maiores, hæ autem minores partes, cum Actus unus plures scenas complectatur. Actus portò distinguebantur choro, vel si non adesset chorus, pro eo erant tibicinum cantus, in eum finem institutus, ut spectatores etiam intermedio tempore aliquam delectationem haberent. Chori officium declarat Lyricus dicens

Diuerbium & Chorici fabulę partes.

Chori officium quale.

Horat. in arte poet.

Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat:

Qualis is esse debeat, idem quoque nos docet, dum subdit

neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte
Ille bonis, faueatque, & concilietur amicis.
Et regat iratos, & amet peccare timenteis.
Ille dapes laudet mensæ breuis, ille salubrem,
Iustitiam legesque, & apertis otia portis.
Ille tegat commissa, Deosque precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Antiquis duplex erat chorus, nempe tragicus, & comicus, ille quindecim personis, hic autem viginti quatuor constabat.

Actus numerus quinarius est.

Actus fabulæ quinario numero comprehenduntur, adeo ut nec plures, nec pauciores esse debeant, unde Lyricus

Neue minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, ea spectata reponi.

Pri-

Quid in singulis actibus habeatur.

Primus actus argumentum exponit, non tamen exitum, alioquin eius præscientia delectationem adimeret. Alter deducit rem in actum. Tertius turbas mouet. Quartus viam aperit, quâ res implicitæ, pluribusque tricis inuolutæ dissoluantur. Quintus atque postremus impedita artificiosè expedit. Aliqui tamen pauciores esse posse contendunt.

Actuum magnitudo.

Actuum autem magnitudo non semper eadem; nam illa quidem excrescit, si vel res cordatos grauitate detineant, vel populum festiuitate delectent; illud satis est exploratum scilicet, actum ultra scenam septimam non extendi, quanuis aliqui usque ad decimam non tamen amplius producant; Scenæ verò magnitudo tanta esse debet, ut facile principium medium, & finis, memoriæ committi possit.

Actuum numerus, seu multitudo.

Actores porrò in dramate nolunt plures esse, quàm quatuordecim, quorum nomina moris fuit in scena proponere, simulque patefacere, quæ cuiusque sint partes, quanuis hic sit numerus inconstans, cum pro diuersitate fabulæ, varietatem subeat; & ex his non plures tribus in scena loqui posse contendunt, auctore Horatio, cum, ut supra quoque monuimus, aliquando dixerit, *Nec quarta loqui persona laboret.* Hoc tamen non omnibus probatur, enimverò non desunt ex Latinis, qui plures in fabulas personas introduxerint, quanuis dissimulare non liceat, quartam personam ferè semper mutam esse; vel saltem parum admodum loquentem; tametsi nanque personæ quatuor in scena sint, nihilominus, una ex ipsis tacet, ne sermonem perturbet; vel si loquitur, id non facit nisi cum una ex aliis, non cum uniuersis; quod non accipiendum tanquam omnino necessarium, sed tanquam consuetum. De scenarum quoq; distinctione habenda est cura, quæ modò nouarum personarum aduentu perficitur, modò nouæ unius interuentu, modò tandem veteris recessu; scenæ igitur initium fit, vel per omnes personas nouas, vel saltem per unam; quemadmodum finis vel per omnium, vel per unius discessum. Solet autem diuerbium, de quo loquimur, in φόρασιν; ἐπίτασιν, & καταστροφὴν distribui. Πρότασις, Prout ad præsens attinet institutum, est solum argumentum in fabula, unde προταικτικὸν πρόσωπον, persona extra argumentum dicitur, ἐπίτασις, idem est ac intensio, vehementia, amplificatio, ac exageratio; in ea enim fabulæ parte res maximè viget. Protasis censetur dramatis initium, quòd antecedentia refert, & ad reliquam fabulam viam sternit; huius officium est rem summatim exponere, paucisque perstringere. Aliis verò Protasis est primus actus fabulæ, quo argumenti pars explicatur, partim reticetur, in eum finem, ut populus suspensus detineatur, & in expectatione maneat; nam fabulæ statim exitu præcognito, cetera frigescant oportet; ut ex aduerso validiora fiunt, si audientium animos expectatio detineat; in uniuersum enim omnia, quæ repentè contingunt, audientium animos in maiorem admirationem adducunt. Ex aliquorum tamen opinione breuis oratio, rei summam complectens, non necessariò in primo actu fieri debet, cum etiam in secundo locum habere possit. Plerunque contingit, ut persona quædam in sola protasi se sedet in conspectum, postea verò nunquam. Huiusmodi autem fabulæ pars, quæ protasis appellatur, choro terminari consueuit. Vbi vera definit protasis, incipit epitasis, quam diximus esse amplificationem, ac exagerationem, ab aliis dicitur pars illa, in qua turbæ aut excitantur, aut inuoluuntur; rectius dixeris esse illam in qua fit maior rerum omnium intensio, incrementum, atq; processus turbarum, ac totius erroris nodus, quanuis hæc fabulæ pars aliquibus in duas partes diuidatur, quarum una est in qua turbæ aut excitantur, ac inuoluuntur, & ab ipsis appellatur epitasios nomine; altera verò in qua habetur vigor statusque fabulæ, & res miscetur in ea fortunæ tempestate, in quam subducta est, & catastasis nuncupatur. At verò Catastrophe est pars altera, quæ superiores subsequitur, & in ea fabulæ habetur exitus, quo exponitur fortuna in melius, aut deterius conuersa: Harum partium loca superiùs innuimus, cum diceremus protasin actu primo, non tamen semper, sed aliquando etiam secundo, contineri. Epitasis, de qua aliquid supra dictum fuit, actu secundo, tertio, quandoque itidem quarto, comprehenditur, vix unquam aliquid eius habetur in quinto. Catastrophe tandem non rarò quartum actum, vel eius partem occupat, sed longe frequentius, & ferè semper tota in actu consumitur quinto. Superior fabulæ partitio est ex Græcorum sententia, quibus visum est congruentiùs drama distribuere in partes natura dissimiles; iuvat enim hinc potius differentiam partium desumere, quàm à quantitate, ratione cuius Latini distributionem dramatis in partes faciendam esse voluerunt.

Diuerbii partitio.

Sed Aristoteles, de tragedia loquens, fabulæ partes designat, quandoquidem absolutâ distributione tragœdiæ in partes, quibus, ut formis uti oportet, eandem partitur habitâ ratione quantitatis, κατὰ δὲ τὸ ποσὸν καὶ ἃς διαιρεῖται κεχωρισμένα, τάδε ἐστί, πρόλογος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος, χορικὸν. καὶ τούτε, τὸ μὲν πάροδος. τὸ δὲ στάσιμον. *At secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hæ sunt prologus, episodium, exodus, choricum, & huius quidem una pars, parodus; altera verò stasimum.* Quas deinceps declarat; & ex eius sententia Prologus est tota ac integra pars illa, quæ est ante chori parodum, hoc est ante chori ingressum. Episodium est ingra pars interposita inter integros choricos cantus. Exodus est integra pars post quam non est chori cantus. Corici verò parodus prima dictio est integri chori. Stasimum est cantus chori sine anapæsto & trocheo. Κομμὸς tandem est lamentatio communis chori, & à Scena oritur; ubi obseruandum in hac diuisione prologum conuenire cum protasi, episodium cum epitasi, ut exodum cum catastrophe. Quanuis exodus sit tota illa tragœdiæ pars, quæ sequitur post ultimam chori cantilenam usque ad tragœdiæ finem. Catastrophe verò primò contingit, cum res in fortunæ mutationem vergere incipiunt. Solutio fabulæ est manifesta nodi solutio, cum fortunæ mutatio primùm se se dat in conspectum, totum autem id, quod post enodationem sequitur, solet exitus fabulæ nuncupari. Hic non omittendum ab Aristotele diuisionem traditam à loco quem partes in tragœdia habent, desumi, cum superior proximè relata, potius à singularum partium muneribus ac officiis petatur. Non ignorandum tamen dissimili modò à Latinis, ac ab Aristotele prologi vocem usurpari; siquidem prologus Aristoteli pars est fabulæ primo loco habita cum cæteris connexis, sed Latinis quædam est locutio veram fabulæ compositionem antecedens, nimirum oratio ad spectatores ante legitimam fabulam habita.

Aristin arte poet. part. 64.

De chori.

De chorico dicendum sequitur. Choricus est pars illa, qua choricus canit certis dramatis locis, ac co differē- interuallis. Eius originē Arcadibus veteres acceptam dum, referebant, quemadmodum musicam uniuersam. Chorus porrò multitudinem significat ex pluribus in unum locum simul collectis, aut ad canendum, aut ad loquen-

loquendum, licet hoc postremum minus propriè dicatur: moris enim olim fuit, ut in unum plures coacti, iacularia proferrent voluptatis causâ, unde non multo post usus effluxit poematum comicorum, & tragicorum, ita ut in utroque poematum genere, chorus haberetur; ita fit ut duplex sit chorus, nempe comicus, & tragicus; & insuper, ut utraque fabula extra choros sermonem, & numeros habeat, in choris etiam harmoniam. In choro tragico numerus erat personarum quinquaginta, sed paulatim ad breuiorem munerum redactus fuit, ut supra monuimus, puta ad numerum quidecim personarum, ut comicus ad vigintiquatuor. De chori forma in progrediendo consulendus Iulius Pollux. Chorus tragicus partim canebat, ut ex Aristotele colligitur, partim in ipsa statim parodo, loquebatur & canere statim ante episodium incipiebat.

Chori locus in fabula.

Chorus in fabula sequebatur post actum, vel ante etiam eumdē introductus cum concentu, & ita canebat, ac loquebatur, ut chorici nomine intelligerentur non solùm, quæ à choro canebantur, sed etiā, quæ ab eo dicebantur. Argumentū autem chori interdum peti solet ex rebus ipsis, itaut cum reliqua fabula tam aptè cohereat, ut quasi pars eius videatur, Chorus enim probè institutus debet esse de re, de qua loquuntur actores, non de re, quæ à fabula separatur; canere igitur debet, quod est fabulæ insertum, quodque cum ea coniunctum est; quandoque tamen à fabula erat alienum; quod supra quoque ex Lyrico notauimus, cui prior chori forma, quemadmodum Aristoteli, retinenda videbatur. Chorus porrò canens populum spectabat, ei autem canebat, ne cessantibus actoribus abiret. Non omnis chorus eiusdem est naturæ, quoniam ille, qui quintum sequitur actum, à reliquis natura discrepabat; enim verò ipsius officium erat de iis iudicium ferre, quæ iam acta essent; quod apud Græcos quam maximè in usu erat; non sic tamen apud Latinos; Chorus autem è fœminis, & viris, non tamen pueris, velut minus aptis ad chori munus obeundum erat; non enim eorum oratio ad solandum, monendum, &c. chori videlicet officia, ponderis multum habet.

Chori varii saltus.

Chorus varios saltus exercebat, qui tamen ad tria præcipua genera reuocantur, cuiusmodi sunt Κόρδαξ, qui quanuis accipi soleat pro pede trochæo, sumitur tamen aliâ magis propriâ significatione, iuxta quam genus est quoddam ridiculæ, ac rusticæ saltationis in comœdia. Σίκιννις, genus est saltationis militaris, estque saltatio satyrica, Ἐμμέλεια, quanuis pro modulatione, & pro concinnitate sumatur, præcipuè tamen est sedatum saltationis genus, apud Platonem, & etiam tragicorum saltatio atque tripudium, ut apud Pollucem &c. Horum autem nomina à tribus Satyris Liberi Patris ministris prodiisse accepimus, itaut saltatio tragica dicatur ἐμμέλεια, Satyrica verò σίκιννις; comica tandem κόρδαξ. Plerunque chorus duntaxat canebat, & non saltabat quod στάσιμον χορευτικὸν appellarunt. Quandoque totus simul chorus canebat, non rarò choro diuiso, eius partes alternis canebant. Diuisio chori græcè dicitur Διχορία, eiusdem pars Ἡμιχόριον, Responsio chori Ἀντιχόριον. Sed quoniam chorus erat, qui cantum ordiebatur, idcirco huius quoque facta est commemoratio, dictus est enim Κορυφαῖος, huic proximus appellatus est Παραστάτης. Tertius tandem Τριταγωνιστής. Hisce igitur nominibus appellari consueuerunt, ex his tribus primus intensiori, vehementioique canebat voce, duo reliqui remissiori. Sæpe sæpius chorus non canebat, sed duntaxat dicebat, Quandoquidem chorus postquam scenam esset ingressus, nunquam totus recedebat, sed perseuerante fabulâ, pars chori cum actoribus se se intus recipiebat, pars altera remanebat, & ne præsentibus actoribus otiosus penitus videretur, nonnunquam actores interpellabat, ita tamen ut hi pauca loquerentur, & non nisi cum duo sermonem haberent tertius autem si forsan adesset, usque dum ille abiisset, chorus expectare solebat: Non rarò prætermisso tantu aliquid ad actuum connexionem addebat, diuerso tamen utens carminis genere; quanuis autem multi essent in choro, hic instar tamen unius actoris habebatur, itaque loquens, unus omnium nomine dicebat, siue integer, siue diuisus chorus esset. At qui chorum alloquebatur, modo ut plures compellabat, modò ut unus, quæ dicta sint maioris eruditionis gratia.

Plato lib. 3. de legibus.

Iulius Pollux lib. 4. cap. 15.

Varia dramatū genera.

Varia porrò sunt dramatum genera; præcipua tamen Græcis duo sunt, Comicum, & Tragicum. Minus verò præcipua sunt itidem duo Satyricum, & Mimicum, ut ex Diomede colligitur. Romanis Fabulæ aliæ Palliatæ, aliæ Togatę; Priores sunt in quibus inducuntur Græci, atque omnia scribuntur iuxta Græcorum ritus, sumpto nomine à vestis genere. Posteriores autem sunt factæ secundum ritus, moresque togatorum, hoc est Romanorum. Palliatæ tamen usurpari solent pro crepidatis; neque mirum nam apud Græcos in usu erat, non solum pallium, sed etiam crepidæ, quod Donatus aduertit, cui fabulæ species sunt Tragędia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Prætexta, Crepidata. Erant etiam Rhyntonicæ, quæ prætextatis erant persimiles. Sed prætextatæ aliquibus sunt tragœdiæ; Tabernariæ verò, vel Comœdiæ, vel Tragicomediæ; Atellanæ satyrico poemati respondent. Mimi tandem Planipedes esse dicuntur. Sed prætextatæ, erant quæ propriè magis togatæ dicebantur, Togatarum duo esse genera voluerunt.

Prætextatæ autem erant, quæ virorum principum actiones effingunt, velut illæ, in quas inducuntur, vel Reges, vel Duces &c. quibus persimiles habebantur Trabeatæ. Togatæ dicebantur, quæ de hominibus erant priuatis. Mixtæ autem erant, quæ ex prætextis, & togatis constabant, quæ Tabernariæ dici consueuerunt, in quibus personæ togatæ, cum prætextatis iungebantur. Erant etiam fabulæ Atellanæ.

Nomenclatio fabulę unde sumatur.

Cæterum dramatis nomenclatio unde sumatur, facile constat, propterea quòd vel à persona cuius præcipuæ sunt partes, nomen dramati inditur; vel à re de qua agitur. Sed à persona sumitur bifariam, Primò quidem à nomine proprio; ut Æschyli Agamemnon, Sophoclis Electra; Euripidis Hecuba & Helena; Plauti Amphytrio, ac Stichus. Terentii Phormio, Senecæ Hippolytus, & Octauia, & aliæ quam plurimæ. Deinde à personæ patria, vel alia quapiam affectione ut Euripidis Phœnissę, & Supplices: Plauti Captiui, & Mercator; Terentii comœdiæ omnes Phormione quidem excepto. Senecæ Troades. A re itidem desumitur appellatio, ut Plauti Aulularia, & Mostellaria, ex quibus illa ab aulula, nempe olla Euclionis: hæc à Mostello puta monstro ades infestante. Duo igitur esse videntur à quibus dramatis nomen deduci potest, Donatus hac de re tamen loquens, hæc habet, *Omnium comœdiarum scripta, (eadem verò est de tragœdia ratio) ex quatuor rebus ominò sumuntur; nomine, loco, facto, euentu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Curgulio, Epidicus. Loco; ut Andria; Leucadia, Brundusina. Facto; ut Eunuchus, Asinaria, Captiui; Euentu; ut Commorientes, Adelphi Heautontimorumenos.* Sed si rectè attendas, facilè

repe-

reperies quatuor commemorata ad duo superiora capita reuocari. Nobilem poetam imitaturus, idem ab eo datum dramati nomen retinendum.

Melodia. Sequitur melodia, quæ non ad poetam, sed ad musicos pertinet; quemadmodum apparatus est extra poeticam artem, & ad choragum spectat. Hæc prorsus externa sunt, ut propterea sine his poeta sortiatur intentum suum; nam ad ipsum duntaxat ea pertinent, quæ scriptione dramatis comprehenduntur, his enim, poeta citra quoduis aliud, ad miserationem, & terrorem aut alios affectus auditores compellit: quod non obscurè constat; nam si quispiam ex aliquorum tragœdiis modulationem, atque apparatum remoueat, tacitusque illas euoluat, non poterit ad misericordiam, vel terrorem, aut aliquem alium affectum, non commoueri. Tametsi autem res hunc se habeat in modum; cuique tamen apertè constat hæc externa multum ad commouendos animos conferre, momentique plurimum in se habere; tantum scilicet, quantum poetica oblectamenta habent.

Externa duo sunt. Hæc porrò externa duo sunt, *Modulatio*, & *Apparatus*; primò autem de modulatione dicemus. Modulatio, græcè, μελοποιία ἁρμονία ᾠδή & sanè μέλος, deducitur à verbo μελῳδέω, sed ab Aristotele dicitur μελοποιΐα, quæ Fabio vocatur modulatus, & Senecæ modulamen: Platoni λόγος ἁρμόδιος: estque apta quædam & concinna elocutio, quæ fabulæ plurimum suauitatis affert. Hanc Aristoteles tanti fecit, ut eam præcipuum fabulæ condimentum appellaret, eam enim vocat μέγιστον τῶν ἡδυσμάτων, *maximum condimentorum*; ut significaret modulationem cæteris poetarum oblectamentis anteire. Sed Plato de modulatione loquens ait; Μίκος ἐκ τριῶν ἐστὶ συγκείμενον, λόγου τε, καὶ ἁρμονίας, καὶ ῥυθμοῦ, *modulatio ex tribus est composita, sermone, harmonia, & rhythmo*: Modulatio verò partim in Cantico, partim in Chorico locum sortitur; At verò Cãticum eòquod unus caneret, *monodium* ab antiquis dicebatur: Cantus autem Chori, quoniam plurium esset, vocibus in unum confusis, *synodium* appellari consueuit. In Cantico, pythaoles: in Choro, choraules, canere solebant, sed piget de his plura subiicere.

Modulatio quid.

Platoni lib. 3. de Repub.

De Apparatu dicturus. Aristoteles poet. part. 58. Reliquum est ut de apparatu nonnulla dicamus; recte autem ab Aristotele dictum fuit, ὅτι ψυχαγωγικὸν μὲν ἀπεχράτισεν ἡ ἴδιος ὄγκος τῆς τραγῳδίας, *apparatus allicit quidem animos: sed maximè est artis expers, & minimè proprius poeticæ.* Apparatus minimè esse artis proprium probat tum quia Tragœdiæ natura, & virtus extra etiam certamen, ac scenam, & sine histrionibus consistit; tum quia in apparatu concinnando potius eius, qui apparatum hunc conficit, quam Poetæ ars, & industria versatur. Est igitur ornatus eorum, quæ sub aspectum cadunt, quique personarum ornamenta, & ea quibus scena instrui solet, comprehendit. Hæc pars non erat apud veteres in usu, cum sine hac drama ab ipsis fieri soleret; Thespis enim, qui fuit primus poeta tragicus apud Athenienses è plaustro sine apparatu, ac scenâ, poemata sua recitabat: idem etiam *fece* non personis est usus, tunc enim Tragedi faciem fecibus illinebant auctore Thespide, aut Æschylo, unde Lyricus

Horat. in arte. *Quæ canerent agerentque peruncti fecibus ora*
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus.

Æschylus porrò, teste Lyrico, grauitate personarum, & coloris distinctione usus est: idem quoque primo dedit syrma, pulpitum, & etiam alia. Pulpitum autem erat locus editior in Orchestra, quæ erat locus in theatro inter scenam, & cuneos senatoribus ad spectandum designatus, ibi enim Pulpitum erat non amplius quinque pedibus altum, in quo chorus tragediarum, & comœdiarum, quandiù comediæ chorum habuerunt, ipsique etiam citharœdi, & aulœdi, & quotquot personam ex fabulâ non agebant actioni subseruiebant. Dicebatur autem orchestra ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι à *saltando*, quod in ea gesticulatores histrionibus in scenam abditis, populum saltando detinerent. Tametsi pars hæc magis ad choragum, hoc est chori Ducem, & ad histrionem pertineat, quàm ad poetam; ab hoc tamen eorum uterque debet egregie instrui, ne ab ipsis decorum maximè necessarium, negligatur; idcirco poeta huius artis ignarus esse non debet, ut possit choragum præsertim instruere, ne decorum in postremis habeat. Cæterum choragi munus erat præesse choro, non solùm, sed etiam fabulæ uniuersæ, ut ob id eius essent partes omnia necessaria curare, ut histrio spectatorum oculis recte fabulã exhiberet, & ideo eius erant congruentem iuuem, ac seni, optimati, ac plebeio vestem tribuere, & insuper machinam unde numen loquitur, si opus erat, & id genus alia, decernere.

Theatrum quale. Locus verò, in quo agebantur ludi scenici Theatrum appellãbatur, cuius forma hemicyclum referebat; in eo erat Scena, Orchestra, & Proscenium. Scena frons erat theatri, vel potius contabulatio ab uno eius cornu ad alterum cum coopertura. Proscenium erat locus ante scenam porrectus, in eo autem pulpitum, de quo supra erat etiam orchestra, cuius paulo ante meminimus, ubi apud Græcos erant qui saltarent, & apud Romanos erant Senatores, qui spectarent: scena pulpito altior erat, pulpitum autem proscenio, & orchestrâ. Histrionum numerus initio perexiguus fuit, sed unus, ac idem varias personas sustinebat, vestem variabat pro varietate personæ, quam gerebat. Hic si peccaret, sibilabatur.

Idem porro diu fuerunt & cantores, & saltatores, sed cum anima duetterent, continuo saltu anhelitum turbari, ac proinde mutari cantum, idcirco postea eos separare opportunum esse duxerunt.

Scena variis picturis apud Romanos ornari consueuit, ut accepimus, nam *Caius Pulcher scenam varietate colorum adumbrauit vasiis ante picturã tabulis extentam &c.* Item: *Habuit & scena ludis Claudii Pulcri magnam admirationem picturæ, cum ad tegularum similitudinem corui, decepti imagine, aduolarent.* Triplex est scena, nempe Tragica, Comica, & Satyrica Quarum ornatus varii sunt; nam Tragica exornatur columnis, ædibus magnificis atque regalibus: Comica ædificiis priuatis: Satyrica denique montibus, arboribus, specubus, aliisque rebus agrestibus, itaut scenarum ornatus proportione respondeant iis; quæ in ipsis repræsentantur. In scena duo constitui solebant aræ, quarum dextera Liberi Patris, sinistra verò eius numinis erat, cui ludi fiebãt. Apud Græcos: Scenici fabularum actores magno erant in pretio, ac æstimatione, apud Romanos non item, immo nec ipsi Poetæ, quanuis in ludis Capitolinis è Iudicum sententiâ, scenicæ coronæ tradi solerent.

Val. Max. lib. 2 ca. 4.

SECTIO TERTIA.

De Tragœdia.

Tractationis continuatio. CVm hucusque de drammate in uniuersum actum à nobis fuerit; reliquum est, ut ad eius varias formas descendamus, e quibus primò quidem Tragœdia occurrit. Quanuis autem hoc nomine soleret antiquitus tam Tragœdia, quàm Comœdia

Digitized by Google

nuncupari, adeo ut idem nomen utrique commune foret, cum τραγῳδία siue τραγῳδία. utraque appellaretur, postea tamen distinctis nominibus significari cæperunt, adeo ut una quidem comœdia, altera vero tragœdia appellaretur.

Tragœdiæ, & Comœdiæ.

Vnde Tragœdiæ nomen deductum sit.

Vnde autem tragœdiæ nomen deductum sit, quæq; sit eius etymologia, non obscurè constat ex ijs, quæ apud Athenæum, & alios legimus, enim verò tragœdia à primis incunabulis rudis erat poesis, quæ vindemiæ tempore in Liberi Patris honorem alternis vocibus canebatur; ex huiusmodi autem certamine triumphum agenti, præmij loco donabatur hircus, quò pertinet illud Horatij.

Prima sententia hac de re.

Horat. in Arte poet.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Satyrica poesis qualis.

Post tragœdiam nõ immeritò Satyricam poesin considerandam assumimus, cum non leuis affinitas inter ipsas intercedat; tragœdiæ siquidem poesis Satyrica olim comes, & assecla, & veluti παράτροπον esse solebat, exhilarandæ tragœdiæ gratia; nam Ἡ δὲ σατυρικὴ συγκιρνᾷ ταῖς ὀλυθρίοις ἱλαρότητα, ὡς ἀπὸ δακρύων εἰς χαρὰν καταστῆσαι ἔωθε. *Nam poesis Satyrica, lamentis hilaritatem miscet, & à lachrymis in gaudium solet deuenire ac desinere.*

Satyrica poesis unde dicta.

Satyrica, de qua loquimur, poesis à Satyris dicebatur, qui fuerunt adhibiti tanquam idonei, non solùm institutionis, sed oblectationis gratia, propterea quòd eos præsertim Silenos, occultâ sapientiâ præditos antiquitas arbitrabatur: atque adeò ad homines instituendos maximè quidem opportunos credebat; cumque formâ turpi ac ridiculâ; moribusque lasciuis, itemq; dicaces essent, facilè risum ciere poterant. Hæc fabula erat, in quam tragici poetæ, non reges, aut heroas, sed Satyros ludendi, iocandique causa induxerunt. Drama igitur Satyricum à Satyris nuncupatur. Hîc tamen non prætereundum discrimen inter Silenos, & Satyros; utrique enim Bacchi fuerunt comites, hoc tamen discrimine, quòd Sileni habebantur nutritij Bacchi, Satyri autem collusores, qui puerum Bacchum lusibus, & iocis detinerent; itaque Sileni priusquam senescant Satyri sunt, ac proinde Sileni ob ætatem maturiorem, sapientes habiti sunt; Satyri autem non item, utrique tamen dicaces. Satyri porrò dicti sunt eo quòd hircorum facie apparerent, hirsutoque corpore essent; Satyrica autem vetus definiri solet. *Poema dramaticum tragœdiæ adnexum, chorum è Satyris habens personarum illustrium actionem notabilem partim seriam, partim iocosam exprimens, stylo hilari, exitu plerumque læto, quemadmodum omnis.* Vt autem omnis dramatica poesis, ita & Satyrica rusticis accepta referri solet, eius primus creditur scriptor Pratinas Philasius, post tragœdiæ tamen inuentum, ut ex Lyrico liquet, cum canat.

Satyrica vetus quid

Carmine, qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudauit.

Satyrorum enim more finita trâgœdiâ nudæ personæ introducebantur. In huiusmodi poesi, primò fuit unica persona, Satyrus nempe certo modo saltans, nam κόρδαξ, erat saltatio comica, ἐμμέλεια, tragica, & σίκιννις, satyrica, hæc saltatio, *Sicinnis* ab inuentore Sicinno dicebatur. Deinde huius poesi accessit chorus, solus tamen, adeo ut histrione opus non esset. Posteà unius personæ loco, quinque in hanc poesin fuerunt inductæ, Satyrus imberbis, Satyrus barbatus, Satyrus canescens, Silenus, & Pappositenus, qui silenos ætate superabant; Non solùm Satyri, sed aliæ etiam personæ ridiculæ illis similes in hanc poesin inducebantur. Non rarò etiam personæ graues miscebantur, puta herorum aliquis &c.

Huius dramatis sermo talis, qualis decet huiusmodi personarum genus; idcirco lasciuus, ridiculus, mordax; adeo ut hominum vitia reprehenderent, & scommatibus risum spectatoribus eierent. Primò autem sola hæc poesis haberi consueuit; postea, cum homines cæpissent conuiciorum usum detestari, tragediæ eã interserere, vel subijcere cæperunt, ut illius salibus, huius seueritatem moderarentur, atque adeo spectatores tragicarum rerum atrocitate tristes, Satyricis iocis exhilararent. Hoc autem faciebant ad finem singulorum actuum tragicorum, iuxta illud.

Horat. in arte poet.

Carmine, qui tragico, vilem certauit ob hircum
Mox etiam agrestes Satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator.

Vsus tandem obtinuit, ut Satyricum drama, à tragœdia penitus abijceretur, adeout omnis lasciuia, & sales, & ioci ab orchestra remouerentur; quod ex Aristotele manifestum est, cum dicat. Ἔτι δὲ τὸ μὴ ἐκ μικρῶν μύθων, καὶ λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἐφάνη. *Præterea & magnitudo illa ab exiguis fabulis, & ad risum facto sermone, quia ex Satyrico hanc commutationem acceperat, tandem splendorem suum consecuta est.*

Magnitudo Satyricæ poeseos quanta.

Satyricæ poeseos magnitudo minor erat, quàm tragœdiæ, cum non tot foret episodijs instructa, nec peripetiam nec agnitionem haberet. Dictio Satyrica poeseos grandior erat comicâ, sed humilior tragicâ; ut Lyricus etiam notauit, docens tria esse obseruanda in Satyra. Primum, ut sermo sit inornatus, id est agrestis, rusticus, & incomptus, quadam facetâ, & iucundâ negligentiâ tractatus; Alterum est, ut omnia verba sint maximè propria, quæ vocat *dominantia*. Tertium, ut quamuis multùm recedat Satyræ humilitas à tragica grauitate, videndum tamen, quid quamque deceat personam; sic enim loquitur.

Dictio Satyrica qualis.

Tria in Satyra obseruanda.

Non ego innornata, & dominantia nomina solùm
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interfit, Davusne loquatur, an audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An custos, famulusque Dei Silenus alumni.

Horat. in arte.

Satyrici uti tetrametris consueuerunt, cum saltationi hoc genus carminis maximè sit accommodatum, quemadmodum etiam metro iambico trimetro, utpote medio inter tragicum, & comicum; his accedebat etiam Priapeium. Quanuis chorus metro proceleusmatico dimetro catalectico uteretur. Qualis saltatio esset, iam supra vidimus.

Quibus carminibus Satyrici uterentur.

Saltatio Satyrica qualis.

Apparatus poeseos Satyricæ erat huiusmodi. Sileni induebant tunicam villosam, & amiculum ex vario florum genere consertum. Satyri autem se induebant pellibus hircinis, humero circumiectis, & capillos horridos habebant. De Satyra verò sectione ultima, post Epopœiam quædam tractabimus.

Apparatus Satyricus qualis.

Cum Satyricis Silli maledicentiâ conueniebant; unde est, ut pro Sillis, Satyræ usurpari consueuerint. Silli tamen non erant drama, sed poema extra scenam. Huiusmodi poematis inuentor habitus est Homerus. In hoc autem genere plurimum Xenophanes Colophonius excelluit, Carmen, quo Silli scribebantur, erat tum heroicum, tum etiam elegiacum, & iambicum.

Silli cum Satyricis maledicentia conueniebant.

Cum Satyrico dramate, Fabula Rhyntonica non modicam affinitatem habet; utpotè mediæ naturæ inter tragœdiam, & comœdiam. Erat & λαπαρὰ, quæ proximum grauitatis locum post comœdiam obtinebat, & idco veste albâ, coronâ aureâ &c. utebatur;

Fabula Rhyntonica, & Ilarodia.

Huic

Simodia. Huic affinis erat *σιμῳδία*; Sed de his alibi.

Quod Athenæus etiam expressit, sic enim habet. *Ἀπὸ μέθης καὶ τῆς Κωμῳδίας καὶ τῆς τραγῳδίας ὑπόθεσις, ἡ μὲν παρὰ τῆς Ἀττικῆς ὑπάρξη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρυγὸς καιρόν. ἀφ' ἧς ἡ ἐν τραγῳδίᾳ τὸ πρῶτον ἐκλήθη, καὶ κωμῳδία.* *Prima Comœdiæ, & Tragœdiæ origo fuit ex compotatione, temolentiaque in Icario Atticæ pago, idque tempore vindemiæ, quæ Græcis τρυγὴ unde τρυγῳδίας nomine etiam Comœdia prius vocabatur.* Ex Athenæi proinde sententiâ manifestum est Comœdiæ, & Tragoediæ inventionē post ebrietatem vindemiarum tempore extitisse. Hoc idem etiam testatur Diomedes, dum ait: *Tragœdia dicitur à Trago, & Ode: quoniam olim actoribus tragicis Tragos, idest hircus præmium cantus proponebatur, qui liberalibus Libero Patri immolabatur.* Ferunt autem hircum Baccho sacrificari solitum fuisse, quoniam *depascit vitem Libero sacram*: quamuis alij dicant non hircum, sed utrem ex hircina pelle vino plenum, huiusmodi numini sacrari consueuisse.

Hircus cur Baccho sacer.

Secunda sententia. Alij dicunt denominationem hanc desumptam fuisse à *τρυξ* hoc est *fex* eò quòd ora sua fecibus sceneci actores antè usum personarum ab Æschylo adinuentum perliniebant, unde Lyricus.

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis:
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Tertia sententia. Quod ab actoribus fieri solebat, ne cognoscerentur; Alij demum existimant nomen deductum à *τρυξ*, hoc est *novum vinum*, quoniam, ut nuper dicebamus, uter musti plenus, solemne præmium cantoribus foret. Hoc etiam Diomedes notauit, cum diceret. *Liberalibus apud Atticos, die festo Liberi Patris vinum cantoribus pro corollario dabatur, cuius rei testis est Lucillius in XII.*

Tragœdiæ inuentorem Thespis Horatio visus est, ut ex paulo ante carminibus allatis apertè constat. Sed hæc præstat missa facere, cum nullius ferè momenti sint. De origine tamen ipsius pauca quædam attingam. Origo Tragœdiæ, an Comœdiæ antiquior fuerit, non satis patet. Verisimile aliquibus est Comœdiam, utpote simpliciorem, prius inuentam fuisse & ex ea Tragœdiam profluxisse, ut reliquâ tamen poesin, nempe non omnibus numeris absolutam, sed rudem admodum, utpote subitam, ac extemporalem. Tragœdia autem diu solo constitit choro, cui Thespis vnum addidit histrionem, post quem illam Phrynichus uterque Athenienſis excoluit. A Thespide dithyrambicis aucta fuit, sed ab Æschylo majora incrementa recepit; siquidem alterum histrionem addidit, atque adeo primus diuerbium adhibuit, fecitq; ut histrionum unus primarum esset partium, alter secundarum. Sophocles tertium histrionem adiunxit, tragicæque scenæ ornatum adinuenit, cumque chorus prius duodecim personis constaret, ipse curauit, ut deinceps chorus quindecim personarum foret, quas ob causas Sophocles creditus est tragœdiam absoluisse, quanuis alijs hoc non soli Sophocli, sed Euripidi tribuendum velint. Ad hoc tamen plurimum contulisse poetarum annua certamina, fatendum omninò; hinc enim Tragœdiæ perfectio, ac expolitio originem duxit.

In arte poet. part. 16. A quibus Tragœdia, & Comœdia primùm inuentæ. Tragœdiæ quidem & Comœdiæ inuentum Aristoteles tribuit Megarensibus, qui in Doride habitabant, ac ob id Dorienſibus. E' Megarensibus enim, Strabone teste, quidam in Doride, & quidam in Sicilia fuerunt, & ideo ex Aristotelis sententia Tragœdiam, atque Comœdiam Dorienſes sibi vendicarunt, comœdiam quidem Megarenſes, tam hi qui hic sunt, ut eo tempore inuentam, quo populari administratione eorum respublica regebatur; quàm qui ex Sicilia, quoniam ab his poeta Epicharmus prodijt, multò sanè prior Chonnida; atque Magnete. Tragœdiam verò quidem in Peloponneso inuenerunt.

Maximè controuersū, ergo utra prius inuenta, an Comœdia, an verò Tragœdia. Quidam vetustiorem Comœdiam esse dixerūt, quòd prius homines vitam agrestem, postea verò ciuilem traduxerint. Aristoteli tamen placuit utramque simul inuentam fuisse, quoniam, inquit, eâdem ætate ex hominibus quidam vixerunt graues, atque seueri; alij verò leues, & iocosi; qui prioris erant generis, scribebant res grauiores; qui verò posterioris, res leuiores, à primis Tragœdia, à posterioribus Comœdia ortum duxit. Hoc Homeri exemplo probat, qui utramque poesin tractauit seueriorem quidem scribens Iliadem & Odysseam, sed iocosiorem scribens Margiten. Comœdia porrò magna suscepit incrementa honoribus ijs, qui decernebantur comicis cum vicissent. Eorum autem iudices quinque fuisse memoriæ proditum est, non modo Athenis, sed etiam in Sicilia. Cæterum apud Romanos prima dramatum laus Liuio Andronico tribui solet, sed de his hactenùs.

An comœdia, an verò Tragœdia prius fuerit inuēta

His præhabitis nunc explicandum quid ipsa Tragœdia sit, quod assequemur expendendo definitionem ipsius ab Aristotele traditam, quæ sic se habet. *Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μεγέθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, ἀλλὰ δι' ἐλέου, καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* *Est igitur Tragœdia imitatio actionis probæ, & perfectæ magnitudinem habentis, suaui sermone separatim singulis formis in partibus agentibus, & non per ennarationem, sed per misericordiam, & metum inducens talium perturbationum purgationem.* Itaque ex Aristotelis consilio Tragœdia est imitatio actionis illustris, atque perfectæ, iustæ magnitudinis, suauis elocutionis, ut per misericordiam, & timorem, à similibus affectibus spectatorum animi purgentur. Hujus definitionis postrema verba, non exiguam ingerunt difficultatem, adeout diu torserint expositorum ingenia, cum non satis constet, quid per illa verba Aristotelis sibi voluerit. Sed quid hac de re sentiendum, paulo post explicabimus; Suprapositæ autem definitionis, hic erit intellectus.

Aristot. in Arte poet. part. 34.

Primò quidem Tragœdia dicitur *Imitatio*. Hæc particula ponitur loco generis, nam in hoc Tragœdia, cum Epopœia, & cum Comœdia conuenit; Epopœia siquidem & Comœdia, non minus imitatio est, quàm Tragœdia. Deinde dicitur. *actionis illustris*, ad insinuandum id, quo Tragœdia differt à Comœdia. Tertiò dicitur *perfectæ*, siue completæ ad significandum tragicam fabulam talem esse debere, ut principio, medio, & fine constet. Non dissimulandum tamen conditionem hanc non tàm esse propriam Tragœdiæ, ut Epopœiæ, & Comœdiæ non conueniat. Quartò dicitur *iustæ magnitudinis*, non ad distinguendam Tragœdiam ab Epopœia, & Comœdia, poemata siquidem hæc etiam contentaneâ magnitudine constare debent, sed ad assignandum id, quo perfecta Tragœdia ab imperfectis distinguitur, cuiusmodi erant illæ, quæ ante Æschylum, aut Thespim in usu erant. Additur quintò *elocutionis suauis*, ad significandum non quamlibet elocutionem, sed suauem Tragœdiæ accommodatam esse; in quo verò sermonis consistat suauitas, Arist. infrà declarat, dicens, *λόγον δὲ ἡδυσμένον μὲν λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος.* *Sermonem suauem appel-*

Definitionis explicatio.

pello in quo numerus, harmonia, & melos inest. Postremò tandem in ipsa definitione dicitur, *& non per ennarrationem, sed per misericordiam, & metum inducens, talium perturbationum purgationem*. Hæc sunt illa verba, quibus difficultatis plurimùm inesse non multò anteà notauimus. Eorum tamen sensus is esse videtur, quem interpretes melioris notæ amplexi sunt, videlicet, duas præcipuas animi affectiones misericordiam, & timorem per Tragoediam expurgari, quatenùs homines dum adspiciunt infortunia potentium virorum, quos poeta in Tragœdia fingit, transitum facere à felicitate in miseriam, timori, & misericordiæ assuescunt, ita ut Tragœdia hoc pacto moderatur affectus animi, quod ad probè ciuilem vitam degendam ex Aristotelis sententia, requiritur; non enim radicitùs oportet illos euellere, sed tantùm deprimere quidem est opus, & in ordinem cogere. Hoc autem per Tragœdiam obtineri ex eo facilè intelliges, quoniam qui miserias frequenter spectat, miseratur: qui frequenter ea quæ timorem cient, oculis usurpat, minùs tandem hæret. Talia verò in theatro exhibentur tragico, quod humanorum affectuum palestra quædam est. Hoc eleganter notauit etiam Robertellius; *Dum enim*, inquit, *homines intersunt recitationibus audiuntque, & cernunt personas loquentes, & agentes ea, quæ multùm accedunt ad veritatem ipsam, assuescunt dolere, timere, comiserari. Quo fit, ut, cum aliquid ipsis humanitùs acciderit, minùs doleant, ac timeant. Necesse est enim prorsùs, ut qui numquam indoluerit ob aliquam calamitatem, vehementiùs posteà doleat, si quid aduersi præter spem acciderit.*

Postremæ particulæ, quæ est in definitione, primæ interpretatio.

Secunda interpretatio.

Altera est interpretatio non inelegans, eorum scilicet, qui putant Tragœdiæ non esse purgare, ac leuare animum ab huiusmodi perturbationibus, timore, & misericordia, sed vtriusque præsidio ex animo passiones alias expellere, atque virtutem in eumdem inducere, quatenùs dum in spectatorum animis excitatur timor, ijdemque intuentur potentes à prospera in aduersam delabi fortunam, eijciunt à seipsis ex. gr. superbiam, quâ insolentes redduntur, & mansueti fiunt; dumque in eorum animis excitatur misericordia, crudelitatem profligant, & clementes reddunt. Itaque Tragœdiæ finis non erit animum à terrore misericordiaque expurgare, sed potiùs his uti ad alias perturbationes ab animo reijciendas, ex remotione quarum animus virtutibus exornatur. Iuxta hanc verò interpretationem cum Philosophus ait per timorem, & misericordiam expurgari animi passiones, intelligendum non est easdem ipsas tantùm commemoratas passiones expurgari, sed similes, hoc est, reliquas omnes, quæ cum duabus prædictis in ratione affectus conueniunt, quoniam Tragœdia timorem, & misericordiam, & utriusque præsidio reliquos omnes affectus vitiosos expurgat.

Hac mihi videtur interpretatio satis idonea, eò quòd affirmet non solùm per Tragœdiam animum à timore, & misericordia expurgari, sed etiam à reliquis passionibus; licet Tragœdia cæterarum passionum expurgationem tim oris, & misericordiæ opitulatione perficiat; nam Tragœdiæ finis est passionum quibus anima laborat, expurgatio, hoc autem non intelligendum speciatim de timore, & misericordia, sed de passionibus omnibus, quas Aristoteles undecim esse decernit, sex nimirum appetitûs concupiscibilis & quinque irascibilis. Ad concupiscibilem pertinent amor, & odium; desiderium, & fuga; delectatio, & tristitia; ad irascibilem verò spectant, spes, desperatio, audacia, timor, & ira; irrationabile autem est Tragœdiam institutam fuisse ad expurgationem solius timoris, & misericordiæ; eò vel maximè quòd ex passionibus reliquis non in postremis haberi debeat lætitia, & dolor; quamobrem Tragœdiæ finem passionum omnium expurgationem esse credendum, quanuis præcipua sit timoris, & misericordiæ expurgatio, eo nomine quòd huiusmodi expurgationis opere cæterarum etiam passionum expurgatio fiat. Immò collatis inter se timore, & misericordiâ, magis præcipua est expurgatio timoris, quàm misericordiæ, quoniam hæc est de malo alieno, illa autem de proprio; Cæterum expurgatio prædicta non intelligenda cum Stoicis, ita ut sit passionum absoluta extirpatio, sed earumdem potius moderatio, nam passiones intra debitos fines sunt homini naturales, & idcircò illas in ipso penitus extinguere, est eius naturam euertere, quod non est Tragœdiæ finis, sed solum illas moderari, dum scilicet modum excedunt cancellis, decentibus coercere. Cæterum alijs Tragœdia definitur hoc modo. *Tragœdia est poema dramaticum, illustrem fortunam, sed infelicem, graui, & seuerâ ratione imitans, ad affectus ciendos, animumque ab ijs purgandum.*

Quæ partes Tragœdiæ sunt ratione qualitatis eædem, & Comœdiæ; Ar. in arte poet. part. 39.

Quas partes ratione qualitatis Tragœdia obtineat, (idem de Comœdia intellige) Philosophus explicat dicens. Ἀνάγκη ἂν πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι ἓξ, καθ' ἃ ποιά τίς ἐστιν, ἡ τραγῳδία. ταῦτα δ' ἐστὶ, μῦθος, ἤθη, καὶ διάνοια, καὶ ὄψις, καὶ μελοποιία. ἐξ ὧν μὲν μιμοῦνται, δύο μέρη ἐστὶν· ὡς δὲ μιμοῦνται, ἕν, ἃ δὲ μιμοῦνται, τρία καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. *Necesse igitur est cuiuscumque Tragœdiæ sex esse partes, quæ ad qualitatem eius referantur: sunt autem hæ; Fabula, Mores, Dictio, Sententia, Apparatus externus, & Modulatio, ex quibus duæ quidem pertinent ad ea, quibus imitantur, una solum ad modum quo imitatur, reliquæ verò tres ad illa, quæ imitantur, præter has verò nulla est.* Ex his verò partibus quatuor à poetæ quidem industria pendent, *Fabula, Mores, Sententia, & Dictio*. Duæ ab aliorum artificum opera *Apparatus externus*, & *Melodia*, siue Modulatio; prior ad opificem instrumentorum scenicorum pertinet; eius enim est concinnare personas, & locum instruere; posterior spectat ad histrionem; qui, cunctis partim à poeta, partim à mechanico paratis, fabulam voce, gestuque repræsentat; harum omnium partium princeps est *Fabula*, siue Compositio. Sed in *Fabulæ* siue dramatis constitutione, quod primò requiritur, est, ut eius argumentum, nempe actio sit una, & non actionum collectio, quæ græcè dicitur σύστημα. Argumentum autè Tragœdiæ debet ex vero deduci, atque adeò ex historia; Homerus enim, ἔλαβε παρὰ τῆς ἱστορίας τὰς ἀρχάς. *Accepit poëseos suæ principia ab historia*. Nam officium poetæ, ut Isidorus ait, *in eo est, ut ea, quæ gesta sunt verè, in aliquas species obliquis figurationibus, cum decore aliquo conuersa traducat*. Historia igitur fundamētum est fabulæ, quæ tamen non debet tota historia esse; effingere siquidē proxima veris multa licet, itaut historia figuris quibusdam, quasi in fabulas conuertatur, tota nihilominùs fabulam fingere non licet. In Tragœdia præsertim attendendum verisimile, quoniam in Dramate, cuiusmodi Tragœdia est, res non solùm narratur ut in Epopœia; sed etiam agitur; si quid piam tamen afferendum à ratione remotum, id non in fabula sed extra, hoc est in Episodio fiat, quod Aristoteles etiam notauit, cum diceret, τὸν τε λόγους μὴ συνίστασθαι ἐκ μερῶν ἀλόγων· ἀλλὰ μάλιστα μὲν μὴ ἔχειν ἄλογον, εἰ δὲ μὴ, ἔξω τοῦ μυθεύματος. *Ne constet oratio ex ijs, quæ ratione carent. Sed omninò non ponendum quod ratione caret; vel si caueri id non possit, extra fabulam ponendum.*

Strabo lib. 1. Isidorus lib. 8. de orig. cap. 7

Digitized by Google

dum. At verò in constitutione receptæ fabulæ quamuis veteres aliquid rationi dissonum induxerint, Aristoteles nihil immutandum esse censet, eâ ratione ductus, quia alioquin fabulæ abrogaretur fides. Sed retinenda est fabula quantùm ad argumentum primarium, prout ab antiquis tradita; in reliquis enim nihil prohibet quo minùs poeta aliqua fingat, & ea quidem amplectatur, quæ instituto accommodata sunt; at si fabula nondùm fuerit auctoritatem apud omnes consecuta, nihil prohibet quo minùs in primaria actione poetæ dissentiant. Dum autem poeta fabulam iam receptam retinet, illud præoculis habeat oportet, ut ab insigni aliquo viro illam mutuetur, cujusmodi foret Homerus, à quo scitè admodùm posset argumentum desumere, ut Lyricus aduertit dicens.

Hor. in ar. poet.

Rectiùs Iliadum carmen deducis in actus,
Quàm si proferres ignota indictaque primus.

Quod quomodo fieri debeat eleganter, explicat dicens, non esse pueriliter insistendum argumento, & ordini alieno; sic enim præcipit

Horat. ib.

Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

Vnde tragicum argumentū ducitur.

Tragicum argumentum trahitur ex calamitatibus atrocibus, quæ regibus, & heroibus contigerunt, ut non immeritò Tragedia dici consueuerit, ἡρωικῆς τύχης περίστασις *heroicæ fortunæ status*; quemadmodum etiam heroicę fortunæ in aduersis comprehensio dici solet. In Tragedia spectari debent personæ, & res.

Quid in Tragedia spectandū. Personę in Tragœdia quales.

Personę in Tragediam inductę sunt illustres, ac venerabiles; ut reges, & heroes, quæ debent esse nec prorsus probæ, nec planè improbæ. Inducuntur etiam & Dii loquētes, tum in connexione, tum in solutione, qui non semper in scena, sed quandoque è machina loquuntur; & futurorum prædictio non solum Diis, sed & vatibus in posterum præsentientibus tribuenda est, vel saltem iis, qui ex ore vatum futura acceperunt: Personarum nomina potius ex veteri depromi debent historia, quam fingi, ne res de qua agitur, ficta iudicetur, etsi nomina quædam alicui fingere liceat, præsertim in Episodiis, nam ut in his concessum est res comminisci, sic & nomina iis idonea imponere conceditur; tametsi autem necessarium omninò non sit in tragicis diuerbiis paucas personas interlocutores esse, si tamen veteres imitari, ac eorundem vestigiis insistere velimus, pauciores interlocutores in tragicis diuerbiis, quàm in comicis admittere debebimus; hoc enim veteribus obseruatum fuisse, non obscurè constat.

Personarum nomina potiùs ex historia desumi debet, quā fingi.

Res quæ in tragedia locum habent.

Duo diximus in Tragedia spectari, videlicet personas, & res, hucusque de personis, nunc de rebus agendum, rerum autem nomine intelliguntur actiones, nam rectè Philosophus dicebat ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησις ἔστιν οὐκ ἀνθρώπων, ἀλλὰ πράξεως καὶ βίου, καὶ εὐδαιμονίας, καὶ κακοδαιμονίας. *Tragedia enim imitatio est non hominum, sed actionum, & vitæ, & felicitatis, & infelicitatis*, quoniam, ut ipse ait, felicitas in actione est, & finis actio quædam est, non qualitas; at Tragicus expurgando vitiosos affectus, ab auditorum animis, conatur illos felices reddere; hominis nanque summa felicitas in animi tranquillitate posita est. Idcircò actiones, eæ conueniunt Tragediæ, quæ ab animi perturbatione originem ducunt; non enim Tragedia videtur aliud, quàm perturbationes hominum res admirantium externas, metro eiusmodi ostensæ, ut Arrianus dicebat. Ex actionibus porrò illæ præcipuæ sunt à tragico tractandæ, quæ miserabile, & terribile habent; cuiusmodi sunt cædes incestus, & id genus alia; quicquid enim seuerum est ac triste, Tragediæ consentaneum est, quemadmodum, & admirabile, de hoc enim Poetæ præcipua debet esse cura, eò quòd per Tragediam excitetur misericordia, ac terror; ea verò quibus huiusmodi affectus excitantur, non inter hostes, vel neutros, sed inter amicos; immò inter cognatos, & propinquos constituenda sunt; tametsi nanque hostium vulnera ac cædes non parùm ob atrocitatem commoueant spectatores; grauiùs tamen si hæc inter amicos, & magis adhuc si inter cognatos, & propinquos fiant, atque his maiorem metum, atque misericordiam incuntiunt: At verò cauendum maximè ne solùm facinora mente videantur concepta, & executioni non mandata; nihil enim frigidiùs quàm spectatorum oculis representare quempiam, qui alium stricto gladio persequatur, & à concepto occisionis facinore se abstineat, cum alioquin posset illum occidere. Obseruandum est etiam, cum quibusdam huius artis magistris, momenti plurimùm habere an à rudibus, & agrestibus representetur facinora perpetrari, an ab ijs qui cæteris sagacitate antecellunt; vel qui saltem non nisi ratione duce, operantur; quę nanque prioris sunt generis, misericordię plurimum, quæ verò posterioris auditoribus plurimùm terroris incutiunt; nihil est enim quod magis humanum animum deterreat, quàm aduertere, ab ijs, quæ consilio fiunt, miserias, & calamitates oriri. Amplius, quæ acriùs debent animum spectatorum concitare narranda, non solùm, sed oculis subijcienda sunt; enim verò, admonente Lyrico.

Hor. in ar.

Segniùs irritant animos demissa per aurem
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Quæ tam narranda tantùm, quædam exponenda etiam auditorū oculis.

Pleraque tamen sunt, ut superiùs quoque notauimus, quæ solùm narrari debent, quæq; oculis exponere peccatum est; huiusmodi sunt incredibilia, puta repentinæ transmutationes in nouam formam, & prodigiosæ narrationes, insuper & quæ fœda existimantur, ut incestus, ac stupra; præterea atrocia, & horroris plena, ut crudeles cædes, & si quæ sunt huius generis alia; nam hæc ita representata, ut ijs fides haberi possit, adspicientium animos nimium concutiunt, & prosternunt; si autem non seriò, sed simulatè agi videantur, frigida sunt, proindeque non nisi cum risu excipiuntur, quod Tragico maximè vitandum est, cum eius præcipuè sit seriò agere, ut à passionibus animos leuare, expurgareque possit; tametsi namque velint homines decipi, non tamen adeò stupidè, ut fraus omnibus, & pueris, & stultis omninò pateat, quod superiori etiam Dissertatione aduertimus. Narratio verò non uniusmodi est, vel enim est gerendorum quæ à narrante fient, vel iam gesta, referuntur ab ijs, quorum testimonio possunt comprobari.

Narratio tragica nō uniusmodi est.

Exitus tandem Tragœdiæ adscriptus in considerationem venit, qui quanuis videatur esse horribilis, nihilominùs esse etiam potest lætus, & plenus iucunditatis, adeò, ut ex atroci miseria in gaudium repentinum, ac inopinatum prorumpat; non enim Tragœdia tristem exitum necessariò exposcit, etsi secundum artem talis esse debere videatur; satis enim si primo aspectu ipsa luctuosa sit, & anxia ob atrocem, & ancipitem illustrium personarum fortunam; adhuc enim tragicus intentam passionum timoris, & miserationis expurgationem consequitur. Quòd si minùs arrideat lætum finem Tragœdiæ statuere, illa quæ huiusmodi fuerit, iure poterit Tragicomœdia nuncupari, utpotè, quæ Tragœdiæ, & Comœdiæ natu-

Exitus tragœdiæ, qualis.

Tragicomœdia qualis.

Digitized by Google

naturam sapit, ita ut Tragoedia seriò accepta sit illa, cuius finis tristis est, & horribilis.

Tragediæ mores. Tragediæ Mores de quibus Aristoteles edisserit in Arte, particulâ 80. seueriores sunt iis, qui comediæ sunt proprii, & idcirco minimè soluti, aut ridiculi; Tragœdia namque plena grauitatis est, quod poeta Solmonensis expressit, dum caneret.

Lib. 2. Tristium. *Omne genus scripti grauitate Tragœdia vincit.*

Hinc non immeritò Lyricus cecinit.

Horat. in arte. *Effutire leues indigna Tragœdia versus:*
Vt festis matrona moueri iussa diebus;
Intererit satyris paulum pudibunda proteruis.

Nec mirum, nam Tragœdia præstantiorum, ut Comoedia viliorum virorum mores imitatur; ideoque Tragœdiæ mores, tales esse debent, quales nos diximus.

Tragœdiæ sententia, quæ. Vide Arist. in arte cap. 6. Tragoediæ sententia, cuius est enunciare, tùm quæ rebus insunt, tùm quæ rebus conueniunt; seu cuius est aliquid in uniuersum enunciare, grauior est, atque seuerior; ut Philosophus docet in arte poet. cap. 19.

Tragœdiæ dictio. Dictio etiam in Tragœdia spectatur, quo nomine non tàm una, vel altera vox, quàm uniuersa intelligi debet elocutio in huiusmodi dramate seruanda, ea porrò debet esse illustris ac splendida,

Horat. in arte poet. *Indignatur enim priuatis, ac prope socco*
Dignis carminibus narrari cœna Thyeste.

Quamobrem non solùm epico, sed etiam tragico verborum delectus, & magnificentia sermonis conuenit, adeo, ut in utrâque poesi elocutio sit compta, perpolita, sententiarumque luminibus illustrata, atque adeò à communi loquendi ratione penitus abhorrens; immò Tragicus quandoque, si Lyricum audire velimus, Epicum sermonis elegantiâ superat.

An tragicâ desæuit, & ampullatur in arte?

Sua igitur cuique poemati proposita lex est, suusque decor, ita ut neque Comoedia in cothurnos assurgat, nec ex aduerso Tragoedia socco uratur, in hoc tamen seruandus est modus; nec enim splendidior debet esse elocutio, quàm par est; nam splendoris nimio studio, oratio redditur obscura, nec perspicuitatis gratiâ cultus negligendus orationis; nam hinc facilè humilis euadit atque plebeia, qualis tragica esse non debet; quanuis in affectibus iræ, doloris, &c. propiùs ad comicam moderationem accedat; unde Lyricus, Postquam docuisset Comœdiam se quandoque attollere, subdit.

Horatius in arte. *Et tragicus plerumque dolet, sermone pedestri,*
Thelephus, & Peleus: cum pauper, & exul uterq;
Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Hoc præsertim accidit, cum inducuntur Reges, & Heroes de prospera fortuna in aduersam deiecti; Ratio porrò ex decore petenda; homines enim pro sui conditione loqui debent, ideoq; secundâ utentibus fortunâ, magnifica locutio, abiectis contra, humilis, atque pedestris congruit; rectè siquidem Lyricus,

Ibidem. *Si dicentis erunt fortunis absona dicta,*
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

Quoniam oratio animi quidem affectus similitudine referre debet.

Dedecet Tragicum nimia elocutionis lasciuia. Neque tragicum decet orationis nimia profusio, siue luxuries, quoniam hanc seueritas illius non patitur, quemadmodum ciusdem maiestas vilium personarum, sordidarum, ac obscenarum & omnia denum comicis, ac satyricis, aut oratoribus usurpata, respuit. Caueat etiam tragicus oportet à vocibus, quæ quanuis suauitatem spirent, grauitatem tamen non habent, huiusmodi sunt vocabula peregrina, & alterius idiomatis propria, quemadmodum diminutiua. Et quanuis translatis Tragœdia gaudeat; hæc enim magnificam orationem reddunt, eorum tamen frequentiam renuit, quoniam inde tumida redditur elocutio, quæ tragœdiæ minimè congruit.

Versus Tragœdiæ cõsentanei. Ex versibus porrò veteres tragici iambicos tetrametros, siue octonarios frequentarunt, eò quòd initio Tragœdia esset Satyrica, atq; adeò saltatoria; prædicti autem versus utpote octonarij proindeque longiores, variis saltationis motibus accommodati sunt; At cum postea grauior facta est tragœdia, tetrametrorum loco assumpsit trimetros, qui ut breuiores, ita minus saltationibus accommodati, sed familiari sermoni, idonei valdè sunt. Maximè autem omnium laudantur iambici, qui pedibus disyllabis constant.

Tragicæ melodiæ. Melodia, & Apparatus tragicus declaratur ab Aristotele, qui de his sequentem in modum loquitur, τῶν δὲ λοιπῶν πάντε, ἡ μελοποιία μέγιστον τῶν ἡδυσμάτων. ἡ δὲ ὄψις, ψυχαγωγικὸν μέν, ἀτεχνότατον δὲ, καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς. *Reliquarum verò quinque melopœia est maximum condimentorum. Et apparatus allicit quidem animos: sed maximè est artis expers, & minimè propiùs poeticæ*, rationem reddit, quia Tragœdiæ virtus extra quoque scenam, & sine histrionibus consistit. Ars verò struendorum apparatuum. Magis ad chorum, quàm ad poetam pertinet. De choro non multò antea egimus in uniuersum; ob id de choro tragico pauca quidem addenda. Chori tragici plures assignantur actiones; πάροδος *ingressus*, totum id appellari solebat, quod à choro dicebatur, cum primùm scenam ingrederetur. Hoc olim fiebat iisdem canentibus & saltantibus, sed postea, aliis canentibus, & aliis saltantibus. Chori statio, dicebatur στάσιμον, vel χοροστασία, *stabile, siue statarium*, quòd fieri solebat, cum chorus fabulæ calamitates exponere inciperet. Postrema erat Tragœdiæ pars Exodi propria, non tamen omninò necessaria, illa, quæ κομμὸς *planctus* appellabatur. Chorus & una cum ipso, ij, qui erant in scena deplorabant alicuius personæ, vel etiam publicam calamitatem ad commiserationem ciendam. Chorus non ex heroibus, aut viris principibus, sed ex agricolis, ciuibus, militibus, & etiam mulieribus, constabat; de personarum numero iam dictum fuit. Græcis modò plures erant chori, modò autem pauciores.

Saltatio tragica ἔμμελεια, dicebatur; modum quo fieret, non est operæ pretium referre; solùm addendum, moris fuisse apud veteres, ut septies chorus in orchestra saltaret, idcirco septem erant transgressionis partes.

Ad Melodiam quod attinet. Chorus στάσιμος *statarius*, non admittebat trochęum, nec anapestum, ut Aristoteles testatur, cui Melodia est reliquarum quinque partium, maximum condimentum. In tragoediis porrò, præcipuè solebat adhiberi harmonia Mixolydia, & Dorica, & sanè Mixolydia harmonia, teste Plutarcho, quoniam animos vehementer commouet, Tragoediis est apta; utque Mixolydia mentes percellit: ita Dorica maiestatem conciliat, ob id Tragoedia ex his comixta est. Veteres etiam in Tragoediis harmoniâ Ionicâ, & Lydiâ utebantur. Quatuor enim erant harmoniæ modi, nempe Ionicus, Lydius, Doricus, & Phrygius; ex his primus est remissus, alter tristis, tertius sedatus, atque virilis, quartus vehemens, & furorem concilians; excepto Phrygio, reliquis omnibus locus erat in Tragoediis; cromatico, & rhythmo genere in Tragoedia veteres abstinebant.

Modi harmoniæ quatuor.

Apparatus scenæ. Apparatus scenæ Tragicæ magnificus est, quippè qui

qui columnis fastigiis, ac reliquis rebus regiis constat, ad Tragicorum ornatum pertinent Sceptra, Palla, & Cothurni: Sceptra verò, & Palla, ut regum ducumque gestamen; sed Cothurni ut personæ, quas Tragœdia representat, grandiores videantur. Deorum etiam, & heroum habitus, ad eundem apparatum spectat.

Explicatis tragediæ partibus ratione qualitatis, superest, ut eiusdem partes ratione quãtitatis expendamus. De his Aristoteles loquens hæc habet. Μέρη δὲ τραγῳδίας οἷς δεῖ ὡς εἴδεσι δεῖ χρῆσθαι πρότερον εἴπομεν. κατὰ δὲ τὸ ποσὸν καὶ τὰς διαιρέσεις καθ' ἃς διαιρεῖται κεχωρισμένας, ταῦτ' ἐστὶ, πρόλογος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος, χορικὸν, καὶ τούτου, τὸ μὲν πάροδος, τὸ δὲ στάσιμον, κοιναὶ μὲν ὅσαι πάντων ταυτά· ἴδιαι δὲ αἱ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ κόμμοι. *Iam partes Tragœdiæ, quibus ut formis oportet uti, priùs diximus, at secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hæ sunt Prologus, Episodium, Exodus, Choricum, & huius quidem una pars Parodus; altera verò Stasimum, atque hæ quidem communes omnium; propriæ verò illæ à scena, & communi. Prologus* est pars integra Tragœdiæ ante chori ingressum, ita quidē Philosophus, qui per prologum nil aliud quàm primum actum intelligit, nam actus per choros separantur, quamobrem Tragœdiæ pars, quæ primum chorum antecedit, atque adeò primus actus, ab Aristotele prologus appellatur, in quo argumentum fabulæ non omninò exhibetur, sed dumtaxat adhumbratur, atque traditur exordium, non secùs ac si ibi actio natale recognosceret suum, & hoc ab omnibus Græcis tragicis factum fuisse constat. Latinis autem placuit in comœdiis separatum prologum adhibere. Discrimen porrò Tragœdiæ à Comœdia ex eo est, quia simul ac Tragœdiæ nomen auditur, notum est eius argumentum, non sic autem de Comœdia. *Episodium* autem pars est Tragœdiæ interiecta inter choricos cantus; ita quidem Aristoteles, ex cuius sententia episodium comprehendit omnia quæ tractantur in secundo, tertio, & quarto actu, in progressu verò episodii nodus fabulæ contexitur, nam in primo actu insinuatur fabula, in tribus intermediis eius texitur nodus, in quinto tandem eiusdem exhibetur solutio. Cur autem Philosophus tres commemoratos actus episodii nomine significare voluerit, egregiè Paulus Benius explicat dicens. *Crediderim igitur indotres illos actus episodij nomine designari ab Aristotele, quia in eo tantum episodia inserantur, ac propterea ab episodio nomen inuenerit pars illa vniuersa. Exodus* est pars integra Tragœdiæ post quam nullus est amplius Chori cantus; hic autem habetur in quinto actu, in quo fabula soluitur, nec amplius habetur chorus licèt contrarium à Seneca factum obseruemus, sed contra artis præcepta, is propterea non imitandus. Solutio autem fabulæ geminatæ per peripetiam, & agnitionem fit, de quibus suo loco egimus.

Tragœdiæ verò quantitas in uniuersum declaratur ab Aristotele, qui dum assignare vult id per quod Tragœdia ab Epopœia differat, cum qua alioquin metrico sermone præstantium virorum conuenit dum imitatur, per hoc, ait, differre, quòd Epopœia simplici utitur metro, quòdque enarratio est. Præterea Tragœdia ab Epopœia differt longitudine, quoniam Tragœdiæ quidem intra unius potissimum Solis, vel paulò plus, minusve, periodum actio est, cum alioquin Epopœia temporis spatio non vrgeatur: sic enim loquitur, τῷ δὲ τὸ μέτρον ἁπλοῦν ἔχειν, καὶ ἀπαγγελίαν εἶναι, ταύτῃ διαφέρουσιν, ἔτι δὲ τῷ μήκει, ἡ μὲν γὰρ ὅτι μάλιστα, πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι. ἢ παραλίγον. ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ, καὶ τούτῳ διαφέρει. *Hoc differt quòd simplici utitur metro, quòdque enarratio est; longitudine præterea, quoniam Tragœdiæ quidem intra unius potissimum Solis, vel paulò plus minusve, periodum actio est: quandoquidem Epopœia temporis spatio non urgetur.* Quod non sic intelligas, cum quibusdam, Tragœdiæ durationem tantam esse, ut per integram diem duret, sed quòd ipsa de actione sit, quæ spatio unius diei absoluitur, cum Epopœia in actione versetur, quæ temporis spatio non coercetur. Varia est tragœdiæ forma, sed Aristoteles eam diuidit in πεπλεγμένην, *implexam* παθητικὴν, *animos concitantem* ἠθικὴν *moralem* & μυθικὴν *fabulosam*. *Implexa* est, quæ peripetiis, & euentibus implicatur, ita Senecæ Oedipus. *Animos concitans*, & perturbationum plena est Hippolytus eiusdem. *Moralis*, siue morata est instituta ad informandos hominum mores, ut Sophoclis, Philoctetes. *Fabulosa* tandem quę continet maximè remota ab humanis rebus, quæ proindè maximè fabulosa dicitur. Alia etiam est tragœdia *Palliata* & alia *Prætextata*, item alio *Pura*, & alia *Mixta*.

SECTIO QVARTA.

De Comœdia.

COmędiæ etymon ab Aristotele particula decima sextâ breuiter innuitur, ut apud ipsum videre licet, at ex aliorum consilio, Comędiæ nomen paganum cantum significat, à κώμη, & ᾠδὴ, huius porrò denominationis ratio ea est, quoniam hoc poema à rusticis, ad urbanos profluxit. Vnde Volateranus, *Comœdiam*, inquit, *inuenerunt rustici, qui iniuriam passi à ciuibus, ex agris in urbem venientes, noctu mediis viis, quæ passi fuerant, recensebant. Vicini itaque experrecti, mane simul memorantes, quæ audierant reddebantur meliores; itaque visum hoc utile moribus compescendis, vocati rustici in theatrum, & hominum frequentiam coacti sunt medium, siue eadem facere, ora facibus parunctli, quod postea officium poetæ usurparunt, nullâ hominum reuerentiâ seruatâ.* Aliis placuit etymon, de quo loquimur, esse à *como*, ut κωμῳδεῖν, sit canere *como* digna. Κῶμος erat hilaritatis, & temulentiæ, siue lasciuiæ, & commessationum Deus; Commessatio autem à *como*, dicta nil aliud quàm conuiuium post cenam ad multam noctem; Veteres enim in quatuor partes *comedere* diuiserunt, hæ porro erant Ientaculum, Prandium, Coena & Commessatio. Fauet Athenæus, qui ait Comœdiam inuentam fuisse vindemiæ tempore, quæ & tragędia appellabatur in cuius scena solebat ara Bacchi collocari. Athenienses hanc sibi gloriam tribuebant, apud quos Crates comicus fuit; verisimilius tamen quod diximus, adeo ut iure laudem hanc Dorienses sibi vendicauerint; tum scilicet illi qui in Sicilia habitabant; tum Megarenses qui Doridem incolebant. Illud tamen in confesso est apud omnes, primum Homerum comędiæ normam tradidisse; si non alia ex causa, saltem ex eo quòd Homerus res iocosas, ac viles est imitatus; præsertim in eo poemate, quod Μαργίτης, appellabatur, Inuentam verò comędiam non credendum ita, ut initio, ac statim ea numerorum omnium complexionem obtinuerit, sed paulatim, ac temporis decursu, ut in rebus omnibus ortum habentibus usu venit, putandum elegantiæ ac dignitatis incrementa suscepisse. Definita fuit Comędia à Diomede hunc in modum. Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. *Comœdia est priuatæ, ciuilisque fortunæ, sine periculo vitæ, comprehensio.* Comœdiæ origo. Comœdiæ definitio ex Diomede.

Sed Aristoteles comędiam definit dicens. Ἡ δὲ κωμῳδία ἐστὶν ὥσπερ εἴπομεν, μίμησις φαυλοτέρων μὲν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν Comœdiæ definitio ex Arist.

Digitized by Google

τοῦ κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τῶν αἰσχρῶν ἐστὶ τὸ γελοῖον μόριον. *Comœdia verò est, ut dicebamus, imitatio peiorum: at non secundùm omne vitium, sed turpitudinis* Arist. ibid. *est particula ridiculum.* Dum verò pergit Philosophus, declarat quid sit ridiculum, dicens, τὸ δὲ γελοῖον ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνωδυνόν, καὶ οὐ φθαρτικόν; οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης. Ridiculum enim est erratum quoddam, Ridiculi quid. *& turpitudo sine dolore, & non habens vim interimendi, ut statim ridicula facies, turpisque, ac distorta sine dolore.* Turpe autem aliud φθαρτικὸν, perdens hominem; aliud γελοῖον, *ridiculum*. Illud dolorem patienti affert, spectanti misericordiam, hoc patienti pudorem, aliis risum mouet. Ad primum genus pertinent verbera, cædes, cæcitas, egestas: Ad posterius ridicula facies &c. Factum est, quod ad ridendum compellit. Non omne tamen factum mouet risum; nec omne ridiculum est factum; sed turpe sine dolore est, quod risum mouet; nomine autem turpis intelligitur, quod aliquo pacto alicui indecens est, & inconueniens; quod pluribus modis contingit; vel nimirùm ex parte subiecti, vel temporis, vel loci, vel alterius circumstantiæ; vel ex parte illius, in quem aliquid fit, aut dicitur. Rectè Philosophus dixit turpe sine dolore; turpe siquidem illud, quod contristat, & dolorem infert, potius ad fletum, quàm ad risum excitat; ut si facies amici deformata sit ex vulnere &c. Ex circumstantiis porrò aliquæ sunt, quæ ridiculum augent; ita nouitas ad hoc plurimum habet roboris; hinc magna varietas, & inæqualitas in risu. Illud quoque notatu dignum, nempe unum & idem obiectum ab aliquo apprehendi tamquam turpe sine dolore & ab alio non tamquam turpe; ab alio non sine dolore. Sed de his plura in Physica trademus. Aliis porrò Comœdia definitur hoc modo. *Comœdia est poema dramaticum, ciuium,* Alia comœdiæ definitio. *ac vulgi actiones stylo populari imitans, non sine salibus, ac iocis.* Aliis hoc modo. *Comœdia est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis*: ita Tullius qui definitionem hanc ab Andronico desumpsit. Aliis verò: *Comœdia est fabula, diuersa instituta continens affectuum ciuilium, ac priuatorum, qua dicitur, quid sit in vita utile, quid contra euitandum.*

Differentia inter Tragœdiam, & Comœdiã. Differt autem tragœdia à comœdia præsertim inuentione, peculiare verò, ac essentiale discrimen in eo est, quòd Tragœdia illustrem imitetur illustrium personarum actionem, quæ terrorem ac misericordiam continet; at Comœdia humilium personarum actionem humilem, leuem, ac subinde ridiculam imitatur. In Tragœdiam introducuntur duces, ut Diomedes ait, heroes, reges: in Comœdiam humiles, atque priuatæ personæ. In illa frequenter, & penè semper lætis rebus, exitus tristes, & liberorum, fortunarumq; priorum in peius agnitio: in hac tristibus lætiora succedunt. Sed his omissis, attendendum quod essentiale est ab Aristotele significatum, videlicet, quòd Tragœdia grauem contineat actionem, in qua terror ac misericordia: Comœdia verò personæ leuioris actionem, leuem subindeque ridiculam habeat.

Comœdiæ finis. Comœdiæ finis est vitæ priuatæ exemplum exhibere, ut inde quisque mores corrigat suos.

In Comœdia eadem spectantur qualitatis partes, quæ in Tragœdia, puta fabula, mores, sententia, dictio, harmonia, & apparatus.

Comœdiæ fabula ac cõstitutio. Ad comœdiæ fabulam, & constitutionem quod attinet, nulli dubium quin in comœdia res fingi soleant. Non tamen semper; nàm ut paulò infra dicetur, Comœdia diuiditur in Veterem, Mediam, & Nouam; in veteri autem etiam, quæ vera sunt, tractari consueuerunt. Facta porrò vel actiones à Græcis apud se fingi solebant, sed à Latinis, vel Athenis vel in aliqua alia Græciæ ciuitate finguntur. Argumenti comici nulla est præscriptio, sed poetæ qualecumque licet illud comminisci. Ea verò in quibus comœdia versatur, negotia sunt à communi vita, & velut quotidianis euentis desumpta, cuiusmodi sunt adolescentum amores, senum auaritia, seruorum fraudes, verbo dicam, res ciuiles, & priuatæ; unde est etiam, ut Comœdia à Tragœdia; & ab Epopœia discriminetur, nam Tragœdia res illustres, & terribiles: Epopœia verò admirabiles; & prodigiosas imitatur; cum autem Comœdia ea tractet, quæ e communi vita sumuntur, ob id in ea minùs est veniæ locus atque adeò, magis est operosa, quò pertinet Lyrici carmen.

Horat. arte. *Creditur, ex medio, quia res arcessit, habere*
Sudoris minimum, sed habet Comœdia tantò
Plus oneris, quantò veniæ minus.

Tales igitur hominum actiones, Comœdia imitatur, ut dictum est; Tametsi autem Comœdia hominum vitia exagitet, non omnia tamen, sed ea, quæ potius risum, quàm misericordiam excitant, & in uniuersum Comœdia tractat ea, quæ turpia sunt sine dolore, ut supra ex Aristotele, monuimus. Res autem in comœdia, personis proportione respondent, & vicissim; ut enim res humiles, ac priuatæ in comœdia sunt: ita quoque personæ. Amplius, quemadmodum res in comœdia sunt fictæ, sic & personæ in eadem finguntur.

Nomina personis non tam re, sed filio imponenda quæ rei consentanea sint. Non temere, casuvè personis imponenda sunt nomina, sed consilio, itaut res consentanea sint; quod obseruant etiam alii huius artis scriptores, & inter cæteros Vossius, nam, ut ipse ait, Senex apud Terentium dicitur *Chremes* ἀπὸ τῆς χρήματεδαι, hoc est, *ab vsu*; adolescens verò, qui amat, dicitur *Pamphilus*: amata, *Glycerium*, vel *Philumena*: Parasitus, *Gnatho*, ἀπὸ τῆς γνάθου, hoc est, *maxillis*: Servus à *seruili cursu*; & ita de reliquis. Non rarò tamen euenit, ut per illusionem, nomen à contrario imponatur. In Comœdia personæ loquentes ternario numero comprehenduntur. Iuxta illud supra quoque commemoratum, *Nec quarta loqui persona laboret*. Personæ siquidem diuerbiorum, aut duæ, aut tres, & quam rarissimè quatuor esse debent. Sed in Canticis una tantùm esse persona debet; vel si duæ fuerint, ita esse debent, ut ex occulto una quidem audiat, non tamen loquatur; sed si opus fuerit secum verba faciat. At in choris personarum numerus præfiniri non conuenit, cum iunctim omnes loqui debeant, quasi confusâ voce, quodammodo vocem unius referente. Non solùm in Tragœdia, sed in Comœdia itidem animi considerandi sunt affectus, qui procul dubio, non nihil differunt ab iis, quos tragœdia tractat; enim verò animi perturbationes in comœdia, nec tam vehementes, nec tam multæ sunt, ac in Tragœdia, cuius rei causa est, quoniam affectus in Tragœdia, ob res grauiores cientur, nempe ob carceres, vulnera, cædes &c. at in Comœdia ob res longè leuiores, ut dolor e.g. non ob cædem, sed ob timorem amicæ gratiam amittendi.

Comœdiæ mores. Comœdiæ verò mores ii censentur, secundùm quos homines tales esse dicuntur, hi autem sunt solutiores tragicis moribus; & illud peculiare Comœdiæ mores quoq; habent, ut iocis & salibus abundent; magis quàm qui Tragœdiæ sunt proprii, ut non immeritò Apulerus dixerit. *Ioci non infra soccum: seria non usque ad cothurnum*; quod non sic intelligas, ut putes Comœdiam sine iocis quasi ad eius naturam spectantibus

Digitized by Google

Tullius pro sexto Rossio.

bus consistere non possit, nam, ut Tullius dicebat, *Hæc conficta à poetis arbitror esse, ut effictos nostros mores in alicuius personis, expressamque imaginem vitæ nostræ quotidianæ videremus.* Comœdiæ siquidem finis nil aliud, quàm humanorum morum descriptio, atque notitia, quæ maximam utilitatem habet adiunctam. Ioci autem, ac sales si crebri sint, leporem amittunt, ob id in ipsis opus est non vulgari delectu, & præcipuè curandum ne frigidi sint, vel obsceni.

Comœdiæ exitus.

Comœdiæ exitus id habet, ut tristibus læta succedant; contrarium autem in Tragœdia euenit; in hac enim ferè semper lætis rebus tristis exitus est; hoc tamen ad Comœdiæ naturam non pertinet, nam in ea vel exitus olim erat simplex, vel duplex, priori modo erat lætus, posteriori verò his quidem lætus, aliis verò tristis.

Comœdiæ sententiæ.

Comœdiæ sententias si respicias, facilè illas minus graues, minusque frequentes, quàm in Tragœdia reperies; omnes enim ad priuatam pertinent vitam, & ita se habent, ut priuatæ consuetudinis fines, nec latum unguem, transcendant.

Dramatis dictio qualis.

Qualis porrò dictio, ac metrum Comœdiæ sit, explicandum sequitur. Dictionis comicæ non una est consideratio, cum spectari possit, tum ratione elegantiæ, tum dramatis. Priori modo apud Græcos

Dictio ratione elegantiæ.

dictio magis attica in veteri Comœdia usurpabatur, quàm in noua, de cuius distinctione mox erit sermo; Antiquæ Comœdiæ Aristophanes, nouæ autem Menander exemplum suppeditat. Ex Latinis maximè laudatur Plautus, & Terentius, qui venustate, & elegantiâ Plautum aliquibus superare videtur, aliis autem contra.

Dictio ratione dramatis.

At verò drama si spectes, dictio illa censetur laudabilior, quæ rebus comicis accommodatior est; quæ cum humiles, familiaresque sint, dictionem similem exposcunt; Dictio igitur ratione dramatis, non grandis nec splendida, ut tragica, sed humilis atque suauis, parumque calamistrata esse debet, utpote remissiori ornatu contenta; Comœdia siquidem parum à soluta distat oratione, nisi quòd metro illigata sit; ut propterea Tullius dicere soleret. *Itaque video, visum esse non nullis, Platonis, & Democriti locutionem, etsi absit à versu, tamen quod incitatius feratur, & clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quàm comicorum poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sint, nihil est aliud quo idiani dissimile sermonis.* Hoc idem Strabo, & Fabius quoque testantur. Ad hanc respiciens Lyricus canit.

Tullius in oratore.

Hor. in ar.

Idcirco quidam, Comœdia, nec ne poema
Esset, quæsiuere; quod acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quòd pede certo
Differt sermoni sermo meras.

Tametsi autem comica dictio ita se habeat; quandoque tamen pedestris esse dedignatur, & propius ad stylum tragicum accedit; Non enim perpetuò verum, quod Tullius relatus dicebat, nec quod Fabius affirmabat, dum scriberet: *Nec Comœdia in cothurnos assurgit: nec contra Tragœdia socco ingreditur;* nõ semel enim Comicus, Tragici fines ingreditur impatiens propriis coerceri, quod facit in choris, & in animi perturbationibus, & quidem in ira, teste Lyrico.

Horat. ib.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratusque Cremes tumido delitigat ore.

Et mox subdit

verba decent iratum plena minarum.

Quæ humilis stylus non patitur, ut ob id comicus cogatur quandoque paulum assurgere, & in tragici messem, falcem sæpe sæpius mittere.

Non omne carminis genus Comœdiæ putandum accommodatum, quin potius aliquod ei peculiare est, & consentaneum, cuiusmodi est iambicum carmen, quod in veteri Comœdia usurpari consueuerat, eam ob causam, quoniam vetus Comœdia à Iambographis, hoc est à iamborum scriptoribus ortum duxit, quibus huiusmodi carmina in usu erant, cum eorum esset conuiciari, ad quod nullum est accommodatius carmen, quàm Iambicum, à quo carmina dicuntur iambica; unde pes iambicus, maledicus dici solet; ideoque Lyricus, ut superiùs etiam fuit adnotatum, cecinit in arte ad Pisones.

Quod eat carminis genus in comœdia usurpandum.

Hor. in ar.

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Olim enim erant & Epici, qui res grandes carminibus hexametris tractabant, & Iambographi, qui carminibus iambicis urgere conuiciis solebant, ex epicis Tragœdia, ex iambographis Comœdia vetus originem traxit, cuius erat in homines conuicia fundere, qua de re loquens Aristoteles ait, οἱ δ' ἐπὶ τὴν πρώτην ἐρρωμένως καὶ τὴν οἰκείαν φύσιν. εἰ μὲν οὖν τὸ τῶν ἰαμβείων, κωμῳδοποιοὶ ἐγένοντο. εἰ δὲ τὸ τῶν ἐπῶν πραγματικὸν καὶ ἁρμοδιώτατον. *Cum autem ad alterutram poesin unusquisque pro natura, atque indole, ferretur; alij quidem pro iambis, comicam; alij, pro epico carmine, tragicam poesin complexi sunt.* Alia, & maximè propria est causa, unde habet Comœdia ut hoc versuum utatur genere, in eo est posita, ut supra quoque notauimus, quia nullum carminis genus familiaribus sermonibus accommodatius est, quàm iambicum; e metris enim omnibus, iambicum ad id præcipuè videtur idoneum, ideoque ad Comœdiam tum optimè opportunum censetur, quòd proximè ad solutam orationem accedit. De his tamen alibi copiosius.

Arist. in arte poet. cap. 4.

De Melopœia, & apparatu nihil addam, cum hæc ex dictis de Tragœdia, cui Comœdia finitima satis est, abundè constare possint. Comœdiæ partes ratione quantitatis duorum sunt generum, partim scilicet extra actionem, ut Prologus separatus, & Chorus in veteri, non in noua Comœdia usurpatus; partim in actione, ut Prologus coniunctus, Episodium, Exodus, vel ut recentioribus placet, Protasis, Epitasis, Catastrophe de quibus supra iam locuti sumus. Sed plerisque Comœdiæ partes, aliæ primariæ, & aliæ accessoriæ; illas ex dictis de fabula, generatim notas esse supponunt; has dicunt esse Prologum, Chorum, Mimum, & Canticum; singula hæc, quomodo se habeant, breuiter explicabimus.

Comœdiæ partes ratione quantitatis.

Prologus oratio est, quæ ante legitimam fabulam ad spectatores habetur; præmittere prologum Græcis in usu erat, nam Latinis familiare fuit illum post legitimæ fabulæ particulam adhibere. At prologus duplex esse perhibetur, nempe separatus, & coniunctus. Prologus separatus habetur, ac dicitur à persona, quæ est extra fabulam. Apud Plautum inducitur ferè semper Deus aliquis ad prologum dicendum; apud Terentium aliquis poetæ defensor. Primum aliquibus magis probatur, quoniam Dei potius, quàm hominis prædictio accessaria in prologo, propria est, quod intelligas quando argumentum narratur, ut apud Plautum, non quando illud committitur ut apud Terentium. Quidam verò prologum separatum Comœdiæ conuenire arbitrantur, propter obscuram Comœdiæ materiam ex personarum conditione; Tragœdiæ autem ob eius notam materiam ex illustrium personarum conditione; non item; quod intelligendum volunt de prologis illis, qui argumentum narrant, non de aliis, qui auditorum animos parant. Duplex enim statui-

Prologus.

Prologus duplex separatus, & coniunctus.

Prologo munus duplex.

Digitized by Google

tur prologi munus, unum fabulæ argumentum narrare; alterum spectatorum animos instruere, atque parare, fabulam vel poetam commendando, vel aduersariorum maledictis respondendo. Huc spectat prologi separati distributio, iuxta quam quadruplex assignatur Συστατικὸς, διαφορικὸς, ὑποθετικὸς, & μικτὸς. Prologus Συστατικὸς, *commendatitius* est, quo fabula, vel poeta commendatur. Διαφορικὸς, *relativus*, quo aduersarii maledictis respondetur, aut populo gratiæ referuntur; Ὑποθετικὸς, *argumentum enarrans* est, quo fabulæ argumentum exponitur. Μικτὸς, *mixtus*, quæ horum omnia, vel saltem plura complectitur.

Prologus separatus quadruplex.

Prologus coniunctus

Prologus coniunctus ille cuius paulò antea meminimus, ita dictus est, quia cum fabula iungitur, & à persona ad fabulam spectante recitatur. Prologus non rarò unius est personæ, dicturque μονοπρόσωπος, aliquando verò duarum & διπρόσωπος appellatur.

De choro.

De Choro autem Comœdiæ nihil dicendum occurrit, cum ex supra traditis in universum omnia perspicua sint. Vnum silentio prætereire non licet, nempe Comœdiam veterem choro destitutam fuisse, cuius imitatione nouæ quoque sunt institutæ, primò quidem à Græcis, postea verò à Latinis, qui sublato Choro, Mimos inuenerunt, quibus deinde neglectis, eorum loco fuerunt cantica subrogata, adeo ut post singulos actus, tibiis paribus, vel imparibus cani cæptum fuerit, ita ut ex aliquorum sententia tria Comœdiæ membra statuerentur Diuerbium, Canticum, & Chorus. Verba verò quibus Comœdia clauditur, puta *Valete*, & *Plaudite*, non ab actorum aliquo, sed à cantore, vel alio aliquo dici consueuerunt; quod ex Lyrico constat; sic enim ait.

Donec cantor; vos plaudite dicat.

Partitio Comœdiæ

Nunc ad Comœdiæ celebrem partitionem descendam; Comœdia quidem apud Græcos partitionem subiit in *veterem*, *mediam*, & *nouam*. Sed veterem aliqui partiti sunt in antiquissimam, cuius auctorem faciunt Epicharmum siculum, quem partim ante, & partim belli Persici tempore floruisse accepimus. Hanc vetustissimam Comœdiam rudem admodum, & incultam fuisse dicunt, cum tamen sententiis honestis afflueret, atque adeo innoxia esset; eadem iocis gaudebat, sed citra liuorem: ex his alia effluxit Comœdia aliorum dedecore, infamiâq gaudens; & hæc est Comœdia quę vetus appellari consueuit, quæ; in prędicta Comœdię partitione à Volaterrano commemoratur, dum dicit, *Comœdia in tres diuisa partes, in antiquam, quæ manifestè reprehendebat; in mediam, quæ per ænigma; in nouam, quæ in seruos; & pauperes cauillabatur:* Huius antiquæ Comœdiæ auctor fertur Eupolis, & Cratinus, quorum hic actibus illam distinxit, & Aristophanes absoluit. Hæc adeo mordacitatis plena erat, ut nominatim quoque primatum vitam, moresque perstringeret, quod Lyricus etiam notauit dicens;

Horat. lib. 2. Serm. 1.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alij, quorum Comœdia prisca virorum est;
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius aut alioqui
Famosus; multâ cum libertate notabant.

Prædicti autem comici belli Peloponnesiaci temporibus circiter Olympiadem octogesimam septimam floruisse dicuntur. Hæc eadem obscenitate scatebat, ita ut ad nauseam usque auditorum animos percelleret. Tametsi hoc Comœdiæ genus foret in primis utile, cum unusquisque caueret culpâ, ne spectaculo cæteris foret, domestico probro; Vbi enim huiusmodi Comœdia poterat exerceri, nempe non sub Tyrannide, nec sub Oligarchia, sed sub Democratia, multum ciuitatis moribus proderat; erat enim in causa, cur unusquisque, ne sua vitia publicè caperentur, virtutes excoleret, ac sequeretur. Talis porro Comœdiæ normam ab Homero traditam volunt, ut supra quoque notauimus, non quatenus ea de qua fit sermo, conuiciari solet, sed quoniam Homerus res iocosas, & viles, est imitatus, præsertim in poemate, quod Μαργίτης dicitur, cum alioquin in Iliade, & Odyssea tragœdiæ modum expresserit; quæ quanuis vera sint, adhuc tamen Σίσαρίων apud Clementem Alexand. Comœdiam reperiisse dicitur, vel ut alii legunt Σύσαρίων: Sed apud Diomedem tres dicuntur primi fuisse comici, *Susarion*, *Mullus*, & *Magnes*: Inuenta porrò est Comœdia ita, ut antiquis vituperationibus, & iambico carmini successerit. Cum enim duo sint Poeseos genera, unum grauius, alterum humilius; ut in grauiori facti sunt primum Hymni, & Encomia, inde vero Epopœia, postremo Tragœdia: ita in humiliori, scriptæ sunt primum vituperationes sine ridiculis, inde iambicum carmen cum ridiculis tendentibus ad conuicium, postea Comœdia vetus, de qua loquimur, cum conuicio tendente ad ridiculum. In hac Comœdia nominabantur ii, in quos maledicta coniiciebantur, & ideo, ut prius Athenis, dum democratia siue status esset popularis, impunè à poetis primores ciuitatis vitiis per Comœdiam notabantur; ita postea reiecta fuit, & profligata, cum hæc aperta maledicentia odio omnibus esse cæpisset, adeout lege latâ cunctis iniuriâ quidem affectis in scena, datum esset poetam in ius vocare; fuit enim vulgata lex, ne quis carmen infame proponeret, eo enim deuenerat conuiciandi licentia, ut æque boni, ac improbi læderentur, unde Lyricus.

Successit vetus his Comœdia, non sine multâ
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

Romanis quoque placuit in Comœdiis ab aperta maledicentia abstinere.

Adeo autem prædicta lex iusta visa est, ut Romanis quoque placuerit. Hoc porrò Comœdiæ genus durauit, quoad Eupolis de mandato Alcibiadis in mari demersus fuerit; Eupolis enim in fabulâ, quam Baptas inscripserat, conuiciis pluribus insectatus est armorum summum imperatorem Alcibiadem, qui propterea iussit comicum eo genere mortis puniri, quod cæteris quoque poetis magnum terrorem iniecit, Eupolidi nanque pessimè suam eecisse libertatem notarunt. Paulo autem post idem Alcibiades legem tulit, quâ cæteris comicis inhibebat, ne deinceps nominatim personas conuiciis urgerent: Potentiorum etiam metus fecit, ut chorus de medio tolleretur; in eo enim præcipuè maledicentia vigebat, & in locum chori subrogatæ sunt digressiones quædam, in quibus poetarum dicta, aut scripta cauillarentur. Duplex igitur antiqua Comœdia fuit, una quidem prior, & maledicentior, quæ nominatim homines conuiciis insectabatur; altera posterior & tęperatior, quæ licentiam chori non habebat, & nomina reticebat; adeo ut homines non apertè, sed modestè, verecundeque criminaretur: vitia siquidem ciuium universè tantùm suppressis nominibus reprehendebat; vel si aliquem particulatim significaret, id per ænigma faciebat. Hæc porrò Comœdia post inuentam nouam, dicta est media vetere posterior, & vetustior nouâ. Quanuis autem comici particularium hominum suppressis nominibus vitia reprehenderent, adhuc coacti fuerunt omni

Antiqua comœdia duplex.

Comœdia media.

omni malidicentiâ abstinere; potentiores enim, si quæ modestè, & occultè dicerentur, in se dicta esse suspicabantur. Hoc itaque modo Comœdia omnem conuiciandi, reprehendendique potestatem amisit; & loco eius noua instituta Comœdia est, quæ ficto est argumento usa, & pro choris prologum assumpsit; Hæc itaque de communiori quidem argumento erat adeo ut uniuersè ad omnes homines, qui mediocribus utūtur fortunis, pertineret, & minus amaroris spectatoribus, & eadem operâ delectationis plurimū afferret. Pluribus modis noua Comœdia, à veteri discriminatur. Illa enim sæpè sæpius argumenta vera tractat; hæc semper ficta; illa est maledica; hæc utiq; suos habet aculeos, sed citra cuiusque contumeliam. Vetus quadam partium distinctione utitur; noua verò longè diuersâ. Illa varia miscet carminum genera, hæc non nisi iambica, atque trochaica frequentat. Illa utitur stylo grandiori sed minùs æquabili; hæc elegantiori, & æquabiliori. Hactenus dicta de Græcis intelligenda Comœdiis; apud quos tria erant illa commemorata Comœdiarum genera, e quibus una tantum, videlicet noua, ad Romanos emanauit, quibus tamen pro duplici argumento, duplex quoque fuit, una quidem argumenti Græci quæ Palliata; altera argumenti Romani, quæ Togata dicebatur. In priori histriones Græco more palliati: in altera more Romano togati incedebant. Est etiam frequens diuisio Comœdiæ, cum alia sit *Motoria*, alia *Stataria*, alia denique *Mixta*. *Motoria*, quidem turbulenta ut Amphitryo; *Stataria* quietior; ut Cistellaria; *Mixta* ex utraque constans ut Eunuchus. In prima enim res sunt turbulentiores; in secunda quietiores; in tertia habetur utrumque. Communis etiam & Græcis, & Romanis Comœdiæ diuisio fuit in *Simplicem*, & *Implicatam*; insuper in *Moratam*, & *Ridiculam*. *Simplex* est quæ agnitione, & peripetiâ caret; *Implicata* verò quæ ipsas habet. *Morata* est in qua mores; *Ridicula* tandem in qua ioci, & sales dominantur. Cæterum de Comœdiæ nomine imponendo non leuis Poetæ debet esse diligentia, cùm res parui momenti non sit; sed hoc supra tractauimus; cum de dramatis nomenclatione ageremus; id solùm in præsens addendum; hac in re præ oculis habendam esse primariam actionem, atq; adeo personam, cui illa adscribitur, non enim aliunde melius Comœdiæ, quemadmodum Tragœdiæ, & cuiuslibet dramatis nomen, deduci potest.

Romanis duplex noua comœdia fuit.

Alia comœdiæ diuisio.

Alia etiam comœdiæ diuisio.

Comœdiæ nomen unde sumendum.

Sequitur Apparatus, & Modulatio Comœdiæ. De scenæ Apparatu, qui Comœdiæ conuenit, nihil dicam, cum ex supra traditis de Tragœdia hoc facilè constare possit; illud certum, comicas scenas ædificiorum priuatorum, & mœnianorum speciè contineri, nimirùm pro personarum conditione quæ in comicis scenis agunt. Personarum habitus in Comœdiis, varius erat, pro gentis, ætatis, fortunæ, & vitæ diuersitate. Aliæ siquidem erant vestes, quibus Græcus aliæ, quibus Romanus induebatur, & aliæ quibus adolescens, & adolescentula; aliæ quibus senex, & matrona natu grandis; aliæ quibus dominus, aliæ quibus servus; item aliæ quibus diues, & pauper &c. Hanc diuersitatem pereleganter expressit Donatus in Terentium, dum ait. *Comicis senibus candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Serui comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratiâ; vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis pallijs veniunt. Læto vestitus candidus, ærumnoso obsoletus, purpureus diuiti, pauperi phœniceus datur, militi chlamys purpurea, puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varij coloris utitur. Meretrici, ob auaritiam, luteum datur.* Ex hactenus dictis perspicuè constat sequentem in modum Comœdiam definiri posse nempe. *Comœdia est imitatio actionis turpis in eo vitij genere, quod mouet risum, & perfectè, ac iustam magnitudinem habentis, suaui sermone, singulis instrumentorum formis agentibus, in diuersis temporibus, per modum agentem, & per voluptatem ex ridiculo inducens animorum purgationem.* Dicitur autem *imitatio* quoniam poesis est, cuius anima censetur imitatio, & quidem *actionis turpis in eo vitij, genere quod mouet risum;* non enim omnis turpitudo Comœdiæ accommodatur; siquidem est Comœdia imitatio peiorum in eo tamen vitii genere, quod ridiculum est; sic à Tragœdia seiungitur, quæ est meliorum imitatio, sic etiam ab Epopœia, & Dithyrambica, quæ sunt imitationes meliorum, peiorum, & similium. Dicitur *actionis perfectæ*, hoc est totius, & integræ. Dicitur *actionis iustam magnitudinem habentis*, puta ut unico Solis ambitu, vel paulò maiori, vel minori contineatur, in quo cum Tragœdia conuenit, sed ab Epopœia distinguitur cum hæc tempore indefinita sit. Dicitur *facta suaui sermone*, hoc est qui habeat numerum, & harmoniam, & melodiam, nempè numerum saltationis, harmoniam soni, & melodiam cantùs: vel numerum saltationis, harmoniam soni, & cantus melodiam metri, in quo fit mixtio soni cum metrico cantu; quamobrem comica imitatio eò, quòd fiat triplici instrumento, ab Epica distinguitur imitatione, quæ tantùm sermone fit, & ab Orchestica quæ numero tantùm, atque demùm ab Auletica, Cytharistica, & fistularum imitatione, quæ numero, & harmoniâ fit.

De scenæ apparatu, & modulatione.

Magis declaratur comœdiæ natura.

Solet autem in quæstionem vocari, an comica imitatio, atque adeò Comœdia possit oratione solutâ perfici. Si usum attendas, profectò communiter receptum intelliges Comœdiam solutâ fieri oratione, quamobrem id admittendum videtur, non ita tamen ut plerumque versibus tractata non fuerit; immò si rationem lubeat respicere, videtur potius Comœdia versibus contexenda, non eo nomine quòd versus poeseos naturam constituat, sed quoniam eius per opportunum est instrumentum, cum oratio soluta scenæ propter submissionem suam minùs accommodata sit. Præter sermonem, & metrum, harmonia quoque, & saltationis numerus, præsertim in choris adhibetur. Dicitur *fieri singulis formis separatim agentibus*, quoniam nonnullæ solum efficiuntur per metra, & rursùs alia per melodiam, nam in Tragœdia, & Comœdia, tria adhibentur instrumenta, non tamen eodem tempore, ut in poesi Dithyramborum, & Nomorum, ubi eodem tempore numerus, harmonia, & sermo utrurpatur; non igitur eodem tempore, sed temporibus diuersis, ita, ut sermo quandoque solus, ut in aliis partibus, quandoque verò mixtus, ut in choris adhibeatur. Dicitur *fieri per modum agentem*, quo à Dithyrambica, & Epica poesi discriminatur, nam hæ modum habent exponentem, altera se non immutantem, altera se immutantem. Dicitur *inducere per voluptatem ex ridiculo animorum purgationem*, quoniam per huiusmodi voluptatis assuetudinem animus ad talem voluptatem capessendam temperatur, & purgatur etiam, quod per ridiculas deceptiones à consimilibus cauere discit. Hæc autem de Comœdia, de qua multo plura dicenda forent; sed breuitati studendum.

An comœdia possit soluta oratione fieri

Ex Comœdia Mimi prodierunt, quique antiquitus fuere Comœdiæ pars, & eorum in locum cantica successerunt. Mimus est, qui intra, vel extra scenam gesticulationes exercet; imitaturque dicta, facta, mo-

Mimi declarantur. Mimus unde dicatur.

Digitized by Google

moresve, hominum, & naturas; dicitur autem, ἀπὸ τῦ μιμεῖσθαι; teste Diomede, quod significat, imitor. Histrio verò personatus in Scena, Comoedias, & Tragoedias, voce, & corporis gestu agit. Mimi autem nomine, tum drama, tum actor significatur; quemadmodum ἁλιεύς, tum *errorem*, tum *erronem* denotat &c. Mimi siquidem dicuntur etiam poemata sine reuerentia lasciuiam imitantia, quod genus Latini planipedias appellarunt. Hoc itaque nomen ab imitatione impositum est; Quanuis enim non solus Mimus imitetur, solus nihilominus, quasi priuilegio quodam hoc sibi arrogat nomen; Non à quacunque tamen imitatione mimi nomen sumitur, sed vilium rerum, & leuium personarum. Mimus itaque dicitur ab imitando, non quasi solus imitetur, cum & alia quoque poemata idem faciant; sed solùm speciali quadam ratione, quod commune est, sibi vendicat; quo pacto etiam, qui versum facit, poeta dicitur, nimirum à faciendo, cum tamen artifices, qui æque etiam aliquid faciunt, poetæ minimè dicantur. Hæc autem imitatio, tum sermonis, tum factorum est, neque pudorem curat, dummodo risum moueat. Græcis autem mimus est. Μῖμος ἐστὶ μίμησις βίε, τὰ τε συγκεχωρημένα, καὶ ἀσυγχώρητα, περιέχων. *Mimus est imitatio, quæ concessa, quæque inconcessa, vitæ complectens.* Dicit etiã solet mimus cuiuslibet actionis imitatio risum prouocans, unde definitur. *Mimus est poema quoduis genus actionis imitans ita, ut ridiculum faciat.* Sed melius hoc modo. *Mimus est sermonis cuiuslibet, motûsque sine reuerentia, vel factorum turpium cum lasciuia, imitatio.*

Variæ mimi definitiones.

Mimorũ finis.

Mimorum finis erat idem, ac uniuersæ poeseos, nempe docere ac delectare. Docent utilibus vitæ sententijs; eoque magis, quo irrident improbos homines suis sallis dictis, quæ *Dicteria* nuncupari consueuerunt; in quibus nec magnatibus parcere solebant; & hunc in modum homines ad bonam frugem redigebant, quatenus eorum vitia exprobrando in causa erant, ut unusquisque à vitiis abhorreret, atque adeo virtutes amplecteretur; idcirco mimi mores hominum conformabant. Delectabant dictis ridiculis, & sæpè sæpiùs etiam verbis, vel gestis obscenis, non enim ab his abstinebant, unde *urbani*, ac

Mimorũ materia.

scurræ dicebantur. Eorum materies erant res, & personæ viles, dicta risu digna, immo etiam obscena, vel salsa & mordacitatis plena; sententiæ verò humanæ vitæ perutiles. Horum duo erant genera, alij siquidem mimi breuiores, qui in dicterijs tamen excedebant, itaut sæpe scurriles euaderent. Alij secus.

Magna mimorum apud Græcos varietas.

Magna quoque Mimorum apud Græcos erat varietas; nam præter illud discrimen, quòd alii essent breuiores, quique ludrica; & alii essent longiores, modestiores, & argumenta dicebantur; multæ quoq; differentiæ erant, propterea quòd erant mimi, qui Autocabdali appellabantur, qui nempe hederâ coronati, incessuque tardo incedebant; & etiam tardo sermone utebantur. Alij erant Ithyphalli, qui personis ebriorum induebant, coronas gestabant, manicis violacei coloris, ac tunicis albo ad medium distinctis utebantur. His in usu erat se Tarentinorum amictu precingere, ex molliori lana contexto, qui usq; ad talos demittebatur. Iidem etiã cum per vestibulum ad orchestrę medium veniissent, ad theatrum conuersi loquebantur. Amplius alii erant Phallophori nuncupati; qui scilicet phallum sequentes canebant. Qui autem phallum gestabant, fulligine faciem obducti, rectà incedebant. Qui verò sequebantur, personati non erant, sed hederâ, serpyllo, acanthoque se tegebant. Coronati erant coronâ ex densis floribus, & hederâ confecta; per mediam orchestram in scenam, ubi aliqua modulati, saniorum instar obuium quemque deridebant. Alii tandem Lysiodi, & Magodi dicebantur; illi virili veste, hi autem muliebri utebantur.

Apud Latinos quoque fuit mimorum genus; dicebantur autem *Planipedes*; primitus enim ijs non erat aditus in orchestram, sed in plano, humilique loco versabantur. & inde orta est fabula *Planipedia*. Induebant vestem quadratam togamve virilem, unde reciniati dicebantur. Quia verò argumentum erat humile, personæ viles, & abiectæ, idcirco viliori operimenti genere, siue centunculis utebantur; centunculus porrò est parua vestis ex fragmentis varijs contexta. Sanniones mium rasis capitibus agebant, quæ alaparum contumelijs obiiciebant.

Apud Latinos etiam mimorum genus.

Atellanæ etiam fabulæ erant apud Romanos, quæ nimirùm linguę osca agebantur. Atellani dici etiam solebant exodiarij à fabulæ quidem exodio, in quo ad risum ciendum intrabant. Huiusmodi autem fabulæ iure Comoediæ satyricæ dici poterant, eò quòd utriusque naturam saperent; differrebant autem personis, nam Oscæ in his erant non Satyri, quod testatur Diomedes dicens: latina Atellana, à Græca Satyrica differt, quòd in Satyrica ferè Satyrorum personæ inducuntur, aut si quæ sunt ridiculæ similes Satyris; Autolicus Burris; in Atellana Oscæ personæ, ut Maccus. Atellanæ quoque à Mimis differebant eo nomine, quòd ioci exodij Atellanici non turpes nec obscæni, sed ingenui erant, & italicam grauitatem seruabant, ut non immeritò Atellanarum actores honestiori loco, quàm cæteri histriones haberentur. Personati autem huiusmodi actores dicebantur eò, quòd etsi displicuissent, non cogebantur in scena personas ponere. Atellanæ fabulæ scribebantur versu iambico, tùm trimetro, in quo plures pedes trisyllabi essent, tum tetrametro, brachycatalecto, qui trimetro breuem syllabam cum duobus longis adiungit.

Atellanæ fabulæ.

Pantonomi quoque erant, Pantomimus autem dicebatur *omnium imitator* velut ille, qui non modo res personasque viles imitatione sectaretur, sed omnia penitus comprehensis quoque Deorum factis, & heroum, ac Ducum gestis. Desaltabant veterum fabulas, nec solis pedibus imitabantur, sed corporis, & manuum præsertim gestu; non solùm actiones, sed etiam mores, & affectus exprimebant nullo cantore, vel alio quouis auxiliante; Pantomimis tamen adiungi consueuit chorus, ut ad eius cantum illi corporis motu conuenienti saltarent. Veste utebantur consentanea fabulæ, quam ipsi saltarent; sed hæc videri possunt apud alios.

Pantomimi.

SECTIO QVINTA.

De Epopœia.

HVcusque poesin dramaticam tractauimus, proximum est, ut de exegetica sermonem instituamus; huius non una est species, sed omnium princeps est Epopœia, quam idcirco primo loco tractandam suscipimus. Poesis hæc epica dicitur, à voce ἔπος, quæ quidem uniuersè, *verbum, locutionem*, & significat, unde Homerus ἐν ξάβδος τι ἔπος ἐρέω. *verbum dicam*, & ἐπαινίτης δ' ὦν τὸ ἔπος. *hunc versum laudabat*. Sed κατ' ἐξοχὴν per excellentiam de poetica elocutione dicitur, quæ præcipuè hexametrum carmen sibi vendicat, quo tale poema, heroum actiones imitans, conficitur. Vnde ex Eustathij

Odyss. ξ. Xenoph. l. 1. expæd.

hij sententia ἱστοριοδ. præcipua quadam significatione dicuntur, ὅτι ἐν τῷ ἑξαμέτρῳ τὸν ἥρωα ζῶντες, *qui carmine hexametro heroum res gestas tractant*. Hos autem poetas ex Tullio epicos appellare consueuimus.

Epopœia definiri solet hoc modo. *Epopœia est narratio continua rerum mirabilium, & nouitate illustrium, versu heroico descripta*. Melius tamen sic. *Epopœia est poesis carmine hexametro personarum illustrium, illustres actiones, illustri narrans oratione*. At Dionedi *Epos est carmen hexametrum, diuinarum rerum, & heroicarum, humanarumque comprehensio*. Sed accuratiùs hoc poema sequentem in modum definio. *Epopœia est imitatio per enarrationem metro factam, unius actionis, totius, & perfectæ, ab historica longè diuersam*. Hæc definitio sufficienter huiusmodi poeseos naturam declarat; Dicitur enim *Imitatio*, quoniam omnis poesis imitatio est. Dicitur. *Per enarrationem*, ut ab agente poesi, cuiusmodi est Tragoedia, & Comoedia, distinguatur. Dicitur *metro factam*, nempe solo, non adhibitâ simul saltatione, & harmoniâ ut distinguatur tum à Tragoedia, & Comoedia, tum etiam à Dithyrambica, & Nomica, quæ tribus utebantur instrumentis. Dicitur, *unius actionis*, nempe primariæ, quæ unius quoque personæ sit; quoniam si unam multarum personarum actionem complecteretur, aut multas multarum, aut multas unius, certè vitio non careret. Dicitur *totius* videlicet habentis principium, medium, & finem. Dicitur, *& perfectæ* puta non solùm unius & totius, sed etiam iustæ magnitudinis, adeo ut tanto tempore actio illa fieri potuisse videatur, & huiusmodi, ut omnibus perfectæ fabulæ conditionibus prædita sit; atque adeo debet esse admirabilis, implexa &c. & non episodica. Dicitur *ab historica longè diuersam*; nempè narratio Epopœiæ debet esse diuersa ab ea, quæ propria est historiæ; de qua differentia suo loco locuti sumus.

Magis elaborata. Epopœiæ definitio.

Epopœiæ materia continet, tum personas, tum res. Personæ, ut non semel dictum fuit, sunt grandes, & illustres; ut *Heroes, Reges, Duces, & aliquando etiam Dij*. Res sunt itidem graues, cuiusmodi sunt *Bella*; quò pertinet illud Lyrici.

Materia Epopœiæ continet res, & personas.

Hor in ar.

Res gestæ, regumque, ducumque, & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

Non sic autem Epopœia personas requirit illustres, summisque prærogatiuis insignitas, ut tenuioribus, nempè militibus, nautis, aurigis, & artificibus neglectis, illustres dumtaxat admittat; actiones enim hominum imitatur, quæ nonnisi pro conditione humanæ societatis exerceri possunt; at humana societas hæc diuersa personarum genera exposcit. Quæ autem de personis, de rebus etiam intelligenda volumus, adeò ut Epopœia res quoque minores admittat, cæterum dum de tenuioribus personis agit, earum solùm, quæ præclariora sunt munia, ac opera exponere, & prout rei conditio patitur, huiusmodi personas debet attollere.

Epopœiæ forma imitatione, metroque cõtinetur.

Epopœiæ forma in imitatione, metroque consistit; de imitatione suo loco egimus: de metro nil aliud dicendum occurrit, præter hactenùs de eodem tradita, nisi hexametrum esse debere, quod non sic est huius poematis proprium, ut aliis poeseos speciebus conuenire non possit, quandoquidem rebus bucolicis, rusticis, & naturalibus: insuper epistolis, epitalamijs, genethliacis, satyris, epigrammatis apprimè congruit, licèt heroicis gestis exponendis speciali quadam ratione accommodatum esse videatur, unde & heroicum carmen dici solet; & certè, si metrum rei de qua agitur consentaneum esse debet, nulli dubium quin heroum gesta Deorumque concilia hoc omninò carminis genere exponenda sint; ut enim in humanis rebus, nihil est grauius, nihilque præstantius ijs quæ proximè diximus: ita in metris nullum grauius nullumque sublimius, quàm hexametrum, ut propterea hôc rebus commemoratis exponendis nullum accommodatius existimari possit.

Conuenientia Epopœiæ cum Tragœdiæ. Ari. in arte poet. part.

Epopœia, & Tragoedia pluribus inter se conueniunt, adeò ut Stagirites aliquando dixerit. Μέρη δέ ἐστι τὰ μὲν τοιαῦτα, τὰ δὲ ἴδια τῆς τραγῳδίας· διόπερ ὅσοι τυγχάνουσιν ἐν τραγῳδίας εἰδέναι καλοκἀγαθίας ἢ φαύλης, ὁμοίως ἔχουσι καὶ περὶ τῶν, ἃ μὲν γὰρ ἐποποιΐα ἔχει, ὑπάρχει τῇ τραγῳδίᾳ ἃ δὲ αὐτῇ, οὐ πάντα ἐν τῇ ἐποποιΐᾳ. *Partes autem quædam eædem sunt, quædam propriæ Tragœdiæ. Quamobrem quicumque cognitionem habuerit Tragœdiæ bonæ, & malæ, habuerit etiam Epicorum. Quæ enim Epopœia habet insunt in Tragœdia. Quæ verò ipsa, non omninò in Epopœia*. Tametsi autem Epopoeia cum Tragoedia conueniat, & utraque grauiora, & præstantiora imitetur; humiliora, ac leuiora Comoediæ relinquens, & in affectibus pariter, itemque constitutione; plurimùm tamen inter se discriminantur. Tùm quia Epopoeia in sola narratione consistit, sed Tragoedia poema dramaticum est, quo alterius personæ sermo refertur, & res actione representantur ut geruntur. Tùm quia Epopoeia fabulam duntaxat; mores, dictionem, & sententiam: at verò Tragoedia præter iam quatuor commemorata, etiam apparatum, ac modulationem exigit; Tum etiam quia in Epopoeia licet admiranda quædam, & sapientum calculo incredibilia, fingere; in Tragoedia verò non item, quoniam in illa hæc omnia solùm narrantur, sed in Tragoedia narrantur, & aguntur; Tum tandem quia Epopoeia multarum, ac variarum actionum est imitatio, quanuis una tantùm earum princeps esse debeat; reliquis ad eam ordinem tamen habentibus; at verò Tragœdia unicam tantùm actionem imitatur, ita tamen, ut illam abundè copioseque tractet.

Hexametri carminis genus adeò antiquum est, ut natale suum ante bellum Troianum agnoscat Herodoto teste, eiusque auctor è quorumdam sententia est Phanothea, etsi aliquibus visus sit Themis: aliis verò Phemonoe; Plinius tamen metrum hoc Pythio Oraculo acceptum refert; hoc idem affirmat Pausanias, immò & omnes qui præclarum hoc inuentum Phemonoe tribuendum existimant; hæc Apollinis enim sacerdos, ac prophæta habita est; Phemonoe siquidem Sibyllæ nomen est, de qua Pausanias loquitur dicens, *quòd Apollinis Delphici vates prima fuisse dicatur, carmenque heroicum inuenisse*; Vnde Statius.

Hexametri carminis antiquitas.

In photicis.

Lib. 2. Syl.

Refertque arcana pudicos
Phemonoe fontes.

Et Strabo etiam hoc idem testatur, dicens, πρώτην δὲ φημονόην φασὶ ᾆσαι χρησμοὺς πυθίους. *Pythiam primam fuisse aiunt Phemonoen*. Primusque versus ab ea profusus perhibetur hic.

Συμφέρτε πτέρα τ' ὀτρηρὰ, κηρόπτε μέλισσαι.

Cuius sententia latinè reddita hæc est.

Ferte & aues, alas, & apes, superaddite ceram.

At Clemens Alexandrinus non tàm eam Heroici carminis inuentricem, quàm primam huiusmodi carmine vaticinatam putat. Hoc eodem nomine à Lucano appellatur illa sacerdos, quæ Appio Delphis responsa dabat. Sed hæc de Epopœia quatenùs metrum respicit; at si spectemus eamdem prout heroum gesta narratione fabulosâ imitatur, haud facilè possumus

Digitized by Google

sumus auctorem eius inuenire, licèt constanter asserere possimus Homerum Epicorum esse coriphęum, quanuis non primus de Diis fabulosa comentus fuerit, sed ab antiquioribus ea quidem acceperit vel si qua adiecerit, adiecit autem, ut constat, profectò nonnisi ea, quæ priùs iam inuentis consenserint; poetas igitur, qui Epici nomen possunt sibi iure vendicare, ferunt primo quidem loco Hamerũ, deinde reliquos Hesiodum, Panyasin, Atimachum, & Pisandrum fuisse; adeo ut quinario numero comprehendantur, quibus ex Latinis respondere volunt Virgilium, Lucanum, Silium italicum, Statium, & Valerium Flaccum. Sed oppositionem hanc ineptè admodum institutam fuisse quisque ni fallor intelliget aduertens aliquem ex commemoratis nimirùm Lucanum, & Silium historici potiùs quàm poetæ nomen arrogare sibi posse; nec deesse quempiam ex poetis reliquis Latinis, cui non iniuria poetę nomẽ congrueret. Ex Latinis antiquitùs hoc metri genere Liuius Andronicus usus est. Sed longè maiori cum Laude Ennius, cuius M. Tullius, & Horatius non rarò meminerunt: postea verò inter Epicos Virgilius, tantum extulit caput. *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Quis ex latinis primus hexametro usus fuerit

Partes epici poematis.

Epici poematis tres tam à Græcis, quàm à Latinis assignari solent partes. *Propositio*, *Inuocatio*, & *Narratio*. *Propositio* solùm primariam actionem exprimit; nam Epicus quanuis multas actiones tractet, una tamen est, à qua tanquam principe poema suam recipit unitatem, reliquæ verò considerantur per ordinem ad illam, ut ob id earum multitudo unitati non officiat, eo vel maximè, quòd in episodiis, non autem in fabula considerantur, quo Poeta differt ab Historico, ut aliàs aduertimus; hic enim plures actiones plurium personarum, vel etiam unius, non per ordinem ad unum finem, neque plures illas ad unicam principem referens tractat; sed plures citra unius vel plurium dependentiam ab una considerat. Epicus igitur unicam actionem proponit; sed non eodem modo semper exorditur: nam aliquando inuocationem à propositione nõ distinguit, ut Homerus, qui Iliadem exorditur inuocando nempè Μῆνιν ἀειδὲ θεὰ &c. & Odysseam proponendo, puta Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα &c. Sed Virgilius scitè admodum propositionem ab inuocatione distinguit; proponit enim dicendo.

Arma virumq; cano Troiæ qui primus ab oris.
Italiam fato profugus, lauinaque venit
Littora.

Homerus benevolum auditorem inuocatione Dearum, & attentum propositâ rerum magnitudine, docilemque summa celeriter comprehensa facit. Virgilius sua in propositione docilem reddit auditorem, cum Æneam patriâ in Italiam profugum: attentum verò amplificatione laborum, terrâ, marique reddit; deinde à propositione ad musarum inuocationem gradum facit, dum paulò post ait.

Musa mihi causas memora, quo numine læso,
Quidue dolens Regina Deum, tot voluere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit.

Vt nimirùm earum opitulatione, & auctoritate res gestas narranti sibi fidem conciliet; Musas enim, & Apollinem vatibus præsidere nemo est, quin fateatur; Virgilium porrò imitatus est Torquatus Tassus, qui primò præmittit propositionem italicè canens.

Canto l' armi pietose, e il Capitano,
Che 'l gran sepolcro liberò di Christo
Molt' egl' oprò col senno, e con la mano
Molto soffrì nel glorioso acquisto,
E in van l' inferno, ve s' oppose, e in vanno
S' armò d' Asia, e di Libia il popol misto
Che fauorillo il Ciel, e sotto à i santi
Segni, ridusse i suoi compagni erranti.

Mox verò ad inuocationem descendit, dicens.

O Musa tu che di caduchi allori
Non circondi la fronte in Helicona
Ma sù nel Cielo infra i beati chori
Hai di stelle immortali aurea corona
Tu spira al petto mio celest' ardori
Tu rischiara il mio canto, e tu perdona
S' intesso fregi al ver, s' adorno in parte
D' altri diletti, che de tuoi le carte.

Persona de qua disserendum non est nominatim proponenda.

In propositione nominatim exprimere personam de qua agendum, huius artis magistri detestantur, cum ipsis potius arrideat illam prudenter circumscribere, vel patronymico uti, vel proprio, & patronymico simul, quod poetæ faciendum citra iactantiam; quanuis ei quandoque liceat auspicari poenta ab eo, quod ad se pertinet. Nõ rarò propositioni aliquid subiungitur, quod etsi minus ad propositionem faciat, ad gratiam tamen, vel principis, vel populi compãrandam haud mediocriter conducit. Itaque Græci ab inuocatione exordium sumunt: sed Latini à propositione, cui mox inuocationem subiiciunt: inuocatio tamen alterutro modo perneccessaria est, sic enim poeta benevolentiam sibi pietate conciliat maiestateque numinis implorati summam operi auctoritatem comparat. Moris autem erat apud veteres inuocare Iouem, vel Apollinem, aut Musas, & ex his præsertim Calliopen, siue Calliopeiam sic dictam à bonitate vocis, quam forsan inuocabant, quoniam.

Carmina Calliope libris heroica mandat. Virgilius.

Quod non solùm initio poematis semel id faciunt, sed etiam iterum, ac sæpiùs alibi, si magnum illud fuerit: consueuerunt etiam alia inuocare numina, & sanè diuersa pro diuersitate eorum de quibus agitur, ita quidem Venerem cum de amoribus; Bacchum, & Cererem cum de agricultura disseritur. Nec minùs etiam in usu fuit inuocare aliquem Principem, puta Cæsarum temporibus unum ex ipsis, quod mirum esse non debet, quoniam antiquitas Cæsares tanquàm numina veneratur, credens cum Ioue habere diuisum imperium; nobis porrò, & Deum, & Christum, & Beatam Virginem, vel aliquem ex iis qui sunt sanctitate præclari, vel Principem quemdam excelsum, prout opus fuerit, licet inuocare.

Narratio epica qualis.

Hucusque de prima, & secunda Epici parte, videlicet propositione, & inuocatione verba fecimus, sequitur ordine tertia, nempè narratio, qua cuiusmodi sit in Epopœia, ex iis quę in uniuersum de fabula disputata sunt, perspectum satis esse potest: ibi namque diximus narrationem de iis esse debere, quæ fieri potuissent, cum tamen non ita fuerint, quod non sic accipias, nisi de Epopœia seuerè accepta sermo fiat, alioquin si poeta de rebus naturalibus, de agricultura, deq; aliis huiusmodi pangere carmina, vel si historici personam agere velit, utique debebit narrare ea, prout sunt vel fuerunt; & quanuis non dicat ea quæ contigerunt, sed uti fieri potuissent, adhuc veram actionem potest explicandam suscipere, si veris falsa plurima admisceat, cum satis superque sit id, quod in argumento præcipuum est, ex vero deductum fuisse; quandoquidem poetæ officium est, verè gesta in alias species obliquis figurationibus, cum aliquo tamen decore conuerta, traducere, historia enim epicis poetis pro argumento est, alioquin totum id quod refertur comminisci, mendacis potius

Digitized by Google

potius est, quàm poetæ. In primaria autem actione referenda, poeta non adeò de veritate debet esse sollicitus, ut velit eam sibi firma demõstratione constare; hoc enim Philosophi proprium, sed satis est eam prudentum sententiâ comprobari. In narrando non respicienda persona, quæ describitur, nec eius gesta particulatim exponenda, sed formanda est idæa viri præstantis, atque fingendum eum esse talem de quo agitur, curando, ut qualis initio, talis etiam deinceps appareat, iuxta illud.

Hor. in ar. *Si quid inexpertum scenæ committis, & audes*
Personam formare nouam, seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Actio tractanda qualis. Actio tractanda una sit princeps, cui non sic poeta debet alligatus esse, ut alias etiam narratione sua complecti non possit, sed ei solùm curandum, ut in nullius actionis consideratione versetur, quæ à primaria sit penitus disiuncta, neque cum illa connexionem aliquam habeat; cũ non enim ita fuerint omninò tractandæ sunt, ut rerum nouitate, varietateq; poematis amœnitas, atque iucunditas comparetur. Hoc autem in episodiis, ac digressionibus fieri debet, & de reliquis actionibus, iam statutâ primariâ, cogitandum; hoc autem præcipuè differt Tragœdia ab Epopœia, quòd illa pauca, at verò hæc multa, varia, ac longa episodia recipit, quæ eò erunt commendabiliora, quò ab antiquioribus rebus desumuntur, cum in Tragœdia à recentioribus deducantur. At in Epopœia admitti multa, longa, ac varia episodia non solùm Homeri, sed etiam Virgilij exemplo cuique potest esse manifestum; enimverò si Iliadem respicias, nullo negotio comperies actionem principem in unius anni gestis consistere, cum tamen episodiorum opitulatione, ad decennium extendatur, quod & in Odyssea non minùs constat, hoc idem in Virgiliana Æneide luculenter conspicitur, quandoquidem adeò episodijs abundat, ut eius secundus, ac tertius liber in his consumetur.

Epicæ narrationis præcipuæ dotes. Epicæ narrationis, ut etiam cuiuslibet alterius præcipuè quædam sunt dotes, quibus illa destituta cum fuerit, nullo erit loco, dotes autem sunt *breuitas, perspicuitas, & probabilitas*, è quibus primam etsi Epicus non multùm curet, duas tamen posteriores in delicijs habet; priorem tamen illam dotem, puta *breuitatem* non penitùs aspernatur, quanuis enim hoc poematis genus præfinita temporis mensura coherceri dedignetur, non propterea tamen Epico abutendum licentiâ est, quin potiùs curandum in primis, ut huiusmodi poematis magnitudo non maior sit, quàm quæ principium, finem, & quod interiectum est, unico intuitu videri permittit.

Dispositio epici poematis. Dispositio epicæ poeseos intelligitur ex dictis in uniuersum de dispositione fabulæ; ibi enim tradita, & dramati cuicumque, & Epopœiæ communia sunt. Itaque, ut ibi monuimus, non incipiendum ab ouo; iuxta illud.

Hor. in ar. *Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri.*
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secùs ac notas auditorem rapit.

Nimirum poeta festinat ad propositum scopum, & omissis rerum primordijs (hæc enim per ouum Lyricus intellexit, ex quorum enim uno excluſi sunt Pollux, & Helena: ex altero Castor, & Clytemnestra) perinde ac si nota essent, in res medias auditorem rapit, ita Lucanus, qui bellum ciuile scripturus, statim Cæsarem ad Rubiconis transitum apponit, ita ut hostis à Senatu iudicatus Rom. Ren.p. aggredi bello coactus esset; sed hoc idem ab Homero, & à Virgilio obseruatum fuisse adeò notum est, ut nihil supra quæ dum de fabula in uniuersum loqueremur, abundè notauimus, propterea ibi ea videnda relinquimus. Aliud etiam Epico præ oculis habendum, ne recto tramite narrationem ducat, alioquin tædio auditores afficiet, quod igitur pro principio sumitur, cuiusmodi est primaria actio, non est initio tractandum; præstat enim auditorem suspensum, & quasi captivum detinere, ut animo nimirum euoluat, quod nondum patet. Quod reliquum est poematis laudatur, si rerum nouitate fuerit interruptum, quæ tamen aut argumenti sint partes, aut ad ipsum aliquo modo pertineant.

An poema epi um oratione soluta cõtexi possit. De poematis Epici dictione, eamque multa tradi solent, quæ paucis complecti iuuabit, cum ex antea dictis non obscurè constent. Quæsitum est an poema Epicum oratione solutâ contexi possit; sed quid hac de re dicendum, superiùs ex Aristotele abundè satis explicatum fuit; ex eius autem sententiâ historicus, & poeta non eo nomine quod aut cum metro dicant, aut sine metro, inter se differunt, licet enim, quæ Herodoti, in metris ponere, & nihilominus historia quædam cum numero foret, non secus ac sine metris; sed in eo planè discrimen, quòd unus quidem facta dicit, alter verò qualia fieri debuissent. Carmen igitur poesin non constituit, sed imitatio; adhuc enim poesis sine illo constaret. Si tamen usum attendas, facilè dixeris carmine poema, de quo loquimur, esse cudendum; soluta enim oratione illud scribere communiter improbatur.

Qualis elocutio epici poematis. Qualis autem sit elocutio in hoc poematis genere neminem præterit; Epicum enim carmen verborum grauitatem requirit, ut rerum, de quibus agit, magnitudinem adæquet, unde est, ut scatere debeat sententiis illustribus, verbisque translatis; hoc enim eius maiestati congruit, quam etiam eo magis poeta consequetur si peregrinis verbis utatur, ut suo loco monuimus, quòd Homero familiare fuisse, Plutarchus testatur lib. de vita ipsius. In elocutionis ornatu præcipuè tunc laborandum, cum res tenues, ac exiles fuerint, quod ab Aristotele didicimus, cum dicat. τῇ δὲ λέξει δεῖ διαπονῆσαι ἐν τοῖς ἀργοῖς μέρεσι, καὶ ἠθικοῖς, μήτε διανοητικοῖς. *Dictionem esse perpolitam oportet, si res langueant, exilesq; fuerint: nõ autem in moratis, nec iis, quæ argumentis, ac sensu abundant*; quod ratione ductus pronunciauit, quam explicat dum subdit, λαμπρὰν γὰρ οὖσαν πάλιν ἀλαμπεῖ λέξις τὰ τοιαῦτα, καὶ τὰς διανοίας. *Nam nimis splendida dictio mores, & sensus offuscare solet*. Sed in his habendus est modus, & curandum ne animo excidat celebre illud, *Ne quid nimis*.

Epopœiæ compositio qualis. Epopœiæ conſideranda est quoque σύνταξις *constructio*, vel si mauis σύνθεσις, *compositio*; in qua illud præcipuum est, ut ordo suo loco explicatus, omnino seruetur, adeo ut in structura poematis, quæ priora sunt, prius, quæ posteriora, posteriùs tractentur, atque adeo partes componantur tunc eâ lege seruatâ, quam decens ordo requirit.

Quid ad compositionis elegantiam faciat. Ad elegantiam compositionis plurimùm facit eorum, ac periodorum decora quædam inæqualitas, proinde metri quidem æquabilitas fugienda, velut illa, quæ impedit quo minus oratio hinc soluta, hinc carminibus illigata, insurgat, ac intumescat. Dactylus celeritati, Spondeus tarditati describendæ accommodatus est. Spondei quoque non parum ad personæ grauitatem, auctoritatem, ac maiestatem exprimendam valent; quemadmodum etiam ad affectuum magnitudinem, & ad rerum inopinatum euentum declarandum in primis conducunt. Quantus

Digitized by Google

tuis autem inæqualitas prædicta, momenti plurimum ad orationis venustatem, eiusdemque decorum habeat, non in ea tamen sunt omnia, cum summoperè curandum sit, ut literarum nexus, pedumq; dimensio sic rebus accommodetur, ut ipsę potius agi, quàm dici, spectarique magis, quàm audiri videantur, qua in re hypotyposeos leges adiumento nobis esse possunt. Artificium hoc præsertim in quarundam vocum usu consistit; nonnullæ nanque sunt voces rebus aliquibus exprimendis accommodatæ, cum tamen ad res alias exprimendas idoneæ non sint.

Ita quidem Virgilius numeris quodammodo ob oculos Neptuni laborem ponit, dum canit.

Virgil. 1. Æneid. *Neptunus muros, magnoque emota tridenti*
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit.

Nec dissimili artificio oculis furorem equitum exponit canens.

Oct Æn. *& agmine facto*
Quadrupedante, putrem sonitu quatit ungula campum.

Et italicè ille præcipitem equitem ex equo repræsentat,

Non cadde nò, precipitò di sella.

Alia etiam innumera suppetunt exempla à quibus lubens, ac libens brevitatis gratia abstineo.

Adnotatio. De epicorum cantu nihil peculiare dicendum occurrit; solum adnotandum antiquitus à poetis non solum propria, sed aliena quoque poemata cani consuevisse, quod voce tantùm, nullo adhibito sono faciebant; hac tamen tempestate tam id ab usu remotum est, quàm quòd remotissimum; quinamque potest vatis nomen quodammodò sibi vendicare, propria carmina, & multò magis aliena canere dedignatur, cum id histrionis esse munus existimetur; horum enim quisque tanti se facit, ut quæ poemata pangit, non tam cantu, quàm typis digna esse arbitretur.

SECTIO SEXTA.

De carmine Bucolico, Satyricoromano, Elegiaco, aliisque poeseos speciebus.

Poemata quædam ad Epicum quodammodo revocata. EPicum poema cuiusmodi sit, hactenus explicatum à nobis fuit, alia tamen non desunt, quæ ad ipsum revocari commodè possunt, videlicet poema sive carmen Bucolicum, Satyricoromanum, & Elegiacum, quibus etsi minus propriè nomen prædictum conveniat, aliquo tamen modo ipsis congruere non inficiandum.

Bucolicæ poesis unde dicta. Ex his porrò Bucolicum carmen primò sese considerandum offert. Bucolica poesis dicta est ἀπὸ τῶν Βουκόλων, *à custodia boum*. Boues enim apud rusticos animalia præcipua sunt. At huius carminis origo varia; quandoquidem plerique crediderunt eo tempore quo Xerses Persarum rex Græciam invasit, cum omnes intra muros in occulto iacerent, nec possent de more sacra Dianæ persolvere, pervenisse ad montes Laconas rusticos, & in eius honorem hymnos cecinisse. Aliis placuit consilium dicentium Orestem, cum Dianæ Phatelitidis simulacrum, raptum ex Scythia adveheret, & ad Siciliam esset tempestate delatus, anno completo Dianæ festum hymnis celebrasse suis collectis nautis, quibusdamque pastoribus convocatis, exinde verò consuetudinem apud rusticos permansisse. Alii non Dianæ, sed Apollini Nomio consecratum Bucolicum carmen esse volunt, quo tempore Adracti Regis armenta pavit Apollo, adeo ut ab hoc numine illud recognoscendum existiment, cum propè Amphrysum pecus commemorati regis pasceret, unde *Nomium* appellatum opinantur. Alii à Mercurio inventum credunt. Alii à Pane, de quo Virgilius.

Eglogæ. *Pane primus calamos cerâ coniungere plures*
Instituit.

Alii alia dicunt, nimirum rusticis numinibus, à pastoribus dictum fuisse. Sed his tanquam fabulosis, omissis; solùm addendum communi consensu sapientum esse receptum Daphnim, Mercurii, & Nimphæ filium, & à Nimphis pariter educatum, fuisse in Sicilia pastorem, & musicum eximium, & ab hoc Bucolicum poema ortum habuisse. Hæc poesis similis est Comœdiæ, quoniam utraque vitam humanam imitatur; sed ab eadem differt, quòd Comœdia vitam urbanam; sed Bucolica vitam rusticam imitatur, quam plerique degunt; præsertim tamen aratores hęc poesis in scenam inducit, eo nomine, quòd ob solitudinem, ac otium, hi maximè contemplandæ naturæ sunt intenti, simplicioriq; sunt indolis, tamquàm à communi hominum commercio remoti, ut propterea hoc genere carminis lætentur.

Divisio bucolici poematis in Narrativum, Activum & Mixtum. Diuidi etiam solet hoc poema in *Narrativum*, *Activum*, & *Mixtum*, quæ divisio intelligenda iuxta ea quæ de poemate in universum diximus.

Quoniam autem in hoc poemate rusticæ sunt personæ, idcircò ipsis nonnisi nomina, à rebus pastoralibus, ac rusticis imponuntur, utque personæ rusticæ sunt, ita etiam, & res de quibus in hoc poemate agitur.

Triplex elocutionis character. Et quia tres sunt elocutionis characteres, nimirum *Humilis*, *Medius*, *Grandiloquus*, ex his Bucolico carmini primus tantummodo congruit, quanuis aliquando etiam assurgat.

Metrum huic poemati accommodatum. Metrum huic carmini accommodatum est hexametrum, eò quòd narrationi sit aptum, & actioni non penitùs ineptum, nisi nimium se efferat; minutiora verò de huius poematis carminibus eudendis apud alios videantur.

Instrumentum musicum huius poematis quale. Instrumentum musicum ad hoc canendum carmen, fistula erat, quæ græcè dicitur σύριγξ.

Scena huius poematis quale. Scena in quam Poetæ Bucolici solebant pastores inducere agentes, & dicentes, erat arboribus, mappalijs aliisque generis eiusdem constructa.

Ecloga quid. Ecloga etiam hoc poematis genus appellari solet. Ecloga verò dicitur electio, ac explicatio, ab ἐκλέγω *eligo*, dici etiam potest colloquium; si autem scribatur *Æcloga* idem est, ac sermo de capris, quæ græcis αἶγες; hoc loco Ecloga est brevis quadam imitatio pastorali carmine facta; plerumque in Ecloga unus est, qui loquitur, quandoque dialogo quidem instituitur.

Satyricoromanum poema. De Satyricoromano carmine disputandum sequitur. Satyra Romana unde dicatur, non planè constat; duæ autem præcipuæ hac in re sententiæ sunt, prima est existimantium sic appellari à Satyris, eò quòd similis sit satyricæ poesi, ac Sillis, eò vel maximè quòd singularis est Romanæ satyræ cum Satyrico poemate Sillis, & Comœdia veteri convenientia; nam his omnibus commune est hominum vitia insectari, at verò ex tribus commemoratis poesis Satyrica, & Vetus comœdia poemata erant dramatica, Silli autem non item: unde est, ut cum his Satyra Romana præcipuam habeat affinitatem. Secunda de hac etymologia opinio est asserentium poesin hanc à saturitate dici, quatenus saturitas quamdam rerum miscelam significat, & varium argumentum denotat; undecumque Satyra dicatur, nostra nihil interest, cum solùm

Digitized by Google

lùm intenti simus ad eius indolem explicandam, quæ profectò manifesta fiet, siue ab uno, siue ab alio capite ex duobus recensitis ipsius desumatur nomenclatura.

Satyræ bipartita diuisio in veterem, & nouam.

At verò Satyra, de qua sit sermo, bipartitò diuisa fuit, nimirum in *Veterem*, siue *Extemporalem*, & *Nouam*. Prior utique initio erat sine carmine, & sine actionis artificio sermo quidam inter plures, qui se mutuis conuiciis infectarentur; postea hoc idem carminibus explicare cæperunt, voce, ac gestu etiam adhibito, qui cum in contumeliis modum excederent, Satyram pepererunt, quæ nil aliud erat, quàm extemporale quoddam poema, quod solùm usque ad tempora Liuii Andronici durauit, taleque poema Satyra vetus appellatur, explosa ab eodem Andronico, qui ab huiusmodi Satyra ad fabularum argumenta, spectantium animos transtulisse dicitur; fabulæ autem argumentum appellatur plurium actionum series, cum scilicet actiones plures, ita sunt inuicem connexæ, ut ex iis fabula una fieri possit.

Satyra vetus.

Fabulæ argumentū quid.

Noua Satyra,

Vetus hæc Satyra cum exoleuisset, cæpit altera, quæ nil aliud erat, quàm carmen maledicum instar veteris Comœdiæ, alios, extra tamen scenam siue theatrum, irridens, quæ Lucilio accepta referri solet; nouaque satyra nuncupatur. Definitaque fuit à Diomede Satyra est carmen apud Romanos (non quidem apud Græcos) maledicum, & ad carpenda hominum vitia, Archeæ comœdiæ charactere, compositum.

Subiecta materies huius Satyræ.

Huius Satyræ subiecta materies est hominum vitia; hæc enim Satyra per se respicit; etsi quodammodo etiam virtutes attingat; non propterea tamen quæcumque vitia in crimen vocat; sed ea, quibus homines ridiculi fiunt, nec tàm increpat generatim, quàm singulatim; nec tam vitia præteriti, quàm præsentis temporis culpat, & quo id occultiùs facit, eo etiam Satyræ accommodatiùs, in quo Persius laudibus Horatium prosequitur canens

Persius Satyra 1.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

Modus quo Satyricus uti debet.

Non igitur quouis modo Satyricus potest finem, videlicet morum emendationem adipisci, nisi enim utatur illo, qui ad huiusmodi finis consecutionem oprimè conducit; oleum, & operam perdet; modus autem idoneus est, φιλολοιδορία, nempè *sermo cum risu alios incessens*; hoc est dicacitas, & lepos; Satyricus itaque sermonis utatur genere oportet, cuius forma sit ludus, siue iocus salsus, ac mordax; ad quæ respexit ille, dum cecinit.

Persius Satyra 5.

Pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

Nempè Satyricus in eo doctus esse debet, ut virtutem, & sapientiam, eiusque maiestatem laudibus efferat; hominum mores prauos, & ob malam conscientiam pallentes, ac trepidantes radat, siue perstringat, & ingenuo ludo aliorum culpam, atque crimina, non petulanter, & rusticè, quin potius ingenuo, liberali, ac vrbano ioco salibusque defigat, ac notet, qua ridens, atque ludens vitia carpat; hoc autem non melius poeta Satyricus præstabit, quàm si utatur sermone, in quo vel acrimoniâ, & dicacitas, vel festiuitas, & urbanitas viget; his enim ingenuus redditur ludus, nam acrimonia, & dicacitas vehementius animos ferunt; festiuitas, & urbanitas blandiuntur impensius. In iocis habendus modus, ne urbanitas in scurilitatem facessat.

Romanæ satyræ.

Romanæ Satyræ metrum optimum censetur hexametrum, dictio pedestris, & velut extemporalis, & non multùm à familiari sermone recedens; non enim debet ornatum sectari, sed verba propria, ac dominantia adhibere quò spectat illud Lyrici.

Hor. in ar.

Non ego inornata, & dominantia nomina solùm;
Verbaque Pisones Satyrorum scriptor amabo.

Non solùm ornatum sermonis decet Satyricum omittere, sed etiam numeros negligere, quibus alioquin in Epopœia, & Tragœdia uti poetæ conuenit.

Tractationis ordo postulat, ut de Elegiaco carmine disputemus; nam Elegia priorem versum hexametrum habet, etsi alterum non item; at hactenus poemata explicuimus, quæ hexametro carmine creduntur.

Tractationis ordo postulat, ut de Elegiaco carmine disseratur.

De Elegia porrò nobis disputaturis primò considerandum occurit nomen, ἐλεγεία, *Elegia*, quod latinè sonat carmen miserabile, ab ἐλεέω *misereor*, quod hoc præsertim genere carminis miserabiles hominum calamitates, & amoris querimoniæ decantari soleant. Huius carminis auctor non planè constat, idcircò Lyricus cecinit.

Vnde Elegiæ nomē.

Hor. in ar.

Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.

A quibus hoc genus carminis inuentū.

Duo perhibentur, quibus Elegia, si non accepta referri debet, saltem de illa sunt optimè meriti, nempè Callinus, & Mimnermus, quibus deinde proximi fuerunt Callimachus, Cyrenæus, & Phileta Cous; quanuis hoc non omnibus probetur, sed hæc missa faciamus; satis illud est exploratum è Latinis hoc genere poseos plurimum excelluisse Tibullum, Propertium, Ouidium; immò Ouidius hoc de se ipso testatur dicens

Qui plurimùm in hoc carmine excelluerint.

Ouid. 1. lib. de remedio amoris.

Tantùm se nobis elegi debere fatentur
Quantùm Virgilio nobile debet opus.

Quibus in rebus poetæ usi hoc carmine sint.

Tametsi autem hoc genere carminis poetæ sint usi, in rebus funebribus, atque lugubribus, & in querimoniis amantium, postea tamen eadem carmina ad exprimendam lætitiam usurparunt, ut Lyricus testatur canens

Hor. in ar.

Versibus impariter iunctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Quibus rebus hoc carminis genus cōueniat, & quibus non.

Immò non solum ad amores, sed etiam ad alia carmen elegiacum extensum est, licet non ad res sublimes, quibus heroica debetur maiestas, sed ad ea quæ mediocria sunt.

Elegia solet initium ducere à sermone ad mortuum, aut parentes, aut fratres &c. vel etiam ab aliquo numine, & à vario quidem, pro cuiusque vitæ conditione.

Elegiaci carminis præstantia tribus continetur, nempè natiuâ quâdam elegantiâ, & munditiâ: deinde molli, ac æquabili dictione: tandem suauitate, quæ decorum, ac delicatum poema reddit.

Conditiones huius poematis præcipuæ.

Illud obseruant huius artis magistri, nempè solitum esse carmen hoc, de quo loquimur, distico sententiam absoluere, quod tamen perpetuò verum non est; Illud amplius addunt potius dactylum esse præmittendum, quàm spondæum, si initio pentametri tam possit esse dactylus sequente spondæo, quàm spondæus sequente dactylo. Addunt disyllabo ut plurimùm terminari, rarius tetrasyllabo, aut pentasyllabo, at vix trisyllabo, & melius esse versum desinere in nomen substantivum, quàm adiectivum, vel pronomen, vel participium.

Adnotatio

Sequitur poema Lyricum, quod & Melicum appellatur; Melici autem vocantur poetæ, quia μέλος canerent; at verò μέλος idem est ac carmen; præcipuâ tamen ratione ad carmen Lyricum restringitur, alioquin vox illa *membrum* significat, sed quodlibet carmen ratione harmonicæ dimensionis membratim diuiditur, quia tamen in carmine Lyrico maximè habenda

Poema Lyricum quomodo se habeat.

Melos quid significet.

benda est harmoniæ ratio, ut pulsarum fidium concentui conueniat; idcircò par erat Lyricum carmen nomen illud sibi vendicare, adeò ut μέλος appellaretur. Huiusmodi verò carmen non ideò Lyricum dictum fuit, quia semper ad lyram caneretur, nam duplicia erant instrumenta, quibus carmen hoc cani solebat, alia namque flatu complebantur, ut Tibia, & Fistula; alia intendebantur neruis, ut Lyra, & Cithara, & iuxta hoc duplex instrumentorum genus, duplices etiam erant poetæ Melici, quorum alii Tibicines, alii Fidicines appellabantur. Tibiæ autem ex calamo, ære, loto, buxo, cornu, vel osse cerui, & lauri ramo excauato fieri solebant. Tibiarum verò varia erant genera, nempè praecentoria, puellaria, vasca, lydia, gingrina, & etiam alia, sed non solum Tibiæ erat usus in melicis, sed etiam in aliis poematum generibus. Erant quoq; carmina, quæ ad Tibiam cani solebant, & alia quæ ad Citharam, & Lyram.

Cur præcipuè carmen hoc Melicum appelletur

Duplex horum poetarum genus.

Tibiarum varia genera.

Materia Lyrici carminis, quæ

Materia Lyrici carminis ampla erat; ad hanc enim pertinent hymni, & pœnes, insuper, & laudes heroum, & eorum qui sacris vicerint ludis, quibus addi possunt ij, qui Martirij palmam meruerunt; eâdem materiâ comprehenduntur exortationes ad virtutem, & vituperatio vitiorum, atque scelestium hominum: ad eamdem itidem spectat, montium fluminum, fontium, villarum, ædium, aliarumque similium laus vel vituperatio: sic etiam & amatoria conuiuia, & id genus alia, quæ iocosa sunt. Atque demum pertinent, vota, præces, querimoniæ, iurgia, & alia omnia, quæ lyricis numeris comprehendi possunt; omnia tamen ad tria capita reuocare licet, puta, *Laudativum*, *Exornativum*, & *Iudiciale*. Alijs placuit quadripartita diuisio eorum, quæ ad melicos pertinent, eaque quadripartita est, prout ad quatuor referri possunt, nimirùm vel ad Deos, vel ad homines, vel ad Deos pariter & homines, vel ad fortuitos rerum euentus.

Hæc ad tria capita reuocãtur

Quadripartita diuisio eorum, quæ ad melicos pertinent.

Melicorũ primum genus refertur ad Deos cuiusmodi sunt, hymni qui cantus est in laudem alicuius præsertim Dei, dicitur enim ὑμνὸς ὑπὲρ θεῶν *carmen in Deum*, *Prosodium*, quod est cantus, qui Dijs canitur ante chori ingressum. *Dityrambus*; (hic enim à quibusdam sub lyrico comprehendi solet) est poesis qua Bacchum celebrabant Bacchico furore concitati, *Pæan*, poesis erat in honorem Apollinis, *Nomos* poesis est à pæane eo nomine tantùm differens, quod illa erat poesis, quæ canebatur ad extinguendum malum, hæc autem simpliciter ad commendandum Apollinem. *Adonidia* erat in honorem Adonidis. *Io Bacchus* in festis, & sacrificiis Bachi canebatur, repetendo sæpè has voces *Io*, & *Bacche*, *Hyporchema* canebatur cum saltibus.

Melicorũ primum genus.

Hymnus.

Prosodiũ.

Dityrambus.

Pæan.

Nomos.

Adonidia.

Io Bacchus.

Hyporchema.

Secundum Melicorum genus pertinet ad homines, puta *Encomia*, & sunt quibus laudes alicuius referuntur. *Epinicij* sunt quibus victoriæ laudes celebrantur, & erant carmina, quæ inter pocula in virorum præstantium laudem cani solebant. *Himenæus* poesis est, quæ in nuptiis canebatur; *Silli* poesis erat, conuicia, & irrisiones continens. *Threnus*, & *Epicedium* ad mortuos referebantur; eò tamen differebant, quòd *Epicedium* cadauere posito in funeris concelebratione recitabatur: *Threnus* autem nullius temporis differentiæ adstringebatur.

Melicorũ secundum genus.

Encomia

Epinicii.

Himenæus.

Silli.

Threnus, Epicediũ

Tertium genus Melicorum non solùm ad Deos, sed etiam ad homines pertinet. Vt *Parthenia*, quæ poesis erat à choris Virginum usurpata. *Oschophorica*, dicebantur carmina, in quibus duo adolescentes Athenis muliebri cultu palmitem vuis maturis refertum gestantes, festum auspicari solebant, *Eutica*, siue precatoria, aut votiua, poesis erat, qua Deum quidpiam rogarent.

Tertium genus Melicorum.

Parthenia

Oschophorica.

Eutica.

Quartum genus ad fortuitos rerum euentus pertinet, ut *Pragmatica*, quæ res aliquorum gestas continet. *Emporica* sunt, ubi peregrinatio, & negotiatio conspicitur. *Apostolica*, dicuntur carmina, quæ scribuntur in gratiam eius, quem dimittimus, & alteri commendamus; *Gnomologica* sunt ea carmina, quæ de moribus admonitionem continent. *Georgica* in agri situ, habituque occupantur, *Epistaltica*, sunt carmina, quæ alicui dantur ad obeunda mandata; Hæc porrò sunt Lyrica carmina, & argumenta, in quibus illa versantur.

Quartum genus fortuitorum.

Apostolica.

Gnomologica.

Georgica

Epistaltica.

Lyrici carminis inuentum Orpheo tribui solet. Plerique apud Græcos in hoc genere carminis claruerunt, ut Stesichorus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcœus, Sappho, & Corinna. Sed apud Romanos unus Horatius omnem laudem occupauit. Primus fuit, ut ipse testatur de se ipso loquens, hoc modo.

Libera per vacuum posui vestigia princeps
Non aliena meo pressi pede.

Qua autem arte huiusmodi carmen tractari debeat, non obscurè constat exemplo eorum, qui in hoc poeseos genere claruerunt. Non eadem est omnibus carmen hoc scribendi ratio; plerique enim vix præfantur. Alii altiùs rem tractandam repetunt; hæc porrò Odis explicantur, est autem Oda nil aliud, quàm cantus, quo & diuersum, & idem quoque argumentum, aliâ tamen, ac aliâ ratione, tractamus. Ordo verò seruandus, non tam seuerus est, ut poetæ adimat facultatem vario modo explicandi, quæ sibi proposuit argumenta varia, ita ut ei permissum sit ab uno ad aliud gradum facere; immò non sine laude, quoniam hæc varietas plurimùm honestatis ac amœnitatis poemati conciliat, præsertim si per digressionem id fiat, vel per temporis anticipationem ducto exordio à præuisione eorum, quæ constat postea contigisse, vel per modum fabularem.

Quis lyrici carminis inuentor.

Apud Græcos qui in hoc carmine claruerint

Et qui apud Latinos.

Hor. lib. 1. Epi. 19.

Oda quid.

Hæc verò poeta, quanto breuius, & suauiùs tractauerit, tanto etiam maiorem laudem consequetur. Suauitatem porrò Lyricus, tùm ex rebus ipsis, quas tractat, tum ex dictione, tùm demum ex numero siue cantu consequitur. Res à quibus suauitas prouenit, sunt quæ iucunda existimantur, nimirùm amores, ioci, & si quæ sunt huius generis alia. Dictio etiam suauitatem parit, quando tàm verborum, quàm sententiarum luminibus nitet; proindeque verba sint florida, ac iucunda: sententiæ venustatem debent præseferre; nihil autem refert an apertis verbis efferantur, an eorumdem inuolucris tectæ pronuncientur. Numeris quoque colligetur suauitas quando metrum fuerit Lyricæ poesi consentaneum, sed hæc piget accuratius persequi, de his enim & aliis copiosè disputatum fuit.

Breuitas, & suauitas in huiusmodi carmine commendatur.

Præter lyricum carmen est etiam & Dithyrambicum, quod cum Lyrico summam habet affinitatem, sic autem appellatum fuit ab antiquis eo, quòd poesis hæc esset, quâ Bacchum, furore Bacchico concitati, celebrabant, ut superiùs quoque monuimus.

Carmen Dithyrambicum considerãdum proponitur.

Dithyrambici carminis auctor perhibetur, vel Arion Methymnæus, vel Philoxenus Cytherius; Initium eiusdem fuit in rusticorum conuiuiis, ac lusibus; itaut Dithyrambus inter pocula natale recognoscat suum; Ideo Dithyrambici Bacchum inuocabant, quare ut id cum magna hilaritate, ita non sine temulentia fiebat; Bacchi siquidem inuocatio aliter fieri non permittit. Sed Dithyrambici carminis talem fuisse, qualem nos diximus, ortum, verba illa testan-

Huius carminis auctor quis fuerit.

Proclus in Crestomatia.

Digitized by Google

testantur, Ἔοικε διὸ ὁ διθύραμβος ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων αὐλητῶν, καὶ τῶν ἐν τοῖς τόποις εὐφροσύνης, εὑρεθῆναι. *Dithyrambus videtur in rusticis lusibus, inter pocula, & hilaritates esse inuentus.*

Dictio poematis dithyrambici qualis Arist. lib. 3. Rhetor. ca. 3. alias 9.

Qualis porro Dithyrambis dictio conueniret, Stagirites non obscurè declarat dicens, Διὸ χρησιμώτατον ἡ διπλῆ λέξις τοῖς διθυραμβοποιοῖς. *Idcirco compositæ dictio maximè conducit dithyrambicis poetis.* Non modo vocabulorum compositione, sed longitudine, & nouitate gaudebant ii, qui hoc genus carminis tractabant; Immo in hoc carmine plerique recognoscunt, id quod in omni poesi fateamur oportet, cuiusmodi sunt *Sententia, Dictio, & Metrum*, ita tamen ut in Dithyrambici carminis sententia quidem audaciam, in verbis, nouitatem, in metro, numeros, qui leges transiliant, maximè commendent; Sed aliis dithyrambos placuit audaces appellari duntaxat ob vocabulorum nouitatem, legumque transgressionem, quibus metrum Poetæ adstringi voluerunt. Ipse autem crediderim Dithyrambos appellandos audaces esse, propter tria commemorata, quoniam in omnibus iis nihil prohibet audaciam reperiri; hæc enim tum in sententia, tum in verbis, tum in numeris adinueniri potest, nam illa nil aliud, *quàm securitas, quâ quis malum in aliquo genere, neque præsens, neque futurum horrescit*; at in poeseos genere, secundum tria commemorata potest securitas ista contingere; idcirco non ineptè dixeris, in iis omnibus audaciam inueniri posse.

Hoc genus carminis maximè apud vetustiores græcos in usu erat.

Carminis hoc genus à Græcis vetustioribus maximè fuit usurpatum, à Latinis non item. Qui autem eo utebantur, tibiis canebant, eò quòd earum sonus acrior sit ac vehementior. Imitabantur modum Phrygium, tamquàm concitatiorē, conuenientioremque Bacchi furore percitis, adeò ut Baccharum carmen æmularentur. Eorum præmium erat bos. Sed aliquid inter Dithyrambum & Nomū, discriminis ab aliquibus adnotatum fuit, nam ille furibundior est, hic verò lenior: ille numeris concitatioribus, hic remissioribus fertur: ille duplicia, hic verò simplicia verba usurpat: ille Phrygiâ, hic Lidiâ armoniâ perficitur: ille petulantiam, hic verò summissionem exhibet.

Qui hoc carmen canebant, quibus instrumentis utebantur.

Phallici, seu Ithyphallici.

A Dithyrambicis non multùm abeunt Phallici, cum utrumque carminis genus antiquissimum sit, & in honorem Bacchi cani consueuerit, quanuis adulatione Græcâ factum sit, ut in hominum honorem pariter canerentur, & in usu forent. Ex Dithyrambicis, Tragœdia, ex Phallicis, Comœdia ortum duxit. Non solùm autem dicebantur Phallici, sed Ithyphallici; his porrò nomen dedit antiquitas, quoniam in honorem Bacchi cum carminis hoc genus caneretur φαλλὸς, siue ἰθύφαλλος, perticæ quidem impositus gestabatur. Huius carminis metrum tribus Trocheis constabat, ei tamen Tetrametrum, Dactylum, vel Iambicum, Trimetrum, vel aliud huiusmodi præmitti solebat. Huiusmodi autem erat carmen Ithyphallicum Trochaicum. At præter Ithyphallicum Dactylum dabatur Tetrametrum, quod tribus Dactylis Iamboque constaret.

appellatur. Vnde sic

Supersunt Iambici, de quibus pauca dicam. Ἴαμβος appellatur ἀπὸ τοῦ ἰάπτειν, hoc est *conuiciari* seu *malè dicere*, sed Iamborum appellatione claudicans etiam Iambus intelligendus. Horum autem usus in conuiciando antiquissimus est, quanuis in hunc præcipuè choriambus adhibitus fuerit, deinde verò ad alios usus etiam in rebus iucundis ac iocosis usurpari consueuerit. Huiusmodi carminis auctor censetur Archilocus Parius poeta; cum enim ei Lycambes quidam filiam despondisset, deindè verò mutata voluntate denegasset, Iambicis versibus, quos tunc primùm iracundiâ vehementer acensus excogitauit, accerbissimè in patrem, & filiam inuectus est, at eò usque Lycambem hisce versibus commouit, ut se hic laqueo suspenderit, atque adeò ignominiosam mortem obierit; filia verò patris exemplum secuta, sibi mortis idem genus conscinit; hoc autem inuentum alij Ananiæ tribuerunt. Reuerâ tamen potius Archilocus huiusmodi carminis auctor existimandus, ita ut illud non solùm inuenerit sed etiam absoluerit, ut Paterculus & Fabius testantur; Paterculus enim summis laudibus Archilochum euehit, non solùm eo nomine, quòd carminis hoc genus inuenerit, sed quòd illud perfecerit; sic enim loquitur: *Neque quempiam aliud, cuius operis primus auctor fuit, in eo perfectissimum, præter Homerum, & Archilocum reperiemus.* Fabius etiam in eamdem sententiam scribit hoc modo: *itaque ex tribus receptis auctoribus Iamborum*, ad ἕξιν habitum, vel perfectionem *maximè pertinebit unus Archilocus.* Ex hoc eodem carmine Simonides, Amorginus vel Samius non paruæ laudis est consecutus. Horatius quanuis in carmine Iambico plures imitari studuerit, videlicet Pindarum, Alcæum, Saphum, Simonidem, Anacreontem; præcipuè tamen Archilocum sibi imitandum proposuit, eo quòd forsan hunc in huiusmodi carminis genere cæteris longè quidē antecellere arbitraretur; non tamen in omnibus, cum Archilochi solùm numeros, animosq; secutus sit, quod ex eodem Horatio colligitur, dum ait se primum apud Latinos hoc genere carminis fuisse usum, & Archilochi vestigia calcasse; sic enim loquitur

Parios ego primus Iambos
Ostendi latio, numeros, animosque secutus.
Archilochi.

Hor. lib. 1. Epist. 19. ad Mecœnatem.

At de his hactenus.

SECTIO SEPTIMA.

De Epigrammate, Epitaphio, & Elogio.

Quid Epigram. nomen significet.

EPigramma latinè redditur inscriptio, vel si magis, superscriptio, eam ob causam, quia soleret inscribi, vel apponi muris, ædificiis, columnis, statuis, trophæis, clypeis, & aliis huiusmodi. Nomen autem deducitur à verbo ἐπιγράφω, quod ex ἐπὶ, *super*, & γράφω, *scribo* componitur; cum enim ἐπιγράφειν sit *inscribere* propterea ἐπιγραφὴ, & ἐπίγραμμα idem sonant, ac *inscriptio*, vel *superscriptio*. Hac eâdem voce Plato est usus, dum Epigramma in Mydæ sepulchro incisum refert. Quinimò ex Suidæ sententia, quicquid aliquibus rebus inscribitur, Epigramma est; sic enim loquitur, τὰ ἐπιγραφόμενα τισὶ, κἂν μὴ ἐν μέτροις εἰρημένα, ἐπιγράμματα λέγεται. *Omnia, quæ rebus aliquibus inscripta sunt, quanuis non sint versibus illigata, epigrammata vocantur.* Quoniam ἐπιγράφειν, est epigramma facere, cum illud significet inscribere, & epigramma nil aliud sit, quàm inscriptio, ut initio dictum fuit; Hinc Epigramma pauciss. Prima Epigram. acceptio.

simis vocabulis olim confici poterat; antiquitus enim huiusmodi inscriptio, uno, vel certè non multis verbis fieri consueuerat. Itaque accepto Epigrammate iuxta significationem hanc, inscriptio uno, aut paucis verbis facta, posset Epigramma nuncupari, ut si Romulo statua erigeretur, cui inscriberetur, *Vrbis conditori* hæc inscriptio dici Epigramma posset. Non dissimiliter si in honorem M. Tullii signum erigeretur, cui foret affixum. *Romanæ eloquentiæ parenti*, hæc utique inscriptio, iuxta significationem hanc

Digitized by Google

Epigramma dici mereretur, quoniam in uniuersum Epigramma dicebatur inscriptio, quæ statuis, monimentis, trophæis &c. pro Elogio vel contra affigitur, immò illud addendum, quod ab aliquibus etiam animaduersum fuit, Epigrammatis fieri Epigramma, quando signum, vel monimentum &c. ad librum relatum fuerit.

Quando Epigram. cæperit.

Epigrammata verò iuxta significationem allatam, procul dubio cæpisse credendum, cum homines, signa, statuas, & monimenta, cæperunt erigere.

Secunda Epigram. usurpatio.

At verò alia est Epigrammatis usurpatio, videlicet pro inscriptione deuincta carminibus, cuius quanta sit antiquitas, non satis constat. Sunt quibus placet inuentum hoc Homeri operibus antiquius non esse. Aliis autem oppositum arridet, quorum sententiam lubens amplector, cum ante Homerum, alios præstantissimos vates floruisse, memoriæ proditum sit; cuiusmodi perhibetur Syager, qui primus Traianum bellum dicitur cecinisse.

Epigramma iuxta secundam usurpationem quid.

Epigramma verò iuxta secundam hanc usurpationem, est breue poema, quod vel simpliciter indicat rem quampiam, vel dictum, aut factum aliquod exponit, vel ex aliquibus propositis aliud quidpiam deducit. Dicitur *poema*, quoniam se vera talis inscriptio aliquam imitationem continet, quam poeseos animam esse dicebamus, & est etiam carminibus deuincta, quod etsi naturam poeseos non constituat, eius tamen proprium est instrumentum, & speciatim adeo proprium est Epigrammatis, ut hac tempestate, quod oratione solutâ conscribitur Epigrammatis nomen sibi arrogare non possit. Dicitur *breue*, quoniam hoc genus poematis breuitatem affectat, immò ratione breuitatis gratum admodum fuit, cum iucundum sit, citò aliquid, quod scire cupimus, cognoscere; maximè autem iucundum, si oratione ligatâ fiat; poema enim hoc, tùm ob numerorum dulcedinem, tùm quia facilius memoriæ sententia committitur. gratissimum est, & adeò in eo breuitas laudatur, adeo ut inscriptio unico versu comprehensa Epigramma existimetur, ut illud Maronis

Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Et illud aliud Martialis

Pauper videri Cinna vult & est pauper,

Tametsi autem Epigramma breue desideretur, non ita tamen, ut ternis, vel quaternis carminibus constare debeat, cum Epigrammata exent Hexasticha, Heptastica, Octastica, Enneastica, & Decasticha; ut apud probatissimos viros videre licet; immò apud Martialem est Epigramma viginti Distichorum. Sequentibus autem verbis insinuatur distinctio Epigrammatis in Simplex, & Compositum,

Epigrammatis materies quæ.

Epigrammatis materies, non minùs latè patet, quàm ea, quæ est Epopœiæ, Tragœdiæ, & Comœdiæ; propterea quòd, Epigramma cum Epico carmine commune habet, quòd Deos, Heroas, virosque celebres, itemque arbores, urbes, & alia huiusmodi laudat. Cum Tragœdia conuenit, quòd ea refert, quæ dolorem, miserationem, & admirationem gignunt; & certè dolorem asserendo atrocia, miserationem commemorando eadem contigisse immerenti, aut inter coniunctos, præsertim inter parentes, & liberos; vel inter fratres, & sorores; admirationem tandem exponendo fortuita, præcipuè quidem ea, quorum unum, præter opinionem, alterius causa est, vel occasio. Cum veteri etiam Comœdia conuenit, eò quòd homines, vel nominatim vel simulatis nominibus, multo sale illudit, ac irridet.

Epigrammatis bipartitio.

Epigramma verò bipartitò diuiditur, cum eorum unum sit simplex, alterum verò compositum. Simplex Epigramma est, quod indicat personam, factum, aut rem, siue commendationis, siue reprehensionis, siue simpliciter memoriæ gratia, itaque talis esse debet, ut in eo solùm aliquid narretur citra quamlibet comparationem, ac deductionem; Tale est illud apud Græcos. partitio, in simplex atque compositum.

Πᾶσα γυνὴ κόλος ἐστίν. ἔχει δ' ἀγαθὰς δυὸ ὥρας,
Τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ. Alcistis versio.

Omnis quum mala sit mulier, geminas tamen horas
Illa bonas præstat, mortis, & in thalamo.

Vel,

Est mulier merabilis, habet duo commoda solùm, Lusiii versio.
Quum iacet in thalamo, cum iacet in tumulo.

ΕΙΣ ΑΝΔΡΕΙΑΝ ΚΑΙ ΑΝΔΡΕΙΟΤΣ.

Εἰς λάκαιναν, Ἀδήλου.

Γυμνὸν ἰδοῦσα λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
Παῖδ' ἐὸν εἰς πάτραν ὠκυτέων ἵππα πόδα,
Ἀντία αἴξασα, δι' ἵππατος ἠλασελόγχῳ,
Ἄρρενα ῥῆξαμένη φόγγον ὀδυκτὰ μύῳ
Ἀλλόθεον πατρίδας, ἔσπες, μόλος. ἔρρε πόθ' ἅδαν
Ἔρρ' ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα, καὶ γλυέται. Lilii versio.

Quum nudum è bello natum remeare Lacæna
Vidit, & in patrios accelerare lares,
Insultans contra, pectus traiecerat hasta,
Horrida, in extinctum voce virago furens.
Spartanam quando es patriam mentitus, quosque,
Ad manes tandem degener, inquit, abi.

Huiusmodi etiam vulgatum illud de septem Græciæ Sapientibus censetur, cum in singulo eius versu eorum nomina patriæ sententiæque referantur.

Nomina, dicta, Vrbes, septem canimus sapientum.
Optima mensura est, Cleobulus, Lindius inquit,
Te cognosce ipsum, Lacedæmonis incola Chilon.
Quique Corinthius est, iram rege, ait Periander.
Pittachus, at ne quid nimis, effatur Mithylenis
Atticus hinc Solon vitæ, inquit, respice finem.
Non Spondere Tales Milesius utile censet.
Plena malorum cuncta, Bias canit Vrbe Priene.

Huc etiam pertinet celebre illud.

Nos Aper auditu, præcellit, Aranea tactu.
Vultur odoratu, Lynx visu, Simia gustu.

Vel,

Nos Aper auditu, Linx visu, Simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit Aranea tactu.

Eiusdem classis est illud Martialis. Martialis lib. 2. epig. 75.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,
Qui mavult: mavult perdere dimidium.

Sic etiam & illud eiusdem. Idem li. 1. Epigr. 91.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua

Item. Idem li. 1. Epig. 101.

Qui Pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

Est etiam & illud apud eumdem. Idem li. 1. Epig. 110.

Scribere me quereris, velox epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breuiora facis.

Præclarum est etiam elegans, quod circumfertur epigramma ad hanc eandem pertinens classem.

Hircus cum puero, puer alter sponsa maritus

Lym-

Lymphâ, cultello, fune; dolore, cadunt.

Item.

Conturbabantur Constantinopolitani.
Innumerabilibus sollicitudinibus.

Huc pertinet illud, quod nos olim in laudem Medicæ prosapiæ, cudimus: nimirum

Græcia quas peperit, claris quas vexit Athenis
Artes, quas aluit, perficit una domus.

Nec minus illud huc referri potest, quod sub imagine Helenæ Lucretiæ Corneliæ Piscopiæ scripsimus.

Quod cernis pictam ne credas esse Mineruam
Scriptum nomen habes, attamen Argus eris.

Epigramma verò compositum est quod ex proposito aliud deducit, siue illud sit maius, siue minus, siue par, & æquale, siue diuersum, siue contrarium. Sed qui ita sentiunt nimis angustos fines præscribunt Poetæ epigrammata cudenti; propterea quòd in iisdem rebus Poeta, ac Orator, etsi ordine modoque diuerso, versatur; neminem autem præterit Oratori permissum esse de re quacumque posse ornatè copioseque dicere; utrique igitur sunt communes fontes ex quibus argumenta possunt hauriri; itaque, ut ex dictis in Rhetoricis dissertationibus, cum quidam sint loci argumentorum sedes, ac domicilia nuncupata, ex quibus Orator pro re proposita quacumque potest argumenta desumere, ex eisdem poterit etiam Poeta. Loci verò sunt non uniusmodi, cum alii quidem sint, qui argumenta insita, reique inhærentia suppeditant, quorum præcipui sexdecim esse perhibentur, sunt autem loci prædicti, à definitione, à notatione, siue etymologia, à partium enumeratione, à similitudine, ab antecedentibus, à consequentibus, à genere, à forma, vel specie, à differentia, à causis, ab effectis, ab adiunctis, à contrariis, à repugnantibus, atque tandem à comparatione minorum, maiorum, aut parium. At verò alii argumenta remota subministrant, cuiusmodi sunt leges, testimonia, tabulæ, tormenta, & iusiurandum, vel, ut aliis placet, præiudicia, fama, tormenta, tabulæ, iusiurandum, & testes. Ex his omnibus locis in Epigrammatibus efformandis Poetæ conceditur argumenta desumere, ex quibus Oratori quoq; licet depromere; quamobrem Epigramma compositum censeri debet illud, quod ex uno aliquo præditorum locorum colligitur.

Compositum epigramma videtur illud à causa quod legitur inter selecta epigrammata Græca.

Οὗτος ὁ τὸν δαλὸν φυσῶν, ἵνα λύχνον ἀνάψῃς.
Δεῦρ' ἐπ' ἐμὰς ψυχὰς ἄψον. ὅλος φλέγομαι.

Quid torrem insufflas cupiens accendere lumen
Hanc animam attingas, ardeo totus ego.

Ad hanc etiam classem referri potest illud, nempe

Ὠκεῖαι χάριτες, γλυκερώτεραι. ἢν δὲ βραδάνῃ,
Πᾶσα χάρις κενεή, μὲν δὲ λέγοιτο χάρις.

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia nanque
Quum fieri properat, gratia grata magis.

Vel

Si benè quid facias, facias citò; nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Amplius & illud à simili euentu, quanuis à dissimili causa, huc referri potest.

Ῥύγχος ἔχων τοιοῦτον Ὀλυμπιακὸν, μήτ' ὄπα κρήνην
Ἔλθῃς, μήτ' ἐν ὄρει πρός τι διαυγὲς ὕδωρ.
Καὶ σὺ γὰρ ὡς Νάρκισσος ἰδὼν τὸ πρόσωπον ἐναργὲς,
Τεθνήξῃ, μισῶν σαυτὸν ἕως θανάτου.

Rostro adeo quum sis turpi, nec Olympice fontes,
Nec pete perspicuas ad loca montis aquas.
Nam facie inspectâ, veluti Narcissus obibis
Lethifero teipsum præcipitans odio.

Vel — Luscinus.

Quum fœdet vultum deformis Olympicè nasus,
Perspicuos fontes, & fugæ montis aquas.
Mortem nanque odio, veluti Narcissus, obibis
Ipse tui, tm rpem si videas faciem.

Vel

Γρύπε καὶ ἐς κατόπτρου ἰὼν ὑγρὸν ἐπὶ πρόσωπον ἔλθῃς. — Alciatus.
Μὴ τὰ σὰ φαινόμενα μέλεα κατίδῃς.
Ἐν γὰρ ἔρωτι πάλαι τις ἑοῦ ἐρασθεὶς ἀπόλωλε
Καὶ σὺ τοιοῦτος ἐὼν ἐν χόλῳ ἀπολεῖ.

Grype cave ad speculum liquidũq; accedere fontẽ.
Ne tua conspiciens turpia membra cadas.
Nam veluti proprio perijt Narcissus amore,
Fortassis proprio tu morieris odio.

Θρήϊκας αἰνέσωμεν, ὅτι σπαργεῦσι μετ' ὄλβου
Μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
Ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσους ἀϊῶνα λιπόντας.
Ἀπροϊδὴς κηρῶν λάξ ἐς ἔμαρψε μόρος.
Οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ πανυπάτατα πάσχουσιν
Ἐς κακὰ, τοὶ δ' ἐκ κακῶν, οὖρον ἄχος φθίμενοι.

Laudantur Thraces, natos, quod viscera matrum
Egressos gemitu protinus excipiunt.
Quodque relinquentes vitam sine fine beatos
Credunt, incautos dum fera Parca rapit.
Illos, vita malis quia destinat omnibus: hinc hos,
Pharmaca quod mortem tot reperere malis.

A definitione belli perhibetur deductum illud Martialis.

Bellus homo, & magnus, vis idem, Cotta, videri — Martialis
Sed quis bellus homo est, Cotta, pusillus est. — lib. 1. Epigram. 9.

Et ab etymologia deductum est apud eundem, de Earino Domitiani, nomen hoc idem valet, ac vernus, eo quòd ἔαρ est ver

Nomen cum violis, rosisque natum — Martialis
Quo pars optima nuncupatur anni — lib. 9. Epigram. 12.
Hyblam quod sapit &c.

Ad hanc eandem classem epigrammatum, pertinet primum epigramma Martialis lib. 1. ubi concludit

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Vnum præunctis fama loquatur opus

Sed maximè quoque huc spectat illud, quòd apud eundem Martialem habetur, ubi mirificè tollit opera Domitiani, dicendo, nec Iouem, nec superos omnes soluendo futuros, si nomina ab illis Cæsar exigat. Lib. 9. Epigram. 4.

Sic enim exorditur.

Quantum iam superis Cæsar cæloque dedisti
Si reptas &c.

Tandem concludit

Expectes, & sustineas Auguste necesse est.
Nam tibi quod soluat, non habet arca Iouis.

A pari deductum est quod apud eundem legitur lib. 1. Epigr. 62. ad Licinianum. A contrario quod legitur lib. 5. Epigr. 84. ad Dindymum.

Insequeris, fugio: fugis, insequor; hæc mihi mens est
Velle tuum nollo, Dindyme, nolle vollo.

A contradicentibus etiam est illud lib. 1. Epigr. 34.

Amissum non flet, cum sola est, Gellia patrem:
Si quis adest, iussæ prosiliunt lacrymæ.
Non luget, quisquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Partitio autem Epigrammatis vulgata est iuxta triacausa-

causarum genera, videlicet Exornativum, Deliberativum, & Iudiciale; sed hæc tripartita diuisio, non minus à Poeta, quàm ab Oratore spectatur, partitionis autem ratio, utrique communis est, in eo quidem posita, quòd qui audit, vel dumtaxat audit, & hunc in modum exornationis genus habetur; vel non solùm audit, sed etiam æstimat, idque facere duobus modis potest, nam æstimando, vel statuit de re præterita, vel de futura; priori modo Iudicis munere fungitur, unde Iudiciale genus oritur; at secundo modo consultorem agit, & hoc pacto, deliberativum genus obtinetur.

Exornatio laudem, & vituperationem continet, etsi à principaliori parte nomenclationem exornationis accipiat. Respicit tempus præteritum, etsi quandoque etiam presens: pro fine honestatem, & turpitudinem habet. Deliberationis partes sunt suasio, & dissuasio, tempus futurum: finis utilitas, vel damnum. Tandem iudiciale genus habet tamquam partes accusationem, & defensionem: tempus, præteritum, pro fine iustum, vel iniustum.

Hęc tria sunt genera ad quę cuncta possunt Epigrammata reuocari. Nam ea, quibus laudamus, siue homines, siue alia quæcunque; aut contra vituperamus, ad exornativum genus reuocantur. At ea, quibus suademus, dissuademus, consulimus, hortamur, auertimus, petimus, inuitamus, consulamur &c. ad genus deliberativum pertinent. Ea tandem, quibus accusamus, defendimus, reprehendimus ac exprobramus, &c. reuocari ad iudiciale genus possunt. Ad genus exornativum spectat epigramma Martialis decimoquintum libri primi, de Carpophoro venatore; nempe,

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fusus aper;
Ille, & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Strauit, & ignotâ spectandum mole Leonem,
Herculeas potuit, qui decuisse manus,
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat,

Ad hoc idem genus pertinet, epigramma quadragesimum eiusdem libri; & centesimum decimum & septuagesimum nonum postremum hoc est, quo laudatur factum, nempe Festi, quòd mortem ferro sibi conscierit. Extant exempla apud Catullum, & alios Sed exornativum genus continet etiam vituperationem, cuius exempla extant apud Martialem. Vituperatio autem vel fit in uniuersum; vel particulatim notando. Primi modi exemplum est epigramma quintum libri quarti, eo enim loci poeta carpit Romanorum mores, scribens ad Fabianum, quem pauperem bonum, & simplicem virum, & Romam fingit petere; & scribit, hoc modo

Vir bonus & pauper, linguaque & pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec commessator haberi,
Nec pauidos tristi voce citare reos:
Nec potes uxorem cari corrumpere amici
Nec potes algentes arrigere ad vetulas:
Vendere nec vanos circa Pallatia fumos: &c.

Particulatim verò carpit insolentem cuiusdam indocti illaudatique causidici arrogantiam, qui non salutat, nec salutanti respondeat; scribit ad Rufum sequentem in modum

Hic qui libellis prægrauem gerit læuam,
Notariorum, quem præmit chorus leuis,
Qui condicillis bine, & inde prolatis,
Epistolisque commodat grauem vultum;
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque.
Exprimere, Rufe; fidiculæ licet cogant,
Aue latinum. χαῖρε. non potest Græcum,
Si fingere istud me putas, salutemus.

Sunt etiam exempla generis deliberatiui

Οὐ φὴ τὸν πώγωνα φρενῶν ποιητικὸν εἶναι,
Καὶ διὰ τοῦτο ζέφεις φίλτατε μυρσόβλως;
Κεῖρον ἐμοὶ πειθεὶς ταχέως, οὗτος γὰρ πώγων,
φθειρῶν ποιητὴς, οὐχὶ φρενῶν γέγονεν.

Credis, quòd barba prudentia crescat, eoque
Quali vel muscas pellere possis, habes.
Rade, mihi credens, syluam, quæ nutriet usque
Vermiculos, mentem nam dare nulla potest.

Huc pertinet illud

Εἰ τὸ ζέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περωποιεῖν,
Καὶ ζάγος εὐπώγων, εὐσολός ὅστι Πλάτων.

Si cui protensa crescit sapientia barba,
Hircus, dispeream, ni Plato doctius erit.

Vt illud etiam Martialis, libro sexto epigr. vigesimo sexto, alias vigesimo septimo, ubi hortatur nepotem ad genialem vitam

Ad Nepotem.

Bis vicine nepos (nam tu quoque proxima flore
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi &c.

Et libro primo epigrammate decimo sexto, ubi inuitat, & suadet Iulium ad vitam iucundè, ac genialiter ducendam, ab incerta vitæ conditione, à breuitate, & à calamitatibus; sic etiam epigr. vigesimum sextum libri eiusdem, eo enim hortatur Faustinum, ut publici iuris faciat sua scripta. Eiusdem classis est epigramam nonagesimum secundum libri septimi, eo siquidem poeta hortatur Narniam Cuiuitatem ne diutiùs detineat Q. Ouidium in agro Nomentano. Scribit ad Narniam umbriæ cuitatem.

Narnia, sulphureo, quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda vgo;
Quid tam sæpè meum nobis abducere Quinctum
Te iuvat, & lentâ detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui prætiosus erat?
Sed iam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quincto;
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Est etiam illud inter suppositicia Martialis, nempe,

Scæuola, tu cænas apud omnes nullus apud te:
Alterius siccas pocula, nemo tua.
Aut tu redde vices, aut desine velle vocari:
Dedecus est semper sumere, nilque dare.

Alia exempla huius classis apud Martialem, & etiam Catullum videri possunt, à quibus breuitatis studio libenter abstineo.

Sunt etiam exempla epigrammatum ad genus iudiciale spectantium, inter quæ illud Martialis sexagesimum octavum, aliàs sexagesimum nonum libri noni

In Magistrum ludi.

Quid tibi nobiscum est Ludi scelerate magister,
Inuisum pueris virginibusque caput?
Nondum cristati &c.

Et quinquagesimum quintum libri decimi primi.

In Zoilum.

Vnguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo;

Et

Et quæ de stygio &c.

Et hæc ad accusationem pertinent; sunt etiam & alia, quæ ad defensionem spectant, ut apud Martialem lib. 1. Epigram. 4.

Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos,
Terrarum dominum, pone supercilium.
Consueuere iocos &c.

Et libro secundo, epigram. octauo; ubi se ipsum defendit

Si qua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis
Siue obscura nimis, siue latina parum;
Non meus est error &c.

Ita etiam epigram. 73. alias 74. libri quinti,

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna caussa est,
Dones tu mihi ne tuos libellos.

Et libro septimo epigram. secundo

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

Modus tractandi argumentum epigrammati conueniens, petendum à poeseos genere, ad quod illud reuocari potest, genus porrò est, vel epicum, vel tragicum, vel comicum, vel aliquod aliud ex antea commemoratis, præsertim satyricum; enim verò epigramma ut elegans, maximeq; venustum sit, debet aculeis reprehensionis auditoris animum ferire Poetæ tamen laudatur industria, si modum in reprehendendo seruet; non enim licet, ut olim, liberius, & etiam nominatim summos viros perstringere, sed oportet fictis nominibus uti, vel reprehendere tantum uniuersè vitia, suppressis nominibus eorum, qui sunt vitiorum labe conspersi; ab hoc itaque poetæ summopere abstinendum; epigrammatis enim lingua mala est, quæ tamen neque publico, neque auctori debet detrimento esse; erit autem utrique noxia, si bonos lædat, quod quatenus publicum respicit, iniqui est hominis, sed prout respicit auctorem, insipientis est. Vnde rectè ille

Modus tractandi argumenti.

Seneca: Epigram. non laudatur nisi dictis salsis, & acutis abundet.

Quare tolle iocos: non est iocos esse malignum
Nunquam sunt grati, qui nocuere sales.

Ad quodcunque poeseos genus epigramma reuocetur, nunquam laudabitur, nisi dictis salsis, & acutis abundet; ut propterea de hoc summoperè glorietur Martialis lib. 1. epigram. 1.

Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammatum libellis.

Quoniam, ut idem ait, nullius pretii epigramma censetur, quod sale, & argutiâ commendari non possit; hæc enim habet lib. 7. Epigr. 25.

Martialis lib. 7. Epi. 24.

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper
Et cerussatâ candidiora cute
Nullâque mica salis, nec amarifellis in illis
Gutta sit, ò demens &c.

Tametsi autem uniuersum epigramma salibus, & argutiis affluere debeat, maximè tamen in fine.

In quo magnam habet affinitatem cum eo genere poeseos italicæ, cui nomen *Sonetto*, quoniam utraque poesis exiguum quidpiam, ac perbreue est, adeò ut oculorum ictu concludatur; at quod ita se habet, omni macula carere debet, quemadmodum enim in facie nævus intuenti, statim obiicitur: ita quod in breui poemate, vitium, illicò lectoris mentem percellit, & hæc ad Epigrammatis formam pertinent, de qua, cum hactenus de Epigrammatis materia disputatum fuerit, differendum superest, forma autem in dictione consistit. Dictio ipsius pura syncera, elegans, nitida, & selecta esse debet. Oportet amplius Epigramma luminibus exornare, & iucundis illustrare coloribus, variis modis tractare, variisque figuris expolire. Perneccssarium est etiam illud idem salibus, acrimonia, suauitate, omnique gratiarum, facetiarum, & affectuum genere, prout res tractata patitur, cumulare; ut videlicet argutâ breuitate bonos laudando, culpandoque malos Epigramma vitia populi emendet. Vitanda sunt in hoc poematis genere verba peregrina, impura, aspera sordida, lutulenta; vitanda itidem popularia,, vilia, obsoleta, & è triuiis, plaustroque petita verba, & quod maximè curandum est, ne in epigrammate, aliquid superuacaneum, & redundas appareat.

In Epigrammate quoque habenda est ratio characterum, è quibus primum esse diximus magnificum, seu plenum, vel si mauis, sublimem; secundum huic è regione contrarium, nempè submissum, vel ut alius placet, subtilem, aut infimum: tertium denique medium, seu mediocrem, æquabilem, ac temperatum; horum primo opponitur sufflatus, ac tumidus: secundo squalidus, & ieiunus: medio incertus, & ambiguus; ut autem priores tres sunt amplectendi, ita tres posteriores declinandi. Variantur autem characteres pro varietate rerum, quæ tractantur; poeta namque sedebet rebus, quas consideratione persequitur, accommodare, ita ut res paruas, summissè; modicas, temperatè, magnas, grauiter eloquatur. Potest etiam contingere, ut unius, & eiusdem orationis partes diuersæ varium characterem efflagitent, prout vel docent, vel mouent, ut delectant; pro ratione igitur finis, quem sibi poeta præfigit, quamuis eadem de re loquatur, stylum, characteremue debet variare; trium autem characterum exempla afferre iuvabit.

Character Ep. tripl. x

Characteres variantur pro varietate rerum.

Verum enimverò infimi, sumissi; characteris innumera penè afferri possent exempla. Illud tamen plerisque visum est maximè opportunum, quod habetur apud Martialem scribentem ad Gelliam.

Exempla triū characterum. Exempla characteris infimi.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis
Formosus septem, &c.

Lib. 5. Epigr. 30.

Sed eiusdem classis videtur etiam, & illud in Proculinam

Lib. 6. Epig. 12.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mæchum &c.

Insuper, & illud etiam de Andragora.

Lib 6. Epig 53.

Lotus nobiscum est, hilaris cænauit, & idem
Inuentus &c.

Exemplum sublimis characteris censetur præcipuè illud eiusdem Martialis ad Luciferum.

Exempla sublimis characteris.

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo &c.

Lib. 8. Epig 21.

Eiusdem classis existimari potest illud eiusdem ad Cæsarem Domitianum. lb. Ep. 26.

Non tot in Eois timuit Gangeticus aruis
Raptor, in Hyrcano &c.

Mediocris characteris videtur illud eiusdem Martialis ad Cottam.

Exempla mediocris characteris.

Inuitas nullum, nisi cum quo, Cotta, lauaris,
Et dant Conuiuam &c.

Lib. 1. Epig. 24.

Huc etiam pertinet illud aliud ad Rusticum.

Lib. 8. Epig. 22.

Esse tibi videor sævus, nimiumque gulosus
Qui propter cænam &c.

Epigramma breuitate summoperè gaudet, nec immeritò, nam id eius etymon, nempè inscriptio denotat, cui breuitatem congruere, adeò certum aliquibus visum est, ut omne Epigramma venustum arbitrarentur distichon, ad quod accessione facta poema ipsis acre quidem, sed non Epigramma est; nihilominus communi consensu recipitur illud ad decem, vel duodecim versus extendi posse, quamuis aliqui,

Epigramma breuitate gaudet.

non

obscuri nominis, etiam vigesimum secundum versum attigerint; cauendum tamen à tanta versuum multitudine, ne Epigramma in Elegiam facessat.

Quibus carminibus Epigrammata scribi posint.

Epigrammata scribi solent versibus Elegiacis, Iambicis, tùm rectis, tùm claudicantibus, Phalæcis, seu Phalæucis, siue Edecasyllabis; plerunque etiam Heroicis, vel Trochaicis; frequentissimè tamen scribi solent versibus hexametris, & pentametris, quauis nullum sit carminis genus, quod Epigramma cudi non possit, unde est, ut tot carminum generibus illud tractare liceat, quot sunt carminum genera; hexametrum autem præcedit, pentametrum verò subsequitur.

Nunc de Epitaphio dicendum, cum Epigrammate equidem, siue pressâ, siue latâ significatione sumpto, non nihil affinitatis habet; laxiùs enim acceptum Epigramma, est quod alicui rei inscribitur, at huiusmodi quoque Epitaphium perhibetur; est enim quod sepulchro inciditur.

Si autem strictiùs Epigramma usurpes, nil aliud, quàm breue carmen, quod etiam Epithaphio conuenit; tametsi autem Ἐπιτάφιον ἄσμα sic appelletur, quia inscribitur in sepulchro, antiquis tamen sepulchralis sermo erat, qui dicebatur ad tumulum, siue sepulchrum, adeò ut Epitaphium tàm solutæ, quàm carminibus illigatæ orationi conueniat; modo autem Epitaphii nomine intelligitur sepulchralis inscriptio, quò pertinet illud.

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen

Ista igitur Epitaphium inscriptio sepulchralis ad defunctorum memoriam perpetuò seruandam, hominumque documenta. Ex Epitaphiis, aliud arbitrarium, & aliud iustum. Hoc certis legibus adstringitur; illud nequaquam; ambo esse possunt exornatiua, & seria: satyrica, & iocosa. Arbitrarium est ad libitum, ut ex nomine liquet; sed duplex perhibitur, nempè purum, & acutum, illud solùm nomen continet, vel solùm locum addit: illud verò floribus elocutionis morales sensus exprimit in adspicientium documentum, quod vel fit per unicam sententiam paucis verbis comprehensam; vel per plures, quæ simul exornent, lugeant, ac doceant. Exornativum, & serium selectis verbis grauibusque sententiis præclaros viros breuiter commendant. Satyricum viros improbos pungit, eorumdemque scelera ennarrat. Iocosum est, quod plenum est urbanitatis, unde illud facetiis replendo, aut verbis ludendo fit; à quorum exemplis breuitati dens abstineo.

Epitaphiũ iustum.

Epithaphium iustum nil aliud quàm breuis quædam defuncti commendatio, quę tribus partibus constat, nempè Superscriptione, Descriptione, & Subscriptione. Superscriptio continet demortui nomen, cognomen, patriam, ac titulos. Descriptio plenis, candidis, concisisque verbis illustriora defuncti gesta, præclariorèsque dotes, ac dignitates, ennarrat. Subscriptio demortui exprimit ætatem, mortis genus, annum, diem depositionis, & nomen illius, qui vel affinitatis, vel hæreditatis, vel amoris gratia monumentum erexit. Vt autem Epithaphio literæ quędam præmitti solent, ut D. O. M. id est Deo Optimo Maximo. D. T. Deo Trino. H. S. E. Hic situs est. H. I. Hic iacet &c. Olim autem Ethnici præmittebant. D. M. Diis Manibus, vel D. M. D. Diis manibus dicatum; ita etiam & aliquæ literæ postponi solent Epitaphio; nempè P. C. Ponendum curauit. F. C. Faciendum curauit. H. F. Hæres fecit. H. M. P. Hoc monumentum posuit. B. M. F. Benè Mærenti fecit. V. V. Vale Viator; & alia huiusmodi.

In Epitaphio non minus desideratur breuitas, quàm in Epigrammate, immò antiquitùs, quo breuius, eò etiam venustius habebatur, adeò ut unico versu etiam constaret, ut.

Daphnis ego in sylus, hinc usque ad sydera notus Virgilius.

Quandoque concluditur duobus; ut.

Mantua me genuit, Calabri rapuere; Tenet nunc
Parthenope. Cecini Pascua, Rura, Duces.

Rariùs tristico concluditur. Frequentius tetrastico perficitur, ut illud Martialis.

Sancta Salonini terris requiescit Iberis. Lib. 6. Epigr. 18.
Qua melior stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas, nam qui te Prisce reliquit
Vnit, qua voluit viuere, parte magis.

Possunt etiam Epithaphia soluta oratione absolui, quorum exempla certo numero comprehendi non possunt.

De Elogio instituunt cõsideratio.

Tandem Elogium considerandum occurrit, quod nil aliud quàm testificatio de aliquo honoris vel vituperationis causa; & hac tempestate, *est argumentum paucis artificiosè commemorans virtutes, ac vitia alicuius.* Geminum esse perhibetur, Oratorium unum & Lapidarium alterum; illud Athenis; hoc autem in tabulis, ac tumulis inscribitur. Elogium Oratorium est inscriptio quædam laconica, & erudita, quæ alicuius virtutes, & vitia pluribus argutiis commemorat. Duplex autem censetur, simplex, & complexum, illud est quod unum tantùm facinus pluribus luminibus illustrandum suscipit; istud verò quod plura gesta, siue multiplici allegoria, & variis acuminibus, vel attollit, vel deprimit. Vtrumque ad tria capita reuocari potest, nimirum ad Laudativum, Satyricum, & Mixtum. Laudativum, quod & Encomiasticum dicunt, est quod honoris gratia, in alicuius laudem acutè contexitur. Satyricum, quod & Mordax appellatur, est quod variis aculeis, alicuius, vel aliquorum vitia pungit. Mixtum denique est, quod utriusque naturam sapit.

Elogii quid.

Elegium duplex oratorũ, & lapidarium.

Diuiditur utrunque in laudativum, satyricum, & mixtũ.

Ad Elogii porrò structuram pertinent Materia, Dispositio, Elocutio, Stylus, siue Character, & Dimensio. Materia est eadem ac generis exornatiui, nempè Laus, & Vituperatio. Dispositio est duplex, materialis, & formalis. Dispositio materialis est, quæ lineas in tabula ita distribuit, ut figuram efformet mediam inter prosam, & versum; non enim ut prosa, prorsus tendit ad finem marginis; nec ut versus ad initium reuertitur. Dispositio formalis tribus partibus constat, cuiusmodi sunt exordium, narratio, & conclusio; at verò exordium continet titulum, nomen, familiam, patriam personæque laudandæ, aut vituperandæ conditiones, quibus nos inuitamur. Narratio concisis verbis personæ dotes, aut vituperia exprimit. Conclusio morali aliquâ sententiâ, vel graui dicto Elogium claudit. Elocutio constat verbis grauibus, translatis, claris, & illustribus, tropis, ac figuris; præsertim vocibus sonantibus, crebris æquiuocis, antithetis &c. Stylus argutus est, & laconicus. Dimensio, eam, quæ Epigrammatis est propria, imitatur; de his tamen alibi longè copiosiùs, si per otium licebit.

Quæ ad Elogii cõstitutionem pertineant.

Dissertationum Poeticarum, totiusque primi Tomi

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM ATQVE VERBORVM,
quæ in hoc primo Tomo continentur.

NVMERVS ROMANVS PRÆFATIONI; BARBARICVS autem reliquo vniuerſo operi inſeruit.

Litera. a. primam columnam; b. verò ſecundam ſignificat.

A

Abſtractio.

ABſtractio ad vniuerſale logicum prærequiritur, quanuis per ipſam non abſoluatur. 90. à. Diſcrimen inter abſtracta ſubſtantialia, & accidentalia 423. b. Abſtracta ſubſtantialia, quanuis generica, ſupponunt pro propriis indiuiduis, non pro ſpeciebus ibid. Innuitur abſtractiuæ cognitionis natura; 465. b. Abſtractum vnde dicatur 479. b. Abſtractio multiplex. ibid. Plura abſtractionum genera explicantur, & abſtracta de concretis verè prædicari non poſſe ſtatuitur 487. b. Deinceps variæ difficultates ſoluuntur. Abſtracta de aliis abſtractis verè poſſe prædicari. 488. a. Vbi latè hac de re diſputatur. Abſtractio à materia ſenſibili, & intelligibili. 547. b. Hæ abſtractiones non conferunt ad certitudinem. ibid. Nec modus abſtractionis accerſitis principiis ſufficit. 548. a.

Accidens.

Accidens abſolutum duo concernit. 423. a. Duplex in accidentibus abſtractio. ibid. Accidens reſpectiuum, ſi admiſsum fuerit, ſuam habebit præcipuam abſtractionem. ibid. Accidens ad duo referri poſſe 181. a. Qua ratione accidens vniuerſalis naturam obtineat, & alia quædam explicantur. ibid. Variæ difficultates cum ſolutionibus 181. b. & dein. Accidentis definitio 181. a. Duplex accidentis acceptio 181. b. Enucleatur ſuperior accidentis definitio. ibid. Adnotatio. ibid. Quomodo accidens ad Logicum, & Metaphyſicum pertineat. ibid. Animaduerſio. ibid. Geminus ſenſus particulæ *proùt adeſt, & abeſt.* ibid. Variæ difficultates cum ſuis ſolutionibus ibid. & dein. Nedum accidenti communi, ſed etiam habenti rationem ſubſtantiæ huius quinti prædicabilis vniuerſalitatem conuenire. 183. b. Ratio ad id probandum. ibid. Variæ difficultates ſolutæ 184. à. Accidens quæ nam inferiora reſpiciat. 184. b. Dubitatio num ſubiecta, reſpectu quorum accidens dicitur quintum vniuerſale, debeant eſſe ſolo numero differentia. 184. b. Quid hac de re dicendum. ibid. Accidens duobus modis acceptum intelligi poteſt 778. b.

Actio.

Actio quid. 375. a. Difficultas ſoluta. ibid. Quidam explicandi modus reiicitur. 375. b. Actionis optima definitio. ibid. Actio duobus modis poteſt uſurpari. ibid. Vna, & eadem entitas rationem habet productionis, & tranſmutationis. ibid. Actio, quæ abſolutè productio dicitur, ad hoc prædicamentum pertinet. 376. a. Actio duplex. ibid. Aſſertio tenenda. ibid. Actio productiua duplex. 376. b. Non vtraque actio pertinet ad prædicamentum. ibid. Difficultas præoccupata ſimulque ſoluta. 377. a. An ſola actio tranſiens, an etiam immanens ad hoc prædicamentum pertineat ibid. Aſſertio tenenda. ibid. Difficultates ſolutæ. ibid. An ſola actio inſtantanea ad prædicamentum pertineat. ibid. Aſſertio tenenda. 377. b. An ſola actio accidentaria, an ſubſtantialis etiam &c. ibid. Aſſertio tenenda. ibid. Difficultates ſolutæ. ibid. Variæ diuiſiones actionis. 378. a. Actionis proprietates. ibid. Calefactionis actio poteſt duobus modis intelligi. 378. b. Quid Paſſio. ibid. Definitionis explicatio. 379. a. Gemina actionis conſideratio. ibid. Paſſio iam explicata non conuenit niſi ſubiectis recipientibus formam. ibid. Num gemina paſſio concedenda, quæ duplici actioni primò productiuæ, & conſeruatiuæ reſpondeat. ibid. Aſſertio tenenda. 379. b. An modus inhærentiæ qua forma ſubiecto ineſt, habeat rationem paſſionis. ibid. Aſſertio tenenda. ibid. Actus paſſionis intrinſecus eſt in patiente. ibid. Difficultas eiuſque ſolutio, & adnotatio. ibid. Diſtinctio huius prædicamenti ab antecedenti. 380. Quæritur diſtinctio duorum prædicamentorum; actionis ſcilicet, & paſſionis. ibid. Ex his prædicamentis, nec conficiendum unum, nec addendum tertium. 380. b. Paſſionis proprietates recenſentur. ibid. Motus bifariam ſpectari poteſt. ibid. Emanatio propriè accepta quid. 381. a.

Actus.

Actus comparationis bipartitò contingit. 90. b. Actus comparationis duplex. ibid. Rurſus duobus modis accipitur ibid. Licet actus intelligentiæ obiecto ſit extrinſecus, adhuc poteſt in eo diuerſitatem, &c. 166. b.

Ægritudo.

Ægritudo, & Sanitas quid. 316. a.

Æmulatio.

Æmulatio quid. 1008. b. Æmulatio duplex ibid. Quinam ad æmulandum procliues. ibid. & deinceps. Bona circa quæ æmulatio verſatur 1009. à. Quinam ſint, quos æmulari debeamus ibid. Quomodo orator excitare poſſit æmulationem 1009. b. Quomodo æmulatio minuatur ibid.

Æquiuoca.

Cur prius de æquiuocis diſputetur 206. a. Tres æquiuocorum conditiones 208. a. Definiuntur æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata. ibid. Æquiuocum duplex, à caſu, & à conſilio ibid. Qua ratione nomen æquiuocum plura ſignificet. 208. b. Quid primo inquirendum. 209 a. Difficultatis ratio, eiuſque confirmatio. ibid. Quorundam reſponſio atque ſolutio reiicitur; vtraque ſolutio affertur. ibid. Nomen canis quid ſignificet &c. ibid. Difficultas eiuſque ſoluti. ibid. Quid ſecundò inquirendum, & reſpondendum. 209. b. Tertium inquiſitione dignum ibid.

Allegoria.

De Allegoria agitur. 921. b. Quid ſit. ibid. Allegoria, Hyperbole, & Emphaſis quantitatem reſpiciunt 922. a. Allegoria poteſt diuerſiloquium dici ibid. Allegoria duplex; & quid vtraque ibid. Quid in Allegoria præcipuum. ibid.

Amor.

De amore. 989. a. Tres in amante conditiones requiruntur. ibid. Varia hominum genera quibus amici eſſe ſolemus. 989. b. & dein. Amoris geneſis 991. a. Amor naturalis quid. Amor naturalis dicitur etiam inſitus. 991. b. Amor rationalis duplex. ibid. Amor amicitiæ quid. ibid. Amoris altera diſtributio. ibid. Incentiua amoris ad tria capita reuocantur. ibid. A quibus argumenta deſumi poſſint ad excitandum amorem

Digitized by Google

sem. ibid. Amicitiæ amor à quibus præcipuè efficiatur. 992. a. Remedia amoris. ibid. Tria sunt quibus amoris. vires labefactantur. ibid.

Amplificatio.

Proponitur de amplificatione differendum. 1013. a. Amplificatio quid. 1014. a. Quid differat inter argumentationem, & amplificationem. ibid. Quæ nam in oratione sit propria amplificationis sedes. 1014. b. Amplificatio in verbis consistens. ibid. & dein. Amplificatio rerum explicanda suscipitur. 1016. b. Varii loci ex quibus rerum amplificatio sumitur. ibid. & dein. Quatuor fontes amplificationis ex Fabio. 1018. a. Congeries duplex, ibid. Plura sunt amplificationis commoda. 1018. b. Animaduersio, ibid. Congeries definitionum, & partium. ibid. Amplificare quid. ibid. Adiuncta quid. 1019. a. Non omne genus argumenti amplificationis est capax 1019. b. Quæ magna sunt usu. 1020. a. & dein. Troporum figurarumque per additionem, detractionem, & similitudinem vocum vsus 1021. b. Vsus figurarum, quæ sunt sententiarum. 1022. a. Diminutionis ratio quomodo perficienda. 1022. b.

Analoga.

Cur priùs de Analogis quàm de Denominatiuis agatur. 210. b. Quid Analogiæ nomen significet. ibid. Analoga inter æquiuoca, & vniuoca medium obtinent locum. ibid. Rationes in Analogia debent esse diuersæ. ibid. Obiectivus conceptus per Analogiam importatur, partim idem, partim vero diuersus, ibid. & dein. Tres Analogiæ species 211. a. Definitio analogiæ inæqualitatis in concreto. ibid. Quam ob causam admittenda est hæc analogia. ibid. Adnotatio 211. b. Hæc Analogia cum vniuocatione potest cohærere ibid. Huiusmodi Analogiæ explicatio. ibid. Analogiæ attributionis definitio. ibid. Clarior definitio. ibid. Hæc Analoga dicuntur *ab uno ad unum & quare*. ibid. Hæc Analogia potest bifariam contingere. 212. a. Ens iuxta secundum analogiæ modum dicitur analogicè de Deo & Creatura. ibid. Quatuor differentiæ inter hæc Analoga. ibid. Attributionis analogia secundum quatuor causarum genera exercetur 212. b. Attributionis analoga ex efficiente, ex fine, ex forma, & etiam ex materia. ibid. Analogum secundi modi tribus generibus continetur. ibid. Eaque commemorantur. ibid. Analogia proportionalitatis explicatur. ibid. Eiusdem analogiæ definitio. 213. a. Huius analogiæ exempla ibid. Quando hæc interueniat Analogia. ibid. Analogia bifariam contingit. ibid. Adnotatio. ibid. Proportio, & proportionalitas quid. ibid. Quem conceptum ex parte obiecti hoc habeat Analogum. 223. b. Analoga attributionis, & proportionalitatis, ad primum modum spectantia, non habent conceptum unum, nec obiectivum, nec formalem. ibid. Obseruanda quædam. 214. a. Hæc analoga si cum vniuocis, & æquiuocis conferantur, ita se habent, ut inter illa medium locum obtineant 214. b. Analogum aliquo modò sumptum nunquam vel cum uniuoco, vel cum æquiuoco coincidit, alio modo potest. ibid. Prædicatum prout dicit rationem analogiæ cohærere non posse cum vniuocis, & æquiuocis. ibid. Triplex analogorum comparatio. ibid. Denominatiua quid. 215. a. Definitionis ex quorumdam sententia explicato, ibid. Superior explicatio, vtpotè grammatica reiicitur. ibid. Eiusdem definitionis Philosophica explicatio. ibid. Duæ adnotationes. ibid. Duæ conditiones ad Denominatiua requiruntur. 215. b. Denominatiua sunt in duplici discrimine. ibid.

Anaxagoras.

Anaxagoras quando natus &c. VII.

Anadiplosis.

Anadiplosis tractatio. 926. a. Quid sit. ibid.

Anaphora.

De Anaphora 925. a. quid sit. ibid.

Animal.

An animal, de hoc & illo animali immediatè prædicetur 243. b. Quid dicendum in re proposita, aperitur. ibid. Animæ potentiæ non videntur realiter ab anima distingui. 251. a.

Antistrophe.

De Antistrophe. 926. a. Quid sit. ibid.

Anthitesis.

De Antithesi. 931. a. Quid sit. ibid. Antimetaole, seu Metathesis quid. 932. a.

Antonomasia.

De Antonomasia 930. b. Quid sit. ibid. Eadem ex Fabio, & Isidoro triplex: ibid. Frequens Antonomasiæ distributio in duo genera. ibid.

Apprehensio.

Apprehensionis incomplexa falsitas, seu defectus quidam est concedendus 26. a. Apprehensioni quæ sit errandi occasio. ibid. Apprehensio suis laborat defectibus, & qui sint. 22. b. Simplex apprehensio quid. 418. a. Intellectus per simplicem apprehensionem attingit etiam terminos complexos, imò etiam integras propositiones 418. b. Dubitatio eiusque solutio. 419. a. Hactenus dicta non intelligenda tantùm de apprehensione vocum. 419. b. Variæ difficultates cum solutionibus; 420. a. Nihil prohibet integras propositiones ad primam, & secundam operationem spectare. 420. b. Adnotatio. ibid. De eo quod simplex apprehensio attingat. variæ opiniones. 421. a. Assertio quod intellectus per primam operationem solùm attingat quid est. 421. b. Declaratur apprehensionis modus. ibid. Variæ difficultates solutæ. 422. a. Intellectus humanus simpliciter apprehendendo per omnia rerum genera vagatur. 422. b. Apprehensio, siue prima mentis operatio, cæterarum ianua. 425. b. Quædam de simplicibus mentis conceptibus adnotantur. 426. a. Apprehensio pluribus deffectibus laborat; & tales deffectus recensentur; ac rectitudines oppositæ. 432. a.

Aposiopesis.

De Aposiopesi 928. b. Quid sit ibid. Admonitio 929. b.

Aptitudo.

Aptitudo duplex proxima, & remota 187. a. Aptitudo qua natura esse potest in multis, dupliciter potest intelligi, vel disiunctim, vel coniunctim 187. b.

Argumentatio.

Argumentatio duplex, nempè illatiua tantum, & illatiua, & probatiua simul, & quid vtraque sit. 501. b. Argumentatio debet esse probè confecta, vt instrumentum directiuum sit 500. a. Argumentatio vt idea habet rationem instrumenti. ib. Tria in argumentatione spectantur. ibid. Enunciationes sunt materia proxima, termini autem remota argumentationis. ib. Dispositio enunciationum & terminorum in argumentatione agnosci debet. ibid. Ad argumentationis formam qualitas, & quantitas propositionum facit. ibid. Argumentatio diuiditur in materialem, & formalem 501. a. De argumentatione 891. a. Tria quibus omnis suasio perficitur. ibid. Argumentatio apud Rhetorem, & apud Dialecticum. ibid. *Argumentationis* species. ibid. In quo tota argumentationis vis posita sit. 891. b. Quæstiones, quæ de re quapiam fieri possunt. ibid.

Aristoteles.

Aristoteles peripateticæ sectæ institutor. x. Quando in lucem exierit. ibid. Quid Philosophiam incundo respexerit. xiv. Eius indoles. xv.

Ars.

Artis ex Aristotele definitio, & singulæ definitionis particulæ expenduntur. 729. a. Multa de hac re tractantur, sed si ea distinctius videre cupis, consule tractationem de intellectu, vbi omnia ad artem attinentia congruo ordine commemorata videbis.

Assensus.

Assensus, & dissensus quid. 433. b. De Assensu, & Dissensu quædam tractantur. 461. b. Assensus consequentis cum assensu antecedentis confertur. 444. b. Multa hac de re tractantur. ibid. & deinceps. Quanta requiratur distinctio inter assensum antecedentis, & consequentis. 495. a. Non solum realis, sed etiam essentialis debet esse distinctio. ibid. Quomodo assensus antecedentis includatur in assensu consequen-

Digitized by Google

tis. 495. b. Assensus antecedentis non debet necessario anteire, assensui consequentis. ibid. Quomodo assensus antecedentis sit causa assensus consequentis. 496. b. Quomodo assensus antecedentis determinet intellectum ad eliciendum assensum consequentis. 497. a. Assensus duplex certus vnus, & probabilis alter. 740. b.

Asyndeto.

De Asyndeto. 929. b. Quid sit. ibid. Duplex eius vsus. ib.

Attentio.

Attentio non est intellectus actus quidpiam ponens in re. 20. a.

B

Bonum.

BOnum triplex Honestum, Iucundum, & Vtile. 968. a. Ens morale quid. ibid. Bonum morale duplex; latè, & propriè sumptum; quid vtrumque sit. ib. Bonum Honestum presse acceptum. ib. Bonum Honestum naturale quid. ibid. Bonum Iucundum, & Vtile quid. 968. b. Diuisionis allatæ duplex ratio. ibid.

C

Carmen.

CArminis hexametri antiquitas 1077. a. Quis ex latinis primus hexametro vsus fuerit. 1078. a. De carmine elegiaco disputatur. 1081. b. Vndè elegiæ nomen desumatur. ibid. A quibus hoc genus carminis inuentum, & qui plurimum in hoc carmine excelluerint. ibid. Quibus in rebus poetæ vti hoc carmine sint. ibid. Quibus rebus hoc carminis genus conueniat, & quibus non. ibid. Conditiones huius poematis præcipuæ. ibid. Adnotatio. ibid. Cur præcipuè carmen hoc melicum appelletur. 1082. a. Duplex horum poetarum genus. ibid. Tibiarum varia genera. ibid. Materia carminis lyrici. ibid. Quadripartita diuisio eorum, quæ ad melicos pertinent. ib. Varia melicorum genera, & encomia Epicinij. ib. Quis lyrici carminis inuentor. 1082. b. Apud Græcos, qui in hoc carmine claruerint, & qui apud Latinos. ibid. Breuitas, & suauitas in huiusmodi carmine commendatur. ibid. Carmen Dithyrambicum considerandum proponitur. ibid. Huius carminis auctor quis fuerit. ibid. Dictio poematis Dythyrambici qualis. 1083. a. Hoc genus carminis maximè apud Vetustiores Græcos in vsu erat. ibid. Qui hoc carmen canebant, & quibus instrumentis vterentur. ibid.

Categoria.

Categoriæ omnes multifariam ordinari, disponiquè possunt. 157. a. Maior tamen est attendenda facilitas. ibid. Duæ difficultates, cum solutionibus. ibid.

Causa.

Causæ non solum, sed etiam modi, quibus illæ suo munere funguntur, Philosopho debent esse perspecti. XVIII. Causa bifariam sumitur. 563. b. Causa duplex; nempè formalis, & virtualis. ibid. Variæ commemorantur conditiones. 564. a. Variæ difficultates, cum solutionibus, circà primam conditionem, afferuntur. 564. b. Multæ difficultates afferuntur, & soluuntur circa alias conditiones. ibid. Causa duplex interna, & externa. 613. a. Causa efficiens multiplex. 636. b.

Certitudo.

Certitudo duplex. 510. b. Certitudo, ab auctoritate proueniens, plures gradus habet. 511. a. Certitudo quæ oritur ex necessitate obiecti. ibid. Certitudo se tenet ex parte cognitionis, contingentia verò ex parte obiecti. 740. b.

Chorus.

De chorico disseritur. 1063. b. Chori locus in fabula. 1064. a. Chori varij saltus. ibid.

Climax.

De Climace. 927. a. Quid sit. ibid.

Cognitio.

Cognitionis nomen quid significet. 18. a. Concedenda omninò intellectiua cognitio. ibid. Quid sit explicatur. 19. a. Intellectiua cognitio definitur. ibid. Cognitionis nomen tam veræ, quàm falsæ cognitioni conuenit. ibid. Cognitio prout in habitu consistit, non cadit sub logica consideratione. 19. b. Istius cognitionis obiectum est omne ens. ibid. Intellectus ipse, eiusquè cognitio est sui ipsius obiectum. ibid. Istius cognitionis tres sunt actus, & veluti eiusdem gradus. Apprehensio, Iudicium & Discursus. ibid. Approbatur ista partitio, simulque explicatur. ibid. Quælibet cognitionum vlteriorem diuisionem subire potest. ibid. Hæc cognitionum partitio humano tantummodo conuenit intellectui, non Angelico, nec Diuino. ibid. Cognitio intellectiua est rectitudinis, & directionis capax. 20. a. Quid sit cognitionis rectitudo. ibid. Cognitioni quomodo rectè capacitas competat. 23. b. Quam cognitionem consideret Logicus. ibid. Quomodo cognitioni indirectæ rectitudo dicatur conuenire. ibid. Quo pacto indirectos actus dirigat Logicâ edoctus intellectus. ibid. Cur rectitudinem potius, quàm defectum cognitionis attendat Logicus. ibid. Quid sit rectitudinis capacitas in cognitione. ib. Actualis cognitio rei impedit significationis actum. 61. a. Cur in re detur fundamentum ad cognosci, & non ad produci &c. 166. a. Vndè est, vt per hanc distinctionem virtualem, & formalem per intellectum omnis de medio tollatur contradictio. ibid. Hunc in modum obiecto extrinsecùs distinctionem aduenire explicatur. ibid. Per supradictam distinctionem dici potest obiectum extrinsecùs, & intrinsecùs diuisum. ibid. Supradictorum explicatio. 166. b.

Collectio.

Collectio quid. 896. b.

Color.

Color nil aliud, quam lumen. &c. 251. a. Colores quomodo procreentur. 215. b.

Comparatio.

Comparatio quid à minori, maiori, & pari. 896. a. Ex similium, & dissimilium comparatione magnam vtilitatem percipi. 201. a. Denarius comparationum numerus. ib. Comparantur inuicem omnia vniuersalia. 201. b. De particularibus comparationibus. 202. a. Prima comparatio est generis, & differentiæ. ibid. Reliquæ comparationes. ibid. Secunda comparatio, nempè generis cum specie. 202. 6. Prima comparatio, & reliquæ. ibid. Tertia comparatio est generis cum proprio. ibid. Prima comparatio, & reliquæ. ibid. Animaduersio duplex. 203. a. Quarta comparatio est generis cum accidente. ibid. Prima comparatio, & reliquæ. ibid. Quinta comparatio est differentiæ cum specie. 203. b. Prima, & reliquæ comparationes. ibid. Animaduersio. ibid. Sexta comparatio est differentiæ cum proprio. ibid. Prima, & reliquæ comparationes. ibid. Septima, & octaua comparatio est specierum cum proprio. 204. a. Prima, & reliquæ comparationes. ibid. Animaduersio. ibid. Nona comparatio est speciei cum accidente. ibid. Decima, ac postrema comparatio est proprij cum accidente. Prima, & reliquæ comparationes deinceps.

Communitas.

Communitas positiua magis explicatur. 187. a. Hæc dicitur indifferentia, & indeterminatio contraria. ibid. Communitas priuatiua, vel negatiua magis explicatur. ibid. Vnde vtraquè dicatur. ibid. Eadem breuiùs explicantur. ibid. Eadem communitatis distinctio tradita sub aptitudinis nomine. ibid.

Compositio.

Compositio ex genere, & differentia est opus rationis. 173. b. Difficultas superius tacta, & soluta. ibid. Alia difficultas eiusque solutio. ibid. Compositio ex genere, & differentia inter conceptus obiectiuos exercetur. ibid.

Communicatio.

De Communicatione. 939. b. Quid sit. ibid. De commoratione, seu mora. ibid. Quid sit. ibid. De communibus figuris. ibid. Quæ dicantur huiusmodi. ibid. Breuitas, & correctio quid sit. ibid.

Conceptus.

Conceptus duplex vltimatus, & non vltimatus. 60. a. Ex parte loquentis præter conceptum non vltimatum, etiam vltimatus

matus requiritur. 60. b. Ad loquendum non sat est de re aliqua præhabuisse notitiam; sed oportet vt actu resilia, de qua fit sermo, cognoscatur. ibid. Quid aliqui censuerint de conceptu requisito in accidente. ibid. Eorum sententia, vt vera sit quomodo intelligenda. ibid. Cuiusmodi sit actualis cognitio ministerio vocis in animo audientis gignenda, cum de integra propositione fit sermo. 61. a. Quando quispiam aliquod idioma nouiter addiscit. ibid. Latius patet loqui, quàm significare. ibid. Conceptus explicitus vnde dictus. 432. b. Conceptus implicitus vnde dictus. ibid.

Concretum.

Concretum accidentarium quodammodo formam, & quodammodo subiectum significat; abstractum verò formam. 215. b. Concretum bifariã spectari potest. 216. a. Concretum significat formam, & connotat subiectum. 216. b. Concretum bifariã accipitur. 220. b. Concretum accidentale quomodo ad prædicamentum pertineat. ibid. Difficultas, eiusque solutio. ib. Concretum duplex substantiale, & accidentale. 423. a. Concretum aliud substantiuum, aliud adiectiuum. ibid. Concretum accidentale denominatiuum. ibid. In substantijs non solum dantur concreta ad suppositа; sed etiam ad singularia. 423. b. Quid propriè concretum significet. ibid. Quædam concreta, quæ nihil significant, præter abstracta. ib. De concretis quædam disputantur. 424. a. Concretum, prout in propositione adhibetur, quid significet. ibid. Concretum tàm accidentale, quàm substantiale ex parte subiecti positum. ib. Concretum in propositione significat iuxta exigentiam alterius extremi. 424. b. Concretum vniuersè quid significet. ibid. Significare quid. ibid. Hæc propositio, *paries est albus*, quomodo exponenda. ibid. Non idem significare, ac supponere. ibid. Variæ difficultates solutæ. 425. a. Quid de substantialibus concretis dicendum. 425. b. Concretum de concreto prædicari potest 480. b. Nullum concretum posse de suo concreto formaliter prædicari. 481. a. Vbi variæ difficultates soluuntur. Concretum accidentale non redditur multiplex iuxta formarum multitudinem, sed iuxta multitudinem subiectorum. 209. b.

Confidentia.

De confidentia. 995. b. Duo sunt præcipua quæ confidentiam pariunt. ibid. Quæ plurimùm augeant confidentiam. 996. a. Aliud ad idem conducens. ibid. Alia duo ad hoc facientia. ibid. Varia genera hominum, qui & quibus in rebus confidant. ibid. Quinque sunt, quibus homines instructi, confidentes fiunt. ibid. Fiduciæ causa. 996. b. Quomodo orator possit audaciam fouere, & quomodo reprimere. 996. b.

Consequentia.

Consequentia duplex, nempè necessaria, & probabilis. 500. b. Consequens differt à consequentia. ibid. Consequentia duplex, bona, & mala, & totuplex argumentatio. ibid. Consequentia materialis, & formalis quid. 502. a. Consequentia vnde dicatur. 587. a. Consequentia latissimè sumpta. ibid. Consequentia materialiter, & formaliter accepta quid. ibid. Inanis diuisio consequentiæ, in bonam, & malam. ib. Quid vtraque sit. 587. b. Diuisio bonæ consequentiæ, in formalem, & materialem. ibid. & quid vtraque sit, ex aliorum sententia. ibid. Consequentia formalis, & materialis quid. 588. b.

Contemptus.

Contemptûs tractatio. 1009. b. Quid sit. ibid.

Contentio.

Contentionis tractatio, deque eius duplici parte confirmatione, & confutatione. 907. a. Vniuersa contentio tribus continetur. ibid. Conditiones seiunctionis, & distributionis ibid. Propositio particularis, siue status quid. ibid. Dicitur etiam constitutio, & quare. ibid. Tria in vnaquaque distributione quæri possunt. ib. Status Coniecturalis, Definitiuus, & Quidditatiuus quid. ibid. Status coniecturalis omne tempus complectitur. ibid. Facultas, lucri atque commodi expositione stabilitur. 907. b. Qualitatiuus duplex; nempè iudicialis, & negotialis. ibid. Iudicialis duplex. ibid. Omnes orationis partes ad confirmationem referuntur. ibid. Eadem species argumentorum, confirmationi, & confutationi deseruit. ibid. Quando per demonstrationem, & reprehensionem. ibid. Confirmatio quid. 908. a. Quinam optimus argumentorum ordo in confirmatione. ibid. Confutatio quid. ib. Ordo seruandus in confutatione contrarius ordini confirmationis. ibid Varij recensentur modi, quibus fieri confutatio potest. 908. b. Figuræ confutationi magnoperè consentaneæ. ibid. Contentionis artificium. ibid. Contentio tribus partibus constare dicitur. ibid. Diuisionis commodum. ibid.

Contingens.

Contingens duplex, naturale, & liberum. 457. a.

Contractio.

Contractio naturæ, re ipsa facta, maximè differt a facta per intellectum. 87. b. Contractio abstractioni opponitur. 193. a. Contractio communis naturæ quid sit. 193. b. Qualis sit communis naturæ diuisio. ibid. Contractio, quæ fit per intellectum, consentanea vniuersali in actu suscipitur explicanda. ibid. Quid differat inter contractionem vniuersalis metaphysici, & Logici. ibid. Contractio facta per intellectum magis explicatur. ibid.

Contraria.

Qua ratione contraria se expellant ab eodem subiecto. 469. a. Traditur doctrina de expulsione contrariarum qualitatum iuxtà duplicem dicendi modum, & vterquè explicatur. 411. a. Variæ difficultates cum solutionibus. 411. b. Contrarietas duplex, scilicet per participationem, & per expulsionem extremorum. 664. a.

Corpus.

Corpus trifariam sumitur. 291. a. Lineam, superficiem, & corpus veras esse quantitatis continuæ permanentis species ostenditur. 191. b. Prima quantitatis proprietas. 192. b. Difficultas discutitur. ib. Multa hac de re disputantur deinceps. Quomodo quantitati conueniat quantitatem habere; & secunda quantitatis affectio. 295. a.

D

Dæmon.

Dæmonis ex Apuleio descriptio. 228. b. Dæmones quomodo futura præsentiant contingentia libera. 469. b. Primus fons vndè dæmones, ex Theologorum sententia, præsagia deducunt; secundus, tertius, & quartus. 471. b. Obiectio, eiusque solutio. ibid.

Definitio.

De definitione discurrere tam ad Logicum, quàm ad Metaphysicum pertinet, sed ratione diuersa. 27. a. An definitio rerum dari possit, ibid. Concedenda definitio à priori, & à posteriori ostenditur. ibid. Duæ difficultates, cum solutionibus. 27. b. Definitionis maxima dignitas. ibid. Quidam ex Platonicis vnicum instrumentum sciendi esse contendunt. ibid. Si detur demonstratio, ei præferenda in definitionem existimant. ibid. Eorum opinio reijcitur. ibid Definitionis vtilitas. 28. a. Definitionis necessitas. ibid. Definitio quid rei vndè nomenclaturam accipiat. 28. b. Deffinitionis explicatio. ibid. Trifariam à Scholasticis definitio sumitur. 29. a. Quomodo definitio dicatur oratio. ibid. Differentia inter definitionem, & diuisionem. ibid. Variæ obiectiones, & solutiones. ibid. Non vna definitionis ratio. 29. b. Duplex definitio quidditatiua, vna, descriptiua altera. ibid. Essentialis definitio physica, & metaphysica. ibid. Definitio quidditatiua in duplici discrimine. ibid. De definitione item agendum, vbi de demonstratione. ib. Definitio non modo ex proprijs, sed etiam ex communibus, coniunctim tamen acceptis, confici potest. 33. a. Constructio definitionis vndè petenda; ibid. Quomodo in definitione physica, & metaphysica sint exprimenda principia. ibid Metaphysica definitio duobus modis conficitur. ib. Dispositio partium definitionis. ibid. In definitione non omnia collocanda. ibid. Bonæ definitionis ratio quibus conditionibus contineatur. 30. b. Methodus venandæ definitionis triplex; prima Hyppocratis, secunda Platonis, tertia Aristotelis

Digitized by Google

ſtotelis. 31. a. Platonis, & Ariſtotelis methodus explicatur. ibid. Quomodo definienda ſpecies ſpecialiſſima. ibid. Ariſtotelis via prò venanda definitione non tàm compoſitiua, quàm reſolutiua eſt. ibid. Ariſtoteles commendat diuiſionem ad venandam definitionem via compoſitiua. 32. a. Summa doctrinæ, quam Ariſtoteles tradit de indaganda definitione. ibid. Præcepta ad indagandam definitionem ſpeciei infimę. ibid. Adnotatio. ibid. Præcepta ad indagandam definitionem generis. 32. b. Res explicatur exemplo. ibid. Conditiones, quas aliquid poſtulat, vt poſſit definiri ibid. Difficultates proponuntur, ſimulque diluuntur. 33. b. ex Peuſippo quid eſſet definitio. 34. a. Definitio quid 665. a. Definitionum exempla ibid. & dein.

Democritus.

Democriti laudes. xv.

Demonſtratio.

De demonſtratione. 561. An, & quid ſit demonſtratio. ibid. Poſſibilis eſt demonſtratio. ibid. Difficultas aduerſus demonſtrationem proponitur, & duæ opiniones circà difficultatem hanc afferuntur. ibid. Vera difficultatis enodatio. ibid. Circà demonſtrationis definitionem difficultas cum ſolutione. 562. a. Quatuor hac de re aſſertiones afferuntur. ibid. Conditiones præmiſſarum ſecundum ſe. 562. b. Definitio demonſtrationis generatim acceptæ. 565. b. Concluditur quid ſit demonſtratio. ibid. Difficultas cum ſolutione. 566. a. Quotuplex ſit demonſtratio. ib. Quam benè diuidatur in demonſtrationem *propter quid*, & *quia*. 566. b. Variæ philoſophorum ſententiæ de ſuperiori demonſtrationis diuiſione. 567. a. Quid hac de re dicendum. 567. b. Species demonſtrationis eſſe ſubalternas 568. a. Variæ difficultates afferuntur, ſimulque enodantur; ibid. & dein. Quomodo demonſtrationes prædictæ inter ſe diſtinguantur. 569. b. Aſſertio docens quid hac de re dicendum; ibid. Quomodo commemoratæ demonſtrationes inter ſe conueniant 570. a. Aſſertio docens quid ſentiendum hac de re; ibid. Variæ difficultates cum ſolutionibus afferuntur 570. b. Aduerſariorum reſponſio 571. b. Quædam præoccupatæ, ſimulque ſolutæ difficultates, proponuntur. 572. b. Quædam Ariſtotelis auctoritates afferuntur, variæque difficultates proponuntur. ibid. De demonſtratione *propter quid* 574. a. Difficultas cum ſolutione 574. b. Qualis debeat eſſe cauſa, quæ in demonſtratione *propter quid* adhibetur, nempè reciproca 575. a. An talis cauſa debeat eſſe phyſica, & videtur quod non. 575. b. & deinceps. Duplex demonſtratio propter quid iuxta duplicem cauſam phyſicam, & metaphyſicam 576. a. Quatuor media demonſtrationis *propter quid* iuxtà quatuor genera cauſarum ibid. An ad demonſtrandam eamdem concluſionem plures cauſæ poſſint adhiberi ibid. Nihil prohibet per plures cauſas proximas poſſe eamdem concluſionem demonſtrari ibid. Duæ difficultates hac de re, cum ſolutionibus 576. a. & deinceps. An ad perfectam rei cognitionem omnium cauſarum perceptio requiratur 577. a. Perfectio cognitionis duplex ibid. Cognitio duplex; nempè comprehenſiua, & non comprehenſiua 577. b. Cauſa duplex puta per ſe, & per accidens; Quinque aſſertiones hac de re ibid. & deinceps. Variæ difficultates perhibentur 578. b. & deinceps. De demonſtratione, *quia* 580. a. Qualis debeat eſſe effectus in demonſtratione *quia*. 580. b. Quando effectus eſt phyſicus in quocumque genere cauſæ poteſt pro medio ſumi 581. a. Difficultas ex Ariſtotelis auctoritate ſoluitur 581. b. Secundus modus demonſtrationis *quia* ibid. Tribus modis contingit, cauſam conuerti cum effectu 582. a. & dein. Hæc demonſtratio in ſecunda figura fit. 582. b. Alia aſſignatur demonſtratio pertinens ad genus demonſtrationis *quia* 583. a. Aſſertio hac de re ibid. Duæ difficultates cum ſolutionibus 583. b. De demonſtratione ducente ad impoſſibile 584. & dein. E quorumdam ſententia quatuor ſunt proceſſus in demonſtratione ducente ad impoſſibile 584. a. Animaduerſio ibid. Demonſtratio ducens ad impoſſibile reuocatur ad demonſtrationem *propter quid*, vel *quia* ibid. Quomodo demonſtratio ducens ad impoſſibile ex Ariſtotele fieri debeat 585. a. Adnotatio ibid. Demonſtratio diuiditur in oſtenſiuam, & ducentem ad impoſſibile ib. Demonſtratio oſtenſiua quid, explicatur ibid. Oſtenſiua duplex, affirmatiua, & negatiua 585. b. Demonſtratio ducens ad impoſſibile quid, explicatur ibid. An argumentatio ducens ad impoſſibile ſit vera demonſtratio ibid. Aſſertio docens hanc eſſe veram demonſtrationem ibid. Variæ difficultates propoſitæ, ſimulque ſolutæ ibid. Proponitur explicandum quomodo ex falſo liceat verum colligere 587. a. Ex vero verum, & ex falſo falſum per ſe ſequitur 589. a. Aſſertio docens ex vero per ſe tantum ſequi verum, ex falſo per ſe ſequi falſum, & per accidens verum. ibid. Ex vero verum, ex falſo verum, & falſum ſequitur ibid. Variæ difficultates ad hanc rem ſpectantes proponuntur, ſimulque ſolvuntur 589. b. De præcipuo quodam demonſtrationis genere, quo Mathematici præſertim vtuntur 590. b. Multa hac de re diſputantur, ibid. & deinceps. Partes ſuperficiei cuiuſque humidi, proindeque maris, confidentes figuram ſphericam efformant 592. b. Affinitas huius demonſtrationis cum modis, quibus Dialetici utuntur ibid. De præcognitionibus, atque præcognitis ad demonſtrationem requiſitis 593. a. Quid de præcognitionibus, & præcognitis Ariſtotelis interpretes dicant 593. b. Difficultates aduerſus Ariſtotelis ſententiam 594. a. Quid nomine doctrinæ, & diſciplinæ ſit intelligendum 594. b. Secunda aſſertio 595. a. Præcognitio bifariam ſumitur ibid. Quinque cognoſcendi modi ibid. & dein. Præcognitionum alia dirigens, & alia agens 599. b. De qua præcognitione Ariſtotelis propoſitio ſit intelligenda ibid. Iterum dubitatur, quo ſenſu ſcientia dicatur fieri ex præexiſtenti cognitione. ibid. Quid hac de re dicendum. ibid. Difficultates 597. b. Præcognitio per ſe accepta quid. 597. a. Quædam præcognoſcenda ſunt ad ſcientiam demonſtrationis præſidio comparandam ibid. Neceſſario dandas præcognitiones ex dictis infertur 597. b. Duæ genere, quatuor verò ſpecies præcognitiones ſunt ibid. Triæ eſſe præcognita ibid. Difficultates proponuntur, ſimulque ſolvuntur ibid. Affectio duplex 596. b. De terminis demonſtrationis præcipuè propter quid, & primò de extremis b. 2. a. Maius extremũ in Demonſtratione *propter quid* 612. b. Definitio integra poteſt per cauſam externam de definito formaliter demonſtrari 613. b. Definitio integra per cauſam internam non poſſe neque formaliter, neque materialiter oſtendi ibid. Difficultates ex Ariſtotele deſumptæ 614. a. *Quid eſt* duobus modis vſurpari poteſt, 617. b. Nullum accidens commune poteſt eſſe maius extremum in demonſtratione 618. b. Difficultas, eiuſque ſolutio 619. a. De medio demonſtrationis termino, & primo demonſtrationis *quia* 620. b. Difficilis eſt modus inueniendi medium ibid. Medius terminus demonſtrationis in vniuerſum quid. ibid. Medius terminus in demonſtratione *quia* ibid. Duplex adnotatio 621. a. Medius terminus demonſtrationis *propter quid* 622. a. Cauſæ genus quod libet in hac demonſtratione tanquam medium poteſt adhiberi ibid. Cauſa materialis, efficiens, & finalis pro medio 922. b. Quomodo huiuſmodi cauſæ poſſint eſſe medium ibid. & dein. Difficultates variæ proponuntur 624. a. Aduerſus demonſtrationem *propter quid* difficultas 625. a. Superioris demonſtrationis è quorumdam placito reſolutio in prima principia 625. b. Refellitur ibid. Mathematicæ demonſtrationes quandoque per materialem cauſam procedunt 626. a. In Mathematicis diſciplinis frequenter uſurpantur demonſtrationes per aliquod neceſſario concomitans procedentes ib. Mathematicæ quandoque vtuntur demonſtrationibus ducentibus ad impoſſibile; ibid. De potiſſimæ demonſtrationis medio. ibid. Quo ſenſu hic potiſſima ſumatur demonſtratio ibid. Conflatum ex definitione formali, & cauſali, medium potiſſimæ demonſtrationis eſſe non poteſt 627. b. Muitæ, variæque difficultates allatæ, ſimulq; ſolutæ 628. a. Aduerſus ſecundam aſſertionem quædam aliæ difficultates cum ſolutionibus 629. b. Cauſalis definitio paſſionis eſt medium potiſſimæ demonſtrationis 630. a. Tres aliæ aſſertiones ad hoc ſpectantes

in me-

in medium afferuntur, cum quibusdam difficultatibus 630. b. Quarumdam scientiarum demonstrationes expenduntur 633. a. In mathematicis demonstrationibus causa materialis medium censetur 634. a. Causa etiam formalis est medium ibid. Variæ propositiones demonstrantur 634. b. Multa disputantur varias difficultates proponendo ibid. & dein. Physicæ demonstrationes quales 640. a. Quandoque idem effectus per duas causas demonstratur ibid. Etiam per tres, & quatuor 640. b. Methaphysicæ demonstrationes quales sint; variique demonstrationis modi, cum quadam animaduersione ibid. De præmissis demonstrationis, & primò an, & quomodo debeant esse primæ, immediatæ, & per se notæ 641. a. Præmissarum conditiones ibid. Præmissæ debent esse primæ, & immediatæ 641. b. Principium demonstrationis quid ibid. Propositio immediata quid ibid. Propositio per se nota assumitur declaranda ibid. Quomodo definiri soleat ibid. Diuisio propositionis immediatæ ex quorumdam sententia reiicitur; quanuis aliquo sensu posset admitti 642. a. Immediatarum varia propositionum genera 642. b. Duæ dubitationes 643. a. Quomodo demonstrationis *propterquid* præmissæ debeant esse immediatæ 644. a. Variæ assertiones ad hoc attinentes, duæque difficultates, cum solutionibus proponuntur ibid. An, & quomodo demonstrationis præmissæ debeant esse priores, & notiores conclusione 651. a. Quædam conditiones, ad demonstrationis præmissas requisitæ 651. b. Quid de principiis in dubium reuocetur 652. a. Assertio 652. b. Quædam rationes afferuntur, & quorundam responsiones reiiciuntur ibid. Præmissas esse conclusione notiores, variis rationibus probatur 653. b. Difficultates variæ 654. a. An, & quomodo præmissæ demonstrationis debeant esse causæ ac *principia propria*, *ideſt non aliena conclusionis* 655. b. Præmissæ debent esse principia propria 656. a. An, & quomodo præmissæ demonstrationis esse debeant causæ, atque principia propria; ideſt non communia conclusionis 660. a. Variæ difficultates exhibentur, simulque illis occurritur 661. b. Demonstrationis efformatio 669. a. An, & quomodo demonstrationis præmissæ debeant esse *de omni*, & *per se* 669. b. Demonstrationis propositiones per prædicationem naturalem, seu directam fieri debent 670. a. Demonstrationis propositiones debent esse de *omni* 671. a. Variæ difficultates ibid. Quatuor modi dicendi per se recensentur 671. b. & dein. Quæ propositiones ad singulos modos dicendi per se pertineat 673. b. Duæ opiniones hac de re ibid. Tres assertiones 674. a. Contra secundam assertionem difficultas præoccupata, simulque soluta 674. b. Quomodo sit difficultatibus occurrendum explicatur 675. a. Propositiones ad secundum modum spectantes ibid. Quid differat inter prædicata primi, & secundi modi ibid. Quæ propositiones ad tertium, & quæ ad quartum pertinent ibid. Quartum modum omne causæ genus complecti ostenditur ibid. Difficultas præoccupata, simulque soluta 676. a. Alia difficultas ibid. Quartus modus dicendi per se quatuor habet gradus ibid. Quatuor modi dicendi per accidens ibid. In quo modo per se demonstrationis præmissæ esse debeant 676. b. Assertio docens omnes quatuor modos vtiles esse ibid. Tertius quoque modus in demonstratione adhiberi ibid. An, & quomodo demonstrationis præmissæ de vniuersalis prædicato esse debeant ibid. Prædicatum vniuersale quid ibid. Duæ opiniones afferuntur, & secunda probatur 677. a. Modi quibus erratur circa prædicatum vniuersale 677. b. Regula prò euitandis erroribus ibid. Prædicatum primum quid. 678. a. De genere proximo dubitatio 679. a. Dicendum genus proximum respectu singularium specierum non esse prædicatum primum ibid. Demonstratio perfecta potissima, atque complexionem numerorum omnium habens debet esse de prædicato vniuersali. ibid. De demonstrationis forma, de demonstratione circulari &c. disputatur, demonstrationes itidem, & scientia inter se conferuntur, & alia tractantur ad hanc materiam spectantia 683. Figura demonstrationis quid. ibid. a. Modus quid. ibid. Omnium figurarum prima, & aptissima ibid. b. Varii explicandi modi 684. a. In aliqua etiam ex aliis figuris fieri demonstratio potest 685. a. Venari de definitione quid ibid. Varii explicandi modi ibid. Difficultas soluta 685. a. Etiam in aliis figuris posse demonstrationem fieri asseritur 686. a. Demonstratio non solum affirmatiua, sed etiam negatiua fieri potest ibid. Demonstrario negatiua non in sola secunda figura fieri potest. ibid. Propositiones negatiuæ tanquam demonstrationis præmissæ &c. 687. a. Assertio triplici parte constans affertur, & singulæ partes probantur ibid. De circulo, atque regressu demonstratiuo 687. b. Circuli de quo fit sermo duplex acceptio ibid. Syllogismus circularis quid. ibid. Quædam adnotanda de circulo, & regressu 688. a. Duplex acceptio circuli, & regressus formalis, & materialis 688. b. Opiniones diuersæ de circulo, & regressu ibid. Circulus in diuerso causæ genere contingit 689. a. Potest etiam contingere in causis eiusdem generis 689. b. Regressum possibilem esse, scientiisque plurimum vtilitatis afferre ostenditur 690. a. Circulum & regressum non sumi formaliter, & propriè, sed materialiter, & impropriè probatur 691. a. Duo consideranda proponuntur 691. b. Duplex modus explicandi quomodo perficiatur regressus, itemque circulus demonstrativus 692. b. Verus modus inquiritur, & assignatur 693. a. Assertio tenenda ibid. Secunda assertio 693. b. Sub qua ratione causa in regressu debeat attingi. ibid. Tertia, & quarta assertio ibid. & dein. Explicatur in quo consistat inquisitio, adhibenda in regressu ibid. Difficultates aduersus dicta quomodo diluendæ 694. b. Quædam præmittuntur 695. b. Dubitatio cum solutione 696. a. Demonstrationes inter se conferuntur 707. b. Quæ proponat Aristoteles consideranda ibid. Tres assertiones 710 a. Variæ difficultates in medium afferuntur, simulque solvuntur 611. a. Notitia conclusionis particularis demonstrationis de obiecto est distinctior, quàm sit conclusionis notitia, habita per demonstrationem, 712. a. Demonstrationem affirmatiuam præstantiorem esse negatiua 712. b. Composita demonstratio quid 713. a. Dubitationes quedam 713. b. Et deinceps. Demonstratio affirmatiua, negatiuæ præstare ostenditur 714. a. Variæ difficultates, cum solutionibus proponuntur ibid. & dein. Demonstratio ostensiua potior est ducente ad impossibile 716. a. Demonstratio ostensiua quomodo fiat ibid. Adnotatio. 716. b. Similitudo inter demonstrationem ostensiuam, & ducentem ad impossibile. ibid. Demonstratio ducens ad impossibile bifariam accipitur. 717. a. Duobus modis alteri corespondens dicitur. ibid. Adnotatio. ibid. Demonstratio ducens ad impossibile, è quorumdam sententia, non est vera demonstratio. ibid. Assertio docens esse veram demonstrationem. ibid. Variæ difficultates proponuntur 726. b. Demonstratio ostensiua perfectione, ac dignitate demonstrationem ducentem ad impossibile superat. 718. a. Difficultas cum solutione. ibid.

Deprecatio.

De Deprecatione 936. b. Quid sit ibid. Ad misericordiam concitandam optatio, & salutatio solet usurpari. ibid.

Dialetica.

Dialecticæ varia nomina 1. a. Dicitur etiam Logica ibid. Logicæ nomen à voce græca λόγος deducitur. Vox λόγος multa significat ibid. Præcipuè tamen duo, nempe rationem, & sermonem ibid. vide Logica. Dialecticæ nomen differendi artem significat. 1. b. Specialim significat Dialecticæ partem, in qua de discursu probabili disputatur ibid. Dialecticæ nomen traductum fuit ad vniuersam significandam facultatem ibid. Dialecticæ facultas est admittenda 2. a. Difficultas hac de re, cum solutione ibid. De eius subiecta materia variæ sententiæ. 11. b. Secunda difficultas, eiusque solutio 12. a. Cuiusmodi huius facultatis subiecta materia esse debeat 12. b. Ratio ob quam de secundis intentionibus à Logico differitur 13. a. Difficultates, cum solutionibus ibid. Auctoris in re propositæ opinio 13. b. Ad quid nos instruit Dialectica ibid. Cognitio, quam Dialectica considerandã, assumit bifariam spectari potest ibid. Cuiusmodi sit quæ Dialecticæ subia-

Digitized by Google

subiecta materia est 14. a. Qua ratione cognitio huius facultatis subiecta materia existimanda sit ibid. Subiectæ materiæ conditiones, ibid. Quæ considerantur in aliqua disciplina, bifariam ad rem subiectam possunt reuocari, ibid. Quo pacto quicquid tractatur à Dialectico ad intellectus cognitionem reuocetur, ibid. Quomodo intellectus cognitio ad Dialecticum pertineat, ibid. & dein. Quomodo de intellectus cognitione priores Dialectici egerint. 14. b. Difficultas proponitur ibid. Differentia inter Physicam, & Dialecticam ibid. Quomodo cognitionem Dialecticus consideret, ibid. Difficultas eiusque solutio, ibid. Quid interst discriminis inter Moralem, & Dialecticum, ibid. Intellectus non minus quam voluntas erraribus obnoxius, ibid. Dialecticæ finis omnium mentis operationum directio est 15. a. Vna ex operationibus mentis erroribus magis exposita quàm altera ibid. Non tamen principalius vna, quàm altera a Dialectico spectatur, ibid. Cuiuslibet facultatis organicæ duplex finis, ibid. Directio, finis internus Dialecticæ 15. b. Exercitium directionis in hac vel illa materia finis externus, ibid. Habitus Dialecticu quomodo ad actus alterius materiæ concurrat, ibid. Quid præstet habitus ad productionem actus, ibid. Difficultas diluitur, ibid. Dialecticus præcepta præscribens, abstrahit ab omni materia 16. a. Quælibet intellectus operatio erroribus obnoxia, ibid. Incomplexa falsitas seu defectus quidam apprehensioni est concedendus ibid. Quomodo instrumentum sciendi hæc facultas dicatur ibid. Explicatur tandem in quo Logicæ, seu Dialecticæ natura consistat 16. b. Dialectica bifariam accipitur 17. a. Vnitas aggregationis à Dialectica remouetur 17. b. Alia unitas tollitur, ibid. Quæ unitas aggregationis Dialecticæ seu Logicæ concedenda 18. a. Quomodo Dialectica Philosophiæ pars dicenda sit, ibid. Quomodo non sit dicenda 18. b Non temerè instrumentum dicta, ibid. Nec temerè Philosophia dicitur subalternata, ibid. Tanguatur breuiter subalternationis rationes ibid. Dialecticus per varias vias incedit ad cognitionis rectitudinem assequendam 24. p.

Diaphaneitas.

Diaphaneitas duobus modis explicatur 251. a. Prima, & secunda explicatio 251. b.

Dialogus.

Dialogus quid. 950. a. Eius character non idem 950. b. vide. Elocutio.

Dictio.

De dictione siue elocutione 1055. b. Cuiusmodi esse debeat poetica elocutio 1056 a. Elocutionis tres virtutes numerantur 1056. b. Duo sunt quæ puritati officiunt, ibid. Variæ elocutionis virtutes, ibid. & dein. Metaphora plurimum ad ornamentum conducit 1057. b. Vocalium, & consonantium conditio spectanda ibid. Dictio numerosa esse debet ibid. Rythmus quid, ibid. Non minus in carmine, quàm in oratione variatur character 1058. a. Ad elocutionem pertinet suauitas, ibid.

Differentia.

Quomodo sumenda sit differentia ut habeat rationem vniuersalis distincti ab aliis 94. a. Cur differentia specifica sit essentialis speciei, non tamen numerica 98. b. Differentiæ nomine quid significetur; ac multiplex eius significatio 152. a. Quid interst inter differens & diuersum ibid. Bifariam differentia spectari potest, ibid. Triplex differentia, communis propria & propriissima, ibid. Tametsi diuisio hæc bimembris non sit, ad bimembrem tamen facilè reuocatur, ibid. Duplex differentia vna separabilis, altera inseparabilis, ibid. Hanc adæquatam esse diuisionem ostenditur 152. b. Variæ difficultates, ibid. & dein. Quid per hanc diuisionem intelligi debeat diuisum 153. a. Diuisio est quidpiam reale, ibid. Variæ difficultates, cum solutionibus ibid. Vtrum sit partitio æquiuoci, analogi, & vniuoci 153. b. Diuisio est vniuoci cum quadam analogia, ibid. Difficultas eiusque solutio, ibid. Hæc vniuocatio analogiam habet adiunctam, ibid. Primum analogatum est differentia propriissima, ibid. Quatuor differentiæ munera considerantur. ibid: & dein: Quatuor à Porphyrio de differentia definitiones traduntur 154. a. Cur dicatur per differentiam diuidi ea quæ sub genere sunt, ibid. An diuidere genus sit reale quidpiam à differentia proueniens, ibid. Iuxta duplicem naturæ statum hoc explicari debet, ibid. Quomodo genus ad unam speciem contractum se habeat 154. b. Quo pacto differentia ad constitutionem speciei facere dicenda sit 156. a. Celebris difficultas proponitur, ibid. Proponitur inquirendus modus, quo genus, & differentia designari debeant 156. b. Quo sensu speciei nomen usurpari debeat, ibid. Variæ difficultates cum solutionibus 157. a. Non unus est modus, quo genus, & differentia debeant in specie designari. ibid. Secunda differentiæ definitio tradita à Porphyrio conuenit differentiæ genericæ 174. a. Ad quæ differentia referri possit, ibid. Definitio differentiæ prout uniuersalis induit naturam 174. b. Rectè differentiam fuisse definitam suadetur ibid. Declaratio definitionis, ibid. Variæ difficultates cum solutionibus, ibid. & dein. Per ordinem ad quæ differentia habeat rationem vniuersalis 175. a. Æquale respectu æqualis non induit rationem vniuersalis, ibid. Differentia inter accidens & alia prædicabilia 201. Non quælibet differentia habet sibi determinatum genus 222. b. Datur differentia alicuius generis propria, vt aliud diuidere non possit ibid. Non omnis tamen sic se habet differentia 223. a. Neotorici cuiusdam responsio, ibid. & dein. multa hac de re disputantur. Quomodo genus patere possit latius quàm differentia 223. b. Quando differentia essentialis latet, ad proprietatem confugiendum 302. b.

Dilemma.

De Dilemmate 894. b. Quid sit ibid.

Disciplina.

Disciplinarum, & artium distributio proponitur considerandaxxxii. Dialectica cæterarum facultatum ianua, & instrumentum xxxiv. In omni disciplina de re subiecta differendum 18. a.

Discursus.

Discursus unde dictus 491. Instrumentum aptissimum ad dirigendum discursum est argumentatio. ibid. Ratiocinatio siue discursus quid. 492. a. Duplex discursus ibid. Explicatur discursus natura, ibid. Explicatur quomodo in intellecta habeatur discursus 492. b. Quorumdam error detegitur, ibid. Quomodo intellectus discurrat, ib. Quę de assensu dicta, dissensui possunt etiam accommodari 493. a. Cur duplici nomine iudicium appelletur, nomineque assensus nuncupari soleat, ibid. Circa quid versetur discursus, ibid. Quomodo discursus dicatur procedere ex noto ad ignotum 493. b. Vbi variæ difficultates deinceps expenduntur. Discursus geminam rationem sibi vendicat 499. a. Discursui veritas, & falsitas conuenit, ibid. Veritas discursus eiusdem rationis est cum veritate simplicis iudicii, ibid. Veritas, & Falsitas discursus ab eiusdem bonitate, & prauitate differt, ibid. in quo bonitas discursus consistat 499. b. Discursus pravus essentialiter sibi vendicat discursus rationem ibid. Difficultas, eiusque solutio, ibid. Discursus per argumentationem tanquam per instrumentum dirigitur 500. a.

Dispositio.

Dispositio quid 304. b. De dispositione 898. Eloquentia quinque partibus constat, ibid. Quid, & quotuplex sit dispositio 899. a. Dispositio duplex, ibid. Quatuor modis naturalis dispositio contingit ibid. Artificialis dispositio triplex 899. b. Analytica trifariam fit, ibid. Synthetica, & definitiua, ibid. Quid oratori summoperè curandum, ibid. Ad fidem consequendam duplex via, ibid. Quatuor sunt orationis partes 900. a. Non omnes sunt necessariæ, ibid.

Diuisio.

Diuisio quo sensu hic accipiatur 34. a. Plato summè diuisionem commendauit, ibid. Libellum de diuisione conscripsit 34. b. Diuisionis dignitas atque vtilitas, ibid. Qua ratione diuisio sit vtilis, ibid. Aristoteles diuisionis vtilitatem expressit, ibid. Diuisio non solùm vtilis, sed etiam necessaria, ibid.

Diui-

Digitized by Google

Diuisio quid sit ibid. Tradita definitio declaratur ibid. Diuisio duplex, nominis, & rei, quid utraque sit 35. a. Totum duplex per se, & per accidens ibid. Totum per se duplex, unum potentiale, alterum actuale, & quid utrumque sit ibid. Duplex diuisio potentialis vna, & actualis altera, & quid vtraque sit ibid. Rursus totum actuale duplex. vide. Totum. Actualis diuisio essentialis, & integralis, & quid vtraque 35. b. Triplex diuisio toti per accidens accommodata ibid. Conditiones bonæ diuisionis ibid. Difficultates circa prædicta 36. a. Diuidendi ars non eadem quæ definiendi ibid. Diuisionis usus ad indagandam definitionem declaratur ibid. Aristotelis loca, vbi de diuisione loquitur, explicantur 36. b. Rationes aduersus diuisionis vsum ibid. Adhuc vtilis est diuisio ad venandam definitionem 37. a. Gemina eius vtilitas 37. b Tria requiruntur ad rectè definiendum 38. a. Difficultas aduersus diuisionis usum ibid. Distinctionum numerus, è quorumdam sententia, exhibetur 38. b. Primum genus identitatis, & distinctionis, cum aliis generibus ibid. Septenarius numerus distinctionum non necessariò admittendus 39. b. Omnis distincto, quæ non operante intellectu contingit, potest quodammodo realis appellari ibid. Duo distinctionum genera ex rei natura commemoratur, & quod quibusdam arrisit ibid. Quid distinctio realis propriè sumpta; quid modus; & quid nomine rei intelligendum ibid. Inditia distinctionis realis è quorundam opinione ibid. Breuius res expenditur 40. a. Improbantur superiora inditia ibid. Quò deducta res sit ad coniiciendam distinctionem realem ibid. Distinctio realis latiori significatu, cadit etiam inter positivum, & negativum ibid. Distinctio essentialis quid 40. b. Distinctio accidentalis, & numerica quid ibid. Distinctio à partibus sigillatim sumptis qualis ibid Distinctio formalis ex rei natura ibid. Diuisio distinctionis formalis ibid. Altera distinctio formalis cuiusmodi sit, explicatur ibid. Rationes ad trutinam reuocandæ, quibus formalis ex rei natura distinctio ab eius fautoribus explicari solet 41. a. Ratio qua hæc sententia falsitatis suspecta suadetur ibid. Diuisio duplex per se, & per accidens 229. b. Argumenta aduersariorum proponuntur, iisdemque fit satis 41. b. Distinctio modalis explicatur 46. a. Distinctio rationis explicatur 46. b.

Distinctio rationis duplex ibid. Distinctio rationis ratiocinantis ibid. Non planè constat apud Philosophos, quid sit fundamentum rationis ratiocinatæ ibid. Duo dicendi modi recensentur ibid. Quodnam sit fundamentum rationis ratiocinatæ ibid. Duo dicendi modi recensentur ibid. Quodnam sit fundamentum rationis ratiocinatæ concluditur 47. a. Error quorundam reiicitur ibid. Adnotatio circa prædicta, & alia etiam animaduersio 47. b. Adnotanda circa distinctionem rationis ratiocinantis ibid. Hæc distinctio non cadit supra conceptus formales 48. a. Definitio non aliud est vniuersale quàm definitum 49. a. Adnotatio de duplici definitionis genere 439. a. Definitio enuntiationis tradita per veritatem, & falsitatem non omnino damnanda 439. b. Diuisio prima antepradicamentalis 220. b. Eius vtilitas 221. a. Secunda diuisio ibid. Supradicta diuisio quam vtilitatem afferat ibid. Duæ regulæ à Philosopho traditæ; & earumdem declaratio ibid. Ad quid prima regula conducat ibid. Duæ conditiones requiruntur, 221. b. Adnotatio ibid. Variæ difficultates solutæ ibid. Secunda regula ibid. Eius utilitas ibid. Huius regulæ ratio ibid. Quid hac regula per genera subalterna, & quid per non subalterna intelligeneum 222. a. Adnotatio ibid. Difficultas, eiusque solutio, ibid. Quid de generibus subordinatis dicendum 222. b.

Doctrina.

Doctrina secundo posteriorum libro tradita breuiter explicatur. 755. a. Propositio Aristotelis ratione comprobata 751. b. Adnotatio 756. a. Alia adnotatio 758. b. Adnotatio 761. a. Adnotatio 762. b. Quid Aristoteles doceat à tex. 36. vsque ad tex. 45. explicatum fuit 761. b. Nominalis definitio quo sensu in præsentia sumatur 763. a. Demonstratio continua quid 763. b. Considerandæ quædam proponuntur 764. a. Adnotatio ibid. Dubitatio 765. a. Dubitatio, & quid dicendum 766. a. & dein. Consequenter posita quæ dicantur 770. a. Continua, & contigua quæ dicantur ibid.

Drama.

Dramatum Varia genera 1064. b.

E

Effectus.

Effectus contingentes sunt triplicis generis 457. b.

Electrix.

Electrix secta quæ xvi.

Elocutio.

De Elocutione 1021. Tria quæ totam dicendi artem perficiunt ibid. Duo ex Fabio sunt ab Oratore maximè spectanda ibid. Quid, & qualis sit Elocutio ibid. Elocutio quid 822. a. Elegantia quid 822. b. Ornatus elocutionis 823. a. Emendata elocutio 823. b Solœcismus quid, & quot modis fiat ibid. De elocutionis ornatu, & 1. De Tropis ibid. Elocutionis figuratæ commendatio ibid. Duo ad oratoriam elocutionem faciunt 914. a. Quid sit Tropus ibid. Tropi verborum, & sententiarum commemorantur ibid. De aliis ad elocutionem spectantibus 940. b. Elocutio in arte dicendi præcipuam vim habet ibid. Quatuor in elocutione spectanda 941. a. Oratoria elegantia, quid ibid. Latinitas, explanatio, & elegantia quid, ibid. Duæ elocutionis virtutes ibid. Emendata elocutio quinque rebus comparatur ibid. & dein. Altera elocutionis pars 941. b. Ambiguitatis remotio ad emendatam elocutionem facit, ibid. Quartum, & quintum quod ad emendatam elocutionem conducit 942. a. Hæc ad Grammaticos pertinet, ibid. Quæ supersunt adnotanda, ibid. Quæ grandem orationem efficiunt ibid. Ad augendam orationem quid etiam faciat, ibid. Decorum orationis unde habeatur, ibid. Quid Aristoteles de Elocutione sentiat 942. b. Hermogeni, Demetrio Phalereo, & Aristoteli quid periodus esset, primusque elocutionis inuentor, ibid. & dein. Oratio periodis comprehensa virtute prædita est 942. a. In oratoria compositione duo spectanda sunt 943. b. Periodi nomen explicatur ibid. Numerus oratorius ex auctoris sententia quid 944. a. Pedes dityllabi, trisyllabi, & tetrassyllabi, oratoribus familiares 944. b. Proponitur de charactere, stylo que differendum 945. a. Vndè dicatur vterque, ibid. Prò varia rei tractandæ materia, varius character orationis 945. b. Triplex character ibid. Tria sunt genera orationis ibid. Triplex iterum character 946. a. In quolibet charactere tria sunt spectanda, & omnia recensentur ibid. & deinceps. Sententiæ graues 947. a. Verba itidem ad orationis grauitatem faciunt 947. a. Verba grandia grandem orationem faciunt ibid. Translationes magnificè grandem orationem reddunt. ibid. Breues imagines grandem orationem faciunt 948. a. Verba ex coniunctione facta ad orationis magnificentiam conducunt. Verba itidem solutа idem præstant ibid. Allegoriæ maximè conferunt orationi maiestatem ibid. Vocum earumdem iterationes quando idem efficiant, ibid. Casuum obliquatio, & idem valet, ibid. Verba contentanea idem præstant, ibid. Epiphonema summoperè maiestatem orationi auget, ibid. Quod Poeticum est idem præstat 948. b. Stylus tumidus siue frigidus considerandus assumitur, ibid. Hoc genus dicendi in rebus, verbis, & compositione ponitur est, ibid. Res in quibus character iste exercetur, ibid. Varia quæ desiderantur ad hunc characterem, ibid. & dein. Stylus epistolis accommodatus 949. a. Dialogi materia quæ 949. b. Opinio de Charactere Dialogi, ibid. Dialogi duæ partes assignantur 950. a. Quid Dialogus sit, ibid. Prædictæ Dialogi partes, quæ, ibid. Qualis persona in Dialogo princeps, ibid. Materia Dialogi amplissima est. 950. b. Dialogi character non idem ac epistolicus, ibid. Stylus siccus clarius explicatur; & verba sicca quæ, ibid. Compositio sicca, ibid. Stylus mediocris, siue æquabilis, eiusque auctor 951. a.

Elogium.

De Elogio instituitur tractatio 10. b. quid sit, eiusque diuisio

Digitized by Google

ro, ibid. Quæ ad elogij constitutionem pertineant, ibid.

Emanatio.

Emanatio propriè accepta quid 381. a.

Emphasis.

De Emphasi 937. b. Quid sit, ibid.

Enumeratio.

De enumeratione, & comparatione 895. b. Quid sit, ibid. Duobus modis efficitur, ibid.

Enunciatio.

Enunciatio, & propositio quomodo distinguantur. 438. b. Propositio quid. 439. a. Definitio enunciationis tradita per veritatem, & falsitatem non omninò damnanda. 439. b. Enunciatio pluribus modis usurpatur. ibid. Cuiusmodi esse debeat enunciationis idea præcepta tradendo assequimur. 440. a. Enunciatio de secundo, & tertio adiacente quid. ibid. Prædicatio directa, & indirecta quid. 440. b. Materia, & forma enunciationis. ibid. Signa spectantia ad quantitatem, & qualitatem enunciationis quæ. ibid. Enunciationis qualitas, uniuersalis, & particularis. ibid. Propositio indefinita quid. ibid. Regulæ obseruandæ. ibid. f. Enunciatio uniuersalis, particularis, & indefinita. ibid. Enunciationis qualitas duplex; essentialis, & accidentalis. 441. a. Enunciationis variæ species, ibid. In propositione cathegorica quatuor considerantur, ibid. Enunciationis materia 441. b. Tres regulæ, ibid. Enuntiationis quantitas ibid. Enunciationis qualitas affirmatio, & negatio, ibid. Affirmatiua, & negatiua propositio explicatur 442. a. Diuisio propositionis in veram, & falsam ibid. Diuisio in affirmatiuam, & negatiuam, ibid. Affirmatiua, & negatiua in vniuersali conueniunt, ibid. Difficultas cum solutione, ibid. Vocales etiam enunciationes, quarum vna affirmatiua est, essentialiter differunt 442. b. Enũciatio, vniuersalis, & particularis essentialiter differunt, ibid. Enunciatio singularis, & indefinita ibid. Quorundam opinio de enunciatione indefinita, ibid. E quorundam sententia duplex vniuersalitas Metaphysica, & Moralis 443. a. Adnotatio 443. b. Aliæ enunciationes vniuersales, aliæ etiam particulares, ibid. Enunciationes in quibus adhibentur nomina collectiua, ibid. Diuisio enunciationis in simplicem, & coniunctam, ibid. opinio quorumdam de enunciationibus coniunctis, ibid. Assertio decernens enunciationem coniunctam esse actum vnicum mentis, ibid. Prima ratio, cum multis aliis ibid. Enunciatio coniuncta conditionalis, ibid. Disiunctiua, ibid. Difficultas cum solutione 444. a. Enunciatio exclusiua, ibid. Num enunciationis partitio in simplicem, & compositam, sit vniuoca 445. a. Tres opiniones recensentur; & vera assertio affertur, ibid. Quarta enunciationis diuisio, quæ est *de ineße*, & aliam quæ dicitur *modalis*, ibid. Superior diuisio est essentialis, ibid. Quinta enunciationis diuisio, in certam, & probabilem tantùm, ibid. Celebris diuisio in necessariam, & contingentem, ibid. Enunciatio necessaria quæ 456. a. Enunciationes æternæ veritatis 456. b. Enunciationes æternæ veritatis cur à tempore absolui dicantur, ibid. Qua ratione dicantur æternæ, ibid. Modus explicandi aptissimus, ibid. Duæ difficultates cum solutionibus, ibid, & dein. Quo modo propositiones essentiales veræ dicantur, ibid. Enunciatio contingens quid, ibid. Enunciatio contingens potest esse, aut vera, aut falsa 457. a. Contingentia duplex ibid. Enunciationes de præterito, ac de presenti esse determinatè veras ratione suadetur 457. b. Necessariæ enunciationes semper veræ; & impossibiles falsæ 460. a. Intuitiua cognitio ex vera nequit fieri falsa, ibid. Enunciationes de presenti concernentes certam aliquam temporis differentiam, ibid. Multa tractantur de re proposita ibid. & dein.

Ens.

Ens rationis est vmbra entis realis 48. a. Eiusdem disciplinę est considerare id quod est simpliciter tale; & quod videtur tale ibid. Deus sibi vendicat rationem entis, ibid. Aliud entis genus, quod rationis, & entis realis vmbra dici consuevit 48. a. Entis rationis non vna significatio 48. b. Duplex ens, rationis, vnum cum fundamento, aliud sine fundamento in re, ibid. Ens rationis iuxta posteriorem vsurpationem bifariam accipitur 49. a. Quò hæc disputatio spectet, ibid. f. Nullum aliud dari ens rationis, quàm quod in intellectu existit, ibid. Quicquid in ratione inest rectè dicitur ens rationis, ibid. Assumitur ostendendum repugnare illud ens rationis, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu distinctum ab omni ente existente in tota latitudine rerum 49. b. Nullo modo admittendum ens Rationis Logicum, siue Metaphysicum; siue mauis Chimæricum, ibid. Effectio Chimeræ expenditur, ibid. Ex Chimera non licet ens rationis &c. inferre 50. a. Præcipua ratio, qua auctor ductus, ens rationis, obiectiuè tantùm in mente existens, inficiatur, ibid. Multa disputantur, ibid. & dein. Variæ difficultates 50. b. & dein. Materiale repræsentatum, per cognitionem, sunt natura repugnantes 51. a. Variæ difficultates cum solutionibus, ibid. & dein. Entis rationis vulgata partitio, in Logicum, & Metaphysicum, & quid vtrumque 53. b. Secundum ens rationis Logicum explicatur 54. a. Quomodo falsam notitiam inuoluat, ibid. Peculiaris quædam species entis rationis, quæ secunda intentio nuncupatur. ibid. Non omnes relationes rationis in priori cognitione consistere, ibid. Primæ, & secundæ intentiones natura coniicitur, & vtraque explicatur 54. b. Vide Intent. Ens per accidens quomodo possit unica definitione definiri, ibid. Ens iuxta secundum analogiæ modum dicitur analogicè de Deo, & creatura 212. a. Entitas quid 488. a.

Enthimema.

De Enthimemate 891. a. Magna Enthimematis laus ibid. Enthimema duplex 891. b. Iterum duplex ibid.

Epigramma.

De Epigrammate, Epitaphio, & Elogio 1083. b. Quid Epigrammatis nomine significetur, ibid. Prima Epigrammatis acceptio 2084. a. Secunda Epigrammatis acceptio, & quid iuxta hanc acceptionem sit, ibid. Quando Epigramma cæperit ibid. Epigrammatis materia quæ ibid. Epigrammatis bipartita diuisio ibid. & dein. Modus tractandi argumentum Epigrammatis 1087. a. Epigramma nisi dictis salsis, & acutis abundet non laudatur, ibid. & dein. Character epigrammatis triplex 1087. b. Characteres variantur prò varietate rerum, ibid. Exempla trium characterum, ibid. Epigramma breuitate maximè gaudet, ib. Quibus carminibus epigrammata scribi possint 1088. a.

Epitaphium.

De Epitaphio instituitur tractatio ibid. Epitaphium quid ibid. Epitaphium iustum ibid.

Epitrope.

De Epitrope 938. a. Quid sit ibid.

Epopæia.

De Epopæia 1076. b. Magis elaborata Epopæiæ definitio 1077. a. Materia Epopæiæ continet res, & personas, ibid. Epopæiæ forma imitatione, metroque continetur, ibid. Conuenientia Epopæiæ cum tragœdia 1077. b. Persona, de qua differendum non est nominatim proponenda 1078. b. Narratio epica qualis, ib. Epicæ narrationis præcipuæ dotes 1079. a. Dispositio epici poematis ibid. An Poema epicum oratione soluta contexi possit 1079. b. Qualis elocutio epici poematis ibid. Epopæiæ compositio qualis, ibid. Quid ad compositionis elegantiam faciat, ibid. Adnotatio 1080. a.

Error.

Quid sit error, & quomodo à scientia, & opinione differat 953. a. Error unde dicatur ibid. Error multifariam accipitur, ibid. Vndè error oriatur, ibid. Quæ de propositionis errore dicta fuerunt, de discursûs errore debent etiam intelligi 753. b. Illatio praua gemino modo contingit, ibid. Quid differat inter errorem, scientiam, & opinionem, ibid. Error quomodo definiendus, ibid. Duæ difficultates proponuntur 554. a.

Esse.

Esse in, & dici de bifariam potest usurpari 86. a.

Digitized by Google

Essentia.

Quid essentiæ nomine intelligendum 98. b. Difficultates cum solutionibus ibid.

Etopœia.

De Etopœia 934. a. Quid sit ibid.

Euidentia.

Euidentia quid 511. a. Euidentia duplex ibid. Euidentia haud necessariò cum certitudine coniungitur 511. b. Euidentia duplex ibid. Dubitatio, ibid.

Execratio.

De execratione, & quid sit 937. a.

Exemplum.

De Exemplo 894. a. Quid sit ibid. Quædam exempli similitudo, ibid. & dein. Exemplum fictum quæ sub se contineat 894. b. Exemplum inductioni per simile, ibid.

Exordium.

De Exordio 900. a. Quid Ciceroni esset, & quid sit, ibid. Quomodo Græcè dicatur, & eiusdem quarta necessitas 900. b. Vnde quædam proœmii necessitas deducatur 901. a. Quatuor proœmii partes, ex quorundam opinione statuuntur 901. b. Quid oratori faciendum ad proœmium probè laborandum ibid. Duo exordiorum genera ibid. Vnde beneuolentia captetur ibid. Quomodo Orator beneuolentiam propria persona contrahat 902. a. Quomodo à persona rei, siue clientis beneuolentiam sibi comparet Orator ibid. Beneuolentia ab aduersariorum persona, ibid. Assequetur Orator à Iudicum, siuè ab auditorum persona beneuolentiam, ibid. A rebus beneuolentia, ibid. Attentos porrò faciet Orator auditores quatuor obseruando, ibid. Res magnæ, propriæ, & admirabiles 902. b. Ex iucunditate causæ, ibid. Docilitatem quomodo Orator sibi conciliare possit, ibid. Causarum qualitates expendendo. Honesta, Turpis, Dubia, Admirabilis, & Obscura causa quæ 903. a. Exordii gemina partitio ibid. Quando insinuatione sit utendum Oratori ibid. Partitio exordii in illud quod est ex abrupto &c. 903. b. Exordium legitimum ib. Alia etiam insinuantur 904. a. Adnotatio ibid. Vitia exordii considerantur, eaque numerantur, ibid. Figuræ in exordiis adhibendæ, ibid. Motus in Exordijs adhibendi 904 b. Ratio contexendi exordii ibid.

Existentia.

Existentia quid 1003. b.

Experimentum.

Experimentis ad naturalem disciplinam rectè tractandam, est opus XVIII. Concluditur ipsis indulgendum esse XIX. Experimentis instructa via damnanda non est, ibid. Experientia quid 647. b.

F

Fabula.

DE Fabulæ, atque adeò poematis ordine, ac magnitudine. 1046. b. Poeta est similis api, ibid. Quis ordo in fabula seruandus. 1047. a. Quid hac de re sentiendum, ibid. Variæ rationes afferuntur. 1047. b. Ordo in fabula vndè sumatur, ibid. Non eadem lege adstinguntur Historicus, Orator, & Poeta, ibid. & dein. Symmetria ex quibus constet 1048. b. Præfinire magnitudinem fabulæ in vniuersum quomodo possit, ibid. De alijs fabulæ proprietatibus, ibid. Fabula non debet esse episodica, & quomodo hoc intelligendum, ib. Fabula debet esse admirabilis 1049. a. Admiratio ex tribus rebus proficiscitur, ib. Quæ admirationi obsint 1049. b. Fabulæ solutio gemino modo fieri potest, vel per interna fabulæ, vel per extrinsecùs petita, ib. Solutio per machinam quid, & quotuplex, ib. Machina quare à poetis introducta in scenam 1050. a. Solutio per machinam tollerabilis, sed rarò adhibenda, ib. & deinceps. Difficultas præoccupata, simulq; soluta 1052. a. Adnotatio, ib. Fabula quotuplex sit 1058. b. Fabulæ partitio, ibid. Quadripartita fabulæ partitio probatur, ib. Actio simplex, & implexa quæ, ib. Ex quatuor fabularum modis duo simplices, & duo complexi, ib. Duplex simplicitatis modus 1059. a. Duplex plexionis modus, ib. Alia fabulæ distributio 1059. b. Fabula nec nimis longa, nec nimis breuis esse debet 1061. b. Diuerbium, & Chioricum fabulæ partes 1062. b. Chori artificium quale, ibid. Actus fabulæ quinario numero comprehenduntur, ibid. Quid in singulis actibus habeatur 1063. a. Actuum magnitudo, ibid. Actuum numerus, seu multitudo, ibid. Diuerbij partitio, ibid. Nomenclatio fabulæ vnde sumatur, ibid. Externa duo sunt 1065. a. Theatrum quale 1065. b. Fabula Rhyntoniea, & Ilatodia 2066. b. Hircus cur Baccho sacer 1067. a.

Fallacia.

De fallacia generatim 804. a. Fallacia bifariam sumitur, ibid. Fallacia passiuè sumpta quid, ibid. Fallacia actiuè sumpta quid, ibid. Quomodo Fallacia sit locus sophisticus, ibid. Alia Fallaciæ acceptio, ibid. Quo sensu Fallacia in præsentia sumatur, ibid. Causa apparentiæ & deceptionis 804. b. Duo sunt generatim loci deceptionis, ibid. Sufficientia locorum, ibid. De Fallaciis quæ in dictione contingunt 805. b. Cur priùs de Fallaciis in dictione disputetur, ibid. De æquiuocationis Fallacia, ibid. Prima Fallacia in dictione est, æquiuocationis, quæ trifariam contingit, ibid. Causa apparentiæ, & deceptionis, ibid. Huius Fallaciæ triplex est acceptio, ibid. De Amphibologiæ Fallacia 806. a. Amphibologiæ Fallacia quæ ibid. Causa apparentiæ, & deceptionis, ibid. De compositionis, diuisionisque Fallacia 806. b. Causa apparentiæ, & deceptionis, ibid. Trifariam contingit aliquam compositionem sensum compositum, & diuisum admittere, ibid. In modalibus ex duplici parte habetur sensus compositus, & diuisus, ibid. Primus huius fallaciæ modus 807. a. Secundus modus 807. b. Adnotanda quædam, ibid. & dein. Paralogismi compositionis in hoc genere quomodo fiant 808. a. Tertius modus compositionis, & diuisionis, ibid. De accentûs Fallacia 808. b. Syllabbæ quatuor accidentia ib. Accentus pressa significatione sumptus quid, ib. Accentus laxa significatione acceptus quid, ib. Fallacia accentûs quid, ib. Variæ huiusmodi Fallaciæ species assignantur, ib. & dein. De Fallacia figuræ dictionis 809. a Quid sit huiusmodi Fallacia, ib. Variæ eiusdem Fallaciæ species 809. b. Tertia species trifariam contingit 810. a. De Fallacijs extra dictionem 810. b. Huiusmodi Fallaciæ numero septeno, ib. Prima ex his, est accidentis fallacia, ibid. De Fallacia accidentis, ib. Huiusmodi Fallaciæ quæ, ib. Causa apparentiæ, ib. Quadrifariam aliqua dicuntur vnum 811. a. Tres huiusmodi Fallaciæ species, ib. Notanda quædam 811. b. A diuisis ad iuncta, & vicissim, ib. Quædam alia circa Fallaciam hanc obseruantur 812. De Fallacia à secundum quid ad simpliciter, & vicissim. 812. b. Quid sit Fallacia secundum quid 812. b. Fallacia à secundum quid ad simpliciter explicatur, ib. Causa apparentiæ, & deffectûs, ibid. De Fallacia ignorantiæ Elenchi 813. b. Huiusmodi Fallacia quid sit, ibid. Elenchi quadripartita diuisio, ib. Causa apparentiæ, & deffectûs 814. a. De Fallacia petitionis principij, ib. Huiusmodi Fallacia quid, ib. Causa apparentiæ, & deffectus, ib. Adnotatio 814. b. De consequentis Fallacia, ib. Quid sit huiusmodi Fallacia, ib. Causa apparentiæ, & deceptionis, ib. Per antecedens, & consequens quid intelligendum, ib. Positio quid, ib. De Fallacia non causæ, vt causa. 815. a. Quid sit huiusmodi Fallacia, ib. Causa apparentiæ, & deffectûs, ibid. Exempla ad superiorem doctrinam illustrandam, ib. De Fallacia plurium interrogationem, 825. b. Quid sit huiusmodi Fallacia. ib. Causa, apparentiæ, & deffectûs. ib.

Falsitas.

Falsitas quid sit 23. a. Generatim accepta se habet vt genus respectu veri, & falsi, ib. Non propterea in natura talis cognitio sic abstracta concedenda est extra intellectum, ibid. Per differentias contrahi; cognitioni speciatim sumptæ non conuenit ex rei natura, ib. Probatur à pari, ib. Bifariam capacitas potest spectari, ib. Falsitatis origo 412. b. Quæritur quid formaliter sit falsitas repræsentationis 453. a. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein.

Fides,

De Fide 754. a. Fidei definitio 754. b. Motiuum extrinsecum, & intrinsecum 755. a.

Figura

Digitized by Google

Figura.

De Figuris, siue schematibus 924. b. Schematis vox multifariam accipitur, ib. Quid differat inter schema, & figuram, ib. Schema, siue Figura tàm proprijs, quàm improprijs verbis fieri potest, ib. Variæ schematis definitiones & eiusdem vera definitio, ib. Quandoque Tropi, & Figuræ inuicem miscentur 925. a. Figurarum partitio, ibid. Quid differat inter schema verborum, & sententiarum 925. b. Tres classes schematum, siue Figurarum, quæ per verborum additionem, detractionem, & similitudinem dicuntur, ib. De Figuris verborum per detractionem 928. b. Quid sint, ib. De Figuris verborum per similitudinem 930. b. Quid sint, ib. De Figuris sententiarum 932. b. Catalogus Figurarum quæ ad animi affectus mouendos conducunt, ibid.

Finitum.

Finitum, & infinitum esse, quomodo intelligendum 299. a. Potentia infinitum quid medium inter simpliciter finitum, & simpliciter infinitum 299. b. Infinitum potentia ad hoc prædicamentum spectat, ibid. Difficultas, eiusque solutio ibid.

Forma.

Formam suscipere magis, & minus in quo consistat 297. b.

Futurum.

Futurum duplex, necessarium scilicet, & contingens 466. b. Futurum contingens trifariam usurpatur, ibid. Futurum necessarium hic non consideratur 466. b. Futurum conditionatum omittitur, ibid. De Futuro absolutè differendum, ibid.

G

Genus.

GEnus, sumptum vt pars, dici non debet contrahibile, sed perfectibile 93. a. Adæquatam hanc esse diuisionem, ostenditur ibid. Prædicatio generis de specie quomodo se habeat 935. b. Non benè ab aliquibus assignatur discrimen inter genus, & differentiam in ratione vniuersalis, ibid. De genere quæritur an sit definibile, & de qua definitione sit sermo 173. a. Genus potest propria definitione definiri, ibid. Rationibus probatur, & difficultates solvuntur, ibid. Quid explicetur definitione generis, inquiritur 138. Genus duo, & naturam, & genereitatem inuoluit, ibid. Triplex hac de re opinio ibid. Aggregatum ex natura, & intentione genereitatis non est res definita 138 b. Rationibus probatur, ibid. Aduersariorum responsio, & confutatio, ibid. Aggregatum ex natura, & secunda intentione genereitatis definitione explicari bifariam potest intelligi ibid. Intentio genereitatis prædicata est conditio 139. b. Intentio non prædicatur, vt quod, nec vt quo, ibid. Quomodo generis definitio tradita secundæ intentioni conueniat, ibid. Quæ de genere dicta sunt, cæteris vniuersalibus aptari possunt 140. a. Variæ difficultates cum solutionibus, ibid. Generis natura explicatur 140. b. Generis definitio secundum exercitam prædicationem intellecta. ibidem. Quando attenditur formalis sensus definitionis, quomodo explicanda definitio, ibid. Difficultas ibid. Singulæ definitionis particulæ expenduntur, ibid. & dein. Acuratiùs consideratur generis definitio, ibid. Adnotationes ibid. Difficultas 141. b. Variæ ad hoc idem spectantes difficultates, ibidem. Definitio generis tradita cuiusmodi sit. 143. a. Alia generis definitio, ibid. Primò quæritur qua ratione genus de indiuiduis prædicetur 143. b. Genus de indiuiduo incompleto immediatè prædicatur 143. b. Ratione suadetur, variæq; difficultates afferuntur, ibid. & dein. Genus de indiuiduis incompletis non vt genus, sed ut species prædicatur 145. a. Quando genus prædicatur per modum partis de completis indiuiduis 145. a. Tertia dubitatio de genere, ibid. Quomodo genus de specie prædicetur 145. b. Variæ opiniones afferuntur, & reiiciuntur, ibid. & dein. Quarta dubitatio quomodo genus dicendum sit continere differentias 146. a. Variæ difficultates cum solutionibus 146. p. Genus respectu vniuersalis se habet, ut species infima ibid. Non eodem modo genus differentias, ac species continet, ibid. Quinta dubitatio an genus, & quomodo plures species requirat; an potius in vnica possit conseruari 147. a. Resolutio de genere Logico, ibid Resolutionis ratio, ibid. Resolutio de genere Metaphysico, & resolutionis ratio 147. b. Quomodo genus ad vnam speciem contractum se habeat 154. b. Cuiusmodi sit diuisio generis per differentias, ibid. Difficultas 155. a. Consideratur natura prout obiicitur menti, ibid. Explicatur magis diuisio genericæ naturæ per differentias, ibid. Explicationis continuatio 155. b. Si sub uno genere species innumeræ reperiri possunt, eadem in re infinitæ sunt differentiæ 157. b. Duæ difficultates, ibid. Num genus, & differentia debeant à diuersis eiusdem rei partibus desumi, ibid. Non repugnat ex diuersis physicis partibus rei compositæ prædicata desumi, ibid. Ratio ad id probandum 158. a. Non semper à diuersis partibus physicis hæc desumuntur prædicata, ibid. Nec etiam quando rex physicis partibus constat, ibid. Quid aliquibus hanc in re fuerit errandi causa, ibid. Modus, quo differentia ad speciei constitutionem concurrit, declaratur, ibid. Differentiæ in duplici discrimine sunt 158. b. Non repugnat differentias communes per genus determinari, ibid. Quando differentia non sit speciei propria, ibid. Variæ difficultates, ibid. & dein. Quando est imperfecta præcisio inter genus, & differentiam, quid dicendum 195. a. Adnotatio, ibid. Quomodo genus, & differentia in speciei constitutione distinguantur, ibid. Variæ hac de re extitere sententiæ, ibid. Gradus metaphysicus sola ratione distinguitur, ibid. Variæ difficultates 160. a. Quanuis gradus metaphysici ex rei natura distinguantur, non distinguntur tamen aliquo modo, nempè distinctione rationis 161. b. Celebris de præcisionibus proponitur disputatio ibid. Genus, & differentia quandoque superfecta præcisione distinguntur 172. a. Variæ difficultates afferuntur, ibid. Genus, & differentiam trifariam usurpari posse 172. b. Tres modi, & quid de re proposita sentiendum, ibid. Variæ difficultates 173. a.

De generibus causarum 951. a. Tria sunt causarum genera, & quodlibet genus habet duas partes 951. b. Deliberatiuo generi tempus futurum assignatur 952. a. Iudicialis generis præteritum tempus est proprium ibid. Demonstratiui generis maximè proprium est tempus præsens 952. b. Singulis generibus prædictis proprii debentur fines, ibid. Superioribus generibus assignantur animi motus 953. a. De genere demonstratiuo, ibid. Quid sit ibid Quæ ad hoc genus reducantur, ibid. Hoc genus dicendi maximè latè patet ibid. Cur sic appelletur 953. b. Quæ laudem recipiunt, ibid. Duplex exornatio hominis ibid. Duplex exornationis ordo ibid. Artificialis, & naturalis ordo, ibid. Laus à natione, & à multis aliis sumitur 954. a. Quando quispiam obscuram patriam sortitus fuerit 954. b. Quando patria fuerit dedecore oppressa, quid oratori agendum, ibid. A genere laudes desumuntur ibid. Laudari possunt etiam ii, quorum genus ignominiosum est 955. b. Quæ in vita contingunt ad laudandum assumūtur ib. Helena Lucretia Cornelia Piscopia fœminei sexus conditionem superauit, ib. Ex auguriis quoque laudes desumi possunt ibid. Laudes ex corporis fama 956. a. Senes etiam suam pulcritudinem habent 956. De laudibus à statura corporis desumptis, ibid. Etiam à corporis paruitate laudes desumuntur 957. a. Proceritas facit ad pulchritudinem, ibid. Deformitas quomodo laudanda, ibid. Quomodo vituperanda 957. b. Ab animo laudes desumuntur, ibid. A fortunæ bonis desumuntur laudes 958. a. Pueritia, Adolescentia, & Ætas consistens, ibid. Laus ab inimicis petita, ibid. Laudes à vicinis vitiis desumptæ 958. b. Laus sumitur etiam ab iis, quæ in morte, vel paulo ante contigerunt 859. a. Multa de morte hic disputantur, & deinceps. Fortunarum laudes summatim exponuntur 939. b. Fortunæ, corporis, & animi bona, ibid. Nobilitas publica, & priuata 960. a. Muta animantia quomodo laudanda, ibid. Factorum laudes explicantur, ibid. Tria genera compositorum, & quomodo laudentur 960. b. Quomodo plantæ laudentur, ibid. Maria qua ratione commendentur, ibid. Fluminum commen-

Digitized by Google

datio, ibid. & dein. Varij modi recenſentur, quibus multa laudari poſſunt. Generis demonſtratiui diſpoſitio 961. a. Quomodo artificialis ordo ſeruetur, ibid. Proœmium in genere exornatiuo quale 961. b. Præcepta proœmij in genere demonſtratiuo ibid. Ad genus demonſtrativum variæ orationes reuocantur ibid. Panegyricus undè dictus ibid. De exornatiuo genere quædam notatu digna 964. a. De genere deliberatiuo, ibid. Huiuſmodi generis materia 964. b. De fine deliberatiuo 965. a. Ciuilis beatitudinis variæ definitiones, ibid. Eius partes 965. a. Multa hac de re diſputantur deinceps. De diuitiis multa traduntur, ibid. & dein. In gratiam huius generis quædam notatu, & ſtudio digna traduntur 966. a. & dein. Democratia quid 967. b. Ochlocratia quid, ibid. Locus à neceſſitate valdè efficax ibid. Locus à poſſibili, & facili, ibid. Diſpoſitio deliberatiui generis ibid. An narratio in genere deliberatiuo danda ſit 970. a. Confirmatio in genere deliberatiuo qualis 970. b. & dein. Peroratio in hoc genere 971. a. Character generis deliberatiui ibid. De genere iudiciali 971. b. Huiuſmodi genus tractandi proponitur, ibid. Quid ſit, ibid. Eiuſdem generis materia, ibid. Duo ſunt in unoquoque genere fines, ibid. In demonſtratiuo genere finis mouendi eſt delectatio, ibid. In exornatiuo genere dicendi Oratori quid agendum 972. a. Quid præſtare debeat in hoc genere Orator, ibid. In iudiciali genere quid primò quæratur ibid. Obiectioni occurritur 972. b. Ariſtoteli tria ſunt iuſtitiæ genera 973. a. Princeps locus in hoc genere à iuſto, & iniuſto deſumitur, ibid. Status undè dicatur, ibid. Conſideratio de ætatibus magni momenti eſt 973. b. Quotuplex ſit ſtatus in dubium vertitur, ibid. Diſpoſitio generis iudicialis, qualis eſſe debeat 978. a. In cauſis ciuilibus unde duci poſſit exordium, ibid. Narratio in genere iudiciali qualis eſſe debeat, ibid. Narratio duplex, ibid. Confirmatio, cuiuſmodi in hoc genere eſſe debeat, ibid. & dein. Orator debet aduerſariorum obiecta diluere 979. a. Hactenus intelligenda de accuſatione, & quid in defenſione agendum, ibid. Peroratio qualis ibid. Character iudiciali generi conſentaneus, ibid. Ad iudiciale genus quæ orationes reuocentur 979. b. Accuſatio, Apologia, Inuectiua, Obiurgatio, Exprobratio, Expoſtulatio, & Deprecatio, ibid.

Quodlibet genus in duas diuiditur differentias 217. a. Duæ adnotationes ibid. Genera ſubalterna quas differentias participare poſſint 222. b.

Gratia.

De gratia, ſeu beneficio 1000. b. Gratia, ſiue beneficium quid, ibid. Quatuor requiruntur ad gratiam, ibid. Tullio quid gratia, ibid. Magna gratia, quæ cenſeatur 1001. a. Magnæ indigentiæ, quæ ſint, ibid. Hactenus dicta quomodo proſint Oratori, ibid. Quomodo Orator beneficium tollere, vel imminuere poſſit, ibid. Quomodo Orator beneficium etiam extenuare poterit: 1001. b. Iuuat per ſingulas categorias diſcurrere, ſiue ad augendum, ſiue ad imminuendum beneficium, ibid. Indicia quibus deprehenditur, num aliquid beneficio animo præditum ſit, ibid. Paucis hæc eadem comprehenſa exponuntur, ibid. Qui gratificentur ibid. Ad amplificandum tribus modis proceditur ibid. & dein. Ad minuendum totidem modis proceditur 1002. a.

H

Habere.

HAbere multifariam dicitur 417. b. Omnes eius modi recenſentur ibid. & dein. Habitus trifariam uſurpatur, ibid. Adnotatio, & variæ eius acceptiones recenſentur 418. a.

Habitus.

Habitus quid 304. b. Vox Habitus, & Habere plures habent ſignificationes 389. b. Habitus lata ſignificatione ſumptus quid, ibid. Quomodo hoc prædicamentum ex quorundam opinione accipiendum, ibid. Adnotatio, ibid. Quid propriè pertineat ad hoc prædicamentum ibid. Variæ opiniones recenſentur ibid. & dein. Aſſertio quod in extrinſeca denominatione conſiſtat habitus 390. b. Variæ huius prædicamenti diuiſiones ibid. Proprietates huius prædicamenti ibid. Poſt prædicamentum quid ib. Poſt prædicamentorum ſufficientia ibid. Poſt prædicamentorum numerus quinarius, ibid.

Homœoptoton.

De Homœoptoto 931. a. Quid ſit, De Homœoteleuto, ibid. Quid ſit, ibid.

Homo.

Omnes homines natura ſcire deſiderant, 1. Homini laborandum etiam in principiorum, & cauſarum indagatione, quoniam hunc in modum felicitatem aſſequitur, ibid. Hominis vita miſerabilis, ibid. Homo ex Anaxagora natus ad meditandum 11. Homo diuinæ naturæ particeps, ibid. Homo hunc in modum cognoſcit ſe eſſe diuinitatis participem, ibid. Homo ratione animi medius inter æterna, & caduca 111. Homo in ſtatu innocentiæ qualis xxxi. In ſtatu naturæ lapſæ, ibid. Quando ſe contemplationi tradendum operæ pretium duxerit ibid. Quando cæperit varia diſciplinarum genera meditari xxxii. Cur homo pluribus artibus indigeat, atque adeò Dialectica 5. b. Homines ad intimiores animi ſenſus quibuſdam indigent ſignis 57. b. Omnium ſignorum apteſſimum eſt vox, ibid.

Hyperbaton.

De Hyperbato, & Hyperbole 923. b.

Hipophora.

De Hipophora 938. a. Quid ſit, ibid.

Hypothipoſis.

De Hypothipoſi 934. a. Tria ſchemata in re propoſita ab aliquibus ſtatuuntur, ibid. & dein. Ætiologia, Diatypoſis, & Hypothipoſis, ibid.

I

Ignorantia.

Ignorantia puræ negationis, & praua diſpoſitionis 452. a. Dari in nobis falſas opiniones conſtat 452. b. In quo congruentia cognitionis cum obiecto conſiſtat, ibid. Ignorantia communiter ſumpta, quid 696. b. Propriè accepta, quid, ibid. Ignorantia prauæ diſpoſitionis diuiditur ibid. Ignorantia prauæ diſpoſitionis orta in nobis ex ſyllogiſmo, ibid. Huiuſmodi ignorantia duplex, ibid.

Imitatio.

Imitatio quid 1027. a. Quatuor de imitatione ſolent inquiri, ibid. & dein. Ad imitandum oportet egregium, vel Oratorem, vel Poetam eligere 2028. a. An vnus, vel pauci ſint in proſa, ſiue in carmine ſint imitandi, ibid. Quomodo ſint eligendi ii, quos æmulari volumus 1028. b. Quomodo intentionem imitemur, ibid. Quomodo diuiſionem, & elocutionem imitari poſſimus, ibid. Varij imitandi modi ibid. Imitationis vitia expenduntur 1029. b. & dein. Exercitatio imitationem comitatur 1020. a. Græcorum adagium, ibid. In quibus exercitatio verſetur, ibid.

Imperium.

Imperium potius voluntatis eſt actus, quàm intellectûs 26. a. Et ſi foret actus intellectûs ad ſecundam, & tertiam operationem reuocari poſſet, ibid. m. Si quæ ſunt aliæ operationes, ad Logicum non pertinent, ibid.

Impudentia.

De Impudentia 996. b. Quid ſit 997. a. Impudentia duplex, ibid Res quibus homines verecundari coguntur, ibid. Duo ſunt malorum genera, ibid.

Indignatio.

De Indignatione 1004. b. Nemeſis, quid ibid. Tàm miſericordia, quàm indignatio ab optima indole proueniunt, ibid. Nemeſis eſt laudabilis, Nemeſis, & inuidia differunt, & in quo inuidia, ac indignatio conueniant 1005. a. Diligentiùs inquiritur differentia inter indignationem, & inuidiam, ibid. Quæ contraria, contrarios mores indicant, ibid. Ad miſericordiam auertendam, & Iudicum animis, quæ conducant, ibid. Quas ob res, & in quos homines nemeſis excitetur, ibid. & dein. Indignatio libera, ex quibus naſcatur, & in quo concitetur, vel non concitetur 1005. b. Alij in quos indignatio non concitatur, ibid. In quos præcipuè concitetur indigna-

Digitized by Google

nio ibid. & dein. Non ſolum contra improbos, ſed etiam contra probos indignatio concitatur 1006. a. Quid etiam indignationem moueat, ibid. Quomodo affecti homines indignantur ibid. Tria ſunt hominum genera, qui non ſunt ad indignationem proni. 1006. b. Homines, qui indignantur ibid. Quibus homines indignantur ibid. Quomodo Orator poſſit indignationem excitare, ibid. Indignatio quomodo minuatur, ibid.

Indiuiduum.

Indiuiduum bifariam conſiderari poteſt 99. a. Tres indiuidui definitiones, ibid. Quid differat inter Indiuiduum, Suppoſitum, & Perſonam, ibid. Quæri ſolet, utrum per traditas definitiones communis quædam ratio indiuidui explicata dicenda ſit 99. b. Auctoris opinio eſt, per has deſcriptiones exprimi communem indiuidui rationem, ibid. Difficultates cum ſolutionibus, ibid. Cuiuſdam Peripatetici opinio de indiuidui definitione 100. a. Breuius res expenditur, ibid. Difficultates, & ſolutiones ibid. & dein. Indiuiduatio dici poteſt ſimul ratio conueniendi, & differendi 100. b. Difficultates afferuntur, & ſolvuntur 1001. a. Proponitur declarandum id, quod veluti principium indiuiduationis habendum 101. b. Aliquid affirmandum indiuidui naturæ adiungi, vt indiuiduum fiat, ibid. Variæ ſententiæ afferuntur, atque reiiciuntur, ibid. In indiuiduo concedenda eſt negatio, ſed negationi aliquid poſitivum ſupponitur, ibid. Proponitur inquirendum poſitivum, quod ſit indiuiduationis principium 103. a. Non eſſe exiſtentiam probatur, ibid. Variæ difficultates proponuntur, ſimulque ſolvuntur 103. b. Exiſtimantes indiuiduationis principium exiſtentiam eſſe, non eodem modo loquuntur 104. a. Varii modi explicandi, & variæ difficultates cum ſolutionibus, afferuntur, ibid. Ex quorumdam opinione principium indiuiduationis ſunt accidentia 104. b. Hęc opinio reiicitur, & multa hac de re traduntur, ibid. Oſtenditur nec accidentium collectionem, nec ordinem ad extrinſecas circumſtantias indiuiduationis eſſe principium, ibid. Quantitas nequit eſſe principium indiuiduationis 105. b. Materia nudè ſumpta non eſt indiuiduationis principium 108. b. Materia nec etiam ſignata per quantitatem, quomodocunque ſignatio hæc explicetur, nequit eſſe indiuiduationis principium 112. a. Varii dicendi modi afferuntur, & confutantur, ibid. & dein. Formam nec per ſe ſumptam, nec etiam cum materia eſſe indiuiduationis principium 114. b. Res hæc latè diſputatur, ibid. & dein. An accidentaria forma per ſubiectum, ſubſtantialis verò per materiam reddatur, indiuidua 117. b. Decernitur quid exiſtimandum indiuiduationis principium 120. b. Rectè ſic fuiſſe explicatum indiuiduationis principium oſtenditur 121. b. Vndè ſumatur indiuidualis differentia, ibid. Difficultates proponuntur, atque ſolvuntur. 122. a. Communis indiuiduationis conceptus eſt concedendus 125. a. Ratione probatur, & variæ difficultates ſolvuntur, ibid. Indiuiduatio ab indiuidui natura non diſtinguitur à parte rei 130. a. Variæ rationes afferuntur, & difficultatibus, ſit ſatis, ibid. & dein. An indiuiduales differentiæ, & indiuidua ratione ipſarum in ſua intrinſeca perfectione, & ſub eadem ſpecie ſint æqualia, vel inæqualia 133. a. Non eſſe concedendam inæqualitatem perfectionis entitatiuæ inter plura indiuidua eiuſdem ſpeciei atomæ defenditur, & variæ rationes cum difficultatibus ſolutis afferuntur, dein. Indiuiduum gemino modo ſpectari poteſt 143. b. An animal de hoc, & illo, animali immediatè prædicetur, ibid. Genus de indiuiduo incompleto immediatè prædicatur, ibid. Duæ difficultates cum ſolutionibus 144. a. Quid in re propoſita ſecundo loco ſit conſiderandum, nempè quomodo genus prædicetur de indiuiduis incompletis 144. b. Genus de indiuiduis incompletis non ut genus, ſed ut ſpecies prædicatur 145. a. Indiuiduum incompletum prout relucet in mente, ſpecificam differentiam non oſtentat, ibid. Difficultas, ibid. Quomodo genus prædicetur per modum partis de completis indiuiduis, ibid. Dubitatio de genere, ibid. Indiuiduum duo complectitur, & naturam, & differentiam indiuidualem, ibid. Indiuiduum ſignatum ab intellectu duobus modis concipi poteſt 235. a. Aſſertio duabus partibus conſtans, cum ſuis probationibus, ibid. Variæ difficultates 235. b. & dein. Explicatur ſcholaſticorum diſtinctio *ut quid*, & *ut modus*, ibid. Quomodo indiuiduum ſecundo intentionaliter ſumptum ſe habeat 237. a.

Prædicationes quædam explicantur 237. b. Aſſertio, cum ſuis probationibus, ibid. Variæ difficultates proponuntur, ſimulque ſolvuntur 238. a. De indiuiduo tradita, primæ ſubſtantiæ poſſunt accommodari 240. a. Vnde indiuiduum dicatur vagum 243. b. Indiuiduum ſignatum pro prima, & ſecunda intentione accipitur 244. a. Indiuiduum vagum pro prima, & ſecunda intentione ſumitur, ibid. Quomodo detur conceptus communis indiuidui vagi, ibid.

Inductio.

De inductione, & quid ſit 1093. a. Pluribus modis fit, ibid. & dein. Tres inductionis ſpecies 893. b.

Inferius.

Inferiora qua ratione dicantur talia 87. a.

Ingrato animo eſſe in magiſtros vitium execrandum xx.

Inſtrumentum.

Inſtrumenti Logici nomine quid intelligendum 24. p. Ex ſententia quorundam tria ſunt inſtrumenta Logica, quibus aliqui addiderunt quartum 24. a. Argumentatio præſertim eſt inſtrumentum directiuum, ib. Meritò etiam Enunciatio inter inſtrumenta debet recenſeri, ib. Inſtrumenti rationem definitio ſibi vendicat 24. b. Diuiſio etiam inter inſtrumenta locum habet, ib. Difficultas ad ſuadendum enunciationem inſtrumentum non eſſe, eiuſque ſolutio, ib. Si preſſiùs inſtrumenti nomen ſumatur, ternario numero inſtrumenta continentur, ib. Quanuis Enunciatio iuuet iudicium, non ob id auget prædictum inſtrumentorum numerum 25. a. Inſtrumenti rationem ordo ſibi non vendicat, ibid. Argumentatio ſola ineptè creditur inſtrumentum ib. Ad inſtrumenti rationem ſatis, vt aliquid quocumque modo manifeſtet ignotum, ibid. Ariſtot. etiam diuiſionem, & definitionem inſtrumenta putauit, ibid. Duæ difficultates, earumque ſolutiones, ib. & dein. Variæ difficultates ad oſtendendum Diuiſionem inſtrumentum eſſe non poſſe 25. b. Proponitur inquirendum, quid vnumquodque ſit inſtrumentum 26. a. Quodlibet trifariam ſumitur, ibid. Quodlibet è recenſitis inſtrumentis ſumi poteſt prout conſiſtit in vocibus, ibid. Etiam prout conſiſtit in actibus mentis, ib. Quo ſenſu Dialectica huiuſmodi inſtrumentis vti dicatur, ib. Prout conſiſtit in obiecto cognitionum, ibid. In artibus Idea non eſt inſtrumentum, ſecus in Logica 26. b. Quæ diſtinctio requiratur inter ideam, & opus efficiendum, ibid. Quanuis inſtrumenta logica in cognitione intellectiua conſiſtant, & hæc vt dirigibilis ſit obiectum ipſius, non ſubinde inſtrumenta rationem habent obiecti, ibid. Quomodo hæc inſtrumenta ad cognitionem intellectiuam conferant, ibid. Argumentatio non ſolùm ad diſcurſum, ſed etiam ad alias operationes dirigendas conducit, ibid. Enunciatio non ſolum ſecundant, ſed alias etiam dirigit operationes 27. a. Deffinitio videtur omnibus operationibus famulari, ibid. Diuiſio non eſt vlli operationi addicta, ibid. Intentionis primæ, & ſecundæ natura coniicitur, & vtraque explicatur 54. b. Vtile eſt primas intentiones cum ſecundis conferre 55. a. Prima collatio, ibid. Gemino modo poſſunt primæ intentiones ſecundis applicari, ibid. Quãdo prædicatione exercita ſecundæ intentiones primis applicantur, nõ poſſunt prędicari niſi accidentaliter, ib. Quando applicatio ſecundarum intentionum fit per verbum prædicari, dici &c. ibid. Hoc exercitium, etiam in ſecundis intentionibus cadit 55. b. Prædicatio ſignata in ſecundis, exercetur in primis, ibid. Quid attendendum, vt applicatio ſecundarum intentionum per exercitam prædicationem fiat, ibid. Secunda intentio velut ens rationis aliquid importat extra intellectum materiale nuncupatum, ibid. Difficultas proponitur, atque diluitur, ibid. Altera difficultas, eiuſque ſolutio 56. a. Si ſecundæ intentiones inter ſe conferantur vna poteſt

Digitized by Google

alteri applicari, & tàm exercitè, quàm signatè prædicari, ib. Magnum discrimen, inter applicationes secundarum intentionum 56. b. Aliquæ difficultates proponuntur, atque solvuntur, ibid.

Intellectus.

Intellectus operatio suis laborat defectibus 16. a. Non rarò in enunciationibus allucinatur, ibid. Tertia operatio ipsius in quauis materia erroris est capax, ib. Intellectus intelligendo à veritatis tramite aberrat 19. a. Intellectus, dum plura vt plura attingit, cognitio nequit illa indistincta representare 65. a. Obiectio, eiusque solutio, ib. Intellectionis maior est vis prout ipsa est intentionalis qualitas, quàm prout naturalis est forma 165. b. Intellectus noster non omninò simplicem rem in varios diuidere potest conceptus obiectiuos, ib. Hoc nõ ita proprium intellectûs, vt sensui non conueniat, ib. Supradictorum explicatio, ib. Qualitas vt naturalis forma distinctionem subiecto afferre non potest, ibid.

Intellectus non cognoscit plura, nisi per modum vnius &c. 420. a. Intellectus non vno eodemque actu apprehendit, & iudicat 433. b. Hæ duæ operationes non solùm re ipsa, sed essentia etiam distinguuntur 434. a. Semper id verum esse concluditur, ib. Secunda operatio semper supponit primam, ib. Experientia comprobatur, ib. Intellectus in iudicando similis Voluntati 434. b. Confirmatur, ib. Declarantur hactenus dicta, ib. Quomodo intellectus se gerat in exercitio talium operationum, ib. Duæ difficultates cum solutionibus, ib. & dein. Circa quod iudicium ipsum versatur; sunt res ipsę comprehensæ quantum ad *an est*, 435. a. Quæ de affirmatiuis propositionibus, de negatiuis etiam sunt intelligenda, ib. Quę, & qualis sit Humani intellectûs compositio, & diuisio suscipitur explicandum 435. b. Quorundam opinio de iudicij compositione reijcitur, ib. Conceptus simplices vniri non possunt tanquàm partes essentiales, ib. Causa errandi quibusdam hac in re quænam fuerit 456. a. Non tanquàm partes integrantes, ib. Vniuntur tamen intentionaliter, ib. Alter modus explicandi compositionem actuum, refellitur, ib. Duo alij explicandi modi reijciuntur, ib. & dein. Compositionis modus gemino modo explicatur 436. b. Variæ difficultates cum solutionibus 437. a. & dein. Intelligentiæ virtutes tractantur, eædemque inter se conferuntur 726. b. Harum virtutum habitus quinarius perhibetur, ibid. Variæ difficultates proponuntur, simulque solvuntur 127. a. Assumitur de singulis intelligentiæ virtutibus agendum 728. a. Nomen artis multifariam sumitur, ibid. Quot in artifice requirantur, ibid. & dein. Artis multiplex significatio 728. b. Artis definitiones variæ ibid. Vera artis definitio 729. a. Quid per rectam rationem intelligendum, ibid. Duæ Assertiones afferuntur. Et singulæ definitionis particulæ expenduntur, ibid. & dein. Difficultas præoccupata, simulque soluta 730. a. Quibus compleatur superior differentia inter actionem, & effectionem, ibid. & dein. Actio quid 730. b. Effectus quid, ibid. Duæ difficultates cum solutionibus, ibid. Cuiusmodi sit artifex, explicatur 731. b. Artis explicanda materia proponitur, & asseritur singularia non esse eiusdem materiam, ibid. & dein. Quid differat inter ea quæ fiunt ab arte, & ea quæ fiunt à natura 732. a. Quædam difficultates aduersus artis definitionem traduntur, simulque solvuntur 733. a. & dein. Quid interfit inter artem, & scientiam 734. a. Artis efficientes causæ, earundem inuentores fuerunt 734. b. An artifex consultatione, & prælectione vtatur, ibid. Quid hac de re dicendum, ibid. Gemina consultationis materia 735. a. An ars virtus dici possit, ibid. Et eam inter intelligentię virtutes posse iuremeritò numerari ostenditur, ibid. In opere artificioso tria considerantur 735. b. Adnotatio, ibid. Cur quædam ab arte, casu, & etiam à natura; alia verò non nisi ab arte esse possint, ibid. De scientia differitur, ibid. De prudentia agitur 736. a. De intellectu, siue intelligentia 737. a.

Interrogatio.

Interrogationis tractatio 932. a. Quid sit, ibid. Dubitatio de huiusmodi figura; an nimirum sit dictionis, an verò sententiæ 933. a.

Inuentio.

Inuentionis tractatio 854. Quis dicatur Orator, ibid. Oratoris facultas quinque partibus constat, ibid. Quid sit inuentio, quæque eius materia, & vnde petenda 854. a. Inuentio quid, ibid. Orator quomodo fidem faciat, ibid. Inuentio ex aliorum sententia quid, ibid. Argumentum quid, ibid. Fides opinio, & argumentatio quid 854. b. Quid inter probabile, & verisimile differat 855. a. Probabile in tres species distinguitur, ibid. Propositiones verisimiles quæ, ibid. Gemina inuentionis materia, ibid. Inuentionis duæ partes præcipuæ, ibid. Diligentia quatuor rebus perficitur, ibid. & dein. Ars duplex 855. b. Proponuntur, & commemorantur fontes ex quibus dicenda possunt hauriri, ibid. De singulis iam recensitis inuentionis fontibus, ibid. Eloquentiæ fons quid Oratori, ibid. Primus inuentionis fons est eruditio, secundus verò historia, ibid. & dein. Historia ex Fabij sententia Oratori maximè vtilis, ibid. Oratori historiarum lectio non sufficit 856. b. Quædam in historiarum vsu animaduersione digna, ibid. Tertius inuentionis fons Apologi, & Parabolæ, ibid. Quid vterque sit, ibid. Fabius, Demosthen. &c. fabulis maximè delectati sunt, ibid. & dein. Quartus inuentionis fons sunt Adagia, 857. a. Adagium, & Prouerbium quid, ibid. Duo ad Prouerbium requisita, & eiusdem vtilitas, ibid. Quantum dignitatis paræmiarum vsus afferat Oratori 857. b. Vnde dicatur paræmia ibid. Adagiorum non vna est ratio, ibid. Quintus inuentionis fons Hieroglyphica, ibid. Hieroglyphicum quid sit, ibid. Hieroglyficæ literæ quales essent, ibid. Paræmiæ parcè sunt adhibendæ 858. a. Sextus inuentionis fons sunt Symbola, ibid. Symbolum complectitur Emblema, & Ænigma, ibid. Quid vtrumque sit, ibid. Quid sibi velit *Ænigma*, explicatur, ibid. Quæ nomine Ænigmatis comprehendantur, ibid. Quid differat inter Ænigma, & Gryphum, ibid. Emblema quid sibi velit, explicatur 858. b. In quem finem inuenta fuerint Emblemata, ibid. Emblema quid vtilitatis afferat Oratori, ibid. Septimus inuentionis fons Testimonia Veterum, ibid. Veterum Testimonia plurimi fieri debent, ibid. Cautè sunt adhibenda, ibid. Octavus inuentionis fons Sententiæ 819. a. Sententiæ plurimum ad maiestatem comparandam conducunt, ibid. Expedit Oratori, & Poetæ in his se plurimùm exercere, ibid. Sententiarum vsus qualis, ibid. Apophtegmata quid, ibid. Nonus inuentionis fons Leges, ibid. Lex Mundi Regina, ibid. Decimus inuentionis fons Sacræ literæ 859. b. Prædictorum fontium inuentionis origo, ibid. Tria pueris quærenda, ibid. Ingenii cultus, ibid. Proximè tradita uberius tractantur 860. a. Cohæret nouitas cum antiquitate Paræmiæ; illa siquidem originem, hæc autem vsum respicit, ib. & dein. Vtilitas Paræmiarum 861. b. Symbolum quid sibi velit 862. a. Quomodo sumatur; eiusque tripartita diuisio, ibid. Hieroglyphicorum tripartita diuisio, ibid. Quando ingua est valdè nota, non opus explicatione 863. a. Emblema, & Ænigma differunt, ibid. Emblema non est Adagium, ibid. Septimus fons Testimonia ibid. Sententiæ quædam asseruntur 863. b. Adagia, ibid. Sententiæ quæ, ibid. & dein.

Inuersio.

De inuersione 895. a. Quid sit, ibid.

Inuidia.

De Inuidia 1007. a. Quid sit, ibid. Varia genera inuidentium, ibid. Quæ bona inuidiam moueant, ibid. Quomodo etiam coneretur inuidia 1007. b. Varia genera eorum, quibus homines inuident, ibid. & dein. Qui sint aduersus quos certare solemus. ibid. Eadem summatim exposita 1008. a. Oratori quid agendum ad concitandam inuidiam, ibid. Effectus inuidiæ 1008. b.

Ira.

De Ira 984. b. Multæ definitiones iræ ibid. Quomodo definierint illam Stoici, & quomodo Tullius, ibid. Res pro-

pter

Digitized by Google

ter quas ira mouetur 985. a. Contemptio negligentiæ species ibid. Contumelia quid, ibid. Qui, & quomodo affecti irascantur 989. b. Varia genera eorum qui irascuntur recensentur, ibid. Circumstantiæ quæ promouent iram, ibid. Ira suos habet gradus, ibid. Quibus hominibus; & quibus de causis homines irascantur 986. a. Varia genera eorum recensentur, a quibus homines irascuntur, ibid. Fratrum acerbæ iræ, ibid. Varia hominum genera, qui ira concitantur 987. a. Ii, quibus homines irascuntur, ibid. Alia quæ iram incendunt 987. b. Effectus iræ, ibid.

Ironia.

De Ironia 937. a. Quid sit, ibid.

Isocolos.

De Isocolo 931. b.

L

Laus.

Laudes maiores primis rerum inuentoribus debentur 8. a. Laudes ab amplificatione petuntur 960. a. Octo amplificandi modi, ibid. Laus quid 962. a. Laudatio quid, ibid. Laus in vniuersum, & vituperatio quid, ibid. Quæ ad Laudem conducant, ibid. Oratio quæ in collatione doctoralis laureæ solet adhiberi, ibid. Quomodo sit appellanda, ibid. Huius orationis præcepta, ibid. Vide Genus vbi multa de laude congruo ordine traduntur.

Lenitas.

De Lenitate 987. b. Lenitatis definitio, ibid. Varia genera recensentur eorum, in quos lenes sunt homines 988 & dein. Homines qui lenes sunt 988. b. Homines, in quos lenes esse solemus 989. a.

Libertas.

Libertas quid 530. b.

Linea.

Linea, & superficies ad quantitatis Categoriam directè spectant 295. b.

Locus.

Locus inter species quantitatis recenseri solet 296. b. Locus duobus modis sumitur, ibid. Locus materialiter sumitur pro superficie corporis continentis, & hoc modo est quantitatis species; non tamen a superficie distincta 296. a. Arist. auctoritati fit satis, ibid. Difficultas, eiusque solutio, ibid. a. Locus à descriptione ad descriptum 782. a. Locus rei descriptæ non traditur, & quare 782. b. Locus notationis, ibid. Notatio quid, ibid. Plus vitium hic locus habet ex nominibus communibus, quàm proprijs, ibid. Locus transumptionis ad superiorem reuocatur, ibid. Locus à definitione ad definitum, non solum est topicus; sed etiam demonstratiuus, ibid. Locus, à comitantibus substantiam, ibid. Multa ad locum spectantia in tractatione de Problemate recensentur; quæ si spectare cupis eiusdem problematis tractationem consule. De loco à causis; locus à causa ad effectum plura suppeditat argumenta; & quid sit 785. b. Quatuor loca à causa ad effectum, & vicissim, ibid. A causa efficiente 786. a. Causa quid sit 685. b. Causæ genus quadruplex, ibid. Causa efficiens quid 786. a. Causa præcisa efficiens quid, ibid. Triplex causæ diuisio, ibid. Causa alia in actu, & alia in potentia, & quid vtraque sit, ibid. Iuxta distinctiones allatas quatuor argumentandi modi, ib. & dein: Causa in actu, & effectus in actu simul sunt &c. 786. b. Variæ maximæ, & alij argumentandi modi, ibid. A causa formali; forma triplex 787. b. Duo argumentandi genera, duæque maximæ, ibid. A causa finali, ibid. Finis quid, ibid. Finis triplex 788. a. Adnotatio maximæ, ibid. Alij argumentandi modi, ib. Argumenta ex triplici fine desumpta, ibid. A generatione, Corruptione, & Vsu 788. b. Generatio, Corruptio, & Vsus quid, ibid. Tres loci à generatione, ibid. Duæ maximæ, ibid. Difficultas cum solutione, ibid. Communiter accidentia quæ dicantur, ibid. Communiter accidentia in duplici discrimine 789. a. Duæ maximæ, & quæ ad hunc locum reducantur, ibid. De locis extrinsecis, ibid. Locus extrinsecus, siue externus quid, ibid. Locus ab oppositis quid, ibid. Tria ad hoc pronunciatum requiruntur 789. b. Adnotatio, ibid. A relatiuè oppositis, ibid. Duæ maximæ, ibid. A contrarijs, ibid. Contraria in duplici differentia, duæque maximæ, ibid. Priuatio negationem dicit in recto, & subiecti capacitatem in obliquo 790. a. A priuatiuè oppositis affirmatiuè rectè concluditur, ibid. A contradictorijs oppositis argumenta, ibid. Quæ sint relatiuorum propria pronunciata, ibid. Pronunciata propria contrariorum, ibid. In contrarijs, & contradictorijs argumentandi modus 790. b. Repugnantia, & quomodo ab ijs desumantur argumenta, ibid. Locus à maiori, & minori quid. ibid. Locus à simili quid, & similia proportione quæ, ibid. Modus argumentandi à commutata proportione 791. b. Locus æqualium 792. a. Huius loci præcepta ad vnicum rediguntur, ibid. Locus dissimilium quomodo tractetur, ibid. A transumptione, ibid. Locus à transumptione quid, ibid. Ab auctoritate 792. b. Huiusmodi locus quid, ibid. Duplex auctoritas, ibid. Ab antecedentibus, & consequentibus locus explicatur 793. a. A præsumentibus, comitantibus, & subsequentibus, ibid. De locis mediis 793. a. A coniugatis, & casibus, ibid. Quid vterque sit, ibid. Obseruanda quædam 794. a. Absoluta quæstio quid, ibid. Variarum maximarum, siue pronunciatorum definitiones traduntur ibid. Eligibile propter gloriam quid 797. a. Magis honorandum quid, ibid. Post enarrata quid sit Philosophi consilium 797. b. Non omnis propositio, nec omne Problema ad Dialecticum pertinet, ibid. Propositio Dialectica quid, ibid. Thesis quid 798. a. Thesis qualis esse debeat, ibid. Duplex thesis, ibid. Thesis est species problematis, ibid. Locus maxima quid 804. a. Locus differentia maximæ quid, ibid. De probationibus, deque locis rhetoricis 865. Probationes oratoriæ duplicis generis, ibid. De locis rhetoricis proponitur differendum 866. a. Locus quid, ibid. Duo argumentandi genera, ibid. Argumentum intrinsecum quid 866. b. Argumentum extrinsecum quid ibid. Loci intrinseci sexdecim enumerantur, ibid. Loci extrinseci senario numero comprehenduntur, ibid. De singulis locis, siue intrinsecis, siue extrinsecis, ibid. Locus à definitione, ibid. Definitionis nomine hoc in loco quid intelligatur, ibid. Definitio ex Tullio quid, ibid. Definitio per genus, & differentiam potius ad Philosophum, quàm ad Rhetoricum spectat 867. a Descriptio pluribus modis contingit, ibid. Per negationem, affirmationem, &c. ibid. & dein. Hypotiposis quid 867. b. Definitionis vsus 868. a. Varia exempla, ibid. Locus à notatione, & notatio quid Græcis, atq; Latinis 869. a. Varii modi quibus notatio fit 869. b. Anagramma quid, ibid. Varia traduntur præcepta 870. a. Locus ab enumeratione partium, ibid. Hic locus valdè similis inductioni 870. b. Fit tribuendo singulis membris quod proprium est 871. a. Diuidendo genus in subiectas species etiam fit, ibid. Per collationem partium enumeratio fit, ibid. Fit etiam affirmatione partium, ibid. Per opposita 871. b. Totum loci, & temporis, ibid. Per effecta, ibid. Per inductionem, & figuras 872. a. Locus à coniugatis, ibid. Coniugata per alliterationem, ibid. Per Paranomasiam, ibid. Per Hyperbolem, ibid. Per congeriem 872. b. Locus à genere, ibid. Genus quo sensu in præsentia sumatur ibid. Quid ideæ essent Platoni 873. a. Hic locus latissimè patet; prudentia tamen oratoris debet limitibus coerceri ibid. Valet ad laudandum, & vituperandum, ibid. Ad excusandum, & accusandum 873. b. Eadem de accusatione intelligenda, ibid. Aduertenda quædam ibid. Valet etiam ad docendum ibid. Quid in vsu huius loci sit obseruandum, ibid. Præcepta, quibus hic locus continetur, ibid. De loco à specie, seu forma 874. a. Quomodo species hoc loco sumatur, & quid esset Tullio ibid. Hic locus oratori quàmmaximè utilis, ibid. Per congeriem, negationem, & inductionem, ibid. Locus à similitudine 874. b. Immeritò hic locus a non nullis neglectus fuit ibid. Similitudo quid ex Tullio, ibid. Multifariam similitudo contingit, ibid. Similitudo simplex, ibid. Similitudo in allegorijs, & metaphoris continetur 875. Dissimilitudo multiplex, ibid. Similitudo in inductione, ibid. Similitudo

in

Digitized by Google

In Inductione, ibid. Similitudo in exemplo, ibid. Multiplex similitudinis tractatio 875. b. Varii similitudinis modi, ibid. Quandoq; magna similitudinis pars reticetur, 876. a. Quomodo similitudo instituenda, ut multum splendoris habeat, ibid. Similitudo fit etiam per affirmationem, & negationem, ibid. Non est necesse similitudinem in omnibus esse, ibid. Similia, quæ dicantur 876. b. Quomodo à similitudine ducendum sit argumentum ibid. Discrimen inter comparationem, & collationem, ibid. De loco à dissimili 877. a. Dissimilitudo quid, & dissimilia quæ ibid. Quomodo locus a dissimilitudine tractetur ibid. Dissimilitudo dissimilitudini coniuncta ibid. Locus ab oppositis 877. b. Opposita ad quid conducant ibid. Aduersa, seu contrariè opposita ibid. Priuantia, seu priuatiuè opposita ibid. Contradicentia, seu contradictoriè opposita ibid. Quomodo à contrariis ducatur argumentum ib. Per affirmationem, & negationem 878. a. Elegans huius argumentationis vsus ibid. Argumentum a relatis ibid. Argumentum à priuatiuis, ibid. A contradicentibus, & repugnantibus 878. b. De loco ab adiunctis, ibid. Hic locus oratori vtilissimus ibid. Hic locus argumentorum seminarius appellatur ibid. Multa hac de re tractantur ibid. & dein. Ad tempus quæ referantur 879. a. Ad modum, & ad facultates quæ referri soleant ib. Præcedentia, quæ dicantur ib. Consequentia, quæ dicantur ibid. Huius loci utilitas 880. a. Facultas, & consequentia ibid. Alia considerantur, ibid. Locus ab antecedentibus, & consequentibus 881. a. Huiusmodi locus magni faciendus ibid. Ea, quæ concomitantia dicuntur ibid. Antecedentia. duplicis generis ibid. Hic locus utilis admodum in omni causarum genere ibid. Fit per affirmationem, negationem, &c. ibid. & dein. De loco à causis 881. b. Quid causa sit, concluditur ibid. Materialis causa quid, & quotuplex ibid. Artificialis materia quæ ibid. Materia triplex 882. a. Obseruanda quædam in argumentis à materia *ex qua* desumptis ibid. Hæc materia subministrat argumenta in rei laudem, & vituperationem ibid. Causa formalis 882. b. Ex hoc genere causæ quomodo argumentandum ibid. Adnotatio, & quantus sit huius loci usus 882. Causa efficiens quid, & quotuplex 883. a. Artificialis, & naturalis ib. Quomodo ex hac causa argumentandum ib. Huius loci usus ad quæ se extendat, ibid. Hic locus ad orandum, & amplificandum conducit 883. b. Causa finalis quid ibid. Huius causæ præstantia ibid. Multa de fine considerantur ibid. Quomodo ex fine arguendum ibid. Quomodo à fine sumatur argumentum ibid. Argumentum à fine quomodo tractetur ibid. Valet hic locus ad improbandum, & dissuadendum 884. a. Valet ad amplificandum ibid. Plerumque finalis causa pro effectu solet adhiberi ibid. Locus ab effectis ibid. Effecta, quæ sint ibid. Tot effecta, quot causarum genera ibid. Ab effectis deducitur causa efficiens ibid. Finis etiam ex suis colligitur effectis 884. b. Materia ex effectis ibid. Forma ex effectis ibid. Tria sunt, quibus locus ab effectis accommodatus dici potest 885. a. Eaque commemorantur ibid. Quomodo hunc locum splendidius tractare liceat ibid. Elegans, huius loci tractatio 885. b. Alia utilitas ibid. De loco à comparatione maiorum, minorum, & parium 886. a. Locus à comparatione trifariam contingit ibid. Rhetores quid per maius, minus, & inæquale intelligant, ibid. Comparatio maiorum quomodo instruenda ibid. Locus à minori ad maius quid ibid. Valet hic locus ad confirmandum, mouendum, &c. 886. b. Locus à pari quid ibid. Hic locus tam per affirmationem, quàm per negationem fit; & valet ad amplificandum, &c. ibid. De locis extrinsecis ibid. Testium ex Aristotele duo genera 887. a. Ex Tullio duo quoque ibid. Antiqui testes, qui dicantur, 887. Duo ad antiquum testem requisita ibid. Testes antiqui non solum de præteritis; sed etiam de futuris ibid. Noui testes alii extra periculum positi, alii verò non ibid. Testes remoti sunt præiudicia ibid. & dein. Quo pacto testium auctoritas augeri, vel minui possit 887. b. Magna testium utilitas ibid. Quæ in testibus considerentur ibid. Antiquis testimonium, vel diuinum vel humanum ibid. Humanum quotuplex ibid. Horaculum quid ibid. Auspicium, & Vaticinium ibid. Responsum triplex, ibid. Quid de his iuxta Christianam pietatem dicendum 888. a. Testimonium, Diuinum, Angelicum, & Humanum quid ibid. Inter testimonia humana, quæ recensenda, ibid. Ius ciuile, Testamenta, Tabulæ, &c. ibid. Humana testimonia in oratione posita, ibid. Quæ ad hæc referantur ibid. Exemplum, symbolum, & lex quid ibid. Lex alia æterna, alia naturæ, & alia humana, ibid. Ius quotuplex, ibid. Testes *qui*, & quo modis dicantur, ibid. Pactum, Fabulæ, Signa, Quæstio, Ius iurandum, Præiudicia, & Rumor, ibid. Testimonium Diuinum summam habet auctoritatem 888. b. Argumentum à Diuina auctoritate depromptum, ibid. Multifariam contingit, ibid. Duo apud Veteres diuinandi genera, ibid. & dein. Auspicia quid 889. b. Augurium quid ibid. Eiusdem quinque genera, ibid. Supradictorum summa, ibid. Propheta quis propria, & latiori significatione dicatur 890. a. Testimonio vti Diuino summopere pium decet Oratorem ibid. Humanum testimonium in quo consistat ibid. Eius tria genera, & quæ ad omnia attineant ibid. Exemplum quid ibid. Exemplum efficax est ad probandum 890. b. Exempla cum delectu adhibenda, ibid. Exempla sunt exornanda ibid. Habere debent exitus inopinatos 891. a. Vsus ad exemplorum elegans qualis ib. Quædam, ad locorum, & argumentorum vsum spectantia, traduntur 896. b. Quid Oratori propositum sit ibid. Intrinsecus rei conuenire, quæ dicantur ibid. Et quæ extrinsecus 896. Argumentationis vsus ibid. Artificis industria quibus præceptionibus contineatur 897. a. Prima variationis ratio ibid. Varietas in argumentatione quibus comparetur ibid. Tria sunt quibus varietas perficitur 897. b. Ex ingressibus, & transitionibus desumitur ibid. Locorum Rhetoricum, & insitorum vsus ibid. Multa disputantur, dein. Remotorum locorum vsus 898. b. Loci, unde petuntur argumenta ad suadendum ibid.

Logica.

Logicæ nomen explicatur 1. a. Deducitur à voce græca λόγος; quæ duo præcipuè significat, nempè rationem, & sermonem, ib. Vtraque Etymologia videtur accommodata, magis tamen prima, ut Logica potius rationalis, quàm sermocinalis dicenda sit ib. Logicæ possibilitas 2. a. Eiusdem ortus, & inuentor ib. Eiusdem diuisio, in naturalem, & artificialem 2. Naturalis quid 2. Artificialis quid ib. Alia Logicæ diuisio, in uniuersalem, & particularem 2. b. Diuisio altera in docentem, & utentem ib. Quid utraque sit ib. Hæc diuisio in uniuersam cadit Logicam facultatem ib. Quomodo inter se distinguantur ib. Diuersorum hac de re placita ib. Auctoris sententia ib. Logica docens, & utens, in materia Logica explicatur 3. a. Obiectio cum solutione 3. b. Logica utilis est, atque conueniens ad sacram doctrinam intelligendam ib. Conducit ad dirigendam cognitionem intellectricem ib. Ad scientias comparandas 4. a. Ad Rhetoricam 4. Obiectionum solutiones ib. Ad iuris peritiam ib. Ad vniuersam Philosophiam capescendam ib. Etiam sophistica pars suam habet utilitatem ib. Proponitur utrum Logica facultas sit necessaria ib. Est necessaria simpliciter 4. b. Artificialis non è necessaria simpliciter 5. a. Duæ difficultates præoccupatæ, simulque solutæ 5. b. Logica artificialis est necessaria ex suppositione &c. 2. Huiusmodi necessitas ostenditur 5. a. Ratio magis explicatur discurrendo per singulas tres intellectus operationes ib. Artificialis Logica quodammodo ad seipsam necessaria ib. Mutuo se adiuvant Logicæ partes 5. b. Nec propterea committitur circulus ib. Difficultas proponitur; atq; diluitur ib. Est etiam necessaria ad scientiam practicam ib. Concluditur necessaria ad omnes alias disciplinas eodem necessitatis modo 7. a. Variæ difficultates proponuntur, simulque solvuntur ib. Eius ortus explicatur ib. Logicæ, & cuiusque disciplinæ modus à natura; perfectio ab usu, & exercitio 8. a. Logicam non pertinere ad aliquem ex habitibus intellectus aliqui dixerunt; & eorum opinio reicitur ib. Variæ opiniones afferuntur, & reiiciuntur 8. b. Variæ difficultates propositæ, simulque solutæ, ibid. & dein.

Quam

bis Logica agat de dirigendis operationibus intellectûs; non propterea est ars 9. a. Logica an contemplatiua; an verò practica sit 9. b. Quid scientia contemplatiua, & quid practica, ibid. Necessaria, aut contemplatiua est, aut practica, ibid. Non est simul tota practica, & tota speculatiua ibid. Partim contemplatiua, partim verò practica est; principaliter tamen, & absolutè practica dicenda est 10. a. Difficultas proponitur, simulque soluitur, ibid. Quædam notatu digna; & quid utrique scientiæ commune, ibid. Est etiam practica quando dirigit operationem contemplatricem 10. b. Qua ratione notiæ contemplatrices in practicam facultatem intrudi possint. 11. a. Variæ difficultates cum solutionibus. ibid. In quo Logicæ natura consistat. 16. b. Eius vnitas inquiritur. ibid. An inter eius partes recenseri Rhetorica, & Poetica debeant. ibid. Finis Logicæ internus. ibid.

Lumen.

Lumen nil aliud, quàm effuvium substantiæ lucidæ. 251. a.

M

Magnes.

Magnetica virtus variè explicatur 314. b. Magnetica virtus duplex 315. a. Quomodo è quorundam sententia magnetica virtus explicari debeat, ibid.

Materia.

Materia necessaria facit, ut necessaria sit argumentatio 500. b. A materia probabili argumentatio habet, ut sit probabilis, ib. Materiale obiectum à cognitione reipsa distinguitur, non sic autem formale 52. b. Difficultates proponuntur, ibid. Perquam intellectûs operationem ens rationis fiat, inquiritur, ibid.

Mathematica.

Mathematicæ disciplinæ inter cæteras, quem locum obtineant 843. a. Assertio cum probationibus, ib. Obiectio, eiusque solutio, ibid.

Maxima.

Maxima quid 781. a. Et dein. multa hac de re tractantur; quæ in tractatione de Problemate congruo ordine posita, & recensita inuenies.

Mens.

Mens unde sæpè sæpius allucinetur 22. b.

Mensura.

Mensura duplex 289. b. Explicatur mensuræ ratio 300. a. Mensura debet esse minima, & quomodo id intelligendum 300.

Metaphora.

De Metaphora 814. a. Quid sit ibid. Tribus ex causis Translationes, siue Metaphoræ fieri solent, ibid. & dein. Translatio opportuna tria bona secum affert 915. a. Metaphora potest contingere tam in nominibus, quàm in verbis ib. Quid differat inter similitudinem, & Metaphoram ibid. Imago quid 915. b. Adnotatio ibid. Fabii sententia de Metaphora ib. Varii sunt fontes, ex quibus licet Metaphoras haurire 915. Metaphoræ ab animatis 916. a. Ab inanimatis ibid. Ab Elementis ibid. A mixtis ibid. Ab arte; & re nautica ib. Ab arte; & re equestri 916. A venatione 916. A Cæmentaria 916. A Ferraria, & textoria, ibid. & dein. De virtutibus, & vitiis Metaphoræ 917. a. Translationes orationem illustrem, & magnam reddunt, ib. Variæ Metaphoræ virtutes commemorantur, ibid. & dein.

Metalepsis.

De Metalepsi 921. b. Quid sit, ibid.

Meta.

De Metis ad quas Sophista conatur aduersarium compellere 802. b. Quos, & quot fines sibi proponat Sophista ib. Quinque sunt incommoda ad quæ Sophista, deducit aduersarium 803. a. Huius numeri sufficientia ibid. De redarguitionis meta ib. Huiusmodi meta quid, ib. De falsi meta 803. b. Falsum quomodo hic usurpetur, ibid. De inopinabilis meta, ibid. Inopinabile quid, ibid. De Solœcismi meta, ibid. Sophisma ad *redarguitionis, falsi, inopinabilis, & solœcismi* metam pertinens, soluitur 894. a.

Metonymia.

De Metonymia 186. Quatuor fit modis ibid. Metonymiæ causæ duplex, est, ibid. Controuersia de Metonymia 819. a. Metonymia materiati ibid. Metonymia finis, & formæ, ibid. & dein. Metonymia subiecti triplex, ibid. Metonymia subiecti cui aliquid inest, unius notionis non est, ibid. Metonymia subiecti occupantis; seu materiæ *circa quam* ibid. & dein. Metonymia adiuncti inhærentis duplex perhibetur 920. a. Metonymia adiuncti adhærentis, & occupantis; ib. Hic tropus pluribus fit modis 920. b.

Metrum.

De metro, & imitatione 1024. a. Metrum quid, ib. Quatuor de imitatione solent inquiri, ibid. & dein.

Metus.

De Metu 993. b. Quid sit, ibid. Mala, quæ propinqua sunt, metum incutiunt, ibid. Varia genera eorum, quæ hominibus metum incutiunt, ibid. & dein. Non exigua animorum differentia 994. b. Quinam sint timores obnoxij, ibid. Varia genera eorum qui timent, & non timent 995. a. Quomodo possit Orator Iudices in metum coniicere, ibid. Vberius superior doctrina exhibetur, ibid. Qui metuant, qui metuantur, & quæ metuenda, ibid. Quando Orator Iudicibus Iram incutiat 995. b. Duplex timor, naturalis, & rationalis, ibid. Duplex iterum timor vtilis, & vilis, ibid. Figuræ faciunt ad excitandum timorem, ibid. Ad compescendum timorem, quæ conducant, ibid. Effectus timoris, ibid.

Misericordia.

De Misericordia. 1002. a. Misericordia quid, ibid. Conditiones personæ miserentis. 2002. b. Quomodo se habeant, qui miserentur 2002. Multa disputantur, ibid. & dein. Quæ sint res, quæ in nobis misericordiam mouent 1003. a. Ad quatuor genera reuocantur, ibid. Fortunæ mala, ibid. Corporis deformitas est miserabilis, ibid. Tria genera eorum quæ miserabilia sunt, ibid. & dein. Tria genera eorum, quorum homines misereri solent 1003. b. Atrox à miserabili differt 1003. Quæ sunt oculis subiecta, magis misericordiam mouent, ib. Quinque rerum genera, quibus misericordia excitatur, ibid. Qui facilè misericordia afficiantur 1004. a. In quorum homines miserentur, ibid. Causæ, ob quas homines miserentur, ibid. Quid agendum oratori ad misericordiam excitandam, ibid. Misericordia quomodo minuenda 1004. b. Effectus miserationis quid, ibid.

Mores.

De moribus auditorum 2009. b. Mores iuuenum qui 2020. a. & dein. Senum mores qui 2022. b. Mores eorum, qui sunt in media ætate constituti 2022. a. Mores nobilium quid, ibid. Mores mediæ ætatis. ibid. Diuitum mores 2012. b. Potentium, & fortunatorum mores 2023. a. & dein. De moribus 2052. a. Fabula est primum principium, & anima Tragediæ 1052. b. Quatuor conditiones in more Philosophus requirit, ibid. & dein. Morum conuenientia 1054. a. Ratione suadetur in moribus æqualitas 1054. b. Quid Poetæ summoperè curandum, ibid. Sententiæ vsus, variæque eius conditiones 2055. a. & dein.

Motus.

Motûs consideratio duplex 296. a. Num inter motum, & eius extensionem aliqua cadat ex rei natura distinctio 296. b. Motum trifariam spectari posse 380. b. Quid de motu senserit Plato 416. b. Sex eius species ex Aristotele, ibid. Motui generatim non aduersari alium motum 427. a. Speciatim accepti, singuli singulis opponuntur, ibid. Adnotatio, ibid. Quæ aduersus Aristotelem adduci solent, ib. Adnotatio circa Platonis verba de motu ex Ficini versione 417. b.

N

QVa ratione Nepellus noceat Homini, & prosit Turdo. 324. b.

Narratio.

De Narratione 905. a. Narratio Ciceroni quid, ibid. Eadem

dem duplex, ibid. Stylus narrationis proprius, ibid. Præparatio narrationis præmitti ſolet, ibid. Narrationis ornamenta numerantur, ibid. Motus narrationi conuenientes, figuræque eidem narrationi conſentaneæ, ibid. & dein. Narrationis virtutes tres, ibid. Quæ probabilem reddant narrationem 906. a. Iuuat narrationem per aliquod Epiphonema concludere, ibid. In demonſtratiuo genere nulla propria interuenit narratio 906. b. Quę ad tale narrationem elaborandam requirantur ibid. Plura ad ſuauitatem narrationis conducunt, ibid.

Natura.

Communis natura non eſt efficta ab intellectu 68. b. Quidquid enim in natura rerum exiſtit nihil poteſt in ſe inuoluere, quod reale non ſit 69. a. Naturæ, quæ dicuntur reales oportet, vt realiter poſſint exiſtere, ibid. Ex ijs, quæ in natura extant, quædam ſubſtantiæ, quædam accidentis rationem participant, ibid. Quo ſenſu intelligendum entium rationis eſſe naturam, ibid. Auctoris excuſatio, ibid. Ex ijs, quæ natura conſtant, quædam materiata ſunt, quædam non item, ib. Ex naturis rerum quædam ſenſibus attinguntur, quædam non item, ibid. Quomodo naturæ communes ſint generabiles, & corruptibiles, ibid. Multiplex eſt naturæ ſtatus 70. a. Cuiusmodi ſint ipſi naturæ ſtatus, ibid. Iuxta plures diuiſionis modos, plures aſſignandi ſunt vnitatis gradus 70. b. Natura vniuerſalis à nemine creditur in eius indiuiduis materialiter vna ibid. Naturæ in ſtatu eſſentiæ formalis vnitas poſitiua conuenit 71. a. Natura communis in ſtatu eſſentiæ non benè dicitur negatiuè vna ib. Natura in ſtatu eſſentiæ ſpectata, vtque ſingularitatem ſuo modo antecedit, eſt per ſe obiectum intellectûs 71. b. Cum de natura in ſtatu eſſentiæ agitur ineptè quidam ad vnitatem negatiuam confugiunt, ibid. In re poſita non idem ſentiendum, ac de ſuperficie, & humana natura reſpectu albedinis, ibid. Variæ difficultates ſolutæ 72. a. Multa hac de re tractantur ib. Vnitas naturæ conueniens, etſi numerica videri poteſt, re tamen vera, non ita ſe habet ib. Nec, eo quod naturæ numerantur, nûmericæ vnitates illis conueniunt ib. Hæc vnitas non benedicitur mixta ib. Formalis vnitas naturæ conueniens realis dicenda 72. b. Formalis vnitas, quauis re ipſa naturę conueniat, non propterea natura vnius indiuidui ſecundùm entitatem, eſt in alio, ibid. Difficultates proponuntur, & diluuntur, ibid. & dein. Quauis formalis hæc vnitas naturæ conueniens, minor ſit vnitate numerica; ab hac tamen ſola ratione diſtinguitur 73. a. Natura contracta ad indiuidua eamdem retinet formalem vnitatem 73. b. Difficultates cum ſolutionibus, ibid. & dein. Natura antè differentias contrahentes dici non poteſt diuiſa 76. b. Explicatur in quo formalis naturæ vnitas conſiſtat, ibid. Præter vnitatem formalem naturæ conuenientem, præciſionis etiam vnitas concedenda, ibid. In quo hæc præciſionis vnitas conſiſtat, ibid. Indeterminatio naturæ contracta dici ſolet 77. a. Vnitas indeterminationis ſub aptitudinis nomine tradi ſolet, ibid. Natura exiſtens in rebus ex ſe, eur quamdam habeat formalem vnitatem, ibid. Præciſionis, & indeterminationis poſitiuę vnitas non conuenit naturæ, niſi dum per intellectum eſt ab indiuiduis abſtracta, ib. Quauis natura differentiam indiuiduantem aliquo modo præcedat; non ſubinde inferendum in priori naturæ eam ipſam adhuc eſſe non exiſtente; vel ſaltem non intellectâ differentiâ, ibid. Obiectio 77. b. Tametſi natura à contrahentibus differentijs ante quamlibet intellectûs operationem diſtingueretur; non ob id præciſionis vnitate foret vna, ib. Proponitur inquirendum quid ſit naturæ communitas, & aptitudo ſecundum quam natura poteſt eſſe in multis, ibid. Hæc aptitudo non conuenit naturæ tanquàm potentia, vel tanquam repugnantiæ negatio, ibid. Obiectio, ib. Duplex modus quo natura communis dici poteſt in pluribus reperiri 79. a. Vterque modus explicatur, ibid. Quid ſibi velit naturas eſſe eiuſdem rationis in duobus, vel pluribus indiuiduis 80. a. Naturæ contractio re ipſa facta, à facta per intellectum maximè differt 87. b. Natura multiplicatur in indiuiduis in rationes naturæ 187. b. Declaratur huiuſmodi aptitudinis exercitium, ib. Natura ineſt indiuiduo per identitatem cum numerica differentia, ibid. Adnotatio, ibid. Aptitudo remota, ad eſſe in multis, conuenit naturæ, etiam in ſtatu realis exiſtentiæ, ibid. Quomodo natura poſſit eſſe diuiſa in ſingulis, & tota eſſentialiter in omnibus 193. b. Quæ de prædicatis formaliter eſſentialibus dicuntur, de proprietatibus pariter intelligenda 194. a. Dum natura prædicatur de pluribus, retinet vnitatem vniuerſalis in actu 196. a. Quorundam explicatio reijcitur, ibid. Multa ad hoc attinentia, difficultatem proponendo, disputantur, ibid. & dein. Num omni naturæ communi proprietas conueniat 202. a. Vt plurimum conuenit, ibid. Ex naturis vniuerſalibus, quædam ſubſtantiales, & quædam accidentales 206. a. Aliquę naturę neutrę 206. b.

Neceſſitas, & Neceſſarium.

Neceſſarij diuiſio in illud quod eſt ſimpliciter, & illud quod eſt ex ſuppoſitione 46. b. Diuiſio neceſſarij ex ſuppoſitione in quatuor genera; ex materia ex forma ex efficiente; & ex fine, ibid. Triplex neceſſitatis gradus 457. a. Neceſſitas præteriti 457. b. Neceſſitas actûs duplex 497. a. & dein. Neceſſitas exercitij conſideranda aſſumitur 498. b. Neceſſitas Logicę explicatur 268. a. Non requiritur vt extrema neceſſariò exiſtant, ibid. Et dein: multa diſputantur.

Nomen.

Quidam crediderunt nomina fuiſſe rebus à natura impoſita 58. a. Multa ſunt nomina rebus ſignificandis opportuna 58. b. Nominis ad rem proportio contingit per ethimologiam, ibid. Nomen æquiuocum quid 207. a. Vnius rei pluta nomina, & hęc dicuntur multiuoca, ſiue ſynonima, ibid. Diuerſiuoca, & Vniuoca quę, ibid. Animaduerſio, ibid. Nominum vnitas, & varietas rebus ex ſola hominum conſtitutione conuenit, ibid. Res ſe ipſis nec vniuocæ, nec æquiuocæ, ibid. Vniuoca, & æquiuoca in actiua, & paſſiua ſignificatione, ibid. Equiuocorum definitio, ibid. Definitionis traditæ particulæ diligentiùs explicantur 207. b. & dein. Penes quid attendi debeat prima nominis ſignificatio 226. a. Difficultas proponitur, & quid ad illam euitandam ab aliquibus dici ſoleat, ibid.

Numerus.

Numerus duplex tranſcendentalis, & prædicamentalis 26. a. Numerus formaliter acceptus eſt tantùm in anima 274. a. Aliquo tamen modo ad prædicamentum pertinet 275. b. Variæ obiectiones afferuntur, atque ſoluuntur 276. b. Numerus dicitur vnus vnitate formali 281. b. Quomodo vnitas vltima, ſit numeri forma 281. b. O

Odium.

De odio 992. a. Quid ſit, ibid. Differentiæ inter iram, & odium variæ recenſentur, ibid. & dein. Naturale odium vndè oriatur 993. a. Odium melancholicum, ferinum, & rationale quid, ibid. Incentiua odij, ibid. Remedia varia, quibus extinguitur, vel ſaltem emollitur odium 993. b.

Onomatopœia.

De Onomatopœia 921. a. Quid ſit, ibid.

Operatio.

Operatio extrema quid, & quotuplex. xxxiv.

Opinio.

Dari in Nobis falſas opiniones conſtat 452. b. In quo congruentia cognitionis cum obiecto conſiſtat, ibid. Opinio quid ſit, & quomodo à ſcientia differat 738. a. Dandum opinionis habitum in humana mente, ibid. Diſcrimen inter ſcientiam & opinionem, ibid. Opinio in duplici differentia, ibid. Idem duobus modis dici poteſt 739. a. Opinionis natura explicanda ſumitur 739. b. Opinionem tàm dè propoſitionibus immediatis, quàm mediatis concedendam eſſe ſuadetur, ibid. Opinionis definitio ex Ariſtotele poteſt etiã opinioni per diſcurſum comparatæ accommodari 740. a. Opinionis definitio, ib. & dein. Opinionis natura magis explicatur 740. b. Neuter prædictorum modorum ſufficiens eſt, & adæquatus 741. a. Opinionis multiplex acceptio, ibid. Variæ de opinione ſententiæ 741. b. Aſſertio, quid hac de re dicendum docens 742. a. Secunda aſſertio, ibid. Variæ difficultates 743. a. Quid ſit formido

mido 743. b. Qualis sit assensus cum formidine 744. a. Quædam notatu digna ib. An, & quo pacto probabilis opinio ratiocinatione ex suis præmissis deducatur; vel ex opinantis voluntate dependeat 744. b. Duæ assertiones hac de re, ibid. & dein. Non solùm ex duabus præmissis probabilibus, sed ex vna certa, & altera probabili tantùm infertur conclusio probabilis 745. a. An ex probabilibus præmissis inferatur semper conclusio probabilis, ibid. Duæ assertiones hac de re 745. b. An opinionis electio ex voluntate dependeat; duæque assertiones ad hoc attinentes, ibid. Difficultas præoccupata, simulque soluta 746. a. Adnotanda quædam, ibid. Veritas experientia comprobatur, ibid. Duo rerum genera, ibid. Libertas quoad exercitium actuum consideratur 746. b. Voluntas sæpè à cohibendi munere se abstinet, ibid. An possit quispiam prò suæ libertatis volumtate quidquid voluerit, opinari; & hac de re assertio, ibid. Duæ difficultates, cum solutionibus 747. a. An, quando opinio est probabilis, contraria etiam probabilis esse debeat, ibid. Variæ Philosophorum sententiæ, ibid. Opinionem esse probabilem duobus modis potest intelligi 747. b. Assertio, ibid. Vnde tanta apud homines opinionum varietas, ibid. Quotuplex sit opinio, ibid. Opinio licuti scientia diuidi potest, ibid. Diuisio opinionis in solertem, & non solertem, ibid. Diuisio opinionis in suspicionem, & opinionem propriè sumptam 448. a. Difficultas præoccupata, simulque soluta, ibid. Suspicio quid, ibid. Opinio propriè sumpta quid, ib. De dubitatione quædam traduntur, ibid. Opinio diuiditur in veram, & falsam 748. b. Opinionis diuisio in verè probabilem; & eam quæ probabilis tantùm apparet, ibid. Opinio duobus modis esse dicitur in intellectu, ibid. Vtrum opinio simul cum scientia de eodem obiecto haberi possit 749. a. Proponitur quæstio, & eius explicatio, ibid. Variæ Philosophorum sententiæ, ibid. Ad duo capita superiores sententiæ reducuntur, ibid. Prima assertio, ibid. Opinio duobus modis vsurpari potest, ibid. Opinio secundo modo sumpta, pro assensu obiecti necessarij cum actuali formidine per medium probabile, nequit esse cum scientia 750. a. Non repugnat tamen in diuersis hominibus scientia, & opinio cum actuali formidine, ibid. Opinionem tertio modo sumptam quatenus dicit actum non posse esse simul actu cum scientia, ibid. Quomodo cum actu scientiæ in intellectu opinio dari possit 750. b. Secunda assertio, ibid. Tertia assertio 751. a. Variæ difficultates cum solutionibus 751. b. Quid sit error, & quomodo à scientia, & opinione differat 753. a.

Oppositio.

Oppositio amplissimè sumpta cum distinctione conuertitur 391. a. Oppositionis quadripartita diuisio, ibid. Quadrimembris diuisionis oppositorum sufficientia 392. a. Quid hac in re primò explicandum 392. b. Quid repugnantia, ib. Superioris definitionis explicatio, ib. Repugnantia formaliter accepta; itemque materialiter, ib. Disparata quid, ibid. Opposita bifariam, ib. Quæ dicantur opposita relativè 393. a. Definitionis explicatio, ib. Opposita contrariè, ib. Duæ difficultates 393. b. Opposita contratiè quid, ibid. Superioris definitionis explicatio, & adnotatio, ibid. Repugnantia effectiua 394. a. Repugnantia formalis, ib. Huiusmodi repugnantia multiplex, ib. An ad repugnantiam oppositorum maxima requiratur distantia 394. b. Num vnum possit pluribus esse contrarium, & dubitationis solutio, ibid. Perfecta contrarietas inter duo tantùm, ibid. Adnotatio 395. a. Quorundam opinio de expulsione, ibid. Assertio docens hic sermonem esse de expulsione aptitudinali, ibid. f. Contrariorum ex Aristotele diuisio 395. b. Animaduersio, ibid. Oppositio duplex 396. a. Contraria quædam immediata, quædam verò mediata, ibid. Priuatiuè opposita explicantur, ibid. Priuatiuè opposita quæ 396. b. Superioris descriptionis explicatio, ibid. Tria requiruntur ad oppositionem priuatiuam, ibid. Contradictoriè opposita quę, ibid. Inter species oppositorum instituitur comparatio 397. a. Priuatiua à relatiuis quomodo differant, ibid. Discrimen inter priuatiuè opposita, & contraria, ibid. Contradictoria à reliquis oppositis quomodo distinguantur 397. b. Adnotatio 398. a. Variæ dubitationes, ibid. Duæ contrariorum proprietates, ibid. Variæ difficultates, ibid. & dein. Tria de contradictorijs consideranda proponuntur 399. a. Inter contradictoriè opposita nequit dari medium, ibid. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein. Relativè opposita medium admittunt per negationem extremorum 400. a. Oppositorum distributio consideranda proponitur; an sit adæquata, & an vniuoca 400. b. Oppositum disparatum impropriè oppositum, ibid. Oppositum propriè, ibid. Variæ obiectiones cum solutionibus 401. a. & dein. Hæc vniuocatio quandam habere potest analogiam admixtam 402. b. Quid addat oppositio rebus, quæ dicuntur oppositæ, ibid. Negatio, quam dicit forma positiua, vt opposita negationi sui, ibid. Quædam adnotatio, ibid. Ex parte termini duplex reperitur oppositio 403. b. An oppositionis ratio realis sit, an opus rationis, ibid. Concluditur non esse formam positiuam 404. a. Hac de re plura tractantur, ib. Et dein. variæ difficultates soluuntur. Quædam de contraria oppositione tractantur 404. b. Difficultas, eiusque solutio 405. a. Non sufficit conuenientia in supremo genere, ib. Explicatur magis contrarietatis definitio 405. b. Distantia maxima non solùm penes rationes formales qualitatum; sed penes latitudinem graduum attendenda videtur, ibid. & dein. Difficultates expendendæ proponuntur, & multa hac de re disputantur 406. & dein. An contraria debeant esse sub eodem genere 407. b. Ad sanitatem requiri vnitatem generis prædicamentalis, & præter conuenientiam in supremo genere dandam esse in aliquo genere subalterno 408. a. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein. Qua ratione opposita oppositione contraria se expellant ab eodem subiecto 409. a. Et multa hac de re traduntur dein.

Oratio.

Oratio trifariam apud Dialecticos accepta 279. a. In oratione vocali sex reperiri censentur 279. b. Oratio quomodo hic accipiatur, ibid. Orationis non esse veram, propriamque speciem quantitatis, ibid. Variæ difficultates, ibid. Oratio hic pro quocumque vocabulo sumitur; &, si nihil significet, discreta quantitas dicetur 282. a. Oratio quæ in collatione laureæ doctoralis solet adhiberi 962. a. Quomodo sit appellanda, ibid. Huius orationis præcepta, ibid. Stylus qualis in hac oratione esse debeat 962. b. Oratio postulatoria, ibid. Huius orationis præcepta, ibid. Oratio, quæ dicitur proloquium, ibid. Stylus huic orationi consentaneus, ibid. Oratio, quæ præluſio, siuè præludium dicitur, ib. Oratio, quæ dicitur gratiarum actio 963. a. Oratio, quæ dicitur Epinicium, ib. Huius orationis præcepta, ibid. Oratio, quæ dicitur Lamentatio, ib. Huius orationis præcepta 963. b. Oratio nuptialis, eiusque præcepta, ibid. Oratio natalitia, eiusquè præcepta, ibid. Oratio funebris, eiusque præcepta, ibid. Oratio in qua dedicatio habetur, eiusque præcepta 964. a.

Ordo.

Ordo cognoscendi exemplo declaratur 432. a. De ordine, & methodo 816. b. Ordinis, methodiquè nomen quid sibi velit, ibid. Magna ordinis vtilitas, ib. In rebus natura constantibus, ordo mirùm in modum lucet, ib. In artificialibus ordo quoque conspicitur 816. b. In moralibus quanta sit ordinis vis ibid. In scientijs ordo summopere desideratur 817. a. Vtilitas ordinis, & ad quid conferat, explicatur, ibid. & dein. Quid sit ordo proponitur inquirendum 817. b. Ordo prò vt sedem habet in mente, ibid. Hoc pacto non est instrumentum directiuũ cognitionis, ibid. Duobus modis sumi potest, ibid. Ordo vt instrumentum directiuum, quomodo ab aliquibus definiatur, ibid. Num benè fuit instituta partitio in rectum, & pravum 818. a. Rectus ordo vndè sumendus sit, ibid. Ordo naturæ quid; ordo doctrinæ quid, ibid. Vter istorum modorum attendi debeat, ibid. Multa hac de re disputantur, deinceps. Accuratior scientifici ordinis definitio inquiritur 819. a. Superior definitio reijcitur, ibid. Et deinceps scientifici ordinis accuratior definitio traditur, & multa ad hoc attinentia dis-

Digitized by Google

putantur. Tres assertiones cum suis probationibus 819. b. & dein. Animaduersio 820. a. Quando ordo arbitrarius videtur, ib. Ordo duplex compositiuus, & resolutiuus; quibus definitiuus addi solet 820. b. Distinctio in resolutiuum, & compositiuum, duobus modis potest explicari, quomodo vterq; contingat, ib. Prædicti duo modi re ipsa non diferunt ib. & dein: Difficultas, eiusque solutio 821. a. Vtrique scientiæ, vtrunque ordinem consentaneum esse, ibid. In eadem integra scientia vtrunque ordinem vsurpari, ibid. Consideratur doctrina definitiua, quam Galenus excogitauit 821. b. Non datur tertius ordo distinctus à compositiuo, & resolutiuo, ib. Ordo non idem, ac doctrina, ib. Doctrina quid, ibid. Galenus non ordinem, sed doctrinam definitiuam cognouit 822. a. Adnotatio de facultatibus practicis, ibid. Quid interfit inter ordinem, & methodum 822. b. Ordo, & methodus prò eodem solent vsurpari, ibid. Maximum discrimen inter ordinem, & methodum, ibid. Ordinis, & methodi munus, ibid. Ordo in quo consistat, & per quid à methodo distinguatur, ibid. Ordo latiùs patet, quàm methodus, ibid. Multiplex methodi significatio 823. a. Methodus, qua significatione hic vsurpetur, & quid sit, ibid. Notificatio in quo consistat, ibid. Difficultas, ibid. Duplex methodus resolutiua, & compositiua 823. b. Vndè binarius numerus methodorum colligatur 824. a. Diuisio methodi compositiuæ, & resolutiuæ, ib. Methodus, quæ in inductione consistit, ibid. Inductio quid, ibid. Difficultas, & obiectio cum solutione, ibid. Diuisionem methodi esse adæquatam, & methodum non esse definitionem ostenditur, ibid. Difficultas, eiusque solutio 824. b. Diuisionem non esse methodum ostenditur 825. a. Diuisionis vtilitas, in quo posita sit, ibid. Diuisio ordinis naturam sapit, ibid. Alia diuisionis vtilitas, ibid. & dein. Quo ordine res naturales cognoscantur 825. b. Quæstionis explicatio, ibid. & dein. Prius ab humana mente singulare cognosci ostenditur 826. a. Singulare est materiale, & sensibile 827. a. Quod tale sensibile sit materiale, & vagum, ibid. Talis cognitio confusa est, & imperfecta 827. a. Quorumdam responsio præoccupata, simulque soluta, ibid. Difficultati & rationibus ex Aristotele depromptis, fit satis, ibid. & dein. Quædam argumenta aduersus superiorem assertionem afferuntur, eisdemque fit satis 828. a. An magis, vel minus vniuersale, & singularia sub his contenta, priùs prioritate originis ab intellectu cognoscantur 829. b. Quid hac de re dicendum, ibid. Variæ difficultates afferuntur, simulque soluuntur 830 b. & dein. Cognitio duplex 831. a. Secunda assertio 831. b. Variæ difficultates 832. a. Quid de primo cognito collectitię cognitionis dicẽdum 833. b. Variæ difficultates 834. a. & dein. Tertia assertio 834. b. An substantia, an accidentia, & quænam alia priùs, aut posteriùs à nobis naturaliter cognoscantur ibid. Duæ assertiones ad hoc attinentes, ibid. & dein. An priùs cognoscantur essentiæ, vel proprietates 835. b. Assertio, ibid. An prius cognoscantur res, vel earum principia, aut causæ, ibid. Assertio ibid. An humanus animus priùs cognoscat se, vel alia à se 836. a. Assertio quid hac de re dicendum docens, ibid. & dein. An priùs cognoscatur creator, vel creaturæ, an res immateriales, vel materiales 836. b. Assertio, ibid. Qualis debeat esse cuiuslibet scient: dispositio circà proprium obiectũ, & quæ circa idem, & quo ordine cõsiderare debeat, & quomodo variæ scientiæ inter se disponantur, ibid. In omni scientia aliquis ordo necessarius est, ibid. Duplex modus, quo scientia tractari potest, recensetur, ibid. & dein. Cuiusmodi debeat esse ordo, qui inuentionis dicitur 837. a. Ordo prædictus ratione suadetur, ibid. & dein. Quis ordo seruandus, quando ex ijs, quæ ad scientiam pertinent, quædam per se, & quædam reductiuè pertinere dicuntur 837. b. Quorundam deceptio, & verus explicationis modus, ibid. & dein. Quando scientiæ subiectum fuerit vnum genere, quis ordo seruandus in tractandis speciebus 838. a. Triplex potest esse ordo, ibid. In eodem tractatu ordo seruandus, quis, ibid. Ordo in quæsito aliquo tractando, qualis esse debeat, ib. Quæstionis decisio vel clara est, vel ambigua, ib. Quando quæstionis decisio clara; & quando ambigua quid agendum, ibid. Quidam ordines recensentur, ibid. Quid in probatione propriæ sententiæ obseruandum 839. a. Quando plures sunt conclusiones in eadem disputatione quid obseruandum, ibid. Quenam, & quomodo quælibet scientia circà suum obiectum considerare debeat, ibid. Quatuor quæstionum sufficientia probatur, ibid. Quæstio *an*, *quid*, *qualis*, & *propter quid*, cum animaduersione, ibid. Duę obiectiones cum solutionibus 839. b. An in scientia probari possit quod eius obiectum sit, & quid sit, assertio, ibid. & dein. Difficultas, eiusque solutio 840. a. Quo ordine prędictę quæstiones tractandę 840. b. Difficultas, ibid. Superioribus difficultatibus fit satis dein. Ordo inter quæsita *quale*, & *propter quid* 841. a. Assertio affertur, varijque ordines commemorantur 841. b. Quo ordine varię sententię debeant inter se disponi 842. a. Assertio, ibid. Ordo inter Physicam, & Metaphysicam, & assertio, ibid.

P

Paranomasia.

PAranomasia 930. b. Quid sit, ibid. Quę figurę ad Paranomasiam reuocari possint 932. a.

Parentes.

Parentum primorum animi scientiarum ornatus Diuina munificentiâ sunt consecuti. 1v.

Passio.

Passionis definitio 626. b. Difficultas, eiusque solutio proponitur 674. a.

Pedia.

Pedia quid 727. b. Pedia duplex, ibid. Iterum bipartitò diuiditur, ibid. Pedia tribus accipitur modis 728. a.

Perfectio.

Perfectio duplex, essentialis vna, ac accidẽtalis altera. 151. a.

Periphrasis.

De Periphrasi 923. a. Quid sit, ib. Quidam Periphrasin è troporum numero reijciunt, ibid. Quid hac de re dicendum 923. b. Adnotatio, ibid.

Peroratio.

De Peroratione 909. a. Quid sit, ibid. Peroratio quàm similima est exordio, ibid. Aristoteles quatuor perorationis partes assignat 909. b. Cicero non dissentit, quanuis duas assignare videatur, ibid. Peroratio tribus constat 910. a. Quid Enumeratio, Indignatio, & Conquęstio sint, ibid. Quibus modis numeratio fiat, ibid. Quę in indignatione adnotanda, ibid. Conquęstio quid 910. b. Duo perorationis genera, ibid. Dubitatio pluribus modis perficitur, ib. Dubitatio quandoque adhibenda; iuuat etiam prèteritio, ib. Quid oratori in affectibus mouendis præcipuè agendum sit 911. a. Studendum breuitati in peroratione, ibid. Summatim proponuntur, quæ ad elaborandam perorationem faciunt 911. b.

Philosophia.

Philosophia quid, & quanta sit eius dignitas 111. Philosophia duplex contemplatiua, & practica, ibid. Contemplatricis finis veritas; practicæ autem opus, ibid. Philosophiæ contemplatricis, & practicæ diuisio, ibid. Philosophiæ alia partitio, ibid. Hac à Platone commendatur, ibid. Supradictæ partitionis ratio, ibid. Philosophiæ naturalis distributio in Physiologiam, Metaphysicam, & Mathesim 1v. Philosophiæ ortus, ibid. Quando Philosophia in Italiam à Pythagora traducta fuerit vi. Philosophorum variæ sectæ ibid. Sectarum tripartita diuisio ibid. Philosophandi variæ rationes x. & dein. Philosophos veteres æquum est honestissimis ornare laudibus xi. Ad Philosophandum præstat aliquem habere ducem xiv. A communi Philosophandi via præstat recedere xv. Quæ ratio Philosophandi arriserit Aristoteli xvii. Philosophiæ vetus distributio in Rationalem, Naturalem, & Moralem, retinetur xx. Rationalis philosophiæ partes. Dialectica, Rhetorica, & Poetica, ibid. Quid quælibet iplarum, ibid. Philosophiæ naturalis partes. Physiologia, Metaphysica, & Mathesis xxi. Quid quælibet iplarum, ibid. Philoso-

phię

Digitized by Google

phiæ Moralis partes Ethica, Oeconomica, & Politica, ibid. Quid quælibet ipſarum, ibid. In rebus Philoſophicis tractandis quale ſcribendi genus adhibendum, ibid.

Plato.

Plato auctor Academicæ ſectæ VII. Quando natus, & obiierit VIII. Naturalia deſpexit XV.

Poetica.

Poetica quid, eiuſque finis 16. b. De Poetica ſimili modo Philoſophandum, ac de Rhetorica 17. b. De natura Poetices 1025. Poetices, Poetæ, Poeſeos, & Poematis nomina explicantur; & quid ſingula ſint, declaratur 1025. a. An Poeta à faciendis verſibus, an à fingendis fabulis dicatur 1025. b. Ad Poetam conſtituendum, & metrum, & imitatio requiritur 1026. b. Poema ſeuerè acceptum metro, & imitatione conſtat, ibid. Præoccupatio difficultatis, eiuſdemq; ſolutio 1027. a. Poetices definitio traditur, & quomodo Poema, Poeſis, & Poetice differant 1030. a. Poetice duobus ſumitur modis, ibid. Poetice artis rationem ſibi vendicat 1030. b. Difficultas proponitur, ſimulque diluitur 1031. a. Circa quæ poetice verſetur, ibid. Quid hac de re dicendum 2031. b. Figmenta, quibus poeta utitur, qualia, ibid. Stoicorum ſententia de Poeſi, ibid. Finis poetices quis ſit, ibid. Eſt Morum correctio figmentorum præſidio aſſequenda 1032. a. Quomodo poeta profit, ibid. Vtilitas à Poeta ſpectanda, ibid. Quò poeta collimet, ibid. Poeticæ dignitas 1032. b. De cauſis poeſeos effectricibus; ubi de furore poetico, ibid. Tres poeſeos cauſæ, ibid. Primum poeſeos principium, ibid. Plantaſia plurimum valet ad poeſin 1033. a. Secundum poeſeos primordium, ib. Poeſeos origo 1033. b. Furor quadruplex ibid. Furor Poeticus Platoni quid, ibid. & dein. Varii furores, & illi, quibus tribuuntur, commemorantur 1034. a. & dein. Academicorum conſilium explicatur, & eiuſdem redditur cauſa 1034. b. An Platonis ſententia cum veritate conſentiat, ibid. & dein. Quando quis poſſit poemata condere; treſque cauſæ poeſeos efficientes 1035. b. De Poetices origine 1036. a. Quomodo Poeſis fuerit inuenta; itemque Poetica, ibid. Initium perfectionis in Græcia, ibid. Abſolutè multò priùs apud alios in uſu fuit 1036. b. Diſtributio Poetices in duas partes ibid. De iis, quæ tanquam communia in Poetica facultate tractantur, ibid. Poetica ars gemina parte conſtat, ibid. Prior pars hac diſſertatione comprehenditur, ibid. De iis quæ tàm generatim, quàm ſpeciatim poetæ tractant, ibid. Duo ſunt à poeta conſideranda, quæ iterùm bipartitò diuiduntur, ibid. Ad tria reuocantur, ibid. Rem tractandam primò conſiderare oportet 1036. b. Poeſis, & hiſtoria differunt 1037. b. Non metrum, ſed imitatio poetam conſtituit, ibid. De fictione poetica, ubi de fabula, ibid. Imitatio eſt primarius poetæ finis. Quomodo hic ſumatur imitatio ibid. Affinitas inter picturam, & Poeſin 1038. a. Fabulæ utilitas explicatur, & quid ſit è veterum ſententia, ibid. Aphtonio quid fabula, ibid. Imitatio eſt anima poeſeos, ibid. Fabularum varia genera; & Fabula rationalis quid 838. b. Duo præcipuè ſunt Fabularum genera, ibid. Orator fabulis utriuſque generis utitur, ibid. Fabularum, quæ dicuntur &c. duæ ſunt partes præcipuæ 1039. a. Cur poetæ fictis potiùs, quàm veris utantur, ibid. Simplex, & fabuloſa fictio 1039. b. Exemplo illuſtratur, ibid. Quid in fictione uniuerſæ fabulæ obſeruandum 1040. a. & dein. Rationes variæ excogitatæ ſunt 1041. b. & dein. Fabulæ epiſodicæ quando dicantur 1042. a. Solutio fabulæ maximè poetæ curanda 1042. b. Peripetia quid ſit, explicatur, ibidem. Poeta de Peripetia ſummoperè debet eſſe ſollicitus 1043. a. Peripetia qualis mutatio ſit 1043. b. Peripetia mutatio magna, & inopinata eſſe debet; ibid. Agnitio explicatur, ibid. Quænam pulcherrima agnitio, ibid. Qualis mutatio agnitio, ibid. Qualis mutatio agnitio, de qua loquimur 1044. a. Duplex agnitio, ibid. Peripetia poteſt eſſe ſine agnitione, ibid. Adnotatio 1044. a. Quæ agnitio præſtantior, ibid. Quatuor agnitionis modi, ibid. Signa aduentitia, ib. Duo alii ex quorundam ſententia agnitionis modi 104. a. & dein. Adnotatio 1045. b. Quid Ariſtoteles per mortes in aperto intelligat 1046. a. Supradictorum concluſio, ibid. Non ſolùm de principio; ſed etiam de fine habenda eſt ratio, ibid. De iis, quæ ſpeciatim poetica facultas conſiderat 1059. Quæ ſpeciatim ad poeticam pertineant, ibid. Poeſeos partes tritariam diſtinguntur 1059. a. Sermo quibus conſtet, 1060. a. Ea, quibus poeta imitatur, ibid. Res, quam poeta imitatur, ibid. Imitationis modus, ib. Vbi quædam de poemate traduntur, & dein. De Poeſi Dramatica 1060. b. Vnde dicatur, ib. Dramatis inditium vnde ſumatur 1061. a. Vtriuſque Dramatis auctor quis Platoni fuiſſet, ib. In dramate conſideratur magnitudo ib. Terminus Artificialis, & Inartificialis, ibid. Partes Dramatis ratione qualitatis, & quantitatis 1061. b. Quæ ad poetam pertineant, ib. Primum, ac præcipuum opus Poetæ moliendum, ib. Perſona, aut in argumento, aut extra 1062. a. Quæ turpia ſunt, narranda tantùm, ib. Dramatis mores quales, ib. Eiuſdem metrum, ib. Poemata quædam ad Epicum quodammodo reuocata 1080. a. Poeſis Bucolica vnde dicta ibid. Poematis Bucolici diuiſio 180. b. Triplex elocutionis character; inſtrumentum muſicum huius poematis quale, ibid. Scæna huius poematis qualis ibid. Satyricoromanum poema, ibid.

Polyſyndeton.

De Polyſyndeto 926. b. Quid ſit, ibid.

Polyptoton.

De Polyptoto 927. a. Quid ſit ibid.

Poſitio.

Poſitio quid 665. a.

Præciſio.

Præciſio rationis duplex, perfecta, & imperfecta 131. b. & 161. b Quid utraque ſit, ibid. Opinio multorum de præciſionibus obiectiuis 162. a. Perfecta, & imperfecta præciſio explicatur, ib. Quidquid ab aduerſariis dici ſoleat, confutatur 162. b. Altera præciſionis diſtinctio in formalem, & obiectiuam, ib. Formalis præciſio explicatur, ib. Obiectiua præciſio declaratur 163. a. Concedendas præciſiones obiectiuas oſtenditur 163. b. Auctoritate probatur, ib. Multa ad hoc attinentia diſputantur, ib. & dein. Explicatur quomodo concedendæ ſint præciſiones obiectiuæ 164. b. Tres explicandi modi, ibid. & dein. Duo ſanctà quibus ſententiæ veritas pendet; fœcunditas obiecti, ib. Intellectûs imbecillitas, ib. Variæ difficultates proponuntur, ib. & dein. Quo ſenſu obiectiuæ præciſiones ſint admittendæ, & quid primò hac de re ſentiendum 169. b. Et deinceps multa hac de re diſputantur.

Præcognitio.

Præcognitiones præcognitis applicantur 599. b. Quæ de principiis præcognoſcenda ſunt, ibid. Aſſertio 600. a. Duæ aliæ aſſertiones ad hoc attinentes, ibid. Duæ difficultates ib. & dein. Alia aſſertio, variæque difficultates, 609. b. & dein. De præcognitione paſſionis, vel affectionis 603. b. Quid paſſionis nomine propriè intelligendum, ibid. Tres aſſertiones, ib. & dein. An præcognitio quid nominis affectionis ſufficiat 604. b. Tres aſſertiones ad hoc attinentes ib. & dein. Quædam difficultates afferuntur 605. a. Diſparitas inter ſubiectum, & paſſionem 605. b. Difficultas præoccupatà, ſimulque ſoluta 606. b. De ſubiecti præcognitionibus 607. a. Aſſertio de ſubiecto, ib. Quid in controuerſiam vocetur, ib. Aſſertio quid dicendum docens, ib. Difficultas 607. b. Altera de ſubiecto controuerſia, ib. Aſſertio, variæque difficultates proponuntur 601. a. & dein. Scientia à poſteriori poteſt ſuum totale ſubiectum oſtendere 610. b. Variæ difficultates proponuntur, ſimulque ſolvuntur 611. a.

Prædicatio, & Prædicatum.

Prædicari quid ſignificet 195. b. Prædicatum, & uniuerſale non idem 94. b. Prædicabilium, & prædicamentorum non idem numerus, ib. Prædicabilia non ſunt pauciora quàm quinque ib. Alia prædicati, & alia prædicabilis ratio, ib. Difficultas affertur, atque ſoluitur, ib. Prædicatio duplex ſignata, & exercita 84. b. Prædicatio gemina 139. a. Declaratur quid

Digitized by Google

quid sit alicui conuenire signatè, vel exercitè, ib. Exercita, prædicatio conuenit naturæ, signata verò genereitati 139. b. Admonitio hac de re, ib. E prædicatis essentialibus quædam sunt, quæ perfecta præcisione inter se distinguntur 162. b. Prædicabilis denominatio à prædicatione affirmatiua, & vera desumitur 196. a. Fundamentum veræ prædicationis assignatur ib. In propositione negatiua contrarium euenit eius, quod in affirmatiua, ib. Qualis debeat esse prædicabilitas, ut sit uniuersalis affectio 297. a. In quo prædicabilitas consistat, sequitur explicandum 197. b. Prædicatio affirmatiua, ib. Bipartitò accipitur prædicabilitas, ib. Proponitur explicandum quomodo prædicabilitas sit uniuersalis proprietas, ib. Variæ quorundam sententiæ, ib. Auctoris assertio, & ratio 198. a. Nullo modo prædicabilitas dici debet uniuersalitas, ib. Quomodo prædicabilitas dicenda sit uniuersalitatis proprietas, ib. Assertio hac de re, ib. Prædicabilitas uniuersalis attributum ostenditur 198. b. Superior difficultas inculcatur, eidemque fit satis, ibid. & dein. Quid nomine prædicationis intelligendum 475. a. Prædicatio generis de speciebus explicatur 476. b. Prædicatio multiplex 482. b. Disparata, & non disparata, ib. Alia prædicationum genera explicantur, ib. & dein. Superiora de inferioribus in concreto, non in abstracto, nec abstractum superius de inferiori posse prædicari, loquendo de secundis intentionibus 490. b Vbi multa de prædicatione secundarum intentionum tractantur. Denarius prædicamentorum numerus non necessarius, sed solum ob eius celebritatem retinendus 216. a. Quid prædicamenti, seu categoriæ nomine denotetur, 216. b. Denarius prædicamentorum numerus; ex quibus tria priora dicuntur ad se, reliqua ad aliud, ib. In quolibet prædicamento tres lineæ una media, duæque collaterales 217. a. In media genera, & species, ac indiuidua collocantur. In lineis collateralibus differentiæ constituuntur, ibid. Multùm veteres laborauerunt in prædicamentorum distinctione decernenda, ib. Qua distinctione prædicamenta distingui debeant, ibid. Sufficit distinctio rationis ibid: Vbi multa disputantur ad hoc attinentia ibid. & dein. Res in prædicamentis constituuntur 218. a. Voces multifariam spectari possunt, ibid. Res in prædicamentis constitui, trifariam potest intelligi. Difficultas, ib. Vt in entibus realibus, sic in entibus rationis prædicamenta constitui posse 218. b. Solummodò entia realia locum in prædicamentis habent ibid. Debent esse entia per se, ibid. Difficultas, eiusque solutio ib. Incomplexa esse debent, quæ in prædicamentis collocantur, ib. Definitio in prædicamentis non collocatur, quia secundum significandi modum complexionem importat, ib. Quæ in prædicamentis collocantur, entia completa sunt 219. a. Partes Metaphysicæ in concreto, non in abstracto in prædicamentis ponuntur ibid. Varię difficultates cum solutionibus, ibid. Partes Homogeneę æquè prædicationem essentialem superiorum graduum recipiunt, ibid. & dein. Quod ponitur in prædicamento, debet aliquid finitum esse ex quorumdam sententia 219. b. Vbi multa hac de re, difficultates proponendo, traduntur, ibid. Modus, quo res in prædicamentis constituuntur, ibid. Geminam accidentium abstractionem esse 220. a. Accidentia, media tantùm abstractione abstracta, in prædicamentis collocantur, ibid. Et deinceps variæ difficultates proponuntur. Sex reliqua prædicamenta in communi quadam ratione conueniunt 374. a. Non fuit necesse communem rationem his prædicamentis assignare 374. b. Fuit tamen conueniens 375. a. Non uno, eodemque modo hæc omnia inter duo extrema versari 375. b. Prædicatum essentiale duplex 613. a. Asserendum essentiale prædicatum per causam externam de re quapiam demonstrari posse, non modo formaliter, sed etiam materialiter, ibid.

Præmissæ.

Conditiones præmissarum secundum se 562. b. Conditiones præmissarum in ordine ad conclusionem 563. a. Quæ de principijs præcognoscenda sunt 599. b. Ex principijs quędam complexa, & quædam incomplexa; de alijs spectantibus ad principiorum præcognitionem 602. a. Assertio 602. b. Duæ difficultates 703. De præmissis demonstrationis, & primò an, & quomodo esse debeant primę, immediatę, & per se notæ 641. a. Vide tractationem de demonstratione, vbi multa de ipsis tractantur.

Præteritio.

De præteritione 938. b.

Principium.

Quandoque principia non sunt nota naturæ lumine 561. b. Complexa principia primi generis 563. a. Complexa principia scientiarum in duplici differentia 641. a. Principium demonstrationis quid 641. b. Quomodo principia, quæ non sunt simpliciter prima, cognoscantur 645 b. Principia mediata, per experientiam cognoscuntur, ibid. In quo methodus cognoscendi principia consistat 646. a. Variæ assertiones, cum suis difficultatibus 646. b. Ad cognoscenda principia simpliciter prima, experimentalis cognitio aliquid vtilitatis affert 647. a. Experientia quid 647. b. An habitus primorum principiorum insit nobis à natura 649. a. Variæ hac de re sententiæ, ibid. Assertio vera, cum probationibus, ibid. Cur *habitus* primorum principiorum appelletur intellectus 650. a. Variæ difficultates, ibid, & dein. Principiorum habitus actuum frequentatione acquiruntur 651. a. Principia complexa, communia, & propria 662. a. Variæ sententiæ de principijs, ibid. & dein. Principium immediatum diuiditur in Positionem & Dignitatem 665. a. Positio quid, ibid. Dignitas, Suppositio, & Definitio quid, ibid. Suppositio duplex simplex, & complexa, ibid. Quid vtraque sit, ibid. Petitio, seu postulatum quid ib. Definitionum, Suppositionum, Dignitatum, & Postulatorum exempla 665. b. Duæ difficultates, ibid. Prædictorum principiorum vsus explicatur 668. b. Vsus communissimarum dignitatum, ibid. Hæc duo sunt principia distincta, ibid. Hujus principij vsus potest esse secundum amplam, & contractam, acceptionem 668. b. Alia principia complexa proponuntur, ibid. Quomodo communium principiorum contradictio esse debeat 665. b. Adnotatio, ibid. Præcipua principiorum proprietas est necessitas, ibid. Tres necessitatis gradus, ibid. Præmissæ debent esse de omni, & per se 670. a.

Prioritas.

Prioris, & posterioris descriptio 412. b. Varij prioritatis modi 413. a. Agitur de prioritate naturæ, & varij modi, multa disputando, proponuntur, ibid. & dein. An prioritas naturæ sit realis, vel rationis, & an instantia naturæ eo ipsa dentur 414. b. Multa hac de re disputantur. Prioritas originis explicatur 415. a. Primus simultatis modus, ib. & reliqui dein. Variæ difficultates hac in re 416. per totum.

Probatio.

Quid, & quotuplex sit Rhetorica probatio 865. a. Probatio, & propositio quid, ibid. Rhetorica probatio quid, ibid. Quod à Dialecticis medius terminus, ab Oratoribus argumentum dicitur, ib. Orator probabilia sequitur, ib. Orator nimis subtilia tractare non debet, ibid. Argumentum, & argumentatio quid, ibid. Apud Logicos, & Rhetores 865. b. Probationes diuiduntur in duo genera, ibid. Probationes artis expertes quæ, ibid. Quinque genera probationum, quæ dicuntur artis expertes, ibid. Probationes artificiosæ quæ, ibid. Huiusmodi probationes triplici genere continentur 866. a.

Problema.

Problema dialecticum quid 778. a. Problemata, propositiones, & prædicata paria sunt numero, ibid. Multiplex problematis diuisio, ibid. Quatuor sunt problemata, & prædicata dialectica 778. b. Difficultas, eiusque solutio 779. b. Allata problematum, atque prædicatorum partitionem sufficientem esse probatur 780. a. Difficultas 780. b. Enumeratio problematum, & prædicamentorum commendatione dignam esse ostenditur 780. b. Extrema, quæ in problemate inuoluntur 781. a. Medium, siuè argumentum, ibid. Problema est materia topici syllogismi, ibid. Locus topicus quid, ib. & dein. Multa de maximis, & locis disputatur ib. & dein; vsq; ad 782. b.

Digitized by Google

Propositio.

Prò qua temporis mensura propositio de præsenti verificetur, & num propositio de vera in falsam mutari possit 458. a. Multa disputantur hac de re, ibid. Triplex propositionum genus 466. b. Propositionum quælibet prædictarum duobus modis accidit, ibid. De propositionibus singularibus, omissis vniuersalibus, & particularibus, agendum, ibid. Propositio quid 663. b. Propositio duplex dialecticæ, & demonstratiua, & quid vtraque sit, ibid. Propositiones de futuro contingenti determinatè veras esse 473. a. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein. Quædam de concursu primæ causæ cum humana voluntate breuiter explicantur 474. a.

Proprium.

Proprij nomen explicatur 176. a. Cui nomen proprij sit attribuendum, ibid. Proprium dupliciter vsurpari potest, ibid. Proprietates, affectionesque realiter naturis conuenientes reales sunt 176. b. Vniuersalitas naturę non est, nisi per operationem intellectûs, ibid. Proprium vt vniuersale respicit plura, vt proprium respicit vnum 177. a. Tria ad proprium meritò requiruntur, ibid. Difficultas, 177. b. Proprium quarto modo sumptum explicatur, ibid. Quanta sit necessitas, qua proprium subiecto iungitur, ibid. Triplex necessitatis genus, ibid. & dein. Proprium explicatur quatenus induit vniuersalitatis rationem 179. a. Singulæ definitionis particulæ explicantur, ibid. & dein. Variæ difficultates proponuntur, atque solnuntur 179. b.

Prosopopœia.

De Prosopopœia 933. b. Quid sit, ibid. Quando patria, vel respublica loquiutr ibid. Prosopopœia in quibus locum habeat 934. a.

Prudentia.

De Prudentia agitur 736. a. Aristoteles, de prudentia disputans, tria sibi consideranda proponit, ibid. Præcipua, summaque prudentiæ vis in consultatione consistit, ibid. Per quid prudentia ab arte, & scientia distinguatur, ibid. Prudentia, quid 736. b. Tres aliæ differentiæ, quibus prudentia ab arte, & scientia secernitur, ibid. Confertur prudentia cum opinione, ibid. In duobus conueniunt, & in duobus discrepant, ibid.

Pudor.

De pudore 996. b. Quid sit, ibid. Quid Stoicis sit 997. a. Res, quibus homines verecundari coguntur, ab animi vitio proueniunt 997. a. Varia genera eorum, vndè excitatur pudor 997. b. Beneficentia quam maximè homini accommodata, ib. Alia, quæ turpia sunt, exemplis explicantur 998. a. Quales sint homines, quos veremur 998. b. Quinque hominum genera, quorum rationem ducere solemus, ibid. Qui nos admirantur, & quos ipsi admiramur, ibid. Qui sint, cum quibus de dignitate contendimus 999. a. Cur prudentes vereri soleamus, ibid. Quæ in conspectu hominum fiunt verecundiam mouent, ibid. Duo hominum genera, quæ præcipuè nos verecundamur, ibid. Homines qui inter se non verecundantur, ibid. Homines etiam, quos non multum verecundamur, ibid. Qui sint, qui facilè nunciant, ibid. Derisores veremur, & quare 999. b. Duo genera eorum, quos veremur, ibid. Ex familiaribus, quos vereamur, ib. Quę verecundiam mouent, ibid. Non solum facta, sed etiam factorum signa homines verentur, ibid. Quinam sint, quos minimè verecundemur, ibid. Non eadem sunt, quorum nos pudet apud notos, & ignotos, ibid. Qui, & quomodo affecti pudore afficiantur, quosque homines vereri soleamus, ibid. & dein. Homines debent esse præsentes, vel in propinquo loco, vt eos nos verecundemur 1000. a. Crimina eorum, qui à nobis pendent pudorem excitant, ib. Qui pares habent, ac similes pudore etiam afficiuntur, ibid. Qui sint quos pudet, ibid. Homines, apud quos pudeant 1000. b. Quorum homines pudeat, & quomodo in ipsis pudor moueatur, ibid. Quibus orator possit pudorem excitare, ibid. Pudoris effectus, ibid.

Pulchritudo.

Pulchritudo quid 316. a.

Q

Qualitas.

Qualitatis nomen primùm à Tullio inuentum 302. a. Qualitas quadrifariam accipitur, ibid. Qualitas quomodo accepta sit huius prædicamenti summum genus 302. b. Qualitatis definitio ab Aristotil tradita, non definitio, sed descriptio, & quidem subobscura dicenda 302. a. Qualitatis germana descriptio 302. b. Qualitas multifariam dicitur 303. a. Sufficientia diuisionis qualitatis, ib. Commendatur superior colligendi ratio 303. b. Obiectio, eiusque solutio, ibid. Prima species qualitatis, & combinatio, quę, ibid. Differentia inter habitum, & dispositionem 304. a. Tria consideranda, proponuntur, ibid. Hęc combinationis membra solùm accidentali differentia distinguntur, ibid. Habitus quid 304. b. Dispositio quid, ibid. Quę qualitates ad hanc speciem reuocentur, ibid. Varię difficultates, ibid. & dein. Secunda qualitatis species qualis 306. a. Aristotelis verba hac de re perpenduntur 306. b. Hactenùs dicta clariùs explicantur, ibid. Adnotatio, ibid. Non solùm qualitates quę facilè, vel difficilè, sed etiam quę dant simpliciter agere ad hanc speciem pertinent, ibid. Adnotatio 307. a. Quę ad hanc speciem pertinere dici soleant, ibid. Prima difficultas, ibid. & reliquę dein. Tertia qualitatis species, quę 307. b. Patibile vnde dicatur 308. a. Qualitas patibilis vnde dicta, ibid. Passio quatuor modis dicta ib. Aristotelis consilium declaratur 308. b. Eius sententia explicatur, ib. Hactenùs dicta summatim explicantur, 309. a. Qualitates passibiles quę, ibid. Passiones, quę 309. b. Adnotanda quędam, ib. Huius combinationis membra non nisi accidentario discrimine distinguntur 310. a. Varię difficultates, ibid. & dein. Forma quid, & quid figura 311. a. Quorundam opinio de forma, & figura, ibid. Inter formam, & figuram accidentarium discrimen, ib. Quorundam opinio de huius speciei constitutione ib. An figura sit solius quantitatis modus 311. b. Rarum, & densum asperum, & lęue ex Aristotele explicatur 312. a. Quid unumquodque ipsorum, ib. Quę ad hanc speciem reuocentur, ib. Superior qualitatis diuisio quadrimembris expenditur, ib. Cuiusmodi sit allata diuisio inquiritur 312. b. Videtur diuisio tanquam generis in species, ib. Multa hac de re disputantur, ib. & dein. Singulę qualitatis species expenduntur 314. a. & dein. Naturalis potentia non eodem modo ab aliis, ac à Peripateticis explicatur 325. a. Stellarum influxus quomodo ab iisdem explicentur, ib. Quomodo ex eorumdem opinione passio, & patibilis qualitas explicentur 315. b. Color in quo ex horum opinione consistat, ib. Combustio quid ib. Frigiditas, Humiditas, & Siccitas quid, ib. Colores quomodo procreentur, ib. Plerique qualitatibus peripateticis abusi sunt, ib. Ægritudo, ac Sanitas quid ib. Forma, & Figura quomodo explicandę, ib. Duplex qualitas ex Aristotelis sententia recognoscenda, ib. Prima qualitatis species, & proprietas quę 316. a. Adnotatio, ib. Difficultas, eiusque solutio, ib. Præoccupatio difficultatis, eiusque solutio 317. b. Supradictorum declaratio, ib. Adnotatio, ibid. Variæ difficultates 318. a. Secunda qualitatis proprietas quę, ibidem. An hęc proprietas conueniat in abstracto 318. b. Philosophi hac de re sententia qualis videatur, ibid. An conueniat qualitatibus quartę speciei 319. a. Difficultas, eiusque solutio, ib. Tertia qualitatis proprietas quę ib. Adnotatio, ib. Quid postremo loco Philosophus doceat; & difficultates ab eo propositę, itemque solutę 319. b. Solutiones ab aliquibus reiiciuntur, & quędam obiectiones afferuntur, eisque fit satis, ib. Singulę qualitatis affectiones expenduntur 320. a. & dein.

Quando.

Magna affinitas inter *Vbi*, & *Quando* 386. b. Quid significet nomen *Quando*; eiusque definitio, ibid. Varii hac de re dicendi modi 387. a. Veræ sententiæ interpretatio 388. a. Vbi multa disputantur. In quo *Quando* consistat ib. Disparitas inter *Vbi* & *Quando* ib. Quæ sint quibus huius prædicamenti denominatio possit conuenire, ibid. Huius prædicamenti denomi-

Digitized by Google

nominatio rebus omnibus conuenit, ibid. Conuenit non solum successiuis; sed etiam permanentibus ibid. Non solum rebus materialibus; sed etiam immaterialibus, ibid. Conuenit Deo, & rebus per instans durantibus, ibid. Dubitatio de primo motu, cui hæc etiam denominatio conuenit, ibid. Difficultas, eiusque solutio, ibid. Species huius prædicamenti sunt *Hodie, Heri, & Cras* 389. a. Tres proprietates, ibid.

Quantitas.

Quantitatis difficilis consideratio 261. Maximè iuvat quantitatis nomen explicare, ibid. a. Quanti definitio, & definitionis explicatio, ibid. Quantitatis definitio in abstracto 261. b. Difficultas, eiusque solutio 262. a. Quantitatis diuisio in continuam, & discretam 262. b. Altera quantitatis diuisio, ibid. Hæc videtur adæquata quantitatis partitio 263. a. Varii dicendi modi ibid. An superior diuisio quanti in continuum, & discretum retinenda sit, ibid. Varii dicendi modi, variæque sententiæ afferuntur, ibid. & dein. Quantitatem discretam non esse veram quantitatis speciem 267. b. Multa hac de re disputantur, ibid. Variæ difficultates hac in re proponuntur, ac dissolvuntur 271. b. & dein. Quantitatis discretæ duæ sunt species; videlicet permanens, & successiua 280. b. Variæ difficultates solutæ 281. b. Dubitatur de distinctione quantitatis continuæ à substantia, cæterisque generibus entis 282. b. Variæ opiniones ibid. Continuam quantitatem permanentem accidens esse ex rei natura, tam à substantia corporea, quam ab omni corporeo accidente distinctum, in quolibet indiuiduo unicum tantùm existens 284. a. Multa hac de re disputantur, ibid. Idem de continua successiua quantitate concluditur 286. b. Quantitatem re ipsa non distingui à materiæ substantia aliquis dicere posset, ibid. Declaratur superior dicendi modus, ibid. Variæ difficultates expenduntur, ibid. & dein. Quantitatis essentia non in eo consistit, ut cæteris rebus partes entitatiuas tribuat 288. b.. Explicatur ratio partis entitatiuæ, & essentialis, ibid. Colligitur, in quo ratio utriusque partis consistat 289. a. Essentia quantitatis, in distinctione partium in ordine ad se non consistit 286. b. Quantitatis essentia non in ratione mensuræ consistit, ibid. Essentia quantitatis in diuisibilitate non consistit 290. a. Quantitatis essentia consistit in impenetrabilitate, ibid. In quo natura quantitatis posita sit, ibid. Diuisio quantitatis continuæ in permanentem, & successiuam, ibid. Præter quantitatem permanentem, dandam successiuam esse 290. b. Species quantitatis permanentis continuæ, ibid. Cur Mathematici linea recta utantur ad dimetiendum, ibid. Allata quantitatis partitio sufficiens 291. a. Commemoratæ species quantitatis dicendæ sunt infimæ 296. a. Difficultatis præoccupatio, eiusque solutio, ibid. An quantitates inæquales specie discriminentur, ibid. Dubitandi ratio, & dubitationi fit satis, ibid. De quantitate successiua disseritur; de qua variæ sententiæ referuntur, ibid. Tertia quantitatis proprietas 298. a. Variæ difficultates solvuntur, ibid. & dein. Quantitatis diuisibilitas 299. a. Quantum physicè non est diuisibile in infinitum 300. b. Quid dicendum de indiuisibilitate, ibid.

Quæstio.

Tres quæstiones à Porphyrio propositæ 204. b. Quæstioni fit satis, ibid. Secunda quæstio à Porphyrio proposita 205. a. Quæstioni fit satis, ibid. Difficultas proponitur, eidemque occurritur 205. b. Tertia quæstio à Porphyrio proposita, ibid. Quæstioni fit satis, ibid. Alia quæstio proponitur, ibid.

R

Ratio.

Quid sibi velit rationis nomen 320. a.

Rarefactio.

Rarefactionis, & condensationis modus 298. a.

Relatio.

De relatione disputatur 321. a. Varię de relationibus sententiæ, ib. Duplex relationum genus. Et quæ ad hæc duo genera pertineant, ib. & dein. Relationes primi generis transcendentales; secundi verò prædicamentales appellari consueuerunt, ib. Relationes primi generis omninò concedendæ, ib. Et eæ etiam, quæ in aliis prædicamentis constituuntur 322. a. Prædictorum declaratio ibid. Res transcendentaliter relatiuæ etiam secundùm formalem rationem in aliis prædicamentis constituendæ, ibid. Rationibus id suadetur 222. b. Non quicquid habet esse ad aliud, in hoc prædicamento esse constituendum, ib. Difficultas ex Aristotelis auctoritate, eiusque solutio ib. Concedendæ relationes prædicamentales hoc prædicamentum constituentes 323. a. Ex relationibus huius ordinis prædicamentum extruendum 324. a. Concedendæ transcendentales relationes, ib. De relationum transcendentalium discrimine variæ sententiæ 324. b. & dein. Quid hac de re dicendum 326. b. Relationes prædicamentales non esse formas accidentarias rebus absolutis superadditas 327. b. Quædam premittuntur, ibid. Relationis fundamentum proximum, & remotum, ibid. Superioris doctrinæ declaratio 328. a. Variæ rationes afferuntur, resque copiosè disputatur, ibid. & dein. An relatio sit forma quædam saltem ratione distincta a rebus 332. a. Copiosè hac de re disputatur, ibid. & dein. Hæc denominatio relatiua non est à forma superaddita 332. b. Quid sit relatio ad hoc prædicamentum spectans, ibid. Quid hæc denominatio relatiua importet 333. a. Difficultas proponitur, atque soluitur, ibid. Hæc denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca 333. b. Adnotatio, ib. Quid commune omnibus relationibus 334. a. Superiùs dicta explicantur, ibid. Subiectum, & terminus relationis, ibid. Ex parte subiecti datur fundamentum 334. b. Ratio fundandi, ibid. Adnotatio, ibid. Clariùs explicatur relatiuorum natura, ib. Ratio fundandi distingui solet à conditione, ibid. Opinio quorundam reiicitur 335. a. Negatiua conditio explicatur, ibid. Reiicitur, ib. Duo in omni accidente spectari possunt 335. b. Aliquorum opinio refertur, ibid. Aliorum quoque sententia tractatur, ibid. Si prædicamentalis relatio foret positiua forma &c. constitueretur per *esse ad* ibid. A quo sumenda est ratio *essendi ad* 336. a. In prædicamentali relatione quando sit forma positiua, duplex ratio *essendi in*, ibid. Supradictorum probatio 336. b. Duæ difficultates 337. a. Ratio *essendi ad aliud* realis est, unde non dicit quidpiam præcisum ab esse reali, & esse rationis, ibid. Pluribus rationibus probatur, ibid. Ratio *essendi ad* nequit præscindi à ratione *essendi in* 337. b. Superior doctrina magis confirmatur, ibid. Comprobantur superiùs dicta, ibid. Si relatio dicatur consistere in denominatione partim extrinseca &c. quid asserendum 338. a. Præsens categoria ab aliis adhuc, etsi in denominationibus extrinsecis consistentibus, distinguitur, ibid. Tres obiectiones solvuntur, ibid. & dein. An subiectum relationis *debeat* esse ens reale, illudque finitum 338. b. Idoneum prædicamentalis relationis subiectum non esse nisi ens reale finitum, ib. Difficultas cum solutione, ib. Adnotatio 339. a. Quomodo priuatio determinari possit principium 339. b. Subiectum relationis prædicamentalis debet esse finitum; ac limitatum, ibid. Quomodo Deus denominetur Creator, Dominus &c. ib. Variæ difficultates ib. & dein. Quid re vera sentiendum de prædictis 340. a. Difficultas, & confirmatio 340. b. Quando prædicamentales relationes concedantur, formæ positiuæ &c. quid asserendum, ib. Quid asserant dicentes relationem causæ ad effectum prædicamentalem esse, ibid. Auctoris opinio 341 a. Admissis relationibus prædicamentalibus tanquam formis &c. an relatio una possit alterius esse fundamentum, ibid. Variæ sententiæ referuntur; & reiiciuntur, ibid. & dein. Nullum incommodum relationis dari relationem 341. b. Difficultas, ibid. & dein. Omnis relatio necessariò terminum requirit 344. b. Num huiusmodi relatio scilicet prædicamentalis requirat terminum actu existentem, ibid. Relatio transcendens potest terminari ad terminum, nec actu existentem, nec positivum, ibid. Concluditur relationem prædicamentalem requirere terminum actu existentem 345. a. Relationis termini adæquati, & inadæquati 345. Relatio prædicamentalis, si foret forma positiua, non posset una plures termi-

Digitized by Google

terminos respicere, ibid. Hac de re plura disputantur, ib. & dein. Relatio non mutua ad absolutum terminatur 347. a. Multa disputantur, ib. & dein. Etiam idem dicendum in relationibus mutuis 347. b. Quid aduersarios deceperit 348. a. Multa disputantur ib. & dein. Quomodo relatiua sint simul cognitione 351. a. Posita una relatione necessario ponenda & altera, ib. Quomodo relationes resultent in extremis, ib. Variæ difficultates cum solutionibus, ib. & dein. Adnotatio 351. b. Relationis extrema realiter debere distingui 352. a. Respectus eiusdem ad se ipsum opus esse rationis ibid. Extrema relationis debere esse distincta realiter, quæ sensu intelligendum ib. Rationes fundandi non necessariò debent esse re ipsa distinctæ, ib. Variæ difficultates, ibid. & dein. Relatio intrinsecus, & extrinsecus aduenies 353. a. Intrinsecus aduenientes relationes, quæ, ib. Extrinsecus aduenientes relationes, quæ 353. b. Difficile est huic prædicamento genus generalissimum assignare, ib. Varię rationes dubitandi, ib. Vnicum esse genus generalissimum huius prędicamenti 354. a. Fit satis rationibus dubitandi initio propositis, ib. Relatiuorum definitio ex Platone 354. b. Definitiones relatiuorum ex Aristotele, ib. Duobus modis superior potest explicari definitio 355. a. Difficultates varię aduersus definitionem superiùs traditam, ib. & dein. Vnde sumenda sit distinctio, vel unitas specifica relationum 357. a. Ab extremis formaliter sumptis relationum distinctionem desumi 357. b. An ab ipsis coniunctim, vel disiunctim 358. a. Sufficit alterutrius diuersitas, ib. Hęc intelligenda ex hypothesi quòd relatio prędicamentalis sit forma positiua superaddita rebus, &c. ib. Duę difficultates, ib. & dein. Relatiuorum in tres modos diuisio 358. b. Tres relatiuorum modi recensentur 359. a. & dein. Hęc relatiuorum diuisio difficilis explicatu 361. a. Relationes secundum dici quę, ib. Quare transcendentales appellentur secundum dici, ib. Difficultas prędoccupata, simulque soluta, ib. Tres relatiuorum modi superius ex Aristotele traditi explicantur 361. b. Tres species relationis ex parte unitatis, totidem ex parte multitudinis, ib. In tam triplicem modum discrepandi 362. a. Difficultas, eiusque solutio, ibid. Varii relationum modi sub hoc genere designari possunt, ib. Primum, & secundum genus, ib Esse alis conuenientia, & discrepantia, ib. Accidentalis conuenientia, & discrepantia 362. b. Alia diuisio ib. Equalitas, & inęqualitas, ibid. Similitudo, & dissimilitudo, ib. Propinquitas, & distantia, ib. Relationum partitio in mutuas, & non mutuas, ib. Relationes equiparentię, ib. Disquiparentię 363. a. Secundus relatiuorum modus fundatus in actione, & passione, ib. Quid hac de re propositum sit inquirere, ibid. Considerandą quædam, ibid. Quid hac de re sentiendum, ibid. An huiusmodi relationes immediatè in substantia &c. fundentur, ibid. Quando effectus sunt alterius ordinis 363. b. Quædam colliguntur, ibid. Tertius relatiuorum modus differt a reliquis duobus iam narratis, ibid. Corollarium, ibid. Duobus modis huius ordinis relatiua possunt assignari, ibid. & dein. Relatiua uniformiter, & diformiter assignata 364. a. Quomodo tertius modus discrimine ut ab aliis duobus 364. b. Accidentaria non essentialis est differentia, ibid. Varii sunt modi, quibus res denominantur relatiuè, ibid. Quomodo relatio prædicamentalis comprehendat potius transcendentales, ibid. Quid de hactenus dictis asserendum intra; & difficultas proponitur circa prædicta 365. a. Quinque assignantur proprietates relatiuorum 365. b. Prima relatiuorum proprietas, quæ, ib. Non omnibus relationibus conuenit, ibid. An hoc attributum conueniat solum relatiuis prædicamentalibus &c. ibid. Duæ opiniones ibid. & dein. Assertio decernens omnibus relatiuis contrarietatem 366. a. Multa dein. hac de re disputantur. Secunda relatiuorum proprietas, quæ 368. a. Non omnibus relationibus conuenit, ibid. Quæritur quomodo relationibus hoc attributum conueniat 368. Quando relatio prædicamentalis foret positiua forma, in indiuisibili consisteret, ibid. Relationes singulæ in indiuisibili consistunt, ibid. Et multa dein. disputantur. Tertia relatiuorum affectio, quæ 370. a. Huiusmodi affectio omnibus relatiuis competit 360. b. In quo conuertentia consistat, ibid. Quædam de conuertentia notantur, ibid. Duæ difficultates 371. a. Quædam consideratu dignа, ibid. Quarta relatiuorum affectio, quæ ibid. Hæc affectio relatiuis conuenit formaliter sumptis 371. b. Difficultas, eiusque solutio, ibid. Naturalis relatiuorum simultas explicatur, ibid. Hæc simultas conuenit relatiuis formaliter acceptis, idque probatur, ibid. Vera simultatis explicatio 372. a. Ratio huius affectionis, ibid. Num hæc affectio relatiuis omnibus conueniat, ibid. Quomodo superiùs dicta inteligenda, ibid. Quomodo explicanda, ut omnibus relatiuis hæc affectio conueniat, ibid. Difficultas prædoccupata, simulque soluta 372. b. Relatiua dicuntur natura simul quoad relationem intrinsecam ex una parte, & extrinsecam realem denominationem ex altera, ibid. Difficultas, eiusque solutio, ibid. a. Quinta relatiuorum proprietas, quæ 373. a. Quorundam explicatio reiicitur, ibid. Assertio tenenda ib. & dein. Supradictorum comprobatio 373. b Admittendum unum relativum per aliud definiri; variæque difficultates cum solutionibus, ibid. & dein.

Rhetorica.

Rhetorica quid, eiusque finis 16. b. Rhetorica, & Poetica multùm à Dialectica differunt, ibid. Quomodo Rhetorica, & Poetica Dialectica partes dicendæ sint 17. a. Finis eius internus, & externus, ibid. Rhetorica Dialectica similis in aliquibus 17. b. In aliquibus eidem dissimilis, ibid. De natura Rhetorices 845. De nomine, & etymologia Rhetorices, ibid. Rhetorica quid Platoni, Aristoteli, & Tullio videretur, ibid. Dicere quid, ibid. Tria sunt propositionum genera, ibid. & dein. Difficultas prædoccupata aduersus dicta 845. b. Artes in duplici sunt differentia, ibid. Concluditur quid sit oratoris officium 849. a. Officium, & finis oratoris distinguntur, ibid. Distinctio quid oratori, ibid. Quid inter officium, & finem intersit, ibid. An, & quotuplex Rhetorica sit 847. b. An Rhetorica sit ibid. Præter Rhetoricam naturalem, danda est etiam artificialis, ibid. Rhetorica quomodo comparetur 847. a. Concluditur gemina esse Rhetorica ne npe naturalis, & artificialis & utraque describitur, 847. b. Quidam Rhetoricam artificiosam reiiciunt, ibid Duæ difficultates, ib. Quid sit Rhetorica, & ad quem ex habitibus intellectùs pertineat, ib. Ad indagandam Rhetorices naturam non satis nomen eius explicasse, ibid. Quo pacto Rhetorica dici possit scientia 748. a. An Rhetorica possit ars appellari, ib. Ars duobus modis potest usurpari, ib. Rhetorica quadam significatione impropriè dicitur ars 848. b. Rhetorica lato modo accepta ars dici potest, ib. Difficultas prædoccupata, simulque soluta, ib. Num absolutè debeat scientia, vel ars appellari, ib. Difficultas, qua Rhetoricam non esse scientiam dicendam ostenditur, ibid. Et alia qua ostenditur dici non posse artem 849. a. Artes non unius modi sunt, ib. Hac de re quid videatur auctori dicendum, ib. Rhetorica quid 849 b. Tres difficultates, ibid. & dein. De dignitate, & utilitate Rhetoricæ; deque multis ad Rhetorem, Oratorem, atque Declamatorem spectantibus, & 850. a. & dein. Oratoris officium 850. b. Finis Rhetoricæ quis, ibid. Inuentio, ac dispositio prudentis est hominis; Eloquentia verò est Oratoris, ib. Dicere quid. ib. Tota vis in argumentis, ib. Tres probationum species ib. Quinque perhibentur Rhetoricæ partes, illæque commemorantur 851. a. Quatuor ad hæc consequenda omnino requiruntur, eaque commemorantur, ibid. Natura in Oratore quid, ibid. Ars quid præstet, ibid. Imitatio quid faciat 851. b. Ad imitationem quæ requirantur, ibid. Inuentionem quomodo imitari possimus, ibid. Rhetor, Orator, & Declamator quomodo differant, ibid. Quid in Declamatore 852. a. Quid. in Oratore ibid. De quibus Rhetorica facultas edisserat 853. b. Id in quo facultas aliqua versatur eius materia dicitur, ib. Quid dicendum concluditur ib. & dein. Vius Rhetoricæ se extendit ad omnia 844. b.

Digitized by Google

Quo sensu Rhetorica dici debeat, ib.

S

Sanitas.

Sanitatis definitio 326. a.

Sapientia.

De sapientia 737. a. Duplex sapientiæ acceptio, ib. Sapientia iuxta primam acceptionem quid 737. b. Iuxta secundam quid, ibid.

Satyra.

Satyra poesis, qualis, & unde dicta 1066. a. Satyra vetus quid, ibid. Magnitudo Satyræ poeseos quanta 1066. b. Tria in Satyra obseruanda, ib. Dictio Satyrica qualis, ib. Quibus carminibus Satyrici uterentur, ibid. Saltatio Satyrica qualis ib. Apparatus Satyricus qualis, ib. Silli cum satyricis maledicentiâ conueniebant, ib. Satyra bipartitò diuiditur, in veterem nempè, & nouam 1081. Quid utraque sit, ibid. Modus, quo satyricus uti debet, & nouæ satyræ subiecta materies, ib. Romanæ satyræ metrum, ibid.

Schema.

Schemata apta ad docendum 938. b. Horum schematum catalogus, ibid.

Sceptici.

Sceptic orum doctrina de acquirenda scientia generatim tractatur 502. b.

Scientia.

Scientia omnis perfecta causarum, principiorumque cognitione comparatur 1. Scientiæ prima distributio in contemplatricem, & practicam xxxii. Quid contemplatrix, & quid practica ibid. Scientia contemplatrix tripartitò diuiditur, ib. Quid quælibet istarum, ib. Pythagoreorum, & aliorum hac de re opinio, ib. Matheseos distributio in eas, quibus constat, partes non eadem apud omnes, ib. Pythagorica partitio, ib. Matheseos distributio ex Gemino xxxiii Metaphysica, quæ naturalis dicitur, ib. Theologia supranaturalis quæ ib. Scientię practicę iuxta practicas operationes diuisio, ibid. Scientiæ diuisio in integram, & ex parte 4. b. Scientiæ duplex acceptio, ib. Bifariam scientia dicitur perfecta, & imperfecta, ib. Subiectum scientiæ duplici parte constat 11 b. Cuiusque facultatis necessariò danda subiecta materia, ib. De multis humanus intellectus scientiam habere potest 504. a. Si requiratur etiam, ut sit notitia per causam discursu comparata, ibid. Variæ difficultates expenduntur, ibid. & dein. Platonis de humana scientia opinio latè tractatur 505. b. Assertio aduersus Platonem rationibus suadetur, ibid. & dein. Eadem assertio experientiâ probatur 506. a. Difficultas, eiusque solutio. 506. b. & dein. Ineptè Platonici recordationem cum reminiscentia confundunt 507. b. Secunda ex Platone difficultas, eiusque solutio, ibid. & dein. Tertia difficultas cum suis probationibus, ibid. Solutio difficultatis, & confirmationis 508. a. Quibus præsidiis instructus esse debeat ille, qui vult scientiis operam nauare ib. Tria sunt, quę intelligendi facultati accidere perhibentur 509. b. Scientia græcè quomodo dicatur 510. b. Scientiæ prima conditio, ut sit vera, secunda, ut sit certa, ib. Certitudo duplex, ibid. Tertia scientiæ conditio est euidentia 511. a. Assertio docens àd scientiam euidentiam requiri 511. b. Auctoritate, & ratione suadetur, ib. & dein. Quarta conditio est, ut sit necessaria 512. a. Adnotatio, ibid. Difficultas præoccupata, simulque soluta, ibid. Duplex scientiæ genus 513. b. Subiectum, de quo in præsentia fit sermo 514. a. Scientiæ subiectum duplex partiale, & totale 514. b. Subiecti pars duplex, scilicet materialis, & formalis 515. a. Materialis, & formalis obiecti partes reciprocari debent, ibid. Ratio formalis, seu considerandi modus cuiusmodi esse debeat 515. b. Obiectum completum, ib. De conditionibus ad obiectum scientiæ requisitis, ibid. De quo obiecto in præsentia habeatur sermo, ib. Prima conditio, ibid. Secunda conditio 516. a. Tertia conditio 516. b. Quarta conditio 517. a. Difficultas, ibid. Quinta conditio, ibid. Sexta conditio 517. b. Septima conditio, ibid. Quomodo de ente per accidens detur scientia 518. a. Octaua conditio, ib. Nona, & decima conditio, cum quadam adnotatione, ibid. Duo in controuersiam vocantur, & de his assertiones duę, ib. Variæ difficultates, ibid. & dein. An subiectum scientiæ debeat habere quid rei 520. b. Quæstionis solutio unde petenda, ib. Plura sunt, quæ conceptum quidditativum non habent, ibid. An de ente per accidens scientia dari possit 521. a. Ens per accidens duplex accidentalitate rei per aggregationem, & per informationem, ib. Ens per accidens accidentalitate effectus, ibid. Vtrunque vel in actu signato, vel in actu exercitio sumitur, ib. De ente per accidens in actu signato scientia dari potest, ibid. An de effectibus fortuitis, ibid. De ente per accidens accidentalitate rei materialiter sumpto scientia dari potest, ibid. Variæ opiniones recensentur 521. b. Auctoris opinio, ibid. Variæ difficultates proponuntur, & enodantur 522. a. Quædam alia spectantia ad scientiæ obiectum explicantur 522. b. Subiectum non potest continere passiones continentiâ virtuali secundum esse physicum, ibid. Quid in controuersiam vocetur; an scilicet subiectum virtute continere debeat passiones omnes de ipso demonstrabiles, ibid. Quid dicendum 523. a. Adnotatio, variæque difficultates, ib. & dein. Quo sensu sit admittendum à subiecto respici omnia, quæ considerantur in scientia 524. a. Quorundam opinio reiicitur, ibid. Animaduersio, ibid. Difficultas, ibid. Quid hac de re dicendum 525. a. Attributio unde in obiecto petenda ibid. Auctoris opinio, ibid. Variæ difficultates ibid. & dein. De diuisione scientiæ in plures, quas sub se continet, species 526. Multiplex diuisio scientiæ, ibid. De diuisione scientię in speculatiuam, & practicam 527. a. Scientia sumi potest dupliciter, vel prout in actu, vel prout in habitu, ibid. Praxis unde dicatur, ibid. Tria actionum genera, quibus praxeos ratio solet accommodari 527. b. Variæ opiniones reiiciuntur, ibid. & dein. Praxis est finis intrinsecus cognitionis practicæ 528. b. Quid hac de re dicendum, ibid. Secunda assertio docens rationem praxeos conuenire operationibus quatenus dirigibilibus etiam in genere artis, ibid. Difficultas eiusque solutio 529. a. Animaduersio, ib. Alia de praxi tractantur 529. b. Dicendum ad rationem praxeos, notitiæque practicæ requiri, ut operatio exerceri possit ab eodem scientę ibid. Quorundam error detegitur, 530. a. An ad rationem praxeos requiratur libertas, ibid. Assertio quòd actus imperatus sit propriè praxis 530. b. Ratio practici, & speculatiui non solùm actibus, sed etiam habitibus conuenit 531. b. Vnde hoc habeatur, ibid. Vnde huiusmodi differentiæ petendæ sint, ibid. Quid hac de re dicendum concluditur, ibid. Multifariam contingit actum esse directiuum praxeos 532. a. Adnotatio, ibid. Speculatiui ratio explicatur 532. b. Vnde commemoratæ differentiæ petendę sint, ibid. Vnde in habitus, & unde in actus, ibid. Variæ difficultates 535. a. & dein. An practicum, & speculativum differentiæ sint, quæ possint scientiæ accommodari 534. b. Quorundam opinio reiicitur, & opposita sententia approbatur, ib. Varię difficultates, ibid. & dein. An inter scientiam practicam, & contemplatricem dentur aliqua media 535. b. Assertio docens nullam dari mediam, ibid. An differentiæ practici, & speculatiui sint essentiales, an accidentales 536. a. Varia Philosophorum placita, ib. Assertio docens commemoratas differentias esse essentiales, ibid. Difficultati cuidam fit satis 537. a. Disparitas inter habitum partialem, & totalem, ibid. Variæ difficultates cum solutionibus, ibid. & dein. De diuisione scientię in totalem & partialem, & an scientia sit una simplex qualitas 358. a. Vnde hæc scientię distributio originem traxerit, ibid. Scientia totalis, & partialis quid 538. b. Quibus hæc distributio aptari possit, ibid. Quomodo una sit scientia actualis, ibid. Proponitur quæstio de scientia totali habituali, ibid. Variæ opiniones afferuntur 539. a. Quid hac de re dicendum, ibid. & dein. Duæ aduersariorum responsiones reiiciuntur 540. a. Principiorum dependentia non tollit distinctionem habituum conclusionum &c. 541. a. Variæ difficultates 542. b. &

dein.

Digitized by Google

de in. Vnde scientiæ unitas, atque specificatio sumenda sit 544. b. Scientia prout in actu, vel prout in habitu, ibid: Variæ sententiæ, & assertio quid dicendum docens affertur, ib. & dein. Fundamentum tripartitæ diuisionis scientiarum quæritur 545. a. Quædam suppositiones præmittuntur 545. b. Assertio 547. a. Assertio unde scientiarum distinctio petenda sit docens 548. b. Integræ scientiæ unitas quanta sit, & in quo ipsa consistat diligenter expenditur 549. a. Variæ assertiones 549. b. & dein. De plurium scientiarum practicarum distinctione 551. b. Scientia practica diuiditur in actiuam, & factiuam, ibid. Primus modus explicandi superiorem diuisionem, ex aliquorum sententia reiicitur 551. a. Difficultas, ibid. Secundus explicandi modus, reiicitur; & tertius approbatur 552. b. Actuosa Philosophia in tres diuiditur partes, ibid. Duæ huius diuisionis explicationes, ibid. Fundamentum superioris diuisionis 554. b. Scientiæ factiuæ distributio, ibid. Septem artes liberales; cur sic appellentur, ibid. Septem artes seruiles, ibid. Superiorum diuisionum ex aliquibus improbatio, ibid. Alia diuisionis prædictarum facultatum institutio 555. a. Duæ difficultates, & earum solutiones, ibid. De distinctione plurium scientiarum speculatiuarum 555. b. Scientiæ unitas ab unitate obiecti desumenda, ibid. Assertio, ibid. Difficultas 555. a. Adnotatio, 556. b. De distinctione scientiæ, in subalternantem, & subalternatam, ib. Tres conditiones ad subalternationem scientiarum requisitæ 557. a. Duæ ex tribus conditionibus expenduntur, ib. Duæ opiniones afferuntur 557. b. Assertio, ib. Differentia superaddita non solùm nequit esse differentia, sed nec etiam affectio, ib. Non posse differentiam superadditam esse accidentariam, quomodo quidam ostendant, & duæ difficultates 558. a. Animaduersio. 558. b. Aliud considerandum circa differentiam superadditam; nempè quòd sit pars formalis, ib. Variæ difficultates cum solutionibus afferuntur, ib. & dein. Circa tertiam conditionem variæ opiniones afferuntur 559. a. Quid colligendum ex dictis 559. b. Scientiæ nonnulla attributa expenduntur 560. b. Scientiæ principium duplex complexum, & incomplexum 663. b. Quid sit utrumque ib. Scientiæ inter se conferuntur 718. a. Scientiarum comparatio instituitur, variæque rationes afferuntur, ib. Duæ conclusiones 718. b. & dein. Difficultas 710. b. Obiectio ibid. Variæ difficultates solutæ 720. a. Aliæ quædam difficultates afferuntur 722. a. Auctoris sententia de principiis 725. b. Dubitatio 726. & dein. Scientiæ determinata adhæsio ex duplici fonte prouenit 740. b.

Sensus.

Varius animi sensus in hominibus 22. b.

Significare.

Quid sit significare 216. b. Significare quid 424. b. Non idem significare, ac supponere, ib.

Similis.

E similium, & dissimilium consideratione magnam utilitatem percipi 201. a.

Singulare.

Tractatio de singulari, ad Dialecticum etiam pertinet, 96. Eadem res diuersa consideratione ad diuersas potest disciplinas pertinere, ibid. Tractatio de singulari cur ad Dialecticum pertineat, ib. Cur ad Metaphysicum, ibid. Voces singulare, & indiuiduum non penitus synonimæ 96. b. Num quicquid est, singulare sit, ac indiuiduum 97. a. Si indiuidui nomine intelligatur quod nulli diuisioni est obnoxium, nullum quantum erit indiuiduum, præter minimum, ibid. Quo sensu quicquid in natura singulare est, ibid. Num res omnis existens sit singularis, ita ut se ipsa non sit huiusmodi, in Metaphysica discutiendum 97. b. De numerica differentia multa disputantur, ibid. & dein. Quomodo intelligendum se habere id, quod superadditur naturæ, ut singularis fiat, ib. Difficultates variæ, ibid. & dein. Num singularibus concedendę sint peculiares proprietates præter illas, quæ iis conueniunt ratione communis naturæ 202. a. Sententia negans approbatur, ibid. Ratio, qua opinio suadetur ibid.

Situs.

Situs quid 384. b. Situs solus in rebus corporeis, ibid. Situs duplex activus, & passivus, ibid. Quid hac in re quærendum, ibid. Num situs ab ubi distinguatur 385. a. Assertio docens non distingui, & hac de re multa disputantur, ibid. Genera, & species huius prædicamenti 385. b. Rarum, & densum explicantur, ibid. Difficultas præoccupata, simulque soluta, ib. Superioris doctrinæ confirmatio 386. a. Num situs sit modus solius quantitatis, ib. Dubitatio, ibid. Omnes positiones ad hoc prædicamentum pertineant, ib. Situs proprietates, ibid.

Solertia.

Solertia quid 620. b.

Sorites.

De Sorite 895. a. Quid sit, ibid.

Species.

Qua ratione species tota dicatur essentia singularium 93. a. Species bipartitò considerari potest, vel ut subijcibilis, vel ut prædicabilis 148. a. Speciei respectus ad genus, & ad indiuidua essentialiter differunt, ibid. Idem de infima specie dicendum, ibid. Speciei nomen æquiuocum, ibid. Explicatur definitionis particula *de pluribus differentibus numero*; & variæ difficultates, cum solutionibus afferuntur 148. b. & dein. Enucleatur speciei ut subiicibilis definitio 149. a. Variæ difficultates cum solutionibus, ibid. & dein. Speciei diuisio in subalternam, & atomam 149. b. Species non consequitur rationem uniuersalis per respectum ad superius 150. a. Difficultates cum solutionibus, ibid. & dein. Ratio subiicibilitatis, & prædicabilitatis necessariò in specie iunguntur 150. b. Num species plura actu indiuidua requirat; vel in vno possit indiuiduo conseruari, ibid. Quid in re proposita dicendum 151. a. Duplex perfectio essentialis una, accidentalis altera, ibid. Species, ut plurimùm sunt inæqualis perfectionis essentialis, ibid. Cur dictum sit id plerunque contingere, ibid. Dari actu species secundùm essentiam æqualis perfectionis non obscurè constat, ibid. Variæ difficultates 151. b. Species esse veluti numeros, quo sensu intelligi possit 193. b.

Status.

De statu coniecturali 974. a. Tres loci statûs coniecturalis statuuntur, ibid. Status coniecturalis bipartitò diuiditur 974. b. Facultas 975. a. Circunstantiæ, ibid. Signorum duo genera 976. a. Notanda quædam, ibid. De statu definitiuo, ibid. Explicatur huiusmodi locus, ib. Quos locos huic statui assignet Hermogenes 976. b. De statu qualitatis, ibid. Explicatur huiusmodi status, ibid. Celebris huius statûs diuisio, ibid. Varii loci recensentur, ibid. Status iudicialis tractandus qui duobus modis fuit ab Aristotele consideratus 977. a. Status rationalis duplex, ibid. Aliquibus sex sunt loci huius status, ibid. Hermogeni quindecim, ibid. Statûs absoluti diuisio 977. b. Status duplex appellatus, bipartitò diuiditur, ibid. Status assumptivus quando contingat, ibid. Assumptiuæ controuersiæ, statûsque partes octo recenseri solent, ibid. Deprecationis septem præcipuæ solent numerari causæ, ib.

Subijcibilitas.

Subijcibilitas quid 197. b. Bifariam potest usurpari, ibid.

Subsistentia.

Subsistentia trifariam dicitur 244. b.

Substantia.

Quo sensu prima substantia primò principaliter, & maximè substare dicitur 245. a. Variæ difficultates, ib. Ex primis substantijs una non est magis substantia quàm alia 246. a. Variæ difficultates, ibid. Difficultates nonnullæ de secundis substantijs 246. b. & dein. Vnde nam desumatur substantiæ nomen 224. a. Nomen substantæ apud Aristotelem non unam habet significationem, ibid. Quo sensu hic accipiatur, ibid. Substantiæ ratio gemino modo potest explicari 225. a. Gemina substantiæ ratio, ibid. Quænam sint substantiæ rationes, ibid. Per esse simpliciter, quid intelligendum, quid verò per

Digitized by Google

esse secundùm quid 225. b. Sententia tenenda, ibid. Ratio substantiæ non est negatio essendi in alio 226. a. Difficultas, ibid. Per se quadrifariam dicitur, ibid. Difficultas 226. b. Prædicamenti substantiæ genus generalissimum inquiritur; ib. Variæ difficultates 227. a. Iuxta huius prædicamenti structuram Aristoteleam Deus non comprehenditur in hoc prædicamento, ibid. Tres substantiæ acceptiones 227. b. Substantia iuxta priorem usurpationem summum genus esse nequit prædicamenti, prout ab Aristotele traditi, neque iuxta secundam, ib. Quid sit huiusmodi genus 228. a. De diuisione substantiæ in primam, & secundam variæ Philosophorum opiniones 229. a. Substantia tam prima, quàm secunda, quomodo pro prima, & secunda intentione possit usurpari 229. b. Substantia, etiam generatim, & simpliciter sumpta, pro prima, & secunda intentione sumi potest 230. a. Quando dicatur esse diuisio subiecti in accidentia, quomodo explicanda, ibid. Quando dicatur esse diuisio generis in species, quomodo explicanda, ibid. Quæ signantur in secundis intentionibus, exercentur in primis, ibid. & dein. Diuisio fieri potest tàm quoad primam, quàm quoad secundam intentionem 231. a. Videtur institui posse penes duplicem statum, ibid. Difficultas, ibid. Substantia ex parte diuisi sumi potest pro prima, ex parte verò membrorum diuidentium, prò secunda intentione 231. b. Alio modo idem explicatur 233. a. Sumi potest etiam substantia tam ex parte diuisi, quàm ex parte membrorum diuidentium prò secunda intentione, ibid. Difficultas, ibid. Alio modo hæc diuisio generis in species potest explicari 232. b. Diuisio quomodo uniuoca dici possit, ibid. Adnotatio, ibid. Tres obiectiones, ibid. & dein. Substare bifariam accipitur 133 a. Quo sensu ab Aristotele fuerit accepta diuisio 233. b. Duæ difficultates, ibid. Primæ substantiæ ex Aristotele definitio 234. a. Secundæ substantiæ ex eodem definitio, ibid. Quomodo utraque definitio per negationem tradatur, & adnotatio, ibid. Quæ de individuo etiam de prima substantia tractantur 234. b. Enucleatur magis secundæ substantiæ definitio 240. a. Difficultas circa prædicta 240. b. Quomodo substantia secunda dicatur prædicari de prima 241. a. Variæ difficultates solutæ, ib. & dein. Quòd prima substantia sit magis substantia, quàm secunda, penes quid attendi debeat 142. b. Substantiam primam magis esse substantiam, bifariam potest intelligi, ibid. Quam ob causam substantia dicatur magis, & minus substantia, ibid. Difficultas, ib. Num aliquis homo, aliquis equus, &c. sit prima substantia 251. a. Prima proprietas, ib. Hoc non est attributum proprium quarto modo, ib. Variæ difficultates, ibid. & dein. Secunda proprietas, & quædam adnotatio 250. a Hoc attributum non est proprium quarto modo, nisi quodam sensu 253. b. Variæ difficultates, ib. Tertia substantiæ proprietas, & tres adnotationes 254. a. & dein. Ad *hoc aliquid* tria requiri solent, ib. Variæ difficultates 255. a. Quarta substantiæ proprietas, ib. Hoc est substantiæ proprium secundo modo 255. b. Variæ difficultates, ibid. & dein. Peripateticorum doctrina hac de re proponitur 256. a. Hæc doctrina pluribus difficultatibus laborat, ibid. Quinta proprietas substantiæ 257. a. Quid sit formam suscipere magis, & minus 257. b. Essentia cuiusque rei in indiuisibili consistit, ib. Variæ difficultates, ib. & dein: Sexta substantiæ proprietas 258. b. Hoc est proprium quarto modo, ibid. b. Variæ difficultates 259. a. Substantia, vel est corpus cœleste, vel elementare 960. b.

Syllogismus.

De syllogismo gignente in nobis ignorantiam, deque alijs, de quibus deinceps Aristoteles edisserit 696. a. Ignorantia communiter accepta quid 696. b. Quædam, variæque dubitationes proponuntur 697. a. Medium extraneum quid 699. b. Medium proprium quid 700. b. Syllogismus contradictionis quid, ibid. Quid in controuersia positum sit 701. b. Quatuor assertiones cum suis difficultatibus proponuntur, ib. & dein. Conceptus proprius bifariam potest esse proprius 702. b. Quid differat inter vtrunque, ibid. Quæstionem decidendam proponit Philosophus 704. b. Quæstionis decisio 705. a. De syllogismo Topico, & Elencho, hoc est opinatiuo, & apparenti 737. De syllogismo opinatiuo 777. b. Quid sit syllogismus, ibid. Eadem definitio clarius explicatur, ibid. & dein. Ad constructionem dialectici syllogismi, quæ requirantur 778. a. Dialecticum problema quid, ibid. Problema, propositiones, ac prædicata paria sunt numero, ibid. Multiplex problematis diuisio, ibid. De syllogismo sophistico 799. a. Syllogismi definitio, ibid. In quatuor diuiditur species 799. b. Vnde quadripartita diuisio prouenit, ib. Syllogismus demonstratiuus, ibid. Syllogismus dialecticus, Pseudographus, seu sophisticus, seu contentiosus, ibid. Primus syllogismus sophisticus, qui peccat in forma, ibid. Secundus, qui peccat in materia duobus modis contingit 800. a. Tertius syllogismus sophisticus tàm in materia, quàm in forma peccans, ibid. Syllogismi sophistici dicuntur, & contentiosi, ib. Cur sophistici, cur contentiosi, ibid. Fines omnium syllogismorum, ibid. Adnotatio, variæque difficultates cum solutionibus 800. b. Vtrum syllogismus deficiens ex parte formę sit verè syllogismus 801. a. Esse verum syllogismum ostenditur, ibid. Difficultati ex Aristotele desumptæ occurritur, ib. & dein: Vtrum syllogismus deficiens ex parte materiæ sit verè syllogismus inquiritur, & non esse ostenditur, ibid. Syllogismum falsum esse mutuariam contingit 802. a. Varij modi, quibus syllogismi apparentes dicuntur, recensentur, ibid. Apparentia qualis, per quam syllogismus sophisticus constituitur inferius explicatur, ibid. De ratiocinatione, seu syllogismo 891. b. Quid sit, ibid. Syllogismi partes quæ à Dialecticis, & quæ à Rhetoricis statuantur, ib. Superius dicta exemplo illustrantur, & duæ adnotationes afferuntur 892. a.

Symploce.

De Symploce 926. a. Quid sit, ib.

Synathroesmus.

De Synathroesmo 939. a. Quid sit, ibid.

Synecdoche.

De Synecdoche 918. a. Quid sit, ibid.

Synonimia.

De Synonimia 928. a. Quid sit, ibid.

T

Thales.

THales quando natus. VII. Qui ordine Thaleti successerint, ibid.

Tempus.

Tempus ducit veritatem in lucem. XXII. Tempus dupliciter sumitur 296. b. Tempus duplex extrinsecum, & intrinsecum, ibid. Tempus extrinsecum non est species distincta, ibid. Tempus, & motus non sunt species distinctæ quantitatis successiuæ, ibid. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein. Dubitatur num quantitas successiua in alias species diuidatur 297. a. An Tempora inæqualia differant specie, ibid. Variæ difficultates diluuntur, dein:

Terminus.

Terminus duplex communis, & singularis 243. b. Singularis duplex collectiuus, & vagus, ibid. Terminus vagus rem determinatam, seu indeterminatam significat, ibid. Terminus quid 262. a. Ex terminis quidam abstracti, quidam verò concreti 422. b. De terminis tàm abstractis, quàm concretis aduertenda quædam, ibid. Termini possunt vnum, vel plura significare, ibid. Terminus concretus quid, & quid terminus abstractus 475. a. Discrimen inter abstracta substantialia, & accidentalia 475. b.

Totum.

Totum duplex per se, & per accidens 35. a. Totum per se duplex potentiale, & actuale, & quid vtrunque, ib. Actuale duplex essentiale, & integrale, ib. Quid vtrunque sit 35. b. Multiplex totius accepto 185. b. Totum per se quid, ib. Totum per accidens multiplex, ibid. Totum per se duplex 186. a. Totum potentiale, & actuale quid, ibid. Totum actuale duplex integrale, & essentiale, ibid. Essentiale Physicum, & Metaphy-

Digitized by Google

taphysicum, ibid. Totum essentiale vnde dicatur, & per quid ab actuali distinguatur, ibid. Apud veteres duplex vniuersale Metaphysicum, & Logicum, ib. Vniuersale Physicum prima materia consueuit appellari, ibid. Apud recensiores vniuersalis distributio in Physicum, Metaphysicum, & Logicum, ib. Quid sint, ibid. & dein. Vniuersale totum potestate dicitur, ibid. Vniuersale dicitur totum per quandam analogiam ad totum integrale, ibid. Totum integrale primum analogatum ib. Cuinam ex vniuersalibus esse totum potestate conueniat, ib. Vniuersale Physicum magis explicatur, ibid. Vniuersale Physicum nequit totum dici potestate, ibid. Vniuersale Metaphysicum iterum explicatur, eiusque natura magis declaratur, ib. Totum sumitur multifariam 783. a. Totum vniuersale, integrale, quantitatiuum, modale, locale, & temporaneum, ib. De Toto vniuersali; quidque sit, ib. Quatuor modi duo negatiui, & duo affirmatiui, tresq; maximæ recensentur, ib. A subiecta parte ad totum vniuersale totidem modis licet argumentari, quot à toto ad partes 783. b. Variæ difficultates, ib. De Toto integrali 784. a. Quid sit, ib. Partes principes necessariæ, & non necessariæ, ib. A partibus ad totum licet arguere, ib. Duplex modus argumentandi affirmatiuus vnus, & negatiuus alter, ib. De toto in quantitate, ib. Pars in quantitate, ib. A toto in quantitate ad partes licet arguere affirmatiuè, & negatiuè, ib. Quatuor modi negatiui, ib. A partibus ad hujusmodi totum valet argumentatio, ib. Quatuor argumentandi modi, ib. Totum particulare, ib. De toto in modo, ib. Quid differat inter totum in modo, & totum vniuersale 785. a. Modus argumentandi est à toto, & à partibus, ibid. Varij modi recensentur, ibid. De toto in loco, & in tempore, ibid Vide **Locus**.

Tragœdia.

De Tragœdia 1065. b. Tragœdiæ, & Comœdiæ vnde dicantur 1066. a. A quibus Tragœdia, & Comœdia primum inuentæ 1067. a. An Comœdia, an verò Tragœdia prius fuerit inuenta 1067. b. Singulæ particulæ definitionis Tragœdiæ explicantur, ib. Quæ partes Tragœdiæ sunt ratione qualitatis, eædem & Comœdiæ 1068. b. Vnde Tragicum argumentum ducitur 1069. a. Quid in Tragœdia spectandum, & quales personæ in ipsa, ib. Personarum nomina potius ex historia desumi, quàm fingi debent, ib. Res, quæ in Tragœdia locum habent, ibid. Quædam narranda tantùm, quædam auditorum oculis exponenda 1069. b. Narratio tragica non vniusmodi est, ib. Exitus Tragœdiæ qualis, ib. Tragicomœdia, ib. Tragœdiæ mores 1070. a. Tragœdiæ sententia quæ, ib. Tragœdiæ dictio, ib. Dedecet Tragicum nimia elocutionis lasciuia, ib. Versus Tragœdiæ consentanei 1070. b. Tragica melodia, ib. Modi harmoniæ quatuor, ib. Apparatus scenæ, ib. Tragœdiæ partes ratione quantitatis 1071. a. Prologus qualis apud Græcos, & apud Latinos, ib. Exodus qualis, ibid. Solutio geminatæ fabulæ, per quid fiat, ib. Tragœdiæ quantitas, siue duratio, ibid.

Translatio.

Duo Translationis modi de genere in genus prohibentur 656. b. Variæ difficultates proponuntur, simulque soluuntur 657. b.

V

Vbi.

Vbi quid 381. a. Vbi quotuplex 381. b. Alia vbi definitio præfertur, ib. Vbi non est denominatio extrinseca, ib. Vbi non est respectus consurgens inter superficiem locantem, & locatam, ibid. Assertio tenenda, ibid. Locus gemino modo sumitur, ibid. Nomine vbi quid sit intelligendum, ib. Hoc prædicamentum per modum vbi constituitur 382. a. Num præsentiæ modus sit necessariò concedendus, ib. Nominalium opinio, ib. Disputantur multa ad hoc attinentia, ib. Quid sit terminus in ordine ad quem attenditur *vbi* 382. b. Quibus rebus conueniat *vbi* 383. a. Assertio tenenda de diuina substantia, & de cæteris substantijs, ib. Esse in loco circumscriptiuè, & definitiuè, ib. Opinio quorundam probabilis 383. b. Species huius prædicamenti comparari possunt diuidendo, *vbi*, ib. *Vbi* circumscriptiuum duplex, ibid. *Vbi* definitiuum duplex ib. Præsentiæ diuisio in indefinitam, & definitam 384. a. In ordine ad quæ attendatur ista diuisio, ibid. *Vbi* iterum diuiditur in permanens, & successiuum, ib. Tres proprietates, ib.

Veritas.

Veritatis indagatio maxima humani animi voluptas, 11. Veritas expressa diuinitatis imago, ib. Veritas duplex 20. a. Veritatem, & rectitudinem assumit Logicus inducendam in conceptibus mentis, ibid. Perperam aliqui intellectui humano veritatem omnem denegarunt, ibid. Possibilis est veritas in intellectu 20. b. Difficilis tamen est veritatis assecutio, ib. Difficultas, ib. Veritatis origo, ib. In quonam intellectûs actu veritas insit, ib. Rectitudo à Logico intenta dici potest modus cognoscendi debitus cuique intellectioni, ib. Quid sit congruentia, in qua veritas cognitionis consistit 21. a. Tria in cognitionis veritate spectanda, ib. Difficultates diluuntur, ib. Veritas non est congruentia cognitionis, cũ re cognita prout huiusmodi, ib. Veritas est congruentia rei cognitæ prout huiusmodi, & cognitionis cum re 21. b. Veritas primò conuenit cognitioni, ib. Difficultates, ib. Qua ratione huiusmodi congruentia, in qua veritas consistit, explicanda 22. a. Denominatio veri, partim intrinseca, partim extrinseca, ib. Quo pacto cognitioni deffectus, & falsitas conueniat, ib. Duplex deffectus in intellectu, ib. Ad Logicam spectat utrunque deffectum remouere, ib. Veritas num adeò sit propria intellectûs, ut alteri potentiæ cognoscenti accommodari non possit 53. a. Idem de falsitate quærendum, ib. Idem ferendum iudicium de cognitione sensus, ac de apprehensione intellectûs, ib. De appetitu tam rationali, quàm sensitiuo quid asserendum, ib. Quæ fuerit Epicuri sententia breuiter explicatur, ib. Veritatem per modum repræsentationis simplici apprehensioni conuenire 427. b. Aduersariorum responsio, eiusque confutatio, ib. Variæ difficultates 428. a. & dein. In simplici apprehensione requiri veritatem prædictã ostenditur 429. a. Difficultas, ib. Non conuenire simplici conceptui falsitatẽ demonstratur 429. b. Variæ difficultates 430. a. & dein. Quando intellectus apprehendit propositiones falsas, & impossibiles, non fallitur 430. b. Veritas, iam assignata non est rectitudo sufficiens 431. b. Veritatis non una est notio 437. b. Quatuor modis usurpatur, ib. Maximè veritas formalis iudicio conuenit, ib. Iudicio æquè conuenit veritas, & falsitas, ib. Quomodo veritas iudicio conueniat 438. a. Vbi multa disputantur. Quomodo Iudicij veritas, à veritate apprehensionis distinguatur, 438. b. Veritas in humano intellectu dari potest 446. a. Plerunque veritatis cognitio est homini facillima, ib. Difficultas 446. b. Qualis sit hęc comparatio 447. a. Quis modus conueniens assequendę veritatis, ib. Conformitas in qua veritas consistit, explicari potest per modum relationis, ib. Adnotanda quædam 448. b. Explicari præcipuè debet per entitatem cognitionis, & connotationem obiecti 449. a. Conformitas, & veritas respectum transcendentalem important ibid. Dua difficultates adhoc attinentes 450. b. An veritas suscipiat magis, & minus 452. a. Veritatis, & falsitatis definitio, ib Duplex falsitatis genus, ib. Falsitas negatiuè dicta, & Falsitas positiuè explicata, ib. Dubitatio 454. a. Necessaria veritas unde ortum ducat 456. a. Determinata veritas quo sensu hic accipiatur 467. a. Varii explicandi modi recensentur, ib. & dein. Duobus modis propositio dici potest vera 467. b. De qua determinatione hic habeatur sermo, ib. Quæstions sensus explicatur, ib. Multa hac de re tractantur, ib. & dein. Propositio determinatè vera quid; item determinatè falsa quid 468. b. Eadem est ratio de futuris, ac de præteritis, ib. Quid interfit inter contingens præsens, seu etiam præteritum, & futurum 469. a.

Virtus.

Virtutis ardua via 11.

Vnitas.

Ex unitatibus vna est maior altera 71. a. Aliquid unitatem habere

Digitized by Google

habere formalem ab alterius unitate distinctam &c. bifariam potest intelligi 75. b. Quomodo formalis unitas minor sit unitate numerica 76. a. Varię obiectiones solutę, ibid. & dein. Explicatur in quo formalis naturæ unitas consistat 76. b. Primum, quod uniuersali generatim sumpto adscribi solet 185. a. Esse totum potestate ad uniuersalis essentiam pertinere videtur, ib. Artificiosa unitas dicitur unitas generis proximi 511. a. Difficultas, ib. Vnitas est principium numeri 264. a. Vnitas duplex trascendentalis, & prędicamentalis, ib. Quid utraque sit 264. b. Vtrum positivum aliquid importent, ibid. Quædam adnotantur, ibid.

Vniuersale.

Vniuersalis nomen quid præseferat 63. Vniuersalis partitio, ibid. Vniuersale aliud complexum, aliud incomplexum, ib. Variæ eius acceptiones, ib. De quo uniuersali Logicus pertractet, ib. Aristoteles dicendo singularia sensu, uniuersalia intellectu cognosci, non negabat uniuersale aliquo modo esse in rerum natura 63. b. Vniuersalis in essendo nomine quid intelligendum, ib. Aristotelis locus explicatur, ib. Quomodo intelligendum uniuersale in essendo ex rei natura esse 64. a. Nominales uniuersalis rationem in vocibus, atque conceptibus positam esse existimabant 64. b Eorum sententia pluribus rationibus reiicitur, ib. Vniuersale actu re ipsa non est, sed solùm per mentis operationem 65. a. Aristoteles merito Platonis consilium de uniuersali in re reiicit, ac improbat 65. b. Solvuntur Platonis difficultates, ibid. Concluditur uniuersale in essendo explicandum esse, ut supra 66. m. De uniuersali in prędicando instituitur sermo 66. b. Doctrina de communi natura explicatur ib. Aristotelis hac de re sententia explicatur 67. a. Obiectiones, ac solutiones, ibid. Non una est uniuersalis notio 68. a. Multorum errata de uniuersali reiiciuntur, ibid. Veræ sententię explicatio ibid. Vniuersale latâ significatione sumptum, omnes complectitur naturas 68. b. Communis natura non est efficta ab intellectu, ibid. Aristotelis locus de vniuersali explicatur 69. b. Quomodo Aristoteles dixerit uniuersalia esse ingenerabilia, & incorruptibilia, ibid. Quomodo generabile, & corruptibile accipitur, ibid. Vniuersale quid 80. a. Vniuersale proprię dictum et logicum 81. a. Vniuersale Analogum est ad Physicum, Metaphysicum, & Logicum, ibid. Primò tamen de Logico dicitur, ibid. Definitio uniuersalis apprimè conuenit vniuersali Logico, ibid. Proponitur de eiusdem uniuersalis Logici veritate disserendum 81. b. Nonnulli vnitatem, de qua fit sermo, realem esse crediderunt, ibid. Vniuersale intellectûs negatione fieri, bifariam potest intelligi, ibid. Quid hac de re sentiendum, ibid. Ineptè diceretur uniuersalis unitatem naturæ in statu realis existentiæ conuenire, quod hac unitas idem dici possit cum unitate numerica 82. a. Vnitas formalis hactenus explicata, unitas uniuersalis dici non potest ibid. Natura secundum unitatem formalem negativè tantùm, non autem positivè, & contrariè indifferens est, ibid. Vniuersalis unitas habet fundamentum in re, ibid. Remotum uniuersalitatis fundamentum erit formalis vnitas rei ipsa conueniens naturæ 82. b. Variæ difficultates, ibid. & dein. Formalis unitas ad uniuersalitatem non sufficit 83. a. Formalis unitas admittit secum aptitudinem essendi in multi, sed cum diuisione sui. ib. Vniuersalis unitas sine diuisione sui, ib. Vniuersalis Logici non esse unitatem præcisionis, ibid. Rationes, & difficultates afferuntur, ibid. & dein. Vniuersalis Logici natura in respectu superioris ad inferiora constituitur 84. b. Rationes, & difficultates, ibid. & dein. Vniuersale per *esse in* constituitur, & *dici de* est passio consequens 85. a. Difficultates 85. b. & dein. Ad uniuersale in actu sufficere aptitudinem ad essendum in multis ostenditur 86. a. Non benè aliqui dixerunt, *esse in* prout actu sumptum ad Logici uniuersalis essentiam pertinere 86. b. Difficultates aduersus dicta proponuntur, ibid. & dein. Inferiora qua ratione dicantur talia 87. a. Difficultates, ibid. Magna differentia inter contractionem, quæ re ipsa fit, & eam quæ fit per intellectum 87. b. Difficultates, ibid. Quòd dici de multis sit uniuersalis proprietas ostenditur 87. b. Difficultates 88. a. Definitio uniuersalis Logici cuiusmodi sit, ibid. Vniuersale debet esse unum, ibid. Ad uniuersale Logicum non sufficit unitas præcisionis, licet ad Metaphysicum sufficiat, ibid. Debet aptum esse proximè inesse in multis, ibid. Remota aptitudo conuenit etiam vniuersali Metaphysico; proxima verò Logici est propria 88. b. Consectarium inde deductum, ibid. Vniuersale prædictum debet inesse in multis per sui diuisionem, *ibid.* Natura, cui intellectus uniuersalitatem appingit, est in rebus, ib. Vniuersale materialiter sumptum est in singularibus; formaliter verò quodammodo separatum ab illis, ibid. Quædam alia explicantur ad uniuersale Logicum attinentia, ibid. An facultati sentiendi sit concedenda vis conficiendi ipsum uniuersale, ibid. Vniuersale concluditur esse opus intellectus, ibid. Dubitatur an sit opus intellectus agentis an possibilis, ibid. Intellectus, quippe qui ab omni materiæ concretione seiunctus incapax est imaginis materiatæ 89. a. Vniuersale Logicum efficere non esse munus intellectûs agentis, sed possibilis, ibid. Munus intellectûs agentis, & possibilis, ibid. *Intellectui agenti* concedenda solùm præparatio ad efformandum uniuersale logicum 89. a. Officium intellectûs possibilis erit effingere uniuersale Logicum, & quare, ibid. Vniuersale Logicum non fit per actum absolutum 89. b. Vniuersale Metaphysicum fit per actum absolutum, ib. Difficultates ib. & dein. Abstractio ad uniuersale Logicum prærequiritur, quamuis per ipsam non aquiratur 90. a. Vniuersale per abstractionem fit posterius singularibus 90. b. Quomodo fiat uniuersale in actu, magis explicatur 91. a. Concluditur qualis sit uniuersalis Logici effectio, ibid. Ad uniuersale Logicum, siue in actu, non requiritur, ut natura actu sit pluribus comunicata, sed satis est utcumque posse communicari, ib. Si *nullum* individuum naturæ extaret, intellectus adhuc posset uniuersale efficere, ibid. Nihil refert quod communicatio naturæ fiat viribus naturalis agentis, vel superioris ordinis, ibid. Quorundam error detegitur, ibid. Difficultas 91. b. Vniuersale de quo fit sermo, per respectum rationis absoluitur, ib. Fundamentum tamen esse debet in re, ibid. Quædam explicantur notatu digna, ib. Difficultates cum solutionibus, ib. & dein. Cuiusmodi sit id, cui uniuersalitatis ratio possit appingi 92. a. Vniuersale unum absolutè dicitur tale, alterum autem dicitur limitatum, ibid. Intellectus non temerè commemoratis omnibus naturis uniuersalitatis appingit 92. b. Fundamentum uniuersalitatis, unde est ut intellectus non dicitur temerè uniuersale ipsum efficere. Ad uniuersale fundamentum non necessariò positivum aliquod requiritur, ib. Cuiusmodi sit communis naturæ diuisio, ib. Tripartita uniuersalis diuisio iterum commemoratur 93. a. Quinarius uniuersalium numerus approbatur, ibid. Vniuersale, & prædicatum non idem 94. b. Opinio quædam refellitur 95. a. Vniuersale esse quidpiam uniuocum veluti genus ad quinque uniuersalia ostenditur ibid. Difficultates diluuntur, ibid. & dein. Diuisio uniuersalis in quinque non est proxima, vel immediata 96 a. Cur illa diuisio à Porphyrio fuerit instituta ibid. Vniuersalia non sunt plura quàm quinq; 96. b. Diuisio alicuius integri non est diuisio uniuersalis 97. a. Difficultas, ib. De uniuersalibus speciatim acceptis tractatio quammaximè utilis 173. b. Ad quæ sit utilis, ib. Vniuersale Metaphysicũ totum potestate dicendũ. 188. a. Varię difficultates, ib. & dein: Vniuersale Logicũ explicatur 188. b. Progressum, quem seruat intellectus in elaborando vniuersali Metaphysico, & Logico, ibid. & dein. Ex tradito progressu multa de vniuersali innotescunt 189. a. Duo ad adæquatum vniuersalis conceptum concurrunt, ibid. Communitas vniuersalis in actu, non est in re, ibid. Communitatem esse rationis opus, bifariam potest intelligi 189. b. Quomodo communitas sit opus rationis ad vniuersale in actu requisita, ibid. Multa hac de re disputantur, ibid. & dein. Vnitas etiam ad vniuersale requiritur 190. b. Ad vniuersale in actu vnitas formalis non sufficit, ibid. Quod vnitas formalis non

Digitized by Google

non sufficiat ad vniuersale in actu constituendum, ostenditur 291. a. Præter vnitatem formalem ad vniuersale in actu duplici est opus vnitate, ibid. Vnitas præcisionis, etsi sufficiat pro fundamento proximo vniuersalis in actu, non sufficit tamen ad illud constituendum, ibid. Analogiam inter communem naturam, vt vniuersalem in actu, & naturam diuinam 191. b. Difficultas, ibid. Differentia inter vnitatem vniuersalis Logici, & Metaphysici 192. a. Difficultas, ibid. Multa disputantur, ibid. & dein. Vniuersale in actu non esse totum potestate formaliter ostenditur 192. b. Quo pacto vniuersale in actu totum potestate dici possit, ibid. 193. a. Cur in Dialectica vniuersalia per prædicari definiantur 195. a. Omne vniuersale est de pluribus prædicabile 195. b. Quid sibi velit vniuersale posse de multis prædicari, ibid. Non prædicatur formaliter secundum vniuersalitatem, ibid. Neque secundùm singularitatem signatam, ibid. Vniuersale prædicatur solùm secundum suam entitatem &c. ibid. Vniuersali secundo intentionaliter accepto conuenit esse prædicabile in actu signato 196. a. Primò intentionaliter in actu exercito, ibid. Secunda vniuersalis proprietas quæ 199. a. Vniuersale dicitur posterius singularibus quantùm ad realem existentiam, ibid. Vniuersale quatenùs dicit præcisionem rationis, est posterius singularibus, ibid. Vniuersale sumptum pro vt in actu posterius est singularibus 199. b. Difficultas, ib. Aliæ septem vniuersalis proprietates multa disputando, recensentur deinceps.

Vniuersum.

Vniuersi descriptio. v.

Vniuocum.

Quo sensu in definitione vniuocorum recensendum nomen, & ratio substantiæ 209. b. Per quid vniuoca ab æquiuocis secernantur, ibid. Difficultas, variæque dubitationes cum solutionibus proponuntur, ibid. & dein.

Vox.

Vocum consideratio tùm ad Physicum, tùm ad Dialecticum pertinet 57. Vocis definitio traditur ac explicatur, ib. a. Multa sunt instrumenta ad vocis efformationem, ibid. Vocis diuisio in significatiuam, & non significatiuam, ibid. Vocis vtilitas traditur 58. b. Homines ad intimiores animi sensus exprimendos quibusdam indigent signis, & omnium aptissimum est vox, ibid. Voces ad res manifestandas omninò necessariæ non sunt 58. a. Vox multùm habet momenti, plurimumque conducit ad ciuilem vitam degendam, ibid. Mirabilis humanæ vocis descriptio, ib. Ex Veteribus quidam dixerunt nomina rebus à natura fuisse imposita, ib. Voces non omnes vniusmodi sunt, ib. Tria de voce consideranda 58. b. Quid sit significatio vocis 59. a. Potentia vocis ad significandum aliquid, ib. Vis vocis ad significandum non est quidpiam intrinsecum illi, ibid. Significatio vocis est extrinseca denominatio à voluntatis actu desumpta, ibid. Nihil prohibet significationem eamdem per quendam respectum explicari, ibid. In voce non est quidpiam, quo ipsa physicè cognitionem producat, ibid. Explicatur cuiusmodi sit vox, ibid. Vox cui significet, ibid. Sermo nullus vocibus absolui potest, qui & notitiam in mente loquentis, & rem expressam per illam non supponat 59. b. Voces etiam significantes animi conceptus directè, res significandæ dicendæ sunt, ibid. Quo sensu vocibus res cognita significari dici debet, ibid. Aliâ ratione primò, ac proximè cognitiones rerum vocibus significari dici debent 60. a. Alius est conceptus ex quo assumitur vox, & alius ad quem assumitur, ibid. Vt voces conceptuum loco subrogantur, ita pro eorum distinctione, conditiones quæ distinguuntur, ibid. Num voces possint perfectiùs rem significare audienti, quàm nota sit loquenti 61. a. Difficultas vnde ortum ducat, ibid. Perfectio significationis in quo consistat 61. b. Quid sentiendum, ibid. Voces non possunt perfectiùs rem audienti, quàm sit nota loquenti, significare, ibid. Supra dicta magis declarantur 62. a. Sæpè contingit, vt voces perfectiùs rem audienti significent, quàm nota sit loquenti, ibid. Quid sit veritas, & falsitas in vocibus inquiritur 62. b. Denominatio extrinseca in qua prædicta verias consistit; quomodo ex intellectus cognitione desumatur ibid. Voces itidem ad cognitionem dirigendam conducunt, ibid. Tàm vox, quàm formalis conceptus mentis significat, modo tamen diuerso 206. b.

X

Xenocrates aliquando scholæ præfectus IX.

Z

Zeno.

ZEno auctor sectæ Stoicæ quando in lucem exierit. VIII. Eius successores, qui fuerint, ibid.

Zeugma.

De Zugmate 930. a. Quid sit, ibid. Triplex huius figuræ modus ibid.

FINIS

Errata quædam corrigenda.

Pag. 46. col. 2. l. 18. præsentiam, lege *præsentia* l. 45. ex promendos, lege *expromendos* P. 77. col. 2. l. 48. Priustius, lege *Positius* P. 139. col. 1. l. 56. loquentes, lege *loquentibus* P. 154. col. 1. l. 27. μεν lege γινος P. 199. col. 2. initio lineæ 11. Adde hæc verba *Tertio* proprietas P. 414. col. 2. l. 6. Adde. Tertio denique si id, quod præsupponitur, non se habet ut causa neque metaphysica, neque virtualis, sed ut necessario prærequisitum ad esse posterioris, ita ut possit intelligi non intellecto posterioti, & non vicissim; siquidem intellectus dicitur natura præcedere voluntatem, & intellectio volitionem. Cæterum.

Quæ minoris momenti sunt, lectoris industriæ corrigenda relinquimus, donec nobis per otium licuerit diligentius illa colligere; quæ autem hac in postilla, ex Indice eorum petenda correctio.

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RE-BACKED
1927

Digitized by Google

Digitized by Google